Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3



Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

L. N. 858.

LN 858
ex 3

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

D. NICOLAI

HEMMINGII,

SACRARVM LITERA-
RVM IN HAFFNIENSI
SCHOLA PROFESSORIS
CELEBERRIMI

OPVSCVLA THEOLOGICA,

IN VNVM VOLVMEN COLLECTA,
& per claſſes digeſta: additis varijs Indicibus, Notis,
& præfationibus neceſſarijs.

¶ Anchora ſacra mari iactatos vnica Chriſtus



Fundat, & eſt omni tempore ſola ſalus.

GENEVÆ.
EXCVDEBAT
EVSTATHIVS VIGNON.
M. D. LXXXVI.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Kay Høegs Samling
1970.

S A
S T V

de vita ad
picureoru
inculpatæ
vt vitæ cu
ſatione my
ſermonem
ciis ſatisfac
Non quod
diana ſcrip
litas, vt du
de vita rect
lios ex adu
poſtea con
agitur, toti
monis, vt p
Canonicis
ſeruate. Pri
rarò & neg
diligentem
ri. Alterum
explicandis
aut doctrin
& increpat
verbi præc
uincendos
diti fructuo
raëlis, & ac
ctantur, qui

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

SACRARVM LITERARVM, STVDIOSIS ADOLESCENTIBVS, THEOLOGIÆ *Candidatis, Gratia & Pax à Deo Patre per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

PAVLVS Apoſtolus, ad Timotheum & Titum de paſtorum Eccleſiæ officio ſcribens, inter multa hæc tradit: ſtude teipſum probatum ſiſtere Deo, operarium qui non erubeſcat, & qui rectè ſecet ſermonem veritatis: Item, Oportet Epiſcopum inculpatum eſſe, tanquam Dei diſpenſatorem, non ſibi pertinaciter placentem, non iracundum, non vinoſum, non percuſſorem, non turpiter lucri cupidum, ſed hoſpitalem, bonorum amantem, temperantem, iuſtum, pium, continentem, tenacem fidelis illius ſermonis qui ad doctrinam facit, vt poſſit etiam exhortari per doctrinam ſanam & contradicentes conuincere. Duo hîc à paſtoribus requiruntur, morum integritas ſinceráque doctrina, ſumma cum vigilantia, perſpicuitate & methodo coniuncta: & quidem meritò. Quum enim Eccleſia præparanda ſit, vt vni viro, nempe Chriſto, virgo pura à ſponſi amicis adducatur: profectò nos decet de vita ad Legis Dei normam rigidè componenda ſeriò cogitare, vt horum ſcelerum quibus Epicureorum, Hypocritarum, Hæreticorum vita laborat, expertes, aliis præeamus exemplo, & vitæ inculpatæ manu Dei templum ædificemus. Quoniam verò non illud ſolùm à paſtoribus exigitur vt vitæ curſum in præceptorum diuinorum ſtadio diligenter retineant, verùm etiam vt in diſpenſatione myſteriorum Dei fidus quiſque inueniatur: oportet Eccleſiæ œconomos ad fidum illum ſermonem mentis oculos indeſinenter conuertere, ne dum ſancta conuerſatione hominum iudiciis ſatisfacere ſtudent, ſacrorum librorum lectionem, eius denique orthotomiam aſpernentur. Non quod inculpatos mores multorum, qui felici cura Chriſtiano ouili hodie inſeruiunt, à quotidiana ſcripturæ meditatione auulſos eſſe exiſtimem: ſed quum tanta ſit humanæ mentis imbecillitas, vt dum aliquid ſtudemus vitare in vitium contrarium incurramus: non paucos reperias qui de vita recte inſtituenda ſoliciti Chriſtianam philoſophiam externis operibus totam alligant: alios ex aduerſo qui ſpeculationibus indulgentes muneris Eccleſiaſtici dignitatem manifeſtis vitiis poſtea conſpuunt. Omiſſis autem veteribus & recentibus exemplis, quoties de Eccleſiæ doctrina agitur, toties Canon ille apoſtolicus nobis occurrat, Euangelij miniſter tenax eſto fidelis illius ſermonis, vt poſſit per doctrinam ſanam exhortari, & contradicentes conuincere. Verbi ſcripti in libris Canonicis Veteris & Noui Teſtamenti laudes non attingo: tria tantùm, quæſo, hîc mecum obſeruate. Primum, fieri non poſſe, vt quis ſeruus Chriſti meritò nominetur, qui ſine ordine, ſaltuatim, rarò & negligenter libros Propheticos & Apoſtolicos verſat, ſed methodum, indefeſſum ſtudium, diligentem perſeuerantiam cum pietate ſeriiſque ad Deum ſuſpiriis & precibus coniunctam requiri. Alterum, exhortationes Chriſti familiæ neceſſarias, ſingularem prudentiam à Paſtoribus tum in explicandis, tum in applicandis ſcripturæ teſtimoniis exigere. ne dum confirmatio dogmatum, aut doctrina quæ inde haurienda eſt à nobis auidè exſpectatur & expetitur, ad correctiones del. bi, & increpationes ſemper vrgere velle videamur. Poſtremum, ſophiſticas hoſtium veritatis nænias verbi præconibus ita manifeſtas eſſe debere, vt ſimul firmis argumentis ſint inſtructi ad eos conuincendos qui ſcripto Dei verbo cedere non didicerunt. Quicunque eiuſmodi donis ſunt præditi fructuoſam proculdubio piis auditoribus nauabunt operam: contrà, qui relictis fontibus Iſraëlis, & accurata librorum vtriuſque fœderis collatione, turbidos commentationum riuulos ſectantur, qui in priuatis ſtudiis integrum corpus doctrinæ Chriſtianæ, præcipua eius membra, ſin-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

guláſque particulas oſcitanter obſeruant,ſi ad populum docendum accedunt, ægrorum ſomnia, non Dei ſermones,proferunt in medium. At Chriſti Optimi Maximi beneficio, noſtra hac tempeſtate excitati ſunt inſignes Theologi, quorum eximiis laboribus adeo iuuantur adoleſcentum ſtudia, vt de ſingulis Chriſtianiſmi capitibus palàm,ornatè & ad analogiam fidei differere non ſit difficilè. Eorum nomina,qui ſcholis & Eccleſiis vtiliſſimam impénderunt operam,recenſere quid iuuat? Libris editis ſuæ eruditionis amplum præbuere ſpecimen, quos ſi quis probare velit, & an ſpiritus ex Deo ſint cognoſcere,facilè comperiet quibus erit adhęrendum. Tenuioribus ingeniis conueniunt ij ſcriptores qui cum perſpicua breuitate doctrinam coniungunt. Nam quicquid præcipitur, ſi confuſa, ſi prolixa, ſi leuia continet,inutile & noxium euadere neceſſe eſt. Porrò, ſicut conuiuis non idem eſt guſtus, ita non conuenit inter Theologiæ amicos de illa quam requirimus perſpicuitate.Quidam enim & ingenti mole ſcriptorum delectantur, & lectores reperiunt qui libellos accurata methodo conſcriptos, velut exiguum inanémque cibum faſtidiunt. ſic ſimiles habent labra lactucas. Alij methodicam illam dogmatum explicationem, aut locorum ex propheticis Apoſtolicíſve ſcriptis diſpoſitorum interpretationem tantumnon abiiciunt, verumetiam irrident. Alij faciles commentarios deoſculantur: ingenia illa ſublimia, quorum ſenſus capere non valent, venerantur quidem, ſed aliis excutienda relinquunt. Qua dicendi ratione doceantur non multùm curant,dummodo id ſincerè,paucis,& apertè fiat: memores prouerbij, σαφέστερον καὶ ἀμαθέστερον. Hinc factum eſt, vt clemens ille Sapiénſque Pater cœleſtis, qui dona hominibus liberali dextra porrigit, & aliis quinque, aliis duo talenta committit, in vltima hac mundi ſenecta myſteriorum ſuorum varios interpretes pro infinita ſua erga nos miſericordia ſuſcitare dignatus eſt: inter quos non vltimo ſubſellio reponendus ante aliquot annos apparuit D. Doctor NICOLAVS HEMMINGIVS in ſchola Haffnienſi,celeberrimus Theologiæ profeſſor,qui pro gratia ſibi collata præcipua fidei noſtræ capita,ſeu locos,quos vocant communes,multis libellis feliciter eſt interpretatus. Hos in vnum volumen quum Typographus noſter,de re literaria,præcipuè verò de Theologiæ ſtudio ſtudioſiſque bene meritus, colligere & edere cogitaret, ego currenti calcar addere, & quum ad manus eſſent libelli iſti,offerre lubens,ſimul operam pollicitus ſum in notis addẽdis,quæ facilè D.Hemingii breuitatem lectori ſtudioſo magis ac magis aperirent. At mihi manum iucundis laboribus admouenti oblatum eſt obſtaculũ, de nonnullis locis qui inter legendum aliquoties occurrerant: in quorum explicatione ab aliorum præſtantiſſimorum Theologorũ ſententia Hemmingius noſter recedere videtur: putà de Prædeſtinatione, de Cœna,de Eccleſia,& quibuſdam aliis. De iſtis dum tacitus apud me cogito, adeſt Hemmingius ipſe,qui locos controuerſos hoc vel illo libello breuiùs expoſitos, alibi prolixius explanat, & mentem ſuam aperit: tum incidi in quædam eius dicta, quæ mihi animum auxerunt vt inſtitutum opus abſolui curarem. Sic enim pagina 1163. tractatui de vſu Cœnæ Dominicæ ſub Papatu, finem imponens D.Hemmingius addit, Piis omnibus qui non tam anticipatis opinionibus quàm monſtratæ veritati acquieſcunt, non ſolùm hanc noſtram ſententiam, verumetiam quicquid vnquam à me ſcriptum eſt, aut fortè ſcribetur, ſubiicio. Cæterùm,ne lectores minùs exercitati in diſputationibus de Prædeſtinatione, de libro vitæ,de reiectione Iudæorum,& aliis,ſi quæ occurrunt,impingerent,aut de nimia breuitate, vel non ſatis explicata mente D.Hemmingii conquererentur,obſcurioribus illis locis aliquam dare lucem conatus ſum,pio & ſimplici,ita me Deus amet,animo. Hoc ſanctè affirmo me multùm in legendo D.Hemmingio profeciſſe: ſed quum nonnullos animaduerterem ex malè perceptis quibuſdam interpretationibus in eum paulò vehementius inſurgere,hanc elucidationem ſum aggreſſus, tum vt illis ſatiſfacerem,tum vt veſtra ſtudia tot libellorum in vnum collectione iuuarentur. In alieno opere nolim,nec poſſum (ſi veſſem) ingenioſus videri, multò minus in doctiſſimorũ Theologorum ſcripta cenſoriam mihi aſſumere virgulam. Quis ſim non prorſus me latet. dentatas chartas,audacéſque alienorum laborum caſtigationes, Chriſtiànorum vocatione & modeſtiæ ex diametro repugnantes,improbo. Aſt doctorum veterum & recentium laudatis exemplis fretus, D.Hemmingium à ſiniſtris quorundam iudiciis liberaui, noſtrarum Eccleſiarum ſententiam de grauiſſimis controuerſiis protuli, quam (vbi neceſſe fuit) Prophetarum & Apoſtolorum teſtimoniis confirmaui, adhibitis paſſim, præcipuè in loco de prædeſtinatione & Sanctorum perſeuerantia D. Auguſtini, necnon Lutheri & Melancthonis ſuffragiis. Vtinam verò de iis quæ attigi, & indicem huic epiſtolæ præfixam ſequuntur, D. Hemmingius, quem adhuc ſuperſtitem eſſe audio & gaudeo, amplius cogitare, & pro menſura donorum ſpiritualium quæ abundanter à Chriſto accepit, de bono cordis ſui theſauro nouas & Theologiæ candidatis omnibus multum profuturas diuitias proferre velit. Habetis igitur in Hemmingio noſtro doctrinam cum ſumma animi modeſtia coniunctam,quod vtinam attentius conſiderarent nonnulli D.Philippi Melanchthonis, de ſcholis & Eccleſiis perquam optimè meriti viri, auditores & parum grati diſcipuli; qui dum tanti præceptoris ſui gloriam inuidè proſcindunt,placidóſque cineres conturbant,ſummo cum nominum ſuorum

dedecore,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dedecore, pacem Eccleſiarum Dei, quantum in ſe eſt, funditus euertunt. Ingratos iſtos grauiter & candidè admonuit D. Hemmingius, pag. 589. 590. ſimúlque numeris omnibus abſolutam D. Melanchthonis exhibuit effigiem, quam pia poſteritas meritò mirabitur. Quod autem iteratas tractationes, iiſdem argumentis & verbis confirmatas legetis in hoc volumine, nouum fortaſſe alicui videbitur: ſed quum in Theologia formam ſanorum verborum retinere nos deceat, nec extra decotum ſit bis & ter quæ pulchra ſunt repetere, de ſcriptoris eruditi lucubrationibus vel tantillum detrahere nefas eſſe duximus. Cæterùm extant eiuſdem autoris in omnes Apoſtolicas epiſtolas Commentaria, de quibus facile fuit locos communes expromere. At quum integrum opus illud extet, nihil ex eo diminutum volui. Hanc verò opuſculorum collectionem vobis dicare in animo eſt, fratres in Chriſto chariſſimi, vt doctiſſimis aliis Theologis quę nocturna verſatis diurnáque manu doctum Hemmingium coniungentes, ad ſequendam in priuatis ſtudiis ſacríſque concionibus formandis methodum, vnumquemque veſtrum inuitarem. Quàm neceſſaria ſit perſpicuitas in homiliis ad populum nemo non nouit. Accipite igitur methodi concionatoriæ eximium artificem, & mecum agnoſcite non infructuoſam Theologiæ addictis operam illos nauare, qui ad ſtudioſorum captum ſeſe demittentes, ita doctiorum ingeniis obſequuntur, vt indoctiorum longè maiorem rationem ducant. Inſigniter doctos Theologos non deſpicio, aut quoſdam ineptè paſſim ſcripturientes commendo: ſed non contemnendos, immò admodum vtiles eſſe affirmo labores eorum qui in medio conſiſtere malunt, quàm ea ſcribere, quæ non facilè ab omnibus capiantur. Magnis & ſublimibus ingeniis ſua laus maneat: auream mediocritatem nemo ſapiens vnquam ſibi negligendam putet. Tandem, quum varia ſint Spiritus ſancti beneficia, quidquid nobis ad ædificationem offertur, gratis excipiamus animis. Toto autem pectore oro Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti vt inchoatum opus in vobis Sancti Spiritus efficacia promoueat, ſtudiáque veſtra nouis benedictionibus ſecundet, ad Eccleſiarum ædificationem, Amen. Ex muſæolo noſtro, pridie Nonas Martij, anno M. D. LXXXVI.

Vobis addictus in Domino,
S. G. S.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

OPVSCVLORVM THEOLOGICORVM D. NICOLAI HEMMINGII, QVÆ HOC VOLVMINE CONTINENTVR, IN tres Claſſes diſtributio.

PRIMA CLASSIS *continet* ISAGOGICA, *id eſt, Tractatus qui ad Theologiæ ſtudium & concionandi munus expedita tutiſsimáque via pios adoleſcentes deducere poſſunt.*

Sunt verò hi:

1 De methodis libri duo, quorum prior quidem omnium methodorum vniuerſalium & particularium, quarum vſus eſt in Philoſophia, breuem ac dilucidam declarationem: Poſterior verò Eccleſiaſten, ſiue Methodum Theologicam interpretandi concionandíque continet. pag.1

2 Paſtor, ſiue Paſtoris optimus viuendi agendíque modus. pag.90

3 Catechiſmi Quæſtiones. pag.174

4 De Lege Naturæ Apodictica Methodus. pag.266.

SECVNDA CLASSIS *exhibet* DOGMATICA, *id eſt, de locis Theologicis, quos communes vocant, variis temporibus edita ſcripta.*

Hæc verò ſunt:

5 Enchiridion Theologicum, præcipua veræ Religionis capita, breuiter & ſimpliciter explicata, continens. pag.319

6 Via vitæ. Chriſtiana & Orthodoxa inſtitutio, complectens præcipua Chriſtianę Religionis capita, quæ homini ad ſalutem conſequendam cognitu neceſſaria ſunt. pag.503

7 Demonſtratio indubitatæ veritatis de Domino Ieſu, vero Deo & vero homine, vno Chriſto, mediatore atque redemptore noſtro vnico, ex Prophetiarum collatione ad euentum extructa. pag.587

8 Antichriſtomachia, ſeu pugnæ inter Chriſtum & eius hoſtem Papam Antichriſtum deſcriptio. pag.650

9 Syntagma Inſtitutionum Chriſtianarum, perſpicuis aſſertionibus ex doctrina Prophetica & Apoſtolica congeſtis (pleriſque propoſitis & diſputatis in Academia Haffnienſi) comprehenſum. pag.672

10 Admonitio de Superſtitionibus magicis vitandis: in gratiam ſinceræ Religionis amantium ſcripta. pag.912

11 Libellus de Coniugio, repudio & diuortio: in gratiam fratrum, qui iudices cauſarum matrimonialium in regnis Daniæ & Noruegiæ conſtituti ſunt, conſcriptus. pag.950

TERTIA CLASSIS *habet* EXEGETICA *Opuſcula, ſeu expoſitiones in inſignes quaſdam particulas Veteris & Noui Teſtamenti.*

Hæc autem ſunt:

12 Pſalmi vigeſimi quinti enarratio. pag.1028

13 Enarratio Pſalmi octuageſimi quarti: multa eáque in primis neceſſaria continens. Texitur refutatio erroris Iudæorum, furoris Mahometiſtarum, vanitatis Epicureorum, idoli Papiſtici. Exponitur ratio Sacerdotij Chriſti, & Sacrificiorum Eccleſiæ: monſtratur via à ſempiterna miſeria ad perpetuam beatitudinem & coniunctionem hominis cum Deo, quæ eſt finis conditi & redempti humani generis. pag.1082

14 Hiſtoria Domini Ieſu Chriſti Dei & hominis, Regis cœli & terræ, maximi & inuictiſſimi, vnici Eccleſiæ Dei Monarchæ, ſummi æterníque Sacerdotis, Ducis de Bethlehem illuſtriſſimi, triumphatoris regni tenebrarum glorioſiſſimi, ac datoris vitę æternæ liberaliſſimi: Ex principio Euangelij Iohannis. pag.1255

15 Poſtilla, ſeu Enarratio Euangeliorum quæ in Dominicis diebus & in feſtis ſanctorum vſitatè in Eccleſia Dei proponuntur: in gratiam piorum miniſtrorum Euangelij conſcripta. Cum præfatione ad miniſtros verbi, de perpetuo Eccleſiæ Chriſti conſenſu in doctrina & vero Dei cultu, ne opinionum varietate, & ſectarum multitudine offenſi, vel confeſſionem abiiciant, vel ſegnius officium faciant. pag.1338.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

LOCORVM QVORVNDAM,

QVI IN HOC OPVSCVLORVM D. HEMMINGII volumine lectori negotium faceſſere poſſunt, breuis explicatio.

DE PRÆDESTINATIONE.

PAG. 150. 151. 408. 550. 619. 770.

VLT D. Hemmingius Epicuream ſecuritatem,& deſperationem ex ſenſu peccati ortam tollere, quod narratio pag. 151. expreſſa ſatis ſupérque teſtatur. Ideo quæ dicuntur de voluntate Dei, de promiſſiòne gratiæ vniuerſalis, quòd Deus non ſit perſonarum acceptor, de non conſtituendis in Deo contradictoriis voluntatibus,de gratia ſuperante peccatum, de promiſſione filiis Adæ confirmata, eò recidunt,vt Dei electis ſub onere peccati gementibus conſolationem afferre velle videatur.

Nec enim tam parum oculatum D. Hemmingium quiſquam exiſtimarit,vt electionem cum reprobatione,ac cœlum terræ miſcerevoluerit.Eius conſilium attendere candidum lectorem decet. Et omnia illa quæ de Stoicorũ fato, Parcarum tabulis,& Zenonis librisin terſerit, ſic accipi poſſunt,vt coercere ſit conatus eorum blaſphemias qui de electione & reprobatione extra Dei verbum philoſophantur, quíque proterué ſuis ſceleribus excuſationem prætexentes in Dei decretum culpam reiiciunt,quam à ſe amouere conantur:quod à piis omnibus prorſus eſt alienum.Nec,Dei beneficio, reperietur inter nos dictum, ſcriptum, pictum,vel ſculptum aliquid,quod Deum autorem peccati conſtituat, aut dogma Stoicum, à Gellio, lib.6. cap.2.& Cicerone deſcriptum ſtabiliat: ſicut editis doctiſſimis refutationibus Eccleſiarum noſtrarum Theologi orbi Chriſtiano iampridem teſtatum fecerunt. Diſputationes de fato, ab Auguſtino olim explicatas, aliáſve de prædeſtinatione in genere vel in ſpecie tractationes omitto lubens,ne in immenſum creſcat hæc breuis explanatio.

Conditionem fidei in modo prædeſtinationis incluſam eſſe aſſerit D. Hemmingius, & credituros in Chriſtum fore vitæ æternæ participes. De adultis loquitur.Deinde,ad primarium illum ſcopum ſupra deſignatum reſpicit. Tertiò,de cauſa inſtrumentali,cum efficiente,formali & finali indiuulſè in electis adultis coniuncta diſſerit.Nec vnquam ad occultum illud conſilium de electis ſeruandis aſcendit:ſed perpetuò manet in illius conſilij manifeſtatione. Hæc igitur eſt Theologorum obſeruanda methodus. Quidam enim eruditiſſimi,gradus omnes ſalutis noſtræ ita conſiderant, vt quum de Electorum ſalute, aut de Reproborum exitio verba faciunt, decretum Dei ab æterno, deinde media per quæ ad finem peruenitur, tum decreti executionem coniungunt. Alij verò,vt D.Hemmingius, vocationem Dei expendentes,præcipuè verò conſcientiis afflictis ſe poſſe conſulere hac via arbitrati, de recipiendis Euangelij promiſſionibus nos iubent eſſe ſolicitos. Vtraque methodus,modò intra limites præfixos maneat,ſuas habet vtilitates. Sed qui eas confundunt,neceſſe eſt vt ad infinitos errorum ſcopulos allidantur, ſicut non paucis noſtro hoc ſeculo accidit,quorum calumniæ luculentis reſponſionibus refutatæ ſunt.Quas D. Hemmingius nequaquam reponere voluit: etenim expreſſè ait pag. 772. *Non eſt itaq; cauſa prædeſtinationis in nobis, vt falsò opinantur Monachi, ſed in Deo,quam cauſam Paulus* εὐδοκίαν *voluntatis Dei vocat: Auguſtinus miſericordiſſimam Dei voluntatem.* Quod verò hanc Dei voluntatem, reuelatam nobis voce Euangelij,in filij videlicet miſſione,in promiſſione, in mandato, & in obſignatione gratiæ eſſe affirmat,amplectimur, & ad ſolos in Chriſto Electos ab æterno applicamus:fides enim eorum eſt, Chriſtus illis natus,mortuus,& ſuſcitatus eſt à mortuis,hęreditas cœleſtis ante mundi conſtitutionem illis parata eſt, & ſpiritu adoptionis obſignantur in diem redemptionis per Chriſtum acquiſitæ.

Si quis ergo hæc Hemmingij dicta ad omnem Adami poſteritatem promiſcuè & indiſcriminatim trahit: ſi in electorum tantùm gratiam iſta omnia prolata fuiſſe negat:in abſurda multa incidat neceſſe eſt.Inuitat autem D. Hemmingius omnes ad acceptationem huius gratiæ quam vniuerſalem eſſe docet, reſpectu manifeſtationis externæ:ſed manent ſua conſilia Deo, qui Electorum ſuorum miſeretur, Reprobos autem indurat.At illud ampliori explicatione indiget, ne quis prætextu miſericordiæ Dei amplificandæ, iuſtitiam eius, & infinita de Reprobis ab Electorũ beato cœtu diſtinguendis teſtimonia confundat. Vniuerſaliter omnibus gentibus, nedum ſingulis Adæ filiis propoſitam antea fuiſſe, aut nunc proponi Euangelij gratiam quis ſanæ mentis affirmare audeat? Huic errori contradicunt omnes omnium temporum hiſtoriæ. Deinde,ſi hoc valeat, neceſſe fuerit Deum prius ordine apud ſe conſideraſſe corrumpendum, quàm creandum humanum genus.Item, creaturus hominem Deus, & quidem bonum,aut nihil de eo in poſterum decreuit, aut de eo alterum horum duorum conſtituit, nempe vt homo vel bonus permaneret, vel ſeipſum corrumperet. Quod ſi decreuit,& ex decreto ſuo hominem creauit in bonitate permanſurum, corruptio illa poſt ſequuta,Deo vel ignorante, vel non curante,vel diſſimulante,vel etiam inuito euenerit: quorum nihil tribui Deo ſine blaſphemia poteſt. Quod enim nonnulli excipiunt de permiſſione,nullius eſt momenti:ſtatuen

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dum enim eſt omnino non inuitum, ſed volentem Deum permittere quod permittit. Eſt autem hæc Dei voluntas aut eadem atque ipſum decretum, aut certe huic decreto prorſus conſentanea: ex quo efficitur non niſi decernente & volente, ac tandem etiam permittente Deo eueniſſe humani generis corruptionem, decreto creationis ſubordinatã. Quòd ſiquis malit exiſtimare, ſi quod hic decretum fuit, definitum tamen id non fuiſſe, neque ſimpliciter determinatum, ſed à libertate humanæ voluntatis, in vtramuis partem flexibilis fuiſſe ſuſpenſum, rurſum non minus hoc abſurdũ erit quàm ſi quis diceret Deum nihil de homine creando definite decreuiſſe. Paria enim ſunt, quum de Deo agitur, nihil decernere, & in incertum decernere, quod in eius de quo deliberatur mera voluntate ſit ita poſitum, vt quod ad decernentem attinet, poſſit vel euenire, vel non euenire. Nam quod ad hominum deliberationes attinet, ſæpe illi coguntur ad noua eiuſmodi capienda conſilia, vt qui non rarò de iis deliberant quæ in ſua poteſtate non ſunt. Neque verò propterea conſequitur Deum eſſe Adami lapſus auctorem, vel humanæ voluntatis Adami ante lapſum libertatem in vtramuis partem flexibilem tolli. Nam quum Deus ſit ipſamet bonitas, vitioſum opus condere non potuit, nec certè condidit. Quod ſi rurſus ſic bonum condidiſſet hominem, vt, ex bono malus non euaderet, neque miſericordiam neque iudicium Deus creator in humano genere exerere, id eſt fines ſibi ab æterno propoſitos exequi potuiſſet. Bonum igitur bonus Deus hominem condidit, ſed mutabiliter bonum. Quod ſi rurſus hanc mutabilitatem ex bono in malum Deus effeciſſet, non minus profectò habendus eſſet mali auctor, quàm ſi malum ab initio creaſſet: ac multò etiam magis, ſi illum bonum conditum ſeſe in malum tranſmutare coegiſſet. Hominem ergo & intelligentem creari oportuit (nec enim vel bene vel malè agere dici poſſunt intelligentiæ & rationis expertia) & tum ſpontanea, tum etiam libera in ſe, ſiue ad bonum cognitum, ſiue ad malum vetitum perſequendum, voluntate præditum creari: nempe vt mutatio ex bono in malum ad executionem æterni illius propoſiti interueniens, non quidem abſque Dei decreto, cuius exitus falli non poteſt, ſed tamen nõ aliunde quàm ex intrinſeco, ſpontaneo, & libero voluntatis humanæ principio & motu oriretur: vt hac ratione tũ miſericordię, tum iuſto Dei iudicio aditus, hac contingente hominis mutatione, patefieret. Itaque quod dicit Apoſtolus, Rom. 11. de Electorũ per gratuitam miſericordiam ſeruandorum tota multitudine in vnum velut corpus congeſta, Deum videlicet concluſiſſe omnes illos ſub peccato, vt omnium illorum miſereretur, dicere quoque de Reproborum iuſtè damnandorum maſſa, Deum nimirum illos etiam concluſiſſe ſub peccato, vt omnes illos iuſtè perderet: & hos & illos denique concluſiſſe ſub peccato, vt in vtriſque glorificaretur. vide Exod. 16. 19. Prouerb. 16. 4. Iſa. 43. 7. Rom 8. 28. & 9. 21. 22. 23. & 11. 1. Corinth. 27. Epheſ. 1. 4. 5. 6.

Præterea, ſi decreuit Deus ſeruare eos omnes, quibus Euangelij gratia proponitur (vt ex verbis D. Hemmingii ab eius ſcopo ſeparatis quidam colligunt certè quum neminem niſi in Chriſto per fidem ſeruet, neceſſariò quoque dicendum eſt Deum credendi facultatem vel naturaliter in omnibus hominibus inſitam inuenire, vel iis omnibus tribuere quos Euangelii prædicatione dignatur. Prius autem illud merè Pelagianum eſt: iſtud autem, ſi verum eſſet, verbum Dei nulli ad iudicium prædicaretur, quoniam fides eſſet omnibus ſine exceptione, quibus Euangelium annuntiatur, commune Dei donum, quod plurimis in Euangelio parabolis, & Iudæorum reiectione, & quotidiana omnium ſeculorum experientia refutatur.

Obiectiones, ex mandato vniuerſali petitas diluere non eſt neceſſe. quũ enim quoſdam reprobos ſolo verbo externo Deus alloquitur (multos enim hunc vocis ſonum nunquam auribus corporeis hauſiſſe populorum hiſtoriæ teſtantur) iuſto ſuo iudicio magis ac magis reddit inexcuſabiles, ipſis ſeſe pro ingenita ſua improbitate, quò magis verbo Dei propoſito arguuntur, eò pertinaciùs veritati obſiſtentibus, ſiue aures obturando, ne vel externam prædicationem audiant, ſiue aliquatenus illuſtratæ ſuæ conſcientiæ repugnando.

Teſtimonia Pauli & Petri, 1. Tim. 2. 4. & 2. Petri 9. quod velit Deus omnes ſaluos fieri & ad cognitionem veritatis peruenire, & ſimilia, quæ ex malè percepto D. Hemmingii conſilio citantur, non iuuant eorum errores qui electionem indefinitam & vniuerſalem conſtituunt. De Electis enim iis locis agitur, vt pio lectori ex dictorum diligenti collatione, circunſtantiis omnibus examinatis, apparet. Nam ſi ad humanum genus illa accommodantur, contradictorias in Deo voluntates ſtatuere neceſſe eſt: quos enim vult ſeruatos, damnatos aut ſciens, aut volens, aut permittens poſtea, intuebitur. Abſurda iſta detegere, & refellere idem eſt. Deum autem non eſſe προσωπολήπτην credimus, nec tamen ſequitur illud Pauli falſum eſſe, Quorum vult miſeretur, & quos vult indurat. Ibi eſt acceptio perſonarum, vbi quæ æqualibus ex æquo debentur, inæqualiter diſtribuuntur. At vbi quæ diſtribuuntur non debentur, ſed ex liberalitate donantur, ibi etiam ſi æqualibus diſtribuuntur æqualia, nulla perſonarum acceptio neque iniuſtitia eſſe poteſt: vt ſi vni debitori debitum remittas, ab altero verò exigas. Quum igitur omnes coram Deo ſimus ex æquo peccatores, eóque illi debitores: quòd aliquibus decreuerit debita remittere, aliis autem non remittere, nullius προσωποληψίας accuſari poteſt. fremat hîc quãtũ poterit humana ratio, modeſtiam docebit dictum illud, O homo, tu quis es qui reſponſas Deo? Non quaſi deprehenſus foret Apoſtolus ad cuniculos reſpectauit: ſed indicauit altiorem eſſe diuinæ iuſtitiæ rationem, quàm vt vel humano modo metienda ſit, vel humani ingenii imbecillitate poſſit comprehendi. *Tu homo* (inquit Auguſtinus, de verbis Apoſtoli, Sermone 20) *expectas à me reſponſum, & ego ſum homo. Itaque ambo audiamus dicentem, O homo, tu quis es qui reſponſas Deo? Melior eſt fidelis ignorantia quàm temeraria ſcientia. Quære merita: non inuenies niſi pœnam. O altitudo! Petrus negat, latro credit. O altitudo! Quæris tu rationem? ego expaueſcam altitudinem. Tu ratiocinare: ego mirabor. Tu diſputa: ego credam. Altitudinem video, ad profundum non peruenio, &c.* Eadem repetens, lib. de ſpiritu & litera, cap. 34. ſubiungit: *cui reſponſio iſta* (ô altitudo diuitiarum, &, Non eſt iniquitas apud Deum qui quorum vult miſeretur, & quos vult, indurat) *diſplicet, quærat doctiores: ſed caueat ne inueniat præſumtiores.* Infinita extant in D. Auguſtini libris ſuperiorem ſententiam de Electione & Reprobatione paucis explicatam confirmantia teſtimonia, quæ nunc proferre codicis anguſtia vetat. Ex Enchiridio ad Laurentium, quod ſequitur nobis eſt inſtar omnium. ſic enim, cap. 100. *Hæc ſunt magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, & tam ſapienter exquiſita, vt quum Angelica & humana natura peccaſſet, id eſt, non quod ille, ſed quod voluit, ipſa feciſſet, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum eſt quod creator noluit, impleret ipſe quod voluit, bene vtens etiam malis tanquam ſummè bonus ad eorum damnationem quos iuſtè prædeſtinauit ad pœnam: & ad eorum ſalutem quos benignè prædeſtinauit ad gratiam. Quantum enim ad ipſos pertinet*

quod

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quod Deus noluit fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipſo quod contra Dei voluntatem fecerunt, de ipſis facta eſt Dei voluntas. Propterea nanque magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatē: quia non fieret, ſi non ſineret: nec vtique nolens ſinit, ſed volens.

Superiora dicta, ſi ſuffragiis D. Lutheri confirmare vellemus, liber iuſtę magnitudinis nobis conficiendus eſſet: vnum & alterum ex libro de ſeruo arbitrio aduerſus Eraſmi Diatriben deſcripſimus. Inde pius lector, qualis fuerit tanti viri de his diſputationibus ſententia facilè percipiet. *Cur alij* (inquit pag. 485. 6.) *lege tanguntur, alij non tanguntur, vt illi ſuſcipiant, & hi contemnāt gratiam oblatam, alia quæſtio eſt, nec loco illo Ezechielis* 18. *tractatur, qui de prædicata & oblata Dei miſericordia loquitur, non de occulta illa & metuenda voluntate Dei, ordinantis ſuo conſilio quos & quales prædicatæ & oblatæ miſericordiæ capaces & pertinaces eſſe velit. Quæ voluntas non requirenda, ſed cum reuerentia adoranda eſt, vt ſecretū longè reuerendiſſimum Maieſtatis diuinæ ſibi ſoli reſeruatum, ac nobis prohibitum.* Solutis eodem libro communibus obiectionibus adu. æternum de eligendis & reprobandis hominibus iuſtū & immutabile Dei decretum, de damnatione impiorum & Dei iuſtitia diſputationi finem imponen, pag. 524. 6. infert. *Si autem id mouet quod difficile ſit clementiam & æquitatem Dei tueri, vt qui damnet immeritos, hoc eſt, impios eiuſmodi qui in impietate nati non poſſunt vlla ratione ſibi conſulere quin impij ſint, maneant ac damnentur, cogantúrque neceſſitate naturæ peccare (ſicut Paulus dicit, Eramus omnes filij iræ, quemadmodum & cæteri) quum tales creentur ab ipſomet Deo, ex ſemine vitiato per vnius Adæ peccatum: Reſpondeo, hîc honorandus & reuerendus eſt Deus clementiſſimus in iis quos ſeruat indigniſſimos, donandumque eſt nonnihil eius ſapientiæ, vt iuſtus eſſe credatur, vbi iniquus nobis eſſe videtur. Si enim talis eſſet eius iuſtitia, quæ humano captu poſſet iudicari eſſe iuſta, planè non eſſet diuina, & nihilo differret ab humana iuſtitia. At quum ſit Deus verus & vnus, deinde totus incomprehenſibilis, & inacceſſibilis humana ratione, par eſt, immo neceſſarium eſt, vt & iuſtitia ſua ſit incomprehenſibilis, ſicut Paulus etiam exclamat, dicens, O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Rom.* 11. *Incomprehenſibilia verò non eſſent, ſi per omnia capere valeremus, quare ſint iuſta.* Hactenus D. Lutherus. Cæterum vt D. Hemmingij de prædeſtinatione (ſeu electione) & reprobatione definitionem paucis explicemus, aliam Theologicam definitionem proponamus: vt ex harum collatione veritas magis eluceſcat. Prædeſtinatio igitur (quum ad humanum genus æternum Dei decretum applicamus) eſt arcanum illud Dei omnipotentis & immenſæ ſapientiæ decretum quo immutabiliter & ab æterno conſtituit in aliis quidem ſumma miſericordia ſeruandis, in aliis verò iuſtiſſima ſua ſeueritate damnandis, ſeſe qualis reuera eſt, ab effectis, ſumme videlicet miſericordem & iuſtum demonſtrare. Definitio hæc habet omnes ſuas cauſas, quarum examen pio lectori relinquimus. Probationes omnium membrorum ex Rom. 9. Epheſ. 1. & aliis locis ſcripturæ facilè eruuntur. Reprobationis tractationem nunc attingere haud eſt neceſſe, quum ex doctrina oppoſitorum quid de ea ſentiendum ſit ex ſuprà diſputatis liquidò conſtet.

De libro vitæ quod ſcribit D. Hemmingius pag. 411. explicatione indiget, ſi enim ex libro electionis æternæ deleri exiſtimat qui fidem & confeſſionem abiiciunt, duplex committitur paralogiſmus. De ſalute electorum ſuorum manet immutabile Dei decretum, eiúſque dona ſunt ἀμεταμέλητα. Deinde, fieri non poteſt vt electi totā excutiant fidem & confeſſionem. Igitur, qui ſemel in libro æternæ vitæ à Deo ſcripti ſunt, inde ampliùs non poſſunt expungi. Omne quod dat mihi Pater, inquit Chriſtus, Ioan. 6. ad me veniet, & eum qui venit ad me non eiiciam foras: ſed ſuſcitabo illum in nouiſſimo die. Liber vitæ nihil aliud eſt quàm ipſiſſimum æternum Dei decretum de glorificandis electis in Chriſto. Peccata Electorum Dei præuiſa non potuerunt impedimēto eſſe Deo quin eos ad vitam æternam elegerit, & ita in libro vitæ conſcripſerit. Quid ita? quia ex gratia voluit conſcribere & conſcripſit. Eandem igitur ob cauſau adduci non poteſt Deus peccatis Electorum admiſsis, vt eos è libro vitæ expungat. Dicto Chriſti alia addamus teſtimonia ex Ioann. 10. & Roman. 8. Item illud Auguſtini explicans verba Dauidis, deleantur de libro viuentium: fratres (inquit) *non ſic accipere debemus, quòd quenquam Deus ſcribat in libro vitæ & deleat illum. Si homo dixit, Quod ſcripſi,* ſcripſi (hoc eſt, quod ſcripſerat, noluit *delere aut mutare*) *Deus quenquam ſcribit & delet? Præſcius eſt, prædeſtinauit omnes ante conſtitutionem mundi regnaturos cum filio ſuo in vita æterna. Hos, quos conſcripſit, ipſos continet liber vitæ. Denique in Apocalypſi quid ait dei ſpiritus quum de preſſuris ab Antichriſto futuris loqueretur eadem ſcriptura? Conſentient illi inquit, omnes, qui non ſunt ſcripti in libro vitæ. Proindè ſine dubitatione non erunt conſenſuri qui ſcripti ſunt.* Hæc Auguſtinus. Quoniam verò reprobi ad tempus inter electos ita verſantur, vt ſcripti in libro vitæ cenſeri poſsint, quando fidem & confeſsionem fucatam & impuram detegunt, è libro deleri, hoc eſt, non ſcripti eſſe cognoſcuntur. Cum iuſtis in hoc libro etiam ſcribi dicūtur, qui ex lupis fiunt oues, & in ouile Chriſti iuxta Dei decretum immutabile, ſalutem quam priùs neglexerant, amplectuntur. Id autem, noſtro reſpectu dictum commodam interpretationem recipere poteſt: ſed quando Deum reſpicimus manet illud firmum; Quicunq. in libro vitæ apud Deū inſcripti ſunt, eos inde ampliùs deleri non poſſe: ac proinde in æterna vita cum Chriſto (qui media ordinauit quibus eos ad finem ordinatum perducit, vocationem videlicet efficacem, reſipiſcentiam, fidem, nouam obedientiam, &c) ſine vlla dubitatione futuros.

Sequitur locus de perſeuerantia ſanctorum: nam pa. 397. videtur D. Hemmingius iis aſſentiri qui Dei Electos excutere ſpiritum ſanctum, quando labuntur contra conſcientiam, fidem abiicere, reos fieri iræ diuinæ, & niſi agant pœnitentiam, ruere in pœnas æternas aſſerunt. Iſta poſſunt commodè accipi. Fidem omnem non abiiciunt verè ad Deum conuerſi quum labuntur contra conſcientiam, nec prorſus excutiunt Spiritum Sanctum: nā pœnitentia denuo excitantur, & miſericordiam implorant. Electos autem ex hac vita ſine pœnitentia & fide nunquam diſcedere, certum eſt. Et quod additur, niſi agant pœnitentiam, ſcrupulum iſtū tollit quod ſubiicitur: fieri non poſſe vt qui Chriſto donati ſunt à Patre pereant, vt exempla Dauidis, Manaſſis, Petri, Latronis in cruce, & aliorum ſatis ſuperque probant. Vide Pſal. 23. 6. Ioan. 6. 37. & 10. 28. 39. Ro. 5. 2. Eph. 1. 4. & 2. 10. Addo D. Philippi in 1. ad Corinth. 10. conſenſum cuius ſumma eſt, *Electos* (non furentes ſecuritate, ſed habentes exercitia pœnitentiæ & inuocationis, id eſt, per Dei ſpiritum excitati reprehenſionibus verbi Dei locum in cordib. præbentes, vt Dauid & Petrus etiam poſt grauiſſimū lapſum cōtra cōſcientiam) *protegit Deus, hos ſuſtentat velut ſubiecta manu, vt nutantes aut labentes non ruant in exitium & in*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

horum tentationibus regit euentus, & dat exitus placidos, ſicut dicitur, Dat cum tentatione exitum, &c.

Peccatum in Spiritum ſanctum irremiſsibile dicitur pag.555.& recte quidem. quod verò additur remitti hoc peccatum omni agenti pœnitentiam & petenti veniam propter Chriſtum. non ſatis aptè profertur. Nā iſta ſunt ex diametro oppoſita. Nunquam enim ſerio reſipiſcit aut petit veniam qui peccatum illud committit. Hebr.6.& 10. Et 1.Ioann.5. Iſta autem, *dicitur hoc peccatum irremiſſibile, quod qui illud perpetrant, maxima ex parte perſeuerent in malo ſuo propoſito, & nunquam confugiant ad Dei gratiam,* ſic legenda eſſe Scriptura docet, Hoc peccatum dicitur irremiſſibile, quoniam qui illud perpetrant, perſeuerant omnes in impietate ſua, &c. nā teſte Apoſtolo Hebr.6. fieri non poteſt vt denuo renouentur per reſipiſcentiam, vt qui rurſus crucifigāt ſibimetipſis filium Dei & ad ignominiam exponant.

Iudæorum reiectionem ad contumaciam populi offendentis in lapidem ædificij, id eſt in Chriſtum, D. Hemmingio, pag. 642. referendam eſſe alij Theologi tradunt: non tamen excludunt arcanum, iuſtum & immutabile Dei conſilium. Iſta enim inter ſe cohærent, Creatio in recto ſtatu, Corruptio ſpontanea merè voluntaria totius humani generis in Adamo, Derelictio iuſta in corruptione, Induratio, Indurationis effecta, Mors æterna, Gloria Dei ſummè iuſti. Iudæorum populus reiectus eſt, & defracti ſunt rami vt gentes insererentur: ſed qui ex Iudæis ordinati ſunt ad vitam æternam, ſuo tempore vocati ſunt, vocantur & vocabuntur. Ex oppoſito Gentes Chriſto per Euangelium adductæ ſunt quem fide apprehenderent. Elegit enim nos Deus non tantùm ad vitam æternam, verùm etiā ad vocationem, iuſtificationem & ſanctificationem. Quod additur, pag.1112. *Electionem & ſalutem Iudæorum conditionatam fuiſſe, vt quæ non penderet ex prærogatiua carnis, ſed ex conditione fidei,* verum eſt: modò fidem à Dei conſilio pendere fateamur: ita vt iudicium ſit penes figulum non penes lutum, vt ait Auguſtinus. Nec minus fides donum Dei eſt, quàm vita æterna.

De Cœna Domini variis locis, pag. videlicet 254.255. 453.661.& 806. agitur. Sacramentarios præſentiā Chriſti negantes cum D. Hemmingio improbamus. Pontificiorum tranſſubſtantiatio & miſſaticum ſacrificium, nouum item dogma de omnipręſentia carnis Chriſti ab eodem ſolidis argumentis refutantur, modeſtéque admonentur Theologi diſſentientes vt de reuocandis erroribus cogitent. Quid autem de tota hac re ſentiendum ſit, ipſe alibi bene & apertè docet. *Adeſt* (inquit pag.808.) *Corpus Domini in Cœna, non ratione loci: (nam ſi locum ſpectes corpus Chriſti in cœlo eſt circumſcriptum) ſed ratione fidei hominis legitime vtentis ſacra Chriſti Cœna. Hac enim fides coniungens nos cum filio Dei, facit vt multò arctius carni & ſanguini Chriſti, mediante λόγῳ, iungamur, quàm iungimur pani quē comedimus, & vino quod bibimus. Ea enim eſt vis fidei, vt iūgat remotiſſima, idq; arctiſſimè. Vbi autem fides non adeſt, nulla fit coniunctio, niſi ſacramentalis tantùm, quæ cedit vtenti in iudicium. Nec cum hoc pugnat quod Paulus affirmat reos fieri corporis & ſanguinis Domini qui indignè manducant hunc panem, & bibunt hūc calicem. Nam eadem eſt ratio de indignè audientibus verbum, & indignè ſumentibus baptiſmum. Qui enim audit verbum Dei indignè, reus fit verbi Dei. ſiquidem qui non crediderit condemnabitur. De Baptiſmo hæc ſunt Auguſtini verba:* ſicut qui manducat corpus & bibit ſanguinem Domini indignè, iudicium ſibi manducat & bibit: ſic qui accipit indignè baptiſma, iudicium accipit non ſalutem. *Cum Auguſtinus hic nominat corpus & ſāguinem Domini, loquitur ſacramentaliter, tribuēs ſigno nomen rei.* Piam verò D. Hemmingij admonitionem omittere nefas duxi, quam vtinam ſeriò meditentur omnes Chriſtiani, præcipue verò, qui aliis doctrina & vitæ exemplo præire debent *Maneamus* (inquit) *in Chriſto, vt in nobis maneat, abſtineamus ab inutilibus diſputationibus quibus hominum animi auocantur à vero Cœnæ vſu.* Quod autem aliquoties addit corpus Chriſti miniſtrorum manibus porrigi in Cœna, ipſe ſatis explicat: quum reſpectu indignorum ait id fieri ſacramentaliter tantùm, piorum verò reſpectu, vera fide, quæ remotiſsima quæque coniungit.

De Eccleſia, gradibus Eccleſiaſticis, ordine, miniſteriorum, confeſsione & abſolutione priuata, de adiaphoris & variis ceremoniis, conuerſatione piorum ſub papatu, & cauſis diuortiorum, pag.155.156.213.250.459. 468.778.799.869.875.1000.1137.1161.1162. tractat D. Hemmingius, & ea profert quæ aliquam lucem requirunt. Verùm quum in theologicis diſputationibus ferendi ſint fratres qui fundamentum retinent, nec, quādo de Eccleſię membris iudicandum eſt, ex fœno & ſtipula petēdū ſit iudicium, ſed ex fundamento: quicunque in eo manet, viuus lapis eſt, ab ipſo Chriſto aſſumptus in templi viuentis firmum ædificium. Adiaphora multa tum in regimine Eccleſiaſtico, tum in varia quorundam locorum interpretatione, dummodo totus Chriſtus piis relinquatur, non tanti momenti ſunt vt propter ea, in Eccleſiis ſchiſmata moueri debeant. Retineatur doctrinæ ſinceritas, conſeruetur purus Dei cultus. Alia ſeruiant partim tranquillitati, partim infirmitati hominum, pro temporum & locorum circunſtantiis. Reliqua prudentiæ paſtorum relinquamus, quorum munus eſto diligenter attendere nequid detrimenti Chriſti Eccleſiæ capiant. Quemadmodum verò cum Theologis aliarum Eccleſiarum (qui in ceremoniis aut controuerſorum ſcripturæ locorum interpretatione aliter ſentiunt) agit D. Hemmingius vt modeſtum & pium Chriſti ſeruum decet, ita de nobis ſi fortè ad manus eius breues hæ explicationes perueniunt, cupimus eum cogitare: nos, videlicet, erga Danicas ſcholas & Eccleſias, harúmque fidos paſtores & profeſſores, ſincero animi affectu in Domino Ieſu manere coniunctos, ídque cum aliis Dei electis vnicè cupere, vt diſſidiis omnibus ſublatis, idem in Chriſto ſentiamus & loquamur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

DE METHODIS LIBRI DVO, QVORVM PRIOR QVIDEM OMNIVM METHODORVM VNIVERSALIVM ET PARTICVLARIVM, QVARVM VSVS EST IN PHILOSOPHIA, BREVEM ac dilucidam declarationem: Poſterior verò Eccleſiaſten, ſiue methodum theologicam interpretandi, concionandique continet.

SERENISSIMO AC ILLVSTRISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO, D. CHRISTIANO (HVIVS nominis tertio) Daniæ, Noruegiæ, Sclauorum & Gottorum Regi, Duci Sleſuigæ, Holſatiæ, Stormariæ & Ditmerſiæ, Comiti Oldenburgenſi & Delmenhorſt: Domino ſuo clementiſſimo.

MAXIMVS olim regibus cum à veris Philoſophis, tum à Poetis ſummus honos eſt habitus. Perſpexerunt enim ſapientiſſimi homines heroicas regiaſque virtutes minime vulgares eſſe, ſed diuinitus paucis admodum ordinis politici & œconomici conſeruandi gratia collatas. Nam fieri non poſſe animaduerterunt, vt hic mundus diu incolumis ſtare poſſit, niſi ſint, qui ſapientia excellentes, probitate conſpicui, autoritate graues, & rebus gerendis idonei, reliquam multitudinem legibus & diſciplina coherceant, ac in officio retineant.

Hoc Plato grauiſſimus Philoſophus in multis locis teſtatur: Quemadmodum, inquit, boues non à bobus, nec capræ à capris reguntur, ſed à præſtantiori genere nimirum ab homine: Sic genus humanum infirmius eſt, quam vt ſeipſum regere poſſit. Quare Deus præfecit Rebuſpub. heroas, qui cum habeant ipſi proſperos ſucceſſus, nobis quoque imperia eorum grata & facilia ſunt. Hi ita curant nos, vt pacem, pudorem, libertatem, iuſticiam conſeruent. Et alio loco Regem gubernatori nauium confert. Nam vt nauis in turbulento mari iactata nequaquam in portum incolumis peruenire poteſt ſine gubernatoris arte & induſtria, qui & nauis & nautarum ſalutē vnice ſpectat: ita Reſpublica euertitur prorſus, vbi peritus & amans ſalutis ciuium magiſtratus non fert laboranti opem, Iuxta Theognidis ſententiam:

Φορτηγοὶ δ᾽ ἄρχουσι, κακοὶ δ᾽ ἀγαθῶν καθύπερθεν
Δειμαίνω μή πως ναῦν κατὰ κῦμα πίῃ.

Hinc eſſe exiſtimo, quod rectores Rerumpub. gubernatores, vocabulo à nauibus tranſlato, dicantur. Nec aliud diuinus Homerus ſenſiſſe putandus eſt, qui reges ſæpe διοτρεφεῖς, nonnunquam κοσμήτορας λαῶν, interdum ποιμένας λαῶν, aliquando ἡγήτορας, rurſus ἠπίους πατέρας nominat. His enim titulis officia regia exprimere voluit. Nam reges & principes viri non niſi diuino motu & heroico res magnas gerunt, ſalutares Rebuſpublicis, politias præclaris legibus ornant, diſciplina paſcunt, iuſticia, clementia ac omnis generis virtutibus præcedunt, & tanquam blandi patres ſuos ciues & incolas ſummo complectuntur amore, vt qui ſubditorum ſaluti commodiſque non ſecus ſeruire ſolent, quam φιλόστοργοι parentes ſuorum liberorum curam gerunt. Hinc eſt quòd idem Homerus Iouem patrem vocauit, Quod enim patria poteſtas eſt in vna familia, id regium eſt imperium in integro regno. Theſeus apud Euripidem rex placidus & bonus, breui quidem verſiculo ſi numerum ſpectes, ſed copioſo admodum ſi quid in ſe breuitas illa contineat, euoluas, virtutes regias erga ſubditos complexus inquit:

Εὐεργέτης βροτοῖσι, καὶ μέγας φίλος. Vere εὐεργέτης qui tanquam Atlas quiſpiam Rempub. quaſi ſuis humeris ſuſtinet, vnde merito βασιλέως nomen apud Græcos obtinuit. Hæc tanta cura ni-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſi ex ſummo erga ciues amore proficiſci non poteſt. Nec frangitur animo vſitata ſubditorum ingratitudine, qui vere regio animo fuerit prædituſ.

Tametſi autem multi reges improbitate mundi & inſidiis Sathanæ decepti ſunt, ac in tyrannos degenerarunt: tamen nequaquam audiendi ſunt, qui ob vel plurimorum errata parum verecunde de regio munere diſſerere audent. Fatendum quidem eſt nihil tyrannide triſtius, nihil immanius, nihil nocentius. Nec negandum, proh dolor, teterrima quædam fuiſſe monſtra, quæ regium honorem ac dignitatem vſurparunt, in quorum numero fuerunt Phalaris, Dionyſius, Echetus, Tarquinius, Atrëus, & huius generis complures δηλήμονες βροτῶν, qui omnem humanitatem exuiſſe videntur. Quid enim inhumanius potuit eſſe, quam quod Atrëus fratri Tyeſti proprios liberos comedendos appoſuerit? Quid indignius homine, quam quod idem omnem humanitatem, fidem, ſanctitatem à regibus viris alienam voluerit? Sed colloquium ipſius cum ſeruo ex Seneca aſſcribam, quo magis ipſius immanitas conſpiciatur. *Atreus*. Maximum hoc regni bonum eſt, quod facta domini cogitur populus ſui quàm ferre, tam laudare. *Seruus*. Quos cogit metus laudare, eoſdem reddit inimicos metus, At qui fauoris gloriam vere petit, animo magis quam voce laudari volet. *Atreus*. Laus vera & humili ſæpe contingit viro, nonniſi potenti falſa, quod volunt, velint. *Seruus*. Rex velit honeſta, nemo non eadem volet. *Atreus*. Vbicunque tantum honeſta dominanti licent, precario regnatur. *Seruus*. Vbi non eſt pudor, cura iuris, ſanctitas, pietas, fides, inſtabile regnum eſt. *Atreus*. Sanctitas, pietas, fides, priuata bona ſunt, quâ iuuat reges eant.

Ecce quam graphicè hic ſub perſona Atrëi imaginem tyranni expreſſit Seneca: & contra quam rege dignas virtutes, ſua oratione ſeruus domino commendauit. Non enim regium eſt facere quod libido ſuadet, ſed quod ratio iuſticiaque monet. Quare laudãdum eſt Xenophõtis dictum: μέτρον δ᾽ αὐτῷ οὐχ ἡ ψυχὴ, ἀλλὰ ὁ νόμος ἐστί. Ex his non difficile eſt iudicare, vehementer hallucinari eos, qui propter multorum iniuſtam tyrannidem, in ipſum regium ſtatum, qui Deum autorem habet, conuicia iaciunt. Sed tale ingenium eſt malignæ naturæ, vt ne ordinationi quidem Dei parcat. At viri boni ordiníſque diuini amantes facile intelligunt Philoſophorum & Poëtarum encomia de bonis regibus non eſſe fumos, ſed veritatis teſtimonia. Quis quæſo mortalium ſatis agnoſcere poteſt bonitatem Dei erga eas Reſpub. quibus placidi amãteſque ſuorum reges contingunt, quibus cum chara patria chari ſunt & incolæ? Sed Philoſophorum & Poëtarum ſchola ſic quidem de regibus ſentit: Nunc autem quas virtutes verbum Dei requirit in regibus videamus. *Prima* itaque ſit regia virtus, cuius ſecundus Pſalmus meminit cum inquit: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, ſeruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Oſculamini Filium, ne quãdo iraſcatur, & pereatis in via. Beati omnes qui confidũt in eo. Hîc Spiritus Sanctus vult reges Filio Dei procumbere ad genua, eum oſculari, eique cum debito ſeruitio veroque cultu homagium præſtare. Et quemadmodum pœnas minatur iis, qui debitum cultum Dei Filio exhibere recuſant: ita beatitudinem obſequentibus promittit. Huic *ſecunda* regia virtus adiiciatur, quam Pſalmus 122. regibus commendat. Lætor, inquit ſanctiſſimus rex, cum mihi dicitur, in domum Domini eamus. Hoc regium & dictum & exemplum vult, vt reges non ſolum vera pietate aliis antecellant, verumetiam vt ſummum ſit illorum gaudium habere Eccleſias bene conſtitutas ac conſentientes in vera religione. Sit *tertia* virtus regũ, quã idẽ Pſalmus his verbis effert: Propter fratres meos & proximos meos, loquar tibi pacem, propter domum Domini Dei noſtri quęram bona tibi. Hic ſignificat Dauid vere regium eſſe, conſiliis & facultatibus Eccleſiam iuuare, ac miniſteriũ verbi promouere. Huc ſpectat Eſaiæ dictum cap. 49. Et erunt reges nutricij tui, & reginæ eorum nutrices tuæ. Hac ſententia Eſaias non vulgarem fidei profeſsionem requirit à regibus, verũetiam, quoniam potentia rerumque copia ipſis quam aliis tributa eſt maior, vult vt reges Eccleſiam Chriſti (quam Sathan cum ſuis belli ducibus, Turca & Papa, flumine ſanguinis delere conatur) tueantur. Vult vt facultatibus ſuis Eccleſiarum miniſtros alant: vult vt ſcholas erigant, bona ingenia foueant, ſine quibus verbi miniſterium collabi neceſſe eſt. Vtinam reges & principes perpenderent, quàm auguſtus hic ſit titulus, quo Spiritus ſanctus ipſos ornat, dũ eos nutricios Eccleſiæ appellat. Quænam quæſo gloria maior eſſe poterit? quod auguſtius nomen, quàm à Spiritu ſancto Eccleſiæ nutricium dici? Quid glorioſius regibus mundi, quã quod rex cœlorum Deus illis ſponſam Filij ſui vnigeniti domini noſtri Ieſu Chriſti nutriendam ac fouendã cõmiſerit? Hãc *quarta* comitetur virtus, quã Ezechias & Ioſias ſanctiſſimi reges ſuo facto regibus cõmendant, quorum Ezechias æneũ ſerpentẽ fregit propter cultum idololatricũ, ipſi à populo exhibitum. Tametſi autem ſerpens ille à Moſe duce populi Dei ex mandato Domini in deſerto erectus fuit (præclarum profecto antiquitatis monumentum: memorandum μνημόσυνον beneficiorum Dei, qui huius aſpectu à dipſadibus percuſſos ſanauit: Inſignis ſane typus Chriſti, qui in lignum exaltatus languores hominum ſanaret ac peccata expiaret) tamẽ ſanctiſsimus rex chariorem habuit populi Dei ſalutem, quã antiquum illud, omnique ſeculo admi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

admiratione dignum monumentum. Ioſias ſpurciciem idolorum, quibus templum Domini fœde conſpurcatum erat, penitus abraſit, emundauit, ſuſtulit. Hinc igitur colligendum, quod piorum regum haud minima virtus ſit pro viribus amoliri, quidquid veræ religioni obſtaculo eſſe videtur. Huic vicina eſt *quinta* regiis viris digna virtus, quæ in ſanctiſsimi Ioſiæ regis exemplo conſpicitur. Nam hic non ſolum idola prophanantia templum Dei ſuſtulit, verumetiam librum doctrinæ cœleſtis diligenter inquiſiuit, inuentum populo Dei ſtudioſe cognoſcendum commendauit. Hoc factum pios reges imitari decet, ac curare, vt verbum Dei in ſuis ditionibus quam liberrime ac puriſsime prædicetur. Adiiciamus & *ſextam* virtutem rege digniſsimam Chriſtiano, quam iudiciariam vocare licet. Hæc quatuor conſtat partibus, ſapientia, timore Dei, veritate, odio auariciæ. Sapientia facit ne in iudicando aberret ignorantia recti. Timor Dei perſonarum reſpectum excludit. Veritas legis regulam cum æquitate temperatam ſequitur, Odium auariciæ, lutum oculis mentis abradit, vt & quod verum eſt ſine impedimento videas, & quod vere vides citra maliciam iudices. Hæc virtus pio iudici Exod. 18. commendatur.

Hactenus recenſui veras virtutes, quas verbum Domini in regibus requirit, à quibus Philoſophicæ illæ abeſſe nequaquam poſſunt. Imo potius in Chriſtianis principibus veræ virtutes fiunt, quæ in Ethnicis virtutum fallaces tantum vmbræ extiterunt. Nulla enim virtus quantumuis ſpecioſa, ſuum nomen ſine timore Dei tueri poteſt. His itaque virtutibus munitus rex, ſentiet vere ſuum regnum ſtabile fore, Deo, qui ſalutem dat regibus; excubias agente. Nulla enim vis maior, vt vere inquit Seneca, pietate vera eſt. Nec deſunt nobis, *Sereniſſime Rex*, talium virtutum in Chriſtianis principibus exempla, Sed quia domeſtica nobis vt gratiora, ita & vtiliora ſunt, illis contentus ero. Pater tuus, Sereniſſime Rex, poſtquam è manu Dei accepiſſet hęc regna Daniam & Noruegiam adminiſtranda, non ſolū ipſe pietate vera emicuit ſupra omnes ſuos, verumetiam ſemina quædam eius, quantum temporis ratio permiſit, ita iecit, vt ſe facile & hoſtem Papiſticæ ſuperſtitionis acerrimum, & Euangelij Chriſti fautorem maximum declarauerit. Suſcepit patrocinium piorum miniſtrorum, iniuſtam vim ab eis depulit, Breuiter omnia egit, vt ſe verum & Chriſtianum regem declararet. Hic vere Fridericus nomine & re pacis amantiſſimus, cum in veri Dei inuocatione animam Chriſto, à quo regna acceperat tradidiſſet, paucis interiectis annis diuina clemētia ſic mirabiliter ordinante, & Rex inclytorum regnorum Daniæ & Noruegiæ, & Pater Patriæ factus es. Accepto autem regio diademate, omnium prima cura fuit cultum idolorum extirpare, in qua re & pietas ſumma & vere regia fortitudo ſe declarauit. Et quoniam Eccleſiæ ſtatum nequaquam diuturnum fore, T.R.M. animaduertit, Scholam Haffnienſem collapſam erexiſti, legibus muniuiſti, ſtipēdiis ditaſti, doctiſsimis viris ornaſti. Et quod tum incœpiſti, iam 20. fere annis impleri curaſti, ac hodie omnes tuos conatus eo deſtinas, vt Chriſtum, cui homagium præſtitiſti, honores & ipſe & alij tecum. Hoc tuū gaudium eſt, videre conſentientes in vera pietate ſubditos. Cōſiliis & facultatibus te Eccleſiæ Chriſti nutricium declaras. Pro viribus omnia quæ veræ religioni aduerſari animaduertis, amoliri conaris. Cultum Dei verum abolita ſuperſtitione, quotidie magis magiſque inſtauras. Maior enim res eſt, quam vt paucis annis ad fixum diuturnumque ſtatum deduci poſsit. In iudiciis quoque ſapientiam Principe dignam, coniunctam cum timore Dei & veritate, oſtendis. Breuiter verus rex, paterque patriæ es, cui nihil antiquius pietate vera, nihil pace iucundius, nihil ſubditorum ſalute charius. Vt enim ἔυστοργος pater ſua pignora chara: ita ditionum tuarum incolas foues, curas, defendis, ac omni beneficiorum genere cumulas, vnde fit ὄφρα σὲ μᾶλλον τίωσι ἀρχόμενον ἢ μὲν νέοι ἠδὲ γέροντες. Hunc R.T.M. animum ornatiſſimum omni genere virtutum declarat & aula tua, in qua multi non ſolum ſtemmate maiorum, verumetiam ſapientia & virtute nobiles & illuſtres viri ſunt. Inter hos ſuo quodam iure D. Iohannes Fryſius genere, ſapientia & virtute clariſſimus, primum locum occupat. Hic vt eſt amantiſsimus patriæ ac Regiæ tuæ Maieſtatis: ita laboribus & vigiliis nequaquā parcit, haud immemor ſententiæ Homericæ: οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. Hic merito cum Praxithea dicere poſſet:

ὦ πατρὶς εἴθε πάντες οἱ ναίουσί σε
Οὕτω φιλοῖεν ὡς ἐγὼ καί γε ῥᾳδίως,
οἰκοῖμεν ἂν σε κ' οὐδὲν ἂν πάσχοις κακόν.

Præterea ſunt & alij non pauci docti & ſapientes viri in R.T.M. aula, quorum ſinguli ſub te tanto duce ſuam ſtationem, vt in acie fortiſsimi milites, ſtrenue tuentur. Sed quid multis? Hic dies nos docet quā verus ſit ille vulgo tritus verſiculus: Regis ad exemplum totus componitur orbis. Nā T.R.M. exemplo docti & indocti, nobiles & ignobiles, ciues & ruſtici, quibus virtus ac pietas cordi eſt, ad maiorem pietatis & honeſti amorem extimulantur. Hic virtutum tuarum iucundiſsimus chorus, Sereniſsime Rex, mihi animum fecit, vt hoc meum qualecunque ſcriptum T.R.M. dedicare ſim auſus. Spero enim fore, vt pro ſolita tua regia clemē-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tia,qua omnes complecteris,etiam hunc qualemcunque laborem,propter vtilitatem iuuentutis noſtræ ſcholaſticæ ſuſceptum,benigna manu ſerenoque vultu acceptes. Non ignorat T.R.M. Dominum laudaſſe mulierem illam pauperem,quæ exiguum æs quod habuit in gazophylacium miſit, Non enim tam rei precium quæ offertur, quam animum offerentis reſpicit Dominus,apud quem affectus rebus precium imponere ſolet. χαρίτων γὰρ θυμὸς ἄριστος. Hunc ſummum cœlorũ Regẽ te imitari cupio,ſi de hoc meo ſcripto & dono quod offero,iudicare velis,quod te facturum minime diffido.Fateor quidem ipſe libenter,quod impolitius ſit quam vt T.R. M. dedicari ſit dignum: Attamen quia minime ignorare poſſum, quomodo R.T.M.affecta ſit erga huius T.Regię Academiæ profeſſores,quos omnes quidem amas, ſingulos vero ſingulari beneuolentia proſequeris.Idque non ſolum quia natura φιλάνθρωπος es, verumetiam quia huius noſtræ Academiæ fere collapſæ reparator es. Hac T.R.M. philanthropia ac clemẽtia fretus,offero quod habui, vt aliquo ſaltem modo me gratum T.R.M. exhibeam. Ac rogo vt quod ex ſyncero affectu proficiſcitur,ſereno vultu accipias. Poſtremo precor cum omnibus piis Deum,Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt opus quod operatus eſt per te in his regnis,ad glorioſum finẽ perducat,vt te ſuo Sancto ſpiritu impleat, ac in via pietatis veræ dirigat, vt Maieſtatem tuam quam diutiſſime in nominis ſui gloriam, ac Eccleſiæ Chriſti ædificationem,incolumem animo & corpore,ac florentem,vna cum Sereniſſima Regina noſtra,electo horum Regnorum Rege Friderico,Duce Magno,dominis meis clementiſſimis, totaque familia ac regnis,conſeruet, Amen.

Sereniſſimæ R.T.M. deditiſſimus

Nicolaus Hemming.
Regiæ Acad.Haff.
Profeſſor.

PRÆFATIO IN LIBRVM PRIMVM.

CVM in hac tota rerum vniuerſitate nihil ſit ordine pulchrius, nihil vtilius, nihilque magis neceſſarium,magna laude exiſtimandi ſunt digni, qui præcepta ordinis in docendo & diſcendo obſeruanda tradiderunt. Nam citra ordinem,vt neminem docere perſpicue, ita neminem fœliciter diſcere, manifeſtum eſt.Hæc duo cum procul dubio omnium humanorum operum præſtantiſſima ſint, magno cum ſtudio ea ſectari decet humanitatis ac honeſti ſtudioſos. Quid enim quæſo homo iſte à bruto differt,qui diſcendi promtitudinem,ac docendi viam non ſtudioſe quærit,ſectatur, amat? Præſertim cum ideo conditum ſit genus humanum,vt verum inquirat,pie ac honeſte viuat: quorum neutrũ ſine doctrina & diſciplina fieri poteſt. Qualis enim obſecro erit doctrina niſi acceſſerit ordo? profecto nõ diſſimilis erit corpori mentis vacuo. Vt enim corpus inutile pondus eſt niſi mente regatur, Sic doctrinæ nulla vis eſſe poterit citra ordinis beneficium, Et quemadmodum lumen in obſcurum locum illatum tenebras pellit,ita ordinis recta obſeruatio,difficultatem,quæ alioqui in rebus exiſteret, tollit. Quapropter cum tantum ſit ordinis decus,tanta vtilitas,tanta in omnibus rebus neceſſitas, operæ precium me facturum iudicaui,ſi ea quæ paſſim apud optimos autores de ordine ſeu Methodo legi, in breuem libellum concluderem,ac ſtudioſæ iuuentuti proponerem. Nam Methodica docendi ac diſcendi ratio hoc citra controuerſiam præſtat,vt artes & quam celerrime percipiantur,& firmiſſime retineantur. Ordo enim Methodi initia,progreſſus & metas monſtrat,cui numerus accedit,qui partes numerat,& membra diſtinguit.

Cæterum cum de Methodo ſim ſcripturus,video me id commodiſſime facturum eſſe,ſi certam quandam Methodi rationem fuero ſequutus,& cum perpendo rem accuratius, inuenio huic noſtro propoſito aptiſſimam fore eam Methodum,quã Græci Methodorum præcipui architecti διαίρεσιν appellant. Quare rem auxiliante Deo (cui ordo in omnibus rebus mirabiliter placet) aggrediar. Sed prius admonitos volo honeſtos ſtudioſos,vt non ſtatim ea quæ ſumus dicturi improbent,aut contemnant,ſed prius legant, lecta examinent,poſtquam autem ſyncero iudicio omnia examinauerint, ſpero facile deprehenſuros, me ſtudio iuuandi diſcentes hæc collegiſſe,ac longe vtiliſſima fore ijs, qui præclarorum virorum ſcripta lecturi ſunt. Sed ne prolixiora inſtituantur προλεγόμενα,rem Methodo ea quam promiſi aggrediar.

QVID

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

1586.

Methodi Definitio

QVID EST METHODVS?

METHODVS, eſt via docendi certa cum ratione, hoc eſt, *Methodus* eſt ratio docendi, cuius admonitu, & ductu, ſingula in rerum explicatione aptis & accōmodatis locis collocantur. Nec aliud vult Græca definitio, Μέθοδός ἐστιν ἕξις ὁδοποιητικὴ μετὰ λόγου. Vt autem rem vniuerſam quaſi per tranſennam ſtudioſis contemplandam proponam, breuiter ipſa Methodorum genera, quorum vſus eſt in Philoſophia & de quibus deinceps ſum dicturus, ſubiiciam.

Diuiſio.

Methodus itaque in vniuerſum duplex eſt: *Vniuerſalis & Particularis*,

VNIVERSALIS eſt integrarum artium tradēdarum via, à Galeno διδασκαλία à ſuo proprio fine dicta. Hanc vniuerſalem Methodum Græci diuidunt in σύνθεσιν, ἀνάλυσιν, & διαίρεσιν, quibus Euſtrathius ἀπόδειξιν adiecit, de qua quid ſentiendum ſit, ſuo loco dicam.

PARTICVLARIS Methodus eſt miniſtra vniuerſalis Methodi, ſeu organon, ſeu via monſtrans certam rationem tractandi & explicandi partes, ſeu membra vniuerſalis Methodi. Hanc *Dialecticam* vocant Methodum, quam in *Simplicem* (cui particulares tres ſubiiciuntur, σύνθεσις, ἀνάλυσις, διαίρεσις. Nam propter affinitatem eaſdem cum vniuerſalibus ſortiuntur appellationes) & *Compoſitam* diuidunt. His quoque generibus ſubiicitur oratoria Methodus quam oratores in cauſarum generibus, ac ſingulis eorum partibus ſequuntur.

DE SYNTHESI *Vniuerſali.*

Definitio methodi Syntheticæ ſeu cōpoſitiuæ vniuerſalis.

DIXI quid ſit Methodus, ac Methodorum genera recitaui, nunc ſingulas eius formas eo quo propoſitæ ſunt ordine explicabo, ac primum de Syntheſi dicam.

Eſt autem *Syntheſis Vniuerſalis* Methodus tractādarum artium, per quam naturæ ordinem in collocatione ſingularum partiū artis alicuius ſequimur, Hæc latine *Constructio ſeu Compoſitio* dici poteſt: quæ quoniam ad naturam proxime accedit, naturalis dicitur, & à nonnullis γένεσις appellatur. Nam vt in rerum productione, à ſimplicibus ad ea, quæ ex ſimplicibus extruuntur, fit progreſſus: ita iuxta huius Methodi rationem, à primis quaſi elementis artis ad finem progredimur, eſtque arti pingendi haud multum abſimilis. Vt enim pictor ſimulachrum aliquod picturus, primum quaſdam grammas ducit; deinde membra format, tum totum corpus ſimulachri viuis coloribus depictum abſoluit: ita Philoſophus, qui in arte aliqua tradenda hanc Methodum ſequi conſtituit, paulatim à minimis ad maiora, à ſimplicibus ad coniuncta, ex prioribus poſteriora extruens, progreditur, donec totam, quam ſibi tractandam ſuſcepit, artem abſoluerit.

Cōfirmatio ab exemplo.

à Simili.

Ab origine nominis.

Porrò vt res fiat apertior, ſciendum eſt, vocabulum Syntheſeos, à quadam Mathematica demonſtrationis forma ſumtum eſſe. Quemadmodū enim Mathematica illa Syntheſis, à quibuſdam confeſſis principiis exordiens, paulatim alias atque alias concluſiones extruit: ita hæc vniuerſalis Syntheſis à principiis & elementis rerum progreditur, quæ ſunt intellectu faciliora & notiora, donec ad finem peruenerit. Sed quia hæc fortaſſis à rudioribus non ſatis intelligi poſſunt, conabor perſpicuis exemplis rem declarare.

Exempla methodi compoſitiuæ vniuerſalis. 1. Grammatica.

Artifex ſcripturus Grammaticam, cuius finem, bene loqui, conſiderans, à literis orditur, quæ orationis prima elementa ſunt: Deinde ex literis ſyllabas componit: ex his dictiones: ex dictionibus orationes extruit. quibus fundamentis iactis, quomodo bene ac emendate loquendum ſit (hic enim eſt finis Grammatices) diſtincte explicat. atque hoc pacto naturalem Methodum ſequutus abſoluit artem.

2. Ariſtotelis Organon.

Ariſtoteles cum finem videret Dialectices eſſe inquiſitionem veritatis, quæ diſputando ſeu ratiocinando inquiritur, initium ſumpſit à minimis ratiocinationis partibus, quas κατηγορίας appellauit, hoc eſt prędicamēta. κατηγορίαι enim profitētur doctrinā ſimplicium vocum, quæ ſunt ipſarum ratiocinationum minimæ partes ac elementa. Deinde vltra progreſſus in libro περὶ ἑρμηνείας coniunxit voces, & ex iis propoſitiones tanquam maiora ratiocinationis membra extruxit. Tertio loco in Analyticis prioribus docuit, quomodo propoſitiones quæ argumentationes ingrediuntur, affectæ eſſe debeant. Porro cum videret ſapientiſſimus Philoſophus tria eſſe ratiocinationis genera. Vnum, quo probabiliter concluditur. Alterum, quo neceſſario aliquid probatur. Tertium, quo fraudulenter Sophiſtæ vtuntur, ad obruendam veritatem: de his tribus generibus copioſe docuit, & primum eorum quæ poſui, quia facilius percipi poſſe videbatur, commoditatem diſcentium ſequutus, primo loco abſoluit, idque octo Topicorum libris: de medio in poſterioribus Analyticis: de poſtremo in libris Elenchorum. quod ideo in extremum locum reieciſſe videtur, quoniam prioribus perceptis, facilius de hoc iudicari poteſt.

Breuis ſumma Organi Ariſtotelici.

3. Dialectica naturalis.

Quid quæſo hac Methodo Ariſtotelica clarius eſſe poteſt? quid facilius intellectu? An non vel pueris noſtris ducibus, hanc Ariſtotelis Methodum intelligere poſſumus? Videmus enim pueros, qui ſimul atque fari per ætatem poſſunt, primum res ſingulas ſuo quaſque nomine appellare, vt pater, mater, panis, potus. Deinde cum paululum ætate progreſſi ſunt, componere res ſingulas, hoc eſt, voces rerum ſingularum, & eas in propoſitiones cogere, vt pater eſt bonus, mater eſt bona, panis eſt meus, potus eſt dulcis &c. Cum vero adhuc longius proceſſerunt ætate, incipere argumenta nectere: da panem, quia bonus pater es. non te amo, me enim verberas &c. Porro vbi adhuc maior ætas acceſſerit, natura duce alios certius vera concludere, alios probabiliora animaduertere, & falſo collecta diiudicare & diſcernere, quæ profecto omnia ſunt diuinæ illius artis Dialecticæ ſemina, in qua tractanda Ariſtoteles eundem ordinem, quem natura monſtrauit, ſequutus eſt: Quemadmodum & in Phyſicis hunc ipſum autorem feciſſe manifeſtum eſt. In his enim primum de principiis & elementis rerum naturalium, de cōmunibus eorum affectionibus, deque iis quę his annexa ſunt, diſputationem inſtituit. Deinde de cor-

4. Ariſtotelis Phyſica.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

poribus ſimplicibus, Poſtea de mixtis, de generatione, corruptione &c. quemadmodum fere in ſerie prædicamenti ſubſtantiæ propoſita ſunt.

5. Eiuſdē Politica.

Idem Ariſtoteles in libro Politicorum à minutiſſimis partibus orditur, ex iiſque progrediendo totum quaſi cō ponit. Familiam enim primam hominum ſocietatem, & primam Reipub. partem in principio poſuit eiuſque partes, vt virum & vxorem, patrem & liberos, dominum & ſeruum, Deinde vicinam domum conſiderat, Poſtremo Rempub. extruit.

6. Euclidis Elemēta Geometrica

Hac quoque Methodo vſus eſt Euclides, cum à puncto ad lineam ab hac ad figuras ſimplices, ab his ad coniunctas alias atque alias demonſtrandas progreditur. Sunt & illa ſcripta ad Syntheſin referenda, in quibus ſeries temporum & rerum à principio ad finem continuatur,

7. Libri Sententiarum P. Lōbardi.

quemadmodum Longobardus in ſuis locis Theologicis fecit. Hic enim primum de Deo, deinde de diſtinctione Perſonarum, & annexis proprietatibus, Poſtea de creatione & eius partibus, Tum de lapſu primorum parentum, de peccato ſequuto parentum lapſum, & imbecillitate, Poſt hæc de gratia exhibita per Chriſtum: atque ita deinceps naturali ordine membra potiſſima ſacræ ſcripturæ proſequitur, donec ad locum de extremo iudicio, de gloria piorum, & pœna impiorum perueniat.

Judicium de P. Lōbardi methodo.

Methodus hæc Longobardi vniuerſalis eſt optima, tametſi in membrorum explicatione ſæpiſ me iniuria temporis, in quod incidit, hallucinatur. Hæc exempla ſatis oſtendunt, qualiſnam ſit Methodus Synthetica vniuerſalis. Verum hoc in vniuerſum de omnibus generibus Methodorum tenendum eſt, quod interdum magni authores, propter certam aliquam commoditatem, ordinem Methodi ſuſceptæ in medio curſu nonnihil varient. Atque hæc ſint dicta de Syntheſi Vniuerſali.

DE ANALYSI *Vniuerſali.*

In quo à Syntheſi differat.

ANALYSIS Vniuerſalis, eſt Methodus Syntheſi contraria, vt enim per Syntheſin à partibus ad rei abſolutionem & finem progredimur: ita contrario modo à fine ſeu toto, ad ea quæ ad finē ſeu totum ſpectant, fit progreſſio per Analyſin: quā

Definitio methodi analyticæ vniuerſalis.

Euſtrathius hoc pacto definit: Analyſis eſt via procedens à compoſitis ad ſimplicia, ex quibus illa compoſita ſunt, tanquam ex ordine diſpoſitis principiis, ſiue elementis, hoc eſt, Analyſis vniuerſalis eſt cum in artibus vel à fine, ad ea quæ ad finem ſpectant: vel à toto ad partes, primum maximas: deinde minores & minimas: vel etiam ab indiuiduis infimiſque ſpeciebus, ad ſumma genera ordine fit progreſſio.

De nomine.

Vocabulum ἀναλύσεως ſumtum eſt à Mathematica demonſtratione, quam illi ἀνάλυσιν vocant, & à Philopono his verbis definitur:

Alia definitio.

Analyſis eſt ex poſterioribus recurſus ad principia & cauſas, ex quibus quę effecta ſunt conſtitutionē habent. hoc eſt, Analyſis eſt aſcenſus à fine ad principium, cuius principium concluſio illa eſt, quæ fuerat finis in Syntheſi. & addit Philoponus metaphoram ſumtam à peregrinantibus, qui cum ad propria redeunt, ἀναλύεσθαι dicuntur. De hac Mathematica Analyſi dicam in particularibus Methodis, eò enim proprie pertinet.

Exempla methodi analyticæ vniuerſalis.

Nunc autem vniuerſalis Analyſis exemplis illuſtranda eſt.

1. Galeni libri de ſanitate tuenda.

Sex illi præclari libri Galeni, quibus titulum fecit περὶ ὑγιεινῶν, pulcherrimum huius Methodi exemplum continent. Poſtquam enim ſcopum ſeu finem iſtorum librorum, de bona valetudine conſeruanda, in principio propoſuiſſet, & definiuiſſet, in ſex illis libris ea omnia, quę ad propoſitum finem, id eſt ad ſanitatem tuendam pertinere videbantur, attexuit.

2. Ariſtoteles in prioribus Analyticis.

Ariſtoteles in prioribus Analyticis docturus artem ſyllogiſticam, hanc Methodum ſequutus eſt. Reſoluit enim ſyllogiſmos in principia, vnde extructi erant: quorum alia ſunt materialia, vt ſunt propoſitiones & termini: alia ſunt formalia, vt figuræ & modi: alia canonica, quæ græci vocant κανόνας τεχνικούς. Vel vt eadem clarius adhuc dicam, Ariſtoteles finem in his libris propoſuit ſibi ſyllogiſmum, quem primum in propoſitiones partes proximas, deinde in terminos tanquam prima elementa retexuit. Atque hæc reſolutio, quia materiam tantum attingit, poſtea addit formalem reſolutionem, quomodo nimirum omnes ſyllogiſmi ad tres figuras omnino reuocari debeant. Poſtremum multa præcepta collegit, quibus vitioſas ratiocinationes cognoſcendas docet, & ſapiētiſſime quid obſeruandum ſit in quauis argumentatione monſtrat: quæ omnia hac Methodo fieri manifeſtum eſt, tametſi non ſatis ab inexercitatis hæc obſeruari poſſunt, præſertim cum prolixius de ſingularum partium affectionibus & proprietatibus diſputet.

3. Eiuſdē libri de demonſtratione.

Doctrina ſeu ars demonſtrandi Ariſtotelis hac quoque Methodo (quod etiam titulus indicat) ſcripta eſt. Primum enim proponit ſibi finem iſtius, artis nimirum demonſtrationem, poſtea ordine adiūgit omnia, quæ ad eum pertinent finem: hoc eſt, ipſam demonſtrationem primum retexit & reſoluit in propoſitiones & principia, vbi neceſſario multis verbis propoſitionum diſtinctio tractanda erat: ex qua diſtinctione naſcebatur demōſtrationis quædam partitio, vnde via medium demonſtrationis inquirendi ſeſe aperuit. Et quia non tantum materia requiritur ad demonſtrationem, verumetiam forma, diſputatum eſt etiam ab acutiſsimo Philoſopho de figuris demonſtrationis, atque in artem demonſtrandi, quam ſuſceperat tradendam, abſoluit.

4 Loci cō munes Theologici D. Philippi Melanchthonis.

Philippus Melanchthon præceptor meus chariſſimus, redacturus in artis formam doctrinam religionis, ſcopum & finem ſibi propoſuit, nimirum quod homo ſit conditus vt Deum celebret: quod cū feciſſet, omnia ordine ſubiecit, quæ ad eum finem pertinere videbantur. Et quia prudenter animaduertit, pios dum in hoc mundo peregrinari debeant, verſari primum in regno Dei ſpirituali, deinde in regno politico, tertio in viſibili cœtu eorū qui profitentur religionem, & in hoc triplici cœtu Deum celebrare debere, ſapientiſſime ſuos locos in tres claſſes digeſſit: in quarum prima omnia illa ordine collegit, quæ ad propoſitum finem in ſpirituali Chriſti regno faciunt, atque hæc decem & nouem locis, quos memini ipſum appellare πνευματικοὺς, abſoluit. Deinde in ſecunda claſſe de politico regno docet, & hos locos appellare ſolet πολιτικοὺς. Poſtremæ claſsis locos cum Paulo παραδόσεις nominat. Atque ita propoſito fine in principio libri, collegit artificioſe aptiſsimo ordine ea omnia quæ ad finem referēda eſſe videbantur. Hancque Methodum idem autor in Epitome Philoſophiæ Moralis ſequutus eſt.

Collatio methodi Syntheticæ & analyticæ.

Porro vt rem clariorem reddam, collationem ſuperioris & huius Methodi adiungam. Si quis artem ſcribendorum verſuum tradendam ſuſceperit iuxta Syntheſin primum Syllabarum (vt minimarum partium) excuteret naturam & quantitatem, Deinde pedes, vt vocant, componeret, Ad extremum ex pedibus verſus faceret: ſed ſecundum Analyſin ab vltimo horum inciperet, & retexeret verſum in pedes, & varias pedum formas, pedes in ſyllabas, ſyllabas in breues & longas & ancipites, donec ad minima huius artis elementa perueniret.

DE

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

DE DIÆRESI
vniuerſali.

Definitio methodi diæreticæ vniuerſalis.

DIAERESIS Vniuerſalis, eſt Methodus, quæ primum definitione id, de quo doctrina inſtituta eſt, declarat: deinde illud ipſum diuidit in proximas ſpecies, rurſumque ſpecierum inquirit inferiores ſpecies, quoad diuidi poſſit id quod propoſitum erat. Methodus hæc Platonica à Platone, qui ea mirifice delectatus eſt, appellatur.

Quibus peculiaris fuit.

Hanc Cicero in Philoſophicis fere omnibus, & Rethoricis ſequitur: cuius exempla ſubiiciam, vbi primum vnde hęc Methodus ſumta ſit, & quomodo ab Analyſi, cui valde ſimilis videtur, differat, explicauero.

Vnde ſumpſerit nomen.

Vocabulum ſumtum eſt à Platonica quadam demonſtrandi forma, qua Platonici conabantur definitionum partes colligere, ac collectas definitiones demonſtrare. Proponamus exempli gratia hominem definiendum, cuius definitionem hoc pacto κατ' διαίρεσιν collegerunt. Homo aut animal eſt, aut inanimatum. Atqui inanimatum non eſt, ergo animal erit. Et rurſus homo animal eſt, omne autem animal aut gradi poteſt, aut eſt volatile, aut aquaticum. Ergo cum homo neque ſit volatilis, neque aquaticus, gradi poteſt. Et rurſus, homo eſt animal. Omne autem animal aut eſt multipes, aut quadrupes, aut bipes, Sed homo nec multipes, nec quadrupes: ergo bipes. Et rurſus homo eſt animal, omne autem animal aut eſt plumoſum: aut, implume, Sed homo non eſt plumoſus: ergo eſt implumis. Et rurſus, homo eſt animal. Omne autem animal aut eſt capax ſcientiæ, aut ἄλογον, Sed homo non eſt ἄλογος. Ergo eſt capax ſcientiæ. Poſtquam in hunc modum diuiſione multiplici inquiſiuiſſent multas differentias, collegerunt omnes ſimul concludentes hoc pacto: Ergo homo eſt animal, quod gradi poteſt, bipes, implume capax ſcientiæ. Hæc via tametſi veram artem definiẽdi monſtrat, quemadmodum poſtea in ea particulari definitionis Methodo ſum dicturus:

Methodus diuiſiua ab Ariſtotele exploſa.

Tamen Ariſtoteles eam in altero Analyticorum poſteriorum libro, à demonſtrandi ſcientia reiicit, eo quod in demonſtratione concluſionem adeo neceſſariam eſſe & certam neceſſe ſit, vt nemini vltra relinquatur interrogandi locus, id quod in Platonica Diæreſi non fit. Sed de origine huius Methodi ſatis, nunc paucis diſcrimen inter hanc & Analyſin oſtendam. Quidam prorſus idem voluerunt eſſe Diæreſin & Analyſin.

Diſcrimen inter hanc methodum & Analyticam.

Alij ne Galeno notam viderentur inurere, qui has diſtinxit, Analyſin Vniuerſalem, hanc paraicularem fecerunt: quos ipſe Galenus confutat ἐν μικροτέχνῃ, quam Diæreſi Vniuerſali conſcripſit, vbi diſerte confirmat tertium genus τῶν διδασκαλιῶν eſſe Dięreſin, quam interdum τὴν ἐξ ὅρων διάλυσιν vocat, quę appellatio tametſi vtcunque oſtendit diſcrimen inter hanc & Analyſin, tamen breuiter illud ipſum explicabo. Analyſis (vt ſupra dictum eſt) progreditur à finis notione, retexendo omnia quæ ad finem iſtum facere videntur. Diæreſis vero non à fine, ſed à definitione, cuius genus & ſingulas differentias ſoluit per definitiones & diuiſiones omnium formarum, quæ ſub re definita comprehenduntur. Deinde Analyſis nihil per ſe definit. Hæc autem diuiſione non contenta, ſingula definitione declarat, à quo ſuo officio interdum ὁριστικὴ appellatur. Hinc perſpicuum eſſe exiſtimo diſcrimen non paruum eſſe inter has duas Vniuerſales Methodos.

Quid habeant cõmune.

Sed tamen habent aliquid commune: Nam quemadmodum Analyſis quærit quę ad finem ſpectant, ſeruato ordine & maiorum & minorum partium: ita Diæreſis ea quæ ad definitionem pertinent, per diuiſionem ſuperiorum & inferiorum formarum, ſiue ſpecierum quærit, donec quicquid fuit in definitione produxerit, ipſumque definitionibus & diuiſionibus explicauerit.

Exempla

His ergo ita conſtitutis, exempla vt in ſuperioribus Methodis fecimus, ſubiiciamus.

1. Cicero in tribus libr. de Officiis.

Cicero hac Methodo multa ſcripſit, inter quæ primum occurrunt tres illi præclari de Officio libri, in quibus omnium primum officium (quod hæc Methodus peculiariter requirit) definit, definitum diuidit in id, quod pertinet ad finem bonorum, quod Philoſophi θεωρητικὸν vocant, & in id quod in præceptis poſitũ eſt, quodque in praxi conſiſtit, ſed illo ſecluſo, vt nihil ad rem pertinẽte, hoc docendum ſibi proponit: quod poſtquam in καθῆκον hoc eſt medium, & κατόρθωμα, hoc eſt perfectum, diuiſit, ſingulas formas definitione complexus eſt. Sed quia Stoicum illud κατόρθωμα, rigidius videbatur, atque extra humanas vires poſitum, excluſum eſt, vt parum ſuſceptæ diſputationi accommodum. Medium autem officium (quod definiuit eſſe, cuius cur factum ſit, ratio probabilis reddi poſſit) diuiſit in honeſtum & vtile, quorum collationem, vt infra dicam, appoſuit. Nam prius honeſti partes proſequutus eſt, quod in prudentiam, iuſticiam, fortitudinem, modeſtiamque diuiſit, ſingulaſque definitionibus explicauit, additis officiis, quæ à ſingulis harum formarum fluere videbantur, idque eodem quem propoſuit ordine, & vt magis hæc conſpicerentur, vitia, quæ cum his pugnare videbantur (in omni enim Methodo Antitheſeon collatio neceſſaria eſt) adiecit. Sub hæc officium, ſumtis differentiis à ſtatuum varietate, Politicum, Militare, & Oeconomicum proſequitur. nec omittit ætatum differentias & officia, addens officiorum rationes & diſcrimina. Porro cum ita honeſti partes explicauiſſet, plura honeſta inter ſeſe contulit. Animaduertit enim pluribus propoſitis honeſtis, haud raro ambigi quodnam ſit eligendum. Deinde abſoluto primo officij genere, tranſit ad aliud, quod vtile vocauit. de quo in ſecundo libro diſputat, deque eius variis formis & officiis, quæ inde naſcuntur, pertractat: quorum quoque comparationem adiecit, Sæpe enim dubitari ſolet pluribus vtilibus propoſitis, quodnam ſit alteri præferendum. Tandem honeſtum & vtile confert, & pręcepta colligit, per quę honeſta cognoſcuntur, & ordine monſtrat, quod nihil quod cum vlla honeſtatis parte pugnat, habendum ſit vtile: idque facit copioſa exemplorum ſylua illuſtrationis gratia adhibita: atque ita iuxta huius Methodi normam Cicero omnia officiorum genera eruditiſſime explicat. Hanc Methodum qui obſeruauerit in illo Ciceronis opere, & facilius autoris mentem intelliget, & res quæ ibi traduntur, firmius memoria tenebit.

2. Idem in partitionibus oratoriis.

Hanc quoque Methodum idem autor in partitionibus oratoriis ſequitur. Ibi enim primum diuidit totam illam doctrinam in vim oratoris, in orationem & quæſtionem: quæ tria exponendo, definiendo & diuidendo perſequitur vſque ad finem operis.

3. Idem in cæteris lib. philoſophicis.

Huc etiam refero libros de Finibus bonorum & malorum. Item, de Natura deorum, de Diuinatione, & Philoſophicos fere huius autoris omnes.

Euſtrathius his tribus Methodis Galeni adiecit quartam, nimirum ἀπόδειξιν, quæ quia particularis eſt & non ſpectatur in toto opere, ſed in partibus, non debebat vniuerſalibus Methodis vt noua forma addi, ſed ad particulares Methodos ab Euſtrathio potius fuiſſet referenda, de quibus ſum dicturus, vbi primum quædam, quæ admonitu neceſſaria videntur, de vniuerſalibus Methodis adiecero.

Regulæ in digno-

Ne quid igitur in quærenda Methodo alicuius

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſcēdis authorum methodis obſeruādæ.

operis erretur, hæc obſeruanda & firmiter tenenda ſunt, *Primum*, ne quis ex parte aliqua operis de toto iudicet, hoc eſt, ne Methodum cōſtituat eam, quam
1. primi verſus alicuius libri præ ſe ferre videntur. Vt ſi quis in principio libri alicuius de Grammatica ſcripti, deprehenderit Grammaticam eſſe artem emendate loquendi, vel finem eius eſſe, vt ſenſa mentis congrua oratione exprimamus, non ſtatim pronunciandum eſt eam artem vel Diæreſi, vel Analyſi ſcriptam eſſe, ſed tota ſeries ſpectanda eſt, & ex ordine totius ſcripti Methodo nomen retribuendum eſt. Philippus in principio Erotematum Dialecticorum definit Dialecticam, monet de eius fine & vſu: non ideo totus liber vel Diæreſi vel Analyſi ſcriptus eſt, ſed Syntheſi, ſi operis ſeriem ſpectas.

2. *Deinde* obſeruandum & hoc eſt, de quo in Syntheſi admonui, autores magnos certam ob cauſam transferre aliquando Methodorum legitimum ordinem: id quod non faciunt Methodi ignorantia, ſed magno conſilio. Vident enim interdum quædam, quæ poſteriori loco ponenda eſſent, commodius & vtilius tradi poſſe ſi præponantur, vt in Præceptoris noſtri Dialectica iuxta Syntheſis naturam, quam Philippus ibi ſequitur, inuentioni vocum & propoſitioni addenda fuiſſet ſtatim argumentorum inuentio, hoc eſt, τοπικὴ, ſed voluit hic captui iuuentutis ſeſe accommodare. quare abſoluta vocum & propoſitionum doctrina, de formis argumentationum præcepta adiecit, idque hoc conſilio, vt poſtea ex Topica inuenta argumenta, ſtatim ſuis formis alligarent ſtudioſi, ac de inuentis continuo iudicare poſſent, nec vllo implicarentur errore, quod ſane promptiſſimum fuiſſet, ſi normæ iudicandarum conſequentiarum non antea fuiſſent traditæ.

3. *Tertio* loco obſeruandum eſt, quænam harum trium Methodorum ſit præſtantiſſima. Nam alij aliam præferunt. Sunt qui Syntheſin ideo aliis anteponunt, cum quia magis ad naturam accedere videtur, tum quod artes primum Syntheſi videntur inuentæ. Quam ſane Methodum Ariſtoteles non ſolum in inueniendis, ſed etiam in tradendis artibus, vt plurimum eſt ſequutus. Alij Analyſin & Diæreſin præferunt Syntheſi, eò quod ingeniis hominum aptius eſſe iudicant, rem vniuerſam & quaſi compoſitam primum ponere, & poſtea vel Analyſi vel Diæreſi eandem retexere, donec ad principia & fontes ipſos diſcentes deduxerint. Tametſi autem hæc improbare non poſſum: tamen hoc videtur mihi adiiciendum, quod ex conditione & natura materiæ propoſitæ, de qua docendi ſunt homines, petendum ſit conſilium. Nam aliæ res alio Methodi genere facilius & traduntur & percipiuntur. Si quis enim Analyſi vti vellet in Grammatica aut Dialectica tradenda, iudicarem illum operam & oleum perditurum. Nam ea Methodus in iis artibus diſcentibus nequaquam eſt commoda, cum contra Syntheſis ſit commodiſſima, quam omnes, vt ego exiſtimo, ſecuti ſunt, qui has artes tradiderunt. Contra vero Rhetoricæ tradendæ commodior eſt Diæreſis. Quapropter aliam Methodum in aliis rebus tractandis & aptiorem, ita quoque digniorem eſſe ſtatuo: tametſi de dignitate fortaſſis diſputare non videtur operæprecium. Nemo enim dubitare debet, quin has vias rerum tradendarum hominibus mōſtrauerit Deus, vt religio & aliæ res bonæ ab hominibus doceri aptius, & percipi rectius poſſent. Nec audiendum eſſe iudico Ramum, virum alioqui doctum & bonum, qui vnam tantum vniuerſalem Methodum agnoſcit, nimirum Platonicam: pugnat enim nō ſolum cum Ariſtotele quem ipſe contemnit, verum etiam cum natura & experientia. Tam præclara igitur organa tradendarum rerum optimarum religionis & artium, non ſunt propter vllius hominis ſugillationem contemnenda.

Poſtremo loco hoc quoque admonendum videtur, quod nulla Vniuerſalis Methodus poſſit ſuo munere perfungi, niſi particularibus Methodis iuuetur, de quibus (quia hactenus ſatis mihi de Vniuerſalibus Methodis dixiſſe videor) nunc dicendum eſt.

DE PARTICVLARIBVS *Methodis.*

Methodus particularis quid.

METHODVS particularis, eſt ratio monſtrans rectam viam explicandi quæſtiones de qualibet re propoſitas. Quapropter huius Methodi varietas petenda eſt ex quæſtionum varietate. Cum itaque quæſtiones ſint vel ſimplices, vt cum ſingulæ res tractandæ proponuntur: vel compoſitæ, cum propoſitiones in controuerſiam incidunt, duplex erit Methodus particularis, Simplex nimirum, & Compoſita. Illa eſt ſingularum vocum, cum videlicet voces vera ratione explicantur. Hæc qua propoſitio aliqua ratione vera concluditur, ſiue id fiat neceſſitate conſecutionis tantum, ſiue rei & conſecutionis ſimul. Hinc facile intelligi exiſtimo vulgatam Methodi diuiſionem, qua diuidunt Methodum in definitiuam, diuiſiuam, reſolutoriam & demonſtratiuam, eſſe huius claſſis, hoc eſt, pertinere ad particularem Methodum: quam ideo Dialecticam vocant, quia tota ars diſſerendi verſatur in his quatuor tractandis & explicandis. Hæc dixi, vt oſtenderem quomodo vulgata Methodi diuiſio cū ea quam ſupra tradidi, quadret.

Methodi particularis diuiſio.

Porro hæc duplex Methodus Dialectica plures ſectiones recipit. Nam ſimplex quidem in σύνθεσιν, διαίρεσιν, ἀνάλυσιν particulares, & mixtam diuiditur. Cōpoſita vero etiam habet varias formas. Alia enim probabilis, Alia Sophiſtica, Alia demonſtratiua à quęſtione ſubiecta dicitur, quarum poſtea varij ſunt rami. Nam quælibet harum ſpectatur vel in diſputatione, cum plures de aliqua quæſtione litigant: vel in collocatione, cum ipſi de rebus ſine aduerſario ſcribimus quicquam ſerio, ſiue declamamus ingenij excolendi gratia, vel in examine eorum, quæ ab aliis ſcripta ſunt, nimirum cum ea, quæ vel vberiori oratione expoſita ſunt, reteximus & detractis ornamētis nuda proponimus, ad Dialecticam normam ſingula reuocantes, vt eo accuratius de negocio propoſito iudicium formetur: ſine quo examine vberior oratio nequaquam intelligi poteſt. neque quicquam horum intellectum volo de oratoria Methodo, de qua ſeorſum, quemadmodum antea propoſui, ſum dicturus. Nunc ideo paucioribus de Dialectica Methodo dicam, quia ars Dialectica hanc ſolam profitetur, hanc docet, ad hanc omnia ſua præcepta fere refert.

DE SIMPLICI METHODO *Dialectica, ac primum de Syntheſi particulari.*

Partes Syntheſis particularis.

SYNTHESIS particularis eſt duplex, διηγητικὴ, quæ rei ſimplicis elementa colligit, partes componit, antecedentia, coniuncta & conſequentia ponderat, finem vſumque rei commonſtrat. Breuiter, quæ occupatur in circumſtantiarum rei conſideratione. & ὁριστικὴ, quæ eſt certa via res ſingulas definitione complectendi, & vocatur vſitate Methodus definiendi. Huius varias formas, quia in Dialecticis traduntur, omittam, & breuiter paucis & generatim definiendi Methodum exponam, quam his

Variæ formæ.

verbis

verbis Cicero in Topicis tradidit. Sic igitur, inquit, Veteres præcipiunt: Cum ſumſeris ea, quæ ſunt rei quam definire velis cum aliis communia, vſque eo perſequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri poſsit. vt hæc: hæreditas eſt pecunia. Commune adhuc, Multa enim genera ſunt pecuniæ. adde quod ſequitur: quæ morte alicuius ad quempiam peruenit. Nondum eſt definitio, Multis enim modis ſine hęreditate teneri mortuorum pecuniæ poſſunt. Vnum adde verbum Iure. Iam à cõmunitate res disiuncta videbitur, vt ſit explicata definitio: Hæreditas eſt pecunia, quæ morte alicuius ad quempiam peruenit iure: nondum eſt ſatis, adde. nec ea aut legata teſtamento, aut poſſeſsione retenta. Confectum eſt. hactenus Cicero. Addamus & nos vnum atque alterum exemplum. Tyrannis eſt imperium. Commune adhuc, Multa enim genera ſunt imperiorum. addamus ergo: quod vnus adminiſtrat. non eſt ſatis, adde publicum. ne id quidem ſatis eſt, Adde ergo: Cum Reſpub. non ex legibus, ſed arbitrio dominantis gubernatur. His nihil fortaſsis addi poteſt, Completa eſt itaque definitio. Tyrannis eſt imperium publicum, quod vnus adminiſtrat, non ex legibus ſed arbitrio. Temperantia eſt virtus, hoc latiſsime patet. Adde Moralis, differentia eſt adhuc generica non ſufficiens ad definiendam ſpeciem. Adde, quæ moderatur cupiditates. Iam res à communitate diſiuncta eſt: ſed adde finem, vt ſit plenior definitio, ne quid contra rectam rationem fiat. Cõiungamus iam omnia: Temperantia eſt virtus moralis, quæ moderatur cupiditates, ne quid contra rectam rationem fiat. Qua autem ratione illa communia ſint quærenda, in Dialectica explicatur, nimirum vt primum rei definiendæ prædicamentum quæratur. Deinde, vt inuentum prædicamentum in genera media tantiſper diſtribuatur, donec proximum eius rei, quam definire volumus, genus inuentum fuerit. Tum inuentum genus in differentias ſecabitur, donec eam rem, quæ propoſita eſt, à reliquis eiuſdem generis ſpeciebus, certa & propria differentia diſtinxerimus. Sed ſi certæ differentiæ inueniri non poſſunt, quærantur ſubſidia à cauſis, effectis, proprietatibus, & aliis rerum attributis, donec quocunque modo rem propoſitam certis limitibus definiuerimus. Atque hæc eſt Ariſtotelis in ſecundo poſteriorum, Ciceronis in Topicis, Boëtij in libro de definiendi Methodo, doctrina.

Exempla.

Definitionis partium inueniẽdarum ratio.

Cæterum hoc loco admonendum duxi, id quod Rodolphus docet in loco Coniugatorum, quem locum multum facere ad definiendum oſtendit. Propoſito enim abſtracto definiendo, facilius definitionem inuenies, ſi concreti affectiones peruideas. Nã hanc viam ſæpe Ariſtoteles ſecutus eſt: vt in Ethicis definiturus prudentiam, primum perſonam prudẽtis conſiderauit & definiuit. Sed Ariſtotelis verba, quo res fiat clarior, ſubiiciamus. Prudentia inquit, quid ſit, ita intelligemus, ſi quos nominemus prudentes cognouerimus. Prudentes quidem videntur ex eo eſſe, quod rectum conſilium in iis capere poſſint, quæ ſua ſunt, quæque non aliqua ex parte, vt quę ad valetudinem, aut vires pertinent, quod ex eo intelligi poteſt, quia prudentes in re aliqua dicimus, cum ad honeſtum finem recte ea dirigunt, quæ arte non poſſunt effici. Quocirca valeat prudens omnis conſilio neceſſe eſt. Et quoniam conſilium nemo in iis rebus capit, quæ aliter euenire non poſſunt, neque ab ipſo nequeunt effici & præſtari, Quoniamque ſcientia omnis demonſtratione concluditur. Demonſtratio autem ad ea nulla adhibetur, quorum principia ſecus euenire poſſunt (ea enim omnia euenire aliter queunt. quæ autem neceſſario eueniunt, non cadunt in deliberationem) Efficitur vt nec ſcientia, nec ars prudentia dici poſſit. Scientia eſſe non quidem poteſt, quia quod ſubiectum eſt ſub actionem aliter euenire poteſt. Nec ars, quia alius actioni, alius affectioni artis finis eſt propoſitus, Relinquitur ergo vt prudentia ſit habitus vera ratione ad ea agenda idoneus, quæ vitæ hominum conducunt vel obſunt. Hoc Ariſtotelis exemplum euidenter docet præceptum Rodolphi eſſe vtiliſsimum, quod Philoſophi & Theologi ſequi ſolent.

Alia ratio inueniendarum definitionis partium.

Addamus & noſtrum exemplum. Si pietatem definire velis, promtiſsimum fuerit, vbi excuſſeris quosnam nominemus pios. Pij autem nominantur, qui ſine hypocriſi Deo, parentibus, patriæ & ciuibus debitam reuerentiam & cultum præſtant. Hinc relinquitur, pietatem eſſe ſtudium cum ſumma reuerentia colendi Deum, patriam, parentes & ciues. Obſeruandum & hoc eſt, quod Boëtius faciendum in definiendo præcipit, quod Platonica Methodo particulari Diæreſi, id eſt diuiſione, tanquam planiſsima & certiſsima via inquirantur definitionum membra, donec rem à communitate diſtinxerimus. tam diu inquit debemus interponere ſpecies & differentias, quam diu ſecluſis omnibus, quæ hoc idem eſſe poſſunt, eò deueniatur, vt proprietas iam certa teneatur. M. Tullius in Topicis Ius ciuile voluit definire, & vt oportuit, cœpit à genere. Dixit enim in principio, Ius ciuile eſt æquitas. Hoc genus eſt. Sed quoniam alia eſt æquitas conſtituta, alia naturalis, & Ius ciuile non eſt naturalis æquitas. Ergo conſtituta. Verum quia æquitas conſtituta alia eſt Gentium, alia certæ ciuitatis, Et ius ciuile non eſt æquitas conſtituta Gentium, Ergo certæ ciuitatis. Relinquitur ergo quod ius ciuile ſit æquitas conſtituta eorum, qui ſunt eiuſdem ciuitatis. Quædam Boëtij verba mutaui, vt ſtudioſi facilius Platonicam Methodum agnoſcerent, de qua ſupra dixi in Diæreſi Vniuerſali. Sunt alij qui prædicabilium ordinem inſtrumentum Methodi definiendi conſtituunt, de qua re Boëtius ita inquit. Quidam cautiores plenioréſque in docendo, definitionis ipſius quaſi quædam membra conſtituunt, dicúntque perfectam & plenam definitionem ex his quinque partibus, genere, ſpecie, differentia proprio & accidente conſiſtere, Sed accidens in definitione minimum, proprium plurimum valet. Exempla vide in Dialecticis Philippi, & paſsim apud autores occurrunt plurima.

Alia ratio ex autoris mente.

Boetij ſententia de definitionis methodo.

Aliorum ſententia.

Porro huc adiiciendum quoque duxi præceptum Boëtij, de ordine explicandi eam definitionem, quam ſtatuimus. Omnis definitio, inquit, his membris partibuſque tenetur. Primum vti breuiter id, de quo quęritur Quid ſit, oratio noſtra cõtineat. Deinde eius definitionis ſupponatur approbatio, qua illud oſtendimus, vt idipſum quod breuiter in definitione poſuimus, id ita eſſe argumentorum rationibus approbemus. Deinde tertio loco inducimus deductionem eiuſdem definitionis in eam ſpeciem, de qua quæſtio eſt, & de qua iudicium eſt conſtitutum: vt cum generaliter rem definiuerimus, & ita eſſe de quo quæritur dixerimus, vt poſtea per approbationem conſtituerimus verum eſſe quod definimus. tertio loco oſtenderimus h c eſſe quod geſtum eſt, vel id eſſe de quo quæritur, quæ orationis pars appellatur deductio generis in ſpeciem. Quarto loco in oratione noſtra ponemus deſtructionem definitionis aduerſæ partis, hoc eſt, vti quemadmodum aduerſarij definiuerint idipſum, de quo ſupra, defi-

Ordo explicandi definitionem ſupra conſtitutam.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tionem conſtituimus,apponamus,eamque vitioſam eſſe doceamus. Hæc ratio tractandæ inuentæ per Methodum definitionis, non ſolum Oratoribus,verum etiam Dialecticis & Philoſophis eſt communis:niſi quod Philoſophi vt plurimum aliorum definitiones prius confutant,& poſtea collectis membris ſuas ſtatuunt, mox applicant genera ad ſpecies & confirmant. Hanc Methodum plurimum iuuare orationis copiam animaduerti, quare eam commemorandam eſſe duxi.

DE DIÆRESI *particulari.*

Diuiſiuæ methodi laus. TAMETSI hæc Methodus ex iis,quæ dicta ſunt in ſuperiori Methodo, facile intelligi poteſt, tamen quia eius laudes & vtilitates hoc merentur, breuiter de ipſa dicam. Plato enim adeo miratur hāc Methodum, vt dicat ſe tanquam Deum ſecuturum eum eſſe,quem nouerit diuidendi peritum, atque id non iniuria. Nam diuidendi Methodus, cum ad rei quæ diuiditur naturam demonſtrandam, tum ad definiendum & argumentandum plurimum vtilis eſt,ſed præconiis omiſſis,rē ipſam aggrediamur.

Definitio. Eſt itaque DIVIDENDI METHODVS,quæ & *particularis Diæreſis* quædam exiſtit & appellatur, certa via,res ſingulas diuiſione,quaſi anatomia quadam in partes ſeu membra retexendi. Diuiſio. Sub hac diuiſione complector enumerationem, partitionem,& eam quam Cicero contracto vocabulo diuiſionem appellauit. Nam vis nominis & amplitudo hoc non recuſat, quemadmodum Boëtius & poſt hunc Philippus teſtantur, nihil Pſeudociceronianos morantes, qui nullum verbum ferre poſſunt, quod ipſi apud Ciceronem non legerunt. Vt autem Methodus hæc eò facilius percipiatur, Primum diuiſionum formas recitabo, Deinde,regulas quaſdam huic rei deſeruientes adiiciam, Tertio loco rationem ac viam in ſingulis differētiis & ſpeciebus inquirendis ſubiiciam, Quarto loco ordinem tractandi diuiſionum membra inuenta docebo.

Diuidendi genera duo. Diuidendi itaque genera duo ſunt, prius ac nobilius *naturale*,ac per ſe dicitur, Poſterius *fortuitum* ſeu per accidens nominatur.

Per ſe. *Naturale* diuidendi genus eſt,cum diuiſio per ea fit,quæ naturam rei attingunt,id eſt per differentias & ſpecies. Atque in tres formas diuiditur,quarum prima eſt generis in ſpecies ſiue in differentias diſtributio.Hæc aliis dignior eſt. Alia quam Cicero quidem partitionem,Themiſtius vero ἀνατομὴν vocat.Tertia eſt non quidem prioribus dignitate par, ſed tamen in feriarum rerum tractatione haud raro adhibenda.Hæc enumeratio appellatur, & fit quoties vocis alicuius multa amplitudine ſignificationis ſuæ complectentis ſignificata enumerantur.

Per accidens. *Poſterius* diuidendi genus ideo vocatur per accidens,quia fit per ea quæ naturam rei non attingunt, ſed vt fortuita quædam incumbunt. Eſtque huius generis triplex forma:Prima eſt ſubiecti in accidentia diuiſio.vt cum dicimus : omnium hominum alij ſunt nigri,alij candidi, alij medij coloris. Secunda eſt accidentis in ſubiecta ſectio,qualis hæc eſt : Omnia quæ expetuntur alia in anima,alia in corporibus ſita ſunt. Poſtrema eſt accidentis in accidentia diuiſio. vt omnium candidorum alia ſunt dura, vt Margarita,alia ſunt liquentia, vt Lac. Atque hæc ſunt genera ac formæ diuiſionum : nunc regulas ſubiiciam. Regulæ.

Prima.

Oportet omnem diuiſionem in duas ad minimum, vel in plures, ſi neceſſe fuerit, partes fieri.

Secunda.

Omnis legitima generis diuiſio fieri debet duobus terminis, niſi inopia vocabulorum hoc prohibeat.

Tertia.

Differentiæ,quæ aliqua oppoſitionis ſpecie differunt,ſolæ generibus accommodari poſſunt in legitima diuiſione.

Quarta.

Differentia ſemper ſubiecto ineſſe debebit,in veris diuiſionibus.

Quinta.

Quemadmodum genera in ſpecies,ita differentiæ genericæ in alias ſub ſe conſtitutas differentias, non ſecus atque genera diuidi debent.

Ratio inquirendarum differentiarum,in ſingulis diuidendi generibus. His regulis traditis ad id quod tertio loco propoſui,accedendum eſt,nimirum vt rationem & certam quandam Methodum inquirendarum differentiarū in ſingulis diuidendi generibus teneamus : quod vt facilius fiat,ſingula genera proponenda ſunt. Non eſt enim eadem ratio inquirendarum differentiarū in omnibus generibus. In prima ergo forma prioris generis ac Methodo ſpecies & differentiæ inquirendæ ſunt.Primum omnium generis(nam ſola genera hac forma diuiduntur) prædicamentum quærendū eſt. Statim in proximas ſpecies ſubiectas generi diuidendum, mox in alias, donec ad infimas ſpecies deuentum fuerit,vbi conſiſtendum eſt:ſed non promiſcue & fortuito ſpecies diuidendo generi ſubiicies,ſed eas tantum,quas conſtituunt oppoſitę differentiæ,ſub eodem genere collocatæ. Vt animalium aliud eſt brutum,aliud eſt homo. Hic in proximas ſpecies,quas conſtituunt oppoſitæ differentiæ,irrationale & rationale diductum eſt genus. Et ne erretur in aſsignandis ſpeciebus, profuerit primum in differentias genera diuidere. Poſtea differentias adiuncto generis vocabulo ſpecies ſtatuere,atque hoc neceſſario faciundum eſt,potiſſimum ſi ſpecies quibus oportet genus diuidi,nominibus carent.

Sed dicat aliquis in Animalis diuiſione res plana eſt,ſed quid faciendum vbi nec differentiarum, nec ſpecierum ſunt vocabula. Huic inopiæ hoc pacto ſuccurrendum eſt : Vbi differentiæ non extant propriis vocabulis,periphraſi verborum vtendum erit.ſi ſpecierum nomina deſunt,accipe differentiam,eamque ſuperiori generi copula. Omnis enim differentia in proprium genus veniens, ſpeciem facit. Vnde eſt,vt genus materiæ, differentia vero formæ ſimilitudinem quandam referat. Sed labor eſt, inquies, differentias illas inuenire.Labor quidē,ſed non adeo difficilis,ſi Methodus acceſſerit,quā tertia regula ſupra tradita mōſtrat.Ex ea enim regula conſtat, quod ſolæ illæ differentiæ,quæ à ſe inuicem aliquo oppoſitionis genere differunt ſub genere poſitæ, genus ipſum poſſunt diſtinguere vera & legitima diuiſione.Oppoſitionum autem genera eſſe quatuor,nēpe Contradictorium, Contrarium, Priuatiuū & Relatiuū,ex Dialectica notum relinquo. Ordo tractandi diuiſionum membra inuenta. Hic tantūmodo ſecundum quas oppoſitiones diuiſio generis rectiſſime fiat admonere oportet, ac primum quidem de contradictionis oppoſitione dicendum eſt, quæ affirmatione & negatione proponitur. Quod autem negatio per ſe nullam conſtituit ſpeciem, ex eo manifeſtum, quod ſpecies omnis eſſe rem aliquam intendit,negatio vero quicquid proponit ab eo,quod eſt eſſe,diſiungit,vt cum dico homo, aliquid eſſe innuo, Cū vero non homo,ſubſtantiam hominis negatione deſtruxi.Sic igitur diuiſio generis in ſpecies per

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

per ſe caret negatione, neceſſe eſt tamen ſæpe ſpeciem negatione componere cum ea, quam ſimplici nomine ſpeciem volumus aſſignare, nullo vocabulo nuncupa.o, vt cum dico. Imparium numerorum alij primi vt tres, quinque, ſeptem, alij non primi, vt nouem. Vt hoc pacto ſæpe aſſignemus ſpecies, coget neceſſitas non natura. Verum cum ita fiet diuiſio, affirmationem ſequetur negatio non contra. Atque hæc dicta ſint de differentiis oppoſitis, quas conſtituit contradictio. Nunc de contrariis dicendum, in quibus generum frequens eſt diuiſio. fere enim cũctas differentias in contraria diducimus. Sed quoniã contrariorum alia ſunt immediata, alia mediata, in vtriſque diuiſio facienda eſt. vt colorum alij ſunt nigri, alij albi, alij neutri. Hic quia indigentia nominũ prohibet fieri bimembrẽ diuiſionem, iuxta primam & ſecundam regulam diuiſio facta eſt. In immediate contrariis diuiſio fiet bimembris. Vt figurarum aliæ æquales, aliæ inæquales ſunt. Porro diuiſio ſecundum oppoſitionem priuantium videtur ſimilis contradictorię. Negat enim quodammodo priuatio habitum, ſed differt quod ſemper quidem poteſt eſſe negatio, priuatio vero non ſemper, ſed tunc ſolũmodo, quando habere habitum naturæ rei conuenit. Quare forma quædam intelligitur eſſe priuatio. Nõ enim tantum priuat, ſed etiam diſponit quodammodo eum qui priuatur habitu. Hic ergo vt in ſuperioribus diuiſio generis fieri poteſt, ita tamen vt habitus priori loco ponatur, priuatio poſteriori. Quarta oppoſitio eſt relatiuorum, quæ nullam habẽt ſubſtantialem differentiam, qua à ſe diſcrepent, imo potius habet huiuſmodi cognationem, qua ad ſe inuicẽ referantur, ac ſine ſe eſſe non poſsint. Non eſt ergo generis in relatiuas partes facienda diuiſio. Neque enim hominis ſpecies eſt ſeruus aut dominus: nec numeri, medium aut duplum: in ſubiecti tamen in accidentia diuiſione nihil prohibet per relatiuas partes fieri diuiſionem. Vt hominum alij ſerui ſunt, alij domini. Ex his manifeſtum eſſe puto, quomodo & ſpecies & differentiæ in vera generis diuiſione conſtituendæ ſunt.

DE ANALYSI PARTICVLA- *ri enumeratione & diuiſione* κ[τ] συμβεβηκ'ς.

NVNC de totius in partes ſectione (nam ea eſt altera prioris generis diuidẽdi forma, & proprie Analyſis particularis eſt) dicam breuiſsime, de qua in vniuerſum hæc eſt obſeruanda regula: Ex cõſideratione compoſitionis recte Totius diuiſio ordinatur, ita vt ſemper à principalioribus partibus fiat diuiſio in minores, donec res tota in minimas partes retexta fuerit. Vt quia homo componitur ex corpore, hoc eſt, materia, & anima, id eſt forma, tanquam principalibus partibus, recte fiet diuiſio ſeu partitio hominis in corpus & animam. Deinde hæ partes vt tota accipiendæ ſunt, & diuidendæ in partes. Anima itaque tametſi reuera non conſtat ex partibus, tamen quia in ea eſt vis viuificandi, mouendi & intelligendi, recte anima in has partes virtuales, vt vocant, diuidi poteſt, per ſe ſane indiuiſibilis. Et rurſus hæ ſingulæ partes, vt tota conſtituendæ ſunt & diuidendæ. Deinde, altera pars primæ diuiſionis ſumenda eſt, nempe corpus, & vt totum arripiendũ, huiuſque conſideranda eſt compoſitio. Vnde rurſus ἀνατομὴ inſtituenda eſt, donec in minimas partes diſſectum fuerit corpus. Hæc ratio totius diuidendi in partes, perutilis ad amplificandum & illuſtrandum eſt, quare & Rhetores de hac præceperunt.

Regula.

Tertia forma primi generis eſt *enumeratio* ſignificationum diuerſarum eiuſdem vocis. Huius Methodus ſecundum has regulas inſtituenda eſt. Primum omnium videre oportet, quæ ſignificatio naturalis ſit (Eſt enim naturalis ſignificatio, quam primum habuit vox cum inuenta eſt. Naturalia enim dicuntur, quæ cum vnoquoque nata ſunt) quæ tranſlatitia. Deinde, ſi ſenſus patitur & contextus, retinenda eſt naturalis ſignificatio, Sin minus tranſlatitiæ ſignificationes ſunt enumerandæ, quarum ea aptanda eſt propoſitio, quæ maxime quadrat, & firmis rationibus monſtrandum eſt, quod aliæ vocis ſignificationes non conueniant.

De enumeratione ſignificationum diuerſarũ eiuſdem vocis.

Porro poſterioris generis diuiſio hoc pacto inſtituetur. Subiectum in accidentia commodiſsime hac Methodo diſtribuetur, ſi per ſingula prædicamenta accidentium eatur. Vel vt Rodolpho placet, per locos Dialecticos ordinetur propoſitæ rei deſcriptio, & inſtituatur veluti quædam particularis Syntheſis, vt ſi officium aliquod fuerit diuidendum, recte in partes eas quæ ad officium faciunt, fiet deſcriptio, id quod videmus Paulum feciſſe in deſcriptione Epiſcopi, ad Titum & Timotheum: de quo genere vide plura in Dialectica Philippi, & in poſterioribus commentariis Eraſmi de copia.

CAETERVM Methodus tractandæ inuentæ diuiſionis, hæc eſt vulgariſſima: vt primum noſtram diuiſionem ponamus. Deinde, eandem confirmemus, mox ſubiiciamus aduerſariorum, eamque rationibus deſtruamus.

Methodus tractandæ inuentæ diuiſionis.

DE METHODO COPV- *lata Didaſcalica.*

PORRO ex his ſuperioribus Methodis alia quædam Methodus, quam Didaſcalicam à ſuo proprio fine vocant, emergit. Et tametſi ex pluribus Methodis eſt conflata, tamen recte eam & ſimplicem vocaueris, eo quod ſimplicium rerum tractandarum inſtrumentum ſit, & copulatam, quia conflatur ex pluribus particularibus Methodis. Huius Methodi partes quatuor conſtituantur, definitio, diuiſio, analyſis, catagrapha. Definitio quærit an ſit res, quæ nominis ratio, quid res. Diuiſio ſpecies recitat, probat, declarat, comprobat. Analyſis partes, cauſas & effecta rimatur. Catagrapha adiuncta rei, cognata, adiacentia & contingentia cumulat. Singulis harum partium exornandi & amplificandi gratia adhiberi poſſunt contraria, ſimilia, pronunciata exempla, χρεῖαι.

Didaſcalica methodus copulata quatenus ſit ſimplex.

Eius partes.

Vtile valde fuerit exerceri diſcentes in hac Methodo variis materiis propoſitis. Nam vt nihil dici poteſt de vlla re, quin his partibus ſubiiciatur commode: ita formatur hac ratione iudicium de rebus, vt ſciant adoleſcentes dextre quicquid legunt ad ſuam claſſem reuocare, & recte locos communes inſtruere, quæ ſane res permultum facit ad ſolidam rerum ſingularum cognitionem comparandam. Conſpicitur & in hac Methodo maximus vſus locorum inuentionis, qui non ſolum propoſitionibus confirmandis & infirmandis ſeruiunt: verumetiam huius Methodi elementa continent.

Vtilitas.

DE COMPOSITA *Methodo.*

DIXIMVS de Methodo particulari ſimplici, nunc ordo poſtulat vt de compoſita dicamus. Huius in tota vita vtilitas eſt maior, quam vt noſtra

Methodi compoſitæ vtilitas.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

oratio eius laudibus reſpondere poſſit:quare præconiis omiſ s rem quam poſſum planiſſime explicabo.

Definitio.

Eſt itaque *Compoſita methodus particularis* certa via ac ratio, propoſitam quæſtionem coniunctam in diſputando, collocando, & examinando tractandi. Vt enim ſimplex Methodus quæſtionem ſimplicem ita hæc coniunctam, quæ conſtat ſubiecto & prædicato, reſpicit. Varietas autem huius Methodi à varia quæſtionis propoſitæ natura, & propoſitionum, quæ illi explicandæ adhibentur, varietate, petenda eſt.

Diuiſio.

Quocirca cum omnis quæſtio Compoſita aut probabilibus, aut fallacibus, aut neceſſariis & perpetuis confirmari ſoleat, Triplicem hanc Methodum conſtituamus: Probabilem nimirum, Sophiſticam & Apodicticam, de quibus primum particulatim quædam. Deinde de diſputatione, collatione & examine ſingularum quantum pro tenuitate ingenij licebit, dicam. Nam hæc pars potiſſimum iuuat ſtudia Iuuentutis, memoriam confirmat, in lectione optimorum autorum iter oſtendit.

DE COMPOSITA *probabili.*

1 Methodi compoſitæ probabilis definitio.

METHODVS *Compoſita probabilis*, eſt via ac ratio probabilem quæſtionem tractandi probabilibus argumentis, ſeu propoſitionibus, cum ſecundum Dialectices præcepta recte inſtituuntur argumenta: quod vbi fit conceſſis propoſitionibus probabilibus, ſequitur concluſio neceſſario, vnde Ariſtoteles præſcribit non petendam, hoc eſt, non quærendam eſſe concluſionem, ſed ex præmiſſis datis inferendam. Nam qui admittit præmiſſas in bona conſequentia, neceſſario concluſionem velit nolit admittet.

Obiectio.

An non quæſtio, dubia eſt, de qua in vtramque partem differere licet? quomodo ergo dicis nunc neceſſariam, quæ eſt dubia, quam etiam paulò antea probabilem appellaſti?

Reſponſio.

Datis propoſitionibus hoc eſt præmiſſis, qualeſcunque fuerint, ſi modo ſeruatur norma ſyllogiſmi, concluſio ſequitur, idque neceſſario, etiamſi materia non ſit neceſſaria. Sic enim definit Ariſtoteles ſyllogiſmum, orationem eſſe dicens, in qua quibuſdam poſitis propoſitionibus per ipſas ſequitur concluſio, idque neceſſitate conſequentiæ non naturæ. Duplex enim neceſſarium Dialecticus conſiderat, aliud per naturam, aliud per conſequentiam. Neceſſarium per conſequentiam omnem ſyllogiſmum legitime factum ſequitur. Neceſſarium vero per naturam & per cōſequentiam & per ſubiectam materiam, in ſolis demonſtrationibus exiſtit.

Vnde petenda eſt hæc methodus.

Porro Methodus hæc in genere petenda eſt primum ex natura quæſtionis propoſitæ. Secundo ex inuentione argumentorum. Tertio ex doctrina de ſyllogiſmis. Verum hic arte opus eſt, quæ iudicium regat. Nam propoſita quæſtione triplex cura animum occupabit, prima quæſtionis, media argumenti, vltima formæ: ad quam potiſſimum alligandum eſt argumentum. Sed hæc poſtrema ex genere quæſtionis pendet. Nam aliud quæſtionis genus aliud argumentum aliamque formam exigit. Dicendum eſt ergo neceſſario hoc loco primum de generibus quæſtionum Dialecticarum: Deinde de argumentis, quæ ſingulis quæſtionum generibus conueniunt: Poſtremum de formis, quæ argumentis inuentis & quæſtioni propoſitæ accommodatæ ſunt.

De quæſtionum Dialecticarum 4. generib.

Quæſtionum itaque Dialecticarum genera quatuor fecit Ariſtoteles: Definitionis, Generis, Proprij & Accidentis.

1. Definitionis quæſtio, quid. 2 Generis. 3. Proprij. 4. Accidentis.

Definitionis quæſtio eſt, quando definitio de definito prædicatur & contra. Generis, quando proprium genus, vel differentia de ſpecie aſſertur. Proprij, quando proprium prædicatur de ſubiecto. Accidentis, cum accidens aſſertur, vel quæritur de ſubiecto. In quibus generibus ne erretur, hæc obſeruatio eſt neceſſaria quod quæſtio non ſortiatur nomen à ſubiecto, ſed tantum à prædicato, hoc eſt ab habitudine prædicati ad ſubiectū.

Exempla.

Vt ſi quæratur ſit ne homo animal? generis eſt quæſtio, Genus enim in hac quæſtione prædicatur. Sit ne anima harmonia? eſt quidem & hæc generis quæſtio, ſed non naturalis. Eodem modo de aliis iudicandum eſt. Oblata ergo quæſtione de qua controuerſia eſt, primum omniū, cuius generis ſit, quæratur. Deinde cognito genere quæſtionis, loci prudenter conſulendi ſunt à quibus ducantur argumenta: per quæ vel confirmari vel cōfutari quæſtionis alterutra pars poterit. Id autem aptiſſime videtur fieri hoc modo: ſi diligenter perſpexeris, in quibus prædicamentis fuerint partes quæſtionis. Nam ipſa prædicamenta præcipuos locos monſtrant. Deinde, ſi quæſtio fuerit definitionis, genus & differentia propria debent eſſe eiuſdem prædicamēti: quæ ſi fuerint idque ſecundum regulas in definitiua Methodo præſcriptas, confirmanda eſt queſtio: ſin minus, refutanda & monſtrandum vitiū. Et quia differentiæ non ſubiiciuntur oculis, plurimum facit ad inueniendam differentiam confirmandam & confutandam, conſulere locos effectuum, actuum, adiacentium & cognatorum. Simile iudicium eſt de generis quæſtione, ſed ad hanc quoque adhiberi ſolent loci Speciei, Proprij, Adiacentium, Actuum, Cauſarum &c. In proprij quoque quæſtione loci interni valent præcipue. Item actus & adiacentia & contraria. In accidentis autem quæſtione, loci externi Adiacentia, ſigna, communiter accidentia. Breuiter omnes loci poſſunt ſingulis generibus quæſtionum adhiberi, ſed alij aliis quæſtionibus magis accōmodati ſunt, quēadmodū dictū eſt.

De argumentis quæ ſingulis queſtionum generibus conueniunt.

Porro Ariſtoteles & Cicero operæpretium putauerunt eſſe, in inquiſitione argumentorum, conſiderare, quænam quæſtio ſit cognitionis & quæ actionis. Quæ ſane conſideratio vtiliſſima eſt. Nam ſi cognitionis eſt quæſtio, loci interni & medij ſunt accommodatiores. Si actionis, medij & externi: Verum quia hæc in Topicis traduntur, inde petenda ſunt. Nam Topica nihil aliud eſt, quam Methodus inueniendi argumenta conſentanea quæſtioni propoſitæ. Porro quantum ad argumētorum formas attinet quibus alligari debēt argumenta, hoc tenendum eſt. Alia aliis figuris ſunt magis accommodata, quare de hac re vtiliſſima quædam præcepta ſubiiciemus.

De argumentis præcepta.

Primum, Si medium inuentum prædicari poteſt de ſubiecto quæſtionis, aptiſſima erit prima figura.

Secundum, Si de inuento medio prędicari poteſt ſubiectum queſtionis, aptiſſima erit tertia figura.

Tertium. Si medium & ſubiectum queſtionis ſunt paria, in prima & tertia figura concludere licet.

Quartum, ſi medium neque antecedens, neque conſequens eſt extremorum queſtionis, vel duplex adhibenda eſt argumentatio, vel Enthymema aptius erit Syllogiſmo. Vt ſi queratur, ſit ne voluptas expetenda? Inuenio medium quod eſt dolor, prorſus ab vtroque extremorum queſtionis diſſentaneum. Nam nec voluptas eſt dolor, nec expetendum eſt dolor, nec contra. Hic ergo opus erit duplici argumentatione, & nouum medium querendum, quod latet in priori medio hoc pacto: Quod naturam offendit, eſt fugiendum, Dolor naturam offendit, Ergo dolor eſt fugiendus.

Si fu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Si fugiendus eſt dolor, voluptas expetēda eſt. Atqui dolor fugiendus eſt. Ergo voluptas eſt expetenda.

Hoc ſolet plerunque fieri in locis contrariorum, Similitudinis, diſsimilitudinis, maioris, minoris & paris, Item, cauſarum & effectuum, quod qui non animaduertunt, in accommodandis locis ſæpe laborant. Verum hæc in Dialecticis fuſius tractāda ſunt.

Quintum, In deſtructione quæſtionis affirmatæ dominatur ſecunda figura.

Sextum, in confirmanda Vniuerſali propoſitione dominatur Barbara, primæ figuræ primus modus, & inductio ex quibuſcunque locis promātur argumenta. Tametſi hæc plana ſunt, tamen quædam præcepta de affectione medij ad propoſitæ quæſtionis partes aſſcribam, vt inquirentis & iudicantis labor hac ratione leuetur. In prima itaque figura hæc debet eſſe medij ex locis inuenti affectio ad extrema quęſtionis propoſitæ, vt in omnibus modis medium afferatur de ſubiecto concluſionis. Deinde, in affirmatiuis modis ſit antecedens prædicati, in negatiuis vero repugnans. In ſecunda hæc debet eſſe medij diſpoſitio, vt ſemper alterius extremorum quæſtionis ſit repugnans. At in Cæſare & Feſtino repugnans ſit prædicati, & conſequens ſubiecti quæſtionis. In Cameſtres vero & Baroco, ſit conſequens prædicati, & repugnans ſubiecti.

De formis que argumentis inuentis & quæſtioni propoſitæ accommodatæ ſunt. Exēplū.

Porro, in tertia figura ſemper medium antecedens ſit ſubiecti, in affirmatis quoque antecedens ſit prædicati, ſed in negatis repugnans prædicati. Hæc conſideratio habitudinis medij multum iuuat & ad inueniendum medium, & ad formas inuentis apte accommodādas. Vt autem res vniuerſa fiat illuſtrior ea quæ hactenus dicta ſunt exemplo declarabo. Proponatur hæc quæſtio in medium. Ecquid anima ſit harmonia, vt voluerunt Platonici. Primum hic aduertendum eſt, quod ſit generis quæſtio, Cum enim quæritur, An anima ſit harmonia, quęritur an harmonia ſit genus in hac quęſtione. Deinde facile eſt videre cognitionis non actionis quæſtionem eſſe. Vnde & hoc ex ſuperioribus notum relinquetur, qui loci potiſsimum conſulendi ſunt, ſed prius videndum, in quibus prædicamētis ſint partes quæſtionis, id quod ex partium natura facile eſt intelligere. Anima ſiquidem cum ſit forma hominis ſubſtantialis, & altera pars ſubſtantiæ hominis, & per ſe ſubſiſtat ſeparata à corpore, in prędicamento erit ſubſtantię. Harmonia vero cum ſit nihil aliud, quam partium, aut numerorum, aut figurarum quædam diſpoſitio, Vel vt Auguſtinus definit, concentus quidam ex diſsimilium vocum moderatione factus, in quantitatis prædicamento erit. Hac tanquam κατασκευῇ adhibita, cōſulendi ſunt loci ac primum definitionis, deinde reliqui vt generis, proprij, differentiæ. Iam inuenta ex locis conferenda ſunt cum partibus quæſtionis, & pro diuerſa habitudine inuentorum ad quæſtionem vt ſupra dictum eſt, inſtituenda eſt argumentatio. Definitio animæ eſt forma ſubſtātialis hominis. hęc quia conſequens eſt ad ſubiectum quęſtionis, aptiſſima erit prima figura. Et quia repugnat prędicato quæſtionis, quæ eſt indefinita, erit modus Ferio hoc pacto. Nulla forma ſubſtantialis hominis eſt harmonia, Anima eſt ſubſtantialis forma hominis, Ergo anima non eſt harmonia. Deinde quia medium repugnat prædicato, & affertur de ſubiecto, poterit etiā accommodari tertio modo ſecundæ figuræ hoc pacto. Nulla harmonia eſt forma ſubſtantialis hominis, Anima eſt forma ſubſtantialis hominis, Ergo anima non eſt harmonia. Ad eundem modum reliqui loci, qui attingunt partium quæſtionis ſubſtantiam, conſulendi ſunt. Loci generis, Animæ, ſunt forma, ſpiritus. ſubſtantia, loci generis, Harmoniæ ſunt concentus, diſpoſitio, quantitas. Loci generis animæ applicati concludunt, quemadmodum in definitione dictum eſt, hoc eſt, in Ferio & in Feſtino. At ſi ex generibus harmonię petis media, ſolus modus Baroco erit accommodatus, & tot erunt ſyllogiſmi, quot vtriuſque genera erant aſsignata. In qua re facile videre eſt quantum momenti huc afferant prædicamentorum ordines. Atque hæc ſint breuiter dicta de Methodo probabili, quæ diligentius & fuſius in Topicis explicanda eſt. Prima enim elementa hic attigiſſe ſatis eſt, vt Methodus aliquo modo conſpiciatur.

DE METHODO Sophiſtica.

Methodi ſophiſticæ definitio.

METHODVS Sophiſtica eſt via ac ratio, per argumenta φαινόμενα veritati tenebras offundendi, & homines incautos decipiēdi: quæ quia indigna eſt homine nato ad veritatem amplectendā, & vehementer nocet moribus ac communi ſocietati, omnino ſtudioſis tota hæc cauillandi ratio deteſtanda eſt. Adoleſcentes enim Sophiſtarum parastrophis aſſuefacti, nunquam veram Dialecticam diſcūt, neque vnquam res bonas afferunt, ſed tandem ſua ipſorum fallacia miſere decipiuntur, nunquam veritati ab aliis traditæ acquieſcentes intrepide. Quod autem Ariſtoteles multa de fallaciis Sophiſticis pręcepta, in duobus illis de Sophiſticis Elenchis, congeſsit, hoc non fecit vt Sophiſtas faceret, aut Sophiſticen traderet, Verum vt auxiliare pharmacum nobis exhiberet ad euitandas, vt ipſe vocat Sophiſticas ἐνοχλήσεις. Non ſecus atque Nicander, qui de venenis tractauit, non vt iis vtamur aliis in perniciem, ſed vt ea potius cauere poſsimus ne nobis noceant. Cæterum ſi Methodum aliquam quæras diluendi Sophiſtica argumēta, nulla melior præſcribi poteſt, quam ea, quæ ab Ariſtotele, à Philippo & à Villichio tradita eſt. quare de ea hic peculiaria præcepta non præſcribam, ſed tantum monere volo adoleſcentes, vt propoſito argumento falſo, ſeu Sophiſtico, primum omnium perluſtrent animo regulas conſequentiarum, & videant, num quid peccetur contra aliquam regulam conſequentiarum, quod ſi fit, reiicienda eſt conſequētia. At ſi nullū ibi peccatū apparet, rerum ſequatur examen, locis in conſilium, ex quibus falſum illud argumentum ductum eſt, adhibitis. Tertio videndum, vtrum ex locis Sophiſticis aliqua fallacia commiſſa ſit. Hæc triplex cura ſit reſpondentis ad Sophiſtica argumenta, qualia omnia ſunt, quæ falſum aliquid ſub veritatis titulo concludunt: ſed de his plura in Dialectica.

Ariſtotelis ſcopus in Sophiſticis Elēchis tradendis.

Pręcepta adu. methodum Sophiſticam. à quibus tradita.

DE METHODO DEmonſtratiua.

Methodus demōſtratiua Philoſophis propria.

TAMETSI Methodus Demonſtratiua non poteſt exacte tradi breui aliquo compendio: tamen breuiter conabor delineamenta ſaltem huius Methodi attingere. Eſt autem hæc Methodus Philoſophorum fere propria. Nam demōſtratione Philoſophis eſt opus veluti inſtrumēto, ad Philoſophiæ partium Theoreticæ & practicæ, hoc eſt cognitionis & actionis rectam explicationem: Sicut enim faber amuſsis beneficio lignum rectum à curuo, & ædificator perpendiculo parietem ęqualem ab inclinato diſcernit: ſic Philoſophus in ſpeculatione quidem verum à falſo, in actione vero bonum à malo demonſtrandi regula ſeparat.

Eiuſdem definitio.

Eſt itaque *Demonſtrandi Methodus* recta via ac

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ratio, ex neceſſariis notiſq; propoſitionibus immotam concluſionem inferendi. Vt autem hæc Methodus vtcunque intelligatur, primum oportet ſcire in omni demonſtratione duo ſpectanda eſſe, tanquam principalia capita: quorum vnum eſt problema ipſum (ſic enim Ariſtoteles vocat quæſtionem in diſputationem adductam) quod demonſtrãdum proponitur. Alterum propoſitiones, quibus τὸ πρόβλημα probatur. Deinde in omni problemate duo ſunt.

Principalia capita duo.

1. prius datum, Alterum quæſitum, more Geometrarum
2. vocant. Vt in hoc problemate: ſit anima immortalis, nec ne. Anima datum, immortalis vero quæſitum eſt. Porrò propoſitiones, per quas probatur problema, ad minimum duæ ſunt, quas ante vnamquamque particularium demõſtrationum præcognoſci neceſſe eſt. Non enim poſsibile eſt quicquam non omnibus propoſitionibus cognitis concludere ἀποδεικτικῶς. Sed inter illas duas propoſitiones, quas in demõſtratione adhiberi neceſſe eſt, hoc eſt diſcriminis: quod maior ſit omnino commune quoddam axioma, cui vt fides adhibeatur propter euidẽtiam dignum eſt, vnde & axioma, id eſt dignitas dicta eſt. Minores vero propoſitiones, quoniam ſunt infinitæ, non ſunt tam obuiæ aut notæ: attamen in maioribus propoſitionibus virtute cõprehendun tur, vt in ſyllogiſmo hoc: Omne animal eſt ſubſtantia. Homo eſt animal, Ergo homo eſt ſubſtantia. Minor propoſitio, homo eſt animal, cõprehenſa eſt virtute in maiori, animal eſt ſubſtantia. Vnde hæc tria neceſſarium eſt cognoſcere ante omnẽ demonſtrationem, datũ & quæſitum in problemate, & dignitatem, hoc eſt propoſitionẽ illam notam & dignam fide ſua euidentia. Sit problema. Eſtne iuſticia laudanda, nec ne? Datũ eſt iuſticia, quæſitũ laudanda. præter hæc oportet me dignitatẽ (Sic enim interpretantur axioma) habere, quæ eſt: Honeſta ſunt laudanda. hæc adeo euidens eſt, vt qui contradicat, prorſus inſanus exiſtimetur. Hæc tria cum adſunt materiam demonſtrationis habes: quam ſic formare debes. Omnia honeſta ſunt laudanda, Iuſticia eſt honeſta. Ergo iuſticia eſt laudanda. Et tot poſſunt fieri ex hac vna dignitate demonſtrationes, quot ſunt partes ſubiectiuæ, vt vocãt, ſubiecti axiomatis. Deinde cum ſcitur, quæ nã oporteat pręcognoſcere ante demonſtrationẽ, ſciendũ & hoc eſt, quibus modis oporteat ea pręcognoſcere, cũ ſint ἐπιστημονικαὶ quæſtiones quatuor, quod ſit, quid ſit, quale ſit, & propter quid ſit. In dato ergo, id eſt ſubiecto problematis, oportet præcognoſcere & quod ſit, & quid ſit. in quæſito quid ſit ſolũ. in dignitatibus an ſint, ſeu quod ſint, idq; quia ſunt propoſitiones.

Prioris capitis propoſitiones duę.

De Axiomate.

Diſcrimina axiomatum.

His cognitis diſcrimina dignitatũ tenenda ſunt, nimirum quod aliæ omnibus ſcientiis, aliæ quibuſdã: aliæ vni tantum ſcientiæ ſubiiciantur. In omni ſcientia locũ habet hæc dignitas: In ſingulis affirmatio aut negatio eſt vera: Hæc vero: Eidẽ æqualia inuicẽ ſunt æqualia, pluribus famulatur ſcientiis, nimirum Muſicæ, Geometriæ & Arithmeticę. Porro hęc: Honeſta ſunt facienda, in ſola morali Philoſophia locum habet.

Genera & methodus demõſtrationũ.

Præterea genera Demonſtrationũ cognoſcenda ſunt, & Methodus ſingulorũ. Genera autem ſunt varia, ſed nos cũ Philopono in hunc modũ diuidamus: Alia Demonſtratio eſt directa, Alia ducens ad impoſſibile. Directa alia κατὰ σύνθεσιν, alia κατὰ ἀνάλυσιν inſtituitur. Illa ſola quæ inſtituitur κατὰ σύνθεσιν, διότι, id eſt propter quid, reliquæ omnes cuiuſcunque fuerint generis demonſtrationis ὅτι, id eſt quod eſt, vel quia eſt, appellantur. Præter has formas eſt quædam demonſtratio, quę σημειώδης dicitur, videlicet cum à neceſſariis ſignis aliquid concluditur. Nunc de his omnibus, eo quem propoſui ordine, dicamus. Directa itaque demõſtratio κατὰ σύνθεσιν eſt, quæ à quibuſdam confeſsis principiis paulatim alias atque alias concluſiones extruit, quod ſubiectis exemplis oſtendere conabor.

PHYSICVM
Exemplum.

Quicquid habet vim ſpecies rerum ſenſibilium apprehendentẽ, ſentit. Omne animal habet vim ſpecies rerum ſenſibilium apprehendendi. Ergo omne animal ſentit. Hæc demonſtratio in Syntheſi huius generis potiſsima eſt. Mediũ enim definitio eſt ſubiecti, ſimul ſumta cum definitione paſsionis. Nam ita τὸ ζητούμενον appellatur. Vnde in maiori propoſitione paſsio prædicatur de definitione ſubiecti. in qua definitione exprimuntur principia ipſius paſsionis. Subiectum enim non ſolum comparatur ad propriam paſsionem ratione cauſæ materialis (id eſt ratione materiæ in qua hæret paſsio) verumetiam ratione cauſæ efficiẽtis. Definitio ergo ſubiecti ſimul ſumta cum definitione paſsionis, exprimit cauſam efficientem ipſius paſsionis immediatam & neceſſariam. Si enim quæris Quid ſit animal, recte reſpondetur, quod habet vim ſpecies rerum ſenſibilium apprehendẽdi. Si rurſus ſentire quid ſit interroges, recte reſpondetur habere vim ſpecies rerum ſenſibilium apprehendendi. Hæc ergo definitio & propria paſsio ſubiecti conſtituũt maiorẽ, hoc pacto: Quicquid habet vim ſpecies rerum ſenſibilium apprehendendi ſentit. Hic eſt ſecundus modus dicendi per ſe. Deinde primo prædicatur, ſeu dicitur, hoc eſt ſubiectum & prædicatum ſunt ita adæquata, vt prædicatum non poſsit inueniri extra ſubiectum, nec è conuerſo. Deinde Vniuerſaliter dicitur, quia prædicatum de ſubiecto, & econtra poteſt vniuerſaliter prędicari. Minor eſt: Omne animal habet vim apprehendendi ſpecies rerum ſenſibilium. Primus eſt modus dicendi per ſe, dicitur etiam primo & vniuerſaliter. Concluſio: Ergo omne animal ſentit. Eſtque ſecundus modus dicendi per ſe. Dicitur quoque primo & vniuerſaliter. Hæc demonſtratio prædicatum ineſſe ſubiecto generi monſtrat. Tales debent eſſe omnes potiſsimæ demõſtrationes ſeu primæ in Syntheſi, vbi vides medium terminum continere duo, nempe definitionem ſubiecti concluſionis, & definitionem paſsionis, hoc eſt prædicati. Porrò Syllogiſmi qui extruuntur κατὰ σύνθεσιν à potiſsima, omnes quidem conſtabunt propoſitionibus de modo primo & ſecundo dicendi per ſe, ſed primo & vniuerſaliter non dicuntur, niſi ſola maior proximi ſyllogiſmi poſt potiſsimam. Cæterũ concluſio potiſsimæ demonſtrationis approbata & demonſtrata fit ἀξίωμα ſequentis ſyllogiſmi, atque ita de reliquis ſequentibus ordine iudicandum eſt. Extruamus itaque ex concluſione proximi ſyllogiſmi hoc pacto. Omne animal ſentit. Secundus modus dicẽdi per ſe, & dicitur primo & vniuerſaliter, Dicitur primo, quia non eſt alia cauſa vt prædicatum inſit ſubiecto. Vniuerſaliter, quia prædicatũ & ſubiectum cõmeant. vt omne animal ſentit, & omne quod ſentit eſt animal. Secundus modus dicendi per ſe, dicitur primo & vniuerſaliter. Quicquid ratiocinatur eſt animal. Hic minor virtute eſt in maiore, vnde ſequitur concluſio, Quicquid ratiocinatur ſentit. Hæc concluſio ſumatur rurſus vt axioma, & extruatur hæc demõſtratio, Quicquid rationale eſt ſentit (eſt ſecundus modus dicendi per ſe, & eſt proprium ſecundo modo) Omnis homo rationalis eſt. Ergo omnis homo ſentit. Si omnis homo. Ergo vir & mulier, adeoque omnia

indiui

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

indiuidua ſpeciei, de qua prædicatum monſtratum eſt in proximo ſyllogiſmo. Deinde rurſus ab altero genere Animal extrue hoc pacto. Omne animal ſentit. Omne brutũ eſt animal. Ergo omne brutum ſentit. Hic etiam omnia quæ ſub bruto continentur genera (id eſt ſpecies) eorumque indiuidua concluduntur ac demonſtrantur, Atq; tot poſſunt fieri extructiones, quot ſunt genera, ſpecies & indiuidua eorũ quæ vim ſentiendi habent. Hæ omnes demonſtrationes ſunt ſecundariæ, & omnes concluduntur vi & efficacia dignitatis, ſeu axiomatis primi ſyllogiſmi: cuius pręmiſſæ fuerunt immediatæ cauſæ concluſionis. ſed in reliquis inde extructis præmiſſæ fuerunt mediatæ cauſæ concluſionis, vnde primus ſyllogiſmus tantum διότι ἐστὶ, id eſt cur ſit, reliqui omnes ὅτι ἐστὶ, id quod ſit, concludunt. Hic obiter interſeramus, quæ ſit mediata, quæq; immediata propoſitio. *Mediata* quidem propoſitio eſt illa, in qua prædicatum ineſt ſubiecto propter aliquid, cum tale prædicatum per eius genus conuenit. Sicut riſibile Socrati, quod prius cõuenit homini. *Immediata* vero propoſitio eſt illa, in qua prædicatum non propter aliud ineſt ſubiecto. Sicut riſibile conuenit definitioni hominis, vt omne animal mortale, rationale, eſt riſibile. Homo eſt animal mortale, rationale, Eſt ergo riſibilis. Deinde demonſtrationes potiſſimę etiam formãtur à ſingulis generibus, in quibus proprię paſſiones afferuntur, ſeu prædicantur, vt omne animal rationale eſt riſibile (hic propria paſſio prædicatur de definitione hominis) omnis homo eſt animal rationale. Ergo omnis homo eſt riſibilis. Hæc eſt διότι demonſtratio, ex cuius concluſione extrue κατὰ σύνθεσιν, per mediatas cauſas alios ſyllogiſmos, & conclude propriam paſſionem ſpeciei, de ſingulis indiuiduis præpoſitæ ſpeciei. Socrates eſt homo, ergo Socrates eſt riſibilis, &c.

De propoſitione mediata & immediata.

Ethicum exemplum.

Axiomata Ethica primaria ſunt hæc. Quicquid conuenit naturæ expetendum eſt. Bonum expetendum eſt. Per ſe bonum magis expetendum eſt. Summum per ſe bonum ſummopere expetendum eſt. His quatuor axiomatis alia quatuor ex aduerſo reſpondent. Quicquid nocet naturæ, fugiendum eſt Malum fugiendum eſt. Per ſe malum magis fugiendum eſt. Maximum per ſe malum ſummopere fugiendum eſt. Hæc ſunt axiomata in doctrina de moribus, ex quibus omnia ſua præcepta in Ethicis extruxit Ariſtoteles, Nos breuiter, vt oſtendatur vſus huius demonſtrationis, pauca extruamus.

Quicquid conuenit naturæ expetendum eſt. omnia honeſta, vtilia & ſuauia non pugnantia cum honeſtate, conueniunt naturæ. Ergo hæc omnia expetẽda ſunt. Nunc vero quia propoſitiones concluſionũ approbatæ & demonſtratæ, fiunt axiomata in progreſſione Synthetica, ex prima cõcluſione faciamus tria axiomata. Honeſta expetenda ſunt. Vtilia expetenda ſunt. Suauia non pugnantia cum honeſtate expetenda ſunt. Ex primo axiomate ſic extrue. Honeſta omnia expetẽda ſunt. Virtus omnis eſt honeſta. Ergo omnis virtus expetenda eſt. Hæc concluſio fit rurſus axioma hoc modo: Omnis virtus eſt expetenda: Iuſticia, temperantia, fortitudo, prudentia, ſunt virtutes. Ergo Iuſticia, temperantia, fortitudo, prudentia ſunt expetendæ. Ex hac concluſione quatuor axiomata licet facere, ex quibus rurſus omnia, quæ in iis virtute includuntur, demonſtrari poſſunt. Eodem modo ex ſecundo & tertio axiomate (de vtilibus & ſuauibus) demonſtrãdæ ſunt omnes partes vtilis & ſuauis. Sed quia res ex iis quæ dicta ſunt intelligi poteſt, ad Geometrica exempla properemus.

GEOMETRICVM EXemplum.

Omnis triangulus habet tres angulos, duobus rectis pares. Omnis Iſopleuros, Iſoſceles, Scalenos, Orthogonios, Amphligonios, Oxygonios eſt triangulus, Ergo omnis Iſopleuros & cæteri, habent tres angulos duobus rectis pares. Hinc tot licet axiomata conſtituere, quot ſunt ſpecies triãguli ſubſumtæ, Sed ſatis eſt breuiter viam monſtraſſe. Ex his Ethicis, Phyſicis & Geometricis exemplis puto ſatis intelligi, quomodo demonſtratio fiat in progreſſione Syntheſeos. Quare nunc accedamus ad alterã ſpeciẽ directæ demõſtrationis, quã dixi vocari κατὰ ἀνάλυσιν.

DE DEMONSTRATIONE *Directa κατὰ ἀνάλυσιν.*

Directa demonſtratio κατὰ ἀνάλυσιν eſt, quemadmodum ſupra definiuimus, aſcenſus à fine ad principium. Concluſio enim eſt quæ fuerat finis in Syntheſi. Hanc demonſtrationem vnico exemplo declarabo. In Ethicis exemplis quæ propoſuimus, hæc fuit vltima concluſio. Omnis iuſticia, temperantia, fortitudo, prudentia, eſt expetenda. Hæc concluſio maior erit prima in Analyſi, & in tertia figura procedendum eſt hoc pacto. Omnis iuſticia eſt expetenda. omnis iuſticia eſt virtus. Ergo virtus eſt expetenda. Hæc concluſio rurſus retexenda eſt hoc pacto. Omnis virtus eſt expetenda. Omnis virtus eſt honeſta. Ergo honeſta ſunt expetenda. Eodem modo de aliis partibus in vltima concluſione Syntheſeos agendum eſt. Verũ quod proponitur, quia in conceſſas & immotas propoſitiones, hoc eſt axiomata, reſoluitur, & monet Philoponus concluſionem in demõſtratiuo facilius ἀναλύεσθαι quam in Dialectico ſyllogiſmo, idq; propter certitudinem medij in demonſtratione. Deinde & concluſio particularis actu, virtute vniuerſalis eſt, quia materia eſt neceſſaria. Atq; ita Analyſis eſt ex poſterioribus recurſus ad principia & cauſas. quemadmodum ſupra in Analyſi vniuerſali admonui.

Definitio

Exemplũ

DE DEMONSTRATIONE *ducente ad impoſſibile.*

Hvius Demonſtrationis duplex eſt ratio quantum ad formam concludendi attinet. Nam alias ſyllogiſmo Categorico, alias hypothetico concludit. De vtroq; hæc regula, ſeu axioma omnibus 1
ſcientiis accommodatum tenendum eſt. Si quid falſi, aut abſurdi, aut pugnantis cũ principiis ſequitur ad aliud in bona conſequentia, illud quoq; ex quo ſequitur, abſurdum & falſum erit. vt ſi quis diceret, lineã eſſe corpus, hoc ita refutares, Si oſtẽderes corpus habere aliquam proprietatem, vel differentiam, vel accidens inſeparabile, quod non habet linea. Cũ impoſſibile ſit definitionẽ generis non prædicari de ſingulis generis ſpeciebus. Hoc ergo pacto deſtruenda propoſitio aduerſarij, per ſyllogiſmũ in ſecunda figura: Omne corpus habet tres dimenſiones: Linea non habet tres dimẽſiones: Ergo linea nõ eſt corpꝰ. Tametſi autẽ in prima figura poſſunt fieri cõcluſiones negatiuæ, tamẽ demõſtrationes negatiuæ nõ fiunt niſi in ſecũda figura: Cuius hęc ratio eſt. In negatiuis oportet mediũ eſſe cauſam cur prædicatũ cõcluſionis nõ inſit ſubiecto, de quo negabitur medius terminus. Quare fieri non poteſt vt minor propoſitio ſit affirmatiua, id quod fieri neceſſe eſt in prima figura. Relinquitur ergo negatiuas demõſtra

Duplex ratio in forma cõcludendi.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

2 tiones in ſecunda figura ordinandas eſſe. Per hypotheticum ſyllogiſmum dupliciter inſtituitur, nimirum à deſtructo conſequente, & à primo ad vltimum. A deſtructo conſequente hoc pacto: Si linea eſt corpus, linea habet tres dimenſiones. Sed linea non habet tres dimenſiones. Ergo linea non eſt corpus. A primo ad vltimum hoc modo: Si honeſta nō ſunt expetenda, virtus non eſt expetenda. Si virtus non eſt expetenda, iuſtitia non eſt expetenda. Si iuſticia non eſt expetenda, tueri natos, educare & colere ſocietatem non ſunt expetenda. Si hæc non ſunt expetenda, horribilis confuſio & totius naturæ fœda & immanis deſtructio eſt expetenda. Sed hoc eſt falſum, ergo illud etiā primum ex quo hoc ſequitur falſum eſt, videlicet quod honeſta non ſunt expetēda. At ſi hoc falſum eſt, eius repugnans erit verum, nempe quod honeſta ſint expetenda. Atque hac via vtimur potiſſimum, quando aduerſarij principia vocant in quæſtionem.

DE DEMONSTRATIONE
coniecturali, Quam Græci σημειώδη appellant.

Vſus huius methodi.

POtiſſima demonſtratio & propria, reuera ex primis & immediatis & notioribus propoſitionibus probare debet poſteriora & minus manifeſta. Sed quoniam quod naturæ notum eſt, non ſemper nobis eſt notum, fit vt ſæpius de prioribus per poſteriora fidem faciamus, propterea quod poſteriora interdum nobis ſunt notiora. Cum itaque hoc fit, demonſtratio dicitur τεκμηριώδης καὶ ἄλυτος, quæ quidem non eſt adeo demonſtrationis titulo digna atque ea, quæ ex prioribus fidem facit poſteriorum, nimirū cū illa priora naturæ ſunt & nobis ęq. cognita.

Eorum quæ cognoſcuntur triplex diſcrimen.

Hic tempeſtiue videtur adiiciendum diſcrimen eorum quæ cognoſcuntur quæ ſane in triplici ſunt diſcrimine. Alia enim nobis notiora ſunt, alia naturæ, alia nobis & naturæ ex æquo nota ſunt. Eorum quæ nobis notiora ſunt, duplex eſt diſcrimen. Nam quædam αἰσθητά, nimirum quę ſenſibus exterioribus idq; vel aliquibus, vel omnibus percipiuntur, vt hic color, hoc frigidum &c. Quædam συμπαρατηρήσει cognoſcūtur, hoc eſt crebra obſeruatione eorum, quæ ſæpius ſenſibus offeruntur, quorum obſeruatio diutina gignit vniuerſalem propoſitionem collectam vniuerſali experientia, mentiſq; munere cōſeruata, quæ poſtea, quia eſt ἀνένστατος, in ſcientiis fit axioma, vnde poſtea extruuntur innumeræ demonſtrationes. Huius generis pleraque axiomata ſunt in iis ſciētiis, quæ circa ſenſus verſantur. qualis eſt Aſtrologia, Geometria, Arithmetica &c. Hinc eſt quod Ariſtoteles, & poſt hunc Philoponus impoſſibile eſſe dicūt, vniuerſalia ſpeculari niſi per inductionē: quod ſane de eo tantum genere intelligendum eſt, de quo nunc dixi. Ea autem quæ naturæ notiora ſunt, vocantur vniuerſalia. Sed triplex eſt conſideratio vniuerſalis iuxta triplicem naturæ ordinem. Aut enim ſpectatur ordo τῆς συνθέσεως, ſecundum quem res à ſuis principiis extruuntur. Quo ſane ordine magis confuſa & magis vniuerſalia priora ſunt & notiora naturæ, quàm quæ inde extruuntur. ſic punctus in Geometria prior eſt linea: linea, figura. Aut ſpectatur ordo τῆς διαιρέσεως, videlicet cum rerū formæ à principiis ortæ diſcernuntur paulatim, donec ad formas fuerit deuentum. Aut ſpectatur ordo τῆς ἀναλύσεως, nimirum cum finis rei proponitur, & natura quaſi deliberat & ordinat ea quæ ad finem ſpectant. Porrò quæ nobis & naturæ æque ſunt nota, ſunt ea vniuerſalia exiſtimanda, quæ nobis magis ſunt nota, quam eorum particularia: Cuius generis ſunt omnia, quæ vi mentis ſine ſenſuum miniſterio agnoſcimus: quę quia ſenſus latent, Græcis κεκρυμμένα nominantur. quia ſine inductione ſciuntur, προλήψεις. quia in mente quaſi innatæ, κοιναὶ ἔννοιαι vocātur: ex quibus demonſtrationes extruuntur omnium firmiſſimæ & nobiliſſimæ. His ita explicatis reuertamur eò, vnde digreſſi ſumus.

Demonſtratio τεκμηριώδης. quomodo fit.

Demonſtratio itaque τεκμηριώδης, quæ & ἄλυτος dicitur, fit per ea, quę συμπαρατηρήσει nóbis ſunt nota, naturæ reſolutionis quidem ordine priora, compoſitionis vero poſteriora. vt ſi quæratur: an Sphæricæ figuræ ſit luna. Hic nihil ex prioribus demonſtrare poſſumus, ſed ex poſterioribus omnino concludendum erit, nimirum ex illuminationibus lunæ, quæ inſequuntur formam eius & dependent ab ipſa. Vnde probamus lunam eſſe ſphæricam: quod eſt primū & cauſa illuminationum. Quoniam autem videmus ipſam bis ſingulis menſibus falcatam fieri, bis in duo ſectam, bis vtrinque gibboſam, ſemel ſuum plenilunium habere, concludimus ex hoc ſphæricam eſſe. Si enim eſſet diſcus, totus eius diſcus collectim aut illuminaretur, aut non, ſole ipſi occurrēte. Quoniam autem ſphærica eſt, ſolque ipſa eſt altior, accidit ſemper partem ipſius ad ſolem conuerſam illuminari, & hoc paulatim fieri quouſque ad diametrū ipſi oppoſitam, totum hemiſphærium ipſum aſpiciens illuminetur. Eſt igitur illuminatio indicium formæ ipſius. nec quia ſic illuminetur ſphærica eſt, ſed quia ſphærica, illuminationes ratiocinamur ex cauſa effectum, Verum quoniam natura primum, & cauſa, figura ipſa ſphærica, eſt nobis incerta, manifeſtæ autem illuminationes, vtimur poſteriore vt fidē faciamus de priore. Et quoniam inſolubilia ſunt talia ſigna, & coniecturæ, probationes ex ipſis factas demonſtrationes vocamus, per ſecundam vt addit Philoponus, mēſuram demonſtrationis. Atque hæc de demonſtrandi Methodo dicta ſufficiant.

DE DISPVTATIONE.

Diſputationum finis & vſus

TAmetſi vera diſputandi Methodus ex iis præceptis, quæ in Methodo probabili & demonſtratiua præſcripſimus, commode peti poteſt: tamen hoc loco quædam quaſi concertātium ſtratagemata adiicere placet: quibus admoneantur adoleſcentes, quomodò cogitationes ſuas inſtituant, & intra quas metas cohibere eas debéant, ne vt rixoſæ mulierculæ ſine delectu & iudicio verbis contendant. quód cùm fit, neque ipſi quicquam præter garrulitatem inanem reportant, neque de quæſtionibus in certamen productis iudicium ferre poſſunt. quo fit vt ſapere quidem ſibi videantur, ſed rerum dulciſſima veritate amiſſa, errorum tenebris & ignorantia inuoluantur. Nec enim diſputatio garrulitas muliebris èſſe debet, ſed amica quædam & placida confabulatio, Nam Dialecticorum eſt, vt inquit Plato, πρᾳότερον διαλέγεσθαι. cuius finis vltimus eſſe debet veritatis inquiſitio, cui inuētæ, & quaſi è tenebris emerſæ acquieſcere debemus. Quod autem interdū diſputatur de rebus, de quibus nulla eſt diſſenſio, hoc fit ideo, vt adoleſcentes aſſueſiant ad defendendam & non oppugnandam veritatem. Et vt tyrones militares in vmbra ſe primum præparant, vt poſtea cum res agenda eſt ſerio, ſint inſtructiores & magis ad ictus tum inferendos, tum euitandos idonei: Ita ſtudioſi in ſcholis diſputationibus crebris ſe exercere debent, vt poſtea veritatis fortiores patroni eſſe poſſint. Sed omiſſo longiori exordio rem ipſam aggrediamur.

Duo in diſputatione requiruntur.

In diſputatione duo eſſe debent, apparatus & cōflictus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

flictus ſeu cõcertatio. Apparatus conſiſtit in noticia locorum, in habitudine eorundem ad ſe inuicem, & in accõmodatione ipſorum ad propoſitam quæſtionem: quæ tria tametſi in Dialecticis traduntur, tamen de duobus poſtremis hic pauca dicam, ac primum de habitudine locorum ad ſe inuicem: quæ habitudo ex his regulis intelligi poteſt.

De habitudine locorum ad ſe inuicē.

PRIMA REGVLA.

Cuicunque definitio attribuitur, eidem omnia ſuperiora directo ordine poſita genera, eorumque differentiæ genericæ tribuuntur.

SECVNDA REGVLA.

Cuicunque genus attribuitur, eidem omnia ſuperiora directo ordine poſita genera eorumque differentiæ genericæ attribuuntur.

TERTIA REGVLA.

Cuicunque ſpecies attribuitur, eidem genus, differentia, definitio, proprium, inſeparabile accidens attribui poteſt.

QVARTA REGVLA.

Cui proprium attribuitur, eidem ſpecies cum omnibus ſuperioribus, differẽtia & definitio attribuitur.

QVINTA REGVLA.

Cuicunque differentia attribuitur, eidem genus & ſpecies attribui debent.

SEXTA REGVLA.

Cauſa effectum, & effectus cauſam ſequitur.

SEPTIMA REGVLA.

Partes ſequuntur totum, qui enim totum admittit, partes negare non poteſt.

OCTAVA REGVLA.

Modo poſito, ponitur & nomẽ principale, & cõtra.

NONA REGVLA.

Cuicunque tribuuntur accidentia & actus, illud exiſtere neceſſe eſt, vt ſubiectum.

DECIMA REGVLA.

Relatiuorum mutua eſt poſitio & illatio. Hæ decem regulæ continent apparatum, ſeu habitudinem locorum inter ſe, quatenus fere affirmandis quæſtionibus adhiberi poſſunt.

Porro ſi quæſtio neganda eſt, diſpiciendum erit, quid aliquo affirmato vel negato negari poterit, qua de re ſequentes regulæ obſeruandæ ſunt.

PRIMA.

Cui definitio adimitur, eidem ſpecies adimitur neceſſario.

SECVNDA.

Cui differentiæ & proprium adimuntur, de eodem & ſpecies denegabitur.

TERTIA.

Negatis genere, differentia, definitione, proprio & inſeparabili accidente, negabitur & ſpecies.

QVARTA.

Negatis partibus, negabitur & totum.

QVINTA.

Negata cauſa, negantur effecta, & econtra.

SEXTA.

Negatis ſubiectis, denegabuntur adiacẽtia, actus, & accidentia omnia.

SEPTIMA.

Negato nomine principali, denegabitur & modus, & econtra.

OCTAVA.

Sublato relatiuo, negabitur correlatiuum.

NONA.

Cui attribuitur genus certum, de eodem diuerſa genera omnia, eorumque differentiæ & ſpecies negabuntur.

DECIMA.

Cui ſpecies tribuitur certa, reliquæ negabuntur.

VNDECIMA.

Cui tribuitur vnum contrarium, ab eodem reliquum remouetur. Vbi hanc locorum inter ſe habitudinem, de qua plura in Dialecticis præcipiuntur, ſtudioſus intellexerit, facilis erit poſtea accommodatio, quæ omnino inſtituenda eſt quemadmodum præſcriptum eſt in probabili Methodo, & pro diuerſa habitudine loci ad partes quæſtionis propoſitæ, erunt aliæ atque aliæ formæ adhibendæ.

In conflictu ſeu concertatione cauendum eſt ne ictus inferentes, icti propriis telis à bello diſcedamus, nullo prius virtutis facto edito, quod ne fiat arma noſtra debent nobis eſſe cognita, hoc eſt, argumenta debent ſecundum normas Dialecticas deduci in diſputationem, quorum vis & connexio in promtu debent eſſe, ſi ea aduerſarius vel contemſerit, vel improbauerit. Si contemſerit, hoc eſt, ſi connexionem reiecerit, in promtu ex locis & regulis conſequentiarum ratio nexus eſſe debet. Si improbauerit quid, nouo quaſi telo defendendum eſt, donec vel iuſte victus fueris, vel victor ipſe euaſeris. Nec eſt vnica via adoriendi aduerſarium. Vt enim in bellis alias aperto marte, alias ex inſidiis hoſtem aggredimur: ita in diſputatione alias aperto argumẽto aduerſarij propoſitionem impugnabimus, alias ex inſidiis. Hinc duplicem argumentandi ductum fecerunt, Vnum directum, Alterum obliquum. De vtroque in hunc modum ſcribit Rodolphus. Ductus eſt, inquit, duplex cuique rei probandæ, vnus directus, vt cum propoſito aliquo velut recta via colligemus id quod probare volumus. Vt qui probare velit, ſapientem eſſe diuitem, dicat, Sapiens nullius indiget, Ergo ſapiens eſt diues. Alius eſt ductus obliquus, vt cum accepto contradicente eius, quod probare volumus, colligimus ex eo aliquid quod falſum ſit, vnde regreſſi docemus falſum id eſſe ex quo collectum eſt, idque quia contradicens eſt eius, quod intendimus probare, Conſequens eſt iſtud ipſum eſſe verum. Vt ſapiens eſt diues, Si enim non ſit diues ſapiens, cupit aliquid: ſed falſum eſt hoc, falſum igitur ex quo colligitur id, hoc eſt, non eſſe diuitem ſapientem. Verum igitur erit, quod intendimus ſapientem eſſe diuitem.

Argumenta quomodo in diſputationẽ deducẽda.

Simile.

Ductus argumẽtandi duplex, 1. Directus.

2. Obliquus.

Non ſunt autem hæ argumentandi formæ, per omnes enim formas, quas expoſuimus duci poſſunt, ſed viæ quædam colligendæ intentionis. Ex his Rodolphi verbis facile & vnde materia vtriuſque ductus ſit petenda, & quis ſit vtriuſque vſus, oſtenditur.

DE COLLOCATIONE
Dialectica.

QVæ hactenus dicta ſunt, pertinent ad eam diſputationem, in qua certa themata proponũtur defendenda. Verum vbi cum diſputantium neuter, quod probare, vel improbare velit alter, nouit, alia ratio eſt, nouaque collocatio adhibenda. Et quia de hac collocatione multa præcepta apud Dialecticos extant, quæ plurimum faciunt ad ordinem in Platone intelligendum, breuiter pauca præcepta colligam, idque potiſſimum ex octauo libro Topicorum Ariſtotelis, Sine enim horum Ariſtotelicorum præceptorum intellectu, multæ ab imperitis affinguntur Platoni abſurdæ opiniones. Neque enim fieri poteſt, vt Methodus collocationis Platonicæ intelligatur ab iis, qui hanc doctrinam ignorant. Quoniam itaque Dialogi cõſtant interrogatione & reſpõſione differentiũ, oportet vtrunque, hoc eſt, interrogantem & reſpondentem certa &

Ex topicis Ariſtotelicis ordo dialogorum in Platone intelligitur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Interrogantis præcepta

peculiaria tenere præcepta. Interrogantis itaque hęc ſint præcepta. Primum oportet illum in promtu habere neceſſarias propoſitiones, hoc eſt, ex quibus id probari poteſt, quod intenditur, vt ſunt maiores & minores propoſitiones in Syllogiſmis. præter neceſſarias propoſitiones. Quatuor propoſitionum generibus inſtructus eſſe debet diſputator. Aliæ enim Inductionis gratia, vt detur Vniuerſale. Aliæ amplificationis gratia, vt auctior ſit oratio. Aliæ occultationis cauſa, vt occultetur concluſio. Aliæ perſpicuitatis cauſa, vt nulla excuſatio haberi poſsit, adhibebuntur. De neceſſariarũ propoſitionum collocatione hoc ſciendum eſt, quod vel directe collocandæ ſunt, vel per occultationem. Directe, cum ſtatim id quod volumus concludimus. Vt ſi quæratur, an felices ſint Tyranni, hoc pacto interroges: Conſiſtit ne felicitas in virtute? an Tyranni virtutem habent? Si aduerſarius hic primam admittit negata altera, inferenda eſt concluſio. Ergo Tyranni non ſunt felices. Et monet Ariſtoteles hoc loco, vt recto ductu potius quàm obliquo vtamur, niſi cũ ſecus obtineri quod volumus non poteſt. Deinde etiã monet, quod neceſſariæ propoſitiones debeant habere aliquid ſolidum & verè ἔνδοξον & probabile. Monet tertio, vt concluſionem non interrogemus, ſed vt ex conceſſis concluſionem inferamus. Nam concluſio confecta, eſt veluti parta victoria. Hanc enim ſi quis interroget, concedit victoriam partam aduerſario. Quarto loco monet, vt ex interrogatione non Dialectica, faciamus Dialecticam, quam poſſumus affirmare, vel negare. Vt, quis eſt homo, non eſt Dialectica interrogatio. ſed ſic, eſtne homo animal rationale, an non? Cum enim hoc pacto interroges aduerſarium, idem ne an diuerſam ſentiat, facile apparet. Quinto monet, vt de eadem re non ſæpius interrogemus.

De occultatione propoſitionum neceſſariarum.

De directa collocatione propoſitionum neceſſariarum hactenus, nunc de occultatione dicẽdum eſt. Non enim ſtatim proponendæ ſunt neceſſariæ ex quibus concluſio efficitur, ſed occultandæ. Occultãtur autem his fere modis. *Primo*, Si ſurſum aſcendatur, hoc eſt, ſi ſuperiora genera, vel ſuperiores theſes ſumantur, nõ ex quibus ſtatim conficitur, quod intẽditur. Vt ſi quæſtio eſſet, An pietas principi ſit neceſſaria. non interrogemus primum de iuſtitia, ſed de habitu bono. Deinde de virtute, Tertio de iuſticia. *Secundo*, Si concluſiones ſileantur, quibus neceſſariæ propoſitiones confirmantur. Plato oſtenſurus bonum cupere, virtutem non eſſe, propoſitiones has habuit. Alteram, boni cupiditatem eſſe omnium: Alteram, virtutem non ſolùm nõ omnium, ſed pauciſsimorum. Vnde concluſio ſequebatur, Itaque boni cupiditatem & virtutem idem non eſſe. Harum altera propoſitio ſyllogiſmo colligatur: Nonne quiſquis malus eſt, virtutem non habet? Nonne permulti ſunt mali? Hic omittatur concluſio, quæ eſt virtutem permultos non habere, & conſtruatur ſecunda propoſitio neceſſaria prius hoc pacto: nonne quiſquis malum cupit, bonum non cupit? Et quiſquis bonum cupit, is malum non cupit? Malum autem nemo cupit. Hic etiam concluſio tranſiliatur quæ eſt, Bonũ omnes cupere. Et quia iam habemus duorum ſyllogiſmorum conceſſas propoſitiones, habemus etiam eorundem concluſiones, quas cumulate inferre licet vbi opportunum videtur. Breuiter hoc Ariſtotelis præceptum monet, vt conceſsis contenti non auide quod ſequitur occupemus, propterea quod hoc iam ipſo aduerſario inuito haberi poteſt. Huius præcepti exemplis plenus eſt Socrates apud Platonem. *Tertio*, Si ordo propoſitionum permutetur, & commiſceantur propoſitiones diuerſorum ſyllogiſmorum, hoc modo. Nonne is, qui malus eſt virtutem non habet? Nonne quiſquis malum cupit, bonum non cupit? Nonne mali permulti ſunt? Nonne malum nemo cupit? *Quarto*, Si coniugata interrogando commutentur. Vt ſi probandum eſſet, bonum virum eſſe dignum laude, interroges: Ecquid bene agere eſſet laudandum? Sed huius loci enſtaſin, vide in loco coniugatorum apud Philippum. *Quinto*, Si ita interrogemus, vt aduerſarius non intelligat ex forma quæſtionis quid cupiamus nobis concedi. Si enim interroges hoc modo, Nonne multi mali ſunt? intelligit aduerſarius te cupere affirmatiuam partem cõcedi. At ſi ſic, Multi ne an pauci mali ſunt? Ex quæſtionis forma intelligi non poteſt, quid cupias concedi. *Sexto*, Si per ſimilitudinem interrogetur, in qua latet vniuerſale, vt poteſt ne ignis clare & ſine fumo principio ſtatim eff[l]ágrare? Ergo ſine inuidia gloria ſubito eniteſcere non poteſt. *Septimo*, Si ipſe interrogator interdum ſibi ipſi reſiſtat. Suſpecti enim non habentur illi, qui æqui in diſputando videntur. *Octauo*, Si ea proponantur quæ vſitata & trita ſunt, in omniumque ore verſantur. Autoritas enim in omnibus cauſis & ſolet & debet valere plurimum. *Nono*, Si neceſſariæ propoſitiones, veluti non neceſſariæ interrogentur, diſsimuleturque id quod intenditur, qui mos Socrati eſt familiaris. *Decimo*, Si ſimilia per comparationem proponantur. Nonne quemadmodum multi indocti, multi pauperes, ita multi ſunt mali? Quia ſemper pauciora ſunt hominibus bona, mala plurima. *Vndecimo*, Si declinetur in latus & ſurſum & vndecunque. Hac enim ratione facilius obtinetur concluſio, vt ſi volo ſumere poſterius, interrogo id quod eſt prius & ecõtra, vt ſi concedat Papiſta Chriſtum morte ſua ſatisfeciſſe pro peccato generis humani. Confiteatur neceſſe eſt, homines iuſtitia operum gloriari non poſſe. *Duodecimo*, Si ea, in quibus eſt totius contentionis pręſidium poſitum, non in principio ſtatim proponantur. Vt enim firmiſsima præſidia non ſunt ſtatuenda in prima acie, ſed rectius in nouiſsima collocantur: Ita in diſputando diu occultanda ſunt, in quibus plus virium eſt. *Decimotertio & vltimo*, Si producantur & amplificentur, interijcianturque in argumentatione, ea omnia, quæ nihil ad rem pertinere videbantur. Hac enim ratione celatur & obſcuratur res Socratico more.

Hactenus de iis propoſitionibus, quæ occultandæ concluſionis gratia adhiberi ſolent, dictum eſt. Nunc de iis propoſitionibus dicatur breuiſsime, quæ ad amplificandum, ſeu κόσμον orationis pertinẽt. Certum eſt duas eſſe tantum propoſitiones neceſſarias vnius concluſionis, quæ vi & pondere valeant. Cæteras quæcunque præter has accumulantur, multitudine & turba valere. Cum igitur loco vniuerſalis propoſitionis ponimus inductionem, & loco definitionis diuiſionem, certum eſt nos orationem vberiorem & ornatiorem reddere. Eſtque hoc Ariſtotelis præceptum, quod πρὸς ὄγκον & κόσμον orationis hæc duo potiſsimum faciunt, ἐπαγωγὴ καὶ διαίρεσις, perſpicuitatis gratia, ſeu vt Ariſtoteles inquit, εἰς σαφήνειαν adhibebuntur exempla & parabolæ, quæ ad illuſtrandum & explanandum non ſolum à Dialecticis, verumetiam ab Oratoribus & Poëtis ſæpiſſime adhibentur. Poſtremum aſſumentur propoſitiones præter neceſſarias inductionis gratia, nimirum vt vniuerſale inductione exprimatur, ſed inductione potius apud imperitos, ſyllogiſmo vero apud doctos & Dialecticos vtendum eſt.

De propoſitionib. quæ ad ornatum orationis pertinẽt.

Hactenus methodus tradita eſt, qua inſtituatur

De re præcepta methodus.

disputator

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

diſputator contra aduerſarium: nunc pauca de re præcepta dētur. Vt quemadmodum aduerſus aſtum reſpondentis munitus eſt conſiliis diſputator, ita ſit ratione, cum ſe argumenti natura peruicax obiecerit. Eſt autem vnamquamque rem probandi principium duplex, Alterum propoſitæ rei definitio, Alterum axioma, quorum illo clare res in ſua natura & ambitu cernitur, hoc euidenter quare in ea aliquid ſit, intelligitur, reliqui loci his duobus famulantur. Sit quæſtio, An quiſquam mala, vt mala cupiat. Hîc primum quæratur axioma, videlicet nemo vult eſſe infelix. Hoc axioma fit maior, additur minor, Omnis qui cupit mala, vult eſſe infelix. Hinc ſequitur concluſio, neminem mala, vt mala cupere. Hic ſi quiſquam axioma negauerit, nemo cupit eſſe infelix, nihil habemus, quo iuuemus nos, quam definitiones rerum duarum, ſcilicet verbi cupiendi & infelicitatis, quibus oſtenſis niſi poteſt effici, vt recipiatur hæc ſententia, vix poteſt quicquam afferri ad probandum illuſtrius.

Reſpondenti in diſputationibus pręcepta.

POSTQAAM nunc interrogator inſtructus eſt præceptis aduerſus aduerſarium, & rem in diſputationem adductam, Sequitur vt reſpondenti quoque præcepta ex eodē Ariſtotele præſcribamus, ſed id faciemus breuiſsime: Officium itaque reſpondentis in his conſiſtit: Primum diligenter attendat, ex quibus aduerſarius probare nititur concluſionem falſam, caueátque ne cauſas falſæ cōcluſionis, quæ ſunt propoſitiones in ſyllogiſmo concedat, ſed eas ſi omnino falſæ ſint reiiciat, ſi ex parte diſtinguat. Deinde ipſam collectionem totam animo intueatur, quæ, ſi Dialectica non fuerit, reiicienda eſt, & monſtrandum vitium. Tertio contra aduerſarij perſonam ſubinde orationem flectat. Quarto contemnat ea, quæ ab aduerſario tanquam neceſſaria adducta ſunt.

Exercitationis pręcepta cōmunia opponenti & reſpondenti.

Sunt & exercitationis præcepta communia opponenti & reſpondenti præſcripta ab Ariſtotele, quibus inſtructi eſſe debent diſputaturi, quorum præcipua recitabo. *Primum* aſſueſcendum eſt argumentationes conuertere. Sic enim maior nobis ad diſputandum argumentorū ſuppetet copia, & in paucis multas argumentationes tenebimus. Eſt autem conuertere, conuerſa concluſione in contradictoriam vel contrariam, & aſſumpta altera propoſitionum alteram euertere, quod quomodo fiat paucis explicandum eſt. Si igitur ſyllogiſmus conuertendus fuerit primæ figuræ. maior per tertiam euertetur, minor per ſecundam. Vt, ſi quia omne honeſtum laudandum eſt, & omnis virtus honeſta, Ideò omnis virtus laudanda. Siquidem virtus quædam laudāda non ſit, ſiue omnis virtus eſt honeſta, quoddam honeſtum non erit laudandum, ſiue omne honeſtum eſt laudandum. quædam virtus non erit honeſta. Sed & omne honeſtum laudandum eſt, & omnis virtus honeſta. (ſunt enim horū cōtradictoriæ manifeſtè falſæ.) Stat igitur firma concluſio, omnem virtutem laudandam eſſe. Si ſyllogiſmus conuertendus fuerit ſecundæ figuræ, minor euertetur per primam, & maior per tertiam figuram. Vt ſi quia nullum turpe amandum, & omnis voluptas eſt amanda, ideo nulla voluptas turpis eſt. Siquidem quędam voluptas turpis, ſiue omnis voluptas eſt amanda, quoddam turpe erit amandum. Siue nullum turpe amandum, quædam voluptas non erit amanda, Sed turpe nullum amandum eſt, voluptas autem omnis amanda non eſt (vtraque ex collatione contradictoria manifeſta eſt) Ergo rectè conuerſa concluſio eſt, quandam voluptatem turpem eſſe. Si conuertendus ſyllogiſmus fuerit tertiæ figuræ, maior in prima, & minor in ſecunda euertetur. Vt ſi quia Cryſtallus omnis lucidus eſt. Cryſtallus omnis lapis eſt, Ideo quidā lapis lucidus eſt. Nā ſi lapis nullus eſt lucidus, ſiue Cryſtallus omnis lapis eſt, quidā Cryſtallus lucidus non erit. Siue Cryſtallus non lucidus eſt, Cryſtallus quidā lapis nō erit. Sed & omnis Cryſtallus lucidus eſt, & omnis Cryſtallus lapis (vtraque ex contradictorii falſitate conuincitur vera eſſe) Stat igitur firma concluſio, quendam lapidem lucidum eſſe. Itaque in eadem re ſex argumenta licet conficere. Tria cum ſumitur concluſionis contradictorium, & rurſus tria, cum ſumitur concluſionis contrarium. Nec vlla rȩs potentior eſt ad eliciendum verum, quam ſubito & tanquam vno circulo poſitas eadem in re collectiones cernere. Quare non immerito Ariſtoteles τὰ ἀντίστροφα inter exercitij præcepta numerauit. Vt autem rudiores melius perſpiciant conuerſionis huius rationem, iam ſimplicius repetam, propoſitis exemplis trium figurarum: iuxta quę facile erit omnes ſyllogiſmos conuertere. Nam ſimilis eſt in omnibus colligendi ratio.

DE PRIMA FIGVRA.

Quæritur, num omnis impietas ſit fugienda. Concludatur affirmatiua theſis hoc modo:

Omne peccatum eſt fugiendum,
Omnis impietas eſt peccatum, Igitur
Omnis impietas eſt fugienda.

Hic ſi maioris & minoris contradictoria inueniuntur falſa, immota erit concluſio ex neceſſario veris. Per tertiam igitur figuram exploretur maior ſumto contradictorio concluſionis, hoc modo:

Quædam impietas non eſt fugienda,
Omnis impietas eſt peccatum,
Quoddam igitur peccatum eſt fugiendum.

Sed concluſio hæc manifeſte falſa eſt, igitur eius contradictoria erit vera, Omne peccatum eſſe fugiendum. Per ſecundam exploretur minor ſeruata maiori principalis ſyllogiſmi, & aſſumto contradictorio concluſionis hoc modo:

Omne peccatum eſt fugiendum,
Quædam impietas non eſt fugienda,
Igitur, quædam impietas non eſt peccatum.

Concluſio eſt falſa. Igitur eius contradictorium erit verum, videlicet Omnem impietatem eſſe peccatum. Hinc iam immota infertur prima concluſio. Nam ſi & omne peccatum eſt fugiendum & omnis impietas eſt peccatum: erit profectò omnis impietas fugienda.

DE SECVNDA FIGVRA.

Quæritur, num monachatus ſit cultus Dei, concluditur negatiua theſis hoc modo:

Nullus cultus Dei eſt hominis inuentum.
Omnis monachatus eſt hominis inuentum.
Ergo nullus monachatus eſt cultus Dei.

Hic ſi maioris & minoris contradictoria inueniuntur falſa, ſtabit immota concluſio. Exploretur igitur minor per primam figuram, hoc modo:

Nullus cultus Dei eſt hominis inuentum,
Quidam monachatus eſt cultus Dei,
Igitur, quidam monachatus non eſt hominis inuentum.

Sed concluſio eſt falſa. Nam nullo Dei verbo pręcipitur monachatus. Quare eius contradictorium erit verum, videlicet omnem monachatum eſſe hominis inuentum. Exploretur maior per tertiam.

Omnis monachatus eſt hominis inuentum,
Quidam monachatus eſt cultus Dei
Ergo, quidam cultus Dei eſt hominis inuentum.

Sed concluſio eſt falſa. Nam ſcriptum eſt fruſtra

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

me colunt docentes doctrinas mandata hominum. Igitur eius contradictorium verum erit, videlicet nullum cultum Dei eſſe hominis inuentum. Hinc iam immota infertur concluſio prima. Nam ſi & nullus cultus Dei eſt hominis inuentum, & omnis monachatus eſt hominis inuentum, ſequitur omnino nullum monachatum eſſe cultum Dei. Stat igitur firma prima concluſio.

DE TERTIA FIGVRA.

Quæritur, num aliqua voluptas ſit licita, concludatur affirmatiua theſis hoc pacto.

Lætari in Deo eſt licitum,
Lætari in Deo eſt voluptas,
Igitur aliqua voluptas eſt licita.

Hic ſi maioris & minoris contradictoria inueniantur falſa, immota erit concluſio. Exploretur maior per primam figuram hoc modo.

Nulla voluptas eſt licita,
Lætari in Deo eſt voluptas,
Ergo lætari in Deo non eſt licitum.

Sed concluſio hæc manifeſte falſa eſt. Nam eius contradictorium præcipitur verbo Dei. Lætamini in Domino & exultate iuſti. Exploretur minor per ſecundam hoc modo.

Nulla voluptas eſt licita,
Lætari in Deo eſt licitum,
Ergo lætari in Deo non eſt voluptas.

Sed concluſionis contradictorium eſt falſum, nā ſcriptum eſt. Abundantia lætitiarum vultus tuus, iucunditates in dextera tua in perpetuum. Hinc iam immota infertur prima concluſio. Nam ſi & lætari in Deo eſt licitum, & lętari in Deo eſt voluptas: profecto firma ſtat concluſio, quod quædam voluptas ſit licita.

Eodem modo ex contrario concluſionis licet colligere. Vbicunque autem neceſſariarum principalis ſyllogiſmi προτάσεων veritas ita non oſtenditur, infirma redditur concluſio. Nam ex veris præmiſsis ſequitur vera concluſio.

Cæterum huic cōuerſioni affinis eſt ſyllogiſmus, quem Ariſtoteles vocat, τὴν διʼ ἀδυνάτου δεῖξιν, cum videlicet ex contradictorio enuntiationis verę cum altera προτάσεων manifeſte vera, concluſio colligitur aperte falſa, ex cuius falſitate interimitur propoſitionis veræ aſſumtum contradictorium, atque deinde ponitur & infertur veritas propoſitionis prius negatæ. Verbi gratia pono hanc aſſertionem. Linea non eſt corpus. Sed hanc inficiatur aduerſarius. contra quem ago ſumto contradictorio propoſitionis veræ, cui adiungo in præmiſsis propoſitionem manifeſte veram, ex quo infero concluſionem manifeſte falſam, hoc modo.

Omne corpus habet tres dimenſiones,
Linea eſt corpus, Igitur
Linea habet tres dimenſiones.

Sed concluſio eſt falſa. Igitur aliqua pręmiſſarum Non autem maior cuius veritas eſt manifeſta, igitur minor. Si minor falſa eſt, erit eius contradictorium verum. Nam ea eſt lex contradictoriarum, quod vna vera, altera ſit falſa, & econtra.

Aliud exemplum. Affirmo quandam voluptatem eſſe laudabilem. Sed hanc negat aduerſarius. contra quem in hunc modum κατὰ τὴν τοῦ ἀδυνάτου δεῖξιν ago:

Nulla voluptas eſt laudabilis,
Gaudere in Domino eſt voluptas,
Igitur Gaudere in Domino non eſt laudabile.

Sed cōcluſio eſt falſa, igitur aliqua præmiſſarum. Non autem minor, ergo maior. Verum quia impoſſibile eſt duas contradictorias ſimul eſſe falſas, & hæc eſt falſa, Nulla voluptas eſt laudabilis: neceſſe eſt hanc veram eſſe, Quædam voluptas eſt laudabilis. In hac argumentandi via eſt quadruplex ratiocinatio, prima eſt ſyllogiſtica, reliquæ tres enthymematicæ, In his colligendi formis valde vtile eſt exerceri adoleſcentes propoſitis variis materiis. Nam non ſolum inde promtitudo argumentandi conciliatur, verum etiam facultas quædam paratur, dextre de rebus propoſitis iudicandi.

Secundum præceptum eſt ad omnem theſin, hoc eſt ad vtramque contradictionis partem argumenta ſpectare, vnde fiet & ſimul in quærendo & reſpondendo exercitatiſsimus. Sunt autem problematis cuiuſque duę theſes vna affirmatiua, altera negatiua. Argumenta autem quæ ſic per collationem ad vtrámque quæſtionis partem confirmandam adhibentur, παράλληλα dicuntur, vt quæ inuicem comparata theſibus, problematis accommodantur. Sit problema, Deus iraſcatur nec ne, Sit argumentum primum non iraſci, quia ſi tam potens iraſcitur, perire mundum oporteat, poſtq iam potentes qui ſunt homines, cum incanduerint, late populantur omnia. Et huius παράλληλον, Iraſci Deum, quia vrbes incendio totas hauſerit ſubito, & mundum totum diluuio obruerit. Item non iraſci, quia commoueri nō poſſit. Et παράλληλον huius, commoueri poſſe, quia & pœnitere & incendi & inflammari, & ira furere ſcriptura docet. Item, non iraſci, quia rem tam fœdam, ne ſapientes quidem in ſe admittant. Et παράλληλον ex eodem genere, iraſci, quia optimus quiſque indigna maxime re, maxime commoueatur. Item non iraſci: quia credere non poſſit, lædi ſe poſſe ab vllo. Et παράλληλον huius, iraſci, quia maieſtatē ſuam ſummam apud homines à pleriſque violari & minui videat. Hæc exercitatio talis eſt, vt ſiue cogere velis alium diſputando, ſiue ipſe vim effugere, plurimum habeat momenti.

Tertium præceptum eſt, vt ad ea quæ ſæpiſsime incidunt problemata, argumentorum copia inſtructi ſimus.

Quartum, ad omnem diſputationem tria afferamus, principia, hypotheſes, & normam communem argumenti ſtruendi. Principium eſt lux mentis & oculus. Hypotheſis eſt fundamentum rei & ipſa res, Communis norma argumentandi eſt ſyllogiſmus.

Quintum, vt rerum primarum, quas maxime in vita iactari & diſceptari videmus definitiones teneamus. Vbi enim definitio morbi tenetur, iactum eſt fundamētum ad omnem diſputationem medicam, & ſic de aliis.

Sextum, tenere oportet locos communes, per quos diſſerere licet ad multa problematum genera, ſæpe enim accidit vt ex vno loco communi, multas hypotheſes colligere liceat.

Septimum, Locus communis potius quam ſyllogiſmus memoriæ mandandus eſt.

Octauum, Deducere vnam propoſitionem in plures, quod quomodo fiat Rodolphus in ſecundo de inuentione optime docuit.

Nonum, Ad vniuerſi generis quæſtionem, reuocare quæſtionem poſitam. Nam ita ex vna multas facere licebit. Ornatiſsimæ enim inquit Cicero orationes hæ ſunt, quæ latiſsime vagantur: & à priuata & ſingulari controuerſia, ad vniuerſi generis vim explicandam ſe confert, vt hi qui audiunt, natura & genere, & vniuerſa re cognita, de ſingulis ſtatuere poſsint.

Decimum, Res in diſputationem propoſitas ad ſua κριτήρια reuocare oportet. Sunt autem κριτήρια Κριτήρια quid.

pro

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

pro rerum natura varia, & quatuor à Platone & Plutarcho numerantur. Nam earum rerum, quæ acie mentis ſola cernuntur & intelliguntur, κριτήριον eſt ἡ νόησις, quæ eſt earum rerum perceptio, quæ mente ſola percipiuntur, hoc eſt communium ſententiarũ, ſeu communium principiorum πρόληψις, quam non docemur, ſed cognitam circumferimus & accõmodamus problematis, quando in hanc vel illam partẽ feretur ſententia, adhibita demonſtrationis regula. Nam cum hæc νόησις ſit lumen rationis vt Plato inquit, eadem perſpicimus rerum ordinem & conſequentiam, quæ quia plus acuminis requirit, accedit Dialectica, quæ huius ordinis & conſequentiæ facultatem iuuat. Huic κριτηρίῳ totam moralem Philoſophiam atque ipſam Dialecticam ſubiicio. Deinde earum rerum, quæ ſub ſenſus cadunt & ſenſibus percipiuntur, κριτήριον eſt πίστις, ſeu δόξα, quo vniuerſa quæ αἰσθητὰ, hoc eſt ſub ſenſus cadentia appellantur, reuocanda ſunt. Hoc κριτήριον κατὰ συμπαρατήρησιν vniuerſalem experientiam parit, vnde vniuerſale pronuntiatum ſtatuitur, ex quo poſtea de particularibus iudicandum eſt. Huic Phyſicam ſubiicio & cognatas artes. Hoc enim pronunciatum: Quicquid pulmonem habet ſpirat, non eſt notum per ſe, ſed per inductionem, Vnde vniuerſale collectum eſt. Atque ita de aliis in Phyſica & Medicina. Porrò inter hæc duo κριτήρια, νόησιν & πίστιν, Plato terti_m collocat, nimirum διάνοιαν, quod circa res Mathematicas verſatur, quæ partim mente, partim ſenſu percipiuntur. Nam vt Mathematica ſine ſenſibus intelligi non poſſunt, ita ſine intelligentia demonſtrari nequeunt. vnde διάνοια talis æſtimatrix rerum eſt, quæ ex particulari ſiue vno ſiue pluribus, fert ſentẽtiam de communi pronunciato, ex quo rurſus de omnibus particularibus eiuſdem generis fit iudiciũ. Vt cum Mathematicus pingens circulum, oſtendit in eo omnes lineas à centro ductas ad circumferentiam, eſſe æquales: mox arripit diſcens commune pronunciatum, ex quo deinde fert ſententiam, adhibita demonſtrationis regula, de aliis particularibus circulis. Atque hæc cauſa eſt cur putantur demonſtrationes Mathematicæ euidentiores eſſe, quam Ethicæ, aut Phyſicæ: Quartum κριτήριον eſt εἰκασία, hoc eſt ſimilatio ſeu effictio. Verſatur enim circa rerum fabricandarum imagines, ad quas reſpicit artifex dum opus extruit. Hæc κριτήρια memoriæ cõmendanda ſunt, & ſingulæ res ſuis κριτηρίοις ſubiiciẽdæ & per illa diiudicandæ ſunt.

Quatuor numero. — ἡ νόησις. — 2. πίστις ſeu δόξα. — 3. Διάνοια. — 4. Εἰκασία.

Plutarchus in Platonicis quæſtionibus hæc κριτήρια recitat, quæ dicit nobis eſſe à Deo data νοῦν μὲν τῶν νοητῶν, διάνοιαν δὲ τῶν μαθηματικῶν, πίστιν δὲ τῶν αἰσθητῶν, εἰκασίαν τῶν εἰκόνων καὶ τῶν περὶ τὰ εἴδωλα.

DE EXEGETICA *Methodo.*

Exegeticę methodi 4. mẽbra.

CVm de exegetica Methodo dicturus ſum video me operæprecium facturum, ſi hanc partem in quatuor membra diſtinxero, vt primum contineat formas interpretandi authores. Alterum, ea quæ fuſius ab eloquentibus hominibus ſunt expoſita, ad Dialecticam breuitatem, & formas argumẽtationum Dialecticas certam rationem ac viam reducendi præſcribat. Tertium, Methodum examinandi ea, quæ tradita ſunt præſcribat. Quartum, Methodum ediſcendi quæcunque memoria digna videbuntur, commonſtret.

DE PRIMO MEMBRO.

1. Ratio & forma interpretãdi authores.

Ratio interpretandi authores non ſimplex eſt Sed vt plures ſunt interpretationum fines, ita & plures formæ ſunt. AVT enim verba ſpectantur & phraſes, & eſt interpretatio Grammatica, quæ conſiſtit in verborum & phraſium explicatione. AVT ſumma cura rerum eſt, & interpretatio eſt Dialectica. Dialectica enim ars arbitra & æſtimatrix rerum eſt. AVT accidentia verborum & rerum ſpectantur, & eſt Rhetoricum interpretandi genus. AVT hæc omnia ſimul ſpectantur, & interpretationis genus triuiale dicitur. Hæc genera ita adhibenda ſunt, vt prudens interpres viderit commodum fore ſuis auditoribus, & profeſſio efflagitare videtur. Magnæ illæ profeſſiones, Theologia, Mathematica, Iuriſprudentia, Phyſica, Ethica, rerum potiſſimum curam habere debent, quas commode tractari doctiſſimi quique hac via iudicant. Si generalis vniuerſa declaratio, ſummaq; rei tractandæ compræhenſio præcedat. Si hanc generalem compræhenſionem, ſeu ſummam, ſequatur ſpecialis diſtributio partium. Si hanc comitetur membrorum explicatio, ſimpliciũ quidem per Methodum didaſcalicam. Compoſitorum vero per Methodum probabilem & demonſtratiuam, Si confutentur illorum, qui contra ſentiunt opiniones, Si denique ordo contextus, optimus docendi magiſter, adhibeatur.

DE SECVNDO MEMBRO.

2. Methodus præſcribens certam viã reducendi ad dialecticã breuitatẽ & formas argumentationum dialecticas ea quæ fuſi' ab eloquẽtib. hominib. ſunt expoſita.

Hic omnium primum tenenda ſunt orationum diſcrimina. Nam Dialectica alij orationis generi, aliud inſtrumenti genus adhibet. Eſt itaque omnis oratio vel expoſitio tantum, vel argumentatio, vel mixta expoſitione & argumentatione. Expoſitio eſt oratio, quæ ſolum dicentis mentem explicat, nullo quo fides fiat adhibito. Argumentatio eſt oratio, per quam is qui dicit fidem conatur efficere. Mixta eſt, in qua partim exponuntur ſeu narrantur res, partim probantur. Si itaque oratio fuerit expoſitio tantum, Dialecticus quantumuis oratio longa fuerit vniuerſam reuocabit ad ſex quaſi elementa detractis ornamẽtis, vt nuda appareat rei expoſitio. Sunt autem elementa hæc, Perſona vna pluresue, locus vbi geſtum, & tempus quo geſtum negocium ſit, modus quidam geſti negocij. His ſextum accedit cauſa geſtorum. Quoniam autem hæc præcipua ſunt capita, quæ expoſitionem perficiãt, Dialecticus abſolutam eam iudicabit, quæ conſtat ex his omnibus, itemq; ex iis quæ ad illa referuntur. Contra deficientem, quæ alicuius illorum indiget. Prudentiæ eſt narrantis, videre vbi omnia hæc membra adhiberi neceſſe eſt, & vbi non ſunt adhibenda. Hæc elementa verſiculo hoc memoriæ gratia complecti ſoleo. Res, Perſona, Locus, Tempus, Modus, Aetia narrant. Atque hæc de examine expoſitionis ſint dicta. Porrò in argumentatione maiores ingenij vires requiruntur, maior vſus, maiorq; cura. Primum enim quæſtio principalis inuenienda eſt, ſi latet. Secundo, argumenta ſunt inquirenda. Tertio, reddenda ſunt argumenta inuenta ſuis locis & accommodanda quæſtioni. Poſtremum iudicãdum eſt de inuentis idque tum ex arte vnde ſumta eſt quæſtio, tũ ex Dialecticis normis, quæ regant animum ne fallatur iudicium. Quomodo autem inuenienda ſit quæſtio, docet Rodolphus in ſecundo libro de Inuentione. In oratione enim habente aduerſarium, ex contradictione altercantiũ naſcitur quæſtio. Vbi aduerſarius ex aduerſo non reſpondet, vt in continente oratione hæc tria coniuncta: negocium, perſonæ, conatus, monſtrant quæſtionem. De qua re

Rodolphus præ aliis conſulendus eſt. Poſtquam autem inuenta eſt quæſtio, argumenta quærenda & inueniẽda ſunt:qua in re præcipua Dialectici virtus ſe prodit. De hac itaq; re nunc præcepta ſubiicienda ſunt,vt inquirentis laborem nõnihil minuamus. dulcior enim fit optimorum authorum lectio, quãdo vis nexuſque rerum penitus peruidetur. In primis itaque hoc ſciendum eſt, quod magni authores in ſplendidioribus ſcriptis, tametſi Dialecticam vt normam rerum intuentur: tamen ordinem illum vt liberiores negligunt ſæpe,interdum à propoſito nõ ordiuntur,neq; concludunt, Aſſumtiones ſæpe ad rationem probationemq; traducunt,vt difficillimũ ſit nonnunquã eorum argumentationes ad eum ordinem,qui naturalis & Dialecticus eſt,reuocare.

Vt id cõmodè fieri poſſit, Dialectico decem regulas proponit.

Verum ſi Dialecticus ſuo munere rite perfungi velit,omnia illa retexet, & quæ quaſi in campo ampliſſimo expatiantur, & diſperguntur, in carceres Dialecticos includet,examinabit,approbabit: quod quomodo fiet breuiter explicandum eſt. Sit ergo hæc *prima* regula. Cum inuenerimus quæſtionem, quicquid id eſt ꝙ pro ratione poſitũ eſt, ſi vna propoſitio fuerit, adhibendum eſt quæſtioni, Enthymemáque conſtituendum: cuius antecedens erit ratio poſita, conſequens vero quæſtionis propoſitio. *Secruda*. Si plures erunt propoſitiones, tum adhibendæ erunt altera alteri, videndumque an altera probetur per alteram. *Tertia*. Si altera probatur per alteram, quantum ad concludendam quæſtionis propoſitionem attinet, vna eſt argumentatio, ordine tamen probandi plures. *Quarta*. Si nõ probatur altera propoſitio per alteram, ſed vna quæq; probat per ſe quæſtionem, plures erunt argumentationes. *Quinta*. Quod ſi nec altera alteram probat,vel erunt plures vnius argumentationis propoſitiones (ſcilicet maior & minor) vel plurium propoſitionum probationes. Haud enim raro vſu venit,probationes propoſitionum poni loco propoſitionum. Sunt autẽ propoſitiones,quibus quæſtio in hanc vel illam partem confirmatur. *Sexta*. Si fuerint vnius argumentationis probationes, in qua maior vis eſt, primo loco collocanda eſt, in qua minus virium, ſecundo, & concluſio erit ſyllogiſtica. *Septima*. Si plurium propoſitionum fuerint probationes, ſingulæ probationes ſuis ſunt propoſitionibus accommodandę, Atq; ita in Enthymematis vel ſyllogiſmi formam reuocandæ. *Octaua*. Sæpe etiam hoc vſu venit, quæſtionem & probationem vnius quaſi propoſitionis formam obtinere: Sed Dialecticus hæc iudicabit, & diuellet probationem à quæſtione. *Nona*. Fit ſæpe quod argumenta quaſi puncto notentur, quæ Dialecticus complebit, & vocabit in iudicium. *Decima*. Vna ſæpe propoſitio multa media cõtinet,quibus quæſtio aliqua eſt probanda,verum illa retexet Dialecticus.

De formis oratoriarum argumentationum retexẽdis

Vbi autem adoleſcentes artis diſſerendi ſtudioſi hæc præcepta perceperint. debent etiam cognitas formas argumentationum habere, quibus oratores vtuntur. Vnde non tantum iudicium formare in iudicandis aliorum ſcriptis diſcunt, verumetiã quãdam viam ornatius argumentandi,ac argumẽta illuſtrandi conſequuntur. Quare breuiter potiſſimas oratoriarum argumentationũ formas ſubiiciã, quas poſtea ad regulas præſcriptas examinare non erit difficile. Oratoriarum itaq; argumentationum aliæ perfectæ ſunt,aliæ imperfectæ. vtrumq; genus in expreſſum & implicitũ diuiditur. Perfecta & expreſſa argumentatio oratoribus ἐπιχείρημα dicitur:& eſt ſyllogiſmus Categoricus conſtans quinque partibus,

Epichereme ſeu Syllogiſmus oratori' quot partib. cõſtat.

propoſitione maiore,ratione maioris vna pluribuſue,propoſitione minore, eiuſdem ratione vna vel pluribus,& concluſione: quæ ſæpius omittitur,quia eſt propoſitio probanda. Sit quæſtio, an virtus cuiquam hominum inſita ſit natura? Ad hanc quæſtionem euertendam hoc vſus eſt Epichiremate Ariſtoteles.1. Quæ nobis à natura tributa ſunt,eorum primum facultates accepimus, poſtea vero officiis muneribuſq; fungimur.2. idq; in ſenſibus cernitur. Neq; enim ex eo quod aut aſpeximus, aut audiuimus,ſenſus accepimus. At cum iam eorũ eſſemus cõpotes eis vſi ſumus,nõ cũ vſi eſſemus, percepimus. 3. At vero virtutes accepimus poſtquam prius aliquid à nobis actum eſt.4. quod in cæteris quoq; videre eſt artibus. Quæ enim facienda ſunt cum didicimus ea,tum cũ agimus diſcimus maxime. Veluti homines tum architecti exiſtunt maxime, cum ædificãt.5. Moralis igitur virtus nõ naturaliter nobis ingenita eſt, ſed exercitiis cõparatur. Hic primo loco ponitur maior,Secũdo ratio maioris. Tertio minor Quarto minoris ratio,Quinto concluſio. Hic Dialecticus primũ inquiret propoſitiones neceſſarias maiorem & minorẽ. deinde ex illis & earum probationibus noua argumẽta conſtituet: quod quia in propoſito argumento eſt facile,omittam.

Exemplũ

Perfecta argumentatio implicita cõſtat quinque partibus.

Perfecta argumentatio ſed implicita, ſimiliter quinq; conſtat partibus. Verũ quia medium hic occultatur,implicita dicitur. Alia enim verborũ forma repetitur medium in minori,vt oratio recipiat varietatẽ. Quod in certũ finẽ fertur,aliqua prouidentia gubernatur. Nihil enim quod caſu aut temeritate fertur, aliquã deſtinatam metam ſpectat. At vniuerſus hic mundus in certum ſcopum dirigitur,quem aſſequi laborat perpetuo. Quemadmodum viciſſitudo temporũ ortus & occaſus ſiderum,ordinatę illæ orbium circumuolutiones ac pœnæ ingentium ſcelerum teſtãtur. Relinquitur ergo hunc vniuerſum orbem quodam ſupremæ mentis conſilio gubernari ac regi. Hæc eſt forma ſuperiori ſimilis, niſi quod hic & medius & maior terminus varietate ſermonis teguntur. Dialectici ergo eſt muneris, detracta varietate rem nude proponere, & in iudicium vocare. Imperfecta argumentatio, ſeu ἐπιχείρημα imperfectũ eſt, in quo aliqua harum quinq; partium deſideratur. nunc enim maior,interdum eius probatio,nonnunquam minor,vel eius probatio abeſt. Quo autem plures deſiderantur partes, eo eſt imperfectius ἐπιχείρημα.

Sex modis concluſio variatur.

Hic quoq; admonendum duxi, ſex modis concluſionem variari. Nunc enim ſimpliciter concluditur,nunc per ἰσοδυναμίαν. Nunc κατ' ὑπόθεσιν, nunc per contrarium, nunc per id quod concluſionem neceſſario ſequitur. Interdum per ſchema aliquod Rhetoricum. Simpliciter concluditur, cum Dialectico more concluditur: vt, quod nihil agit expers virtutis eſt. Deus Epicureorum nihil agit. Ergo Deus Epicureorum expers virtutis eſt. Hæc concluſio ſimpliciter illata,per ἰσοδυναμίαν hoc modo variatur. Ergo numen Epicureorum nullis honeſtatis actionib⁹ claret. Per hypotheſin ſic. Quicquid in certum finẽ fertur,prouidentia gubernatur. Mundus in certum finem fertur. Ergo ſi mundus fertur in certum finem, prouidentia aliqua gubernari eũ neceſſe eſt. Sed hac concludendi formula potiſſimũ vtuntur autores in longioribus & fuſius tractatis argumentis. Per contrarium concluditur, quando cũ inficiatione contrarium concluſionis ponitur. Vt quicquid in certum finem fertur, conſilio gubernatur. Mundus in certum finem fertur. Ergo mundus nõ fortuita temeritate,vt Epicurus ſomniat,nec Stoica quadam neceſſitate voluitur. Per id quod cõcluſionẽ neceſſario cõſequitur,hoc modo. Quicquid in certum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

in certum finem fertur,conſilio gubernatur.At mun
dus in certum finem fertur.Ergo mundo pręeſt nu-
men quoddam mente & intellectu præditum. Per
ſchema Rhetoricum ſic: Quod fertur in certum fi-
nem,conſilio gubernatur.Mundus in certum finem
fertur, Ergo tu inſane Epicure pugnas cũ natura &
negas hanc pulchritudinem conſilio aliquo guber-
nari?Ita per ſingula ſchemata fere concluſionem va-
riare licet,idque nõ tantum in ſyllogiſmo, ſed etiam
in aliis argumentandi formis.Nec parum iuuerit ad
inuenienda & tractanda argumenta, in his ſex con-
cludendi formis ſe exercere. Vtuntur & Rhetores
idque ſæpiſsime præpoſtero ſyllogiſmo ſeu Epichi-
remate,quale eſt illud Socraticum. firmiter ſenſum
eſſe aliquem poſt hanc vitam mortuis ſtatuo, Sic ſa-
pientiſsimi quique ſibi perſuaſerunt, quorum ſen-
tentiæ verę ſunt & probãdæ. Primo loco hic ponitur
concluſio.Secundo minor.Tertio maior.In oratio-
ne Demoſthenis ſecunda Olynthiaca,tale huius for
mæ exemplum habes. Si quis exiſtimet Philippum
violentia illa,qua loca,portus & huiuſmodi inuadit,
imperium obtẽturum eſſe,haud leuiter errat. Quan
do enim beneuolẽtia res conſtituuntur, ac laborum
ſociis non deſunt ſua præmia, homines in officio re
tinentur.Verum cum malitioſe & auare & violenter
aliquis rem gerit, leue erratum omnia labefactat &
diſſoluit.Non eſt enim ô viri Athenienſes, quod e-
xiſtimetis quenquam, qui periurio, iniuria,& men-
dacio res gerit, firmũ ſtabiléque habiturũ regnum.
Quemadmodum enim in nauigiis aliíſque ædificiis
accidit,quod ſi firma ſint futura, firmamentum fir-
mum habeant,Quod ſi non habuerint, cito ruitura
ſunt. Sic etiam actionum principia & cauſas veras
& firmas eſſe oportet,id quod nequaquam in rebus
quæ à Philippo geruntur,perſpicitur.Hic primo lo
co concluſio ponitur. Secundo antitheſis maioris.
Tertio maior.Quarto maior repetitur per attẽtio-
nem.Quinto cõfirmatio maioris. Sexto loco minor
ponitur. Eſt & hoc dignum obſeruatione,ſyllogiſ-
mos plures apud Oratores ſibi mutuo implicari &
intertexi: quod fit vbi duo vel plures ſyllogiſmi ſi-
mul adhibentur ad idem probandum.In tertio para
doxo Ciceronis,pulchrum huius rei exemplum ex-
tat,quod adſcribam, & partes numeris diſtinguam.
1. Nemo poteſt non beatiſsimus eſſe, qui eſt totus
aptus ex ſeſe, quique in ſe vno ſua ponit omnia.
2. Cui autem ſpes omnis & ratio, & cogitatio pen-
det ex fortuna, huic nihil poteſt eſſe certi, nihilque
quod exploratum habeat permanſurũ ſibi ne vnum
quidem diem.eum tu hominem terreto, ſi quẽ eris
nactus iſtiuſmodi mortis aut exilij minis. 3. Mihi
vero quia quicquid acciderit in tam ingrata ciuitate,
ne recuſanti quidem euenerit, non modo non repu
gnanti. 4. Quid enim ego laboraui, aut quid egi,
aut in quo euigilauerunt curæ & cogitationes meę?
Siquidem nihil peperi tale,nihil conſecutus ſum,vt
in eo ſtatu eſſem, quem neque fortunæ temeritas,
neque inimicorum labefactaret iniuria.Mortem ne
mihi minitaris,vt omnino ab hominibus: an exiliũ
vt ab improbis demigrandum ſit?Mors terribilis eſt
his,quorum cum vita omnia extinguuntur,non his
quorum laus emori non poteſt.Exilium autem ter-
ribile iis, quibus quaſi circumſcriptus eſt habitandi
locus,non his qui omnem orbem terrarum vnã vr-
bem eſſe ducunt. 5. Hæ miſeriæ, hæ ærumnæ pre-
munt omnes,qui te beatum,qui te florentem putas.
tuæ libidines te torquent, tu dies noctéſque crucia-
ris,cui nec ſatis eſt, quod eſt, & id ipſum quod ha-
bes,ne non diuturnum ſit futurum times,te cõſcien
tiæ ſtimulant maleficiorum tuorum, te metus exa-
minat iudiciorum atque legum,quocunque aſpexi-
ſti vt furiæ,ſic tuæ tibi occurrunt iniuriæ,quę te re-
ſpirare non ſinunt. 6. Quamobrem vt improbo,
ſtulto & inerti nemini bene eſſe poteſt, Sic bonus
vir & ſapiens,& fortis,miſer eſſe nõ poteſt.Hæc Ci
cero.Facilis autẽ erit reſolutio cognitis propoſitio-
nibus probandis, quæ ſunt hæ duæ: Prior, ſapiens &
bonus eſt beatus, &,improbus eſt miſer.Primo loco
ponitur maior primæ.Secundo maior ſecundæ.Ter
tio loco minor primę.Quarto eiuſdem probatio am
plificata per diſtributionem. Hoc loco meminiſſe
oportet, quemadmodum & Agricola monet, ſæpe
Oratores pro Vniuerſalibus propoſitionibus pone-
re ſingulares,vt ſic magis vulgi aures,& animos ora
tio feriat.Dialecticus hic dixiſſet, Sapiens & probus
totus aptus ex ſeſe eſt, & in ſe vno ſua ponit omnia,
Sed Cicero ſingularem,quæ ex hac videbatur ſequi,
ponere maluit. Quinto loco pro minore ſecundæ,
quæ eſſet hæc: Stultus & improbus omnia in rebus
fortunæ ponit,ponitur eiuſdem probatio per diſtri-
butionem.Vbi etiam ſingulares propoſitiones, pro
vniuerſalibus ponuntur. Sexto. Concluſio ſecundi
Syllogiſmi primo loco: Primi vero ſecundo collo-
catur,& ambæ per collationem inferuntur.Hoc ge-
nus Epichirematum, quemadmodum & aliæ argu-
mentorum formæ, ſæpe per ſubiectionem variatur
& exornatur. Eſt & forma argumentandi Oratoria,
quæ collectio vocatur.hæc rationibus & expolitio-
nibus conſtat,quæ in quinque partes diſtributa eſt,
propoſitionem, rationem vnam pluréſue, rationis
cõfirmationem, vnam vel plures: expolitionẽ vnam
pluréſve.Propoſitio hoc loco eſt quęſtio probanda.
Cum enim primo loco ponitur,propoſitio dicitur,
cum concluditur,concluſio.Ratio,vel minor ſyllo-
giſmi erit,vel maior.Confirmatio erit præmiſſæ ma
ioris vel minoris probatio. Expolitio ſchemate or-
nat & locupletat rationem,& interdum alicuius prę
miſſæ vim habet: ſit tale exemplum. Fugiendum eſt
ocium. 1. Eſt enim turpis vacatio à rebus gerẽdis.
2. Mors & viui hominis ſepultura, immo omnium
malorum ſentina peſsima, homines ab officio auo-
cans. 3. Eſt totius Reipub. pernicioſiſsima peſtis.
Vbi enim ocio indulgent magiſtratus,nõ poteſt niſi
peſsime adminiſtrari Reſpub.negliguntur leges,ceſ
ſat cura ærarij publici,non fiunt iudicia, non corri-
guntur malefacta, contemnuntur ſtudia, corruunt
vrbes,Breuiter vniuerſa Reſpublica funditus euerti
tur. 4. vbi in ocio viuit vulgus,ibi plane ex libidi-
ne viuitur,vitia perpetrantur,cædes,rapinæ,latroci-
nia,donec ex ocio tota Reſpub.euerſa iacet,nemine
opem ſupplici ferente. 5. Contra vero optime ea
conſtituta eſt Reſpub.vbi ſuo quiſque officio fungi
tur: Magiſtratus curat obſeruari leges, populus ob-
temperat, vigent honeſta ſtudia & moribus viuitur
optimis. 6. Quemadmodum enim ager ſi ocioſus
iacet,non ſolũ nullam producit frugem vtilem,ſed
præter tribulos & vrendã filicem producit nihil.Sic
fieri non poſsit quin humanus animus vel præſtan-
tiſsimus ex ocio fiat peſsimus. 7. Scipio Aphrica-
nus vir prudentiſsimus,ne vnquam indulgeret ocio
tantillum, maluit lapillos in ripis colligere, quá ni-
hil agere.Apud Athenienſes erat capitale ocium,co
gebantúrque ciues ocij ſui publicam reddere ratio-
nẽ. Apud Ouidium legis Ægiſtum factũ adulterum
ex ocio. 8. Marci proinde Varronis ſententia vide
tur mihi in primis laudanda, quæ docet nihil agẽdo
homines diſcere male agere. In hac collectione.
1. ponitur propoſitio. 2. Ratio. 3. Confirmatio.
4. Exornatio, ſeu noua quædam argumentatio. 5.
Alia exornatio,& argumentũ à contrariis. 6. Exor-

Præpoſterus ſyllogiſmus.

Exempla in Socratis orationibus.

Syllogiſmi plures implicati.

Exẽplum in Cicerone.

Collectio argumentandi forma, 5. partibus conſtans.

Exẽplum.

Otij deteſtatio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

natio à ſimili. 7. Exornatio per hiſtorias & exempla. 8. Autoritates & χρῖαι.

Enumeratio rhetorica ſeu inductio.

Eſt & obſeruanda enumeratio Rhetorica duplex quam Dialectici inductionem vocant. Prima eius forma eſt, cum ſummā rei proponimus hoc modo. Tres ſunt res, quæ homines in vniuerſum ad maleficia ſolent impellere, Auaritia, Ambitus, & Luxuria. Hic Roſcius minime fuit auarus, nulla ambitus indicia in eo relucebant, nec vnquam ob luxum male audiuit. Non poteſt igitur maleficium Roſcio imputari. Alia forma à Dialectica inductione non differt, quare exēpla omitto. Vtuntur & Oratores complexione, quæ eſt vt dicunt bicorne argumentum, vehemens ſane argumentationis ſpecies, quæ vtrinque aduerſarium ſternit, alterutrum ſiue firmauerit, ſiue negauerit.

Complexio ſeu dilemna.

Exemplū.

Demoſthenes contra Æſchynem hac vſus eſt complexione. Sciuiſti quod erat futurū, aut neſciuiſti. Si ſciuiſti in culpa es, quod nō admonuiſti. Si neſciuiſti, cur nos ignorantiæ condēnas? Hæc quia ſemper conſtare debet, ſi erit firma, ex contrariis immediatis, facile reuocabitur ad duos ſyllogiſmos.

Submiſſio.

Submiſsione vtuntur etiam Oratores, in qua quis à ſe ipſo petit rationem, quare vnumquodque dicatur.

Exēplum.

1. Maiores noſtri magnam Oratoriæ operam dare voluerunt. 2. Quid ita? quod recte intellexerunt ea ſtudia omnium ſumme eſſe appetenda. 3. Cur id? quoniā per ea tanto plus aliis hominibus præſtamus, quanto homines brutis. 4. Quî hoc? quod nihil habēt ingenia in hominibus contrās, niſi ea doctrina & arte excolātur. 5. At quid ita? Nam cum oratorū præceptis quibuſcūque rebus ordo detur, fit vt ingenia ad ordinē compoſita, nihil tumultuariū, nihil pręceps, nihil cōfuſum, pręruptū, hians, nihil intempeſtiuum producant. Primo loco hic ponitur propoſitio probanda. 2. Eius probatio. 3. Rationis confirmatio. 4. Confirmationis ratio. 5. Huius rationis probatio. Vnde facile eſt Dialectico quatuor Enthymemata conſtituere, eáque ad ſyllogiſmorū normam exigere. Sunt & aliæ Oratorum argumentandi formæ, quas omitto, quia ex his quæ dicta ſunt facile iudicari poſſunt. His itaque argumentationum formis cognitis, & regulas quas ſupra tradidi, vbi acceſſerit lectio frequens, & ſtyli exercitium, facile erit Rhetorica argumenta ad ſuos fontes reuocare, atque quæſtioni propoſitæ accommodare. Quantum ad iudicium attinet vbi forma argumenti propoſita fuerit, ars primum conſulenda eſt, vnde quæſtio ſumta eſt. Deinde videndum an ex firmis aliquibus artis principiis, vel ex hypotheſibus cōcluſis ex principiis, propoſitio probans ſit ſumta. ſi non fuerit inde ſumta, vidēdum, an aliquid abſurdi ſequatur, ſi concedatur quæſtio, & rurſus ſi quid commodi. Deinde iudicandum eſt etiam an propoſitiones inſtituantur iuxta Dialectices pręcepta: quę præcepta ſunt viæ iudicandæ, probandæ & improbandæ quæſtionis.

De tertio membro.

Methodus examinandi ea quę tradita ſunt.

Triplex examen.

Grammaticum.

Poſtquam de formis interpretationis breuiſsime dictum eſt, ordo poſtulat, vt via examinandi ea quæ tradita ſunt, aperiatur. Conſtituatur ergo triplex examē. Grammaticum, Dialecticum & Rhetoricum. Grammaticum rurſus tripartitum eſt. Vnum ſingularum dictionum. Alterum orationis ſeu conſtructionis. Poſtremum phraſeos ſeu linguæ. In examine dictionis duplex adhibenda eſt conſideratio, vocis nimirum & ſignificationis. In voce ſpectanda ſunt omnia quæ Orthographiam, Etymologiam & Proſodiam attingunt. In ſignificatione, vtrum naturalis ſit ſignificatio, vel non naturalis. vtrū vnum pluráve ex æquo ſignificet. Et ſi non fuerit naturalis, explicanda eſt ratio deflectionis. In orationis, ſeu conſtructionis examine, tantum duę voces coniungendæ erunt paulatim, donec tota Oratio complebitur, & quærenda eſt ſingularum connexionum ratio. In phraſeos examine coniungendæ ſunt tot voces, quot ad integrum ſenſum requiruntur, ac primum vis phraſeos & vſus explicandus eſt. Deinde conferenda eſt phraſis Græca cum Latina, vtraque cum patria. Hoc triplex examen ita adhibendum iudico, vt non eadem præcepta quotidie repetantur, ſed vt ſingulis menſibus vniuerſæ Grammatices examen abſolui poſsit. Ac vtiliſsimum iudicarem ſi Pædotribæ ſingulis ſeptimanis, pueris qui paululum in Grammatica promouerunt, orationem aliquam variandam, iuxta Eraſmi præſcripta proponerent.

Dialecticum.

Dialecticum examen duplex eſt. Vnum pręceptorum artis, quę eo ordine examinanda ſunt quo traduntur. Alterum eſt cum Dialectica aliis rebus ſeu artibus adhibetur arbitra, vbi examen inſtituendum eſt iuxta præſcriptum ſuperiorum Methodorum.

Rhetoricum.

Rhetoricum examē, quod eſt verborum & rerum, petendum eſt ex Methodo Rhetorica, de qua vbi prius dixero de quarto membro, præcepta tradam.

De quarto membro.

Methodus ediſcēdi quæcunque memoria digna videbuntur.

Cum ipſa ars Dialectica rerum ordinem contemplatur & ſeriem, nulla erit via facilior ediſcendi, quam ſi eundem ordinem ſequaris. Puer igitur volens aliquid ediſcere. Primum omnium rem bene intelligat. Deinde partes rei numeret, primum maiores, deinde minores. Tertio loco ordinem partium diligenter inſpiciat. Quarto animaduertat exornationes rerum. Hoc vbi fecerit puer, plus quam dimidiam laboris partem ſe abſoluiſſe ſciat. qui contra faciunt, ſe miſere citra magnam frugem torquent. Poſtquam autem hoc pręſcriptum ſecutus fuerit puer, in rebus cognoſcendis, accingat ſe ad ediſcendum iuxta diſpoſitionis ordinem. Oratio Iunonis ad Æolum in primo Æneidos ſit nobis exemplum, vt in facilioribus via monſtrata, in difficilioribus quoque ſpes ſit.

Exēplum

Æole (namque tibi diuum pater atque hominum rex — Exordiū.
Et mulcere dedit fluctus, & tollere ventos)
Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor, — Narratio.
Ilium in Italiam portans, victóſque penates.
Incute vim ventis ſummerſáſque obrue puppes: — Propoſitio.
Aut age diuerſas, & diſiice corpora ponto.
Sunt mihi bis ſeptem præſtanti corpore Nymphæ: — Confirmatio.
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio iungam ſtabili, propriámque dicabo,
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat: & pulchra faciat te prole parentem.

Hos vndecim verſiculos primum intelligat puer, vt poſsit rem comprehenſione quadam ſummaria complecti. Deinde partes numeret, quæ ſunt quatuor: Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio: partiúmque locos obſeruet. Tertio loco ordinem primum recondat in mentem, quod eſt facile, cum ſit hic naturalis ordo ſeruatus. Primo enim loco Exordium. 2. Narratio. 3. Propoſitio. 4. Confirmatio collocatur. Poſtremo loco attendat exornationes, quę hic ſunt fere nullæ, præter propoſitionis repetitionem & vehementiam. Hoc vbi ſciet puer, primum ediſcat duos primos verſus, in quibus abſoluitur exordium, prima orationis pars. Deinde duos proximos, tertium & quartum, continentes narrationem, quæ eſt ſecunda orationis pars. Tertio ediſcat quintum & ſextum verſus continentes propo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

propoſitionem tertiam orationis partem. Vltimo loco ediſcat reliquos quinque, qui ad confirmationem quartam orationis partem ſpectant. Hanc viam ſequantur pueri in omnibus aliis ſcriptis. Verum maturiores, quibus eſt maior rerum cura quàm verborum, illas maiores partes obſeruent, & experientur ſe nullo alio artis memoratiuæ adminiculo indigere. Si fuerit prolixior oratio, partes vel numeris vel literis notentur, & poſtea tanquam depoſitum repetatur à ſingulis literis, quod illis erat commendatum. Iuuat & hoc in primis memoriam, ſi quotidie aliquid ediſcas, & illud mox ſequenti die à te ipſo repoſcas. Sæpe recordari, medicamine fortius omni.

DE METHODO
Rhetorica.

Partes quinque. PERSEQVI Vniuerſam Methodum Rhetoricam nimis longum eſſet, quare de Methodo ſingularum partium Orationis Rhetoricæ pauca quædam præcepta colligam. Sunt autem Orationis Rhetoricæ partes. Exordium, Narratio, Diuiſio ſeu Propoſitio, Confirmatio, Confutatio & Peroratio. Quãtùm ad totius orationis corpus attinet, hîc ſeruabitur ordo partium, quem enumeratio poſita mõſtrat. Iſte enim ordo naturalis eſt. Interdum tamen hic ordo mutatur: Cum cauſæ neceſsitas mutationem efflagitare videtur.

De Methodo Exordij.

Exordii partes. Omne exordium ex quatuor maxime componi videtur. Expoſitione, Ratione, Redditione & Comprobatione. *1. Expoſitio.* Expoſitio hoc loco eſt oratio, quæ cum ab aliquo eorum locorum, qui ad inuentionem pertinent inueniatur, aut docilem aut beneuolum, aut attentum facit auditorem. *2. Ratio.* Ratio eſt oratio accommodata expoſitioni, per quam id quod expoſitum eſt, facile confirmatur. *3. Redditio.* Redditio eſt breuis comprehenſio eius quod expoſitione & ratione conficitur, & totius rei aperta propoſitio. *4 Cõprobatio.* Cõprobatio eſt redditionis cauſa, quæ quidem rem totam manifeſtius tangit. Verum hic ſcire oportet, quod autores interdum non ſunt contenti vna expoſitione, nec vna ratione, redditione & comprobatione, ſed interdum plures adhibent. Vt autem hæc vniuerſa res clarius intelligatur, Exordium Ciceronis pro Marco Marcello ſubiũgam, parteſque enumeratas oſtendam.

Exemplũ. 1. Diuturni ſilentij Patres Conſcripti, quo eram his temporibus vſus, non timore aliquo, ſed partim dolore, partim verecundia finem hodiernus dies attulit, idemque initium quæ vellem quęque ſentirem meo priſtino more dicendi. 2. Tantam enim magnitudinem, tam inuſitatam inauditamque clementiam, tantum in ſumma poteſtate rerum omnium, modum, tam denique incredibilem ſapientiam, ac penè diuinam tacitus præterire nullo modo poſſum. Marco enim Marcello vobis Patres Cõſcripti Reipub. reddito, non ſolum illius, ſed etiam vocem meam & autoritatem vobis & Reipub. conſeruatam & reſtitutam puto. 3. Dolebam enim Patres Conſcripti, & vehementer angebar, cum viderem virum talem, qui in eadem cauſa, in qua ego, fuiſſet, non in eadem eſſe fortuna, nec mihi perſuadere poteram, nec fas eſſe ducebam, verſari me in veſtro veteri curriculo, illo æmulo ac imitatore ſtudiorum noſtrorum, atque laborum quaſi quodam ſocio à me & comite diſtracto. 4. Ergo & mihi & priſtinæ vitæ conſuetudinem, Cæſar, intercluſam aperuiſti, & his omnibus ad bene de Repub. ſperandum, quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti. 5. Intellectum enim mihi quidem in multis, & maxime in me ipſo, & paulo ante in omnibus cum M. Marcellum Senatui Reipub. conceſsiſti, commemoratis præſertim offenſionibus, te autoritatem huius ordinis, dignitatemque Reipub. tuis vel doloribus, vel ſuſpicionibus anteferre. Hic primo loco ponitur Expoſitio ſenſu quidem multiplex, Compoſitione orationis omnino ſimplex. 2. Ponuntur rationes expoſitionis. 3. Adiiciuntur rationes, quibus verecundiam & dolorem ſilentij fuiſſe cauſam oſtendit. Quarto loco ſequitur redditio, expoſitioni & primæ rationi accommodatior, & totius cauſæ, in qua de laudibus agitur Cæſaris; apertiſsima expoſitio. Quinto loco ſequitur redditionis Comprobatio. Hanc Methodum obſeruat Cicero etiam in aliis exordiis: ſed ſæpe membra aureo verborum flumine ita obruuntur, vt vix niſi valde attentis appareant.

Porro pręter hæc, quę ad partes Exordiorum pertinent, alia quatuor quę ad materiam & formam ſpectant, conſideranda ſunt. *Quatuor quæ ad materiam & formã ſpectant.* 1. Exordium monſtret finem, cuius gratia oratio habeatur. 2. Ducenda ſunt exordia non ex his quæ cauſam confirmant, aut rem de qua quæritur, ſed ex iis, quæ circa res perſonaſque poſita ſunt. 3. Exordia debent eſſe breuia, perſpicua & accommodatá cauſæ. 4. Exordium ita perfici debet, vt initio narrationis cohæreat.

Methodus Narrationis.

Quinque obſeruanda. In narratione quinque ſunt obſeruanda. 1. quæ narrationis elementa. 2. quæ formæ. 3. quotuplex ordo. 4. quæ optimæ narrationis virtutes. 5. quæ deſtruendæ falſæ narrationis via. De elementis narrationis ſupra in ſecundo membro Methodi Exegeticæ dictum eſt.

DE FORMIS NAR-
rationis.

Narrationum alia eſt abſoluta, alia deficiens. De qua diſtinctione ſupra dictum eſt. Secunda diuiſio, Narrationum alia eſt Poëtica, quæ habet expoſitionem fictam, Alia hiſtorica, quæ habet expoſitionem rerum vetuſtam. Alia Politica vel Oratoria, qua Oratores vtuntur. Tertia diuiſio, Alia ſimplex, cum nihil adhibetur quo fides fiat auditori: Alia argumentoſa, cum ſingularum rerum quæ narrantur, confirmationes adiiciuntur.

DE ORDINE NAR-
rationis.

Duplex eſt narrandi ordo. Naturalis, cum rerum geſtarum ſeriem, & tempora ſequimur. Hic hiſtoriis & ciuili narrationi accommodatior eſt. Alius ſuperiori contrarius eſt, cum à poſterioribus ad priora aſcendimus, Eſtque hic ordo Poetis familiarior.

DE VIRTVTIBVS NAR-
rationis.

Rhetores tres bonæ narrationis virtutes numerant. 1. Vt ſit aperta. 2. Vt ſit breuis. 3. Vt ſit probabilis narratio. Extrema duo ſemper habere debet Narratio, Medium in generè demonſtratiuo & ſuaſorio, interdum locum non habet. Sępe enim altiùs petenda narratio, & dilatanda per antecedentia, coniuncta & conſequentia, quemadmodum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Eraſmus monet in poſteriori Commentario Copiarum.

Deinde & hæc bonæ narrationis virtus eſſe debet, vt fini exordij, & initio propoſitionis ſeu diuiſionis extremis cohæreat.

DE VIA DESTRVENDÆ *Narrationis falſæ.*

Deſtructurus narrationem, elementa ſupra numerata inſpicito, eaque quæ illis adiuncta ſunt, quorum ſi vnum vel impoſsibile, vel falſum oſtenderis, narratio euerſa eſt.

METHODVS DIVISIONIS *ſeu propoſitionis.*

In diuiſione, hoc eſt oratione, per quam quibus de rebus dicturi ſumus, breuiter exponimus, quatuor obſeruanda ſunt. Primum vnde colligenda ſit diuiſio. Deinde genera diuiſionis. Tum modus diuiſionis. Poſtremo, partium diuiſionis ordo.

DE COLLIGENDA *diuiſione.*

Quia narratio continua probationis propoſitio eſt, ex narratione certa colligenda eſt ſententia, quæ eſt probāda. Nam Rhetores narrationi diuiſionem ſubiiciunt, quæ eorum de quibus dicturi ſunt propoſitio eſt. Vt in oratione pro lege Manilia hæc diuiſio colligitur ex narratione: Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, Tum de imperatore eligendo, eſſe dicendum.

DE GENERIBVS *diuiſionis.*

Alia diuiſio fit per ſeiunctionem, qua ſic exponimus quid nobis conueniat cum aduerſario, vt quid in controuerſia ſit ſeiungatur hoc modo. Cultum Deo præſtandum eſſe, conuenit nobis cum Papiſtis, ſed an ſit colendus humanis ritibus, in controuerſia eſt. Alia per diſtributionem, qua exponimus quibus de rebus dicturi ſumus, qualis eſt illa, quam modò adduxi ex Cicerone.

De modo diuiſionis.

Hic obſeruandum eſt, tria eſſe, quæ debeat habere laudanda diuiſio, breuitatē, abſolutionem & paucitatem. Breuitas facit vt nullum niſi neceſſarium verbum aſſumatur. Abſolutio vt omnia quæ in cauſam incidunt genera complectatur. Paucitas vt genera ſolum rerum, de quibus dicturi ſumus ponantur: quæ genera ſuis locis inter dicendum ſunt arte diuidenda, quemadmodum præſcriptum eſt in Methodo diuiſiua. Breuitas rurſus iuuat memoriam auditorum, placétque ſummis Oratoribus, vt quatuor membra non excedat. Deinde & hoc obſeruandum eſt, quod oporteat ita in omni genere diuidere, vt ex vnoquoque diuiſionis membro, vel ipſe finis orationis, vel quæ finem conſequantur palam appareant, vel ex omnibus diuiſionis partibus quod intendimus concludatur, niſi hoc impediat diuerſarum rerum concurſus in eadem oratione.

DE ORDINE PARTIVM *diuiſionis.*

SI membra diuiſionis fontibus diſcreta ſunt, nihil refert quo ordine collocentur. Verum ſi ad eundem finem membra diuiſionis pertinent, generalia prioribus locis ſunt collocanda, id quod ſemper obſeruaſſe Ciceronem monet Trapezuntius. Breuiter vel conſequentiæ rerum, vel temporis ordo obſeruandus eſt.

METHODVS CONFIRMATIONIS *firmationis.*

Re propoſita, loci Dialectici cōſulendi ſunt, quēadmodum in probabili Methodo fuſiùs explicatum eſt. Deinde delectus habendus eſt, vt ea quæ plus virium habent, præcipue notentur. Tertia cura eſt diſpoſitionis argumentorum, in qua diſpoſitione hic ordo placet Oratoribus, Vt primo & vltimo loco collocentur firmiora, in medio, quæ numero potius quam pondere valeant. Deinde prudentia adhibenda eſt, vt ita argumenta diſtribuantur, vt ab vno ad aliud facilis ſit tranſitus, quò ipſa oratio continuis quaſi neruis cohæreat. Vtile & hoc interdum fuerit, facta diuiſione & initio tractationis membrorum, ſingulis membris congeriem quandam rationum ſubiungere per enumerationem, & poſtea eaſdem rationes, vt in enumeratione propoſitæ fuerint, pertractare, quemadmodum Cicero in oratione pro lege Manilia fecit. At vbi non placet exponere hanc argumentorum congeriem, licebit ordine vnam principalem rationem poſt aliam pertractare, ita tamen vt firmiores in prima & extrema collocentur acie, vt ſupra monui.

METHODVS CONFVTATIONIS *tationis.*

Iuſtæ confutationis quatuor ſunt partes, Propoſitio, Sublatio, Oppoſita propoſitio, Solutio. Propoſitio eſt ſublationis pollicitatio. Sublatio eſt ipſa aduerſariorum propoſitio. Oppoſita propoſitio, eſt ſolutionis pollicitatio. Solutio eſt confirmatio τῆς ἀντιπροτάσεως. Eraſmus tale exemplum dedit. 1. Nec me clam eſt, quid callidiſsimus ſenex calumnietur. 2. Non debuiſſe me contra pactionem decedere. 3. Verum id quam friuolum ſit, non eſt difficile oſtendere. 4. Ridicule enim mihi pactionē allegat, quam ipſe prior ſoluit. Numerus oſtendit membra confutationis. Eſt & hoc in confutatione obſeruatu dignum, quod monet Trapezuntius, ſolutionem debere fieri vel per violationem ſeu inuerſionem, vel per inficiationem, vel per inſtantiam, vel per violentiam & inſtantiam ſimul.

METHODVS PERORATIONIS *orationis.*

Iuſta Peroratio conſtat tribus partibus. Repetitione principalium argumentationum, Amplificatione & Affectibus. Exempla paſsim in orationibus Ciceronis occurrunt.

ECCLE-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ECCLESIASTES, SIVE METHODVS CONcionatoria, Autore

NICOLAO HEMMINGIO.

PRAEFATIO IN LIBRVM Secundum.

ARtificem omnem inſtructum eſſe oportet præceptis, quorum admonitione regatur & mens & manus in agendo. Nam tametſi ſæpe accidit, rudes artium aliquid ſimile artificibus facere: tamen & certius & expeditius agit artifex, vt qui cauſas cur ita agat cernat, ac ἰδέαν quandam operis apud animum conſtituat, antequam manum operi adhibeat. Huc facit quod ſagax natura ad operis cuiuſque abſolutionem requirat δύναμιν, ἕξιν, ἐνέργειαν, ἔργον. δύναμις enim facit, vt aſſuefieri poßit. ἕξις præceptis gubernatur, & crebris actionibus abſoluitur. ἐνέργεια regitur habitu, vnde quartum emergit opus, hoc eſt τὸ ἔργον. Ad eundem modum qui Theologus futurus eſt, inſtructus eſſe debet præceptis monſtrantibus certam rationem tradendi & diſcendi dogmata, quorum vſus mentem & vitam in pietate conſeruet. Longe enim falluntur illi, qui iſta intolerabili contumelia ſacrum Dei verbum afficiunt, quaſi citra omnem rationem & ordinem in eo omnia miſceantur. Cum tamen in omnibus rebus à Deo conditis admirabilem quandam œconomiam & ordinem conſpiciant. Siue enim ſurſum oculos tollant, ſiue deorſum deſpiciant, omnia vident ornatißima, quicquid eſt confuſionis & ataxiæ, id totum ex malicia & peruicacia Diaboli & hominum proueniſſe certum eſt. Quare vt in omnibus rebus à Deo conditis ordinem videmus pulcherrimum, ita etiam in ſacra Theologia eundem eſſe nequaquam dubitandum eſt, quem qui obſeruat, multo celerius ad frugem perueniet, quam qui confuſe omnia miſcet & confundit. Porrò hæc ordinis obſeruandi ratio, aptißima Metaphora Methodus dicitur. Quemadmodum enim qui viam certißimam ſequitur, facilius peruenit quò vult, quam is qui per aquas, montes, ſaltus, præcipitia, magno ac difficili labore eodem contendit. Sic veluti in reliquis ſcientiis, ita & in Theologia citius peritiam conſequetur, qui Methodum tenet, quam qui magno labore citra ordinis rationem in lectione Bibliorum defatigatur, vt interim taceam huiuſcemodi labori maximum faſtidium coniunctum eſſe. Cum contra amans ordinis, ſumma cum voluptate idem faciat. Hinc eſt quod non inepte veteres definiant Methodum, certam tradendarum rerum rationem & viam, qua celerrime ad peritiam deueniatur.

Quapropter conſtitui Methodum Theologicam conſcribere, in qua rationem & interpretandi ſcripturam, & formandi ſacras conciones complectar, quorum prius faciet, vt facilius alios interpretes intelligamus, & ipſi interpretandi formas teneamus, quas ſequi vtile erit. Poſterius verò, vt citra garrulitatem, dextre & copioſe de re propoſita diſſerere in cœtu Eccleſiaſtico valeamus.

Verùm priuſquam ad has partes explicandas accedam, operæpretium fore iudico, paucis vniuerſæ ſcripturæ Eccleſiæ diuiſiones quaſdam recenſere, vt cum partes ſcripturæ obſeruentur facilius, tum vſus ſingularum partium in interpretandi formis ac concionibus conſpiciatur apertius.

DIVISIO SACRÆ *Scripturæ.*

Variæ & præcipuæ S. Scripturæ diuiſiones.

DIuiſio ſacræ ſcripturæ alia ab aliis autoribus traditur, neque id abſurdum cuiquam videri debet. Nam & earundem rerum interdum plures ſunt differentiæ, pro quarum diuerſitate diſcrimina diuiſionum ſumi poſſunt, & autores diuiſionum formas conſtituere tales conſueuerunt, quæ ſuo propoſito potiſsimum ſeruire videntur. Quare cum varie diuidatur ſcriptura, ordine recitabo præcipuas ſcripturę diuiſiones, & earum vſum ſubiiciam, quo conſpiciatur huius varietatis vtilitas.

Diuiſio prima.

Vetus & nouum Teſtamētum, ſeu Biblia.

Vulgatiſsima ſcripturæ diuiſio hæc eſt, quod in vetus & nouum inſtrumenta diuidatur, quæ coniuncta Græca appellatione Biblia nominantur, idque κατ᾽ ἐξοχὴν, ſiue Antonomaſian. Hæc Biblia ideo inſtrumenta dicuntur, quia ſunt organa quædam per quæ diuina voluntas, ſeu verbum Dei nobis affertur & innoteſcit. Epitheta vetus & nouum, à circumſtantiis temporum deſumta ſunt. Vetus quidem quod prius erat tempore, Nouum verò quod poſterius. Verùm ſi quis à fœderum diuerſitate hoc diſcrimen deſumtum exiſtimat, non magnopere refert, prior tamen ratio verior eſt & accõmodatior. Cæterum qui veteris & noui Teſtamenti appellationes libris accommodant, καταχρηστικῶς voce Teſtamenti vtuntur.

Subdiuiſio.

Vetus inſtrumētum à Iudæis dicitur eſrim veorba, idque à numero librorum, Nam 24. indubitatæ autoritatis recipiunt libros, quos in quatuor partes, ſiue claſſes digerunt. Veteris Teſtamēti nomen & partes.

Lex. Prima ab illis Thora, id eſt lex ſeu doctrina dicitur,& continet libros quinque, nimirum Geneſin, Exodum, Leuiticum, Numeros,& Deuteronomion, quos ſimul Græci πεντατευχον nominant.

Prophetæ priores. Secunda pars ab his reſchonim nebijm, id eſt Prophetæ priores, & hæc pars quatuor libris, nimirum Ioſue, Iudicum, Samuelis,& Regum abſoluitur.

Poſteriores. *Tertia* pars eſt acharonim nebijm, id eſt Prophetarum poſteriorum, & continet quatuor libros, Eſaiam, Ieremiam, Ezechielem & librum duodecim Prophetarum, quos minores appellāt, vt ſunt Oſee, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Nahū, Baruch, Sophonias, Hageus, Zacharias, Malachias.

Hagiographa. *Quarta* pars eſt chetubim, id eſt ſcriptorum Hagiographorum, & continet vndecim libros, Paralipomena, Pſalterium, Prouerbia Salomonis, Iob, Ruth, Eccleſiaſten, Threnos Ieremiæ, Canticum Canticorum, Eſter, Daniel, Eſdram,& Nehemiam, quorum poſtremi duo pro vno reputantur. Atque ita habemus libros veteris inſtrumenti indubitatæ autoritatis 24. in quatuor claſſes digeſtos.

Apocrypha. Cæterum præter hos libros habent ἀπόκρυφα, vt vocant, id eſt ſecreta ſeu abſcondita, ideo ſic dicta, quia non producebantur in lucem ad confirmanda dogmata. Huius generis ſunt, Ieſus Syrach, Iudit, Tobias, libri Machabæorum, Sapientia Salomonis, Baruch Ieremiæ ſcriba. Atque hæc eſt veteris inſtrumenti iuxta Hebræos & Græcos diuiſio.

Noui teſtamenti partes. Euāgelia. Acta. Epiſtolæ. Apocalypſis. Nouum autem inſtrumentum diuiditur in quatuor partes. *Prima* continet quatuor Euangeliſtas. *Secunda*, Acta Apoſtolica. *Tertia*, viginti vnam Epiſtolas Apoſtolorum, Pauli quatuordecim, Ioannis tres, Petri duas, Iacobi vnam,& Iudæ vnam. *Quarta* pars, Apocalypſin Ioannis. Porrò omnes hi noui inſtrumenti libri in Canone ſunt præter Epiſtolas, ſecundam Petri, ſecundam & tertiam Ioannis,& Epiſtolas Iacobi & Iudæ cum Apocalypſi. Nonnulli etiam Epiſtolam ad Hebræos extra Canonē ponunt.

Vſus & vtilitas harum diſtinctionum. 1. Iam pauca adiicienda videntur de vſu memoratæ diſtinctionis. Parum enim prodeſt accurate diſtinguere, niſi quid inde capias vtilitatis animaduertas. Prodeſt igitur primum hæc diſtinctio, ad rectè iudicandum de ſacrorum voluminum autoritate. Omnes enim veteris & noui inſtrumenti libri indubitatæ ſunt fidei, adeoque valent ad confirmanda dogmata, præter ea quæ dixi appellari ἀπόκρυφα. quæ quidem cum fructu legi poſſunt, ſed in diſputationibus de dogmatibus non ſunt adhibenda. Soli enim illi libri indubitatæ ſunt autoritatis, qui Moſi, Prophetis, Euangeliſtis, Apoſtolis vere tribuuntur. Quare cum de autoribus Apocryphorum dubitauit primitiua & purior Eccleſia, rectè reiiciuntur, quando aduerſus ſcripta Prophetica & Apoſtolica producuntur ab aduerſariis. 2. Eſt & alia vtilitas huius diſtinctionis. Prodeſt enim ordinem librorū habere certum, vt ſtudioſi partiri poſsint lectionē Bibliorum in certa tempora, prout commodum ipſis ad libros ſacros diſcendos videatur. 3. Tertia vtilitas eſt, vt ratio certa haberi poſsit (ſiue concioneris, ſiue in ſcholis ſacra ſcripta interpreteris) citandi ſiue allegandi teſtimonia ſcripturæ, vt locus teſtimonij quaſi digito mōſtretur, nominato autore ſcripti,& capite libri.

Secunda diuiſio.

Scholaſtici Theologi cum veteris tum noui inſtrumenti libros ſecant in Legales, Hiſtoricos, Sapientiales & Propheticos. vt veteris inſtrumenti, Legales, ſint quinque Moſi libri. Hiſtorici libri, Ioſue, Iudicum, Ruth, libri Regum quatuor, Iob, Machabæorum libri duo. Sapientiales, Pſalterium, Prouerbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus. Prophetici, ſeptendecim Prophetæ ſupra enumerati. Ad hunc quoque modum, vt magis illorum inſcitia appareat, noui inſtrumenti libros diuidunt, vt legales ſint quatuor Euangeliſtarum libri, Hiſtorialis ſit liber Actorum Apoſtolorum, Sapientiales ſint Epiſtolæ Apoſtolorum 21. Prophetalis ſit Apocalypſis Ioannis. Hæc diuiſio nullo colore excuſari poteſt. Eſt enim prorſus abſurda, quatenus libris ab ipſis accommodatur: Verum ſi rebus accommodarent hanc ſuam ſubtilem diuiſionem, quemadmodum veteres feciſſe exiſtimo, toleranda forte eſſet: Sed quia manifeſte falſa eſt, prout libris accommodatur, nolo in re aperta longiorem confutationem inſtituere.

Porro vſus huius diuiſionis prout rebus accommodatur, fortaſsis hic eſſe poterit, vt diſcentes inter legendum prudenter inter hiſtorias, leges & Prophetias,& ſapiēter dicta, id eſt, gnomas, diſcernant.

Tertia diuiſio.

Vniuerſa ſcriptura, ſi res ſubiectas conſideres, commodiſsime diuiditur in hiſtoriā & doctrinam: quæ duo diligens lector ſtudioſe quæret in ſacrorum librorum lectione. Scripturæ in hiſtoriā & doctrinam diuiſa.

Eſt autem hiſtoria duplex, vetus & noua. Vetus quidem continet hiſtorias omnes inde vſque à principio creationis rerum, vſque ad conceptionem Domini, ſeu initium Euangelicæ hiſtoriæ. Hæc hiſtoria initium ducit (vt dixi) à prima rerum conditione,& continuatur vſque ad Cyri monarchiam. Poſtea ſequuntur hebdomadæ Danielis, vſque ad Chriſtum occiſum. Porrò annorum computationem in hos verſiculos memoriæ gratia redegi, quos ſubiiciam: Hiſtoria duplex. Vetus.

M.D.C.L.V.I. poſt Adam mundus inundat.
Poſt vndas ad Abram, ducent nonaginta duoque.
Exodus hunc ſequitur quingentos quinque per annos.
Exodus ad Babylon, nongent decemque recenſet
Poſt Babel ad Chriſtum, D, & L. tribus X. datur vnus.

Hos annos ſi coniūgas, habebis ter mille nongētos & quadraginta quatuor annos à conditione rerum vſque ad Chriſtum exhibitum, quem numerum his verſibus complecti ſoleo:

Ter mille & nongent, quater X. duo his numerantur.
Chriſtus adeſt nobis gloria, vita, ſalus.

Porrò noua hiſtoria ab Euangeliſtis deſcribitur. Noua. hæc de conceptione, natiuitate, circumciſione, oblatione, exilio, diſputatione, baptiſmo, ieiunio, tētatione, doctrina, miraculis, morte, reſurrectione & aſcēſione Chriſti in cœlū, Item de donatione Spiritus ſancti in die Pentecoſtes, & de Eccleſia primitiua & eius perſecutionibus inſtituitur. Ad hęc enim capita noua hiſtoria reuocabitur. Atque hactenus de hiſtoria.

Doctrina ſpargitur per omnes libros veteris & noui inſtrumenti, & diuiditur in doctrinam rerum & ſignorum, Rerū deinde doctrina in Legē & Euāgelium. Signorum doctrina continet ceremonias & Sacramenta, de quibus copioſius nō eſt hic dicendi locus. Verū vſus huius diſtinctionis nō eſt Simplex. Hiſtoria enim ſacra, ſpeculum vitæ Chriſtianæ eſſe debet. Nam continet plurima veræ pietatis, confeſſionis, fidei, tolerantiæ, vocationis &c. exempla, recenſet præmia & pœnas obedientiæ & inobediētiæ erga Deum, plurima teſtimonia de Deo continet. Doctrina duplex. Rerum. Signorū.

Diſtinctionis doctrinæ vſus. Doctrinæ vero diſtinctio, facit, ne temere cū Papiſtis Legem & Euāgelium confundamus, qui Euāgelium

gelium nouam legem ſomniant, ſed falluntur. Non enim aliud docent Prophetæ & Apoſtoli, quam Moſes, tametſi in modo tradendi maxima eſt diuerſitas. Moſes etenim doctrinam à Deo & Patribus tanquam per manus traditam ſcriptis commendat, quæ perfectum Dei cultum continet, Sed obſcurior eſt Prophetis. Prophetæ Moſis ſunt interpretes. Nam quod Moſes quaſi aphoriſmis quibuſdam notat, Prophetæ integris concionibus explicant. Sed quia quod Prophetæ prædixerunt, id Apoſtoli coram viderunt, facti ſunt Apoſtoli clariores adhuc Moſis & Prophetarum interpretes. Hoc diſcrimen qui obſeruat, maiori cum fructu Moſis, Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta leget. Quo autem loco ſint habendi Apoſtolorum diſcipuli, & alij ſancti ſcripturarum interpretes, dicam infra, vbi de formis interpretandi agetur.

Quarta diuiſio.

Græcorũ diuiſio.

Eſt & alia diuiſio à Græcis tradita minime prætereunda. Verbum enim Dei ſalutem hominibus afferens, diuiditur in προτρεπτικὸν, γνωστικὸν & πρακτικόν.

Ad προτρεπτικὸν pertinent hortationes, conſolationes, minæ, obiurgationes: quæ omnia ſunt incitamenta quædam ad verbum audiendum, amplectendum, eique obtemperandum. γνωστικὸν cognitionis pars eſt, quæ cultus Dei, Legis, Euangelij & Sacramentorum ſcientiam continet, cuius Epitome eſt κατήχησις. Poſtrema pars ad actionem pertinet. Nam cognitionem ſequi oportet obedientiam cordis & vitæ innocentiam. fides enim, vt Paulus

Vſus.

inquit, debet eſſe ἀνυπόκριτος, & efficax per charitatẽ. Hæc diuiſio eò pertinet, vt ſacræ ſcripturæ vſum ſcias. hoc eſt, vt hortanti obtemperes, docenti credas, & ſecundum ea quæ credis agas. Dignus enim (quemadmodum Agapetus inquit) Deo is eſt, qui nihil indignum Deo agit: ſed ſentit quidẽ quæ Dei ſunt, loquitur verò quæ ſentit, & facit quæ loquitur.

DE FORMIS ENARrationum.

Dicturus de enarrationum formis, quatuor ordine expediam, quibus præſidiis inſtructus eſſe debeat futurus vtilis interpres, quæ ſint enarrationum cauſæ, quæ interpretandi genera, quiſque commentariorum vſus.

PRÆSIDIA INterpretis.

In interprete fideli poſt artium dicẽdi cognitionem quatuor requiruntur.

Qvod vtilis interpres inſtructus eſſe debeat liberali doctrina, & potiſſimum cognitione artium dicendi, nemo eſt qui dubitare poteſt. Quare ad alia quædam præſidia, quibus cauetur ne interpres à pietate aberret, me conferam. In myſteriis itaque ſacris tractandis, quadruplex potiſsimum cura illi incumbit, qui ſe ab errore liberum, & ab Hæreticorum impoſturis ſecurum eſſe cupit. Prima

1. Pietas.

ſit cura, quærere Deum voluntatemque ipſius in ſcriptura cum timore & humilitate, vt ipſum vere agnoſcat in Domino noſtro Ieſu Chriſto. Altera

2. Verbũ Dei pro regula habere.

ſit cura, ſacrum Dei verbum pro regula habere. Hæc cura coniuncta cum ſuperiore, faciet vt ſine arrogantia & φιλονεικίᾳ in ſcriptura verſeris, & ne ſtulta temeritate efferaris, ſed potius implores eius opẽ humiliter, quem in ſcripturis quæris fideliter. Facit & hæc altera cura, ne ſis ſollicitus de illis, quæ non ſunt verbo Domini prodita. Contentus enim eſſe debes ea luce, quam Dominus ſequendam mõſtrauit. Tertia ſit cura, vt diligens accedat ſcripturarũ collatio, vt appareat Moſis, Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum conſenſus, vtque in ſpeciem pugnantes ſententiæ, per collationem reconcilientur, diligenter obſeruatis locorũ circũſtantiis.

3. Diligẽs ſcripturarum collatio.

Hæc cura facit, ne temere arripias vnam aliquam ſcripturæ ſententiam ad aliam oppugnandam, vnde omnium Hæreticorum ſectas ortas eſſe nõ eſt dubium: quod vt fiat apertius, exemplo declarandum eſt. Arrius audit Filium dicentem: Pater maior me eſt. hanc ſententiam arripit, & ad expugnandam Chriſti diuinitatem accingitur. Contra Manichæus, vt humanitatem Chriſti tollat, arripit dictum Pauli 1. Cor. 15. vbi Chriſtus dicitur ſecundus Adam, de cœlo cœleſtis. Rurſus ſunt qui diuinitatem agnoſcunt, & humanitatem fatentur, ſed duplicem perſonam in Chriſto faciunt λόγον & filium virginis. Oſiander quia ſcriptum eſt; Iehoua eſt iuſticia noſtra, Iuſtificationem ſoli naturæ diuinæ adiudicat, quaſi humanitas prorſus nihil faceret ad ſalutis beneficium. Stancarus contra, quia promiſſionis verbum eſt de ſemine mulieris, & Paulus dicit Ieſum Chriſtum hominem mediatorem, ſubtrahit diuinitati redemptionis beneficium, & ſoli humanitati attribuit. Hic ſi affuiſſet timor Domini & vera humilitas, & abſuiſſet φιλονεικία & ſuperbia, facile ex collatione ſcripturarum de hiſce myſteriis iudicaſſent. Quarta ſit cura, omnem interpretationem ad ἀναλογίαν fidei referre, à qua ſi diſcrepat interpretatio, falſa iudicabitur.

4. Omnẽ interpretationem ad analogiam fidei referre.

Contra ſi cum ea conuenit, etiamſi interdum à ſcopo & mente autoris erratur, tamen extra ſalutis periculum id fieri ſciendum eſt. Sed quid eſt interpretationem ad ἀναλογίαν fidei reuocare? eſt eam ita inſtituere, vt reſpondeat fidei primis axiomatis; vtque ex illis quaſi extructa eſſe videatur. Illa enim ſecundum ἀναλογίαν fieri dicuntur, quæ ex comparatione ad aliud fiunt, ſeu quando alia ex aliorum comparatione formantur. Vnde cum Paulus iubeat vt Prophetia, hoc eſt, interpretatio ſcripturæ debeat eſſe Analoga fidei, vult vt interpres reſpiciat ad religionis prima axiomata, quæ clara & perſpicua ſunt, de lege & promiſſionibus Euangelij, cum quibus omnis interpretatio conformari debebit.

Analogiæ fidei conſideratio perquam vtilis & neceſſaria.

Quare Papiſtæ in huius dicti (ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata) explicatione, ab Analogia fidei diſcedũt dum ſalutem per opera propria homines conſequi ex iſto dicto concludunt. Pugnat enim hæc interpretatio cum claris ac perſpicuis axiomatis; qualia ſunt: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Item Agnus Dei tollit peccata mundi. Item, Si ex lege eſt iuſticia, Chriſtus fruſtra eſt mortuus. Atque in hunc modum ſemper mens interpretis intenta eſſe debet in prima noſtræ religionis axiomata, à quibus non patietur ſe auelli vlla Sophiſtica. Nam qui hanc ἀναλογίαν fidei, interpreti à Paulo commendatam contemnit, & aliunde petit contra fidei regulam interpretationem; is ſciat ſe pœnas diuinitus luiturum. Sicut enim olim ſub veteri Teſtamento ab igne altaris perpetuo tollendus erat ignis, quo ſacrificia cremarentur: ita à perpetuo Dei verbo pendebit omnis ſcripturarum interpretatio. Et quemadmodum Nadab & Abiu thuribulis ſuis ignem alienum imponentes, quod illis præceptum non erat, à Domino puniti ſunt: Ita Hæretici rationis figmenta & Philoſophicas fraudes pro vera religione ingerentes, ſupplicio digni exiſtimãdi ſunt. Atque hæc monuiſſe de præſidiis interpreti neceſſariis ſatis eſt, Nunc quod ſecundo loco propoſitum eſt exequar.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

INTERPRETATIONIS *Cauſa.*

Quatuor.

1.Intelligatur genus' ſermonis.

IN præfatione locorum Philippi Melanchthonis quatuor interpretationum cauſæ recitãtur. Quarum prima eſt, vt intelligatur genus ſermonis. Nã auditores ſiue lectores, nō vbique intelligūt phraſes alienæ linguæ, imò doctiſſimi interdum homines plurimum in hac palæſtra deſudant. Plerunq; enim contingit, vt oratio reddita alienæ linguæ verbis, reſpondentibus quidem in ſignificatione, non tamen in vtraque lingua eundem retineant ſenſum, idque propter Dialecti, ſeu phraſeos varietatem. Ne igitur hîc fallamur incauti, opus eſt ſæpe perito interprete.

2.Iudicatio ordinis rerū.

Secunda cauſa, eſt iudicatio ordinis rerum. Nam qui non tractationis ordinem animaduertit, eum ſæpe hallucinari certum eſt, vt qui ex Paulo citant contra iuſticiam fidei hoc dictum: Non auditores legis, ſed factores iuſtificabuntur. Hic ſi tractationis ordinem obſeruaſſent, vidiſſent Paulum eo loco minimè concionatum fuiſſe de iuſticia operum, videlicet quod homines operibus iuſti conſtituantur coram Deo, cum ibi Paulus inſtituat huius opinionis contra doctrinam fidei confutationem. Opus eſt ergo interprete, qui ordinem & ordinis partes dextre monſtrare poterit, cuius rei vtilitas maior eſt, quam vt paucis verbis indicari poſſit.

3.Teſtimonium veræ interpretationis.

Tertia cauſa eſſe debet teſtimonium veræ interpretationis. Nam cum auditores animaduertunt interpretationes ex verbo Dei peti, & vident conſenſum verbi Dei & purioris Eccleſiæ cum interpretatione, magis amant doctrinam & auidius diſcunt.

4. Confutatio falſarum opinionum.

Quarta cauſa, eſt confutatio falſarum opinionum, ne Hæreticorum venenis diſcentes inficiantur. Hæ cauſæ ſatis magnæ ſunt, propter quas Deus vult in Scholis & in templis miniſterium verbi conſeruari.

INTERPRETANDI *Genera.*

Quadruplex forma enarrãdi ſcripturam.

TAmetſi ex iis quæ dixi de cauſis interpretationum, vtcunque intelligi poſſunt interpretandi genera, tamen quia prodeſt ea diſtincta habere. volo de iis quam poſſum maxime perſpicue dicere, quemadmodum ſuperius pollicitus ſum. Quadruplicem itaque formam enarrandi ſacra animaduerti, legens variorum ſcriptorum commentaria.

GRAMMATICVM INTERpretandi genus.

Grammaticæ interpretationis artifices, vtilitas & ratio.

Quidam parum ſolliciti de tractationis Methodo, voces tantum & phraſes familiari & clariori modo explicant, quod interpretandi genus, quia conſtat Grammatica quadam exegeſi, vocetur Grãmaticum. Hoc genus ſecuti ſunt Athanaſius, Theophylactus, Ambroſius & multi alij. Eſt profecto laude dignum, quod tanti viri, qui copioſe & eleganter diſputationes longas ac orationes de ſingulis inſtituere potuiſſent, tamen ſe ad Grammaticos dimiſerunt. Sciuerunt enim inde veram ſententiam petendam eſſe. Porro huius generis interpres liberali doctrina inſtructus eſſe debet. Primum enim ipſum habere oportet cognitionē eius linguæ, qua vſus eſt ſcripti autor: niſi malit alienis quam ſuis oculis videre. Et ſi non cōceditur abſoluta cognitio, tantam tamen eſſe oportet peritiam, vt linguas illas tres inter ſe conferre poſſit, Hebræam, Græcam & Latinam. Nam his tribus linguis opus eſt interpreti Theologo, quarum collationem plus prodeſſe animaduertit ſtudioſus, quam magnorum hominum prolixa commentaria. Deinde vt dextre explicet, quod recte intelligit, neceſſaria eſt Dialectica, quæ ſæpe Grammatico interpreti manus auxiliatrices porrigit. Iuuabitur etiam non parum Commentariis de copia, vnde diſcet varias eiuſdē ſententiæ reddendæ formas.

DIALECTICVM INTERpretandi genus.

Dialecticæ interpretationis vtilitates & regulæ ſeu Canones

Alij, cum vident in omnibus rebus ordinem primas tenere partes, Methodum tractationiſque ordinem quærunt ac monſtrant, oſtendunt quæſtiones, argumenta, collationem, ad certa capita ſeu locos communes, tanquam conſultationes, ipſas hypotheſes reuocant breuiter. Hæc cura huius generis interpreti potiſsima eſt, vt omnia aperte & diſtincte proponantur ac declarentur. Verum quoniam hoc genus in ſcholis vtiliſsimum eſt, breuiter oſtendam viam, quam tuto interpres in hoc genere ſequi poterit, quod vt fiat apertius, totam rem in quatuor Canones includam.

Canon primus.

1. De doctrinæ genere dicendum, & quo ordine.

In principio prælectionis alicuius ſacri ſcripti, omnium primum de doctrinę genere dicat oportet, idque hoc ordine (vt mihi videtur) fieri poteſt cō mode. *Primum*, quale ſit doctrinæ genus explicet, vnde in commendationem delabi poteſt. *Secundo* autoritas oſtendatur. *Tertio*, quæ ſit certitudo & vnde petenda, ſignetur. *Quarto*, quæ neceſſitas. *Quinto*, quæ vtilitas & fructus proueniat inde ad auditores, monſtretur. Hæc quinque capita in principio alicuius libri ſacri vtiliter explicantur, meo quidem iudicio, nec improbo, ſi his vel alia adiiciat, vel aliqua ſubtrahat, modo ne auditores fallat, qui cum diſcūt, Methodum imitationis etiam auide quærunt.

Canon ſecundus.

2. Inde veniendum ad hypotheſin, & quo ordine.

Vbi autem iuxta primum hunc Canonem generatim dictum eſt de doctrinæ genere, commode fit deſcenſus ad hypotheſin, hoc eſt, ad particulare ſcriptum, quod explicandum proponitur: in quo loco hæc neſſario ei, qui Dialecticum interpretandi genus ſequitur, dicenda ſunt. *Primum* quis qualiſque ſit ſcripti autor, vnde autoritas ſcripti dependet. *Secundo* quæ fuerit ſcribendi occaſio, cuius obſeruatio ad intelligendum tractationis ordinem facit. *Tertio* quis ſit ſtatus, ſeu quæſtio principalis, vna ne an plures, vnde de genere cauſæ iudicabitur, & totius ſcripti conatus, hoc eſt finis & ſcopus vltimus deprehendetur. *Quarto* quæ ſit præſentis ſcripti Methodus, ſeu (quod idem eſt) quis ſit tractationis ordo: qui niſi teneatur, parum aut nihil profuerit docentis labor.

Canon tertius.

3. Digreſſiones Prophetarum & Apoſtolorum obſeruandę.

In omnibus ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis diligenter obſeruandum eſt, quod dum docent, ſæpe dilabantur in monitiones, reprehenſiones, laudationes, minas, conſolationes &c. quibus accōmodant doctrinam auditoribus, eoſque extimulant ad doctrinam ſuſcipiendam. hoc qui non attendunt, tractationis ordinem obſeruare nec poſſunt ipſi, nec aliis viam recte monſtrare. Sed de hoc Canone plura dicam infra, vbi agetur de tractatione copioſa locorum communium.

Canon

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Canon quartus.

4. Ordo explicationis ſingulorum capitum.

Explicatio ſingulorum capitum commode fieri poteſt hoc ordine. *Primo* loco in ſummariam quādam comprehenſionem totum caput contrahatur, quod dextrè nemo niſi Dialecticæ peritus facere poteſt. Nam quæ ſpeciatim & per partes dicta ſunt, ad genera & tota reuocabit, quæ acceſſoria ſunt, abſcindet. Non rerum omnia argumenta adhibebit, ſed ſumma rerum contentus erit, detractis omnibus quæ amplificationis, aut diductionis rerum cauſa addita ſunt. *Secundo* ordinem capitis oſtendat, monſtrando, quomodo cum præcedentibus (ſi aliquid præceſſit) cohæreat, partes maiores ſignet, & quomodo conſequuntur admoneat. *Tertio* loco ſequatur exegeſis textus, notentur loci communes, vt ad vſum omnia conuerti poſſint. Sed inuentionis locorum ratio tradetur infra, vbi de locis concionatoriis agetur, nunc ſufficit quid factu opus ſit breuiter oſtendiſſe.

ORATORIVM INTERPRE-
tandi genus.

Eſt & oratorium interpretandi genus in templis & ſcholis vtiliſsimum, in quo maxima quæque ingenia ſe exercuerunt, vt Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, & multi alij Græci & Latini. Hi enim quæſtiones ſingulas fuſiori oratione explicant, Rhetorum more, qua de re rurſum dicendum, vbi ad locorum communium tractationem ventum fuerit.

MIXTVM INTERPRE-
tandi genus.

Mixtum interpretandi genus eſt, cum interpres vel ſuperiora omnia miſcet, vel quædam ex ipſis coniungit, quod non pauci noſtro ſeculo magno cum fructu faciunt, in quorum numero facile princeps eſt Philippus Melanchthon: hunc ſequũtur pręclariſſimi viri Bucerus, Caluinus, Brentius, Beza, & alij multi.

COMMENTARIORVM
vſus.

Abuſus cōmentariorum.

MVlti abutuntur commentariis, dum perpetuo in illis deſudant, parum aut nihil textũ Biblicum morantes, qui perinde faciunt atque is, qui aliquò profecturus, in itinere perpetuo morādum conſtituit. Sunt enim commentaria inſtar ſtatuarum Mercurialium. Nam quemadmodum hæ collocantur, vt monſtrent viatoribus rectum iter, ne aberrent, Sic commentaria manu ducent lectorem inexercitatum: quibus non perpetuo vtetur, ſed quemadmodum viator ſtatuis Mercurialibus. Has enim non aſpicit viator, vbi viam iteratis crebris profectionibus pernouit. Hic primum admonetur interpres ſui muneris, nimirum vt cogitet ſe debere viam monſtrare auditoribus eamque expeditiſſimam, & non impedire properantes. Deinde & hinc patet, quo in loco habendi ſunt diſcipuli Apoſtolorum, & eorum ſucceſſores ſcripturarum interpretes. Hi enim omnes ſequendi ſunt, quatenus habent præeuntem ſcripturam Propheticam & Apoſtolicam, at ſi quando ab hac aberrant, agnoſcamus noſtram communem in lapſum facilitatem, & precibus ſollicite Deum precemur, ne ſinat nos in pernicioſos errores prolabi.

Simile.

Interpretis munus.

De patribus quid ſentiendum.

RATIO FORMANDI
ſacras conciones.

Methodus concionatoria quid.

MEthodus concionatoria eſt certa via ac ratio, monſtrans rationem ſacras conciones formandi. Et quoniam ea quæ neceſſario in Eccleſia proponenda ſunt, non ſunt vnius generis, nec vna forma tradi poſſunt, perutile fuerit primum concionum genera, deinde rationem, qua ſingula cum fructu tractari poſſint, oſtendere, vt futuris ſanctiſsimi miniſterij verbi (quo nullum eſt auguſtius, nullum ſanctius) miniſtris, præſcripta ſit quædam compendiaria ratio formandarum concionum, quam ipſi vſu & exercitatione confirmatam, præceptis Dialecticorum & Rhetorum augere poterunt. Non noua fingo præcepta, ſed communes Dialecticorum & Rhetorum regulas ad certam materiam accommodo, & vſum doctorum hominum, quos concionantes audiui, præceptis aſtringo, vt facilior ſit imitatio: quæ profecto parũ erit firma, niſi præceptis iuuetur, quemadmodum ſupra in præfatione dictum eſt.

GENERA CON-
cionum.

Concionum partes quatuor.

PRiuſquam ad genera concionum accedam: breuiter partes attingam, quæ commode quatuor numerari poſſunt. Exordium, Tractatio, Digreſſio, Peroratio.

1. *Exordium* hoc loco eſt ingreſſus concionis poſt inuocationem & recitatam ſacram lectionem, quæ tractanda proponitur. Hoc commode ſumi poteſt ab occaſione, interdum ab aliis circumſtantiis. Et ita inſtituatur, vt ſit ceu via quædam, ad eam rem quam tractaturi ſumus. Sit modeſtum, ſit breue, ſit graue, vt auditores beneuolentia conciliet, docilitate excitet, attentione retineat.

2. *Tractatio* variat pro thematum diuerſitate. Ex quo fit vt aliàs diuiſione & expoſitione ſit contenta: cum videlicet thema ſimplex ſit. (Diuiſio, eſt oratio, per quam, quibus de rebus dicturi ſumus, breuiter enumeramus. Hæc commendatur breuitate, abſolutione, paucitate: de qua cōſulantur Rhetorum præcepta. Expoſitio, eſt oratio, qua diuiſionis partes exponuntur. Et eſt triplex, ſynthetica, diæretica, & analytica, de quibus infra copioſe dicetur. Hæc expoſitio interdum ſimplex eſt, videlicet cum nulla argumenta adhibentur: interdum mixta, cum admiſcentur partium expoſitionis rationes.) Aliàs, cum diuiſione requirat confirmationem partium diuiſionis, & refutationum ſententiæ aliorum pugnantis cum noſtra ſentẽtia. idque quoties thema compoſitum fuerit. Prudentia concionatoris facile iudicabit quando confutatio præcedet confirmationem, & quando ſequetur. Præcedat neceſſe eſt, quando errore animi auditorum præoccupati ſunt. Non enim capaces eſſe poſſunt veritatis, priuſquam ab errore vindicati fuerint.

3. *Digreſſio*, eſt oratio, qua accommodatur doctrina auditoribus, conſolando, obiurgando, terrendo, monendo. In hac principium, finis, & locus præcipue ſpectentur: principium, vt ex doctrina ſponte fluere videatur: finis, vt coëat & coaleſcat cum doctrina ſequente, ſi qua doctrina explicanda reliqua fuerit: locus, vt in fine cuiuſque membri diuiſionis ſeu partitionis adhibeatur, ne diſcentium iudicium, interruptione doctrinæ interturbetur: plura de digreſſione infra dicentur.

4. *Peroratio* eſt concluſio tractationis. Hæc &

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſummas rerũ quæ tractatæ ſunt, breuiter repetat, & animos auditorum excitet commendatione doctrinæ explicatæ & vſus indicatione. Iam ad explicanda concionum genera accedamus.

Duplex Concionandi genus.

Eſt itaque in vniuerſum duplex concionandi genus. Vnum didaſcalicon. Alterum parænęticum.

1. *Didaſcalicon* quidem eſt ſimplicium locorum eorumque tum perſonarum, tum rerum, & coniunctorum locorum, theſium & hypotheſium.

Parænetica concionescur::i plicis generis.

2. *Paræneticum* verò triplex eſt. Suaſorium, obiurgatorium, & conſolatorium. Poteſt autem hæc diuerſitas concionum probari, *Primum* à diuerſitate
1 auditorum, quibus concio accommodabitur. Nam aut rudes ſunt prorſus & ſunt docendi: quo primũ genus pertinet, aut non ſunt rudes, ſed vel puſillanimes, & ſunt conſolationibus erigendi, vel pigri & ſunt ſtimulis incitãdi, vel ſunt contẽptores, & ſunt minis caſtigandi. Ad hos quadruplices auditores, omnes conciones Chriſti diriguntur. Alias enim docet ignaros cupientes diſcere, alias conſolatur & erigit puſillanimes, Nunc tardiores inhortatur, interdum prophanos minis territat. Exempla paſſim
2 in Euangelica hiſtoria obuia ſunt. *Deinde* idem comprobatur ab vſu ſcripturæ ſanctæ. Nam 2. Timot. 3. ſic ſcribit Paulus. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, eſt vtilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem, quæ eſt in iuſticia, vt integer ſit Dei homo ad omne opus bonum apparatus. Hìc quadruplex vſus ſcripturæ indicatur, idque quatuor vocib⁹, quæ ſunt: διδασκαλία, ἔλεγχος, ἐπανόρθωσις, παιδία. διδασκαλια primo genere, nempe Didaſcalico tractanda eſt. ἔλεγχος obiurgationem habet ἐπανόρθωσις eſt cum lapſus erigitur & ſtabilitur, quod conſolationibus fieri manifeſtum eſt. παιδία puerorum eſt inſtitutio, cuius potiſſima pars, ad recta & honeſta ſuadere, & ab iniquis & turpibus diſſuadere.

Quadruplices auditores verbi.

Quadruplex vſus ſcripturę.

Conuenit itaque noſtra diſtinctio cum auditorum varietate, Chriſti exemplo, & Pauli traditione. Verum quoniam auditores in publicis cœtibus mixti ſunt, fit vt Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli, atque adeo omnes pij miniſtri verbi, plerunque ex doctrina extruant conſolationes, ſuaſiones & obiurgationes, quas vis doctrinæ quaſi adiunctas habet, quemadmodum ſuperius dixi fieri in Prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis, quorum exempla pios miniſtros decet ſequi in formandis concionibus. Nec ideo noſtra diſtinctio eſt improbanda, quæ ad rerum tradẽdarum naturam pertinet; docetq; quæ ſit ratio obſeruanda in concionibus formandis, tametſi interdum ea, quæ nominaui tanquam acceſſoria digreſſionis ſchemate accommodantur: quod qui nõ obſeruant, nec poterunt ſuas recte formare, nec aliorũ conciones iudicare, memoriaq; tenere. Quare concionum genera diſtinguantur, & quæ adduntur recte extruantur.

Quare ex doctrina extruantur conſolationes ſuaſiones & obiurgationes.

DE GENERE DIdaſcalico.

Didaſcalicæ Concionis finis & methodus.

Didaſcalica concio eſt, cuius finis eſt ignorantem docere auditorem. In hoc concionis genere pius concionator totos neruos intẽdet, vt ipſe *prius* rem docendam exacte cognitam habeat: *Deinde* vt eiuſdem plenam œconomiam formet apud ſeſe: *tum* vt eam explicet plana & populari oratione, habita ratione non ſuæ laudis ob eloquentiam, ſed potius gloriæ Dei promouendæ, & captus præſentium auditorum: quod ſi fecerit, ſperare poteſt, vt auditor non amplius fluctuet opinionibus, ſed doctrinæ veræ & perſpicuæ acquieſcat.

Duplex. i. ſimplex & cõiuncta.

Quoniam autem Didaſcalica concio duplex eſt, quemadmodum ſupra in diuiſione admonui, nimirum ſimplex ſiue ſimplicium locorum, & coniuncta ſiue coniunctorum locorum, poſtulat docendi ratio, vt primo loco de Didaſcalica ſimplici dicatur. Sed quoniam Didaſcalica ſimplici nunc perſonæ, nunc res tractantur, de perſonarum tractatione primum dicendum videtur.

DE DIDASCALICA SIMplici perſonarum.

Duplex eſt perſonarũ tractatio, vna paradigmatica ſeu exemplaris, Altera epidictica ſeu demõſtratiua. Nam ſi factum aliquod perſonæ proponitur, paradigma eſt: at ſi tota perſona deſcribitur, ἐπίδειξις, & demonſtratio perſonæ exiſtit.

DE PARADIGMATICA TRACTAtione perſonarum.

Quid ſit.

Cum itaque proponitur perſona aliqua ex ſacris hiſtoriis, cuius tota vita non deſcribitur, ſed factum perſonæ aliquod producitur, idque vel doctrinæ, vel imitationis, vel admonitionis gratia, paradigmatica erit tractatio. Hoc modo Paulus Romanis & Galatis proponit Abrahamum. Hoc modo Epiſtola ad Hebræos capit. 11. magnum Prophetarum ac Regum catalogum recenſuit. Abrahami facto fidei doctrina & natura docetur, imitatio commendatur, vocationis exercitia firmantur, & veræ pietatis fructus & opera. Pœnitentia Manaſſis docet lapſos recipi. imitationis igitur cauſa vtiliter proponitur: admonet de miſericordia Dei tam immanẽ Eccleſiæ perſecutorem, ac tam impurum idololatram, ex mera ſua bonitate in gratiam recipientis. Verum hic occurrendum eſt iis, qui ſæpe Sanctorum exemplis abutuntur. Sunt enim qui ſcelera ſanctorũ imitari malunt, quàm virtutes, & ſe ſanctorum exemplis defendunt. Sunt etiam, qui ex factis ſanctorum perſonalibus, & extraordinariis mandatis, male extruũt ſpeciem facti, & tanquam legem vniuerſalem commendant. Illi reſponſione digni non ſunt, Hi admonitione in viã reuocandi erunt. Tenere enim eos oportet diſcrimen, inter mandata ſeu præcepta pietatis communia & perſonalia, quæ tantum vel vnũ populum, vel vnum hominem attingunt. Hebræi iuſſi ſunt, vt ſpoliarent Ægyptios. Abrahã ex mandato Dei filium in mõte Moria mactare in holocauſtum parat. Hæc perſonalia facta in ſpecie non accõmodanda erant, ſed in genere tantum. Nam ab vtroque exemplo diſcenda eſt obedientia erga Deũ in iis, quæ à nobis ſuo verbo requirit. In hac quoque perſonarum exemplari tractatione, notum eſt Papiſtas & præcipue Monachos periculoſe erraſſe, qui neſcio quos fictitios ſanctulos in concionibus propoſuerunt, eoſque per totam vitam adeo inculpate vixiſſe finxerunt, quod nunquã vel in minimo impegerint. Huiuſmodi ficta perſonarũ deſcriptio, magis ad deſperationem, quam ædificationem conſcientiæ luctantis cum magnitudine peccati & iræ Dei facit. Proponantur igitur vera exẽpla, ficta relinquantur Poëtis, & non ab iis tractentur, qui œconomi myſteriorũ Dei à D. Paulo appellãtur. Sacra ſcriptura & vera hiſtoria ſuppeditet exẽpla, qualia ſunt Abrahæ, Iob, Ioſeph, Manaſſe, Magdalenæ, latronis conuerſi, & ſimilium. Ex huiuſmodi enim, non ſolum docere poſſumus auditores veram pietatẽ, verumetiam formã recte viuendi iuxta vocationis rationẽ. Meminerit itaque pius Eccleſiaſtes exempla vtilia pietati proferre, & nõ ea quæ ad deſperationẽ

Exempla.

1. Abrahami fides.

2. Manaſſis pœnitentia.

Adu. abuſum exẽplorum.

1

2

Exemplorum vſus.

3. Exẽplorũ abuſus.

Vera exẽpla proponenda.

facere

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

facere videntur. Nunc tempus eſt, vt quæ dicta ſunt, claro paradigmate declaremus. Et quia nullum Abrahami exemplo illuſtrius eſſe poteſt, illud examinandum proponam.

Abrahami exemplum expenditur. Paulus inquit: Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad iuſtitiam. Hic Paulus exemplum Abrahæ potiſsimum doctrinæ gratia producit, & inde eruit, non ſolum formam iuſtitiæ doctrinam, verumetiam naturam fidei, & qualis vitæ ſanctimonia credentis perſonæ eſſe debeat, extruit, *Duo in exemplis obſeruanda.* Ad hunc modum diſcamus ex imitatione Pauli duo obſeruare in exemplis, factum videlicet in ſe, deinde circumſtātias perſonæ & facti. 1 Factum in ſe, docet iuſtitiam veram fide in promiſsiones Dei conſtare. *2. Vbi multa obſeruāda, pręcipuè de iuſtificatione per fidem.* Circumſtantiæ perſonæ & facti de plurimis rebus admonent. *Primum*, quod circumciſio non neceſſario requiratur ad iuſtificationem. Eſt enim Abraham ante circumciſionem iuſtificatus, ſed poſtea addita eſt circumciſio tanquam ſigillum iuſtitiæ, quæ eſt ex fide. *Secundo*, profeſsio vitæ Abrahæ ante iuſtificationem, teſtatur eum nullis meritis propriis aut pręparantibus operib. à Deo receptum, ſed ſola bonitate Dei. *Tertio*, quod iuſticia fidei ad omnes promiſcue pertineat, hoc Abrahamico exemplo indicatur. Eſt enim iuſtificatus Abraham antequam vllis notis externis diſcreti ſunt homines. Ex hac circumſtantia Prophetæ haud dubie conciones de vocatione Gentium extruxerunt. *Quarto*, quod ritus Moſaici non requirantur à iuſtificandis. Vt enim ſine illis Abraham eſt iuſtificatus, ita qui eius exemplo iuſtificabuntur, eos non requirant ad iuſticiæ complementum. *Quinto*, quod ſine lege morali & operibus in Decalogo præceptis contingat iuſtificatio, Nam ſi Abrahæ exemplo iuſtificamur, & is fuit iuſtificatus annis multis, id eſt, 430. ante legem, profecto fieri non poteſt, vt ex lege ſit iuſticia. Verum ſi quis obiicit legem moralem fuiſſe perpetuo, eáque non caruiſſe Abrahamum, reſpōſio facilis eſt, Nulla enim merces debetur operibus, niſi ex pacto Dei. Nam opera non ſunt intrinſeca dignitate meritoria, ſed acceptatione Dei, & ratione pacti. firma ſtat igitur conſequentia Pauli: Abraham iuſtificatus eſt fide promiſsionis, ante editum pactum de operibus, nimirum, qui fecerit ea homo viuet in eis, Ergo fide & non operibus eſt iuſtificatus. *Sexto*, quod vera & iuſtificans fides ſit certa πληροφορία, quæ non rationis argumētis ſuccumbit, ſed certo ſtatuit, eum qui promiſit mentiri non poſſe, vtut tota rerum natura reclamare videatur, & quod fides habeat adiuncta bona opera & obedientiam erga Deum, quódque nihil carius Chriſtiano eſſe debeat, quàm diuinæ voluntati obtemperare. Atque ita Prophetæ, pij Reges, Apoſtoli, atque adeo omnes pij poſt Abraham, primum ab exemplo didicerunt veram iuſtificandi rationem: deinde ex circumſtantiis perſonæ & facti, de rebus grauiſsimis admoniti ſunt. Hoc pacto pius concionator exemplo Pauli applicet & alia exempla, tum in ſe, tum in circumſtantiarum varietate, & ſemper in accommodatione meminerit reſpiciendum eſſe ad fidei analogiam.

De epidictica perſonarum tractatione.

Quomodo fiat. Epidictica perſonarum tractatio, totam vitam, adeóque omnes vitæ partes perſonæ alicuius pertractat, ídque eo ordine, quo loci perſonarum in Erotematis Philippi recitantur. Eſt enim is ordo non ſolum naturalis, verumetiam dicenti & audienti commodus. Verum hoc in primis obſeruandum eſt in Epidictica perſonarum tractatione, quod illa membra potiſsimum exornanda ſint, ex quibus tria illa ſupra commemorata, Doctrina, Imitatio & Admonitio, peti poſſunt. Nam Paulus Rom. 15. de hoc accommodationis modo admonet, cum inquit: Quæcunque ſcripta ſunt, in noſtram doctrinam ſcripta ſunt, &c. Debent itaque huiuſmodi membra ad totum Eccleſiæ corpus accommodari, quod fit vbi hypotheſin ad theſin recte trāsferimus. *Exēplum.* Vt ſi Baptiſtæ vita eſſet ἐπιδεικτικῶς tractanda ſequendus eſſet ordo naturalis, dicendúmque eſſet de parentibus, de conceptione, de natiuitate, de educatione, de vocatione, de officio, de teſtimonio Chriſti, de morte & iis, quæ circa mortem & poſt mortem contigerunt.

Partes. In membro de parentibus hęc inſunt, quod preces piorum aſsiduæ tandem exaudiantur, quod afflicti credentes conſequantur ad extremum conſolationem, quod Deus approbet matrimonium ſacerdotum.

In membro de conceptione, primum offert ſe officium Angelorum, quod ſint legati Dei & miniſtri Eccleſiæ. Deinde quod ſit memor Deus ſuarū promiſsionum. Tum quod Dei actio non impediatur impedimentis naturalibus, hoc eſt naturæ ſterilitate & defectu. Deinde quia Ioannes adhuc in vtero matris agnouerit Chriſtū, docet quod pueri recipiantur à Deo, & quod à pueris agnoſci & coli velit Deus.

In membro de natiuitate, gratitudo erga Deum pro acceptis beneficiis commendatur, Piorum officium mutuum oſtenditur, quod gratulari debeāt iis quibus benedictio Dei cōtingat. Denique quod pij debeant ſuos pueros Deo offerre ſeu commendare.

Deinde vitæ auſteritas nobis non Monaſticē, ſed ſobrietatem & obedientiam erga Deum cōmendat.

Poſthæc in officio ipſius, & circumſtantiis perſonæ & officij, non ſolum doctrina, ſed etiam conſolatio, conſtantia in officio, confeſsio, crux, amor veritatis, atque innumeræ aliæ virtutes piis commendantur. Conſolatio eſt, quod digito Saluatorē monſtrauerit. Conſtantia, quod Herodis minas & Phariſæorum contemnens, Euangelium intrepide docuerit. Confeſsio, quod ſe vocem clamantis in deſerto faſſus ſit. Crux, quod propter vocationem non ſolum vagatus ſit ſine certis ſedibus, ſed mortem quoque adire non dubitauerit. Hæc omnia quæ ſic eruuntur ex perſonæ & officij circumſtātiis, primum piis miniſtris verbi doctrinæ, imitationis & admonitionis gratia proponātur. Deinde in genere vniuerſæ Eccleſiæ, quantū ad cōmunia pietatis officia pertinet. Perſonalia enim facta, nō in ſpecie ſed in genere accōmodāda ſunt, quemadmodum ſupra admonui.

Alia forma tractādi exempla. Eſt & alia forma tractandi exempla, nimirum, cum non habeatur ratio ordinis, temporum, ſed tantum virtutum & vitiorum genera recitantur & illuſtrantur, ſed hęc forma paradigmati ſubiicienda eſt. Atque hæc de duplici paradigmatica & Epidictica perſonarum tractatione dicta ſufficiant. Ratio autem eruendi locos, per quos exempla accommodantur Eccleſiæ, poſtea vbi de locis communibus inueniendis tractabitur, exponenda eſt. hic ſufficit Methodum monſtraſſe, & paucis exemplis Methodi vſum oſtendiſſe.

DE DIDASCALICA
ſimplici rerum.

Quid ſit. Didaſcalica ſimplex rerum (hoc eſt, vt vſitate vocant, locorum ſimplicium) eſt cum de vna re ſimplici docēdus eſt auditor, vt de Deo, peccato, gratia, de iuſticia Chriſtiana, &c. *Quomodo tractanda.* Hæc forma ſubtiliorem tractandi rationem requirit, & maiori artificio indiget. Quanquam autem hæc Methodus expoſitione proprie conſtat, quemadmodum coniun-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

cta,argumentatione: tamen membra huius formæ argumentatione confirmabuntur. Itaque præſentis formę inſtrumentum proprie quidem eſt expoſitio. Argumentatio verò adhibetur fulciendis expoſitionis partibus. Præterea & hoc obſeruãdum eſt,quod triplex in hac forma ſoleat adhiberi expoſitio, nimirum Diæretica, Synthetica & Analytica. Nam aliàs alia ratio commodior eſt.

DE DIDASCALICA SIMplici rerum Diæretica.

Huius tractandæ ratio.

TAmetſi Diæreticus ordo (cuius membra potiſsima ſunt definitio & diuiſio) tractandi res ſimplices, & à Philippo in Methodo Didaſcalica ſimplici,& ab aliis Dialecticis diligenter indicatur: tamen operæpretium eſſe iudico,hoc loco tractandi rationem præſcribere, quæ commoda futura eſt nouitiis concionatoribus. *Summa capita.* Primum itaque ſumma capita proponam. Deinde tractationis Methodum ſubiiciam.

Sunt igitur hæc capita.

1. *Definitio.*
2. *Diuiſio* ſeu *Partitio.*
3. *Cauſſæ.*
4. *Effectus.*
5. *Vſus* & *Abuſus.*
6. *Antitheſes.*

I.
De Definitione.

Definitionũ vſus. Definitionum aliæ noſtræ ſunt, aliæ aduerſariorum. Illas vt veras exponemus, probabimus, comprobabimus & colligemus,Has vt falſas confutabimus. In vtroque genere eſt peculiaris methodus,ſed de priori prius dicendum eſt.

Partes quatuor. Definitio itaque quam pius concionator, & veram & immotam ſtatuet, quatuor habebit partes in tractatione:expoſitionem:rationem:comprobationem & complexionem.

1. Expoſitio. Expoſitio eſt oratio, per quam exponimus noſtram de re aliqua definitionem claris & perſpicuis verbis.

Eſt autem definitio Theologica duplex, contracta & copioſa. Illa genere & differentia cõtenta eſt. Hæc cauſas,adiuncta,propria, & circumſtantias interdum,generi & differentię accommodat.

2. Ratio. Ratio eſt definitionis probatio.

3. Comprobatio. Comprobatio,eſt per quam confirmamus ſeu declaramus rationem ſiue exemplis, ſiue aliis declarandi modis.

4. Complexio. Complexio eſt breuis Expoſitionis, Rationis & Comprobationis comprehenſio. Porrò quod dictum eſt de Ratione & Comprobatione,ita intelligi velim, quod non ſimplex ratio, neque ſimplex comprobatio, ſed & rationes & comprobationes plures adhiberi poſsint,prout commodum auditoribus,& rei tradendæ vtile eſſe videatur. Deinde & hoc obſeruandum eſt,quod definitio copioſa confirmanda, Analyſi prius reſoluenda ſit in propoſitiones,interdum etiam in terminos. Deinde rurſus paulatim coniungendæ ſunt partes per Syntheſin, & oſtendenda definitionis neceſſitas. Atque hæc omnia rationi definitionis ſubiicienda ſunt. Nunc exemplo vno atque altero præcepta illuſtremus, ac ſumamus primùm definiendum Matrimonium.

Exẽplum Matrimonium eſt viri & mulieris legitima coniunctio(hæc definitionis *expoſitio* eſt, ſequitur *ratio*) Scriptum eſt enim: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem,& adhærebit vxori ſuæ(ſequitur *Comprobatio*)Si hæc verba rite examinentur, in ipſis inueniemus,quæ poſuimus in definitione. Primum enim teſtantur coniunctionem debere eſſe, quæ legitima eſt,cum fit iuxta verbum Dei, & voluntatem Dei. Deinde cum dicit:Erunt duo in carne vna, vnius viri & vnius vxoris vult copulam, non vnius viri,& multarum vxorũ,neque vnius vxoris & multorum virorum,quemadmodum & primum coniugium Adam & Euæ teſtatur.(Sequitur *Complexio*) Cum itaque Deus ſua lege præceperit, vt legitime copulentur perſonæ, vt ſint non plures perſonæ in matrimonio quam duę,Relinquitur,matrimonium eſſe legitimam viri ac mulieris coniunctionem. Ex hoc exemplo vtcunque intelligi poteſt tractatio definitionis ſimplicis: quam ſi ad Dialectices leges & normas reuocare velis, Prima pars quæſtio dicitur,Altera ratio, Tertia rationis cõfirmatio ſiue Ætiologia,Quarta Concluſio,in qua hypothetica forma ipſa ratio cum quæſtione repetitur. Verũ membrorum appellationes, quas ſuperius recitaui,tractationi populari ſeruiunt magis, & intellectu faciliores ſunt.

Addamus etiam exemplum copioſæ definitionis, quod fuſius explicemus, ac ſumamus definiendum Euangelium.

Euangelium eſt doctrina diuinitus reuelata, in qua annunciatur liberatio à peccato, maledictione legis & ira Dei, & proclamatur remiſsio peccatorum, ſalus & vita æterna,credentibus in Filium Dei propter eiuſdem victimam,vt bonitas & miſericordia Dei prædicentur, vtque liberati per Filium, fructus Euangelio dignos edant, *Aliud exemplũ.* Hactenus expoſitio definitionis, quæ Analyſi reſoluenda eſt in has propoſitiones,Quarum *prima* eſt,quod Euangelium ſit doctrina diuinitus reuelata. *Definitionis Euangelij Analyſis.* *Secunda*,quod Euangelium annunciet liberationem à peccato,maledictione legis,ira Dei,&c. *Tertia*, quod proclamet remiſſionem peccatorũ,ſalutem & vitam æternam. *Quarta*,quod hæc beneficia contingant credentibus in Chriſtum. *Quinta*,quod Euangelij vis reſideat in victima Chriſti. *Sexta*,quod ex Euangelio Deus ſit prædicandus. *Septima*,quod homo gratitudinẽ ſuam Deo exhibere debeat,pie viuendo. Has propoſitiones ordine confirmare oportet. *Definitionis probatio. 1.* Sequitur ergo *ratio primæ propoſitionis*. Euangelium enim eſſe doctrinam diuinitus reuelatam Paulus clare docet, vocans Euangelium myſterium abſconditum à ſeculis. (*Comprobatio.*) Quibus verbis aperte docet,ex humana ratione non pendere Euangelium. Nam ſi ratio vllo pacto potuiſſet hanc doctrinam perſpicere ſuo acumine,nequaquam myſterium abſconditum à ſeculis dicendum eſſet (*Ratio ſecundæ propoſitionis*) Deinde *2.* annunciari in Euangelio liberationem à peccato,à maledictione legis & ira Dei, multa teſtimonia docent Prophetica & Apoſtolica. Daniel aperte dicit Chriſtum ablaturum peccatum. Paulus maledictionem legis per Chriſti aduentum abolitam docet. Pater clamat de cœlo ſe per Filium placatum (*Comprobatio*) hoc verum eſſe experti ſunt omnes pij, teſtimonium habentes Spiritus Sancti,per quem clamant,Abba pater, quod profectò non facerent, niſi certo ſtatuerent ablatum peccatum,maledictionem legis abolitam,iram Dei placatam: (*Ratio tertiæ propoſitionis*) *3.* Proclamari porrò in Euangelio remiſsionem peccatorum,ſalutem & vitam æternam, teſtãtur hęc teſtimonia,Ipſe Dominus dicit ſic ſcriptũ eſſe,quod oporteat prædicari in ipſius nomine pœnitentiam & remiſsionem peccatorum,incipiente prædicatione à Hieruſalem. Marci vltimo promittitur ſalus credentibus. Similiter Rom.10. Præterea Dominus ipſe vitam æternam promittit in ſe credentibus. Quid multis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

multis? Vniuerſa ſcriptura ſacra remiſsionem pec-
catorum,ſalutem,& vitam æternam pollicetur popu
lo Euangelium amplectenti(*Comprobatio*)Fieri enim
non poteſt quin ſublata ira Dei, maledictione legis
ac peccato,ſalus,iuſticia & vita ſit parta.verum quia
hæc non contingunt omnibus (Cain enim, Iudas,
Saul & multi alij perierũt,& hodie magna pars mun
di,proh dolor,ruit in æternum exitium) in defini-
4. tione additum eſt quarto loco, quod hæc beneficia
contingant credentibus(*Ratio*)Clare enim dicit Do
minus:Qui credit in me non peribit,ſed habebit vi-
tam æternam(*Comprobatio*)Et ne quis hoc ex condi-
tione operum pendere exiſtimet, Paulus hominem
iuſtificari fide ſine operibus ſcribit, & prolixis di-
ſputationibus confirmat ad Rom.& Galat. Porrò
5. quinto loco additũ eſt,quod Euangelij vis in Chri
ſti victima reſideat (*Ratio*) Sic enim Paulus inquit:
per redemptionem,quæ eſt in Chriſto Ieſu(*Compro
batio*)Vox etenim qua Paulus hîc vtitur eſt ἀπολύτρω
σις, hoc eſt redemptio, quæ fit dato pretio capitis
pœna,λύτρον enim propriè pretium liberationis eſt.
Tale pretium pro nobis ſoluit Chriſtus,quando fa
ctus eſt pro nobis peccatum,vt nos fieremus iuſtitia
6. Dei.Præterea ſexto loco adiectum eſt, Deum præ
dicandum eſſe propter ſuam bonitatem & miſe-
ricordiam (*Ratio*) Id quod ſatis conuincit Ange-
lorum cohors,canens nato Domino hunc hymnũ
Deo:Gloria in excelſis Deo,& in terra pax,homini-
bus εὐδοκία. (*Comprobatio*) Hoc namque ideo factũ
exiſtimemus eſſe,vt omnes qui hunc Chriſtum a
gnoſcunt, diſcant Angelorum exemplo bonitatem
& miſericordiam Dei prædicare, præſertim cùm i-
pſa natura clamitet gratitudinem reddendam eſſe
7. bene meritis. Poſtremo loco additur de fructibus,
quos edere debent liberati per Euangelium (*Ratio*)
Quod confirmatur teſtimonio Pauli dicentis, nos
in Chriſto Ieſu creatos ad bona opera,in quibus nos
ambulare vult Dominus. (*Comprobatio*) Quomodo
enim conuenirent iſta,nos liberatos à peccato,& ta
men facere deſideria peccati,Cum Paulus dicat,ap-
paruiſſe gratiam Dei ſalutarem omnibus homini-
bus,vt abnegata impietate & humanis deſiderijs ſo-
Cõplexio brie,& piè,& iuſtè viuamus,&c.(*Complexio*)Cum igi
tur firmis demonſtrauimus rationibus per Euãgeliũ
tolli peccatum,maledictionem legis,& iram Dei,&
ſuccedere in horum locum iuſtitiam, ſalutem & vi-
tam propter Chriſtum, dum in ipſum credimus, &
quod velit nos Deus propter hoc beneficium ſuam
bonitatem prædicare, ac vita tota gratitudinem o-
ſtendere, ſequitur quod antea propoſuimus, Euan
gelium eſſe doctrinam diuinitus reuelatam, in qua
annunciatur,&c.

Methodus confutatoria 4. partib. conſtat.

Atque in hunc modum,tractata noſtra definitio-
ne, ſi ſunt qui aliter ſentiunt, confutandi ſunt Me-
thodo confutatoria, quæ conſtat propoſitione, ſu-
blatione,oppoſita propoſitione,& ſolutione.

Propoſitio hoc loco eſt ſublationis pollicitatio.
Sublatio,eſt ipſa aduerſariorum propoſitio.*Oppoſita
propoſitio*, eſt ſolutionis pollicitatio. *Solutio*, eſt con-
Exẽplum. firmatio oppoſitæ propoſitionis. Sed res breui e
xemplo illuſtretur. Nec me clam eſt quod aduerſa-
rij noſtri Papiſtę garriant(hæc confutationis *Propo-
ſitio* eſt, ſequitur *Sublatio*) Euangelium eſſe nouam
legem de non vindicando, de abiiciendis facultati
bus,de non iurãdo &c. (Sequitur *Oppoſita propoſitio*)
Verum id quam friuolum ſit,non eſt difficile oſten
dere. (Sequitur *Solutio*) Id enim quod aſſerunt ex
diametro pugnat cum Chriſti ſacrificio, adeoque
cum vniuerſa ſcriptura, quæ fide nos conſequi
Euangelij beneficia clamitat.An non clara ſunt ver-
ba Pauli?Si iuſticia eſt ex lege,Chriſtus fruſtra mor-
tuus eſt. Hæc oppoſitę propoſitionis cõfirmatio,ex
locis cõfirmatoriis,hoc eſt Dialecticis petẽda eſt,de
qua re dicam in coniuncta locorum Methodo. Ve-
rum quid generaliter tum in cõfirmationibus, tum
in confutationibus obſeruandum ſit, hic admonẽdi
ſunt Studioſi. *Primum* itaque poſtquam perſpicuis
argumentis cõfirmaueris ἀντιπερίστασιν,ordine aduer-
ſariorum argumenta diluenda ſunt, & ſi res ita pa- 1.
titur,omnium primum genus ſumendum eſt, & po-
ſtea ad ſpecialia argumenta deſcendendum, vt in
præſenti cauſa.Primũ,confutandũ eſt, Euangelium
eſſe legem, Deinde nõ eſſe legem de vindictę prohi
bitione,de abiectione facultatũ,de nõ iurãdo,&c.

Generales obſeruationes in confirmationib. & cõfutationibus.

Exemplũ.

Præterea & hoc cum in cõfirmatione noſtræ ſen- 2.
tentiæ,tum in confutatione aduerſæ partis diligẽter
ſpectandum eſt,vt præoccupes ea, quæ vel prudẽtia
carnis, vel aduerſaria pars obiicere poſsit contra ea
quæ dicis,& ea confutes. Hoc Paulo vſitatiſsimum
fuiſſe apparet in ipſius ſcriptis. Quemadmodum in Exẽplum
propoſita confutatione ſententiæ Papiſtarum,quod
Euangelium ſit noua lex:Caro ingrata Deo inde ar-
ma arripit,contra doctrinam operum, & infert hoc
pacto.Si Euangelium liberat nos ſine operibus no-
ſtris, cur igitur bene operemur? Hæc obiectio per
occupationem tollenda eſt. Atque ita in omnibus
partibus concionis ſpectabit fidus Eccleſiaſtes quid
contradici poſsit.Sed pręcepta copioſæ confutatio-
nis & confirmationis infra tradenda ſunt.

De diuiſione & partitione.

Quomodo tractãda.

Hoc Methodi membrum commode in hũc mo-
dum tractari poteſt. Si *Primum* exponas tuam diui-
ſionem ſeu partitionẽ.*Secundo* probes. *Tertio* com-
probes.*Quarto* colligas rurſus. Exẽplum diuiſionis
ſit hoc: Audiuimus quid ſit lex. ſequitur vt quotu- Exẽplum.
plex ſit dicatur(huiuſmodi enim tranſitionis formu
la vtendum eſt,cum de vno in aliud deſcẽditur) Eſt
autem lex Dei triplex,Moralis, Ceremonialis & Iu-
dicialis. Hæc *Expoſitio* fuit (*Ratio*) Omnis enim lex
Dei aut mores format,aut ritus commendat,aut iu-
dicia exercet(*Comprobatio*)His enim rite hominis vi
ta conſeruatur & gubernatur.In ciuili enim vita,iu-
diciis opus eſt, in Eccleſiæ cœtu Ceremoniæ ſunt
neceſſariæ, religionem animi erga Deum, & pieta-
tem erga homines (in ſpirituali Dei regno)morum
præceptis cõſtare manifeſtum eſt(*Collectio*)Firmum
eſt igitur quod propoſuimus legem Dei eſſe tripli-
cem,Moralem,Ceremonialem, Iudicialem,præſer-
tim cum his tribus vitæ recta gubernatio conſtet,
ſiue vitam communem ſpectes,ſiue Eccleſiam, ſiue
ſpirituale Dei regnum. Hæc diuiſionis membra ſi
obſcura ſunt, definitionibus & ſubdiuiſionibus ex-
plicẽtur,ac rationibus & exẽplis illuſtrẽtur. Verum
ſi aduerſarius aliã diuiſionẽ, eámque falſam obtru-
dit,confutationis Methodo euertẽda eſt. Exemplo
non opus eſt in re aperta. Porrò partitio eadem ra-
tione inſtituenda eſt,vt pœnitentiæ partes ſunt con
tritio,fides & ſtudiũ recte formandi vitã.(*Ratio*)Pec
cati enim nos pœnitere oportet: & quia hæc contri
tio nihil prodeſt,niſi accedat fides in Chriſtũ,neceſ-
ſario & hæc additur: & quia neutrum horũ verum
eſt,niſi ſequatur ſtudium rectè & piè viuendi,neceſ-
ſario cum ſuperioribus coniungitur bonum propo
ſitum (*Comprobatio*) Nam videmus & ſcripturam &
exempla hæc tria coniungere.Dauid lapſus dolet ſe
peccaſſe, confugit per fidem ad miſericordiam, &
reliquam vitam quanta potuit diligentia innocen-
tem conſeruauit. Hæc partitionis mẽbra ſi defini-
tionibus & diuiſionibus,& earum rationibus diffun-
duntur,magna orationis & vtilis copia exurget.

Methodus confutatoria.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

De cauſis.

Metho-dus.

Iam rei cauſas addere oportet, prorſus naturali ordine,& per ſeiunctionem excludendæ ſunt quæ

Rationes.

putantur rei cauſæ,& non ſunt. Singulis cauſarum generibus ſuæ rationes lex verbo Domini adiiciēdę

Cauſæ cō iunctę.

ſunt. Cauſæ coniunctæ concurrunt in ſuis actionibus,& ſtant mutuis auxiliis, ſingulæque proprium

Cauſarū ordines.

quiddam habent in actionibus.Quare cauſarum ordines diligenter conſiderandi ſunt,ne fiat cauſarum confuſio, vnde poſtea magnæ tenebræ exoriuntur. Deinde & hoc obſeruandū eſt, cum aliquid præcipi

Cauſæ coordinatæ.

tur aut prohibetur,omnes coordinatas cauſas præcipi aut prohiberi. Vt cum ſanctificatio nominis Dei prę ipitur,quę fieri nequit ſine fide,& hęc non ſine noticia Dei contingit,quæ noticia Dei ſine prędicatione verbi Dei eſſe non poteſt. Ergo cum iubemur petere ſanctificationem nominis Dei, hæc ordine petimus, prædicationem verbi, noticiā Dei,

Exēplum.

fidem & ipſam nominis Dei ſanctificationem. Nūc breuiter exemplum ſubiiciam. Pœnitentiæ cauſæ ſunt non hominis liberum arbitrium. (Hæc ſeiunctio eſt.) Sed primum verbum Dei, Deinde Spiritus ſanctus,qui intus arguit peccatum,& excitat odium peccati in corde hominis, Tum voluntas motui diuino & verbo non repugnans. Fines ſunt, gloria Dei & ſalus pœnitentis. Hæ ſunt coniunctæ cauſæ, & ſtant mutuis auxiliis in ſuis actionibus, & facile apparet,ſingulas quiddam proprium habere in ſuo ordine ad effectum. Porrò quomodo hæc ſint explicanda definitionibus, & confirmanda teſtimoniis, ex ſuperioribus præceptis intelligitur.

De effectu.

Effectus exponantur, probentur,comprobentur & colligantur, & qui falſo rei tribuuntur, confutationis Methodo euertantur: vt ſi quis dicat, contritionem mereri remiſsionem peccatorum, Confutandus eſt eo modo, quem ſupra indicaui.

De vſu & abuſu.

Si fuit res in abuſu, confutetur abuſus confutationis Methodo. Deinde verus vſus exponatur, probetur & comprobetur.

De antitheſibus.

Antitheſes non certum locum habent, neque in hac Methodo, neque in aliis,ſed paſſim interſerēdæ ſunt illuſtrationis & amplificationis gratia. Putant enim Rhetores, nihil magis facere ad perſpicuitatē, quam Antitheſium ſeu contrariorum collationem.

DE DIDASCALICA SIM-plici Synthetica.

Quid ſit.

EXpoſitio Synthetica eſt,quando exordimur ab iis quæ antegreſſa ſunt rem, & paulatim per gradus cōponimus ea, & cumulamus donec omnia illa collecta videntur, quæ ad rei naturam excutien-

Exēplum

dam ſufficiunt. Vt ſi de pace, quam cum Deo habemus per fidem, dicendum eſſet, hæc κτ̄ σύνθεσιν exponi poſſent. Primum quæ offenſa. 2. Offenſę partes. 3. Mediator. 4. Compenſatio iniuriæ & dāni, ſeu ſatisfactio. 5. Reconciliatio. 6. Pactum reconciliationis. 7. Pacis declaratio ſeu promulgatio. 8. Fructus pacis. Hæc ſi ſigillatim cōfirmarentur, comprobarentur & illuſtrarentur teſtimoniis & exemplis, copioſa emergeret oratio. Hoc pacto σύνθεσις ſequitur ordinem naturæ,& omnes quæ precedunt natura quæſtiones inueſtigat, exponit, probat, comprobat, Antitheſibus, exemplis, ſimilibus & diſſimilibus illuſtrat. Porrò & hoc obſeruandum eſt, quod copioſæ definitiones hac Methodo extruātur, vt ſupra in definitione Euangelij videre eſt.

DE DIDASCALICA ſimplici Analytica.

ANalytica expoſitio eſt,quando à toto vel fine exordimur,& deinde partes, & ea quæ ad fidem requiruntur, inueſtigamus, ordine plane ſuperiori contrario, Vt ſi de oratione dicēdum eſſet, hac Methodo primum quid eſſet inuocatio (habet enim definitio totius rationem) & quis eius finis, exponendum. Deinde quæ ad orationem tanquam neceſſaria membra pertinent, enumerandum eſſet, vt ſunt affectus mentis, cauſæ cur orandum, quis orandus, per quem & quid orandum, quæ memoriæ gratia complecti ſoleo hoc verſiculo.

Quid ſit.

Exēplum

Affectus cauſæ, quis, per quem, quidque petendum.

Poſtremo addi poſſunt circumſtantiæ indifferentes, vt orationis circumſtantiæ indifferentes ſunt, Locus, tempus, geſtus. Hæc profecto ſi ſcripturis & exemplis probentur & illuſtrentur, magna & vtilis orationis copia naſcetur.

Porrò, quę hactenus dicta ſunt de ſimplici rerum ſeu locorum tractatione, ita intelligantur oportet, quod ſic fieri debeant omnia iuxta diuerſarum Methodorum ſimpliciū quæſtionū rationem artificioſam. Verum quoniam varietas exercitatos delectat, interdum harum Methodorū leges ad amuſsim non ſequuntur concionatores docti, ſed auditores quaſi in conſilium adhibent, & ea deligunt ex magna copia, quæ præſentibus auditoribus quàm vtiliſsima cognitu fore arbitrantur. Atque hanc tractandi rationem nonnulli Methodum prudentiæ appellant quæ circumſtātias auditorum præſentium, & rerum pondera metitur. Vt ſi quis de lege Dei eſſet dicturus, hic primum auditores contemplaretur, deinde rei pondus conſideraret, Tum facile ad pauca capita captu facilia reuocaret tractationem,& primum forte quid lex ſit exponeret, Secundo, an quiſquam legi Dei ſatisfaciat, Tertio, quis vſus, cum nemo ſatisfacit, Quarto, qualis legis abrogatio intelligenda ſit. Similiter fieri poteſt in aliis quæſtionibus ſimplicibus. Quanquam autem hæc ita ſint, nouitiis tamen concionatoribus, qui nondum exercitati ſunt, profuerit artis Methodum ſequi quam expoſui, idque tum propter memoriam confirmandam, tum vt exercitati diu multúmque, poſsint poſtea vtrumque genus fœliciter ſequi.

Diuerſarum methodorū vſus.

Methodus prudentię.

Exēplum

Sanctiſsimæ memoriæ Philippus Melanchthon populari captui ſe accommodans, in cuiuſlibet rei ſimplicis explicatione, hæc quatuor iudicat proponenda, declaranda & amplificanda: definitionem rei, cauſas, partes & officia. Definitio ex collatione multorum dictorum & illuſtrium exemplorum petita, rem totam veluti in vnam faſcem colligat, & ſummam rei breuiter proponit, cauſarum explicatio definitionem fulcit, partium recitatio diſtinctius rei naturam ob oculos ponit. Officiorum voce comprehenduntur vſus rei, effecta, & cauſæ finales.

Methodi ſimplicis explicatio ſecundum Melāchthonem.

Porrò eſt & hoc admonendum, quod in locorum ſiue ſimplicium, ſiue coniunctorum tractatione, ſi plures ſunt loci, obſeruare oporteat, vt is locus qui natura præcedit, etiam tractatione præcedat, Vt ſi de peccato & gratia eſſet habenda oratio, de peccato prius quàm de gratia dicendū eſſet. Sed ſi prorſus diſcreti ſunt loci, nihil refert, quo ordine eos explices, niſi fortè alter alteri in confirmatione opem ferat, Tum enim is priori loco explicandus eſt, quo explicato, iuuetur alter.

Loci methodi ſimplicis quo ordine tractandi.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

DE DIDASCALICA
coniuncta.

Quid ſit.

DIDASCALICA Concio coniuncta, ſiue coniunctorum locorum, eſt quando certi loci cõiuncti, hoc eſt propoſitiones, theſes & hypotheſes tractantur: quod tametſi propriè fit Methodo confirmatoria & cõfutatoria: plerunque tamen accidit, vt mixta Methodus adhibeatur.

Methodus mixta.

Nam ſi propoſitionis partes obſcuræ ſunt, Analyſis eas retexet, & partes ſeorſim proponet: Diæreſis propoſitas partes explicabit: poſtea Syntheſis componet: ac Methodus confirmandi ac confutandi compoſitum probabit, & quod cum eo pugnat confutabit.

Exemplũ

Vt ſi prima precatio tractanda proponeretur: Sanctificetur nomen tuum. Hîc neceſſariò primùm Analyſis eſſet adhibenda, quæ in duas ſimplices partes retexeret hanc propoſitionem, in nomen Dei, & ſanctificandi verbum. Deinde Diæreſis vtramque partem, vnam poſt alteram definitionibus & diuiſionibus explicaret, Tum Syntheſis rurſus componeret partes. Hinc iam confirmatio & confutatio tempeſtiuè adhiberetur. Atque hoc præceptum perpetuò ſequendum eſt, vbi partes propoſitionis explicatione indigent, aliàs minimè.

Parabolæ qua methodo explicandę. Exemplũ

Præterea in parabolis adhibenda eſt Analyſis, vt primum retextas partes proponas. Deinde eaſdem per comparationem rei ad quam pertinet parabola accommodes. Tum extruas doctrinas & paræneſes, vt in Euangelij parabola de ſemine, partes parabolæ ſunt quinque: Seminator, Semen, Seminatio, Terra, Fructus. Seminatori Deus: Semini verbum Dei: Seminationi prædicatio verbi: Terræ auditores verbi: Fructui ſeminis, fructus verbi comparentur. His explicatis, extrues doctrinas & parænefes, Vt doctrinæ præſentis parabolæ ſunt: Prima, ſollicitudo Dei de noſtra ſalute procuranda. Confertur enim hîc Dominus diligenti agricolæ. Secunda, dignitas verbi. Tertia dignitas miniſterij. Quarta, quod nobis & Diabolo imputandum ſit, ſi fructum non ferat verbum.

Porrò paræneſes ex fine parabolæ extruendæ ſunt Sunt autem fines præſentis parabolæ, vt Dominus excitet auditores ad verbi amorem, vt arguat negligentes, vt conſoletur obedientes. Cæterùm in huius concionis genere, adhuc maior concionatoris vis & prudentia requiritur. Quare vt in hac parte ſatis alioqui difficili, iuuem nonnihil nouitios concionatores, ordine duo tradam. Primum enim Methodum inueniendi locos oſtendam. Deinde rationem indicabo eoſdẽ copioſe & vtiliter tractandi, In quibus duobus capitibus tota hęc facultas cõſiſtere videtur.

DE INVENTIONE LOcorum communium.

Aduerſus intempeſtiuas locorum cõmunium tractationes.

NE quis, quod primum in buccam venit, arripiat tanquam locum communem, quemadmodum illi facere conſueuerunt, qui ex ſingulis ferè vocibus aliquid venantur, parum ſolliciti, ſiue ad negocium pertineat propoſitum, ſiue non, vt qui hoc ſolum quærunt, vt magni architecti, & locorum communium non imperiti fabri videantur: opus eſt præceptis, intra quorum ſepta animus inquirentis contineatur. Et tametſi res maior eſt, quam vt paucis præceptis abſolui poſſit: tamen prodeſt nouitiis cõmunia quædam præcepta tenere, quæ ſequi tutò & cum fructu eorum quos docebunt, poſſint.

Communia præcepta de locis communibus

Primum itaque omnium lecto & intellecto textu aliquo, quæratur textus occaſio, ſummaria comprehenſio, & finis ſeu vſus: quod quomodo fieri debeat, in Dialectico interpretãdi genere ſuperius declaratum eſt. Deinde textus partes ſeu propoſitiones quærantur. Tum ex his iuxta ſequentes regulas loci eruantur communes, qui ad finem rei propoſitæ facere videntur.

Prima Regula.

Si propoſitionis ſubiectum fuerit ſingularis terminus, loco eius ponito gradatim ſuperiora, hoc eſt ſpeciem primo loco: Deinde genus proximum: Tũ ſi videbitur adhuc ſuperius genus, & componantur hæc ordine cum propoſitionis prædicato. Pſal. 122. In principio hæc eſt propoſitio.

Exemplũ primæ regulæ.

Lætor, inquit Dauid, cum mihi dicitur, in domum Domini eamus. Primũ facito enallagen perſonæ in hunc modum: Dauid lætatur, cum dicitur ei, in domum Domini eamus. Hic iuxta regulam, primum regis vocabulum, Deinde magiſtratus, Tum hominis ponito. Hoc facto, coniungito hæc ordine cum prædicato, in hunc modum. Regium eſt lætari cum ſubditi conſentiunt in religione. Magiſtratus eſt lætari, quod habeant ſubditos, qui ſecum conſentiant in religione. Omnium hominum gaudium eſſe debet conſentire in cultu Deo præſtando. Ecce tot theſes hæc prima & puerilis regula ſubminiſtrauit, quarum vltima cõmuniſſima eſt, & in plurimas hypotheſes diffundi poteſt, de quarum certitudine ex regula ſequenti iudicandum eſt: Approbato exemplo in ſubiecto, approbatur res in genere. Cum igitur in Dauide approbatur hoc factum, res in genere improbari non debet, & contra: Reprobato exemplo in ſubiecto, reprobatur res in genere, vt Ozias Rex Iuda inuadens alienum officiũ, diſplicuit Deo: Ergo reges atque adeo omnes qui aliena agunt, Deo diſplicent. fuit enim non regum, ſed ſacerdotũ officiũ, offerre incenſum thymiamatis.

Secunda Regula.

Si in locum prædicati ſubſtituantur gradatim ſuperiora vt ſpecies proximæ, poſtea genera alia atque alia, copioſa emerget locorum inuentio. Hæc regula ſæpiſsime quidem in aliis rebus, ſed ſemper in Chriſti hiſtoriis ſequenda eſt.

Exemplũ

Vt Chriſtus ſanat Samaritanum leproſum inuocantem, Sed quia hic Samaritanus eſt Ethnicus, afflictus homo: collige hinc Chriſtum iuuare Ethnicos afflictos, & omnes homines, qui ipſum inuocant. Et quia ex Chriſti particularibus factis colligitur eiuſdem officium in genere, licet in hunc modum locum extruere, Quod Chriſti ſeu Meſſiæ officium ſit, iuuare miſeros & afflictos ſe inuocantes.

Tertia Regula.

Si in locum tum ſubiecti tum prædicati ſubſtituas per gradus ſpecies & genera, copia communiũ propoſitionum naſcetur.

Exemplũ

Vt Dauid committens adulterium eſt expulſus regno. Ergo reges grauiter delinquentes punientur, atque adeo omnes qui flagitioſe viuunt, ſupplicia aliquando debita luent. Colluuies impiorum hominum Cataclyſmo abſorpta eſt. Ergo flagitioſi aliquando pœnas daturi ſunt.

Quarta regula.

Exemplũ

Aliquãdo prodeſt ex concretis abſtracta facere, vt mulier Cananea credens, Mat. 15. in neceſsitate Chriſtum accedit, inuocat, non patitur repulſam, ſed magis inſtat, quemadmodum & archiſynagogus, qui credens, ſecum totam domum conuertit ad Dominum. Hinc collige fidei proprietates, nimirum quod fides in neceſſitate conſtitutum hominem impellit ad Chriſtum vt eum inuocet, inſtare facit vt impetret, augmentum dum tentatur, ſu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſumit,ac tandem gratiſſimos Deo fructus edit. Hæc regula ex loco coniugatorum vim habet. Sed quoniam quæ de fide recitaui, præcipua ſunt fidei momenta,ea in duos verſiculos incluſi,hoc pacto:

Vera fides Christum petit & rogat,instat,ab ipſo
Impetrat,& creſcit.ſ.uctificatque ſimul.

Aliud exemplum.

Aliud exemplum. Beatus vir qui timet Dominum.Locus communis: Vera beatitudo conſiſtit in timore Domini. Huius regulæ vſus eſt magnus non ſolum in locorum inuentione, verumetiam in definiendis concretis.Nam quemadmodum Ariſtoteles & Rodolphus docent, ex deſcriptione concretorum colliguntur abſtractorum definitiones. Vt ſi quid pietas ſit, velis definire,ſume concretum pius in illuſtri exemplo.Vt Abraham pius timet Deum, veraque fide & obedientia illum colit. Ergo pietas eſt timor Dei,fides & obedientia erga ipſum. Hac via Ariſtoteles multarum virtutum differentias inueſtigauit, quam ſibi non inutilem fore facile animaduertent Studioſi Theologiæ.

Quinta regula.

Exemplũ.

Diligenter quæ rem præpoſitam antecedunt, quæ cum eadem coniuncta ſunt, & quæ eam neceſſario conſequuntur ſpectanda erunt,atque in locos communes includenda,vt Pſal.2.Beati omnes qui confidunt in eo. *Primum* hic ex antecedentibus ſequitur, Sine Chriſto neminem beatum eſſe. Nam ſi tum demum fiunt beati,quando in Chriſto confidunt,ſine hac fiducia miſeri ſunt omnes mortales.Hic locus etiam à contrario ſenſu concluditur hoc modo: Omnes confidentes in Chriſto ſunt beati, Ergo omnes non confidentes in eo non ſunt beati. Si non beati certe miſeri ſunt. Vides vt hic locus ſuppeditat occaſionem de miſeria humani generis diſſerendi. *Secundus* locus eſt ex adiunctis, qui ſecundum quartam regulam extruitur,videlicet quod vera fœlicitas & beatitudo ſita ſit in fiducia Chriſti. *Tertius* locus,quod vniuerſale ſit beneficiũ. Generalis enim propoſitio ad nullam gentem aut hominem reſtricta eſt,ſed omnibus offertur beneficium, qui confidere in ipſo non recuſant. *Quartus* locus,quod fiducia in Chriſtum ſit modus, per quem beneficiorum Chriſti redduntur homines participes. *Quintus*, ex hoc loco ſequitur locus de Chriſti diuinitate. Nam ſi fiducia in ſolo Deo reponenda eſt,& beatus pronunciatur qui confidit in Chriſto:ſequitur profecto Chriſtum verum Deum eſſe.

Sexta regula.

Exemplũ.

Cauſarum & effectuum neceſſaria conſecutio non eſt negligenda.Nam ſi cauſa ponitur, effectus concluditur potentia vt in ſymbolo, dum agnoſcimus Deum omnipotentem, fides inde eruit duplicem effectum,Vnum,quod Deus poſſit benefacere quibus vult. Alterum,quod ſit illi facultas defendendi quos in ſuam tutelam aſſumit. Sed addamus illuſtrius exemplum. In Cœna Domini ex cauſarum & effectuum conſecutione colligendæ ſunt hypotheſes de vera Sacramenti meditatione. Cum itaque Cœna Domini Sacramentum ſit noſtræ per mortẽ Chriſti redemtionis, *primum* Cœnæ celebra-

Aliud exemplum. Hypotheſes de meditatione Cœnæ.

1. tio cogitationem de peccato mentibus inſtillat.
2. Nam ob peccatum mortuus eſt Dominus. *Secundo*
admonet de victima peracta ad redimendum hu-
3. manum genus à iure peccati. *Tertio*,huius victimæ
dignitas & excellentia cogitationem ſuggerit piis
mentibus,non ſolum de magnitudine iræ Dei, per-
cutientis filium propter peccata noſtra,& inenarra-
bili miſericordia Dei recipiẽtis nos in gratiam pro-
pter victimã filij,ſed etiam de amore filij intercedẽ-
tis pro nobis,& deriuantis in ſe iram Patris.*Quarto*, 4.
contritio quidem ex cogitatione peccati & iræ Dei
naſcitur.Fides vero ex inenarrabili miſericordia Dei
& amore filij perſoluentis λύτρον pro nobis, excita-
tur. *Quinto*, hæc fides confirmatur & augetur vſu 5.
Sacramenti tantæ rei.*Sexto*,fides confirmata & aucta 6.
Deo gratam ſe exhibet, vitam pie,honeſte & iuſte
inſtituit, proximum cum quo habet communem
λυτρωτὴν diligit.

Ecce quantam doctrinam,quantam copiam,quam piam meditationem ſacræ Cœnæ, conſecutio cauſarum & effectuum ſuppeditat.

Aliud exemplum.

Aliud exemplum. Chriſtus remittit peccata ſua autoritate. Hic effectus monſtrat Chriſti diuinitatem,Latro obiurgat blaſphemãtem ſocium & Chriſtum inuocat,ex quibus effectibus,contritio,fides & noua vita latronis concluditur.

Septima regula.

Exemplũ.

Quæratur repugnans dicti, & repugnans conſequentis dicti, Vnde duo locorum genera oriuntur. Sit dictum:qui aliud Euangelium docuerit anathema ſit.Hic repugnans dicti eſt,Qui idem Euangeliũ docuerit,non eſt anathema. Conſequens dicti,quod Papa ſit anathema. Aliud enim Euangelium docet. Huius repugnans deſtruitur,vt Papa non eſt Eccleſię caput.&,Papæ non eſt obtemperandum.

Octaua regula.

Exemplũ.

Prodeſt interdum per contrarium ſenſum locum extruere,videlicet cum termini ſunt pares, vt iuſtus ex fide viuit. Ergo non iuſtus ex fide non viuit.ex quo ſequitur,neque ex operibus eſſe iuſticiam, neque vitam.Atque ita Paulus colligit ad Gal.3. Quoniam autem,inquit,in lege nemo iuſtificatur, manifeſtum eſt,quia ſcriptum eſt,iuſtus ex fide viuit. Similiter forma per contrapoſitionem interdum locos miniſtrat.Vt omnis qui ex Deo eſt,verba Dei audit. Hic locus per contrapoſitionem colligit, cum qui non audit verbum Dei,non eſſe à Deo.

Fontes regularum inuentionis locorum communium.

Hæ ſunt regulæ inuentionis locorum præcipuæ, quarum fontes ſunt loci Dialectici & regulæ conſequentiarum, & poſſent his plures addi,ſed has puto ſufficere nouitiis concionatoribus,quas ſi fuerint ſecuti, & ipſis in quærendis locis communibus expedita erit ratio,& ab aliis notatos locos dextre iudicabunt.Deinde & hinc iudicare poſſunt,cur non ſemper eoſdem locos diuerſi autores commonſtrẽt.Ratio enim diſcriminis eſt,cum diuerſitas inuentionis, tum quod alij loci aliis autoribus magis arriſerint.

Examinis locorum triplex inſtrumẽtum.

Poſtquam autem pius Eccleſiaſtes locos inuenit,examen apud ſe locorum inibit. Huic examini triplex inſtrumentum adhibebit.*Primum* enim diſpiciet, an alicubi in ſcriptura locus inuentus expreſſe ad verbum habeatur. *Deinde* demonſtratione ad impoſſibile examinetur locus, ſi expreſſus verbo Domini non eſt.*Tertio*,Syllogiſmo aliquo concludatur locus, & per conuerſionem ſyllogiſticam,tanquam ad Lydium lapidem probetur.

Exemplũ demonſtrationis ad impoſſibile.

Demonſtrationis ad impoſſibile ſit hoc exemplum.Locus probandus:Chriſtiani poſſunt tenere propria.Huius loci aſſume oppoſitum. Nulli Chriſtiani poſſunt tenere proprium. Iam quære propoſitionem aperte veram, quæ cum oppoſito poteſt altera præmiſſarum eſſe in ſyllogiſmo. Vt,omnes qui dabunt eleemoſynas debent habere propria, Ex quibus duobus præmiſſis ſequitur concluſio falſiſſima, videlicet quod nulli Chriſtiani dabunt eleemoſynas, ex huius aperta falſitate, deſtruenda eſt altera præmiſſarum. Quare cum maior aperte ſit vera, ſequitur minorem

eſſe

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

eſſe falſam. Hinc iam infertur ex lege contradictionis loci propoſiti veritas. Iam colligamus quod diximus. Omnes qui dabunt eleemoſynas debent habere proprium, Nulli Chriſtiani poſſunt habere proprium, Ergo nulli Chriſtiani dabunt eleemoſynas. Sed concluſio eſt falſa, ergo altera præmiſſarum: non autem maior, ergo minor, quæ dicit, Nulli Chriſtiani poſſunt habere propria.

Exemplũ conuerſionis Syllogiſticæ.

Conuerſionis ſyllogiſticæ ſit hoc exemplum. Locus. Quidam audientes verbum non ſunt pij. Syllogiſmus. Nulli ambulantes ſecundum carnem ſunt pij. Quidam audientes verbum ambulant ſecundum carnem, Ergo quidam audientes verbum non ſunt pij. Conuerte in hunc modum. Si qui nulli ambulātes ſecundum carnem ſunt pij, Et quidam audientes verbum ambulant ſecundum carnem. Ideo quidam audientes verbum non ſunt pij. Siquidem omnes audientes verbum ſunt pij, ſiue nulli ambulantes ſecundum carnem ſunt pij, Nulli audientes verbum ambulabunt ſecundum carnem, ſiue, quidam audiētes verbum, ambulant ſecūdum carnem, Certe quidam ambulantes ſecundum carnem erunt pij. ſed & nulli ambulantes ſecundū carnē non ſunt pij, & quidam audientes verbum ambulant ſecundum carnē, Stat, itaque firma concluſio, quoſdam audiētes verbum non eſſe pios.

DE RATIONE LOCOS INuentos copioſè & vtiliter tractandi.

Hic, quatuor requiruntur.

AD copioſam & vtilem locorum tractationem quatuor potiſsimum requiruntur, quorum *primum* eſt diductio quæſtionum, hoc eſt, locorum inuētorum: *Alterum*, copioſa confirmatio, *Tertium*, digreſsio: *Poſtremum*, artificioſa concluſio. De his quatuor eo quo propoſita ſunt ordine dicam, ſingula præceptis & exemplis declaraturus.

DE DIDVCTIONE *Quæſtionum.*

De multiplicatione loci communis in plures quæſtiones.

HIc non de inuentione locorum communiū, de qua iam dictum eſt, ſed de loci communis inuenti diductione, hoc eſt, multiplicatione in plures quæſtiones ſeu locos, dicendum eſt. Diducitur autem locus inuentus vel in ſimplices locos, vel in coniunctos. Vt ſi quartum præceptum explicandum

Exemplũ.

proponeretur. Primum hic locum communem quæreres iuxta præſcriptum primæ regulæ hoc pacto, Parentes ſunt honorandi. Parentes ſuperiores ſunt. Ergo ſuperiores honorandi ſunt. Hic locus communis in tractatione quarti præcepti eſt principalis, & tractandus præcipue. Verum vt copioſe tractari poſsit, profuerit eum diducere in alios locos, ſimplices quidem, quos præbent ipſa verba, coniunctos verò, qui vel ex iis quæ ipſis verbis neceſſario inſunt, veluti ſpecies ſeu hypotheſes in ſuis generibus & theſibus inſunt, & quæcunque cum re neceſſario coniuncta ſunt: vel ex iis, quæ ex conditione rei adhærent, petuntur. vt in propoſito exemplo duo inſunt ſimplices loci, Vnus de honore, Alter de ſuperioribus. Hi tractandi ſunt ſeorſim Didaſcalica rerū ſimplici modo quem ſupra tradidi.

Deinde ex diuiſione huius theſeos: ſuperiores ſunt honorandi, naſcuntur plurimæ hypotheſes pro diuerſa ſubiecti & prædicati diuiſione. Subiectum enim in has formas diuidi pōteſt, quod ſuperiorum alij ſunt priuati, qui vel naturales ſunt vt parentes, vel non naturales vt pædagogi, patroni & patresfamilias: alij publici, vt Ciuilis magiſtratus & Eccleſiaſticus cum ſuis differentiis. Deinde prædicatum honorandi, diuidatur in partes honoris. Qui enim honorat, reueretur eum, obtemperat, gratuſque eſt ei, Ita prædicati tres ſunt partes ſeu differētiæ. Hinc iam tanquam ex ſyluula extruamus hypotheſes: parentes reuereri oportet: parentibus obtemperandum eſt: parentibus gratitudo præſtanda eſt. Præceptores oportet reuereri, præceptoribus obtemperandū eſt, præceptoribus gratitudo exhibenda eſt. Patronos oportet reuereri, patronis obtemperandum eſt, patronis gratum eſſe oportet. Ad eundem modum cōſtituantur hypotheſes ex reliquis quæ poſui, vnde emerget maxima quæſtionum neceſſariarum copia. Iam ex iis quæ ex conditione inſunt, nonnunquam vtiliter petuntur loci, vt ſi parentes, præceptores, patroni ſunt moroſi, difficiles, tyranni, an tum ſit illis reuerentia, obedientia & gratitudo præſtanda, & quatenus. Atque ita ex aliis conditionibus multiplicantur quæſtiones. Verum hoc poſtremum genus quæſtionum, quod ex conditione naſcitur, per occupationem commode tractabitur. Ecce ſi has hypotheſes ἀναλυτικῶς retexueris, & διαιρετικῶς tractaueris, & Methodo confirmaueris confirmatoria, & exornaueris: non vna concio, ſed tot quot ſunt hypotheſes, inſtitui poſſunt. Fateor non omnes locos communes præbere tantam hypotheſium ſyluam, Attamē nullus eſt tam ieiunus, quin aliquot ſaltem ſuppeditet, quas ea ratione, quæ expoſita eſt, extruere oportet ex loco cōmuni, quod vt dextre facias, plurimum iuuabit, ſi prædicabilium, prædicamentorū & propoſitionum doctrinam quàm optime cognitam habeas.

DE COPIOSA *confirmatione.*

COPIOSA confirmatio conſtat probationum generibus, congerie, expolitione argumentorum, & cōfutatione ſententiæ cum noſtra pugnantis, de quibus ordine dicam.

DE GENERIBVS *probationum.*

Triplex genus. 1. Teſtimonia Scripturæ.

PROBATIONVM itaque genus in Theologia eſt triplex. *Primum* & tutiſsimum eſt, cum ex pronunciatis ſcripturæ claris & perſpicuis, ducitur probatio. Vt parentes honorandi ſunt, quia quartum præceptum clare & perſpicue ſonat: Honora patrē tuum & matrem tuam. Item, ex fide eſt iuſticia, & non ex operibus, quia verbum Domini ſic pronunciat: Statuimus hominem iuſtificari fide abſque operibus.

2. Ratiocinatio.

Secundum genus ratiocinatio eſt, quoties non ex claris dictis pronūciatur, ſed colligitur firma & immota conſequentia. Atque hoc genus duplex eſt, Directum & obliquum. Directum quidem, cū ſimpliciter prima concluſione quod probandū eſt colligitur, quod genus ſumitur à locis inuentionis: genere, ſpecie, definitione, cauſis, deſtinatis & adiunctis, &c. Vt ſi quæratur, an præceptores honorandi ſint, ex genere recte concludo: Omnes ſuperiores ſunt honorandi, ergo & præceptores. Obliquū vero non ſimpliciter concludit quod probandum proponitur, ſed ex oppoſito colligit abſurdum, ex quo rurſus deſtruit antecedens, quo deſtructo, ſequitur veritas oppoſiti. Vt ſi ſuperiores non ſunt honorandi, neque parentes honorandi ſunt, Sed falſum hoc eſt, ergo & illud. conſequitur igitur ſuperiores honorandos eſſe.

Directa. Obliqua.

Tertium genus eſt infimum, quando exemplis nitimur corū & teſtimoniis, qui in Eccleſia excelluiſſe videtur, quod genus infringitur, ſi ſuperiorib. probationib. deſtituitur. Proponamus

3. Exempla & teſtimonia piorum hominū.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

& aliud exemplum. Sit quæſtio, vtrum Chriſtus ſit Deus, Hoc *primum* probatur dicto, ſeu primo genere probationum. Nam 1. Iohannis 5. ſic dicitur de Chriſto. Hic eſt verus Deus & vita æterna. *Secundo* ratiocinatione. Chriſtus fecit diuina opera propria potentia, & Chriſto tribuitur diuinus cultus, Ergo eſt Deus. Obliquo ductu. Si Chriſtus eſſet creatura tantum, maledictus eſſet omnis qui in ipſum confideret. Sed iam verbum Dei pronunciat beatos, qui in illum confidunt, Ergo non creatura eſt, ſed verus Deus. *Tertio* teſtimonium Eccleſiæ, vt ſymbolum Athanaſij & omnium piorum conſentientia ſuffragia, Chriſtum Deum eſſe teſtantur. Porro hæc noſtra probationum diſtinctio nec ratione, nec exemplo caret. Ratio quidem hæc eſt, Quicquid probatur vel improbatur in rebus ſacris, id neceſſe eſt vt fiat vel ſcripturæ, vel Eccle[ſi]æ teſtimonio. Si ſcriptura id fit, erit alias expreſſo verbo, vnde primum genus naſcitur, alias incluſiuè ſiue implicitè, idque vel in theſi vel in hypotheſi, vnde ſecundum genus probationū ſumitur. At ſi Eccle[ſi]æ teſtimonio probatur aliquid, tertium erit probandi genus. Exemplum verò Pauli habemus, quem hoc triplici probationum genere, in ſuis ſcriptis vſum fuiſſe manifeſtum eſt. Quod ex fide ſit iuſticia, *Dicto* probat, cum inquit: Iuſtus ex fide viuit. *Ratiocinatione*: Si ex operibus eſt iuſticia, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Hinc nunc ſequitur quod propoſuit, ex fide eſſe iuſticiam. *Exemplo.* Credidit Abraham Deo & imputatum eſt ei ad iuſticiā. Item, Nos in Chriſtum credimus, vt iuſtificaremur ex fide. Hæc genera ſi late diffunduntur, maxima futura eſt probationum copia, ſed adhibendus eſt tamen modus, ne copia ſit intempeſtiua, atque ideo faſtidium pariat.

Exemplū ad 3. probationis genera accommodatum.

Confirmatio distinctionis trium generum probat. ab autore propoſitæ.

Exemplū illuſtre.

De congerie.

Quid ſit.

Congeries hoc loco eſt, quando propoſitioni ſeu loco communi probando ſubiiciuntur præcipuorū argumentorum capita, & quaſi in vnum faſciculum congeruntur. Vt ſi hæc propoſitio tractanda eſſet: Legi diuinæ nemo ſuis viribus ſatisfacere poteſt, poſſent ſequentia argumentorum capita, per congeriem in hunc modum ſubiungi, hoc enim experientia omnium hominum conuincit: hoc ſaucia natura congemiſcens agnoſcit: Hoc vniuerſa ſcriptura clamitat: hoc denique victima filij Dei horrendis modis lacerati in patibulo crucis, comprobat. Hoc modo Cicero propoſitioni ſubiungit argumentorū congeriem, quem in diſponendis argumentis doctiſsimi quique imitari ſolent. Cæterum, tametſi Cicero interdum ab vltimo capite, expolitionē argumentorum in congerie poſitorum incipit, cui primum ſubiungit, & poſtea pergit vſque ad penultimum, quod fit tractatione vltimum: tamen Theologo & concionatori tutius eſt, ordinem in congerie poſitum in expolitione ſequi.

Exemplū.

De expolitione.

Quid ſit.

Expolitio eſt per quam argumentum propoſitū confirmatur & exornatur. Conſtat autem copioſiſſima expolitio, propoſitione, ratione, ætiologia, exornatione & concluſione.

Partes.

1. *Propoſitio* eſt, quæ argumenti caput aliquod proponit, tanquam confirmationis propoſitionem.
2. *Ratio* probat propoſitionem, & hæc talis eſſe debet vt ſit minor ſyllogiſmi.
3. *Ætiologia* rationis cauſam addit, & talem eſſe conuenit, vt vel maior ſyllogiſmi, vel eius probatio ſit, Atque ita ex propoſitione, ratione & ætiologia, fit ſyllogiſmus integer, ſed ordine inuerſo. Poſt ætiologiam ſequetur
4. *exornatio*, quæ ſumenda eſt à ſententiis, comparatis, contrariis, ſimilibus, exemplis.
5. Poſtrema erit *concluſio*, quæ ſuperiorum ſummam colligit, & propoſitionem principalem concludit.

Hæc expolitionis præcepta ſunt, nec pugnāt quæ dixi cum illorum ſententia, qui ſeptem expolitionis partes numerarunt. Non enim eſt vnum expolitionis genus, ſed ego id tantum delegi, quod aptiſsimum nouitiis concionatoribus fore arbitrabar.

Cæterum vt præcepta expolitionis intelligantur, vnum exemplum ſubiiciam. Propoſui ſupra locum communem: Legi diuinæ nemo ſuis viribus ſatisfacere poteſt. Deinde huic loco quatuor probationum capita per congeriem ſubieci, quorum primum fuit, quod experientia omnium hominum id verum eſſe conuincat. Hoc caput ſit expolitionis (*propoſitio*), in hunc modum: Experientia omnium hominum conuincit neminem legi Dei ſatiſfacere. (*Ratio*) Omnes enim homines in ſeipſis facile ſentiunt, quam procul abſint à legis Dei perfecta & perpetua obedientia. (*Ætiologia*) Vident enim legem Dei ſanctam & perfecte viuendi regulam, & ſeipſos plane prophanos natura, & imbecilles. (*Exornatio à ſententia.*) Vſque adeo verum eſt, quod Propheta clamitat, omnes iuſticias noſtras eſſe veluti pannum menſtruatę mulieris: quę ſententia quomodo conſtaret, ſi experientia vllius hominis ſani diuerſum eſſet experta. (*Exornatio à comparatis.*) Quemadmodum enim arbor, cuius radix eſt putrida & venenato ſucco infecta, nunquam fructus niſi venenatos producit: ita homo cuius cor peccati veneno infectum exiſtit, nequaquam poteſt puram & integram obedientiam præſtare legi Dei. (*Exornatio ab exemplis.*) An non hoc fatetur ſanctus Abel in ſuo ſacrificio? Profecto ſic eſt. Nunquam enim Deus probaſſet Abelis ſacrificium, niſi Chriſtum promiſſum Sanctus ille vir agnouiſſet eum, qui credentes iuſtificaret, & ſuum peccatum intellexiſſet, quo ſe impediri nouit, vt nō potuerit legi Dei ſatisfacere. Nam ſi putauiſſet ſe legi Dei ſatisfacere poſſe, nunquam recte ſacrificaſſet, hoc eſt, ſacrificio declaraſſet promiſſum ſemen eſſe legis completorem. Huc & Dauid locupletiſſimus teſtis adiiciatur, qui ad Dominum clamans aperte fatetur, non iuſtificari in conſpectu Dei vllum mortalium. Omnes enim declinaſſe & inutiles factos cōqueritur &c. (*Concluſio.*) Cum igitur Dauidem teſtem habeamus: cum peccati virus agnoſcamus: cum legis puritatem, & immundiciem noſtram contemplemur, quis quæſo niſi amens negabit? ſe experiri ſuam in præſtanda obedientia legi Dei imbecillitatem, & (vt ita dicam) εὐτενίαν, In hoc exemplo vtcūque videre eſt expolitionis vſum: quod ſi fuſius tractare inſtituiſſem, ſingulis partibus dilatatis & multiplicatis, integra oratio, vel ex hoc primo probationis capite fluxiſſet. Ad eundem modum reliqua tria capita in congerie poſita, eſſent expedienda. Hinc non difficile iudicare poſſunt ſtudioſi adoleſcentes, huius expolitionis eſſe ſummam vtilitatem. Quare operæpretium facturi ſunt, ſi multum ſe in expolitionis tractatione exerceant. Hinc enim eam facultatem conſequentur, vt poſtea in ſeriis negociis & ſacris concionibus hæc expolitionis præcepta, vel non cogitata dicentibus occurrant.

Exemplū ad locum communē Quod legi diuinæ nemo ſuis viribus ſatisfacere poteſt.

De confutatione.

Confutationis methodus, quæ conſtat propoſitione, ſublatione, oppoſita propoſitione, & ſolutione, ſupra eſt declarata & exemplis illuſtrata. Quare hic tantum admonebo auditores de loco confutationis.

Partes.

Locus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Quomodo in medium producenda. Exceptio.

Locus itaque proprius confutationi aſsignatur mox poſt confirmationem, quem tamen locum perpetuo non habet. Nam quoties alia ſententia quam noſtra, auditorum animos occupauit, Exordium ſumi poteſt à confutatione : quam legem non ſolum Ariſtoteles & Cicero, verumetiam Paulus ſecutus eſt in Epiſtola ad Romanos. Confirmaturus enim hanc propoſitionem, Quod iuſticia ſit ex fide, primum confutat Gentium & Iudæorum præiudicia. Gentium quidem quæ lege naturæ ſe iuſtos putabant. Iudæorum vero qui ex lege diuinitus ſibi tradita ſe iuſtos gloriabantur. Ex hac cõfutatione prȩiudiciorum, dilabitur Paulus in propoſitionem, quã repetit primum, & poſtea iuſtam confirmationem ei ſubiungit. Hæc Pauli exemplum ſequendum iudico, quoties alia quam noſtra ſententia occupantur auditorum animi.

DE DIGRESSIONE.

Quinque eius præcepta.

DIGRESSIONIS præcepta ad quinque mo-
menta reuocari poſſunt, & ſunt locus, modus,
1. materia, tempus & reditus à digreſsione. De loco
hoc obſeruandum eſt, quod digreſsio probatæ ali-
cui propoſitioni ſubiici debeat. Importuna enim
2. digreſsio eſt, quæ fit re nondum confirmata. *Modus*
talis adhibendus eſt, ne diſcentiũ memoriam inter-
turbet moleſta prolixitate. Infeliciter enim docent,
qui neglecta doctrina, leuiſſima aliqua affecti iniu-
ria, integras horas declamitant in vnum atque alte-
3. rum, quem offendiſſe iudicant. *Materia* digreſ-
ſionis ad exhortationes, conſolationes & obiurga-
tiones, ſed non quaſuis, pertinet. Talis enim debet
eſſe digreſſionis materia, vt ſponte videatur fluere
ex doctrina, non accerſita aliunde. Niſi enim doctri-
næ vis & natura, digreſsionis materiam offerat, fieri
non poteſt, vt ad ædificationem faciat. Hoc præce-
ptum ideo diligentius obſeruandum eſt, quia non
raro ab inexercitatis contra illud peccatur, non ſine
verbi Dei iniuria, & auditorum damno. Quarto lo-
4. co *tempus* poſui, quod requirit neceſſario digreſſio-
nem. Quando enim auditores vel à doctrina abhor-
rent vel pigriores videntur, vel puſillanimes exi-
ſtunt, tum obiurgandi, excitandi & conſolandi ſunt.
5. *Reditus à digreſſione* ſit non violentus, ſed vel finis e-
ius ita aptetur, vt coëat cum ea parte orationis, vn-
de digreſſum eſt, quod fieri vix poteſt, niſi vis do-
ctrinæ digreſſionis materiam præbuit, vel aliquo
ſchemate adhibito recurrat ad doctrinam. Cum pri-
mum Beatus Lutherus cœpit vindicare doctrinam
Euangelij contra Papalem tyrannidem, opus erat a-
crioribus ſtimulis. quare crebrior fuit in digreſſioni-
bus, quemadmodum in ipſius ſcriptis videre eſt. Nũc
vero cum doctrina firmata eſt, & redditus eſt Eccle-
ſiis noſtris tranquillior ſtatus, parcius iſtis acriori-
bus ſtimulis vtendum eſt.

Cur D. Lutherus crebrior eſt in digreſſionibus.

Deinde quia neque vocatio ſimilis, neque autoritas omnium par eſt, cogitabunt nouitij concionatores ſuæ modeſtiæ eſſe, rarius extra metas euagari. Cæterum ſi quis horum præceptorum de Digreſſione exẽpla requirat, legat Epiſtolã ad Hebræos. Hæc enim vna ingentẽ exemplorum ſyluã ſuppeditabit.

DE ARTIFICIOSA *concluſione.*

Quid obſeruari debeat in alicuius loci ſeu concionis integræ epilogo.

DIxI ſupra qualis concluſio adhiberi debeat in ſingulorum argumentorum expolitione. Hic dicendum eſt de loci alicuius ſeu concionis integræ Epilogo, in quo hæc ſunt obſeruanda. 1. Vna propoſitione repetendus eſt locus explicatus. 2. Inſtituenda eſt breuis enumeratio argumentorum, & maxime præcipuorum capitum. 3. Sequatur illatio, in qua tria coniungi poſſunt, quæ tribus propoſitionibus abſoluenda ſunt. Quid doceat prȩſens locus, quid confutet, quid moneat. 4. Omnia ita ordinanda ſunt, vt facilior ſit tranſitus in locum ſequentem, ſi plures explicandi reſtant. Vt, explicato loco quem ſupra propoſui : Quod nemo ſuis viribus legi Dei ſatiſfacere poſſit, non incommoda foret hæc concluſio (*Loci repetitio*) Quis modo poſthac ſe ſuis viribus legi Dei ſatiſfacturum arbitrabitur? (*Argumentorum enumeratio*) cum non ſolum experientia reclamat, natura negat, ſcriptura paſſim apertis teſtimoniis confutat, verumetiam victima filij longe aliud docet. (*Illatio*) Quare hic locus docet nos omnes noſtram imbecillitatem & peccatum: confutat iuſticiarios, qui legis iuſticiam iactant: monet nos omnes, vt agnitis peccatis & imbecillitate noſtra, confugiamus ad Chriſtũ. (*Tranſitus*) quẽ nobis offert Euangelium, de quo iam nobis dicendũ eſt.

Exemplum.

DE PARÆNETICO *concionum genere.*

EXPLICATO vtcunque primo concionum genere, quod quia in docendo verſatur, Didaſcalicum nominaui. Nũc ſequitur alterum genus Paræneticum, quod ideo breuius tractabo, quia rarius ſolum & per ſe habetur. Didaſcalico enim vt plurimum admiſceri ſolet. Eſt autem paræneticum genus, quo vel ſuademus, diſſuademuſve, vel conſolamur, vel obiurgamus auditorem. Hinc triplex concio parænetica exoritur, nimirum ſuaſoria, conſolatoria & obiurgatoria, de quibus ordine hæc exponẽda ſunt. Primum definitio, deinde inuentio, tum tractatio, quibus breuiſſima ſubiungam exempla, quo præcepta facilius intelligantur.

Quid ſit.

Quotuplex.

DE SVASORIA *concione.*

SVASORIA concio eſt, per quam ſuademus ad aliquid vel faciendum, vel ferendum, vel etiam omittendum.

Quid ſit.

Loci inuentionis in hoc genere præcipui ſunt hi. Neceſſitas cauſæ, mandati, vocationis, vtilitas priuata & publica, dignitas perſonæ & rei. Exempla, antiqua, recentia, Chriſtiana, Ethnica. Item, parabolæ & γνῶμαι. Horũ omnium probationes, comprobationes & exornationes aſpergantur, & quemadmodũ ſupra admonui in Dialectica methodo, admiſcendas eſſe digreſſionis ſchemate exhortationes, conſolationes & obiurgationes: ita hic confirmatoria methodo loci parænetici confirmari debent.

Loci præcipui.

Porrò in tractatione quatuor concurrunt, occaſio, propoſitio, confirmatio & concluſio. *Occaſio* cauſas recitat parȩneſeos. *Propoſitio* exaggeranda eſt & multiplicanda, ac ſubinde aliis atque aliis verbis & ſchematibus iteranda. *Confirmatio* petetur ex locis iam commemoratis, in qua confirmatione duo præterea ſpectanda ſunt, gradus & ſchema. Gradus facit vt gradatim à leuioribus & minoribus ad grauiora & maiora, deinde grauiſſima & maxima aſcendas, alioqui vileſcet parænesis. Schema, non ſolum affectibus ſeruit, verumetiam orationem acutiorem (vt ita dicam) reddit, vt penitus in auditorum animos penetret, atque adeo ipſum cor totũ poſſideat. Huc Interrogatio, Subiectio, Exclamatio, Admiratio, Dubitatio, Occupatio, Hypotypoſis, Dialogiſmus. αὐτοποιΐα & huius generis alia, quæ à Rhetoribus nominantur & explicantur, referri debent. *Concluſio*, quam quartam tractationis partem feci, nouis præceptis non indiget, ſed eodem modo confirmabitur, qui ſupra monſtratus eſt. Cæterum vt præceptorum vſus conſpiciatur, exemplum vnicum ſubiungam.

Quæ concurrunt in tractatione.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Exemplum Suaſoriæ concionis.

1. Occaſio 2. Propoſitio. *Occaſio)* Quia video multos tardiores ad verbum Dei audiendum *(Propoſitio)* Conſtitui breuiter nos excitare ad verbi cœleſtis amorem, quo impellamur ad diligentius audiendam & conſeruandam doctrinam de cœlo nobis a latam. (πάθος) Quanquam dolendum eſt, mortales eſſe vſque adeo ſuæ ſalutis immemores, vt ſtimulis indigeant, quo properent eò, quò toto impetu ferri deberent 3. Neceſſitas cauſæ. *(Neceſſitas cauſæ)* Inde enim tantus torpor mentibus noſtris inſidet, quod non vt deberemus attendimus, quæ ſit verbi cœleſtis neceſsitas. An quiſquam omnium mortalium intelligere poterit voluntatem Dei ſine ipſius verbo? Profectò ſi ſapientia mundi, quemadmodum vere dicit Paulus, eſt ſtulticia coram Deo, fieri nequit, vt Dei voluntatem ſciamus, donec ſtulticiam carnis fuerimus ſequuti. Mandati. *(Neceſſitas mandati)* Excidiſſe ſane videtur mentibus mandatum Dei patris, Cuius hæc verba ſonant de cœlo: Hic eſt filius meus dilectus, hunc audite. Ipſe filius ſua verba à ſuis audiri cupit, Oues meæ vocem meam audiunt. Vnde conſequitur, eos qui aſpernantur vocem Chriſti, quam ſonat per miniſtros ſuos, non eſſe oues ipſius. Spiritus Sanctus voce Prophetarum & Apoſtolorum ad legem & ad teſtimonium inuitat. Quis itaque tu es, qui mandatum æterni Patris cõtemnis? Quis es qui filiũ pro te paſſum, inuitantem te ad audiendum ſuum verbum, aſpernaris? Quis es. qui Spiritus Sancti imperium detrectas? Vocationis. *(Neceſſitas vocationis)* Vſque adeo obliti ſumus, vnde & quo vocati ſumus. Nonne per verbum è tenebris Sathanæ educti in admirabilem Dei lucem ſumus? Hoc verbum nos vocauit: Hoc verbum nos Chriſtianos fecit: ſed nos interim adeo auguſti nominis obliti, ſalutis miniſterium negligimus. 4. Vtilitas. *(Vtilitas)* Quod ſi hæc tam auguſta vocatio nos non mouet, profecto mouere deberet proprij commodi ratio, qua vel bruta animantia tangi animaduertimus. Sed quis poteſt vlla ratione humana vel angelica recitare ſaltem huius vtilitatis, vel momenta quædam, præſertim cum Paulus poſt Eſaiam dicat, oculum hominis non vidiſſe, nec aurem audiuiſſe, nec aſcendiſſe in cor hominis, quæ Deus præparauit iis qui ſe diligunt. Nec eſt quod quiſquam ſe ſomniet Deum diligere, qui verba ipſius non audit, non meditatur, non confert inter ſeſe, vt myſteriũ in illis latens paulatim intelligat. Chriſtus enim λόγος Dei æternus dicit: Qui diligit me ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum. Huic dilectioni Patris & Filij maiora bona adiuncta ſunt, quam vt percipi poſſint humano ingenio. Tametſi Paulus ſummam his verbis complexus eſt, Euangelium eſt potentia Dei in ſalutem omni credenti. O ſtupidum hominem, O lapideum cor, quod tantam oblatam ſalutem ſpernit, reiicit, proterit. Vt proſpiciamus ventri, quid facimus? nõne artes diſcimus? nonne maria nauigamus? nullum gelu fugimus, nullum æſtum auerſamur, nullo tempore torpemus, quo miſero ventri proſpiciatur. His rebus interituris mouemur, & interim ſalutem noſtram relinquimus. Tanta eſt noſtra inſania, tanta peruerſitas & malicia, vſque adeo veneno illo Sathanico infecti ſumus miſeri, quod libentius velimus in ſceleribus noſtris mori, quam porrectam manum Dei apprehendere & ſaluari. Verum vbi nihil aliud habemus agendum, tum verbum Domini minori ſane reuerentia, quam olim Æſopum ſuas fabulas recitantem audiuerunt triobolares ſerui, nos audimus. Vtinam hæc noſtra oſcitantia non eſſet euidens ſignum pœnæ noſtræ ingratitudinis. 5. Dignitas perſonæ & rei. *Dignitas perſonæ & rei)* Quis putaſſet vnquam homines fore tam obliuioſos, vt ſtipulationis in Baptiſmo peractæ obliuiſcerentur? Ibi enim inaugurantur Chriſti corpori, & eius membra redduntur, vt cum illo conſortes ſint cœleſtium bonorum, nec alia re quam fide (quæ ex auditu verbi eſt) in corpore Chriſti permanere poſſumus. Hic merito dubitauerit aliquis, inſaniæ ne an ſtupiditati noſtræ aſcribatur, quod tantam dignitatem, quam habemus in corpore Chriſti, quod tantum cœleſtium bonorum theſaurũ, quem poſsidemus per Chriſtũ, reiicimus terque quaterque ingratiſsimi 6. Exẽpla. *(Exempla)* Mirum eſt nõ reddi nos cautiores aliorum incommodo. Stupendũ eſt, non venire nobis in mentẽ, quod totus mundus κατακλύσμῳ perierit propter verbi Dei contemtũ. Nõ mouemur exemplis Sanctorum Patriarcharum Abelis, Seth, Enoch, Noe, Abrahæ, atque adeo plurimorum, qui nunc Dei iucundiſſimo aſpectu fruuntur in cœlis. Lætor inquit Dauid, cum mihi dicitur, in domum Domini eamus, Sed nos contra lætamur, cum mundus nos ad voluptates inuitat, quibus tamen ineſcamur, vt tandem in hamo hæreamus capti. Beatus inquit idem Dauid qui legem Dei meditatur die ac nocte. Sed nos (proh dolor) non ſecus à meditatione verbi cœleſtis abhorremus, quam ſi omnia iſta quæ in verbo proponuntur, eſſent terriculamẽta quædam puerorum. Tomuri ſacerdotes Dodonæi, nunquam è templis diſceſſerunt, qui tamen ſuperſtitionem Diabolicam, pro verbo Dei amplexi fuerant: Nos nũquam aut raro templa intramus, qui tamen verbo & teſtimonio multiplici, de noſtra religione edocti ſumus, ſed vtinam edocti, vtinam vere ſentiremus corde, quod ore profitemur & titulo. quod ſi faceremus, nequaquam miniſterium verbi tam peruicaciter contemneremus. Quid quæſo reſpondebis filio Dei, cum in extremo die ſua vulnera tibi oſtendet? Cum ſanguinis ſui crudeliter conculcati pedibus te accuſabit? Tunc vere tibi accidet, quod Dominus prædixit fore, vt præ pudore & iuſto Dei iudicio cum impia damnandorum turba, dicas montibus, Cadite ſuper nos, idque, ne intuearis in faciem filij Dei, quem hic contemſiſti, cuius verbum hic abieciſti, cuius ſanguinem immaniter pedibus conculcaſti, quem expandentem ſanguine madentia brachia, & cupientem te è medio mortis & è faucibus inferni eripere, ſpreuiſti miſer: vere miſer, vt quem iuſtus iudex niſi pœnitentiam egeris, æternis tenebris & carceribus traditurus eſt. 7. Concluſio. *(Concluſio)* Rogemus igitur Deum vt nos conuertat, quo conuerſi afficiamur dulcedine verbi Dei, vt nos ſuo ſpiritu excitet ad audiendum ſalutis verbum, per quod voluntatem Dei, & verum cultum diſcere poſſumus, per quod tantæ vtilitates ad nos adueniunt, per quod tot Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Sancti, Martyres, atque alij pij plurimi ſalutem conſecuti ſunt, per quod recta via in cœlum nobis monſtratur per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui cum Deo patre & ſpiritu ſancto ſit laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Hoc exemplum tractationis vtcunque monſtrat vſum locorũ inuentionis, pauca Schemata interpoſui, frequentius propoſitionem attigi, nec ignoro lõge infra rei dignitatem ſubſidere hanc meam exẽpli tractationem. Quare ſtudioſos hortor, vt dum licet, ſe multum exerceant declamitando & ſcribendo, vt poſtea inſtructiores ad miniſterij ſacratiſſimi functionem accedant, quam battologiis & garrulitate indocta conſpurcare, flagitioſiſſimum eſt.

DE

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

DE CONSOLATORIA *concione.*

Quid ſit.

CONSOLATORIA Concio eſt, in qua concionator afflictum hominem & luctantem ſub cruce erigit, ne impatientia victus, ſuccũbat dolori.

Loci præcipui.

Loci Cõſolatorij ſunt hi præcipui & communes. *Primus*, voluntas Patris cœleſtis. *Secundus*, conditio. *Tertius*, promiſsio liberationis. *Quartus*, conformitatis Chriſti & membrorum eius neceſsitas. *Quintus*, vtilitas eaque multiplex. Cruce enim præſumtio propriæ virtutis euertitur, hypocriſis detegitur, confidentia carnis excutitur, patientia exploratur, obedientia confirmatur, contemtus mundi naſcitur, humilitas inſtillatur, præteritus error corrigitur, futurum malum præcauetur, fides exercetur. Spes in vnũ Deum reponi docetur. Plura de hac re lege in locis Philippi. Tractatio conſtat occaſione, propoſitione, confirmatione & concluſione, non ſecus atque in ſuaſorio genere, cui affine eſt. Porrò quoniam vtile eſt certam rationem tenere accommodandi conſolationes, paucis ſubiiciam Methodum conſolandi.

Tractatio, quibus partibus conſtat.

METHODVS CONSOLATIONIS *adhibendæ.*

Duplex.

CÆTERVM ne intempeſtiue & imperite adhibeatur conſolatio diſtinguamus primum inter priuatam & publicam Conſolationem, deinde vtriuſque iuſtam formam præſcribamus. Priuatam voco conſolationem, quæ vni fit, preſſo aliquo dolore ſeu cruce. Communem appello, quæ tempore vel perſecutionis, vel plagæ alicuius diuinitus immiſſæ, toti fit cœtui. Sed de priuata prius dicetur, in qua tria in vniuerſum obſeruanda mihi videntur. *Primum*, quis ſit ille qui conſolatione erigendus eſt. *Secundum*, quid ſit quid dolet. *Tertium*, præſenti dolori apta medicinæ accommodatio.

Priuata. Communis. In priuata tria obſeruari debent.

1. Quis ſit qui conſolatione erigendus eſt.

Qui dolet aut pius eſt, aut impius. Si pius, ſtatim indicata communi filiorum Dei ſorte, conſolationibus erigẽdus, confortandus & fouendus eſt, idque per locos ſupra commemoratos, & valde vtiliter 8. caput ad Rom. adduci poteſt. Sin impius, maiorem curam, vt in grauiori morbo abhibere neceſſe eſt. Huiuſmodi enim non ſtatim erigendus eſt, ſed magis adhuc deiiciendus eſt fulmine legis Dei, & minis proterendus, donec ſuam agnouerit ſine hypocriſi impietatem, donec iram Dei in ſe concitatam intellexerit, donec clamauerit cum Manaſſe, ſe multis modis reum eſſe. Nam qui impio homini ſiue ægrotanti, ſiue alioqui aliqua calamitate preſſo, mox conſolationem accommodat, periculoſum, intempeſtiuum & lethale pharmacum adhibet. perinde enim facit ac medicus, qui foris vulnus ſanat, relicta intus ſanie, vnde poſtea maius malum & mortiferum erumpit. Quare vt peritus medicus μότῳ inſerto prius elicit ſaniem, qua extracta, malagmate obducit vulnus: ita pius concionator impij hominis hulcus legis comminatione tanget prius, vt agnitus morbus ſanari poſſit facilius. Vere enim dicitur, ad ſanitatem primum gradum eſſe nouiſſe morbum.

Simile.

2 Quid ſit quod dolet.

Secundum quod in conſolationibus obſeruandum admonui, eſt res quæ dolorẽ affert, ſeu id quod dolet, quod neceſſario examinãdum iudico, propter medicamenti rectam accommodationem. Aliter enim erigendus eſt, qui ſua culpa ſibi malum acceſiuit, aliter cui aliena culpa malum illatum eſt. Nam ſi quis ſua ſibi culpa crucem accerſiuit, vti infamiam, paupertatem, morbum, mortem &c. non mox medicina ſeu conſolatio adhibenda eſt niſi videas reum ſerio peccatorum ſenſu tangi. Tum enim iſte peccatorum ſenſus confirmandus eſt verbo Dei, & augendus ſi opus videtur. Deinde ad conſolationes deſcendendum eſt. At ſi vel hypocrita exiſtit, vel alioqui impius, tantiſper maledictio legis & ira Dei proponenda ſunt, donec & peccati ſui atrocitatem agnouerit, & illud ſibi ex animo dolere confeſſus fuerit. Quod ſi eò lege Dei ac minis adigi nequit, non eſt margarita proiicienda ante porcos. Contra autem ſi perductus fuerit reus in ſui cognitionem, & vero doloris ſenſu ob peccatum admiſſum tangatur, tum demum arte medicina adhibenda eſt, & exponenda ſunt ordine hæc tria, lapſus primum: deinde pœna: tum finis vtriuſque.

3. Præſenti dolori apta medicinæ accommodatio.

Lapſum ex eo primum proueniſſe docendus eſt, quod timorem Dei abiecerit, idque confirmari poteſt commode & copioſe ex primo ad Rom. capite. Deinde quod iam in ipſum facilius tanquam in inermem, inſidiæ Diaboli, vitium carnis, & improbitas mundi præualere potuerint. His cauſis lapſus indicatis & confirmatis, ſecundo loco pœnam oſtendere oportet, nequaquam parem eſſe delicto commiſſo, ſed eſſe teſtimonium duarum diuerſiſſimarum rerum, nimirum, iræ Dei & eiuſdem paterni fauoris & clementiæ. Iræ quidem, ſi non egerit reus pœnitentiam, & non ſiuerit ſe emendari virga Dei. Paterni vero fauoris & clementiæ ſi correptus emendetur plaga, & ad pœnitentiæ portum confugerit. Poſt hæc tertio loco finis cum lapſus, tum pœnæ exponendus eſt. Lapſus quidem, vt poſthac ſit cautior. Pœnæ vero, quod ſingulari conſilio Dei (cum interim multis impiis & facinoroſis parcitur) ſit caſtigatus, non vt pereat, ſed vt habeat paratum teſtimonium paterni fauoris erga ſe. Verum quia hoc difficilius perſuadetur laboranti ſub cruce, teſtimonia & exempla ex verbo Dei clara & perſpicua producenda ſunt. Teſtimonia quidem, qualia ſunt hæc: Paulus 1. Corinth. 11. dicit, Rebus aduerſis nos à Domino corripi, ne cum hoc mundo damnemur. Vide finem crucis eſſe ne damnemur, ſi ſcilicet admoniti cruce egerimus pœnitentiam. Deinde Prouerb. 16. Fili mi, inquit Salomon, ne reſpuas correptionem Domini, neque afficiaris tædio, cum ab eo argueris, quem enim diligit Deus corripit, & quem velut pater filium amplectitur. Autor Epiſtolæ ab Hebræos Capite 12. dicit nos ſpurios eſſe non filios, ſi extra diſciplinam ſumus. Huiuſmodi loci & ſimiles aptiſſimi ſunt, quibus animus rei iam pœnitentis erigi poteſt, vt iam pœnam qualemcumque ſufferre, tanquã præſtiturus Deo obedientiam, velit. Exempla vero ſint Manaſſes, Dauid, ſoror Moſis, Rex Vſias, populus in captiuitatem abductus & plurimi alij, qui ob certa peccata puniti ſunt, & poſtea per pœnitentiam ſunt reuerſi. Inſigne præ aliis latronis exemplum eſt, qui præclarum patientiæ & fidei exemplum edidit. Hic non ideo putauit ſe abiectum, quia morte iſta infami erat ob ſcelera ſua afficiendus, ſed ſpe in Chriſtum collocata, patienter commeritam pœnam ſubiit.

Poſt huiuſmodi teſtimonia & exempla (quibus patefacienda ſunt iudicia Dei, conferendo mores noſtrorum hominum cum priſtini populi moribus. Deus enim ſibi perpetuo ſimilis eſt, ſiue pœnam, ſiue miſericordiam reſpicias) poſſunt addi loci communes ſupra commemorati.

Porrò ſi aliena culpa illatum eſt quod dolet, ea ratio in conſolationis accommodatione ſequenda eſt, quam in publica conſolatione oſtenſurus ſum, de qua nunc dicendum eſt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

In publica conſolatione tria obſeruanda.

Publica igitur conſolatio vt recte inſtituatur, tria ſunt obſeruanda. *Primum*, vnde calamitas publica. *Secundum*, quæ cauſæ. *Tertium*, Conſolationis accommodatio, pro calamitatis & cauſarum diuerſitate.

1. Vnde calamitas publica.

Calamitas igitur vel eſt θεήλατος, id eſt diuinitus immiſſa, vel ab hoſtibus noſtræ Reipub. illata. Si eſt à Deo calamitas, vt peſtis, annonæ caritas, ſiccitates, tempeſtates, cauſæ non ſunt extra nos quærendæ, ſed domi noſtræ.

2. Quæ cauſæ.

ſunt enim peccata ſingulorum communium calamitatum cauſæ, & ſæpe ob vnius culpā integra Reſpublica plectitur, cuius rei teſtes ſunt Acham, Dauid, Oedipus & alij multi, qui ſceleribus publicam calamitatem accerſiuerunt.

3. Conſolationis accommodatio. Huius autem tres ſunt præcipuæ partes.

Hic non eſt difficile accommodare conſolationem, ſi exempla ſanctorum Prophetarum ſequi voluerimus. Horum enim exempla quid faciendum ſit monent. Hi enim *primum* conſueuerunt publice taxare ſcelera, eaque triplicia: deſertionem Dei, hypocriſin, iniuriam proximi. & horum genera quæ potiſſimum in populo graſſari videntur. Exempla paſſim extant in Propheticis ſcriptis.
1
2. *Deinde* publice inuitare, ſolebant totum cœtum ad ſeriam pœnitentiam, ieiunium & orationem. Vtriuſque rei exempla his annis aliquot inſignia, ad mandatum Sereniſſimi Regis noſtri, edita ſunt, à miniſtris noſtrarum Eccleſiarum, non ſine fructu & mitigatione pœnarum commeritarū.
3. *Poſtremo* admonere cōſueuerunt Prophetę eos, quos præ aliis ſceleribus cōtaminatos animaduerterunt, noſtris miniſtris verbi exemplū relinquentes, vt eos priuatim admoneant, corripiant & emendent, quos animaduertunt ſua idololatria, ſuis vſuris, adulteriis, tyrannide, fraudibus, auaricia &c. Reipub. toti pœnā accerſere: hoc pacto, Tyreſias tametſi Ethnicus ſacerdos Oedipum tyrannum, ob cuius ſcelus Thebana Reſpub. peſte puniebatur. ad duram pœnitentiā reuocauit. Hoc modo Eſaias & Ieremias Reges ſuorum temporum caſtigauerunt, eiſque imputauerunt communes calamitates. Et ſcire debēt miniſtri verbi, hanc non infimam partem eſſe ſui muneris, quam ſi negligunt vel metu vel ignauia, graues pœnas Deo daturi ſunt, quemadmodum habet comminatio apud Ezechielem & alibi.

Quæ conſolationes adhibendæ, & quomodo in calamitate quæ ab hominibus venit.

Sin autem ab hominibus venit, ſiue priuata ſiue publica calamitas, id fit vel propter iuſticiam, vel non. Si propter iuſticiam, conſolatio ſtatim adhibēda eſt à communi ſorte filiorum Dei in hoc mundo, & oſtendendum, quanto honore nos dignetur Deus, quod ita nos peculiari ſuæ militiæ nota inſignit: vnde Apoſtoli plagis affecti gaudent, quod digni habiti ſint pro nomine Chiiſti contumeliam pati. Hæc enim ſpecies crucis fidelium maxime propria eſt, qua vult Chriſtus in nobis glorificari, quēadmodum Petrus docet prioris Epiſtolæ Capite 4. Porrò ſi non propter iuſticiam nobis ab hominibus calamitas publica inducitur, cauſæ in nobis ipſis quærendæ ſunt, & quemadmodum ſupra explicatum eſt, vbi dictum eſt de cruce diuinitus illata, cōſolatio adhibenda eſt. Ex his puto conſtare, qua ratione & via cum priuatæ tum publicæ conſolationes adhibendæ ſunt.

DE OBIVRGATORIA *concione.*

Quid ſit.

CONCIO obiurgatoria eſt, in qua vel ceſſantē, vel delinquentem, vel etiam contumacem auditorem obiurgat Eccleſiaſtes.

Finis.

Huius finis debet eſſe correctio, & emendatio eius qui obiurgatur.

Loci pręcipui.

In hac ſpectentur potiſsimum hi loci: *Primus*, turpitudo rei perpetratæ. *Secundus*, adiuncta: vt ſunt mala conſcientia, periculum reiectionis & metus impēdentis iudicii Dei, ac præſentium æternarūque pœnarum. *Tertius*, Dignitatis perſonæ & turpitudinis rei collatio. *Quartus*, Exempla: *Quintus*, Connexa perſonæ, vt Chriſtus caput & Rex noſter, Eccleſia quæ eſt patria ſpiritualis, corpus noſtrum quod dedicatum eſt Deo, vt ſit templum Dei. Huc Reſpublica, domus, familia &c. referantur.

Quomodo adhibendi.

Dum hos locos enumero, non ſentio omnes in quauis obiurgatione adhibendos eſſe, ſed nunc hos nunc illos prout prudens concionator viderit vtile fore. Exemplum petatur primæ Cor. 6. Vbi fornicarios obiurgat Paulus.

Methodus.

Porro tractationis Methodus non diſsimilis eſt tractationi exhortatoriæ. Quare non opus eſſe iudico exemplum aſſcribere, præſertim cum loci ſint perſpicui, & notum ſit, ſingula cōfirmatoria Methodo probanda, comprobanda & exornāda eſſe.

Cautiones duæ. 1.

Verum hic duo adiicienda duxi. *Prius*, quod animus obiurgandi præmolliendus ſit, ad obiurgationes patienter audiendas, id quod fieri poteſt commodè, ſi miniſter officium ſuum erga reum declaret, & publicam neceſſitatem ſibi impoſitam vt id faciat oſtendat, ne putetur obiurgatio proficiſci ex aliquo prauo affectu. Sic Paulus præmolliuit Corinthiorum animos ante acerbiorem obiurgationē. Poſterius, vt intermiſceantur conditiones pœnitentiæ, ne quis aſperiori obiurgatione fractus, animum deſpondeat, vel mortem ſibi conciſcat.

Peroratio & epilogus.

Hæc ſunt, honeſti auditores, quæ iudicaui indicanda eſſe nouis concionatoribus, & ſpero, niſi me valde fallit opinio, adoleſcentes non parum iuuari poſſe indicatione huius Methodi. Sunt autem præcepta omnia quæ à me recitata ſunt ex Dialecticorum & Rhetorum fontibus deſumta, & accommodata ad vſum Eccleſiaſticum, vtilia cum in Sacrorum ſcriptorum enarratione, tum in ſacris concionibus formandis, quibus ſi ſe regi patiantur adoleſcentes, non dubito iis polliceri faciliorē in ſtudiis & Theologicis & concionibus formandis progreſſum. Cæterum quia non ſatis eſt aptè inueniſſe, & prudenter ordinaſſe ea quę dicturi ſumus, niſi felix aſſit memoria, volo veluti coronidem huic Methodo adiicere pauca de memoria, idque non veterum more (qui imagines & ſigna cōminiſcebantur, quæ eſſent quaſi memoriæ ὀπιστήλια quædam, hanc enim ſubtilitatem libenter illis relinquo) Sed ea tantummodo colligam, quibus ſe iuuari intelligant Studioſi in ediſcendis concionibus.

DE MEMORIA.

Duplex ratio iuuandæ memorię.

DVPLICEM iuuandæ memoriæ rationem inſtituamus, quarum prior quidem artificioſipr, Poſterior vero rudior erit.

1. Artificioſior cōſtans ordine & Numero.

Artificioſior illa conſtabit duabus rebus, ordine nimirum & numero. His enim conſtat artes & tradi & percipi. Nam vt ordo quæque ſuo loco collocat, initia, progreſsiones & metas conſiderat, ita numerus res rerumque momenta metitur. Quoniam igitur Methodus quam tradidi rerum ordinem monſtrat, ac quaſi numerat partes, optima erit ediſcendi via, eūdem ordinem mentis acie aſpicere. fieri enim non poteſt, vt qui perite ordinem rerum inſtituit, ac rerum puncta obſeruauit, & veluti numerauit, quin eandem facile mente retineat, ac quaſi depoſitum ab eadem repoſcat dicturus. Vnde ridiculum videri poſſet, aliam ediſcendi rationem præſcribere, prǽſertim hominibus qui in artibus dicendi inſtituti & exercitati ſunt. Verum tametſi hæc ita reuera ſe habeant, non tamen ſtatim ab omnibus percipiuntur.

Qua-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Hęc ratio in 4. mēbra diſtinguitur.

Quapropter vt diſtinctius hæc intelligantur, & ad vſum concionatorum propius accommodentur, totam hanc rationem ediſcendi, quam dixi in ordine & numero poſitã eſſe, in quatuor membra ſiue præcepta diſtribuam. 1. Vt rem exactè intelligat, mẽteque totius rei ſummariam quandam comprehenſionem teneat concionaturus. 2. Vt locos, hoc eſt, κεφάλαια (vt Græci vocant) in numerato habeat. 3. Vt locorum tractandorum ſectiones faciat, quas certo numero complecti neceſſe eſt. Quod ſi carmine aliquo ad id parato fiat, non erit inutile, vt ſi vſus legis explicandus eſſet. Primum ternam ſectionem non incommode faceret, quam complecti poſſet hoc verſiculo,

Inſtruit & damnat ſontes, docet atque renatos.

Et quia prima pars huius ſectionis plures habet particulas & cauſas, poſſet & eas hoc verſu complecti,

Mandatum, pœnæ, pax publica, dux ad Ieſum.

His enim quatuor pædagogicus vſus legis abſoluitur. Ad eundem modum de aliis duabus partibus inſtitui poſſunt verſiculi.

Veram legis meditationem Doctor PETRVS PALLADIVS Epiſcopus noſter vigilantiſsimus, ac de Eccleſiis Danicis, Noruegiis & Iſlandicis optime meritus, hoc carmine complexus eſt,

Lex quid eram, quid ſum, quid ero, per quem, manifeſtat.

4. Vt certis in locis digreſsiones in minas, conſolationes, & exhortationes collocentur, ne digrediẽdo memoria impediatur, & abſtrahatur dicturus à re propoſita, quod plerunque vſu venire ſolet iis, qui hoc præceptum non obſeruant. Vbi autem iuxta hęc quatuor pręcepta concionaturus orationem ordinauerit, ac veluti numerauerit, ad ediſcendum ſe accingat iuxta diſpoſitionis ordinem. Ac primo loco mandetur memoriæ ſummaria comprehẽſio, vt quæ primo loco recitanda eſt. Deinde loci ſeu capita ſeorſim. Tum locorum tractatio cum ſuis ſectionibus, ac ſectionum particulis. Hanc rationem ediſcendi optimam eſſe non dubito, quam haud dubie omnes docti ſequuntur.

2. Rudior ratio, tria præcepta continẽs.

Porro poſterior ratio, quam dixi rudiorem eſſe, hominibus indoctis, qui artes dicendi non deguſtarũt vtilis eſt, & hæc ſiue notis numerorũ, ſiue literis inſtituatur, perinde eſt, & fieri poteſt in hũc modũ.

Primum ea quæ vult ediſcere artium rudis concionator, diſtinguat primum notis numerorum, aut literis ſingulis. *Deinde* repetendo videat quid apud ſingulas notas ſiue literas depoſuerit. *Poſtremo* ediſcat iuxta diſtinctiones factas, & à ſingulis notis ſiue literis tanquam depoſitum repetat, quod illis antea commiſerat.

Non parum profuerit, ſi primùm concionem deſcribat, & deinde iuxta præſcriptas regulas diſtinguat & ediſcat. facilius enim mens tenet, quod manus antea notauerat.

N. H.

PASTOR SIVE PASTORIS OPTIMVS VIVENDI AGENDIQVE MODVS.

REVERENDO VIRO DOCTRINA AC PIETATE præſtanti, magiſtro Tyconi Aſmundo, Eccleſiarum Scanicarum Epiſcopo vigilantiſsimo, ſuo fratri in Chriſto chariſsimo, gratiam & pacem precatur

NICOLAVS HEMMINGIVS.

CVM hac proxima æſtate, chariſſime frater, vnà eſſemus, ſæpe incidimus in iuſtiſsimam laxatæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ querelam: quæ ſanè querela proculdubio nobis cum omnibus pijs eſt communis. Fieri enim non poteſt, quin pij cogitãtes de veteri Eccleſiæ diſciplina perturbentur multum: præſertim cum videant noſtri ſeculi mores corruptiſsimos; procul abeſſe à grauitate ac modeſtia Eccleſiæ Apoſtolicæ, & eius quæ proximè tempora Apoſtolorum eſt ſecuta.

Etſi autem veterem illam & laudatam diſciplinam, multi Eccleſiarum gubernatores reuocare ſtuduerunt: pauci tamen dextrè ſatis hanc prouinciam ſunt aggreſsi. multi enim nimis viſi ſunt rigidi, plures plus iuſto remiſsi, plurimi ſuperſtitioſi. Hinc natę ſunt Monachorum ſectæ ferè infinitæ: hinc extructæ Eremitarum Mandræ: hinc inuecta tot ἐπιτήδια καὶ ἀσκήσεις, quibus paulatim puritas doctrinæ tantum non turbata eſt, & in locum fontis limpidiſſimi, effoſ-

ſæ ſunt ciſternæ humanarum traditionum fœtentes & turbatiſſimæ. Vt autem hæ præſtigiæ magnifierent apud populum, Monachi Satanica fraude effecerunt. Nam iuſticiæ, neceſſitatis, meriti, & cultus opinione, ſuas ἀσκήσεις & hiſtrionicas fabulas palliarunt: non ſine ingenti in Filium Dei contumelia, & in infinitarum animarum certiſſimum interitum. Quanquam autem noſtro hoc ſeculo iſtos errores taxarunt doctiſſimi viri, quorum veluti duces fuerunt apud omnem poſteritatem piam celebrandi, Martinus Lutherus & Philippus Melanchthon: qui duo viri etſi ſeriam purgandæ doctrinæ, & reuocandæ ſanctæ diſciplinæ vſque ad extremum ſpiritum nauarunt operam: mores tamē hominum cum doctrina emendare non potuerunt: id quod eos conqueri ſæpius cum multis audiui.

Cum autem hæc inter nos, frater, ageretur querela, quarundam Eccleſiarum meminimus: in quibus diſciplina, mediocris ſaltem, veluti ex poſtliminio eſt reuocata: idque induſtria & diligentia paſtorum, qui eaſdem Eccleſias, quarum tunc meminimus, primi poſt reuocatam doctrinæ puritatem, adminiſtrarunt. Hi enim cum ſanctiſſimè vitam tranſigerent ipſi, facilius voce potuerunt aliis perſuadere, quod ipſi vita pia & ſanctis moribus expreſſerunt. Non enim eſt alia docendi ratio expeditior, quàm quum regulæ congruit exemplum. Regula quid faciendū quidque fugiendum ſit monet: cuius cum viua pictura exemplum accedit, tenacius hęret quod docetur, & magis mouet. Hæc ergo duo, regula videlicet & exemplum, coniuncta in illis piis paſtoribus, pium permouerunt magiſtratum, vt vnà cum paſtoribus manum adhiberet, quò coniunctis viribus diſciplinam collapſam erigerent. Vt autem reuocata quodammodo diſciplina maneret diuturnior & conſtantior, præfecerunt ei graues & cordatos viros, qui cenſores morum eſſent, ac gubernatores reuocatæ diſciplinæ. Hanc felicitatem illis Eccleſiis gratulor, oroque æternum Deum, vt indies magis abundent in omni cognitione & ſenſu, vt probent quæ ſunt potiora, & ſint ſinceri, ἀπρόσκοποι, & pleni fructibus iuſticiæ in laudem & gloriam Dei: vtque perpetuò ita cum regula conſentiat exemplum, ne vel regula à luce Euangelij, vel exemplum à regula aberret. Nam vbi exemplum cum regula non congruit, parum proficit docentis labor. Verè enim à poëta dictum eſt:

Corrumpunt vitiorum exempla domeſtica, magnis Cum ſubeant animos autoribus.

Chryſoſtomus de ſuæ ætatis ſacerdotibus conqueritur his verbis: Sunt multi ſacerdotes, & pauci ſacerdotes. Multi nomine, & pauci opere. Videte ergo quomodo ſedetis ſuper cathedrā Moſi. Quia cathedra nō facit ſacerdotē, ſed ſacerdos cathedrā: non locus ſanctificat hominē, ſed homo locū, non omnis ſacerdos ſanctus eſt, ſed omnis ſanctus ſacerdos eſt: qui bene ſederit ſuper cathedrā, honorē accipit ab illa: qui malè ſederit, iniuriam facit cathedræ. Ideoque malus ſacerdos de ſacerdotio ſuo crimen acquirit, non dignitatem. In iudicio enim ſedes, ſiquidem bene vixeris & bene docueris omnium iudex es: ſi autem bene docueris & malè vixeris, tui ſolius condemnator es. Nam bene viuendo, & bene docendo, populum inſtruis quomodo debeat viuere: Bene autem docendo, & malè viuendo, Deum inſtruis quomodo te debeat condemnare. Hæc Chryſoſtomus.

Nocētiſſima proinde Eccleſię peſtis eſt malus paſtor. Malus autē eſt, & qui malè docet, maléq; viuit: & qui bene docet, ſed malè viuit: & qui malè docet, ſed bene videtur viuere. Cōtra autē ſolus is meretur audiri bonus paſtor, qui vt rectè docet, ita & ſanctè viuit. Is enim vtraq; manu cœleſtem Ieruſalē ædificat. Doctrina enim quid, exēplo quomodo agendū ſit oſtendit.

Hinc patere exiſtimo, fundamentum diſciplinæ ouium eſſe vitam paſtoris, ad regulam non errantē expreſſam. Quamobrē nihil magis ad reuocandam ſanctā diſciplinā facere arbitror, quam ſi miniſtri Euangelij ſeriò cogitent de ſeipſis primū regendis pia & ſancta diſciplina, vt doctrina & vita pulchrè cōſentiant. Hoc vbi fecerint ſeriò, ſperandū eſt, vt aliquando rectius agatur in Eccleſia, & minus oriatur ſcandalorū, quibus ſupra modū rudis offenditur populus.

Vtinam omnes paſtores magnitudinem ſui muneris cogitarent: vtinam non carnalibus tantum oculis regnum Chriſti intuerentur. Quando externi hoſtes irrumpūt in alienum regnū, atque ferro & igni omnia vaſtant, nemo non dolet: nemo non, animo generoſo præditus, arma capit, vt ſe hoſtibus patriæ opponat, eoſque à patrio ſolo arceat: idque ideo vt in tuto ſint corpora, & facultatulæ qualeſcunque ſaluæ maneāt. Hæc animi fortitudo meritò prædicatur: hic amor paterni ſoli laude inprimis eſt dignus. Contra autem, qui in tali neceſſitate fugiunt diſcrimina, & occultant ſe vt ſuæ tranquillitati cōſulant, meritò accuſantur vt ignaui, vt timidi, vt in patriā ingrati, vt patriæ deſertores, vt aræ & foci proditores. At quādo ſpirituales hoſtes, multò truculentiores carnalib. iſtis, regnum Chriſti inuadunt, quid fit? plerique paſtores, proh dolor, dormiunt: parū memores quod excubias eos agere oporteret, & in prima acie ſtare aduerſus hoſtiū inſultus. Sed vt dixi, hæc minus curātur, quia corporalibus oculis minus cernūtur, & ab Epicuræis prorſus vt fabuloſa contēnuntur. Verum hîc ſpeculatores ciuitatis Dei, hoc eſt, Eccleſiæ paſtores decet, vt oculos ſpirituales aperiant, vt cladem Chriſtianæ Reipublicæ ſeriò animaduertant, quæ ſanè clades maior eſt quàm vt vllis verbis explicari, grauior quàm vt vllis querelis ſatis deplorari poſſit. Muri ciuitatum, Dei beneficio & ſapientum gubernatorum conſilio, ſtant integri & illæſi: ſed morum munimenta,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

& pietatis ornamenta magna ex parte cecidêre. Tecta ab ignibus ſunt libera: ſed corda funeſtioribus ardent. Facultates tutò poſsidenter externæ: ſed animi veræ diuitiæ diripiuntur. Prædia ſalua manent: ſed præſidia cœleſtis Ieruſalem inuaduntur. Robora corporum augentur: ſed pectora minuuntur. Matronæ & virgines vim militum non patiuntur: ſed animi turpiſsimis voluptatum blanditiis ſuccumbunt. Non abducuntur nobiles, non ciues, non ruſtici, in triſtiſſimam Turcici tyranni ſeruitutē: ſed, quod eſt multò crudelius, tot dominorum tyrānide premuntur, quot vitiis laborant. Verè enim dicit Auguſtinus: Malus etiā ſi regnet, ſeruus eſt: non quidem vnius hominis, ſed, quod eſt multò grauius, tot dominorum quot vitiorū. Hæc mala omnem barbaricam vaſtationem facilè ſuperant: Imò ideo atrociora ſunt multò, quia non corporum, ſed animorum: non fortunarum, ſed ſalutis ſunt exitia. Quibus, quęſo, iuſtè imputabuntur hæc mala? Etſi autem hæc non ſolis paſtoribus rectè imputantur: magna ex parte tamen non pauci illorum in culpa ſunt. Nam ſi illi exaltarent (iuxta Prophetæ conſilium, imò iuxta Dei mandatum) vt tubam, vocem ſuam contra ſcelera graſſantia, & obiicerent ſe ſpiritualibus iſtis hoſtibus, induti ſpiritualibus armis: minus vaſtationis morum eſſet in mundo, minus ſcelerum & minus petulantiæ & contumaciæ aduerſus Deum. Multi fortè ſe excuſari putant, quòd ſæpe aduerſus ſcelera in publicis concionibus declamitent: quod ſanè perinde eſt ac ſi quis ſe ſtrenuum militem gloriaretur, qui tamen in aciem contra hoſtem prodire recuſaret. Nam cum in genere tantum accuſantur ſcelera, quilibet vel nocentiſſimus os tergit, ac ſi ad ſe nihil pertineret quod dicitur. At qui in faciem probrum obiicit, vt tyrannidem, libidinem, iniuſticiam, violentiam, ebrietatem, obtrectationem, veneficia, Diabolicas artes, acceptationem perſonæ in iudicio, & alia huiuſmodi: is verè cum hoſtibus conſerit manus, regnum Satanę fortiter inuadit, atque à caſtris regni Chriſti hoſtes pellit. Sic fecit Helias, ſic Nathan, ſic Ieremias, ſic Petrus, ſic Paulus, ſic Ambroſius, ſic omnes Prophetæ, Apoſtoli, adeoque omnes veri paſtores, hoc eſt, qui pluris fecerunt ouium ſibi commiſſarium ſalutem, quàm aut fauorem pulueris & cineris, aut fortunas, aut denique propriam vitam. Quicunque hîc pericula fugit, ac caſtra Chriſti relinquit abiectis armis, meritò vt ignauus, vt timidus, vt in Deum Patrem ingratus, vt Eccleſiæ Chriſti deſertor, vt religionis omnis & pietatis proditor peſsimus habendus eſt: cuius portio in reſurrectione erit cum Iuda proditore, qui curam marſupij maiorem quàm legationis ſibi commiſſæ habuit.

Cum autem huiuſmodi ſermones, frater chariſsime inter nos conferremus, cœpiſti à me petere, vt ex verbo Dei ὑποθήκας quaſdam colligerem, quæ continerent ſolidam quātum quidem id per me fieri poſſet, diſciplinam, qua pius paſtor regi & cum fructu ſuo vberrimo, & cū auditorum ſuorum commodo, poſſet, Hoc etſi arduum & difficile mihi fore animaduerti, ideoque id oneris in tuos potius humeros impoſuiſſem: tamen quia te accuſaſti nimis impeditū grauiſsimis viſitationibus Eccleſiarum, quæ tuæ fidei commiſſæ ſunt, tibi idem à me ſæpius efflagitanti meam operam condixi, & promiſi me conaturum, vt aliquo modo tuæ petitioni reſponderem.

En igitur Paſtorem meum in publicum emitto, eumque fortunæ ſubiicio, vt ferat quicquid & bonis & malis viſum fuerit. Quod ſi autem aliquem fructum ex hoc noſtro Paſtore, pij perceperint paſtores, tibi acceptum ferant, qui & autor huius ſcriptionis fuiſti & ſuaſor. De Momis, quibus nihil placet niſi quod ipſi fecerint, nihil ſū ſollicitus. Rūpātur ſanè ilia Codris.

Quod reliquum eſt oro æternū Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt det ſuæ Eccleſiæ pios & fideles paſtores, & nos vnà coniungat vt vnum ſimus in ipſo, eum celebrantes, corde, lingua, & tota vita, quò tandem beata immortalite donati, fruamur conſpectu ἀρχιποιμένος & mediatoris noſtri Ieſu Chriſti in omni æternitate, Amen.

INVOCATIO.

TE principem paſtorum, Domine Ieſu Chriſte, inuoco, qui ſolus animam tuam pro ouibus tuis dediſti, vt eas è faucibus lupi, qui eſt Diabolus, eriperes: ſolus oues tuas in ouile tuum humeris tuis portaſti: ſolus ſanguine tuo precioſo lauiſti: Spiritu tuo ſancto ſanas, & pabulo æternæ vitæ paſcis. Tibi ſupplico, vt mihi indigniſſimo ſeruo tuo adeſſe tua gratia velis: & ea ſcribenti ſuggerere ex fontibus verbi tui digneris, quæ ad piam faciant inſtructionem eorum, quibus oues tuas paſcendas commendaſti: quibuſque nomen, quod tibi ſoli proprium eſt, communicaſti, nempe vt dicantur ouium tuarum paſtores, tuam ſolius vocem ſonantes, quam ſolam vt oues tuæ agnoſcunt: ita te ſolum norunt, & ſequuntur paſtorem. Nam in te vno omnes ſinceri paſtores vnum ſunt: quia vna eſt vox omnium, qua tu aggregas oues tibi, quaque paſcis in amæniſſimis tuis pratis aggregatas, ac fontibus ſalutis liberaliſſime potas ac reficis. Vt igitur miniſtris tuis, quos paſtorum nomine dignaris, optimum viuendi agendique modum præſcribam, tu efficito: & ſimul da gratiam, vt ipſe cum illis iuxta diſciplinæ præſcribendæ normam, vitam totam peragam: donec curriculo vitæ præſentis expleto, tibi, qui Epiſcopus animarum noſtrarum es, tradam ſpiritum quem dediſti. Tibi paſtori animarum noſtrarum, ac ſoli Deo cum Patre & Spiritu Sancto, ſit benedictio, & gloria, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & robur in ſecula ſeculorum, Amen.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

PASTOR

Siue Paſtoris optimus viuendi agendique modus.

Duo ſpectanda in Paſtore.

OPTIMVM paſtoris, hoc eſt, eius qui paſcendo gregi Chriſti legitimè præfectus eſt, viuēdi agendique modū & diſciplinā, duobus cōtineri capitibus arbitror: quorū vnū ad perſonā, alterū ad officiū paſtoris pertinet.

1. Perſona, quæ tria complectitur.

In *Perſona* quidem paſtoris ſpectentur tria. Priuata & ſolitaria vita, quæ ſoli Deo patet. Domus propriæ, & familiæ adminiſtratio. Et externa, quæ in oculos hominum incurrit, vita & conuerſatio.

2. Officiū.

In *Officio* verò, legitima paſcendi ratio, cum ſuis partibus conſideretur.

Erunt itaque quatuor noſtræ inſtitutionis partes.

Quatuor partes huius libelli.

Prima, vita paſtoris priuata & ſolitaria.

Secunda, domus paſtoritiæ, ac familiæ adminiſtratio.

Tertia, conuerſatio paſtoris politica & externa.

Quarta, officium paſtorale, ſeu legitima paſcendarum ouium Chriſti ratio.

De hiſce quatuor partibus, ad perſonam & officium paſtoris Dominici gregis ſpectantibus, eo, quo à nobis propoſitæ ſunt, ordine dicturus, perſpicuas de ſingulis regulas tradam: quas ſi ſecutus fuerit paſtor, quem inſtruendum ſuſcipimus, non ſolum in hac vita fructus vberrimos percipiet, verùm etiam in futura coronam immarceſsibilem, quam princeps paſtor promiſit, reportabit.

DE PRIMA PARTE, QVAE eſt vita Paſtoris priuata & ſolitaria.

Præcipua & perpetua meditatio Chriſtiani Paſtoris.

PASTOR ouium Chriſti, omnium primū ſeriò cogitet, ſe nuſquam ita occultari poſſe vllis latebris, ſiue ſolus ſit, ſiue cum aliis, quin perpetuò pateat, & conſpectui Chriſti paſtoris (pro quo legatione fungitur, cuiuſque vices agit) & oculis Satanæ hoſtis Chriſti, & aduerſarij humani generis. Quorum ille quidem puritatem hominis amat, atque impuritatem abominatur: Hic verò contra, vt impuritate hominis ſummè oblectatur: ita puritate eiuſdem grauiſsimè offenditur. Quemadmodum enim Chriſtus ipſa lux eſt, ideoque luce delectatur: Sic Satan tenebrarum princeps, tenebras amat, iiſque afficitur.

Grauis exhortatio ad Chriſtianum Paſtorem.

Proinde tu quiſquis es Chriſti paſtor, eique dediſti nomen, caue ne cum ipſius aduerſario, cui in Baptiſmo primùm, deinde officij ratione renunciaſti, colludas: exiſtimans celari poſſe, quod intra parietes tuos agitur. Imò hoc potiùs ſit tuum perpetuum ſtudium, vt quæ grata ſunt ei, cui iuraſti & cuius vice fungeris, facias. Iam autem nihil quicquam gratius eſt illi, quàm puritas mentis & corporis: & contra nihil ipſum magis offendit, quàm animi ſordes. Atque ea de cauſſa Paulus commendat ſuo paſtori Timotheo puritatem, cùm inquit: Te ipſum purum exhibe, 1. Timoth. 5. 22.

Cur puritas mentis & corporis Paſtori ſtudioſiſsimè ſectanda eſt.

Etſi autem hæc puritas paſtori & ouibus communis eſſe debet: vt quæ prouenit ex virtute ſanguinis ſummi paſtoris, quo abluti ſunt vtrique, modò verè in Chriſtum credant: Tamen paſtori vel ideo ſtudioſiùs eſt ſectanda, quia aliis ſuo miniſterio puritatem commendare debet. Manum enim illam mundam eſſe oportet, quæ alienas diluere vult ſordes, ne tactu ſuo quæ mundari deberent, fœdiùs inquinet. Meritò ergo Apoſtolus paſtorem Epheſiorum inſtruens, ait: Attende tibi ipſi. Quo mandato oſtendit ſingularem in paſtore requiri diligentiam, vt ſe purum & immaculatum ſeruet. 1. Ti. 4. 15. 16.

De puritate Paſtoris ſpecialia præcepta.

Quæ hactenus de puritate paſtoris diximus generatim, placet particulatim explicare, vt clarè pateat in quibus ſita ſit iſta, quam in paſtore noſtro requirimus, puritas.

Cùm itaque puritatem requirit Apoſtolus in paſtore ſuo, vult abſque omni dubio, vt & animus ſit purus, & corpus caſtum, adeoque vt totus homo vt noua creatura ſe Deo ſubiiciat in vera ſanctitate.

De puritate animi, in 5. partes tributa.

Quantum autem ad animum attinet, in eo ſpectentur hæ partes: 1. *Mens*, 2. *Cogitatio*, 3. *Affectus*, 4. *Voluntas*, 5. *Studium*. Ita enim hæ partes natura deuinctę ſunt, vt ab vna in aliam puritas vel impuritas promanet & deriuetur. Vt enim mente contaminata, contaminantur cogitatio, affectus, voluntas, ſtudium: ita eadem purgata, & reliqua purgari incipiunt.

Quo autem commodiùs diſciplina his partibus adhiberi poſsit, ſpectandum eſt, & quid has partes inquinare, & contra quid eaſdem purgare poſsit. De principe igitur parte, quæ mēs eſt, primum dicamus.

1. De puritate & impuritate Mentis.

Mens, inquit Bernhardus, bona, precioſa poſſeſſio. Sed Paulus infidelium mentem & vanam & inquinatam pronunciat. Tito enim ſcribens ait: Quorum (infidelium) mens & conſcientia inquinatæ ſunt. Tit. 1. 15. Ad Epheſios longiùs progreditur, cùm ita ait: Gentes ambulant in vanitate mentis ſuæ, excæcatę in intelligentia, alienatę à vita Dei, propter ignorantiam, quæ in ipſis eſt, propter duritiam cordis eorum. Ephes. 4. 17. Hîc Paulus apertè omnium hominum, qui non ſunt cōuerſi ad Deum, mentem vanam eſſe affirmat. Quæ cùm fons ſit, vnde cætera manant, facile iudicare eſt, ex impuro fonte impuros manare riuulos.

Mens tria complectitur.

Complectitur autem mentis vox tria. *Primum*, intelligentiā contemplantem, in qua collocatur συντήρησις, ea ſcilicet quæ προτάσεις, hoc eſt, propoſitiones ſuppeditat. *Deinde*, intelligentiam practicam, in qua collocatur conſcientia, quæ aſſumtiones promit. *Tertio*, τὸ κριτήριον, quod ex propoſitionibus, & aſſumtionibus concluſiones extruit.

Mens hominis corrupta.

Verùm cùm nunc, teſte Apoſtolo, mens ſit vana & inquinata, quales, quæſo, concluſiones erunt? nonne vanæ? nonne inquinatæ? Certè fieri non poteſt, vt ex impuro fonte limpida & pura hauriatur aqua. Quare paſtor hîc videat, & quæ ſit mentis illa inquinatio hæreditaria, & vnde puritas petenda, qua mens purgari poſsit, quo ex fonte purgato, puræ depromantur aquæ.

Mentis impuritas in 4. ſita.

Sanctus Maximus libro tertio de charitate, capitulo 34. quibus rebus mens hominis contaminetur, exponit his verbis: Mentis impuritas eſt in his quatuor ſita. *Primùm*, ſi in ea ſit falſa & erronea de vlla re perſuaſio. *Deinde*, ſi ignoret id quod ſciri oportuit. *Tum*, ſi cogitationibus affectibus obnoxiis langueat. *Poſtremò*, ſi peccato aſſentiatur.

De remediis aduerſus mentis impuritatem. Eph. 4. 23.

Etſi autem hic autor generaliùs accipit mentis vocabulum, quàm nos facimus: tamen pulchrè quæ ſint inquinamenta eius oſtendit, nempe ignorantia recti, & perſuaſio falſi: quæ vitia cùm in omnibus hominibus ſint, qui non ſunt edocti verbo Dei, Paulus hortatur conuerſos, ne conforment ſe huic mundo, ſed transfigurentur in nouitatem mentis ſuę, & probent quæ ſit voluntas Dei bona, & placida & perfecta.

1. Pœnitentia ſeu nouitas vitæ.

Hîc Paulus nouam mentem requirit, & cur id faciat oſtendit, videlicet quòd nemo poſsit ſine nouitate, id eſt, purgatione mentis probare quæ ſit voluntas Dei bona, & placida, & perfecta. Huc proinde pius paſtor contendat, vt impura ſua mente valere iuſſa, transfiguretur in nouitatem mentis.

Sed

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Sed vnde fit hæc transfiguratio? ſeu quomodo ex impura mente pura fieri poterit?

2. Verbũ Dei rectè applicatũ. Pſal. 19. 8. Pſal. 119. 104.

Verbum Dei puriſſimus ille fons eſt, qui rectè applicatus, ſordes animi abſtergit: hic mentem contēplantem illuſtrat: hic intelligentiam practicam reformat: hic τὸ κριτήριον gubernat. Lex Domini (inquit Dauid) immaculata, conuertens animam: Teſtimonium Domini eſt verax, ſapientiam præſtans paruulis: Mandata Domini ſunt recta, lætificant cor: Præceptum Domini purum, illuminat oculos. Et Pſal. 119. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen pedibus meis. Lectio proinde & meditatio doctrinæ cœleſtis dum fide recipitur, purgat mentem, vt & rectè intelligere, & quæ rectè intelligimus accommodare ad vſum incipiamus.

2. Oratio. Pſal. 25. 4. 5.

Verùm quia noſtra lectio, & noſtrum ſtudium, niſi princeps ille paſtor ſuo Spiritu nobis legentibus aſpiret, fruſtra ſuſcipitur: ſequi debet pius paſtor Dauidis exemplum, qui oratione impetrauit, quod operatione obtinere nõ potuit. Ita enim ait: Vias tuas Domine oſtende mihi, & ſemitas tuas doce me, deduc me in veritate tua, & doce me, quoniam tu es Deus ſalutis meæ, te expecto tota die.

Vt ergo mens paſtoris ſit pura, tribus opus eſt: *Pœnitentia, Lectione,* & *Oratione.*

1. *Pœnitentia* facit ne imputentur ſordes reliquæ. 2. *Lectio* mentis nubeculas diſpellit. *Oratio* impetrat digitũ Dei, quo mẽs ad diſcendũ formetur.

Digreſſio de lectione ſacrorum librorum.

Hoc cùm animaduerteret vetuſtas, pio conſilio ordinauit in Eccleſia lectiones Prophetarũ, & Pſalmorum, & potiſsimùm ea elegit, quæ & optimè docerent, & maximè homines ad precandum excitarent. Verùm cùm cœpit paulatim legendi & orandi ſtudium refrigeſcere, acceſsit lex pontificia de neceſſitate & opinione cultus, & coacti ſunt ſacrificuli in Papatu certum numerum Pſalmorum quotidie recitare, manè, meridie & veſperi. Qui huic põtificio decreto ſatisfecerunt, putàrunt ſe iſto opere aliquid à Deo mereri. Contra qui hoc neglexerunt, exiſtimarũt ſe mortaliter peccare. Atque hoc potiſſimùm factum eſt, poſtquam humanis traditionibus obſtructa eſt doctrinæ puritas.

Origo ſuperſtitionis Pontificiæ de recitatione & cãtu Pſalmorum.

De Cantu Pſalmorum pia admonitio.

Etſi autem rectè taxata eſt à piis Doctoribus iſta conductitia Pſalmorum decantatio, quæ partim ab impiis, partim à non intelligentibus fiebat: tamen vtile eſſet reuocare conſuetudinem & diſciplinam veteris Eccleſiæ: Habet enim multò maiorem fructũ quàm vulgus cogitat. Nam non ſolùm homini canendi conſuetudine ſcriptura fit familiarior, & vſu ad intelligendum facilior, modò adſit pius animus: verumetiã, fides, inuocatio, ſpes, dilectio & aliæ virtutes excitantur & confirmantur, ac ita mentes eorum, qui ſe ita abſque ſuperſtitione exercent, redduntur purgatiores.

Confirmatio ab exemplo Baſilij.

Baſilius Magnus in ſuis Eccleſiis ordinauit, vt Pſalmi canerentur ita, vt ſibi inuicem reſponderent canẽtes alternis verſibus, idque non cultus cauſâ, ſed diſciplinæ gratiâ. Putauit enim ſanctus vir iſto pacto faciliùs & Pſalmos diſci poſſe, & tædium recitantiũ viciſsitudine leuari. Verùm quia iſta pſallendi conſuetudo vbique ſeruari non poteſt, nolumus noſtro paſtori iſtam canendi legem imponere, conſilium tamen dabimus quod vtile fore ſperamus.

Alia confirmatio à Baſilij apophtegmate.

Noſtrum itaque cõſilium hoc eſto. Librum Pſalmorum quàm familiariſſimè omnibus piis paſtoribus notum eſſe cupio. Hunc Baſilius ille Magnus vocat κοινὸν ταμιεῖον ἀγαθῶν διδαγμάτων, hoc eſt, commune promtuarium bonorum documentorum. Nam antiqua (vt inquit) animarum vulnera ſanat: recentia citò corrigit: quod languidum eſt & morbidum reficit: quod integrum eſt conſeruat: & affectus, qui variè animabus in vita hominum moleſti ſunt, quãtum fieri poteſt, tollit, &c. Hæc cùm ſit Pſalmorum incõparabilis vtilitas, velim in eorum lectione præcipuè occupatũ eſſe piũ paſtorem, idque hoc modo.

Pſalmorũ lectio paſtori vtiliſſima, & quo ordine.

Quindecim Pſalmi, qui graduum vocantur, ſint familiariſſimè noti, ac ita legantur à paſtore, vt ſingulis ſeptimanis ſemel finiantur. Pſalm. 25. cuius initium eſt: Ad te Domine animam meam leuaui: & 51. Miſerere mei Deus: alternis vicibus ſubiiciãtur precationi matutinæ. Facto prandio quotidie recitetur Pſalmus 147. qui incipit: Laudate Dominum, quoniam bonum eſt pſallere Deo noſtro. A cœna legatur Pſal. 23. Dominus paſtor meus. Precationi veſpertinæ Pſal. 130. De profundis, ſubiiciatur. Diebus feſtis Pſalmus 119. Beati immaculati, ſeruiat.

Reſtant iam Pſalmi 129. quos ordine velim recitari, ita vt ſemel in menſe abſoluantur.

G. Maioris Pſalmorum verſio cõmendatur.

Porrò etſi multæ & doctæ extant Pſalmorum verſiones: tamen meo paſtori commendo verſionem Georgij Maioris, quia hęc & plana eſt, & ſcholia habet in marginibus addita, quæ vice iuſtorũ commẽtariorum eſſe poſſunt. Hoc noſtrum conſilium eſto de lectione Pſalmorum, ſequatur qui volet.

De lectione aliorũ librorum noui & veteris Teſtamẽti.

Præterea pium paſtorem aſſidua manu verſare oportet Epiſtolas Pauli, ad Romanos, Galatas, Epheſios, Timotheum, & Titum. Item Euãgelium Iohãnis, cum eiuſdem epiſtola prima. Hæc noui Teſtamenti ſcripta optarem ordine legi à pio paſtore, ita vt ad minimũ vnum caput legeretur quotidie, donec ad finem ventum eſſet, vnde ad principium redeundum: non tamen hoc volo, vt cætera ſcripta noui Teſtamenti non legantur, ſed cupio hæc quàm maximè familiaria eſſe.

In veteri Teſtamento præ aliis legi cupio Geneſin, Prouerbia Salomonis, Iſaiam Prophetam & Danielem, idque eo modo, vt de præcipuis noui Teſtamenti libris dictum eſt. Reliqui libri veteri & noui Teſtamenti per otium legantur, ita vt ſemel finiantur intra anni aut biennij ſpatium.

Lectionis Bibliorũ fructus.

Hæc legendi diſciplina non ſolùm mentem purgatiorẽ reddet, verũetiã alios vberrimos fructus afferet iis, qui hoc meum conſilium non contemſerint.

Hactenus de lectione ſacrorum librorum dictum eſt: Iam de commentariis ſcriptorum Eccleſiaſticorum aliquid adiiciendum videtur.

De lectione ſcriptorum Eccleſiaſticorum Loci cõmunes Theologici.

Etſi autẽ paſtorẽ ante ſuſceptũ tam anguſtum officiũ inſtructũ eſſe velim in doctrinæ corpore: tamẽ iudico paſtori ſemper eſſe vtile, vt integrum doctrinæ corpus ſubinde euoluat. Nam illud ſatis diſci nũquam poteſt. Diligenter enim (vt rectè monet Cicero) cauendum eſt, ne incognita pro cognitis habeamus, iiſque temere aſſentiamus, ſed adhibeamus ad conſiderandas res, & tempus & diligentiam. Si hoc Cicero in rebus humanis, quæ rationi ſubiectæ ſunt, neceſſarium iudicauit, profectò hoc multò magis requiritur in doctrina Eccleſiæ, cuius fides rationis fines, humanæ naturæ vſum, experientiæ terminos, vt teſtatur Bernhardus tranſgreditur.

Scriptorũ Eccleſiaſticorum Canon.

Proponat itaque ſibi paſtor integrum doctrinæ corpus, illudque ſæpius euoluat: hac adhibita amuſſi, vt nihil recipiat, quod non quadrat ad Canonicam ſcripturã: nihil abſurdũ iudicet, quod claro Dei verbo traditũ eſt, tribuat Deo cũ Abrahamo laudẽ veritatis, etiamſi tota rerum natura, id quod legit in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, improbare videatur.

Corpus doctrinæ Melanchthonis.

Verùm etiamſi multa multorum ſcripta extant, quæ integrum doctrinæ corpus continẽt: tamẽ meo paſtori imprimis cõmẽdatũ volo Corpus doctrinæ, à ſanctiſſimo viro, Philippo Melanchthone, ſcriptũ. In eo enim nihil eſt obſcuri, nihil ambigui, nihil

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

alia eiuſdem viri Scripta.

falſi:ſed omnia clara & certa, extructa ex ipſis ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis. Huc adiiciat paſtor alios commẽtarios ab eodem viro ſcriptos, quos legat ſtudioſè. Nam in illis plus ſolidæ pietatis & eruditionis inueniet, quàm fortè in multorum veterũ, Latinorum & Grçcorum ſcriptis. His ergo ſi contẽtus fuerit ſimplex paſtor, qualem ego inſtruo, plus proficiet, quàm ſi plurimorum ſcriptorum veterũ & recentium lectione ſe fatigaret.

Aliorum Commẽtarij & lucubrationes.

Nihil tamen hîc detractum volo, aliorum doctiſſimorum virorum ſcriptis, quæ & magnifacio, & legenda iudico, ſed ab iis potiſsimùm, quorum & iudicium magis confirmatum eſt, & quibus tẽpus ob Eccleſiarum curam ſuppetit. Ego enim nunc ſimplicioribus & occupatioribus do conſilium, quod iudico iis maximè profuturum. Nam ea quæ aliquis ſæpius & familiariùs agit, fiũt veluti domeſtica, & difficiliùs veniunt in obliuionem, iuxta illud Senecæ:

Concluſio & ſumma doctrinæ de puritate mentis.

Dediſcit animus ſerò, quod didicit diu.

Hæc ſint dicta de purgatione mentis, quæ fons eſt aliorum motuum & actionum. Quę (vt rem vniuerſam in ſummam cõtraham) naturæ prauitate inquinata, & vana effecta, renouanda eſt iuxta Pauli cõſilium, & abluenda ſanguine Chriſti, atque ita perpetua pœnitentia, aſsidua lectione, & ardenti precatione inſtauranda: vt quotidie magis magiſque purgetur, donec in hac vita ſumus. Quamdiu enim hoc mortale corpus circumferimus, nunquam ita purgabitur mens noſtra, quin aliquid ſemper purgandũ reſtet. Quare rogandus eſt purgator noſter Chriſtus, ne maculas præſentes nobis imputet, ſed vt quotidie ſuo Spiritu, & verbo magis nos purget.

II. De Cogitationibus: quarum quædam

COGITATIONVM principia tria facit Damaſcenus, cùm ita ait: Illud ſanè præ omnibus noſſe debemus, tria cogitationum noſtrarum eſſe principia. Sunt enim aliæ cogitationes à Deo, aliæ à Diabolo, aliæ ex nobis ipſis.

1. A Deo.

A *Deo* quidem ſunt cogitationes ſalutares, quibus homines excitat Deus, ad ea, quæ pia & ſalutaria ſunt, agenda, iuxta mandata expreſſa.

2. A Diabolo.

A *Diabolo* ſunt pernicioſæ cogitationes, quæ ſunt via ad interitum. Cogitatio Iudæ de prodendo Domino, fuit à Diabolo. Nam ita clarè ſcribitur: Et cœna facta cùm iam Diabolus miſiſſet in cor Iudæ Simonis Iſcarioth, vt traderet Dominum. Et iterum: Poſt buccellam introiuit in illum Satanas. Hoc & Petrus teſtatur loquens Ananiæ: Quare (inquit) tentauit Satanas cor tuum, vt mẽtireris Spiritui ſancto?

Ioan 13.2. 27.

Act. 5. 3.

3. A nobis.

Ex *nobis* autem oriuntur cogitationes, cùm ea quę gerimus, aut geſsimus, aut audiuimus, recordamur.

Quam periculoſum prauis cogitationibus locum dare.

Simile.

Ratio.

Primum ergo genus cogitationum, vtile & ſalutare eſt, medium & vltimum noxium. Nam ſicut fumus apes, ſic prauæ cogitationes, ſi illis locus datur, fugant Spiritus ſancti gratiam. Neque enim leue exiſtimandum eſt, pernicioſis cogitationibus locũ dare. Videntur quidem leuiora peccata, ſed ſi non vitãtur, certum interitum afferunt. Nam ſemper maiora peccata ſuperueniunt nobis, & vim inferunt animabus noſtris, cùm quæ minora videntur, non vitantur. Sæpe homicidium commiſit, qui iræ ceſsit: Sæpe adulterium perpetrauit, qui impuræ cogitationi locũ fecit. Vt ergo qui minima contemnunt corporum vulnera, ſæpe mortem incurrunt: Ita qui animorum exiguas plagas deſpiciunt, in maiora labuntur crimina. Principiis ergo obſtandum eſt.

Aliud Simile.

De cauſis, modis & formis malarum cogitationum.

Porrò vt præſentius remedium paſtori noſtro cõtra inſultus malarum cogitationum dare valeamus, cauſas huiuſmodi cogitationum, & modos altiùs examinemus.

Bernhardus tres facit formas cogitationum, quæ ex nobis ſunt. *Quædam*, inquit, ſunt omnino otioſæ, videlicet, quæ ad rem non pertinent. Has tam facilè abiicere, quàm recipere poteſt animus. Atque hoc genus cogitationum otioſarum, luto confert, ſed ſimplici, hoc eſt, neć inhærenti, nec fœtenti, modò moram non fecerit. *Aliæ*, inquit, ſunt violentæ, magis & fortiùs adhærentes: vt quæ ad neceſsitatem naturę pertinent. Hoc genus confert Bernhardus luto non ſimplici, ſed limoſo & viſcoſo, non tamẽ fœtenti, ſi modum naturæ non exceſſerit. *Quædam*, inquit, cogitationes ſunt immundæ ac fœtidæ. Hoc tertium genus confert luto adhærenti, immundiſsiſimo ac fœtidiſsimo, quod genus nulla ratione admittendum eſſe monet. Nam animam coinquinat, & ad interitum ducit.

1. Cogitationes otioſæ.

2. Violentæ.

3. Immundæ ac fœtidæ.

Origines & cauſæ 4 malarum cogitationum.

Harum pernicioſarum cogitationum, quarũ peccatum hæreditarium fons eſt, cauſas (quo remediũ arte adhibeatur) particulares enumerabo varias. Aliâs enim diabolus huiuſmodi cogitationes ſuggerit (vt paulò ante attigimus.) Aliâs oriuntur à ſenſu: Aliâs à memoria: Aliâs à complexione ortum habẽt. Hæ quatuor cauſæ ſunt pernicioſarum cogitationũ.

Verùm quia vitia aliter curari non poſſunt, niſi radices & cauſæ eorum extirpentur, de ſingulis generibus dicam.

1. Diaboli inſidiæ duplices.

Diabolus hoſtis humani generis, qui præcipuè aduerſatur paſtoribus gregis Dominici, aliàs doctrinæ, aliàs morib. inſidiatur, ac ſuggerit cogitationes pernicioſas, nunc in doctrina, nunc in moribus.

Quibus modis ſuperandæ.

Quando itaque doctrinæ inſidiatur, & obiicit cogitationes pugnantes cum fundamento, triplex eſt modus ſuperandi huiuſmodi cogitationes.

1. Verbo Dei.

Primum opponatur verbum, potentia & veritas Dei. Quicquid enim ſuboritur in cogitationibus noſtris contra articulos fidei, verbo Dei obruendũ eſt, & ſuperandum. *Deinde* opponatur Catholicæ Eccleſiæ conſenſus, hoc eſt, ſanctorum hominũ ſuffragia, & exempla. *Ad hæc*, in toto conflictu aduerſus huiuſmodi cogitationes opponatur ardens & ſeria inuocatio.

2. Eccleſiæ conſenſu.

3. Oratione.

Exemplũ.

Sæpe turbat animos piorum cogitatio de reſurrectione mortuorum: ſed hanc premet & ſuperabit clarum Dei verbum, quod certum decretum Dei de excitandis mortuis proponit, cui nihil impoſsibile eſt. Poteſt enim quicquid vult: vult autem quicquid certò decreuit ſe facturum. Hoc verbum fortiùs premet iſtam cogitationem, vbi acceſſerit conſenſus omniũ piorum, qui inde vſque à mundi exordio, præcipuã ſuã conſolationem collocarunt in fide reſurrectionis. Huic conſenſui ancillatur inuocatio, ne Satanas vlla ſophiſtica nos à fide reſurrectionis abſtrahat. His igitur armis vtatur paſtor, aduerſus cogitationes quæ Satanam immediatè autorem habent.

2. Malæ Cogitationes ortæ à ſenſibus.

COGITATIONES ortæ à ſenſu, ſunt quæ ab obiectis, quæ in ſenſus incurrunt, animis imprimuntur: ſeu quæ generantur quoties res nobis offeruntur, quibus animi noſtri ad cogitandum excitantur: vt cùm Dauid vidit nudam fœminã, lauantem ſe, commouetur animus, & quomodo eius amore potiatur, cogitat. Huc illud Auguſtini pertinet, qui in quodã loco dicit, mortem per quinque ſenſus, tanquam per feneſtras, ad animam noſtram ingredi. Quod quàm verum ſit, docet experientia (proh dolor) in multis. De his ergo quinque feneſtris ordine dicam, & ſimul oſtendam ex ſcripturis, quomodo pius paſtor eas occludere debeat, & adbibere ſolertem cuſtodiam, ne hoſtis per ipſas ingrediatur.

1. A Viſu. Matt. 6.

PRIMA feneſtra eſt viſus. Hic præ cæteris ſingularem habet vim. Vnde Chriſtus apud Matthæum: Si oculus tuus fuerit nequam, totũ corpus tenebro-

ſum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Ecclesiaſtic. 31. 14.

ſum erit. Syracides : Nequius oculo quid creatum? memento quoniam malus eſt oculus nequam. Tritum quoque eſt prouerbium, Animum habitare in oculis. Huc illud Auguſtini: Impudicus oculus animi impudici eſt prænũcius. Heua vidit pomum eſſe pulchrum aſpectu, mox cogitat de eo fruendo, & per oculos concupiſcentia in animum prorepſit. Dauid viſis nudis Barſabeæ pedibus, mox de ea comprimẽda cogitat. Samſon viſu ad amandam alienigenã eſt illectus. Auguſtinus exemplo Terentiani Chereæ vſus eſt, qui incitatus pictura ſtupri Iouis, virgini vitium intulit.

Geneſ. 3. 6.
2. Sam. 11. 2.
Iudic. 14. 1. & 16. 1.

Quatuor remedia.
1. Cogitatio prohibitionis.

Quomodo, quæſo, hæc feneſtra occludenda? Occludetur iſta feneſtra, ne mors per eam ingrediatur, variis modis. *Primùm*, cogitatione prohibitionis. Qui enim verè de pietate cogitat, diuinis prohibitionibus tangitur inprimis. Ne intuearis vinũ quando flaueſcit, & cùm ſplenduerit in vitreo calice color eius. Auerte oculos tuos à fœmina comta. Auerte oculos meos, ne videant vanitatem. Ambroſius: Cùm videris aliena monilia, aurum, argentum, & concupieris vt extorqueas, intrauit mors per feneſtrã: claude ergo hanc feneſtram.

Prouerb. 23. 31.
Eccleſiaſt. 9. 8.
Pſal. 119. 37.

2. Exempla ſanctorum.
Iob. 31. 1.

Deinde, claudetur hæc feneſtra exemplis ſanctorum. Pepigi, inquit Iob, fœdus cum oculis meis, ne alienam mulierem concupiſcerent. Moſes, Ioſeph, Daniel, & multi alij, hanc feneſtram amore caſtitatis clauſerunt. Vt igitur paſtor meus habeat ipſe caſtam coniugem cupio, ne alienarum viſu periclitetur.

3. Cogitatio periculi.

Adhæc, cogitatione periculi obſtruetur hæc feneſtra. Qui enim quid mali mala concupiſcentia gignat attendit, maiori cura aduigilabit, ne incautus capiatur.

4. Occaſionum fuga.

Poſtremò omnium maximè hîc requiritur, vt fugiamus occaſiones: & ſi quando grauiùs pulſauerint obiecta mẽtem & cogitationem, confugiendum eſt ad Deum ſeria precatione, is non ſinet nos tentari ſupra vires noſtras.

2. Ab auditu.

SECVNDA feneſtra eſt auditus. Per hunc enim blanditiæ, adulationes, prophanæ & turpes cantilenæ ingreſſæ, cogitationes excitant, & venena in cor tranſmittunt. Hinc propheta: Tibia & timpanum in conuiuiis veſtris, & opus Domini nõ reſpicitis. Ambroſius: Intrat etiam mors per feneſtras aurium, ſi acquieſcas loquenti. Occludenda eſt ergo & hæc feneſtra paſtori, adeoque omnibus piis, ne inde in exitium ruant. Salomon Prou. 1. ait: Fili, ſi inuitauerint te peccatores, ne audias. Syracides : Sepi aures tuas ſpinis, ne audias linguam nequam.

Eſai. 5. 12.
Remedium.

3. 4. 5. Ab odoratu, guſtu & tactu.

TERTIA feneſtra, eſt Odoratus. QVARTA, Guſtus. QVINTA, Tactus. Ab his minus periculi eſt paſtori meo, niſi fortè à guſtu, de quo dicam, vbi agetur de eius externa conuerſatione & ciuili.

3. Cogitationes ortæ à memoriæ.

COGITATIONES ortæ à memoria ſunt quando ea reuocamus, quæ aliquando vel geſſimus ipſi, vel audiuimus, vel vidimus. Harum rerum memoria, primùm nudam cogitationem ad mentem pertrahit: quæ poſtquam aliquandiu moram in animo fecerit, excitatur affectus : huic ſi indulſeris pauliſper, voluntatem ſecum rapit, vt iam fruſtra voluntatem imperantem retrahere coneris. Quare vbi talis cogitatio ex memoria rerũ naſcitur, mox ad aliud aciem mentis conuerte, ne figat pedem.

Remedium.

4. Cogitationes ortæ à complexione hominis.
Remedium.

COGITATIONES ortæ à complexione hominis, ſunt variæ. Aliis enim cogitationib. obnoxius eſt Melancholicus, aliis Phlegmaticus, aliis Cholericus, aliis Sanguineus. Hic vt paſtor ſenſerit ſuum morbum, occurrat maturè, ne malum nimiùm ſerpat. Qui ſcit ſe Cholericũ eſſe, ideoque magis iracundũ, refrænet naturam, cuius morbũ nouit, & ſic de alijs.

Summa totius diſputationis de cogitationibus.

Dixi de cogitationibus malis, & oſtendi aduerſus eas remedia, & ſumma huc redit, vt illis occurramus legendo, canendo, orando, laborando, otium omne fugiendo. Verùm cùm non habeamus niſi malas cogitationes: nam, vt Paulus inquit, Non ſumus idonei ad cogitandum quicquam tanquam à nobis : debet paſtor totis viribus, puluerem malarum cogitationum, præcipuè oratione, excutere, & Deum ſeriò orare, vt ipſe nobis pias & ſalutares cogitationes, ſuggerat. Is enim ſolus creat cor mundum.

2. Corint. 3. 5.

III. De Affectibus.

Iam ad Affectus veniamus, de quorũ proximis cauſis hactenus eſt dictum. Quæ quia de natura humana non poſſunt ita euelli, quin quædam veſtigia relinquant: fit vt ſępe ſuboriãtur etiam in ſanctis praui affectus, atq; omnino accidit ſicuti quidam ex ſanctis patribus ait: Quemadmodum paſſerculus, pede alligatus, volare incipiens, in terrã funiculo detrahitur: ſic quoque mens hominis nondũ affectibus liberata, & ad rerum cœleſtium meditationem volare cõtendens, ab affectibus ducitur, & in terram detrahitur.

Simile.

Diuiſio affectuũ.

Affectuũ ſuborientium diſciplinam tradituri, initium ſumamus à diuiſione affectuũ. Sunt itaque affectuum quidam CORPORALES, qui ab ipſo corpore ſuas habent occaſiones: quidam ANIMALES, qui è rebus externis proueniunt. Primùm de priori dicamus genere.

1. Affectuum corporalium.
Radix.
Rami.

CORPORALIVM AFFECTVVM mater eſt φιλαυτία, quam definiunt eſſe immoderatum & cœcum corporis amorem, & verè eam affirmant omnium malorum matrem, cuius primæ quidẽ proles ſunt: crapula, auaritia, & vana gloria : quæ occaſiones ferè ex neceſſitatib. corporis ſumũt. Ex his deinde naſcitur omnium malorum ac vitiorum catalogus. φιλαυτία enim, primùm corporis curandi, & gubernandi prætextu, facit, vt homo ſenſim in voluptatis, & intemperantiæ foueam prolabatur. Hãc peſtem (φιλαυτίαν dico) oportet paſtorem inprimis quantum fieri poteſt, contundere, ne propter nimiũ corporis amorem coniiciatur anima in gehẽnam. Caſtigo, inquit Paulus, corpus meum, & in ſeruitutẽ redigo, ne quo modo cùm aliis prædicauerim, ipſe ſim reprobus.

Fructus.
1. Corint. 9. 27.

Remediũ adu. φιλαυτίαν.

Vides mi paſtor, quantum periculi cum philautia coniunctum ſit. Quare grauiter contra illam depugnandum eſt, ſobrietate, animo præſenti contento, & vera humilitate. *Prima* huius filia, quæ eſt γαστριμαργία, guloſitas ſeu crapula, corpori quidem grata eſt, ſed grauat corda. Vnde Chriſtus : Cauete ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate. Et Propheta: Vinum & ebrietas auferunt cor. *Secunda* filia auaritia eſt, non minùs pernicioſa amatoribus, quàm prima illa. Hanc Paulus vocat idololatriam, quia facit vt homo loco Dei ſuis diuitijs confidat. Quare pij paſtoris eſt cauere, ne huius deterrimæ peſtis veneno inficiatur, ac ita ſalute miſerè excidat.

Adu. guloſitatem ſeu crapulam.
Luc. 21. 34.
Oſe. 4. 11.
Adu. auaritiam.
Colo. 3. 5.

Auaritiæ triplex peſtis.

Sed quodnam afferet paſtor contra iſtam peſtem remedium? Videamus finem, quo impellitur quis ad auarè cumulandas diuitias. Hic autem triplex eſt. *Primus*, amor voluptatis, quæ grecè φιληδονία dicitur. *Secundus*, eſt κενοδοξία, glorię inanis affectatio. *Tertius*, propulſatio inopiæ, quam fortè metuit.

1. Voluptas.
2. Ambitio.
3. Metus profanus.

Voluptati deditus amat diuitias, vt earum adminiculo indulgeat delicijs. Ambitioſus, & inanis gloriæ cupidus, aurum expetit, vt eius præſidio clarus, & magnus, & honorandus habeatur. Homo metuens futuram inopiam, cumulat per fas & nefas, vt eas conditas & celatas conſeruet, aut famem, aut ſenectutem aut morbum, aut exilium pertimeſcens, atque in ijs plus ſpei habet repoſitum, quàm in Deo omnium rerum conditore, qui vel extremorum & minutiſsimorum animalium curam habet.

Fines habemus, quos ſibi proponit auarus animus in cumulandis diuitiis, voluptatem, ambitionem,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

inopiæ propulſationem. Hos ſi paſtor contemnere
potuerit, & è mente ſua euellere, ipſam auaritiam
haud difficulter contemnet. Videamus proindè or-
dine remedia aduerſus iſta mala.
Remedia adu. voluptatem. Quid ergo remedij habes aduerſus voluptatis pla
gam? Primum conferat pius paſtor turpitudinem hu
1. ius peſtis, cum dignitate hominis, qui Chriſti ſan-
guine ablutus & redemtus, iam templum Dei viuē-
tis eſt. Gentiles Philoſophi dixerunt, nullam capita-
liorem peſtem, quàm voluptatem, datam eſſe mor-
talibus. Quare & eandem affirmant indignam eſſe
homine, ſed concedendam eſſe beſtiis. Quid iam,
quæſo, indignius eſt, quàm maculare ſtolam illam
ſanctam, quam induiſti in Baptiſmate? quid fœdius,
quàm Dei templum iſto fœtore Satanæ conſpurca-
2. re? In pio paſtore fides, charitas, patientia, modeſtia,
iuſticia, & cæteræ virtutes eſſe debent. Quid, obſe-
cro, in hoc virginum honeſtiſſimo cœtu, faceret tur-
3. piſsima & fœdiſſima meretrix voluptas? Verè dicit
Plato, voluptatem eſcam malorum eſſe. Sed multò
verius is, qui affirmat præſentem vitam hamum eſſe
Diaboli, opertū abominabili voluptate, tanquā eſca,
per quam ſeducti ad profundum trahuntur inferni.
Vide mi frater, qualis in ſe ſit voluptas: vide quid
4. cum ea coniunctum ſit: vide eius finem: vide
pœnam. Ipſa turpis eſt, coniunctam habet infamiā,
famem ſui habet, & tranſacta non ſatiat, finis eius eſt
mala conſcientia, pœna, infernus. Hæc mi paſtor ſi
perpendas, facilè hanc teterrimam peſtem deteſta-
beris, modò ores, ieiunes, legas caſta, ac otia vites,
iuxta illud noſtrum diſtichon:

Ores, caſta legas, ieiunes, otia vites,
Si ſeruare voles corpora caſta Deo.

Dixi de primo fine, cur auarus animus diuitias cu-
mulet, & quomodo is contemni poſsit.
Sequitur ſecundus, qui eſt κενοδοξία, hoc eſt, gloriæ
Remedia adu. ambitionē. inanis appetitio. Hæc, quia ex diametro pugnat cum
Chriſtianiſmo, deberet meritò ab omnibus piis cō-
1. tēni, nō ſecus atque cœnū fœtens, imò veluti virus
Diaboli pernicioſiſſimū. Non enim poteſt cum ſiti
2. inanis gloriæ, ſtare Chriſtiana humilitas. Hāc inanē
Simile. gloriam Bernhardus baſiliſco comparat. Ita enim
ait: De baſiliſco quid dicemus? monſtroſior cæteris,
ſolo viſu hominem inficere & interficere perhibe-
tur. Ni fallor vana gloria eſt. Videte ne (inquit) iu-
ſticiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videa-
mini ab iis. Ac ſi dicat: Cauete oculos baſiliſci. Sed
cui nocere dicitur baſiliſcus? Ei qui non viderit baſi-
liſcum: alioqui ſi prior eum videas, iam non tibi no-
cet, (vt aiunt) magis moritur ipſe. Ita eſt fra-
tres, non videntes necat inanis gloria, cæcos, & ne-
gligentes, qui ſe ei oſtentant, qui ſe exponunt, &
non potius ipſi inſpiciunt, non attendunt, non diſ-
cutiunt illam, non vident denique quàm ſit friuola,
quàm ſit caduca, quàm vana, quàm inutilis. Si quis
eum intueatur hoc modo, moritur baſiliſcus. Nec iā
occidit eum gloria, ſed occiditur magis & occidit ei,
quodammodo verſa in puluerem, imo redacta in ni-
hilum. Hæc ſcitè & eleganter à Bernhardo ſunt di-
cta, quibus ſatis graphicè turpitudo inanis glorię de-
ſcribitur. Huc addamus & vocem Prophetarum. Ie-
3. Ier. 49. 16 remias ait: Arrogātia tua decepit te, & ſuperbia cor-
Prou. 16. 18. dis tui. Cum enim (inquit Salomon) ſuperbia, venit
Pet. 1. 5. 5 & ignominia. Et Petrus: Deus ſuperbis reſiſtit. Do-
Luc. 14. 11 & 18. 14. minus in Euangelio: Qui ſe exaltat, humiliabitur.
Hæc & huiuſmodi alia oracula Dei, paſtorem re-
frenare debent, ne ſinat ſe, inanis gloriæ ſtimulis in-
4. citari. Quæ ſi viderit parum proficere, cōſideret ſuas
5. ſordes, conſideret pœnam imminentem, proponat
6. 7. ſibi exempla ſanctorum patrum, qui iſtam beluam
confecerunt: cogitet eam eſſe nuntiam Satanæ, &
prænuntiam mortis. Ad extremum confugiat ad ſe- 8.
riam inuocationem, & meminerit illius dicti, qui
ſe exaltat, humiliabitur.
Tertius finis, cur auarus animus ſibi diuitias cu-
mulandas cenſet, eſt propulſatio futuræ inopiæ, quæ Remedia adu. diffidentiam & propulſationem [as printed: "& propha num-tum."]
à diffidentia oritur. Hac ergo impulſus homo, ſibi in
futurum proſpicere cogitat. O quàm iniquum eſt
tantam corporis habere curam, abiecta omni ſalutis
ſolicitudine. Diffidentiam damnat Chriſtus, & tu 1.
qui vice Chriſti fungeris, diffidentia tua excitaris,
ad quærendas opes per fas & nefas? An non apertè
contemnis mandatum Chriſti? an nō manifeſtè pro-
miſsionem ipſius conculcas pedibus? mandatum eſt:
nolite ſoliciti eſſe, quid edatis, & quo veſtiamini. Mā Matth. 6.
datum eſt: quærite primùm regnum Dei, & iuſticiā 37 33.
eius, hoc eſt, Dei. Promiſsio eſt: Pater cœleſtis alit vo
lucres cœli, nonne vos multò præſtatis eis? Item: No
uit Pater veſter cœleſtis, quòd indigeatis his omni-
bus. Promiſsio eſt: & cætera omnia adiicientur vo-
bis. Sequatur ergo pius verbi miniſter mandatum
paſtoris ſui: Ne ſitis ſoliciti de craſtino. Abiiciat E-
thnicam diffidentiam, ac certò ſtatuat, quòd Chri-
ſtus non velit ſe deſerere, præſertim cùm ſcriptum
ſit, Non in abundantia hominis vita eius. Auarus Luc. 12. 15.
enim plerunque inter medias opes eſurit. Solent
homines auari, vitæ ſuæ præſidia in opibus col-
locare, adeò vt quò quiſque ditior eſt, eò minus o-
mnia pericula, atque adeò ipſam mortem reformi-
det. Huc illa diuitum arrogantia & ſupinitas, quaſi
Deum ipſum in ciſtis & horreis incluſum, habeant
in poteſtate. Contra verò oſtendit Dominus, vt qui-
ſpiam ſit locupletiſsimus, adeò vt omni opum gene-
re redundet: tamen quod viuit, hoc minimè debere
acceptum opibus ſuis, cum ipſius vitam, ne temporis
quidem momento, poſſint vllæ bonorum copiæ cō-
ſeruare. Vnus enim Deus qui vitam dedit, eam ſcili-
cet quamdiu libuit, & fouere & extinguere, pro ſuo
iure poteſt. Quorſum igitur quiſpiam à diuitiis pen
deat, vt ij ſolent, qui iis accumulandis tantopere ſunt
ſoliciti. Memineris ergo ô paſtor, huius ſummi pa- Luc. 12. 15.
ſtoris præcepti: Videte & cauete ab auaritia. Abiice
itaque diffidentiam, Chriſtum veracem eſſe ſtatue.
Atqui hi ſunt fines, cur homines ſtudeant cumu-
landis diuitiis, voluptas, inanis gloria, & propulſatio
imminentis inopiæ. Hos qui extremè contemſerit,
facilè animum ſuum ab auaritiæ ſordibus purgabit.
Sed quî fit, quod hæc tria, quæ ſcriptura abiicien-
dā eſſe monet, adeò tamen hominum animos mo- Origo tot malorum
ueant, vt quàm paucíſsimi inueniantur, qui iſtis non
capiantur? Caro noſtra illa amat, iiſque mens excæ-
catur eò magis, quò caro minus imperio ſpiritus
ſubiiciatur. Excitetur proinde ſpiritus, vt magis ma-
giſque auctus viribus, carnis ferociam domare, & ſuo
imperio ſubiicere poſſit.
Hæc ſint breuiter dicta de affectibus corporalibus,
de philautia, eiuſque filiabus, à quibus omnia oriun-
tur mala & vitia: & de remedio aduerſus venenum,
quo homines incautos iſta peſtis inficere ſoleat.
Sequuntur AFFECTVS ANIMALES, Ira & Con-
cupiſcētia, de quibus nōnulla breuiter adiicimus. 2. Affectus animales
IRA quid ſit, notum eſt, eius genera, tria numerā-
tur. Bilis, χόλος. Iracundia, μῆνις. Et Inſenſio, κότος. Iræ. 3. genera.
Bilis citò & facilè commouetur, ſed & leuiter ſeda- Bilis.
tur. Iracundia, diuturnior animi commotio, ex fre- Iracūdia.
quenti mali illati, iniuriæque recordatione, conti-
nuū ſumit pabulum, & maius incrementū: & hæc ma
gis animo occultatur, abditaque latet, quàm exte-
riori prodatur indicio. Inſenſio, eſt exulcerati animi Inſenſio.
perturbatio grauior, opportunitatem vindicandi il-
latam iniuriam de induſtria quærens, & nanciſci
ſtudens

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſtudens. Atque ideo κότος dicitur, quia κεῖται, hoc eſt,
Quæ ira ferenda & fugienda paſtori.
iacet donec occaſionem fuerit nacta. *Primum* ge-
nus ſæpe neceſſarium eſt paſtori : debet enim iraſci
vitiis. *Secundum* genus, malum eſt, à quo alienum
meum paſtorem ɛpte. *Tertium*, eſt peſſimum,
quod in ſanctis diuturnum eſſe non poteſt. Pugnat
Cogitationes ad coercendam iram
enim cum lenitate, & patientia Chriſtiana. Quare
velim pium paſtorem meminiſſe dicti Pythagorici:
Ollæ veſtigium cinere turbato. Quo ſymbolo ſigni-
1. ficat iræ non indulgendum eſſe. Et huius Pauli, Eph.
2. 4.26. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Hic
Paulus vult ne nos nox iracundos deprehẽdat. Quo-
niam autem fieri non poteſt, quin in hac infirmitate
Pſal. 4.5.
ſæpe iraſcamur, ſequatur paſtor conſilium Dauidis
Epheſ. 4. 26.
& Pauli: Iraſcimini, & nolite peccare: hoc eſt, ſi con-
tigerit iraſci, iram ita cohibete, vt ad facta non pro-
ſiliat, aut moram aliquam in veſtris animis faciat.
Verum vt hoc malum ſtudioſiùs caueri poſſit, paſtor
Aliæ cogitationes adu. iram.
1. iniuria læſus, hæc meditetur. *Primùm*, cogitet, quo-
ties ipſe Deum offenderit, & tamen veniam expe-
tierit, *Secundò*, meminerit, quòd vbi non ſit remiſſio
2. iræ & offenſæ, illic nec venia peccati apud Deum:
3. iuxta parabolam de debitore, Matth. 18.35. *Tertiò*,
recolat ſe etiam hominem eſſe, & poſſe alios offen-
dere, ideoque oportere ſe æquiorem eſſe in alios.
4. *Quartò*, perpendat, quod iratus ſibiipſi maximè no-
5. ceat, turbando animum. *Quintò*, æſtimet malum,
Prouerb. 15.18.
quod inde ſequi poteſt. Vir iracundus, inquit Sa-
lomon, rixas prouocat: qui verò patiens eſt, mitigat
6. ſuſcitatas. *Sextò*, ſciat quòd magna ſit virtus, iram
reprimere. Vnde Ambroſius : Præclarum eſt,
motum temperare cõſilio, nec minoris virtutis dici-
tur, cohibere iracundiam, indignationemque com-
peſcere, quàm omnino non iraſci, cum plerunque
7. hoc leuius, illud fortius æſtimetur. *Septimò*, de
damno, quod ſequitur iram, cogitet. Per iram, inquit
Gregorius, ſapientia perditur, vt quid quove ordine
agendum ſit neſciatur. Idem : Per iram, Spiritus
ſancti ſplendor excutitur, qui ſuper humilem &
quietum requieſcere dicitur. Quia cum ira ſubtrahit
quietem, Spiritui ſancto habitationem claudit.

Hæc quæ hactenus de ira à me dicta ſunt, volo intelligi de ira, quam impatientia generat, non de illa laudabili ira, quam zelus pius excitat. Illa enim ex vitio: hæc ex virtute generatur. Ira per vitium oculos mentis excæcat: Ira per zelum, turpitudini iraſcitur, vt Phinees, Paulus, Chriſtus, & ſancti multi ſæpe zelo Dei ſancto iraſci leguntur. Verùm cauendum eſt, ne vitium virtutis larua pingamus, fallentes noſmetipſos. Videat ergo paſtor, & diligenter examinet cor ſuum, an ira, qua æſtuat, ex amore Dei ſit, an ex vitio impatientiæ.

Concupiſcentia naturalis & non naturalis.
Affectus animalis, qui *Concupiſcentia* dicitur, eſt duplex : Naturalis, & non naturalis. *Naturalis* triplex eſt.
Naturalis concupiſcentia triplex.
Aut enim circa cibum & potum, aut circa ἀλυπίαν, vt quis dolore omni ſit vacuus, aut circa amorem Venereum verſatur. Hi affectus naturales quidem ſunt, quatenus φόβῳ νόμῳ καὶ ὀρθῷ λόγῳ, vt Plato ait, reguntur & frenantur. Nam aliàs naturam corrumpunt, & Deum grauiter offendunt.

Concupiſcentia non naturalis.
Non naturalis Concupiſcentia, eſt rei alienæ ap-
petitio, quæ peculiari lege Dei prohibetur: Nec con-
cupiſces domum proximi tui, nec deſiderabis vxo-
Remedia.
1. rem eius nec ſeruum, nec ancillam, nec bouem, nec
aſinum, nec omnia quæ illius ſunt. Syracides: Ne ze-
Eccleſiaſtic. 9.16.
2. les gloriam & opes peccatoris. Non enim ſcis quæ
futura ſit illi ſubuerſio. Hoc duplici freno volo pa-
ſtoris mei concupiſcentiam reprimi.

Alia diuiſio.
Eſt & alia diuiſio Cõcupiſcentiæ apud Paulũ Gal. 5.17. vbi ait : Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. *Carnis* vocabulo, per metonymiam intelligit corruptionẽ, & vitioſitatem humanæ naturæ, & impetus inde pullulantes, qualis omnium eſt qui nondum ſunt regeniti. *Spiritus* ſignificat regenerationis gratiam, quam Spiritus Dei operatur in renatis, & impetus excitatos à Spiritu ſancto in credentibus.
Concupiſcentia carnis.
Spiritus.

Breuiter, Concupiſcentia carnis, eſt concupiſcentia veteris hominis. Concupiſcentia ſpiritus, eſt cõcupiſcentia noui hominis, hoc eſt regenerati, quatenus regeneratus eſt.

Quid concupiſcentia carnis ſeu veteris hominis.
Concupiſcentiam veteris hominis definit Paulus Eph. 2.3. eſſe per quam inclinatur homo, ad faciendum ea, quæ libent carni & menti: hoc eſt, ad viuendum ad ingenij mentiſque arbitrium. In hac definitione Pauli, duæ ponuntur partes veteris hominis, σὰρξ & διάνοια. σὰρξ, caro, ea eſt animi pars, quam Philoſophi ἄλογον vocant. διάνοια, mens, quam illi τὸ λογικὸν appellant. Sed frequentiſſimè carnis vocabulo, totus vetus homo ſignificatur.

Quid ſit noui hominis cõcupiſcentia.
Concupiſcentiam noui hominis, definio eſſe, qua renati moliuntur deponere veterem hominem, & induere nouum, ex quo fit, vt iuſticiæ & ſanctimoniæ verè ſtudeant. Effecta vtriuſque, hoc eſt, & ſpiritus & carnis, recitat Apoſtolus, Eph. 4. & Gal. 5.

Bonus itaque paſtor ſpiritum piis excitabit exercitiis, iuxta illud Pauli, 2. Tim. 1.6. Commonefacio te, vt exuſcites donum Dei, quod in te eſt. Eſt autem donum Dei, viua quædam flamma, in cordibus renatorum accenſa, quam nituntur caro & Satan ſuffocare. Paulus igitur ſuum paſtorem commonefacit, vt illam flammam ſopitam magis foueat & exuſcitet. Nam vt flamma facilè extinguitur, niſi flabello, impoſitis ſubinde nouis lignis, excitatur : Ita dona Dei & ſpiritus in renatis paulatim diſpereunt, niſi aſſiduè exuſcitantur.

Quibus modis dona Spiritus excitantur in homine regenerato.
Sed dicas. Quomodo excitentur illa dona? Homo renatus, donatus eſt Spiritu ſancto, qui non eſt in homine otiũ, ſed flamma & agitatio diuina, repugnans Diabolo & carni, & accendens motus tales, qualis ipſe Spiritus ſanctus eſt.

Huiuſmodi motus Spiritus, PRIMVM omnium 1.
cogitatione doctrinæ mouentur. DEINDE, in in- 2.
uocatione per Spiritum excitantur. POSTEA, au- 3.
gentur exercitiis pœnitentiæ, conſideratione noſtræ infirmitatis, repugnando ſubitis incẽdiis affectuum, ſuſtinendo certamina & pericula in officio & confeſſione. In huiuſmodi exercitiis excitatur ſpiritus, creſcunt dona, & apparet imperium ſpiritus aduerſus carnẽ. Quare hortor paſtorem meum, vt diligẽter inſidias Satanæ & carnis caueat, ne extincta flamma Spiritus, rurſus Satanæ & carnis laqueis implicetur.

Adu. carnis concupiſcentiam.
Quidam ex patrib. dehortaturus Chriſtianos à carnali concupiſcentia, hanc pulcherrimam proſopopœiam facit. Quilibet Chriſtianus in ſe habet paradiſum, Adam, voluptatem paradiſi, & ſerpentem. Paradiſus, eſt verbũ Dei, quo (veluti fragrantia dulciſſima) afficitur pia anima. Adam, eſt vetus homo & rea natura, quæ Satanæ fraudibus expoſita & obnoxia eſt. Voluptas paradiſi, eſt participatio Spiritus ſancti, qua mirum in modum afficitur anima ſancta. Serpens, eſt carnalis voluptas, cui qui obedierit mortem ſibi ſua accerſit culpa. Igitur non ſecus cauendæ ſunt inſidiæ mundanarum & carnalium concupiſcẽtiarum, quàm ipſius ſerpentis : quibus ſi aliquando captus fueris, maturè accurre ad arborem vitæ, Ieſum Chriſtum, ne mors te apprehendat.

IIII. De voluntate.
Hactenus ſit dictum de affectibus, quantum quidem noſtro inſtituto deſeruire videtur. Sequitur *Diſciplina voluntatis*, de qua ideo breuiùs dicam, quia

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mentis, cogitationum, & affectuū motibus & conſiliis obedire ſolet.

Quid ſit voluntas.

Eſt autem VOLVNTAS, facultas naturalis, qua aut appetitur, quod placet, aut declinatur quod diſplicet. Quatenus autem naturalis facultas eſt, à Deo eſt, & quo ad ſubſtantiam ſemper bona. Verum quantum ad habitum attinet, variat. Nam eſt voluntas mala, eſt & voluntas bona. Malam habemus ex corruptione naturæ, bonam ex gratia. Mala ſequitur mentem, cogitationes & affectus carnis bona comitatur mentem, cogitationes & affectus ſpiritus. Iam quicquid homo facit, bonum eſſe non poteſt, niſi ex bona procedat voluntate. Quare vt paſtor carnis voluntati renunciare: ita ſpiritus voluntatem facere, operoſè ſtudebit. Quæ ſpiritus voluntas, perpetua ad imperandum domina eſſe debet. Norma autem imperij verbo Dei continetur.

Duplex. Mala. Bona.

V. De ſtudio.

Sequitur STVDIVM, quod inter partes eas, quas animo ſubiecimus, poſtremum locum occupat. Hoc nihil aliud eſt, quàm vt paſtor, renunciata carne perpetuò ſtudeat, vt pulcherrima harmonia conſentiāt, mēs, cogitatio, affectus, & voluntas, vnicum ſcopum Deum ſibi proponentes: Vt quæ mens rectè intelligit, cogitet ſedulò animus: quę animus cogitat, ad illud rapiantur affectus: quæ pij affectus ſuadent, hoc ſeriò imperet voluntas.

De puritate corporis.

Hactenus de diſciplina animæ: nunc de corpore pauca ſubiiciemus.

Duo extrema fugienda.

In corpore ſuo paſtor curabit, ne vel mollitie torpeſcat, vel duritie ſeu auſteritate frangatur. Sicuti enim Deus vetat, ne præter modum indulgeamus corpori, ita quantum neceſſe eſt, illi dari præcipit, ne nimia inedia & duriori diſcipſina frangatur. Huc pertinet dictum Pauli, Coloſſ. 2. 23. honorem habere corpori pro modo neceſſitatis præcipientis. Debetur autem honor corpori, quia domicilium & organon eſt Dei. Quare cauendum eſt imprimis, ne vel crapula vel inedia, aut nimis rigido ieiunio deſtruatur. Vt autem paſtor meliùs intelligat, quid ſentiendum ſit de corporis diſciplina, genera exercitiorum corporis recitabo, quorum quædam laudabilia ſunt, quædam extremè vituperanda.

Quadruplex corporis exercitium.

Eſt itaque quadruplex exercitium corporis: Epicureum: Phariſaicum: Politicum: Chriſtianum.

1. Epicureum.

Epicureum exercitium peſſimum eſt, & planè hominis dignitate indignum. Nam qui huic ſe dederunt, potando & ſuauiter edendo, & molliter veſtiēdo ſe ſaginant, ac deliciis variis quaſi corpora ſua emaſculant. Verè enim dictum eſt. Scortatio, vinum, & ebrietas, auferunt cor. Et Homerus ait: οἵτ' αὐτῷ πρώτῳ κακὸν εὕρετο οἰνοβαρείων, Hoc eſt, ſibi ipſi primo malum inuenit vino grauatus. Et Eſaias minatur malum iis, qui ebrietatem ſectantur, dicens: Vęh qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.

Oſee. 4. 11. Eſa. 5. 22.

Cùm ergo Epicureum viuendi genus, & valetudinem lædat, & infame ſit apud ſanos Philoſophos, & verbo Dei damnetur, vt quod reddat hominem inutilem prorſus ad omnia hominis officia: ſit miniſter parcus in cibo, temperans in potu, veſtibus ne luxuriet, vt poſſit eſſe idoneus ad cogitationes de Deo, & ad motus diuinos, & vt corpus poſſit eſſe durabilius & firmius in ſenecta.

2. Phariſaicum.

PHARISAICVM exercitium eſt, quo ſuperſtitioſi omiſſa doctrina de vera iuſticia, remiſſione peccatorum, & ſatisfactione pro peccatis, ſe macerarunt ieiunio, longis preculis, chameuniis & aliis aſperrimis laboribus, putantes huiuſmodi opera eſſe cultum Dei, iuſticiam, & ſatisfactionem, & mereri remiſſionem culpæ & pœnæ. Hinc manauit Monaſtica vita & Eremitica, eorum qui in Mandris ſuis duriſſimam vitam vixerunt, vt Ioſaphat Auenniri regis filius, malè inſtructus ab hypocritata Barlaam ſuo magiſtro. Hic enim patre mortuo regni diadema ſuſcepit quidem: ſed ſubditis commendata religione Chriſtiana, ſe abdidit in eremum. Vbi multis annis ſqualore, ieiunio, & duriſſimo victu ſe macerauit, vt iſto pacto cœlum mereretur. Sic multi reges, & homines alij non mali, monaſticam vitam elegerunt, vt in ea ieiunio, preculis ad certam menſuram recitatis, ſordidis veſtibus, duris cubationibus ſatisfacerent pro peccatis ſuis, & mererentur cœlum.

Exempla.

Peccata phariſaici exercitij. 1. 2. 3. 4.

Hoc ſuo facto quadrupliciter peccauerunt. *Primùm*, læſione corporum, quibus Paulus præcipit honorem haberi. *Deinde*, falſis opinionibus. *Tertiò*, contumelia in Filium Dei, cuius ſatisfactionem contemſerunt. *Poſtremò*, malo exemplo, quod cùm multi ſecuti ſunt, cum ſuis autoribus malè perierūt. Sciat ergo pius paſtor, quo in loco habenda ſint huiuſmodi hypocritarum exercitia, & potiùs vnum Abrahamum ſequatur, qui abſque omni dubio abſolutum Chriſtianæ perfectionis exemplar exhibet.

3. Politicum.

POLITICVM exercitium, eſt quod ſuſcipitur, vel habitus alicuius induendi gratia, vt palæſtricum, gladiatorium, technicum: vel ſanitatis conſeruandæ gratia, vt ambulationes, labores, &c. Huiuſmodi exercitia non improbantur, imò vtilia, & in omni vitæ genere ſunt laudabilia.

4. Chriſtianum.

CHRISTIANVM exercitium, eſt quod ex fide proficiſcitur in bonum finem, excluſa opinione cultus, iuſticiæ, meriti & neceſſitatis. Hoc genus potiſſimum ſuſcipitur à piis, quando ſentiunt ſua corpora pigriora effici, & veluti languere circa deſideria carnis. Tum enim pij ſolent vigiliis, ieiuniis, laboribus, lectionibus longioribus ſe excitare, vt caro imperio ſpiritus ſubiiciatur. Verùm hoc exercitium duabus regulis regi debet: quarum vna eſt Pauli, qui præcipit honorem, hoc eſt, curam habere corpori, ſeruato modo neceſſitatis. Altera eſt Athanaſij. Bonum (inquit) eſt exercitium corporis, modò vera ſcientia & moderatione fiat. Vera ſcientia eſt, vt non ſuſcipiatur cultus, aut meriti gratia: ſed vt ęo tantum corporis ferocia reprimatur, ne ſit ſpiritui nimium moleſtum. Moderatio neceſſaria eſt, vt nec impediat neceſſaria officia, nec valetudinem lædat.

Quib. regulis regi debet. 1. 2.

Diſciplinæ animi & corporis coniunctio.

Dictum eſt de diſciplina animi & corporis, & oſtēſum eſt quid paſtor noſter debeat fugere, vt quod contaminet corpus & animam: & quid debeat ſectari, quo corpus ſeruetur caſtum, & animus purus. Iam vtrunque coniungendum eſt. Neque enim animus mundus eſſe poteſt, niſi caſtum ſit corpus: neque corpus caſtum, niſi animus ſit purus.

1. Theſſal. 5. 23.

Sit ergo animus purus, & corpus caſtum, vt alterius puritas alterius teſtetur caſtitatem: vt fiat id, quod Paulus optat ſuis Theſſalonicenſibus, cùm ait: Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos totos, vt integer veſter ſpiritus, & anima, & corpus inculpatè in aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruentur. Glorifica ergo & tu, ô paſtor, Deum corpore tuo, & ſpiritu tuo quæ ſunt Dei, vt ita integer ſis totus: caue ne impunè putes te euaſurum, ſi oculos hominum lateant tua facta. Ipſe enim Deus imaginem futuri iudicij, in vnoquoque noſtrûm reliquit.

Exhortatio ad Paſtorem.

Nullus (fortè dicis) accuſat, nullus eſt teſtis factorum meorum, quis iudicabit? quis puniet? Conſcientia tua iudicatrix eſt, eam audi, auſculta quid dicat: Memoria tua eſt teſtis factorum, vt ea negare nequeas: Ratio Iudex præſens eſt, etiam in denſiſſimis tenebris: Timor carnifex intus in te eſt, & ad caſum cadentis folij ſe prodit. Quod enim cōſcientia accuſat,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſat, memoria teſtificatur: & quod ratio iudicat, timor excruciat.

Quare hæc ita in te diuinitus fiunt? vt hoc domeſtico iudicio admoneat te Deus futuri ſui iudicij, quod nequaquam euades, niſi illud matura pœnitentia anteuertas.

Epilogus primæ partis.

Dictum eſt, vt opinor, ſatis de prima parte noſtræ inſtructionis, in qua oſtendimus, quæ conueniat diſciplina animæ paſtoris, & quæ corpori: & quomodo totus homo debeat integer eſſe, quò ſanctificetur Deus, & corpore, & ſpiritu paſtoris. Iam coronidis loco adiiciam precandi formulam, qua pius paſtor ea precabitur quotidie, quæ in priuata eius vita, noſtra requirit inſtructio.

Precandi Formula.

Dulcissime Domine Iesv Christe, te inuoco: tu enim lux mea es: tu vita: tu ſalus: tu Deus meus viuus: Pater meus ſanctus: Deus meus pius: magiſter meus viuus: Paſtor meus bonus: adiutor meus optimus: Te deprecor, tibi ſupplico, te rogo, vt per te ambulem, ad te perueniam, in te requieſcam: fac vt per tuum auxilium ſanctè, piè, & rectè viuam: mentis meæ tenebras diſcute: cogitationes prauas cohibe: affectuum malorum flammas extingue: voluntatem peruerſam tuo reprime imperio: ac luce tua mentem illuſtra, cogitationes pias ſuggere: affectus bonos accende: & voluntatem meā ad te conuerte, vt quæ tu vis, velim & ego. Præterea, cū corpus meum domicilium ſit animæ meæ, fac, quæſo, vt illud tuo auxilio caſtum & mundum conſeruem: quò anima purgata in corpore mundo habitet: quò integer ſim, anima, ſpiritu, & corpore: & te perpetuò in corpore, & in anima mea glorificem: tibi Paſtori meo, ac ſoli Deo, cū Patre & Spiritu Sancto ſit benedictio & gloria, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & robur in ſecula ſeculorum, Amen, Amen: Fiat, Fiat.

De secvnda parte,
qua continet inſtructionem, iuxta quam paſtor ſuam domum & familiam regat.

Domeſticæ diſciplinæ cognitio paſtori neceſſaria.

Instrvximvs paſtorem noſtrum ſolitarium, & oſtendimus quali cupiamus eum gubernari diſciplina, quando ſolus ſecum agit, atque eius vita ſoli Deo patet. Nunc ipſi de ſolitudine educto domum committamus, monſtremuſque, qua deceat ipſum diſciplina domum ac familiam adminiſtrare. Quàm autem ſit domeſtica hæc diſciplina neceſſaria paſtori, Paulus oſtendit 1. Tim. 5. 8. cùm inquit: Si quis ſuos, & maximè domeſticos non curat, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior. Et Bernhardus inquit: Ne maledictio intret domum, cuſtos in porta diſciplina ponenda eſt.

Capita domeſticæ diſciplinæ.

Cùm itaque paſtori pio incumbit, vt ſuam domum & familiam, pia & ſancta regat diſciplina, capita certa proponam, ad quæ totam diſciplinam domeſticam referam. Sunt autem hæc capita:

I. *Qualis vxor ducenda Parocho.*
II. *Affectus paſtoris erga vxorem.*
III. *Inſtructio vxoris & tractatio.*
IIII. *Educatio liberorum.*
V. *Tractatio familiæ, hoc eſt, ſeruorum & ancillarū.*
VI. *Cura & prouidentia de victu & neceſſarijs.*
VII. *Liberalitas in pauperes.*
VIII. *Totius domus precandi ratio, & tempus.*

I.
QVALIS VXOR DVCENDA
Parocho.

Prouerb. 19. 14.

Salomon dicit: Domus & diuitiæ, hereditas patrum eſt: à Domino autem accipitur vxor prudens. Hæc veriſſima gnoma monet, vt paſtor ducturus vxorem, ante omnia Deum roget, vt ſibi vxorem adiungat, cum qua pacificè, & in timore Dei viuere poſſit. Multi iuſtas pœnas luunt, qui non à Domino, ſed à Baccho, & Venere, vxores accipiunt. Quare paſtor, cùm primùm animum ad coniugium applicuerit, ſeriò & ardenter oret Deū, vt ipſe ſibi monſtret, quæ futura eſt comm[illegible]da. Denique vbi à Domino cœpit vxorem petere, conſilia amicorum, ac præcipuè piorum adhibeat. Nam amor ſæpiſſime, etiam in piis, cæcus eſt. Et, iuxta Theocriti dictum, quæ nō ſunt pulchra, amori pulchra apparent. Opus eſt ergo hîc amicorum oculo & conſilio.

Paſtor ducturus vxorem, 1. A Deo eam petat.

2. Conſilia piorum adhibeat.

Poſtquam autem monſtrata eſt perſona placens, rurſus adorandum ſe conuertat paſtor, vt Deus, ſi futurum eſt è re ſua, coniungat animos vera ſtorga. Hoc autem cùm ſenſerit, non more lenonum animū puellæ, aut viduæ explorabit: ſed honeſta legatione amicorum, petet ipſius conſenſum. Qui ſi negatus fuerit, non eſt, quam Deus illi donare decreuit: ſi cōſentit, ſperet eam diuinitus ſibi monſtratam fuiſſe. Verùm interim hoc paſtori diligenter cauendum, ne ſpontè accerſat ſibi malum: hoc eſt, ne eam ducat, quæ vel publicè antea corpus ſuum proſtituit quæſtus gratiâ, vel ab alio eſt ſtuprata, aut eſt ſuſpecta. Qui autem hoc facit, prolibus ſuis, antequam naſcātur, inurit infamiæ notam, ac domum propriam perpetua ignominia dehoneſtat: vt interim taceam, vix fore tutam vitæ ſociam, quæ alios antea turpiter amauit. Fieri autem poſſe fateor, vt quæ fuit corrupta, pœnitentiam agat, fiatque pia & honeſta matrona: tamen nolim paſtorem meum tali ſpe periclitari.

3. Deum ſuppliciter oret.

4. Legitima via coniugiū ineat.

5. Piam & pudicam quærat.

Leuitic. 21. 7. lex proponitur Leuitico ſacerdoti, his verbis: Mulierem meretricem aut ſtupratam non accipient, neque mulierem repulſam à viro accipient, quia ſancti ſunt Deo ſuo. Neque hoc tantùm propter typum factum eſt, ſed multò magis propter publicam honeſtatem vt rectè Procopius interpretatur. Non enim ſolùm paſtoris eſt, vt fugiat manifeſta mala: ſed etiam vt declinet illa mala, quæ famā ipſius ſuggillant. At quidam dicunt, opus miſericordiæ eſſe, ſi quis errantem reuocauerit, & ex vili ſcorto fecerit honeſtam matronam: Imò, quod melius eſt, è ſchola Satanæ in ſcholam Chriſti receperit. Nam paſtoris domum ſcholam Chriſti eſſe oportet. Fateor quidem iſta magna eſſe. Verùm vt rarum eſt è ſcurra fieri bonum patremfamilias: ita rarum eſt ab impudica fœmina, fieri pudicam matronam. Χαλεπὸν, inquit Theocritus, χορίων κύνα γεύσαι, hoc eſt, difficile eſt canē guſtaſſe inteſtinā. In ſcholam Chriſti recepta meretrix, haud dubiè pudicitiā & caſtitatē diſceret, vt lupus fertur in ſcholam receptus, didiciſſe ſyllabicare, ***pa*** & ***ter***, interrogatus quid facerēt p & a, reſpondit pa rurſus quid facerent t e & r, reſpondit ter. Hactenus non infeliciter in ſchola verſatus eſt lupus, Verùm cùm idem iuſſus ſit coniungere ſyllabas, pa, & ter, reſpondit, *agnus*. Quare ita? quia aliud os, animus aliud loquebatur. Os præceptoris vocem ſecutum eſt, ſed quod in animo latuit tandem erupit. Simile periculum timendum iudico, ſi in ſcholam pietatis recepta meretrix, iuberetur ſyllabas facere, ex c & a, s, t, & i. & t, a, s. diceret quidē primum *ca*: deinde *ſti*: tum, *tas*. Sed iuſſa coniungere has tres ſyllabas in dictionem, haud dubiè ſonaret

Proſtituta pudicitiæ mulier cur paſtori non quærenda.

Obiectio.

Reſponſio.

Lepidus & certus apologus.

Alia reſponſio.

Amaſius. Sed ſit ſanè quòd ſubitò ex meretrice fieret matrona, ex impudica pudica, ex publica fœmina, vno cõtenta:(etſi huiuſmodi metamorphoſis eſt rara) tamen in paſtoris domum nolim tale periculum ſponte recipi, præſertim cùm debeat eſſe aliis exemplum pietatis, pudicitiæ, & honeſtæ famæ: vt interim taceam nonnullam labem adhærere miniſterio, ex vxoris moribus vitioſis. Quare nullo pacto ferendum iudico, vt is qui ad ſanctiſsimum miniſterium vocatus eſt, cuiuſque domus debet eſſe veluti officina quædam omnis pietatis, caſtitatis & veritatis, ducat vxorem quæ publica infamia laborat, aut quæ alioqui ob aliquod crimen ſuſpecta eſt.

Qualis vxor ducẽda. Hîc quatuor examinanda.

Qualem ergo iudicas ducendam eſſe? Paſtor ducturus vxorem quatuor hæc diligenter examinet. Num pij & honeſti ſint parentes puellæ, quæ placere cœpit. An puellę mores, graues & honeſti ſint. An ipſa aliquod artificium ſciat. An obnoxia ſit publicæ famæ. Parentes requiro pios & honeſtos, cùm propter futuram affinitatem, tum propter ſpem de pietate & honeſtate vxoris ducendæ. Nam à bonis naſci boni ſolent. Deinde, mores in puella graues & honeſtos poſtulo. Sæpe enim fit, vt quæ nata eſt ex bonis parentibus, & cuius fama eſt illæſa, prodat tamen ſignis externis, qualis intus lateat animus. Philoſophus quidam ait, non multum referre, qua in parte corporis quis ſit impudicus. Aliquando vultus & oculi, interdum inceſſus, nonnunquam veſtitus, haud rarò lingua animum impudicũ prodit. De impudicitia ex oculis cognoſcenda, hoc modo Syracides: Impudicitia mulieris elucet in elatis ipſius oculis, atque in palpebris eius cognoſcitur. Hic Syracides mulieris oculos, libidines eius indices, & in ſuperciliis certa ſigna eſſe dicit. Atq; ita vultu & oculis prodit puella, quod occultum eſſe putat. Benigni oculi, ſummam animi pulchritudinem comitari ſolent: procaces oculis, animo etiam procaci ſunt vt plurimum.

1. An parẽtes ſint pij & honeſti.
2. An mores puellę ſint honeſti & graues.

Signa pudicitiæ & impudicitiæ. Oculi. Inceſſus.

Quare paſtor vxorẽ ducturus, pudicis oculis præditam quærat. Ea enim videtur ingenio ad temperãtiam, iuſticiam, pudicitiam, continentiam, ad omnẽ denique virtutem nata. Inceſſus quoque, haud rarò animi vitia prodit. Nam & ſuperbiæ & impudicitiæ ſignum eſt, arte veluti formatus inceſſus. Multæ cùm incedunt, in vndarum more torquent corpus: multæ aërem occipitio feriunt: aliæ alias ineptias exprimũt, quibus impudicum produnt animum. Præterea, Veſtitus & pudicitiæ & impudicitiæ teſtis eſſe ſolet. Quæ enim fœminæ nimiùm cultui veſtium ſtudent, & præcipuè ſi ſtatus ſui & conditionis non habent rationem, libidinem animi in veſte pingunt. Maximè omnium lingua & ſermo, animi character eſt. Loquaces fœminæ apud omnes, infames ſunt: Contra ſingulare mulierum ornamentum, eſt ſilentium, ſicuti & Aiax ſuę obiecit loquaci fœminæ. Pauca, inquit, mihi loquere, & grauia. Mulieribus enim ſilentium ornamento eſt.

Veſtitus.

Sermo.

Hactenus de moribus. Summa huc redit, vt puella ducenda paſtori in vxorem, ſit pudica facie, inceſſu compoſito ad pudicitiam & grauitatem, veſtitu decenti, & lingua minimè petulãti. De artificio reſtat. Non eſt vtile paſtori, eam ducere, quę tantum nata ad deuorãdum videtur. Quare eam quęrat, quæ muliebria artificia nouit, pro conditione ſuæ perſonæ, quæ aſſueuit in parentum ædibus ea curare & adminiſtrare, quæ ad matronarum officia pertinere videbuntur. Breuiter, ſit talis, quæ, ſi res poſtulauerit, victum honeſtè quærere poſsit ſuis manibus, honeſto aliquo artificio. Non enim decet, vxorem paſtoris otio deditam eſſe: quales ſolẽt eſſe, quæ apud parẽtes nimis tenerè ſunt educatæ. Nã paſtor cum ſua vxore, ad quamuis fortunam paratus eſſe debet.

3. An puella aliquod artificiũ ſciat.

4. An ſit obnoxia publicæ famæ.

Sequitur fama publica, cuius etiam rationem habere debet paſtor. Etſi enim cũ ea ſint ſalua, de quibus iam diximus, hoc eſt, ſi nata eſt puella ex honeſtis parentibus, ſi bonis moribus eſt prædita, ſi honeſtum aliquod artificium nouit, fama honeſta comitari ſolet: tamen vtile eſt, eam etiam in cõſilium adhiberi. Illa enim verè honeſta eſt, de qua fama veretur mentiri. Verùm ſi fama aliquid contra ea, quæ foris videntur, ferat, prudenter circumſpiciendum, vt quid veri ſit inquiratur. Nam ſæpe vſuuenit, homines vana loqui, idque vel beneuolentiæ, vel odij affectu ductos, vt verè Nazianzenus refert. Quare hîc prudens circumſpectio adhibenda eſt.

Sponſalia & nuptias quomodo celebrare Paſtor debeat.

Dixi qualem velim paſtorem meũ quærere ſponſam, quam cùm nactus fuerit, debet in timore Dei & ſponſalia & nuptias celebrare, & inuitare Filium Dei ſuis precibus, vt aſpera, quæ fortè inciderint in iſta noua ſocietate, velit mollire, & aquam in vinum conuertere, hoc eſt, tenues ipſorum facultates, ſua benedictione proſequi & augere.

II.

Affectus Paſtoris erga Vxorem.

Duplex regula affectus mariti erga vxorem.

Vt avtem paſtor ſciat, qualem affectum oporteat ipſum habere erga vxorem, quam iam accepit, reſpiciat cùm ad Deum, à quo vxorem petiit, tum ad primam coniugij inſtitutionem.

1. Dei donum.

Si ad Deum reſpexerit, admonetur amoris erga donum Dei. Non enim debet vt vilem contemnere, quam ſcit ſibi à Deo datam eſſe: imò potiùs vero & ſincero charitatis affectu proſequi.

2. Coniugij prima inſtitutio.

Si ad primam coniugij inſtitutionem reſpexerit, animaduertet Heuam de coſta Adam extructam eſſe, & datam fuiſſe Adamo in vxorem. Debet igitur eam amare, vt propriam carnem: debet eam fouere, vt propriam coſtam: debet illam imbecillem refocillare, vt proprium membrum. Quis enim tam crudelis eſt, vt ſuam ipſius carnem amare, fouere & reficere non velit?

Quid prima coniugij inſtitutio maritum doceat.

Deinde, quia Heua non de Adæ capite, neque de pedibus eſt facta, ſed ex latere eſt formata, admonetur paſtor de rebus tribus: videlicet, quòd vxor non ſit domina ſua, quia de capite non eſt ſumta: Nec ſerua, quia non eſt de pedibus formata. Sed quod ſit ſocia, quia de medio, hoc eſt, de latere prodierit. Vt igitur non debet paſtor, imperium in vxorem habere vt in ſeruam, nec illi ſubiici vt ſeruus: ita debet ex lege inſtituti coniugij, eam vt propriam carnem, atque ſociam vitæ, intimo amore complecti. Hic amor fundamentum erit reliquorum officiorum in tota vita.

1.
2.
3.

III.

Inſtructio Vxoris.

Maritus vxoris doctor.

Instrvctionem vxoris, hîc intelligo eam informationem per quam conſuetudo coniugum amabilis, dulcis, & ſine omni moleſtia reddi poſsit. In primo enim congreſſu, iaciendum eſt fundamẽtum futuræ conſuetudinis in tota vita.

1. In vera pietate eã inſtituat.

Primùm itaque paſtor vxorem nactus, diligenter inſtruat eam, & veluti de nouo paciſcatur cum ea, de conſtantia & perſeuerantia in vera pietate: hoc eſt, quòd velint vnà Deo obedire, ſtatuantque ſe pietatem omnibus rebus mundi velle anteponere. Hoc iacto primo inſtructionis fundamento, omnia poſtea erunt faciliora.

2. Hinc mutuam amicitiã pendere doceat.

Hinc amicitiã mutuã pendere doceat. Nulla enim ſtabilis & firma amicitia eſſe poteſt, niſi à Deo ortũ habeat. Admoneat omnem inimicitiam inter coniuges, cum pacto pietatis pugnare: quod pactum

violare

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

violare ſumma temeritas eſt. Adhæc ex eodem fundamento doceat vxorem, quòd virtus ac morũ probitas, inter coniuges mutuam oblectationem pariat.

3. Ad morum probitatem dictis & factis hortetur.

Quare vt paſtor ipſe virtutis ac probitatis exemplum, vxori eſſe debet: ita eandem ſedulò hortetur, vt in eius vita morum quædã probitas reluceat, doceatq; non in auro & ſplendidis veſtibus, ſed in morum probitate, præcipuum honeſtæ matronæ ornamentum eſſe ſitum: iuxta hoc inſigne Cratetis dictũ, de ornatu mulierum. Ornatus eſt, inquit, quod ornat. Ornat autem quod ornatiorem vxorem facit: facit autem ornatiorem neque aurum, neque ſmaragdus, neque coccus, ſed quęcunque grauitatis, modeſtiæ, & ingenui pudoris indicium addunt. Hoc cõprobet paſtor verbis Petri, 1. Pet. 3. 3.

4. Æquitatem & moderationem colere pręcipiat.

Inſtituat præterea paſtor vxorem, de mutua ἐπιεικείᾳ, hoc eſt, de æquitate & moderatione: qua vterque alterius æqui bonique conſulat mores & errores. Hanc æquitatem omnino neceſſariam eſſe doceat. Nam in hac naturæ imbecillitate multa errata incidunt, quæ niſi mutua condonatione tegerentur, horrendi tumultus orirentur, & citò fieret alienatio animorum inter coniuges: præſertim cùm Diabolus inſidiatur coniugibus, & præcipuè incũbit, vt coniuges ſuo veneno inficiat: quò poſtea inde prodeant homines apti ad propagandum Satanæ regnum. Multus ergo ſit paſtor, præſertim adhuc primo amore feruente, in commendanda vxori hac mutua ἐπιεικείᾳ toto vitæ tempore neceſſaria. Hanc moderationem amor mutuus alet, fouebitque: faciet quoque, vt coniuges non nimis acutè alter in alterius vitia, introſpiciant: ſed vt multa aut non animaduertant, aut ſi animaduerterint amore mutuo tegant.

5. Admoneat & reprehẽdat amicè & piè.

Si quãdo neceſſaria eſt admonitio, efficiendum vt ea ex amore proficiſci videatur. Adhæc doceat vxorem, ſi opus eſſe videtur, vt piè & ſedulò præſtet officium, non tanquam in conſpectu hominum, ſed vt in conſpectu Dei.

6. Eam doceat pietatis exercitia

Poſtremò & voce, & exemplo, doceat paſtor vxorem pietatis exercitia, inuocationem, gratiarum actionem, ſacras ceremonias reuereri, &c. de quibus rebus infra fortaſſe plura.

Hæc ſit breuis inſtructio, qua paſtor ſuam vxorem, quam ducit iuuenculam, informare poteſt: qui tum demũ efficaciter eã inſtruet, ſi ipſe præierit exẽplo, & quòd ab vxore requirat ipſe primus faciat.

Vterum geſtans vxor quomodo tractãda. Tranſitio ad ſequẽtem tractatum.

Sed vnum ferè prætermiſiſſem, quod nequaquam omittendum fuit. Vxor paſtoris vbi conceperit, admoneatur à marito, vt ſiue cubitum eat, ſiue ſurgat, Deo commendet; quod benedicente Deo concepit: Petat vt ipſe ſua potentia & bonitate aſsit, tueatur, ac foueat quod conceptum eſt. Quomodo autem infans natus educari debeat, iam dicendum eſt.

IIII.
EDVCATIO LIBErorum.

Gratiæ Deo agendæ pro liberis datis.

POSTQVAM paſtor videt benedictione Domini auctam familiam, non ceſſabit Deo gratias agere, pro tanta benedictione, & orabit, vt Deus quod dedit clementer tueri velit.

Fundamentum educationis puerorum.

In educatione autem puerorum, ſit primum fundamẽtum, inuocatio Dei pro pueris. Niſi enim Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra laborat, qui ędificat eam. Fruſtra itaque omnis cura educandæ ſobolis ſuſcipitur, niſi Deus manum adhibeat, & dederit pueris aduerſus Satanam Angelos cuſtodes.

Infantes ad recitationem nominis IESV aſſuefaciendi.

Deinde, hoc iacto fundamẽto de inuocatione Dei pro pueris, ſumma paſtoris cura eſſe debet, vt vnà cũ lacte natus infans incipiat balbutire Ieſu nomẽ. Illa enim dulcis appellatio, prima cùm fuerit in infantis ore, ſpes eſt vt in reliqua tota vita illîc maneat, non ſine maximo fructu.

Inſtitutio infantiũ.

Vbi autem puer fari cœperit, mox precandi formulam à Chriſto præſcriptam diſcat, eamque ſæpius recitet, & præcipuè cùm itur cubitum, cũm ſurgitur manè, & in principio & in fine prandij & cœnæ. Hanc vbi aliquo tempore vſu firmauerit puer, addatur Symbolum: mox Decalogus: poſtremò doctrina de Sacramentis.

Puerilis ætatis inſtitutis.

Porrò vbi ætas maior acceſſerit, hoc eſt, circa ſeptimum annum, pater incipiat puerum docere, de creatione, de lapſu primorum parentum, de peccato propagato à primis parentibus in totum genus humanũ. Deinde proponat Chriſti beneficia, quomodo ipſe propitiator peccati ſit, cuius propitiationis teſtimonium & ſigillum eſt ipſe Baptiſmus. Hic doceat paſtor puerum accuratè de Baptiſmo: oſtendat Baptiſmum teſtimonium eſſe ablutionis peccatorũ, per ſanguinem Chriſti: oſtendat Baptiſmum perpetuam concionem pœnitentiæ eſſe: oſtendat Baptiſmum, ſignaculum eſſe beneficiorum Chriſti, & vitæ æternæ. Admoneat puerum de candida veſte, quæ ipſi impoſita fuit in Baptiſmo, quæ ipſum in tota vita admonebit, quòd & ſit veſtitus iuſticia Chriſti, & quòd debeat in poſterum candidam & ſanctam vitam meditari. Hæc omnia meliùs diſcunt pueri, ſi patris vitam videant doctrinæ reſpondere.

Mares & fœmellæ quomodo inſtitui debẽt.

His iactis pietatis rudimentis, maſculæ proli proponat pater literas diſcendas, modò ad eas aptus videatur: fœmellæ opera mulicbria niſi fortè placet, quod non improbo, eam inſtitui in literis, vt poſsit aliquando ſacros libros, vernaculo ſermone ſcriptos, legere. Nam vt Latinè diſcant puellæ non ſuadeo.

Morum ſingularis cura habeatur.

Præterea habeat paſtor ſingularem curam morũ in liberis. Si quid quod nõ decet agant, puniat: ſi officium faciant, laudet: moneat quàm honeſtè domi erga parentes & familiam ſe exhibeant: quàm modeſtè foris erga alios ſe gerant: qua reuerentia excipiant ſenes: quo candore cum paribus conuerſentur.

Quatuor in puerorum inſtitutione ſpectãda.

Cæterùm vt rem ad numeros reuocem, quatuor potiſsimùm in inſtitutione puerorũ ſpectanda ſunt, quę Paulus, etſi in diuerſis locis, de puerorum educatione tradit.

Primùm, quid parentes debeant pueris, exponit.

Deinde, quid caueant parentes in puerorum educatione, docet.

Tum, quid in pueris ſit culpandum, admonet.

Poſtremò, quorum puerorum mores ſint laudabiles monſtrat.

1. Quid parẽtes debeant liberis.

Ad Epheſios ſexto, 4. quid parentes debeant pueris his indicat verbis: Patres educate liberos veſtros, in diſciplina, & correptione Domini. Breue quidem præceptum eſt, ſed multa continet. Vult enim vt à curis liberi ſancta inſtitutione formẽtur, ac ſanis admonitionibus corrigãtur ſubinde: vult eos enutriri in diſciplina & correptione, nõ quauis, ſed Domini: vult vt diſcant præcepta pietatis, ciuilia morum inſtituta: vult eos proficere in timorę Dei: vult eos informari in veritate, iuſticia, temperantia, pudore.

Proinde paſtor, cui prolem donauit Dominus, in his ſit ſedulus: enutriat ſuam ſobolem in diſciplina, & monitis Domini: & ſimul addat domeſticum exemplum, ne quid turpe dictu à ſe audiant, ne quid turpe factu in ſe videant: imò potiùs det operã, vt ſe viuũ exemplar omnis pietatis & probitatis habeant.

2. Quid cauendum in puerorum educatione.

Quid parentes in puerorum educatione cauere debeant, Apoſtolus in eodem capite oſtendit, cùm inquit: Vos patres ne ad iram prouocetis filios veſtros. Vult Paulus ne immodica ſæuitia parentes filios exaſperẽt. Hinc enim naſcitur odium: ex quo fit demum vt iugum prorſus excutiant. Ideo ad Col. 3. 21. additur: Ne deſpondeant animum. Ingenua enim tractatio, & moderata, magis liberos retinet in pa-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

rentum timore, atque etiam obſequendi ſtudium & alacritatem illis auget: contra durities & illiberalis auſteritas, eos ad contumaciam inflammat, & pios affectus extinguit. Studeat ergo paſtor, vt diſciplina puerorum ſuorum comitate ſit temperata, ne nimia ſeueritate vſus, pueros perdat.

3. Quid in pueris culpandũ ſit.

Quid in pueris culpandum ſit, idem Paulus in Epiſtola ad Titum, 1.6. vbi agit de eligendo Epiſcopo, hoc eſt, paſtore, oſtendit. Liberos habens non obnoxios crimini luxus aut cõtumaces. Duo vitia grauiſſima notat, ἀσωτίαν & inobedientiam. ἀσωτία omnem intemperantiam ſignificat, vt luxuriam, laſciuiam, prodigalitatem, heluationem, &c. Clemens in ſecũdo Pædagogi, dicit ἀσωτίαν dici quaſi ἀσωςιὰν, vt ſignificetur finis eorum, qui luxuriæ, laſciuiæ, heluationi dediti ſunt. Illis enim nulla ſalus reliqua eſt, ſeipſos ſua intemperantia extremè perdunt. Aliud vitium quod culpat in pueris, eſt inobediẽtia, ex qua prius illud naſcitur. Cùm igitur Paulus nõ vult eligi vllum paſtorem, cuius liberi ſunt luxurioſi & contumaces, det operam paſtor, vt prudenti moderatione, pullulantia in liberis vitia corrigat. Si enim tempeſtiua & prudens diſciplina adhibetur, nemo tam diſtorta eſt natura, quin flecti poſſit. Verùm ſi inueteratum fuerit malum, fruſtra corrigere ſtudebis. Principiis ergo obſta.

4. Quorum puerorum mores ſint laudabiles.

Laudabiles mores puerorum qui ſint, indicat Paulus 1. Tim. 3. 4. vbi loquitur de eligendo paſtore. Qui (inquit) filios habet, cum omni ſubiectione, & reuerentia, ſeu honeſtate, aut caſtitate. Omnia enim hæc, Græca vox σεμνότης complectitur. Vult ergo in ſumma, liberos paſtoris moribus eſſe ad omnem obedientiam, reuerentiam, caſtitatem, modeſtiam, & grauitatem compoſitis, ita vt patris quaſi ingenium referant.

V.
TRACTATIO FAMILIÆ,
Seruorum & Ancillarum.

Qualis debet eſſe paſtoris familia.

Generalis regula, iuxta quam oportet Chriſtianos dominos agere cum ſuis ſeruis & ancillis, traditur Epheſ. 6. hiſce verbis: Et vos domini eadẽ facite erga ſeruos, remittentes minas, ſeu laxantes iracundiam, ſcientes quòd & veſter ipſorum dominus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio apud Deum non eſt. Huic generali regulæ ſubeſſe debet paſtor. Præterea etiam cogitabit, quòd non ſit tantùm dominus in ſua familia, verumetiam Propheta & Epiſcopus, qui debet curam animarum ſuæ familiæ habere. Curet igitur ante omnia, vt ſua familia ſit pia, ſit honeſta, ſit fidelis. Neque ferat ſeruum & ancillã, qui diſciplinæ domeſticę, etiam quantum ad religionem attinet, ſubeſſe recuſant. Solent vt plurimùm ſerui accommodare ſe moribus dominorum ſuorũ: quantò magis par eſt, vt pij paſtoris mores exprimat pia familia.

Regula prima.

Hæc ſit ergo *Prima* regula, vt paſtor curet vt habeat piam familiam, eamque aſſuefaciat ad humanitatem, temperantiam, caſtitatem, & alias virtutes.

Secunda.

Deinde, iuxta Pauli regulam paſtor placidè & amanter foueat ſeruos & ancillas ſuas, tanquam conſeruos Dei. Habent enim domini & ſerui communem Dominum, quem ſuſpicere debent vtrique.

Tertia.

Tertiò, iuxta præceptum Pauli reddat paſtor ſuis ſeruis & ancillis, τὰ ἀυτὰ, hoc eſt, τὰ δίκαια, iuxta diſtributiuam iuſtitiam. Neque enim ſic habeat paſtor obnoxios ſibi ſeruos, quin ſciat ſe viciſſim illis obnoxium eſſe. Seruis laborantibus reddat iuſtam mercedem, eos foueat ac complectatur in Domino.

Quarta.

Quartò & poſtremò, curet paſtor vt ſui ſerui publicas ceremonias frequentiùs accedant. Hac enim ratione & ſeruis prȩſtat paternum beneficium, & alios exemplo inuitat, ad ſimilem humanitatem erga ſuos.

VI.
CVRA ET PROVIDENTIA
de victu & neceſſarijs.

Paſtor media ad conſeruãdam vitam non negligit.

Cvm hæc vita opus habeat neceſſariis adminiculis, vt conſeruari poſsit, non debet paſtor ea media contemnere, quæ Deus ordinauit.

Fugit vero prodigalitatem & auaritiam.

Qui in vrbe habitat paſtor, ſtipendium ſuum certum nouit, quod vt rectè diſpenſet, opus eſt ſingulari pruidentia, ne vel ſordidus videatur, vel prodigus. Vtrunque vitium indignum eſt paſtore. *Prodigalitati* medebitur, ſi perpendat & cõputet exactè, quantum per annum requiratur ad honeſtam familiæ ſuſtentationem. *Auaritiæ*, ſi Deo fidat, non creaturæ, & ſtatuat ex benedictione Domini robur eſſe pani. Qui autem ruri habitat paſtor, & habet agros & decimas, poteſt ſuis rebus ſtudere, vt habeat quo ſuis & alijs poſsit benefacere. Sed non diſcedat à regula Chriſti, qui ait: Quærite primùm regnum Dei: meminerit primam curam & præcipuam eſſe debere ſalutis. Matth 6, 33.

Licet paſtori de cultu victuque eſſe ſollicitum.

Quia autem, vt dixi, hæc vita opus habet adminiculis iuxta Dei ordinationem, quærere poteſt paſtor facultates, eiſque, quæ ad cultum victúmque neceſſaria ſunt, operam dare, modò intra limites ſui officij maneat. Quod autem hoc liceat paſtori, teſtatur promiſsio Dei, qui promittit benedictionem piè laborantibus. Proinde & lucrum, quod paſtori ex ſuis agris & decimis accedit, poteſt & debet paſtor vt prudens œconomus conſeruare, & poſtea vt res poſtulauerit prudenter diſpenſare. Quod ſi facultates creuerint, agat Deo gratias, ac ſimul Deum precetur, ne ſibi in ſpinas & laqueos conuertantur: quod ſanè vſu venire ſolet ijs, qui ſolidum fiduciæ in Deum fundamentum non iecerunt. Qui enim fiduciam collocant in diuitiarum incertitudinem, naufragium fidei fecerunt, & viua fiducia in Deum vacui ſunt. Conſilio proinde Dauidis obtemperet paſtor. Si affluent, inquit, diuitiæ, noli cor apponere. Pſal. 62. 11.

Regulæ.

Eſt itaque *Præcipuum*, ne diuitiarum huius ſeculi
cupiditate ducatur paſtor. *Deinde*, ne ijs animum aut 1.
fiduciam adijciat. *Tum*, vt pro ijs gratias datori agat. 2.
Præterea, vt eas nec auarè cumulet ac retineat, nec 3. 4.
prodigaliter effundat: ſed eas diſpenſet, iuxta regulam fidei, & charitatis. *Poſtremò*, vt ſit paratus eas à 5.
ſe abdicare, quoties Deo libuerit.

VII.
LIBERALITAS IN
pauperes.

De Eleemoſyna.

De officio paſtoris quantum ad curam eleemoſynarum attinet in vſus pauperum, ſuo loco dicetur: Hìc tantum de eleëmoſyna ac liberalitate agam, quam ipſe de ſuo faciet, & præſtabit egenis. Nam & paſtor communi præcepto ſubeſt, quo iubemur eſſe liberales erga pauperes.

Præceptum. Eſai. 58. 7. 1. Tim. 3. 2.

Præceptum autem hoc eſt: Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagóſque induc in domum tuam. Si videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Et peculiariter Paulus prȩcipit ſuo paſtori, vt ſit hoſpitalis, ſeu, vt in Græco eſt, φιλόξενος: hoc eſt, amanter complectens peregrinos, eos fouens, ac recreans ſuis facultatibus.

Quæ ſint ſpectanda in eleemoſyna.

Vt autem meus paſtor magis ad liberalitatem excitetur, huc adijciam quæ in omni eleëmoſyna ſpectanda ſunt: vt ſunt, cauſæ eleëmoſynę, affectus dãtis, modus dandi, fines & præmium eleëmoſynæ, liberali

pectore

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

pectore præſtitæ.

I. Cauſæ impulſiuę.

Cauſæ quæ impellent paſtorem noſtrum ad liberalitatem erga egenos, ſunt multæ & variæ, quarum nonnullas recitabo.

1. Chriſtiana profeſſio.

Prima. Chriſtiana profeſſio requirit vt abundent pij in omni opere bono. Nunc autem eleëmoſyna eſt vnum ex præcipuis operibus, quibus proximo cõmodare poſſimus, quare paſtor ſciat ſe huic communi legi ſubeſſe.

2. Mandatum Dei. Luc.11.41.

Secunda. Mandatum Dei, quod ſæpius in Propheticis & Apoſtolicis literis repetitur. Frãge eſurienti, inquit Eſaias, 58.7. panem tuum. Chriſtus: Date eleëmoſynam, ac ecce omnia munda vobis. Huius mandati admonet nos Syracides cap.29.12. Propter mandatum, inquit, aſſume pauperem, & propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum.

3. Exempla Sanctorum.

Tertia. Exempla ſanctorum, vt Abraham patris noſtri & aliorum multorũ. Iob de ſua erga pauperes liberalitate teſtatur, cùm ait: Foris non permanſit peregrinus. Oſtium meũ patuit peregrino, cap.31.32.

4. Eximia eleemoſynæ epitheta.

Quarta. Eleëmoſynæ puræ æſtimatio apud Deum, 2. Cor.9.12. λειτουργία dicitur. ad Hebr.13.16. θυσία, hoſtia appellatur.

5. Proximi conſideratio. Eſa.58.7. 1. Ioan.3.17.

Quinta. Proximus ipſe, qui caro tua eſt. Propheta dicit: Et carnem tuam ne deſpexeris. Qui enim indigentem proximum non iuuat, ſe omni charitate vacuum oſtendit. Huc illud Ioannis dictum: Qui habuerit ſubſtantiam mundi, & viderit fratrem ſuũ neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?

6. Cogitatio pœnæ crudelibus paratæ.

Sexta. Cogitatio pœnæ eorum, qui non tanguntur calamitate egenorum. Primùm enim, incurrunt in iram Dei. Ab inope, inquit Syracides, ne auertas
1. oculos tuos propter iram. Deinde maledictioni pau- (Eccleſ.4.5.)
perum ſubiacent, iuxta illud: Maledicentis tibi in a-
2. maritudine animæ exaudiatur deprecatio eius. Præ- (Eccleſ.4.6.)
terea, ſi imploranti te non ſuccurris, idem à Domi-
3. no expectabis. Qui obturat aures ſuas ad deprecatio- (Prouerb.21.13.)
nem pauperum, ipſe clamabit & non exaudietur.
4. Adhæc, Impius in pauperes ſpoliabitur donis quæ (Matth.13.12.)
habuit, iuxta illud: Non habẽti auferetur ab eo quod
habet: hoc eſt, ei, qui non vtitur donis Dei rectè iux-
5. ta voluntatem Dei, auferuntur ei dona. Exẽpla mul-
ta ſuppeditant hiſtoriæ, & quotidiana experientia.
Qui deſpicit deprecationem pauperis, patietur in- (Prouerb.17.5. & 28.27.)
opiam. Breuiter, cum ira Dei & maledictione omne
6. malum coniunctum eſt. Omitto pœnam, quæ in poſteritatem extenditur. Qui enim crudelis eſt in pauperes, eius liberi aliquando aut mendicabunt, aut aliam calamitatem experientur. His cauſis perpenſis, paſtor ſit pro ratione ſuarum facultatum in egenos & exules liberalis.

II. Affectus dantis.

Affectus dantis eleëmoſynam ſit purus & caſtus, non infectus hypocriſi aut κενοδοξία: quæ vitia, omnia opera, ratione præcepti bona, inficiunt, ita vt habeãtur abominabilia in conſpectu Dei. Ardeat itaque affectus, amore Dei, & amore proximi: ſit hilaris animus dantis. Hilarem enim datorem diligit Deus: præluceat fides: ſit ſcopus gloria Dei.

III. Modus, in quo conſiderantur. 1 Quantitas.

In *modo* eleëmoſynarum ſpectentur, quantitas, ἰσότης, æſtimatio dati, diſcrimen hominum, dominiũ dantis. *Quantitatis* eleëmoſynam moderetur ad regulam, Tobiæ 4. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue, ſi parum, libenter impartiri ſtude. Et 2. Cor. 8. Nunc verò & facto perficite, vt quemadmodum promtus eſt animus voluntatis, ita & perficiendi ex eo quod habetis. Etenim ſi prius aſſit promtus animus, is acceptus eſt pro eo, quod habeat aliquis, non pro eo quod non habet.

2. Æqualitas.

Ἰσότης requiritur etiam in modo eleëmoſynæ, iuxta illud 2. Cor.8.14. Sed pari conditione hoc tempore, abundantia ſuppleat illorum defectum, vt & illorum abundantia veſtrum defectum ſuppleat, vt ſit æqualitas: quantum quidem ad vſum attinet, non quantum ad poſſeſſiones. Hæc æqualitas non requirit paria pro paribus ab eo, cui das eleëmoſynam: ſed ſpectat ſymmetriam totius corporis Eccleſiæ. Hæc enim eſt in Eccleſia iuris analogi ratio, vt dum vltrò citróque ſinguli inter ſe communicant, pro menſura donorum & neceſſitatis, ex mutua collatione efficiatur apta ſymmetria, tametſi alij plus, alij minus poſſideant, & diſtributa ſint inæqualiter dona.

3. Æſtimatio dati.

Æſtimatio datæ eleëmoſynæ, non pendet ex doni magnitudine, ſed ex animi liberalitate: vt vidua quæ miſit in Gazophylacium duo æra, præfertur à Domino iis, qui maximas donationes obtulerũt. Si enim aſſit promtitudo, ex eo quod quis habet acceptus eſt.

4. Diſcrimen accipientium.

Diſcrimen quoque oportet habere *hominum*, in quos eleëmoſyna eroganda eſt. Etſi enim omni indigenti ſuccurrendum eſt, iuxta parabolam de Samaritano: tamen diſcernendum eſt inter domeſticos fidei, & hoſtes religionis. Illis quidem, vt Chriſti mẽbris, primum eſt dandum, iuxta regulã Pauli, Gal.6.14. Dum tempus habemus ſimus benefici erga omnes, maximè verò erga domeſticos fidei. Vocat autem eos domeſticos fidei, qui per fidem ſunt in eadẽ, in qua nos, familia Domini: Hoc eſt, in Eccleſia, eundem Chriſtum, & eandem fidem nobiſcum profitentes. Eſt enim fides character familiæ Dei. His vero, quia homines ſunt, ſuo quoque loco eſt ſuccurrẽdũ, ne fame & nuditate pereant. Sed omniũ primum inchoandum eſt à ſummo beneficio, vt tuis precibus & doctrina conuertantur ad Deum.

5. Dominiũ dantis. Prouerb.5.16.

Quantum autem ad dominium attinet, quod in modo etiam ſpectandum dixi; hoc teneatur præceptum. Dominium ſit penes te, iuxta Salomonis conſilium: Fontes tui deriuentur foras: & tu dominus eorum eſto. Idem requirit ſeptimum legis præceptum. Peſſimè ergo faciunt Anabaptiſtæ, qui volunt æqualitatem bonorum ἐν κτήσει, hoc eſt, in poſſeſſione: cum eam Paulus tantum requirat ἐν χρήσει, hoc eſt, in vſu.

IIII. Fines eleemoſynæ. 1. Gloria Dei.

Fines eleëmoſynæ paſtoris debent eſſe hi:

Primus. Gloria Dei. Hanc enim in omni opere noſtro principaliter ſpectare oportet. Iſte erit ſcopus omnium noſtrarum actionum, vt paulò antea admonui. Debes ergo non tuam gloriam quærere, vt prædiceris ab hominibus liberalitatis nomine, ſed Domino da gloriam, qui te œconomũ fecit, vt iuxta ipſius verbum diſpenſes quæ dedit.

2. Relaxatio inopiæ proximi.

Secundus finis, eſt relaxatio inopiæ proximi, quem non ex ſpecie, quæ incurrit in oculos, æſtimabis, ſed ex ea quam intus gerit, qua refert imaginem Dei, & eſt membrum eiuſdem corporis tecum, cuius caput eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

3. Aedificatio aliorum.

Tertius finis, eſſe poteſt prouocatio aliorum ad ſimilem erga egenos liberalitatem. Huc Chriſti dictum Matthæi 5.16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrum qui eſt in cœlis. Et illud Pauli 2. Cor. 9.2. Et ex vobis zelus prouocauit complures.

Quòd autem Chriſtus dicat. Matth.6.3. Non nouerit ſiniſtra tua quid faciat dextra: non hoc vult vt nemo te videat liberalem eſſe erga pauperes, ſed vt non ſicut hypocritæ faciunt quæras tuam laudem & gloriam.

V. Præmia: 1. Pietas & omne opus bonum.

Præmium eleëmoſynæ, liberali pectore præſtitæ, eſt multiplex 2. Corin.9.8. promittitur vt liberales in pauperes, in omne opus bonum abundent. Ita enim clementiſſimus Pater rectum vnius doni, compenſat

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

multis nouis donis, iuxta illud Mat.6.4. Dominus dabit mercedem in propatulo. Et Pſal.41.1. Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malo liberabit eum Dominus Prouerb.19.17. Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis, & viciſsitudinẽ ſuam reddet illi. Paulus 2.Corinth.9.6. Qui ſeminat in benedictionibus, in benedictione & metet: hoc eſt, qui benignè liberalis eſt, benignitatem cõſequetur. Eſaię 58.10. Cum effuderis eſurienti animam tuã, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt vt meridies, & requiẽ tibi dabit Dominus Deus tuus ſemper.

2. Liberatio à malis. *3. Merces in terris à Deo.* *4. Merces in cœlis.*

VIII.

TOTIVS DOMVS PASTORIS *precandi ratio & tempus.*

Precationes matutinæ.

QVOTIDIE manè fiat in ædibus paſtoris precatio, præſentibus vxore & liberis cum ipſo paſtore.

Pueri *Primum* alta voce recitent Catechiſmum, hoc ordine.

Primùm, Decalogum.
Deinde, Symbolum Apoſtolicum.
Tertiò, verba inſtitutionis Baptiſmi.
Quartò, verba Cœnæ.
Poſtremò, Dominicam orationem, idque flexis genibus & complicatis manibus, vt in cõſpectu Dei.

Deinde ſequatur vxor eodem modo.

Quod vbi factum fuerit, addat paſtor exhortationem ad vxorem & liberos, vt diem iſtum tranſigant in timore Dei ſcientes ſe ambulare corã oculis Dei.

Adhæc precentur pueri, ante prandium & poſt prãdium, ante cœnam, & à cœna.

Veſpertinæ.

Ituri cubitum, rurſus recitent, vt manè, totum Catechiſmum. Quo facto pater commendet ipſos Deo breui oratione.

Hoc ipſum, quod de pueris dixi optarim etiam in reliqua familia fieri. Neque deberet hîc auaritia paſtorum tanta eſſe, vt hoc piiſsimum familiæ exercitium negligerent. Verum ſi hoc impetrare non poſſum à meo paſtore, hoc ſaltem iure peto, vt omni Sabbatho veſperi examinet ſuam familiam, & audiat ſingulos recitare doctrinam Catechiſmi: diebus quoque Dominicis & feſtis exploret, quid vxor, quid liberi, quid reliqua familia didicerit ex Euangelica lectione, quæ eo die eſt propoſita.

Inſtitutio familiæ, ſemel ad minus in hebdomada.

Epilogus ſecundæ partis.

Hæc breuiter ſint dicta de ſecunda parte noſtræ inſtructionis, in qua expoſuimus, quomodo pius paſtor debeat ſuam familiam piè & ſanctè adminiſtrare. Verum quia omnis labor noſter inanis eſt, niſi Dominus nobiſcum operetur, velim vt quotidie paſtor ſuam Deo commendet familiã hac oratione.

Precandi formula.

QVONIAM nulla domus niſi te, Domine Ieſu Chriſte, conſeruante, ſtare poteſt: te ſupplex rogo, vt domum meam, vxorẽ, liberos & familiam, tua protectione conſeruare digneris. Da, quæſo, vt ego, vxor mea, liberi, ac tota familia ſecundum tuam voluntatem, ſinguli noſtrum officium faciamus. Cum enim tu nos paſcis, nihil nobis deeſt: cum tu nos regis, ſecuri ſumus, & nemo nobis nocere poteſt, cum tu nos laborantes adiuuas, fructum laborum percipimus vberrimum. Nobis igitur adeſſe digneris: pelle Diabolos, hoſtes ordinationis tuæ: da nobis cuſtodes, ſanctos tuos Angelos: ac rege nos ſemper tuo Spiritu, vt perpetuò te in hac vita, & in futura celebremus, Amen, Amen: Fiat, Fiat.

DE TERTIA PARTE, DE conuerſatione Paſtoris politica, & externa.

Exordiũ dicto Apoſtoli. Hebr.13. 18.

AVTOR Epiſtolæ ad Hebræos ait: Confidimus quod bonam habemus conſcientiam, in omnibus cupientes honeſtè cõuerſari. Permagni enim refert, qualis ſit paſtoris conuerſatio: quæ ſi fuerit honeſta, & congruat cum ſana doctrina, vtraque manu putandus eſt ædificare Eccleſiam Dei, hoc eſt, & ſana doctrina, & honeſta vita. At ſi cõuerſatio cum doctrina pugnat, quod dextra manu, hoc eſt, doctrina, extruit, id ſiniſtra, hoc eſt, mala vita, deſtruit, & demolitur.

Propoſitio.

Volo igitur diſciplinæ publicæ conuerſationis præcepta, meo paſtori preſcribere, vt in ſingulis partibus habeat quid ſequatur.

Diuiſio. 1. Præcepta generalia.

Præcepta generalia multa extant, quæ præcipiunt ſanctam & honeſtam conuerſationem, vt bene audiat verbum: & prohibent malam conuerſationem, ne verbũ malè audiat apud hoſtes doctrinæ. Et Paulus vult, vt in tota vita ita agamus, vt retineamus fidem & bonam conſcientiam: quam qui repudiant, naufragium circa fidem faciunt. Huc & illud Domini dictum: Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, Per prudentiam (vt pius quidam interpretatur) caput ſaluum ſeruate: per ſimplicitatem, caſtos mores amate. Serpentes ſitis, in cauẽdis malis: columbæ in ſimplicitate morum, & vitæ innocentia. Per prudentiam deuitate falſam doctrinam: per ſimplicitatem deuitate mala opera hominum. Huc & illud Chriſti ad Apoſtolos, quibus paſtores ſuccedunt: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrum, qui eſt in cœlis. Matth.5.16.

Matt. 10. 16.

Cur autem paſtoris vita & externa conuerſatio, ſit maiori cura regenda, ipſe Dominus rationem reddit, Matth.5.13.14. his verbis: Vos eſtis ſal terræ. Item: Vos eſtis lux mundi. Et Paulus: Eſto typus fidelium, in ſermone, in conuerſatione, in charitate, in ſpiritu, in fide, in puritate. Te ipſum præbe typum bonorum operum.

1. Tim.4. 12. Tit.2.7.

Huiuſmodi præcepta paſsim occurrunt, quæ à paſtoribus requirunt ſanctam & honeſtam conuerſationem, & pacificam cum omnibus hominibus vitam.

2. Præcepta ſpecialia, quę ad tria referuntur.

Verùm quia hæc generalia dicta, non poſſunt à quouis rectè accommodari ad ſingulas partes vitæ in externa conuerſatione, volo ea ſingulis actionibus particulatim accommodare, & oſtendere, quid in vita cõmuni, quid in cœtu Eccleſiaſtico, quid in cõſiliis & deliberationibus ſpectandum ſit. De his tribus capitibus, eo quo propoſita ſunt, ordine dicam.

1. 2. 3.

I.

QVID IN VITA COMMVNI *ſpectandum ſit Paſtori.*

I. Agit hoc capite de conuerſatione Paſtoris.

HOC CAPVT etiam diſpertiamur in plures partes, vt, veluti in anatomia, ſingula conſpiciantur diſtinctiùs. In vita itaque cõmuni ſciat paſtor quomodo cum maioribus, paribus, & inferioribus agendum ſit, vt honeſta cum illis & laudabilis ſit eius cõuerſatio: ſciat quoque qualis adhibenda ſit moderatio in veſtitu, geſtibus, verbis, cibo, & potu, ſeu in cõuiuiis, vbi inuitatus fortè fuerit: ſciat præterea, qualis in contractibus candor requiratur. His explicatis qualis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

qualis debeat eſſe conuerſatio paſtoris, quantum quidem ad communem vitam attinet, conſtabit.

1. Cũ maioribus dignitate aut ætate.

Quomodo ergo cum maioribus, paribus, & inferioribus aget paſtor? Quoties cum maioribus in congreſſu ſiue colloquio agendum eſt, habere oportet paſtorem rationem & dignitatis & ætatis eorum cum quibus agit.

Si in dignitate aliqua conſtituti ſunt natu grandiores, vt ſuperiores omnes, tribuendus eſt illis honor quem lex præcipit: Honora præpoſitos tuos. Hoc eſt, iis qui tibi in aliquo dignitatis gradu cõſtituti præſunt, honorem debitum exhibe. Hîc non ſpectanda eſt perſonæ qualitas, ſed officij dignitas. Reddat igitur paſtor magiſtratui ciuili, Regi, præfectis, conſulibus, & aliis qui publico magiſtratu funguntur, debitum honorem, idque corde, verbis, & corporis geſtu.

Qui in nulla dignitate ſunt, ſed tantùm ætate antecedunt, vt patres ſunt complectendi: & patrum nomine, ſi nulla laborant infamia, compellandi. Ita enim præcipit Paulus ſuo Timotheo, 1. Timoth. 5. Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem.

Hæc comis & affabilis cum maioribus conuerſatio, conciliat paſtori hominum, animos facitque vt libentiùs audiatur, vbi ad ea quæ officium paſtoris concernunt, ventum fuerit.

Verùm contra cùm paſtor nec magiſtratum honorat, nec ętatem reueretur, odioſus redditur omnibus, & ſua temeritate animos hominum à ſe alienat, & in ſuſpicionem & notam ſuperbiæ incurrit: quod vbi factum fuerit, actum eſt poſtea de toto ipſius miniſterio.

2. Cum iunioribus. ætate & dignitate

Quando cum iunioribus agendum eſt, eadem ſpectanda ſunt, dignitas & ætas.

Si in dignitate aliqua eſt iunior ætate, prębeatur ei debitus à paſtore noſtro honor & reuerentia, nulla habita ætatis ratione, ſed officij, cuius cauſa honorandus eſt.

Si abſque dignitate publica aliqua viuit, fraternum affectum erga ipſum declarabis, ac non ſecus quàm fratrem tractabis. Hoc quoque præceptum Pauli eſt 1. Timoth. 5. Iuniores inquit, vt fratres. Hęc pia & blanda compellatio, animos iuniorum ad mutuum amorem flectit.

3. Cũ mulieribus & pueris.

Si agendum eſt cum mulieribus grandioribus natu, tractandæ ſunt vt matres blandè & ciuiliter.

Si cum iunioribus, tractandæ ſunt vt ſorores.

At ſi cum pueris, eos excipias filiorum & filiarum compellatione.

His humanitatis teſtimoniis, in congreſſu quotidiano conciliabit ſibi paſtor bonorum animos, & parabit ſibi viam & autoritatem ad ea demum cum fructu agenda, quæ ad officium ipſius pertinere videbuntur.

Hæc ideo breuiùs à me dicta ſunt, quia meliùs in laudatis exemplis conſpiciuntur quotidie.

II. De moderatione ſeruanda.

Sequitur de moderatione ſeruanda paſtori in veſtitu, geſtibus, verbis, cibo, & potu, ſi fortè ad bonorum honeſta conuiuia vocatus fuerit. Nam in his requiritur ſingularis diſciplina: præſertim in hac morum corruptione, quãdo diſciplina eſt magis quàm oporteret laxata, & languidior natura.

1. In veſtitu, qui ſymbolũ eſt peccati & gratiæ.

Veſtitus paſtoris, grauitatem & modeſtiam præ ſe ferat: ſicut decet miniſtrum Dei. Cogitet pius paſtor de primorum parentum primis veſtibus, vt inde admoneatur humilitatis & timoris Dei. Adam innocens, nudus inceſſit: poſtquam autem lapſus fuit in peccatum, turpitudo animi in corpore reliquit veſtigium, quam folio fici tegere conatus eſt. Verùm quia oculos Dei fallere nõ potuit, obiurgatur primùm: deinde, data promiſſione ſeminis, noua à Deo donatur veſte, nempe pellicea, quæ typus fuit veſtis, qua agnus Dei tegit hominum peccata. Hinc paſtor cogitet, veſtem qua tegitur, ſymbolum eſſe, cùm peccati, tum gratiæ. prima veſtis peccati nos admonet, ſecunda gratię, modo gratiæ veſtẽ induamus. Quoties igitur paſtor manè ſe induit, humiliet ſe coram Deo, cogitans ſe lapſum fuiſſe in Adamo, & peccatum non potuiſſe tegi folio fici, hoc eſt, induſtria & arte hominis. Deinde cogitet dè Filio Dei, qui nos ſua innocentia tegit, in cuius rei typum olim pelliceæ veſtes datæ ſunt primis parentibus. Si hæc prudens paſtor cogitauerit, facilè intelliget, quid in veſte deceat, & quid non.

Aduerſus luxũ quorundam paſtorum.

His nihil adiicerem, niſi viderem mores quorundam paſtorum nimis leues eſſe: qui nec quid natura, nec quid ſua conditio requirat, perpendunt. Bernhardus conqueritur, ſuo tempore multos magis ſtuduiſſe cultui veſtium, quàm virtuti. Id nos longè rectiùs conqueri, imò deflere poſſemus. Nam illa diſciplina quæ Bernhardi adhuc tempore viguit, prorſus eſt abolita. Videmus enim, in nullo hominum ordine, ſeruari iſtam veterem in veſtitu grauitatem: ſed quotidie nouas veſtiendi formas excogitari, quibus proditur animi inconſtantia, & leuitas: & oſtenditur quòd maſcula illa virtus, extincta iam ſit, quæ fuit in noſtris maioribus. Sed de his fruſtra conqueror. Vix enim ſperandum eſt, vt reuocet mundus pedem, ab iſta ſua leuitate & inconſtantia: præſertim cùm iam natura eſt languidior, & diſciplina, vt dixi, diſſolutior.

In veſtibus duo conſideranda.

Etſi autem parum me effecturum, hac noſtra de veſtitu inſtructione confido: tamen ſpero bonos meum conſilium non contempturos. Dicam igitur quid ſentiam.

1. Decorũ.

In veſte conſideranda ſunt duo: τὸ πρέπον perſonæ, ſiue decorum, & vſus veſtis. Τὸ πρέπον ſeu decorum, eſt vt paſtor cogitet quid ſe deceat pro ſuę perſonæ conditione. Aliud eſt τὸ πρέπον militis, aliud nautæ, aliud mulieris, aliud nobilis, aliud ciuis, aliud ruſtici, aliud paſtoris: & quod vni eſt ornamento, alij ſæpe dedecori eſt. Tantum valet decorum perſonæ.

Militaris indumẽti τὸ πρέπον.

Militi conuenit, veſtem geſtare breuiſsimam, & iam in hac morum corruptione non datur apud multos vitio, ſi vela caligarum infra genua ſe etiam extendant. Hic ſi oblonga vteretur veſte, meritò ſe aliis deridendum propinaret.

Nautæ.

Nautæ congruit, laxas & dependentes geſtare caligas, & veſte talari abſque omni plicatura vti. Hic ſi militis veſtem ſumeret, τὸ πρέπον ſuæ perſonæ non ſeruaret: niſi fortè leuitas iſti generi hominum decorum afferat.

Mulieris nobilis.

Mulieri nobili ſi ſinuoſo ſyrmate terram verrit, hodie non datur vitio. Si idem faceret paſtoris vxor, maximum probrum eſſet.

Aulici.

Cum *nobilis* ſe catenis aureis & annulis ornat, maximè ſi in Senatu ſit Regni, aut eques auratus, (nam aliorum luxui patrocinari nolo) decorum ſuæ perſonæ ſeruat: quod nec Deo, nec hominibus (modò abſit animi ſuperbia) diſplicere poteſt. Idem ſi imitaretur ciuis aut ruſticus, quid magis culpandum?

Ciuis ruſtici, artificis, &c.

Ita *ciuis, ruſticus, artifex*, &c. decorum in veſtitu conueniens ſuæ perſonæ ſeruantes, laudantur. Qui contrà faciunt, meritò ridendi ſunt.

Paſtoris Eccleſiæ.

Ad eundem modum, imò multò magis decet *paſtorem*, vt ſeruet decorũ, ſuæ perſonæ & officio conueniens. Relinquat igitur militi veſtẽ nates non tegentẽ, velaq; caligarũ: relin-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quat aulico acuminatos illos & oblõgos pileos: relinquat nautis ſuos pannos: relinquat nobilibus matronis ſua ſyrmata, ſuas catenas, holoſericum, margaritas, annulos,& reliquum ornatum, qui iam penè maior eſt, quàm vt ſtultitia & leuitas mundi aliquid adiicere poſsit. Relinquat & ciuibus ſuum decorum.

Veſtium paſtoris decorum conſiſtit.

Quid ergo à paſtore requiris? τὸ πρέπον. Quodnam eſt illud? Hoc ſitum eſt in veſtis forma, precio,& colore.

In forma.

Formam appello, decentiam quandam conueuientem grauitati perſonæ: (vt quæ ſit conſtantiæ & Chriſtianæ humilitatis indicium.) vt veſtis nimis non diffluat, nec nimis ſit ſtricta, nec quolibet alio modo ad vanitatem parata. Corona induſij non feriat occipitium, vt in multis videmus. Manicæ non ſint ſectæ tranſuerſè, & rurſus filis ſericis connexæ. Caligæ non ſumptuoſæ, nec velis, quæ ſunt leuitatis ſymbola, defluentes. Breuiter, forma veſtium componatur ad grauitatem, conſtantiam, humilitatem, iuxta laudatorum paſtorum exempla:& ſummo ſtudio caueatur luxus.

In pretio.

Pretium etiam in decoro ſeruandum eſt, de quo facile erit ſtatuere, modò ſuperbia de mente exulet, & ibi vera & Chriſtiana humilitas locum habeat. Petrus veſtes nimis pretioſas in fœmininis reprehẽdit, quis ergo eas in miniſtro verbi feret? Quare relinquat paſtor aliis holoſericum, vndulatum pannum, & alia quæ ad pompam & ad ſuperbiam facere videntur.

In colore.

Poſtremò, color in decoro ſpectandus eſt. Nec alba, nec rubra, nec viridia, nec cærulea congruunt paſtori, ſed nigra potius aut alius coloris, qui minimè ad pompam facere videtur. Verùm hîc conſuetudo & laudata exempla adhibeantur in conſilium. Aurum, argentum, vniones, & pretioſos lapides relinquat paſtor aliis: hęc enim ipſum non ornant, ſed turpiter fœdant,& aliis deridendum propinant.

Vanæ obiectionis refutatio.

Verùm hîc quæri poteſt de gradibus miniſtrorum, alij ſunt ſuperintendentes, alij præpoſiti, alij paſtores alij ſacellani, vt vocant: an non igitur decorum in his gradibus ſeruandum? Reſpondeo. Si ſunt omnes paſtores vt audire volunt, ſtudeant ſe inuicem antecellere virtute, pietate, laboribus in officio, vera humilitate,& mutua beneuolentia & non quærant ſibi autoritatem, auro, gemmis, pretioſis veſtibus, annulis aureis,&c. Hoc conſilium diui Iacobi eſt, quod meo etiam paſtori commendatum volo.

2. In veſte conſiderandus etiam eſt vſus duplex.

Hæc ſint de veſtibus paſtoris & ornatu dicta, iuxta τὸ πρέπον perſonæ. Sequitur Vſus, qui eſt duplex. *Primus*, vt tegat corpus, & eas partes quas natura iubet tegere. *Secundus*, vt arceat frigus. Sed huic duplici vſui ita accommodanda eſt veſtis, ne violetur τὸ πρέπον. Monachorum & Eremitarum impia ſomnia deteſtamur, qui religionis nõ minimam partem in forma, vilitate,& duritie veſtis collocarunt.

De moderatione ſeruanda in geſtibus.

Geſtus ſequuntur, de quibus admonebo breuiter. Syracides cap. 19.26. in hanc ſententiam ait: Ab aſpectu quiſque cognoſcitur, & ex vultus obiectu intelligitur cordatus. Suus cuiuſque habitus, ac rictum diducens riſus, inceſſuſque hominis qualis ſit indicant. Hac ſententia ſignificat ſapiens, quod vt quiſque animo eſt affectus, ita externa corporis conformatione maximè oſtendit. Hinc multa indicia prudentiæ, ſtultitiæ, grauitatis, leuitatis, cæterorumque morum & motuum animi. Quare oportet paſtorem geſtuum corporis ſingularem rationem habere. Geſtus enim externi & vitia animi produnt, & virtutes indicant.

Præcepta neceſſaria.

Vt autem geſtus eò rectiùs à paſtore formentur duo tradam præcepta, quæ ſi ſeruentur, geſtus videbuntur ad virtutem compoſiti. *Primum* præceptum ſit: Singula membra corporis ſuum teneant officium, neque vſurpent alienum. *Secundum*: Singula membra ſuum opus decenter & modeſtè perficiant. Nam ſi membra actiones ſuas & officia confundunt, aut etiam id quod iuſtè agere debent non explent, vitioſus redditur & culpabilis geſtus. Hinc eſt quod Salomon inquit: Homo apoſtata, vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pedibus, loquitur digito, prauo corde machinatur malum.

1.
2.
Prou. 6.12.

Quales debeant eſſe oculi.

Oculorum ergo ſit *Prima* diſciplina, vt illi modeſtiam ſingularem præ ſe ferant. Conditi enim ſunt oculi vt eis videamus: hoc munere fungantur ordinem center.

Facies.

Secunda, ſit faciei ſeu vultus. Nam cũ facies diſciplinæ ſit ſpeculum, temperanda eſt & moderanda in geſtu ſuo, vt nec proteruè exaſperetur, nec molliter diſſoluatur, ſed habeat ſemper rigidam dulcedinem & dulcem rigorem.

Cætera membra.

Tertia ſit cæterorum membrorum, videlicet vt ſingula ſuis fungantur officiis, nec munera confundant. Vt autem quid velim meliùs intelligatur, exempla ſubiiciam, quibus peccatur contra noſtrã regulã.

Qui peccent in geſtibus.

Sunt quidam, qui niſi buccis patentibus auſcultare neſciunt, & quaſi per os ſenſus verborum ad cor deſcendere debeat, palatum ad verba loquentis aperiunt. Nonnulli in agendo vel audiendo, quaſi canes ſitientes linguam protendunt, & ad ſingulas actiones velut molam labia torquendo circumducunt. Alij inter loquendum digitos ſcalpunt, ſupercilia erigunt,& oculos in orbem rotantes, ineptiunt. Sũt qui rem aggreſſuri caput iactant, comam excutiunt, veſtimenta expandunt. Haud pauci quaſi ambæ aures ad audiendum factæ non ſint, alterã tantum collo detorto, voci venienti exponunt. Inuenias quoſdam qui inter loquẽdum, vno oculo clauſo alterum apertum habent. Nec deſunt qui dum fari incipiunt, corrugant nares. Multi adeo inepti ſunt, vt incedentes nauigent brachiis, volent corpore, ac triforme monſtrum vno eodemque tempore exprimant. Pedibus enim deorſum dũ in terra ambulant, lacertis remigant,& corpore in aere volant. An nõ hoc mõſtri ſimile, fingere in ſe ſimul & hominis inceſſum, & nauis remigiũ, & auis volatum? Quid referã illos qui ſcapulas inter eundũ erigunt ad aures ferè vſque?

Quid dicam? mille ſunt laruæ hominum vanorũ, qui fœdè inter loquendum, audiendum, incedendum, cubandum, & quiduis agendo leuitatem animorum produnt.

Ab his turpibus geſtibus, quorum alij laſciuiam, alij negligentiam, alij pigritiam, alij inconſtantiam, alij ſuperbiam, alij iracundiam, alij leuitatem declarant, cupio vt abſtineat paſtor, ac in omnibus actionibus naturam ducem, & exempla bonorum virorum, quorum mores ſunt laudabiles, imitetur. Iam ad diſciplinam verborum veniamus.

De moderatione ſeruanda in ſermõnibus.

De ſermone Paulus in hunc modum præcipit Epheſ. 4.29. Nullus ſermo putris ex ore veſtro egrediatur, ſed ſi quis eſt commodus ad ædificationem quando opus eſt, vt gratiam auditoribus afferat. Et ad Coloſ. 4. Sermo veſter ſemper cum gratia ſit ſale conditus, vt ſciatis quomodo oportet cuique reſpondere. Ex his Pauli verbis quinque licebit colligere ſermonis præcepta. Quorum *primum* continet qualis ſermo ſit vitandus. *Secundum*, qualis ſermo deligendus. *Tertium*, quale condimentum ſermonis ſit adhibendum. *Quartum*, quibus accommodandus ſit ſermo. *Quintum*, quis ſit ſermonis finis.

Quinque ſermonis præcepta
1.
2.
3.
4.
5.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

finis. De quibus ordine dicam.

1. Qualis ſermo ſit vitandus.

Qualis, quæſo, ſermo eſt vitandus? Putris, hoc eſt, talis, à quo aut nullus fructus, aut malus certè expectandus eſt. Ex ſcurrili ſermone & inſulſo nullus fructus prouenit. Scurrilitas impudentiam, & vanitatem habet coniunctam. Inſulſitas verò, ſtupor eſt nimius, & indignus homine. Inter hæc duo vitia Philoſophi collocant medium, quod eſt lepos, qui eſt in ſermone hilaritatis & aſperitatis moderatio. Ex ſermone obſcœno, iactabundo, virulento, ſycophantico, & falſo, peſsimus naſcitur in auditoribus fructus. Quare paſtor in quotidiano congreſſu hominum, fugiat huiuſmodi ſermonem.

2. Qualis ſermo deligendus.

Qualis ſermo eſt deligendus? Bonus & commodus ad ædificationem, quando eſt opus. Vt enim putris ſermo dicitur, à quo aut nullus aut malus fructus prouenit, vti dictũ eſt: ita cõmodus ſeu bonus is dicitur, à quo fructus ædificationis ſperari poteſt. Alludit Apoſtolus ad arbores, quarũ alię ſũt putres, aliæ bonæ & integræ. Ab illis aut nullus aut malus, ab his ſemper bonus fructus expectatur. Cogitet ergo paſtor, tum demum loquẽdum eſſe, quando quod dicat facit ad ædificationem. Quidam cum interrogaretur in conuiuio, cur non loqueretur aliis omnibus loquentibus: Quia, inquit, nihil habeo ſilentio melius. Et apud Euripidem extat hic verſus: ἢ λέγε τι κρεῖττον σιγῆς, ἢ σιγὴν ἔχε, hoc eſt, aut loquere quicquam ſilentio melius aut tace.

3. Quale debet eſſe ſermonis condimentum.

Quale debet eſſe ſermonis condimentum? Reſpondit Paulus: Sermo veſter ſemper cum gratia ſit ſale conditus. Quare ſic? Ne corruptionis odor ad alios veniat. Veteribus ſal amicitiæ ſymbolum fuit, durationis gratia. Corpora enim ſolidiora facit & diutiſſimè conſeruat: vnde hoſpitib. ante alios cibos apponi ſolitum, quo amicitiæ firmitas ac perſeuerantia ſignificaretur. Quare plerique ominoſum habent, ſi ſal in menſam profundi contigerit: contra verò fauſtum, ſi vinum atque id merum effuſum ſit. Hinc intelligi poteſt condimentum ſalis eò ſpectare, vt ſermo ſit ſolidus, non leuis aut inconſtans: ſit ſapidus, nõ inſulſus aut ineptus: ſit cuſtodia ac conſeruatione dignus, non dignus vt vnam aurem ingreſſus abeat per aliam. Breuiter ſermo ſale conditus, ſignificat ſermonem à recto iudicio profectum, tempeſtiuè enunciatum, & commodè rebus, de quibus agitur, applicatum. Eſt & dignum memoria, quod vetuſtas diſcernat ſalem candidum à nigro, & candidum dicit eſſe Mercurij, vt ſunt dicta, quæ beneuolentiam augent. Vt Alexandri dictum: Regium eſt benefacientem ferre maledicta. Nigrum autem ſalem dixerunt eſſe Momi, vt ſunt venenatæ reprehenſiones. Hunc ſalem Momi vult Paulus abeſſe, cùm dicit: Cum gratia ſit ſale conditus ſermo. Alludit enim ad cibos, qui tum demum grati ſunt, quando nec inſulſi ſunt, nec ſalſiſsimi. Huc illud Pythagoricum pertinet: Salem ne tranſgrediaris.

4. Quibus accommodãdus eſt.

Quibus accommodãdus eſt ſermo? Auditoribus, inquit Paulus. Inciuile enim eſt verba profundere, vbi nullus eſt qui auſcultat. Inciuilius adhuc loqui, vbi omnia perſtrepunt clamoribus. Quare paſtor tum demum loquatur, vbi auditores aures benignas & patentes præbent.

5. Quis ſit ſermonis finis.

Sed quis huius ſermonis conditi finis? Duplex finis in Paulo proponitur. Scientia, & Gratia. De ſcientia ait: Vt ſciatis quomodo oporteat cuique reſpondere. Hęc ergo ſcientia duo continet commoda, vnum eius qui loquitur, alterum eorum cum quibus loquitur.

Scientia quæ duo commoda contineat.

1\. Quantum autem ad illum qui loquitur, hoc percipitur commodum. Qui ſe aſſuefacit circumſpectis ſermonibus, non incidit facilè in multas abſurditates, in quas ſubinde labuntur homines loquaces & garruli.

2\. Quantum autem ad auditores attinet, ex continuo vſu acquiret ſibi rectè & appoſitè reſpondendi peritiam. Aliter enim potentibus mundi eſt reſpondendum, aliter mediocribus, aliter humilibus: aliter rurſus manſuetis, aliter iracundis. Nathan aliter agit cum Dauide adultero, quàm egiſſet cum ſtabulario eiuſdem ſceleris reo. Hæc non adulationis ſunt indicia, ſed prudentiæ ſigna & modeſtiæ, quæ præcipuè in oratione paſtorum requiruntur.

Gratia.

Gratiam præterea requirit Paulus in ſermone, ne dicacitate & ſcurrilitate auditoribus ſimus moleſti, ſed potiùs vt eò noſtrum dirigamus ſermonem, vt pium fauorem & beneuolentiam nobis conciliemus ac ea quibus gratia nobis piè accedit, cum omni modeſtia dicamus: ita tamen ne huius gratiæ prætextu officium quod ſępe requirit aſperiorem ſermonem, negligamus.

Plenior diſtinctio eorũ quæ ad ſermonem rectè moderãdum requiruntur.

Dixi ex Pauli ſententia quid ſit in ſermone vitandum, quid ſectandum, quale condimentum adhibendum, quibus accommodandus ſermo, & qui ſint ſermonis fines. Nunc autem quò plenior ſit ſermonis diſciplina, diſtinctionem eorum, quæ ad ſermonem requiruntur, cum breui declaratione, ſubiiciam.

Quinque obſeruanda.

In ſermone itaque hæc ſunt obſeruanda. Quid, cui, vbi, quando, & quomodo dicatur.

1. Quid ſit dicẽdum & non dicendum.

Quid autem dicendum ſit, primum hac generali diſtinctione diſcernatur. Noxia, inhoneſta, inutilia, nunquam dicantur à paſtore: Contra quæ proſunt & quæ ſunt honeſta, & vtilia prudenter dicantur. Noxia voco, quę animos auditorum, vel in errorem vel in prauitatem perducunt, vel etiam quæ aliorum famam lædunt. Inhoneſta appello, quæ vel illius qui loquitur, vel illorum, quibus fit ſermo, vel abſentis dignitati non conueniunt. Inutilia ſunt, quæ nec loquentibus, nec audientibus proſunt.

Contra proſunt, quæ vel ab errore liberant, vel à prauitate abducunt, vel alienæ famæ parcunt. Honeſta ſunt, quæ dicentis, audientis, & abſentis dignitati congruunt. Vtilia, quæ proſunt, & aliquid commodi afferunt auditoribus.

2. Cui dicatur, obſeruandum.

Deinde, *Cui* dicatur obſeruandum. Nam qui narrat verbum non audienti, quaſi excitat dormientem de graui ſomno. Ideo prudentia ſingularis etiam hîc adhibenda eſt, iuxta hanc diſtinctionem.

An propter te loquaris.

Qui cum alio loquitur, primùm conſideret, an propter ſe, vel propter illum loquatur. Si propter ſe, hoc eſt, ſuam vtilitatem, vt pote doctrinæ, aut conſilij cauſa, videat an ille cum quo loquitur talis ſit, qui vel doctrina, vel conſilio ſibi vtilis eſſe poſsit. Nihil enim ſtultius eſt, quàm à rudi doctrinam, & conſilium à ſtulto petere.

An propter aliũ.

Si propter illum, qui audit, loquitur quis, diſpiciat an talis ſit ille, qui vel ſuo ſermone non indigeat, vel ita malignus, vt oratione melior reddi non poſsit. Salomõ enim dicit: Prou. 9. 8. Qui arguit impium, generat malum ſibi. Noli arguere deriſorem, ne oderit te. Argue ſapientem, & diliget te. Item: Doce iuſtum, & feſtinabit accipere.

A quo petas conſilium.

Deinde petiturus conſilium ab alio, regulam ſequatur, quam præſcribit Syracides cap. 37. 12. Ne conſilium capias cum muliere de ipſius pellice: de bello, cum meticuloſo: de permutatione, cum mercatore: de venditione, cum emtore: de gratitudine, cum homine maligno: de humanitate, cum inhumano: de quouis opere, cum pigro: de perfectione inſtituti operis, cum annuo mercenario: de opera multa nauanda, cum ignauo ſeruo: ne attendas his in vlla deliberatione ſuſcepta. Hîc proponit ſapiens

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

certa hominum genera, cum quibus non eſt deliberandum, conſiliumque capiendum. Ex quibus regula generalis colligitur: Neminem qui alicuius priuati commodi ſtudiive rationem propoſitam habet, ea in re de qua deliberandum eſt, eſſe in conſilium adhibendum. Animum enim omni ira, amore, inuidia, cupiditateque vacuum, conſiliarius ad deliberationem afferre debet. Quare & paſtor meus diligenter caueat, ne ab iis conſilium petat, qui affectibus indulgent potiùs, quàm ratione & prudentia conſulunt.

3. Vbi dicatur.

Tertiò, obſeruandum dixi vbi dicatur. Nam non eſt decorum, quæ ad forum ſpectant, in locis ſanctis tractare. Vnde Auguſtinus in oratione nihil agendũ eſſe dicit, præter id quod ſacrum eſt. Paſtor igitur in templo loquatur de rebus ad religionem ſpectantibus: extra templum, cùm de religione, vbi res poſtulauerit, tum de aliis rebus vtilibus. Loca autem in quibus vana, otioſa, & ſuperflua dici debeãt, inueniri non poſſunt, quia Domini eſt terra & plenitudo eius.

4. Quando dicatur.

Quartò obſeruandum propoſui, Quando dicatur. Eſt tẽpus tacendi (inquit Salomon Eccl. 3. 7.) eſt tẽpus loquendi. Idẽ ait: Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo, Prouerb. 25. Etſi autem tempus loquendi quod ſit, prudens docebit experientia, & experta prudentia: tamen quædam huc ex Salomone & Syracide adſcribam dicta.

Prou. 10. 19.

Salomon dicit: In multiloquio non deerit peccatum: Qui autem moderatur labia ſua, prudentiſsimus eſt.

Prou. 10. 32.

Proinde nunquam eſt tempus multiloquio. *Item*: Labia iuſti conſiderant placita, & os impiorum perverſa.

Prou. 18. 13.

Item: Qui prius reſpondet quam audiat, ſtultum ſe eſſe demonſtrat, & confuſione digniſsimum. Et *Syracides*: Si eſt tibi intellectus, reſponde proximo: ſin minus, ſit manus tua ſuper os tuum.

Eccl. 5. 17 & 11. 7.

Idem: Priuſquam interroges, ne vituperes quenquam: & cùm interrogaueris, corripe iuſte. Priuſquam audies, ne reſpondeas verbum, & in medio ſeniorum ne adiicias loqui.

Prou. 23. 9

Et rurſus *Salomon*: In auribus inſipientium ne loquaris, quia deſpicient doctrinam eloquij tui.

Prou. 24. 19. Eccu. 29. 4

Item: Ne contendas cum peſsimis, & ne æmuleris impios. *Item*: Vir ſapiens ſi cum ſtulto contenderit, ſiue iraſcatur, ſiue rideat, non inueniet requiem.

Hæc de tacendi & loquendi tempore confuſiùs dixi, quia prudens experientia, & experta prudentia, vt dixi, hæc meliùs docebit.

5. Quomodo dicatur.

Reſtat quod vltimo loco propoſui, *Quomodo* dicatur. Modus autem loquendi, vt ait Gregorius, in tribus conſiſtit. In geſtu, in ſono, in ſignificatione.

1. In Geſtu modeſtia.

GESTVS ſit modeſtus & humilis. Sonus demiſſus & ſuauis. Significatio verax & dulcis. Modeſtiam debet habere geſtus loquentis, vt nec inordinatè, nec impudicè, nec turbulentè inter loquendum membra moueat, ne vel oculorum nutibus, vel aliqua minus decenti conformatione, ſiue transmutatione vultus, gratiam ſermonis fœdet. Debet & humilitatem habere geſtus loquentis, vt apud auditores gratiam ſermo eius inueniat. Thraſonicam in dicentibus arrogantiam, omnes oderunt.

2. In Sono demiſsio.

SONVS loquentis ſit demiſſus, ne vel ſtrepitu, vel immoderato clamore auditores ſuos, aut iniuſtè terreat, aut iuſtè offendat. Suauis quoque debet eſſe *ſonus*, ne pronunciationis aſperitate, tantò fiat animus audientium onerosior, quantò ad aures durior venit, & iniucundior.

3. In ſignificatione veritas.

SIGNIFICATIO, hoc eſt, ſermonis ſenſus, ideo debet eſſe vera, quia fallax verbum, etſi compoſitè, ornatè, & facundè dicitur, tamen noxium eſt, ideoque vt primo diuiſionis membro diximus, eſt fugiendum. Debet præterea ſignificatio eſſe dulcis quia plerumque & veritas auditori amara efficitur, vbi dulcedo non eſt in verbis loquentis.

Hæc ſint de diſciplina ſermonis dicta, quæ ſi paſtor obſeruauerit, gratiam ſibi & amicitiam, & grauitatis laudem ſermone ſuo conciliabit.

De moderatione ſeruanda in conuiuiis.

Sequitur de diſciplina paſtoris in conuiuiis ſeruanda, Etſi præcepta quæ hactenus dedimus, etiam paſtorem in cõuiuio gubernare poſſunt: tamen ſeorſum hac de re nonnihil adiiciam. Video enim complures in hac parte grauiter peccare.

Quæ obſeruanda in conuiuiis.

In conuiuiis itaque ſpectentur hæc: Locus, tempus, conuiuij genus, conuiuæ, colloquia, edendi bibendique modus, hilaritatis moderatio, & morandi tempus. Ad hæc membra referamus præcepta de diſciplina paſtoris, quam ſeruandam eſſe in conuiuiis iudicamus.

1. Locus.

Locus conuiuij ſi fuerit obſcurus, aut infamis, fugiendus eſt paſtori. Nullo enim pacto decet, vt paſtor in tabernis, aut lupanari, aut in hominum infamium domo conuiuam agat. Nam hac ratione non ſolùm ſuæ perſonæ, verumetiam miniſterio inureret infamiæ notam, ac ita ſuã famam periclitari permitteret, & miniſterium probro afficeret. Quare ſi quando ad huiuſmodi loca fuerit inuitatus paſtor, modeſtè ſe excuſet, cum declaratione gratitudinis & beneuolentiæ, & ſimul precetur, vt conuiuis ipſis cedat conuiuium bene, & caueatur omnis Dei offenſio.

2. Tempus.

Tempus conuiuij ſit opportunum. Opportunum dico, quod nec noctu fit, nec tempore ſacrorum in templis, nec tempore communis luctus. Nocturna conuiuia ſemper fuerunt infamia. Videntur enim potiùs turpitudinis gratia inſtituta, quàm honeſtæ hilaritatis. Sacrorum tempore celebrata conuiuia, in contumeliam cedunt miniſterio. Illis ergo intereſſe debent nulli pij, nedum paſtores Eccleſiaſtici. Tempore communis luctus conuiuiis operam dare, ſignum eſt malignæ naturæ, quæ calamitatibus publicis non afficitur. Hoc enim tempore, melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij, iuxta Eccleſiaſtæ ſententiam, cap. 7.

3. Conuiuiorum genera. Honeſta.

Conuiuiorum genera ſunt duo: Honeſta & Inhoneſta. *Honeſta* dico, quæ vel amicitiæ ineundæ confirmandæve cauſa, vel honeſtæ hilaritatis gratia, vel gratulationis ergò, vel moris gentis ſeruandi cauſa inſtituta ſunt, Hæc tantiſper honeſta voco, donec locus & tempus ſeruantur debita, & non iuſtæ hilaritatis modum conuiuæ tranſgrediuntur.

1. Amica, & pauperibus refocillãdis inſtituta.

Conuiuia amicitiæ cauſa inſtituta à Græcis dicuntur ἀγάπαι, propterea quod in eis mutua fouebatur charitas. Hoc nomine etiam dicuntur conuiuia, quæ pauperibus refocillandis inſtituuntur: qualia ſolent in Lolandia patria mea crebrò fieri. Qui enim illic aut nuptias celebrant, aut puerperia, aut alioquin ſolennia conuiuia, pauperibus menſas aptant, fercula apponunt, non minùs lauta quàm aliis conuiuis. Ac ſi quis conuiuator pauperes non admitteret, aut non benignè tractaret, non ſolùm auarus, verumetiam in Deum impius, in pauperes crudelis haberetur. Hunc morem etiam in Scania, Iutia, Fionia, & Selandia, in quibuſdam eſſe locis conſtat. Hunc morem commendabit paſtor, & inuitabit conuiuatores ad humanitatem erga pauperes, commendans ipſis præceptum Domini, qui ait: Cùm facis conuiuium, voca claudos, pauperes, cæcos: & beatus eris, quia non poſſunt vicem rependere tibi. Retribuetur enim tibi in reſurrectione iuſtorum. Luc. 14. 13

Sententiæ Chriſti expoſitio.

Hac ſententia multa continentur. Primum, probantur à Chriſto honeſta & pia conuiuia. Deinde, monemur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mur vt cùm hilares eſſe velimus cum amicis & familiaribus, non negligamus pauperes, ſed eos quoque in noſtrum recipiamus conuiuium. Tertiò, promittitur merces à Deo, quia pauperes non poſſunt, vicem rependere: eamque mercedem dicit reddendam eſſe in reſurrectione iuſtorum. Quod autē Dominus dicit: (Luc. 14. 12.) Cùm facis prandiū noli vocare amicos tuos, non eò pertinet, ac ſi Dominus vetaret conuiuia agitari inter cognatos & familiares: quod ſanè barbarum & nimis auſterum eſſet. Quid enim, quæſo, inhumanius, quàm à menſa hoſpitali excludere amicos, & homines arcere ab omni comitate? Sed hoc tantum vult Dominus oſtendere, officijs in mundo vſitatis, minimè veram probari charitatem. Quare hortatur ad veræ charitatis officia erga pauperes. Probat itaque ſic conuiuia Chriſtus, ſi pauperes non excludantur.

2. Hilaria.

Hilaritatis honeſtæ cauſa inſtituta conuiuia, non improbantur: ſed inter honeſta numero, quæ potiſsimum exhibere ſolent homines, poſt aliquem laborem honeſtè peractum. Idque potiſsimum reficiendarum virium cauſa, per honeſtam & moderatam hilaritatem.

3. Gratulatoria.

Gratulatoria conuiuia, qualia ſunt nuptiarum & puerperiorum, commendantur exemplis ſanctorum patrum. Illi enim ſolebant gratulationis ergò amicos conuiuiis excipere. Laban nuptiarum ſolēni more dies celebrauit. Abraham in die ablactationis filij Iſaac, grande conuiuium fecit.

4. Cōſueta.

Solent etiam conuiuia fieri ex conſuetudine gentis, certo anni tempore, qualia nos in noſtra patria vocamus fraternitates. Hæc conuiuia modò abſit ſuperſtitio, & inſana ebrietas, culpari non poſſunt. Verùm in huiuſmodi conuiuiis modum ſeruari ſuadebit pius paſtor. Ad hoc genus refero ea conuiuia, quæ in ſynodis agitari ſolent à paſtoribus, finitis conſultationibus & ſacris: de quorum modo probo ſententiam D. Petri Palladij piæ memoriæ, qui in ſuis ſynodalibus de illis pręcepta conſcripſit. Hactenus de honeſtis conuiuijs.

Inhoneſta.

Inhoneſta conuiuia voco, quæ libidinis & ingurgitationis cauſa inſtituuntur, quæ potius porcis Epicuri conueniunt, quàm Chriſti ouibus. Ab his dehortatur Salomon Prouerb. 23. 20. Noli, inquit eſſe, in conuiuijs potatorum, neque in comeſſationibus eorum. Comeſſationes autem dicuntur, nocturna poſt cœnam inſtituta conuiuia, & alia quæuis intempeſtiua & inhoneſta. Habent autem nomen comeſſationes à Como, quem Deum agnouit gentilitas, & præſidem nocturnarum ſaltationum. Hic dicebatur coli à iuuenibus, qui coronati noctu cum facibus, muſicisque inſtrumentis, ad amicarum fores ſaltandi canendique gratia concurrebant, procaciterque laſciuiebant, vt fores nōnunquam effringerent. Hunc morem turpiſsimum, in hac clara Euangelij luce, non pauci ſola ganea nobiles reuocant.

4. Conuiuæ.

Huiuſmodi itaque Lapitharum conuiuia, pius verbi præco nunquam vel præſentia, vel ſigno approbet, imò potius cordatè reprehendat ac damnet, non veritus alicuius perſonam. Multos (proh dolor) licet audire gloriantes, quòd poſſint compotatores ſuos potando ſuperare, ac non minus eo nomine ſibi tribuunt, quàm olim Achilles qui Hectorem pugna vicit. Sed Eſaias illis canit θρηνῶδες ἐπίφθεγμα: Veh vobis (inquiens) qui conſurgitis ad

Eſ. 5. 11. 22

ebrietatem ſectandam, & potādum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis. Item: Veh qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Paſtor ergo potius auſcultet Syracidi, qui ait: In vino virū te non exhibeas. Vinum enim multos perdidit. Hæc ſint dicta de generibus conuiuiorum: ſequuntur colloquia conuiualia.

5. Colloquia conuiualia.

Colloquia Conuiualia ſeruiant honeſtæ hilaritati, & ædificationi mutuæ. Abſit futilitas, abſit garrulitas, abſit acerbitas, abſit malè de abſentibus loquendi libido: ſit paſtor moderatus in verbis, & ſibi Catonis diſtichon vt regulam proponat:

Inter conuiuas fac ſis ſermone modeſtus.
Ne videare loquax dum vis vrbanus haberi.

Et illud Syracidæ, 31. 41. In conuiuio vini ne arguas proximum, nec eum in ſua læticia vituperes. Hîc recolat paſtor præcepta diſciplinæ ſermonis, de quibus ſupra dictum eſt.

5. edendi & bibendi modus

Qualem autē oporteat in conuiuiis honeſtis eſſe *edendi & bibendi modum*, ex iis quæ dixi facilè intelligitur. Sed hoc addo, quod concertationes potandi, & ἀριθμοποτίαι, quæ (proh dolor) iam nimis vſitatæ ſunt, nequaquam ſint ferendæ inter Chriſtianos. Quidam meritò apud Homerum laudatur, qui conuiuis ſuis vina abundè appoſuit: ſed neminē neque ad bibendum, niſi per quàm humaniter in initio conuiuij inuitauit, neque ad certamen potandi conuiuas compulit. Eſt enim nimis barbara conſuetudo certare poculis, nequaquam hominis dignitati conueniens, nedum filiis Dei, & paſtoribus gregis Chriſti, qui vice Chriſti funguntur. Hāc ergo barbaram conſuetudinem, Deo inuiſam, homini probroſam, paſtor relinquat Lapithis & barbaris, qui Chriſti nomen ignorant: neque hic ſinat ſe conſuetudine vinci.

ebrietatis & ἀριθμοποτίας. deteſtatio.

6. Hilaritatis moderatio.

Hilaritatis Moderatio neceſſaria eſt in conuiuiis. Nam cum hilaritas modum excedit, in inſaniam vertitur. Huc illud Anacharſis, qui primum quidē poculum ſanitatis: Secundum voluptatis: Tertium contumeliæ: Quartum inſaniæ eſſe dixit. Atque ideo non immeritò Pythagoras, ebrietatem inſaniæ meditationem affirmauit. Non igitur oportet bibendi modum excedere iuſtæ hilaritatis limites. Homerus hilaritatem conuiuiorum in cantu & ſaltatione collocauit, quæ vocat ἀναθήματα δαιτός, ornamenta conuiuij, ad exhilarandos conuiuas adhibita. Syracides cap. 31. 32. potum vini ad hilaritatem non vituperat, cum ait: Læticiam animi & hilaritatem parit potus vini iuſtus, & opportunus. Iuſtum vocat, qui modum non excedit. Opportunum, qui temporis habet rationem. Homerica illa anathemata, ſi fuerint moderata, paſtor in alijs ne reprehendat: ſed ipſe ab ijs prorſus abſtineat.

De philotheſiis & Sympheriphoris quid ſentiendum.

Quid ergo de philotheſijs, & ſympheriphoris ſentiendum? Philotheſias, quæ ſunt cum amicitiæ ſignum præbibimus alicui, ac deinde poculum porrigimus, laudo: modò ad exhauriendum nemo cogatur. Neque ſympheriphoras, cum ordine dicitur, canitur, bibitur, in honeſto conſortio reprehendendas iudicio: modò conuiuæ maneant intra modeſtiæ terminos.

Sed quia difficile eſt modum ſeruare, ſuadeo vt paſtor Socratem imitetur, qui ait: Alij viuunt, vt edant & bibant, ego vero edo & bibo, vt viuam.

Piorum & Epicureorum conuiuiorum diſcrimē

Ego ſoleo inter piorum & Epicureorum conuiuia, hoc diſcrimen ſtatuere. Boni viri & integri, ſæpè bibunt vt ſedeant diutius, honeſtæ & piæ collocutionis ergo. At porci de grege Epicuri, hoc eſt, homines ventri dediti & voluptatis mancipia, ſedent diutius, vt bibant copioſius. Hinc ſæpe accidit, vt nonnihil hilaritatis modum excedant pij &

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

boni viri, quod in illis tametſi vitio omnino non caret: non tamen eſt temerè damnandum, modò in fœdam ebrietatem non fuerint prolapſi. Nam illud Pauli præceptum Catholicum eſt, ſeruandum in omnium piorum conuiuiis: Ne inebriemini vino, in quo luxus eſt: ſed impleamini ſpiritu, loquētes inter vos mutuo per Pſalmos, & hymnos, & cantiones ſpirituales, canentes & pſallentes in corde veſtro Domino. Hîc Apoſtolus ἀναθήματα recitat conuiuij Chriſtiani, ignota Homero, quæ ſunt Pſalmi, hymni, & cantiones ſpirituales: & antitheſin facit inter hilaritatem ex ebrietate ortam, & hilaritatem ſanctam, quæ ex piis carminibus & Pſalmis in piorum cœtu oritur. Cum autem in corde dicit, non hoc vult Apoſtolus, vt quiſque intus & apud ſe ſine lingua canat, ſed ſerium cordis affectum requirit. Duo ergo in cantionibus piorum coniungi debent, pius cordis affectus, & lingua quæ affectibus excitandis ſeruit. Hæc de hilaritatis modo ſint dicta.

Epheſ. 5. 18.

7. Morandi in conuiuio tēpus.

MORANDI IN CONVIVIO TEMPVS, non protrahatur ad inſaniæ initium, ſed tantum ad hilaritatis medium: præſertim paſtori, in quem alij oculos coniiciunt. Nihil fœdius eſſe, aut dici poteſt, quàm paſtorem inſaniæ pocula exhaurire, & poſtremum eſſe qui domum abeat. Qui talis eſt, mihi videtur indignus, qui caprarum curam habeat, nedum ouium Chriſti. Huiuſmodi à Iuda Apoſtolo, maculæ in fraternis conuiuiis dicuntur: vt qui pro voluptate ducentes in diem frui deliciis, & ſe miſerè maculant, & aliis macularum occaſionem præbent.

De moderatione ſeruanda in contractibus.

Iam locus poſtulat, vt diſciplinam præſcribamus quæ in contractibus paſtori eſt ſeruanda. *Primùm* itaque caueat paſtor, ne quærat ſordidum quæſtum, ſeu, vt Paulus loquitur, ne ſit αἰσχροκερδὴς, hoc eſt,
1 turpiter lucri cupidus. *Deinde*, ne implicet ſe negotiis ad ſe non pertinentibus, qui hoc faciunt, πολυπράγμονες ſunt, quos vel Iſocrates damnat, qui πολυπραγμοσύνῃ opponit ἡσυχίαν ad quam Paulus Theſſalonicenſes hortatur, obteſtans eos per Dominū noſtrū Ieſum Chriſtū. *Tum*, ne ſuo exēplo cōprobare videatur, quæ in aliis culpet: ne ſit caupo: non exerceat mercaturam: non emat vt maioris rurſus vendat: ſed ſit αὐταρκὴς, & ſua vocatione contentus: viuat ex ſuis decimis & agris. Si quid autem ſuperſit, partem iuſtè vendat: partem reſeruet in vxoris & liberorum vſum: partem eroget, ſicuti ſupra dictum eſt, in vſus pauperum. *Caueat* ne quicquā cuiquam debeat, niſi quod naturali iure debeat omnibus, hoc eſt, dilectionem & beneuolentiam. Vice plurium præceptorum, ſint honeſtorum paſtorum exempla. *Præterea*, paſtor fugiat forenſes lites, ac potius mediocrem patiatur iacturam, quàm vt lites ſequatur, quæ miniſterio non parum obfuturæ ſunt. *Breuiter*, in omnibus actionibus & contractibus ſit paſtor candidus, nihil auarè agat. Debet enim auaritiæ non ſolùm crimen, verum etiam ſuſpicionē magis fugere, quàm vllam peſtem. Auaritiæ enim labes, cùm miniſtros ipſos exponit obtrectationibus hominum, tum miniſterio ipſi probrum conciliat & inuidiam. Caueat igitur paſtor, ne ſua auaritia & ſeipſum perdat, & miniſterium reddat hominibus inuiſum.

Concluſio dictorum de paſtoris diſciplina in vita cōmuni.

Hactenus viſi ſumus nobis ſatis dixiſſe, de diſciplina ſeruanda paſtori in communi vita, & familiiri hominum conſuetudine. Nam & oſtendimus quomodo agendum ſit cum ſingulis hominum generibus, & qualis eſſe debeat moderatio in veſtitu, geſtu verbis, & conuiuiis. Atque etiam declarauimus qualis candor requiratur à paſtoribus, in omnibus vitæ actionib. & contractibus. Nunc proximo loco ſequitur, vt explicemus, qualem ſe paſtor exhibere debeat in Eccleſiaſtico piorum cœtu.

II.

Quid in cœtu Eccleſiaſtico ſpectandum Paſtori.

COETVM Eccleſiaſticum voco, congregationem Eccleſiæ, ad audiendum verbum, ad precandum, ad percipiendum Sacramenta, congregatam. Sunt enim hi tres fines, cur pij in ædibus ſacris ſeu templis conueniant. Ex quo patet, qua in re oporteat excellere paſtorem in cœtu Eccleſiaſtico. Nam vt Auguſtinus ait, ita oportet paſtorem excellere in omnibus, vt cæteri præ illo grex eſſe videantur.

Cœtus Eccleſiaſtici cur inſtituti.

1. Paſtor reuerenter audiat aliorum paſtorum cōciones.

Primùm ergo ſciat paſtor, quòd in templo, vbi congregatur Eccleſia, debeat quàm attentiſsimè verbum Dei audire, qnoties concionatores audiendi ſunt. Quidam inepti totum tempus, quo prædicatur verbum, conſumunt nunc colloquiis, interdum lectionibus, ſæpe ſomno, ac ſi ad ſe non pertineret mandatum Dei, quo omnes iubentur ipſius audire verbum. Horum error eſt corrigendus, niſi iram Dei velint incurrere, & maiorem damnationem. Quidam autem hoc faciunt, ne videantur ab illis diſcere. Horum ſuperbia odio digna eſt. Quidam alias fortè cauſas prætendunt. Verum pio paſtori conſulo, vt omnes ſuos auditores pietatis declaratione (abſque tamen hypocriſi) & audiendi diligentia ſuperet. Hinc enim copioſiſſimum percipit fructum.

Qui fructus inde oriantur.

Primùm enim confirmatur voce docentis, in doctrina. Deinde etiam diſcere poteſt aliquando ab eo, qui præ ipſo idiota videtur. Sæpe enim Deus per infimos ea myſteria aperit, quæ ſapientiſſimi ſuo acumine non potuerunt eruere.

Exempla.

Mos fuit beato Luthero, & ſanctiſsimæ memoriæ Philippo Melancthoni, diligentiſſimè audire concionatores. Et ſæpe cōfeſſi ſunt ſe & cōſolationib. erectos, & in doctrina cōfirmatos aliorū voce.

Præterea gratum eſt Deo officium audiendi verbum. Poſtremò exemplum prodeſt. Nam cum homines paſtorē ipſum auidè audire verbum animaduertunt, ipſi ad diligentiam maiorem excitantur. Deinde paſtor meminerit, & ſui muneris eſſe, in cœtu Eccleſiaſtico, vnà cum Eccleſia precari. Hîc veniat ei in mentem neceſſitas Eccleſiæ: cogitet de publicis & priuatis calamitatibus: cogitet de hoſtibus Eccleſiæ, Diabolo, tyrannis, & hæreticis, & flagitioſè viuentibus. In his cogitationibus ardenter cum Eccleſia Deum inuocet, vt ipſe mitiget publica & priuata mala: vt reprimat hoſtes Diabolos: vt homines hoſtes, hæreticos, & tyrannos, aut ſua bonitate cōuertat, vt ſaluentur, aut ſuo iudicio coërceat, ne Eccleſiæ ruinam inferant: vt ſcandala tollat doctrinæ & morum: vt Eccleſiæ largiatur pacem: vt confirmet fideles in pio & ſancto propoſito: vt doctores Eccleſiæ ſuo Spiritu regat: vt magiſtratum noſtrum conſeruet in vera pietate: vt omnes ſtatus & ordines hominum, vinculo pacis coniungat: vt Eccleſiaſtico, politico & œconomico ſtatui aſſit. Breuiter, vt ſuum regnum quotidie adaugeat, & regnum Satanæ magis magiſque deſtruat. Hæc petat pius paſtor quàm ardentiſſimè, & ſuo Eccleſiam exemplo ad precandum inuitet.

Sui muneris eſt in cœtibus Eccleſiaſticis vna cum aliis precari.

3. Sacramētis cōmunicare.

Adhæc cum Eccleſia congregatur etiam ad participationem Sacramentorum, ſit quoque paſtor in hac par-

hac parte diligens: declaret ſuam fidem: edat confeſſionem: percipiat Cœnam Dominicam ſæpe cum aliis, vt auditores ipſius exemplo confirmati & moti, pluris faciant Sacramenta Eccleſiæ. Qui autem paſtores rarò communicant, exemplo ſuo faciunt, vt Sacramenta veniant paulatim in contemtum.

4. Canere cum aliis.

Propter hæc tria, hoc eſt, verbum, preces, & Sacramentorum participationem, habet & Eccleſia congregata certas ceremonias, recitantur Pſalmi, canuntur & alia pia Cantica: quæ omnia adhibentur, vt ſint veluti flabella quædam, quibus ſpiritus hominis ad pietatis meditationẽ excitetur. His quoque ceremonijs pius paſtor adeſſe debet. Canat ergo cum alijs, & oſtendat ſe iſtis carminibus affici.

Epheſ. 5. 19.

Impleamini, inquit Apoſtolus, ſpiritu, loquentes inter vos mutuò per Pſalmos, & hymnos, & cantiones ſpirituales, canentes & pſallentes in corde veſtro Domino. Cùm dicit, Canentes & pſallentes in corde, non prohibet ore canere & pſallere: ſed ſignificat oris cantũ nihil prodeſſe, niſi ex corde proficiſcatur. Ex corde ergo prouenire debet: & dum ore canitur, cor magis ad pietatem veluti flabello excitatur.

Hæc ſint breuiter dicta de diſciplina paſtoris in Eccleſiaſtico cœtu ſeruanda. Sequitur de conſiliis & & deliberationibus.

III.

Quid in conſiliis & deliberationibus ſpectandum Paſtori.

Conſultationes Eccleſiaſticę triplices.

CONSVLTATIONES Eccleſiaſticæ, aut doctrinæ controuerſæ cauſa, aut miniſterij gratia, aut eorum ergò, quæ vel ad doctrinam, vel ad miniſteriũ pertinent, fieri ſolent.

1. De doctrina.

Ad doctrinam examinandam collationes de cõtrouerſis articulis, & diiudicatio neceſſariæ ſunt.

2. De miniſterio.

Ad miniſterium pertinent, miniſtrorum electio, vocatio, approbatio, ordinatio.

3. De ceremoniis, diſciplina & redituum diſpenſatione.

Ad vtrumque, ceremoniæ, diſciplina, & redituum Eccleſiaſticorum diſpenſatio, referuntur.

Exiſtimo nullam cauſam offerri poſſe ſenatui Eccleſiaſtico, quin ſub his generibus contineatur. Dicam igitur qualis diſciplina paſtori ſit commoda in his iudicij Eccleſiaſtici partibus.

I. Conſultationis de doctrina conditiones.

Conſultio de doctrina controuerſa, modeſta debet eſſe, in qua paſtor non tam victoriam quærat quàm veritatem, imitatus Socratem, qui ſuum ad-
1 uerſarium ante diſputationis ingreſſum admonuit hac ſententia: Non tam quæratur vter noſtrũ vincat, quàm inquiratur veritas.

Quando ita paſtor animo affectus eſt, audiat a-
2 liorum ſententias, & collationes ſcripturarum. Ipſe autem modeſtè, cum rogatus fuerit, ſuam dicat ſententiam. Qui collationes ſcripturarum non admittunt, & ex illis nolunt interpretationem, quæ ſit conſentanea cum tota ſcriptura, peti, in multa abſurda incidunt. Qui legit Pauli dictum: Qui non laborat non manducet, & ita his verbis adhæret, vt ex collatione non ferat interpretationem vllam, quæ generale dictum, ad certam ſpeciem reſtringit, is infantibus, qui agere nihil poſſunt, negabit victum. Quo facto quid poteſt eſſe immanius? Sic multi ſæpe vnum dictum arripiunt, cuius cum verba mordaciter retinent, vim faciunt interdum articulis fidei. Quare in controuerſis articulis, opus eſt prudenti collatione, ex qua collatione eruatur verus dicti ſenſus, congruens cum vniuerſa ſcriptura.

2. Theſſa. 3. 10.

Moſes dicit: Non facies vllum ſculptile. Hoc dictum qui apprehendit, nulla collatione facta cum aliis ſcripturæ locis, damnabit Salomonem, qui ſculpturis templum Dei ornauit. Quare ex collatione diſcendum, vtrum dictum ἁπλῶς accipiendum ſit, an κατά τι: vt hoc Salomonis factum, (vt ex collatione conſtat) κατά τι accipiendum eſt, non ſimpliciter.

Exod. 20. 4.

1. Reg 6. & 7.

Deinde in diiudicatione cauendum eſt, ne pu- 3
gnet interpretatio cum aliqua lege Decalogi, aut articulis fidei. Ideo Paulus præcipit, vt interpretatio ſit fidei analoga, hoc eſt, congruat cum primis religionis axiomatis.

Eſt & adhibenda in conſiliũ puræ Eccleſiæ ſen-
tentia, & audiendi ſunt illi, quorum doctrina & 4
pietas multis eſt probata. At illi qui æmulationis zelo potius quàm pietatis ſtudio, ſubitò velut è tenebris prodeunt, nequaquam ſunt illis conferendi, qui triginta aut quadraginta annos, puritatem doctrinæ voce & ſcriptis propagarunt.

Intra hos limites ſi meus paſtor ſe contineat, rectè facit, & paci tranquillitatíque Eccleſiæ conſulit. Contra qui ſuas quas concepêre ſententias, mordicus tuentur, & nolunt audire aliorum iudicia: atq; illi qui tanquam oracula admirantur, quæ iam ſparguntur à nouis magiſtris, contra ſummorum virorum in Eccleſia autoritatem, tranquillitatem Eccleſiæ turbant, & rei ſunt ſchiſmatis in Eccleſia, & ſuo tempore iuſtas pœnas Deo dabunt.

II. Conſultationis de miniſterio regulæ.

Si deliberationes inſtituuntur de miniſterio, ſimilem adhibeat paſtor prudentiam: cum aliis eligat, non affectu raptus, aut fauore aut odio corruptus, quos iudicauerit vtiles eſſe Eccleſiæ: cum aliis vocet electos, ordinet, & probet, maturo adhibito iudicio, ſemperq; ſpiritu Deum precetur, vt ipſe conſilia & euentus gubernet.

III. Conſultationis de ceremoniis leges.

Cum de ceremoniis agitur, conſulat paſtor, ne Eccleſia oneretur multis ceremoniis.

Si quæ abolẽdæ ſunt, diligenter attendat, quid vi- 1
tij habeant. Nam ſicut leges in Rebuſpublicis, ita
in Eccleſia ceremoniæ, non facilè ſine offenſione 2
vulgi mouentur. Quare cautio adhibenda, ne abrogatio plus pariat mali quàm boni.

Si quæ ſunt nouæ inſtituendæ, videat prudenter, 3
ne ſint pueriles nimiùm, aut otioſæ, aut ſuperſtitioſæ, aut ineptæ. Nullæ enim ceremoniæ admittẽdæ, niſi quæ faciunt ad pietatem alendam, & grauitatem, in ſacrorum tractatione.

Etſi autem ego conſultius iudico, vt nulla prorſus ceremoniarum in mediocriter reformatis Eccleſiis mutatio admittatur: hoc tamen conſilium dedi, vt cogitet paſtor, quò ſit reſpiciendum, vbi deliberationes inſtituuntur de ceremoniis.

De diſciplina leges, quę in moderatione & lenitate animi deinde in ſpirituali prudentia conſiſtit.

Diſciplina ſequitur, quæ mores corrigit. Quoties de hac agitur, meminerit paſtor modeſtiæ, quæ cùm adeſt, non facilè in corrigendis aliorum moribus peccabit. Huius diſciplinæ moderandæ regulam præſcribit Paulus his verbis: Seniorem ne increpes, ſed adhortare vt patrem: iuniores, vt fratres: mulieres natu grandiores, vt matres: iuniores, vt ſorores, cum omni caſtitate. 1. Tim. 5. 1. 2. Hoc eſt, Si accuſatus fuerit ſenior aliquis, & fuerit conuictus alicuius peccati, ne ſeuerè, tanquam dominium in eum habens, ipſum increpes: ſed ita agito cum illo, vt intelligat ex animo bono & amico admonitionem proficiſci.

Nimia auſteritas prohibita ab Apoſtolo.

Quidam cum peccantes corrigere debent, ita auſterè agũt, ac ſi omnẽ humanitatis ſenſum exuiſ-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſent: ac ſe tum demum viros cordatos, ac ſtrenuos in miniſterio haberi volunt, vbi fortè pauperculum aliquem, qui lapſus eſt, pro ſui animi impotentia, rabioſis verbis proſtrauerint. Sed Paulus vult correctionem temperari humanitate atque clementia. Nemo enim libenter admittit cenſorem, qui hoſtili videtur agere animo. Contra, nemo non facilè recipit vel duriorem increpationem ab eo, quem ſcit ſe non odiſſe.

Iuniores, vt fratres: hoc eſt, Si iuniores fuerint accuſati, & alicuius ſceleris conuicti, ne eos increpes vt hoſtes, ſed eos corrigas, vt te ex fraterno amore agere intelligant. Mulieres natu grandiores, vt matres: hoc eſt, Si contigerit mulieres grandæuas peccare, vel loquacitate, vel obtrectandi libidine, aut alia quauis ratione, ne ſis in eas nimis ſeuerus, & durus, ſed eas potius adhortando corrigas. Iuniores, vt ſorores, ſcilicet adhortare. Hoc eſt: Si contigerit iuniores fœminas, vel ignorantia, vel infirmitate, vel ætatis vitio delinquere, ne ſis in eas auſterus: ſed ita moderare correptionem, vt videatur ex fraterno corde proficiſci. Nam vt medicina temperata aliquo dulcore facilius ab ægroto percipitur: ita correptio, quæ candidi amoris ſignificationem habet, libentius admittitur & efficacior eſt. Diſcernendum tamen eſt inter adulationis peſtem, & erroris dulce remedium. Illa enim mortis, hoc vitæ & ſanitatis cauſa eſt. Addit in fine: Cum omni caſtitate: quod ad omnia membra illa quatuor, quæ præcedũt, referendũ eſt. Nam hæc particula ſignificat, caſtã grauitatẽ adhibendã eſſe, quæ non ſit contaminata vllo priuato affectu.

Sunt qui gaudent de lapſu eorum, quos aliquãdo oderunt, aut qui ſe aliquando læſerunt: vt poſtea lapſos pro libidine animi, ſæuis poſsint obruere & confundere verbis: ſed iſta correptio non eſt caſta & grauis, ſed adulterata prauis affectibus, & ex leuitate animi ſaucij proficiſcens. Paulus itaque paſtori in corrigendis vitijs, lenitatem & moderationem commendat. Nam vt medicina, quæ ſua natura aliquid amari habet, mitigatur aliquo additamento, vt eam ægrotus nõ aduerſetur: ita ſeueritas, quæ neceſſaria eſt in corrigendis vitijs, temperanda lenitate, ne qui peccauit, correptionis aſperitate territus, nullam correctionem admittat.

De redituum diſpenſatione conſultatio qualis eſſe debeat.

Cùm de redituum diſpẽſatione, deliberationes à ſenatu Eccleſiaſtico fiũt, duo caueat paſtor. Vnum, ne auarè videatur agere. Alterum, ne ex affectu aliquo priuato reditus Eccleſię velit diſtribui. Vtrumque vitium eſt in paſtore minimè ferendum. Quare iuſtè agat paſtor. Si ſtipendiorũ cauſa agitur, ſit norma diſtributiua iuſticia, ſecundùm proportionem Geometricam. Si pauperibus ex ſuperfluis aliquid eſt tribuendum, pietatis ac neceſsitatis, & non amicitiæ habeatur ratio. Solẽt enim homines, amore & odio moueri multum: ſed paſtor hanc ſequatur regulam: Cum ab amicis, quæ non licent poſtulantur, iuſticia & pietas anteponatur amicitiæ.

Hæc ſint dicta de tertia parte diſciplinæ paſtoralis, qua regatur in externa & politica hominũ conuerſatione.

DE QVARTA PARTE, QVAE *continet officium, ſeu legitimam paſcendarum ouium Chriſti rationem.*

Exordiũ à gnoma & difficili.

VERE dixit quidam ex patribus, regimen animarum eſſe artem artium: ſentiens & difficilimum eſſe opus, & requirere ſingularem peritiam. Multi proh dolor, paſtores agere volunt, cum ipſi potius, vt ab alijs paſcantur, indigent. Tales non mouentur ouium ſalute, ſed proprijs commodis ſtimulantur, quibus melius eſſet, ſi nunquam nati fuiſſent. Nam horrendam iram Dei ſibi theſauriſant, in diẽ iræ & reuelationis IESV CHRISTI. Hi ſanè non tam ſolicitè quærerent onus, cui pares non ſunt, ſi cogitarẽt, qualis ſit res ouile Chriſti: ſi perpenderent, quàm pulchra, & Deo grata ſit ouium Chriſti ſocietas: in cuius medio Dominus ille eſt, cui ſol & luna famulantur, cui aſſunt miniſtri eius, millia millium, & decies cẽtena millia: ſi intelligerent, quantæ molis ſit, Chriſtianam condere gentem: hoc eſt, regnum Chriſti erigere, & Satanæ palatia demoliri. Ratiocinationes, inquit Paulus, euertimus, omnemque ſublimitatem, quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei: & captiuam ducimus omnem cogitationem, ad obediendum Chriſto.

Adu. mercenarios.

2. Corin. 10.5.

Neceſſitas & vtilitas huius diſſertationis.

Cum igitur tam auguſtum ſit paſtoris officium, tam arduum, tam periculoſum, tam diuinum, operæprecium eſt rectè inſtitui paſtorem, vt ſciat partes ſui officij: ne cùm paſtor ouium Chriſti haberi velit, lupus ſit peſsimus, qui oues miſerè dilaniet & à vero ouili abducat.

Propoſitio.

Ego itaque conſtitui ſumma qua poſſum diligentia, paſtorem Dominici gregis inſtruere, atque eius officij partes explicare, quò certa illi norma agendi, ex verbo Dei deſumta, conſtet. Princeps paſtor Chriſtus mentem & calamum gubernet, *Amen.*

Diuiſio propoſitionis in 4. partes.

Vt autem certa cum ratione ſuſceptum opus expediam, quatuor ordine ſum expoſiturus.

I *Quodnam ſit paſtoris officium.*
II. *Quænam ſit poteſtas miniſtrorum.*
III. *Præmium rectè præſtiti officij.*
IIII. *Pœna neglecti muneris.*

I. Prioris partis explicatio quæ particulatim exponitur.

Interrogatus quis quodnam ſit paſtoris officium: breuiter quidem, & rectè reſpondere poteſt, Paſcere: ſed paſcendi ars, & huius partes, non tam facilè explicantur.

Vt autem paſtor meus perpendat, quàm ſit auguſtum, diuinum, & magnificum paſtoris officium, *Primum* titulos paſtoris, quos tribuit ei Spiri- 1
tus ſanctus, recitabo. *Deinde*, quid illum mouere 2
debeat ad diligentiam in officio, oſtendam. *Tum* ar- 3
tem paſcendi, & eius partes accedam, vt non tantum in genere intelligatur, quale ſit paſtoris officiũ: ſed vt, anatomia videlicet facta, omnes eius partes conſpiciantur. Inter multos titulos, quos Spiritus Sanctus tribuit verbi Dei præconibus, hi ſunt ex præcipuis: Prophetæ, ſpeculatores, tuba Dei, præcones Dei, legati & ſerui Dei, teſtes Dei, Epiſcopi, œconomi myſteriorum Dei, architecti, lux mundi, ſal terræ, piſcatores hominum, ſeminatores ſeu agricolæ, presbyteri, paſtores, &c. Hi tituli, & huiuſmodi alij multi, non ſolùm dignitatem miniſtrorum verbi commendant, verumetiam illorum officium, pulcherrimis ſimilitudinibus pingunt. Hos ergo titulos breuiter explicabimus.

1. Primũ videlicet de nominibus & titulis paſtorum ij enim vocantur.

1. Prophetæ.

Prophetæ dicuntur, cùm quia prædicunt futura, iuxta decretum Dei de ſalute credentium, & damnatione reproborum: tum quia oracula Dei, & prophetias veteres exponunt populo. Hac appellatione monentur miniſtri Dei, vt nihil de ſuo proponant Eccleſię, ſed tantùm id quod locutus eſt Deus, iuxta pactum Dei cum Leuitis.

2. Speculatores.

Speculatorum appellatio, vtrumque regimen comprehendit, & præfectorum & miniſtrorum

verbi,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

verbi,quos Dominus, veluti binos in corpore oculos,ad regendam Eccleſiam inſtituit. His,ſi praui ſunt,nulla peſtis poteſt Eccleſiæ eſſe deterior.Contra,ſi boni,nihil melius,nihil iucundius,nihil denique optatius contingere poteſt. Verùm miniſtri verbi peculiariter ſpeculatores dicuntur, propterea quòd veluti in ſpecula conſtituti ſunt, vt pro ſalute populi vigilent. Quemadmodum enim tempore belli in excubiis collocantur vigiles,ne ciues inopinantes opprimantur ab hoſtibus:ita in Eccleſia ſunt ordinati miniſtri, vt hoſtium inſidias anteuertant, & auertãt. Monet ergo hęc appellatio miniſtros verbi de duabus rebus:nempe de hoſtibus Eccleſiæ,qui inſidiantur doctrinæ,& moribus ſingulorum in Eccleſia: & de excubiis quas agent miniſtri,ne iſti hoſtes per inſidias inuadant Eccleſiam & vaſtent.Quales iſti quæſo, ſunt ſpeculatores, qui vitiis ſuis indormiunt,& perpetua ebrietate madent?

Simile.

3.Tuba Dei.

Tuba Dei etiam dicuntur miniſtri verbi,vt Eſaię 58.1.Quaſi tuba exalta vocem tuam,& annuncia populo meo peccatũ ſuum,& Iſraël iniquitatem ſuam. Hac appellatione ſignificatur, quòd diuini verbi præcones bellum perpetuum indicere debeant impiis. Admonentur itaque hîc miniſtri Dei vehementiæ & ſeueritatis, qua maximè hypocritæ opus habent,qui ſibi placent in vitiis ſuis,donec ſeueriùs arguantur, atque in lucem protrahantur. Si enim miniſtri verbi de Lege & Euangelio ſolùm verba facerent, atque oſtenderent, quæ ſit regula bene & ſanctè viuendi, commendarent cultum Dei, vitia quoque reprehenderent, nulla adhibita vehementia,quid efficerent apud hypocritas? Meminerint ergo miniſtri verbi,quòd ſint veluti tuba quædam qua vocantur homines ad bellum aduerſus Diabolum & peccatum.

4. Præcones Dei. Marc. 16. 15.

Præcones Dei dicuntur iuxta illud κηρύξατε, hoc eſt,veluti præcones proclamate. Hac voce admonentur,quòd prædicatio Euangelij ſit vniuerſalis,& quòd miniſtrorum ſit hanc prædicationem non celare quoſdam,& aliis reuelare:ſed debent toti mundo Euangelium prædicationis pœnitentiæ proponere, & omnibus pœnitẽtibus remiſsionem peccatorum in ſalutem annunciare.

Legati præterea & Serui Dei dicuntur.

5.Legati.

Legati quidem,quia nihil de ſuo afferent,ſed tantùm quod habeant in mandatis,annunciare debent: ídque iis ad quos miſsi ſunt. Qui enim ſua annunciant,aut quę Deus non mandauit,Satanæ ſunt legati,non Dei.

6. Serui.

Serui verò,vt quæ Domini ſunt curent, & non propria agant.

7.Teſtes. Act 1.8.

Teſtes adhæc appellantur. Eritis,inquit,mihi teſtes in omni Iudæa. Nam cùm verbum Domini in ſcripturis teſtimonium Domini dicitur, rectè qui iſtud annunciant teſtes Dei appellantur. Dicitur autem verbum teſtimonium,quia nobis de Dei voluntate teſtatur. Hinc tres admonitiones ſumat paſtor. *Primam*, quod voluntas Dei non aliunde ſit quærenda,quàm ex eius teſtimonio, hoc eſt, verbo tradito in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis. *Secundam*,quòd ſecurè damnetur,quicquid de religione cenſent homines, vel præter vel contra verbum Dei. *Tertiam*, vt caueat paſtor,ne hoc teſtimonium occultet, aut non rectè applicet:ſed det operam, vt ſit teſtis Dei fidelis,ſicuti teſtimonium ipſum fidele eſt,ſapientiam præſtans paruulis.

Tres admonitiones collectæ ex nomine teſtes.

8. Epiſcopi.

Epiſcopi, generale quoque hoc nomen eſt omniũ miniſtrorum verbi,tametſi vſus iam obtinuit,vt iis, qui ad alios reſpectum habẽt, vt rectè faciãt officiũ, hoc nomen tribuatur.Qua re nonnihil videtur contemni lingua Spiritus Sancti. Quod enim is commune facit omnibus,vſus tribuit quibuſdam. Nomen autem Epiſcopi, intentum notat: apud Platonem, præſidem & inſpectorem operarum in ſingulis hominum ordinibus, & ſtatibus ſignificat. Vnde nomen tranſlatum eſt ad miniſtros verbi, qnia eorum munus eſt inſpicere,& curare,vt & doctrina ſana conſeruetur,& mores ſecundùm doctrinæ normam forment auditores.Apud Homerum, 10. Iliados:Is qui aliò ad explorandum quid agatur mittitur,voce Epiſcopi ſignificatur.Apud Indos Epiſcopi fuerunt,quorum erat videre, quid in quaque regione fieret, vt cognita ad magiſtratum referrent. Fuit & Atticus magiſtratus Epiſcopus,hoc eſt,prætor, qui mittebatur ad ius dicendum, in ea oppida, quæ ſub ditione Athenienſium erant. Ciceroni ad Atticum, Epiſcopus eſt ad quem delectus & negocij ſumma refertur. Andromacha apud Homerum, Hectorem vocat Troiæ Epiſcopum, hoc eſt,defenſorem & præſidem. Atque hæc ſignificata aptè transferuntur ad eos,quos hodie vocamus Epiſcopos.Hi enim mittuntur aliò, ad explorandum quid & quomodo agatur, in iis parochiis, quæ ſuæ fidei ſunt commiſſæ.

Epiſcopus quid.

Penes hos ius dicendi autoritas eſt,iuxta verbum expreſſum, & piæ diſciplinæ regulam: ídque in iis diœceſibus,quæ ipſis commiſſæ ſunt. Ad hos delectus & negotij ſumma pertinet. Hi ſunt defenſores & præſides Eccleſiarum,ſed nequaquam ἀνυπεύθυνοι. Debent enim ſummo monarchæ Chriſto rationem ſuæ adminiſtrationis reddere.

Epiſcoporũ munus.

9 Oeconomi.

Oeconomi, ídque myſteriorum Dei dicuntur, 1. Cor.4.1.Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti,& œconomos myſteriorum Dei. *Primum* Paulus hîc Euãgelij præcon es,miniſtros appellat. *Deinde* miniſterij genus exprimit, cùm eos œconomos vocat,ídque myſteriorum Dei:quo ſignificatur, nõ latiùs patere eorum officium,quàm vt myſteria Dei diſpenſent:hoc eſt, quæ Dominus illis mandauerit, de manu,quod aiunt,in manum tradant,non autem quod ipſis libitum fuerit.Et quia œconomi ſuorum dominorum claues habent, vt pro arbitrio dominorum claudant & aperiant,dicuntur miniſtri verbi claues à Domino accepiſſe, quibus clauditur & recluditur regnum cœlorum, quod hac fit ratione. Quando prædicatur Euangelium pœnitentiæ & remiſsionis peccatorum per Chriſtum,applicant œconomi Dei vnam clauem,qua aperitur regnum cœlorum. Quod ſi illi qui audiunt verbum adhibent verbo fidem,accedit etiam clauis altera. At ſi auditores fidem non adhibent,dicuntur œconomi claudere regnum cœlorum,iuxta dictum: Qui non crediderit, condemnabitur. Hæc clauium Eccleſiæ ſpiritualis poteſtas eſt, de quibus poſtea rurſus dicentur plura.

Quid ſignificent claues Regni cælorum.

10.Architecti.

Architecti, 1.Cor.3.10. Tanquam ſapiens architectus fundamentum poſui,ſecundùm gratiam Dei mihi datam,alius autem ſuperædificat.Porrò vnuſquiſque videat quomodo ædificat. Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter hoc quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. Hæc collatio tria docet. Chriſtum eſſe fundamentum,Eccleſiam eſſe ædificium:miniſtros verbi eſſe architectos. Hi ergo monentur, ne extra fundamentum ædificent, ſed omnia ad normam fundamenti exigant. Proinde hîc non ſolùm dignitas miniſtrorum verbi,& officium indicatur,verumetiam ædificandi modus.

11. Lux mundi.

Lux mundi, Matthæi 5.14. Vos eſtis lux mundi. Etſi autem omnes conuerſi,& luce cœleſtis doctrinæ illuminati,filij lucis dicuntur, & iubentur lucer-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nas ardentes manibus geſtare,ne errent in tenebris: tamen quia præ aliis lucere debent miniſtri Euangelij, tribuit eis Chriſtus hoc elogium, quibus & præcipit,vt ſuam lucem ſinant lucere.Sic luceat,inquit,lux veſtra coram hominibus.Eſt autem lux doctrinæ,& lux morum:vtraque lucere debet in iis,qui legitimi miniſtri haberi volunt.

11.Sal terræ.

Sal terræ:hic titulus ſignificat munus miniſtrorum verbi eſſe ſalire terram : quia ſcilicet , nihil niſi inſipidum habent homines, donec ſale doctrinæ cœleſtis conditi fuerint. Caueant ergo miniſtri verbi, ne ipſi inſulſi ſint, qui alios ſalire ſale doctrinæ & vitæ debent. De ſalis metaphora ſupra dictum eſt.

13.Piſcatores hominum.

Piſcatores hominum, Matth.4.19. Sequimini me,faciam vos piſcatores hominum. Rete & verbum,piſcatio & prædicatio,piſcatores & prædicatores,mare & mundus,inter ſe analogiam habent.

Quid hæc locutio ſignificet.

Vt rete multas maculas habet:ita verbum multa teſtimonia & exempla. Vt in piſcatione capiuntur magni & parui piſces:ita prædicatione ſapientes & inſipientes, nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, conuertuntur ad Deum. Vt piſcatores tota laborant nocte, vt capiant piſces:ita miniſtri Euangelij toto vitæ tempore conabuntur homines adducere Chriſto. Vt mare eſt procelloſum,& ſæpe piſcatoribus minus propitium:ita mundus non ceſſat miniſtris Euangelij negocium faceſſere.

Admoneantur itaque miniſtri Euangeli & ſummæ induſtriæ in officio adhibendæ,& periculi à fluctibus mundi:ſed nihilominus retia ſua iaciant in nomine Chriſti. Is enim faciet vt piſcatio non ſit futura inanis.

14. Seminatores & Agricolę.

Seminatores & *Agricolæ*. Hic titulus de quatuor admonet. *Primùm*, quòd homines comparentur agro. *Secundùm*, quòd verbum Dei ſeminis rationem habeat. *Tertiùm*, quòd ſeminatores & agricolæ ſymbolicè prædicatores notent. *Quartùm*, quòd ſeminis vis & incrementum, hoc eſt, verbi Dei efficacia,à Deo ſit.

Simile.

Vt enim agricola perfunctus eſt ſuo munere, poſtquam in terram iecit ſemen, & non poteſt facere, vt ſemen fructum ferat: ita verbum prædicatum non fert fructum,niſi diuinitus rigatum fuerit aquis cœleſtibus. Et vt agricola debet terram ſubigere,ſtercorando,arando, occando,plantãdo:ſic & res ſe habet miniſtrorum. Debẽt enim corda hominum legis prædicatione arare, & aptare ad recipiendum ſemen cœleſte.

15.Presbyteri.

Presbyteri, hoc eſt,ſeniores. Hic non tam ætatis quàm honoris & ordinis titulus eſt. Monentur igitur hac appellatione præcones verbi, vt iuuenilem inconſtantiam & leuitatem fugiant, & eam ſectentur grauitatem, quæ poterit ipſis autoritatem apud populum conciliare.

16. Paſtores.

Paſtores denique vſitatiſsimè in ſcripturis dicuntur miniſtri verbi: quemadmodum etiam rectores rerum publicarum apud Prophetas & Homerum. Hæc appellatio & officium, & curam, quæ varia & multiplex eſt, & conditionem eorum, qui Euangelium audiunt,exprimit.

2. Secundò,de diligentia & cura paſtoris.

Officium, eſt paſcere gregem Chriſti pabulo cœleſti, quod eſt verbum Dei. *Cura*,eſt, ne vel à lupis rapiantur oues,vel morbis infeſtentur, ſed vt & tutæ ſint in ouili, & ſanæ:hoc eſt, minimè infectæ veneno peruerſæ doctrinæ, aut labe morum prauorum.

Pij cur ouibus cõparantur.

Conditio auditorum verbi, ſimilitudine ouium indicatur, quarum aliæ aliis implicantur incommodis. Quęlibet enim ſuos patitur hoſtes,ſuas inſidias, ſua certamina. Hanc vepres,ſpinæ,ſentéſque dilacerant. Hanc æſtus vrens, hanc bruma rigens diſcruciant. Hæc infixa eſt in limo profundi. Hæc ex altis rupibus præceps ruit. Adhæret huic veterna ſcabies. Alteri contagioſa ſocietas morbum affricat. Sícque faſcinatio morbidarum tranſit in teneriores agniculos. An non hîc actum eſt de ouibus, niſi peritia paſtoris & cura ſuccurrat?

Explicatio ſimilitudinis.

Non aliter ſe habet res, in cœtu hominum audientium vocem Euangelij. Hic opinionum varietate veluti laceratur. Hunc tentationes tranſuerſum agunt:alius impatientia frangitur:nonnulli immerſi voluptatibus hærent:non pauci quotidie in noua ruunt flagitia:ſunt qui aſſuetis peccatis ita indurauerunt,vt ab eis liberari non poſsint. Nam,vt Auguſtinus ait,natura & conſuetudo, hæc duo coniuncta robuſtiſsimam faciunt & inuictiſsimam cupiditatem. Multi,proh dolor, aliorum inficiuntur contagine, atque ita morbus peruadit etiam in pueros, qui ſtatim cum lacte parentum vitia imbibunt.

A ſido paſtore requiruntur.

Cum ergo tanta ſit ouium Chriſti infirmitas, oportet ſanè haud ſegnem eſſe paſtorem, qui his omnibus malis peritè medebitur. Neque quiſquam fideliter pręfici ouili Chriſti poterit,niſi qui his malis profligandis totis viribus, nocte diéque,voce,exemplo,& precibus laborat.

1. Cura & diligentia ſumma.

2 Prudentia & fortitudo animi.

Incumbit profectò bono paſtori, non ſolùm vt oues aggreget, ſed etiam vt lupos abigat. Quid enim profuerit Euangelij vocem interdum proferre, ſi ad manifeſtas Satanæ impoſturas conniueat paſtor?

3.Alacritas & indefeſſum ſtudium.

Sed vnde paſtori tanta alacritas, vt huic tam difficili & periculoſæ ſe committat functioni? Vnde tam ſerium paſcendi oues Chriſti ſtudium? profectò qui curam ouium Chriſti in ſe recipit, non impulſus vera cauſa,quæ ſola conſtantem,laborioſum, & alacrem in ſubeundis tot pro ouibus Chriſti moleſtiis reddere poteſt, non ſolùm deficiet pertæſus moleſtiæ, verumetiam cura ouium abiecta ſe ipſe potius curabit quàm oues: quemadmodum multi qui de paſtorum titulo gloriantur, hodie faciunt.

4. Zelus & amor Chriſti ſummi paſtoris.

Quænam ergo eſt ſola illa cauſa, quæ hanc diligentiam paſtori parit? Amor principis paſtoris noſtri Domini Ieſu Chriſti,qui dedit ſemetipſum pro ouibus ſuis. Hic enim,vt eſt Ioannis 21.15. Petro dicit: Amas me? Et reſpondet: Amo te. Eíque refertur: Paſce agnos meos. Et hoc iterum, & hoc tertiò: ſignificans neminem aptum eſſe ad paſcendas oues Chriſti,niſi qui Chriſti amore ducatur. Hinc Auguſtinus: Sit amoris officium, paſcere Dominicum gregem,ſi fuit timoris indicium negare paſtorem. Qui hoc animo paſcunt oues Chriſti, vt ſuas velint eſſe,non Chriſti,ſe conuincuntur amare,non Chriſtum, vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate, non obediẽdi & ſubueniẽdi,& Deo placendi charitate. Contra hos ergo vigilat toties inculcata iſta vox Chriſti,quos Apoſtolus gemit ſua quęrere,non quæ Ieſu Chriſti. Nam quid eſt aliud,diligis me,paſce oues meas,quàm ſi diceretur:ſi me diligis,non te paſcere cogita, ſed oues meas, & ſicut meas paſce,non ſicut tuas: gloriã meam in eis quære,non tuam, dominium meum, non tuum, lucra mea non tua:ne ſis in eorum ſocietate, qui pertinẽt ad tempora periculoſa, ſeipſos amantes. Et paulo poſt: Non ergo nos, ſed ipſum amemus,& in paſcendis ouibus eius,ea quæ ſunt eius,non ea quę ſunt noſtra,quæramus.

Habes ex Chriſti dictis, & ex Auguſtini verbis, quæ cauſa impellere ſola poteſt & debet paſtorem, vt rectè faciat officium. Hæc cauſſa, amor Chriſti eſt:hic amor,vt idẽ Auguſtinus ait,in tam magnum

mortis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

debet ſpiritualem creſcere ardorem,vt vincat etiam mortis naturalem timorem,quo mori volumus, & quo cum Chriſto viuere volumus.

Paſtor & mercenarius conueniunt.

Ex his etiam pulchrè licet colligere,in quo conueniant, & in quo diſcrepent paſtor & mercenarius.

1.In vocatione.

Conueniunt primùm in vocatione.Nam vt paſtor legitimam vocationem habet:ita & mercenarius.Deinde conueniunt in doctrima. Vterque enim verbum Dei docet, Et Auguſtinus ait: Mercenarij Chriſtum prædicant, & per eos vox Chriſti auditur,& ſequuntur oues non mercenarium,ſed vocem paſtoris per mercenarium.Audite(inquit Auguſtinus)mercenarios ab ipſo Domino demonſtratos. Scribæ (inquit) & Phariſæi, ſuper cathedram Moſi ſedent, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt facere nolite. Quid aliud dixit niſi per mercenarios vocem paſtoris audite? Sedendo enim cathedram Moſis, legē Dei docent, ergo per illos Deus docet: ſua verò illi ſi velint docere,nolite audire,nolite facere. Certè enim tales ſua quærunt,non quæ Ieſu Chriſti.Proinde communia hæc duo habent paſtor & mercenarius,vocationem & doctrinam.

2. In doctrina.

Differunt

In quo ergo differunt paſtor & mercenarius? In quatuor ſunt diſsimiles. In cauſa, in ſtudio,in vita, in periculo.

1. In cauſa.

In *cauſa.* Paſtor enim amore ardenti Chriſti & gloriæ regni ipſius, impellitur ad paſtoratus officium, & perpetuò eo amore ardet, nihil magis habens in votis, quàm vt principi paſtori gratificetur. Mercenarius verò interdum fortè amore Chriſti tangitur, ſed tepido admodum, magis autem aliis mouetur emolumentis.

2.In ſtudio.

In *ſtudio* Paſtoris cura tota huc incumbit,vt Chriſto quærat oues,vt Chriſto quærat gloriam,vt Chriſto quærat lucra. Mercenarius verò ſibi quærit oues, etſi voce Chriſti,ſed oues tamen ipſum nō ſequuntur,ſed paſtorem Chriſtum:ſibi quærit gloriam, ſibi quærit lucrum.

3. In vita. 1. Corint. 11.1.

In *vita.* Paſtoris vita eſt doctrinæ exemplar. Paſtor dicit: Imitatores mei eſtote,ſicut ego IeſuChriſti. Etſi autem nemo eſt tam iuſtus, quin ſepties in die cadat:tamen ἀνέγκλητον eſſe oportet paſtorem, vt illi nullum crimen obiicere poſsis.Format igitur ſemper mores ſuos ad regulam verbi, vt non tantum voce doceat, ſed etiam vita & moribus. Sic ſancti patres fecerunt:ſic hodie faciunt, qui verè Deum timent. Sunt humiles, ſunt iuſti, ſunt modeſti,ſunt temperantes,ſunt hoſpitales,ſunt manſueti, ſunt graues,bene præſunt familiæ, ſunt liberales,& aliis ornati ſunt virtutibus, quas Paulus ſcribens Timotheo,requirit in Epiſcopo ſeu paſtore.

Contra verò mercenarius dicit:facite ſicut doceo,nolite facere ſicut ego facio. Noui quendam inſulſum hominem, qui iſtam vocem ſæpe ſuis inculcat auditoribus. Mercenarij vt plurimum ſunt elati,ſemper auari, turpi lucro dediti, intemperantes,ſuperbiam animi luxu veſtium produnt,& multis aliis laborant vitiis.Quare doctrinam eorum audiamus,ac vitam fugiamus, Cœlum ædificant voce, vita infernum.

4.In periculo.

In *periculo.* Paſtor opponit ſe lupis,vigilat,& obſeruat ne fures veniant,& furentur. At mercenarius viſo lupo fugit, quia mercenarius eſt, & oues ad ipſum non pertinent.

Obiectio, An Paſtori liceat deſerere gregem.

Verum hîc non immeritò aliquis obiiciat, An non Chriſtus interdum fugit? An non mandauit diſcipulis ſuis: Cum perſecuti vos fuerint in vna ciuitate, in aliam fugite? An non Paulus ipſe fugit, demiſſus in corbe per murum? Iam cum certum ſit nec Chriſtum mercenarium fuiſſe, nec Apoſtolos reliquos, neceſſe eſt vt non de quauis fuga intelligendum ſit,quod Dominus de fuga dicit.

Reſpōſio per diſtinctionem duplicis fugæ.

Sciendum itaque eſt, quòd ſit fuga corporis, & fuga animi. Illa interdum licita eſt,hæc nunquam. Sed quænam animi eſt fuga? Cum aliquis ab officio præſtando fugit: Et hæc fuga quadruplex eſt iuxta quadruplicem inuaſionē lupi,in ouile Chriſti.Nam quicunque verbi miniſter, vlla de cauſa ſe non opponit ſophiſticæ, tyrannidi, flagitiis, hypocriſi: is mercenarius eſt & non paſtor.

Animi fuga, ſemper illicita,eſt quadruplex.

1. Ex oppoſito bonus paſtor opponit ſe ſophiſtis.

Paſtor enim verus, *Primum* opponit ſe ſophiſticæ defendendo veram doctrinam, & reprehendendo confutandóque falſam.Sed mercenarius ad hanc lupi inuaſionem timet,non audet defendere veram doctrinam, ne aliquid de terrenis commodis amittat.Quare vel conniuet ad falſam doctrinam,vel ſaltem vt deberet non reprehendit. Quod cum facit, fugere dicitur,non quidem corpore,ſed animo,quia officium deſerit.

2 Tyrannis.

Secundò,Bonus paſtor opponit ſe tyrannidi,cùm voce,tum precibus. Mercenarius verò tyrannis adulatur,& vitia virtutis larua induit,quo nihil vſitatius eſt.

3. Epicureis.

Tertiò,Bonus paſtor opponit ſe flagitiis graſſantibus,accuſando,& excommunicando eos, qui ſuis moribus peruerſis Eccleſiam offenderunt. Contra mercenarius de ſua ſolicitus quiete, ne hiſcere quidem audet.Qua quidem ratione fugere dicatur.Sed fortè aliquis talis mercenarius obiiciet. Ecce hic ſum,non fugi.Reſpondet Auguſtinus. Quia tacuiſti, fugiſti,tacuiſti,quia timuiſti.

4. Hypocritis.

Quartò, Bonus paſtor opponit ſe hypocriſi,quando laruam externam hypocritarum detrahit, & oſtendit quàm turpis ſit facies peccati.Sed mercenarius lupum hunc fugit, non audet offendere quenquam,ne in hominum odia incurrat.

Corporis fuga interdū licita.

De fuga corporis dico, quòd interdum ſit licita, vt antea præcepto Chriſti & exemplis oſtenſum eſt: Idque tum demum,ſi tyranni perſequūtur aliquem, & inſidiantur vitæ eius. Hîc licet pio paſtori fugere manus tyranni, vt poſtea,ſi id fieri poteſt, reuerſus, magis proſit viuus, quàm mortuus prodeſſe potuiſſet.

Fuga illicita.

Illicita autem fuga, eſt quæ vel priuatæ ſecuritatis cauſa ſuſcipitur,vel difficultatis tędio attentatur, vel maioris quæſtus gratia arripitur. Breuiter, Omnis fuga, quæ non habet cauſas, quas licitæ fugæ eſſe diximus,illicita cenſenda eſt.

Diſcrimē inter paſtores, fures & latrones.

Hinc etiam colligi poteſt, quantum ab his differant fures, & latrones. Hi nec vocati ſunt, nec doctrinam afferunt,Fures partem doctrinæ occultant, latrones additionibus ſuis trucidant. Verum ſi breuius diſcrimen memoriæ cauſa placet, hoc accipe: Paſtor quærit quæ Chriſti ſunt.mercenarius quærit quæ ſua ſunt. Fur occultat.Latro ſpoliat.Lupus rapit ac dilaniat.

Expoſitis duabus prioribus partibus de officio paſtoris, ad tertiā & præcipuam accedit,quę eſt.
3. De arte paſcendi, de qua 1 In genere. 2.per partes agit.

Poſtquam autem oſtendimus(propoſitis quibuſdam titulis,quibus inſigniuntur paſtores in ſcripturis Sanctis, quam auguſtum ſit paſtoris officium, & in qua re ſit in genere poſitum,ac inde deſcendimus ad monſtranda diſcrimina inter paſtorem, & mercenarium, vt hoc pacto per collationem inquireremus,quantam paſtoris curam eſſe pro ouibus Chriſti oporteat, qui ſummi paſtoris ardenti amore inflammatus,ſalutem ouium ſibi commiſſarum,ac gloriam,Dei & nō ſuam quærit;accedamus ad id quod propoſuimus,ac paſcendi oues Chriſti artem & eius partes expendamus.

Quò autem id fieri poſsit commodiùs,Primùm

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

in genere oſtendam quid ſit paſcere. Deinde, partes quibus continetur paſcendi ratio enumerabo, atque eaſdem explicabo.

1 Paſcere Dei gregē quid. Simile.

Quid ergo eſt paſcere? Hoc nihil aliud eſt, quàm homines verbo vitæ alere, & reficere. Sicut enim terrenus paſtor ſuas oues pabulo paſcit terreno, ac fomentis reficit: ita ſpiritualis paſtor ſuas oues pabulo paſcit ſpirituali, ac fomentis ſpiritualibus fouet.

Explicatio ſpecialis in ſex partes tributa.

Verùm quia hoc in genere dictum, obſcurius eſt, explicatiùs per partes idem declarabo, vt res euolûta & explicata meliùs iudicari poſsit.

Partes itaque, quibus continetur paſcendi ratio, ſunt hæ:

I. Docere gregem Chriſti verbum Dei.
II. Miniſtrare illi Sacramenta.
III. Regere ipſum diſciplina.
IIII. Precari pro grege.
V. Curam pauperum habere.
VI. Formam gregis eſſe.

Hæ partes, vt officium paſtoris indicant ita illuſtre diſcrimen conſtituunt inter miniſtros Euangelij, & gubernatores Rerumpublicarum, vt non ſit opus multis ad explicandum diſcrimen inter politicum magiſtratum, & paſtorem Eccleſiæ. Quod tamen diſcrimen cum de poteſtate paſtoris dicēdum erit, clariùs cernetur.

I.

De doctrina.

Quinque elementa ſeu præcepta obſeruanda in doctrina paſtorum.

In hac prima paſcendi parte, quæ continet pabulum præcipuum ouium Chriſti, quod eſt ipſiſſimum verbum Dei, quædam veluti elementa (ex quibus docendi ratio componitur) proponam, & declarabo.

Sunt autem hæc:

Primum. Quænam ſit doctrina, qua paſtor veluti ſpirituali pabulo oues Chriſti paſcet.

Secundum. Qua perſpicuitate & ſimplicitate eadem doctrina ſit proponenda, ne fruſtra in aërem abeat.

Tertium. Quæ ſit recta doctrinę ſectio, ſiue orthotomia verbi.

Quartum. Quid ſit fugiendum paſtori inter docendum.

Quintum. Qualiſnam improbatio falſæ doctrinæ in paſtore requiratur.

1. Quænā debeat eſſe paſtoris doctrina.

Quænam eſt ergo doctrina, qua veluti pabulo quodam ſpirituali paſtor ſuas oues paſcet? Hæc doctrina eſt in libris Moſis, & in Prophetarum, Apoſtolorum, & Euangeliſtarum ſcriptis comprehenſa. Hæc enim ſola habet teſtimonium infallibile, quod ſit à Deo profecta. Quicquid eſt præter hanc doctrinam, non eſt vt neceſſarium proponendum Eccleſię Dei. Quicquid pugnat cum hac doctrina, ipſiſsimum virus Diaboli eſt, qui primos noſtros parentes in paradiſo decepit.

Huius doctrinæ in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis comprehenſæ, & certam demonſtrationem de eius veritate, & ſolidum συςημα, ſeu corpus, tenere paſtorem oportet. Illa faciet, vt paſtor non fluctuet, opinionibus Mahometicis, Iudaicis, & Epicureis. Hoc efficiet, vt doctrinam certis capitibus comprehemſam teneat, ac quoties opus eſt, ad iſta capita confugiat.

Primum tenere debet duo principia certiſsima doctrinæ Chriſtianæ.

Demonſtratio doctrinæ Eccleſiæ, nititur duobus certiſsimis principiis, quorum prius externum, poſterius internum appellare ſoleo.

1. Externi cuius 6. partes ſunt.

Externi teſtimonij partes ſex ſunt.

1. Patefactio diuina.

Prima. Patefactio diuina multiplex, in qua voce Dei hæc doctrina ſæpe eſt propoſita ac repetita.

2. Operatio miraculorum.

Secunda. Operatio miraculorum, hoc eſt, operum, quorum autor creatura eſſe non potuit, ſed ſolus Deus. Hæc miracula addita ſunt doctrinæ velut authentica quædam ſigilla, quorum κορυφαῖον fuit miſſio Spiritus Sancti in die Pentecoſtes, qua veritas Euangelij Chriſti confirmata eſt.

Hîc vtile fuerit Paſtori omnia miracula, quæ in veteri & in nouo Teſtamento edita ſunt, memoria tenere, vt ea rectius applicare ad vſum, quoties res poſtulare videtur, poſsit.

3. Euentus prophetiarum.

Tertia. Euentus Prophetiarum. Deus quos vocauit immediatè ad miniſterium in veteri Teſtamento, ornauit dono edendi miracula, vt ea eſſent teſtimonium diuinæ vocationis. Quando enim euentus reſpondebat prophetiis, conuincebantur homines de veritate Dei. Daniel doctrinam pœnitentiæ & remiſsionis peccatorum propoſuit Chaldæis, quam Deus præſentibus auditoribus confirmauit liberatione Prophetæ miraculoſa à ſpecu leonum: & eandem poſteritati commendauit euentu prophetiarum de quatuor Monarchiis. Sic prophetia Iacob de ſceptro Iudæ certificat nos de tempore, quo naſci debuit Meſsias. Diligenter itaque paſtor cum prophetiis conferat euentus. Quos cùm videt reſpondere prophetiis, certum teſtimonium habet, quòd verbum, quod huiuſmodi Prophetę docuerunt, habeat ipſum Deum autorem.

4. Cōſenſus omniū doctorum Eccleſiæ.

Quarta. Conſenſus omnium doctorum Eccleſiæ, qui habent diuinitus teſtimonium ſuæ vocationis. Quales ſunt, Moſes, Prophetæ, Helias, Helizeus, Eſaias, Ieremias, &c. Chriſtus qui à prima promiſsione, elapſis ferè 4000. annis venit, & prophetias compleuit: & quæ Moſes veluti breuibus aphoriſmis complexus eſt, quæque Prophetæ longioribus concionibus explicarunt, ipſe clariùs docuit, & Apoſtolis ſuis, quorum vocatio multis miraculis eſt confirmata, tradidit. Hîc conſenſus manifeſtè conuincit animos noſtros de veritate doctrinæ, quæ ſonat in noſtris Eccleſiis.

5. Duratio Eccleſiæ. Matth. 16. 18.

Quinta. Duratio Eccleſiæ, in tot & tantis furoribus Diabolorum & hominum. Huc Chriſti dictum accommoda: Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Hanc promiſsionem cum euentus comprobet, ſatis conuincimur de doctrinæ certitudine.

6. Victoria Martyrum.

Sexta. Cruenta victoria plurimorum Martyrum, qui hanc doctrinam ſuo confirmauerunt ſanguine, atque ideo dicti ſunt martyres, hoc eſt, teſtes.

2. Internū principiū.

Internum principium, per quod demonſtratur veritas doctrinę religionis noſtræ, eſt arrhabo ſpiritus in cordibus piorum, qui obſignat doctrinam. Hæc demonſtratio eſt doctrinæ Eccleſiæ, quæ ſæpe & feriò cogitanda paſtori eſt atque aliis commendanda ſæpius. Porrò huius doctrinæ σύςημα quoddā & veluti corpus, tenere paſtorem oportet, quod huic capiti ſubiici debet. Quemadmodum propter peccatum homines (qui ad imaginem Dei creati fuerunt) à Deo damnati, à reatu per fidem Chriſti liberantur: ita liberati Deum vero cultu in hac vita, in ſocietate Eccleſiæ, colere debent: quo tandem reſuſcitatis corporibus immortalitate donentur. Ad hoc caput totum doctrinæ corpus referendum eſt, & aptè diſtribuenda ſunt membra huius corporis, & ſingula ſuis locis collocanda. Deinde ſingulorum

Deinde eum tenere oportet corpus doctrinæ.

Summa totius Theologiæ.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

gulorum membrorum veluti anatomia quædam inſtituenda eſt, quæ conſtabit methodo didaſcalica, nunc ſimplici, nunc compoſita. Singulorum definitiones, diuiſiones, deſcriptiones, exemplaque teneantur, vnà cum aliquot illuſtribus de ſingulis membris ſcripturæ pronunciatis. Hoc corpus cum paſtor ſibi parauit, facile erit, cum vſus poſtulat, inde docendi materiam petere. Huius corporis membra, quotidiana lectione fouenda, & veluti alenda ſunt: quò creſcant in vtilem magnitudinem. Et quæcunque faciunt ad complementum huius corporis, ſuis locis ſunt ſignanda, vt inde peti poſsint, quoties res poſtulauerit.

II
Qua perſpicuitate & ſimplicitate eadem doctrina ſit proponenda.

Poſtquam paſtor hoc doctrinæ corpus inſtructum habet, proximo loco, qua perſpicuitate & ſimplicitate ſit inſtituendus populus, obſeruandum eſt. Hîc ſi paſtor ſibi gloriã Dei, & ædificationẽ Eccleſiæ propoſuerit, vtili perſpicuitati & ſimplicitati operam dabit. At qui contra faciunt, & ſuam quærunt gloriam, pompam orationis & εὐμορφίας λόγων ſectãtes conantur κοινὰ καινῶς dicere, quò apud imperitos in maiori ſint precio. Vt igitur paſtor ſolius Dei gloriam quærat, & ædificationem Eccleſiæ ſpectet, omnino neceſſarium eſt.

Perſpicuitatis præcepta.

Perſpicuitatis hæc præcepta ſint.

Primum, ſummam rerum, de quibus dicturus eſt, paſtor eruditè cõprehenſam, auditoribus proponat.

2. *Deinde*, hanc ſummam partiatur in partes.

3. *Tum*, partium particulas apud ſe diſponat, ne memoria excidant.

4. *Singula* confirmet dictis & exemplis, ſimilibus, & contrarijs.

5. *Poſt hac* colligat rurſus ſummam, oſtendat doctrinæ vſum ac commẽdet.

Simplicitatis præcepta.

Simplicitas requirit, vt rem ſæpius eandem inculcet, eadem ijſdem verbis ſemper tradat, quantũ quidem id fieri poteſt: ac hoc potiſsimum requiro in doctrina Catechiſmi, quæ debet eſſe ſimpliciſsima.

Peroratio concionũ

In fine concionis repetat præcipua concionis membra, ac ea accommodet auditoribus, exhortando, conſolando, accuſando, monendo, pro vt intellexerit opus eſſe. Etſi autem hæc doctrinæ accõmodatio vtilis eſt in tota concione: tamẽ eius proprius locus in peroratione eſt.

De neceſſitate orandi Deum.

Verùm quoniam fruſtra docetur voce hominis, niſi ſpiritus Dei corda audientiũ mouet. Paſtoris eſt ante concionem, non ſolùm populum hortari ad preces, verumetiam ſe proſternere corã Deo, & petere vt ſibi adeſſe velit, & ſuam vocem, ac verba moderari, in auditorum ſalutem. Poterit autem hac formula vti.

FORMVLA PRECANDI, QVA PASTOR VTI POTEST *concionaturus.*

O Domine Ieſu Chriſte, qui perditas tuas oues pretioſo ſanguine redemiſti, paſce, quæſo, oues tuas pabulo verbi tui, ac refice fontibus ſalutaris doctrinæ tuæ, da mihi intellectum verbi tui, pone verba tua in ore meo, & adde illis virtutem, vt eis paſcantur oues tuæ. Da ſoli nomini tuo gloriam, *Amen.*

III.
De recta doctrinæ Sectione ſeu orthotomia verbi.

Iam quæ ſit doctrinæ recta ſectio, ſeu orthotomia verbi, breuiter explicandum eſt.

Paulus ſcribens Timotheo, 2.15. vult Epiſcopum ὀρθοτομεῖν hoc eſt, rectè ſecare verbum veritatis. Nam quemadmodum medicus, non cuiuis morbo adhibet quodlibet remediũ, ſed pro ratione morbi remediũ tẽperat & accõmodat: ſic ſingularis prudentia requiritur, in verbi Dei accõmodatione. Nã alij alijs vicijs laborant, & nõ eiſdẽ malis omnes premũtur. Si hîc promiſcuè omnia fiant, quid boni ſperandum?

Exemplo Chriſti auditorum eſt habenda ratio.

Chriſtus (Matth. 22.35.) legiſperito ſuperbienti legem proponit, Alij non ſentienti peccatum ſuum, dicit: Si vis perfectus eſſe, vade & vende quæ poſsides, & da pauperibus, &c. Phariſæis & Scribis dicit: Væh vobis Scribæ, Phariſæi, hypocritæ, &c. Sẽtientibus peccati ſui molem dicit: Huc omnes qui laboratis & onerati eſtis.

Marc. 10. 21.
Matth. 23. 13.
Matth. 11. 28.

Auditorũ varia genera.

Hanc prudentiam in ſecando verbo veritatis, qui non adhibet, operam ludit. Aliter enim agẽdum eſt cum ſecuro hypocrita, aliter cum afflicto peccatore, aliter cum flagitioſis, aliter cũ honeſtè viuentibus, aliter cum ignaris Euangelij, aliter cum doctis Euangelium, aliter cum deſperãtibus, aliter cũ firmis, &c. De hac ergo orthotomia iam præcepta quædam ſubijciemus.

Aut docẽdi aut mouendi.

Omnis cum quo paſtor aget, aut eſt docendus, aut mouendus.

1
Qui docẽdi.

Si eſt docendus, aut eſt ſapiens, & doctus iuxta mundum: aut ſimplex, & rudis. Vterque aut tangitur ſenſu peccati, aut tumet ſua iuſtitia.

2
Qui mouẽdi.

Si mouendus eſt, aut eſt doctrinæ hoſtis, aut doctrinam publicè profitetur. Si doctrinam profitetur aut alacrior eſt in curſu, aut ſegnior, aut eſt hypocrita, aut malè viuit, aut premitur aliqua cura, idque vel animi, vel corporis.

Pro hac auditorum diuerſitate, doctrina accommodanda eſt: & facile eſt videre, quòd ſi quis apud hos eadem docendi forma vteretur, perinde faceret, ac ſutor, qui ad vnam formam pueris & ſenibus, magnis & paruis, calceos pararet.

Quomodo ergo ſingulis horum generum doctrina adhibenda ſit, conabor oſtendere.

Quomodo doctus & Sapiens docilis eſt docendus.

Si itaque docendus à paſtore eſt aliquis, ſpectandum eſt, vt dixi, an ſit ſapiens & doctus iuxta mundum: qui ſi fuerit docilis, & ſua ſponte docenti, credit, expoſitione eſt informandus in ijs, in quibus doceri cupit. Sic Nicodemus qui ad Chriſtũ noctu venit, cupiens de ſalute ſua doceri, expoſitione potiſsimũ inſtruitur à Domino, vt habetur Ioãnis tertio.

Quomodo indocilis.

At ſi docilis non fuerit, hoc eſt, ſi ſe doctrinę opponit, occupante animum contraria ſententia, argumentatione eſt conuincendus.

Exemplũ

Hac forma docendi vſus eſt Paulus, docens Romanos & Galatas, homines ſola iuſtificari fide.

Quomodo ſimplex & rudis.

At ſi docendus eſt ſimplex & rudis, melius exemplis trahitur, & parabolis allicitur, quàm ſyllogiſmis impellitur.

Exemplũ. Matth. 18. 24.

Chriſtus docturus rudẽ populum, quæ ſit iuſtitia hominis coram Deo, & qualenam ſit iuſtificati officium erga proximum, proponit parabolã de quodã qui debuit domino ſuo decem millia talentorum, cui cùm non haberet quod ſolueret, petenti tota ſumma eſt condonata. Sed poſtea cùm idem durus & crudelis ſit repertus aduerſus conſeruũ, reuocatur ad pœnã. Hæc parabola ſimpliciſſimè docet, quòd iuſticia Chriſtiana ſit remiſſio peccatorum, & acceptatio diuina gratuita. Quæ remiſsio tum demum impetratur, quando peccator proſternit ſe coram Deo, & petit ex fide condonationẽ. Deinde crudelitas in conſeruũ docet, quòd iuſtificatus debeat diligere proximum, ſtudere innocentiæ, ne ingratus reuocetur ad pœnam.

Peccator afflictus quomodo docẽdus.

Si docendus tangitur ſenſu peccati, & luctatur cum deſperatione, exemplo Chriſti mox informandus eſt de gratia, & ſcripturis & exemplis oſtendendũ, quòd omnes fugientes ad Chriſtũ in eo vno habeant remiſsionem peccatorum. Et poteſt paſtor huiuſmodi vti formula. Mi frater, ſentis onus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

peccati, quod ſanè graue eſt. At Chriſtus venit, & tuum peccatum ſuis humeris impoſuit, &c. Sed de hac re alio loco.

Iuſtitiarius quomodo docendus.

Si tumet quis iuſticia legis, non eſt Euangelium ei proponendum priuſquam fulmine legis fuerit proſtratus. Qui enim aut pœnitenti proponit minas, aut tumenti fiducia ſui, proponit iuſtitiā Euangelij, perinde facit, ac ſi quis medicinam paratam oculis, apponeret pedibus: & contra, eam, quæ eſſet parata pedibus, affricaret oculis. Qui ſanè meritò ab omnibus deridendus eſſet.

Quibus modis mouendi hoſtes doctrinæ.

Hactenus de docendi via. Sequitur de mouendi modis.

Hoſtes doctrinæ terrēdi ſunt comminationibus, exemplis, & collationibus.

Comminationibus agit Chriſtus, dū Phariſæis væh, væh, Matthæi 23. toties inculcauit. *Exemplis* Lucæ 13. vbi impœnitentibus proponit exemplum eorum, ſuper quos cecidit turris. Niſi, inquit, pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. *Collationibus* contrariorum exemplorum, vt Chriſtus cum proponit exempla epulonis & Lazari, &c. Luc. 16.

Pij & alacres hortādi ſunt, & quibus modis.

Qui doctrinam profitetur, & eſt in curſu alacrior hortatione eſt incitandus, vt magis magiſque abundet, & in curſu non deficiat. Oſtendat paſtor coronam propoſitam eſſe legitimè currenti. Multa huius ſancti curſus exempla recitet. Præterea moneat vt diligenter ſibi in curſu caueant à tribus hoſtibus, Diabolo, mundo, propria carne. *Diabolus* inſidiatur currentib. varijs modis, ſed repellendus eſt gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. *Mundus* inſidiatur ſua vanitate, ſed hæc ad meditationem cœleſtium bonorum euaneſcet. *Caro* varijs illecebris curſum impedire nititur, ſed ſpiritus imperio eſt ſubigenda. Breuiter, aduerſus omnes hoſtes, qui currentes impedire volunt, fortiſsima turris eſt nomem Domini, ad quam confugiet iuſtus & ſaluabitur.

Segnes quomodo excitandi.

Si in curſu quis ſegnior fuerit, ſtimulis excitādus eſt, exemplis vrgendus, turpitudine torporis, & ſegnitiei commouendus, collatione currentium pro aſſequendo brabio marceſsibili & perituro, & currentium pro corona immarceſsibili. In hunc vſum propoſuit Dominus exemplum diſpenſatoris, & Paulus eorum qui in ſtadio currunt. Oſtendendum quòd ceſſatio, aut ſegnities non multum à defectione differat. Quare quotidie magis magiſque excitandus eſt animus ad curſum. Sic futurum eſt vt quæ in principio fuerunt difficiliora, conſuetudine fiant faciliora.

Hypocrita quomodo mouēdus.

Hypocrita cum mouendus eſt, detrahenda eſt ei externa larua, qua ſe oſtentat, & oſtendendæ internæ ſordes quibus fœtet. Et quoniam conſcientia hypocritæ eſt veluti ſopita, excitanda eſt flabello legis, & prouocanda ad tribunal Dei exemplo Ioannis Baptiſtæ & Chriſti.

Sunt autem hypocritæ durius tractandi, propterea quod hoc hominum genus ſecurius ſibi blanditur, ac ſe quodammodo titillat propriæ iuſticiæ opinione. Et quia maximè hærent hypocritæ in operibus externis, oſtendendum eſt ijs quàm procul abſint, cum à legis iuſticia, tum à Chriſti. Illam habere non poſſunt, quia ſpiritualis eſt lex, illi autem carnales. Hac exciderūt, quia nemo iuſtitiæ Chriſti particeps eſſe poteſt, qui ſuam tanquam reiectamentū non habuerit, quemadmodum diuus Paulus ſuo exemplo docet, Philip. 3. 9.

Epicurei quomodo tractandi.

Qui malè & flagitioſè viuunt, vt qui perpetuis heluationibus ſe dederunt, aut auarè rem agunt, aut libidinoſè viuunt, aliter tractandi ſunt. 1. Nam qui in horū numero eſt, vocandus eſt ad examē legis Dei, & oſtendendum quàm apertè ſe opponat Deo. 2. Comminationes legis ſunt proponendæ. 3. Oſtendenda ſunt exempla iræ Dei aduerſus peccatores, quorum multi abrepti ſunt in perpetuas pœnas, vn Cain, Saul, Achitophel, & infiniti alii. 4. Docendus eſt talis, quòd fruſtra glorietur de Chriſto, qui vitam in melius non commutat. 5. Quòd ſeipſum priuet benedictione Eccleſiæ & precibus. 6. Quòd vt proditor caſtrorum Chriſti, militet Satanæ. 7. Quòd quò diutius differat pœnitentiam, eò ſit difficilior. 8. Quòd ſubitò exardeſcat ira Dei, & quòd neſciat homo, quo momento & quo medio ſit hinc tollendus, quòd peccatum vnum mox aliud ſuo pondere ſecum trahat. Hæc ſunt diligenter inculcanda flagitioſè viuentibus, idque animosè & prudenter, exemplo Nathan prophetæ, Heliæ, Baptiſtæ, Chriſti.

Aduerſus paſtores qui putāt ſatis eſſe vitia in genere arguere.

Qui putant ſatis eſſe vitia in genere arguere, vehementer errant, & officium non rectius faciunt, quàm medicus qui de morbis quidem multa facit verba, ſed læſis membris, medicinam non adhibet. Et quia in hac re non parum plerique miniſtri verbi peccant, excitandi ſunt comminationibus Dei, qui minatur ſe ſanguinem eorum, qui pereunt requiſiturum à paſtoribus, qui peccantes non arguerint.

Afflicti & preſsi cruce aliqua quomodo tractandi.

Qui premuntur aliqua cruce, aliter tractandi ſunt: idque pro crucis diuerſitate & eiuſdem cauſis.

Vt autem hic medicina rectè applicari poſsit, obſeruanda ſunt tria: 1. Quis ſit ille qui cruce premitur. 2. Quid ſit quod premit, ſeu quale crucis genus. 3. Præſenti dolori ritè medicinam accommodare.

1. Afflictus pius aut impius eſt. Conſolationes pio proponendæ.

Qui premitur cruce aliqua, aut pius eſt, aut impius. Si pius eſt, ſtatim indicata communi filiorum Dei ſorte conſolationibus erigendus, confortandus ac fouendus eſt. *Ac primum* oſtendere oportet malum iſtud, non caſu, ſed voluntate Dei contigiſſe, 1
iuxta illud: Non eſt malum in ciuitate, quod non operatur Dominus. Loquitur autem Propheta non de malo culpæ, ſed de malo pœnæ.

Amos. 3. 6.

Deinde, oſtendat paſtor, quòd Deus promiſerit ſe affuturum ijs, qui ſub cruce ad ſe clamant, iuxta illud: Inuoca me in die afflictionis, & ego exaudiam te. 2

Pſa. 50. 15. Rom. 8. 18.

Quare paſtor hortabitur pium, & ad ſeriam inuocationem, vt Deus crucem vel tollat, vel leuet aliquo modo & mitiget: & ad conſtantiam & patientiam, ne crucis acerbitate fractus abijciat confeſsionem. 3.

Huc addat ſanctorum exempla, quorum nullus adhuc fuit in mūdo, qui morſum ſerpentis nō ſenſit. 4

Poſtremò adiungat commonefactionem de cauſis crucis, & conferat exemplo Pauli, præſentes ærumnas ad futuram gloriam, quæ reuelabitur erga filios Dei. 5.

Huiuſmodi conſolationibus erigatur pius, qui cum aliqua cruce luctatur. Et hoc ſit generale & catholicum remedium.

Impius ſub quo modo curandus.

Sin impius fuerit qui affligitur, maiorem curam, vt in grauiori morbo, adhibere neceſſe eſt. Nam qui ſtatim impium hominem conatur erigere conſolatione, perinde facit ac is qui foris abducit vulnus, & intus relinquit ſaniem, vnde maius periculum iminet.

Deiiciendus eſt fulmine legis deinde medicina pro ratione crucis facienda.

Quare paſtor bonus, vbi in impium & impœnitentem, qui affligitur aliquo malo, incidit: omniū primùm fulmine legis huiuſmodi hominē deijciat nec prius ceſſet, quàm is, cum quo agit, faſſus fuerit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſine hypocriſi ſuam impietatem, & iram Dei in ſe concitatam agnouerit, clamaueritque cum Manaſſe ſe multis modis reum eſſe. Atque ita producẽda eſt foras peccati ſanies, priuſquam foris medicina adhibetur. Secundum, quod in conſolationibus ſpectandum dixi, eſt crucis genus. Niſi enim hoc diligenter expendatur, non poterit medicina peritè ſatis adhiberi.

2. Chron. 33.12.

Quale ſit crucis genus.

Duplex

Malum ergo quod premit, aut ſua culpa quis ſibi accerſiuit, aut aliena culpa illatum eſt.

Quomodo tractandus qui crucẽ ſua culpa ſibi accerſiuit

Si quis autem ſua culpa ſibi malum accerſiuit, vti infamiam, paupertatem, morbum, exilium, mortem, &c. non ſtatim medicina eſt adhibenda, niſi fortè reus ſerio peccatorum ſenſu tãgatur. Tum 1 enim iſte peccati ſenſus magis, ſi videbitur opus eſſe, eſt excitandus, ac confirmandus verbo Dei.
2 Deinde ad conſolationes deſcendendum eſt, hoc modo. Oſtendat paſtor in huiuſmodi cruce iudicium & miſericordiam Dei declarari.

Iudicio & miſericordia Dei fouendus Ioan.5.14.

Iudicium eſt, quòd Deus punit peccatum, quod omnino rectum & iuſtum eſſe fatebitur reus. Ideò dicit Chriſtus: Noli peccare, ne quid deterius tibi accidat.

Miſericordiæ teſtimonium eſt, quòd Deus caſtigat errantem. Nam ideo hoc fit, vt conuertatur, iuxta illud 1. Corinth. 11. 32. Cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Hoc iacto fundamento in animo eius, qui ſua culpa crucem ſibi accerſiuit, adhibendi ſunt loci conſolationum, de quibus modo memini.

Hypocrita & impius deijciendus.

At ſi vel hypocrita fuerit qui cruce premitur, aut alioqui impius, tantiſper maledictione legis & declaratione iræ Dei eſt deijciendus, donec & peccati ſui atrocitatem agnouerit, & illud ſibi ex animo dolere confeſſus fuerit. Quod ſi eò lege Dei & minis iræ diuinæ adigi nequit, non eſt margarita proijciẽda ante porcos, neque ſanctum dandum canibus.

Peccator pœnitens quomodo erigẽdus.

Verùm ſi perductus fuerit reus in ſui cognitionẽ, & vero doloris ſenſu ob peccatum admiſſum tangatur: tum demum arte medicina adhibenda eſt, & exponenda ſunt ordine hæc tria: Lapſus, pœna, & finis vtriuſque.

1. Conſideratione lapſus.

Lapſum ex eo primùm proueniſſe docendus eſt, quòd timorem Dei abiecerit. Hoc oſtendi poteſt ex primo ad Romanos capite. Deinde docendus eſt, quòd abiecto timore Dei, facilius in ipſum tanquam in inermem, inſidiæ Diaboli, caro, & improbitas mundi præualere potuerint.

2. pœnæ.

His cauſis lapſus indicatis & confirmatis, pœnam oſtendere oportet, nequaquam parem eſſe peccato cõmiſſo, ſed eſſe tantum teſtimonium duarum diuerſiſsimarum rerum, nimirũ iræ Dei, & eiuſdem paterni fauoris & clementiæ. Iræ quidem, ſi non egerit reus pœnitentiam, & non ſiuerit ſe corrigi ferula Dei. Paterni verò fauoris, ſi correptus emendetur plaga, & ad pœnitentiæ portum confugerit.

3. finis pœnæ & lapſus.

Finis poſtremo loco excutiendus eſt, cùm lapſus, tum pœnę: lapſus quidẽ, vt poſthac homo ſit cautior: pœnæ verò quòd ſingulari cõſilio Dei (cùm interim multis impijs & ſceleratis parcitur) ſit caſtigatus, nõ vt pereat, ſed vt habeat paratum teſtimonium paterni fauoris erga ſe.

Verùm quia hoc difficiliùs perſuadetur laboranti ſub cruce, teſtimonia & exempla ex verbo Dei clara & perſpicua, producenda ſunt.

Teſtimonia.

1. Corinth. 11. 32. dicit Paulus nos rebus aduerſis à Domino corripi, ne cum hoc mundo damnemur.
1. Ecce finis crucis hîc ſtatuitur, ne damnemur: ſi ſcilicet admoniti cruce, egerimus pœnitentiam Prouerb. 3. 11. Fili mi (inquit Salomon) ne reſpuas correptionem Domini, neque afficiaris tædio cùm ab eo argueris. Quem enim diligit Deus corripit, & quẽ caſtigat, velut pater filiũ amplectitur. Heb. 12. 8. dicuntur ſpurij eſſe nõ filij, qui ſunt extra diſciplinã.

Huiuſmodi plura teſtimonia coaceruabit paſtor, quibus perſuadebit reo, quæ ſit Dei paterna voluntas in cruce.

Exempla.

Exempla ſunt complura: vt Manaſsis, ſororis Moſis, Dauidis, regis Vſiæ, populi in captiuitatẽ abducti, & plurimorũ aliorum, qui ob certa peccata puniti ſunt, & poſtea per pœnitentiam ſunt reuerſi. Inſigne præ alijs latronis exemplum eſt, qui præclarum pœnitentiæ & fidei exemplum edidit. Hic non ideo putauit ſe abiectũ, quia morte iſta infami, erat ob ſcelera ſua afficiendus: ſed ſpe in Chriſtum concepta, patienter commeritam pœnam ſubijt.

Quomodo tractãdus ſit is cui aliena culpa malum eſt illatum.

Porrò ſi aliena culpa illatum eſt malum, duo facienda ſunt. Conſolatio adhibenda eſt, ſicuti ſupra præſcriptum eſt. Et oſtendendum, hanc eſſe ſortem filiorũ Dei, vt iniurijs Diaboli & mũdi ſint expoſiti.

III. Dolori quomodo remedium applicandũ.

Iam *poſtremò* ſequitur diſtinctio eius quod premit. Aut enim animam attingit ſolùm, ſaluo corpore: aut corpus.

Corpus affligunt morbi, carcer, exilium, &c. Quibus accommodantur ea, quæ de conſolationibus dicta ſunt.

Animorum cruciatus quomodo leuantur.

Animorum autem cruciatus, habent varias cauſas: vt ſunt, error, dubitatio, tentatio, deſperatio, metus imminentis mortis, dolor ob omiſſas res. His malis non ſuccurritur eodem pharmaci genere.

1 Error.

Errori medebitur paſtor, ſi monſtrata veritate, erroris cauſas euerterit. Errarunt Romani de iuſticia. Hunc errorem tollit Paulus, ſublatis erroris cauſis, & monſtrata veritate ex verbo Dei. Errauit Nicodemus, ſed Chriſtus eum ab errore liberauit, oſtenſa veritate & confutata erronea Phariſæi perſuaſione.

2. Dubitatio.

Dubitationi facilius occurritur. Nam dubitatio eſt cùm in vtrumque promiſcuè ſe habet animus. Hîc vbi paſtor oſtenderit alterius partis falſitatem, acquieſcit qui dubitauit in altera.

3. Tentatio.

Tentatio præcipuè oritur ex cogitatione præteritorum peccatorum, & ex imaginatione Stoica de particularitate.

Ex cogitatione præteritorũ peccatorũ duobus modis euellitur.

Si tentatio oritur ex cogitatione præteritorum peccatorum, duo faciat parochus.

Primum inſtituat collationem peccati & miſericordiæ Dei. Quantumuis magnum fuerit peccatum, tamen verum eſt quod dicit Paulus: Peccatum 1
exuperat gratia. Et illud Dauidis: Miſericordia Do-
2 mini ſuper omnia opera eius. Deinde cumulet exẽpla miſericordiæ Dei erga maximos peccatores: quales fuerunt Adam, Manaſſes, latro, Dauid: & dicat iſta edita eſſe, vt ſint teſtimonia miſericordiæ Dei, quæ teſtantur quomodo Deus velit cum pœnitentibus agere.

Tentatio ex Stoica imaginatione prædeſtinationis 6. huius remedia.

Si tentatio oritur ex imaginatione Stoica de prædeſtinatione, ea ſuperabitur, ſi paſtor has ſequentes regulas commendauerit ei, qui ſe tentari conqueritur.

1 *Prima.* Non ex ratione, ſed ex ſolo verbo Dei, iudicandum eſt de voluntate Dei. Dicitur enim ideo verbum, teſtimonium Domini fidele, quia certo teſtatur de voluntate Dei. Nunc autem hoc verbum dicit: Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & nullos perire. Hoc igitur verbum omnibus imaginationibus Stoicis opponatur. Habetur autẽ hoc verbum expreſſè 1. Tim. 2. & 2. Pet. 3. & ſæpe alibi.

Secunda. Promiſsio gratiæ eſt vniuerſalis, vt habe- 2
tur Matth. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

& onerati eſtis. Ioan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Rom. 3. Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti, in omnes & ſuper omnes qui credunt. Adhæc, Mandatũ Chriſti Matthæi 28. vniuerſale eſt: Ite in mundum vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit, condẽnabitur. Mar. 16.

3 *Tertia*. Non eſt perſonarum acceptio apud Deum. Rom. 2. Actorum 10. Epheſ. 6. Gal. 2. ſed cauſæ bonæ comprobatio, & cauſæ malæ condemnatio: idque iuxta hanc immotam regulam. Deus pœnitẽtes omnes recipit: omnes impœnitentes reijcit, nulla perſonarum habita ratione.

4 *Quarta*. In Deo non ſunt ponendæ contradictoriæ voluntates. Nam ipſe Deus duplex cor damnat Et paulus inquit: Deus verax eſt, omnis homo mendax. Cùm ergo ſcriptum eſt: Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & Deus non vult vllos perire, non ſunt recipiendæ propoſitiones quæ contradictoriam voluntatem Deo tribuunt. Falſæ ſunt ergo: Deus vult aliquos ſaluos fieri, & non omnes, ſi conſilium creationis & donati Filij reſpicis. Aliter de euentu iudicandum eſt, & de voluntate Dei conſequente hominum facta.

5 *Quinta*. Gratia ſuperat peccatum, Rom. 5. Hac regula ſignificatur & magnitudo miſericordiæ, & præſtantia ſacrificij pro peccatis peracti. Vt enim concluſit Deus omnes ſub peccato, vt omnium miſereatur: ita Chriſti victima ſufficiens eſt ad omnia quantumuis enormia peccata expianda.

6 *Sexta*. Vt in primo parente noſtro Adam, totum humanum genus eſt lapſum, ita promiſſio facta Adamo ad totam eius poſteritatem pertinet. 1. Cor. 15. Sicut in Adam omnes moriuntur: ita in Chriſto omnes viuificabuntur. Hoc dictum non tantùm de reſurrectione intelligendum eſt, verumetiam de ſalutari viuificatione in ijs, qui Chriſtũ amplectuntur. Vt igitur Adam promiſsione ſeminis ſe erexit: ita & nos porrectam nobis dexteram Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, firma fide apprehendamus, quò eius vita & iuſticia donati, promiſſam immortalitatis ſpem conſequamur.

Has regulas paſtor diligenter vrgebit, ac eas pluribus ſcripturæ teſtimonijs, ſi opus videbitur, confirmabit.

Impia vox quam omnes in Chriſto electi ſermone & moribus deteſtantur.

Audiui de quadam muliere, quæ cùm duriùs ageret cum ſuis, admonita eſt de iudicio Dei futuro, vt iſto pacto ea reuocaretur à ſæuitia. At illa, inquit, ſi ſum prædeſtinata, ſaluabor quicquid fecero, & quicquid credidero, Si non ſum prædeſtinata, nec fides nec opera mihi ſuccurrent. Hæc imaginatio pugnat cum verbo Dei, & eſt à Satana profecta. Quare monendi ſunt homines, vt teſtimonio Dei credant, & non humani cerebri imaginationibus à veritate abducantur.

Grauiſsimus animi cruciatus eſt deſperatio, cum qua qui luctatur, dolores inferni ſentit. Hæc aut oritur ex imaginatione particularitatis, aut ex cogitatione indignitatis, propter crebros in peccatum lapſus. Hæc tolli nequit, niſi priùs ſublata cauſa.

Imaginatio particularitatis ſuperabitur ſex iſtis regulis, quas modò recitaui.

Remedia adu. cogitationem indignitatis.

Cogitatio indignitatis vincitur cogitatione promiſſorum diuinorum, meditatione præſtantiæ victimæ peractæ pro peccato, recordatione ſanctorum, quorum quidam horrendis ſceleribus contaminati, recepti ſunt in gratiam. Et ſemper in conſpectu ſit dictum Pauli: Gratia exuperat peccatũ. Itẽ ſanguis Ieſu Chriſti purgat nos ab omni peccato.

Adu. metum impendẽtis mortis.

Metus impendentis mortis, ſuperatur duabus rebus: fiducia remiſsionis peccatorum, & fide reſurrectionis mortuorum. Pius igitur paſtor cùm agit cum morituris, ſciat omnem conſolationem ex iſtis duobus capitibus petendam eſſe. Quæ capita ſcripturis confirmanda ſunt, & exemplis copioſè illuſtranda.

Et ſunt hæc præcipua capita, quæ Paulus commendat Timotheo. Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam. Memento Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis. Et ſolet Paulus conſolationes petere ex fide reſurrectionis, quæ tum demum erunt ſolidæ, vbi prælucet fides.

Aduerſus dolorem ob res amiſſas

Dolor ob res amiſſas, mitigabitur promiſsionibus Dei, qui promittit ſe non derelictum ſperantes in ſe, Deinde cogitatione incertitudinis vitæ. Tum
cogitatione conſilij Dei, qui ſæpe ſubtractione re- 1
rum, ſuorum animos explorat. Huc exemplum 2
Iob commodè refertur, & dictum eiuſdem: Domi- 4
nus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Dominis 5
benedictum: Breuiter, Fides facillimè ſuperabit 6
omnem dolorem animi, quamcunque cauſam habuerit. Igitur ſingularis cura paſtoris eſto, ſolidum fidei fundamentum iacere in pectoribus ſuorum auditorum.

Ratio cõſolãdi eos qui ob mortem amicorum triſtãtur.

Etſi autem loci conſolationum quos ſignaui, omni dolori & cruci adhiberi poſſunt: tamen peculiarem rationem conſolandi eos, qui ob mortem amicorum triſtantur, adijciam, locoſque recitabo, quos ſemper in promptu habeat paſtor. Iubeat itaque paſtor mœrentem ob mortem amici reſpicere.

I. *Ad Deum ipſum.*
II. *Ad mortuum amicum.*
III. *Ad vniuerſalem conditionem hominum.*
IIII. *Ad mundum.*
V. *Ad cœlum.*
VI. *Ad reſurrectionem mortuorum.*

Diuinæ voluntati Iuſtitiæ & Sapientiæ acquieſcẽdum eſt.

Cùm ad Deum reſpicitur, cogitandum eſt de Dei voluntate, ſapientia, iuſtitia. *Voluntas* Dei eſt, quòd amicus noſter ſit hinc abreptus. Huic Dei voluntati non licet repugnare. *Iuſtitia* Dei eſt, quòd repetat quod dedit. Quid enim iuſtius eſt, quàm vt is
qui dedit vitam, rurſus eandem ad ſe recipiat, con- 1
ſeruetque quandocunque illi bonum videbitur. 2
Sapientia Dei monebit, quòd nihil ſit temere à Deo 3
factum. Ipſe enim ſolus nouit, expediat ne nobis mori, potiùs quàm viuere. Multos è medio tollit, ne vel ipſi peiores fiant, vel plures in hac vita perpetiantur ærumnas. Mœrens igitur pro amico, ſe conſoletur ſapienti & iuſta voluntate Dei, cui repugnare impium eſt.

II. Amici defuncti cõditio melior nunc eſt quàm fuit.

Secundò, vertat cogitationem ad mortuum amicum, cuius conditio multò melior nunc eſt quàm fuit. Eſt enim expers omnis periculi. Nam nec Satan, nec mundus, nec aliud quicquam, poterit iam ipſius ſalutem impedire. Donec in hac vita verſamur, mille quotidie ferè obijcimur periculis. Neque vlla lætitia eſſe poteſt, quin aliquem dolorem ſeu metum habeat admixtum. At qui iam hinc diſceſsit, huius periculi expers eſt. Nam quemadmodum qui è difficili nauigatione in portum venit, iam ſecurus eſt, vt qui in portu nauigat: ita qui morte hinc abripitur, veluti in portum delatus eſt, vt ipſum procellæ mundi amplius obruere non poſſint. Peruenit enim ad ſalutis portum. Qui ergo dolet de amico, qui hinc in fide Chriſti diſceſsit, non videtur amico fauere portum illum quietum, ad quem ipſe non peruenit.

III. Conſtitu

Tertiò, cogitet mœrens de vniuerſali hominum

num

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tum est omnibus ſemel mori: nec ſcitur quo momēto: ferendum igitur, nō culpandū, quod vitari nō poteſt.

num conditione, cui & ipſe obnoxius eſt. Decretū Dei eſt ineuitabile, vt omnes hāc vitam morte ſint commutaturi, nec ſcitur qua hora & quo momento. Quare dolere in vno, quod omnibus commune eſt, nihil eſt aliud quàm ſeipſum inutiliter macerare. Quare cùm hæc conditio ſit vniuerſalis, cogitandum potiùs, quòd vnuſquiſque Deo obtēperare debeat, quando Deus per ſuum præconem ad exitum vocat. Neque dolendum eſt citò fieri, quod quò citius eò melius illi eſt, qui hinc euocatur. Nam beati qui in Domino moriuntur.

IIII. A mundo qui totus in maligno poſitus eſt, ereptos cur deflemus?

Quartò, reſpiciat ad mundū, qui totus in maligno poſitus eſt. In hoc virtus & pietas patiuntur: in hoc mille technæ ad fallendum: quocunque reſpicis, impurus eſt totus, & ſordeſcit indies magis magiſque nunc tyranni pacem publicam turbant: nunc hæretici Eccleſiam oppugnant: nunc priuatorum ædes maximis ſunt periculis expoſitæ.

V. In cœli beatiſſima omni ex parte tabernacula recipi quid iucūdius?

Quintò, intueatur cœlum, veluti domum propriā, ad quam tendere oporteat, in quo nihil immundi, nihil pericli, ſed omnia pura & tuta. Ibi ſancti fruuntur conſpectu Chriſti, cuius corpus glorioſum cùm intuentur, expetunt ardentibus votis, vt acceleret dies iudicij extremi, quo animæ rurſus ad ſua corpora redeant, & fiant ita conformes Chriſto.

VI. Reſurrectio mortuorū firmiſſima piorum conſolatio & fiducia. Io. 11. 25. 2. Tim. 2. 8.

Sextò, cogitet mœrens de reſurrectione mortuorum, quæ eſt veluti commune antidotum aduerſus omnia mala. Hinc Chriſtus cōſolatus eſt Martham cùm ait: Ego ſum reſurrectio. Huius memoriam commendat diſcipulo ſuo Paulus, cùm inquit: Memento Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis. Hęc de conſolatione contra dolorem pro amicis defunctis.

Hactenus diximus de orthotomia verbi veritatis, & oſtendimus quomodo paſtor, vt peritus medicus, debeat pro ratione morborum animi adhibere oleum verbi Dei. *Iam* quid ſit fugiendum paſtori inter docendum, meliùs intelligitur.

IIII. Duo fugienda paſtori inter docēdum.

Paulus 1. Timoth. 1. duo fugienda paſtori admonet, quorum primum eſt ne alia doceat: alterum, ne attendat fabulis. Illud facit, ne, omiſſa doctrina diuinitus tradita, proponat paſtor Eccleſię aliam doctrinam: hoc ne curioſas quæſtiones agitet, omiſſis rebus neceſſarijs.

Vtriuſque præcepti ratio.

Vtriuſque præcepti ratio hæc eſt. Eccleſia Chriſti extruenda eſt ſuper fundamento Chriſti, iuxta illud: Aliud fundamētum nemo poteſt ponere, prę ter id quod poſitū eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. Paulus ad Gal. 1. 8. deterret etiam à temeritate innouādi & noua tradēdi, cùm bis idem fulmen eiaculatur. Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema ſit. Paſtor ergo memor huius dicti fugiat omnes quæſtiones, quæ non faciunt ad ædificationem fidei, quantumuis ſubtiles eſſe videantur.

Quærunt otioſi homines infinita, ac ipſa ratio multa ingerit: ſed paſtor ſequatur verbū, eo ſit contentus, & dicat cum Dauide: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Neque pudeat ipſum, ſi non poſsit omnium obiectionum nodos diſſoluere.

V. Quomodo falſam doctrinam Paſtor improbare debeat.

Hinc etiam intelligi poteſt, qualiſnam improbatio falſæ doctrinæ in paſtore requiratur. Vt enim Paulus cordatè pronunciat, anathema eſſe, qui aliud Euangelium docet: ita paſtor non colludet cum aduerſariis, ſed palàm execrabitur falſam doctrinam, monſtrabitque falſitatis cauſas, & quid mali ex ea in Eccleſiam manat: præſertim cùm ea ſit natura rerū, quòd dato & admiſſo vel leuiſsimo in ſpeciem errore, ſequantur infinitæ hypotheſes falſæ, quemadmodum in Papatu vidimus.

Paulus requirit in paſtore, vt poſsit os obſtruere aduerſariorū. Etiamſi autem non poſſit omnes labyrinthos & ſtrophas explicare: tamen veræ doctrinæ demonſtratione refellitur error. Eſt quidem paſtoris & errorem refutare, & conari errantem ſiue hæreticum in rectam viam reuocare. At ſi hoc poſterius fieri nō poſsit, monet Paulus, vt eum fugiat, tanquam proprio iudicio condemnatum. Orādū tamen pro eo eſt, vt Deus aliquando ipſum ad ſuam lucem adducat.

Aduerſariorum os quib. modis obſtruet paſtor.

Hactenus dictum eſt de prima parte, quæ in paſtoris officio requiritur: nunc ad ſecundam accedamus.

II.

De adminiſtratione Sacramentorum.

Secunda pars officij paſtoralis. De Baptiſmo.

SECVNDA officij paſtoralis pars eſt adminiſtratio Sacramentorum, in qua quantum attinet ad *Baptiſmum*, qui eſt initiale Eccleſiæ Sacramentum, agat omnia iuxta ordinationem Eccleſiarum, & afferat paſtor pium animum: ſciat ſe in loco Chriſti ſtare, & eius vice fungi. Nam ipſe Chriſtus eſt qui abluit, vſus paſtoris manibus: recitet diſtinctè lectiones ſacras, iuxta ordinationem: oret Chriſtum intimo cordis affectu, vt huic ſuæ ordinationi aſſit: commendet baptizatum infantem precibus Eccleſiæ, ac ſeriò admoneat parentes, vt hanc nouam creaturam piè inſtituant, caueantq; ne ſua culpa aliquid mali baptizato accidat. Hæc ſint de Baptiſmo dicta.

De S. Cœna.

De adminiſtratione *Cœnæ* maior requiritur peritia. Quemadmodū enim verbum, ita Sacramentum Cœnæ, viſibile Euangelij verbum, debet ſanctiſſimè adminiſtrari, & cauendum eſt hîc paſtori, ne cōmunicet alienis peccatis. Qui enim potatori, adultero, tyranno, maledico, blaſphemo, obſcœno, aut alioqui inhoneſtè & non vt dignum eſt Euangelio viuenti, porrigit Sacram Cœnam, corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti: is nobiliſſimā margaritam Eccleſiæ, obiicit ſuibus & canibus, in contumeliam Filij Dei. Quo ſcelere nullum eſt grauius. Chryſoſtomus dicit, ſe potiùs corpus ſuū daturum lacerandū turpiſsimis modis, quàm vt ſciens & volens velit corpus & ſanguinem Domini porrigere flagitioſo homini, qui viuit abſq; pœnitentia: neq; id immeritò. Nam vbi hoc fit, quadruplex ſcelus concurrit.

Eccleſiaſticæ diſciplinæ neglectus, res pericu loſiſſima.

Confirmatio ab exēplo & dicto Chryſoſtomi.

Variæ rationesquę oſtendūt quàm neceſſaria ſit eccleſiaſticę diſciplinæ obſeruatione ſacra Chriſti menſa polluatur.

PRIMVM enim, manifeſta contumelia fit Filio Dei, & multò maior quàm cum cæderetur alapis, & expueretur in faciem eius. Grauis Chriſti admonitio eſt, & ſeria: Nolite dare ſanctum canibus. 2. Qui Cœnam porrigit homini, quem ſcit pœnitentiam ſeriam non meditari, auget ipſius iudicium & damnationē, atq; ita communicat alienis peccatis. 3. Vulnerat ſuam conſcientiam. Nam manifeſtè facit cōtra conſcientiam, & verè excutit Spiritum Sanctum: amittit paulatim & alia dona quibus ornatus erat. 4. Exemplo multi deteriores fiunt, & confirmantur in ſua cœcitate, atque ita paulatim regnum Chriſti euertitur. 5. Vt interim taceam, ſpectaculum exhiberi, triſtiſſimum quidem caſtis ſpiritibus, qui in Sacra Cœna aſſunt, miniſtrātes ſuo regi: gratiſsimū verò diabolo, & eius Angelis, hoſtibus Chriſti, qui iſtam contumeliam fieri Chriſto aduertunt. Nihil amplifico: expono verè rē ipſam, imò nemo ſatis grauitatē huius rei explicare oratione poteſt. 6. Propter huiuſmodi abuſū, Paulus teſtatur Corinthios magna plaga percuſſos, ac multos concidiſſe. Nec dubitandum eſt plurima publica mala, & priuata hodie eſſe

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

pœnas abuſus ſacratiſſimæ Cœnæ.

Obiectio.

At dicat fortè aliquis. Quid mea refert ? ipſius res agitur, qui indignè Cœnam ſumit. Cur ego luerem aliena delicta?

Refutatio.

Tua permagni refert. Deus collocauit te in ſua Eccleſia, vt eam paſcas, non vt eam deſtruas, mactes & dilanies. Quod ſanè facis, quando ſine delectu piis & impiis offers ſacrum Cœnæ myſterium.

Cõfirmatio refutationis à laudabili exemplo Ambroſij

Laudatur meritò Ambroſius, qui ne Theodoſio quidem Imperatori pepercit: quem ad ſacram Cœnam non admiſit, priuſquam pœnitentiam magnæ illius cladis egit, cuius autor fuit.

Conſulo itaque paſtori, vt diligenter diſcernat inter oues Chriſti veras, & laruatas: ne ſibi iudicium grauius accerſat.

Hactenus breuiter admonui, quinam ſint à ſacra Cœna arcendi.

De examine priuatorũ, qui ad S. communionẽ accedere cupiunt.

Iam quia in noſtris Eccleſiis nemo ad ſacram huius Cœnæ communionem admittitur, niſi qui antea ſe ſuo paſtori examinandum exhibuerit, paucis paſtori meum de examine conſilium communicare volo: quod vt diſtinctius habeatur, in has quinque partes diſtribuam: quæ ſunt:

PRIMA. Vitæ eius, qui examinabitur, præteritæ conſideratio.

SECVNDA. Colloquium paſtoris cum eo, qui ad Cœnam ſe admitti expetit.

TERTIA. Conſolatio pœnitentis.

QVARTA. Abſolutio.

QVINTA. Admonitio, qua ſoluitur examen.

1. Conſideratio præteritæ vitæ.

CONSIDERATIO præteritæ vitæ eius, qui eſt examinandus, diligenter eſt obſeruanda paſtori. Inde enim intelligi poteſt, quibus potiſſimum morbis aliquis obnoxius eſt. Conſiderabit ætatem, & quibus vitiis maximè quælibet ætas eſt expoſita: conſiderabit ſexum, artificium & vitæ genus: obſeruabit, an coniunx quis ſit, an iniunx: an in magiſtratu, aut ſub magiſtratu, an diues aut pauper. Nam pro hac diuerſitate homines alij aliis laborant vitiis. Hæ igitur circumſtantiæ paſtori nequaquã negligendæ ſunt.

2. Colloquiũ ſeu examen.

COLLOQVIVM ſequitur, in quo ſi paſtor dubitat de confeſsione, aut profectu alicuius in doctrina Catechiſmi, omnium primum requiritur enumeratio Decalogi, Symboli Apoſtolici, orationis Dominicæ, & doctrinæ vtriuſq; Sacramẽti. Hîc qui deficit, à Cœna arcendus eſt, donec rectius inſtitutus fuerit. Eſt enim indignum, eum ad participationem Cœnæ Dominicæ admittere qui elementa pietatis non nouit recitare.

De pœnitentia, & quomodo agendum cum peccatorib. Hæc autẽ omnia longe abſunt à tyrannide pontificia circa confeſſionem auricularẽ, quam vocant. Hîc enim agitur de pio & præparatorio colloquio ad amplectendam Dei miſericordiã excluſa operum & humanæ ſatisfactionis ſal ſiſſ. perſuaſione.

Verùm cùm quis nouit hæc dextrè recitare, poſt recitationem, de pœnitentia agetur. Et quærendũ eſt, an vero ſenſu peccatorum ſuorum tangatur, & an doleat ipſe, quòd Deum ſuis horrendis peccatis offenderit. Hîc ſi paſtor vllos errores nouerit in vita eius cum quo agit, debet eos candidè aperire, perinde ac medicus, qui ægroto morbos exponit, quò libentius medicinam recipiat ægrotus, ac ſanitati reſtituatur, quam vnicè expetit. Deinde quæret an ſe reus emendare velit. Hoc autem intelligi volo de erroribus communibus, qui non videntur excommunicatione corrigendi. Nam flagitia publicam pœnitentiam requirunt, vel ſaltem petitionem condonationis ab Eccleſia. Sed de hac re ſuo loco. Si offertur mercator, poteſt paſtor de vitiis vſitatis in mercatoribus interrogare. Si iuuenis, quæratur de iis, quæ iuuentuti ſolẽt accidere, & ſic de aliis. Porrò hîc etiam conſulerem, vt propoſitis præceptis Decalogi, ordine quæreretur de obedientia erga ſingula, qua ratione homo confitens deduceretur commodiſsimè in cognitionem ſui.

Poſtquam autem peccati confeſſio eſt facta, grauibus verbis paſtor exponet reatus turpitudinem & magnitudinem. Deinde indicabit, quanta ſit ira Dei & maledictio ſuper peccatores non agentes pœnitentiam. Hîc ſi animaduertit paſtor, hominem cum quo agit, ſeria duci pœnitentia, & vero dolore propter peccatum tangi, quærat an aliquod remedium aduerſus hanc iram Dei & maledictionem nouerit: qui ſi reſponderit in ſolo Chriſto remedium eſſe aduerſus mortem & damnationem, paſtor debet hoc reſponſum, ſcripturæ dictis confirmare, & graui oratione oſtendere, quod Chriſtus venerit in mundum peccatores ſaluos facere.

3. Conſol.

Iam tertio loco addet paſtor CONSOLATIONEM per dicta ſcripturæ & exempla, oſtendet voluntatem Dei eſſe, vt homo peccator non pereat, ſed conuertatur & viuat. Ita enim ſcriptũ eſt. Nolo mortem (ait Dominus) peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Oſtendet voluntatem Chriſti eſſe, vt omnes laborantes ſub mole peccati, ad ſe veniant. Ait enim: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam. Oſtendet Angelis in cœlo gaudium eſſe ex pœnitẽtia peccatorum. Oſtẽdet ſerium & vniuerſale mandatum Chriſti eſſe, vocari omnes ad pœnitentiam. Oſtendet λύτρον Chriſti ſufficere pro peccatis totius mundi, ideoque nõ eſſe cuiquam deſperandum, ob peccatorum ſuorum magnitudinem. Nam hoc principium immotum eſt: Gratia exuperat peccatum. Hoc dictum inculcabit: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Exempla.

Hæc illuſtrabit exemplis: atque imprimis vtile eſſet accommodare exempla perſonis congruentia, cum quibus colloquium inſtitutum eſt: vt auaro pœnitenti, exemplum Zachei: aulico, Centurionis: homicidæ, Dauidis: meretrici, Magdalenæ: blaſphemo, Manaſsis: pauperi à morbis exhauſto, mulieris laborantis ſanguinis profluuio, & ſic de aliis.

4. Abſolutio, quæ fit declaratione fauoris Dei erga omnes qui vera pœnitentia & fide ad eius clementiam in Chriſto reuelatã, cõfugiũt.

ABSOLVTIO quarto loco ſequitur. Hîc quæret paſtor, an confitens Chriſtum ſibi propitium eſſe ſtatuat, & an verè credat in Chriſtum mediatorem. Quod vbi ſincerè affirmauerit, paſtor inferet eum iam in cœlis coram tribunali Dei abſolutum eſſe, & in gratiam receptum. Hæc enim eſt immota veritas: Omnis qui credit in Filium, habet vitam æternam.

Abſolutionis forma, in qua nullũ tyrannidis in cõſcientias aut ſuperſtitionis, vt apud pontificios, veſtigium apparet.

Huc addat hanc vel ſimilem formam, manu capiti eius qui abſoluitur impoſita, ſine tamen ſuperſtitione.

Cùm, mi fili, non ſolùm te peccatorem & reum agnoſcis, ſeriò dolens quòd Deum horrendis tuis peccatis offenderis: verumetiam credis promiſſioni Euangelij de remiſsione peccatorum, & voci Chriſti, pronunciantis eum qui credit habere vitam æternam, & promittentis ratum fore in cœlo, quicquid ſolutum fuerit in terra: Ego teſtor te remiſſionem tuorum peccatorum habere, quam tibi vice Chriſti annuncio, atque adeo, vt miniſter Dei in Euangelio Filij ipſius, te abſolutum pronuncio, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, AMEN.

5. Admonitio, qua ſoluitur examen.

Iam quinto loco addatur ADMONITIO, vt caueat abſolutus ab inſidiis diaboli, à nequitia & malis exemplis mundi, ab inſidiis propriæ carnis: admoneatur, vt exerceat ſe in pietate, continuè oret, fugiat mala ſodalitia, abſtineat à crapula & ebrietate: oſtendatur præterea, quàm periculoſum ſit ſæpius in eadem peccata relabi: recitentur exempla

eorum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

corum,qui lapſi,non ſunt reuerſi per pœnitentiam. Adhæc admoneatur de ſuo officio,vt illud gnauiter agat, neminem defraudet, aut in negotio circumueniat,vt prò ratione ſuarum facultatum, ſit liberalis in pauperes. Hæc aptari debent pro ratione & conditione eorum, cum quibus agitur.

Atque hactenus de ſecunda parte officij paſtoralis.Sequitur tertia.

III.

De diſciplina, qua Paſtor ſuum gregem regere poſſit.

Diſciplinæ Chriſtianæ laus.

Prou.10. 17.& 13. 32.& 19. 20.

MAGNA laus eſt diſciplinæ Chriſtianæ, cuius moderatio paſtori potiſſimum incumbit.Quare paſtor hîc ſedulus ſit,ne ſua culpa diſſolutiores & languidiores reddantur auditores. Via vitæ(inquit Salomon) cuſtodientis diſciplinam: & qui diligit diſciplinam,diligit ſcientiam. Idem: Tene diſciplinã, ne dimittas eam,cuſtodi illam, quia illa eſt vita tua. Et rurſus:Qui ſapientiam & diſciplinam abiicit, infœlix eſt.

Eius deſcriptio.

Eſt autem *Chriſtiana diſciplina* aſſuefactio cùm interior,tum exterior,qua homines aſſuefiunt ad pietatem,iuſticiã,modeſtiam,& ad alias virtutes, quæque in officio continentur, ne quid vel errore, vel ignorantia,vel imitatione faciant quod ſe haud decet.

Finis.

Huius finis eſt, vt maneamus in Chriſto, & non ab eius corpore myſtico abſcindamur. Si vos manſeritis(inquit Dominus)in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.

Eſt itaque amanda diſciplina, quæ nos continet in officio,ne à ſermone Chriſti deficiamus.

Partes.

Porrò diſciplina hæc abſoluitur inſtructione & correctione. *Inſtructio* præceptis & regulis continetur, quarum menſura eſt verbum Dei. *Correctio* eſt emendatio erratorum incidentium in moribus.

Obiecta.

Diſciplina, vt ex definitione quam poſuimus apparet, eſt duplex: Interna & externa. *Interna* eſt mentis, cogitationum,affectuum, voluntatis. Hæc diligenter commendanda eſt auditoribus. *Externa* eſt linguæ, geſtuum,veſtitus, &c. De vtraque ſupra dictum eſt. Vnde paſtor deſumat & accõmodet auditoribus, quæ congruere animaduertit. Verùm quia hoc loco potiſſimùm agitur de diſciplina Eccleſiaſtica, quæ ad iuriſdictionem pertinet: volo conſilium meum paſtori breuiter communicare, quod ſi ſecutus fuerit,non operam vt ſpero ludet.

De correctione quæ diſciplinæ præcipua eſt pars, præcepta.

Monui ſupra, diſciplinam abſolui duabus rebus, inſtructione & correctione. De inſtructione, quæ continetur præceptis vitæ,quæ traduntur in Decalogo,nihil hoc loco dicemus: ſed tantum de correctione præcepta dabimus.

1 De erratorum differentiis.

Nunc autem cùm omnis correctio erratorum eſt, modus correctionis ex erratorum differentiis dependet.

Quædam ſunt delicta.

Sunt autem differentiæ duplices. Quædam enim errata ſunt delicta, quædam crimina. *Delicta*, à quibus in hac infirmitate humanæ naturæ nemo tutus eſſe poteſt, admonitionibus & caſtigationibus corrigere ſtudebit paſtor: Debet enim diligentem rationem habere vitæ cuiuſque, & ſtatim vbi animaduertit aliquem non recta, vt decet, via incedere,eum mox admonebit, & conabitur reuocare, priuſquam in præcipitium ventum fuerit.

Quædam ſunt crimina.

Crimina, vt ſunt libidines, adulteria, tyrannis, vis, ſectæ à veritate abducentes, &c. è quibus ſcandalum publicè oritur,opus habent aſperiore curatione.

2.Quomodo facinoroſi ſint hortandi.

Si quis ergo facinus & crimen perpetrauerit, paſtor 1. facinoroſum ad conuerſionem ſeriò & grauiter hortabitur: idque non ſemel aut iterum, ſed ſæpius: nec aſperè nimis,ſed paternè,indicato periculo & ſcandalo. 2. Deinde, ſi fruſtra laborem admonitionis paternæ ſuſcepiſſe videtur, alia tentanda eſt via: vocabitur facinoroſus ad conſiſtorium, in quo ad minimum ſint duo aut tres vicini parochi, & aliqui ex honeſtioribus parochianis.

In hoc conſiſtorio, admonendus eſt facinoroſus grauiter: oſtendendum eſt ei,quanto ſcandalo Deũ & Eccleſiam offenderit. Hic aut reſipiſcit facinoroſus, aut manet contumax in ſuo peccato.Pro hac diuerſitate pœnitentis,aut non pœnitentis, agendũ eſt cum illo.

3.Quomodo agendum cum facinoroſo pœnitente.

Priuatim

Quomodo agendum eſt cum facinoroſo pœnitente? Facinoroſum, qui poſt admonitionem promittit emendationem, paſtor non facilè recipere debet, ſine ſingulari exploratione. Exploratio autẽ hæc fieri poteſt hoc modo. Aliquot diebus poſt promiſſam emendationem, paſtor vocabit pœnitentem ad ſe, & ſeuerè eum monebit, de ira Dei aduerſus peccatum, & ad veram pœnitentiam eum adhortabitur, donec viderit certiſſima pœnitentiæ veræ ſigna. Nam qui ſimulantes pœnitentiam admittunt, ad publicam abſolutionem, magno periculo reum exponunt, & non ſatis grauiter officio funguntur. Deinde reo ſignificabit,cùm Eccleſiam ſcandalo conturbarit, publicè veniam ab Eccleſia petẽdam eſſe. Quod ſi ſe libenter id facturum promiſerit, conſtituet ei diem certum, qua aſſumptis aliquot honeſtis viris coram ſe appareat.

Coram ſenatu Eccleſiaſtico ſeu conſiſtorio,aut præſentibus teſtibus fide dignis.

Adhæc præſentibus teſtib.interrogandus eſt reus, an magiſtratum politicum,& aduerſam partem (ſi ſcelus eſt commiſſum publicum, offendens magiſtratum, & proximum lædens iniuria,) placauerit. Quod ſi ait, producet teſtimonia. Si neget, mittẽdus eſt ad magiſtratum,& ad partem læſam, priuſquam ad publicam abſolutionem admittatur.

Corã Eccleſia.

His iam ritè & ordine peractis, conſtituet paſtor facinoroſo diem, qua compareat in cœtu Eccleſiaſtico, ſi publicè factum ipſius innotuit: (alioqui in conſiſtorio aut priuata domo præſentibus teſtibus poteſt fieri abſolutio)ibi paſtor facinoroſum collocatum ante altare, finita concione & admonita plebe,interrogare poterit hoc ordine. 1. An fateatur à ſe commiſſum, quod illi obiectum eſt, cuiuſque nomine publicè accuſatur. 2.An peccati cõmiſſi eum pœniteat, quod & voce & ſignis teſtabitur. 3. An cupiat redire in amicitiam cum Eccleſia, quam ſcandalo læſerat, & cupiat abſolutionem. 4. An ſeriò conſtituerit adiuuante Deo, vitam ſuam emendare, & an hoc ſe facturum promittat. 5. An ſeriò ab Eccleſia petat veniam.

Hîc poteſt reo mandari, vt Catecheſin recitet: quo facto vertat ſe reus ad populum, & hac oratione petat veniam. EGO miſer peccator, fateor me Deum & Eccleſiam meo peccato offendiſſe. Quare vos rogo omnes, vt mihi hunc meum lapſum propter Chriſtum condonetis. Promitto adiuuante Deo emendationem.

Huc addat paſtor admonitionẽ,de voluntate Dei recipientis peccatores, & de gaudio, quod eſt Angelis in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiã agẽte,& hortabitur populũ,vt ex animo ignoſcat quod commiſſum eſt,iubebitq; vt cum angelis Dei gaudeant,quod qui perditus erat redierit.

His peractis,interrogabit paſtor confitentem,an verè ſtatuat Deum ſibi remittere peccatum ſuum, & cum reſpondet verè ſe id credere, iubebit paſtor

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vt genua flectat pœnitens,ac ita eum abſoluat.

Abſolutionis forma.

EGO miniſter Dei in Euangelio IESV CHRISTI, autoritate Euangelij & mandato Chriſti, te pœnitentem & confugientem ad miſericordiam Dei propter Chriſtum,pronuncio receptum eſſe in gratiam à Deo,& te abſolutum ab omnibus peccatis tuis teſtor in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti,Amen. Vade,& noli amplius peccare,ne tibi aliquid deterius fiat.

Hæc diſciplina vtilis videtur, & digna quæ in Eccleſia prudenter ſeruetur,vbi facinoroſus admonitus agat ſeriam pœnitentiam.

Huc tamen addo, quòd interdum circumſtantiæ perſonæ & facti requirant aliquam mitigationem: videlicet vt paſtor tantum deprecetur ab Eccleſia commiſſum ſcelus, idque nomine ipſius qui peccauit. Sed hoc relinquo prudentiæ paſtoris, qui ædificationem quæret,& non deſtructionem, quem in grauibus cauſis conſilio ſuperattendẽtis regi cupio.

Quomodo agendum cum facinoroſo non agente pœnitentiam poſt admonitionem.

De excõmunicatione.

QVANDO facinoroſus conuictus non agit pœnitentiam,ſed pergit in ſua contumacia, debet paſtor ſubinde eum admonere, vt tandem pœnitentia ducatur. Quod ſi fruſtra fecerit,ad extremum remedium, nempe ad excommunicationem confugiendum eſt.

Communio triplex.

Eſt autem vt communio, ita excommunicatio multiplex,nec meliùs quæ ſit ratio excommunicationis intelligitur, quàm ex communionis collatione. Eſt itaque communio triplex:Spiritualis,Sacramentalis,Moralis.

1.Spiritualis.

Spiritualis communio, eſt qua cum omnibus renatis communicamus,& participes ſumus Spiritus Chriſti,vt eiuſdem myſtici corporis membra, cuius caput eſt Chriſtus. In hac communione eſt,quicũque credit in Ieſum Chriſtum, & retinet fidem & bonam cõſcientiam.In hac fuit Naaman Syrus, etſi corpore erat in impia aula.

2.Sacramẽtalis.

Sacramentalis tantum,eſt hypocritarum, qui in Sacramentis nobiſcum communicãt,ſicut Iudas Cœnæ Dominicæ cum reliquis diſcipulis particeps fuit.

3.Moralis.

Moralis, eſt qua homines in ciuilibus moribus inter ſe ſociantur, ſiue eiuſdem ſunt religionis,ſiue diuerſæ.

Triplex excõmunicatio.

Huic triplici communioni opponitur triplex excommunicatio: Spiritualis,Sacramentalis, Moralis. *Spiritualis* eſt qua excluditur homo à communione corporis Chriſti myſtici, hoc fit naufragio fidei & mala conſcientia. *Sacramentalis* eſt qua alicui interdicitur ſacræ Cœnæ vſus:quod fit propter impœnitentiam. *Moralis* eſt,qua is qui ſcandalo Eccleſiam offendit, à ſocietate & familiari cum piis conuictu arcetur.

Pœnes quos ſit triplex hæc excõmunicatio.

Primum genus penes ſolum Deum eſt,qui membra mortua abſcindit à corpore Filij ſui.

Secundum penes paſtorem eſt,qui non porriget ſacram Cœnã iis, quos nouit viuere ſine pœnitẽtia.

Tertium eſt cenſuræ Eccleſiaſticæ, qua ſenatus Eccleſiaſticus ordine & modo ſeruato,excludit aliquem ex ſuo cœtu per ſententiam.

1.De ſpirituali excõmunicatione. Quomodo vitatur.

Quantum ad *primum* excommunicationis genus attinet, parochi ſiue paſtoris officium eſt, perpetuò hortari ſuos auditores, vt ſtudeant retinere fidem & bonam conſcientiam, ne ſe ipſi à corpore Chriſti abſcindant. Quarum illa retinetur, meditatione beneficiorum Chriſti, & precatione: hæc fulcitur quatuor veluti fulcris,fiducia Chriſti, qua ſtatuitur peccatũ remiſſum eſſe:bono propoſito, quo abiicitur peccandi voluntas: ardenti deſiderio, vitam in poſterũ approbandi Deo:& ſancta vocationis cura.

Vt in hac cõmunione corporis Chriſti ſpirituali maneant ſui auditores,paſtor excubias aget,nihil non faciens, quo eos exhortationibus & monitionibus contineat in officio.

Applicatio excõmunicationis ſpiritualis.

Verùm cùm aliquod facinus commiſſum deprehenditur in certo autore, vt furtum, homicidium, aut quoduis damnum clam perpetratum,paſtor debet poſt concionem,primùm narrare factum,quod
deſignatum eſt. Deinde, ſumma cum grauitate de- 1.
plorare, quod autores talium facinorum deliteſcãt 2.
in Eccleſia,& venditent ſe pro ouibus Chriſti, & viuis Chriſti membris,qui tamen reuera mortui ſunt,
& exuerunt ſe Chriſto ſuo ſcelere. Tertiò,publicè 3.
teſtabitur eum,qui facinus perpetrauit,ſe mancipaſſe Satanæ,cum quo æternum peribit,niſi per pœni-
tentiam fuerit Deo reconciliatus. Quartò, ſubiiciat 4.
exhortationem,vt quiſquis ſit,damnum reſarciat,ac redeat ad Deum per veram pœnitentiam, quo rurſus viuum Chriſti membrum fieri poſsit.

Si facinoroſus excommunicatione territus pœniteat, quid cum illo agendum.

Quod ſi is qui facinus perpetrauit aliquando reſipiſcat, ac ad paſtorem veniat,cupiens conſilium: Paſtor hîc ſingulari prudentia aget,ac inprimis cauebit,ne prodat aliis quod ſibi ſoli innotuit.

Variorũ caſuũ reſolutio.

Si furtum deſignatum fuit,interrogandus eſt reus an res adhuc ſalua ſit,an perierit. Si ſalua eſt,hortabitur vt reſtituat clam,quod clam abſtulit: ſin periit,interrogandus eſt,an ſit ſoluendo, an non. Si ſit ſoluendo, paſtor circumſpectè aget cum eo, qui rem amiſit,petetque vt accepta ſatisfactione ſit contentus. Hîc ſi voluerit eſſe contentus, paſtor à reo acceptam ſolutionem tradat ei qui damnum paſſus erat.

Obiectionis dilutio.

At dicas. Quod ſuades habet periculum non leue coniunctum. Sit ſanè ita. Quis, quæſo, poteſt curam Eccleſiæ habere, & rationem ſalutis ſingulorum membrorum in Eccleſia ſine periculo? ſi quis velit te cogere,vt reueles quod tibi innotuit,potiùs mortem oppetito, quàm vt reum prodas.

Variæ peccatorum facies: varia conſilia etiam & remedia, quæ à pietate modeſtia, & prudentia paſtoris moderantur.

Verùm ſi reus ſoluendo non fuerit, ad pœnitentiam tamen eſt excitandus, & monſtrandum, ſi viderit reum duci ſeria pœnitentia,quod gratia ſuperet peccatum, & multis ſcripturę teſtimoniis & exemplis eſt erigendus,ne deſperet: qui cum fateatur ſe credere remiſſionem peccatorum, abſoluendus eſt priuatim,& monendus, vt in poſterum ſibi caueat à Satanæ laqueis.

Porrò,ſi damno ſatisfactum fuerit, poteſt paſtor publicè ſignificare, quòd qui furtum aut damnum commiſit,ducatur pœnitentia,hortabiturque populum ad gratiarum actionem, quòd is qui è corpore Chriſti myſtico ſe excluſerat,iam reſipiſcat, & corpori Chriſti rurſus inſertus ſit.

Cæterùm ſi homicidium eſt commiſſum, paſtor rem occultabit quidem, ſed hortabitur reum, vt amicorũ opera ſtudeat amicos occiſi placare. Quod ſi voluerit, debet paſtor dare operã apud magiſtratum,& eos qui læſi ſunt, vt admittant tranſactionẽ. Qui ſi hoc facere noluerint,paſtor illis omiſsis,debet cum reo agere,& longo tempore explorare, an verè eum pœniteat, qui homicidium perpetrauit. Quod cùm deprehenderit paſtor,abſoluat reum ad miſericordiam confugientem.

Neque enim debet curator animarum, regimen Eccleſiæ & politicam adminiſtrationem confundere.Non debet alterũ pedẽ in ſuggeſto,aliũ in curia habere: ſed ſuum officium eſſe cogitabit, omnes Deo lucrifacere, & imitari bonum paſtorem, qui

non

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

non mox mactat ægrotam ouiculam,ſed ſanat quantum in ſe eſt:qui contra facit,non paſtor eſt, ſed lupus potius.

2. De ſacramentali excommunicatione.

Quantum autem ad ſecundum excommunicationis genus, quo quis arcetur à Sacramento Sacræ Cœnæ,attinet,ſciat paſtor, quòd impœnitentibus, qui conſuetudinis cauſa Sacramenta percipere volunt, non debeat porrigere ſacrum corpus Chriſti, & ſacrum eius ſanguinem: quemadmodum ſupra admonui.

Impœnitentes & manifeſtè profani à S.Cœna arcendi.

Exempli cauſa. Si quis vel potator eſt, vel auarè agit, vel durius cum vxore aut familia verſatur, aut etiam aliquod aliud, quod non decet Chriſtianum, ſectatur ſtudium: talis ſi venerit ad paſtorem, non debet ad communionem Cœnæ recipi à paſtore, priuſquam paſtor viderit emendationem. Non hîc habebit rationem perſonæ, ſed miniſterij ſui,non timebit inimicitiam,non odium, non amiſsionem facultatum, non exilium, non mortem, ſed Deum timebit,cuius vicem gerit,& Chriſtum pro quo legatione fungitur. Helias non pepercit Achab impio Ieremias non fractus eſt minis tyranni. Ambroſius diadema Theodoſij non horruit.Baptiſta maieſtate Herodis non eſt abſterritus.Breuiter,qui hîc timore ſuccumbit,non eſt paſtor,ſed mercenarius,vt nihil dicam durius.

Exempla conſtantiæ in paſtoribus.

3. De excommunicatione morali.

Reſtat *tertium* excommunicationis genus, quod potiſsimum ad diſciplinam & cenſuram Eccleſiaſticam pertinet.Huius fines cognitos habeat paſtor. Deinde excommunicationis legitimam rationem teneat.

In hac ſpectatur.

In omni excommunicatione ſpectanda ſunt tria: Deus,ciues Eccleſiæ,impœnitens homo.

1.Deus.

Cum Deum reſpicis, conandum eſt, ne cum Dei contumelia inter Chriſtianos nominetur, qui turpem & flagitioſam vitam degit.

2.Eccleſia.

Cum ciues Eccleſiæ attendis, hæc cura ſubibit animum pij paſtoris, ne aſsidua malorum conſuetudine boni corrumpantur.

3.Homo impœnitens.

At cùm intueris lapſum & deficientem ab Eccleſia,eò ſpectabit omnis paſtoris conatus,vt reus ſuffuſus pudore reſipiſcat tandem, ac Eccleſiæ reconcilietur.

Hos tres excommunicationis fines habebit in conſpectu paſtor, qui omnes ad ædificationem Eccleſiæ faciunt, ad quam referri debet excommunicatio.

De legitima ratione excõmunicationis, regulæ.

Vt autem legitima ratio excommunicationis teneatur,tenendæ ſunt ſequentes regulæ.

1. Paſtor ſolus neminẽ excommunicet.

Paſtor ſolus,ſententia in reum à Senatu Eccleſiaſtico non lata, neminem excommunicare debet. Muneris tamen huius eſt, vt facinoroſum ad conuerſionem adhortetur. Huius regulæ & ratio & finis ſpectanda ſunt.Ratio eſt,quia æquitas poſtulat, vt examinetur res in iudicio, & cognoſcatur,priuſquam feratur ſententia.Finis eſt,ne vnius affectu res geri tanta videatur:qua ratione facilè in contẽptum abiret excommunicatio.

Quid agẽdum, ſi presbyterio paſtor careat.

2.Cum bonis quibuſdam videat ne quid detrimenti capiat Eccleſia.

Sed fortè hîc obiiciet paſtor, non talem ſenatum conſtitutum eſſe in his locis,vt ab eo feratur contra facinoroſum ſentẽtia.Equidem fateor me optare ordinarium ſenatum,penes quem cenſura morum eſſet,ſed vix id ſperare poſſum in hac turba & ſenecta Eccleſiæ. Quare paſtori hoc do conſilium, vt loco ſenatus deligat ſibi tres ad minimum viros cordatos & pios,cum quibus conferat, & quorum ſententiam audiat. Verum ſi paſtor in ſua parochia neminem habet, cuius conſilio in tanta re tutò vti poterit,rem deferat ad præpoſitum,& duos alios paſtores eius prouinciæ, in qua habitat paſtor: coram his comparcat facinoroſus, ac examinetur. Hi conuictum hortentur ad pœnitentiam.Qui ſi ſupplex pœnitentiam promittit, agendum eſt cum illo, vt ſupra oſtenſum eſt.Si autem non reſipiſcat conuictus, ſemel atque iterum è ſuggeſto ſignificetur,eſſe hominem talem,qui contumaciter ſe gerit, poſt piam & paternam admonitionem, & conuictionem criminis:& ſimul hortetur paſtor populum ad preces pro facinoroſo,vt Deus illum conuertere dignetur.

3. Sin minus, rem deferat ad alios in maiore gradu conſtitutos, ſi qui ſunt.

4.Quibus rationibus agendum cum facinoroſo contumace.

At ſi iſte adhuc permanſerit contumax,iterum ſiſtendus eſt coram deputatis cenſoribus, à quibus grauiſsimè admonebitur, additis minis. Quod ſi adhuc manſerit rebellis, non ampliùs conniuẽdum eſt. Hîc putridum membrum enſe Eccleſiæ reſecandum eſt,ne pars ſincera trahatur. Hic locum habebunt noti verſiculi:

Morbida facta pecus totum corrumpit ouile:
Ne maculet alias eſt ſeparanda grege.

Proximo itaque die Dominico excommunicationis ſententia publicabitur hoc modo.

Sententia excommunicationis.

CHARISSIMI fratres,notum eſt vobis(proh dolor)quomodo quidam de noſtro cœtu N.nomine, Eccleſiam noſtram ſcandalo offenderit, perpetrando N.Qui etſi à me paſtore ſuo priuatim eſt admonitus,non ſemel, ſed aliquoties, & apud Senatum Eccleſiaſticum conuictus eſt de ſuo flagitio, quod vobis etiam publica fama innotuit:manet tamen contumax & rebellis, nec vlla pœnitudine ſui flagitij tangitur. Quapropter cùm ſe à ſpirituali corporis Chriſti communione abſciderit, nec admonitus & obiurgatus reſipiſcat:Ego Miniſter Euangelij, autoritate & mandato Chriſti,vobis mecum in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis, declaro iſtum N.qui ita ſe ſubiecit Satanæ, excluſum eſſe ab Eccleſia Filij Dei,ac eum fugiendum tanquã ethnicum pronuntio,in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, Amen.

Iam vos fratres dilecti, cauete ne commercium habeatis cum iſto.Sit vobis donec reſipiſcat, veluti ethnicus & publicanus, qui ſua culpa ius ciuitatis Chriſtianæ ac familiæ Dei amiſit: vt vel iſto pacto, eum tandem ſui flagitij pudeat ac reſipiſcat.Vos inſuper oro,vt vigiletis & oretis,ne diabolus aliquem veſtrum ſimili laqueo capiat:atque caueatis ab iſtius conſortio, ne eius veneno inficiamini. Neque tamen vt inimicum eum ducatis,ſed admonete ſubinde vt reſipiſcat.

Excommunicatus quare non eſt omnino deſerendus.

Cùm autem huiuſmodi excommunicatus,ſit iam tanquam ethnicus & publicanus, imò Satanæ mancipium, debet paſtor ad huc operam dare, vt eum à ſua via peſsima reuocare poſsit. Nam vt Chriſtus ethnicos & peccatores inuitat ad pœnitentiam:ita noſtrum officium eſt, qui in Miniſterio Euangelij ſumus,vt perpetuò operam demus, quo aberrantes ab ouili Chriſti reuocare poſsimus. Non ergo debemus odiſſe huiuſmodi, ſed eius vicem dolere, Deúmque precari vt mortuum viuificet, ac perditum reſtituat.

Regulæ pro presbyterio Eccleſiaſtico

Huc adiiciam regulas duas,quas vtiliter ſequi poterunt cenſores morum,ac iudices Eccleſiaſtici.

1.De peccatis in multitudinem graſſantibus.

Prior eſt de peccatis in multitudinem graſſantibus,qualia ſunt (proh dolor)in hoc regno,ebrietas, luxus veſtium, comeſſationes, &c. de his ſequenda eſt regula.Non aſperè(inquit Auguſtinus) quãtum exiſtimo,non duriter,non modo imperioſo iſta tolluntur,magis docendo quàm iubendo, magis monendo quàm minando. Sic enim agendum eſt cum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

multitudine peccantium. Hæc regula concluditur ex finibus excommunicationis ſupra poſitis. Nam ſi hîc paſtor excommunicationis fulmen mitteret, magis turbaret paucos bonos infirmos, quam corrigeret multos animoſos malos. Interim tamen paſtor non deſinet ea damnare, quæ Deus ſua voce damnat.

a De paucorum flagitiis.

Poſterior regula eſt de paucorum flagitiis. Seueritas exercenda eſt in peccata paucorum. Iuſta huius regulæ ratio eſt. Nam & hac ratione caſtigantur pauci, qui peccarunt, & multi inſontes ſibi in poſterum meliùs cauent.

Summa eorũ quæ dicta ſunt de excommunicatione.

Paſtor autem regulam Auguſtini ſequatur: In corripiendis, fratribus miſericorditer corripiat homo, quod poteſt: quod autem non poteſt, patienter ferat, at cum dilectione gemat ac lugeat. Item: Quiſquis (vt ait idem ſanctus pater) quod poteſt arguendo corrigit: vel quod corrigere non poteſt, ſaluo pacis vinculo excludit: vel quod ſaluo pacis vinculo excludere non poteſt, æquitate improbat, firmitate ſupportat, hîc à maledictione liber & ſolutus eſt. Ita enim eradicanda ſunt zizania, ne frumenta lædantur.

Hoc conſilium Auguſtini ſequantur pij paſtores in hac peruerſitate morum, omni ferè diſciplina eneruata.

Hæc ſint dicta de modo regendi Eccleſiam externa diſciplina. Nam de indictione precum, ieiunij publici, non eſt quod aliquid præſcribam, niſi quod edicto regio, & gubernatorum Eccleſiæ, obtemperandum cenſeam.

IIII.

De precatione Paſtoris pro grege.

Exemplo Chriſti & ſeruorum Dei precãdum eſt pro grege.

QVARTA pars officij paſtoralis, eſt exemplo Chriſti, Prophetarum & Apoſtolorum, oratione ſuum gregem paſcere: hoc eſt, vt gratias agat Deo cum fructum verbi videat, & oret Deum, vt ſuis conatibus aſpiret in ſalutem gregis, ac perpetuis gemitibus gregem principi paſtori Chriſto commendet. Apoſtolus Theſſalonicenſibus ſcribens ait: Gratias agere debemus Deo ſemper pro vobis fratres, quemadmodum dignum eſt. Primo loco dicit, debemus: qua voce debitum officium paſtoris notat. Deinde ait: quemadmodum dignum eſt, ſignificans indignè paſtoris officio fungi eum, qui hoc debitum non ſoluit. Exemplo ergo Pauli paſtor orabit, vt Dominus dirigat corda ſuorum auditorum ad charitatem Dei, expectationem Chriſti, vt conſoletur corda eorum, & ſtabiliat eos in omni ſermone & opere bono, vt dignetur eos ſancta illa vocatione, ad quam per Euangelium vocati ſunt, & compleat omnem ſuæ bonitatis gratuitam beneuolentiam, & opus fidei potenter: vt glorificetur nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti in iis ex gratia Dei noſtri.

2. Theſſal. 1. 3.

Aget & gratias Deo paſtor, quando animaduertit augeſcere fidem auditorum ſuorum, & abundare mutuam inter ipſos charitatem.

Precationes Paſtoris quadruplices.

Etſi autem multæ incidunt neceſſitates, quæ ardentem inuocationem requirũt: poſſunt tamen precationes paſtoris in quatuor ordines diſtribui, vt
1. primus ſit, pro ſanctificando nomine Dei, per to-
2. tum orbem terrarum. Secundus pro gubernatori-
3. bus Rerumpublicarum in vniuerſum. Tertius,
4 pro Eccleſia ſibi commiſſa. Quartus pro vt caſus ſe
offerunt varij, & tempus poſtulat. Huc aliquot exempli cauſa formulas ſubiiciemus.

Formula precandi pro ſanctificando nomine Dei, per totum orbem.

DEVS miſericors Pater, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, ago tibi gratias toto pectore, quòd tibi eligas Eccleſiam in vniuerſo orbe, vt ſit tẽplum, tuum nomen celebrans. precor ſuppliciter, vt auertas, & in nihilum redigas omnium hominũ & diabolorum technas, qui vel opera tua vel virtutes obſcurare volunt, vel tribuunt hominibus aut diabolo quod tuum eſt. Auerte, quæſo, corruptelas doctrinę cœleſtis & Sacramentorum, tyrannidem impedientium curſum Euangelij, hæreſes, & alia, quibus vera tui notitia, vel corrumpitur, vel omnino aboletur: auerte Epicureum contemtum tui nominis, barbaram negligentiam, Academicam dubitationem, Stoicam ἀστοργίαν: auerte ingratitudinem omnium hominum, qui te Deum vel non agnoſcunt, vel agnitum non prædicant. Auerte profanam vſurpationem nominis tui, hoc eſt, impuritatem morum, & nominis tui ſacrilegam vſurpationem: ac præſta, quæſo, vt in toto terrarum orbe, ſanctificetur nomen tuum: vt ſecundum opus tuum ſit nomẽ tuum: vt ſecundum nomen tuum, ſit apud omnes nationes terræ noticia tui: vt ſecundum notitiam ex verbo & operibus tuis, ſit fiducia omnium hominum in te: vt ſecundum fiduciam, ſit laus tua, & celebratio in omnes fines terræ: vt ſecundum laudem nominis tui, ſit eiuſdem vſurpatio inter homines, per veram inuocationem, prædicationem, confeſsionem. Quæ quia ſine verbo haberi non poſſunt, mitte tua dona de cœlo, conſerua miniſterium, verum vſum Sacramentorum, & ſanctam diſciplinam: precor vt in dies magis ac magis accreſcat numerus ciuium regni tui, quo tuum nomen latè propagetur ac celebretur. Tibi ſoli Deo, qui es Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſit honor, virtus & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

Formula precandi pro Magiſtratu, & aliis vitæ neceſſitatibus.

OMNIPOTENS æterne Pater, in nomine Filij tui te inuoco, ac precor vt auertas bella, conſerues leges & iudicia, impedias ἀταξίαν in omnibus ordinibus ac ſtatibus hominum. Auerte, quæſo, morbos, ſterilitatem terræ, ethnicam ſollicitudinem, & aſininam ignauiam: fac ne irretiamur tentationibus, & laqueis Diaboli, ob cupiditatem rerum huius vitæ. Auerte cyclopicam ingratitudinem, & abuſum rerum, ne tuis donis in luxum, voluptatem, ebrietatem, ſuperbiam, & cõtemtum pauperum abutamur. Breuiter, auerte omnem iniuriam creaturarum tuarum, quas nobis dediſti, vt illis vtamur in tuam gloriam & noſtram vtilitatem, in vero timore nominis tui cum gratiarum actione. Da bonos & fideles Rerumpublicarum gubernatores, tuere omnes ſtatus, aſsis imperiis, œconomiis, & politiis. Da regi noſtro Spiritum ſanctum tuum, & ſapientiam: da Senatoribus regni ſalutaria conſilia: concede proſperam valetudinem: fœcunda terram, da commodas tempeſtates, pluuiam, & ſerenitatem, pro rerum naſcentium commoditate: largire fructibus terræ virtutem, per tuam benedictionem: fac vt patresfamilias, gubernatores Rerump. & alij, ſinguli ſuũ officium faciant, in timore tuo, & ſancta quadam cura. Da vt noſtra ſorte contẽti, noſtris facultatibus, cùm in noſtrum bonum, tum in aliorum commodum, & potiſſimùm in tuam gloriam rectè vtamur, cum ſumma gratitudine, inuocatione tui nominis, gratiarum actione, ac beneficiorum tuorum prædicatione. Tibi ſit honor, laus, gratiarum actio, in ſecula. Amen.

Formu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Formula precandi pro Eccleſia Paſtori commiſſa.

CLEMENTISSIME Pater cœleſtis, cum Eccleſia Filij tui ſit tuus ager, & tuum ſanctum verbum ſit ſemen viuum, auerte, quæſo, diabolum, ſeminantem zizania falſæ doctrinæ & prauorum morum, ne nomen tuum apud profanos profanetur & blaſphemetur: ædifica Spiritualem montem Zion, & Ieruſalem cœleſtem: inſpira ſingulorum mentibus veram notitiam tui: rege cogitationes noſtras tuo verbo: accende affectus puros & caſtos: reforma magis magiſque voluntatem omnium: da vt omnes caueant ſcandala, vt omnes pietati erga te, & mutuæ dilectioni ſtudeant. Auge ſpem in omnibus promiſſorum bonorum, dáque vt tandem per Ieſum Chriſtum beata immortalitate donemur, Amen.

Reliquus eſt ordo precationum, quas tempus & caſus varij offerunt: quarum formulæ commodè præſcribi non poſſunt. Vt ergo tempore & caſu res offeruntur, ita pietas paſtoris prorumpet, nunc in gratiarum actionem, ſi quid læti affertur: nunc in preces, ſi quid neceſsitas exigit præſens.

V.

De cura Paſtoris pro pauperibus.

Auditores Verbi Dei diligēter hortandi ſunt ad beneficentiam erga pauperes.

QVIBVS rationibus paſtor impelli debeat ad præſtandam eleëmoſinam de ſuis facultatibus, ſupra, cùm de paſtoris domeſtica diſciplina ageremus, dictum eſt: eáſdem rationes accommodet ipſe auditoribus ſuis, & ſit ſedulus, cûret vt ſint fideles procuratores pauperum, vt ſint liberales ad conferendum pro ratione facultatum, vt ſit recta diſtributio, ne quod collatum eſt perſonis indignis conferatur.

In hac ergò re ſit diligens paſtor, cogitétque officium ſuum eſſe, vt exemplo Apoſtolorum, curam pauperum, præſertim domeſticorum fidei, habeat.

Pauperū quatuor genera.

Porrò quatuor ſunt genera pauperum, quorum curam oportet paſtorem habere.

1. Fratrū exulum.

Horum *Primum* eſt fratrum, qui exulant propter confeſsionem, aut alioqui fortunis ſpoliati ſunt. Horum magnam curam habuiſſe Apoſtolos teſtantur Epiſtolæ ad Galatas, Romanos & Corinthios. *Secundum* genus eſt ſcholaſticorum, qui opus habent præſidiis, ad continuanda ſtudia Eccleſiæ vtilia, *Tertium* genus eſt mendicorum, qui oſtiatim victum quærunt, quorum (proh dolor) nimis magnus numerus eſt. *Quartum* eſt pauperum, qui tametſi publicè non mendicant: tamen res illorum domeſtica eſt magis tenuis, quàm vt inde ali commodè poſſint. Hic opus eſt magna prudentia, ne circumforaneis, pigris ſe venditantibus ſub ſcholaſticorum titulo, robuſtis mendicis, & potatoribus, qui potando conſumunt quibus vxor & liberi ali deberent, conferatur eleemoſyna. Hîc valeat regula Pauli: Qui non laborat non manducet. Hortetur ergo paſtor ſuos auditores, vt amanter complectantur pios exules, cogiténtque de communi ſorte filiorum Dei: vt pauperes ſcholaſticos iuuent liberaliter, ſed eos qui ſibi fuerint commendati honeſtis teſtimoniis: vt mendicos pios ſubleuent: vt curam habeant eorum, quorum labores non ſufficiant alendæ familiæ. Breuiter, fides & charitas ſint eleëmoſynarum regulæ.

2. Scholaſticorum.
3. Mendicorum.
4. Modeſtorum pauperum
Prudentia fides & charitas ſint eleemoſinarū regula.

V I.

Quòd Paſtor debeat eſſe forma gregis.

1. Tim. 4. 12.
1. Petr. 5. 3.

PAVLVS requirit à paſtore, vt ſit forma fidelium, in doctrina & dilectione, &c. Et Petrus iubet vt presbyteri ſint exemplaria gregis. Huc illud Pauli: Eſtote imitatores mei ſicuti ego Chriſti. Tunc enim (vt quidam ex patribus dicit) verbi ſemen facilè germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Huc pertinet & illud Senecæ: Animum non faciunt, qui animum non habent. Et Gregorius ait: Tantum debet actionem populi præcedere actio præſulis. quantum diſtare ſolet à grege vita paſtoris, Vnde Auguſtinus: Talis eligatur paſtor, vt eius reſpectu, cæteri grex dicantur. Et illud Gregorij: Paſce verbo, paſce exēplo, paſce ſubſidio. Paſce verbo prædicationis, doctè: paſce exemplo conuerſationis, ſanctè: paſce ſubſidio charitatis, piè.

1. Corint. 11. 1.

Porrò huc pertinent omnia, quæ ſupra dicta ſunt de moribus pij paſtoris. Debet enim pij paſtoris vita, norma eſſe gregis. Vt quemadmodum vox paſtoris eſt regula vitæ gregis: ita exemplum regulæ, paſtoris mores eſſe debent.

Forma hæc conſiſtit in fide & bona conſcientia.

In hoc ergo paſtor incumbat, vt retineat fidem & bonam conſcientiam, vt poſsit ſuos auditores cum Paulo exhortari ad officium præſtandum, hoc modo: quæcunque ſunt vera, quæcunque honeſta, quæcunque iuſta, quæcunque pura, quæcunque amabilia, quæcunque boni nominis, ſi qua virtus, & ſi qua laus, hæc cogitate, quæ & didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me.

Philip. 4. 8.

Vides mi paſtor quod non tantùm ore doceat Apoſtolus, quid fieri oporteat, verumetiam iubeat ſuos auditores ſe intueri, tanquam formam, & exemplar doctrinæ. Quem ſi tu imitatus fueris, cum Paulo olim perpetuum & lætiſsimum percipies fructū.

2.

Quænam ſit poteſtas Paſtoris.

Accedit ad ſecundū caput quartæ partis, & pergit in explicādo Paſtoris officio.

ETSI ex iis quæ de officio paſtoris dicta ſunt, intelligi poteſt quouſque ſe extendat eiuſdem poteſtas, (nam hæc partibus officij abſoluitur) tamen operæpretium iudico, paucis oſtendere, quibus terminis claudatur poteſtas paſtoralis. Nam duo genera hominum video hîc non parum peccare.

Extrema duo hîc vitanda.

Sunt enim qui ſupra modum extollunt poteſtatem Eccleſiaſticam. Sunt ruſus qui hanc nimium contemnunt, ac prorſus, vt nullius numeri, vilipendunt. Nos ergo nec illorum ſuperbiam, nec horum ὀλιγορίαν approbantes, in medium nonnulla adducemus, de poteſtate paſtorali, quæ ſperamus bonos & cordatos viros, naquaquam improbaturos.

Exordiū ſumit à dicto Pauli ex quo axiomata quędam colligit de Paſtoris poteſtate.

Paulus Corinthiis ſcribens ait: Etſi ampliùs quippiam glorier de poteſtate noſtra, quam dedit Dominus nobis in ædificationem, & non in deſtructionem. His verbis Paulus primùm teſtatur, miniſtros verbi habere poteſtatem quandam, dum aſſeuerat eam poteſtatem ipſis traditam eſſe à Domino. Tum addit finem huius poteſtatis, quæ eſt ædificatio. Poſtremò eandem reſtringit, ne quis ea ad deſtructionem abutatur. Nullam enim Dominus ſuis contulit poteſtatem, ad deſtructionem Eccleſiæ ſeu Domus Dei, ſed ad euertendum regnum tenebrarum.

Tria hîc ſunt Paſtori obſeruanda in genere.

Hoc ergo paſtor *Primum* ſciat, ſe ſublimi poteſtate donatum eſſe. *Deinde* quod hæc poteſtas ſpectet ædificationem Eccleſiæ & non deſtructionem. *Habet* autem paſtor hanc poteſtatem non vt Dominus ἀνυπεύθυνος, ſed vt œconomus Chriſti, qui omnia ad nutum Chriſti Domini adminiſtret.

Speciatim varia poteſtatis genera.

Quoniā autem plura ſunt poteſtatis genera, hîc diligenter paſtori ſpectandum eſt, quæ ſibi conueniat, & quæ non: ne vel ſibi ius vſurpet quod non habet, vel etiam ius quod habet negligat & prætereat.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Eſt itaque omnis poteſtas aut iuris, aut officij, aut iuſti & æqui, aut facti.

1. Poteſtas iuris.

Poteſtas iuris eſt, qua quis dominium habet in res proprias, ſuo non alieno iuri ſubiectas. Vt facultates meæ, ſunt ſub mea poteſtate, quia meo iuri & nō alieno ſunt ſubiectæ. Habeo ergo in meas res dominium & poteſtatem. ſic figulus poteſtatem luti habet, Rom. 9.21. Et in poteſtate Ananię erāt agri quos vendidit Actorum 5.4.

An paſtor poteſtatē iuris habeat in Eccleſiam

Iam quæritur, num paſtor talem poteſtatem, hoc eſt, iuris, habeat in Eccleſiam. Papa ait, Scriptura negat. Chriſtus, Matthæi vltimo: Data eſt mihi, inquit, omnis poteſtas in cœlo & in terra. Sed Papa dicit hanc ipſam ſibi à Chriſto datam. Si Papa hanc

Reſpōſio.

habet, habuit eam ante ipſum Petrus, cuius ſucceſſorem ſe eſſe gloriatur Papa. Sed quid dicit Petrus? 1. Pet. 5.3. Nō dominantes in clero. Et Paulus 2. Cor. 1.24. inquit: Non dominamur fidei veſtræ. Proinde qui hanç poteſtatē, hoc eſt, dominiū in Eccleſiam ſibi vſurpāt, Antichriſti ſunt & non Chriſti miniſtri.

2. Poteſtas officij.

Poteſtas officij eſt, quæ datur paſtori ab eo cuius eſt miniſter. Hęc poteſtas non poteſt dari, niſi ab eo qui habet poteſtatem iuris, hoc eſt, niſi à Chriſto, qui ſolus habet in Eccleſiam plenum dominium.

Duos paſtori proponit.

Hæc poteſtas de duabus rebus admonet paſtorē. *Primùm*, vt ex officio agat, quæ Dominus ipſi imperauit. *Deinde*, quòd ratum ſit coram Chriſto Domino, quicquid facit paſtor iuxta officij regulam.

Duplex eſt.

Verum vt pleniùs intelligatur, qualis ſit officij paſtoralis poteſtas, notanda eſt hæc differentia: Quòd quædam poteſtas officij ſit determinata, quædam indeterminata, quātum quidem ad modos attinet.

Determinata.

Determinata poteſtas officij paſtoralis, eſt quę intra certos terminos clauditur, ita vt non liceat iſtos terminos tranſilire. Hæc poteſtas eorum eſt, quæ certo verbo Dei expreſſa ſunt. Huic enim verbo nec addere, nec adimere quicquam vlli mortalium licet. Hæc poteſtas ſublimis eſt. De ea enim ita ait Chriſtus: Qui vos audit, me audit. Qui vos ſpernit, me

Simile.

ſpernit. Quemadmodum enim legatus, cui committitur à principe ſuo, quid agendum ſit ipſi & dicendum, legationis fines tranſgreditur, & fit reus malè actæ legationis, ſi quicquam mandato principis vel addiderit, vel ademerit: ita miniſter Euangelij, ſi Euangelium Chriſti non purè prædicauerit, officio mala fide fungi conuincitur.

Indeterminata.

Indeterminata poteſtas officij paſtoralis, eſt quæ in iis rebus ſita eſt, quæ nō ſunt expreſſo verbo Dei determinata à Domino. Verùm in hoc genere poteſtatis primùm ſciendum eſt, quòd hac poteſtate fretus, non poſsit, aut non debeat aliquid conſtituere, quod expreſsis regulis verbi Dei repugnat, ſiue expreſſè ſiue implicitè. Papa ordinat miſſas pro viuis & mortuis: ſed hæc conſtitutio pugnat cum principio: fruſtra colitur Deus mandatis hominum. Idem iudicium eſto de pleriſque quæ Papatus admiratur, vt myſteria magna.

Duo obſeruanda in poteſtate officij paſtoralis.

Deinde, debet quicquid ex hac poteſtate proficiſcitur, pertinere non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem Eccleſiæ. Præterea habet hæc poteſtas locum in ceremoniis, & aliis quæ faciunt ad ordinem & εὐσχημοσύνην, in tractatione religionis, & in externo Eccleſiæ regimine.

3. Poteſtas iuſti & æqui.

Poteſtas iuſti & æqui, eſt qua licet vti paſtori in iis, quæ ipſi ex iuſto & æquo debentur. Poteſt ergo paſtor victum ſibi debitum & ordinaria ſtipendia exigere. Hæc poteſtas confirmatur multis ſcripturę teſtimoniis. Dignus eſt mercenarius mercede ſua. Itē: Dominus ordinauit, vt qui Euangelium prædicant, ex Euangelio viuant.

Luc. 10 7. 1. Corint. 9.14.

Coherct cum poteſtate officij.

Hæç poteſtas iuſti & æqui cum officij poteſtate cohæret. Qui enim officium non facit, nec iure mercedem quærit, nec iuſtè eam accipit. Viderint ergo Papiſtæ otioſi, qua fronte tantos theſauros Eccleſiæ deuorant.

Paſtoris libertas.

Verùm hîc ſciendum eſt, quòd tametſi iuſtum & æquum eſt, ſi paſtor debitam mercedem à ſuis auditoribus expetit: tamen habet etiam poteſtatem remittēdi quod ſibi iure debetur. Quemadmodum exemplum Pauli apertè docet.

4. Poteſtas facti.

Poteſtas facti eſt facultas ea, quæ ad officium pertinet faciendi. Hæc poteſtas requirit, vt aliquis ſit idoneus ad officium paſtorale: hoc eſt, vt paſtor & ſciat & poſsit facere officium, atque etiam faciat. Huc pertinet cura Epiſcoporum, ſeu ſuperattendentum. Nam & eorum qui recipiendi ſunt ad miniſterium, & eorum qui iam recepti ſunt, curam habebit vigilans ſuperattendens ſeu Epiſcopus: explorabit an eligendus ſciat & poſsit facere officium, inſpiciet an factus paſtor officium ritè faciat.

De officio particulari Epiſcoporum.

Verùm quoniam ad officium particulare Epiſcoporum deuenimus, adiiciam duo, examen eorum qui ſunt recipiendi ad miniſterium, & viſitationis capita.

1. Examen ordinandorū tria complectitur.

Examen eorum qui ſunt recipiendi ad miniſterium verbi, triplex eſſe debet: an ſint docti, an mores tantæ functioni congruant, an ſint ad faciendum officium idonei.

Doctrinæ examen.

Doctrinæ corpus & partium analyſin tenere oportet eum, qui ad officium paſtorale admittendus eſt. Pręcipua religionis capita teneat, cum definitionibus, diuiſionibus, ſcripturæ ſententiis, & exemplis 1.
de ſingulis. Teneat quoque ſeriem hiſtoriarum ſa- 2.
crarum: argumenta ſingulorum librorum, in veteri 3.
& nouo Teſtamento.

Obiectio.

Si quis obiiciat, nimis rigidum examem futurum, ſi iſta omnia à futuro parocho poſtularentur. Reſpondeo tam auguſto officio non debere præfici

Reſpōſio.

rudes & imperitos aſinos, quales, proh dolor, multos in miniſterio Euangelij eſſe nouimus, & præcipuas obtinere parochias.

Examen morum.

In moribus ſpectentur, educatio, vita acta, præſentes mores, teſtimonia aliorum. Breuiter, ſint mores quales Paulus requirit, ſcribens Timotheo & Tito.

Idoneitas

Vt quis ſit idoneus, requiritur ætas iuſta, & docendi donum.

2. Viſitationis Capita.

Capita viſitationis ſunt:

1. An miniſtri ſuum officium faciant.
2. Exhortatio populi ad obedientiam erga Euangelium.
3. Cura adminiſtrationis bonorum Eccleſiaſticorum.
4. Commendatio pauperum apud populum: videlicet, vt ſinguli aliquid conferant in vſus pauperum.
5. Exhortatio, vt ſinguli ſuum officium faciant in timore Dei, fide & patientia, &c.

3.

Quodnam præmium ſit Paſtoris rectè præſtantis officium.

Duplex præmium 1. In hac vita 2. In futura.

PRAEMIVM paſtoris rectè præſtantis officium, duplex in ſcripturis inuenio. Vnum, quod in hac vita datur: alterum, quod promittitur in futura. Illud appellare licet temporale: hoc, æternum. Nam vt illud tempore clauditur: ita hoc æternum durat.

Temporalis præmij partes quatuor.

Temporalis præmij partes ſunt quatuor: Victus, honor, bona conſcientia, & donorum augmentum.

De his

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

De his partibus ordine ex ſcripturis dicam, vt ijs paſtor, tametſi principaliter ad officium præſtandum cogitatione gloriæ Dei, & amore paſtoris Chriſti, vt ſupra explicatũ eſt, excitetur: tamen moueatur minus principaliter hiſce prẹmijs, quẹ Filius Dei ordinauit paſtoribus. De victu ergo primum dicendum eſt.

1. Victus. 1. Cor 9. 14. Mat. 10. 10 Galat. 6. 6. Deuter. 12. 19.

VICTVM deberi paſtoribus Paulus teſtatur in multis locis. Dicit enim conſtitutum eſſe à Domino, vt Euangelio ſeruientes, de Euangelio viuant. Et Chriſtus dicit, Dignus eſt operarius mercede ſua. Et Paulus rurſus Galatis ſcribens ait: Communicet autem qui inſtituitur in ſermone, ei qui ſe inſtituit omnia bona. Neque hinc alienum eſt dictum, Caue ne derelinquas Leuitam in omni tempore quo verſaris in terra. Huiuſmodi ſunt plurima teſtimonia, quæ teſtantur victum & ſtipendia deberi miniſtris Euangelij.

Tria ex his teſtimoniis collige̅da.

Hæc teſtimonia tria docent. 1. Quòd officium pij magiſtratus, ſit ordinare miniſtris Eccleſiarum ſtipendia. 2. Quòd auditores debeant iure naturali & diuino, prædicatoribus iuſta præmia. 3. Quòd miniſtri verbi poſſint, & accipere ſtipẽdia, & exigere ordinariam mercedem ab ijs, qui ſponte non ſoluunt: quemadmodum ſupra indicauimus, cùm ageremus de poteſtate paſtorali.

Obiectio adu. Stipend. a miniſtrorum Eccleſiæ.

Verùm qui iniquiores ſunt miniſtris verbi, obijciunt mandatum Chriſti, exemplum Pauli, & exprobrationem Michææ prophetæ.

Mat. 10. 8.

Mandatum Chriſti eſt: Gratis accepiſtis, gratis date. Hinc inferunt non licere miniſtris ſtipendia ordinaria petere: ſed perperam, vt ex alijs locis apparet.

Reſpõſio ad obiectum ſũptum ex mandato Chriſti.

Non enim gratuitæ diſpenſationi repugnat, quòd Eccleſiæ doctores publicis ſtipendijs aluntur, modò vltrò & liberaliter Chriſtó & Eccleſiæ ſeruiant: victus autem ſit quaſi laboris acceſsio. Significat quidem Chriſtus, neminem ſincerum fore verbi Dei miniſtrum, niſi qui operam ſuis gratis impendere paratus ſit: non tamen tollit, quod antea dixit: Dignus eſt operarius mercede ſua. Et Paulus Corinthijs ſcribens ait: Quis militat proprijs ſtipẽdijs vnquam? quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? aut quis paſcit gregem, & de lacte gregis non edit? & paulò poſt: Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt ſi nos veſtra carnalia meſſuerimus? Hæc dictorum collatio ſatis oſtendit, Chriſtũ non prohibere miniſtris ſtipẽdia, ſed prẹferendã eſſe gloriã Dei.

1. Corint. 9. 7.

Reſpõſio ad obiectum ab exemplo Apoſtoli ſumptum

Exemplum Pauli, cuius ipſe meminit, 1. Cor. 9. 12. & Actor. 20. 34. obijciunt, qui noluit ſtipendium accipere à Corinthijs & Epheſijs, ſed ſuo artificio & ſibi ac ſocijs victum quæſiuit. Paulus in Corinthijs apertè docet iure deberi miniſtris ſtipendia, ſed cur ipſe non acceperit, hanc cauſam aſſignat. Omnia (inquit) ſuſtinemus, ne quid remoremur Euangelium Chriſti. Quando enim aduerſarij viderunt, Paulum prædicare Euangelium, nulla habita ſtipendij ratione, prẹcidebatur calumniandi occaſio, qua putari poterat Apoſtolus, quæſtus gratia reliquiſſe Iudaiſmum, & prædicare Euangelium. Deinde eo tempore non fuerunt ordinaria conſtituta ſtipẽdia, vt nunc ſunt. Quare & temporis ratio ſpectanda eſt.

Reſponſio ad locum de ſumptum ex Michæa.

Exprobratio prophetæ Michææ 3. 11. hẹc eſt: Sacerdotes eius pro mercede docebant, & prophetæ eius pro pecunia diuinabant. Pœnam ſubijcit: Zion quaſi ager arabitur. Qui hoc obijciunt, deberent quæ in eodem contextu præcedunt aſpicere. Principes eius pro muneribus iudicabant. Non ſolùm ergo ſacerdotes, verumetiam iudices auaritia corruptos oſtendit. Sicuti ergo licet iudicibus & principibus ſua ſtipendia accipere: ita & ſacerdotibus & miniſtris Euangelij. Sed vtrique caueant, ne pecuniam potiùs quærant, quàm iuſtitiam. Damnantur ergo Prophetæ voce, cùm principes, tum ſacerdotes, qui ad quæſtum abutuntur officio.

II. Honor, ſecũda pars præmij temporalis. 1. Tim. 5. 17.

Secundam partem prẹmij paſtoris diximus honorem eſſe. Paulus enim apertè dicit: Qui bene præſunt presbyteri, duplici honore digni ſunt. Deinde, vt patres ſpirituales coluntur à pijs auditoribus. Præterea, non poteſt maior honor eſſe, quàm quòd ſint cooperarij Dei, & œconomi myſteriorum Dei. Hîc caueat paſtor, ne honorem ſpectet ſuum, quærendo eum per aliorum contemtum. Nam honor qui debetur miniſterio, ſpontè ſequitur fugientem. Papa ſe præponit Cæſaribus & Regibus, qua in re non ſe Chriſti Apoſtolum, ſed apoſtatam declarat, & Antichriſtum oſtendit. Chriſtus vult ſuos non dominium honoris quærere, ſed miniſterium, quo omnibus ſe piè ſubijciant. Caueat ergo paſtor, ne hanc præmij ſui partem, impuro affectu contaminet.

Ambitio paſtori ſollicite fugienda.

III. Bona conſcientia

Tertia pars præmij eſt bona conſcientia, quæ comitatur eum, qui fidem retinens in timore Dei facit officium, ſolam gloriam Dei, & ædificationem Eccleſiæ ſpectans. Hæc eſt gloriatio noſtra, (inquit Paulus) teſtimonium conſcientiẹ noſtræ. Loquitur enim de miniſterio ſuo. Et alibi dicit ſe ſeruire Deo pura conſcientia. Qui & diaconos hortatur, vt teneant myſterium fidei cum pura conſcientia. Prẹcipit quoque Timotheo ſuo, vt militet honeſtam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam.

Exemplũ. 2. Corint. 1. 12. Act. 23. 1. 1. Tim 3. 9. 1. Tim. 1. 19.

Quomodo conſeruatur. Quo pacto amittitur.

Hanc conſcientiam conſequitur pius paſtor, ſi, vt dixi, & ipſe retineat fidem, & officium faciat ſincerè, ſpectans Dei gloriam & Eccleſiæ ædificationem. Huius bonæ conſciẽtiæ iacturam faciunt, non ſolùm qui ſine legitima vocatione obtrudunt ſe Eccleſiæ, verumetiam qui ſe potiùs curant quàm gregem, & ſua magis quàm Chriſti quẹrũt. Quales ſunt omnes, qui auaritiæ cauſa minores parochias maioribus cõmutãt, ſine ſuperiorum autoritate & vocatione, &c.

IIII. Augmentum donorum.

Quarta pars temporalis præmij eorum miniſtrorum, qui fideliter & ſincerè faciunt officium, eſt augmentum donorum, iuxta illud: Habenti dabitur: hoc eſt, ei qui rectè vtitur exiguis donis quæ habet, benedictione Dei augentur indies dona. Hoc experiuntur quotidie omnes pij miniſtri. Proinde Auguſtinus rectè dicit: Sæpe officium impertiendi, meritum eſt accipiendi. Beatus Lutherus non in principio cauſæ Euangelij ita excelluit vt poſtea: habuit ſua quædam tenuia principia. Animaduertit indulgentiarum Papiſticarum vanitatem, huic ſe fortiter oppoſuit, non cogitans de abrogando papatu. Verùm in hac lucta augentur dona Dei Luthero, & quotidie nouis incrementis fiunt auctiora: adeo vt tandem electum organum Dei factus ſit, quo Deus ſuam Eccleſiam purgare ab abominandis Papiſtarum erroribus voluit. Hunc ſanctum virum pij paſtores ſibi proponant, ac in timore Dei faciant officium: quod ſi fecerint, ſentient promiſſionem Chriſti, qua promittit incrementa rectè vtentibus collatis donis, non fore inanem.

Exemplũ.

De Præmio æterno, tria teſtimonia.

Dixi de præmio temporali paſtoris piè & ſanctè præſtantis officium. Sequitur præmium, quod in futura vita propoſitum eſt, iuxta promiſſiones Dei.

S. Petri.

De hoc prẹmio loquitur Petrus 1. Pet. 5. 4. vbi hortatur Epiſcopos, hoc eſt, paſtores, vt non coactè, ſed voluntariè: neque turpis lucri cauſa, ſed liberaliter Epiſcopatu fungantur. Et (inquit) cùm apparuerit princeps paſtorum, reportabitis immarceſſibilem gloriæ coronam.

S. Pauli. 2. Tim. 4. 7.

De hac corona & Paulus loquitur, cùm ait: Certamen prẹclarum decertaui, curſum cõſummaui, fidem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſeruaui. Quod ſupereſt, repoſita eſt mihi iuſticiæ corona, quam reddet mihi Dominus in die illo, &c. Et Daniel, Qui autem docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſticiam erudiunt multos, tanquam ſtellæ in ſeculum, & in æternum.

Danielis Prophetæ. Dan. 12. 3.

Finis huius præmij, & quib oculis à paſtore conſiderari debeat.

In hoc præmium, quia bonitate Dei promiſſum eſt, & propoſitum paſtoribus piè ſuo fungentibus officio debet paſtor fide intueri, & excitari ad ſtrenuè faciendum officium. Niſi enim in hunc finē intenti fuerint paſtores, fieri nullo modo poteſt, vt gnauiter in curſu vocationis ſuæ pergant: quin potius ſubinde deficient. Nam innumera ſunt offendicula, quæ exanimare poſſent etiã maximè cordatos. Sæpe cum ingratis hominibus negotium eſt, à quibus rependitur indigna merces: longi & immenſi labores, ſæpe irriti: Satan peruerſis ſuis machinationibus interdum præualet. Ergo ne frangatur aduerſis pius Chriſti ſeruus, vnicum hoc remedium habet, vt in Chriſti aduentum oculos conuertat. Ita fiet, vt ſuum laborem, qui carere profectu videtur apud homines, gnauiter obeat: cui tanta merces apud Dominum eſt repoſita.

Hæc ſint breuiter de præmio paſtoris dicta, quibus ſuo loco monebitur ad ſedulò præſtandum officium.

IIII.

QVÆ POENA SIT PASTORUM *malè fungentium officio.*

Neglecti officij pœnæ.

VT autem magis excitetur paſtor ad faciendum officium, ponat ſibi ob oculos pœnas neglecti officij, quæ ſunt cum temporales, tum æternæ.

1. Temporales, quæ ſunt quadruplices.

Temporales pœnæ ſunt variæ:

1. Quædam propriam paſtoris perſonam attingunt, vt mala fama apud pios. 2. Quædam conſcientiam tangunt. Qui enim perfidè officium facit, vaſtat conſcientiam, quam poſtea circumfert perpetuam teſtem ſui ſceleris. 3. Quædam in donis fiunt, iuxta illud: Ei qui non habet, auferetur ab eo quod habet: hoc eſt, qui donis Dei ad Eccleſiæ ædificationem nō vtitur, ſpoliatur paulatim donis, vt cæcus factus nec ſuam ſalutē cogitet, nec aliorum curã habeat: donec tandē tradatur iuſto Dei iudicio in reprobã mentē, vt probet improbanda, & improbet probanda. 4. Quædam in familiam redundant. Solet enim Deus impietatem miniſtrorum verbi, punire in vxoribus, & liberis: vt aperte in exemplo Heli ſacerdotis conſpicitur.

Matth. 13. 12.

2. Spirituales & æternæ. Ierem. 8. 10.

Hactenus de temporalibus pœnis, quæ leues ſunt reſpectu ſpiritualium & æternarum pœnarum.

Maledictus (inquit Propheta) qui facit opus Domini fraudulēter. Quænã, quæſo, pœna maledictione diuina magis pertimeſcenda? Notus eſt locus Ezechielis, Quum dixero ego impio, moriendo morieris, & non admonueris eum, nec locutus fueris, vt caueat impius, vt recedat à via ſua impia, vt viuat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Vide quanta pœna manet paſtorem non facientem officium. Sanguinem, inquit, eius de manu tua requiram: hoc eſt, tibi imputabitur mors eius, & pœnas de te ſumam, quod fueris cauſa interitus, & perditionis eius.

Ezech. 3. 18.

Huc illud Gregorij: Nos ſuper ea mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus: quia tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus. Idem paulò infra: Sanguis morientis de manu ſpeculatoris requiritur, quia peccatum ſubditi, culpa eſſe præpoſiti, ſi tacuerit, reputatur. Huc & illud Ezech. 34. 2. Væh paſtoribus Iſraël, qui paſcunt ſe ſolos.

In decretis pontificiis habetur hoc cuiuſdam patris dictum: Is qui præeſt, ſi præter voluntatem, vel præter quod in ſcripturis ſanctis euidenter præcipitur, vel dicit aliquid, vel imperat, tanquam falſus teſtis Dei aut ſacrilegus habeatur. Iam qua pœna ſit dignus qui falſum contra Deum teſtimonium dicit, & ſacrilegè quod Dei eſt furatur, facile eſt cogitare.

Has pœnas cogitabit paſtor, vt earum cogitatione accēdantur, ad diligentiam in officio, vel in pigritia, vel metu officium negligentiùs faciat.

Emblema paſtorum malorum.

Figura quædam inſignis paſtorũ, qui ouile Chriſti extruunt, & non tamen ea diligentia qua deceret ſibi cauent, in fabris arcæ Nohæ propoſita eſt. Hi enim extructa arca perierunt in diluuio, ſeruato Nohe cum ſuis. Caueant ergo paſtores, ne dum Eccleſiam ſuo miniſterio extruunt, ſe ipſos fluctibus maledictionis, vel officij præſtandi negligentia, vel morum prauitate obiiciant.

Concluſio totius operis.

Hæc ſunt quæ fratribus communicare hoc tempore viſum eſt de paſtore bono, vt oſtenderem, qualis ipſe paſtor apud ſe, hoc eſt, cum ſecum agat ſolus: qualis in domo, cum vxore, liberis, & familia: qualis in conuerſatione, quoties opus fuerit foris cum aliis agere: & qualis in officio Eccleſiaſtico eſſe debeat.

ORO æternum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti principis paſtoris, vt nos faciat organa vtilia ſuæ Eccleſiæ regatque nos ſuo Spiritu, vt ea quæ illi grata ſunt faciamus: quò & paſtores & oues vnum ſimus in Domino coniuncti vinculo dilectionis, vt ita retinentes fidem & bonam conſcientiam in hoc vitæ curſu, lætíque hinc migrantes, beata immortalitate donemur, per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, qui cum Deo patre & Spiritu Sancto in vnitate Diuinitatis viuit ac regnat in omnia ſecula ſeculorum, AMEN.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

N. H.

CATECHISMI
QVÆSTIONES CONCINNATAE
PER
NICOLAVM HEMMINGIVM.

EXIMIAE PIETATIS ET DOCTRINAE VIRO, DOMINO NICOLAO BLACK, CANOnico Roſchildenſi digniſſimo, Præceptori ſuo obſeruando, Nicolaus Hemmingius gratiam & pacem optat, à Deo Patre per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

DOMINVS, vt eſt apud Prophetam, comminatur ſacerdotibus ſui temporis, qui pactum Leui violantes, rite non ſunt functi vero Leuitarum officio. Ita enim ait: Vos receſſiſtis de via, & offendiculo fuiſtis multis in lege: Corrupiſtis pactum Leui, dicit IEHOVAH exercituum, & ego quoque reddam vos contemtibiles & humiles omni populo. Hæc comminatio ad noſtra quoque tempora ſe extendit, & ad nos, qui officio Leuitarum fungimur, pertinet. Nam ſicut tempore Prophetæ multi gloriabantur de Sacerdotum dignitate & eminentia, qui tamen nihil minus curarunt, quàm verum Sacerdotum officium: Ita hodie, proh dolor, plures inueniuntur qui patrimonio (vt vocant) Petri gaudẽt, quam qui veſtigiis Apoſtoli inſiſtentes, gloriam Dei, & hominum ſalutẽ ſeriò quærunt. Neque hoc in Papatum dictum eſſe volo ſolummodo, ſed in nos quoque qui de Euangelio gloriamur. Et tametſi vt ſacerdotes Dei de bonis Eccleſiæ viuimus: tamen non minus pactum Leui violamus, quam illi de quibus per Malachiam conqueritur Dominus, id quod ſane nemo non videt, qui vitia Sacerdotum, quos accuſat Propheta, cum noſtris contulerit. Sunt autem tria potiſſimum, quæ Propheta inſectatur, quod receſſerint de via, quod offendiculo fuerint multis in lege, quod corruperint pactum Leui. De via receſſerunt mala vita, & flagitioſis morib. ſe polluentes. Vitæ enim ratio cuiuſque via dicitur, Offendiculo fuerunt multis in lege, ſuo prauo exemplo multis præbentes occaſionem lapſus contra legem Dei: Corruperunt pactum Leui, ea fide & diligentia, qua decuit, ſuo officio non fungentes, in ſeruanda puritate doctrinæ, & promouenda gloria Dei. Quid non eſt in noſtris Sacerdotibus ſimile? Quod enim de via recedant, teſtatur multorũ ſuperbia, auaritia, petulantia, potatio, incontinẽtia, & alia vitia, quæ magis ſoli huic patent, quam vt celari poſſint: Quod ſint multis offendiculo in lege, ſequitur ex primo. Nam miniſter Dei, qui bene docet ſed malè viuit, dextera quidẽ domũ Dei ædificat, ſed ſiniſtra eandem deſtruit. Apoſtolus non fruſtra requirit à Sacerdotib. vt ſint forma gregis. Sicuti enim in ſcientiis Philoſophicis optime docet is, qui regula & exemplo docet: Ita Doctor Eccleſiæ niſi verbum quod in ore habet, vita exprimat, non tam doctor quam ſeductor Eccleſiæ haberi debet. Nam cùm auditores vident mores miniſtrorum Dei non conuenire cum doctrina, mox plerique aut contemnunt doctrinam, aut labe eorum inficiuntur, ac ita infecti pereunt. Nunquid hoc non eſt multis offendiculo eſſe in lege? An non hoc eſt ſuis morib. efficere, vt multi in legem impingant? Vtinam hic vanus eſſem. Vtinam poſſent plerique ad ſuos mores, & ad propriam conſcientiam prouocare. Nihil libentius paterer, quam me in hac cauſa ſuccumbere. Quod corrumpant pactum Leui, hoc eſt, quod non fungantur ea fide & diligentia officio ſibi commiſſo, qua deceret, manifeſtum eſt in multis. Vehementer errant qui ſuo ſe functos officio putant, quando vel rectè docuerunt, vel in genere vitia taxarunt: Quibus partibus ſi fuiſſent contenti Prophetæ Dei, non tam horrendis ſuppliciis fuiſſent olim affecti. Quid ergo deſideras? Id quod Prophetæ, Apoſtoli omnes, & vox Chriſti requirunt. Quid hoc eſt? vt remedium adhibeas vulneri, reprehendas ſigillatim hominum ſcelera, & ſingulis in os dicas, quo tendat ipſius vita. Ebrioſo ſuã ebrietatem, Superbo ſuam ſuperbiam, Auaro ſuam auariciam, Tyranno ſuam tyrannidem, Libidinoſo ſuam libidinem ob oculos ponas tanquam legatus Dei. Sic ſanctus Nathan fecit: Sic Baptiſta, ſic Paulus, ſic Ambroſius & omnes alij pij paſtores. Sed inquies: Si ſic agerem, periclitarer de vita: eiicerer de meis facultatibus: actum eſſet de meo honore: præterea fruſtra hoc tentarem. In hac enim malitia mundi vix quiſquã patiẽti animo meã correptionẽ eſſet admiſſurus. ὁ μὲν λόγος φρονεῖ, ὁ δὲ νοῦς παραφρονεῖ. Excuſatio hæc iuſta videri poſſet, ſi tua tãtũ res ageretur: Sed nũc fungeris legatione Dei, vt nõ

tam quod tibi videatur, quàm quod ipſe à te requirat ſpectandum ſit. Ipſe Dominus apud Ezechielē in
hunc modum te alloquitur: Speculatorem dedi te domui Iſrael, & audies de ore meo verbum, & annũ-
tiabis eis ex me. Si dicente me ad impiũ, morte morieris, nō annuntiaueris ei, & locutus fueris, vt auer-
tatur à via ſua impia & viuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinē autē eius de manu tua
requiram: Si autem tu annuntiaueris impio, & ille non fuerit ab iniquitate ſua conuerſus, ipſe quidē
in iniquitate ſua morietur, Tu autem animā tuam liberaſti. Grauiſſima etiā extat apud Ieremiam com-
minatio. Maledictus qui facit opus Domini fraudulēter. Mandatũ Dei erat, vt Iudæi deuaſtarent Moa-
bitas, quod quia non fecerunt, pronunciantur à Propheta maledicti. Cuius rei ratio à generali principio
petitur: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter. An non multò maiori maledictioni meritò cē-
ſentur obnoxij, qui in Moabitis Spiritualibus deuaſtandis ſunt remiſſiores. hoc eſt, qui peccata hominum
non oppugnant indefeſſe, vt regni Chriſti pomœria abolitis hoſtibus dilatentur? Huc pertinet cap. 34.
Ezechielis, in quo Dominus comminatur paſtoribus, qui neglecto grege Chriſti, quæ ſua ſunt quærunt,
quibus non diſsimiles ſunt multi hodie. Nam plures ſoliciti ſunt pro grege porcorum augēdo, quam pro
grege ouium Chriſti rite paſcendo. Quorum alij ignorant ſui officij partes, alij norunt vtcunque, ſed ſci-
entes & volentes officium negligunt, quos ſanè ab officio remouendos, ſi ſunt inſanabiles abſque omni
miſericordia iudico. Crudelis eſt enim miſericordia, quæ dum vni præſtatur, multis cedit in interitum.
Atque inſpectores, qui ferunt tales paſtores, ſeipſos potius, quam gregem Chriſti paſcentes, grauius ſibi
iudicium accerſunt. Requiruntur autem in fideli paſtore hæc quatuor. Primum cognitio ſanæ doctrinæ,
quæ profecto haberi nequit ſine magnis laboribus, longo ſtudio, aſsidua verbi Dei lectione, & pia eiuſ-
dem meditatione. Secundum donum docendi, & certa docendi forma. Niſi enim quis aptus ſit ad docen-
dum, & ea quæ recte nouit vtiliter alijs tradere poſſit, inutilis eſt Eccleſiæ paſtor. Tertium accommodā-
di prudentia ſeu peritia τȣ̃ ὀρθοτομεῖν (vt verbo Pauli vtar) verbum Dei. Vt enim ſtultus medicus iu-
dicatur is, qui omni morborum generi vnam medendi rationem accommodat: Ita doctor verbi Dei, niſi
pro conditione hominũ accōmodat verbũ, imperitus conſendus eſt. Ignaros enim docebit, infirmos eriget,
pigros excitabit, ſceleratos obiurgabit, ac minis percellet illorum animos, vt reſipiſcant, contumaces diſci-
plina Eccleſiæ puniet, hoſtibus ora obſtruet. Sic Chriſtus feciſſe legitur: ita Paulus faciendũ præcipit. Quar-
tũ ſanctitas vitæ. Debet enim pius paſtor forma gregis eſſe iuxta Pauli ſententiam. Et Chriſtus vult pa-
ſtores prælucere alijs bonis operibus. Qui harum partiũ vel minimā neglexerit, fraudulenter facit opus
Domini: ideoq́ maledictus voce Domini pronũciatur. His officijs ſeu partibus, ſi rite fungerētur pleriq́, nō
tam molli fruerentur otio. Sed ter ſtulti ſumus, qui plus puluerem & cinerem timemus, quam Deum vi-
uentem. Multo rectius faceremus, ſi propoſitis nobis comminationibus diuinis, cogitaremus Deum haud
impune laturum violationem ſui pacti. Tametſi enim ſtatim, vbi offenſus fuerit, non punit: tamen vere
peccata hominum tanquam in faſciculo ligat, & recondit, donec ei viſum fuerit iniquitates noſtras vi-
ſitare. Ligata eſt, inquit Propheta, iniquitas Ephraim, reconditum eſt peccatum eius. Diu cumulauerũt
ſcelera ſacerdotes Leuitici, ſed tandem Deo iuſtas pœnas dederunt. Et Malachias ſacerdotibus pactũ
Leui violantibus ait ex verbis Domini: Et ego reddam vos contemtibiles & humiles omni populo, quo-
niam non cuſtodiſtis vias meas, hoc eſt, quia violaſtis pactum Leui. Si quis autem quærit qualenam
fuerit illud pactum, audiat eundem Prophetam dicentem: Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis, de-
dique ea illi ob timorem. Timuit enim me, & à facie nominis mei contritus fuit ipſe. Lex veritatis fuit
in ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labiis eius: in pace & æquitate ambulauit mecum, & multos
reuocauit ab iniquitate, Labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius,
quia legatus Domini exercituum eſt. Habes his Prophetæ verbis pulcherrime deſcriptum pactum, quod
Dominus cum Leui pepigit. Dominus pacem & vitam promittit, ſed timenti ſe & rite fungenti ſuo of-
ficio. Vt enim in omni pacto eſt mutua obligatio: ita & hic. Deus promittit pacem & vitam: Leui Deũ
timet, & recipit, ſe commiſſam legationem cum fide & diligentia obiturum. Numerat autem hic partes
pacti à parte Leui plures, quarum prima eſt timor Dei, qui ſincerus eſſe nequit, niſi à fide proficiſcatur.
Secunda: Lex veritatis in ore eius, hoc eſt, doctrina vera, ſancta & pura. Tertia: Et iniquitas non eſt in-
uenta in labiis eius, hoc eſt, falſam & fucatam doctrinam fugit, atque adeo vt peſtem deteſtatur quic-
quid ex ore Domini non hauſit. Quarta: In pace & æquitate ambulauit, hoc eſt, ſtuduit vitam ſuam cō-
ponere ad normam iuſtitiæ meæ. ſeruando pacem & æquitatem cum proximis. Quinta: Et multos reuo-
cauit ab iniquitate, ſcilicet doctrina, correptione, cōminatione, deinde & vitæ ſanctimonia, idq́ nomine
Domini exercituũ, cuius eſt legatus. Hæc de pacto Leui, & comminatione Sacerdotum violantium pactũ
iſtud, ideo à me dicta ſunt, vt & me & mei ſimiles, qui in locum Leui ſucceſſimus, excitem ad officium
præſtandum, niſi malimus promiſſa à Deo vita & pace excidere. Porro quoniam pars pacti eſt, vt puram
& ſinceram Dei doctrinam tradamus ſinguli pro ſuæ vocationis, & gratiæ modulo, Ego prima religionis
rudimenta in hoc libello explicare ad captum puerorum inſtitui. Si quis autem hunc meum laborem &
conatum improbare velit. propterea quod multi extent libelli, qui hanc doctrinam puerilem profiten-
tur, iique à præſtantiſſimis viris conſcripti, ei zelum quidē permitto ſuum, modo ipſe viciſſim meũ mihi
officium non adimat. Similis zelus fuit in Ioſuah filio Nun, qui cum audiret Eldad & Medad in caſtris
Dei prophetare, voluit vt Moſes eos prohiberet. Sed quid ad hæc Moſes? Vtinam (inquit) vniuerſus po-
pulus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

pulus Domini Prophetæ eſſent,& quod daret Iehouah Spiritum ſuum ſuper eos. Ioſuah zelo Moſis ægre tulit,quod alij,quàm ipſe,prophetarent. Sed Moſes zelo Dei optat omnib. Propheticum ſpiritum, vt omnes coniunctis viribus regnum Chriſti ornent & amplificēt. Ego igitur etſi Moſen aſſequi non poſſum: non tamen iudico mihi tacendum eſſe, cum Eldad & Medad ſit etiam locus prophetādi in caſtris Dei. At ſi quis non Ioſuæ zelo,ſed leuitate animi noſtrum improbet factū,ei reſponſum volo,quod olim Demoſthenes ſuis Sycophantis reſpondit, ἐπιτιμᾶν μὲν παντός ἐστι, συμβουλεύειν δὲ οὐ παντός.

Tibi autem verande Præceptor hanc meam Catecheſin dedicare volui,vt extaret meæ erga te gratitudinis teſtimonium. Tua enim inſtitutione & ope ita me,dum ſub tua ferula fui adiutum fuiſſe agnoſco & profiteor,vt progreſſus,qualeſcunque ſecuti ſunt,tibi haud immerito acceptos feram. Nam me non ſolum in religionis rudimentis fideliter inſtituiſti: verùm etiam cùm fortunæ meæ eſſent plus ſatis tenues,benigne me tuis facultatibus ſubleuaſti. Hanc tuam liberalem manum hodie quoque exoſculantur multi,qui apud vos literas & pietatem ſub præceptoribus,eruditione & pietate præſtantibus, Magiſtro Petro Paulino, & Magiſtro Andrea Laurentio diſcunt. Prudenter enim & piè illud poetæ cogitas: Quas dederis ſolas ſemper habebis opes. Oro Patrē Domini noſtri Ieſu Chriſti,vt te & illos adeoque omnes venerandos collegas capituli veſtri,in ſui nominis gloriam,& ſcholæ veſtræ optime conſtitutæ conſeruationem,quàm diutiſſime incolumes,& in vera pietate concordes, conſtantéſque ſeruare velit. Hafniæ 4. die Decembris,anno à Chriſto nato. 1560.

CATECHISMI

QVÆSTIONES.

QV. *Vnde dicitur Catecheſis?*

Definitio nominis. R. A κατηχεῖν: quod eſt propriè, non ſcripto ſed voce viua doctrinam aliquam tradere.

QV. *Vnde ſumtum eſt vocabulum κατηχεῖν?*

R. Ab antiquo Sacerdotum more,qui myſteria religionis non commendarunt ſcriptis, ſed ea viua tradiderunt voce: idque iis tantum qui ſuis ſacris erant initiati: quem morem, etiam olim fuiſſe ſanctis patribus ante Moſen apparet.

QV. *Teneo vim vocabuli, dic iam clarè quid ſit Chriſtiana catecheſis.*

Definitio Rei. R. Chriſtiana catecheſis, eſt inſtructio in Chriſtiana religione,quæ fit viua voce docentis.

QV. *Quomodo vocatur qui ita docet?*

R. Catecheta, & qui docetur, Catechumenus.

Catechiſmi ſumma. QV. *Quid quæſo ſummatim docet Catecheſis Chriſtiana?*

R. Quòd quemadmodum propter peccatum homines à Deo damnati,à renatu per fidem Chriſti liberentur: ita liberati Deum vero cultu in hac vita colant, ac tandem reſuſcitatis corporibus per Chriſtum vita fruantur æterna.

Capita duo. QV. *Video ſcopum Chriſtianæ catecheſeos,age capita eius doctrinæ diſtincte trade.*

R. Vniuerſa Catecheſis continet doctrinam duplicem,videlicet rerum & ſignorum: ad hæc enim duo tanquā ad ſumma capita,omnia referri debent, quæ in Chriſtiana catecheſi traduntur.

Doctrina rerum. QV. *Quæ eſt doctrina rerum?*

R. Lex ſeu Decalogus, Symbolum Apoſtolicum,& orandi forma à Chriſto præſcripta.

Signorum QV. *Quæ eſt doctrina ſignorum?*

R. Doctrina de Baptiſmo & Cœna Domini, quę duo Sacramenta ab Eccleſia dicuntur, cuius appellationis ratio ſuo loco explicabitur.

QV. *Quæ ſunt partes Catecheſeos?*

Partes. R. Quinque numerātur, doctrina legis ſeu Decalogus, Symbolum, Oratio, Baptiſmus & Cœna.

QV. *Quomodo hæ partes ſcopo Catecheſeos ſeruiūt?*

Vſus. R. Vt lex Deum monſtrat, peccatum reuelat, damnationem oſtendit, verum Dei cultum præſcribit: Ita Symbolum liberationē à peccato per Chriſtum fieri indicat: quæ liberatio fide apprehenſa, vt oratione expetitur: ita Sacramētis obſignatur & cōfirmatur, donec tandem in poſſeſſionem vitæ æternæ per Chriſtum peruenerimus.

DE PRIMA PARTE CATECHISMI.

QV. *Quæ eſt prima pars Catechiſmi?* *De lege Dei.*

R. Doctrina legis diuinæ ſeu Decalogus.

QV. *Quid habes quod neceſſario de lege Dei tenendum eſt?*

R. Id paucis quibuſdam quæſtionibus complectar.

QV. *Quæ ſunt?*

R. 1. Quàm varia ſit acceptio vocabuli legis. *Summa capita.*
2 Quid ſit lex moralis, quæ Decalogus dicitur.
3 An legi morali quiſquam ſatisfacere poſſit.
4 Quiſnam ſit legis diuinæ vſus.
5 Quatenus lex ſit abrogata.
6 Quomodo Chriſtus legem impleuerit.
7 Quæ ſit legis ſumma.
8 Quæ legis appendices.
9 Quæ legis diuiſio.
10 Cur lex Dei lapideis tabulis ſit inſculptā.
11 Quodnam ſit diſcrimen Legis & Euangelij.
12 Quæ ſint partes legis, & quæ partium legis explicatio.

DE PRIMA QVÆSTIONE.

QV. *Quaſnam habet acceptiones vocabulum legis?*

Variæ vocabuli ſignificationes. R. 1. In genere quamuis doctrinam ſignificat, Nam Hebræis nomen à docendo habet, quibus lex dicitur Thora à Iara, id eſt, docuit, vt in illo: lex Domini immaculata.i. doctrina cœleſtis, eſt pura.

2 Quoties opponitur lex Prophetis, ipſum Moſen cum pentateucho deſignat, vt in illo dicto Pauli ad Rom.3. Iuſticia fidei teſtimonium habet in lege & in Prophetis.

3 Quando opponitur lex Euangelio, pro lege morali & eius appendicibus ſumitur, vt in illo Pauli: Nos iuſtificamur fide abſque operibus legis.

4 Lex oppoſita gratiæ iram Dei & damnationem ſignificat, vt in illo Pauli: Nos non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia.

5 Cum opponitur lex veritati, vmbras legales notat, vt in illo Iohannis: Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM. Hic lex, & damnationem cui opponitur gratia & vmbras legales quibus opponitur veritas, ſignificat.

6 Lex oppoſita tēpori Chriſti exhibiti, notat totā Moſis politiā cū regno & ſacerdotio, vt in illo Pauli

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ad Galat.3. Priuſquam venit fides ſub lege cuſtodiebamur.

7 Lex interdum accipitur pro imperio ſeu vi ad aliquid impellendi, quæ vis intelligitur ex caſu addito: vt cùm dicitur, lex peccati, lex membrorum, lex mentis, lex ſpiritus. in quibus dictis lex per Metonymiam pro vi impellente accipitur, idque nunc in bonam partem, nunc in malam.

8 Lex interdũ pro eo cui additur accipitur, vt cùm dicitur ad Rom.3. Lex fidei, id eſt, fides, & lex operũ, id eſt, opera. Hęc varia ſunt vocabuli legis ſignificata, quorum applicatio ex periſtaſi locorum facilè intelligi poteſt.

DE SECVNDA QVÆSTIONE.

Qv. *Quid eſt lex moralis quam Decalogum appellamus?*

[Legis Dei ſeu Decalogi definitio.]

R. Eſt præceptio diuina requirens ab omni homine perfectam, puram, & perpetuam obedientiam erga Deum, quę vt promittit vitam & ſalutem obedientibus: ita mortem & damnationem comminatur ijs, qui hanc obedientiam non præſtant. vocatur autem moralis, quia perpetua viuendi regula eſt, ad quam mores cuiuſque ſunt exigendi.

DE TERTIA QVÆSTIONE.

[An legi poſsimus ſatisfacere.]

Qv. *Poteſtne quiſquam legi morali in hac vita ſatiſfacere?*

R. Nemo ſanè, præter Chriſtum ſolum.

Qv. *Quomodo id probas?*

R. Ex Paulo quatuor demonſtrationes colliguntur, quarum prima à naturæ prauitate ſumitur, quî enim fieri poteſt, vt ex impuro & fœtido fonte, pura & limpida aqua hauriatur?

2 Sumitur ex vniuerſali experiẽtia, Nam cùm omnes morti, quæ eſt pœna violatæ legis obnoxij ſunt, ſequitur totum genus humanum tranſgreſsionis legis diuinæ reum eſſe.

3 Sumitur ex Scripturę teſtimonio, qualia plurima ſunt, Omnes declinauerũt & inutiles facti ſunt: Item non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

4 Sumitur à neceſsitate victimæ Chriſti, vnde Galat.2.21. Si ex operibus eſt iuſtitia, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Proinde cùm Chriſtus non ſit fruſtra mortuus, ſequitur neminem ex operibus iuſtificari poſſe, Nemo igitur legi ſatisfacit.

Has quatuor demonſtrationes memoriæ cauſa, his verſibus concludo.

Natura, experientia, verbum, victima monſtrant,
Quòd nullus lege iuſtificetur homo.

DE QVARTA QVÆSTIONE.

Qv. *Quis eſt vſus legis moralis?*

[Triplex vſus.]

R. Legis moralis vſus triplex eſt, externus, internus, & ſpiritualis. *Primus* ad externum hominem pertinet, quem lex externè regit. *Secundus* internum hominem ſpectat, quem lex accuſat, damnat, reúmque coram Deo peragit. *Tertius* ad nouum hominem refertur, quem lex in cultu Dei vero dirigit, Eſt enim lex ſanctis norma vitæ. Hunc legis triplicem vſum, hoc diſticho complector:

Lex hominem regit externum, veteriſque reuelat
Errores, vitæ eſt regula ſancta nouo.

[Vſus externus.]

Qv. *Cur primum vſum vocas externum?*

R. Quia ad externum hominem in hac vitæ conſuetudine pertinet, qui vſus propter quatuor cauſas neceſſarius eſt, quas hoc verſu complector.

Mandatum, pœna, pax publica, dux ad Ieſum.

Confirmatur autem hic vſus ad Galatas 3.24. his verbis. Lex pædagogus ad Chriſtum.

[Internus.]

Qv. *Cur ſecundum vſum vocas internum?*

R. Quia pertinet ad conſciẽtiam hominis, quam ream arguit & damnat: Lex enim regula eſt, ad quam conſcientia ſingula opera, quæ à nobis fiunt, exigit & examinat. Cùm enim quid à nobis factum ſit iuxta regulam legis, iudicio mentis approbatur, quod iudicium in corde ſequitur lætitia: Contra ſi factum aberrat à legis regula, iudicio mẽtis damnatur, quod iudicium ſequitur in corde dolor, & pauor propter imminentem pœnam. Confirmatur autem hic vſus Rom.3.20. Per legem eſt agnitio peccati.

Qv. *Cur tertium vocas ſpiritualem?* [Spiritualis.]

R. Quia ad hominem ſpiritu renatum pertinet, quem inſtruit in vero Dei cultu, præſcribítque certam viuendi regulam. Confirmatur hic vſus Ezech. 20.19. In præceptis meis ambulate.

DE QVINTA QVÆSTIONE.

Qv. *Quatenus lex eſt abrogata?*

R. Lex triplex eſt, Moralis, Ceremonialis, & Iudicialis. Prima habet duas partes, quæ ſunt, Norma vitæ, & appendix de promiſsionibus & cõminationibus. Norma vitę nec in hac vita nec in futura abolebitur. Deus enim perpetuam dilectionem erga ſe & ſuam creaturam ſuo ordine requirit. Comminationes conuerſis ſunt abolitæ, iuxta illud Pauli: Non ſumus ſub legẽ, ſed ſub gratia. Item ad Galatas 3.13. Chriſtus pro nobis factus eſt maledictum. Promiſſiones autẽ fiunt pijs ratæ in Chriſto. Cæterùm non conuerſi, legi toti cum ſua damnatoria ſententia obnoxij ſunt, iuxta illud: Maledictus eſt qui non fecerit omnia quæ ſcripta ſunt in libro legis. Galat.3.10. [Moralis comminationes cõuerſis ſunt abrogatæ.]

Lex ceremonialis abolita eſt, quo ad vſum, non quo ad ſignificationem. Nam res quas figurabant ceremoniæ, ſunt æternæ. [Ceremonialis quo ad vſum.]

Lex iudicialis quo ad vſum eſt libera, poteſt enim ea magiſtratus vti vel non vti. At quantum ad ſignificationem attinet, perpetua eſt. Nam politia Moſis, regni Chriſti typus erat. [Iudicialis, quoad vſum libera.]

DE SEXTA QVÆSTIONE.

Qv. *Quomodo Chriſtus impleuiſſe legem dicitur?*

R. Quantum ad Moralem attinet, cui omnes homines obnoxij ſunt, primum reſpõdeo, quòd eam quatuor modis impleuerit. 1. Perfectè obediendo legi Dei: nullum enim vnquam peccatum contra legem Dei fecit, ſed eam plena erga Deum & proximum dilectione adimpleuit. 2. Deriuando in ſe ius damnatorum legis. 2.Cor.5.21. Eum qui nõ nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. 3. Infundẽdo conuerſis ſpiritum ſanctum, vt ipſi iam quæ legis ſunt facere incipiãt, Qui enim ſpiritu Dei ducuntur, hi ſunt Filij Dei. Ro.8.14. 4. Transformando nos plenè ad ſuam ſimilitudinem, quod futurum eſt in æterna vita, vnde illud Pauli ad Galat. Nos ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Ceremonialem autem legem impleuit Dominus, dum id quod ceremonijs ſignatum erat, opere compleuit. Idem de Iudiciali lege ſentiẽdum eſt. Cæterum modus impletæ per Chriſtum legis moralis hoc diſticho complexus ſum. [Moralẽ 4. modis impleuit.] [Ceremonialem & Iudicialẽ.]

Implet dum præſtat, dum ius damnabile tollit,
Pneumate dum donat, dum ſua regna dabit.

DE SEPTIMA QVÆSTIONE.

Qv. *Quæ eſt ſumma legis Moralis?*

R. Dilectio Dei & proximi. Sic enim Paulus ait 1.Timoth.1.5. Summa legis eſt dilectio. Idem probatur Deuter. 6.5. & Matthæi 22.37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & proximum tuum ſicut teipſum. [Dilectio Dei & proximi.]

Qv. An

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Qv. *An non aliud requirit lex quam affectum dilectionis?*

Dilectio quid.

R. Dilectionis voce Synecdochicos intelligitur omnis affectus coniunctus cum dilectione, & omnis actio interior & exterior, quam naturaliter requirit dilectio, per quam dilectio vera ſe prodit & veluti conſpiciendam præbet.vt enim qui diligit Deum,eum ſimul timet, colit,prædicat,inuocat,& patienter ab eo promiſſa expectat,omnia quæ grata illi ſenſerit faciens:ita qui proximum amat,ſuperiores ſe reueretur,pares complectitur, inferiores ſubleuat,atque omnia omnibus quæ vtilia ſenſerit, & vult & facit.Poteſt & ita reſpõderi ad quæſtionem, quod lex doceat in ſumma,quid expetẽdum & quid fugiendum ſit,Vt enim expetendum eſt honeſtum: ita quod turpe eſt,fugiẽdum eſt:& hac ratione ſumma legis hoc verſu continetur.

Quis ſit honeſti,quis turpis fons lege docetur.

Quis autem ſit honeſtatis,& contra quis turpitudinis fons,continetur hoc diſticho.

Primus honeſtatis fons eſt dilectio:contra,
Turpia progenerat ſæua cupido tibi.

DE OCTAVA QVAESTIONE.

Qv. *Quæ ſunt legis appendices?*

Appendices legis.

Ego ſum Dominus Deus tuus, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me,& non cuſtodiunt mãdata mea: Et faciens miſericordiam in millia his, qui diligunt me,& cuſtodiunt præcepta mea.

R. Hvc & illa dicta pertinent: Qui fecerit ea, viuet in eis.Et,Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis. harum appendicum vſum vide ſupra in declaratione quartæ quæſtionis.

DE NONA QVAESTIONE.

Qv. *Quæ eſt legis diuinæ diuiſio?*

Triplex legis diuiſio.

R. Plures ſunt legis diuinæ diuiſiones, quarum tres ſunt præcipuæ.

Prima:legum diuinarum, Alia eſt Ceremonialis, alia Iudicialis,alia Moralis.

Qv. *Quæ eſt Ceremonialis?*

R. Quæ ritus Eccleſiaſticos,ceremonias, & ſacrificia gubernat, Cuius vſus in templo fuit Solomonis.

Qv. *Quæ eſt Iudicialis?*

R. Quæ iudicia & controuerſias forenſes moderatur.

Qv. *Quæ eſt Moralis?*

R. Quæ mores omnium regit, & normam viuendi vniuerſalem hominibus præſcribit.

Secunda. Legum alia eſt præceptiua,vt quæ præcipit aliquid operis fieri. Alia prohibitiua, vt quæ prohibet quæ fieri non conuenit.

Tertia. Legum alia immediate Deum reſpicit. Alia circa officia hominibus debita,verſatur.

DE DECIMA QVAESTIONE.

Cur ſcripta in lapidibus.

Qv. *Cur lex in lapideis tabulis eſt exarata?*

R. Hoc Symbolicũ eſt: Monet enim hoc Symbolo Deus,tantam duritiem noſtrorum cordiũ eſſe, vt nõ prius lex Dei in ea inſcribi poſſit, quàm De s ſuo digito ea adaptauerit, legémque ſuam ipſe iis inſcripſerit.hæc ſymbolica ſignificatio hoc diſticho continetur.

Saxea lex Moſis,tibi ſaxea pectora ſignat,
Mollia quæ digitus fecerit ipſe Dei.

Deinde etiam lapidearum tabularum ſymbolo ſignificatur, quod Deus nolit vlla vetuſtate ab ɔlere obedientiam,quam in lege morali requirit.

DE VNDECIMA QVAESTIONE.

Qv. *Quodnam eſt diſcrimen Legis & Euangelij?*

Diſcrimẽ legis & Euangelij, quadruplex.

R. Quadruplex eſt: *Primum* ſumitur à notitia, quia lex natura quodammodo nota eſt:Euangelium autem nullo modo rationis acumine percipitur. At ſi quis quærit,cur lata ſit lex,quæ natura nota eſt. Is ſciat ob tres cauſſas id factum eſſe: Quarum prima eſt,vt legis naturæ autoritas, no॰ahac publicatione confirmaretur. 2. Vt quæ per conſuetudinem peccandi & ſceleratorum multitudinem latere cœperant,manifeſtarentur. 3. Vt conſtaret certa Deum colendi ratio, ne pij Ethnicis & Philoſophicis ſuperſtitionibus à vero Dei cultu abducerentur. Has tres cauſſas memoriæ cauſſa hoc diſticho complector.

Cur data lex nota eſt? vt confirmetur,vt altè
Mentibus inſideat:vt pia corda regat.

Secundum ſumitur à promiſſionũ differẽtia, promiſſio enim legalis habet cõiunctã conditionẽ impletæ legis:Sed promiſſio Euangelij,non habet annexã conditionẽ impletæ legis, ſed tãtum fidei quæ oblatum per Euangelium beneficium apprehendit, ac poſtea ſuos germanos edit fructus.

Tertium ſumitur à differentia virtutum vtriuſque, Lex enim occidit,& eſt miniſterium mortis, Euangelium autem viuificat, & eſt vitæ miniſterium 2. Corint.2.

Quartum ſumitur ab obiectis,legis enim comminatio ad impœnitentes & non ad conuerſos pertinet: Euangelij promiſſio ad pœnitentes, & non ad impœnitentes pertinet, quemadmodum propoſitis exemplis docet Chriſtus Lucæ 7.Matth.22.Nam apud Lucam teſtatur Chriſtus ad mulierem pœnitẽtem pertinere gratiam Euangelij,Et apud Matthæũ teſtatur comminationem legis pertinere ad ſuperbum legiſperitum. Hoc quadruplex legis & Euangelij diſcrimen complector hoc diſticho.

Notitia & promiſſio,vis,ſubiectaque,quantum
Lex ab Euangelio differat,ecce docent.

DE DVODECIMA QVÆSTIONE.

Qv. *Quot ſunt partes legis diuinæ?*

Partes legis.

R. Decem ſunt Decalogi præcepta,quæ duobus continentur capitibus,quę ſunt.Dilige Iehouah Deum tuum ex toto corde tuo &c. Et proximum tuum vt teipſum.

Qv. *Quid prius caput continet?*

Summa primæ & ſecundæ tabulæ.

R. 1. Mandatum homini datum.
2. Affectum dilectionis.
3. Obiectũ ad quod ille affectus referendus eſt.
4. Cauſſa indicatur, Cum dicitur: Dominum Deum tuum,iſta enim pronomina cauſſas dilectionis inſinuant.
5. Modum dilectionis, videlicet quod ex toto corde,ex tota ànima,ex totis viribus. Eadem quinque continentur ſecundo capite.

Qv. *Chriſtus dicit in Euangelio,ſecundum ſimile eſſe priori,quomodo id intelligendum ſit, expone.*

R. Non in ordine,non in obiecto,nõ in dilectionis gradu,iſta ſimilitudo eſt poſita, Nam dilectio Dei ordine prior eſt,obiecto dignior, & gradu ſuperior dilectione hominis. Eſt enim Deus præ omnibus diligẽdus & ante omnia & ſuper omnia: Sed ſimile in affectu, Nam vtrumque requirit dilectionem,In obligatione, Nam vtrumque obligat vel ad obedientiam vel ad pœnam, Et in conſecutione obedientiæ iuxta illud Iohan. is dictum: Q ıi dicit ſe diligere Deum, & proximum ſuum odit, mendax eſt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Methodus. Qv. *Da methodum explicandi ſingula præcepta.*

R. In ſingulorum præceptorum explicatione hæc quinque dici poſſunt.

1 Quid mandet lex.
2 Quid vetet.
3 Quam habeat obedientia promiſſionem.
4 Quam habeat violatio legis pœnam.
5 Quis ſit vſus legis externus,internus,& ſpiritualis.Hæc quinque diſticho hoc complector.

Lex mandat,prohibet,promittit,& indicat iram,
Additur his vſus qui meditandus erit.

De primo præcepto.

Primi præcepti. Qv. *Recita primum præceptum?*

R. Ego ſum Iehouah Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: Non habebis Deos alienos coram me.

Ratio. Qv. *Quæ eſt ratio huius præcepti?*

R. Quòd Deus conditor rerum, ſolus ſit omnium bonorum fons & dator.

Finis. Qv. *Quis Finis?*

R. Vt omni idololatria & impietate abiecta, ipſe ſolus habeatur Deus noſter, & ſolus à nobis vero cultu colatur.

Summa. Qv. *Quid continent hæc legis verba?*

R. Duo.Procemium,& expoſitionem præcepti: procemium enim eſt,

Ego Iehoua Deus tuus,qui eduxi te de terra Ægypti.
Expoſitio autem præcepti,
Non habebis Deos alienos coram me.

Procemij ſenſus. Qv. *Quid ſibi vult procemium?*

R. Hoc continet duo:Primum,modum cognoſcendi Deum per verbum & beneficium Dei: verbum eſt, *Ego Iehouah Deus tuus,&c.*
Beneficium, *Qui eduxi te de terra Ægypti.*
Deinde continet procemium confirmationem legis diuinæ à poteſtate,promiſſione & beneficijs præſtitis,De quibus latiùs vide Enchiridion noſtrum.

Præcepti expoſitio. Qv. *Quid habet expoſitio?*

R. Hæc vt meminit alienorum Deorum & veri Dei:ita præcipit vt verum Deum habeas, & alienos Deos fugias ſeu non habeas.

Qv. *Quid eſt habere Deum?*

R. Eſt mente,affectu,voluntate, adeoque omnibus viribus Deum complecti.

Qv. *Quomodo mente complectimur Deum?*

Duplex Dei notitia. R. Quando in mente eſt vera notitia Dei, videlicet quod ſit vnus & æternus Deus, Pater, λόγος, & Spiritus ſanctus,quod hic Deus ſit fons omnis boni,quod ſuas creaturas amet, quod ad ſe confugientes iuxta promiſſiones velit iuuare: Et contra contumaces punire.Hæc in genere vera Dei notitia eſt, quæ in duas formas diſtinguenda eſt. Eſt enim alia notitia Dei Legalis,alia Euangelica.

Qv. *Quomodo affectu amplectimur Deum?*

Duplex erga Deũ affectus. R. Cùm ex vera Dei notitia naſcitur affectus congruens notitiæ, vt timor Dei, fiducia, dilectio, ſpes: Sed diſcernendum eſt inter fiduciam legalem & Euangelicam,quarum illa naſcitur ex notitia Dei legali,hæc oritur ex notitia Dei Euangelica.

Qv. *Quomodo Deum complectimur voluntate?*

Voluntas R. Cùm ex mentis recto iudicio & puro animi affectu naſcitur voluntatis alacritas ad imperandum omnibus viribus,vt Deo obedientiam præſtent.

Vires. Qv. *Quomodo Deum complectimur viribus?*

R. Cùm ipſæ vires interiores & exteriores voluntati alacriter imperanti, quæ mens rectè iudicat, & affectus purè ſuadet, obſequuntur, & imperata pręſtant.

Opera primi præcepti. Qv. *Quæ ergo opera in hac lege præcipiuntur?*

R. Ea colliguntur ex ijs quæ dicta ſunt, videlicet amor verbi Dei,notitia Dei,timor,fiducia, dilectio,alacris voluntas,& ſtudium omnium virium obediendi Deo.

Qv. *Quæ opera prohibentur hac lege?*

R. Ea partim continentur in hoc dicto, habere Deos alienos: partim ex Antitheſi operum præceptorum extruuntur.

Qv. *Quid eſt ergo Deus alienus,& Quid eſt habere Deos alienos?*

Dij alieni quid. R. Cùm in plurali dicit alienos Deos,ſignificat multa eſſe,quæ hominibus loco Dei eſſe ſoleant. Eſt autem loco Dei homini,quidquid homo fingit ſibi ex quo pendet, & vnde auxilium ſperat, & opem, abſque vero timore veri Dei. Vnde auaritia à Diuo Paulò idololatria dicitur.

Qv. *Poſſuntne ſtatui certa genera alienorum Deorum?*

Varij Dij alieni. R. 1 Poſſunt quidem:Primum enim alieni Dij ſunt idola Gentium.
2 Sancti, cùm illis ab hominibus diuinus honos exhibetur.
3 Bona interna, & externa animi,corporis,& fortunæ, Adeoque omne in quo homines gloriari ſolent.Quicunque enim hæc mente,affectu, voluntate amplectitur abſque timore Dei, alienos dicitur habere Deos. Licet quidem, imò oportet creaturas Dei ſuo ordine diligere,modò illius dilectionis fons ſit verus Dei timor:idola autem, quæ ſunt opera Satanæ,perpetuò execrari oportet.

Qv. *Quæ opera ex Antitheſi prohibita eſſe colligis?*

Peccata in primũ præceptũ. R. Cùm amore verbi Dei pugnat odium verbi: cùm notitia Dei pugnat ignoratio Dei, & omnis falſa perſuaſio de Deo,vt Philoſophorum & Hęreticorum,vt qui de diuinitate non rectè ſentiunt:In quorum numero eſt Epicurus,& Gręci Philoſophi omnes.Item qui de perſonis non rectè iudicat,vt Arius, Sabellius, & multi alij: Item qui de voluntate Dei perperam ſentiunt, vt qui de gubernatione, prouidentia, promiſſionibus & comminationibus, erroneum habent iudicium.

Cum timore pugnat ſecuritas, cum fide diffidentia,cum dilectione fremitus ſub cruce, cum ſpe deſperatio & ἀνελπιστία, cum alacritate voluntatis, auerſio voluntatis, & cum virium promtitudine,ad obediendum ignauia, & torpor,& quæ græcè dicitur ἀκηδία.

Qv. *Quæ ſunt præmia obedientiæ huius præcepti?*

Obedientiæ præmium. R. Fauor Dei & miſericordia iuxta promiſſiones legi additas:verùm quia nemo legi ſatisfacit,pręmia promiſſa tantummodo conferuntur conuerſis.

Qu. *Quæ pœna violatæ legis huius?*

Pœna. R. Maledictio,& damnatio, & viſitatio iniquitatis in tertiam & quartam generationem,iuxta cõminationes huic legi additas.

Qv. *Quis eſt vſus huius legis?*

Vſus 1. præcepti. R. Vt examines tuam conſcientiam ad legis normam, & ſentẽtiam legis mente recolas hoc pacto. *Primò*, in hoc examine cùm videas te legi non ſatisfeciſſe,agnoſce peccatum tuum,agnoſce te legis diuinæ tranſgreſſorem eſſe.*Secundò*,agnoſce ſententiam legis,aduerſus te latam,iuſtam eſſe.*Tertiò*,fuge peccatum, expaueſce ad iram Dei, & dole quòd Deum tuo peccato offenderis. *Quartò*, confugito vera fide ad Chriſtum peccati expiatorem,& veniam delicti viua fiducia expete.*Quintò*, Nactus remiſſionem peccatorum fide Chriſti,redi ad regulã legis, & iuxta illã vitam tuam quãtum quidem id fieri poteſt

componito,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

componito, ac ita cum Dauide orato: Spiritum rectum innoua in viſceribus meis, Et da mihi vt ambulem in lege tua. Hæc noua obedientia etſi imperfecta eſt, placet tamen in renatis propter Chriſtum. Hic vſus ſimili modo accommodari etiam debet reliquis præceptis.

Qv. *Quid, eſtne pars primi præcepti prohibitio ſculptilium?*

Secundi Præcepti expoſitio.

R. Etſi reuera ſecunda lex eſt, quemadmodum omnes veteres tradunt, & confirmatur ex Deuteronomio: tamen ne cum conſuetudine recepta Eccleſiarum noſtrarum pugnare videamur, coniungamus hanc legem cum prima, præſertim cùm nihil referat, ſiue diſtinguatur à prima, ſiue coniungatur, modò ex Decalogo non excludatur.

De interdictione ſculptilium.

Qv. *Quid ergo interdicto ſculptilium prohibetur?*

R. Duo hoc interdicto prohibentur: Vnum ne Deum vlla effigie exprimere tentemus.

Qv. *Quæ eſt huius prohibitionis ratio?*

R. Effigies Dei manu hominis expreſſa cedit in contumeliam diuinæ Maieſtatis.

Qv. *Quî ſic?*

R. Quia Deus eſt expers corporis, inuiſibilis, & infinitus: Effigies autem omnis ex materia corporea fit, & eſt viſibilis, & terminis clauditur, quare in Deum ſummè contumelioſa eſt.

Alterum quod prohibetur eſt, ne incuruemus nos coram vllo idolo cauſſa religionis.

Interdicti ratio.

Qv. *Quæ eſt huius interdicti ratio?*

R. Is qui hoc facit, *Primum* inuertit naturæ ordinem, dum ſubiicit ſe infra creaturas, quarum dominus eſt conſtitutus immemor ſuæ dignitatis. *Deinde* ſacrilegium committit, tribuens creaturæ cultum, qui ſoli Creatori debetur, Glorificate inquit Deum in ſpiritu, & in corpore veſtro quæ ſunt Dei. Quicunque igitur coram lignis & lapidibus religionis cauſſa procumbunt, ſerpentem adorant, qui ligni fructu primos occidit parentes.

Mandata.

Qv. *Quæ igitur opera hic mandantur?*

R. Vt corpore & anima nos coram Deo proſternamus, idque ex vero Dei timore: Omnis enim obedientia ex timore Dei proficiſci debet.

Præmia & pœnæ.

Qv. *Quæ præmia ſeruatæ, & quæ pœnæ huius legis violatæ ſunt?*

R. Quia obedientia & inobedientia huius legis manat ex obedientia vel inobedientia primæ legis, eadem præmia hîc promittuntur obedientibus, & eædem pœnæ proponuntur tranſgreſſoribus.

Vſus.

Qv. *Quis eſt vſus huius legis?*

R. Idem qui primæ eſt.

QVÆSTIO DE IMAGINIBVS ET IDOLIS.

Triplex vſus imaginum.

Qv. *Licetne ergo vlla habere idola ſeu imagines?*

R. Imò licet. Verùm ne hic erretur, ſciendum eſt
1. eſſe triplicem vſum imaginum Superſtitioſum, Ty-
2. picum, & Politicum: *Superſtitioſus* vſus ſolus damnatur verbo Dei, vbicunque in ſcriptura vel imagines, vel ſculptilia damnantur. *Typicus* vſus erectione ænei ſerpentis in deſerto, & Cherubin in propitiatorio confirmatur. *Politicus* vſus triplex eſt: Hiſtoricus, Symbolicus, & qui ornatus cauſſa adhibetur: horum nullus eſt prohibitus.

3 Qui triplex eſt.

Hiſtoricus.

Hiſtoricus qui ad intelligendas rectius rerum deſcriptiones, & ad memoriam rerum conſeruandam facit, exemplo ſanctorum patrum confirmatur, qui ſtatuas erexerunt in rerum geſtarum memoriam.

Symbolicus.

Symbolicus, qui de re alia nos admonet, vt imago in moneta Cæſaris admonebat Iudæos, quòd Cæſari eſſent ſubiecti. Confirmatur Chriſti facto, qui monetam Cæſaris in manus accipiens, non damnauit imaginem. Circumferebant etiam Apoſtoli monetam Cæſaris imagine inſignitã, qualem & Petrus de ore piſcis accepit.

Ornatus cauſa adhibitus.

Qui ornatus cauſſa adhibetur, Solomonis confirmatur exemplo, & Dei etiam mandato, qui variis picturis voluit ſuum ornari templum. Quare hic vſus reprehendi non debet.

Qv. *Sed quid dicis de Trinitatis imagine?*

Trinitatis imago.

R. Prophanum inuentum eſt, & voce Dei prohibitum: verùm ſi loco primæ perſonæ poneretur nubes, vnde vox ſonuit, adſcriptis verbis: Hic eſt Filius meus dilectus: & deinde Columba, & effigies Chriſti hominis exprimeretur, hiſtoriæ conſeruandæ gratia, nihil haberet impietatis. Sed pingere Deum Patrem ſenis alicuius barbati forma, magna eſt impietas, prohibita voce Dei.

Imagines quomodo libri laicorum.

Qv. *Suntne imagines, libri laicorum?*

R. Concedo id quidem, ſi tantũ hiſtoriæ cauſſa, & non ſuperſtitionis gratia, adhibeantur. Verùm in menſa Dominicæ Cœnę, ſculptilia, vel imagines poni poſſe ſine periculo non arbitror, præſertim cùm homines nimis proni ſunt in ſuperſtitionum labyrinthos.

DE SECVNDO PRÆCEPTO.

Summa præcepti.

Qv. *Quodnam eſt ſecundum præceptum?*

R. Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum: Cuius Antitheſis eſt. Aſſumes nomen Domini Dei tui legitime & recte, id eſt, ſanctificabis nomen Dei.

Ratio.

Qv. *Quæ eſt ratio huius præcepti?*

R. Quòd Deus conditor rerum, ſolùs ſit omnium bonorum fons & dator?

Finis.

Qv. *Quis Finis?*

R. Vt Maieſtas nominis Dei inter homines habeatur ſacroſancta.

Nomen Dei quid.

Qv. *Quid eſt nomen Dei?*

R. Eſt cum ipſe Deus, tum quidquid de eo digne dici poteſt, vtpote omne, quod in eius noticiam, famam & gloriam vergat.

Mandata.

Qv. *Quæ opera hac lege mandantur?*

R. Omnia quæ faciunt ad nominis Dei noticiam, famam, & gloriam promouendam inter homines: vt ſunt,

1 Inuocatio.
2 Prædicatio factorum Dei.
3 Gratiarum actio.
4 Glorificatio.
5 Confeſsio.
6 Cultus iuſiurandi.

Prohibita.

Qv. *Quæ opera prohibentur hac lege?*

R. 1. Quidquid pugnat cum vera inuocatione Dei, vt non inuocare, ſine fide inuocare, frigide inuocare, non intellectis verbis orare, inuocare ſãctos.

2 Quidquid pugnat cum gratiarum actione, vt non agere gratias Deo, Phariſaica oſtentatio ſine fide, boatus in templis, & conducticia opera Monachorum & ſacrificulorum, qui fumum vendunt.

3 Quidquid pugnat cum prædicatione operum, & iudiciorum Dei, vt iudicia & opera Dei non recte æſtimare, ſilere beneficia Dei.

4 Quidquid pugnat cum glorificatione, vt ſcandaloſa vita ſchiſmata, & contentiones.

5 Quidquid pugnat cum confeſsione, vt abnegatio Dei, fidem celare propter hominũ amicitiam, vel odiũ, nõ ingenue fateri, cui religioni quis ſit addictus.

6 Quidquid pugnat cum cultu iuriſiurandi, vt periuratio, execratio, in iurando leuitas.

De præ-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

De præmijs, pœnis, & vſu, vide primum præceptum.

DE TERTIO PRÆCEPTO.

Summa præcepti.
Qv. *Quodnam eſt tertium Præceptum?*
R. Memẽto vt diem Sabbati ſanctifices.

Ratio.
Qv. *Quæ eſt ratio huius Præcepti?*
R. Quòd Deus conditor rerum ſolus omnium bonorum ſit fons & dator.

Finis.
Qv. *Quis finis?*
R. Vt proprijs operibus emortui, veram ſanctificationem operibus à Deo mandatis meditantes, ſinamus nos à Deo ſanctificari.

Expoſitio
Qv. *Quid eſt Sabbatum? Quid ſanctificare? & quid Sabbatum ſanctificare?*

Sabbatũ, quid. Sanctificare quid
R. Sabbatum eſt ſeptimus ſeptimanæ dies, in quo Dominus quieuit poſteaquam ſex diebus creaſſet cœlum & terram. Sanctificare, in genere eſt aliquid ſegregare à prophano vſu, purum & incontaminatum ſeruare, adeoque vſui ſacro, cultuíque diuino deſtinare.

Sabbatũ ſanctificare, quid
Proinde ſabbatum ſanctificare, eſt ſeptimum ſeptimanæ diem ab vſu prophano ſegregare, illum purum & incontaminatum ſeruando, ſacro ac diuino cultui deſtinare.

Locus, de Sabbato.
Qv. *An non Moſaicum Sabbatum eſt abolitum?*
R. Eſt quidem quantum ad ceremoniam, & certæ diei ſeruatæ à Iudæis obſeruationem: Sed non quantum ad Genus attinet, Symbolicam ſignificationem, & Typum.

Qv. *Quodnam eſt illud genus?*

Genus Sabbati non ſublatum.
R. Vt in ſingulis ſeptimanis, vnum aliquem diem ſegregemus à prophano vſu, & illum diuino cultui deſtinemus, atque adeo Apoſtolos imitemur, qui primum diem ſeptimanæ in locum vltimi ſubrogarunt, quem ideo vocarunt κυριακὴν, quia & Dominus eo die reſurrexit, & cultui Dei is dies deſtinari debet, quemadmodum ex Apocalypſi patet.

Qv. *Quæ eſt ſymbolica ſignificatio, ſeu typus?*

Typus Sabbati non abrogatus.
R. Significatio ſabbati commodè in triplex tempus diuidi poteſt, Præteritum, Præſens, & Futurum: Si præteritum ſpectes, ſabbatum fuit typus quietis Dei ab operibus ſuis poſt rerum creationem, vnde μνημόσυνον rerum creatarum fuit. Deinde typus fuit requiei populi Dei in terra Canaan, poſt multos in Ægypto exhauſtos labores, quemadmodum ex Pſalmo, Epiſtola ad Hebræos indicat. Præterea adumbratio fuit Sabbatiſmi Domini requieſcentis in ſepulchro peractis redemptionis noſtræ laboribus. Si præſens tempus Eccleſiæ reſpicias, Sabbatum fuit figura quietis conſcientiarum à peccatorum procellis, poſt liberationem à regno Diaboli per Chriſtum ducem. Deinde ſignum eſt, quòd Deus nos ſanctificet, iuxta illud Exod.21. Ezech.20. Sabbata mea dedi eis, vt eſſent ſignum inter me & eos, vt ſcirent, quòd ſim Iehouah qui ſanctifico eos: huius ſanctificationis & nos admoneant noſtra feſta.

Poſtremo, adumbrat vitam ſanctorum perpetuò in meditatione quietis cœleſtis tranſigendam.

Si tempus futurum reſpicias, Sabbatum fuit typus conſummationis mundi, Quemadmodum enim ſex dies operationis Dei in creatione mundi adumbrabant ſex annorum millia, iuxta dictum Eliæ: Ita ſabbatum ſignificat æternitatem quietis in cœlo, & ſabbatiſmum illum beatum perpetuò duraturum, quem ſancti expectant.

Sabbati Iudaici obedientia.
Qv. *Quibus in rebus ſita erat obedientia ſabbati apud Iudæos?*
R. In vacatione totius familiæ ab operibus ſeruilibus, in ceremoniarum & ſacrificiorum obſeruatione, in meditatione legis Dei, in fidei & charitatis exercitijs. Vt ergo iſta opera præcepta erant, ita his contraria prohibita.

DE FESTIS CHRISTIAnorum.

Triplicia Chriſtianorũ feſta.
Qv. *Quotuplicia ſunt feſta Chriſtianorum?*
R. Triplicia. Dominicus dies, Feſta ſaluatoris, Memoriæ ſanctorum.

Dominicus Dies.
Qv. *Cur Dominicus dies obſeruatur?*
R. Conſeruandi miniſterij, exercendæ pietatis, ordinis & diſciplinæ gratia.

Feſta Saluatoris.
Qv. *Cur feſta Saluatoris obſeruantur?*
R. Primò, vt ordine diſcatur hiſtoria. Secundò, vt ſigillatim perpendantur beneficia. Tertiò, vt beneficijs rectè vtamur, in Dei gloriam, & noſtram ſalutem.

Memoriæ ſanctorũ.
Qv. *Cur feſta celebrantur ſanctorum?*
R. Multis ſanè de cauſis. 1. vt cognoſcatur hiſtoria Eccleſię. 2. vt cogitentur beneficia Dei erga membra eccleſiæ. 3. vt gratiæ Deo pro ipſis agantur. 4. vt varij ſanctorum caſus perpendantur. 5. vt ſanctos imitemur in pœnitentia, vita, cultu, confeſſione, conſtantia, patientia, & alijs virtutibus. 6. vt pijs ſuſpirijs ſanctorum expetamus conſortium.

Opera Chriſtianorum feſtorum.
Qv. *Quæ ſunt opera Chriſtianorum feſtorum?*
R. 1. Abſtinere ab operibus impedientibus ſanctificationem ſabbati. 2. Sacris cœtibus reuerenter intereſſe. 3. Partem doctrinæ cœleſtis, quam proponit Eccleſia piè meditari. 4. Ceremonijs cum ſumma grauitate & religione vti. 5. Sanctificationi animæ & corporis ſtudere per opera primi & ſecundi pręcepti. 6. Familiam ſuam piè exercere, inſtruendo, monendo & corripiendo. 7. Exemplo Chriſti & ſanctorum, opera charitatis exercere viſitando ægrotos, conſolando triſtes, iuuando egenos.

Prohibita
Qv. *Quæ opera prohibentur?*
R. Cum operibus præceptis pugnantia.

Vt cum primo, ſeruilia opera impedientia miniſterium, & voluptuaria.

Cum ſecundo, vel non intereſſe ſacris, vel ſine fructu intereſſe, vel cum ſcandalo intereſſe.

Cum tertio, docentem non audire, ſed vel contemnere, vel culpare, ſi culpa vacat.

Cum quarto, vel nunquam vti ſacramentis, vel ſine fide vti, vel malè de ſacramentis ſentire, vel honeſtas & graues Ceremonias calumniari.

Cũ quinto, Impuritati animę vel corporis indulgere.

Cum ſexto, vel familiam negligere, vel eam auocare à ſacris, vel prauè inſtituere, vel non explorare quantum in pietate proficiat.

Cum ſeptimo, nulla ægrotorum, triſtium, & egenorum cura tãgi, nullis charitatis operibus occupari.

Præmia & pœnæ.
Qv *Quæ ſunt præmia ſeruatæ, & quæ pœnæ violatæ huius legis?*
R. Præmia & pœnæ ſunt hæc ſpecialia, vt enim præmium ſeruati ſabbati eſt profectus in pietate: ita pœnæ eiuſdem violati eſt pietatis naufragium, & piorum exercitiorum iactura.

Vſus.
Vſus huius legis petatur ex primo pręcepto.

DE QVARTO PRAECEPTO.

Summa præcepti.
Qv. *Quodnam eſt quartum præceptum?*
R. Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt prolongentur tibi dies, & bene tibi ſit.

Antequam explicationem ſecundę tabulæ aggrediamur ſciendum venit, quòd omnis obedientia ſecundæ tabulæ oriatur ex obedientia primæ tabulæ: Prima immediatã obedientiam erga Deum, ſecunda verò

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

da verò tabula mediatam poſtulat.

Ratio. Qv. *Quæ eſt ratio præcepti?*

R. Quod Deus ſit amans ordinis, & gratitudinis.

Finis. Qv. *Quis Finis?*

R. Vt conſeruentur in mundo ſtatus, & ordines quos Deus ordinauit.

Honor quid. Qv. *Quid eſt honor?*

R. Honor eſt reuerentia, qua veneramur proximi dignitatem, quam vel ſuſtinet ex officio, vel ex peculiaribus donis Dei habet.

Parentes quid. Qv. *Quid voce parentis ſignificatur?*

R. Nomine Parentis Synecdochicè omnes ſignificantur ſuperiores, ſicut liberorum voce omnes inferiores notantur.

Gradus. Qv. *Diſpone ordine gradus inferiorum & ſuperiorũ?*

R. Parentes	Liberi
Præceptores	Diſcipuli
Tutores	Pupilli
Patresfamilias	Domeſtici
Miniſtri verbi	Auditores
Magiſtratus.	Subditi.

Regvla.

Horum analoga iura & officia requiruntur in hoc quarto præcepto.

Præcepta, triplicia. Qv. *Quotuplicia opera requiruntur hoc præcepto?*

Triplicia.

R. Alia enim reſpectu inferiorum, alia ſuperiorum, alia reſpectu finis huius præcepti, qui eſt conſeruatio ſtatuum in mundo, quos Deus ordinauit.

1. Reſpectu inferiorum. Qv. *Quæ opera mandãtur inferioribus hoc præcepto?*

R. Omnia ſignantur voce honoris, & ſunt hæc præcipua. 1. Statuere ſtatum ſuperiorum eſſe ordinationem diuinam. 2. Libenter ſe ſubiicere poteſtati maiorum. 3. Vera ſtorga parentes complecti. 4. Reuereri. 5. Obedire in honeſtis & licitis. 6. Gratitudinem & beneficentiam exhibere. 7. Errata maiorum ἐπιεικείᾳ tegere, vel prudenter diſſimulare.

2. Reſpectu ſuperiorum. Qv. *Quæ ſunt opera mandata ſuperioribus?*

R. Omnia quæ officiis liberorum iure analogò reſpondent, vt ſunt: 1. Mutuus amor. 2. Diligens educatio. 3. Prudens tractatio, ne vel indulgentia, vel auſteritate nimia perdantur liberi. 4. Liberos in bonis artibus, & pietate erudire. 5. Non facientes officium virgis & pœnis cohibere.

Præceptorum. Qv. *Quæ ſunt opera, quæ præceptoribus mandantur?*

R. 1. Amare diſcipulos.
2 Fideliter docere.
3 Quæ docta ſunt repetere, & examinare.
4 Caſtigare torpentes.

Magiſtratuum & tutorum. Qv. *Quæ ſunt opera quæ mandantur magiſtratibus & tutoribus?*

R. Quia in parentum locum ſuccedunt Magiſtratus & Tutores, eadem ipſis officia incumbunt, licet adminiſtrationis modus varius eſt.

Reſpectu finis. Qv. *Quæ opera requiruntur ratione Finis?*

R. Præter enumerata, recta conſtitutio Rerumpub. & Oeconomiarum, vt nemo in iis ſit otioſus, ſed ſinguli ſuas operas deſtinent conſeruationi totius corporis. Huc leges vtiles, huc iudicia pertinẽt. Commendatur ergo cuique diligens in ſua vocatione functio. Magiſtratus proinde cura erit, vt ſinguli ſuum officium rectè faciant, vt ita humana ſocietas conſeruari poſſit.

Prohibita. Qv. *Quæ opera prohibentur hoc præcepto?*

R. Omnia, quæ enumeratis contraria ſunt, quæ ſunt diſponenda iuxta ordinem operum præceptorum.

Qv. *Quæ ſunt præmia obedientiæ, & quæ pœnæ inobedientiæ?* Præmia & pœnæ.

R. Vt præmia benedictionis: ita pœnæ maledictionis vocabulo ſignantur. Pœnæ ſunt: Infortuniũ, calamitas, vaſtatio familiæ & domus, Rerumpub. turbatio, Eccleſiæ dilaceratio, ac multa alia huiuſmodi.

Qv. *Quis eſt vſus?* Vſus.

R. Vſus idem qui primi, nimirum vt *primùm* examinemus noſtrum factum ad normam legis. *Deinde* delictum conſpicientes, doleamus ob commiſſum peccatum. *Tertiò*: vt ſentientes ſententiam legis confugiamus ad Chriſtum. *Quartò*: nacti remiſsionem peccatorum, ad legem redeamus, vt tum demum nouam obedientiam præſtemus Deo.

De qvinto praecepto.

Qv. *Quodnam eſt quintum præceptum?* Summa præcepti.

R. Non occides.

Ideſt. Tu homo non occides proximum, id eſt, quemuis alium hominem. Antitheſis.

Vitam proximi conſeruabis.

Qv. *Quæ eſt ratio huius præcepti?* Ratio.

R. Quia homo conditus eſt ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, homo non debet hominem occidere. Geneſ. 9. 6.

Qv. *Quis eſt Finis?*

R. Vt mutuis officiis, & mutua beneuolentia hominũ ſocietas inter ſeſe coaleſcat & conſeruetur. Finis.

Qv. *Quid eſt occidere?*

R. Eſt perſonam proximi quouis modo lædere. Explicatio.

Qv. *Quid eſt proximus?*

R. Quilibet homo, ſiue bene ſiue malè nobis velit: ſeu quilibet, ſiue bene, ſiue malè meritus eſt de nobis, ſiue ſit peregrinus, ſiue domeſticus, iuxta parabolam de Samaritano.

Qv. *Quæ opera prohibentur hoc præcepto?*

R. Duplicia, ſcilicet: Prohibita.

Quæ ſunt gradus ad externum homicidium, & ipſum externum homicidium.

Qv. *Qui ſunt gradus ad externum homicidium?*

R. Cogitata, affectus, dicta & facta pugnantia cum dilectione proximi. Gradus.

Cogitata & affectus: vt impatientia, faſtidium, contemtus proximi, vindictæ cupiditas, ira, inuidia.

Dicta: vt maledictum, conuitium, obtrectatio. Facta, vt inſultatio, prouocatio, pulſatio, & huiuſmodi multa, quæ continentur in generibus poſitis.

Qv. *Quid eſt externum homicidium?*

R. Eſt hominem contra legis iuſtitiam, ſententia, vel manu de medio tollere. Factum.

Qv. *Quæ opera præcipiuntur?*

R. Hoc ex comparatione contrariorum liquet, & ex deſtinatione eorum quæ finem præcepti concernunt. Præcepta.

Qv. *Quæ comparatione colliguntur?*

R. 1 Patientia	6 Clementia
2 Beneuolentia	7 Affabilitas
3 Facilitas	8 Benedicẽtia
4 Comitas	9 Beneficẽtia.
5 Placabilitas	

Qv. *Quæ reſpectu finis requiruntur?*

R. Iuſtitia particularis, qua paribus reddimus officia: Miſericordia, qua afflictis & egenis ſuccurrimus, & fortitudo animi, qua oppreſſos defendimus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Præmia. Qv. *Quæ ſunt præmia obedientiæ?*

R. Beati,inquit dominus,mites, Beati pacifici, beati miſericordes. Et Iohannes:Deus caritas eſt, & qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo. Talia ſunt multa corporalia & ſpiritualia præmia, quæ voce benedictionis continentur: Remittite & remittetur vobis.

Pœnæ. Qv. *Quæ ſunt pœnæ tranſgreſſioni additæ?*

R. Qui,inquit dominus,ſanguinẽ hominis effuderit,effundetur & ſanguis eius:Item, qui gladium acceperit,gladio peribit, inquieta vita, multiplex periculum.

De ira ſuperiorum. Qv. Sed quid de præceptoribus, parentibus & magiſtratu dicendum eſt,qui interdum iraſcuntur, & magiſtratus haud raro hominem è medio tollit.

R. Hæc ſunt officia diuinitus illis commendata:verùm cauendum eſt,ne illorum officium vitioſis corrumpatur affectibus.

Qv. *Qualis quæſo ira in præceptoribus, parentibus, atque aliis ſuperioribus ferenda?*

R. Quæ ex bona cauſſa,id eſt,amore erga proximum procedit moderate ad bonum finem, id eſt, ad conſeruationem & emendationem proximi.

Vſus. Qv. *Quis vſus?*

R. Idem qui eſt ſuperiorum.

DE SEXTO PRAECEPTO.

Summa Non mœchaberis.

Ratio. Qv. *Quæ eſt ratio huius præcepti?*

R. Quia Deus puriſſimus,& caſtiſſimus eſt ſpiritus,requirit ab omni rationali creatura, puritatem & caſtitatem.

Finis. Qv. *Quis eſt finis huius præcepti?*

R. Vt abnegata omni immunditia,in vera ſanctitate imaginem Dei repræſentemus,ac ſocietatem coniugalem à Deo mandatam amplectamur.

Prohibita Qv. *Quæ opera prohibentur?*

R. Triplicia: 1. quæ ſunt gradus ad libidinem animi vel corporis.

2. Signa quæ declarant libidinem.

3. Externum factum expreſſe prohibitum.

Qv. *Qui ſunt ergo gradus hic prohibiti?*

R. 1. Occaſio:vt otium,malum ſodalitium. 2. Cogitatio impura. 3. Affectus inordinatus,concupiſcentia praua. 4. Intemperantia omnis.

Qv. *Quæ ſunt ſigna teſtantia libidinem animi?*

R. 1. In ſermone ſpurcities. 2. Amatoriæ cantilenæ. 3. In vultu procacitas. 4. Nutus libidinoſus. 5. In inceſſu mollities. 6. In habitu deliciæ ad excitandam libidinem compoſitæ.

His adiiciuntur concertationes & certamina potandi,prouocationes ad libidines,gula,ebrietas,quæ omnia in otio tanquam in molliſſimo puluinari recumbunt.

Qv. *Quodnam eſt externum factum præcepti?*

R. Omnis vſus Veneris extra honeſtum coniugium:vt raptus,fornicatio,adulterium,inceſtus,& nefandum illud Sodomiticum flagitium.

Præcepta. Qv. *Quæ opera præcipiuntur?*

R. 1. Animi,& corporis caſta puritas. 2. Cõtinentia. 3. Sobrietas. 4. Refrenatio pullulantium affectuum. 5. Caſta honeſtas in dictis, geſtibus & factis. Præterea etiam omnia exercitia quæ faciunt ad conciliandam, & conſeruandam caſtitatem: & diligens commiſſi muneris functio, ieiunium, corporis caſtigatio, abſtinentia à rebus prouocantibus hominem breuiter mortificatio veteris Adami.

Qv. *Quæ ſunt præmia ſeruatæ legis?* Præmia

R. Multiplicia ſanè ſunt. 1. Deus delectatur habitare in caſtis animis. 2. Dominus ait, Beati mundi corde,quoniam ipſi Deum videbunt. 3. Bona conſcientia. 4. Felix in aliis rebus ſucceſſus. 5. Exemplum caſtitatis ornatur præmiis ſpiritualibus, & corporalibus.

Qv. *Quæ ſunt pœnæ violatæ legis?* Pœnæ.

R. 1. Deus deſerit impurum animum & expellitur Spiritus ſanctus. 2. Satan ingreditur domum ſibi aptiſſimam. 3. Mentis iudicium corrumpitur,iuxta illud:Fornicatio,vinum & ebrietas auferunt cor. 4. Errores in omnibus actionibus. 5. Mala conſcientia. 6. Infamia. 7. Varij morbi. 8. Æternus interitus, niſi maturè occurratur per pœnitentiam.

Qv. *Quis eſt vſus?* Vſus.

R. Idem qui & ſuperiorum.

Qv. *Quomodo Paulus exaggerat violationem huius præcepti?* Sex D. Pauli aduerſus ſcortationem argumenta

R. Sex argumentis, quorum *primum* ſumtum ab ordinatione Dei. Corpus deſtinatum eſt Deo, Ergo horrendum ſcelus eſt iſtud libidine contaminare.

Secundum ſumitur à nobilitate corporis:Corpora Chriſtianorum ſunt membra Chriſti,Ergo horrendum ſcelus eſt illa ſcortis communicare.

Tertium à grauitate ſceleris:Reliqua peccata ſunt extra corpus, ſed qui ſcortatur in proprium corpus peccat.

Quartum à deſtinatione corporum Chriſtianorum:Sunt enim corpora Chriſtianorum templa Spiritus ſancti,Ergo grauiſſimum ſcelus eſt,illa vlla libidine contaminare.

Quintum ſumitur à iure diuino,naturali,& ciuili: Res emta eſt ſub iure emtoris. Chriſtiani ſunt emti ſanguine Chriſti, Ergo,grauiſſimum flagitium eſt ea libidine contaminare.

Sextum ſumitur à fine noſtrorum animorum, & corporum,Glorificate,inquit Paulus, Deum in ſpiritu,& corpore veſtro,quæ ſunt Dei.

Qv. *An contra hoc innatum vitium libidinis nulla ſunt remedia?* Remedia

R. Imò ſunt potiſſimùm quatuor,hoc diſticho comprehenſa.

Ores,caſta legas,ieiunes,otia vites,
Si ſeruare voles corpora caſta Deo.

DE SEPTIMO PRAECEPTO.

Qv. *Quodnam eſt ſeptimum præceptum?* Summa præcepti

R. Non furaberis.

Qv. *Quid eſt furari?*

R. Eſt quocunque modo facultatibus proximi inſidiari,& eas ſibi vſurpare.

Qv. *Quæ eſt ratio præcepti?* Ratio.

R. Cùm Deus iuſtiſſimus ſit, vult vt ad normam ſuæ iuſticiæ ſuum cuique tribuamus.

Qv. *Quis eſt Finis præcepti?* Finis.

R. Vt noſtra ſorte contenti, ſuum cuique tribuamus, ac communem ſocietatem communibus officiis foueamus,ac iuuemus.

Qv. *Quæ opera prohibentur?* Prohibita.

R. Cauſſa,videlicet cupiditas habendi, & eius effectus,nimirum furtum.

Qv. *Sed quotuplex eſt furtum?* Furtum duplex.

R. Duplex.Humanum,& Satanicum. Humanum rurſus duplex:Aliud enim in rebus committitur,aliud in iure.

Qv. *Quæ furti genera committuntur in rebus?* Humanũ in rebus.

R. 1.

R. 1. Clancularia alienæ rei ſurreptio.
2. Violentia, cui rapina, & præda ſubiicitur.
3. Impoſtura, quæ committitur in

Pondere.	Menſura.
Numeratione.	Contractu.
Rerum permutatione.	Fucatis mercibus.
Rerum falſa prædicatione.	

4. Prætextus iuris, videlicet cum ſpecie aliqua iuris aliena ad nos transferimus.
5. Prætextus donationis, cùm videlicet ſuperiores aliquid ab inferioribus petunt, quod ipſis negare non audent.

Humanū in iure.

Qv. *Quando furtum committitur in iure?*

R. Quando aliis, quod ipſis vel ex pacto, vel ex officio debemus, non præſtamus, vt cum negas operario mercedem, vel quandocunque homines non reddūnt ſibi mutuo charitatis officia.

Debitorū duo genera.

Qv. *Age, poſtquam incidimus in mentionem debiti, explica nobis debitorum rationem?*

R. Cùm Paulus inquit, nemini quicquam debeatis, niſi hoc, vt alij alios diligatis, Significat duo eſſe debitorum genera. Quorum vnum omnino ſoluendum eſt, ita vt amplius non debeas. Alterum ſoluendum quidem ſemper, ſed non ita ſolui poteſt, quin perpetuò debitor maneas. Res mutuo acceptas vbi ſolueris non amplius debes, proximum nunquā ita dilexeris, quin adhuc debitor maneas.

Differentia vnde.

Qv. *Sed vnde huius duplicis debiti differentia petenda eſt?*

R. Ex duplici obligatione: Quarum vna eſt ciuilis, altera naturalis. *Ciuilis* obligatio eſt, cum legibus magiſtratus ad ſoluendum debitum cogimur. *Debita*, quę hac obligatione debentur, vult reddi Paulus, ſicuti & hoc præceptum, Non furtum facies, *Naturalis* obligatio, quæ & diuina dicitur, eſt, cum lege naturæ & diuina cogimur ad ſoluendum debitum. Lex naturæ eſt, quod vis tibi, hoc facito alteri, & cōtra: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Lex diuina, dilige proximum tuum ſicut teipſum. Iuxta hoc debiti genus, ſemper manemus debitores, & iuxta quod boni viri ſemper inueniunt, quod proximo debeant, quemadmodum Samaritanus qui ſpoliatum Iudæum refocillauit.

Diabolicum furtum.

Qv. *Quodnam eſt diabolicum furtum?*

R. Quod committitur ad imitationem Diaboli, qui animos primorum parentum auocauit à Deo, vt ſibi adhærerent. Sic Abſolon dicitur furatus eſſe corda virorum David, cuius furti rei peraguntur, Qui animos diſcipulorum à pręceptoribus auellunt, ſubditorum à magiſtratu, liberorum à parentibus, ſeruorum à dominis &c. 2. Samuel. 15. 6.

Præcepta.

Qv. *Quæ opera mandantur?*

R. 1. αυταρκεια, qua quis ſua ſorte contētus viuit.
2 Labor probus in honeſta vocatione.
3 Commutatiua iuſticia ſeruans æqualitatem in contractibus.
4 Liberalitas, & miſericordia.
5 Vſus facultatum legitime acquiſitarum pius, & ſanctus. De hoc rerum vſu vide Enchiridion, in loco diuitiarum.

Præmia

Qv. *Quæ ſunt præmia præſtitæ legis?*

R. Eadem quæ quarti præcepti, iuxta illud: Pōdus habebis iuſtum & multo viues tempore: Item, qui fœneratur Domino, miſeretur pauperis: Item Pſalmus: Miſeretur, ac commodat iuſtus, & ſemen eius in benedictione erit.

Pœnæ.

Qv. *Quæ ſunt pœnæ violatæ legis?*

R. Prout ſunt varia furtorum genera: ita & pœnæ ſunt variæ. Et quoniam fures non ſolum politicam ſocietatem turbant, contra quartum præceptū, Verum etiam Oeconomias euertunt, incurrunt in varias pœnas, vt ſunt maledictio, mala conſcientia, infamia, damnum in rebus; iuxta illud: Væ qui prædaris, quoniam ſpoliaberis ipſe. Et Auguſt. Nemo habet iniuſtum lucrum ſine iuſto damno, furatur quis veſtem, & fidem amittit, in arca eſt lucrum iniuſtum, in conſcientia damnum.

Vſus.

Qv. *Quis eſt vſus?*

R. Idem qui eſt ſuperiorum?

Qv. *Docetne præter hæc aliud hoc præceptum?*

R. Imò, duo docet: *Primò*, quod lege diuina ſanciatur diſtinctio dominiorum.

Secundò, quod pius poſsit iuſtè acquirere facultates, atque eas rectè poſsidere, contra furores Anabaptiſticos.

De Octavo Præcepto.

Summa præcepti

Qv. *Quodnam eſt octauum præceptum?*

R. Non reſpondebis falſum teſtimonium aduerſus proximum tuum.

Ratio.

Qv. *Quæ eſt ratio præcepti?*

R. Quia Deus eſt verax, vult ſuam creaturam amantem eſſe veritatis, & fugere quidquid eſt falſum & fictum.

Finis.

Qv. *Quis eſt Finis?*

R. Vt veritatem ſine fuco colentes, placidius & tranquillius in humana ſocietate viuamus.

Prohibita.

Qv. *Quæ opera hac lege prohibentur.*

R. Quæcunque ſub nomine falſi teſtimonii intelligi poſſunt.

Falſum teſtimonium.

Qv. *Quot modis committitur falſum teſtimonium?*

R. Duobus ſcilicet: In iudicio, & extra iudiciū.

In indicio.

Qv. *Quomodo in iudicio?*

R. Cum vel actor falſam accuſationem intēdit, vel defenſor inficiatur quæ vere obiiciuntur, vel teſtis aut ignota aut falſa teſtatur, vel iudex aliquo affectu corruptus peruertit veram ſententiam. Prohibētur ergo hic falſa accuſatio, mendax defenſio, vanum teſtimonium, & legis curruptio.

Extra iudicium.

Qv. *Quomodo committitur falſum teſtimonium extra iudicium?*

R. Tribus modis. Animo, lingua, facto.

Animo.

Qv. *Quomodo animo?*

R. Cum animus malam ſuſpicionem de proximo fouet, & non candide, vt par eſt, de eo iudicat.

Lingua.

Qv. *Quomodo lingua?*

R. Docendo praua, calumniando ea, quæ vel bene dicta ſunt, vel mitigari interpretatione poſſunt, detrahēdo aliis honorem & exiſtimationem, criminando, & quouis modo mentiendo.

Facto.

Qv. *Quomodo facto?*

R. Omni hypocriſi in vita & moribus, item picturis & ſignis non iuſtam analogiam ad res ſignatas habentibus, qua in re peccant haud raro pictores, qui dant rebus formam, quam ipſi fingunt.

Præcepta.

Qv. *Quæ opera mandantur?*

R. In iudicio, amor, & veritas in actore, defenſore, teſte & iudice: Extra iudicium, amor veritatis, candor animi, rectum iudicium de proximo, temperantia linguæ. Iacobus: vt ſitis tardi ad loquendum,

Præmia.

Qv. *Quæ ſunt præmia ſeruatæ legis?*

R. Eadem quæ quartæ, iuxta illud Pſalm. 34. 13. Si quis homo vult vitā, & diligit videre bonos dies, cohibe linguam tuam à malo, ne labra tua loquantur dolum. Item Prouerb. 21. 23. Qui cuſtodit os ſuū & linguam ſuam, à tribulatione animam ſuam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

cuſtodit. Lucæ 6.37. Nolite iudicare & non iudicabimini.

Pœnæ. Qv. *Quæ ſunt pœnæ violatæ legis?*

R. Eædem quæ primæ & quartæ legis, vt in exemplis apparet Doech, ſenatorum falſo accuſantium Suſannam, Ananiæ, Hoſtium Danielis, &c.

Vſus. Qv. *Quis eſt vſus?*

R. Vt agnito reatu noſtro deploremus tranſgreſſionem, ac confugiamus ad Chriſtum, cuius fide iuſtificati conabimur hanc legem vita exprimere.

Qvæstio de Mendacio.

Mendacium. *Eſtne omne mendacium prohibitum?*

Triplex eſt mendacium: Perniciosum, iocoſum, & officioſum.

Pernicioſum. Pernicioſum, quo vel gloria Dei obſcuratur, vel proximus læditur, idque vel in perſona, vel in fama, vel in rebus: hoc mendacij genus cū fide ſtare nequit.

Iocoſum. Iocoſum eſt duplex: Alterum ex petulantia ſeu libidine mentiendi naſcitur, abſque tamen læſione alicuius, Sed tantum hoc quæritur, vt auditores εὐτραπελίᾳ demulceantur: hoc quia non decet Chriſtianam grauitatem, fugiendum eſt. Aliud rebus deſcribendis ſeruit: vt Apologi, Dramata. Hoc genus, quia vtilem finem habet & cum charitate non pugnat, nequaquam eſt damnandum.

Officioſum. Officioſum, quo vt nullus læditur: ita aliqua vtilitas ſemper ſpectatur.

Obſtetrices mentitæ ſunt Pharaoni, Raab meretrix ſuo magiſtratui, Dauid fugiens Saulem, regi Achis Hoc genus vmbra pietatis tegitur, Etſi pugnare cum ſimplicitate Chriſtiana videtur.

De nono et decimo praecepto.

Summa præcepti. Non concupiſces rem proximi.

Antitheſis.

Toto corde ſis proximo carus & vtilis.

Ratio. Qv. *Quæ eſt ratio præcepti?*

R. Quia Deus ſanctus & purus eſt, & ab omni mala concupiſcentia alienus, vult nos puritati & ſanctitati ſtudere.

Finis. Qv. *Quis eſt finis?*

R. Vt nulla cupiditas cum charitate Dei & proximi pugnans humanos animos perturbet, & à recto auocet.

Concupiſcentia quid. Qv. *Quid eſt concupiſcentia in genere?*

R. Eſt bonarum, malarumúe rerum appetitus.

Qv. *Quid eſt concupiſcentia mala quæ hic prohibetur.*

R. Eſt innata ex propagatione corruptæ naturæ corruptio, inclinatio ad res illicitas, & prauitas qua exemplo noſtrorum parentum, qui diuinitatem appetiuerunt, æſtuamus, & ea quæ non deberemus appetimus.

Prohibita Qv. *Quæ opera prohibentur hac lege?*

R. 1. Damnatur hic peccatum originis. 2. Appetitio alienarum rerum, omnium malorum fons, παντων μὲν πρωτιστα κακῶν ἐπιθυμια ἐστί. hanc Plato θηρίον πολυκέφαλον nominauit. 3. Cupiditatum aſſenſus. 4. Cupiditatum geſtus.

Præcepta. Qv. *Quæ opera mandantur?*

1. Boni concupiſcentia legitima.
2. Humani cordis puritas perfectiſſima.
3. Vt non minori cura res proximi ſaluas cupiamus quam noſtras.
4 Perpetua mortificatio.

Qv. *Eſtne concupiſcentia mala in prioribus præceptis prohibita?*

R. Eſt quidem, ſed diſcernendum eſt inter fontem & riuulos, hic fons intercludi præcipitur, illic riuuli, hic paſſiua cōcupiſcētia, illic actiua prohibetur.

Præmia. Qv. *Quæ præmia frænatæ concupiſcentiæ?*

R. Omnis primæ & ſecundæ tabulæ promiſſiones huc pertinent. Nam ex frænata concupiſcentia, Obedientia erga totam legem naſcitur.

Pœnæ. Qv. *Quæ ſunt pœnæ laxatæ concupiſcentiæ?*

R. Omnes quæ in ſuperioribus præceptis recitatæ ſunt.

Vſus. Qv. *Quis vſus?*

R. Vt agnitum Originis malum deploremus, ac confugiamus ad communem medicum Chriſtū, rogantes vt ſuo ſanguine nos purificet, quo aliqua ei grata faciamus.

DE II. PARTE CATECHISMI.

Qv. *Quæ eſt ſecunda pars Catechiſmi?*

Symbolū Apoſtolicum. Quid ſit. R. Symbolum Apoſtolicum.

Qv. *Quid eſt Symbolum Apoſtolicum?*

R. Eſt ſummaria quædam comprehenſio articulorum ſeu capitum Chriſtianæ religionis, quæ totius doctrinæ Chriſtianæ veluti fundamentum eſt.

Qv. *Quæ eſt ratio nominis?*

Ratio nominis. R. Quia hæc fidei profeſſio, eſt veluti nota, & teſſara quædam militaris quę Symbolum appellatur. Quemadmodum enim milites mundani ſuo ſymbolo teſtantur, & cui ſeruiant, & cuius ſint hoſtes: Ita Chriſtiani hac fidei ſuæ profeſſione teſtantur ſe & Chriſto regi ſeruire, & eſſe hoſtes diaboli, & membrorum eius.

Qv. *Cur Apoſtolicum dicitur?*

R. Quia vel ab Apoſtolis conſcriptum eſt, & quaſi per manus traditum Eccleſiæ, quemadmodum vetuſtas credidit: vel quia Apoſtolica doctrina nititur tanquam fundamento firmiſſimo.

Summa. Qv. *Quid in ſumma docet hoc Symbolum?*

R. Monſtrat nobis Deum & eius opera, ac veram ſalutis viam per fidem in Deum indicat.

Partes. Qv. *Quæ ſunt partes Symboli?*

R. Quatuor ſunt partes.

1. De Deo patre.
2. De Deo filio homine facto.
3. De Deo Spiritu ſancto.
4. De Eccleſia, & Dei erga eam beneficiis. De his partibus, & quid ſentiendum ſit, & quid credendum confitendúmque, ipſum ſymbolum docet.

Prima pars. Qv. Qvæ est Prima pars Symboli.

R. Credo in Deum patrem, omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

Præcipua capita I. partis. Qv. *Declara hanc partem?*

R. Id certa quadam methodo conabor facere. In ſingularum itaque partium declaratione, hæc membra conſiderentur ſparſim.

1 Quænam res cognoſcenda proponitur, vt eius perſpicua noticia habeatur.

2. Rei propoſitæ confirmatio per ſcripturæ ſententias.

3 Qualis requiratur fides.

4 Vſus noticiæ, & fidei.

Pater. Qv. *Quæ res proponitur nobis in hac prima parte?*

R. Quod prima perſona vnius diuinitatis ſit verus, & æternus Deus, pater omnipotens, creator cœli & terræ.

Qv. *Cuius nos admonet appellatio Dei?*

Deus. R. Primum, quod ſit vnus Deus æternus natura,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tura,qui trinus eſt in perſonis,pater,filius, & Spiritus ſanctus.

2 Quod hic vnus æternus Deus ſit fons,& autor omnis boni.

3 Quòd ex hoc bonitatis fonte liceat haurire omnibus iis,qui eum inuocant.

4. Quòd tametſi longanimis ſit,& tardus ad iram, ſeuerisſimus tamen ſit ofor eorum, qui aduerſus ſe ſunt contumaces.

Deus Pater.

Qv. *Cur pater dicitur Deus?*

R. Duplici reſpectu: 1.Reſpectu filij vnigeniti, qua ratione ſola prima perſona trinitatis Pater dicitur.

2. Reſpectu hominum: Idque vel ratione creationis,quia hominem ad imaginem ſuam creauit, qua re ſuum paternum animum declarauit: Vel ratione gubernationis,Sap.14. Omnia pater tua prouidentia gubernas:Vel ratione adoptionis,iuxta illud: Adoptauit nos in filios in dilecto: Vel ratione donationis,vnde à Iacobo dicitur pater luminum,id eſt, autor omnium bonarum rerum. Atque hoc ſecundo reſpectu, non vna aliqua perſona, ſed tota trinitas Pater dicitur.

Doctrinæ.

Qv. *Quid hinc colligendum eſt?*

R. 1. Quod Deus erga nos paternam curam gerat,iuxta illud Pſal. ſicut pater miſeretur filiorum ſuorum:ita Dominus miſeretur timētium ſe. 2. Hinc concipienda fiducia erga illum,quòd nos nolit abiicere,iuxta illud Eſaiæ, Nunquid mater poteſt obliuiſci filij ſui,etſi illa oblita fuerit,ego non obliuiſcar.

3. Vt ei debitum officium præſtemus.

Qv. *Quid ergo huic patri tam clementi debemus?*

R. Etſi omnia ei debeamus, tamen ea quatuor capitibus contineri poſſunt.

Primum enim debemus illi honorem, iuxta illud Mala.6.Si ego ſum Pater veſter,vbi eſt honor meus?

2. Debemus ei imitationem,Ieremiæ 3. Patrem me vocabis,& poſt me ingredi non ceſſabis. Imitatio autem hæc ſita eſt in tribus potiſsimum.

1. In dilectione,Epheſ.5. Eſtote imitatores Dei vt filij cariſsimi,& ambulate in dilectione. 2. In Miſericordia Lucæ 8.Eſtote miſericordes ſicut Pater veſter miſericors eſt. 3. In perfectione,Matth.5.Eſtote perfecti ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.

3. Debemus ei obedientiam, cum quia pater eſt, ídque filij vnigeniti exemplo,tum ob beneficiorum cumulum,præterea ob fructum obedientiæ. poſtremo propter vitandas pœnas. 4. Debemus ei patientiā in cruce & afflictionibus,his de cauſis, 1. Propter exemplum filij vnigeniti. 2. Propter mandatum Dei,Prou.3. Diſciplinam Domini fili mi ne abieceris. 3. Propter fructum patientiæ, In ſilentio & ſpe poſſidebitis animas veſtras.

Omnipotens.

Qv. *Cur addit Symbolum* Omnipotentem?

R. Hoc Epitheton proprium Dei eſt, vnde quinque colligamus.

1. Quòd omnia poſsit quæ velit,vult autem & quæ promiſit paterne, & quæ comminatus eſt iuſte.2. Quòd nulla potentia poſsit ei reſiſtere, aut eum impedire. 3. Quod conſeruaturus ſit Eccleſiam ſuam, vel in medio hoſtium, Id enim promiſit paterne. 4.Quòd ſit perditurus olim hoſtes Eccleſiæ, Id enim iuſte comminatus eſt. 5. Admonentur cum pij, tum impij: Pij quidem,vt ſpem futuræ liberationis promiſſæ non abiiciant,Impij vero iudicij & damnationis,niſi mature reſipiſcant.

Creator.

Qv. *Cur addit* creatorem cœli & terræ?

R. Vt hoc argumento eius omnipotentiam conuincat.

Obſeruanda in creatione. 1. Dei virtus.

Qv. *Quid in creatione ſpectandum eſt?*

R. Omnipotentia,ſapientia,iuſticia & bonitas. Omnipotentia, quod ex nihilo condiderit omnia. Sapientia,quòd ordine condiderit.Iuſticia in gubernatione & prouidentia conſpicitur. Bonitas in communicatione ſuorum donorum.

Finis.

Qv. *Quis eſt finis creationis?*

R. Vt Deus laudetur,& celebretur, iuxta illud: Omnia propter ſeipſum creauit.

Vſus creationis.

Qv. *Quis vſus creationis?*

R. Vt nos in timore Dei,cum ſumma reuerentia vtamur creaturis Dei in Creatoris gloriam.

Teſtimonia.

Qv. *Quæ ſunt teſtimonia,quibus prima Symboli pars confirmatur?*

R. Deut.6.4. Audi Iſraël, Iehoua Deus noſter Iehouah vnus eſt. Malach.2.10. Nunquid non pater vnus omnium noſtrum, Nunquid non Deus vnus creauit nos Pſalm.33.6. Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Item Pſal.19.1.Cœli enarrant gloriam Dei.

Fides.

Qv. *Qualem fidem requirit hæc prima pars?*

R. Id hiſce verbis ſignificatur, Credo in Deum. Eſt autem in Deum credere, certa fiducia ſtatuere, quod velit noſter Deus eſſe, noſter Pater, ſuſtentator & defenſor,cui nemo reſiſtere poteſt.

Qv. *Quis eſt vſus articuli?*

R. Vt anima,lingua,& externa obedientia,hunc Deum noſtrum eſſe teſtemur, ídque profiteamur coram toto mundo.

Qv. Qvæ est Secvnda pars

Redemptio.

R. De Redemptione.Optimo ordine ad redemtionem tranſit, ſicut poſtea à gratia redemtionis tranſit ad immortalitatis gloriam.

Qv. *Hæc pars quot habet articulos?*

R. Sex.

Qv. *Recita quæſo illos?*

Summa capita.

R. 1. Et in Ieſum Chriſtum filius eius vnicum Dominum noſtrum. 2. Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, & natus ex Maria virgine. 3. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus,mortuus,& ſepultus,Deſcendit ad inferna. 4. Tertia die reſurrexit à mortuis. 5. Aſcendit ad cœlos,ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis. 6. Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.

Explicatio 1. articuli.

Qv. *Age explica primum articulum de redemtione, qui eſt?*

R. Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum.

Partes præcipuæ.

Hic articulus multa paucis complectitur: Primū enim monſtrat,quæ ſit altera perſona in Diuinitate. 2. Eius nomen exprimit, quod filio Dei homini nato impoſitum eſt, quo ſignificātur eius beneficia. 3. Appellationem addit,qua modus ſaluandi ſignificatur. 4. Hunc Dei Filium Dominum & Monarcham Eccleſiæ pronunciat. 5. Qualis fides huius articuli requiratur exponit.

1. De Deitate Filij.

Qv. *Quæ eſt altera perſona in diuinitate?*

R. Eſt æterni patris coæternus filius, qui, vt eſſentia idem eſt Deus cum patre,& ſpiritu ſancto:ita proprietate diſtincta ab vtroque perſona.

Teſtimonia.

Qv. *Quomodo hoc probas?*

R. Quia ſcriptura dicit, Iehouah Deus noſter Iehouah vnus eſt, cogimur fateri vnum tantum eſſe Deum eſſentia, & naturæ ſimplicitate:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

verum quia eadem ſcriptura filium alium à patre teſtatur, vt Iohã.1.1. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, neceſſe eſt fateri filium diſtinctam perſonam eſſe à patre. Hac ſimplici confeſſione contenti ſimus.

2. De eius incarnatione & nomine.

Qv. *Nomen quod filio Dei impoſitum eſt?*

R. In circumciſione indictum eſt illi nomẽ Ieſus quemadmodum Angelus præcepit, aciationem reddidit, quòd ſuum populum à peccatis eius liberaturus eſſet.

Doctrinæ & conſolationes.

Qv. *Diſtinctius quæſo explana quid doctrinæ, & conſolationis ſub hoc dulciſſimo nomine Ieſu contineatur?*

R. 1. Quia IESVS dicitur ex eo quòd ſit ſaluator mundi, ſignificatur quòd totus mundus ſine eo perditus, & damnatus ſit.

2. Quòd filius Dei ſolus fons, & via ſalutis, vt qui ſolus iure IESVS appellatur.

3. Ex ſecundo ſequitur, quod nulla opera, & nulla παθήματα ſint meritoria ſalutis.

4. Quòd hoc nomen IESVS monſtret nobis Antidoton contra deſperationem, particularitatem, indignitatem, magnitudinem peccati, atque adeo aduerſus omnia mala.

5. Hoc nomine Ieſu, ſumma Euangelij proponitur. Vt enim admonet nos peccati, & damnationis: ita monſtrat ſalutem, & redemtionem per remiſſionem peccatorum in nomine Ieſu. Hinc Dominus Lucæ 24.47. Oportet in nomine meo prædicare pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum. Et Iohã.1.29. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et idem in Epiſtola: Sanguis Ieſu Chriſti purgat nos ab omni peccato.1.ca.7.v.

Chriſtus.

Qv. *Quæ eſt appellatio, qua modus ſaluandi indicatur.*

Quare ſic vocatus.

R. Chriſtus, nam vt nomen Ieſus docet, quod ſit ſaluator: ita appellatio Chriſtus aperit quomodo ſit ſaluator.

Qv. *Hoc dic apertius?*

R. Chriſtus græce, Hebraice Meſſias, latine vnctus, filius Dei dicitur triplici de cauſſa. 1. quia eſt propheta. 2. Quia eſt ſacerdos ſeu Mediator. 3. Quia eſt rex.

Qv. *Quomodo Propheta.*

Propheta

R. Quia, vt olim ſuo ſpiritu Prophetis promiſſionem reconciliationis reuelauit: ita hiſce poſtremis temporibus eandem ſua voce propoſuit & inculcauit, iuxta illud: Nemo vidit Deum vnquam, ſed filius qui eſt in ſinu patris, ipſe nobis reuelauit.

Sacerdos.

Qv. *Quomodo ſacerdos ſeu mediator?*

R. Propter victimam, & interceſſionem. Nam vt victima ſua placauit patrem: ita ſua interceſſione interpellat patrem, vt qui ſolus mediator conſtitutus eſt Dei & hominum, 1.Tim.1.

Rex.

Qv. *Quomodo nobis Rex eſt?*

R. 1. Quia demolitus eſt poteſtates & deſtruxuit opera Diaboli, iuxta illud Pſalmi, & Pauli: Aſcẽdens in altum captiuam duxit captiuitatem.

2. Quia ſuo ſpiritu in animis fidelium regnat.

3. Quia defendit Eccleſiam aduerſus inferorum portas.

Dominus noſter.

Qv. *Quomodo Eccleſia filium Dei ſuum dominum & Monarcham agnoſcit.*

R. Cum mente, & ore confitetur, & dicit: Credo in Ieſum Chriſtum filiũ eius vnicum Dominum noſtrum, ipſum ſolum & non alium agnoſcit in Eccleſia Dominum, & Monarcham, iuxta Pſalm.2. Ecce conſtitui regem meum ſuper Sion montem meum ſanctum.

Quomodo eſt Dominus.

Qv. *Quomodo quæſo eſt Dominus & Monarcha?*

R. 1. Gubernatione vniuerſali: qua ipſe cum patre, & ſpiritu ſancto, vt omnium rerum: ita & Eccleſiæ Dominus eſt.

2. Eſt Eccleſiæ Dominus iure redemtionis, 1.Cor.6. eius enim ſumus iuris, à quo redemti.

3. Propter defenſionem, qua ſemper adeſt ſuæ Eccleſiæ, eámque tuetur.

4. Ratione poteſtatis, is enim ſolus habet poteſtatem imperandi Eccleſiæ, quæ facienda ſunt.

Cur Noſter.

Qv. *Cur addit Symbolum* Noſtrum?

R. Vt quemadmodum pius firmiter ſtatuit, quod filius Dei ſit ſuus Ieſus & ſuus Chriſtus, ita ſciat quod idem filius Dei perpetuam curam ſui gerat, arceat h ſtes, & tueatur Eccleſiam ſuam ab omnibus malis.

Fides huius articuli.

Qv. *Qualem fidem requirit hic articulu.?*

R. Talem, qualem primus, nempe quod pius ita dicat, & profiteatur ego firmiter ſtatuo, quod Dei filius ſit meus ſaluator, verus Propheta, vnicus ſacerdos ſeu mediator, & rex omnipotens, adeóque Dominus, qui me ſua prouidentia gubernat, me redemit, me aduerſus Diabolum defendit, & qui ſolus poteſtatem habet imperandi mihi, quæ in ſuo regno ſpirituali vult fieri. Ex his etiam conſpicitur vſus.

Qv. *Dic ſecundum articulum de redemtione.*

Explicatio 2. articuli

R. Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, Natus ex Maria virgine.

Partes præcipuæ.

Qv. *Quot potiſſimum ſpectanda in hoc articulo?*

R. Quatuor.

1. Fines aſſumtæ humanæ naturæ ab æterno Dei filio.

2. Cur oportuit mediatorem & redemptorem, Deum, & hominem eſſe.

3. Vtrum opus redemtionis naturæ alicui ſeorſim, aut perſonæ adſcribendum ſit.

4. Quæ potiſsimum circumſtantiæ in Hiſtoria cõceptionis, & natiuitatis Chriſti ſunt ſpectandæ.

Cur Filius Dei factus eſt homo.

Qv. *Quinam ſunt fines aſſumtæ humanæ naturæ ab æterno Dei filio?*

R. 1. Qui in Geneſi ponitur, vt cõtereret caput ſerpentis, id eſt, interprete Iohanne, vt deſtrueret opera Diaboli, ídque ſua potentia.

2. Vt ſua victima, & interceſſione placaret iram Dei, iuxta illud: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

3. Vt hominem iniuſtum ſuæ obedientiæ imputatione iuſtificaret, & reparata in eo imagine Dei, ipſũ vita donaret æterna, iuxta illud 2.Cor.5. eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum pro nobis, vt fieremus iuſticia Dei in ipſo.

Mediator cur Deus & homo.

Qv. *Cur oportuit mediatorem eſſe Deum & hominem?*

R. Hoc requirebat iuſticia Dei, neceſſitas, mediatoris conditio, & humana fragilitas. 1. Iuſticia Dei requirebat, vt aut totum genus humanum ſui reatus cauſſa periret, aut aliquis in humano genere peccatum expiaret. Quemadmodum enim vnus homo ſuo reatu fuit mortis, & damnationis autor: ita congruebat, vt vnus in humano genere ſua iuſticia, vitæ, reconciliationis, & ſalutis autor exiſteret: Proinde redemtor & mediator homo eſſe debuit. 2. Neceſsitas hæc eſt: Nulla creatura ſola potuit aut iram Dei placare, aut gemitus cordium videre, aut mortem regnúmque Diaboli deſtruere, quæ omnia à mediatore requiruntur, ergo neceſſe fuit eum Deum eſſe. 3. Conditionem mediatoris hanc eſſe oportuit, vt natura coniungeretur partibus diſsidentibus. Fuerunt autem partes diſſidentes Deus & homo. Oportuit igitur Mediatorem Deum & hominem eſſe.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Hinc Irenæus: Oportuit mediatorem Dei & hominum propter ſuam ad vtroſque domeſticitatem, in amicitiam & concordiam vtroſque reducere, & facere vt Deus reciperet hominem, & homo reſtitueretur Deo. 4. Humana fragilitas requirebat talem mediatorem, de cuius facultate & voluntate nō dubitaret, & ad quem auderet accedere in ſuis anguſtijs multitudine peccatorum obrutus. Hinc illud ad Hebræ. Debuit per omnia ſimilis fratribus reddi, vt miſericors eſſet, & fidelis pontifex in ijs, quæ apud Deum agenda forent, ad expiandum vtique populi peccata.

Opus redemtionis perſonæ deſcribendū

Qv. *Vtrum opus redemptionis alicui naturæ ſeorſim, aut perſonæ ſit aſcribendum.*

R. Nec naturæ diuinæ ſeorſim, nec humanæ competit, ſed perſonæ, id quod hiſce quinque argumentis firmiſſime colligitur.

Primum ſumitur ab vnione hypoſtatica: Si enim alterius naturæ ſine altera eſſet redemtionis beneficium, nunquã λογ@ æternus maſſam humanæ naturæ aſſumſiſſet. Nam ſi ſolius diuinæ naturæ eſt, cur aſſumta eſt humana natura? Si ſolius humanæ eſt, quæ fragilis, & infirma eſt, vnde tantæ vires & facultates?

Secundum ſumitur à collatione teſtimoniorum, qualia ſunt hæc: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Chriſtus apparuit vt deſtruat opera Diaboli. Hoc eſt nomen quo vocabũt eum, Iehouah iuſticia noſtra. Quod autem extrema duo teſtimonia non ad naturas ſeorſim ſint referenda, ſed ad perſonam per communicationem idiomatum, oſtendit medium, in quo officium mediatoris tribuitur perſonæ, alioqui extrema implicationē contradictionis haberent.

Tertium ſumitur à prærogatiua ſacerdotis Chriſti, qua excelluit ſacerdotes Leuiticos, iuxta illud ad Heb. Lex conſtituit ſacerdotes habẽtes infirmitatem, Sermo autem iuramenti, qui poſt legem conſtitutus eſt, filium in æternum conſummatum. Hic, vt eadem epiſtola teſtatur, aſſumſit humanam naturam, vt haberet quod offerret.

Quartum ſumitur ab officiis mediatoris, quæ nec diuinitati ſeorſum, nec humanitati ſeorſim competunt, ſed toti perſonę conueniunt: Non conuenit ſoli naturæ humanæ placare irã Dei, & deſtruere mortem, quia per ſe impotentior eſt, quam vt id pręſtare poſsit: Nec hæc naturæ diuinæ conueniunt ſeorſim, quia ea non obnoxia fuit per ſe ad ea officia pręſtanda, debuit igitur mediator Deus & homo eſſe.

Quintum ſumitur à confeſſione Eccleſiæ: Sic enim habet Nicenum ſymbolum: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit. Et Cirillus: Mediator Dei, & hominum eſt, quia in eo Deus & homo coniunguntur.

Circumſtantiæ cōceptionis & natiuitatis Chriſti,

Qv. *Quot circumſtantiæ conſiderandæ ſunt in hiſtoria conceptionis & natiuitatis Chriſti?*

R. Sex.

Qv. *Quænam?*

R. 1. Quòd ab Angelo annunciata ſit.

2. Quòd mediator conceptus ſit de Spiritu ſancto.

3. Quòd cōceptus ſit in virgine, & natus ex virgine.

4. Quòd ea virgo fuerit deſponſata viro.

5. Quòd mater redemtoris deſcenderit de proſapia Dauid.

6. Quòd redemtor natus ſit regnante Auguſto Imperatore. De his circumſtantiis vide Enchiridion.

Qv. Dic Tertivm Articvlvm *De redemtione.*

R. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus, deſcendit ad inferna.

Partes pręcipuæ 3. articuli.

Qv. *Quot particulæ in hoc articulo ſunt ſpectandæ?*

R. Sex?

Qv. *Quænam?*

R. 1. Quod filius Dei ſit paſſus.

2 Quo tempore ſit paſſus.

3 Quodnam fuerit paſſionis genus.

4 Euentus paſsionis, videlicet mors.

5 Sepultura.

6 Deſcenſus Domini ad inferos.

Digreſsio ad quinque quæſtiones.

Verum priuſquam quæram explicationem propoſitarum particularum, proponam quinque quæſtiones, quarum explicatio illuſtrabit hunc articulũ.

1. Qualenam ſit opus paſſio Domini coram Deo Patre.

2. Quænam concurrunt in hoc opere.

3. Quomodo vnius hominis opus ſatisfacere potuerit pro peccatis totius mundi.

4. Vtrum paſſio ſit perſonæ, aut humanæ naturæ tantum.

5. Quomodo fiat applicatio, vt virtute paſsionis Chriſti noſtrum peccatum expietur.

1. Quid ſit Paſsio Chriſti coram Deo Patre.

Qv. *Qualenam opus eſt paſsio Domini corã Deo?*

R. Eſt ſacrificium propiciatorium, in quo ęternus filius homo factus ſeipſum per æternum ſpiritũ obtulit patri æterno, vt iſta ſua victima, & obedientia, & expiaret peccata mundi, & placaret iram Dei, quo omnes qui in ipſum crediderunt, credunt, & credituri ſunt, per eundem ſanctificentur ad vitam æternam, iuxta illud Iohan. 17. 19. Ego pro iis ſanctifico meipſum, vt & ipſi ſint ſanctificati in æternum.

2. Quæ Cōcurrentia.

Qv. *Quænam concurrunt in hoc ſacrificio?*

1. Occurrit ſacerdos ipſe filius Dei homo factus.

2. Res oblata idem filius Dei.

3. Modus oblationis: Obtulit enim ſe per æternum ſpiritum, quo ſignificatur vis huius ſacrificii.

4. Quod patri ſe obtulerit.

5. Effectus ſacrificij.

6. Pactum reſpectu hominum: credentibus enim ſolis hoc ſacrificium ſalutare eſt.

7. Eſt finis & ſcopus, nimirum vt credentes habeant vitam æternam merito huius ſacrificij.

3. Efficacia.

Qv. *Quomodo vnius hominis opus poteſt eſſe ſatisfactorium pro peccatis totius mundi?*

R. Ex indiuidua, ineffabili, & adoranda vnione diuinæ naturæ & humanæ eſt dignitas, precium, æſtimatio, meritum infinitum omnium operum, & paſſionum Chriſti. Cum ergo dicitur, Filius hominis redemit nos per meritum paſsionis ſuæ, nominatur opus infiniti valoris, videlicet opus filij hominis, qui eſt Deus. Cùm dicitur, mors Chriſti eſt ſatisfactio, precium immenſum proponitur, nempe hominis, qui eſt Deus.

Similiter cùm dicitur, Filius hominis remittit peccatũ, opus eſt diuinũ, quia is hominis filius Deus eſt.

Hinc caro Chriſti dicitur caro vitæ, quia eſt caro hominis, qui eſt Deus.

4. Perſona

Qv. *Vtrum paſsio eſt perſonæ, aut humanæ naturæ tantum?*

R. Paſsio eſt perſonæ, non in diuina, ſed in humana natura, iuxta illud Petri: chriſtus paſſus eſt carne. Quicquid enim contumeliæ, & iniurię irrogatum eſt humanitati Chriſti, ceſſit in cōtumeliam filij Dei æterni. Vnde Paulus dicit: Dominum gloriæ crucifixerunt.

5. Applicatio.

Qv. *Quomodo fit applicatio paſsionis Chriſti, vt eius virtute noſtra peccata expientur?*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

R. Hæc applicatio fit verbo, fide, & ſacramento: verbo enim quaſi manu Dei offertur: Fide veluti manu hominis accipitur: Sacramento obſignatur, & eius vis, vſusque tāquam in tabula pingitur. De qua re in parte de Sacramentis agetur.

Qv. *Dic iam tandem de particulis huius articuli?*

DE PRIMA PARTICVLA.

De paſſione. R. De prima particula népe de paſſione in genere iam dictum eſt. Expoſitum eſt enim qualenam opus ſit coram Deo paſſio domini, quanti ſit precij, & quomodo applicetur.

De Pontio Pilato. Qv. *Dic de ſecunda parte, videlicet cur Symbolum mentionem faciat Pontij Pilati?*

R. Pontius Pilatus fuit præſes à Tiberio Romanorum Cæſare conſtitutus in Iudæa. Fit igitur huius mētio in ſymbolo. 1. Vt ſciamus quo tempore, quo loco, ſub quo magiſtratu, & principe paſſus ſit dominus. 2. Vt reuocemus in memoriam oracula Prophetarum, qui prædixerunt, in quarta Monarchia, & ſublato ſceptro de Iuda paſſurum eſſe Dominum, quemadmodum & Iacob patriarcha, & poſt ipſum Daniel prædixit, qui ipſum annum, quo paſſus eſt quaſi digito demonſtrauit: Poſt 62. Septimanas Chriſtus occidetur. 3. Vt obfirmemus fidem noſtram aduerſus deliria Iudæorum, qui negant Chriſtum adhuc veniſſe in carnem.

De Crucifixione. Qv. *Dic de tertia parte, de ſupplicij genere, Cur videlicet ſit crucifixus?*

R. 1. Nullum ſupplicii genus apud Iudæos, aut vllas gentes fuit magis abominabile, aut probroſum, quam hominem in patibulū ſuſpendere. Quare cum Deus voluit ſuum filium hoc mortis ſuppliciū ſubire, ſignificauit peccatum, propter quod expiandum crucifixus eſt dominus, ſumme abominandum, maximè fœdum, & extreme deteſtabile eſſe: teſtatúſque eſt iram ſuam maiorē, quam vt potuerit vlla alia ſatiſfactione expiari, quā acerbiſsima, & maxime probroſa morte filij vnigeniti ſui. 2. Hoc ſupplicij genus teſtatur, Chriſtum ſuſcepiſſe in ſe reatum noſtrum, adeóque pœnam reatus, ipſam maledictionē videlicet, iuxta illud Deut. 21. 23. Maledictus omnis qui pendet in ligno. Hinc Paul. Gal. 3. 13. Chriſtus redemit nos ab execratione legis, factus pro nobis execratio ſeu maledictum. Cruci igitur affixus dominus ſuſtinuit reatum omnium peccatorum noſtrorum, vt nos maledictione liberaret. Col. 2. 14. Chirographum quod contra nos erat per legem è medio ſuſtulit, & cruci affixit. 3. Crucifixus eſt, vt veritas reſponderet figuris. *Primum* enim vetera ſacrificia, quæ adumbrabant victimam Chriſti, lignis imponebantur, vt ſignificaretur quòd Chriſtus ligno affixus ſacrificium ſuum perageret, & ſe hoſtiam ſanctam offerret patri. *Deinde* Sacrificia eleuata in altum tanquā comburerentur, ſignificabant exaltationē Chriſti in aram crucis. *Præterea* idem adumbratum eſt in Iſaac, qui ſtrui lignorum impoſitus erat ſacrificandus à patre. *Poſtremò* omnium elegātiſsime hoc ſupplicij genus depingit æneus ſerpens, quem Moſes palo affixum erexit in deſerto, quemadmodum Dominus & hunc typum de ſe interpretatur, cùm ait Ioh. 3. 14. Quemadmodum Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita oportet exaltari filiū hominis, vt Omnis qui credit in illum nō pereat, ſed habeat vitā æternā.

De morte. Qv. *Dic de quarta particula, cur mortuus ſit dominus?*

R. Mortuus eſt propter tria, ſcilicet: vaticinia prophetarum, figuras, & fructum mortis. Inter vaticinia hæc ſunt Eſaiæ 53. 8. Abſciſſus eſt de terra viuētium, propter peccatum populi mei percuſſi eum, Et in eodem capite: Cum poſuerit animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longæuum, & voluntas domini in manus eius dirigetur. *Figuræ* idē adumbrabant: Quemadmodum enim victimæ verè occidebātur offerendæ: ita oportuit Chriſtum, vt veritas reſponderet figuræ, verè mori.

Fructus idem requirebat, iuxta illud Pauli: mortuus eſt propter peccata noſtra. Item, Mortuus eſt ſemel, vt nos peccato perpetuo moriamur.

De ſepultura. Qv. *Dic de quinta particula, cur videlicet ſepultus ſit?*

R. 1. Id factum eſt, vt conuinceret ipſum Dominum verè mortuum fuiſſe. 2. Vt veritas reſponderet figuræ. Quēadmodum Ionas fuit in cete tribus diebus & noctibus. Ita oportuit Chriſtum in ſepulchro eſſe triduum, quemadmodum ipſe Dominus hunc typum interpretatur. 3. Sepultus eſt, vt vna ſecum in ſepulchro noſtra peccata ſepeliret, tegeret, & in æternum abſconderet à conſpectu patris. 4. Vt nobis iter præbeat de ſepulchris noſtris ad vitam. 5. Vt nos ſpiritualiter mortui peccato, quieſcamus ab eo, & deſideria ipſius non perficiamus, iuxta illud Roma. 6. 4. Sepulti ſumus per baptiſma cum ipſo in mortem eius, vt quemadmodum ipſe exaltatus eſt per gloriam patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

De deſcenſu ad inferna. Qv. *Dic de ſexta particula, videlicet de deſcenſu domini ad inferna?*

R. Dominus ad inferna deſcendit. 1. vt teſtaretur ſe victorem eſſe inferorum. 2. vt quemadmodum morte ſua nos ab æterna liberauit morte: ita ſuo deſcenſu ad inferos effecit, ne nos, modò credíderimus in ipſum, poteſtati inferorum ſubiiciamur.

Qv. *Vtrum corpore, aut anima deſcendit ad inferos?*

R. Hoc, quia ſcriptura non exprimit, inquirere noli, ſed ſymbolum videtur innuere quòd totus Chriſtus ad inferos deſcenderit. In qua ſententia & Auguſtinus eſt.

Qv. *Quid ſentis de illorum ſententia qui limbum patrum fingunt, & Chriſtum inde abduxiſſe Adam & Euam, adeóque pios omnes qui ante Chriſtum mortui erant?*

R. Habent iſta magnos autores, tamen mera ſunt nugamenta, vt quæ nullis ſcripturæ fulciantur teſtimoniis. Deinde non parum detrahunt virtuti ſacrificij Chriſti, cuius precium infinitum eſt, extendens ſe ad omnia tempora, iuxta illud in Apocalypſi: Agnus occiſus eſt ab origine mundi. Non ergo minus Abraham victimæ Chriſti virtute ab infernis ereptus eſt quam Paulus, aut aliquis alius pius, qui poſt exhibitum Chriſtum mortuus eſt. Hęc ſententia eſt analoga fidei.

Qv. *Vtrum deſcenſio Chriſti ad inferos, ad Chriſti humilitationem, aut exaltationem pertinet?*

R. Cum ſit pars triumphi Chriſti, non dubium eſt quin ad eius glorioſam exaltationem pertineat.

Qv. *Quæ fides, & quis vſus?*

R. Fides & vſus reſpondebunt noticiæ. Quemadmodum fides ſtatuit ſua peccata victima Chriſti expiata eſſe: ita vſus conſiſtit in huius fidei meditatione, mortificatione carnis, viuificatione ſpiritus & gratiarum actione.

DIC QVARTVM ARTICVLVM,

De redemptione.

R. Reſurrexit à mortuis.

Capita præcipua. Qv. *Quot ſunt ſpectanda in hoc articulo?*

R. Tria:

1. Cer-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

· Certitudo reſurrectionis. 2. Fructus. 3. Fides & vſus huius articuli.

Certitudo: cuius teſtimonia ſunt.

Qv. *Vnde ſumitur certitudo?*

R. Ex teſtimoniis.

Qv. *Quotuplicia ſunt teſtimonia confirmantia hunc articulum?*

R. Triplicia: Antecedentia, Coniuncta & Conſequentia.

Antecedentia: figuræ & prophetię.

Qv. *Quæ ſunt antecedentia?*

R. Sunt duplicia, ſcilicet, Figuræ, & clara prophetarum vaticinia.

Qv. *Recita figuras aliquot?*

R. Quemadmodum *Adam* dormiens fuit Typus morituri Chriſti: Ita idem euigilans, ſumta coſta de latere ipſius, adumbrabat reſurrectionem Domini. Et quemadmodum *Samſon* obſeratis portis clauſus erat in ciuitate, & idem fractis ſubductíſque portis, tutus euaſit: ita Chriſtus Dominus obſignato clauſus fuit ſepulchro, & idem victis inferis, è morte ad vitam liber egreditur. Et quemadmodum *Ionas* tertio die eiectus eſt de ventre piſcis: ita dominus tertio die de ſepulchro prodiit viuus.

Recita aliquot clara prophetarum vaticinia?

Quia hæc infinita ſunt penè, paucis contentus ero. *Moſes* in victoria Chriſti ſuper ſerpente, & in benedictione æterna credentium in Chriſtum includit mortis & reſurrectionis myſterium. *Dauid* Pſal. 16.10. in perſona Chriſti clarè ait: Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Item: Caro mea requieſcet in ſpe. *Eſaia* 53.10. Cum poſuerit animam ſuam pro peccatis, videbit ſemen longæuum. Et *Daniel* 9.20. Chriſtum occidendum dicit, cui tamen tribuit æternum regnum. Breuiter omnia teſtimonia, quæ concionantur de regno Chriſti, etiam includunt eiuſdem reſurrectionem à mortuis.

Coniuncta.

Qv. *Quæ ſunt teſtimonia coniuncta?*

R. Ex multis hæc ſunt. 1. Vacuum ſepulchrũ. 2. Teſtimonia Angelorum. 3. Teſtimonia cuſtodum. 4. Apparitiones multiplices, quibus ſe viuum exhibuit 40. diebus. 5. Aſcenſio eius in cœlum viſibilis. 6. Donatio ſpiritus ſancti in die Pentecoſtes.

Cõſequẽtia.

Qv. *Quæ ſunt conſequentia teſtimonia?*

R. 1. Concio Apoſtolorum omnium. 2. Conſeruatio Eccleſiæ perpetua in tantis hominũ & diabolorum furoribus. 3. Spiritus ſanctus, qui hunc articulum in cordibus fidelium obſignat. 4. Erit ipſius glorioſus aduentus.

2. Fructus.

Qv. *Quis fructus eſt reſurrectionis Domini?*

R. Fructus triplex ſtatui poteſt. 1. Ipſum Chriſtum concernit. 2. Reſpectu Satanæ eiúſque regni intelligitur. 3. Ad nos homines pertinet.

Si ipſum Chriſtum reſpicis: Chriſtus ſua reſurrectione factus eſt victor peccati, mortis, inferni, adeóque totius regni Satanæ. Et completum eſt teſtimonium: Semen mulieris conteret caput ſerpentis, id eſt, Chriſtus deſtruet opera Diaboli.

Si Satanam reſpicis, conculcatus iacet ſub pedibus victoris, quantum quidem ad fideles attinet. Nam in reprobis, & contumacibus plenum obtinet imperiũ.

Si nos homines reſpicis, quibus datus eſt, pro quibus natus, mortuus & excitatus: fructus ſunt plurimi & iucundiſsimi, Hi videlicet.

1. Remiſsio peccatorum, 1. Corin. 15.17. Si Chriſtus non reſurrexit, adhuc eſtis in peccatis veſtris.

2. Iuſtificatio. Rom. 4.25. Reſurrexit propter iuſtificationem noſtri.

3. Donatio Spiritus ſancti, Gal. 4.6. Emiſit Spiritum filij ſui in cordibus noſtris clamantem Abba pater.

4. Confirmatio fœderis gratiæ, ſeu ſtipulatio bonæ conſcientiæ apud Deum 1. Pet. 3.21.

5. Innouatio noſtri, eáque duplex, ſcilicet: Animarum & corporum. Animarum quidem, iuxta illud ad Rom. 6.4. Reſurrexit, vt nos in nouitate vitæ ambulemus. Corporum vero, iuxta illud 1. Corinth. 15.20. Chriſtus reſurrexit primitiæ dormientium, quoniã quidem per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum, Et ſicut in Adam omnes moriũtur: Ita in Chriſto omnes viuificabuntur.

6. Reſurrectio Chriſti vinculum eſſe debet fraternitatis mutuæ. Ita enim Dominus excitatus dixit mulieribus, Ioã. 20.17. Aſcendo ad Deũ meũ, & Deũ veſtrum: ad patrem meum, & ad patrem veſtrum.

7. Eſt remedium catholicum aduerſus omnes calamitates animæ, corporis, & famę, hinc illud Pauli 2. ad Tim. 2.8. Memento Ieſum Chriſtũ reſurrexiſſe à mortuis.

8. Eſt indicium ſtatus glorię, & immortalitatis. Regenuit enim nos in ſpem viuam & immarceſſibilem per reſurrectionem Ieſu Chriſti, 1. Pet. 1.3.

3. Fides, & vſus.

Qv. *Quæ fides, & quis vſus huius articuli?*

R. 1. Quemadmodum hic articulus primum requirit firmam fiduciam in hunc mortis victorem: 2. Spem promiſſæ immortalitatis: 3. Confeſsionem & profeſsionem huius fidei coram mundo, & portis inferorum: ita vſus eius, cum in tota vita, tum in mortis articulo erit, vt nullis fracti calamitatibus, perſeueremus in fide, & nouitate vitæ, donec ad finẽ omnium calamitatum huius mundi, & ſalutis portum peruenerimus.

Qv. *Dic quintum articulum de redemtione?*

R. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

Partes pręcipuæ.

Qv. *Quæ ſunt potiſsimum ſpectanda in hoc articulo?*

R. Quatuor:

1. Mandatum aſcendentis.
2. Aſcenſionis qualitas.
3. Fructus aſcenſionis.
4. Fides & vſus eiuſdem.

1. Mandatum aſcẽdentis.

Qv. *Quod eſt mandatum aſcendentis?*

R. Mandatum aſcendentis Marci vltimo hiſce verbis deſcribitur: Euntes in mundum vniuerſum proclamate Euangelion omni creaturæ, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, Qui verò non crediderit, condemnabitur.

Qv. *Quæ ſunt præcipuè in hoc mãdato conſiderãda?*

R. 1. In hoc mandato iudicatur quàm late pateant beneficia Chriſti, cum ait: Euntes in mundum vniuerſum. 2. Significatur, quomodo eadem beneficia offerantur, cum dicitur: Proclamate Euangeliũ. 3. Oſtenditur, quibus offerantur eadem beneficia cum inquit: Omni creaturæ, qua voce ſignificatur, quod nemo mortalium ſit à beneficiis Dei excluſus, ſi modo ſibiipſi non defuerit. 4. Exprimitur quomodo oblata beneficia accipiantur, & quomodo reiiciantur, Vt enim fide ſola recipiuntur: ita diffidentia reiiciuntur.

2. Aſcenſionis qualitas.

Qv. *Dic de aſcenſionis qualitate?*

R. Chriſtus aſcendit viſibiliter corporali & naturali modo ſurſum, & nube ſubuectus eſt in cœlum è conſpectu diſcipulorum Act. 1.9. Et inde ſubuectus eſt ſupra omnes cœlos, & collocatus in cœleſtibus ad dexteram Dei patris Epheſ. 1.20. & 4.10. Articulus ergo hic debet intelligi de vero Chriſti corpore, & corporali ipſius locatione in cœlis, ne putemus

i. iiij.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vel humanam naturam in Chriſto abſorptam eſſe à diuina, vel diffuſam eſſe in totum vniuerſum cum diuinitate. vtrunque enim apertiſſimè humanitatem Chriſti negat.

Qv. *An non Christus eſt vbique?*

R. Eſt ſane, communicatione idiomatum, iuxta, illud Iohannis 3.13. Nemo aſcẽdit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Certum eſt autem, quod cum hæc loqueretur Dominus cum Nicodemo, corpus ipſius circumſcriptũ fuerit in terra. Quare dictum Chriſti omnino per communicationem idiomatum intelligendum eſt. Vnde Cyprianus: Aſcendit in cœlos, non vbi verbũ Deus antea non fuerat, ſed vbi verbum caro factum antea non ſedebat, ſcilicet corporali locatione.

Qv. *Quotuplex fructus eſt?*

R. Duplex: Vnus ad ipſum Dominum, Alter ad nos pertinet.

3. Fructus aſcenſionis.

Qv. *Quem fructum inde percepit Dominus?*

R. Is verbis ſymboli exprimitur: Sedet ad dexteram patris omnipotentis.

Qv. *Quæ eſt dextera patris, & quid ſedere ad dexteram patris?*

R. Vt dextera patris eſt diuina eius potentia, maieſtas, & imperium: Ita ſedere ad dexteram patris, eſt eſſe æqualem patri diuina potentia, maieſtate & imperio, id quod ſanè perſonę Chriſti cõuenit. Deinde, quia dextera patris, vt ex 1. cap. ad Epheſ. colligi poteſt, eſt locus beatitudinis, & felicitatis, & requiei, quibus fruimur in æterna vita, corpus Chriſti in eo felicitatis loco collocatum eſt.

Qv. *Dic de fructu aſcenſionis, quem nos homines percipimus?*

R. Is multiplex eſt. 1. Aſcendit, vt nobis locum pararet, Iohan. 14.2. Abeo parare vobis locum, & vos ad me aſſumam. 2. aſcendit, vt omnia ſubiiciat ſub pedibus ſuis, vt ita emineat caput Eccleſiæ, Eph. 1.22. 3. Aſcendit in cœlum, vt radios ſuæ virtutis ſpargat in vniuerſum orbem, & præcipue in Eccleſiæ membra, vbicunque in mundo fuerint, ad Epheſ. 4.10. Aſcendit ſupra omnes cœlos, vt omnia impleret, Non enim aſcendit vt abſit à nobis, ſed vt ſuam eccleſiam regat, & ei adſit vſque ad conſummationem ſeculi. 4. Aſcendit, vt de cœlo dona det hominibus, & in miniſterio Eccleſiæ ſit efficax, Epheſ. 4.8. 5. Aſcendit, vt in cœlo apud patrem habeamus aduocatum, 1. Ioh. 2.1. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & is eſt propiciatio pro peccatis noſtris. 6. Aſcendit, vt noſtra corda ad ſe trahat, quo abſtineamus à mundanis concupiſcentiis Coloſſ. 3.1. Si reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapite, vbi Chriſtus ſedet ad dexteram patris. Nã cum Chriſtus theſaurus ſit Eccleſiæ, debet eius cor apud theſaurum ſuum eſſe. Matth. 6.21. vbi theſaurus tuus, ibi cor tuum. Philip. 3.20. Noſtrum πολίτευμα in cœlis eſt.

Qv. *Sed quomodo quæſo caput Eccleſiæ dicitur?*

R. Quatuor modis:

1. Efficacia: Nam ſuam virtutem in membra diffũdit. 2. Perfectione virtutum: Is enim ſolus in Eccleſia omnibus virtutibus perfectiſsimus eſt. 3. Merito: Is enim ſolus ſua obedientia meruit nobis cœlũ. 4. Dignitate ſeu ordine, & autoritate: Nam is ſolus Eccleſiæ Monarcha eſt, & ſolus autoritatem mandandi Eccleſiæ habet.

4. Fides & vſus articuli aſcenſionis

Qv. *Quæ eſt fides, & quis vſus?*

R. Quemadmodum fides huius articuli eſt, vt Chriſtum triumphatorem mortis, dominum omnis creaturæ & patronum noſtrum apud patrem agnoſcamus, in eum firma fiducia recumbamus, atque ipſũ coram omnibus hominibus & inferorum portis cõfiteamur: ita vſus in hoc ſitus eſt, vt abnegata omni impietate & humanis deſideriis leuemus corda noſtra in cœlum, petentes inde in omnibus noſtris calamitatibus auxilium, & expectantes vt nos ad ſe iuxta eius promiſsionem aſſumat, ac donet promiſſam hæreditatem.

Qv. *Recita ſextum articulum de redemtione.*

A. Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.

Qv. *Quot ſunt potiſſimè ſpectanda in hoc articulo?* Præcipua capita.

R. Quatuor: 1. Quis iudex, ſolúſne Chriſtus, an alij cum ipſo. 2. Quotuplex iudicium exerceatur à domino. 3. Quid ſpectandum ſit in generali iudicio. 4. Quæ fides, & quis vſus ſit huius articuli.

Qv. *Quis iudex?*

R. Chriſtus Deus & homo, mediator Dei & hominum. Iohã. 5.22. Pater omne iudicium dedit filio. 2. Tim. 4. Ieſus Chriſtus iudicaturus eſt viuos & mortuos in apparitione, & in regno ſuo. 1. Iudex.

Qv. *An ſolus Chriſtus iudicaturus eſt, aut etiam apoſtoli & ſancti cum ipſo?*

R. Solus iudicabit vt dominus plena poteſtate, Apoſtoli autem iudicabunt vt teſtes: Chriſtus ſolus proferet ſententiam, Apoſtoli prolatam ſententiam approbabunt.

Qv. *Quotuplex iudicium?*

R. Duplex: ſcilicet Particulare, & Generale, quorum illud præcedit, hoc ſequitur. Exercetur autẽ particulare primùm, cùm Dominus vel ſuos defendit iuxta promiſsiones: Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam, Matth. 16.18. vel errantes caſtigat ne cum hoc mundo damnentur, 1. Corin. 11. 32. Iudicamur à Domino, ne cum hoc mundo damnemur. Huc illud Petri: Iudicium à domo Dei incipit. 2. Cũ impios reprimit, & punit in hoc mundo, quorũ ſupplicium præludium quoddam eſt æternæ damnationis niſi reſipiſcant. 3. Cùm animas piorum Angelis tradit deportandas in ſinum Abrahæ. 4. Cum impiorum animas tradit Satanæ puniendas, & cuſtodiendas vſque ad reſurrectionem generalem. Generale iudicium, eſt quod fiet in extremo die reſuſcitatis corporibus, de quo ſolo hic articulus intelligendus eſt. 2. Duplex iudicium. Particulare. Generale.

Qv. *Quot ſunt ſpectanda potiſſimum in hoc generali iudicio?* 3. Quid ſpectandũ in generali iudicio.

R. Sex. 1. Signa præcedentia iudicium. 2. Aparatus iudicii & notæ. 3. Quinam ſint iudicandi. 4. Ordo iudicij. 5. Sententiæ pronunciatio. 6. Executio ſententiæ.

Qv. *Quot ſunt ſigna præcedentia iudicium?* Signa præcedentia.

R. Multa quidem ſunt, ex quibus pauca, quæ hodie in omnium oculos incurrunt, recenſebimus ex Euangeliſtis. 1. erunt ſigna in ſole, & luna & ſtellis, hoc eſt, vt Marcus interpretatur, ſol obſcurabitur, luna non dabit lumen ſuum, ſtellæ de cœlo decident, id eſt, erũt crebræ eclipſes ſolis & lunæ, & adeo horrenda conſpicientur meteora, ac ſi ſtellæ de cœlo caderẽt. 2. Quod Lucas etiam refert, erit anxietas hominũ præ deſperatione: cauſam exprimit Matthæus & Marcus. Surget gens contra gentem, & erunt bella in omnibus locis mundi. 3. erunt horrendi ſonitus, & tumultus maris & fluctuum, adeo tempeſtates cõtingent horrendæ & terribiles, quales hæc noſtra ætas plurimas vidit. 4. Virtutes cœlorum commouebuntur,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

buntur, id eſt, in cœlo apparebunt horrendi aſpectus, vt militum concurrentium haſtis, & aliarum rerum comminantiũ hominibus irā Dei. 5. Et in terra terræmotus, vt anno 56. terræmotu multæ ciuitates in Germania euerſæ ſunt. Et ante 20. annos aliquot vrbes in Italia ſunt abſorptæ. Breuiter, cœlũ, & terra adeoque omnia elementa faciem irati iudicis quodammodo referent, vt peccatores admoniti agant pœnitentiam, niſi malint perire. Hæc & huiuſmodi alia ſigna, vt gemmæ arborum (ſicuti dominus ipſe teſtatur) in propinquo æſtatem eſſe ſignificant: ita aduentum iudicis in foribus eſſe prænunciant.

Præter hæc ſigna, eſt prophetia domus Heliæ de ſex millibus annorum, prophetia Danielis de aduentu Domini ad iudicium deficiente Monarchia Romana. Et prophetia Pauli 1. Theſ. 2. de reuelatione filij perditionis, id eſt, Antichriſti, quem dominus ante aduentum ſuum conficiet ſpiritu oris ſui, & aduenıens abolebit manifeſtatione gloriæ ſuæ.

Apparatus.

Qv. Quis apparatus, & quæ notæ iudicij extremi?

R. Dominus ipſe emittet angelos ſuos, qui clāgore tubæ excitabunt mortuos, & congregabunt homines à quatuor angulis mundi, vt ferantur obuiam domino venienti in nubibus, & ſimul conſpicietur in cœlo ſignum filij hominis, hoc eſt, iudicis maieſtas & gloria apparebit in conſpectu omnis creaturæ.

Notæ.

Notas ſiue proprietates iudicij tres ponit Paulus ad Rom. 2. vbi diem iudicij vocat diem iræ, reuelationis, & iuſticiæ. Iræ quidem, id eſt, vltionis. Tunc enim ſumetur vindicta de omnibus, qui in hac vita Euangelio credere noluerunt. Reuelationis, quia tũ nihil erit occultum, ſed omnium hominum facta patebunt oculis omniũ creaturarum, imò in ſingulorũ conſcientiis ſentietur iudicium proprium, iuxta illud Bernhardi. In extremo die, qualem vnuſquiſque habuerit conſciētiam, talem & habebit iudicem. Iuſticiæ, ne putetur iudex ita vlciſci, quin iudicium iuſtitia temperet, reddatque vnicuique ſecundum opera ſua, non quidem vt merentur, ſed vt de cuiuſque fide & timore Dei teſtantur.

Qui iudicandi.

Qv. *Qui iudicandi ſunt?*

R. Viui & mortui: Viui hic vocantur, qui adueniente iudice viuũt, mox in ictu oculi trāſformandi. Mortui dicuntur, qui inde vſque ab Adam ad diem iudicij fatis conceſſerunt, & quieuerũt in ſepulchris. Hi omnes tum viui congregabuntur coram iudice.

Ordo iudicij.

Qv. *Quis ordo iudicij?*

R. Is ſignatur Matth. 25. 31. his verbis: Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, ſedebit ſuper thronum maieſtatis ſuæ, & congregabuntur ante eũ omnes gentes terræ, & ſegregabit eos, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. Et ſtatuet oues quidem à dextris, hœdos verò à ſiniſtris.

Piorum & impiorũ nomina.

Qv. *Dic quæ ſit ratio, cur pios quidem oues, impios vero hœdos appellet.*

R. Pios appellat oues, quia veluti oues ſuum paſtorem agnoſcunt, vocem eius audiunt, & eum ſequuntur: ita Chriſtiani Chriſtum agnoſcunt redemtorem, audiunt vocem eius, & eum ſequuntur in vero timore Dei. Impios nominat hœdos: Nam quemadmodum hœdi ſuam petulantiam, & libidinem ſequuntur ſpreto paſtore: ita impij ſuis affectibus & voluptatibus indulgentes Chriſtum contemnunt.

Qv. *Quid ergo de Manaſſe ſentis, qui toto vitæ tēpore, vt hircus potius quàm ouis vixit?*

R. Reſpondet Ezechiel cap. 33. 19. Si egerit impius pœnitentiam, & receſſerit à via ſua peſſima, & fecerit iudicium & iuſticiam, viuet. Rectè proinde ait Gregorius: Qualis hinc quiſqr is egreditur, talis in iudicio æſtimabitur. Huc & illud Sapientiæ pertinet: In quamcunque partem ceciderit arbor, illic iacebit.

Sententia iudicis.

Qv. *Quæ eſt ſententia iudicis?*

R. Ouibus dicet, hoc eſt, iis qui ſtant à dextris: Venite benedicti patris mei & poſsidete regnum vobis paratum à conſtitutione mundi. Hœdis autem dicet, hoc eſt, iis qui à ſiniſtris ſtabunt: Ite vos maledicti in ignem æternum, qui Diabolo, & eius angelis paratus eſt.

Sententię executio.

Qv. *Quæ ſententiæ executio?*

R. Pij mox cum Chriſto beata immortalitate in æternum fruentur. impij verò tradentur Diabolis cruciandi æternis pœnis.

4. Fides & vſus.

Quæ fides, & quis vſus huius articuli?

Quemadmodum fides ſummam conſolationem capit ex eo, quod credat aliquando fore finem calamitatum huius mundi: ita ſupra modum lætatur, quod Ieſus Chriſtus filius Dei ſit iudex conſtitutus, qui antea in ſe credentibus addito iureiurando promiſerat vitam æternam, & quod in iudicium condēnationis non venient. Hanc fidem ſequitur confeſſio coram omnibus hominibus & Diabolis, & cura ſolicite ambulandi coram Deo: iuxta conſilium Micheæ Prophetæ cap. 6. 8. Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum, & quid Iehoua requirat abs te, vtique facere iudicium, id eſt, neminē lædere, & diligere miſericordiam, id eſt, benignum eſſe erga omnes, & humiliare ſe ad ambulandum coram Deo tuo. Huc ſpectat admonitio Domini Luc. 21. 28. Cùm hæc videritis, leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemtio veſtra. Item vigilate & orate, quia Matth. 25. 13. neſcitis horam, qua filius hominis ſit venturus. Hactenus de ſecunda parte ſymboli.

De fide in Spiritum Sanctum.

Qv. *Quæ eſt tertia pars Symboli?*

R. Credo in Spiritum ſanctum.

Præcipua capita.

Qv. *Age retexe, & ſigillatim expone quid in ſe contineat hic articulus.*

R. Quatuor in hoc articulo cōtinentur. 1. Quod Spiritus ſanctus ſit verus Deus.

2. Quod Spiritus ſanctus ſit diſtincta perſona à patre & filio.

3. Quodnam ſit opus Spiritus ſancti.

4. Qualis fides in hoc articulo requiratur.

De Primo.

1 De Deitate Spiritus S.

Qv. *Quomodo probatur ex Symbolo quod Spiritus ſanctus ſit Deus?*

R. Ex cultu quem ei Symbolũ tribuit. Soli enim Deo tribuēdus eſt cultus fidei, iuxta illud: maledictus qui confidit in hominem, & ponit carnem brachium ſuum. Cum ergo iubemur in Spiritum Sanctum credere, iubemur agnoſcere, & confiteri eum verum Deum eſſe.

Dic alia teſtimonia, quibus probatur diuinitas Spiritus ſancti.

Teſtimonia.

Teſtimonia, quibus probatur diuinitas Spiritus ſancti, quatuor capitibus ſubiicio, quæ memoriæ gratia hoc diſticho comprehendo,

Dictum, cultus opus, confeſſio, quatuor iſta
Diuinum numen pneumatis eſſe docent.

Qv. *Recita dicta.*

R. Iohannis 4. 24. Spiritus eſt Deus, Acto. 5. 3. 4. Non mentitus es hominibus, ſed Deo. Loquitur enim de Spiritu ſancto.

Qv. *Quis cultus?*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

R. Vna cum patre & filio inuocatur & adoratur.

Qv. *Dic de opere.*

R. Ioh.33.4. Spiritus Domini creauit me. Item Sapien.1.7.Spiritus Domini repleuit orbem vniuerſum.Eſt autem diuinæ naturæ vbique eſſe.Cum igitur omnia impleat Spiritus ſanctus, neceſſe eſt fateri ipſum Deum eſſe.

Qv. *Quæ eſt Eccleſiæ confeſſio?*

R. Ea in ſymbolis,Apoſtolico Niceno,Ambroſiano,& aliis explicatur. In quibus Eccleſia confitetur Spiritum ſanctum verum Deum eſſe.

DE SECVNDO.

2. Diſtincta eſt perſona à Patre & Filio.

Qv. *Quomodo probatur ex Symbolo quod Spiritus ſanctus ſit tertia perſona à patre & filio diſtincta?*

R. Id docetur ordine & appellatione. Cùm enim ſymbolum dicat, Credo in vnum Deum, & ſubiungit primùm patrem, deinde filium, tertio loco Spiritum ſanctum, vt fatetur Spiritum ſanctum Deum eſſe: ita eundem agnoſcit tertiam in diuinitate perſonam. Appellatione idem docetur: Nam cum Spiritus dicitur, ſignificatur, quòd ſit Spiritus ab æterno de patre & filio procedens. Ad hæc Chriſtus apud Iohannem diſtinguit Spiritum à ſe & patre, cum inquit: Ego mittam vobis Spiritum paracletum à patre.

Deſcriptio Spiritus Sancti.

Qv. *Quid eſt igitur Spiritus ſanctus?*

R. Eſt verus,æternus Deus. ὁμοούσιος Patri, & filio,non gignens,nec genitus,ſed à patre & filio procedens,ſimul cum patre & filio creans, conſeruans ſaluans, ſanctificans, qui mittitur in corda electorum vt ea ſanctificet, cum patre & filio ſimul adorandus

DE TERTIO.

3. Viuificat Sanctificando.

Qv. *Quodnam eſt opus Spiritus ſancti?*

R. Opus Spiritus ſancti indicat & appellatio Spiritus,& Epitheton ſanctus. Non enim dicitur tantum Spiritus reſpectu patris & filij, verumetiam reſpectu creaturarum,& præcipue Eccleſiæ,cuius mēbra viuificat,quemadmodum Spiritus animalis corpori vitam miniſtrat. Quomodo autem viuificet hic Spiritus,Epitheto ſanctus ſignificatur:viuificat enim ſanctificando.

Qv. *An non pater,ſimiliter & filius ſanctificat?*

R. Ita.Sanctificat Pater,ſanctificat Filius,ſanctificat Spiritus ſanctus.Quemadmodum patri creatio & filio redemtio: ita ſpiritui ſanctificatio tribuitur Verum pater creat per filium, & res creatas conſeruat per ſpiritum Sanctum.Similiter vt filius patri obediens,offerens ſe per Spiritum æternum,redemit. ita Spiritus ſanctus miſſus à patre & filio ſanctificat. Proinde vt opus creationis tribuitur toti trinitati ita & opus redemtionis,ſed ſeruata cuiuſque perſonæ proprietate.

Sanctificationis opus.

Qv. *Age dic apertius, quid ſibi velit ſanctificationis opus.*

R. Etſi huius ſanctificationis multæ ſunt partes, præcipuas tamen hoc diſticho complector.

Spiritus ecce docet,renouat,iuuat,atque renatis
Promiſſa obſignat,arra ſalutifera.

Docet.

Qv. *Proba quod doceat.*

R. Iohan.16.13.& 8. Cum paracletus ille Spiritus veritatis venerit,ducet vos in omnem veritatem. Item,Spiritus arguet mundum de peccato,id eſt,docendo conuincet mundum eſſe reum peccati.

Renouat.

Qv. *Proba quod renouet.*

R. Ad Titum 3.4. Benignitas & φιλανθρωπία apparuit ſaluatoris noſtri Dei, & Domini noſtri IESV CHRISTI, qui non ex operibus iuſticiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, purgans nos per lauacrum aquæ & renouationem Spiritus ſancti, quem effudit in nos opulenter,per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, vt iuſtificati ipſius gratia hæredes fiamus ſperatæ vitæ æternæ.

Iuuat.

Qv. *Proba quod iuuet.*

R. 1. Iuuat teſtando de Chriſto iuxta illud:Cū paracletus venerit teſtimonium perhibebit de me.2. Donando,iuxta illud 1.Cor.12. Nemo poteſt dicere Dominum Ieſum niſi per ſpiritum ſanctum. Item diuiſiones donorum ſunt,ſed idem ſpiritus. 3. Conſolando,vnde paracletus toties à Chriſto dicitur, qui vt aduocatus nobis adeſt,& nos conſolatur.4.Precādo,Rom.8. Accepiſtis ſpiritum adoptionis, in quo clamamus Abba pater Item, quid precabimur quēadmodum oportet neſcimus, ſed Spiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus.

Promiſſiones obſignat.

Qv. *Proba quod obſignet promiſſiones.*

R. Eph.1.13. Obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto.

Eſt arra ſalutis.

Qv. *Proba quod ſit arra ſalutis.*

R. Eph.1.14. Qui eſt arrabo hæreditatis noſtræ.

DE QVARTO.

4. Fides huius articuli.

Qv. *Qualis fides requiritur?*

R. Vt quemadmodum credimus in Deum patrem creatorem,& in filium redemtorem: ita etiam credamus in Spiritum ſanctificatorem, cuius cum templum ſumus,vſus huius articuli erit,vt renunciata omni impuritate,ſimus ſancti ſpiritu & corpore, caueamuſque ne vllis factis contriſtemus ſpiritum Dei in nobis habitantem.

Qv. *Cum hactenus de tribus perſonis in diuinitate dictum,eſt Dic ſummam dictorum breuiſſime.*

R. Credo in vnum Deum,in patrem qui me creauit,in filium qui me redemit,& in Spiritum ſanctum qui me ſanctificauit: hanc fidem palam proteſtor, & confiteor coram toto mundo & portis inferorum.

Qv. *Quæ eſt quarta pars Symboli?*

Summa huius partis.

R. De Eccleſia,& beneficiis Dei erga ipſam. Hactenus enim de cauſſa efficiente, & materia noſtræ ſalutis actum eſt,nempe de miſericordia paterna,victima filij, & ſanctificatione ſpiritus: Nunc in ſequentibus articulis oſtendetur, quò iſta omnia pertineant,& quomodo applicentur.

Qv. *Quot ſunt articuli huius partis?*

Præcipua capita.

R. Quatuor iuxta ſymboli verba: credo
1. ſanctam Eccleſiam catholicam,ſanctorum communionem.
2. Remiſſionem peccatorum.
3. Carnis reſurrectionem.
4. Et vitam æternam.

Qv. *Dic de primo,nempe Eccleſia,quæ & quot præcipue in hoc articulo ſunt ſpectanda?*

1. Capitis primi ſex partes ſeu quæſtiones.

R. Multa ſanè requiruntur ad huius articuli explicationem,ſed nos præcipua capita ſex quæſtionibus complectemur,quæ ſunt 1.quid ſit Eccleſia,qualiacunque ſint eius membra. 2. Appellationes, quibus Eccleſia pingitur & veluti oculis ſubiicitur. 3. Quæ ſint interiores veræ Eccleſiæ proprietates.

4. Quæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

4. Quæ ſint viſibiles notæ ſeu externa ſigna Eccleſiæ. 5. Quibus rebus fulciatur & conſeruetur Eccleſia. 6. Qualis fides huius artic li à fidelibus requiratur.

De Prima.

Eccleſiæ definitio.

Qv. *Quid eſt ergo Eccleſia?*

R. Breuiter & rotundè verbis ſymboli definitur, cum dicitur ἁγίων κοινωνία, id eſt, Sanctorum ſocietas, hoc eſt, hominum qui ſanctificati ſunt in CHRISTO IESV per Spiritum ſanctum.

Qv. *Dic aliam, qua hæc breuis definitio illuſtrari poteſt.*

R. Eccleſia eſt cœtus hominum de turba, & colluuione totius generis humani euocatus in regnum Chriſti, & ſegregatus ab omnibus aliis cœtibus hominum: Euocatus quidem voce Euangelij, ſegregatus verò, & diſtinctus ab aliis cœtibus totius mundi, fide, ſacramentis, vitæ ſanctimonia, & profeſsione.

Definitionis cõfirmatio.

Qv. *Quomodo confirmatur hæc definitio?*

R. Pulcherrimo Abrahami patris noſtri exemplo, qui cum ſua familia, vera eccleſia Dei fuit: Is enim de Hur Chaldæorum & de medio Idololatrarũ vocatus, voci Dei obediuit, & ſe à prophano mundo, fide, obedientia erga Deum, & externa profeſsione ſegregauit.

Cum hac definitione congruit illa, quæ colligitur ex verbis Pauli 1. Corinth. 1. 2. Eccleſia eſt multitudo hominum vbiuis terrarum degentium, qui vt ſanctificati ſunt in Ieſu Chriſto, & vocati ad ſanctitatẽ: Ita inuocant nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Eccleſiæ viſibilis deſcriptio

Qv. *An non Eccleſia in Euangelio comparatur Sagenæ miſſæ in mare, in qua comprehenduntur & boni & mali piſces?*

R. Ita ſane eſt. Nam in externa Eccleſiæ ſocietate ſunt & boni & mali, hoc eſt, & viua mẽbra, & mortua membra. Viua autem membra ſunt homines, qui non ſolum profitentur doctrinam Chriſtianiſmi, ſed ſunt verè ſanctificati Spiritu, ac retinent fidẽ, & bonam conſciẽtiam. Mortua autem ſunt, qui profitentur quidem ore doctrinam Chriſtianiſmi, ſed vt Spiritu non ſunt ſanctificati: ita nec fidem habere, nec bonam conſcientiam retinere ſtudent. A mortuis membris non erat petenda definitio.

De Secvnda.

Nomina Eccleſiæ.

Qv. *Dic appellationes quibus eccleſia Dei pingitur, & velut oculis ſubijcitur?*

R. Multæ ſanè ſunt huiuſmodi appellationes, ſed nos præcipuas hoc hexaſtico complexi ſumus.

Corpus, ouile, domus, cum templo, vinea, ſponſa,
Virgo, Ieruſalem, mater, regina, & amica.
Mons, roſa, fons, hortus, lapis, vrbs, fortiſſima rupes,
Et genus electum, ſemen, columna, columba,
Sors, ager, & meſſis, regnum cæleſte vocatur?
Cœtus ſanctorum, qui Eccleſia dicitur eſſe.

Nominũ ratio.

Qv. *Quomodo his appellationibus pingitur Eccleſia?*

R. Si has metaphoricas appellationes retexueris in integras ſimilitudines, habebis elegantiſsimas Eccleſię Dei picturas & imagines, vt exempli gratia. Cum Eccleſia corpus dicitur, conſiderabis analogiã corporis animalis ad caput ipſius. Quemodmodum enim de capite animalis deſcendunt nerui, & Spiritus in corpus animalis, quibus viuificatur, fouetur, & conſeruatur: ita Spiritus Chriſti eſt, quo Eccleſia corpus Chriſti viuificatur, fouetur, & conſeruatur, ita vt & nexu ſuo & adhæreat capiti corpus, & corporis membra inter ſeſe coaleſcant eiuſdem ſpiritus virtute. Reliquas appellationes vnuſquiſque accommodet pro ſuo ingenio, ſeruata Analogia fidei.

Eccleſiæ proprietates internæ.

Qv. *Quæ ſunt veræ & internæ Eccleſiæ proprietates?*

R. Inter multas hæ ſunt præcipuæ. 1. Sola Eccleſia eſt deſcripta hæres vitæ æternæ, vt quæ eſt peculium filij Dei, Pſal. 2. 2. Sola Eccleſia eſt familia Dei dilectiſsima, quam paterna cura, & ſingulari ſtorgã complectitur. 3. Sola Eccleſia poteſt verè gloriari de Deo patre, de filio redemtore, de Spiritu ſancto aduocato. 4. ſola Eccleſia Chriſto ęterni ſpiritus vinculo ita ſociata eſt, vt ab eo nunquam diuelli poſſit, & ita ſuis membris coaleſcit per eundem ſpiritum, vt æterno fœdere eius membra conſociata ſint. 5. ſola Eccleſia, vt quæ verè ſancta & catholica eſt, hæc bona habet communia, vnum Deum, vnum Dominum, vnam fidem, vnam ſpem vocationis. 6. ſola Eccleſia Dei habet verum cultum, veram doctrinam, & efficacẽ ſacramentorũ vſum. 7. ſola Eccleſia particeps eſt orationis Chriſti in horto, & in cruce, atque adeo omnium piorum inde vſque ab exordio mundi. Omnes enim vnum & eundem patrem pro toto corpore inuocant. 8. ſola Eccleſia vera ſtorga afficitur, gaudet cum gaudentibus, & flet cum flentibus, atque adeò aliorum commoda ſua exiſtimat, & de alienis incommodis non minus dolet quàm de ſuis.

De Qvarta.

Viſibiles notæ eccleſiæ.

Qv. *Quæ ſunt viſibiles notæ ſeu externa ſigna Eccleſiæ?*

R. Inter multa ſigna externa Eccleſiæ viſibilis, hæc ſunt præcipua. 1. Vox incorrupta Euangelij, ſine qua Eccleſia vera nullo modò, vel exiſtere, vel agnoſci poteſt. 2. Verus vſus baptiſmi, qui eſt veluti ianua, per quam homines introducuntur in familiam Dei. 3. Legitimus vſus Cœnæ Domini iuxta inſtitutionem Chriſti. 4. Vſus clauium iuxta ordinationem Chriſti, per quem Eccleſia ſuam exerit poteſtatem, cum vel prædicatione Euangelij credentes in regnũ cœlorum recipit, vel diſciplina immorigeros filios caſtigat, aut reſipiſcentes in gratiam recipit. 5. Ius vocandi miniſtros, & conſecrandi per impoſitionem manuum, qui nobis, vt miniſtri impertiunt verbum, baptiſmum, Cœnam, & abſolutionem. 6. Publica oratio, gratiarũ actio, & celebratio Dei in cœtu Chriſtiano. 7 Crux, hac enim nota tanquam teſſera quadam ſuos ideo vult Dominus notari, vt fiant conformes imagini filij eius. Nam quos decreuit olim glorificare, eos cruce præparat, iuxta illud Roman. 8. 28. ſi cum eo patimur, cum eo quoque glorificabimur. 8. Multa officia charitatis inter Chriſtianos, quibus declarant ſe eodem ſpiritu Chriſti duci. (2. Timot. 2. 11.)

Hæc ſigna ſi breuius complecti velis, ita numerentur: Vt 1. ſit vox incorrupta Euangelij. 2. Legitimus vſus ſacramentorum. 3. Obedientia erga miniſterium. Prior enumeratio Lutheri, poſterior Philippi eſt.

De Qvinta.

Quibus mediis cõſeruatur.

Qv. *Quibus rebus fulcitur & ſeruatur Eccleſia?*

R. Quatuor: Doctrina, ſacramentis, Ceremoniis, & Diſciplina, de quibus vide Enchiridion.

De Sexta.

Fides articuli de Eccleſia.

Qv. *Qualis fides huius articuli requiritur?*

R. Quemadmodũ fides ſtatuet Chriſtum æter-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

num pontificem eſſe: ità eum habere perpetuam Eccleſiam credet, iuxta illud: Tu es ſacerdos in æternum. Deinde ſtatuet fidelis ſe vere ciuem eſſe huius Eccleſiæ, & participem omnium promiſsionum diuinarũ. Huius fidei hic erit vſus, vt cum vera Eccleſia Dei matre noſtra, Deum perpetuo cultu colamus, ac nos coram mundo, & diabolis profiteamur eſſe ciues huius Eccleſię & ſeparemus nos ab Eccleſia Antichriſtiana, quæ ſuperbè gloriatur de hiſce ſuis notis, quæ ſunt: 1. Primatus Papæ, ordo clericalis Cardinalium, Archiepiſcoporum, Abbatum, priorum, &c. 2. Succeſsio ordinaria. 3. Similitudo rituum in Eccleſia. Quas notas nunquam habuit vera Eccleſia, ſed ea ſolum quam Dauid Eccleſiam malignantium vocat.

Qv. *Dic ſecundum articulum quartæ partis.*

Summa.

R. Credo remiſsionem peccatorum.

Partes ſeu capita.

Qv. *Quæ ſunt præcipue in hoc articulo ſpectanda?*

R. Quatuor:
1. Ratio peccati.
2. Remiſsio peccati.
3. Fides remiſsionis.
4. Fidei remiſſionis coniuncta.

De primo.

1. Peccatũ quid ſit.

Qv. *Quæ eſt ratio peccati?*

R. Peccatum eſt ἀνομία, id eſt, legis violatio, ſeu quicquid in homine eſt, aut ab homine fit non congruens cum lege & volũtate Dei, damnatum à Deo, & reum æternæ iræ. Seu peccatum eſt, defectus à lege & voluntate Dei, cum obligatione ad æternam mortem, & damnationem.

Quotuplex.

Qv. *Quotuplex eſt peccatum?*

R. Duplex, ſcilicet Originale, & actuale.

Originale.

Qv. *Quid eſt originale?*

R. Eſt cum corruptio naturæ humanæ propagata ab Adam, tum reatus, quo naſcentes propter lapſum Adæ rei ſunt iræ Dei & damnationis, niſi fiat remiſsio.

Eius propagatio.

Qv. *Quomodo propagatur hoc peccatum?*

R. Hoc peccatum propagari ab Adam in totum humanum genus ipſe Paulus Rom. 5.18. diſertè docet: Verùm cùm modus & ratio propagationis verbo Dei non exprimitur, non eſt ſcrupuloſè de eo quærendùm.

Actuale.

Qv. *Quid eſt Actuale?*

R. Eſt per quod peccatũ originis actuoſum eſt, id eſt, omnis cogitatio, affectus, conſenſus, dictum, factum, omiſſum contra legem Dei, quo homo nouo reatu obſtringitur ad pœnas æternas, niſi fiat remiſsio. Si breuius placet: Peccatum actuale, eſt quæuis commiſſio, aut omiſſio pugnans cum lege Dei.

Peccatorum ordines.

Qv. *Qui ſunt peccatorum ordines?*

R. Tres ſunt, in quorum ſingulis quatuor ſunt gradus. Nam in primo ſunt cogitatio, affectus, conſenſus, actio prohibita.

In Secundo: Mala conſcientia, contemtus Dei, idololatria, vniuerſalis iniuſtitia.

In Tertio: Mens reproba, ἀναισθησία, id eſt, non ſentire peccati molem, finalis impœnitentia, & deſperatio.

Qv. *Ad quid prodeſt hoſce ordines peccatorũ ſcire?*

R. Prodeſt vtique mirum in modum: Vt cognito periculo, quod cum peccandi conſuetudine coniunctum eſt, maturè peccatorum illecebris renunciemus. Sancti luctantur quidem in primo ordine, ſed fiunt ſuperiores Spiritus ſancti beneficio: verùm hypocritæ & prophani homines feruntur per omnes ordines in præcipitium damnationis.

Peccati grauitas.

Qv. *Vnde quæſo grauitas peccati æſtimanda eſt?*

R. Ex his quatuor: 1. Ex pœna ſecuta lapſum Adæ. 2. Ex calamitatibus & ærumnis, quibus hodie inuoluimur. 3. Ex dignitate precij quo redemti ſumus à iure peccati. 4. Ex comminationibus æternarum pœnarum, quas Deus ſeriò minatur iis, qui non conuertuntur.

De Secvndo.

2. Remiſſio quid.

Qv. *Quid eſt remiſſio peccatorum?*

R. Eſt obligationis ad æternam mortem & dãnationem ſolutio, & pœnæ debitæ condonatio.

Quomodo fit.

Qv. *Quomodo fit hæc remiſſio?*

R. Quemadmodum materia, & meritum remiſſionis eſt victima filij Dei: Ita Deus pater mera miſericordia recipit homines in gratiam condonatis peccatis.

An peccatum aboleatur.

Qv. *An non aboletur peccatum dum remittitur?*

R. Duo ſunt in peccato, nimirum defectus, & reatus. Ipſa defectio indies in ſanctis minuitur per mortificationem veteris hominis. Sed dum hãc maſſam circumferimus non in vniuerſum aboletur. Manet enim perpetuò in hac vita ſpiritus & carnis lucta in ſanctis, Gal. 5.17. Verum reatus adeò aboletur in piis, vt Deus dicat ſe non recordaturum peccatorum eorum. Ego qui deleo iniquitates tuas coram me, & peccatorum tuorum non recordabor. Eſai. 43.25.

Obiectionis dilutio.

Qv. *At ſancti ſæpe puniuntur propter ſua peccata.*

R. Sancti non tã caſtigantur, quia peccauerunt, quam coërcẽtur ne amplius peccent. Deus enim ſanctos ſuos paterna diſciplina caſtigat, ne cum hoc mũdo damnentur, non autem punit vindicta iudiciaria vt pereant.

De Tertio.

Fides remiſsionis peccatorũ, quid.

Qv. *Quæ eſt fides remiſsionis peccatorum?*

R. Eſt firma fiducia miſericordiæ Dei ex promiſſione ipſius per Spiritum ſanctum concepta, qua ſtatuit homo, quod Deus velit ſe vere in gratiam recipere propter victimam filij, & non amplius ſibi peccata imputare.

Definitionis probatio.

Qv. *Quod hæc ſit vera fidei ratio, quomodo probatur?*

R. Hoc probatur tribus modis: 1. Claris & perſpicuis ſcripturæ pronunciatis. 2. Parabolis. 3. Illuſtribus exemplis.

Scripturæ teſtimoniis.

Qv. *Dic ſcripturæ pronunciata.*

R. Paulus poſt Dauidem ait: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Rom. 4.6. Pſal. 32.1. Et Chriſtus dixit paralytico, Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et archiſynagogo: tantum crede. Et mulieri Chananeæ: fides tua te ſaltauit. Vide Matt. 9.2. Marc. 9.36. & Matth. 15. 28.

Parabolis.

Qv. *Dic parabolas?*

R. Inter multas inſigniores ſunt: illa de debitore, qui debuit decem millia talentorum Matth. 18.

Item

Item illa Luc.7. de duobus debitoribus, & quæ eſt Lucæ 17. de Acolaſto.

Exemplis

Qv. *Da exempla.*

R. Omnium clariſsimum eſt exemplum latronis in cruce, Item Dauidis poſt commiſſum adulterium, Manaſsis, Magdalenæ &c.

DE QVARTO.

Coniuncta.

Qv. *Quæ ſunt cum fide remiſſionis peccatorum coniuncta?*

R. Duo: Nempe gratia & donum.

Gratia ſeu iuſtificatio.

Qv. *Quid eſt gratia?*

R. Ipſa iuſtificatio. Gratia enim, vt Paulus inquit Rom.5. ex multis delictis in iuſtificationem.

Qv. *Quid eſt iuſtificatio?*

R. Eſt credentis perſonæ in Chriſtum abſolutio à peccato, imputatio iuſtitiæ Chriſti, & acceptatio ad vitam æternam gratis propter Chriſtum.

Donatio Spiritus Sancti.

Qv. *Quid donum vocas?*

R. Donum eſt ipſa donatio Spiritus ſancti, qua homo ſola fide iuſtificatus regeneratur, id eſt, mortificatur, & viuificatur, vt jam noua creatura fiat, viuatque iuxta voluntatem Dei, quantum quidem id fieri poteſt per humanam imbecillitatem, ídque exemplo ſanctorum patriarcharum, aliorumque piorum, quorum ſummum ſtudium fuit obedientiam erga Deum omnibus rebus mundi anteponere. Quēadmodum in Abrahamo videmus, qui ad mandatum Dei paratus erat vnicum filium ſuum mactare, quo nihil in mundo habuit precioſius, iucundius, dulcius. Atque ideo Paulus monet, Vt honeſtam militiam militantes fidem & bonam conſcientiam retineamus. Quam parum de hoc dono habeant illi, qui ne minimum ſuum affectum propter mandatum Dei iugulari volunt, manifeſtum eſt.

Qv. *Dic tertium articulum quartæ partis?*

Summa.

R. Credo carnis reſurrectionem.

Partes.

Qv. *Quot ſunt in hoc articulo præcipuè ſpectanda.*

R. Quatuor.

1. Probatio reſurrectionis.
2. Definitio reſurrectionis, & conditiones eiuſdē.
3. Finis reſurrectionis.
4. Fides & vſus.

DE PRIMO.

1. Reſurrectionis probationes.

Qv. *Cùm hic articulus omnino excedat captum rationis, quæſo vt eum firmis rationibus munias.*

R. Multæ ſunt probationes huius articuli in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis: Verùm vt memoriæ conſulamus, omnes ſub ſex generalibus capitibus complector, quæ hoc diſticho continentur.

Dictum, promiſſum, factum, vis, ſigna, lauacrum,
Surgere poſt mortem corpora noſtra docent.

Prophetiæ certiſsimæ.

Qv. *Quid per dictum intelligis?*

R. Omnia aperta Prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum vaticinia de carnis reſurrectione.

Qv. *Recita aliquot ex illuſtrioribus.*

R. Eſa.26.19. Viuent mortui tui, & interfecti tui reſurgent. Ezech.37.12. Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam de ſepulchris vos, populus mi, & dabo vobis Spiritum, vt viuatis. Iob 19.25. Scio quod redemtor meus viuit, & in nouiſsimo die reſurrecturus ſum, & rurſus circundabor pelle mea. Daniel. 12.2. Multi qui dormiunt, de puluere terræ euigilabunt, alij ad vitam æternam, alij ad opprobria, & contemtum ſempiternum. Chriſtus Matth.22.30. ex Moſe probat reſurrectionē mortuorū cōtra Sadducæos, quibus obiicit ignorantiam ſcripturarū, & potentiæ Dei. 1. Theſſal.4.16. Mortui reſurgent.

Promiſſiones.

Qv. *Quid per promiſſum intelligis?*

R. Omnes promiſsiones filij Dei de reſurrectione, quibus conſolatus eſt ſuos diſcipulos, ne aduerſis fracti abiicerent confeſſionem. Iohan.6.37.39.40. Omne quod dedit mihi pater non perdam ex eo quicquam, ſed ſuſcitabo ipſum in nouiſsimo die: Itē: Hæc eſt voluntas eius, qui miſit me, vt qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam, & ego ſuſcitabo eum in nouiſsimo die. Iohan.11.25. Ego ſum reſurrectio & vita. Iohan.14.19. Ego viuo, & vos viuetis. Huiuſmodi ſunt multæ aliæ, quibus hic articulus confirmatur.

Miracula.

Qv. *Quid per factum intelligis?*

R. Omnia, quæ olim tanquam præludia reſurrectionis contigerunt, vt Enoch & Eliæ ſublatio in cœlum, excitatio mortuæ puellæ, Matt.9. Filij viduæ Luc.7. Lazari Iohan.11. Imò ipſe Chriſtus excitatus tertio die apertiſsimum teſtimonium futuræ reſurrectionis, & ſanctorum corpora excitata reſurgente domino ſignificabant, vt olim omnium hominum corpora virtute reſurgentis Chriſti viuificentur.

Virtus Dei.

Qv. *Quid per vim intelligis?*

R. Ipſam cauſſam efficiētem reſurrectionis. Hic primùm cogitandum eſt de Decreto Dei omnipotentis immutabili, qui ſtatuit ſe excitaturum mortuos. 2. cogitetur virtus reſurrectionis Chriſti: Nā Chriſtus reſurrexit non tantum vt exemplum, ſed multò magis, vt virtute ſuæ reſurrectionis nos in extremo die excitet. 1. Corint.15.20. Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus, Chriſtus reſurrexit primitiæ dormientium. 3. Cogitetur potentia Chriſti, qua poteſt ſibi omnia ſubiicere, vnde Paulus Philip.3.21. Transfigurabit noſtra abiecta corpora, vt fiant conformia ſuo glorioſo corpori, idque ea virtute qua poteſt ſibi omnia ſubiicere. 4. Cogitetur inhabitatio Spiritus ſancti in piis, Rom.8.11. Si Spiritus eius, qui excitauit Ieſum à mortuis habitat in vobis, Is qui excitauit Ieſum, per eundem Spiritum viuificabit etiā veſtra mortua corpora.

Signa.

Qv. *Quid per ſigna intelligis?*

R. Omnia reſurrectionis indicia naturæ impreſſa. Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus expreſſam eſſe aiunt reſurrectionis notam quandam in phœnice aue, quæ cum in cineres redacta fuerit, mox poſt irrigationem noua prodit. Multæ auiculæ hyberno tempore in profundis paludibus deliteſcunt tanquam mortuæ, quæ verno tempore rurſus viuæ prodeunt. Paulus 1. Corinth. 15.36. granum coniectum in terram mortuum, & poſtea renatum, ſymbolum reſurrectionis facit. Luna deficiens, & veluti mortua apparens, mox rurſus vt noua prodiens, mortis & reſurrectionis argumentum eſt.

Qv. *Quid per lauacrum?*

Baptiſmus.

R. Ipſum ſacrum baptiſma, quod ſymbolum eſt 1. mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis Chriſti. 2. mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis noſtræ ſpiritualis. 3. mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis corporalis. Debet igitur baptiſsimus nobis in memoriam reuocare articulum reſurrectionis.

DE SECVNDO.

Qv. *Quid eſt reſurrectio?*

2. Reſurrectionis definitio.

R. Eſt iterata vnio, & inſolubilis copulatio corporum & animarum, quæ prius per mortem à ſe inuicem ſeparata erant, vt morte victa homines immortales facti perpetuo viuant, alij in gloria,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

alij in pœnis. Pij quidem in gloria, Impij vero in pœnis. Verùm prętcr hanc definitionē ſciendum eſt, quod piorum reſurrectio ſit etiam perfecta quædam regeneratio. Nam regeneratio inchoata in hac vita multum habet impuritatis, & immunditiæ adiunctum, quod totum abolebitur in perfecta illa regeneratione, in qua non ſolum animi, verumetiam corpora ad plenum reformabuntur, & induent nouas qualitates.

Cōditiones eiuſdem.

Qv. *Age dic de qualitatibus corporum.*

R. Paulus 1.Corinth.15.42. Inſtituens collationem inter corpora noſtra, quæ hic circumferimus, & eadem olim excitanda ex mortuis, quinque ponit differentias his verbis: Seminatur corpus obnoxium corruptioni, reſurget corpus incorruptum. Seminatur ignominioſum, reſurget corpus glorioſum: Seminatur corpus infirmum, reſurget corpus potens: Seminatur corpus animale, reſurget corpus ſpirituale, Et paulò pòſt: Quemadmodum geſtauimus imaginem terreni, ſic etiam geſtabimus imaginem cœleſtis. Ex his colligitur, quod ſanctorum corpora ſint futura incorruptibilia, glorioſa, potentia, ſpiritualia, vt quæ ſpiritus imperio ſe in totum dedant. Breuiter, totus homo imaginem Chriſti primogeniti ex mortuis refert. Hęc omnia Paulus coniungit ad Phi. 3.21. vbi dicit ſanctorum corpora σύμμορφα fore glorioſo corpori Chriſti. & 1.Iohan.3.2. Cum apparuerit ſimiles ei erimus. Atque in his ſita eſt regeneratio corporum.

Qv. *Dic quomodo animæ ſanctorum regenerabuntur?*

R. 1. Lucebit in animabus imago Dei glorioſa, quæ quā ſit futura auguſta, & excellens, nemo mortalium in hac vita cogitare poteſt. Deinde mentes erunt plenæ ſapientia Dei: Affectus puriſsimi: Voluntates in omni æternitate promtiſsimæ ad obſequium Deo præſtādum. Atque ita erit plena & perfecta obedientia legis Dei in ſanctis, plena dilectio Dei, & proximi.

DE TERTIO.

3. Finis reſurrectionis.

Qv. *Quis eſt finis reſurrectionis?*

R. Vt Chriſtus in omni æternitate cum ſua ſpōſa Eccleſia lætus triumphet. Vt hoſtes Chriſti iaceāt perpetuò ſub pedibus eius proſtrati & victi. Vt bonis præmia obedientię, & malis ſupplicia reddantur. 2.Corint.5.10. Oportet nos omnes ſiſti ante tribunal Chriſti, vt vnuſquiſque reportet prout in corpore geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. Huc illud Chriſti: Prodibunt qui bona fecerunt in reſurrectionem vitę qui vero mala in reſurrectionem iudicij. Ioan.5.29.

DE QVARTO.

4. Fides.

Qv. *Qualis fides requiritur?*

R. Firmiſsima ſane, quæ ſua virtute iudiciū rationis & ſenſus premat ſub pedibus ſuis, quæ vere ſtatuit firmiſsimum eſſe decretum Dei de reſuſcitādis mortuis, & hoc palam confitetur coram omnibus hominibus & diabolis.

Vſus.

Qv. *Quis eſt vſus fidei reſurrectionis.*

R. 1. Cogitatio reſurrectionis erit commune remedium aduerſus omnes calamitates, ærumnas, & morbos, cum quibus confligantur corpora noſtra in hac vita. Hinc enim plenus vermibus & vlceribus Iob, occiſis filiis, & abactis pecoribus, conſolationē petit cum inquit: Scio quod redemtor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum. 2. Cogitatio reſurrectionis mitigabit dolorem noſtrum in morte amicorum, iuxta illud. 1.Theſſ.4.13. Nolo vos ignorare fratres de dormientibus, ne triſtemini ſicut & reliqui nō habentes ſpem: Nam ſi credimus, quod Deus Chriſtum excitauerit à mortuis, nos etiam ſimul cum eo adducet. 3. Cogitatio reſurrectionis & noſtrum terrorem imminente morte mitigabit, cū ſcimus hanc mortem eſſe veluti tranſitum, quendam ad immortalitatis gloriam, iuxta illud. Apocal.14.13. Beâti qui in Domino moriuntur. 4. Cogitatio reſurrectionis erit veluti frenum, quo à peccando retrahamur, & veluti ſtimulus, quo ad pergendum in vera pietate & ſanctitate excitemur.

Summa.

Qv. *Dic quartum Articulum quartæ partis.*

Credo vitam æternam.

Partes ſeu capita.

Qv. *Quot ſunt potiſsimum ſpectanda in hoc articulo?*

R. Quatuor:

1. Vitæ & mortis genera.
2. Definitio vitæ æternæ.
3. Bona promiſſa hæredibus vitæ æternæ.
4. Fides & vſus huius articuli.

DE PRIMO.

1. Vitæ & mortis genera.

Qv. *Quot ſunt vitæ & mortis genera?*

R. Quatuor.

1. Vita naturæ, & mors naturæ.
2. Vita peccati, & mors peccati.
3. Vita gratiæ, & mors gratiæ.
4. Vita æterna, & mors æterna.

Vita naturæ.

Qv. *Quæ eſt vita naturæ?*

R. Eſt qua in hac vita naturaliter viuimus, donec animæ & corpora fuerunt coniuncta: Hæc bona per ſe eſt, quia Dei donum eſt, & quia promittitur obedientibus Deo tanquam præmium obedientiæ, Exod.20.12. Verùm variat hæc vita pro conditione hominum. Nam Abrahamo bona fuit, quia eam trāſegit in pietate & propagatione gloriæ Dei. At Neroni mala fuit, quia ea abuſus eſt in contumeliam autoris, & in ſuam propriam perniciem. Huic vitæ naturæ opponitur mors naturæ, quæ eſt receſſus animarum à corporibus. Hæc per ſe mala eſt, ſed variat pro conditione hominum. Vt enim Abrahamo fuit bona: (nam erat illi tranſitus ab huius mundi calamitatibus ad æternam felicitatem) ita Neroni mala fuit. Nam illi erat tranſitus ab huius mundi voluptatibus, potentia, & tyrannide ad perpetuum opprobrium & contemtum ſempiternum.

Mors naturæ.

Vita peccati.

Qv. *Quæ eſt vita peccati?*

R. Eſt qua peccatum viuit in homine & regnat per ſuas concupiſcentias. Hęc ſemper eſt mala, quia & Deo inuiſa eſt, & via eſt ad æternam mortem & damnationem. Huic opponitur mors peccati, & eſt cum peccatum virtute Chriſti in homine mortificatur. Hæc mors bona eſt, vt quæ tranſitus eſt à commerita damnatione ad gratuitam beatitudinem:

Mors.

Vita gratiæ.

Qv. *Quæ vita gratiæ?*

R. Eſt qua Chriſtus in nobis viuit per fidem & ſuum ſpiritū, ad Gal.2.20. Hæc ſemper bona eſt, quia eſt vis Spiritus Dei in nobis, & eſt via ad gloriam. Huic opponitur mors gratiæ, quæ eſt priuatio gratię, videlicet cum fidem abiicimus, & relabimur in peccata: ita & peccatum in nobis denuo regnet per concupiſcentias ſuas, eique ſcientes, & volentes obediamus. Hæc mors mala eſt, quia à Deo damnatur, & ad æterna ſupplicia dux eſt.

Mors.

Vita æterna.

Qv. *Quæ eſt vita æterna?*

R. Eſt cùm ipſe Chriſtus, 1.Iohann.1.5. tum felicitas beata, qua electi fruentur in omni ęternitate reſuſcitatis corporibus. Hæc vita finis bonorum eſt, atque adeo omnium bonorum ſummum, quod Dominus promiſerat diligentibus ſe: huic opponitur mors æterna, quæ eſt ſeparatio hominis à Chriſto, vt ipſius conſpectu non fruatur. Hæc mors omnium

Mors.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

malorum extremum eſt, nunquam finiendum. Huc illud Auguſtini. Sicut vita corporis, anima eſt: Ita vita animæ, Deus eſt. Sicut corpus expirat, dum amittit animam: Sic anima expirat, dum amittit Deum. Deus amiſſus mors animæ: Anima amiſſa, mors corporis.

Vſus. Qv. *Ad quid prodeſt hæc diſcrimina vitæ & mortis tenere?*

R. Vt diſcamus recte mori, & recte viuere. Mori quidem peccato, viuere verò gratiæ, quò poſt hanc vitam, in vera pietate ad finem vſque traductã, perueniamus ad æternam vitam per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum.

DE SECVNDO.

2. Vitæ æternæ definitio. Qv. *Quid eſt vita æterna?*

R. Eſt cùm via ad cœleſtem hæreditatem, tum ſtatus beatorum poſt hanc vitam, in quo fruentur conſpectu Dei in omni æternitate.

Definitionis probatio. Qv. *Quod æterna vita ſit via ad hæreditatem cœleſtem proba.*

R. Iohan. 3. 36. Qui credit in filium habet vitam æternam. Nam in credente vita æterna inchoata eſt.

Qv. *Cur ſic?*

R. Quia qui credit, Chriſtum poſsidet, qui ſolus via eſt ad vitam æternam. Iohan. 3. 13. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit filius hominis, qui eſt in cœlo.

Via vitæ æternæ. Qv. *Quid monſtrat hanc viam?*

R. Verbum Dei, quod filium Dei nobis viam eſſe in cœlum, & ianuam teſtatur, ſicuti ipſe Dominus de ſe dicit, Ioann. 10. 9. & 14. 6. Ego ſum oſtium, Ego ſum via, veritas, & vita: Quo dicto ſignificat ſe principium, medium, & vltimum eſſe, per quod venitur ad vitam æternam.

Qv. *Quis ingreditur hac via?*

R. Qui credit in filium, iuxta dictum: Qui credit in filium habet vitam æternam. Ioan. 3. 36.

Qv. *Quomodo ſecuri ab hoſtibus conſeruamur in hac via?*

R. Potentia Dei per fidem, iuxta illud 1. Pet. 1. 5. Potentia Dei cuſtodimini ad ſalutem per fidem.

Qv. *Quomodo pergendum eſt in hac via?*

R. Rectè in hac via pergimus, ſi magis magiſque in omni cognitione, & ſenſu rerũ ſpiritualium proficiamus, iuxta illud Philipp. 1. 9. Charitas veſtra magis magiſque abundet in omni cognitione & ſenſu, vt probetis ea quæ potiora ſunt, vt ſitis ſinceri, & ſine offenſa in diem Ieſu Chriſti.

Qv. *Sed quid eſt vita æterna propriè?*

R. Eſt, vt dixi, ſtatus beatorum poſt hanc vitam, & fruitio contemplationis diuinæ in omni æternitate, iuxta illud Iohan. 3. 16. Sic Deus dilexit mundũ, vt filium ſuum vnigenitũ daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Et ad Titum 3. 7. Hæredes ſumus iuxta ſpem vitæ æternæ.

DE TERTIO.

3. Bona æterna piis promiſſa. Qv. *Quæ ſunt illa bona, quæ Dominus promiſerat hæredibus vitæ æternæ?*

R. Etſi Paulus 1. Cor. 2. 9. poſt Eſai. c. 64. 4. dicit: Oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ Deus præparauit diligentibus ſe: tamen cum ſcriptura particulas quaſdam iſtorum bonorum recenſet, breuiter nonnihil de illis dicendum eſt.

Horum nomina. Qv. *Quibus modis ſcriptura iſta bona nobis commendat?*

R. Duobus:

Scilicet, Appellationibus & deſcriptionibus.

Qv. *Dic appellationes.*

R. Multæ ſunt appellationes, quibus felicitas æternæ vitæ obſcurè pingitur. Nos ex multis paucas recenſebimus, quarum hæc *Prima*. Matth. 7. 21. dicitur regnum cœlorum. Nõ omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum. Hac appellatione monemur, nihil in vita æterna terrenum fore, nihil caducum, nihil fortunæ, & mutationibus obnoxium. *Secundò*, dicitur regnum æternum, 2. Pet. 1. 11. Introitus in regnum æternum. Hac appellatione ſignificatur, quam ſtabilia, & firma ſint futura bona, quibus abundabimus in vita æterna. *Tertiò*, dicitur regnũ Dei, Act. 14. 22. per multas tribulationes oportet nos ingredi in regnũ Dei. Hac appellatione monemur, quòd hæredes vitæ æternæ ſint futuri liberi à regno peccati, mortis, & Diaboli, adeo vt nihil vnquam mali pertimeſcant, *Quartò*, Dicitur nouum cœlum & noua terra, 2. Pet. 3. 13. Qua appellatione monemur, quod nulla ſentiatur vetuſtas, ſenectus & corruptio in æterna vita. *Quintò*, Dicitur paradiſus, iuxta illud, hodie eris mecũ in paradiſo. Qua appellatione ſignificatur, quod nihil triſtitiæ, nihil aduerſi ſit futurum in æterna vita, ſed omnia ſint plena ſummis deliciis. *Sextò*, Vocatur gloria Dei, 1. Pet. 5. 9. Vocauit nos ad ſuam gloriam. Qua appellatione ſignificatur, quod in æterna vita nullus ſit futurus locus ignominiæ, infamiæ, contemtui, ſed omnia ſint maieſtatis diuinæ contemplatione glorioſa.

Regnum cœlorum. Regnum æternum. Regnum Dei. Nouum cœlum. Paradiſus.

Deſcriptiones bonorum vitæ æternæ. Qv. *Recita aliquot deſcriptiones, in quibus bona promiſſa hæredibus vitæ æternæ proponuntur.*

R. Multæ ſanè ſunt, ſed hac vice vnam tantum adducam ex Pſal. 16. 11. Dauidis, vbi ita loquitur: Notam facies mihi ſemitam vitæ, abundantiam deliciarum, vultum tuum, & iucunditates in dextera tua in æternum. His verbis proponit Dominus tria genera bonorum, quibus abundabunt electi in vita æterna. 1. Nominat abundantiam deliciarum, qua voce ſignificatur plenitudo, & ſaturitas omnium rerum expetendarum, & ſtatus omnium bonorum copia perfectus. 2. Deinde vultus Dei meminit, quo perpetuò fruentur electi, qui cum perpetuò adfuturus ſit vt ſummum bonum, non poteſt aliud fieri, quam vt ſit ſumma lætitia, ob præſentiam iſtius ſummi boni quo fruemur. 3. Ponit iucunditates in dextera Dei, id eſt, ſummas delicias & ſpirituales voluptates ex contemplatione maieſtatis diuinæ. Horum bonorum guſtum perexiguum ſentiunt, qui verè credunt, & aguntur ſpiritu Dei.

DE QVARTO.

4. Fides & vſus. Summa fidei noſtræ in Spi. S. Qv. *Quæ eſt fides & quis vſus?*

R. Fides & vſus petantur ex ſuperiori articulo.

Qv. *Contrahe breuiter hanc quartam Symboli partem.*

R. Credo in Spiritum ſanctum verum & æternum Deum, conſubſtantialem patri & filio, ſanctificatorem Eccleſiæ, quæ donata remiſsione peccatorum olim ad vocem Dei excitabitur ad vitam æternam per Chriſtum Ieſum, cui cum patre & Spiritu ſancto ſit honor in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE III. PARTE.

Orationis præcipua capita. Qv. *Quæ eſt tertia pars Catechiſmi?*

R. Oratio.

Qv. *Quæ ſunt cognitu neceſſaria piè precantibus?*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

R. Tria.
1. Quid oratio,& quotuplex.
2. Circumſtantiæ orationis perpetuæ.
3. Precandi forma.

De Primo.

1. Orationis definitio.

Qv. *Quid eſt oratio?*

R. Eſt ſupplex eleuatio animæ hominis ad Deũ, vel aliquid ab eo petentis, vel ei gratias pro collatis beneficiis agentis. Hanc definitionem ex multis dictis Pſalmorum confirmari manifeſtum eſt. Nam cum dicit Dauid, Ad te leuaui animam meam: item, Ad te Domine leuaui oculos meos, ſignificat piam orationem eſſe animæ ſupplicem eleuationem ad Deum petentis aliquid ab ipſo, vel gratias agentis. Geſtus præterea leuantium manus, & oculos inter precandum cœlum verſus, hanc etiam confirmant definitionẽ. Huc accedit antiquiſsima Eccleſiæ precatio: Surſum corda habemus ad Dominum. Cum hac noſtra definitione conuenit etiam græca illa antiquiſsimi cuiuſdam Theologi. προσευχή ἐστι ἀνάβασις τοῦ νοῦ πρὸς τὸν θεὸν, καὶ αἴτησις τῶν προσηκόντων παρ᾽ αὐτοῦ, Hoc eſt, Oratio eſt aſcenſio mentis ad Deum, & petitio rerum vtilium ab ipſo.

Quotuplex.

Qv. *Quotuplex eſt oratio?*

R. Paulus 1. Ti. 2. 1. quatuor genera numerat, quorum primum eſt Deprecatio. 2. Adoratio. 3. Poſtulatio. 4. Gratiarum actio.

Qv. *Quid eſt deprecatio?*

R. Eſt ſupplex eleuatio animæ hominis ad Deũ, qua petitur liberatio ab iis, quę nobis moleſtiam adferunt: vt cum pij petunt ſibi remiſsionem peccatorum, & liberationem à malis.

Qv. *Quid eſt adoratio?*

R. Eſt ſupplex eleuatio animæ hominis ad Deũ, qua petitur aliquod beneficium: vt cum pii petunt regnum Chriſti in ſe confirmari, & panem quotidianum ſibi dari.

Qv. *Quid eſt poſtulatio?*

R. Eſt ſupplex eleuatio animæ hominis ad Deum, qua vel vnus pro alio, vel omnes pro ſe inuicem preces fundunt. Vt cum Eccleſia Dei petit ſanctificari nomen Dei per orbem vniuerſum, aduenire regnum Dei, fieri voluntatem ipſius in terra quemadmodum in cœlo fit.

Qv. *Quid eſt gratiarum actio?*

R. Eſt ſupplex eleuatio animæ hominis ad Deũ, qua gratiæ Deo aguntur, vel pro beneficiis nobis aliiſúe collatis, vel pro malis à nobis aliiſúe ſublatis.

De Secvndo.

2. Orationis circũſtantiæ.

Qv. *Quæ ſunt perpetuæ piæ orationis circumſtãtiæ?*

R. Quinque ſunt, quæ continẽtur hoc verſiculo.
Affectus, cauſæ, quis, per quem, quídque petendum.

Affectus.

Qv. *Qualis ergo affectus precantis eſſe debet?*

R. Precaturus. 1. Exuat omnem opinionem propriæ gloriæ, dignitatis & meriti. 2. Sentiat verè ſuam inopiam. 3. Proſternat ſe coram Deo in vera pœnitentia. 4. Afferat firmam fiduciam, & quod velit liberaliter, & gratuito opem ferre petentibus.

Cauſæ.

Qv. *Quæ cauſæ nos ad precandum mouebunt?*

R. Septem, quas hoc diſticho complector.
Mandatum, promiſsio, crux, victoria, Satan,
Conſuetudo precum, factum, facient vt adores.

Prima ergo cauſa eſt *mandatum Dei*, quo requirit à nobis Deus cultum inuocationis, qui eſt præcipuus in Eccleſia. Hic enim cultus requiritur in ſecundo præcepto, & mandatum ſępe repetitur in Prophetis,
Pſal. 50. 15. Pſalmis, & Euangelicis ſcriptis. Inuoca me inquit, &
Deuter. 6. 13. in Deuteronom. Dominum tuum adorabis, & illum ſolum coles. *Secunda* cauſſa eſt *promiſſio*, quod Deus velit inuocantes exaudire: Inuoca me, inquit, in die tribulationis, & ego exaudiam te. Et Chriſtus: Quidquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Ioã. 16. 23.
Tertia cauſa eſt *ſenſus inopiæ* noſtræ, atque adeo totius Eccleſiæ, œconomiarum, & politiarum. *Quarta* cauſa eſt *victoria* in tentationibus, iuxta illud Chriſti: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. *Quinta* Matt. 26. 41.
cauſa perpetuæ *inſidiæ diaboli*, aduerſus quas nullum eſt tutius refugium quam pia oratio, Vnde Salomõ, Prou. 18. 10.
Turris fortiſsima nomen Domini, ad eam transfugiet iuſtus & ſaluabitur: & Paulus, Accipite gladium Eph. 6. 17.
ſpiritus, qui eſt verbum Dei per omnem orationem & poſtulationem. *Sexta* cauſa eſt, quod *conſuetudo* orandi conſeruet hominem in pietate, & cauſa eſt aliorum multorum exercitiorum pietatis. *Septima* cauſa, *Exempla* Patriarcharum, Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, atque adeo omnium piorum, quorum pręcipuum & ſummum ſtudium fuit crebras ad Deum preces fundere.

Quis orandus.

Qv. *Quis eſt inuocandus?*

R. Is qui ſolus καρδιογνώστης eſt. Nam cum oratio ſit potius explicatio cordis, quam clamor vocis, & nemo poteſt gemitus cordium videre pręter ſolum Deum, erit ſolus inuocandus vnus, & æternus Deus, pater, filius & Spiritus ſanctus. Et Dauid in ſuis precibus vocat Deum ſcrutatorem cordium & renum, Pſal. 7. & 33. & 44.
hoc eſt, ſecretiſſimorum affectuum. Et Apoſtoli in oratione, Act. 1. 24. dicunt: Et tu Domine καρδιογνῶστα omnium. Deinde cum Dei mandatum ſit, vt non cõfidamus in carnem, id eſt, in vllam creaturam, ſequitur ſacrilegium eſſe vllam creaturam inuocare. Nam quod creaturæ tribuitur illud impiè Deo adimitur. Nec vlli ſancti, Prophetæ, Patriarchæ, & Apoſtoli, aliíque qui habuerunt verum pietatis teſtimonium, inuocarunt niſi ſolum Deum.

Per quem orandũ.

Qv. *Quomodo inuocabimus, cum ſcriptura dicat, Deum peccatores non exaudire?*

R. Quia peccatores ſumus, eſt datus nobis à Deo patre mediator & ſacerdos, Deus & homo, Iesvs Christvs. Quare ipſe ait: Quidquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Neque tamẽ promiſcuè Deus omnes peccatores exaudit nominantes in ſuis precibus filium Dei: ſed tantum eos qui pœnitentiam agunt & peccare deſinunt, qui non vt peccatores, ſed vt iuſti iam apparent in conſpectu Dei. Ioã. 16. 23.

Quid petendum.

Qv. *Quid eſt petendum?*

R. Duplicia ſunt bona, ſimiliter etiam duplicia mala. Sunt bona, ſine quibus ſalus contingere non poteſt, & ſunt bona quorum vſus eſt tantùm in præſenti vita. Sunt mala impedientia ſalutem, & ſunt mala, quæ nobis moleſta ſunt tantùm in hac vita. Vt ergo bona, ſine quibus ſalus contingere nequit, petenda ſunt ſine conditione, & bona conducentia in hac vita petenda ſunt cum conditione: Ita mala per ſe impedientia ſalutem deprecanda ſunt ſine conditione: quæ verò alioqui moleſta ſunt cum conditione, deprecabimur.

Qv. *Quomodo ergo præcipitur, vt petamus ſine hæſitatione, Nam qui cum conditione petit, non certo ſibi perſuadet quod ſit accepturus quæ petit?*

R. Fides ſibi certiſsimè perſuadeat, quod Deus velit exaudire preces ſuas veras. Verùm quia homines aut petunt, quæ vtilia eſſe putant, aut deprecantur quæ ſibi nociua eſſe exiſtimant, & ſæpe falluntur iudicio (neſcimus enim quid oraturi ſimus quemadmodum oportet) Spiritus intercedit pro nobis, dãdo quæ ſuo iudicio iudicat nobis vtilia eſſe, & auferendo ea à nobis mala, quæ ſuo iudicio iudicat nobis nociua eſſe. Is enim rectiſsime iudicat & quid expediat nobis,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nobis,& quid non expediat. Non igitur dubitat fides,quin Deus ſuas preces exaudiat. Nam ſi id non dat quod petitur, certè id quod multò melius eſt, largitur. Vide Luc.11.5.&c.

DE TERTIO.

3. Forma precandi.

QV. *Quæ eſt forma precandi?*

R. Multæ extant precandi formæ præcipuè in Pſalmis: Verum Chriſtus vnam certam ſuis diſcipulis commendauit, Matth.6.Luc.11.

QV. *Quænam eſt illa?*

Summa.

R. Pater noſter qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua,ſicut in cœlo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita noſtra,ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos à malo. Quia tuum eſt regnum,potentia, & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen:

Orationis dominicę præcipua capita.

QV. *Quæ ſunt potiſsimum in hac oratione conſideranda?*

R. Tria.

1. Commendatio huius orationis.
2. Partitio eiuſdem.
3. Partium declaratio.

DE PRIMA.

1. Commédationis loci.

Recita locos commendationis huius orationis.

Primus locus ſumitur ab autoris maieſtate, vnde Auguſtinus: Maxima ab omnibus Dominicę orationi exhibenda eſt reuerentia, quia à ſummo doctore facta eſt. *Secundus*,ab autoris ſapientia, vt qui Deus eſt ſapientiſsimus,omnia expetenda, & fugienda digeſsit optimo ordine. Vnde Chryſoſtomus: O quam beata eſt hæc oratio, cuius ordinem doctor vitæ & magiſter cœleſtis inſtituit. *Tertius*,ab autoris affectu erga homines. Is enim natura æternus æterni Dei filius deſcendit de cœlo,& aſſumta humana natura,factus eſt pro nobis natura filiis iræ λύτρον,vt nos per adoptionis gratiam filij Dei fieremus. *Quartus*, ab orationis vtilitate. Nam & quid ab optimo Deo petere liceat,& quid nobis clementer largiri velit, edocet. *Quintus*,ab orationis breuitate. Nam breuiſsimo compendio res expetendas & fugiendas in Eccleſia, in œconomia,& politia cōtinet. *Sextus*,ſumitur ab orationis claritate. Nihil enim obſcuris obuoluitur inuolucris ænigmatum,ſed omnia clare & perſpicue panduntur. *Septimus* ab orantis inſtructione. Nam & quis inuocādus,& qua fiducia,& quid petendum ſit, & per quem in ea indicatur. *Octauus*, ab orantis neceſsitate. Nam cum & multis neceſſariis egemus, & multis malis premimur,in hac oratione, monſtratur via impetrandi neceſſaria,& euadendi ea quæ moleſta ſunt. *Nonus*,ab orantis dignitate. Nam illos ſolos orare poſſe, qui filij Dei ſunt, monemur huius orationis forma.

DE SECVNDO.

2. Partitio eiuſdē

QV. *Quæ eſt partitio orationis* Dominicæ?

R. Orationis Dominicæ partitio trimēbris eſt. Secatur enim in compellationem,in ſeptem petitiones,& in confirmationem. Compellatio ſeruit fidei orantis excitandæ,& confeſsioni. Septem petitiones ſunt rerum expetendarum & fugiendarum propoſitiones. Confirmatio ſpem auget,& confirmat precantis fiduciam,vt certè ſe conſecuturum ſperet,quę in nomine Mediatoris petit.

DE TERTIO.

3. Declaratio.

De declaratione.

Declara compellationem.

Partes.

R. Pater noſter qui es in cœlis? In hac cōpellatione ſunt tria perpendenda. 1. Quis ſit inuocandus,& quo ſit erga nos animo. 2. Qua fiducia ſit orans. 3. Quales deceat eſſe eos qui efficaciter orare volunt.

DE PRIMO.

1. Solus Deus inuocādus.

QV. *Quis eſt inuocandus?*

R. Deus ſolus,qui eſt Pater, Filius,& Spiritus ſanctus. Hic æternus Deus patris nomine eſt inuocandus.

Cur pater dicitur.

QV. *Cur pater dicitur?*

R. Hoc etſi ſupra in Symbolo explicatum eſt: hic tamen breuiter eſt repetendum. Dicitur autem Pater creatione & adoptione. Quod autem dicitur Pater creatione,probatur illo dicto Deut.c.32.6. Nónne Deus eſt pater tuus,qui poſsidet te,creauit, & fecit. Hæc paternitas monet nos, quod etſi peccatores ſumus à nobis:tamē ab ipſo ſumus,vtpote eius creatura quam amat, & cuius miſeretur, iuxta illud Sap. Miſereris omnium,& nihil odiſti eorum quæ feciſti. Hac dilectione motus pater, peccato nos perditos redimere ſtatuit,& vt ſatisfieret ſuæ iuſticiæ, dedit filium,iuxta illud Ioann 3.16. Sic Deus dilexit mundū &c. Quod autē adoptione ſumus filij,modo in Chriſtum credimus,probatur illo dicto Rom.8.15. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis in timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis per quem clamamus Abba,pater, Et Gal.4.4. Quando venit plenitudo temporis,emiſit Deus filium ſuum natum ex muliere,factum ſub lege,vt eos qui ſub lege erant,redimeret,vt adoptaremur in filios. Hac adoptione, tametſi peccatum nobiſcum perpetuo circumferimus,placemus Deo,& ipſe nos paterna ſtorga complectitur.

Cur in cœlis.

QV. *Cur additur*,qui es in cœlis?

R. 1. Vt precaturus ſciat ſe inuocare eum qui eſt omnipotens, Dominus dominantium, Rex regum,iuxta illud 1. Tim.6.15. Solus potens dominus dominantium,Rex regum.

2. Vt precaturus ſciat hunc Deum, qui in alto habitat,implere omnia & contemplari, atque adeo omnium cordium receſſus videre.

3. Vt precaturus ſciat diuinum numen non eſſe alligatum creaturis,idolis,ſtatuis, ſimulachris,vt in iis adoretur.

4. Vt precaturus ſciat ſe inter orandum deberē cor & mentem in cœlum leuare, vbi in maieſtatis gloria aſtat mediator noſter patri, & intercedit pro nobis.

QV. *An non Deus vbique eſt? Cur igitur non dicitur in oratione,pater noſter qui es vbique?*

R. Quidam ex ſanctis patribus dicit hoc additum eſſe propter tria. 1. Vt feruore ſpiritus adoretur. 2. Vt mens orantis ad cœleſtia eleuetur. 3. Vt cœleſtia petantur. Ego quartum addo,videlicet vt occurratur errori Ethnicorum, qui ſe Deum adorare in creaturis coram certis ſtatuis dicere ſolebant.

DE SECVNDO.

2. Qua fiducia.

QV. *Qua fiducia eſt orandum?*

R. Hoc colligendū eſt ex iis quæ dicta ſunt. Nam cum pater ſit qui inuocatur, debent precantes ſtatuere,& quod ſe propter Chriſtum in filios adoptauerit,& quod clementer velit largiri ea, quæ nobis neceſſaria eſſe nouerit,modò ea ſeriò ab eo petamus. Ac cum additur Qui es in cælis, fides duo colligit, nempe quod & poſsit dare quæ petimus, & quod nemo dantis manum cohibere valeat.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

De Tertio.

3. Electorum eſt Deũ inuocare.

Qv. *Quales nam eſſe oportet eos, qui efficaciter cum fructu orare volunt?*

R. 1. Quod ex dictis patet, debent eſſe filij Dei, qui petunt, nõ portiones ſeruorũ cũ Iſmaele, ſed hæreditatem filiorum cum Iſaac. 2. Debent eſſe imitatores paternarum virtutum, ne nothi eſſe deprehendantur, vnde illud: Eſtote imitatores Dei. Item: Eſtote miſericordes ſicut pater veſter &c. Eſtote ſancti quia ego ſanctus ſum. 3. Debent ſuum patrem honorare, mente, voce, & vita, iuxta illud Malach. 1. 6. Si ego pater ſum, vbi honor meus. 4. Debent, qui communem patrem inuocant, fraternitatem piam colere inter ſeſe. Nam qui odit fratrem ſuum, & dicit ſe Deum diligere, mendax eſt. 5. Quod omnes inuocãtes verè ſint vnum in Chriſto, adeo vt in Chriſti ſpirituali regno non ſit diſcrimen regis & ſtabularij, diuitis & pauperis, nobilis & ignobilis. Nam hę perſonæ omnes exuendæ ſunt in ſpirituali Chriſti regno, quæ tamen ſuum locum in externa Eccleſiæ ſocietate, in œconomiis & politiis retinere debent.

Ordo petitionum.

Qv. *De ordine ſeptem petitionum. Expone rationem ordinis harum ſeptem petitionum?*

R. 1. Diſcipulorum Chriſti atque adeo omniũ hominum primum votum eſſe debet, vt firmum & immotum cultus Dei fundamentum iaciatur, quod eſt ſolida eius noticia, idque in eum finem, vt regnum Dei erigatur, ſtabiliatur, & propagetur, & ciues in eodem debitam obedientiam regi cœleſti præſtent. Deo Chriſtus iubet primùm peti noticiam Dei. 2. aduentum regni. 3. obedientiam ciuium in eodem regno. 4. quia in hac mortali vita regnum Dei inchoatur & erigitur, vbi variis opus habet præſidiis, iubet quarto loco, vt petamus quicquid ad huius vitæ ſuſtentationem & conſeruationem facit. 5. Verùm quia ea corruptio eſt naturæ humanæ, quod facilis ſit lapſus in errata & mutuas offẽſiones: quinto loco docet petendam eſſe condonationem iſtorũ lapſuum & erratorum, ne propterea à regno Dei excludamur. 6. 7. quia ſunt duo acerrimi hoſtes, qui cõſpirauerunt aduerſus regnum Dei, caro & Diabolus, docet petendam eſſe defenſionem aduerſus eos, ídque in ſexta & ſeptima petitione. Hic ordo eſt orationis Dominicæ, in qua nihil omiſſum eſt, quod vel ad gloriã Dei pertinet, vel ad noſtram ſalutem ſpectet, vel ad ſuſtentationem noſtri in hac mortali vita requiritur.

De Prima Petitione.

Qv. *Quæ eſt prima petitio?*

Summa.

R. Sanctificetur nomen tuum.

Qv. *Quid eſt nomen Dei?*

Nomen Dei.

R. Eſt notitia, & fama Dei iuxta eius virtutes, facta, & merita.

Qv. *Quid eſt ſanctificari?*

R. Eſt ſacroſanctum haberi, ſumma cum veneratione coli, & vſurpari.

Qv. *Quid eſt ſanctificari nomen Dei?*

R. Eſt noticiam Dei, & famam eius ſecundum facta, virtutes, & merita ſacroſanctam haberi, ſumma cum veneratione coli, & vſurpari.

Quomodo ſanctificatur.

Qv. *Quid? an non Dei nomen ſanctum eſt ſine noſtra precatione?*

R. Imo in omni æternitate in ſe ſanctum eſt: Sed nos precamur, vt tale nobis habeatur, quemadmodum ex definitione poſita patet.

Qv. *Quid petimus ſummatim in hac prima petitione?*

R. Vt precamur ſanctificationem nominis Dei, Ita prophanationem eiuſdem deprecamur.

Plenior expoſitio.

Qv. *Age, cùm hoc obſcurius ſit in genere dictum, explicatius per ſpecies expone. Et cum in hac petitione ſit precatio expreſſa, & deprecatio implicita, dic primum de precatione.*

Precationes.

R. Cum petimus ſanctificari nomen Dei quinque precamur.

1. Primùm enim precamur, vt ſecundum opus Dei ſit eius nomen. Opus autem Dei triplex eſt: Creationis, gubernationis, & redemtionis. In his virtutes ſummæ relucent: Omnipotentia, ſapientia, iuſticia, miſericordia, paterna ſtorga, veritas &c. Cum ergo petimus ſanctificari nomen Dei, petimus agnoſci opera Dei, celebrari Deum propter potentiam, ſapientiam, iuſticiam, miſericordiam.

2. Precamur, vt ſecundum nomen Dei ſit eius inter omnes noticia. Ad hanc noticiam requiritur, vt noſter triumphator Chriſtus mittat nobis dona, cõſeruet miniſterium, verum ſacramentorum vſum, & diſciplinam Eccleſiæ. Cum ergo petimus ſanctificari nomen Dei, petimus dari fideles doctores in Eccleſia, conſeruationem miniſterij, ſalutarem diſciplinã.

3. Precamur, vt ſecundum eius noticiam ſit hominum in eum fiducia, & omnia bona ab ipſo expectent, tanquam à patre clementiſsimo.

4. Vt ſecundum debitam ſiduciam ſit eius laus & celebratio inter homines, iuxta illud Pſalmi 48. 11. Secundum nomen tuum laus tua in omnes fines terræ, iuſticia plena eſt dextera tua, lætetur Zion, & exultet filia Iuda propter iudicia tua.

5. Vt ſecundum debitam eius laudem fiat ſancta nominis Dei vſurpatio inter homines per inuocationem, prædicationem, confeſſionem, per cultum iuriſiurandi, & alia opera, quæ in ſecundo præcepto requiruntur.

Qv. *Quid deprecamur in hac petitione?*

Deprecationes.

R. Etſi hoc intelligi poteſt ex Antitheſi, tamen breuiter indicabo quæ præcipue hic deprecamur.

1. Deprecamur omnium hominum & diabolorum technas, qui vel opera Dei, vel virtutes obſcurare volunt, vel tribuere hominibus, aut diabolo quod eſt Dei, vel tribuere Deo, quod eſt diabolorum & malorum hominum, vt ſunt multa facta pugnantia cum primo & ſecundo præcepto.

2. Deprecamur corruptelas doctrinę cœleſtis, & ſacramentorum, tyrannidem impedientium curſum Euangelij, hæreſes, & alia, quibus vera Dei noticia vel corrumpitur, vel omnino aboletur.

3. Deprecamur Epicureum contemtum Dei, barbaram negligentiam, academicam dubitationem, Stoicam aſtorgiam.

4. Deprecamur ingratitudinem omnium hominum, qui Deum vel non agnoſcunt, vel agnitum non prędicant.

5. Deprecamur prophanam vſurpationem nominis Dei, quæ cum in moribus malis, tum in lingua abutente nomine Dei conſpicitur.

Hoc eſt, deprecamur impuritatem morum, & nominis Dei ſacrilegam vſurpationem.

Neceſſitas huius petitionis petatur, quemadmodum & ſequentium, ex iis quæ ſupra dicta ſunt.

De Secunda.

Qv. *Quæ eſt ſecunda petitio?*

R. Adueniat regnum tuum.

Summa.

Qv. *Quid eſt regnum Dei?*

R. Eſt gubenatio cœleſtis, qua Deus omnia certis legibus adminiſtrat & moderatur.

Regnum Dei.

Qv. *Quid*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Quomodo aduenit.

Qv. *Quid eſt aduenire regnum Dei?*

R. Eſt per continuos progreſſus augeri,& ſemper noua acceſsione dilatari,& multiplicari.

Qv. *Quid petimus in hac petitione*

R. Vt precamur Dei regnum aduenire: Ita deprecamur Satanæ regnum, & omnia quæ regnum Dei impediunt.

Qv. *Habetne aliud hac petitio quàm precationem & deprecationem?*

R. Habet & confeſsionem. Nam cum precamur regnum Dei aduenire,cõfitemur corde & ore, quod regnum Dei ſit nobis inacceſſum, ita vt ad illud pedibus noſtrorum meritorum & operum ire nequaquam valeamus. Agnoſcimus ergo gratuitum donum eſſe,albo ciuium regni cœleſtis adſcribi.

Plenior expoſitio.

Qv. *Explica diſtinctius quid in hac petitione precamur & deprecamur?*

R. Vt id fieri poſsit commodius,dicam quotuplex ſit regnum Dei, & quæ ſint eius proprietates, quo eius maieſtas & eminentia præ cunctis aliis regnis appareat,excitetúrque in nobis ardentius regni Dei deſiderium.

De tripli-ci regno Dei.

Qv. *Quotuplex eſt ergo regnum* Dei?

R. Triplex: 1. Potentiæ. 2. Gratiæ. 3. Gloriæ.

Qv. *Quodnam eſt regnum potentiæ?*

Potentiæ.

R. Eſt gubernatio cœleſtis,qua omnia potenter moderatur Deus,& diſponit. De hoc regno loquitur Pſal.145.13. Regnum tuum regnum omniũ ſæculorũ.

Qv. *Cur dicitur potentiæ?*

R. Quia hæc eius quædam proprietas eſt,qua diſtinguitur ab alijs regnis. Regno enim potentiæ ſuæ, vt omnia moderatur: ita dæmones ſibi ſubiicit, contumaces punit,& ſuos conſeruat potenter.

Qv. *Quod vocas regnum gratiæ?*

Gratiæ.

R. In quo pater cœleſtis viuit & regnat per gratiam,colligit eccleſiam,quam dirigit verbo & ſpiritu,diſciplina regit. Verbo enim ſuam voluntatem docet. Spiritu impellit & mouet corda vt promiſſionibus credant homines,& faciant imperata. Diſciplina regit externos mores.

Qv. *Quotupliciter ſpectatur hoc regnum gratiæ?*

R. Dupliciter. Vt eſt priuatum & publicum, vt ſpectatur in ſingulis membris ſeorſum, & in toto corpore ſimul.

Qv. *Priuatum regnum gratiæ quod?*

R. Eſt per quod Chriſtus in cuiuſque conſciẽtia regnat,& viuit. Cõſcientia enim libera eſt, & regnat libertate donata à liberatore Chriſto, iuxta illud Ioan. 8.36. Si filius vos liberauerit vere liberi eritis. De hoc Paulus loquitur Roman.14.17. Regnum Dei non eſt cibus & potus,ſed iuſticia,pax & gaudium in Spiritu ſancto. Hoc regnum gratiæ in conſcientia cuiuſque, vt opera carnis euertunt: ita opera Spiritus eius teſtimonia ſunt & illud conſeruant.

Qv. *Quodnam eſt publicum gratiæ regnum?*

R. Eſt per quod Chriſtus in toto corpore Eccleſiæ viuit,& regnat, in quo membra Eccleſiæ inter ſeſe coaptat & coagmentat, vt vno Spiritu Chriſti omnia vigeant & viuant. Hoc regnum publicum Eccleſia Catholica appellatur. De hoc loquitur Dominus cum ait: Regnum Dei intra vos eſt. Luc.17.21. Item Matth.6. 33. Quærite primum regnum Dei & iuſticiam eius. Huc & illud Matth.11.12. A diebus Iohan. Baptiſtæ regnum Dei vim patitur,& violenti rapiunt illud,id eſt,homines abruptis mundi,& carnis vinculis, & firma in Chriſtum fiducia concepta inuadunt regnum Dei.

Qv. *Cur hoc dicitur Gratiæ?*

R. Quia eſt regnum gratuitæ remiſsionis peccatorum,gratuitæ imputationis iuſticiæ,gratuitę acceptationis ad vitam æternam; gratuitæ donationis Spiritus ſancti: Breuiter, quia nos in album ciuium huius regni ex mera gratia celeſti adſcribimur. Atque hæc eſt huius regni proprietas.

Gloriæ.

Qv. *Quodnam eſt regnum gloriæ?*

R. Eſt per quod reſuſcitatis corporibus in omni æternitate electi cum Chriſto regnabunt. De hoc loquitur Dominus,cũ ait: Venite benedicti patris mei & poſsidete regnum vobis à conſtitutione mundi paratum. Item, Beatus qui manducabit panem in regno Dei. Item in Pſalmo: Satiabor cum apparuerit gloria tua; & illud, Nolite timere puſille grex; quia complacitum eſt patri veſtro dare vobis regnum. In hoc dicto obſeruetur, quòd Dominus vocet regnum Dei, donationẽ ex paternæ miſericordiæ fonte promanantem, ita vt ſit merum Dei donum, quemadmodum & Paulus teſtatur, cum ait, Donum Dei eſt vita æterna per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ.

Matth.25.34. Luc.14.15. Pſal.17.15. Luc.12.32. Ro.6.23.

Qv. *Cur gloriæ dicitur regnum?*

R. Potiſsimum propter quatuor,1. propter ſummam iuſticiam,Eſaiæ 4.3. Populus tuus omnes ſancti erunt. 2. propter perfectiſsimam libertatem, quã expectant ſolicitè creaturæ Dei,Rom.8.19. Tunc enim libertas filiorum Dei nullis impedimentis turbabitur. 3. propter admirabilem omnium rerum abundantiam, cum Deus erit omnia in omnibus. 4. propter glorioſam Maieſtatis diuinæ præſentiam & contemplationem, quæ nullis temporum interuallis obſcurabitur.

Precationes.

Qv. *Teneo quotuplex ſit regnum, & quæ eius proprietas, Iam breuiter quid petamus in hac ſecunda petitione expone.*

R. 1. Precamur vt regnum Dei, quod gratiæ dicitur,quotidie piis incrementis augeatur, vt multi ciues in eius catalogum referantur.

2. Precamur vt Chriſtus huius regni Monarcha ſuam Eccleſiam ſceptro ſuo regio adminiſtret, id eſt, verbo & ſpiritu dirigat.

3. Vt imperium ſpiritus in ſingulis Eccleſiæ membris aduerſus carnem magis magiſque augeatur.

4. Vt ciues huius regni ſancta quadam diſciplina regantur, quò multi illorum exemplo ad hoc gratiæ regnum inuitentur.

5. Vt eodem ſpiritu in hoc gratiæ regno coniuncti ad beatum illud gloriæ regnum tandem perueniamus duce Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Qv. *Quæ deprecamur?*

Deprecationes.

R. 1. Deprecamur regnum Satanæ,qui per homicidium,& mendacium,variáque ſcelera & flagitia regnat in filiis diffidentiæ.

2. Tyrannidem ſatellitum ſatanæ, quales ſunt Turca, Papa, & Tyranni perſecutores Euangelij, & deuaſtatores regni gratiæ.

3. Tyrannidem carnis propriæ militantis aduerſus ſpiritum, & conantis nos captiuare denuo ſub regno Diaboli.

4. Deprecamur ſcandala, quibus deformatur regnum gratiæ,& diſſenſiones ciuium huius regni inter ſeſe.

5. Deprecamur omnem ἀταξίαν & confuſionem, quibus impeditur, quo minus hoc regnum gratiæ propagetur & dilatetur. Breuiter, omnia impedimenta regni gratiæ deprecamur.

DE TERTIA.

Qv. *Quæ eſt tertia petitio?*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Summa.

R. Fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra.

De dupliſi Dei voluntate.

Qv. *Quid? an non ſcriptum eſt Rom.9.19. Voluntati eius quis reſiſtere poteſt? Item, Omnia quæ voluit fecit in cælo & in terra? Pſal.115.3.*

R. Huic quæſtioni Cyprianus eleganter & breuiter in hunc modum reſpondet: Non petimus, vt Deus faciat, quod vult, ſed vt nos poſſimus facere quod ipſe velit.

Qv. *An quicquam fieri poteſt contra* Dei *voluntatē?*

R. Certè multa fiunt quæ Deus non vult. Nam de peccato ſcriptum eſt Pſal.5.5. Non volens iniquitatem tu es. Hic manifeſtum eſt fieri aliqua contra, & præter voluntatem Dei.

Qv. *Hoc abſurdum eſt, nihil reſiſtere voluntati Dei dicere, & multa tamen fieri contra Dei voluntatem. Dic ergo quomodo hoc intelligam?*

R. Vt commodè intelligi poſſit, ſciendum eſt, quod duplex voluntas Dei ex ſcripturis ſtatuatur. Eſt enim voluntas antecedens, & voluntas conſequens. Pręter vtramque eſt permiſſio, qua Deus ea quæ non vult permittit.

Antecedens.

Qv. *Quæ eſt voluntas antecedens?*

R. Huius ratio duplex eſt. Alia eſt enim voluntas Omnipotētię alia εὐδοκίας ſeu approbationis. Voluntas Omnipotentię, eſt qua Deus vult res à ſe conditas gubernare & moderari & in ſuum obſequium abducere. Huic volūtati reſiſtere nemo poteſt. Quare petitio hæc de ea intelligenda non eſt. Voluntas εὐδοκίας ſeu approbationis eſt duplex: ſcilicet voluntas finis, & voluntas ad finem. Voluntas finis, qua Deus vult homines aſſequi finem cuius gratia creati ſunt, iuxta illud 1.Tim.2.4. Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Voluntas ad finem eſt, qua Deus vult ea ab hominibus fieri, quæ ad finem conſequendum pertinent, quæ ſunt: vt homines veniant in cognitionem veritatis Dei: vt cognitæ veritati credant: vt credentes iuſtificentur & regenerentur: vt regenerati veram ex fide obedientiam præſtent, & in pietate perſeuerent vſque ad finem, iuxta illud, Mat.24.13. Beatus qui perſeuerauerit vſque ad finem. 1.Theſ.4.3. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra. Hanc voluntatem in hac tertia petitione petimus.

Conſequens.

Qv. *Quæ eſt voluntas conſequens?*

R. Eſt quæ conſequitur hominum facta ſecundum iuſticiam Dei, qua impiis ſuplicia, & piis promiſſa bona reddit, iuxta ſententiam illam ſæpiſſime in ſcriptura inculcatam: Reddet vnicuique ſecundum opera ſua.

Permiſsio

Qv. *Quæ eſt permiſſio?*

R. Eſt qua Deus permittit, vt bonis & malis propoſitis, voluntas eligat quæ vult. Hæc permiſsio confirmatur Deuter.30.19. his verbis: Teſtes inuoco cælum & terram, quod propoſuerim tibi vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, elige ergo vitam, vt & tu viuas & ſemen tuum, & diligas Dominum Deum tuum, voci illius obedias, eique adhæreas. Hoc teſtimonio manifeſtiſsimè probatur, quod ſit voluntatis quædam προαίρεσις. Deinde quod Deus non velit mala, ſed permittat: quod ſi non faceret, deſtrueret opus ſuum Deus, nempe libertatem voluntatis. Ad hæc, qui per violentiam cogitur, vt aliquid faciat vel non faciat, eius opus voluntarium dici non poteſt, atque ideo nec ſupplicia nec præmia mereri.

Voluntas hominis.

Qv. *Eſtne voluntas ipſa vel bona vel mala?*

R. Si ſubſtantiam ſpectas, id eſt, ipſam naturalem volendi facultatem, ſemper bona eſt, vt quæ ab optimo Deo eſt. Verùm ſi habitum ſpectas, pro ſtatu hominum variat. Adam enim ante lapſum habuit voluntatem bonam & ſubſtantia & habitu. Verùm poſt lapſum in corrupta natura manſit quidem voluntas, quantum ad ſubſtantiam bona, ſed mala effecta eſt ex corruptione, quia vult mala. Cum ergo petimus fieri voluntatem Dei, precamur vt noſtrum velle, quod eſt per naturam malum, fiat per gratiam bonum, vnde quidam antiquus Theologus pereleganter ait: Si voluntas eſt bona ex homine ſine regeneratione, dicat Chriſtianus in oratione, fiat voluntas mea. Cum ergo precamur, fiat voluntas tua, confitemur noſtram voluntatem natura malam eſſe, quam precamur bonam fieri per gratiam, quam cum adepti ſumus vere bona dici poteſt.

Precationis expoſitio.

Qv. *Intelligo quæ ſit ratio voluntatis Dei, & permiſſionis, iam explana petitionem?*

R. Quemadmodum precamur fieri voluntatem Dei: ita deprecamur fieri voluntatem noſtram, quatęnus adhuc corrupta eſt, & non reformata manu Dei. Auguſtinus eleganter ſummam huius petitionis explicat, cum inquit: Fiat voluntas tua, vt quę odis odiamus, & quæ diligis diligamus, & quod præcipis perficiamus.

Explicatio dilucidior.

Qv. *Hoc quidem rotundè dictum eſt, ſed cupio explicationem magis diſtinctam.*

R. Eam dabo, vbi prius breuiter regulam, ad quā vult Deus voluntatem noſtram exigi, declarauero.

Qv. *Quæ eſt illa regula?*

R. Hæc ſignatur cum additur in precatione: Sicut in cælo. Nam cum vult Dominus nos aſpirare ad cœleſtem conſuetudinem angelorum, præcipit vt noſtra voluntas cum illorum congruat. Cùm ergo illi caſtè & ſanctè voluntati diuinæ obtemperant, iubet petere vt nos illorum exemplum imitantes, ſanctè caſtéque hanc vitam tranſigamus. Qualis autem ſit obedientia, & voluntas angelorum ſignificatur in Pſal.102. his verbis: Benedicite Domino omnes Angeli eius potentes virtute, qui facitis verba eius, & ad audiendum vocem ſermonis eius.

Precationes.

Qv. *Iam dic per partes quid precemur in hac tertia petitione.*

R. 1. Precamur voluntatis Dei certam & claram noticiam, ídque ex ipſius verbo, lege & Euangelio, & Propheticis & Apoſtolicis enarrationibus.

2. Cor mundum creari in nobis, & ſpiritum rectum in viſceribus noſtris.

3. Vt offeramus corpora noſtra hoſtiam ſanctam, rationalem cultum noſtrum, vt probemus quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta.

4. Reformationem imaginis Dei in nobis, in vera iuſticia & ſanctitate.

5. Vt in totius Eccleſiæ corpore in Oeconomiis & politiis ſinguli faciant ſuum opus ſincere & in timore Dei: Vt Magiſtratus bene regat: Patresfamiliâs pie adminiſtrent familiam ſuam: Doctores in templis & ſcholis fideliter doceant: Et auditores & diſcipuli ſuum quique officium faciant, & ſic de aliis. Breuiter in hac petitione precamur, vt omnes homines ſuam vitam componant ad normam legis diuinæ.

Deprecationes.

Qv. *Quid deprecamur?*

R. 1. Deprecamur ignorantiam volūtatis Dei, & corruptelas doctrinæ, quæ fiunt partim per traditiones hominum, partim per docentium inſcitiam, interdum etiam malitiam.

2. Deprecamur cordis noſtri contumacem rebellionem aduerſus voluntatem Dei.

3. Deprecamur corporum noſtrorum effręnem licentiam, qua ſe ſubiiciunt impuris affectibus.

4. De-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

4. Deprecamur deformitatem illam qua Satan deformauit hominem, & aboleuit imaginem Dei in homine.

5. Deprecamur ignorantiam, & inertiam ſingulorum hominum in ſuis officiis qui vel fraudulenter, vel negligenter in Eccleſia ſuo munere perfungũtur.

Qv. *Habetne aliud hæc tertia petiti?*

R. Habet correctionem omnium eorum, quæ filij Dei, vel imprudenter vel malè petunt à Deo. Nam dum precantur voluntatem Dei fieri, poſtulant vt Dei voluntas noſtræ voluntati, & errori, & imprudentiæ in precando præferatur: Et vt ſi quid nociuum petimus, non illud donet, ſed potius id quod ſua paterna clementia ſcit nobis vtile, & ſalutare fore.

De Qvarta.

Qv. *Quæ eſt quarta petitio?*

Summa. R. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Quid panis. Qv. *Quid nomine panis ſignificatur?*

R. Quicquid ad huius corporalis vitæ ſuſtentationem pertinet.

Quotidianus. Qv. *Quid epitheton ἐπιούσιος?*

R. Hoc epitheton ſignificat nos petere nobis panem dari, qui nobis in hac vita alendis ſufficiat, id eſt, quo in hac vita ſupereſſe, & viuere poſsimus.

Noſter. Qv. *Cur additur noſter?*

R. 1. Vt iuſto labore nobis panem noſtrum quæramus. 2. vt abſtineamus ab alieno.

Hodie. Qv. *Cur additur hodie?*

R. Quia non vult nos eſſe ſolicitos in craſtinum cura Ethnica, & profana.

Da nobis panẽ, quid Qv. *Cur petimus nobis panem dari?*

R. Hac petitione primum fatemur, modò ex corde precamur, nos coram Deo merè mẽdicos eſſe. Deinde nos omnia ab ipſius liberali manu accipere, iuxta illud Pſalmi 104.27. Omnia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore, dante te illi colligent, aperiente te manum, implebuntur omni bonitate. Oculi omnium in te ſperant Domine.

Qv. *At qui habet, quomodo ille petit?*

R. Habet vt œconomus, non vt Dominus. Deinde habet panem, ſed non virtutem panis. Lucæ 12.15. Non in abundantia hominis vita eius. Et in Deut. 8.3. Non in ſolo pane viuit homo. Sæpe enim panis, cum non adſit benedictio Domini, ſua deſtituitur virtute. Vnde Eſaias ca. 3.1. Ecce Dominus Deus exercituum Hieroſolymæ & Iudæ vigorem & vim ademit, omnem vigorem panis & omnem vigorem aquæ. Piis igitur obſeruandum eſt, quòd duobus modis adimantur nobis alimenta. Primò dum omnino panis & cibaria, aut ſterilitate terræ, aut penuria tolluntur. Deinde cum illorum quidem ſuppetit copia, ſed vis educandi, & ſuſtentandi eis adimitur. Nullum enim fulcimentum per ſe panis afferre poteſt, niſi Dominus ſua benedictione robur addiderit. Vnde Dominus Leuit. 26.26. minatur, ſe baculum panis fracturum. Hac ſimilitudine tria docemur. 1. Nos pane vt bacillo ſuſtentari. 2. Ipſum panem nullam alendi ex ſe facultatem habere, ſed eam totam ex benedictione Dei proficiſci. 3. vitam noſtram concidere, vbi Dominus panem nobis vt vitæ fulcimentum non præbuerit.

Ad quæſtionem igitur ſic reſpondendum eſt. Dives petit vt œconomus à patrefamiliâs, & quia panis per ſe non nutrit ſine benedictione Domini, petit à Deo, vt virtutem nutriendi pani ſuppeditet.

Expoſitio petitionis Qv. *Explicata vocabulorum virtute, Dic primùm quid in genere precamur, & deprecamur.*

R. Vt precamur nobis quotidianũ panem dari, id eſt, nos in hac vita ſuſtẽtari: Ita deprecamur famẽ, & quæ nobis in huius vitæ curriculo moleſta ſunt.

Precationes. Qv. *Hæc quid ſint in genere intelligo. Sed dic ſigillatim ea quæ ſub hoc genere continentur.*

R. 1. Cum panis haberi non poteſt ſine defenſione magiſtratus, legibus, & bene conſtituta republica, precamur vt Deus omnes ſtatus tueatur, aſſit imperiis, tueatur œconomias, & politiâs.

2. Precamur bonam valetudinem.

3. Fœcunditatem terræ, commodas tempeſtates, pluuiam, & ſerenitatem pro rerum naſcentium commoditate.

4. Precamur vt Deus fructibus natis virtutem per ſuam benedictionem largiri dignetur.

5. Sanctam quandam curam in patribusfamiliâs, gubernatoribus, & aliis, vt ſinguli ſuum officium in timore Dei faciant.

6. Vt noſtra ſorte contenti ſimus, iuxta illud Timot. 6.8. Habentes alimenta, his contenti ſimus.

7. Vt noſtris bonis, cùm in noſtrum bonum, tum in aliorum commodum rectè vtamur.

8. Vt ſimus grati, ne vnquam ipſius donis vtamur ſine ipſius benedictione, inuocatione, gratiarum actione, & prædicatione.

Deprecationes. Qv. *Quid deprecamur?*

1. Bella, turbationem legum, & iudiciorum, ἀταξίαν in ordinibus & ſtatibus hominum.

2. Morbos cum publicè graſſantes: qualis eſt peſtis, & alij contagioſi morbi, tum eos qui ſingulos inuadunt, quibus impediuntur homines, quo minus ſuis officiis rectè perfungi poſsint.

3. Sterilitatem terræ, tempeſtates nociuas. Item beſtiolas à quibus fructus terræ in pœnam ingratorum hominum abſumi ſolent.

4. Deprecamur vtrunque, & Ethnicam ſolicitudinem, & aſininam ignauiam.

5. Tentationes & laqueos Diaboli, in quos illi incidunt, qui volunt diteſcere, 1. Tim. 6.9.

6. Cyclopicam hominum ingratitudinem, qui creaturis Dei vtuntur ſine omni gratitudine.

7. Deprecamur abuſum rerum, ne donis Dei in luxum, voluptatem, ebrietatem, & ſuperbiam, & cõtemtum pauperum abutamur.

Breuiter, omnem iniuriam creaturarum Dei, quas nobis Dominus dedit, vt illis vtamur ſibi in gloriã, & nobis in vtilitatem, in vero timore Dei & gratiarum actione.

De Qvinta.

Qv. *Quæ eſt quinta precatio?*

R. Remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. *Summa.*

Qv. *Quid vocas debita?* *Debita quid.*

R. Debita ſunt peccata, quibus Deum offendimus: Et quælibet legis tranſgreſsio debitum dicitur.

Qv. *Cur peccata vocantur debita?* *Peccata cur debita.*

R: Propter ſimilitudinem. Vt enim debita ciuiliter obligant ad ſolutionem: Ita peccata ſpiritualiter obligant ad ſatisfactionem pœnæ, niſi fiat remiſsio.

Qv. *Qui fit, quod cum filij Dei iuſti ſint, iubeantur peccatores ſe agnoſcere?* *Electi quomodo iuſti & peccatores.*

R. Filij Dei ſunt iuſti imputatione & inchoatione: non perfectione. Deinde peccatores ſunt natura, & variis lapſibus obnoxij, iuxta illud, 1. Ioan. 1.8. Si dixerimus quod peccata nos habemus, non ipſos ſeducimus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Diſcrimē peccatorū in electis & reprobis.

Qv. *Cum vtrique ſint peccatores, renati & non renati, ſunt ne aliqua diſcrimina peccatorum in illis?*

R. Immo ſunt multa diſcrimina, quorum hæc ſunt præcipua. 1. In impiis eſt peccatum, & reatus ſimul. In piis verò ſeu renatis, eſt quidem peccatum, ſed non reatus. Abſoluti enim ſunt à reatu virtute victimæ Mediatoris Ieſu Chriſti. 2. In impiis regnat peccatum per concupiſcentias ſuas, Rom.6.12. In piis vero peccatum premitur & domatur ſub imperio ſpiritus luctantis aduerſus peccatum. 3. Non renati ſcientes & volentes in peccata ruunt, & oblectantur cum mala fecerint. Renati vero tantum infirmitate & ignorantia labuntur, lapſi gemunt & petunt remiſsionem. 4. Impiorum peccatum eſt in memoria apud Deum. Renatorum vero in profunda obliuione, iuxta illud: Peccatorum tuorum non recordabor.

Cauſę peccatorum in renatis.

Qv. *Quæ ſunt cauſſæ lapſuum in renatis?*

R. Tres ſunt præcipuæ. *Prima*: Inhabitans peccatum, quod perpetuò moleſtat ſanctos, & ad aſſentiendum impellere conatur. Huic opponitur feruor ſpiritus, quo reprimitur tyrannis peccati inhabitantis. *Secunda*: Inſidiæ Diaboli. Nam vt primis parentibus, deinde capiti Chriſto inſidiatus eſt: Ita omnes alios inuadit, contra quem pugnandum eſt precibus. *Tertia*: Improbitas mundi, cuius exemplo renati ſæpe labuntur, quod ne fiat, cogitanda ſunt ſanctorum exempla, qui ſe huic ſeculo nequaquam accommodauerunt.

Remiſsio peccati quid.

Qv. *Quid eſt remittere peccatum?*

R. Eſt delere, condonare, & abluere peccatum, Item peccatorum obliuiſci, & hominem à reatu abſoluere.

Cauſa.

Qv. *Quæ eſt cauſſa remiſſionis?*

R. Niſi remiſsio eſſet gratuita, non poſſet dici remiſsio, ſed compenſatio potius. Ergo nulla cauſſa eſt in nobis meritoria remiſsionis: Verùm ſi Chriſtum ſpectas, plena eſt pro peccatis ſatisfactio.

Conſequentia.

Qv. *Plura-ne docet vox remiſsionis?*

R. Immo multò plura. 1. Deſtruit dogma Monachorum de ſatisfactionibus. 2. Omnia humana merita euertit. 3. Refellit Nouatianorum errorem, qui lapſis negarunt reditum ad gratiam. 4. Teſtatur omnes renatos peccatum circumferre ſecum, donec in hac vita verſantur. 5. Aperit ianuam ſalutis miſeris & afflictis conſcientiis. 6. In agone mortis conſolationis fons eſt. 7. Perpetuò teſtatur de precio victimæ, cuius beneficio recipimur in gratiam ſeriò petentes condonationem.

Appendicis expoſitio. De debitis, diſtinctio.

Qv. *Quid ſibi vult appendix iſta,*

Sicut remittimus debitoribus noſtris?

An non licet à proximis debitum, exigere, an oportet ſinere contumaces & delinquentes impunitos abire?

R. Diſcernendum eſt inter debitum ex contractu, & debitum ex læſione ſeu iniuria. Debitum ex contractu, quia iuſtè ſoluitur, iuſtè & exigitur: ſeruata tamen charitatis regula. Debitum ex læſione & iniuria condonandum eſt, de quo ſolo hæc appendix intelligi debet. Deinde diſcernendum eſt inter officium & perſonam. Officium magiſtratus eſt tranſgreſſores ſuæ legis punire. Munus docentis eſt, deſides & negligentes caſtigare. Parentum pietas requirit, vt peccantes filios diſciplina in viam reuocent. Hi enim ſi hæc non facerent, Deum offenderent, cuius vice funguntur. Interea tamen ipſe magiſtratus, parentes, & alij condonare debēt delinquentibus in ſe, vt non oderint eos, ſed tantum illorum errata corrigant.

Charitas erga proximum cur non eſt cauſa remiſsionis peccati.

Qv. *Quid? eſt ne noſtra condonatio cauſſa remiſſionis peccati coram Deo?*

R. Nequaquam: Nam parabola de Debitore decies mille talentorum oſtendit noſtram condonationem effectum debere eſſe impetratæ remiſſionis à Deo.

Doctrinæ

Qv. *Quarum ergo rerum nos admonet hæc appēdix?*

R. Multarum: 1. Collationis debiti quod nos Deo debemus, & eius quod nobis proximus debet, vt cū viderimus magnitudinem noſtri debiti, faciliores reddamur ad aliorum debita condonanda. 2. Imitationis paternæ, vt dictum eſt: Vt enim ipſe remiſit nobis gratis, ita & nos viciſsim affecti ſimus erga fratres. 3. Obligationis ad condonandum fratribus læſiones, quibus nos offenderunt. 4. Admonet nos pœnæ in quam incurremus, niſi ex animo condonauerimus proximis ſua debita.

Petitionis expoſitio.

Qv. *Iam dicito in genere quid precamur & deprecamur in hac petitione?*

R. Quemadmodum deprecamur peccata & offenſas Dei, quibus obligati ſumus ipſi ad pœnam, niſi remittat: Ita precamur regenerationis & ſanctitatis quotidiana incrementa.

Precationes.

Qv. *Quid precamur ſpeciatim?*

1. Precamur perfectionem, iuxta mandatum Dei, Ambula coram me, & eſto perfectus: quo poſsimus vero corde obedientiam erga Deum omnibus rebus mundi anteferre.

2. Quotidianorum lapſuum, qui infiniti ſunt, occulti, & manifeſti, condonationem.

3. Gratiam, vt poſſimus aliorum errata boni conſulere, & in meliorem partem interpretari.

4. Precamur nobis mitiores affectus, quò faciles ſimus ad remittendum eis, qui nos læſerunt.

5. Pacem & concordiam inter membra Eccleſiæ.

Deprecationes.

Qv. *Quid deprecamur?*

R. 1. Ignorantiam, qua ſæpe labimur, & imbecillitatem, quæ plerunque lapſus cauſſa eſt.

2. Rigorem, cum in nobis, tum in aliis nimis exactè inquirendi de alienis erratis.

3. Moroſitatem & difficultatem in moribus, vnde ſæpe oriuntur offenſæ.

4. Diſcordias & diſſenſiones in Eccleſia, vnde non tantum oriuntur ſcandala, quibus alij alienantur à vera doctrina, verùmetiam piorum ſpiritus exacerbantur.

5. Pertinaciam iræ, odij, liuoris &c.

DE SEXTA.

Qv. *Quæ eſt ſexta petitio?*

R. Et ne nos inducas in tentationem.

Summa. Tentatio.

Qv. *Quid eſt tentatio?*

R. Eſt ſolicitatio hominis ad aliquid, vnde probat qualis ſit.

Inductio in tentationē.

Qv. *Quid eſt inducere in tentationem?*

R. Eſt ſincerè hominem tentationibus ſuperari, & ad peccandum impelli. Cum ergo dicitur: Ne inducas, ſenſus eſt, ne ſinas nos induci.

Triplex tentatio.

Qv. *Quotuplex eſt tentatio?*

R. Etſi varie à multis diſtinguitur: hæc tamen vetus diſtinctio nobis placet: Vt alia ſit tentatio ſeductionis, Alia præſumtionis, Alia probationis.

1. Seductionis cuius formæ ſunt duæ.

Qv. *Quæ eſt tentatio ſeductionis?*

R. Eſt ſolicitatio hominis ad aliquid perpetrādum aduerſus legem Dei, quo facto ſeductus à familia Dei excluditur.

Vna Intrinſeca.

Qv. *Eſtne ſimplex huius tentationis ratio?*

R. Non: Nam eius duæ ſunt formę, quarum vna intrinſeca, Altera extrinſeca dicitur.

Qv. *Quæ eſt tentatio intrinſeca?*

R. Eſt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

R. Eſt cuius principium & cauſſa in ipſo homine eſt: quales ſunt omnes tentationes, quæ proueniunt ex concupiſcentia mala.

Altera extrinſeca.

Qv. *Quæ eſt tentatio extrinſeca?*

R. Eſt cuius principium & cauſſa extra hominem, & hæc diuerſitate cauſſarum eſt diſtinguenda: vt, alia eſt mundi, alia Diaboli, alia rerum nos circumſtantium.

Mundi.

Qv. *Quomodo nos tentat mundus?*

R. Cum ſua vanitate & improbitate hominem ad peccandum ſolicitat. Et hoc genere tentationis multi ſuccumbunt.

Diaboli.

Qv. *Quomodo nos tentat Diabolus?*

R. Variis modis: Vt per corruptelas doctrinæ, per ſcandala, & per occaſiones variorum ſcelerum, quas hominibus obiicit, vt eos ſubuertat. Hinc Petrus dicit eum circumire tanquam leonem rugientem, & quærere quem deuoret. Atque hac de cauſſa in Euangelio dicitur Tentator.

Rerum circunſtantium.

Qv. *Quomodo nos res circumſtantes tentant?*

R. Ante nos: mors, iudicium Dei, infernus. Poſt nos: peccata præterita, commiſsiones, & omiſsiones. A dextris potentia, diuitiæ, honor. A ſiniſtris pericula, perſecutiones, ſcandala, externæ Eccleſiæ forma.

2. Tentatio præſumptionis.

Qv. *Quæ eſt tentatio præſumtionis?*

R. Eſt ſolicitatio hominis, per quam eò inducitur, vt Deum tentet abutendo eius longanimitate, iuſticia, miſericordia, liberalitate, aliíſque pluribus beneficiis. Periculoſè igitur peccant, qui propterea peccant ſecurius, quia Dei miſericordia magna eſſe prædicatur, & ita de aliis. Atque hæc duo tentationũ genera mala & nociua ſunt, vt quæ in peccatum & à peccato in damnationem inducunt.

3. Probationis.

Qv. *Quæ eſt tentatio probationis?*

R. Eſt ſolicitatio hominis ad aliquid agendum vel ferendum, quo eius fides & obedientia erga Deũ exploretur: Vt Abraham propoſito mandato de mactando filio, ſuam fidem & obedientiam erga Deum teſtatus eſt, quando potius voluit amittere vnicum filium, quàm Deo non obedire. Sic & Iob cruce multiplici probatus eſt, & in eius cruce fides, & obedientia tanquam aurum in igne probatior eſt facta. De hoc tentationis genere loquitur Moſes, Deuteron. 8. 2. Tentauit te Deus, vt ſciretur quid eſſet in corde tuo, an ambulares in mandatis eius, nec ne.

Generalis petitio.

Qv. *Dic iam ſummatim quid precamur & deprecamur?*

R. Vt deprecamur tentationum violentos impetus: ita precamur ſpiritum Chriſti, quo confirmati poterimus omnium tẽtationum generibus reſiſtere.

Specialis.

Qv. *Quid ſpeciatim precamur?*

R. Primùm precamur mentis ſanctitatem, vt ea cogitemus quæ Deo probantur, & nobis ſalutaria ſunt.

2. Affectuum puritatem, vt ipſi piis & ſanctis cogitationibus reſpondeant.

3. Voluntatis conſenſum in eis, quæ mens piè cogitat, & ad quæ purgati affectus feruntur.

4. Piarũ rerũ memoriã & aſsiduam meditationẽ.

5. Precamur victoriam plenam ſuper carne, mundo, & Diabolo.

Deprecationes.

Qv. *Quid deprecamur?*

R. 1. Impuras mentis cogitationes, quibus irritantur praui affectus.

2. Prauos & vicioſos motus ex impuris cogitationibus ortos.

3. Conſenſum voluntatis in mentis & affectuum impuritatem.

4. Mala ſodalitia, praua colloquia, aliáſque peccandi occaſiones.

5. Varias technas Satanæ, quibus ipſe conatur nos à Deo abducere, & in ſuos laqueos pertrahere. Breuiter; deprecamur quicquid nos vllo pacto ad peccandum ſolicitare poteſt.

DE SEPTIMA.

Summa

Qv. *Quæ ſeptima petitio?*

R. Sed libera nos à malo.

Malum duplex.

Qv. *Quid hic ſignificat malum?*

R. Malum eſt duplex: Malum culpæ, & malum pœnæ. Malum culpæ deprecati ſumus in proximis petitionibus: Malum pœnæ hîc deprecamur.

Pœnæ.

Qv. *Quid eſt malum pœnæ?*

R. Eſt cum ipſa Satanæ tyrannis, tum omnis calamitas, quà vel Eccleſia, vel eius membra in hac vita premuntur. Et eſt duplex, Priuatum & publicum.

Priuatum

Qv. *Quodnam eſt priuatum?*

R. Eſt quicquid ſingulorum in Eccleſia, vel animę, vel corpori, vel famæ, vel fortunis aduerſatur.

Publicum

Qv. *Quod eſt publicum?*

R. Eſt quicquid ſocietati Eccleſiæ noxium eſt: vt ſunt bella, ſcandala, hæreſes, ſeditiones, ſophiſtica, hypocriſis, & quicquid vinculum Eccleſiæ vllo pacto diſſoluit.

Crucis piorum & impiorum diſcrimina.

Qv. *Eſt ne diſcrimen inter malum quo premitur Eccleſia, & malum quo impij afficiuntur?*

R. Eſt ſanè, quod ex his locis ſumitur. 1. A cauſſis efficientibus. 2. A cauſſis finalibus. 3. Ab effectibus. 4. A tempore. 5. A loco. Sed de his conſule Enchiridion in loco de cruce.

Deus liberat à malo.

Qv. *Quomodo Deus liberat à malo?*

R. Dupliciter: Aſsiſtendo ſcilicet, & plenè liberando.

Aſſiſtendo.

Qv. *Quomodo liberat aſsiſtendo?*

R. Dum vel mitigat malum præſens; vel robur dat patienter ferendi onus impoſitum, vt cum Paulo dicit, Sufficit tibi gratia mea: vel ſpiritualibus bonis præſentis crucis acerbitatem compenſat, vt cum Lazarum ſpiritu ſuo erexit, ne in iſta miſeria in qua fuit abiiceret confeſsionem.

Plenè liberando.

Qv. *Quomodo plenè liberat?*

R. Liberabit nos plenè, quando in extremo die excitatos donabit immortalitate, & gloria beatitudinis æternæ. Nam tum non ſolùm liberati erimus à malo: verumetiam à periculo omnis mali. Nihil enim mali iiſ poteſt accidere, qui præſenti, bono, optimo & æterno Deo ipſo fruentur.

Generalis petitio.

Qv. *Quid petimus generatim in hac precatione?*

R. Vt deprecamur detentionem & captiuitatem in malo: Ita precamur felicitatem & tranquillitatem ne vllis turbemur malis.

Specialis

Qv. *Quid precamur ſpeciatim?*

R. 1. Pacem totius Eccleſiæ cùm ſpiritualem, tum externam.

2. Tranquillitatem & quietem ſingulorum membrorum Eccleſiæ, vt, iuxta Pauli dictum, poſsimus in hac vita piè, & modeſtè in omni pietate & modeſtia viuere.

3. Incolumitatem & bonam valetudinem ſingulorum membrorum in Eccleſia.

4. Plenam liberationem à toto regno Satanæ, omnibus malis & calamitatibus.

5. Æternam vitam & felicitatem.

Deprecationes.

Qv. *Quid deprecamur?*

R. 1. Bella, ſcandala, ſeditiones, hæreſes & ſchiſmata in Eccleſia.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

2. Omnia quæ ſunt noxia ſingulis Eccleſiæ membris, idque vel in animo, vel in corpore, vel in fama, vel in fortunis.
3. Morbos quibus noſtrum corpus in hac vita ſæpe fatigatur.
4. Totum Satanæ regnum, peccati & mortis.
5. Æternam mortem.

De Confirmatione.

Qv. *Quæ eſt confirmatio?*

Summa. R. Quia tuum eſt regnum, potentia, & gloria in ſæcula ſæculorum: Amen.

Ratio trimembris. Qv. *Age explica mihi hanc rationem.*

1. A regis officio. R. Ratio hæc trimembris eſt. Prima enim eius pars ſumitur à Regis officio. Nam cum ipſe Rex eſt in Eccleſia, & nos eius ſubditi, fieri aliud non poteſt, quàm vt optimus & clementiſsimus Rex ſuis ſubditis, quo omnes in filios adoptauit, velit adeſſe, & eos tueri, & conſeruare, ac ſimul etiam eis largiri ea, quæ ipſis ſalutaria eſſe nouit. Hinc igitur fides ſtatuat, quod clementiſsimus pater velit nos exaudire. Agitur enim regnum ipſius.

2. A potẽtia Dei. Secunda pars ſumitur à potentia Dei. Huius enim cogitatione accenditur fides, vt omnino ſibi perſuadeat, quod Deus poſsit nobis largiri omnia, quæ ex paterna beneuolentia promiſit. Non ergo quicquam in rerum natura poterit impedire manum Dei, quin liberaliter in nos effundat omnia bona, modò cum ex fide inuocauerimus.

3 A Dei gloria. Tertia pars ſumitur à cauſſa finali. Gloriæ enim Dei intereſt, vt nos filios clementiſsimus Pater exaudiat. Nam dum nos inuocantes exaudit, eum prædicare debemus, atque alios noſtra confeſſione, & exemplo, ad eum laudandum, & prædicandum inuitare, vt ipſius gloria perpetuo in Eccleſia perſonet.

Qv. *Quid ſibi hæc vox Amen vult?*

Amen. R. Hæc vox fidei eſt & perſuadentis ſibi preces ſuas exauditas eſſe, & reuocantis in memoriam promiſsionem Chriſti iureiurando confirmatam: Ioan. 16.23. Amen amen dico vobis, quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Quotieſcunque igitur ſub fine noſtrarum precum nominamus hanc vocem, reuocemus in memoriam hoc Chriſti iuramentum, quo confirmata eſt promiſsio ipſius maxime paterna. Eſt quoque hæc vox obſignatio quædā fidei certiſsimè impetrantis ea, quæ ſibi ſalutaria eſſe poſſunt. Proinde qui hanc fidem inter orandum non adhibet, operam ludit, & nullo pacto precari ritè putandus eſt.

GENERALIS DOCTRINA DE SACRAMENTIS.

Qv. *Age priuſquam deſcendamus ad quartam Catechiſmi partem, generalem doctrinam de Sacramentis mihi expone.*

R. Id faciam perlibenter: Ita enim rectius intelligetur doctrina de Baptiſmo & de Cœna Domini.

Triplicia ſigna. Qv. *Quia Sacramēta ſunt ſub genere ſigni, dic quæſo quotuplicia ſigna conſideranda ſunt in ſcriptura?*

R. Triplicia: quædam enim doctrinæ, quædam iræ, & quædam gratiæ ſunt teſtimonia.

Qv. *Quæ ſunt ſigna doctrinæ?*

1. Doctrinæ. R. Quæ doctrinæ addita, de eius immota veritate teſtantur: qualia ſunt extraordinaria opera Dei, quæ miracula vocamus. Hæc enim Eccleſię data fuerunt, vt cœleſtem doctrinam tanquam firmiſsima ſigilla obſignarunt: qualia fuerunt in veteri teſtamento Rubus ardens, Columna nubis per diem, & Columna ignis per noctem, Exiccatio maris rubri, Aqua fluens de petra, & huiuſmodi multa alia: In nouo teſtamento, Multæ ſanationes infirmorũ, Excitationes mortuorum, Reſurrectio Chriſti, aſcenſio viſibilis, Donatio Spiritus Sancti: de quibus vide Enchiridion. Vſus.

Qv. *Quis eſt vſus horum ſignorum?*

R. Vt homines his firmiſsimis teſtimoniis cõuicti de veritate Dei non fluctuent opinionibus, ſed certò ſibi perſuadeant firmiſsima eſſe, quæ verbum Dei proponit, adeo vt nullæ demonſtrationes philoſophicæ maiorem certitudinem in ſe habeant. 2. Iræ.

Qv. *Quæ ſunt ſigna iræ?*

R. Quæ teſtantur de ira Dei aduerſus homines, & ſunt duplicia: Comminantia & punientia. Comminantia.

Qv. *Quæ ſunt ſigna comminantia?*

R. Quæ prænunciant pœnas hominibus imminere propter ſua peccata: qualia ſunt quæ conſpiciũtur interdum in aëre, concurſus hoſtiles, cometæ: Item tempeſtates & aliæ multæ apparitiones, de quibus ſupra dictum eſt in tertia parte Symboli. Vſus.

Qv. *Quis horum vſus?*

R. Vt commonefacti de ira Dei reſipiſcamus & præueniamus vindictam ſeria pœnitentia. Hunc eſſe vſum comminantium ſignorum teſtantur multæ conciones Propheticæ.

Qv. *Quæ ſunt ſigna punientia?* Punientia.

R. Hæc ſunt duplicia: ſcilicet corporalia & ſpiritualia. Corporalia quidem: vt fames, peſtilentiæ, gladius, malæ beſtiæ. Spiritualia: vt ſunt hæreſis, doctrinę deprauatio, prophanatio Sacramentorum, cultus idololatrici à tyrannis defenſio, ſchiſmata. Vſus.

Qv. *Quis horum vſus?*

R. Vt his ferulis Dei caſtigati clamemus ad ipſum, & conuertamur à viis noſtris peſsimis per veram pœnitentiam. 3. Gratiæ.

Qv. *Quæ ſunt ſigna gratiæ?*

R. Sunt quæ adiiciuntur promiſsionibus diuinis, & teſtantur de gratia Dei erga homines. Hęc vſu Eccleſiæ dicuntur ſacramenta, & Græcè μυςήρια, quia ſunt externa quædam ſigna ſeu externæ actiones, quæ habent coniunctam ſpiritualem contemplationem. De hoc genere ſignorum in Catecheſi puerorum ſolummodo tractari ſolet.

Qv. *Age dic quæ in genere ſpectanda ſunt in ſacramentis ſeu ſignis gratiæ?* Quatuor in ſacramentis ſpectāda.

R. Quatuor ſpectantur. 1. Quæ ſit ratio ſacramentorum. 2. Quot genera. 3. Differentia inter ſacramenta veteris & noui teſtamenti. 4. Quæ, & quot ſint ſacramenta noui teſtamenti. 1. Ratio.

Qv. *Quæ eſt ergo ratio ſacramenti?*

R. Deus perpetuò inde vſque ab initio mundi hũc ritum ſeruauit, quod promiſsionibus ſuis vel recens propoſitis, vel ſolenniter repetitis, adiecerit externa ſigna tanquam aſpectabiles conciones ſuarum promiſsionum. Quare veriſsimè ait Auguſtinus, Sacramentum eſſe viſibile, id eſt, ſpectabile, verbum. Nam quod Dominus verbo offert, id ſacramento tã quam viſibili teſtimonio obſignat. Ex quo facile intelligi poteſt, ad ſubſtantiam cuiuſque Sacramenti quatuor requiri. (Quæ ad ſubſtantiā ſacramēti requiruntur.) 1. Mandatum & inſtitutionem diuinam. 2. Externum ſignum. 3. Promiſsionem gratiæ. 4. Fidem promiſsionis, ſine qua ſacramenta inefficacia ſunt. Hoc ita eſſe facile oſtendi poteſt propoſitis exemplis. (Exempla.) In Circumciſione apertum eſt mandatum, Cuſtodies pactum meum. Eſt & promiſsio expreſſa: Ero Deus tuus & ſeminis tui. Huic promiſsioni additur ſignum, Circumciſio præputij. Verùm quia pro-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

promiſsio inefficax eſt,niſi acceſſerit fides: quarto loco requiritur & ipſa neceſſario. Hoc Roman. 4. 11. breuiſsimo aphoriſmo oſtenditur, vbi ita ait Apoſtolus:Et ſignum accepit circumciſionis,ſignaculum iuſticiæ fidei. Cum dicitur Accepiſſe,notatur mandatum. Cùm additur Circumciſio,exprimitur externum ſignum. Cum ſubiungitur Signaculum iuſticię, ſignificat illud externum ſignum promiſsionis, gratuitæ iuſticiæ eſſe ſignaculum. Verùm cùm quarto loco addit Fidei,ſignificat promiſſam iuſticiam fide accipi. Hinc colligamus definitionem ſacramenti generalem. Sacramentum eſt viſibile ſignum, mandatum & inſtitutum à Deo,quo vt Deus ſuam gratiam teſtatur & obſignat: ita homines viciſſim ſuam in Deum fidem profitētur Hinç & illud ſequitur,quod principalis finis ſacramentorum ſit, vt ſint ſignacula promiſsionis diuinæ fide accipiēdæ. Ex quo fit,quod fides augeatur & confirmetur ſacramentorum vſu. Eſt quoque obſeruanda analogia ſigni ad rem ſignatam, quæ nihil aliud eſt quam ſymbolica comparatio rei viſibilis,& inuiſibilis,qualis in baptiſmo clarè cernitur. Nam vt aqua abluuntur ſordes corporis, ita ſanguine Chriſti abluuntur ſordes animi. Et vt carnis præputium pręſcindebatur in Circumciſione: Ita vetus natura in regeneratione abſcindenda eſt. Hanc comparationem neceſſariò requiri in ſacramentis teſtatur Aug. cum inquit:Si ſacramenta comparationem ad eam rem, quam ſignificant, non haberent,ſacramenta non eſſent. Et propter hanc cōparationem ſacramenta dicuntur Symbola,id eſt, ſigna quæ comparatione docent.

[margin: Confirmatio. — Generalem definitio ſacramenti. — Finis pręcipuus. — Analogia.]

[margin: 2. Genera]

Qv. *Quot ſunt genera Sacramentorum?*

R. Duo ſunt. Alia enim ſunt Sacramenta veteris teſtamenti,alia noui.

[margin: 3. Diſcrimen ſacramentorum veteris & noui fœderis.]

Qv. *Quæ ſunt differentiæ inter ſacramenta veteris & noui teſtamenti?*

R. Auguſtinus tres ponit, quarum Prima eſt: Sacramenta veteris teſtamenti prænunciarunt rem futuram, quam ſacramenta noui exhibitam eſſe declarant.

Secunda ſumitur à diuerſitate ſignorum. Vt illis ſacramentum initiationis fuit Circumciſio: Ita nobis initiale ſacramentum eſt Baptiſmus. Et vt illis ſacramentum fuit confirmationis Agnus phaſe:Ita nobis Cœna Domini confirmationis ſacramentum eſt.

Tertia ſumitur à numero,ſignificatione, & virtute ſacramentorum. Noſtra enim, vt inquit Auguſtinus,ſacramenta numero ſunt pauciora, ſignificatione auguſtiora,& virtute præſtantiora.

[margin: 4. Quæ & quot Sacramenta noui fœderis.]

Qv. *Quæ, & quot ſunt ſacramenta noui teſtamenti?*

R. Sacramenta noui teſtamenti ſunt ritus promiſsioni additi,vt ſint pignora & teſtimonia gratiæ exhibitæ & applicatæ. Et ſunt numero tantum duo: ſcilicet Baptiſmus & Cœna Domini. Nā in his duobus ſignis noui teſtamenti ſunt iſta quatuor, quæ ad ſubſtantiam ſacramentorum pertinent.

DE QVARTA PARTE CATECHISMI.

[margin: De Baptiſmo.]

Qv. *Quæ eſt quarta pars Catechiſmi?*

R. Doctrina de Baptiſmo.

Qv. *Cum ſacramenta ſint altera pars miniſterij Dei in Eccleſia, Age,explicatè dicito de ſacramentis noui teſtamenti,vt quid de illis ſentiendum ſit, ſine ambiguitate intelligam.*

[margin: Tria præcipua capita.]

R. Id faciam,ac primum de Baptiſmo. Verùm vt methodica ſit noſtra de hoc Sacramento tractatio tria capita proponam, quæ ordine explicabo: quorū primum eſſe debet de definitione Baptiſmi, & eius analyſi. 2. De ſignificationibus Baptiſmi. 3. De vero vſu ſeu praxi Baptiſmi per totam vitam.

De Primo.

[margin: Baptiſmi definitio.]

Qv. *Quid eſt baptiſmus?*

R. Eſt ſacramentum noui teſtamenti conſtans tinctione hominis in aquam,& pronunciatione verborū: Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen. & habet annexam promiſsionem ſalutis fide accipiendam.

Qv. *Retexe hanc definitionem in ſua membra?*

[margin: Analyſis definitionis.]

R. Illa quatuor, quæ dixi in omni ſacramento eſſe debere,in hac definitione conſpiciuntur,videlicet diuina inſtitutio, externum ſignum, promiſsio gratiæ,& fides promiſsionis.

Qv. *Dic de inſtitutione.*

[margin: Inſtitutio]

R. Baptiſmus autoritate diuina inſtitutus eſt miniſterio Iohannis Baptiſtæ. Sic enim ſcriptum eſt Lucæ 3.2. Et factum eſt verbum Domini ad Iohannē filium Zachariæ. Venit igitur ad Iordanem &c. prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Deinde autoritas baptiſmi:Mat. 3.16. confirmatur inſigni illa trinitatis apparitione, vbi filius à Iohanne baptizatur, Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ apparet, Vox Dei patris de cœlo ſonat: Hic eſt filius meus dilectus in quo complacui. Poſtremò, Saluator poſt reſurrectionem in cœlum conſcenſurus,commendat diſcipulis ſuis hoc ſacramentum, cū inquit Mat. 28.18. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, profecti igitur prædicate Euangelium omni creaturæ,baptizantes in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti. Hinc apparet & vnde ſit Baptiſmus,& quæ ſit eius dignitas, & quanta cum reuerentia tractari debeat.

Qv. *Quodnam eſt ſignum externum?*

[margin: Signum externū.]

R. Aqua,tinctio,& verborum pronunciatio.

Qv. *Cur aqua adhibetur?*

R. Propter analogiam. Quemadmodum enim aqua corporis ſordes abluuntur:Ita ſpiritualiter & arcano quodam modo conſçientiæ hominum ſanguine Ieſu Chriſti abluuntur à mortuis operibus.

Qv. *Quid ſibi vult tinctio?*

R. Hæc adhibetur propter ſpiritualem ſignificationem,de qua in ſecundo capite dicetur.

Qv. *Quæ eſt pronunciatio verborum?*

R. Ego Baptizo te &c. hoc eſt:Ego miniſter Dei hac merſione teſtor te recipi ab æterno patre,& ablui ſanguine filij eius æterni,& ſanctificari, regenerarique virtute Spiritus ſancti in nouam creaturam, vt hunc vnum & æternum Deum,qui eſt Pater, Filius,& Spiritus ſanctus agnoſcas, in hunc firma fiducia recumbas,eum inuoces & colas, expectans æternam vitam,in quam in hoc lauacro regeneratus es.

Qv. *Tantane vis ineſt aquæ?*

R. Nequaquam: Salutis enim beneficium gratuitum Dei donum eſt, quod Deus impertit virtute Spiritus ſui,verbi & ſacramentorum miniſterio,quibus tanquam internunciis vtitur, & ſuæ voluntatis interpretibus.

Qv. *Quid ſentis de illorum ſententia, qui dicunt ſacramenta noui teſtamenti conferre gratiam?*

R. Verbo & ſacramentis confertur gratia, ſed miniſterialiter. Solus enim Deus gratiam confert per verbi ſui & ſacramentorum diſpenſationem, dum fide accipiuntur.

[margin: Promiſſio]

Qv. *Quæ eſt promiſsio annexa Baptiſmo?*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

R. Eſt gratuitæ ſalutis, iuxta illud Marc. 16.16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic ſaluus erit. Nam Deus per Baptiſmum tanquam authenticum ſuæ voluntatis ſigillum, nobis ſalutem gratuitam & remiſsionem peccatorum obſignat.

Qv. *Qualis fides requiritur?*

Fides.

R. Talis fides requiritur, qualis eſt promiſsio: Eſt autem promiſsio, vt dictum eſt, quod Deus hominem condonatis peccatis propter meritum Chriſti recipiat in gratiam, vt ſit hæres vitæ æternæ. Proinde fides erit firma fiducia, qua homo ſtatuat ſibi Deum talem eſſe, qualis in promiſsione ſua gratuita deſcribitur. Hac fide homo iuſtificatus virtute Spiritus regeneratur, vt iam nouam in vera ſanctitate vitam meditetur.

DE SECVNDO.

Significationes baptiſmi.

Qv. *Dic de ſignificationibus Baptiſmi?*

R. Significationes Baptiſmi ſunt hæ tres.

1. Eſt teſtimonium gratiæ.
2. Eſt ſymbolum rerum arcanarum & ſpiritualiũ.
3. Eſt nota externæ profeſsionis ſeu Chriſtianiſmi.

Qv. *Quomodo baptiſmus eſt teſtimonium gratiæ?*

Eſt teſtimonium gratiæ. Exhibitæ.

R. Baptiſmus eſt teſtimonium gratiæ cum exhibitæ, tum applicatæ. Exhibitæ quidem, quia vt circumciſio figurabat Chriſtum gratiæ fontem venturum: ita Baptiſmus eundem veniſſe teſtatur. Cum igitur Chriſtus ſit fons gratiæ, iuxta illud: Ioan. 1.17. Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum, & Baptiſmus hunc veniſſe teſtatur, meritò teſtimonium gratiæ exhibitæ dicitur baptiſmus.

Applicatæ.

Applicatæ verò, quia baptiſmus eſt veluti authenticum ſigillum, quod teſtatur eum in gratiam recipi, qui iuxta Chriſti inſtitutionem baptiſmatis lauacro abluitur, iuxta hæc teſtimonia: Baptiſmus eſt lauacrum regenerationis. Item: Quotquot baptizati ſunt Chriſtum induerunt. Applicatæ igitur gratiæ teſtimonium iure cenſetur baptiſmus.

Eſt Symbolum.

Qv. *Quare baptiſmus ſymbolum dicitur?*

R. Baptiſmus eſt ſymbolum hiſtoriæ, gratiæ, doni, & conformitatis.

Hiſtoriæ.

Qv. *Quomodo baptiſmus eſt ſymbolum hiſtoriæ?*

R. Quia concionatur baptiſmus de morte, ſepultura & reſurrectione Domini: Merſio enim in aquam mortem figurat: mora ſub aqua ſepulturam adumbrat: extractio de aqua reſurrectionem repræſentat. Rom. 6. Continet igitur baptiſmus hiſtoriam trium dierum, nempe mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis Domini.

Gratiæ.

Qv. *Quomodo baptiſmus eſt ſymbolum gratiæ?*

R. Quia baptiſmus teſtatur eos qui baptizãtur, virtute mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis Domini ablui à peccato, inſeri Chriſto, regenerari & in communionem corporis Chriſti recipi. Nam quod per baptiſmum mundamur à peccatis, inſerimur Chriſto, regeneramur & recipimur in communionem Chriſti, id eſt, Eccleſiam, fit beneficio corporis Chriſti quo induimur, & ſanguinis quo abluimur. Nam Chriſtus in baptiſmo fit baptizatis emundatio, tegumentum & caput. Quam ob cauſam ipſe baptiſmum recepit, vt baptizati illo inſereremur, ſanguine eius ablueremur, & omnes baptizati vnum corpus myſticum vnius capitis Chriſti fieremus, iuxta illud. 1. Corinth. 12. Per vnum ſpiritum nos omnes in vnũ corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Græci, ſiue ſerui, ſiue liberi. Eſt itaque Eccleſia tota nihil aliud quam vnus Chriſtus quemadmodum idem Apoſtolus teſtatur.

Doni.

Qv. *Quomodo baptiſmus eſt ſymbolum doni?*

R. Quia teſtatur de virtute mortis, ſepulturæ & reſurrectionis Domini in nobis. Nam quod morimur peccato, beneficio mortis Chriſti fit, quod reluctamur peccato, vt quieſcat & non ſpiritus imperiũ excutiat, virtute ſepulturæ Chriſti efficitur. Et quod de peccati ſepulchro in nouam vitam reſurgimus, id quoque fit efficacia reſurrectionis Chriſti in nobis, iuxta illud Rom. 6.3. An neſcitis quod quicunque baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem eius baptizati ſumus? Conſepulti ergo ſumus per baptiſma in mortem, vt quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriam patris: ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Nam ſi inſiti ſumus ſimilitudini mortis eius, etiam reſurrectionis erimus &c.

Conformitatis.

Qv. *Quomodo baptiſmus ſymbolum eſt conformitatis?*

R. Quia teſtatur nos conformes fieri debere imagini filij Dei, cùm in morte & ſepultura, tum etiam in reſurrectione. Admonebit igitur nos baptiſmus crucis ferendæ in hac vita cum Chriſto, mortis corporalis, & reſurrectionis. Nam ſi Chriſtus, qui caput eſt, per mortem introiuit in gloriam, nos qui eius membra ſumus non poterimus alia via ad gloriam beatitudinis peruenire. Quotieſcunque ergo premimur cruce, reuocemus in memoriam baptiſmum noſtrum, qui nos cruci ſubiectos fore ſignificat, non ita tamen, vt cruce perpetuò proſtrati iaceamus, ſed vt cum Chriſto tandem ad gloriam beatitudinis perueniamus, iuxta illud 2. Tim. 2.12. Compatimur vt etiam vna cum eo regnemus.

Eſt nota ſeu teſſera Chriſtianiſmi.

Qv. *Quomodo baptiſmus eſt externa teſſera?*

R. Eo quod profeſsionis Chriſtianiſmi quædã nota eſt, & veluti militare quoddam σύνθημα quo Chriſti milites à Satanæ mancipiis diſcernuntur, modo baptiſmus hominum culpa non deſtituatur ſua ſpirituali virtute. Verùm hæc ſignificatio minus principalis eſt, quam cùm Anabaptiſtæ ſolam & vnicam agnoſcant, meritò repudiandi ſunt, qui non ſolum hoc impium dogma malignè defendunt: Verũ etiam pueros baptizandos negant contra manifeſtũ mandatum Chriſti, & ſacramenti huius rationem, quod in locum circumciſionis ſucceſſit. Et impiè ſtatuunt iterandum eſſe baptiſmum, cum ſit initiale ſacramentum & perpetuum in corpore baptizati fœderis Dei teſtimonium, non ſecus atque circumſio olim perpetui valoris erat, cui, vt dixi, baptiſmus ſucceſſit.

Anabaptiſtarum error de baptiſmo refellitur.

Vſus & meditatio baptiſmi.

Qv. *Quis eſt verus vſus & ſalutaris meditatio baptiſmi?*

R. Cum Petrus, prioris tertio, dicit: Baptiſma eſt bonæ conſcientiæ ſtipulatio cum Deo per reſurrectionem Chriſti, ſignificat baptiſmum eſſe mutuã pactionem Dei & conſcientię hominis: Dei quidem offerentis & promittentis gratuitam ſalutem propter filium: Conſcientiæ verò reſpondentis, id eſt, accipientis fide promiſſam gratiam. Hinc primùm colligatur vniuerſalis doctrina, quód omnes ſine regenerationis gratia hæreamus in peccatis & damnatione, iuxta illud Iohann. 3.5. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non intrabit in regnũ cœlorũ. Item: Epheſ. 2.3. Omnes ſumus natura filij iræ. Deinde quia Baptiſmus eſt mutua pactio ſeu ſtipulatio inter Deũ & hominem, debet conſcientia, vt ex pacto Dei, doctrinam: ita ex pacto reſpondente, admonitionem capere.

Qv. *Quam doctrinam ex pacto Dei capit fides?*

R. 1. Quod Deus æternus ſit placatus propter filium, iuxta illud: Hic eſt filius meus dilectus in quo complacui, id eſt, per quem reconciliatus ſum omnibus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

omnibus,qui meo filio inſeruntur, ac eius membra fiunt per regenerationis gratiam.

2.Quod Chriſti beneficia & merita baptizatis donẽtur.Qui enim Chriſtũ induit,eius merita & beneficia induit,atque eius efficaci præſentia defenditur.

3. Quod pater æternus baptizatos in filios adoptet, quos iam caros habet in dilecto,Epheſ.1.6.

4. Quod pater æternus velit nos regere ſuo ſancto ſpiritu,ad Galat.4.6.

5. Quod veſit nos eripere à morte æterna & vinculis Diaboli,& donare nos æterna vita.

Qv. *Quæ admonitio ex pacto respondente in nobis capienda eſt?*

R. 1. Admonemur conſtantis fidei in hunc Deum qui nobis filium dedit.

2. Admonemur obligationis. Nam dum baptizamur in eius nomen, obligamus nos ad ipſum inuocandum & colendum.

3. Admonemur ſpei, qua omnia promiſſa certiſsime ab eo expectamus.

4. Glorificationis,vt ipſum corde,ore, & confeſſione glorificemus, ac noſtram fidem coram toto mundo teſtatam faciamus.

5. Pœnitentiæ,mortificationis,& crucis.

6. Admonemur reſurrectionis ad æternam vitam, & plenæ liberationis ab omnibus ærumnis, quibus in hac præſenti vita obruimur. Hæc omnia confirmantur ſignificationibus baptiſmi, de quibus ſupra dictum eſt, nimirum quod ſit immotum gratiæ teſtimonium,quod ſit hiſtoriæ Chriſti,gratiæ, doni & conformitatis noſtrę cum Chriſto ſymbolum.Et,vt breuiter dicam,quod ſit pignus certiſsimum vitæ ęternæ,niſi nos noſtra culpa fidem baptiſmi repudiauerimus. Quotieſcunque igitur labimur in peccatũ, reuocemur cogitatione baptiſmi, ac meminerimus huius pactionis,cuius virtute lapſi in gratiam recipimur:meminerimus quoque noſtri officii, id eſt, fidei & obedientiæ erga Deum: meminerimus etiam patientiæ ſub cruce, cui nos per baptiſmum ſubiecimus.

DE QVINTA PARTE CATECHISMI.

De S.Cœna.

Qv. *Quæ eſt quinta pars Cathechiſmi?*

R. Cœna Dominica.

Præcipua capita.

Qv. *Quid de hac Cœna piè ſentiendum eſt?*

R: Quia ſacramẽtum Cœnę dominicæ eſt ſummè neceſſarium in Eçcleſia, vt quod Chriſtus iam moriturus ſuis diſcipulis, atque adeo toti Eçcleſiæ commendauerit,quinque capita proponam, quibus complecti conabor, quicquid ad huius ſacramenti rationem pertinere videtur. Sunt autem hæc capita. 1. Cœnæ deſcriptio.2.Significationes cœnæ.3. Vera probatio eius,qui hac Cœna vti velit. 4. Pia & ſalutaris meditatio huius ſacratiſsimæ Cœnæ. 5. Sacramentariorum, id eſt, prophanatorum ſacramenti Cœnæ genera cum breuibus confutationibus.

1. Cœnæ deſcriptio

De Primo.

Qv. *Age da perſpicuam & abſolutam deſcriptionem huius ſacratiſsimæ Cœnæ.*

R. Vt plena deſcriptio huius ſacratiſsimæ Cœnæ haberi poſsit, hæc quatuor veluti eius elementa ſpectanda ſunt .1. Paraſceue ſeu apparatus. 2. Inſtitutio.3.Circumſtantiæ hiſtoriæ inſtitutionis. 4. Ratio ſacramentalis Cœnæ, ex quorum omnium conſideratione colligitur deſcriptio.

1.Paraſceue.

Qv. *Quæ eſt paraſceue ad hanc Cœnam?*

R. In apparatu huius Cœnæ ſpectandum eſt. 1. Quid actum ſit antequam ventum eſt in domum in qua inſtituta eſt. 2. Quid in cœnaculo ante Cœnæ inſtitutionem.

Qv. *Quid actum eſt antequam ventum eſt in locum inſtituta Cœnæ?*

R. Hoc habetur Lucæ 22. hiſce verbis: Venit autem dies azymorum, in qua oportebat mactari paſcha. Et miſit Dominus Petrum & Iohannem dicens:Euntes parate nobis paſcha,vt comedamus. Illi autem dixerunt,vbi vis paremus? Ille dixit eis: Ecce ingreſsis vobis in ciuitatem, occurret homo fictile vas cum aqua geſtans,ſequimini illum in domum in quam ingreditur,& dicite patrifamiliâs domus: dicit tibi Magiſter:Vbi eſt diuerſorium, in quo paſcha cũ meis diſcipulis comedam? Et ille vobis oſtendet aulam magnam ſtratam,illic parate. Abeuntes autem inuenerunt quemadmodum dixit eis, & parauerunt paſcha.Hæc Euangeliſtæ verba duo continent. 1. Signum diuinitatis Chriſti res futuras & contingentes certò præuidentis.2.Confirmationem diſcipulorum de ſuo magiſtro,vt non ex cruce imminente & præſentibus ærumnis atque externa ſpecie iudicarent de eius autoritate & poteſtate in rebus ordinandis. Vtrumque rem magnam arguit, quam aggreſſurus erat in Cœna. Pertinet igitur hic apparatus ad dignitatem Cœnæ amplificandam, quam Deus & homo inſtituere propoſuit.

Qv. *Quid poſtea in cœnaculo contigit ante inſtitutam Cœnam?*

R. 1. Accumbit ad menſam cum duodecim: Magiſter cum diſcipulis: Rex regni cœlorum cum eius adminiſtratoribus.

2. Alloquitur diſcipulos dominus his verbis: Deſiderio deſideraui hoc paſcha vobiſcum manducare,ac ſi dicat, id quod in huius paſchæ celebratione inſtituam,erit extremum & perpetuum μνημόσυνον, quod meæ Eçcleſiæ,vſque dum rediturus ſum iudiçatum viuos & mortuos,relinquam.

3. Prædicit iamiam ſuam mortem imminere.

4. Meminit ſui proditoris quem comminatione grauiſsima propoſita in viam reuocare ſtudet.

5. Iuxta legem cum diſcipulis agnum paſchalem comedit.Cuius ritus deſcribitur Exod.12.& Leui.23.

Qv. *Quid hæc ad Cœnam?*

R. Oſtendunt quam digna, quam ſeria, quam reuerenda,quam ſancta & quã neceſſaria fuerit Cœnæ huius inſtitutio, quam dominus iam moriturus in ſummo pauore, conſternatione, & triſtitia animi inſtituit. Quæ res & nos admonebit,vt in huius cœnæ celebratione vero pauore,& triſtitia propter peccata noſtra tangamur.

Qv. *Quæ eſt huius Cœnæ inſtitutio?* 2 Inſtitutio.

R. Hiſtoria inſtitutionis habetur Mat.26. Mar. 14.Luc.22.1.Cor.11.

Qv. *Recita verba inſtitutionis.*

R. Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ea nocte,qua traditus eſt,accepit panem,& cum gratias egiſſet, fregit ac dedit diſcipulis ſuis dicens: Accipite & comedite, hoc eſt Corpus meum,quod pro vobis traditur: hoc facite in mei commemorationem. Similiter & calicẽ accepit poſtquam cœnauit, & cum gratias egiſſet,dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes, hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum: hoc facite quotieſcunque biberitis in mei commemorationem.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

3.Circumſtantiæ nouem.

Qv. *Quænam in hiſtoria inſtitutionis huius Cœnæ obſeruandæ veniunt circumſtantiæ?*

R. Circumſtantias hiſtoriæ inſtitutionis Cœnæ hoc diſticho complexus ſum.

Tempus, conuiua, benedictio, ſanctio, ſigna.
Munera magna Dei, mandatum, fœdera, fines.

Tempus.

Qv. *Cur temporis ſit mentio?*

R. Vt admoneamur & ingentis amoris filij Dei erga nos, quia ea nocte, qua ſciuit ſe tradendum eſſe propter peccata noſtra, hanc Cœnam nobis in bonum inſtituit, & neceſſitatis maximæ huius Cœnæ. Nam in eo mœrore propter imminentem mortem, nequaquam inſtituiſſet hanc Cœnam, niſi ſumme fuiſſet Eccleſiæ ipſius vſque ad conſummationem ſæculi neceſſaria.

Conuiuæ.

Qv. *Qui conuiuæ?*

R. Chriſtus Dominus & Magiſter conuiuio præfuit, vna cum diſcipulis conuiuator erat, cum quibus etiam interfuit Iudas proditor. Hinc admoneamur, quod vt Chriſtus perpetuò cum ſuis diſcipulis ſuæ Cœnæ adeſſe velit, ita vix fiet vt Iudas excludatur.

Benedictio.

Qv. *Benedictio quæ?*

R. Dominus in inſtitutione huius Cœnæ dicitur benedixiſſe & gratias egiſſe Deo, nobis relinquẽs exemplum, vt hac Cœna nunquam ſine gratiarum actione vtamur.

Qv. *Quæ ſanctio?*

R. Hoc facite. Hæc dignitatem, reuerentiam & perpetuã huius Cœnæ obſeruantiã nobis cõmẽdat.

Signa.

Qv. *Quænam ſunt ſigna?*

R. Externa ſigna ſunt panis & vinum quæ propter ſpiritualem ſignificationem adhibita ſunt, de qua in ſecundo capite dicetur.

Munera.

Qv. *Quænam munera ſunt in hac Cœna inuiſibilia?*

R. Verum corpus & verus ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti: non metaphoricum corpus aut ſanguis: non myſticum corpus, aut ſanguis, ſed illud ipſum, quod ex Maria virgine natum eſt, & poſtea in aram crucis ſuſpenſum eſt, ille ipſe ſanguis qui effuſus eſt de ſanctiſsimo eius corpore, vt clarè ſonant verba Cœnæ. Quod datur pro vobis, & qui effunditur pro vobis in remiſsionem peccatorum. Cum his adeſt quoque inuiſibilis gratia, quam Deus vna cum hoc Sacramento offert.

Mandatum.

Qv. *Quodnam eſt mandatum?*

R. Hoc facite in mei recordationem. 1. quotieſcũque vtimini hac Cœna memoriam beneficiorum paſsionis & reſurrectionis meæ recolite, & annunciate mortem meam donec veniam.

Fœdus.

Qv. *Quale fœdus eſt?*

R. Nouum & ſancitũ ſanguine Chriſti de gratia & remiſsione peccatorum, de quo poſtea plura dicentur.

Fines.

Qv. *Quinam fines ſunt huius Cœnæ?*

R. 1. Perpetua beneficiorum Chriſti recordatio. 2. Obſignatio remiſsionis peccatorum. Atque hi ſunt principales fines Cœnæ Dominicæ?

4. Ratio ſacramẽtalis Cœnæ.

Qv. *Quæ ratio ſacramentalis Cœnæ?*

R. Cùm omne ſacramentum Eccleſiæ ſignum ſit diuinitus inſtitutum, cui addita eſt promiſsio fidem vtentis ſacramento requirens, nemo dubitare poteſt, quin hæc Cœna ſit ſacramentum. Primùm enim Chriſti inſtituentis mandatum eſt manifeſtum. 2. Signum viſibile eſt panis & vinum. 3. Additur promiſsio noui fœderis de remiſsione peccatorum. 4. Quia promiſsio requirit fidem, ea quoque includitur hiſce verbis: Hoc facite in mei commemorationem.

Quale eſt Sacramentum.

Qv. *Cœnam Domini ſacramẽtum agnoſco, ſed qualenam quæſo eſt ſacramentum?*

R. Vt in veteri teſtamento duo ſacramentorum genera fuerunt: Vnum initiationis, vt circumciſio: Alterum conſeruationis ſeu cõfirmationis, vt agnus phaſe, ſanguis vaccæ ruffæ aſperſus, & alia legalia: ita in nouo teſtamento baptiſmus initiationis ſacramẽtum eſt. Eo enim recipimur in familiam Dei. Cœna Domini conſeruationis eſt. Nam eo recepti in familiam Dei, conſeruamur & confirmamur.

Plena ſacramenti deſcriptio.

Qv. *Collige tandem plenam huius ſacramenti deſcriptionem?*

R. Ex iis quæ dicta ſunt hæc poteſt colligi plana & perſpicua deſcriptio. Cœna Domini eſt sacramentum noſtræ per victimam Chriſti redemtionis ab ipſo Chriſto iam morituro pro peccatis noſtris inſtitutum, & commendatum diſcipulis, in quo cum pane & vino porrigitur & accipitur verum corpus & verus ſanguis Domini, vt ſit recordatio Chriſti in cruce pro nobis oblati in piacularem victimam, & confirmatio noui fœderis de gratia & remiſsione peccatorum. In hac deſcriptione ſunt circumſtantiæ illæ nouem, quarum ſupra memini. Deinde quoque ea puncta diſertè recitantur, quæ ad integram ſacramentorum naturam pertinent. Conſpiciuntur quoque cauſſæ omnes, quæ in hoc ſacramẽto concurrũt. Eſt enim cauſſa efficiens Dominus Chriſtus: materia, panis & vinum: forma verbo additur: finis, recordatio mortis Chriſti & obſignatio gratiæ & remiſſionis peccatorum. De aliis acceſſoriis finibus dicetur in ſecundo capite. Analyſis.

DE SECVNDO.

II. Significationes S. Cœnæ.

Qv. *Quæ ſunt ſignificationes ſacramenti Cœnæ?*

R. Sicut agnus phaſe in veteri teſtamento plures habuit ſignificationes: Admonebat enim populum de beneficio ei olim prȩſtito, id eſt, de liberatione à ſeruitute Ægyptiaca, & iugo Pharaonis: confirmabat fidem vtentium hoc Sacramento de venturo Meſsia: & erat figura futuræ victimæ Chriſti, & liberationis à ſeruitute peccati & Diaboli tyrannide: Ita hæc ſacratiſsima cœna habet varias ſignificationes, eáſque intimo corde recõdendas, ídque reſpectu temporis præteriti, præſẽtis, & futuri omnis tẽporis.

Reſpectu temporis præteriti.

Qv. *Quam habet Cœna ſignificationem reſpectu tẽporis præteriti?*

R. Cùm tempus præteritum reſpicimus, eſt hæc cœna commemoratio quȩdam, & recordatio hiſtoriæ de paſsione Domini, iuxta præceptum Domini dicentis: Hoc facite in mei cõmemorationem. Vult enim in hac cœna perpetuam memoriam eſſe ſuorum erga Eccleſiam ſuam beneficiorum.

Reſpectu præſentis.

Qv. *Quam habet Cœna hæc ſignificationem reſpectu temporis præſentis?*

R. 1. Significat nos vniri & incorporari corpori Chriſti, ídque ſpiritualiter, iuxta hæc Pauli verba, 1. Cor. 10. 16. Calix cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Domini eſt? Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt? id eſt, Communicatio corporis & ſanguinis Domini facit nos habere quandam cum Chriſto communionem. 2. Significat nos quoque inter nos vniri Chriſti ſpiritu, cuius cõmunionis ſymbolũ vnus exiſtit panis, ſicuti Paulus teſtatur cum ait: 1. Cor. 10. 17. Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus. Nã omnes vnius panis ſumus participes. Quemadmodũ enim panis ex multis granis compactus eſt: Ita multi in vnum corpus myſticum coaleſcimus. Atque ideo Paulus hanc ſacratiſsimam Cœnam communionem appellat, quam appellationem Damaſcenus hiſce verbis explicat: Cœna dicitur communio, quia communicamus per ipſam Chriſto, & quia participamus eius carnem & diuinitatem, & quia communicamus & vnimur inuicem per ipſam.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

3. Significat hæc Cœna nos ſpiritualiter ali & ſuſtẽtari corpore & ſanguine Chriſti. Vt enim panis & vinum corpora humana nutriunt, augent, conſeruãt, exhilarant: Ita corpus & ſanguis Domini alit, auget, conſeruat, exhilarat animas noſtras ad vitã æternã.

Reſpectu futuri.

Qv. *Quam habet hæc Cœna ſignificationem reſpectu futuri temporis?*

R. Hæc ſacratiſsima Cœna ſignificat, quod virtute corporis Chriſti reſuſcitati ex mortuis, noſtra etiam corpora olim reſurgant & fiant conformia glorioſo corpori Chriſti, Philipp. 3. Vnde Paulus: Si Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus, vt fruamur perpetua præſentia corporis Chriſti in omni æternitate. Vnde quidam veteres hanc Cœnam vocarunt viaticum, quia admonebat ante mortem ſumentes hanc Cœnam, quod Chriſtus eſſet ipſis via ex his ærumnis & calamitatibus huius vitæ ad æternam beatitudinem.

Reſpectu omnis tẽporis.

Qv. *Quam habet Cœna ſignificationem reſpectu omnis temporis?*

R. Quod ſit perpetuum fauoris Dei erga homines teſtimonium, nulli mutationi obnoxium, nulla vetuſtate corrumpendum. Atque hac de cauſſa hæc Cœna ab ipſo domino nouum teſtamentum vocatur, vt quod nulli vetuſtati vnquam obnoxium futurum ſit.

Nouũ teſtamentũ quid: & cur Cœna eo nomine appelletur.

Qv. *Age dic breuiter quid ſit nouum teſtamentum.*

R. Nouum teſtamentum eſt fœdus æternum inter Deum & hominem, ſancitum morte Chriſti teſtatoris de gratia Dei, remiſsione peccatorum, & donatione vitæ æternæ promiſſæ omnibus gentibus & populis, in hunc Ieſum Chriſtum crucifixum credentibus. In hac definitione ſunt quinque puncta, quæ in omni teſtamento conſideranda ſunt, Quorũ primum eſt teſtator Chriſtus. 2. Hæreditas. 3. Scripti hæredes, id eſt, omnes fideles. 4. Mors teſtatoris. 5. Conditiones ſeruandæ à ſcriptis hæredibus, nimirũ vt certo ſtatuant ſibi hæreditatem obuenturam ex gratuita promiſsione teſtatoris. Fides ergo ſola facit vt quis inter hæredes ſcriptos numeretur: Contrà, ſola diffidentia facit vt homines hac hæreditate excidant & excludantur.

DE TERTIO.

III. De legitima probatione.

Qv. *Quænam eſt vera & legitima hominis probatio ante ſumtionem Cœnæ?*

R. Paulus dicit 1. Cor. 11. 28. Probet autem quiſque ſeipſum, & ita de pane illo edat, & de poculo bibat. Nam qui edit & bibit indignè, iudicium ſibi edit & bibit. Ex hiſce Pauli verbis quam ſit neceſſaria probatio ante huius Cœnæ ſumtionem intelligitur, & quod hæc Cœna tantum porrigenda ſit iis, qui ſe probare poſſunt.

Qualis eſſe debeat.

Qv. *Dic qualiſnam hæc probatio eſſe debeat.*

R. Huius probationis tres circumſtantiæ ſunt perpendendæ. 1. Quiſnam ſe probare debeat. 2. Quid probari oporteat. 3. A quo hæc probatio fieri debeat.

Quis probandus.

Qv. *Quis ſe probare debet?*

R. Qui ſe ad ſacræ huius Cœnæ ſumtionem cõparat. Qui enim, vt ſupra dictum eſt, edit indignè non diiudicans corpus Domini, iudicium ſibi edit & bibit. 1. Cor. 11.

Quid probandum.

Qv. *Quid probari in eo oportet?*

R. Hoc Paulus 2. Corinth. 13. 5. explicat his verbis. Vos ipſos tentate num ſitis in fide, vos ipſos probate. An non cognoſcitis vos ipſos, quod Chriſtus in vobis eſt? niſi ſicubi reprobi eſtis. Hæc Antitheſis illuſtris eſt, qua probati & reprobi opponuntur. Vt enim probatos dicit eos, qui in fide ſunt, & Chriſtũ in ſe habitantem ſentiunt: ita reprobos eos ſtatuit, qui fide carent & Chriſtum in ſe habitantem non ſentiunt. Quare iuſta probatio & examen in hoc cõſiſtit, vt verè ſentiatur fides & Chriſti præſentia in nobis, idque ex virtute ſpiritus eiuſdem nos ad pietatis ſtudium excitantis. Is proinde verè probatus eſt, qui reuerenter in timore Dei, in vera pœnitentia, in vera fiducia, & cum pio propoſito ad hãc Cœnam accedit.

A quo.

Qv. *A quo hoc examen fieri debet?*

R. Paulus reſpõdet: Probet ſeipſum homo. Nemo enim melius & certius iudicare poteſt, an ſit in fide, quàm quiſque de ſeipſo.

De confeſſione.

Qv. *Quid audio? an non requiritur neceſſariò confeſſio & abſolutio?*

R. Confeſsio quæ fit Deo, qui ſolus credentem abſoluit, ſemper eſt neceſſaria. Verùm aliter iudicãdum eſt de confeſsione auriculari & abſolutione, quæ à ſacerdote annunciatur.

Auricularis.

Qv. *Dic clarè quid ſentias de confeſſione auriculari, neceſſaria ſit, nec ne?*

R. Si eſſet omnino ad hoc examen neceſſaria, Paulus nequaquam dixiſſet, Probet ſeipſum homo. ſed ita potius, quiſque probetur per alium, quod ſanè fieri nequit. De confeſsione ergo ex verbo ſic ſentio: Si adſit vera fides & pœnitentia, non opus eſt alio confeſsionis genere, quàm qua ſancti homines Dei, Dauid, Manaſſes, Petrus, veniam de maximis ſceleribus impetrauerunt à ſolo Deo, qui ſolus peccata condonare & delere poteſt. Quare ad aliam nemo cogi debet autoritate verbi Dei, niſi quis forte totam Eccleſiam offenderit. Tum enim ex mandato Dei tenetur, vt confeſſione publica Eccleſiæ reconcilietur.

Publica.

Qv. *Quid ergo ſentis de confeſſione in noſtris Eccleſiis recepta?*

Eccleſiaſtica.

R. Ad hanc confeſsionem mandato diuino non ſimpliciter obligamur, quemadmodum oſtenſum eſt. Verùm, quia eſt pio conſilio propter diſciplinam quandam retinendam recepta, nemo eam contemnere debet, niſi ordinis & diſciplinæ contemtor haberi velit.

Vtilitas cõfeſsionis Eccleſiaſticæ.

Qv. *Ad quid hæc confeſſio vtilis eſt?*

R. Multùm ſanè habet vtilitatis. 1. Ea inſtituuntur & rudes & ignari, qui Chriſtianæ religionis myſteria nondum norunt. 2. In hac confeſsione iuuenum & adoleſcentum exploratur profectus. Nam boni paſtoris eſt non ſolum publicè docere, verumetiam Pauli exemplo domatim experiri, quantum auditores ſui in pietatis doctrina, profecerint. 3. In hoc examine exigitur ratio fidei ab iis, de quorum fide & religione iuſta poteſt eſſe dubitatio. 4. In hoc colloquio, doctrina, conſilio, & cõſolatione iuuantur, quorũ perplexa eſt conſcientia, & premitur aliquo ſcrupulo, qui eam reddit inquietam. Hi rectè ſibi conſulunt, ſi ad ſuos ſe paſtores, aut alios quoſpiam viros bonos recipiunt, vt erudiantur ac conſolationem capiant. Propter hæc quatuor hominum genera confeſsio priuata in noſtris Eccleſiis retinetur: vbi tamẽ nemo cogitur ad enumerationem peccatorum, quẽadmodum in Papatu factum eſt.

De abſolutione Eccleſiaſtica publica & priuata.

Qv. *Videtur ne hæc confeſſio neceſſaria propter abſolutionem?*

R. Qui vult ſcire quid ſit vera abſolutio, debet prius cogitare quid ſit peccatum, & inde abſolutionis veram definitionem petere.

Qv. *Age hoc explicatius dicito.*

R. Cum peccatum ſit defectus à lege, & voluntate Dei cum obligatione ad æternam mortem & damnationẽ) Abſolutus abſque dubio is dicẽdus eſt qui credit promiſsioni gratuitæ. Nam is liber eſt ab obligatione mortis & damnationis, iuxta illud: Qui credit in filium habet vitam æternam. Proinde vera

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Abſolutio eſt liberatio hominis credentis ab obligatione ad æternam mortem & damnationem.

Qv. *Eſtne igitur abſolutio priuata contemnenda?*

R. Nequaquam. Prodeſt enim etiam priuatim omnibus Euangelium audire, quo annunciatur remiſsio peccatorum credentibus. Nam tum demum aperitur regnum cœlorum, cùm Euangelium annunciatum fide recipitur. Sunt enim hæ duæ claues Eccleſię, verbum, & fides: prædicatio verbi de remiſſione peccatorum impetranda per Chriſtum vna clauis eſt ad aperiendum regnum cœlorum, quod ſi is qui audit, adiungit veram fidem, accedit etiam clauis altera. His ergo duabus clauibus recluditur regnū cœlorum, & impetratur condonatio peccatorum.

Qv. *An non Chriſtus dicit: quorum peccata ſolueritis, ſoluta erunt. Item dabo tibi claues regni cœlorum?*

R. Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam emittens Apoſtolos hiſce verbis: Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ, & qui crediderit ſaluus erit, interpretatur claues, quas tradidit Eccleſiæ, nihil aliud eſſe, quàm prædicationem Euangelij & fidem prædicati Euangelij. Hoc tantùm addo, quod voce miniſtri ſæpe infirmitati fidei ſuccurratur.

Qv. *An non miniſtri quoque abſoluunt?*

R. Abſoluunt, vt dictum eſt, prædicando Euangelium de remiſsione peccatorum: non virtute, aut conceptæ abſolutionis forma, aut impoſitione manuum. Nam iſte ritus abſoluendi prorſus ignotus erat puriori Eccleſiæ.

Qv. *Quid ergo miniſter verbi ei, qui ſe accedit confitendi gratia, dicet, ſeu quomodo eum abſoluet?*

R. Non inutile fuerit hac aut ſimili forma vti. Cum mi fili nō ſolum te peccatorem & reum agnoſcis, ſerioque doles, quod Deum tuis horrendis peccatis offenderis: Verùm etiam credis promiſsioni Euangelij de remiſsione peccatorum, & voci Chriſti pronunciantis eum qui credit habere vitam ęternam, & promittentis ratum fore in cœlo, quicquid ſolutum fuerit in terra, Ego teſtor te remiſsionem peccatorum tuorum habere, quam tibi vice Chriſti annuncio, atque adeo vt miniſter Dei te abſolutum pronuncio in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti, Amen. Vade in pace, & noli amplius peccare. Hic ſiue manum capiti imponat, ſiue non, nihil refert, modò abſit ſuperſtitio.

IIII. Meditatio S. Cœnæ.

DE QVARTO.

Qv. *Quæ eſt vera & ſalutaris meditatio huius ſacræ cœnæ?*

R. Cùm hæc Chriſti Cœna ſit noſtrę per victimam Chriſti redemtionis ſacramentum, 1. In mentē cōmunicantibus venire debet cauſſa mortis Domini, nempe peccatum noſtrum, propter quod nos fuimus obnoxij æternæ irę & morti. Mortuus eſt enim, vt Paulus inquit, Rom. 4. 25. dominus propter peccata noſtra: Et 2. Corin. 5. 21. Eum qui non nouit peccatum, pro nobis fecit peccatum, vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. 2. Cum cogitatione peccati ſimul cogitandus eſt finis victimæ corporis & ſanguinis Domini in ara crucis peractæ, qui eſt noſtri redemtio à iure peccati & mortis. 3. Cum his ſimul cogitandum, quanta fuerit ira Dei aduerſus peccatum, quòd peccatum non potuerit vllis hoſtiis expiari, niſi vnigeniti filij Dei, qui pro nobis factus eſt λύτρον. 4. Cauſſa impulſiua duplex huius victimę cogitanda eſt, nimirum inenarrabilis miſericordia Dei volentis nos in gratiam recipere propter filij ſatisfactionem, & amor filij qui natura humana aſſumta voluit fieri victima, & in ſe deriuare iram æterni patris, pœnam pro peccatis humani generis ſuſtinere dignatus. Hæc meditatio eſſe debet, & totius Eccleſiæ & ſingulorum membrorum in Eccleſia. Nam cùm Dominus iubet hanc Cœnam fieri in ſui recordationem, requirit ſeriò, vt hæc Cœna ſit & publica & priuata recordatio: vtraque requirit earum rerum meditationem ſeriam, de quibus dixi. Hinc accenditur fides, inuocatio, gratiarum actio, & alij motus pij. Atque ita hic vſus Cœnæ dulciſſima σπονδὴ eſt, in qua & ipſe filius Dei nobiſcum fœdus facit, quod nos clementer recipiat, & nos viciſsim cum eo fœdus facimus, quod ei credamus & beneficia eius grati accipiamus. Facit & inter ſe fœdus Eccleſia, oſtendit confeſſionem, conſenſum, cōcordiam, obligat ſe ad mutuam charitatem. Breuiter, ſe totam Chriſto chariſsimo ſponſo ſubiicit, omnia poſtponens obedientiæ erga ipſum, qui non ſolum ſua morte contemtiſsima voluit nos à morte æterna liberare: verumetiam ſua paterna ſtorga dignatus eſt nos ſuo ſanguine paſcere ad vitam æternam.

V. Aduerſus varios errores de Cœna.

DE QVINTO.

Qv. *Quia multi ſunt prophanatores huius ſacræ Cœnæ, rogo vt me breuiter inſtituas, ne iſtorum labe inficiar.*

R. Prophanatores Cœnæ dominicæ vulgò vocantur ſacramentarij, quorum non eſt vnum genus. Semper enim in Eccleſia multi fuerunt, qui hanc ſacratiſsimam Cœnam prophanauerunt. Hoc loco decem genera recitabo, quorum etiam errorem euidētibus rationibus refellam. Sunt autem hæc genera. Primum genus eorum eſt, qui monſtroſo nomine Tranſſubſtantiatores dicuntur. Secundum genus Magicorum eſt. Tertium eorum, qui ſacrilegè alteram Sacramenti partem laicis auferunt. Quartum genus eſt eorum qui ἀρτολατρείαν, ſeruationem panis & eius circumgeſtationes defendunt. Quintum genus eorum, qui ſacrificium inde pro viuis & mortuis faciūt. Sextum genus eorum, qui docent ſacramenta per ſe gratiam conferre. ſeptimum genus eſt eorum, qui furenter præſentiam domini in Cœna negant. Octauum genus eorum, qui aſſerunt temere ſacramētum noui teſtamenti teſſeram tantum profeſsionis ſeu Chriſtianiſmi externam eſſe. Nonum genus eorum, qui negant impudenter veram Chriſti humanitatem poſt reſurrectionem circumſcriptam eſſe, idque ideo vt præſentiam corporis & ſanguinis in Cœna tueantur, qui ſanè cum vnum errorem fugiūt in alium præcipitantur. Poſtremum genus eorum, qui vtūtur Sacramētis vel ſine fide, vel cum fide ſine debita reuerentia, quam tātum myſterium requirit.

Qv. *Quos vocas tranſſubſtantiatores.*

1. Aduerſus Tranſſubſtantiationem.

R. Μετουσιάστας, qui dicunt naturas mutari, id eſt, panis ſubſtantiam in corporis ſubſtantiam, & vini ſubſtantiam in ſanguinis ſubſtantiam conuerti. Verùm manere elementa panem & vinum non mutatis naturis panis & vini, ſed tantùm in ſacrum vſum deſtinatis, conuincunt verba apoſtoli. 1. Corin. 10. 16. Panis quem frangimus nónne communicatio corporis Chriſti eſt? Deinde ſi mutaretur, ſeu vt papiſtæ (ſicut à Thoma loqui didicerunt) tranſſubſtantiaretur ſubſtantia elementorum in naturam corporis & ſanguinis, nequaquam haberet rationem ſacramenti. Nam ad ſacramenti integritatem requiritur ſigni externi propria natura: vt, arbor vitæ vera erat arbor: Arcus cœleſtis, verus erat arcus: præciſio cutis in circumciſione, vera erat præciſio: Petra in deſerto, vera erat petra: Man, verum man erat: Agnus phaſe, verus erat agnus: ſanguis vaccæ ruffæ, verus ſanguis erat: aqua baptiſmi, vera eſt aqua, & ſic de aliis.

Qv. *At*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Obiectionis dilutio.

Qv. *At virga Moſis in colubrum, & aqua in Cana in vinum conuerſa eſt?*

R. Illic cum naturarum mutatione etiam proprietates mutatæ ſunt, quod in ſacra Cœna non fit. Nam hic manent proprietates panis & vini, quemadmodum omnium experientia teſtatur.

Alia obiectionis dilutio.

Qv. *At multa ſunt miracula edita, quæ aliud videntur docere?*

R. Miracula iſta non ſunt verè miracula, ſed tātùm quædam præſtigiæ Satanæ, quibus errorem idololatricum conatur confirmare. Emanauit, vt dicūt, ſanguis de pane à Iudæis cultro vulnerato. In pago Falltriæ Kypinga fures qui panem iſtum cum ſuo argenteo ergaſtulo furati ſunt, in terram ſacrilegio cōmiſſo ad genua vſque demerſi ſunt, & etiamnum veſtigia apparent. Murus quoque tranſeuntibus eſt fractus. Hæc fuerunt diaboli quædam artificia, de quibus Spiritus Dei prædixit in Paulo: Quia non credūt veritati, dabit Deus illis efficacem errorem, vt credant mendacio. Cur autem his præſtigiis Satan mūdum illuſerit manifeſtum eſt. Primùm enim confirmauit creaturam adorandam eſſe. Deinde furtum ſacrilegorum ſtabiliuit, qui alteram Cœnæ partem eámque præcipuam, quæ teſtamenti nomine ſignatur, ſurripuerunt. Prȩterea teſtatur idem Eccleſia purior. Nam inter alios Gelaſius, qui vixit anno Domini 486. ita ait. *Certa Sacramenta quæ ſumimus corporis & ſanguinis Domini diuina res eſt, propter quod & per eadem diuinæ efficimur conſortes naturæ, & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia, vel natura panis & vini.* Et Auguſtinus ait: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Non dicit hic ſanctus pater verbum tollere elementum, ſed accedere elementum, ita vt vtrunque maneat ſaluum, verbum videlicet & elementū.

2. Adu. Magiam papiſticā.

Qv. *Quos vocas magicos?*

R. Qui inſuſurrantes verba elementis, & fœtidi halitus virtute putant conſecrationem fieri, & gloriantur de p tentia ſacrificulorum raſorum & vnctorum, quod quinque verbis poſsint Chriſtum de cœlo deducere. Nam vt ſint quinque verba impari numero, magicam ſuperſtitionem confirmantes, addunt, enim, & dicunt afflando pani: Hoc eſt enim corpus meum.

Qv. *Quid? an non horum verborum virtute fit conſecratio?*

R. Conſecratio panis & vini non fit aliter, quā conſecratio aquæ baptiſmi. Nam vt hæc conſecrata dicitur cum vſui baptiſmi applicatur. Ita panis & vinum deſtinata Cœnæ Domini conſecrata ſunt, idque virtute ſacerdotis ſummi Dei, & hominis Ieſu Chriſti, qui baptiſmum & Cœnam inſtituit. Nihil enim aliud conſecrare eſt, quam rem communem & prophanam ſacro vſui dedicare. Hæc cōſecratio proinde fit obedientia erga Chriſti inſtitutionem per prædicationem beneficiorum Chriſti, per preces & gratiarum actionem, & pȩr pium vſum huius ſacratiſsimæ Cœnæ. Nec aliud vult Auguſtinus cum dicit: Accedat verbum ad elementum.

3. Adu. cōmunionē mutilatā.

Qv. *Cur ſacramentarios vocas, qui alteram partem Sacramenti Cœnæ laicis auferunt?*

R. Quia quod Dominus commune vult eſſe omnibus, illis ſolis ſacrificulis ſacrilegè proprium eſſe volunt. De calice enim, quem auferunt, dicit aperte Dominus: bibite ex hoc omnes. Et Epiſcopus quidā Romanus, Gelaſius nomine, ita ait: *Comperimus autem quod quidam ſumta tantum corporis portione à Calice ſacri cruoris abſtineant, qui procul dubio, quia neſcio qua docentur religione aſtringi, aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris abſtineant, quia diuiſio vnius eiuſdēque myſterij ſine grandi ſacrilegio non poteſt fieri.*

4. Adu. reſeruationem, circūgeſtationem & adorationē panis.

Qv. *Cur inter Sacramentarios numeras eos qui panem conſecratum reſeruant, circumgeſtant, & ſe coram eo religioſè proſternunt?*

R. 1. Quia eſt contrà verbum Dei. Vetat enim verbum, ne cultus Dei ſine eius mandato inſtituatur, Matth. 15. Fruſtra me colunt docentes doctrinas mādata hominum.

2. Eſt ἐθελοθρησκία damnata Deuter. 12. Non facietis ſinguli quod ſibi rectū videtur, & rurſus. Quod præcipio tibi hoc tantum facias Domino, nec addas quicquam nec minuas.

3. Eſt horrenda idololatria. Nam ex pane idolum faciunt quod adorant.

4. Vetus Eccleſia hunc morem ignorauit. Ita enim Clemens ait: Certe tanta holocauſta in altari offerantur, quanta populo ſufficere debeant, quod ſi remanſerint, in craſtinum non reſeruentur.

5. Pugnat cum natura Sacramenti. Nam panis non magis eſt ſacramentum, cum non à communicantibus ſumitur, quàm aqua cum ea nemo abluitur aut baptizatur. Quare non magis ἀρτολατρεία, quam hydrolatria ferenda eſt.

4. Adu. miſſæ ſacrificium.

Qv. *Quomodo conuincis eos ſacramentarios eſſe, qui Cœnam ſacrificium eſſe dicunt pro viuis & mortuis?*

R. Quia prophanant Sacramentum. Horum enim errorem primum confutat inſtitutio ipſa. Nam dominus ſuum corpus edendum, & ſuum ſanguinem bibendum viuis tantum præbuit.

2. Confutat iſtum errorem finis Cœnæ. Cœnam enim eis commendauit, qui ea vti poſsint in ſui recordationem.

3. Quia Cœna non eſt ſacrificium, ſed tantùm quȩdam ſacrificij recordatio.

4. Quia nullum ſacramentum ex opere operato valet, ſed tantùm efficax eſt, cum fide recipitur, quēadmodum & verbum.

5. Manifeſtè iſti errori refragatur ſcriptura, quæ teſtatur Chriſtum vna oblatione ſemel tantum facta conſummaſſe in æternum ſanctificandos.

6. Vbi eſt peccatorum remiſsio, iam non eſt oblatio pro peccato. Quod autem patres interdum Cœnam vocant hoſtiā, victimā, holocauſtū, hoc faciūt, quia Cœna Domini eſt victimȩ victimarū recordatio.

Adu. papiſticū cōmentum de efficacia rerum viſibiliū.

Qv. *Cur inter Sacramentarios numeras eos, qui dicunt Sacramenta per ſe conferre gratiam?*

R. 1. Quia id quod ſolius Dei eſt, impiè creaturis tribuunt. 2. Quia hac ratione plus Sacramento tribuitur, quam verbo. Impium igitur eſt aſſerere Sacramenta per ſe gratiam conferre. Interim tamen non reprȩhendo, ſi quis dicat, ſacramenta conferunt gratiam, hoc ſenſu, Sacramenta conferunt gratiam, hoc eſt, Deus confert gratiam per ſacramentorum diſpenſationem, ſi vera fide percipiantur. Vt enim verbo: ita & ſacramento offertur gratia, ſed fide recipienda.

Adu. negationem præſentiȩ Chriſti in Cœna.

Qv. *Quid habes contra illos, qui negant præſentiam Chriſti in Cœna?*

R. Hi, quia manifeſte pugnant cum Chriſti inſtitutione & perpetuo purioris Eccleſiæ conſenſu, potius deflendi ſunt quam confutandi. Deinde ſupra ſatis oſtendimus veritatem corporis & ſanguinis Domini in Cœna.

Adu. Aſiã baptiſmi.

Qv. *Quomodo refellis eos qui dicunt Sacramenta tantum eſſe externam teſſeram Chriſtianiſmi?*

R. Hi Anabaptiſtæ ſunt multis aliis horrendis erroribus præcipitati in extremam miſeriam & damnationem. Quare & illorum furor eſt execrandus, præſertim cum Paulus illorum inſaniam confutat. Vide ſupra quæ diximus de ſignificationibus Cœnȩ, cur videlicet dicatur communio.

l. iiij.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Adu. vbiquitatem.

Qv. *Quid dicis de illis qui dicunt Chriſti humanitatem eſſe vbique cum diuinitate?*

R. Hi, vt errorem vitent illorum qui negant nos verè participare carnem & ſanguinem Domini in Cœna, in hunc horrēdum errorem incidunt, quod aſſerant humanitatem Chriſti eſſe vbique cum diuinitate, quorum ſententia ſupra in ſymbolo in articulo de Aſcenſione clariſsimè refutatur. Et angelus Domini apertè mulieribus dicit, Surrexit, non eſt hic. Hic ſanè aut angelus Dei mentitur, quod horrendum eſt cogitatu, aut illi falluntur, qui dicunt humanitatem Chriſti eſſe vbique cum diuinitate, qua omnia replet & vbique adeſt. Deinde Paulus ad Ph. 3.21. aſſerit noſtra corpora fore conformia glorioſo Chriſti corpori. Sed quis audet aſſerere noſtra corpora fore infinita, vt ſint vbique, qua ſane ratione tolleretur humanæ naturæ veritas? Proinde neque corpus Chriſti infinitum eſt effectum poſt reſurrectionem. Præterea ſancti patres fatentur Chriſti corpus circumſcriptum eſſe. Nazianzenus enim eundem Chriſtum pronunciat περίγραπτον καὶ ἀπερίγραπτον, ἐπίγειον καὶ οὐράνιον, χωρητὸν καὶ ἀχώρητον. Ea eſt enim diuerſarum naturarum humanæ & diuinæ diuerſitas, quam quia Eutychiani ſuſtulerunt, iuſtè hæreſeos damnati ſunt.

De pręſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna.

Qv. *Quomodo ergo aſſeritur à Catholicis quod corpus Chriſti & ſanguis ſit verè in Cœna?*

R. Verum corpus & verus ſanguis Chriſti adſunt in Cœna vnà cum pane & vino, non quidem naturæ coniunctione, ſed Sacramentali. Nam non eſſe carnalem, nec incluſionem corporis in pane, ſanguinis in vino, ita vt locus & corpus ſe mutuò contingant, locuſque cedat corpori, teſtatur cum ſanctis patribus etiam Lutherus. Quare ad hanc veram corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna pręſentiam nequaquam requiritur, vt humanitas Chriſti ſit vbique cū diuinitate, ſed hoc ſufficit credere, quod quemadmodum in Cœnæ inſtitutione ſedet, Dominus circumſcripto corpore nihilominus exhibuit diſcipulis corpus ſuum edendum, & ſanguinem ſuum bibendum, idque veraciter, iuxta verba Cœnæ: Hoc eſt corpus meum, & hic eſt ſanguis meus: Ita iam in gloria maieſtatis ſedens porrigit communicantibus manibus miniſtrorum (ea eſt ipſius diuina virtus & potentia) corpus ſuum & ſanguinem. Vnde latina Eccleſia precari ante communionem ſolita eſt: Surſum corda habemus ad Dominum. Quemadmodum ergo in prima Cœnæ inſtitutione diſcipuli oculos in dominum intentos habuerunt, qui ſedens ad menſam porrexit ſuam ſacram Cœnam: Ita nos quoque leuare corda noſtra in Cœlum debemus ad eundem, qui iam in gloria maieſtatis ſedens porrigit in Cœna manibus miniſtrorum communicantibus verum ſuum corpus & verum ſuum ſanguinem, vt ſit cibus & potus interioris hominis, quo ille alitur, augeſcit, & creſcit ad vitam immortalem. Vnde Bernhardus de ſacramento Cœnæ verba faciens ita ait: *Cibus iſte non eſt ventris, ſed mentis. Non eſt enim datus ad ruinas huius vitæ, quæ vapor eſt ad modicum manens, ſed ad æternam vitam animæ conferendam. Et ſicut aqua in Baptiſmo aſperſa, functa eſt ſuo munere: Ita panis comeſtus, & vinum hauſtum in ſacratiſsima Cœna, ſuo quoque perfuncta ſunt munere: Verùm vis ſpiritualis fide poſſidetur, & retinetur veritas corporis & ſanguinis Domini.*

Adu. eos qui ſine fide & reuerentia ad Cœnam accedunt.

Qv. *Quare ſacramentarios vocas eos qui vtuntur Sacramento, vel ſine fide, vel abſque debita reuerentia?*

R. Quia vtrique prophanant ſacratiſsimam Domini cœnam. Qui enim fide vacui ſunt, prophani exiſtunt, ad quos hęc cœna non pertinet: hi ſibi mā-ducant & bibunt in iudicium damnationis, ſicut & verbum audiunt ſibi in iudicium damnationis. Deinde qui fidem habent, ſed accedunt abſque debita reuerentia, comedunt & bibunt indignè ſibi in iudicium caſtigationis ſeu correptionis, quemadmodum Corinthios feciſſe teſtatur Apoſtolus. Nam illi graui peſtilentia propter irreuerentiam erga hoc ſacramentum puniti ſunt. Ad eundem modum ſi fide præditus legit, aut audit verbum abſque debita reuerentia & timore Dei, legit & audit ſibi in iudicium correptionis & caſtigationis. Nam huiuſmodi irreuerentiam verbi & Sacramentorum punit Deus etiā in ſanctis, ſed corporalibus pœnis.

DE MISSA PAPISTICA.

Miſſæ papiſticæ abominationes.

Qv. *Cum apud pios iam malè audiat miſſa papiſtica, age eius rei cauſas expone.*

R. Intereſt ſanè omnium piorum fugere horrendas ſacræ Cœnæ prophanationes, & ſacrilegam abominationem, quæ in ſacræ cœnæ locum erecta eſt, quam ſanè magis abominandam & execrandam arbitror, quàm βδέλυγμα illud quod Antiochus in tēplo Hieroſolymitano poſuit. Recitabo itaque cauſas octo, quare papiſtica miſſa meritò omnibus piis inuiſa eſſe debeat.

Prima: Miſſa papiſtica eſt ad turpem quæſtum & nundinationem proſtituta, quod omnes cordati norunt, qua prophanatione nulla maior inueniri ab ipſo Satana huius nundinationis architecto potuit.

Secunda: cœna quam Dominus inſtituit ſuæ voluntatis perpetuum teſtimonium ſacrilegè mutilata eſt, ſublato vſu ſacri calicis.

Tertia: Miſſa iſta papalis cœnam in alienam formam conuertit, vt vnus ſeorſum epulum ſuum habeat, abolita communicatione, quod ſanè perinde eſt, ac ſi vnus ſubinde ſeipſum ſacro baptiſmate ablueret, qua quidem abominatione, quid quæſo poteſt dici fœdius?

Quarta: In miſſa papali nulla fit myſterij expoſitio, ſed murmur incantationi magicæ, & nefandis gentium ſacris potius quam domini inſtituto conueniens. Iuſtinus martyr refert ritum ſimilem ſeruatum fuiſſe olim in ſacris ſolis (quem μίθραν ſacerdotes ipſius vocarunt) In his ſacris vſus panis & aquæ fuit, ſed nulla vox à ſpectatoribus audiebatur, niſi hæc: ἢ ἐπίστασθε, ἢ μαθεῖν δύνασθε: hoc eſt, aut noſtis, aut diſcere poteſtis. Ab his ſacrificulis ſolis ſuam miſſandi legem & non à chriſto accepiſſe Papiſtas luce clarius eſt.

Quinta: Habet miſſa illa infinitas ceremonias, partim ineptiarum hiſtrionicarum, partim ſuperſtitionis plenas, quibus manifeſtè fœdari ſacram cœnam vel pueris piè educatis notum eſt.

Sexta: Diabolicum figmentum ſacrificij extremè abominandum eſt. Quis enim qui vel micam veritatis Euangelicæ habet, non videt iſtud figmentum manifeſtám in Chriſtum blaſphemiam in ſe continere?

Septima: Miſſa iſta culinaria ad miſeros homines carnali fiducia inebriandos aptatur, & tanquam expiatio Deo opponitur, adeo vt homines hoc amuleto putent ſe expellere omnes noxas, idque ſine fide & pœnitentia, quin etiam ter ſtulti homines auditu miſſæ ſeu potius inſpectione hiſtrionicæ ſaltationis armari ſe putant, & aduerſus Deum tanquam tuto præſidio muniti, multò licentioſius peccare audent, & obſtinatiores redduntur.

Octaua: In Miſſa papiſtica idolum adoratur loco Chriſti, prophana & Ethnica ſanctorum inuocatio fit. Verùm, vt rem totam vno verbo cōplectar: Miſſa iſta papiſtica vtut ſpecioſa in hypocritarum oculis apparet, omni abominationum genere ſcatet. Quam abomi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

abominationem, etſi vident Pontificij, tamen eam gladio & igne tuentur. Nam ea abolita vident magnum periculum ſuis honoribus & culinario Deo imminere. Quare pij potius ſint cum Chriſto contemtibiles, quam gloria & diuitiis abundent cum diabolo & eius Toparcha, quem Paulus filium perditionis, & Iohannes Antichriſtum appellat.

Eccleſia non ſolum latuit in Papatu, ſed extra papatum etiam viguit

QV. *Si ſic ſentiendum eſt de miſſa papiſtica, videtur quod multis centenis annis non fuerit rite celebrata Cœna Dominica in mundo.*

R. Hoc quidem obiiciunt papiſtæ, ſed fallũtur, dum nuſquam Cœnam in vero vſu fuiſſe, ſi apud ſe nõ fuit, aſſerunt. Nimis enim anguſtis limitibus claudunt Eccleſiæ pomeria, cum ea ſparſa ſit per vniuerſum orbem, teſte Chriſto, cuius ſolius teſtimonium oppono omnibus & papiſtis & diabolis. Verum ſi quæris, vbinam fuerit Eccleſia extra papæ ditionem. Reſpondeo: Multi fuerunt pij in externa ſocietate papiſtarum, qui etſi Cœnæ vſu priuati erant: tamen fundamenta religionis & articulos fidei recte intellexerunt. Deinde in Turcia, in Arabia, in Perſia, in Ægypto fuerunt inde vſque à temporibus Apoſtolorum, & ſunt hodie Eccleſiæ, etſi grauem ſuſtinent tyrannidem, non ſecus atque populus Dei in Aegypto olim. Verum ne vana referre videar, aſſcribam deſcriptionem Cœnæ ſeu miſſæ, qualis in Arabia & Ægypto hodie, vbi Chriſtiani ſunt, celebratur.

Ritus miſſæ Æthiopicæ

QV. *Dic quæſo diſtinctè de ritu miſſa quem in Ægypto ſeruari dicis.*

R. Ante triennium (anno videlicet 1558.) fuit hic vir ſenex & grauis, miſſus à Conſtantinopolitano Patriarcha, Demetrius nomine, natione Theſſalonicenſis, qui mihi multa de religione Chriſtianorum degentium inter Turcas narrauit: Et quia in nobiliſsima illa Aegypti ciuitate Cairo, quæ & Miſrim dicitur, vixerat decennium, eius Eccleſiæ ritum ex Arabia tranſlatum in celebranda miſſa mihi expoſuit, cuius narrationem hoc pacto diſtinxi.

1. Habent in Cairo Chriſtiani multa templa (omnia inſignita Luna Falcata, quæ eſt Turcicum inſigne) ſed ſine cãpanis (humana enim voce vocãtur ad ſacra) & ſine idolis, niſi quod picturas hiſtoricas ex veteri & nouo teſtamento in parietibus templorum habeant depictas.

2. Antiochenus paſtor eſt illorum patriarcha, qui, vt agnoſcatur Patriarcha eſſe, pileum latum (in cuius medio eſt crux rubra) ſui muneris inſigne in capite geſtat.

3. Quatuor vicibus in anno, nempe die natiuitatis Domini, die reſurrectionis, die pentecoſtes, & 15. die Auguſti communicant omnes Chriſtiani, qui illic ſunt, ſub vtraque ſpecie: non eſt diſcrimen laici & ſacerdotis, ſed eadem myſteria porriguntur vtriſque.

4. Miſſæ celebratio hoc modo fit: Sacerdos induit albam & pallium noſtro fere more, niſi quod çruces rubras quatuor habet in veſte ſaçerdotali, in dextro brachio vnam, in ſiniſtro alteram, in pectore tertiã, quartam in dorſo, vt quocunque ſe vertat, inſignia Chriſti ſummi ſacerdotis contemplanda exhibeat.

5. Sacerdos ita in ſacrario ornatus prodit, & mox ad populum conuerſus verba hæc alta voce, vt exaudiri poſsit ab omnibus qui adſunt, pronunciat. εὐλογημένη ἡ βασιλεία τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. hoc eſt, benedictum regnum patris, & filij & ſpiritus ſancti, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum: & reſpondet totus populus, ἀμὴν, amen.

6. Huic confeſsioni mox precationem ad trinitatẽ ſubiungit, ad quam populus totus Amen reſpondet.

7. Finita precatione canitur à populo: ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ὁ ἰσχυρὸς, ἅγιος ὁ ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς, hoc eſt, Sanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis, miſerere noſtri.

8. Huic cantioni ſubiungitur lectio ex ſcriptis Apoſtolicis primùm Græcè, deinde Arabicè, quia pleriq; Chriſtiani qui illic ſunt ex Arabia ſunt tranſlati.

9. Canitur Hallelu-Iah.

10. Euangelium legitur Græcè, deinde Arabicè.

11. Finito Euangelio canitur à toto cœtu carmen quod Cherubim vocant.

12. Carmine Cherubim finito, fit concio à ſummo miniſtro, idque ferè ad horam. Nunquam enim vlla concio ſe vltra horam extendit.

13. Finita concione recitantur Cœnæ verba in ipſo ſuggeſto, idque tantum in quatuor feſtis, de quibus ſupra ad tertium numerum dixi.

14. Reuerſus à ſuggeſto ad menſam, quæ in medio templi ſita eſt, ad populum ſe conuertit ſacerdos hęc verba pronuncians, πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, καὶ πᾶν δώρημα τέλειόν ἐστι ἀπὸ τοῦ πατρὸς φώτων ἄνωθεν καταβαῖνον. Omnis donatio bona, & omne donum perfectum deſcendit celitus à patre luminum.

15. Sacerdos diſtribuens Sacramentum Cœnę, ſingulos communicantium hiſce verbis alloquitur, λάβε χάριν παρὰ κυρίου, καὶ ἐλεημοσύνην παρὰ θεοῦ σωτῆρος ἡμῶν, id eſt accipe gratiam à Domino, & miſericordiam à Deo ſaluatore noſtro.

16. Ad hæç reſpondet qui accipit ſacræ Cœnæ myſteria: τοῦ δείπνου σοῦ τοῦ μυστικοῦ υἱὲ θεοῦ κοινωνόν με παράλαβε. οὐ μὴ γάρ σε ἀρνήσω, οὐ φίλημά σοι δώσω, καθάπερ ὁ Ἰούδας, ἀλλ᾽ ὡς λῃστὴς ὁμολογῶ σε· μνήσθητί μου κύριε ἐν τῇ βασιλείᾳ σοῦ, hoc eſt Cœnæ tuæ myſticæ fili Dei fac me participem. Nequaquam enim te negabo, nec oſculum dabo ſicut Iudas, ſed veluti latro te confitebor: memento mei Domine in regno tuo.

17. Nihil canitur inter communicandum, ſed omnes ſpectatores ſingulari deuotione meditantur hęc ſacra myſteria.

18. Communicatione finita, additur gratiarum actio cum precatione, & vertens ſe ad populum ſacerdos in hunç modũ benedicit populo, ἡ εὐλογία τοῦ κυρίου ἐφ᾽ ὑμᾶς, benedictio Domini ſuper vos, & reſpondet totus cœtus, Amen.

Hæc de Miſſa retulit Demetrius, quę quatuor anni vicibus celebratur, quemadmodum ſupra admonui. Verum in quotidianis conuentibus hunc morẽ habere Chriſtianos retulit idem Demetrius. Omniũ primum orditur ſacerdos à benedictione, vt in miſſa. 2. Fiunt preçes publicæ, recitatur aliqua lectio ex ſacris literis, & fit breuis concio. 3. Diſtribuitur, precibus finitis, ſine vino panis: hunc panem dicunt nõ eſſe corpus Domini, ſed tantum dari in ſignum mutuæ fraternitatis, vt hoc ſymbolo admoniti ipſorum animi coaleſcant, qui de eodem pane participant. 4. Hoc percepto pane populus cum hac benedictione, ἡ εὐλογία τοῦ κυρίου ἐφ᾽ ἡμᾶς, dimittitur.

ORATIO AD CHRISTVM.

DVlciſsime Domine Ieſu Chriſte, fili Dei, ſine tua gratia mens noſtra denſiſſimis effunditur tenebris. Affectus omnes in flammas cupiditatũ feruntur. Voluntas mentis caligine inuoluta affectuũ impetu abripitur: denique omnes actiones noſtrę interiores & exteriores à norma voluntatis tuæ longe aberrant. Tenebras igitur mentis noſtræ allato verbi tui lumine dulciſsime Ieſu Chriſte diſcute. Cupiditatum flammas gratiæ tuæ fontibus clementer extingue. Voluntatem tua manu reformatam, tuo ſancto impelle ſpiritu, vt quæ mens illuminata rectè

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

monſtret, quæ affectus noui cordis piè ſuadent, ea & voluntas alacriter imperet, & omnes vires animi & corporis voluntatis imperio obtemperantes ſtudioſè exèquantur. Tu enim ſolus es noſter propiciator, noſter Rex, noſtra fortitudo & virtus, noſtra vnica ſpes, vnica ſalus, vnica via & vita æterna. Te inuoco, dulciſsime Ieſu Chriſte, vt nobis aſsiſtas, ne vel ſeducti à falſis prophetis, vel pellecti à propria carne, vel perſuaſi à diabolo, vel abducti prauis hominū moribus & exēplis, vel etiā offenſi ſcandalis relabamur in priſtinas tenebras & aberremus à te via vitæ æternę. Deduc obſecro nos, fili Dei, in lumine vultus tui: ſuſtine nos, qui es dextera Dei patris, ne concidamus: dirige nos quo tandem te duce perueniamus recta ad gloriam immortalitatis, quam promiſiſti ſperantibus in te, dulciſsime Ieſu Chriſte. Tibi laus, confeſsio & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

FORMA PRECANDI GENERALIS.

Omnipotens, æterne, veriſsime Deus, pater Domini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, conditor cœli & terræ, vnà cum filio tuo Ieſu Chriſto, & ſpiritu ſancto, agimus tibi gratias toto pectore, quod immenſa miſericordia te nobis patefeciſti miſſo filio Ieſu Chriſto, & prolato arcano & admirando decreto de redemtione generis humani, & colligis tibi æternam Eccleſiam per miniſterium Euangelij & ſpiritum ſanctum, & præbes hoſpitia Eccleſiæ, & res vitæ ſuſtentationi neceſſarias. Hæc & alia beneficia confitemur veriſsimè tua dona eſſe, & abs te nobis propter filium tribui & conſeruari. Confitemur etiā multis nos peccatis multipliciter pollutos eſſe, & veris atque ardentibus doloribus cordis deploramus, quod contra normam iuſticiæ tuæ peccauerimus, ac precamur, vt conuertas nos ad te, & condones nobis omnia peccata noſtra propter dilectum filium tuum Ieſum Chriſtum, & ſpiritu ſancto tuo accendas in nobis veram fidem & veram obedientiam, & regas nos, vt ſicut ſerio nobis propoſitum eſt, auxilio tuo emendemus vitam & tibi obediamus.

Oramus etiam propter Ieſum Chriſtum filium tuum dilectū, vt inter nos & in his regionibus perpetuò tibi colligas Eccleſiam, & in ea puritatem veræ doctrinæ conſerues, vt te vera inuocatione colamus, & tibi obediamus, & in omni æternitate te celebremus & diligamus. Ad hanc rem largiaris Eccleſiæ fideles doctores & paſtores, qui recta docendo, & exemplo piæ vitę gloriam tuam illuſtrent & proſint Eccleſiæ.

Oramus etiam propter Ieſum Chriſtum filium tuum dilectum, vt in his terris largiaris piam, ſalutarem, & tranquillam gubernationem, & regiam maieſtatem, ac regni conſiliarios & ſenatores tuearis, ac ſpiritu ſancto tuos regas, vt tota ipſorum gubernatio ſeruiat gloriæ tuę, & ipſis & ſubditis ſit tranquilla & ſalutaris. Confirmes etiam omnes pios reges, principes & nobiles in propoſito tuam gloriam, veram doctrinam, & honeſtatem diſciplinæ conſeruandi. Etiā magiſtratus huius vrbis clementer gubernes ac tuearis. Precamur etiam, vt res terra naſcentes (quas largiris, vt in hac vita genus humanum ſuſtentetur & te inuocet) foueas ac protegas, & panem quotidianum benigne nobis præbeas. Et quia tibi nota eſt ingens imbecillitas noſtra, & promiſiſti te magnitudinem iræ aduerſus peccatum temperaturum miſericordia propter interceſsionem dilecti filij tui, oramus, vt pœnas quas meritò ſuſtinemus, clementer mitiges, & afflictos omnes, qui te inuocant, conſoleris ſpiritu ſancto tuo, vt in vera fide & vera inuocatione maneant conſtantes, & in omni æternitate miſericordiam tuam celebrent, Amen.

ORATIO DEVOTISSIMA AD CHRISTVM, D. AVGVSTINI.

Spes mea Chriſte Deus, hominum tu dulcis amator,
Lux, via, vita, ſalus, decor & decus omne tuorum,
Omnia pro quorum voluiſti ferre ſalute,
Cernito vincla, crucem, vulnus, mortem, atque ſepulchrū
Poſt tres inde dies deuicta morte reſurgens,
Diſcipulis viſus, nutantia corda reformans:
Luce quater dena cœlorum ſumma petiſti,
Viuis in æternum, nunc & per ſæcula regnans.

Tu es Deus meus viuus & verus, pater meus ſanctus, Dominus meus pius, Rex meus magnus, paſtor meus bonus, magiſter meus vnus, adiutor meus optimus, dilectus meus pulcherrimus, panis meus viuus, Sacerdos meus in æternum, dux ad patriam, lux mea vera, dulcedo mea ſancta, vita mea recta, ſapientia mea præclara, ſimplicitas mea pura, concordia mea pacifica, cuſtodia mea, tuta, portio bona mea ſalus mea ſempiterna, miſericordia mea magna, patientia mea robuſtiſſima, victima mea immaculata, redemtio mea ſancta, ſpes mea firma, charitas mea perfecta, reſurrectio mea vera, vita mea æterna, exultatio & viſio mea beatiſsima & ſine fine manſura. Te deprecor, ſupplico & rogo, vt per te ambulem, ad te perueniam, in te requieſcam, qui es via, veritas & vita, ſine qua nemo venit ad patrem. Te enim deſidero dulciſsimum & pulcherrimum Dominum. O ſplendor paternæ glorię, qui ſedes ſuper Cherubim, & intueris abyſſos, lumen veridicum, lumen illuminans, lumen indeficiens, in quē deſiderant angeli proſpicere, ecce cor meum coram te eſt, diſcute tenebras eius, vt amoris tui claritate plenius perfundatur. Da mihi Deus meus te, redde mihi te: en amo te, & ſi parum eſt, amem validius. Nō poſſum metiri, vt ſciam quantum deſit mihi amoris tui ad id quod ſatis eſt, & currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur donec abſcondatur in abſcondito vultus tui. Hoc tamen ſcio, quia malè mihi eſt præter te domine, non ſolum extra me, ſed in meipſo. Omnis enim copia quæ Deus meus non eſt, egeſtas mihi eſt. Bonum namque quod neque in melius, neque in deterius commutari poteſt, tu ſolus es, qui ſimpliciter ſolus es, cui non eſt aliud viuere, & aliud beatè viuere, quod tua beatitudo tu es, creatura verò tua, cui eſt aliud viuere, & aliud beatè viuere, omne quod viuit & beatè viuit, non debet niſi gratiæ tuæ attribuere, & ideo nos egemus tui, nō tu noſtri, quia ſi omnino non eſſemus, nihil tibi deeſſet ad bonum quod tu es. Tibi itaque Domino Deo noſtro ſemper adhærere neceſſe habemus, vt per continuum auxilium tuum ſanctè & piè, & rectè viuere valeamus. Pondere ſiquidem fragilitatis noſtræ deorſum trahimur, dono autem tuo accēdimur & ſurſum ferimur, inardeſcimus & imus, aſcendimus, aſcēſiones in corde facimus, & cantamus cāticum graduum, igne tuo bono inardeſcimus & imus, quo iam ſurſum imus ad pacem Ieruſalem. Quoniam iucundatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus, illic collocauit nos voluntas bona, vt nihil velimus aliud quam permanere illic in æternum. Sed quia dum ſumus in corpore, peregrinamur à te Domine, non habemus hic ciuitatem manentem, ſed futurā inquirimus, noſter autē municipatus in cœlis eſt, ideo duce gratia tua, ingredior in cubile cordis mei, & canto tibi amatoria, rex meus & Deus meus, gemens inenarrabiles gemitus peregrinationis meæ, vbi cantabiles mihi factæ ſunt iuſtificationes tuæ. Et recordans Hieruſalem, extendo in eam ſenſum cordis, Hieru-

ſalem

ſalem patriam meam, Hieruſalem matrem meam, teque ſuper eam regnatorem, illuſtratorem, patrem, tutorem, patronum, rectorem, paſtorem, caſtas & fortes delicias, ſolidum gaudium, & omnia bona ineffabilia, ſimul omnia, quia vnum ſummum & verũ bonum: & non auertar, donec in eius pacem matris chariſsimæ, vbi ſunt primitiæ ſpiritus mei, colligas totum quod ſum à diſperſione & deformitate hac, & conformes atque confirmes in æternùm, Deus meus, miſericordia mea. Amen.

ORATIO PRO CONSERVATIONE IN PIETATIS curriculo.

Omnipotens Deus, ſalus, protectio & liberatio noſtra, concede petitiones cordis noſtri, delectamur & ſperamus in te Domine, dirige greſſus noſtros in bonum, & cum ceciderimus in peccatum, porrige dexteram cadentibus cum auxilio gratiæ & miſericordiæ tuæ, ne collidamur in interitum, ne confundamur in tempore malo, ne diſpereamus cum impiis, ſed hæreditatem iuſtorum viuentium in terra ſortiamur, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Amen.

GRATIARVM ACTIO BEATI PHILIPPI MELANCHTHONIS.

AD DEVM PATREM.

Ago tibi gratias omnipotẽs, æterne & viue Deus, æterne pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, conditor omnium rerum & conſeruator ac opitulator, cum filio tuo coæterno Domino noſtro Ieſu Chriſto, patefacto in Ieruſalem, & ſpiritu ſancto tuo effuſo in apoſtolos, quod te patefeciſti nobis immenſa bonitate certis & illuſtribus teſtimoniis, & quod condidiſti & elegiſti tibi Eccleſiam perpetuam, & voluiſti filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro nobis fieri victimam, dediſti nobis Euangelium tuum, & ſpiritum ſanctum, remittis nobis peccata, & liberas nos à poteſtate diaboli, & à morte æterna, & das nobis vitam æternam, & hactenus in hac vita me multis magnis beneficiis donaſti, dediſti vitam, victum, doctrinam, pacem iis locis in quibus vixi, & mitigaſti pœnas quas meritus ſum.

AD θεάνθρωπον *FILIVM.*

Ago tibi gratias etiam Domine Ieſu Chriſte, fili Dei viui, crucifixe pro nobis & reſuſcitate, Emanuel, quod copulaſti tibi humanam naturam, paſſus es pro nobis & reſurrexiſti, ac redemiſti nos, ſeruas ac defendis Eccleſiam contra diabolos hoſtes tuos, & das & inſtauras ſæpe lucem Euãgelij, remittis nobis peccata, & das nobis vitam æternam, & es mediator & interpellator pro nobis aſsiduus, & vis nobis opitulari, ſicut dixiſti, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, ego reficiam vos.

AD DEVM SPIRITVM Sanctum.

Ago tibi gratias ſpiritus ſancte viuificator, effuſe in apoſtolos, quod accendis lucem tuam in noſtris mentibus, regis, doces, mones, iuuas me conſilio, gubernas labores vocationis meæ, & ſanctificas me ad vitam æternam.

ORATIO EIVSDEM AD DEVM PATREM.

Omnipotens, æterne & viue Deus, æterne pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te patefeciſti immẽſa bonitate, & clamaſti de filio tuo domino noſtro Ieſu Chriſto, hũc audite, cõditor omniũ rerũ, & cõſeruator & opitulator, cũ filio tuo coæterno Domino noſtro Ieſu Chriſto, regnante tecum, & patefacto in Ieruſalem, & ſpiritu ſancto tuo effuſo in apoſtolos, ſapiens, bone, miſericors iudex & fortis, qui dixiſti: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed, vt conuertatur & viuat. Et dixiſti, Inuoca me in die tribulationis & eripiam te. Miſerere mei propter Ieſum Chriſtum filium tuum dominum noſtrum, quem voluiſti pro nobis eſſe victimam, ϗ μεσίτην, ϗ ἱκέτην, & ſanctifica, rege, iuua, accende cor & animam meam ſpiritu ſancto tuo, vt te verè agnoſcam & inuocem, tibi verè credam, gratias agam, & obediam, rege & ſerua Eccleſiam tuam, ſicut promiſiſti inquiens: Hoc eſt fœdus meum cum eis, ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ab ore ſeminis tui in æternum: ſemper luceat in nobis Euangelium tuum, & rege & confirma corda noſtra ſpiritu ſancto tuo, ne in furores Epicureos aut fanaticos ruam, guberna ſtudia Eccleſiæ, & defende politias, quæ præbent hoſpitia Eccleſiis.

AD θεάνθρωπον *FILIVM.*

Ieſu Chriſte fili Dei viui, crucifixe pro nobis & reſuſcitate, qui regnas ad dexteram patris, vt des dona hominibus, & conſtitutus es interpellator pro nobis, miſerere mei & intercede pro me apud æternum patrem tuum, ſanctifica me ſpiritu ſancto tuo, ſicut promiſiſti inquiens: Non relinquam vos orphanos, rege & defende Eccleſiam tuam & politias, quę ſunt Eccleſiæ hoſpitia.

AD SPIRITVM SANCTVM.

Spiritus ſancte effuſe in Apoſtolos, quem promiſit nobis filius Dei, redemtor noſter, vt accendat in nobis veram agnitionem & inuocationem Dei, ſicut ſcriptum eſt, Effundam ſuper vos ſpiritum gratiæ & precum. Exſuſcita in cordibus noſtris verum timorẽ Dei, & veram fidem & agnitionem miſericordiæ, quam nobis æternus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti propter filium promiſit, ſis nobis paracletus in omnibus conſiliis & periculis, & accende mentes noſtras, vt vera obedientia patrem Domini Ieſu Chriſti & filium eius redemtorem noſtrum, & te, perpetuò celebremus.

ORATIO ANTE COMMVNIONEM.

Domine Deus cœleſtis pater, tibi gratias agimus, quod pro nobis filium tuum vnigenitum in mortem tradidiſti, vt nos à morte peccati & gehennæ redimeret. Poſtea me miſerum ad illum traxiſti, ex eo quod peccata & damnationem mihi cognitam faciens pariter oſtendiſti, quàm certa ſalus in eodem Chriſto ſit apprehendentibus illum per fidem. Præterea eiuſdem filij tui carnem in cibum, & ſanguinem in potum, in myſterio veſcendum exhibuiſti, vt paſti in eum indies adoleſcamus, & quod accipimus deinde per eum in maius augeſcat. Effice, vt redemtionis noſtræ preciũ, hoc eſt, mors & ſanguis Domini ac Dei noſtri ſemper viuat, quod nobis verbis & ſacramentis eam locupletè commendaſti. Creſcamus in ampliorem fidem, quæ per charitatem operetur, vt ad pia facta apparatiores ſubinde reddamur, ac tuam vnius gloriam vnicè per omnem vitam quæramus, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

ORATIO PRO DOCILITATE.

Audi preces meas, æterna patris ſapientia, Domine Ieſu, qui teneræ ætati docilitatis commodum addidiſti, adde quæſo ad naturæ propenſionem auxilium gratiæ tuæ, vt literas ac liberales diſciplinas citius perdiſcam, ſed tuæ glorię ſeruituras, quarum adminiculis adiuta mens mea plenius aſſequatur cognitionem tui, quem noſſe felicitatis humanæ ſumma eſt, vtque ad te ſanctiſsimæ puericiæ exemplum indies proficiam ætate, ſapientia & gratia apud Deum & apud homines: Qui viuis & regnas in conſortio

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Patris ac ſpiritus ſancti in æterna ſæcula. Amen.

ORATIO IN PERICVLIS ET CRVCE.

Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis,
Neque ſecundũ iniquitates noſtras retribuas nobis.

Deus miſericors pater, qui contritorum non deſpicis gemitum,& mœrentium non ſpernis affectũ, adeſto precibus noſtris, quas in afflictionibus, quæ iugiter nos premunt, coram te effundimus, eaſque clementer exaudi, vt hoc, quod contra nos diabolicæ ac humanæ fraudes moliuntur,ad nihilum redigatur, conſilióque tuæ bonitatis diſpergatur: vt nullis inſectationibus læſi,in Eccleſia tua ſancta, tibi ſemper gratias agamus per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

ALIA.

Non intres Domine in iudicium cum ſeruo tuo,
Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

Omnipotens Deus qui nos in tantis periculis conſtitutos,propter humanam fragilitatẽ ſcis non poſſe conſiſtere, da nobis ſalutem mentis & corporis, vt ea quæ pro peccatis nos affligunt, te adiuuante, vincamus per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

ALIA.

Inuoca me in die tribulationis,
Et eruam te,& tu honorificabis me.

Parce Domine,parce peccatis noſtris & quamuis inceſſabiliter delinquentibus continua pœna debeatur,præſertim tamen quæſumus, vt quod ad perpetuum meremur exitium, tranſeat à nobis ad correctionis auxilium, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Amen.

ORATIO CVM MANE SVRREXERIS.

Quandoquidẽ tu cœleſtis pater,tum in cœlis,tũ in terris vnus ille omnipotens Deus, vbique gentiũ & locorum es & vſque permanebis: Te ex animo ſupplicisſimè precor, ne ſinas vt in meam, neque vt alij credentes in ſuam voluntatem hunc diem concertamus, neque vt ad prauum arbitrium noſtrum prolabamur,ſed potius paternam tuam voluntatem, æternum conſilium, verbum illud, tuum ſalutiferum,tuumque beneplacitum,rectà intueamur,& veraci corde perficiamus,quo nomen diuinum per nos miſeros peccatores, nunc & ſemper ſanctificetur, per filium tuum IESVM CHRITVM. Amen.

ORATIO DVM ABIS CVBITVM.

Tibi Domine Deus animam ac vitam meam commendo, vt in Chriſto, qui eſt vita & reſurrectio noſtra ab æterna morte me defendas, atque vt ipſe, qui vera lux eſt,ſplendorem gratiæ ſuæ in corda noſtra tenebroſa perfundat. AMEN.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

N. H.

DE LEGE NATVRAE APODICTICA METHODVS, CONCINNATA PER NICOLAVM HEMMINGIVM.

SPLENDORE GENERIS, DOCTRINA ET VIRTVTE Clariſsimo Viro, Domino Erico Krabbe, Equiti aurato, atque ſenatori Regni Daniæ ſapientiſsimo, Domino de Buſtrup, Patrono ac Domino ſuo imprimis obſeruando: Gratiam & pacem precatur.

***

VETVS (teſte Plutarcho) dictum eſt, vir clariſſime, ſine iuſtitia ne Iouem quidẽ poſſe principẽ agere: quo ſanè dicto ſignificatur, & maximè arduũ eſſe principis munus, & magnã iuſtitiæ vim, ſine qua nulla reſpub. nulla domus, denique nulla ſocietas conſeruari poteſt. Nã vt lex regulam iuſticiæ, quæ eſt vinculum humanæ ſocietatis, præſcribit: ita magiſtratus eſt (quem ſummi Philoſophi νομοφύλακα, hoc eſt, legum cuſtodem vocant) totis viribus in hoc incumbere, vt vinculo legum, quod eſt iuſtitia, corpus reipublicę contineat. Etenim vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, iuſticię normas ſuis partibus & neruis & ſanguine & membris (vt ait Cicero) vti non poteſt. Quapropter meritò laudandi ſunt legum conditores, vt ſanctiſſimi iuſtitiæ myſtæ ac miniſtri, qui ipſos legum fontes in natura quærentes, incolumem hominum inter ſe coniunctionem conſeruare voluerunt. Nulla enim ſocietas niſi iuſta fuerit conſtans & incolumis permanebit diu, atque ideo leges (quæ hoc nomen iuſtè merentur) hoc ſpectant, hoc volunt, vt iuſtitia inter ſe coaleſcant homines, quò eorum ſocietas inter ſe ſit ſancta ac ſtabilis.

Huius autem iuſtitiæ veluti nerui quidam ſunt, religio ſiue cultus diuinus, natura, communis ſuperiorum & inferiorum ordo, cognatio, affinitas, contractus, officia in ſocietate humana varia, vnde fit vt alij aliorum indigeant opera. Hos neruos lex ipſa ſeu magiſtratus, qui eſt veluti viua quædam lex ſtabilire, conſeruare ac regere debet, cauebítque ne his neruis, aut nimiũ laxatis, aut omnino ruptis, corpus Reipublicæ eneruetur, ac paulatim concidat. Hac enim de cauſa legi præficitur magiſtratus vt cuſtos, qui vt anima in corpore, ita ipſe in republica neruorum iuſtitiæ moderator ſit. Membra autẽ quæ nolunt ſe his neruis regi, aut corrigat magiſtratus, aut ſi ſe corrigi non patiuntur, de corpore abſciſſa abiiciat, ac imitetur ſapientes medicos, qui mẽbra hominis quæ ſana ſunt, bona victus ratione, atque aliis legibus ad conſeruãdam ſanitatem ſpectantibus, conſeruant, affecta autem curant ſi poſſunt: at ea, quæ medicina non emendantur, ſed putreſcunt magis, abſcindunt, ne contagione ſua, ſana paulatim inficiãt membra, donec totum corpus infectum collabatur. Huc reſpexit Poëta cum diceret.

ſed immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Et illud:

Morbida facta pecus totum corrumpit ouile,
Ne maculet alias, eſt ſeparanda grege.

Romani cùm inter plebem & Patres diſſenſiones ortas, legibus à Romulo latis componere nequirent: tres legatos in Græciam miſerunt, hoc mandato, vt leges Solonis deſcriberent, & mores & inſtituta reliquæ Græciæ cognoſcerent, vt vel iſto pacto componi

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſtatus ciuitatis Romanæ, exemplo Grecorum poſſet. Poſtquam autem gnauiter negotium à legatis tranſactum eſſet, proximo anno redierunt, creatique ſunt Decemuiri legum ferendarũ, qui primùm decem tabulas iuris ciuilis Romani ſcripſerunt, deinde addiderunt duas approbatæque ſunt omnes comitiis Centuriatis, atque hæ ſunt nobiliſsimæ leges, quæ dicuntur duodecim tabularum. Sapienter etenim iudicarunt Romani, non tam viribus quàm bonis legibus, quæ bonorum morum ſunt normæ, concordiam ciuium ali fouerique, atque adeò ciuitatem ipſam non tam muris, quàm moribus muniri.

Huc pertinet feſtiuiſſimum quoddam Plauti dictum: rogat hiſce verbis virginem Sagariſtio ſeruus, *vt munitum tibi viſum eſt oppidum?* reſpõdet illa, *ſi incolæ bene ſunt morati, pulchrè munitum arbitror: perfidia & peculatus ex vrbe & auaricia ſi exulant: Quarta, inuidia. Quinta, ambitio. Sexta, obtrectatio. Septima, periurium. Octaua, indulgentia. Nona, iniuria. Decima, quod peſſimum aggreſſu, ſcelus. Hæc niſi inde aberunt, centuplex* murus rebus ſeruandis parum eſt. Huc proinde leges pertinent vt iuſticiæ norma homines retineantur in officio, & inter ſe iuſticiæ neruis veluti colligantur. Quare Scipio præclarè dicit, tunc eſſe Rempublicam, hoc eſt, rem populi, cum bene ac iuſtè geritur: geritur autem tum demum bene ac iuſtè, cùm iuxta iuſticiæ normas, hoc eſt, leges viuitur. huc & illud Ennij:

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſq;:

ſentit enim grauiſſimus Poëta, morum probitate iuxta legum præſcriptum, & fortitudine animorum conſtare reipublicæ incolumitatem.

Etſi autem omnes ſani vnà nobiſcum fatentur vnam iuſticiam eſſe, quæ domos, quæ ciuitates, quæ prouincias, quæ regna conſeruat: (Nam Carneadem, qui diſputandi gratia iniuſticia conſeruari rempublicam affirmauit, & Romanos qui antiquum illud dictum, quod ex Plutarcho ſuprà adduximus inuerterunt, dixerúntque, Sine iniuria rempublicam regi non poſſe, contemnendos iudico. ille enim acuminis laudem in defendendis contrariis ſententiis quærebat, hi autem reſpexerunt ad initium Romanæ reipublicæ, nam iſto dicto falſè ſignificabant, ſi iuſti velint eſſe Romani, hoc eſt, ſi aliena reſtituant, ad caſas eſſe redeundum, & in miſeriis tabeſcendum) Tamen fuerunt, qui de iuſticiæ origine, non eodem modo iudicarunt. Nam vt ex Platone conſtat, alij iuſtum natura tale eſſe, alij tantùm opinione hominum diſputarunt, atque hi ſuam ſententiam ex eo potiſsimùm confirmare videbantur, quòd lex, quam ſæpe iuſticiæ normam eſſe teſtati ſumus, non ſit eadem vbique & apud omnes, nam alios populos, aliis viuere legibus extra controuerſiam eſt. Minos apud Platonem, quo confirmet iuſtum, opinione iuſtum eſſe & non natura, contrariarum legum hæc exempla recitat Carchedonij, vt legitimum & piũ, Saturno litare liberos ſuos lege ſtatuunt. Lycienſes lege coacti patria, ſuorum mortuorum funera domi ſuæ humant. Sed vtrunque Athenienſes vt illegitimum & impium rectè deteſtantur, imò lege contraria cauent, ne quis vel liberos ſuos litet Saturno, vel mortuum domi ſepeliat. Adduci poſſent multa, non barbaræ impietatis exempla, de legibus contrariis, quæ confirmare eorum ſententiam videntur, qui dicunt iuſtum non natura, ſed opinione tale eſſe.

Verùm horum ſententiam falſiſsimam eſſe ſapienter diſputat Socrates Platonicus. Hic enim affirmat iuſta, iuſta eſſe, & honeſta, honeſta: & contrà iniuſta, iniuſta, & turpia, turpia: idque vbique & apud omnes homines, & definit legem non eſſe opinionem hominum, ſed τῦ ὄντος ἕυρησιν, hoc eſt, veritatis inuentionem. Nam ea demum lex, legis nomen rite ſortitur, quę non ſolùm autoritatem principum & magiſtratus habet, verùm etiam (idque multò magis) ratione firma & immota nititur.

Hæc ratio aliunde peti non debet, quàm ex duobus, nempe, ex natura ipſa, & fine legis. In natura ipſa ſunt ſemina quædam iuſti & honeſti, præterea iudicium, quo iuſta & honeſta iniuſtis & turpibus præferantur. Ex his ſeminibus oriuntur leges, quæ deſtinantur incolumitati reipublicæ, non aberranti ab vltimo fine, ad quem omnia referri oportet. Quæcunque leges iſto pacto ſunt extructæ, ſolæ merentur leges dici, & non quæuis Tyrannorum decreta aut potentum placita.

Imperator quidam legem tulit, qua ſanciuit licere vni marito ſimul duas habere vxores, hãc legem multi amplectebantur, parum ſoliciti de legis latæ iuſta ratione. Verùm, quia hæc lex non manet intra iuſtas metas, hoc eſt, non proficiſcitur à natura, & tendit ad incolumitatem reipublicæ, non aberrantem ab vltimo fine, nequaquam legis nomine digna cenſeri debet, ſed potius turpiſsimæ libidinis cœnum dicenda eſt. Neque enim alia de cauſa tulit hanc legem Imperator iſte, quàm vt legis prætextu ſuam tegeret libidinem. Quicunque ergo iſti impuro decreto obtemperarunt, non excuſantur Imperatoris autoritate, ſed à lege naturæ, quæ eſt & Dei, damnantur. Nam & à natura aberrarunt, & Deum naturæ opificem contemſerunt ingrati.

Quocirca in qualibet lege ratio, quam dixi, diligenter ſpectanda eſt: ad quam cùm lex con-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

congruit à magiſtratu legitimo lata, iuſtum cenſebitur quicquid ſecundùm legem latam ſit contra iniuſtum, quod contra legem committitur, neque hoc opinione iuſtum aut iniuſtum æſtimandum eſt, ſed natura & reuera. Sed de hac quæſtione copioſiùs ſuo dicetur loco.

Hæc diligentia reuocandi leges, iuxta quas viuere in hac humana ſocietate nos decet, ad ſuam originem & proprium finem, digna eſt inprimis bonis viris. Nam huius rei obſeruatio non ſolùm amorem in placidis naturis erga leges excitat, verum etiam alium iucundiſſimum fructum habet. Quid enim quæſo iucundius eſſe poteſt, quàm videre methodum pulcherrimam, quam ſequuti ſapiẽtes veteres, ſuas leges extruxerunt? vt interim taceam, non parum eſſe, vbi vel minimum deflexerint legumlatores à iuſta legum ratione, perſpicere.

Paulus fatetur gentes huius methodi ductu eò perueniſſe, quòd eadem, quæ Deus ſua lege proponit, agnouerint: etſi ab agnita hac notitia, vitio naturali & conſuetudine malorum victi poſtea aberrarunt. Quare agnoſcenda eſt hæc lux, & gratiæ Deò agendæ ſunt, quòd ipſe hac luce naturam humanam ornauerit, ac etiam poſt lapſum igniculos quoſdam in natura reliquerit, qui dum excitantur cogitatione pulcherrima virtutum ac legum harmonia, & veluti ædificatio quædam agnoſcitur.

Huius rei digniſſima admiratio me impulit, vt de fonte legum, quem legem naturæ vſitatè vocamus, nonnulla ſcriberem: idque methodo certa & Philoſophica, quo initia, progreſſus, metæ & regreſſus clarè conſpiciantur. Videmus omnes artes ſuis methodis eſſe comprehenſas, vt Grammatica, Dialectica, Geometria, Arithmetica, Muſica, Phyſica, atque aliæ: & quælibet ars, vt magis perſpicua eſt ſcripta methodo, ita & in admiratione eſt maiori. Medici etſi ſua axiomata à Phyſica mutuantur: tamen non poſtremas laudes ob artis ſuæ methodum merentur. Habent & leges ciuiles ſuam methodum, quibus axiomata ſuppeditat Philoſophia moralis.

Etſi autem multi, cùm Poëtæ (vt Pythagoras, Theognis, Phocylides, Cato, aliíque non pauci) tum Philoſophi (vt Plato, Ariſtoteles, Plutarchus, Cicero) præcepta morum tradiderunt, ac noſtra ætate Philippus Melãchthõ (cuius ſanctiſſimi viri decus, nec viperina multorum ingratitudo, nec occultæ maleuolorum inſidiæ, nec apertæ aduerſariorum calumniæ obſcurabunt vnquam) de Philoſophia morali ſapientiſſimè & vtiliſſimè ſcripſit: nullus tamen adhuc, quod ſciam, hæc elementa tradidit, & oſtẽdit viam progreſſus demonſtratiui in hac nobiliſſima naturæ, vt ita dicam, arte. quod ſanè ſummis illis viris haud fuiſſet difficile, ſi naturæ principia, & inde concluſionum extructiones, ea tractare methodo propoſuiſſent, quam nos ſequimur.

Sunt fortè qui dicent, non opus fuiſſe ea quæ natura omnibus nota dicuntur, ad artis limites reuocare. His nihil aliud reſponſum volo, quàm quod eadem ratione poſſint improbare conatum maximorum hominum, qui Dialecticam ad certam reuocarunt methodum, nam & ea, particula quædam legis naturæ eſt.

An non (inquies) de hac lege multa præclarè in Platone, Ariſtotele, Xenophonte, Plutarcho, Cicerone & aliis leguntur? hoc quidem veriſſimum eſſe fateor, ſed eorum nullus ea ad certam & iuſtam eámque vniuerſalem methodum reuocauit, quæ ſparſim in illorum ſcriptis leguntur: quod equidem tentandum ſaltem iudicaui, ſperans bonos viros non improbaturos eſſe hunc meum conatum, præſertim cùm cupiam prodeſſe ſtudiis iuuentutis. Non enim dubito & ſummè vtile & periucundum fore moralis Philoſophiæ ſtudioſis, videre initia, progreſſus ac metas legis naturæ: conſiderare principia, ac veluti elementa axiomatum moralis Philoſophiæ, ex quibus hypotheſes innumeræ, adhibita Philoſophica apodixi, in legibus politicis & Oeconomicis extruuntur: obſeruare ſyntheſes & analyſes demonſtrationum: perſpicere qua via omnia iura & omnes leges ad ſuos fontes reuocari poſſint.

Hinc etiam futurum ſpero, vt non ampliùs Ethicæ ac iuriſprudentiæ ſtudioſi, ferant iſtam quorundam contumeliam, qui negant doctrinam de moribus & legibus demonſtrari poſſe: videbunt enim clariſſimè non minùs legis naturæ concluſiones deſtitui euidentibus demonſtrationibus, quàm artem Euclidis, quam quidam ſolam demonſtrationibus niti, falſò contendunt.

Etſi autem fatendum eſt euidentes in Euclide demonſtrationes eſſe, iuxta omnes demonſtrãdi vias (nam triplici demonſtrandi methodo vtitur Euclides, alias enim ſyntheſi cõponit, alias analyſi hypotheſes ad principia reuocat, haud rarò ἐπαγωγῇ εἰς ἀδύνατον, vt ex abſurdo verum colligat, vtitur) tamen iuſtè contendo, non minùs ἐναργεῖς & euidentes eſſe in hac noſtra naturæ ſcientia demonſtrandi vias, quàm in Euclide aut aliis nobilibus & præclaris ſcientiis. Has vias conor in hoc libello patefacere & ad artis methodum, naturæ legem reuocare, idque eo conſilio, vt hæc Philoſophiæ pars aliquo modo illu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſtretur, quam oporteret omnibus eſſe notiſsimam.

Porrò ne quis me accuſet tanquam hominem, qui ſuam, iuxta prouerbium, falcem in alienam mittat meſſem, hæc eſt mea defenſio. Epiſtola Pauli ad Romanos ſuperiori anno erat mihi enarranda, in qua quia Apoſtolus legem naturę appellat veritatē, & ius Dei gentibus notū, quod ipſæ oſtendunt operibus ſuis vnà teſtimonium reddente eorum conſcientia: putaui operæprecium eſſe, quænam ſit iſtius legis vis explicare, & ne prolixa commentatione interrumperem prælectionem Paulinam, cœpi ſeorſim hanc de lege naturæ methodum colligere, vtinam tanto cum fructu, quanto cum labore.

Cæterùm quòd hanc legis naturæ methodum ſub tuo nomine, clariſsime vir, in publicum prodire volui, duas habeo, vt mihi quidem videtur, iuſtiſsimas cauſas. Harum vna eſt, quòd cupiam aliquo ſigno gratitudinem animi mei erga te declarare, qui vt de omnibus optimè mereri, & quod Cicero dicit boni viri proprium eſſe, omnibus prodeſſe & nemini nocere ſtudes: ita me ſingulari beneuolentia multos annos es complexus. Altera, quòd in ſimili ferè negotio iam longo tempore occuparis. Nam leges noſtras Danicas, (quæ ſunt legis naturæ, de qua nos agimus hypotheſes quaſdam) vt diſiecta & veluti diſſipata quædam corporis membra (quod ſanè non vitio legiſlatorum accidit, quorum alij alijs nationibus tulerunt leges, ſed propter varietatem populorum quibus aliæ atque aliæ leges ferendæ erant) ad iuſtum corpus reuocare conaris, quò ſingula apto nexu cohæreant: hoc quàm operoſum ſit, ſoli prudentes intelligunt. Nam hîc requiritur non tā labor tranſcribendi, qui ſanè in iſta re minimus eſt, quàm ſingularis prudentia in collatione legum diuerſarum nationum, quò obſcuriores illuſtrentur clarioribus: & quæ videntur propter breuitatem mutilæ, compleantur perfectioribus: & quæ parum apto ordine hactenus legi videbantur, reſtituantur ſuis locis: quò vnum ſyſtema iuris Danici habeatur, ſingulis reuocatis ad legum fontem ac proprium finem, quem vnicum ſpectant & volunt ſanctæ leges. Oro Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt tibi in hoc arduo & vtiliſſimo labore adſit, ac vires largiatur, quò tandem incepto operi finem lætum imponas. Vale, Mæcenas optime, anima, corpore & ſpiritu integer. Haffniæ, anno 1562. & Menſe Maio.

PRÆFATIO AD LECTOREM.

CICERO ſapienter & rectè dicit, nihil præſtabilius eſſe quàm planè intelligi nos ad iuſtitiam eſſe natos, neque opinione, ſed natura conſtitutum eſſe ius. Vidit enim vir ſapiens, hominem non eſſe conditum ad beluinas voluptates, quemadmodum Epicurea ſchola impiè & impudēter blaterauit, ſed ea potiùs expetenda, quorum igniculos quoſdam homines ſani in ſe eſſe reconditos animaduertunt.

Nam cùm homo reliqua animantia mente & intelligentia excellat, & facultate diſcernendi honeſta & turpia præditus ſit, vt illa quidem expetat, hæc verò auerſetur, idque naturæ inſtinctu, neceſſe eſt fateri alium homini finem eſſe propoſitum, quàm cæteris animantibus, quæ mente, & intelligentia, ac proæreſi deſtituuntur.

Vt autem ad huius finis, qui eſt proprius hominis, contemplationem ac amorem ſuos diſcipulos veteres Philoſophi excitarent, Delphicum illud, (quod pro foribus templi Apollinis Delphici Amphictyones ſcripſere) Γνῶθι σεαυτὸν, *ipſis commēdarunt, quo ſanè dicto voluerunt vnumquemque ſui admoneri officij: quod his verſibus expreſsit Menander:* γνῶθι σαυτὸν ἐστιν ἂν τὰ πράγματα ἴδῃς τὰ σαυτοῦ καὶ τί σοι ποιητέον: noſce te ipſum eſt, ſi res intueare tuas, & quid faciendum ſit tibi. Nā qui ſe ipſum bene norit (*vt ait Cicero*) primùm aliquid ſe habere ſentiet diuinum, ingeniúmque in ſe ſuum quaſi ſimulachrum aliquod dedicatum, tanto munere Deorum ſemper dignum aliquid & faciet & ſentiet, & cùm ſe ipſe perſpexerit, totúmque tentarit, intelliget, quemadmodum à natura ſubornatus in vitam venerit, quantáque inſtrumenta habeat ad obtinendam, adipiſcendámque ſapientiam, quoniam principio rerum omnium, quaſi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illuſtratus ſapientia duce bonum virum, & ob eam ipſam cauſam cernat ſe beatum fore.

Ad hæc ergo tria, Oraculum illud Delphicum, Noſce te ipſum, referendum eſt: vt homo cogitet

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quibus ſit diuinitus ornatus dotibus: quid faciat ac ſentiat: quòd beatitudo ſit propoſita illi, qui ducem Naturam fuerit ſecutus. Nam hoc perſuaſum eſſe debet omnibus, dominum eſſe omnium rerum ac moderatorem Deum, eáque quæ geruntur, eius geri ditione ac numine, eúmque optimè de genere humano mereri, & qualis quiſque ſit, quid agat, & quid in ſe admittat, qua mente, qua pietate colat religionem, intueri, piorúmque & impiorum habere rationem, vt illis quidem beatam immortalitatem, his verò ſupplicia merita tribuat, ſicut Cicero & Plato in multis locis argutius ſanè quàm vtilius diſputant. Nā nec vulnus naturæ intellexerunt nec remedium inuenerunt: vtrumque Deus Eccleſiæ ſua voce patefecit.

Cùm enim Cicero lumine naturæ vidit hominem naturalibus facultatibus eligendi bonum, & verum inquirendi præditum eſſe, quibus veluti ducibus duceretur ad beatitudinem, & tamen conſpexit in toto genere humano horrendam ἀταξίαν, adeò quod plerique omnes contra mentis iudicium ruant in horrenda ſcelera, conſuetudini hoc tantum malum imputauit, in hæc verba exclamans: Tanta eſt corruptela malæ conſuetudinis, vt ab ea tanquàm igniculi extinguantur à natura dati, exoriantur confirmentúrque contraria vitia. Poetæ hoc malum referunt ad malum genium, ſeu Deā, quam ἄτην, eò quòd rebus mortalium noxas & turbas ſoleat immittere, vocant. Pindarus in Olympiis hoc Prometheo aſſcribit, cùm inquit: Prometheus adfert hominibus virtutem & lætitiam, Sed tamen accedit obſcura nubes obliuionis, & rectam viam negotiorum aufert à mentibus. In Pythiis hoc malum ad Deos autores refert, inquiens: Iuxta vnum bonum duo incommoda dij tribuunt hominibus. At verbum Dei non conſuetudini, non obliuioni, non Diis, non fortunæ: ſed Adamo tranſgredienti mandatum Dei hoc malum imputat, contra quod ſemen mulieris, vt ſalutare remedium, promiſſum eſt & exhibitum.

Quapropter nos Deo gratias agamus, qui vulnus naturæ, & vnde ſit indicat, & remedium ſalutare gratuitò offert.

Verùm cùm iam natura vitiata ſit, & nemo ad veram ſapientiam & beatitudinem venire poſſit duce natura, videtur quod fruſtra de ea ſuſcipiatur diſputatio. Ad hoc ita reſponſum volo. Primùm, dignum eſt ſtudioſo homine, videre quidnam ſit illud, quod Paulus vocat nunc veritatem Dei, nunc δικαίωμα τοῦ θεοῦ, quod notum gentibus eſſe prædicat, vtque intelligatur quouſque ratio progredi poſſit. Deinde pulcherrimum eſt animaduertere, ex quibus principiis quibúſque demonſtrationibus extruatur doctrina morum & leges politicæ, quibus non magis quàm igni & aëre carere poteſt humana ſocietas. Nam quicquid in ethicis & legibus traditur, hoc norma legis naturæ diiudicandum eſt. Nam, vt rectè inquit Cicero, Lex bona à mala naturali norma diuiditur.

Conſtitui igitur pauca quædam de lege naturæ colligere, non ſolùm vt excitemur ad gratitudinem erga naturæ opificem, intelligamúſque monſtrante natura, quò omnes noſtræ actiones, adeóque tota vita referenda ſit: verùm etiam vt rectius intelligatur Apoſtolus, qui dicit: Gentes oſtendere opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.

Vt autem certam doctrinæ methodum ſequamur in huius rei explicatione, viſa eſt nobis commodiſſima ea, quæ analyſis à Galeno dicitur.

Nam primùm rem vniuerſam in definitione tanquàm in faſciculo intra tranſennas comprehenſam & conuolutam proponam.

Deinde eandem explicaturus, analyſin inſtituam eorum membrorum, quæ breuiter in definitionis veluti corpore coniunguntur, in qua analyſi conſpicietur naturæ vis, & præter alia multa, quiſnam finis ſit hominis, quæ principia & hypotheſes legis naturæ, vnde moralis Philoſophia & iuris ſcientia tanquàm ex fonte deducitur, adhibita Philoſophiæ amuſſi quæ eſt demōſtratio: ad hæc, quæ præmia ſint ſeruatæ naturæ normæ & quæ pœnæ violatæ, explicabitur. His explicatis addam, quomodo decem illæ leges, ex principiis practicis extruantur & concludantur, & quatenus lex naturæ cum diuina congruat, & quatenus ab eadem diſcrepet.

Huc quoque virtutum catalogum ſubiiciam, cum ſententiis ex optimis autoribus deſumtis, & quomodo ex naturæ lege fluant, demonſtrabo, In his omnibus conſpicietur finis & vſus legis naturæ. Poſtremò, quia conſcientia eſt legis naturæ teſtis, de ea etiam nonnulla dicam. Hac methodo me effecturum ſpero, vt lex naturæ, quæ deliteſcere quodammodo videtur, ſe contemplandam illuſtrius exhibeat. Deus naturæ autor ſua nobis aſſiſtat gratia.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

DE LEGE NATVRÆ.

Nominis ratio.

PRIVSQVAM autem abſolutam definitionem legis naturæ tradam, nonnulla dicenda videntur, quæ ad nominis rationem pertinere videbuntur. Sæpe enim vera nominis explicatio, multum lucis adfert toti de re aliqua ſuſceptæ diſputationi.

Lex quid. Definitio.

Vt itaque lex Græco nomine (vt Platoni & Ciceroni placet) ex eo dicitur, quòd ſuum cuique tribuat: ſic Latino ab eligendo appellatur, illud ad finem legis nempe iuſtitiam, hoc ad conſilij facultatem & eligendi poteſtatem refertur. Vt lex ſit, quæ non ſolum quid ſingulis tribuendũ ſit doceat: verumetiam normam tradat de eligendis iuſtis & fugiendis contrariis. Debet itaque lex omnis commendatrix virtutum, & emendatrix vitiorum eſſe.

Naturæ nomen ſeu epitheton.

Naturæ nomen ponitur epitheti loco, quo monſtratur legis huius, de qua nobis eſt ſermo, forma. Nam cùm dicitur lex naturæ, ſignificatur alia eſſe quàm ſcripta: Vt illa ordine prior, hæc poſterior ſit: illa fontis rationem, hæc riuulorum habeat: illa cauſa ſit huius, hæc illius effectus exiſtat. Deinde naturæ vocabulo vis quædam, quę omni homini ineſt, indicatur, hoc eſt, communis intelligentia quæ virtutes in honeſtis, & turpia in vitiis ponit.

Naturæ lex humanis mentib. impreſſa.

Hanc naturæ legem qui negat mentibus hominum impreſſam eſſe diuinitus, eum cum ſeipſo diſſidere neceſſe eſt. Nam cum ſummis Philoſophis, & Apoſtolo Paulo, contrarium teſtatur omnium hominum conſcientia, de qua re poſtea ſuo loco plura dicenda ſunt.

Legis naturæ varia nomina. Ius naturæ. Gentium. Diuinum. Æternũ.

Hæc naturæ lex variis nominibus (quæ ad eius vim intelligendam faciunt) à Philoſophis appellatur. Cicero eam vocat, nunc Ius naturæ, propterea quòd humanis mentibus naturaliter impreſſa ſit: nunc ius gentium, quia omnibus hominibus latè per orbem ſparſis, eadem eſt, Nam non vt oratio, ita ratio apud homines variat. Nunc ius diuinũ, eò quòd Deus huius legis ſit autor: quam ob cauſam Paulus etiam naturæ legem vocat veritatem & ius Dei, vt ſuprà admonuimus. Interdum Ius ęternum, idque ea de cauſa, quòd eius norma ſit conſtans & perpetua, de qua re idem autor in oratione pro Milone in hũc modum loquitur: *Eſt enim hæc* (inquit) *non ſcripta, ſed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus: verùm ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus.*

Alia nomina ex Sophocle.

Sophocles hoc ipſum comprobat, cùm leges naturæ vocat ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα, hoc eſt, non ſcripta, firma tamen & ſolida Deorum legitima, vt quæ nemini vnquam mortalium violare fas ſit.

Ariſtotele. Cicerone. Euripide.

Ariſtoteles eandem legem vocat nunc δίκαιον ἔμψυχον, ex quo omnis lex ſcripta vim ſuam mutuatur, interdum λόγον, interdum νοῦν, quas duas voces Cicero cõiungens ait: *lex illa, quam Dij humano generi dederunt, eſt ratio ménſque ſapientis, videlicet radius quidam diuinæ iuſtitiæ in mente lucens,* id quod Euripides eleganter expreſſit his verbis: *Tanta lux* (inquit) *de cœlo nobis affulſit, vt etiam Heſpero, Luciferóque ſplendidior ſit: quæ verò huic aduerſantur è profundis emerſere tenebris.*

Demoſthene.

Demoſthenes legem dicit εὕρημα καὶ δῶρον θεῶν, *inuentum & donum Deorum,* quod ſanè tum demum de lege ſcripta dici poteſt, quando lex ſcripta lege naturæ vt fundamento nititur.

Breues legis naturæ ὑποδόσεις & aſſignationes.

Quæ hactenus diximus, mediocriter nobis rationem nominis explicant: Nunc vt nobis viam ſternamus ad iuſtam definitionem, quaſdam breues legis naturæ ὑποδόσεις & aſſignationes adiiciam.

Ex Cicerone.

Primũ itaque occurrit illa Ciceronis: *Lex naturæ, eſt ratio ſumma inſita in natura, quæ iubet ea quæ facienda ſunt, prohibétque contraria.* Summa ratio dicitur, quia à diuina mente profecta, æterna imperandi prohibẽdíque norma eſt, hoc eſt, in humana mente lucens rectè agendi ratio. Quia ergo iubet & prohibet, lex dicitur, & quoniam inſita eſt in natura, naturalis cognominatur.

Ex alio philoſopho.

Alius quidam ita definit: *Lex naturæ eſt certa & indubitata ſententia Dei, mentibus hominum impreſſa, qua docemur, quæ facere, & quæ fugere oportet, hoc eſt, notitia diſcriminis honeſtorum & turpium, vt illa quidem expetantur, hæc verò caueantur.* His ita breuiter notatis iuſtam definitionem & abſolutam colligam, hoc modo:

Legis naturæ iuſta & abſoluta definitio.

LEX NATVRAE *eſt diuinitus impreſſa mentibus hominum notitia certa, principiorum cognitionis & actionis, atque concluſionum ex iſtis principiis demonſtratarum proprio fini hominis congruentium, quas ex principiis neceſſaria conſequentia ad humanæ vitæ gubernationem extruit ratio, vt homo ea quæ recta ſunt cognoſcat, velit, eligat, agat, vitétque contraria, quorum omnium & teſtis & iudex conſcientia hominibus diuinitus eſt attributa.*

Definitionis analytica probatio.

Hæc plenior definitio plurima continet, quibus explicatis patebit quàm latè ſe extendat naturæ vis in hominibus, quantum quidem ad expetenda & fugienda attinet. Nam de his tantùm inſtituta eſt noſtra oratio, non de ſingulis motibus & proprietatibus ab animantibus. Quemadmodum itaque propoſui, ſingula definitionis membra, eo quo propoſita ſunt ordine perſequar, & veluti anatomiam quandã inſtituam, quò omnia diſtinctiùs & clariùs percipiantur.

1. Origo legis naturæ.

Primùm itaque definitio noſtra meminit originis legis naturæ, & ipſam ad Deum refert autorem, qui eam mentibus humanis impreſſit, vt ſit tãquam radius quidam diuinæ mentis & ſapientiæ. Verùm quia hoc ſuprà aliquoties dictũ eſt, hîc tantùm, quarum rerum nos hæc legis naturæ origo admoneat, breuiſſimè indicabo.

Quid nos doceat.

Primùm itaque hæc legis naturæ origo nos commonefaciet de ipſius autoritate, dignitate, æquitate. Fieri enim non poteſt, quin quod Deum autorẽ habet, iſtis omnibus emineat. *Deinde* eadem origo admonebit nos, quòd vt quicquid iuxta hanc legem fit rectè fiat: Ita omnis huius legis violatio non ſolùm cum natura, verumetiam cum Deo ipſo pugnare videatur. Quare admodũ rectè veteribus Philoſophis θεομαχεῖν dicũtur, quicunque huius legis limites peruerſè tranſgrediuntur: vnde & θεόμαχοι, qui lege hac ſpreta pro ſua vixerunt libidine, dicti ſunt.

Hîc deploranda eſt humana peruerſitas, primorũ parẽtũ lapſum ſequuta. Nã inde effectum eſt, quòd tanta ſit hominum aduerſus hanc Dei legem contumacia & rebellio. Sol, Luna & aſtra omnia, diuinæ ordinationi obtẽperant, & conficiunt, iuxta legem ſibi impoſitã, ſuum curſum pręfinito tẽporis ſpatio: homo in medio conſtitutus, veluti ſpeculator quiſpiã, ſolus cõtumacię reus peragitur, vt qui legi & ordinationi diuinæ non velit eſſe ſubiectus. Tanta eſt peruerſitas, tanta contumacia hominum aduerſus naturæ opificem.

2. Quid ſit.

De origine hactenus: Sequitur quòd lex naturę ſit notitia eáque certa. Nã normæ legis naturæ, neque ſunt opiniones ambiguę, neque ſentẽtię ἀκατάληπτοι, quæ percipi nõ poſſunt: Sed ſunt firmæ rerũ expetẽdarũ & fugiendarũ perceptiones, quas firma aſſenſione ἄνευ τῆς ἐποχῆς Academicorũ amplecti oportet.

Priuſ-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

De modo certitudinis & apprehenſionis huius legis. *Duo actionum principia.*

Priuſquam autem ad notitiæ materiã, hoc eſt, ad principia veniam, de modo certitudinis & apprehẽſionis dicã nonnihil, quò reliqua meliùs intelligãtur.

Quomodo itaque illa certitudo efficitur? Quæ apprehenſionis ratio? Omniũ primùm hoc conſtat ex Ariſtotele (quod & ipſe ſenſus cõmunis conuincit) duo eſſe actionum principia, cognitionem & appetitum: illa rem percipit qualis ſit, hic eandem aut ſectatur aut fugit.

1. Cognitio, 2. Appetitus. *Senſitiua cognitio.*

Eſt autem cognitio duplex, Vna ſenſitiua, altera intellectiua: quomodo vtraque fiat breuiter explicandum, ac primùm de ea dicam, quæ eſt ſenſuum, & fit hoc modo.

Quomodo fit.

Primùm, obiectum mouet externum ſenſum, vt exempli cauſa, pulchritudo, viſum: dulce, guſtum: odorificum, olfactum: ſonorum, auditum: molle, tactum: &c. Deinde communis ſenſus, cuius ſedes in cerebro eſt, ea quæ exterioribus ſenſibus offeruntur excipit, & eorum ſimulacra quædam fingit. Tum ſi temporis interuallum interponitur, eadem retinet memoria, quam confirmat & tuetur recordatio ac meditatio.

Appetitus cognitioni ſenſitiua reſpondens.

Hîc inſurgit appetitus, qui rem placentem, vtpote iucundam & voluptuariam, apprehendit: ex quo impetus fit ad actionem, ſeu ad rei expetitæ fruitionem & vſum.

Quomodo appetitu abutamur.

Verùm hic niſi legi naturæ ſeu rectæ rationi obtemperatum fuerit, ſæpiſsime peccatur, cùm in expetendo, tùm in fugiendo. Appetitu enim animali, qui ſequitur cognitionem ſenſitiuam, ſæpe expetimus ea, quæ aduerſantur appetitui rationis. Nam vt ille brutum, ita hic humanum ſequitur iudicium: & rurſus ſæpe auerſamur appetitu animali, quæ eſſent reuera expetenda.

Proinde diſcernẽda ſunt obiecta ſenſuum. *Quædam grata ſũt, vt voluptates corporales.*

Eſt proinde diſcernendum inter obiecta ſenſuum. Nam alia ſunt, in quæ fertur animalis appetitus, alia quæ idem aſpernatur & fugit. Appetimus autem ſenſu animali, quæ grata, iucunda & voluptuaria videntur, quæ vno nomine generali, voluptates dicuntur corporales. Nam ſunt etiam animi voluptates, de quibus alio dicetur loco.

Voluptatum corporalium tres differentiæ.

Corporalium voluptatum tres differentiæ ſunt: Nam aliæ ſunt naturales & neceſſariæ ſimul: aliæ ſunt naturales & non neceſſariæ: aliæ nec naturales, nec neceſſariæ. Qui in hæc triplicia voluptatum genera ſine diſcrimine & ſimili impetu abripitur, porcus eſt potiùs quàm homo cenſendus. Quare qui rationem ducem ſequi mauult, quàm ὁρμῇ abſque ratione, hoc teneat ac ſeruet diſcrimen.

Naturalis & neceſſaria.

Voluptas corporis naturalis & neceſſaria, cibi & potus eſt, ac veſtimentorum. Hæc naturalis dicitur, quia natura expetitur. Neceſſaria, quia ſine ea naturæ incolumitas conſeruari nequit. Verùm hæc cautio adhibenda eſt, vt ijs contenti ſimus, quæ naturæ ſufficiunt, ad ipſius conſeruationem, & functionum naturalium exequutionem.

Naturalis & nõ neceſſaria.

Voluptas corporis naturalis & non neceſſaria, rerum venerearum eſt. Hæc tametſi pertinet ad totius generis cõſeruationem, atque ideò naturalis exiſtit: tamen non eſt neceſſaria, quia ſapiens ea carere poteſt, imò omnino illicita iudicanda eſt, niſi ratione & lege gubernetur. Nam ſi ratione gubernatur, naturali & diuino iure probatur: ſin contra rationem fertur, naturam fœdat & contaminat.

Nec naturalis, nec neceſſaria.

Voluptas corporis nec naturalis nec neceſſaria, eſt ebrietatis, libidinis, comeſſationum, repletionum neceſſitatem excedentiũ. Hæc non eſt naturalis, quia naturam corrumpit: non neceſſaria, quia ea carere poſſumus. Hæc adeo à lege naturali abhorret, vt etiã beſtiæ multæ eam auerſentur ac fugiant. Hanc igitur qui ſequuntur, indigniſsimè faciunt. Nam ſeipſos infra beſtias miſerrimè deijciunt.

Epicuriſmi refutatio.

Execrandus eſt itaque Epicurus, qui in hoc voluptatis genere ſummũ hominis bonum, atq; adeò finem bonorũ poſuit: contra huius peruerſiſsimũ dogma, pugnat naturę humanę dignitas: pugnat facultatum animorum in hominibus eminẽtia: pugnat voluptatis, quam captat Epicurus, ſubiectũ, obiectum, vilitas, cõmunitas, vis & euentus: pugnat appetitus rationis, & rectum in omnibus ſanis hominibus iudicium: pugnat conſciẽtia: pugnãt omniũ verè ſapientum ſuffragia: pugnant preſtantiſsimorũ virorum & excellentiũ fœminarum exẽpla laudabilia: vt interim taceam de doctrina cœleſti. Hę rationes ſua claritate facile diſpellũt fœtidos fumos, quos voluptatis Epicureę miſera & inſana mancipia eructãt. Quare porcis, qui ſunt de grege Epicuri, eos relinquamus.

Quædam obiecta ſunt moleſta: & varij generis *1. Naturæ inimica.*

Hactenus de obiectis ſenſuũ iucundis, quæ vel expetere vel nõ expetere, licet. Iam alia obiecta reſtãt, quæ ſenſibus ſunt aſpera & moleſta, & hæc non ſunt vnius generis. Nam quædam naturæ inimica ſunt, & properantes ad ſcientiã & virtutis decus impediunt: vt ſunt, morbus, carcer, exilium, paupertas & huiuſmodi alia: Hæc ſi vitari nequeunt, conandum eſt, vt in ijs vel ſcintillula virtutis luceat. quædam ſunt ſine quibus ad Palladis & virtutis arcem, hoc eſt, ad veri ſcientiam & virtutis iuſtam actionem nemini patet aditus, vt ſunt ſtudia, labores, ſumma diligentia & cura in obeundo cõmiſſo munere. Hęc tametſi aſpera ſunt: tamen non ſunt fugienda, de quibus pulchrè Heſiodus, cùm inquit: τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν ἀθάνατοι, hoc eſt, *Virtutem poſuere Dij ſudore parandã*. Et illud Epicharmi apud Xenophontẽ: τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν τ' ἀγαθὰ πάντα οἱ θεοί. *Laborib. nobis vendunt omnia bona Dij.* Lucanus quoq; venuſtè ait:

2. Aſpera & ſummo labore perficienda.

—Serpens, ſitis, ardor, arena,
Dulcia virtuti, gaudet patientia duris.

Obiecti aſperi & iucundi illuſtre paradigma, ex Xenophõte petitum. *Victus.*

Hoc etiam pulcherrimè oſtenditur in Cebetis tabula: Idem quoque Xenophon ex Prodici commentarijs propoſito paradigmate teſtatur. Narrat enim Herculem, cùm iam pubeſceret, tacitè apud ſe cogitaſſe, quámnam viuendi viam & rationem ſequeretur, voluptatémne ſectaretur an virtutem. Videbat enim voluptatis viam facilem admodum & valde tritam: contra virtutis aſperam & difficilem. Hæc cogitanti Herculi, apparent duæ magnæ mulieres: quarum quidẽ vna eleganti & honeſta facie fuit & liberali ingenio, quam natura ipſa ornauerat. Erat enim corpore munda, oculis verecunda, geſtu modeſta, veſtitu candida. Altera verò carnoſa & mollis apparebat, præterea accuratè comta & ornata, cutem quidem fuco nitidam habuit, vt candidior & rubicundior, quàm reuera eſſet, videretur, ſtatum corporis compoſuit, vt erectior appareret, quàm natura ferret, oculis erat vagabundis & patentibus, veſtis illi erat talis, vt ex ea venuſtas quędam reluceret, ſeipſam ſubinde reſpexit, & attendit etiam, num quiſnam alius ſe contemplaretur, ſæpenumerò præterea ad propriam vmbram reſpexit.

Voluptas.

Hæ duæ mulieres cùm propiùs Herculem acceſſiſſent, prior quidem illa eodem, quo cœperat, modo pergit. Altera verò præuenire cupiens, accurrit ad Herculem, quem hac oratione affatur.

Voluptatis ad Herculẽ oratio.

Video te, ô Hercules, dubitare ad quam viuendi viam te conuertas: ſi itaque me diligas, ad dulciſsimam facillimámque te ducam viam: vt illis quidem quę delectant abundes, duris verò & moleſtis in vita careas. Nam primùm quidem neq; bellorum neque negotiorum curã habebis vllam: ſed illud potiùs ſpectabis, vt cibum tibi gratum ac potum inuenias: vt quod viſu, odoratu, tactu, delectabile ſit percipias:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quibus cupiditatibus vſus, quàm maximè oblecteris quóque pacto quàm molliſsimè dormias, atque adeo qua ratione hæc omnia obtinere poſsis abſque labore & moleſtia. quòd ſi quando deficere, illa quibus hæc acquiruntur, ſuſpicio oboriatur, non erit timendum, ne te ducam ad iſta corporis animíque labore & ærumnis paranda. Sed illis tu potiùs vteris, quæ aliorum laboribus ſunt parta, à nullo abſtinens, vnde lucrum aliquod ſperari poſsit. Vndecunque etenim captare commoda meis familiaribus permitto.

Hæc cùm audiſſet Hercules, ô mulier, inquit, quòd eſt tibi nomen? At illa, mei quidem amici, ait, fœlicitatem me appellant: at hoſtes, inuidioſo nomine, me κακίαν nominant.

Virtutis ad Herculem oratio.

Interea dum hæc dicerentur, altera mulier accedens, & ego, ait, ad te venio, ô Hercules, noui tuos progenitores, ac indolē in puerili inſtructione animaduerti: vnde ſpero, te, modò ad eam quæ ad me ducit viam, conuertaris, bonorum & honeſtorum operum fore ſectatorem & cultorē, & me multò honorabiliorem, & bonorum expetēdorum gratia videri illuſtriorem confido. Non fallam te voluptatis præmio, ſed qualem rebus Dij contulêre naturam, tibi verè narrabo. Nihil enim eorū, quæ bona atque honeſta ſunt, Dij dant hominibus ſine labore & cura. Verùm ſi Deos tibi propitios eſſe velis, colendi ſunt vtiq; Dij. ſi ab amicis diligi optes, amicis eſt benefaciendum. Si à quapiā ciuitate honorari deſideres, ciuitati aliqua vtilitas adferēda eſt. Si à tota Græcia ob virtutē in admiratione eſſe velis, conaberis toti Græciæ benefacere. Si vt tibi terra fructus producat expectas, terra tibi colenda eſt. Si iumentis diuitias acquirere animus tibi ſit, iumentorum tibi cura eſt habenda. Si rebus in bello geſtis, clarus haberi cupias, amicos quidē à ſeruitute liberando, inimicos verò in ſeruitutem redigēdo, bellicæ artes diſcendæ ſunt ab illis q ii ſciunt, & exerceri in eis oportet, vt illis vti rectè ſcias. Si velis corporis valere robore, corpus aſſueſieri oportet, vt animi conſilio pareat, vtque laboribus & ſudoribus exerceatur.

Voluptatis inſtantia.

Hìc κακία interpellās, intelligis, ô Hercules, inquit, quàm aſperam & longam viam ad voluptates & delitias, hæc mulier narret, & quàm facili ac breui via ego ad fœlicitatem te ducam.

Virtutis reſponſio.

Ad hæc Virtus reſpondens, ô miſera, inquit, quid boni tu habes, aut quid tibi ſuaue videri poteſt, quæ nihil horum gratia vis agere: nec ſuauium deſideriū expectas, ſed antequam te capit vllum deſiderium, omnibus iſtis plena es, vt quæ ante famem comedis, ante ſitim bibis? vt autem cū voluptate comedas, exquiſitos paras tibi coquos: vt cum voluptate bibas, vina variáq; & precioſa quæris, ac in æſtate circumiens hinc & illinc niuem quæritas: vt cum voluptate dormias, non ſolùm ſtratum molle ſubſternis, ſed etiā lectos & lecti ſubſellia paras: non enim labore defatigata, ſed nihil quod agas habens, ſomnum expetis: vt Venerem, antequam opus eſt, exerceas, omnia excogitas, nec à viris, nec à fœminis abſtinens. Sic enim tuos amicos inſtituis, vt nocte quidem omni turpitudini ſe dedant, diei verò vtiliſsimam partem ſtertendo abſumant. Etſi autem immortalis es, à Dijs tamen es abiecta, & à bonis hominibus contemneris. Quod omnium auditu iucundiſsimum eſt, tuam nunquam audiſti laudem: nec quod omnium iucundiſsimum eſt ſpectaculum, præclara tua facta vidiſti. Quis igitur tibi dicenti crediderit? Quis tibi indigenti opem tulerit? aut quis ſuæ compos mentis ſuſtinuerit in tuo numerari ſodalitio? Nam qui ſunt in tuo ſodalitio, iuuenes quidem, debili ſunt corpore, ſenes verò ſtulto ſunt animo & mente capti. Nam poſtquam adoleſcentiam in otio & delicijs tranſegerunt, ſenectutem multis laboribus & infirmitatibus confractam viuunt: ques vt pudet anteactæ vitæ, ita præſentibus onuſti malis grauantur: In iuuentute voluptatem ſectantur, ſed in ſenectute moleſtiam ſibi reponunt. At ego familiarem conſuetudinem habeo, & cum Dijs, & cum hominibus bonis: opus præclarum & honeſtum, neque à Dijs, neque ab hominibus fieri poteſt ſine me: in maximo ſum honore cùm apud Deos, tùm apud homines, quibus conuenit. Nam deſiderata quidem cooperatrix artificibus ſum: fida domorum dominis cuſtos: beneuola miniſtris ſocia: adiutrix bona in laboribus pacis tempore, in bello firma auxiliatrix, optima amicitiæ conciliatrix. Ad hæc, meis neceſſarijs ſuauis, promtus cibi potúſque vſus eſt. Expectāt enim quouſque illa deſiderant. Somnus ſuauior illis, quàm otioſis contingit, qui ſomno ſi deſtituuntur, interdum haud moleſtè ferūt, neque propter ipſum, quæ facere oportet, negligunt. Iuniores gaudent, dum laudantur ſenes. Seniores lætantur, cùm honorari vident iuniores. Vt cum ſumma voluptate, res geſtas priſcorum recolunt: Ita dum ipſi aliquid præclarè agunt, non parum oblectātur, propter me Dijs chari, deſiderati amicis, honorabiles patriæ ſunt. Cæterùm poſtquam fatalis finis aduenerit, non obliuioni traditi ſine honoribus iacent: ſed memoria hominum celebrati, æternum florent. In hunc modum, ô Hercules, inquit, ex bonis parentibus nate, qui ſe laborando exercet, beatiſsimam fœlicitatem conſequi poterit.

Vſus dialogi Xenophontei.

Hunc pulcherrimum dialogum adſcripſi, vt ſtudioſi admoniti, collatis vtrinque argumentis, ſe componant ad virtutis viam: ad quam, vt nemo peruenit vnquàm ſine laboribus, ita voluptas corporis, quæ in virtutum choro eſt veluti meretrix in matronarum cœtu, ab eadem reuocat. Non ergo ſenſu brutorum præcipites ruere nos decet in ea, quæ primo aſpectu dulcia & iucunda videntur. Nam cùm cognitio ſenſitiua, quæ eſt opus animæ ſentientis, tantùm retinet nos in ijs quæ ſenſibus arrident, nos contra cogitare debemus, quo animæ gradu à beſtijs diſtamus. non enim ſolùm cum ſtirpibus creſcimus & vegetamur, & cum brutis animantibus ſentimus, verùm etiam cum angelis mente græditi ſumus. Quare quò mens nos vocet ſpectandum eſt.

Intellectiua cognitio rationis appetitu comitata. Intellectus, Voluntas.

Hæc de cognitione ſenſitiua & appetitione illi ex aduerſo reſpondente: iam de cognitione intellectiua, & de appetitu rationis, qui illam naturaliter comitatur, pauca adijciam. Sunt enim hæc duo principia actionum virtutis: quorum alterum intellectus dicitur, & eſt principium dirigens: Alterum voluntas vocatur, & eſt principium imperans, prius ad iudicium rerum, poſterius ad finem bonorum pertinet: quæ duo maxima ſunt, vt Cicero ait, in Philoſophia bona.

Diſcrimē inter ſenſitiuā & intellectiuam cognitionem.

Primùm itaque tenendæ ſunt differentiæ, ne hæc duo genera cognitionis confundamus. Cognitio ſen tiua opus eſt animæ ſentientis tantùm. Cognitio intellectiua opus eſt intellectus. Cognitio ſenſitiua eſt & in brutis & in hominibus. intellectiua tantùm in homine. illa ſemper ab obiecto externo & ſenſu: hæc interdum & non ſemper ab illis initium ſumit. Illius eſt finis rei expetitæ vſus huius ſcientia & prudentia eorum, quæ natura expetimus.

Graduum cognitionis ſenſitiuæ diſtinctio ex Cicerone petita.

Priuſquam autem gradus ſubtiliùs diſtinguam, verba Ciceronis, principis Philoſophorum apud Latinos, aſſcribam. *Mens, inquit, ipſa, quæ ſenſuum fons, atque etiam ipſe ſenſus naturalem vim habet, quam intendit ad ea quibus mouetur, atq; alia viſa ſic arripit, vt his ſtatim vtatur: alia ſic recōdit, è quibus memoria oritur.*

Cætera

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Cætera autem ſimilitudinibus conſtruit:ex quibus efficiuntur noticiæ rerum,quas Græci tùm ἐννοίας *tùm* προλήψεις *vocant. Eò cùm acceſſit ratio, argumentíque concluſio,rerúmque innumerabilium multitudo, tùm & perceptio eorum omnino apparet, & eadem hæc ratio pe fecta his gradibus ad ſapientiam peruenit. Ad rerum igitur ſcientiam vitæq́ conſtantiam, aptiſsima cùm ſit mens hominis,amplectitur maximè cognitionem, & ipſam* κατάληψιν, *quam,vt dixi,verbum è verbo exprimentes,comprehenſionē dicemus, cùm ipſam per ſe amat,nihil eſt enim veritatis luce dulcius,tùm etiam propter vſum. Quocircà etiam ſenſibus vtitur, & artes efficit,quaſi ſenſus alteros,& eò Philoſophiam corroborat,vt virtutem efficiat, ex qua re vna vita omnis apta ſit.* Hæc Cicero.

Vide quàm pulchrè & eruditè hîc Cicero, quibus gradibus perueniatur ad virtutem, oſtendat, qua parta, mens noſtra non vltrà progreditur. Vt autē hæc à ſtudioſis diſtinctiùs intelligi poſſint,gradibus certis ea diſtinguam.

Primus Gradus, Notio rerum ſimplicium, ſeu ſimplex apprehenſio. 2. Compoſitio. 3. Aeſtimatio. 4. Ratiocinatio. ſeu argumētatio: vnde ſciētia & opinio.

Primus ergo gradus eſt notio rerum ſimplicium, quas vt intelligentia patibilis recipit,ita agēs tractat & apprehendit:ac primùm quidem ſingulares, mox vniuerſales inde formas elicit. Facultas illa, qua hæc efficiuntur,ſimplex apprehenſio dicitur,hanc comitatur compoſitio, qua notiones multæ & variæ cōponuntur in vnum: quarum aliæ affirmantur, aliæ negantur, hanc comitatur ὑπόληψις,hoc eſt,æſtimatio,quæ planum iudiciū promit de notionibus propoſitis,connectens coniungenda & ſeparans pugnātia,atque ideo diuiſio à Phyſicis appellatur.Huc accedit poſtea ratiocinatio, quæ ex iudicatis notionibus alia atque alia colligit, ſed diuerſimodè. Nam ſi ex euidentibus fit collectio, demonſtratio dicitur. Si verò ex probabilibus tantùm,concluſio texitur probabilis. Proinde ratiocinationis huius effectus aliâs eſt ſcientia, aliâs opinio. Sed hæc accommodemus ad noſtrum propoſitum.

Huius notionis & aliorum graduum deſcriptio munus & ordo.

1. Notio itaque, quam primo loco poſui,eſt actus mentis, & animi, quo contemplamur virtutum decus,hac à ſimulacris virtutum elicita, vniuerſalis fit norma honeſtatis,atque hæc notio virtutis, ſimplex dicitur apprehenſio.

2. Compoſitio notionum accedit eadem mentis facultate,in hac compoſitione eſt veritas & falſitas: vt notio ſimplex eſt honeſti,iuſti,expetendi, turpis, iniuſti, fugiendi &c. Sed compoſitio hæc nectens, enunciationes facit.Honeſtum eſt expetendum:turpe eſt fugiendum:iuſtum eſt honeſtum: quod turpe inhoneſtum eſt:iuſtum eſt in virtute,iniuſtum in vitio ponendum.

3. Accedit æſtimatio compoſitionis, qua mens de compoſitis planum profert iudicium, hoc vt verum affirmans,illud verò falſum pronuncians,iuſtum expetendum dictitans,iniuſtum fugiendum, hoc aiens bonum eſſe,illud inficians eſſe malum:vt iuſticia eſt bona, quod ſecundùm rectam rationem fit, non eſt malum.

4. Verùm,ſi quæ mens ita compoſuit & iudicauit ſunt euidentia,adeo vt ipſorum contraria appareant manifeſtè falſa, fiunt axiomata demonſtrationum, quò cùm acceſſerit quarto loco argumentatio, plurima colliguntur.

Argumentationis via duplex.

Eſt autem argumentationis via duplex. *Vna* enim quæ ex pluribus hypotheſibus vniuerſale theorema colligit,& vocatur Inductio. *Altera* quæ ex vniuerſali pronunciato,plures extruit hypotheſes, & vocatur Syllogiſmus.

Exemplū.

Exempli cauſa: Iuſticia expetenda eſt,ſimiliter prudentia,fortitudo,temperantia. Igitur omnis virtus eſt expetenda.Ex hac rurſus:Si omnis virtus eſt expetenda,certè amicitia,gratitudo,veritas,manſuetudo,& reliquæ particulares virtutes omnes ſunt expetendæ. Hic ratiocinationis effectus dicitur ſcientia,quam naturaliter ſequitur vel expetitio,vel contemtio. Nam,ſi honeſtum vel vtile vel iucundum fuerit quod concluditur, mox homo naturali fertur impetu,vt eo potiatur,ſin contrà,turpe, inutile, iniucūdum ratione deprehenſum fuerit, vt mens illud non amplectendum iudicat,ita ab eodem abhorret voluntas.Mirandum proinde opificiū Dei eſt,qui ita hominem condiderit, vt in eo ſint facultates,& γνωστικαὶ & ὀρεκτικαὶ,hoc eſt,quibus res cognoſcantur & appetantur: quas intueri & admirari decet,vt ſimus grati opifici, qui adeò admirandis dotibus hunc μικρόκοσμον,id eſt,hominem,ornauit.

Scientiā, quam expetitio vel contēptio ſequitur.

Vtriuſque cognitionis opifices.

Quia autem harum facultatum obſeruatio diligens, aperit nobis principiorum noticiam, de illis nonnulla adiiciam. In hunc itaque modum de his veteres ſcripſere Philoſophi: Ammonius poſt Ariſtotelem quinque cognitionis opifices facit,qui ſunt νοῦς mens,διάνοια,diſcurſus,δόξα opinio,φαντασία imaginatio,& αἴσθησις ſenſus:hi quinque opifices & rerum inuentioni,& perceptioni ſeruiunt.

Gradus cognitionis intellectiuæ. Senſus. mens. Progreſſio a ſenſu ſurſū quid efficiat.

Quoniam autem de cognitione ſenſitiua ſuperiùs ſatis dictum eſt,hîc tātùm agemus de cognitione intellectiua,cuius progreſsio eſt duplex. A ſenſu,infimo cognitionis opifice,vna:à mente,ſupremo cognitionis opifice,altera. Cùm à ſenſu fit progreſsio ſurſum,colligitur vniuerſale theorema,ſeu axioma: idque διανοίας beneficio per Inductionem Axioma ita extructum,poſtea vt principium ſumitur ad probandas hypotheſes, quæ in eo virtute continentur. Hinc generatur nunc ſcientia,nunc opinio. Hæc dū ratiocinatione concepta ſunt, mente retinentur, ex quo facilè intelligitur, quòd ſola διάνοια ratiocinetur, & ſola mens quæ concluſa fuerint, conſeruet & retineat, vt inde rurſus promantur vbi res poſtulauerit.

Effectus progreſſionis à mente.

Cùm à mēte ſupremo cognitionis opifice fit progreſsio,colliguntur hypotheſes,de quibus quæritur, idque per Syllogiſmum, vnde etiam nunc ſcientia, nunc opinio generatur.Scientia quidem, vbi λήμματα(propoſitio & aſſumtio)ſunt neceſſaria: opinio verò,quando ſunt tantùm probabilia.Hæc exemplis declaranda ſunt.

Exempla.

Animaduerſum eſt, ſingularum rerum peculiares quaſdam actiones eſſe,quę diuerſæ naturæ rebus minimè conueniunt. Vt hunc hominem eſſe capacem diſciplinæ,& diſcernendi honeſta & turpia,facultate præditum,hoc ipſum poſtea quæſitum eſt ſigillatim in multis, & quia non occurrit vnquam in ſanis hominibus cōtrarium exemplum,hoc axioma ſeu theorema cōcluſerunt: Omnem hominē capacem eſſe diſciplinæ,& diſcernendi honeſta & turpia facultate præditum.Hæc progreſſio incipit à ſenſu, & per inductionem colligit vniuerſale pronunciatum: quod mens arripiens, tanquam fidelis cuſtos, recondit & ſeruat:vt eo ſi quando opus fuerit vtatur. hac via vſi ſunt primi Philoſophi in omnibus artibus. Nam ea quæ nos per diſciplinam accepimus, illi inuentione propria perceperunt: duæ enim ſunt viæ, quibus in rerum cognitionem perducimur: μάθησις καὶ εὕρησις. Porrò, ſi hoc axioma tanquàm firmum principium arripis & ita colligis:Omnis homo eſt capax diſciplinæ,& eligendi facultate præditus.Igitur Galli,Germani, Dani, Hiſpani &c.capaces ſunt diſciplinæ & eligendi facultate pollent, Progreſſio eſt à mente, & concludit quæ ſunt propiora ſenſibus.

Ex ſupra poſitis cōſtat duplicem eſſe cognitionem intellectiuā

Atque ita apparet duplicem eſſe cognitionem intellectiuam,quarum vna à ſenſibus incipit & deſinit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

in mentem. Altera contrà à mente ſumit exordium, & finit vel in ſenſibus, vel in ijs, quæ ſunt ſenſibus proxima.

Platonis & Ariſtotelis ſententiæ de cognitione conciliantur.

Ab hac Peripateticorum doctrina, non abhorrent quæ prius tradidit Plato, & poſtea Platonici, quorum ſentẽtiæ ſummam huc adſcribam: nam, non ſolùm Ariſtotelis ſententiam illuſtrat, verùm etiam haud dubiè grata futura eſt bonis ingenijs, & amantibus naturæ vim. Hæc enim nos deducit rectà in opificis admirationem.

Quatuor cognitionis facultates, apud Platonicos.

Faciunt itaque Platonici quatuor cognitionis facultates, quas homines ſani perpetuò ſecum circumferunt: harum prima eſt (ſi ab infima numerare placet) αἴσθησις, huic proxima eſt δόξα, hanc excedit διάνοια, ſuprema omnium eſt νόησις, ſeu νοῦς, hunc Plotinus regis, αἴσθησιν ſerui vices obtinere dicit.

Timæus Platonicus harum facultatum duas συζυγίας facit. In priori copulat νόησιν καὶ λόγον ſeu διάνοιαν: ſed τῇ νοήσει principem tribuit locum, cui adiungit λόγον ὥσπερ ἐλάττονα τινα, νοῦν, vt Procli verbis vtar. In poſteriori collocat τὴν δόξαν, καὶ τὴν αἴσθησιν. hîc priorem quidem locum occupat δόξα, tanquam rationalis ſenſus, poſteriorem verò αἴσθησις ἄλογος. In priori iugo ratio cum mente τὰ νοητὰ cernit, at ratio per ſe medias contemplatur rationes: in poſteriori iugo δόξα cum ſenſu videt τὰ γεννητὰ, per ſe verò quæ ſunt in ea ſpecies omnes conſiderat, αἴσθησις particularis, & ἄλογος τὰ αἰσθητὰ, hoc eſt, ſenſilia percipit. iſta autem ſenſilia dicuntur, πάθη, propterea quòd τὰ αἰσθητήρια afficiant. Quare vt νοῦς quidem dicitur ὁλικῶς, λόγος verò καθολικῶς, φαντασία μορφωτικῶς: ita αἴσθησις dicitur παθητικῶς, ſenſibus ſubiecta percipere. Solus autem Deus dicitur ἑνοειδῶς res cernere, vt qui ſimplici intuitu res intueatur omnes, cùm præſentes tùm abſentes, præteritas & futuras. Sed de ſingulis ſigillatim dicamus.

De ſingulis facultatibus ſigillatim agit.

1. De ſenſu.

Senſus ſenſorio ſuo τὰ πάθη rerum percipit: quod fit ſanè hoc modo: prolato in mediũ pomo, viſu percipies, quòd rubrum ſit aut flauum, ídque ex ea affectione (id enim πάθος ſignificat) quæ in αἰσθητήριον viſus, quod eſt oculus, incurrit. Olfactu percipies, quòd bene vel malè redoleat, ídque ſimiliter ex affectione quæ in nares incurrit: guſtu pręterea dulcedinem: tactu planitiem capies. Quæ autem ad iſtum modum ſingulis percipiuntur ſenſibus, αἰσθητὰ dicũtur, & ſunt ſubiectorum quædam accidẽtia. eadem reſpectu ſenſoriorũ, quæ illis afficiuntur, πάθη dicuntur. Sed quænam ea facultas eſt, quod in medium allatũ eſt, pronunciat eſſe pomum? an oculus? nequaquã. hic enim tantùm colorem percipit. an auditus? an guſtus? an olfactus? nullus ſanè horum, nam quilibet in ſuo obiecto occupatur. An omnes ſenſus ſimul? nullo modo. Non enim pertingunt ad rei ſubſtãtiam, ſed tantùm hærent in communibus quibuſdam accidentibus. An fortè ſenſus communis? nequaquam. Senſus enim communis tãtùm actiones particularium ſenſuum diſcernit. Efficitur ergo hinc, quòd ſenſus nec οὐσίαν nec αἰτίαν, hoc eſt, nec τὸ ὅτι, nec τὸ διότι rerũ percipiat. Habemus quouſque progredi poſsit ſenſus in rerũ cognitione, & vbi ſubſiſtat ſuo officio functus.

2. De opinione.

Δόξα, opinio ſeu τὸ δοξαστικὸν, hoc eſt, facultas æſtimandi res, rationibus ſumtis ex ijs quæ in ſenſus incurrunt, τὰς τῶν αἰσθητῶν οὐσίας, hoc eſt, τὸ ὅτι rerum percipit. Hæc ergo primùm pronunciat, quod in mediũ eſt prolatum, quod τὸ δοξαστὸν à Platonicis dicitur, atque ita πᾶν τὸ γεννητὸν opinione & ſenſu eſt perceptibile, quorum hic τὰ πάθη tãtùm percipit, illa τὰς οὐσίας ſpeculatur. neque hæc facultas vlteriùs aſcendit, nam ad cauſas rerum non pertingit.

3. De diſcurſu, ſeu iudicio.

Διάνοια vlteriùs aſcendit, nam & οὐσίας & cauſas ſcrutatur, hoc eſt, non ſolùm τὸ ὅτι, verùm etiam τὸ διότι conſiderat, & τὰς τῶν ὄντων ἐννοίας excipit, vnde poſtea mirabilem hypotheſeon copiam extruit. atque ideò Platonici dicunt λόγον coniunctum τῷ νῷ μεταβατικῶς res rerúmque naturas rimari. hic ſurſum ſpectat, deorſum deſpicit: ad latera reſpicit, atque ita mirabilem rationum vim colligit, vt veritatem deprehendat. rectè igitur definitur, ἡ διάνοια αὐτῆς πρὸς ἑαυτὴν ψυχῆς διάλογος ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος.

4 Intelligẽtia, ſeu ratio.

Νόησις ſuprema in homine cognitionis eſt effectrix, quæ ἀμεταβάτως rerum notiones apud ſe tenet, ſed ὁλικῶς, vt ſupra dictum eſt. Nam, quia νοῦς τὸ ἑαυτοῦ νοητὸν habet, propterea dicitur totum complecti, hoc eſt, ὁλικῶς res & rerum ἐννοίας percipere.

De λόγῳ ſeu oratione, rationis ſeu intelligẽtiæ riuulo.

His facultatibus quibus Deus ornauit humanam naturam accedit oratio, quæ & ipſa λόγος græcè dicitur, propterea quòd rationis quaſi riuulus quidam eſt, atque ideo Platonici orationem definiunt: τὸ τῆς διανοίας ῥεῦμα διὰ τοῦ στόματος ἰὸν μετὰ φθόγγου ἢ φωνῆς: ab alio quodam dicitur τοῦ νοήματος ἄγγελος.

Circa voces tria ſpectantur.

1. Nomina.

2. Rerum ſimilitudines.

Porrò circa voces ſeu ſonos tria ſpectantur. *Primum* nomina, quæ ſunt τῶν νοημάτων principaliter, minùs autẽ principaliter etiam rerum ſubiectarũ ſymbola. *Deinde* ſpectantur in vocibus τὰ νοήματα, quæ ſunt rerum ſubiectarum ſimilitudines quædã, & effigies, ſeu vt Græci loquuntur, ὁμοιώματα καὶ ἐκτυπώματα, ex quo fit, quòd apud omnes τὰ νοήματα ſint eadẽ. Eadem eſt enim omnibus à ſubiectis rebus impreſſa figuratio, at nomina rerum non eadẽ, quia Dialecti in alijs nationibus aliæ ſunt. *Tertiò* ſpectantur in vocibus res ſubiectæ, hoc eſt, τὰ ὑποκείμενα πράγματα, ex quibus in nobis τὰ νοήματα informantur, ídque per abſtractionem & comparationem, quemadmodum doctiſsimus *Daniel Barbarus* eleganter docet. Huc ergo Grammaticorum & Dialecticorum ſtudia & contemplationes referre oportet.

3. Res ſubiectæ.

Reuchlini ſcala, ſententiis veterum philoſophorum addita.

Dixi hactenus ex Ariſtotelis, Ammonij, Platonis, Procli & aliorum Platonicorum ſententia, quínam ſunt & quales opifices cognitionis, per quos natura tam admirabilia edit opera: nunc pauca quæ eodem pertinebunt ex Reuchlini ſcala adducam, ſpero enim & illa non ingrata futura Philoſophiæ & pietatis ſtudioſis.

Decem gradus cognitionis.

Reuchlinus præceptor Melãchthonis, ſcalæ cognitionis decem gradus facit, per hos dicit homines, ad cognitionem omnium, quæ ſunt ferè, aut ſenſu, aut ſcientia, aut fide, ab imo ad ſummum aſcẽdere poſſe.

Nomina.

Gradus autem hi ſunt: obiectum, diaphanon, ſenſus exterior, ſenſus interior, phantaſia, iudiciũ inferius, iudiciũ ſuperius, ratio, intellectus, & mens ipſa, à cuius lumine recepto inferiores virtutes dirigantur & gubernentur.

Diſtinctio.

Deinde in aſcenſu horum graduum tres ordinantur regiones, infima, media, & ſuprema. Et in ſingulis regionibus vnus abſtractionis eſt ſtatus.

Prima regione continetur Obiectũ. Diaphanon. Senſus.

In prima ergo regione ſunt hi tres gradus: obiectum, diaphanon, ſenſus: atque hic primus abſtractionis ſtatus eſt. Verbi gratia, Luculentiſsimum procul ignem exardeſcere video, intenditur forma eius per illuſtre medium vſque ad oculum corporeum: hîc primò ſtatur, vbi obiectum diaphanum & ſenſus inueniuntur.

Secunda ſenſus interior. Phãtaſia. Iudiciũ.

In ſecunda regione ſunt hi tres gradus: ſenſus interior, phantaſia, iudicium: & ſecundò ſtatur: ſenſus interior accipit à ſenſu viſu formam ignis oblati, ſequitur imaginatio, & iudicium inferius: quo non ſecus atque bruta de igne iudicamus.

Tertia iudicium humanũ. Ratio. Intellectus.

In tertia regione eſt iudicium humanum, ratio & intellectus, & tertiò ſtatur: iudicio humano οὐσίαν ignis percipimus, ratione cauſas perueſtigamus,

&

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Mens.

& intellectu complectimur iſta omnia. Horum omnium domina mens recepto lumine ſuperiori, hominis intellectum illuſtrat & perficit. Nam quod oculus eſt in corpore, id mens eſt in anima.

Tres præcipui gradus ſcalæ.

Nomina horum trium ſtatuum ſunt, ſenſus, iudicium, intellectus. In primo ceſſat corpus & incipit anima, vnde nominatur animal. In ſecundo ceſſat animal & incipit ratio, vnde nominatur homo. In tertio ceſſat intellectiua potentia, & incipit mens, quæ ſola de foris aduenit, atque ideo diuina cognominatur, & veluti quidam Deus eſt.

Hæc pulchrè & verè dicuntur, & mirum in modum nobis opificis ſapientiam commendant.

Abſoluto tractatu de rerum cognitione: nunc de docilitate agit, cuius partes ſunt.

Cæterùm quia dictum eſt, quibus naturæ dotibus prędit homo, ad cognitionē rerũ quaſi manu ducatur, iam quędã adiiciemus de partibus τῆς εὐμαθείας, hoc eſt, docilitatis. Sunt itaque tres docilitatis partes, acumen, memoria, ſolertia.

1. Acumē.

Acumen, ὀξύτης, eſt intelligentiæ celeritas, ad ea, quæ vel tradũtur nobis ab aliis, vel quæ legimus ipſi, percipienda. Hoc acumen in aliis maius, in aliis minus eſt, in quibus autem nullum eſt, prorſus ſunt ad diſcendũ inepti, trũci potiùs, quàm homines cẽſendi.

2. Memoria.

Memoria, quæ dicitur à Platonicis τῆς αἰσθήσεως σωτηρία, eſt conſeruatrix & cuſtos fidelis eorum, quæ percepiſti, vel à magiſtro, vel ex lectione. Qui hac deſtituitur, etiamſi acumine valeat, operam ludit; hinc eſt quòd μνημοσύνη dea dicitur, & Muſarum mater appellatur apud Platonem.

3. Solertia.

Solertia, ἀγχίνοια, eſt facultas quædam ex iis quæ didicimus & percepimus, ea quæ nec didicimus nec percepimus, celeriter inueſtigandi: iis qui hac valent, modò cætera non defuerint, ad arcem Palladis, & eruditionis culmen facilis eſt aditus. Hæ tres docilitatis partes vt ignauia & otio torpeſcunt: ita diligentia & labore excitantur & creſcunt.

De appetitu cognitionis intellectiuæ, ſeu de volũtate. Eius conſideratio.

Hactenus de cognitione intellectiua, iam de appetitu qui cognitionem intellectiuam comitatur, nonnihil adiiciam.

Hic appetitus rationis eſt, & vocatur voluntas. Nam non ſine deliberatione, vt appetitus animalis, impellitur ad agendum, ſed deliberatione eligit hoc vel illud. Habet proinde voluntas eligendi vim & conſilij facultatem, quæ facultas Græcis ideo dicitur προαίρεσις, quia pluribus propoſitis, rationis iudicio adhibito, alia præ aliis eligit: quam electionem ſequitur conatus, vt re electa vti poſsimus.

Diſtinctiones, ſeu gradus ſeptē.

Alij ſubtiliùs gradus numerant, per quos venitur ad rei expetitę vſum. *Primo* enim loco ponunt βούλησιν id eſt, voluntatem finis, hoc eſt, eius rei quam volumus. *Deinde* ſubiiciunt ζήτησιν καὶ σκέψιν, hoc eſt, inquiſitionem & conſiderationem. *Tertio* loco, ſi id quod expetimus obtineri poteſt, βουλὴ, id eſt, conſiliũ, adhibetur, conſultamus enim an rem aggredi iuuet, nécne. *Quarto*, ſi id quod affectamus & amamus iudicio noſtro approbatum fuerit, γνώμη, hoc eſt, ſentẽtia accedit. Huic *quinto* loco adiungitur, προαίρεσις, hoc eſt, delectus. Hanc *ſexto* loco ὁρμὴ ſequitur, hoc eſt, proſequutio, qua ad agendum mouemur. *Poſtremo* loco eſt χρῆσις, vſus, atque ita quieſcimus, aut potiùs in vſu rei acquieſcimus.

De principiis contemplationis & actionis.

Hæc ſint dicta de cognitione intellectiua & appetitu rationis, quæ illam natura comitatur. Nunc de principiis cognitionis, & actionis dicemus. Nam ſuprà diximus, legem naturæ eſſe notitiam certã principiorum contemplationis & actionis: & quia de modo ſatis ſuprà dictum eſt, hîc tantùm de materia eſt agendum: vt inueniri poſsint axiomata & hypotheſes legis naturæ, quibus mores hominum regi oportet.

Vis contemplans ſeu τὸ θεωρητικὸν, conſiderat rerum habitudinem & affectionem. Contemplatio.

Vis actionis ſeu τὸ πρακτικὸν, definit rebus agendis rectam rationem, illa in ipſa mente reſidet, hæc in ratione: illa finem habet ſcientiam, hæc prudentiam moderatricem actionum virtutis. Actio.

Proinde principia contemplationis ſunt, ex quibus ſcientia rerum manat. Principia actionis, quæ πρακτικὰ vocantur, ſunt ex quibus ratio morum, & actionum ſecundum virtutem petitur. Earũ principia quæ.

Principia appellantur duabus de cauſis, quarum vna eſt, quòd non pendeant ex priori aliqua demonſtratione: altera, quòd omnes hypotheſes legum honeſtarum, quibus mores gubernari par eſt, ex ipſis deſumantur. Principia quid.

Principia Contemplationis incomplexa, ſunt notiones ſimplices: vt vnum, verũ, aliquid, bonum, ens, non ens, affirmatio, negatio, cauſa, effectus. Complexa principia ſunt notiones cõpoſitæ: vt eſſe aliquid, aliquid nõ eſſe, hoc eſſe, aliud eſſe. Huc axiomata plurima pertinẽt, qualia ſunt hæc: Totum quodlibet eſt maius qualibet ſua parte: nihil fit ſine cauſa: natura nihil facit fruſtrà. Incõplexa principia contēplationis. Cõplexa.

Principia actionis, hoc eſt, Practica, ſunt etiã duplicia, videlicet, ſimplices notiones & cõpoſitę. Simplices, vt bonum, honeſtũ, iuſtum, vtile, expetendũ, fugiendum, malum, turpe ſeu inhoneſtũ. Compoſitæ, vt iuſta ſunt expetenda, iniuſta ſunt fugienda, honeſta amanda, turpia vitãda, virtus eſt laudabilis, vitium eſt vituperandũ, & huiuſmodi multæ, quæ Syllogiſmorũ practicorũ prima λήμματα & materia ſũt. Incomplexa principia actionis. Complexa.

Cæterùm priuſquàm accedamus ad finẽ hominis, ad cuius conſeruationẽ referẽda eſt tota hæc doctrina, breuiter oſtendam, cur neceſſe ſit fidẽ his primis principijs adhiberi, tametſi ſuperiore aliqua demonſtratione concludi non poſſunt. De certitudine horum principiorum.

Certitudo itaque immota principiorum hoc modo cernitur. Primùm, principiorum notitia eſt lumẽ diuinitus impreſſum mentibus hominum. Vt enim omnes homines non cæci, vidẽt hunc ſolem, & dum ipſum vidẽt, neceſſariò vident. (Nõ enim opinione errant, ſed reuera ſolem aſpiciunt & cernunt) ita omnes homines ſani, naturæ lumine, quod Deus in natura hominum accendit, vident honeſtum expetendum eſſe, inhoneſtum fugiendum, quod qui negat, cum ratione inſanire cenſendus eſt, & ſtultior Anaxagora, qui niuem nigram eſſe contendit, cõtra omnium hominum vniuerſalem & conſentientem experientiam. Primum argumentum.

Deinde, principiorum certitudo oſtenditur ex cõtradicentium collatione. Omnes ſani intelligunt fieri non poſſe, vt duæ contradicentes enunciationes ſimul ſint vel veræ vel falſæ. Nam ſi vna vera eſt, altera neceſſariò falſa eſt, & contrà. Vt, contradicentes ſunt: honeſta ſunt expetenda: honeſta ſunt non expetenda, qui adeò ſtultus eſt, vt dubitet de priori enunciatione, quæ eſt, honeſta ſunt expetenda, ſumat eius contradictionem, ſcilicet, honeſta ſunt non expetẽda. Hîc nemo non, niſi prorſus inops mentis, inficiabitur vt falſam hanc poſteriorem. Vnde ſequitur ex lege contradictionis priorem veram eſſe & immotam. Nam ſi falſa eſt hæc: honeſtum nõ eſt expetendum, vera erit eius contradicẽs, quę eſt, honeſta ſunt expetenda. Secundũ argumentum.

Huc accedit effectuum contrariorum collatio. Extra omnem controuerſiam poſitum eſt, ea quæ cõſeruant naturam, naturam requirere & ea quæ naturæ inimica ſunt, eandem auerſari. Quid enim ſui deſtructionem appetit? Quid non potiùs in hoc incumbit totis viribus, vt ſe conſeruet? Proinde cùm quæ Tertium argumentum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

honeſta ſunt & iuſta, naturam conſeruant, & contraria deſtruunt: Sequitur honeſta & iuſta ſecundun naturam eſſe, inhoneſta verò & iniuſta contra naturam. Quare vt illa natura duce, ſunt expetenda: ita hæc eadem monſtrante, ſunt repudianda. Hæc triplex ratio certitudinem principiorum practicorun immotam eſſe conuincit.

De fine hominis.

Cæterùm, quia hæc omnia rectius intelliguntur, monſtrato fine hominis, ad quem omnes actiones hominis referendas eſſe manifeſtum eſt, pauca de fine hominis adijciam, & axioma ex lege naturæ proponam, ex quibus omnes aliæ hypotheſes veræ de moribus extruuntur.

Finis cuiuſque rei triplex.

Eſt autem finis cuiuſque rei triplex. *Vnus* ſpectatur ex ſtatu rei cuiuſque perfectiſsimo. *Alter* ex proprijs rei cuiuſque actionibus intelligitur. *Tertius* qui & finis bonorum exiſtit, ex ordine rerum ſumitur.

Primi finis definitio. *Exemplū.*

Verùm hæc definitionibus & exemplis illuſtranda ſunt. Primus finis, qui nō egreditur extra rem: ſed manet in re, eſt ſtatus vniuſcuiuſque rei in ſuo genere perfectiſsimus, hoc pacto: finis ignis eſt, eſſe maximè calidum & ſiccum, & aquæ eſſe maximè humidam & frigidam, hominis vt ſit mens ſana in corpore ſano. Breuiter hoc modo: finis cuiuſlibet rei eſt perfectiſsima illa abſolutiſsimáque habere, quæ illi tribuit in ſuo genere rerum natura, ſeu potiùs Deus naturę opifex, ad quæ & acquirenda & conſeruanda bona, quæ Græci συμφέροντα vocāt, Deus in natura ordinauit: vt cibus, potus & medicina, incolumitati corporis humani ſeruiant, recta ratio animę confert, vt ipſa ſit ſana in corpore ſano.

Definitio primi finis excutitur. *1. Primus Gradus. corpus animæ imperio ſubijciatur.* *Ratio apodictica.*

Porrò hæc paulò altius expēdamus. Ad vtriuſque itaque, hoc eſt, corporis & animæ, atque adeò totius hominis incolumitatē: Primus gradus eſt, vt corpus animæ imperio ſe ſubijciat. Natura enim ita ordinatum eſt, vt perfectiora imperfectioribus, meliora deterioribus, digniora indignioribus imperēt. Cùm autem contrà ſit, naturę ordo peruertitur, & magnę ſequuntur confuſiones naturā deſtruētes. Iam autē animum perfectiorem & meliorem & digniorem corpore eſſe, ex eo manifeſtum eſt, quòd illa λογικὴ, hoc ἄλογον: illa immortalis, hoc caducū: illa ſpiritualis & ſimplex, hoc ex varijs corporibus, ijſq; corruptibilibus, compactū ſit. Quare dubiū eſſe non poteſt, quin ſecundum naturā ſit, vt anima imperet & corpus pareat.

Confirmatio à ſimili.

Atque ita profectò res ſe habet in homine, vt in republica, in qua cùm mali melioribus imperāt, metuendum eſt ne idem fiat, quod naui, amoto perito nauarcha, & in eius locū ſubſtituto rei nauticæ ignaro, accidere ſolet. Quid enim quęſo, hîc aliud fieri poteſt, quàm vt orta tempeſtate, & nauis ſubmergatur, & pereant quæ in naui ſunt? Atq; hoc eſt, quod grauiſsimè admonet Theognis his verſibus:

A teſtimonio Theognidis.

φορτηγοὶ δ' ἄρχουσ' ἄνδρες κ' ἀγαθῶν καθύπερθεν,
δειμαίνω μή πως ναῦν κατὰ κῦμα πίῃ.

Hoc eſt, *Cùm baiuli bonis imperant, metuendum eſt, ne nauem fluctus abſorbeat.* Vt igitur ſtatus hominis abſolutus ſit, omnium primum requiritur, vt ſe animæ imperio corpus ſubijciat.

2. Facultates animæ ſua tueantur officia. Hæ ſunt tres: de quarum imperio tum laudato, tum illaudato & periculoſiſsimo perſpicuè diſſeritur.

Secundus gradus, ad conſeruandum ſtatum hominis neceſſarius, eſt, vt facultates animæ ſua tueantur officia, & nihil contra naturæ ordinem faciant.

Sunt autē tres facultates huc ſpectantes: quarū nec ſimilis eſt dignitas, nec æqualis in agendo autoritas. Facultates autem hæ ſunt: λόγος, θυμὸς, ἐπιθυμία, hoc eſt, ratio, vis iraſcibilis, & concupiſcentia: quarum vt ſingulæ ſunt menti viciniores aut à mente remotiores: ita earum æſtimatur dignitas & indignitas.

Ratio.

Λόγος proinde, qui eſt menti proximus, τῇ ἐπιθυμίᾳ, quæ eſt proxima corpori, & remotiſsima à mente, imperare debet. Hic ordo ſi turbatur, hominis ſtatus concutitur, & metuenda eſt hominis euerſio. Nam cùm ἐπιθυμία, excuſſo rationis imperio, imperat, fieri non poteſt, quin magnum aliquod malum ſequatur. Eſt enim imperium concupiſcentię contra naturam, vt fœminæ in virum.

Vis iraſcibilis.

Deinde θυμὸς, ſi vel rationi imperat, vel concupiſcentiæ ſubijcitur, naturæ leges violantur. Nam vt θυμὸς eſt infra λόγον dignitatis gradu, ita eſt ſupra concupiſcentiam. Natura ergo monet, vt θυμὸς rationi obtemperet, & concupiſcentiæ imperet, ſed ex rationis præſcripto. Hinc ſequitur, quòd ſolus λόγος imperare, ſola concupiſcētia parêre, ſolus θυμὸς nunc parêre, nunc imperare debeat. Vt enim rationi parêre, ita concupiſcentiæ imperare θυμὸν oportet. Hoc paulò clariùs explicemus, vt imperandi & parendi modus intelligatur. Λόγος facultatem imperandi, ſeu vt Græci loquuntur, ἀρετὴν ἀρχικὴν habet, quæ vocatur φρόνησις, id eſt, prudentia, hac ratio ipſa & ſibi & alijs, nempe θυμῷ & cōcupiſcentiæ, præfinit actionum modos: & hac de cauſa φρόνησις Platoni dicitur ἡγεμὼν τοῦ ὀρθῶς πράττειν.

Concupiſcentia.

Ἐπιθυμία, Cōcupiſcentia, virtutē habet, iuxta quam rationi parêre debet, & hæc vocatur σωφροσύνη, Temperantia, ad cuius prędſcriptum moderatur ſuas appetitiones, conuerſa ad rationem cui in moderādo obtemperat. Temperātia enim in omnibus affectionibus corporis & animi modum ſeruat, ne quid vel voluptate, vel dolore, vel alia perturbatione victi faciamus cōtra rectam rationem. Reſtat θυμὸς medius inter λόγον & ἐπιθυμίαν, hic dum ad concupiſcentiam reſpicit, imperandi facultatem habet, quæ ἀνδρεία, hoc eſt, fortitudo nominatur. Hac reprimit concupiſcentiam ad imperatoris ſui imperium, hac etiā ſeipſum conſeruat, ne à ſeſe vulneretur. At ſi rationem reſpicit θυμὸς, obtemperandi facultatem habet, quæ etiam σωφροσύνη dicitur, hac à ratione inſtructus θυμὸς moderatur ſuas actiones, cùm autem θυμὸς conſilia rationis ſpernit, fit quod ait Medea apud Euripidem:

Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων,
ὅπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς.

Facultatū animæ concordia Iuſtitiam parit.

Porrò cùm hæ tres facultates animæ, iuxta naturæ ordinem agant, vt dictum eſt, iuſtitia emergit, virtus quæ veluti concentus quidam eſt ſuauiſsimus facultatum animæ in homine.

Fœlicitas hominis in quo ſita.

Ex his patet, in quibus rebus ſtatus hominis abſolutiſsimus poſitus eſt, videlicet vt anima imperet, & corpus animæ imperio ſubſit, & deinde vt animæ facultates ſuum quæque tueantur ordinem, vt ita ſit anima ſana in corpore ſano.

Verùm quoniam homo eſt veluti parua quædam reſpublica, fit vt virtutes illæ animæ, quibus incolumitas ſtatus hominis cōſeruatur, ad ſocietatē hominum & imperia trāsferātur. Iſtis enim quatuor, prudentia, tēperantia, fortitudine & iuſtitia, conſeruantur ſocietates hominum, hoc eſt, Oeconomiæ & politiæ, de qua re paulò pòſt plura dicenda ſunt.

Secundi finis definitio.

Secundus finis rei cuiuſlibet, eſt quem ex proprijs actionibus, quę oriuntur ex proprijs facultatibus cuiuſque rei, ſpectandum dixi. Hic variat pro facultatum conditione, quas Deus rebus in natura contulit, ita vt pro facultatum ratione actionum gradus æſtimentur.

Definitio probatio firmiſsima.

Hic autem finis, qui in actione cuiuſque rei eſt poſitus, hoc pacto colligitur: Natura nihil temere aut fruſtrà facit, ſed ad certū finem ſingula refert. hoc axioma inductione collegerunt Phyſici, quod morales Philoſophi à Phyſicis arripiētes, inde Philoſophiam de moribus extruunt. Proinde facultates peculiares cuiuſq; rei, deſtinantur peculiaribus

actionibus,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

actionibus, & propriis eius rei, id quod videre eſt in ſingulis rerum naturis. Nam vt cõmunes rerũ facultates deſtinãtur cõmunibus actionibus, pertinẽti bus ad cõmunem naturæ conſeruationẽ, ita propriȩ rerum facultates deſtinantur proprijs actionibus, quæ proprios rerũ fines ſpectãt, ex quo efficitur, cũ ſint peculiares facultates in homine, quæ non ſunt in alijs naturis, requiri peculiares actiones ab homine, quæ ſunt eius finis.

Tres facultates actionum humanarũ.

Sunt autem in homine, vt ſuprà aliquoties admonuimus, facultates ſeu δυνάμεις, γνωστικὴ, προαιρετικὴ, καὶ πρακτικὴ, quæ non ſũt in alijs naturis, Proinde actiones harum facultatũ ſunt finis hominis, ſi modò eũ finem ſpectes, qui in actionibus eſt poſitus, de quo nũc agimus. Iam γνωστικὴ facultas veritatis inquiſitioni: προαιρετικὴ boni electioni: & πρακτικὴ virtutũ actioni deſtinatur. Hinc talis conficitur demõſtratio.

Firmiſſ. argumentũ pro fine hominis.

Actiones propriæ hominis, ſunt finis hominis. Inquiſitio veri, electio boni & virtutis actio, ſunt propriȩ actiones hõis. Igitur hȩ actiones ſũt finis hõis.

Verùm quia inter has actiones ſupremum gradũ occupat virtutis actio, cui inquiſitio veri & προαίρεσις ſeruiunt, rectè collocarunt Philoſophi finem hominis in actione virtutis.

Euerſio Epicurei dogmatis.

Ex principio huius demõſtrationis euertitur Epicureorum dogma de fine hominis hoc modo: Actiones propriæ hominis ſunt finis hominis. Voluptatis actio non eſt propria hominis actio. Eſt enim communis homini cum beſtijs. Non igitur eſt voluptas finis hominis. Proinde voluptatis modus is adhibendus eſt, qui non naturam corrumpit: ſed qui legitimè naturam conſeruat. Sed de voluptate ſuprà dictum eſt, cùm ageretur de appetitione animali.

Tertij finis definitio. Explicatio.

Tertius finis eſt, qui ex rerũ ordine ſpectatur, qua ratione omnia inferiora referũtur ad ſuperiora, tanquàm ad ſuos fines. Nam ita Deus naturam cõdidit, vt deteriora melioribus ſeruiant: ex quo efficitur, quòd Deus ſit vltimus omnium finis. Is enim ſolus abſque omni dubio, ſummè bonus eſt. Quare vt illi iuſtiſſimum in omnia imperiũ exiſtit: ita omnia ipſi ſeruire naturali iure debent.

Confirmatio.

Quæ autem ſunt in media rerũ ſerie ſita, eius ſunt conditionis, vt alterũ incumbat alteri, prout eſt cuiuſque magis minúſue conſummata natura. Cũ itaq; videmus in rebus naturæ gradus multiplices, ſcire oportet, quòd quæ minima ſunt, ad ea quæ ſunt illis proxima dignitatis gradu, immediatè referãtur. Nũc autẽ quæcũque fecit Deus (de viſibilibus loquimur) aut habẽt eſſe ſolùm vt Philoſophi loquuntur, vt elementa, mineralia & lapides: aut habent eſſe & viuere ſolùm, vt gramina, herbæ, plantæ & arbores: aut habent eſſe, viuere & ſentire tãtùm, vt iumenta, piſces, volatilia, & omne brutũ: Aut habent hæc omnia ſimul, & præterea intelligentiã, iudicium & arbitriũ, vt homo. In his rerũ gradibus, prout cõſummatior natura, & eminentiore aliqua forma ſpecifica exiſtit: ita ei res, quæ minus ſunt conſummatæ, deſtinantur, & ad eam ſuas facultates, actiones, adeoque ſe totas referre debent. Proinde homini res omnes inferiorum graduum deſtinãtur, eiúſque vſibus ſeruire debent.

Deus eſt finis ſupremus humanæ vitæ.

Iam quoniã Deus non ſolùm eſt ſupra infimos & medios gradus, ſed etiam ſupra hominem, vt ergo omnes inferiores gradus ad hominem: ita homo ad Deũ immediatè refertur, vt is certus conſtituatur finis hominis, & vltimus: cùm rerum ordinẽ ſpectamus. Hinc apparet veram eſſe Stoicorum ſentẽtiam, qui dicunt, omnia propter hominẽ eſſe, & hominẽ propter Deum. Huc & ille Nazianzeni verſiculus pertinet: ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποίει θεόν.

Debent itaque omnes actiones hominis ad Deũ referri, vt ei iuſta reddatur obedientia, & honos prȩſtetur debitus. Huc nos inuitat tota rerum natura: huc impellit naturalis ſenſus: huc omnium vel barbariſſimorum exempla hortantur. Nemo enim tàm ferus eſt & rationis expers, quin ſtatuat rerũ opifici res creatas ſubiectas eſſe debere. Nemo tàm barbarus, quin intelligat ſummam gratitudinẽ reddendã eſſe optimè meritis. Hinc ſequitur omnium actionum humanarum primum locum obtinere agnitionem Dei, ac agniti Dei celebrationem.

Concluſio ex definitionis cõfirmatione & demonſtratione collecta.

Superioris concluſionis demonſtratio.

Huius rei demonſtratio, vel hæc ſola eſſe poterit, ex ipſa natura ſumta. Supremæ facultatis in homine ſuprema actio, verſans circa ſupremum & nobiliſſimum obiectũ, propria eſt actio hominis. Agnoſcere Deum & agnitũ colere, eſt ſupremæ facultatis in homine ſuprema actio, verſans circa ſupremum & & nobiliſſimũ obiectum: Ergo, Agnoſcere Deũ & agnitum colere, propriiſsima actio hominis eſt. Quare homo meritò felix & beatus eſt, quando in hac actione occupatur: contrà miſer & infelix cum ab hac eſt alienus.

Confirmatio ab autoritate Platonis.

Huc illud Platonis in quarto de legibus: Ἁπάντων κάλλιστον, καὶ ἀληθέστατον οἶμαί λόγων, ὡς τῷ μὲν ἀγαθῷ θύειν, καὶ προσομιλεῖν ἀεὶ τοῖς θεοῖς, καὶ εὐχαῖς, καὶ ἀναθήμασι καὶ συμπάσῃ θεραπείᾳ θεῶν, κάλλιστον γὰρ καὶ ἄριστον, καὶ ἀνυσιμώτατον πρὸς τὸν εὐδαίμονα βίον, hoc eſt, *omnium pulcherrimam & veriſſimam arbitror orationẽ eſſe, vt boni Dijs ſacrificẽt & adhæreãt ipſis, & votis, & donarijs, & vniuerſa Deorũ religione. Nã hoc pulcherrimũ, & optimum & commodiſſimum ad beatam vitam. Hæc Plato.*

Ad cõcluſionem ſuperioris demonſtrationis qua naturæ via homo producitur.

Ad præſentis demonſtrationis cõcluſionẽ, homo natura duce, etiam in hac corrupta natura deducitur ex qua cũ ad praxin deſcẽdere cœperit, mox vt cæcus palpitat, & proprijs ratiocinationibus fallitur, adeò vt & à vero Deo aberret ad idola, & in locũ veri cultus Dei prodigioſas ſuperſtitiones ſubſtituat: quemadmodum & Paulus ad Romanos ſcribens teſtatur. Hinc fit, quòd tametſi præclaras γνώμας Philoſophi (quarum poſteà nonnullas referã de Deo tradiderunt: non tamen rectà ad Deum & eius cultũ peruenerint. Quare Deo agendæ ſunt gratiæ, qui facem verbi ſui accendit, qua nos in ſalutarem ſui noticiam deducit, ac veram colendi ſe rationem demonſtrat.

De actionibus humanis in genere actum eſt. Nunc ad varia vitȩ genera accedit.

Hactenus ducem naturam ſequuti proprias actiones hominis in genere inquiſiuimus, & fundamenta iecimus firma & immota, ex quibus reliqua dependent. Verũ quia actiones hominis variant pro vitæ generibus, ſunt nobis genera vitæ diſtinguenda, & ſingulis ſuus proprius finis ex illis tribus cõpoſitus, accommodandus eſt: qua ſanè contemplatione nulla erit iucundior, nulla ſuauior, nulla in vita communi vtilior, nulla denique dignior aut amplior.

Vitæ genus duplex.

Vitæ itaque genus in vniuerſum duplex eſt, quemadmodũ ex ſuperioribus intelligi poteſt, & Ariſtoteles in Ethicis teſtatur, Theoreticum & practicum.

1. Theoreticum vnde Scientiæ & artes.

Theoreticum vitæ genus in cõtemplatione & in inquiſitione veri occupatur. Hinc ſentẽtiæ & artes, in quibus maximũ vitæ prȩſidium ſitũ eſt. Huc illud Hipparchi: *Multò eſt omnium rerum precioſiſſima omnibus ad viuendum, ars.* Nam vt alius Poeta ait: *Non eſt vllum humani infortunij ſolamen in vita dulcius, quã ars, dum enim diſciplina animus vacat ſua, infortunia prænauigat neſcius.* Quòd autem artes debeant nos quaſi manus ducere ad Deum ipſum, teſtatur Plato, qui dicit: *artes dulciſſimam Deorum famã continere.* Verùm hîc cauendũ, ne curioſis & inutilibus rebus ſimus addicti, magis quã vtilibus vitæ præſidijs. De Theoretico vitæ genere hæc admonuiſſe ſatis ſit.

2. Practicum, vnde Oeconomicus ſtatus Politicus, ſpiritualis.

Practicum vitæ genus, actiones ſpectat, & in ijs occupatur propter finem aliquem in vita vtilem.

Eſt autem hoc vitȩ genus triplex: Oeconomicum, politicum & ſpirituale. Hoc vniuerſum genus, quod

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

practicum appellamus,habet finē, qui eſt conſeruatio ipſius p r proprias actiones,Deum , vt vltimum ſcopum,reſpicientes. Nam in omni vitæ genere ita ordinandæ ſunt actiones , ne ab ipſo bonorum fine ſeu à fine finium aberrent.

Oeconomicæ vitę finis.

Vitæ proinde Oeconomicæ finis eſt conſeruatio familiæ,& domus,per actiones Oeconomicas, Deū vt finem bonorum reſpicientes.

In oeconomia qualis ordo facultatū animæ eſſe debeat.

Et quoniam eadē eſt cōſeruandi totius ratio,quæ eſt partis,debet in hoc vitæ genere λόγος præeſſe, & ſua prudentia domū adminiſtrare:Debet ἐπιθυμία modeſtia & temperantia quadā ſubeſſe rationi,ne quid affectus contra rectam rationem tentent. Debet θυμὸς rationi,vt παραςάτης adeſſe , & affectus reprimere (ſi quando opus fuerit)ſua fortitudine.His omnibus accedit iuſticia tēperatrix,quę facit,vt maritus & vxor,dominus & ſeruus, paterfamilias & materfamilias,coniuges & familiæ ſibi officia debita reddāt, vt ita domus dulciſsima harmonia compoſita conſeruetur incolumis.

Demonſtratio de ratione Domus cōſeruādæ.

Verùm vt cōſeruandæ domus ratio melius intelligatur, proponamus nobis hanc demōſtrationem, quæ ſuprà traditis fundamētis nititur.Quicquid cōſeruat ſtatū Oeconomicū incolumē per ſe,præcipitur lege naturæ.Coniuges mutuo amore ſe cōplecti, gignere,natos educare,tueri, inſtituere honeſtis moribus,regere diſciplina,proſpicere neceſſarijs, & rurſus natos revereri parētes,eis obedire & gratos eſſe, & ſimilia analoga officia, conſeruant ſtatum Oeconomicum.Igitur hæc lege naturæ præcipiuntur.

Demonſtrationis explicatio.

Maior principium immotū eſt,Minor ex cōtrarijs & conſequentibus oſtenditur.Nam, vt ibi hæc officia violantur,corruūt familiæ, quemadmodū multa triſtia exempla docent:Ita his officijs videmus conſtare domos,florere & incolumes cōſeruari,præſertim quando hæc Oeconomica officia ad Deū referūtur vt finē vltimū,quēadmodū ſuperius dictū eſt.

præcepta quæ ex ſuperiori Demonſtratione fluant.

Ex hac demōſtratione fluūt Oeconomica pręcepta,quę plurima apud Xenophontem,Ariſtotelem, Plutarchum, & alios inſignes Philoſophos extāt. Huc multæ ſententiæ Philoſophorū pertinent, quæ omnes quarto & ſexto pręcepto cōtinentur:nos autem pauca exempli cauſa recitabimus.

De mutuo coniugū officio.

De mutuo officio coniugum ex veteri Tragœdia hos verſus adducit Clemens Alexandrinus.

οὐ χρυσὸς,οὐ τυραννὶς,οὐ πλούτου χλιδὴ,
τοσοῦτον εἶχεν διαφόρους τὰς ἡδονὰς,
ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ γυναικὸς εὐσεβοῦς
γνώμη δικαία,καὶ φρονοῦσα τ' ἀνδρικά. Hoc eſt:

Tanta eſt nec auri,nec tanta tyrannidis
Voluptas,nullus ſplendor eſt iucundior,
Piorum amica coniugum concordia,
Qui mutuum fouent amorem fortiter.

Et Euripidis.

ὅστις δὲ τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει,
ὅδ' ἐστὶ καὶ ζῶν καὶ θανὼν θεοῖς φίλος.

Hoc eſt:

Quiſquis parentes in vita colit ſuos,
Hic carus eſt Dijs viuus atque mortuus.

Et Menander.

βούλου γονεῖς πρῶτον ἐν τιμαῖς ἔχειν,
ἱκανῶς βιώσης γηροβοσκῶν τοὺς γονεῖς.

Hoc eſt:

Honorem quiſquis exhibet parentibus,
Abundè viuet,carus & ſuis erit.

Huius ſentētiæ antitheſin habet Homerus,qui narrat quendam iuuenē occiſum in bello Troiano,propterea quòd parentibus τὰ θρεπτήρια nō perſoluerit.

Concluſio dictorum de œconomicæ vitæ fine.

Hactenus de Oeconomica vita dixi ex fontibus legis naturæ. Vnde moralis Philoſophus,qui de Oeconomico ſtatu præcipere inſtituit, principia & demonſtrationes petere debet.

Politicæ vitæ finis.

Vitæ politicæ finis eſt politiarum tranquillus & pacificus ſtatus per actiones politicas;quę omnes eò referri debent, vt maneat iuſta ordinis politici harmonia ſeruato inter homines iure analogo,& Deus in humana ſocietate, tanquā finis vltimus ſocietatis humanæ cōſtituatur.Cauendū itaque,ne ab hoc fine bonorū actiones politicę aberrēt. Verū quoniā eadē ratio eſt totius cōſeruādæ , quæ eſt ſingularum partium,quantū quidem ad genus actionum attinet:eædem virtutes hîc requirūtur,quas in ſingulis hominibus & deinde in ſingulis familijs requiri diximus.

Quæ virtutes politijs conſeruandis requirantur.

Requiruntur itaque ad conſeruationē politiarū prudentia,tēperātia,fortitudo & iuſticia,idque hoc ordine,vt ſola prudentia imperet, reliquæ autē quæq; ſuo loco & ordine obtēperent,vt Platō docet. In harum enim harmonia cōſiſtit,quod eſt in vita difficillimum , videlicet:τὸ εὖ ἄρχειν καὶ τὸ εὖ ἄρχεσθαι, Hoc eſt, *Rectè imperare & rectè parêre.* Omnes ergo hæ virtutes requirūtur,cū in eo qui imperat tū in eo qui imperio paret. Qui imperat,opus hēt fortitudine,qua ciues in officio cōtineat & noxia à ciuibus auertat:opus habet tēperantia, nē affectibus prauis indulgēs harmoniā ſocietatis humanę diſſoluat:Opus hēt iuſticia,qua contractus regat,honores & operas diſtribuat,pręmia cōferat,ſupplicia ordinet, ſeruata in ſingulis debita proportione,hoc eſt, in alijs Geometrica, vt in officijs & præmijs : in alijs Arithmetica , vt in contractibus.

Prudentia virtutum politicarum moderatrix.

His omnibus prudentiā moderatricē adhibere neceſſe eſt. Nec minus ad benè & legitimè parendū requiruntur virtutes ſuprà cōmemoratę,fortitudo tēperātia,iuſticia,quibus moderatrix prudētia adhibēda eſt.Nā hæ virtutes vtrinq; ſeruatæ τὴν ἰσότητα Geometricam & Arimethicam , ſine quibus ſtare reſpublicæ nequeunt,conſeruant.

Demonſtratio de ratione politiarum conſeruandarum.

Vt autem conſeruandæ politiæ ratio manifeſtius conſtet,hanc demonſtrationē quæ nititur fundamētis ſuperius traditis intueamur. Quicquid cōſeruat ſtatū politicū,lege naturæ præcipitur. Hic autē nequaquā cōſeruari poteſt,ſine ordine ſuperiorū & inferiorū, hoc eſt magiſtratuū & ſubditorū. Proinde magiſtratuū & ſubditorū ordo,lege naturæ cōmendatur.Nā ſi laceratio humanæ ſocietatis eſt cōtra naturā:& quæ hanc efficit,ἀναρχία cōtra naturā erit:Natura igitur requirit ſuperiorū & inferiorū ordinem.

Demonſtrationis explicatio & probatio.

Præterea, cū nō poſſit ſtatus politicus incolumis eſſe,niſi iuſtè cū ſocijs,fortiter cōtra hoſtes,modeſtè & prudēter cū omnibus agatur:ſequitur legē naturę in politica ſocietate iſtas quatuor virtutes requirere,quibus multæ aliæ,vt ſpecies,ſubijciūtur , quæ ad politiarū incolumitatē requirūtur, de quibus Cicero eleganter & ſapiēter , naturā ducē ſequutus in libris de officijs ſcripſit:& nos poſtea earū catalogū quendā recitabimus, additis breuibus definitionibus & doctorum hominum ſententijs,

Sententiæ ſuperiorem demonſtrationem illuſtrantes. boni principis nomina. Pater.

Huc ſententiæ plurimæ pertinēt.Sed nos paucas quaſdā exēpli cauſa aſcribemus. Apud Homerū extāt dulciſſimæ appellationes,quibus magiſtratuū & ſubditorū officia veluti pingūtur, quæ ſingulæ locū ſententiarū ſupplere poſſunt,vt ſunt:Ἤπιος πατὴρ,blādus pater , qua appellatione, vt ſignificatur affectus paternus magiſtratus erga ſubditos : ita in ſubditis requiritur ſimilis ſtorga.βασιλεὺς, quaſi βάσις τοῦ λαοῦ,id eſt,*fulcrum ſeu fundamentū populi.* Vt enim ædificium fundamēto ſuo nititur,& eo ſubruto collabitur: Ita populus legibus & potētia magiſtratus, tanquā fundamento incumbit : ſublatis legibus & magiſtratu, euertitur.

Baſis populi.

Romanus fortis bellicoſus.

Xenophon explicans verſum Homeri de Agamēnone : Ἀμφότερον βασιλεὺς τ' ἀγαθὸς , κρατερός τ' αἰχμητής, monet

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

monet eum tandem Regem bonum eſſe, nõ qui ſuæ vitæ curã habet: ſed qui eos beatos & felices reddit, quibus imperat. Ideo enim rex eligitur inquit, οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελῆται, ἀλλὰ, ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον εὖ πράττωσι, hoc eſt, *non vt ſuam ipſius curam gerat: ſed vt etiam qui illum elegerunt, propter ipſum bene habeant & felices ſint.*

Dux. Moderator.

Ἡγεμὼν, dux: quia ſapientia & diſciplina populum ducet rectà ad virtutem & felicitatem. Κοσμήτωρ: quia multitudini ordinem præfigit, quo nullum ornamẽtũ pulchrius, nihil in Republica vtilius. Quare rectè Iſchomachus vxorem monet cùm inquit: ἔστι δ᾽ οὐδὲν οὕτως ὦ γύναι οὔτ᾽ εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις, hoc eſt, *ô vxor, non eſt quicquam hominibus, neque tàm vtile, neque tàm honeſtum, quàm ordo.* Μέδων: propterea, quod magiſtratus ſingulari cura & ſolicitudine incolumitatem ſuæ reipublicæ tueri debet. Ποιμὴν λαῶν, paſtor populorum: Hac imagine qualisnam cura magiſtratus eſſe debeat pro ciuibus ſignificatur. Vt enim paſtor ouium ſuarum: Ita magiſtratus ſubditorum ſuorum curam habeat neceſſe eſt. Platoni interdum magiſtratus ἐπίσκοπος: & Xenoponti ἔφορος dicitur, id eſt, inſpector, quia diligenter inſpicere debet magiſtratus, quid ſinguli ciues agant: incitabit ſingulos ad ſua officia præſtanda, ad obedientiam duabus rebus, nempe præmijs & pœnis inuitabit. Non ſufficit, vt ait Xenophõ, ciues habere honeſtas leges, niſi ſint etiam νομοφύλακες, qui ſunt inſpectores: laudantes eos qui imperata faciunt: & contrà punientes legum tranſgreſſores.

Imperator.

Paſtor populorum.

Inſpector.

Alia nomina ex Homero & Sophocle.

Præterea, quanta cura magiſtratui eſſe debeat pro ſalute ciuium ſuorum, indicatur Homerico verſu: οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. Hoc eſt, *Non oportet principem qui multis conſulere debet, totam ſtertere noctem.* Et Sophocles: ὃν πόλις στήσειε, τοῦτο χρὴ κλύειν, Hoc eſt: *Quem reſpublica conſtituerit, huic obedire oportet.* Idem: Καλῶς μὲν ἄρχειν, εὖ δ᾽ ἂν ἄρχεσθαι θέλειν. Hoc eſt: bene impera & bene pare. Huc addit rationẽ Poeta ex natura petitam. Dicit enim iuſtum imperium, in quo maiores rectè imperant, & ſubditi iuſtè obtemperant, conſeruare rempublicam: & contrà, eandem perire funditus, vbicũque fuerit ἀναρχία. Sunt autem hæc poetæ verba.

ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστι κακόν.
αὕτη πόλεις τ᾽ ὄλλυσιν, ἥδ᾽ ἀναστάτους
οἴκους τίθησιν, ἥδ᾽ ἐν μάχῃ δορὸς
τροπὰς καταρρήγνυσι, τῶν δ᾽ ὀρθουμένων
σώζει τὰ πολλὰ σώματα ἡ πειθαρχία,
οὕτως ἀμυντέ᾽ ἐστὶ τοῖς κοσμουμένοις.

Hoc eſt.

Anarchia maius non eſt malum,
Hæc ciuitates euertit, hæc funditus
Perire familias facit, hæc belli tempore.
Ignauos in fugam conuertit. At contrà
Parere imperio multorum ſalus eſt,
Atque id ô qui præſunt obedientiam tueri debent.

Supremus vitæ politicæ finis & vſus.

Verùm hîc obſeruandũ eſt, quod ſuprà admonui de fine vltimo vitæ politicæ, qui eſt, vt omnia in humana ſocietate ad Deum tanquam vltimũ ſcopũ referantur. Cogitatio huius finis monet vtrũque: cùm eum qui imperat, ne quid cõtra Deum mandet ſuis: tùm eũ qui paret, ne in rebus illicitis, hoc eſt, pugnãtibus cum lege naturali & diuina, obediat principi. Nam hîc Socratis reſponſum apud Platonẽ locũ habet, qui cùm amici hortarentur, vt ſenatui Athenieſi cederet, quò mortis ſupplicium euaderet, reſpõdit: Ἐγὼ ὑμᾶς ἄνδρες ἀθηναῖοι ἀσπάζομαι μὲν καὶ φιλῶ, πείσομαι δὲ τῷ θεῷ μᾶλλον ἢ ὑμῖν. Hoc eſt: *Ego vos, ô viri Athenienſes, veneror quidem & amo, at Deo potiùs quàm vobis obtẽperabo.* Huc & illud Thebanæ virginis apud Sophoclem, quæ cùm iuberetur anteferre Regis edictũ naturæ legibus, forti animo in hãc ſententiá reſpondit: *Nequaquam exiſtimo tua decreta tantũ valere, vt cũ homo ſis, poſſis Deorũ non ſcriptas, firmiſſimas tamẽ leges violare. Non enim ad breue tẽpus, ſed ſemper vigent valéntque.* Ex his patet, quinam ſint fontes, quæ metæ legum ciuilium, & quomodo ad ſua principia reuocare omnia in ciuili gubernatione oporteat.

Exempla Socratis & virginis Thebanæ.

Spiritualis vitæ finis.

Vitæ ſpiritualis finis eſt eius conſeruatio per actiones huic vitæ cõgruẽtes, quales ſunt: Deũ agnoſcere, agnitũ colere, timere, glorificare, &c. Ad hanc vitã ſpiritualẽ Oeconomicus ſtatus & politicus tanquam ad vltimũ ſcopũ referri debẽt, à quo qui aberrat, inuertit naturæ ordinem, & pœnas ſibi accerſit.

Oeconomicæ & politicæ vitæ ſcopus.

Ad huius vitæ conſeruationem requiruntur ſuprà cõmemoratæ virtutes: prudentia, fortitudo, tẽperantia & iuſticia: licèt differentiæ harum virtutum propter obiecti rationẽ modo quodã variant. Demonſtratio autẽ hæc eſt. Quicquid conſeruat ſtatũ vitæ ſpiritualis, lege naturæ præcipitur. Deũ agnoſcere, & ad eum omnia referre tanquam ad finem bonorum, conſeruant ſtatum vitæ ſpiritualis. Proinde vt hæc lege naturæ præcipiuntur: ita quæ his contraria ſunt vetantur. Maior axioma eſt, pẽdens ex principijs anteà recitatis. Minor demõſtratur hoc modo. Supremæ virtutis ſuprema actio verſans circa nobiliſsimum obiectum, eſt finis hominis. Deum agnitum colere eſt ſupremæ virtutis hominis ſuprema actio, verſans circa nobiliſsimam obiectum. Ergo hæc eſt finis hominis, quantum quidem ad ſpiritualem vitam attinet.

Quæ virtutes ad Spiritualam vitã conſeruãdam requirantur.

Demonſtratio.

Demonſtrationis explicatio.

Hanc minoris demõſtrationem Philoſophus colligit hoc modo: ſtatus optimæ vitæ in felicitate poſitus eſt. Hæc fœlicitas in tribus cõſiſtit, in actu altiſsimæ potẽtiæ in homine, quæ eſt intellectus: in habitu nobiliſsimo, qui eſt virtutis: in obiecto digniſsimo, nempe Deo.

Platonica collectio ſuperioris demõſtrationis.

Huc vſque humana ratio rectà progreditur. Verũ cùm ex concluſione poſitæ demõſtrationis actiones huic vitæ congruentes, extruere molitur, tota errat via. Sicuti cũ experientia Paulus teſtatur ad Rom. 1. Socrates clamat Deum colendũ eſſe, & multis argumentis aduerſariũ, qui alitèr ſentit, refutat: præterea addit Deum colendũ eſſe, non alio cultu, quàm qui à Deo ipſo inſtitutus eſt. Verũ, cũ hinc progredi incipit Socrates, tanquam cæcus à vero Deo aberrat, & horrendis erroribus inuoluitur.

Rationis humanæ cæcitas.

Porrò, cũ demonſtratione noſtra congruunt multæ gnomæ, quæ paſſim apud Poetas & Philoſophos leguntur.

Gnomæ Ethnicorum, quæ cum ſuperiori demonſtratione congruunt.

De Dei vnitate.

De vnitate Dei ex multis has paucas aſſcribere placuit. Omnes Sibyllæ vnum Deũ prædicant. Erythræa, vt refert Lactantius, ita canit: Εἷς θεὸς ὃς μόνος ἐστὶν ὑπερμεγέθης ἀγένητος. Hoc eſt. *Vnus Deus, qui ſolus eſt maximus & æternus.* Quòd hic omnia condiderit teſtatur eadem his verſibus.

De creatione.

ἀλλὰ θεὸς μόνος εἷς πανυπέρτατος, ὃς πεποίηκεν,
Οὐρανὸν, ἠέλιόν τε, καὶ ἀστέρας, ἠδὲ σελήνην,
Καρποφόρον γαῖάν τε, καὶ ὕδατος οἴδματα πόντου. Hoc eſt, *Sed Deus ſolus vnus eſt ſuper omnia, qui fecit cœlum, Solémque & ſtellas atque lunam, Et cum his fertilem terram & fluctus maris.*

Et alia Sibylla in perſona Dei loquens, ita canit. εἷς μόνος εἰμὶ θεὸς, καὶ οὐκ ἔστιν θεὸς ἄλλος. Iuſtinus Martyr Pythagoræ verſus de vnitate Dei hos aſſcripſit, in libro de Monarchia.

Εἴ τις ἐρεῖ, θεός εἰμι, παρὲξ ἑνὸς, οὗτος ὀφείλει
Κόσμον ἴσον τούτῳ στήσας εἰπεῖν, ἐμὸς οὗτος.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Hoc eſt : *Si quis præter vnum dicat , Deus ſum:hic debet mundum ſimilem huic conditum oſtendere & dicere, hic meus eſt.* Multæ huiuſmodi ſententiæ apud Platonem, Xenophontem, Sophoclem, Euripidẽ, Homerum, Menandrum & alios inueniuntur, quas breuitati ſtudens omitto.

De prouidentia.

De prouidentia huius vnius Dei extãt inter alias hæ ſententiæ.

Πάντη γὰρ ἔστι πάντα καὶ βλέπει θεός.

Vbique adeſt & omnia cernit Deus. Idem.

Ὀξὺς θεοῦ τ᾽ ὀφθαλμὸς εἰς τὸ πάντα ὁρᾶν.

Dei oculus acutus eſt, adeò vt omnia cõtẽpletur. Xenophõ Deum vocat σοφὸν δημιουργὸν καὶ φιλόζωον, Hoc eſt, *ſapientem & amantem animalium opificem.* Idem ait : *Noueris Deum eſſe tantum & talem, vt omnia ſimul videat, & omnia ſimul audiat , & vbique adſit* , & ſimul omnium curam habeat. Hunc vnum colendum eſſe & alijs multis argumentis docet:& forma hominis erecta in cœlum idem ſignificari adſtruit, quẽ imitatus latinus Poeta in hunc modum loquitur.

Os homini ſublime dedit, cœlúmque videre
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

De cultu Dei.

De cultu Dei antiquiſsimus Poeta Philemon, vt Iuſtinus refert , ita ait : θεῷ δὲ θῦε διὰ τέλους δίκαιος ὤν: Hoc eſt : *Deo ſacrifica iuſticia.* Idem: *ſi quis afferens ſacrificium, ô Pamphile , taurorum multitudinem aut caprorum , aut per Iouem alia huiuſmodi , aut ſtructuras aureas, præparans chlamydas & purpureas , aut per elephanti aut Smaragdi animalia exiſtimet ſe Dei ſibi conciliare beneuolentiam , omnino errat & leuem mentem habet: Oportet potiùs vt virum bonum ſe præbeat, ne ſtuprator ſit virginum , aut adulter , ne furetur & occidat , ne videat aliena & concupiſcat , ſiue vxorem, ſiue domum, ſiue poſſeſsionem , puerum , ancillam, equos, boues ,* &c. *Imò, mi Pamphile, ne aciculæ vnum funiculum concupieris. Deus enim præſens coràm te cernit , qui operibus iuſtis delectatur , non iniuſtis.* Huiuſmodi ſententias de vnitate Dei, de creatione prouidẽtia & cultu, quales multę apud Philoſophos & Poetas extant, tenere admodum iucundum eſt.

Dixi de vita Oeconomica , politica & ſpirituali, & quæ ſint cuiuſque propriæ actiones in genere, demonſtraui: Iam quia lex Dei, quam vſitatè Decalogũ appellamus, dicitur legis naturæ epitome: quędam breuiter quomodo Decalogi præcepta ad ea, quæ dicta ſunt, congruant, oſtendam.

Lex Dei legis naturæ epitome.

Prima tabula ad ſtatum vitę ſpiritualis pertinet.

Ad ſtatum itaque vitæ ſpiritualis primam pertinere tabulam immediatè, non eſt dubiũ. Hæc enim in ſumma Deum colendum & celebrãdum eſſe docet, & quomodo id fieri oporteat, oſtendit.

DEMONSTRATIO PRIMÆ TABULÆ.

Partes demonſtrationis.
1. Maior.
2. Minor.
3. Concluſio ſeu cõſequens.

DEVS colendus eſt à toto homine , quemadmodùm ſupra demonſtratum eſt. Homo autẽ conſtat anima & corpore. Ergo Deus colendus eſt animo & corpore, hoc eſt, corde, iuxta primũ præceptum, ore & lingua iuxta ſecundùm , vita & externis moribus iuxta tertium.

Modus cultus Dei.

Modus cultus Dei pulcherrimo ordine hîc indicatur, Initium enim ſumit à corde , deinde in ore & lingua ſe profert, Poſtea vita & externis moribus ſe declarat. Cordis appellatione intelligãtur omnes animæ vires interiores, videlicet, vt mens illuminata quæ Dei ſunt rectè intelligat, vt affectus ardeãt amore Dei, vt volũtas ita ſua ſpõte Deo ſit addicta, vt nihil velit niſi quod in gloriã Dei cedat. Hunc cultum cordis, quem natura oris & externæ vitæ cultus ſequitur, etiam ethnici naturali luce intellexerunt, etſi poſtea in conatu à vero Deo aberrarunt.

DEMONSTRATIO SECVNDAE tabulæ generalis.

QVicquid conſeruat ſtatum Oeconomicum & Politicũ, lege naturæ præcipitur:& quicquid turbat & euertit, eadem prohibetur. Vt autẽ opera præcepta in ſecunda tabula conſeruant Oeconomicum & politicum ſtatum : ita in eadem prohibita turbant & euertunt. Illa igitur mandantur , hæc vetantur.

Maior. Minor. Cõcluſio.

Maior eſt principium, quod ſuprà eſt declaratum. Minorem confirmabimus ſingulorum ſecundæ tabulæ præceptorum demonſtrationibus.

DEMONSTRATIO QVARTI Præcepti.

Maior propoſitio. Minor. Conſequens.

QVicquid conſeruat Oeconomicum, & politicum ſtatum iuris eſt naturalis: vt quæ contraria ſunt cum natura pugnant. Analoga officia ſuperiorum, vt parentum & magiſtratus : & inferiorũ, vt liberorum & ſubditorum cõſeruant ſtatum Oeconomicum & politicum. Hæc igitur officia lege naturæ mandantur, & quæ his contraria ſunt , prohibentur, vt humanæ ſocietati inimica & noxia.

Ordo ſecundæ tabulæ.

Ordo in hac tabula dignus eſt qui obſeruetur, Vt enim in prima tabula initium fit à fundamento cultus Dei:ita hic ab obediẽtia erga ſuperiores, quæ eſt mater omnium officiorum, quę in ſequentibus pręceptis requiruntur.

DEMONSTRATIO QVINTI præcepti.

Maior. Minor cõſequens. Cõtraria demõſtratio.

QVicquid turbat humanam ſocietatem ſiue in Oeconomico ſtatu ſiue politico, lege naturæ interdictũ eſt. Odia, cõuicia, rixæ, homicidia, turbãt humanã ſocietatẽ. Igitur, Odia, cõuicia & homicidia iure naturali vetantur. Et cõtra: cũ amor mutuus, amica colloquia, beneuolentia, concordia, ſtudium conſeruandi ſe mutuò & defendendi, conſeruent humanam ſocietatem: Igitur à natura requiruntur.

DEMONSTRATIO SEXTI præcepti.

Maior. Minor. Conſequens. Demonſtratio oppoſita.

QVicquid pugnat cum honeſtate in ſtatu Oeconomico, & politico, lege naturæ interdictũ eſt. Vagæ libidines & inceſtus pugnãt cum honeſtate, quam natura in omni vitæ ſtatu efflagitat. Prohibentur igitur vagę libidines & inceſtus lege naturę. Et contra : Honeſta & legitima copula coniugalis ſeminarium eſt humanæ ſocietatis. Coniugium igitur legitimum, lege naturæ commendatur.

Cæcitas rationis in explicatione præcepti. Exemplo.

De inceſtu, hoc eſt, de copula perſonarũ , quæ vel cognatione, vel affinitate cõiunctę copulari lege naturæ prohibentur, obſcurior eſt in hac corruptione ratio. Plutarchus olim neceſſarias ducere prohibitũ fuiſſe ſcribit, cuius rei honeſtiſsima eſt ratio ac rectiſſima, videlicet, vt quẽadmodũ ſanguine iuncti ſe inuicem diligunt: ita neceſsitudinis vinculum in multos

tos

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tos diffuſis coniugiis, & non intra eoſdem parietes manentibus, plures caritate connecteret. Sic enim ſerpere extendíq; caritatem generis humani manifeſtũ eſt. Quod & Cicero in 5. de finibus docet. Quod cùm ita ſit, lege naturæ prohiberi neceſſarium, hoc eſt, cognatorum & affinium coniugia, quis non videt? Huc accedit naturale iudicium in omnibus ſanis hominibus, quo iudicant omnes, abſtinendum eſſe ab iis perſonis, quos vel cognatio vel affinitas artictiſſimè copulauit. Neſcio (inquit Auguſtinus) quomodo ineſt humanæ verecundiæ, quiddã naturale, atq. laudabile: vt cui debet cauſa propinquitatis verecundũ honorẽ, ab ea contineat, quãuis generatricẽ tamen libidinẽ, de qua erubeſcere videmus, & ipſam pudicitiã coniugalẽ. Verùm quia in hac naturæ humanæ deprauatione, infirmior eſt in multis huius legis, de illicita neceſſariarũ perſonarum copula, agẽdæ ſunt Deo gratiæ, qui hanc legẽ Leuitici 18. repetit, & monet multas gentes fuiſſe exterminatas propter huius legis violationem.

Polygamiæ refutatio.

Iam quæri etiã poteſt, an lege naturæ in vno coniugio, tantùm debeant copulari duæ perſonæ, nẽpe vnus maſculus & vna fœmina, non vnus maſculus & multę fœminę, præſertim cùm videamus quoſdã ex ſanctis patribus habuiſſe eodẽ tẽpore duas & aliquãdo plures vxores. Ad hanc quęſtionẽ, cũ nõ exẽplis, ſed lege naturæ ſit iudicandũ, clarè pronuncio, violare legẽ naturæ, quicũq; ſimul plures vxores habẽt.

Refutationis rationes quatuor.

Huius reſponſiònis quatuor ſunt rationes à natura petitæ.

1. Societas coniugalis quæ æqualitatẽ requirit.

Prima, ſocietas coniugalis æqualẽ obligationem mariti & vxoris requirit, quantum ad vſum corporum attinet. Vbi autem maritus vnus habet plures vxores, vel vna fœmina plures maritos, ſeruari non poteſt in obligatione æqualitas. Nunc autem cùm inæqualitas ſit contra naturam, eſt etiã contra naturam, ſi plures perſonæ in vno coniugio copulentur, quàm duæ, vnus maſculus, & vna fœmina.

2. Obligatio ad impoſſibile non tenẽda.

Secunda, dictat recta ratio, quòd nullus debeat ſe obligare ad aliquid impoſſibile. Iam autem fieri non poteſt, vt vnus vir peræquè obligatus ſit pluribus vxoribus, ſicuti vni ſoli. Quare cum natura pugnat copulatio vnius viri cum pluribus fœminis.

3. Pax domeſtica, quæ in polygamia conſeruari non poteſt.

Tertia, pax domeſtica conſeruari non poteſt, vbi vnus maritus plures habet vxores: fieri enim nõ poteſt, quin zelo quodã mulierculæ aduerſus ſe inuicẽ inflãmentur, vnde iurgia oriuntur, & ex his domus quædam perturbatio, quæ cum natura pugnat.

4. Ius naturę, quod polygamiæ ex diametro repugnat.

Quarta, Ius naturæ eſt, vt nemo faciat alij, quod ſibi nolit fieri, maritus ergo cùm nolit vxorem ſuã pluribus nubere viris, debet vna cõtentus eſſe. Hoc ius ἀνάλογον cùm violatur, legi naturæ vis fit, & iniuria alteri coniugum.

DEMONSTRATIO
ſeptimi præcepti.

Maior. QVicquid deſtruit humanam ſocietatem, quicquid domos & politias euertit, cum natura pugnat. *Minor.* Fraudes, furta, latrocinia, deſtruunt humanam ſocietatem, euertunt domos & politias. Hæc igitur lege naturæ vetantur.

Demonſtratio oppoſita.

Et contra: Quicquid conſeruat humanam ſocietatem cum in Oeconomia tùm in politia, id iuris eſt naturalis. Diſtinctio dominiorum, fides in contractibus & candor, conſeruat humanã ſocietatem. Igitur hæc lege naturæ mandantur.

DEMONSTRATIO
octaui præcepti.

QVicquid facit ad ſocietatem hominum conſeruandam, lege naturæ requiritur. *Maior.* Certitudo in artibus & veritas inter homines facit ad conſeruationem ſocietatis humanæ. *Minor.* Igitur hæc requiruntur lege naturæ. *Cõcluſio.* Minor illuſtratur antitheſi: Eſt enim manifeſtum, mendacia & incertitudinem in artibus deſtruere hominum ſocietatem. Atque ideò lege naturæ interdicta eſſe.

DEMONSTRATIO NONI
& decimi præcepti.

NEmo vult, vt alius ſua bona iniuſtè concupiſcat. *Maior.* Igitur, nemo debet aliena bona iniuſtè appetere. *Cõſequẽs.* Probatur conſequentia hęc naturæ regula: Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris.

Demonſtrationibus ex principiis naturę adduntur rationes ex Dei volũtate & natura petitæ.

Hæ ſunt demonſtrationes pręceptorum Decalogi petitæ ex principiis immediatè pertinentibus ad conſeruationem humanæ ſocietatis. Verùm quia ſuprà ſæpe dictum eſt, omnes vitæ ſtatus ad Deum tanquam vltimum finem referendos eſſe: quærendę ſunt etiam rationes præceptorum à Dei voluntate, & natura, hoc modo:

Primæ tabulæ ratio.

Deus eſt fons & dator omnium bonorum. Igitur Deus colendus eſt, & ei gratitudo eſt præſtanda à ſua creatura.

quarti pręcepti.

Deus amans eſt ordinis atque gratitudinis: ideo quartum edidit præceptum.

Quinti.

Deus non vult ſuam imaginem deſtrui. Prohibet igitur homicidium.

Sexti. Septimi. Octaui. Noni & decimi

Deus eſt puriſſimus & caſtiſſimus. Igitur puritatem & caſtitatem requirit à rationali creatura.

Deus eſt iuſtiſsimus. Igitur malum dolum, furtũ, fraudem, homicidia abominatur, & virtutibus cum his vitiis pugnantibus delectatur.

Deus eſt verax. Igitur offenditur mendacio & amat veritatem.

Deus eſt ſanctus & purus. Non vult ergo animos noſtros impuritate concupiſcentiarum cõtaminari.

Alia demonſtratio poſterioris tabulæ.

Poteſt etiam ſecunda tabula ex lege dilectionis proximi, quæ naturalis eſt, demonſtrari hoc pacto: Qui diligit proximum, ei debitum honorem præſtat, & analogum reddit officium iuxta quartũ præceptum: ei nullam iniuriam facit, nec in perſona propria, quod prohibetur quinto præcepto: nec in perſona cõiuncta, iuxta interdictum ſexti præcepti: nec in rebus, prout exigit ſeptima lex: nec in dictis, iuxta prohibitionem octauæ legis: nec corde, quæ illius ſunt, appetit, quod vetatur duobus poſtremis præceptis. Atque ita leges ſecundæ tabulæ affectus ſunt & propria dilectionis officia.

DE VIRTVTIBVS

Catalogus & definitiones virtutum.

Quoniam autem homo animal ſociale eſt, & virtutis eſt proprium conciliare ſibi animos hominum & ad vſus ſuos adiungere (Cicerone teſte) catalogũ virtutum, cum definitionibus adiungam, vt in conſpectu virtutis partes habeantur, quas in omni vita lucere oportet.

Sequamur autem in virtutum declaratione Ciceronẽ potiſſimum, cùm propter breuitatẽ, tùm propter orationis perſpicuitatem & proprietatem.

Virtutis definitio.

Virtus, ἀρετὴ, à Cicerone definitur hoc modo: Vir-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tus eſt animi habitus naturæ modo rationi conſentaneus. Veteres autem ſic: Virtus eſt ars bene rectéque viuendi. Oppoſitū. Huic opponitur vitium, κακία, habitus animi, naturæ iudicio cum recta ratione pugnās. Vt autem virtus animos hominum ſibi conciliat & ad vſus ſuos, vt dictum eſt, accommodat: ita vitium animos hominum alienat, & ab vſibus ſuis auertit. Quare vt illam expetendam natura dictat, ita hoc fugiendum eadem magiſtra docemur.

Cōmendatio. Huc illa virtutis commendatio apud Menandrū: ὅπλον μέγιστον ἐστὶν ἡ ἀρετὴ βροτοῖς. Hoc eſt: *Virtus maxima armatura eſt mortalibus.* Et Iſocratis ad Demonicum: τῆς ἀρετῆς οὐδὲν κτῆμα σεμνότερον οὐδὲ βεβαιότερον: Hoc eſt: *Virtute nulla poſſeſſio venerabilior neque firmior.* Et Menander: Καρπὸς τῆς ἀρετῆς ἐστὶν εὔτακτος βίος, *Fructus virutis eſt bene compoſita vita.* Quid de vitio, quod virtuti aduerſatur, ſentiendum ſit, ex contrariis effectibus facilè colligi poteſt.

Partes. Virtutis partes iuxta Platonem & Ciceronem ſunt quatuor, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, & temperantia. Has quatuor virtutis partes, ſuprà admonui requiri ad conſeruationem naturæ humanæ, & ſocietatis inter homines conciliandæ, de quibus nunc ordine dicendum eſt.

DE PRVDENTIA ET *eius partibus.*

Definitio prudentię. PRVDENTIA, φρόνησις, eſt rerum bonarum & malarum & vtrarumque ſcientia. Seu, vt Ariſtoteles definit: Prudentia eſt habitus vera ratione ad ea agenda idoneus, quæ vitæ hominum conducunt vel obſunt. Oppoſitū. Huic opponitur ἀφροσύνη, quæ eſt inſcitia, qua quis ineptus eſt ad agenda ſingula ſuo loco & tempore quæ oportet. Hanc prudentiam naturæ lege requiri, ex eo liquet, quod ſine ea nihil rectè agi poteſt.

Laus. *Prudentiæ* laus magna eſt apud Poëtas. Menander ait: ἀγαθὸν μέγιστον ἡ φρόνησις ἐστὶ ἀεί. Id eſt, *Prudentia ſemper eſt maximum bonum.* Cauſam huius laudis idem Poëta ſubiungit, cùm ita ait: ἂν εὐφρονῇς, τὰ πάντα γε εὐδαίμων ἔσῃ, Hoc eſt: *Si prudenter egeris, omnino beatus eris.*

Partes tres. 1. Memoria. Prudentiæ partes Cicero tres numerat, memoriam, intelligentiam, prouidentiam. *Memoria* μνήμη, eſt per quam animus repetit illa quæ fuerunt: Hæc ideo prudentiæ pars cenſetur, quia ad prudenter agendum requiritur multorum experimentum, quod haberi nequit, abſq; memoria præteritorum. Nam experimentum, vt inquit Ariſtoteles, eſt ex pluribus, vt ita dicam, memorijs. Cum memoria pugnat obliuio, λήθη, cui ſuccurrit reminiſcentia, ἀνάμνησις, quæ eſt inquiſitio eius quod memoria excidit. Laus memoriæ eſt quod rerum omnium ſit theſaurus, & cuſtos cæterarum ingenij partium. Huic maximum lumen ordo adfert, teſte Simonide.

2. Intelligentia. *Intelligentia*, νόησις, eſt per quam ea perſpicit animus quæ ſunt, ſeu, eſt ipſa mentis perceptio. Huius duplex munus eſt. Vnum quo res ſimplices abſolutè tenemus ſeu percipimus: Alterum quo res intellectas comparamus inter ſeſe & æſtimamus, vnde alia componimus in affirmando, alia diuidimus in negando, alia ex alijs colligimus ratiocinando. Huic ancillantur, mens, ſenſus, imaginatio, & experientia, de quibus ſuprà diximus. Sine hac intelligentia ſuum nomen prudentia tueri nequit. Nam eius pars eſt, vt ita dicam, ſubſtantialis, quæ circa præſentia verſatur, vt memoria præteritorū eſt. Huic opponitur hebetudo, ἀσυνεσία, acuminis & perſpicaciæ priuatio, qua præditi inepti ſunt ad omnem humanitatem & diſciplinam, beſtiæ potius quàm homines cenſendi. Hinc facile intelligere eſt magnas intelligentiæ laudes eſſe, vt quæ omniū artium & actionū honeſtarū mater eſt.

3. Prouidentia. Prouidentia, πρόνοια eſt per quā futurum aliquid videtur antequā factum ſit. Huic opponitur, ἀπρονοησία, qua fit vt futura non proſpiciamus conſilio, quod eſt, iuxta Senecæ ſentētiam oculus futurorū. Prouidentiæ officium eſt ex præteritis & præſentibus futura perpendere & æſtimare, atq; conſilio maturo præmunire animum, priuſquam quis rem aggrediatur. Ad prouidentiam quoque referenda eſt diligentia, ἐπιμέλεια, quæ eſt prudentia in proſpiciendo fine & mediis ad finem, & intentio animi in mediis illis parandis & tuendis. Seu, eſt deliberatio de fine & de mediis, & quædam voluntatis contentio, & conſtantia in tuendis mediis. Huic opponuntur ignauia & πολυπραγμοσύνη. Illa facit vt noſtrum munus negligamus: Hæc vt aliena curemus: de qua hic verſus vulgò fertur: τῆς πολυπραγμοσύνης οὐδὲν χερειότερον ἄλλο, Hoc eſt: *Nihil curioſitate peius.* Diligentiæ elogia multa paſſim occurrunt, quale eſt hoc Menandri: τῆς ἐπιμελείας δοῦλα πάντα γίγνεται, Hoc eſt: *Omnia diligentiæ ſubiiciuntur: Et illud Demoſthenis: Nihil eſt cautis hominibus & circunſpectis adeò formidabile, quin diligentia præcaueri poſſit, neque vllū malū eſt, quin incautis & pigris euenire queat.*

DE IVSTITIA ET *eius partibus.*

Definitio iuſtitię. IVſtitia, δικαιοσύνη, eſt habitus animi communi vtilitate conſeruata, ſuum cuique tribuens, ſeu vt Ariſtoteles definit, Iuſticia eſt ea animi affectio, qua apti homines ſunt ad res iuſtas gerendas, quáque res iuſtas & faciunt & cupiunt facere. Oppoſitū. Huic opponitur iniuſtitia ἀδικία, qua homines inepti ſunt ad res iuſtas gerendas, quáque res iuſtas nec faciūt nec cupiunt facere, imò contraria moliuntur.

Encomia. *Iuſticiæ* præclara ſunt apud omnes autores Græcos & Latinos encomia. Theognis ait: ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή ἐστι. *Iuſticia in ſeſe virtutes continet omnes.* Et Cicero: *Iuſticia hæc vna virtus ſola domina omnium & regina virtutum.* Hanc Ariſtoteles Heſpero & Aurora formoſiorem pronunciat, Cuius fundamentum eſt fides, id eſt, dictorum conuentorúmq; conſtantia & veritas. Fundamentum.

Munus. Huius primum munus eſt, ne cui quis noceat. Secundum, vt ſua ſingulis reddamus. Tertium, vt omnia ad communem vtilitatem referamus.

Fructus. Fructus huius vberrimus eſt, felicitas & bona fama. Vnde Menāder: δίκαιος ἴσθι, ἵνα καὶ δικαίων δὴ τύχοις, Id eſt, *Iuſtus eſto, vt & iuſta conſequaris.* Idem: ἀνδρὸς δικαίου καρπὸς οὐκ ἀπόλλυται: Hoc eſt, *Viri iuſti fructus non perit.* Partes. Iuſticiæ partes in duplici ſunt diſcrimine. Subiectæ. Quædam enim ſubiectæ, quædam cognatæ dicuntur. *Subiectæ* ſunt, Religio, Pietas, Gratitudo, Innocentia, Vindicatio, Beneuolentia, Liberalitas, Comitas, Ciuilitas, Fides, Obſeruantia, veritas & Ius, His addo æquum & bonum. Cognatæ. *Cognatæ* ſunt: Gloria, Dignitas, Amplitudo, Amicitia. Has partes, eo quo ꝑpoſitæ ſunt ordine, definitionib. illuſtrabimꝰ.

1. Religio. *Religio* θρησκεία, Ciceroni iuſtitiæ pars eſt, quæ ſuperioris cuiuſdam naturæ quam diuinam vocant curam ceremoniámque adfert. Hac ſublata, vt idem Cicero inquit, fides etiam & ſocietas generis humani & vna excellentiſſima virtus iuſticia tollatur, neceſſe

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ceſſe eſt. DEVM autem religioſè colendum eſſe ſupra ex lege naturæ demonſtratum eſt. Verùm huc adſcribendas duxi leges, quas Cicero in ſecundo de legibus, de cultu Deorum recitat:

Ad diuinos adeunto caſtè.
Pietatem adhibento.
Opes amouento.

Primam legem interpretatur hoc modo, Caſtè iubet lex adire Deos, animo videlicet, in qua ſunt omnia. Nec tollit caſtimoniam corporis, ſed hoc oportet intelligi cùm multùm animus corpori præſtet, obſeruetúrque vt caſto corpore adeatur, multò eſſe in animis id ſeruandum magis. Nam illud & aſperſione aquæ vel dierum numero tollitur, animi verò labes nec diuturnitate euaneſcere, nec manibus vllis elui poteſt. Quòd autem pietatem adhiberi, opes amoueri iubet, ſignificat pietatem gratã eſſe Deo, ſumptum eſſe remouendum. Quid eſt enim cùm paupertatem diuitiis etiam inter homines æqualem eſſe velimus? cùm eam ſumtu ad ſacra adhibito Deorum aditu arceamus. Præſertim cùm ipſi DEO nihil minus gratum futurum ſit, quam nõ omnibus patêre ad ſe placandum & colendũ viam.

Religioni oppoſita. Cum Religione pugnat Superſtitio, δεισιδαιμονία & ἀθεότης Epicurea, illa ſupra modum cultus genera excogitat, hæc omnem religionis curam abiicit: Sicuti Cyclops apud Euripidem facit, qui nullum aliud numen agnoſcit quàm ventrẽ ſuum, cui ſoli ſe munera offerre fatetur, alia dicit eſſe κόμπους καὶ εὐμορφίας λόγον, quem non pauci ἄθεοι hodie imitantur, quos olim iuſta vindicta rectius docebit.

Pietas, στοργὴ iuſticiæ pars eſt, per quam ſanguine coniunctis patriæque beneuolis, officium & diligẽs tribuitur cultus. Huic opponitur, ἀστοργία, vitiorum omnium radix. Quare non ſatis laudari poteſt pietas, ſine qua religio eſſe nequit. Nam religionis cauſa pietate inter ſe deuincti ſunt homines, quẽadmodũ elegãter vir optimus Stigelius, his verbis cecinit:

Vtque alios alij de relligione docerent,
Contiguas pietas iuſſit habere domos.

Gratitudo. *Gratia*, χάρις, iuſticiæ pars eſt, in qua amicitiarũ & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas, continetur. Huic opponitur ingratitudo, ἀχαριστία, quo vitio nullum grauius iudicârunt Perſarum leges, & contrà Poëtæ & Philoſophi omnes, gratiã maximis extulêre encomiis. Oppoſitũ Encomia. Heſiodus in Theogonia gratiæ partes pulcerrima proſopopœia depingit: cùm ait:

τρεῖς δέ οἱ εὐρυνόμη χάριτας τέκε καλλιπαρῄους,
Ἀγλαΐην, καὶ εὐφροσύνην, θαλίην τ' ἐρατεινήν.

Gratitudinis pictura. His verſibus Heſiodus, vt Iouem patrem gratiarum facit: Ita matrẽ Eurynomã: quibus verbis ſignificatur, quòd lex quædã diuinitus inſita ſit mentibus hominum de gratitudine. Charitum, id eſt, gratiarũ numerus ſignificat tres actus diſtinctos in beneficiis, quæ vltrò citróque dãtur, vt ſunt, dare, accipere, referre. Charitum nomina, affectus eorum qui vltrò citróque certant beneficiis, notant: ἀγλαΐα, enim, latinè ſplendor & dignitas, monet vt qui accepit beneficiũ, illud agnoſcat & prędicet: Εὐφροσύνη hilaritas, monet datorem hilaritatis, vt ſine moroſitate & mora beneficium conferat, Iuxta illud Euripidis: *Qui citò præſtat gratiam dulciſſimus mortalium eſt.* Et illud: *qui citò dat, bis dat.* θαλεία florida, monet ne beneficiorũ acceptorũ memoriã ſinamus ſeneſcere, Huc illud Theocriti: χρύσειοι πάλαι ἄνδρες ὅτ' ἀντεφίλησ' ὁ φιληθείς. Hoc eſt, *Aurei quondam homines fuere, quando is qui beneficia acceperat, gratiã viciſſim rependit.* Hæ tres Gratiæ apud Poëtas virgines, eæque nudæ & connexæ pinguntur. Nuditas & virginitas Symbola ſunt ſimplicis candoris, ne quis donationis prætextu cuiquã inſidias ſtruat. Dona enim quæ ita conferuntur rarò proſunt accipienti, vnde Aiax apud Euripidẽ, ἄδωρα τῶν ἐχθρῶν δῶρα, Id eſt, *Inimicorũ dona minimè dona ſunt.* Qui ita hoſtili animo aliis largitur dona, perinde facit, ac ſi linguam exſecet de ſerpentis ore, ac munera porrigeret veneno tincta, ſicuti Medea apud Euripidẽ fecit.

Innocentia, ἀκακία, eſt puritas animi, omnẽ iniuriæ illationẽ abhorrens. Seu, eſt iuſticię pars, qua integritas vitæ & morum ſeruatur. 4. Innocẽtia. Huius magna laus eſt apud Ciceronẽ. Vitam, inquit, beatã efficiũt trãquillitas conſcientiæ, & ſecuritas innocentiæ. Huic opponitur nocẽdi cupiditas, κακότης, qua quis ad iniuriã & maliciam committendã eſt paratus, vitium planè Satanicum, & humana natura indigniſſimum.

Vindicatio, ἐκδίκησις, eſt per quam vis & iniuria, & omnino omne quod obfuturum eſt, defendendo aut vlciſcendo propulſatur. 5. Vindicatio. Huic opponitur ab vna parte ſæuitia ſeu crudelitas, ὠμότης: ab altera remiſſio, ἄνεσις. Oppoſita.

6. Beneuolentia. *Beneuolentia*, εὔνοια, iuſticiæ pars eſt, qua aliis bene volumus. Oppoſita. Huic opponitur Maleuolẽtia, κακόνοια, odiũ μῖσος, & inuidia, φθόνος, quę triſtatur de alienis bonis. Vnde autem proficiſcatur inuidia, *Titus Liuius* his verbis oſtendit: *Nulla ingenia tàm prona ad inuidiam ſunt, quàm eorum qui genus ac fortunas ſuas animis non æquãt, quia virtutẽ ac aliorũ bona oderũt.* Aduerſus hoc vitiũ plurimæ Poëtarũ celebrãtur ſentẽtiæ, ſed ego ex multis paucas adſcribã. Aduerſus Inuidiam Epigrãma Græcum eſt.

ὁ φθόνος ἐστὶ κάκιστον, ἔχει δέ τι καλὸν ἐν αὐτῷ,
τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίαν.

Inuidia peſſimũ quid eſt, habet tamẽ in ſe aliquid boni, nã conſumit inuidentiũ oculos & cor. Huc illud Horatij:

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum. Et hoc Ouidij.
Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nuſquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.
Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores.
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis,
Sed videt ingratos, intabeſcitq. videndo.
Succeſſus hominum, carpitque & carpitur vna,
Suppliciúmque ſuum eſt. Et Horatius:
Inuidus alterius rebus marceſcit opimis.

Liberalitas, ἐλευθεριότης, iuſticiæ pars eſt, quæ in beneficiis conferendis mediocritatem ſeruat. 7. liberalitas. Liberalitatis comites facit Valerius, humanitatem & clementiam, quibus homine nihil dignius teſtatur Cicero. Comites. Martialis liberalitatis fructum expreſſit his verſibus: Fructus.

Extra fortunam eſt, quicquid donatur amicis.
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

Hæc, vt Claudianus ait:

Nil negat, & ſeſe vel non poſcentibus offert.

Huic opponitur in exceſſu quidem prodigalitas, Oppoſita. ἀσωτία, in defectu verò illiberalitas, ἀνελευθερία. Huius tria ſunt genera: turpis quæſtus, tenacitas, & κιμβεία. Turpis quæſtus, αἰσχροκέρδεια, eſt, cùm quis diteſcere quærit vndecunque, & lucrum quàm pudorem pluris facit. Tenacitas, φειδωλία, eſt, cùm quis in re honeſta ſumtui & impenſæ parcit. κιμβεία eſt quaſi cacuminis ſectio, hoc fit cùm quis quidem expendit, ſed minutatim & malè, nullo temporis delectu habito, vnde fit vt plus iacturæ faciat.

Comitas, φιλοφροσύνη eſt morum quædam humana & ornata ſuauitas, à como quod eſt orno. 8. Comitas. Hæc amicitiæ cõiuncta eſt, Ita enim Cicero ait: Amicitia remiſſior eſſe debet & dulcior, & ad omnem comitatem facilitatémque procliuior. Qui enim hac ſunt virtute præditi, benignè & haud grauatè aliis inſer-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Oppoſita. uiunt,quod eſt amicorum proprium. Huic opponitur ab vna parte ſeueritas,ab altera ſcurrilitas : illa ne punctum quidem à virtute diſcedendum ſtatuit, hæc nimis remiſſa liberioribus locis delectatur : illa græcè ἀποτομία quaſi reſectio, qua res ad viuũ exigitur.Hęc εὐτραπελία,quæ ſe flectit ad ingenia hominũ, vt lepore & vrbana dicacitate oblectentur, dicitur.

9. Ciuilitas. *Ciuilitas*, τὸ πολιτικὸν, eſt ciuilis quædam moderatio ac modeſtia homini politico maximè conueniens.Huic opponitur inciuilitas, ἀγριότης, quæ eſt morum quædam ruditas & ruſticitas,& petulantia, ὕβρις,quæ alios per contumaciam petit. (Margin: Oppoſita.)

10.Fides *Fides*, πίστις, eſt dictorum & conuentorum conſtantia & veritas, dicta, quòd fiat quod dictum eſt. Hanc Seneca *ſanctiſſimum humani pectoris bonum* appellat. Et à Cicerone *fundamentum iuſtitiæ* dicitur. Rectè igitur monet Plautus : *fac fidelis ſis fideli, caue fidem flexam geras*. Quod autem Theon Sophiſta dicit: μέμνησο ἀπιστεῖν, vult ne quis ſinat ſe facilè perſuaderi à quouis,niſi euidentes appareant rationes.

oppoſita. Huic opponitur vanitas , ματαιότης, & inconſtantia, ἀστασία.

11.Obſeruantia. *Obſeruantia*,θεράπεια,eſt per quam homines aliqua dignitate antecedẽtes,cultu quodã&honore dignamur:ſeu,per quã honorãtur perſonæ in digniori gradu cõſtitutę.

Oppoſitũ Huic opponitur Deſpicientia,ὑπεροψία, quæ in animi quadam auerſione poſita eſt.

12.veritas *Veritas*,ἀλήθεια,eſt per quã immutata ea quæ ſunt, aut fuerunt aut futura ſunt,dicuntur.

Oppoſitũ. Huic opponitur mendacium, ψευδολογία. Veritatis commendatio apud Philemona hæc eſt:

Οὐκ ἔστιν οὔτε ζωγράφος, μὰ τοὺς θεοὺς,
Οὔτε ἀνδριαντοποιὸς, ὅστις ἂν πλάσαι
Κάλλος τοιοῦτον, οἷον ἡ ἀλήθει᾽ ἔχει.

Hoc eſt: *Non eſt aut pictor,per Deos,aut ſtatuarius, qui fingere poſſet pulchritudinem talem, qualem habet veritas.*

13.Ius. *Ius*, τὸ δίκαιον, nihil aliud eſt quàm quod vel natura,vel ciuitas,aut populus,aut gens, vel conſuetudo iubet. Diuiditur in ius naturale,gentium & ciuile.1.

Naturale. *Naturale*,quod eſt cõmune omni nationi , eo quòd vbiq; inſtinctu naturæ habetur,non aliqua conſtitutione facta ab homine,ſed ab ipſo naturæ conditore:vt maris & fœminæ coniunctio,natorum educatio,liberorum ſucceſsio in bonis parentum. 2. Ius

Gentium *Gentium*,eſt quo gentes humanæ vtuntur,hoc Deo,

Ciuile. religioni,patriæ paremus. 3. Ius *Ciuile* , eſt quando aliquid communi iuri vel additur vel detrahitur, hoc eſt, Cùm populus ſibi quaſi proprium ius ciuitatis facit. Hæc tria iuris genera tum demum approbanda ſunt,quãdo ex primis naturæ axiomatis fluxiſſe demonſtrantur.

14.Aequitas triplex. *Æquum & Bonum*,æquitas, ἐπιείκεια , hæc triplex eſt. Nam aut eſt congrua legis ad opus applicatio, in qua ſpectatur voluntas & mens legis,& non τὸ ἀκριβοδίκαιον :

1. temperatio iuris. ſeu eſt temperatio ac emendatio iuris, quæ fit ex prudentia iudicis accommodantis ſe rationi cauſæ,& flectentis legem ad cauſam, non cauſam ad legem.

2.rerum iuſta commutatio. Aut eſt rerum iuſta commutatio ſeruata æqualitate.

3.diſtributio pœnarũ & præmiorum. Aut eſt iuxta proportionem debitã, & officiorum condicionem , bonorum & præmiorum atque etiam pœnarum diſtributio.

Hinc oriuntur iuſtitiæ ſpecies,diſtributiua & cõmutatiua.

De iuſtitia diſtributiua. *Diſtributiua* iuſtitia eſt perſonarum & officiorum ordinatio in omni vita publica & priuata. Hæc ſecundum proportionẽ Geometricã tribuit perſonis apta officia.Vt enim Geometrica proportio (quam Ariſtoteles διηρημένην& Cicero deiunctam vocat)nõ

Vſus. numerorũ interualla ſimpliciter conſiderat, ſed æqualitatẽ proportionũ rerũ & perſonarũ ſpectat:Ita hæc diſtributiua iuſtitia nõ indifferenter iuxta perſonarum numerum diſtribuit functiones, ſed perſo Simile. narum & functionum proportionem attendit,& tribuit perſonis aptas functiones. Vt ædificaturus domum non lignum quodlibet quod caſu offertur ſub ſternit,vt ſit baſis domus,ſed diligit ex magno aceruo quod congruit : Ita in republica non cuiuis munus magiſtratus imponitur,ſed idoneo. Vbi hæc iuſtitia non ſeruatur,actum eſt de ſalute Reipublicæ.

Commutatiua,iuſtitia, συναλλακτικὴ eſt ordinatio cõ- Commutatiua. mutationis rerũ in cõtractibus.Hęc ſecundum proportionẽ Arithmeticã ſeruat æqualitatẽ in commutatione rerum:in hac rerũ æqualitas quæritur,perſonarum nulla facta collatione. Vt enim Arithmetica proportio numerorũ,ęqualia interualla conſiderat, exẽpli gratia,3.6.9.12.15.hîc ſemper proximus à proximo diſtat ternario : Ita iuſtitia commutatiua citra perſonarũ reſpectũ ſimpliciter æqualitatẽ rerũ quæ cõmutantur ſpectat,vt tantus ſit numerus emtoris quantus eſt venditoris, vt res emta & preciũ ſint æqualia. Sine hac iuſtitia nulla domus , nulla ciuitas, nulla reſpublica ſtare poteſt.

Porrò hæc commutatiua iuſticia accommodatur vſus commutatiuæ iuſtitię. ad genus,hoc eſt,ad quãlibet rerũ æſtimationem ſeu cõpenſationẽ , & non ſolùm vbi dãnum & lucrum, ſed etiã vbi delictum & pœnę æſtimantur. Vt in pœna talionis,homicidium nece punitur. Verùm interim diligenter obſeruandum eſt , quòd propter circumſtantias perſonarum & occaſionũ, debeat iudex interdum proportionẽ Geometricam adhibere in conſilium,qua grauius punit ebrietatem in Senatore quàm in milite: Sic paterfamilias grauius puniet filium ſcortantem quàm famulum.

Gloria,κλέος,eſt frequens de aliquo fama cum lau De cognatis partib. iuſtitię. 1.Gloria. de,vel,eſt illuſtris & peruagata multorum & magnorum virorum,vel in ſuos ciues,vel in patriam , vel in omne genus hominum fama meritorum. Vel ſicut alibi definitur:Eſt conſentiens laus bonorum,incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute. Hæc virtuti reſonat & eius veluti imago exiſtit. fundamentum. Huius fundamentũ eſt virtus ſeu quælibet res præclarè geſta dignáque laude: vt Muſarum gloria carmẽ eſt teſte Heſiodo. Vbi autem fundamentum nõ Huic aduerſatur inanis gloria, cuius hæ ſunt partes. ſolidum eſt,ſed fictum potius, inanis eſt gloria , vt militis apud Comicum , qua nihil iuxta Menandri ſententiam,eſt miſerius. Huius inanis gloriæ partes ſunt,iactantia,præſumtio,hypocriſis. *Iactantia*,ἀλαζονεία, Iactantia. eſt inanis de ſe & ſtulta prædicatio , qua quis plura promittit quàm præſtare poteſt. *Præſumtio*, Præſumtio. τόλμημα,eſt cùm quis ob facta ſua,quæ aliquã admirationẽ merentur,gloriã venatur immodico ſtudio. *hypocriſis*,cùm quis gloriã quærit ex eo quod non ha Hypocriſis. bet,cuius tamen veluti larua quædã foris apparet,vt ſi Hiſtrio aliquis ſuſtinens perſonã Herculis in fabula,mox Herculem aliquem ſe iactaret.

Porrò vt inanis gloriæ mater eſt ſuperbia & φιλαυτία: ita procreat inertes ſoboles,pertinaciã,diſcordiã, oſtentionem, inobedientiam & alia huius generis vitia.

Dignitas,ἀξιοπρέπεια,eſt alicuius honeſto & cultu, 2.Dignitas. & honore,& verecundia,digna autoritas. Huic op- Oppoſita. ponitur indignitas,ἀναξία condicio vitæ obſcura.

Amplitudo,τὸ πληρωματικὸν aut potentiæ,aut maie- 3. Amplitudo. Oppoſita. ſtatis , aut aliquarũ copiarum magna abundantia. Huic opponitur ignobilitas & egena obſcuritas.

Amicitia,φιλία eſt voluntas erga aliquem rerum 4.Amicitia. bonarũ illius ipſius cauſa,quẽ diligit,cũ eius pari voluntate.Huius propriũ eſt retinere & alere beneuolentiã,beneficentiã & συμπάθειαν, qua cum afflicto

pate-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſto pateris ἡ γὰρ συμπάθεια ἐστὶ πάθος τινὸς διὰ πάθος ἑτέρου.

Tria amicitiæ genera.

Tria genera amicitię faciunt Philoſophi. *Primum* & optimum dicunt eorum, eſſe, quos virtus copulauit. Solida enim eſt ex ratione dilectio. *Secundum* & medium genus in gratiæ relatione eſt. Eſt enim hoc genus in mutua remuneratione poſitum, in tota vita admodum vtile, Nam communis eſt ex gratia amicitia. *Poſtremum* & tertium genus ex familiari conſuetudine ortum habet. Hypodamus Pythagoreus admodum pulchrè amicitiæ genera tradit his verbis: ἃ μὲν ἐξ ἐπιστήμας θεῶν, ἃ δὲ ἐκ παροχᾶς ἀνθρώπων, ἃ δὲ ἐξ ἁδονᾶς ζωῶν. Hoc eſt: *Alia quidem amicitia eſt ex ſcientia Deorum, alia ex largitione hominum, alia ex voluptate animalium.* Et addit: *Quòd prima ſit Philoſophi amicitia, media hominis, vltima animalis.*

DE FORTITVDINE ET *eius partibus.*

Fortitudinis definitio. Encomia.

FORTITVDO, ἀνδρεία, eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſsio. Hæc iuſtitiæ propugnatrix eſt, quæ finem conſeruationem humanæ ſocietatis ſeu defenſionem ornamẽtorum omnium virtutum habet, aduerſus omnia vitia decertat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduerſus voluptates, vt auaritiam fugiat, tanquam labem quandam, quæ virtutem effœminat. Cicero hanc Stoicorum definitionem etiam probat: Fortitudo eſt virtus pugnans pro æquitate, atque ideò fortes & magnanimos habendos pronunciat, non qui faciunt, ſed qui propulſant iniuriam.

Etymologia.

Eſt autem obſeruandum, quòd quemadmodum virtus à viro apud Latinos dicitur, teſte Cicerone, ita fortitudo apud Græcos à viro: propterea quòd viri propria maximè eſt fortitudo.

Munera.

Cuius munera duo ſunt maxima: mortis dolorîſque contemptio. Vtendum eſt igitur, vt idem Cicero dicit, fortitudine, ſi virtutis compotes, vel potiùs ſi viri volumus eſſe. Quoniam à viris hæc virtus nomen eſt mutuata.

Oppoſita. 1. Audacia

Verſatur autem fortitudo inter duo extrema, audaciam & timiditatem. *Audacia* θάρσος, eſt inconſiderata confidentia res arduas aggrediendi. Hanc tamen Cicero interdum agnatam eſſe dicit fortitudini.

2. Timiditas.

Timiditas, δειλία, animi eſt anguſtia, qua quis præ animi paruitate formidat res arduas aggredi, hoc qui laborant vitio, effœminati appellantur.

3. Ignauia 4. Nequitia.

Aduerſantur quoque fortitudini ignauia & nequitia. *Ignauia*, ῥαθυμία, eſt quæ, quod ratio aggredi fortiter ſuadet, diſſuadet. *Nequitia*, ἀχρειότης, quæ non ſolùm fortitudini, verumetiam omnibus opponitur virtutibus. Hæc à nihilo, id eſt, ſterilitate nominata eſt, vt quæ nihil recti aut boni, ſed quicquid poteſt mali contumaciter facit. Atque ideo qui hac laborant, perditi appellantur, & indies in ſuam perniciem properant. Quibus opponuntur frugales, à fruge, hoc eſt, fertilitate dicti.

Partes. 1. Magnificentia.

Partes ſubiectæ fortitudini ſunt, Magnificentia, Fidentia, Patientia, Perſeuerantia. *Magnificentia*, μεγαλοπρέπεια, eſt rerum magnarum & excelſarum cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitione, agitatio atque adminiſtratio. Hæc inter duo extrema verſatur, βαναυσίαν & paruificentiam. βαναυσία ob animi paruitatem, ſeruilia & contempta artificia ſectatur. *Paruificentia*, μικροπρέπεια, eſt paruitas animi & abiectio indigna viro.

2. Fidentia.

Fidentia, παῤῥησία eſt per quam magnis & honeſtis in rebus multùm ipſe animus in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocauit. Seu, vt alibi Cicero definit: eſt firma animi cõfiſio. Huic opponitur ab vna parte θάῤῥη, ab altera diffidentia: quę metu mali, quod videtur impendere, nihil audet aggredi.

3. Patiẽtia

Patientia, ἀνεξικακία, eſt honeſtatis aut vtilitatis cauſa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria ac diuturna perpeſsio.

Cauſæ patientiæ.

Huc placet adſcribere cauſas patientiæ ex primo Faſtorum Ouidij, vbi Nicoſtrata filium Euandrum exulem ad patientiam hortatur his verbis:

Fortiter exilium ferre memento tuum.
Sic erat in fatis, nec te tua culpa fugauit,
Sed Deus, offenſo pulſus es vrbe Deo.
Nec meriti pœnam pateris, ſed numinis iram.
Eſt aliquid magnis crimen abeſſe malis.
Conſcia mens, vt cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora, pro facto ſpémque metúmque ſuo.
Nec tamen vt primus mœres mala talia paſſus,
Obruit ingentes iſta procella viros.
Paſſus idem eſt, Tyriis qui quondam pulſus ab oris
Cadmus, in Aonia conſtitit exul humo.
Paſſus idem Tydeus, & idem Pagaſeus Iaſon,
Et quos prætereà longa referre mora eſt.
Omne ſolum forti patria eſt: vt piſcibus æquor,
Vt volucri vacuo quicquid in orbe patet:
Nec fera tempeſtas toto tamen horret in anno,
Et tibi (crede mihi) tempora veris erunt.

Analyſis harũ cauſarum.

Hîc Poëta cauſas patientiæ enumerat: prouidentiam Dei, innocentiam, bonam conſcientiam, exempla, fortitudinem & ſpem melioris fortunæ.

Extrema patientię.

Porrò patientia verſatur inter extrema, impatientiam & indolentiam. Illa fugit omnem laborem & dolorem. Hæc omnem laboris & doloris ſenſum abiicit, Græcè ἀπάθεια, vt illa φόβος generali nomine, quæ fortè proprium non habet, dicitur.

4. Perſeuerantia.

Perſeuerantia, καρτερία, eſt in ratione bene conſtituta ſtabilis & perpetua permanſio.

Oppoſita ſeu extrema.

Verſatur autem inter duo extrema, pertinaciam & leuitatem. *Pertinacia*, αὐθάδεια, quæ ſanè deliberationi eſt inimica, nimis enim inſiſtit in ſuis perſuaſionibus. Oritur autem ex amore ſui & honorifica de ſe perſuaſione: quo vitio laborantes, ſibi nimis placent, & de ſuis elatiùs ſentiunt, & inde ferè ſunt ἰδιογνώμονες, non enim admittunt aliorum iudicia & ſententias. Æſchylus opponit αὐθάδειαν εὐβουλίᾳ, ita enim ait: μήδ' αὐθάδειαν εὐβουλίας ἀμείνον' ἡγήσῃ ποτέ. Hoc eſt, *Neque peruicaciam vnquam exiſtimes meliorem prudentis deliberatione.*

Leuitas, κουφότης, qua quis nunc in hanc, nunc in illam temerè fertur ſententiam, non ſecùs atque pluma, quæ facillimè leuiſsima aura nunc huc nunc illuc impellitur.

DE TEMPERANTIA ET *eius partibus.*

Temperantiæ definitio.

TEMPERANTIA, σωφροσύνη, eſt rationis in libidinem atque in alios non rectos impetus, animi firma & moderata dominatio.

Etymon.

Latinum nomen ſortita eſt à temperando, hoc eſt, moderando, videlicet, quòd affectus moderetur & actiones & geſtus, vt in eis quædam appareat ſuauitas & veluti iucunda quædam harmonia. Græca appellatio σωφροσύνη ſecundùm Ariſtotelem dicitur, quaſi σώζουσα τὴν φρόνησιν, hoc eſt, conſeruatrix prudentiæ. Secundum Platonem, σωτηρία τῆς φρονήσεως, ſalus prudentiæ. Vtraque etymologia eodem pertinet, videlicet quòd temperantia faciat, vt ſalua ſit prudentia, hoc eſt, ne quid contra prudentiam, cuius rgeula eſt recta ratio, fiat.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Et quoniam impetus animorum ſæpe inſurgũt contra hanc regulam, accedit temperantia, vt eos moderetur, ne quid fiat indecorè, & vt ſalua maneat prudentia.

Laudes.

Huius laudes meritò ſunt plurimæ apud ſcriptores, de hac quidam Græcè dixit: τῆς δὲ σωφροσύνης οὐδὲν τιμιώτερον ἄλλο. Hoc eſt, *Temperantia, nihil pretioſius*: ſine enim hac cætera nullius ſunt pretij. Quæ autem hac ſunt temperata, dulciſsima & pretioſiſsima ſunt. Menander temperantiam *penu virtutis* appellat, cùm ait, ταμίειον ἐστὶν ἀρετῆς ἡ σωφροσύνη. Xenophon eandem appellat, θεμέλιον σοφίας, *Fundamentum ſapientiæ*. Et addit: *Nihil mali in eo viro naſci poſſe, qui hoc iecerit fundamentum.* Et quidam de ſeptem Græciæ ſapientibus ita monet: *Sis in adoleſcentia temperans, in media ætate iuſtus, in ſenecta prudens, quò moriaris abſque triſtitia.* Cicero aſſerit temperantiam facere, vt rationem ſequamur, eandem dicit animis pacem adferre, & eos quaſi quadam concordia placare & lenire.

Extrema, ſeu oppoſita.

Hæc inter extrema verſatur, intemperantiam & inſenſibilitatem.

1. Intemperantia.

Intemperantia, ἀκολασία, eſt effrenis quædam à tota mente & à recta ratione deflexio: ſic auerſa à præſcriptione rationis, vt nullo modo appetitiones animi nec regi, nec contineri queant. Græca appellatio, ἀκολασία dicitur ab α priuatiua particula, & κολάζω quod ſignificat frenare & temperare. Nam qui hoc vitio laborat, veluti frenis excuſſis quocunque impetus animi ferunt, ruit. De hac Cicero. *Quemadmodum temperantia ſedat omnes appetitiones, & efficit, vt hæ rectæ rationi pareant, conſeruátque conſiderata iudicia mẽtis: Sic huic inimica intemperantia, omnem animi ſtatum inflammat, conturbat, incitat.* Vitia quæ coniuncta ſunt intemperantiæ, enumerat Ariſtoteles his verbis: ἀκολασίαν comitantur ἀταξία, ἀναίδεια, ἀκοσμία, τρυφή, ῥαθυμία, ἀμέλεια, ὀλιγωρία, ἔκλυσις, hoc eſt, *Ordinis perturbatio, impudentia, confuſio, deliciæ, ignauia, incuria, negligentia, diſſolutio.* Idem affirmat, malum intemperantiæ, hydropi & tabi ſimile eſſe, propterea quòd cùm radices egerit, incurabile malum ſit.

2. Inſenſibilitas.

Inſenſibilitas, ἀναισθησία, ſtupor eſt, quo fit vt nullæ animi aut corporis cogitationes ſuboriãtur. Qui hoc laborant vitio non admodum multi reperiuntur. Vnde factum eſt, vt ait Ariſtoteles, vt ne nomẽ quidem habuerint. Appellẽtur autem ἀναίσθητοι, hoc eſt, omnis ſenſus expertes. Vox ἀναισθησίας in Philebo Platonis eſt, cùm inquit, anima eſt ἀπαθὴς motum, corporis ἀναισθησίαν nominans.

Temperantię partes.

Temperantiæ partes ſunt plures, vt ſunt: Verecundia, Honeſtas, Continentia, Sobrietas, Caſtitas, Pudicitia, Humilitas, Clementia ſiue Manſuetudo, Modeſtia, εὐταξία, decorum, αὐτάρκεια, moderatio.

1. Verecũdia.

Verecundia, αἰδώς, cùm modum ſeruat, virtutibus annumeratur, & *virtutis tinctura* quædam à Cicerone dicitur, & ab eodem *cuſtos omnium virtutum* appellatur, dedecus fugiens. Hæc maximè in virginibus & adoleſcẽtibus laudanda eſt, iuxta illud Plauti. *Decet verecundum eſſe adoleſcentem.* & de adoleſcente in Adelphis dicitur: *Erubuit, ſalua res eſt.* Pythagoras hoc de verecundia tradidit præceptum. πρήξεις δ' αἰσχρόν ποτε μήτε μετ' ἄλλου, μήτ' ἰδίῃ. πάντων δὲ μάλιστ' αἰσχύνεο σαυτόν.

Extrema. 1. Vitioſus pudor.

Verſatur autem hæc verecundia inter vitioſum pudorem & impudentiam. *Vitioſus pudor.* δυσωπία eſt, immodicus pudor, atque ideò vitioſus & turpis.

2. Impudentia.

Impudentia, ἀναίδεια vitium peſsimum, videlicet cùm quis perfricta fronte, & omni exhauſto pudore, quiduis audet. Hoc vitio laborantes viri quidem κυνῶπες, mulieres verò κυνώπιδες ab Homero appellantur, vt qui canino aſpectu abſque omni verecundia præditi ſint. De hoc Menander in hunc modum conqueritur:

ὦ μεγίστη τῶν θεῶν
Νῦν οὖσ' ἀναίδει', εἰ θεὸν καλεῖν σε δεῖ,
Δεῖ δ', τὸ κρατοῦν γὰρ νῦν νομίζεται θεός.
Ἐφ' ὅσον βαδίζεις; ἐφ' ὅσον ἥξειν μοι δοκεῖς;

Hoc eſt: *ô maxima Deorum, Quæ nunc es impudẽtia, ſi Deum te vocare licet. Sed oportet: nam quod imperat, pro Deo nunc habetur. Quouſque progrederis? quouſque peruentura mihi videris?* Idem. Κακὴ ἡ αἰδὼς ἔνθα γε ἀναιδὲς κρατεῖ, *Malus pudor vbi vincit impudentia.* Pollux ait: *canis oculum habere dicitur is, qui nimio plus impudens eſt, cui ſi etiam importunitatem adieceris, κυνομυῖαν, feceris: qua voce ſignificatur impudentiſſimus, in quo ſcilicet muſca & canis ingenium copulatum eſt.*

De hoc vitio ita ait Euripides: ἡ μεγίστη τῶν ἐν ἀνθρώποισιν νόσων ἡ ἀναίδεια, Hoc eſt: *Omnium vitiorum, quæ in hominibus ſunt, maximum eſt impudentia.* Hanc Xenophon maximam ducem ad omnem turpitudinem eſſe teſtatur. De qua hæc Theognidis eſt querela:

ἤδη νῦν αἰδὼς μὲν ἐν ἀνθρώποισιν ὄλωλεν,
αὐτὰρ ἀναιδείη γαῖαν ἐπέρχεθ' ὁμῶς.
Inter mortales perijt pudor omnis honeſtus,
Oſque pudore vacans aſpicit omne ſolum.

2. Honeſtas.

Honeſtas σεμνότης, hac cauetur, ne quid indecorè, effœminatè, libidinoſè & turpiter fiat cogitetúrque. Verùm hîc honeſtatem vocari eam, quæ à ſapientibus & bonis illud nomen meretur, meminerimus: non quæ in multitudine conſpicitur ficto nomine: αἰσχρὸν γὰρ κρίνειν τὰ καλὰ τῷ πολλῷ ψόφῳ. Cicero: *Cùm id, quod vtile videtur in amicitia, cum eo, quod honeſtum eſt, comparatur, iaceat vtilitatis ſpecies, valeat honeſtas.* Idem: *Honeſtate dirigerẽda vtilitas eſt*: Idem: *Illud honeſtum (quod ſæpe diximus) etiamſi in alio cernimus, tamen nos mouet, atque illi, in quo id ineſſe videtur, amicos facit.* Idem, *In officio colendo ſita eſt honeſtas omnis, & in neglegẽdo turpitudo.* Opponitur ergo turpitudo honeſtati.

3. Continentia.

Continentia, ἐγκράτεια eſt per quam cupiditas conſilij gubernatione regitur. Hæc enim maximè voluptates corporis, cibi & potus, & rerum venerearum moderatur. Continentiæ autem nomen ex eo eſt, quòd ita teneat cupiditates cibi potúſque & rerum venerearum ſub imperio rationis, vt ab iis ſe vinci minimè patiatur. Huc illud Pythagoræ præceptum.

Κρατεῖν δ' εἰθίζεο τῶνδε,
γαστρὸς μὲν πρώτιστα, καὶ ὕπνου, λαγνείης τε, καὶ θυμοῦ. Hoc eſt, *Imperare aſſueſce, ventri quidem primùm, ſomno libidiníque & iræ.* Et Anacharſis: γλώσσης, γαστρὸς, αἰδοίων κρατεῖν. Hoc eſt, *Linguam, Ventrem, Venerem compeſcere.* Et Menander: γαστρὸς πειρῶ πᾶσαν ἡνίαν κρατεῖν: Hoc eſt, *Conare omnem ventris habenam comprimere.* Huc etiam Virgilij verſus aſcribere placuit:

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore:
Vno námque modo vina Venúſque nocent.

Et rurſus.

Compedibus Venerem, vinclis conſtringe Lyæum.
Ne te muneribus lædat vterque ſuis.
Vina ſitim ſedent, natis Venus alma creandis
Seruiat, hos fines tranſiluiſſe nocet.

Sequamur itaque Ciceronis conſiliũ qui ait: *tantũ cibi & potionis adhibendum eſt, vt reficiantur vires, non opprimantur. Eſſe enim,* vt alibi ait, *oportebit, vt viuas: non viuere, vt edas.*

Continentiæ opponitur incontinentia, ἀκράτεια, quæ eſt cùm aliquis non imperat voluptatibus: ſed ab illis ſuperatur, eíſque ſe ſeruum facit.

4. Sobrietas.

Sobrietas, νηφαλιότης, ſpecialius nomen eſt quàm continentia. Eſt enim mediocritas potus, & opponitur ebrietati. Latinæ vocis ratio eſt, quòd dicatur ſobrietas, quaſi ſine ebrietate. Commoda ſobrietatis perpulchrè complectitur Horatius:

Accipe

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Accipe nunc victus tenuis quæ quantáque ſecum
Adferat, in primis valeas benè. Idem.
Alter (ſcilicet ſobrius) *vbi dicto citiùs curata ſopori*
Membra dedit, vegetus præſcripta ad munia ſurgit.

Ebrietatis turpitudo & incommoda.

Verùm ſobrietatis laudes aliunde rectiùs æſtimari non poſſunt, quàm ex ebrietatis turpitudine & incommodis. *Mente*, inquit Cicero, *rectè uti non poſſumus multo cibo & potione completi.* Et Poëta Græcus: οἰνωθεὶς ἀνὴρ ἥσσων μὲν ὀργῆς ἐστί, τοῦ δὲ νοῦ κενός, φιλεῖ τε πολλὴν γλῶτταν ἐκχέας μάτην ἄκων ἀκούειν, ἅπερ ἑκὼν εἶπεν κακῶς: Hoc eſt. *Vinoſus vir ab ira quidem ſuperatur, mente verò eſt vacuus, ſoletque vbi multa verba effuderit temere, inuitus audire quæ volens dixit.* huc prouerbium πολλάκις ἐν οἴνου κύματι τις ναυαγεῖ. Hoc eſt: *Plerunque in vini fluctibus aliquis naufragium facit.* Ariſtophanes vinum lac Veneris eſſe dicebat, his verbis: ἡδύς τε πίνειν οἶνος ἀφροδίτης γάλα, *Suaue ad bibendum vinum, Veneris lac.* Atque ideò Plato legem ſtatuit, ne quis guſtaret vinum ante completum 18. ætatis annum. Deinde vſque ad 23. mediocriter guſtandum eſſe. Huius legis rationem addit hanc: οὐ γὰρ χρὴ πῦρ ἐπὶ πῦρ ὀχετεύειν, hoc eſt, *Non oportet ignem ſuper ignem equitare.* Sunt & hi verſus apud Clementem Alexan:

οἶνος δ᾽ ὡς πυρὶ ἶσον ἔχει μένος, εὖτ᾽ ἂν ἐς ἄνδρας
ἔλθῃ· κυμαίνει δ᾽ οἷα λίβυσσαν ἅλα.
βορέης ἠὲ νότος, τὰ δὲ πάντα κεκρυμμένα, φαίνει.

Et Auſonius.

Enſe cadunt multi, perimit ſed crapula plures,

Notetur & verſiculus Propertij:

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas.

Huc & illud Menandri pertinet:

πολὺς γὰρ οἶνος πολλὰ ἁμαρτάνειν ποιεῖ.
Multum vinum multa facit peccare.

Et Latinus Poëta.

Et Venus in vinis, ignis in igne furit.

5. Caſtitas

Conſiſtit in animi & corporis puritate.

Caſtitas, ἁγνεία, eſt religioſa quædam mundities & puritas, qua & animus mundus ab impura libidine corpus purum ſeruatur. Corporis munditiem ſine puritate animi Ariſtoteles par uifecit: qui cùm videret Zenocratem mingentem & non admouentem manum τῷ αἰδοίῳ, ridens dixit, χεῖρες μὲν ἁγναί, φρὴν δ᾽ ἔχει μιάσματα: *manus quidem caſta, ſed mens inquinata eſt.* Neque eſt tantùm in virginibus caſtitas de qua loquor, ſed etiam in coniugibus honeſtis: Vnde Horatius: *Dos eſt magna parentum & metuens alterius viri certo fœdere caſtitas.*

Quæ dos matronis pulcherrima? vita pudica.
Quæ caſta eſt? de qua mentiri fama veretur.

Huic opponitur impuritas, φιληδονία. *Pudicitia* ἁγνεία, eſt qua abſtinetur non ſolùm ab illicita Venere, verum etiam à ſignis Veneris. Non enim ſolummodo corpus caſtum eſſe oportet: verumetiam oculos. Atque ideò pudicitia Romanis velata facie pingi ſculpíque ſolita eſt. Et apud alios teſtudini æquiparata, quòd pudicarum eſt ſeſe domi continere, & frequentia loca omnia declinare. Opponitur pudicitiæ ἀσέλγεια, quæ externis ſignis libidinoſum animum teſtatur. Virgines igitur & mulieres, quæ nimio ornatui ſtudent, produnt animi libidinem. Quare Tibullus vetat, ne auro polluatur forma, ita enim ait.

Aduerſus luxum mulierũ.

Admonui quoties, auro ne pollue formam,
Sæpe ſolent auro multa ſubeſſe mala.

Quidam admodum venuſtè καλλωπισμὸν muliebrem taxauit hoc dilemmate: *Si pulchræ ſunt mulieres, ſufficit natura, non contendat ars contra naturam, hoc eſt, non litiget fucus cum veritate. Si turpes ſunt natura: id quod apponunt, magis deformitatem arguit.* Oportuit igitur ſimplicitatem amplecti. Et meritò Apelles pictor reprehendit diſcipulum pingentem Helenam auro ornatam, ô adoleſcens, inquit, quia non potuiſti pulchram pingere diuitem feciſti.

6. Humilitas.

Humilitas, ταπεινοφροσύνη, continet & refrænat motus audaces, ne plura nobis polliceamur quàm par eſt. De hac notentur hi Menandri verſus:

ἄνθρωπον ὄντα σαυτὸν ἀναμίμνησκ᾽ ἀεί.
βούλου δὲ ἀρέσκειν πᾶσι, μὴ σαυτῷ μόνον.
εἰ θνητὸς εἶ, βέλτιστε, θνητὰ καὶ φρόνει,
θνητὸς πεφυκὼς μὴ φρονῆς ὑπέρθεα.
ἐν δὲ εὐπροσηγόροισιν ἐστί τις χάρις.
ἴσος μὲν ἴσθι πᾶσι, κἂν προὔχῃς βίῳ.

Hoc eſt.

Hominem te eſſe fac ſemper memineris.
Stude omnibus placere, non tibi ſoli.
Si mortalis es, optime, mortalia quoque cogita.
Mortalis natus ne ſapias ſupra diuinum numen.
In comiter ſalutantibus ineſt quædam gratia.
Æquabilem te omnibus præſta, etiamſi vita excellas.

Ouidius itidem humilitatem commendat his verſibus.

Vſibus edocto ſi quicquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi, quantùmque potes, prælustria vita,
Sæuum præluſtri fulmen ab arce venit.
Effugit hybernas demiſſa antenna procellas,
Latáque plus paruis vela timoris habent.
Aſpicis, vt ſumma cortex leuis innatat vnda,
Cùm graue nexa ſimul retia mergat onus.

Et rurſus.

Quid fuit, vt tutas agitaret Dædalus alas?
Icarus immenſas nomine ſignat aquas?
Nempe quod hic alte, demiſſius ille volabat,
Nam pennas ambo non habuere ſuas.
Crede mihi, benè qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quiſque manere ſuam.

Pulchrum exemplum proponit Auſonius in Agathocle Rege Syracuſano.

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio ſæpè oneraſſe luto:
Quærenti cauſam, reſpondit, rex ego qui nunc.
Sicaniæ figulo ſum genitore ſatus.
Fortunam reuerenter habe, quicunque repentè
Diues ab exili progrediere loco.

Propertius.

Alter remus aquas, alter tibi radat arenas,
Tutus eris, medio maxima turba mari eſt,

Aduerſus ſuperbiã.

Huic opponitur *ſuperbia*, ὑπερηφανία. ſuperbia cæcum vitium eſt & peſſimum: facit enim, vt τὸ γνῶθι σεαυτὸν nemo videat, & multorum malorum cauſa, tandem ſibi ipſi perniciem affert. Contra hanc beſtiam, & Græci & Latini autores multa ſcripſerunt, è quorum monumentis pauca adſcribam.

Primo loco producamus Menandrum, qui ita ait:

ὦ τρισάθλιοι.
ἅπαντες οἱ φυσῶντες ἐφ᾽ ἑαυτοῖς μέγα,
αὐτοὶ γὰρ οὐκ ἴσασιν ἀνθρώπου φύσιν.

O ter miſeri Omnes inflati, qui de ſe magnificè ſentiunt, Ignorant enim illi hominis naturam. Idem

ἀλαζονίας οὔτις ἐκφεύγει δίκην. Hoc eſt:

Arrogantiæ nemo effugiet pœnam. Idem.

ἐφ᾽ ᾧ φρονεῖς μέγιστον ἀπολεῖ τοῦτό σε
Ob quod maximè ſuperbis, id te peſſundabit.

Alius quidam Comicus græcus.

εἰ καὶ βασιλεύς, ὡς θνητὸς ἄκουσον,
ἂν μακρὰ πτύῃς, φλέγματι ὢ κραιπνῷ περισσῷ,
ἂν ἐνιμαντῆς, ταῦτα πρὸ σοῦ προβάτιον εἶχεν,
ἂν χρυσοφορῇς, τοῦτο τύχης ἐστὶν ἔπαρμα,
ἂν πλούσιος ᾖς, τοῦτο χρόνου ἄδικος ἰσχύς,
ἂν ἀλαζονῇς, τοῦτο ἀνοίας ἐστὶ φρύαγμα.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Hoc eſt:

Et ſi Rex es, vt mortalis audito,
Si longum excrees, pituita id ſit, qua nimia teneris.
Si veſtem bonã geris, hanam antè geſtauit ouicula.
Si geris aurum, id fortunæ faſtus eſt,
Si diues es, id temporis iniuſta vis.
Si ſuperbis, id amentiæ fremitus eſt.

Hæc fœda beſtia ingratiſsima eſt virtutum comes, & quicquid attingit turpiter fœdat: iuxta verſus vulgares:

Si tibi copia, ſi ſapientia, formáque detur,
Sola ſuperbia deſtruit omnia ſi comitetur.

Et Claudianus.

Inquinat egregios adiuncta ſuperbia mores.

Et rurſus.

quia ipſa ſuperbia longè
Diſceſſit, vitium rebus ſolenne ſecundis,
Virtutúmque ingrata comes.

Seneca.

Dominare timidus, ſpiritus altos gere,
Sequitur ſuperbos vltor à tergo Deus.

7. Clementia. *Clementia* ſiue manſuetudo, πραότης, eſt per quam animi temerè in odium alicuius concitati, comitate retinentur. De hac Cicero ita ait: *Nihil eſt laudabilius, nihil magno ac præclaro viro dignius placabilitate atque clementia, quæ ita probanda, vt adhibeatur Reipublicæ cauſa ſeueritas, ſine qua adminiſtrari ciuitas non poteſt.* Et rurſus, *omnibus eſt odio crudelitas, & amori pietas & Clementia.* Terentius, *re ipſa comperi nihil eſſe homini melius facilitate atque clementia.*

Ouidius.

Regia, crede mihi, res eſt ſuccurrere lapſis.

Idem libro 3. de triſtibus.

Quò quiſque eſt maior, magis eſt placabilis iræ,
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cùm iacet hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus vrſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Hanc Claudianus commendat Honorio Conſuli his verbis,

Sis pius in primis, nam cùm vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat clementia nobis.

Huius commoda idem recitat hiſce verſiculis.

Hæc & amicitias longo pòſt tempore firmat,
Manſuróque adamante ligat, nec mobile mutat
Ingenium, paruo ſtrepitu, nec vincula noxa
Diſſolui patitur, nec faſtidire priorem
Allicitur veniente nouo, benefacta tenere,
Reſpuere offenſas facilis, pariérque minoris
Officij magníque memor, ſuperare laborat:
Vtque hoſtes armis, meritis ſic vincit amicos.
Hæc fouet abſentes, hæc longè ſola remotis
Conſulit, hæc nullis auidam rumoribus aurem
Pandit, vt ignauum nunquam læſura clientem
Inſidioſa tuos alienent murmura ſenſus.
Non viuis annexus amor meminiſſe ſepultos
Deſinit, in prolem tranſcurrit gratia patrum.

Huic opponitur inclementia ἀπήνεια, crudelitas quædam & feritas aduerſus vel victos, vel ſubiectos ſeu reos.

8. Modeſtia. *Modeſtia*, κοσμιότης, eſt per quam pudor honeſtus claram & ſtabilem comparat authoritatem. Hæc in opinione, ſermone, geſtu, actione, negotiorũ ſeruat conuenientiã. Cum hac pugnat ſuperbia Thraſonica, vanitas ſeu iactantia, garrulitas, futilitas, ſcurrilitas, petulantia, obſcœnitas, item luxus & ineptiæ in veſtitu & multò maximè curioſitas ſeu πολυπραγμοσύνη, de qua hic fertur verſiculus:

τῆς πολυπραγμοσύνης οὐδὲν χερειότερον ἄλλο. Hoc eſt,

Curioſitate non eſt aliud peius malum.

Εὐταξία in agendis ſeruat ordinem, ſine quo nihil ſuaue, nihil gratum, nihil denique laudabile eſt. Huic opponitur ἀταξία. 9. Εὐταξία.

Decorum, τὸ πρέπον cum εὐταξία cohæret, niſi quòd quemadmodum illa propriè eſt rerum, ita decorum eſt perſonarum, etſi differentia hæc non eſt perpetua. Huic opponitur indecorum, ἀπρέπεια. 10. Decorum.

Αὐτάρκεια eſt, per quam quis ſuis eſt contentus, nec aliunde deſiderat quicquam. Virtus ſanè rariſsima, ſed in primis laudanda. Hæc enim inimica eſt auaritiæ, prodigalitati, luxui, ſuperbiæ, & multis aliis. 11. Animus ſorte contentus.

Moderatio, μετριότης ſuperiori ancillatur. Hæc enim facit, ne quis nimis exquiſita requirat. Qui αὐτάρκης eſt, moderatur ita omnia, vt potiùs naturæ quàm libidini ſatisfaciat. 12. Moderatio.

Hæc ſint breuiter dicta de quatuor virtutum generibus, earum partibus & officiis, quarũ virtutum ſemina in nobis eſſe dicebant Stoici à natura indita, aliis maiora, aliis minora: ea præterea excoli, augeri, perfici, diſciplina, educatione, exercitatione affirmarunt: id quod me perſpicuè oſtendiſſe arbitror. Dixi quoque de expoſitis vitiis, quò virtutum decus ex collatione magis cerneretur. Concluduntur autem hac demonſtratione.

Quicquid homini conuenit ſecundum rectam rationem, expetendum eſt, & quod cum ratione pugnat, fugiendum. Virtutes conueniunt, & vitia minimè. Ergo vt illæ expetendæ: ita hæc fugienda ſunt. Maior eſt principium ſuprà declaratum. Minor colligitur ab enumeratione effectorum. Effecta enim virtutum cõſeruant hominis ſtatum & dignitatem. Item Oeconomias & reſpublicas ſtabiliunt, cùm contraria his vitia, non ſolùm cum hominis dignitate pugnant, verumetiam domos atque reſpublicas, experientia teſte, euertunt.

Hic meritò quæri poteſt, num omnia quæ concluduntur ex principiis legis naturæ, ſint neceſſaria néc ne. Ad hanc quæſtionem reſpondeo: Omnia quidem neceſſaria eſſe, ſed alia in ſpecie, alia in genere. Concluſiones in ſpecie neceſſariæ & immotæ ſunt, quæ rectè extruuntur à principiis, ita vt quicquid ſtatuitur ab vllo homine contra cõcluſiones rectè extructas, ſit contra legem naturæ. Lex fertur à Semiramide, vt cognati cognatas in vxores ducant, quod ideo fecit turpiſsima fœmina, vt ſui filij complexu frueretur, à quo & occiſa eſt. Qui iuxta hanc legem cognatas, vt matres, ſorores, &c. duxerunt, nõ ſunt excuſati lege tyrannica & impia, imò lege naturæ damnati ſunt, atque ideo quicquid vt honeſtũ concluditur ex axiomatis legis naturæ, honeſtũ eſt, & & quicquid vt turpe, perpetuò turpe cenſendũ eſt. Aliæ cõcluſiones ſunt neceſſariæ in genere, non in ſpecie. Hæ mutari poſſunt in ſpecie, manẽte genere. Huiuſmodi ſunt plurimæ imperatorũ & principũ leges, qui ſemper reſpiciunt ad incolumitatem reipublicæ, & ad eam confirmandam ſuas leges ordinãt. Sit exẽpli gratia hæc lex: Nemo peregrinus vallum vrbis conſcendat. Hæc lex in genere neceſſaria eſt, non in ſpecie. In genere, quatenus ad commune bonum facit, & ad conſeruandam reipublicæ incolumitatem. In ſpecie autẽ non eſt neceſſaria, quia hæc determinatio non directè concluditur ex axiomatis naturæ. Poterit quoque incidere caſus, vt lex feratur, qua peregrinus obligetur ad conſcendendum vallum, quæ ſanè cum priori pugnat, ſed in ſpecie, & non in genere.

Addamus & aliud exemplum. Lex aliquando fuit, Nemo vſuram vllam accipiat, hæc lex in genere neceſſaria

ceſſaria eſt, non in ſpecie. In genere quidem, quatenus incolumitati reipublicæ ſeruit, & commoda eſt ciuibus: in ſpecie autem non eſt neceſſaria, quia fieri poteſt, vt vitio hominũ nõ ſortiatur finẽ propoſitum, hoc eſt, vt nec reipublicæ ſit vtilis, nec ciuibus commoda. Si ergo vt maiori incõmodo occurrat magiſtratus, permittit moderatam vſurã, vt accipere quinque de centum, vt hac ratione iuuentur ciues & conſulatur ſaluti reipublicę: nõ euertit priorem legem in genere, licèt ferat permiſſionẽ in ſpecie. Ideo diligenter ſpectãdum eſt, quæ hypotheſes ſunt neceſſariæ in ſpecie ſeu ἁπλῶς, & quæ in genere tantùm, ſeu κατά τι. Hæc diſtinctio multas quęſtiones diluere poteſt, & oſtendit, quòd tametſi omnes honeſtæ leges extruantur ex axiomatis legis naturæ, non tamen ſit neceſſarium, vt nos eaſdem leges habeamus cũ Gallis, aut Italis, aut Germanis in ſpecie. Quilibet enim magiſtratus ἀνυπεύθυνος poterit leges vtiles ſuæ reipublicę condere: modò nihil contra naturæ normam faciat, imò verò idem magiſtratus poteſt alias leges in alijs ditionibus habere, ſi id vel condicio hominum vel ratio proprietatũ expoſtulare videtur. Quę diuerſæ leges, tametſi in ſpecie variant, tamen pulcherrimè in genere cõueniunt, & minimè ſibi inuicem aduerſantur. Huc ergo diligentia magiſtratus incumbat, vt leges & cõſentientes legi naturæ & vtiles ſaluti reipublicæ ferat, hoc tamẽ ita intelligi volo, vt in bene cõſtitutis rebuſpublicis nõ temere legum fiat mutatio. Nam leges longo tempore & veterum autoritate cõfirmatæ, iam ſacroſanctæ haberi debent, vt nefas ſit eas mutare.

Deſtinctio vtiliſſima.

Ratio.

Alia reſponſio per diſtinctionem triplicem.

Poteſt & hoc modo reſponderi ad quæſtionem propoſitam. Natura quædam dictat neceſſariò faciẽda: quædam rurſus iudicat neceſſariò cauẽda: & quædam in medio relinquit.

1. Quædam ſunt neceſſario facienda.

Quæ neceſſariò dictat facienda natura, ea cũ fiũt, iuſta ſunt vbique & apud omnes, idque natura, non opinione. Huius generis ſunt omniũ virtutũ actiones propriæ, quæ ex axiomatis naturæ per demonſtrationem extruuntur.

2. Quædã neceſſario cauenda.

Quæ neceſſario natura cauenda iudicat, ea cũ fiunt, iniuſta ſunt, vbique & apud omnes, idque natura & non opinione, huiuſmodi ſunt omnes actiones, quæ deflectũt vel minimũ à virtutũ proprijs actionibus.

3. Quædã ſunt libera.

Quæ in medio relinquũtur ſunt libera, ita vt nec iuſtus nec iniuſtus dicatur quis, ſiue ea faciat, ſiue omittat. Huc pertinent actiones, quæ per ſe nec in vitijs nec in virtutibus ponuntur. Vt vallum vrbis cõſcendere vel non conſcendere, naturæ lex liberũ relinquit. At vbi decretũ magiſtrat⁹ acceſſerit, quo interdicitur, ne quis vallũ conſcendat, iuſticiæ & legis tranſgreſſor habendus eſt, qui cõtemto magiſtratus decreto vallũ cõſcendit: & contra, qui abſtinet propter magiſtratus edictum, iuſtus in ea legis parte cenſendus eſt.

In poſtremam diſtinctionẽ de reb. liberis quæſtio.

Reſponſio.

De hoc tertio genere quæri poteſt, nũ lata lege iniuſtũ ſit natura vallum conſcendere. Si nõ eſt natura iniuſtũ, videtur opinione tantũ iniuſtũ eſſe. Dico natura fuiſſe liberum, ideóque nec iuſtũ, nec iniuſtum: ſed poſtquam acceſſit vox magiſtratus, quæ finem naturæ ſpectãs, hoc eſt, incolumitatem reipublicæ, interdixit quod liberũ erat, naturæ terminos tranſgreditur quiſquis hanc legẽ violat, & factum pronuncio iniuſtũ natura, nõ quidẽ ἁπλῶς, ſed κατά τι, hoc eſt ob finem quem natura ſpectat in actionibus pertinentibus ad conſeruandam incolumitatem ſocietatis humanæ.

De conſcientia.

Cæterùm quia malè & bene factorũ teſtis & iudex eſt conſcientia, reſtat vt de ea nõnulla dicamus. Eſt ſanè mirandum opificiũ Dei in hominibus conſcientia, quæ iuxta prouerbiũ, inſtar mille teſtiũ eſt, hæc non ſolùm teſtatur de lege naturæ, quæ honeſta præcipit & illis contraria prohibet, quẽadmodũ hactenus à nobis explicatũ eſt. Verumetiã nos quaſi ad tribunal Dei ſiſtit, alia accuſans, alia laudans, aliàs puniens, aliàs excuſans.

Etſi autem interdum cõſcientia veluti ſopita delitеſcit: tamen aduerſis perinde atque flagello crebrius excitatur, iuxta illud Sophocleum: Conſciẽtię via.

παθόντες ἂν ξυγγνοῖμεν ἡμαρτηκότες.

Hoc eſt:

Cùm affligimur, conſcientia ſcelerum excitatur.

Et Lucretius.

Sed metus in vita pœnarum pro malefactis
Eſt inſignibus inſignis, ſceleriſque luela,
Carcer, & horribilis de ſaxo iactus eorum,
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, teda.
Quæ tamen etſi abſunt, at mens ſibi conſcia facti
Præmetuens, adhibet ſtimulos, torretque flagellis.

Et Pindarus in Pythijs:

ἔν τι μὰν θνατῶν φρένες ὠκύτεραι
κέρδος αἰνῆσαι πρὸ δίκας δόλιον,
τραχεῖαν ἑρπόντων πρὸς ἐπίβδαν δ᾽ ὅμως,

Hoc eſt: *Interprete Philippo: Sunt hominũ mentes velociores ad laudandũ doloſum lucrum præ iuſticia, repentium tamen ad aſperum poſtfeſtum.* Eſt autem ἐπίβδη, quam Philippus poſtfeſtum vocat, dies, qui ſequitur feſtum aliquod conuiuiorũ, in quo homines ſe exhilararunt ac largius ſe potationibus dederũt. Hanc cum dicit aſperam fore, videlicet ex crapula, ſignificat futurũ eſſe, vt qui malè fecerunt, aliquãdo poſt factum conſciẽtia ſceleris torqueantur, & pœnas luant.

Vt autẽ adoleſcentes rectè admoneantur de hoc Dei opificio, omnium primum tenẽdum, quòd eius ſit in mente ſedes. In mente autem ſunt tria, quæ ad hanc rem faciunt. Conſcientiæ ſedes in mẽte, cuius tres hic cõſiderãtur partes ſeu ancillæ.

Primo loco eſt intelligentia, quã vocant cõtemplantẽ, cuius officium in contemplatione ſitũ eſt, atque hæc illa melior pars animi eſt, quã Ariſtoteles dicit ſemper hortari ac prouocare ad meliora. In hac collocatur συντήρησις, ea quæ propoſitiones ſuppeditat. Nam cùm hæc συντήρησις ſit cuſtos ac cõſeruatrix notitiarum, quæ nobis innatæ ſunt de rectè factis ac ſecus, attendit ſemper quid expediat, quidue non expediat. Atque ea de cauſa ſuppeditare propoſitiones ſyllogiſmis practicis dicitur. Quales ſunt hæ: Honeſta faciẽda ſunt. Turpia non ſunt faciẽda. Sunt autem hæc duo prima axiomata, quæ de actionibus ex lege naturæ promit συντηρήσεις, ex quib⁹ poſtea plurimæ extruuntur hypotheſes, quæ præbent ſyllogiſmo practico propoſitiones: quales multæ à nobis ſunt antea ex illis primis axiomatis extructæ. 1. Intelligentia cõtemplans.

Secundo loco in mente eſt intelligẽtia practica: cuius officiũ in actione poſitũ eſt: In hac collocatur conſcientia: quæ aſſumtiones ſeruiẽtes ſyllogiſmo practico ex actionũ differentijs promit, συντήρησις in Hectore hanc ſuppeditat propoſitionem: Honeſta ſunt facienda. Conſcientia promit hanc aſſumtionẽ Defendere patriam, & pro ea fortiter mori eſt honeſtũ. Συντήρησις Oedipo hanc ſuggerit propoſitionem: Turpia facta ſunt vitanda, & peſſima maximè vitãda, Conſcientia autem eius hanc deprõſit aſſumtionem: Inceſtus cũ matre concubitus & parricidiũ, turpiſſima ſunt facta. Atque ita in alijs actionibus συντήρησις maiorem, conſcientia minorem ſyllogiſmo practico ſuppeditat. 2. Intelligentia practica.

Tertio loco in mente eſt τὸ κριτήριον, Hoc eſt, Facultas iudicandi: Hæc eſt quę iudicat de factis, an ea laude aut pœna ſint digna. Honeſta facta, laude & pręmio digna iudicat iuxta honeſtatis gradus: & contrà turpia dãnat, eáque ſupplicio digna pronunciat, 3 Facultas iudicãdi.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

iuxta turpitudinis gradus. Hoc ergo κριτήριον maiori propoſitioni, quam ſuppeditat συντήρησις, addit iudicium. Deinde conſcientia ſubſumit factũ, de quo iudex in concluſione pronunciat, hoc pacto.

Harum mentis partium in bene & malè factis mirabiles effectus: vt ex Hectoris & Oedipi factis collatis conſtat.

Συντήρησις adhibito κριτηρίῳ in Hectore hanc propoſitionem ſuppeditat: Honeſta facta ſunt digna laude.

Conſcientia ſubſumit: Defendere patriam & pro ea fortiter mori, eſt honeſtum factum.

Τὸ κριτήριον ſeu iudex concludit: Ergo patriam defendere, & pro ea fortiter mori eſt dignum laude.

Et rurſus, συντήρησις adhibita facultate iudicandi in Oedipo hanc propoſitionem ſuppeditat: Turpiſsima facta grauiſſimis pœnis ſunt digna. Conſcientia eiuſdem ſubſumit: Inceſtus cum matre concubitus & parricidium turpiſsima ſunt facta. τὸ κριτήριον. Ergo inceſtus cum matre concubitus & parricidiũ digniſſima ſunt grauiſsimis pœnis.

Priorem Syllogiſmum in mente Hectoris ſequuta eſt lætitia, quæ ipſius animum in grauiſsimis periculis non parũ leniebat, imò liberabat adeò, vt mori pro patria iam non pertimuerit. Nam cùm à vate Polydamante admoneretur, ne bellum contrà Græcos iniret, Reſpondit. εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. Adeò præſtans ille heros cõſcientia facti fretus, ſe aduerſus ærumnas in periculis pro defendenda patria ſuſceptis erexit. Nam cùm vates volatum auium ſignificare triſtem euentum nunciaret, Hector animoſè reſpondit: Siue dextrorſum aues ortũ verſus, ſiue ſiniſtrorſum ad occaſum volent, ἡμεῖς δὲ μεγάλοιο Διὸς πειθώμεθα βουλῇ, Nos magni Iouis cõſilio obedire ſtatuimus. Conſilium Iouis appellans impetum animi Heroicum, quo ad rem præclarè & honeſtè gerendam impellebatur. Neque enim putabat vllum tempus eſſe, quo ea, quæ ſunt honeſta, nõ ſint facienda, præſertim cùm ſalus patriæ agitur. Nam iuxta Euripidis ſententiam, ὅ, τι καλὸν φίλον ἀεί, quod honeſtum ſemper carum.

Poſteriorem ſyllogiſmum in mẽte Oedipi Regis Thebanorum tantus conſequutus eſt dolor, quod impatiens turpitudinis à ſe perpetratæ, ſibi ipſe præ dolore eruerit oculos. Fuit quidẽ vir Heroicus Oedipus, qui etſi vatem Tireſiam inceſtas nuptias ipſi obijcientem contempſit facilè: Tamen ita vno teſte conſcientia victus eſt, quòd ſe & reum & perditum agnouerit. Verè enim Menander ait.

ὁ συνιστορῶν αὑτῷ τι, κἂν ᾖ θρασύτατος,
ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ

Hoc eſt, *Qui ſibi aliquid conſcius eſt, etſi audaciſſimus, conſcientia tamen facit eum timidiſſimum.* Variat ergo conſcientiæ qualitas pro factorum conditione. Rectè enim facta, vt in Hectore, ſequitur bona conſcientia: turpia verò, vt in Oepido, mala

Platonis de bona & mala conſcientia, egregiũ dictũ.

De vtraque Plato elegantiſſimè diſſerit in primo de republica. *Quando* inquit, *aliquis vicinus morti videtur, inuadit ipſum ſubitò metus quidam & cura eorum de quibus antea non cogitauit: & ſermones, qui feruntur de inferis, nempe, quòd eos, qui hic alios læſerint, illic pœnas luere oporteat, hactenus quidem ridiculi & fabuloſi ſunt viſi. At tunc torquent animum ægrotantis, atqui ipſe ſiue ex ſenectutis infirmitate, ſiue aliunde inferis vicinior magis, quæ illic aguntur conſiderat, ſuſpicione itaque & metu plenus animo verſat ac penſitat ſi quem læſerit. At ſi deprehenderit ſe multa iniuſtè feciſſe in vita, ex ſomnis tanquam pueri, crebrò excitatus metuit, ac mala cum ſpe viuit. Verum illi, qui ſibi nullius iniuſticiæ conſcius eſt,* ἡδεῖα ἐλπὶς ἀεὶ πάρεστι καὶ ἀγαθὴ γηροτρόφος. quemadmodum & Pindarus ait. Et paulò pòſt: *At ei, qui iuſtè & ſanctè vitam tranſegerit, dulcis quidem, cor nutriens & altrix ſenectutis, ſpes comes eſt.* Et Pindarus in Nemeis non a Oda, ἐκ πόνων δ' οἳ σὺν νεότατι γένωνται, σύν τε δίκᾳ τελέθει πρὸς γῆρας αἰὼν ἁμέρα, Hoc eſt: *Laboribus iuſtis in iuuentute* fit ſenectuti placidum æuum.

Mala conſcientia furijs agitatur.

Sophocles Tragicus ſcribit Oedipum excæcatum, ductu Antigonæ filiæ perueniſſe Athenas, atque illic in templo Erinnyum ſepultum. Quæ fabula ſignificat eos, qui turpem vixere vitam, tãdem mala conſcientia morituros.

Furiæ quid.

Sunt autẽ Erinnyes nihil aliud, quàm animi perturbationes ex mala conſcientia, quæ perpetuò comitantur turpia facta: atque ea de cauſa Erinnyes dicuntur μνήμονες, id eſt, memòres, quia nunquã obliuiſcuntur iuſtæ pœnæ ob ſcelera perpetrata: quæ etſi tardius infertur, tamen hoc ſemper agũt Erinnyes, vt cũ maximè expectatur, ſentiatur pœna. Dicitur autem Erinnys: ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ νοῦ, quaſi lis & cõtentio animi, cuius meminit Virgilius lib. ſecundo Aeneidos. *Quo triſtis* Erinnys, *quò fremitus vocat.* Hinc eſt, quòd quicunque grauia perpetrarũt ſcelera, etſi ad tempus ſecuritatem ſibi pollicentur: tamẽ vel minimo periculo propoſito turbantur: contrà, qui nullius mali ſibi ſunt conſcij, vel in ſummis periculis bene ſperant. Huc illud Menandri:

Cur memores. Nomin. etymo.

βροντῆς ἀκούσας μηδαμῶς πόῤῥω φύγῃς.
μηδὲν συνειδὼς αὐτὸς ἑαυτῷ.

Hoc eſt: *Qui tibi nullius mali es conſcius, non eſt quòd audito tonitru procul fugias.*

De conſcientia poetarum ſententiæ.

De conſcientia Latini Poetę etiam memorabiles ſententias prodidere.

Ouidius in Faſtis:

Conſcia mens, vt cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora, pro facto ſpemque ſuo.

Poeta hic pulchrè diſcernit inter conſcientiã, & eius effectum. Conſcientiam, quam mentem conſciam vocat, intelligit eam facultatẽ, quæ factum ad regulam accommodat, quod in aſſumtione ſyllogiſmi practici fit. Eius effecta, ſpem & metũ facit: Spẽ quidem, quæ futuri boni expectatio eſt, & ſequitur conſcientiam rectè factorum: Metum verò, qui futurum malum ſeu pœnam pertimeſcit. Hic enim malefactorum comitatur conſcientiam.

Horatius libro primo Epiſtolarum:

At pueri ludentes, rex eris, aiunt.
Si rectè facies, hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Auſonius.

Quænam ſumma boni? mens quæ ſibi conſcia recti.

Ouidius rurſus.

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet,
Sed nos in vitium credula turba ſumus.

Hic etiam Poeta clare diſcernit inter cauſam & effectum.

Idem primo libro de Ponto:

Eſtur vt occulta vitiata putredine nauis,
Aequoreos ſcopulos vt cauat vnda ſalis:
Roditur vt ſcabra poſitum rubigine ferrum,
Conditus vt tineæ carpitur ore liber:
Sic mea perpetuos curarum pectora morſus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.
Nec prius hi mentem ſtimuli, quam vita relinquent,
Quique dolet, citius, quam dolor ipſe, cadet.

Et Iuuenalis:

cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes, quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos? & ſurdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortore flagellum.
Pœna autem vehemens & multo ſæuior illis,
Quas aut Cæditius grauis inuenit, aut Rhadamanthus,
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Et

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Et Lucan.

Heu quantum miſero pœnæ mens conſcia donat.

Plautus in milite.

At hoc me facinus miſerum macerat.
Meumque cor corpúſque cruciat.

Idem.

Nihil eſt miſerius, quàm animus
Sibi malè conſcius.

Huiuſmodi gnomæ Poetarum de conſcientia bona & mala ideo diligentiùs obſeruādæ & memoriæ mandandæ ſunt, vt illis admoniti caueamus nobis diligentius, ne noſtram conſcientiā vllo maculemus ſcelere, quæ vbi ſemel maculata fuerit, in dies magis magiſq; ſordeſcit. Meminerimus proinde dicti Senecæ. *Nihil prodeſt incluſam habere conſcientiam, patemus Deo, nullus mendacio, nullus diſſimulationi locus eſt.*

Quæſtio Cur plures peccent in conſcientiam.

Hîc meritò quæri poteſt, præſertim ab ignaris doctrinæ Eccleſiæ, qui fiat, quòd cùm hominis συντήρησις ſuggerat ſemper quæ honeſta ſunt, & dehortetur à cōtrarijs, plures in vitia ferantur, faciantque ea contra animi conſilium, quorū pòſtea eos pœnitere neceſſe eſt. Hic alij alias adferunt cauſas, vt fieri ſolet in rebus obſcuris, quas breuiter commemorabo, etſi eas in principio attigi.

Reſponſio, in qua variç recitantur Sēteutiæ.
1. Stoicorum.

Quidam fatalem neceſſitatem omnium motuum in hominibus cauſam eſſe ſtatuunt, & hanc adminiſtrari à tribus Parcis, & Furijs eas memori mente comitātibus. Sic enim interrogat chorus apud Aeſchilū, τίς οὖν ἀνάγκης ἐστὶν οἰακοστρόφος Hoc eſt, *Quis eſt ergo neceſſitatis gubernator?* Reſpōdet Prometheus: Μοῖραι τρίμορφοι καὶ μνήμονες ἐριννύες, *Parcæ triplices & memores Furiæ.* Huic fatali neceſſitati etiā Deū obnoxiū eſſe ſtatuūt Stoici. Verùm cùm hæc opinio manifeſtè pugnet cum experientia & legibus diuinis & humanis, & ipſum Deum ſeruum fati faciat, meritò explodenda deſtandáque eſt.

Refutatio.

2. Poetarum.

Quidam, etſi Deum eximunt à fati legibus, ipſum tamen omnium tum bonorum tum malorum autorem conſtituunt. Hunc dicunt duo mala hominibus, cùm vnum largiatur bonum, propinare. Vnde hoc Pindari dictum: ἓν παρ' ἐσθλὸν πήματα σὺν δύο δαίονται βροτοῖς ἀθάνατοι: *Iuxta vnum bonū duo incommoda dij tribuunt hominibus.* Huc pertinet illud Homericum de duobus dolijs in limine Iouis poſitis, quorum vnum bonis, alterum malis plenum eſſe dicitur: ex quibus Iupiter nunc bona, nunc mala depromit hominibus. Pertinet huc etiam fabula Pandoræ apud Heſiodum. Verùm hanc opinionem falſiſſimam ipſe Homerus eleganter refellit Odyſſeæ primo, Qui dicit, homines ſibi ipſis mala accerſere proprijs ἀτασθαλίῃσιν, hoc eſt, propria ſtoliditate, vt Aegiſtus fecit, qui Agamemnonis abſentis vxorē ſtuprauit, non quidem à Deo, ſed à propria libidine impulſus. Rectè enim dictum eſt: Si Dij quid fecerint mali, non ſunt Dij. Et Plato in fine 2. de Republ. grauiſſimè inquit: *Omni contentione pugnandum eſt, ne quis in ciuitate, quam bene regi volumus, vel dicat, vel audiat, ſeu ſenex ſeu iuuenis, ſeu in poemate, ſeu in alia narratione, Deum eſſe cauſam alicui malorum.* Et alibi dicit: ὁ θεὸς αἴτιος μὲν ἐστὶ καλῶν, ἀναίτιος δὲ κακῶν. Hoc eſt *Deus quidem autor eſt bonorum, non autem malorum.*

Refutatio, teſtimonio Homeri & Platonis firmata.

3. Quorūdam Poetarum.

Quidam Aten Deam ſuſcitare mala fingunt, quæ valida cùm ſit & velox, mitiores & moderatiores affectus percurrit. Verū iſta fictio rectè intellecta aliud non ſignificat, quàm hominum temeritatem & incogitantiam eſſe malorum cauſam. Hęc temeritas Ate illa eſt, quæ ſemper homines lædit, vnde & nomen habet, quia ſemper ἀᾶται.

4. Epicureorum.

Sunt rurſus, qui fortunæ hominum mala ac bona adſcribunt, cùm in moribus, tum in rebus alijs: iuxta illud Poetæ:

ὥσπερ κυαθίζουσα ἡμῖν ἐνίοθ' ἡ τύχη,
ἓν ἀγαθὸν ἐπιχέουσα τρί' ἐπαντλεῖ κακά.

Hoc eſt: *Fortuna eſt nobis veluti pincerna, quæ cum vnum affundit bonum, tria mala iuxta haurit,*

5. Aſtrologorum.

Omitto eorum ſententiā, qui ex aſtris pendere & mores & euentus in hominibus exiſtimāt, atque eorum, qui affirmant mores plerunque ſequi regionis naturam, Vnde Hippocrates ait, eos qui plagā Septētrionalem, Hoc eſt, Europam incolunt, aut etiā montana loca, agreſtibus eſſe moribus præditos. Aſiam autem cæteris regionibus longè clementiorē exiſtere, in eáque omnia multò meliora & blādiora naſci: Necnon mores hominum tum mitiores, tum ad agendum promtiores ob optimam Aſiatici cœli temperiem, haberi tamen illic magis imbelles homines quàm in Europa.

6. Medicorum et phyſicorum.

His proximè accedunt qui Phyſicam ἰδιοκρασίαν, in cauſa eſſe dicunt, quare alij virtutibus, alijs vitijs magis ſunt addicti. Hos etſi nonnihil dicere fateor: tamen non ſatis. Non enim temperamentum ſufficiens cauſa eſt malarum actionum, ſed tantùm impulſiua quædam & inuitatrix partialis, quæ vinci poteſt rationis imperio.

7. Summorum philoſophorum.

Quidam, in quorum numero eſt Plato, Ariſtoteles, & Plutarchus, & plerique ſummi Philoſophi, tribuūt educationi & primæ inſtitutioni, quod alij probi, alij improbi ſint. Quemadmodum enim agri neglecti producunt inutiles herbas: ita hominū ingenia neglecta, malis moribus redduntur obnoxia, iuxta illum prouerbialem Horatij verſiculum:

Neglectis vrenda filix innaſcitur agris,

Contrà vt cultus ager bonā frugem producit: Sic hominum ingenia culta ſuauiores mores reddunt. Quare rectè à Platone dictum eſt: παιδείας κεφάλαιον ὀρθὴ τροφή. Hac etiam de cauſa monet Plutarchus, arcendos eſſe pueros à malorum conſortiô & conſuetudine. Huc & illud Pythagorę ſymbolum pertinet: *Ne guſtaris ea, quibus nigra eſt cauda*, id eſt, ne familiaritatem cum ijs habeas, qui ob morum integritatem tetri exiſtimantur.

8. Euripidis.

Euripides in Medea τὸν θυμὸν autorem malorum eſſe dicit, ita enim ait in perſona Medeæ.

θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων:
ὅσπερ μεγίστων αἴτιος κακῶν βροτοῖς.

Hoc eſt:

Impetus animi mea conſilia vincit, Qui maximorum autor malorum eſt mortalibus.

9. Pindari.

Pindarus omnium rectiſſimè, etſi obſcurè, veram cauſam videtur diuinare, cùm inquit: καὶ χάρματα ἀνθρώποισι προμαθέος αἰδώς, ἐπὶ μὰν βαίνει τι καὶ λάθας ἀτέκμαρτον νέφος, καὶ παρέλκει πραγμάτων ὀρθὰν ὁδὸν ἔξω φρενῶν.

Prometheus adfert hominibus virtutem & lætitiam.

Sed tamen accedit obſcura nubes obliuionis, Et rectam viam negotiorum aufert ex mentibus. Hic Poeta videtur ſignificare lapſum Adæ, quem multi per Prometheum ſignificari autumant. Huius enim lapſus vera cauſa eſt erratorum in vita & moribus, & quòd non tam λόγῳ, quàm errantibus ἐπιθυμίαις obtemperent homines.

De varia vocabuli Conſcientiç acceptione.

Cæterùm quia vocabulum conſcientia non ſemper propriè accipitur, queādmodū iam à nobis expoſitum eſt, ſed interdum figuratè, placet in fine nōnulla de varia vocabuli acceptione adijcere. 1. Interdum itaque conſcientia accipitur pro toto ſyllogiſmo practico, & motu cordis ſyllogiſmum practicum conſequente, idque per ſynecdochen, qua totum ſæpe partis nomen accipit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

2. Interdum propriè accipitur, pro ea facultate mentis, quæ aſſumtiones ſyllogiſmo practico ſuppeditat & accommodat factum ad regulam. 3. Accipitur per metonymiam pro ipſa concluſione ſyllogiſmi practici, hoc eſt, pro iudicio mentis de facto, quemadmodum apud Paulum accipitur ad Rom. 2. cap. 4. Accipitur nonnunquã per metalepſin pro motu, qui excitatur in corde ex cogitatione ſyllogiſmi practici, hoc eſt, pro dolore vel lætitia comitãte ſyllogiſmum practicum. Ratione huius acceptionis potiſſimum capit differentias, vt hæc bona, illa mala dicatur conſcientia. Bona quidem, quia iucunda eſt actæ honeſtè vitæ recordatio, cum ſpe & expectatione læti euentus. Mala verò, quia eſt triſtis ac crucians turpiter actæ vitæ recordatio, coniuncta cum metu pœnæ impendentis.

Duæ coniugationes affectuum in hominibus.

*H*ic videre eſt duas συζυγίας affectuum in hominibus, in vna συζυγίᾳ ſunt lætitia & ſpes, in altera ſũt ægritudo & metus: vtraque memoriæ beneficio cõſeruatur, ſed habet alia alias cauſas. Honeſtè enim tranſacta vita lætitiam & ſpem copulat: At contrà turpiter acta vita eſt cauſa poſterioris συζυγίας, ægritudinis & metus. Vt ergo recordatio benè trãſactæ vitæ eſt læta, & habet ſpem iucundam de futuro: Ita recordatio malè tranſactæ vitæ eſt moleſta, & habet metum, qui eſt trepidatio mentis de futuro periculo. Hi affectus ſunt veluti quidam diuinitus hominibus dati teſtes, qui de lege naturæ teſtantur, eámque obſignant in cordibus hominum.

Concluſio totius operis.

Hæc de lege naturæ annotaſſe ſatis eſt, vt aliquo modo indicarẽ igniculos quoſdam in hominibus adhuc reliquos eſſe, qui ſi excitarẽtur educatione bona & honeſtis exercitijs, magis conſpicerentur. Hi igniculi, hoc eſt, noticiæ naturales de rebus hõeſtis & turpibus, ſunt fontes omnium legum honeſtarum, quas ad amuſſim Philoſophicam, quæ eſt demõſtratio, reuocare non erit laborioſum illi, qui ea quæ annotauimus rectè nouerit. Nõ enim ſolũmodo monſtrauimus axiomata prima & principia legis naturæ, quæ immota ſunt, & infallibilia, & quomodo ex illis κτ σύνϑεσιν extrui debeant hypotheſes: Verũ etiã indicauimus, quomodo per analyſin redeundũ ſit ab infimis hypotheſibus ad principia, vt vel minimarũ hypotheſiũ cõſtet certitudo & veritas. Neque dubito, vtiliter lecturos eſſe ethicos Ariſtotelis & alios de moribus ſcriptos libros, qui hęc bene nouerint: vt interim, taceã, tironibus Teologiæ & Iuriſprudẽtię vtile eſſe hos morũ in natura fontes videre & intelligere. Quòd autẽ nullas ex Theologia ſententias in hoc toto tractatu adduxerim: id ideò à me factum eſt, vt oſtenderem, quouſque ratio ſine voce Prophetica & Apoſtolica progredi poſsit. Quod ſupereſt, oro æternum Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt & igniculos in natura magis accendat, & noſtras mentes vera ſua luce illuminet, & nobis det gratiã talem viuendi vitam, dum hic commorandum eſt, vt hinc læti cum bona conſcientia, quando præco exitum clamauerit, migrare ad cœtum caſtiſsimorum ſpirituum & ſanctorum Dei valeamus.

FINIS.

N. H.

ENCHIRIDIVM, THEOLOGICVM,

PRAECIPVA VERAE RELIGIONIS CAPITA

Breuiter & ſimpliciter explicata continens.

Autore.

NICOLAO HEMMINGIO.

SERENISSIMO AC ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC Domino, D. Chriſtiano eius nominis tertio, Daniæ, Noruegiæ, Slauorum & Gottorum Regi, Duci Sleſuigæ, Holſatiæ, Stormariæ & Dirmaſiæ, Comiti Oldenburgenſi, & Delmenhorſtenſi, Domino ſuo clementiſsimo.

DIVVS CHRYSOSTOMVS tres ſocietatis humanæ peſtes, ἀναρχίαν, ἀπείϑειαν, καὶ τυραννίδα numerat, quarũ quę pernicioſiſſima ſit difficile dictu eſt. Nam vt ἀναρχίαν ſequitur ἀταξία & confuſio, ita Tyrannidis comes eſt legum turbatio & peruerſio, maxima cum ſubditorum iniuria coniuncta, nec dici facilè poteſt, an inobedientia erga leges & magiſtratus iſtis beſtia ſit truculentior, nec ne.

Has peſtes, magiſtratus pietate, ſapientia, ac potentia præditus, de republica, cui præeſt, ſolus ſubmouere poteſt. Sapientia enim leges ſuæ Reipublicæ ſalutares ordinat, ſi quando nouis legibus opus eſſe videbitur: potẽtia conſeruat & exequitur, ne eas potẽtiores, (veluti maiores muſcæ aranearũ retia, quibus minores beſtiolæ inuoluũtur, perrũpunt) aut violentia excutiant, aut Sophiſtica peruertãt. Nam vt rectè inquit Menãder, βίας παρούσης οὐδὲν ἰσχύει νόμος Pietate, quæ cum tyrãnide ſtare nequit, prælucet ſubditis, ac in omni humani

tatis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tatis officio eiſdem anteit: vnde fit, vt quemadmodum ſubditi legem, vt iuſtiſſimam vitæ normam intuentur, ita exemplum normæ principem ipſum ob oculos ſtatuentes, eiuſdem pietate, tanquam ſtimulo, ad omnia hnmanitatis officia incitentur. Perpulcrum enim ſinguli putant, mores ſui principis vita exprimere, iuxta illud:

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Is igitur demum recte imperare nouit, qui ſibiipſi & ſuis affectibus imperat; ſéque totum componit ad normam iuſtitiæ. Vnde recte monet Iuſtinus Martyr, οἰακιστέον τὴν ἑαυτοῦ ναῦν τὸν μὴ καταψευδόμενον τῆς κυβερνητικῆς. Ex quo fit, vt talis princeps ἡγήτωρ καὶ κοσμήτωρ λαῶν iuſtiſſime & ſit & dicatur.

Cùm autem iſta de peſtibus humanæ ſocietatis apud Diuum Chryſoſtomum lego; cogito de præſenti huius reipublicæ Danicæ ſtatu, ac gratias æterno Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti ago, quod te, Sereniſſime Rex, ἡγήτορα καὶ κοσμήτορα λαῶν, imo patrem patriæ habeamus. Qui, cum pietate, & omni virtutum officio tuis ſubditis antecedis, cum legibus rempublicam munis, cum ordinationibus corrigis, cumque viris in aula tua (quæ pietatis quoddam theatrum videtur) doctrina, religione, ſapientia, & rerum experientia præſtantibus ornas, facis vt tuæ ditiones in pace floreant, quæ ſanè florerent magis, niſi peccata noſtra tantum bonum impedirent.

Ea enim pietas tua eſt, Sereniſſime Rex, ea induſtria, ea ſancta tua cura & ſolicitudo, vt nō poſſit non florentiſſima eſſe reſpublica te gubernante, ſub cuius prudenti ac pio regimine tanquam ſub alis, cum ab externis hoſtibus, qui corporibus noſtris & bonis externis inſidiantur, tum ab hæreticis, qui animabus noſtris ac æternis bonis noſtris inſidias ponunt, tuti ſumus, id quod non ſolum læti experiuntur tuæ Regiæ Maieſtatis ſubditi, verum etiam toti pene terrarum orbi innotuit. Celebratur enim apud omnes nationes, quanta ſit tua pietas, quam ſancta legum cura, quantus erga ſubditos amor, quanta denique omnium Regiarum virtutum longè ſuauiſſima harmonia, ac iucundiſſimus concentus, in tota tua vita, veluti perſonet. Sed quid hic commemorare pergo? cuius oratio tuis virtutibus vel enumerādis ſatis eſſe nequeat, tantum abeſt, vt eas quo id deceat modo deprædicare poſſim.

Hoc ſummum plurimarum ac heroicarum virtutum decus, ſereniſſime Rex, me ſuperioribus annis permouit, vt libellum, cui de Methodis titulum feci, ſub auſpiciis tui nominis in lucem ederem, quem oblatum ſereno vultu & amanter, quod vnice à me quæſitum erat, ſuſcepiſti. Neque enim erat alius cui iuſtius primitias meorum laborum offerrem, quam tibi ſereniſſime Rex, qui perinde atque ἤπιος πατὴρ huius T.R. Academiæ Profeſſores, in quorum numero & ego vnus ſum, cōplecteris, liberalique ſtipendio alis, in hunc profecto finem vt ſucceſſoribus tuis Eccleſiam, & in ea incorruptam doctrinam tradas.

Hiſce rationibus, & hoc tempore editurus ἐγχειρίδιον capitum cōmunium noſtræ religionis, motus, exiſtimaui auſpicato fieri, ſi tibi, Sereniſſime Rex, omnium literatorum hominum cōmuni Mecœnati, hoc ipſum Enchiridion dedicarē: in quo hoc ſum ſecutus conſilium, vt præcipua Chriſtianæ religionis capita cum definitionibus, diuiſionibus & axiomatis ſiue ſententiis quibuſdam colligerem, ac iuuentuti proponerem, quo his inſtructa iuuentus, cum maiori fructu abſoluta doctiſſimorum hominum noſtri ſeculi ſcripta, ac potiſſimum Clariſſimi viri, mei Præceptoris Philippi Melanthonis optimè non ſolum de me, ſed etiam de tota Chriſtiana Eccleſia meriti, locos Theologicos, & alia ſcripta eiuſdem legat, ex quibus (quod ingenue fateor) pleraque, quæ in hunc libellum congeſſi, deprompta ſunt.

Porro de editione nunquam cogitaſſem, niſi me & amicorum quorundam conſilium, quod non erat contemnendum, & ſtudioſorum multorum petitio crebra ad editionem inuitaſſet. Conqueſti enim ſunt ſcripta exēplaria, quæ erant in manibus multorum, paſſim per regnum, adeò à ſe inuicem, (quēadmodum fieri conſueuit in libris, qui ſæpius à feſtinantibus tranſcribuntur) diſcrepare, vt vix in vna pagella concordare inueniantur.

Quapropter, Sereniſſime Rex, precor, vt tua Regia Maieſtas ſolita philanthropia & clementia hunc tui ſubditi laborem qualēcunque ſuſcipere & boni conſulere velit, ac ſimul meminerit vere regium eſſe, res à ſubditis oblatas, non tam ex pondere, quàm ex offerentiū affectu æſtimare. Vale felix & beatus anima & corpore, Rex ſereniſſime, vna cū ſereniſſima Regina noſtra: D. Friderico Electo, Principe verè Heroico, iuriſq. & æquitatis amātiſſimo: Domino Magno, Duce magnanimo, ac ſummo literarū fautore: Domino Iohanne Duce, rebus magnis gerendis nato, tota familia ac Eccleſia domeſtica, atq; adeo cum omnibus rebus ſubditis, regnis & prouinciis. Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti ſuo ſancto Spiritu tuæ Regiæ Maieſtati perpetuo adſit, Amen. Haffniæ, Calend. Octob. Anno Domini M. D. LVII.

Sereniſs. R. T. M.

deditiſs.

Nicolaus Hemmingius.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

AD LECTOREM.

Climata iam florent ſeptem ſubiecta trioni,
Quando ibi præcipuè lux tua Chriſte micet.
Quippe adamas vt ſe geminam conuertit ad vrſam,
Sic ſacra paulatim vox aquilona petit.
Hanc ſimul obſequio comitatur turba decoro
Pieridum, Aonio vertice culta prius.
Sol propius terram ſummo quoque viſit ab axe,
Semotiſq; piis vltro miniſter adeſt.
Hinc neque triſte gelu borealibus amplius artus
vexat, nec mentem priſtina barbaries.
Danica Metropolis theſaurum en Hafnia profert,
Hemmingi docta ſedulitate datum.
Is ſiquidem pulcra methodo Dialecticus autor,
Aetherea incluſit dogmata Chriſtigenûm.
Sic ſimul & Muſis, & Chriſti nomine dignum,
Deinde etiam pueris vtile venit opus.
Ducet enim certos vt penſile Theſea filum.
Suſcipiat gratus commoda quiſq. ſua.

Iohannes Saſcerides Vuermenuſanus.

EPIGRAMMA ALIVD.

QVem iuuat æterni flores depaſcere verbi,
Et colere haud ficta relligione Deum,
Qua doceat μεϑόδῳ, *vel qua pia dogmata diſcat,*
Certus quo ſuperûm tramite templa petat,
Abdita ſcripturæ cupiens euoluere clauſtra,
τόν τε λόγον ϑεῖον *qui volet* ὀρϑοτομεῖν:
Conſulat Hemmingi doctiſſima ſcripta diſerti,
Cuius erit nullo laus peritura die,
Informat tremulos ad Myſtica flumina greſſus,
Dædalei clarus dotibus ingenij.
Atque iuuentuti pulcro κεφαλαῖα *miniſtrat*
Ordine, quæ veræ relligionis erunt.
Per quæ diuinum capit incrementa Tonantis
Verbum, quod ſanctis protulit ipſe λόγος.
Et manet ad ſeros Eccleſia vera nepotes,
Nec ſit ſulfureo præda futura Duci.
Hæc dulci patriæ doctus monumenta reliquit
Hemmingus, Danis fama decúſque viris.
Vnde puer, iuuenes, & habet veneranda ſenectus,
Arces quo poſſit ſcandere olympiacas.
Age igitur vigili, cui cordi eſt cura ſalutis,
Hoc ἐγχειρίδιον *volue reuolue manu.*

IVARVS BARTHOLINVS.

ΥΠΟΜΝΗΣΕΙΣ
Ad lectorem.

PAulus Apoſtolus Timotheo ſcribens, hortatur ipſum, vt attendat lectioni, exhortationi & doctrinæ, Et paulò pòſt: Attende tibi ipſi, & doctrinæ, perſiſte in illis, hoc enim faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audierint. Hæc Pauli exhortatio ad nos quoque pertinet: quæ duo continet. *Primum*, quale nam ſit officium Doctoris. *Deinde* quis fructus ſequatur piè præſtitum officium. Iſta duo ſimul cogitemus, vt poſterius ad maiorem vigilantiam & diligentiam nos excitet, ne laborum magnitudine aut difficultate fracti, veluti inertes milites torpeamus, ac abiectis huius ſanctæ militiæ armis terga vertamus hoſti: cuius hoc vnicũ ſtudium eſt, vt docentes & diſcentes, vel ab officio deterreat obiecta difficultatum mole, vel opinionibus fanaticis imbuat, ne de fontibus Saluatoris ſalutarem aquam hauriamus. Quare noſtrum erit officium fortiter aduerſario reſiſtere, ne Eccleſiam euertat, aut contaminet infinitis, quibus vtitur, technis. Hoc autem officio ritè tum fungi videbimur, cùm iuxta conſilium Apoſtoli attendemus lectioni, exhortationi, doctrinæ, quò Eccleſia Chriſti nobiſcum, qui eius pars ſumus, ad ſalutem erudiatur.

Verum quia iuuentus conſecrata ſacratiſſimæ Theologiæ ſtudio, opus habet, vt de vera ſtudendi Theologiæ ratione admoneatur, volo paucis meũ conſilium, quod etiam ſecutus ſum & ſequor, exponere. Niſi enim me valde fallit opinio, multò citius liberalem in Theologia doctrinam conſequetur, qui meis monitis auſcultauerit, quàm qui ſine certa ratione omnium Theologorum volumina peruoluerit. Vt enim in cæteris diſciplinis methodica docendi ac diſcendi ratione opus eſt, ita in omnium diſciplinarum regina, quam Theologiam appellamus, certam docendi ac diſcendi rationem neceſſariam eſſe ſtatuendum eſt.

Porro vt conſilium meum clarius aperiam, omnium Primum pium pectus ad lectionem ſcripturæ afferendum iudico. Deinde liberalem in artibus & linguis (quantum quidem id fieri poteſt) doctrinam requiro. Nam iſtis veluti exoticis ſpoliis tabernaculum Dei non parum ornatur. Sic inſtructo pio huius ſacratiſſimæ militiæ tironi conſilium meum impertio, quod vt melius intelligatur, in quinque partes diſtribuo. *Prima* eſt de Principiis, quæ Theologus futurus afferat ad Theologiæ ſtudium. *Secunda* eſt de Diuiſione ſcripturæ, & iis quę in ſingulis partibus peculiariter obſeruanda ſunt. *Tertia* eſt de recta interpretandi ea, quæ obſcura videntur, ratione. *Quarta* eſt de modo vtendi ſcripturæ teſtimoniis ſine errore. *Quinta* & poſtrema continebit methodum conciliationis locorum, qui in ſpeciem antilogias efficere videntur. Has quinque conſilij mei partes, eo quo propoſitæ ſunt ordine, quam poſſum breuiſſimè exponam.

1. De principiis Theologiæ.

Prima itaque pars eſt de Principiis, quæ Theologus futurus afferre debeat ad theologiæ ſtudium. Quicunque itaque cupit Spiritus ſancti diſcipulus eſſe, & cum fructu commodóque in ſchola Chriſti verſari, quatuor principia fixa & immota eum tenere oportet. *Primum* quòd certo certius ſtatuere debeat, vnum eſſe verum & æternũ Deum, ac Ethnicam πολυϑείαν execretur, cum Manichęorum deorum iugo. *Secundum*, quòd hic verus Deus dederit mundo certum Verbum, ſuæ voluntatis infallibile teſtimonium. *Tertium*, quòd hoc verbum cõtineatur in Moſe, Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis. *Quartum*, quòd vt quicquid eſt pręter hoc Verbum, nequaquã iudicabitur ad ſalutem neceſſarium, ita quicquid cũ Verbo hoc pugnat, à quocunq; tandem autore proficiſcatur, anathematis loco habendum ſit.

Horum principiorum maximus ſanè vſus eſt. *Primum* enim monet, vt renunciata gręcorũ πολυϑείᾳ ad ipſum Deum, omnium bonorum fontem perennem reſpiciamus, cum agnoſcamus, qualem ſe nobis verbo & teſtimonio patefecit: eique veris cultibus placere ſtudeamus, firma fiducia in eum recumbentes. *Secundum* reget noſtros affectus & actiones, ne cum Ethnicis & Turcis à vera colendi Deũ ratione aberremus. *Tertium* muniet nos contra Diaboli inſidias, qui in locum verbi Dei vel humana ſom-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

na ſomnia, vel reuelationes fanaticas hominibus, quò eos à Deo auertat, obtrudere conatur, qua ſanè fraude perpetuò vtitur. *Quartum* ſecuros nos faciet, vt intrepidè damnare audeamus omnium Diabolorum & hominum commenta, quantumuis ſpecioſa fuerint, quando non habent facem cœleſtem, ac verbi Dei regulam infallibilem præeuntem. Breuiter, hæc quatuor principia rectà nos ad fontem omnis boni adducent, abducent à ciſternis ſordidis, regent mentem, linguam, actiones, ne aſtutia Satanæ, quod olim gnoſticis & aliis, hodie Anabaptiſtis, & Seruetianis, aliiſque hæreticis accidit, in errores abducamur. Atque hæc de prima mei conſilij parte dicta ſint.

II. De diuiſione ſcripturæ.

Secunda pars eſt de diuiſione ſcripturæ, déque iis, quæ peculiariter in ſingulis partibus obſeruanda ſunt. Librorum diuiſionem omittam, quæ in principiis bibliorum tradi ſolet, vnde eam petat & ediſcat Theologiæ ſtudioſus. Sed totius ſcripturæ diuiſionem proponam. Hæc commodè poteſt diuidi trifariam, nempè in hiſtoriam, doctrinam rerum, & doctrinam ſignorum: in quarum ſingulis quid præcipuè ſpectandum ſit, ſcire tironem Theologiæ perutile eſt.

1. Hiſtoria

In Hiſtoria igitur ſex ſunt obſeruanda. *Primum* ſeries annorum, cuius obſeruatio ad intelligendam ſcripturam plurimum conducit. *Secundum*, propagatio doctrinæ. *Tertium*, miraculorum varietas, quibus veritas doctrinæ probatur. *Quartum*, externa Eccleſiæ forma & crux. *Quintum*, miranda Eccleſiæ liberatio in variis periculis. *Sextum*, exempla prouidentiæ Dei promiſſionum, comminationum, lapſuum, pœnarum, pœnitentiæ, fidei, patientiæ, confeſſionis, aliarumque virtutum. Hæc enim exempla obſeruata, & theſauro memoriȩ recondita, ad præſentis Eccleſiæ ſtatum accommodabit prudens Doctor, vt inde doctrinæ, admonitiones, conſolationes, comminationes petantur, cùm ad fidem piorum vitamque confirmandam, tum ad metum & terrorem impiis incutiendum.

2. Doctrina rerum

In doctrina rerum quatuor potiſſimum ſunt ſpectanda. *Primum* obſeruatio præcipuorum capitum doctrinæ Eccleſiæ, quæ tametſi duo ſunt inter illa maxima, Lex & Euangelium, plura tamen ſunt, quæ illis ſubſeruiunt. Cuiuſmodi ſunt: Deus, Creatura, Homo, Peccatum, Gratia, Pœnitentia, Oratio &c. Qualia Philippus in ſuis Locis enumerat, quorum tres ordines facit. Locos enim Primi ordinis πνευματικὰς, Secundi πολιτικὰς, Tertij παραδόσεις vocat. Poſſunt & diſtingui in quatuor ordines, quorum Primus eſſe poteſt, de ſpirituali Chriſti regno. Secundus, de generali viuendi regula. Tertius, de Eccleſia & eius gubernatione. Quartus, de rebus politicis & Oeconomicis. His quatuor ordinibus locorum plurimi particulares loci ſubiiciuntur, quos, quoniam à Græcis κεφάλαια dicuntur, ego capita voco, de quibus ſuo loco plura.

Vbi iam theologiæ tiro capita prȩcipua doctrinæ Eccleſiæ recitare nouit, debet *Secundo* loco ſingulorum claras definitiones ex ſcriptura extructas ediſcere. Qui enim rei alicuius definitionem rectè nouit, is ad omnem diſputationem & orationem de ea re fundamenta iecit. *Tertio* diuiſiones capitum ac rerum multiplicium obſeruentur ac diſcantur, in quibus videndum, an ſcripturæ teſtimoniis, & nō ingenioſis aſtutorum hominum technis nitantur. Diuiſiones enim eruditæ, rei naturam quaſi anatomia quadam facta clarius exhibent, multiplicia diſtinguunt, ſæpe Sophiſtarum fraudes detegunt. quare diuidendi artem callere futurum Theologum ſummopere neceſſarium eſt. *Quarto* loco in doctrina rerum obſeruanda ſunt axiomata de ſingulis capitibus, vt ſententiæ Moſis, Prophetarum & Apoſtolorum, inter quas eas potiſſimum ſtudioſum theologiæ ediſcere velim, ex quibus plurimæ Hypotheſes extrui poſſunt, hoc eſt, quæ pluribus rebus probandis ſeruiunt. Talium ſententiarum theſaurus, ſiue diſputes ſiue ſcribas, ſiue concioneris, fructum vberrimum affert. Hæc quatuor in Philoſophia etiam obſeruanda monent docti, quȩ ego quoque in hoc mȩo libello potiſſimum mihi propoſui.

3. Doctrina Signorum.

In doctrina Signorum tria in genere obſeruanda. *Primum*, ſintne ſigna confirmantia doctrinam, quæ miracula vocamus, aut ſigna, quæ pacta, ſeu fœdera, ſeu teſtamenta, ſcriptura & Eccleſia vocat. *Deinde* ad quam doctrinæ partem pertineant. *Tertio*, quibus data ſint, & quàm diu durare debeant. Quæ autem ſeorſim ſpectanda ſint in ſignis, quæ Sacramenta vocamus, dicam in capite de Sacramentis.

III. De recta interpretandi ratione.

Iam tertia pars ſequitur, de recta interpretandi ratione, ea quæ obſcura ſunt. De qua re duo in vniuerſum dicam, quorum Prius ſit de Scopo & Conſilio ſcriptoris, Poſterius de examine loci obſcuri. Scopus diligenter obſeruandus eſt. Debet enim omnis interpretatio ſcopo ſeruire. Quare interpretatio cum ſcopo pugnans, fugienda vt erronea. Paulus Rom. 2. dicit: Non auditores, ſed factores legis iuſtificari, quod torquent Papiſtæ contra ſcopum. Nam ibi Paulus illam Phariſaicam ſententiam impugnat. Eſt enim huius ſyllogiſmi maior: Soli factores legis iuſtificantur lege. Sed nulli ſunt tales. Proinde nulli iuſtificantur lege. *Examen loci obſcuri*, hac methodo inſtitui poſſe puto. Obſcuritas omnis aut eſt in rebus, aut in verbis, aut in vtriſque ſimul. Si in Rebus eſt obſcuritas, quinque meo iudicio facienda ſunt.

In rebus

1. Periſtaſis examinanda eſt, vnde ſæpe obſcuritas dicti lucem mutuatur. Vt Rom. 9. Sermonem abbreuiatum faciet Dominus ſuper terram: ibi periſtaſis conuincit, dictum prophetiæ intelligendum eſſe de paucitate ſeu reliquiis Iudæorum, qui erant habendi pro vero populo. Hinc regula Rabinorum ſeruanda: Qui non aduertit quod ſupra & infra in ſcripturis ſcribitur, is peruertit verba Dei viuentis. 2. ſurſum & deorſum ſpectandum. Surſum quidem ad analogiam fidei, cum qua conuenire debet omnis interpretatio: à qua ſi non aberras, etiamſi fortè in interpretatione erratum ſit, minus periculoſus eſt error. Deorſum verò, hoc eſt, Caueas ne quid abſurdi ſequatur ex interpretatione. Omnis enim interpretatio, ex qua aliquid abſurdi ſequitur contra articulos fidei, aut legem moralem, aut aliquam claram Dei ordinationem, abſurdum in Theologia habendum eſt. Hoc quoque præceptum obſeruandum in aliorum interpretationibus, ex quibus, ſi aliquid falſi colligitur, repudiandæ ſunt. 3. Quærendus eſt alius ſcripturæ locus clarus, in quo eadem res tractatur, & conferendus cum obſcuro. Hæc collatio vtiliſſima & ſummè neceſſaria eſt iis, qui ſine errore volunt verſari in ſacro Dei verbo. 4. Si hoc parum ſuccedit, videatur quas interpretationes recipere poſſit obſcurus locus, & ea accommodanda, quæ congruit cum ſcopo & periſtaſi, ſiue illa ſit propria, ſiue figurata. 5. Si his viis non ſuccedit, Eccleſiæ purioris teſtimonium conſulendum, cui acquieſcendum, niſi analogia fidei, aut contextus, aut aliqua abſurditas id impediat. Etſi autem inueniri

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

poſſunt ſententiæ quædam inextricabiles: tamen quæ ſunt ad ſalutem prorſus neceſſaria, clariſſimè & ſine omni obſcuritate proponùntur.

In verbis. At ſi in verbis eſt obſcuritas, ea aut eſt in verbis ſingulis, aut compoſitis. Verborum ſingulorum obſcuritas aut eſt propter rerum penuriam, aut propter formæ rerum mutationem, aut propter vocis multiplex ſignificatum. Si vel propter rerum penuriam, vel propter formæ rerum mutationem, aliqua obſcuritas obiicitur, antiquitates & Hiſtoriæ, rerum deſcriptiones continentes, conſulendæ ſunt, ad quam rem mirificè conducit hiſtoria Ioſephi. Si propter vocis alicuius Multiplex ſignificatum, ambiguitas oritur, duo facito. 1. Inſtitue collationem cum aliis dictis non ambiguis. 2. Vocis periſtaſin contemplare, vt in Paulo & Iacobo iuſtificandi verbum diuerſimodè accipiendum monet collatio & periſtaſis, quas confirmat fidei immota regula.

In phraſibus. Quod ſi in verbis compoſitis, hoc eſt, phraſibus fuerit obſcuritas. *Primum* Grammatica eius linguæ, vnde dictum tranſlatum eſt, adhibenda eſt in conſilium. *Deinde* videndum, an ſit propriè, an figuratè dictum. Nam ſi dictum propriè acceptum abſurditatem parit, quærenda eſt figura concinna, qua dictum quadrare periſtaſi & ſcopo poſſit, ſeruata ſemper analogia fidei. Porro generale præceptum ſit antitheſeon collatio, cuius vnum membrum clarius, id quod obſcurius videbatur, illuſtrat & exponit. Lex per Moſen, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum. Hic quid per Legem ſit intelligendum, patet ex oppoſitis vocibus. Opponitur enim Lex gratiæ & veritati. Gratia fauor Dei eſt, veritas exhibita res promiſſa dicitur. Legis igitur nomine maledictio & vmbræ Legis intelliguntur. Nos non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Hîc clarius eſt, quid gratiæ vocabulo intelligendum ſit, quàm legis. Apertum eſt enim, gratiam ſignificare fauorem: & remiſſionem peccatorum. Lex igitur iram Dei & maledictionem ſignificabit. Romanor. octauo, Deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? Hîc Apoſtolus iuſtificationem opponit condemnationi. Sed clarius eſt, & extra controuerſiam poſitum, quid ſit condemnare nempe nocentem, iniuſtum & reum pronunciare. Quare iuſtificare erit abſoluere, ac innocentem iuſtumque pronunciare.

IIII. De modo vtendi diuinis teſtimoniis. Sequitur Quarta pars, de modo vtendi diuinis teſtimoniis ſine errore, de qua re hæc habeo. Neceſſarium eſt iis, qui ſcripturarum teſtimoniis aptè vti volent, vt tria diligenter perpendant. *Primum* obſeruetur periſtaſis, hoc eſt, Quis, quid, quibus loquatur, quo loco, quo tempore, qua occaſione, quem in finem. *Deinde* obſeruetur, quæ ſit argumenti & quæſtionis natura, ſit ne hiſtoria, aut doctrina, aut ſignum. Nam ad hæc tria, ſuprà dixi vniuerſam ſcripturam referri. *Tertio* conſideretur, quàm latè quidque pateat. Si Hiſtoria eſt, ſiue exemplum, conſiderandum eſt quid conueniat, aut diſconueniat, cum iis rebus, quibus volumus ea accommodare. Nam quæ à ſimilibus & comparatis argumenta petuntur, à comparatorum ſimilitudine & congruentia vim omnem ſuam mutuantur. Si doctrina eſt, diſpiciendum erit, generalíſne ſit, an ſpecialis, an ad omnes populos, aut ad certos duntaxat, & an ad ſingulos qui vnius populi cenſentur, & an ad quæuis tempora extendi, aut ad certa quædam reſtringi debeat. Eadem de ſignis obſeruanda ſunt.

Præter hæc obſeruandum ex imitatione Pauli, quòd vt vniuerſalia dicta accommodanda ſunt ad hypotheſes & indiuidua, ita particularia dicta ad vniuerſalia reuocare debeant. Mirum quoque in modum conducit, dicta aperta & exempla dictorũ coniungere. Id enim quod menti obiicitur in dictis, quodammodo ſenſibus in exemplis demonſtratur, vnde mens concipit multò certiorem rei noticiam. Iuſticia eſt ex fide, dictum eſt. Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam, eſt exemplum. Vtrunque coniunctum apertius docet iuſtitiam eſſe acceptationem, qua iuſtitia imputatur credenti. His ſi iam tertium locum addideris, qui eſt Roman. 5. Sicut per vnius inobedientiam peccatores conſtituti ſunt multi, ita per vnius obedientiam, nempe Chriſti, iuſti conſtituentur multi, materiam habebis definitionis iuſtitiæ Chriſtianæ. Ex his enim quatuor voces collige, iuſtitiam, obedientiam Chriſti, imputationem, fidem, vnde iam plena definitio iuſtitiæ Chriſtianæ colligitur, hoc modo: Iuſtitia Chriſtiana eſt obedientia Chriſti, imputata credenti.

V. Ratio cõciliandi locos inter ſe pugnantes. Quinta pars eſt de ratione conciliandi locos inter ſeſe in ſpeciem pugnantes. Nulli enim loci ſcripturę inter ſeſe re ipſa pugnare poſſunt: cùm omnes habeant fundamentum veritatem Dei. Quare antinomia ſententiarum ſcripturæ, noſtro reſpectu intelligenda eſt, qui ſæpe iudicio hallucinamur. Vt autem conciliatio locorum haberi poſſit facilior, ὄργανον διακριτικὸν antinomiarum ex Dialectica deſumtum proponam, ac noſtro inſtituto accommodabo. Eſt autem ὄργανον διακριτικὸν antinomiarum nullum aliud, quàm quod Dialectici tradunt, de legibus iuſtæ contradictionis. Nimirum vt in omni contradictione ſeruentur hæ octo conditiones. 1. vt ſit eadem vtrinque vocum ſignificatio. 2. vt ſint eadem ſubiecta. 3. vt ſint eadem obiecta. 4. vt ſint eædem cauſæ. 5. vt ſit eadem relatio. 6. vt ſit eadem cõparatio. 7. vt ſit idem modus, ſeu, vt dicantur ὡσαύτως. 8. vt ſit idem tempus ex vtraque parte, vbi autem harum legum vel minima violatur, antilogia nulla relinquitur. Etſi autem hæc admonitio admodum attentis ſufficere videtur, tamen ſigillatim de ſingulis his legibus copioſius dicam, quo cõmune veritatis inquirendæ inſtrumentum inſtituto noſtro accommodetur facilius.

De legibus ſeu conditionibus contradictionum. *Prima* lex eſt, vt eadem ſit ſignificatio vtriuſque partis contradictionis, alioqui minimè erit contradictio. Hæc lex in has ſubiectas partes diuiditur, vt ſpectetur, an eadem ſit ſignificatio dictionis, phraſeos, locutionis, (quæ alias propria ſeruatur, alias figuratur) ſententiæ & dicti & modi ſignificandi. Ecce quinque primæ legis membra, quæ nunc exemplis conabor illuſtrare. Paulus dicit: Homo iuſtificatur ſine operibus legis. Iacobus ſcribit: Homo nõ iuſtificatur ſine operibus. Hîc antilogia tollitur, cũ oſtenditur non eſſe eadem ſignificatio dictionis, Iuſtificandi verbi vtrobiq; Paulo enim ſignificat iuſtificari, abſolui à reatu, Iacobo verò declarari iuſtum. Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt, Qui verò crediderit, ſaluabitur. Hîc phraſis ſoluit argumentũ, nã phraſi Ebraica caro & ſanguis ſignificant naturæ deprauationẽ, & quæ cum illa cõiuncta ſunt. Oraturus intra in cõclaue tuũ, clauſo poſt te oſtio: Domus mea domus orationis vocabitur. Dictum Chriſti prius videtur velle, vt in angulis & non in publico cœtu oremus, poſterius locũ cõmunẽ precibus deſtinatum Templum monſtrat. Sed non hîc vtrobiq; eſt eadem locutionis ſignificatio. Prior enim locutio Metalepſi figuratur, poſterior ꝓpria eſt. Nã per ingreſſum in cõclaue & clauſum oſtium, tã-

quam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quam Symbolo quodam hypocriſin excludendam ab orationibus monet, quæ cùm excluſa eſt, nullus non locus orationi aptus erit. Si oculus te offenderit, effodito eum: Sed læſio corporis prohibetur. Verùm in priore loco non dictum, ſed ſententia retinenda eſt, quæ eſt abiicere quicquid nobis precioſum eſt, ſi nos à Chriſto abducat: poſterioris dictum cum ſententia congruit. Deus peccatores non exaudit, Deus Manaſſem peccatorem exaudiuit. Hic aduerſus modus ſignificandi ſoluit antinomiam. Alio enim modo ſunt peccatores, qui adhuc peccatis indulgent, ac viuunt ſine pœnitentia, alio modo, qui iam emergunt à peccatis, agunt pœnitentiam, & cupiunt Deo ſuam in poſterum approbare vitam. Hos exaudit Deus iuxta ſuas promiſsiones, illos verò non.

V. Ratio conciliandi locos inter ſe pugnantes.

Secunda lex contradictionis eſt, vt vtrobique ſint eadem ſubiecta, quædam enim renatis rectè tribuuntur, vel adimuntur, quæ haud ita non renatis tribui vel non tribui poſſunt. Rurſus quædam magiſtratui conueniunt, quæ non ſine ſcelere ſubditis tribui poſſunt. Contingit interdum, vt quæ antitypo propriè competunt, typo nequaquam conueniant. Qui dederit hauſtum aquæ diſcipulo, nomine diſcipuli, non perdet mercedem ſuam. Hic merces promittitur liberali erga miniſtros Euangelij. Sed dictum tantùm accommodari debet renatis. Luc. 6. Eſtote miſericordes. Deut. 19. Ne miſereberis, &c. Illud omnibus in genere, hoc ſoli magiſtratui dicitur, vt qui legem Dei & ſuę politię in puniendis contumacibus ſequi debet. Salomoni promittitur regnum patris in perpetuum, qui erat typus Chriſti: Sed res hæc ſoli antitypo Chriſto cõgruit. Hæc obſeruatio multas antilogias dirimit.

Tertia lex contradictionis eſſe debet, vt vtrobique ſint eadem obiecta, non hæc ſi diuerſa ſint, nulla erit contradictio. In præceptis meis ambulate. Lex nòn eſt iuſto poſita. Prior ſententia legem omnibus poſitam monet: Poſterior iuſto non eſſe poſitam clarè enunciat. Sed obiecti varietas tollit contradictionem. Omnibus enim lex poſita, quo ad obedientiam: at iuſtis non ad pœnam eſt poſita, id quod Pauli dictum vult.

De legibus ſeu conditionibus contradictionum.

Quarta lex eſt, vt vtriuſque partis in contradictione ſint eædem cauſæ, quod potiſsimum ad efficientes & finales refero. Cauſæ enim qualitatem factorum mirabiliter variant. Chriſtus dicit: Ego dico vobis, ne omnino iuretis. In Deuteronomio dicitur: Per nomen illius iurabis. Prius dictum vetat, ne ob quamlibet cauſam, & quolibet modo iuremus, quemadmodum factitarunt tamen Iudęi, quos reuocat Dominus ad ſaniorem mentem. Poſterius requirit cultum & religionem iuriſiurandi in cauſa neceſſaria, graui, ac faciente ad gloriam Dei. Idque per nomen Dei, non per idola aut alias res, quę non ſunt Deus.

Quinta lex, vt vtrobique ſit eadem relatio. Nam ſi monſtrari poteſt relationis diuerſitas, ſublata eſt antinomia. Paulus dicit: Si ſeruus vocaris, non ſit tibi curæ, Idem alibi: Nolite fieri ſerui hominum. Sed hîc non eſt relatio eadem. Nam in priori dicto iubemur dominis noſtris carnalibus parêre corporali obedientia. In poſteriori præcipitur, ne hominibus, cultum præter & contra verbum Dei proponentibus, obtemperemus.

Sexta lex eſt, vt in contradictionibus ſit eadem comparatio. Verùm hoc loco quintuplex comparatio eſt obſeruanda: I. Prima erit locorum, qui inter ſeſe diſsidere videntur, comparatio cum ſuo contextu, argumento & ſcopo, vnde ſæpe periſtaſis ſolutionem pugnæ facit. Paulus dicit: Factores legis iuſtificantur. Idem hoc dicit: Nemo lege iuſtificatur. Prior ſententia, collata cum ſuo ſcopo & contextu, vult oſtendere, ideo neminem iuſtum eſſe, quia nemo legem facit, id quod poſterior ſententia apertè pronuntiat. II. Secunda comparatio erit locorum in ſpeciem pugnantium cum cognatis. Hi duo loci: Tentauit Deus Abraham, Et: Deus neminem tẽtat, pugnare in ſpeciem videntur. Sed quærantur loci vtrique cognati. Exod. 20. occurrit locus cognatus priori: Nolite timere, vt enim tentaret vos Deus venit, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccatis, Matthæi 4. occurrit locus poſteriori cognatus, vbi diabolus Chriſtum tentans inquit: Si proſtratus adoraueris me, dabo tibi hæc omnia. Hîc apertè conſpicitur, quòd ſit quoddam tentationis genus, cuius finis eſt timor Dei, & Salus tentati, quod Deo tribuitur: Et rurſus quoddam, cuius finis eſt, à Deo abducere, & vt abductus diabolo ſit ſubiectus, & hoc genus tentandi diabolo tribuitur. Hinc iam ſoluitur antinomia, Deus tentauit Abraham, vt eum probatiorem redderet, & ardentiorem cultorem pietatis. Ita & nos & alios multos tentauit & tentat Deus. Deus autem neminem tentat, vt à ſe deficiat, & ruat in Idololatriam. Breuiter, tentatio Dei eſt probationis, Satanæ verò eſt ſeductionis. 1. Corint. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem verò ſpiritus. Item: Hæc omnia operatur vnus & idem ſpiritus, diſtribuens ſingulis, prout vult. Roman. 1. Vt impertiar, inquit Paulus, vobis aliquod donum ſpirituale. Hi duo loci, qui videntur pugnare, conferantur cum tertio, qui eſt 1. Corinth. 3. Quis igitur Apollo, quis Paulus, niſi miniſtri, per quos crediditis? Item: Ego plantaui, Apollo rigauit, ſed Deus incrementum dat. Item: Dei ſumus σύνεργοι. Hic locus antilogiam ſoluendam ex cauſis docet: Spiritus vt autor, Apoſtolus vt miniſter & organum, confert ſpiritualia dona. Ita ſolus ſpiritus dat, ſed per media diuinitus ordinata. III. Tertia comparatio eſt, qua alia comparatione ad Deum dicuntur, alia ad homines. Paulus fatetur, ſe irreprehenſibilem in lege vixiſſe. Rurſus conqueritur ſe nihil boni poſſe agere. Vtrumque rectè dictum eſt, ſed diuerſa comparatione: Reſpectu enim hominum erat irreprehenſibilis: At coram tribunali Dei agnouit vitioſę carnis ſordes. IIII. Quarta comparatio eſt tantùm ex altera parte locorum diſsidentium, cum altera pars citra omnem comparationem intelligi debeat. Si quis, inquit Chriſtus, venit ad me, nec odit patrem ſuum, non poteſt eſſe meus diſcipulus, At lex inquit: Honora patrem tuum, & matrem tuam. Prius dictum comparatè intelligendum eſt, nimirum quòd tum demum relinquendi ſint parentes, vbi te à Chriſto & pietate auocare conantur. Poſterius verò dictum ſimpliciter ſine comparatione intelligẽdum, vt parentes iuxta legem Dei ames, eiſque exhibeas honorem debitum. V. Quinta comparatio eſt legum, de qua has regulas tenere vtile eſt. 1. Lex inferior cedit ſuperiori. 2. Lex tantùm eos obligat, quibus eſt lata. 3. Lex ſpecialis derogat generali. 4. Lex perſonalis obligat tantùm in genere facti.

Septima lex, Vt in contradictionis partibus ſit idem modus, & rei ſignificatæ, & dicentis. Si enim non fuerit idem modus, nulla eſt pugna. Qui diligit non peccat. Nemo eſt qui non peccet. Hîc diuerſus rei ſignificatæ modus eſt. Alius modus peccati eſt, domiti, alius regnantis, ſeu alius domiti, alius obligantis ad pœnam. Ac modus dicentis eſt varius: nam alius eſt modus præcipientis, alius promittentis,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tentis, alius comminantis, alius narrantis, alius imitantis alterius geſtus. Sed hæc paucis declaranda ſunt. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo: Hoc dictum arripuerunt quidam noſtro ſeculo, & inde neminem ſaluari poſſe diſputarũt, niſi qui manuum labore & ſeruili victum quæreret. Ex quo factum eſt, quòd quidam relictis literis, agris cœperint dare operam, & rem ruſticam exercere. Sed ex eo decepti ſunt, quòd præcipientis modo hæc dicta, & non comminantis pœnas intellexerunt. Ieremiæ 4. dicitur: Iurabis per nomen eius, in veritate, in iudicio & iuſtitia. Oſeæ 4. legitur: Neque iuraueritis, viuit Dominus. Hîc nulla pugna eſt, vbi monſtratur, Ieremiæ dictum promittẽtis modo, Oſeæ verò comminantis, pronunciatum eſſe. Ieremias promittit ex ore Domini, quòd verus Iſraël ſit veri Dei cultor futurus, quod iurandi forma, quæ eſt pars veri cultus Dei declarat. Oſeas verò minatur, quòd populus rebellis ſit in idololatriam lapſurus, quod inde inſinuat, quod non ſint iuraturi: Viuit Dominus, ſed Viuit Baal, Aſtaroth, &c. Modus igitur iſta Prophetarum dicta conciliat. Paulus dicit: Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut parte diei feſti. Rurſus: Ne attingas, ne guſtes, &c. Sed prius dictum eſt per modum præcipientis: Poſterius per modum alterius verba imitantis, per Mimeſin.

Octaua lex & vltima contradictionis reſtat, quæ monet videndum, an ſit idem Tempus. Hæc enim lex multas controuerſias diluit, vnde illud: Diſcerne tempora, & concordabis ſcripturas. Alia enim Veteribus, alia nobis conueniunt. Rurſus alia præſentis vitæ, alia futuræ. Hæc ſi confundis, magnæ ſequentur tenebræ in doctrina Eccleſiæ. In Geneſi dicitur: Maſculus cuius præputium non fuerit circumciſum, exterminabitur de populo ſuo. Paulus autem dicit: Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit. Antilogiam ſoluit Tempus. Circumciſio enim habebat ſuum tempus, vſque ad Chriſtum exhibitum in certo populo. De illo tempore prius dictum intelligendum eſt: Sed poſterius dictum ad tempus reuelati Chriſti pertinet, quo Sacramenta veteris legis ſunt abolita.

Hæc de *Organo* diacritico tenere tirones Theologiæ apprimè neceſſarium puto, nec dubito Antilogias diſſolui poſſe hoc inſtrumẽto, modò doctè adhibeatur. Verùm huc addam generale præceptum, perpetuò huic organo adiungendum. Quoties offeruntur pugnantia in ſpeciem dicta, diligenter videndum, quodnam iſtorum cum vniuerſa ſcriptura, & probatis exemplis conſentiat, quódque diſſentiat. Deinde adhibito Diacritico organo, facilè ex textu & circumſtantiarum collatione deprehendetur, quemadmodum lex legitimæ contradictionis ſit violata.

Locorum Theologicorum vtilitas.

Hactenus de modo Theologiæ ſtudendi dixi. Iam reſtat, vt de meo hoc opuſculo nonnihil dicam. Prodeſt tironibus Theologiæ, præcipua veræ religionis capita habere, breuiter & nudè explicata, ac veluti in certas claſſes diſtincta, vt poſtea prolixiora ſcripta, quæ continent iuſtas de ſingulis capitibus diſputationes, auidius legant, & intelligant exactius. Quemadmodum enim in cæteris diſciplinis vtile eſt in principio, ſemotis diſputationum labyrinthis veras opiniones diſcentibus proponere, quibus perceptis, prolixiores diſputationes tempeſtiuè ac vtiliter proponi poſſunt: Ita in ſacratiſsima Theologia commodum eſt, incipientibus nudè ac breuiter veras ſententias proponere, quas vbi diſcentes imbiberint, abſolutiora ſcripta & diſputationes nõ ſunt negligendæ. Quapropter conſtitui præcipua veræ religionis capita colligere, ac breues ſingulorum capitum explicationes addere, amotis diſputationibus in quarum locum pronunciata ſcriptura magis inſignia de ſingulis locis ſubſtituam.

Autoris conſilium in hoc Enchiridio.

Cæterum quia duo potiſsimum nobis ex ſcripturis petenda ſunt, quorum prius eſt, rectè ſentire, poſterius rectè agere (quibus τὰ προτρεπτικὰ ſeruiunt) ita inſtituam tractationem, vt ad γνῶσιν & πρᾶξιν omnia referri videantur. Idque eo conſilio, vt his cognitis tirones Theologiæ, ad ſacroſanctum illud opus *Philippi Melanthonis*, viri optime de Eccleſia Chriſti meriti, legendum accedant inſtructiores. Nam hic vir θεοσεβέστατος, καὶ φιλαληθέστατος, non ſolùm tractandi ordine perſpicuus, & in diſputando contra veræ religionis hoſtes ſincerus & acutus eſt, verumetiam more Prophetico & Apoſtolico, ſubinde ex doctrinæ partibus extruit monitiones, reprehenſiones, minas, conſolationes, vt hoc pacto doctrinã lectori accommodet. Ex quo accidit, quod ſacroſanctum illud opus excreuerit in iuſtum volumen, quod opus tum demum maximo & inæſtimabili fructu amantibus veræ religionis proponi poteſt, vbi primùm capita ipſa religionis, breuiter nudéque explicata imbiberint. Quapropter admonendos duxi ſtudioſos adoleſcentes, vt quemadmodum in aliis diſciplinis certo ordine à facilioribus ad ea, quæ magis ardua ſunt, progrediuntur: ſic quoque in hoc ſacroſanctiſsimo Theologiæ ſtudio, primùm planas & perſpicuas ſententias diſcant, deinde ad altiora conſcendant. Ita futurum eſt, vt ſi ſpiritum Chriſti doctorem implorauerint, fœliciter in hoc ſtudio verſentur.

D. Philippi Melanthonis encomium.

Iam de libri noſtri partitione nonnihil adiiciendum eſt. Ipſum Deum, ſacræ ſcripturæ vnicum autorem, vniuerſam religionis doctrinam, quam ipſe mundo reuelauit ac manifeſtauit, in quatuor ordines digeſsiſſe manifeſtum eſt: Quorum *Primus* ad fœdus gratiæ ſeu promiſsionem, & regnum Chriſti ſpirituale pertinet. *Secundus* communem formandę vitæ regulam præſcribit. *Tertius* regimen Eccleſiaſticum continet. *Quartus* politicam vitam ac œconomicam inſtruit. Horum primus Promiſſionis ſeu Euangelij titulo, reliqui tres Legis nomine ſignari ſolent, quoties intra ſe Promiſsio ſeu Euangeliũ & Lex opponuntur, alioqui Legis vocabulum hæc omnia continet. Nã vbi Latini interpretes, Legis, & Græci τοῦ νόμου vocẽ vſurpant, Ebræi *Thora* habent, quę in genere doctrinã ſignificat, de quo plura aliàs. Quanquam autem reipublicæ Moſaicæ forma nos non obliget, tamen diſtinctio capitum doctrinæ etiamnum in Eccleſia neceſſariò retinẽda eſt. Nam 1. tenenda eſt omnino doctrina de ſpirituali Chriſti regno, in quo ſolo ſalus & vita dominantur. 2. opus eſt generali viuendi regula ſecundum voluntatem Dei, quæ regula in Decalogo continetur. 3. Tertio quia nullus cœtus ſine certo regimine diu incolumis conſiſtere poteſt, cœtus Eccleſiæ, hoc eſt, ciuium Chriſti, opus habet inſtitutis, iuxta quorum præſcriptum in externa Eccleſiæ ſocietate viuẽdum eſt. 4. quia in hoc mundo tanquam in alieno regno peregrinatur Eccleſia, opus habet, vt rectè de politico & œconomico ſtatu ex verbo Domini erudiatur, ne vel contemnat has Dei ordinationes, vel abutatur iis in Dei contumeliam. 5. hanc diſtinctionem, cùm ipſa diuini cultus ratio, tùm finis hominis efflagitare videntur. Cultus enim Dei, & finis conditionis humanæ naturæ, ad Deum glorificandum vera obedientia referuntur. Verùm quoniam Deus coli nequit ab iis, qui ſunt extra filium, neceſſaria eſt primum doctrina, per quam membra Filij

Enchiridij methodus.

Dei

Dei conſtituimur,& regno Chriſti Spirituali inauguramur. Deinde, quia cultus Deo præſtandus eſt, & edendus fructus pœnitentiæ, non ſolùm cum omnibus piis in genere, verumetiam in externo cœtu Eccleſiæ,& politica ſocietate,in quibus viuimus, neceſſe eſt pro hac diuerſitate ſtatuum, Religionis noſtræ capita diſtinguere, præſertim cùm ipſum Deum diſtinctionis autorem habeamus, & cultus diuini ratio,finíſque hominis,eandem ſuo ſuffragio approbare videantur.

Claſſes. Sic ergo *Prima* claſsis eorum capitum,quæ neceſſariò ad promiſsionis doctrinam pertinent.

Secunda, doctrinam vitæ communem complectatur,cum locis affinibus.

Tertia, Eccleſiæ regimen, & ea quæ illuc pertinent, contineat.

Quarta, & poſtrema claſsis, Politica & Oeconomica.Harum claſsium κεφάλαια,hoc eſt,capita ſubiiciam,quo veluti intra tranſennam totum hoc opus conſpiciendum pio lectori proponamus.

CATALOGVS CAPITVM *communium primæ claſsis.*

1. Deus.
2. Creatio.
3. Prouidentia.
4. Homo.
5. Iuſtitia originalis.
6. Liberum arbitrium.
7. Contingentia.
8. Peccatum.
9. Pœna peccati.
10. Verbum accuſans.
11. Euangelium.
12. Pœnitentia.
13. Iuſtificatio.
14. Ordo reparationis.
15. Regnum Chriſti.

CATALOGVS CAPITVM *communium ſecundæ claſsis.*

1. Doctrina vitæ communis filiorum Dei.
2. Legitima ſpiritualis cultus Dei ratio.
3. Generalis doctrina bonorum operum,
4. Opera charitatis.
5. Vocatio cuiuſque.
6. Votum.
7. Conſcientia.
8. Vetus homo & nouus homo.
9. Litera & Spiritus.

CATALOGVS CAPITVM *communium tertiæ claſsis.*

1. Prædeſtinatio
2. Eccleſia.
3. Symbolum, *In hoc capite multi loci explicantur,vt de nomine Ieſu, Regno & Sacerdotio Chriſti, de natiuitate, conceptione, paſsione, reſurrectione, deſcenſu ad inferos, aſſumptione in cœlum, de remiſsione peccatorum. De Eccleſia, de Iudicio, de Reſurrectione generali. Quare eorum locorum non feci diſtincta capita,quia hæc communi nempe Symbolo ſubiiciuntur.*
4. Oratio.
5. Doctrina Eccleſiæ.
6. Sacramentum.
7. Baptiſmus.
8. Cœna Domini.
9. Teſtamentum.
10. Ordo Eccleſiaſticus.
11. Poteſtas Eccleſiaſtica.
12. Autoritas Eccleſiaſtica.
13. Satisfactio.
14. Libertas Chriſtiana.
15. Ceremoniæ.
16. Adiaphora.
17. Scandalum.
18. Crux.

CATALOGVS CAPITVM *communium quartæ claſsis.*

1. Magiſtratus.
2. Leges.
3. Iudicia.
4. Vindicta.
5. Zelus.
6. Contractus, vbi & de Vſura.
7. Dominium & ſeruitus.
8. Oeconomia.
9. Coniugium.
10. Patrium imperium.
31. Vſus diuitiarum, Cura licita & ilicita.
12. Perfectio Chriſtiana.

EXPLICATIO CAPITVM PRIMÆ CLASSIS.

CAPVT PRIMVM.

DEVS.

DVplex de Deo hominum inſtitutio,à regio Propheta Dauide nobis commendatur,Pſalm.19. *Vniuerſalis* vna, altera *Peculiaris*. Illa omnium hominum communis,hęc filiorum Dei propria exiſtit. Vtraque vnde petenda ſit explicandum eſt. Dei cognitio.

De *Vniuerſali* itaque cognitione Dei diſputat Paulus ad Rom.1.18. Vbi ſic inquit: Reuelatur enim ira Dei è cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum, veritatē Dei iniuſtè detinētium. Quia quod cognoſcitur de Deo manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. Siquidem inuiſibilia ipſius ex creatione mundi,operibus intellecta, conſpiciuntur,æternáque eius potentia & diuinitas in hoc,vt ſint inexcuſabiles. His verbis Paulus teſtatur, creaturam Dei eſſe veluti ſcholam quandam vniuerſalem, in qua in Dei notitia erudimur. Eſt enim tota creatura non ſolùm teſtimonium de Deo, quòd ſit. Verùm etiam ſpeculum quoddam in quo ſe quodammodo contemplandum nobis proponit. Æternitas enim ex eo liquet,quòd omnis creaturæ ſit conditor. Potentia cognoſcitur ex eo, quòd tantam molem à ſe conditam,in ſua manu teneat,faciátque vt omnia in ſe conſiſtant. Sapientia peruidetur ex ordine & diſpoſitione rerum. Bonitas relucet in conſeruatione & vſu rerum. Iuſtitia Vniuerſalis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

in adminiſtratione, qua ſontes quidem punit, innocentes verò vindicat. Miſericordia inde cognoſcitur, quòd tanta patientia tolerat hominum peruerſitatem. Veritatis commendatio eſt, quòd ſit immutabilis. Proinde qui conceptam Dei notitiam habet, iam illi laudem debet æternitatis, potentiæ, ſapientiæ, bonitatis, iuſtitiæ, miſericordiæ, veritatis, ac cæterarum virtutum, quarum quædam veſtigia rebus à ſe conditis impreſſit Deus.

Definitiones Philoſophorum de Deo.

Hinc Plato duas definitiones extruxit, quarum prior eſt: Θεός ἐστι ζῶον ἀθάνατον, αὐταρκὲς πρὸς εὐδαιμονίαν: hoc eſt, *Deus eſt viuens immortale, cui nihil ad felicitatem deeſt.* Altera: Θεός ἐστιν οὐσία ἀΐδιος, τἀγαθοῦ φύσεως αἰτία, id eſt, *Deus eſt eſſentia æterna cauſa boni quod eſt in natura.* Adiiciamus & *Tertiam*, quã Socrates apud Xenophontem recitat, in hanc ſentẽtiam: *Scito* (inquit) *Deum tantum & talem eſſe, vt ſimul omnia videat, & omnia audiat, & vbique adſit, ac ſimul omnium rerum curam gerat.* Atque ita ipſa creatura ſatis euidentem demonſtrationem de Deo ſuppeditat, quantum quidem ad lucem Dei attinet, non quantum ad noſtram cæcitatem. Senſus enim noſter hîc deficit, antequam aſſequatur, aut quis ſit, aut qualis ſit Deus, id quod eleganter innuit Paulus Actor. 14. 16. cùm dicit, Dominum in præteritis generationibus reliquiſſe gentes in ignorantia, neque tamen ſe reliquiſſe ἀμάρτυρον, id eſt, citra teſtimonium, quoniam dedit pluuias & vbertatem de cœlo.

Vſus duplex.

Porrò huius vniuerſalis cognitionis Dei vſus duplex eſt. *Prior* Generalis, qui ſe extendit ad omnes homines, nimirum vt ſint inexcuſabiles, vt qui nullam poſsint afferre defenſionem in iudicium Dei, quin iure ſint damnabiles, qui agnitum Deum non colunt. Huius vſus meminit Paulus in ſuprà citato loco, Rom. 1. 20. his verbis: In hoc, vt ſint inexcuſabiles. *Poſterior* vſus, Specialis eſt, de quo Epiſtola ad Ebræos cap. 11. loquitur, in hunc modum: Per fidem intelligimus perfecta fuiſſe ſecula verbo Dei. Hîc fidei tribuit illud lumen, quod in mundi creatione verè proficiant homines in gloriam creatoris. Huc & illud Dauidis Pſalm. 92. pertinet: Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Hæc breuiter ſint dicta de vniuerſali Dei cognitione, eiúſque vſu duplici..

Peculiaris cognitio nititur verbo & teſtimonio.

Nunc de altero genere cognitionis Dei dicendum eſt. *Peculiaris* itaque cognoſcendi Dei modus duplici fundamento nititur, nimirum, Verbo & Teſtimonio, quod verbo additum eſt. Talem enim Deum apprehendere oportet, qualem ſe per verbum & teſtimonium patefecit, iuxta illud:

Eſſe Deum credas, quod de ſe prædicat ipſe.

Verbum intelligo, quod inde vſque ab initio de cœlo ſonuit variis modis, ac tandem per Filium, Ebræor. 1. *Teſtimonium* verò verbo adiectum duplex eſt. Aut enim verbo Confirmando, vt verum ratúmque à nobis habeatur, additum eſt: Cuius generis in veteri & nouo Teſtamento multa leguntur, vt in Diluuio ſeruatio piorum: ſubmerſio impij mundi: Confuſio linguarum: Mirabilis tranſitus populi Dei per medium aquæ maris rubri & Iordanis: Prolongatio dierum ad preces piorum: multæ exſuſcitationes mortuorum: Sanationes miraculoſæ, & huius generis penè infinita. Hoc genus teſtimoniorum commendat ſuo populo Deus, Exod. 13. Erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monumentum in oculis tuis, vt Lex Domini ſemper ſit in ore tuo. Ad quod genus teſtimoniorum prouocat etiam Dominus apud Ioannem, vbi inquit: Si mihi non creditis, credite operibus meis. Aut fiduciam ex verbo conceptam confirmat, vt Circumciſio & alia Sacramenta veteris populi. Et in nouo Teſtamento Baptiſmus & Cœna Domini, fiduciæ promiſsionis teſtimonia & ſignacula ſunt. Hæc notitia Dei, quæ in verbo & teſtimonio reſidet, Sola ſalutaris eſt. De qua Dominus Ioannis 17. 3. ſic inquit: Hæc autem eſt æterna vita, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Per hanc enim renouamur (vt inquit Paulus) in imaginem Dei. Cognitionis vocabulum in hoc loco Synecdoche Ebraica, & notitiam & fiduciam conſequentem ſignificat.

Peculiaris cognitionis Dei methodus.

Postqvam autem de duplici Dei cognitione in genere dictum eſt, nunc ea, quæ ad poſteriorem, hoc eſt, ad ſalutarem illam cognitionem Dei pertinent, in certa membra diſtinguamus, & ordine explicemus. Conſtituantur autem hęc explicationis membra. *Primum*, Deſcriptio Dei cum diſtinctione perſonarum. *Secundum*, Teſtimonia de vnitate eſſentiæ diuinæ: de Trinitate perſonarum: de Diuinitate Filij & Spiritus Sancti. *Tertium*, Diuinarum quarundam appellationum explicatio. *Quartum*, Proprietates Perſonarum. *Quintum*, Varius modus ſcripturæ loquendi de altera perſona in Diuinitate. *Sextum*, Teſtimonia de proprietatibus Dei. *Septimum* Quis ſit vſus, & veræ notitiæ Dei praxis.

I.

DESCRIPTIO DEI CVM *diſtinctione perſonarum.*

Descriptio autem Dei, in qua etiam diſtinctio Perſonarum continetur, optima & commodiſſima eſt, quam Philippus in locis Theologicis recitat, his verbis: *Deus* eſt eſſentia ſpiritualis, intelligens, æterna, verax, pura, bona, iuſta, miſericors, liberrima, immenſę potentię & ſapientiæ: *Pater*, ęternus, qui Filium imaginem ſuam ab æterno genuit: & *Filius* imago Patris coæterna: & *Spiritus Sanctus* procedens à Patre & Filio, ſicut patefacta eſt Diuinitas certo verbo: quòd Pater æternus cum Filio ac Spiritu Sancto, condiderit & ſeruet cœlum & terram, & omnes creaturas: Et in genere humano condito ad imaginem ſuam, & certam obedientiam, elegit ſibi Eccleſiam: vt ab ea hæc vna & vera diuinitas, patefacta certis teſtimoniis, & per verbum traditum Prophetis & Apoſtolis, agnoſcatur, inuocetur & colatur, iuxta verbum illud diuinitus traditum: & damnentur omnes cultus, qui fingunt alios Deos, & hæc vera diuinitas in vita æterna celebretur. *Hæc* deſcriptio ex multis ſcripturę locis collecta eſt, & conſtat quinque principalibus partibus. *Primùm*, deſcribitur Deus abſolutè. *Secundo* relatiuè, vbi Perſonæ diuinitatis diſcernuntur & diſtinguuntur. *Tertio*, ab effectu generali. *Quarto*, ab effectu ſpeciali. *Quinto* & vltimo loco, finis patefactionis diuinæ additur.

II.

TESTIMONIA PROBANtia vnum eſſe Deum.

1. Exod 20. 2. & Deut. 5 6. Ego Iehoua Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo ſeruitutis. Non habebis Deos alienos coram me. 2. Deut. 6. 4. Audi Iſrael, Iehoua Deus noſter, Iehoua vnus eſt. 3. Pſalm. 18. 32. Quis Deus præter Iehoua, & quis fortis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

fortis præter Deum noſtrûm? 4. Malach.2.10. Nũquid non pater vnus omnium noſtrûm? Nunquid nõ Deus vnus creauit nos.5.1.Cor.8.4.Scimus quod nõ ſit alius Deus quàm vnus.6. 1.Timoth.2.5.Vnus eſt Deus, vnus etiam conciliator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus.

TESTIMONIA PROBANtia *tres eſſe perſonas diuinitatis.*

1.Geneſ.1.opus creationis tribus perſonis tribuitur:Deus dixit,& ſpiritus ferebatur ſuper aquas.Hîc clarè habemus Deum,λόγον,& Spiritum Sanctum. 2. Pſalm.33.6.Verbo Iehouæ cœli facti ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.3.Matth.28.19.Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris,Filij & Spiritus Sancti. 4.Matth.3. In Baptiſmo Chriſti apparent perſonæ diſtinctæ Trinitatis.Pater ſonat hanc vocem:Hic eſt Filius meus dilectus.Filius ſtans in flumine conſpicitur. Spiritus Sanctus ſpecie viſibili demittitur. 5.Gal.4.6.Quoniam eſtis filij Dei,emiſit Deus ſpiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem:Abba Pater.6.1.Ioan.5.7. Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cœlo: Pater,λόγος,& Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt. 7.2.Corinth.13.Gratia Domini Ieſu Chriſti,& dilectio Dei,& communio Spiritus Sancti,ſit cum omnibus vobis.

TESTIMONIA PROBANtia *diuinitatem Filij.*

TESTIMONIA, quibus diuina natura Filij Dei comprobatur, ad quinque capita reuocare ſoleo, quorum *primum* eſt,apertum ſcripturæ pronuntiatum. *Secundum*,Cultus Chriſto exhibendus. *Tertiũ*, Opera Chriſti. *Quartum*,Confeſſio Eccleſiæ. *Quintum*, Officium redemptionis. Hæc quinque capita memoriæ iuuandæ gratia,his verſiculis includo:

Dictum,cultus,opus,confeſſio,munera,quinque hæc
Naturas Chriſti cognoſcendas tibi monſtrant.

DICTA ſeu ſcripturæ pronuntiata inter multa hæc ſunt illuſtria. 1. Ierem. 23. 6. Hoc eſt nomen, quòd vocabunt eum, Iehoua iuſtificator noſter. 2. Pſal.68.5.Iehoua nomen illi,exultate ex conſpectu eius.3.Eſai.9.6.Vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius,Deus,fortis. 4.Ioan.1.1.In principio erat λόγος, & λόγος erat apud Deum, & Deus erat λόγος. Hic λόγος ſubiectum eſt,iuxta hanc regulam: Cùm verbum hyparcticon collocatur cum duobus nominatiuis,articulus ambiguitatem tollit. Nam is nominatiuus,qui habet adiectum articulum,propoſitionis ſubiectum eſt,vt,εἰσὶ αἰγύπτιοι οἱ κολχοί. Hîc de Colchis pronũtiatur,quòd ſint Ægyptij. 5. Rom.9. 5. Ex quibus eſt Chriſtus, ſecundum carnem,qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula. 1. Ioan.5.Et ſumus in vero,in Filio eius, Ieſu Chriſto. Hîc eſt verus Deus & vita æterna. Huc quoque teſtimonia omnia refero, in quibus naturalis & vnigenitus Dei Filius eſſe prædicatur. *Secundum* caput teſtimoniorum,quibus probatur diuinitas Chriſti, eſt *Cultus*,qui ex Dei mandato illi exhibetur ab Angelis & hominibus. Ebræos 1.6.Adorent eũ omnes Angeli Dei. Huc Paulus & Stephanus inuocant & agnoſcunt καρδιογνώστην. Quare verus & naturalis Deus eſt.

Hoc ipſum confirmat *Tertium* probationum caput, quod tribuit Chriſto. *Opera* ſoli Deo propria creat, viuificat, verbo potentiæ ſuæ omnia portat, exaudit.Hæc omnia ſunt ſolius diuinæ potentiæ.

Quartum caput eſt: *Confeſſio* puræ & Catholicæ Eccleſiæ,de qua in Symboli explicatione.

Poſtremum membrũ eſt *Munus* Mediatoris, quod non competit creaturæ puræ. Sed de hoc capite etiam in Symbolo dicam, vbi Sacerdotium Chriſti ſum deſcripturus.

DE SPIRITV SANCTO.

Spiritus,cùm de Deo prædicatur,accipitur dupliciter,nimirum, *Eſſentialiter*, & *Perſonaliter*. Vt cùm dicitur: Pater,λόγος & Spiritus Sanctus Deus eſt & Spiritus,vocabulum Spiritus Eſſentialiter accipitur. Perſonaliter autem,cùm pro tertia Perſona in diuinitate accipitur,ídque per Metonymiam, quia Spirituales motus in cordibus hominum excitat, & illorum corda purificat, quod Epitheton, *Sanctus*,etiam indicat.

TESTIMONIA PROBANTIA *Spiritum Sanctum eſſe Deum.*

1.Petrus ad Ananiam dicit:Quid eſt quod impleuit cor tuum,vt mentireris Spiritui Sancto? Et paulò pòſt:Non es mentitus hominibus,ſed Deo.2.Iob 33.4.Spiritus Domini fecit me,& ſpiraculum omnipotentis viuificauit me. Hoc opus tantùm diuinæ naturæ competit.Baſilius diuinitatem Spiritus Sancti hac demonſtratione aſtruit: Omnis creatura habet ſubſtantiam circumſcriptam.Spiritus Sanctus non habet ſubſtantiam circumſcriptam. Ergo Spiritus Sanctus non eſt creatura. Inuiſibilis enim creatura, etiamſi non circumſcribatur loco & finibus,tamen proprietate ſubſtantiæ finitur. Huc pertinent etiam teſtimonia ſuprà citata,de perſonarum trinitate.

Act. 5.3.

III.

DIVINARVM QVARVNDAM *appellationum explicatio.*

Appellationes in diuinis diligenter obſeruandæ & diſcernendæ ſunt. Teneatur itaque principio hæc diſtinctio. *Quædam* appellationes conueniunt Deo ex omni æternitate: *Quædam* ex tẽpore,ídque creaturarum reſpectu, nam in Deum nullum omnino accidens cadit. Sed vtrunque genus plures recipit differentias. Nam quæ Deo attribuuntur ex omni æternitate appellationes,ſunt triplices. *Quædam* enim ad *Eſſentiam* pertinent: quædam *Perſonarum* diſcrimina reſpiciunt: quædam *Collectiua* Deo tribuuntur.

Appellationũ diſtinctio.

Ad *Eſſentiam* pertinent:Deus,bonus,ſapiens,omnipotens, caſtus, verax, & huiuſmodi,quæ de Deo dignè dicuntur. De hoc genere appellationum tenenda eſt *Regula*,quod quicquid de vna perſona dicitur, reliquis poſſit digniſſimè attribui. Vt enim Patrem rectè Deum, Dominum, omnipotentem, iuſtum, intelligentem dicis, ita ea Filio & Spiritui Sancto veriſſimè attribuis. Sunt enim hæ appellationes Naturæ,hoc eſt,eſſentiæ diuinæ communes propter æqualitatem æternitatis,magnitudinis,potentiæ trium perſonarum in vna Diuinitate.

Eſſentiales.

Cum autẽ audimus has varias appellationes Deo tribui,non cogitabimus, in Deum accidentia cadere, aut Deum compoſitum eſſe, aut mutationibus obnoxium.Nam hę varię appellationes non diuerſitatem in eſſentia diuina notant, ſed vnam eãdémque ſimpliciſſimam ſignificant, quæ has varias ſortitur appellationes propter effectus in creaturis. Quare ſecundum eſſentiam non diſtinguuntur in Deo,iuſticia,ſapientia,fortitudo, miſericordia, ſed ſecundum effectus in creaturis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Perſonales.

At *Appellationes*, quæ ad perſonarum diſcrimina pertinent, longè aliter ſe habent. Non enim ſecundum eſſentiam dicuntur (tametſi realiter) ſed relatiuè, ſicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, & Spiritus Sanctus ad vtrũque, vt qui ab vtroque procedit. Pater gignit: λόγος naſcitur: Spiritus Sanctus procedit. Hæ non ſunt communes appellationes. Pater enim non eſt Flius, nec Spiritus Sanctus. Pater non naſcitur, nec procedit. De proprietatibus paulò pòſt plura dicemus.

Collectiuæ.

Collectiuè Deo tribuũtur: Trinus, Trinitas, τριαδικός, τριάς. Vnde recte dixeris: Deus eſt trinus, Diuinitas eſt Trinitas, ſi perſonas omnes complectêris Diuinitatis.

Poſterius genus appellationũ, quas dixi Deo ex tempore competere, eſt etiam in triplici diſcrimine.

Simpliciter dictæ.

Nam quædam *Simpliciter* dicuntur, vt: Deus eſt incarnatus, λόγος eſt caro factus.

Relatiuæ.

Quædam *Relatiue*, ſed dupliciter. Nam quædam ſunt communes tribus perſonis, vt, dominus, creator, refugium, clypeus, &c. Aliæ ſeorſim ſingulis perſonis competunt, vt pater mittit, Filius mittitur, vt aſſumat humanam naturam: Spiritus Sanctus in corda mittitur credentium: λόγος eſt ſacerdos, mediator.

Per ſimilitudinẽ dictæ.

Quædã per *Similitudinẽ* dicuntur, vt quę ad paſſionem, ſitũ, habitum, locũ tẽpus referuntur, vt cùm Deus iraſc,i furere, aſcendere, deſcendere, aures adhibere, videre dicitur eo ſchemate, quod ἀνθρωποπάθειαν nominant, vt cum membra, actiones, & affectus hominum aut aliorum animalium Deo tribuuntur. *Membra*, vt oculi, aures, os, caput, alæ, cornua. *Actiones*, ſtare, ſedere, aſcendere, deſcendere. *Affectus*, ira, furor, pœnitentia, miſericordia, zelus, &c. Verũ hæc omnia comparatè dicuntur, & per ſimilitudinem, qua creata diuinis quadam tenui vmbra cõparari poſſũt.

Explicatio eorũ quæ per Similitudinem de Deo dicũtur.

Sed rem vno atque altero exemplo declarabo, vt in aliis ſtudioſi analogiam conſiderent. *Oculi* tribuuntur Deo, quòd omnia videat ac circumluſtret: vt prudens paterfamilias in domo, vnde pulchrè oculorum intuitu adũbratur diuina prouidentia. *Aures* tribuuntur Deo, quoniam omnia audit: nihílque ipſum latet, ſignificántque modò clementiam, qua exaudit inuocantes, modò æquitatem, qua peccatores non audit. *Aſcendit*, quando ſe à nobis ſubducit, veluti noſtra non curans. *Deſcendit*, quãdo ſe nobis accommodat, atque inſigne aliquod opus ad noſtram vtilitatem edit. *Alæ* cùm tribuũtur Deo, ſignificatur diligens Dei prouidẽtia in fouendis ac defendendis piis. Ex his facilè erit de reliquis huius generis formulis iudicare, ne in Anthropomorphitarum errorem incidamus, qui Deum reuera talibus membris præditum eſſe exiſtimarunt.

Natura quid.

Nunc quarundam appellationum definitiones ſubiiciam, quarum explicatio valde neceſſaria eſt. Primùm ergo differentiam inter *Naturam* & *Perſonam* videamus. Quoties *Naturæ* vocabulo vtitur Eccleſia in doctrina de Diuinitate, ſignificat ipſam eſſentiam, quæ reuera eſt, in qua tres Perſonæ ſubſiſtunt.

Perſonę.

Perſona vnam rem indiuiduam naturæ ſeu eſſentiæ ſignificat, ſeu vt Philippus definit: Perſona eſt ſubſiſtens viuum, indiuiduum, incommunicabile, non ſubſtentatum ab alio, Græcè ὑφιστάμενον. Non ſubſtentatum ab alio, excludit diſputationes eorum, qui vt duas naturas in Chriſto, ita etiam duas perſonas, ſed falſò, docebant. Humana enim natura in Chriſto non habet rationem perſonæ per ſe, ſed dependet ſingulari ordine ad hanc diuinam perſonam, λόγον, vt ab ea ſuſtentetur & conſeruetur, & rationem perſonæ cum diuina natura accipiat. Vnde in Symbolo: Vt anima rationalis & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus, non vnitate naturæ, ſed vnitate perſonæ. Breuiter, *Natura* dicitur quatenus eſt eſſentia quædã. *Perſonæ* verò, quæ in ea eſſentia ſeu natura ſubſiſtunt. Vnde quia tres ſunt iuxta patefactionem diuinam ſubſiſtẽtiæ in diuina eſſentia, tres quoque confitemur Perſonas. Alia eſt enim perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti, ſed non eſt alia natura aut eſſentia Patris, quàm Filij & Spiritus Sancti, quemadmodum impiè docuerunt Ariani, ſed vt Pater eſt in Filio & Spiritu Sancto: ita Filius in Patre & Spiritu Sancto, & Spiritus Sanctus in Patre & Filio κατὰ περιχώρησιν, vt Græci loquũtur Theologi. Ita Chriſtiana fides eſt, non confundere perſonarum trinitatẽ, nec diſcerpere naturæ vnitatem.

De prima perſona.

Prima perſona dicitur *Pater æternus*, quia habet Filium æternum, qui λόγος dicitur, duplici reſpectu. Primùm reſpectu Patris, quia cogitatione Patris naſcitur. Deinde reſpectu noſtri, quia profert Euangelium è ſinu Patris, & nobis annunciat. Hîc æternus λόγος ideo dicitur Filius Patris quia ab ipſo generatur ſecundùm veritatem naturæ, trãsfuſa Patris ſubſtantia in Filium. *Verum* cùm dicitur Filius de Patre naſci, cauendum eſt, ne rerum creatarum cogitatione & ſimilitudine initium vllum natiuitatis æternæ Chriſti cum Arianis cogitemus. Nam Dei λόγος ante omne prorſus initium, hoc eſt, ſine aliquo ſuę natiuitatis initio de Patris ſubſtantia genitus eſt, Deus de Deo, Lumen de Lumine, iuxta cõfeſſionem Catholicæ Eccleſiæ, quæ Filium ὁμοούσιον Patri confitetur, contra Arianorum dogma, quo tres naturæ ſtatuebantur, vt tres perſonæ.

Porrò quia Pater dicitur gignere, λόγος naſci, & Spiritus Sanctus procedere, tenenda eſt harum appellationum explicatio. *Gignere* eſt alium de ſua eſſentia gignere. Quare cùm Creare ſit aliquid ex nihilo facere, λόγος æternus Dei nequaquam creatus eſſe dicendus eſt. *Naſci* eſt à potentia cognoſcente, quia genitum eſt imago gignentis. Vt autem in hominibus potentia cognoſcens, format imagines, & loquitur: Sic Filius eſt æterni Patris imago, cogitatione genita, ab æterno communicata ſubſtantia, & oſtendens Patrem in reuelatione Euangelij. *Procedere* autem eſt à voluntate, quia Spiritus Sãctus eſt motor ſeu agitator.

Patris vocabulum duplicem relationem habet. Nunc enim relationem habet ad λόγον, & perſonam primam in diuinitate ſignificat: Nunc ad homines refertur, éſtque commune toti Trinitatis ab effectu erga homines, vt cùm dicimus: Pater noſter qui es in cœlis.

Spiritus quoque nomen nunc eſſentialiter, & cõmuniter prædicatur de tribus Perſonis: nunc perſonaliter, & eſt tertia perſona in diuinitate, de qua re ſupra dictum eſt.

IIII.
DE PROPRIETATE *perſonarum.*

Tres perſonæ.

In vna eſſentia tres ſunt hypoſtaſes ſeu perſonæ, quæ à ſe inuicem proprietatibus duplicibus diſcernuntur, nempe interioribus & exterioribus.

Quomodo diſtinctæ.

Interiores ſunt, gignere, naſci, procedere. Solus Pater gignit. Solus Filius naſcitur. Solus Spiritus Sanctus procedit. Sed inter naſci & procedere hoc eſt diſcrimen, quemadmodum & ſupra indicatum eſt: Naſci quidẽ eſt à potentia intelligente, quia Filius cogitatione naſcitur, & eſt imago Patris. Procedere autem eſt à volũtate, quia Spiritus Sãctus eſt agitator ſeu moror

ſubſtan-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſubſtantialis,tanquã ignis amoris,quo Pater Filium complectitur,& Filius Patrem,imò quo poſtea Pater & Filius dulciſſimo complexu ſibi copulant Eccleſiam ſuam.Proprietates *exteriores* à beneficiis erga Eccleſiam ſumptæ ſunt,vt mittere & mitti.Pater mittit,Filius mittitur , vt aſſumat carnem humanã, & fiat victima.Spiritus Sanctus mittitur in corda,vt in nobis accendat nouam lucem & iuſtitiam.

V.

MODVS SCRIPTVRÆ

Varius loquendi de Filio,altera perſona Trinitatis.

Scriptura variis modis de altera perſona in diuinitate loquitur. *Primùm* enim per Synecdochen,cũ humanitati attribuitur,quod eſt totius perſonæ,vt: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Et econtrà, cùm diuinitati tribuitur, quod ſimiliter eſt totius perſonæ,vt cùm Ieremias dicit: Ipſum Iehoua eſſe iuſtificatorem noſtrum. Eſt enim Iehoua eſſentiæ diuinæ appellatio. *Secundò*, quædam attribuuntur per communicationem idiomatum, ſed in concreto. Hæc autem vt dextrè intelligantur, videndum primùm, quid ſit Idioma. Deinde quid Communicatio Idiomatum. Tum cur in concreto tantùm recepta ſit hæc prædicatio.

De cõmunicatione proprietatum.

Idioma itaq; eſt proprietas vni naturæ cõueniens, vt in homine Mentis Idioma eſt intelligere,ratiocinari,meditari: Corporis idioma eſt lacerari, tangi, conſpici,&c.

Quid ſit.

Communicatio Idiomatum eſt,cùm Idiomata, hoc eſt,proprietates vnius naturæ,alteri communicantur,& tribuuntur in concreto, ſeu: Communicatio Idiomatum eſt prædicatio , in qua proprietas vni naturæ conueniens, perſonæ tribuitur in concreto, propter vnionẽ hypoſtaticã. Quòd autẽ in Cõcreto id tantùm fieri poſſit,hæc eſt ratio: Abſtracta ſignificant naturas & formas,per ſe cõſideratas,vt diuinitas & diuina natura,humanitas & humana natura. Cõcreta autem ipſa ſubiecta ſignificant cum naturis & formis. Vt: homo non ſignificat humanitatem, ſed ὑφιστάμενον totum,in quo anima & corpus ſunt. In cõcreto igitur perſona intelligitur,in abſtracto natura tantùm.

Cùm igitur loquitur de Filio Dei,communicatio idiomatum eſt forma loquendi, in qua proprietates vnius naturę alteri naturæ communicantur,propter vnionem hypoſtaticam. In Chriſto Idioma naturæ diuinæ eſt,eſſe omnipotentem,creatorem,ſcrutatorem cordium. Rurſus Idioma humanæ naturæ eſt,edere,bibere,ligari,triſtari,crucifigi, mori. Verùm hęc diuerſarum naturarum idiomata communicantur in concretis,hoc modo: Filius Mariæ eſt omnipotens,eſt creator,eſt ſcrutator cordium. Deus edit,bibit,fatigatus eſt,triſtatus eſt,crucifixꝰ eſt,mortuus eſt. Sic Verbũ eſt homo,Deus eſt homo,Chriſtus eſt Deus,Deus eſt natꝰ ex virgine,Deus acquiſiuit ſibi Eccleſiam ſuo ſanguine. Hæ propoſitiones ideò ſunt veræ,quia naturæ,diuina & humana, vnitæ ſunt vnione hypoſtatica ſeu perſonali.

Tertiò,Quædam ſeorſim naturis tribuuntur, humanitati quidem,quæ eam ſolam attingunt, vt: Filius Marię creuit ſapientia & gratia coram Deo & hominibus. Diuinitati verò,quæ in illam ſolã competunt,vt: Filius Dei eſt,per quẽ ſecula ſunt cõdita.

Quartò, Interdum prædicata conueniunt vtrique naturæ in abſtracto,vt: Chriſtus viuit in cœlo,quod vtique conuenit Chriſto, ſecundùm vtramque naturam,diuinam & humanam.

Quintò,Quædam ita tribuuntur perſonæ,vt per ſe & ſeorſim neque humanæ neq; diuinæ naturæ conueniant: qualia ſunt opera redemptionis, videlicet, quòd poteſtatem à Patre acceperit,remittendi peccata,ſuſcitandi quos velit,iuſtitiam,ſanctitatem, ſalutem largiendi,quòd iudex conſtitutus ſit viuorum & mortuorum,vt honoretur,quemadmodum & Pater,quòd ſit lux mundi,paſtor bonus, ſacerdos,rex, mediator.

Diſcernendæ ſunt igitur appellationes,quę naturarũ proprietates ſignificãt, ab officij appellationibus. Deus,omnipotens,immortalis,ſunt appellationes ad diuinam naturam referendæ. Homo, paſſibilis,vulneratus,mortuus,ſunt appellationes ad naturam humanam referẽdæ, (etſi omnis iniuria & paſſio hominis Chriſto illata,ad ipſum vnigenitum & impaſſibilem Deum,quadam ratione pertinet, quia diuina & humana natura vnione hypoſtatica ſunt vnitæ) ſed nomina officij, quæ ſunt,Mediator,Redemptor, Saluator,Rex, Sacerdos, Paſtor,competunt toti perſonæ,non alicui naturæ ſeorſim.

Porrò huius varietatis diſtinctio,non ſolùm vtilis eſt ad confutandos hæreticos, verumetiam piis mentibus longè alium fructum affert. Nam ſub his variis formis loquendi continetur, quicquid neceſſarium cognitu eſt de Filio Dei, de quo præcipuè quatuor neceſſariò cognoſcenda ſunt. I. Quòd ſit verus Deus,vnde fides cõcipit fiduciam,quòd poſſit iuuare & defendere quos velit,hoc eſt,ad ſe confugientes,vt qui non ſolùm Spiritu & Sacramentis, verumetiam naturæ ſocietate illis cõiunctus eſt. II. Quòd ſit verus Homo,vnde fides concipit fiduciam, quòd velit iuuare. III. Quòd ſit vna Perſona,nõ confuſis naturis, ſed vnitis hypoſtatica vnione. Vnde fides Deo coniunctiorem ſe ſtatuit, quàm vt ab eo abiiciatur. IIII. Quòd ſit Rex & Pontifex. Breuiter, Saluator in ſe credentiũ. Et hoc eſt fidei fũdamentũ.

Vſus harũ appellationum.

Teſtimonia igitur *Primi* modi monent, ne officiũ redemptionis diſcerpamus,ſed toti Chriſto tribuamus, id quod adhuc Quintus modus clariùs docet. *Secundus* modus vnionẽ hypoſtaticam,ſeu vnitatem perſonæ manifeſtat. Communio enim idiomatum euidenter oſtendit diſcrimen,inter hypoſtaticã ſeu perſonalem naturarum vnionem in Chriſto, & ſocietatem ſeu auxilium Dei in aliis ſanctis. Ideo enim prædicata communicantur,quia eſt vnum ὑφιστάμενον. *Tertius* modus diſtinctè naturas Chriſti, nimirum veram Diuinitatem ac veram humanitatem comprobat.

Hîc vtile eſt admonere de modis præſentiæ diuinæ. Tametſi enim Deus vbique totus per ſuam ſimplicem eſſentiam eſt, iuxta illud: Cœlum & terram ego impleo: non tamen eodem modo vbique eſſe conuincitur. Nam quatuor ſunt gradus præſentiæ Dei. *Primus* eſt præſentia conſeruationis,qua Deus omnibus creaturis adeſt,ita vt eas ſuſtentet,& conſeruet. *Secundus* gradus eſt,quo beatis Angelis & hominibus in gloria adeſt. *Tertius*,quo in hac vita renatis adeſt, ſuo Spiritu & efficacia. *Quartus*, quo adeſt λόγῳ vnione hypoſtatica inſeparabiliter.

De modis pręſentiæ diuinæ.

VI.

TESTIMONIA DE PRO-

prietatibus Dei, vnde fides in ipſum ſtabilitur.

Exodi 34. 6. Iehoua Iehoua, Deus miſericors & clemens, patiens, ac multæ miſerationis, & verax, qui aufers iniquitatem & ſcelera, apud quem innocens non erit innocens,qui miſericordiam cuſtodis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

in millia, qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus, in tertiam & quartam generationem.

Pſal.86.15. Et tu Iehoua Deus, miſerator & miſericors, patiens & multum miſericordiæ, & verax.

Ierem.23.22. Putáſne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus, & non Deus è longè? Si occultabitur vir in abſonditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus? Nunquid non cœlum & terram impleo, dicit Dominus? Ierem.32.18. Fortiſſime, magne & potens, Iehoua exercituum nomen tibi, magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu, cuius oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam, vt reddas vnicuique ſecundùm vias ſuas, & ſecundùm fructum adinuentionum eius.

VII.
DE VSV.

Quæ hactenus dicta ſunt, ad γνῶσιν pertinent: Nunc pauca ſubiungam de vſu & praxi. *Primùm*, itaq; formant hæc rectè iudicium noſtrum de Deo, qui vult à nobis agnoſci talis, qualem ſe ſuo Verbo & Teſtimonio patefecit. *Secundò*, hinc rectè iudicare diſcimus de creatione, quæ eſt opus totius Trinitatis. *Tertiò*, rectè ſentire de reparatione generis humani, quod etiam opus totius Trinitatis exiſtit, ſeruata tamen cuiuſque Perſonæ proprietate. *Quartò*, articuli fidei noſtræ hinc confirmantur, in quibus profitemur, nos credere in vnum Deum, qui eſt Pater, Filius & Spiritus Sanctus. *Quintò*, erudiunt hæc nos ad ſolicitè ambulandum coram Deo noſtro, in vero timore & fide. Eſt enim præcipuus finis notitiæ Dei, fiducia in ipſum. *Sextò*, hæc faciunt ad rectè inuocãdum. Inuocatio enim dirigenda eſt ad hunc ſolum Deũ, qui eſt vnus in ſubſtãtia, & trinus in perſonis.

CAPVT. *II.*

DE CREATIONE.

Definitio.

CREATIO propriè eſt primaria illa rerum productio ſiue formatio, qua Deus æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, vnà cum Filio æterno, & Spiritu Sancto, produxit ex nihilo, & formauit cœlum & terram, & contenta in illis, viſibilia & inuiſibilia, vt ipſe agnoſcatur & colatur. Eſt .n. Creare propriè aliquid ex nihilo facere. Heb. *Bara*. Græcus genus poſuit: ἐποίησε, fecit.

Laus opificis.

Vt autem maiori admiratione rerum creatarum teneamur, obſeruandum eſt præconium creaturarũ Geneſis 1.31. vbi Moſes ita inquit: Vidítq; Deus cuncta quę fecerat, & ecce bona valde. Hoc dictum *Primùm* monet, vt creaturas ſeparemus à deformitate, in naturam per peccatum introducta. Eſt enim peccatum eiúſque effectus non à Deo, ſed à Diabolo & homine, auertẽtibus ſe à Deo. *Deinde* cùm res creatas valde bonas eſſe audimus, tenendum eſt diſcrimen inter Deum, ſummè bonum, & res ab eo effectas. Eſt enim Deus bonus cauſa & origine, quæ bonitatis ratio rebus creatis minimè competit. Quare Dominus in Euangelio pronũtiat, Deum ſolũ bonum eſſe, qui non aliunde ſuæ bonitatis rationẽ habet, ſed ipſe bonus eſt, natura, cauſa & origine.

Res creatæ cur bonæ.

At Res creatæ quadruplici de cauſa bonæ prædicantur. *Primùm* enim ex eo bonæ dicuntur, & ſunt, quia à Deo optimo ſunt conditæ. *Secundò*, quia Deo conditori placent. *Tertiò*, quia ſunt ordinatæ ad bonos vſus. *Quartò*, quia ſingulæ in ſuo ordine Deo optimo ſeruire debent. Vnde Dauid Pſal.148. hortatur totam vniuerſitatẽ rerum, vt Deum conditorem & ſaluatorem ſuum celebret. Et quanquã tota creatura Deum ſua quadam ratione celebrat, tamẽ præcipuum cultum à rationali creatura requirit. Quare Angeli & homines conditi erant, vt eſſent templum Dei, & vera innocentia ſeruirent Deo. Hæc nos admoneant, quotieſcunque hanc rerum machinam intuemur, vt ad Chriſtum reparatorem naturæ humanæ confugiamus, quò aliquando Deo in noſtro ordine ritè ſeruire cum ſanctis Angelis poſſimus.

In creaturis quid ſpectãdũ.

Porrò in creaturis ſpectentur hæc quatuor. *Primum*, ſpecierum pulcherrima varietas. *Secundum*, facultatum & virium in rebus productis vtiliſſima proprietas. *Tertium*, ordo creationis & rerum productarum iucundiſſimus. *Quartum*, Finis principalis conditionis rerum. Hæc *Quatuor* de multis magnis rebus nos admonẽt. *Varietas* enim ſpecierum, qua adeò pulchrè rerum gradus diſtinxit, commendat nobis opificis ſummam potentiam & ſapientiã.

Varietas.

Proprietas.

Proprietas & vis rebus inſita, bonitatẽ creatoris prædicat, vt qui ad certas vtilitates res ſingulas condiderit. *Ordo* duplex conſideretur. *Prior* creationis, qui docet, omnia propter hominem condita. Vnde commendat Deus nobis ſuam paternam prouidentiam, quòd antequam naſceremur, proſpexerit nobis. *Poſterior* ordo eſt rerum creatarum, quarũ quatuor ſunt gradus. *Infimus*, earum rerum, quæ ſunt tantùm, vt Elementa, Lapides, Metalla, &c. *Proximus*, rerum quæ ſunt & viuunt tantùm, vt plantæ, herbæ, frutices. *Tertius*, rerum quæ ſunt, viuunt, & ſentiunt, vt animalia bruta. *Summus*, rerum eſt, quæ non ſolùm ſunt, viuunt, & ſentiunt, verumetiam intelligunt. Hi gradus rerum hãc naturã ex primæua conditione & ordine Dei obtinẽt, vt inferiores gradus ſeruiãt ſuperioribus, ſeruata cuiuſque dignitate. Quare vt tres primi ordines ſeruiũt homini, ita quartus gradus ad vnum Deum colendum referri debet. Seruãt enim ſuum ordinem vniuerſæ creaturæ, ſeruientes homini. Sed cùm homo non ſeruit Deo, contra ſuã naturã facit, & inuertit ordinem naturæ rerum. Huius igitur ordinis cõſideratio duarum rerum nos admonebit. I. quæ ſit hominis excellentia oſtendit. Excellit enim omnia, quę infra ſuum ordinem collocata ſunt. II. oſtendit, quò omnes hominis actiones referẽdæ ſint, nimirum ad Deum agnoſcendum & glorificãdum, & ad perpetuã gratiarum actionem reddendã Deo, qui in noſtrum bonum omnia condiderit.

Finis.

Poſtremum eorum quatuor, quæ ſpectanda ſunt in creaturis, eſt *Finis* creaturarum, qui ex ordine earũdem haud obſcurè intelligi poteſt. Elementa enim & creaturæ primi ordinis ordinantur ad alias creaturas digniores, ita vt ordo rerum trium graduum ad hominem: Hominis verò ſit ad Deum agnoſcendum & glorificandum. Hinc Salómon, Prouerb.16.4. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Iehoua. Propter ſemetipſum, hoc eſt, vt ipſe ex iis agnoſcatur, laudetur & glorificetur. Non enim res creauit, vt illis vteretur, quia nec illis nec noſtris bonis indiget. Pſalm.16.2.

TESTIMONIA CREAtionis.

1. Geneſ.1.1. In principio creauit Deus cœlum & terram. Lege hiſtoriam creationis 1. & 2. cap. Geneſ. 2. Pſal.33.6. Verbo Iehouæ cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. 3. Pſalmo eodem 9. Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. 4. Pſal.19.1. Cœli enarrant gloriã Dei, & opera manuum eius communicat firmamentum. 5. Prouerb.16.4. Omnia operatus eſt Iehoua propter ſemetipſum.

DE

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

CAPVT III.

DE PROVIDENTIA Dei.

Prouidentiæ definitio.

PROVIDENTIA Dei, eſt non ſolùm ipſa diuina ratio, qua is cuncta præterita & futura videt & cognoſcit: ſed etiam adminiſtratio, per quam Deus ſuſtentat, gubernat & moderatur omnia à ſe condita, in ſui nominis gloriam. Sed huius adminiſtrationis tres ſunt modi.

Modi. I. Vniuerſalis.

Primus eſt *Vniuerſalis* Prouidētia, qua dirigit Deus omnes creaturas, iuxta conditionē & proprietatem, quam ſingulis, dum formaret eas, dedit, & nunc eas ſua cura complectitur, vt ſtet incolumis naturæ ſtatus. Quare cùm Solem, Lunam, Stellas, curſum ſuum conficere videamus, exiſtimemus ipſa obedire Deo, ipſius iuſſa exequi, neque id tantùm, ſed Dei quoque manu gubernari, ferríq; omnia eius nutu. Nec prohibet hæc vniuerſalis Dei operatio, quò minus ſingulæ creaturę, tum in cœlo tum in terris, qualitatem & naturā ſuam retineant, propriámque inclinationem ſequantur. Vnde Auguſtinus dicit, Deum res conditas ſic adminiſtrare, vt eas propriis motibus agere ſinat. Nam hoc ipſum eſt prouidentiæ Dei, vt non ſolùm naturam, verumetiā inclinationem modúmque naturæ agendi ſuſtentet.

II. Specialis.

Secundus modus *Specialis* Prouidētia eſt, qua Deus moderatur omnia, & addicit creaturas in obſequiū ſuum, vt maximè expedite & conducere ſibi videtur. Hæc pluuias, tonitrua, gelu, grandinem, ſiccitatē, tempeſtatem, ſerenitatem, abundantiam, famē, bellum, pacem, exilium &c. efficit, vt hæc ſint bonitatis, & iuſtitiæ, & iudicij ſui inſtrumēta: prout nunc ſeruos ſuos iuuare: nunc ſontes punire, nunc pios caſtigare paterno affectu conſtituit: ídque iuxta promiſſiones ſuas & minas, nō aliqua Stoica neceſſitate. Eſt autem hæc *Regula* inprimis tenenda: quòd ſub diuinam prouidentiam non tantùm cadant effectus futuri, ſed etiam ex quibus cauſis, quo medio, quóque ordine proueniant. Fur ſtrāgulatur, ídque prouidentia diuina, quia furtum commiſit tali ſupplicio dignum, nequaquam ſtrangulandus, ea vel ſimili cauſa non præcedente: etſi interdum nobis cauſæ talium ſuppliciorum occultæ ſunt. Proinde in euentibus ad promiſſiones & minas diuinas, & non ad Stoicam neceſſitatem reſpiciendum eſt.

III. Peculiaris.

Tertius modus eſt Prouidētia *Peculiaris*, qua Deus viuit & regnat in Eccleſia Chriſti, erigit & fouet fideles, operatur velle & perficere, inſpirat precandi affectū: efficit, vt in præceptis ſuis ambulemus, iuxta ſuam promiſſionem. Ezech. 36. 26. Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & faciā, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea faciatis. Quatenus enim corrupti ſumus peccato originali, terræ ſiccæ & ſterili perſimiles ſumus, boni fructus nihil omnino producenti. Nam corruptum eſt iudicium noſtrum: voluntas noſtra Deo rebellis, ad malum procliuis & propenſa: deniq; tota noſtra natura vicioſa eſt. Quòd cùm ita ſit, ipſe Dominus peculiari cura reformat in nobis iudicium, operatur in nobis & velle & perficere. Sed interim notandum eſt, nos à natura electionem & voluntatem habere: ſed quia vtraque peccato deprauata eſt, Dominus eas ſua manu reformat, & è malis bonas facit. Quod igitur ad diſcernendum apti ſumus, quòd volumus, quòd hoc vel illud facimus, id naturale Dei donum eſt. Quòd verò nihil aliud poſſumus eligere, expetere aut facere, quàm malum, id ex corruptione peccati eſt. Contrà, quòd benè operari cupimus, atque exequendi poteſtate ſumus præditi, id totum à gratia proficiſcitur, qua in meliorem vitam regenerati ſumus.

Finis duplex.

Porrò *Finis* & *vſus* prouidentiæ Dei nunc explicandi ſunt. *Finis* itaque duplex: Prior, vt nos totos Deo commendemus, eum timeamus, inuocemus & prædicemus. Poſterior, vt ſecurè contēnamus quicquid nobis mundus vel Satan minatur. *Vſus* autem vt conſpiciatur apertius, duæ obſeruandę ſunt nobis diſtinctiones. Prior, quod tam in præteritum quàm in futurum conſideranda ſit prouidentia Dei. Altera, quòd Deus interdum cum ſuis mediis, interdum ſine mediis, nonnunquam etiam contra omnia media, ſuam prouidentiam exequatur. Si igitur ad tempus reſpicis pręteritū, diuinæ prouidentiæ aſcribes, quicquid vel proſperi vel aduerſi tibi contigit, ſed diuerſimodè. Si enim quid proſperi contigit, habes occaſionem celebrandi Dei, ídque exemplo ſanctorum Patriarcharum, Regum, atque adeò omnium piorum. Si quid aduerſi contigit, duo facies. I. cogita cum Iob: Sicut Domino placuit, ita factum eſt. II. anteactæ vitæ ſubeat memoria, vt vel ex pœnis tibi inflictis peccata tua agnoſcas, ac emenderis, ita, vt cū Dauide dicere poſſis: Bonū eſt mihi Domine, quòd humiliaſti me. In tempus futurum hoc modo reputanda eſt prouidētia Dei, vt ſemper ad eius promiſſiones & minas intentus ſis, hinc ad Dei timorem, fidei inuocationíſque profectum incitaberis. Nō enim carnis torporem, ſed quietem fidei afferre nobis debet prouidentia Dei. Deinde etiam aduerſus crucis acerbitatem armaberis. Porrò ſi per media proſpicit tibi Dominus, accipe tanquā à manu Dei, & illi gratū te exhibe. Media aūt, vt prouidentię Dei inſtrumēta agnoſcito. Si abſque mediis, vt ſi ſine pane te in carcere ſuſtētaret, verbo Domini hoc aſcribendum eſt. Si contra media nobis prouidet Dominus, hoc eſt, cum nulla obſtacula prouidentiā paternam impedire poſſunt, vt cùm Dauid euectus eſt in regnum, Saule contrà cum tota familia reclamante, cùm Daniel in ſpelunca Leonum liberatur, & tres viri in camino Babylonico: habemus materiam prædicandi & celebrandi Dei. Hodie Eccleſia, vel inuitis inferorum portis, Dei prouidentia in hoc regno & alibi conſeruatur. Hæc ſi cogitaremus, non adeo ſacrilegè abiecta fiducia in Deum confugeremus ad humana præſidia, & in fauore pulueris & cineris ſpem poneremus: quam proteruiam non vno in loco Scriptura maledictam pronunciat. Ieremiæ 17. 5. Maledictus homo, qui ponit fiduciam in homine, & ponit carnem brachium ſuum.

In proſperis & aduerſis.

TESTIMONIA PROuidentiæ vniuerſalis.

I. Pſalm. 104. qui incipit: Benedic anima mea Dominum: prædicat hanc vniuerſalem adminiſtrationem. 2. Paulus Acto. 17. 28. In ipſo enim viuimus, mouemur & ſumus, id eſt, per ipſum datur, ſuſtētatur & fouetur vita noſtra. 3. Heb. 1. 3. Ferens omnia verbo potentiæ ſuæ. 4. Matth. 10. 29. Duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadit ſuper terram ſine Patre veſtro. 5. I. Timoth. 6. 13. Qui viuificat omnia.

TESTIMONIA PROuidentiæ ſpecialis.

I. Pſal. 127. I. Niſi Dominus ædificauerit domum, fruſtra laborat qui ædificat eam. 2. Prouerb. 3. 33. Egeſtas à Domino in domo impij, habitacula autem iuſtorum benedicentur. 3. Pſal. 36. 6. Homines & iumēta iuuabis Domine. 4. Huc. Pſ. 107. referēdus eſt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

5 Huc refertur, quoties Dominus per Prophetas dicit, ſe tenebras & lucem, vitã & mortem immittere.

TESTIMONIA PECVLIA- *ris prouidentiæ, quæ eſt electorum.*

1. Pſal. 1. 7. Nouit Dominus viam iuſtorum. 2. Pſal. 34. 16. Oculi Domini ſuper iuſtos. 3. Matth. 10. 30. Capilli veſtri omnes numerati ſunt. 4. Huc Pſal. 91. Qui habitat in adiutorio altiſſimi, totus referendus eſt. In hoc enim pulcherrimè oſtenditur, quòd Eccleſia Chriſti ſit veluti theatrum prouidentiæ Dei.

CAPVT *IIII.*

HOMO.

Hominis definitio.

HOMO eſt creatura Dei, conſtans corpore & anima rationali, ad imaginem Dei, cum libera voluntate condita, præſéſque creaturarũ inferiorum ordinum conſtituta, vt Deum in ſocietate agnoſcat & celebret. Hęc definitio ſumpta ex ſecundo capite Geneſeos cõuenit homini, vt creatus erat à Deo, dũ erat adhuc in honore, vt Pſal. 49. 21. loquitur, hoc eſt, in ſtatu innocentiæ ante peccatum.

Scire autem oportet, quòd Scriptura Sacra quadruplicis ſtatus hominis meminit, quorum *Primus* fuit ante peccatum, Geneſ. 2. *Secundus* ſub peccato. *Tertius* ſub gratia fœderis, Gen. 3. & paſſim in Scripturis, in quo ſtatu ſoli ſunt ij, qui fœderis participes facti ſunt. *Quartus* ſtatus, poſt hanc vitam, & is variat. Ante enim reſurrectionem, corpus in ſepulchro, anima pij in requie erit: Poſt reſurrectionem verò coniungentur animæ corporibus, vt vel requie æterna fruãtur ſimul, vel pœnas luant ſuæ iniuſticiæ Iuxta horum ſtatuum diuerſitatem, hominis conditio mirabiliter variat. Quare breuiter admonebo, qualis nam ſit homo in diuerſis illis ſtatibus. *In* primo igitur ſtatu, quem vocant ſtatum innocentiæ,

I. Ante peccatum.

qualis fuerit homo, ideo breuius dicam, quia poſtea rurſus repetendum eſt, vbi dicetur de iuſtitia originali. Habuit itaque homo in hoc primo ſtatu. 1. imaginem Dei. 2. integritatem. 3. εὐταξίαν omniũ virium. 4. verbum. 5. duplex Sacramentum, immortalitatis & probationis. Sed hæc apertius declarãda ſunt, ac primùm de imagine dicendum eſt.

I.

De imagine Dei.

Imago itaque quid ſit, non eſt obſcurum. Eſt enim rei alicuius expreſſio ſeu repræſentatio, ídque tùm in anima hominis, videlicet in parte cognoſcẽte, tum extra animam. Cùm enim mens humana cogitat aliquid, imaginem quandam rei veluti pingit & delineat: vt quoties cogitat aliquis hominẽ notum abſentem, mente quaſi delineat corporis figuram, quam intuetur de abſente cogitãs. Ad eundem modum pictor manu exprimit delineamenta corporis, cuius imaginem pingit, vt abſentis formam, quantum fieri poteſt, referat & repræſentet picta imago. Hãc eſſe propriam ſignificationem Imaginis manifeſtum eſt, quam appellationẽ verbum Dei accommodat æterno λόγῳ, deinde & homini, ac vocat imaginẽ Dei, quæ ipſum Deũ repræſentat & refert.

Eſt duplex.

Sed hæc duplex eſt, naturalis nimirum & gratuita. *Naturalis* Dei imago in ſolo Chriſto eſt, & eſt duplex, eſſentialis, & per virtutem. *Eſſentialis* eſt eiuſdem eſſentiæ cum Patre, vnde & ὁμοούσιος dicitur, coæterna & coæqualis. Vt enim in nobis cogitatio format imagines rerum, de quibus cogitamus: ita ęternus Pater ſeſe ab ęterno intuens & cogitans, gignit imaginem ſui. Sed nos non transfundimus ſubſtantiam in imagines illas, in mente formatas, quæ reipſa ſunt ſubitæ & euaneſcentes actiones. At Pater æternus ab æterno gignit imaginem, communicata ipſi eſſentia. Hanc eſſentialem Dei imaginem, hoc eſt, Chriſtum Dominum, Epiſtola ad Hebræos vocat Characterem ſubſtantiæ Patris, hoc eſt imaginem ſubſtantialem, qua Filius eſt ὁμοούσιος cũ perſona Patris. Vocatur & λόγος eadem ratione. Vt enim imago in nobis concepta, eſt λόγος, hoc eſt, verbum mentale: ita Filius Dei λόγος, eſt æterni Patris imago, ineffabili ratione communicata eſſentia ab æterno. *Imago* Dei per gloriam virtutis (quã Epiſtola ad Ebræos ἀπαύγασμα gloriæ vocat) eſt, quæ refulget in Chriſto per operum diuinorũ virtutem, vnde & Patris cœleſtis potentiaglorioſa, & voluntas paterna conſpicitur. Ita enim ſe totum in Chriſto patefecit Deus, vt in ipſo immenſam ſuam bonitatem, ſapientiam, virtutem ac φιλανθρωπίαν in ſolidum declarauit. De hac imagine loquitur Dominus, Iohan. 14. 9. Philippe, qui videt me, videt & Patrẽ. Et quoniam virtutis ſimilitudo (vt inquit *H*ilarius) nõ poteſt eſſe diſſimilis naturæ, rectè ex virtutis ſimilitudine, eſſentiæ ſimilitudo concluditur. Virtus enim Chriſti, præſentis diuinitatis viſibilis eſt imago, qua Deus nobis, per ſe inuiſibilis, quodammodo redditur viſibilis. Nec poteſt hæc virtutis gloria Prophetis aut Apoſtolis tribui, qui diuina opera ediderunt. Non enim propria, ſed Chriſti virtute & inuocatione id fecerunt, ad confirmandam Chriſti gloriam.

Imago Dei in homine quid, & quomodo.

Porro *Imago* Dei per gratiam ea eſt, ſecundum quam primus homo factus & formatus fuit, iuxta illud: Faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundum ſimilitudinem noſtram. *H*æc imago in hòmine tripliciter cõſiderari poteſt. *Primum*, ratione ſubſtantiæ. *Deinde* ratione donorum, quibus ornatus erat primus homo. *Tertiò*, ratione eminentiæ ſuper alias creaturas. 1. Auguſtinus imaginem Dei, quæ ratione ſubſtantię ſpectatur, interpretatur hoc modo: Memoria in mente hominis ſignificat Patrem æternum gignentem Filium. Cogitatio ſignificat Filiũ, vnde & λόγος æterni Patris dicitur. Voluntas Spiritum Sanctum ſignificat. Neque dubium eſt, æterni Patris & Filij & Spiritus Sancti diſcrimina in humana mẽte eſſe adumbrata. Eſt mens quidem vna ſimpliciſſima natura, ſed in ea ſunt iſtæ tres proprietates: Memoria, Cogitatio & Voluntas, quæ repræſentant, tanquam obſcuræ quædam vmbræ, perſonarũ in diuinis diſcrimina. 2. Verùm ſi ad *Dona* referas hanc Dei imaginem in homine, erit profecto imago Dei, conformitas & ſimilitudo, quæ Adamo erat cũ Deo, qua iuſticiam & ſanctitatem Dei quaſi in ſpeculo repræſentauit Adam. Vnde Paulus Epheſ. 4. 24. Et induatis nouum hominẽ, qui ſecundum Deũ creatus eſt, in iuſticia & ſanctitate veritatis. Huius imaginis finis fuit, vt Adã cum ſua poſteritate in ſanctitate & iuſticia omnibus diebus ſeruiret Deo. 3. Ratione *Ordinis* ſeu *Eminentiæ* ad alias creaturas, homo erat conditus ad imaginẽ Dei, vt qui Dominus omnium rerum inferiorum ordinum erat conſtitutus. Hæc quidem imago non ad puritatẽ & ſanctitatem cordis, ſed ad externam ordinationẽ Dei pertinent. Vnde Paulus 1. Cor. 11. 3. Virum imaginẽ & gloriam Dei eſſe docet. In eminentia enim, qua vir mulierẽ antecellit, gloria & imago Dei quodammodo conſpicitur, quemadmodum in omni principatu.

Has tres partes imaginis Dei eſſe non eſt dubium: quarũ extremæ, hoc eſt, prima & vltima, iuxta quaſdam tenues vmbras remanſerunt in homine poſt lapſum. Media autem pars prorſus inducta fuit per pecca-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

peccatũ, ſed per Chriſtum in regeneratis indies reparatur & fit illuſtrior: quæ poſt reſurrectionem perficietur, quando non ſolùm mente, corde, affectibus conformes Chriſto erimus, verumetiam corporibus, quod Paul. 1. Cor. 15. 48. & Phil. 3. 21. docet.

II.

Hominis conditio ante lapſum.

Secundum, quod habuiſſe hominem in primo ſtatu dixi, eſt integritas. Hæc fuit mentis, perfectè intelligentis & rectiſſimè iudicantis: cordis iuſtiſſimè & ordinatiſſimè appetentis: & corporis promptiſſimè exequentis, quæ mẽs perfectè iudicauit, & cor rectè imperauit.

III.

Tertio loco εὐταξίαν poſui, quæ omnium virium pulcherrima harmonia extitit: qua mens nihil cogitauit, cor nihil appetiuit, corpus nihil executum eſt, niſi quod Deo probabatur. Quæ harmonia mentis, corporis & cordis, cum volũtate Dei, ſummum hominis bonum fuit, ratione ſtatus hominis perfectiſſimi.

IIII.

Sequitur Verbum, quod & præceptum & prohibitionem continet. Præceptum: Ex omni arbore paradiſi comedes. Prohibitionem: De arbore autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. Hæc arbor homini exitialis fuit, non quidem ſua natura, nam bona Dei creatura erat, ſed propter mandatum Dei, quod violare nefas erat.

V.

Poſtremum, quod poſui in ſtatu primo hominis, fuit Sacramentum duplex, videlicet probationis & immortalitatis. Quemadmodum enim arbor ſcientiæ boni & mali exitio fuit Adamo propter ipſius præuaricationem: (erat enim illi à Deo cõmendatum, vt eſſet explorationis ſeu probationis Sacramentum quoddam) Ita, ſi præcepto obtemperaſſet, fructus arboris vitę Sacramentum fuiſſet illi immortalitatis, ac quaſi remedium, quo vita perpetuò conſeruãda eſſet. Hoc apertè indicat textus, cùm dicit: Nunc ergo, ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de arbore vitæ, & comedat, & viuat in æternum, emiſit eum Dominus Deus de horto Eden, ſeu Paradiſo.

II. Sub peccato.

Status ſecundus hominis miſerrimus eſt, ſub peccato & tyrannide Diaboli, qui qualis ſit, in VIII. capite, vbi de peccato agetur, manifeſtabitur.

III. Sub Gratia.

Tertius ſtatus gratiæ eſt. In hoc imago Dei, per peccatum in ſecundo ſtatu deleta, inſtaurari incipit per Chriſtum, naturalem Dei imaginem. Quemadmodum enim creatio hominis fuit formatio ipſius ad imaginem Dei: Ita ſanè regeneratio piorum nihil aliud eſt, quàm reformatio imaginis Dei in illis. In hoc igitur ſtatu lapſus homo dextera Dei erigitur, dum in Chriſtum credit. Vnde præclarè Auguſtinus: Sed quoniam (inquit) non ſicut ſponte homo cecidit, ita ſponte reſurgere poteſt, porrectam nobis deſuper dexteram Dei, id eſt, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, firma fide teneamus.

IIII. Poſt hãc vitam.

De *Quarto* ſtatu hominis, qui eſt piorum quidem in gloria, hoc eſt æterna beatitudine, Impiorum verò in gehenna, dicam in Symbolo.

VSVS.

Porrò vſus huius capitis eſt, vt agnito fine noſtræ conditionis, Chriſtum naturæ noſtræ & imaginis Dei in nobis reparatorem, firma fide teneamus, eique totis viribus ſeruiamus, in ſanctitate & iuſticia vera. Nunc teſtimonia de primo tantùm ſtatu hominis ſubiiciam, quia de aliis commodius ſuis propriis locis dicetur.

TESTIMONIA DE HOminis primo ſtatu.

1. Geneſ. 1. 27. Creauit Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginẽ Dei creauit eum, maſculum & fœminam creauit eos. 2. Gen. 2. 7. Formauit Deus hominem de puluere terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculũ vitæ. 3. Pſal. 49. 21. Homo cùm in honore eſſet, non intellexit. Hîc ſtatum innocentiæ honoris titulo ornat Dauid. 4. Eccleſ. 7. 20. Deus fecit hominem rectum. 5. Syracidæ 15. 14. Deus reliquit hominem in manu conſilij ſui. 6. Syracidæ 17. 1. 3. Deus de terra creauit hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum. 7. Sapien. 2. 23. Deus creauit hominem in integritate, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit eum. 8. Eſai. 43. 7. Omnem vocatum in nomine meo, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, feci eum.

CAPVT V.

IVSTICIA ORIGInalis.

TAMETSI facilè colligi poteſt, ex iis, quæ diximus de ſtatu hominis ante lapſum, quæ qualiſque ſit iuſticia originalis: tamen vtile eſt tenere aliquam breuem deſcriptionem, qualis hæc eſſe poterit: *Iuſticia* originalis eſt integritas naturæ humanæ, in qua refulget imago Dei, obedientia & εὐταξία omnium virium, mentis, cordis, corporis, erga Deum; adeóque ipſa generis humani approbatio & acceptatio apud Deum. Definitio.

In hac definitione duo complexus ſum; nimirum materiale & formale iuſticiæ originalis. *Materiale* eſt integritas naturæ humanæ, lux mentis, voluntatis conuerſio ad Deum, cordis obedientia & εὐταξία omnium viriũ in homine. *Formale* verò eſt ipſa approbatio & acceptatio hominis apud Deũ. Deſcriptionis huius mẽbra ex teſtimoniis ſuprà commemoratis de ſtatu hominis confirmantur.

VSVS.

Vſus eſt, vt lapſum noſtrum ab hac iuſticia deploremus, ac totis viribus anhelemus, vt eam per Chriſtum recipiamus.

CAPVT. VI.

LIBERVM ARBITRIVM.

MVLTAE ſunt, cùm veterum, tum recentium acutæ & doctę diſputationes de libero arbitrio: quas vt eò rectiùs intelligant adoleſcentes, primùm exponam quædam vocabula; quorum cognitio faciat ad intelligendam rectius hãc doctrinam. Vocũ pręcipuarum explicatio.

Sex ſunt in homine, quantum ad hoc negocium attinet, ſpectãda: Vita, Senſus, Appetitus, Ratio, Voluntas, Voluntatis libertas. *Vita* ipſa eſt internus & naturalis motus, vigens tantùm intrinſecus. *Senſus* eſt vitalis in corpore motus, vigens etiam extrinſecus. *Appetitus* eſt naturalis vis in animante, mouendis auidè ſenſibus attributa. *Ratio* eſt facultas naturalis iudicandi res oblatas. *Voluntas* eſt motus naturalis, rationi, appetitui, & ſenſui præſidens. Hæc ſanè quocunque ſe inclinauerit, ſemper habet rationem comitem, & quodammodo pediſſequam, non quòd ſemper ex ratione, ſed quòd nunquam abſq; ratione moueatur, ita, vt multa faciat per ipſam cõtra ipſam; hoc eſt, quaſi per eius miniſteriũ cõtra ei⁹ conſilium

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

& iudiciū. Hinc illa vox Medeę. video meliora probóque, Deteriora ſequor. Eſt autem ratio voluntati data, vt inſtruat illā, non vt deſtruat. Deſtrueret autem, ſi neceſſitatem ei vllam imponeret, quò minus liberè pro arbitrio ſe moueret, ſiue in malum conſentiens, ſiue in bonum. Si horum alterutrum prohiberet ratio, voluntas non eſſet voluntas. Voluntas enim coacta propriè voluntas dici nequit: licet ſerua ſit in non renatis.

Vnde & quid ſit liberū arbitrium.

Iam vnde ſit liberum arbitrium, ex prædictis colligendum eſt: nempe, quòd ſit ſpontaneus ex voluntatis libertate & rationis arbitrio, hoc eſt, iudicio, conſenſus. Ratio enim non imperat voluntati, ſed vt conſiliarius fidus iudicat, relinquēs voluntati imperandi munus. Ratio Medeæ voluntati dictauit, ϛοργὴν erga prolem conſeruandam: quod iudiciū etſi probauit volūtas, tamen vt domina media ad imperandum elegit contrarium, idque ſponte & liberè.

Definitio.

Quare *Liberum Arbitrium* eſt facultas, quo voluntas ſpōte ſua, minimè coacta eligit vel reſpuit quod ratio iudicat. Vt enim arbitrium, iudicium rationis, ita libertas voluntatis inclinationem liberam in hoc vel illud monſtratum à ratione reſpicit. Hîc certè libertas ſeruituti nō opponitur, ſed neceſſitati ſeu coactioni: quæ nullo pacto ſine implicatione contradictionis cum voluntate ſtare poteſt. Cū itaq; Theologi quidem liberum arbitrium oppugnāt, non tollunt libertatem voluntatis, quatenus ſua ſponte & volūtario motu hoc eligit, vel illud reiicit: ſed quatenus ſerua eſſe negatur captiua ſub peccato. Hanc enim opinionem impugnant, non Stoicam ſtatuunt voluntatis neceſſitatem. Vnde fit, quòd interdum non tam de rebus, quàm de vocabulis certetur, dum alij libertatis vocabulum opponunt neceſſitati, alij ſeruituti. Si enim libertas neceſſitati ſeu coactioni opponitur, voluntatem tollit, qui eius libertatem enervat. At ſi opponitur ſeruo, gratię hoſtis eſt, qui libertatem, quātum ad iuſticiam ſpiritualem attinet, homini non renato vindicat. Atque in hūc modum philoſophicè ferè inter Theologos diſputatur.

Diſputationes de Lib. arbitrio.

Status cōtrouerſię.

Quoniam autē in quæſtione de libero arbitrio in Eccleſia quæritur (ni fallor, libēter enim me doctorum iudicio ſubiicio) ſimul de iudicio & voluntate & viribus hominū, in iis præſtandis, quæ ad ſalutem animarum pertinent: & quia Græcorum vocabulum nimium arrogans eſt, quo non tantum voluntatis ſpontaneus motus ad aliquid, ſed etiam virium libera facultas ſignificatur, (Eſt autem vocabulum Gręcis vſitatū in hac quæſtione αὐτεξούσιον *ſelffmegtigheidt* quaſi homo ex ſe haberet non ſolùm eligendi facultatem, verumetiam prębstandi vires, quemadmodum Pelagius ſomniauit) ſubiiciam explicationem huius quæſtionis, quatenus liberum arbitrium etiā facultatem præſtandi, quæ voluntas imperat, complectatur. Sítque hæc definitio: *Liberum Arbitrium* eſt facultas, rationis quidem ad malum bonúmue diſcernendum, voluntatis verò ad vtrumuis eligendum, denique & virium ad vtrumlibet præſtandum. Nam vt aliquid rectè fiat vel geratur, requiritur *Primum* iudicium ſanum, *Deinde* voluntas media ad imperandum, *Poſtremò* conatus ſeu vires, quæ obſequium præſtant. Hinc ſequitur, illic demum eſſe liberum arbitrium, vbi iudicium ſanum eſt, voluntas prompta, viréſque ad agendum idoneę. Quare cùm hęc omnia in primo ſtatu hominis abſoluta & perfecta fuerint, ibi quoque liberum arbitrium fuiſſe minimè impeditum, manifeſtum eſt.

Definitio.

De arbitrio hominis poſt lapſum.

Verum cùm de libero arbitrio quæritur, quæſtio eſt potiſſimum: *An Homo* poſt lapſum à ſuo primo ſtatu habeat liberum arbitrium, nécne? Vt ad hanc quæſtionem planè & ſine errore reſpondeatur, tria ſunt notanda. *Primùm* enim conſtituenda eſt regula ex iis, quæ dicta ſunt. *Deinde* diſtinguēdi ſunt actionis gradus. *Tum* actionibus applicanda eſt regula.

Regula hæc eſt: Liberum arbitrium earum eſt rerū, quarum iudicium integrum exiſtit, voluntas nō impedita, & vires ſufficientes.

Gradus actionum, quantum quidem ad hoc noſtrum poſitum attinet, quatuor conſtituantur. *Primus* Gradus ſit actionum, quæ hominibus cum brutis magna ex parte communes ſunt: vt quæ pertinent ad conſeruationem naturæ, ſeu indiuiduorum. Huius generis ſunt: educare, tueri natos, edere, bibere, veſtire, ædificare, vigilare, dormire, ire, ſtare, ſedere, & id genus alia. *Secundus* gradus actiones rationis complectitur, quarum alię ſunt communes, alię priuatæ, aliæ politicæ, aliæ œconomicæ. Huius generis ſunt: gerere magiſtratum, ſeruire, contractus exercere, colere agros, exercere artificiū, nauigare. *Tertius* gradus Eccleſiaſticorum operum eſt, quæ pertinent ad miniſterium conſeruandum, vt, docere verbum, hac vel illa hora conuenire, audire verbum, adminiſtrare Sacramenta, percipere Sacramenta, his vel illis ceremoniis vti. *Quartus* gradus diuina opera cōplectitur, vt, implere legem Dei, pręſtare fidē, credere, rectè orare, diligere inimicos. Breuiter, eorū operum eſt hic gradus, quæ lege ſua Deus à nobis requirit, quod ad interiorē & verā obedientiā attinet.

Reſpōſio ad quæſtionē per diſtinctionem graduum.

His Gradibus actionum ita conſtitutis, non erit difficilis regulæ accommodatio. Quare pro diuerſitate horum graduum, ad quęſtionem ſic reſpondendum eſt. In *Primo* actionum gradu homo liberū arbitrium habet. Poteſt enim naturæ ſenſu actiones huius gradus diſcernere, poteſt etiam naturali impetu ad eas ferri, nec vires in hac parte adeò fractæ ſunt quin obſequium appetitui pręſtare poſſint. In *Secundo* & *Tertio* gradibus, impediuntur duabus rebus, tyrannide Diaboli, & virium imbecillitate, nec iudiciū hîc eſt tam integrum, nec voluntas adeò alacris, vt in primo genere. Hinc illud Mede: *video meliora probóque, Deteriora ſequor.* Et experientia teſtatur, quàm imbecilles ſint homines, etiam in his externis actionibus, & maximè in iis, quæ vocationem vniuſcuiuſque attingunt, & ad diſciplinam pertinent. Quare hîc agnoſcenda eſt cùm imbecillitas noſtra, tum tyrannis Diaboli, & orandus eſt Deus, vt nobis adſit, ac iuuet nos, nec ſinat Diabolum in nos graſſari pro ſua libidine,

Libertatis cauſæ.

Libertatis autem in his tribus gradibus actionum tres ſunt cauſæ. *Prima*, vt ſit diſcrimen inter agēs liberum, & non agens liberè. *Secunda*, vt ſciamus Deū eſſe agens liberrimum. Neque enim cauſa effectu natura imbecillior, aut minus efficax eſt. Quare Stoicorum delirium de neceſſitate dependentiæ primæ & ſecundarum cauſarum (quo ſentiunt Deum nihil poſſe agere, niſi quatenus cient ſecundæ cauſæ) eſt fugiendum & deteſtādum. *Tertia*, vt poſſit in ſocietate humana gubernatio aliqua eſſe. Sūt autem Duo genera actionum, quæ ad externam diſciplinam pertinent, eáque relicta poſt deprauationem in voluntate. Horum *Vnum* eſt δεσποτικὸν, quo voluntas imperat locomotiuæ, *Alterum* προαιρετικὸν, cùm vera & ſeria electione ſeu proæreſi, honeſtas actiones antefert voluntas. Reſtat *Quartus* gradus actionum, in quo homo ſibi relictus nihil planè poteſt, nullam omnino habet voluntatis libertatē. Nam & iudiciū decipitur, & volūtas deficit, & viribus deſtituimur. Hoc *Primum* confirmari poteſt Pauli dicto, Rom. 3.12. qui poſt Dauidem ita inquit: Non eſt iuſtus, ne vnus quidē, Non eſt qui intelligit, (hîc adimitur iudicium

In quo gradu actionū hominis arbitriū tollitur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dicium (Non eſt qui quærit Deum, (oſtenditur voluntatis auerſio) Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. (hîc vires & conatus auferuntur) *Deinde* Paulus 1.Cor.2.14. de iudicio ita inquit: ψυχικὸς δ' ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ. Id eſt: Animalis homo non capit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Roman.8. φρόνημα carnis, ſimultas eſt erga Deum, nam legi Dei non ſubiicitur, nec enim poteſt. Hoc Pauli dictum clarè docet, mentem, voluntatem & affectus hominis, quatenus ſibi relinquitur, apertè aduerſari Deo. φρόνημα enim genus eſt ad omnes actiones animi. Item, Philip.2.13. Deus operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate. Item, Ezech.36.26. Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum, & Spiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis. Rectè igitur de hoc gradu operum Bernardus inquit: Si diſcernere volumus (ſcilicet nobis relicti) inter bonum & malum, decipimur. Si tentamus facere bonum, deficimus. Si conamur reſiſtere malo, deiicimur & ſuperamur. Quemadmodum enim auicula pede alligata, volare incipiens, funiculo in terrã detrahitur: ſic quoque mens hominis ad rerum cœleſtium actiones volare contendens, ab affectibus retrahitur; niſi alis Chriſti ſubuehatur, hoc eſt, verbo & Spiritu Sancto iuuetur.

Libertatis vocabulũ, quo ſenſu accipiendũ.

Verum, hîc monendi ſunt auditores, quòd vocabulum *Libertatis* in hac diſputatione non opponatur coactioni; ſed ſeruituti, vt ſuprà dictum eſt. Libertas enim & ſeruitus ita inter ſe pugnant, vt qui alterum dixerit: alterum neget. Cùm igitur Paulus Rom.7.14. totum hominem, quatenus ſuæ naturæ relinquitur, dicit eſſe venditum ſub peccato, nemo non videt libertatem ſublatam eſſe, & in eius locũ ſeruitutem ſucceſſiſſe. Notandæ ſunt ergo hæ antitheſes: quòd vt liberum arbitrium ſeruo, ita coactũ ſpontaneo aduerſatur, quas differẽtias breuiter definitionibus illuſtremus. *Libera* itaque voluntas eſt, quæ bonum & malum eligere habet in ſua poteſtate, quia ſpontaneũ hominẽ, ſuperiora teſtimonia teſtãtur. *Serua*, quæ propter corruptionẽ ſub malarum cupiditatum imperio captiua tenetur, vt nihil aliud quàm malum eligere poſſit, etiamſi id ſpontè & libenter non externo motu impulſa faciat. Vnde Bernardus: Libera eſt voluntas mala, quòd mala, ſed ſeruilis eo ipſo, quòd mala. Omnis enim qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Hîc Bernardus manifeſtè liberum opponit coacto, non ſeruo. Seruum enim arbitrium ſtatuit, etſi liberum fateatur; quę ſanè ſtare ſimul non poſſunt, ſi liberum ſeruo opponeret. *Coacta* voluntas eſt, quæ non ſponte ſua, non interiore electionis motu inclinatur huc vel illuc; ſed externo motu violenter fertur. Talis voluntas nulla eſſe poteſt, cum alterum alteri repugnet. *Spontanea* coactæ opponitur, vltrò enim ſe flectit, quocunque ducitur, non autem trahitur aut rapitur inuita. Hãc concedimus homini, vt ſi quid mali faciat, ſibi & voluntariæ ſuæ electioni imputare debeat. Hæc ſpontanea voluntas omnino à libera volũtate, ſeu à libero arbitrio, diuerſa eſt. Non enim ſeruo opponitur, ſed coacto, vt iam demonſtratum eſt.

Ad quæſtionẽ de libero arbitrio reſpõſio per diſtinctionem.

Cæterũ quia nõ eodem ſignificatu accipitur libertatis vocabulũ ab omnibus, vt iam dictum eſt: Alij enim libertatẽ ſeruituti opponunt, vt Lutherus: Alij coactioni, vt Bernardus & multi alij: poteris breuiter ad quæſtionẽ, Nũ homo habeat liberum arbitrium, hoc pacto reſpondere: Si liberum opponis coacto, verè hominis voluntatem liberam pronuncio. Nam volũtas coacta, voluntas non eſt. Cedit enim voluntati neceſſitas. At ſi liberum ſeruo opponis, quod faciunt plerique Theologi, Græci & Latini, diſtinguo inter externam diſciplinam, & iuſticiam ſpiritualem. In externa diſciplina verbum Dei & experientia teſtãtur, homini aliquã libertatem eſſe relictã. At quia Chriſtus dicit: Sine me nihil poteſtis facere. & Paulus idẽ de ſe teſtatur, & infinita teſtimonia Scripturæ hoc ipſum conuincunt, dico voluntatem liberandã eſſe per Chriſtum, & reformandã manu Dei, priuſquam ſpiritualem iuſticiam præſtare poſſit.

Deinde & hoc obſeruandum eſt, quòd dum negamus iudicium, voluntatem & vires ad bene agendũ, non negamus has facultates ſimpliciter, & quãtum ad ſubſtantiam pertinet, ſed quantum ad habitus. Iudicare enim, velle, & agere naturę ſunt. Verùm quemadmodum iniquè iudicare, malè velle, & prauè agere, corruptioni imputãda ſunt: Sic rectè iudicare, bene velle, & rectè agere, gratiæ ſupernaturalis ſunt beneficia.

VSVS.

Sed horum quis vſus? Non augebunt in nobis ſocordiam, ſed *Primùm*, quoniam ratio non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, monemur hîc, vt verbum Dei audiamus, vnde iudicium noſtrum corrigitur. *Deinde* Spiritũ Sanctũ rogemus, vt ex corde lapideo carneum faciat; atque vires ſuppeditet. Qua de re pulchrè monet Auguſtinus, inquiens: O homo, in præceptione cognoſce, quid debeas habere. In correptione agnoſce, tuo te vitio nõ habere. In petitione cognoſce vnde accipias, quod vis habere. Ita futurũ eſt, vt mens illuminata rectè iudicet, cor reformatũ manu Dei voluntarium efficiatur, & homo pro gratiæ menſura, quam accipit, conetur, & ad obſequiũ applicet ſuas facultates ſeu vires. Ex quibus relinquitur, præcipuas ſpiritualium actionum cauſas eſſe: Verbum Dei, quo formatur iudicium, Spiritum Sãctum, quo reformatur cor, & voluntatem ſpontaneam, verbo Dei & Spiritui Sancto obſequentem.

TESTIMONIA QVIBVS
euertitur liberum arbitrium, in negociis ſalutis ſine gratia.

1.Corinth.2.14. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. 2.Philip.1.6. Quod Deus in vobis cœpit bonum opus, perficiet. 3.Philipp.2.13. Nonne Deus eſt qui agit in vobis, vt & velitis & efficiatis, pro beneplacito. 4.Iohan.15.5. Sine me nihil poteſtis facere. 5.Item *cap*.6.44. Nemo venit ad me, niſi quem Pater traxerit. 6.Rom.8.25. Spiritus adiuuat infirmitates noſtras. 7.Gen.6.5. Cogitatio humani cordis mala eſt omni tempore. 8.Pſal.14.1. Nõ eſt iuſtus, ne vnus quidem, nõ eſt qui intelligat, non eſt qui exquirat Deum. 9.Roman.7.18. Velle adiacet mihi, at vt faciam bonum, non reperio. 10.Prouerb.16.9. Cor hominis diſponit viam ſuam; ſed Domini eſt dirigere greſſus eius. Regenerati voluntatem bonam habent ex gratia, ſed facultatem non habent, quę exercitiis quidem creſcit, in vita verò beata perficietur.

CAPVT VII.

CONTINGENTIA.

CONTINGENTIA eſt euentus eius rei, quæ habuit cauſas, quæ ſua natura aliter agere poterant. Quanquam autẽ Deus ſuſtentet naturã, quemadmodum ſuprà declaratum eſt, tamen naturę agen- *Definitio.*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

di modum relinquit, & non tollit ſuo moderamine, ſed vnà cum natura ſuſtentat. Nunc autem ordinauit Deus, vt alia naturaliter agant, vt ignis: alia libera voluntate & electione, vt homo. Quare dubium non eſt, quin multi effectus reuera ſint cõtingentes.

Explicatio. Vt autem hæc res clarius percipiatur, notandum eſt in natura tres eſſe cauſarum gradus, quantũ quidem ad hoc noſtrum propoſitum attinet. *Quædam* enim cauſæ ſunt neceſſariæ in ſe & in ordine ad effectus: vt motus cœli ad eclipſes, & alios effectus, qui ex motu orbium neceſſitate phyſica eueniunt. Huiuſmodi effectus futuri, non quidem contingentes, ſed neceſſarij ſunt. *Aliæ* ſunt cauſæ, quæ nõ ſunt neceſſariæ, ſaltem per comparationem ad effectus, vt eos neceſſariò producant. imò poſſunt non producere eos. Atque huius generis effectus ſunt futuri, non neceſſarij, ſed contingentes. Verùm horum duplex eſt differentia. Nam quædam cauſæ ad producendos tales effectus determinatæ ſunt, qui effectus ſunt futuri, non neceſſarij, ſed contingẽtes, quia eorum cauſæ ad producendos tales effectus determinatę ſunt: qui effectus etiam ſunt contingentes, quia eorum cauſæ poterant ſecùs agere. *Aliæ* ſunt cauſæ, quæ per ſe nullam habent determinationem, ad hũc vel illum effectum producendum, ſed promiſcuè ſe habent ad vtramlibet, vt voluntas Dei, Angelorum & hominum. Hæc voluntas cauſa eſt contingentię, quia cõtingentia ſublata, nulla omnino voluntas reliqua manet.

Confirmatio. Deinde contingentiam eſſe, confirmat ipſa Dei prouidẽntia. Deus enim ſuæ prouidentiæ ordinem per cauſas inferiores exequitur. Ex quo ſequitur, ordinem diuinæ prouidentiæ eſſe, vt alij effectus ſint neceſſarij, alij contingentes. Et quanquam rectè dicitur: Secunda cauſa non agit ſine prima, tamen ex eo non ſequitur, contingentiam tolli. Nã Deus non ſolùm ſuſtentat cauſam ſecundam, verumetiá modũ agendi, tametſi non iuuet contra ordinem ſuum ruentem.

Teſtimonia. Porrò duo teſtimoniorũ genera hanc doctrinam confirmant: *Prius*, quod docet, Deum non eſſe cauſam peccati, nec velle peccatum: *Poſterius*, quod mõſtrat hominem ſpontanea voluntate alia præ aliis eligere & agere. Chriſtus, ſicuti ipſe teſtatur, poterat obtinere à Patre duodecim legiones Angelorum, tamen non obtinet: & ſciebat Pater eum non oraturũ, tamẽ poterat orare. Igitur fieri aliquid potuit, quod factum non eſt. Neque ſcientia Dei neceſſarias reddit omnes actiones. Alioqui oporteret non ſolùm Chriſtum, verumetiam ipſum Patrem ſeruum eſſe ſuarum actionum: vtpote qui ſciat: quid facturus ſit: ſed non ideo facturus eſt, quia ſcit: ſed ideo ſcit, quia facturus eſt. Habétque liberrimam faciendi & non faciendi poteſtatem.

V S V S.

Vſus doctrinę huius eſt, vt Deum rogemus, vt noſtras mentes, voluntates & corpora gubernet, ne ruamus contra ipſius ordinem. Deinde, ne Deo imputemus peccatum: néue quid tentemus, quod vel ipſius gloriam obſcuret, vel noſtrã ſalutẽ impediat.

C A P V T VIII.

P E C C A T V M C V M *ſuis differentiis.*

Generalis definitio peccati. PECCATVM in genere eſt inobediẽntia aduerſus Deum, offendẽs Deum, maledicta & dãnata à Deo. Hæc definitio ſumpta eſt ex Legis ſententia: Deut. 27. 26. Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in Libro legis, vt faciat ea. Sed inobedĩentiæ vocabulum in Scriptura quatuor complectitur, defectum, corruptionem, inclinationem & actionem. Peccati enim ratio in eo conſiſtit, ſi quid contra legem Dei vel exiſtit in nobis, vt defect' & corruptio: vel proficiſcitur à nobis, vt inclinatio & actio. Hoc confirmatur Iohannis dicto, qui peccatum definit ἀνομίαν, hoc eſt, quod eſt contra legem Dei. Complectitur autem hæc ἀνομία duo, nempe, materiale & formale peccati. *Materiale* eſt defectus, corruptio, inclinatio, actio pugnans cum lege Dei. *Formale* eſt ipſe reatus. Nam & hic reatus in lege includitur, iuxta dictum: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis. Ambroſius ferè eodem modo peccatum definit, dicens: Peccatum eſt diuinæ legis præuaricatio, & cœleſtium inobedientia præceptorum. Hæc in genere de peccato dicta ſint, nũc eius differentias videamus. Eſt autem duplex peccatũ, *Originale* & *Actuale*, ordine de vtroq; dicendũ eſt.

Partes corrup- & reat-

Differentiæ.

I. Peccati originalis definitio & partes.

Peccatũ itaq; *Originale* eſt, cũ corruptio humanæ naturę propagata ab Adam, tum reatus, quo naſcentes propter Adæ lapſum rei ſunt iræ Dei, & mortis æternæ. Porro duo ſunt obſeruanda in peccato originis, Materiale & formale. *Materiale* eſt corruptio ipſa, hoc eſt, deformitas & ἀταξία omnium virium in homine, hoc eſt, in Mente defectus notitiæ Dei, & firmi aſſenſus de prouidentia, promiſſionibus & minis Dei. In Voluntate auerſio, hoc eſt, eſſe ſine metu, ſine fiducia ac dilectione Dei. In Corde concupiſcentia & impetus contra ordinem diuinum. *Formale* verò peccati originalis eſt reatus ipſe, hoc eſt, ordinatum eſſe ad damnationẽ ſeu æternas pœnas. Natura enim, vt inquit Paulus, filij iræ ſumus. Breuiter, vt iuſticia originalis eſt integritas & approbatio, ita peccatũ originis eſt corruptio & reatus.

Definitionis expoſitio. Cæterum, vt intelligamus peccatum originis totius hominis peruerſionẽ eſſe, *Primum*, videbimus, quæ concurrant peccata in lapſu primorum parentum. *Deinde* nomina eius, quibus in Scriptura appellatur, recenſebimus. In lapſu itaque primorum parentum hæc grauiſſima delicta concurrunt. I. Dubitatio de verbo Dei. II. Amiſſio fidei, cùm nõ credunt Deo minanti pœnas. III. Curioſitas, Diſceſſerunt enim à verbo, & quæſierunt alienam ſapientiã. IIII. Superbia qua voluerunt magni fieri. V. Cõtemptus Dei, cùm violarũt mãdatum Dei contra cõſciẽtiã. VI. Apoſtaſia, qua anteferunt Diabolũ Deo. VII. Ingratitudo, qua expellũt S. Sãctum in ipſis habitãtem. VIII. Homicidiũ ſui & totius poſteritatis. Fuit enim hîc lapſus prima ianua omnium ſcelerũ & miſeriarũ poſteritatis. Quare nullo pacto extenuandũ eſt peccatum originis, quod conflatũ eſt ex tot horrendiſſimorum ſcelerum monſtris.

Concurrentia.

Nomina. Iã varia nomina, quibus Scriptura notat peccatũ originis, videamus, quorũ præcipua hæc ſunt: Concupiſcentia, caro, vetus homo, lex peccati, inhabitãs peccatũ, rebellio, lex membrorũ, interdum ſine addito, peccatũ. I. *Concupiſcentia* ideo dicitur, quia in ea vim ſuã præcipuè exerit. Hæc conſtat cũ ignoratione & incrudelitate mentis, tũ omniũ appetitionũ atque viriũ à Deo abalienatione. Et dãnatur vltimo Decalogi præcepto: in quo omnis peccãdi procliuitas & motus dãnatur. Quemadmodũ in ſuperioribus conſenſus omnis in peccatũ prohibetur. II. *Carnis* nomen eo pertinet, vt ſciamus omne, quod nõdũ regeneratũ eſt in nobis per gratiã, contaminatũ eſſe, & ſua natura reũ. Huic opponitur Spiritus, quã ſignificat regenerationis gratiam, ad Gal. 5. verſic. 3.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Vetus homo correlatiuè ad nouum hominem intelligi debet, de quibus in octauo capite ſecundæ claſſis dicetur. 4. *Lex peccati* ob imperium, quod exercet in hominibus, dicitur. Roman. 8. 2. verſ. 5. *Inhabitans peccatum*, quia in carne manet perpetuò vſque ad mortem. Quod tamen pro diuerſitate perſonarum variat, vi & efficacia. Nam in non renatis manet materialiter & formaliter ſimul. In renatis materialiter tantum, modò vim peccati conſideres. In illis efficax eſt in damnationem, vt quod ipſos reos peragat æternæ mortis. In his verò remiſſum eſt, quia ſublatus eſt reatus, & oppugnatur perpetua lucta Spiritus ſeu noui hominis. Vel, vt breuius dicatur: Peccatum originis in non renatis habitat & regnat ſimul. In renatis verò habitat tantùm, & non regnat, propter gratiam Dei præualentem. 6. *Rebellio* vocatur ob perpetuum ſtudium rebellandi legi mentis. Roman. 7. 23. 7. *Lex membrorum* dicitur, quia eſt concupiſcentia in membris ſita, & membra organa ſunt, per quæ exerit ſuam iniquitatem. 8. *Peccatum* ſine addito, quia eſt ſcaturigo & fons omniũ peccatorum, quemadmodum Paulus oſtendit his verbis: Ne igitur regnet peccatum in mortali veſtro corpore, ad obediendum ei in concupiſcentiis ſuis. Hoc breui dicto notantur tria peccatorum genera. I. Innata rebellio ſeu peccatum naturæ, quod hîc generis appellatione notauit. II. Praui motus erumpentes è peccato originis, quos nomine Concupiſcentiæ expreſſit. Hi motus, quando non accedit conſenſus, referendi ſunt ad peccatum originis, vt ad genus. III. Conſenſus & proſecutio eius, ad quod praui motus ſolicitant. Atq; hoc tertiũ genus nouo reatu obſtringit homines. Eſt .n. actuale peccatum.

Tria peccatorũ genera.

De peccato originis teſtimonia.

Porro de huius mali radice & cauſis extat verbũ Geneſ. 3. 1. Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus: qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt nõ comederetis de omni arbore paradiſi? Cui reſpondit mulier, De fructu arborum, quæ ſunt in paradiſo, veſcimur: de fructu verò arboris, quæ eſt in medio paradiſi, pręcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illum, ne fortè moriamur. Dixit autem ſerpens ad mulierẽ: Nequaquam morte moriemini. Scit .n. Deus, quòd in quocũque die comederitis ex ea, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum. Videns igitur mulier, quòd bona eſſet arbor ad veſcẽdum, & pulchra oculis, aſpectúque delectabilis, tulit de fructu eius, & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit, & aperti ſunt oculi amborum.

De eius propagatione.

De propagatione autem huius mali ab Adam in poſteros, in eodem capite docetur. Et Paulus Rom. 5. fuſè explicat. Vt autem propagatio huius mali rectè intelligatur, obſeruanda eſt hæc diſtinctio. Adã conſideratur dupliciter. Primo ſimpliciter & ſine reſpectu ad poſteros, qua ratione nullus poſterorum peccator aut reus eſt Adæ delicto. Secundo conſideratur relatiuè, quatenus eſt prima radix naturæ humanæ, & pater noſter. Hac quidem ratione, Adę delicto rei ſunt omnes ab eo nati ſecundum naturæ curſum. Quemadmodum enim leproſi parentes generant leproſos filios, qui filij & lepra parentum & propria ſunt contaminati: ita & poſteri Adæ, cùm primi parentis contagio infecti, tum proprio vitio commaculati ſunt & rei. Vnde Bernardus: *Et graue quidem illud delictum originale, quod non ſolùm perſonã inficit, ſed & naturam.* Et paulò ſuprà: *Et originale quidem maximum illud delictum, quod à primo Adam contrahimus, in quo peccauimus omnes, pro quo morimur vniuerſi, maximum planè, quod ſi totum non modò genus hominum, ſed & quemlibet ipſius generis occupat, vt nõ ſit qui euadat, non ſit vſque ad vnum, à primo homine vſque ad nouiſſimum protenditur: & in ſingulis quoque à planta pedis vſque ad verticem diffunditur hoc venenũ.*

Simile.

Hinc liquet & illud, quòd peccatum originis rectè dici poſſit cum alienum, tum noſtrum proprium. Alienum quidem propterea, quòd propagatione in nos deriuatur. Proprium verò, quia eius maculis inuoluimur, contaminamur & rei ſumus. Patet & hoc ex dictis, peccatũ originis nequaquam eſſe ſubſtantiam aut proprietatem naturę, ſed aduentitiam qualitatem, qua natura humana deformata eſt, & rea iræ Dei & mortis æternæ.

Alienũ eſt & proprium.

Ex his quoque manifeſtum eſt, quòd cauſa originalis peccati ſit Diabolus, & voluntas primorũ parentũ, quæ cùm eſſet libera, ſeſe auertit à verbo Dei, & non retinuit obedientiã erga Deum. Quoniam autem dona acceperant primi parẽtes, pro toto genere humano, & perſonę eorum repręſentabant totam poſteritatem, fit rea poſteritas propter eorum lapſum, & quia ipſi amittunt prima dona, tales poſtea gignunt, quales ipſi ſunt amiſſis donis.

Eius cauſa.

Hactenus de peccato hęreditario, nunc de eius fructu, hoc eſt, de Actuali peccato, dicendũ eſt, quod rectè definitur eſſe cogitatum, dictum, factũ, omiſſum, pugnans cum lege Dei. Seu, peccatũ actuale eſt omnis actio pugnãs cũ lege Dei, cùm in mẽte, tũ in voluntate & corde, tum in membris externis. Huius differentię plurimæ recitãtur à Theologis, quæ non à ſubſtantia & natura peccati, ſed ab alia atque alia conſideratione ſeu reſpectu peccati ſumuntur, ex quibus pręcipuas recitabo.

Actuale peccatum fructus orig. peccati.

PRIMA DIVISIO.

Peccatorum aliud eſt *Mortale*, aliud *Veniale*. Hanc diuiſionem vt dextrè intelligamus, opus eſt aliqua declaratione. Peccare itaque mortaliter, eſt peccare iſtud peccatum, quod meritum infert mortis. Atque id meritũ mortis triplex eſt. I. irremiſſibile, vt blaſphemia in Spiritum Sanctum. II. meritum mortis eſt remiſſibile, quia etſi infert quidem meritũ mortis, tamen remittitur, ſi iſtud planè deſinas peccare, alioqui minime. Tale meritum inferunt peccata illa, quibus obnoxij nõ poſſunt habere partem in regno Dei. Qualia recitat Paulus ad Galat. 5. & alibi. 3. meritum mortis eſt, quod infert peccatum habitans in ſanctis, maláque eius deſideria quæ excitat, & impedimenta quæ affert molientibus pie viuere. Huius generis peccata venialia dicuntur. Mortalia quidem ſua natura, morti enim per ſe obnoxios reddunt homines: *Venialia* tamen dicuntur ob veniam, qua indulget propicius Pater iis, qui contra hæc peccata fide luctantur. Ex his facilè intelligi poteſt, peccatum mortale quidem eſſe actionem interiorem & exteriorem, pugnantem cum lege Dei, & factam contra conſcientiam. Veniale verò affectus pullulantes, & errores incidentes, quibus non aſſentiuntur Sancti, ſed repugnant.

Mortale.

Veniale.

SECVNDA DIVISIO.

Aliud peccatum eſt *Omiſſionis*, aliud *Commiſſionis*. Illud, cùm non facimus bonum, quod facere debemus. Hoc, quando perpetratur malum quod facere phibemur, ſiue id cogitatu, ſiue dicto, ſiue facto fiat.

Omiſſionis & Cõmiſſionis.

TERTIA DIVISIO.

Peccatorum aliud ex *Infirmitate* naſcitur, aliud ex *Ignorantia* venit, aliud ex *Induſtria* ſeu malicia erũpit. *Infirmitatis* peccata propriè dicuntur, quæ imbecillitate noſtra obrepũt, nobis inuitis & repugnan-

Infirmitatis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tibus:vt,faſtidium in actionibus piis: metus eundi in rectè factis:cupiditas illicitarum rerum,ira ſubita,indigna tamen Chriſtiano:cogitationes vanæ te merè oborientes:εὐτραπελία ſeu dicta nugatoria imprudentibus elapſa. Etenim in quo corde vera verbi Dei fides manet,in eo nulla voluntas peccati hærere & ſubſiſtere poterit. Nam qui natus eſt ex Deo, non peccat,nec poteſt quidem peccare. Semẽ enim Dei manet in illo,Ioan.3.*Ignorantiæ* peccata, qualia ſint, ex partitione ignorantiæ intelligi poteſt, de qua conſule Epitomen Philoſophiæ moralis Philippi Melãcthonis. Ex *Malitia* duplex peccatũ prouenit, *Vnum* directè pugnans contra gratiam, & eſt blaſphemia contra Spiritum Sanctum, eáque vel inchoata vel cõſummata: *Alterum* non directè pugnãs contra gratiam & Spiritum Sanctum: vt ſunt peculiares lapſus cõtra Decalogi præcepta,vt idololatria, furtum,homicidium,adulterium,& quælibet peculiaris tranſgreſſio legis Dei.

Malitiæ.

De peccato in Spiritum S.

Cæterum,vt clarius intelligamus,quale ſit *Peccatum in Spiritum Sanctum*, eius differentiæ colligendæ ſunt per locum à concreto ſiue à coniugatis: & videndum,quales fuerint,quibus hoc peccatum à Domino obiectum eſt,id quod ex hiſtoria Euangelica colligere non eſt difficile. Phariſæi enim, quos huius peccati reos peragit Dominus, I. erant propheciis,doctrina Chriſti & miraculis eiuſdem conuicti de veritate Dei. II.ſcientes & volentes verbum cognitum odio habebãt,eíque rabioſè ſua obſtinatione renuntiabant,tum tyrannide ſophiſtica & hypocriſi oppugnabant verbum agnitum. Hinc concluditur,quòd peccatum in Spiritum ſit voluntaria veritatis euidenter cognitæ renunciatio & rebellio, ex odio veritatis nata,coniuncta cum tyrannica,ſophiſtica & hypocritica oppugnatione. Hóc ideò in Spiritum Sanctum peculiariter dicitur, quia mens, vera noticia,Spiritus Dei beneficio illuſtrata, ſpontè reluctatur Spiritui illuſtratori. *Quoniam* autem digito non poſſumus demonſtrare, in quibus ſit hoc peccatum,debemus nos à poſteriori de ipſo iudicare. Nam ſi quis à lapſu reſurgit, inde colligemus,talem ab iſto peccato abfuiſſe, quamlibet aliâs grauiter peccauit. Atque hinc eſt,quòd quidam Theologi hoc peccatum vocarunt, non quidem à ſubſtantia,ſed ab euentu,*Finalem Impœnitentiam*, quia inde nos tantum iudicium ſumere debemus,quantũ quidẽ ad homines attinet,in quibus eſt. Manaſſes multis annis rabioſe perſecutus eſt verbum Dei, erectis abominandis idolis contra Dei præceptum. Verùm quia poſtea pœnituit eum facti,& egit pœnitentiã, peccatum in Spiritum Sanctum nequaquam conſummauerat. Contrà,Phariſæorum pars maior hoc peccato obſtricta erat. Nã à lapſu non reſurrexit.

Definitio.

QVARTA DIVISIO.

Voluntariũ & inuoluntarium.

Peccatorum alia voluntaria ſunt, alia inuoluntaria. *Voluntaria*, quæ deſtinato conſilio & propoſito ſcientes & volentes homines perpetrant. *Inuoluntaria*,quibus pij reluctantur, vt ſunt caligo in mente, dubitatio,item multa peccata ignorantiæ & omiſſionis. Hinc diſtinctionem confirmat quintum caput Leuitici,in quo oblationes fieri iubebantur pro voluntariis & inuoluntariis delictis. Item, Paulus inquit: Quod nolo malum,hoc facio. Rom.7.19.

TESTIMONIA DE PEC- *cato originis.*

1.Geneſis 3.hiſtoria lapſus primorum parentum recitatur,quemadmodum ſuprà admonui,vbi cauſę ſignificantur duæ principales, nimirum inuidia Satanæ,& voluntas hominis. 2.Iob 14.4.Quis poterit facere mundum de immundo conceptum ſemine? 3.Prouerb.20.9. Quis poteſt dicere? Mundum eſt cor meum,purus ſum à peccato. 4.Rom.5.12. Quẽadmodum per vnum hominem peccatum in mundum introiuit,& ſic in omnes homines mors inuaſit,quia omnes peccauerunt,id eſt,omnes rei ſumus & contaminati, & inuoluti peccatis primorum parentum. 5.Ephe.2.3.Eramus natura filij Iræ,ſicut & cæteri.

TESTIMONIA DE *actualibus.*

1.Reg.8.46.Non eſt homo,qui non peccet. 2. Pſ. 14.1. Corrupti ſunt,& abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis,non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. 3.Eccleſ.8.6.Ne deſpicias hominem auertentem ſe à peccato, neque improperes ei. Memento, quia omnes in corruptione ſumus. 4.Matth.12.31. Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus, ſed peccatum in Spiritum Sanctum non remittetur hominibus,neque in hoc ſeculo, neque in futuro. 5.Marc.3.28. Amen dico vobis,omnia remittentur filiis hominum peccata & conuicia. At qui dixerit conuicium in Spiritum Sanctum, non habet remiſſionem in æternum, ſed obnoxius eſt æterno iudicio.

VSVS.

Porrò huius capitis vſus eſt,vt agnoſcamus noſtrã immundiciem & peccatum,vt omnem arrogantiam ſeponamus, vt vera humilitate ad Chriſtum peccatorum propiciatorem confugiamus.

CAPVT. *IX.*

POENA PECCATI.

Pœnæ multiplices.

PECCATVM originis habet pœnas multiplices, ſpirituales & corporales:temporales & ęternas, quemadmodum capite 3.Geneſeos & multis aliis ſcripturæ locis oſtenditur. Breuiter, mors & omnes calamitates generis humani, ſtipendia ſunt peccati originalis. Deinde actuale peccatum,quia homines nouo reatu obſtringit, nouas pœnas cumulat & adauget,quemadmodum totius mũdi facies coarguit. In Pœnis autem obſeruentur tria. Gradus, modus & diſcrimen inter pœnas piorum & impiorum. *Gradus* quidem, quòd aliæ pœnæ ſunt tantùm, aliæ & peccata,& pœnæ peccatorum. Roman.1.ſex gradus recitantur eorum,quæ & peccata ſunt & pœnę peccatorum. I.Neglectus notitiæ Dei, qui eſt omnium peccatorum fons & ſcaturigo, pœnáque contemptus patefactionis diuinæ. II. Excæcatio, id quod Paulus indicat non ſolùm in citato loco, verumetiã 2.Theſſ.2.10.his verbis grauiſſimis: Eò quod dilectionem veritatis non habuerunt, vt ſalui fierent ipſi, propter hoc mittet ipſis Deus efficaciam erroris,vt ipſi credant mendacio. III. excæcationis fructus eſt idololatria. IIII.Idololatriam ſequũtur horrenda flagitia,contaminantia corpus & animam. V. hæc flagitia mente reproba puniuntur. Eſt autem mens ἀδόκιμος, quæ nihil rectè probat, ſed peruersè ſcelera pro virtutibus amplectitur. VI. Huius ſceleratæ & reprobæ mentis fructus eſt vniuerſalis iniuſtitia,id eſt,omnis iniquitatis cumulus. Aliæ pœnæ ſunt tantùm, quæ tantiſper gradatim creſcunt,donec reus pœnitentiam egerit. Deus enim idem ſcelus, nunc iactura rerum, nunc deſertione amicorum, nunc morbo, nunc exilio, nunc

In pœnis 1. Gradus.

infa-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

infamia punit,non ſecus atque pater aliquis filiorum errata alijs atque alijs pœnis punit, donec in viam eos reuocauerit.

Modus. 2. *Modus* pœnarum Sapien.11.17. notatur, Per quæ peccat quis,per ea cruciatur:quę regula vt plurimum vera eſt,tametſi interdum iudicio Dei ſingulari pœna commerita commutatur alia pœna.

Diſcrimē. 3. *Diſcrimen* inter pœnas piorum & impiorum, hoc eſt.Illos,tametſi affligit Deus,acceptos habet, atque beneuolentiam erga ipſos ſuam retinet in medijs afflictionibus:imò efficit,vt inde euadant probatiores, atque ſint ipſi ſacrificium boni ódoris. His verò,nimirum impijs, in exitium cedunt pœnæ. Nam temporariæ impiorum pœnæ æterni ſupplicij præludia ſunt. Sed de his plura infrà in tertia claſſe, capite XVIII.dicentur.

CAPVT X.

VERBVM ACCVSANS *& damnans.*

Definitio. HOmo in peccatum lapſus, verbum accuſans & damnãs audit ex ore Dei. Eſt autem *Verbum* accuſans & damnans, Spiritus ſancti iudicium, quo reum peragit totum mundum peccati:quod ſanè iudicium ipſe Spiritus ſanctus exequitur per miniſteriũ verbi,ac ſtatim poſt lapſum hominẽ hoc iudiciũ Spiritus mũdo patefactum eſt, & exercebitur donec hic mundus ſteterit,vel inuitis inferorum portis.

Qui arguuntur. Porrò duo ſunt genera hominum,qui hoc iudicio Spiritus ſancti arguũtur. *Quidam* enim ſeriò tanguntur,verè humiliantur, ac ſponte iudicio, quo damnantur,ſubſcribunt. Atq; his ſalutare eſt Spiritus ſancti iudicium,ſi modò ad Chriſtum peccati expiatorẽ cõfugiunt. *Alij* etſi cõuicti, reatum non poſſunt effugere,non tamen verè & ex animo humiliãtur, nec cedunt iudicio Spiritus ſancti: quin potius ſubacti intus fremunt, & confuſi non deſinunt contumaciam & proteruiam alere. His maiori damnationi erit Spiritus iudicium.

Quodnã ſit illud verbum. Sed quódnã eſt illud verbum arguens? Hoc monſtratur & repetitur ſępe in ſcripturis Moſis, Prophetarum & Apoſtolorum, cuius Epitome quædam eſt Decalogus,qui cùm requirit dilectionem perfectam & perpetuam erga Deum & hominem, accuſat & damnat omnes,qui hanc obedientiam non pręſtant, iuxta illud Deut. 27.56. Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus,quę ſcripta ſunt in libro legis. Breuiter,omnes ſententiæ,quæ nos peccati conuincunt,huc pertinent.

TESTIMONIA VERBI *damnantis & accuſantis.*

1. Geneſis 3.duplex iudicium Spiritus ſancti accuſantis & dãnantis peccatum innuitur. Vnum in conſcientia. Nam cùm Adam peccaſſet,abſcondit ſe vnà cum vxore à facie Domini. Conſcientia enim peccati ſui confuſus,cõſpectum Dei ferre nequiuit. Alterum per verbum Dei:Vbi es tu? Item,quis indicauit tibi,quòd nud⁹ eſſes,niſi quod de ipſa arbore,de qua præceperam tibi ne comederes,ex ipſa comediſti?

2. Gen.4.7.Nónne ſi bene egeris recipies,ſin autem malè,ſtatim in foribus tuis peccatum tuum aderit? 5. Deute.27.6. Maledictus qui non permanſerit in ſermonibus legis huius. 6. Pſal.130.3.Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit? 7. Pſal.143.2. Et ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quoniam non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

8. Prouerb.20.9.Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum,purus ſum à peccato?

VSVS.

Porrò vſus huius accuſantis & damnantis verbi eſt,vt nos ſubſcribamus iudicio Spiritus ſancti: vt humiliemur conuicti: vt ad Chriſtum propitiatorem confugiamus: vtque abnegata omni impietate,iuſtè, piè,& honeſtè viuamus.

CAPVT XI.

PROMISSIO REPARAtionis *ſeu Euangelium.*

VErbum promiſsionis primum Geneſ.3.15. his verbis ore Dei proponitur: Inimicitias ponã inter te & ſerpentem,& inter ſemen tuum & ſemen eius, ipſum conteret caput tuum, & tu conteres calcaneum illius. Hæc promiſſio multas doctrinas continet. *Primum* enim de duobus regnis, longè diuerſiſsimis, nimirum de regno diaboli abolendo, & Chriſti erigendo,concionatur. *Deinde* docet,quòd hæc duo regna perpetuò ſibi inuicem aduerſentur. *Tertiò*,quòd perpetua ſit futura perſecutio Eccleſiæ, donec in hac militia ſub vexillis Chriſti Ducis in hoc mundo militauerit. *Quartò*, quòd tandem potitura ſit Eccleſia victoria, & eluctetur ab omnibus perſecutionibus, ídque per ſemen mulieris, hoc eſt, per Chriſtum,victorem Diaboli. Verùm huius promiſſionis repetitiones plures legũtur in Moſe & in Prophetis,quales hæ ſunt: 1. Gen.12.3.In te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ. 2. Gen.22.18.Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terrę. 3. Gen. 28.14.Et benedicentur in te,& in ſemine tuo,cuncti fines terræ. 4. Et quia id fieri nõ poteſt,niſi deſtructo Satanę regno,Ioãnes id explicat,dicens:Chriſtus apparuit,vt deſtruat opera Diaboli.1.Ioan.3.8.

Summa. Doctrinæ. Promiſſionis repetitiones.

Efficacia. Hoc promiſsionis verbo erecti ſunt iterum Adam & Eua,& firma fiducia in hunc promiſſum liberatorem ſe ſuſtentabant. Nec ignorare poterant,hunc liberatorem Deum eſſe,quia aſſumpturus eſſet humanam naturã, in qua fieret victima pro peccato, cuius rei admonebantur per ſacrificia diuinitus inſtituta. Nam quẽadmodum Diabolum inuictũ fere ab omnibus creaturis ſciebant: Ita promiſsionis verbum, humanitatem veram liberatoris demonſtrauit.

Complementum. Cæterùm huius completæ promiſsionis verbum, ab Apoſtolis Euangelium cœptum eſt appellari, de cuius vocis varia ſignificatione 1. dicam: 2. quæ ſit ratio accommodationis ad doctrinam ſalutis oſtendam. 3. planam rei definitionem tradam. 4. teſtimonia & vſum adiungam.

Euangelij vocabulũ quid ſignificet. 1. Propriè itaque εὐαγγέλιον ſignificat, fœlix & fauſtum nuntium: qua ſignificatione apud Ariſtophanẽ in Equitibus accipitur, vbi ita inquit: εὐαγγέλια κἀγὼ φέρω αὐτοῖς, id eſt, læta nuntia ipſis narraui, pro quo paulò ſuprà dixerat λόγους ἀγαθοὺς εὐαγγελίσασθαι, id eſt, bonos rumores nunciare. Atque hæc nominis ratio eſt.

2. ſignificat præmium datum pro relatione fauſti nuncij,vt Odyſſeæ 14.vbi his verbis paſtorem ſenem alloquitur Vlyſſes:

εὐαγγέλιον δέ μοι ἔστω
αὐτίκ', ἐπεί κεν κεῖνος ἰὼν τὰ ἃ δώμαθ' ἵκηται,
ἕσσαι με χλαῖνάν τε, χιτῶνά τε, εἵματα καλά.

hoc eſt,Euangelium mihi eſto ſtatim vbi redierit ille,vt veſtias me pulchris veſtibus,chlæna & tunica.

3. ſignificat ſolenne ſacrificium pro accepto fauſto nuncio peractum. Hinc εὐαγγέλια θύειν, id eſt,ſacrificia ob lætum nuncium offerre. Atque hæc ſunt ſignificata apud prophanos ſcriptores.

Euangelium quid ſit in nouo Teſtamento.

Verùm Apoſtoli propriam ſignificationem, primo loco poſitam, retinentes, accõmodarunt ſuo doctrinæ generi κατ᾽ ἐξοχήν. His enim Euãgelium ſignificat ſolẽne patefactæ in Chriſto gratię præconium, ſeu lætum nũtium de ſalute per Chriſtum parta credentibus. Deinde, quia propria materia Euãgelij eſt Chriſtus, Euangeliſtæ Euangelij nomen accommodarunt hiſtorijs, quæ Chriſtum apparuiſſe in carne, docuiſſe, paſſum, mortuum, à morte reſuſcitatum, ac tandem in cœlum receptum fuiſſe narrant.

Definitio.

Porrò *Definitio* plana & perſpicua colligi poteſt ex verbis Domini Luc. 24. 46. Sic ſcriptum eſt, & ſic oportuit pati Chriſtum, & reſurgere ex mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſsionem peccatorum in omnes gentes. Ex quibus colligitur, quod Euangelium ſit vniuerſalis prędicatio pœnitẽtiæ & remiſsionis peccatorum in nomine Chriſti: vt enim Euãgeliũ requirit pœnitentiã, id eſt, conuerſionem, ita offert peccatorũ remiſsionẽ conuerſis. Sed addamus vberiorẽ hoc modo. *Euangelium* eſt doctrina diuinitus reuelata, in qua annuntiatur liberatio à maledictione legis & ira Dei, & proclamatur remiſsio peccatorum, ſalus ac vita æterna credẽtibus in Filium, propter eiuſdem victimam, ſecundum promiſsionem olim Patribus factam: vt perpetuò gloria bonitatis Dei prædicetur: vtq; porrò dignos fructus Euãgelio edant homines per Chriſtum liberati, tandémque vita æterna fruantur.

Definitionis membra.

Hæc definitio multa membra habet. 1. monet, quale ſit doctrinæ genus Euangelium. 2. à quibus malis per Euangelium liberemur. 3. quid boni Euangelium afferat. 4. quibus hæc bona contingãt, nempe, credentibus. 5. de propria materia Euangelij, quæ eſt Chriſtus, cum ſuis beneficijs. 6. fines adijciuntur.

Diſcrimen legis & Euangelij.

Ex his facilè intelligi poteſt diſcrimen legis & Euangelij. Lex enim promittit vitam facientibus legem, Euangelium gratis offert ſalutem credentibus in Chriſtum. Eſt enim donũ Dei vita æterna per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, Rom. 6. 23.

TESTIMONIA DE Euangelio.

1. Ad Galat. 3. 13. Chriſtus nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictũ. 2. Matth. 17. 5. Hic eſt Filius meus dilectus, ἐν ᾧ εὐδόκησα, id eſt, in quo placatus ſum. 3. Luc. 24. 46. Quoniam ſic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtũ pati & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſsionem peccatorum in omnes gentes. Vox μετάνοια proprijſsimè conuerſionem ſignificat, quam ſolum Euãgelium prædicat. 4. Rom. 1. 16. Euangelium eſt potentia Dei, in ſalutem omni credenti. 5. Ioan. 3. 15. Qui credit in Filium, non peribit, ſed habebit vitam æternam. 6. Act. 13. 39. Notum ſit igitur fratres vobis, quod per hunc vobis remiſsio peccatorum nunciatur, & ab omnibus à quibus non potuiſtis per legem Moſis iuſtificari, per hunc omnis, qui credit, iuſtificatur. 7. 2. Cor. 5. 21. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum pro nobis, vt fieremus nos iuſtitia Dei in ipſo. 8. Ad Titum 2. 11. Apparuit ſalutaris gratia omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegãtes omnem impietatem & mundana deſideria, ſobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem, & apparitionem gloriæ magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti: qui dedit ſeipſum pro nobis vt redimeret nos ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum peculiarem, ſectatorem bonorum operum.

VSVS.

Vſus huius doctrinæ eſt, vt diſcamus contemto mundo & caducis eius delicijs, incomparabile hoc bonum, quod offert Euangelium, toto cordis affectu appetere, oblatúmque complecti. Deinde vt in quauis afflictione ſolemur nos hoc læto de ſalute per Chriſtum parta nuncio.

CAPVT XII.

POENITENTIA CVM SVIS partibus contritione & fide.

Neceſſitas huius doctrinæ.

TOta doctrina ſuperior prorſus manet otioſa, niſi accedat pœnitentia, de qua rectè & clare erudiri iuuentutem operæprecium eſt. Nam regeneratio, ſine qua nemo ſaluus fieri poteſt (quemadmodum Dominus docet Nicodemum Ioan. 3.) in pœnitentia conſiſtit, quæ nihil aliud eſt, quàm conuerſio hominis ad Deum, vt ſit noua creatura, & iuxta eius voluntatem viuat. Verùm quia hæc definitio paulò obſcurior eſt, tradam aliam. *Pœnitentia* eſt verus dolor de offenſa Dei, cum voto ac ſpe veniæ, & voluntate ſingularíque ſtudio, peccatum omne poſthac vitandi, Deóque omnem vitam approbandi. Hi enim verè pœnitentiam agunt, qui corde dolent ob admiſſum peccatum, & confugiunt fide ad Chriſtum Mediatorem, vt accipiant remiſsionem peccatorum, & fructus dignos pœnitentiæ edant.

Definitio.

Partes.

Ex his patet, tres eſſe partes pœnitentiæ, *Contritionem, Fidem, & Nouam obedientiam.* Quarum prima & ſecunda ſubſtantiales partes pœnitentiæ rectè dicuntur, quibus neceſſariò tertia pars tanquam inſeparabilis proprietas, adijcitur. Cùm igitur duas pœnitentiæ partes, Contritionem & Fidem, nominari audimus, partitio ſubſtãtialis eſt. Cùm verò tres, hoc eſt, cum duabus ſuperioribus additur noua obedientia, ſciamus proprietatem neceſſariã adiungi, quę à conuerſione integra & vera nequaquam auelli poteſt.

1. Contritio.

Porrò *Contritio* eſt ex agnitione peccati & ſenſu iræ Dei pauor conſcientiæ, fugáque peccati. Et habet vera Contritio quatuor proprietates ſeu effectus, in definitione enumeratos. 1. agnoſcit peccatum. 2. agnoſcit iuſtam iram Dei, & maledictionem ob peccatum. 3. ſeriò dolet propter peccatum admiſſum. 4. deteſtatur & abominatur peccatum.

2. Fides.

Fides autem eſt notitia & aſſenſus promiſſę & expetitæ miſericordiæ, & in eandem firma fiducia. Hęc Chriſtum mediatorem & interceſſorem apud Patrem agnoſcit, hæc ſtatuit peccatum remiſſum propter Mediatorem, & iuſtitiam mediatoris ſibi imputari. Hæc conſcientiam conſolatur contra terrores peccati, & legis. Hæc inuocat Deum, & nouam vitam inchoat.

3. Noua obedientia.

Noua obedientia abſoluitur pietate erga Deum, charitate erga homines, ſanctimonia & puritate in tota vita, & diligentia in vocationis officio præſtanda. Has partes nouæ obedientiæ coniungit Paulus ad Titum 2. 12. cùm dicit: ideò nos regeneratos eſſe, vt piè iuſtè & ſobriè viuamus.

Teſtimonia.

Cęterùm has eſſe partes conuerſionis hominis ad Deum, teſtimonijs & exemplis Scripturę oſtendendum eſt. Marc. 1. 15. Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Hic pœnitentia pro contritione vſurpatur, quę tamen cum fide cohæret. Nulla enim contritio ſine fide ſubſtantialis pars conuerſionis eſt. Paulus Roman. 7. 4. Similiter aſtruit, duas eſſe partes pręcipuas conuerſionis, nimirum mortificationem & viuificationem. Mortificatio ipſa contritio eſt,

seu

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſeu animæ dolor & terror ex agnitione peccati, ſeu ſenſu iudicij Dei conceptus. Viuificatio in fide conſiſtit, eſt enim conſolatio, quæ ex fide naſcitur. Iuſtus enim ex fide viuet. Hæc vita non poteſt conſiſtere, niſi accedat ſerium ſtudium innocenter viuendi. Lucæ 3.37. tres pœnitentiæ partes pulchrè expriműtur.

Exempla.

1. Mulieris.

Lachrymæ peccatricis mulieris ſunt teſtimoniū pauoris conſcientiæ ob peccatum. Deinde quod accedit ad Chriſtū, ſignificatur fiducia, quam de illo conceperat. Poſtea officium ſuum erga Chriſtum declarat, qua re fidei fructus oſtēditur.

2. Latronis.

Simile eſt latronis exēplum, qui peccatum agnoſcit ſuum, Chriſtum ex fide inuocat, fructus edit fidei, inuocationē, gratitudinem erga Deum, & dilectionem erga proximum. Nam quod aberrantem ſocium admonet, charitatis fuit.

3. Dauidis.

Dauid à Nathan obiurgatus, primùm perterrefit, & voce declarat veram contritionem, dicens: Peccaui Domino. Deinde fide erigitur audita abſolutione: Dominus abſtulit peccatū tuum. Emendationem morū, ſeu nouā obedientiam, ſequēs vita teſtabatur.

TESTIMONIA DE *pœnitentia.*

1. Ierem. 3.14. Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo auerſiones veſtras. 2. Ierem. 31.18. Caſtigaſti me Domine, & eruditus ſum quaſi iuuenculus indomitus. Conuerte me, & conuertar, quia tu es Dominus Deus meus. Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam: & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſsi fœmur meum. Idem 36.3. Reuertatur vnuſquiſque à via ſua peſsima, & propitius ero iniquitati & peccatis eorum. 4. Ezech. 18.30. Conuertimini & agite pœnitentiā ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proijcite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum. 5. Eiuſdē 33.11. Nolo mortem peccatoris, dicit Dominus. Reuertimini & viuite. 6. Marc. 1.15. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. In his teſtimonijs apertè conſpicitur, quod conuerſi hominum ad Deum, pœnitentia, pœnitentiám agere, pro eodem ſumatur. Locus ex Marco citatus, conuincit duas eſſe præcipuas & ſubſtantiales partes pœnitentię, quas ſequitur noua vita, quæ pars pœnitentiæ integralis dici poteſt.

Pœnitentia duplex.

Cæterùm quia vocabula pœnitentiæ & fidei ſunt πολύσημα, pauca ſubiungam de varia horum vocabulorum acceptione, ne ὁμωνυμία impediat nouitios.

Legalis.

Pœnitentia itaque duplex eſt, Legalis & Euangelica. *Legalis* eſt, qua peccator terretur ira Dei ob peccatum commiſſum, & in eo terrore conſtrictus hæret. Talis fuit pœnitentia Cain, Saul, Iudę, qui in ſenſu iuſti iudicij Dei ob peccatum defecerunt.

Euangelica.

Euangelica pœnitentia dupliciter accipitur. Aliâs enim pro tota conuerſione, quæ conſtat Contritione, Fide, & noua obedientia, ſumitur. Idque quoties ſolum pœnitentiæ vocabulū ponitur, hoc eſt, vbi fidei vox non expreſsè additur, vt Act. 2.38. Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. Hic proculdubio non ſolùm Contritio, ſed etiam fides requiritur, adeoq; tota hominis conuerſio. Item Matth. 3.2. Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. Aliâs pro prima cōuerſionis parte, nempe contritione capitur, nimirum cùm fidei vocabulum expreſſè adiūgitur, vt Act. 20.21. Paulus dicit, ſe Iudæis ac Gentibus teſtificatum pœnitentiam & fidem in Ieſum Chriſtum. & Marc. 1.15. Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquauit regnum Dei, pœnitentiam agite, & credite Euāgelio. Primum hîc theſaurum miſericordię Dei proponit Euangeliſta. Deinde conuerſionem exigit, quæ pœnitentia & fide conſtat. Vbi pœnitentiæ vocabulum pro parte tantum conuerſionis ſumi manifeſtum eſt. Nec tamen hîc excluditur fructus pœnitentiæ, noua obedientia, quæ fidei veræ perpetua comes exiſtit.

Fidei variæ ſignificationes.

Iam de varia fidei acceptione paucula adijciamus. Fides itaque in genere eſt ἔλεγχος ſeu certa aſſenſio, qua mens conuicta verbo Dei, & teſtimonio verbo addito, firmiſsimè amplectitur vocem diuinā, de rebus non apparētibus.

Fides generalis.

Seu, vt breuius dicam, Fides generalis, eſt certa perſuaſio de omni verbo Dei. Cùm igitur duplex verbum Eccleſiæ propoſuit Deus, Legem & Euāgelium, quicunq; credit legem eſſe Dei verbum, & perſuaſum habet, certas & firmas eſſe diuinæ legis promiſsiones & minas, verè credit. Ad eūdem modū, quicunq; credit, Euāgelium Chriſti Dei verbum eſſe, & affirmat continere veritatē Dei, verè credit, ac fidem habet: ſed nondum eam, qua coram Deo iuſtificamur. Nam adhuc hiſtorię tantum fides, quæ ab obiecto diſcerni poteſt, vt illa legalis, hęc euāgelica appelletur. Hæc fides cōmunis eſſe poteſt pijs & impijs, diabolis & Chriſtianis. Quæ ſi nō vlterius progrediatur, verè mortua, hoc eſt, inefficax fides eſt. Non enim vitam parit, ſed nunc territat, nūc otioſa langueſcit.

Fides fiduciæ, ſeu iuſtificans.

Verùm ſi notitiæ hiſtoriæ, ſeu huic generali fidei accedit expetitio & fiducia miſericordiæ Dei, propter Chriſtū promiſſæ, mox noua fidei forma emergit, quæ vocatur Fides fiduciæ, quā in hunc modū definire licet: Fides eſt notitia, aſſenſus & fiducia promiſſæ & expetitæ miſericordiæ ac ſalutis propter Chriſtū, vt ſupra dictum eſt. Hæc fides propriè eſt filiorum Dei, qua ſola in conſpectu Dei iuſtificantur credentes. Quare & fides iuſtificans à ſua proprietate dici meretur. Quod autē fiducia in miſericordiam Dei propter Chriſtum, huius fidei forma eſt, his rationibus cōprobatur. 1. Chriſtus pronūciat credentes ſaluos. Sed iam manifeſtum eſt, notitia ſola neminem ſaluari. Vnde nemo nō videt, fidem iuſtificantem non tantùm eſſe hiſtoriæ cognitionem. Paulus dicit, Corde creditur ad iuſtitiam. Ergo fides eſt non tantum notitia hiſtoriæ, ſed etiam affectus. Paulus apertè vocat fidem ὑπόστασιν, hoc eſt, firmam fiduciam. Eſt enim ὑπόστασις militaris vox, qua ſignificatur certa fiducia aduerſus inſultus hoſtiles ſubſiſtendi, hoc eſt, ſuſtinendi & obtinendi victoriā. Hinc trāſtulit Apoſtolus vocabulū ad fidei robur, quo luctatur fidelis cōtra ſalutem ſuam oppugnātia, certa fiducia cōcepta de victoria per Ieſum Chriſtū. Vnde fit, quod à Ioanne fides victoria mundi dicatur. Vſitatum eſt Scripturæ, quod verba ſignificantia notitiam, vnà etiam per Metalepſin ſignificent motus animorum, notitiam conſequentes, vt: Nouit Dominus viam iuſtorum. Hîc verbo notitiæ nō ſolum notitia, ſed cura & approbatio ſignificatur. Sæpe fidei iuſtificāti vox πληροφορία adijcitur. Et Paulus cum fide Ephe. 3.12. πεποίθησιν coniungit, inquiens: In quo habemus audaciam acceſſúmque in fiducia per fidem. De hac fide fiduciæ loquitur Paulus in diſputationibus de iuſtificatione. De hac Dominus quoties pronuntiat homines fide ſaluatos, de cuius natura & proprietate Paulus Rom. 4. diſputat. His rationibus apertè redarguitur error Papiſtarum, qui clamitant fidem tantum eſſe notitiam & aſſenſum hiſtorię, cui tribuimus iuſtificationem.

Aliæ fidei formæ.

Sunt præter iam commemoratas formas fidei adhuc alię. 1. Eſt enim fides profeſsionis doctrinę, quā Paulus in Romanis laudat. 2. Eſt fides operationis miraculorū, qua ornata erat primitiua Eccleſia. 3. Eſt fides remunerationis bonorum operum. Fide enim amplectimur quicquid Deus promittit. Cùm igitur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Deus promittit remunerationem, nec eſſe eſt hãc fide apprehendi, ſed extra cauſam iuſtificationis. Nam cùm de iuſtificatione agitur, fides in ſolam Dei miſericordiam propter Chriſtum promiſſam recumbit. Sunt & alia fidei diſcrimina, quæ non opus eſt hîc recitare. Porrò teſtimonia de fide iuſtificante in capite ſequenti de Iuſtificatione adijciam.

CAPVT XIII.

IVSTIFICATIO.

Metho- dus huius cap.

DVO ſunt, in quibus conſiſtit noſtra ſalus, Iuſtificatio & Glorificatio. Illa initium, Hæc ſalutis perfectio eſt. De illa priori ſalutis parte hic dicendum eſt. 1. Omnia vocabuli ſignificata enumerabo. 2. Quæ ſit iuſtificatio Chriſtiana, & in quibus conſiſtat, breuiſsimè oſtendam.

Iuſtifica- re quid.

I. Verbum Iuſtificandi in Scripturis forenſe verbum eſt, & ſignificat propriè ſecundum aliquem iudicare, cauſámque alicuius, ſiue bona, ſiue mala ſit, comprobare. Deut. 25. Iuſtum iuſtificent. Prouer. 17. Qui iuſtificat impiũ, aut qui condẽnat iuſtum, vterque eſt abominatio Domino. Iſai. 5. Qui iuſtificat impium propter munus. *Secundò*, ab hac forenſi ſignificatione deductum eſt vocabulum ad genus, vt ſignificet in genere, approbare aliquem, & vt iuſtum agnoſcere & laudare, ſeu ſua ſententia iuſtum pronunciare, confiteri & agnoſcere, vt apud Luc. 7. 29. Iuſtificauerunt Deum, id eſt, iuſtum agnouerunt & confeſsi ſunt. Pſal. 51. 6. In te ſolum peccaui, vt iuſtificeris in ſermonibus tuis. Item illud Domini Luc. 16. 15. Vos iuſtificatis vos corã hominibus. *Tertiò*, à genere rurſus ad ſpeciem deflectit vocabulum Iuſtificandi, & Apoſtolico ſignificatu vſurpatur, pro eo quod eſt hominem à Deo propter mortem Filij ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti, cõdonatis peccatis, recipi in gratiam, adoptari in filium & hęredem vitę æternæ. Vel vt breuius dicam: Iuſtificari, eſt abſolutũ à reatu pro iuſto haberi, vt cùm dicitur: Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis homo. Et: Nos in Chriſtum Ieſum credidimus, vt iuſtificaremur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis, Rom. 3. 20. Gal. 2. 16. Quis accuſabit electos Dei? Deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? Rom. 8. 33. Item 5. 1. Iuſtificati igitur ex fide, pacem habemus cum Deo, per Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem habemus acceſſum per fidem in gratiam hanc, in qua ſtamus, & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. *Quartò*, nonnunquam iuſtificare eſt rectè facientem laudare, & comprobare factum alicuius. In qua ſignificatione in Epiſtola Iacobi accipitur. *Quintò*, Apoc. 22. 11. proficere in iuſtitia ſignificat, vt: Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc.

Iuſtifica- re, quot modis ſu- mitur.

Atque hæc ſunt vocis ſignificata, ex quorum ob-
ſeruatione non erit difficile diſcernere has ſcripturæ
quatuor loquendi formas: Iuſtificari coram Deo: iu-
ſtificari operibus: iuſtificari fide: iuſtificari coram ho
1. minibus. Is enim *Iuſtificari* coram Deo dicitur ſim-
pliciter, qui iudicio Dei & cẽſetur iuſtus, & acceptus
eſt ob ſuam iuſtitiam. Talis vnicus Chriſtus inuen-
tus eſt. In cõſpectu tuo, inquit Dauid Pſal. 143. 2. non
iuſtificabitur omnis viuẽs, de omnibus natis ex cor-
rupto ſemine, iuxta communem naturæ curſum lo-
2. quitur. *Iuſtificatur* ex operibus, qui ſuorum ope-
rum perfectione & integritate ſatisfacit legi Dei, a-
deóque reſpõdere poteſt Dei iudicio. Talem nemi-
nem mortaliũ eſſe docet Paulus Rom. 3. 20. cùm in-
quit. Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis ca-
3. ro. *Iuſtificatur* fide, qui operum iuſtitia excluſus,
Chriſti iuſtitiam per fidem apprehendit, qua veſti-
tus, in Dei conſpectu non vt peccator, ſed tanquam
iuſtus apparet, Rom. 3. & 4. Gal. 2. 3. 4. *Iuſtificatur* 4.
coram hominibus, cuius vitam & actiones appro-
bant homines, quæ ſanè iuſtificatio, iuſtificationis
vitæ, quæ eſt ex fide, fructus eſſe debet.

Iuſtifica- tionis Chriſtia- næ defini- tio.

* His iam fundamẽtis iactis non erit difficile definitionẽ iuſtificationis Chriſtianæ colligere, in hunc modum: *Iuſtificatio Chriſtiana* eſt credẽtis perſonę in Chriſtũ abſolutio à peccato vel reatu, imputatio iuſtitiæ Chriſti, & acceptio ad vitam æternam, Gratis propter Chriſtum. In hac definitione quinque ſunt.

Analyſis.

1. Fidei fit mentio, qua recipiũtur oblata beneficia. Vnde Paulus: Iuſtificamur fide, &c. 2. Abſolutio à peccato. Nam cùm Deus iuſtificat impium, nõ facit vt impij iudices, qui impium hominẽ iuſtificant, cuius tamẽ impietas manet. Sed Deus impietatem tollit, remittendo peccatum, atque ita ex iniuſto fit iuſtus remiſſo peccato, iuxta illud: Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates. 3. Sequitur imputatio iuſtitiæ Chriſti. Huius enim ſanguis, mors, paſsio, reſurrectio, adeoq; tota obedientia, materia & fundamentũ eſt noſtrę iuſtificationis. Sed huius fundamẽti ad terminum applicatio ſit per fidem. Atq; hęc Paulus clariùs adhuc oſtẽdit Rom. 5. 19. cùm inquit: Quemadmodum per obedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi, Sic etiam per obedientiam vnius, iuſti conſtituẽtur multi. Hîc Paulus cùm pronunciat nos Chriſti obediẽtia conſtitui iuſtos, ſignificat Chriſtum, eo quod Patri ſatisfecerit, iuſtitiã nobis cõparaſſe. Vnde ſequitur, iuſtitiæ qualitatem eſſe in Chriſto, ſed nobis imputari, quod illi propriũ eſt. Nam ad eundem modum iuſti ſumus coram Deo, qualiter Chriſtus fuit peccator. Perſonam enim noſtram quodammodo ſuſcepit, vt reus noſtro nomine fieret, & tãquam peccator iudicaretur, non proprijs, ſed alienis delictis, cùm purus foret ipſe & immunis ab omni culpa, pœnámq; ſubiret, nobis, non ſibi debitam. Ita nunc iuſti ſumus in ipſo, non quia operibus noſtris ſatisfaciamus iudicio Dei, ſed quoniam cenſemur iuſti Chriſti iuſtitia, quam fide induimus, vt noſtra fieret. Huc præclara illa Pauli ſententia 2. Corin. 5. 21. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum pro nobis, vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. 4. Fit mentio acceptationis perſonæ ad vitam æternam, quemadmodum promiſsiones multę oſtẽdunt: Qui credit in me, non peribit, ſed habebit vitam æternam, & huiuſmodi infinitæ. 5. Additur, Gratis quidem, vt omnia humana merita cõticeſcant: Propter Chriſtum verò, vt ſolum λύτρον vnigeniti Filij Dei meritorium, adeò ingentis theſauri, agnoſcatur. Atque hæc ſit breuis definitionis ἀνάλυσις.

Antitheſis Iuſtitię Legis & Euangelij.

CAETERVM vt apertius hæc iuſtificationis doctrina intelligatur, duo addam. Primùm, inſtituã antitheſin Legis & Euangelij in his vocibus: Iuſtificari, iuſtificatio, iuſtitia, iuſtus. Deinde ordines cauſarum in iuſtificatione hominis coram Deo concurrentium, recitabo. *Iuſtificari* itaque legaliter eſt ab iniuſto iuſtum fieri, ob ſuam iuſtitiã & legis impletionem, iuxta illud: Qui fecerit ea homo, viuet in eis. Sed euangelicè iuſtificari eſt à reo non reum fieri, & ab iniuſto iuſtum ob alienam iuſtitiam, nẽpe Chriſti, quemadmodum ſupra probatum eſt. Ex hac collatione verbi iuſtificandi ſecundum Legem & Euangelium, tametſi non difficile eſt Dialectico, per locum coniugatorũ, de reliquis tribus iudicare, tamen breuem declarationem adijciam. Iuſtificatio igitur legalis, eſt acceptatio hominis coram Deo, ob integritatem & perfectionem ſuæ obedientiæ erga Legem Dei. Sed Euangelica iuſtificatio, eſt acceptatio hominis corã Deo, ob integritatẽ & perfectionem obedientię Chriſti erga Deum Patrem. Iuſtitia legis eſt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

eſt perfecta obedientia erga legem Dei. Sed iuſtitia Euangelica eſt poſſeſsio imputatæ iuſtitiæ Chriſti, remiſsis peccatis. Seu, eſt obedientia Chriſti credenti imputata. Iuſtus legaliter eſt, qui iuſtè agit iudicio Legis: ſed euangelicè iuſtus eſt, cui Deus peccatum condonat, imputat iuſtitiam Filij, acceptat ad vitam æternam. Præterea tenendum & hoc eſt, quod qui credit in Chriſtũ, habeat duplicem iuſtitiam, Vnam perfectam, qua coram Deo conſiſtit, nempe Chriſti obediẽtiam, quam fide poſsidet. Alteram in ſe, nempe inchoatam obedientiam, quæ prioris iuſtitiæ fructus exiſtit, & hæc placet Deo propter fidem in Chriſtum, tametſi imperfecta eſt. Tertiam autẽ iuſtitiam eámque formalem & abſolutam expectamus, iuxta illud: Spiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus.

Chriſtiana Iuſtitia duplex triplex.

Cauſarũ Iuſtificationis ordines. 1. Iuſtificator.

Nunc de cauſarum ordinibus, quos docendi gratia his tribus quæſtionibus ſubijciam. 1. Quis ſit iuſtificator. 2. Quis iuſtificandi modus. 3. Qui iuſtificationis fines. *Prima*, Quẽadmodum opus creationis totius Trinitatis eſt, ita etiam redemptionis ſeu iuſtificationis opus toti Trinitati aſſcribendum eſt, ſeruata tamen cuiuſq; perſonæ proprietate. Vt enim Deus Pater per λόγον mundũ creauit, & per Spiritum ſanctum creata ſuſtentat & viuificat: ita idem Pater per Filium lapſum genus humanum redemit, & per Spiritum ſanctum viuificat & regenerat: vt ſuam dilectionẽ erga genus humanum declaret: vt miſerorum calamitatibus medeatur: vt deſtruat regnũ Satanæ: vtque ſuam gloriam mundo patefaciat. *Secunda* quæſtio fuit de modo iuſtificationis, qui in quatuor cernitur: In victima Filij, in verbo Euangelij, in fide promiſsionis, & in Sacramentis. Victimam Filij Dei interuenire oportuit, per quam punitũ eſt peccatum, ſecundum iuſtitiam Dei, vt locus eſſet miſericordiæ. Nam ſi Deus ſine Filij victima recepiſſet genus humanum in gratiam, iuſtitiæ diuinæ derogatũ fuiſſet. Rurſus, ſi abſque miſericordia iuſtas pœnas ſumpſiſſet de homine, miſericordiæ Dei nullus fuiſſet locus relictus. Vt igitur iuſtitia Dei & eiuſdem miſericordia æquis gradibus ſtarent, ſapientia Dei cõſilium inuenit, vt Filius ſe interponeret, ac per ipſius victimam iuſtitiæ & miſericordiæ Dei ſatisfieret. Secundo loco, verbum Euãgelij poſui, per quod Deus offert mundo beneficium ſalutis in Filio. Tertio loco, hoc donum per Euangelium oblatum recipimus ſola fide, quam Spiritus ſanctus in verbo efficax, operatur in audientibus & meditantibus Euangelium. Hæc fides Sacramentis augetur & confirmatur. *Tertia* quæſtio fuit de finibus. Sunt autem iuſtificationis fines quatuor. 1. Glorificatio Dei. 2. Dilectio proximi. 3. Vita ęterna, & 4. Gloria beatitudinis. Hæc cauſarum diſtinctio à vulgo intelligi poteſt.

2. Modus.

3. Fines.

Alia cauſarum diſtinctio.

Verùm ſi διαλεκτικώτερον placet eas diſtinguere, licebit in hũc modum. *Imperans* cauſa eſt Deus Pater, qui habuit προηγούμενον quidem dilectionem paternã erga genus humanum, iuxta illud: Sic Deus dilexit mundum, &c. προκαταρκτικὸν verò triplex, nimirum ſuę gloriæ manifeſtationem, miſeriam generis humani, tyrannidem Diaboli, hæc enim tria mouentia externa fuerunt. *Obſequens* cauſa eſt altera perſona, nempe Filius ipſe. Sic enim Pſal. 40. 9. legitur: Vt faciam voluntatem tuam Deus meus, volo, & lex tua in medio cordis mei. *Efficiens*, conſummans, ſeu perficiens eſt Spiritus ſanctus, hic enim intus naturam renouat & ſanctificat. Ad Tit. 3. 5. regeneratio & renouatio Spiritui ſancto tribuuntur. Hæc etiam 2. Corint. 1. 22. obſignatio noſtræ ſalutis dicitur. Efficiens inſtrumentalis eſt duplex. Exhibens quidem vt verbum, in quo efficax eſt Spiritus innouator. Item, Sacramentum, quo non ſolum exhibetur, ſed etiam confirmatur donum exhibitum. Eſt enim Sacramentum pignus & teſtimonium applicationis. Recipiens verò ſola fides, hæc enim eſt veluti manus, qua oblata gratia recipitur. Materialis porrò cauſa eſt, cum legis impletio à Chriſto pro nobis præſtita, tum eiuſdem victima, qua placauit Patrem, & ſatisfecit pro pœna commerita. Huc accedit reſurrectio, victoria & triũphus ſuper peccato, morte & inferno. Formalis cauſa, eſt remiſsio reatus, imputatio iuſtitiæ Chriſti, & acceptatio credentis perſonæ ad vitam æternam. Huic coniuncta eſt donatio Spiritus ſancti, & infuſio gratiæ, immutantis deprauatam naturam. Fines quatuor ſupra commemorati ſunt.

Quomodo fide iuſtificemur.

In hunc modum diſcernere cauſarum in iuſtificatione concurrentium ordines, & videre quid peculiare ſinguli habeãt, valde vtile eſt. Quamuis enim omnes enumeratæ cauſæ coniunctæ ſunt, & concurrunt in iuſtificatione, ſtántque inter ſe mutuis auxilijs, tamen ſingulæ cauſæ proprium quiddam habent in ſuis actionibus, vnde euenit, quod excluſiua particula *Sola* propriè ac rectè ſui ordinis cauſæ, ſi vna tantum adeſt, accommodari poteſt, quæ non excludit cauſas concurrentes, ſed tantum diſtinguit & diſcernit ordines cauſarum iuſtificationis. Rectè igitur dicitur: *Sola fides* iuſtificat, quia ipſa vnicum inſtrumentum eſt, & vnica facultas in nobis, qua recipitur iuſtitia Chriſti. Ad eundem modum de cæteris dici poteſt. Nam cum attenditur cauſa efficiens, imperans, rectè dicitur: Solus Deus iuſtificat. Si materia conſideratur, dici poteſt rectè: Sola obedientia Filij iuſtificat. Quare in hiſce formulis loquendi, diligenter tacita reduplicatio conſideranda eſt, vt diſtinctè intelligatur, qua ratione prædicatum ſubiecto tribuatur, ne confundamus cauſas, & cauillationibus Oſiandri ſinamus nos in errores abduci.

Regulæ.

Huc regulas quaſdam adijciam, ex quibus peti poterunt ſolutiones argumẽtorum, quæ aduerſarij obijciunt contra veram iuſtificationis doctrinam.

Ordo legalis & Euangelicus multiplex diſtinguendus.

I. Duo ſunt ordines teſtimoniorum de iuſtificatione & bonis operibus: vnus Legalis, Euangelicus alter. *Legalis* ordo, aut concionatur de iuſtificatione legali coram Deo, aut de promiſsionibus legalibus, aut de minis, quæ intentantur legis tranſgreſſoribus. Quod autem legalis illa iuſtificatio, qua homo iuſtus à Deo approbatur propter legis impletionem, ſit homini impoſsibilis, docet Paulus Rom. 8. 3. Quod impoſsibile erat Legi, eo quod infirmabatur per carnem, &c. teſtatur Dauid Pſal. 130. 3. & 143. 2. Si iniquitates obſeruaueris Domine, quis ſuſtinebit? Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Quoties igitur citantur loci legales, Scripturam primum oppone. Deinde mentem Scripturæ declarabis. Nam illa teſtimonia iuſtitiæ legalis primum docent, qualíſnam iuſtitia conſiſtat coram Dei tribunali, nempe plena & perfecta legis obedientia. Deinde noſtram maculam ponunt nobis ante oculos, qui peccatis adeò inuoluti ſumus, quod non poſſumus præſtare obedientiam Deo iuxta ipſius legem. Tertiò, iſta teſtimonia nos commonefaciunt, vt quæramus aliunde iuſtitiam, niſi malimus perire: ac ita nos quodammodo ad Chriſtum mittunt, qui eſt legis perfectio, in iuſtitiam omni credenti. Quartò, iſta teſtimonia admonent, vt nacti iuſtitiam Chriſti, incipiamus nouam obedientiam ſecundum legem præſtare: quam plenè præſtabimus in æterna vita, vbi Deus erit omnia in omnibus. Secundus ordo teſtimoniorum de iuſtificatione & bonis operibus, eſt *Euangelicus*, & continet teſtimonia, quorum alia pertinent ad cauſas iuſtificationis, de quibus ſupra dictum eſt. Alia ad

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nouam animi qualitatem iuſtificatorum. vt: Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt: quo etiam regeneratio & ſanctificatio pertinent: Alia ad externa ſigna & indicia iuſtificatorū, vt Zacharias & Elizabet ambularunt in omnibus iuſtificationibus, coram Deo & hominibus irreprehēſibiles, ſeu ſine querela: id quod græca vox ſonat propriè. Alia ad remunerationem obedientię, quæ nemini cōferri poteſt, niſi prius fide iuſtificato. Hinc Apoſtolus Heb. 11. 26. dicit, Moſen reſpexiſſe ad remunerationem, quod ſanè ſancti faciunt, ſeu extra iuſtificationis cauſam. Alia ad compenſationem ærumnarum & calamitatū, quas ferunt pij in hoc mundo, Rom. 8. 18. Alia ad comprobationem operis ex fide facti. Si quis huius ordinis teſtimonia confundit, & non diſcernit inter eum gradum, qui agit de cauſis iuſtificationis, & ſequētes, qui ad iuſtificationis effectus referri debent, tota errat via, & cōfundit Legem cum Euangelio, imò Euangeliū tollit, & Chriſti gratiā negat. Quare hi ordines teſtimoniorū cum ſuis gradibus diligenter obſeruandi & diſtinguendi ſunt, ne in cauſarū & effectuū confuſionē incidamus.

Aliud ſubſtantia, aliud qualitas.

II. In rebus aliud eſt ſubſtantia, aliud qualitas. Cùm itaque diſputamus de iuſtitia fidei, non diſputamus contra ſubſtantiam bonorū operum, ſed contra qualitatē, quam illis falsò tribuunt Sophiſtæ, qui bonis operibus contēdunt iuſtificari homines iuſtificatione vitæ. Non igitur ſpoliamus homines operibus, ſed peruerſam fiduciam operum damnamus.

Dignitas & locus operum.

III. Aliud eſt diſputare, quid per ſe valeant bona opera, aliud quo loco poſt ſtabilitam iuſtitiam fidei habenda ſint. Si de operibus ſtatuendum eſt pro ſua dignitate, indigna ſunt, quæ in cōſpectum Dei prodeant. Sed quatenus conſiderantur, vt ſequuntur iuſtitiam fidei, non à ſuo merito æſtimationem habēt, ſed à gratuita bonitate Dei recipiētis opera propter perſonā. Hac ratione quę fiunt à fidelibus bona opera, iuſta cenſentur, ac in iuſtitiam imputantur.

Sententiæ de præmiis operum.

IIII. Sententiæ de præmijs bonorū operū habēt duplicem reſpectū. Aut enim ad non renatos aut ad renatos referuntur. Si non renatis accōmodantur, iudicium legis proponunt de præmijs bonorum operum. Sed conditio annexa eſt impoſsibilis, nempe: Qui fecerit ea homo, viuet in eis, & qui in vno labitur, omnium reus eſt. At ſi renatis huiuſmodi ſententiæ accommodantur, tum tria perpendenda ſunt. 1. quod rigor legis ſit ipſis ſublatus, qui in tribus conſiſtit. Quod obediētia nō placet niſi perfecta: Quod vita non promittitur, niſi legem facientibus: Quod damnatio denunciatur tranſgreſſoribus vel in minimo. 2. perpendendum, quod perſona credens placet Deo, & eſt hæres vitæ æternæ. 3. ab hac credēte perſona requirit Deus obedientiam, & promittit mercedem, non ex indebito ob qualitatem operis, ſed ex gratia propter paternam promiſsionem.

Quomodo iudicandum de opere particulari.

V. Cùm iudicandum eſt de aliquo opere particulari: vel ex qualitate operis in ſe, vel ex qualitate perſonæ iudicandum eſt. Si ex qualitate operis iudicandum eſt, nullū hominis opus ſatisfacit legi Dei, nec multiplex nec ſimplex, ſiue particulare. Hoc enim non ſatisfacit legi Dei, quare nec inde iuſtitia eſſe poteſt. Vel ex qualitate perſonæ de facto iudicandum eſt, atque ita perſona operans aut fidem habet, aut non habet. Si fidem habet, placet opus ſecundum legem Dei factum, & imputatur in iuſtitiam, hoc eſt, cenſetur iuſtum. Placet enim Deo propter perſonā. Sin autem perſona, faciēs opus, caret fide, nequaquā poteſt opus eius placere, donec oraculū illud Spiritus ſancti ſteterit: Quicquid non fit ex fide, eſt peccatum. Item, Arbor mala non poteſt fructus bonos facere.

Iuſtitia Euangelij quib. proponenda

VI. Iuſtitia Euangelij, non eſt proponēda impœnitentibus, ſed tantum requirenda eſt ab illis legis obedientia, additis promiſsionibus & minis. Pœnitentibus ſolis, & agnoſcentibus ſuam commeritam damnationem, iuſtitia Chriſti, quæ fide accipitur, eſt proponenda. Sic Chriſtus Matth. 19. 17. Marc. 10. 17. Luc. 18. 18. impœnitenti proponit legem. Sed Luc. 7. 48. pauenti ob peccatum, & confugienti ad ſe mulieri, proponit iuſtitiam fidei, quæ eſt remiſsio peccatorum gratuita.

Teſti- nia po- tiua & perſon- lia.

VII. Alia teſtimonia ſunt, θετικά alia cōplectuntur perſonas. ΘΕΤΙΚΑ ſunt diſtinguēda per ſubiecta, nam inde germana interpretatio depēdet. Quod itaque θετικῶς ſonat, ad hypotheſes, hoc eſt, ad pios & impios transferendum eſt, & ex ſexta regula petēda ſolutio. Eleemoſina liberat à morte, theticum eſt: quod ſi impiis accōmodatur, palā eſt, quod inde non liberantur à morte. Proinde pijs applicandum, ſed hi habēt propitiatorem Chriſtum, qui eos à morte liberat. Quare figuratè intelligendū eſt dictū. Liberat à morte, hoc eſt, à pœna tēporali. Eſtq; Metonymia.

TESTIMONIA IVSTIFIcationis per fidem.

1. Act. 13. 13. Notum ſit igitur vobis viri fratres, quòd per hunc vobis remiſsio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, à quibus non potuiſtis per legem Moſi iuſtificari, per hunc omnis qui credit, iuſtificatur.

2. Rom. 3. 20. Quapropter ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram eo (id eſt, coram Deo) Per legem enim agnitio peccati. Nunc autem iuſtitia Dei ſine lege manifeſtata eſt, teſtificata à Lege & Prophetis. Iuſtitia autem Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes credentes. Non enim eſt diſtinctio, Omnes enim peccauerunt, & deſtituūtur gloria Dei (qua poſſunt gloria Dei gloriari) Iuſtificati gratis ipſius gratia per redētionem, quę eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ipſius ſanguine, in oſtenſionem iuſtitiæ ipſius præſenti tempore, vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti. Vbi ergo gloriatio? excluſa eſt. Per quam legem? operū? Non, ſed per legem fidei. Arbitramur igitur fide iuſtificari hominem, abſque operibus legis. Hoc luculentum teſtimonium eſt, in quo pleræque cauſæ, quas antea commemoraui, recitantur. Cùm hîc ſæpius nominatur iuſtitia Dei, recurramus ad cauſas ſupra commemoratas, ac rectè accommodemus. Deus enim eſt iuſtitia noſtra effectiuè. Nam is credentibus iuſtitiam Filij imputat, qua iuſti conſtituuntur. Rom. 5. 1. Iuſtificati fide pacem habemus erga Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Rom. 8. 1. Nulla igitur nunc condemnatio ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum Spiritum. Lex enim ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mortis. Nā quod lex, eo quod infirmabatur per carnem, præſtare non potuit, hoc præſtitit Deus, miſſo Filio in ſimilitudinem carnis peccati, & pro peccato (humani generis) damnauit peccatum (hoc eſt ipſum fecit hoſtiā pro peccato) vt iuſtificatio legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum.

3. Ad Galat. 2. 16. Scientes, quod non iuſtificetur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti, & nos in Ieſum Chriſtum credimus, vt iuſtificemur ex fide, & non operibus: propterea, quòd non iuſtificabitur ex operibus legis omnis caro. Ephe. 2. 8. Gratia eſt is ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donū eſt, & non ex operibus, ne quis glorietur.

VSVS

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

VSVS.

Vſus præterea huius doctrinæ eſt, vt verbo credentes fiducia ad Chriſtum confugiamus, quo iuſtificati ipſius iuſtitia, Deo verum cultum præſtemus, & expectemus promiſſam beatitudinis gloriam.

Capvt XIIII.

ORDO REPARATIONIS.

Methodi connexio & partes.

TAMETSI hoc caput ex ſuperioribus intelligi poteſt, tamen aliquid de eo dicendum eſſe hoc loco iudico, vt in conſpectu habeamus breuiter ſignatum totius noſtrę reparationis myſterium, quod in quatuor partes diſtinguam. 1. Qui ſint actionis diuinæ gradus in reparatione noſtri. 2. quis reparationis modus. 3. Quid ſit noſtrũ officiũ & quæ officij partes. 4. Quæ ſit certitudo huius reparationis ſeu ſalutis noſtræ, dicã, idq; breuiſſimè & clariſſimè

1. Gradus actionis diuinæ in noſtri reparatione.

Primam itaque partem, de *Gradibus* actionis diuinæ in noſtri reparatione peragenda, Paulus Rom. 8. 29. clarè docet his verbis: Quos præſciuit, eos & prædeſtinauit conformes imaginis Filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus inter multos fratres. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit. Hîc Paulus quinque cõmemorat. *Primum* enim præſciuit Deus, quos vellet in gratiam propter Chriſtum recipere. Vult omnes eos, qui fide ad Chriſtũ confugiunt. Eſt enim promiſſio vniuerſalis. *Deinde* ordinauit eoſdem ad vitam æternam conſequẽdam. *Tertiò* præſcientiam & electionem per vocationem, qua homines vocat per Euangelium, patefacit & reuelat. Hæc enim vocatio ſenſibile ſignum eſt prædeſtinationis diuinæ. *Quarto* loco vocatos iuſtificat, hoc eſt, abſoluit à peccato, veſtit Chriſti iuſtitia, acceptat ad vitam æternam. *Poſtremò* glorificat ac donat æterna beatitudine iuſtificatos.

2. Modus.

Modus reparationis, ad Galat. 4. 4. his verbis deſcribitur: At vbi venit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuúm, natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erãt, redimeret, vt adoptionem filiorum acciperemus. Quia autem eſtis filij, emiſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra, clamantem abba Pater. *Ecce* Initium ſalutis noſtræ facit charitatem illam Patris cœleſtis immenſam, qua Filium ſuum dedit. *Deinde* redemtionem noſtri factam per oblationem Chriſti aſſerit. *Tertio* noſtri adoptionem innuit. *Quarto* Spiritus ſancti in corda noſtra miſſionem memorat. *Quinto* & vltimo inuocationem ſtatuit à Spiritu ſancto excitari.

3. Officium noſtrum.

Officium noſtrum in reparationis beneficio conſequendo Matth. 13. in quatuor partes diuiſum videtur, quarum *Prima* eſt, oculis videre, hoc eſt, noſtram miſeriam & damnationem intelligere. *Secunda* audire verbum, in quo remedium proponitur. *Tertia*, verbum amplecti, & ei aſſenſum præbere. *Poſtrema* conuerti ad Dominum vera pœnitentia.

4. Certitudo reparationis.

IN certitudine de reparationis effectu tria ſunt ſpectanda: quodnam ſit ius Chriſtianorum ſalutis conſequendæ, quæ ſecuritas, quódque diſcrimen inter pios & impios. *Ius* adeundi vitam æternam triplex habent pij, nimirum electionis, redemtionis & promiſſionis. *Securitas* reſidet in charitate adoptionis, veritate promiſſionis, & facultate prẽſtãdi quod promiſſum eſt. *Diſcrimen* piorum & impiorum tribus abſoluitur. Pij enim ab impiis differunt Electione apud Deum, Dilectione apud homines, & fiducia cordis vniuſcuiuſque apud ſe. Hæc reparationis doctrina perquã vtilis & neceſſaria eſt, quæ meritò nos excitare debet ad gratiarum actionem, ad acre vigilantiæ ſtudium, ad perpetuo degendam in pietate vitam.

Capvt XV.

REGNVM CHRISTI.

Triplex. 1. Potentiæ. 2. Gratiæ.

REGNVM Chriſti triplex eſt, poténtiæ, gratiæ, gloriæ. Regnum *Potentiæ* eſt, qua potẽter dominatur omnibus creaturis, cum Patre & Spiritu ſancto. Regnum *gratiæ* eſt, de quo Dominus loquitur Luc. 17. & definitur à Paulo eſſe iuſtitia, pax & gaudium in Spiritu ſancto, in cuius regni ratione ſex potiſſimum ſunt conſideranda. 1. Erectio. 2. Propagatio. 3. Conſeruatio. 4. Partes. 5. Dominium. 6. Seruitus regni huius monarchæ præſtanda. 1. Erigitur autem hoc regnum ab ipſo Deo, quemadmodum Pſalm. 2. docet, vnde mens pia fiduciam concipiet, fore, vt hoc regnum non aboleatur vllis Satanæ machinis. Inſtrumentum quo erigitur, Verbum eſt, eodem Pſalmo docente. 2. Propagatur per verbum & miniſtros Euangelij, iuxta dictum: Ite in mundum vniuerſum, & proclamate Euangelium omni creaturæ. 3. Conſeruatur ab eo, qui erexit, vnde fiducia concipienda eſt de eius firmitudine & ſtabilitate contra portas inferorum. 4. Partes regni ſunt: Iuſtitia, pax, gaudium in Spiritu ſancto. Hæc non pompa mundana oſtenduntur, ſed in conſcientiis piorum ſentiuntur. Iuſtitia quidem non ſolum, qua iuſti ſumus coram Deo fide in Chriſtum, verumetiam inchoatio nouæ obediẽtiæ, exiſtit. Pax conſcientiæ coram Deo placato per Filium, candórque omnis coram hominibus. Gaudium, conſcientiæ tranquillitas eſt, vnde mens freta bonitate Dei, in omnibus aduerſis gloriatur in Domino. 5. Dominium vnius Chriſti eſt, ídque ἀνυπεύθυνον. Ille enim ſolus in hoc regno dominatur, nec vicarium habet vllum, ſed miniſtrorum opera vtitur ad propagandum ſuum regnum. 6. Reſtat Seruitus præſtanda huic Regi, quæ qualis ſit, oſtendit Zacharias in ſuo cantico, nimirum, quod oporteat huic Regi ſeruire in iuſtitia & ſanctitate omnibus diebus vitæ noſtræ. Luc. 1. 75. Et Pſal. 2. 11. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Et Paulus Ro. 14. 17. exponit, vnde proficiſci debeat hæc ſeruitus, nimirum ex corde pacato, hoc eſt, iuſtitia, pace & gaudio Spiritus ſerenato. Nec cum hac ſeruitute pugnat libertas Chriſtiana. Chriſtiana enim ſeruitus non eſt ſeruorum iugum, ſed filiorum ſpontaneum obſequium.

3. Gloriæ.

Cęterum Regnum Chriſti *Glorioſum* conſideratur dupliciter. 1. Quantum ad ipſum attinet Chriſtum θεάνθρωπον, qua ratione Chriſtus poſtquam ſurrexit à mortuis, glorioſe ſuum regnum occupauit, ſedens ad dextram Patris in cœleſtibus. 2. Quantum ad myſticum ipſius corpus attinet, conſideratur, qua ratione tum perficietur regnum Chriſti glorioſum, vbi reſuſcitatos mortuos adduxerit ad æternum Patrem. Tum enim in perpetua vita fruentur pij conſpectu Dei, & æternæ hæreditatis theſauro.

TESTIMONIA NONNVLLA *explicationi iuncta ſunt.*

VSVS.

Vſus eſt, vt ſinamus Chriſtum verbo & ſpiritu ſancto in nobis dominari, & vt Pſalmus monet, erudiamur huius Regis diſciplina, ne quando iraſcatur, & abiiciat nos in furore ſuo.

FINIS PRIMÆ CLASSIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

EXPLICATIO CAPITVM COMMVNIVM SECVNDÆ CLASSIS.

CAPVT PRIMVM.

DOCTRINA VITÆ COMmunis Filiorum Dei.

Decalogi ſumma.

DOCTRINA vitæ communis filiorum Dei in Decalogo tradita eſt. Continet enim DECALOGVS veram viuendi normam, ſecundum voluntatem Dei, eámque perpetuam. Quare alia viuendi ratio communis in nouo teſtamento quærenda non eſt, quàm fuit in Eccleſia Patriarcharum ante Chriſtum exhibitum. VT autem hæc Decalogi doctrina rectius à tironibus Theologiæ percipiatur, PRIMVM in genere, quæ in legis doctrina perpetuò conſideranda ſunt, dicam. DEINDE, quia præcepta Decalogi omnia ſunt Synecdochica, Inuentionis & tractationis pręceptorum decalogi methodum ſubiiciam. TVM breuem ſingulorum præceptorum explicationem, declarandæ Methodi cauſa, adiiciam.

Methodus expoſitionis Decalogi.

DE PRIMO.

QVÆ SVNT ERGO IN legis doctrina generatim conſideranda?

Vt hanc quæſtionem dextrè explicemus, quatuor neceſſariò declaranda ſunt. 1. Quid lex ſit. 2. An quiſquam legi ſatisfaciat. 3. Quis ſit legis vſus. 4. Quatenus lex abrogata ſit.

QVID ERGO EST LEX?

I. Legis varia ſignificata.

Priuſquam definitionem Legis, vt pro norma viuendi communi accipitur, tradam: operæpretium eſſe iudico, breuiter eius varia ſignificata recenſere. Non enim eodem modo in ſcripturis accipitur nomen legis.

Primum itaque totam cœleſtem doctrinam, hoc eſt, omne verbum Dei, quod ad nos docendos quocunque modo pertinet, complectitur vox legis. Vt Pſalm. 1. 2. Beatus qui nocte diéque meditatur legem Domini. Item: Lex Domini immaculata &c. Hæc ſignificatio propria eſt Ebrææ vocis *Thora*, quæ à docendo nomen habet, quàm vt ſeptuaginta ſemper νόμον, ita Latini perpetuò legem interpretantur.

Secundo, Lex dicitur reſpectu Prophetarum, vt Matth. 7. 12. Hæc eſt Lex & Prophetæ. Rom. 3. 21. Teſtimonium habens à lege & Prophetis. Hîc lex ſolum Moſen complectitur, cum omnibus doctrinæ ipſius partibus, quæ ſunt quatuor, quarum. 1. hiſtoriam inde vſque à creatione rerum ad annum mundi 2494. texit. 2. fœdus gratiæ & promiſſionem Benedicti ſeminis continet. 3. Doctrinam vitæ, eámque duplicem complectitur. Nam vt communem omnibus viuendi normam Decalogus: Ita peculiarem populo Iſraëlitico iudicia & ceremoniæ continent. 4. Promiſſiones & minas præceptis vitę additas recenſet. Has igitur quatuor partes continet legis vocabulum, quando Prophetis & Pſalmis opponitur.

Tertio, lex oppoſita Euangelio, opera Decalogi ſignificat, vt in diſputationibus Paulinis, vbi Apoſtolus contendit homines iuſtificari fide ſine lege, hoc eſt, vt ipſe interpretatur, abſque operibus legis.

Quarto, lex oppoſita gratię, rigorem legis, hoc eſt, maledictionem, quam lex minatur trãſgreſſoribus, denotat. Vt in his dictis: Ro. 6. 15. Non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Galat. 5. 18. Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub Lege.

Quinto, Lex oppoſita veritati, vmbras & figuras veteris teſtamenti de Chriſto abſque omni dubio ſignat. Ioan. 1. 17. Lex per Moſen data, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Hîc lex primùm gratię opponitur, & ſignificat rigorem legis ſeu maledictionem. Deinde opponitur veritati, & ſignificat legis vmbras, quas euaneſcere oportuit aduenięte luce hoc eſt, ipſo Chriſto.

Sexto, lex imperium, Tyrannidem & vim impellentem (habet enim lex rationem præcipiẽtis) notat. Vt in his dictis: Lex mortis, Lex peccati, Lex membrorum, Lex mentis, Lex ſpiritus.

Septimo, pro epitheto interdum ponitur lex, vt lex operum, lex fidei, hoc eſt, opera & fides.

Octauo, Lex accipitur pro tota Moſis politia cum regno & ſacerdotio. Gal. 3. 22. Sub lege cuſtodiebamur. Hæ variæ acceptiones vocabuli legis, Synecdoche, Metonymia & Metalepſi facile intelligi poſſunt.

II. Legis definitio.

Iam Definitionem legis, quæ norma vitæ eſt, videamus. *Lex* eſt præceptio diuina, requirẽs ab omni homine perfectam, puram & perpetuam obedientiam erga Deum: quæ vt promittit vitam & ſalutem obedientibus, ita mortem & damnationem minatur iis, qui hanc obedientiam non præſtant, donec fiat remiſſio per fiduciam Chriſti. Huius definitionis quatuor potiſſimum membra ſunt. *Primum* de authore legis, nempe Deo, vnde homo hæc colligit: quod autor legis habeat ius mandandi & authoritatem, vt qui Dominus & Deus noſter exiſtit: quod habeat facultatem præmiis honorandi obſequentes, & puniendi contumaces: (eſt enim omnipotens quod ſimus obnoxij ad obediendum, vt creatura creatori, & vt ſubditi ſuo domino: quod nullus poſſit euadere pœnam, cum eam velit iuſtus iudex infligere: (oculi enim eius ſuper vias hominum, & omnes greſſus eorum conſiderat, non ſunt tenebræ, & non eſt vmbra mortis, vt abſcondantur ibi qui operantur iniquitatem:) quod iuſta ſit lex, & perfecta viuendi regula. eſt enim vt iuſtiſſimus, ita & ſapientiſſimus legis autor. *Secundum* membrum eſt, de obedientiæ qualitate. 1. Deus enim non requirit obedientiam legis pro noſtro modulo, ſed pro ſua iuſtitia, nimirum perfectam: Id eſt, omnium pręceptorum Dei plenam obedientiam. Qui enim in vno labitur, omnium reus eſt. 2. Puram, vt enim ipſe purus eſt, ita nihil niſi purum ei placere poteſt. Hinc illa ſæpius in ſcripturis repetita ſententia: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. 3. Perpetuam. Vt enim Lex perpetuo obligat, ita obedientia eius, niſi fuerit perpetua, non poteſt legiſlatori placere ex ſe. *Tertium* membrum eſt, de vita & ſalute eorum, qui obtemperant, & de morte & damnatione eorum, qui obedientiam perfectam, puram & perpetuam non præſtant. Sic enim Lex inquit: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea. Hoc ipſum docet generalis promiſſio, & comminatio primo Decalogi præcepto annexa: Ego ſum Iehoua Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem &c. *Quartum* eſt de re-

Analyſis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

de reſtri ctione, quæ continet dulciſſimam ἐπιείκειαν. Nam maledictio legis non perpetuò tenet obnoxios homines. Chriſtus enim venit in hunc mundum, vt à maledictione legis redimeret credentes. Sed de hac re in prima claſſe dictum eſt.

AN QVISQVAM LEGI ſatisfacere poteſt?

Legi Dei nos ſatisfacere nō poſſe quinque firmiſſ. argumentis oſtenditur.

Nullus omnino omnium, qui nati ſunt ſecundum communem naturæ curſum. Id quod perſpicuis demonſtrationibus confirmandum eſt, non ſolum propter impios, iuſticiarios, papiſtas, verumetiam propter noſipſos, vt cum verè humiliati fuerimus coram tribunali Dei, dulceſcat nobis Euangelij promiſſio. Colligam igitur quinque demonſtrationes euidentiſſimas. *Prima* ſumitur ab ipſa natura humana, quæ eſt impura, & contagione peccati fœdata. Qui enim fieri poteſt, vt ex natura impura prodeat pura erga Deum obedientia? Vnde Propheta clamat, omnes noſtras iuſtitias eſſe veluti pannum menſtruatæ mulieris. Effectus enim indolem ſuæ cauſæ refert. *Secunda* ſumitur ab experientia vniuerſali omnium hominum. Omnes enim homines experiuntur, obedientiam, quam præſtant ſecundum legem, habere quatuor conditiones, eáſque cum lege Dei pugnantes. 1. enim temporanea eſt obedientia, ſed lex Dei perpetuam requirit. 2. eſt contaminata: impurum enim cor eſt, vnde obedientia illa proficiſcitur. 3. imperfecta, non enim præſtatur iuxta exactam legis regulam. 4. eſt fucata malis opinionibus. Quare ipſa experientia omnes homines reos clamat, nec minus certo de hac quæſtione per experientiam ſtatuere poſſumus, quàm ſtatuimus eadem experientia conuicti, ignem vrere, aut aquam humidam eſſe. *Tertia* Demonſtratio ſumitur à ſcripturæ pronunciatis: Scriptura enim pronunciat, nullum iuſtum eſſe, & ne vnum quidem, Si iniquitates obſeruaueris Domine, (inquit Dauid) quis ſuſtinebit? Huc primum, ſecundum & tertium, capita ad Romanos pertinent, & multa alia ſcripturæ teſtimonia. *Quarta* demonſtratio Pauli eſt ad Gal. 2. ſumta à victima filij Dei: Si ex operibus (inquit) eſt iuſtitia, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Cum igitur nemo, niſi prorſus ἄθεος, dicat Chriſtum fruſtra mortuum, relinquitur ex operibus legis non eſſe iuſticiam, quæ profecto inde eſſet, ſi quiſquam legi ſatiſfaceret, iuxta illud: Qui fecerit ea homo, viuet in eis. *Quinta* demonſtratio eſt ex iuſto iudicio Dei ſumta. Is enim neminem punit iniuſte. At conſtat omnes homines morbis, morte, aliiſque calamitatibus obnoxios, idque Dei iudicio. Quare reos eſſe omnes manifeſtum eſt.

Cur Deus impoſsibilem legem tulit.

Cur igitur Deus (dicat aliquis) Legem impoſſibilem tulit? Primum reſpondeo, Iuſtum eſſe, debitum exigere, etiamſi creditor ſciat, debitorem non eſſe ſoluendo. Deinde hac iuſta exactione Deus vult nos humiliare, mandando enim impoſſibilia non præuaricatores homines fecit: ſed humiles, vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat totus mundus Deo: atque ſciamus, quod non ex operibus iuſticiæ, quæ fecerimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam in Chriſto ſaluos nos fecit. Impoſſibilitas itaque legis nos debiti admonet, & ad Chriſtum compellit, legis impletorem.

TERTIA QVÆSTIO DE vſu legis fuit, qui triplex aſſignari ſolet.

Politicus.

PRIMVS politicus eſt, qui conſiſtit in externa diſciplina, cuius cauſas quatuor recitat Philippus, quos hoc verſiculo complecti ſoleo:

Mandatum, pœna, pax publica, dux ad Ieſum.

1. externa obedientia præſtanda eſt, propter mandatum Dei. 2. propter vitandas pœnas. 3. publicæ tranquillitatis gratia. 4. quia nō poſſunt docere Euangeliū, qui externis delictis indulgent. *Secundus* vſus eſt in cōſcientia, nimirum vt nos lex deducat in agnitionē peccati quæ peccati agnitio pariet iuſtæ iræ Dei agnitionem, & propriæ maledictionis ſenſum ob peccatum, vnde naſcetur vera contritio, & ſerium ſtudium quærendi Chriſtum: qui ſolus peccatum expiare, iratum Deum placare, & maledictionem legis tollere poteſt, iuxta illud: Chriſtus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, Gal. 3. *Tertius* vſus legis diuinæ eſt, vt ſit nobis perpetua viuendi regula. Poſtquā enim fide iuſtificati ſumus, fructus fidei edēdi ſunt, iuxta Decalogi præſcriptum, pro modo gratiæ nobis donatæ. Et tametſi legi perfectam obedientiam præſtare nequimus: tamen nulla eſt nobis iam condemnatio, qui ſumus in Chriſto Ieſu, & non ſecundum carnem ambulamus, ſed ſecundum ſpiritum: nec opera quæ ex fide facimus, etſi imperfecta ſunt, amplius impura cenſentur, ſed iuſta potius propter Chriſtum.

Conſcientiæ. — Vitæ regulæ.

QVARTA SEQVITVR quæſtio, quatenus lex abrogata ſit.

Ceremonialis. — Iudicialis. — Moralis.

Vt autem ad hanc quæſtionem rectè reſpondeatur, obſeruanda eſt tripartita legis diſtinctio. Eſt enim lex *Ceremonialis*, quæ tota cum Aaronico ſacerdotio abolita eſt, quoad vſum, non quoad ſignificationem: nam res quas figurabant, ceremoniæ ſunt æternæ. Eſt & lex *Iudicialis*, quæ ceſſante republica Moſis expirauit, ita vt non neceſſario vllum hominem obliget in ſpecie, niſi quatenus portio eius aliqua, aut pars eſt legis naturæ, vt lex contra inceſtas nuptias Leui. 18. aut à Magiſtratu proponitur politico fine. Tertia legis ſpecies *Moralis* eſt, cuius Epitome eſt ipſe Decalogus. In hac lege duo conſideranda ſunt, Primum ipſa doctrina in ſe, deinde rigor, & appendix legis. Quantum autem ad doctrinam attinet, Decalogus eſt perpetua voluntatis Dei regula, quæ nunquam abrogabitur. Semper enim Deus obedientiam legis, hoc eſt, dilectionem Dei & proximi requirit. Sed quantum ad rigorem, & appendicem legis attinet, credentibus etiam decalogus eſt abrogatus. Conſiſtit autem rigor legis in tribus. 1. quod perfectam, puram & perpetuam obedientiam requirit. 2. quod non ſalutem & vitam promittit, niſi iis, qui hanc obedientiam præſtant. 3. quod maledictioni ſubiicit omnes, qui non perfectè obtemperant. Ab hoc rigore legis liberatos eſſe credentes, docet Paulus perſpicuè Galat. 3. 13.

DE SECVNDO.

Methodus interpretationis decalogi.

Quia totus Decalogus eſt Synecdochicus, operæprecium iudico me facturum, ſi ſtudioſis Theologię viam quandam monſtrauero, quam ſecuti, poterunt cum inuenire methodicè ea, quę pręcipiuntur & vetantur, in ſingulis Decalogi pręceptis: tum tractationem tenere, qua aptè, quę inuenerunt, diſponant & ordinent, vnde & tertia vtilitas ſequitur, aliorum explicationes rectè intelligere, dum eas ad regulas exigunt.

Inuētio.

Inuentionis igitur operum, mandatorum & prohibitorum in Decalogo pręcepta hęc ſint: I. Conſtituantur *Duæ hypotheſes* in ſingulis pręceptis, eęque

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

contrariæ in mandando & vetando: quarum *Vna* verbis expreſſa eſt, & aliquid imperat aut probat: *Altera* ſit expreſſe contraria, hoc eſt, quæ prohibet quidem, ſi prior præcipit: & præcipit, ſi prior præcipit: & præcipit, ſi prior prohibet. Si enim hoc Deus præcipit, contrarium vetat: ſi hoc vetat, contrarium præcipit. Fieri enim nõ poteſt, vt iuſtiſſimus legiſlator pugnantia ſimul imperet & prohibeat. Vt quarti præcepti: Honora parentes, Ne inhonores parentes, Hypotheſes ſunt. Quarum prior verbis expreſſa eſt, & præcipit aliquid. Poſterior per regulam intelligitur, & prohibet contrarium ei, quod mandatur.

II. Hypotheſes præcepti ita ordinatæ, per ἀνάλυσιν ad ſuas Theſes præcepti proprias transferantur, quæ propriæ Theſes præcepti, ſubiectæ eſſe debent communibus illis duabus, de dilectione Dei & proximi, ex quibus illarum veritas oſtendenda eſt, vt theſes propriæ quarti præcepti hac analyſi inueniãtur: Parentes honorandi ſunt, Parentes ſunt ſuperiores, Ergo ſuperiores honorandi ſunt. Parentes non ſunt inhonorandi, Parẽtes ſunt ſuperiores, Ergo ſuperiores nõ ſunt inhonorãdi. Eadem ratio in aliis quoque obſeruabitur, atque ita haud eſt difficile videre, vt ſingulorũ præceptorum duæ ſunt hypotheſes, ita duas eſſe theſes proprias, quæ inueniũtur (vt dictum eſt) analyſi.

III. Partes Theſium analyſi quidem in ſignificata: (ſi opus videtur) diæreſi vero in Subiectas ſpecies diuidantur, vt in propoſito exemplo, Honoris vocabulum ἀναλυτικῶς in reuerentiam, obedientiam & gratitudinẽ ſecetur. Hæc enim in ſe continet honor. Superioris vox diereſi diuidatur in priuatum, publicum, domeſticum.

IIII. Hypotheſes ex theſibus & ſubiectis earum partibus per Syntheſin extruantur, vt, ſuperiores honorandi ſunt, Ergo patresfamilias, pædagogi, patroni, atque adeo omnes, qui in aliqua eminentia exiſtunt legitima, honorandi ſunt: hoc eſt præſtanda eſt ipſis reuerentia, obedientia & gratitudo. Ad eundem modum theſis prohibita in ſuas hypotheſes ſecabitur.

V. Quia omni actioni Finis eſt propoſitus, finis cuiuſlibet præcepti conſtituendus eſt: Vnde omnia ordinata ad finem, Item cum fine coniuncta, concludenda ſunt: vt quæ ſub idem præceptum cadant. Contra verò, quicquid vel impedit finem, vel cum eo pugnat, prohibitum eodem præcepto ſciendum eſt. Cum igitur quarti præcepti (vt in eodem exemplo maneamus) finis ſit conſeruatio politiarum & œconomiarũ, ſequitur hoc præcepto præcipi quicquid ad hunc finem facere videtur, vt parẽtum, liberorum, dominorum, ſeruorum officia, adeoque cuiuſq; honeſta vocatio & artificium. Breuiter, omnia ſtudia & artes, quibus ornantur & iuuantur politiæ & œconomiæ. Sed contra prohiberi omnia, quę cum his pugnant, vt deſidia in ſtudiis, ceſſatio in officio, corruptio ſtudiorum & artiũ, ocium, breuiter quicquid impedit impoſitum finem.

Tractationis ordo. De inuentione hactenus, nunc *Tractationis ordo* indicandus eſt. Videtur autem hic commodiſſimus. *Primo* loco opera quæ mandantur, ordine explicentur, ita vt primum genera ponãtur ſeu theſes. Deinde paulatim deſcendatur ad hypotheſes & exempla. *Secundo* loco per Antitheſin adiiciantur, quæ prohibita ſunt, ſimili ordine, *Tertio*, præmia & ſupplicia generalia omnium & propria ſingulorũm præceptorum exponantur, adiectis exemplis. *Quarto*, examen conſcientiæ ad normam legis inſtituatur, & vſus adiiciatur in carne, in ſpiritu, in fidelibus & infidelibus. In his omnibus obſcura definiantur: ambigua & multiplicia diſtinguantur: vera argumentis confirmentur: & falſa firma confutatione reiiciantur. Atque hæc de inuentionis & tractationis Methodo dicta ſufficiant.

DE TERTIO.

Poſtquam in genere diximus de lege, & quæ ſit inuentionis & tractationis Methodus expoſuimus, adiiciamus breuem Decalogi explicationem iuxta præſcriptum Regularum: quas recenſui. Id autem vt fiat commodiùs, *Primum* recitabo verba Decalogi: *Deinde* generalem diſtinctionem: *Tum* illas duas communes Theſes, ad quas Dominus Decalogum reuocat, adiiciam. *Poſtremò* ſingula præcepta (vt dixi) breuiſſimè declarabo. Præceptorum decalogi Methodus.

DECALOGVS.

Et locutus eſt Deus omnia verba hęc, dicens: Ego Iehoua Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruorum. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, aut vllam ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ eſt in terra deorſum, & quæ eſt in aquis ſub terra. Non adorabis ea, & non coles ea, quia ego Iehoua Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiã & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens, miſericordiam in millia iis, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Præfatio. Primum præceptum. 1.

Non aſſumes nomen Iehoua Dei tui in vanum, quoniam non habebit inſontem Iehoua eum, qui aſſumſerit nomen eius in vanum. 3.

Memento diei Sabbathi ad ſanctificãdum eum. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum. Septimo autem die Sabbathũ Iehouæ Dei tui eſt. Non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, ſeruus tuus & ancilla tua, & iumentum tuum, & aduena tuus, qui eſt intra portas tuas: quoniam ſex diebus fecit Iehoua cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo. Iccirco benedixit Dominus diei Sabbathi, & ſanctificauit eum. 4.

Honora patrem tuum & matrem tuam, vt prolongentur dies tui ſuper terram, quam Iehoua Deus tuus dat tibi. 5.

Non occides. 6.

Non mœchaberis. 7.

Non furaberis. 8.

Non reſpõdebis aduerſus proximum tuum testimonium falſum. 9.

Non concupiſces domum proximi tui. Non concupiſces vxorem proximi tui, non ſeruum eius non ancillam eius, nec bouẽ eius, nec aſinum, nec omnia, quæ ſunt proximi tui. 10.

Hoc modo referuntur Decalogi præcepta, Exodi 20. Sed in diſtinguendis præceptis & numerandis, nec veteres Theologi, nec recentes conueniunt. Sunt enim, qui faciunt quatuor pręcepta primę Tabulę, & ſex ſecundę. Nam vt in prima tabula de non fabricandis idolis pręceptum ſeparant à primo: Ita in ſecunda coniungunt concupiſcentię vetitę pręcepta, Diſtinctio præceptorum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

pta. Sunt rurſus qui tria tantum primę tabulę pręcepta numerant (Appendicem enim primi pręcepti, faciunt præceptum de idolis) & ſeptem ſecundæ tabulæ. Nam concupiſcentiæ interdictum in Duo præcepta ſecant. Quid ergo ſentiendum? Magni autores ſunt vtriuſque ſententiæ, quare in medio relinquo, nec multum refert quomodo diſtinguas, modò nihil excludas. Ego ſanè ſi me recepta Eccleſiarum multarum conſuetudo non moueret, & de re tanta pronũciaturus eſſem, cum Nazianzeno & Ambroſio, Clemente & Baſilio accederem priori ſententiæ, præſertim, cum illa Deuteronom. 5. comprobari videatur, ſed contra receptam conſuetudinem noſtrarum Eccleſiarum diſtinctionem mutare nolo. Quare explicabo ordine præcepta, parum de diſtinctione ſolicitus.

QVOMODO VSITATË diuiditur Decalogus?

Cur Decalogus in 2. tabulas diſtinctus eſt. Decalogus conſtat duabus tabulis: quarum Prior iuxta vſitatam diſtinctionem tria, Poſterior ſeptem præcepta continet. Hæc diſtinctio eo pertinet, vt diſtinguamus inter obedientiam erga Deum immediatam & mediatam. Nam tametſi totus decalogus in genere obedientiam erga Deum præcipit: tamen vt prior tabula immediatam ita poſterior mediatam obedientiam efflagitat. *Summa decalogi.* Porro omnia hæc decem præcepta Dominus Matthæi 22. ad duas communes Theſes reuocat, quarum prior: (*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex tota anima tua*) in ſe continet omnia præcepta primæ tabulæ, vt theſis communis ſuas hypotheſes. Poſterior: (*Diliges proximum tuum ſicut teipſum*) complectitur omnia poſterioris tabulæ præcepta.

Vſus. Harum communium theſium triplex vſus mihi videtur. *Primùm* enim vtile eſt totam vitæ doctrinam ſummatim comprehenſam habere quo magis ſcopus omnium actionum noſtrarum conſpici poſſit. Ea autem doctrinæ ſumma in his theſibus incluſa eſt. *Deinde* ex his theſibus facile eſt propoſito aliquo facto, mandatúmne ſit, an prohibitum, videre, etſi verbis nequaquam expreſſum ſit, vt ſi de vſura quæratur, facile ex eo damnandam pronunciaueris, quia cum dilectione proximi pugnat, etiamſi ſtatim non videas, eã quarto, quinto & ſeptimo præcepto interdici. *Tum* in explicatione ſingulorum pręceptorum magna eſt harum theſium vtilitas. Nam inuenta alicuius præcepti theſis propria, cum ſua communi theſi conferenda eſt, videndúmque an in ea includatur néche.

Explicatio præfationis. IAM ad præceptorum explicationem veniamus, vbi primum procœmium legis occurit examinãdum. Eſt autem procœmium legis duplex. *Vnum* Moſis, quo populum attentum facit, & incitat ad audiendum ea, quæ Dominus eſt prolocuturus: *Et locutus eſt Deus omnia verba hæc.* Hoc procœmium leuiter prætereundum non ſentio. Debent enim omnes veri miniſtri verbi, atque adeo omnes Chriſtiani, hoc primum Theologię principium habere in conſpectu, nimirum, vt an DOMINVS loquatur, attendant. Mens enim pia cupiens Deo viuere, certa non eſt, donec intelligat ea, quę audit, hoc principio niti, Videlicet quòd Dominus loquatur. Hinc eſt quòd Prophetæ illud toties ingeminant: Hęc dicit Dominus. Os Domini locutum eſt. Hęc dicit Dominus Deus Zebaoth. Hęc dicit Deus Iſraël. Et ipſe filius Dei ſermonem Patris ſe loqui teſtatur: Ob eandem cauſam Paulus vbique titulum Apoſtoli obiicit. Diſcamus igitur ex hoc procœmio, κριτήριον certum & indubitatum rei Theologicæ eſſe Verbum Domini.

Alterum procœmiũ Domini eſt: *Ego ſum Iehoua Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruorum.* Hoc Domini procœmium duo continet. 1. Modum cognoſcendi Deum monſtrat, nimirum per verbum & teſtimonium. Verbum eſt. Ego ſum Iehoua Deus tuus. Teſtimonium, Qui eduxi te de terra Aegypti. De hoc modo cognoſcendi Dei, ſupra in primo capite primę claſſis copioſè dictum eſt. 2. Cõtinet hoc Domini procœmium confirmationem triplicem autoritatis legis diuinæ. Primam à poteſtate, qua ſibi ius imperij vendicat cum dicit: Ego ſum Iehoua. Eſt enim hoc nomen Dei proprium, quo eſſentia, potentia & maieſtas ipſius ſignificatur. Potentia enim & maieſtas τῇ αὐτοουσίᾳ diuinę neceſſario coniuncta ſunt. Secundam à promiſſione Dei, cum inquit: Deus tuus, & Dominus tuus. Eſt enim hęc relatio diligenter obſeruanda, & eſt ſenſus: volo tuus Deus eſſe, & tu eris meus populus. Tertiam à beneficio, cum inquit: Qui eduxi vos de terra Aegypti, quo breui dicto totius hiſtorię, atque adeò beneficiorum ſuorum admonet. Hęc nobis applicemus, vt beneficiis Dei moti, ardentius ei cultum verum pręſtemus.

PRIMVM PRAECEPTVM.

Non habebis deos alienos coram me.

ANTITHESIS.

Habebis me ſolum Deum.

Vt autem intelligamus, quid hę duę hypotheſes in ſe contineant, primum tenendum eſt, quid ſit habere Deum. *Expoſitio* Habere autem Deum eſt ipſum corde amplecti, aliter enim haberi non poteſt. *Habere Deum quid.* Amplecti Deum corde, eſt eum vt Dominum timere, vt patrem diligere, vt veraci credere; omniáque bona ab eo ſperare per patientiam. Eſt ergo ſumma præcepti, quod requirat cordis obedientiam erga Deum. Finis, vt illum ſolum eum eſſe agnoſcamus, à quo omnia bona expectanda ſunt.

Opera mãdata. Iam diſtribuamus opera mandata in primo præcepto, quorum *Primum* eſt verus timor Dei, quo Deum & eſſe agnoſcimus, & omnipotentem creatorem conſeruatorémque omnium, & ſimul vindicem malorum ſtatuimus. *Secundum* dilectio, qua proſequimur Deum quem timemus. *Tertium* fiducia in Deum, quem diligimus. *Quartum* ſpes in Deum, in quem confidimus, huic coniuncta eſt obedientia in cruce ſeu patientia.

Prohibita. Porro quicquid vero timori Dei, dilectioni, fiduciæ, ſpeíque aduerſatur, hic prohibetur, vt timere, diligere vllas res ſine mandato Dei, fidere, ſperaréque in aliquid, quòd non eſt Deus. Neque enim aliud eſt habere Deos alienos, quam quicquam timere, diligere, in quicquam fidere & ſperare, præterquam in vnum verum Deum.

Remedia adu. peccata in 1. præceptũ. QVIA autem huic præcepto nemo mortalium ſatisfacit, debet mens ſuam impuritatem hic contemplari, ac pœnam commeritam agnoſcere, quæ pœna generalis quidem eſt maledictio, ſpecialis vero, hominem ſibi ſuíſque concupiſcentiis relinqui, donec in omne genus ſcelerum Dei deſertor ruat, Rom. 1: Deinde præmium præcepti fauor Dei eſt, & miſericordia. Verum quia omnes promiſſiones in Chriſto Ieſu ſunt etiam & Amen, tum demum hæc legis præmia conſequemur, vbi veſtiti Chriſti iuſtitia in conſpectu Patris appareamus.

Vſus. Iam quis ſit huius præcepti Vſus oſtendendum eſt, ſicut tota lex ita hoc præceptum iram operatur. Vnde hæc colligamus. *Primùm*, quilibet hic agno-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſcat peccatum ſuum. *Secundò*, agnitum peccatum odio habeat & fugiat. *Tertiò*, poſt odium peccati confugiat ad Chriſtum peccati expiatorem. *Quartò* nactus remiſſionem peccati redeat ad hoc præceptum, & incipiat nouam obedientiam pręſtare Deo. Hæc noua obedientia, quamuis impura per ſe & imperfecta exiſtit: tamen propterea placet Deo, quia credens in Chriſtum iam placet vt filius, non propter ſuam, ſed Chriſti iuſtitiam, qua veſtitus in conſpectu Dei iuſtus cenſetur.

Hic Vſus conſiſtit in examine conſcientiæ, ad legē Dei tanquam ad Lydium lapidem, & debet reliquis etiam præceptis omnibus accommodari.

APPENDIX PRIMI præcepti.

NON FACIES TIBI ſculptile.

Præfatio.

Tametſi Nazianzeni ſententiam complector, qui hic ſecundum præceptum facit inquiens: μὴ ϛήσῃς ἴνδαλμα κεν'ν, ἢ ἄπνοον εἰκῶ: tamen nolo diſcedere à recepta conſuetudine Eccleſiarum noſtrarum, præſertim cum res nihil videatur habere incommodi, modo non excludatur, quod Dominus incluſum eſſe voluit.

Expoſitio

Porro ſenſus appendicis (vt ſic appelletur) eſt, ne externum cultum, quem Deo debemus, idolis tribuamus, in Deum enim blaſphema vox eſt eorum, qui dicunt: Nos ad honorem inuiſibilis Dei imagines viſibiles adoramus.

Adu. imaginum erectionē in templis Chriſtianorū.

Nam cum cultus Dei eſſe nequit, niſi qui iuxta Dei voluntatem fiat, quæ amētia eſt, cultum Deo erigere contra ipſius interdictum? Ille dicit: Non facies tibi ſculptile neque imaginem, puluis tamen & cinis, & magiſter idolorum ſenſus carnis, audet contradicere, facies vtrunque, îdque in templis Chriſtianis. An non templa Chriſtianorum erecta ſunt propter cultum Dei conſeruandum? Quid quæſo ad cultum Dei faciunt idola? Profectò nihil. In confeſſo enim eſt, cultum Dei duplicem eſſe: σέβασμα, internum animi cultum, qui ex fide proficiſcitur: & externum, προσκύνησιν, qui proprie λατρεία dicitur. Vtrunque impediunt & corrumpunt idola, vt quæ à vero Deo, qui in cœlis quærendus eſt, mentem auocant. Cum igitur templa Chriſtianorum erecta ſint propter cultum Dei conſeruandum, & idola eum corrumpunt & impediunt, quis quæſo locus in templo Dei relinquetur idolis? Si quis vſus pius idolorum eſſet in templis Chriſtianorum, profectò vel orantibus vel communicantibus, vel docentibus vel diſcentibus prodeſſent. An docentibus proſunt? Doctrina petenda eſt ex Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis. Pius enim animus non acquieſcere debet, donec audiat: Hæc dicit Dominus. Quid iuuant diſcentes? Admiratio imaginum ſæpe tenet attonitos & impedit, quo minus animus rebus, quæ traduntur, adiiciatur. An orantibus quid commodi afferunt? Mens orātis ad cœlum erigi debet, Id quod forma orandi à Domino præſcripta, monet: Pater noſter qui es in cœlis, vnde aſpectus imaginum orantes auocat. Communicantibus forte commodant? Nihil minus. Nam communicantes in Cœna Dominica contemplari oportet Chriſtum Dominum mortuum & reſuſcitatum pro peccatis noſtris, & noſtri iuſtificatione, & non vanis oblectari imaginum picturis. Cùm igitur nullum vſum habeant imagines pium in templis Chriſtianorum, ſed magis pietati nocent, & pugnant ex diametro cum voce Dei, Exod. 20.4. Leu. 26.1. Deut. 5.8. & 27.15. Eſai. 44.10.1. Ioan. 5.21. Quis poteſt tam infandæ turpitudini patrocinari, niſi qui omnino verbum Dei pro nihilo habeat?

Obiectionis iconolatrarum dilutio.

Sed habent, fateor, quædam refugia patroni idolorum. Dicūt enim libros idiotarum eſſe. Sed Eſaias capite 44.10. contra dicit, nullum idolorum vſum eſſe: Quis (inquit) ſculptile conflauit ad nihil vtile? Aut igitur eradant hoc Eſaiæ teſtimonium ex ſcriptura, aut vana & inutilia ſimulachra eſſe fateantur. Quare laicos & idiotas ad legem & teſtimonium cum Eſaia mittere oportuit, non ad ſculptilia & imagines. Non tamen inficias eo, haud minimam idolorū cauſam extitiſſe, quod cœperint in Papatu habere mutos ſacerdotes, qui cum non ſonarēt ipſi verbum Dei, vt ſcelus congeminarent, idola muta & vana erexerunt in contumeliam Dei. Verùm quia nunc ex Dei gratia in noſtris templis docetur purum verbū Dei, defungātur idola iſto ſuo ficto munere, & dent locum viuis imaginibus Dei.

Vſus imaginum triplex.

Quid? Si non licet imagines & idola habere in tēplis, neque in moneta, neque in libris habere imagines licebit, neque monumenta & ſtatuas Ioſuæ & Samuelis, aut aliorum erigere licuit? Reſpondeo, Non damno artem pingendi & ſculpendi, quam inter dona Dei pono, nec imaginem pingi, aut ſtatuas erigi veto, ſcio enim iſta adiaphora eſſe. Sed vſum imaginū diſtinguo, qui eſt triplex: Typicus, Superſtitioſus & Politicus.

Typicus.

Typicus quidem vſus fuit Cherubim in templo Salomonis, & æneus ſerpens erectus in deſerto, verum nunc typus ceſſauit. Deinde habebant particulare præceptū de Cherubim erigēdis, & æneo ſerpēte. At nos catholico præcepto obtēperare debemus: Cauete vobis ab idolis. Hic Apoſtolus non modò idololatriam damnat, ſed præcipit, vt ab ipſis ſimulachris, inſtrumentis idolatriæ, caueant Chriſtiani: quo ſignificat, nō poſſe integrum ac ſincerum cultū Dei retineri, vbi ſimulachra ſunt: adeo enim ingenita eſt nobis ſuperſtitio, vt minima quæque occaſio contagione ſua nos inficiat.

Superſtitioſus.

Superſtitioſus vſus ſolus damnatur, qualis in templis eſt. Et tametſi non omnes ſuperſtitioſè procumbunt coram imaginibus templicis: tamen quia rudioribus ſunt occaſio ruinæ & ſuperſtitionis, metuendum eſt, ne poſt hanc claram Euangelij lucem ſequantur tenebræ: vnde in ſuperſtitionem Ethnicam inſtrumentis adhuc templis relictis incidant facile rudiores. Habenda eſſet ratio eorum, quos Chriſtus ſuo ſanguine redemit, ne noſtris picturis & idolis eorum ſalutem euerteremus.

Politicus qui triplex.

Politicus vſus imaginum à nemine reprehendi iuſte poteſt, donec non tranſgrediatur iuſtos limites. Hîc vſus politicus triplex eſt, Hiſtoricus, Symbolicus & ornatus gratia adhibitus. 1. *Hiſtoricum* voco, qui & ad intelligendas rectius rerum deſcriptiones, & ad memoriam rerum conſeruandam facit: qualis eſt picturarum in libris, & ſtatuarum quas erexerunt ſancti Patres. Hîc vſus ſanè valde vtilis eſt: quare nequaquam reprehēdi debet. 2. *Symbolicum* imaginum vſum appello, qui nos de re, quæ imagine repræſentatur, admonet, politico fine. Vt imago in moneta Cæſaris admonebat Iudæos, quod & ipſius moneta eſſet, & quod Cæſari eſſent ſubiecti, vnde & Dominus iubet eos reddere quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Hūc imaginum vſum nequaquam improbandum eſſe docet factum Chriſti, qui accepta moneta, quæſiuit cuius imago eſſet: quam cum illis redderet, non præcepit vt abiicerēt propter imaginē, quod ſanè feciſſet, ſi iſte vſus fuiſſet illicitus. Imo ipſi Apoſtoli monetā cum hac imagine circumferebant, & de piſce exemtum numimum cum imagine Cæſaris (nam alia moneta non recipiebatur pro tributo) Dominus in tributum pro ſe & Petro ſoluit. 3. Vſus imaginū *Ornatus gratia* adhibitus, eſt etiam politicus, qualis quia in templo

templo Sálomonis fuit ſine reprehenſione, non eſt cur reprehendatur, modò nihil habeat admixtum periculi.

Obiectio nis dilutio.

Verum ſi obiicitur, in templis poſſe eſſe hiſtoricum vſum: Reſpondeo, Sint tales imagines hiſtoricę; quæ nec nunc viuentibus ſint ſcandalo, nec vllum periculum afferre poſſint poſteris noſtris. Præterea conferatur abominatio & multorum lapſus cum illo cõmodo, & videbimus, grauiores eſſe cauſas deſtruendi idola templica, quam ea ferendi in templis. Prætendunt ornatum. Si illi ornatui adiunctum eſt vllum periculum, vel nunc viuentibus, vel poſteris, ſit maledictus. Spiritus ſanctus Ezechiel. 20. 8. vocat idola abominationes oculorum: at puluis & cinis ea vocat ornamenta oculorum. Maledictus ſit ornatus, qui eſt offendiculo veræ doctrinæ & membris Chriſti. Verus ornatus templorum vtilis & Deo gratus eſt: Concio, Cantio, Orátio, Communio, & non quę hæc vel impediunt vel vitiant.

Alia obiectionis dilutio.

Producunt præterea in patrocinium ſuæ cauſæ authoritatem ſanctorum Patrum & longam cõſuetudinem, ſed ſi Patrum authoritate nitendum eſt, ſucceſſoribus Apoſtolorum & omnibus Patriarchis Eccleſiarum Græcarum, qui idolis templicis aduerſati ſunt, potius aſſurgendum eſt, quam poſterioribus. Nec conſuetudo obiicitur rectè, cùm mala conſuetudo nihil ſit aliud, quam erroris vetuſtas. Quapropter iudico Diabolo non eſſe cedendum, qui in mundum idola inuexit, vt verus cultus Dei corrumperetur, ſed potius cõtineamur intra terminos verbi Dei, nec ſinamus nos ſophiſticis impoſturis à claro verbo Dei abduci, etiamſi magnæ authoritatis viri videantur, qui ex carnis ſenſu aliud ſuadent & docent. Quoties igitur audim⁹ verbo Dei idololatriã dãnari ſciamus & omnia damnari, quæ ad eam erigendam, fouendámque faciunt: qualia potiſſima ſunt idola & ſimulachra, quæ inſtrumenta ſunt idololatriæ, ex quibus idololatria nomen habet: quæ propriè externa veneratio idoli alicuius eſt, etſi poſtea vocabulum ad genus tranſlatum ſit, ſignificétque omnem timorem, dilectionem, fiduciam, ſpem in id quod non eſt Deus. Vnde auaritia à Diuo Paulo idololatria dicitur, quia in pecuniam ſuam ſpem collocat auarus: atque ita de aliis.

Paſtorum officium.

Quid ergo pius paſtor faciet? 1. cauebit, ne quid per ſeditionem faciat. 2. docebit veram rationem cultus Dei. 3. obſeruabit, an quiſquam abutatur relictis in templis ſimulachris: quod ſi ſenſerit, admonebit Magiſtratum ſui officij, vt Ezechiam imitetur. 4. ornatum templorum, vnde non eſt ſuperſtitionis periculum, improbare non debet, modo ſumtus non fiant inutiles, neglectis viuis imaginibus Dei, qui ſunt pauperes. 5. politicum vſum imaginũ nullum verbum Dei improbat. 6. pius paſtor proſpiciens futuras tenebras, facilè iudicabit ex quibus imaginibus ſit periculum.

Porro promiſſiones & Minæ, quæ attexũtur huic pręcepto, ſunt generales, & habent annexam conditionem impletæ Legis diuinæ, de quibus aliâs.

SECVNDVM PRÆCEPTVM.

Non aſſumes nomen Iehoua Dei tui in vanum.

ANTITHESIS.

Aſſumes nomen Iehoua Dei tui legitimè & rectè.

Præcepti ſenſus, & finis.

Aſſumere autem nomen Dei, in vanum, eſt vſurpatio nominis Dei prophana. Mandatur igitur hic vera nominis Dei vſurpatio, cuius Finis eſt, vt maieſtas nominis Dei inter homines habeatur ſacroſancta. Vt igitur, quicquid facit nomen Dei celebre inter homines, hîc mandatur: ita quicquid prophanat nomen Dei, & facit vt non celebretur inter homines, hîc prohibetur. Hinc collige opera huius præcepti. *Primum*, inuocationem nominis Dei. *Secundum*, gratiarum actionem. *Tertium*, prædicationem. *Quartum*, glorificationem. *Quintum*, confeſſionem. *Sextum*, teſtificationem nominis Dei, ſeu cultum iuriſiurandi legitimi. Hæc omnia, vt partes ſunt veræ vſurpationis nominis diuini: Ita ad præcepti finem legitimè ordinantur.

Opera mãdata.

Porro, quicquid cum his ſex partibus enumeratis pugnat, hîc prohibetur, vt inuocatio Sãctorum, ſtrepitus labiorum, battologia ſine fide, boatus templici, exorciſmi incantatorum, in orando tædium, nihil prorſus orare, vti Dei donis ſine gratiarum actione, fidem celare, vel ob amicitiam, vel ob metum, abnegatio Dei, deprauatio ſcripturæ, ſcandaloſa vita, hæreſis, ſchiſma, deieratio, execratio per nomẽ Dei, periurium, leuitas in iurando, temeraria vota: Breuiter, quicquid maieſtatem nominis Dei inter homines lædit & obſcurat.

Prohibita

Nec huic præcepto quiſquam ſatiſfacere poteſt, cuius ratio in primo expoſita eſt. Similiter *Vſus* præcepti idem ſtatuendus eſt cũ vſu primi præcepti.

TERTIVM PRAECEPTVM.

Memento diei Sabbathi, vt ſanctifices eum.

ANTITHESIS.

Memento diei Sabbathi, ne prophanes ipſum.

Eſt autẽ ſanctificare Sabbathũ, quieſcere ab operibus noſtris, & regnum Dei meditari operibus à Deo inſtitutis, recolere beneficia Dei, diſcendæque legi Dei vacare. Sanctificandi enim vocabulum monet Sabbathũ totum diuino cultui applicandum, & totum laudibus diuinis peragendum. Finis igitur præcepti erit, animum, corpus & omnes actiones Deo dedicare, regnũ Dei & eius beneficia meditari & propagare.

Præcepti ſenſus & finis.

Ad hunc finem pertinet, *Primum*, ſeria verbi Dei meditatio & tractatio. *Secundò*, verus vſus ceremoniarum, quas primum Deus, deinde Eccleſia vtiliter inſtituit. *Tertiò*, promotio pietatis pro vocatione. *Quartò*, iuuare Eccleſiæ membra omni officiorum genere. Quæ cum his pugnant, prohibentur hoc præcepto, vt omnia impedientia meditationẽ verbi, qualia ſunt ſeruilia opera, quæ non habent coniunctum pietatis exercitium ſua natura. Nec huic præcepto quiſquam ſatisfacere poteſt.

Opera mãdata.

Prohibita.

Vſus.

Forro præter generalem vſum, de quo admonui in primo præcepto, hoc in tertio peculiariter obſeruandum eſt. Tametſi ceremoniale eſt, quo ad ſpeciem, hoc eſt, certæ diei (ſeruata illa Iudæorum numeratione) obſeruationem, & ad Iudæos ſolos ſpectat, in memoriam creationis rerum inſtitutum, tamen in genere ad totum humanum genus pertinet. Vt autem hoc declaretur apertius, primum obſeruemus præcepta Dei duplicia eſſe, Catholica & particularia. *Catholica* obligant omnes ex æquo, aut ad obedientiam aut ad pœnam, quia ab omnibus & vbique eorum obſeruatio requiritur. *Particularia*, quæ non omnibus data ſunt, ſed vel vni genti aut vni homini. De his tres regulæ tenendæ ſunt. 1. Nullum præceptum adeo particulare eſt, quin aliquatenus ad omnes pertineat. 2. Quicquid externarum circumſtantiarum annexum eſt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

præceptis Dei particularibus, vt eſt locus, tempus, perſona, numerus, ordo &c. reſecandum eſt, iiſque, quibus ea particulariter mandata ſunt, relinquendum. 3. Quicquid eſt fidei vel charitatis reliquum, id totum nobis applicandum eſt. Nullum enim pręceptum Dei eſt, ex quo fidei & charitatis fructus percipi nō poſſunt. Sic hoc præceptum Dei, de Sabbathi obſeruatione, peculiariter datū eſt Iudęis, ſed aliquatenus tamen ad nos pertinet. Sunt enim tria in veteri Sabbatho. *Primum*, Ceremoniale, quod totum Iudæis relinquendum eſt. *Secundum* Fidei. *Tertium*, Charitatis, quæ duo ad omnes pertinent. Proinde Vſus legitimus Sabbathi in his conſiſtit, vt beneficia Dei memoremus, gratiáſque pro iis agamus: vt celebremus perpetuum Sabbathum, id eſt, quietem à peccatis: vt ſanctam conuerſationem & vitam ſectemur: vt quieſcamus in Chriſto per patientiam, donec nos in ſui regni gloriam tranſtulerit Deus: vt remittamus opera familiæ in qualibet ſeptimana vno die ad minimum. Hoc poſtremum charitatis eſt, ſuperiora fidei.

QVARTVM PRAECEPTVM.

Honora patrem tuum & matrem tuam.

ANTITHESIS.

Ne ſint tibi inhonori parentes.

Præcepti ſenſus & finis.

Honorare autem parentes eſt ipſis reuerentiam, obedientiam & gratitudinem exhibere. Finis præcepti eſt, ſtatuum quos Deus ordinauit conſeruatio. Ordinauit autem politias & œconomias. Mandantur itaque hoc præcepto omnia, quæ ad politiarum & œconomiarum incolumitatem pertinent: vt ſunt officia mutua magiſtratus & ſubditorum, parentum & liberorum, miniſtrorum verbi & auditorum, pręceptorum & diſcipulorum: atque adeo omnium ſuperiorum & inferiorum, ſiue ſint priuati, ſiue publici. Ex aduerſo omnia hic interdicuntur, quæ cum iſtis pugnant.

Opera mandata.

Prohibita

Porro in hoc & in ſequētibus præceptis obſeruādum eſt, quod obedientia omnis inchoanda ſit à primo præcepto: ſine quo nulla obedientia cæterorum pręceptorū placere poteſt. Quæſtiones, an quis præcepto huic ſatisfaciat, & quis ſit vſus, ex ſuperioribus notas relinquo.

Promiſſio addita

Verùm promiſſio addita videtur nonnihil obſcura. Promittit enim prolongationem dierum obtemperantibus huic præcepto: cùm tamen ſæpe pij erga parentes filij præmatura morte ſuccumbant. Sed hîc obſeruanda vtilis regula eſt: Quicquid nobis terreſtrium bonorum Deus promittit, ſub hac conditione accipiendum eſt, quatenus in bonum animæ noſtræ ſalutémque expedit. Vnde fit interdum, vt quo quiſque magis diligitur à Deo, eo citius eripiatur ex hac vita. Nam promiſſionis genus eſt, vt obedienti bene ſit.

De termino vitæ.

Porro hoc loco quæſtionem breuiter tractabo, de *Termino vitæ* cuiuſlibet hominis. Sunt qui ſtatuunt Stoicā & fatalem neceſſitatem termini vitæ cuiuſlibet hominis: qui cum alios quoſdam locos, tum vero maximè illum, qui eſt Iob.14.5. adducunt: Breues dies hominis ſunt, & numerus menſium eius apud te eſt. Conſtituiſti terminos eius, qui præteriri non poterunt. Etſi autem hunc locum ideo reiicere poſſem, quia corruptus eſt in communi tranſlatione (ita enim legi debet ex Ebræo: Si definiti ſunt dies eius, numerus menſium eius apud te eſt. Conſtituiſti terminos eius, & non præteribit. Vt ſit tantum vna propoſitio hypothetica, cuius conſequens bis ponitur) tamen largimur illis, quod ſit ſenſus Prophetæ, Deum terminum vitæ cuiuſlibet definire, quem nec anteuertere, nec præterire quiſquam poteſt, modò viciſſim nobis concedāt, ſtatuti termini modum, nō ex neceſſitate Stoica, ſed ex verbo Dei claro & perſpicuo petendum eſſe. Sed quem modum definiti termini præſcribit verbum Dei? Verbum Dei nos mittit ad Dei prouidentiam, quæ in promiſſionibus & comminationibus diuinis fundatur. Debemus igitur in hac quæſtione promiſſiones & comminationes Dei cum vtrarumque exemplis illuſtribus adhibere in conſilium.

Promiſſiones.

Promiſſionis teſtimonia ſint hæc pauca pro multis. Exod.20.12. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Prou.9.11. Per me multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ. Prouerb.10.2. Iuſtitia liberabit à morte. Ibid.27. Timor Domini apponet dies, & anni impiorum abbreuiabuntur. Exempla promiſſionum ſunt multa. Deut.9. cum Deus minaretur, quod populum contumacem vellet perdere, intercedit Moſes, & iuxta promiſſiones parcit pœnitentibus. Niniuitis interitus voce Dei conſtitutus erat quadrageſimo die poſt incœptā concionem Ionæ, ſed pœnitentibus parcitur. 2. Sam. 24.17. Dauid ſupplicat Deo, erecto altari, vt ceſſet interfectio. Notum eſt Ezechiæ exemplum, Eſaiæ 38.5.

Exempla promiſſionum

Comminationes.

Teſtimonia comminationum ſunt hæc. Prouerb. 20.20. Qui maledicit patri & matri ſuæ, extinguetur lumen eius in mediis tenebris. Pſal.55.24. Viri ſanguinum non dimidiabunt dies ſuos. Leuit.20. Dominus minatur flagitioſis exterminationem de populo ſuo: quæ exterminatio nihil aliud eſſe poteſt, quam abruptio termini vitæ, propter ſcelera perpetrata. Harum Comminationum exempla ex pluribus hęc obſeruentur. Gen.38. Her, quia fuit nequam in conſpectu Domini, dicitur occiſus à Domino. Ibid. Onan, effundens ſemen in terram, ne ſuſcitaret fratri ſemen, occiditur à Domino. Achan propter ſpolium de anathemate voce Dei iubetur lapidari. Ex his teſtimoniis & exemplis manifeſtum eſt, quod Deus iuxta ſuas promiſſiones & minas vel abbreuiet, vel prolonget terminum vitæ cuiuſque. Idem teſtatur Iacobus cap.5.15. qui ægrotos piorum precibus ſubleuari ſtatuit. Idem ſemper ſenſerunt omnes pij, qui ſuis precibus ſæpiſſimè piis Principibus & doctoribus longiorem vitam impetrarunt.

Exempla

Aduerſus Stoicos.

Huc accedit firmiſſima contra Stoicos ratio. Si ineuitabilis fataliter eſt terminus vitæ, erit etiā culpa ineuitabilis, propter quam multi rapiuntur ad mortis ſupplicium. Si culpa ineuitabils eſt, reuera Deus peccati autor erit. Sed hoc vel dictu horrēdum maxime eſt. Quare cùm culpa non ſit ineuitabilis, neque terminus vitæ erit fatalis. Præterea iſta Stoica opinio vehementer nocet moribus, & pietatis exercitia omnino impedit. Nam cum homines putant, euentus pendêre ex fato, fiunt ſegniores. Proinde timeamus Deum: ac cogitantes de futuris euentibus, reſpiciamus ad eius promiſſiones & minas: orātes vt ipſe nos ſuo Spiritu regat, quo ea agamus, quæ ipſi grata ſunt: vtque pro ſua miſericordia & clementia velit nobiſcum agere.

Aliæ regulæ huius præcepti.

Deinde alia regula obſeruanda eſt in hoc præcepto: Eatenus obediendum parentibus eſſe, ne lædatur erga Deum pietas, quæ primum gradū obtinet. Nam ſi ad Dei inſtitutum, tanquam ad certam regulam, exigenda eſt filiorum ſubiectio, præpoſterum foret per eam ab ipſo Deo abduci.

Tertia regula ſit hæc: Tametſi non eſt æqualis conditio ſuperiorum & inferiorum: tamen aliquod

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ius mutuum & analogũ inter ipſos requiritur,quod ſicuti inferiores ſuperioribus obnoxios reddit, ita viciſſim proportione habita ſuperiores obſtringit inferioribus. Hæc proportio ſeu analogia ad legem charitatis exigenda eſt :quæ ſola vera eſt menſura in mutuis ſuperiorum & inferiorum, imò & parium officiis,de qua re poſtea in quarta Claſſe dicetur.

QVINTVM PRAECEPTVM.

Non occides.

ANTITHESIS.

Vitam proximi conſeruabis.

Præcepti ſenſus & Finis. Operamã data.

Vt enim læſio omnis proximi hic interdicitur Ita omnibus modis ipſum iuuare præcipitur. Finis præcepti,vt alter alterius incolumitatem quęrat.Mãdantur igitur omnes virtutes,quibus proximo commodamus,& quæ ab iniuria proximi nos reuocant, cuius generis ſunt:dilectio proximi ex animo,comitas,beneficentia,conuerſatio amica,clementia,adeſſe in quauis neceſſitate. Contra prohibetur, 1. externum homicidium, 2. maledicta,conuitia,ludibria. 3. omnia facta quibus vllo pacto lædi poteſt perſona proximi. 4. omnia cogitata,quibus male de proximo cogitamus. 5. omnia dicta in proximum acerbiora. Porro parentum, præceptorum, & magiſtratus officia nequaquã hoc præcepto tolluntur, vt quæ non ſolum in quarto præcepto præcipiuntur, (faciũt enim ad ſtatus à Deo ordinatos cõſeruandos)verumetiam præmiis peculiaribus à Deo ornantur,quemadmodum multa exempla ſcripturæ teſtantur.

Prohibita

SEXTVM PRAECEPTVM.

Non mœchaberis.

ANTITHESIS.

Caſte viues.

Senſus & finis.

Vt autem hîc impuritas omnis animi & corporis interdicitur:Ita præcipitur mentis & corporis puritas caſta,& caſtitas pura.Finis præcepti eſt,vt homo puritatem & caſtitatem ſui creatoris ſectetur. Mandantur igitur hîc virtutes caſtitatis & pudicitię,quales ſunt σωφροσύνη,temperantia,ſobrietas,& quæcunque faciunt ad caſtitatem conſeruandam,cùm in matrimonio caſto,tum extra matrimonium. Contrà prohibentur externum adulterium, vagæ libidines, mollities,ſermones ſpurci,εὐτραπελία,id eſt, ſcurrilitas,intemperantia,ebrietas,laſciui geſtus, & quicquid hominem à caſtitate corporis & mentis auocare poteſt.

Mandata. Prohibita

SEPTIMVM PRAECEPTVM.

Non furaberis.

ANTITHESIS.

Bona proximi promouebis.

Finis. Mandata. Prohibita

Finis præcepti eſt, vt noſtra ſorte contenti vnicuique quod ſuum eſt relinquamus.Mandantur igitur hic iuſtitia commutatiua præcipue, & omnes eius partes, & prohibetur quicquid cũ illa pugnat, vt expilationes, vſuræ, fraus, lances & pondera iniuſta.2.Samuel.15.6.ſpecies quædam furti indicatur, cum Abſolõ furatus dicitur eſſe cor virorum Iſraël: vnde patet,maximos fures eſſe eos qui alienant animos ſubditorum à Magiſtratu, auditorum à miniſtris verbi,diſcipulorum à præceptoribus, ſeruorum à dominis, famulorum & ancillarum à patribusfamiliâs,liberorum à parentibus. Hoc genus furti recte diabolicum dixeris.Nam vt diabolus primorum parentum animos auertit à Deo: Ita hi veſtigiis paternis inſiſtentes animos, ab iis, cum quibus coniuncti eſſe deberent,alienant.

OCTAVVM PRAECEPTVM.

Non reſpondebis falſum teſtimonium aduerſus proximum tuum.

ANTITHESIS.

Reſpondebis pro proximo tuo verum teſtimonium.

Finis præcepti eſt,vt veritatem ſine fuco inter nos colamus: Mandantur itaque in hoc præcepto candor,veritas, conſtantia in dictis, diligens veritatis inquiſitio.Commendantur artes veritatis miniſtræ. Contra prohibẽtur falſum teſtimonium, calumniæ, mẽdacia,obtrectationes,malę cordis ſuſpiciones de proximo,itẽ Sophiſtica,& omnes deceptoriæ artes.

Finis. Mandata. Prohibita

NONVM ET DECIMVM præceptum.

Non concupiſces domum proximi tui.

ANTITHESIS.

Toto corde ſis proximo carus & vtilis.

Finis præcepti eſt, vt omnem cupiditatem cum charitate pugnantem,ex animis excutiamus. Hæc duo præcepta diſcrimen faciunt inter legem humanam & diuinam.Humana tantum prohibet facta & dicta, Diuina etiam concupiſcentiam inordinatam coërcet. Tametſi autem in ſuperioribus præceptis concupiſcentia etiam prohibetur: tamen hæc duo poſtrema non cenſenda ſunt inutilia aut fruſtra addita.Nam in illis prohibetur voluntaria concupiſcẽtia, quæ eſt effectus eius concupiſcentiæ, quæ hic prohibetur. In ſuperioribus prohibetur actio interior & exterior,conſilia & deliberationes: In hiſce vltimis iſtorum omnium fons prædudi præcipitur. Illic actiua, hic paſſiua concupiſcentia interdicitur. Cęterùm qui hæc duo præcepta diſtinguunt,nonum ad genus,decimum ad ſpecies referunt.Nonum:Nõ concupiſces domum proximi tui.Hoc eſt,familiá & poſſeſſionem proximi tui promoueto.Decimũ:Non concupiſces vxorẽ eius,mandat,ne quis vlla occaſione ſub ſpecie honeſta res alterius velit ad ſe allicere.

Finis. Prohibita

Quod autem nemo ſatisfaciat huic præcepto his rationibus conuincitur.*Primum* enim maſſa tota naturæ noſtræ corrupta eſt. Eſt enim prauum cor hominis ab adoleſcentia.*Secundo*,vniuerſalis experientia in omnibus ſanctis,qui ingemiſcunt & dolent ſe impediri hoc malo, quo minus ea quæ volunt bona faciant.Hinc Paulus Rom.7.24.exclamat:O me miſerum, quis me liberabit de corpore mortis huius? Debet proinde vſus horum præceptorum perpetuus in animis noſtris hic eſſe,vt precemur Deum,ne hoc malum nobis imputet,ne compellamur, vt obtemperemus ei in ſuis concupiſcentiis: denique vt confugiamus ad Chriſtum Pontificem, qui credentium in ſe peccata interna & externa ſuo precioſo ſanguine abluit.

Huius pręcepti impletio impoſsibilis.

CAPVT II.

LEGITIMA SPIRITVAlis cultus Dei Ratio, & eius partes.

Neceſsitas huius tractationis.

SVPERIORI capite materiam cultus diuini explicauimus. Nunc eius legitima ratio &

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

partes exponendæ ſunt. Non enim omne opus præceptum, eſt cultus, niſi ex vera fide fiat propter verũ finem. Nã qualitas operũ non ſolum ex ratione præcepti, ſed ex cauſis ſimul efficiente & finali cẽſebitur. Vt igitur hanc doctrinã perſpicuè teneamus,

Methodus & Analyſis.

Primum, regulam per quam probandus ſit verus cultus Dei. *Deinde* fundamentum eiuſdem cultus. *Tum*, quidnam ſit cultus Dei. *Poſtremò*, quæ ſint eius formæ, tradam. His enim quatuor cognitis nihil reſtat, niſi vt mentem, cor, linguam & manus à Domino gubernari cupias, quo ipſi verum cultum præſtare poſſis.

1. Regula cultus Dei.

Sit itaque hæc *Regula* generalis, quod nullus cultus placeat Deo, niſi quem ipſe proprio verbo inſtituit. Hanc regulam vox Dei apud Eſaiam, 29.13. & Dominus, Matt. 15.4. confirmat: Fruſtra me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum. Paulus ad Coloſſ. 2.18. ἐθελοθρησκίας damnat. Idem pronunciat, Rom. 14.23. nihil placere Deo ſine fide. Cùm igitur cultus placere debeat Deo qui id fieri poteſt, ſi verbo Domini non nitatur? Teneamus igitur hanc regulam, nec ſinamus nos ab ea auelli vlla ſophiſtica.

Vſus regulæ.

Huius regulæ *Vſus* duplex eſt. 1. Hac regula ſtabilitur authoritas legiſlatoris. Vbi enim in Republica liberum eſt, vnicuique condere leges, authoritatem ſupremi domini vileſcere neceſſe eſt. Hanc authoritatem ſibi vendicat Dominus in primo præcepto, dum inquit: Ego ſum Iehoua Deus tuus, &c. 2. liberat nos hæc regula ab errore Ethnico, Phariſaico & Papiſtico, ne cum illis ſine modo ſuperſtitiones & ἐθελοθρησκίας cumulemus, quorum anteſignanus eſt Romanus Pontifex, qui ſanè Hieroboam apoſtaſia, Achab homicidiis & ſanguine piorum, Ieſabel crudelitate, Nabuchodonoſor ſacrilegio, Iulianum fraudibus, Iudam proditorio oſculo ſuperat. Hactenus de regula.

2. Fundamentum.

Fundamentum cultus Dei ſequitur, quod fixum & certum tenere oportet. Eſt autem hoc fundamentum duplex, nimirum cognitio Dei & cognitio noſtri, de quibus quia abunde dictum eſt in prima claſſe, hîc breuius eadem attingemus. Cognitionem Dei conſequimur per verbum & teſtimonium, quæ coniuncta docent nos, quod Deus ſit fons omnis virtutis, iuſtitiæ, ſapientiæ & veritatis: quod Deo omnis gloria tribuenda ſit, quod Deus ad iuuandum ſit promtus ſua natura: quod idem velit omnes ad ſe confugere in quouis periculo. Hanc Dei cognitionem eſſe fundamentum cultus Dei Eſaias 19. docet his verbis: Cognoſcent Ægyptij Dominum in die illo, & facient ſacrificia & oblationem, vouebúntque vota Domino, & reddent. Cognitio noſtri ex trium rerum contemplatione petenda eſt, nimirum ex fine creationis, ex virium præſentium æſtimatione, & ex facilitate lapſus in peccatum. Finis docet officium, quod eſt referre imaginem Dei in ſincera pietate & iuſtitia vera. Vires oſtendunt, quod officium debitum præſtare minime valeamus. Lapſus frequentes nos monent fragilitatis noſtræ & peccati. Vnde admonemur omnem gloriandi materiam abiicere, vt qui fracti viribus nihil ſine auxilio diuino efficere boni poſſumus, imo omni hora præcipites in noua peccata ferimur, niſi manu Dei conſeruemur. Sine hac noſtri cognitione nec pœnitentia, nec fides exiſtere poſſunt: ſine quibus nihil quãtumuis ſpecioſum Deo placere poteſt. Vbi hanc duplicem cognitionem Dei & noſtri probe tenuerimus, fundamentum veri cultus Dei iactum eſt.

3. Definitio.

Nunc quemadmodum propoſuimus, quid ſit cultus Dei verus, definiamus. Eſt itaque Cultus Dei opus mandatum à Deo, factum ex fide in celebrationem gloriæ Dei principaliter. Verum ne hic impingamus, perutile diſcrimen cultus diuini hic eſt tenendum. Eſt enim duplex cultus Dei. Vnus eſt expiatorius, meritoriúſque per ſe. Alter Euchariſticus ſeu obedientiæ, & nequaquam meritorius ſua natura.

Duplex cultus.

1. Expiatorius & Meritorius per ſe eſt obedientia filij Dei, per quam ſatisfecit legi Dei, ac meruit omnibus vitam æternam qui in ſe credunt. Quicunque hunc honorem tribuunt aliis rebus quam obedientiæ Chriſti, contumelia afficiunt filium Dei, qui ſolus expiatorium cultum præſtitit. Cultus Dei Euchariſticus ſeu obedientiæ omnium filiorum Dei eſt. 2. Hic per ſe non meretur quicquam, ſed ex gratia habet promiſſiones præſentis vitæ & futuræ.

Definitionis analyſis & explicatio.

His ita conſtitutis, definitionem poſitam breuiter excutiamus. 1. fit mentio materiæ cultus Dei, quæ eſt *opus à Deo mandatum*. Quemadmodum enim in Republica ciuili obedientia erga Magiſtratum eſt, viuere ſecundum præſcriptum legum: Ita in Eccleſia ſeu regno Chriſti cultus Dei æſtimandus eſt, qui verbo & lege Dei nobis præſcribitur, ſicuti regula ſupra tradita dilucide docet.

2. Sed quia non ſatis, ex ratione præcepti opus facere, niſi accedat Fides, ideo additum eſt in definitione: *factum ex fide*. Eſt enim fides omnis operis boni effectrix. Sed cur ita? Cur fides adeo neceſſario requiritur? Quia opus nullum poteſt placere Deo, niſi prius perſona placeat: placet autem perſona fide, hęc enim facit, vt errata nec nobis nec operibus noſtris imputentur: ſed quemadmodum nos iuſti ſumus per fidem: ita & opera noſtra per eandem fidem iuſta habentur. Deinde fides facit, vt voluntarium ac promtum ſit obſequium, alioqui minimè placeret. Tertiò, fides monet animi cultum & externam operationem coniungenda eſſe, vnde fit, quod tametſi opus interdum externum ſit, tamen quia ex fide factum eſt, ſpiritualis Dei cultus exiſtit. Poſtremò hæc additio facit clarum diſcrimen inter cultum Dei verum & falſum. Nam omnis cultus extra fidem, ſiue ſit à Deo mandatus ratione operis, ſiue à Diabolo inuectus ſit, damnandus eſt, ſiquidem mera ſuperſtitio eſt. Hoc verum eſſe confirmat ipſe Deus, Eſaiæ 1. 11. Quo mihi (inquit) multitudo ſacrificiorum veſtrorum? Nonnunquam abominationes vocat, interdum dicit ſe ea ſacrificia non præcepiſſe. An non præcipit ea ſacrificia quæ damnat? præcepit quidem, ſed vt fierent ex fide. Superſtitio enim non ſolum ex re ipſa, ſed etiam ex animi affectione æſtimanda eſt. Dare eleemoſynam ſecundum rationem operis eſt bonum, verum ſi abſque fide fiat propter impium finem, abominatio coram Deo eſt. Quapropter Pauli conſilium ſequamur. Quicquid (inquit) feceritis, ex animo facite, tanquam Domino. Atque ita apparet, cur ex fide prodeat opus, quod cultus Dei eſſe debet.

Tertium definitionis membrum fuit, quod opus tendere debeat in celebrationem gloriæ Dei. Quemadmodum enim ſuperius membrũ docet, vnde proficiſci debeat cultus Dei: ita hoc tertium: in quem finem tendere debeat, manifeſtat, nimirum in celebrationem gloriæ Dei. Hoc quàm verum ſit, docet ipſa hominis creatio ac regeneratio. Omnem (dicit Dominus) qui inuocat nomen meum in gloriam meam creaui eum, formaui eum, feci eum. Et Dominus apud Matthæum. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt glorificent Patrem veſtrum cœleſtem. Rectiſſimè igitur Iulianum admonet Auguſtinus li. 4. cap. 3. aduerſus Iulianum ſcripto inquiens: Noueris itaque, non officiis, ſed finibus à vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium autem eſt, quod faciendum eſt, finis vero propter quod faciendum eſt.

Cum.

Cum itaque facit homo aliquid,vbi peccare non videtur,ſed non propter hoc facit,propter quod facere debet,peccare conuincitur.

Quid eſt Deum glorificare.

Sed quid eſt Deum Glorificare?Eſt 1. rectè ſentire de natura Dei,maieſtate & veneratione: 2. tribuere ei omnem ſapientiam, miſericordiam & iuſtitiam. 3. illi obtemperare. 4. alios noſtro exemplo ad illum agnoſcendum inuitare. Hanc gloriam ei eripiunt, 1. qui de ipſius natura, maieſtate & veneratione rectè non ſentiunt. 2. qui ipſius virtutes & beneficia non agnoſcunt. 3. qui ſceleratè & flagitioſè contra ipſius mandatum viuunt. 4. qui ſuo exemplo aliis offendiculo ſunt, vt ad Deum venire nequeant. 5. qui vni Chriſto redemtionis gloriam non tribuunt. 6. qui in rebus ad hanc vitam pertinentibus, fortunæ, ſapientiæ & conſiliis ſuis, tribuunt ſucceſſum. Nam cùm Dominus omnia hæc largiatur, ſpoliatur aliqua ſuæ gloriæ parte ab illis, qui hæc ad ipſum ſolum non referunt. Ille dixit, gloriam meam alteri non dabo. Qui ergo ſibi glorię eius vel minimam portionem vendicat, ſacrilegus cenſendus eſt. Atque hæc de definitione dicta ſufficiant.

Cultus Dei genera.

4. Nunc,veniamus ad illud,quod poſtremo loco de cultus Dei varijs generibus propoſuimus. In vniuerſum itaque cultus Dei duplex eſt, *Internus* & *Externus*. vtrūque Deus iure à nobis requirit. Nam quoad animam, creauit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quoad corpus, omnes vires contulit & conſeruat. Nec pugnat hæc diſtinctio cum eo, quod ſupra dictum eſt, omnem cultum Dei ſpiritualem eſſe debere. Eſt enim cultus Dei ex cauſa efficiente, obiecto & finali cauſa cenſendus. Cum igitur omnis cultus Dei proficiſci debeat ex fide, quam ſpiritus operatur in gloriam Dei, qui ſpiritus eſt, rectè ſpiritualis omnis cultus Dei verus iudicabitur. Sed quid eſt Internus Dei cultus? Eſt motus mentis & cordis congruens cū lege Dei. Quid Externus? Cum actio externa congruit cum lege & voluntate Dei. Sed vterque iuxta duplicem Decalogi tabulā diuidendus eſt. Nā vt prima tabula præcipit cultū Dei internū & externum, ita & ſecūda. Primæ tabulæ cultus internus & externus habet gradus ſupra in explicatione Decalogi commemoratos. Ex hoc cultu primæ tabulę manat duplex cultus, internus,& externus ſecundæ tabulæ. Internus conſiſtit in affectu cordis erga proximum. Externus in operis declaratione. Paulus 1. Theſſ. capite 1. diuidit cultum Dei compendioſius adhuc, nimirum in affectus tres, & eorum effectus totidem. Affectus ſūt: fides, ſpes & charitas. Fidei tribuit ἔργον, Spei ὑπομονὴν, Charitati κόπον. Atque hæc dicta ſufficiant de legitima ratione cultus Dei, atque eius partibus.

Internus.

Externus.

CAPVT III.

GENERALIS DOCTRINA bonorum operum.

Neceſſitas huius doctrinæ.

QVIA dictum eſt, bona opera eſſe cultum Dei, cum ex fide proficiſcuntur, propter verum finem, addam generalem doctrinam, ad quam recurrendum erit, quoties operum bonorum quorumcunque fit mentio. Valde enim neceſſarium eſt, erudiri recte de bonorum operum ratione, vt ſciatur quo in loco habenda ſint. Papiſtæ grauiter peccant, à quibus bona opera humana cauſis iuſtificationis annumerantur. Peccant & illi, qui dum bona opera à cauſis iuſtificationis excludunt, minus frigide de obedientia, Deo neceſſario præſtanda, docent, ac ſi fides eſſe poſſet ſine ſuis naturalibus proprietatibus. Cæterum, vt clarius operum doctrinam generalem exponere liceat, eam totam ſex quæſtionibus ſubijciam.

Errores.

Methodus & analyſis.

1. *Quæ opera docenda & facienda ſint.*
2. *Quomodo fieri poſſint.*
3. *Quomodo placeant Deo.*
4. *Quæ cauſæ bonorum operum, curque promiſſiones ſint additæ bonis operibus.*
5. *Quoniam omnes homines habeant peccatum, quorum obedientia placeat, & quorum non.*
6. *Cur ſcriptura, bona opera mercedis honore dignetur.*

DE PRIMA.

Quæ opera facienda.

Cum quæritur, quæ opera facienda ſint, duo perpendamus: qui *Nos* ſimus, qui, *Ille*, cui obedientia per bona opera præſtanda eſt. Cum *Nos* intuemur, conſiderata noſtra corruptione, admonemur ne nos fingamus opera, quibus volumus Deum colere. Per nos enim nequaquam intelligimus, quid vel placeat vel diſpliceat Deo. Vnde Dominus pronunciat, ſe fruſtra coli mandatis & doctrinis hominum. Hinc certò ſtatuamus, opera quantumuis ſpecioſa, excogitata ab hominibus, nequaquam poſſe boni rationem veram habere. At ſi Deum intuemur, monemur reuerentię erga ipſum, vnde fit, vt hoc ſolum ipſi placere cogitemus, quod ipſe nobis ſuo verbo præſcribit. Nā is ſolus eſt legiſlator noſter. Vtrumque complectitur Ezech. 20. 13. cap. inquiens: In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, nec iudicia eorum cuſtodiatis, nec idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus veſter, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea cuſtodite, & facite ea. Hoc Dei verbum regula nobis eſſe debet operum quæ facienda ſunt, & tria continet. 1. quod Deus nolit opera ab vllo homine præſcribi, iuxta quæ coli debeat. 2. quod ſua præcepta normam operum eſſe velit vnicam. 3. quod addat huius rei grauiſſimam rationem, inquiens: Ego ſum Dominus Deus veſter, quo dicto non ſolum ſibi ius vendicat legiſlatoris, vt qui ſolus autoritatem habeat ſuo populo præſcribendi vitæ leges: quod ſanè ius adimere illi videntur, qui nouos cultus ſine ipſius mandato excogitant, ſed etiam nos obligat ad obedientiam, & ſe noſtrum Deum & Dominum eſſe pronunciat. Hæc coërcere nos debent, ne temerario auſu nouos fingamus cultus. Hæc reuerentiam erga verbum traditum augebunt, vt dicamus cum Dauide, Pſal. 119. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Vt enim lucerna iter monſtrat in tenebris, ne impingamus: Ita vox Dei, ne in vita per ignorantiam erremus, efficit. Porro ne quiſquam ad ignorantiæ excuſationem confugiat, edidit Deus vocem legis moralis, quam ſtupendis miraculis confirmauit: quam legem moralem vult communem vitæ regulam eſſe, quæ duobus capitibus, nempe dilectioni Dei, & dilectioni proximi ſubiicitur, de quibus ſupra dictum eſt. Hic tantùm volo reſponſum ad primam quæſtionē, nimirum, quod nulla opera bona cenſenda ſint, niſi quæ à Deo præcepta ſunt. Quare ea ſola faciēda, iuxtá Ezechielis dictum.

DE SECVNDA.

Quomodo fieri poſſint bona opera.

Poſtquam mens pij hominis nouit, quæ opera ſint facienda, quærit quomodo fieri poſſint. Ad quā quæſtionem ex duobus dictis petenda eſt reſponſio. Apoſtolus dicit Ebræor. 11. 6. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo. Et Chriſtus pronuntiat. Ioa. 15. 5. Sine me nihil poteſtis facere. Quare hæc ordine requiruntur, vt fiant bona opera. 1. Cognitio Chriſti, 2.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Fiducia Chriſti. 3. Viuificatio, qua nos Chriſtus per Euãgelium viuificat, & effundit in nos Spiritum ſanctum. Nulla enim dilectio, nulla obedientia eſſe poteſt, niſi prius fide apprehenſa ſit miſericordia & reconciliatio propter Mediatorem. In hac conſolatione diuinitas habitat in corde, quia æternus Pater per Filium conſolantem voce Euangelij, verè eſt ibi efficax, & datur à Patre & Filio Spiritus ſanctus accendens lætitiam & inuocationem, iuxta dicta, Zachar.12.10. Effundam Spiritum Gratiæ & Precum. Item, Ioan.14.23. Veniemus & manſionem apud eum faciemus. Item 2.Corinth.3.18. Intuentes gloriam Domini, trãsformamur ad eandem imaginem, id eſt intuentes λόγον, qui eſt imago æterni Patris, & in conſolatione oſtendit præſentiam & bonitatem Dei, efficimur ſimiles eius imaginis, Spiritu ſancto accedente corda. Ita tunc Filius eſt Emanuel, per eum enim nos diuinitas viuificat, protegit, gubernat, geſtat nos, regit conſilia & euentus, ſicut dicit: Ego ſum vitis, vos palmites, ſine me nihil poteſtis facere. Hæc dum cogitamus, accenditur inuocatio Dei, qua petimus præſentiam & gubernationem Mediatoris in omnibus noſtris actionibus.

DE TERTIA.

Quomodo placeant, & in quibus

Poſtquam mens edocta eſt, quomodo fieri poſſint bona opera, quærit preterea, quomodo placeât. Fruſtra enim fierent niſi placerent. Pugnat pro patria Scipio, pugnat & Dauid, ſed non vtriuſque opus placet Deo. Quare hic rectè quæritur, quomodo placeant bona opera? Ad quam quæſtionẽ in genere reſpondeo, quod placeant in conuerſis. Scipionis opera non placuerunt, quia non fuit conuerſus: At Dauidis militia placuit, quia fide erat acceptus Dauid. At hic tria ordine ſunt ſpectanda. 1. Statuendum eſt de perſona, quod ſit fide reconciliata & iuſta propter Chriſtum, gratis, non propter dignitatem perſonæ. Nam fide apprehenditur imputatio iuſtitiæ, ſicut ſcriptum eſt Rom.4.3. Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſtitiam. 2. & hoc fatendum, quod perſona fide iuſtificata nondum legi ſatisfacere poteſt. Nam hærent etiam in piis multa interiora peccata, dubitationes & malæ inclinationes, peccata ignorantiæ, omiſſionis &c. Hæc immundities deploranda eſt, & repugnandum dubitationibus & malis affectibus, & ſimul precandum veris gemitibus cordis, ne Deus nobis has ſordes, quibus inuoluimur imputet. 3. Etſi has noſtras ſordes agnoſcimus, tamen ſimul ſtatuendum, quod & Deus poſtulat inchoatam obedientiam, & quod placeat inchoata hæc obedientia Deo propter Chriſtũ. Sic enim Petrus clarè docet 1.Petr.2.5. Offerte hoſtias ſpirituales acceptas Deo propter Chriſtum, qui & propiciator eſt, & nunc pro nobis interpellat. Nõ itaque placet obedientia noſtra Deo propter ſuam dignitatem aut perfectionem, eſt enim per ſe indigna, vt prodeat in conſpectum Dei, nec ſatisfacit legi, vt dictum eſt. ſed placet propter perſonam reconciliatam, quæ propter Chriſtum vt iuſta habetur: ita etiam placet, etſi circumferat in carne peccatum & multas ſordes.

DE QVARTA.

Cauſæ bonorum operum.

Cum conſtat, hominem nequaquam iuſtificari operibus, quæri etiam commode ſolet, quænam ſint bonorum operum cauſæ, quibus homines ad bene operandum accendi & impelli debent, & numerari hic ſolent tres cauſæ grauiſſimæ, quæ ſunt: neceſſitas, dignitas, præmium. *Neceſſitas* quintuplex ſtatui poteſt, nempe mandati, debiti, fidei retinendæ, vitationis pœnarum, & couerſionis.

1. Neceſſitas quintuplex.

Neceſſitas prima *Mãdati* eſt, quod Deus obedientiam erga ſuam legem ſerio & ſeuere mandat: In præceptis meis ambulate. Et Paulus. Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. 1. Theſ. 4.7. Secunda Neceſſitas eſt *debiti officij*, de qua Paulus concionatur, Rom.8.12. Debitores ſumus Dei, non carnis. Non enim ſumus noſtri iuris, ſed eius qui redemit nos ſuo ſanguine. Tertia Neceſſitas eſt *Fidei retinendæ*. 1.Tim. 5. Si quis, inquit Paulus, ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem abnegauit, & infideli deterior eſt. Item: Milita militiam honeſtam, habens fidem & bonam conſcientiam: 1.Tim.1. 18. quarum neutra retinetur ſine obediẽtia. Tametſi vox illa immota ſit, Vita æterna donum Dei eſt: tamen & hoc certum eſt, contriſtari & excuti ſpiritum ſanctum cum perpetrantur delicta contra conſciẽtiam. Quarta Neceſſitas eſt, qua *Pœnas* vitari oportet. Propter iniquitates, inquit Dauid, corripis filios hominum. Pſal.39. Quinta Neceſſitas eſt *Conuerſionis*. Viuo ego, dicit Dominus, Ezech.18.23. nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Cum igitur fit cõuerſio, ſimul viuificatur homo fide per ſpiritum ſanctum, Præterea coniuncta eſt conuerſioni regeneratio, quæ eſt inchoatio nouæ vitæ, quæ eſt noua & æterna lux, ſapientia, iuſtitia, & renouatio imaginis Dei in nobis, quæ fit Deo ſe nobis communicante, cum filius voce Euãgelij conſolatur corda, & effundit in ea ſpiritum ſanctum.

2. Dignitas.

Secundam cauſam obedientiæ præſtandæ ſeu bonorum operum dignitatem poſui. *Dignitas* eſt, quod homo conuerſus iam ſit filius Dei, iuxta illud Ioan.1.12. Dedit poteſtatem, vt filij Dei fierent quotquot credunt in eum. Quanta dignitas eſt, quod credentes ſint templum ſpiritus Dei viuentis? quod Chriſtus in ipſis habitet per fidem, quod pater, filius & Spiritus ſanctus ad illos venire, & in iis manſionem facere velint? quod Chriſti ſint membra? Iam perpende, quantum ſcelus ſit, filios Dei imaginem Satanę referre: quantum periculum ſit, templum Dei Satanæ fœtore conſpurcari: quam immane ſit, Deum è ſuo hoſpitio exturbari. Quare filios Dei decet imitari patrem cœleſtem, qui dixit: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum: præterea ſumus vocati ad ſanctificationem, vt ſimus cõciues regni Chriſti, in quo angeli caſtiſſimi miniſtrant Chriſto & Eccleſiæ.

3. Præmium multiplex.

Præmium tertia cauſa eſt, hoc eſt, compenſatio patientiæ & obedientiæ credentium. Hoc præmium non datur propter operis in ſe qualitatem ex debito, ſed propter promiſſionem ex gratia. Eſt autẽ hoc præmium multiplex, Spirituale, corporale, perpetuum, temporale. Porro huic quæſtioni eſt & alia coniuncta, Cur Deus adiecerit promiſſiones bonis operibus, & ſunt potiſſimum quinque cauſæ.

Cur promiſſiones ſunt additæ bonis operibus.

Prima, vt ſint teſtimonia prouidentiæ Dei. Vult enim ſciri Deus, & bona corporalia res eſſe ab ipſo creatas, & non caſu ſpargi, ſed ab ipſo Eccleſiæ dari & conſeruari, iuxta dictum: Ipſe eſt vita tua, & longitudo dierum tuorum, Item: In diebus famis ſaturabuntur, Diuites eſurient, timenti autem Dominum non deerit vllum bonum. Item: Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. *Secunda*, vt ſint teſtimonia, quod velit Deus etiam in hac vita ſeruare Eccleſiam. Quare Paulus 1.Timoth.4.18. inquit: Pietas habet promiſſiones preſentis vitę & futurę. Quia enim vult Deus immenſa bonitate colligere Eccleſiam propter Filium mediatorem, tantiſper ſeruat hunc ordinem naturæ, fœcundat terram, vt alat Eccleſiam in hac vita. Et cùm propter Eccleſiam cæteros paſcat, nos præcipuè gratos eſſe oportebat. *Tertia*, qua vult Deus & neceſſitatem corporalem eſſe

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

eſſe commonefactionem de fide, invocatione, ſpe & gratiarum actione: ideò promiſsiones edidit, & quidem vult hæc ipſa bona, fide peti & expectari, & in hac petitione & expectatione fidem, ſpem, patientiam creſcere. *Quarta*, vt ſint commonefactiones de promiſsione gratiæ, quia fidem quæ agnoſcit Filium & accipit reconciliationem, oportet ſemper prælucere in petitione corporalium rerum, & quidem propter Filium cæteræ promiſsiones editæ & ratæ ſunt. Hæc omnia comprehenduntur in dicto: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Quinta*, quia Deus vult vtrunque ſciri, & ſubiectam eſſe Eccleſiam cruci, & inter ipſa pericula tamen mirabiliter ſeruari in hac vita, vt vniuerſa admiranda conſeruatio Eccleſiæ, & omnes mirandæ liberationes ſint teſtimonia præſentiæ Dei in Eccleſia, vt dicitur in Numeris 14. Vt ſciant Ægyptij, quod tu Domine ſis in hoc populo. Ioſuæ 3. Scietis quod Dominus Deus in medio veſtri ſit. 1. Reg. 17. Vt ſciat omnis terra, quod ſit Deus in Iſrael. Iſaiæ 37. Et nunc Domine Deus noſter ſalua nos de manu Zennacherib, vt cognoſcant omnia regna terræ, quod tu ſolus ſis Dominus.

DE QVINTA.

Quorum opera placeant.

Cùm omnes homines habeant peccatum, rectè quæritur, quorũ obedientia placeat, & quorum non. Ad quam quæſtionem breuiter reſpondeo. Peccata ſunt duplicia, *Quædam* enim fiunt à ſcientibus & volentibus contra conſcientiam, qualia in conuerſis non ſunt. Nam ſi conuerſus labitur contra conſcientiam (vt Dauid adulterio & homicidio) excutit Spiritum ſanctum, abijcit fidem, & reus fit iræ Dei, & niſi agat rurſus pœnitentiam, ruit in æternam pœnam. Horrenda inſania eſt, dicere tales retinere Spiritum ſanctum ac fidem, cùm Paulus apertè dicat, Galat. 5. 19. Manifeſta ſunt opera carnis: talia facientes, regnum Dei non poſsidebunt. Præterea deficientes à fundamẽto, hoc eſt, aliquem articulum fidei abjicientes, ſiue eum intelligant, ſiue non intelligant: ſed decepti pręſtigijs, hi quoque deſinunt eſſe ſancti, & excutiunt Spiritum ſanctum, & fiunt rei æternæ iræ, vt Arius, Fotinus, Manes, & ſimiles hæretici. *Quædam* peccata fiunt non contra conſcientiam, vt caligo & dubitatio, multæ omiſsiones & vitioſi affectus: quibus malis ſancti repugnant, ne ruant contra conſciẽtiam: & credunt ea deleri per Filium Dei. Hæc caligo & immundities in homine non exiſtimetur leue malum eſſe, propter quam dictum eſt. Pſal. 143. 2. Non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis viuens. Et tamen Filius Dei vmbraculum eſt credentibus. Etſi igitur hæc immundities eſt in ſanctis, tamen placent perſonæ propter Filium Dei, fide accipientes imputationem iuſtitiæ, iuxta illud Pſal. 32. 1. Beati quorũ tecta ſunt peccata. Item: Pro hoc orabit te omnis ſanctus. Item: Si actiones carnis ſpiritu mortificabitis, viuetis. Hæc peccata ſupra dixi nominari Venialia.

DE SEXTA.

De mercede operum.

Hîc primum cauẽdum eſt, ne operum doctrinam cum cauſis efficientibus iuſtificationis confundamus. Opera enim non ad cauſas efficientes, ſed ad finales pertinent. Quare ne ſtudioſi hic hallucinentur, nonnulla huc adijciendam ſunt, & declaranda vocabula *Mercedis* & *Meriti*.

Merces pro præmio gratuito.

Scriptura vocat ſupplicia malis, & præmia bonis operibus reddita Mercedis nomine, vnde & Deus μισθαποδότης, hoc eſt, mercedis retributor dicitur. Hebræor 11. 6. Sed ſciendum eſt, nomen Mercedis, quæ bonis rependitur operibus, vſurpari bifariam. 1. Aliquando enim ſignificat non Debitum, ſed planè gratuitũ officij vel laboris alicuius debiti Præmium, vt cùm paterfamilias filio ſuo vel ſeruo pollicetur & reddit aliquid non debiti præmij, pro officio diligẽter quidem obito, ſed tamen debito. Debet enim filius & ſeruus ſuo patrifamilias quæcunque ad eius gratiam & vtilitatem poteſt pręſtare, his filijs & ſeruis, cùm quæ debent, quamlibet diligenter perfecerint, ille non debet (teſte Domino Lucæ 17. 10.) ne gratiam quidem, nedum mercedem. 2. Aliquando autem accipitur merces pro compenſatione officij aut laboris debita, vt Rom. 4. 4. Operanti verò merces imputatur non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Talis merces à Deo nobis deberi non poteſt, nam nos filij & ſerui Dei ſumus, facti toti & refecti à Deo, & ab eius planè gratuita benignitate cuncta bona accipimus, in ipſo viuimus, mouemur & ſumus. Quocirca debemus huic Patri & Domino noſtro, longè & plura & perfectiora officia, quam in hac vita vnquam præſtemus. Ac proinde quicquid Deus nobis mercedis rependit, id conſtat eum rependere nobis charitate & benignitate omnino gratuita, & non ex vllo aut debito aut condigno. Atque ita vocabulum mercedis accipitur dupliciter, generaliter & ſpecialiter. Generaliter quidem pro quauis laboris compenſatione: Specialiter verò alias pro debita, alias non debita compenſatione. Porrò *Mereri* ſignificat operam vel laborem pro mercede præſtare, hoc eſt, facere aliquid, quod non iure debes, pro quo tibi merces debetur. Iam nos nihil Deo omnino facere aut præſtare valeamus, quod ei non debeatur, aut propter quod ipſe nobis debere poſſit, præſtitæ ei operæ vel officij merito. Proinde ſcriptura nuſquam dicit, Sanctos cùm benefaciunt, aliquid mereri de Deo, ſed ſancti patres interdum καταχρηστικῶς hac voce vtuntur, pro eo quod eſt facere Deo aliquid gratum, cuique Deus mercedem rependet, non debitam. Ita & Meriti nomen, ſi vſurpetur propriè, certum eſt ſignificare aliquod officium aut beneficium, cui merces debeatur: quod cùm ſancti patres vſurpant, abutuntur eo pro operibus gratis Deo, & quæ ille gratuita mercede remuneratur. *Et Bernardus clarè dicit*: Noſtra merita ſunt via regni, non cauſa regnandi: qua orationis forma excludit merita à cauſis iuſtificationis, & ea tantum eſſe opera grata Deo, quæ requirit à ſanctis. Quare tametſi præmia tribuuntur bonis operibus, tamen ipſa bona opera meritoria dici nequaquam poſſunt, niſi duriſsima Catachreſi, à qua pijs omnino abſtinendum iudico.

Pro compenſatione debita.

Meritum quid.

Quo ſenſu hac voce vſi ſunt Patres.

CAPVT IIII.

OPERA CHARITATIS.

De certa ſpecie operum Analyſis.

QVoniam in præcedenti capite de bonis operibus dictum eſt, hoc loco viſum eſt ſpeciem certam operum, quæ Charitatis nominantur, explicare, & quatuor tantum attingam, idque breuiſsimè.

Primum, quibus rationibus impelli debeat quiſque ad præſtanda proximo opera Charitatis. *Deinde* diſcrimen operum Charitatis ſignificandum eſt. *Tertio* loco regulas ponam, ad quas opera pręſtanda proximo, exigenda ſunt. *Poſtremo* loco pauca teſtimonia de operibus Charitatis colligam.

1. Cauſæ impulſiuę tres. Efficiens.

Quantum ad primum attinet, tria conſideranda ſunt, Efficiens cauſa, obiectum & finis. *Efficiens* prima eſt mandatum Dei, cui omnes creaturas obtemperare par eſt. Secunda eſt fides, quę efficax eſt per Charitatem. Hæc enim per verbum iudicium for-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mat, cor excitat, atque organa gubernat. Tertia Spiritus ſanctus, quo donat Chriſtus credentes, quo ducuntur, modo ſint veri Chriſtiani.

Obiectũ. *Obiectum*, eſt proximus, noſtro opere & auxilio indigens, hic corde, ore & opere iuuandus eſt, hoc nomine quod ſit proximus. Idq́ue 1. ratione creationis. 2. ratione ſimilitudinis. 3. ratione communis vitę & humanæ ſocietatis: atque hæc communia nobis ſunt, non ſolum cum Chriſtianis, verumetiam cum omnibus in mundo hominibus, Ethnicis & Iudæis. 4. ratione myſtici corporis. 5. ratione regenerationis. 6. ratione vocationis communis piorum, qua ad vnitatem ſpiritus in vinculo pacis vocati ſumus, Epheſ. 4. 3. 7. ratione futuræ gloriæ. Atque hęc quatuor poſtrema Chriſtianorum propria ſunt, quæ coniuncta meritò nos ad pręſtanda officia proximo incitare deberent, ſi vel mica fidei in nobis eſſet.

Finis. *Finis* porrò quadruplex eſt. 1. Gloria Dei. 2. Subleuatio indigentis proximi. 3. Exemplum & ædificatio aliorum. 4. Præmium. ſed de his alibi plura.

2. Diſcrimen operum charitatis. *Diſcrimen* operum proximo debitorum, quadruplex mihi videtur aſsignari, Lucæ 6.37. 1. Corde non iudicare perperam de proximo, ſed candidè de ipſo ſentire, ſempérque meliora de ipſo ſperare. 2. Ore non condemnare, ſed potius benignè de ipſo loqui, ac ſine calumnijs in meliorem partem omnia accipere. Breuiter, voce quærere proximi honeſtum nomen ac incolumitatem. 3. Peccãti in nos condonare: Remittite, inquit, & remittetur vobis. 4. Indigenti adeſſe conſilio & opere. Conſilio, quoties illum à recto aberrare vides. Opere verò, aliâs dando largius Eleemoſynam, aliâs mutuando hilariter, etiamſi ſimile officium ab eo non expectes. Nam mutuare cum expectatione ſimilis officij vulgare officium eſt, etiã inter Ethnicos & peccatores, qui nondum ſunt in familiam Chriſti per fidem vocati.

3. Regulæ. *Regulæ* tres ſunt: Verbum, Fides, Charitas: hæc enim tria modum præſtandi proximo officium facile docebunt hominem pium. *Verbum*: Prou. 5.16. Fontes tui deriuentur foras, tu autem Dominus eorum eſto. Hoc verbum monet, vt non ita opes effundas, vt ipſe indigeas, ac ſtatum tuum honeſtè non tuearis. *Fides* membra communia eiuſdem corporis myſtici complecti non deſinit. *Charitas* fidei ancillatur.

TESTIMONIA.

1. Lucæ 6.36. Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt: Nolite iudicare, & non iudicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini: Remittite, & remittetur vobis: Date, & dabitur vobis. Hic Dominus quatuor complectitur, præceptũ, exemplum, diſcrimen operum Charitatis, & præmium. 2. Matth. 5.5.42. Petenti abs te dato, & cupientem mutuo accipere, ne auerſeris. 3. Iudicium abſque miſericordia Iacob. 2.13. erit ei, qui non præſtiterit miſericordiam. 4. Matth. 19.13. Miſericordiam volo, & non ſacrificium. 5. Prou. 19.17. Fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis. 6. Rom. 12.10.13. Charitatem fraternitatis inuicem diligentes. Item: Neceſsitatibus ſanctorum cõmunicantes, per charitatem ſerui alij alijs. 7. Epheſ. 5.2. Ambulantes in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit vos.

CAPVT V.

VOCATIONIS SEV officij cuiuſque opera.

Doctrina generalis. VAldè prolixam tractationem inſtituere oporteret, ſi ſingula officiorum genera, nobis explicanda eſſent. Quare generalem tantum doctrinam, quæ particularibus officijs accommodabitur, tradam.

Vocationis definitio & diuiſio. Vocationem vocamus vſitatè alicuius officij ſeu operis peragendi functionem legitimã, eámque duplicem facimus, Communem & Perſonalem. Illa omnium piorum communis, hæc propria ſingulorum eſt.

Cõmunis. Eſt ſiquidem *Communis* vocatio, quâ ſumus per Euangelium euocati ex mundo, vt ſimus noua creatura, ſeu ſpirituales reges ſeu ſacerdotes. Quare regia officia & ſacerdotalia à nobis præſtanda ſunt, vt iuſtitia induti ſimus, & in ſanctitate exultemus, perpetua laude Deum celebrantes, offerendo illi hoſtias placentes. 1. ſpiritum contribulatum. 2. ſacrificium iuſtitiæ. 3. ſacrificium laudis, ac vitulos labiorum, confitentium nomini eius. 4. hoſtias beneficentiæ & communionis, quibus εὐαρεστεῖται, id eſt, oblectatur Deus, ſeu placemus Deo. 5. hoſtiam rationalem propriorum corporum. Breuiter, omnem noſtram obediẽtiam, quam in hac communi noſtra vocatione præſtamus, iuxta ipſius voluntatem, ſacrificij nomine dignàtur Deus, ídque ob has cauſas. 1. vt ſciamus noſtram obedientiam Deo placere. 2. vt ſciamus Deum eam ſerio requirere. 3. vt hiſce notis, pij ab impijs diſcernantur. 4. vt extet teſtimonium noſtræ erga Deum gratitudinis, vnde ſacrificium Chriſtianorum εὐχαριστικὸν dicitur: qua appellatione diſtinguitur à ſacrificio, quod ἱλαστικὸν vocatur: de quo in tertia communium capitum claſſe, vbi de morte & paſsione Domini agitur, dicendum erit. Porrò *Regium munus*, quod commune omnium piorum eſt, in eo conſiſtit: vt iam peccato & mundo dominemur, ac ſuperemus ea per fidem, quæ mundo victoria eſt, vt quæ nos inſerit in Chriſtum, qui ſolus eſt mundi victor.

Perſonalis. Hactenus de communi officio Chriſtianorum, nunc ad perſonalem vocationem veniamus. Eſt autem *Perſonalis* vocatio, legitima functio officij alicuius, certæ perſonæ propria, vt vocatio ad imperandum, ad docendum, diſcendum, operandum.

Quid requiratur. In hac requiruntur multa. *Primùm*, vt habeat vocatio verbum Dei: non enim poteſt legitimum eſſe, de quo verbum Dei non extat in genere ſaltem officij. Quare hæc regula tenenda eſt: Omne officium faciens ad conſeruandos & adiuuandos ſtatus à Deo ordinatos, vt œconomicum, politicum, Eccleſiaſticum, mandatur primo & quarto præcepto, atque ideò in ſe legitimum, licitum & ſanctum eſt. Si huc acceſſerit iuſta & ordinaria vocationis deſignatio, fit etiam officium legitimum perſonæ reſpectu, & præterea cultus Dei in conuerſis & ſanctis. Requiritur ergo vt vocatio ſit legitima, & ratione officij, & reſpectu perſonæ. *Secundum*, vt Fides & Charitas ſint actionum in vocatione Regulæ. Fides Deum reſpiciet, monebítque, vt ne quicquam in officio committas, quo gloriam Dei lædas: nec omittas quod requirit officij ratio, nec ſegniter facias opus vocationis in conſpectu Dei, qui maledictum pronunciat, qui facit opus Dei fraudulenter. Charitas proximum intuebitur, monebítque ne cui ſis iniurius, hoc eſt, ne vel curioſè aliena inquiras tuo neglecto officio: vel inuideas ijs, qui te fortunatiores & præſtantiores videntur: vel contemnas eos, quos te inferiores putas, ſeu qui viliorem vocationem videntur adepti quam tu: vel dolo vllo aut fraude circumuenias proximum tuum in tuo officio & vocatione: vel ſis πλεονέκτης quouis iuſtitiæ & iuris titulo: Sed potius requirit Charitas, vt in tua vocatione maneas quietus, & propria agas, adeóque omnia referas ad vinculum ſanctæ ſocietatis, quemadmodum Paulus præcipit ſuis Theſſalonicenſibus. *Tertium*, perpetuò reſpiciendum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dum eſt ad verbum, quo nititur tua vocatio, vnde cõſolationem petes, ſi quid aduerſi obtigerit. *Quartum*, vocatio ad gloriam Dei & vtilitatem Reipublicę, in qua viuis, referenda eſt. *Quintum*, Cogitandum, nihil fœliciter agi ſine Deo iuuãte, nullum enim officium eſt, nullá que vocatio, quæ non multum laboris & moleſtiæ habeat annexum. Vnde ſæpe in inuocationem Dei prorumpendum, vt ipſe difficultatem pro ſua bonitate mitiget.

Teſtimonia vocationis.

1. 1.Corint.7.20. Vnuſquiſque in qua vocatione vocatus fuit, permaneat. 2. Ad Epheſ.4.1. Hortor ego vos vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate & manſuetudine. 3. Rom.13.13. Tanquam in die honeſtè ambulemus.

CAPVT VI.

VOTVM.

Definitio & diuiſio voti. VOtum promiſsio eſt ſpontanea, quæ Deo fit, et eſt duplex: Commune & Particulare ſeu *Cõmune.* ſpeciale. *Commune* Chriſtianorum votum eſt promiſsio, qua in vnius Dei, qui eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, nomen inauguramur, pollicemúrque nos illi omnem obedientiam, ac renunciamus diabolo eiúſque operibus. Hoc votum nuncupatum in Baptiſmo, confeſsione, & Cœnæ Dominicæ ſumptione confirmatur: Eſtque extra dubium pium & ſanctum, vt quod habeat mandatum Dei & promiſſionem ſalutis. Sine hoc voto nullus adultus ſaluari *Particulare duplex* poteſt. *Particulare* ſeu perſonale ſeu ſpeciale votum eſt, quod aliquis ſua ſpõte Deo promittit. Hoc quia duplex eſt, pium & temerarium, opus eſt prudentia, vt alterum ab altero rectè diſtinguas: quod vt fiat, *Quæſtiones.* quatuor nobis perpendenda ſunt. 1. quis ſit is, cui nuncupatur votum. 2. qui nos, qui vouemus. 3. quæ res, quam vouemus. 4. quo animo votum nuncupetur.

1. Quis eſt, cui votũ nuncupatur? Deus, qui damnat ſuo verbo omnes ἐθελοθρησκείας, qui clamitat: Fruſtra ſe coli mandatis hominum. Vnde hæc regula colligenda eſt: Quod nihil omnino vouere liceat, niſi conſcientia prius ſtatuat ex verbo Dei, placere Deo, cui nuncupatur votum. Cùm enim votum ſit pars religioſæ inuocationis & confeſsionis Dei, fieri debet ſecundum verbum ipſius.

2. Qui nos, qui vouemus? Homines fragiles. Vnde monemur, quod votum non debeat pugnare cum vocatione noſtra.

3. Quæ res quã vouemus? Hic tria ſunt perpendenda. 1. an res ſit poſsibilis, & in noſtra manu poſita. 2. an genus voti in communi voto includatur. 3. an ne ingrati videamur, contemnentes creaturas Dei, qui eas nobis contulit vtendas pro commoditate noſtra cum gratiarum actione.

4. Poſtremum, quod propoſui ſpectandum eſt, quo animo quis votũ nuncupet. Hic admonemur, quo reſpiciat is, qui vouet. Debet autem reſpicere ad tempus Præteritum vel futurum. Si ad *Præteritum* reſpicit, erit votum aut exercitium pœnitentiæ, aut gratiarum actionis teſtimonium. Si ad *Futurum* reſpicit, eò pertinebit votum, vt vouentem cautiorem reddat, vtque ſtimulis quibuſdam eum ad pietatis officia excitet.

Porrò omne votum peccans contra has regulas, vt impium, reſcindendum eſt, nullum enim vinculum eſſe poteſt, vbi quod homo confirmat, Deus abrogat. *Concluſio ex ſuperioribus regulis.* Sequenda igitur in temerarijs votis Regula eſt: In malis promiſsis, reſcinde fidem. In turpi voto, muta decretum. *Malum quod promiſiſti* (inquit Bernardus) *non facias: quod incautè vouiſti, non impleas.* Impia eſt promiſsio, quæ ſcelere adimpletur. Proinde Monachus qui vouet Monachiſmum, aut ſacrificulus qui cœlibatum vouet, poteſt & debet bona conſcientia votum ſuum reſcindere. *Adu vota monaſtica & cœlibatum.* 1. Quia ſuum monachiſmum & cœlibatum pro cultu æſtimat contrà primam regulam. 2. quia temerè nuncupantur ab ijs, quibus præſtandi facultas non eſt. 3. quia in voto communi, vt in genere, non includuntur, imò potius pugnant. Apertè enim cum voto communi pugnat, colere Deum mandatis hominum.

Porro errores Papiſtarum de votis ſunt plurimi *Errores papiſtici de votis.* *Primum* enim votum eſſe opus ſupererogationis dicunt. *Deinde*, factum cum voto magis meritorium eſſe, quam ſine voto factum. *Tum* voto matrimonium ſolui. *Præterea*, votum eſſe opus conſilij, & non præcepti. Sed has nugas miſſas faciamus, quia tantum ſunt otioſorum hominum ſomnia. Quare contra iſta omnia hæc teneatur demonſtratio. *Refutantur.* Nullum opus lege Dei comprehenſum, eſt ſupererogationis, aut conſilij, nec liberum, ſed neceſſarium: quia ſcriptum eſt, Cùm omnia feceritis quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Inutiles ſerui ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Omne opus Deo acceptum, eſt lege Dei comprehenſum. Nullum opus igitur Deo acceptum ſupererogationis aut conſilij eſt, nec liberum, ſed neceſſarium. Vnde relinquitur, votum lege Dei non pręceptum, ſaltem in genere facti, Deo minimè placere. Quod autem omne opus Deo acceptum lege Dei comprehenſum eſſe oporteat, manifeſtum eſt, nihil enim placet Deo ſine fide. Item: Fruſtra me colunt mandatis hominum. Hac demonſtratione contenti ſimus, relinquente Papiſtis ſua de votis deliria. Porrò teſtimonia de votis extant plurima, Leuitici 27. Deuter.23. Baruch.6. Nahum 1.

CAPVT VII.

CONSCIENTIA.

QVia ſæpius conſcientiæ facta eſt mentio, hîc nonnulla de ea adijciam. *Philoſophorum & Poetarum ſententiæ.* Multa ſanè & Philoſophi & Poëtæ de conſcientia bona & mala ſcribunt. Plato in Politicorum primo, conſcientiam bonam ἡδεῖαν γηροτρόφον vocat. Iuuenalis malam deſcribit, inquiens:

Cur tamen hos tu
Euaſiſſe putes, quos diri conſcientia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit?
Pœna autem vehemens, ac multo ſæuior illis,
Quas aut Cæditius grauis inuenit aut Radamanthus,
Nocte diéque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Vtramque ſimul definit Ouidius vt artifex, hiſce verbis:

Conſcia mens vt cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora, pro meritis, ſpémque, metúmque ſuis.

Verùm quia hæc philoſophica & poëtica doctrina de conſcientia, imperfecta & legalis eſt, fuſius de ea dicam, & quatuor ordine exponam. *Methodus doctrinę de conſcientia.* *Primum*, definitionem generalem tradam. *Deinde* regulas de factis indicabo. *Tertiò*, nonnulla de differentijs conſcientiæ bonæ & malæ adijciam. *Poſtremò*, quæſtiones ſunt expediendæ tres.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Defini-tionis Analyſis.

1. Ex verbis Pauli, Rom. 2. 15. *Definitio* generalis extrui poteſt: Oſtendunt, inquit, opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, conteſtante eorum conſcientia, & intra ſeſe rationibus excuſantibus aut accuſantibus. In hoc Pauli dicto quatuor ſunt diligenter expendenda. 1. dicit opus legis ſcriptum eſſe in cordibus eorum, hoc opus legis eſt diſcrimen honeſtorum & turpium. 2. dicit eos hoc oſtendere. Nam dum religionem inſtituunt, oſtendunt Deum colendum: dum puniunt turpia & iniuſta ſcelera, honeſtatem & iuſtitiam colendam teſtantur. 3. prouocat ad internum teſtimonium conſcientiæ. 4. qualis ſit ille teſtis definit, intra ſeſe λογισμῶν, hoc eſt, rationibus excuſantibus aut accuſantibus. Nam cùm dicit in mentem venire rationes, quibus gentes quòd rectè factum eſt defendunt, & quod malè & turpiter factum eſt, accuſant & redarguunt, iuxta regulam operis legis cordibus inſcriptam, apertè definit conſcientiam eſſe naturalem quandam legis intelligentiam, quæ vt honeſtè facta probat, ita turpiter commiſſa deteſtatur. Vel vt clarius fortè dicatur:

Definitio.

Conſcientia eſt iudicium mentis petitum ex lege, de facto, quod iudicium ſequitur aut lætitia, aut trepidatio in corde. Conſtat itaque conſcientia Syllogiſmo practico & motu cordis, ſyllogiſmum practicum naturaliter comitante.

Partes.

Huius ſyllogiſmi practici maior eſt regula certa, huic regulę, cùm accommodatur per rationem factum in minori, concluditur mentis iudicium, quod naturaliter ſequitur aut lętitia aut trepidatio cordis. Hanc eſſe veram conſcientiæ deſcriptionem ipſa conſcientia in omnibus teſtari poteſt.

Regula triplex.

2. Regula autem triplex eſt, vna naturalis, legalis alia, tertia Euangelica. *Naturalis* regula συντήρησις dicitur: & eſt ſcintilla quædam legis naturæ, quæ aduerſatur vitijs, & mala perpetrata continuò arguit, vt, Deus colendus eſt, honeſta ſectanda, & turpia fugienda, Syntereſes ſunt. Quidam ideò hanc regulam hoc nomine appellari putant, quia pertinent ad conſeruationem hominis, ne ſe peccati maculis inuoluat.

Exemplũ.

Ex hac regula Oedipus & Iocaſta mater ſic colligunt:

Turpiter facta ſunt ſupplicio digna.

Nos commiſimus turpiſſimum factum, nempe inceſtum nefandiſſimum.

Igitur nos ſumus ſcelerati ac ſupplicio digni.

Hunc ſyllogiſmum tanta mentium trepidatio eſt ſecuta, quod non ſuſtinentes tam graue onus, ille oculos eruerit, ne tantis maculis inuolutus aſpiceret hunc ſolem, hæc laqueo vitam finierit.

Diſsimile

Contra, Socrates accuſatus, ſe ita colligendo conſolatur:

Honeſtè agere, ac benemeritum eſſe de republica, eſt glorioſum, ac præmio dignum.

Ego honeſtè egi.

Igitur non culpandus ſum, ſed gloria potius & præmio dignus, quod dum homines negant, dij immortales cumulatè largientur.

Hanc collectionem lætitia quædam animi eſt ſecuta, qua leniuit præſentem dolorem. Sed quia lux Euangelij illi defuit, euentus non reſpondit. Nam ira Dei manet ſuper eos, qui non credunt in Filium. *Altera* regula eſt *lex Dei*, quæ decalogo continetur: cui etiam ſubijcio leges magiſtratus, cuius nos ſubditi ſumus, modò nihil præcipiant contra naturam aut ſcriptam Dei legem. Hæc regula ad duo capita refertur, ad obedientiam erga Deum, & iuſtitiam inter homines.

Exemplũ Saulis.

Ex hac regula Saul ſic colligit: Aut Deo obediendum, aut pœnæ expectandæ. Ego Deo non obediui, ſed contra ipſius mandatum feci. Igitur Deus mihi iraſcitur, & infligit pœnas. Hunc Syllogiſmum ſecutà eſt tanta trepidatio mentis, quòd tandem deſperauerit.

Diſsimile

Verùm Ioſeph in Ægypto ſolicitatus ad adulterium perpetrandum, & falſa delatione coniectus in carcerē, ita ratiocinatur ex regula immota legis & voluntatis Dei: Deo probantur honeſta facta, eíſque promiſit præmia. Ego honeſtè feci, nolens aſſentiri impudicæ adulteræ. Igitur Deus tuebitur iuxta ſuam promiſsionem, meam innocentiam. Hunc Syllogiſmum ſecuta eſt lætitia cordis, qua in carcere erexit animum, donec eum Deus liberauit, & ampliſsimo præmio donauit, propter ſeruatam caſtitatem. *Tertia regula* eſt ignota rationi ac legi, quæ eſt vox Euangelij de reconciliatione, & peccatorum remiſsione propter Chriſtum. Qui credit (inquit veritas) in Filium, habet vitam æternam. Item: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Ex hac regula Dauid commiſſo homicidio & adulterio ſic colligit: Deus promittit veniā pœnitētibus & credentibus. Ego tantis peccatis contaminatus, doleo ob peccatũ turpiter commiſſum, & in ipſum credo. Igitur Deus me recipiet in gratiam, etſi indignum, & multis enormibus peccatis contaminatum. Hunc Syllogiſmum ſecuta eſt in corde Dauid tanta lætitia, quod non ſolum ſe reconciliatum Deo putauerit, verumetiam inter eos numerauerit, quorum Deus peculiarem curam habeat. Sic Manaſſes, Petrus, Paulus ſe erexerunt.

Quatuor fulcra & ſigna bonæ conſcientiæ.

Cæterùm, quia conſcientia talis, ex regula Euangelij valdè tenera eſt, nonnulla de eius certiſsimis ſignis, ac veluti fulcris dicam, ne quis (quod multi, proh dolor, faciunt) conſcientiam ſuam inquinatiſſimam pro purgata habeat. Sunt itaque quatuor fulcra bonæ conſcientiæ. I. Primum & pręcipuum eſt, *Fiducia Chriſti*, qua ſtatuitur eſſe remiſſum peccatum, iuxta illud: Beati omnes qui confidunt in eo. II. Secundum eſt *Bonum propoſitum*, quo abijcitur peccandi voluntas. Qui enim in animo habet aliquando peccare, fidem quidem iactare poteſt, ſed ea prorſus vacuus eſt. III. Tertiũ ardēs *Deſiderium* vitā totam in poſterum approbandi Deo veris cultibus, inuocatione, gratiarum actione, prædicatione Dei, dilectione Dei, dilectione erga omnes. IIII. Quartum, eſt *Sancta* in cuiuſque vocatione *Cura*. Nam qui ſuos negligit (inquit Paulus) abnegauit fidem, & eſt infideli deterior. Hanc conſcientiam Clemens Alexandrinus Stromateon libro ſexto, pag. 284. in Florentinis exemplaribus, deſcribit in hanc ſententiam, inquiens: *Bona conſcientia* (quam vna voce εὐσυνειδησίαν vocat) *pietatem erga Deum, & iuſtitiam erga homines tuetur, animam cogitationibus caſtis, verecundis ſermonibus & iuſtis actionibus puram conſeruans. Hoc modo virtute à Domino præcepta, anima meditatur diuina: malum quidem nihil aliud quam inſcitiam, & actionem cum recta ratione pugnantem exiſtimans. Pro omnibus præterea Deo gratias agit, audiendo quæ iuſta ſunt, legendo diuina, quærendo vera, per oblationem ſanctam, per precationem beatam, laudans, celebrans, benedicens, pſallens. Huiuſmodi anima ne ad momentum quidem temporis vnquam à Deo auellitur.* Hactenus verba Clementis reddidi vt potui. Et profectò omnibus pijs conandum eſt, vt huiuſmodi ſuam eſſe conſcientiam verè affirmare poſsint.

De differentiis conſcientiæ.

3. Tertio loco propoſui de differentijs conſcientiæ, nam aliâs mala, aliâs bona dicitur. Sed vtraque nunc verè, nunc falſò ita nominatur. Hic primum obſeruandum, quod has differentias non ſumat conſcientia à iudicandi facultate, quæ naturale donum eſt, ideóque in bonis numerandum, quod donũ nunc κριτήριον φυσικὸν, nunc lux mentis, & dictamen rationis, nunc naturalis liber, nunc alijs nominibus dicitur.

Sed

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Sed has qualitates accipit ab his tribus: facto præterito, affectu cordis præſenti, & euentu futuro. Nam ſi mens ſibi conſcia recti facti eſt, lætatur & ſpem bonam fouet (quæ ἀγαθὴ γηροτρόφος eſt, vt Pindarus ait) Conſcientia bona dicitur. Contrà, ſi mens ſibi ſceleris conſcia eſt, trepidat, metuit pœnas, conſcientia mala dicitur. Hinc vtriuſquè definitiones extruamus. Conſcientia bona eſt iucunda bene actæ vitæ recordatio, cum ſpe & expectatione læti euentus. Seu, eſt lætus & iucundus motus cordis, cum ſcientia recti facti coniunctus, propter quàm copulam Conſcientia dicitur, & non Scientia. Mala verò Conſcientia eſt, mala ac crucians malè actæ vitæ recordatio, cum metu pœnæ coniuncta. Seu, mala conſcientia eſt triſtis ac crucians motus cordis, cum ſcientia ſcelerati facinoris coniuncta. Porrò conſcientia bona falsò dicitur, cùm regula facti putatur vera & non eſt, & factum congruit cum regula. Monachus habet regulam de ſua Miſſa celebranda, quam cùm celebrat, habet conſcientiam quidem bonam, ſed falsò bonam. Contrà, ſi negligit, habet conſcientiam malam, ſed falsò malam.

Conſcientia bona quid. — Mala. — Bona aut mala, ſed falsò.

4. Iam quæſtiones diluendæ reſtant. *Prima*, an liceat gloriari ob bonam conſcientiam? ad quam Paulus reſpondet 2. Cor. 1. 12. Hec eſt gloriatio noſtra, teſtimonium conſcientiæ noſtrę. At contrà idem Paulus 2. Cor. 10. 17. Qui gloriatur, in Domino glorietur. Reſpondeo, Quilibet poteſt in ſuis rectè factis gloriari, ſed non extra Dominum. Quare has tres exceptiones conſtituamus. I. vt quicquid habemus boni, Deo feramus acceptum, nihil nobis arrogantes. II. vt retineamus illud fundamentum, In ſola miſericordia Dei ſitam eſſe noſtrę ſalutis fiduciam. III. vt in ſolo bonorum omnium autore acquieſcamus. His iactis fundamentis, bona eſt, imò neceſſaria gloriatio vera in rectè factis, quæ gloriatio non erit Thraſonicus faſtus, ſed approbatio conſcientiæ rectè iu-
2. dicantis. *Altera* quæſtio eſt, Vtrum erronea conſcientia obliget, nec ne? Conſcientia erronea obligat, ſic intelligendo, quòd faciens contrà, peccet: tamen quia illa obligatio nociua eſt, cum diuina lege homo ad contrarium obligatur, Deus obligationem, quæ eſt per conſcientiam erroneam, non acce-
3. ptat. Quicquid enim fit vel repugnante vel hæſitante vel errante conſcientia, peccatum eſt. *Tertia* quæſtio eſt, num ſatis ſit cuilibet homini conſcientia bona apud ſemetipſum? Auguſtinus reſpondet, duæ res ſunt, conſcientia & fama. Conſcientia neceſſaria eſt tibi, & fama proximo. Verùm ſi conaris famæ conſulere quantum poteris, & nihil proficis, ſecurus eſto bona conſcientia apud Deum.

Quæſtiones. 1.

CAPVT VIII.

VETVS HOMO ET NOVVS *homo, eorúmque diuerſa ſtudia.*

Quomodo conſiderantur.

VEtus Homo & Nouus homo, metonymia Hebraica dicuntur. Nam ſubſtantię ſeu ſubiecti nomen pro adiuncto ponitur: & Epitheta diuerſa ſtudia innuunt. Dupliciter autem conſiderantur,
1. aliâs enim vt inter ſe opponuntur, renatus & non renatus: expers fidei regníque Chriſti, & vtriuſque conſors atque particeps: ille vetus, hic nouus homo dicitur. Vetus quidem, quia detinetur in ſuæ originis iniuſtitia & peccato: Nouus verò, quia iam à peccato abſolutus per fidem in Chriſtum, regeneratus eſt, vt ſit noua creatura. Definitur autem ad Ephesios quarto, Nouus homo, hoc modo: Qui ſecundum Deum
2. creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate vera. Aliâs vetus homo & nouus non in diuerſis hominibus ſed in iiſdem, hoc eſt, in regeneratis opponuntur. Vt enim primo modo Nouus dicitur propter fidem, ita ſecundo modo Nouus dicitur, propter nouos fructus nouæ arboris, hoc eſt, propter nouam obedientiam & vitam, quæ ſequitur fidei iuſtificationem.

Quod autem in his, id eſt, regeneratis Spiritu opponitur, vetus homo dicitur. Vnde Paulus veterem hominem interdum *Carnis* vocabulo, & nouum *Spiritus* appellatione deſignat: Idque duplici metonymia. 1. carnis & ſpiritus vocabula non pro ſubſtantijs, ſed pro qualitatibus vſurpat. 2. cauſam pro effectu ſumit: nam vt caro, hoc eſt, carnis vitioſitas pro rebellione, ita ſpiritus pro motibus ſpiritualibus, qui excitantur per Spiritum ſanctum, accipitur. Verùm *Externus* homo & *Internus* alia dicuntur ratione. Eſt enim externus homo, quicquid ad præſentem ſeu terrenā vitam ſpectat, 2. Corint. 4. 16. Eſt autem duplex vita, terrena & cœleſtis. Vt igitur conſeruatio terrenæ vitæ, quæ non tantum ætatis flore, bona valetudine, ſed opibus etiam, honoribus, amicitijs & alijs ſubſidijs continetur, exterior homo dicitur: ita interior homo eſt conſeruatio cœleſtis vitæ.

Spiritus & Caro quid. — Externus & internus homo.

Porrò veteris & noui hominis *Diuerſa ſtudia* ad Galat. 5. 19. &c. deſcribuntur, & ſancti perpetuam luctam veteris ac noui hominis in ſeipſis experiuntur, vt Paulus de ſeipſo teſtatur, Roman. 7. Cæterùm, 1. Corint. 15. 47. eſt alia hominis diuiſio. Homo primus *Terrenus*, Adam. Secundus *Cæleſtis*, Chriſtus, quę diuiſio pertinet non ad ſubſtantiam, ſed ad qualitatem & vim vtriuſque. Quemadmodum enim ab Adam habemus, vt viuamus in hoc mundo tanquam rami à radice: ita Chriſtus nobis principium eſt & autor cœleſtis vitæ. Hoc adijcere volui propter Manichæos, qui perperam hæc epitheta ad ſubſtantiam retulerunt.

Diuerſa veteris & noui hominis ſtudia. — Terrenus & cæleſtis.

TESTIMONIA.

1. Ad Rom. 6. Vetus homo noſter crucifixus eſt, vt aboleatur corpus peccati, vt vltrà non ſeruiamus peccato. 2. Epheſ. 6. Deponite ſecundum priſtinam conuerſationem veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Renouamini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in iuſtitia & ſanctitate veritatis. 3. Coloſſ. 3. Nolite mentiri inuicem, cùm exueritis veterem hominem cum membris ſuis, & indueritis nouum, qui renouatur in agnitionem Dei ſecundum imaginem eius, qui creauit eum.

CAPVT IX.

LITERA ET SPIRITVS.

QVia quid nouus & vetus homo ſit expoſuimus, non intempeſtiuum fortè erit, nonnihil hic adijcere de *Spiritu* & *Litera*. Huius enim rei recta explicatio geminum pariet nobis fructum. Primùm enim liberabit nos ab errore Origenis & Papiſtarū, qui has voces ad interpretationē ſcripturæ referunt. Nā Grammaticū & Literalē ſenſum interpretātur literā, quam dicunt occidere: Allegoricū verò, Spiritum, quem dicunt viuificare: quo ſanè errore nullus peſtilentior eſſe poteſt: aperit enim non ſolùm feneſtram hæreticis omnibus, ad faciendum quodlibet ex quolibet, verùm etiam fidem extinguit, quæ ex Grammatico ſenſu & literali concipitur & dependet. Deinde & hunc fructum percipiemus, quòd magis ſimus amaturi verbum Dei, cùm illud nequaquam in tot Protheos transformandum

Vtilitas huius doctrinæ.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Aduerſus errorem Origenis de ſpiritu & litera.

nouerimus, & ſtatuerimus Deum clarè & perſpicuè per verbum ſuum nobis loqui. Porrò occaſionem iſtius erroris ſumſit Origenes ex dicto Pauli, 2. Cor. 3.6. vbi ſic loquitur Apoſtolus: Qui nos fecit idoneos miniſtros noui teſtamenti, non literæ ſed ſpiritus. Nam litera quidem occidit, Spiritus autem viuificat. Hic quid per literam & quid per ſpiritum ſignificetur, ambigitur. Verùm vt ad huius rei notitiam pertingamus, primùm quid litera, quidq́ue Spiritus in genere ſint, videbimus: id quod ex collatione plurium locorum facilè deprehēdetur, Rom. 7.6. Vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus, & non in vetuſtate literæ. Rom. 2.29. Circuncíſio cordis in ſpiritu, non litera. Ad Corinthios opponit ſpiritum Dei viui tabulis lapideis. Ex his locis apertum eſt, per vtrumque ſignificari doctrinam & opus, ſed nomina illa differentias faciunt: vt litera quidem ſit doctrina vel opus inefficax ſine ſpiritu ſancto, intus in corde efficaci: Spiritus verò ſit doctrina vel opus in cordibus virtute ſpiritus Dei efficax. Non [illegible]itur hæc vocabula ad interpretationem pertinent, ſed ad vim fructúmque referenda ſunt per metonymiam ſiue metalepſin.

Litera quid.

Litera proinde erit doctrina tota Dei, ſcripta, lecta, intellecta, atque adeò omne opus hominis ſine efficacia ſpiritus intus corda renouantis. Lex ergo eſt litera, ſimiliter Euangelium, item Sacramenta, & omne opus, quando illa ſola ſunt, ſine ſpiritus energia, & ſalutari in corde motu. Ita contrà omnis doctrina, Lex, Euangelium, Sacramentum, opus, cum viuo ſenſu cor penetrant, *Spiritus* ſunt, & non litera.

Spiritus quid.

Breuiter, cùm inefficax manet aliquid, litera eſt, cùm efficax eſt, ſpiritus nominatur.

Sed quomodo hæc interpretatio congruit cum Pauli dicto? Litera occidit, Spiritus viuificat. Si omnis doctrina ſine ſpiritu eſt litera, occidit vtique, quare prædicatio quoque Euangelij videtur occidere, quod dictu abſurdum videtur? Reſpondeo, Nec Lex, nec Euangelium ſimpliciter occidunt, ſed propter euentum mors & vita illis tribuuntur. Cùm enim lex auditur, & non adigit hominem ad Chriſtum viuificatorem, dicitur occidere propter talem euentum: nam is qui ſic legem audit, incurrit in mortem. Similiter cùm Euangelium prædicatur, legitur, intelligitur, dicitur occidere, non quod ſit Euangelij occidere, ſed quia talis euentus eſt eorum, qui non credunt Euangelio prædicato. Atque hoc eſt, quod dicit Simeon Luc. 2.34. Chriſtum eſſe poſitum multis in ruinam. Item Ioan. 3.36. Qui non credit, ira Dei manet ſuper eum. Sacramenta itidem dicuntur occidere, non inſtitutoris conſilio, ſed ex euentu, Sacramentis ſacrilege abutentium, ſine fide & timore Dei.

Legis & Euangelij natura.

Atq; hæc ita intelligenda ſunt, cùm litera & ſpiritus ſeorſum dicuntur de lege, Euangelio, Sacramentis, operibus. At ſi collationem inſtituis inter vetus & nouum teſtamentum, ſeu inter legem & Euangelium, quemadmodum Paulus facit, 2. Cor. 3. alio reſpectu dicũtur. Nã vbi ad hanc collationem venitur, verè & congruenter dicitur, legis naturam eſſe literaliter docere homines, ita vt vltra aures non penetret. Euangelij autem naturam eſſe ſpiritualiter docere, quia gratiæ Chriſti ſit inſtrumentum. Quatenus itaque Lex & Euangelium opponuntur, dicitur illa litera occidens, hoc ſpiritus viuificans, quia illius prædicatio ſine Chriſto mortua eſt, huius prædicatio viuificum ſalutis miniſterium exiſtit.

FINIS SECVNDÆ claſsis.

EXPLICATIO CAPITVM TERTIÆ CLASSIS.

CAPVT I.

PRÆDESTINATIO.

Doctrina prædeſtinationis vtiliſsima.

QVemadmodum doctrina prædeſtinationis longè vtiliſsima eſt, modò ritè ac ſobriè tractetur. Nam æterna Dei prædeſtinatio eſt fundamētum & prima cauſa bonorum omnium, quæ à Deo percipimus: Ita nullibi periculoſius erratur, quàm hic, vbi à verbo tradito ad humanas cogitationes deflectimus. Quare conſilium Pauli in hac doctrina ſequamur, qui immenſam Dei bonitatem in ea conſiderandam proponit: ad gratiarum actionem incitat: inde perit ſalutis credentium certitudinem, per eámque omnia merita humana deſtruit. Hic enim verus fons eſt, vnde haurienda eſt diuinæ miſericordiæ cognitio. Hic os obſtruitur omnibus hominibus, ne quid ſibi arrogare auſint vel queant. Idcircò meminiſſe oportet finium huius doctrinæ, quos Paulus tradit, & quærendi non ſunt alij fines, præter & contra verbum Dei in noſtri perniciem, quemadmodum multos feciſſe, proh dolor, manifeſtum eſt. Hæc præfanda duxi, vt ſtudioſi non abhorreant ab hac doctrina, ſed de ea formēt iudicium ex Scriptura & verbo Dei, non ex humano cerebro.

Quomodo conſideranda.

Huius analyſis & methodus.

Vt autem ordinem aliquem in huius myſterij explicatione teneamus, ſex excutienda proponam, quæ in prædeſtinationis doctrina præcipua momenta videntur. *Primum* enim regulas quaſdam tradam, quibus confirmabitur cõſcientia, ne Stoicæ opinioni de prædeſtinatione ſubſcribat. *Deinde*, quis ſit ordo in prædeſtinationis negotio dicam. *Tertiò*, vnde iudicium de prædeſtinatione ſit petendum, exponam. *Quartò*, prædeſtinationis definitionem ex prioribus capitibus colligam. *Quintò*, qualis ſit prædeſtinationis certitudo, vndéque petenda ſit, oſtendam. *Poſtremò* loco adijciam nonnihil de finibus & vſu prædeſtinationis.

I. Regulæ ſeptem. I.

Regulæ itaque obſeruandæ hæ ſunt. I. Nequaquam ex ratione, ſed ex ſolo verbo Dei nobis patefacto, iudicandum eſt de prædeſtinationis myſterio. Hæc regula confirmatur ex eo, quod aliundè non ſit de voluntate Dei iudicandum, quàm ex verbo. Regulæ vſus, vt excludas ex hoc negotio Stoicas de neceſsitate opiniones, quibus tollitur contingentia, & læditur gloria Dei, prauíque mores confirmantur, & Epicuriſmus inuehitur. II. Promiſsio gratiæ eſt vniuerſalis. 2.

Confirmatur regula multis teſtimonijs, Matth. 11.28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos. Ioan. 3.16. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Rom. 3.22. Iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſuper omnes credētes. Rom. 10.12. Idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant eum. Rom. 11.32. Concluſit Deus omnes ſub inobedientiam, vt omnium miſereatur. 1. Tim. 2.4. Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Iſa. 53.6. Omnes nos quaſi oues errauimus, & poſuit Dominus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nus in eum iniquitatem omnium noſtrûm. Vſus re-
gulæ eſt, vt hanc vniuerſalem promiſsionem nobis
accommodemus, ac iuxta mandatum Dei Chriſtum
induamus, qui omnes ad ſe vocat, & omnibus ſua be-
3. neficia gratis offert, fide accipienda. 3. Non eſt προσ-
ωποληψία apud Deum. Hæc regula expreſſè traditur
Rom.2.11. Act.10.34. Verè comperio, quod non ſit
προσωπολήπτης Deus, ſed in omni gente, qui timet
eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt ipſi. Ephe.6.
9. Scientes, quod & veſter ipſorum Dominus eſt in
cœlis, & προσωποληψία non eſt apud eum. Galat.2.6.
Perſonam hominis Deus non accipit. Deuter.10.17.
Circuncidite præputium cordis veſtri, & ceruicem
veſtram ne induretis amplius, quia Dominus Deus
veſter ipſe eſt Deus deorum, & Dominus dominan-
tium, Deus magnus & potens & terribilis, qui per-
ſonam non accipit, nec munera. Verùm ad huius re-
gulæ declarationem, nonnulla aſſcribam ex Com-
mentarijs Philippi ad Romanos, qui ſic ait: *Vſitatè
deſcribitur acceptio perſonarum eſſe, dare æqualia inæ-
qualibus. Oritur autem ſententia prohibens προσωπολη-
ψίαν ex fontibus iuſtitiæ. Iuſtitia eſt æqualitas, ſed ordi-
nata ſecundum menſuram aliquam, vt, Iudex tum eſt iu-
ſtus, cùm æqualiter menſuram ſeruat: punit ſontes & de-
fendit innocentes, nec diſcedit à menſura propter alia ac-
cidentia in hominibus, & contra hanc menſuram facere
inæqualitas eſt, quæ eſt iniuſta & tyrannis. Ideò cùm di-
citur: Apud Deum non eſt acceptio perſonarum, tribuitur
ei laus iuſtitiæ & æqualitatis, cuius hæc menſura eſt:
Vniuerſaliter iraſcitur Deus peccato in homine: vniuer-
ſaliter & recipit omnes ad mediatorem confugientes.
Hanc menſuram ſuo ſapientiſſimo & iuſto conſilio ſan-
xit, & vult immotam eſſe. Et fingere, quod non ſeruet hanc
æqualitatem, eſt tribuere ei προσωποληψίαν.* Ideò & Pau-
lus inquit, 1. Tim.2.4. Deus vult omes homines ſal-
uos fieri. Hactenus præceptor. Vſus regulæ eſt, vt ip-
ſum opponamus Stoicæ opinioni & imaginationi,
quæ fingit, in Deo inæqualitatem eſſe: & conſole-
mur nos, quod Deus ſit æqualis, velítque omnes ad
mediatorem confugientes recipere ſine omni perſo-
4. narum acceptione. IIII. In Deo non ſunt ponen-
dæ contradictoriæ voluntates. Confirmatur regula,
quia ipſe cor & corpus dãnat. Deinde eſt Deus verax,
omnis homo mendax. Vſus regulæ eſt, ne Sophiſtica
ſinamus nobis auferri vniuerſales ſententias, qualis
eſt illa Domini: Venite ad me omnes, &c. Et illa,
Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Matth.23.37.
Ieruſalem, Ieruſalem, quoties volui congregare filios
tuos, quemadmodum congregat gallina pullos ſuos
ſub alas ſuas, & noluiſti? Hic Chriſto Domino tri-
buere vel diuerſam à Patre voluntatem, vel quod a-
lia ſecreta voluntate voluerit, quàm verbis ſe voluiſ-
ſe oſtendit, horrenda in Deum blaſphemia eſt. Qua-
re certò ſtatuamus, Deum verè id velle, quod ſe ſua
voce velle teſtatur. Cùm dicit Paulus: Deus vult om-
nes homines ſaluos fieri, Deum inconſtãtiæ & men-
dacij arguit, quicunque Deum quorundam ſalutem
nolle putat, quantum ad conſilium creationis atti-
net. Quod autem quoſdam æterna morte punit, id
fit, quia noluerunt Deo, volenti ipſorum ſalutem,
5. obedire. V. Gratia ſuperat peccatum. Hæc regula
Pauli eſt, cuius hic eſt Vſus, ne ob magnitudinem
peccatorum deſperemus, ſed confugiamus ad illum,
qui plenus gratia & veritate eſt: ipſius enim ſacrifi-
cium ſufficiens eſt ad omnia quantumuis enormia
6. peccata expianda. VI. Vt in primo parente Adam
lapſum eſt totum humanum genus: ita promiſsio da-
ta Adamo pertinet ad totam eius poſteritatem. Con
firmatur regula promiſsionis verbo: Semen mulieris
conteret caput ſerpentis. 1. Corinth.15.22. Sicut in A-
dam omnes moriũtur, ita in Chriſto omnes viuifica-
bũtur. Hoc non ſolum de reſurrectione, quæ eſt futu
ra, intelligendum eſt, verumetiam de ſalutari viuifi-
catione in ijs, qui Chriſtum in hoc mundo poſsi-
dent. Regulæ itaque Vſus eſt, vt porrectam nobis
dextram Dei, hoc eſt, Dominum noſtrum Ieſum
Chriſtum apprehendamus firma fide: vnde fiet, vt
vita & iuſtitia Chriſti donati promiſſam ſpem con-
ſequamur. VII. Quia tamen videmus multos rue- 7.
re in æternam damnationem, tenenda eſt & hæc re-
gula: Deus non prædeſtinat quenquam hominum
ad malum culpę, ſed ad malum pœnę, ſeu ſupplicium
æternum, propter culpam admiſſam ab omnibus ijs,
qui non conuertuntur. Nam de ijs qui conuertun-
tur, eſt immota voluntas Dei: Viuo ego, nolo mor-
tem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Si igitur
ad creationis conſilium reſpicimus, Deus nullum
condidit ad æternum exitium. At ſi reſpicimus euen
tum, multi ſunt ad exitium conditi. Pius pater nul-
lum filium generat ad patibulum, ſi conſilium gene-
rantis ſpectatur. Verùm ſi euentus ob malitiam filij,
patris pio voto non reſpondeat, dicitur pater filium
ad patibulum generaſſe. Ad eundem modum ſi crea-
tionis conſilium conſideretur, neminem deſtinauit
Deus certo exitio. At ſi euentus ſpectatur, impium
dicitur ad diem malum creaſſe. Deus enim mortem
non fecit, neque lætatur in perditione viuorum. Sed
vt culpa ab homine, ita iuſtitia in Deo eſt, qui ho-
minem non conuerſum ad ſupplicium iuſtum, non
aliquod opus iniuſtum: ad pœnam, non ad culpam:
ad punitionem, non ad tranſgreſsionem: ad interi-
tum, quem ira iuſti iudicis peccantibus reddet, non
ad interitum, quo in ſe iram Dei peccantium iniqui-
tas prouocauit, Dominus prędeſtinaſſe dicendus eſt.
Huius regulæ Vſus eſt, vt timeamus Deum, ne pro-
uocemus iram Dei noſtra ſecuritate & impœnitenti
corde, ac ita pręter opinionem & expectationem in-
cidamus in manus Dei viuentis.

Has regulas ideò huic doctrinæ præponere volui,
quia non dubito eas plurimũ doctrinæ & conſola-
tionis continere, ne vel ſinamus nos Sophiſtica in o-
piniones Stoicas pertrahi, vel ſecuri reddamur aut
languidi ad apprehendendam gratiam omnibus o-
blatam, à qua nemo excluditur, niſi qui ſeipſum ſua
excludit malitia & diffidentia.

II. Quis ſit ordo in negotio prædeſtinationis.

De ordine actionum Dei in prædeſtinationis ne-
gotio Paulus eſt conſulendus, qui ponit quinque
gradus actionum Dei in hac doctrina: quæ ſunt, prę-
ſcientia, electio, vocatio, iuſtificatio & glorificatio.
Præſciẽtia pręſcit Deus ſua futura facta. *Electione* ordi
nat & diſponit apud ſeſe quod eſt facturus. *Vocatio-
ne*, inuitat quos antea præſciuit & elegit. *Iuſtifica-
tione* præſcitos, electos & vocatos à reatu abſoluit,
& in Filio vnigenito charos habet. *Glorificatione*, iu-
ſtificatos donat æternæ vitę fruitione, quæ eſt fru-
ctus vltimus & meta prędeſtinationis. Hęc confir-
mantur verbis Pauli Rom.8. Nouimus, inquit, quod
ijs, qui diligunt Deum, omnia ſimul cooperantur in
bonum: ijs ſcilicet, qui iuxta propoſitum vocati ſunt
ſancti, quoniam quos pręſciuit, hos etiam prędeſti-
nauit cõformes imagini Filij ſui, vt ſit ipſe primoge-
nitus inter multos fratres. Quos verò prędeſtinauit,
eos & vocauit, eos etiam iuſtificauit: Et quos iuſtifi-
cauit, eos etiam glorificauit. Nec alia huius rei cau-
ſa quęrenda eſt, niſi ea, quę Paulus nouit, quę eſt,
εὐδοκία Dei in Chriſto Ieſu, & Philanthropia, quæ eſt
ἕξις εὐεργετικὴ τῶν ἀνθρώπων, Habitus benefaciendi ho-
minibus.

III. Iudicium de prædeſtinatione vnde petendũ.

Ex his etiam haud obſcurè intelligi poteſt, quod
tertio loco propoſui. Vnde videlicet *Iudiciũ* de pręde

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſtinatione petendum ſit. Paulus enim certam regulam tradidit, nimirum hanc: Quos prædeſtinauit, hos & vocauit, ſentiens vocatos eſſe prædeſtinatos.

Sex circũſtantiæ. Quis vocat.

Verùm vt hoc ritè intelligatur, ſex circunſtantiæ nobis ſpectandæ ſunt. I. *Quiſnam vocat?* Deus, cuius vocatio vt eſt gratuita, ita & ἀμεταμέλητος, hoc eſt, cuius eum non pœniteat, Rom.11.29. Hic obiter obſeruandum, quod electionis vocabulum & pro cauſa & effectu ponitur in Scriptura. Aliquando enim ſignificat eam electionem, qua ante initium mundi elegerat ſaluandos, hoc eſt, credentes in Chriſtum. Aliquãdo huius electionis effectum, nimirum vocationem, cum communem piorum, qua in filios Dei adoptantur, cum particularem, qua miniſtros verbi ad prædicãdi officium deſtinauerat. Porrò electio illa prior dicitur interdum per tropum *Liber vitæ*. Liber autem catalogum Hebraica conſuetudine ſignificat, vt Gene.5.1. Liber generationum Adam, id eſt, catalogus. Vnde liber vitæ, eſt catalogus iuſtorum, qui pręordinati ſunt ad vitam. Dicuntur autem pręordinati propter euentum, non quod Deus diues in omnes, miſericordia & gratia vllum ad certũ interitum, ſi conſilium formationis reſpicis, fecit. Hunc catalogum Deus repoſitum apud ſe habet. Itaque nihil aliud eſt liber vitæ, quàm æternum Dei conſilium, in eius pectore definitum, quo nos adoptauit in filios, & ad vitam æternam deſtinauit in dilecto. Hunc librum Ezechi.cap.13.9. Scripturam domus Iſrael appellat. Pſal.69.29. liber viuẽtium dicitur. De hoc libro deleri dicuntur, qui fidem & confeſsionem abijciunt. Cum iuſtis autem in hoc libro ſcribi dicuntur, qui fide ſe erigunt, & confugiunt ad mediatorem. Atque hæc ratio loquẽdi de arcano Dei conſilio, ſeu æterna Dei electione, ſumta ab humana cõſuetudine eſt, ad quam demittit ſe Dominus, vt aliquo modo percipiamus prædeſtinationis diuinæ doctrinam.

2. Quãdo.

II. *Quando vocat?* Ab initio mundi, ſtatim poſt lapſum parentum noſtrorum, ipſe Dominus vocare cœpit, & poſtea nonnunquam per Angelos, interdum per Prophetas, poſtea per Filium & Apoſtolos, & hodie vocat omnes, quibus ex ſua bonitate Euangelium patefacit.

3. Quos.

III. *Quos vocat?* Omnes, ad quos ſuum Euangeliũ venit. Omnes qui ſentiũt ſuum onus. Venite (inquit) ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo vos. Mat.11.28. Item Marc.16.15. Ite in mũdum vniuerſum, & proclamate Euangelium omni creaturę. Nam vt promiſsio & miſericordia Dei eſt vniuerſalis, ita etiam vocatio, vt ſuprà dictum eſt.

4 Cauſa vocationis.

IIII. *Quæ cauſa* vocationis eſt? Nulla alia, quam εὐδοκία paterna, miſericordia, philanthropia & dilectio. Rom.9.15. Epheſ.1.5. & Ioan.3.16. Huc accedit meritoria cauſa nempe λύτρον Filij, per quod vocati à reatu abſoluuntur, & donantur iuſtitia Chriſti, in quo credentes ſibi caros reddidit Dominus, quos elegerat in ipſo ante conſtitutionem mundi.

5. Vocatorum officium

V. *Quid requirit Dominus in vocatis?* Fidem & ſanctimoniam. Fide enim induimus Chriſtum, accipimus Spiritum ſanctum, quo obſignatur nobis electionis promiſsio. Sanctimonia vitæ eſt fidei indicium, ad quam ſanctimoniam electi ſumus.

6. Finis.

VI. *Quis finis?* Prædicatio gloriæ & gratiæ Dei, qua caros nos habuit in dilecto. Verùm ſi extra verbum iudicare velis de hoc myſterio, hæc ſequuntur incommoda. Primùm cõtemtus miniſterij verbi, & exercitiorum pietatis. Hinc ſequitur impœnitentia & peccandi indulgentia, ac tãdem deſperatio. Quare ſemotis carnis prophanis cogitationibus, quas ratio ingerit ſæpè ſine verbo, retineamus vniuerſalem ſalutis promiſsionẽ: nimirum, quòd omnis qui crediderit, ſaluus erit, quòd omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluabitur. Iam ex ijs quę dicta ſunt, colligi poteſt prædeſtinationis definitio in hunc modum.

Prædeſtinationis definitio.

Prædeſtinatio eſt electio, qua Deus æterno conſilio elegit ſaluandos ante creationem mundi in Chriſto Ieſu, & ordinatio ſeu diſpenſatio diuina, qua ordinauit & vocauit, ordinat & vocat electos voce Euãgelij, iuxta beneplacitum ſuum in adoptionem filiorum Dei, per eundem Chriſtum, quem fide poſsident, electionis æternæ teſtimoniũ certiſsimũ, idq; vt in vera ſanctitate & puritate, gloriã gratiæ Dei prędicent electi. Hæc definitio ex ſuperioribus collecta eſt, & Epheſ.1.4. Paulino teſtimonio confirmatur.

Breuior.

Verùm ſi placet, breuior definitio ſit hæc Auguſtini: *Prædeſtinatio* eſt gratuitæ adoptionis præparatio, qua nos prædeſtinatos adoptauit in filios per Ieſum Chriſtum. breuius adhuc: *Prædeſtinatio* eſt diuinæ voluntatis per gratiam electio. Fulgentius definit, ſempiternam eſſe diſpoſitionem futuri operis Dei.

Breuiſsima.

V. De certitudine prædeſtinationis.

Quintum quod propoſui, fuit de *Certitudine prædeſtinationis*, quantum ad ſingulos homines attinet, quæ nobis clariſsimè in Domino noſtro Ieſu Chriſto patefit. Quemadmodum enim in electione noſtri primas gratuito beneplacito Dei tribuere oportet, ita rurſus ea ab effectibus proprijs nobis cognoſcenda eſt. In hac certitudine aſsignanda periculoſè à Sophiſtis erratur, quare illorum ſententia omiſſa, ex verbo Domini colligam quatuor cauſas, quarum *Prima* eſt, Vocatio & communicatio myſterij ſalutis, per vocalem prædicationem. Nihil enim periculoſius aut magis præpoſterum eſt, quàm omiſſa vocatione electionis noſtræ, certitudinem quærere in abſcondita Dei præſcientia, contra verbum & voluntatem Dei. Quare ex vocatione de hoc arcano iudicandum eſt, iuxta conſilium Pauli ad Rom.8. Quos elegit, hos & vocauit, & contrà: Quos vocauit, hos & elegit. Itaque Paulus vnicuique vult vocationem eſſe pro electionis teſtimonio. Eſt enim vocatio Dei fixa & rata, vt Deus ab ea diſcedere minimè velit.

Cauſæ quatuor. 1. Vocatio.

Secunda certitudinis cauſa eſt Spiritus ſanctus, intus operans fidem ad vocationis verbum, certificans de promiſsis diuinis, & excitans ad Dei cultum. Hoc comprobatur ad Epheſ.1.13. his verbis: In quo & vos qui crediditis, obſignati eſtis ſpiritu promiſsionis ſancto, qui eſt arrabo hæreditatis veſtræ.

2. Spiritus.

Tertia cauſa certitudinis eſt Nouitas vitæ, ſeu ſanctitas, ad quam electi ſumus. Neque enim debẽt à ſe inuicem ſeparari ſanctitas vitæ & electio æterna. Sic enim docet Paulus ad Epheſ.1.4. Vt ſimus ſancti & irreprehenſibiles coram ipſo in dilectione. 2.Theſſal.2.13. Elegit vos Deus ab initio in ſalutem, per ſanctificationem Spiritus & fidem veritatis. Et Petrus 2.1.10. Quapropter fratres operam date, vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Hac enim nota electi ſe probant non fruſtra vocatos, ſi bona conſcientia, vitę integritas fidei profeſsioni reſpondeat. Has tres cauſas hoc ſequens Pauli teſtimonium continet. 2.Theſſal.2.14. Qui vocauit vos per gratiam & Euangelium noſtrum in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Hic vocatio, fides & ſanctificatio coniunguntur. Hæc diligenter notanda ſunt, ne præterita voluntatis Dei reuelatione, in qua acquieſcendum, feramur extra verbum in profundum labyrinthum.

3. Nouitas vitæ.

4. Sacramenta.

Quarta certitudinis cauſa, Sacramenta ſunt, verbo vocationis addita. Sunt enim ſacramenta, vt ſigilla gratiæ Dei, ita æternæ prędeſtinationis noſtrę certiſsima teſtimonia. His certitudinis cauſis contenti ſimus, & cum timore & vera inuocatione expectemus promiſſam ſalutem: hęc ſpes nequaquam fallet nos. Eſt enim fundata in

dilectio-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

in dilectione Dei, à qua nulla creatura nos poterit auellere.

VI. De vſu & finibus prædeſtinationis.

Poſtremum ſequitur de *Vſu & Finibus* prædeſtinationis, quæ in quinque poſita ſunt. I. Prædeſtinationis doctrina tollit opinionem meritorum humanorum. Qui enim fieri poteſt, vt ſua cauſa effectus ſit prior? Nunc autem ſanctificatio effectus eſt prædeſtinationis: proinde fieri nequit, vt ex meritis æſtimetur electio. II. Magnifacere nos facit hæc doctrina miniſterium verbi, per quod vocamur. Nam cùm nos vocat Dominus, electionem ſuam confirmat. Sunt enim tres electionis gradus, Prædeſtinatio, Deſignatio ab vtero, & Vocatio, quæ eſt effectus & complementum vtriuſque. Nam prædeſtinatione ante mundi initium elegit: Deſignatione ab vtero elegit, cùm nos in hunc finem edimur, vt in nobis, quod ſtatuit, compleat: Vocatione adoptat in filios, quos elegit & deſignauit. Huc pertinet miniſterium verbi, quo nobis tantus gratiæ theſaurus affertur. III. Electio admonebit nos gratiarum actionis. Finis enim electionis noſtræ eſt, vt conſecrati Deo, ipſum per omnem vitam noſtram, corde, ore & opere laudemus & celebremus. IIII. Conſolabitur nos hęc doctrina ſub cruce. Quoties enim caſtigat nos Dominus, fiducia electionis animos erigere debemus, certi, quod qui vocauit, etiam liberet, quãtumuis vel totus orbis collabi videatur. V. Quoties aliquid ſubitæ mutationis pręter opinionem & ſpem noſtram ſuboritur: quoties audimus perſecutores Euangelij graſſari in pios: cùm circumferuntur rumores de defectionibus regnorum, prouinciarum, ciuitatum & magnorum hominum ab Euangelio, conſolemur nos hac electionis doctrina, vt veniat nobis in mentem dictum Pauli: Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſigillum hoc: Nouit Dominus qui ſunt ſui. 2. Timoth. 2 19.

TESTIMONIA PRÆdeſtinationis.

1. Epheſ. 1. 4. Quẽadmodum elegit nos in ipſo ante mundi creationem, vt ſimus ſancti & inculpati in conſpectu ſuo per charitatem, qui prædeſtinauit nos in adoptionem per Ieſum Chriſtum in ſeſe, ſecundũ beneplacitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, qua nos caros reddidit in dilecto. 2. Act. 13. 48. Et crediderunt, quotquot erant prædeſtinati ad vitam æternam. 3. Ioan. 13. 18. Ego ſcio, quos elegerim. 4. Ioan. 10. 27. Oues meæ vocem meam audiunt, & ego noui eas, & me ſequuntur, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manibus meis. Hac pertinent 9. 10. & 11. cap. ad Rom. in quibus cauendũ, ne alienas à propoſito, vt plurimi faciũt, diſputationes ſectemur.

CAPVT II.

ECCLESIA.

Etymon.

Eccleſia Græca vox eſt ab ἐκκαλεῖν, hoc eſt, euocando dicta, cuius vocis vſus apud Athenienſes fuit. Cœtus enim ciuium voce præconis de reliqua turba euocatus ad audiendam ſententiam ſenatus, ἐκκλησία dicebatur. Hinc vocabulum Apoſtoli tranſtulerunt ad ſuum inſtitutum, propter ſimilitudinem.

Nominis expoſitio Theologica.

Eſt enim Eccleſia Apoſtolico vſu cœtus hominum, voce præconum verbi euocatus è regno mundi, ad audiendam & recipiendam ſententiam Dei, de ſalute generi humano parta per Chriſtum Pontificem. Huius rei pulcherrimum exemplum in Abrahamo habemus, qui cùm eſſet idololatra apud Chaldæos, inde voce Dei euocatus in terram Chanaã, cui
obtemperauit, & cultum iuxta eius voluntatem pręſtitit, etſi in eadem terra non pauci impij & hypocritæ fuerunt. Hinc iam plenam definitionem elicere non erit difficile, qualis hæc eſſe poterit: *Eccleſia* eſt cœtus hominum, euocatus à regno Satanæ, vt Chriſtum audiat, ſequatur, eíque vero cultu ſeruiat, vtque huic Chriſto vero capiti ſuo ita adhæreat, vt ſuis membris coaleſcat, vnúmque corpus conſtituat, ac tandem per eundem Chriſtum fruatur in cœlo perpetuo Dei & Angelorum conſortio.

Definitio rei.

Breuius *Eccleſia* eſt congregatio membrorum Chriſti, id eſt, ſanctorum, qui credunt verè & obediunt Chriſto, cui in externa ſocietate hypocritæ & multi mali admixti ſunt, iuxta parabolam de zizanijs.

Breuior.

Eccleſiæ nomina.

Hæc Eccleſia varijs titulis ornatur in Scriptura, 1.
Timoth. 3. 15. *Domus Dei viuentis* dicitur, quia in me-
dio noſtri, quos adoptionis gratia in filios recipit, 1.
habitat. Huius domus architectus eſt Chriſtus, He-
bræ. 3. 3. & Fundamentum, 1. Cor. 3. 11. Fundamentum
aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum
eſt, qui eſt Chriſtus Ieſus. Sed quomodo ritè ſuper
Chriſtum ædificatur Eccleſia? Si ipſe ſolus ſtatuitur
pro ſapientia, iuſtitia, ſanctificatione, redemtione, ſa-
tisfactione, purgatione, denique vita & gloria. *Co-* 2.
lumna & fundamentum veritatis, 1. Timot. 3. 15. dicitur,
quia ſuo miniſterio veritatẽ propagat & tuetur, pu-
ra Euangelij prædicatione. Vnde colligitur, illic non
eſſe Eccleſiam, vbi veritas ſepulta iacet, & horrẽdum
in modum diruta, euerſa pedibus calcatur. Non dici-
tur columna veritatis, quaſi ex ipſa ſimpliciter pen-
deret veritas, ſed hominum reſpectu. Suſtinet enim
Eccleſia veritatem, dum eam puram retinet & ſince-
ram: dum prædicatione tranſmittit ad poſteros: dum
ſuo præconio ornat, Galat. 4. 26. *Cœleſtis Ieruſalem* 3.
& mater fidelium dicitur. Ieruſalem quidem cœle-
ſtis, quia originem à cœleſti gratia trahit, & fide ſur-
ſum habitat. πολίτευμα enim Eccleſiæ in cœlis eſt,
Philip. 3. 20. Mater verò fidelium dicitur Ieruſalem,
quia ſemen vitæ incorruptibile apud ſe depoſitum
habet, quo nos format, fouet in vtero, edit in lucem,
lacte & cibo procreatos alit. Quorum mater eſt Ec-
cleſia, Deus pater eſt, qui per Eccleſiæ miniſterium
filios ſibi generat & tollit. Vocatur & *Hæreditas Do-* 4.
mini, Pſal. 8. 2. 1. Pet. 5. 3. ídque ideo, quia Chriſto in pe
culium data eſt Eccleſia, cùm reliquus mundus in-
terim maneat in ſua cæcitate ſub regno Satanæ, E-
pheſ. 1. 23. *Corpus Chriſti* dicitur, cuius caput eſt Chri- 5.
ſtus, quia ſua plenitudine Eccleſiam abſoluit, perfi-
cítque: & quia capitis gloria membris cæteris com-
munis eſt, monentur hac appellatione de glorifica-
tione Eccleſiæ, quam habitura eſt vna cum capite
ſuo Chriſto Domino.
Sunt & aliæ *Appellationes* Eccleſiæ, vt ſunt: Virgo, 6.
ſponſa, ciuitas murata, vinea, ager, meſſis, regnum
cœlorum, regnum Chriſti. Has appellationes intelli-
gere & excutere facilè eſt, modò metaphoricè hæ ap
pellationes integris ſimilitudinibus reddantur.

Militans & Triumphans.

Diſtinguitur Eccleſia in militantem & triumphantem, & definiunt *Militantem* congregationem eſſe omnium fideliũ ſub Chriſto rege in hoc mundo adhuc militãtium contra diabolum, carnem, mundũ. Huius Eccleſiæ arma ad Ephe. 6. 12. recẽſentur. *Triũphantem* dicunt eam Eccleſiã, quæ parta victoria per Chriſtũ, nũc in cœlis cum beatis ſpiritibus triũphat, quę olim poſt reſurrectionẽ plenum triũphum aget.

Cur vna: & quid eius vnitas.

Sed quare *Vna* dicitur, cùm tot ſint cœtus diſperſi per orbem, quarum ſinguli Eccleſiæ titulum ſibi vendicant? Eccleſię *Vnitas* non conſiſtit in cohabitationibus, neque in externis ritibus aut ceremonijs, ſed in doctrinæ & fidei conſenſu. Nam in omnibus,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

qui in Chriſtum verè credunt, vnus eſt Spiritus, vnus eſt Dominus, vnum caput Chriſtus, vna fides, vna ſp. s, vnum baptiſma, vnus Deus & Pater omnium, vnúſque aduocatus & mediator Ieſus Chriſtus. Hinc eſt, quod toti Eccleſiæ dicitur ad Galat.3.28. Omnes vos vnus eſtis in Chriſto Ieſu. Atque ob hanc cauſam *Catholica* etiam dicitur, quia vbique & ſemper omnia Eccleſiæ Chriſti membra in ſpiritu, doctrina & fide conſentiunt. Id enim Catholicon vſu Eccleſiaſtico cœptum eſt appellari, quod in Eccleſia creditum eſt, ſemper & vbique, & ab omnibus.

Cur Catholica.

Hinc naſcitur & alia Eccleſiæ diuiſio, qua diuiditur in Catholicam & Particularem. Sed hæc, pars eſt catholicæ Eccleſiæ.

Alia diuiſio.

Porrò vt Eccleſia conſtat & fulcitur quatuor partibus, nimirum doctrina, ſacramentis, ceremonijs & diſciplina, de quibus ſuis locis dicetur: ita eiuſdem ſigna non fallacia ſunt hæc tria ſimul. 1. *Conſenſus* in doctrina Euangelij incorrupta, ſcilicet in fundamento. 2. *Legitimus vſus* Sacramentorum. 3. *Obedientia* miniſterio debita, iuxta Euangelium.

Notæ Eccleſiæ.

TESTIMONIA DE Eccleſia.

1. Hebræ.12.22. Acceſſiſtis ad montem Sion, & ad ciuitatem Dei viuentis, Ieruſalem cœleſtem, & ad innumerabilem angelorum cœtum, & ad concionem primogenitorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & ad iudicem vniuerſorum Deum, & ad ſpiritus iuſtorum perfectorem. 2. Epheſ.5.25. Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundatam lauacro aquæ per verbum. 3. Pſal.27.4. Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in Domini domo omnibus diebus vitæ meæ, vt videam voluntatem Domini, & viſitem templum eius. 4. Pſal.84.5. Beati qui habitant in domo tua Domine. 5. Pſal.92.14. Plantati in domo Domini, in atrijs domus Dei florebunt. 6. Pſal.26.6. Lauabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine. Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. 7. Pſal.122.6. Rogate quæ ad pacem ſunt Ieruſalem, & fœlicitas diligentibus te, propter domum Dei noſtri quæſiui bona tua. 8. Hebr.10 25. Non relinquentes congregationem noſtram. 9. 1.Corinth.1.10. Non ſint inter vos ſchiſmata, ſed ſitis coagmentati eadem doctrina & eadem voluntate. 10. Matth.12.30. Qui non congregat mecum, diſpergit.

CAPVT III.

SYMBOLVM ET TESſera Eccleſiæ.

Symbolũ quid.

SYmbolum Eccleſiæ Chriſti nota quædam eſt, per quam à reliquo mundo diſcernitur Eccleſia, Seu, eſt profeſsio chriſtianę religionis. Quemadmodum enim Symbolum militare, quod Latinis teſſera dicitur, eſt ſignum, quo ſocij ab hoſtibus & exploratoribus dignoſcuntur: ita Symbolum Eccleſiæ eſt teſſera militum Chriſti, id eſt, credentium, per quam ſe & vni Chriſto nomina dediſſe, & ab alijs omnibus in mundo ſectis diſſentire teſtantur. Hoc chriſtianum Symbolum Irenæus traditionem apoſtolicam vocat, quia Apoſtoli putantur vnanimi conſenſu articulos noſtrę fidei, qui Symboli apoſtolici nomine vſitatè appellantur, collegiſſe, & Eccleſiæ commendaſſe.

Cur Apoſtolicum dicitur.

Continet autem Symbolum præcipua capita totius religionis chriſtianæ. Nam cauſas noſtræ ſalutis optimo ordine enumerat. Orditur à primo fonte, & ita paulatim vt per gradus progreditur ad finem, qui eſt vita æterna, in qua perpetua quędam celebratio Dei vigebit. Verùm vt nos certum quendam ordinem in explicatione teneamus, primùm Symboli partitionem, deinde, quid in ſingulis partitionis membris quærendum ſit, obſeruemus.

Summa.

PARTITIO SYMBOLI.

Quatuor ſunt Symboli membra maxima. *Primum* eſt de Deo Patre, & fide in ipſum. *Secundum* de Deo Filio, & fide in eundē. *Tertium* de Spiritu ſancto, & fide in illum. *Quartum* & vltimum eſt de effectu totius Trinitatis & fide oblata bona accipiente. Atque ita Symbolum in vniuerſum duo requirit à Chriſtianis: Primum veram notitiam perſuaſionémque doctrinæ. Deinde fidem, per quam acquieſcimus in Dei verbo, & firmiter ſtatuimus nos verè accepturos, quæ Deus promittit.

Membra maxima.

Vſus.

Nam ſymbolum Chriſtianum non tantum eſt externa quædam doctrinæ confeſsio, ſed cordis ſeria fiducia in Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Cæterùm, in explicatione partium ſymboli, hunc ordinem ſequi non erit inutile. *Primùm* hiſtoria conſideretur. *Secundò*, eius probatio ex verbo Dei adijciatur. *Tertiò*, fides ipſa quę verſatur circa doctrinam, qualis ſit oſtendatur. *Quartò*, quid fides inde colligere doctrinæ & conſolationis debeat.

Methodus expoſitionis.

PRIMVM MEMBRVM.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.

Hic primum hiſtoria de Deo cognoſcenda eſt, quæ ad tria capita refertur, nimirum ad vnitatem eſſentiæ diuinæ, perſonarum trinitatem, & diuinæ virtutis efficaciam: de quibus in genere, vide ea, quæ in prima claſſe, capite primo dicta ſunt. Hic ſolummodo ea exponam, quæ verba Symboli recenſent. Loquitur itaque hoc membrum de Deo Patre, prima in diuinis perſona, atque ei tria tribuuntur. 1. Quod ſit *Pater*. 2. Quod ſit *Omnipotens*. 3. Quod ſit *Creator* cœli & terræ. *Secundò*, huius hiſtoriæ confirmatio petatur ex primo, ſecundo & tertio capitibus primę claſsis. *Tertio*, qualis hic fides requiritur, nempe certa notitia huius hiſtoriæ de prima perſona in Trinitate, & fiducia in ipſam, quod verè talis ſit nobis, qualis hic deſcribitur, quod ſit Pater, qui nobis bene velit: quod omnipotens, qui poſsit tueri & defendere eos, quos in ſuam tutelam recipit. *Quarto*, vt ex eo quod ſit Pater, colligamus ipſius paternam erga nos voluntatem, qua vult nobis libenter adeſſe & nos iuuare. Ita ex eo quod ſit omnipotens, ſtatuamus, illum & poſſe aduerſarios noſtros opprimere, & velle potenter liberare nos ab omnibus malis. Hic quoque fides meminerit, quare Deus ſit ſibi Pater, nimirum propter Chriſtum, qui dedit poteſtatem filios Dei fieri omnes, qui credũt in nomine eius. Soli enim credentes adoptionis gloria gaudere poſſunt. Porrò de creatione vide ſupra claſſe prima, cap. 2.

Tria capita huius membri.

SECVNDVM MEMBRVM de Filio Dei.

Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum, Dominum noſtrum: qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine: Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus: Deſcendit ad inferna: Tertia die reſurrexit à mortuis: Aſcendit ad cœlos: Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.

Primùm hiſtoria Chriſti ad quatuor capita referri poteſt: ad diuinitatem, humanitatem, officium & fidem in ipſum. De primo & vltimo in prima

Hiſtoriæ Chriſti capita.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

prima claſſe dictum eſt, de duobus medijs hîc dicendum eſt. Hiſtoria itaque humanitatis Chriſti in ſex partes in Symbolo ſecatur. *Prima* eſt de conceptione & natiuitate Chriſti. *Secunda*, de paſsione & morte. *Tertia*, de deſcenſu ad inferos. *Quarta*, de reſurrectione à mortuis. *Quinta*, de aſcenſione in cœlum. *Sexta*, de aduentu eius ad iudicium. De his ordine dicendum eſt, vbi prius huius ſecundæ perſonæ in diuinitate, nomina & titulos explicauero, ex quibus diuinitas ipſius & officium intelligi poſſunt.

Partes huius membri.

De Nominibus Filij Dei. 1. Ieſus.

Primùm vocatur Ieſus. Hoc nomen Hebraicum eſt, Filio Dei Circuncisione impoſitum, ídque mandato Dei per Angelum, Matt.1.21. Complectitur autem hoc nomen miro compendio, qualis ſit perſona Filius Dei, quale officium, adeóq; cur in hunc mundum venerit. Nam primum hæc vox (*Ieſu*) ſignificat quod Filius Dei ab æterno à Patre genitus, ſit verus Deus, verúſque homo, ac ſaluator populi ſui. Huius enim gratia aduenit in mundum, vt populum ſuum hoc eſt, credentes, ab æterna morte & ira Dei liberatos, vita donaret æterna. Hoc ita eſſe, docetur multis Scripturæ teſtimonijs. 1. ex promiſsione ſeminis. 2. ex Euangelica hiſtoria. 3. ex pluribus locis veteris & noui Teſtamenti, quæ non eſt opus referre, præſertim cùm in prima claſſe non pauca huius generis enumerata ſint. Porrò fides in hunc Ieſum θεάνθρωπον talis eſſe debet, qualis in vnicum Saluatorem, hoc eſt, certa, fixa, qualis Hæmorrhouſæ, Iairi, atque aliorum plurimorum, qui ad ipſum Dominum in ſua neceſsitate tanquam ad vnicam ſalutis anchoram confugerunt.

Porrò *Meditatio fidei* in his conſiſtit, I. Quotieſcunque hoc nomen nobis in mentem venit, cogitabimus nos ſine hoc Ieſu extremè perditos eſſe. Nam ſi nobis ſaluator eſt datus, ſequitur profectò, quod ſine hoc ſaluatore hæreamus in damnatione, ídque ob peccatum noſtrum. II. Admoneamur hoc nomine, quod ſalus ab ipſo ſolo ſit petenda & expectanda. Nam ſi ſolus Filius eſt Ieſus, hoc eſt, ſaluator, relinquitur nulla opera, nulla merita: breuiter, nullam creaturã nos è damnatione cõmerita eximere poſſe. III. Opponendum eſt hoc nomen deſperationi, magnitudini peccati, indignitati, particularitati, potentiæ & viribus Diaboli. Nam cùm hic Ieſus verus ſit θεάνθρωπος, haud dubiè poterit & volet omnes ad ſe confugientes, tueri & ſaluare. IIII. Sciamus hoc nomine compendium totius Euangelij contineri, nam & admonet nos peccati noſtri, & monſtrat Filium Dei ſaluatorem, qui fide apprehendendus eſt, quemadmodum verba Symboli ſonãt: Credo in Ieſum, &c.

2. Chriſtus.

Secundus titulus, quem Filio Dei tribuit, eſt Chriſtus, qui ſanè titulus modum ſalutis per Filium Dei partæ cõpendiosè monſtrat. Quemadmodum enim prior appellatio Filium Dei ſaluatorem eſſe monet, ita hæc, quomodo nobis ſit Saluator factus, indicat, nimirum eo, quod ſit Chriſtus noſter. Hæc enim appellatio metonymicôs ſignificat, quod Ieſus ſit Rex, Pontifex & Propheta, qui ſuo regali ſacerdotio & doctrina, ſuis ſalutem acquiſiuit.

SED QVOMODO REGIS *nomen illi competit?*

Regnum Chriſti triplex.

Etſi regnum Chriſti conſiderari poteſt tripliciter, nam eius eſt triplex modus, quorum primus eſt *Potentiæ*, ſecundus *Gratiæ*, tertius *Gloriæ*: tamen ſolummodo medij rationem habebo. Regis itaque nomen *Primùm* Chriſto competit, quia vendicauit ſibi regnum, nempe Eccleſiam, quam inuaſerat Diabolus. Pſal.20. *Secundò*, propter victoriam, qua ſuperauit ſuperbum illum tenebrarum regem. *Tertiò*, propter defenſionem, qua potenter omnes eos, quos in ſuam tutelam ſuſcepit, hoc eſt, eos, qui ad ſe confugiunt; qui ſe Dominum ac Regem agnoſcunt, qui denique ſibi homagium præſtant fidele, defendit. Hic omnes ſui regni, hoc eſt, Eccleſię ciues ex fide in æternũ beatos reddit. Atq; hęc breuiter de regio Chriſti officio.

Cur propriè ſit rex.

CVR DICITVR SACERDOS?

Cur ſacerdos.

Quia de ſacerdotio Chriſti nuper admodum à me diſputatum eſt, volo eaſdem hypotheſes huc aſſcribere, quæ ex diſputatione Apoſtoli ad Hebręos collectæ ſunt.

HYPOTHESES DE *ſacerdotio Chriſti.*

1.

QVoniam peccatores ſumus, reíque mortis æternæ propter peccatum, aut æternùm nobis fuit pereundum, aut reconciliatio cum Deo offenſo ineunda erat.

2.

Verùm quia reconciliatio ſine compenſatione iniuriæ Deo factæ, & ſine ſacerdote & mediatore fieri non potuit, Sacerdos neceſſarius erat, qui nobis Deum offenſum reconciliaret, facta ſimul iniuriæ compenſatione.

3.

Quoniam autem maior eſt ira Dei, quam vt eam ſuſtinere poſſet purus homo, & iuſtitia Dei requirebat, vt aliquis in humano genere ſatisfaceret, λόγος Dei æternus aſſumſit humanam naturam, vt fieret mediator & ſacerdos, qui iram Dei placaret.

4.

Cæterùm, quia in huius ſacerdotis notitia & fide noſtra reconciliatio cum Deo, & ſalus eſt poſita, pio ſtudio ratio ſacerdotij Chriſti quærenda eſt.

5.

Videtur autem mihi plana & perſpicua ſacerdotis noſtri Chriſti notitia referri poſſe ad quinque capita, quæ ſunt: Conditio perſonæ, officium, teſtimonium, duratio & applicatio cum vſu.

6.

Conditio duplex conſideranda occurrit in perſona huius ſacerdotis, naturarũ videlicet & qualitatis.

7.

Conditio naturarũ eſt, quòd hic ſacerdos ſit Deus & homo, vna perſona; aliâs enim Mediator eſſe haud potuiſſet. Nam vt ſua diuinitate Patri, ita nobis humanæ naturæ ſocietate coniunctus eſt.

8.

Huius coniunctionis cauſas Irenæus explicat hiſce verbis: Oportebat mediatorem Dei & hominum propter ſuam ad vtroſque οἰκείωσιν, in amicitiam & concordiam vtroſque reducere, & facere vt Deus reciperet hominem, & homo reſtitueretur Deo.

9.

Conditio qualitatis noſtri Sacerdotis ab Apoſtolo explicatur, quod ſit ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis, quo vnica oblatione perfungi poſſet ſuo ſacrificio.

10.

Officij partes tres numerantur, docere ſuum populum, orare pro ipſo, ac offerre Deo oblationẽ pro peccatis populi ſui expiandis.

11.

Doctrina ipſius eſt Euangelij prædicatio; Interceſsio durat vſque ad iudicium. Oblatio ſemel peracta, eſt in perpetuum efficax, & tanquam recens ſemper apparet in conſpectu Dei.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

12.

Porrò in oblatione, plura perpēdenda occurrunt, ex quibus fides cōcipitur, fouetur & alitur: primùm, quod ſacerdos & ſacrificium ſimul ſit ipſe Chriſtus θεάνθρωπος: deindé, quod Deo Patri obtulerit ſemetipſum per æternum Spiritum, tum quod pro humano genere reconciliando Patri cœleſti, ſacrificium ſuum peregerit. Poſtremò, quod ſemel peracta victima, nunquam iteranda ſit. Nam vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificandos.

13.

Porrò quia ſacerdos omnis alicuius fœderis ſeu teſtamenti ſponſor & mediator exiſtit: videndum neceſſariò, qualénam ſit huius noſtri ſacerdotis fœdus.

14.

Tametſi autem multa in hoc fœdere concurrunt, tamen eius præcipua membra ſunt: obligatio mutua inter Deum & homines, ac fœderis confirmatio.

15.

Obligatio ex parte Dei eſt, quod Deus promittit ſe propitium fore iniquitatibus noſtris, fore Deum noſtrum (qui daturus ſit leges ſuas in mentem noſtram, & ſcripturas eaſdem in cordibus noſtris, ídque propter Filium, & ſacerdotem & hoſtiam, qui ſemper viuit ad interpellādum pro nobis) adoptaturum nos in filios, donaturum ſpiritu ſancto, & tandem in glorioſum Chriſti regnum nos introducturum.

16.

Obligatio ex parte hominis eſt, quòd homo ſe viciſsim committat fidei Dei, credat in ipſum, expectet bona promiſſa, ac ſibi ſuam vitam perpetuò approbare conetur. Hæc vitæ approbatio eſt conditio conſequens, non antecedens. Chriſtus enim conſummatus omnibus obtemperantibus ſibi, factus eſt autor ſalutis æternæ.

17.

Confirmatio fœderis huius effuſione ſanguinis Chriſti noſtri ſacerdotis facta eſt, in cuius rei teſtificationem & memoriam perpetuam, diuinitus in Eccleſia duo ſacramenta ordinata ſunt, Baptiſmus & Cœna Domini.

18.

Duratio ſacerdotij Chriſti typo, teſtimonio diuino, & victimæ præſtantia comprobantur.

19.

Typus quidem durationem figurat. Nam ſecundum ordinem Melchiſedech eſt ſacerdos cōſtitutus, qui neque initiū dierum, neque vitæ finem habens, aſsimilatus Filio Dei, manet ſacerdos in æternum.

20.

Teſtimonium Patris typum declarans eſt hoc: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.

21.

Præſtantia victimæ eſt, quòd ſemel ingreſſus Chriſtus in ſancta, ſatisfecerit pro omnibus mundi peccatis, inuenerítque redemtionem perpetuò duraturam, & nunc appareat vultui Dei pro nobis.

22.

Applicatio pręterea ſacrificij Chriſti fit per fidem. Sic enim Paulus docet: Quem Deus conſtituit propitiatorem per fidem in ſanguine eius.

23.

Vt enim nobis ipſe Chriſtus ex mera gratia & Philanthropia ſua beneficia offert: ita nos viciſsim oblatam gratiam cordis brachijs, hoc eſt, fide apprehendere & tenere debemus.

24.

Cùm autem hanc gratiam fide poſsidemus, regales ſacerdotes conſtituimur, quibus incumbit, vt iuſtitia & ſanctitate induti, hoſtias offeramus Deo gratas per Chriſtum, mediatorem vnicum. Nam vt ipſe noſtras conſcientias ab operibus mortuis emundat: ita nos viciſsim excuſſo peccati iugo, Deo viuenti ſeruire debemus.

25.

Ex ijs quæ hactenus dicta ſunt (vt rem in anguſtius contraham) duas extruam definitiones: vnam ſacerdotis Chriſti, alteram noui Teſtamenti, cuius ſponſor eſt Chriſtus.

26.

Sacerdos itaque ſummus & verus, eſt perſona vna, Deus & homo Ieſus Chriſtus, mundus & purus ab omni peccato, amans hominum, ex decreto Dei Patris proferens Euangelium, offerens ſeipſum ſemel pro hominibus, & perſoluens λύτρον, & applicans ſua merita credentibus in æternam redemtionem, pro quibus & interpellat apud Patrem.

27.

Nouum Teſtamentum eſt pactum Dei cum hominibus, ſancitum ſanguine Chriſti, in quo, vt Deus promittit ſe ignoſciturum peccatis hominum propter Filium victimam & Mediatorem: ita homo viciſsim fidei Dei ſe committit, credit in Deum, cum promiſsione obedientiæ erga ipſum.

28.

Ex his patet, nō ſolum Leuiticos ſacerdotes typicos tantum fuiſſe, verumetiam ſacrilegos eſſe Papiſtas, qui ſuum miſſaticum ſacrificium & hiſtrionicam ſaltationem mundo obtrudunt, in contumeliā Chriſti ſacerdotis, ac ſi ſua vnica & perfectiſsima victima non feciſſet ſatis pro mundi peccatis. Porrò de veteri & nouo Teſtamento copioſius dicam infrà. Hinc de ſacerdotio Chriſtianorum nonnulla adijciam.

DE SACERDOTIO Chriſtianorum.

Sunt ne Chriſtiani omnes ſacerdotes?

Sunt profectò. Nam per communicationem omnis regeneratus aqua & Spiritu, quemadmodum à Chriſto Chriſtianus appellatur, ita per eundem Rex & Sacerdos cōſtituitur. Hinc Petrus Chriſtianos regale ſacerdotium nuncupat. Per Chriſtum enim habemus ius verbum Dei docēdi, ſeruata cuiuſque vocatione. Habemus ius inuocandi Deum, iuxta illud: Inuoca me in die tribulationis, &c. Item: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Habemus præterea ius offerendi ſacrificium ſeu euchariſticon vel laudis: Nam nemo mortaliū ſacrificium propitiatoriū offerre poteſt: is enim honos ſoli ſummo Pontifici Chriſto Domino competit. Chriſtianorum enim ſacrificia ſuprà enumerata ſunt, cap. 5. ſecundæ claſsis, vbi quinque genera recenſui: Spiritum contribulatum, ſacrificium iuſtitiæ, ſacrificium laudis ſeu vitulos labiorū confitentium nomini Dei, hoſtias beneficentiæ & cōmunionis, & hoſtiam rationalem propriorum corporū. Micheas interrogat, quid dignum Domino offerrent? Huic reſpondetur: Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonū, & quid Dominus requirit abs te: vtiq; facere iudiciū & diligere miſericordiam, & humilem ambulare coram Deo tuo.

Porrò quantum ad illos attinet, quos hodie vulgo ſacerdotes appellàmus, ſciendum eſt, quod triplici nomine ita appellentur. *Primùm*, quia vna cum alijs Chriſtianis inaugurati ſunt Chriſto, & ſacerdotes eatenus rectè vocantur, quatenus verè Chriſtiani ſunt. *Deinde*, imitatione populi Iſraelitici, qui ſacerdotes appellarunt eos, qui in miniſterio verbi & ſacrificijs legis occupati erant, atque hic honos ſoli tribui Leuiticæ concedebatur. *Tertiò*, placuit ſanctis Patribus Apoſto-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Apoſtolorum ſucceſſoribus, hoc auguſto titulo ſacerdotali eos ornare præ aliis, qui verbum Dei docent, adminiſtrant Sacramenta, annunciant hominibus, ſola Chriſti ſacerdotis ſummi victima, deletũ peccatum, mortem & damnationem. Veteres ſacerdotes legales animalia obtulerunt: Sed Apoſtoli & reliqui ſacerdotes Chriſti ſeu Euangelij, homines ipſos mactãt, viuúmque ſacrificium Deo per Euangelium offerunt. Paulus Apoſtolus hoc ſacrificio ſe functũ teſtatur, cum gentes mactarit gladio Euangelij, vt fieret oblatio acceptabilis Deo, ſanctificata per Spiritum ſanctum, ad Ro.15.16.

De ſacerdotio papiſtico.

Cæterum, ſacrificium Papiſticum planè ſacrilegũ eſt, non enim inſtitutum eſt, vt doceat Chriſtum, & mactet homines Deo gladio Euangelij, ſed vt immolet Chriſtum pro viuis & mortuis: ita contaminans & conculcans ſacrificium Chriſti. Qui Chriſtus ſolo ſacerdotio æterna redemtione inuenta; eſt functus. Ita enim cap.10.12. ad Ebręos legitimus: Hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum, ſedet ad dexteram Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius: vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificandos, id eſt, eos, qui ſanctificantur. Sacrilegi ergo ſunt ſacerdotes Papiſtici, qui, quod à Chriſto ſacerdote perfectum eſt in æternum, impudẽter iterare audent.

SED CVR ADDIT SYMbolum, filium eius vnicum?

De æterna generatione filij.

Cum Chriſtus nominatur Filius Dei, mens non imaginabitur generationem carnalem, ſed diuinam: non temporariam, ſed æternam, qua Deus Pater ab æterno Filium genuit: vnde Micheas. ca.5.2. Ex te enim egredietur, qui ſit Dominator in Iſraël, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. Hæc vox, Filius, diſtinguit perſonam Chriſti ſeu æterni λόγου à perſona Patris. Debemus igitur certò ſtatuere, quod Chriſtus & vnigenitus & verè Dei Filius ſit, quod ſemper fuerit cum Patre, alia tamen perſona, quemadmodum Ioan. cap.1. teſtatur. Quod autem additur,

Vnicus filius.

quod *Vnicus* ſit Filius Dei diſtinctionis cauſa additur. Nam neceſſe eſt hunc Filium ab adoptiuis diſtinguere. Solus enim Chriſtus eſt æternus & naturalis Dei Filius, eiuſdem potentiæ & eſſentiæ cum Patre. Alij autem ſunt filij adoptione, nimirum qui credunt in hunc vnicum Filium Dei: Dedit enim poteſtatem filios Dei fieri omnes, qui credunt in nomen eius. Hic quia Filius Dei eſt, poteſt omnia quæ vult, vult autem omnia, quæ ſunt in ſalutem animarum noſtrarum. In hoc ergo vnico Dei Filio in omni tentatione hærendum eſt certa fiducia. Promi-

Chriſtus Scopus vnicus Eccleſiæ.

ſit enim ſe apud nos futurum vſque ad conſummationem ſeculi. Fides itaque noſtra hunc fructum vberrimum haurire poteſt in omni afflictione. Nihil enim potentius eſt ad conſolandam afflictam conſcientiam, quam cogitare, nobis regem & ſacerdotem eſſe Filium Dei, qui hoc titulo vnice oblectatur, vt rex, ſacerdos & ſaluator ad ſe confugientium dicatur. Præterea Chriſtiani hunc Chiſtum agnoſcunt ſuum Dominum, ídque potiſſimum ob duas cauſas. 1. Iure creationis, gubernationis, & prouidentiæ. Etenim vt creator omnium eſt, ita Dominus, cuius nos ſubditos profitemur. 2. Iure redemtionis, nos enim ſuo ſanguine redemit. 1. Corin.6.11. 1. Ioann.1.7. Rom.4.15. Tit.2.14. Sed de hac re infrà copioſius. Atque in hunc modum tituli, quos Domino tribuit Symbolum, naturam & officium Chriſti apertè docent.

PRIMVS ARTICVLVS DE humanitate Chriſti, nempe de conceptione & natiuitate.

Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine.

Circumſtantiæ ſex.

In conceptione & natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti Circumſtantias ſex potiſſimùm conſideremus. 1. quod ab Angelo annuntiata ſit eius conceptio. 2. quod conceptus ſit de Spiritu ſancto. 3. quod natus ſit de virgine. 4. quod ea virgo fuerit deſponſata viro. 5. quod ex proſapia Dauid fuerit illa virgo. 6. quo tempore natus ſit Chriſtus.

DE PRIMA.

Cur ab Angelo nunciatus.

Primùm igitur ab Angelo annunciatur Domini conceptio, quia ſummum bonitatis diuinæ erga homines beneficium eſt natiuitas Chriſti. Voluit igitur Deus id Mariæ per Angelum nunciare, vt totus mundus ſciat, negotium diuinum eſſe & arduum. Hic Angelus Mariam primum ſalutat, deinde legationem ſuam exponit: tum obiecta carnis diluit, & ſigno certificat. Salutatio fauorem Dei Virgini annunciat, vt ſciat ſe Deo gratam eſſe, eique placere. 2. legatio exponit, quod ſit paritura Dei Filium, mũdi ſaluatorem. 3. obiecta carnis cùm diluit, potentiam Dei nobis commendat; vt quantumuis tota rerum natura contraria eſſe videretur, tamen voce Dei, & ſigno ei addito, firmiter nitendum ſit. Non enim impoſſibilis apud Deum vlla res.

DE SECVNDA.

Cur conceptus de S. Spiritu.

Deinde conceptus eſt de Spiritu ſancto, hoc eſt, non de ſubſtantia, ſed operatione & efficacia Spiritus ſancti. Ita enim Angelus reſpondet Virgini: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Hinc Augustinus: *Per gratiam Dei, ſeu potentiam Dei & operationem Spiritus ſancti, de carne Virginis aſſumtum eſt, quod verbo eſt vnitum. Idq́; ideo, ſi ex virili ſemine fuiſſet, cum omnibus natis Adam, immundus extitiſſet. Quod autem ex carne natum eſt, caro, mendacium, & vanitas. Ioan.3. Nunc autem per Chriſtum oportuit fieri gratiam & veritatem, non igitur potuit de viro concipi, ſed oportuit id fieri occulta quadam Dei virtute: Quo omnis peccati purus & ſanctus, nos quoque purificaret, & ſanctificaret, futurus Patri hoſtia ſancta & incontaminata.* Deinde, de Spiritu ſancto conceptus eſt, vt ſciamus: Quicqiud Filius loquitur, eſſe ipſiſſimam Patris voluntatem. Eſt enim Spiritus ſanctus amor Patris & Filij ſubſtantialis. Præterea, quia Spiritus ſanctus eſt ſpiritus ſanctificationis & purificationis, hic enim ex ſanguine quẽ purificauerat, Chriſti corpus ædificauit & ſanctificauit, vt eſſet mũdum & immune ab omni peccato, vt ſupra quoque dictum eſt.

DE TERTIA.

Cur natus de virgine.

Tertia circumſtantia eſt, quod natus ſit de Virgine. Hic primùm obſeruemus varias hominum in mundum propagationes, quæ quatuor ſunt. Prima ſolius Adam, qui ex humo creatus eſt. 2. ſolius Euę, quæ ex Adæ coſta ædificata eſt. 3. ſolius Domini Chriſti, qui ex ſanguine virginali, per operationem Spiritus ſancti, ſine virili ſemine, natus eſt. 4. communis, eſt enim hominum omnium aliorum, qui ex ſeminis virorum & mulierum coniunctione naſcuntur. Quod autem ex Virgine naſci debuerit, plures ſunt cauſæ. *Prima*, ſi fuiſſet ex viri & mulieris ſeminibus coniunctis natus, in peccatis fuiſſet conceptus & natus: ſed decuit eum, qui venit vt tolleret peccatum, abſque peccato eſſe. Conueniebat igitur, vt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nouo quodam modo & conciperetur in Virgine, & naſceretur ex Virgine. *Secunda* cauſa vaticinia fuerunt, Geneſ.3.15. Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Gen.49.10. Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat Silo, hoc eſt, eius, ſcilicet mulieris, filius. Eſa.7.14. Ecce virgo prægnans pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, id eſt, nobiſcum Deus, θεάνθρωπος & Saluator. Nam idem hoc nomen valet, quod Ieſus, quemadmodum ex ſupra dictis manifeſtum eſt. *Tertia* cauſa, vt eſſet ſignum ſpiritualis regenerationis quæ non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo eſt, Ioan.1. Vnde Auguſtinus: *Oportebat caput noſtrum inſigni miraculo ſecundum corpus naſci de Virgine, vt ſignificaret ſua mēbra de virgine Eccleſia ſecundum Spiritum naſcitura.*

DE QVARTA.

Cur de virgine deſponſata viro.

Quarta circumſtantia eſt, quod virgo mater Domini fuerit viro deſponſata, ídque ob quatuor cauſas potiſſimum factum eſt. 1. Vt hac ratione commendaretur dignitas matrimonij. 2. vt cōſuleretur pudicitiæ, famę & vitæ Virginis. 3. vt Ioſeph eſſet cuſtos Virginis, & Pueri nutritius. 4. ne hoſtes haberent quod obiicerent Chriſtianis, ac dicerent illorum Chriſtum illegitimum eſſe.

DE QVINTA.

Cur de proſapia Dauidis.

Quinta circumſtantia, quod ex proſapia Dauid fuerit Virgo orta, id duabus cauſis eueniſſe videtur. *Prima* propter oracula. Fuit enim prædictum, vt naſceretur de proſapia Dauid, id quod notiſſimum fuit, non ſolum ipſis Scribis ac Phariſęis, ſed toti populo Iudaico, & externis principibus, qui præerant iſti populo. Fuit enim primum Abrahæ promiſſus, deinde, quod ex tribu Iuda eſſet oriundus. Tum iuratus eſt Dauid, Pſal.132.11. Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabit eam, De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. *Secunda*, vt magis confirmaretur, hunc eſſe Meſſiam, quem ex Abrahæ Dauidíſque lumbis oracula legis & Prophetarum tanto tempore antea promiſerant.

DE SEXTA.

Sexta circumſtantia eſt temporis, quo natus eſt Chriſtus: in quo primum oracula ſunt obſeruanda. Eſt enim natus regnante Auguſto, Lucæ, 2.1. Vnde prophetia Iacob certificatur, qui Gen.49.10. ita prædixerat: Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat Silo. Huc hebdomadæ Danielis pertinēt. Vnde hæc temporis circumſtantia conuincit, hunc Filium virginis vere eſſe Chriſtum. Nam eo tempore eſt natus, quo dictum erat. Confirmatur igitur hinc fides in Chriſtum verum Meſſiam, & confutātur Iudæi, qui excæcati ob ſuam malitiam adhuc Chriſtum expectant, quem ſperant fore monarcham mūdi. Hæ ſex circumſtantiæ, de quibus breuiſſimè dixi, in hoc articulo diligenter ſunt conſiderandæ. Plurimum enim faciunt, tum ad hiſtoriam rectè intelligendam, tum ad fiduciam concipiendam in hunc Filium, & fouendam.

Cauſę pręcipuæ incarnationis Domini.

Porro Chriſtus Dominus veniens in hunc mundum, reſpectum habuit ad quatuor potiſſimum. 1. ad Patris voluntatem, cui obediendum fuit: 2. ad ſcripturas certificandas & confirmandas. 3. ad genus humanum, quod ſua victima erat liberaturus. 4. ad diabolum, ad quem ſuperandum venit. Chriſtus enim apparuit (vt inquit Ioannes) vt deſtrueret opera diaboli.

SECVNDA PARS DE HVmanitate Chriſti, nempe de paſſione & morte.

Hæc pars hiſtoriæ Chriſti maxime admirandum opus continet, de paſſione & morte Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui paſſus & mortuus eſt propter peccata noſtra, quemadmodum plurima teſtimonia veteris & noui Teſtamenti oſtēdunt. Ipſius enim paſſio & mors ſacrificium propiciatorium eſt, quo Deus propiciatus, id eſt, pius & clemens redditur iis, pro quibus ſacrificium peractum eſt. Vt autem doctrinam dominicæ paſſionis diſtinctius teneamus, *Primum* dicam de ſacrificio propiciatorio, quid ſit & quot ad illud requirantur. *Deinde* cauſas paſſionis dominicæ breuiter attingam. *Tertiò* de effectibus nonnulla adiungam. *Quartò* antitheſin adiiciam. *Poſtremò* veram meditandæ dominicæ paſſionis rationem exponam.

Mors Chriſti quid.

Doctrinæ Methodus.

QVID EST SACRIFICIVM propiciatorium, & quæ ad illud requiruntur?

Definitio.

Sacrificium propiciatorium eſt opus placans irā Dei pro aliis, & ſatisfactorium pro culpa & pœna æterna. Sic enim inquit Dominus, Ioann.17.19. Pro iis ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in æternum. Deinde conſtat ex ſcripturis, proprium fuiſſe officium Chriſti ſeipſum offerre, ſicut dicit Scriptura ipſum vnica oblatione ſanctificaſſe ſuos. Hebr.10.14. Item, ſemel apparuiſſe per oblationem ſui. Hinc & quid ſit ſacrificium propiciatorium, & quod vnicum ſit, nempe Ieſu Chriſti, apertiſſimè colligitur. Porro ad huius ſacrificij perfectionem quinque requiruntur. 1. Deus, cui offerendum eſt. 2. ſacerdos, qui offert. 3. res quæ offertur. 4. res, pro qua offertur. 5. fœdus ſeu teſtamentum. Eſt enim omnis ſacerdos ſponſor fœderis alicuius. Hinc Filius Dei eſt ſacerdos, qui ſeipſum obtulit Deo Patri pro genere humano liberando ab æterna morte.

QVÆ SVNT CAVSÆ paſſionis Domini?

Obiectum mouens, προκαταρκτικὸν, quod vocant, fuit calamitas humani generis, & tyrannis diaboli in genus humanum. *Impellens* cauſa interna, fuit amor Dei Patris erga ſuam creaturam. Sic enim inquit Dominus, Ioan.3.16. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. *Obſequens* cauſa, fuit ipſe Filius Dei, qui, vt inquit Paulus, vſque ad mortem crucis obediens fuit Patri. *Inſtrumenta* fuerunt diabolus, Scribæ & Phariſæi, Pilatus & carnifices ipſi. *Formalis* cauſa fuit ipſa paſſio, quæ petenda eſt ex hiſtoria Euangelica, quę diſtingui poteſt in quinque actus ſeu membra, quæ his verſibus continētur:

1. Obiectū.
2. Cauſa Impellēs.
3. Obſequens.
4. Inſtrumentalis.
5. Formalis.

Hortus, Pontifices, Reges, Crux atque ſepulchrum,
Hiſtoriæ paſſi membra notanda Dei.

Harum ſingula membra plures habent articulos, de quibus Euangelica hiſtoria conſulenda eſt. *Finales* vero hæ ſunt. I. vt glorificetur Deus ob iuſtitiā & miſericordiam. II. vt ſaluetur genus humanum, quod peccato perditum fuit, quando hunc ſacerdotem fide apprehenderit. III. vt deſtrueret Chriſtus opera diaboli ſua morte. In hoc enim apparuit (vt inquit Ioann.1.3.8.) vt deſtruat opera diaboli. Has cauſas omnes miro compendio complectitur Dominus, Ioan.3.16. vbi ita inquit: Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Finalis.

QVI SVNT EFFECTVS paſſionis Domini?

De iis tantum Effectibus breuiter attingam, qui

ad

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

qui ad humanam redemtionem pertinent, de quibus extant ſanctorum Patrum breues ſententię, qui bus ſummam fructus Dominicæ paſſionis complexi ſunt, qualis hæc eſt: *Chriſtus paſſione ſua vicit diabolum, quem ligauit, Infernum, quem ſpoliauit, Mortem, quam ſuperauit, Mundum, quem contemſit, Supplicium, quod detulit, Cœlum, quod aperuit.* Et Augustinus; *Per redemtoris noſtri mortem de tenebris ad lucem, de morte ad vitam, de corruptione ad incorruptionem, de exilio ad patriam, de luctu ad gaudium, de terris ad cœleſte regnum vocati ſumus.* Huiuſmodi quam plurimæ ſanctorum Patrum ſententiæ de fructu paſſionis Dominicæ paſſim leguntur: Sed ego breuiter quoſdam effectus colligam, ac eos numeris diſtinguam memoriæ gratia, additis teſtimoniis ex ſacra Scriptura.

Primus, Deo præſtita eſt obedientia, Philipp. 2.8. Humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.

Secundus, diabolus victus. In hoc inquit Ioannes, apparuit Filius Dei, vt deſtrueret opera diaboli, 1. Ian. 3.8.

Tertius, homo à peccato ſaluatus eſt & iuſtificatus. Ecce, inquit Ioannes, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. 2. Cor. 5.21. Eum, qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo.

Quartus, æquatio Iudæorum & gentium, abolita inimicitia per mortem Chriſti. Ad Eph. 2.14. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, & interſtitium maceriæ ſoluens, inimicitias per carnẽ ſuam, legem mandatorum in decretis abolens, vt duos cõderet in ſemetipſum in vnum nouum hominem faciens, vt reconciliaret ambos in vno corpore Deo per crucem.

Quintus, mors abolita eſt, Oſeæ 13.14. Ero mors tua ô mors &c. morſus tuus ero inferne. *Vita Chriſti* (*inquit* Bernardus) *viuendi mihi regula extitit, mors à morte redemtio.* Breuiter: Chriſti hoſtia eſt λύτρον, quo Deus placatus, homo redemtus, diabolus victus, omnia in cœlo & in terra vni capiti Chriſto ſubiecta ſunt, Eph. 2.21.

Cum hoc ſacrificio & paſſione pugnat, quicquid homines mali excogitant pro ſatisfactione peccati, cuius generis ſunt, Iuſtitia operum, Miſſę, Indulgentiæ, Inuocationes Sanctorum, fictum Purgatorium, & huiuſmodi aliæ nugæ, quas excogitauerunt Monachi, in contumeliam crucis Chriſti. Nam ſi Chriſtus, vt Eſaias inquit, vulneratus eſt propter peccata noſtra, ſequitur, omnia illa ex diametro pugnare cũ paſſione Domini, quibus volunt homines placatum ſibi Deum reddere. Nec poteſt maior contumelia Filio Dei fieri, quàm vlli rei, præterquam ipſius paſſioni & morti, tribuere redemtionis beneficium. Nec eſt vllũ idololatriæ genus maius, quã hominis operibus tribuere ſatisfactionis gloriam, quod tamẽ totum Papiſticum regnum ex inſtinctu diaboli facit.

IN QVIBVS REBVS CONſiſtit vera dominicæ paſſionis meditatio?

Meditatio Dominicæ paſſionis vtilis ad ſex capita referri poteſt. *Primùm* veniat nobis in mentem, quantam neceſſe ſit iram Dei fuiſſe ob peccatum, quæ non poterat placari, niſi morte vnigeniti Filij Dei. *Secundò* cogitandum, quam immenſa & imperueſtigabilis fuerit miſericordia Dei Patris, qui potius voluit Filium ſuſtinere turpiſſimam mortem, quàm genus humanum à ſe conditum perdere. Hæc miſericordia multis in locis ſacræ Scripturæ commendatur. *Tertiò* cogitandum eſt etiam de ſummo & inenarrabili amore Filij Dei erga genus humanũ, volentis in ſe deriuare iram Patris, ac ſuſtinere tam ignominioſam mortem, idque pro ingratiſſimis hominibus. *Quartò* de applicatione Dominicæ paſſionis cogitandum eſt. Niſi enim nobis fide applicetur, inanis quædam hiſtoriæ notitia manebit. Quare fide ſtatuendum eſt, ipſum Deum pro Te mortem ſubiiſſe, quod cum feceris, paſſionis dominicæ factus es particeps, vſque adeo, vt tota obedientia Chriſti tua ſit iuſtitia, qua veſtitus non amplius, vt peccator, ſed tanquam iuſtus in conſpectu Dei appareas. Vide Bernardus: *De remiſſione quidem peccatorum validiſſimum teneo argumentum, dominicam paſſionem. Vox quidem ſanguinis eius valet plus, quàm ſanguinis Abel, clamãs in cordibus electorum remiſſionem peccatorum. Traditus eſt enim propter peccata noſtra. Nec dubito, quin potentior & efficacior ſit mors illius in bonum, quàm peccata noſtra in malum.* *Quintò* admonebit nos paſsio Domini ſortis piorum in hoc mundo. Quemadmodum enim Chriſtus eſt paſſus, ita vult & reliquos pios pati, vt ſint conformes imaginis Filij Dei. Ideo enim compatimur, vt vnà cum illo glorificemur. Roma. 8 28. *Sexto* admonebit nos paſsio Domini, vitæ in poſterum rectè formandæ, vtque caueamus, ne rurſus volentes Deum peccatis noſtris offendamus. De hoc membro vide, Rom. 6.4. Hinc enim ſumit Paulus argumentum exhortatorium ad piam & honeſtam vitam.

TERTIA PARS DE HVMAnitate Chriſti, *nempe de ſepultura & deſcenſu ad inferos.*

Typus ſepulturæ Chriſti fuit dies Sabbathi, id eſt, quietis, vnde prophetia Dauidis, Pſal. 16.9. Et caro mea requieſcet in ſpe. Eſa. 52.9. Et erit ſepulchrum eius glorioſum. In horto ſepultum ideo ſancti Patres dicunt, quia primus homo in horto mortuus eſt.

SED CVR SEPVLtus fuit.

1. Ad oſtendendum, quod verè fuit mortuus. 2. vt iter nobis præberet à ſepulchro ad vitã. 3. vt nos ſpiritualiter mortui peccato, nunc quieſcamus à peccato, & deſideria peccati non faciamus. Sepulti (inquit Paulus) ſumus cum ipſo per baptiſma in mortem, vt quemadmodum ipſe excitatus eſt à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitę ambulemus. Rom. 6.4.

SED CVR OPORTVIT DOminum ad inferos deſcendere?

Quemadmodum Chriſtus mortuus eſt, ne nos æterna morte moriamur: ita etiam ad inferos deſcendit, ne nos inferorum poteſtati ſubiiciamur.

An non *Chriſti* corpus iacuit in ſepulchro? Quæſtio
An non animam commendauerat Patri?
Quomodo ergo fuit apud inferos?

Auguſtinus reſpondet: *Totus filius fuit apud Patrem, totus in vtero Virginis, totus in cœlo, totus in terra, totus in cruce, & totus in inferno.* At ſi quis dixerit, ſecundum animam & non ſecundum corpus Dominum deſcendiſſe ad inferos, ipſius ſententiam nequaquam improbo, neque refert ſcire magnopere, quomodo ad inferos deſcenderit, modò vera fide teneatur, ipſum ab inferorum poteſtate nos liberaſſe.

QVARTA PARS DE HVMAnitate Chriſti, *nempe de reſurrectione ipſius.*

Hæc Quarta pars eſt de reſurrectione: quæ eſt ipſius victoria & triumphus ſuper mortem & infernum. Nam hic Dominus ſe verum Deum eſſe declarat. 1. Virtute enim diuina ſurrexit. 2. hac re-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſurrectione meruit à ſuo Patre, vt omnia ſibi ſint ſubiecta, in cœlo & in terra. 3. Breuiter, declarat ſe ſua reſurrectione eſſe benedictum illud ſemen, quod contriturum erat caput ſerpentis, hoc eſt, aboliturum regnum diaboli.

SED QVID COMMODI *nobis ex Chriſti reſurrectione accedit?*

I. Meruit Chriſtus nobis ſua glorioſa reſurrectione, dummodo in eum credamus, æternam iuſtitiam & æternam ſalutem. Vt enim obedientia & morte ſua pro peccatis noſtris ſatisfecit, ita ſua reſurrectione iuſtificationem & vitam ęternam acquiſiuit credentibus. Quemadmodum Paulus miro compendio complexus eſt: Mortuus eſt pro peccatis noſtris, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtri, Roman. 4.25. nimirum vt nobis ſuam iuſtitiam impertiret. II. Habemus fœdus bonæ conſcientiæ erga Deũ per reſurrectionem Chriſti. III. Chriſti reſurrectio nos admonebit, vt reſurgamus non ſolum in extremo iudicio (Eſt enim reſurrectio Chriſti noſtræ reſurrectionis certiſſimum teſtimonium) verumetiam in hoc mundo. Nam vt morientis, ſic & reſurgentis Chriſti membra debemus eſſe. IIII. Reſurrectio Chriſti meritò admonere deberet omnes Chriſtianos intimi cuiuſdam amoris & fraternitatis erga ſe inuicem. Nam ita iuſſit Chriſtus reſurgens nunciari diſcipulis ſuis: Aſcendo ad Patrem meum, & ad Patrem veſtrum, ad Deum meum, & ad Deum veſtrum. Aut ſi apertius placet. 1. eſt donum quo iuſtificamur, 2. eſt virtus, quæ in nos credentes transfunditur, vt poſſimus à vitiis reſurgere. 3. exemplum eſt & ſymbolũ nouitatis vitæ. 4. eſt cauſa noſtræ reſurrectionis, eiuſdémq; pignus.

QVINTA PARS DE HVMAnitate Chriſti, *nempe de aſcenſione in cœlum, & ſeſſione ad dexteram Patris.*

In hac parte duo ſunt potiſſimum obſeruanda. *Primum* mandatum Chriſti dicentis: Ite in mundum vniuerſum, & prædicate Euangelium. Antea intra pomeria terræ Palæſtinæ docebatur manifeſtè verbum Dei. Nunc iubet eos exire in omnem terram, qua voce declarat ſuam mortem, reſurrectionem, & aſcenſionem efficacem eſſe in omnibus partibus & angulis mundi: non quibuſdam generoſis hominibus, ſed promiſcuè omnibus ſuam gratiam offerẽs. Dicit enim, Proclamate. Quibus? Omni creaturæ, contra tentationem de particularitate, de prædeſtinatione, & de indignitate noſtra. Quid? Euangelium, hoc eſt, nouum nuncium, videlicet, quod Chriſtus victor & triumphator offerat omnibus credentibus remiſſionem peccatorum. Ita enim additur in mandato Domini: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, &c. *Alterum* hoc loco obſeruandum eſt, vt ipſa Chriſti aſcenſio rectè à nobis æſtimetur. Hic ſemel aſcendens in cœlum, adeptus eſt nobis & ſibi in perpetuum ius & dignitatem manſionis cœleſtis. Huc Pſal. 110. Huc dictum Pauli pertinet ad Eph. 4.10. Aſcendit, vt omnia impleret: non vt abeſſet, ſed vt præſenti virtute repleret cœlum & terrã, vt eſſet nobiſcum, iuxta verbum & promiſſionem ſuam, vſque ad conſummationem ſeculi. Eleuatus enim ſupra cælos, ſparſit ſuas virtutes & bonitatis ſuę radios vltra & ſupra omnes fines terrę, & aperuit nobis viam in cœlum, quæ per Adæ delictum & noſtrum occluſa erat.

Quod autem Symbolum adiicit, *Chriſtum ſedere ad dexteram patris*, ſignificat ipſius regnum ita ſtabilitum eſſe, vt fruſtra ſe illi opponant omnes inferorum portæ. Deinde, vt habeamus apud Patrem præſentem aduocatum, quemadmodum Ioannes inquit 1. Ioan. 1.2. Verùm vt breuiter totam rem complectar, Spiritus ſancti concionem de glorioſa Chriſti in cœlum aſcenſione adiiciam. Ita enim Dauid & Paulus ex Spiritu concionantur. Pſal. 68.19. & Ephe. 4.8. Aſcẽdit in altum, captiuam duxit captiuitatem, dat dona hominibus. In hac concione tria ſunt. 1. teſtimonium aſcenſionis Chriſti. 2. deſcriptio triumphi. Ipſe enim victor captiuum ducit Diabolum, infernum & mortem. 3. liberalitas ipſius ac beneficentia erga homines, & potiſſimum erga Eccleſiam, cui largitur Spiritum ſuum, & alia dona, quibus Eccleſia in hoc mundo conſeruatur. De ſeſſione ad dexteram Patris.

Porro, vſus huius partis eſt, vt nos hic in terra verſantes, cogitemus conuerſationem noſtram ſeu politiam debere eſſe in cœlo: Vnde expectemus reuerſurum eſſe eum, qui aſcendit, vt iudicet omnem carnem: quemadmodum ſequenti parte dicetur. Vſus.

SEXTA PARS DE HVMAnitate Chriſti *nimirum de aduentu eius ad iudicium.*

Hæc pars horrenda eſt quidem impiis & Chriſti hoſtibus: Chriſtianis vero ſummè delectabilis, & in omni anguſtia veluti ſacra anchora. Nam cum audit pius oppreſſus in hoc mundo variis calamitatibus, iudicium extremum penes eum eſſe, qui dixit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati iſtis, & ego refocillabo vos: Item, Qui credit in Filium, non guſtabit mortem in æternum: concipit ſpem & fiduciam, ſe aliquando cum ſumma gloria liberatum iri ab omnibus anguſtiis. Quomodo enim clementiſſimus Princeps perderet populum ſuum? Quomodo membra, ſua morte ſibi adiuncta, caput diſſiparet? Quomodo ſuos clientes aduocatus condemnaret? Quomodo Ieſus non ſaluaret? Quomodo is, qui ſanguine ſuo precioſo, in patibulo crucis effuſo, nos ſibi aſſeruit, nunc in extremo periculo desereret? cum hic Chriſtus rex & pontifex noſter iureiurãdo promiſerit, ſe ſeruaturum omnes, qui ad ſe confugiunt, quantumuis enormibus peccatis obnoxij fuerint. Doctrina & conſolatio.

Hactenus de naturis, de perſona & officio Chriſti dictum eſt. Vnde tota ſalutis noſtræ ſumma ac ſingulæ eius partes dependent. Quare cauendum eſt, ne vel minimam partem ſalutis noſtræ alio deriuemus. Si enim ſalus quæritur, ipſo nomine docemur, eum eſſe omnem ſalutem. Si alia quælibet dona quæruntur, in ipſo vncto rege & ſacerdote noſtro reperientur, qui ſedens ad dexteram Patris, dat dona hominibus. Si fortitudo, in eius dominio quæratur. Si puritas, in eius conceptione. Si indulgentia, in eius humanitate, qua factus eſt nobis per omnia ſimilis, excepto peccato, vt condoleſcere diſceret infirmitatibus noſtris. Si redemtio quæratur, in eius paſſione ſita eſt. Si abſolutio, in eius damnatione. Si maledictionis remiſſio, in eius cruce eſt. Si ſanctificatio, in eius ſacrificio. Si purgatio, in eius ſanguine eſt. Si mortificatio carnis, in eius ſepulchro. Si vitæ nouitas, in eius reſurrectione. Si immortalitas, in eadem. Si hæreditas regni cœleſtis, in cœli ingreſſu. Si præſidium, ſi ſecuritas, ſi bonorum omnium copia & affluentia quæratur, in eius regno inuenientur. Si ſecura iudicij expectatio Chriſtus Chriſtianis in vita & morte lucrum.

tio, in poteſtate iudicandi illi tradita eſt. Denique in ipſo theſauri omne genus bonorum cum ſint, inde ad ſatietatem hauriantur, non aliunde. Nam qui vno Chriſto non contenti feruntur huc atque illuc in ſpes varias, certam viam non tenent, ſed exciderunt ſalute.

TERTIVM MEMBRVM *ſymboli.*

Credo in Spiritum ſanctum.

Partes huius membri.

Tametſi in primo primæ claſſis capite de Spiritu ſancto dictum eſt, hic tamen verba Symboli explicanda ſunt. Hæc verba Symboli tria nobis ſuggerunt cogitanda. 1. Quis, qualíſque ſit Spiritus ſanctus. 2. Quale ſit eius officium. 3. Qualis fides in Spiritum ſanctum requiratur.

1. *QVIS IGITVR QVAliſque eſt Spiritus ſanctus?*

Definitio

Spiritus ſanctus eſt eiuſdem eſſentiæ cum Patre & Filio, ſed diſtincta ὑπόστασις, id eſt, perſona ab vtroque Patre & Filio procedens, purificator, cum vtroque ſimul adorandus. Soli enim Deo tribuendus eſt diuinus cultus, qualis eſt fides. Hic cultus iuxta verba Symboli Spiritui ſancto tribuendus eſt, proinde Spiritus ſanctus verè eſt Deus. Alia quæ huc pertinent ad declarationem diuinitatis Spiritus ſancti, petantur ex Symbolo Athanaſij.

2. *Quale eſt officium Spiritus ſancti?*

Officium.

In hac vnica voce Sanctitatis comprehenditur tanquam in genere. Nam iccirco Spiritus dicitur, quia quicquid eſt gratiæ Dei, id conſequimur, ſi per Spiritum ſanctum communicatur nobis. Verùm quia hoc in genere quodammodo dictum obſcurius eſt, ſpeciatim ſeu per partes, quomodo per hunc Spiritum Dei ſanctificemur, oſtendam. Multis enim nominibus ſanctitatem nobis impertit. 1. quia eſt *Clauis theſaurorum* cœleſtium. Is enim illuminat aciem mentis noſtræ, vt myſteria fidei intelligere valeamus, quæ procul poſita ſunt à rationis captu. Animalis enim homo (vt inquit Paulus. 1. Cor. 14.) non capit ea, quę ſunt Spiritus Dei. Et Dominus dicit. Ioann. 16. 15. Vbi Paracletus venerit, ducet vos in omnem veritatem. 2. Quia eſt *Arrabo* promiſſionis, ad Eph. 1. 14. Eſt enim nobis tanquam arra, quam nobis donauerat in certitudinem futuræ hæreditatis. 3. Quia eſt *Signaculum*, quo certitudo diuinarum promiſſionum noſtris mentibus obſignatur. 4. Quia eſt *Magiſter veritatis*, ducens nos in omnem veritatem, purgantem mentes noſtras ab ignorantia. 5. Quia eſt *Autor lucis* expellentis tenebras per peccatum inuectas. 6. Quia *Fons ſapientiæ* & intelligentiæ eſt. 7. Quia eſt *Aqua* repurgans nos à prophanis ſordibus, in ſancta Dei templa nos conſecrans, atque vt germina iuſtitiæ proferamus fœcundans. 8. Quia *Oleum* & *Vnctio*, eſt, quo nobis verum vitæ vigorem effundit. 9. Quia *Ignis* eſt, excoquens & expurgans noſtræ conſcientiæ vitia, incendit corda noſtra amore iuſtitiæ, vt aduerſus carnem indeſinenter pugnemus. Hæc aliáque huiuſmodi Spiritus ſancti officia in Eccleſia elegantiſſime deſcribuntur in hymno: Veni creator Spiritus.

QVALIS FIDES IN SPIRItum ſanctum requiritur?

Fides.

Fides in Spiritum ſanctum tria complecti debet. *Primùm*, agnoſcet Spiritum ſanctum tertiam in diuinitate perſonam eſſe æqualem & conſubſtantialem Filio & Patri, quemadmodum deſcribitur in Symbolo Athanaſij. *Deinde* officium Spiritus ſancti intuebitur fides. *Poſtremò* in eius bonitate niti & acquieſcere debebit, cauebítque, ne impuritate & fœditate Spiritum ſanctum contriſtet & expellat homo.

QVARTVM MEMBRVM ſymboli.

Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem remiſſionem peccatorum, Carnis reſurrectionem & vitam æternam.

Hoc quartum membrum Symboli docet de effectu totius Trinitatis, & fide accipiente oblata beneficia. Hactenus enim Symbolum de cauſa efficiente & materia noſtræ ſalutis diſſeruit. Nunc autem, quò illa omnia beneficia trinitatis, miſericordia Patris, victima Filij, ſanctificatio Spiritus ſancti pertineāt, adiicit. Nam hæc omnia beneficia ad Eccleſiam pertinent, quam donatam remiſſione peccatorum in extremo die excitabit, ac æterna gloria ornabit. Diuiditur autem hoc Symboli membrum in quinque articulos, quos ordine declarabo. — Ordo & partes huius membri.

PRIMVS ARTICVLVS quarti membri, *nempe de Eccleſia.*

Tametſi ſupra quædam de Eccleſia dixi, tamen hic Symboli verba breuiter ſunt explicanda. In Symbolo Apoſtolico & Athanaſij quatuor potiſſimum huius ſanctæ Eccleſiæ conditiones numerantur. 1. quod ſit *vna*. 2. quod ſit *ſancta*. 3. quod ſit *catholica*. 4. quod ſit *firma*. — Quatuor Eccleſiæ conditiones.

1. Vna.

Vna ideo dicitur & credenda eſt, quia vt vnicum Pontificem Ieſum Chriſtum agnoſcit, ita vnicam regulam religionis, quæ conſiſtit in vera fide, ſpe & charitate, habet. Hanc Eccleſiæ vnitatem conſeruat vnus Spiritus per verbum & Sacramenta: quo totum miniſterium verbi referendum eſt. Sancta credenda eſt: 1. quia ſanguine Chriſti purgata eſt, iuxta illud. 1. Ioan. 1. 7. Et ſanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni iniquitate noſtra. 2. Quia ſpirituali vnctione Eccleſiæ membra, hoc eſt, omnes credentes vncti ſunt, vt ſint Chriſtiani, hoc eſt, reges & ſacerdotes. Nam Chriſtus omnibus in ſe credentibus tribuit honorem ſpiritualium regum & ſacerdotum. 3. Quia ipſa ſancta Trinitas habitat in Eccleſia quemadmodum Chriſtus ipſe teſtatur in concione poſt cœnam vltimam: Qui diligit me, & mandata mea ſeruat, ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. 4. Inuocatione ſanctificatur Eccleſia. Prætereà *Catholica*, hoc eſt, vniuerſalis eſt credenda. 1. ratione loci. Non eſt enim Eccleſia alligata certo loco, certis regnis, certis prouinciis. Sed vniuerſalis ſeu Catholica dicitur, quia ſparſa eſt per totum mundum. Sic enim Matthæi vltimo dicitur: Euntes in mundum vniuerſum. Quare Papiſtarum error refutatur, qui Eccleſiam Romæ alligant, tanquam ibi eſſet ſedes veræ Eccleſiæ. 2. Conditione hominum Eccleſia dicitur Catholica. Nullus enim reiicitur à cœtu Eccleſiæ, ſiue dominus ſiue ſeruus ſit, ſiue maſculus, ſiue fœmina. Vnde deſtruitur error Iudæorum, qui putāt Eccleſiam ſolam pertinere ad ſemen Abrahæ carnale. 3. Ratione temporis dicitur Catholica Eccleſia. Non enim du-

2. Sancta. Ioan. 14. 23. 3. Catholica.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

rabit in mundo,ad aliquot centenos annos, vt ſomniant Anabaptiſtæ & vetus hæreſis: ſed durabit perpetuò in mundo iuxta promiſſionem Chriſti: Ego ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſeculi. Hoc ipſum docet Pontificatus Chriſti, qui perpetuus eſt. 4. ratione doctrinæ Catholica appellatur Eccleſia, nam in ipſa Eccleſia vniuerſaliter eadem doctrina,eadem religio perpetuò manet.Id eſt enim Catholicum, quod vbique ſemper & ab omnibus creditum eſt. Poſtremò credenda eſt *Firma* Eccleſia, vnde fides noſtra integrum(vt ita dicam)mare diuinarum conſolationum in omnibus tentationibus haurire poteſt.Hæc fides ſuſtentat trepidantem conſcientiam.Pia mens contra imbecillitatem carnis,contra rabiem diaboli, contra furorem mundi, conſolabitur ſe firmitudine huius Eccleſiæ, quæ vſque adeo firma eſt,vt nulla vis aduerſus eam præualere poſſit.Portę inferorum(inquit Dominus Matt. 16.18.)non præualebunt aduerſus eam , ac ſi dicat: Bellabunt aduerſus Eccleſiam inferorum poteſtates,ſed nequaquam aduerſus ipſam præualebunt aut expugnabunt.Ipſa enim Eccleſia victrix erit per fidem,Quæ Fides victoria eſt mundi.

SECVNDVS ARTICVLVS
quarti membri, *nempe de communione Sanctorum.*

Quid ſit. Sanctorum communio eſt æqualis participatio omnium Euangelicarum promiſſionum.Sicut enim in omnibus eſt vnus Chriſtus, æquale precium & meritum redemtionis & ſalutis: Ita omnibus vna & eadem reconciliatio,redemtio,iuſtitia,ſanctificatio, vita & ſalus.Paulus ad Eph.4.17.hinc extruit exhortationem ad mutuam animorum concordiam.Quid enim magis conuenit, quam vt illi ſe proſequantur amore & beneuolentia,quibus tantus theſaurus cœleſtium bonorum exiſtit, præſertim cum ſint eiuſdem cœleſtis Patris filij dilecti, & eiuſdem corporis membra & ad eandem beatitudinem vocentur? Pertinet & hoc ad communia Eccleſiæ bona, quod credentes mutuis precibus ſubleuētur, quarum nequaquam ſunt participes,qui Eccleſiam deſerunt.

TERTIVS ARTICVLVS
quarti membri,*nempe de remiſſione peccatorum.*

Quid ſit. Remiſſio peccatorum eſt præcipuum ornamentum Eccleſiæ, quo donatur à ſuo ſponſo Chriſto. Nam forma propria iuſtificationis Eccleſiæ, & ſingulorum membrorum in Eccleſia hic exprimitur, quæ eſt remiſſio peccatorum & imputatio iuſtitiæ Chriſti,& acceptatio perſonæ credentis gratis propter Chriſtum. Sunt autem hic tria conſideranda.1. Quid Deus in homine inuenit ante iuſtificationem. 2. Quomodo Deus peccatum tollit. 3. Qua ratione homo remiſſionis peccatorum ſit particeps.

1. *QVID ERGO inuenit?*

Status hominis ante iuſtificationē. Peccatum,iram Dei,maledictionem, tyrannidem diaboli,rebellionem multiplicem: breuiter, meritum æternæ mortis. Vnde nulla noſtra dignitas eſſe apparet,quæ mereri poterit fauorem Dei, aut tanti peccati remiſſionem. Omnes enim aberrauimus, nec eſt vnus inuentus mundus à peccato inter filios hominum , nec quiſquam debitum honorem Deo exhibuit.

2. *QVOMODO DEVS tollit peccatum?*

Tollit remittendo, id eſt, condonando pœnam commeritam,& largiendo iuſtitiam alienam , nempe Chriſti.Quemadmodum per vnius inobedientiā totus mundus obnoxius eſt irę Dei:Ita per obedientiam & iuſtitiam vnius Ieſu Chriſti multi conſtituentur iuſti.Sic enim Paulus multis in locis docet, 2.ad Cor.5.21.ita inquiens. Eum qui non nouit peccatum,fecit peccatum , vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo.Proinde iuſtitia Chriſtiana,qua remiſſionem peccatorum obtinent apud Deum , nihil aliud eſt, quam iuſtitia & obedientia Chriſti , imputata credentibus.

3. *QVA RATIONE REmiſſionis peccatorum ſit homo particeps?*

Fide. Sic enim Symbolum habet : Credo remiſſionem peccatorum,id eſt , certius mihi perſuadeo, remiſſionem peccatorum mihi contingere propter victimam Chriſti. Eſtque hoc dictum Symboli multis erroribus de iuſtificatione opponendum: nempe Turcorum,Iudæorum,Papiſtarum, Hypocritarum, atque adeo omnium,qui non ſola victima Chriſti iuſtificari homines credentes exiſtimāt. Deinde quiſque exerceat hoc dictum quotidiana praxi,vt magis ac magis dulceſcat ſibi tam lætum Euangelium. Huc pertinet tanquam ad ſcopum totum verbi miniſterium. Huc pertinent Sacramenta , quæ omnia eo referantur , vt hæc Symboli pars radices agat in cordibus noſtris.

QVARTVS ARTICVLVS
quarti membri,*nempe de carnis reſurrectione.*

Huius partis explicationem habes copioſiſſimam 1.ad Cor.15. vbi Paulus diſſerit multis & validis argumentis de hoc articulo,& vana eſſe oſtēdit omnia quæ in ſcripturis traduntur,niſi futura eſſet reſurrectio:quæ eſt fructus reſurrectionis Chriſti. In hoc articulo. 1. eſt conſideranda reſurgentium conditio. 2. vſus fidei reſurrectionis. *Conditio* eorum, qui reſurgent in vniuerſum eſt quadruplex. *Prima,* quod eiſdem corporibus reſurgemus,ita enim Paulus docet 1.Cor.15.51.Item ad Philipp.3.21. Item, Iob cap.19.26. *Secunda* conditio eſt,quod corpora reſurgentium ſint incorruptibilia : bonorum quidem in gloria,malorum vero in pœna,1.ad Cor.15.52. *Tertia* conditio eſt, quod boni & mali reſurgent cum integritate omnium partium corporis , vt in citato loco Paulus teſtatur. *Quarta* conditio eſt quod reſurgentes nunquam ſint rurſus morituri. — Fructus reſurrectionis Chriſti. — Conditio omnium reſurgentium.

Conditio piorum reſurgentium. Porro,quātum ad bonos attinet,quadruplex rurſus erit reſurgentium conditio.Prima *Claritas,* Mat. 22.30.Secunda *Impaſſibilitas,*1.Cor.15.44.Tertia *Agilitas,*Sapient.3.7.Fulgebunt iuſti,& tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.Quarta *Subtilitas,*Seminatur corpus,inquit Paulus,1.Cor.15.44. animale,ſurget corpus ſpirituale:nō quod omnino ſit ſpiritus,ſed quia per omnia Spiritui ſubiiciatur.Cæterùm,quantum ad Malos attinet, reſurgentium conditio contraria erit conditioni beatorum.

VSVS.

Vſus præterea fidei reſurrectionis in his conſiſtit. *Primum* conſolabitur nos hæc fides in calamitatibus & iniuriis,quibus obnoxium eſt hoc corpus,dum viuimus. *Secundo,*hæc fides mitigabit triſtitias , quas de mortuis concipimus. *Tertiò*, Minuet timorem mortis , dum credimus meliorem vitam poſt hanc mortem *ſecuturam,* ad Ebræos 2.14. Vt per mortem deſtrueret eum,qui habebat mortis imperiū, id eſt, diabolum,& liberaret eos, qui per timorem mortis per totam vitam obnoxij erāt ſeruituti. *Quarto,*fides hæc reddit nos ſolicitos & alacres ad bene operandū, & bene merendum de iis cum quibus nobis futura

eſt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

eſt perpetua ſocietas in æterna vita. Quinto, hæc fides retrahet nos à malo, ne contaminemus nobiliſſimam animam, & corpus ſanguine Chriſti cõſecratum, quod corpus in illa perpetua ſanctitate viuet, conuerſabitur cũ Deo, Angelis, Patriarchis, adeoq; omnibus, qui hinc directa ad Deum mente diſceſſerint.

QVINTVS ARTICVLVS QVARti membri *nempe de vita æterna.*

Reſurrectionis finis.

Hic articulus additur, vt ſignificet nos reſurrecturos, non ad calamitates aut momentaneas fortunas, ſed ad perpetuam beatitudinem. Quia autem Symbolum diſertè meminit æternæ vitæ, ſignificat aliam vitam propoſitam eſſe credentibus, quam quæ temporis interuallis aut diuturnitate interrumpitur. Porro Theologi ex Scriptura tria vitæ diſcrimina faciunt, vt Prima ſit vita *naturæ*, qua boni & mali promiſcue in hoc mundo viuunt. Secũda vita ſit, *gratiæ*, qua ſoli filij Dei in ſpirituali regno Chriſti in hoc mundo viuunt. Tertia vita ſit *Gloriæ*, de qua hic articulus Symboli intelligendus eſt, qua viuent in æternum, qui credentes hinc diſcedunt.

Tria vitę diſcrimina.

Triplex mors.

Ad eundem modum ſecundum Scripturas triplicem eſſe mortem accipimus. *Prima* eſt, qua morimur peccatis, & Deo viuimus. Beata profecto mors, quæ culpæ refuga, Domino debita, à mortali nos ſeparat, immortali nos conſecrat. *Alia* mors eſt vitæ exceſſus, qua mortuus eſt patriarcha. Abraham, Dauid & alij plurimi, & ſepulti ſunt cum patribus ſuis. Hæc mors definitur eſſe diſſolutio corporis & animæ: videlicet, cum anima nexu corporis liberatur. *Tertia* mors eſt, qua corpus & anima moriuntur, non vt non ſentiant, ſed vt coniuncta perpetuis pœnis addicantur, & hæc ęterna mors vocatur. Poſſunt & alia diſcrimina vitæ & mortis aſſignari. Sed hæc præcipua ſunt.

VSVS.

Compendiũ Symboli.

Vſus huius articuli eſt, qui & præcedentis. Nunc totum Symbolum contraham in compendium. *Credo* in Deum Patrem, qui me creauit. Credo in Ieſum Chriſtum, qui homo factus, ſua victima ad Patris iuſſum me redemit. Credo in Spiritum ſanctum, qui me beneficiorum Chriſti participem reddit, vt aſſcriptus cœtui Sanctorum, & donatus remiſſione peccatorum, tãdem à morte reſurgam ad vitam æternam: ad quam vitam nos perducat victor mortis, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Deus benedictus in ſecula. *Amen.*

CAPVT IIII.

ORATIO.

Oratio peculium Eccleſię.

QVIA proprium opus Eccleſię eſt *Oratio*, opportunè hoc loco de illa dicendum videtur. Id autem vt diſtinctè & methodice fiat, quinque ordine nobis ſunt explicanda. 1. Quænam in omni oratione neceſſario ſint ſpectanda. 2. Quid & quotuplex ſit oratio. 3. Circumſtantiæ orationis externæ, temporis, loci, modi, geſtúſque corporis. 4. Obiectiones quædam diluendæ. 5. Methodus ſeu regula enarrandi Orationem Dominicam, cum eiuſdem ſuccincta declaratione.

Methodus.

DE PRIMO.

In omni oratione quinque neceſſario ſunt ſpectãda. 1. Affectus orantis. 2. Cauſæ orationis. 3. Quis orãdus. 4. Quo mediante ſit orandum. 5. Quid orandũ. Hæc vno velut intuitu contemplanda ſunt, quæ memoriæ gratia hoc qualicunque verſu complector.

1. Orationis præcipuæ circunſtantiæ internæ.

Affectus, Cauſæ, Quis, Per quẽ, Quidq; petendũ.

1. Affectus.

Affectus itaque orantis huiuſmodi eſſe debet. 1. vt exuat omnem cogitationem gloriæ propriæ. 2. vt certa fide orandum incendatur animus. 3. vt vere inopiam ſuam ſentiat. 4. vt in vera pœnitentia ſe coram Domino proſternat. Nam qui vel tumet cogitatione propriæ gloriæ, vel fide vacat, vel non ſentit ſuam inopiam, vel de ſeria pœnitentia nõ cogitat, nequaquam inuocat vere & efficaciter.

2. Cauſæ

Cauſæ inuocationis ſunt hæ. 1. *Mandatum* Dei, quo ſerio à nobis hic cultus exigitur. Inuocà (inquit) me in die tribulationis. Item: Orate, ne intretis in tentationem. 2. Promiſſio Dei, promittentis ſe auditurum preces ad ſe clamantium. Quicquid (inquit) petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. 3. Senſus noſtræ inopiæ & crucis, cum totius Eccleſiæ, tum politiarum & œconomiarum. 4. Victoria ſuper tentationibus. Orate, inquit Dominus, ne intretis in tentationem. Nõ enim facilè vel inſidijs Diaboli, vel improbitate mundi, vel inſtigatione vicioſæ carnis ſuperabitur, qui ſerio & aſſiduè orat. Hinc Salomon: Turris fortiſſima nomen Domini. 5. Vt cor noſtrum orandi conſuetudine ad verum Deo cultum præſtandum magis magiſque inflammetur. 6. *Exemplum*, cum Chriſti tum omnium Sanctorum, quorum præcipua cura in vita fuit, Deum ſerio inuocare. Hæ ſunt magnæ cauſæ, quibus merito excitari deberemus ad ſeriam inuocationem: quam cũ ſtatuere debeamus, Deum exaudire vbique & vbicunque ſumus, & in quouis periculo, admoneamur, vt nihil agamus, cuius teſtem vereamur Deum: vt eius prouidentia omnia adminiſtrari cogitemus: vt bonitatem paternam in Deo volẽte exaudire meditemur vtque ſtoicam neceſſitatem deteſtemur. Nam ſi verum eſſet ſtoicum illud paradoxum, vanę eſſent noſtræ preces, vt doctè conuincit Chryſoſtomus in orationibus περὶ τ̃ εἱμαρμένης.

3. Quis inuocandus.

Cauſis cognitis ſciendum eſt etiam, quod Solus Deus ſit inuocandus: qui eſt æternus Pater, Filius & Spiritus ſanctus, iuxta illud: Inuoca me in die tribulationis. Inuocare.n. creaturas, maxima idololatria eſt. Nam quod Deo debetur, ſacrilegè illi aufertur, & creaturis tribuitur. Deinde nulla alia quã vnius Dei inuocatio habet aut mandatum Dei, aut promiſſionem, aut exemplum in Eccleſia probatũ. vnde conſtat inuocationem creaturarum minime ex fide proficiſci. Quare talis inuocatio impia & ſacrilega iudicanda eſt.

4. Per quẽ quis mediator.

Porro quoniam peccatores non exaudit Deus, ſciendum eſt, quod noſtra merita, noſtram dignitatem aut opera noſtra coram Deo iactare non debeamus: quemadmodum Chryſes & Agamemnon apud Homerum fecerunt, & Phariſæus in Euangelio: Sed quod Nomen Chriſti vnici Mediatoris, in omni oratione noſtra prætendere oporteat. Sic enim inquit Chriſtus: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Quaſi dicat: Nequaquam debetis veſtra opera aut dignitatem iactare in conſpectu Dei, ſed me nominabitis: & propter me petetis. Sciendum autem hoc loco, quod Chriſtus duplici modo inuocari debeat. Primò vt Deus, dator bonorum cum Patre & Spiritu ſancto: Deinde vt Mediator & Interceſſor, vt per ipſum

Chriſtus duplici modo inuocãdus.

t. j.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

exaudiamur,ac vt ipſe pro nobis ſit deprecator apud æternum Patrem,& vt ipſe perferat noſtros gemitus & preces ad æternum Patrem, iuxta dictum Pſalmi 110.4. Tu es Sacerdos in æternũ. Et Rom.8. 33. Qui eſt ad dexterã Dei,& interpellat pro nobis. Et Ebræ.7.25. Semper viuens, vt interpellet pro eis.

5 Quid petendũ.

Poſtremo loco,Quid orandum ſit ſcire oportet, quod duplici genere continetur. Aut enim ad gloriam Dei,aut ad vtilitatem noſtram & cõmodum omnis referetur oratio. Pro gloria Dei perpetuò orandũ eſt,idque ſine conditione,Tametſi modus nõ eſt Deo præſcribendus. Nam ſæpe quæ nos ipſius gloriæ minime intereſſe arbitrabimur,ad ipſius gloriæ illuſtrationem maximè faciunt. 2. Verum ſi ad noſtrum commodum oratio referetur, tenendum eſt hoc diſcrimen:quod Alia ad ſalutem animæ, Alia ad pręſentem vitam ſpectent. Illa ſine conditione petenda ſunt:quia habent promiſſionem immotam, Ioel 2.31.& Roman.10. 13. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Debemus igitur certò ſtatuere, Deum verè velle præſtare promiſſam ſalutem, quam tamen ſine intermiſſione petere debemus. Hæc, id eſt,pertinentia ad præſentem vitam, petenda quidem ſunt, ſed cum conditione ſalutis noſtræ,& gloriæ Dei non impediendæ. Nam ſi tale quid petierimus imprudentes, Deus vt eſt bonus & amans noſtri, minime nos exaudiet, in ſpecie ſaltem eius rei quam proponimus, ſed aliquid melius largietur. Non enim fruſtra ex fide ſinit ſe inuocari.

DE SECVNDO

II. Quid & quotuplex ſit oratio.

Oratio Chriſtiana nihil aliud eſt, quam explicatio cordis noſtri coram Deo, qua vel precamur vel deprecamur aliquid, vel gratias pro acceptis beneficijs agimus. Paulus 1. Tim.2. 1. quatuor orationis genera ponit. Δέησιν, Deprecationem: Προσευχὴν, Adorationem: Ἔντευξιν, Interceſſionem: Εὐχαριστίαν, Gratiarum actionem. Hæc genera in modum hunc diſcernenda ſunt. Deprecatio, δέησις, eſt oratio, qua deprecamur mala à nobis & ab alijs. Adoratio eſt oratio, qua petimus ſalutaria nobis ipſis. Interceſſio eſt oratio, qua petimus ſalutaria alijs. Gratiarum actio eſt oratio, qua & agnoſcimus beneficia Dei, & pro illis gratias agimus, pollicemurque, gratitudinem, cum perpetua gloriæ Dei prædicatione. Ad hæc quatuor genera omnes omniũ Prophetarum ac piorum preces referendæ ſunt, quarum omnium compendium eſt Dominica oratio.

III Circumſtantiæ externæ.

DE TERTIO.

Circunſtantias Chriſtianæ orationis externas (nam de internis in primo partitionis membro dictum eſt) quinque hoc loco conſiderandas proponam. 1. ſit de tempore. 2. De loco. 3. De ordine orationis. 4. De geſtu corporis. 5. De mora.

1. Tẽpus.

De tempore ſciendum eſt, quod Paulus ſcribit 1. ad Theſſ. 5.17. Indeſinenter orate. Et Dominus Luc.18. Oportet ſemper orare,& non deficere. Item, Eccle.28. Ne impediaris ſemper orare. Eſt enim Oratio cultus, quem Deus vult eſſe perpetuum verum diſciplinæ gratia hæc tempora à pijs potiſſimum obſeruari ſolent. 1. Matutinum cum ſurgis. 2. ante cibum ſumendum, & poſt cibum ſumtum. 3. cum cubitum eundem eſt. 4. medio quoque tempore, quoties aut læta aut triſtia offerũtur. Nec pugnant hæc cum mandato Dei, iubentis ſemper orare, & non deficere. Omnia enim pia Chriſtianorum vota & ſuſpiria orationes ſunt, tametſi non ſemper in verba erumpant.

2. Locus.

De loco præterea ſciendum eſt, quod nullo non loco ſit orandum. Si enim ſemper orandum eſt, aptus vtique omnis locus erit orationi, ſiue ſis domi, ſiue foris, ſiue mari, ſiue terra. Breuiter, vt vbique Deus eſt colendus, ita & inuocandus vbique exiſtit. At diſciplinæ gratia templum deſtinatum eſt communibus & ſolennibus precibus: vbi Eccleſia congregata communes neceſſitates proponit, idq; multorum exẽplo. Quid ergo eſt, quod dicit Dominus Matth.6. Tu autem cum oraueris, intra in conclaue tuum,& clauſo oſtio, adora Patrem tuum, qui eſt in occulto? Hic ex ſigno affectum orãtis exprimit. Dominus enim hoc loco taxat vicioſum affectum hypocritarum, nimirum inanem gloriam, quam quærebant ſuis orationibus, dum in publicum egreſſi orarent. Deinde ſententiam verborum Domini hoc pacto colligito: Qui intrat in conclaue ſuum, clauſo poſt ſe oſtio ſuo, nõ facit ibi quicquam, vt videatur quod facit. Qui non facit vt videatur, nequaquam facit inanis glorię & hypocriticæ oſtenſionis gratia. Ergo Metalepſi Ebraica per ingreſſum in conclaue ſignificat Dominus, ab omni oratione hypocriſin, oſtentationem & inanem gloriam excludendã eſſe.

Obiectionis Explicatio.

Tertia circumſtantia orationis externa eſt, de Ordine in oratione ſeruando. Hic ordo conſiſtit in tribus: Compellatione, Propoſitione, Confirmatione. Compellatio excitat animum ad orandum. Hæc enim recitat mãdata Dei & promiſſiones, quibus accenditur animus ad ardentius orandum. Propoſitio res enumerat petendas. Quamuis autem propoſitio in nulla oratione abeſſe poteſt, tamen propoſitionis ordo hic inter circumſtantias externas eſt numerandus. Confirmatio promiſſionem gratitudinis & emendationis vt plurimùm continet. Huius ordinis exempla à Philippo in locis Theologicis præſcriptæ formulæ precandi ſuppeditant.

3. Ordo.

Quarta circumſtantia orationis externa, eſt geſtus corporis, qui etſi nullis regulis aſtringitur, tamen honeſtum eſſe conuenit. Optimus orantis geſtus, omninòque neceſſarius, eſt genua cordis flectere, quemadmodum Manaſſes fecit. verùm hic de corporis geſtu agitur, qui varius commemoratur in Scriptura. Moſes manus in cœlum leuat: & Paulus monet, puras manus eſſe leuandas. Qui ſanè geſtus liberorum eſt, qui parentibus manus porrigunt, cum aliquid impetrare volunt, tanquam certi, quod ſtatim accepturi ſint petita. Quidam in genua procumbunt, quo geſtu humilis ſubiectio ſignificatur. Publicanus tundebat pectus, id quod fidei & ardori precantium ſeruit. Paulus virum non velato capite, mulierem velato vultu orare iubet. Hi corporis geſtus tametſi liberi ſunt, vt externæ circumſtantiæ, tamen non ſunt contemnendi, ſed adhibẽdi pro ratione temporis & loci. Seruiunt enim rite formandis & excitandis affectibus.

4. Geſtus corporis.

Quinta & poſtrema circumſtantia eſt de Mora. Iudith obiurgat ciues ſuos, quod dies quinq; pręfiniuerant Deo, intra quos opẽ ab ipſo expectarẽt, dicens: Qui eſtis vos, qui tentatis Deum? Poſuiſtis tempus miſerationis Dei. Abacuc.2.3. Si moram fecerit Dominus, expecta eum, nam veniens veniet, & non tardabit.

5. Mora.

DE QVARTO.

IIII. Obiectiones.

Iam aliquot obiectiones, quibus vel oran-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

IIII. Obiectiones Primo. di ſtudium prorſus extinguitur, vel negligentiores alioqui fieri ſolent carnales homines, refutādę ſunt. Quidam, quia oratio eſt cordis potius quam oris, vt in Moſe cernimus, & Chriſtus confirmat Io. 4. 24. vbi dicit, Deum ſpiritu & veritate adorandum eſſe, iudicant orationem Chriſtianorum fieri debere ſine verborum expreſſione. Reſponſio. Sed breuiter illis hoc ſit reſponſum: 1. Affectus cordis verbis excitatur orantis 2. Et Chriſtus diſerte dicit Lucæ. 11. 2. Quando oraturi 3. eſtis, Dicite: Pater noſter: Præterea innumera Sanctorum exempla, voce orantium, nobis Scriptura commendat.

Secunda. Reſpōſio. Sunt rurſus Epicurei, qui ideo Deum inuocandum negant, quia ipſe nos amat, & ſcit, quibus indi- 1. gemus, etiam ſine noſtra oratione: verū pios ſcire oportet, præferendum eſſe mandatum omnibus cogitationibus cum eo pugnantibus. Quanquam autem Deus nos amat, & ſcit optimè, quibus indigeamus: tamen orare præcipit, vt intelligamus, vnde auxilia quærenda ſint in quauis afflictione: vt admoneamur noſtræ inopiæ & mendicitatis: vt ſtatuamus eum præſentem inſpectorem eſſe omnium actionum noſtrarum: vtque ſciamus, quod quemadmodum pater filijs, ita ipſe orantibus velit conferre, quæ petunt, iuxta ipſius voluntatem. Nec vult hunc ordinem ſuæ prouidentiæ à nobis contemni. Ipſius enim prouidentia eſt, omnibus afflictis, ſe in Tertia. vera fide inuocantibus, opem ferre. Sunt quoque imbecilles, qui ſe indigniores putāt, quam vt orare auſint, & maiores peccatores ſe agnoſcunt, quam vt Reſpōſio. impetrent quod petunt. At mandatum Dei indignitati, & promiſſiones vniuerſales peccatorum ſenſui opponere oportet. Scriptum eſt enim: Inuoca me in die tribulationis. Item: Quicquid petieritis Patrē in nomine meo, dabit vobis. Item: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit.

Quarta. Sunt præterea, qui tametſi orare audeant, tamen, quia non ſtatim impetrant quod volunt, de- Reſpōſio. ſpondēt animum, & ſegniores ad orandū fiunt. Interim ignorant, Deum patris affectum erga nos gerere, qui petita interdū non ideo negat, quia noſtras preces cōtemnit, ſed quia quæ petimus, nobis mini- Confirmatio à ſimili. mè ſalutaria ſunt. Nam vt medicus peritus cum ægroto, ita Deus cum homine ſe inuocante agit: id quòd pulchre Hieronymus oſtendit his verbis: *Et quomodo* (inquit) *ſi ægrotus & æſtuans febribus aquam frigidam poſtulet, & dicat ad medicum: vim patior, crucior, vror, exanimor, vſquequo medice clamabo, & non exaudies? & ſapientiſſimus medicus reſpondeat ei: Scio quo tempore dare debeam quod poſtulas, & non miſerebor modo, quia miſericordia crudelitas eſt, & voluntas tua contra te petit. Ita & Deus clementiæ ſuæ ſciens pondera atque menſuras, interdum non exaudit clamantem, vt eum probet, prouocet eum ad rogandum, & quaſi igne excoctum iuſtiorem & puriorem faciat*. Hæc Hieronymus Auguſtinus quoque ait: *Sæpe non exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad ſalutem.* Idem: *Si non dat ad horam, exercet quærentem, & non contemnit petentem.*

Duplex præterea eſt Deo modus exaudiendi: Nunc enim apertum auxilium præbet, Nunc virtute Spiritus ſancti aſſiſtit, ne malis victi deficiamus. viris in Babylonica fornace, & Danieli obiecto leonibus apertum auxilium præbuit. Stephano & Laurentio virtute Spiritus ſui aſtitit, ne crucis acerbitate victi deficerent. vtriuſque modi exempla multa recitat Epiſtola ad Ebræos. 11.

Quinta. Quidam præterito Deo, qui ſolus iuxta Scripturam eſt inuocandus, ex eo ſtabilire conantur inuocationem Sanctorum, quia putantur pro nobis in cœlo orare, vt nos hic in terris pro nobis inuicem orare debemus. Sed infirmo fundamento nituntur. Reſponſio. Primum enim ex dubijs non ſunt dogmata extruenda. 1. Deinde, ſi conſtaret, Sanctos in cœlo pro nobis 2. orare, tamen inde non ſequeretur, nos debere eos inuocare. Solus enim ſcrutator cordiū eſt inuocandus. Quia vera oratio ex intimo cordis proficiſcitur vt quæ potius eſt cordis affectus, quam ſtrepitus oris, & Paulus dicit: Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Quod autem alij pro alijs hic in terris orant & intercedunt, habent mandatum, pro- 3. miſſionem, & probata piorum exempla, quibus omnibus deſtituitur mortuorū inuocatio. Deinde interceſſio ſeu oratio pro fratribus viuētibus nititur 4. ſolido fundamento, nempe Chriſto Ieſu, cuius merito preces noſtræ exaudiuntur pro fratribus. Præterea etiam hæc oratio pro fratribus mutuæ dile- 5. ctionis certiſſimum argumentum eſt, hac enim teſtantur ſe mutuis affici commodis & incommodis.

DE QVINTO.

Quinto loco promiſi me methodum enarrandi V. Dominicam Orationem, vna cum ſuccincta eiuſdē Methodus enarrandi orationem dominicam. orationis declaratione, traditurum: id quod breuiſsime nunc expediam. In primis itaque hæ tres regulæ diligenter obſeruandæ ſunt. Prima, cuiuſque precationis propoſitio reſoluenda eſt in ſuas partes, quæ methodo Didaſcalica ſimplici ſunt declarandæ: declaratæ coniungentur: & oratione exponendū, quid valeant coniunctæ. Secunda, Quoties vnum petimus, ſimul omnia precamur, & quæ ad illud vnum conſequendum requiruntur, & quæ cum illo, quod petimus, coniuncta ſunt. Expetito enim fine, ſimul omnia expetuntur ordinata ad finem. Et cum aliqua natura coniuncta ſunt, & vnum eorum dicitur, cætera tametſi non exprimuntur, intelliguntur tamen. Tertia, In ſingulis petitionibus Dominicæ precationis aliquid precamur, & aliquid deprecamur: vnum quidem expreſſe, & alterum implicite, quæ eodem modo iuxta ſuperiores regulas tractari poſſunt. His ita conſtitutis breuiſſime Dominicæ orationis explanationem ſubijciam, vt regularū vſum aliquo modo oſtendam.

COMPELLATIO.

Pater noſter, qui es in cœlis.

Hæc compellatio ſeu exordium non eſt temere prætereundum. Exordij huius partes obſeruandæ. Magnam enim doctrinam & conſolationem continet. Quanquam autem piè & rectè dicitur, duo continere hanc cōpellationem, nimirū voluntatem & facultatem, quæ in omni actione requiruntur (Ex eo enim quod Pater eſt, paternò affectu præditus libenter opem ferre vult filijs ſe implorantibus, & quoniam Coeleſtis eſt Dominus, poteſt vtique præſtare quæ vult, vt qui omnibus inferioribus poteſtatibus mundi & inferorum potentiſſime dominatur) tamē vtile eſt, accuratius & diſtinctius proponere, quarum rerum orantem admoneat hoc exordiolum.

Primum itaque docet hoc exordium, quis ſit inuocandus, nempe Deus, quem Patris nomine iube- 1. Quis inuocādus. mur compellare. Non enim alium inuocare licet, quam eum, quem Dominus inuocandum præcipit. Obſeruandum autem, quod Pater hoc loco non vnius perſonæ, ſed Eſſentię nomen ſit. Omnis enim

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

inuocatio, quæ ſit ad Deum, intelligitur complecti Patrem, Filium & Spiritum ſanctum. Deinde Filius duplici modo eſt inuocandus, primum cum Patre & Spiritu ſancto, vt Deus, dator omnium bonorum, deinde vt Mediator miſſus & intercedens.

2. Pater. Secundo docet hoc exordium, quod velit Deus libenter & ex animo exaudire inuocantes. Eſt enim Pater. Patris enim vocabulum vim promiſſionis continet, & affectum Dei erga inuocantes.

Cœleſtis. Tertio, quod poſſit præſtare petita. Eſt enim cœleſtis Dominus, vt qui poſſit omnia in cœlo & in terra. Nam potentiæ & maieſtatis titulus eſt: Qui es in cœlis.

4. Electorum. Quarto ſubindicat hæc compellatio, quinam debeant & poſſint vere orare, nempe filij Dei. Nam ſoli filij Dei Patrem compellare poſſunt.

5. Qui in eum cōfidunt. Quinto, quod fides requiratur. Per hanc enim filij Dei conſtituimur. Dedit enim poteſtatem filios Dei fieri, quotquot credunt in nomen eius.

6. Per Chriſtū. Sexto, per quem orandum ſit, inſinuatur, nimirum per filium Dei vnigenitum. Si enim filij Dei ſumus, per illum quoque & in ipſius nomine orare eſt neceſſe. Hinc illud: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

7. alijs omnib. hominib. excluſis. Septimo & vltimo colligitur ex his omnibus diſcrimen inter Chriſtianorum, Turcarum & Iudæorum & aliarum prophanarum gentium orationes. Nam Chriſtianorum preces ex fide per Chriſtum fiunt, aliorum autem minimè. Atque hæc ex connexis & coniunctis collecta eſſe manifeſtum eſt.

PRIMA PRECATIO.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM.

Nomen Dei quid. Cum nomen Dei ſit noticia, fama & gloria Dei, & ſanctificare ſit non ſolum celebrare Deum, verumetiam omnem nominis Dei prophanationem cauere, dicemus nomen Dei tum demum ſanctificari, cum Dei noticia, fama ac gloria ab hominibus celebretur, caueatúrque, ne vel noticia Dei obſcuretur, vel fama ſileat, vel gloria ceſſet. Cæterum, quia Deus celebrari non vult niſi à credentibus, & fides non poteſt haberi ſine verbo Dei, ſine publico miniſterio, ſequitur nos hac prima precatione precari,

Summa precationis. 1. miniſterij verbi conſeruationem. 2. noticiam Dei & virtutum Dei. 3. fidem. 4. prædicationem nominis & famæ Dei, quæ prædicatio ſuperiorum finis eſt. 5. vt auertat Deus, quicquid ſuperioribus vllo modo aduerſatur.

SECVNDA PRECATIO.

ADVENIAT REGNVM TVVM.

Hic Primum definiendum eſt regnum Dei, Deinde conſiderandæ partes, tum præſidia & adiuncta exponenda, quæ omnia hic precamur, & ſimul deprecamur, quæ cum his pugnant. Verum de his omnibus dictum eſt ſupra, capite 15. primæ claſſis.

TERTIA PETITIO.

FIAT VOLVNTAS TVA SICVT in cœlo & in terra.

Summa. Quia voluntas Dei tum fit, cum ei obtemperamus, & facimus quod præcipit (iuxta illud Deuteron. 12. 32. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino) 1. hic petimus verum intellectum voluntatis Dei. 2. alacrem voluntatem optemperandi. 3. vires præſtandi. 4. vt nos in Chriſto ſumus tanquam ſurculus in vite. 5. vt ipſe nos ſuo ſpiritu regat. 6. vt ſinguli Deo in ſua vocatione ſeruiant, in iuſticia & ſanctitate, omnibus diebus vitæ ſuæ. Deprecamur autem quæ cum his pugnant.

QVARTA PETITIO.

PANEM NOSTRVM QVOTIdianum da nobis hodie.

Panis nomine non tantum intelligitur cibus & potus, verumetiam quicquid ad ſuſtentationem noſtri in hac vita pertinet. Sed quia hæc haberi non poſſunt, ſine diligenti labore, adminiſtratione ciuili, legibus, diſciplina, pace, bona valetudine, terræ fœcunditate, agricultura, omnia hæc ſimul precamur, & deprecamur, quæ contraria ſunt. Summa.

QVINTA PETITIO.

DIMITTE NOBIS DEBITA noſtra, Sicut & nos Dimittimus debitoribus noſtris.

Per debita, peccata intelligit potiſſimum, & quotidianos lapſus fidelium. Septies enim in die cadit iuſtus. De remiſſione peccati vide ſupra in Symbolo. Debita quid.

Porro appendix quomodo intelligenda ſit, quæ additur, docet parabola de debitore decē millia talentorum, Matth. 18. Simile eſt regnum cœlorum homini regi. Quemadmodū enim hic Rex ſupplici ſeruo cōdonauit totum debitum, gratis ex mera liberalitate: Ita Deus Pater confugientibus in vera pœnitentia ad Chriſtum, cōdonat gratis omnia debita, hoc eſt, peccata. Verum ſicut rex ille ſeruum illum ingratum & durum aduerſus conſeruos reuocat ad pœnam, & quod antea ſupplicanti condonauit: Iam à contumaci ac duro in conſeruos repetit, ita Deus Pater poſtquam recepit gementes in gratiam, vult nos imitari ſuum exemplum benignitate erga proximum. Non igitur iſta appendix cauſam remiſſionis continet, ſed effectū ſeu conſequēs neceſſarium. Quare hæc appendix admoneat nos noſtri officij erga fratres, vt ipſis in nos peccātibus condonemus, idque exemplo Patris cœleſtis. Quod ſi fecerimus, certum ſignum remiſſi noſtri peccati à Deo habeamus. Appēdix.

SEXTA PETITIO.

ET NE NOS INDVCAS IN tentationem.

Quoniam tentatio perficitur (teſte Gregorio) tribus: Suggeſtione, delectatione & conſenſu, precamur hac precatione, ne Deus ſinat nos Malis ſuggeſtionibus impeti, Peruerſa delectatione obrui, & conſenſu in laqueos tentatoris incidere. Tametſi autem Diabolus propriè tentator dicitur, vt qui fallendi & decipiendi gratia in perniciem tentat: tamē Deus tentare dicitur probationis gratia in bonum tentati. Sicuti de Abraham dicitur Gen. 22. 1. de qua re ſupra in ὑπομνήσει. Summa.

SEPTIMA PETITIO.

Sed Libera nos à malo.

Hæc generalis petitio eſt, qua deprecamur omnia Summa.

nia nobis vllo pacto nocentia. In malo enim, vt in genere, continetur quicquid ſaluti noſtræ aduerſatur, vt ærumnæ huius vitæ, peccata, tyrannis Diaboli, perſecutiones. Breuiter, quicquid vel Eccleſiæ ſeu regno Chriſti ſpirituali, vel politico ſtatui, vel œconomiis impedimento & damno eſt.

AMEN.

Particula Amen, & votum & admonitio ſeu confirmatio eſt. Votum quidem, quo optamus, vt vere exaudiamur, & vere fiant quę petimus. Admonitio verò, vt verè ſtatuamus, nos exauditos propter Chriſtum Mediatorem. Vberiorem explanationem petant ſtudioſi aliunde. Hic tantum volui inuentionē iuxta regulas præſcriptas aliquo modo oſtendere.

Porro, ſi quis tractationis ordinem requirit, hic ſanè ordo minimè incommodus eſſe videtur, ſi de ſingulis precationibus quatuor proponantur. 1. res expreſſa verbis nominatim. 2. Enumeratio eorum, quæ ad rem expreſſam verbis neceſſario requiruntur & ordinantur. 3. Quæ cum re coniuncta ſunt verbis expreſſa. 4. Pugnantia.

CAPVT V.

DOCTRINA EC-*CLESIÆ.*

Quæ & vbi quærenda. HOc fixum mente tenendum eſt, quod *Doctrina Eccleſiæ* Chriſti alia non ſit, quam quæ in Lege, Prophetis, Euangelicis hiſtoriis & Epiſtolis Apoſtolicis traditur. Ad legem enim & teſtimonium mittit Eſaias. Chriſtus dicit: Oues meæ vocē meam audiunt. Item: Habent Moſen & Prophetas, illos audiant. Verùm quia multa ſunt in Scriptura, non omnibus obuia, accedunt piorum interpretationes, quæ tanquam lucem obſcurioribus locis afferunt. At ne nos ſinamus à fonte aquæ viuæ abduci ad ciſternas & puteos contritos, qui continere aquam non valent, tenendum eſt diſcrimen inter dicta interpretum. Non enim quiduis à quolibet vel ſanctiſſimo patre dictum, eiuſdem ponderis & autoritatis in Eccleſia Chriſti eſſe debet.

Dicta Patrum quo modo cōſideranda. Sunt itaque dicta Patrum in triplici diſcrimine. 1. Quædam enim demonſtrata ſunt. 2. Quædam probabilia, ſed præter Scripturam. 3. Quædam enunciata contra Scripturam & analogiam fidei.
1. *Demonſtrata* voco, quæ ex apertis Scripturæ teſtimoniis, & immotis axiomatibus euidenti conſequentia collecta ſunt. Cuius generis ſunt Symbolum Apoſtolicum, Nicenū, Athanaſij, Chryſoſtomi, Gregorij, Ambroſij &c. Nam hæc immota conſequentia ex verbo Dei collecta ſunt. De his tenenda eſt regula, quod pondus & autoritatē non habeant ab hominibus, ſed ab ipſo verbo Dei, vnde fluxiſſe demonſtrant. Quare non minoris apud nos autoritatis eſſe debet hoc genus dictorum Patrum, quā ipſiſ-
2. ſima vox Dei de cœlo ad nos allata. *Proximum* genus dictorum eſt eorum, quæ etſi appoſite & ſapienter dicta ſunt, attamen demōſtratione ex verbo Dei carent. Huius generis dicta tantiſper magnificare oportet, propter reuerentiam ſanctorum Patrum, donec trahantur in malam conſequentiam ab hoſtibus ſanæ doctrinæ. Sancti Patres ſæpe ſatisfactionis ac Meriti mentionem faciunt, non ſtricte vocū propriis ſignificationibus inhærentes, ſed eas abuſiue propter aliquam alluſionem transferentes ad ſuum propoſitum. Quare ſi quis contra mentem Patrum huiuſmodi dictis abuti velit aduerſus doctrinæ ſinceritatem, nos non debemus ſinere Patrum dicta præferri apertæ Scripturæ. *Poſtremum* genus 3.
eſt eorum, quæ enunciata ſunt contra Scripturam & Analogiam fidei, ex incogitantia quadam. Vnde facile homines labuntur in errores. Sed hic regula Ambroſij ſequenda eſt, qui libr. 1. Officiorum ſic inquit: *Nos noua omnia, quæ Chriſtus non docuit, iure damnamus, quia fidelibus via Chriſtus eſt. Si igitur Chriſtus non docuit quæ docemus, & nos id deteſtabile iudicemus.* Hanc regulam confirmat præceptum Domini dicentis: Cauete à fermento Phariſæorum, hoc eſt, à corruptione doctrinæ. Itē: Cauete à falſis Prophetis. Et Paulus inquit: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema ſit.

Præterea & hoc in Eccleſiæ doctrina cauendum, ne inutilibus quæſtionibus inuoluamur, quemadmodum à ſententionariis factum eſſe videmus, qui innumeras & inutiles quæſtiones proponunt, probant, improbant, ac tanquam pilam inter ſe iaciunt. Vnde fit, vt neceſſaria Eccleſiæ doctrina neglecta iaceat, & moles commentariorum & inutilium quæſtionum Eccleſiæ Chriſti obtrudatur. Quare nos, qui Chriſti diſcipuli eſſe volumus & gloriamur, ſequamur verbum Dei, tanquam lucernam veram, quæ ſola à tenebris ignorantiæ ad lucem veræ noticiæ Dei nos adducere poteſt: Et alienis periculis admoniti ſim⁹, ne omiſſo viuo fonte quæramus ciſternas, ac ita paulatim in errores priſtinos recidamus. A quibus cauendū.

Pręterea & hoc admonendum duxi, quod in tractatione & illuſtratione ſcripturæ vti liceat triplici probandi genere. 1. Nunc enim Scripturæ apertis axiomatis: 2. ratiocinatione, eáque directa & indirecta. 3. exemplis approbatis. Hoc triplici genere vſus eſt ipſe Dominus non raro: Paulus frequentiſſimè, ac alij Apoſtoli, quibus probandi rationibus nos pronunciata Patrum adiicere poſſumus, ſed hac ratione, ſi habeamus præeuntem lucernam Dei. Triplex probandi genus.

Iam multa addi poſſent de autoritate, dignitate, neceſſitate ac vtilitate doctrinæ Eccleſiæ, ſed illis tanquam apertis omiſſis, nonnulla de certitudine adiiciam, vt contra furores Mahometicos ac Atheiſmum prophanorum hominum, Epicureiſmū, Romaniſmum, atq; adeo aduerſus omnem aſtutiam ac verſutiam Diabolorum & hominum, quibus ad fallendum vtuntur, mentes noſtras muniamus, ac vt certi de doctrina Eccleſiæ eā auidius diſcamus, moréſq; noſtros iuxta normam ipſius formemus. De certitudine ſcripturę.

Gloriantur Philoſophi de ſuæ doctrinæ certitudine, iactant ſua κριτήρια demonſtrationes proferunt, Vniuerſalem experientiam prædicant, ordinis intellectum (per quem ignota rimantur, adhibita amuſſi philoſophica, vt vocant) extollunt. Fateor certe, iſtas certitudinis cauſas non eſſe contemnendas, imo tanquam dona Dei ſuſpiciendas, attamen ſi cū certitudine rei Theologicæ iſta philoſophica conferantur, apparebit, multis nominibus doctrinæ Eccleſiæ certitudinem demonſtrationibus philoſophicis proponendam eſſe. Sed primum de doctrinæ Eccleſiæ certitudine dicam. Deinde nonnihil de collatione doctrinæ Eccleſiæ & Philoſophicæ adiiciā. Methodus.

Certitudo itaq; *Doctrinæ* Eccleſiæ ſolo teſtimonio nititur, quod eſt duplex: Externum & Internum, de vtroque ordine dicendum eſt. *Externum* teſtimonium voco, quod in ſenſus incurrit, quod verbum cœleſte confirmat tanquam firmiſſimum ſigillum. Verùm hoc habet ſex partes. Nimirum patefactionem diuinam: miraculorum varietatem: prophetiarum firmitudinem: conſenſum veræ Eccleſiæ perpetuum: tanti temporis durationem: ac cruentam plurimorum Martyrum confeſſionem. Verùm Duplex teſtimonium. Externū, cuius ſunt 6. partes.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

hæc paulò apertius declaranda ac diſtinguenda ſunt.

1. Patefactio diuina.

Prima igitur pars externi teſtimonij eſt *patefactio diuina*: per quam ipſe Deus de ſua arcana ſede procedens, ſe olim ſanctis Patribus patefecit, & ſuum Verbum eis tradidit ac commendauit. Quanquam autem Dominus ſæpe apparuiſſe legitur, tamen paucas eius apparitiones recitabo, in quibus ſummã doctrinæ Eccleſiæ proponit, inculcat, repetit & illuſtrat. Primum itaque apparuit Adamo poſt lapſum, Geneſ. 3. & doctrinam Legis & Euangelij primus ſua voce tradidit, & pœnas inflixit ob peccatum. Ab hac doctrina vera Eccleſia Dei nũquam defecit, ſed perpetuo eandem amauit, retinuit & propagauit. Deinde apparuit Noe, ac facto confirmauit doctrinam legis & Euangelij, dum impœnitentes quidem diluuio perdidit, Noe vero cum ſua familia ex gratia promiſſionis clementer liberauit. Poſt diluuium vt doctrinam fere hominum malicia collapſam erigeret, apparuit Abrahamo decies, eius filio Iſaac bis, nepoti Iacob ſexies: in quibus apparitionibus eadẽ doctrina eſt propoſita, & promiſſionis verbum clarius illuſtratum eſt. Iuſtificationis quoque doctrina in Abrahamo certiſſimo typo expreſſa eſt apertius. Poſt hęc in Aegypto Moſi apparuit, eandémque doctrinam repetiit & confirmauit, facto declaraturus, quid inter cœtum, verbum ſuum amplectentem, & reliquum mundum intereſſet. Præterea multis Prophetis idem verbum in viſionibus & ſomniis apparens commendauit. In nouo quoque Teſtamento idem Deus ſuum verbum ſonuit de cœlo, & proprio ore nobis Chriſtum doctorem commendauit, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, Hunc audite. Ac ſi dicat: Olim promiſi Semen mulieris deſtructurum caput Serpentis, & reparatorem generis humani ſublata legis maledictione: Ecce hîc adeſt, eum audite, in eum credite, quibus vita & ſalus cordi eſt. In hoc enim mihi complacui, & reconciliatus ſum mundo per ipſum. Hæ omnes apparitiones cum multis aliis, vnà cum Angelorum concionibus & reuelationibus, noſtræ infirmitati ſeruire debent, ac confirmabunt noſtros animos, ne credamus impoſturis Diaboli, qui cum omnibus Sophiſtis & Mahometiſtis, prophaniſque gentibus in hoc totus incumbit, vt nos ab iſto verbo, tot apparitionibus Dei nobis mandato, abſtrahat, quemadmodum noſtros parentes à verbo vitæ, quod acceperant, abſtraxit.

2. Varietas miraculorum.

Secunda pars externi teſtimonij, eſt *varietas miraculorum*, quæ miracula ſunt quædam extraordinaria opera Dei, quibus tanquam ſigillis firmiſſimis verbum ſuum, hoc eſt, Legem & Euangelium quatuor millibus annorum confirmauit, qualia ſunt plurima, cùm in veteri, tum in nouo Teſtamento, *veteris Teſtamenti*, miracula in hæc tempora commodè diſtingui poſſunt. Vt 1. conſiderentur, quæ ante diluuium contigerunt. 2. quæ in diluuio. 3. quæ poſt diluuium. 4. quæ in Aegypto. 5. quæ in exitu ab Aegypto. 6. quæ in monte Sinai, dum lex promulgabatur. 7. quæ quadraginta annos in deſerto. 8. quæ ſub Ioſua. 9. quæ ſub Iudicibus. 10. quæ ſub Regibus. 11. quæ ſub captiuitate populi in Chaldæa. 12. quæ reliquo tempore vſque ad Chriſtum ſub variis Ducibus. Sed ex his pauca exempli gratia referamus. *Ante diluuium* itaque duo inſignia occurrunt. Primum in oblatione Abel & Cain, vbi Dominus aperto teſtimonio confirmauit Legem & Euangelium, non reſpexit ad Cain, ſed ad Abel. Ille enim hypocrita fuit lege damnatus. Hic pius propter fidem in promiſſum Semen. Vnde primum reſpexit ad Abel, deinde ad munus ſeu ſacrificium eius, quod propter offerentis fidem placuit. Secundum in Enoch, quem Dominus è conſortio hominum ſuſtulit in cœlum, vnde doctrinam Euangelij confirmat de victoria ſuper regno Satanæ. *In diluuio* duo quoque ſunt præcipua. Vnum miraculoſa pœna ob peccatum, iuxta legis doctrinam. Alterum admiranda liberatio credentium, iuxta promiſſionis verbum. Ita Cataclyſmus mundi, obſignatio eſt vtriuſque doctrinæ Eccleſiæ, nimirum Legis & Euangelij. *Poſt diluuium* primum occurrit confuſio linguarum in ædificatione turris Babylonis. Hæ minæ in contumaces confirmantur. Deinde partus aniculæ Saræ ſterilis per Angelum annunciatus: Pugna Iacob cum Angelo: Scala extenſa in cœlum viſa ab eodem, promiſſionis gratuitæ certitudini ſeruiunt. *In Ægypto* ardet rubus, ſed incolumis manet. virga in colubrum vertitur. Vrgente Moſe mandatum Domini de exitu populi, decem mirabilia ſigna eduntur, quæ his verſibus complecti ſoleo:

Sanguis, Rana, Cinyps, cum Muſca, Peſtis & vlcus.
Grando, Locuſt', Tenebræ, Natorum mors inimica.

Hæc omnia clarè teſtantur, Deum iuxta legis minas punire contumaces, & rurſus iuxta gratiæ promiſſionem ſuos tueri. *In exitu* ab Aegypto, vt miraculoſa maris exiccatio, per quam liberãtur Ebræi, promiſſæ gratiæ teſtimonium eſt, ita ſubmerſio Pharaonis cum ſuo exercitu, legis diuinæ eſt ſigillum. Deinde eodem pertinet miraculum columnæ Nubis per diem, & columnæ Ignis per noctem qua ſuũ populum Dominus in intinere direxit. *In monte* Sinai multis miraculis doctrina legis confirmatur, ac lapideis Tabulis inſcribitur, ibi fulgura, tonitrua, miraculoſum ieiunium Moſis, colloquium Dei cum Moſe, teſtantur, legis doctrinam verè à Deo profectam eſſe. *Tempore xl. annorum* quibus populus in deſerto permãſit, plurima ſunt miracula edita: quibus vtraque doctrinæ pars confirmata eſt. Legis doctrina confirmatur miraculoſa pœna Choræ, Dathã & Abiron, cum eorum ſociis, quos terra aperto ore abſorpſit. Deinde thurificantes contra legem ignis de cœlo abſumſit. Inobedientes ſerpentibus percutiuntur &c. Euangelium quoque ex altera parte cõfirmant miraculoſa beneficia Dei. Aqua de petra manat, & comitatur populum quocunque proficiſcitur. Man de cœlo datur, vnde tot millia hominum aluntur quadraginta annis. Aſpectus ænei ſerpentis erecti ex mandato Domini, quo ſanantur percuſſi à dipſadibus. Veſtimenta ac calcei tot hominum tanto tempore non terũtur. *Sub Ioſua* duce primum occurrit tranſitus per medium Iordanis ſtante aqua ab vna parte inſtar muri, & defluente ab altera. Ciuitatis Hiericho ſepteno circuitu, & voce tubarum iuxta vocem Domini, euerſio. Prolongatus dies pugnantibus Ebræis contra Gabaon. Lapides de cœlo demiſſi, quibus occiſi ſunt hoſtes populi Dei. His omnibus confirmari vtrunque doctrinæ caput nemo non videt. *Sub ducibus* etſi plurima contigerunt miracula, duo tamẽ præ aliis ſunt inſignia. Vellus Gideonis, & fortitudo Samſonis, vtrumque veritatis diuinæ ſigillum eſt. *Temporibus Regum* Elias & Eliſæus miraculis plurimis claruerunt: quibus vtramque doctrinæ partem Dominus mirabiliter confirmauit. Helias excitat mortuum. Hoſtiam perfuſam aqua impetrato miraculoſe igne de cœlo accendit, in teſtimonium doctrinæ ſuæ. Ad preces eiuſdem tribus annis non pluit, quo petente pluuiam, nubes ſtatim denſantur, & pluuiam mittunt. Hic pallio Iordanem diuidit, ſiccus tranſit, & ignito curru in cœlum tollitur.

Eliſæus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Eliſæus ſanat aquas peſſimas & ſteriles: ditat mulierem oleo: ſuſcitat mortuum: ſanat Naaman Syrum à lepra. Sunt & alia miracula temporis Regum edita, confirmantia Eccleſiæ doctrinam, quæ breuitatis cauſa omitto. *Sub captiuitate* populi in Chaldæa, hæc ſunt præcipua: Miraculoſa liberatio trium virorum, qui propter confeſſionem doctrinæ Eccleſiæ in ardentem fornacem coniecti ſunt. Ignis enim imperio creatoris ceſſit, & non læſit, quos Dominus illæſos in teſtimonium ſuæ doctrinæ voluit. Miraculoſa defenſio Danielis, coniecti in lacum, vt deuoraretur à leonibus, eo quod nollet abiicere doctrinam Eccleſiæ, & Idola prophana loco veri Dei colere. Miracula *ſub Ducibus* vſque ad Chriſtum poſt tranſmigrationem Babylonicam fuerunt non pauca. Sed præcipuum eſt, quod Deus populum adeo exiguum, tot perſecutionibus fractum, contra adeo potentes Reges & Principes defenderit, vt firmum ſtaret vaticinium Iacob de expectatione gentium, ſeu aduentu Meſſiæ, Porro *noui teſtamenti miracula* plurima ſunt, quorum præcipua capita cõmemorabo.

Noui teſtamenti.

Primùm occurrit ſterilis aniculæ partus, deinde virginis, vterque ab Angelo annunciatus, non ſine doctrinæ Eccleſiæ commendatione & confirmatione. Sequuntur Angelorum conciones, Magorum ſtella, facta Chriſti diuina, eaque plurima: vt ſanationes ægrotorum, ſuſcitationes mortuorum &c. Apparitiones in monte. Reſurrectio Chriſti. Et multa alia, quæ referuntur in Euangelica hiſtoria, quibus omnibus accedit veluti regia quædam obſignatio, viſibilis donatio Spiritus ſancti quinquageſimo die poſt reſurrectionem Domini. Eodem pertinent *miracula Apoſtolorum*, quibus doctrina confirmata eſt in primitiua Eccleſia.

Vſus miraculorũ.

Hunc eſſe verum miraculorum vſum ſequentia teſtimonia confirmant. Exod. 13. 9. Erit quaſi ſignũ in manu tua, & quaſi monumentum in oculis tuis, vt lex Domini ſemper ſit in ore tuo. Num. 14. 11. vſquequo non credent mihi in cunctis ſignis, quæ feci in medio eorum? Ioan. 8. Si mihi non creditis, credite operibus meis. 1. Reg. 17. Vidua excitato filio dixit: Nunc ſcio, quod vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt. Atque hæc de miraculis, & de ſecunda parte externi teſtimonij.

3. Prophetiarum obſeruatio & varietas.

Tertia pars externi teſtimonij, *prophetiarum, obſeruatio & veritas* eſt. Cuius generis ſunt, prophetia Iacob de regno Iuda & aduentu Chriſti. Prophetia Balaam de Chriſto ſub imagine ſtellæ. Vaticinium Eſaiæ de virginis partu. Danielis prædictio de quatuor Monarchiis, de hebdomadibus, de tempore aduentus Chriſti, de eius morte æternoq; regno. Hæ prædictiones omnes ſcopum habuerunt Chriſtum Dominum, qui legis maledictionem tolleret, vt æternam iuſtitiam donaret credentibus, quemadmodum Eſaias & Daniel clarè concionantur. Vnde apparet has prædictiones eidem doctrinæ Eccleſiæ teſtimonium prębere, quam Deus ab initio ſua voce propoſuit, ac miraculis confirmauit. Sciamus igitur vaticinia prophetica eſſe quædam doctrinæ Eccleſiaſticæ ſignacula.

4. Conſenſus Eccleſiæ.

Quarta pars externi teſtimonij eſt *conſenſus* Moſis, Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, ac catholicæ totius Eccleſiæ in doctrina, cultu & vita. Nam hi omnes legem & promiſſiones vrgent, ac alij aliis clarius exponunt.

5. Duratio Eccleſiæ & doctrinæ.

Quinta pars externi teſtimonij eſt ipſa *duratio Eccleſiæ, ac doctrinæ* Legis & Euangelij. Nam ſi hæc ex hominibus fuiſſet, aut etiam ex Diabolo, nequaquam tot annis perduraſſet aduerſus tot tyrannorũ inſultus, tot hæreticorum ſectas, tot ſophiſtarum technas, quibus mundus ſe oppoſuerat Eccleſiæ & doctrinæ cœleſti. Atque adeo verum eſſe oſtenditur, quod Dominus promiſit: Portæ inferorum nõ præualebunt aduerſus eam. Huc quoque pertinet dictum Gamalielis, Si ex hominibus eſt opus hoc, diſſoluetur. Act. 5. 38.

Sexta pars externi teſtimonij, eſt cruenta confeſſio tot Martyrum, inde vſque ab Abel ad Chriſtum Dominum, & ab ipſo in hunc vſque diem. Nam tanta & tam atrocia ſupplicia nequaquam ſubiiſſent pro incerta & erronea doctrina. Nec hoc teſtimonij genus infringit, quod multi enthuſiaſmo quodã inſtigati non dubitarunt pro erroribus ſuis confirmandis mortem oppetere. Nam deſtituti fuerunt ſuperioribus teſtimoniis, quæ ſemper tanquam regula adhibenda ſunt, vt diſcernatur inter veros Martyres & enthuſiaſmo concitatos à Diabolo, ad oppugnandam veritatem. Hactenus de externo teſtimonio, quo confirmatur doctrina Eccleſiæ.

Internũ teſtimonium.

Internum teſtimonium vnicum eſt, nimirum arrabo ſeu pignus Spiritus ſancti, quo obſignatur verbum in cordibus fidelium. De hoc interno teſtimonio concionatur Paulus 1. Corinth. 1. 18. & 6. 19. Ad Ephe. 1. 13. &c. Hæc teſtimonia quæ ſunt cauſæ certitudinis in cœleſti doctrina, ſi conferuntur cum Philoſophica certitudine, plurimùm excellent. Omnia enim in Philoſophia lumini rationis & ſenſibus ſubiiciuntur. Verùm hic lumen Dei, imo ipſe Deus eſt, qui ſuam doctrinam proponit & confirmat. Philoſophia κριτηρίοις quibuſdam mentis facultatibus nititur. Sed hic Spiritus ſanctus doctrinam confirmat atque obſignat, adeo, vt nihil certius pio cordi haberi poſſit, quam hæc ſpiritus obſignatio. Valeant igitur prophani homines, qui certitudinem rei Theologicæ in tertium locum poſt ſcientiam reiiciunt, & fere cum εἰκασίᾳ coniungunt. Atque hactenus de doctrina Eccleſiæ.

Caput VI.

SACRAMENTVM.

De inſtitutione ſacramentorum.

PRiuſquam ad tractationem Sacramentorum noui Teſtamenti deſcendam, pauca dicenda ſunt de inſtitutione & ratione Sacramentorum, & cur voce hac Sacramenti vſa ſit Eccleſia. Hæc enim nos deducent in veram Sacramentorum noticiam, vt nulla nobis amplius relinquatur hæſitandi occaſio. Vt itaque inſtitutionem intelligamus, obſeruandum eſt, quod Deus ſemper, & antequam homo lapſus eſt ab innocentiæ ſtatu, & poſtquam ipſi viſum eſt genus humanum peccato ſuaq; culpa perditum reparare, conſueuerit ſuam voluntatem homini patefacere duabus rebus, nimirum verbo, & ſigno verbo addito, vt ita hominum ſaluti cõſuleret. *Signa* autem duplicia ſunt adiecta verbo. Nam alia confirmabant certitudinem verbi, de quibus dictum eſt in præſentis claſſis quinto capite. Alia fuerunt fauoris Dei obſignationes & ſigilla de quo genere hic nobis eſt ſermo.

Signa duplicia.

Ante lapſum hominis.

Cùm homo adhuc eſſet in ſtatu innocentiæ, accepit verbum, cui ſi obtemperaſſet, in æternum beatus vixiſſet. Verbo adiecit Deus duplex ſignum ſeu Sacramentum. Alterum *Immortalitatis*, quod ſignũ à fine dictum eſt. *Alterum probationis*, quod ſignum ſcientiæ boni & mali ab euentu eſt nominatum. Poſt lapſum propoſuit verbum reconciliationis, quod Semen mulieris contriturum eſſet caput ſerpẽtis, hoc eſt, deſtructurum opera Diaboli,

Poſt lapſum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

adducta iuſtitia ſempiterna. Huic verbo adiecit ſignum, nempe ritum ſacrificandi: Qui viſibilis quædam concio erat de venturo Meſſia. Deinde cum Noe locutus eſt Dominus, & promiſſioni ſignum fœderis addidit *artum cœleſtem*. Abrahamo poſtea promiſſionem Seminis propoſuit verbo, ſed ſignum adiecit *Circumciſionem*: quæ eſſet veluti viſibile promiſſionis verbum, quod durauit vſque dum Chriſtus venit iuxta promiſſionis verbum. Moſi quoque data Lege, & facta promiſſione, commendauit ſigna *externa varia*, quibus Populus admoneretur de promiſſionibus diuinis. Eodem prorſus modo Chriſtus, poſtquam de cœlo adueniſſet, confirmaſſetque promiſſionis doctrinam, ſigna & teſtimonia ſuo verbo, numero quidem pauciſſima, ſed ſignificatione maxima, vt *Baptiſmum* & *Cœnam*, adiecit: quæ eſſent veluti aſpectabiles quædam noui fœderis per ſanguinem Chriſti ſanciti conciones. Hæc ſigna cũ veteris, tum noui teſtamenti, propter ea, quod aliud continebant quam foris apparebat, Orientalis Eccleſia μυςήρια, Occidentalis, hoc eſt, Latina, Sacramenta appellauit.

De ratione ſacramentorũ.

His ita de inſtitutione Sacramentorum dictis, ratio Sacramentorum plenius tradenda eſt. Hanc rationem vt inueſtigemus certius proponenda ſunt nobis aliquot particularia Sacramenta, vnde generalem definitionem extruemus. Proponamus itaq; in medium Circunciſionem, cui noſter Baptiſmus ſucceſſit, deinde agnum Phaſe, cui Cœna Domini ſubſtituta eſt. In *Circumciſione* itaque. 1. vox domini inſtituentis & mandatum occurrit. Dicit enim Dominus: cuſtodies pactum meum. 2. Opus commendatum externum, quod in oculos & ſenſus incurrit. 3. promiſſionis verbum additur: Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. 4. requirit ab Abraham fidem in promiſſionem. Omnis enim promiſſio

Circunciſio.

Dei fide accipienda eſt. Similiter *agnus Phaſe*. 1. mandatum Dei habuit. 2. externa & viſibilis erat comeſtio, certo ritu celebrata. 3. additum erat promiſſionis verbum, quod Deus in ſuam fidem reciperet iſtum populum: cuius promiſſionis veluti viſibilis concio, quædam erat comeſtio agni. 4. requirebat Deus à populo, vt ſe ſuæ fidei committeret, expectarétq; promiſſa bona. Hæc quaruor ſimiliter concurrunt in aſperſione ſanguinis, atque adeo in omnibus reliquis ſignis, à Deo inſtitutis, vt teſtentur de ipſius fauore erga homines: Quorum vnum ſi ſuſtuleris, non erit plena Sacramenti ratio. Ex his iam extruamus generalem Sacramenti definitionem in hunc modem:

Agnus Phaſe.

Sacramentum eſt ſignum viſibile, mandatum & inſtitutum à Deo, quo vt Deus ſuam teſtatur erga homines promiſſionem de reconciliatione humani generis, ita homines viciſſim ſuam erga Deum fidem profitentur. Hæc plana, perſpicua & immota definitio Sacramenti eſt, adeo vt quicquid hanc definitionem non recipiat, rationem Sacramenti tueri nõ poſſit, modo cum Eccleſia veteri de Sacramentis loqui placet.

Definitio Sacramẽti.

Ex quo etiam conficitur, duo tantum eſſe noui Teſtamenti Sacramenta, nimirum *Baptiſmum* & *Cœnam Domini*. Ex his quoq; planum eſſe iudico, quod prudentiſſimo conſilio ſancti Patres talibus ſignis Sacramenti nomen dederũt. Nam vt externã rem oculis cernebant, ita rem Sacramentis contentam & ſignificatam, oculis fidei contemplabantur. Vnde Sacramentum definiuerunt actionem externam habentem ſpiritualem cõtemplationem, & Latinis in genere Sacramentum eſt pignus promiſſionis. Sed quia hoc pignus aliàs fit verbis tantum, vt iuſiurandum: aliàs rebus, videlicet, cum ſigna quaſi pignora adduntur promiſſionibus, hoc ſignificatu transferunt Sacramenti nomen ad ſigna ſacra noui Teſtamenti.

Duo Sacramenta Noui teſtamenti.

Verum priuſquam accedamus ad explicationem Sacramentorum noui Teſtamenti, hic quoque obſeruatione dignum eſt, quod ſigna gratiæ ſeu Sacramenta diuinitus ordinata, ſymbolica ſunt, nam habent quandam analogiam ad rem inuiſibilem quam continent & ſignificant, præterquam quod ſint ſigna gratiæ & externa fiduciæ erga Deum & profeſſionis teſtimonia. Quare Circnmciſio non eſt tantnm ſignum gratiæ, vt externa nota, qua populus Dei diſcernebatur ab impio mundo: Sed erat etiam ſymbolum ſeu ſignum per comparationem, quam habet cũ re ſignata, docens Abraham & eius poſteros. Docebat enim Circumciſio, humanam naturã eſſe immundam, ideoq; mundandam. Deinde quia erat in membro genitali, docebat de futuro Semine, quod eſſet naturam humanã ſuo ſanguine ab omni peccato & macula mundaturũ. Atque ita tria ſunt in ſignis ſpectanda. 1. quod ſint ſigna gratiæ. 2. quod ſint teſſeræ profeſſionis. 3. quod ſua analogia nos doceant. Vnde Auguſtinus: *Si Sacramenta earũ rerum, quarum ſunt ſacramenta, comparationem non haberent, Sacramenta non eſſent.*

Sacramẽta quomodo ſunt ſymbolica.

Poſtquam autem hæc in genere de Sacramentis dicta ſunt, accedamus ad explanationem Sacramentorum noui Teſtamenti, quæ ſunt: Baptiſmus & Cœna Domini: in quibus illa quatuor inſunt, quæ ſupra dixi, ad Sacramentorum rationem pertinere quæ ſimul complectar in definitione. *Sacramentum* noui Teſtamenti eſt ſignum viſibile, diuinitus mandatum & inſtitutum, promiſſioni in Euangelio traditæ additum, vt ſit teſtimonium exhibitæ promiſſionis gratiæ, & applicatæ iis, qui Sacramentis vtuntur, fidéq; promiſſionem gratiæ amplectuntur. Hæc definitio meminit mãdati, ſigni externi, fauoris Dei ac fidei intuentis in fauorem Dei ſeu promiſſioné gratiæ. Poterit & hoc modo definiri: *Sacramentum* noui Teſtamenti eſt ceremonia & actio à Chriſto inſtituta, in qua adhibito promiſſionis verbo, ſub viſibili re, inuiſibile donum & gratia offertur, & obſignatur credentibus. Hanc definitionem perſpicuã & propriam eſſe non dubito. Nam omnia complectitur, quæ ad Sacramentorum noui teſtamenti ſubſtantiam requiri videntur. Quæ vt apertius à ſtudioſis conſpiciantur, breuiter eam retexam, ac in membra quatuor diſtribuam. 1. eſt inſtitutor & autor Sacramentorum noui Teſtamenti. 2. promiſſionis verbum & mandatum ſeu inſtitutio. Eſt enim verbum promiſſionis veluti vita Sacramenti. 3. ſignum ſeu elementum ſeu ſymbolum vna cum re, quæ cum ijs iuncta eſt. Non enim ſenſus noſtros ludit Deus vanis ſimulachris, ſed vt verax eſt, ita veraciter complet ſuam promiſſionem, cuius teſtimonium eſt externum ſignum ſeu elementum, ſeu ſymbolum. Nam hæc tria vocabula, etſi eandem rem in hac doctrina ſignificant, ratione tamen differre videntur. *Signum* enim habet relationem ad rem ſignatam. *Elementum* dicitur, quia eſt res corporea & ſenſibilis, in oculos & ſenſus incurrens. *Symbolum* propter analogiam & comparationem ſigni ad rem ſignatam. In re itaque externa tria concurrunt. Primum res illa externa, & ſignum & teſtimonium gratiæ. Deinde eſt nota profeſſionis. Tertio eſt ſymbolum, hoc eſt, ſignum, cõparatione quadam docens nos virtutem Chriſti & noſtrum officium, ſicuti poſtea rurſus dicetur. 4. eſt fides, qua verbum promiſſionis apprehenditur. Hęc quatuor

De Sacramẽtis noui teſtamenti.

Quid ſint Definitionis analyſis & membra.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quatuor membra ſupra in definitionis complexum incluſi, quæ ideo diſtinctius propoſui, vt poſtea commodius ſingulis noui Teſtamenti Sacramentis accommodari poſſint.

Cur duo tantùm.

Duo Sacramenta Noui teſtamenti.

Sunt autem noui Teſtamenti Sacramenta duo tantum, nimirum Baptiſmus & Cœna Dominica, vt ſupra oſtenſum eſt. Illo in familiam Chriſti recipimur, ideóque initiale Sacramentum noui Teſtamenti dici poteſt, vt Circumciſio initiale erat veteris populi Sacramentum: Hac recepti confirmamur & alimur. Quare Sacramentum commemorationis ex verbis Cœnæ poteſt appellari. Has enim duas Ceremonias ſolas Dominus (penes quem vnicum ius eſt Sacramenta in Eccleſia inſtituendi & ordinandi) inſtituit & ordinauit. Tametſi autem multę ſunt promiſſiones in nouo Teſtamento, qualis eſt illa: Amen amen dico vobis, quicquid petieritis Patrem in nomine meo &c. tamen aliud eſt, ſolis verbis promiſſionem confirmare, aliud verbis ac elementis, ſeu ſymbolis viſibilibus ſimul, quod profecto ad Sacramenti plenam rationē requiritur. Quare cum nulla alia externa ſigna adiecerit Dominus ſuis promiſſionibus quam illa duo, nempe, Baptiſmum & ſacram Cœnam, recte duo tantum noui Teſtamenti Sacramenta numerantur, quæ quomodo à ſacramentis veteris Teſtamenti diſtinguenda ſint, breuiter explicandum eſt.

Diſcrimē Sacramentorum veteris & noui Teſtamenti.

Sunt autem tres differentiæ præcipuæ, quarum *Prima* à temporis circumſtantia petitur. Vetera enim illa prænuntiarunt rem futuram, Noua ſignificant rem exhibitam. Hæc differentia confirmatur etiam Auguſtini teſtimonio, qui ſic inquit: Lex & Prophetæ ſacramenta habebant rem futuram prænunciantia: Noſtri verò temporis Sacramenta veniſſe conteſtantur, quod illa venturum prędicebant. *Secunda* differentia ſumitur à diuerſitate ſignorum. Sacramenta (inquit Auguſtinus) Iudęorum in ſignis à noſtris ſunt diuerſa. Vetera enim ſigna, vt Circumciſio, oblationes variæ, ſanguis &c. abolita ſunt, quia typus fuerunt venturi, quibus Baptiſmus & Cœna Dominica ſubrogata ſunt, vt quæ Chriſtum exhibitum oſtendunt. *Tertia* differentia ſumitur à numero, ſignificatione & virtute. Sic enim inquit Auguſtinus de Sacramentis loquens: Noſtra numero pauciora, ſignificatione auguſtiora, virtute præſtantiora. Nec hoc pugnat cum dicto Pauli 1. Cor. 10.3. dicentis, omnes eandem ſpiritualem eſcam comediſſe. Nam Paulus de ſpirituali virtute & fructu loquitur, qui plane ſimilis eſt in vtriuſque Teſtamenti Sacramentis. Vt enim idem eſt Chriſtus vtriuſque Teſtamenti: Ita idem Spiritus Chriſti, qui in illis & in nobis eſt efficax.

CAPVT VII.

BAPTISMVS.

Nominis ratio.

GRæca vox βάπτω, tinguo & lauo ſignificat. Hinc deducitur aliud verbum βαπτίζω, quod ſignificat immergo, intingo, abluo. Hinc verbale nomen βαπτισμὸς, Item βάπτισμα, hoc eſt, immerſio, ablutio, intinctio, lotio: quo nomine ſæpe vſi ſunt Euangeliſtæ, atque hæc eſt nominis ratio.

Rei definitio.

Rei definitio hæc ſit: Baptiſmus eſt Sacramentum noui Teſtamenti, inſtitutū diuinitus per miniſteriū Ioannis, cōſtans ablutione hominis per aquam, cum verborum pronuntiatione, iuxta inſtitutionē Chriſti, non ſolùm ad obſignandam ablutionem hominis à peccato per ſanguinem Chriſti, verumetiam ad figurandam regenerationē, quę mortificatione carnis, & viuificatione Spiritus perficitur. Aut ſi mauis breuius, in hunc modum: *Baptiſmus* eſt Sacramentum ablutionis peccatorum per mortem Chriſti, & nouæ regenerationis.

Duplex Baptiſmus.

Porrò duplicis Baptiſmi meminit Scriptura, nimirū Aquæ & Spiritus. Illo recipimur in externum Eccleſię cœtum, hoc in internum ſeu ſpiritualē Eccleſiam & conſortium Chriſti: nec tamen alter ab altero ſeparandus eſt. Externus enim interni teſtimonium eſt, hoc eſt, Aquę Baptiſmus pignus eſt ſpiritualis Baptiſmi, & internæ ablutionis. Cæterum, vt omnia clarius conſpiciantur, quatuor illa, quorū ſuperius memini in hoc Sacramento quæramus, & quid fructus ex ſingulis fides percipiat, videamus.

De inſtitutione Baptiſmi.

Primum itaque de inſtitutione huius Sacramenti videndum eſt. Tametſi autem Ioannes miniſterium Baptiſmi inchoauit, tamē ex Euāgelica hiſtoria conſtat, Ioannem verbo Dei vocatum ad baptizandum & prædicandū pœnitentiam. Deinde Chriſtus ſuos diſcipulos ad docendum & baptizandum poſt ſuam reſurrectionem miſit hoc mandato: Ite in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizate eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: Qui verò non crediderit, condemnabitur. Habes mādatum, habes inſtitutionem. In hac inſtitutione multa concurrunt meditanda. 1. inſtitutoris maieſtas. 2. vnde vis & efficacia Baptiſmi. 3. vniuerſale mandatū. 4. qualis inauguratio ſit Baptiſmus.

1. Maieſtas inſtitutoris.

Primùm Maieſtas inſtitutoris Chriſti, meritò nos in admirationem & reuerentiam exercitare debet. Magnum enim eſſe neceſſe eſt, quod prius de cœlo verbo ſuo præcepit, poſtea exemplo confirmauit, deinde ipſe Baptiſmum recepit, figuram imminētis ſuæ mortis, ſepulturę, reſurrectionis, communionis corporis ſui nobiſcum. Poſtremò reſuſcitatus diſcipulis iniunxit baptizandi munus, ac eundem Baptiſmum ſuæ Eccleſiæ commendauit, vt interim ſileam pluri-mos huius ſacroſancti lauacri typos fuiſſe, vt diluuium, mare rubrum, Iordanis tranſitus, lotionem Naaman Syri leproſi in Iordane, piſcinam probaticam, &c. Ex his omnibus hunc *Fructum* fides colligere debet, quod hæc actio verè exhibeat quod figurat. Vult enim Chriſtus hoc ſignum non inane ſymbolum eſſe, ſed quod ſimul offerat reconciliationem baptizato, ſiue infans fuerit ab Eccleſia oblatus, ſiue adultus fidem in promiſsionis verbum profeſſus. Quantum enim ad adultos & rationis compotes attinet, fidei Baptiſmi profeſsio requiritur, ſine qua nec ſymbolum externum nec verbum efficax eſt.

2. Vnde vis & efficacia Baptiſmi.

2. Vis & efficacia Baptiſmi non dependens à miniſtro baptizante, ſed à Chriſto purgante, & abluente nos per lauacrum in verbo vitæ, ad Ephe. 5.26. Nullum igitur diſcrimen Baptiſmi externi facit perſonarum diuerſitas. Nam miniſtri tantum externam ceremoniam adhibent ex mandato Chriſti. Chriſtus ipſe, iuxta promiſsiones, verè iis, qui baptizantur, adeſt, & efficaciter abluit animæ maculas, quantū quidem ad reatum coram Deo attinet. Hinc fides noſtra diſcat non intueri baptizantis miniſtri dignitatem, ſed inſtitutionem Chriſti, quia ipſe & non alius, purgat.

3 Vniuerſale mandatum.

3. Vniuerſale mandatum eſt, vt baptizentur omnes gentes, vnde fides fructum geminum colligat. Primùm, quòd infantes citra ſacrilegium excludi non poſsint à Baptiſmo. Deinde, quod Dominus vere velit ſalutem omnium hominum. Quorſum enim attineret pignus gratiæ offerre, niſi cum pignore rem promiſſam exhibere vellet.

4. De inauguratione per baptiſmum.

Externus igitur Baptiſmus ſi inefficax manet, id nō Chriſti, ſed hominum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

culpa fieri neceſſe eſt. 4. Inauguratio noſtri per Baptiſmum eſt ſignificata his verbis: Baptizãtes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Hæc verba Primum teſtantur, baptizatos à Patre cœleſti recipi in gratiam. Deinde Filij beneficia ipſis donari & applicari. Tum Spiritum ſanctum promitti, imo infundi, qui ipſos reget & ſanctificabit. Vnde fides noſtra confirmari debet in hunc vnum Deum, qui eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus: in cuius nomine ideo inauguramur, vt illum vera pœnitentia, fide, inuocatione colamus, abnegatis omni iniuſticia & iniquitate.

II. De verbo promiſsionis.

Deinde *Verbum Promiſsionis* additũ Baptiſmo eſt hoc: Quiſquis crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Quemadmodum autem omnis promiſſio Dei, ita hæc fide accipienda eſt, & firmiter ſtatuendum, quod Deus verè præſtet, quod baptiſmus obſignat. Nec tamẽ hoc promiſſionis verbum arcet infantes à Baptiſmo, qui ſub generali mandato continentur. Nam fidei profeſſionem in adultis requirit, quales fuerunt præcipuè, qui ſub initium Eccleſiæ naſcẽtis, poſt Chriſtum paſſum & glorificatum, baptizabantur. Vt enim Circumciſio non ſolum fuit adultis ſignum gratiæ cœleſtis, verumetiã infantibus: ita baptiſmus vtriſque ſalutaris eſt. Nã vt efficax fuit Spiritus ſanctus in vtero Elizabeth, matris Ioannis Baptiſtæ, ad infundendum infanti, in mundũ nondum edito, gratiam: Sic idem Spiritus ſanctus ex bonitate mera, peculiari ratione regenerat infantes ab Eccleſia ſibi oblatos, cum ipſe Dominus iuſſerit ad ſe infantes adduci, & illorum eſſe regnũ cœlorum pronunciauerit. Huc & illa Abrahamo facta promiſſio accedit. Ero Deus tuus, & ſeminis tui. *Verum* inter Chriſtianorum & gentilium pueros hoc eſt diſcrimen, Tametſi vtroſque oblatos ab Eccleſia in gratiam Dei, iuxta promiſſionis verbum recipi, non eſt dubitandum: tamẽ ſi ſine baptiſmo diſceſſerint vtrique, infideliũ quidem pueri Dei iudicio relinquendi ſunt, fidelium vero infantes promiſſionis huius: Ero Deus tuus, & ſeminis tui, verè participes ſunt. Nam in illa promiſſione etiam Chriſtianorum infantes includi non dubito. Et vt pueris Iudæorũ nihil nocuit, qui obierũt ante octauum diem ſine Circumciſione: ad eũdem modum nec Chriſtianorum infantibus obfuturum pie credendum eſt, ſi ſubita morte præuenti, baptiſmatis lauacro non abluãtur. At dices, renaſcentiam eſſe neceſſariam ad ſalutem, iuxta illud Ioan. 3. 5. Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non introibit in regnum cœlorum. Reſpondeo: *Renaſcentia* eſt res ſpiritualis, quæ peragitur. Alias virtualiter tãtum, ſine externo ſymbolo, vt Ebręorum pueri pręuenti morte ante octauũ diem, verè participes erant benedictionis promiſſæ: Ero Deus tuus, & ſeminis tui in æternum. Ac ita virtualiter regenerati ſunt ſine externo ſigno. Ad eundem modum Chriſtianorum infantes, qui morte præuẽti diſcedunt, conſortes ſunt promiſſionis eiuſdẽ. Aliàs virtualiter & actualiter (vt loquitur Bernardus) ſimul, nempe, cum externum ſymbolũ accedit. Quare Auguſtini ſententiam hic complector, qui dicit: Sed tum impletur inuiſibiliter, cum myſterium baptiſmi non cõtemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit. Et Bernardus: Voluntas pro facto imputatur, vbi factum excludit neceſſitas.

III. De ſigno externo.

Signum externum eſt aqua, immerſio ſeu ablutio hominis, atque adeo tota illa viſibilis actio cũ pronunciatione verborum. Hæc actio cum repræſentet ipſius ſanctæ trinitatis arcanam actionem circa hominẽ, qui baptizatur, meritò ſumma cum reuerentia & religione celebrari deberet, ſine nugis iſtis, quas addiderunt Papiſtæ: vt ſunt, Ceroma ſacrum, ſaliua, ſal, exorciſmus aquæ, adiuratio Satanæ &c. quæ omnia maculant quodammodo hãc diuinam actionem, quæ fidem, pietatem, & inuocationem Dei, obedientiam inſtitutionis Chriſti requirit. Porro in hoc ſacro Baptiſmo triplex eſt ſignum. 1. Teſtimonium gratię exhibitæ & applicatæ. 2. Teſſera & nota profeſſionis. 3. Symbolum quadã comparatione nos docens de virtute Chriſti & noſtro officio. Virtus Chriſti ita docetur Baptiſmo: quod quẽadmodum aqua abluitur corpus externum, ita ſanguine Chriſti ſpiritualiter, ſed verè abluitur conſcientia baptizati à mortuis operibus. Hæc veritas cum externo ſigno coniuncta eſt. Chriſtus itaque hominem, qui baptizatur, recipit in Eccleſiam, abluit à peccato, Spiritus ſancti gratia regenerat, vt iam ſit noua creatura, ciuiſque regni Chriſti, Deo ſeruiens, cui iam fidẽ dederat, & in cuius gratiam & tutelã receptus eſt. Vnde Petrus 1. 32. definit baptiſmum nõ eſſe depoſitionem ſordium carnis, ſed ſtipulationem bonæ conſcientię cum Deo per reſurrectionẽ Chriſti. Ex quo diſcrimen colligitur, inter fideles habẽtes ſignum, ac infideles, qui de externo ſigno gloriantur, vacui veritatis propter ſuam incredulitatem. Nam vt Paulus Roman. 2. 28. negat Circumciſionem literę valere ſine circumciſione Spiritus: ita Petrus ſtatuit de baptiſmo, non ſufficere nudam & externam carnis ablutionem, niſi accedat bonæ conſcientiæ ſtipulatio, quæ eſt mutui fœderis conſenſus. Vt enim Deus verbo & Sacramento baptizato promittit gratiam: Ita cõſcientia baptizati promiſſam & oblatam gratiã fide, qua ſtatuit Ieſum Chriſtũ vere pro ſe mortuum & reſuſcitatum eſſe, accipiet: alioqui pedibus gratiam conculcare videtur. Si igitur veritas ſigno non reſpondeat, culpa eſt gratiam Dei abiicientis.

Triplex ſignum.

IIII. Quid nos doceat Baptiſmus.

Cæterum, quomodo noſtrum officium nos doceat Baptiſmus, eleganter à Paulo explicatur Rom. 6. 11. his verbis: An ignoratis, quod quicunque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in mortem eius baptizati ſumus? Conſepulti igitur ſumus cum ipſo per baptiſmum in mortem, vt quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis, ſic & nos in nouitate vitæ ambulemus. Vnde relinquitur, figurari hac externa actione, nos peccato cõtaminatos veniſſe ad baptiſmum, ſed per Baptiſmum in ſanguine Chriſti ablui, Chriſtum induere, ac reddi participes mortis, ſepulturæ ac reſurrectionis ipſius. Vt enim mortis communicatio figuratur per immerſionem in aquam, & ſepulturę per morã ſub aqua, ita reſurrectionis communicatio per extractionem ex aqua repræſentatur. Breuiter, ſpiritualẽ renaſcẽtiam figurat Baptiſmus quæ cõſtat mortificatione & viuificatione. Nam vt corpus eius, qui baptizatur, immergitur in aquã, ita morti addicitur vetus homo, vt crucifigatur cũ ſuis concupiſcentiis, quod fit cõtritione & abnegatione ſui. Et vt ex aqua homo baptizatus eleuatur & eximitur, ita nouus homo viuificabitur, id quod vera fide fit, & obedientia noua declaratur.

Quæ vera Baptiſmi meditatio.

Ex his obſcurum eſſe haud poteſt, quæ ſit vera & pia meditatio huius ſanctiſsimi lauacri, quod nos per totam vitam conſolabitur. 1. ſtatuere oportet, hunc Baptiſmũ Sacramentum eſſe noſtræ cum Deo reconciliationis. 2. Baptiſmo admonebimur, quod hæc reconciliatio ſit facta per ſanguinem, mortem & ſepulturam ac reſurrectionem Chriſti. 3. admonebimur mortificationis carnis, & viuificationis ſpiritus, adeóque perpetuæ in hoc mũdo pœnitentiæ, & futuræ cum Chriſto, quem induimus per Baptiſmum, glorificationis. 4. admonebit, quod regenerationis beneficium ſit donũ totius Trinitatis, in cuius

nomine

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nomine baptizamur,vt ipſi adhæreamus, ipſum inuocemus ac colamus per totam vitam. Hæc ſi vere meditati fuerimus,iuxtáque ea vitam inſtituerimus, legem ſeruamus baptiſmi. Sin minus,noſter externus Baptiſmus in ſordes nobis vertitur, ídque propria noſtra culpa,qui noſtra fœditate ſacroſanctum Baptiſma commaculamus.

De modo Baptiſmi.

Addam huc nonnihil de modo Baptiſmi. Video enim quoſdam non parũ offendi, cum alij totos infantes in aquã immergunt,alij ſpargũt aquã in capita infantũ. Hi mihi videtur offendi re valde exigua.

Teneatur itaque hac regula:

Baptizare omnes iuſsit Dominus, ſed modum baptizandi liberum reliquit. Chriſtus mandauit baptizare,id eſt,tingere,mũdare,madefacere,quod baptiſmi nomẽ ſonat,nihil adiiciens de tingẽdi,mundandi ſeu madefaciendi modo,neque explicãs,corpus ne totum,an ipſius partẽ aliquam,ablui vellet.

Deinde,vt ſanguine fœderis totus populus aſperſus fuiſſe dicitur,quia in omnes aſpergi conſueuerat, ita totus madefactus, mũdatus intelligitur,cũ membrum aliquod tantum madefactum, tinctum ſiue mundatum eſt. Illa legalis aſperſio fuit figura ſanguinis Chriſti(quo aſperguntur conſcientiæ)& Baptiſmi noſtri.

Deinde, cum vis emendandi animos non proficiſcitur ex aqua, perinde eſt,ſiue totum corpus, ſiue pars aliqua,vt caput abluatur. Satis igitur fuerit,ſi obſeruetur ſpiritualis Baptiſmi ſignificatio. Quod autem baptizare non ſignificat totum hominem immergere in aquam,ex cap.7.Marci,& 11.Lucæ facile colligitur, illic reuerſi à foro non comedunt, niſi prius baptizati. Hic miratur Phariſęus, quod Chriſtus non baptizatus accumbat menſæ.

CAPVT VIII.

COENA DOMINI.

Definitio.

COENA Domini eſt Sacramentum noſtræ per victimam Chriſti redemptionis,ab ipſo Chriſto inſtitutum,in quo cum pane & vino verè & realiter exhibetur & recipitur corpus & ſanguis Domini: vt ſit confirmatio noui Teſtamenti, hoc eſt, fœderis gratiæ & remiſsionis peccatorum: vt ſit recordatio immolationis corporis & ſanguinis Chriſti in cruce pro nobis. Hæc definitio ex ipſis Cœnæ verbis deſumta eſt,quare labefactari non poteſt. Et quanquam ex hac breui definitione intelligi poteſt, quid ſit de hoc Sacramento piè ſtatuendum: tamen breuiter iſta quatuor attingam, quæ ſupra in omni ſacramento conſideranda admonui.

1. Quis inſtitutor.

De *Inſtitutore* eadem hic perpende quæ ſupra de Baptiſmi inſtitutore enumeraui. In inſtitutione ſunt hæ potiſsimum circumſtantiæ: Tempus,locus, perſonæ, mandatum,res, executio mandati,finis. Quæ omnia ex contextu ſunt aperta. Matth.26. Marc.14. Luc.22. 1.Cor.11. In hac ipſa inſtitutione verbum ipſum promiſsionis clarè expreſſum eſt. Promittit corpus & ſanguinem, mandat diſcipulis, vt edant porrectum corpus,& ſanguinem porrectum bibant. Iubet annunciari mortem ſuam,quoties hæc Cœna celebratur.

2. Symbola externa.

Externum Symbolum eſt panis verus,& vinum verum,non mutatis ſubſtantiis naturarum,ſed veraciter manentibus,iuxta verba Pauli: Panem quem frangimus. Et Gelaſius ait: *Certe Sacramenta quæ ſumimus, corporis & ſanguinis Domini, diuina res eſt, propter quod & per eadem diuinæ efficimur participes naturæ: & tamen eſſe non deſinit ſubſtantia vel natura panis & vini.*

3. Veritas.

Veritas cum Signo externo coniuncta eſt quę eſt gratia remiſsionis peccatorum, & obſignatio noui fœderis per ipſum verum corpus & ſanguinem Domini. Vt enim cum viſibili columba in Baptiſmo Domini,& flatu Chriſti dicentis: Accipite Spiritum ſanctum, & cum linguis flammeis in die Pentecoſtes, vere aderat Spiritus ſanctus: Ita firmiter credendum eſt, quod verè & eſſentialiter & realiter adſit Chriſtus in Cœna totus. Neque enim dicendus eſt, adeſſe fictè aut ſimulatè aut tropicè,ſed verè ac propriè,id quod verba Domini conuincunt: Quod datur pro vobis. Qui effunditur pro vobis, quæ verba omnem ambiguitatem tollunt. Quare nullus tropus eſt in verbis ſingulis, nec in Pane, nec in Vino,nec in Corpore aut Sanguine, nec in Verbo Eſt, quo verbo ſignificatur nexus prædicati cum ſubiecto ſimpliciter, vt propria natura vtriuſque Symboli & rei, maneat ac exhibeatur communicantibus.

Prædicandi modus Sacramentalis.

Verùm ſi de prædicandi modo quæris,ſcito non eſſe Philoſophicum: ſed ſacramentalem & diuinum, quales ſunt iſti: Columba erat Spiritus ſanctus. Flatus Chriſti dicentis, accipite, eſt Spiritus ſanctus, linguæ diſſectæ ſunt Spiritus ſanctus. In his prædicationibus naturarum veritas manet,præſertim in duabus poſterioribus,& ſub appellationibus rerum viſibilium & ſenſibilium res inuiſibilis intelligenda manifeſtatur,quę certò adeſt,& veraciter cum rebus ſenſibilibus. Proinde *Sacramẽtalis prædicatio* eſt,cum ſubiecti natura manet,quæ vocabulo ſignificatur,& per illud prædicati veritas, quæ eſt inuiſibilis, præſens cum ſubiecta re adeſſe creditur. Si quis igitur Synecdochen dicat,non errat. Nec hoc pugnat cum eo,quod ſupra dixi,nullum tropum eſſe in verbis ſingulis,propriè enim & Panis & Vinum,& Corpus & Sanguis,& verbum Eſt accipiuntur,ſed quia non oculis apparet corpus & ſanguis,quæ vere aſſunt, adeſſe per externa ſigna intelliguntur. Cum enim panis eſt corpus,vinum eſt ſanguis, ſub appellationibus panis & vini intelliguntur res inuiſibiles corpus & ſanguis Domini, quæ certo & veraciter aſſunt, & cum pane & vino manu miniſtri porriguntur dignis & indignis. Hæc ſobriè de modo prædicandi ſacramentali dicta ſufficiant.

Analogia ſigni, & rei ſignatæ.

Analogia panis ad corpus Chriſti, & vini ad ſanguinem Chriſti hæc eſt: Quemadmodum panis vim habet ad nutrienda corpora,vt præſens vita conſeruari poſsit: Ita corpus Domini vim habet ad ſpiritualiter nutriendas animas noſtras: Et vt vinum reficit vires,& exhilarat corda hominum: Ita Domini ſanguis reficit & exhilarat animas noſtras. Ac propterea duo coniunguntur Symbola, nimirum panis & vinum: vt ſciamus Chriſtum non ſolùm cibum nobis eſſe, verumetiam potum, ne alibi quam in eo ſolo vllam ſpiritualis vitæ partem quęramus. Paulus 1.Corinth.10.16. Calix cui benedicimus,nónne communicatio ſanguinis Domini eſt? Panis quem frangimus,nónne communicatio corporis Domini eſt? Vnus panis,vnũ corpus ſumus nos,qui de pane vno participamus. His verbis ſignificat Paulus & nos Chriſto coniungi ac incorporari per hoc Sacramentum,& inter nos effici vnum corpus,cuius caput eſt Chriſtus,ſeu vt inquit Athanaſius: *Quemadmodũ corpus illud vnitum eſt,ita nos per panem hunc ei copulamur.* Cæterũ clarioris explicationis gratia,nonnulla adiiciam de variis appellationibus huius Cœnæ, de rerum in ea coniunctione,& de ſalutari eiuſdem meditatione.

Varia S. Cœnæ nomina.

In Cœnæ doctrina vtitur Eccleſia variis appellationibus,vt eius cognitio ſit familiarior,& vſus illuſtrior. Panis & vinum Elementa dicũtur, propterea

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quod ſint res corporeæ & ſenſibiles, incurrentes in ſenſus, ſeu quia ſunt veluti materia Sacramenti, cuius forma eſt quod verbo adiicitur. Conſtat enim quodlibet Sacramentum materia & forma, hoc eſt, quod dicit Auguſtinus: Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.

Sacramentum.

Sacramentum autem dicitur hæc Cœna, quod ſub rebus terrenis & ſenſibilibus, cœleſtis res & inuiſibilis fidei oculis proponitur. *Signi* appellatio relationem ad ſignandam rem, non quidem abſentem, ſed vere præſentem indicat. *Symbolum* quoque dicitur, propter ſpiritualem fructum, qui ex eo percipitur, hoc eſt, propter comparationem rerum terrenarum ad res cœleſtes. Vt enim panis & vinum externum hominem refocillant & exhilarant in hoc mundo: ita corpus & ſanguis Domini alunt, refocillant, & exhilarant internum hominem in regno Chriſti, ad vitam æternam. Hinc Auguſtinus: niſi Sacramenta haberent comparationem earum rerum, quarum ſunt Sacramenta, Sacramenta non eſſent.

Agape.

Agape quoque nomen Græcis fuit vſitatum, propterea quod requirat mutuam inter cōmunicantes dilectionem, qua eiuſdem corporis myſtici membra, mutua præſtādo officia ſe inuicem fouent.

Synaxis.

Synaxis appellatur, 1. quia conſociationem animorum communicantium requirit: 2. quia eſt publica multorum in vnum congregatorum Cœna, non vnius ſacrificuli tantum: 3. quia nunquā conuocabatur olim Eccleſia ſine communione corporis & ſanguinis Domini.

Euchariſtia.

Euchariſtia dicitur, propter gratiarum actionem, ſine qua hoc ſacramentum Cœnæ celebrari nequit.

Oblatio.

Oblatio appellatur, tum propter donationes, quæ fiebant in vſus pauperum & miniſtrorum, tum quia Cœna offerebatur cōmunicantibus à miniſtris Eccleſiæ.

Hoſtia.

Hoſtia quoque dicitur, propter preces, quæ offerebantur Deo: & quia memoria eſt hoſtię Chriſti, ſemel peractæ pro nobis in cruce, vnde & memoria mortis Domini dicitur ab Euāgeliſtis. Eandem ob cauſam

Sacrificiū.

Sacrificium quoque dicebatur. Sed Papiſtę corruptores Cœnæ, aliam rationem commenti ſunt, nimirum quod ideo ſacrificium dicitur hæc ſacra Cœna, quòd in miſſa offeratur à ſacrificulo filius Dei in hoſtiam & ſacrificiū propiciatorium pro viuis & mortuis. Sed hanc erroneam opinionem confutat Epiſtola ad Ebræos. Porro ex iſto Papiſtico errore de ſacrificio, ortus eſt & alius error, de eleuatione & ventilatione panis & vini in Cœna. Poſtquam enim in veteri Teſtamento ſacrificia quædam fuiſſe, quæ eleuabantur ſurſum, & ventilabantur ſeu mouebantur certo geſtu, antequam igni cremarentur, animaduerterunt: cacozelia Aaronica theruma & thenupha, hoc eſt, eleuationem ac ventilationem panis & vini in Miſſatico ſuo ſacrificio inſtituerūt, vt vel iſto pacto ſacrificium eſſe oſtenderent. Verùm cum iam rectius eſt edocta Eccleſia Chriſti, nouit Cœnam Sacramentum eſſe, & non ſacrificium, proprie loquendo, debet iſtam Aaronicam eleuationem & ventilationem ſiue mouendam abolere, ac ſacra Chriſti Cœna vti, ſine peregrinis ceremoniis, quæ Aaronicā cacozeliam, & Papiſticam impietatem redolent.

Liturgia.

Græci totam actionem *Liturgian* vocant, ídque propter adminiſtrationem Cœnæ. Si quæ ſunt aliæ voces, quibus appellata eſt hæc Cœna, facile vel ex parte aliqua Cœnæ, vel ex actione, vel fine & vſu diiudicari poſſunt.

Miſſa.

Originem vocabuli *Miſſæ* iſti Papiſtæ ignorarunt multis ſeculis. Polydorus Virgilius ad Ebraicam originem Miſſam reuocat, nam Miſſa Ebræis oblationem ſignificat. Verum ſanior eſt eorum opinio, qui ab euentu hoc nomen cepiſſe, Cœnam dicunt, nimirum quod miſſa, hoc eſt, remiſsio peccatorum annunciaretur in Cœna, vnde claudūt Cœnā his verbis conſolationis: Ite miſſa eſt, remiſſio eſt. Hæc ratio nōminis nihil habet incommodi, imo de vero vſu Cœnæ cōmunicantes cōmonefacit.

Tria paria rerum diuerſiſs.

Porrò tria ſunt veluti paria rerum diuerſiſsimarum in Cœna Domini. 1. Externum verbū & internum verbum. Cum enim verbū externum ſonat in auribus, æternus λόγος mentis aures ferit, vt quod in auribus ſonat extrinſecus intrinſecus corde percipiatur. 2. Homo externus & homo internus. 3. Viſibilis panis & viſibile vinū, quibus veraciter aſſunt corpus inuiſibile & inuiſibilis ſanguis. In his tribus obſeruanda eſt diſpenſatio diuina. Verbum externum & elementum deſtinantur externo homini. Verbum internum & corpus ſanguíſque ad hominem internū pertinent. Vt igitur homo externus capit auribus corporis vocale verbum, & ſumit viſibile elemētum ore corporis: Ita homo internus internum verbum & corpus ſanguinémque Domini percipit. Et quemadmodum corpus externum hominis pane & vino paſcitur: ita internus homo vero corpore & vero ſanguine Chriſti (quæ ineffabili modo vere ſacra in Cœna aſſunt) paſcitur ad vitam æternam.

S. Cœnæ vera meditatio.

Porrò vera meditatio in his conſiſtit membris. 1. cum accedis ad ſacram hanc Cœnam, certò ſtatuēs iuxta promiſsionem Chriſti adeſſe verum corpus & verum ſanguinem Domini, de peccato tuo, propter quod mortuus eſt Chriſtus, cogita. 2. Cogita de victima corporis & ſanguinis Chriſti peracta ad redimendum te à iure peccati. 3. Hæc victima admonere te debet, de magnitudine iræ Dei aduerſus peccatum, de inenarrabili miſericordia Dei recipientis te in gratiam, de amore filij Dei intercedētis pro te, & deriuantis in ſe iram Dei. 4. Pœnitentia quidem accēdetur cogitatione peccati & magnitudinis irę Dei in peccatores, fides vero cogitatione miſericordiæ & amoris filij Dei, & victimæ peractæ. 5. Hæc fides confirmabitur ſacramento tantæ rei, dum eleuata mēte, fide cōſideras in hac ſacra Cœna agnum Dei. Eſt enim hæc Cœna quædam contemplatio, & veluti ſpeculum, in quo Chriſtum crucifixum & reſuſcitatum contemplaris. Hinc, qualem probationem requirit Paulus, facile intelligitur, nimirum vt vnuſquiſque ſe probet, vtrum pœnitentia & fides vere ſentiantur. 6. Hanc fidem confirmatam ſacramento, ſequi debet, gratiarum actio, mutua dilectio, adeóque nouitas vitæ, ne quid facias quod indignum ſit corpore Chriſti, cui incorporatus es (modò verè credis) per hanc ſacratiſsimam Cœnam.

Capvt ix.

TESTAMENTVM.

Definitio.

TESTAMENTVM vſu ſcripturæ eſt fœdus ſeu pactū inter Deum & homines, in quo vt Deus homini aliquid promittit, ita homo in Deum promittētem fiducia promiſsionis recumbit, fidémque ſuam teſtimonio fœderis alit confirmátque. Hæc definitio generalis collecta eſt ex capite Geneſ. 17. 9. Exod. 24. 8. Ioſuæ. 24. 25. Ieremiæ. 31. 33. Ebre. 8. 8. Teſtamentū ſane, ſi quis rationē nominis quęrit, dictū, quia voluntatis Dei teſtimonium quoddam exiſtit.

Partes tres.

Porrò in omni teſtamento inter Deum & homines tria cōcurrunt, Promiſsionis verbum, fides promiſsionis, ac eiuſdem externa teſtificatio & teſtimonium: vnde fit, vt Synecdoche Ebræis viſitatiſſima, ſingula horum trium Teſtamenti nomen accipiant. Galat. 3. 15. Pro promiſsione. Pſal. 111. 9. pro fide & obedientia hominis erga Deum. Gene. 17. 9.

pro

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

pro promiſſionis externo teſtimonio Teſtamenti vox vſurpatur. Huius varietatis obſeruatio diſcrimẽ veteris & noui Teſtamenti illuſtrius & facilius reddet. Vt igitur ſimplicius habeatur diſcrimen veteris & noui Teſtamenti, promiſſionum varietas eſt ſpectanda, quarum Quædam ad reconciliationem cum Deo, Quædam ad terrena commoda referuntur. Omnes promiſſiones de reconciliatione, vbicunque leguntur, ad nouum Teſtamẽtum, quo Deus reconciliationem & nouam vitam promittit, pertinet. Contra legales promiſſiones, quibus Patribus ſe obſtinxit, imo totus mundus legi naturæ obſtrictus eſt, præterea quoque promiſſiones terræ Palæſtinæ, cum ſignis & ſacramentis, vetus Teſtamentum dicuntur. Promiſſiones itaque has ſi conſideras, illuſtre erit diſcrimen veteris & noui Teſtamenti: vt vetus ſit Teſtamentum, quod promiſſiones legales & terrenas. Nouum autem, quod Euangelicas & cœleſtes habet. Pro differentia promiſſionum variat & fides. Cæterum ſi ſigna reſpicis, hoc diſcrimen ex Epiſtola ad Ebræos colligitur: quod ea ſigna, quæ venturum Chriſtum ſignificabant, veteris, quæ vero exhibitum, noui ſint fœderis ſeu Teſtamenti. Vnde Chriſtus: Hic Calix eſt nouum Teſtamentum in meo ſanguine. Porro ſi omnia, hoc eſt, promiſſionem, fidem & ſigna, cõplecti ſimul velis definitionibus, ad hunc modum diſcernere inter vetus & nouum Teſtamentum licebit.

Promiſſionum varietas.

Signorũ diſcrimẽ.

Vetus Teſtamentum eſt pactum, ſancitum ſanguine animalium, quo obligatus fuit vetus populus ad Legem & totam politiam Moſaicam, vt in ea politia conſeruaretur & propagaretur promiſſio de venturo Semine. Teſtamentum quidẽ dictũ, vt autor eſt ſcriptor ad Ebræos, eo quod fœdus erat ſanguine animalium & victimis confirmatũ, vetus verò, propterea quod antiquandum & abolendũ erat, ac potiſſimum ad veteris populi pædagogiam pertinebat, vſque ad aduentum Chriſti, vnde Ambroſius, Teſtamentum dicitur, quoniam ſanguine dedicatũ eſt, vetus in typo, Nouum in veritate.

Vetus teſtamentũ quid.

Nouum Teſtamentum eſt fœdus, ſancitum ſanguine Chriſti de remiſſione peccatorum & reconciliatione promiſſa omnibus gentibus & populis credentibus in Chriſtum crucifixum. Hoc teſtamẽtum quidem dicitur eo, quod ſanguine & morte filij Dei ſancitum & confirmatum eſt. Nouum vero, cum quia veteri ſucceſſit, tum quia ad nouum hominem & regeneratum pertinet, eſtque nouæ cuiuſdam iuſticiæ & vitæ æternæ teſtimonium. Hæc duo Teſtamenta, tametſi ab vno Deo profecta ſunt & in eundem ſcopum, nempe Chriſtum tendunt, tamen quinque differentijs differunt, quas his verſiculis complexus ſum:

Nouum Teſtamẽtũ quid.

In quo differũt.

Tempore, ſubiecto, reſpectu, fine, figura,
Tu vetus atque nouum fœdera bina ſeca.

1. Tempore.

1. *Tempore* quidem differunt, quia vetus tempore antecedit inſtaurationem naturæ inchoatam. Eſt autem triplex tempus noui Teſtamenti, nimirum promiſſionis, exhibitionis & cõpletionis. Promiſſio facta eſt primis parentibus, qua omnes Patriarchæ & electi, inde vſque ab initio ſe ſubſtentarunt, ac hoc promiſſo fœdere ſalutẽ conſecuti ſũt quotquot promiſſioni fœderis crediderunt. Exhibitio facta eſt, dum Chriſtus ſanguinem fudit in ara crucis, quo hoc nouum Teſtamentum confirmauit, quod paulo antea ſacratiſſima Cœna cõmendauerat. Cõpletio erit æternæ vitæ poſſeſſio & fruitio, quã hic fide expectamus, ſed poſtea reipſa poſſidebimus, abolita morte, & reſuſcitatis corporibus.

2. Subiecto.

Deinde *ſubiecto* differunt. Vetus enim proprie ad veterem hominem, Nouum ad nouũ hominem pertinet, quemadmodum ſupra dictum eſt.

3. Reſpectu.

Reſpectu quoque differunt, vetus carnem, Nouum ſpiritum ipſum reſpicit. Sic pij veteris Teſtamenti, etſi iuxta carnem veteri Teſtamento ſubijciebantur, tamen ſecundum ſpiritum noui fœderis erant participes.

4. Fine.

4. *Fine* quoque differunt, quia Vetus pædagogia quædam erat in Chriſtum, Nouum gratiæ Chriſti communicatio.

5. Perſpicuitate.

5. *Poſtremo* differunt in hoc quoque, quod Vetus illud ceremoniarum inuolucris erat inuolutum: Nouum ipſam veritatem ſine vmbris continet. Hęc de veteri & nouo Teſtamento ideo breuius dixi, quia copioſè omnia explicantur in locis Theologicis Philippi.

TESTIMONIA DE TEſtamento vtroque.

1. Ieremię 31.31. & Ebræ. 8.8. Ecce dies venient, dicit Dominus, & conſummabo ſuper domum Iſrael & ſuper domum Iuda teſtamentũ nouum, non ſecũdum teſtamentum, quod feci cum patribus eorum, in die apprehendentis me manum eorũ, vt educerem eos de terra Aegypti, quia ipſi non manſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quoniam hoc teſtamentum, quod diſponã domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus, dãs leges meas in mentem eorum, in corda eorum inſcribã eas, & pro eis in Deum, & illi erunt mihi in populum. Nequaquam docebũt vnuſquiſque ciuẽ ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum dicens: Noſce dominum: Quia omnes ſcient me, à paruo eorum vſque ad magnum eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, peccatorum eorum, & iniquitatum eorum nequaquam meminero amplius.
2. Pſal. 89.35. Neque prophanabo teſtamentum meum neque quæ procedũt de ore meo, faciã irrita.
3. Pſal. 25.14. Vniuerſa via Domini miſericordia, & veritas requirentibus teſtamentum eius.
4. Pſal. 78. Non cuſtodierunt teſtamentum eius, & in præceptis eius noluerunt ambulare.
5. Danielis 3.34. Ne diſſipes teſtamentũ tuum.
6. Zachariæ 9.11. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu.
7. Actor. 7.8. Dedit ei teſtamẽtum circũciſionis.

CAPVT X.

DE ORDINE ECCLESIASTICO.

QVoniam Spiritus ſanctus in omnibus rebus ordinem requirit & amat, certáque ratione omnia facit, non eſt exiſtimandum, quod regnum Chriſti omnium pulcherrimum, citra ordinem adminiſtrari velit. Quare videndum, qualis ſit legitimus ordo Eccleſiæ, & in quibus rebus conſiſtat.

1. De Rege Eccleſiæ.

Primum igitur in Eccleſia, ſeu in regno Chriſti, præſidet vnus Monarcha *Ieſus Chriſtus*, qui à Deo Patre acceptum regnum ſuo ſpiritu verbóque gubernat. Hic Monarcha eſt ἀνυπεύθυνος ſolus, ſuæ enim adminiſtrationis nemini rationem reddere cogitur aut obnoxius eſt. Eſt enim ſupremus, imo ſolus ſui regni gubernator, id quod plurima teſtimonia ſcripturæ conuincunt. Pſalmus 2.7. Dominus dixit ad me, &c. Et Pſalm. 72.1. Deus iu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dicium tuũ regi da, &c. Zach. 9. 9. Lucæ 1. 33. Io. 17. 2. Regnum huius Monarchæ eſt ipſa Eccleſia, id eſt, omnes qui huic Regi dederunt nomina. Hoc regnũ

2. Eius regnum.

pulcherrima ſymmetria cohæret, vt vnum corpus conſtituat, quemadmodum Paulus docet ad Ephe. 2. & 4. Eſt enim Eccleſia cœtus hominum, qui in Chriſto rege ſuo renati, & de carne & oſſibus eius facti, Domino ipſi capiti ſuo ſic adhærent, & inuicem ita ſunt coniuncti, coaptati, & coagmentati pro cuiuſque fidei menſura, pro donorum Spiritus ſancti varietate, pro vocationum coaptatione, ac veluti connexione, vt vnum corpus, quemadmodum dixi, conſtituant: vt eodem omnes ſpiritu viuant & agantur: vt ſinguli ſuum proprium munus habeant, & donum, quo commoda & incrementa vniuerſi corporis pro ſe quiſque efficiat & promoueat, nullum enim mẽbrum in hoc corpore poteſt eſſe ocioſum, aut non aliquid cõmuni corpori conferre, cum animata ſint omnia, ac viuant ſpiritu Chriſti, & in hoc ipſum varia ſecundum datam gratiam dona huius ſpiritus habeant, vnde & caritate mutua inter ſe indies magis magisque coaleſcunt. An non hic pulcherrimus ordo eſt? Quæ harmonia concinnior? quæ aptior diſpoſitio? vnus enim Monarcha vni regno, adeo iuſta cõnexione ſociato, donisque varijs ornato præſidet. Nec impedit hanc pulcerrimam harmoniam, quod in particularibus cœtibus huius Eccleſiæ Catholicę admixti ſunt hypocritę, multi infirmi, multi nomine tantum Chriſtiani, ſed reuera rabioſi canes. Nam catholica Eccleſia non æſtimanda eſt ab ipſis ſordibus, ſed à ſua propria natura & indole.

Duo genera hominum in hoc regno

Præterea cum hic cœtus verbo Dei regitur, duo ſunt in eo genera hominum: Nimirum verbi præcones, & eorum auditores, qui non ſecus atque patres & filij ſe inuicem venerantur & colunt, verum in miniſtris magna eſt diuerſitas. Quanquam enim poteſtas omnium eadem eſt miniſtrorum, quantum ad ſpiritualem iuriſdictionem attinet (de externa enim diſciplina ſuo loco dicendum eſt) tamẽ diſpares dignitatis ordines & gradus ſunt. Idque partim iure diuino, partim Eccleſiæ approbatione.

Paſtores.

Chriſtus ipſe aſcendens in altum, dat dona hominibus, Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Doctores & Paſtores. Hi omnes eiuſdem ſanè poteſtatis ſunt: ſed dignitatis & functionis minime. Apoſtoli enim, Euangeliſtæ, Prophetæ, Doctores & Paſtores eorundem myſteriorum Dei œconomi erant, eandem doctrinam proponebant, eadem poteſtate ſpirituali vſi ſunt: Attamen Paulus gradu dignitatis & ordine Timotheo & Tito erat ſuperior. Timotheus gradu & ordine excelluit reliquos Epheſinæ vrbis presbyteros, & Titius Cretenſibus præerat. Hæc prælatura in tribus videtur mihi poſita: In donorum excellentia: Laborum magnitudine: & Vocationis diuerſitate. Sic Paulus Timotheo præferebatur donis, laboribus, vocatione. Idem Paulus Barnabæ fortaſſis donis & laboribus æqualis fuit, ſed vocatione ipſo ſuperior erat. Hæc prælatura erat non dominij, ſed miniſterij. Qui maior eſt veſtrum (inquit Dominus) ſit omnium miniſter.

Ordo miniſteriorum.

Eccleſia, cui Dominus poteſtatem dedit in ædificationem, ordinem miniſteriorum inſtituit pro cõmodo ſuo, vt omnia ſint ritè ordinata ad inſtaurationẽ corporis Chriſti. Hinc Eccleſia purior ſecuta tẽpora Apoſtolorũ, fecit alios patriarchas, quorũ erat curare, vt Epiſcopi cuiuſque diœceſios rite eligerentur, & ordinarentur, vt ſuum munus Epiſcopi ſinguli probè adminiſtrarent: vt cuique ſuus clerus & ſuã plebs in his, quæ Domini ſunt, piè obſequerẽtur. Alios chorepiſcopos (coadiutores nimirum Epiſcoporũ, quos hodie prępoſitos appellamus) alios paſtores & Catechetas. Hæc fuit purioris Eccleſiæ ordinatio. Sed poſtea paulatim vicia & ſuperſtitiones irrepſerunt, donec prorſus Apoſtolorum & veteris Eccleſiæ ordinatio, interijt. Nam in regno

Cõfuſio

Papæ poſt corruptionem doctrinæ, mõſtroſa quædam Eccleſiæ œconomia inuenta eſt, idque aſtu Satanæ, vt ita paulatim regnum Chriſti inuaderetur & deuaſtaretur. Quanquam autem principium nõ fuit adeo malum, tamen paulatim res in deterius commutata eſt, donec tyrannide Papæ fere ſit Chriſti Eccleſia oppreſſa. In hac œconomia. 1. ordinem miniſtrorum faciunt ſacramentum, præter verbum Dei 2. Chriſma κακοζηλιᾳ Aaronica adhibent, & raſuras contra conſuetudinem Apoſtolicæ & purioris Eccleſiæ: tum ordines Eccleſiaſticos ſeptem numerant, vt 1. Ianitorum ſit. 2. Lectorum. 3. Exorciſtarum. 4. Acoluthorum. 5. Subdiaconorum. 6. Diaconorum 7. Presbyterorum, quorum plures gradus fecerunt. Alios enim vocarunt Epiſcopos, alios Archiepiſcopos, Metropolitanos, Parochos, Antiſtites & Præſides. Deinde his gradibus non contenti, fecerunt tres Patriarchas: Romanum, Antiochenum & Alexandrinum: verum temporis progreſſu, inter hos quem maximum voluerunt Papam appellarũt, quem Papam monarcham Eccleſiæ creauit impius Phocas Imperator, qui ſanctiſſimum Mauricium obtruncauit cum vxore & liberis. Ex eo tempore inuaſerunt Romani Pontifices Eccleſiam, & vſurparunt ſibi ius vtriuſque gladij, vt vocant, & ita regnum Antichriſti erectum eſt, quod initium à libidine dominandi ſumſit.

Primatus pontificij refutatio.

Sed quid hic Antichriſtus facit? deſtitutus eſt Scripturæ aperto teſtimonio, ideo confugit ad allegoriam. Nam ex eo, quod Lucæ 22. 38. fiat mentio duorum gladiorum, & Chriſtus dicat eos ſufficere: inde inferunt adulatores Papæ, vtrũq; gladiũ nimirũ verbũ Dei ac politicam adminiſtrationem (vt illi quidẽ interpretãtur) penes Papã reſidere. Sed iſtius dicti occaſio videnda eſt. Chriſtus dixit: Qui nõ habet gladiũ, emat. An hic incitat ſuos ad arma? Nequaquã: debebãt igitur interpretationẽ iſtius loci quæſiuiſſe, non pugnantẽ cũ Domini mente, aut regni eius conditione. Notũ eſt omnibus, qui in ſacris literis vel leuiter verſati ſunt, Metonymiã frequentẽ eſſe in ſcripturis, qua res per ſignũ deſignatur. Cum igitur Chriſtus dicit: Qui nõ habet gladiũ, emat, certe nolebat ſuos ad arma incitare, ſed belli tẽpus inſtare ſignificabat. Vnde patet, errare vehemẽter Papiſtas, qui ex dicto Chriſti reſpondentis diſcipulis, dicentibus: Ecce duo gladij hic, Satis eſt, extruũt Papæ tyrannidẽ. Nec valet vlla allegoria ad cõfirmanda dogmata, niſi habeat præeuntem Scripturam. Præterea illa allegoria ex diametro pugnat cum regno Chriſti, quod eſt ſpirituale, cuius arma etiam ſpiritualia eſſe docet Paul' 2. Co. 10. 4. Huc accedit, quod Dominus apud Lucam miniſterium verbi ab officio Principum ſeparat: huic dominationem relinquens, illi prorſus adimens: Reges, inquit gentiũ dominantur ipſis, vos autem non ſic. Inde enim ortus erat ſermo, quod inter ſe Apoſtoli contenderẽt quis inter eos maior eſſet futurus, ac veluti rector aliorũ in regno Chriſti, vt eiuſmodi ambitio tolleretur, monet regnum ſuum ſpirituale eſſe, non in mundana celſitudine poſitum, nõ in pompa aut dominatione, ſed omnem miniſtrorum ſuorũ eminentiam in hoc conſtitutã eſſe, vt ſeruiant. Cum ergo hoc loco dicat Domin', Apoſtolos & miniſtros Ec-

cleſiæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

cleſiæ regibus non fore ſimiles, nempe vt dominentur ſummæ impietatis eſt & impudentiæ, quod Papa ſibi contra interdictum Chriſti, regiam authoritatem & poteſtatem vendicet. Verum vt tegat vulpem immanis ille ψυχοτύραννος ouina pelle ſe texit, ac ſeruum ſeruorum Dei ſe appellare cœpit Sed factum ipſius & tyrannis ſecus docet. Porro ex huius pſychotyranni officina prodierunt Cardinales & infinita Monachorum agmina, quibus horrendis modis Eccleſiam iſta Chriſti beſtia vaſtauit & ferè oppreſſit.

Tyrannidis Pontificis oppugnatores.

Contra huius beſtiæ tyrannidem ſubinde Dominus extitauit pios & doctos viros, qui tyrannidem Papæ voce, ſcripto & ſanguine oppugnarunt, & poſtremum in hac ætate beatum Lutherum in Germania excitauit, qui regnum Papæ potenti ſpiritu inuaſit: errores reuelauit: concionibus & ſcriptis confutauit: & Eccleſiam iuxta Apoſtolicam obſeruationem, & purioris Eccleſiæ exemplum reformauit. Nam cum videret totum mundum & Papatum conſpiraſſe contra & aduerſus Euangelium, ipſe ſpiritu Dei auctus ſe mundo oppoſuit, & veritatis viam alijs monſtrauit. vnde & noſtra Eccleſia emendata, purum Euangelium Chriſti amplectitur, ordinat miniſtros vtiles Eccleſiæ, inſiſtit veſtigijs Apoſtolorum & primitiuæ Eccleſiæ, abijcit inutiles ceremonias, quibus refertus fuit totus Papatus: retinet & ordinat pios ritus, quibus Eccleſia exercetur pie & vtiliter. Et quanquam primatum Papæ atque omnem eius tyrannidem & imperandi libidinem execratur, tamen Eccleſia noſtra Danica, non eſt ἀκέφαλος ſed agnoſcit cum Eccleſia Catholica vnum *Chriſtum* regem & ſacerdotem. Deinde quantum ad diſciplinam externam attinet, agnoſcit magiſtratū ciuilem ius gladij habere, quod exercere debet ſecundum ſuas leges in reos. Agnoſcit etiam Eccleſiaſticam diſciplinam, qua ſuperiores legitime vocati ad miniſterium, vt Epiſcopi, Paſtores, Doctores in ſcholis, vti poſſunt ad coercendos contumaces verbo, ſine vi corporali. Arma enim miniſtrorum verbi ſpiritualia ſunt, quemadmodum Paulus docet, 2. ad Cor. 10. 4. Inter hos miniſtros agnoſcit etiam Eccleſia noſtra gradus dignitatis, & ordines pro diuerſitate donorum, laborum magnitudine ac vocationum dignitate, ac iudicat barbaricum eſſe, de Eccleſia hunc ordinem tollere velle. Iudicat cæteros miniſtros ſuis Epiſcopis oportere obtemperare in omnibus, quæ ad ædificationē Eccleſiæ faciunt, iuxta verbum Dei, ac vtilem Eccleſiæ œconomiam. Iudicat Epiſcopus ius habere in cæteros miniſtros Eccleſiæ, non deſpoticum, ſed patrium. Et quanquam fatetur noſtra Eccleſia, æqualem miniſtrorum verbi poteſtatem eſſe, quātum ad iuriſdictionem ſpiritualem attinet, de qua re poſtea dicemus: tamen quia diſciplina Chriſtiana retineri non poteſt, niſi corrigantur vicia, & officia ſingulis debita commendentur, iudicat rectè facere Epiſcopos, qui hortationibus & obiurgationibus nō ſolū laicos (vt vocant) verumetiam presbyteros in officio retinent. Hoc confirmatur non ſolum officij exequendi neceſſitate, verumetiam Pauli teſtimonio, qui ſuū Timotheū hortatur, ne presbyteros aſpere obiurget, ſed tanquam pater hortetur. Ex hoc Pauli teſtimonio duo apertè colliguntur. Primum Epiſcopos habere ius hortandi & obiurgandi non facientes officium. Deinde quia fruſtra fiet obiurgatio & hortatio præfractis & contumacibus, vult Paulus, vt inferiores pijs præceptionibus, monitionibus & obiurgationibus ſuperiorum cedant. Pijs dico, quia ſi Epiſcopi aliquid præceperint, quod nō ſit ſui officij, hic modeſtè licèt inferiori miniſtro quod imperatur recuſare. Deinde & hoc ex mandato Dei apertum eſt, quod epiſcopis vel verbū Dei corrumpentibus, vel ſupprimentibus nullo pacto ſit obtēperandum. Epiſcoporum enim poteſtas ad ædificationem Eccleſiæ non ad deſtructionē ſe extendit. 2. Corint. 13. 10. Liquet & hoc, quod inferioris gradus miniſtris liceat ſuperiores pie & modeſtè admonere, ſi quando recto pede ad veritatem Euangelij nō incedant. Neque hoc ægre ferre debēt Epiſcopi, ſed tanquam patres benignè filiorum ſuorum hortamenta cum gaudio excipient. Sic Petrus admonitus eſt à Paulo, cum non recto pede ad veritatem Euangelij incederet. Sic Paphnutius presbyter ſententiæ Epiſcoporum de interdicto ſacerdotum coniugio obuiauit, cui pij Epiſcopi ceſſerunt.

Ecclesiarum Danicarum status.

Adue. Anabaptiſtas.

Hunc ordinem amplectitur noſtra Eccleſia, hos dignitatis in miniſterio gradus ſeruientes decoro & diſciplinæ agnoſcit. Nec mouetur Anabaptiſtarum ac Libertinorum effræni libidine, qui Eccleſiam Chriſti barbaricum quendam hominum cœtū ſine ordine fingunt in quo cœtu nulla aut donorū aut laborum aut vocationum ratio habeatur, cum habeat noſtra Eccleſia non ſolum exemplum Apoſtolicæ purioris Eccleſiæ, verumetiam mandatum Spiritus ſancti, omnia ordinate & decenter ad ædificationem faciendi.

CAPVT XI.

DE POTESTATE.

ECCLESIASTICA.

Symbolū eius.

POteſtas Eccleſiaſtica Symbolo clauium, Matt. 16. 19. vbi dicitur Petro: Dabo tibi claues regni cœlorum, & quodcunque ligaueris in terra, erit in cœlis ligatum, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutū in cœlis, deſignatur. Claues itaque regni cœlorum ſunt, quibus regnum cœlorū aperitur & clauditur. At regnum cœlorum, quod eſt Eccleſia, adminiſtratur, hoc eſt, aperitur & clauditur prædicatione Euangelij. Proinde *Claues regni* cœlorum nihil aliud eſſe poſſunt, quam munus & poteſtas adminiſtrandi Eccleſiam Chriſti, idque ſecundum verbum Chriſti. Appellationis ratio hæc eſt: Qui œconomi conſtituuntur in aliqua domo, ijs traduntur claues. vt omnia aperiant & claudant pro arbitrio domini ſui. Inde factum eſt, vt clauium ſymbolo in ſcripturis ſignificetur domus adminiſtratio. Eſa. 22. 22. Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius, aperiet, & nemo claudet: claudet, & nemo aperiet. Hic aperte clauis domus Dauid ſignificat adminiſtrationem regni Dauidici. Vnde miniſtri verbi, qui prædicatione verbi aditum ad cœlum patefaciunt recipientibus verbum, & clauſum eſſe cœlum inobedientibus verbo docent, Oeconomi regni Dei, & claues regni cœlorum habere dicuntur. Quare *Eccleſiaſtica poteſtas* rectè definitur eſſe facultas Eccleſiæ data, qua ipſa recipit (quos iubet Dominus, remiſſis peccatis) in conſortium regni ipſius: reijcit quos ipſe reijci præcipit: paſcit receptos, & regit verbo, Sacramentis, & diſciplina, vt veterem hominem indies magis magisque aboleant, & nouum inſtaurent. Eijcit rurſus ex conſortio regni Chriſti, qui ſuis moribus promerebant, ac iterum eiectos, ſi egerint pœnitentiam, recipit. Poſtremùm vocat miniſtros ad miniſterium verbi, quibus hanc adminiſtrationem cō

Claues quid.

Ratio.

Eccleſiaſtica poteſtas quid.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mendat. Hæc vera Eccleſiaſticæ poteſtatis eſt deſcriptio, quæ in genere ita quoque definiri poteſt, quod ſit munus Eccleſiæ collatum, quo ipſa adminiſtrari debeat iuxta verbum Dei.

Eius fundamentũ.

Quod autem in verbo Dei fundata debeat eſſe hæc poteſtas, ex eo liquet, quod Paulus omnem poteſtatem à Deo datã Eccleſiæ ad ædificationem (fidei) dicat. Nũc autem quicquid pertinet ad ædificationem fidei id verbo Dei continetur. Proinde poteſtas Eccleſiaſtica omnis vt ex verbo eſt, ita in eodem verbo incluſa exiſtit. Et cum Dominus Ioã. 7.16. dicit, Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me, miniſtris Euangelij omnibus quam in docendo regulam ſequi debeant, ſuo exemplo præſcribit. Non igitur Eccleſiæ poteſtas infinita eſt, ſed certis limitibus definita, vt quæ verbo Dei ſit ſubiecta & ei incluſa.

Quid requirat.

Ex his etiam manifeſtè colligitur, tria requiri in poteſtate Eccleſiaſtica. 1. vt à Deo ſit data. 2. vt in ſalutem & ædificationem Eccleſiæ exerceatur. 3, vt verbo Dei nitatur. Data quidem eſt toti Eccleſię, ſed eam rite exercent, qui mandato eius fideliter obediunt legitimè vocati, idque ſi verbum Dei tanquam vnicam agendi regulam ſequantur.

Duplex eſt.

Porro hæc Eccleſiaſtica poteſtas duplex eſt, nimirum Ordinis & Iuriſdictionis. *Ordinis poteſtas* eſt miniſterium verbi, quo recipiunt in Eccleſiam eos, qui vel dant ipſi Chriſto nomina, vt illa tria millia hominum, qui ad concionem Petri, compuncti corde crediderunt, quos Petrus recipit in Eccleſiam communicato Baptiſmo. Vel qui offeruntur Eccleſiæ per credentes, vt, Infantes, qui pro ſe loqui non poſſunt quos Dominus nihilominus vult recipi in Eccleſiã iuxta illud: Baptizantes omnes gentes, in quorum numero infantes includuntur. Deinde eadem poteſtate in Eccleſiam receptos regunt doctrina, Sacramentis & ceremonijs. Hanc poteſtatẽ ideo ordinis eſſe dico, quia certam & ordinatam regulam habet, quam ſemper ſequi debet, nec in bene cõſtituta Eccleſia requirit deliberationem, aut ſenatus Eccleſiaſtici ſententiam, ſed ad miniſterium vocati miniſtri iuxta ordinis præſcripti rationem ſe gerunt, quantum quidem ad publicam functionem attinet. *Altera* Pars poteſtatis Eccleſiaſticæ eſt *Iuriſdictio*, quæ maxima ex parte pendet à poteſtate clauium. Hæc nihil aliud eſt, quam ius ſpiritualem politiam conſeruandi. Et in tribus conſiſtit. 1. In cognitione veræ doctrinæ. 2. In improbatione falſæ doctrinæ. 3. In diſciplina.

Cognitio verę doctrinę

Quod autem Eccleſia vniuerſalis habeat ius cognoſcendi veram doctrinam, teſtantur plurima teſtimonia. Chriſtus inuitat ad ſe omnes, vt à ſe diſcant. Apoſtoli mittuntur vt doceant. Deus requirit noticiam ſui verbi, ſine qua ſalus nemini cõtingere poteſt. Quare horrendo ſacrilegio tenentur Papiſtæ, qui laicos arcent à lectione ſacrorum librorum, & interdicunt, ne ſacra Biblia vulgata lingua excudantur, & legantur à laicis (vt vocant) qua re declarant ſe immanes hoſtes eſſe ſalutis hominum, quos Dominus Luc. 11.52. obiurgat dicens: Væ vobis legiſperitis, qui tuliſtis clauẽ ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis, Item Matth. 23.13. væ vobis Scribæ & Phariſæi, Hypocritę, quia clauditis regnum cœlorum ante homines, vos enim non intratis, nec aduenientes ſinitis intrare. Hæc vehemens obiurgatio pertinet ad omnes omnium temporum Phariſæos, qui ſibi docẽdi ius vendicant, ſed interim veram viam ad Chriſtũ intercludunt.

2. Improbatio falſæ.

Deinde quod ius habeat Eccleſia improbandi falſam doctrinam, oſtendit mandatum Chriſti, Matth. 6. Cauete à Pſeudoprophetis. Matt. 8. Lucæ 12. Cauete à fermento Phariſæorum. Item ad Galat. 1. Si quis aliud docuerit Euangelium, anathema ſit.

3. Diſciplina.

Tertia Iuriſdictionis pars eſt *Diſciplina*, qua membra corporis Chriſti, hoc eſt, Eccleſiæ inter ſe cohærent. Nam vt doctrina ipſa eſt veluti anima Eccleſiæ: Ita diſciplina inſtar neruorum eſt, quibus membra ſuo quoque loco aptantur, connectuntur & continentur. Huius diſciplinæ magna laus eſt. Prædicatur enim eſſe ſanitatis ſubſidium, ordinis fundamentum, vnitatis vinculum. Nam ſine diſciplina nulla domus, nulla Reſpublica incolumis perſiſtere poteſt. Et quia quæq; familia, quo honeſtior fuerit, eo iuſtiorem ſectatur diſciplinam, par eſt, vt omnium honeſtiſſima familia Chriſti, hoc eſt, Eccleſia, optima diſciplina regatur. Quare huc pauca de diſciplina Eccleſiaſtica adijciam, idque non ex Pontificijs decretis, quæ ſapiunt tyrannidem: ſed ex verbo Domini, traditione Apoſtolica & exemplo purioris Eccleſiæ.

Eccleſiaſticæ diſciplinæ definitio.

Definitur autem *Diſciplina Eccleſiaſtica* hoc pacto: quod ſit pædagogia quædam, qua homines in familiam Chriſti recepti coercentur, & ad pietatem, iuſticiam, modeſtiamque aſſueſiunt, ne quid adeo auguſta profeſſione indignum committant, ſed vt iuxta doctrinæ Euangelicæ præſcriptum ſinguli ſuum officium faciant.

Diuiſio.

Eſt autem hæc diſciplina duplex, *Communis* & *Cleri peculiaris*. Illi ſubeſſe omnes debent ex æquo, huic ſoli clerici. Porro communis duplex eſt. Ordinaria & Extraordinaria, de quibus diſtinctè deinceps dicendum eſt, ac primũ de ordinaria.

1. Ordinaria.

Ordinaria itaque diſciplina eſt, quæ verbum Dei ac traditionem Apoſtolicam pro regula habet, à qua nunquam licet diſcedere. Eſt enim iuris diuini, ac dependet proprie à poteſtate clauiũ. Hęc quia lapſus contra legitimam viuendi rationem corrigit. 1. lapſuum genera nobis ſunt explicanda. 2. qualis diſciplina in ſingulis obſeruari oporteat. 3. penes quos ſit corrigendi facultas, declarandum eſt.

De lapſu occulto & manifeſto.

Lapſus itaque diſciplina corrigendus duplex eſt: Occultus nimirum & manifeſtus. Occultum voco, cuius vnus aut pauci admodum ſunt cõſcij. Manifeſtum vero, qui eſt publicè notus & apertus. Occultus rurſus aut ex ignorantia aut ex infirmitate, aut ex malicia contingit. Manifeſtus ſeu publicus aut delictum eſt, aut flagitium. Delictum quidem quod errore vel infirmitate perpetratur, aut etiam caſu inopinato. Flagitium vero eſt enorme ſcelus, vt homicidium, adulterium, vſura, furtum, &c. Deinde flagitiorum alia multitudinem inuaſerunt: alia paucos tantum de multitudine. Nunc qualis in his lapſibus diſciplina adhibenda ſit videamus.

Lapſus occultus quomodo emendandus.

Si itaque Lapſus occultus eſt, regula emendandi ac corrigendi, quam Dominus pręſcribit Matth. 18. ſequenda eſt. Si peccauerit (inquit) in te frater tuus, vade & argue eum inter te & ipſum ſolũ. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum aut duos, vt in ore duorum aut trium teſtium conſiſtat omne verbum. Quod ſi non audierit eos, dic Eccleſię. Quod ſi eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Etnichus & Publicanus, hoc eſt, prophanus & impius. Amen. dico vobis, quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo, & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta in cœlo. In hac cõcionis Chriſti pericopa, quatuor ſunt nobis diligenter obſeruanda. Primum eſt mandatum Chriſti, quod nemo contemnere citra magnum ſacrilegiũ poteſt, Si peccauerit (inquit) in te frater tuus, id eſt,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

eſt,te conſcio vel ſub tua conſcientia. Nam in græco eſt εἰς σὲ, quod phraſi græca non ſignificat contra te, ſed coram te, ſeu te conſcio. Eſſet enim contra Chriſti doctrinam, propriam iniuriam perſequi. 2. monſtratur hic præcipuum diſciplinæ Eccleſiaſticæ fundamentum, quod eſt priuata correptio. Vade, inquit, & argue eum inter te & ipſum ſolum. 3. loco indicantur gradus priuatę correptionis, & tres enumerantur. Primus vt arguas ipſum pro modo delicti inter te & ipſum ſolum: hoc cum dicit Dominus, non vult vt peccatum fratris, quod tibi ſoli aut pauciſſimis eſt notum, omnibus manifeſtum facias, hoc enim cũ charitate fraterna pugnat, & magis ad deſtructionem quàm ędificationem facit. Nam alijs ſcandalo eſt poſtquam enotuit factum. Quod ſi hoc primo gradu promoueris aliquid, & emendauerit ſe reus frater, feciſti officium & lucratus es fratrem tuum. Verum ſi hac via nihil profeceris, gradus ſecundus tentandus eſt: hoc eſt, adhibebis vnum aut alterum teſtem tecum, ac in ipſorum præſentia conaberis fratrẽ in viam reuocare. Quod ſi fruſtra feceris, adhuc non deſperandum de fratre, ſed extrema tentanda ſunt, & coram Eccleſia, hoc eſt, vel coram ſenatu Eccleſiaſtico, vel coram pluribus fratribus, contumacem obiurgabis, vt vel hoc pacto ſuffuſus rubore reſipiſcat. Verum ſi hac via nihil ſuccedit, habendus eſt pro impio & prophano, qui nihil habet commune cum Eccleſia Chriſti. Tunc enim verè iſti contumaci continget, quod Salomon Prouerb.15.10. dicit: Qui increpationes odit, morietur. Poſtremo Eccleſiæ iudiciũ ratum fore in cœlo Dominus pronũciat his verbis: Amen dico vobis, quæcũque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cœlo. Sed de hoc iudicio Eccleſiæ infra plura dicẽda ſunt.

Lapſus manifeſtus quomodo emendandus.

Porro Si Lapſus fratris fuerit Manifeſtus, ſequendum eſt præceptũ & factum Pauli.1. Tim.5.20. præceptum habetur in hunc modum: Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Hoc præceptum niſi intelligatur de manifeſtis peccatis, cum mandato Domini iubẽtis arguere fratrem inter te & ipſum ſolum, ſtare non poteſt. Quare non dubium eſt, quin de emendatione publicorum delictorum intelligendum ſit hoc Pauli pręceptum. Factum Pauli quo pręceptum confirmatur, habetur ad Galat.2.11. Vbi Petrum palam in facie Eccleſiæ obiurgauit. Fuit enim lapſus Petri Eccleſiæ præſenti cognitus.

Regula.

Ex his duas colligamus regulas. I. In occultis delictis corrigẽdis procedendum eſt ſecũdum gradus à Domino præſcriptos, nimirum, vt primùm ſolus, deinde adhibitis teſtibus, poſtremò coram Eccleſia, ſeu quibuſdam delectis viris, quorũ pietas & grauitas eſt ſpectata, fratrem delinquentẽ corripias. II. In manifeſtis delictis ſtatim procedendum eſſe ad ſolennem Eccleſiæ correptionẽ, ídque cum vt lapſus emendetur, tum vt reliqui fratres timeant, & ipſius exemplo reddantur cautiores.

Prudẽtia vtendum in caſtigationibus.

Verum quemadmodũ in occulto lapſu, ita etiam in publico prudenter caſtigatio adhibenda eſt. Si enim quis lapſus eſt ignorantia aut infirmitate, ſufficit paterna & blanda admonitio cum exhortatione in poſterum vitandi talẽ delictum. At ſi ex malicia peccatum eſt, lapſus quidem occultus ſeuerius corrigendus. Manifeſtus verò excõmunicatione feriendus eſt, ſed ita tamen omnia moderanda ſunt, ne caſtigationis ſeueritas errantẽ in deſperationem adigat. Eſt enim æquitate & clementia temperãda diſciplina Eccleſiæ, ne rigor modũ excedat. Seueritate quidẽ opus eſt, ne impunitate, quæ peccandi illecebra eſt, mali reddantur audaciores. Ac rurſus quia periculũ eſt, ne is, qui caſtigatur, animũ deſpondeat, adhibenda eſt moderatio, nẽpe vt Eccleſia ſimul atque reſipiſcentiam illius certò cognouerit, ad dandã veniam ſit parata. Loco huius regulæ de moderatione, ſit nobis conſilium Pauli 2. Cor. 2. qui obſecrat Corinthios, vt inceſtum reſipiſcẽtem charitate proſequantur, condonent ei flagitium, ac pœnitentem conſolentur, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur. Quẽadmodũ enim correptio fraterna à charitate proficiſci, ita etiã in emendationem & ædificationem fratris delinquẽtis tendere debet. Id quod euincitur ex finibus diſciplinæ Eccleſiæ, vnde conſilium in corripiendis fratribus omnino petendũ eſt.

Tres fines diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

Sunt autem tres *Fines* caſtigationis Eccleſiaſticæ, ac potiſſimum Excommunicationis. *Primus* eſt, ne cum Dei contumelia inter Chriſtianos nominẽtur, qui turpem ac flagitioſam vitam degunt. *Secundus*, ne aſſidua malorum conſuetudine boni corrũpãtur. Modicum enim fermentum totã maſſam corrumpit. *Tertius*, vt lapſi pudore ſuffuſi tandem reſipiſcãt & reconcilientur Eccleſiæ. Ex his finibus ſatis apparet, in caſtigatione Eccleſiaſtica gloriam Dei quęrendam, ædificationem Eccleſiæ, & reſipiſcentiam lapſi fratris, quò ſi reſpexerimus, nõ erit difficile ſeueritatem æquitate & clementia temperare.

De Excõmunicatione.

Reſtat vltima diſtinctio, qua flagitia alia in multitudinem graſſantia, alia paucorum eſſe dixi: de quibus hoc loco in vniuerſum tenendum eſt: Quod ſuo genere omnino digna ſint excommunicatione, vt teſtatur dictum Pauli 1. Corinth.5.15. Si quis frater nominatur inter vos, vel ſcortator, vel auarus, vel idolorum cultor, vel ebrioſus, vel maledicus, cũ huiuſmodi nec cibum ſumere permitto. Verùm hic prout ſtatus eſt præſentis Eccleſiæ, cauendum eſt, ne in maiorem deſtructionem adhibeatur excõmunicatio, & ex medicina fiat venenum. Quare cenſeo ſequendas eſſe duas regulas Auguſtini, quarum prior eſt de peccatis in multitudinem graſſantibus, qualia, proh dolor, in hoc regno ſunt, ebrietas, luxus veſtium, comeſſationes, vſura, & huius generis fere infinita. *Non aſperè*, inquit, *quantum exiſtimo, non duriter, non modo imperioſo: iſta tolluntur magis docendo quam iubendo, magis monendo quam minando. Sic enim agendum eſt cum multitudine peccantium.* Hoc Auguſtini conſilium regulam præſcribit agendi cum multitudine peccantium: quæ regula confirmatur ex finibus excommunicationis ſupra poſitis. Nam ſi hic excommunicatio adhiberetur, magis turbaret paucos bonos infirmos, quam corrigeret multos animoſos malos. Neque tamen ex eo ſequitur, non eſſe taxanda publicè graſſantia ſcelera, ſed tantum modũ caſtigandi tẽperare oportet, publicę pacis gratia. De paucorũ flagitiis hãc dat regulã Auguſtinus: *Seueritas exercenda eſt in peccata paucorum.* Hæc enim ſtare poteſt cum correptionis Eccleſiaſticæ finibus.

Regula prima. — Secunda.

Qui admonendi.

Porro hic duo genera hominum admonere oportet: Nimirum infirmos, ne deficiant ab Eccleſia propter graſſantia flagitia, & Miniſtros verbi, ne vel deſpondeant animum, vel omnino munus docendi abiiciant, cum parum admodum ſe proficere ſuis laboribus & vigiliis animaduertunt. *Infirmi* itaq; ſciãt, abſtinendum eſſe à flagitioſis, quantum ad priuatã conuerſationem attinet, non quantum ad Eccleſiæ externam communionem, niſi cenſura Eccleſiæ fuerint excommunicati. Nec cum his pugnat præceptũ Apoſtoli, 2. ad Theſſ. 3. 6. Præcipimus autem vobis fratres in nomine Domini Ieſu Chriſti, vt ſubducatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. Non enim hic Paulus de externa Eccleſiæ communione agit, ſed de priuata conuerſatione & familiaritate.

Infirmi.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

In libertate enim noſtra ac facultate poſitum eſt, an familiariter verſari cum ſceleratis velimus, nec ne. At in arbitrio noſtro nequaquam poſitum eſt, à cõmunione Eccleſiæ abſtinere. Obſeruetur & hæc regula Auguſtini: *In corripiendis fratribus, miſericorditer corripiat homo quod poteſt. Quod autem non poteſt, patienter ferat, & cum dilectione gemat ac lugeat.*

Miniſtri. Miniſtri verbi huius regulæ ſint memores, quod omnis pia ratio & modus Eccleſiaſticæ diſciplinæ vnitatẽ ſpiritus in vinculo pacis intueri ſemper debeat. Quiſquis igitur vel quod poteſt arguendo corrigit, vel quod corrigere non poteſt, ſaluo pacis vinculo excludit: vel quod ſaluo pacis vinculo excludere non poteſt, æquitate improbat, firmitate ſupportat, hic à à maledictione liber & ſolutus eſt: ita enim eradicanda ſunt zizania, ne frumenta lædantur.

Penes quos corrigẽdi facultas. Iam penes quos ſit corrigendi facultas breuiter eſt dicendum. Quantum igitur attinet ad *Priuatos* lapſus omnium Chriſtianorum, qui eius lapſus ſunt conſcij, officium eſt eos corrigere doctrina, admonitione & obiurgatione, iuxta gradus à Chriſto præſcriptos, qui ſupra enumerati ſunt & declarati. *Publica* Delicta miniſtris verbi palam coram omnibus arguenda ſunt, ſi videbitur ad ædificationem facere. Idq; non vnius paſtoris cenſura, ſed vel totius Eccleſiæ, vel ſaltem quorundam grauium virorum, qui vice totius Eccleſiæ funguntur, fieri oportet, ita tamen vt paſtor toti Eccleſiæ excõmunicationis ſententiam pronunciet. Hæc enim ratio excommunicandi in primitiua Eccleſia ſeruata eſt, & habet pro regula Apoſtolicam traditionem 1. Corin. 5. 3. Præterea eiuſdem Eccleſiæ eſt, emendatos in Eccleſiam recipere per miniſtros verbi, qui miniſtri pœnitentiam ſeriam eorum, qui reconciliari Eccleſiæ cupiunt, exponere debent.

Circũſtãtiæ variæ. Hactenus de ordinaria diſciplina, quæ proprie dependet à poteſtate clauium huic ſubſeruit ordinatio certi temporis, loci, quando, & vbi populus conuenire debeat, ad audiendum verbum, & ad ſacrã Cœnam. Hæc ordinatio tametſi quantum ad certi temporis & loci circunſtantias attinet, eſt libera, vt quæ non obliget nos verbo Dei, tamen quantum ad genus attinet, iuris diuini eſt. Omnibus enim mandatum eſt verbum audire, & participare Sacramentis. Quapropter nemo pius certam tẽporis & loci, quando & vbi verbum & Sacramenta tractabuntur, ordinationem contemnit, ſed libenter ſe huic diſciplinę Eccleſiaſticæ parti ſubiicit. Nec hoc pugnat cum Chriſtiana libertate. Nam qui in Chriſto ſunt liberi, vt ſciunt ſe per Chriſtum à peccato, maledictione Legis, ac ritibus humanis eſſe liberos: Ita quoque norunt, ſe diſciplinæ & ordinis gratia, quantum ad externum Eccleſiæ regimen attinet, honeſtæ ac piæ diſciplinæ ſubiectos eſſe. Hactenus de communi diſciplina & ordinaria dictum eſt: nunc paucis de extraordinaria dicendum.

De diſciplina extraordinaria. Hæc nec tempus, nec modum, nec formam præſcriptam verbo Dei habet: ſed in Eccleſiæ arbitrio poſita eſt, & temporum rationem cum euẽtu habet, vnde in hac extraordinaria diſciplina reſpicere oportet ad tria tempora, præteritum, præſens & futurũ. Ad Præteritum, vt ſi aliquid præter opinionem euenit, veluti magnorum virorum liberatio è periculis, felix Eccleſiæ & miniſterij & verbi ſucceſſus, propagatio doctrinæ in aliis nationibus. Hîc officium miniſtrorum verbi fuerit, conſentientibus præcipuis Eccleſiæ membris, populum certo tempore conuocare, ac ad gratiarum actionẽ inuitare. Ad præſens, vt ſi graſſari incipiat peſtilentia, vel fames, vel bellum, hic populus conuocãdus eſt, exhortatio ad pœnitentiam, ieiunium, preces, inſtituẽda eſt. Ad futurum tempus, vt ſi vel clades aliqua imminere videtur, vel aliqua magna deliberatio, ſiue de religione, ſiue de ſtatu politico ineunda eſt, piorum paſtorum officium fuerit, hortari populum ad ſolẽnes preces, vt dominus pericula imminẽtia vel auertat prorſus, vel conuertat prorſus, vel conuertat in ſui nominis gloriam, ac deliberationes inſtituendas ſuo ſpiritu gubernet. Hæc extraordinaria diſciplina cũ Prophetaũ, tum Apoſtolorũ puriorisq; Eccleſiæ excẽpla habet. Quare nequaquã vbi res poſtulat, negligẽda eſt.

Cleri [diſcip]lina. Nunc reſtat diſciplina, quam *Cleri* Peculiarem dixi. Hæc canone & executione conſtat. *Canon* verſatur circa quatuor. Canon quadruplex. 1. Alias enim circa certarum rerum prohibitionem, vt ne quis clericus venationi, ne quis aleæ, ne quis comeſſationi, ne quis fœnori aut mercaturæ vacet, ne quis laſciuis ſaltationibus interſit. 2. Alias circa certa exercitia, vt ſunt cantationes, ſacræ lectiones, vigiliæ. 3. Alias circa officiorum in Eccleſia diſtinctionem, vt in Eccleſia alius doceat, alius recitet aliquid ex ſacris literis, alius præſit Cœnæ Dominicæ. 4. Alias circa pœnas, quarum gradus fuerunt, priuata obiurgatio ab Epiſcopo, publica à conſeſſu Epiſcoporum & Presbyterorum, depoſitio ab officio, excommunicatio. Extremus gradus fuit anathematizatio, quæ ſolum adhibebatur cõtra obſtinatos hęreticos, quales fuerunt Arius, Cerinthus &c. Veteris enim Eccleſiæ mos fuit, ſine vi externa in ſuum clerum animaduertere. Exec[utio]. Huius diſciplinæ *executio* potiſſimum Epiſcopis commiſſa erat, qui ideo aliquando bis, aliquando ſæpius in anno ſynodos prouinciales conuocabant, vbi non vnius Epiſcopi cenſura, ſed totius cleri collecti ſententia res agebatur. In hiſce ſynodis de doctrina, de moribus, de ceremoniis, de diſciplina, atque aliis rebus Eccleſię vtilibus tractabatur, atque tantiſper res feliciter ſucceſſit, donec dominandi libido inuaſit Papam, alióſq; creatos ab eo Epiſcopos. Hęc de diſciplina Eccleſiaſtica communi & clericali dicta ſint.

Priuat[a] homin[is] diſcip[lina]. *Verum* ſi quis cupit priuati hominis diſciplinam, ſciat eam in quatuor cõſiſtere. 1. vt ſuos affectus petulantes & cogitationes prauas meditatione verbi & oratione domet. 2. vt verba pietate regat. 3. vt facta ad normam legis exigat. 4. vtq; geſtus ſimiliter pietati congruos amet. Sed de his ſatis, nunc de tertia hierarchiæ Eccleſiaſticæ parte dicendum eſt.

CAPVT XII.

DE AVTORITATE *ECCLESIASTICA.*

CVm poteſtate coniuncta eſt *Autoritas*, in qua duo conſideranda. Methodus. Vnum, Quarum rerum ſit. Alterum, penes quas perſonas reſideat Eccleſiæ authoritas. 1. Quarum rerum [ſit]. Duas res ſubiiciunt Eccleſiæ autoritati, traditiones nimirum & interpretationes ſcripturæ. *Traditiones* ſunt ritus, qui abſque ſcriptura traditi dicuntur, vel ab Apoſtolis, vel poſt Apoſtolos à ſanctis patribus. Huius generis ſunt baptiſma infantium, obſeruatio diei Dominicæ, quod Cœna Domini à ieiunis celebretur, & à ieiunis percipiatur. Item canones plerique de diſciplina Eccleſiæ & cleri. Sed quid ſentiendum ſit de huiuſmodi traditionibus, vide in locis Theologicis Philippi. *Interpretationes* ſcripturæ ſunt peculiaria dona Dei, quibus eruũtur & in lucẽ producũtur, quæ obſcura videbantur. In hoc genere ſequenda eſt regula

Pauli

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Pauli, nimirum quod omnis ſcripturæ interpretatio debeat eſſe analoga fidei, hoc eſt, conuenire debeat cum primis & apertis pronunciatis ſcripturæ, continentibus veræ religionis fundamenta. Deinde & hoc diſcrimen obſeruetur, quod dicta interpretum ſint in triplici genere. Alia enim ſunt demonſtrata, alia probabilia, ſed præter ſcripturam, alia pugnantia cum ſcriptura. Primi generis ſumma eſt autoritas, nam eiuſdem firmitudinis ſunt, quæ immota cõſequentia ex verbo aperto Dei colliguntur, atque ipſa oracula Dei. Huc pertinet ſymbolum Nicenum Athanaſij. Medium genus tantiſper propter autoritatẽ Patrum retineri poteſt, donec à Sophiſtis in malam conſequentiam trahatur. De poſtremo genere vtilem tradit regulam Ambroſius lib. I. Officiorum: *Nos noua omnia, quæ Chriſtus non docuit, iure damnamus, quia fidelibus via Chriſtus eſt. Si igitur Chriſtus non docuit, quod docemus etiam nos, id deteſtabile iudicamus.* Proinde quicquid ex Patrum ſcriptis cum autoritate ſcripturæ congruit, cum laude illorum accipiendum: quod autem non congruit, cum pace illorum reſpuendum eſt, ſed de his ſupra.

2 Penes quos ſit Eccleſiæ autoritas. Reſtat vt dicatur, penes quas perſonas reſideat autoritas Eccleſiæ. Papa ſibi hanc autoritatem vendicat, ſed falsò. Eſt enim autoritas Eccleſiæ fundata in oraculis Dei, contra quæ nulla humana autoritas valet. Quare ſciendum eſt, hanc autoritatem penes totam & vniuerſam Eccleſiam eſſe, ſed diuerſimode. Maior enim eſt eorum in Eccleſia autoritas, qui ex veris fructibus ſpiritus declarant, ſe ſpiritum Chriſti habere. Item maior piorum miniſtrorum quam laicorum. Amplior adhuc penes pios doctores, longo tempore exercitatos. Grãdior adhuc penes piorum conſilia, vbi ex fructibus ſpiritus Chriſti adeſſe cognoſcitur. Verùm hic iuxta conſilium Pauli 2. Cor. II. 4. probandi ſunt ſpiritus, an ex Deo ſint, quod nulla alia re certius fieri poteſt, quam ipſa ſcriptura, ipſa lege Dei, ad quam Dominus ipſe probationem ſpirituum exigendam præcepit, Deut. 13. I. his verbis: Si ſurrexerit in medio tui Propheta, qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atq; portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſeruiamus eis, non audies verba prophetæ illius aut ſomniatoris, quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non. In toto corde, & in tota anima veſtra, Dominum Deũ veſtrum ſequimini, & ipſum timete, & mandata illius cuſtodite, & audite vocem eius, ipſi ſeruietis, & ipſi adhærebitis. Quod autem interpretationem ſcripturarum certis perſonis, & certo hominum ordini aſſcribunt, falſiſſimum eſt. Nam interpretatio ſcripturarum donum Dei eſt, quod largitur Dominus in Eccleſiæ ſuæ ædificationem cuicunque voluerit. Hæc breuiter de Hierarchia Eccleſiaſtica, & eius partibus ſint dicta.

CAPVT XIII.

SATISFACTIO.

Satisfactio triplex. VT autem doctrina de ſatisfactione clara & perſpicua habeatur. I. de ciuili ſatisfactione: II. de ea quæ coram Deo valet: III. de Eccleſiaſtica ſatisfactione dicendum eſt.

1. Ciuilis. Ciuilis ſatisfactio duplex eſt. Hominibus enim læſis dupliciter ſatisfit. Vno modo, cum hi qui offenderunt, læſis tantum præſtant rei vel officij, vt id quod læſis iniuria detractum eſt, iure compenſatum habeatur. Alio modo, cum hi, qui offenderunt, culpam tantum agnoſcunt, & dolere eam ſibi teſtãtur, veniamque ſupplices orant, cum officij in poſterũ plenius præſtandi promiſſione. 2. Diuina. Hæc duplex ciuilis ſatisfaciendi ratio ad tribunal Dei accommodari poteſt, ſed hoc ſeruato diſcrimine. Quantum enim ad priorem attinet modum ſatisfaciendi, ſolus Chriſtus ſatisfecit Patri pro iniuria Deo ab humano genere illata. Hunc enim ſolum Scriptura prædicat cũ eſſe, qui ſua victima Patrem cœleſtem placauerit, vnde ſolus eſt expiatio pro peccatis noſtris. Supra eum ſolum correctio pacis noſtræ, per ſolum eius nomẽ obtinetur remiſſio peccatorum. Vnde conſtat ex Scriptura, quod hic Ieſus Chriſtrs ſit iuſta ſatisfactio pro omni offenſa, qua cœleſtem Patrem offenderat genus humanum. Huius ſatisfactionis ſoli credentes participes ſunt. Quare ſacrilegium eſt, tribuere vlli rei hanc ſatisfactionis gloriam, quæ ſoli Chriſto competit. Verum quia iuſtificati ſatisfactione Chriſti ſæpe labimur, ac Deum offendimus quotidiánis erratis, & deinde ſupplices per veram pœnitentiam deprecamur culpam per Ieſum Chriſtum, dicimur interdum à ſanctis patribus Deo ſatisfacere, ſed vt filij offenſum patrem pœnitentia ſibi conciliant. Hinc Cyprianus: *Offerimus vobis animi & conſilij noſtri ſalutare munus, & quia odiſſe non licet nobis, & ſic Deo plus placemus, dum nullam pro iniuria vicem reddimus, hortamur, dum facultas, dum aliquid de ſeculo ſupereſt, Deo ſatisfacere, & ad veram religionis candidam lucem de profundo tenebroſæ ſuperſtitionis emergere.*

3. Eccleſiaſtica. Eccleſiaſtica ſatisfactio pars eſt diſciplinæ Eccleſiæ, & refertur non ad tribunal Dei, ſed ad placandũ offenſos fratres in Eccleſia. Fuitq; olim ritus externus Eccleſiæ, non pertinens ad conſcientiam ſeu remiſſionem peccatorum coram Deo, ſed duos alios fines habuit, vt exploraretur, an ſerio redirent lapſi ad Eccleſiam, deinde etiam vt alij admoniti diligentius regerent mores, ne ſimili pœna aliquando lapſi caſtigarentur. Hæc ſatisfactio publicæ pœnitentiæ pars tertia olim numerabatur. Eius partes. Nam pœnitentiam, quam requirebant à lapſis coram Eccleſia quando recipiebantur, diuiſerunt ſancti Patres in *contritionẽ* (quæ ex lachrymis pœnitẽtis agnoſcebatur) *confeſſionem* (qua reus coram Eccleſia deplorabat ſuum lapſum) & *ſatisfactionem*, qua ſatisfiebat Eccleſiæ. Has poſtea indocti Monachi ad conſcientiam tranſtulerunt. Hæc, quia ad poteſtatẽ Iuriſdictionis pertinebat, non priuato vnius paſtoris arbitrio, ſed maturo deliberatóq; ſeniorum conſilio, res gerebatur, ne quid imperito aut intempeſtiuo zelo fieret contra charitatis regulam, aut etiam ne crimẽ lapſi propalatum vnius zelo maius ſcandalum excitaret.

CAPVT XIIII.

CHRISTIANA *LIBERTAS.*

Definitio. LIbertas Chriſtiana eſt manumiſſio ſpiritualis, parta ſanguine Chriſti, quam offert Euangelium credentibus in Chriſtum, per quam liberati à peccato, à damnatione legis ac ritibus humanis, donamur Spiritu ſancto, vt formidoloſæ noſtræ conſcientiæ pacificentur, & ſub cruce gloriemur, certi quod breui liberator noſter ſit nos ex omnibus malis erepturus, vt amplius non ſimus hominum ſerui hoc eſt, humanarũ traditionũ, ſed vt liber populus,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

iis libere,boni ordinis,& decori ſeu diſciplinæ gratia vtamur,citra opinionem iuſtitiæ, cultus, meriti, neceſſitatis.Hæc deſcriptio multa continet. 1. quod libertas Chriſtiana non ſit ciuilis aut carnalis,ſed ſpiritualis,vt quæ in Chriſti regno ſpirituali locum habet,& in conſcientia dominatur.2. quia natura ſumus ſerui peccati,monet deſcriptio,quod ſanguine Chriſti ſit hæc parta libertas,quæ vt offertur per Euangeliũ,ita fide recipienda eſt. Si enim Filius vos liberauerit (inquit liberator noſter) verè liberi eritis.

Partes.

Gradus quatuor.

Deinde recitantur quatuor gradus huius libertatis,qui tametſi natura coniuncti ſunt,tamen eos diſcerni vtile eſt,vt cor pium inde maiorem conſolationem haurire poſſit. *Primus* itaque gradus eſt liberatio à peccato, cum quo *Secundus* libertatis gradus coniunctus eſt, liberatio à maledictione legis. Chriſtus enim(inquit Paulus)redemit nos à maledictione Legis,factus pro nobis maledictum.Et ſignificanter dicitur,à maledictione legis,nam quantum ad obedientiam legis moralis pertinet,omnes adoptati ſumus,vt Domino ſeruiamus, præſtemúſq; ei iuxta verbum obedientiam. *Tertius* gradus eſt donatio Spiritus ſancti,per quem non ſolum confirmatur primus & ſecundus, verumetiam viuificamur ad præſtanda ea opera,quæ ſpiritualis vita requirit. Et tametſi opera ſic facta propter vitioſitatem carnis minimè ſatisfaciunt præcepto, tamen placent propter adoptionis ſpiritum,quo donati ſunt credētes. *Quartus* gradus eſt,quod liberi ſimus à ritibus, non ſolum Moſaicis, verumetiam ab omnibus humanis ritibus , quantum quidem ad conſcientiam attinet. De hoc gradu Paulus ad Galatas, & ad Coloſſ. diſputat.

VSVS.

Fines.

Verum ne quis abutatur hac libertate,*Fines* quoque adiecti ſunt,vt , pacificatio conſcientiarum cōtra peccatum & ſententiam legis, Conſolatio in cruce,liber vſus rituum externorum,ne conſcientiis noſtris laqueos iniiciant humanæ traditiones.At ne quis omnes ritus contemnat,pietas, charitáſq; ſuadent,vt pios ritus ordinis diſciplinæq; gratia ſeruemus,modò ne cultus Dei neceſſarius aut opinio iuſtitiæ,meriti & neceſſitatis in illis collocetur.

CAPVT XV.

CEREMONIA.

Definitio & diſtinctio.

CEremoniæ ſunt ritus & ordinationes,ad regēdam Eccleſiaſticam politiam inſtitutæ.Harum aliæ pugnant cum verbo Dei, quales pleræque hodie Papiſtarum , à quibus liberos nos eſſe ſuperiore capite declaratum eſt. Aliæ non pugnant cum verbo Dei,ſed aut apertum verbum & mandatum habent,vt Baptiſmus & Cœna Domini,aut faciunt reuera ad conſeruandam doctrinam & politiam Eccleſiaſticam,& ſunt à ſenatu Eccleſiaſtico ordinatæ, vocantúrque à Paulo παραδόσεις , id eſt , traditiones. Hæ traditiones aut decori aut ordinis gratia inſtitutæ eſſe debent. *Decori* quidem partes duæ ſunt. 1. vt excitemur ad pietatem illis adminiculis. 2. vt modeſtia & grauitas in pietatis tractatione eluceat. Quare non ἄσημοι, nec hiſtrionicæ eſſe debent,quales pleræque in Papatu fuerunt. *Ordinis* vero partes ſunt tres. 1. Vt præſidentes habeant certam agendi regulam. 2. Vt auditores aſſueſiant ad obedientiam & diſciplinam. 3. vt bene compoſito Eccleſiæ ſtatu paci & tranquillitati conſulatur. Sed de hac re ſupra dictum eſt.

De traditionibus.

CAPVT XVI.

ADIAPHORA.

Triplicia opera.

TRiplicia ſunt opera. Quædam enim opera neceſſario facienda ſunt, vt quæ expreſſo verbo Dei præcipiuntur. Quædam neceſſariò cauenda ſunt,vt quæ Deus aperto verbo prohibuit.Quædam ſunt inter hæc media, quæ vſitate ἀδιάφορα vocātur, quæ Nazianzenus τὰ ἐν μέσῳ κείμενα vocat, de quibus quid ſentiendum ſit,breuiter exponam.

Media quid.

Regulæ.

Vſitatè definiunt ἀδιάφορα res eſſe, quæ neque mādantur,neque prohibentur verbo Dei aperto. Verū ne hic erretur, diligenter cauendum eſt, & inprimis tres regulæ obſeruandæ ſunt. *Prima*, operis in ſpecie non expreſsè præcepti vel prohibiti genus , aut eſt præceptum aut prohibitum.Si præceptum eſt genus,recte opus cenſetur ἀδιάφορον. At ſi genus prohibitum eſt,nequaquam opus ἀδιάφορον dici poteſt. Eſt enim in genere prohibitum. Celebrare Miſſas hodie Papiſtæ clamitant eſſe adiaphoron , quia vt nullibi eſſe præceptum,ita nec prohibitum eſſe vociferantur. Verùm quia genus eius , quod eſt colere Deum mandatis hominum, apertè prohibitum eſt: Sequitur & hanc prophanationem Miſſaticā in genere interdictam eſſe,alioqui admitteretur implicatio contradictionis. Vnde ſic definienda adiaphora colligo,quod vera *adiaphora* ſint, cùm genus quidē facti eſt mandatum , ſpecierum vero circunſtantiæ ſunt liberæ & indifferentes,vt verbum audiendū eſt ex mandato Dei, decorum ſeruandum eſt & ordo. Sed circumſtantiæ, loci,temporis, veſtitus ſunt liberæ & indifferentes.

Secunda regula: In adiaphoris & opus & vſus indifferentia eſſe debent. Adiaphorum natura eſt,candida & linea veſte res ſacras,vt Baptiſmum,Cœnam Domini peragere. Verùm ſi vſus non eſt liber, ſed ſuperſtitionis gratia ſeruatur , non poteſt amplius inter res adiaphoras numerari,tum enim, vt in caſu confeſſionis adiaphora eſſe deſinunt.Quare recte fecerunt miniſtri verbi,qui per nouas & Papatum redolentes conſtitutiones,noluerunt cogi ad recipiendas iſtas veſtes,quas propter abuſum & ſuperſtitionem iam longo tempore abiecerant.

Tertia, Adiaphora conſiderari debent dupliciter: Primum in ſe, vt ſunt res mediæ abſque relatione ad perſonas. Deinde ex ratione perſonarum quæ illis vtuntur. Si per ſe conſiderantur neque placent neque diſplicent Deo , vt quæ nec ſub præceptum, nec ſub interdictum ipſius cadant. Verum ſi ex perſonis conſiderantur, tenendum eſt hoc diſcrimen, quod perſonæ vtentes adiaphoris , aut ſunt fideles aut non.Si ſunt fideles, Deo placet obedientia in adiaphoris propter fidem fidelium,nec obſtat quod Paulus dicit : Quicquid non fit ex fide, eſt peccatū, quia non omnino verbo Dei carent vera adiaphora, Imo habent verbum quantum ad genus facti attinet , vnde æſtimationem capit opus coram Deo, vbi fides accedit. Ezechias non habuit verbum expreſſum de tollendo æneo ſerpente: attamen placuit Deo,quia genus facti mandatum eſt , nimirum tollere idololatriam, & idololatriæ occaſiones. Quare hoc factū Ezechiæ ex fide profectū placuit Deo, eiq; gratus cultus fuit. At ſi vtentes adiaphoris ſunt infideles, polluta ſunt & mens & conſcientia illorū, qui illa faciunt. Nam quicquid non fit ex fide, pec-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

peccatum eſt, hoc eſt, reum, pollutum ac maledictum coram Deo.

CAPVT XVII.

SCANDALVM.

Definitio & diuiſio.

SCANDALVM in genere eſt, quicquid aliis vel cauſa vel occaſio offẽſionis eſt, & vſitate diuiditur in Datum & Acceptum. *Datum* quidem vocant, cum aliquis efficacem cauſam lapſus alij præbet ſeu dat. *Acceptum* verò, quod homines ex aliorum rectè factis, aut aliis rebus accipiunt, ſibi ipſis in ruinam. Verùm quia nullũ maius malum in mũdo eſt, quam ſcandalum, & Chriſtus dicit, Vę mundo à ſcandalis, vtile erit vtrumque genus additis regulis certis de cauendis & non cauendis ſcandalis explicare.

De dato ſcandalo.

Datum itaque ſcandalum, ſi materiale ſeu fundamentum ſpectes, Aut oritur ex facto in ſe malo, aut ex facto in ſe adiaphoro, ſed intẽpeſtiuè facto contra caritatis regulam. Vtrumque quidem malum, ſed illud peius. Vtrumque enim grauiter prohibitum eſt voce Dei. Et Chriſtus pronuntiat, melius eſſe hominem demergi in mare, alligata mola aſinaria ad collum, quàm vlli eſſe ſcandalo. Sunt igitur hæ regulæ diligenter obſeruandæ.

Regulæ.

Prima, Scandalũ datum malo facto, hoc eſt, dicto, opere, doctrina, pugnantibus cum lege Dei, omnes quibus ſalus curę eſt, nõ ſecus quam infernum cauere debent. *Secunda*: In vſu adiaphororum cõſideretur triplex hominum genus. Quidam enim ſunt docti Chriſtianam libertatem, ideóque firmi, quidam ſunt infirmi, quidam obſtinati & indociles. Corã extremis generibus, hoc eſt, primo & tertio, rebus adiaphoris vti licet: illis enim non eſt ſcandalo factum adiaphorum, imò gaudio potius & conſolationi. Nam ex mutua firmitudine in negotiis pietatis nõ parum gaudent verè pij. His quidem ſcandali occaſionem præbes, ſed non cauſam efficacem. Nam occaſionẽ offenſionis arripiũt ſua malitia, ideóque acceptum eſt illorum ſcãdalum, & non datum abs te. De medio genere hæc ſeruetur regula: quod nihil contra caritatem proximi faciendum ſit. Qui enim in Adiaphoris offendunt infirmos, in Chriſtum peccant, percutientes illorum conſcientiam infirmam. Vnde Paulus: Si cibus ſcandalizat fratrem meum, nequaquam comedam carnes in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem. 1. Cor. 8. 3. Loquitur enim hic Paulus non de firmis aut obſtinatis, ſed de infirmis duntaxat. Breuiter fides & dilectio fraterna ſatis admonere poſſunt, quando adiaphoris vtendum ſit & quando non.

Scandali dati diſcrimina.

Recipit & hoc ſcandalum, quod datum nominãt, plura diſcrimina. Eſt enim *Priuatum*, quod vnum aut paucos offendit. Eſt & *Publicum* quod totum cœtum turbat. Vtrumque ſuo genere malum eſt: verum hoc poſterius multo grauius, vt quod pluribus nocet. Sumitur & aliud diſcrimen *à differentiis perſonarum*, Aliæ perſonæ in aliqua dignitate cõſtitutæ ſunt. Aliæ obſcuræ priuatam vitam degunt. Quod igitur datur à perſona in dignitate conſtituta, multò grauius eſt, & meretur grauiora ſupplicia, cum propter perſonam ipſam, quæ ſuum locum in quem à Deo euecta eſt, commaculat: tum propter homines alios, quibus lapſus cauſam præbuit efficaciorem ſuo facto.

Simile.

Vt enim quo ingentius fuerit ſaxum cadens ab alta rupe, eo plura fragmenta facit: ita quò dignior fuerit perſona, & in ſublimiore dignitatis culmine conſtituta, eo plures in lapſum ſecum trahit cum cadit.

Exempla.

Vt ſtudioſus peccans ebrietate, libidine, aut alio flagitio maiori offendiculo eſt, quam miles, aut nauta, atque deo grauiori pœna coërcendus & puniendus eſt, nam plures ſecũ in ruinã trahit. Dauid in regno Iudaico non ſolus peccauit, non ſolus fuit adulter aut homicida, attamen eius peccatũ propter maius ſcandalum inde ortum, in cõſpectu Dei aliorũ delictis longe atrocius erat. Ad eundem modum de aliis iudicandum, iuxta dignitatis aut officiorum gradus. Atque hæc de dato ſcãdalo breuiter dicta ſufficiant.

De ſcandalo accepto.

Acceptum ſcandalum eſt, quod aliquis ſibi ſumit à rectè factis aliorum aut aliis rebus, quod duplex docendi gratia conſtituam, nimirum, Humanum & diabolicum. *Humanum* partim impiorũ, partim piorum eſt. 1. Impiorum quidem, quando impij offenduntur piorum aut rectè factis, aut libero Adiaphororũ vſu, aut etiam externo habitu ſeu Eccleſię forma. Nam cum impij vident cruce premi pios, & eſſe veluti reiectamenta in mundo, occaſionem inde maioris ruinæ accipiunt impij. Vt Iudæi qui offendebantur humilitatẽ Chriſti, & calamitate Eccleſię. Sic Cicero ſubiectione Iudæorum motus offendebatur adeo, vt conuicia coniecerit in Deum Iudæorum, & religionem ipſorum. 2. Contrà pij accipiunt ſcãdalum, quãdo vident impios florere, & quando Eccleſia à tyrannis opprimitur, cum multi innocentes trahuntur ad ſupplicia, cum hæreſibus turbari Eccleſiam animaduertunt. Verùm hoc ſcandalum rurſus ſuperant, partim confirmãte eos Spiritu ſancto, partim exemplis Eccleſiæ Chriſti, partim ardentibus precibus. Nec vllum præſtantius eſt aduerſus huius generis ſcandala remedium, quam opponere perpetuam conſuetudinem Dei, qui in hoc mundo, ideo ſinit ſuam Eccleſiam obrui variis calamitatibus, vt olim glorificetur cum Filio ipſius dilecto. *Diabolicũ* ſcandalum voco, cum homines prępoſtere captant, quæ ad peccãdi licentiam obtendunt. Vt Cham, qui abſque dubio ita proteruè inſultauit patri. vt ſibi impunè peccandi licentiam acquireret. Tales hodie videmus permultos, qui vitia ſanctorum patrũ pluſquam ſtudioſè conquirunt, vti inceſtum Loth, ebrietatem Noë, adulterium & homicidium Dauid, periurium Petri, Durius iugũ quod impoſuit Ægyptiis Ioſeph, rapinam Zachęi, vt ſine pudore ad omnem nequitiã ſe proiiciãt. Imo ex hominum viciis quęrunt, quomodo ſe obdurẽt ad Dei contẽptũ. Quare non immeritò hoc genus ſcandali diabolicum vocaueris, vt quod calumniis fulciatur in contumeliam Dei.

CAPVT XVIII.

CRVX.

Definitio.

QVIA crux perpetuò Eccleſiam Chriſti comitari ſolet, neceſſaria eſt doctrina de cruce, vt pij armentur aduerſus ſcandalum crucis. Eſt autem *Crux* quæuis afflictio, cum totius Eccleſiæ, tum ſingulorum membrorum in Eccleſia.

Diuiſio.

Et eſt *multiplex*: eſt animi anguſtia, eſt corporis vexatio, eſt ſpiritus & carnis lucta, eſt ex præſenti & imminẽti malo ſæpe probatio, eſt in œconomia, politia & Eccleſiaſtico ſtatu difficultas.

Methodus doctrinę.

Quatuor itaque de cruce dicemus. *Primum*, de cauſis crucis. *Deinde*, diſcrimen inter crucem piorum & impiorum. *Tertio*, Quo animo ferenda ſit crux. *Poſtremò*, vnde conſolatio petenda.

I. Cauſæ crucis. In nobis.

Cauſæ autem crucis, cum in nobis ipſis, tum extra nos quærẽdę ſunt. Sed vtrumque genus varium eſt, In nobis enim tres cauſæ crucis inueniuntur. 1. Peccatum inhabitans. 2. Concupiſcentia inde pullulans. 3. Quotidiani lapſus, quos peccatum originis ſeu inhabitans per ſuas concupiſcentias gignit. Iam niſi cruce premeretur caro, infinitos mortis & damnationis fructus ederet: adeo peſtilens radix peccatum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

… originis, vnde Sancti potiſsimum conquerũtur, vt Dauid cum exclamat: In peccatis concepit me mater mea. Animaduertit enim, in quantam ruinam per peccatum illud originis & eius concupiſcentiam eſſet pertractus. Et Paulus, cum inquit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Nã ex lucta carnis & ſpiritus, tantam tribulationẽ in ſe ſentit, quòd optarit mori liberaríque ab hac cruce. Ob hanc igitur cauſam crux neceſſaria eſt Eccleſiæ, vt quaſi fręno & chamo cohibeatur caro, ne nimiũ ferociat aduerſus ſpiritum. Hinc Dauid: Bonum eſt mihi, quod humiliaſti me. Quamdiu igitur in hoc mortali corpore manendum eſt, opus erit cruce, ad compeſcendam carnis ferociam, ne fructus carnis extinguant ſpiritum. Alterum genus eas crucis cauſas complectitur, quæ extra nos quidem poſitę ſunt, ſed tamen in noſtrum bonum cedunt, modo ne ſub cruce ſuccumbamus. Eſt autem hoc externum genus crucis Eccleſiæ quadruplex. 1. Nunc enim diabolus, 2. Membra diaboli, 3. benignus Pater cœleſtis 4. Vocationis noſtræ difficultas crucis eſt cauſa, de quibus ſigillatim, ſed breuiſsimè dicam.

Extra nos.

Diabolus.

1. Pet. 5. 8. Diabolus circuit vt Leo rugiens, quęrẽs quem deuoret, & quam multas calamitates in mundum inuexerit, teſtatur non ſolum primorum parentum lapſus, verumetiam totius orbis triſtiſsima facies. Hic homicidio & mendacio ad euertendum regnum Chriſti vſus eſt, vtitur & vtetur donec hic mundus ſteterit. Quod autem vſque adeo ſæuiat in Eccleſiam, potiſsimum facit odium cum aduerſus totũ genus humanum, tum præcipue aduerſus Chriſtum reparatorem generis humani, & eius ſponſam Eccleſiam, cuius extremã perniciem perpetuo quærit, vt vnà ſecum æternis pœnis obnoxia reddatur, vtque Dominus rex & pontifex ſuo honore priuetur. Huius ſæui hoſtis tyrannis non eſt æqualis in omnibus. Filiis enim contumaciæ pleno imperio imperat, eóſque pertrahit tanquam beſtias ad omnia flagitiorum genera, id quod non ſolum veteres hiſtoriæ, verumetiam præſens dies plus ſatis teſtatur. At filiis Dei faceſsit quidem negotia, ſed ne pilum quidem capitis tollere poteſt ſine Patris cœleſtis voluntate, id quod hiſtoria Iob aperte docet. Quare ſi hic tuti eſſe velimus, militandum eſt nobis in caſtris Chriſti, ſub duce noſtro, victore Satanæ, aſſumpta, πανοπλίᾳ Dei, quam Paulus Chriſtianis militibus ad Ephe. 6. commendat.

2. Mẽbra diaboli.

Membra Diaboli, hoc eſt, mali homines, hoſtes Dei, ſe Eccleſiæ Chriſti opponunt totis viribus, & non parum afflictionis illi inferunt. Hos in quatuor ordines diſtinguere licet. 1. In quorum primo *ſapientes mundi* collocantur, qui ſophiſtica Eccleſiam Chriſti oppugnant. In horum catalogum omnia ſectarum genera refero, quales ſunt veteres & noui hæretici, qui ſanam doctrinam calumnioſe deprauant, ſuo duci Diabolo obſequium præſtantes. 2. Secundum ordinem obtinent *tyranni*, in bellum contra Eccleſiam à Sophiſtis producti, hi violenta manu Eccleſiam conantur opprimere. Horum quidam aperte Chriſtianos gladio perſequuntur, vt Turca, Saraceni, ac omnes aliæ prophanæ gẽtes. Quidam Chriſti nomen ſe magnifacere ſimulant, interim flumine ſanguinis piorum curſum Euangelij occludere moliuntur, quorum poſt diabolum anteſignanus eſt Papa antichriſtus. Hic ſibi adiungit impios principes mũdi, Cardinales, Epiſcopos, Abbates, Priores officiales. 3. In tertio ordine ſunt *hypocritæ*, qui ficta religionis ſpecie non parum nocent Eccleſiæ Chriſti. Huc religioſorum turba, Monachi, Moniales, Canonici Papiſtici, Vicarij, ſacrificuli receẽſeantur, plerique ſparguntur in plures ordines, quo magis Eccleſiã Chriſti premant, inciténtque alios ad acriorem pugnam. 4. Poſtremi ordinis ſunt *prophani homines & flagitioſi*, quos ἀκαστόρας καὶ κακοαρμάτα Græci vocant. Horum enim cauſa non raro affligitur Eccleſia, quemadmodum multæ hiſtoriæ docent. Vnius Achan ſcelere multi bello conciderunt ſub duce Ioſua. Facinus Roboam multis fuit exitio. Stuprum vxoris Leuitæ vſque ad internecionem tribum Beniamim adduxit, in qua plurimi pij fuerunt. Nec dubium eſt, quin maxima afflictio Eccleſię proficiſcatur inde, quod cum quidam nefandis ſuis ſceleribus commereantur grauia ſupplicia, non tamen puniantur. Refert Sophocles, propter vnius Oedipi facinus peſte vexatũ fuiſſe Thebanum regnum. Teſtatur Homerus propter abreptam ſacerdotis filiam, magnam Græci exercitus partem peſte abreptam. Scribit Heſiodus interdum vnius ob noxam affligi rempublicam.

3. Patris celeſtis amor.

Inter externas crucis cauſas tertio loco benignum *Patris celeſtis amorem* propoſui, quem diligenter intueri oportet in omni afflictione: hinc enim maxima conſolationis copia ſub cruce petitur. Quanquam autem conſilium Dei hic varium eſt, tamẽ ad duodecim reuocabo cauſas, quare Deus ſuã Eccleſiam, quam adeo charã in dilecto habet, cruci ſubiectam in hoc mũdo eſſe velit. *Prima* igitur, ipſius Dei iuſtitia, cum paterna ſtorga coniuncta. Vt enim patris iuſti & clementis eſt, errantes caſtigare, ſic beniguiſsimus Pater cœleſtis omnem filium quem recipit, caſtigat. Quare qui ſine caſtigatione perpetuò verſantur, adulterini potius quam Germani filij cenſendi ſunt. Ad Ebræos 12. 8. *Secunda* priori coniũcta eſt, vt tanquam fręno nos coërceat καὶ καλιερῦκοι, ne pręcipites ruamus in triſtes lapſus. Hinc Dauid, Pſal. 32. 9. In chamo & fræno maxillas illorum conſtringe, qui non appropinquant ad te. *Tertia*, vt peccatum in nobis per crucẽ reprimatur, & paulatim vim ſuam amittat, aboleatur, mortificetur. Vnde Paulus Rom. 8. 10. Corpus mortuũ eſt propter peccatum. Et Dauid, Pſal. 39. 12. Propter iniquitates corripis filios hominum. *Quarta*, Vt crux ſit fidei quædam probatio, & veluti examen. Ita Iob, Abrahã, Ioſeph cruce tanquam Lydio lapide probati ſunt. *Quinta*, vt crux ſit argumentum æternæ vitæ. Deus promiſit credentibus bona, ſed ea non conſequuntur in hac vita, ergo alia reſtat, in qua Deus promiſſa præſtabit. Non enim poteſt mentiri. *Sexta*, Vt piorum cruce impœnitentes admoneantur de æternis ſuppliciis, niſi reſipiſcant. *Septima*, Vt conſpiciatur diuina præſentia in genere humano, & potiſsimum in Eccleſia, quod fit, dũ Eccleſia videt ſe diuinitus defendi. Num. 14. Vt audiant Ægyptij, quod tu Domine ſis in hoc populo. *Octaua*, vt crux noſtra ſit teſtimonium verę doctrinæ. Huc omnium ſanctorum Martyria pertinẽt. Vocantur autem ſanctorum confeſsiones Martyria, quia ſunt teſtimonia confeſsionis doctrinę, quã non dubitarunt ſanguine ſuo obſignare. *Nona*, Vt crux præbeat occaſionẽ diligentius diſcendæ, intelligendæ & meditandę de Deo doctrinę. Pſal. 119. 71. Bonũ eſt mihi quod humiliauiſti me, vt diſcerem iuſtificationes tuas. Eſaiæ 28. 19. Vexatio dat intellectũ. *Decima*, Vt conformes fiant electi imaginis filij Dei. Rom. 8. Item, Si compatimur, ſimul etiam regnabimus. *Undecima*, Vt timor Dei, fides, inuocatio, humilitas, patientia & cæteræ virtutes excitentur & creſcant. *Duodecima*, Vt crux ſit occaſio ampliſsimorum præmiorum. Hæ ſunt cauſæ cur Deus velit ſuam Eccleſiam ſubiectam eſſe cruci.

Cur Deus affligit pios cauſæ 12.

4. Difficultas vocationis.

Quartum genus externarum cauſarum crucis eſt, quæ in cuiuſque vocatione obiicitur difficultas.

Nemo

Nemo enim ita ſuum officium facere poteſt, quin ſubinde veluti victus ſuccumbat. Quanta quæſo difficultatum moles eſt in regimine domeſtico? Quantæ turbæ moleſtant ſæpiſsime adminiſtratores politiarum? An non inextricabilibus controuerſiis agitantur doctores in Eccleſia? Qui iuuentutem fideliter inſtituunt, quid non experiuntur? Breuiter, nulla eſt vocatio tam exigua, quin habeat ſuã moleſtiam adiunctam. Hęc copioſe illuſtrari exemplis poſſunt: & quilibet pius ſe ipſum teſtem habet.

Diſcrimẽ quintuplex afflictionis piorum & impiorũ.

Cæterùm quia videmus hoſtes Dei interdum grauiſsimè affligi: quæri poteſt, & ſcire vtile eſt, diſcrimẽ afflictionis piorum & impiorum. Quod ſane ex quinque potiſsimum colligendum puto, nimirum ex cauſis efficientibus, finalibus, effectibus, tempore & loco. Cauſæ efficientes προκαταρκτικαὶ ſunt. Afflictionis quidem piorum paternus amor, quo filios ſuos virga paterna caſtigat Pater cœleſtis. Afflictionis vero impiorum, ira & furor iuſti iudicis, qui ſceleratos punit, vt hoſtes & aduerſarios. *Finales* cauſæ, Deus, pios quidẽ in bonum eorum, impios vero in malum punit, niſi reſipiſcãt. Pios enim vt cruce probentur, impios vt dignis ſuppliciis coërceantur. *Effectus*, Pij vt Iob, Dominũ benedicunt in cruce, impij fremũt aduerſus Deum, & triſtantur. Pij erudiuntur, impij confunduntur. Pij probantur, impij perturbantur. Pij patientia ſub cruce diſcunt & inuocant, impij impatientia victi deſperant. *Tempus*: pij ad breue tẽpus, vt poſtea cum capite Chriſto glorificentur: impij perpetuo malo inuoluuntur, quorum præſens afflictio præludium eſt afflictionis eorum æternùm duraturæ. *Locus*, Pij in hoc mundo tantum erudiuntur, impiorum ignis nunquam extinguetur. Hic enim conſcientia cruciantur mala, illic ęterna ira Dei obruti perpetua, & nunquam finienda luent ſupplicia. Hoc de diſcrimine crucis piorum, & ſupplicij impiorum tenere admodum vtile eſt.

Quo animo ferenda crux.

Porrò, tametſi ex dictis intelligi poteſt, quo animo piis ſit ferenda crux, & vnde conſolationem capiant, tamen nonnihil de ea re huc adiiciam. Pij hominis animus ſub cruce in hunc modum erit compoſitus. 1. Renuntiabit veteri homini, & eius concupiſcentiis, vt tãquam noua creatura in Chriſto, non amplius iuxta carnis, ſed iuxta ſpiritus & noui hominis imperium viuat. Hæc renunciatio carnis ſeu abnegatio ſui oritur ex duplici cognitione, nempe Dei & ſuiipſius, de qua re ſupra dictum eſt. 2. Fides vera prælucere debet in omnibus ærumnis, quæ nititur merito & interceſsione Chriſti. 3. Quicquid iam mali obuenerit, accipies tanquam ex manu optimi patris, vt cum Iob dicere poſsis: Si bona ſuſcepimus, mala autem cur non ſuſtineamus? 4. Præſenti cruce vti debes, tanquam auxiliari pharmaco, contra omnes animi morbos, ſuperbiam, philautiam, petulantiam carnis. 5. Crux erit incitamentum, ac veluti calcar ad ſtrenue currendum, in propoſito ſalutis ſtadio, vt ardẽtius inuoces Deum, prædices eum, præſertim cum ſcias, te olim cum Chriſto coronandum, modo cum eo patiaris in hac vita.

Conſolationes ſub cruce.

Quanquam autem hinc ampliſsimæ conſolationes peti poſſunt: tamen conſolationis locos octo recitabo. *Primus*, Videndum primum, an cauſa præſentis crucis ſit publica aut priuata. Deinde, an tua ſingulari culpa, an non. Si non tua ſingulari culpa accidit crux, conſolaberis te bona conſcientia & exẽplis ſanctorum, qui ſimiliter olim ſunt afflicti. At ſi tua culpa affligeris, pœnitentiam age cum latrone, vt tua crux ſacrificium fiat Deo gratum. *Secundus*, Conſideratio finium conſilij Dei, quos ſupra recitaui. *Tertius*, Cogitatio exemplorum Domini, atque adeo omnium piorum, qui ante nos vixerũt, quorum plurimi recitantur ad Ebræos 11. *Quartus*, Neceſsitas obedientiæ debitæ Deo, qua nullũ ſacrificiũ gratius eſſe poteſt. *Quintus*, Præſentia Dei. Ego tecũ ſum in tribulatione. Pſ. 91. 15. *Sextus*, Promiſsio liberationis, & mitigationis pœnarũ & auxilij, quæ promiſsio verbis propoſita, infinitis confirmatur exemplis. Clamauerunt patres noſtri, & audiuiſti eos, Pſal. 22. 5. *Septimus*, Collatio præſentium ærumnarum cum futura gloria, Rom. 8. 18. *Octauus*, Dignitas. Nam hac ratione olim glorificandi filij Dei declarantur conformes imaginis filij vnigeniti. Rom. 8. 28.

CAPVT XIX.

MORTIFICATIO.

Definitio.

HIc locus vicinus eſt ſuperiori. Eſt enim *Mortificatio* opus, quo caro noſtra mortificatur, vt totus homo ſe imperio ſpiritus ſubmittat. Huius tria genera docẽdi gratia cõſtituamus. Eſt enim mortificatio quędã pręcepta, alia libera, alia ſuperſtitioſa.

Diuiſio.

1. Mortificatio pręcepta. Interior.

Mortificatio præcepta eſt communio & ſocietas mortis Chriſti per crucem. Et eſt duplex: *Interior*, quam ſcriptura alias crucifixionem veteris hominis vocat: de qua Paulus ad Rom. 6. 6. 8. Vetus noſter homo ſimul crucifixus eſt. Item: Si mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quod & viuemus cum eo. Hæc mortificatio in abnegatione tui conſiſtit, nimirum vt vera contritione ex agnitione peccati orta, renuncies carni & concupiſcentiæ eius, ne amplius iuxta carnis, ſed iuxta ſpiritus imperium viuas. Hãc Dominus commendat omnibus volentibus ſe ſequi. Luc. 9. 23. Si quis vult poſt me venire, abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam quotidie, & ſequatur. Itẽ Marc. 8. 31. Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam. *Exterior* duo complectitur, nempe patientiam ſub cruce, & temperantiam. Patientia ſub cruce eſt obediẽtia, qua ſubmittimus nos Deo, & ab eo expectamus liberationem à præſentibus ærumnis. Hæc in ſcriptura Mortificatio externi hominis dicitur, quæ multis tum teſtimoniis ſcripturæ, tum exemplis nobis commẽdatur. Ad Gal. 5. 22. patientia inter fructus ſpiritus recenſetur. 2. Tim. 2. 3. Tu igitur fer afflictionem, vt bonus miles Chriſti. Ad Ebræos 6. 12. Ne ſitis imbecilles, ſed imitatores eorum, qui per fidem ac patientiam hęreditatem acceperunt promiſsionum. Pſal. 9. 19. Patientia pauperum non peribit in finem. Exempla patientiæ plurima ſcriptura habet, vt Noë, Abrahæ, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Dauidis. Sed inter omnia exempla ſummum eſt patientia Filij Dei, qui ſe tantis miſeriis ſubiecit pro humano genere, vt mortem crucis etiam adierit, quo in ſe credentes ab æterna morte liberaret. Temperantia ſeruat modum in cibo & potu, aliiſque rebus, ne crapula & ebrietate grauati, ſpiritus imperiũ excutiamus. Huc dictũ Domini pertinet Luc. 21. 34. Attẽdite ne grauẽtur corda veſtra crapula & ebrietate, &c. Atq; hactenus de mortificatione præcepta.

Exterior.

2. Libera.

Mortificatio *Libera* eſt ſponte ſuſceptum exercitium, vt labor, ieiuniũ, & alia huiuſmodi, quibus ferocia carnis domatur. Quæ non eo referẽda ſunt, vt ſint cultus Dei, ſed vt ſint veluti frenum iniectum carni, ne laſciuiant contra ſpiritum. In hoc mortificationis genere tria obſeruẽtur. 1. Vt genus facti ſub præceptum cadat, tametſi circumſtantiæ ſpeciei ſint liberæ. 2. Ne iſta exercitia deſtruant corpus & valetudinẽ lædant. 3. Ne paulatim finis ſuperſtitioſus attexatur, quemadmodum in multis exercitiis factum eſt, quæ poſteritas à ſanctis patribus acceperat.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Superſtitioſa.

Mortificatio *ſuperſtitioſa* eſt exercitium ſeu opus non mandatum à Deo, quo frenatur quidem caro, ſed finis eſt impius & ſuperſtitioſus, nimirum, vt tale electitium opus ſit cultus Dei, ac meritorium apud Deum. Huius generis ſunt ſtata Papiſtarum ieiunia, preces ad certam menſuram χαμευνίαι, ſubuculæ ex pilis, flagellationes, vigiliæ, profectiones in longinquas terras religionis gratia, & huiuſmodi plurimæ nugæ, quæ vna hac Chriſti ſententia euertuntur ac damnantur. Marci 7.7. Fruſtra me colunt, docentes doctrinas & mandata hominum.

FINIS TERTIÆ CLASSIS.

EXPLICATIO CAPITVM QVARTÆ CLASSIS.

CAPVT I.

MAGISTRATVS.

Membra methodi quinque.

De Magiſtratu ciuili dicturi quinque conſtituamus membra. *Primum*, vnde & quid ſit magiſtratus. *Secundum*, Quæ conditiones legitimi magiſtratus eſſe debeant. *Tertium*, Quod officium, quique fines ſint adminiſtrationis politiæ. *Quartum*, Qualenam magiſtratus ius exiſtat in ſubditos, ſubditorúmque bona. *Poſtremum*, Quid magiſtratui debeant ſubditi: His enim quinque explicatis, quid de politica adminiſtratione ſentiendum ſit planiſsime patebit.

1. Vnde ſeu à quo ſit Magiſtratus.

Primum itaque membrum Paulus ad Rom. 13.1. clarè explicat. Docet enim magiſtratum à Deo eſſe: Non (inquit) eſt poteſtas niſi à Deo. Quæ verò ſunt poteſtates, à Deo ſunt ordinatæ. Quod quidem de iure imperij intelligendum eſt, non de confuſione, quæ ſæpe in imperiis propter ſcelera hominum cernitur. Dum itaque boni magiſtratus præſunt, Deum veluti nobis propinquum cernimus, & nobis, eorum quos conſtituit præſides, manu imperantem. Contra cum impij magiſtratus præſunt, impietas quidem à diabolo, & praua imperantis voluntate eſt: ſed Deus iratus laxat frena tyrannis & impijs, vt ita ingratitudinem hominum vlciſcatur. Habes vnde ſit magiſtratus.

Quid ſit.

Quid autem ſit, idem Paulus definit, nempe, quod ſit ordinatio Dei, ſubditis in bonum, dum honorantur boni, & puniuntur mali corporalibus pœnis ſeu gladio. Idem ſentit Ariſtoteles cum definit magiſtratum cuſtodem legis eſſe, quod quidem verum eſt, quantum ad externam diſciplinam attinet.

2. Conditiones boni magiſtratus.

Conditiones boni magiſtratus, hoc enim eſt ſecundum partitionis noſtræ membrum) Exod. 18.21. quatuor recenſentur, nimirum vt ſit ſapiens, timens Dei, verax, ac minime auarus. Has conditiones memoriæ gratia hoc verſiculo complecti ſoleo:

Iudex eſto pius, ſapiens, verax, miſidorus.

Pietas facit, vt Deum reſpiciat in omnibus cauſis, caueátque ne quid committat, quo illum offendat. Sapientia gubernat actiones, ne in adminiſtratione per errorem peccet ac peruertat iudicium. Veritas efficit, ne falſas legum interpretationes ac ſycophantias admittat. Odium auaritiæ ſinceritatem in iudicando conſeruat. Vbi enim nummarij iudices ſunt, actum eſt de æquitate. Nam ſi perſonæ acceptio corruptio eſt iudicij, vt nullus ſit æquitati locus, profecto auaritia efficit, vt iudex potius perſonam, quam cauſam intueatur. Quiſquis igitur magiſtratu fungens precio dicitur æquum & bonum perſpicere non poteſt. Munere enim excæcantur oculi ſapientum, & peruertuntur verba iuſtorum. Hinc eſt quod auari iudices furum ſocij ab Eſaia dicuntur.

Officium magiſtratus, de quo tertio loco propoſui, cum ſcriptura teſtimoniis, tum illuſtribus exemplis demonſtratur, quod quidem in genere eſt, Vt ſit cuſtos legis, quod fit cum exemplo Dauidis, Ioſiæ, Ezechiæ, Theodoſij & aliorum, primum tollit idololatriam, & occaſiones idololatriæ. Vt, Ezechias æneum ſerpentem comminuit. Ioſias templum purgauit à variis idolis. Moſes vitulum confregit. Dauid exhortationibus populum ad verum cultum Deo præſtandum adduxit. Nam ſi magiſtratus à Deo ordinatus eſt, vt ſit miniſter Dei homini in bonum, debet vtique quæ homini noxia videt, pro viribus amoliri, ne reipublicæ bonum & ciuium ſalus impediatur. Deinde curabit magiſtratus, exemplo Ioſiæ, vt vera religio proponatur, conſeruetur ac propagetur, impiis doctrinis abolitis. Quanquam autem diſtincta ſunt officia magiſtratus ciuilis & miniſterium verbi, tamen in hoc conuenire poſſunt & debent, vt gloriam Dei & ſalutem generis humani ſimul quærant, ſed ſeruata vtriuſque legitima ratione, hoc eſt, vt magiſtratus ciuilis edicto & gladio: Miniſter verò verbi, doctrina, exhortatione, obiurgatione, & comminatione impietatem tollere, & gloriam Dei quærere conentur. Præterea quia religio ſine docentibus & diſcentibus conſeruari non poteſt, magiſtratus officium eſt ſcholas erigere, ſtipendiis conſeruare, vt docentes & diſcentes pietatis ſtudiis incumbere poſsint. Ad hæc Ezechiæ & regis Niniuæ exempla commonefaciant magiſtratum, vt vel præſentem vel imminentem iram Dei ſolennibus ad Deum precibus, veráque ad Dominum conuerſione auertere ſtudeant. Atque hæc quidem ad eam partem legis referenda ſunt, quæ religionem potiſsimum ſpectat. Quantum tamen ad externum politicum ſtatum attinet, idem officium eſt magiſtratus boni in ſua republica, quod eſt honeſti patrisfamilias in ſua domo, nimirum vt quemadmodum pater liberos diſciplina regit, caſtigat contumaces, bonos honore afficit, largitur præmia, breuiter in hoc totus incumbit, vt ſua familia quam optimè conſtituta videatur, ſic magiſtratus in tota republica facere debet, vt verè de illo dici poſsit, quod Theſeus apud Euripidem bono magiſtratui tribuit, cum inquit, εὐεργέτης βροτοῖσι, καὶ μέγας φίλος, hoc eſt, ſit beneficus erga homines, & magnus amicus. Hinc eſt, quod reges apud Homerum dicantur patres. Hinc in Geneſi regia appellatio eſt Abimelech, quod ſonat pater mi rex. Proinde regia poteſtas à paterno affectu ſeparari non debet: verum vt ad numeros reuocem magiſtratus officia, ſit eius *Primum* officium ſtudium pacis, vt in tranquillitate Deum colamus, abolitis ſuperſtitionibus, quæ veram religionem corrumpunt. *Secundum*, curet vt ſinguli ſua officia recte faciant quod fieri non poteſt, niſi vbi legum maneat autoritas & executio. Leges enim ferre, quas executio non ſequitur, rerumpublicarum pernicies eſt. Quare vt honeſtas leges magiſtratui ferre licet, ita caueat oportet, ne in contemptum veniant, quod fit ſi non ſequatur executio. *Tertium*, vt puniat ſontes, & inſontes tueatur, iuxta legum præſcriptum & prudentem moderationem. Vnde hoſtes patriæ pio magiſtratui armis arcere licet, id quod etiam plurima exempla piorum Iudicum & regum teſtantur. Ex his fines magiſtratus facilè eſt colligere, quod ſit propter Deum, Eccleſiam, ac rerumpublicarum incolumitatem conſtitutus. Quare rectè dicitur, gubernationem, religionem & propriam domum, principi curæ eſſe debere.

Sequitur

IIII. De iure magiſtratus.

Sequitur quartum membrum, qualenam ſit ius magiſtratus in ſubditos & ſubditorum bona. Xenophon prȩclarè in primo de inſtitutione Cyri dicit: μέτρον δὲ αὐτῷ οὐχ ἡ ψυχὴ, ἀλλ' ὁ νόμος ἐστὶ, hoc eſt, Regula regi non affectus, ſed lex eſſe debet. Vnde ſequitur tãtum iuris magiſtratum habere in ſubditos, quantum leges conſentientes Decalogo & legi naturæ permittunt. Habet igitur ius iuxta quartum præceptum, imperare ſubditis neceſſaria officia, cum ad publicam incolumitatem, tum ad ſingulorum commoda facientia. Poteſt ad bella vocare vbi res poſtulat, & alias operas neceſſarias iniungere. Verùm quantum ad bona ſubditorum attinet, ſciat magiſtratus ſe ius habere in ea, non quantum ad occupationem ſeu poſſeſſionem, ſed quantum ad defenſionẽ attinet. Quod confirmatur hiſtoria impij Achab, qui à Deo punitus eſt propterea quod occupauerat per violentiam vineàm Naboth. Sunt igitur diſtinctæ poſſeſſiones magiſtratus, & ſubditorum, quas ex æquo tueri debet bonus magiſtratus. Deinde habet magiſtratus ius exigendi tributa, quorum fines tres facit Cicero pro lege Manilia, nimirum vt ſint ornamenta pacis, ſubſidia belli, nerui reipublicæ. Hos fines quando conſiderat magiſtratus, facile intelliget, quando ordinariis tributis cõtentus eſſe debeat, & quando extraordinaria petere liceat. Sæpe enim accidit, vt propter maiora pericula deuitanda, propter hoſtes patriæ abigendos & depellendos, & huiuſmodi alia, extraordinaria & incõſueta onera maioribus tributis indigeat magiſtratus. Verùm caueat magiſtratus, ne tributa petantur, vt priuatȩ libidinis aut luxuriæ inſtrumenta ſint.

V. De officio ſubditorũ erga magiſtratum.

Reſtat quod poſtremo loco propoſui, de officio ſubditorum erga magiſtratum, quod quidẽ ad quatuor capita reuocari poſſe exiſtimo. *Primum*, ſit iuxta quartum prȩceptum, honorare magiſtratum, hoc eſt, ſuſpicere & reuereri ipſum tanquam miniſtrum & legatum Dei, ita vt ipſum honores, timeas, ac cádidè de ipſo iudices, errata in meliorem partem accipias, non cum vulgo magiſtratui detrahas. Nam id ſeuerè prohibetur, verbo Dei Exod.22.18. Principi populi tui ne maledicas. Maledictionis autem voce omnes calumniæ & detractiones intelliguntur. Thucydides dicit: τὸ παρὸν ἀεὶ βαρὺ τοῖς ὑπηκόοις, quod quidem in iis qui verbo regi nolunt, longè veriſſimum eſt, ſed qui timet Deum, ordinationem Dei amandam nouit. *Secundum*, edictis parêre, cum in tributis dãdis, tum in aliis quoque rebus, quatenus per religionem & legem naturæ liceat ad Titum 3.1. Admoneto illos, vt principatibus & poteſtatibus ſubditi ſint, vt magiſtratibus pareant, vt ad omne opus bonum ſint parati. *Tertium*, orare pro magiſtratu. Adhortare inquit Paulus, 1. Tim.1.2. vt fiant deprecationes, obſecrationes, interpellationes, gratiarum actiones pro hominibus, pro regibus, & omnibus in eminentia cõſtitutis, vt placidam & quietam vitam degamus, cum omni pietate & honeſtate. *Quartum*, nõ irrumpere in partes magiſtratus, ſed magiſtratui cognitionem deferre, ſi quid ad Reipublicæ ſalutem pertinere videatur.

TESTIMONIA DE *magiſtratu.*

1. Matth.22.21. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. 2. Rom.13.1. Omnis anima poteſtatibus ſuperemínentibus ſubdita ſit, nõ eſt enim poteſtas, niſi à Deo. 3. Ad Tit.3.1. Hortare vt poteſtatibus ſubditi ſint. 4. Pet.2.13. Subditi eſtote cuiuis creaturȩ, ſiue regi tanquam præcellenti, ſiue præſidibus, vt qui ab iis mittuntur, ad vindictam quidem nocentium, laudem vero rectè agentium, quoniam ſic eſt voluntas Dei. 5. Ibidem 17. Regem honorate. 18. Roman.13.7. Cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal, &c.

CAPVT *II.*

LEGES.

Legum encomia.

LEGVM ciuilium magnæ ſunt laudes. Demoſthenes ita inquit, ὁ νόμος τῆς πόλεως ἐστὶ ψυχή. ὥσπερ γὰρ τὸ σῶμα στερηθὲν ψυχῆς πίπτει, οὕτως καὶ πόλις μὴ ὄντων νόμων καταλύεται, hoc eſt, *Lex ciuitatis anima eſt. Vt enim corpus anima priuatum cadit, ita ciuitas remotis legibus euertitur.* Et Cicero. *Vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine lege, ſuis partibus, vt neruis, ſanguine & membris vti non poteſt.* Vt autem ſciatur, qualibus legibus vtendum ſit, duo in legibus obſeruanda ſunt, Ratio & Autoritas. Ratio pendebit partim ex lege naturȩ, quæ in Ethnicis libris & Iuriſprudentia explicatur, partim ex lege Dei, cuius epitome eſt Decalogus, cũ quibus ſi lex pugnat, ratione obligatoria caret. Nã tum locum habet dictum Socratis apud Platonem: ἐγὼ ὑμᾶς ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, ἀσπάζομαι μὲν, καὶ φιλῶ, πείσομαι δὲ τῷ θεῷ μᾶλλον, ἢ ὑμῖν, *Ego vos ô viri Athenienſes* (Iudices alloquitur) *complector quidem & amo: At Deo potius quam vobis obtemperabo.* Et illud Antigonæ apud Sophoclem: *Magis obtemperandum eſt diis, apud quos diutius manendum erit, quam hominibus, cum quibus admodum breui tempore viuendum eſt.* Quibus dictis accedit reſponſum Petri in Actis, capite 5.29. *Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.* Cum igitur vel demõſtrationis, vel probabili ratione colligitur lex politica ex lege naturali aut decalogo, obligat ratione ſubditos, cum quibus ſi pugnat, nequaquam obligatoria eſt. Autoritas legis ſimiliter in duobus conſiſtit, nimirum vt ſit à Legitimo magiſtratu lata, ac publico conſenſu approbata. Hæc duo ſi vna cum ratione lex habuerit, obtemperandum eſt illi. I. Propter mandatum Dei, qui vult vt magiſtratui obtemperemus. II. vt noſtra obedientia teſtemur nos ſubditos eſſe, ac amantes ordinationis diuinæ. III. Propter proprium commodum, quod nõ ſolum in prȩmiis conſequendis, aut pœnis vitandis poſitum eſt: verumetiam in conſciẽtia, quæ vaſtatur inobedientia aduerſus legitimum magiſtratum. Legitimum dico, ne quis ſe obnoxium putet Papalibus legibus, aut legibus aliarum rerumpublicarum, quarum ciues non ſumus.

Ratio.

Autoritas.

Quæſtio; de legis rigore & æquitate.

Hic quæſtio explicanda eſt de legis rigore & ἐπιεικείᾳ de qua re ſic ſentiendum iudico. Iudex in tria reſpicere debet; in legem, ſontem, & populum. Quantum quidem ad Legem attinet, cauendum eſt, ne indulgentia intempeſtiua legis autoritas minuatur, eleuetur & vileſcat. Deinde videndum quæ ſit legis extrema voluntas, quȩ ſane non vult perniciem ciuium, ſed emendationem cum conſeruatione totius corporis reipublicæ. Vt fur omnis iuxta rigorẽ legis Danicæ ſuſpendendus eſt, at legis extrema voluntas videtur, vt coërceatur petulantia hominum malignorum, qui res alienas rapiunt, vnde ſequitur rerumpublicarum vaſtitas. Quare ſi quis paupertate extrema coactus, nõ alioqui nequitioſus, panem aut pecuniam mediocrem furetur, non eſt legis voluntas vt talis ſuſpendatur, ſed vt mitiori pœna caſtigatus ſeruetur, ita tamen ſi exemplum non videatur nociturum reipublicæ. *Melius* enim *eſt* (vt inquit Bernardus) *vt pereat vnus, quam vnitas.* Quantum ad

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

reum attinet, conſiderádum eſt, qualis ſit ipſe, qualéque delictum perpetratum, vnde Iudex æſtimabit an mitior pœna ſufficiat. Hoc iudicium petendum eſt ex anteacta vita. In populo duo cauenda ſunt, 1. ne lenitatis exemplum pariat peccato patrocinium. 2. ne cum damno & periculo reipublicæ parcatur reis. Ex hoc fundamento ſequens regula colligitur: *Quando* legis voluntas admittit ἐπιείκειαν & reus emendari ſine duriori pœna poteſt, ac populus non redditur deterior exemplo, poteſt magiſtratus clementiore ſententia vti, & reo ſupplici emendationis ſpe parcere.

Alia quęſtio de poteſtate Magiſtratus.

Cæterum vna adhuc quæſtio hoc loco nobis determinatione digna videtur, hæc videlicet: An liceat Chriſtiano magiſtratui quicquam permittere in ſua republica, quod expreſsè verbo Dei prohibitum eſt? Ad hanc quæſtionem ita reſpondendum iudico: Quædam prohiberi poſſunt & tolli ſimul: quædam prohiberi quidē, ſed tolli in vniuerſum nō poſſunt, Illa niſi aboleat magiſtratus legibus & pœnis, grauiſſimo obſtringetur reatu, vt qui non ſolum fert peccata graſſari in ſua republica, verumetiam alienis peccatis communicat & inuoluitur. Hęc quia penitus aboleri & extirpari non poſſunt, minuat quantum poteſt, imitetúrque medicos peritos. Nam vt ipſi arte ſæpe malum, quod tolli in totum nequit coërcent, ne in vniuerſum corpus ſerpat contagio: ita & ipſe conetur certos limites præfigere, extra quos ſi quis peccare deprehenditur, puniatur ſeuere, ne malum maiores vires ſumat, ac in infinitum ſerpat. Hoc licere magiſtratui ratione firma, & probato exemplo, quod vim regulæ habet, cōfirmatur. Magiſtratus officium eſt, omnia externa ita in ordinem redigere, vt cedant in gloriam Dei, & reipublicæ tranquillitatem. Quare qui impedit graſſantia mala, quantum poteſt, & qui ea coërcet intra certos limites, quæ omnino tolli nequeunt, pie & ſancte facere eſt cenſendus. Exemplum illuſtre eſt Moſis, qui ſtatuit, vxorem nō dimittendam eſſe ob quamlibet cauſam, niſi dato libello repudij. Nam cū Moſes videret, tantam eſſe duritiem cordiū iſtius populi, vt non poſſent in vniuerſum diuortia illegitima prohiberi, ne malum nimium ſerperet, prudenti conſilio ſtatuit, ne quis vxorē dimitteret, niſi dato libello repudij, quæ res iſtorum leuitatē nonnihil coërcuit. Sic quoque de vſura ſtatuerunt olim Imperatores, & principes pij poſſunt hodie vſuræ certos limites ſtatuere. Poſtquam enim vident, malum vſuræ altius egiſſe radices, quàm vt poſſit ſine magno incōmodo & turbatione tolli, hoc requirit eorum officium, vt certis limitibus claudatur vſurarius contractus, ne immodica vſura pauperes premantur, & tandem ſequantur grauiora mala. Cum itaque parcunt iis, qui mitiori vſura contenti ſunt, & eos puniunt qui terminos vſuræ permiſſæ tranſgrediuntur, piè & ſanctè faciunt. Interim tamen caueant diligenter, ne ſuis permiſſionibus videantur approbare, quod Deus improbat. Hæc cum ita ſint, iudico rectè & piè à Rege & Senatu noſtrum factū, quod petulantiam vſurariorum intra certos limites incluſerint.

Fręna autoritatis magiſtratuum.

Verùm ne nimium ſibi permittat magiſtratus, tenendum eſt diſcrimen peccatorum. Alia ſunt peccata ſua natura, alia peccati rationem ex adiuncto ſumūt. Peccata quæ talia ſunt ſua natura, vt idololatria, blaſphemia, homicidium, furtum, adulterium, falſum teſtimonium, nullo pacto ſunt permittenda, imo ſeuerè pœnis coërcēda ſunt à magiſtratu, qui rite ſuo officio fungi velit. Peccata autem quæ peccati rationem ex adiuncto ſumunt, in quorum numero eſt vſura, ſi penitus tolli nequeunt, permitti poſſunt, ſed prudentia ſingulari adhibita, ne magiſtratus ea approbare videatur. Non enim per ſe peccatum eſt dare mutuo pecuniam iuxta pactionē interpoſitam, ſed ex adiuncto peccati rationem ſortitur, nimirum ex eo, quod & animus vſurarij auarus ſit & idololatra, & proximus grauetur contra dilectionis præceptum. Atque hæc cauſa aſſignatur plerunque in Scriptura, quando prohibetur vſura. Verùm ſi hæc abeſſe poſſent ab vſura, vſurarius contractus haud improbari deberet. Nā ſi ſua natura peccatum eſſet huiuſmodi contractus, nequaquam ſuo populo permiſiſſet Dominus vſuras capere ab alienis. Deut. 23. 20. Neque rectè contra hæc obiici poſſunt ſpolia Ægyptiorum, cum ea fuerint ſtipendia pro duriſſimis laboribus, quæ cum negarent Ægyptij, Dominus, vt ſupremus iudex, ea mutuo accepta ab Ægyptiis, auferri præcepit. Sed de vſura quid ſit ſentiendum propter adiunctum malum, infra capite ſexto oſtendam.

TESTIMONIA DE LEGIBVS.

1. Omnia teſtimonia Scripturæ de magiſtratu, ſimul & leges non pugnantes cum lege naturæ, & legitima iudicia confirmant. 2. Prouerb. 19. 16. Qui cuſtodit legem, beatus eſt. 3. Eſa. 10. 1. Væ qui condunt leges iniquas, ſcribentes iniuſticiam, vt opprimant pauperem in iudicio. 4. Roman. 2. 14. Gentes quæ legem non habent, ſed ea quæ legis ſunt faciunt, ipſi ſibi ſunt lex, oſtendentes opus legis in cordibus ſuis &c.

CAPVT *III.*

IVDICIA.

Iudiciorũ fundamentum.

CVM magiſtratus ordinatio Dei dicatur à Paulo, non dubium eſt, quin *Iudicia* à Deo approbentur, ſine quibus inutilis eſſet magiſtratus, & leges irritæ. Vt autem pius animus rectè de iudiciis politicis inſtitui poſſit, primum obſeruandum eſt, duplex eſſe iudicium, publicum & priuatum. Publicum quidem extra noſtram eſt poteſtatem, quare ex noſtro arbitrio minime pendet. *Priuatum* eſt, cum propter priuata negocia ſeu iniurias nobis factas, petitur iudicis ſententia.

Diſtinctio cõſ.

Quæſtionis ſolutio.

Sed hic oboritur valde obſcura quæſtio. Paulus vult, vt pij potius iniuriam ſuſtineant. Dominus dicit, Lucæ 21. 19. In patientia poſſidebitis animas veſtras. Et ſæpe ſcriptura hortatur, vt condonemus quoties in nos peccauerit aliquis, vt vincamus in bono malum &c. Item, ne malum pro malo cuipiā reddamus. Ex his videtur cōſequi, quod accuſare quenquam, ob factam nobis iniuriam, nō liceat. Ad quod ſic reſpondendum iudico. Inter rem ipſam & accidens diſtinguere oportet. Accuſare quidem, per ſe non eſt vicioſum. Paulus enim Chriſtianis permittit arbitros & iudicia. Nec Euangelium abolet politicam ordinationem. At affectus adhærentes vt plurimùm vicioſi ſunt, vt intemperantia, vlciſcendi libido, inimicitiæ, pertinacia ac ſimiles. Si igitur Chriſtianus proſequi ſuum ius abſque offenſa Dei velit, cauere inprimis debet, ne quam vltionis animi cupiditatem, ne quem prauum animi motum, nec iracundiam, ne vllum denique venenum in forum afferat. Huius rei Charitas optima erit moderatrix. Tametſi autem rarū eſt boni litigatoris exemplum, tamen rem ipſam per ſe non eſſe malam, ſed viciari abuſu, ſcire vtiliſſimum eſt, ídque propter quatuor. *Primùm* ne videatur Deus fruſtra inſtituiſſe iudicia.

An & quomodo litigare liceat.

Deinde

Deinde vt ſciant pij, quantũ ſibi liceat, ne mala conſcientia quicquam ſuſcipiant. *Tertiò*, vt admoneantur, ne remedium ſibi à Domino permiſſum proprio vicio contaminent. *Poſtremò*, vt improborum audacia coërceatur puro ſinceróque zelo. Atque hęc de iudiciis dicta ſufficiant.

TESTIMONIA DE *Iudiciis.*

1. Leuitici 19.15. Non facies quod iniquum eſt, nec iniuſtę iudicabis. 2. Ioan. 7.24. Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate. 3. Actor. 25.10. Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi oportet me iudicari. 4. Deut. 16.18. Iudices & Magiſtratus conſtituas in omnibus portis. 5. Prouerb. 17.15. Qui iuſtificat impium, & condemnat iuſtum, vterque abominatio eſt Domino. 6. Deuteronomij 27.19. Maledictus, qui peruertit iudicium.

CAPVT. IIII.

VINDICTA.

Definitio & diuiſio.

VINDICTA vltio eſt, qua qui offendit punitur. Eſtque duplex, publica & priuata. *Publica* eſt quæ exercetur à publica perſona, legum præſcriptum ſequente, bono fine, abſque odio perſonæ in quam fit animaduerſio. Hanc eſſe licitam, verbũ Dei, lex naturæ, ac plurima exempla in ſcripturis oſtendunt. Nam ſine vindicta publica nulla remanet legum autoritas, nulla relinquitur tranquillitas ab improbis, nullus denique malorum finis eſſe poterit. Quare Paulus Magiſtratui gladium datum docet, vt ſit timoris malis operibus & index ad iram. Ad hanc publicam vindictam referantur caſtigationes œconomicæ & ſcholaſticæ quibus contumaces fręnantur & retinentur in officio. Sed hæc vindicta ex amore iuſticiæ proficiſcetur in bonum finem, nimirum, vt reus emendetur, & alij admoneantur, quo ſint cautiores, vt contumacia & rebellio minuatur, vt tranquillæ politiæ & œconomiæ ſint.

Priuata vindicta eſt vltio ex affectu malo proficiſcens, tendens in malum eius, de quo petitur vindicta. Atque hæc duplex eſt, Quædam enim à priuata perſona: Quædam à publica exercetur, ſed priuato affectu. Vtraque Chriſtianis prohibita eſt. Rom. 12.17. Nulli malum pro malo reddentes. Matth. 5.39. Ego autem dico, ne reſiſtatis malo. Item: Benefacite iis, qui oderunt vos. Deut. 32.35. Mea eſt vltio, & ego retribuam eis tempore opportuno, vt labatur pes eorum.

TESTIMONIA DE *vindicta.*

1. Leuit. 19.18. Ne quæras vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. 2. Prouerb. 24.29. Ne dicas, quomodo fecit mihi, ſic faciam ei, & reddam vnicuique ſecundum opus ſuum. 3. Eccleſiaſtici 28. 1. Qui vindicari vult, à domino inueniet vindictam.

CAPVT V.

ZELVS.

Nominis ratio.

VOCABVLVM ZELVS παρὰ τὸ ζέειν, à feruendo dictum, etſi autem propriiſſimè eſt cuiuſuis affectus excitatio vehementior, ac veluti feruor quidam & inflammatio, ex quo fit, quod ſignificet ſpecialiter, nunc amorem, nunc indignationem, nunc inuidiam, nunc ſtudium, nunc vehementiam, nunc exemplum, nunc impetum Spiritus Sancti, nunc vindictam, quemadmodum periſtaſis loci, in quo ponitur, requirere videtur, tamen vſitatius accipitur, vt eſt affectus mixtus, videlicet, cum vnus affectus alio inflammatur, de quo nonnulla dicam. Græca definitio, qua zelus definitur eſſe διέγερσις ψυχῆς εἰς καλὰ πρὸς παράδειγμα ὁρώσης, hoc eſt, Excitatio animi ad honeſta, ad exemplar aſpicientis, non eſt plena, non enim continet omnia zeli genera. Quare alia colligam. In affectuum animi definitionibus tria concurrere oportet. 1. *Motum animi.* 2. *Obiectum.* 3. *Finem. vt*, Miſericordia eſt motus animi dolẽtis ob alterius malum, & manus auxiliatrices porrigentis, vt à malo quo premitur liberetur afflictus. Ita tria in definitione zeli etiam concurrere oportet. Sed quia zelus vſitatè eſt mixtus affectus, ſingula iſtorum trium geminari oportet. Vt ſit duplex motus cordis, duplex obiectum, duplex finis. *Motus* zeli ſunt amor & indignatio: *Obiecta*, res grata ſeu amica, & ingrata ſeu inimica: *Fines*, grati quidem obiecti defenſio & fruitio, ingrati vero excluſio. Ex his fundamentis hanc definitionem zeli extruamus. *Zelus* eſt affectus, ex amore & indignatione natus, non ferẽs alteri tribui, quod quis ſibiipſi vel alicui quem amat tribui cupit, vt res amata quidem recte habeat, eáque fruatur qui debet, & alienus ab eius fruitione excludatur. Hanc definitionem plenam & perſpicuam eſſe iudico. Nam ea continet, quæ ad ipſius plenam rationem facere videntur. Nunc aliquot eius diuiſiones ſubiiciam, vt vicioſus zelus à recto & laudabili diſcerni queat.

Tria in zelo concurrunt.

Zeli definitio.

PRIMA DIVISIO.

Zelus alius eſt diuinus, alius humanus, alius diabolicus.

1. Diuin'.

Zelus *Diuinus* duplex eſt: vnus præter ſcientiam, alterum cum ſcientia. Zelus diuinus Præter ſcientiam eſt, qualem Paulus in Iudæis fuiſſe dicit. Rom. 10.2. Talis etiam in Paulo ipſo erat, vt habetur Gal. 1.14. Actor. 8.9. Hic zelus erroneus eſt, & habet cauſam antegreſſam, inſcitiam veri intellectus voluntatis Dei, & opinionem veri intellẽctus, ſed erroneã. Hinc inflammatur animus amore gloriæ Dei propagandæ, & indignatione aduerſus eos, quos putat Dei hoſtes, ſed falsò, eóque tendit totus, vt Deus glorificetur, vtque hoſtes, quos ita falsò iudicat, impediantur, vt etiam è medio tollantur. Zelus diuinus Cum Sciẽtia, habet cauſam antegreſſam, veram Dei noticiam, inflammatur amore verbi Dei propagandi, & odio earum rerum quæ curſui verbi impedimento eſſe videntur, hic quoque eſt duplex, nempe, Tempeſtiuus & Intempeſtiuus. Tempeſtiuus, qualis in Moſe, Phinea, Elia & Chriſto exarſit. Tabeſcere (inquit) me fecit zelus domus tuæ, quoniam inimici mei obliti ſunt verborum tuorum. Intempeſtiuus & incautus quãdo non ſeruatur temporis opportunitas, talis Audæ Epiſcopi Perſici fuit: de quo Theodoretus lib. 5. & Euſebius lib. 10. cap. 3. Talis quoq; quorundam Martyrũ, vt Cointi & aliorum, de quibus Euſebius lib. 4. cap. 15. qui nullo vrgente ſe hoſtibus puniendos tradiderunt.

Præter Sciẽtiam.

Cũ Scientia.

Humanus Zelus eſt etiam duplex. Vnus Officij, vt parentis in ſua œconomia, principis in regno, præceptoris in ſchola, concionatoris in templo. Hic zelus facit, ne quis ſit negligẽs aut remiſſus in officio. Alter Contra Officium, vt Medeæ furor, quo excitabatur ad dilacerandum infantem. Neronis ſimiliter ad perdendum regnum, qui (vt refert Suetonius in vitis Cæſarum) ſolitus eſt dicere, ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιγείη πυρί, me miſceatur igni terra mortuo.

2. Humanus. Cũ officio.

Cõtra officium.

Diabolicus Zelus eſt Iudæorum, Turcarum, Papi-

3 Diabolicus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſtarum, Anabaptiſtarum, qui rapiuntur & inſtigantur à Satanæ ſpiritu ad opprimendam veritatẽ Dei. Sed viuit ille αὐτάδης, qui dixit: Portę inferorum non præualebunt aduerſus eam. Mat. 16.18.

SECVNDA DIVISIO.

Zelus ad vitam.

Zelus alius eſt ad vitam, alius ad mortem. Zelus *Ad vitam* eſt flagrans amor cultus diuini & gloriæ Dei, qualis in Abel fuit. Hic zelus impellit hominẽ pium, vt nullis malis cedat, ſed potius mortem & quæuis tormenta patiatur, quam vt à Deo & eius veritate ſe auelli permittat. Hic in omnibus piis eſt, in aliis vehementior, in aliis remiſſior. Exempla plurima huius zeli in Eccleſiaſtica hiſtoria habẽtur. Zelus *Ad mortem* eſt flagrans olim cultus veri Dei, qualis in Cain, Scribis & Phariſæis fuiſſe videtur.

Ad mortem.

TERTIA DIVISIO.

Zelus ad culpam.

Eſt Zelus ad culpam, eſt zelus ad gratiam. *Ille* quidem, dum zelamur in malignantibus, qui prohibetur vt pernicioſus: Pſal. 36. Nolite æmulari in malignantibus. *Hic* vero eſt ardor pietatis, & religionis veræ cognoſcendæ & intelligendæ ſtudium, qualis in Nicodemo & Cornelio fuit.

Ad gratiã.

QVARTA DIVISIO.

Zelus honeſtus.

Zelus amantium eſt duplex, Honeſtus & Inhoneſtus. *Honeſtus* amantium zelus, eſt coniugis non ferentis riualem, vel amoris ſocium. Vnde zelotę dicuntur qui riualem non ſuſtinent. Hinc vocabulum ad Deum transfertur. Nam quemadmodum zelotes dicitur, qui nullum in amore fert riualem: ita Deus metaphoricè zelotes ex eo dicitur, quod nullum in cultu ſibi debito fert ſocium, ſeu quia non vult ferre, vt anima hominis ſibi deſponſata, cum diis alienis fornicetur. Quapropter idolorum cultus in Scriptura ſpirituale adulterium & ſcortatio dicitur. *Turpis* Zelus eſt impudicorum & laſciuorum, qui libidini pro vero Deo & honeſto coniugio ſe tradiderunt, qui zelus extreme vituperandus, vt qui Spiritum Chriſti ex anima hominis expellit.

Turpis.

CAPVT *VI.*

CONTRACTVS.

Regulæ de cõtractibus.

QVONIAM exactè dicere de Contractu eiúſque generibus, quibus res inter ſe commutantur, iuridicæ facultatis eſt: nolo falcem (quod aiunt) in alienam meſſem mittere, ſed tantùm regulas quaſdam præſcribam cuius conſcientiæ piorum certificari de licitis cõtractibus poſſint, ne quid mala, erronea aut dubitante conſcientia in hiſce negociis faciant.

Prima: ius naturale eſt verè ius diuinum, iuxta quod quilibet, quod vult ſibi ab alio fieri, ab alio accipere poſſit.

Secunda: Moralis certitudo in moralibus negociis ſufficit, hoc eſt, non ratio exactiſſima quærenda, ſed medium ἐν πλάτει, vt Iuriſperiti loquuntur, accipiendum eſt.

Tertia: In omni contractu charitas ex fide manãs prælucere debet, & nihil in contractibus committendum, quod cum legis charitate pugnat.

Quarta: In contractibus & rerum commutationibus proportio Arithmetica ſeruanda eſt.

Quinta: Præceptum Domini, Luc. 6.34. in mutandis rebus ſeruandum eſt. Date mutuò, nihil inde ſperantes, hoc eſt, Tametſi ſimile ab iis, quibus mutuo datur, officium minimè ſperetur, tamen iis mutuo dari oportet. Neque enim Chriſtus iſto ſuo pręcepto vetat ſperare, vt reddatur ſors ipſa, ſed tantùm ne Ethnico more iis ſolum res noſtras mutuo demus, qui nobis viciſſim ſimili officio ſaltem in genere vicem rependere poſſunt.

Sexta: Omnis contractus pugnans cum ſuperioribus regulis, illicitus eſt. Vnde ſequitur, vſuram nequaquam excuſandam eſſe. Eſt enim vſura lucrum ſupra ſortem cuiuſlibet rei exactũ propter officium mutuationis. Hinc rectè Ambroſius cum inquit: *Vſura eſt eſca, vſura veſtis eſt, & quodcunque ſorti acceſſerit vſura eſt, quod velis ei nomen imponas, vſura eſt.* Nec de vſura illa diſtinctio contra legem naturæ & verbum Dei recipienda eſt. Sunt enim qui vſuram ita diuidunt, vt alia ſit prægrauãs proximum, alia commodans non prægrauans, ideóque licita. Et hanc diuiſionem putant cõfirmari Hebraico vocabulo, quo vſura appellatur *Neſec*, quod à mordendo dicitur. Verùm quia hæc diſtinctio planè Grammatica eſt, primum reſpondeo, vſuram non ſolum vocari Neſec, Hebræis à mordendo, ſed *Marbith* & *Tarbith* ab augmento ſiue incremento. Leuitici 25.36. Non dabis cibum tuum *Marbith*, id eſt, ad vſuram. Item: ne accipies ab eo *Neſec* & *Tarbith*, id eſt, vſurã & incrementum. Nam poſteriori voce ſignificat quid per priorẽ intelligat. Nimirum quodlibet augmentum ſeu incrementum, quod excedit ſortem. Deinde dico prohibitiones vſuræ eſſe generales, quare iſta diſtinctio vt parum firma eſt: ita minime excuſat conſcientiam vſurarij.

De vſura & incremento.

Longè igitur rectius ſentit Ariſtoteles, qui dicit, *Vſuram eſſe contra naturam.* Deinde cum plus recipitur quam datur, violatur proportio Arithmetica, quæ in rerum commutationibus perpetuo adhibẽda eſt. Ezech. cap. 18.8. apertè dicit: Vir ſi non ad vſuram dederit, & amplius non acceperit, hic iuſtus eſt, & vitam viuet. Vnde ex contrario ſequitur, minime iuſtum eſſe qui vſuram exerceat.

Contra vſuram.

Sed vafri homines multa quærunt ſubterfugia, & ſe benefacere proximo, dando illi pecuniam ad vſuram gloriantur, ac ita vſurarium contractum impudenter virtutis nomine induunt, & inter opera charitatis numerant. Sæpe (inquiunt) pauper aliquis redditur ditior ex pecunia pro qua vſuram ſoluit. At Deus non fallitur Sophiſtica, non recipit maligna ſubterfugia. Quare ſi legem Dei & charitatis contemnis, prorſus circa fidem naufragiũ feciſti. Quapropter aduerſus omnia argumenta eorum, qui patrocinantur huic impio contractui vſurario, hãc regulam opponito: *De vſura non ex commodo eius, qui mutuum accipit, ſed ex lege Dei, ex iure natura & affectu vſurarij iudicandum eſt.* Lex Dei vitæ regula eſſe debet, qui animum vſurarij furem docet, & vacuum charitatis proximi oſtendit. Non igitur humana excuſatio hic valet. Nam de peccatis iudicandum eſt iuxta verbum Dei. Quis quæſo per humanam rationem iudicaſſet vſum fructus prohibiti adeo enorme peccatum fuiſſe, niſi tanta calamitas in humano genere fuiſſet conſecuta? Quocirca diſcamus peccatum eſſe quicquid Deus prohibet, vtut videatur hominibus excuſabile, quamcunque ob cauſam. Ac firma mente teneamus dictũ Dauidis Pſalm. 15.1. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, & quis requieſcet in monte ſancto tuo? Hinc inter alia reſpondet in hũc modũ: Qui pecuniam ſuã non dedit ad vſuram, vnde aperte excluditur de tabernaculo Domini quiſquis pecuniam ſuam dat ad vſuram.

Vſurariorum ſubterfugia refutantur.

Sed quid de eo dicendũ, qui vſuram ſoluit? Ad hanc quæſtionem Philippus reſpondet in hũc modũ: Qui ſoluit vſuras non peccat, non enim alios afficit iniuria. Quod ſanè intelligendũ eſſe iudico de iis,

De eo qui vſuram ſoluit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

iis,qui inopia coacti accipiunt mutuum ab vſurariis, non accepturi niſi accederet pactum de vſura. De diuitibus verò,qui vt plures diuitias cumulent, accipiunt ab vſurariis mutuum cum pacto ſoluendi vſuras,intelligendum non puto. Hos enim dupliciter peccare ſtatuo.1. Quia mediocritate præſenti nō ſunt contenti.2.quod ſuo exemplo præter neceſſitatem confirmant vſurariorum maliciam,vnde magis creſcit conſuetudo dandi ad vſuram.

TESTIMONIA DE *contractu.*

1.Matth.7.12.Omnia quæcunque volueritis vt faciant vobis homines,ſic & vos illis facite. 2. Exod. 20.15.Ne furtum facies.3.Roman.13.8.Nemini quicquam debeatis,niſi vt inuicem diligatis. Non igitur vult,vt alius alium defraudet in contractibus.4.Leuit.19.18.Dilige proximum tuum ſicut teipſum.5.6. 1.Theſſal.4.9.Ne quis ſupergrediatur,neque ſuperueniat in negocio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de iis omnibus. 6.Leuit.25.37. Pecuniam tuam non dabis ad vſuram. 7.Deut.23.19.Nō fœneraberis fratri tuo.

CAPVT *VII.*

OECONOMIA.

Definitio.

OECONOMIA propriè eſt priuatæ domus gubernatio ſeu adminiſtratio,de qua pulcherrime & ſapientiſſime Xenophon in ſuo Oeconomico diſſerit, & ſcientiam eſſe definit adminiſtrandæ & augendæ domus. Dicitur autem œconomia ἀπὸ τοῦ τὸν οἶκον νέμειν,hoc eſt,à domus gubernatione ſiue adminiſtratione.

Nominis ratio.

Hæc ipſum Deum autorem habet, qui eam in Paradiſo inſtituit,ac poſtea quarto præcepto muniuit.

Deus autor œconomiarū.

Hæc prima Eccleſia fuit,ex hac prodeunt perſonæ quibus Eccleſiarū & politiarum adminiſtrationes committuntur. Quare deteſtandæ ſunt iſtæ prophanæ voces:Domeſtica cura eſt diabolica cura. Huiuſmodi voces iactant impij homines, ordinationis diuinæ hoſtes. Verum contra has blaſphemias opponendum eſt verbum Dei,quod teſtatur Deum Oeconomiarum autorem eſſe: & ſimul inuocandus eſt Deus,vt ſuæ ordinationi aſſit, eámque tueatur, ne à Diabolo turbetur, qui familiis potiſſimùm inſidiatur. Scit enim, ibi prima pietatis & honeſtatis ſemina iacienda eſſe,quæ ſuffocare conatur. Quemadmodum in prima familia Adami & Euæ fecit,& hodie non deſinit in multis familiis idem facere.

Tribus iugis conſtant.

Porrò œconomia quaſi tribus iugis conſtat. *Vnum* continet ſeruos & dominos: *Alterum* eſt coniugium inter virum & vxorem: *Tertium* conſtat parentibus & liberis, ita in œconomia ſunt ſex diuerſæ perſonæ,quare ſingulis ſuum peculiare eſt officium, ad totius œconomiæ autoritatem & ſtatum conſeruandum faciens;propter hunc finem, vt œconomia ſit veluti ſchola quædam, in qua de Deo & bonis rebus primū inſtituantur homines, & vt ſint quoddam templum Dei, in quo Deus agnoſcatur & celebretur,quo omnes ſuos conatus vnanimiter referre debent illa tria hominum iuga, quæ in œconomia eſſe dixi,de quibus nunc ordine dicendum.

CAPVT *VIII.*

DOMINIVM ET SERVITVS.

DISTINCTIONES ſuperiorum & inferiorum gaduū inter homines ſupra in quarto præcepto,atque in primo huius claſſis capite ſecundo,oſtenſæ ſunt. Hic igitur tantummodo de officiis dominorum & ſeruorum erga ſe inuicem (nā hi vnum œconomiæ iugum conſtituunt) dicam,idque breuiſſimè. Qui autem fide præditi ſunt Domini & ſerui,iis non difficile eſt in præſtandis officiis ſibi inuicem τὰ ἴσα, hoc eſt, ius analogum reddere. Et quanquam rectè dicit Cyprianus, eandem naſcendi ſortem, conditionem vnam moriendi, corporum materiam conſimilem, animarum rationem communem,æquali iure & pari lege vel venire homines in hunc mundum, vel de hoc mundo poſtea diſcedere:tamen neceſſarium eſt,propter conſeruationem familiarum,vt alij præſint,& alij obtemperent. Nec quicquam excogitari poteſt τῆς ἀναρχίας triſtius, vnde rectè Creon, etſi non in loco apud Sophoclem: τῆς ἀναρχίας οὐκ ἔστι μεῖζον κακόν, hoc eſt,ſine imperio eſſe, nullum maius eſt malum. Et quia inter Chriſtianos, vt inter Philemonem & Oneſimum, dominandi & ſeruiendi conditiones ſunt per Euangelium licitæ,execrandi ſunt Anabaptiſtæ,& Libertini noui,qui ἀναρχίαν in mundum inuehere conantur,contra apertum verbum Dei, quod concedit & approbat graduum diſtinctiones inter homines. Dicam igitur breuiter(vt promiſi) quædam de mutuis dominorum & ſeruorum officiis.

Paulus Epheſ.6.9.Vtilem tractandi ſeruos regulam præſcribit, cum inquit: Et vos domini eadem facite illis (id eſt ſeruis) remittentes minas, (ſeu laxantes iracundiam) ſcientes quod & veſter ipſorum Dominus eſt in cœlis,& perſonarum acceptio apud Deum non eſt. Et ad Coloſſ.4.1.Domini,quod iuſtum eſt & æqualitatem ſeruis præbete. Hæc Pauli teſtimonia tria docent. 1.quod liceat homini Chriſtiano vti ſeruorum operis. Non enim iubet Paulus vt domini abiiciant poteſtatem, quam habent in ſeruos,ſed vt eos comiter & benigne tractēt.11.quomodo Domini Chriſtiani debeant erga ſuos ſeruos affecti eſſe,nimirum, vt eos non contemnant, tanquam vilia & abiecta mancipia,ſed vt cōſeruos Dei placide & amanter foueant.3.vt reddant τὰ αὐτὰ ſeu iuſtum & æqualitatem.His enim tribus eadem res ſignificatur, nimirum ius analogū aut diſtributiuū. Neq; .n.ſic habēt domini obnoxios ſeruos ſibi,quin viciſſim ipſis aliquid debeāt. Vt.n.ius analogū valere debet inter omnes homines,ita inter dominos & ſeruos valeat neceſſe eſt.Seruus laboret fideliter,Dominus grato animo reddita iuſta mercede ſeruum laborantem complectatur,& foueat in Domino. Dominorū officium.

Porro ſeruis hanc regulam præſcribit Paulus, Epheſ.6.5. Serui obedite dominis veſtris carnalibus, cum timore & tremore,in ſimplicitate cordis veſtri, tanquam Domino,non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes,ſed tanquam ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei,cum beneuolentia ſeruientes Domino,& non hominibus. Et ad Coloſſ.3.22. Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes,quaſi hominibus placētes, ſed in ſimplicitate cordis timentes Deum,quodcunque facitis,ex animo operamini ſicut Domino.Ex his teſtimoniis Pauli collige,quid in Chriſtianis ſeruis requirendū ſit. 1.Requiritur in ipſis timor Dei,quemadmodum in Dominis ipſis,adeóque omnibus hominum ordinibus. 11.Simplicitas cordis,qua nequitia,πανουργία ſeruilis,contumax rebellio,& reſponſatrix audacia expellitur. 3. exigitur obedientia erga dominos. 4. regula iſtius obedientiæ præſcribitur, nimirum vt tanquam Chriſto ſuis dominis obtemperent ſerui. Vult enim vt in omnibus actionibus ſuis ad mandatum Dei reſpiciant. Nihil itaque fa- Seruorū officium.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ciendum iubentibus dominis, quod pugnat contra mandatum ſupremi Domini, quem omnes venerari oportet. 5. magnificè ornat ſeruorũ obedientiam, cùm eam Deo præſtari pronunciat. Viliſſima ergò pij famuli aut famulæ ſeruitia Deo placent, illíque cultus gratus exiſtunt.

Capvt IX.
CONIVGIVM.

IVGVM alterum in œconomia *Coniugium*, dixi, in quo religionis ſchola primáque Eccleſia à Domino ordinata fuit, cuius maieſtatem ac dignitatem ſi ſpectes, multiplicem ſane inuenies. A Deo patre optimo maximo inſtituitur, ſancitur, confirmatur, benedictionéq; fœcũdatur. A Filio eius Domino noſtro Ieſu Chriſto miraculo & præſentia ornatur. A Spiritu Sancto approbatur, honeſtum, immaculatum, purúmque prædicatur. Ab eodem Spiritu Sancto imago copulæ admirandæ Filij Dei & Eccleſiæ ſtatuitur. Ante peccatum & contaminatam naturam in Paradiſo, ſanctiſſimo loco initium ſumit. Exemplis Patriarcharum, Prophetarum, Sãctorum Sacerdotum, regum, multorúmque piorum commendatur: legibus diuinis ac humanis omnium gentium approbatur. Huc accedunt *Finis* & *Effectus*, vnde eius precium ſummũ æſtimatur, vt ſunt, procreare ſobolem, vitare impuros concubitus, habere mutuũ præſidium & auxiliũ: in hac prima religionis ſchola conſeruare Eccleſiam, relinquere (vbi fatis concedẽdum eſt) Deo loco noſtro cultores. Hinc Platonis, licet Ethnici, grauiſſima, pio tamen homine digniſſima ſententia in ſexto de legibus: *Ad nuptias* (inquit) *vt decet celebrãdas & hæc exhortantur, aſſerentes oportere filiorum filios relinquendo, nobis, videlicet, in diuino miniſterio ſucceſſuros, naturam aſſequi ſempiternam*. Et paulò poſt: *Quapropter parentibus vtriſq; affinibúſque relictis ſeorſim quaſi ad coloniam proficiſcantur, ac viciſſim ſeipſos reſpicientes habitent, liberos generando & educando, & vitam quam ab aliis acceperunt, à ſe quaſi tædas ardentes aliis tradant, Deum ſemper ſecundum leges colentes.*

A Deo inſtitutũ.

A Chriſto ornatum.

Vbi cœpit.

Eiuſdẽ finis & effectus.

Hæc Dei æterni, Scripturæ Sacræ, piorũ hominũ, ac grauiſſimorum Philoſophorum teſtimonia opponantur criminationibus Papiſtarũ, qui coniugiũ tanquam rem prophanam, ac ſtatum, in quo viuere non liceat ſanctiſſimis verbi miniſtris, iudicant: Cũ tamen in Scriptura de Zacharia & Elizabet coniugibus, ſic ſcriptum ſit Lucæ 1.6. Erant autem iuſti ambo coram Deo, verſantes in omnibus præceptis & iuſtificationibus Domini irreprehenſibiles. Et ne excipiant Sacerdotes noui Teſtamenti, Paulus præcipit eligi ad Epiſcopi munus maritum, qui ſit vnius vxoris vir. Et Spiritus Sanctus dicit: Honorabile eſt cõiugium in omnibus, & torus immaculatus. Quare relicta Dæmoniorum doctrina de matrimonij prohibitione, Scripturæ lucem ſequamur, ſecuréque contemnamus omnes tenebras, quas Papa inuexerat contra apertum verbum Dei.

Aduerſ. criminationes Papiſtarum.

Cæterum vt quale nam ſit coniugium intelligatur quaſdam Scripturæ ſententias *Primum* recitabo, *Deinde* certa puncta ſeu membra in coniugio ſpectanda ex adductis teſtimoniis colligam.

Geneſ. 2.20. Adæ cum non inueniebatur adiutor coram eo, immiſit Deus ſoporem in Adam. Cúmq; obdormiuiſſet, tulit vnam de coſtis eius & repleuit carnem pro ea, & adduxit eam ad Adam, dixítque Adam hac vice, os de oſſibus meis, & caro de carne mea: Hæc vocabitur Iſcha, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrẽ & matrem ſuã, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam.

De cõiugio Scripturæ teſtimonia.

Ad Epheſ. 5.22. Vxores propriis maritis ſubditæ eſtote, tanquam Domino, quia vir eſt caput mulieris, quemadmodum & Chriſtus caput Eccleſiæ, & ipſe eſt ſaluator corporis; ſed quemadmodum Eccleſia ſubiicitur Chriſto, ſic & vxores propriis maritis in omnibus. Mariti diligite vxores proprias, tanquam & Chriſtus dilexit Eccleſiã: Et paulò pòſt: Sic debent mariti diligere proprias vxores, tanquã propria corpora. Qui diligit vxorẽ ſuã, ſeipſum diligit.

Ad Coloſſ. 3.18. Vxores ſubditæ eſtote propriis maritis, quemadmodum decet in Domino. Mariti diligite vxores, & ne ſitis amari erga ipſas.

1. Petr. 3.1. Mulieres ſubditæ ſint viris ſuis, vt etſi qui non credunt verbo per vxorum cõuerſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes cũ timore coniunctam caſtam conuerſationem veſtram. Et paulò pòſt: Subiectæ propriis viris ſicut Sara obediebat Abrahæ: Dominum eum vocans, cuius eſtis filiæ, benefacientes & non pertimeſcentes vllam perturbationem. Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impertientes honorem, tanquam & cohæredibus gratiæ vitæ, vt non impediantur orationes veſtrę.

1. Corinth. 7.2. Propter ſcortationem vnuſquiſq; propriam vxorem habeat, & vnaquæque proprium maritum habeat. Vxori maritus debitã beneuolentiam reddat, ſimiliter autem & vxor marito. Vxor proprij corporis poteſtatem nõ habet, ſed maritus: ſimiliter autem & maritus proprij corporis non habet poteſtatem, ſed vxor.

Ex his Scripturæ teſtimoniis quinque colligimus, *Primum* quid ſit coniugium eiúſque fines, quámque arcta ſit copula. *Deinde* inter quas perſonas coniugium licitum ſit. *Tertiò*, quiſnam ſit ordo poteſtatis & ſubiectionis inter coniuges: *Quartò*, qualiſnam affectus mutuus coniugũ eſſe debeat: *Poſtremò*, quódnam ſit ius analogũ in coniugibus. His enim quinque rite perpenſis & cognitis, quid de matrimonio piè ſit ſentiendum apparebit.

Methodus doctrinæ de cõiugio.

Quantum ad primum itaque attinet, Moſis teſtimonium euidenter docet, non ſolum quid ſit matrimonium, verumetiam quã ſit arcta copula cõiugalis. Cum itaque dicit Moſes: Dixit Deus, nõ eſt bonum homini eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi, matrimonium eſſe ordinationem Dei, iuxta quam aptæ perſonæ copulentur in mutuum adiutorium, apertè indicat. Eſt itaque *Vnus finis* coniugij mutuum adiutorium. Deinde cũ additur: Erũt duo in carnẽ vnam, in matrimoniũ tantũ duæ perſonæ, maſculus vnus & fœmina vna admittuntur: vt ſint in carnẽ vnã, id eſt, indiſſolubiliter copulatæ, nõ ſecus atque ſubſtantia ſeu reipſa eſſent vna caro. Prætera dum additur: Creſcite & multiplicamini, *Finis ſecundus* & proprius matrimonij exprimitur, qui eſt, creſcere & multiplicari, quod fit, dũ liberi procreantur & educãtur. Huic fini Paulus adhuc *Tertium* addit: Propter fornicationẽ (ſcilicet vitandã) vnuſquiſque ſuã vxorem habeat. Ex his non erit difficile definitionem matrimonij colligere in hunc modum.

1. Quid ſit.

Tres eius fines.

Matrimonium ſeu coniugiũ eſt ordinatio diuina, in qua legitimè copulãtur vinculo indiſſolubili duæ perſonæ, maſculus & fœmina, vt ſint ſibi inuicẽ adiutorio, procreent, educent ac inſtituãt liberos iuxta voluntatẽ Dei, præterea etiã vt fugiant ſcortationẽ ac omnẽ prohibitã Venerẽ. Hæc definitio collecta ex Moſe, cõtinet omnes cauſas matrimonij, efficientem, materialem, formalem & finales: deinde indicat quam arctum ſit vinculũ, nimirũ Indiſſolubile, cum

Coniugij definitio.

dicitur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dicitur:Erunt duo in carnem vnam. Neque tamẽ ex his ſequitur, nullum diuortium eſſe licitum. Nã cum dicitur indiſſolubile vinculum, oſtenditur qualiſnã ſit res copula coniugalis ex ordinatione Dei, nimirum quod nemo volens hoc vinculum reſcindere debeat. *Diuortium* itaque volũtarium prohibetur, quod cum prima ordinatione coniugij pugnat, & improbatur à Chriſto, Mat.5.32.& 19.7. Marci 10.11. Item: à Paulo 1.Cor.7.12. Cum Dominus ait: Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet: prohibet manifeſte voluntarium diuortium, quod fit ſine cauſa iuſta, ac ſine legitimo iudicio, quod vice Dei exercetur ab ordinatis iudicibus. Verùm de inuoluntario diuortio longè ſe aliter res habet. Dicitur autem Inuoluntariũ diuortium, cum alter coniugum alterum deſerere cogitur, ob nefandum & ſacrilegum adulterium, quo copula coniugalis corrumpitur, ac fides matrimonij perfidè violatur. Tale diuortium Chriſtus nõ improbat, imò diſertis verbis admittit, Mat. 19.7. Vbi ſic inquit: Dico vobis quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Hæc verba Chriſti vnam iuſtã repudij cauſam, nẽpe fornicationẽ diſertè exprimunt. Qui dimiſerit (inquit) vxorem ſuam, & aliam duxerit, mœchatur, ſed excepta fornicationis cauſa. Ergo vbi adulterium interuenit, licet contaminatam perſonam repudiare, licet quoque alium ſocium aut ſociam quærere ſine ſcelere, alioqui exceptio hic fruſtra à domino adiecta eſſet. Quærunt Phariſæi, an liceat ob quamuis cauſam iuxta receptam eorũ cõſuetudinem dimittere vxorem. Quod negat Dominus, ac vnam ſolam exceptionem, nimirum fornicationem ſtatuit. Hæc Exceptio, vt ſtet Scriptura, ſubaudienda eſt, Marci 10.11.& Lucæ 16.18. Vbi eandem quæſtionem tractant Euangeliſtæ. Neque enim fieri poteſt, vt Chriſtus æterna Dei ſapientia ſecũ pugnet: quod profectò faceret, ſi ſpeciem quam in vno loco exciperet à genere, in aliis in genus includeret, quod fieri nequaquã poteſt ſine cõtradictionis implicatione. Iuxta eandem Chriſti regulam, dictum Pauli, 1.Cor.7.12. intelligendum eſt: Loquitur enim Paulus de voluntariis ac vſitatis vulgo diuortiis, quę fiebãt ob quamlibet offenſam. Nam ſi in genere loqueretur Paulus, ſine omni exceptione, pugnaret cũ regula Chriſti, quod ſentire de ſanctiſſimo Apoſtolo impiũ eſt. Ex hiſce itaque clarè conuincitur, quod & licitum ſit diuortium propter adulteriũ, & liceat repudianti impiam perſonam aliud coniugium amplecti. Quod aũt aliqui dicũt, argumentũ hoc eſſe à cõtrario ſenſu, quod nõ in quauis materia valet, falſum eſt, quia hic diſertè exprimitur exceptio, μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, παρεκτὸς λόγου πορνείας, nõ ob fornicationẽ, excepta fornicationis cauſa. Quare verbis Domini, piis in Eccleſia doctoribus, Hieronymo, Ambroſio & aliis multis, & ſanctorum exemplis potius acquieſcendum, quam decretis impuris Pontificum.

De diuortio.

Quæſtio.

Cæterum hic magis adhuc ardua oritur quæſtio de rea perſona, an illi liceat coniugium nouũ quærere poſt diuortium, ſublata omni reconciliationis ſpe? Sed quæſtio hæc ſoluitur ex dicto Chriſti, Mat.5.32. Vbi ſic dixit Dominus: Omnis enim qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicatione, facit eã mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulteriũ cõmittit. Hoc dictum Chriſti etſi vniuerſaliter ſonat, tamẽ exceptionem expreſſam habet. Quare ſic reſoluenda eſt ſententia. Omnis qui dimiſerit vxorem ſuam, facit eam mœchari, & qui dimiſſam duxerit, adulteriũ committit, ſed excepta fornicationis cauſa, hanc exceptionem ad vtrunque membrum pertinere nõ eſt dubium. Quapropter ſi cauſa fornicationis à generali dicto excludẽda eſt, ſequitur profectò fornicationis cauſa repudiatam non mœchari, ſi alteri nupſerit, nec illum, qui repudiatam duxerit, adulteriũ committere. Verùm hic prudenter noſtræ Eccleſiæ, exemplo Saxonicarum Eccleſiarum, & aliarum, quę veram Euãgelij doctrinam cum illis amplectuntur, occurrere ſcandalis conantur, dum externæ diſciplinæ gratia permittendum negant, vt in eadem prouincia ſeu regione, in qua crimen commiſſum eſt, rea perſona nouum matrimonium ineat. Nam ſi hęc diſciplina non adhiberetur, magnæ & horrendæ œconomiarum vaſtationes proculdubio ſecuturæ eſſent. Malignæ enim naturæ ſtudio ſe contaminarẽt, vt hoc modo liberari poſsẽt à matrimonio, quod ſibi moleſtius ac durius eſſe videretur. Quapropter ſeuera diſciplina hîc neceſſaria eſt, qua reprimantur homines impudici, ne ordinationẽ Dei ſacrilegè violent, magno cum Eccleſ. ſcandalo, & œconomiarum ruina.

Porrò cum Dominus dicit extra cauſam fornicationis, cauſam diuortij veram aſſignat, quę ſubſtantiam matrimonij euertit, qualis eſt fornicatio, aut aliæ huic ſimiles, vt coactio ſeu deſertio: quarum illa non fuiſſe coniugium oſtenditur, hac ſacrilegè ruptum cõiugij fœdus declaratur. Quare in his caſibus prudẽtes Iudices quærẽdi ſunt, qui conſciẽtiis rectè cõſulere norunt. Sed de hac re vide examẽ Philippi.

Hactenus de primo partitionis membro dictum eſt. Nunc inter quas perſonas coniugium licitum ſit explicabitur. Quod vt diſtinctius fiat, tres quæſtiones excutiendæ ſunt. *Prima*, ſit ne licitum matrimonium in omnibus hominum ordinibus & ſtatibus. *Altera*, qui cognationis ſeu conſanguinitatis gradus ſint prohibiti. *Tertia*, quibus affinibus contrahere inter ſe matrimonium liceat. Quantum autem ad primam quæſtionem attinet, num licitum ſit matrimonium in omnibus ſtatibus hominum & ordinibus, Papa negat, Spiritus Sanctus ait. Papa quidẽ matrimonium Sacramẽti titulo ornat, ſed cum quæritur an liceat ſacerdotibus, Monachis & monialibus contrahere matrimonium, tanquam oblitus ſui, inter carnis opera numerat matrimonium: & in perfectionis Chriſtianæ operibus ponit ſuum impurum cœlibatum. Ad quã ſuã ſententiam ſtabiliẽdam impudenter abutitur ſuo more verbo Dei. Sed quia apertus hoſtis eſt Euãgelij Chriſti Papa, ipſius autoritas cũ omnibus ipſius legibus meritò eſt cõtẽnenda. Præterea cũ ſententia Spiritus Sancti, pronunciantis prohibitionẽ matrimonij doctrinam eſſe Dęmoniorũ, & clarè enunciantis, matrimoniũ in omnibus honorabile eſſe ordinationẽ Dei, & plurima exẽpla Sanctorum Patriarcharum, Prophetarũ & Apoſtolorũ, & caſtiſſimorũ Epiſcoporũ in primitiua Eccleſia, ex diametro cũ impuro iſto Papæ dogmate pugnant, nõ iudico opus eſſe longiore cõfutatione in re adeo perſpicua. At ſi quis Votũ interueniſſe dicat, quo quod liberum erat natura, factũ eſt nõ liberum: dico votũ temerariũ & impiũ nõ obligare, poſtquã is qui ſtulte vouit, rectius verbo Dei edoctus eſt. Sed de hac quæſt. ſupra ca.6.2.claſſis. Altera quæſtio de gradib. cõſanguinitatis, plus habet difficultatis. Sũt.n. qui inter eas perſonas oẽs, cõtractus matrimonij eſſe licitos docẽt, quę nõ nominatim prohibẽtur, Leuit. 18. Sũt rurſus qui propter propoſitionẽ vniuerſalẽ in Moſe expreſsã, nõ tantum eas perſonas prohibitas putãt, qui (vt dicũt) recẽſentur exẽpli gratia, verũetiam multò plures, vt quę à Iuſperitis & Canoniſtis recitãtur, vſq; ad 4. gradũ incluſiuè. Sed perſonas enumeratas in Moſe ordine recitabo. 1. pater. 2. mater. 3. nouerca. 4. Soror germana. 5. priuigna. 6. neptis ſeu filia filij. 7. amita ſoror patris. 8.

2. Inter quas perſonas cõiugiũ eſt licitum.

1. An coniugiũ omnibus liceat.

2. De gradibus cõſanguinitatis.

Conſanguinei.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Matertera ſoror matris. Hîc primus & ſecũdus gradus conſanguinitatis prohibentur, etſi non vniuerſaliter. Qui priorem ſententiam tuentur, matrimonium extra hos gradus enumeratos conſanguinitatis contractum probant, & non diſſoluendum propter humanas leges docent. Qui ſecus ſentiunt, multò plures perſonas prohibitas lege naturæ volunt, de quibus conſulendæ ſunt leges politicæ, quas iudico in hac parte religioſè ſeruandas eſſe, & peccare eos ſtatuo, qui has leges violant, niſi diſpenſatione ſuperioris magiſtratus excuſari poſſint.

Affines.

Porrò perſonæ ratione affinitatis prohibitæ, hæ ſunt. 1. vxor patrui. 2. nurus ſeu filij vxor. 3. vxor fratris. 4. priuigna. 5. filius priuigni vel priuignæ. 6. ſoror vxoris. Plura de gradibus conſanguinitatis & affinitatis petantur ex ſcriptis Iuriſconſultorum & libello Philippi, & tabulis Georgij Maioris. Ego tantũ Catalogũ perſonarũ breuiter in Moſe prohibitarũ inſtitui.

3. Ordo poteſtatis & ſubiectionis inter cõiuges.

Iam qualiſnam ſit Ordo inter cõiuges videamus, qui quidem ex prima cõiugij inſtitutione ante peccatum, & deinde poſt lapſum ex mandato Dei intelligi poteſt, nimirum quod vxor marito ſit ſubiecta, quę ſanè ſubiectio nequaquam tyrãnica eſſe debet, neque qualis dominorum eſt in ſeruos. Non enim vxor habenda eſt tanquam mancipium aut ſerua, ſed tanquam conſors vitæ omniúmque bonorũ. Vocabulum coniugis quod à coniugando deductũ eſt, tam virum quam mulierem comprehendit, vnde conſortium, coniugium intelligitur. Abraham & Iſaac ſua cum vxoribus conſilia communicarunt. Imo ipſe Abraham verbo Domini iubetur audire ſuam vxorem. Rex Artaxerxes, Heſter, quam captiuam ſeruam duxit, literis publicis conſortem regni ſui vocat, idque haud immeritò. Neque enim coniugium vxorem ancillam aut ſeruã eſſe patitur, quod ſanè primum matrimonium clariùs oſtendit. Eua ſiquidem non de Adæ capite, neq; de pedibus eſt facta, verùm ex coſta, ex quo ſignificatur, quod neque domina, neque ſerua illi ſit cõdita, ſed ſocia & conſors. Liberalis itaque eſt ſubiectio mulierum, non ſeruilis, vt quæ charitate legis potius quàm dominationis imperio ſubiicitur marito.

4. De mutuo affectu coniugum.

Sequitur quod quarto loco propoſui, qualiſnam affectus mutuus coniugum eſſe debeat. Euripides clarè dicit: *Salus hæc domus maxima eſt, ſi vxor & maritus rectè concordant, & à ſe inuicem non diſſentiunt.* verùm tum demum dulcis mariti & vxoris conſuetudo erit, cum eam pietas, virtus, mutua ἐπιείκεια, & mutuus amor mollem & ſuauem reddit. Firmiſſimum etenim adeóque primum conſuetudinis vinculum fuerit inter coniuges, ſi mẽtes eorum pariter in Deo vnũ ſint, quod quidẽ facit, vt ſe mutuo amẽt, quia decreuerũt Deo obedire. Nulla.n. eſt virtus firma, nulla ſtabilis amicitia, niſi à Deo ortũ habeat. Virtus inter cõiuges mutuã oblectationem parit, quemadmodum inquit Andromacha: hæc nomẽ decúſque parit, quæ ſanè dum in ſecundis & aduerſis rebus exercetur, conſuetudinem vitæ reddit amabiliorem. Mutua ἐπιείκεια in omnibus amicitiis adhibenda eſt, & maxime inter coniuges, qua quaſdam interdum iniurias ferre neceſſe eſt. Mutuus amor ex pietate natus, virtute confirmatus, & mutua ἐπιεικείᾳ auctus, errata incidentia corrigit, leniter mitigat, facítque vt in omnibus duris iucunda ſit vita.

5. De iure analogo inter cõiuges.

Reſtat quod poſtremo loco propoſui, de iure analogo inter coniuges. Quod tametſi intelligi poteſt ex iis, quæ dicta ſunt, tamen breuiter attingendũ videtur. Cum Dominus dicit: Faciamus ei adiutorium ſimile illi, hoc eſt, faciamus mulierem, quæ viro æquali officij iure reſpondeat. Vt enim mulier iure marito officium debet: Ita viciſſim maritus κατ' ἀναλογίαν mulieri reſpondeat officio neceſſe eſt. Mulier ſit viro ſubiecta liberaliter: maritus viciſſim eã foueat, ac amabiliter tractet. Mulier obedientiam Deo præſtet in ferendis partus doloribus: vir viciſſim afflictam cõſoletur, trahátque partem iugi commiſerando & fouendo. Mulier οἰκουρὸς, id eſt, cuſtos domus, iuxta traditionem Apoſtoli, & pudica, familiarem rem conſeruet, augeat, & rectè diſpẽſet: maritus cõtrà domum defendat, foris agat, laboret pro vocationis ratione, & iuſtum victum iuſtè conquirat. Breuiter, maritus & vxor officioſè ſe inuicem obſeruent, ac ſibi mutuo debita officia iuxta rationem conditionis vtriuſque præſtent. Quod cum ſit, ſibi inuicem reddunt quod debent, ſeu vt Paulus loquitur, τὰ αὐτὰ, quo dicto ius analogum in officiis præſtandis ſignificatur. Vt cum mulier marito paret, maritus armis defendit vxorem. Officia hæc diſſimilia quidem ſunt reipſa, attamen iure analogo ſibi mutuo pulchrè reſpondent, & ſunt æqualia.

Caput X.

PATRIVM IMPERIVM.

Tria membra huius capitis.

Dixi ſupra, Oecenomiam tribus quaſi iugis conſtare, quorum tertium, quod eſt parentũ & liberorum, explicandum reſtat. Quod quia in quarto præcepto ſupra ex parte explicatum eſt, hic breuiter *Primum* Scripturæ ſententias paucas colligam, *Deinde* ex his ſententiis notatis, officia parentum & liberorum extruam, vt inde qualénam ſit patrium imperium appareat. *Poſtremò* de præmiis & pœnis præſtiti officij & non præſtiti agam.

1. Scripturæ teſtimonia.

1. Exod. 20. 12. Sancitur patrium imperium his verbis. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram. 2. Daniel. 13. 3. De parentibus Suſannæ ſcribitur: Parentes illius cum eſſent iuſti, erudierunt filiam ſuam in lege Moſi. 3. Ephe. 6. 4. Et vos patres nolite ad iracundiam prouocare liberos veſtros, ſed educate in diſciplina & correptione Domini. 4. Coloſſ. 3. 22. Patres nolite prouocare liberos veſtros, ne &c.

2. Officia parentũ.

Ex his paucis ſententiis non eſt difficile colligere officia parentum mutua erga liberos. *Primùm* enim voce Dei parentibus traditur autoritas in liberos, vt ipſis præſint in familia, ac quæ recta ſunt imperẽt facienda. Ex quo ſequitur, liberos iure diuino parentibus debere eſſe morigeros. *Secundò* parentum eſt pueros educare, quod officium non ſolũ lex naturæ imperat, verumetiam hunc affectum educandi & tuendi natos, omnibus animantibus inſeuit natura. *Tertiò* debent parentes liberaliter ſuos liberos tractare ac prudenter, vt retineantur in officio. Et ſummopere cauendum, ne vel nimia indulgẽtia, vel nimia auſteritate natos perdant. *Quartò* honeſtis in moribus & vera pietate erudire liberos pars officij parentum præcipua eſt. Ideo enim liberos generamus (vt rectiſſimè Plato ſenſit) vt Deo cultores pro nobis (vbi fatis conceſſerimus) relinquamus. Hoc præcipuum poſt pietatem animi erga Deũ, ſanctorum patriarcharum, Regum, atque adeo omnium piorum ſtudium ſemper extitit. Atque hæc præcipua parentum officia ſunt erga liberos, quos iure analogo æqualia parentibus reddere decet.

3. Officia liberorũ.

Verũ quia liberorũ officia in quarto pręcepto includũtur, cũ dicitur: Honora parẽtes, inde ea colligã. Honoris igitur vocabulo liberi *Primũ* iubẽtur agnoſcere parẽtũ autoritatẽ & eminentiã ordinationẽ diuinã eſſe. Nihil.n. voce Dei honorabile dici põt, niſi idẽ à Deo ꝓfectũ ſit & ordinatũ. *Deinde* requiritur

hîc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

hîc reuerentia erga parentes, tanquam erga Dei vicarios & nutricios ciuium Eccleſiæ Chriſti. Proinde maieſtas quędam diuina in parentibus animaduertēda eſt. *Tertio* loco verbū honoris includit in ſe obedientiā erga parentes, quę obedientia tantiſper & eatenus præſtanda eſt, donec & quatenus cum obedientia, quam ſupremo parenti Deo debemus, ſtare poteſt. Hic dictum Domini Lucæ 14.26. Si quis vult venire ad me, & non odit patrem ſuum & matrem ſuam, &c. non poterit eſſe meus diſcipulus. Hic odij vocabulum non affectum, ſed euentum ſequentem odium ſignificat, qui eſt detrectare imperiū, & non facere imperata contra Deum. Iſtud igitur odium pietatis eſt, non crudelitatis. Præterire enim, fugere, negligeréque omnes debemus, quando eos vnà cum Deo colere nequimus. At vero ſi vtrumque debitè poterit, & Deo & parentibus obedientia exhibenda eſt. Neque enim obedire parētibus is rectè dicitur, qui quicquid iuſſerint faciat, ſed tum demum parentibus aliquis obedit, cum ſponte facit, quæ ipſi recte iuſſerint. *Quartò*, honoris vocabulo Gratitudo etiam ſignificatur erga parētes, vt ſi opus fuerit, eos ſenio confectos iuuent, foueant, alant, & omnium officiorum genere ſubleuent. *Quintò*, honor pręterea requirit ἐπιείκειαν, qua liberi tolerant parentum errata. Quantumuis enim pauperes & miſeri ſunt, precioſi ſunt nobis habendi, conſideranda eſt quædam in ipſis diuinæ maieſtatis ſimilitudo. Quare etſi interdum videntur nobis parum honorabiles, maieſtas tamen diuina (vt antea dixi) in ipſis conſideranda eſt. Proinde moroſitati, delirio, & quibuſlibet parentum vitiis, opponendum eſt nomen Patris & Matris. Non enim tam quales parentes, quam quod parentes habemus æſtimandum eſt. Atque hæc officia liberorum ſunt erga parentes, quæ ad duo capita breuitatis cauſa reuocare poſſumus, nimirum ad *Affectum* & *Effectum*. Illo eos animo proſequimur, hoc externa beneficia omnia, quæ iis grata eſſe nouimus, præſtamus. Quātumuis enim multa in eorum gratiam fecerimus, ſemper tamen inferiora erunt omnia, quam eſſe deberent. Ex hac collatione officiorum mutuorum parentum & liberorū, non eſt difficile iudicare, qualenam ſit parentum *Imperium*, qualiſque liberorum *Subiectio*. Mitius enim parentum in liberos, quam dominorum in ſeruos imperium eſt. Autoritas maior eſt parentum in liberos, quam maritorum in coniuges, & proximè accedit imperium patrium ad regale imperium.

Qualis parentū autoritas & liberorū ſubiectio ſit.

Iam reſtat quod poſtremo loco de præmiis & pœnis propoſui, quæ duabus vocibus, nēpe Benedictionis & Maledictionis in Scriptura ſignantur. Vt enim parentes, qui liberos ſuos voluptatibus indulgere permittunt, diuinitus maledicuntur, vt Eli Sacerdos: ſic qui officia præſtant à Deo imperata, benedictionem reportant. Et vt longæua vita promittitur liberis honorantibus parentes: ita maledictio immorigeris denunciatur. Salomō: Oculus qui ſubſannat patrem ac matrem ſuam, corui eum effodiēt. Vnde tritum prouerbium:

4. Pręmia & pœna.

Paret carnifici renuens parere parenti.

Exempla ſunt maledictionis, Cham, Ruben, filij Eli, Abſolon, & alij innumeri.

CAPVT XI.

VSVS DIVITIARVM ET *rerum præſentis vitæ.*

Regula generalis de vſu rerū huius vitæ.

CVM diuus Paulus 1. Corin. 7.31. dicit: Qui vtuntur hoc mundo, ſint tanquam non vtentes, nō præcipit Chriſtianis abiicere facultates, ſed Chriſtiani hominis animum rebus terrenis non debere occupari, nec in illis acquieſcere docet. Sic enim viuere nos oportet, quaſi ſingulis momentis migrandum ſit ex hac vita. Quapropter in omnibus rebus, præſentis vitæ corda erecta eſſe debent ad meditationem vitæ cœleſtis. Atque hæc regula generalis eſto de vſu rerum præſentis vitæ. Porrò quia in rebus mundi nihil perículoſius eſſe poteſt, quam magna rerum affluentia, niſi ſancta prudentia aſſit (verè enim Plato dixit, diuitias cæcas eſſe ſine prudētia, & eaſdem acutè cernere vbi prudentiam ſequuntur) tria breuiter de diuitiis dicam. *Primùm*, Quæ rationes acquirendarum diuitiarum licitæ ſint. *Deinde*, qualiter nos Deus erga diuitias eſſe velit affectos. *Poſtremò*. Quis diuitiarum vſus rectus & legitimus.

Membrā huius capitis.

Quantum itaque ad legitimas rationes acquirendi diuitias attinet, omnium primum inchoādum eſt à regula Chriſti, Mat. 6.33. Quęrite primùm regnum Dei, &c. *Prima* igitur cura & præcipua eſſe debet ſalutis animæ. II. quia hæc vita opus habet adminiculis, iuxta Dei ordinationem quæri poſſunt facultates, licétque iis, quę ad victum cultúmque neceſſaria ſunt, quærendis operam dare, id quod non ſolùm ſanctorum exemplis, verumetiā mandato Dei confirmatur, qui benedictionē promittit pie laborātib. 3. lucrum quod proficiſcitur nobis laborantibus ex benedictione Dei, capiamus tanquam ex manu Dei, neque malis artibus vtamur, quo facultates aliorum ad nos trahamus, fructúmque laboris noſtri, tanquam iuſtam mercedem percipiamus. 4. In contractibus abſint fraudes & fallaciæ, apertéque & ſimpliciter agamus omnia, ea fidelitate, quā ipſi ab aliis vellemus requirere. 5. Sit labor legitimus legitimæ vocationis, vt bona conſcientia gloriari poſſimus, nos in vllius fraudem nihil egiſſe.

1. Licita ratio acquirendi diuitias.

Partis diuitiis ſingularis ars adhibenda eſt, ne nobis in ſpinas & laqueos conuertantur. Quod ne fiat, Dauidis & Pauli ſequamur cōſilia, quorum ille quidem Pſalm. 62.11. ſic ait: Si affluent diuitiæ, noli cor apponere. Hîc vero 1. Tim. 6.17. Diuitibus in ſeculo præcipito, ne efferantur, néue ſperent in diuitiarum incertitudine, ſed in Deo viuo. Eſt itaq; præcipuum, ne diuitiarum huius ſeculi cupiditate ducamur, ne iis animum aut fiduciam adiiciamus, eas à nobis abdicare ſimus parati, quoties Deo libuerit. Siue habeamus eas, ſiue iis careamus, tanquam res caducas & fragiles aſpernemur, atque ſolam benedictionē Dei omnibus rebus mundi præferamus. Abſit fallax ſpes in incertis diuitiis. Abſit ſuperbia & contemptus pauperum. Aſſit ſpes in diuitiarū largitore, aſſit pius humiliſq; animus. Porrò vbi ſic animo diues effectus eſt aliquis, etſi ei nō erit difficile, diuitias recte in gloriam Dei, & proximi vtilitatem diſpenſare: tamen nōnihil dicendum eſt, vt legitimus diuitiarum vſus conſpiciatur: Qui eſt quadruplex. *Primus*, vt conferantur diuitiæ ad promouendam religionem & gloriam Dei. Si enim ipſi nati ſumus, vt Deū glorificemus, profecto huic vſui quicquid habemus, ſeruire debet. *Secundus* vſus eſt, vt eas in quibus viuimus, reſpublicas iuuemus ac ornemus noſtris facultatibus, ideóque tributa ſoluenda ſunt. *Tertius* vſus eſt, vt ipſi nos pro conditione noſtri ſtatus honeſtè alamus, noſtram familiam foueamus, vt domus noſtra pro facultatum ratione honeſta conſeruetur; ſine ſordibus & prodigalitate. *Quartus* & poſtremus vſus eſt, vt fontes noſtri, iuxta Salomonis conſilium deriuentur foras, hoc eſt, vt liberales ſimus erga pauperes, diuites in bonis operibus, quò multi noſtris bonis gaudere poſſint, nobiſcum Deo patri Domini

2. Erga diuitias vt affectos eſſe deceat.

3. Vſus legitimus diuitiarū.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

noſtri Ieſu Chriſti gratias agentes, qui abunde ſuppeditat omnia.

TESTIMONIA DE DIVITIIS.

1.Prouerb.11.28.Qui confidit in diuitiis ſuis, corruet.2.Prouerb.15.16.Melius eſt parum cum timore Domini, quàm theſauri magni & inſatiabiles. 3.Pſal.62.11.Si diuitiæ affluant,noli cor apponere.4. Prouerb.5.16.Fontes tui deriuentur foras,& tu Dominus eorum eſto.5.1.Timoth.6.17.Diuitibus huius ſeculi præcipe, ne ſublime ſapiant, & ne ſperent in incertitudine diuitiarum,ſed in Deo viuo.

CAPVT XII.

DE SOLICITVDINE, *& Cura licita & Illicita.*

Cura prophana Dei cultũ euertit.

QVIA nulla maior peſtis eſt veri cultus Dei, quam Ethnica & prophana Cura & Solicitudo: & rurſus nihil magis optandum, quam vt vnuſquiſque ſolicitè ambulet coram Deo in vocatione ſua, operæprecium eſt, vt rectè inſtituantur pij de ſolicitudine licita & illicita, ne nimiũ vel in dextrã partem deflectant, omnem curam abiiciendo, vel in ſiniſtram, Ethnicam & prophanam curam amplectendo.Quare tenendum, quod triplex ſit cura. I.Prophana & Ethnica. II.Neceſſaria & ſancta. III. Mixta ex illis.Harum quidem extremæ illicitæ, media verò licita eſt.

Triplex cura.

1.Impia.

Impia ſeu Ethnica ſolicitudo eſt, quæ oritur ex diffidentia & ignorantia prouidentiæ Dei.Hæc damnatur Matth.6.vbi Chriſtus multis argumentis, à prouidentia Dei ſumptis,ab ea dehortatur.Hęc cura interdum Carnis cura dicitur,cùm quia ex carnis ſenſu ſine fide proficiſcitur,tum quia ſcopum habet carnalem,nimirum præſentis vitæ quietem & tranquillitatem.

2.Neceſſaria.

Solicitudo, quam dico neceſſariam, piam & ſanctam,commendatur ſcripturæ teſtimoniis & exemplis,Rom.12.8.Qui præeſt,in ſolicitudine. 1.Tim.5. 8.Si quis ſuorum & maximè domeſticorum, curam non habet,fidem abnegauit,& eſt infideli deterior. Abraham,Iſaac,Iacob,piam ſuæ familiæ curam habuerunt.Ioſeph in Ægypto ſeptem annorum curam in ſe piè ſumpſit. Daniel in Babylone,pij reges & prophetæ in populo Dei non tanta geſſerunt ſine hac ſancta cura.Paulus 2.Cor.11.28. ad Coloſſ.2.1. 1. Theſſ.2.1. ſuam ſolicitudinem pro Eccleſia fatetur. Sic reges pro ſuis regnis, patresfamiliâs pro ſua familia,miniſtri verbi pro ſuis auditoribus,pręceptores pro ſuis diſcipulis, breuiter, ſinguli in ſua vocatione ſanctam quandam ſolicitudinem habere poſſunt & debent,modo in impietatis notam incurrere nolint.Verùm ne hæc ſancta ſolicitudo contaminetur: ſciendũ eſt ad eam quinque requiri. Horum *Primùm*, mandatum Dei eſt. Mens enim pia nihil aggredi debet ſine mandato Dei. Honeſta igitur erit vocatio piæ & ſanctæ curæ. *Deinde* proficiſci debet ex fide. Nam ſine fide Deo placere nihil poteſt. *Tertiò*, quia niſi Dominus ædificauerit ciuitatem, fruſtra laborant qui ædificant eam,adhibẽda eſt inuocatio quidẽ,qua auxilium Dei petas,gratiarũ vero actio, qua ſucceſſum Deo tribuas,& non tuæ prudentiæ aut iuſticiæ. Eſt enim optimum remedium aduerſus ſolicitudinis Ethnicæ tentationem, precibus ardentibus ad Deum confugere, quod ad Philip.4.6.docemur. *Quartò* tendat tua cura in gloriam Dei principaliter. Quanquam autem tuæ domus incolumitas ſpectari poteſt,tamen principalis finis erit gloria Dei. *Quintò*, ſi parum labor noſter votis reſpõdeat,ſubmittamus nos paternæ voluntati Dei, in vero timore & humilitate, iuxta conſilium Petri dicentis: Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore exaltationis,omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum,quoniam ipſi cura eſt de vobis. Et Pſalm.55.23.Iacta ſuper Dominum curam tuam,& ipſe te enutriet,& non dabit in æternum fluctuationem iuſto. Debent igitur pij iuxta verbum Chriſti,1.quærere regnum Dei,2.Dei iuſticiam,3.fide promiſſionem curæ diuinæ amplecti.Dicit enim, Et hæc omnia adiicientur vobis.4. abiicienda eſt profana ſolicitudo,ſtrenuéque in vocatione laborandum,ſeruatis circumſtantiis ſanctæ curæ,quas enumeraui.

3.Mixta ſolicitudo.

Mixta eſt, quæ partim pia apparet,partim prophana conuincitur, vt, cum curamus quidem, quæ officij noſtri ſunt,id quod Deus ſerio à nobis requirit:ſed propter innatã nobis dubitationem de prouidentia Dei,limites tranſgredimur, ac in officium Dei ſacrilege irrumpimus.Vt,cum paterfamiliâs recte quidem & piè inſtituit liberos, ſuam familiam curat,ſed nimia trepidatio & anxietas ad impatientiam impellit,quando votis non reſpondet labor & cura noſtra. Iactet igitur hanc curam pius in Dominum,& ſtrenuè faciat officium,ne ſinat piam curam Ethnica diffidentia conſpurcari, quò abiecta Ethnica difficentia & anxietate, pax nobis internè conſtet, ac erga homines ſimus modeſtiores & manſuetiores, cum quibus eidem Domino ſeruiamus, excuſſo iugo Mammonæ & Ethnicæ ſolicitudinis.

CAPVT XIIII.

PERFECTIO CHRIſtiana.

Neceſſitas & vſus.

HVc breuiter commonefactionem & doctrinam vtilem de Chriſtiana perfectione adiiciam.Nam huius rei vera explicatio & ſtimulos addit in ſtadio pietatis currentibus,& cõſolatur pios, dum ſuas ſordes & imperfectionem agnoſcentes, intuentur beatam illam vitam, in qua plena perfectione beati fulgebunt,ſicut ſol,in domo patris ſui. Vt autem hanc doctrinam rectius intelligamus, omnium primum ſtatuendum eſt diſcrimen inter duplicem perfectionem piorum: quarũ vna in præſenti vita exiſtit, altera erit in futura. Ingens enim diſcrimẽ eſt perfectionis Chriſtianæ ratione huius duplicis ſtatus.Nã lõgè alia eſt perfectio currentis, quam perfectio peruenientis. Illa militantis, hæc triumphantis eſt. Pij itaque in hac vita dicũtur perfecti,non ſicut perficiendi ſunt in illa immortalitate, qua æquabuntur angelis Dei: ſed ſicut eſſe poſſunt in hac peregrinatione perfecti. Neque enim præſentis vitæ perfectio ęſtimanda eſt ex perfectione iuſticiæ (Nemo enim eſt qui non peccet)ſed ex imputatione diuina,& cordis rectitudine,qualis eſſe poteſt in hac vita. At in futura vita æſtimabitur ex perfectione iuſticiæ, vbi erit plena glorificatio ſanctorum, plena noticia Dei, abſoluta cordium puritas, & perfecta obedientia in omni æternitate.

Diſcrimen perfectionis piorum. In hac vita. In futura.

De perfectione in hac vita.

Porro *Definitionem* perfectionis Chriſtianæ,qualis eſſe poteſt in hac vita,colligam primum. *Deinde* partes eius ſubiiciam. *Tum* quare perfectionis nomen ei tribuatur oſtendam.

Chriſtus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Chriſtus Matth.19.21.iuueni, à quo interrogatus erat de vita æterna conſequenda, dicit: Si vis perfectus eſſe, vade vende tuas poſſeſſiones, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & huc ſequere me. Ex his verbis Domini ſolidam definitionē colligere non eſt difficile: vbi primum hoc ſtatuerimus, quod hoc fuerit, quantum ad ſpeciem facti attinet, *Perſonale Præceptum*, alioqui, nec Noë, nec Abraham, nec Dauid fuiſſent perfecti; qui tamen perfecti teſtimonio Dei dicuntur. Proinde genus facti nobis definitionem perfectionis exhibebit. Quid hîc requirit Chriſtus ab adoleſcente? vt ex præcepto intelligat ſe imperfectum eſſe, vt vendat facultates, det pauperibus, & ſe ſequatur. Vendere autem facultates mandante Chriſto, eſt obedientiam erga Chriſtum anteferre omnibus rebus mundi, & paratum eſſe, non ſolùm vendere, ſed etiam perdere propter Chriſtum omnia, ſi res ita poſtulauerit: & ſimul Chriſtum ſequi, & proximum beneuolentia complecti. Nam hæc Chriſtus coniungit. *Perfectio* itaque *Chriſtiana* eſt agnita imperfectione, ex fide Chriſti obedientiam erga Deum præferre omnibus rebus mundi, ac ei totam vitam approbare. Si ita eſt igitur, hæc perfectio in affectu potius, quam in effectu, in imputatione perfectiónis potius quā in perfectione iuſticię. Deus autem ex ſua bonitate tale ſtudium Perfectionis titulo ornat, vt magis magiſque ad perfectionem tendamus. Hæc definitio per locum à coniugatis etiam probari poteſt. Scriptura Abrahamum pronunciat perfectum: quia voci Dei obtemperauit, dulci patria, parētibus, amicis, fortunis præſentis vitæ poſthabitis: Deum veracem credidit, ei totam vitam approbauit. Similiter ante ipſum Noë, qui iuſtus & perfectus in ſcriptura prædicatur, vocem Dei audiuit, impiis mundi conſiliis renunciauit, parauit arcam, & ſe totum ad normam verbi diuini, concepta in ipſum fiducia, compoſuit. Ex his confirmatur apertiſſime definitio quam propoſui. *Philippus* hanc tradit, quæ à mea nō diſſentit: Perfectio Chriſtiana eſt agnitio noſtræ infirmitatis, & fiducia mediatoris, & præſentia Dei in cordibus noſtris transformantis nos, vt fiamus ſimiles imaginis Dei, quæ eſt λόγος æterni patris.

Perfectionis Chriſtianæ definitio.

Definitionis confirmatio.

Partes.

Porrò Partes Chriſtianæ perfectionis ſitæ ſunt in rectitudine mentis, affectuum puritate, & morum integritate. *Rectitudo mentis* eſt recte ſentire de Deo iuxta ipſius verbum: *Puritas Affectuum*, agnitione noſtræ infirmitatis, fiducia mediatoris, & voto pietatis continuandæ æſtimatur. *Morum Integritas* in pietate erga Deum, ſanctimonia vitæ, dilectione erga homines, ſancta in vocatione cura abſoluitur. Breuiter, perfectio Chriſtiana poſita eſt in vera conuerſione hominis ad Deum, ſeu pœnitētia ſalutari.

Hæc vera conuerſio ſiue pœnitentia triplici de cauſa perfectionis nomine honoratur. 1. Propter reſpectum ad ſuperiorem vitam, cum in tenebris & ignorantia Dei viximus. 2. Propter imputationem. Etſi enim ſordes multæ adhærent ſanctis, tamen Deus iſtas ſordes non imputat, modo ſpiritu ipſius ducatur. 3. Quia ad perfectionem illam glorioſam tendit.

Pœnitentia cur ſit piorū perfectio.

Porrò perfectio Chriſtiana qualis in futura vita erit, antea definita eſt, & ſimiliter in tribus eſt poſita. *Primum* in doctrina, ſeu noticia, ſeu in mentis rectitudine. Cum venerit, inquit Apoſtolus 1. Corint. 13.10. τὸ τέλειον, abolebitur τὸ ἐκ μέρους. Nunc cernimus per ſpeculum in ænigmate, tunc facie ad faciem. *Deinde* in affectuum perfecta puritate: erunt enim puriſſimi cordis puriſſimi affectus, ardēs dilectio Dei, læticia ſpiritus, &c. *Poſtremò* in tota vita lucebit imago Dei. Nos, inquit Paulus, ſpiritu ex fide ſpem iuſticiæ expectamus, 1. Iob.3.2. Cariſſimi, filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus, ſcimus, quoniā cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicut eſt; & omnis qui habet hanc ſpem in eo, purificat ſe, ſicut ille ſanctus eſt. Breuiter, perfectio ſanctorum in beata vita, conformitas noſtri cum Deo erit, habitatio Dei in nobis, plena fruitio Dei, abſoluta dilectio, cui ſpes (vt Iohannes monet) nos excitare debet ad ſanctimoniam vitæ in hoc mundo, vt aliquo modo illam expectatam inchoëmus perfectionem iuſticiæ. Hæc de perfectione Chriſtiana ſcire vtile eſt, vnde non ſolum excitamur ad diligentiam in tota vita, verumetiam aduerſus peſtilentem doctrinam Monachorum de perfectione armamur, qui perfectionem in mendicitate ponunt, contra omne verbum Dei, ac exemplā eorum, qui perfectionis laudem in Eccleſia conſecuti ſunt.

De piorū perfectione in futura vita.

Quid ſit.

TESTIMONIA DE PERfectione Chriſtiana.

1. Iacobi 1.4. Cæterum patientia opus perfectum habeat, vt ſitis perfecti & integri, nullaque in parte diminuti. 2. Matth.5.48. Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter. 3. Coloſſ.1.19. In ipſo (*Chriſto*) complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipſo. 4. Philip.3.12. Non quod apprehenderim, aut iam perfectus ſim, ſed ſector, ſi etiam apprehendam, quatenus apprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Fratres, ego meipſum nondum arbitror aſſecutum eſſe; vnum autem illud ago, ea quidem quæ à tergo ſunt obliuiſcens, ad ea vero quæ à fronte ſunt enitens, iuxta præfixum ſignum inſequor ad palmam ſupernæ vocationis Dei per Chriſtū Ieſum. Quotquot itaq; perfecti ſumus, hoc ſentiamus. 5. Matth.19.21. Si vis perfectus eſſe, vade & vende quę poſſides, da pauperibus, & veni, & ſequere me.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

N. H.

VIA VITÆ.

CHRISTIANA ET ORTHODOXA INSTITVTIO, COMPLECTENS PRÆCIPVA CHRISTIANÆ RELIGIONIS CAPITA,

quæ homini ad ſalutem conſequendam cognitu neceſſaria ſunt tradita

A'

NICOLAO HEMMINGIO ex Danica in Latinam linguam tranſlata ab ANDREA SEVERINO VELLEIO.

GENEROSO ET MAGNIFICO VIRO, SAPIENTIA, PIETATE ET VIRTVTE

præſtanti Biornoni Kaaes, Domino de Starupgaard, Senatori regni Daniæ prudentiſſimo, regio in arce Malmogienſi præſidi: & huius dilectæ coniugi, nobili, caſtæ & piæ Dominæ, Chriſtianæ Nicolai Fil.

Gratiam & pacem à Deo Patre, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum precatur NICOLAVS HEMMINGIVS.

OMNIVM, quæ ſunt in mundo, rerum, nihil neque melius, nec precioſius, neque adeò vtilius, quàm Deum & voluntatem ipſius rectè noſſe & hunc ipſum colere atque venerari. Quemadmodum enim vniuerſus hic mundus momentaneus eſt & tranſibit, ita etiam huius opes, quantumuis ſpecioſis ac magnificis inſcribantur titulis, fluxas omnes & caducas eſſe, experiẽtia quotidiana demonſtrare ac docere nos poſſet, niſi occæcari aut faſcino quaſi dementari nos ab eo pateremur.

Deum autem rectè noſſe, & agnitum iuxta voluntatem ipſius in verbo patefactam ritè colere, id demum verò in æternum permanet, & hominem ab hac mundi inconſtantis fluxibilitate, recta in vitam & ſalutem æternam perducit.

Itaque apud Iohannem inquit Chriſtus: Hæc eſt vita æterna, vt agnoſcant te ſolum eſſe verum Deum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum. Et alibi: Quid prodeſt homini ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Propterea rectè iudicat Dauid Pſal. 84. vbi inquit: Melior eſt dies vna in atriis tuis, ſuper millia. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis impiorum. Quia Sol & Scutum Dominus Deus, gratiam & gloriam dabit Dominus, non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.

Hiſce verbis conſtituit Dauid diſcrimen inter eos, qui ſunt extra Eccleſiam, & hos qui in Eccleſia Chriſtiana exiſtentes, Dei eſſentiam ac voluntatem, rectè norunt. Collocat autem diſcrimen hoc in rebus quinque maximè memorabilibus, ex quorum anthiteſi illuſtrius vtrunque apparet, videlicet, & quantum ſit Deus ac ſumma beatitudo filiorum Dei, & cõtrà quanta ſit miſeria ac calamitas, etiam potentiſſimorum in hoc mundo, qui non ſunt ciues Eccleſiæ Dei.

Primum bonum & commodum filiorum Dei ſeu Eccleſiæ, eſt quòd *Deus* ipſe in ea ſit tanquam *ſol lucidiſſimus*. Vt enim ex ſole hoc aſpectabili eſt mundo lux, calor & radij, quibus omnia viuificantur & fouentur: Ita ex Deo, qui eſt ſol inuiſibilis, eſt Eccleſiæ ſplendor, id eſt clara Dei noticia, eſt calor, hoc eſt, affectus ſpe, fide, dilectione ardentes, & radij, qui ſunt multiplices conſolationes, quibus anima fidelis viuificatur, fouetur & exhilaratur.

Hic Sol, vt timentibus Deum oritur, ita negligentibus, pernicioſè viuentibus, & ſecuris occidit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

cidit. Cauendum itaque ſummopere, ne pij ſua quadam ſocordia legendi aut audiendi verbum Dei, in quo hic Sol relucet, ſinant hunc ſolem ſibi obſcurari aut occultari. Nam vt hic ſol aſpectabilis, ſi viſus fuerit ægroto in ſomniis occultari aut obſcurari, periculum eſt inſtare, vt ait Hippocrates, ægroto certiſſimam mortem: Ita ſi ſol noſter Chriſtus obſcuretur nobis, abolita vel obſcurata doctrina, non tenebræ ſolùm, ſed mors animæ & condemnatio æterna certiſſima impendent.

Porrò hinc æſtimare licet miſeriam eorum, quotquot hoc Sole ſeu verbo Dei deſtituuntur. Nam & in tenebris ignorantiæ palpitant cæci, & ignari Dei horrenda animorum conſternatione percelluntur, cum ſe peccatum in eorum conſcientiis prodit. Et quamuis in multis conſcientia veluti cauterio aduſta videatur, ac ſi expers eſſet omnis ſenſus peccati, expergiſcetur tamen aliquando, vel in extremo mortis agone, & miſeram animam in deſperationem adiget. Quo nihil aut triſtius aut acerbius accidere poteſt homini, qui potius ſe nũquam creatum ac in lucem editum mallet.

Secundum bonum ſeu commodum eorum, qui Dei eſſentiam ac voluntatem norunt, & huic ſe morigeros præſtant, eſt quòd *Deus* ſit ipſis *ſcutum*, quo cinguntur, defenduntur & muniuntur aduerſus regnum tenebrarum. De hoc ſcuto loquitur Dauid Pſalmo 5. cum ait: Lætabuntur omnes qui ſperant in te, in æternum exultabunt, & habitabis in eis, & gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum. Quoniam tu benedices iuſto, Domine, vt ſcuto, bona voluntate tua coronas nos. Item Pſal. 18. Et dediſti mihi ſcutum ſalutis, & dextera tua ſuſtentat me.

Hoc enim modo beneplacitum eſt Deo, quòd non ſolùm ſuos corona bonæ ſuæ voluntatis cingere velit, verumetiam perpetua benedictione fœlices eſſe. Paulus cum ſcribit Epheſiis, aſſumite ſcutum fidei, quo poſſitis omnia iacula maligni illius ignita extinguere, ſignificat tum demum nos cingi fidei clypeo, quando fidem inconcuſſam doctrinæ, cum fiducia miſericordiæ & bona conſcientia retinentes, militamus honeſtam militiam.

Hoc ſcuto quia carent hoſtes Dei, quid quæſo illis poterit eſſe miſerius? Nudi enim & inermes cum ſunt, Diabolo principi tenebrarum reſiſtere nequeunt, ſed in eis plenum ipſe obtinet imperium, & de vno ſcelere in aliud præcipitat, donec eos funditus perdiderit.

Tertium bonum ſeu commodum, quod pij habent ex ſalutari agnitione & timore veri Dei, appellatur à Dauide *Gratia*. Hæc autem gratia eſt fauor Dei remittentis peccatum credentibus, propter mortem filij, & ornantis eos veſte mundiſſima, quæ eſt Chriſti obedientia ſeu iuſticia, qua ita coram Deo iuſti reputantur, ac ſi ipſi legem impleuiſſent. At qui ſunt extra Eccleſiam, huius gratiæ ſalutaris expertes ſunt, & manent ſub peccato, ira Dei & æterna condemnatione propter ſuam iniquitatem.

Quartum commodum, quo agnoſcentes & timentes Deum fruuntur, vocatur à Dauide *Gloria*. Hæc eſt adoptionis filiorum Dei adoptio, Spiritus Sancti inhabitatio, & æternæ beatitudinis hæreditaria poſſeſſio, per Ieſum Chriſtum. E diuerſo autem, qui Deum non norunt, mancipia & habitacula ſunt Sathanæ, huius Spiritu agitantur, & ſempiternæ ignominiæ reſeruantur.

Quintum bonum ſeu commodum, quod piis Deus per Pſalmiſtam promittit, his verbis continetur: *Non priuabit bonis eos, qui ambulant in innocentia.* O quanta eſt hæc promiſſio. Idem enim eſt ac ſi diceret, Innocentes, hoc eſt, qui Deo ex fide præſtant obedientiam, abundabunt omnibus bonis donati, ita vt perpetuò iis fruantur, & in æternum non timebunt ſibi ab vllo malo. Et quamuis enim omnes filij Dei perſecutionem patientur in hoc mundo, tamen certi ſunt de bonis promiſſis, quæ ſpe hic obtinent, & in futura vita abſque omni impedimento poſſidebunt in æternum. Contrà verò, qui nec Deum ex verbo ſuo noſſe, neque iuxta voluntatem ipſius eum timere didicerunt, his nunquam deerunt ignominiæ, dolores & calamitates, ſed Diabolo, cui militarunt, erunt ſubiecti in omnem æternitatem.

Hinc iam facilè quiuis intelligit, veriſſimum eſſe quod ab initio propoſui, videlicet omnium quæ ſunt in mundo rerum, nihil neque melius, nec precioſius, neque adeò vtilius, quàm Dei eſſentiam & voluntatem rectè noſſe, & quòd hæc noticia hauriatur ex verbo Dei, in quo & ſe ipſum & voluntatem ſuam patefecit.

Verùm ne quis patiatur ſe à Diabolo atque huius membris ſeduci, ſciendum eſt, quòd non aliunde ſit quærendum Verbum Dei, quàm ex Moſis, Prophetarum, Euangeliſtarum atque Apoſtolorũ ſcriptis, qui teſtimonio ornati ſunt Dei omnipotentis, qui æterna eſt veritas & mentiri non poteſt, quemadmodum inquit Paulus.

Verùm, obiiciat aliquis, aut ſentiat ſaltem ſecum in corde ſuo, quod multi faciunt, etiam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſi ore non exprimant,hoc modo. Si certi eſſemus,illud verbum reipſa eſſe ipſius Dei, ſanè eſſet rerum omnium longè precioſiſſimum, ſed aduerſatur huic magna ex parte mundus, & pauci ſunt,qui illud amplectuntur,& pauciſſimi horum,qui iuxta illud viuunt. Imo etiam plurimi, qui ore quidem verbum Dei eſſe confitentur,vita tamen & moribus,contrariis ipſi verbo, de quo ſolenniter gloriantur,idem pernegant?

Hæc procul omni dubio illa eſt tentatio, quam primis noſtris parentibus inſpirauit Diabolus,qua etiam eos ſeduxit,nec ceſſat hodie indefeſſo ſtudio,hac arte ſua veteratoria,quamplurimos circumuenire ac perdere. Inprimis itaque neceſſarium eſt omnibus Chriſtianis, habere in promptu,de certitudine verbi Dei, firma argumenta atque certas demonſtrationes, quæ in veteri & nouo Teſtamento paſſim reperiuntur.

Duo autem ſunt in vniuerſum teſtimoniorum genera, quibus doctrina Eccleſiæ in libris Propheticis & Apoſtolicis tradita, verè à Deo ipſo profecta atque inſpirata cōuincitur. Horum primum eſt teſtimonium externum. Alterum verò internum in cordibus ſingulorum piorum.

Externum teſtimonium voco, quod in ſenſus hominum incurrit,vt veritatis cœleſtis ſplendorem ad mentem tranſmittat. Huius ſex ſunt partes,quarum ſingulæ etſi per ſe,ad euincendam doctrinæ Eccleſiæ certitudinem infallibilem ſufficerent, tamen optimo Deo placuit tot modis noſtræ infirmitati ſuccurrere.

Prima igitur pars externi teſtimonij eſt *patefactio diuina*,per quam Deus ipſe, de ſua arcana ſede procedens, propria voce reuelauit ſuam voluntatem de doctrina Legis & Euangelij. Et quamuis Deus ſæpius diuerſis temporibus ſe patefecerit, eandem doctrinam aliis atque aliis verbis inculcans,nos tamen ſelectiores quaſdam apparitiones Dei recitabimus.

Principiò itaque Adamo poſt lapſum apparuit, & doctrinam legis & Euangelij primus ſua voce tradidit. Quòd enim pœnas inflixit ob contumaciam parentibus noſtris,in perpetuum teſtimonium iræ ſuæ aduerſus peccatores, ad Legem pertinet. Quòd vero promiſit ſemen mulieris contriturum caput ſerpentis,vox Euangelij eſt.

Deinde apparuit Deus Nohe, & facto ſtupendo vtramque doctrinam Legis & Euangelij confirmauit. Nam cum impœnitentes diluuio perdidit, Legis ſuæ ſententiam executus eſt. At cum Nohe credentem verbo ſuo,& obedientem ſibi fide, liberat,teſtimonium edidit ſeruatæ promiſſionis gratiæ,quæ eſt Euangelij.

Poſt diluuium apparuit Deus Abrahamo decies,eius filio Iſaac bis,& nepoti Iacobo ſepties. In quibus apparitionibus non diuerſa,ſed eadem ſemper doctrina de ſemine mulieris, hoc eſt, de Chriſto Ieſu Saluatore noſtro,propoſita eſt.

Poſt hæc in Ægypto Moſi apparuit Dominus, vtramque doctrinam Legis & Euangelij repetens,& factis ſtupendis confirmans. Ad Legem enim referenda eſt iuſta pœna & calamitas Pharaonis & eius ſatellitum. Ad Euangelium verò liberatio illa glorioſa populi cum Moſe ex domo ſeruitutis Ægyptiaca. Quæ ſingula figura ſunt nouiſſimi iudicij, in quo Deus condemnabit Diabolum cum omnibus ſuis aſſeclis,& recipiet ad ſe in æterna tabernacula quotquot Chriſto viua & vera fide conſtanter adhæſerunt.

In nouo quoque Teſtamento idem Deus ſuum verbum ſonuit de cœlo,& proprio ore nobis Chriſtum doctorem commendauit, dicens: Hic eſt filius meus dilectus,in quo mihi complacui,hunc audite. Ac ſi diceret,Olim promiſi ſemen mulieris contriturum caput ſerpentis, & reparaturum imaginem meam in homine, ſublata legis maledictione. Ecce hic adeſt, eum audite, quibus vita & ſalus cordi eſt. In hoc enim mihi complacui,hoc eſt,per hunc reconciliatus ſum mundo,id eſt,omnibus iis,qui ipſum fide receperint.

Has omnes apparitiones cum multis aliis, in quibus eadem ſemper doctrina eſt inculcata, opponamus ipſi Diabolo & omnibus impiis Sophiſtis, Mahometiſtis, incredulis Iudæis, prophaniſque gentibus,& propriæ denique rationi & ſapientiæ carnali, aſcribentes ſoli Deo laudem veritatis.

Secunda pars externi Teſtimonij eſt *varietas miraculorum*, hoc eſt, peculiarium & extraordinariorum operum Dei,quæ à nulla creatura fieri poſſunt. Hæc omnia fecit Deus vt noſtræ imbecillitati ſuccurreret,vt cum in oculos externa hæc miracula incurrerent,mente ſtatueremus Dei eſſe doctrinam,quæ eiuſmodi operibus quaſi ſigillis confirmatur.

Etſi autem hæc miracula innumera ſint inde ab initio mundi vſque ad tempora Apoſtolorum,tamen vnus eſt omnium ſcopus & finis, vt confirment veritatem Dei, hoc eſt, doctrinam Legis & Euangelij.

In veteri Teſtamento reperiuntur miracula,edita ante diluuium,in diluuio & poſt diluuium. Item in Ægypto & poſt exitum ex Ægypto, atque in deſerto quadraginta annorum ſpacio. Similiter tempore Ioſuæ, Iudicum,Regum, captiuitatis Babylonicæ, & Macchabæorum,vſque ad aduentum Chriſti,quæ omnia obſignabant eandem doctrinā ſępius repetitam.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Noui autem Teſtamenti miracula ſunt non minus ſtupenda à Chriſto facta, de quibus ad Iudæos inquit: Si mihi non creditis, credite operibus meis. Inprimis hoc conſideratu dignum eſt, quòd Chriſtus tertio die reſurrexit à mortuis, & poſtea in conſpectu quingentorum fratrum viſibiliter aſcendit ad cœlos, atque ita compleuit primam promiſſionem factam Adamo.

Hæc omnia, immo vel vnum horum miraculorum ſufficeret nobis, vt verbo Dei crederemus, ſed ita viſum fuit Deo noſtræ infirmitati horum varietate ſuccurrere.

Tertia pars externi teſtimonij, eſt *certiſſima prophetiarum completio*, quæ teſtatur, per os ſuorum miniſtrorum Deum ipſum locutum eſſe. Habemus enim immotũ fidei noſtræ fundamentum, quando prædictionibus de Meſſia ſeu Chriſto, factis à Moſe, Dauide, Daniele & aliis Prophetis, reſpondere videmus hiſtoriam Euangelicam. Firmitas fidei, inquit Auguſtinus, in eo eſt, quia omnia quæ eueniunt in Chriſto, prædicta ſunt: hinc fides noſtra concludit hoc modo.

Is ſolus abſque omni dubio eſt verus & vnicus Meſſias & Saluator mundi, in quem ſolum congruit, quicquid prædictum eſt de Meſſia à Moſe & omnibus aliis Prophetis Dei.

In ſolum Ieſum Mariæ filium congruit quicquid prædictum eſt de Meſſia à Moſe & reliquis omnibus Prophetis Dei.

Igitur ſolus Ieſus Mariæ virginis filius, eſt ſolus abſque omni dubio verus & vnicus Meſſias & Saluator mundi.

Supra hoc fundamentum ædificauerunt Apoſtoli Chriſti, Petrus & Paulus, fidem gentium, quæ nunquam crediture erant in Chriſtum, niſi ipſis demonſtraſſent hanc prædictionum & euentuum in Chriſto congruentiam. Hac de re legatur Act.17.2.Pet.1.

Ad eundem quoque modum, extant Prophetarum prædictiones, de Eccleſiæ grauiſſimis perſecutionibus, quas exequi Antichriſtum Romanum & Mahometum, hodierno die experimur. Hîc nos conſolemur & erigamus aduerſus regnũ Papæ & furores Mahometicos, quando conferimus euentum cum longè antea factis vaticiniis. De Pontificis Romani & Mahometi Tyrannide prædixerunt Ieremias & Daniel, hæc autem cum eueniſſe videmus, quid reſtat quo minus ſtatuamus euentura quæ prædicta ſunt de aduentu regni Ieſu Chriſti, quo videlicet in nouiſſimo die apparebit, excitaturus omnes à mortuis, eos quidem qui bona fecerunt in reſurrectionẽ vitæ, qui verò mala egerunt, in reſurrectionem Iudicij, quemadmodum de hoc vberius nos tota ſacra Scriptura paſſim docet.

Quarta pars externi teſtimonij eſt Moſis, Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum ac Catholicæ totius Eccleſiæ *conſenſus in doctrina & cultu*. Nam hi omnes vnanimi conſenſu, eandem Legis & Euangelij doctrinam, eandémque colendi Deum rationem tenuerunt. Neque hunc conſenſum diuerſitas ceremoniarum, quæ pro ratione temporum mutatæ ſunt, turbauerunt, eodem manente vbique veræ & ſalutaris doctrinæ fundamento. Quod ſi diuinitus non fuiſſet inſpirata hæc doctrina, tantus neutiquam conſenſus extitiſſet in hiſce Dei miniſtris, quos ſucceſſores horum ſequi eadem docendo & proponendo, par eſt. Id vbi fit, neceſſe eſt ibidem veram eſſe Chriſti Eccleſiam, nec vſquam ſine hoc alibi.

Quinta pars externi teſtimonij, eſt *duratio & conſeruatio Eccleſiæ*, inde à mundi initio ad hoc vſque tempus, & porrò in diem iudicij nouiſſimum. Huc facit illud quod eſt Actorum 5. Cum aduerſus Apoſtolos Chriſti opprimendos inſurgerent, & conſiliũ inirent Scribæ & Phariſæi, ſurrexit legis doctor ſenior ille Gamaliel, & ait: Si eſt ex hominibus conſilium hoc aut opus, diſſoluetur. Si verò ex Deo eſt, nõ poteritis diſſoluere, hoc eſt, quod ipſe Chriſtus affirmat, quòd aduerſus ſuam Eccleſiam non præualebunt portæ inferorum.

Sexta pars externi teſtimonij, eſt cruenta *multorum martyrum confeſſio* inde vſque ab Abel, in hunc præſentem diem. Dicuntur enim martyres, quòd non ſolum ore, ſed etiam ſanguine ſuo teſtificarunt de veritate doctrinæ cœleſtis. De Ignatio diſcipulo Ioannis memoratu dignum refertur. Quòd cum aliquando minis cogeret eum Tyrannus vt abnegaret Chriſtum, reſponderit: quomodo negare eum poſſum, cuius nomen gero cordi meo inſcriptum? hoc audito, iuſſit Tyrannus Ignatij corpus diſſecari, & cor exemptum in minutiores particulas diuidi: quod cum fieret, inuentũ eſt nomen Ieſus in ſingulis ſciſſuris cordis manifeſtè deſcriptum.

Alterum teſtimoniorũ genus, quo doctrinæ Eccleſiæ certitudo confirmatur, eſt *interna certificatio* per Spiritum Sanctum, obſignantem corda hominum credentium, de veritate Euangelij, de hoc loquitur Paulus 2.Cor.1. Deus eſt qui vnxit & ſignauit nos in Chriſto, & dedit pignus Spiritus in cordibus noſtris.

Hanc certificationem ſentiunt pij inprimis in ardenti & ſeria Dei inuocatione. Nã cum ex vera fide proficiſcuntur preces, experimur in cordibus noſtris reſponſum Dei, quo certiores reddimur de diuinis promiſſionibus,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Hactenus enumeraui breuiter teſtimonia, quibus ceu fundamentis doctrinæ Chriſtianæ certitudo immota innititur. Faxit Deus, vt hæc in animis multorum efficaciter confirmentur, vt amplius nō vacillent, ſed abundēt in dies magis magíſque in omni cognitione & ſenſu.

Hoc Verbum Dei ita certis teſtimoniis comprobatum, promulgari in totum orbem terrarum mādauit Deus, & huius miniſterio colligit ſibi ex toto genere humano Eccleſiam, quam per Chriſtum prædeſtinauit vitæ & ſaluti æternæ. Hoc ipſum proinde verbum promouere decet pios magiſtratus, vt purè ac ſincerè in Eccleſiis & ſcholis tradatur, & ad poſteros trāſmittatur. Cuius rei curā cū ad ſe ſpectare animaduertiſsēt piiſſimi & ſapientiſſimi principes & Reges Daniæ, inclytam hāc Academiam Hafnienſem fundarūt, atque ampliſſimis inſuper ſtipendiis locupletarunt, vt in hac erudiantur qui in tradenda pura doctrina Euangelij, patriæ aliquando inſeruire cum fructu queant.

Ego autem vocatus in hanc Academiam, vt ſtudia diſcentium meis laboribus iuuarem, cum multa hactenus Latinè in ſacroſancta Theologia, & viua voce docuiſſem, & publicis literarum monumentis conſecraſſem, placuit nunc hoc ſcripto vernacula lingua edito, ſtudia pietatis promouere in iis, qui Latini ſermonis ignari ſunt. Contraxi in hunc libellum in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis ea omnia, quæ ad ſalutem conſequendam homini Chriſtiano cognitu neceſſaria ſunt. Et volo hunc ipſum libellum extare loco meæ Confeſſionis, de ſingulis articulis Chriſtianæ religionis, quam hactenus annos circiter triginta, in Eccleſia & ſchola Hafnienſi publicè propoſui.

Quòd autem ſub veſtro nomine, Heros generoſe, edere hunc placuit, id factum eſt, vt me declararē memorem plurimorum beneficiorum, quæ mihi præſtita ſunt à vobis, annis iam continuis viginti vno, inde vſque ab eo tempore, quo magnificus ac generoſus vir, frater tuus, Nicolaus Kaaes, meæ fidei & diſciplinæ primùm commiſſus fuit.

Oro Deum, vt propter Filium ſuum vnigenitum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, puritatem verbi ſui in hoc regno Daniæ conſeruet, in ſui nominis gloriam & multorū ſalutem, & Spiritu ſuo Sancto regat conatus eorum, quotquot aut in Eccleſiaſtico, aut politico munere, Euangelium ipſius promoturi ſunt, vt deſtructo regno Diaboli, ædificetur in cordibus noſtris templum Chriſti, Amen. Vos quoque, vt quàm diutiſſimè ex gratia & bonitate Dei, ſalui atque incolumes conſeruemini, opto ex toto pectore à Deo per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Haffniæ ipſo die feſto Martini, anno Domini M. D. LXX.

GENEROSIS ET PRAECLARIS IVVENIBVS HENNINGO VALKENDORP, ET Nicolao Schaue, Dominis & Patronis ſuis plurimùm Colendis ſalutem.

GRAVISSIMA *eſt, & inprimis neceſſaria ſententia, Regij vatis Dauidis, Pſalm. 119.*

In quo mundam faciet Adoleſcentior viam ſuam? in cuſtodiendo ſermones tuos.

Quo verſiculo non ſolùm admonet iuuentutem agnatorum ſuæ ætatis erratorum, verumetiam infallibilem normam proponit, ad quam mores & totius vitæ conſilia accommodentur.

Vt enim de adultis nihil dicamus, quorum animi, aut ob perditè plerumque tranſactæ vitæ recordationem, perpetuis agitantur cruciatuum tempeſtatibus, aut ob infælicium conſiliorum euentus & metus, frequentibus errorum circumaguntur labyrinthis, quàm crebræ & iuſtæ ſunt, de corruptæ iuuentutis prauitate, in ſacris literis & alibi etiam querelæ? Conqueritur de hac ipſe Deus, Gen. 8. cum inquit, Figmentum cordis humani malum eſt ab adoleſcentia ſua.

Ab hac ſe Dauid grauiter premi conqueritur, & liberari petit, Pſalmo 25. Delicta, inquit, Iuuentutis meæ & tranſgreſſiones meas ne memineris. Eius meminit Salomon Prouerb. 22. inquiens: Stultitia colligata eſt in corde pueri, virga correctionis elongare faciet eam ab eo. Et Poëta ethnicus, luculentis verſiculis idem exprimit:

Cereus in

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidúſque, & amata relinquere pernix.

Hæc ea eſt, Deo & ipſius verbo aduerſa, Iuuenili ætati nimis communis prauitas, quæ multiplici impetu inſtincta, ferocior nititur in vetita, incautior ruit, temerarij caloris rapta incendiis, in quamuis enormitatem, & impunè etiam ſibi quod lubet, licere etiam falsò perſuadet.

Hæc eſt illa errorum fœcunda mater, viperinæ ſeu Cadmeæ ſobolis infelix & noxia parens, vnde præcipitantia, temeritas, inopia conſiliorum, inſcitia, leuitas, luxus, ambitio, curioſitas, aſelgia, & qui cæteri nepotes, longo hinc ordine, in iuuenili caſtra metantur ſanguine.

Et quotuſquiſque tamen eſt, qui, prò dolor, hæc ſua, etiam notoria crimina & flagitia animaduertat? applaudit inſuper ſibi ſtultè, & vbi grauiſſimè deliquit, quaſi re bene geſta, ſeſe offert, tantum abeſt, vt metu iuſtæ pœnæ aut afficiatur, aut de morum emendatione ſaltem aliquam apud ſe rationem ineat.

Potiſsimã ac florentiſsimam æui partem tum demũ elapſam dolentes animaduertimus, cũ eius magna pars nihil agendo, maior aliud agendo, maxima malè agendo, abſumpta diffluxit. Et vix etiam tum ſerò de veris virtutis officiis ac vitæ rectè diſpenſanda cogitare incipimus. Plurimi, cum inutilia terræ pondera, ne ſibi ipſis quidem, quanto minus aliis, adminiculare & opere eſſe ſalutaria poſſunt, iam demum ægri, vitam non viam: ſed deuia fuiſſe agnoſcunt. Fortè quod tum promptæ eſt voluntatis, à potentiæ & facultatis egeſtate excuſationem mutuatur.

Fidelis igitur pædagogi & probi monitoris ac periti quaſi medici officio hîc fungitur Dauid, qui horũ iuuentutẽ erratorũ admonet, nec admonet tãtùm, ſed etiã ſcholã aperit, in qua trita & erudita iuuentus ſordes vitæ elapſæ eluat, & mundam ingreſſa viam, faciat in poſterum Deo multa grata & placentia.

Conſilium Dauidis hoc eſt, vt quantum fieri poteſt, cum ipſo lacte materno veræ pietatis & timoris Dei ſemina imbibamus: amplectamur & exoſculemur verbum Dei: in hoc meditatio ac delectatio noſtra die ac nocte. Nec patiamur illud nobis eripi, opum, voluptatum aut honorũ illecebris, ac fallacibus eſcis. Nec ipſi illud deſeramus, aduerſæ fortunæ tempeſtatibus & fulmine impetiti ac proſtrati. Etiamſi occiderit me, tamen ſperabo in eum. Iob. 13. Hæc ea eſt vera cuſtodia ſermonum Dei, quam nobis hoc loco regius commendat vates.

Qui hanc ipſius normam ſequitur, næ ille, non Lesbiam regulam, ſed quouis filo Theſeo, certiorem & tutiorem ducem habet, quæ nec ipſa labi aut fallere, nec decipi aut errare poteſt.

Accurata enim indiget obſeruatione, quòd Dauid ad ſermones Dei, non ad noſtra nos conſilia, nec ad voluntates hominum occultas, multiplicéſque naturas, nec ad vlla denique ſcripta, humano elaborata artificio, ableget.

Etſi enim nobiſcum afferimus in hanc lucem principia ipſius legis naturæ, cordibus ac mentibus noſtris inſcripta, vnde diſcrimen honeſtorum & turpium, & aliæ rerum vitæ vtilium notitiæ promanant, tamen ita eſt natura hac corrupta comparatum, vt quæ bona quodammodo cognoſcamus, iudicemus, & amplecti etiam geſtiamus, ea mentis vanitate ſuffocata, intellectus tenebris ac cordis denique obduratione perturbata, naufragi amittamus, & in tranſuerſum, Scyllæ ac Charibdis vorticibus, plenis ac pronis velis, vani, cæci, obdurati feramur ac ſponte rapiamur.

Atque hæc vna eſt etiam cauſa, cur pietatis ſolidæ inſtitutioni ac pædagogiæ, præfici non poteſt philoſophia, quæ præceptis & exemplis nos ad ſummum bonum ſe perducturam ſpondet. Addo, quòd eiuſmodi ſcripta ſint ſcriptis diuinis longè recentiora & planè inſufficientia. Nã finem hominis ita monſtrant, quemadmodum res in aquis motis, quæ oculis ſtabiliter ſe non offerunt, & quomodo bona opera fieri poſsint, atque Deo placeãt, ne verbũ quidem loquuntur. Spiritus Sancti enim & viuæ in Chriſtum fidei, nulla in his extat mẽtio. De cæteris quid dicere opus eſt? Nõ reſtat, niſi vt ipſos philoſophiæ ſermones pronos (vtar Baſilij verbis) in pauimẽto Chriſti proſternamus, vt credãt magni Dei verbo, quod obſcurat omnẽ humanæ mentis flexibilem & multiformem cogitationem, ſicuti luce ſolis reliqua ſidera offunduntur.

Ad hoc nos verbum vocat hoc loco Dauid. Hãc ſapientiã offert ipſa Sapientia ſuis filiis apud Solomonem. Ad hunc fontem vitæ totus nos Prophetarum & Apoſtolorum chorus vnanimi & affabili ore inuitat. In hoc verã beatitudinem collocat, & offert ipſe Chriſtus Dominus & Saluator noſter, cum inquit, Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Quis ergo tam ignaui aut efferi eſt animi, qui etſi grauiſsimas pœnas contemptus huius diuini Theſauri, æquo animo æſtimare non poſsit, tam manifeſtè neceſſaria eius vtilitate non capiatur? Hîc vita, ſalus, beatitudo, & quæ in vniuerſum omnia homini verè beato expetenda ſunt, gratis & affatim exhibentur.

Quàm magnifica, quàm ſuauia ſunt promiſſa apud Solomonem, Prouerb. 3. Beatus eſt qui inuenit ſapientiam, & qui conſequitur intelligentiam, quia melior eſt fructus eius, quàm argenti, & auro prouentus eius vberiores ſunt, præſtat gemmis, & precioſa omnia vincit. Vitæ propagatio eſt ad dexteram illius, & ad ſiniſtram diuitiæ & gloria. Vita eius amabilis eſt & fœlix. Securus ambulabis in via, nec pes impinget, &c. Longum foret ſingula recenſere, quæ vera & copioſa oratione, toto libro Sapientiæ commemorantur, illud de Ioſeph addidiſſe ſufficiat ex cap. 10. Hæc venditum iuſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus liberauit eum, deſcenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

donec afferret illi ſceptrum regni, & potentiam aduerſum eos, qui eum deprimebant, & accuſatores eius mendacij coarguit, ac gloriam conciliauit ei ſempiternam. Tanti fecit hoc lumen ſuorum pedum Dauid, vt dicat, Melior mihi Lex oris tui, ſuper millia auri & argenti. Præ huius amore, Daniel cibum & potum regiũ guſtare renuit, hoc duce arduum illud conſcendit honorum culmen: hoc fretus clypeo leonum obturauit ora, & admirabilis erat in omni virtute & opere.

Sed quid ego mei oblitus, ea verbis ornare contendo, de quibus nihil ita magnificè animo concipi, nedum fando exprimi poteſt, quin id dignitate, virtute, efficacia & vtilitate lõgè longéque diuina exuperent myſteria? Ad vos quod attinet, generoſi iuuenes, non dubito quin pro egregia veſtra pietate qua ab ipſis ſtatim incunabulis eſtis à clariſſimis veſtris parentibus accuratè imbuti, idem hac in parte mecum ſponte ſentiatis. Nec me aliud de vobis exiſtimare patitur eximia illa diligentia, quam in vobis erudiendis gener reuerendi domini Præceptoris Doctoris Hemmingij, vir eruditiſſimus, Magiſter Nicolaus Hamerus, Græcarum in Academia Haffnienſi literarum Profeſſor ordinarius, aliquot iam annis non ſine frugi & fœnore, poſuit. Quod ſi pergere vt cœpiſtis, pergatis, haud dubiam concepimus ſpem, vos patriæ maximo futuros ornamento & adiumento.

Habet vterque, quibus ad hæc præclara pietatis & virtutis ſtudia incitetur, præter alia, domeſtica quoque, vetera & noua, egregia exempla. Tibi, HENNINGE, *calcaria addant heroica facta patrui tui magni,* ERICI VALKENDORP, *Achiepiſcopi quondam Nidroſienſis. Qui duabus (vt alia taceam) maximè rebus vehementem propagandi gloriam Dei zelum declarauit. Primum quidem, quòd præter quinquaginta illuſtria templa in vrbe Nidroſienſi, quæ egregiè ditauit, vnicum illud præcipuè toto orbe inprimis celebre & memorabile, incendiis deformatum, propriis aliquot millium florenorum impenſis, in choro extruendo exornauit. Alterum verò, in quo eluxit laudabilis ipſius zelus, eſt quòd* GRONLANDRIAM *ad ſocietatẽ Eccleſiæ Chriſtianæ, ceu filium perditum reducere conabatur, & reduxiſſet etiam propriis auſpiciis & ſumptibus, niſi culpa, neſcio quorum dicere auſim, glorioſum hoc eius propoſitum, iam inchoatum, interruptum fuiſſet. Inſula eſt* GRONANDRIA, *ab Erico Noruago, anno Chriſti nogentegimo octogeſimo ſeptimo inuenta primùm, & exculta, ſed incuria noſtrorum ab anno Chriſti octogeſimo tertio ſupra milleſimum treceenteſimum, paulatim neglecta, vſque dum nobis iam multis retrò annis ſit planè incognita. Exoptandum erat, ſi non lucri aut imperij Septẽtrionalis propagandi gratia, ſaltem reſtaurati Euangelij cauſa, ad miſeros iſtos fratres propagandi ab heroicis animis laudatam hanc profectionem vrgeri ac ſuſcipi, cum extet tam dilucidè digito quaſi monſtrata, ipſius* ERICI *opera confecta ac deſcripta, in hanc terram nauigatio. Habes etiam,* HENNINGE, *eum, qui tibi patris defuncti eſt loco; patruum tuum,* CHISTOFERVM VALKENDORP, *Dominũ de Glorup, regium Gothlandiæ præſidem, virum genere, virtute & eruditione verè nobilem. Qui eſt non ſolùm literarum & literatorum fautor egregiè literatus, ſed & prudentia, humanitate & fortitudine nulli noſtrorum ſecundus, &, vt vno dicam verbo, dignus æterna & intemerata memoria,* IOANNIS FRIIS, *veſtri conſanguinei, alumnus. Cuius vitam ſi tuis effingere & exprimere moribus coneris, nihil quicquam, aut huic gratius, aut tibi vtilius experieris. Ad eundem quoque modum,* NICOLAE *pone tibi ob oculos patruũ tuum magnũ,* NICOLAVM SCHAVE, *Cancellariũ quondam potentiſſimi regis, inclytæ memoriæ,* IOANNIS, *Daniæ, Suetiæ, Noruegiæ, Vandalorum, Gothorúmque Regis, &c. Hunc tuum patruum euexit ad dignitatem ſedis Epiſcopalis Roskildenſis, ipſius pietas, eruditionis præſtantia, virtutis exiſtimatio, & aliæ, quæ in eo erant viro, ingenij dotes ampliſſimæ, quibus magna cum laude vtrique Reipub. diu inſeruiuit. Hunc vt non nomine tantùm, ſed & præclarè factis, æmuleris contende. De patre tuo* HERMOLAO SCHAVE, *Domino de Eskilſtrup, cõmemorare quid opus eſt, cum præter incredibilem ipſius humanitatem, omnibus bonis perſpectam, fortitudo etiam animi, in ſuperiori Noruagia, proximo bello Suetico, defenſanda eluxit tanta, vt æterna laude ea digniſſima cenſenda veniat. Sed ne longius diuagetur oratio, vnũ noſtrum* THYCONEM BRAHE, *cõſobrinum tuum, non tibi tantùm, ſed vniuerſis, tui in nobilitate Danica ordinis æqualibus imitãdum, vel nominaſſe ſolùm ſufficiat. Cuius, etiamnum Iuuenis, eruditionis & virtutis fama totum iamdudum hunc penetrauit orbem ſeptentrionalem Europæ. Et quantum ornamenti atque præſidij in hoc patria noſtra repoſitum habeat, indies magis atque magis cordatiores & prudentiores agnoſcunt, vt matureſcat hoc, abſque ſiniſtris fortunæ & fatorum impedimentis, faxit Deus.*

Ego porrò generoſi Iuuenes, vt pulcherrimos veſtros, in hoc pietatis & literarum ſtudio, progreſſus incitem atque adiuuem, libellum hunc offero. Quem ex idiomate noſtro Danico, hortatu ipſius autoris, reuerendi Domini Præceptoris, Doctoris Hemmingij, mutuato eiuſdem ferme ſtylo, tranſtuli, non tam vt iuuentuti in noſtris ſcholis, quàm exteris, qui auidè eius ſcripta omnia meritò legunt & expetunt, inſeruirem, nec dubito, quin huic labori euentus reſpondebit optatiſſimus. Veſtrum erit hanc meam vobis gratificandi voluntatem æquis animis accipere. Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti vos diu florentes & incolumes conſeruet, & ſtudia veſtra in ſui nominis gloriam promouere dignetur, Amen. Haffniæ, Cal. Maij, Anno Chriſti M. D. LXXIII.

Vobis addictiſſimus

Andreas Seuerinus V.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

VIA VITÆ.

CHRISTIANA ET ORTHODOXA INSTITVTIO,

complectens præcipua Christianæ religionis capita, quæ homini ad ſalutem conſequendam cognitu neceſſaria ſunt.

***

Exordiũ.

TOtum genus humanũ adeò tenebris ignorantiæ occæcatum eſſe, vt veram ſalutis viam ne intelligat quidem, niſi à Deo ipſo, per verbum ipſius ſalutare, in verã hanc deducatur ſemitam, indicat regius & diuinus vates Dauid, Pſalmo centeſimo decimonono, his verbis: Lucerna pedibus meis Verbum tuum. Quaſi diceret: Quemadmodum ſine tuo verbo, Domine, neceſſe eſt me errare, ita etiam beneficio tui verbi, quod vice lucernæ ad ſalutem mihi duco, veram ingredior viam, & quamdiu hanc me præeuntem lucernam, tuum videlicet verbum, ſequor, errare aut hallucinari minimè poſſum. Quod ſimiliter cæteris omnibus in mũdo hominibus accidit. Qua etiam de cauſſa, ouibus errantibus non immeritò comparantur, quas ab ouili ac paſtore procul diuagantes, oportet, modò reduci velint, vocem paſtoris ſui audire, & hãc ceu lucernam ardentem, ſubſequi.

Propoſitio.

Cum itaque decreuerim præſenti ſcripto de ſalutis via diſſerere, placet inprimis hoc Dauidis ſequi conſilium, & hanc ſalutiferam lucernam monſtrare, quæ in æternam læticiam & ſalutem deducat omnes, quotquot in extremam mortis horam perſeuerantes, ipſam præuiam ſubſequuti fuerint.

Methodus & Partes præcipuæ huius tractationis.

Et quoniam hæc ipſa lucerna, quod verbum Dei nominamus, in duas partes, videlicet in Legem & Euangelium diuiditur, principiò proponam ex cap. 22. diui Matthæi, textum, qui quaſi in tabella, ante oculos exhibet, hæc duo doctrinarum genera, quæ ad ſalutẽ cognitu maximè neceſſaria ſunt. Deinde hęc duo ſumma capita, cum cæteris articulis, ſub his cõprehenſis, particulatim, ſed paulò copioſius atque illuſtrius, ita declarabo, vt nihil quicquam intermittatur, quorum intereſt ſcire, credere, aut facere eos, qui æternæ ſalutis cõpotes fieri deſiderant.

Diuiſio.

VERBA EVANGELISTÆ *hæc ſunt*, Matth. 22.

Phariſæi autem audientes, quòd obturaſſet os Saducæis, conuenerunt in vnum, & interrogauit eum vnus ex eis Legis doctor quiſpiam, tentans eum, & dicens. Magiſter, quod eſt mandatum magnum in Lege? Ait illi Ieſus, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt primum & magnum mandatũ. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum perinde ac teipſum. In his duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent. Congregatis autem Phariſæis, interrogauit eos Ieſus, dicens: Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in Spiritu vocat eum Dominum, dicẽs: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere quicquam, neque auſus fuit quiſquam ex eo die interrogare eum amplius.

In hoc textu recitati Euangelij, continentur quęſtiones duæ ſummæ & grauiſſimæ omnium, quæ ex Sacra Scriptura de ſalute conſequenda adduci poſſunt. *Prima* quæſtio à Phariſæis, *altera* à Domino noſtro Ieſu Chriſto, propoſita eſt. Partes præcipuæ de lege & Euãgelio.

Phariſæi inſigni cordis malitia & ingenti odio, quo Chriſtum proſequebantur, quæſtionem de Lege mouent, & interrogant Ieſum, quodnam ſit maximum mandatum in Lege? Cum enim Chriſtus condemnaret Phariſæos, qui putabant ſe iuxta legem viuere, & introduceret Baptiſmum, cuius nulla fieret mentio in Lege, exiſtimabant eum temere aliquid dicturum aduerſus Legem Moſis, vt ipſi hoc pacto haberent occaſionem ipſum accuſandi & tollendi è medio. Occaſio.

Chriſtus verò, miſertus immenſæ cæcitatis Phariſæorũ, eos interrogat, quid ipſis videatur de Chriſto, & cuius filius ſit? idque eo conſilio facit, vt ipſi detur occaſio, qua eos inſtituat & doceat ex Scriptura, quid ſentire debeant de Chriſto, hoc eſt, de illo, quem Deus promiſit Adamo, Abrahamo, & reliquis ſanctis patribus, mundi ſaluatorem.

Porrò vt commodius hæ quæſtiones de Lege & de Chriſto nobis ad ſalutis profectum & inſtitutionem inſeruiãt, tres hinc doctrinas ſeligam, quas ordine, diuina adiuuante gratia, declarabo. Doctrinæ tres explicandæ.

I.

Prima, de cauſſis, quibus impulſi Phariſæi Chriſtum è medio tollere conantur: & quibus artibus, ad hoc nefarium propoſitum abſoluendum, vtuntur.

I I.

Secunda, de vero Legis intellectu & vſu.

I I I.

Tertia, de Chriſto, nimirum quid de ipſo ſentiamus, & quomodo per ipſum ſalutem conſequamur.

PRIMA DOCTRINA.

Iudæi & inprimis Phariſæi hoc ſummo ſtudio agebant, vt Chriſtum in ſermonibus ſuis irretirent, ac captum cauillarentur & demum neci traderent. Vide ergo quanta ſit inuicem animorum diuerſitas, in Chriſto & Phariſæis. Ieſus hoc ſolum quęrebat, vt illos à peccatis liberatos, ſaluos faceret. Phariſæi autem aſtutè ipſius verba captant, quò ipſum accuſent atque opprimant. Phariſeorum malá mens.

Hęc animorum prauitas adhuc, proh dolor, reperitur in multis, qui perſequuntur eos, qui ipſis bene cupiunt, & ipſorum ſalutis maximè ſtudioſos ſe declarant. Sed vnde hoc tam ardens & inſatiabile odium Phariſæorum in Chriſtum? Chriſtus taxabat eorum ingentia & multifaria peccata, videlicet arrogantiam, hypocriſin, auaritiam, & erroneam doctrinam, qua cùm ſeipſos tum alios ſeducebant. 1. Hypocritæ Phariſæorũ ſimiles .i. Chriſti hoſtes.

Homines arrogãtes & ſuperbi, ea ſunt ingenij malitia, quòd ſe admoneri ægrè ferant, & ſumma contentione eos perſequãtur, qui minuere aut impedire 2 Superbi nolũt admoneri.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

audent, eorum de ſe falsò conceptam magnæ exiſtimationis opinionem. Quapropter minus mirari licet, hoſce tam ſuperbos & arrogantes Phariſæos Chriſtum odio proſequi, qui vſque & aſſiduè ipſis in os dicebat, ac damnādo obiiciebat hanc ipſorū fœtidam ſuperbiam, præſertim cum ipſi interim ob ipſorum commodum atque ſalutem id fieri à Chriſto non animaduerterent.

Hypocritæ verò cum hi ſint, qui ſe iuſtos reputant, coram Deo & hominibus, quamuis internè pleni ſint omni fœditate atque malitia, imò per omnia ſimiles demortuorum monumentis, quæ licet dealbata atque foris ornata appareant, intus tamen ſcateant venenoſa atque abominabili ſpurcitie. Itaque non libenter ferunt eos, qui ipſos peccati arguant atque condemnent. Hac igitur de cauſa, nolūt hi hypocritæ dare Ieſu Chriſto eam gloriam, quòd ipſe ſolus iuſtus ſit, & quicunque iuſtificari velint, id per hunc ſolum D. noſtrum Ieſum Chriſtum conſequantur. Ideo apud Matthæum, capite 21.31. dicit illis Chriſtus: Publicani & peccatores præcedēt vos in regnum Dei.

3. Cur Hypocritæ Chriſtum odio habent.

Porrò ſi quæris, cur hęc ita ſe habent, in promptu cauſa eſt. Nam hypocritæ ſe omni peccato carere autumant, & propriæ iuſticiæ, quam non habent, confidunt. Publicani autem & peccatores ſciunt atque fatentur ſe peccaſſe, atque nulla propria potiri iuſticia, qua freti gloriari poſſint. Cum ergo peccata argui audiunt, facilius præ Hypocritis errata confitentur, & cum gaudio amplectente concionē gratiæ, agunt pœnitentiā, vitæ prioris conuerſationem relinquunt, ad Deum per fidem in Ieſum Chriſtum ſe conuertunt, atque edunt fructus fidei. Huius rei exemplum eſt videre apud Lucam cap. 18. in Publicano & Phariſæo, quorū ille in templo procul ſtans orabat, hic cum magno faſtu de ſua gloriabatur iuſticia. Item Lucæ 7. in Simeone iſto Chriſti hoſpite & peccatrice illa, quæ ibidem pedes Chriſti lachrymis ſuis lotos, capillis capitis ſui tergebat.

4. Auari Chriſto ſunt infenſi hoſtes.

Auaritiæ porro hæc ſimiliter cognata eſt prauitas, quòd à nemine argui ſe patiatur, ſed pallio parſimoniæ, ſedulitatis atque prudentiæ ſe tegere conetur. Cū tamen reuera mera ſit idololatria, quemadmodum Paulus docet. Homo enim auarus plus ſpei collocat in mundi hiſce momentaneis bonis, quàm in Deo viuente. Propterea mirum non eſt, Phariſæos odio habuiſſe, atque totis viribus perſequutos fuiſſe Chriſtum, qui eorum neſandam auaritiam & diram Idololatriam iuſtè arguebat.

5 Falſi doctores Chriſtum ferre nequeunt.

Quòd item ipſorum errores circa doctrinam cœleſtem Chriſtus ſimiliter arguebat, neque hoc æquis accipiebant animis. Claues enim ſapientiæ penes ſe ſolos eſſe ſomniabant, quibus cœlum aperire atque occludere quiſque pro ſuo arbitrio ſe poſſe arbitrabatur. Cum tamen interea & vero legis intellectu, & vera Meſſiæ cognitione deſtituerentur. Hanc ipſorum cæcitatem argui à Chriſto ferre minimè poterant. Poſtremò & hoc quoque ægrè ferebant in Chriſto Phariſæi, quòd non tantum eos proprij erroris argueret, verùm etiam, quòd alios erronea ſua doctrina, à vero paſtore & via ſalutis ſeducerent.

6. Falſorū doctorū rabies aduerſ. Dei veritatē.

Hiſce tam grauibus de peccatis, accuſabat Chriſtus Phariſæos, vt aut ſe emendantes ſalui fierent, aut in peccatis perſeuerantes, expectarent, tum hîc in terris, iuſtas Dei pœnas, tum poſt hanc vitam, æternā condemnationē. Sed quomodo hęc à Chriſto acceperunt Phariſæi? Ad eum planè morem, quo homo inſanus eſt affectus in eū, qui ipſum ſuo morbo & inſania liberare conatur. Vt enim homo mentis inops, calcibus, vnguibus, & morſu hoſtiliter impetit eum, qui medicas manus ipſi afferre laborat: ita Phariſæi manibus pedibúſque in hoc incumbūnt, vt Chriſtum traducant atque è medio tollant: propterea ad ipſum ter legatos ſuos ſolenniter miſerunt die Martis proximo, antequam ipſum crucifixerunt.

Expoſitio textus.

1 Legatio Phariſæorum.

In prima legatione erant Phariſæi cum Herodianis, qui quærebant, num liceret cenſum dare Cęſari, necne? ídque eo conſilio, vt ſi affirmet Chriſtus interrogationem propoſitam, deſerat illum vulgus, atque ita facile neci ipſum liceat tradere. Sin neget, incidat in manus militum Herodis, qui captum occidant tanquam hominem ſeditioſum, ſed incaſſum ſe fatigat humana aſtutia aduerſus Dei ſapientiam. Chriſtus neque affirmatiuè, neq; negatiuè reſpondet, ſed oſtēſo numiſmate ab eis, dixit, cuius imago & inſcriptio eſt hæc? reſpondebant Cæſaris. Et dixit illis, date Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ ſunt Dei. Ita ex hoc Chriſti reſponſo, neque Herodiani, neque vulgus, inueniebant, cur iuſtè offenderentur.

2. Legatio Saducæorum.

Secunda legatio erat Saducæorum, qui negabant reſurrectionem mortuorum. Hi ex doctrina Chriſti, docentis omnes homines reſurrecturos in nouiſſimo die, putabant ſe poſſe inferre aliquid abſurdi hoc modo: Erant, inquiunt, apud nos ſeptem fratres, & primus vxore ducta, defunctus eſt, & non habens ſemen, reliquit vxorem fratri. Similiter ſecundus & tertius, vſque ad ſeptimum. Nouiſſimè autem omnium & mulier defuncta eſt. In reſurrectione ergo cuius erit de ſeptem vxor? Exiſtimabant iam Chriſtum, aut vni horum, aut omnibus ſimul, deputaturum illam: quod ſi feciſſet, clamaſſent, id minimè congruere poſſe, propter ſecuturas inde contentiones, odia, & abominandam ſpurcitiem. Hac via ſperabant ſe confutaturos Chriſti doctrinam, & tradituros Chriſtum tanquam mendacij reum, iudicio puniendum.

Reſp. ad Saducæos.

Audiamus quid reſpondeat his Chriſtus. Erratis, inquit, neſcientes Scripturas & virtutem Dei, atque ignorantes quodnam futurum ſit diſcrimen conditionum huius mundi & vitæ æternæ.

Hiſce verbis Chriſtus tres indicat cauſas erroneæ doctrinæ Saducæorum.

1. Prima eſt, quòd neſciebant Scripturam, quæ ſola docet nos verum à falsò diſcernere, in iis omnibus, quæ ad negotium ſalutis ſpectant. Ideo inquit Dauid: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

2. Secunda cauſa, quòd ignorant virtutem atque potentiam Dei, qua tam facilè in nouiſſimo die poterit excitare mortuos, quàm illi non fuit difficile, in primo die omnia creare de nihilo. Propterea cum de reſurrectione mortuorum cogitamus, non eſt in conſilium adhibenda ratio, quæ tantum circa hæc corporalia occupatur, ſed reſpiciendum eſt ad Scripturam, & ſciendum nihil eſſe impoſſibile coram Deo creatore rerum omnium omnipotente.

3. Tertiam cauſam erroris Saducæorum aſſignat Chriſtus hanc, quòd non perpenderint diſcrimen conditionum hominis in hoc mundo, & in vita æterna. In hac vita eſt vſus coniugij, ſed in vita æterna neque nubent neque nubentur, erunt enim ſicuti Angeli Dei in cœlo. Et dilectio alterius vitæ mille modis antecellet huius mundi dilectioni, imò hanc illa obſcurabit, quemadmodum ſol manè oriens, cæteris omnibus ſtellis lucem eripit, & ſolus mundum ſuo ſplendore illuminat.

3. Legatio Iudæorum.

Tertia Iudæorum legatio, hoc eodem die facta eſt ad Chriſtum: ea eſt, cuius præſens Euangelij textus meminit.

Cum an-

Cum audiſſent Phariſæi, quòd Ieſus obturaſſet hoc modo os Saducæis, acceſſerunt & interrogauerunt eum, Quódnam eſſet mandatum magnum in Lege?

Mens & cõſilium Iudæorũ.

Id ab ijs fiebat, non diſcendi gratia, ſed vt haberẽt aliquam occaſionem perdendi illum, ſic enim ſecum reputabant: Quoniam hic Baptiſmum introducit, & accuſat nos, qui ſecundum legem viuẽtes, ex operibus legis iuſtos nos eſſe gloriamur, certè abſque omni dubio legem contemnet, & longè poſtponet ſuo baptiſmo. Quod ſi fecerit, iuſta competet nobis aduerſus eum, tanquam in Deum ipſum blaſphemum, actio, vtpote qui in nullo precio habeat legẽ Dei, quam dederit ipſe nobis Dominus, per ſeruum ſuum Moſen. Ad hæc reſpondet Chriſtus, dicens: Maximum & primum mandatum eſt:

Reſpõſio Chriſti.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & tota mente tua.

Secundum autem ſimile eſt huic:

Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis, vniuerſa Lex pendet & Prophetæ.

Tale reſponſum haud dubiè non expectarant ſibi datum iri Phariſæi, propterea nemo illorum poterat illi cõtradicere quicquam. Atque ita videmus, neque ſapientiam, neque prudentiam valere aduerſus Dominum, qui perdit ſapientiam ſapientium, & intellectum prudentium confundit, vt eſt apud Eſaiam cap. 29..4.

SEVNDA DOCTRINA.

DE LEGE, HÆC TRIA EXPLICABO.

I.

Primùm, in genere dicã de duobus ſummis mandatis ac, capitibus Legis, videlicet, Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & diliges proximum tuum, ſicut teipſum.

II.

Secundùm, de quatuor præcipuis erroribus circa doctrinam Legis.

III.

Tertiùm, de vero Legis vſu.

DE PRIMO.

Summa legis.

Hoc loco proponit Lex duo ſumma mandata: primum, de dilectione Dei: alterum de dilectione proximi. Quo autem modo diligendus ſit Deus, explicat dicens: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, tota anima, & ex tota tua mente. Quo item modo diligendus ſit proximus, ſubiicit, Diliges proximum tuum ſicut teipſum.

Dilectio [illegible] tria complecti[illegible].

Sed quid ergo eſt, *Diligere Deum* ex toto corde, ex tota anima & tota mẽte? Dilectionis vocabulum tria complectitur, videlicet *Primò* cognitionem rei diligendæ, quia ignoti nulla cupido. *Deinde*, omnes cordis affectus & motus quæ ſincerum amorem comitantur. *Tertiò* complectitur omnia opera quæ ad hanc dilectionem requiruntur.

Ex toto corde.

Iccirco Lex Dei hæc tria coniungit, cum dicit, Diliges Dominum Deum tuum *ex toto corde*, ex tota anima, & ex tota tua mẽte, Ita vt ſit in corde, hoc eſt, in intellectu hominis illuſtris lux & noticia de Deo, quem ſtatuat longè optimum ac præſtantiſſimum, fontem nimirum omnis boni.

Ex tota anima.

Deinde *ex tota anima*, hoc eſt, omnes affectus, motus ac concupiſcentiæ cordis eò tendant, vt Deum diligas, ipſi adhæreas, in hoc totius fiduciã dilectionis tuæ colloces, quo ipſum in tuo corde retineas atque in æternum fruaris.

Ex tota mente.

Poſtremo hunc ipſum *ex tota mente* ſeu totis viribus diligas, ita vt omnes tuas cogitationes, conatus & ſtudia conuertas ad promouendum atque defendendum quæcunque ad Deum ſpectant, & ad repugnandum iis quæ Deo aduerſa ſunt, reſiſtẽdo videlicet diabolo, peccato, & horum omnibus aſſeclis & adminiculis.

Omnes animę facultates hoc præcepto requirũtur.

Atque ita videmus quónam pacto hîc ſuas vires exerant tres pręcipuæ naturales potentiæ ſeu facultates animæ humanæ à Deo inſitæ, videlicet, Ratio, appetitus, & Ira. *Ratio* enim ſummum bonum Deum videlicet inquirit. *Appetitus* hoc idem ſummum bonũ deſiderat, atq; amore ei ſe ſociat. *Ira* accenditur ad tuendum & defendẽdum ſummum bonum, Deum, & hoſtiliter repugnat Diabolo, peccato & huius occaſionibus, & aliis omnibus quæcunque Deo aduerſantur.

Quæ dilectio requiratur.

Porrò cum audis tibi præcipi, vt Diligas Deum ex toto corde, tota anima, & tota mente, hîc cogitabis Deum requirere dilectionem puram & perfectam, æternam atq; ſpiritualem, ita vt ſit tua dilectio pura, ſine omni macula, perfecta abſque omni vitio, æterna abſque omni interuallo, & ſpiritualis abſque omni carnali affectu & fermento concupiſcentiæ.

De dilectione proximi.

Alterum mandatum maximum hoc eſt, Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Hîc Deus normam dilectionis proximi, cõſtituit noſtri ipſius dilectionem. Verùm hoc vt rectius intelligatur, duo conſideranda veniunt. I. diſcèrnẽdum eſt inter duos modos, quibus homo ſeipſum diligit. Horum enim vnus illicitus & damnandus. Alter bonus & licitus habetur. II. diſcernendum eſt quoque inter perſonã hominis & vitium illud quod hæret in homine.

Dilectio ſui ipſius quomodo cõſideranda.

Dilectio noxia & illicita.

Homo aliquando erga ſeipſum afficitur cæco, imprudenti ac noxio amore, orto ex natura corrupta ac deprauata, hoc eſt, fonte peccati, quod labe hęreditaria habitat in nobis. Hæc dilectio non erit regula dilectionis proximi, nam hoc modo diligere planè eſſet coram Deo proximum odiſſe.

Licita.

Eſt præterea alius diligendi ſeipſum modus, iſque licitus & conceſſus, qui oritur ex Spiritu Sancto, & fide in Ieſum Chriſtum, quando homo eò omnia ſua conſilia dirigit, vt faciat Deo grata & ſibiipſi ſalutaria. Hæc dilectio licita & laudata, norma erit amoris quo proximum proſequamur. Ita vt ex animo gratulemur ipſi omnia, quæ poſſunt cedere in commodum & ſalutem, piis votis optando ipſi omne bonum, & fidelibus conſiliis, opera, re ac precibus promouendo ipſum. Atque ab altera parte auertendo ſtudioſè toto animo atque pectore, quæcunque aut vitæ, aut animæ, aut famæ, aut bonis denique ipſius, noxia eſſe poſſint.

Exemplũ Chriſti.

Alibi Dominus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus, propriũ ſuum exemplum, normæ loco ſequendum, proponit. Diligite, inquit, vos inuicem, quemadmodum ego diligo vos. Et propterea mandatum hoc nouum appellat. Quo docere nos vult Chriſtus, vt etiam cum vitæ periculo, ſi neceſſitas poſtulat, proximo ſubueniamus, non tam habentes noſtrorũ commodorũ rationem, quàm ſalutis & emolumenti proximi. Quo autem pacto nos Chriſtus dilexerit, indicat Paulus Romar. capite 5. quemadmodum infra in tertia doctrina copioſius dicendum erit.

Diligendus proximus quomodo.

Secundum quod conſiderandum admonui, in hoc maximo mandato, de dilectione proximi, eſt diſcrimen inter perſonam hominis, & vitium illud,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quod ipſi adhæret. Hominem prauum & impium, quantum ad ipſam prauitatem & impietatem ipſius attinet, odiſſe licet: quod verò ad perſonam, quatenus homo eſt, humanæ nobiſcum conſors naturæ, hic diligendus eſt, ita vt ꝙ in ipſo odimus, peccatū videlicet & vitium ipſum, id arguamus, & viciſſim in illo amemus, quod dilectionē meretur, hoc eſt, vt homo conſeruetur, quemadmodum docet Auguſtinus. Hæc ſufficiant de primo mēbro, quod de Lege initio obſeruandum admonui.

DE SECVNDO.

Quatuor errorū genera circa legem.

Alterum quod propoſui, erat de erroribus, quos circa doctrinam Legis falſi doctores diſſeminant. Horū quatuor ſunt genera. In *primo ordine* ſunt, qui legem planè abiiciunt, & pernegant eam in Eccleſia Chriſtianorum proponendam. In *ſecundo* verò, qui legem quidem retinēt, ſed docent hominē propriis viribus poſſe ipſi ſatisfacere. His verò proximi ſunt, qui dicunt hominem non vniuerſæ Legi, ſed parti ipſius alicui ſatisfacere poſſe. Quartum verò occupant ordinē, qui dicunt, quamlibet religionem ſuam habere legem, quæ ad ſalutem ſufficiat huic ſatisfacienti. Hi quatuor errores ſua contagione venenata admodū noxij ſunt, nec alio vllo innituntur fundamento, quàm præſtigiis & mendacibus artibus diaboli, qui homines excitat ad ſeducendū inuicem alios à puritate veræ doctrinæ Legis & Euangelij. Refutabo itaque hos errores ſingulatim, eo ordine, quo iam à me recitati ſunt.

1. Antinomi.

Antinomi, qui legē planè abiiciunt, atque in Eccleſiis Chriſtianorum docendam negant, vix digni ſunt, vt eorum opinio multis verbis refutetur, vtpote cui non ſolùm recta ratio hominis, ſed & ipſe Chriſtus atque huius Apoſtoli, & quotquot fuerunt in Eccleſia Chriſti fideles doctores, aduerſentur. Argumenta quibus ſuam ſententiam tuentur, hęc ſunt.

Argumenta eorū.

1. Chriſtianis, inquiunt, nihil cum Moſe, propterea neque ſunt ſubiecti ipſius Legi. Item, Chriſtiani
2. liberi facti ſunt per Chriſtum, propterea Chriſtus mandauit prædicari Euangelium omni creaturæ, de lege prædicanda nihil quicquam præcepit. Poſtre-
3. mò, Spiritus Sanctus, aiunt, doctor eſt Chriſtianorum, cuius vſus ergo erit legis inter eos? Hiſce & aliis ſimilibus rationibus, exiſtimant ſe probare Legem in Eccleſia Chriſtianorum neque retinendam, neque docendam eſſe.

Impietas eorum.

Sed ab his primùm quærere licet, decétne Chriſtianos diligere Deum & proximū? credo neminem à Diabolo ita obſeſſum, vt hoc negare auſit. Cum igitur oporteat Chriſtianos diligere Deum & proximum, cur non etiam licebit iis ſcire, quomodo id præſtare debeant? Quod enim erit dilectionis opus, niſi certa aliqua ratione regatur? Quoniam autē Lex Dei (decem præcepta puta) vtrumque nos docet, videlicet, vt diligamus Deum & proximum noſtrum, & quomodo id fieri debeat à nobis, quis eſt qui non videt manifeſtè errare hos, qui Legem Dei abolere volunt, & vetare ne ſonet in Eccleſiis Chriſtianorum.

Reſpōſio ad 1. argumentum.

1. Quòd verò obiiciunt & dicunt, Chriſtianis nihil eſſe cum Moſe, verum id eſt, quantum ad Leges Moſis cęremoniales & forenſes, ſacrificia, circumciſionem, & ſimiles ritus externos attinet, qui ad aduentum Chriſti tantum durare debebant, & poſtea deſinere: Sed non eſt verum, quantum ad legē Dei, videlicet decalogum, qui homini in prima creatione datus eſt, & poſtea repetitus, ac deſcriptus in duabus tabulis lapideis, vt eſſet huius memoria perpetua. Tacebo interim hoc loco, quòd & Chriſtus ipſe Legem docuerit, & prolixè explicuerit, quēadmodū & ſācti Prophetę fecerūt, & horū ſucceſſores.

Ad Secundum.

2. At, quòd ſecundo loco affirmāt Antinomi, Chriſtianos non eſſe ſub lege, ſed ſub gratia, concedo & hoc, modò dextrè intelligatur, quemadmodum ipſe diuus Paulus exponit, Chriſtiani non ſunt ſub Lege, hoc eſt, qui credunt in Chriſtum Ieſum, nō ſunt ſub Legis ſententia condēnatoria, quia nulla condemnatio eſt in his, qui inſiti ſunt Ieſu Chriſto, Rom. 8. 1. Attamen opus habet Chriſtianus Legis doctrina, quæ ſit ipſi regula vitæ, monſtrando quid Deo placeat, & quid aduerſetur ipſius diuinæ voluntati.

Ad tertium.

3. Præterea quod dicunt, Chriſtiani liberi facti ſunt, propterea nō ſunt ſub Lege, ad illud ſic reſpōdeo: Verum eſt, Chriſtianos liberatos eſſe à Legis condemnatione, à peccato & inferno, ſed non ita, vt interea liceat ipſis facere quicquid collibuerit. Ideo liberi ſunt, vt ſoli Deo ſeruiant, diligant ipſum & proximum, quantum eſt in totis viribus, quemadmodum lex cohortatur & docet.

Ad quartum.

4. Si inſuper pergant dicere, Chriſtus dedit mandatum de Euangelio omni creaturæ prædicādo, ſed de lege nihil quicquam præcepit. Reſp. Chriſtus iuſſit prædicari remiſſionem peccatorum, ſed quid eſt peccatum niſi legis tranſgreſſio? Iam ergo, ſi Chriſtiani nullam habent legem, neque peccata vlla vt habeant neceſſe eſt. Ad hæc, ipſe Chriſtus & Apoſtoli cohortātur ſingulos Chriſtianos, vt edāt fructū pœnitentiæ, videlicet bona opera, iuxta legē Dei.

Ad quintum.

5. Poſtremum Antinomorum argumentum tale eſt: Spiritus Sanctus, inquiunt, docet Chriſtianos, itaque lege non indigent. O quàm eſt hoc ſtultum & friuolum argumentum! Hoc enim potius modo concludendum fuit. Spiritus Sanctus docet Chriſtianos, itaque indigemus doctoribus & verbo, lege nimirum & Euangelio. Nam Spiritus Sanctus tum demum docet & mouet cor hominis quando auribus percipitur verbū, in quo ipſe S. Sanctus vult eſſe efficax in his, qui illud audiūt, & fide amplectuntur.

Videmus igitur, quàm non ſtultè tantùm, ſed & perniciosè faciunt, qui nobis legem Dei eripere, & eam è cœtu Chriſtianorum eiicere, ac non docēdam affirmare audent. Relicta ergo huius erroris contagioſa lue, agamus Deo gratias pro cōmunicata nobis ſancta ſua lege, & porrò rogemus ipſum, vt det nobis Spiritum ſuum Sanctū, quod ipſi per nos fiāt multa grata & placentia. Si hanc victoriam diabolus de nobis obtinuiſſet, quòd ſpoliaſſet nos lege Dei, quemadmodū in paradyſo id illi ſucceſſit, quid prohiberet, quo minus denuo nos faceret reos mortis & æternæ damnationis? Qui .n. ex lege peccata ſua fateri non diſcit, idem haud dubiè ex Euangelio gratiā amplecti ignorat. Qui morbū ſuū aut morbi grauitatē ęſtimare nequit, idē medicinę ſalutaris inueſtigandæ curam neligenter vt habeat neceſſe eſt.

In *Secundo* ordine eorum, qui circa legis doctrinā aberrant, ij ſunt, qui legem quidem retinent, & rectè affirmant docendam in Eccleſiis Chriſtianorū, ſed falsò hoc aſtruunt, quòd quicunque velit, poſſit ex propriis viribus & arbitrio legi ſatisfacere, atq; hoc pacto conſequi iuſticiam corā Deo, & promereri vitā æternā. Huius opinionis falſitatē ita manifeſtis demōſtrationibus oſtendā, vt facillimè quiuis intelligat, neminē omnium hominū (excepto vnico homine Ieſu Chriſto) poſſe adimplere Legem Dei.

Primum huius noſtræ aſſeuerationis argumentū præbet nobis naturæ humanæ conditio in omnibus hominibus. Ea hæc eſt, quòd omnes ab ipſa natiuitate ſunt impuri immundi & peccato obnoxij. Cum autem cōſtet, ex putrido & fœtido fonte non niſi

niſi putridam & fœtidã hauriri aquam, manifeſtum eſt, hominem impurum & peccato contaminatum, non poſſe exhibere Deo puram, ſincerã, & immaculatam obedientiam. Ideo inquit Salomon Eccleſ. cap. 7. 21. Nõ eſt homo iuſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet. Et Iob cap. 14. 4. Quis poteſt dare mundum de immundo ſemine? Profectò nemo mortalium hoc præſtare poteſt. Omnes enim ex maſſa peccatrice, & immunda radice ortũ trahimus. Nũquid poſſibile eſt, vt fructus præſtet ipſi arbori? Stat igitur firma probationis demonſtratio hæc.

Syllogiſmus apodicticus.

Quicunque immundi ſunt, obedientiã mundam & puram legi Dei præſtare non poſſunt. Omnes autem homines natura ſua ſunt immundi, excepto vnico Ieſu Chriſto, qui naturę ſuetis & communibus naſcendi legibus exemptus eſt. Nemo ergo mortalium poteſt ſatisfacere legi Dei.

2. Ab experientia humana vniuerſali.

Secundum argumentum, quo conuincitur nullum hominem poſſe adimplere legẽ Dei, petitur ab experientia humana vniuerſali. Nemo enim in vniuerſo mundo reperitur, qui conſulens propriũ cor, & examinans ſuam conſcientiam, non ſtatim experiatur ſe longè abeſſe à perfectione illa, quam lex requirit. Quis non ſentit ſe ſæpiſſimè non facienda commiſiſſe, & rurſum, facienda omiſiſſe? Et quamuis quidam de impletione legis, à ſe aut aliis facta, multum gloriari auſint, tamen contrarium ipſis eſt proprium cordis iudicium, quod licet coram hominibus occultum ſit, conſtat tamen ac patet Deo qui videt, ęſtimat & probat vniuerſas humani cordis cogitationes & affectus.

3. A conſideratione iudicij Dei.

Tertium argumentum, quo probatur neminem mortalium poſſe adimplere legem Dei, petitur ex iuſto iudicio Dei, qui reos ſolummodò & legis diuinę, ac mandatorũ ipſius tranſgreſſores damnat. Cũ autem nemo liber ſit à iudicio Dei & pœnis, videlicet morbis, aduerſitatibus, & ad extremũ ipſa morte, quę omnia graſſantur propter peccatum, hoc eſt, Legis Dei tranſgreſſionem, quis non hinc nullo negotio intelligit, ac haud dubiè cõcludit, omnes homines reos eſſe, ac legis diuinæ tranſgreſſores, ita ex operibus legis nullam conſequi poſſint iuſticiã?

4. A diſſidio legis & naturæ humanæ.

Quartum argumentum ſumitur ex diſſidio legis & naturæ humanæ. Lex enim ſpiritualis: Natura aũt humana carnalis eſt, quod Paulus probat Roman. 7. 14. cum inquit: Scimus quòd lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, venũdatus ſub peccato, hoc eſt, vſque adeò ſum peccato obnoxius, vt nunquam ita liberer ab eo, vt adimplere poſſim legem Dei ſpiritualem. Ago autem Deo gratias, per Ieſum Chriſtũ, qui quod ego præſtare nequeo, id totum meo nomine abunde præſtitit. Hoc argumentum tractat Paulus multis verbis, capite à nobis jam citato.

5. A teſtimoniis Scripturę.

Quintum argumentum, quo probatur neminem mortalium adimplere legem Dei, prębet nobis ipſa vox Dei in Moſe, Pſalmis & Prophetis, adeóque in tota Scriptura Euangelica & Apoſtolica.

1. Geneſ. 6. 5. Vidit Deus quòd multa eſſet malitia hominum in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore.

2. Iob. 9. 2. Verè ſcio quod ita ſit, quòd non iuſtificetur homo corã Deo, ſi voluerit contendere cum eo, non poterit reſpondere ei vnum pro mille. Et paulò pòſt de ſeipſo inquit Iob: Si iuſtificare me voluero, os meum condemnabit me.

3. Pſ. 14. 2. &c. Corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Dominus de çœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum.

Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, nõ eſt vſq; ad vnũ. Pſ. 13. 3. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine, quis ſubſtinebit? Hac de cauſſa orat Dauid Pſ. 143. 2. in hũc modũ: Domine ne intres in iudiciũ cum ſeruo tuo, quia nõ iuſtificabitur in conſpectu tuo oĩs viuens.

4. Prouerb. 20. 9. Quis poteſt dicere: mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato?

5. Eſaiæ 64. 6. Facti ſumus vt immundi oẽs nos, ac quaſi pannus menſtruatæ iuſticiæ noſtræ, & cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtrę quaſi ventus abſtulerunt nos.

6. Chriſtus Ioan. 3. 6. inquit: Quod natum eſt ex carne, caro eſt.

7. Paul. Rom. 3. 9. Oſtendimus redditis cauſis & Iudæos & Græcos omnes ſub peccato eſſe. Epheſ. 2. 3. Eramus natura filij iræ.

Ex hiſce iã recitatis, & aliis plurimis Scripturę teſtimoniis, manifeſte conuincitur, neminem mortalium poſſe adimplere legem Dei.

6. A Diui Pauli argumẽto.

Sextũ argumentũ huius noſtrę aſſeuerationis eſt à Paulo ad Galat. cap. 2. his verbis propoſitũ: Si ex lege iuſticia, fruſtra mortuus eſt Chriſtus. Nã Chriſtus venit in mũdũ, vt legẽ impleret, quod impoſſibile fuit omni homini, in toto mũdo præſtare. Quotquot autẽ credũt in eũ, his imputabitur legis iuſticia, quam Chriſt[us] in ſua propria perſona fecit atq; aſſecut[us] eſt.

Cõcluſio.

Sex igitur firmiſſimis atq; euidẽtiſſimis argumẽtis probaui, falſam eſſe opinionẽ Papiſtarũ, qui docẽdo, ſcribẽdo & declamãdo, cõtra propriã conſcientiã, affirmare audent, hominẽ poſſe adimplere Legẽ Dei, atque ita ex operibus iuſtos reputari coram Deo.

III. Mediatores & Politici.

Tertio loco inter eos, qui nõ rectè docent de Lege, collocãdi ſunt, qui fatẽtur quidẽ, hominẽ ex parte nõ ſatisfacere Legi Dei, ſed tamẽ in multis pręſtare Legi obedientiã. Et propterea, inquiunt, quo plus fiat bonorũ operũ ſecundũ Legẽ, eo maior erit hominis ex Lege iuſticia, & quod deeſt, id precario à Chriſto mutuãdũ eſt. Hęc opinio licet hęreat in multis, præcipuè politicis hominibus, eſt tamen falſa & cõtumelioſa in Filiũ Dei Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtũ, qui ſolus tollit peccata mundi, & in ſe credẽtes iuſtificat.

Refutantur variis rationib.

Prima.

Secunda.

Eſſe quoq; opinionẽ hãc nõ minimã cauſam reiectionis Iudæorũ, docet Paul. Rom. 10. 3. Ignorãtes, inquit, iuſticiã Dei, & ſuã quęrẽtes ſtatuere, iuſticiæ Dei nõ ſunt ſubiecti. Finis. n. Legis Chriſti, ad iuſticiã omni credẽti, hoc eſt, Quicunq; credit, is habet quod Lex requirit, videlicet iuſticiam, quã Chriſtus credẽti imputat. Itẽ Philip. 3. 9. tradit Paulus diſcrimen inter iuſticiam Euangelij & Legis. Iuſticiã Euangelij conſequuntur omnes credentes, ſed Legis iuſticiam nemo excepto ſolo Chriſto conſequi poteſt, ex propriis ſuis operibus.

Tertia.

Ad hæc, nemo poteſt inchoare aliquod bonũ opus iuxta Legem, quo cõſiſtere valeat ante tribunal Dei, priuſquã iuſtus fuerit ex fide in Chriſtũ. Nã vt alibi teſtatur Paulus, impoſſibile eſt placere Deo ſine fide. Poſſunt quidẽ fieri quędã opera, quæ ſpeciẽ boni apud homines habeant, & proſint etiã vitæ & cõuerſationi humanę, in hoc mundo, ſed ex iis iuſticiã cõſequi impoſſibile eſt. Qui. n. aduerſus vnũ peccat, omnium reus factus eſt, inquit Iacobus. Nec poteſt quicquã Deo placere, quod fit ab eo, qui nõ eſt mẽbrũ Chriſti & iuſtificatus per obedientiã ipſius. Vt enim vnius Adami inobedientia oẽs rei facti ſumus dãnationis, ita nos oẽs quotquot credimus in Ieſum Chriſtum, iuſtificamur per ſolam obedientiã ipſius.

Cõcluſio.

Apparet itaque errare eos, qui iuſti eſſe volunt, partim ex propriis operibus, partim ex merito Chriſti, ita vt quò plus abũdet aliquis operibus bo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nis, eo magis gloriari poſſit, ſe de ſuo afferre, & reliqua quæ deſiderantur, quærere apud Chriſtum.

4. Mahumetani.

Quos quarto loco nominaui, circa legis doctrinam errare, ij prodierunt ex ſchola Mahometis. Mahomet vt ſuos diſcipulos ac ſubditos retineret ſuis diabolicis præſtigiis magis addictos, docebat quemlibet ſaluari obſeruatione legis illius, cui ſubeſt. Hoc eſt, Si Iudæus ſuas ceremonias & circumciſionem obſeruet, ille ſua obedientia meretur ſalutem. Etſi Turca aut Mahometiſta, inquit, ſuam legem cuſtodiat, ſaluabitur ea ratione & ipſe. Sic porro etiam Chriſtianus per legem Euangelij ſalutem conſequitur. Hac etiam praua opinione imbuti ſunt politici quidam homines, qui nec grauitatem peccati, nec beneficia Chriſti rectè æſtimabant. His omnibus, qui hoc modo ex ſua lege, cui ſubiecti ſunt, ſalutem quærunt, vbicunque tandem locorum degant, oppono hæc manifeſta & immotæ veritatis verba, Ioh. 3. 36. Qui credit in filium, habet vitam æternam, qui autem non credit in filium, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

Refutantur.

DE TERTIO.

De vſu legis.

Sequitur tertium quod de lege propoſui, videlicet quorſum conducat lex, & quis ſit eius verus vſus inter homines, præcipuè in Eccleſia Chriſtiana.

Audiuimus ſupra, quid lex requirat, & quòd nemo eam implere poſſit, quæritur ergo tertio loco, quis ſit eius vſus, cum ei nemo ſatisfacere, nec quiſquam ex operibus ipſius, iuſticiam coram Deo conſequi poſſit.

Triplex eſt.

Triplex eſt vſus legis, videlicet, Externus, Internus, & Spiritualis.

DE VSV LEGIS EXTERNO.

I. Externus.

Vſus legis externus eſt, vt diſciplina regat homines, vt in externa honeſtate morum, inuicem pacificè iuxta legem viuant, ne quid mali facinoris manifeſtè perpetrent, quod in lege Dei prohibitum ſit.

Superiorū omniū officium.

Hîc neceſſe eſt parentes, magiſtratus, præceptores atque tutores, immo etiam verbi Dei miniſtros, diligenter attendere, vt qui ipſorum curæ commiſſi ſunt, honeſtate vitæ externa, integrè ac pudicè viuant. Propterea enim lex Dei moralis dicitur, quòd communis quædam regula ſit, iuxta quam quiſque ſuos mores formet ac dirigat.

Parentū erga liberos.

Primo, mandata eſt hæc externa legis diſciplina parentibus, vt hac liberos ſuos edoceant, ac ſub externa morum honeſtate contineant. Et quo id facilius præſtare poſſint, vtantur doctrina, exemplis, placidis atque ſeueris admonitionibus, & virga. Porrò, ſi id res poſtulat, quod qui non fecerint, ij expectent iuſtas à Deo pœnas, tanquam contemptores ſeueriſſimorum mandatorum Dei, qui præcipit parentibus, vt iuxta Decalogi normam, honeſtè & pie liberos ſuos inſtituant atque educent.

1. Principio quidem vtantur doctrina, hoc eſt, liberos ſuos quamprimùm fari ac ratione vti poſſunt, aſſueſcant manè & veſperi, Catechiſmi ſingulas partes, memori mente ediſcere atque recitare.

2. *Deinde* ipſi liberis ſuis præibunt, proprio honeſtæ actæ vitæ exemplo, ita vt doctrinæ propoſitæ correſpondeat parentum vita, quam poſtea imitari liberi poſſint. Qui enim verbis tantùm laborant in liberorum educatione, ſtultè admodum, meo iudicio, facere videntur, & haud ſcio, an docere eos, an dedocere magis dicam. Nam quod ore docendo ædificant, id factis malè viuendo deſtruunt, & quæ hinc malorum lerna ſequatur, tam in Eccleſiaſtico, quàm politico ordine, quis eſt qui nō videt ac quotidie experitur.

3. Debent præterea parentes mitioribus interdum verbis apud liberos vti, vt his quaſi illecebris, animi eorum facilius ad virtutis officia alliciantur & extimulentur.

4. Quòd ſi autem paternis admonitionibus obtemperare nolunt liberi, hîc parentes ſeueriori vultu ac ore compellabunt eos, ac quas tandem laturi ſint ſuæ inobedientiæ pœnas, prudenter & grauiter præmonebunt.

5. Quinto, cum parentes neque mitioribus neq; aſperioribus commonefactionibus proficere quicquam poſſint, & nulla emendationis morum ſpes in liberis affulgeat, hîc tandem extremi paterni remedij loco adhibenda eſt virga. Hac caſtigabunt eos, cum aſſueſcunt periuriis, mendaciis, furtis, turpibus & obſcœnis quomodocunque dictis. Nam Syrach inquit cap. 30. Qui diligit filium ſuum, crebra ei admouet flagella, vt in poſtremis vitæ ſuæ diebus gaudeat. Et Salomon Prouerb. 23. 13. Noli ſubtrahere à puero diſciplinam, ſi enim percuſſeris eum virga, non morietur: virga percuties eum, & animam eius de inferno liberabis.

Qui nimiùm liberis ſuis indulgent, & conniuentes ad quoduis flagitium eorum, ex arbitrio ſuo eos viuere permittunt, hi perditionis illorum autores cenſendi ſunt. Narrat Pontanus, quendam delicatulum à matre nimia licentia corruptum, tādem adultæ ætatis, ob commiſſum facinus morti adiudicatū. Hic cum à carnifice ad locum ſupplicij deduceretur, alta voce hæc ingeminabat verba: Nolite putare, ô ſpectatores, hunc carnificē, ſed potius matrem meam propriam, me ad hoc tam infame genus ſupplicij deducere. Multum itaque intereſt parentes aſſuefacere liberos, vt iuxta decalogi amuſſim vitę ſuę curſum dirigant. Hac ratione ſternent viam facilioris pædagogiæ his, quorum diſciplinæ & fidei poſtea liberos ſuos credituri ſunt.

Magiſtratus officium erga ſubditos.

Magiſtratui ſimiliter externa hæc diſciplina Legis Moſaicæ commendata eſt. Nā Paulus Magiſtratum vocat miniſtrum Dei, ad bonū promouendum ac malum puniendum. Et quoniam à Deo ordinati ſunt magiſtratus, ideo tenentur promouere gloriam Dei, & auertere quæcunque Deo ſunt cōtraria, quātum ad externam hominum conuerſationē attinet.

Appellatur autem magiſtratus cuſtos vtriuſque Legis, quòd ſubditos ſuos diligenti cura contineat ſub honeſta morum diſciplina iuxta Decalogum, & proprium ipſe vitę curſum tranſigat, vt ſit exēplar & ſpeculum, in quo ſubditi bene viuentes, intueri poſſint. 2. Dabit quoque operam, vt Leges poſitiuæ & ſingula decreta ipſius, cum Decalogo congruant, & ſint huius quaſi muri ac propugnacula. 3. Debet inſuper magiſtratus punire manifeſtas legis diuinę trāſgreſſiones, vt ſunt blaſphemia Dei, idololatria, periuria, deierationes, verbi Dei contēptus, inobędientia, homicidia, adulteria, mendacia, falſa teſtimonia, furta, & ſimilia vitia, quæ ex diametro pugnāt cum Lege Dei. Quod ſi in his negligit magiſtratus ſuum officium, particeps fit ac reus omnium iſtorum delictorum, quorum impunitatem aliis concedit.

Narratur hiſtoria de homicida quodā qui ſeptem viros è medio ſuſtulerat, cū in ius pertractus, iudicio ſiſteretur, atq; homicidij accuſaretur, reſpōſum eſt, eū ſolūmodò vnicū, reliquos aūt ſex magiſtratū occidiſſe, qui primū illud homicidiū in ipſo nō punierit. Imò verò reus magiſtratus & corā Deo, cū cōtumaciter violātes Legē Dei nō punit, ac ſua licentia feneſtram ad peccandum, aliis aperit. Immiſericordis enim eſt gratię vni parcere, cum plurimorum iactura ac perditione.

Ad iu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Præceptorum officium erga iuuentutē

Ad iuuentutis informatores hæc eadem cura ſpectat, vt ſuæ diſciplinæ concreditos, ita doctrina, exemplis, crebris admonitionibus & caſtigationibus inſtituant: nequid enorme & Legi Dei contrarium in externis eorum moribus conſpiciatur. Quod ſi facere negligant, peccant in Deum, in puerorum parentes, & totam rempublicam, nec ferent hoc perpetuò impune. Si etenim is iure ſuſpenditur, qui taurum aut vaccam alteri ſuffuratur: quò magis mille ſuſpendijs dignus eſt, qui hoc furti genus lōgè grauius committens, bona fide ſibi commiſſam iuuentutem infideliter inſtituit:

Tutorū erga pupillos.

Tutores etiam, qui loco parentum ſunt, componant ſe totos ad regulam, ſuprà parentibus pręſcriptam. Itaque non tantum bona pupillorū hęreditaria curent ac ſtudioſè conſeruent, verūetiam vt honeſtè & probe inſtituantur, maximopere conentur, ſcientes ſe corā Dei tribunali tam ſtrictè teneri promiſſo, quod præſtiterunt illorum parentibus, ac ſi cum Deo ipſo pepigiſſent, ſe fore pupillorum iſtorum fidos tutores ac patronos. Hac de cauſa vocat ſe Deus patrem orphanorum ac patronum viduarum. Sed quid hodie à communi tutorum vulgo fiat nemini non conſtat, & miſeri pupilli ac viduæ, prò dolor, cum ſuo magno dolore experiuntur.

Miniſtrorum verbi officiū erga auditores.

Poſtremo tenentur etiam miniſtri verbi Dei, iuxta hanc legis diuinæ normam, ſuos auditores ad externam vitæ honeſtatem, doctrina, exemplis & crebris admonitionibus, vnà cum caſtigationibus propoſitis cohortari, quemadmodum fecerunt ipſe Chriſtus & diuus Apoſtolus Paulus. Quod ſi autem huius ſui officij debitam curam depoſuerint, & fraudulenter fecerint opus Domini, non euadent iuſtum iudicium ac pœnam in die nouiſsima Domini. Sed quot hic videre licet, qui illud poetæ ſequuntur? Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas. Cum nullius tamen hominis perſonam te reſpicere velit Deus, modò moderatus ſis, ad exemplum optimi Nathan. Præſtat miniſtrum verbi Dei cum Iohanne decollari, quàm cum Herode conuiuari. Maior enim hoc loco habenda eſt ratio gloriæ Dei & ſalutis humanæ, quàm propriæ vitæ ac commodorum.

Cauſæ impellentes ad hæc officia.

Hæc dicta ſint de vſu legis externo & quàm latè is pateat. Grauiſſimæ autem cauſæ huius diſciplinæ externæ exercendæ quatuor ſunt. 1. Mandatum Dei. 2. Vt vitentur pœnæ. 3. Vt pacificè & quietè inter nos viuamus. 4. Vt ſit hæc pædagogia, reddens nos aptiores ad audiendam ſalutarem doctrinam Euangelij Ieſu Chriſti.

DE VSV LEGIS IN-*terno.*

ii. Internus.

Quemadmodum primus legis vſus externus eſt, & humanam concernit ſocietatem, vt quicunque in externa conuerſatione, literam Legis verbis ac factis exprimat, iudicetur ab hominibus probus ac honeſtus. Ita ſecundus legis vſus internus eſt, in corde ac conſcientia hominis, vt ſiſtatur ille coram tribunali Dei, & reddat rationem, nunquid totis viribus ſatisfecerit Legi Dei nec ne. Hic ſi de legis perfectione gloriari poſſit, (quod excepto vnico Chriſto omnibus hominibus impoſſibile eſt) ſciat ad ſe pertinere benedictionem atque miſericordiam in millia, iuxta promiſſionem legi annexam. Si verò tranſgreſſorem ſe legis animaduertat, propoſitam audit ſibi vindictam & iudicium Dei, in tertiam & quartam generationem. Item, Maledictus omnis, qui non fecerit quæcunque ſcripta ſunt in libro legis hoc. Hæc ſententia primùm lata eſt in Paradyſo. Deinde manifeſtis verbis expreſſa eſt apud Moſen. Adhæc conſcientia ſingulorum hominum eandem ſtabilit, atque adeò omnes calamitates huius vitæ, ac mors ipſa tandem, confirmant. Poſtremùm verò inferni cruciatus æternus puniet, quotquot non liberati fuerint per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Eius ſedes. ... cacia.

Teſtes verbum Dei & conſcientia.

Exēpla.

Cain cùm æqua lance peccatum ſuum ad legem perpenderet, inquit: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam conſequar. Idem Saulo accidit deſperanti, ac ſeipſum in æternam damnationem conijcienti. Dauid autem cum iuxta legem factum ſuum examinaret, ac peccatum ſuum cognoſceret: ait Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit: Quia apud te propitiatio eſt, vt timearis.

Oppoſita.

Manaſſes ſimiliter, Magdalena & latro in cruce, peccata ſua confitentes egerunt pœnitentiam, & ad gratiam Dei confugiebant. Atque ita videmus, quis ſit Legis vſus internus, videlicet, vt vitæ noſtræ actiones ad ſingula Legis Dei præcepta examinemus, & quoties nos deliquiſſe experimur, toties Legis maledictionem atque irati Dei pœnas nobis denunciari ſtatuamus.

Remediū adu. Legis condemnationem.

Quid verò conſilij hic capiemus? Duæ tantum viæ propoſitæ ſunt, vna per deſperationem, ad æternam mortem & maledictionem, Altera, per thronum gratiæ ad æternam vitam & benedictionem.

Thronus gratiæ eſt Chriſtus Ieſus, qui nos ſuo patri reconciliat & donat vitam æternam. Nam qui credit in Ieſum Chriſtum, conſequitur per eum remiſſionem peccatorum, & iuſticiam, per quam ingreditur vitam æternam Chriſtus enim impleuit legem, ad iuſticiam omni credenti.

Fides fundamentū ſalutis.

Hæc fides in Chriſtum fundamentum eſt noſtræ ſalutis, quemadmodum fatentur in ſymbolo ſinguli Chriſtiani, cum dicunt: *Credo remiſſionem peccatorum*, Hoc eſt, Quamuis innumera ſint mea peccata, & immenſa ſit iræ Dei magnitudo, atque horrendæ ſint ob peccatum pœnæ ingruentes, tamen cum ſub gratia ſim, & non ſub lege, certò credo remiſſionem peccatorum, propter meritum mortis & paſſionis Ieſu Chriſti, qui non ſolùm mundat me ab omnibus peccatis ſuo precioſo ſanguine, ſed etiā imputat mihi ſuam iuſticiā, ita vt nihil iuris in me lex ſua damnatoria ſententia vllo modo habeat.

Hæc fides oritur ex noticia Euangelij, quod offert omnibus credentibus gratiam in Ieſu Chriſto Vnde etiam Auguſtinus inquit, Chriſtus noſtra peccata ſua fecit, vt ſuam iuſticiam, noſtram faceret. Item cum Cain diceret, Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam conſequar. Reſpondet Auguſtinus: Mentiris Cain, Maior enim eſt miſericordia Dei, quàm omnium peccatorum miſeria. Hoc eſt quod Iohannes dicit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Item Chriſtus eſt propitiatio non tantùm pro noſtris peccatis, ſed pro peccatis totius mundi.

Eius ſcopus.

Hæc fides in ſolius Dei obedientiam recumbit, & præterea nulli creaturæ ſiue in cœlo, ſiue in terra confidit. Sed de fidei natura infra in tertia doctrina copioſius erit dicendum: nunc ad tertium legis vſum tranſeamus.

DE SPIRITVALI LE-*gis vſu.*

III. Spiritualis.

Tertius legis vſus, qui ſpiritualis dicitur, lo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

cũ habet in renatis,qui in Chriſtum credentes,conſequuti ſunt per mortem & interceſſionem Chriſti, remiſſionem peccatorum, & iuſti habentur coram Deo per iuſticiam Chriſti imputatiuam. Vbi hæc fides viua eſt & ſine hypocriſi, ibi ſimul habitat Spiritus ſanctus,qui & operatur fidem in cordib. hominum,per auditum ſalutaris doctrinæ Euangelij, & regenerat hominem, atque excitat eum ad gratitudinem erga Deũ,quo fit vt pluris faciat homo Dei voluntatem ac mandata ipſius, quàm totius mundi bona omnia, quamlibet ſpecioſa ac precioſa ea æſtimari poſſint, & perſeueret in bono propoſito retinens fidem ac bonam conſcientiam.

Spiritus effecta.

Quoniam ergo renatus obedientiam vult præſtare Deo, hic denuo in Legem inſpicit, & hanc ſibi tanquam infallibilem normam proponit, vt quid facere, quid omittere debeat in vero Dei cultu, intelligat. Et quãuis nemo ſuis operibus ſatisfacit legi, tamen placet Deo obedientia credentis, quia liberatus eſt à maledictione legis, & per Chriſtum eſt ſub gratia. Sic enim Paulus inquit: Nulla condemnatio eſt in ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum Spiritum.

Renatus in legem inſpicit.

Eſt autem hæc obedientia non tantùm grata Deo, vt pote qui ex paterna ſua bonitate, iubet ac vult credentes ſe diligere & charitatem exercere erga proximum: verùm etiam addit promiſſionem mercedis, quòd velit largiter compenſare omnia benefacta, adeò vt qui poculum frigidæ aquæ dederit in nomine Chriſti, non fruſtrabitur ſua mercede.

Eius obedientia grata Deo.

Hinc fit, quòd multorum extent piorum exempla, qui propter obedientiam Deo ex fide præſtitam, reportarunt, tum ſpiritualem, tum corporalem benedictionem.

At qui ſe credere dicunt, & nihilominus non habent propoſitum vitandi peccata, ſed regi ſe patiuntur à ſuis prauis cupiditatibus, & trahi à deſiderijs carnis, hi non inſiſtũt veſtigijs Abrahæ, qui malebat proprium vnicum filium ac hæredem occidere, quàm tergiuerſando deſignare quicquam contra præceptum Dei. Faciunt quoque contra D. Pauli doctrinam, qui præcipit credentibus, vt qui cum Abrahamo gratiæ Dei participes fieri volent, debeant fidem ſuam declarare obedientia erga Deum, qui immenſam ſuam gratiam commendauit erga omnes homines, quòd filium ſuum vnigenitum tradiderit pro ipſis.

Aduerſus eos qui fidem ſe habere iactant, tamen ſi operibus malis negẽt Deum.

Sed quàm eſt hoc argumentum impium & inſandum, quòd quidam eò impietatis progreſſi, dicere audent: Iuſtificati & liberati ſumus, gratis ex fide, quorſum ergo opus eſt incumbere bonis operibus? Audi quid his reſpondeat Paulus: Quorũ iuſta eſt, inquit, condemnatio. Immo verò iuſta, cum ipſi hoc errore, peccata (vt Cæcias nubes) attrahant.

Quinque adu. fidẽ mortuam argumenta.

1. Principio enim Deum contumelia afficiunt.
2. Deinde pedibus conculcant precioſum ſanguinem Chriſti. 3. Præterea expel unt Spiritum ſanctum. 4. Ad hæc mendacij ſeipſos arguunt. 5. Poſtremò dato ſcandalo, multos offendũt & à doctrina Euangelij mentes eorum abalienantes, ad perditionem atque interitum impellunt.

Principio, inquam, contumelia afficiunt Deum, qui immenſa ſua miſericordia, eos à peccato & cõdemnatione liberatos cupit. Conferendi ſanè hi eſſe liberis immorigeris mihi videntur, qui aliquando propter multiplicem maliciam atque nequitiam, ab omni ſpe ſucceſſionis in bonis paternis excluſi, rurſum tamen ſupplices facti atque recepti in gratiam, redierũt ad ingeniũ, & ſpreto patris mandato, ipſius denuo abuſi ſunt bonitate atque clementia. Quid enim aliud hic tentabit pater, quã vt ſũmo iure quẽadmodum eorum poſtulat cõtumacia, cũ illis agat?

1. Contumelia afficiunt Deum.

Deinde pedibus conculcant hi precioſum Chriſti ſanguinẽ, qui effuſus eſt in cruce in remiſſionẽ peccatorũ. Quaſi verò enim Chriſtus ea de cauſa ſuũ fudiſſet ſanguinẽ, & expandiſſet cruentas manus, brachia & pedes, adeóque totum corpus, in patibulo crucis, vt nobis liceret cor noſtrum, manus, pedes & totum corpus proſtituere omni turpitudini, petulantiæ, tyrannidi, iniuſtitiæ, verſutiæ, fallaciæ, impoſturæ, & vt vno dicam verbo, vniuerſis hiſce omnibus, ad quæ nos mundi prauitas & carnis libido inſtigat: & tamen interea dicere, Chriſtus eſt meus Saluator, huic credere, & huic totus adhærere volo. Qui ſic vitã inſtituit ſuam, is per omnia ſimilis eſt perfido proditori, qui Domino ſuo, cuius ſtipendia accipit ſimulatam præſtat operã, & interea hoſti ipſius fauet, & omnibus quibus poteſt modis placere & ſua inſeruire opera laborat. Ita gloriari de fide in Chriſtum, & interea malè ac perditè viuere, quid aliud eſt, quã ore ea proloqui, à quibus & cor ipſum & totius vitæ ſtudia atque actiones diſſentiunt? Gloriabantur Iudæi ſe eſſe filios Dei & ſemen Abrahæ, ſed quid ad hæc Chriſtus? Vos, inquit, eſtis ex diabolo, quia opera ipſius perficitis, à quibus procul fuit Abrahã. Res itaque horrẽda & cũ damnationis extremo periculo coniuncta eſt, Chriſtũ in ore præ ſe ferre, hoſtem verò ipſius corde occultare, & omnibus mẽbris, tam internis quã externis, huic ſe ad obediendũ accõmodare: Quid, inquam, hoc aliud eſt, quã precioſum Chriſti ſanguinẽ pedibus cõculcare, atque contẽnere amarã ipſius paſſionẽ & mortem, quam pro peccatis noſtris pertulit, non vt pateret nobis peccandi licentia, ſed vt fide accipiẽtes remiſſionẽ peccatorũ, ipſum in cordibus noſtris retineamus, atque abnegato Diabolo cũ omnibus ſuis operibus, peccato videlicet & iniquitate, huic ſoli Domino & redemptori noſtro, ſinceram & perpetuam præſtemus obedientiam.

2. Sanguinem Chriſti pedib. cõculcãt.

Tertio, quicũque ex auditu ſalutaris doctrinæ Euangelij iuſtificati ſunt fide in Chriſtũ, & denuo in manifeſta recidũt flagitia, atque carnis, mũdi & diaboli ducuntur & regũtur imperijs: hi cõtriſtãt Spiritum ſanctũ: & eum è cordibus ſuis expellunt, atque in huius locũ admittunt & recipiunt ſpiritũ Diaboli, cuius denuo fiunt habitacula, quẽadmodũ prius extiterunt. Quid hic aliud expectandũ, quam quod Chriſtus pronũciauit Matthæi 12.43. & Lucæ 11.24. Cum exierit Spiritus immundus ab homine, ambulat per arentia loca, & quærens requiem & non inueniens, dicit: Reuertar in domũ meam vnde exiui: & cum venerit, inuenit eam ſcopis mundatã. Tunc vadit & aſſumit ſeptẽ alios ſpiritus ſecũ nequiores ſe & ingreſſi habitãt ibi: & fiunt nouiſſima hominis illius peiora prioribus. Hinc intelligi facilè poteſt, quanti momẽti ſit, aut verbũ Dei amplecti, atque credere, aut rurſum turpiter ab eo corde & vita deficere, atque Spiritum ſanctũ è ſuo habitaculo contriſtatum expellere.

3. Contriſtant Spiritum S. & eum è cordibus ſuis expellunt.

Ad hæc quicunque de fide gloriantur, & malè interea viuunt, hi impudentiſſime ſeipſos mendacij arguunt atque conuincunt. Cum enim ea iactitent, quibus carent, ſimiles euadunt loquacibus Thraſonibus, qui ore quidem aureos montes polliceri non verentur, cum re ipſa omnium maximè egeni ac inopes exiſtant. Horum error hinc confirmatur, quòd Deum non penitius corda introſpicere aut ſcrutari, quam homines, exiſtiment. Sed multum falluntur. Homo enim externa tantum videt, Deus autem non ea ſolùm, ſed & cor ipſum introſpicit. Decipi ergo Deus non poteſt, etiamſi diuerſum

4. Seipſos mendacij [arguunt].

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſum cor ſentiat ab eo, quod os tuum loquitur. Hinc e', quòd Iacobus requirat conſonantiam cordis & oris, ita vt fidei quæ in corde eſſe prædicetur, reſpõdeant opera vitæ externa, quemadmodum eſt videre in exemplo Abrahæ. Nam certum eſt congruere, & ſibi inuicem correſpondere cor & opera, ita vt vbicunque ſit malum cor, huius opera conſimiliter mala conſequi neceſſe ſit, iuxta regulam Chriſti, Bona arbor bonos edit fructus. Videmus itaque manifeſtè, quàm impudenter ſeipſos mendacij arguant, qui de fide gloriantes, bona interea opera, neque habent, nec curant: perinde faciẽtes ac ſi quis impoſita capiti corona, regem ſtatim propterea ſe nominari atque haberi velit. Hi ſunt quos nomine tantùm, re autem ipſa ac facto Chriſtianos nemo dicere poſsit.

5. Sunt Scãdalo infirmis & pijs.

Poſtremo, quicunque gloriatur de Chriſto, & Chriſtianus cenſeri & appellari vult, qui baptizatus, & fidem ſuã iactat, atque cœna Domini vtitur, & tamen interea flagitioſè viuit, hic manifeſto ſcãdalo multorum animos ab Euangelio abalienat, & exiſtit his condemnationis occaſio. Paulus 1. Corinth. 8. 11. vbi agit de ijs, qui cum aliorum offendiculo Chriſtiana libertate in rebus licitis abutuntur, hos affirmat, ſua ſciẽtia & Chriſtianę libertatis abuſu, perdere infirmum fratrem, pro quo mortuus eſt Chriſtus. Quanto igitur magis in culpa erit, qui prauis facinoribus præbet alijs occaſionẽ malè ſentiendi, & blaſphemè loquendi de ſacroſancto Euangelio & Chriſtiana religione? Rom. 2. 21. Accuſat Paulus Iudæos prauitatis morum, & ait ideo per eos inter gentes blaſphemari nomen Dei. Et 1. Timoth. 6. 1. præcipit ſeruis credentibus & renatis, vt Dominos nondum conuerſos aut credentes omni honore dignos æſtiment, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur. Et venturos huiuſmodi homines in nouiſſimis temporibus prædixit D. Apoſtolus Petrus, 2. Petri ſecundo, verſ. 10.

Cõcluſio Superioris diſputationis.

Vides igitur quanta ſit huius peccati atrocitas, quo non ſolùm homo ſuiipſius perditionis autor exiſtit, verumetiam plurimis præbet occaſionem, vt cum ſalutis ſuæ detrimento, & blaſphemia nominis ac doctrinæ Dei, Euangelium Chriſti repudiẽt atque contemnant. Non dubium eſt, quin multi inter Turcas hodie, hac quoque de cauſa, odio proſequantur Euangelium Chriſti, quòd videãt Chriſtianos tam perditè atque flagitioſè viuere. Et quis dubitet multos inter Papiſtas non eſſe, qui Euangelium Chriſti perſequantur, aut nihili prorſus faciant, quòd tam frequentes ſint, qui de Euangelio glorientur, rariſſimi autem qui iuxta Euangelium viuant? Quid verò de his dicam, qui nobiſcum puram doctrinam Euangelij receperunt, quorum multi adhuc ſunt infirmi & vacillantes? profectò horum plurimos, aut animos deſpondere, aut mores & tempora, ſub quibus in Papatu viuimus, huius ſeculi moribus maximè laſciuis & petulantibus, longè præferre videas. Quid aliud hos facturos putes, ſi ingrueret aliqua perſequutio aut mutatio religionis, quam vt non inuiti paterentur nobis obtrudi Antichriſti Romani priſtina deliria & Idololatriam? Sed quorum culpa hoc fit, niſi horum ſolummodò, qui debebant alijs ducis & lucis vice eſſe, & iuxta conſilium Pauli in omnibus, hoc eſt, ore, opere & vita, ornare doctrinam Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti.

Chriſtiano lex Dei maxime docet.

Hinc igitur concludimus, omnes credentes in Chriſtum decere, vt proponant ſibi legem Dei, ceu vitæ ſpeculum, iuxta quod omnia ſua facta dirigant in gloriam Dei, in proprium commodum & aliorum ædificationem. Quo fieri poſsit, vt deſtruantur opera diaboli, & opera Dei augeſcant, in gloriam Dei æterni patris, qui ex mera ſua miſericordia, per fidem, abſque omni noſtro vllo merito & operibus, nos ſaluos fecit & regenerauit, vt ipſi viuamus, & ambulemus in omnibus operibus bonis, Epheſ. 2. 10.

TERTIA DOCTRINA.

De Euangelio.

Tertia doctrina, quam initio huius libelli explicandam propoſui, eſt de Domino noſtro Ieſu chriſto, in cuius ſolius vera cognitione, conſiſtit vita æterna, quemadmodum inquit ipſe, Iohannis 17. 3. Hæc eſt vita æterna, vt te cognoſcant eſſe verum Deum, & quem miſiſti Ieſum chriſtum.

Quæſtio Chriſti.

Poſtquàm chriſtus reſpondiſſet Phariſæis ad quæſtionem ſibi ab ipſis propoſitã, quærit viciſſim ab eis quid ipſis videatur de chriſto. Hãc quæſtionem mouet vt detur illis occaſio ſcrutandi ſcripturas ex quibus diſcant, quid de chriſto ſtatuere debeant. Vide ergo quanta diuerſitate animorum hęc vtrinque fiant. Hi non diſcendi gratia, ſed cauillandi & perdendi ſtudio negocium agunt. Chriſtus autem ſua quæſtione hoc intendit, vt ad veræ ſalutis noticiam atque poſſeſſionem eos perducat.

Quæſtionis membra.

Audiamus ergo quid vtrinque fiat. chriſtus quęrit, *Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? Dicunt ei, Dauidis.* Hoc reſponſum dabant, quia ſciebant chriſtum naſciturum ex ſemine Dauidis, iuxta promiſſionem ipſi factam. Verùm cùm non ſufficeret hoc ad veram chriſti cognitionem, ex hac alterã quæſtionẽ infert chriſtus, qua in vberiorem chriſti noticiam perducere conatur. Itaque inquit: *Quomodo Dauid ergo in ſpiritu vocat eum Dominum? dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt?* quaſi diceret Chriſtus: Pater eſt ſuperior filio, & filium oportet ſubiectum eſſe patri. Et Dominus eſt ſuperior miniſtro, miniſter verò debet ſubijcere ſe Domino ſuo. Quî ergo fit, quòd Dauid chriſtum fateatur ſuum Dominum, cui ſe totum cum omni animi ſubiectione ſubmittit?

Iudæorũ ſtupor.

Hic ſi Iudæi adhibuiſſent in conſilium ſacram ſcripturam de Chriſto diſſerentem, & pauliſper ſecum perpendiſſent, quodnam foret officium Chriſti in mundo, facilè inueniſſent hoc reſponſum: Chriſtus ratione naturæ humanę aſſumtæ, eſt filius Dauid, ratione verò diuinæ naturæ, eſt filius Dei. Quantum itaque ad naturam humanam attinet, in ſpecie vilis & pauper eſt; quod verò ad naturam diuinam, eſt Dominus dominantium & rex regum, cui etiam cedere & ſuppliciter genua flectere Dauidem oportebat, immo ab hoc ſolo & per hunc vnicum accipere remiſsionem peccatorũ, iuſticiam, & vitam æternam.

De hoc Chriſto, Domino ſuo, loquitur Dauid, Pſalmo 51. 9. cum inquit: Expiabis me hyſſopo & mundabor, lauabis me & ſuper niuem dealbabor: Item Pſal. 130. 3. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine, quis ſuſtinebit? Quia apud te propiciatio eſt, vt timearis. Per hanc propiciationẽ, Chriſtũ intelligit, qui ſecundũ naturam humanã, ex ipſo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

naſciturus erat,ſed ſecundum diuinam naturam, verus ab æterno Deus.

Scopus Chriſti in hac quæſtione.

Hoc modo volebat Chriſtus quæſtione à ſe propoſita, reducere Iudæos ad veram Chriſti cognitionem,in qua, vt dixi, conſiſtit vita æterna & ſapientia ſalutis, quemadmodum docet Paulus 1. Corinth.1. 21.cum inquit: Quoniam mundus non cognouit Deum per ſapientiam, hoc eſt,per intellectum & rationem inditam homini naturaliter, à Deo, in Dei ſapientia, hoc eſt, in mirabilibus Dei operibus, quæ ab ipſo facta ſunt: placuit Deo per ſtultam prædicationem ſaluos facere credentes. Quoniam & Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientiam quærunt, nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Græcis autem ſtulticiam, ipſis autem vocatis Iudæis ac Gręcis Chriſtum, Dei virtutem & Dei ſapientiam.

Euangelium Sapientia Dei.

Diſcernit hoc loco Paulus, ſapientiam mundi ſeu humanam à diuina. Nam quòd Deus miſerat ſuum filium natum ex muliere, factum ſub lege, & ſubiectum amariſsimæ paſſioni & morti, non ſapientia, ſed ſtulticia videbatur hominibus, cum Deus ſua omnipotentia facile poſſet aliam inuenire rationem ſaluandi genus humanum. Sed longè aliter Deo viſum fuit, immo quod homines pro ſtulticia reputabant,id Deus ſapientiæ loco habet & ducit.

Conſilij diuini fũdamentũ.

Vt autem hæc plenius intelligamus, quæramus huius tam admirandi conſilij Dei fundamentum, ſupra quod tuto ædificare valeamus.

Iuſticia Miſericordia & potentia & Sapientia Dei in ſalute Eccleſiæ cõcurrunt.

Quanquam Deus, ſi magnitudinem potentiæ ipſius reſpiciamus,facere potuerat quæcũque voluiſſet, tamen hic nihil quicquã aggredi viſum ipſi fuit, niſi quod diuinæ ipſius Maieſtatis iuſticiæ atq; gloriæ competebat, hoc eſt, quod iuſtum & laude dignum,omnes angeli,tam boni,quã mali, & omnes homines,atque adeo vniuerſæ creaturæ re ipſa faterentur, dicentes:Gloria in excelſis Deo. Quemadmodum enim rex aut tyrannus quiſpiam, cum vni concedit,quod alteri eripuit,partim iniuſti, partim liberalis hominis officio functus dici poteſt: ita etiam Deus ſi ſola ſua potentia vſus hominem reſtituiſſet, ex vna parte iuſticiæ ipſius fuiſſet derogatum, & ab altera parte nimirum miſericordiæ conceſſum. Itaque neceſſe fuit inuenire talem ſaluandi hominis viam,vt ſimul cõſiſterent & in ſummis gradibus conſentirent hæ quatuor in Deo proprietates,ſinè quibus Deus minimè eſſe atque appellari Deus poteſt, videlicet ſumma ſeu perfecta potentia: perfecta iuſticia, perfecta miſericordia, & perfecta ſapientia. Placuit itaque Deo conſilium tale,vt filius ipſius vnigenitus aſſumat naturam humanam & moriatur, vt qui credat in eum, conſequatur ſalutem & vitam æternam. Quod ſi Deus vſus fuiſſet omnipotentia & iuſticia ſua, comdemnaſſet in æternum omnes homines, qui contumacia ſua æternam Dei maieſtatem offenderant, & propterea obnoxij erant æternæ morti & infernis. Sed quæ tum fuiſſet laus miſericordiæ ipſius? Vbi tum gloria ſapientiæ diuinæ locum habuiſſet? Homo abſque omni gratia condemnatus perijſſet, & ſapientia Dei,ſine conſilij ſui, quo hominem ad imaginem ſuam creatum, æternę deſtinarat ſaluti, fruſtrata fuiſſet.

Conſilij Dei patefactio.

Ne igitur derogetur quicquam perfectæ iuſticiæ Dei,placuit, vt quemadmodum vnius hominis contumacia omnes rei facti ſumus, ita per vnius obedientiam iuſti conſtituantur multi, ſatisfiat Deo ipſi:& nos liberati à reatu,donemur vita ęterna.Hic quoque elucet perfecta & ſumma miſericordia Dei, qui ſic mundum dilexit,vt filium ſuum vnigenitum daret,vt omnis qui credit in eum,non pereat,ſed habeat vitam æternam. Simul etiam conſpicitur perfecta potentia Dei,quòd per mortem filij ſui vicerit mortem,infernum, peccatum,& omnem potentiã diaboli.Apparet quoque hîc perfecta Dei ſapientia, in eo in primis,quòd per filium ſuum,qui eſt ipſius imago naturalis & coæterna,renouat in nobis imaginem ſuam,& donat vitam æternam, ad quam nos initio ſua æterna ſapientia deſtinatos,creauit. Quæ ſingula hac conditione offeruntur,modo credamus in filium. Sic enim inquit Baptiſta, qui credit in filium,habet vitam æternam. Qui verò non credit in filium,non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.

Salutis ſcientia in verbo Dei reuelata.

Hæc ea eſt ſalutis ſapientia, quam omnes Prophetæ, Chriſtus ipſe & Apoſtoli atque horum ſucceſſores hactenus docuerunt & hodie etiamnũ docent,ſed hanc ipſam mũdi huius ſapientes,quos fortuna tanquam in ſinu fouet,pro ludibrio habent,& in propriam condemnationem contemnunt: Proinde cum vniuerſa Chriſtianæ Eccleſiæ ſapientia in hoc vnico Ieſu Chriſto fundata ſit, proponam quid de ipſo ſentire ac ſcire oporteat nos ſingulos, quotquot per ipſum ſalutem cõſequi deſideramus. Quod vt commodius fiat, accuratè conſideranda ſunt cum ſuis quæſtionibus & reſponſionibus hæc ſex capita.

Eius ſex præcipua capita.

I. Quòd Ieſus Marię filius,ſit promiſſus ille Meſſias,hoc eſt,Chriſtus.

II. Quòd hic Chriſtus verus ſit Deus, & cur Deũ eſſe illum oportuerit.

III. Quod hic Chriſtus ſit verus homo,& cur neceſſe fuerit eum eſſe hominem.

IIII. Quarto loco ſpectanda eſt in hoc Chriſto vnitas perſonę,in qua etſi duæ ſint naturæ, duę tamen non ſunt perſonę,ſed vna duntaxat, & cur ita eſſe neceſſe fuerit.

V. Quòd hic Chriſtus ſit ſaluator Mundi,& quibus modis ſe mundi Saluatorem declaret,

VI. Quomodo reddamur participes beneficiorum Chriſti, & per eum conſequamur vitam æternam.

DE PRIMO CAPITE.

Ieſus Mariæ filius eſt promiſſus Meſſias.

Primum, quod de chriſto propoſui, eſt, quòd Ieſus, Filius Marię virginis, natus in Bethlehem, ſit Chriſtus ac saluator ille, quem Deus primis noſtris parentibus,Adamo & Euæ, promiſit. Hoc & credunt & vnanimiter fatentur omnes Chriſtiani, cum in articulis Symboli dicimus: *credo in Ieſum chriſtum, filium Dei vnigenitum, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto,natus ex Maria virgine,paſſus ſub Pontio Pilato,* &c.Huius noſtræ fidei fundamẽtum habemus immotum hoc,cui ne inferorum quidẽ portæ reſiſtere poterunt.

Demonſtratio.

Is ſolus abſque omni dubio ac veriſsimo verius, atque adeo omnium confeſſione eſt Meſſias verus & vnicus, in quem omnia Prophetarum vaticinia concurrunt,cuique ſoli conuenit, quicquid de Meſſia prædictum eſt à ſanctis Dei prophetis, Moſe & alijs. In Ieſum Mariæ virginis filium concurrunt omnium Prophetarum vaticinia, & huic ſoli Ieſu conuenit,quicquid de Meſſia prædictum eſt à ſanctis Dei Prophetis, Moſe & alijs. Ergo ſolus Ieſus, Mariæ virginis filius, eſt verus & vnicus Meſſias, hoc eſt, Chriſtus, mundi ſaluator & redemptor.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Demonſtrationis explicatio.

Hoc illud eſt Eccleſiæ Chriſtianæ fundamentum firmum & immotum, de quo Auguſtinus ita inquit: *Firmitas fidei in eo eſt, quia omnia, quæ euenerunt in Chriſto, prædicta ſunt.* De hoc Paulus, quemadmodum ſcribitur Act.17.2.11. diſputauit cum Theſſalonicenſibus tribus continuis diebus, & probauit Ieſum eſſe Chriſtum, quem oportebat pati & reſurgere à mortuis, iuxta ſcripturas. Vbi addit Lucas, multitudinem magnam nobilium tum virorum, tum mulierum ſuſcepiſſe cum magna auiditate Euangelium, quotidie ſcrutantium ſcripturas, an hæc ita ſe haberent, hoc eſt, conferebant ea quæ in Moſe & Prophetis de Chriſto prædicta erant, cum his omnibus quæ Ieſu Mariæ filio euenerunt, & experiebantur in his ſingulis ſummam vtrinque congruentiam. Hinc eſt quòd vbicunque in hiſtoria Euangelica aliquid legimus de Chriſto, ſemper additur, Ita de ipſo longè antea prædictum eſſe.

Cõfirmatio.

Si itaque reſpiciamus ad locum & tempus natiuitatis, ad matrem & miracula ipſius ad Iudæorum ingratitudinem aduerſus eum, denique ad mortem, reſurrectionem & aſcenſionem ipſius, & ad miſſionem Spiritus ſancti in die Pentecoſtes factam, & conditionem Chriſtianæ Eccleſiæ atque adeò perſecutionem & diſcordiam in ea, inueniemus hæc omnia, quatuor retro millibus annorum prædicta à ſanctis Dei Prophetis, priuſquam in Bethlehem naſceretur Ieſus. De quibus, qui plura ſcire volet, legat Commentarios noſtros in Pſalmum 84. Hæc ita breuiter ſaltem annotare libuit, vt habeat vnuſquiſque occaſionem conferẽdi inter ſe vetus Teſtamẽtum, hoc eſt, Prophetas, & nouum, hoc eſt, hiſtoriã Euangelicam de Ieſu Chriſto. Quod qui diligenter fecerit non parum fidem ſuam corroborabit aduerſus contemptores Dei, Iudæos, aduerſus deſertores fidei, Mahometiſtas, ac omnes deniq; gentes idololatras: Immo aduerſus propriam rationem humanam, quæ hoc Dei tam immenſum beneficium cõprehendere nequit, quemadmodum Paulus inquit, Naturalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt. Adhærebimus itaque firma fide verbo Dei, & captiuãtes rationem noſtram demus Deo hanc gloriam, quòd is longè ſapientior ſit omnibus creaturis, & quòd potens ſit præſtare promiſſa, quamuis ſecus id noſtræ videatur rationi.

Collatio veteris & noui teſtamenti quam vtilis.

Fidei & rationis certamen.

Sapienter quidam dixit, ingens certamen eſſe inter fidem & rationem, & neutram deſiſtere aut cedere, priuſquã oculus erutus fuerit alterutri. Cum itaque fides oculũ ſuum à verbo Dei & Spiritu ſancto, Ratio verò ſuum habeat ab intellectu carnali, ſummo ſtudio & opera annitendum eſt cuiq; Chriſtiano, vt fidem ſuam ſacra ſcriptura & ardenti ad Deum oratione, ita corroboret, vt ea ſola in negotio ſalutis videat, & occludatur oculus rationis, ne nos ſeducat à fonte ſalutis noſtræ, hoc eſt, à Domino noſtro Ieſu Chriſto, vnico redemptore ac ſaluatore noſtro.

Hæc dicta ſint primo loco de Chriſto, quem oro, toto corde, vt Spiritu ſancto ſuo nos illuminet, & in veritate ſua deducat atque conſeruet, Amen.

DE SECVNDO CAPITE.

Chriſtus eſt verus Deus.

Quadruplex demonſtratio.

Secundum, quod de Chriſto mediatore & ſaluatore noſtro propoſui, eſt, quòd ſit verus Deus, & cur neceſſe fuerit mediatorem eſſe Deum.

Multa ſunt euidentia & firma teſtimonia, quibus diuina natura Saluatoris noſtri comprobatur, quorum *primum* ſumitur ex manifeſto Dei verbo, in quo Deus appellatur. *Secundum* ex operibus eius diuinis. *Tertium* à cultu, qui ipſi ab omnibus creaturis meritò exhibetur. *Quartum* ab vnanimi totius Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſu & experientia.

Principio, illuſtribus ſacræ ſcripturæ nunciatis probatur, quòd mediator ac ſaluator noſter ſit verus, æternus & omnipotens Deus.

1. Teſtimonium ſcripturæ.

1. Eſa.54.5. Dominus exercituum nomen eius, & redemptor tuus ſanctus Iſrael, Deus omnis terræ vocabitur.

2. Ierem.23.6. Hoc eſt nomen, quod vocabunt eum, Iehoua iuſtitia noſtra.

3. Pſal. 68.5. Iehoua nomen illi, exultate in conſpectu eius.

4. Iohannis 1.1. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hic vocat Chriſtum verbum Dei, quòd ſonet de ipſo verbum Dei.

5. Rom. 9.5. Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, qui eſt ſuper omnia, Deus benedictus in ſecula.

6. 1. Iohan.5.20. Et ſumus in vero, in filio eius, Ieſu Chriſto, hic eſt verus Deus, & vita æterna.

Notandum verò, quod quotieſcunque Chriſtus vocatur filius Dei vnigenitus, toties probatur eſſe verus Deus vnà cum patre & ſpiritu ſancto, tres nimirum exiſtentes perſonæ, in vna diuina eſſentia, quemadmodum iuxta patefactionem diuinã Chriſtiani omnes confitentur Deum vnum & tres diuinitatis perſonas.

Secundum genus teſtimoniorum, quo diuina ſaluatoris noſtri natura comprobatur, petitur ex operibus ipſius diuinis. Solius enim Dei opera hæc ſunt, creare, viuificare creaturam, omnia ſub manu potentiæ ſuæ continere, reſuſcitare ſua propria virtute mortuos, videre corda hominum, exaudire intimos cordis humani gemitus & deſideria, adeſſe vbique præſens, & eſſe vno & eodem tempore in cordibus omnium Chriſtianorum. Hæc diuina opera & proprietates attribuuntur Ieſu Chriſto in ſacris literis, vnde rectè hinc concluditur, quod ſit verus & eſſentialis Deus. Valet autem argumentum iuxta hanc regulam: Quandocunque aliquid verè affirmatur de aliquo & attribuitur ei, quod ad vnam ſolummodo naturam ſpectat, tunc neceſſe eſt eandem ipſi naturam quoque attribui.

2. Opera diuina.

Tertium teſtimoniorum genus, quo diuina natura Meſſiæ probatur, petitur ex cultu & honore, qui ipſi exhibetur & in ſacra ſcriptura aſſcribitur.

3. Cultus diuinus.

1. Apud Eſaiam, 42.8. inquit Deus, Gloriam meam, hoc eſt, cultum & honorem diuinum, qui ſoli mihi debetur, alteri non dabo. Solus ego ſum fons ille à quo omnia bona promanant. Solus ego ſum qui deleo iniquitates. Solus ego iuſtifico & ſanctifico homines. Ego ſolus ſaluator, in me ſolum credant, & me inuocent omnes. Me ſolum omnes creaturę, cœlũ & terra, angeli & homines celebrent, immo etiam genua flectant mihi, quicunque in inferno ſunt. Huiuſmodi honor & cultus ſoli Deo debitus, Domino noſtro Ieſu Chriſto in ſcripturis attribuitur.

2. 1. Corinth.1.30. Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapientia & iuſtitia, ſanctificatio & redemptio, vt qui gloriatur, glorietur in Domino, hoc eſt, in Ieſu Chriſto

3. Hebræ.1.6. Et omnes angeli Dei adorent eum, hoc eſt, Ieſum Chriſtum.

4. Stephanus Actor.7.59. inquit, Domine Ieſu

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſuſcipe ſpiritum meum.

5. 2. Theſſa. 2. 16. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, & Deus & pater noſter, qui dilexit nos & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam, in gratia conſoletur corda veſtra, & confirmet in omni opere & ſermone bono.

6. Paulus quoque in omnibus ſuis Epiſtolis precatur his quibus ſcribit, gratiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto.

7. 2. Corinth. 13. 13. inquit: Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio Spiritus ſancti ſit cum omnibus vobis.

4. Conſēſus Eccleſiæ.

Quartum genus teſtimoniorum, quo Chriſtus, Dominus noſter, verus Deus comprobatur, eſt vnanimis Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſus, & certa experientia in cordibus eorum, quotquot vera & viua fide Chriſtum Dominum & Saluatorem complectuntur.

2. Athanaſij Symbolum.

Athanaſius in ſuo ſymbolo loquitur in hunc modum: Hæc eſt fides Catholica, vt vnum Deum in trinitate, & trinitatem in vnitate, veneremur. Neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparātes. Alia enim eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti. Sed Patris & Filij & Spiritus ſancti vna eſt diuinitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus. Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus ſanctus. Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus ſanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus ſanctus. Et tamen non tres æterni, ſed vnus æternus. Sicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed vnus increatus, & vnus immenſus. Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus ſanctus. Et tamen non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus. Et tamen non tres Dij, ſed vnus eſt Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus ſanctus. Et tamen non tres domini, ſed vnus eſt Dominus. Quia ſicut ſingulatim vnamquamque perſonam Deum aut Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur: Ita tres Deos, aut Dominos, dicere Catholica religione prohibemur. Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. Filius à Patre ſolo eſt, nec factus, nec creatus, ſed genitus. Spiritus ſanctus à Patre & Filio, nec factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. Vnus ergo Pater, non tres patres. vnus Filius, non tres filij, vnus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti. Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil maius aut minus. Sed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.

2. Symbolum Nicenum.

Huic conformis per omnia eſt Confeſſio Catholicæ Eccleſiæ in ſymbolo Niceno propoſita. Credo in vnum Deum, patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium. Et in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum, & ex patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, Lumen de lumine. Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, conſubſtantialem patri, per quem omnia facta ſunt, &c.

3. Hymnorum appendix.

Idem probat hymnorum illa appendix, iam à multis ſæculis in Eccleſia Chriſtiana vſitata: Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto, ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorū.

4. Precationis Eccleſiaſticę formula.

Tota quoque græca & latina Eccleſia, perpetuæ concordiæ gratia, vtuntur oratione hac græca: Κύριε ἐλ'ησον, χρισ. ἐλέησον, κύριε ἐλέησον. Et hac precationis formula confitentur Chriſtiani Deum vnum & tres diuinitatis perſonas.

Expe… tia verè Chriſt… norum.

Proinde omnes verè Chriſtiani, propria experientia edocti, norunt & fatentur Ieſum Chriſtū eſſe Deum verum & omnipotentem. Experiuntur enim inter precandum præſentiam & potentiam Dei, qua ipſos conſolatur, & non tantum obſignat in cordibus eorum ſacroſancti ſui Euangelij veritatem, ſed etiam animoſos reddit, vt inſultent audacter morti, peccato, inferno, diabolo & omnibus huius membris atq; mancipiis.

Exem… Martyr…

Huius rei plurima extant ſanctorum Martyrum exempla, quorum etiam multæ nobiles matronæ & virgines, & innumeri alij, maiori gaudio atque auiditate pro nomine Chriſti mori auebant, quam huius ſæculi deliciis, honoribus, diuitiis & voluptatibus affluere atque abundare. Vnde verò hæc tanta animi fortitudo, & ad ſupplicia ſubeunda prōtitudo, niſi à ſola Ieſu Chriſti potentiæ efficacia, qui diuinam ſuam virtutem in his præſentem manifeſtauit. Hunc eundem Ieſum Chriſtum etiam hodie retinemus, qui nuſquam non præſtò erit, ſi modo firma fide, ſeriò & ardenter ipſius opem implorauerimus.

Atque ita certis & euidentibus Teſtimoniis demonſtraui, Ieſum Chriſtum ſaluatorem noſtrum eſſe verum Deum, videamus nunc cur neceſſe fuerit Mediatorem eſſe Deum.

Cur Saluator noſter Deus eſſe debuerit.

Quod Meſſias & ſaluator noſter Deus eſſe debuerit, duæ grauiſſimæ ſunt cauſæ: *Prima*, magnitudo mali, qua natura humana premebatur, quæ ab vlla creatura tolli non poterat. Altera, impotentia, ſeu infirmitas creaturæ, ad reſtituenda bona, quę per peccatum amiſſa erant. De hiſce duabus cauſis aliquid dicam, quo magis eluceſcant beneficia Chriſti erga nos, & excitemur hac ratione ad celebrationem nominis ipſius, cum debita animi & totius vitæ gratitudine.

Prima cauſa quatuor membra.

Magr.itudo mali, qua natura humana premebatur, cernitur in quatuor potiſſimum, videlicet in peccati grauitate, in iræ diuinæ iuſticia, in potentia mortis, & in Diaboli tyrannide crudeliſſima.

1. Peccati grauitas.

Peccati grauitas maior fuit, quàm vt eius onus ſuſtinere poſſet finita potentia, qualis eſt angelorum & hominum. Nam cum infinitus reatus ſit, propter bonum finitū offenſum, videlicet Deum, cuius maieſtas læſa erat, per peccatum primorum parentum neceſſe fuit vt hoc peccatum aut infinitis pœnis puniretur iuxta normam diuinę iuſticiæ, aut pro eo ſatisfieret diuinæ iuſticiæ. Verùm quia hæc ſatisfactio debebat eſſe precium infinitæ bonitatis & æquiualens, non potuit ab vlla, immo ne ab omnibus quidem creaturis ſimul fieri. Quare neceſſe fuit peccati exp·atorem eſſe Deum, ſolus enim Deus vt eſt infinitus, ita ſolus infinitum malum ſuperare, aboleréque potuit.

2. Ira diuinæ iuſtitia.

Iræ diuinæ iuſtitia proportionem vindictæ ad offenſam poſtulabat. Cum ergo offenſa erat infinita, fuit & ira infinita, quam prima creatura ſuſtinere placaréque non potuit, quare neceſſe fuit, vt mediator, qui iram Dei placaret, Deus eſſet. De hac ita loquitur Paulus Rom. 1. 18. Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper impietatem omnium hominum. Quòd autem hæc tolli non poſſet ſine mediatore, docet hoc dictum Baptiſtæ apud Iohannē. 3. 36. Qui nō credit in filium, ira Dei manet ſuper eum. Quod autem hæc ira Dei ſit immenſa & infinita propter peccatū (in quo cōcurrunt hęc mala, cōtēptus maieſtatis diuinæ, ſuperba contumacia aduerſus legem Dei, indigna imaginis Dei, ad quam conditus erat homo, conſpurcatio, imitatio Satanæ hoſtis

Dei

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Dei,fœda defectio à caſtris Dei ad diabolum,& intolerabilis ingratitudo) cognoſcitur ex pœna primorũ parentum, ex pœna ſecuta in omnibus poſteris Adæ, ex cõminationibus diuinis, ex calamitatibus quibus premitur humanum genus,ex tyrannide diaboli in homines,ex ſignis irę Dei in cœlo,in terra,in mari,ex magnitudine æternarum pœnarũ quas luent qui non conuertuntur,denique ex precio infinito,ſoluto pro redẽptione pœnæ peccati. Quis hic non videt, impoſſibile fuiſſe iram Dei tolli niſi per mediatorem,cuius eſſet infinita potentia?

3. Potẽtia mortis.

Potentia mortis maior fuit,quàm vt ab vlla creatura ſuperari potuerit, adeo quod Plinius dixerit, ſed falsò, ne Deo quidẽ poſſibile eſſe mortuum excitare. Nunc autem cum munus præcipuum ſit mediatoris, deſtruere mortem ,neceſſe fuit vt potentia diuina polleret , qua vt vitam conferre , ita mortem abolere poteſt. Non eſt enim apud illum impoſſibile vllum verbum.

4. Tyrannis Diaboli.

Tyrannis diaboli crudeliſſima , ſub qua captiuum tenebatur genus humanũ propter peccatum , etiam erat opprimẽda à mediatore. Quàm autem hoc fuerit impoſſibile humanę naturæ,hiſtoria mundi cum omnium hominum experientia teſtatur. Quare neceſſe fuit mediatorem eſſe Deum , qui tyrannidem diaboli ſua opprimeret potentia. Hinc perſpicuum eſt, quod ad magnitudinem mali quo premebatur genus humanum tollendam, requirebatur , vt Mediator eſſet Deus.

Meditatio.

Hic iuxtà cogitetur magnitudo amoris in ęterno patre & filio & Spiritu ſancto erga genus humanũ,pater filio ſuo non pepercit, ſed voluit eum ſubijci pœnis,vt nos ab æternis pœnis liberaret. Filius volens & obediens patri factus eſt victima , reatum peccati in ſe deriuans. Spiritus ſanctus ipſe vult in cordibus reconciliatorum habitare , & motus diuinæ voluntati congruentes in nobis accendere. Hæc in nobis excitabũt fidem , inuocationem & gratitudinem erga Deum , & munient animos noſtros aduerſus terrores mortis , aduerſus diaboli Tyrannidem,immo aduerſus omnia, quæ euertere conantur ſpem ſalutis noſtræ , quam habemus in Domino ac ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto.

Secunda cauſa , in qua cõſiderantur bona quę Chriſtus nobis reſtituit.

Secũda cauſa,cur oportuerit mediatorem Deum eſſe , eſt impotentia & infirmitas creaturæ ad reſtituenda bona,quæ per peccatum amiſimus.Etſi autẽ vna voce imaginis Dei hæc bona comprehẽduntur: tamen plura ad eius reparationem neceſſariò requiruntur, quæ Paulus enumerat 1. Cor. 1. 30. cum ait, Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapientia , iuſticia, ſanctificatio, & redemptio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc quatuor bonorum genera, creatura nulla aut finita potentia reſtituere hominibus potuit, quemadmodum de ſingulis ordine videbimus.

1. Sapientia.

Primum itaque Sapientiam debuit mediator reſtituere , non qualis eſt mundi , quæ certis terminis clauditur,ſed quæ abſcõdita eſt à principibus ſęculi huius. Quæ ſanè ſapientia à Zacharia definitur eſſe ſcientia ſalutis,in remiſſionẽ peccatorum per viſcera miſericordiæ Dei noſtri. De hac ſapiẽtia loquitur Euangeliſta Iohannes primo capite,cum ait: Deum nemo vidit vnquam, ſed filius qui eſt in ſinu patris, ipſe enarrauit nobis. Verùm dicat aliquis , an non per angelos & Prophetas potuiſſet Deus hominibus hanc reuelare ſapientiam?Reſpõdeo. Aliud eſt dare ſapientiam ſeu docere vt miniſtri. Aliud eſt eſſe ſapientiã,hoc eſt,efficaciter præſtare, vt corda hominum percipiant ſalutarem ſapientiam. Vox quidem hominis ferit aures corporis. At filius Dei , qui eſt ipſa Dei ſapientia,animum hominis ſapientia replet ſalutari. Nam tum demum verbum prophetarum & aliorum miniſtrorum verbi Dei fructum affert, quando per verbum Deus cor aperit,& inſtillat veræ ſapientiæ ſemina:quod ſane non eſt creaturæ vllius,ſed creatoris ſolius.Ex quo ſequitur,oportuiſſe mediatorem eſſe Deum.

2. Iuſtitia

Secundo loco , oportuit Mediatorem iuſtitiam reſtituere. Nam ſine perfecta iuſtitia nemo poteſt in conſpectum Dei prodire. Verùm perfectam iuſtitiam,quæ ſufficiat omnibus,nemo poteſt conferre niſi Deus. Siquidem duo requiruntur , vt homo ſit perfectè iuſtus coram Deo: quorum primum eſt liberari ab iniuſticia & peccato , quæ mala in mundum homines ſecum afferunt. Alterũ,donari & ordinari plena legis diuinæ (quæ eſt menſura iuſtitiæ, quæ coram Deo valet) obedientia. Neutrum horum præſtitiſſet mediator,niſi Deus eſſet. De priori ſupra diximus,vbi oſtendimus enormitatem peccati & iuſtitiam iræ diuinæ. De altero,quod eſt donari & ornari iuſtitia,qua ſatisfiat legi Dei , manifeſtum eſt,quod nullius creaturæ iuſtitia , cum finita ſit, poſſit ſufficere infinitis hominibus in ſalutem, quod ſane in mediatore requiritur. Siquidem vt ſufficienti expiationis victima pro peccatis ſatisfacere, atque adeo omnem reatum tollere : Ita obedientia ſua erga legem omnes iuſtos coram Deo ſiſtere,qui in ipſum credunt,debuit. Ita enim Paulus ait : Eum qui non nouit peccatum , fecit peccatum (hoc eſt, coniecit in ipſum Deus omnium peccatorum reatũ. vt pro his pateretur ac moreretur) vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo,hoc eſt , vt iuſtitia ipſius nobis imputaretur in iuſtitiam coram Deo. Ideo alibi inquit Paulus:Chriſtus eſt finis legis in ſalutem omni credenti. Hinc videre licet, quod mediatorẽ oportuerit eſſe verum Deum.

Chriſtianæ iuſtitiæ duo membra.

3. Sanctificatio.

Sanctificatio tertio loco ſequitur , quã mediator afferre debuit. Quod ſanè cùm nulla creatura præſtare potuerit, Deum eſſe mediatorem oportuit. Siquidem ſolius Dei eſt dare Spiritum ſanctificatorem, ſine quo ſanctificatio noſtri fieri non poteſt.

Duplex ſanctificatio.

Porro cum ſanctificatio opponatur peccato,& in peccato ſint duo,videlicet formale vt reatus,& materiale,vt vicioſæ qualitates & actiones, duplex erit ſanctificatio,vna quæ opponitur reatui, quæ eſt expiatio peccati per Chriſti ſanguinem. Altera quæ opponitur vicioſis qualitatibus & actionibus , quæ eſt tum ſegregatio hominis à prophanitate gẽtium per mortificationem carnis, quæ fit reſiſtendo prauis cogitationibus, affectibus , & deſiderijs carnis, atque totis viribus abſtinendo à malis operibus: Tum etiam coniunctio hominis cum Deo,per viuificationem Spiritus,obtemperando Deo,& ſectãdo puritatem animi , affectuum, & innocentiam totius vitæ. Breuiter,vt homo renuntiet diabolo & eius operibus,& ſoli Deo toto corde adhæreat. Hæc ſanctificatio vocatur etiam à Paulo,Philip.3.3. circumciſio ſpiritualis. Nos,inquit,circũciſi ſumus,qui ſpiritu Deum colimus, in Chriſto gloriamur, & non in carne confidimus. Proinde, circumciſio ſpiritualis eſt amputatio fiduciæ carnis , cui ſuccedit gloriatio in Chriſto, & purus colendi Deum affectus. Atque hæc reuera eſt ſanctificatio illa , quam Deus & homo mediator noſter affert.

4 Redẽptio , in qua ſex requiruntur.

Quartũ bonum, quod noſter mediator nobis reſtituere debuit, eſt perfecta redemtio. Hæc redemtio primum requirit perpetuam præſentiam mediatoris in Eccleſia,hoc eſt, in omnibus pijs paſſim per totum mundum ſparſis. Sed quis poteſt ſimul & ſemper in tot locis præſens eſſe,niſi ſit Deus?

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Secundo requirit cuſtodiam Eccleſiæ, videlicet vt mediator ſit cuſtos non ſolum Eccleſiæ totius, verum etiam ſingulorũ mẽbrorum ipſius, aduerſus infinitas technas & inſidias diabolorũ & hominum. *Tertio* requirit, vt mediator inſpiciat corda hominum, ne fallatur externa hypocritarum larua. Iam autem cum ſolius Dei ſit, intueri corda hominum, & intimos affectuum receſſus contemplari, certe oportuit mediatorem eſſe Deum.

Præterea ad officium mediatoris hoc quoque ſpectat, vt vbique audiat gemitus ſe inuocantium, quod ſane ſolius diuinæ virtutis eſt.

Quinto requirit vt mediator in extremo die exſuſcitet omnes mortuos, quod opus eſt ſupra omniũ creaturarum vires. Immo omnes creaturæ Dei propriis ſuis viribus, muſcam demortuam non poſſunt excitare, nedum omnes homines, quorum corpora variis modis ac locis diſperſa ſunt. Hoc autem cum mediator facere debeat, idque in ictu oculi, neceſſe eſt eum eſſe Deum.

Sexto & vltimo requirit, vt mediator conferat reſuſcitatis, qui in vera fide obierant, æternam vitam, perpetuam gloriam & conformitatem cum Deo. Sed quis hoc efficere poteſt, niſi ſolus Deus?

Abunde itaque demonſtrauimus, Saluatorem noſtrum & mediatorem eſſe Deum: & cur neceſſe fuerit eum eſſe verum Deum.

DE TERTIO CAPITE.

Chriſtus eſt verus homo.

Tertio loco de Chriſto propoſuimus, quòd ſit verus homo, & cur oportuerit mediatorem eſſe hominem. Tota Eccleſia Catholica, vt credit Chriſtum natum verum hominem: Ita etiam hodie eſſe atque in æternum permanſurum verum hominem, piè confitetur.

Teſtimonia.

1. Geneſ. 3.15. promittitur ſemen mulieris, quod conteret caput ſerpentis. Seminis mulieris nomine, procul omni dubio humana natura ſignificatur, quam mediator tempore à patre conſtituto aſſumere debuit.

2. Abrahæ promiſit Deus, quòd in ſemine eius benedicerẽtur omnes gẽtes. Ge. 12.3. & 18.18. & 22.17.

3. Dauidi quoque promittitur, quod filius ipſius debeat ſedere ſuper ſolium eius, & regnare in æternum. 2. Sam. 7.13.

4. Eſaiæ 7.14. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabis nomen eius Emanuel, hoc eſt, qui erit Deus & homo.

5. Cum hiſce prophetiis congruit tota hiſtoria Euangelica, Luc. 1.31. &c. Angelus miſſus ad Mariam Virginem dicit, Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum, is erit magnus, & filius altiſſimi vocabitur. Quod cum audiſſet, admirata eſt, & inquit: Quomodo erit iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondit ei angelus: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi, hoc eſt, non ex virili ſemine, aut iuxta cõmunẽ naturæ legẽ, ſed ex potentia & ſapienti conſilio Dei concipies & paries. Atq; ita concludit ſuã orationem angelus memorabili hac ſentẽtia: Apud Deum non erit impoſſibile vllum verbum. Octauo poſt natiuitẽ die, circumciſus eſt ſecundum legẽ, ad morẽ ſeruatum in aliis infantibus Iudæorũ. Educatus eſt à Ioſepho & Maria, creuit ſapientia atque gratia apud Deum & homines, & inuentus eſt per omnia homo naturalis, habens corpus & animã, & omnes conditiones ac proprietates humanæ naturæ, excepto ſolo peccato. Hæc eſt ſumma Chriſtianæ fidei de humanitate Ieſu Chriſti, quẽadmodũ in articulis ſymboli fatemur, cũ dicimus: Credo in Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine.

Cauſæ cur oportuerit mediatorem eſſe verum hominem.

Sed cur neceſſe fuit mediatorem eſſe verum hominem? Quatuor recitari poſſunt ex ſacris ſcripturis cauſæ, cur oportuerit Meſſiam eſſe hominem 1. Iuſtitia Dei. 2. Reſtitutio imaginis Dei in homine amiſſę per peccatum. 3. Adoptionis ratio. 4. Reſurrectionis noſtræ à mortuis certitudo.

1. Iuſtitia Dei.

Prima, Iuſtitia Dei requirebat, vt inobedientia cõmiſſa in carne noſtra, in eadem ſarciretur. Congruebat enim ordini diuinæ Iuſtitiæ, vt cum genus humanum primum peccaſſet in vno Adamo, aliquis in humano genere à peccato immunis, pœnam ſolueret, quæ eſſet precium pro cæteris. Ideo enim Dominus noſter aſſumſit humanam naturã, & homo factus eſt, veluti perſonam ipſius Adæ referens, cuius etiam nomen illi tribuitur, vt pœnam peccati in carne, in qua admiſſum fuit, perſolueret. Ideo Paulus Ro. 5.15. inquit: Si vnius delicto mors regnauit, per vnum (ſcilicet Adamum) multò magis abundantiã gratiæ, doni & iuſtitiæ accipientes in vita regnabũt per vnum Ieſum Chriſtũ. Item, Sicut per inobedientiam vnius (Adami) multi (omnes homines) conſtituti ſunt peccatores: Ita per obedientiã vnius (Chriſti) multi conſtituuntur iuſti. Item, 1. Corinth. 15.21. Quia per vnum hominem (Adamum) mors, per hominem (Ieſum Chriſtũ) etiã reſurrectio mortuorũ. Hebræ. 2.14. Quoniã pueri participes ſunt carnis & ſanguinis, ipſe quoque conſimiliter particeps factus eſt eorundẽ: vt per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, diabolum.

Huc & illud Irenæi dictum, *Oportebat eum qui inciperet occidere peccatum, & mortis reum redimere hominem, id ipſum fieri, id eſt, hominem.* Et Auguſtinus inquit: *Caro occæcauerat te, caro te ſanat, quoniam ſic venit Chriſtus, vt de carne vitia carnis reſtingueret.*

2. Imaginis Dei reſtitutio.

Secunda, Reſtitutio imaginis Dei, ad quam homo fuit conditus, hæc nullo modo fieri poterat, niſi per imaginem Dei naturalem, filium videlicet Dei æternum & vnigenitum, qui ideo aſſumſit humanã naturam, vt imaginem Dei reſtitueret in omnibus, quotquot viua fide corpori ipſius inſeruntur. Vnde Athanaſius: *Congruebat filium aſſumere humanam naturam, vt hæc perſona quæ eſt ſubſtantialis imago patris, reſtitueret imaginem Dei in nobis.*

3. Adoptionis ratio.

Tertia, adoptionis noſtri ratio idem poſtulabat. Ideo enim filius Dei aſſumſit humanam naturam, vt nos filios Dei faceret. Voluit ergo nobis naturæ ſocietate iungi, & frater noſter fieri, vt nos ipſius mẽbra effecti, filij Dei fieremus. Nam ideo filij Dei ſumus & appellamur: qui in Chriſto, qui eſt naturalis filius Dei, ſumus per fidem, in hoc enim ſolo dilecti ſumus & filij.

Iohannis 1.12. Dedit poteſtatem filios Dei fieri, quotquot credunt in nomen eius. Galat. 4.4. Vbi venit plenitudo tẽporis, miſit Deus filium ſuũ factum ex muliere, factum legi obnoxium, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorũ reciperemus. Quoniã autẽ eſtis filij Dei, miſit Deus Spiritum filij ſui in corda noſtra, clamantem Abba pater. In hanc quoq; ſententiã loquitur Irenæus, Filiorũ, inquit, adoptionis eius non participes poſſemus eſſe, niſi per filium eam recepiſſemus, id eſt, niſi filius eius homo fuiſſet factus.

4. Reſurrectionis noſtræ certitudo.

Quarta, Reſurrectionis noſtæ certitudo, vis & efficacia in hoc ſita eſt, quòd mediator noſter eſt homo. Vnica enim ſpes & certitudo, quã de reſurrectione corporũ habemus, eſt ꝙ Chriſtus mediator

noſter

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

noſter carnem noſtram aſſumpſit, nam caro quam nunc corruptioni obnoxiam circumferimus, iam ſuſcitata eſt in Chriſto, vt in primitiis. Eſt in poſſeſſionem regni cœlorum ingreſſa, ibíque immortalis eſt facta. Virtute igitur ſocietatis quam habemus cum Chriſti glorioſo corpore, excitabimur in die extremo, & donabimur etiam ſecundum carnem immortalitate, ita vt ſimiles fratri noſtro Chriſto, fruamur cum eo lætitia & ſalute æterna.

Hoc indicare vult Paulus 1. Corinth. 15.20. cum inquit, Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam quidem per hominem mors, etiam per hominem reſurrectio mortuorum, & ſicut in Adam, omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.

Cum itaque incidit tentatio, volens nos adigere ad dubitationem de reſurrectione carnis, leuemus corda noſtra ad Ieſum Chriſtum excitatum à mortuis, is, & poteſt & vult nos quoque excitare à mortuis, cum ſit Deus omnipotens & frater noſter ſocius eiuſdem nobiſcum naturæ humanæ. Propterea inquit Paulus Philip. 3. noſtrum politeuma eſt in cœlis, vnde etiam ſeruatorem expectamus Dominum Ieſum Chriſtum, qui transformabit corpus noſtrum humile, vt conforme fiat corpori ſuo glorioſo, pro efficacitate, quia poteſt etiam ſubiicere ſibi omnia.

Recitaui itaque quatuor grauiſsimas cauſas, quibus demonſtratur, ſummè neceſſarium fuiſſe mediatorem Dei & hominum hominem eſſe, aſſumpſiſſe humanam naturam, & in hac noſtri ſimilem fieri. Has nobiſcum in corde noſtro perpetuò circumferamus, vt ad ſeriam gratitudinem excitemur erga Deum, qui filium ſuum hominem, & quidem egenum fieri voluit, cum diues eſſet, vt illius inopia nos diuites eſſemus, in poſſeſsione ſalutis & vitę ęternę.

DE QVARTO CAPITE.

Perſona Chriſti vna eſt.

Quartúm, quod in Meſsia ſpectandum dixi, eſt, quòd ſit vna perſona, & cur hoc fuerit neceſſarium.

Teſtimonia Scripturæ.

Quod ſit vna Perſona mediator noſter, præter alia multa, hæc dicta confirmant.

Ioan. 1.14. Verbum caro factum eſt, hoc eſt, filius Dei factus eſt homo. Addit autem Ioannes. Et vidimus gloriam eius tanquam vnigeniti Dei. Quod ſi duę fuiſſent perſonæ, dixiſſet procul dubio, vidimus gloriam eorum, & non gloriam eius.

Matthæi 3.17. Sonat vox Dei ſupra Ieſum Mariæ filium baptizatum à Iohannę, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Hoc loco & idem in monte, Matthæi 17. 5. agnoſcit hunc Mariæ filium, ſuum quoque filium, & inquit: Hunc audite. Quòd ſi duæ extitiſſent perſonæ, abſque omni dubio dixiſſet, Hos audite.

Et ad Epheſios cap. 4.10. inquit Paulus Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia.

Confeſſio Eccleſiæ.

Hoc etiam tota confitetur Eccleſia, quemadmodum habet ſymbolum Athanaſianum, in hunc modum: Eſt ergo fides recta, vt credamus & confiteamur, quŏd Dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius, Deus & homo eſt. Deus eſt ex ſubſtantia patris, ante ſæcula genitus, & homo ex ſubſtantia matris in ſæculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne ſubſiſtens. Æqualis patri ſecundum diuinitatem, minor patre ſecundum humanitatem. Qui licet Deus ſit & homo, non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus. Vnus autem, non conuerſione diuinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino, non confuſione ſubſtantiæ. ſed vnitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.

De vnica Mediatoris perſona rationes.

Cur autem neceſſarium fuerit vt Mediator eſſet vna perſona, & non duæ, vt ſint in eo duæ diſtinctæ naturæ, multæ ſunt grauiſsimæ rationes, quarum præcipuas quaſdam hic annotaſſe ſufficiat.

Prima. Mediator noſter & homo vna perſona eſſe debuit, vt Deum & homines vnum faceret. Iungitur ergo patri vera diuinitate, & homini vera humanitate, vt ita vtroſque copulet.

Secunda. Mediator inter partes diſsidentes nihil efficiet, ſi vni adhæret, & ab altera diſsidet. Quare oportuit vt Mediator quadam neceſsitate vtrique parti adiunctus ſit. Deo ergo qui offenſus erat peccato noſtro, vera diuinitate iunctus eſt Mediator noſter. Homini autem vera humanitate ſociatus eſt, vt poſsit coniungere aduerſas partes ſocietate, quam habuit cum vtriſque, iuxta illud Irenæi libr. 3. cap. 2. Vbi agit de cauſis cur verbum Dei caro fieret: *Oportuerat inquit, Mediatorem Dei & hominum, propter ſuam ad vtroſque cognationem, in amicitiam & concordiam vtroſque reducere, & facere, vt Deus aſſumeret hominem, & homo ſe dederet Deo.*

Et Theodoretus: *Quemadmodum qui duos quoſpiam, manus inter ſe conſerentes, vult reconciliare, ſe medium interponens, & hunc quidem dextra, illum verò ſiniſtra tenens, ad amicitiam deducit & coniungit: Ita ipſe cum diuinam naturam humanæ vniiſſet, inuiolabilem & quæ diſſolui non poteſt, pacem conciliauit.*

Tertia. Si non eſſet Mediator vna perſona, opera redēptionis in humana natura peracta, nequaquam eſſent ſufficiens precium pro peccato, quo infinitum bonum eſt offenſum. Mors ſiquidem debebatur pro peccato, verùm purus Deus mortem ſentire non potuit, nec ſolus homo ſuperare potuit. Factus eſt ergo Deus homo, vt homo & Deus & deberet & poſſet ſatisfacere morti æternæ, humano generi debitę. Aſſumpſit proinde æternus filius Dei humanam naturam in vnionem perſonalem, vt opera in humana natura peracta, infinitæ eſſent virtutis & meriti. Siquidem ex indiuidua naturæ diuinæ & humanæ in vna perſoná vnione, eſt dignitas infinita, perfectio abſolutiſsima, & inæſtimabile precium ſanguinis, mortis atque adeo omnium actionum & paſsionum Chriſti in ſanctiſsima eius humanitate. Inde eſt potentia & virtus delendæ iniquitatis, & poteſtas remittendi peccata, iuſtificandi, viuificandi & ſaluandi credentes. Et quamuis Chriſtus in ſola carne paſſus eſt, vt inquit Petrus, tamen paſsio perſonæ tribuitur, propter illam arctiſsimam duarum naturarum vnionem, in vna perſona.

Hæc vt aliquanto facilius intelligantur, ſubiungam ſimilitudinem, qua vſi ſunt Theologi orthodoxi in veteri Eccleſia.

Simile.

Homo ex duabus ſubſtantiis conſtat, corpore & anima, & nonnulla efficit potentia animæ, videlicet intelligere, ratiocinari, numerare. &c. & nonnulla robore corporis, vt fabricare, ſcribere, ambulare, & alia huiuſmodi, aut bene aut malè facta. Hæc omnia quæ hoc modo homo, aut potentia animæ, aut robore corporis ſeparatim, aut vtriuſque opera ſimul efficit, perſonæ hominis attribuuntur. Ita etiā Chriſtus quædam ſecundum humanam naturam, quædam ſecundum diuinam naturam facit, quę omnia tamen attribuuntur toti Chriſto, qui eſt Deus & homo. Ideo mors Chriſti, quam ſecundum naturam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

humanam ſubiit, aſcribitur toti perſonæ, quæ eſt Deus & homo. Itaque rectè Lucas, Act.20.28. affirmat Deum acquiſiuiſſe ſibi Eccleſiam ſuo ſanguine. Et rurſum rectè dicitur, Ieſum Mariȩ filium condidiſſe cœlum & terram. Nam Ieſus & filius Dei ȩternus eſt vna perſona.

In eandem quoque ſententiam loquitur Cyrillus: *Quoniam, inquit, corpus quod proprium eius factum eſt, paſſum eſt, propterea verbum ipſum pro nobis paſſum dicitur.* Atque hinc eſt, quòd omnia opera & beneficia redemptionis in Chriſto habeantur diuina, immenſa, ſaluifica, atque adeo inæſtimabilia, vt his nihil neque in cœlo, neque in terra comparari poſsit, quemadmodum ſupra attigimus.

Conſolatio.

Ex hoc fonte promanat inexhauſta & ineffabilis conſolatio, ad afflictam conſcientiam ob multitudinem peccatorum ſuorum trepidantem. Si enim tam precioſa eſt mors Chriſti, vt nullum ſit precium æquiualens, quod huic conferri, multo minus anteferri poſsit, quid obſtat quominus cumulum meorum peccatorum quantumuis excellentium, longè exuperet? Vnde Auguſtinus: *Miſericordia Dei multò maior eſt, quàm omnium peccatorum miſeria.* Et Paulus, Vbi abundauit delictum, ibi ſuperabundauit gratia. Rom.5.20.

DE QVINTO CAPITE.

Chriſtum eſſe Ieſum, id eſt, Seruatorem hominum.

Quinto loco propoſuimus de Chriſto, quòd ſit ſaluator hominum, & quo modo ſalutis humanæ negotium expediat.

Quamuis de hac parte ſæpius in ſuperioribus quædam attigimus, tamen iuſta explicatio ſingulorum articulorum hactenus quemadmodum par erat non facta eſt. Dicam itaque nunc de his copioſius, & primum recitabo teſtimonia ſcripturæ, quæ teſtantur Chriſtum eſſe ſaluatorem mundi, deinde declarabo quomodo ſit ſaluator mundi.

Teſtimonia ſcripturæ.

Moſes inquit, Geneſ.3.15. Semen mulieris conteret caput ſerpentis, hoc eſt, Chriſtus deſtruet opera diaboli, & liberabit homines à peccato, morte, condemnatione & inferno, atque eos iuſtificabit, viuificabit, benedicet atque introducet in regnum Dei.

Ad eundem modum loquitur Deus Abrahamo, Geneſ.12.3.& 18.18.& 22.17. In ſemine tuo benedicentur omnes gentes, hoc eſt, liberabuntur ab omni maledictione, & ſaluabuntur.

Et Angelus Gabriel inquit ad Ioſeph, Math.1.21. Vocabis nomen eius Ieſum, is enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum.

Item, Angelus ad paſtores, Luc.2.10. Ecce annuncio vobis gaudium magnum, natus eſt vobis hodie ſeruator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid.

Paulus quoque 1.Tim.1.15. inquit: Certus ſermo & omni acceptione dignus, quòd Ieſus Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Et quid multa adducam teſtimonia? tota ſcriptura vbique affirmat, Ieſum Chriſtum eſſe ſaluatorem mundi.

Quibus modis.

Sed quibus ergo modis declarat ſe Chriſtus Saluatorem mundi & redemptorem generis humani? hoc in quinque præcipuè beneficiis erga nos conſpicitur, videlicet,

Primò, conferendo nobis verum ſalutaris ſapientiæ intellectum, quo deſtituebamur.

Deinde, auferendo peccata noſtra, quibus aggrauamur & opprimimur.

Tertiò, imputando nobis iuſtitiam, quam ex nobis ipſis habere minimè poteramus.

Quartò, ſanctificando & regenerando nos per Spiritum ſuum ſanctum, vt qui eramus filij iræ, euadamus filij Dei.

Quintò, liberando nos à pœnis inferni, quas commeriti eramus, & donando nobis vitæ æternæ poſſeſsionem, quam ipſe nobis ſua morte acquiſiuit. De his quinque beneficiis, quibus Chriſtus totum redemptionis noſtræ negotium abſoluit & perfecit, breuiter ex ſacra ſcriptura copioſiorem explicationem ſubiungam.

PRIMVM BENEFICIVM.

1. Confert nobis ſalutaris pietatis intellectum.

De primo beneficio Chriſti, videlicet quod nobis conferat verum ſalutaris ſapientiȩ intellectum, quem propriæ rationis aut ingenij acumine nullo modo conſequi poteramus, loquitur Ioannes Euangeliſta his verbis. cap.1.18. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus ille filius, qui eſt in ſinu patris, ipſe nobis expoſuit. Hanc ſapientiam vocat Zacharias, Scientiam ſalutis, in remiſsionem peccatorum per viſcera miſericordiæ Dei. Luc.1.77. Et Chriſtus inquit, Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcãt te eſſe verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ioan.17.3.

Vniuerſa mundi ſapientia, huic ſapientiæ comparata, nulla eſt, aut perinde ac ſi quis vnam guttam cum toto Oceano, aut minimam arenulam cum vniuerſi maris aut totius orbis arenis conferat. Quæ enim erit ratio momentanei ad æternum? aut humani ad diuinum? Hȩc cœleſtis ſapientia, ſacroſanctum nimirum Euangelium, eſt illa perfecta ſapientia, à Domino & Saluatore noſtro Ieſu Chriſto, nos habere gloriamur.

SECVNDVM BENEFICIVM.

2. Aufert peccata noſtra.

De ſecundo beneficiorum Chriſti genere, videlicet, quòd molem peccatorum noſtrorum, qua premimur, à nobis aufert, concionatur Baptiſta, Ioan.1.29. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, hoc eſt, Hic Ieſus auferet victimam illam, qua ſatisfaciet pro peccatis totius mundi.

Vt autem perueniamus ad pleniorem cognitionem huius teſtimonij Iohannis de Chriſto, ſubiiciam quæſtiones, quas ipſa verba ſuppeditant. *Prima*, cur Chriſtus agnus dicatur, & cur agnus Dei cognominetur. *Secunda*, quid faciat hic agnus. *Tertia*, quorum cauſa faciat.

1. Cur Chriſtus dicatur agnus.

1. Duæ ſunt rationes cur Chriſtus dicatur agnus. *Prima*, vt commonefaciat Iohannes Iudæos, & nos de vtroque, vmbra videlicet, quæ præceſsit in veteri teſtamento, & impletione promiſsionis (quam Iohannes veritatem vocat) in nouo Teſtamento. Hæbræ.10.1. inquit Paulus: Vmbram habet lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum, hoc eſt, veritatem ſeu promiſsionis impletionem. Fuit itaque agnus legalis Phaſe Iudæorum, & commonefactio de acceptis beneficiis, & admonitio ſeu adumbratio futuri. Quemadmodum enim admonebat Iudæos, quod quemadmodum ſacrificio agni in Ægypto peracto, populus ex Ægypto egreſſus ſit, & è ſeruitute liberatus. ita ſignificabat per Chriſti ſacrificium, humanum genus reconciliatum iri Deo, & aſſerendum in libertatem. Tribuitur igitur veritati Chriſto, appellatio vmbrȩ, hoc eſt, agni, vt ſciatur quod Ieſus Chriſtus is ſit, quem agnus Paſchalis in veteri Teſtamento adumbrabat

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

brabat. In ſcripturis enim vſitatum eſt, ſignis & rebus ſignatis eaſdem appellationes tribuere, vt ex collatione vmbræ & veritatis plenius erudiamur. Sic petra, quæ fuit vmbra Chriſti, tribuitur Chriſto, 1. Corinth. 10. 4. quia in eo completa eſt veritas, quæ adumbrata fuit per petram in deſerto. Sacrificium quod erat tantum figura futuræ expiationis, diceba tur ἱλασμος, id eſt propitiatio, quæ appellatio à Iohanne & Paulo tribuitur Chriſto qui ſolus verum propitiatorium obtulit.

Deinde cum Ioannes agnum Chriſtum appellat, ſignificat ipſum mactandum eſſe in victimam, atque ita finem omnium ſacrificiorum legalium vno verbo expreſsit Iohannes, videlicet quòd adumbrarent victimam Chriſti, & qua peracta ceſſare deberent omnia ſacrificia Aaronica. ideò inquit, Ecce agnus Dei, quaſi diceret: vos Iudæi hactenus multis retro annis, obtuliſtis agnum Paſchalẽ, verùm ecce hic eſt verus ille agnus immaculatus & purus abſque omni peccato, qui meritò agnus Dei appellatur, quod ſufficiens ſit victima pro peccatis totius mundi. Propterea rectè dixit Bernhardus: *Quis melius peccatum tolleret, quam is, in quem peccatum non cadit? Is ſine dubio me lauare poteſt, quem conſtat inquinatum non eſſe. Hac manus opertum luto detergat oculum, quæ ſola ſine puluere eſt.*

Diximus cur Chriſtus vocetur agnus, & præcipuè cur agnus Dei appelletur, nunc, quid fecerit hic agnus, paucis aperiendum eſt.

2. Quid faciat hic agnus.

Ecce, inquit Iohannes, agnus Dei, qui tollit peccata mundi, hoc eſt, agnus ille Dei, hic Ieſus, immolandus ſcilicet, per mortem & paſsionem ſuam tollit peccatum mundi, id eſt. Exonerat mundum peccato, quod in ſe transfert, vt illud merito ſuæ victimæ, id eſt, paſsionis & mortis àboleat. Atque ita in hunc agnum Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Deum & hominem, iniecta ſunt peccata totius mundi, vt ſolus reatum, item & maledictionem ſuſtineret, nam etſi immunis fuit à culpa Chriſtus, reatum tamen & pœnam reuera in ſe recepit. Atque hoc eſt quod Eſaias cap. 13. 6. ait, Poſuit in eum noſtras omnium iniquitates. Ideo Paulus vocat Chriſtum maledictum ſeu execrationem, cum ait Gal. 3. 13. Chriſtus nos redemit de execratione legis, factus pro nobis execratio. Huc etiam facit quòd eundem peccatum nominat, cum ait, 2. Corinth. 5. 21. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum pro nobis, hoc eſt, Deus filium ſuum ita examinauit, vt eſſet coram Deo habitus peccatorum omnium reus, vt nos iuſtitia ipſius donaremur, qua iuſti reputaremur in conſpectu Dei.

Mors Chriſti quale ſit opus.

Ex his iam dictis facilè patet, quid ſentiendum ſit de morte & paſsione Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod vno atque altero verbo latius indicabo.

Chriſtus ipſe Ioh. 17. 19. ſua voce, iam iam paſſurus, quale opus ſit ſua paſsio, explicat, cum ait: Pro iis ſanctifico meipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Sanctifico, inquit, id eſt, ſegregatus à peccatoribus puritate vera, & coniunctus Deo perfecto amore & obedientia, offero me ipſum patri in ara crucis, per ſpiritum æternum, in hoſtiam placatoriam, vt per meritum meæ victimæ homines in me credentes ſeparentur à profanitate mundi, iungantur Deo per viuam fidem, & ita offerantur in hoſtiam ſanctam, vt ſint vere ſanctificati in æternum. Hoc itaque modo loquitur Chriſtus hic de ſua paſſione, quam definit eſſe ſanctificationẽ, id eſt, oblationem ſanctam ſui ipſius pro diſcipulis, id eſt, pro omnibus credituris, vt ipſi ſint merito ipſius paſſionis ſanctificati, tanquam hoſtia ſancta oblata Deo.

Concludamus igitur breuibus, quid ſit ſentiendum de paſſione Chriſti, videlicet quòd ſit ſacrificium propiciatorium, quo ſe ipſum filius Dei patri obtulit, vt mereretur omnibus qui credunt in eum, æternam ſanctificationem, liberationem à peccato & morte æterna, & ſalutem æternam. Atque in hac definitione continetur, quod ſingulis hiſce quæſtionibus reſpondeatur. Quis obtulit? æternus ſacerdos, Ieſus Chriſtus. Quid obtulit? ſeipſum. Vbi obtulit? in ara crucis per amariſsimam ſuam paſsionem & mortem. Cui ſeipſum obtulit? Patri, cuius iram merito ſuæ precioſę victimæ placauit. Quorum cauſa ſe obtulit? Hominum. Qui erunt participes huius oblationis? Omnes qui credunt in eum.

3. Quorũ cauſa faciat: ſeu de efficacia mortis Chriſti.

Quoniam audiuimus quid effecerit hic agnus, videlicet quòd receperit in ſe peccata hominum, & pro iis ſatisfecerit, excutiamus nunc vocabulũ Mundi. Ioannes non dicit, Ecce agnus Dei qui tollit peccata hominis, ſed qui tollit peccata mundi, vt ſignificet, quouſque extendat ſe pretium oblationis Ieſu Chriſti.

Fuerunt olim & ſunt etiam hodie duo hominum genera, qui hic falſa docendo turpiter offenderunt. Horum primi ſunt, qui opinantur paſsionem & victimam Chriſti non omnibus prodeſſe, ſed paucis quibuſdam peculiariter electis. Alterum genus eorum eſt, qui exiſtimant quædam eſſe peccata, quę ne per meritum quidem mortis Chriſti remitti poſſunt. Haſce duas falſas & erroneas opiniones breuiter hoc loco refutabo, & manifeſtis verbi Dei teſtimoniis proſternam.

Stoici puram de Dei electione cum Sancta vocatione, iuſtificatione Sanctificatione, & gloriſi atione coniũcta doctrinam euertẽtes refelluntur.

Hi quos primo loco nominaui, Stoici ſunt, & parcarum tabulas fingere conantes ex ſcripturæ teſtimoniis non rectè intellectis, docent Deum creaſſe homines deſtinatos partim æternæ ſaluti, partim æternæ condemnationi, quomodocunque aut credant aut viuant. Hæc peruerſa opinio non tantum eſt blaſphema in Deum, ſed etiam ſeducit plurimos, vt aut deſperent de remiſsione peccatorum, aut ſecuritati indulgeant, cogitantes nihil referre quomodo viuant, cum ſalutem conſequantur, propterea quòd electi ſint. Huic opinioni opponenda eſt miſericors Dei voluntas, qui condidit hominem ad ſuam imaginem, & Adamo reſtitutionem huius promiſit. De hac voluntate Dei loquitur Propheta his verbis: Viuo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à ſua via & viuat. Quod ſi itaque hæc verba, quòd Deus nolit mortem peccatoris, vera ſunt, de qua re nullum planè eſt dubium, neceſſe eſt falſum eſſe, quòd dicunt, Deum deſtinaſſe quoſdam ſaluti, quoſdam condemnationi, idque ſi conſilium creationis & redemptionis generis humani reſpiciamus. Nam quantum ad contumaciam hominum attinet, ibi dicitur Deus multos creaſſe ad condemnationem, quos tamen volebat conuerſos, ſalutem quæſiuiſſe ac conſecutos fuiſſe.

Quemadmodum enim pater terrenus erga ſuos liberos ita affectus eſt quod velit ſingulos ad frugem peruenire & eſſe ſibi honeſtos ac dignos bonorum ſuorum ſucceſſores, & tamen ſua ſpe fruſtratus, contumaciam & inobedientiam eorum experitur, qua etiam hi tandem ſeipſos cum ſumma ignominia in perniciem, atque in infame aliquod ſuppliciorum genus conijciunt. De hoc patre dicere licet, quòd liberos huic tanto malo conſeruatos educarit, non quòd longè alia non fuerit propoſiti ipſius voluntas, ſed quod ſibi ipſis liberi ſua contumacia hoc accerſiuerint malum. Ita Deus omnes

quidem homines ad imaginem ſuam conditos ſaluari cupit, verùm ſi qui horum contumaces nolint ipſius verbum amplecti, & per fidem conuerti, ſed ſecuritati & inſaniæ indulgentes, in impietate ſua moriuntur, hos Deus perire permittit, vt luant tum ſuorum peccatorum aduerſus Legem Dei, tum etiam ſpretæ ſalutis conſequendæ per Chriſtum, iuſtas pœnas. Hìc licet cum ſcriptura dicere, Deum tales contumaces nebulones ad æternam condemnationem condidiſſe, non quòd ipſe eorum perditione delectatus ſit, ſed quod hi eam ſua malitia ſibijpſis attraxerint, præferentes huius mundi vanitatem gratiæ & miſericordiæ Dei in Ieſu Chriſto.

De hac Dei æterna & immota voluntate ita loquitur Paulus, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionē veritatis venire. Vnus enim Deus, & vnus mediator Dei & hominū, homo Ieſus Chriſtus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. Et Petrus ait, Longanimis eſt Deus, non volens vllos perire, ſed omnes ad pœnitentiam recipere.

Quid poteſt dici clarius? & quis erit, qui ſe auſit hic opponere? Si itaque Deus neminem vult perire, ſed omnes per agnitionem veritatis ſaluos fieri, manifeſtum eſt, mendacium eorum, qui dicunt Deum nolle omnes homines ſaluari, ſed multos creaſſe ad æternam condemnationem. Verùm vt commodius certificetur noſtra cōſciētia ex verbo Dei de hac paterna voluntate ipſius, proponam quatuor firmiſſima argumenta, quæ abundè nos reddant certiores de gratia Dei, quæ ſe extendit in omnes homines vbique terrarum, abſque omni perſonarū, regionum, ſexus & conditionum externarum reſpectu.

Gratiā Dei omnibus offerri 4 argumentis oſtendit.

1. Mandatum Dei.

Primum argumentum eſt mandatum Dei vniuerſale, ad omnes homines. Deus ipſe ſua voce è cœlo loquitur, Hic eſt filius meus dilectus, hunc audite. Et Chriſtus ſuos diſcipulos in omnem terram cum hoc mandato amandat: Ite in mundum vniuerſum, & proclamate Euangelium omni creaturæ, hoc eſt, omnibus hominibus. Quis itaque impudens eſt, vt dicere auſit, Deum quidem præcipere omnibus vt Euangelium audiant, ſed interea velle quoſdam per fidem ſaluari, quoſdam verò obdurari atque condemnari? Qui ita de Deo cogitant, faciunt ipſum deteriorem quouis Tyranno, qui ea imperet quæ nec vult, nec ſentit, & hoc eſt duo habere corda, quod ipſe Deus ſummè deteſtatur & odit.

2. Promiſſio.

Secundum argumentum, eſt promiſsio Dei gratuita & vniuerſalis. Venite ad me, inquit Chriſtus, omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Item, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. Et Paulus, Omnis qui credit non confundetur. Huc referēdum eſt totum miniſterium Euangelij quod ideo à Deo inſtitutum eſt in hoc mundo, vt per illud homines deducantur in veram Dei cognitionem. Ipſe Chriſtus fatetur ſe veniſſe in hunc mundum, vt peccatores ſaluos faceret. Venit, inquit, filius hominis quærere & ſaluum facere quod perierat.

3. Pretium paſsionis Chriſti.

Tertium argumētum ſumitur ex precio paſsionis & mortis Chriſti, quod ſufficit pro peccatis omniū hominum. Dedit ſemetipſum pretium pro omnibus hominibus. Ioānes inquit, Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Et Chriſtus, Ego cum exaltatus fuero à terra, omnes traham ad me. Ideo Paulus dicit, gratiam abundare ſupra peccatum, quia tanti æſtimatur precioſa victima Chriſti, quod omnia deleat peccata. Ioannes inquit: Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris, & non ſolùm pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.

Quartum Argumentum, quod certificat nos de voluntate Dei, eſt obſignatio gratiæ, quæ fit per Sacramentum Baptiſmi. Ite, inquit Chriſtus, & docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Hanc obſignationem confirmauit poteſtate ſua & præſentia in hoc mundo. De illa loquitur, Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra, de hac verò, cum inquit, Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Si itaque reſpiciamus ad poteſtatem Chriſti, poteſt efficere omnia quæcunque vult in cœlo & in terra. Si autem mandatum intueamur, vult Chriſtus omnes gentes baptizari, vt ſit hoc teſtimonium, Deum velle remittere peccata omnibus credentibus & conuertentibus ſe ad eum. Denique ſi oculos figamus in præſentiam ipſius, apparebit hic Chriſtus ipſe, qui Spiritu ſancto baptizans, intus efficit, quod aqua foris adhibita deſignat.

Quatuor itaque immotis argumentis probauimus, hanc eſſe Dei voluntatem, quòd velit omnes homines ſaluos fieri, quotquot ſeipſos ad eum conuertunt per fidem in Ieſum Chriſtum. Cuicunque ergo cordi eſt ſua ſalus, is conſtanter in hac Dei voluntate acquieſcat, quā non ſolùm in verbo ſuo manifeſtauit Deus, verumetiam multis modis efficaciter probauit ac demonſtrauit. Proinde concludamus, falſo docere eos, qui ad extenuandam mortem & paſsionem Chriſti, dicunt victimam ipſius in remiſsionem peccatorum factam, non omnibus ſed paucis quibuſdam electis prodeſſe.

Secundus error eorum eſt, qui aſſerunt quædam eſſe peccata, quæ remitti non poſſunt, propter meritum paſsionis & mortis Chriſti. Huic opinioni aduerſantur hæc Pauli verba: Vbi abundat peccatum ibi ſuperabundat gratia in Chriſto Ieſu. Rom. 5.20. Item Ioannes, cum dicit, Chriſtum tollere peccata mundi, innuit victimam Chriſti longè efficaciorem eſſe ad ſaluandum, quàm peccata totius mundi ad perdendum.

Itaque cogitabimus, nullum eſſe maius peccatum, quàm opinari vllum eſſe peccatum maius gratia Dei in Ieſu Chriſto. Tale fuit peccatum Cain, qui victus conſcientia ſcelerum, deſperabundus dixit: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt remittatur. At huic recte reſpondet Auguſtinus: *Mentiris Cain, maior enim eſt miſericordia Dei quàm omnium peccatorum miſeria.* Arguit proinde Deum mendacij, quicunque deſperat de venia, ob peccatorum ſuorum molem & magnitudinem, contemnit iuſiurandum Dei, qui iureiurando confirmat ſe nolle mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat, ſiquidem Deus cum tuum peccatum intuetur, ſimul cogitat infinitum pretium, pro eo ſolutum eſſe, paſsionem dominicam. Vnde vox illa conſcientiæ exultantis in Bernhardo de remiſſione peccatorum: *Teneo validiſſimum argumentum, dominicam paſſionem. Vox ſiquidem eius inualuit multo plus quàm vox ſanguinis Abel, clamans in cordibus electorum remiſſionem omnium peccatorum. Traditus eſt enim propter peccata noſtra, nec dubium eſt, quin potentior & efficacior ſit mors illius in bonum, quàm peccata noſtra in malum. Peccaui, inquit Manaſſes, ſuper arenam maris, ſed tu Domine indignum ſaluabis me, ſecundum magnam miſericordiam tuam.*

Sed obiiciat hic aliquis, ac dicat, promiſi ſæpius vitæ emendationem, & tamen ſciens & volens inſuper ſæpe peccaui, & feci contra meam conſcientiam. Ad hoc ita reſpondeo, horribile eſt & periculoſum hoc peccati genus coram deo, & plurimi

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

rimi propter hoc condemnantur, vt Saul & multi alij, qui ſubitanea morte abſque conuerſione hinc abripiuntur, ſed tamē gratia in Domino noſtro Ieſu Chriſto abundat ſupra & hoc & omnia peccata totius mundi. Quicunque enim à peccatis reſurgūt, per ſeriam pœnitentiam, hi omnes propter mortem & paſſionem Chriſti conſequuntur remiſſionē peccatorum. Hæc tentatio ita exercuit populū Iudaicum, vt deſperabundus in hanc vocem prorumpens exclamarit, apud Ezechielem 33.10. iniquitates noſtræ & peccata noſtra ſupra nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus. Quomodo ergo viuere poterimus? Dic ad eos, dicit dominator Dominus: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Conuertimini, conuertimini à peccatis veſtris peſſimis, quare moriemini domus Iſrael?

Quicunque igitur affligitur conſcientia ſcelerum, recolat magnitudinem miſericordiæ Dei, excedentis omnia opera Dei: cogitet voluntatem Dei eſſe, non velle mortem peccatoris, ſed conuerſionem & vitam. Intueatur λυτρὸν perſolutum à Chriſto, quod longè maius eſt colluuie omnium peccatorum totius mundi. Conſideret exempla conuerſorum poſt horrendiſſima peccata, vt Latronis, Manaſsis, & aliorum plurimorū: caueat ne magnitudini peccatorum ſuorum addat deſperationem, qua negatur veritas Dei, quo ſane peccato nullum grauius eſſe poterit, atque ita Thronum gratiæ accedat, & ſerio corde propter Chriſtum petat veniam, nec ceſſet fideli oratione pulſare, priuſquam in corde ſuo ſenſerit per Spiritum ſanctum ſibi reſponſum dari, quod abſque omni dubio fiet, modò propoſitum peccandi ſerio abiecerit. Cùm hoc pacto firmatus eſt animus, ſentiens reſponſum Dei per conſolationes cordis, rectè petitur confirmatio per vocem miniſtrorum Euangelij, & vſum dominicæ cœnæ. Verùm qui petit veniam & nihilo minus retinet propoſitum peccandi, damnatus hypocrita eſt, qui putat Deum ſibi ſimilē eſſe, vt qui moueatur & delectetur, aut etiam decipiatur hypocriſi: huic, donec talis fuerit, & abſolutio per miniſteriū Eccleſiæ, & vſus cœnæ dominicæ cedit in maius iudicium, tantum abeſt, vt inde aliquid emolumenti ſibi acceſſurum ſperet.

De peccato in Spiritum Sanctum.

Sed quid ergo dicendum eſt de Chriſto, qui meminit peccati irremiſſibilis Matthei. 12.31. cum inquit: Omne peccatum & omnis blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur, neque in hoc, neque in futuro ſæculo? Item Marci, 3.28. Amen dico vobis, quoniam omnia peccata & blaſphemiæ dimittentur filijs hominum, qui autem blaſphemauerit in Spiritum ſanctum, non habet remiſſionem in æternum, ſed reus erit æterni delicti. 1. Iohan. 5.16. Qui ſcit fratrē ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat & dabitur ei vita, peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, nō, pro illo vt roget quis, dico. Omnis iniquitas peccatum eſt, & eſt peccatum non ad mortē. Hebræ. 6.4. Impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſint illuminati, guſtauerūt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbū, virtuteſque cœli venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam, vt qui rurſum crucifigant ſibiipſis filium Dei, & ludibrio exponant. Heb. 10. 26. Voluntarie peccantibus (hoc eſt, ſi qui deficiant à Chriſto) poſt acceptā noticiam veritatis, iam nō relinquitur pro peccatis hoſtia. 1. Timoth. 1.13. Ego qui primus blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus, miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.

Hæc ſacræ Scripturæ teſtimonia loquuntur de quodam peccati genere, quod nec in hoc ſæculo, neque futuro remittatur. Appellatur hoc communiter peccatum in Spiritum ſanctum. De eo autem alij alia dicunt, & ea ratione multos in deſperationem adigunt, dum incerti ignorant, quid crédituri aut facturi ſint. Immo, multi etiā exiſtimantes ſe huius peccati reos, anguntur animis, & cōſcientiæ horrendis implicati doloribus, viuunt ſine pœnitentia. Verùm qui diligenter expenderit ſcripturam, & contulerit inter ſe ea quæ de hoc peccato in ſacris literis referuntur, is facilè intelliget quæ ſit huius peccati ratio & forma. Excutiam itaque iam citatos locos ſcripturæ, & inde concludam atque eruam perſpicuam & plenam huius peccati definitionem.

Principiò diſtinguit dictum Iohannis, peccatum ad mortem, quod aliàs dicitur in Spiritum ſanctum, ab alijs peccatis. Omnis, inquit, ἀδικία eſt peccatum, ſed non ad mortem. Item, Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam prò totius mundi. Quę duo teſtimonia abundè nos docent, quòd peccatum in Spiritum ſanctum, non ſit legis diuinæ, hoc eſt, decalogi tranſgreſſio. Nam vocabulum ἀδικία quo hic vtitur Iohannes, ſignificat quicquid fit contra legē, quod vocat Iohannes quidem peccatum, ſed non ad mortē, hoc eſt, non contra Spiritum ſanctum. Hinc ergò cōcludemus, peccatum in Spiritum ſanctum non eſſe tranſgreſſionē legis moralis yllam, nec vniuerſalem, nec particularem: Quamuis minimum alioquin peccatū, quod deſignatur contra legem, natura ſua & malicia mereatur mortem æternam. — De peccato in Sp. S. authoris ſententia.

Matthæus verò & Marcus monſtrant, quòd materia peccati in Spiritum ſanctum ſit cōtemtus Chriſti & eius Euangelij. Sed non in eo conſummatur peccatum hoc, quia Petrus in die Pentecoſtes recepit tria millia hominum agentium pœnitentiā, qui Chriſtum vſque ad mortem crucis perſecuti erant.

Paulus itaque facit diſcrimē inter duo genera hominum perſequentium Chriſtum. Vnum eorū qui ignorant. Alterum verò horum qui ſciūt ſe malè & iniquè facere. Ego, inquit Paulus, perſecutor & blaſphemus fui in Chriſtum, quia ignorans feci in incredulitate. Ad hunc modum etiā alij perſecuti ſunt Chriſtum & Euangelium ipſius, & tamen miſericordiam conſecuti ſunt, eò quòd fecerunt ignorantes in incredulitate.

Paulus prætereà ad Hebræos monſtrat, quid præcedat hoc peccatum antequam committatur, videlicet illuminatum fuiſſe à Spiritu ſancto, habuiſſe veram noticiam perſonæ & officij Chriſti, guſtaſſe bonum Dei verbum, atque participem fuiſſe Spiritus ſancti. Turca & Papa qui alioquin execrabiles peccatores ſunt, cum Spiritum ſanctum nunquā poſſederint, tale peccatum non habent, quo è cordibus reijcitur teſtimonium Spiritus ſancti per quem veritas Euangelij obſignata fuit. Proinde etiā indicat Paulus, in quibus conſiſtat hoc peccatum, ita vt huius reus dicendus ſit is, qui non ſolùm abundè edoctus & illuminatus fuit in vera Euangelij ſalutaris doctrina: Verumetiam qui manifeſtè ſe opponit Chriſto, & obiecta ipſi crucis ſuæ ignominia, contumelia ipſum afficit, & totis viribus doctrinam eius perſequitur, nomen ipſius ferre nequit: Sed opera Chriſti aſcribit diabolo, quemadmo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dum fecerunt Phariſæi, quibus Chriſtus imputat hoc peccatum blaſphemiæ, aduerſus Spiritus ſancti illuminationem. Phariſæi enim etſi edocti erant multis Prophetijs de Chriſto, & inſuper conuicti Chriſti doctrina & miraculis, tamen ſcientes & volentes proſequebantur Chriſtum & ipſius Euangelium, quod à Deo eſſe norant, per Spiritus ſancti illuminationem, & quod maius eſt, non ſolùm contumaces oppugnabant Chriſtum calumnijs, tyrannide & hypocriſi, opponentes ſe ipſius verbo, quod verùm eſſe cor illorum teſtabatur, verùm etiam propriæ ſuæ iuſticiæ & ſacrificiorum cumulo confidebant, reijcientes Chriſti iuſticiam & victimam, quæ ſola tollit peccata mundi.

Peccati in Spiritum S. definitio.

Hinc igitur concludimus peccatum in Spiritum ſanctum, non eſſe decalogi tranſgreſſionem, neque contemtum aut perſecutionem Chriſti, ac Euangelij ex ignorantia & credulitate. Sed tum demum dicitur aliquis peccare in Spiritum ſanctum, cum voluntaria rebellione opponit ſe Chriſto verè agnito, & deficit ab Euangelio, in corde ſuo per Spiritum ſanctum illuminantem obſignato, atque perſequitur Eccleſiam, cũ fiducia propriæ ſuæ iuſticiæ & ſacrificiorum, ſpreta & abiecta finaliter Chriſti hoſtia, quæ ſola peccati expiatrix exiſtit. Hæc eſt plena definitio peccati in Spiritum ſanctum, quod hanc appellationem ideò ſortitum eſt, quòd homo cuius cor antè illuminatum fuit in vera Chriſti noticia per Spiritum ſanctum, iam ſe opponit Spiritui ſancto, & eum à ſe expellit, & huius opera attribuit diabolo.

Cur nunquam remittatur.

Cur autem hoc peccatum non remittatur, indicat Paulus ad Hebræos, cum inquit: Non eſt alia hoſtia reliqua pro peccato, quàm ſolius Criſti. Quoniam enim hi finaliter renunciarunt Chriſto, ſpreta ipſius victima, & confidunt alijs victimis, mirum non eſt, hos gratiam non conſequi, quæ ſola datur per victimam Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Porro ſi quis quærat ac dicat: quid ſi obnoxius huius peccati in Spiritum ſanctum, conuertit ſe denuo ad Chriſtum & ſeriò pœniteat ſuæ contumaciæ, atque ex toto animo petat veniã propter meritum paſſionis & mortis filij Dei? Ad hoc ita reſpondeo cum Paulo: Gratia abundat ſupra peccatũ. Neque eſt tanta huius peccati magnitudo, quin millies maior ſit gratia Dei, in Domino noſtro Ieſu Chriſto. Et cum certiſsimum ſit, Deum nolle mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat: affirmo remitti hoc peccatum in Spiritum ſanctum, omni agenti ſeriam pœnitentiam, & petenti veniam propter Chriſtum.

Sed obijci hic poteſt, manifeſtè docere Chriſtum, non remitti hoc peccatum, neque in hoc ſæculo, neque in futuro: itaque videtur hoc peccatum maius gratia Dei. Abſit, immo longiſſimè abſit, firmiſſimè enim credendum eſt, gratiã Dei longe exuperare peccata mundi. Cur ergo nõ remittitur? Ad hæc reſpondet Paulus Heb. 6. 6. quia rurſus renouari nòn poſſunt per pœnitentiam, idque ideo, quòd verum pœnitentiæ fundamentum, hoſtiã videlicet Chriſti abnegarunt, ſine qua nec vlla ſalutaris pœnitentia ſeu conuerſio per fidẽ ad Deum fieri poteſt, nec vlla eſt victima alia, quæ abſque hac ſola tollere peccata poteſt. Oportet, inquit Chriſt⁹, prędicari in nomine meo pœnitentiam & remiſſionẽ peccatorum. Quocirca quicunque ſe conuertit, & Chriſtum atque ipſius victimam firma fide amplectitur, certo certius cõſequitur veniam per fidem.

Dicitur itaque hoc peccatum irremiſſibile, quòd qui hoc perpetrant, maxima ex parte perſeuerent in malo ſuo propoſito, & nunquam confugiant ad gratiam Dei, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Qui enim gratiam Dei amplectitur, is non finaliter renunciauit victimæ Chriſti, quæ ſola omnium peccatorum expiatrix exiſtit.

Hæc breuiter dicere volui de peccato in Spiritum ſanctum, quòd intelligerem multos hac in parte, non recte inſtructos, & paucos, hac de re recte hactenus ſenſiſſe, atque dilucidè ſcripſiſſe.

TERTIVM BENEficium.

3. Chri- iuſtitia- rem Dei nobis- putat.

Dictum eſt hactenus de ſecundo Chriſti beneficio, videlicet quod mundat nos ab omni peccato, verùm hoc nòn ſufficit, niſi inſuper iuſti euadamus. Cùm enim iuſticia ſit vera via in vitam æternam, nemo vnquam hanc conſequitur, niſi qui eſt iuſtus. Ideò Chriſtus inquit. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Seruare autem mandata, eſt iuſtum ſe iuxta legem exhibere.

Quamuis autem nemo legi Dei ſatisfacit, quemadmodum ſuprà demonſtrauimus, nec iuſtitiam ex operibus legis conſequitur, manet tamen immota voluntas Dei, quòd nemo admittatur in poſſeſſionem vitæ æternæ, niſi qui habeat iuſtitiam, quam lex requirit. Venit ergo filius Dei in hunc mundum, & aſſumſit naturam humanam ex virgine Maria, ac ſubiecit ſe legi, atque impleuit eam, ita vt iuſticiam ex operibus legis conſequutus ſit. Hæc iuſticia Chriſti Dei & hominis, ſufficit coram Deo imputata omni credenti in ipſum. Quemadmodũ enim per inobedientiam vnius omnes rei ſumus: ita omnes quotquot credimus in Chriſtũ, vnius iuſticia reputamur iuſti. Hoc eſt quod Paulus dicit Rom. 10. 4. Chriſtus eſt finis legis ad ſalutem omni credẽti. Finis legis, dicitur finalis legis, voluntas, vt fiant quæ illa vult & imperat. Vult autem iuſticiam, quã cum aſſequitur, acquieſcit, nec quenquam qui hac potitur condemnat. Chriſtus autem non ſua propria de cauſa eſt finis, ſed eorum qui legem adimplere non poterant, ita vt imputet ſuam iuſtitiam, quam ex lege conſecutus eſt, omnibus credentibus in ipſum, ne quo iure lex eos aut accuſare, aut condẽnare poſſit. Propterea inquit Paulus Chriſt⁹ eſt finis legis ad ſalutẽ omni credẽti, hoc eſt, quicũq; credit, habet quod lex requirit, iuſtitiam videlicet, quæ eſt via ſalutis. Huc facit quod Auguſtinus ait, *quod lex præcipit, fides impetrat.* Item, *Chriſtus noſtra peccata, ſua fecit, vt ſuam iuſtitiam, noſtram faceret.* Itaque nulla nunc condemnatio (vt inquit Paulus) in ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, quoniam ſatisfactum eſt iuſticiæ legis in ipſis.

Quo- do cre- tes le- Dei faciunt.

Diligenter ergo obſeruandum, quòd ſatisfaciamus quidem legi, ſed non noſtris operibus, verùm Chriſti, qui iuſtitiam legis nobis credentibus imputat. Hac de cauſa dicit Paulus: Non ſumus ſub lege, ſed ſub gratia. Sub lege non ſumus, quia lex non inuenit in nobis, quod accuſet, cum donati ſimus iuſtitia quam ipſa requirit. Redemit nos Chriſtus à maledictione legis, primùm deriuando in ſe pœnas in ara crucis, quas nos meriti eramus. Deinde implendo legem, & imputando nobis ſuam iuſtitiam, qua donati, iuſti compareamus in die nouiſſimo, quando Chriſtus aduenit iuſtus viuorum ac mortuorum iudex. De hac iuſtitia agit Paulus 2. Corinth. 5. 21. Eum qui non nouit peccatum, fecit Deus peccatũ, vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. Hæc Dei iuſtitia, eſt obediẽtia

Chriſti

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Chriſti,qua legi ſatisfacit pro nobis.

De iuſtificatione per fidem abſque operibus.

Cum itaque audimus aut legimus,hominem iuſtificari fide abſque operibus legis, coram Deo, id ita eſt accipiendum, non quòd homo ex operibus legis à ſe factis iuſtificetur, ſed quòd fide Chriſtum amplectatur,qui ſua obedientia ſeu operibus perfecte iuſtus eſt coram Deo,& imputat hanc ſuam iuſticiam legis,omnibus qui credunt in eum. Dicitur porrò hæc iuſticia fidei, quod imputetur credenti, Chriſti vero, quòd is legi ſatisfecerit, Dei autem, quod hac is placetur & contentus ſit.Hęc dicta ſint de tertio Chriſti beneficio, videlicet iuſticia ipſius, quam credentibus imputat, cuius ſupra quoque facta eſt mentio,vbi diſſeruimus de vero legis vſu.

QVARTVM CHRISTI
Beneficium.

4 Chriſtus ſanctificat nos.

Quartum Chriſti beneficium, eſt ſanctitas ſeu ſanctificatio. Chriſtus enim cum remittit nobis peccata noſtra,& eripit nos è regno Diaboli, atque imputat nobis ſuam iuſticiam,ſimul etiam nos ſanctificat, & imputat ſuam ſanctitatem nobis, qui ipſius corporis membra facti ſumus.Hinc eſt, quòd Iohannes.1. Iohan.1.3. vocet cœtum omnium credentium in Ieſum, ſanctorum communionem.Vnde etiam pendet articulus ſymboli cum dicimus: Credo ſanctam Eccleſiam ſanctorum communionem.

De hac ſanctificatione gloriari licet Chriſtianis aduerſus regnum & membra diaboli,ita quòd meritò dicere poſſint, ſe habere ſocietatem cum Deo patre,filio & Spiritu ſancto, ac ſeparatos eſſe à principe tenebrarum,hoc eſt,diabolo & ipſius mēbris. Annunciamus vobis(inquit Iohannes)quòd & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum patre & cum filio eius Ieſu Chriſto.Hac ſanctificatione conſolabatur ſe Dauid Pſal.86. 2. vbi in hunc modum orat: Cuſtodi animam meam quoniã ſanctus ſum,ſaluũ fac ſeruũ tuum Deus meus ſperantem in te.Hîc primum Dauid ſanctum ſe eſſe dicit. Deinde quomodo contingat hæc ſanctificatio, indicat,videlicet cum firma fide in Deum recumbimus,& ipſi ſoli confidimus. Qui enim hoc facit, is ſpiritualiter inſitus eſt Domino noſtro Ieſu Chriſto,à quo impetrat perfectam atque perſonalem totius hominis ſanctificationem.Nam,vt dixi,ſanctificatio Chriſti credenti imputatur,quemadmodum docet ipſe Chriſtus Iohan.17.19.Sanctifico me ipſũ pro ijs,vt ſint & ipſi ſancti.

De ſanctitate imputata & inchoata.

Conſiſtit itaque ſanctitas hæc in remiſſione peccatorum,imputatione iuſticiæ Chriſti, renũciatione diaboli:breuiter in fide ipſa,quæ Chriſtum cum ſua iuſticia & ſanctitate comprehendit. Coniuncta eſt autem cum hac hominis ſanctitate ſanctificatio eiuſdem, quę pro fidei modulo ſua etiam habet incrementa, & in quibuſdam maior, in quibuſdam minor reperitur, prout fides ipſa maior, ac minor exiſtit, cum homo fidem concipit per Spiritũ ſanctum, cuius etiam opera regeneratur, ibi ſtatim ſentitur efficacia Spiritus ſancti,qui indies hominis mentem, affectus,cor,& totam denique vitam paulatim innouat.Mentem quidem per verbum à tenebris ignorantiæ,erroribus,& prauis cogitationibus liberat,& poſt ea eam vera Dei noticia, doctrina ſalutis ac bonis cogitationib⁹ irradiat atque illuſtrat, quo fit vt affectus purgati,ſenſim ab immundis carnis deſiderijs liberos ſe vendicent,& efficacia Spiritus ſancti ad bonos inflammentur motus, prout mens ipſa illuſtrata fuerit.

Cor etiam hominis manſueſcit & molleſcit, ac deponens naturalem illam contumaciam, ortam à peccato originali, incipit Deo parere ac obtemperare, iuxta ſcientiam cordi infuſam à Spir. ſancto. Huic cordis obedientiæ reſpondent quoque, tum interna, tum externa hominis opera. Breuiter,hæc ſanctificatio conſiſtit in vera pœnitentia, & ſancto propoſito,ita vt homo omnes mentis ac cordis conatus eò dirigat, vt Deo obtemperet, nec quicquam ſciens ac volens faciat, quod à Deo prohibitum ſit, pluris faciens voluntatem Dei, quàm res omnes alias totius mundi.

Concutitur ſed non excutitur.

Porro concutitur hæc ſanctificatio grauiſſimis tentationibus, vt pote quæ à potentiſſimis hoſtibus,Sathana,carne & mundo oppugnetur. Quo fit, vt ſæpe in hoc ſpirituali ſpiritus & carnis certamine, Chriſtianus ſentiat ſuarum virium infirmitatē, ita vt ſuccumbere interdum, immo humi affligi ac planè quaſi proſterni videatur: Sed ſubleuatur interim auxilio, præſentia & virtute Spiritus ſancti. Ad hunc modum Dauid à carne victus ſuccubuit, & polluit ſe adulterio atque homicidio.Sed cum prophetæ Nathan admonitiones audiret, efficacia Spiritus ſancti ſubleuatus fuit. Idem etiam multis alijs ſanctis Dei accidit, ita vt non fruſtrà dixerit Paulus: Qui ſtat, videat ne cadat. Propterea, hortatur Galatas cap.5.16. inquiens: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis,caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Atque ita nihil aliud eſt vita Chriſtiani verè fidelis, quàm perpetua militia. Quemadmodum in Epigrammatis indicat Proſper, cum ait: *Nunquam bella bonis, nunquam diſcrimina deſunt, Et cum quo certet,mens pia ſemper habet.* Quod etiam quotidiana experientia teſtatur, & Chriſtus ipſe, cum orare nos quotidie iubet: Dimitte nobis debita noſtra; ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.Salomon inquit: Septies in die cadit iuſtus & reſurgit. Hoc enim intereſt inter filios Dei & Diaboli.Hi contumacia peccant & permanent in peccatis ſuis. Filij vero Dei infirmitate peccant, & ſeducuntur interdum à diabolo propria carne & mundo, ſed reſurgunt & apprehendunt Dei patris dextram, hoc eſt, amplectuntur firma fide Ieſum Chriſtum.

QVINTVM CHRISTI
beneficium.

5.Chriſtus factus eſt nobis redemptio.

Quintum Chriſti beneficium, ad quod priora hæc omnia diriguntur,eſt finalis liberatio atque redemptio, ita vt poſtea non metuendum ſit quicquam mali à diabolo,carne, mundo aut vlla alia re, ſiue in cœlo,ſiue in terra,ſiue etiam in inferno. Hæc finalis redemptio appellatur in ſcriptura Salus, ad quam Deus initio hominem condidit, ac poſtea morte ac paſſione filij ſui redemit.

Redemptionis noſtræ 4. conditiones.

Habet autem hæc Salus quatuor conditiones. *Prima*, quòd liberemur penitus ab omni miſeria, aduerſitate & malis. *Secunda*, quòd in poſterum non metuamus nobis ab vllo malo venturo. *Tertia*, quòd tanta conſequamur bona, vt maiora ne optare quidem poſſimus. *Quarta*, quòd his ipſis bonis fruamur in æternum, abſque omni impedimento atque mutatione. Hanc ſalutem cum ſuis conditionibus in ſolo Chriſto conſequimur.

Hæc quinque iam enumerata Ieſu Chriſti beneficia,cõtinent hæ duæ appellationes,Ieſus, & Chri-

ſtus. Prima appellatio Deum & hominem ac ſaluatorem mundi eum eſſe oſtendit. Altera verò monſtrat, quomodo ſit ſaluator. Chriſtus enim, hoc eſt, vnctus, indicat Chriſtum eſſe ſacerdotem, regem & Prophetam, Sacerdotem, qui ſua victima deleat noſtra peccata, ſua oratione ſemper intercedat pro nobis apud patrem noſtrum cœleſtẽ, & ſua innocentia nos ſanctificet. Prophetam verò, qui doceat nos viam ſalutis, & poſtremo Regem, qui nos eripiat è regno diaboli & introducat in ſalutem & gaudium vitæ æternæ.

DE SEXTO CAPITE.

De applicatione beneficiorum Chriſti.

Sextum quod de Domino noſtro Ieſu Chriſto ſciendum propoſui, eſt de applicatione beneficiorũ ipſius, videlicet quomodo horum facti participes, perducamur ad ſempiternam beatitudinem.

Dominus & Saluator noſter Ieſus Chriſtus, diuina ſua erga nos bonitate, & ardenti noſtræ ſalutis ſtudio permotus, reddit nos ſuorum beneficiorum participes per Euangelium, fidem, & ſacroſancta Sacramenta, cum quibus efficaciter adeſt & donatur Spiritus ſanctus. De hiſce tribus diuinitus ordinatis inſtrumentis ordine dicam.

1. Per Euãgelium.

Primum eſt Euangelium, quod promulgari per totum orbem terrarum iuſſit: cuius etiam miniſterio efficax eſt per Spiritum ſuum Sanctum, & colligit ſibi ex toto genere humano Eccleſiam, quã regit atque conſeruat doctrina Euangelij, Sacramentis, diſciplina & ceremonijs: ita vt vbicũque hęc quatuor integra, incorrupto fundamento, reperiantur, ibi neceſſe ſit eſſe Eccleſiam chriſtianã, quamuis in externo illo cœtu adiuncta ſint quædam membra mortua, quæ titulo Eccleſiæ fruſtra gloriantur. In hac ſua Eccleſia offert Chriſtus per miniſterium Euangelij, gratiam ſuam omnibus hominibus iuxta hoc mandatum ſuum: Ite in orbẽ vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Item. Luc. 24. 47. Oportet prædicari in nomine meo pœnitentiã & remiſſionem peccatorum in omnes gentes. Cum itaque audis hac voce Euangelij tibi offerre remiſſionem peccatorum & vitam æternam per Chriſtũ, ita tecum animo tuo cogites: Hic offert mihi Chriſtus gratiam & ſalutem in ſuo verbo, quod ille ipſe per vocẽ hominis mihi loquitur. *S*i itaque huic obtempero, cedit hoc mihi in ſalutem. Sin autem huic ipſius voci me pręſtitero inobedientem, cedit mihi hic auditus in perditionem & condemnationẽ niſi reſipiſcam. Quemadmodũ enim homicida mortis reus, contemnens gratiam quam ſibi à rege clementiſſimo offerri audit, accerſit ſibi ipſi grauius ſupplicium: ita etiam, ſi quis Euangelium gratiæ audiens, hoc non amplectitur, ſibiipſi grauioris pœnæ & cõdemnationis autor exiſtit. Danda itaque eſt opera omnibus Chriſtianis, vt ſumma cum reuerentia & attentione ſalutare Euangelium Chriſti audiant, & fide illud amplectentes, gratos ſe declarẽt erga Dominum & ſaluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum.

Subiungam hoc loco breuem Euangelij definitionem.

Euangelij definitio.

Euangelium (vt paucis dicam) eſt vniuerſalis prædicatio pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum, in nomine Chriſti, quemadmodum ille ipſe inquit: Sic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſsionem peccatorum in omnes gentes. Hanc prædicationem Chriſtus vocat Euangelium, hoc eſt, lætum nuntium, quo offeruntur omnibus hominibus credentibus, Iudæis & gentibus, hæc bona, videlicet liberatio à maledictione legis & ira Dei, remiſſio peccatorum, ſalus & vita æterna, idque abſque omni merito humano, propter mortem & paſſionem ſuam, vt corde, ore, & vita Deum celebrent, quicunque horum beneficiorum participes redduntur.

Continet autem hæc definitio Euangelij quatuor membra.

Primum eſt, Mandatum Dei vniuerſale ad omnes homines; quod qui audire nolit, Deum ipſum contemnit, & ſeipſum denuo reum facit æternæ mortis. *Secundum* eſt, quòd quemadmodum Euangelium offert hominibus remiſſionem peccatorum, iuſticiam, ſalutem & vitam æternam: ita etiam maneat in peccatis, iniuſticia, condemnatione & morte æterna, quicunque illud non receperint. *Tertium*, quod gratuito omnibus hæc beneficia offerantur, abſque omni reſpectu perſonarum, nationum & conditionum humanarum. Chriſtus enim vult omnes ſaluos fieri, quotquot ſalutem cõſequi appetunt, ne quis ob ſuam indignitatem, aut peccatorum multitudinem deſperet. *Quartum* indicat, quibus hæc bona contingant, videlicet conuertentibus ſe ad Deum in vera fide, quemadmodum nunc porro de hac dicendum erit. Hæc ſufficiant de primo inſtrumento, videlicet Euangelio, cuius miniſterio Deus omnibus hominibus ſalutem offert. Supra copioſe dictum eſt, quomodo lex ſit nobis pædagogus ad Chriſtum, liberantem nos à maledictione legis.

Secundum medium quo Chriſtus nobis ſua beneficia applicat, eſt fides. Sicut enim à parte Chriſti Euangelium eſt vice manus, qua nobis ſua beneficia porrigit: ita è noſtra parte eſt fides inſtar manus quæ oblatum Chriſtum cum omnibus ſuis beneficijs accipit.

Vt autem intelligatur, quæ ſit vera fidei natura, ſubijciam primo huius definitionem ita manifeſtam, vt nemini dubium relinquatur, quid ſit vera & Chriſtiana fides. Deinde proprietates fidei naturales recẽſebo, ex quibus facilè quiuis intelligat, an habeat fidem veram & genuinam, nec ne.

Baptiſta cum pronunciat credentem in filium habere vitam æternam, monet eam non quærẽdam eſſe alibi. 1. Nam qui filiũ habet, viam ad vitam æternam habet. Filius enim via eſt, vt ipſe ait: Ego ſum via. 2. Deinde qui filiũ habet, ianuam vitæ habet, iuxta illud: Ego ſum oſtiũ. 3. Præterea qui habet filium, meritum vitæ æternæ habet. Nam filius non ſibi, cui iure debebatur vita æterna, ſed ſuis, hoc eſt, in ſe credentibus vitam æternam meruit. 4. Adhęc, qui filium habet, omnia cum filio habet, qui enim proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit ipſum, quomodo non etiam cum ipſo nobis omnia donaret? 5. Denique qui habet filium, vnum eſt cum ipſo. Fieri itaque non poteſt quin verè & cum filio hæres vitæ æternæ ſit. 6. Poſtremo, qui filium habet, ipſam vitam æternam habet, ſicut ipſe ait: Ego ſum vita.

Siue ergo viam vitæ, ſiue oſtium, ſiue meritum, ſiue fontem & Dominum, ſiue ipſam vitam æternam quæris, habes hæc ſingula in filio, cùm in ipſum credis. Et contrà, qui non credit in filium, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Hinc æſtimare licet, quæ ſit præſtantia & vtilitas fidei, quam nemo conſequi poteſt, niſi qui prius admonitus per legem ſui peccati, ſenſerit iræ Dei magnitudinem, & iuſtam condemnationem.

Itaque

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Via ad fidē in Chriſtum.

Itaque docet nos ſcriptura dolere ob peccatum, ita vt vellemus nos nunquam peccaſſe aut offendiſſe Deum, & ſentiamus ob commiſſa delicta verum cordis dolorem & anxietatem. Qui eò progreſſus eſt, hic demũ rectè agnoſcit quàm ſit illud Euangelij lætum nuntium, quod offert credentibus remiſſionem peccatorum, gratiam Dei, iuſtitiam & vitã æternam.

De obiecto & qualitate fidei.

Sed quid igitur eſt fides? Duæ loquendi formulæ, videlicet credere in Chriſtum, & credere in nomen Chriſti, nobis perſpicue rationem fidei declarabunt. Prior ſententia, videlicet credere in Chriſtum, monſtrat obiectum fidei ſeu fiduciæ ſolummodo eſſe Chriſtum, ita vt non ſit ſalus, niſi in ipſo ſolo, ſperanda. Poſterior, nempe credere in nomẽ Chriſti, qualitatem fiduciæ indicat, videlicet, quod talis debeat eſſe fiducia in Chriſtum, quale eſt nomen eius in Euangelio, & qualia facta ipſius de ipſo teſtificantia.

Definitio fidei.

Cùm ergo in Euãgelio Chriſtus nominatur Saluator omnium in ſe credentium, verus Deus, verus homo, vna, vera & æterna perſona, & agnus Dei tollens peccata mundi: Et multa exempla teſtantur, facta Chriſti huic auguſto nomini reſpondere (vt Latronis in cruce, Magdalenæ, Pauli, Petri, & innumera alia) apparet, quod vera fides in Chriſtum ſit viua & conſtans cordis fiducia, qua Chriſtus ſtatuitur ſaluator omnium in ſe credentium, vt qui poſſit omnia præſtare quæ vult, tanquam Deus, qui velit nobis optima, vt homo, nobis naturæ ſocietate cõiunctus, qui debeat, vt mediator inter nos & Deum à patre conſtitutus, qui dedit ſemetipſum in preciũ redemptionis pro nobis, vt omnis qui credit, ſanguine ipſius purgetur à peccato, obedientia iuſtificetur, ſpiritu regeneretur ad vitam æternam, per immenſam Dei patris miſericordiam. Qui ſic dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Breuior fidei deſcriptio.

Hæc plenior fiduciæ deſcriptio, in anguſtius contrahi poteſt, idq; ex verbis Baptiſtæ, Qui credit in filium, habet vitam æternam, in hunc modum: Fides eſt notitia Chriſti, & firma fiducia vitæ æternæ obtinendæ propter illum. Huiuſmodi fuit fides Latronis in cruce, qui ex firma fiducia dixit: Memento mei, cum in regnum tuum veneris. Cui reſponſum eſt à Domino, Hodie mecum eris in paradiſo. Talis erat fides peccatricis, Lucæ. 7.50. quæ à Domino audit, Fides tua te ſaluauit. Item Publicani, Lucæ 18. 13. ita precantis, Deus propitius eſto mihi peccatori. Et Dauidis Pſal.25.11. Propter nomen tuum, Domine, propitiare peccato meo. Hæc omnia quadrant ad regulã Pſa.2.12. Beati omnes qui confidunt in eo.

Confirmatio ab exemplis.

Quinque Proprietates fidei.

Poſtquam fidem deſcripſimus, nunc proprietates huius quinque recenſebimus, ex quibus ſeu infallibilibus notis, quiſque dignoſcat an fidem veram habeat nec ne.

Prima proprietas fidei eſt, ꝙ in corde ſentiatur.

Secunda, quod in factis externis conſpiciendam ſe præbeat.

Tertia, quod ſub cruce ſe probari permittat.

Quarta, quod vincat mundum.

Quinta, quod perſeueret in finem, quæ eſt, teſte Petro, ſalus animarum.

1. In corde ſentitur.

Prima fidei proprietas hæc eſt, quòd in corde hominis viuat, ita vt ſentiatur ineffabilis conſolatio, aduerſus maledictionem legis, potentiam mortis, & tyrannidem diaboli, vt ſentiatur inenarrabilis lætitia ex remiſſione peccatorum, & ſecuritas ſpiritualis de gratia & amicitia Dei. Sentiatur præſentia & inhabitatio Spiritus ſancti in corde hominis. Sentiatur efficacia Spiritus ſancti, excitantis fidem ad inuocandum Deum. Sentiatur ardens deſiderium, ad obtemperandum voluntati Dei, & reſiſtendum diabolo. Sentiatur gaudium ſpirituale ex inchoatione vitæ æternæ. Sentiatur gratitudo erga Deum. Breuiter: Vbicunque eſt in homine fides Chriſtiana, ibi ſeipſam vt prodat neceſſe eſt vera pietate, ſancto bene viuendi propoſito, & gaudio in Spiritu ſancto.

Secundo loco, hanc fidei eſſe proprietatem dixi, quod in externis operibus ſe conſpiciendam exhibeat. Externa enim opera teſtificantur de cordis affectionibus. Propterea, inquit Chriſtus, bona arbor bonos fructus facit, mala vero arbor malos facit fructus. Et rurſus: Ex fructibus ipſorum cognoſcetis eos. Impoſſibile itaq; eſt, quod vbicunq; vera viget fides in corde per Spiritum ſanctum habitantem in corde hominis, non ſimul aſſint bona opera, teſtificantia de corde. Hæc fidei opera in vniuerſum ſunt, declinare à malo, & facere bonum, ita vt ſit fides fundamentum, principium, dux & gubernatrix omnium virtutum & bonarum actionum. 1. Primum enim fides eſt fundamentum ſeu baſis, cui innititur ac ſuper ædificatur omnis obedientia, virtus, & quæuis opera bona. 2. Deinde eſt principium, ex quo, ceu viua ſcaturigine, promanant riuuli omnium honeſtarum actionum & operum. 3. Præterea dux eſt, quæ hominem in vera via continet, ne aut declinet in dextram, hoc eſt, ad bonas (quas vocant) intẽtiones hominum, volentiũ colere Deum iuxta propriam ſapientiam ac traditiones, aut ſiniſtram, hoc eſt, ad opera diaboli, quibus hic mundus, cum membris diaboli, totũ ſe dedit ac mancipauit. 4. Immo fides omnis virtutis & Chriſtianorum operum dux, nũquam acquieſcit in vllo facto ſibi obiecto, priuſquam audit verbum hoc: Sic loquitur os Domini. Ideo ex fide orat Dauid Pſal.25.4. Vias tuas Domine demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me. Et Pſal.119.1. inquit: Beati immaculati in via, hoc eſt, qui per fidem Deo obtemperant, ita vt in vera pergant via, neque in dextram neque in ſiniſtram declinantes. 5. Poſtremo, Rectrix quoque eſt fides, dirigens totam vitam hominis & vniuerſa ipſius opera ad hunc ſcopum, videlicet ad gloriam Dei, ædificationem Eccleſiæ, & vtilitatem proximi.

2. In externis operibus conſpicitur.

Fides fundamentũ & mater bonorum operum.

Hæc vniuerſa fidei opera iam commemorata, ad ſequentia quatuor capita reuocari poſſunt.

Bona opera ad 4. capita reuocantur.

Primum eſt declaratio pietatis in externis vitæ operibus, nempe vt in cœtu & communione Chriſtianorum audias verbum Dei, & inuoces Deum, publice profitearis tuam fidem & vtaris ſacramentis. Item, conſilio, re & opere, promoueas gloriam Dei, ita vt agnoſcaris ſerio affici negotio & cauſa Dei, hoc eſt quod ait Dauid Pſal.122.1. Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Item, Propter domum Domini Dei noſtri, quæram bonam tibi. Quibus verbis indicat Dauid in hoc ſe totum incumbere, vt intelligãt ipſius ſubditi, eum hoc ſummo ſtudio conari, vt oſtendat ſe miniſtrum eſſe Dei in publico piorum cœtu. Quod Dauidis exemplum decet Reges & Principes, Magiſtratus & ſubditos imitari, vt hoc pacto ſuam erga Deum fidem & pietatem declarent.

1. Declaratio pietatis, ſeu externa religionis profeſſio.

Secundum, eſt innocentia vitæ priuatæ, ita vt vnuſquiſque noſtrum, etiam cum ſolus ſit, cogitet ſe verſari in conſpectu Dei, & propterea abſtinendum eſſe ab omni ἀσελγείᾳ & iniquitate. Hinc eſt quod Deus Abrahamo dixit, Ambula coram me.

2. Innocẽtia vitæ priuatæ.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Nam Deus non tantùm ea videt, quæ lumini ſolis ſunt expoſita, ſed etiam internas cordis cogitationes introſpicit.

3. Iuſtitia & dilectio erga omnes.

Tertium eſt iuſtitia & dilectio promiſcuè exercẽda erga omnes homines, ita vt vnuſquiſque bona conſcientia faciat ſuæ vocationis officium, inferiores ſuo magiſtratui & aliis in eminentia conſtitutis debitã præſtent reuerentiã & πειθαρχίαν. Superiores viciſsim ac potentes, æquales ſuos conſilio & opera iuuent, & ſubditos ſuos paterna cura ac diſciplina tueantur, ac inſuper quantũ in ipſis eſt, afflictos conſolentur, atq; inopiam pauperum ſua ope ſubleuent, immo vero omnes homines æſtimabunt eſſe ſecum membra in Domino noſtro Ieſu Chriſto, & propterea eo ſint erga alios animo, vt quæcunq; velint ſibi fieri, eadem faciant illis, & nunquam ſcientes ac volentes alios vllo modo iniuria ac iniuſticia opprimant. Breuiter: vt ſic viuas inter homines, quo habeas apud omnes Chriſtianæ fidei & vitæ teſtimonium honeſtum.

4. Diligẽtia in vocatione.

Quartum eſt diligentia in vocatione cuiuſque, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue Oeconomica, ſiue Politica, ſiue etiam quocunque officiorum genere, quod cum fidelitate & honeſtate præſtitum, inſeruiat cõmodo Reipub. ac communis ſocietatis. Hac in parte ſequenda eſt regula Pauli, Rom. 12. qua iubet vnumquemq; præſtare in ſuo opere fidelitatem & diligentiam. Et ne quis legitimam ſuam deſerat vocationem, conſulunt Paulus & Baptiſta. Pauli mandatum hoc eſt, Maneat vnuſquiſq; in ea vocatione, ad quam vocatus eſt. Iohannes conſulit, vt ſit quiſque iuſtus in ſua vocatione, cum ad ipſum confluerent milites Romani, vt baptizarentur ab eo, & quærerẽt quid facturi eſſent, non iubebat eos deſerere militię munia, aut in deſertum ſeſe ſubducere, aut cucullum cõmune deſidum nebulonũ tegumentum induere, ſed reſpondit illis: Neminem concutiatis atque calumniã faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Vide quos hic fidei fructus inter homines Iohannes à militibus requirat? Exemplum hoc proponãt ſibi ſinguli Chriſtiani, in ſuo quiſque vitæ genere, nec quenquam iniuſtè opprimant, ſed magis dent operam, vt iuſtè ſuæ vocationis opera faciant, quod fiat cum aliorum commodo & vtilitate.

Quinque reſpicienda in noſtra vocatione.

Quinque ergo colligã veluti puncta, ad quæ quilibet reſpicere debet in ſua vocatione ne aberret.

1. Vocatio fundata ſit in verbo Dei, iuxta hanc regulam: Omne officium promouens gloriam Dei & faciens ad conſeruãdos & ornandos ſtatus à Deo ordinatos, vt Politicum, Oeconomicum & Eccleſiaſticum, primo & quarto pręcepto mandatur.

2. Fides & charitas ſunt regulæ omnium actionum in vocatione.

3. Si quid aduerſi inciderit, reſpiciendum eſt ad verbum Dei, quo nititur vocatio, atq; inde petenda eſt conſolatio.

4. Vocàtio ſemper ad gloriam Dei & vtilitatẽ reipub. in qua quis viuit, referatur.

5. Aſſidue inuocandus eſt Deus, nam ſiue ſublimior, ſiue vtilior ſit vocatio, nihil aut inchoari aut abſolui feliciter poteſt, ſine auxilio diuini numinis. Hæc omnia complectitur Dauid Pſal. 37. 3. hiſce verbis: Spera in Deum, & fac bonitatem, & inhabita terram, ac victum quære honeſtè.

III Per Sacramenta

Tertium inſtrumentum ſeu medium, quo Chriſtus applicat nobis ſua beneficia ſunt Sacramenta & ſignacula gratiæ & voluntatis ipſius. Priuſquam autem ad tractationem ſacramentorum noui teſtamẽti accedam, duo maximè neceſſaria ſcitu expendam. Primum, quis fuerit mos Dei in patefacienda hominibus ſua voluntate. Alterum, vnde Deus indiderit ſignis & ſacramẽtis à ſe inſtitutis ſua nomina.

Primum itaq; ſciendum eſt, quòd Deus ab initio mundi conſueuerit ſuam voluntatem hominibus patefacere duobus modis, nimirum verbo manifeſto, & ſigno externo, vt hoc modo ſaluti hominum conſuleret.

1. Cùm Deus creaſſet Adamum, ac collocaſſet eum in paradiſo, patefecit ipſi ſuam voluntatem expreſſo verbo, cui addidit duplex ſignum: arborem videlicet vitæ & arborem ſcientiæ boni & mali. Ita vt ſi verbo obtemperaret, non conſeneſceret, ſed comederet de ligno vitæ, & beatus in æternum viueret. Sin autem mandatum Dei tranſgrederetur, & de vetito ligno ſcientiæ comederet, moretur.

2. Abrahæ ſimiliter verbum ſuum propoſuit, cui adiunxit circuncíſionis ſignum externum, quod fœdus ſuum vocabat.

3. Deinde Moiſi promiſit ſe educturum populum ſuum ex ſeruitute Ægyptiaca in terram promiſſam. Huic ſuæ promiſſioni ſignum addidit, videlicet agnum Paſchalem.

4. Poſtea promiſit Deus ſe daturum populo ſuo Canaan poſſidendam, quãdiu ipſi obedirent & ſeruarent teſtamentum atque pactum ipſius. Huic etiam verbo addidit ſignum externum, ſanguinem vaccæ ruffæ, quo ſacerdos populum aſpergebat, & alia plura ſigna, quæ pacti nomine appellabat.

5. Ad eundem prorſus modum, Chriſtus in nouo teſtamento promittit credentibus remiſſionem peccatorũ & regenerationem per Spiritũ ſanctũ, & addit ſignum externũ, quod in ſcriptura vocatur Baptiſmus pœnitentiæ. Promittit etiam ſe oblaturum ſuum corpus in ara crucis, & effuſurum ſe ſuum ſanguinem, in remiſſionem peccatorum, & adiũgit hîc quoq; ſignum externum, quod corpus & ſanguiné ſuum, atq; nouum teſtamentum nominat.

Atque ita patet, quem morem Deus ſeruauerit, in patefacienda ſua voluntate hominibus, verbo nimirum & ſigno, quorum vtrumq; mente & ſenſibus percipiendum propoſuit, vt facilius & plenius de voluntate inſtrueremur.

Secundo cogitandum eſt, cur Deus nomina rerũ, quarum cauſa ſacramenta inſtituta ſunt, ſignis ſacramentalibus indiderit. Hac nimirum de cauſa, vt cum vtamur ſignis externis, leuemus oculos fidei ad contẽplationem cœleſtium, è quibus externa ſigna ſortita ſunt ſua nomina. Cùm Abraham filium ſuum circunciderct, venit ei in mentem nomen circumciſioni à Deo impoſitum, quo nominabat eam Deus fœdus ſuum cum Abrahamo & ſemine ipſius. Et Moſes cum populum aſpergeret ſanguine vaccæ ruffæ, cogitabat de teſtamenti appellatione, quam Deus huic ſigno indiderat. Ita etiam dicitur Baptiſmus noſter, baptiſmus pœnitentiæ, vt eleuemus oculos cordis noſtri ab elemento aquæ, ad promiſſionem, qua Deus pœnitentiam agentibus ſuam gratiã & miſericordiam obſignat. Quapropter dicitur Baptiſmus lauacrum regenerationis, vt cogitemus baptizatos ſpiritualiter regenerari per Spiritum ſanctum. Ad eundem modum appellatur panis, corpus Chriſti, & vinum, ſanguis Chriſti in cœna dominica, quòd arcanum illum cibum denotent, quẽ Chriſtus ſub pane & vino porrigit.

In ſumma Deus ex ſua infinita ſapientia indidit ſignis & ſacramentis nomina à rebus & donis ſpiritualibus, quæ per ſacramenta denotantur, ne hæreamus in iis, quę oculis tantũ viſuntur, ſed in iis potius quæ fides videt & intuetur in ſacramentis.

Poſtquam hæc duo de ratione ſacramentorum in ge-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

in genere expoſuimus, facilius iam deducemur in notitiam ſacramentorum noui teſtamenti, videlicet baptiſmi & cœnæ Domini, de quibus nunc ordine dicemus.

DE SACRAMENTO.

BAPTISMI.

Cur Chriſtus baptizari voluit.

Vt commodius rationem noſtri baptiſmi intelligamus, videbimus initio cauſas, cur Dominus noſter Ieſus Chriſtus baptizari voluerit. Cur baptizari voluerit Chriſtus, indicat tum vox patris è cœlo ſuper eum, tum apparitio Spiritus ſancti, facta in ſpecie columbæ. Vox patris ſuper Chriſtum iam recẽs baptizatum hæc fuit: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. De hac voce teſtatur baptiſmus. Nam is eſt finis baptiſmi primus & principalis, vt ſit teſtimoniũ ſeu ſignaculum gratiæ Dei erga baptizatum. Notandum igitur, nos qui induimur Chriſto per baptiſmum, gratos eſſe atque acceptos Deo propter Chriſtum, quò etiam reſpexit Paulus Ephe. 1. 6. cum inquit: Nos ſumus dilecti in dilecto. Immo ipſe Deus ait, in hoc mihi cõplacui. Mat. 3. 17.

Baptiſmi noſtri efficacia vnde.

Baptizari itaq; voluit Chriſtus, atq; hoc externo ſignaculo gratiæ Dei vti, vt iuxta vocem patris, nos qui baptizamur & corpori ipſius per baptiſmum inſerimur, ſciamus nos habere Deum propitium & placatum propter Chriſtum. Itaq; omnis noſtri baptiſmi efficacia pendet à Chriſto. Apparitio Spiritus ſancti in ſpecie columbæ, denotat baptiſmum ſpiritualẽ illum, quo nos Chriſtus internè baptizat, cum miniſter Dei aquæ externum baptiſmum iuxta Chriſti mandatum peragit. Hoc eſt, quod Baptiſta inquit: Matt. 3. 11. Ego baptizo aqua, ſed in medio veſtrum ſtat qui baptizat Spiritu ſancto. Quod autem in ſpecie columbæ apparet Spiritus ſanctus, indiciũ hoc eſt pacis & reconciliationis, factæ inter Deum & baptizatum, vt ſimul admoneamur quid denotet arca Nohæ, à qua emiſſa columba reuertitur referens ramum oleæ. Hinc itaq; conficimus definitionem baptiſmi in hunc modum:

Baptiſmi definitio.

Baptiſmus eſt ſignum externum, denotans internum baptiſmum, quem Chriſtus peragit per Spiritum ſuum ſanctum, ad obſignandum in nobis miſericordiam & gratiam Dei.

Triplex baptiſmi ſignificatio.

Porrò vt maiori cum fruge verſemur in meditatione huius noſtri baptiſmi, obſeruanda eſt triplex huius ſignificatio: *Prima*, quod baptiſmus ſit teſtimonium gratiæ. *Secunda*, quod ſit ſymbolum rerũ arcanarum & ſpiritualium. *Tertia*, quod ſit teſſera profeſſionis externæ, ſeu Chriſtianiſmi. De hac triplici ſignificatione baptiſmi ordine dicam.

1. Eſt teſtimonium gratiæ.

Primum, quod baptiſmus ſit teſtimonium gratię prius probauimus. Eſt enim ſignaculum gratiæ Dei externum, quod teſtatur baptizatum ſanctificari, & quaſi victimam Deo conſecrari, qui nos purgatos ac ſeparatos à diabolo eiuſque ſocietate, regenerat, vt fiamus noui homines, immo filij ipſius Dei, quos adoptat in dilecto ſuo filio, Domino noſtro Ieſu Chriſto.

2. Eſt ſymbolũ rerũ ſpiritualium.

Secundò, baptiſmus eſt ſymbolum rerum, quod ſua analogia ſeu comparatione nos docet. Vnde Auguſtinus: Si ſacramenta earum rerum, quarum ſunt ſacramenta, comparationem non haberent, ſacramenta non eſſent. Ita noſter baptiſmus, in quo homo mergitur ſub aqua, & rurſum extrahitur, habet ſuam ſignificationem ſpiritualem, ob quam appellatur ſymbolum rerum.

1. Actionum Chriſti. 2. officij noſtri.

Eſt autem baptiſmus ſymbolum duarum inprimis rerum, videlicet actionum Chriſti, & officij noſtri. De actionibus Chriſti, quatuor nos docet, nimirum quid fecerit, cur fecerit, quid faciat baptiſatis, & quid porro ipſis facturus ſit. Quomodo igitur docet nos baptiſmus quid fecerit Chriſtus? admonet nos hiſtoriæ triũ dierum, nẽpe paraſceues, in qua Chriſtus paſſus eſt, & ſabbathi, in quo Chriſtus quieuit in ſepulchro, & paſchatos, in quo Chriſtus deuicta morte ſurrexit à mortuis. Propterea vocat Chriſtus ſuã mortẽ, ſepulturã, & reſurrectionem baptiſmum, Marc. 10. 38. Vbi filij Zebedæi Iacobus & Iohannes petebant, vt vnus ad dextram, alter ad ſiniſtram Chriſti ſederent in gloria ipſius. Quibus reſpondit Chriſtus: Nunquid poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari? Quaſi diceret Dominus, omnes quidem ad gloriam & lætitiam aſpiratis, ſed pati aliquid neceſſe eſt, antequam frui licuerit hac gloria & lætitia. Ingruit mors amariſſima, de qua triumphare oportet, priuſquam in gloriam hanc perueniamus. Itaque in baptiſmo aſpergi aqua, denotat mortem Chriſti. Morari ſub aqua, ipſius ſepulturã, adumbrat. Extrahi autem ex aqua, chriſti glorioſam reſurrectionem repræſentat. Quotieſcunque igitur recordamur noſtri baptiſmi, aut aliorum baptiſmo interſumus, meminerimus hiſtoriæ trium dierum, mortis, ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti.

De primo.

Quòd ſi autem quæras cur fecerit, reſpondet Paulus, & duobus verbis rem totam conficit. Rom. 4. 25. Chriſtus mortuus eſt propter peccata noſtra, & excitatus eſt propter iuſtificationẽ noſtri. Quẽadmodum enim Chriſtus merito ſuæ mortis delet iniquitates noſtras, & ſuo ſanguine mundat conſcientiam noſtram ab omni peccato mortali: Ita etiã glorioſa ſua reſurrectione à mortuis, declarat ſe iuſtũ & omnibus modis perfectè mundum, iuxta legem Dei. Ideo Pſal. 16. inquit Dauid: Non derelinques animã meam in inferno, nec dabis ſancto tuo videre corruptionẽ. Hoc etiã vult Chriſtus, cũ inquit Iohan. 16. 8. Spiritus ſanctus arguet mundũ de iuſtitia, quia vado ad patrẽ. Hoc eſt, Mundus, Herodes, Pilatus & Iudęi negant me iuſtum eſſe & abſq; omni peccato, ſed cũ videbunt me non ſuperatũ iri à morte, erit reſurrectio mea à mortuis teſtimonium męæ iuſtitiæ corã ipſis. Ideo inquit Paulus, excitatus eſt in iuſtificationẽ noſtri, hoc eſt, vt ſua reſurrectione declararet ſuã iuſticiam, quam donat & imputat omnibus credentibus in ipſum.

Porro quid faciat in baptiſmo chriſtus, oſtendit Iohannes inquiens Matt. 3. 11. Baptizat Spiritu ſancto & igne: & Paulus cum ait, Ephe. 5. 26. Purgat nos lauacro aquæ per verbũ. Quod enim Iohãnes dicit, chriſtum baptizare Spiritu ſancto & igne, indicat chriſtum in baptiſmo dare Spiritum ſanctum, qui ſua præſentia in verbo & baptiſmo eſt efficax. Quid autem efficiat Spiritus ſanctus in baptizato iuxta chriſti mandatum, voce ignis indicatur. Quemadmodum enim ignis res immutat, alias exurendo, alias inflammando: ita Spiritus ſanctus immutat regenerando, exurit veterem hominem mortificando inflammat viuificando, & nouum hominem excitãdo. Atq; hinc eſt quod Paulus inquit: chriſtus mundat nos lauacro aquæ in verbo vitæ, quibus verbis tria coniungit, videlicet externum baptiſmum, quẽ lauacrum vocat. Deinde chriſtum, qui nos interne mundat ſuo ſanguine & Spiritu ſancto. Poſtremo verbum, hoc eſt, chriſti promiſſionem, vnde pendet tota efficacia baptiſmi. Non enim efficax eſt baptiſmus, propter aquam, quam miniſter Dei aſper-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

git:neq; propter verba,quæ ab eodẽ recitantur: ſed omnis vis baptiſmi fluit ex ampliſſima promiſſione Chriſti,qui Spiritu ſuo ſancto & igni baptizat eum, qui externo elemento aquæ aſpergitur.

Quamuis autem hæc ſit inſtitutio & ordinatio Chriſti, tamen non exiſtimemus abbreuiatam eſſe ipſius manum ad baptizandum ſpiritualiter abſque aqua,eos qui ſunt participes promiſsionis , hoc eſt, omnes Chriſtianorum infantes, & eos inprimis qui in vtero materno diſcedentes, externum baptiſmum non attingunt. Itaque pij parentes de huiuſmodi infantum ſalute non deſperent , neque eos cũ dedecore & ignominia in terra non conſecrata,quã vulgus appellat,ſepeliant,ſed certo perſuadeant ſibi , hos eſſe in eodem fœdere cum filiis Abrahæ, quemadmodum manifeſtè docet Paulus Gal. 3.Itaque veluti Abrahæ filij carnales , qui ante octauum diem circuncisionis diſcedebant , non condemnabantur,ſed virtute promiſſionis & fœderis diuini ſaluabantur,ad eundem quoque modum filij Abrahæ ſpirituales,hoc eſt,omnium Chriſtianorum infantes non condemnantur, ſi diſcedant ante baptiſmũ ſed ſaluantur efficacia promiſſionis Dei,& inuiſibili baptiſmo,quo hos Chriſtus qui ſua morte & precioſo ſanguine eos redemit,baptizat.

Hac conſolatione erigant ſe Chriſtiani parentes, quorum liberi,aut in vtero materno,aut ſtatim à natiuitate diſcedunt antequam baptiſmatis participes fiant. Nolim tamen quenquam hinc ſumere occaſionem protrahendi baptiſmum infantum , immo potius hortator ſum,vt quamprimum recens natos curent externo hoc ſalutis ſymbolo obſignari, & ſimul precib. piorũ,qui baptiſmo intererũt, adiuuari.

Reſtat vt explicetur , quid facturus ſit Chriſtus iam baptizatis.Hoc ille ipſe indicat , in poſtremo ſuo mandato, quod aſcendens ad cœlos , dedit ſuis Apoſtolis,his verbis:Ite , baptizate omnes gentes, quicunque crediderit & baptizatus fuerit , ſaluus erit,qui verò non crediderit cõdemnabitur. Quemadmodum enim qui in arca Nohe erant, conſeruabantur in diluuio:ita quicunque mordicus adhærẽt pacto huius externi baptiſmi,liberantur ab æterno diluuio,hoc eſt,à pœnis & cruciatibus inferni , per Ieſum Chriſtum. Breuiter , ſicuti baptizatus extrahitur ab aquis,ita nos Chriſtus eximet ab omnibus calamitatibus,& introducet in ſuum regnum , vbi cum illo regnabimus in omnem æternitatem.

De ſecundo,ſeu de officio Chriſtianorum. quod in quinque partes diſtinctum eſt.

Poſtquam diximus, quomodo Baptiſmus noſter ſit ſymbolum actionum Chriſti , videbimus nunc quomodo nos noſtri quoq; admoneat officij. Videlicet 1.quid Deo præſtemus.2. quid nobis ipſis debeamus.3.quid patiendũ. 4.quid expectandũ.5.quomodo tranſeundum à miſeriis ad ſalutẽ.De hiſce enim ſingulis officij noſtri partibus admonet nos Baptiſmus noſter.

1.Quid Deo præſtandum.

Sed quid igitur Deo præſtabimus?hoc docet nos Chriſtus , cum inquit , baptizate eos in nomine patris & filij & Spiritus ſancti. Quibus verbis complectitur principalem baptiſmi finẽ, cuius nos ſemper & aſſidue meminiſſe par eſt : hæc enim eſt horum verborum ſimplicisſima ſententia : Baptizo te in nomine patris,filij & Spiritus ſancti,hoc eſt , baptizo te in hunc finem præcipuè,vt agnoſcas, confitearis, inuoces,colas & celebres hunc ſolum verum Deum,videlicet patrẽ,filium & Spiritum ſanctum: patrẽ, qui ita te dilexit , vt filium ſuum vnigenitum pro te morti tradiderit. Filium,qui pro te mortuus emundat te ab omni peccato,ſuo precioſo ſanguine effuſo in ara crucis , tibi in remiſſionem peccatorũ, & inſuper induit te ſua iuſtitia , immo te ſui ipſius corporis mẽbrum facit,ita vt propter ipſum appelleris filius Dei. Spiritum ſanctum autem , qui te in vitam æternam regenerat & ſanctificat,vt Deo aſſociatus,fruaris cum ipſo ſalute in omnem æternitatẽ. Hæc eſt ſimplicisſima ſententia verborũ baptiſmi, quam ex ſacris literis collectam,cõprehendo hac vnica formula, baptizato te in nomine. Nominis enim appellatione continetur & confeſſio Dei , & quidquid præterea hæc ipſa cõfeſsio ab homine requirit.Ex his facilè patet, quale ſit baptiſmus pactũ inter Deum & hominem. Deus homini promittit remiſſionẽ peccatorũ,iuſtitiã,& vitã æternã,& hanc ſuam promiſſionem baptiſmo obſignat. Baptizatus autem viciſsim Deo ſe fide obligat,& recipit ſe velle abnegare diabolum, cum omnibus ſuis operibus & Deo adhærere,firma fide,inuocatione , cultu, timore & debita per omnia obedientia,Hac de cauſa vocat Petrus,1.Petri.3.21.Baptiſmum fœdus,in quo fit mutua ſtipulatio Dei interrogantis & promittẽtis baptizato gratiam,& baptizati reſpondentis atque affirmantis ſe conſtanter permanſurum in mutuo pacto & fœdere.

Secundo loco monet baptiſmus quid nos nobis ipſis faciamus. Quẽadmodum immergimur baptiſmo aquæ , & moramur ſub aquis , & rurſum ex his extrahimur: ita in nobis mortificare debemus peccata,& ſuffocare vicioſos affectus , peccati deſideria & prauas concupiſcentias , & reſurgere in nouitate vitæ.Huius etiã admonet nos Paulus Rom.6.1.&c. Vbi agit contra eos, qui licentiam peccandi conceſſam arbitrabantur,eo quòd dixerat Paulus abundãte peccato ſuperabundare gratiã,quos his verbis cõfutat: Quid igitur dicemus,manebimus in peccato vt gratia abundet?abſit. Qui mortui ſumus peccato (id eſt,quorũ peccatum mortuũ eſt) quomodo adhuc viuemus in eis ? An ignoratis quòd quicunque baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortẽ ipſius baptizati ſumus ? (hoc eſt,nos qui baptizati ſumus, in baptiſmo induimus Chriſtum,cuius mors efficaciter in nobis perimit atq; opprimit peccatum , ne dominetur in nobis) Sepulti ſumus igitur vnà cum ipſo per baptiſma in mortem(id eſt,vt mortuum ſit in nobis peccatum)vt quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis,per gloriam patris,ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Nam ſi inſititij facti ſumus illi per ſimilitudinẽ mortis eius,certe etiam reſurrectionis eius,hoc ſcientes quòd vetus noſter homo(id eſt,vitioſa natura)cũ eo crucifixus eſt, vt aboleatur corpus peccati(hoc eſt,praui affectus)vt non amplius nos ſeruiamus peccato. Atq; ita apparet, quomodo Paulus ex ratione baptiſmi nos doceat mortificare peccatum , peſſundare malas concupiſcentias,& ambulare in nouitate vitæ. Quò etiam dirigit totius diſputationis ſcopum , quẽ his verbis proponit:ſic & vos reputate vos ipſos tum mortuos eſſe peccato, tum vero viuere Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro,& ne regnet peccatũ in mortali veſtro corpore,vt obediatis illi in huius cupiditatibus. Quoticſcunq; igitur naturæ noſtræ vitioſitas inſtigauerit nos ad peccãdũ, meminerimus Baptiſmi noſtri,qui admonet nos innocentiæ morũ & nouitatis vitæ,in gloriam Dei per Ieſum Chriſtum.

2.Quid nos nobis ipſis faciamus.

Tertio loco docet nos Baptiſmus,quid pati nos oporteat. Quemadmodum enim Chriſtus,quem in baptiſmo induimus,cruce baptizatus eſt , ita etiam nos quamdiu verſamur in hoc mundo , præparemus nos cruci & aduerſitatib. Immo Deus vult hoc pacto adoptiuos ſuos filios cõformes fieri vnigenito ſuo filio,vt cõregnẽt ipſi in ſua gloria.Hoc eſt ꝙ Pau.inquit,Ro.8.17.Si filij,& hæredes,hæredes quidẽ

3.Quid pati nos oporteat.

Dei

Dei cohæredes verò Chriſti,ſi modò ſimul cum eo patimur, etiam cum eo glorificabimur. Et addit Paulus ibidem conſolationem hanc, quòd crux coo peretur diligentius Deum in bonum. De hac cruce piorũ loquitur etiam in 2.Epiſtola ad Timotheum, cap.3.12. Quicunque piè volunt viuere in Domino noſtro Ieſu Chriſto,perſecutionem patientur.

Tria crucis genera.

Hiſtoria paſsionis Domini noſtri Ieſu Chriſti proponit nobis tria crucis genera, ad quæ referri poſſunt diuerſæ omnium calamitatum formæ, quæ homini in hac vita accidere poſſunt. Prima crux eſt Chriſti,quæ media inter duas conſpicitur. Secunda eſt latronis pendentis ad dextram. Tertia vero latronis pendentis ad ſiniſtram.

Crux Chriſti. Piorum. Impiorũ.

Chriſtus quantum ad propriam ipſius perſonam attinet,innocens patiebatur, vterque horum latronum iuſte patiebatur ob ſua dilecta.Is autem qui ad dexteram pendebat,egit pœnitentiam ſub cruce, & conuerſus ad Chriſtum, conſolationem & ſalutem conſecutus eſt. Alter vero ad ſiniſtram perſiſtebat in ſua malitia,& mortuus abſque pœnitentia,condemnatus eſt.

Crux Chriſti & martyris.

Ad eundem modum hodie quoque agitur. Maxima pars piorum Chriſtianorum perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam,quod accidit plurimis ſanctis martyribus, quos Chriſtus beatos pronuntiat Mathei.5.10. Beati,inquit, ſunt, qui perſecutionem patiuntur iuſtitiæ cauſa, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis quum conuitiati fuerint vobis, & perſecuti fuerint, & dixerint quiduis mali aduerſus vos,mentientes, propter me.Gaudete,& exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis: Ita enim perſequuti fuerunt prophetas, qui fuerunt ante vos.

Crux latronis pœnitentis, & piorum qui ad Deum cõfugiunt.

Multi etiam patiuntur, veluti latro pendens ad dextram. Hi ſunt qui propter certa delicta puniuntur à Deo, videlicet priuatione bonorum, liberorum,facultatum,ſanitatis corporis, aut etiam incidunt in manus Magiſtratus, & ad ſupplicia trahuntur,quemadmodum & huic latroni accidit. Hi preſſi calamitatibus & pœnis,fatentur iuſtè ſe puniri ob ſua peccata,& confugientes ad Chriſtum,petunt firma fide remiſsionem peccatorum. Atque hoc modo veniam conſequuntur à Deo, qui eorum crucem ſeu victimam ſibi placentem per Ieſum Chriſtum acceptat.Eſt enim huius latronis exemplum, ſingulari Dei ſapientia propoſitum omnibus miſeris peccatoribus,latronibus, homicidis & aliis quibuſcunque,qui ob malefacta ſua ſupplicio afficiuntur, vt ſit hoc euidens teſtimonium gratiæ Dei, qua recipit omnes quantumuis infami ſuppliciorum genere afficiantur coram mundo,modò ipſi firma fide confugiant ad Ieſum Chriſtum.

Peccatoribus ſupplicio publico affectus, & ad Deũ conuerſis quinque conſolationes propoſitæ.

Vt autem miſeri peccatores, ſupplicio afficiendi ob ſua delicta, ſciant qua ratione gratiam Dei conſequantur,certos quoſdam articulos,iuxta quos cogitationes ſuas dirigant,ſubiiciam.

Primum omnium miſer peccator ſupplicio afficiendus ob manifeſta ſua flagitia, hypocriticè non extenuabit ſuum peccatum, nec collatione peccati ſui cum peccatis aliorũ,ſe fallet.Sed potius examinabit ſe ipſum,& ſuæ iniquitatis grauitatem lancibus non fallacibus ponderabit. Cogitabit quis ſitis,quẽ offendit,nẽpe Deus iuſtus iudex, quem nihil latere poteſt,itaque dignum ſe æſtimet,qui merito ob peccati ſui enormitatem & turpitudinem, indignus ſit appellatione hominis.Huiuſmodi cogitationes pariunt in homine cognitionem ſui ipſius,& excitant ſenſum ac guſtum amaritudinis,mortis & inferni.

Secundò.Ne autem ſentiens dolorem inferni, ob peccati magnitudinẽ deſperet de gratia Dei, quemadmodum Cain, Iudas, Saul, & alij multi fecerunt, cogitanda ſunt hæc quinque 1. promiſsio & bona voluntas Dei,dicentis: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. 2. Mandatum Dei ſeriò præcipientis conuerſionem ſub rigore obedientiæ, quam omnes creaturæ tenentur ipſi præſtare. Vos filij hominum, inquit, conuertimini ad me. Item,Conuertatur vnuſquiſque à viis ſuis malis. Et Chriſtus, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos. 3. Proponat ſibi mortem & paſsionem Ieſu Chriſti, qui hoc ſufficienti λύτρῳ ſatisfecit pro peccatis omnium hominum. Auguſtinus ait: *Maior eſt miſericordia Dei, quam omnium peccatorum miſeria.* 4. Ponat ſibi ante oculos exempla eorum qui conuerſi recepti ſunt in gratiã.vt Adã, Dauid,Manaſſes, Latro, & quotquot vnquam veniam petiuerunt,adeo vt nunquam quenquam ſeriò agentem pœnitentiam reiecerit Deus. 5. Conſiderabit teſtimonium gratiæ, Baptiſmum nimirum,quo Deus teſtatur ſe velle remittere peccata omnibus fide conuertentibus ſe ad illum.Scriptum eſt enim Mat.1.4.Ioannem prædicaſſe Baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum,hoc eſt,docuiſſe, Baptiſmum eſſe teſtimonium & ſignaculum,quo Deus teſtetur ſe abſque omni perſonarum reſpectu remittere peccata omnibus conuertentibus ſe per fidem ad Ieſum Chriſtum.

Tertio,hiſce quinque cogitationibus exercitatus miſer peccator,iam locum concedat verbo Dei,cuius efficacia operante Spiritu ſancto concipitur in corde humano igniculus fidei.

Quarto,concepta fide,petenda eſt remiſsio peccatorum,propter precioſum ſanguinem Chriſti,quem in ara crucis effudit pro peccatis totius mundi. In hac precatione paulatim creſcit fides,& ſimul experitur homo in corde ſuo reſponſum Spiritus ſancti, qui facit vt certo certius ſtatuat ſibi remiſſa omnia ſua peccata.

Quintò,impetrata coram Deo peccati venia,ſubiiciat ſe æquo animo pœnæ meritæ, & ſimul petat à Deo fortitudinem animi, quo patienter ſufferre poſsit pœnam iuſtè pro malefactis ſibi irrogatam. Immo etiam gratias agat Deo, qui ad pœnas in hoc mundo temporales eum pertraxit, vt effugeret æternam condemnationem, & corpore hîc plecteretur, vt cum latrone animam Deo commendare poſſet.

Crux latronis impœnitẽtis & reproborum.

Tertium genus crucis,cuius meminit hiſtoria paſsionis Chriſti, eſt crux latronis pendentis ad ſiniſtram. Hoc modo patiuntur, quicunque non agunt pœnitentiam, nec inuocant Deum: ſed ſpreta gratia & victima Chriſti,in deſperatione moriuntur,& in æternum condemnantur. Qui ita patiuntur ob malefacta ſua, & firma fide ad Deum non confugiunt, illis exiſtit temporanea hæc crux, quaſi prænuntia æternarum pœnarum quibus afficientur abſque omni mitigatione ac conſolatione in inferno cum diabolis & omni condemnatorum turba.

Generalis admonitio ad omnes pios ſub cruce gementes

Hactenus de triplici crucis genere, cuius meminit hiſtoria paſsionis Chriſti, egimus. Nunc porro generalem ſubiiciamus admonitionem, profuturam piis omnibus quocunque tandem modo affligentur in hoc mundo.

Quicunque cruce premitur,ad hęc quatuor ordine reſpiciet.

1. In diabolo mendacium & homicidium perpendet.
2. In ſeipſo,peccatum & miſeriam ponderabit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

3. In Deo, iudicium & miſericordiã venerabitur.

4. In Euangelio, conſilium & auxilium quæret.

1. In diabolo mendacium & tyrannis.

Primum in diabolo mendacium & tyrannidem perpendet, qui vt primos noſtros parentes mendacio occidit, ita nunc omni momento, mendacio & tyrãnide inſidiatur toti humano generi. Nam, vt Petrus ait, circuit vt leo rugiens, quærens quem deuoret. Quærit quidem omnes, ſed eos tantum deuorat, quos mendacij laqueis inuoluerit. Perpetuò enim conatur impurus iſte Spiritus, alios omnes impuros ſecum reddere. Mentem mendacio & erronea doctrina inficit, cor prauis affectuum tempeſtatibus commouet, voluntatem ſpectro vtilitatis faſcinat. Denique totam hominis vitam flagitiis conſpurcare nititur, vt hominem tandem ſpiritualiter occiſum, ſocium æternæ damnationis habeat. Hæc cogitatio ſtudij maligni iſtius ſpiritus, hoſtis Dei & humani generis, odium peccati excitabit, & abominationem turpitudinis eius in animis hominum pariet.

2. In nobis peccatũ & miſeria.

Secundo in ſe ipſo peccatum & miſeriam æquis lancibus ponderabit, cogitabítque miſeriam, quam patitur, eſſe peccati commeritam pœnam. Et ex miſeriæ magnitudine æſtimabit peccati enormitatem, turpitudinem, & multitudinem. Cogitabit ſe ſuo peccato offendiſſe ſummum & infinitum bonum. Vnde concludat calamitatem præſentem eſſe viam ad ſempiternam miſeriam, niſi aliunde ſuccurratur. In hac cogitatione totus homo contremiſcit, cuius rei imagines multas videre licet, in multis Pſalmis, præcipuè in iis quos pœnitentiales vocãt, in quibus Dauid graphicè exprimit ſummos dolores & cruciatus, quibus ceu tempeſtatibus ob ſua peccata obruitur.

3. In Deo iudiciũ & miſericordia.

Tertiò, in Deo iudicium & miſericordiam venerabitur. Iudicij quidem Dei iuſtiſsimi eſt punire peccata in omnibus hominibus. Miſericordiæ vero punire, non vt perdat, ſed vt ſaluet, modo medicinam non contempſerimus. Vnde Eſaias: Vexatio dat intellectum. Item, anguſtia in qua clamant, diſciplina eſt eis. Breuiter, Deus punit iudicio, vt miſericordia ſaluet, quemadmodum videre eſt, Pſal. 51.

4. In Euangelio conſilium & remediũ.

Quartò, In verbo Euangelij quærat conſilium & remedia. Ablegat Euangelium omnes afflictos peccatores ad hunc ſolum medicum Ieſum Chriſtum, qui ad ſe vocat & ſaluat omnes peccatores. Hoc conſilium optimum eſt, quia neque in cœlo neque in terris inuenitur vllus, qui vulneribus peccati mederi poteſt, præterquam hic vnicus Ieſus Chriſtus. Porrò hoc ipſum verbum, quod conſilium nobis impertit, auxilium etiam confert, & ſanat vulnera peccatorum, ita vt iuuemur per Chriſtum, modò credamus in eum, & firma fide cum Dauide oremus dicentes: Sana me Domine, & ſanabor. Hoc loco rurſum reuocandi ſunt in mentem quinque articuli, quorum iam proxime facta eſt mentio.

Cauſæ finales crucis.

Cauſæ autem finales, quare Deus ſuam eccleſiam velit cruci ſubiectam eſſe, multæ ſunt, quarum hæ ſunt præcipuæ.

1. Vt de cœlo cogitemus.

Prima, vt diſcamus non expectanda in hoc mundo bona illa, quæ Deus filiis ſuis promiſit, ſed cogitemus de vera patria, ad quam vocamur, ita vt omnes huius vitæ aduerſitates leniamus meditatione futuri gaudij, vitæ æternæ. Si enim omnia ex voto ſuccederent piis in hoc mundo, non afficerentur deſiderio bonorum per Chriſtum promiſſorum.

2. Vt caro coerceatur.

Secunda, vt cruce tanquam freno coerceatur homo, qui prauitate naturæ pronus alioquin eſt ad peccandũ. Hinc Pſalmiſta, In chamo, & fræno maxillas illorum conſtringe, qui non appropinquãt ad te.

3. Vt resipiscamus.

Tertia, vt ſit crux ſenſibilis prædicatio pœnitentiæ. Quemadmodum enim legi arguenti peccata aſſentitur conſcientia, ita etiam cruce admonemur vt agamus pœnitentiam & ſaluemur.

4. Vt deo ſincere adhæreamus.

Quarta, vt crux euertat omnem humanam præſumptionem & fiduciam carnis, & doceat nos firma fide ſoli Deo adhærere, & hunc inuocare, iuxta mandatum ipſius: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Hæc dicta ſint de cruce, cuius nos admonet Baptiſmus noſter.

4. Quid expectemus.

Quarto, loco docet nos Baptiſmus, quid expectemus. Quemadmodum enim baptizatus aſperſus aqua, extrahitur ab aquis, & quemadmodum ipſe Chriſtus poſt ſuam paſsionem & mortem introiuit in gloriam ſuam: Ita nos etiam ex hac mundi peregrinatione proficiſcimur in ſalutem & vitam æternam, cuius rei euidentiſsimum teſtimonium dedit Chriſtus Baptiſmum omnibus credentibus.

5. Quid vita noſtra.

Quinto loco docet nos Baptiſmus, vitam noſtram in his terris nihil aliud eſſe quàm peregrinationem trium dierum, patimur, ſepelimur, & reſurgemus ad extremæ tubæ ſonitum, cum dicet Chriſtus, Surgite vos mortui.

III. De tertia Baptiſmi ſignificatione.

Tertia Baptiſmi ſignificatio, cuius ſupra meminimus, eſt, quòd ſit teſſera militaris, qua dignoſcuntur milites Chriſti, qui ipſi ſua nomina dederunt, & ſacramentum præſtitere ſe ſub illius vexillo pugnaturos contra diabolum & regnum ipſius, videlicet peccatum.

Diſcernuntur autem quatuor præcipue notis milites Chriſtiani ab his, qui ſub duce diabolo ſtipendia merentur. *Prima* ac certiſsima nota filiorum Dei eſt inuiſibilis & ſoli Deo cognita fides, cum ſuis occultis & internis fructibus in corde hominis. *Secunda*, eſt in ore aperta fidei profeſsio coram toto mundo. *Tertia* conſpicitur in pietate & honeſtate vitæ, cum ita vitam inſtituit Chriſtianus, vt ſit ea manifeſtum teſtimonium latitantis fidei in corde humano. *Quarta* nota eſt corporis, Baptiſmus videlicet, quo profitemur nos eſſe ſeruos Chriſti. Huc etiam facit Sacramentum Cœnæ dominicæ, de quo nunc verba faciemus.

DE COENA DOMINI.

Scopus autoris.

Dixi ſupra, Sacramenta noui Teſtamenti, tertium locum occupare in accommodatione ſeu applicatione beneficiorum Chriſti. Quoniam autem de Baptiſmo hactenus diximus, reſtat vt agamus nunc de altero Sacramento videlicet de Cœna Domini. Faxit Deus vt cedat in nominis ipſius gloriam, & piorum omnium ſalutarem inſtitutionem & profectum. Remouebo autem omnes inutiles quæſtiones & opinionum diuerſitates, quæ plus obſunt quàm proſunt, & ſolummodo ea proponam de ſacroſancta Cœna Domini, quæ didici ac hauſi ex fontibus ſacræ ſcripturæ, & vt fiat hoc maiori cum fruge ac vtilitate Chriſtiani lectoris, comprehendam hanc totam doctrinam paucis ac certis quibuſdam articulis ac punctis.

Primum atque præcipuum, quod ſcire oportet de Cœna Domini, ab ipſo Chriſto ſub viſibilibus panis & vini ſymbolis inſtituta, eſt, quòd Chriſtus in ea nocte qua traditus eſt, inſtituerit hoc Sacramentum, vt eſſet apud ſuos omnes æternum monumentum ipſius paſsionis, qua corpus ſuum tradidit in mortem, & ſanguinem ſuum effudit in ara crucis pro multis, in remiſsionem peccatorum, quemadmodum inquit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

datur, hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effunditur in remiſsionem peccatorum. Item, Hoc facite in mei commemorationem.

Vnio cum Chriſto capite ſpirituali modo.

Secundò, teſtatur Cœna Domini, rectè vtentes vniri ac veluti incorporari Chriſto, idque ſpiritualiter, iuxta Pauli verba: Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communio ſanguinis Chriſti eſt? Panis quem frangimus nonne communio corporis Chriſti eſt? Hoc eſt, quicunque manducat corpus Chriſti, & bibit ſanguinem ipſius, is modò viua fides non defuerit, manet in Chriſto, & Chriſtus in eo.

Spiritualiter nos ali corpore & ſanguine Chriſti.

Tertiò, docet cœna Domini ſpiritualē educationem in corpore Chriſti, quę fit dum cœna ipſius vtimur. Quemadmodum enim ſanguine Chriſti mūdamur, & per Spiritum ſanctum regeneramur in Baptiſmo, ita purgati atque renati, ſpiritualiter paſcimur & ſuſtentamur beneficio corporis & ſanguinis Chriſti, recte vtentes cœna Domini iuxta ipſius inſtitutionem.

Fœdus Dei.

Quartò, cœna Domini eſt teſtimoniū noui teſtamenti, hoc eſt, noui pacti, inter Deum & hominē de remiſſione peccatorū, quo teſtatur Deus ſe recipere in gratiam, & remittere peccata, propter meritum mortis & paſsionis Chriſti, omnibus credentibus in eum. Propterea ipſe inquit: Hic calix eſt nouum Teſtamentum in meo ſanguine, id eſt, hic calix eſt firmum & immotum ſignaculum ampliſsimæ promiſſionis Dei de remiſsione peccatorum. Quicunque igitur vera & viua fide vtitur hoc Sacramento, hic accipit ipſius Dei teſtimonium, quo teſtatur ſe tradidiſſe filium ſuum, effundentem ſanguinem ſuum in ara crucis, in remiſsionem peccatorum, vt per eum ſalutem conſequantur quotquot credunt in eum.

Vnio Eccleſiæ.

Quintò, admonet nos cœna Domini arcanæ & ſpiritualis communionis, qua in vnum quaſi corpus vnimur, qui vnà hoc ſacramentum participamus. Vnde Paulus ait: Quoniam vnus panis, vnum corpus multi ſumus. Nam omnes vnius panis participes ſumus. Hæc vnio Chriſtianorum in vnum corpus independet, quod nos omnes, quemadmodum dictum eſt, corpori Chriſti vniamur participatione corporis & ſanguinis ipſius.

Mutua dilectio inter communicantes.

Sextò, requirit cœna Domini mutuam inter communicantes dilectionem, qua eiuſdem corporis myſtica membra, vti diximus, corde, ore, & opere ſibi inuicem mutua præſtent officia. Hæc dilectio Chriſtianorū, quæ à capite Chriſto fluit in reliqua membra, hoc eſt, ciues Eccleſię, non tollit diſcrimen perſonarum, verùm potius diuerſitatem vocationum in Eccleſia confirmat, quarum omnium vnus eſt ſcopus, gloria Dei, & vtilitas proximi. Quicunque huius mutuæ dilectionis igniculum non ſentit in corde ſuo, & ſine propoſito benefaciendi ſuo membro, hoc eſt, proximo, cœnam Domini accedit, pręſtaret hunc prorſus Sacramento abſtinere. Quis enim inſanum ac mente captum non dicat hominem, qui membra ſua inter ſe inuicem pugnæ committat, ita vt manus oculos eruat, aut pedes abſcindat? vtinam ad eundem modum Chriſtiani animaduertere poſſent ſuam inſaniam, quam manifeſte produnt, dum mutuis odiis & animorum contentionibus, inuicem ſibi ipſis aduerſantur.

Pignus & ſignificatio noſtræ reſurrectionis.

Septimò, Cœna Domini eſt pignus ac ſignificatio noſtræ reſurrectionis, vitæ æternæ & ſalutis, idque virtute Chriſti reſurgentis à mortuis. Quæcunque enim hactenus dicta ſunt de cœna Domini, ea omnia ad hunc finem principalem referēda ſunt, vt ſint nobis pignoris atque obſignationis loco, de vita æterna per Chriſtum, cuius membra facti ſumus. Atque ita adimpletur quod inquit Chriſtus: Qui edit carnem meā & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego excitabo eum in die nouiſſimo.

Quo affectu Cœna celebrāda eſt.

Ex hiſce articulis, quos è ſacra ſcriptura in mediū attulimus ad declarandum doctrinam hanc de cœna Domini, quiuis facile intelligit, quàm neceſſariū ſit cum ſumma animi pietate & reuerentia hanc cœnam accedere, & probare ſeipſum, priuſquam edat de pane hoc, aut bibat de poculo Domini. Nam, vt Paulus inquit, qui edit & bibit indignè, iudicium ſibiipſi edit & bibit, non diſcernens corpus Domini. Hoc ipſum affirmat Chriſtus de Euangelio, Qui non credit condemnabitur. Et Auguſtinus de baptiſmo inquit: *Quemadmodum qui indigne edit corpus Domini, & bibit ſanguinem ipſius, iudicium ſibi ipſi edit & bibit, ita qui baptiſmum indignè recipit* (quod hodie multi Iudæi faciunt) *iudicium ſibi ipſi recipit, & non ſalutem.*

De probatione ſui-ipſius.

Porro ne quis indigne communicet cœnam Domini, ſequatur conſiliū Pauli, 1. Corinth. 11. 28. Probet quiſque ſeipſum, & ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit, & bibit indigne, damnationem ſibi ipſi edit & bibit, non diſcernens corpus Domini, hoc eſt, accerſit ſibi ipſi pœnam & iudicium Dei. Quę igitur eſt vera probandi ſe ipſum ratio? eam præſcribit Paulus 2. Corinth. 13. 5. cum inquit, Vos ipſos tentate, an ſitis in fide, vos ipſos probate. An nō cognoſcitis vos ipſos, quod Ieſus Chriſtus in vobis eſt? Hinc apparet, verum probationis examen in hoc conſiſtere, vt verè ſentiatur fides viua, & Chriſti præſentia in nobis ex virtute ſpiritus eius, nos ad pietatis ſtudiū excitantis. Breuiter, is verè probatus eſt, qui reuerēter in timore Dei, in vera pœnitētia, in vera fiducia, & cum ſancto propoſito, ad hanc cœnam accedit. Et contrà, qui eſt ſine vero Dei timore & ſeria pœnitentia, & caret viua fide ac ſancto propoſito, hic edit & bibit ſibi ipſi iudicium & temporale & æternum, niſi denuo per fidē in Ieſum Chriſtum cōuertatur. Et non dubito, quin maxima pars grauiſſimarum calamitatum, paſſim graſſantium in multis locis, ideo immiſſa ſit, quòd tam frequētes ſint, qui participant cœnam Domini, abſque vera & ſeria pœnitentia. Paulus ſcribit, Corinthios peſte caſtigatos eſſe, eo quod irreuerenter ſacram cœnam attingerent. Propterea, inquit, inter vos multi ſunt debiles & inualidi, & obdormiunt multi. Si enim nos ipſos dijudicaremus, non iudicaremur, ſed cum iudicamur à Domino, erudimur, ne cum mundo damnemur.

Aduerſus eos qui in peccatis perſeuerant.

Vt nam hodie multi non ædificarent ſupra debile fundamentū, & multum fallerentur ſua opinione, qui tum demum ſe dignè cœnam Chriſti accedere exiſtimant, cum corā ſacerdote confeſſi fuerint ſua peccata, & abſolutionem ab eodem adepti ſunt. Qui enim credit, eum abſoluit Deus propter mortem & paſſionem Ieſu Chriſti. Nam qui credit, inquit Iohannes, habet vitam æternam. Si itaque credens habet vitam æternam, eſt etiā abſque omni dubio abſolutus ab omnibus ſuis peccatis. Nihil enim aliud eſt abſolutio quàm liberatio à peccatis, quæ ſola eſt penes Deum. Itaque non poterunt à minimo peccato miniſtri verbi abſoluere eum, qui caret timore Dei, viua fide, & ſancte viuendi propoſito. Et qui talis eſt, & tamen audet à miniſtro verbi petere abſolutionem, huic, cum ſit coram Deo mendax, & coram miniſtro Dei hypocrita, cedit abſolutio in damnationem. Reſpondet enim hæc externa abſolutio, cordis interioris fidei, & propoſito. Sacerdos eſt miniſter Dei, ideo gerat ſe iuxta manda-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tum ſui Domini, nec maiorem ſibi arroget poteſtatem, quàm accepit à Domino. Habet autem poteſtatem annunciandi tum remiſsionem peccatorum omni credenti, tum condemnationem æternam, non conuertentibus ſe ad Deum. Hæ ſunt claues Eccleſiæ Chriſtianæ, quod ſi quis Euangelij miniſter hos limites tranſgreſſus fuerit, non feret hanc temeritatem à Deo impunè.

De priuata confeſſione & externa abſolutione in Eccleſiis Danicis.

Quid igitur ſentiendum eſt de priuata confeſſione & externa abſolutione? multę ſunt & graues cauſæ, cur ſancti patres hoc colloquium, quod fit inter confitentem & miniſtrum verbi, inſtituerint.

Prima, vt rudes & ignari commodius inſtituerentur, interrogati de ſingulis capitibus Chriſtianæ religionis. Cum enim plurimi multis annis ſacras conciones audiant, & aut perparum, aut omnino nihil, proficiant, maiori ſane cum vtilitate colloquentur eiuſmodi cum pio ac docto miniſtro verbi, qui inquirat de quibus dubitent, & quæ ignorent, eos doceat.

Secunda, vt iuuenum & adoleſcentum exploraretur in hoc colloquio profectus. Eſt enim boni paſtoris, non ſolùm publicè docere, verùm etiam exemplo Pauli domi experiri, quouſque ſinguli auditores in pietatis curſu promouerint.

Tertia, vt exigeretur ratio fidei ab ijs, de quorum fide ac religione iuſta poterat eſſe dubitatio, & contumaciter obſtinatis in aliqua hæreſi prohiberetur cœna Domini.

Quarta, vt in hoc colloquio conſciētiæ perplexæ, & ob peccatorum ſcrupulos inquietæ, doctrina, conſilio, & conſolatione iuuarentur.

Quinta, vt in hoc colloquio priuato audirent vocem Euangelij pronuntiantem remiſſionem peccatorum credentibus in Chriſtũ. Quia enim Chriſtus inquit: Qui vos audit, me audit, multum prodeſt audire miniſtrum verbi, nomine Chriſti, iuxta ipſius mandatum, annunciantem remiſſionē peccatorum. Poteſt autē abſolutio priuata fieri in hunc modum.

Forma huius abſolutionis

Quoniam, mi frater, non tantum confiteris te peccatorem, & reum eſſe coram Deo, & doles te Deum offendiſſe, verumetiam credis promiſſioni Euãgelij de remiſſione peccatorum, videlicet quòd credenti detur vita æterna, annuncio tibi nomine Chriſti, remiſſionem tuorum peccatorum, in nomine Patris, Filij & Spiritus ſancti, Amen. Vade in pace, & noli amplius peccare.

Appendix neceſſaria

Hactenus audiuimus de poſtremo, quòd in Meſſia Domino noſtro Ieſu Chriſto ſpectandum propoſui, videlicet quomodo participes reddamur beneficiorum ipſius. Quoniam autem multi reperiuntur, qui ad extremum vitæ halitum pœnitentiã protrahunt, duo adhuc ſubiiciam atque declarabo. *Primum*, de cauſis quæ nos ad maturandam pœnitentiam inuitabunt. *Alterum*, qua ratione perſeuerare poſsit Chriſtianus in fidem, ne fidem & beneficia Chriſti amittat.

DE PRIMO.

Quid igitur inuitabit nos ad maturandam pœnitentiam?

Quæ nos ad pœnitentiam maturandam inuitant.

Etſi multæ ſunt atque grauiſsimæ cauſæ, quę nos mouere debeant, ne velimus pœnitentiam procraſtinare, quod prô dolor, plurimi hodie magna cum ſecuritate faciunt: tamen decem ſaltem argumenta hac vice afferam, quibus merito inſtigetur quilibet ad agendum imprimis pœnitentiam.

Incertus vitæ terminus.

Primum, incertus vitę terminus. Nemo enim nouit qua hora, quo momento, aut quomodo hinc ſibi migrandum ſit. Hæc incertitudo nos meritò ad maturandam pœnitentiam excitare deberet Chriſtus hortaturus diſcipulos ad vigilantiam, hinc petit argumentum, cum ait: Vigilate & orate, quia neſcitis neque horam neque diem. Et Lucæ 12.19. proponit Dominus parabolam de diuite ſecuro & procraſtinante pœnitentiam. Hominis, inquit, cuiuſdam diuitis vberiores fructus ager attulit, itaque cogitabat apud ſe, dicens: Quid faciam, quod non habeam quo congregem fructus meos? Et dixit, hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora ædificabo, atque illuc congregabo fructus meos & bona mea, & dicam animę meæ: Anima habes multa bona repoſita in annos multos, requieſce, comede, bibe, oblectare. Dixit autem ei Deus: O ſtulte, hac nocte repetam animam tuam abs te, quæ verò paraſti, cuius erunt? Ita eſt, qui theſaurizat ſibi, nec eſt in Deo diues. Hinc poſtea infert Dominus: Quin potius quærite regnum Dei & iuſticiam eius, & poſtea reliqua adiicientur vobis. Item. Qua hora non putatis, filius hominis veniet. Et Auguſtinus ait: *Largitur tibi Deus ſpacium correctionis, ſed tu plus amas dilationem, quàm emendationem. Expectas, & de miſericordia Dei tibi plurima polliceris, quaſi ille, qui tibi per pœnitentiam promiſit ſalutem, promiſerit tibi longam vitam, vnde ſcis quid pariet craſtinus dies? Rectè dicis in corde tuo cũ me correxero, Deus mihi omnia peccata mea dimittet. Negare non poſſumus, quod correctis & conuerſis Deus indulgentiam promiſit. Nam in quo Propheta mihi legis, quia promiſit Deus correcto indulgentiam, num mihi legis, quia promiſit tibi longam vitam?*

Hæc proinde incertitudo termini vitæ, nos admoneat maturandæ pœnitentiæ, ne citius opinione noſtra impingamus (vt Ieremias loquitur) ad montes caliginoſos, atque ità obruamur iuſto Dei iudicio. Multi fuerunt qui ſperauerunt ſe vitam prorogare poſſe ad ſenectutem, ſed in medio iuuentutis flore occubuerũt. Multi quietum vitæ finem expectarunt, ſed in exilio perierunt. Multi ex notis & amicis propoſuerunt ſibi ſolatia in agone mortis, ſed inter hoſtes miſerè perierunt. Multi polliciti ſunt ſibi tempus quo in lecto decumbentes ingemiſcerent & reſipiſcerent, ſed ſubitò ex hac vita erepti ſunt.

Seneca pulcherrimè monet, cum ait: Noli huic tranquillitati confidere; momento mare euertitur. & eodem die vbi luſerunt nauigia, ſorbentur. Breuiter: Cum nemo ſciat, num ſpiritum per nares emiſſum reuocare poſsit, ſtultiſsimè agunt, qui cum contumelia Dei procraſtinant pœnitentiam, ac ſi temporis momenta in ſuis haberent manibus.

2. Theſaurus iræ Dei.

Secundum, Theſaurus plurimorum ſcelerum, iræ Dei & pœnarum pernicioſiſsimus, procraſtinatione pœnitentiæ colligitur. Vnde Paulus Rom. 2.5. Secundum duritiem tuam & cor pœnitere neſcium theſaurizas tibi iam in die iræ. Peccatum enim, quod per pœnitentiam non opprimitur, mox ſuo pondere in aliud trahit, de hoc rurſus in aliud, donec immenſus peccatorum cumulus conſtruatur, & vt peſsima radix non euulſa è terra, perpetuò creſcit & magis germinat: Ita etiam peccatum, cum ei indulges, vires nouas quotidie acquirit, donec maximum peccatum diluuium ſuperuenerit. 1. Nam qui hoc pacto miſericordia Dei abutitur, in Deum eſt iniquus, vt qui diabolo ſtatuit longiore tempore ſeruire quàm Deo. 2. Angelos quoque Dei, hac ſua ſecuritate offendit. Nam vt hi gaudēt de impiorum pœnitentia, ita haud dubiè triſtantur de illorũ impœnitentia. Dolēt enim quod tam nobilis creatura

Dei

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Dei,ſuapte ſit peritura culpa. 3. In ſeipſum quoque crudelis eſt. Vult enim potius eſſe malus quàm bonus,vel potius eſſe infirmus quàm ſanus , vel ſeruus eſſe potius Satanæ, quàm libertus Chriſti,vel potius pauper eſſe quàm diues in bonis ſpiritualibus. Breuiter:Vult potius perire quàm ſaluari, qua ſanè crudelitate nulla alia maior eſſe poteſt. 4. Taceo quod in creaturas Dei ſit iniurius. Vnde Paulus dicit creaturam ingemiſcere,quod ſe abutantur impij, & expectare libertatem gloriæ filiorum Dei. Oedipus intellecto inceſtu cum propria matre commiſſo, ſibiipſi oculos eruit,vt vel iſto pacto fugeret conſpectum ſolis & omnium creaturarũ. Videbat enim omnes creaturas fuiſſe inſpectrices infandi & turpiſſimi ſui ſceleris,& omnes vnanimiter ipſum condẽnare. Non ſecus hodie quicunque malè viuunt, ſentiunt ſe ab omnibus creaturis accuſari coram tribunali Dei.

3. Abalienatio mẽtis à Deo.

Tertium,abalienatio mentis à Deo, & finalis induratio. Nam quo diutius differtur pœnitentia, eo redditur difficilior. Perinde enim vt in corporis morbis ſe res habet,ita & in morbo animæ, qui eſt peccatum. Quo enim differtur medicina corporis diutius,eò fit morbus periculoſior & difficilius curatur,immo interdum ex diuturnitate incurabilis euadit. Quemadmodum in cancro morbo apparet,vbi ſi non malum igne aut ferro coherceatur ſtatim ab initio,metuendum eſt ne paulatim ita inualeſcat, vt penitus hominem è medio tollat. Hoc eſt quod Salomon inquit : Adoleſcens ambulans iuxta viam ſuam,etiam cùm ſenuerit,non recedet ab ea. Et Ieremias,Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuã,& pardus maculas ſuas,vos etiam poteſtis benefacere cum feceritis malum. Conſuetudo enim diuturna altera fit natura. Hoc igitur periculum indurationis meritò nos commouere ad maturandum pœnitentiam debet.

4. Conſcientia mala.

Quartum,conſcientia mala,qua nihil grauius, nihil triſtius,nihil miſerius. Hanc teſtem ſuorum ſcelerum coguntur ſecum circumferre,qui peccati cœno oblectantur. *Mala conſcientia* (inquit Bernhardus) *delictorum noſtrorum ipſa teſtis eſt,ipſa Iudex, ipſa tortor,ipſa accuſat , ipſa iudicat , ipſa punit,ipſa damnat.* Hæc etſi ad tempus reſecta fuerit , tanquam cauterio,tamen aliquando prodibit,& ſi nõ antea, ſaltem in agone mortis inſtar mille teſtium aſtabit,accuſabit,damnabit,puniet. Eſt ſiquidem conſcientia mala,diuinum quoddam teſtimonium , animis hominum impreſſum,de futuro in contumaces iudicio, & de pœnis quas iuſte luant contumaces.

5. Scandalum & reatus alieni peccati.

Quintum,ſcandalum & reatus alieni peccati. Eſt autem in ſcandalo duplex malum , videlicet factum & exemplum. Quemadmodum facto per ſe violatur lex Dei,ita exemplo proximus læditur propter imitationem. Hinc illud θρυλῶδες ἀπόφθεγμα Chriſti, Vę homini per quem ſcandalum venit. Et rurſus,Qui offenderit vnum ex paruis iſtis, qui in me credunt, præſtiterit illi , vt ſuſpendatur mola aſinaria in collum eius,& demergatur in profundum maris. Paulus pronunciat,in Chriſtum peccare & perdere infirmos fratres, qui adiaphoris cum ſcandalo vtitur. Quid ſentiendum de eo eſt,qui vel erronea doctrina vel improba vita multos in perniciem adducit? Quod tanta graſſentur ſcelera in mundo hodie, an non inde prouenit,quod vnus putet ſibi licere,quod videt alium facere? quem mox alius imitatur, & hũc alius,donec ſcabie vnius membri,totum corpus ferè Eccleſiæ infectum deformatur.

6. Priuatio ſpiritualium diuitiarũ.

Sextum,priuatio ſpiritualium diuitiarum,quarum ſoli ſancti in Eccleſia ſunt participes. Donec enim homo ſine pœnitentia viuit, gaudio Spiritus ſancti caret,conſcientiæ pace deſtituitur, conſolationibus ſpiritualibus priuatur in ſua miſeria,nec eſt particeps precum piorum Chriſtianorum.

7. Delitiæ Satanæ.

Septimum,delitiæ Satanæ. Quemadmodum enim angeli in cœlo gaudent ſuper hominem agentem pœnitentiam:Sic Satan ſummis delitiis & veluti iucundiſſimis voluptatibus perfunditur,cum homines præſertim eos,qui Chriſto dederunt nomina, videt ſine pœnitentia viuere. Sũt enim peccata hominum, vt quidam ex Patribus ait, εὐωχίαι φαύλων δαιμόνων.

8. Cogitatio exitus impiorũ.

Octauum,cogitatio tragicorum exemplorum plurimorum hominum,qui à Deo ob contumaciã ſunt abiecti in æternas pœnas , in quorum numero ſunt Cain,Pharao,Saul,Architophel,Iudas,Iulianus,& infiniti alij. Videmus enim quàm multæ nationes,quę Chriſtum atque eius Apoſtolos audiuerunt , perierunt,conuerſæ ad pernicioſos errores diaboli,Turcæ,& Antichriſti Romani.

9. Pœnitẽtia nõ eſt in noſtra poteſtate.

Nonum,cogitatio etiam hæc animũ ſubeat, quòd pœnitentia non ſit tam opus hominis,quàm donum Dei. Quod ſi contemſeris,dum à Deo tibi indies ac ſæpius offertur, metuendum eſt vt ſuas margaritas ſæpius ſuibus obiiciat.

10. Seræ pœnitentiæ conditio.

Decimum,cõditio ſeræ pœnitentiæ, dici enim recte ſolet:Sera pœnitentia rarò vera. Nequaquam enim is pœnitentiam agere cenſendus eſt , qui poſtquam peccare non poteſt,pœnitentiam ſimulat. Et Auguſtinus ait : *Pœnitentia quæ à moriente tantum petitur,timeo ne ipſa moriatur.* Hoc dico,non quod negem impartiri miſericordiam Dei iis,qui iam ex hac vita diſcedentes agunt pœnitentiam , ſed vt cogitemus , quàm ſit periculoſum protrahere pœnitentiam vſque ad extremum vitæ halitum.

Has rationes breuiter colligere placuit , quarum cogitatio nos ſingulos retinebit in timore Dei , ne abutamur miſericordiæ Dei magnitudine,in noſtrã propriam perniciem. Deus omnipotens flectat corda noſtra ad veram,conſtantem & ſalutarem pœnitentiam,vt filij Dei ſimus,ac vniuerſi & ſinguli cum ſeniori Simeone ex toto corde , quando ex hac vita migrandum erit,læti canamus : Nunc dimitte ſeruũ tuũ,Domine,ſecundum verbum tuum in pace,&c.

DE SECVNDO.

Quomodo perſeuerabit Chriſtianus vſque in finem , ne amittat fidem & gratiam partam in Domino noſtro Ieſu Chriſto?

Exordiũ à ſimili.

Medici ſapientia atque prudentia præſtantes , ad ægrotum accerſiti,duo agunt:Primùm, omnem intendunt operam , vt ſua arte & conſilio præſentem morbum tollant. Deinde,vt priſtinæ valetudini reſtituto,præſcribant viuendi rationem, ne in morbũ denuo recidant,atque ſuæ perditionis ſibi ipſi autores fiant. Horum ego exemplum imitabor, & quoniam hactenus attuli ex ſalutari verbo Dei,remediũ aduerſus peccatum , mortem & condemnationem, impertiar nunc quoque conſilium, qua ratione fiat, vt qui Chriſtum cum ſuis beneficiis acceperit,porro etiam perſeueret , & æterna conſequatur bona,quæ Chriſtus promeruit omnibus in ſe credẽtibus.

Propoſitio.

Quod ſi igitur cum Paulo dixero:Milita bonam militiam retinens fidem & bonam conſcientiam , rem totam complexus ſum. Verum ſi quis vlterius dicere pergat,quomodo retinenda ſit fides & bona conſcientia? Reſpondeo,Sacra ſcriptura appellat timorẽ Dei ſummam & præcipuam ſapientiam filiorum Dei.

Explicatio.

Hic enim timor continet nos in officio & obediẽtia erga Deum,in cuius conſpectu ambulamus. Habet autem conditiones quatuor.

Partes ſeu conditiones.

1. Cauet ne Deus offendatur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

2. Imperata ſibi diligenter exequitur.

3. Omnes inſidias, dolos & impoſturas ſtudioſe vitat.

4. Quærit & implorat auxilium aduerſus ſuos hoſtes.

1. Cauet Chriſtianus ne Deum offendat.

Principio, qui Deum timet, ſedulo cauet ne quo pacto Deum offendat. Dicitur itaque timor Dei purus. Pſ.19.9. Propterea quod qui Deum timet. 1. cogitat quibus malis obnoxius fuerit propter peccatũ, cogitat Chriſtum amariſsimam ſuam morte n pertuliſſe, vt peccatum tolleret. 2. cogitat in conſpectu Dei ſe verſari ſiue vigilet, ſiue dormiat, ſiue ſedeat, ſiue ambulet, ſiue edat, ſiue bibat, &c. 3. Recordatur porro immenſæ gloriæ, qua adoptatus eſt in ſocietatem filiorũ Dei, vt præſtet ſe patri ſuo dilectiſsimo morigerum in omnibus. 4. cogitat peccatum eſſe notam filiorũ diaboli. 5. cogitat ſe mẽbrum eſſe Chriſti, & ſocium ſanctæ communionis cũ Deo, patre, filio & Spiritu ſancto, atque adeo cum omnibus electis Dei, 6. cogitat peccatum eſſe ſpirituale adulterium, diſſoluens coniugiũ, quod intercedit animæ hominis cum ſuo ſponſo Domino noſtro Ieſu Chriſto. 7. cogitat non decere, vt templũ Dei conuertat in habitaculum diaboli, nec oportere ſe ſuo corde expellere Spiritum ſanctum, cuius beneficia tam præſtantia & multa efficaciter experitur. 8. cogitat ſe nolle diabolo gratificari, vt proditoriè agat aduerſus ſuum Dominum & redemtorem Chriſtum. 9. cogitat ita vitam traducere oportere, ne aut aliquo manifeſto flagitio ſit vlli ſcandalo, aut propter ipſum malè audiat Euangelium. Hæ & huiuſmodi alię cogitationes partiunt in corde hominis timorem Dei, & ſtudium vitãdi peccata ac lapſus contra conſcientiam. Faxit Deus vt ſinguli has nobiſcum in corde noſtro perpetuo circumferamus.

2. Obtemperat mãdatis Domini.

Secundo, qui timet Deum, obtemperat mandatis Domini, nam vt Pſalmus 112.1. inquit, In mandatis eius delectatur valde, hoc eſt, cum ſumma animi voluptate præſtat Deo debitum cultum & obedientiã iuxta mandata ipſius. Ab hoc verò Dei cultu hactenus multis annis fœdè aberrarunt Papiſtæ, qui perperam docent Deum colendum præceptis hominũ, & omnem Dei cultum alligant ſui ordinis ſacerdotibus & monachis, quos ſolos rectè ſeruire Deo, & habere etiam opera ſupererogationis vendibilia, manifeſtis tamen impoſturis ac quæſtus gratia, aſſeuerarunt. De hoc igitur quædam addam, vnde quiſque diſcat ſuum rectè formare iudicium, de vero Dei cultu.

DE CVLTV DEI.

Quid ſit.

Cultus Dei eſt opus à Deo mandatum factum ex fide in celebrationem gloriæ Dei principaliter. In hac definitione tria ſunt quę neceſſariò coniunguntur in vero Dei cultu.

Definitionis explicatio per partes

1. Materia quæ eſt opus mandatũ à Deo. 2. Cauſa videlicet, vt fiat hoc opus ex fide in Ieſum Chriſtum. 3. Finis, nempe gloria Dei, quam reſpicit operans, vt cœleſti patri hoc modo ſe obedientem declaret.

Materia.

Quòd cultum oporteat eſſe opus à Deo mandatum, docet nos ipſe Deus apud Ieremiam, cap.20. In præceptis meis ambulate, & non in præceptis patrũ veſtrorum. Et Chriſtus, cum inquit, Fruſtra me colunt docentes doctrinas, mandata hominum, hoc eſt putant me coli, cum ea ſatagant, in quibus homo iudicauerit Dei cultum ſitum eſſe, ſed toto cœlo aberrant, & ſuorum laborum oleum & operam perdũt. Et Paulus clarè damnat omnes ἐθελοθρησκείας, hoc eſt, cultus, quos homines bona, vt vocant, intẽtione excogitant. Hinc conſtituitur regula hæc, *Quod nullus cultus Deo acceptus ſit, niſi quem ipſe Deus proprio ſuo verbo ordinat ac homini commendat.* A verbo enim pendet puritas & ſanctitas cuiuſque operis.

Forma.

Deinde, fidem neceſſariò requiri ad rationem cultus, hinc patet, quia Deus requirit cultum purum & ſyncerum, qui exhiberi nõ poteſt à quoquam, cuius cor omni abominanda ſpurcitie contaminatum atque coram Deo fœdatum eſt. Affirmat autem Paulus, corda infidelium impura & contaminata eſſe, neceſſe eſt igitur, horum opera, quantumuis ſpecioſa & ſplendida exiſtant coram mundo, eſſe abominabilia coram Deo. Vnde ad Roma. inquit Paulus, Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Et ad Hebr. Impoſſibile eſt placere Deo ſine fide. ſed quid igitur efficit fides? Fides purificat cor hominis. nam ita inquit Apoſtolus, fide purificans corda. Hoc autem fit, non quod eam efficaciam obtineat fides ſua natura, ſed quod ſanguine Ieſu Chriſti aſpergãtur (vt inquit Apoſtolus) conſcientiæ credentium, quo mundantur ab omnibus peccatis eorum mortalibus.

Finis.

Cultum præterea reſpicere gloriam Dei principaliter, docet Paulus inquiens. Omnia facite in gloriam Dei. Cum enim creati ſimus atque etiã inſuper redemti, vt celebremus Deum, decet profecto nos debitum Deo præſtare cultum ob mandatũ ipſius.

Verus Dei cultus eſt quibus ... poſitis conſtituitur ...

Opus igitur hac ratione factum, iuxta mandatum Dei, ex fide, in gloriam Dei ſanctus & purus adeóque Deo placens vocatur cultus. Siue igitur internum aut externum, ſiue eximium, aut vtile ſit huiuſmodi opus, cenſetur tamen Dei ſpiritualis cultus, eo quod non ex carne, ſed ex Spiritu fidei, quæ reſpicit gloriam Dei, proficiſcatur. Vbicunque autem horum trium aliquod deſideratur, ibi nõ meretur opus hominis dici Deo gratus & acceptabilis cultus. Phariſæus ille, cuius meminit hiſtoria Euãgelica, & Cornelius ille aulicus, de quo ſcribitur in actis Apoſtolicis, dederunt eleemoſynas, quarum beneficio multi ſubleuati ac cõſolati ſunt. Hic eadem ſunt vtrinque opera, nihilominus ingens eſt Eleemoſynarũ vtriuſque diſcrimen. Eleemoſynæ Phariſæi non fuere cultus Dei, qua nec ex fide proficiſcebantur, nec tendebant ad gloriam Dei. Cornelius autem quamuis nõ erat plenè inſtitutus in cognitione Chriſti, tamen cũ crederet & expectaret ſalutem, atque erogaret Eleemoſynas ſuas ex mandato diuino in gloriam Dei & pauperum ſolatium, fuerunt ipſius Eleemoſynæ cultus purus, ſanctus atque Deo acceptus. Ideo dicit Cornelio angelus, Act.10.4. Orationes & Eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriá in cõſpectu Dei.

Exempla oppoſita Phariſæi & Cornelij.

Dauidis & Scipionis.

Pugnant Dauid & Scipio, vterque contra ſuos hoſtes. Fuit autem cultus Dei bellũ Dauidis, & non Scipionis. Dauid enim habens mandatum Dei credit & gerit bellum in gloriam Dei, & defenſionem populi huius. Scipio verò, quoniam caruit & mandato Dei, & fide, nec quæſiuit gloriam Dei, fuerunt ipſius bella tantum impiæ & crudeles hominum lanienæ coram Deo.

Duarum ancillarum.

Ad eundem modum duæ ancillæ, quarum vna timens Deum, altera nullo timore Dei prædita, quãuis occupentur vno & eodem labore, purgantes veſtimenta aut calceamenta ſordibus, aut aliud quoduis heræ mandatum exequentes, tamen illius opera tantùm ſunt cultus Dei, cum fiant ex fide iuxta mãdatum Dei, præcipientis obedientiam miniſtrorum erga Dominos, verùm huius impiæ vitæ opera, licet ſpecie tenus præſtantiora appareant, non ſunt cultus Dei, cum contaminata ſint hæc cordis immunditie & fœditate interna.

Simile erit iudiciũ de aliis quoq; factis, & omnino nullum opus quantumuis ſplendidum ac ſpecioſum appelletur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

appelletur cultus Dei, niſi ſit mandatum à Deo, & fiat à credente ac timente Deum in celebrationem nominis ipſius. Sufficiat hæc de cultu Dei dixiſſe, ex quibus facile eſt intelligere, quid ſentiendum ſit de Antichriſti Romani Miſſis, Vigiliis, Roſariis, & huiuſmodi multis innumeris nugis & commentis, quæ ſub titulo ſanctitatis & cultus Dei, contra manifeſtã totius ſcripturæ veritatem, venditare audet.

3. Chriſtianus omnes inſidias, dolos, & imposturas, ſtudioſè vitat.

Tertia conditio timoris Dei eſt, quod timens Deum, ſtudioſe caueat ſibi ab impoſturis & inſidiis. Huc facit illud Syracidæ cap. 33. 1. Timenti Dominũ non occurrent mala, ſed in tentatione Deus illum conſeruabit & liberabit à malis. Inter multos autem hoſtes, cum quibus conflictari oportet Chriſtianum tres ſunt præcipui, qui ipſius ſalutem impedire conantur, nimirum caro, mundus, & diabolus.

Superſtitio.

Caro, hoc eſt, prudentia & ſapientia humana, aut Deum ipſum vult reformare & huius colendi rationem præſcribere, aut hoc ſuis cupiditatibus & voluptatibus agit vt totum hominem à Deo auertat. Dicitur autem caro & ſanguis velle Deum reformare, atque huius colendi rationem præſcribere, cum inſtituit homo cultum aliquem diuinum, non mandatum à Deo, quemadmodum in Papatu factũ eſt: & hanc quaſi immotam obſeruari vult regulã, quòd quicquid fiat bona intentione, placeat Deo. His ſe opponit timor Dei, & cogitans huiuſmodi ſuggeſtiones eſſe inſidias diaboli, agnoſcit Deum ſapientiorem, quàm vt à puluere & cinere doceri indigeat aut velit. Qui igitur Deum timet de bona intentione, quã vocant, ſic ſentiat. Quod ſi bona intentio dirigatur verbo Dei, prodeſt, ſin minus, periculoſa, & ſi pugnat cũ verbo Dei, eſt plane noxia & pernicioſa. Quicunque igitur inſtituit cultum diuerſum à mandato Dei, is, quadrupliciter peccat.

Superſtitionis peccata.

1. Fit reus defectionis, eo quod veri cultus Dei regulam nempe verbum Dei deſerat.

2. Incurrit temeritatis vitium, quod auſit cultũ à Deo non præceptum introducere.

3. Horribilis ſuperbiæ notã ſibiipſi inurit, quod exiſtimat ſe aucturum cultum Dei vltra quàm Deus ipſe præceperit.

4. Peccat exemplo, quo alij ad ſimiles ſuperſtitiones inuitãtur. Si quis huius rei exempla requirat, inueniet ea non ſolum in magna copia apud Papiſtas, verum etiam forte inter nos ipſos. Videat itaque vnuſquiſque, ne quid temere tentet, aut inſtituat abſque mandato Dei.

Epicureiſmus.

Deinde vtuntur etiam caro & ſanguis domeſtici ſui & innati hoſpitis conſilio, & variis corporis voluptatibus atque deliciis: intemperantia atque incontinentia nititur totum hominẽ auertere à Deo: hiſce autem opponit ſe timor Dei, & ab vna parte Domini noſtri Ieſu Chriſti atque ſanctorum huius exempla inculcat, ab altera vero parte commemorat infœlices eorum caſus & miſerias, qui à Deo defecérunt, cuius rei etiamnum hodie exempla manifeſta ſunt.

Mundi vanitas.

Mundus quoque inſidiatur filijs Dei, quos prauis conſilijs & exemplis, honoribus, voluptatibus, diuitijs & rerum ſucceſſibus conatur à Deo ſeducere. Et Eccleſiæ Chriſtianę non tantùm crucem & tribulationes exprobrat, verumetiam perſequitur, & occidit omnes quotquot Chriſtum confitentur. Hiſce mũdi occultis inſidiis & manifeſtis iniuriis opponit timor Dei exemplum & voluntatem Chriſti, efficaciam & gaudium in Spiritu ſancto, cœleſtes diuitias vitæ æternæ, conſolationes Spiritus ſancti ſub cruce, & ſalutarem victoriam in Chriſto Ieſu, quam pij omnes plenè obtinebunt, quando Sathan cum ſuis membris abiicietur in pœnas inferni æternas.

Hæretici & Tyranni.

Diabolus præterea mendacio & homicidio graſſatur aduerſus Chriſtianos. Contra hunc pugnat timor Dei gladio ſpirituali, videlicet verbo Dei, certus de victoria conſequenda per Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, quemadmodum in hoc quarto membro nunc porro dicetur.

4. Chriſtianus implorat Dei auxilium.

Quarta timoris Dei conditio eſt, quòd implorat auxilium aduerſus hoſce ſuos hoſtes, carnem, mundum & diabolum. Huius meminit Syrac. cap. 40. 27. Timori Domini nihil deeſt, nec eſt cur in eo opem deſideres. Præſtantiſſimum autem & ſummum præſidium aduerſus omnes Chriſtianorum hoſtes, eſt ſeria & ardens inuocatio veri & omnipotentis Dei. Quod fatetur Salomon, Prou. 18. 10. cum inquit: Turris fortiſſima nomen Domini, ad ipſum confugit iuſtus & exaltabitur. Et Deus ipſe, Inuoca me in die tribulationis, & eripiã te, & glorificabis me. Pſ. 50. 15.

De inuocatione Dei Solius.

Quoniam igitur Chriſtianorum in omnibus aduerſitatibus arx pręcipua eſt oratio fidelis, paucis indicabo, quid de oratione Chriſtiana ſentiendum ſit. Nec arbitror opus eſſe refutare diabolicum illũ errorem, quem Papa inuexit de inuocatione ſanctorũ, quæ nihil aliud eſt, quàm mera filij Dei Ieſu Chriſti blaſphemia. Cum enim expreſſè in ſuo verbo mandarit Deus, vt ipſi ſoli confidamus, & eum ſolum inuocemus, nec vlli creaturæ hunc tribuamus honorem, profectò ſecus facientes, grauiter delinquunt, & turpiter ſeduci ſe patiuntur, inſtinctu diaboli, à vero mediatore & interceſſore Ieſu Chriſto. At qui Deum timet, is obtemperat Dei mandato, quo ſe ſolum inuocari præcepit, & confidit promiſſionibus diuinis, inprimis Chriſti promittentis, vt quicquid petierimus in nomine eius, id accipiemus, modo firma fide petamus, nihil quicquam de promiſſionibus ipſius hæſitantes.

Quid igitur eſt oratio Chriſtiana?

Orationis Chriſtianę definitio.

Chriſtiana oratio non eſt verborum battologia aut multiloquium, quemadmodum falſo exiſtimaſſe hypocritas indicat Chriſtus, Matth. 6. ſed eſt intimus cordis gemitus, quo eleuatur anima hominis ad Deum, & aut agit ipſi gratias pro acceptis per Chriſtum beneficiis, aut petit aliquid in nomine vnici noſtri mediatoris Ieſu Chriſti, certo ſtatuens ſe exauditum iri apud Deum. Moſes orat leuatis in cœlũ manibus, nullo labiorũ ipſius motu conſpecto. Corde enim clamabat, & reſpondebat ei Dominus dicens: quid clamas ad me? Et Dauid inquit, Pſal. 25. 1. Ad te Domine leuaui animam meam. Ex hiſce duobus exemplis patet, quod vera oratio non ſit labiorum inanis ſtrepitus, ſed ardens cordis gemitus poſtulans auxilium à Deo.

Confirmatio ab exẽplis.

De geſtibus externis.

Quorſum igitur verborum recitatione vtimur, genua flectimus, pectus tundimus, & oculos inter orandum attollimus in cœlum? Hiſce geſtibus externis vtimur, vt excitetur pectus hominis ad ſeriò precandum, vt ſint cogitationes magis intentæ ad res petendas, vt Deus anima pariter & corpore celebretur, vtque publicè corpore & ore profiteamur fidẽ noſtram in Deum. Vnde Auguſtinus: *Quamuis inuiſibilis voluntas orantis Deo ſit nota, nec vllis indigeat indiciis, vt ei animus pandatur humanus, qui locutionem cordis cognoſcit, tamen homo vocibus & membris ſui corporis vtitur, vt ſic orando affectus hominis humilior deuotior & feruentior creſcat.*

De leuatione cordis ad Deum.

Quomodo inter orandum leuatur cor hominis ad Deum? id fit duabus tanquam alis, quarum vna eſt cogitatio miſericordiæ Dei altera eſt fiducia mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Miſericordia Dei, 1. animæ ala.

Cogitatio miſericordiæ Dei in eo conſiſtit, quòd Deus ipſe hunc cultum inuocationis mandarit, & promiſerit ſe exauditurum inuocantes, ac requirit gratitudinem poſt exauditionem & liberationem. Hæc tria coniunguntur in dicto Pſalmi 50.15. Inuoca me in die tribulationis (eſt *mandatum*) & ego eripiam te (*promiſſio* de exauditione) & glorificabis me (quo requiritur *gratitudo*.) Inter orandum igitur nõ ſolũ reſpicere oportet ad mandatum & promiſsionẽ Dei, ſed etiam cogitandum eſt de gratitudine, quæ conſiſtit in obedientia præſtanda Deo. Hinc patet quòd quicunque orat retinens propoſitum peccandi, is non exiſtimat ſe impetraturum aliquid boni, ſed potius ſibiipſi ſua oratione accerſere pœnas Dei, ob ſuam ingratitudinem. Sic enim inquit Pſal. 66. 18. Iniquitatem ſi aſpexiſſem corde meo, non audiſſet Dominus. Et 1. Iohan. 3.21. Si cor noſtrum nõ reprehenderit nos (hoc eſt, ſi liberi ſumus à mala cõſcientia, & propoſito malè agendi) fiduciam habemus ad Deum, & quicquid petierimus, accipiemus ab eo. Iacobi 4.3. Petitis & non accipitis, eò quòd malè petitis, vt in concupiſcentiis veſtris inſumatis. Oraturus igitur Chriſtianus ſequatur regulam Pauli, traditã 2. Tim. 2.19. Diſcedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini.

Fiducia in Chriſtũ, altera animæ ala.

Altera ala, qua inter orandum leuatur cor hominis ad Deum, eſt fiducia firma in mediatorem noſtrum Dominum Ieſum Chriſtum, qui hanc dulciſſimam promiſsionẽ apud ſuos depoſuit diſcipulos, Ioann. 16.23. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. In hac Chriſti ampliſsima promiſſione, duo potiſsimùm ſunt obſeruanda, videlicet ſignum vniuerſale (quicquid) & inuocationis modus (in nomine meo.)

Quid petendum.

Vniuerſalis promiſſio reſtringenda eſt ad certum genus, vt ſit ſententia hæc Chriſti: Quicquid petieritis, hoc eſt, Quicquid vos filij Dei petieritis à patre veſtro cœleſti, quod poteſt cedere in veſtram ſalutem & commodum, hoc dabit vobis. Sic declarat hanc quoque Iohãnes, 1. Iohan. 5.14. cũ inquit: Quicquid petierimus ſecundum voluntatem eius, audit nos. Nequaquam enim decet probos filios aliquid à ſuo patre petere, quod ipſius paternæ voluntati aduerſetur. Si enim filius ſcorpionem, aut ſerpentem, aut rem quouis modo noxiam petat à patre, certe aduerſatur voluntati paternæ, & non daturus eſt pater, quod poſtulat filius.

Regula prima.

Teneant itaque filij Dei has duas regulas: *Prima*, quando petimus à Deo bona, quibus aut bene aut male vti poſſimus, petamus ea cum conditione, dicentes, Concede mihi, Domine, hoc aut illud, ſi mihi ſit conducibile, & non impediat longè præſtantiora & meliora. Ita olim ſancti martyres orabant, & nos hodie eodem modo diuinæ nos ſubiicimus voluntati, cùm aut peſtem, bellum, aut alias Dei pœnas deprecamur, aut pro ſanitate conſequenda & vitæ neceſſariis impetrandis Deum imploramus.

Secunda.

Secunda regula hæc eſt: Quando à Deo petimus bona, quibus abuti non poſſumus, ea ſine omni conditione petenda ſunt. Eiuſmodi bona ſunt cognitio Dei, incrementum fidei, vera pietas, patientia ſub cruce, & his cognatę virtutes alię. Huius regulę fundamentum eſt cognitio voluntatis Dei, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis peruenire, quemadmodum ſupra copioſè demonſtratum eſt.

Inuocationis modus.

Alterum quod notandum diximus in dulciſſima Chriſti promiſſione, eſt inuocationis modus, qui exprimitur, cum inquit: In nomine meo, hoc eſt, Quicquid petieritis in agnitione & fiducia mei, hoc dabit vobis pater propter me, qui ſum aduocatus, interceſſor, & mediator veſter apud patrem meum & patrem veſtrum, Amat vos pater, mea de cauſa, quod ſitis mea membra, immo mei fratres & ipſius filij adoptiui.

Affectus precantis qualis eſſe debeat.

Porro qualis debeat eſſe agnitio Chriſti, & quæ noſtra in ipſum fiducia, ſupra declarauimus, itaque nunc ſolum hoc admonebo, quomodo affecti eſſe debeamus, quotiescunque audimus hãc Chriſti promiſſionem, Quicquid petieritis à patre in nomine meo, dabit vobis. Nam & doctrinam multiplicem, & admonitiones ſalutares, & conſolationes efficaces continet.

Doctrina.

Doctrina eſt multiplex. 1. Docet excludendam eſſe à noſtris precibus omnem cogitationem dignitatis proprię. Cum enim in nomine Chriſti oramus, fatemur Chriſtum ſolum dignum eſſe, cuius cauſa exaudiamur à Deo. 2. Diſcimus diſcrimen inter Chriſtianam orationem & omnium aliarum ſectarum. Nam Chriſtiana oratio nititur fiducia mediatoris, quem cum profani homines non agnoſcant, inanis eſt eorum oratio & deſtituta omni fundamento.

Admonitiones.

Admonitiones ſunt, quod admoneat nos hic precandi modus noſtræ cæcitatis. Nam cum petendum ſit in nomine Chriſti, non poteſt eſſe dubium, quin maxima ſint illa, quæ peti neceſſe ſit. Oculos ergo aperire oportet, & diligenter circumſpicere quæ publice, quæ priuatim nobis moleſta ſunt. Quæ interna, quæ externa, quæ corporalia, quæ ſpiritualia deſiderentur, vt in omnibus his ad clementiſſimum patrem leuemus corda noſtra, & petamus ab eo in nomine mediatoris noſtri Ieſu Chriſti, certò & indubitatè confidẽtes, quòd daturus ſit nobis neceſſaria, modò firma fide precemur, & poſſint ea eſſe nobis ſalutaria, quæ petimus, ſicuti iam dictum eſt.

Conſolationes.

Conſolationes ſunt, quòd hic modus precandi conſoletur inuocantes aduerſus duo maxima inuocationis impedimenta, diffidentiam carnalẽ & propriã indignitatem. Nã niſi fiducia mediatoris inter precandum niteretur carnalis noſtra diffidentia, quam auget memoria multiplicium peccatorum totius vitæ, nos à precando abſterreret, & facilè omnes ſuccũberemus, proſtrati cogitatione noſtræ indignitatis, qui per nos indigni ſumus, vt prodeamus in cõſpectum Dei, ſed fiducia mediatoris his malis medetur. Nam & carnalem diffidentiam vincit, & dignitatem non ſuam, ſed Chriſti iactat. Huc illud Pauli pertinet, Rom. 5.1. Per fidem pacem habemus cum Deo, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem etiam habemus acceſſum, per fidem in gratiam hanc in qua ſtamus.

Vera inuocatio.

Cum his optimè congruit reſponſum Domini datum Samaritanæ, Iohannis 4.23. ita enim ait: Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in Spiritu & veritate. Nam pater tales quærit, qui honorant ipſum. Samaritana mulier putabat ex loci dignitate pendere orationis efficaciam. Dicit enim, patres noſtri in monte hoc adorauerũt, & vos dicitis, quod Ieroſolymis eſt locus vbi oporteat orare. Ab hac opinione reuocat Chriſtus mulierem, & proponit ei verum adorandi modum, videlicet quòd oporteat adorare patrem in Spiritu & veritate. Cum dicit Spiritu, diſcernit inter orationem, quæ ex ore tãtum procedit, & eam quæ ex Spiritu proficiſcitur, qui ſpiritus fidem in corde hominis operatur ex qua pendet & proficiſcitur vera adoratio. Cum autem dicit, in veritate, interpretatur duas figuras veteres, priorem montis, in quo precatus eſt Iacob, poſteriorem loci, qui erat Ieroſolymis, & dicebatur propiciatorium. Mons enim ille Iacob admonebat, vt adoraturi non ſpectemus vllam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

locorum in mundo dignitatem, ſed vt ab omnibus vallibus mundi leuemus corda noſtra ad montes, hoc eſt, in cœlum. Atque hoc vult Chriſtus, cum iubet precātes dicere: Pater noſter qui es in cœlis. Poſteriorem figuram exponit Chriſtus, cum inquit, adorabunt patrem in veritate. Hęc veritas opponitur loco iſti Ieroſolymis, qui dicebatur propiciatorium. Typus enim erat iſte locus veri propitiatorij, Ieſu Chriſti mediatoris noſtri vnici, ſine quo nulli patet aditus in Sanctum ſanctorum, hoc eſt, in ſalutem & vitam æternam.

Orationis corruptela.

Hac ratione excluditur etiam à Chriſtiana oratione omnis hypochriſis, & ſimul neceſſariò requiritur verus & ardens mentis inter orandum ardor, ita vt ſit congruentia ac conſcientia cordis atque oris ne hoc aliud dicat aut loquatur, quàm illud ſentiat.

Cōcluſio.

Oſtenſum itaque eſt, timorem Dei eſſe cuſtodem optimum fidei & bonæ conſcientiæ in nobis, vtpote qui ſtudioſe peccata vitet, mandatis Dei obtemperet, inſidias carnis, mundi & diaboli diligēter caueat, & ante omnia in hiſce multiplicibus mundi periculis quærat auxilium apud Deum Chriſtiana & ſeria oratione, atque hoc pacto conſtans perſeueret vſque in finem: hoc eſt, tantiſper perduret, donec ex hac miſeriarum valle nos Deus euocet, & animas piorū, qui in Chriſti inuocatione diſceſſerunt, ad ſe in cœlum recipiat, quieſcentibus interea in puluere terræ corporibus, corruptioni obnoxiis, in teſtimonium iuſti iudicij Dei, qui corpora noſtra in die nouiſſimo excitabit, & reſtitutis animabus viuificabit, vt fruamur nos ipſius filij vita æterna, & finaliter erepti omnibus huius mundi caſibus & periculis, perpetuis verſemur in gaudiis, cum Domino & Saluatore noſtro vnico Ieſu Chriſto, cui cum patre & Spiritu ſancto, ſit laus, honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen.

Hæc habui, quæ ſcriberem de capitib. noſtræ religionis, in gratiam eorum qui linguam noſtram vernaculam intelligunt. Quę etiam extare volo loco cōfeſſionis meæ fidei & doctrinæ, quam docui & profeſſus ſum in hac ſchola Haffnienſi, annos circiter triginta. Rogo autem Chriſtianum lectorem, vt de hoc & aliis meis ſcriptis, non ex calumniis imperitorum & ſuperborum ſpirituum, ſed ex verbo Dei iudicet. Deus miſereatur Eccleſiæ ſuæ, & clementer auertat diſſidia & corruptelas puræ doctrinæ, & aſſit nobis ſingulis ſuo Spiritu ſancto, cuius auxilio ita in agnitione veri Dei, fide & nouitate vitæ, in dies promoueamur, vt in die nouiſſimo reperiamur in numero electorum filiorum Dei, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Amen.

FORMVLA PRECANDI QVOTIDIANA.

Tibi æterne Deus, miſericors pater, gratias ago per dilectum tuum filium, vnicum mediatorem, Dominum & Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtū, pro omnibus donis & beneficiis tuis corporalibus & ſpiritualibus, temporalibus & æternis, quæ longè plura & maiora ſunt, quàm aut animo concipi aut verbis exprimi poſſint.

Oro te, mitiſſimè Deus, pater cœleſtis, per nomen filij tui vnigeniti, vt Eccleſiam tuam vbique terrarū defendas, & puritatem tui verbi conſerues; vt per vniuerſum mundum propagetur regnum filij tui, & multi tuam bonitatem & miſericordiam prædicent in omnem æternitatem.

Omnipotens Deus, pater cœleſtis, largire his terris ſalutarem & tranquillam ſub tua protectione gubernationem, rege Spiritu tuo ſancto Regem noſtrum clementiſſimum, regni conſiliarios, & quemlibet in ſuo vitæ genere, vt in tuam gloriam vitam agamus in omni pietate & honeſtate quietam.

Dele, ô miſericordiarum pater, omnes iniquitates meas, per & propter filium tuum pro nobis crucifixum & reſuſcitatum, & iuſtifica me filij tui vnigeniti iuſtitia, munda cor meum Spiritu tuo ſancto: doce me vias tuas, & deduc me in veritate tua, purga mentem meam, vt procul ab ea faceſſant impiæ cogitationes, praui affectus & infelicia conſilia, ſecura contumacia, & malefacta denique omnia: illuſtra eam tuæ gratiæ lumine, vt ea ſolum cupiat, velit, deſideret & perpetret, quæ tibi ſint placētia, & Eccleſię Chriſtianæ ſalutaria atque vtilia.

Da mihi intellectum, Domine, & iuua conatus meos, vt fideliter & diligenter præſtem opera vocationis meæ, in tui nominis gloriam, Eccleſiæ ædificationem, & proximi mei commodum.

Concede etiam clementer Domine, vt tuo auxilio perſeuerem, retinens fidem viuam & bonam cōſcientiam, vſque ad extremum vitæ halitum, vt cum venerit hora mea, placidè obdormiſcam in Ieſu Chriſti Domini mei inuocatione, & per eum conſequar vitam æternam, in qua cum omnibus electis, te in omnem æternitatem celebrem & glorificem. Tibi ſoli ſit honos, laus & gloria, cum filio tuo, qui tecum viuit in vnitate Spiritus ſancti Deus, in ſæcula ſæculorum, Amen.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

N. H.

DEMONSTRATIO INDVBITATAE VERITATIS DE DOMINO IESV, VERO DEO ET VERO HOMINE,

vno Chriſto, mediatore atque redemtore noſtro vnico, ex Prophetiarum collatione ad euentum extructa.

AVTHORE NICOLAO HEMMINGIO.

REVERENDO VIRO, PIETATE VIRTVTE, ERVditione, & ſapientia excellenti, D. Olao Offonio, liberalium artium Magiſtro, Cantori primario & Canonico venerandi collegij Roſchildenſis dign'ſſimo, veteri amico ac collegæ chariſſimo.

QVAM fuerit nobis ante triginta annos, venerande vir, conuictus iucundus (cum ego quidem Profeſſor græcæ linguæ in academia Hafnienſi, tu vero moderator iuuentutis in ſchola triuiali, σύσσιτοι eramus) ſæpius cum ſumma animi voluptate recordor. Reddidit autem nobis conuictum ſuauiorem, non chartarum Luſus, non alea, μὴ τῶν ἀλείσων συμπεριφορὰ, non potandi certamen, non vllæ res ludicræ, (Hæc enim omnia tanquam Muſis indigna contemſimus) ſed dulciſſimum cum ſanctiſſimo rege Dauide colloquium: cuius Pſalmi, & in prandio, & in cœna, noſtræ erant deliciæ, noſtra ambroſia, noſtrum nectar, vicem enim τῶν τραγημάτων ſupplebant. In hoc dulciſſimo colloquio experti ſumus veriſſimum eſſe, quod de laudibus Pſalmorum ſcribit Gregorius Nyſſenus in hanc ſententiam. *Quàm ſuauis & iucundus eſt humanæ vitæ comes Propheta Dauid, in omnibus itineribus vitæ ſeſe offerens, & omnibus ætatibus ſpiritualibus commodè ſeſe adiungens, & omnem ordinem progredien:ium ſubleuat: cum iis qui iuxta deum infantes ſunt, colludit: cum viris vnà certat: iuuentutem moderatur: ſenectutem ſubleuat, atque ſuſtentat: omnibus omnia fit, militum telum, athletarum inſtitutor, exercentium ſe palæſtra: vincentium corona, in menſa oblectatio: in luctu & funere conſolatio. Nihil eſt in vita noſtra quod huius officij expers eſt.* Hactenus Gregorius. Verùm quoniam in quotidiana iſta Pſalmorum recitatione multa occurrebant, quæ prudenti attentione opus habebant, tu cum conuictoribus noſtris aliis (ex quibus nobiſcum hodie ſunt ſuperſtites duo præſtantes viri Doctor Ioannes Scheldrupius, Bergenſis diœceſeos in Noruegia Epiſcopus, & M. Laurentius Barptolomæi, Arhuſienſis, in Cymbrica Cherſoneſo Epiſcopus, vterque fidelis, ſtrenuus, & vigilans in ſuo officio) mihi, vt recens redeunti, tanquam ex officina D. Philippi Melanchthonis præceptoris mei chariſſimi, onus hoc graue impoſuiſtis, vt ego Pſalmorum recitationem penitius præuiderem, ſingulos veluti in breuem ſummam contraherem, genera cauſſarum monſtrar(m, ordinem indicarem, partes diſtinguerem, argumenta eruerem, eruta ad leges dialecticas reuocarem, phraſes explicarem, ac denique vſum indicarem & πρᾶξιν. Nihil enim iuuat γνῶσις nuda, niſi accedat πρᾶξις, quam Paulus αἴσθησιν vocat, videlicet, cum verè ſentitur in corde, qnod mente conceptum eſt. Etſi autem huic tanto labori impar fui, vicit tamen petitio veſtra. Onus ergo hoc mihi à te aliiſque noſtris conuictoribus imponi ideo libentius

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

libentius ſum paſſus, quia ſperabam aliquid eruditionis mihi acceſſurum tanquam ἀντιμισθίαν laboris ſuſcepti, præſertim cùm ad imitationem diuini illius viri piæ memoriæ Philippi Melanchthonis præceptoris mei chariſſimi ἐξήγησιν ſuſceptam formare inſtituerem. Multum enim refert quem in docendo tibi imitandum proponis. Solebat fideliſſimus ille formator ſtudiorum in enarratione inſtitutionum Dialecticarum ſubinde Pſalmos adiungere, vt vſum artis certius monſtraret. Quod profectò ea dexteritate fecit, vt ipſius breues ὑπομνήσεις ingentibus plauſtris commentariorum veterum meritò anteponantur. Huius ergo viri cùm haberem ἀπηχήματα quædam manu mea excepta, non prorſus deſperabam de imitatione. Et tametſi nulla ſpes erat aſſequendi præeuntē, tamen vel à longè ſequi, notatis veſtigijs, laudem eſſe duxi. Id quod eò maiori contentione feci, quia me veſtra auſcultandi promtitudine alacriorem feciſtis: Atque adeò incitaſtis, vt ab eo tempore totum me Theologico ſtudio conſecrauerim. Iſta noſtra conuerſatio, venerāde vir, & ψαλμοχαρὲς ſtudium fuit quidem tum temporis nobis iucundum, at nunc multò iucundius: quoniam lectione Pſalmorum ſenes magis quàm iuuenes delectari ſolemus. Quod autem huius veteris noſtræ conſuetudinis mentionem faciam, frater dilecte, eò pertinet, vt eius commemoratione iuuenes ad ſimile in menſa certandi ſtudium excitē, in quo certamine nō minus victus quàm victor gaudet. Nam vtrique dulce præmiū proponitur. Siquidē vterque ſpiritualibus delitijs fruitur, & nectare cœleſti inebriatur. Porrò vt huius dulciſſimæ noſtræ conſuetudinis memoria, & tuorū beneficiorū erga me teſtimonium aliquod extaret, placuit hoc breue ſcriptum ſub auſpicio tui nominis in lucem edere. Quod ſanè ſcriptum eo conſilio à me cōgeſtum putes, vt multorum mores, quos parum reſpondere Chriſtianiſmo (quem Nyſſenus doctiſſimè definit imitationem Dei) animaduerti, quantum in me eſt corrigerem. Nam quod homines multi, qui Chriſtiani audiunt, viuant Epicuros, Sardanapalos, Nerones, aliundè proficiſci non arbitror, quàm quod occultum ſub pallio Chriſtiani nominis epicuriſmum tegant: quem epicuriſmum excuti melius non putabam, quàm ſi demonſtrarem iuſta methodo, quàm indubita ſit Chriſtianæ religionis veritas: quam tametſi multi verbis profitentur, factis tamen negant. Deinde volui etiam hoc ſcripto oſtendere meam ſententiam de quibuſdam controuerſijs horum temporum, quo intelligant fratres, cum quibus colloqui mihi non datur, quantum abhorream ab Arrij, Sabellij, Neſtorij, Eutychetis, & aliorum olim damnatis furoribus, qui hodie reuocari à nonnullis videntur. Quod autem illorum nominibus parcam, qui mihi cum veteribus hæreſiarchis quodammodo (etſi non verbis, conſecutionis tamen neceſſitate) colludere videntur, pacis ſtudio facio: ſperans fore, vt citius amicè & ἀνώνυμοι admoniti in viam redeant, illi præſertim qui incauti ſe in iſtos præcipitarunt laqueos. Hic dies, proh dolor, ſatis docet, quantùm ſcripta aſperiora in fratres noceant ædificationi & concordiæ Eccleſiæ Dei. Doleo ex animo, quoties audio eos, qui vnà bella ſuſceperunt aduerſus Antichriſti regnum pro Chriſti gloria vindicanda, ſe mutuis & venenatis telis confodere. Quid hic, quæſo, ſperandum? profectò nihil aliud, quàm vt Principum animi paulatim rixis Theologorum fatigati alienentur ab Euangelio, & hoſtes doctrinæ purioris triumphent tandem, vt interim taceam Turcico tyranno iſtis concertationibus viam aperiri ad inuadendum Chriſtianum orbem, ad quod claſſicum canunt multi ſub ſpecie defendendæ veritatis. Verùm ſi hîc præceptorem ſuum Philippum ſibi imitandum proponerent, melius conſulerent tranquillitati Eccleſiæ. Quoties, quæſo, laceſſitus erat ſanctus ille vir mordacioribus ſcriptis? ſed quid fecit? pacem Eccleſiæ prætulit priuatæ iniuriæ. Nam cùm præuideret certamina domeſtica allatura eſſe Eccleſiæ & regnis ingentia pericula, maluit domi orare, quàm foris tonare. Potius voluit tacitus à ſuis hoſtibus contemni, quàm victor cum periculo Eccleſiæ gloriari. Fertur hæc Dauidis verba frequenter in ore habuiſſe: illi detrahebant mihi, ego autem orabam. Hoc ſi hodie quidam facerent, tranquillior ſperandus eſſet Eccleſiæ ſtatus, & fœlicior curſus Euangelij, quem nunc zelo quodam impediunt. Sed his triſtiſſimis Eccleſiæ vulneribus ſolus Deus mederi poteſt, quem oro toto pectore vt docentium & diſcentium in Eccleſia corda vniat in vero timore nominis ſui, tollat ſcandala, impediat hæreſes, amoueat ſchiſmata, vt ipſius nomen à nobis omnibus ὁμοθυμαδὸν prædicetur ac celebretur per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, mediatorem & redemtorem noſtrum vnicum. Huic æterno Deo, qui eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ſit honor laus & gloria in ſecula ſeculorum, & in omnem æternitatem, Amen. Vale reuerende vir ac frater in Chriſto dilecte. Boni conſule hoc chartaceum munus, illúdque grata manu accipe. Quod etſi perexiguum eſt: tamen eius lectionem tibi gratam fore mihi polliceor. Ex muſæo noſtro, ipſo die caſtiſſimorum angelorum, quorum dux eſt magnus ille Michaël Filius Dei, in quo noſtra victoria ſuper diabolo, mundo & peccato poſita eſt. Anno 1571.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ΠΑΡΑΣΚΕΥΗ.

Funda mentum Eccleſiæ.

IMPRIMIS & ante omnia tenendum eſt, quo fundamento doctrina Eccleſiæ in libris Propheticis & Apoſtolicis tradita nitatur. Hoc enim bene iacto, demonſtratio certitudinis Meſſiæ olim promiſſi,& ante annum 1571. exhibiti,& dulcior & charior erit. Nam vt armabit nos aduerſus Mahometicos & Epicureos furores: ita introducet nos in pulcherrimum Dei ſanctuarium, in quo ſumma lætitia perfundantur corda eorum qui adhęrent Deo, & collocāt in Domino Ieſu Chriſto ſpem ſuam. Ne igitur extra ſanctuarium Dei ſanctum, opinionibus cum bona mundi parte fluctuemus, fundamentum doctrinæ Eccleſię firmiſsimum & immotum teneamus. Sunt autem huius fundamenti duæ partes adeò euidētes & firmæ,vt cum illis nulla philoſophica certitudo conferri poſſit, videlicet teſtimonium externum & interna certificatio per Spiritum ſanctum. His enim Deus doctrinam Propheticam & Apoſtolicam tanquam maieſtatis ſuæ ſigillo confirmat. De his ergo ordine dicemus.

Huius fūdamenti duæ partes.

1. Externū teſtimonium.

Externum voco *teſtimoniū* quod in ſenſus hominū incurrit, vt veritatis cœleſtis ſplendorem ad mentē transmittat. Huius externi teſtimonij partes ſunt plures, vt ſunt patefactio diuina, miraculorum excellentia, certiſsima prophetiarum completio, conſenſus in doctrina & cultu, tanti temporis duratio, ac cruenta plurimorum Martyrum confeſsio.

Eius partes.

Etſi autem ſingulæ harum partium per ſe ſufficerent ad euincendam doctrinæ Eccleſiæ infallibilem certitudinem: tamen optimo Deo placuit tot modis noſtræ infirmitati ſuccurrere.

I. Patefactio diuina.

Prima igitur pars externi teſtimonij eſt *patefactio diuina*, per quam Deus ipſe de ſua arcana ſede procedens, ſe olim ſanctis Patribus patefecit: Quibus ſuum verbum, quod ſolum Eccleſia Dei amplectitur, commendauit de ſui notitia, de vero cultu, de reparatione imaginis Dei in homine, per naturalem & eſſentialem imaginem Dei, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, de præmijs obedientiæ erga Deum,& pœnis contumaciæ. In omnibus hiſce apparitionibus diuinis, eadem doctrina alijs atque alijs verbis inculcatur.

Illuſtres Dei apparitiones.

Tametſi autem Dominus ſępiſsimè apparuiſſe legitur, nos tamen paucas eius apparitiones recitabimus: in quibus ſummam doctrinæ Eccleſiæ proponit, inculcat, illuſtrat.

Prima.

Primùm itaque Adamo poſt lapſum apparuit Gene.3.& doctrinam Legis & Euangelij primus ſua voce tradidit. Quod enim pœnas inflixit ob contumaciam primis parentibus noſtris, in perpetuum teſtimonium iræ ſuæ aduerſus peccatores, ad legem pertinet. Quod autem promiſit ſemen mulieris contriturum caput ſerpentis, vox Euangelij eſt, quæ fidem requirit. Omnis enim promiſſio fide accipitur. Ex hac fide nouam obedientiam Adam, Eua,& Abel præſtiterunt. In hac doctrina tradita primis parentibus ſemper acquieſcit Eccleſia Dei. Hanc perpetuò amat, retinet, tuetur. Et ſicut eam à maioribus accepit, ita tranſmittit ad poſteros.

Secunda.

Deinde Deus apparuit Nohe, Gene.6.7.9. ac facto ſtupendo vtramque doctrinam Legis & Euangelij confirmauit. Nam cùm impœnitētes diluuio perdidit, legis ſuæ ſententiam executus eſt: At cùm Nohe credentem verbo ſuo,& obedientem ſibi fide, liberat, teſtimonium edidit ſeruatæ promiſſionis gratię, quæ eſt Euangelij.

Tertia.

Poſt diluuium, vt doctrinam, hominum malitia, quæ inundauerat iam ſuper terram, ferè collapſam inſtauraret, apparuit Abrahamo decies, eius filio Iſaac bis, Nepoti Iacob ſepties. In quibus apparitionibus eadem doctrina eſt propoſita,& promiſſionis verbum clarius illuſtratum eſt, iuſtificationis gratuitæ ratio in Abrahamo propoſita eſt, & obediendi neceſſitas monſtrata.

Quarta.

Poſt hęc in Ægypto Moſi apparuit Dominus, eandémque doctrinam repetit, & confirmat, facto declarans diſcrimen inter cœtum hominum verbum ſuum amplectētium,& reliquum mundum perſequentem in ſua aduerſus Deum contumacia. Pręterea multis Prophetis idem verbum Dominus in viſionibus & in ſomnijs apparens commendauit.

Quinta.

In nouo quoq; Teſtamento idem Deus ſuum verbum ſonuit de cœlo,& proprio ore nobis Chriſtum doctorem commendauit, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi cōplacui, hunc audite: ac ſi diceret: Olim promiſi ſemen mulieris deſtructurū caput ſerpentis,& reparaturū imaginem meam in homine, ſublata legis maledictione, Ecce hîc adeſt, eum audite, quibus vita & ſalus cordi eſt. In hoc enim mihi cōplacui, hoc eſt, per hunc recōciliatus ſum mundo, id eſt, omnibus ijs, qui ipſum fide receperint.

Ad hanc patefactionem diuinam pertinet dictum Ioannis, 1. Ioan.5.7. Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater λόγος, & Spiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. Pater enim ſonabat de cœlo hanc vocem: Hic eſt Filius meus dilectus, ídque bis, ſcilicet in baptiſmo & in transfiguratione. Filius aſcendens viſibiliter in cœlum,& ſedens ad dexteram Patris, teſtatus eſt de Euangelio, non ſolum dum in terris ageret viſibiliter diuinis operibus: ſed etiam cùm Eccleſiam mirabiliter conſeruat. Spiritus ſanctus in baptiſmo Chriſti in ſpecie columbæ teſtatus eſt de Chriſto & eius Euangelio, & viſibiliter illapſus in Apoſtolos ipſo die Pētecoſtis, hoc eſt, quinquageſimo à reſurrectione Domini die, ſua apparitione Euangelium obſignauit.

Vtilitas harum apparitionum.

Hæ omnes apparitiones cum multis alijs, vnà cum angelorum concionibus & reuelationibus noſtræ infirmitati inſeruire debent, vt confirment animos noſtros, ne cedamus impoſturis diaboli, qui cum omnibus Sophiſtis, Mahometiſtis, incredulis Iudæis, prophaniſque gentibus in hoc totus incumbit, vt nos ab iſto verbo tot apparitionibus Dei nobis commendato abſtrahat: Quemadmodum noſtros primos parentes, à verbo vitæ quod acceperāt, abſtraxit inſidioſis ſuis impoſturis verbum Dei corrumpens.

2. Varietas miraculorum.

Secunda pars externi teſtimonij eſt *varietas miraculorum*, hoc eſt, peculiarium & extraordinariorū operum Dei: quibus diuinæ clementiæ placuit verbum ſuum conſignare. Sunt autem miracula, quæ vltra virtutem creatam, ſupra naturam, contra conſuetudinem, obijciunt aliquid ſenſibus, quod in admirationem diuinæ maieſtatis adducit. Huiuſmodi miraculis & diuinis operibus Deus legem & Euangelium quatuor annorum millibus confirmauit. Etſi autem alia ſunt veteris, alia noui Teſtamenti miracula: Tamen omnium vnus eſt ſcopus, vnus finis, nempe vt confirment veritatem Dei, hoc eſt, doctrinam Legis & Euangelij, atque adeò veri cultus Dei.

Veteris & noui Teſtamenti.

Veteris ante diluuium.

In veteri teſtamento ante diluuium, duo inſignia miracula occurrunt. Primum, in oblatione Abel & Cain, quo Legem & Euangelium, diuinitus confirmauit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mauit Deus. Non reſpexit Deus ad Cain, ſed ad Abel. Ille enim hypocrita fuit lege damnatus, hic pius, per fidem in promiſſum ſemen, declaratus eſt. Sed quomodo Dominus reſpexit? miraculo ignis, quo accendebatur hoſtia Abelis, declarauit iſtum cultũ ſibi placere. Legimus autem quater igni cœleſti accenſas eſſe victimas, in confirmationem doctrinæ, & veri cultus Dei. Primùm (de quo iam diximus) ſacrificium Abelis igni de cœlo demiſſo abſumtum eſt: quod cùm videret Cain, concidit vultus eius, & cogitauit de nece fratris: quem poſtea imitati hypocritæ pios extremo proſequuntur odio.

Sub Moſe. Secundò, Leuit. 9.24. ignis cœlitus demiſſus conſumſit ſuper altare holocauſtum & adipes: Quod videns vniuerſus populus laudauerunt Dominum. Hic ignis è cœlo demiſſus in ſacrificium Aaronis durauit vſque ad conſtructionem templi Salomonis: Quo tempore rurſus renouatus fuit de cœlis, & durauit vſque ad tempora Manaſſe, vt Hebræi ſentiunt.

Sub Salomone. Tertiò in dedicatione templi Salomonis ignis deſcendit de cœlo, & abſumſit holocauſta & victimas, & maieſtas Domini impleuit domum, 2. Paral. 7.1.

Sub Elia. Quartò Eliæ ſacrificium abſumtum eſt igne è cœlo miſſo, quo confirmabatur doctrina Eliæ, qui cum Domino locutus eſt in monte, 1. Regum 18. & 19. Hic ignis cœleſtis, quo accenſa fuerunt ſacrificia Patrum, pertinet & ad ſignificandam efficaciam ſacrificij Chriſti, & ad obſignationem doctrinæ & cultus eorum, qui offerebant. Secundum in Enoch, quem virum Dominus è conſortio hominum ſuſtulit in cœlum, quo facto Deus doctrinam Euangelij confirmat, & ſignum edidit de futura vita, quæ credentibus eſt promiſſa. Prætereo miracula diluuij, confuſionis linguarum, Partus aniculæ Saræ, Ardentis rubi in Ægypto, virgæ in colubrum verſæ, decem mirabilium per Moſen editorum ante exitum de Ægypto, exſiccati maris rubri & Iordanis, euerſionis Iericho, legis datæ in monte Sinai, ieiunij Moſis, colloquij Moſis cum Deo, Miraculoſę pœnæ Coræ Datan & Abiron, percuſſorum à ſerpentibus, ſanatorum ex intuitu ſuſpenſi ſerpentis ænei, Aquæ manantis de petra, populi diuinitus ſuſtentati per Manna cibum cœleſtem in deſerto quadraginta annis, vbi nec veſtes, nec calcei detriti ſunt. Prætereo, quæ ſub Ioſua, ſub iudicibus, ſub regibus, & ducibus contigêre diuina miracula vſque ad aduentum Domini.

Alia miracula ſub vetere Teſtamento.

Noui Teſtamenti miracula. Noui Teſtamenti miracula non ſunt minus ſtupenda. Primùm occurrit ſterilis aniculæ Elizabetæ partus. Deinde virginis Mariæ: vterque ab Angelo annunciatus, non ſine perpetuæ doctrinæ eccleſiæ commendatione & confirmatione. Sequuntur & Angelorum conciones, Magorum ſtella, facta Chriſti diuina, eáque plurima, vt ſanationes ægrotorum, ſuſcitationes mortuorum, apparitiones in monte, reſurrectio Domini, viſibilis Spiritus ſancti donatio, quinquageſimo die poſt reſurrectionem Domini, & multa per Apoſtolos, eorúmque ſucceſſores in nomine Chriſti ædita miracula.

Vſus. Hæc omnia cum veteris, tum noui Teſtamenti miracula ſunt teſtimonia veritatis Dei. Ita enim ait Moſes, Exod. 13.16. Erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monumentum in oculis tuis, vt lex Domini ſemper ſit in ore tuo. Numer. 14.11. vſquequo non credent mihi in cunctis ſignis quæ feci in medio eorum. Ioan. 10.38. Si mihi non creditis, credite operibus meis. Vidua 1. Reg. 17.24. excitato filio ſuo dixit: Nunc ſcio quod vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt.

3. Prophetiarũ completio. Tertia pars externi teſtimonij eſt certiſsima Prophetiarum completio. vnde in Apocalypſi cap. 19.10. ſcribitur, Teſtimonium Ieſu, eſt ſpiritus prophetiæ. Et Ierem. 28.9. Propheta, qui vaticinatus eſt de pace, cùm euenerit verbum Prophetæ, cognoſcetur Propheta, quod miſerit eum Dominus in veritate. Iacob de regno Iuda, & aduentu Chriſti vaticinatur, & euentus prophetiæ reſpondit. Balaam de Chriſto ſub imagine ſtellæ prędixit, cuius vaticinij veritatem euentus comprobauit, vt teſtatur Magorum hiſtoria apud Mattheum. Eſaias prædixit Virgineum partum, quem completum teſtatur Euangelica hiſtoria. Danielis de quatuor Monarchijs prędictio completa eſt. Hic Propheta annum paſsionis Chriſti, & inchoandi æterni regni quaſi digito monſtrauit. Dauid, Eſaias, Oſeas, & multi alij Prophetæ de vocatione gentium prędixerunt. Hic cum euentus, qui à nulla creatura proſpici poterant, vaticinijs propheticis reſpondeant, manifeſtum eſt à Deo monſtratos eſſe, & vocem Prophetarum, quæ in eccleſijs noſtris hodie ſonat, diuinam eſſe. Hac igitur congruentia prædictionum & euentuum confirmati, firmiſsimè ſtatuamus, doctrinam Eccleſiæ à Deo traditam eſſę. Auguſtinus ait, *Firmitas fidei in eo eſt, quia omnia quæ euenerunt in Chriſto, prædicta ſunt.*

Quarta pars externi teſtimonij, eſt conſenſus Moſis, Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, ac catholicæ totius Eccleſiæ in doctrina & cultu. Nam hi omnes vnanimi conſenſu eandem Legis & Euangelij doctrinam, eandémque colendi Deum rationem tenuerunt. Neque hunc conſenſum diuerſitas ceremoniarum turbat, quæ pro temporis ratione mutatæ ſunt, neque ſubinde ſubortæ hæreſes. Nam qui verè pij fuerunt, manſerunt ſemper in fundamento. 4 Conſenſus piorũ in doctrina & cultu.

Quinta pars externi teſtimonij, eſt duratio & conſeruatio Eccleſiæ, quæ promiſsioni ac prædictioni Chriſti reſpondet. Nam ſi hęc ab hominibus fuiſſet, vel à Diabolo, nequaquam tot annis perduraſſet, aduerſus tot tyrannorum inſultus, contra tot hæreticorum ſectas, & in tantis Sophiſtarum inſidijs, quibus mundus & Diabolus ſe oppoſuerunt Eccleſię & doctrinę cœleſti. Huc dictum ſenis Gamalielis, Act. 5. 38. pertinet: Si ex hominibus eſt opus hoc, diſſoluetur, &c. 5 Duratio & conſeruatio Eccleſiæ.

Sexta pars externi teſtimonij eſt cruenta confeſsio tot Martyrum inde vſque ab Abel ad Chriſtum Dominum, & ab hoc in hunc vſque diem. Nequaquam enim tam atrocia ſupplicia ſubijſſent, pro incerta & erronea doctrina. Neque hoc teſtimonij genus ex eo infringitur, quod Enthuſiaſmis neſcio quibus multi impulſi non dubitarunt pro erroribus ſuis confirmandis mortem oppetere. Nam defuerunt illis ſuperiora teſtimonia, quæ veluti regula ſunt ad quã probãda ſunt martyria: hactenus de externis teſtimonijs. 6. Confeſſio Martyrum.

Interna certificatio non eſt expoſita oculis hominum, ſed cordibus hominum impreſſa, certificat homines de firmitate doctrinæ Eccleſiæ, multò efficacius quàm omnia ſuperiora. Hæc certificatio eſt arrabo ſeu pignus Spiritus ſancti, quo obſignantur corda fidelium de veritate Euãgelij. Huc illud Ioannis, 1. Ioan. 5.8. pertinet: Tres ſunt qui teſtificantur in terra: ſpiritus, aqua, & ſanguis. Et hi tres vnum ſunt. Spiritus eſt credentium perſuaſio, qua conuincuntur in ſuis cordibus de veritate Euangelij Chriſti & certitudine. Aqua eſt ipſa regeneratio & ſanctificatio, qua ſentitur præſentia ſpiritus Chriſti. Sanguis eſt iuſtitia, id eſt, expiatio peccati per ſanguinem Chriſti, & iuſtitiæ Chriſti imputatio. Hinc naſcitur ineffabile gaudium in cordibus piorum, & guſtus quidam æternę vitę ſentitur, quem pręferunt pij omnibus mundi delicijs & diuitijs. II. De Interno teſtimonio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Vſus externi & interni teſtimonij.

Hoc duplici teſtimoniorum genere confirmati ſancti, laudant Deum, & prædicant ipſius miſericordiam & veritatem, quæ tam multis diuinis teſtimonijs ipſis confirmata eſt, vt amplius vacillare non poſsint, & ſimul precantur Deum, vt opus quod operatus eſt in ipſis confirmet, vtque abundent indies magis magíſque in omni cognitione & ſenſu. Hoc iacto fundamento veritatis doctrinę Propheticæ & Apoſtolicę ἀπόδειξιν certitudinis de Ieſu Chriſto, qui eſt verus & vnicus Meſsias olim promiſſus, & natus Bethlehem ex caſtiſsima Virgine, ante annum 1571. imperante Auguſto, concludamus.

ΑΠΟΔΕΙΞΙΣ.

Demonſtrationis propoſitio.

Is ſolus abſque omni dubio eſt verus & vnicus Meſsias & Saluator mundi, in quem ſolum congruit quicquid prædictum eſt de Meſsia à Moſe & omnibus alijs Prophetis Dei.

Aſſumtio.

In ſolum Ieſum Mariæ virginis filium natũ Bethlehem in Iuda ante annum 1571. congruit quicquid prædictum eſt de Meſsia à Moſe, & omnibus alijs Prophetis Dei.

Conſequens.

Igitur ſolus Ieſus Mariæ virginis filius natus Bethlehem in Iudæa ante annum 1571. eſt ſolus abſque omni dubio verus & vnicus Meſsias & Saluator mundi.

Propoſitionem recipiunt omnes qui Deum & ſcripturam non negant. Nititur enim immoto fundamento quod iecimus.

Aſſumptio eſt κρινόμενον, de ea enim controuertitur inter Iudęos & Chriſtianos. Illi enim Aſſumtionem impudenter contra conſcientiam propriam negant: hi, modò verè ſunt quod audiunt, firmiſsimum eſſe norunt, ea demonſtratione nitentes, quę ſequitur.

ΚΡΙΣΙΣ.

Aſſumptionis probatio Analytica.

Demonſtratio quam poſuimus, vt ab vna parte fulcitur certitudine verbi Dei, quod in Moſe, Pſalmis & Prophetis traditum eſt: ex qua certitudine ipſa demonſtrationis propoſitio pendet: ita ab altera parte firmiſsimo cõſenſu Moſis, Pſalmorum & Prophetiarum de Chriſto cum eiuſdem hiſtoria roboratur, adeò vt ne diaboli quidem poſsint hunc conſenſum negare, quo conſenſu, demõſtrationis quam poſuimus, aſſumtio nititur. Quoniam ergo Moſes, Pſalmi, Prophetæ, atque adeò vniuerſa ſcriptura, vnum & eundem ſcopum, nempe Chriſtum habent, de quo non vno modo, ſed varijs tractant: & firmitas fidei noſtræ, vt iam diximus, ex eo depẽdet, quod omnia in Ieſum, quem Chriſtum agnoſcimus & confitemur, quadrant, quæ ſcripturæ de Chriſto prædixerunt: operæpretium me facturum puto, ſi monſtrauero methodum ſaltem informandæ tabulæ, in quam omnia, quæ de Chriſto paſsim in ſcripturis occurrunt, cum in veteri Teſtamento, tum in nouo, (quod nihil aliud quàm veteris complementum eſt) referri poterunt: ex quorum conſenſu concluditur doctrinæ Eccleſiæ firmitas. ita enim Auguſtinus dicit: Firmitas fidei in eo eſt, quia omnia quæ euenerunt in Chriſto, prædicta ſunt.

Analyſis duo capita.

Vt autem hunc conſenſum videlicet prædictionum de Chriſto & euentuum habeamus in conſpectu, primum omnium duo ſumma capita conſtituamus: ſub quibus omnia quæ de Chriſto in ſcripturis referuntur, ſubijciantur: Deinde hæc capita quaſi

Capitum diſtributio.

ἀναλογία quadam in ſuas partiamur partes maiores, minores, atque minimas, vt ita tanquam intra certos limites contineamur, cogitãtes de Chriſto: extra quos limites nihil de Chriſtõ quærendum ſit reliquum. Hæc cùm videmus habere Moſis, Prophetarum omnium ſummum conſenſum, atque omnia congruere cum hiſtoria Chriſti, mirabilem lucem in mentibus noſtris accendent, fidẽ confirmabũt, ſpem augebũt, atq; adeò nos, aduerſus omnes hoſtes Chriſti diabolos & homines, Iudæos incredulos, Mahometiſtas, atque adeò aduerſus omnes prophanas gentes armabunt, vt intrepidè & conſtanter hunc vnum Ieſum Mariæ virginis filium agnoſcamus Chriſtum Saluatorem & redemtorem à Patre nobis donatum, & certo tempore ſecundum ſcripturas exhibitum. Quando enim, vt ait Paulus, venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum natum de muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret. *Vſus.*

Summa duorum capitum. Signa.

Capita illa duo ſub quibus diximus omnia contineri, quæ ſcripturæ habent de Chriſto, ſunt *Signa & Verba*. Per ſigna repræſentat Dominus externis ſenſibus, quæ verbis ad animum tranſmittit, vt ita noſtræ infirmitati conſulat, quo plenius erudiamur, & perfectius cognoſcamus, quæ & ſenſibus & mente apprehendimus. Signa docent, vt rerum ſymbola: verba, vt ſymbolorum interpretes. Nam ſi ſignis tantum nobiſcum egiſſet Dominus, obſcurior fuiſſet cognitio. Si verbis ſolummodo, obliuionis periculum fuiſſet. Quare coniunxit & ſigna & verba, vt mutuis auxilijs noſtram infirmitatem ſubleuarent, & memoriam iuuarent. Pythagorici qui ſymbolis ſolummodo contenti erant, à paucis ſunt intellecti. Alij qui verbis ſolummodo egerunt, in obliuionem venerunt: ideò Deus in ſcripturis, & ſymbola & verba coniunxit, vt mutuis ſtent auxilijs, veritáſque manifeſtior in vtriſque eluceat. *Verba. Cur coniuncta.*

DE PRIMO CAPITE.

Signorum quatuor genera.

PRimum caput ſignorum facio, quibus ſenſus inſtruuntur, vt ipſi viciſsim quod perceperunt, ad mentem transferant. Subijcio autem huic capiti quatuor, videlicet:

I. Sacrificia.
II. Sacramenta.
III. Typos.
IIII. Miracula.

De hiſce quatuor breuiſsimè dicemus, & oſtendemus, quomodo hæc nobis Chriſtum exhibeant, & commonſtrent, & tanquam inuolucris quibuſdam tectum: quem poſtea verba clarius exhibebunt.

I. DE SACRIFICIIS.

De diuinis Sacrificiis & myſteriis mundi iudicium.

Porphyrius, Iulianus, & alij ſapientes mundi, intuentes ſacrificia & victimas Iudæorũm, & non intelligentes myſterium, quod ſub illis latebat, iudicarunt crudelem lanienam eſſe, Deo optimo minimè gratam. Quomodo enim, inquiũt, fieri poteſt, vt clementiſsimus crudelitate delectetur & colatur? Ob hãc cauſam & Moſen, & Prophetas, atque adeò vniuerſam religionem deriſerunt vt ſtultam, quam ſana ratio improbet atque execretur. Verùm ſi penitius myſteria ex verbo Dei rimati fuiſſent, ſummam ſapientiam Dei, in iſtis externis elementis, deprehendiſſent, & cortice detracto, nucleum Chriſtum inueniſſent in propriam ſalutem, ſine quo vana ſunt ſacrificia. Neq; brutorum animalium mactatio & cõbuſtio, dicenda eſt crudelis laniena, cùm hominibus in ſalutem & commodum ſeruit. Sunt enim bruta propter homines, vt res omnes huius mundi. Nos ergo,

ergo,vt Chriſtum ſub his ſacrificijs tectum inueniamus,Duo conſiderabimus in ſacrificijs,nempe Analogiam & vſum.

Analogia ſacrificiorum.

Analogia ſeu ſymbolica ſignificatio ſacrificiorum veteris Teſtamenti duplex in genere fuit. *Prior* (quæ ad conditionem omnium hominum pertinet)

1. Mactatio animalis.

Mactatio & occiſio bruti animalis,ſignificabat naturam humanam, & iumentis brutis per peccatum ſimilem factam eſſe: iuxta Pſalm.49.21. Homo cùm in honore eſſet,non intellixit comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. & morti propter peccatum deſtinatum fuiſſe,& inde non potuiſſe liberari, niſi per victimam aliquam expiatoriam, quæ iuſtitiæ diuinæ ſatisficeret, atque ita Deus placaretur. *Poſterior* (Chriſti beneficium ſpectans)

2. Oblatio.

Oblatio animalis in ara,ſignificabat & Chriſtum veram hoſtiam leuandum eſſe in aram crucis,& moriturum pro peccatis noſtris, cuius morte placaretur Pater tanquam precioſiſsimo λύτρῳ pro peccatis ſoluto.

Specialis Analogia. 1. Ignis.

Ignis adumbrabat,& puritatem ſacrificij Chriſti,& æternum Spiritum Chriſti, per quem ſe obtulit,& efficaciam Chriſti,qua corpora noſtra,abſorpta morte,in victoriam,induent incorruptionem & cœleſtem puritatem.

2. Flammæ ſubleuatio.

Flammę ſubleuatio ſurſum,victoriam Chriſti ſuper morte & diabolo, & eiuſdem in cœlum aſcenſum, figurabat, cum perpetua efficacia.

3. Hoſtiæ motus.

Quod hoſtia mouebatur ad quatuor mūdi cardines, ſignificabat, quod Chriſti victima, pro toto mundo eſſet futura ſufficiens, iuxta Ioannis interpretationem, qui ait: Agnus Dei tollit peccatum mundi. Ioan.1.29.

Cur multiplicia ſacrificia, inſtituta ſunt.

Sed hic quæritur,cùm ſignificabatur vnum Chriſti ſacrificium,cur non vnum tantum ſacrificij genus erat diuinitus inſtitutum? Ad hanc quæſtionem in hanc ſententiam reſpondet Auguſtinus.*Sicut res vna eadémque varijs & diuerſis verbis inculcatur, vt magis commendetur,& audiatur ſine faſtidio: ita vnum Chriſti ſacrificium multis commendatum erat in veteri Teſtamento, vt ſine faſtidio, & intelligentes magis magiſque venturi Chriſti admonerentur, & rudes in tanto ſacrificiorum numero vnum ſaltem inuenirent, quo, quod futurum promitteretur, intelligerent.*

Vſus.

Vſus ſacrifitiorum veterum, in hominibus qui offerebant, hic erat legitimus & verus. *Primùm*, offerentes,& intuentes cruorem ſuorum ſacrificiorum admonebantur, cùm ſuorum peccatorum, tum reatus coram Deo: iuxta dictum Apoſtoli ad Hebræos 10.23. In ipſis, ſcilicet ſacrificijs, commemoratio peccatorum ſingulis annis fiebat. Per ſanguinem enim reatus ſui, per mortem victimarum,pœnæ admonebantur. *Deinde*,animam leuabant ad cogitandam promiſsionem victimæ Chriſti olim futuræ, quæ non figura,ſed veritate eſſet expiatoria & ſatisfactoria pro omnibus peccatis, vt poſtea non eſſet locus alij hoſtiæ, ſed illa vna ſanctificarentur omnes in perpetuum. *Tum* ex huius futuræ victimæ cogitatione accendebatur fides in mediatorem, offerentem ſe pro peccatis mundi, qua fide iuſtificati ſunt legitimè ſacrificantes. *Poſtremò* cum hac fide coniuncta erat nouitas vitæ,gratiarum actio,& aliæ virtutes,vt in Abele,Abrahamo,& alijs ſanctis. Verùm hypocritæ, legitimo vſu omiſſo, hærebant in externo opere: in quo cultum Dei collocabant, & ſe Deo probari propter opus ſuum ſomniabant. Hi ergo, quia hærebant in externo cortice, inſtar locuſtarum, nucleum Chriſtum non inueniebant,quem imprimis quæſiuiſſe oportuit. Atque ita clarè videmus ſacrificia vetera pædagogica fuiſſe ad Chriſtum. Plura de ſacrificijs veterum Lege in enarratione Pſal.84.

II. DE SACRAMENTIS.

Diſcrimē inter Sacrificia & Sacramēta.

Etſi ſacrificia vetera, quandam etiam ſacramentorum rationem habuere, quatenus videlicet teſtimonia externa fuerunt promiſsionum diuinarum, quas fide ſibi applicabant legitimè ſacrificantes: tamen diſtinguendum eſt inter ea, quæ re ipſa & ſecundum principalem finem, ſacrificia erant, & ea, quæ ſacramenta proprio nomine dicuntur.

1. Finis.

Diſcrimen ergo præcipuum principalis finis faciebat.

2. Ignis.

Deinde etiam in pleriſque ignis. Nam quæ igni cremabantur, ſacrificia proprio nomine dicebantur, vt quæ vnum ſacrificium Chriſti adumbrarent.

Sacramēta vetera, quæ.

Quæ verò vel comedebantur, vt agnus paſcha: vel carni imprimebantur, vt circuncifio: vel corpori applicabantur,vt vnctiones & lotiones:vel ſuper populum, aram, & librum aſpergebantur, vt ſanguis vitulæ: vel ſpectabantur, vt panes propoſitionis: Breuiter, quæ in externo vſu verſabantur, ſacramenta fuere propriè dicta. Quæ ſacramentā cum precibus & gratiarum actione legitimè vſurpata, ratione quadam ſacrificia dicebantur. Omitto donaria quæ δίδακτρα fuere.

Quatuor generatim hîc ſpectanda.

In ſacramentis ſpectanda ſunt generatim quatuor, ſpeciatim duo. Quatuor illa in omni ſacramento ſpectanda ſunt. 1. mandatum Dei. 2. Res externa. 3. promiſsio annexa. 4. fides vtentium rebus externis ex mandato Dei. Horum tria,videlicet mandatum, res externa, promiſsio ad ſubſtantiam ſacramentorum pertinent. Quorum trium ſi vna defuerit, ſacramenti ratio non eſt plena. Quartum, videlicet fides,niſi aſsit in vtentibus, planè otioſa ceremonia, & litera occidens fit ſacramentum, ídque non conſilio inſtituentis; ſed peruerſitate vtentis tanta re indignè. Mandatum obligat, res externa figurat,promiſsio offert, fides accipit. Primum debitores facit,poſtremum poſſeſſores earum rerum quę promittuntur, & teguntur illis externis tegumentis.

Chriſtus res ſignata ſacramentorū vtriuſque fœderis.

Etſi autem ſacramenta illa vetera ſunt diuerſa propter vberiorem populi Dei inſtructionem,quantum quidem ad externa ſigna attinet: tamen res eadem eſt quæ omnibus offerebatur, nempe Chriſtus, etſi non eodem modo.

Speciatim ſpectetur Analogia.

Speciatim in ſacramētis ſpectanda ſunt ἀναλογία & vſus. Primùm;oportet analogiam conſiderare, hoc eſt, ſymbolicam ſignificationem,quam niſi haberent ſacramenta,non eſſent,teſte Auguſtino, ſacramenta. In agno paſcha analogia agni ad rem promiſſam hæc fuit. Agnus abſque macula, Chriſti puri, & ſine peccato adumbratio fuit. Separatio agni è grege reliquo,Chriſtum ſeparatum à peccatoribus figurabat.

Vſus.

Occiſio & aſſatio agni, mortis Chriſti fuere indicia. Comeſtio agni,coniunctionis ſpiritualis Chriſti,& eorum,qui fide hunc agnum comederunt teſtificatio fuit. Hanc veram analogiam fuiſſe agni paſchæ, docet Chriſtus Ioan.6. & nouo ſacramento cœnæ dominicæ confirmat. Hinc facile eſt de vſu huius ſacramenti iudicare, qui fuit, fide intueri Chriſtum in agno paſchæ, & eius participem fieri non minus,imò multò magis,quam efficimur participes panis quem comedimus, quique in noſtram ſubſtantiam conuertitur, vt verè ſit noſter.

Circumciſionis Analogia.

Circumciſionis analogia triplex fuit. *Prima*,quod vetus noſtra natiuitas, quam ab Adamo habemus, corrupta,rea, & deſtinata morti ſit, propter peccatum naturæ, quod vocant originale. *Secunda*, quod ſemen aliquod eſſet venturum, quod naturam denuo inſtauraret humanam, hoc eſt, cuius virtute vetus natura in regeneratione reſecanda eſſet per efficaciam mortis Chriſti. *Tertia*, quod noua natiuitas

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſuccederet veteris hominis abolitioni, quę noua natiuitas à Paulo veteris ſacramenti interprete, ſpiritualis circumciſio dicitur. (vt appareat veritas vmbræ reſpondens) & cordis, (vt intelligatur principium nouæ huius natiuitatis) & ſpiritus (vt qua virtute fiat cognoſcatur.) Vnde Dominus: Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.

Vſus.

Vſus verus & legitimus externę & carnalis circunciſionis, ex analogia facilè colligitur. Cogitabat Abraham cùm circumcideretur, de natura corrupta, vnde in agnitionem peccati ſui deductus eſt.

Exemplū.

Cogitabat de ſemine promiſſo, cuius fide iuſtificatus, & ſpiritu regeneratus, circumciſionem tanquam σφραγῖδα iuſtitiæ fidei aſpiciebat. Cogitabat de noua noui hominis obedientia, ex quo factum eſt, quod obedientiam erga Deum vitæ filij vnigeniti antepoſuerit: quo ſuo facto nos docet, qua in re poſita ſit Chriſtiana perfectio. Atque ita Chriſtum in circumciſione oculis fidei vidit Abrahā, vt ipſe Dominus de eo teſtatur Ioan. 8.56. Abraham vidit diem meum & gauiſus eſt.

Teſtimonia aduerſus hypocritas.

Verùm hypocritæ vt in externis ſacrificijs hærebant: ita etiam in carnis circumciſione, non leuātem mentes ad Chriſtum, qui in circunciſione erat promiſſus. De his Paulus ad Rom. 2. 28.29. ita ſcribit: non ea quæ ſolum in propatulo ſit circumciſio carnis, circumciſio eſt: Sed circumciſio cordis in ſpiritu non litera, cuius laus non eſt ex hominibus, ſed ex Deo. Vnde Paulus Philip. 3.3. nos circumciſio ſumus qui Deum colimus ſpiritu, & non in carne confidimus. Significans carnalem circumciſionem ſymbolum fuiſſe ſpiritualis, quæ eſt, iuxta Paulum, amputatio fiduciæ carnis, & gloriatio in ſolo Chriſto, cuius ſpiritu renaſcimur, & per quem Deo ſpiritualem cultū reddimus.

Analogia Lotionū.

Lotiones externæ, internas & ſpirituales purgationes figurabant, videlicet, ablutionem per ſanguinem Chriſti, regeneratione͂ & ſanctificationem per Spiritum ſanctum. De veritate huic vmbræ reſpondente ita Ioel prædixit cap. 2.28. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. & Dauid Pſalm. 51.9. cùm ait: Aſperges me Domine hyſſopo & ſuper niuem dealbabor.

Aſperſionis ſanguinis.

Sacramentum aſperſionis ſanguinis vitulę, etiam teſtamentum ſeu pactum dicebatur, ídque duplici reſpectu. Primùm enim fœdus erat, quo Deus teſtabatur ſe iſtum populum, & Rempu. Moſis conſeruare velle, modo ipſius Legi, & mādatis obedirent, atque ita vetus teſtamentum dictum eſt: deinde fœdus dicebatur, propter ſignificationem ſpiritualis fœderis. Sicuti Dominus ipſe interpretatur Matth. 26. Hoc eſt ſanguis meus, qui eſt noui Teſtamenti, qui pro multis effunditur, in remiſsionem peccatorum. Ad hanc analogiam reſpexit Petrus, in primo prioris Epiſtolæ, vbi meminit aſperſionis ſanguinis Ieſu Chriſti. Vſus ex analogia quæ fidem requirebat, intelligitur.

Vnctionū

Vnctiones, primùm Chriſtum vngendum in regem, ſacerdotem & Prophetam figurabant. Deinde efficaciam Spiritus ſancti in ſanctis ſignificabant, Spiritus, inquam, docentis, conſolantis & ſanctificantis. Atque ita videmus quomodo Deus veteri populo viſibilibus ſymbolis ſe patefecerit, vt per gradus ad ſe fideles eueheret, & terrenis rudimentis ad ſpiritualem notitiam perduceret, infirmitatis & tarditatis noſtræ habita ratione, vnde eius ſumma φιλανθρωπία intelligitur.

III. DE TYPIS.

Horū ſignificatio

Etſi typi vocabulum interdum latius patet, vt ſępe ſpecierum vocabula ad genera transferuntur: tamen hîc propriè typos nomino figuras, quæ nec ſacramēta ſunt, nec ſacrificia principaliter: etſi his non rarò typi vocabulum à ſacris ſcriptoribus accommodatur.

Diſtinctio à miraculis.

Deinde typi quoque diſtinguuntur à miraculis genere, eo quòd multi ſunt typi qui non ſunt miracula etſi miracula plæraque ſunt typi.

Deſcriptio.

Sint ergo typi hoc loco figuræ Chriſti, quæ nec ſacrificia, nec ſacramenta, nec miracula ſunt propriè, ſed notæ quædam externæ ſpiritualis regni Chriſti.

Enumeratio.

Hac ratione videmus commodam & plenam ſtatui poſſe ſignorum enumerationem, quibus Chriſtus, cum ſuo regno in ſcripturis adumbratus eſt & ſignatus.

Differentia triplex.

Sit autem typorum differentia triplex, vt alij ſint *perpetui*, alij *hiſtorici*, ſed tranſeuntes: Alij *ordinati*, qui ad certum tempus ex ordinatione Dei durabant, videlicet vſque ad exhibitum Meſsiam. De his ordine dicemus.

I.

DE TYPIS PERPETVIS.

Omnia propter gloriam Dei & Chriſti.

Ante omnia, hæc teneatur regula. Quod quicquid Deus vnquam fecerit, faciat, & facturus ſit, vnum finem propoſitum habeat, videlicet gloriam Dei. Hęc autem gloria in ſolo Chriſto verè & efficaciter fundatur, cernitur & illuſtratur. Hac regula conſtituta omnium primum typum Chriſti, qui eſt gloria Patris, in magno illo opere, ac primò contemplemur.

Mundus primus Chriſti typus.

Condidit Deus hanc admirandam ſtructuram per Filium, & hanc ſuſtentat per eundem, vt perpetuum ſit Theatrum gloriæ ſuæ, iuxta Pſalmi dictum: Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Totus ergo hic mundus eſt typus regni Chriſti, in quo

Sol.

ſol hic aſpectabilis, Chriſtum ſolem iuſtitiæ repræſentat, tanquam in ſpeculo quodam. Vt enim ſol hic viſibilis permeat cœlum, & ſuos radios mittit in omnes terræ partes, atque res varias è gremio terræ producit, naſcentes fouet & viuificat: ita Chriſtus ſol iuſtitiæ, vt hunc typum Malachias cap. 4.2. interpretatur, ſuos radios mittit in orbem vniuerſum, quibus Eccleſiam ſuam viuificat, vegetat, fouet, vt & ipſa ipſius virtute tempore oportuno fructus proferat. Luna & ſtellæ Apoſtolos ipſos, & alios doctores Eccleſiæ, eorúmque pios diſcipulos quoſque ſuo ordine & gradu notant.

Hunc typum intuens Apoſtolus Paulus, non dubitauit ex Pſalmo adducto teſtimonium depromere. quo confirmat Euangelium, latè per orbem ſparſum eſſe. ita enim ait ad Rom. 10.18. An non audiuerunt? vtique in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terrarum verba eorum.

Sabbathum.

Curſum huius ſeculi ſcriptura ſex diebus creationis rerum confert, vt ſeptimus dies, ſit figura glorioſi regni Chriſti, in quo omnis labor & dolor electorum finem habebit. Taceo quietem creatoris in die Sabbathi fuiſſe typum quietis redemtoris in ſepulchro. Paulus, 2. Corinth. 4.6. docet, tenebras, quæ ante lucis formationem extitere, fuiſſe typum tenebrarum, id eſt, ignorantiæ, quæ erat ſecutura in hominibus poſt lapſum primorum parentum.

Lux.

Et lucem poſtea formatam fuiſſe typum ſpiritualis lucis, id eſt, cognitionis Chriſti, quæ futura erat per Euangelij prædicationem. Ita enim ait Quoniam Deus qui dixit, id eſt, dicendo effecit, è tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem cognitionis glorię Dei in facie Ieſu Chriſti. Hinc eſt quod B. Macharius ſcribat omnia creata & corporata habere quandam ad res ſpirituales comparationem. Ex quo apparet, quod quemadmodum exemplar, quod vidit Moſes in monte, ad quod iuſſus eſt omnia facere, typus regni Chriſti fuerit: ita etiam hic vaſtus orbis, theatrum ſit vniuerſale, in quo, veluti in pædagogio,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dagogio, erudire voluit Deus hominem, quem in hoc theatro principem collocauit, vt hinc perduceretur, veluti per gradus in admirationem ſpiritualis regni Chriſti. Taceo quod Deus ſingulis rebus veſtigium quoddam ſuæ eſſentiæ & diſtinctionis perſonarum impreſſerit. *Homo.* Verùm hoc inter alia admirandum eſt, quod talem condiderit hominem Deus, qui eſſet aptus natus ad quærenda, amãda, & tuenda, quæ ſunt optima: vt ita, vel naturę ductu, perduceretur homo ad finem bonorũ, hoc eſt, ipſum Deum optimũ maximum. In anima hominis tres facultates condidit Deus, tãquam gradus ad ſummum bonum, videlicet, ἡγεμονικὸν, quod & λογιστικὸν dicitur, quo & inquirere debeat homo, quod optimũ eſt, & ad idem duci. ἐπιθυμητικὸν, quo cognitum appeteret, amaret, & amore ei iungeretur. Et θυμοειδὲς, quo inuentum bonum & amatum tueretur, & contrarijs ſeſe opponeret. An non hęc manifeſta ſunt opera Dei, quibus ipſe teſtatur ſe nos creaſſe, non ad interitum ſempiternum, ſed ad gloriam æternam, modo in bono, id eſt, Deo monſtrato acquieuerimus? Breuiter Paulus teſtatur τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ propoſitum eſſe in hac mundi fabrica. Et hæc breuiter ſint dicta de perpetuo typo regni Chriſti. De quo particulatim licet videre in Homelijs beati Macharij, qui plurima in natura transfert ad Chriſti regnum ſpirituale.

2. DE TYPIS HISTORICIS. *Horũ diſtinctio.*

Typos hiſtoricos nomino, non ſtatos & fixos, ſed tranſeuntes, quibus alij atq; alij ſucceſſere: cuiuſmodi typi ſubinde ſe offerebant in heroicis viris, qui typum Chriſti gerebant. Ex his paucos annotabo, vt ſtudioſi alios, qui fortè occurrẽt, in hanc tabellæ partem reponant. *Adã primus typus hiſtoricus Chriſti.* Hic Adam à quo nos homines propagati ſumus, primum locum ſuo iure occupat. 1. Quẽadmodum ergo Adam, primus homo ad imaginem Dei conditus, quod ad humanã hanc naturam & vitam attinet, ſic erat ſolus, vt nemo reperiretur ex creaturis omnibus, cuius acceſsione, genus humanũ multiplicari poſſet: ſic & Chriſtus, vera illa & eſſentialis imago Dei, quod ad cœleſtem vitam & fœlicitatem attinet æternam, ſolus erat: nec quiſquam ex toto humano genere, imò nec ex angelorum quidem ordinibus erat, cuius conſortio pari & conformi filiorum Dei multitudo procrearetur. 2. Quare ſicut Deus Adamum noluit permanere ſolum, quem humani generis caput conſtituerat: ita nec Filium ſuum Chriſtum ſolum eſſe voluit, quem ab ęterno electis caput & principem deſtinauerat. 3. Vt Adam ſponſam ſuam Euam, vinculo pacti firmiſsimo, ac amore caſtiſsimo, ſibi copulauit, vt ambo vna haberentur caro, non quidem ſubſtantia, quod manifeſtum eſt, ſed vinculo pacti & affectu amoris conſtantiſsimo: ita Chriſtus ſpõſam Eccleſiam ſibi pacto ęterno, & vinculo amoris infrãgibili copulauit, adeò arctè, vt Eccleſia ipſa dicatur caro de carne eius, & os de oſsibus eius: in cuius rei teſtimonium firmiſsimum, Chriſtus vtrumque ſacramẽtum inſtituit, Baptiſmum & cœnam Domini. Hunc typum paulus intuens ad Ephe. 5.32. nominat copulam Adæ & Euæ, myſterium magnum copulæ Chriſti & Eccleſiæ. Nam ſicut Adam dormiens, Euam de latere ſuo formatam agnouit: ita Chriſtus à morte reſurgens, ex vulnere lateris ſui ædificauit Eccleſiã. 4. Prætereo quæ Paulus ad Rom. 5.14. cõmemorat de ſimilitudine Adami & Chriſti, videlicet, vt Adam vnus ſuo reatu totam poſteritatem coniecit in damnationem: ita Chriſtus ſolus autor iuſtificationis & vitę eſt. Non enim hîc tam typi quàm iuſtitiæ diuinę ratio cõſiderãda eſt. Gen. 14.18.

Inſignis & valdè memorabilis typus Chriſti proponitur, quem Dauid quidem vno ſignauit verbo Pſalm. 110.4. cùm Patrem alloquentem Filium, facit hiſce verbis: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. *Melchiſedech.* Epiſtola verò ad Hebræos fusè circunſtantias omnes explicat, & Chriſto antitypo clariſsimè accommodat. Summa omnium huc redit. 1. Vt Melchiſedech Rex fuit & Sacerdos, ita & Chriſtus in veritate Rex ſummus & Sacerdos ſummus fuit, qui ſolus placare Patrem ſuo ſacrificio potuit. 2. Vt Melchiſedech ἀπάτωρ & ἀμήτωρ, vtpotè cuius genealogia non texitur ſub iſto nomine in ſcripturis: ita Chriſtus, ſi eius diuinam naturam reſpicis, ἀμήτωρ eſt, qui ſecundum humanitatem eſt ἀπάτωρ. 3. Vt Melchiſedech rex Salem, id eſt pacis, dicebatur: ita Chriſtus veræ & nunquam interituræ pacis Rex eſt. Non enim terrenam: ſed cœleſtem pacem pijs & inter pios affert. 4. Vt Melchiſedech ex eo nomen habet ꝙ ſit Rex iuſtitiæ: ita Chriſtus autor eſt ſempiternæ iuſtitiæ, qua veluti nuptiali quadam ſtola, ſuam ſponſam dilectam Eccleſiam ornat. 5. Vt Melchiſedech regia liberalitate profert in occurſum Abrahami, redeuntis à pugna cum quinque regibus, panem & vinum, vt ipſe cum ſuo exercitu reficeretur: ita Chriſtus omnibus Abrahami filijs, in & poſt pugnam cum rege tenebrarum & tentationum, promit cœleſtem refocillationem, & fatigatos ſpirituali reficit alimento. 6. Vt Melchiſedech ſacerdos Dei altiſsimi Abrahamo benedixit: ita Chriſtus ſolus ille ſacerdos ſummus eſt, qui filijs Abrahæ, id eſt, omnibus credentibus benedicit, eóſque æternùm beatos reddit.

Abrahã. Abraham quoque in multis typus Chriſti fuit, ſed vnum ſolummodo in medium afferam. 1. Vt Abraham promtiſsima voluntate paratus erat ad immolandum filium: ita Deus Pater promtiſsima voluntate, tradidit Filium ſuum in mortem pro nobis. 2. Vt Abraham in vna familia Iſmaël & Iſaac habuit, quorum Iſmaël Iſaac perſequebatur: ita Deus in eadem familia Eccleſiæ, habet hoſtes & filios.

Iſaac. Iſaac ſimiliter proponitur in ſcripturis Chriſti typus, ídque multis modis, ex quibus paucos ſignabo. *Primùm*, vt Iſaac natus eſt à matre non ſerua, ſed libera: ita Chriſtus, non ex Hagar aut alia Ethnica fœmina, ſed ex Sara libera ſecundum carnem natus eſt. Carnem enim ex ſemine promiſsionis accepit. *Secundò*, vt Iſaac natus eſt per miraculum præter vires naturæ ex nonagenaria matre: ita Chriſtus præter naturæ curſum è Virgine miraculosè natus eſt. *Tertiò*, vt Iſaac poſt pręcedentes promiſsiones multis annis expectatus, tandem in ſenectute parentum natus eſt: ita Chriſtus diu antea promiſſus & expectatus, in ſenectute Iſraëlis ſecundum carnem natus eſt. *Quartò*, vt Iſaac vnicus fuit Sarę liberæ filius, paternorum bonorum hæres ſolus: ita Chriſtus vnigenitus tam patris ſecundum diuinitatem, quam matris ſecundum humanitatem, à Deo hæres eſt conſtitutus omnium bonorum. *Quintò*, vt Iſaac commendatur & prędicatur à ſeruo Abrahæ ad hoc miſſo, vt nuptias illi conciliaret: ita Chriſtus commendatur & prædicatur ab ipſis ſeruis Dei, in hoc miſsis, vt Dei filio Eccleſiã deſponſent. *Sextò*, vt Iſaac, patri volẽti ſe immolare fuit obediens: ita Chriſtus ſuo æterno Patri vſque ad mortem crucis obediens fuit. *Septimò*, vt Iſaac impoſitus rogo vt immolaretur mactandus, incolumis euaſit: ita Chriſtus impoſitus aræ crucis, etſi verè mortuus eſt: tamen tertio die reuixit, & mortem ita euaſit, vt non moriatur vltrà. *Octauo*, vt in Iſaac facta eſt Abrahamo ſeminis promiſsio: ita in Chriſto ſolo vis eſt generationis filiorum Dei. Breuiter, vt Iſmaël & Hagar Iudaicam gentem figurant:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ita Abraham, Iſaac, & Sara myſticè regnum Chriſti adumbrant.

Iacob. Iacob nepos Abrahæ, ac filius ipſius Iſaac, cum ſua familia multis variiſque modis Chriſtum ac ipſius Eccleſiam adumbrat. Quorum pancos ſignabo breuiſsimè. 1. Vt Iacob iter ingreditur ſolus, relictis parentibus domo & amicis: ita Chriſtus de cœlo deſcendit, & factus homo adeò pauper, vt non haberet quo caput ſuum reclinaret. 2. Vt Iacob ſatigatus ac præuentus tenebris, antequam ad amicos venit, ad quos iter inſtituerat in lapidem recumbit: ita fideles ſatigati varijs tentationibus & in hac vita peregrinantes, in Chriſtum viuum lapidem recumbunt, in quo quieſcentes à laboribus peregrinationis ſuæ ſuauiter recreantur. 3. Officium quoque mediatoris Chriſti pulcherrimè depingitur in Iacob & in eius viſione. Vidit ſcalam ſtantem ſuper terram, cuius cacumen cœlum attigit. Vidit angelos Dei aſcendentes & deſcendentes per ſcalam. Vidit Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi: Ego ſum Deus Abraham & Iſaac patris tui, benedicentur in te, & in ſemine tuo omnes tribus terrę. Hęc ſcala patriarchę viſa, Chriſtum figurat. Vt ſcala supernè iungitur cœlo, & inferne cõiungitur cum terra: ita Chriſtus vera diuinitate Patri cœleſti iungitur, & vera humanitate homini iungitur, cuius naturam aſſumſit. 4. Vt hæc ſcala media inter cœlum & terram, attingens vtrumque, coniungit locum infernum & ſupernum: ita Chriſtus ſolus mediator eſt qui coniungit Deum & homines. 5. Et vt terram cœlo, & cœlum terræ quodammodo coniungit ſcala: ita Chriſtus homines angelis & angelos hominibus conciliat. 6. Vt vnus Dominus ſcalæ innixus erat: ita vnus Dominus in cœlum conſcendit cum ſuis membris. Ita enim Dominus ipſe hanc partem viſionis videtur interpretari, cùm ait: Nemo aſcẽdit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis qui eſt in cœlo. 7. Vt angeli per ſcalam hanc aſcendunt & deſcendunt: ita miniſtri verbi adducunt in cœlum innitentes huic ſcalę, id eſt, credentes in Chriſtum, & qui facti ſunt vnum cum Chriſto: & claudunt cœlum ijs qui abſque ſcala hac, cœlum conſcendere moliuntur. 8. Quod autem Iacob ſcribitur veniſſe ad Iordanem, & tranſmiſsis facultatibus ſolus remanſiſſe, & luctatus eſſe cum viro, vſque dum veniret aurora, nõ caret myſterio. *Iacob*, inquit Auguſtinus, *in illa lucta, Iudæorum populum figurauit: angelus verò qui cum illo luctabatur, typum Saluatoris Domini præferebat. Luctatur Iacob cum angelo, quia populus Iudæorum luctaturus erat cum Chriſto. Vincebat Iacob angelum, quia Iudæorum populus Chriſtum vſque ad mortem perſecuturus erat. Verùm quia non totus Iudæorum populus infidelis extitit Chriſto, ſed multitudo non minima in nomen eius legitur credidiſſe: ideò angelus tetigit fœmur Iacob, & claudicare cœpit. Pes enim ille qui claudicabat, Iudæos qui in Chriſtum non eſſent credituri figurabat, alter verò pes qui ſanus remanſit, illorum Iudæorum typus erat, qui Chriſtum vera fide erant recepturi.* 9. Benedictio quam petit Iacob ab angelo, ſignificabat Chriſtum veris Iſraëlitis benedictionem & ſalutem allaturum, qui ſola fide retinetur, ne à nobis diſcedat, priuſquã nos cœleſtibus benedictionib. diuites & beatos reddiderit. 10. Quod vnus idémque Patriarcha ſit binominis, conditionem Chriſti & Eccleſiæ haud obſcurè figurat. Vt enim Iacob à fratre Eſau eſt tanquã præuaricator & tranſplãtator extremè contemptus: ita Chriſtus à fratribus ſuis Iudæis, & Eccleſia à tyrannis mundi contemnitur. Vt Iacob ab angelo appellatus eſt Iſraël, id eſt, victor apud Deum: ita Chriſtus victor eſt, & Eccleſia eius victrix mundi precioſa & clara habetur apud Deum, tametſi à mundo contemnitur.

Ioſeph quoque, vt alios eius fratres pręteream, typum Chriſti geſsit. 1. Ioſeph accuſat fratres ſuos propter impia illorũ flagitia. Chriſtus Iudæis fratribus ſuis ſuam impietatem exprobrat. 2. Ioſeph exponitur à fratribus & venditur. Chriſtus à ſuo populo reijcitur & venditur à Iuda. 3. Ioſephi tunica precioſa tingitur in hœdi ſanguine, & mittitur patri. Chriſti caſtiſsimum corpus proprio ſanguine tingitur, & fit Patri hoſtia, qua expiatur mũdi peccatum. 4. Ioſeph ſolicitatus ab impura fœmina, caſtitatẽ tuetur ſuam. Chriſtus tentatus à Sathana, victor euaſit. 5. Ioſeph innocens, in carcerem conijcitur. Chriſtus in mortis carcere incluſus, triduum tenetur. 6. Ioſeph egreditur glorioſè de carcere. Chriſtus egreditur liber de ſepulchro, per glorioſam reſurrectionem. 7. Ioſeph egreſſus à carcere, accipit à rege Ægypti totius Ægypti poteſtatem, vt ad os eius cibaretur omnis populus, eſſéntque ei omnia ſubiecta, tum in domo regia, tum in vniuerſa Ægypto, ſolo Pharaone excepto, qui ipſi ſubiecit omnia. Chriſtus victor mortis, accepit à Deo poteſtatem, vt ipſi omnia ſubiecta ſint, in cœlo & in terra. 8. Ioſeph annulo regio, veſte byſsina, torque aurea ornatus, curru regali vehitur, præcone clamante. Chriſtus poteſtatem & autoritatem à Patre accepit, quę poteſtas annuli ſymbolo ſignificabatur, accepit ſplendorem gloriæ ex ſuis diuinis miraculis, & ex voce Patris ad illum prolata: Hic eſt Filius meus dilectus. Hic ſanè ſplendor omni veſte byſsina & torquibus aureis multò clarior eſt. Currus quo Chriſtus circumuehitur, miniſterium Euangelij eſt. Præconium, eſt vox pręedicantium Euangelium, quo præconio omnes admonentur, vt Filium Dei adorantes, genua cordis flectant. 9. Ioſeph ſomniat Solem & Lunam & vndecim ſtellas, hoc eſt, patrem & matrem, & fratres vndecim ſe adorare. Chriſtus poſt reſurrectionem, à Ioſeph, Maria, & vndecim diſcipulis adoratur, quò reſpexiſſe videtur Pſalmus, teſte Auguſtino qui canit: Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes ſtellæ.

Ioſua. Iehoſua, antea dictus Oſee, vt eſt Nume. 13. 9. Sed Moſes intuens typum, nomen mutauit, vt qui antea diceretur Oſee, iam dicatur Iehoſua. Iehoſua autem iuxta ἐνυμον, idem quod Deus Saluator eſt. Hic varijs modis Chriſti typus fuit. Nomen ipſum innuit, quod Chriſtus ſui populi verus Saluator, futurus eſſet Deus & homo, vt mediator eſſe poſſet. Sed paucos modos huius typi referam. 1. Iehoſua ſuccedit Moſi mortuo, dux & rector populi Dei. Chriſtus ſuccedit legi Dei mortuę, vt fideles ſuo ſpiritu gubernet. 2. Iehoſua per Iordanem traduxit populum Iſraëliticum, quod Moſes præſtare non potuit. Chriſtus à morte traducit ſuos ad vitam, quod Lex præſtare nõ valebat. 3. Iehoſua eligit viros fortes & ſtrenuos, ad debellãdos reges impios. Chriſtus eligit Apoſtolos, & alios ſinceros Euangelij pręcones, ad debellãdos principes & poteſtates tenebrarum. 4. Iehoſua pugnat contra hoſtes Dei, eóſq; in fugam conuertit & vincit. Chriſtus cũ ſuis pugnat aduerſus peccata, eáq; abolet. 5. Iehoſua lapidibus de cœlo miſsis in hoſtes euaſit ſuperior. Chriſtus Dominus diuinis miraculis ſe victorẽ Sathanę declarat. 6. Iehoſua Iſraëlitas carnales in hæreditatem terrenã introduxit. Chriſtus Iſraëlitas ſpirituales hæreditate donat cœleſti. 7. Iehoſua carnalib. Iudæis diſtribuit terrã Canaan. Chriſtus ſpiritualibus Iſraëlitis cœleſtes manſiones partitur, vt ita demũ ſuperatis omnib. laboribus & difficultatibus requie fruantur æterna, & perpetuũ ſabbathiſmũ celebrent beati. In hunc modũ & epiſtola

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

epiſtola ad Hebræos præſentem typum interpretatur,& euangelica hiſtoria eundē pulchrè confirmat.

Gedeon. De Gedeone etſi multa refert Auguſtinus,nos tamen eius victoria & vellere contenti erimus. 1. Vt Gedeon deſtructa ara Baal, Oreb & Seb, principes Madianitarum, cum ipſis Madianitis trucidauit, atque ea victoria populum à turpiſsima ſeruitute liberauit: ita Chriſtus idolis ſubmotis diabolum & infernum ſuperat, ac ſuos in priſtinam libertatem vendicat. 2. Vellus Gedeonis magnum arcanum continet. Primùm, ros fuit in ſolo vellere ad petitionem Gedeonis,reliqua terra ſicca in circuitu: deinde vellere ſicco, ros fuit in tota terra. Quid hoc ſibi velit, præter confirmationem qua roboratus eſt aduerſus ſuos hoſtes Gedeon, aperit Chryſoſtomus, cùm ait: *Quod ros primum in ſolo vellere,reliqua terra ſicca fuerit, adumbrat populum Iudaicum ſolum fuiſſe cultorem Dei, reliquo mundo relicto in ſuis vanitatibus. Quod autem poſtea vellere ſicco, ros fuerit in tota terra, populum Iudaicum abiecturum eſſe cultum Dei, toto terrarum orbe per Euangelij prædicationem ad Chriſtum conuerſo adumbrat.* Vellus enim ſymbolum ſacrificiorum fuit, atque adeò cultus Dei. Ros autem efficaciam Spiritus ſancti notat,qui ad prædicationem Euangelij eſt efficax, in ijs qui conuertuntur. Vt enim ros agros diurno æſtu penè exhauſtos recreat, vt nouam vim obtineant ad fructificandum: ita Spiritus ſanctus agrum cordis arentem, humore quaſi dulciſsimo reficit, vt vim nouā accipiat ad fructum ſuauiſsimum Spiritus proferendum.

Samſon. Samſon in multis quoque typum Chriſti geſsit, ſed pauca referemus quæ magis ſunt illuſtria. 1. Samſon naſciturus,nūciatur ab Angelo,iubetur eſſe Nazareus Dei,id eſt, Deo ſanctificatus, à Deo benedicitur, Spiritu ſancto donatur. Chriſtus ſimiliter ab Angelo naſciturus nunciatur, Sanctus prædicatur ab Angelo, dicente: Quod ex te naſcetur, vocabitur filius Dei. A Deo benedicitur,& Spiritu ſancto donatur: non ad menſuram vt Samſon, ſed ſupra omnem mēſuram vt filius Dei. 2. Samſon à Sole nomen habet,vt qui ſub tenebris ſeruitutis, nōnihil Solis ſuis Iſraëlitis attulit. Chriſtus verus ſol iuſtitiæ, omnes tenebras diſcutit, & lucem affert æternam. 3. Samſon datur vt liberet populum ſuum à Madianitis: Chriſtus natus eſt & datus, vt redimat populū ſuum à ſeruitute peccati,& donet æterna libertate. 4. Samſon leonē interfecit, & paucos poſt dies reuerſus,ex mortui leonis faucibus,fauos mellis deſumtos comedit in ſignū ſuauis,id eſt,proſperi ſucceſſus, qui ſub ſecuturus erat victoriā ipſius ſuper Madianitis. Chriſti victoriam ſuper diabolo & morte excepit ſuauiſſima gloriæ cœleſtis ſuauitas. Hoc typo etiam Eccleſiæ certamen & gloria poſt victoriam pingitur. 5. Samſon maxilla aſini proſternit Philiſteos mille viros hoſtium populi Dei. Chriſtus voce piſcatorum rudium iuxta mundum, diaboli regnum inuadit, ac hoſtes Dei profligat. 6. Samſonis ænigma, ſola vxor ipſius aperire & interpretari nouit. Myſterium Chriſti,hoc eſt,Euangelij arcanum,non aliundè diſci poteſt, quam à Chriſti ſponſa Eccleſia, quæ propterea columna veritatis dicitur. 7. Samſon moriēs inimicos ſuos concuſsis ædificijs, ruina comprimit. Dominus tunc cùm mori dignatus eſt, non vna domo, ſed toto mundo concuſſo, diabolum cum ſuis angelis vniuerſis oppreſsit. 8. Samſon obſeratis portis,clauditur in ciuitate. Dominus obſignato clauditur monumento. 9. Samſon fractis ſeris,ſubtractíſque portis,ſecurus euadit. Chriſtus ruptis infernæ ſedis obicibus,apertóque ſepulchro, recepto corpore, è morte liber egreditur.

Dauid. Dauid, vt ex Pſalmis ipſius, & aliundè apparet, nunc Chriſti, nunc Eccleſiæ typum gerit, aliâs in cruce,aliâs in gloria. Vnde Auguſtinus, *Vix eſt vt in Pſalmis inueniamus vocem, niſi Chriſti & Eccleſiæ, aut Chriſti tantum, aut Eccleſiæ tantum: quod vtique ex parte & nos ſumus, ac per hoc quando voces noſtras agnoſcimus, ſine affectu agnoſcere non poſſumus, & tantò magis delectamur, quantò in idem nos eſſe ſentimus.* Et Gregorius Nyſſenus in hanc admirationem, cogitans de Pſalmis Dauidis, erumpit. *Quàm ſuauis & iucundus eſt humanæ vitæ comes Propheta Dauid, in omnibus itineribus vitæ ſeſe offerens, & omnibus ætatibus ſpiritualibus commodè ſeſe adiungens, & omnem ordinem progredientium ſubleuat, cum ijs qui iuxta Deum infantes ſunt colludit, cum viris vnà certat, iuuentutem moderatur,ſenectutem ſubleuat,atque ſuſtentat, omnibus omnia fit,militum telum, athletarum inſtitutor, exercentium ſe palæſtra,vincentium corona,in menſa oblectatio, in luctu, & funere conſolatio. Nihil eſt in vita noſtra, quod huius officij expers eſt.* His breuiter admoniti, modos quoſdam recitemus, quibus typus Chriſti fuit Dauid & Eccleſiæ. 1. Dauid ex nominis ratione, charus ſeu dilectus dicitur. Chriſtus re ipſa non ſolùm intimè charus & dilectus Patri, verumetiam in quo ſolo Pater alios habet charos & dilectos, iuxta Patris proprium teſtimonium, videlicet, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt: hoc eſt, in quo alios dilectos habeo, vt Paulus interpretatur. 2. Dauid inter fratres ſuos in familia Ieſſe præ cæteris contemptibilis habebatur. Chriſtus à ſuis Iudæis & à familia Iſraëlis,Samaritanus per contemptum eſt appellatus. 3. Dauid ſolus, adoleſcens,paruus,inermis,vno lapidis ictu Goliad gigantem magnum,robuſtum,armiſque terribilem, mirabili,& coram mūdo ridiculo ſtratagemate,proſtrauit,ipſáque hoſtis caſtra turbauit,& in fugā conuertit. Chriſtus gigantem illum magnum,diabolum mirabili ſtratagemate,mundóque ridiculo,videlicet morte ſuperauit. *Quid autem aliud petra contra Goliad* (inquit Auguſtinus) *manu Dauid miſſa,quàm Chriſtum ex ſemine Dauid naſciturum ſignificat?* 4. Dauid vna pugna qua proſtrauit Goliad,gloriam, ſecuritatémque regno, Regi & populo comparauit. Chriſtus proſtrato diabolo, gloriam Regi cœlorum, & ſecuritatem ſuo populo æternam acquiſiuit. 5. Dauid perſecutionem à Saule & eius miniſtris patitur. Chriſtus à diabolo & eius miniſtris,regibus,principibus, pontificibus, qui contra ipſum conſilia inierunt illuditur, & tandem cruci affigitur. 6. Dauid à Doeg proditur. Chriſtus à Iuda proprio diſcipulo traditur in manus hoſtium. 7. Dauid orat pro inimicis ſuis. Chriſtus Dominus orat pro crucifigentibus ſe Iudæis. 8. Dauid,mortuo Saule,Rex agnoſcitur. Chriſtus victo tenebrarum principe diabolo, & ſuperata morte, Rex regum & Dominus dominantium prædicatur. 9. Dauid ſtabilito regno, regionem Moab, Palæſtinam, & vniuerſam Idumæam ſubiecit, & in ſeruitutem redegit. Chriſtus poſt annunciatum per totam Iudæam Euangelium, acceptúmque ſpirituale regnum, tranſijt ad gentes per Apoſtolos ſuos, illáſque ſibi ſubiugauit, non vt ſeruos faceret, ſed liberos. 10. Dauid lachrymis vberrimis parricidam filium deplorauit. Chriſtus Iudæorum parricidarum cæcitatem, & interitum ex intimo corde defleuit.

Dauid typus Eccleſiæ. Fuit & Dauid typus corporis Chriſti, hoc eſt Eccleſiæ, ídque varijs modis. 1. Dauid varijs erat diſcriminibus in hac vita expoſitus. Eccleſia Chriſti nunquam tuta eſt à tētationum & perſecutionū procellis, donec in hac peregrinatur vita. 2. Dauid clypeo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nominis diuini, in omnibus difficultatibus euaſit ſuperior, interdum etiam omnibus medijs repugnantibus. Eccleſia armis ſpiritualibus fretat, triumphat, etiamſi humanis præſidijs deſtituatur. 3. Dauid ſæpe imbecillitate lapſus eſt, atque iterum agens pœnitentiam, in gratiam eſt receptus. Vnde Ambroſius, *Non fuit Dauid exemtus à culpa, vt eſſet electus ad gratiam.* Singuli in Eccleſia ſæpiſsimè labuntur, ſed rurſus manu Dei eriguntur, dum peccatorum pœnitentiam agunt, & ſeriò ad Chriſti gratiam confugiunt. 4. Dauid inuenit gratiam tantam apud Deum, vt Deus de eo diceret: Inueni virum ſecundum cor meum. Singuli in Eccleſia agendo pœnitentiam, gratiam inueniunt tantam, vt ipſos tanquam filios in dilecto, charos habeat Pater cœleſtis. Licèt enim ſecundum cor Dei non fuit, quod Dauid peccauit: tamen ſecundum cor Dei fuit, quod à peccato per veram pœnitentiam reſipuerit, confugiens ad propitiatorium. Hinc regulam extruamus. Ille miſericordiam Dei inueniet, qui ſe miſerum confeſſus, ad gratiam in fiducia Chriſti confugit.

Salomon typ⁹ Chriſti: vt oſtendunt. Salomon filius Dauidis multis modis typū Domini geſsit, ex quibus recenſere conabimur eos, qui ſunt magis illuſtres, & lucem afferunt hiſtoriæ vtrique, id eſt, Salomonis & Chriſti; hoc eſt, vmbræ & veritatis.

1. Promiſſio. Primùm, hic obſeruetur promiſsio facta Dauidi, Pſalm. 132. 11. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Hîc vterque, Salomon & Chriſtus promittitur. Salomon vt typus, Chriſtus vt veritas. In Pſalmo 72. qui incipit, Deus iudicium tuum Regi da, multa tribuuntur typo, videlicet Salomoni, quæ non niſi antitypo, id eſt veritati, nempe ipſi Chriſto, congruunt.

2. Nomē. Dictus eſt hîc filius Dauidis Salomon, vt ipſo vel nomine Chriſtum repræſentaret. Eſt enim Salomon idem quod pacificus. Hunc typum cùm pulcherrimè exponit Auguſtinus, ipſius verba aſſcribā ex argumento Pſalmi 72. *Ipſum vocabulum Salomonis, ad figuratam ſignificationem adhibitum eſt, vt in eo Chriſtus accipiatur. Salomon quippe interpretatur pacificus, ac per hoc tale vocabulum illi veriſſimè atque optimè congruit, per quem mediatorem ex inimicis accepta remiſſione peccatorum reconciliamur Deo. Etenim, cùm inimici eius eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius. Idem ipſe eſt ille pacificus, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ ſoluens, inimicitias in carne ſua, lege mandatorum decretis euacuans, vt duos conderet in ſe in vnum nouum hominem faciens pacem: & veniens euangelizauit illis pacem, qui longè, & pacem ijs, qui propè. Ipſe in Euangelio dicit: Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. Et multis alijs teſtimonijs Dominus Chriſtus pacificus eſſe monſtratur, non ſecundum pacem quam nouit & quærit hic mundus: ſed illam pacem de qua dicitur apud Prophetam, Dabo eis ſolatium meum, pacem ſuper pacem, cui ſcilicet, paci reconciliationis, additur pax immortalitatis. Nam poſt omnia reddita quæ promiſit Deus, nouiſſimam pacem nos expectare debere, qua cum Deo viuamus in æternum, idem Propheta oſtendit cùm ait: Domine Deus noſter pacem da nobis, omnia enim dediſti nobis, pax erit planè illa perfecta, quando nouiſſima inimica deſtruetur mors: & in quo erit hoc, niſi in pacifico illo redemtore noſtro?* Hactenus Auguſtinus pulcherrimè diſcernit inter Salomonem typicum & Salomonem verum, qui eſt Ieſus Chriſtus, de quo idem 72. Pſalmus: Florebit in diebus eius iuſtus, & abundantia pacis donec auferatur luna.

3. Regnū in quo ſpectentur. Regnum Salomonis, regni Chriſti typus fuit pertenuis. In regno vtriuſque Salomonis ſpectentur amplitudo imperij, diuitiæ, potentia, iuſtitia, ſapientia, maieſtas.

Latitudo. Latitudo imperij Salomonis, extendit ſe ad terminos carnalis Iſraëlis. Latitudo regni Chriſti, extendit ſe ad terminos ſpiritualis Iſraëlis: id eſt, in omnes fines terræ. vnde Pſalm. 72. 8. typum explicans, Dominabitur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum.

Diuitiæ. Diues prædicatur Salomon præ omnibus regibus terræ, quod re ipſa Chriſto ſoli congruit. Is enim cùm ſit Rex regum & Dominus dominantium, diuitijs veris præeminet omnibus, non quidem caducis, ſed veris ſpiritualibus, & nunquam interituris.

Potentia. Potentia typici Salomonis, vmbra perexigua eſt potentiæ veri Salomonis Chriſti. Ille enim mundanum regnum, anguſtis limitibus concluſum, potenter rexit, & ad tempus. hic autem potenter dominabitur in cœlo & in terra, donec erit Sol & Luna: à fraude & violentia Sathanæ redimet animas ſuorum, id eſt, eorum qui ſe eius fidei committunt.

Iuſtitia. Iuſtitia Salomonis, in tota regni ipſius adminiſtratione, & præcipuè in iudicio meretricum de liberis ſuis litigantium, cernitur. Sed iuſtitia veri noſtri Salomonis in gubernatione Eccleſiæ conſpicitur, quam adminiſtrat iudicio & miſericordia. Huc Pſalmus 72. Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis, vt iudicet populum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio.

Sapientia. Sapientia Salomonis typici prædicatur, adeò quod excelluerit ſapientia præ omnibus alijs hominibus. Sed noſter verus Salomon eſt nobis natus ſapientia à Deo. Vt ſapientiam ſuam typicus Salomon reuelauit reginæ Auſtri, & omnia quæ propoſuerat expoſuit, nec quicquam fuit quod non perſpicuum ei fecerit: ita verus Salomon noſter reginæ, hoc eſt, Eccleſiæ collectæ ex gentibus, quæ ad ipſum venit, exponit veram ſapientiam, quæ ipſe eſt, & eandem ipſam ducit ad omnes theſauros ſcientiæ & cognitionis ſalutaris.

Maieſtas. Maieſtas typici Salomonis pendebat ex amplitudine imperij, diuitijs, potentia, iuſtitia, ſapientia, beneficentia, aliiſque virtutibus: & conſpiciebatur in ſubditorum erga ipſum cultu & reuerentia. At maieſtas Ieſu Chriſti veri Salomonis noſtri, tantùm excedit maieſtatem Salomonis typici, quantùm hæc quæ enarrauimus perfectiora, diuturniora & veriora in Chriſto quam in Salomone ſunt. De hac veri Salomonis maieſtate loquitur Pſalmus 72. 18. Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui fecit mirabilia ſolus, & benedictum nomen maieſtatis eius in æternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra, hoc eſt, omnes in cœlo & in terra creaturæ agnoſcent amplitudinem regni, potentiam & beneficia Chriſti regis, & propterea celebrabunt ipſum in æternum. Sic enim ait idem Pſalm. 11. & 15. Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. Item, Adorabunt ipſum ſemper, & tota benedicent ei die. Eſt autem hæc adoratio duplex: Vna ſubiectionis tantùm, vt hoſtium Chriſti: vnde ad Philip. 2. 9. dicitur, Donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium, terreſtrium, & inferorum, & omnis lingua confiteatur quod Dominus Ieſus ſit Chriſtus ad gloriam Dei Patris. Et ad Ephe. 1. 20. Collocauit illum ad dexterā ſuam in cœleſtibus, longè ſupra omne imperiū ac poteſtatem, & potentiā, & dominium, & omne nomen quod nominatur, non ſolum in ſeculo hoc, verumetiam in futuro: & omnia ſubiecit ſub pedibus eius, eúmq; conſtituit caput ſuper oīa ipſi Eccleſię, quę eſt corpus

corpus ipſius. Altera ſubiectionis & cultus ſimul, quæ adoratio eſt eorum, qui ex vera fide Chriſtum colunt, cum ſanctis Dei angelis. Hæc ſint breuiter de regno Salomonis dicta, & de regno Chriſti, ex quibus facilè eſt videre, quantum excedat vmbram corpus, & typum veritas.

4. Templum. In templi quoque extructione Salomon typus Chriſti fuit: ſed & hic (vt par eſt) multis modis veritas figuram ſuperat. Salomon extruit templum ex lapidibus per opera manuum hominum, quod rurſus manibus hominum deſtructum eſt. Chriſtus autem extruit templum ex viuis lapidibus, per prædicationem ſuorum ſeruorum, quod manibus hominum deſtrui non poteſt. Eſt autem hoc tēplum Eccleſia ipſa, & ſinguli qui in Eccleſia viui lapides ſumus, ſuper Chriſto angulari lapide ædificati: iuxta illud Petri. 1. Ipſi tāquam lapides viui ſuperædificamini domus ſpiritualis. 1. Pet. 2. 5. Auguſtinus de hoc templo, lib. 10. cap. 4. de ciuitate Dei, ſic ait: *Dei templum ſimul omnes, & ſinguli templa ſumus: quia & omnium concordiam & ſingulos inhabitare dignatur, non in omnibus qui in ſingulis maior, quoniam nec mole diſtenditur, nec partitione minuitur: totus ſiquidem adeſſe omnibus rebus poteſt, & ſingulis totus.* De hac gloria Eccleſiæ loquitur Pſalmus: Lætentur omnes qui ſperant in te, in ęternum exultabunt & habitabis in eis. 2. Salomon in ſuo templo orat, & intercedit pro populo. Chriſtus interceſſor eſt multò meliori iure, quia dedit ſeipſum precium pro omnibus. 3. Salomon multa millia boum, agnorum & vitulorum offert in holocauſtomata, quibus tamen peccatum expiari non potuit. Chriſtus noſter verus Salomon ſeipſum per ſpiritum æternum offert, & vna oblatione ſanctificat in æternum ſanctificandos.

In quibus Salomon non fuit typ. Chriſti ſed imbecillitatis humanæ. Cæterùm, quod Salomon in ſenectute decipitur à mulieribus, adeò vt ex vero Dei cultore fiat idololatra impius: videtur ſignificare quod hodie pręoculis habemus, Eccleſiam ſeneſcētem paulatim ſegneſcere, & in errores incidere: ita vt paucisſimos verè pios Filius hominis venturus ad iudicium inueniat. Lapſus ergo Salomonis, admoneat nos regulæ: Qui ſtat videat ne cadat. Proinde Salomō non fuit typus Chriſti in lapſu, in meretricio amore, & idololatrico cultu, ſed ſolummodo in laudabilibus. An reſipuerit aliquando Salomon necne, quia ſcriptura eius non meminit, ſolicitè non inquiramus, ſed potius moniti ipſius horrendo lapſu, cauti ſimus in via ne cadamus aut aberremus à ſalutis portu.

Ionas. Quomodo Ionas fuit Chriſti typus omitto, quia Chriſtus ipſe Ionę typum interpretatur, cùm ait: non dabitur illis ſignum, niſi Ionæ prophetæ. Quemadmodum enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

Serpens æneus. De ſerpente æneo erecto in deſerto, vide Ioan. 3.

3.

DE TYPIS FIXIS
& ordinatis.

Typorum maximè perſpicuorum enumeratio. Diximus de typis perpetuis & hiſtoricis, reſtant typi fixi & ordinati, durantes cum republica Moſis. Verùm quia de hoc genere multa diximus in enarratione epiſtolæ ad Hebræos, huc pauca, eáque maximè perſpicua, adijciam. Conſideremus itaque hic ſacerdotium Aaronicum cum ſuis ceremonijs, duo altaria videlicet θυμιατήριον & θυσιαστήριον, tabernaculum tēpli exterius & interius, cum ſuis ornamētis & vaſis.

1. Aaronicum ſacerdotium. Aaronicum ſacerdotium typum fuiſſe ſacerdotij Chriſti docet autor Epiſtolæ ad Hebræos, vt taceam Apoſtolorum teſtimonia quæ paſsim offeruntur.

In ſacerdotio Aaronico etſi multa ſunt, quę Chriſtum & eius ſacerdotium adumbrant: quatuor tamen ſolūmodo deligam hoc loco quæ Chriſto & eius ſacerdotio accommodabimus. 1. Horum primum eſt, conſecrandus ſacerdos ex Leuitico ordine, primum omnium aqua ablui debebat, non tam propter externas ſordes abluendas, quam propter ſignificationem internæ maculæ abolēdę, nempe animæ, quam Chriſtus re ipſa in ſe nón aſſumſit cum humana natura: ſed ſolummodo quo ad imputationem & reatum attinet. Hanc ſolus eluere poteſt in omnibus ijs, qui ſibi applicantur per Eccleſiam, in cuius rei teſtimoniū efficax ſymbolum in nouo Teſtamento videlicet ipſum baptiſmū inſtituit. Cùm ergo externa aqua, Aaronicus ſacerdos corpus ſuum ablueret, fide Chriſtū purgatorem intuebatur. (Ablutio.) Loto corpore induebat Aaronicus ſacerdos veſtes mundas non vulgares, ſed ſacerdotales iuxta Dei inſtitutum, quibus adumbrabatur innocentia & obediētia Chriſti, qua mundati ipſius ſanguine, iuſti, innocentes & pulchri in Dei conſpectu apparent. (Veſtes ſacerdotales.) 3. Tertiò, loti & veſtiti vngebantur peculiari oleo, qua re ſignificabatur dignitas Chriſtianorum, nimirum, quod credētes ſpiritualiter vngantur in Prophetas, reges, & ſpirituales Sacerdotes: hoc eſt, ſpiritus gratia donati, efficaciter de veritate beneficiorum Chriſti erudiuntur: ſicuti hunc typum exponit Ioannes, 1. Ioan. 2. 27. Vos vnctionem habetis à ſancto & noſtis omnia. Item, Non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos, ſed ſicut vnctio ipſa docet vos de omnibus. (Vnctio.) 4. Poſtremò, Aaronicus ſacerdos lotus, veſtitus & vnctus implebat munus, id eſt, ſacrificabat in figuram Chriſti, qui non animalia, ſed ſeipſum obtulit Deo in odorem ſuauitatis. (Sacrificiū.) Sed de hac collatione vmbræ & veritatis, lege Epiſtolam ad Hebræos cap. 9.

2. Altaria duo. Altaria duo videlicet θυμιατήριον & θυσιαστήριον erant, vtrumque vnum adumbrabat Chriſtum, ſed diuerſimodè. Nam vt altare quod dicebatur θυσιαστήριον, id eſt, victimarum ſeu holocauſtorum & hoſtiarum adumbrabat Chriſtum expiatorem peccati, oblatum per ſuum ſacrificium in ara crucis: ita altare quod à thymiamate, id eſt, ſuffitu nomen habuit, figurabat eundem Chriſtum peccatorem & interceſſorem.

Vnde Chriſtiani norunt nullas preces cœlum penetrare, niſi ſuper altari quod eſt Chriſtus, offerātur.

3. Tabernaculum exterius & interius. Tabernaculum templi exterius & interius ſequitur: partes enim templi extructi ad formam tabernaculi Moſaici retinent appellationes ab exemplari, vt prior pars templi, tabernaculum exterius dicatur, ſecunda interius, quæ velo diuidebantur. Prius tabernaculum manifeſtationem Chriſti in humana natura notabat, vt teſtatur Epiſtola ad Hebræos cap. 9. Interius Eccleſiam, & cœlum beatorum ſedem adumbrabat.

In exteriori erāt. In priori tabernaculo quod dicebatur ſanctum, fuere candelabrum, menſa, panis, quæ adminiſtrationem Eccleſiæ Chriſti figurabant.

Candelabrum. Candelabrum enim cum ſuis lucernis, Chriſtum & Apoſtolos adumbrabat. Vt enim Chriſtus lux vera eſt, illuminans omnem hominem: ita geſtat lucernas, hoc eſt, Apoſtolos, prophetas & doctores Eccleſię, ſine quibus mūdus in dēſisſimis palpitat tenebris.

Menſa. Menſa ſimiliter Chriſtum adumbrabat, & prædicationem Euangelij, qua tanquam cibo aluntur animæ hominum.

Panis. Panis vt Chriſtum ſignificabat placationis ſacrificium: ita eundem ſignificabat eſſe panem illum, quo animi fideles ad vitam æternam aluntur.

In interiori. In interiori tabernaculo (hoc eſt, in ea parte quæ erat poſt velum intermedium) quod dicebatur ſancta ſanctorum, fuere aureum thuribulum, arca teſtamenti, vrna cum manna, virga Aaronis, tabulæ fœ-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

deris, & ſuper arcam Cherubim. Quomodo hæc Chriſto applicentur, breuiter videamus. Interius tabernaculum, hoc eſt, intimum ſacrarium ſeu adytum, in quod ſemel in anno ſummus ſacerdos ingrediebatur, ſpirituale Chriſti templum, clauſum prophanis hominibus, hoc eſt, Eccleſiam & cœlum adumbrat. In hoc ſacrarium, cùm pij viderent Pontificem ſummum ſemel tantum in anno ingredi, admonebantur de promiſſo Meſsia, qui ſemel oblatus in ara crucis, ingreſſurus erat in ſancta ſanctorum æternam redemtionem nactus.

Sacrariū.

Ingreſſus ſemel in anno.

Aureum thuribulum.

Aureum thuribulum, inuocationis cultum, cúmque puriſsimum figurat, quo & Chriſtus intercedit pro Eccleſia, & ipſa Eccleſia Deum Patrem in nomine Chriſti inuocat, dum igni Spiritus ſancti accenditur.

Arca teſtamenti.

Arca teſtamenti circumtecta auro, ipſum Chriſtum purum ab omni peccato adumbrat. Vt autem huius arcæ veſtes, annuli & inſtrumenta reliqua, auro coruſcabant: ſic iuſti in Chriſto, & eius ſanguine à peccato purgati gloria Chriſti nitēt. Deinde vt arca cuſtos erat tabularū, mannæ & virgæ Aaronis: ita Eccleſia cuſtos eſt Legis & Euangelij, adeóque veri cultus Dei. Quod autem hæc arca tegebatur aurea lamina, quæ propitiatorium dicebatur, adumbrabat, quod Eccleſia Chriſti tegatur aduerſus iram Dei, merito mediatoris Chriſti, qui vnicus & veriſsimus propitiator eſt. Ita enim hunc typum Chriſto accommodat Paulus ad Romanos 3.24. cùm ait: Iuſtificamur gratis per ipſius gratiam, per redemtionē, quę eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem. Et Ioannes 1.2.2. Ipſe eſt ἱλασμὸς pro peccatis noſtris. Hoc quoque Dauid in ſpirittu vidit, cùm dicit: Beati quorum tecta ſunt peccata. Pſalm. 32.1.

Vrna aurea.

Vrna aurea continens Manna, eſt prædicatio Euangelij contingens Chriſtum, qui eſt verum Manna: de quo ſi quis ederit, habebit perpetuam vitam. Sic enim hunc typum veritas ipſas interpretatur Ioan. 6.49. cùm ait: Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt: hic eſt panis de cœlo deſcendens, vt qui eo veſcatur non moriatur. Ego ſum panis viuificus qui è cœlo deſcendit: Si quis ederit ex hoc pane, viuit in æternum. Panis autem quem ego dabo caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. Hic pulchrè Dominus typum & veritatem, ſymbolum & rem inter ſe comparat, & oſtendit multos ſymbolorum participes fieri poſſe, qui ſunt veritatis & rei expertes: non culpa Dei veritatem & rem vnà cum typis offerentis, ſed culpa hominum hærentium carnaliter in rebus, quæ in ſenſus ſolummodo incurrunt.

Virga Aaron.

Virga Aaron quæ germinauit, primum adumbrat reſurrectionē Chriſti. Vt enim illa virga planè mortua fuit & arida, ſed poſtea diuina virtute vitam recepit & floruit: ita Chriſtus virga de radice Ieſſe mortuus, tertio die reuixit, cuius virtute & beneficio omnes qui in Domino moriūtur, viui prodibunt de ſepulcris in vitam æternā. Vt enim Amygdalina virga ad caput dormientis poſita, ſomnum eripit, ac vigilantiam conciliat: ita Chriſtus in quo requieſcunt fideles, ſua virtute eripit à morte, vt è ſepulchris prodeant ad vitam æternam. Deinde arida virga denuo vireſcens & flores producens, ſignificat credentes in Chriſtū, virtute Chriſti è veteribus nouos fieri. Præterea eadem virga Aaronis adūbrabat efficaciam miniſterij Euāgelij. Vt enim virga Aaron arida, tumultuantibus ſeditioſis flores emiſit, cōtra omnium expectationem, & naturæ legem: ita miniſterium Euangelij ſpretum, & ſine horrore iacens, tum maximè florere incipit, & efficax eſſe, cùm acerrimè ab hæreticis & tyrannis oppugnatur.

Cherubim.

Cherubim, qui ſupra arcam poſiti erant, adumbrabant, Deum nuſquam habitare verius quàm in Eccleſia, hoc eſt, in mentibus humanis, quæ poſita peccati mole, & ſumtis alis ſpiritus in cœlis verſantur. Significant præterea Cherubim, angelos bonos Eccleſiæ cuſtodes eſſe, item miniſtros Euangelij, qui ad arcam præſto ſunt: & ideò dicuntur adumbrare propitiatorium, quia ad nutum Chriſti ſe componunt, & veluti alati, hoc eſt, velociſsimi & promtiſsimi, arcæ, id eſt Eccleſiæ, cuſtodes ſunt. Hæc ſint breuiter indicata, potius quàm declarata de typis veteribus, & quomodo illis veritas ipſa perſpicuè & clarè reſpondeat, vt ex vtrorumque collatione fides noſtra confirmetur.

IIII. DE MIRACVLIS.

Præcipuorum miraculorum enumeratio.

Miraculis tribui quartum inter ſigna locum, quæ, vt teſtimonia Patris, Chriſtum, eius regnum, ſacerdotium & Eccleſiam figurabāt, de quibus ideò breuius dicam, quia generalem doctrinam de miraculis aliquoties repetiuimus: referamus tamen huc pauca ex miraculis, vt oſtendamus quomodo & illa Chriſto & Eccleſiæ eius ſeruiant.

1. Mundi creatio.

Suprà diximus, cùm ageremus de typis Chriſti & Eccleſiæ perpetuis, de hoc magno mundi opificio, quod ſit typus admirandæ gubernationis Eccleſiæ Chriſti. Hic cogitemus miraculoſam conditionem rerum ex nihilo, qua Deus per Filium creauit mundum, & ſuo Spiritu iam condita conſeruet, eſſe ſymbolum miraculoſæ ædificationis Eccleſiæ, quam Deus per Filium ædificat & exornat, atque ædificatam ſuo ſancto Spiritu tuetur, fouet, conſeruat.

2. Arca Noha in diluuio ſeruata.

Miraculum ſeruatę arcę Noæ in medijs fluctibus, miraculoſam præfigurabat ſeruationem Eccleſiæ Chriſti in medijs fluctibus perſecutionum, quæ Eccleſia ab omni parte à diabolis, & ipſorum organis, malis hominibus, Sophiſtis, tyrannis, hypocritis, & flagitioſis circumuallatur. Ita hoc miraculum Petrus 1. Pet. 3. miraculoſę ſaluationi Eccleſię accommodat, cùm ait: In arca paucæ, hoc eſt, octo animæ ſeruatæ ſunt in aqua, cui nunc correſpondens exemplar baptiſmi nos quoque ſeruat.

3. Confuſio Linguarum.

Miraculoſa deſtructio & confuſio linguarum extruentiū turrim Babel, figurabat miraculoſam confuſionē linguarū, hęreticorū & prophanorū hominū, qui ſuperbè ſe Chriſto & eius regno opponentes, ſophiſtica ſua turrim Antichriſti, in cœlum vſque extollere moliuntur, ſed opinione ſua citius in infernum potentia Chriſti proijcientur confuſi.

4. Ægyptus debellata.

Miracula Ægyptiaca per Moſen edita, miraculoſam victoriam Chriſti & Eccleſiæ ſuper Sathana & eius regno figurabant.

5. Tranſitus per mare rubrum.

Tranſitus miraculoſus Moſis & populi per mare rubrum, cedens tranſeuntibus Iſraëlitis, & obruens hoſtes fluctibus maris, figurabat tranſitum miraculoſum Chriſti & Eccleſiæ, per medium afflictionum, quibus tamen non impeditur piorum tranſitus, quâ rectâ pergunt in requiem promiſſam: ſed Sathanas, eius angeli, & qui ipſius afflatu ſe regi ſinunt, mari malorum in perpetuum obruentur.

6 Iter per deſertum.

Miraculoſa deductio populi per columnam nubis in die, & per columnam ignis in nocte, figurabat miraculoſam deductionem Eccleſiæ in hac vita per baptiſmum & Spiritum ſanctum, vt hoc miraculum Paulus 1. Corinth. 10. interpretatur.

7. Mutatio aquarum.

Miraculoſa mutatio amaritudinis aquæ in dulcedinem, per immiſſum lignū figurabat miraculoſam muta-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mutationem miſeriæ noſtræ in ſummam fœlicitatẽ per Chriſtum in lignum ſuſpenſum, cuius virtute omnia amara in dulcia conuertuntur.

8. Manna de cœlo.

Miraculoſa pluuia Mannæ de cœlo, & abundantia aquæ fluentis de petra duriſſima, quibus miraculoſè populus ſuſtentabatur 40. annis in deſerto, figurabat miraculoſam alimoniam eccleſiæ in hac vita, videlicet, quod paſcatur carne Chriſti, & potetur eiuſdem ſanguine in vitam æternam, ſicuti Paulus hoc miraculum interpretatur, 1. Cor. 10. 3.

9. Seditioſorum oppreſsio

Miraculoſa illa & horrẽda oppreſſio ducentorũ quinquaginta virorum, impulſu Chorę, Datan, Abyron, & Hon, murmurantes aduerſus Moſen & ſe illi opponentes per ſeditionem. Recuſarunt enim obedire Moſi, ſtulte ἀναρχίαν legitimo imperio præferentes, prætextu communis æqualiſque conditionis coram Deo, qui terra viui abſorpti ſunt, figurabat miraculoſam oppreſſionem omnium diabolorum, & impiorum hominũ in extremo die, qui ſe duci Chriſto, & legitimo eius imperio oppoſuerint in hoc Eccleſiæ exilio.

10. Sanatio percuſſorum à ſerpentibus.

Miraculoſa ſanatio percuſſorum à ſerpentibus per aſpectum ſuſpenſi ſerpentis ænei, figurabat miraculoſam ſanationem credentium per Chriſtum in crucem ſuſpenſum. Ioh. 3.

11. Veſtimentorũ & calciamentorũ conſeruatio.

Miraculoſa veſtimentorum & calciamentorum populi Iſraël conſeruatio, adeo quod nec veſtimenta attrita ſint, nec calciamenta vetuſtate ſint conſumta, integris annis 40. myſticè docet, eam eſſe Chriſto duci noſtro pro Eccleſia curam, quod etiam renitentem rerum naturam cogat ipſis ſeruire, priuſquam ſinat eam perire aut funditus aboleri. Ideo additur in Deuterono. finis huius miraculi, vt ipſi ſciretis quod ipſe eſt Dominus Deus noſter. Deinde vt hoc miraculum veluti quędam ſignificatio eſt incorruptionis Adam, ſi per obedientiam ſtetiſſet, & non peccaſſet: (*Si enim Deus*, vt ait Auguſtinus, *Iſraelitarum veſtimentis & calciamentis præſtitit, quod per tot annos non ſunt obtrita, quid mirum ſi obedienti homini eiuſdem potentia præſtaretur, vt animale ac mortale habens corpus, haberet in eo quendam ſtatum quo ſine defectu viueret?*) ita ſymbolicè ſignificat, immortalitatis gloriam poſt hanc vitam fore fœliciſſimam abſque omni defectu.

12. Tranſitus per Iordanẽ.

Miraculoſus tranſitus Iſraëlitici populi per Iordanem duce Ioſua in terram promiſſam, poſt multos labores exhauſtos in deſerto, adumbrabat tranſitum Eccleſiæ per mortem duce Chriſto in ſempiternam requiem, poſt multas in hac vita afflictiones & miſerias, id quod etiam baptiſmo noſtro, teſte Auguſti. ſignificatur.

13. Murorum hierichuntinæ vrbis ſubuerſio.

Miraculoſa ſubuerſio murorum Hiericho, ſolo circuitu ſeptenario & buccinarum ſonitu, adumbrabat ſpirituale robur Apoſtolorum, quo validi ſunt ad deſtruendum regnum tenebrarum, & captiuandas mentes hominum in obſequium Dei. Huc reſpexit Paulus cum ſcriberet Corinthiis, 2. Cor. 10. 3. ſecundum carnem, inquit, bella non gerimus (arma enim militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed Dei poteſtate valida ad ſubuerſionem munitionum) dum ratiocinationes euertimus omnemque ſublimitatem, quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Chriſto. Vt ergo buccinæ Leuitarum ex verbo mandantis Dei & ſpiritu Chriſti vim demoliendi muros Hiericho habuere: ita hodie vox miniſtrorum Dei mandato Chriſti & eiuſdem ſpiritus virtute efficax eſt, id quod miraculoſa Eccleſiæ conſeruatio hodie teſtatur. Præterea vt Hiericho non volens ſe ſubiicere duci Iehoſuę funditus deleta eſt: ita mũdus qui ad clangorem tubæ, id eſt, ad vocem prædicãtium ſe non ſubiiciunt Chriſto, tandem funditus peribunt.

14. Statio ſolis & Lunæ.

Miraculoſa ſtatio Solis & Lunæ in cœlo integro diei ſpacio ad imperium Iehoſuæ donec hoſtes Dei proſternerentur, adumbrabat miraculoſam potentiam Chriſti ducis Eccleſiæ, qua creaturis omnibus imperare quando neceſſe eſt, poteſt, vt ſe accommodent neceſſitatibus Eccleſiæ, donec hoſtes ipſius pereant. Neque tamen Ioſue ſuopte imperio imperare Soli & Lunæ potuit, ſed ſpiritus Chriſti virtute hoc fecit. *Nihil enim propter iubentis hominis verbum* (vt ait Auguſtinus) *Dei creaturæ faciunt, ſed quod Dominus ſerui ſui orationi obediens præcipit, hoc faciunt.* Ex quo intelligitur Chriſtum ſeruorum ſuorum precibus obedire & ad eorum neceſſitatem creaturas oportune gubernare.

15. Varia Eliæ miracula.

Quid referam de Elia Propheta per quem plurima & ſtupenda edita ſunt miracula? 1. Orat Elias & non pluit ſuper terrã tribus annis rurſus: ad ipſius preces copioſa pluuia demittitur de cœlo. 2. Orat Elias & ignis de cœlo deſcendit, & bis quinquaginta viros deuorat. 3. Orat Elias & ignis de cœlo deſcendens abſumit holocauſtum aqua perfuſum. 4. Orat Elias & vita mortuo redditur. Quid hæc Eliæ oratio miraculoſe docet? certè, omnia poſſibilia eſſe ex fide inuocanti, iuxta illud, quicquid petieritis credentes accipietis. 5. Quid dicam de eodem Elia miraculoſè diuidente pallio ſuo aquas Iordanis, & igneo curru recepto in cœlũ? an non hæc perſpicua ſunt ſymbola mortis, reſurrectionis, & aſcenſionis Chriſti in cœlum?

16. Elizei miracula.

Quid referam de Elizeo, qui etiam mortuo vitã reſtituit? Quid de ſanatione miraculoſa Naamam Syri à lepra ſua per lotionem in Iordane ad iuſſum Prophetæ? An non manifeſtè miraculoſa opera Chriſti figurat? videlicet, purgationem à ſpirituali lepra, hoc eſt, peccato per Spiritum ſanctum, cuius rei ſymbolum efficax eſt baptiſmus noſter diuinitus inſtitutus.

Superiora miracula, vt & alia, cur ad Chriſtum referẽda.

Multa ſunt alia veteris teſtamenti & in Moſe & in Prophetis miracula, quæ omnia Chriſti potentiã & virtutem ipſius in gubernatione Eccleſiæ adumbrant, quæ prætereo. Quod autem omnia iſta miracula in Moſe & in Prophetis recitata ad Chriſtũ referenda ſint, miraculoſum colloquium Moſis & Elię cum Chriſto in monte indicat. Nã illa viſio & trãsfiguratio monet omnia cũ quæ ſunt in Moſe, tũ quę ſunt in Prophetis ad gloriam Chriſti referenda eſſe,

DE SECVNDO CAPITE.

Verba (de quib. hoc capite) quid ſint.

SVPRA diximus duo eſſe capita, quibus continentur omnia, quæ ſcripturæ ſacræ de communi mediatore noſtro Ieſu Chriſto habent, quorum prius ſignorum, poſterius verborum voce expreſſimus. De priori, hoc eſt, de ſignis hactenus egimus, & oſtendimus quomodo illa tanquam pædagogica quædam ſymbola nos ad Chriſtum, quem figurabant, veluti manu ducunt. Reliquum eſt poſterius, quod, *verba*, id eſt, perſpicua & clara dicta ex Moſe, Pſalmis & Prophetis de Chriſto continebit, cũ quibus hiſtoria noui Teſtamenti, de Chriſto per omnia congruit. Quemadmodum Dominus ipſe teſtatur apud Luc. a. 24. 44. cùm ait: neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, Prophetis, & Pſalmis de me. In hoc ergo poſitum eſt fundamentum & robur fidei Chriſtianorum, quod dicta veteris teſtamẽti, id eſt, Mo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſis & Prophetarum,& noui teſtamenti,id eſt,Euangeliſtarum & Apoſtolorum de Chriſto per omnia conueniant.Siquidem Chriſtus ſolus commune fundamentum eſt doctrinę Prophetarum & Apoſtolorum.Ad hunc enim ſolum reſpiciunt.Ad hūc omnia referuntur.Proinde Paulus rectè dicit ad Eph.2.20. Superædificati eſtis ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.Hoc fundamentum idem Paulus monſtrat,1.Cor.3.11.cùm ait,fundamētum aliud nemo poteſt ponere pręter id quod poſitū eſt Chriſtus Ieſus. Vt ergo hoc fundamentum fidei Iudæis commendet Chriſtus, Ioann.5.39.45.46. mittit eos ad Moſen & Prophetas, quos de ſe ſcripſiſſe & ſibi teſtimonium perhibere affirmat. Similiter Petrus,2.Pet.1.19.diſperſos Iudæos mittit ad Propheticum ſermonem vtpote firmiorem, donec dies illuceſcat & Lucifer oriatur in cordibus eorum. Stephanus,Act.7.contendit Moſen & Prophetas omnia ea prædixiſſe quæ facta ſunt in Chriſto, vt iſto fundamento monſtrato, & ſeipſum in fide confirmet, & errantes Iudæos ab errore reuocet.Idem facit Petrus Act.2.16. Et Paulus,cum Act.17.2.3.de Chriſto ex Moſe & Prophetis diſſereret, audientes Theſſalonicenſes cum auiditate ſuſceperunt verbum Dei, quotidie ſcrutantes ſcripturas num hæc ita ſe haberent.Eandem rationem perducendi homines ad fidem fuiſſe reliquorum Apoſtolorum & Euangeliſtarum manifeſtum eſt, quorum exemplum & nos, quibus pietas cordi eſt imitari par fuerit.Hinc apparet quam neceſſaria ſit diligens collatio ſcriptorum veteris & noui Teſtamenti, quæ non ſolùm lucem ſcripturis mirabilem affert,verumetiam fidem piorum mirabiliter confirmat.

Fundamẽta cognitionis Chriſti.

Vt autem rectius ducamur & certius feramur in cognitionem ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, duo oportet inprimis in Deo conſiderare, ſine quibus maieſtatis ſuę gloriam integram tueri nequit.Hæc autẽ duo ſunt, perfecta iuſtitia, & perfecta miſericordia, quarum illa ſummè odit & ſeueriſſimè vlciſcitur omnem iniuſtitiam:hac ſummè amat,& intimè complectitur hominem,quem ad ſuam formauit imaginem,& ideo ad perpetuam vitam & felicitatem.

In Chriſto iuſtitia & miſericordia Dei coniunguntur & ſtãt ſimul.

Verùm cum aſtu Sathanæ homo in peccatū pertractus,& propter peccatum in mortem, & ſempiternam miſeriam ex perfecta Dei iuſtitia præcipitatus eſſet,nullus locus(modò perfecta maneret iuſtitia Dei)videbatur reliquus eſſe perfectæ miſericordiæ. Quid ergo reliquum erat?debuit profectò homo ex regula perfectæ iuſtitiæ Dei ob ſuum peccatum,quo infinitum bonum offenſum erat, æternùm perire. Ex quo ſequebatur, Deum laude perfectæ miſericordiæ etiam priuari. Atque ita & de gloria maieſtatis Dei & de ſalute hominis actum eſſet.Etſi autem potuiſſet Deus ſua potentia vſus(quid enim non poteſt omnipotens:)ex hoc malo hominem liberare,vt ita locum miſericordiæ faceret : tamen ex altera parte fuiſſet derogatum ipſius perfectæ iuſtitiæ,& diminuta fuiſſet ex parte gloria maieſtatis ipſius:proinde neceſſe fuit,vt eam ſaluandi hominis viam inueniret,qua ipſius perfecta iuſtitia & perfecta miſericordia ſimul conſiſterent,ſimulque conſentirent in ſummis gradib. Sapientia itaque Dei hic ſuccurrit,ac remedium promit tale,quo ita exerit potentiam ſuam Deus in ſaluando homine, vt & perfectæ iuſtitiæ Dei ſatisfiat,& perfectæ miſericordiæ Dei ſit locus. Lapſo ſiquidem Adamo parente noſtro,in quo nos & rei & corrupti ſumus, Deus iuſtè quidem arguit peccatū, & pœnas meritas minatur, & ex parte infligit : Sed ſimul ex ſumma miſericordia,vt clementiſſimus pater promittit filium conciliatorem perfectæ iuſticiæ,& perfectæ miſericordiæ Dei,& tandem eundem in mortem pro homine tradit,vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam.Etſi autem innocens planè erat filius Dei nobis datus conciliator perfectæ iuſtitiæ & perfectæ miſericordię Dei,ſi ipſum conſideras:tamen quia volens ſuſtinuit perſonā veluti totius humani generis iuſtè in eo punitum eſt alienum peccatum,vt ſicut vnius Adami contumacia omnes facti ſumus rei:ita filij Dei obedientia iuſti conſtituātur multi,id eſt,liberentur à reatu,& donati iuſtitia Chriſti vitam poſſideant æternam.Eum ergo vt Paulus ait,2.Cor.5.21.Qui non nouit peccatum fecit peccatum,vt nos fieremus iuſticia Dei in eo,hoc eſt,pater dedit filium,vt morte ſua ſatisfaceret pro peccato, & iuſtitia ſua nos coram Deo iuſtos ſtatueret: Atque ita manent ſaluæ perfecta iuſtitia, & perfecta miſericordia Dei,λύτρῳ peccati ſoluto, & merito iuſtitiæ comparato per vnum Chriſtum. Vides ergo quomodo Deus ſeueriſſimus ſcelerum eſt vltor,quę tamen ex mera miſericordia condonat,hoc eſt,quod Paulus ait:Rom.11.32.Concludit omnia ſub peccatum vt omnium miſereatur.

Iam habemus,ad quem ſcopum referenda ſint omnia quæ paſſim in Moſe,Prophetis & Pſalmis cōmemorantur de Chriſto. De quo quia ſalus noſtra in eius notitia & fiducia conſiſtit recenſebimus ſcripturæ teſtimonia,non quidem omnia,quod immēſi laboris eſſet & requireret longiſſimum tempus : ſed præcipua ſolummodo,eaque in certa membra digeſta, ad quæ alia,quæ in lectione ſcripturarum occurrunt,facile reduci poterunt.Sint ergo hæc membra.

Methodus, de Cognitione Chriſti.

1. *Promiſſio.*
2. *Perſona.*
3. *Qualitas perſonæ.*
4. *Officium.*
5. *Aduentus.*
6. *Acta.*
7. *Euentus.*
8. *Vſus & fructus.*

In horum membrorum explanatione concurrunt multa alia,quæ ad huius myſterij explicationem facere videbuntur,quæ nolebam membratim proponere, ne nimis perplexa & obſcura partitio noſtra redderetur.

DE PRIMO.

Promiſſiones de Meſſia.

Omnium primum conſiderentur promiſſiones de Meſſia, quæ comparatæ ad perfectam iuſtitiam & perfectam miſericordiam Dei,& clarius intelligentur & dulcius accipientur.

Priuſquam autem promiſſiones proponamus,admonendi ſunt auditores de regula vtiliſſima in ſcripturarum lectione, ac potiſſimum in promiſſionibus diuinis obſeruanda.*Regula* autem hæc eſt. In omni promiſſione diuina,& ea quæ cum re promiſſa ſtare non poſſunt, & ea quæ cum eadem neceſſario coniungūtur,ſimul ſub promiſſionem cadunt: ita vt illorum quidē ablatio, horum vero donatio & poſſeſſio promittatur. Hac regula ſtabilita promiſſiones videamus.

Regula.

Prima promiſſio de Meſſia.

Gen.3. Dominus,lapſis in peccatū primis noſtris parentibus aſtu ſathanæ , alloquitur ſerpentem hiſce verbis.Inimicitias ponam inter te & ipſam mulierem,& inter ſemen tuū & ſemen eius:ipſum conteret tibi caput,& tu conteres ei calcaneum.Hęc verba continent primam promiſſionem de Meſſia cōciliatore perfectæ iuſtitiæ, & perfectæ miſericordiæ Dei,& extenditur hæc promiſſio ad perpetuum eccleſiæ curſum in hac vita & eiuſdem futuram gloriam in æterna vita.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Trimembris explicatio huius promiſsionis

I. Prædicitur hic *certamen inter ſerpentem & mulierem, inter ſemen ſerpentis*, id eſt, impios omnes, angelos & homines, *& ſemen mulieris*, id eſt, Chriſtum cum ſua Eccleſia. Cum diabolus hic ſerpentis nomine deſignatur (quemadmodum prophetæ & Chriſtus interpretantur, vt qui in diabolum reiiciant interitus noſtri cauſſam) cogitanda eſt verſutia Sathanæ, & calliditas in decipiendis hominibus. Sicut enim tum ad decipiendos primos homines abuſus eſt Sathā ſolertia ſerpentis, qua ſerpēs diuinitus ornatus erat: ita hodie quoque creaturis Dei, & donis præclaris abutitur idem impoſtor, in potentibus & ſapientibus mundi hominibus ad inſidias Eccleſię Dei ſtruendas. Monemur ergo damno primorum parentum, vt cautiores ſimus, ac non ſinamus nos vel ſplendore & potentia tyrannorum, vel πειθανολογίαις & verborum illecebris Sophiſtarum pertrahi in laqueos Sathanæ, qui per Sophiſtas corrumpit ſcripturæ ſimplicitatem in multorum perniciem. Memores ergo antiquæ artis Sathanę, à puritate & ſimplicitate promiſſionum diuinarum non deflectamus neque ad dextram, neque ad ſiniſtram.

II. Promittitur Chriſto & Eccleſiæ in Chriſto victoria. *Ipſum*, inquit, ſcilicet ſemen, *conteret caput tuum*, hoc eſt, Chriſtus filius virginis, vt princeps, deſtruet opera tua, id eſt, peccatum & mortem (hæc enim ſunt quæ diabolo caput erigunt & eius regnum ſtabiliunt) pro peccato ſatisfaciens, vt perfecta ſtet Dei iuſtitia, ſumto de peccatore ſupplicio, vt perfecta inueniatur miſericordia Dei, recepto homine in gratiam, interceſſione Filij. Atque ita liberabit Chriſtus ſemen ſuum (id eſt, quotquot per fidem & Spiritum ſanctum naſcuntur filij Dei) à diaboli poteſtate vt ſint beati, immortales, perfecto bono & felicitate abundantes, liberique ab omni miſeria, ira & maledictione. Sic Ioannes hanc promiſſionem interpretatur cum ait: 1. Ioann. 3. 8. Chriſtus apparuit vt diſſoluat opera diaboli, id eſt, peccatum & mortem, quibus deſtructis, neceſſe eſt reſtitui iuſtitiam & vitam. Quoniam autē Eccleſia Chriſti eſt per ſpiritum ſeminis mulieris nata, ſemē quoque ſuo modo mulieris dicitur, quia veri ſeminis mulieris membra ſunt omnes fideles, qui Eccleſiam cōſtituunt. Huic ſemini ſimul promittitur victoria ſuper ſerpente, id eſt diabolo. Hinc depromſit Apoſtolus promiſſionem illam ad Ro. 16. 20. Deus pacis cōteret Sathanam ſub pedes veſtros citò. Huc etiā pertinet illud Ioan. 1. 5. 4. Hæc eſt victoria quę vicit mūdum, fides veſtra. Per mūdum intelligit diabolum & ſemē eius, per fidem victricem intelligit Chriſtum, quem fide apprehēdimus, poſſidemus & retinemus. Hic enim ſolus victor & condemnator eſt principis huius mundi, vt ipſe teſtatur cum ait: Ioan. 16. 11. princeps huius mundi iam iudicatus eſt.

III. Rabies diaboli & ſeminis eius ſignificatur, cum additur: *Et tu conteres ſeu mordebis ei calcaneum*, id eſt, inſidiaberis ſemini mulieris, id eſt, Chriſto & eius Eccleſiæ. Chriſtum quidem perſequeris vſque ad mortem crucis, ſed ex morte reſurgens conteret tibi caput & regnum tuum deſtruet. Eccleſiam verò Chriſti ſemen ex inſidiis petes, vt eam mendacio & homicidio deformes, ſed nihilominus in Chriſto victrix tandem euadet. Nam vt capitis contritione ſignificatur oppreſſio Sathanæ & regni eius: ita calcanei morſu, victoria Eccleſiæ ſignificatur, ſed non ſine afflictione. Hinc colligamus definitionem crucis Eccleſiæ, quæ eius nota rectè dici poteſt. Ineptum eſt enim quamlibet crucem dicere Eccleſiæ Chriſti notam eſſe. Siquidem crux Eccleſiæ hic ſignificatur eſſe perſecutio Eccleſiæ à ſerpente & eius ſemine, propter inimicitias quæ ſunt inter ſerpentem eiuſque ſemen, & ſemen mulieris, id eſt Chriſtum caput, & eius membra Eccleſiam. Nunquam enim inter hos conueniet. Mulieris enim ſemen iuſtum, & ſerpens iniuſtus cum ſuo ſemine in contraria ſtudia feruntur, & durabit hoc certamen donec hic mundus ſteterit: ſicut ipſe Chriſtus etiam prædixit, Apoſtoli teſtantur, & euentus ipſe comprobat. Vnde monemur non ſperandam eſſe ſecuritatem firmam in hac vita, ſed aſpirandum eſſe ad beatam illā immortalitatem, quæ in ſemine mulieris nobis eſt propoſita. Vides ergo quā pulchrè perfecta iuſtitia & perfecta miſericordia Dei in hoc ſemine ita punit Deus peccatum, vt ſatisfiat ſuæ iuſticiæ, & ita placatur interceſſione Chriſti, vt eius perfecta miſericordia conſpiciatur cū iuſticia conuenire. Hæc ſint breuiter potius indicata quam ſcripta de prima promiſſione Meſſiæ, ad cuius declarationem vniuerſa ſcriptura referenda eſt.

Pia allegoria de homine Chriſtiano.

Hic nobis non eſt prætereundum quod B. Macharius ſcribit in quadam homilia, in qua primam ſeductionem primorum parentum noſtrorum in Paradiſo, fuiſſe imaginem perpetuarum inſidiarum ſingulorum qui ſunt in Eccleſia, teſtatur. Eſt ſiquidem omnis homo pius vt Paradyſus quidā amœnus pulcerrimis arboribus & floribus conſitus, id eſt, donis Spiritus ſancti ornatus, iuſtificatus & ſanctificatus in Chriſto. In hoc Paradyſo, id eſt, quolibet pio homine, eſt arbor vitæ, qui eſt Chriſtus Ieſus. Senſus hominis externus, eſt veluti fœmina, hoc eſt, Eua ipſa. Ratio hominis illuſtrata luce cœleſti, inſtar Adami ipſius eſt. Voluptas carnis ſerpentem repræſentat. Hæc voluptas afflata à diabolo ſenſum pertentat, vt ſenſus victus illecebris alliciat rationem virū ſuum. Hæc ergo voluptas ceu ſerpēs, ſingulos hominis ſenſus ſuis veneficiis ſibi ſubiicere conatur. Auditū, vocum ſonitu & honoribus aggreditur. Viſum, ſplendore & diuitiis ſolicitat. Tactum philtris venereis circumuallat. Olfactum, odorum fragrantia detinet. Guſtum, deliciis ciborum & potuum ineſcat. Senſus in hunc modum victus & deceptus, vt Eua altera, à voluptate ſerpente, rationem, id eſt, virum ſuum cui ſubiectus eſſe deberet, aggreditur, eum alliciens ſuauitate fructus, quem ex rebus, carnalibus pollicetur. Huic ſi ratio obtemperat, fit ex regina ſubdita, ex domina ſerua. Atque ita homo rurſus ex arbore vitæ excluditur, & excluſus peribit, niſi rurſus per pœnitentiā guſtauerit de fructu arboris vitæ. At ſi ratio ſenſui non obtemperat, viriliter agit, fructu arboris vitæ roboratur, & creſcit ad vitam æternam. Hæc imago nos noſtri officij admoneat, vt cautè ambulemus, ne voluptatibus carnis, & concupiſcentiis huius mundi vincamur.

Secunda promiſſio, ſeu prioris repetitio.

Hæc ipſa promiſſio iterum proponitur Gen. 12. 3. hiſce verbis. *Benedicentur in te* (loquitur enim ad Abrahamum) *omnes familiæ terræ*, hoc eſt, vt ipſe Dominus, cap. 22. 18. ſe exponit, cum ait: *benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.* Hoc ſemen Paulus, Gal. 3. 16. interpretatur eſſe Chriſtum, cum ait: Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones & ſemini eius. Non dicit & ſeminib. ſed tanquam de vno, & *in ſemine tuo qui eſt Chriſtus.* Huius promiſſionis hæc eſt ſimpliciſſima ſententia. Gentes, id eſt, homines quicunque liberati à maledictione legis, & miſeria ſempiterna, horúmque cauſis peccato & ira Dei, & donati benedictione & beatitudine ęterna per Ieſum Chriſtum, quem fide apprehendunt, in quo & iuſtificantur & ſanctificantur, beabunt ſe & fœlices pronunciabunt quoniam per ſemen hoc benedictum, & ſatisfactum eſt

Explicatio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

perfectæ iuſtitiæ Dei,& perfectæ miſericordiæ Dei factus eſt locus. De hac benedictione loquitur Paulus ad Eph.1.3. Benedictus Deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti,qui benedixit nos benedictione ſpirituali in cœleſtib.in Chriſto, in quo habemus redemtionem per ſanguinem eius & remiſſionē peccatorum: Atque ita videmus quod hęc repetita promiſſio effectum victoriæ ſuper ſerpente clarius exprimit,ac veluti definit ipſam victoriā benedictionis voce. Nam pleniſſima beatitudo hic voce benedictionis ſignificatur: quemadmodum ex Paulo oſtendi. Deinde in hac promiſſione obſeruetur particula vniuerſalis, *Omnes*, inquit, *Gentes*. Deteſtemur igitur tanquam ſerpentis venenum eorum dogma, qui hanc vniuerſalitatem Sophiſtica conantur eludere,ac gratias agamus Deo,pro ſua immenſa gratia quam promiſcuè omnibus offert,& nos includamus in hāc vniuerſalem promiſſionem gratiæ per fidem. Neque enim omittit M ſes modum applicationis beneficiorum huius benedicti ſeminis. Nam Ge.15 6.ait: Credidit Abraham Deo & reputatum eſt ei ad iuſtitiam,id eſt,fides,vt Paul.ad Rom.4.3.hoc dictu interpretatur, credenti Abrahamo imptutata eſt ad iuſticiam. Eſt autem hæc iuſtitia præcipua benedictionis in Chriſto promiſſæ portio. Nam vt iuſtitia peccato opponitur:ita eadem iuſtitia via eſt ad vitam benedictionis finem. Dicitur autem fides imputari ad iuſtitiam,non dignitate ſua,non merito,ſed quoniam organum eſt quo apprehenditur iuſtitia Chriſti,cuius imputatione iuſti ſumus. Ideo Paulus alibi clarius loquitur, vbi dicit nos fide iuſtificari, quatenus nimirum fides Chriſti obedientiam apprehendit,qua nobis imputata iuſti cenſemur. Non ergo pugnant,fides imputatur Abrahamo ad iuſtitiam,& nos obedientia Chriſti iuſti ſumus: ſiquidem illud huic ſubordinatur. Quæ autem ſubordinata ſunt, minimè repugnant. Huius applicationis meminit etiam Ieremias cap.17.7. Benedictus vir ille qui confidit in Iehoua,id eſt, merito benedicti ſeminis, quod fide apprehendit: beatus eſt quiſquis crediderit. In eo enim liberatur à peccato & donatur iuſtitia & vita. Vt ergo fide accommodamus nobis gratiam vniuerſalem in benedicto ſemine propoſitam: ita infidelitas hanc gratiam reiicit. Ex quo fit vt gratia quæ ex conſilio Dei omnibus offertur vtpote vniuerſalis,fiat culpa hominis particularis, vt ſtet firmum dictū illud Oſeæ,13.9. perditio tua ex te Iſraël, in me tantummodo auxilium tuum. Hic rurſus videre eſt,quam concinnè perfecta iuſticia & perfecta miſericordia Dei in hoc ſemine Abrahæ conueniāt, & mutuo auxilio ſe ſuſtineant. Id quod D. Paulus clariſſimè ad Gal.3.13. docet,cùm ait,Chriſtus redemit nos de maledicto legis factus pro nobis maledictū, (id eſt maledictionis pœnam noſtro nomine ſuſtinens, vnde ſatisfactum eſt perfectæ Dei iuſtitiæ) vt in gentib.benedictio Abrahæ fieret in Chriſto, id eſt,vt perfectæ miſericordiæ Dei fieret locus,qua in gratiam recipit peccatorem. Cum his duab. promiſſionib.congruunt omnes alię de Chriſto,vbicunque leguntur apud Prophetas. Nam Prophetæ ſuas prędictiones de Chriſto mutuati ſunt à Moſe, quas ſuis accommodarunt auditoribus,prout tempus & ra io poſtulabant. Ex quibus multas cogemur adducere in ſequentium membrorum noſtræ partitionis explicatione. Hic ſolummodo teneamus,quam apte hiſtoria Euangelica, & ſcripta apoſtolica cum his duabus promiſſionibus quas declarauimus, congruant.

Aliarum promiſſionum ſumma.

DE SECVNDO.

De per- ſona me- ſia.

Cum Meſſias promiſſus in ſcripturis dicatur Iehoua, Semen Abrahæ,& Emanuel, docemur quod Meſſias ſit Deus,quod ſit homo,quod ſit vna perſona θεάνθρωπος. Etſi autem perſona eſt æterna: tamen nunc dicitur conſtare ex duab. naturis,quia iuxta tēpus diuinitus ordinatum,filius Dei aſſumſit humanam naturam in vnionem hypoſtaticam, vt Meſſias eſſet Deus & homo vna perſona in duabus naturis ſubſiſtens.

Diuinæ naturæ in Chriſto inter alia hæc ſunt teſtimonia.

Di- eius ex te- moni.

Pſ.2.7. Dauid in perſona Dei Patris alloquitur filiū hiſce verbis, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Eſt enim filius æternus à patre æterno genitus ineffabi totius eſſentiæ communicatione ab æterno, in qua eſſentia nullum punctum dari poteſt, nec principij,nec medij,nec finis,vt in rebus creatis.

Pſ.45.7.8. Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga æquitatis,virga regni tui, dilexiſti iuſticiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te, ô Deus, Deus tuus oleo exultationis præ conſortibus tuis. Hic Dauid vaticinatur de regno Chriſti, quem Iehoua nominat: eſt enim Iehoua nomē diuinæ naturæ ſeu eſſentiæ proprium, quia ab omni æternitate eſt & ſemper eſt. Hebræi enim ipſi teſtantur hoc nomen Deo impoſitum eſſe, ad ſignificandam nudā diuinā eſſentiam ſecūdū ſe,abſque aliquo reſpectu ad creaturas, & propterea ſit incommunicabile creaturis.

Pſal.68.5. Iehoua nomen illi,exultate in conſpectu eius.

Eſaiæ 9.6. vocabitur nomen eius admirabilis,conſiliarius, Deus,fortis.

Ierem.23.5. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauidi germen iuſtum,& regnabit rex,& proſperabitur,& faciet iudicium & iuſtitiam in terra. In diebus eius ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter. Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Iehoua iuſtificator noſter.

Huc accedit cultus diuinus ſolius Dei proprius. Pſ.72.11. Adorabunt eum omnes reges terræ,omnes gentes ſeruient ei. Nunc autem Deut.6.13. ſcriptum eſt: Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſeruies. Prætereo officium & opera, quæ planè diuina ſunt. Dicitur enim paſsim in ſcripturis creare, ſaluare, iuſtificare, beare, quæ nulli rectè tribuuntur niſi Deo.

Multa dicta noui Teſtamenti cum his veteris teſtamenti teſtimoniis congruunt. Ioannis 1. 1. dicitur filius DEI λόγος,qui erat in principio,qui erat apud Deum,qui erat Deus, per quem omnia facta ſunt: Et paulo poſt diſertis verbis vocat & definit λόγον hunc,filium Dei. Vidimus,inquit,gloriam eius,gloriam tanquam vnigeniti à patre. Vox patris ſonat de cœlo ſuper eum huiuſmodi. Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacitū eſt,hunc audite. Matt. 17.5. Paulus ad Ro.1.4. vocat Chriſtum, filium Dei: Qui inquit,declaratus eſt filius Dei per potentiam. Ad Ro.9.5. loquens de Chriſto ſic ait: Qui eſt Deus laudādus in ſecula. 1.Ioh.5.20. Scimus quod filius Dei venit,& dedit nobis mentem, vt cognoſcamus illū, qui verax eſt,& ſumus in veraci illo,id eſt,in filio eius Ieſu Chriſto, hic eſt verus Deus & vita æterna. Habemus igitur conſentientia teſtimonia veteris & noui Teſtamenti de vera deitate ſeu diuina natura filij.

Verum quò plenius iuuentus de hoc myſterio erudiatur, & firmis rationibus armetur aduerſus eos, qui

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

qui ex inferis Ariana dogmata reuocare conantur: huc duo breuiter adiiciam. Vnum quomodo non tres dij ſint, etſi & pater ſeorſim eſt, & dicitur Deus, ſimiliter & filius, item ſpiritus ſanctus. Deinde quantum interfuerit noſtræ ſalutis, vt mediator noſter verus æternus & omnipotens Deus eſſet.

De vnica Dei eſſentia, in qua tres perſonæ ſubſiſtunt, ſuis proprietatib. & numero diſtinctæ.

Quantum autem ad primum attinet, hæc demonſtratio inprimis teneatur, videlicet, quod nihil re & actu infinitum poſſit vel partitione vel defluxione, vel propagatione, vel alio quouis modo multiplicari. Hoc enim infiniti naturę ita repugnat, vt fieri nō poſſit, vt ſimul ſtent natura infinita, & eiuſdem quouis modo multiplicatio. Nunc autē verbū Dei nobis diuinam naturam prædicat infinitam & immenſam, vt quæ omnia impleat, & à nullo excludatur. Ierem. 23.23.24. Nonne deus de propinquo ego ſum, dicit dominus, & non deus de longinquo? An non cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus. Et Pſal. 139.7. Quò ibo à ſpiritu tuo & quò à facie tua fugiam. Si aſcendero in cœlum tu illic es, ſi deſcendero in infernum, ades. Si ſumſero pennas meas diluculo, & habitaueris in extremis maris, etiam illic manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua. Hinc cōcluditur infinitas & immenſitas eſſentiæ ſeu naturę diuinę. Hoc autem cum ita ſit: quid quęſo ineptius? quid abſurdius? imò quid magis impiū eſſe poteſt, quam ſimpliciſſimam infinitatē diuinæ naturæ diſcerpere & numero multiplicare? Iam ſi & ineptum & abſurdum impium hoc eſt, quid dicemus de illis qui plures eſſe Deos quam vnum fingunt? Huc accedit Moſis vox Deut. 6.4. Audi Iſraël, Iehoua Deus noſter Iehoua vnus eſt. Etſi ergo tres ſunt iuxta verbum & patefactionem, non ſeparatæ quidem à ſe inuicem, ſed ſuis proprietatibus & numero diſtinctę perſonæ: tamen ex eo nō ſequitur tres eſſe Deos. Sunt enim hæ tres ſingulæ perſonæ, vnus & idem perfectus Deus, quia in qualibet perſona non eſt aliqua Dei eſſentiæ pars: ſed tota eſſentia, eáq; inſecabilis, quia infinita. Non ergo eſſentia diuina in qua ſubſiſtunt hæ tres perſonæ multiplicatur. Pugnat enim ſectio ſeu partitio cum ſimpliciſſima infinitate, ſicuti iam demonſtrabimus. Si enim multiplicaretur infinitas, finita fieret. Si finita, creatura. Si creatura, nullo pacto diuina eſſentia dici poſſet. Proinde eſſentia diuina infinita eſt natura, tribus perſonis communis, etſi vna ſit numero, perſonæ vero ſunt tres, quæ in hac communi natura ſubſiſtunt, non quidem ſeparatæ vt antea diximus vna ab alia. Nam ſe mutuò continent κατ' περιχώρησιν, vt Damaſcenus loquitur. Eſt autem περιχώρησις mutua continentia, qua tres perſonæ trinitatis, vna in alia viciſſim cōtinentur, vt cū filius dicit, pater in me eſt, & ego in patre. Et Paulus: Erat Deus in Chriſto mūdū ſibi recōcilians. Sed hoc myſteriū περιχωρήσεως cineri & pulueri plane eſt inſcrutabile. Sed diſtinctæ duntaxat; vt monuimus, proprietatibus & numero. Si quidem pater eſt perſona gignens, filius eſt perſona ab omni æternitate ineffabiliter genita. Spiritus ſanctus eſt perſona procedens à patre & filio ab omni æternitate. Tres ergo illæ diuinæ perſonæ non ſunt tres dij: ſed vnus idemque Deus propter ſimpliciſſimam trium perſonarū in vnam eandemque naturam vnionem. Cum ergo Deum nominamus, intelligimus eſſentiam diuinam in qua tres perſonæ ſubſiſtunt. Cum patrem filium & Spiritum ſanctum nominamus, intelligimus perſonas ſubſiſtentes in illa communi natura diuina, diſtinctas proprietatibus & numero. Quod autem exempla nulla in natura creata huc per omnia quadrāt, ratio eſt. Quia natura creata eſt finita, & multiplicabilis, cum increata ſit infinita & minimè multiplicabilis. Sumanus exempli cauſſa naturam humanā. In hac natura humana finita & multiplicabili, ſubſiſtunt plures perſonę vt Petrus, Paulus, Iohannes. Eſt enim humana natura illlis cōmunis: ſed Petrus, Paulus, Iohannes non ſunt vnus homo numero, ſed tres. Quia & multiplicata eſt eſſentia humana, & ſeparati ſunt Petrus, Paulus, Iohannes à ſe inuicem & diſtinguntur perſonalibus proprietatibus. Eſt ſiquidem ſimilis eſſentia humana in Petro, Paulo, Iohanne, nō vna eadémque numero. Si enim vna eademque numero eſſentia humana eſſet in Petro, Paulo, Iohanne, non dicerentur nec eſſent tres homines: ſed vnus homo, nec ſeparati eſſent à ſe inuicem, vt vnus poſſit eſſe hic & alius alibi. Videmus ergo cur ſcriptura, etſi tres perſonas ſuis proprietatibus & numero diſtinctas agnoſcit, non tamen tres Deos adorat. Quia nō eſt niſi vna numero diuina eſſentia, in qua ſingulæ tres illæ perſonæ perfectè communicant. Hinc eſt quod omnia quæ Deo attribuuntur abſolutè, hoc eſt, ſine perſonarum inter ſe comparatione ſeu relatione, ſint ſingularia, vt eſſe increatum, immenſum, æternum, omnipotentem, ἀπερίγραπτον. Etſi ergo pater eſt increatus, filius eſt increatus, Spiritus ſanctus eſt increatus, & ſic de aliis cōmunib. attributis: tamē non ſunt tres increati, ſed vnus increatus. Eſt enim increatum eſſe proprietas ſeu idioma diuinæ eſſentiæ, quæ ſingularis eſt. Contrà vero cum dicitur, pater filio æqualis eſt, filius eſt æqualis patri, & Spiritus ſanctus eſt æqualis patri & filio, rectè dicuntur tres coæquales, vt coæterni, coeſſentiales, immenſi, ἀπερίγραπτοι, quia hæc ad mutuam perſonarum, quæ plures ſunt, comparationem dicuntur.

Quare meſsias debuerit eſſe deus.

Iam quare Meſſias noſter Deus eſſe debuerit videamus. Quod neceſſe fuerit mediatorem eſſe Deū duæ grauiſſimæ ſunt cauſæ, videlicet *magnitudo mali*, quo premebatur natura humana: Et *impotentia* ſeu infirmitas *creaturæ* ad reſtituenda bona quæ per peccatum amiſſa erant.

1. Magnitudo mali: in qua cernūtur

Magnitudo mali cernitur in quatuor potiſſimum, videlicet, in peccati noſtri grauitate, in iræ diuinæ iuſtitia, in potentia mortis, & in diaboli tyrannide crudeliſſima.

Peccati grauitas.

1. Peccati grauitas maior fuit quam vt eius onus ſuſtinere poſſet finita potentia, qualis eſt angelorum & hominum. Nam cùm infinitus reatus ſit, propter bonum infinitum offenſum, videlicet Deū, cuius maieſtas læſa erat per peccatum primorum parentum, neceſſe fuit vt hoc peccatū, aut infinitis pœnis puniretur, iuxta normam diuinæ iuſtitię, aut pro eo ſatisfieret diuinæ iuſtitiæ. Verùm quia hæc ſatisfactio debuit eſſe pretium infinitæ bonitatis & æquiualens, non potuit ab vlla, imò ne omnibus creaturis, ſimul fieri. Quare neceſſe fuit expiatorem peccati eſſe Deum. Solus enim Deus vt eſt infinitus, ita ſolus infinitum malum ſuperare aboleréque potuit.

Iræ Dei iuſtitia.

2. Iræ diuinæ iuſtitia proportionem vindictæ ad offenſam poſtulabat. Cùm ergo offenſa erat infinita, fuit & ira infinita, quam pura creatura ſuſtinere placareque non potuit. Quare neceſſe fuit vt mediator, qui iram Dei placaret Deus eſſet. De hac ira loquitur Paulus Rom. 1.18. Reuelatur ira Dei de cœlo ſuper impietatem omnium hominum. Quod autem hæc tolli non poſſit ſine mediatore docet hoc dictū Baptiſtę apud Ioann. 3.36. Qui non credit in filium ira Dei manet ſuper eum. Quod autem hæc ira Dei ſit immenſa & infinita propter peccatum, (in quo concurrunt hæc mala, contemtus maieſtatis diuinæ, ſuperba contumacia aduerſus legem Dei, indigna imagine Dei, ad quam conditus erat ho[illegible], conſpurcatio, imitatio Sathanæ hoſtis Dei, fœda defectio à

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

caſtris Dei ad diabolum, & intolerabilis ingratitudo &c.)cognoſcitur. 1. ex pœna primorum parentum. 2. ex pœna ſecuta in omnibus poſteris Adæ. 3. ex comminationibus diuinis. 4. ex calamitatibus, quibus premitur humanum genus. 5. ex tyrannide diaboli in homines. 6. ex ſignis iræ Dei in cœlo, in terra, in mari. 7. ex magnitudine æternarum pœnarũ, quas luent qui non conuertuntur. 8. denique ex pretio infinito ſoluto, pro redemtione pœnæ peccati. Quis hic non videt, impoſſibile fuiſſe iram Dei tolli, niſi per mediatorem cuius eſſet infinita potentia?

Potentia mortis.

3. Potentia mortis maior fuit, quam vt ab vlla creatura ſuperari potuerit, adeo quod Plinius dixerit, ſed falſò, ne Deo quidem poſſibile eſſe mortuum excitare. Nunc autem cum munus præcipuum eſt mediatoris deſtruere mortẽ, neceſſe fuit, vt potentia diuina polleret, qua vt vitam conferre: ita mortem abolere poteſt. Non eſt enim apud illum impoſſibile vllum verbum.

Tyrannis diaboli.

4. Tyrannis diaboli crudeliſſima, ſub qua captiuum tenebatur genus humanum propter peccatum, etiam erat opprimenda à mediatore. Quàm autem hoc fuerit impoſſibile humanę naturæ, hiſtoria mũdi cum omnium hominũ experientia teſtatur. Quare neceſſe fuit mediatorem eſſe Deum, qui tyrannidem diaboli ſua opprimeret potentia. Hinc perſpicuum eſt, quod ad magnitudinem mali quo premebatur genus humanum tollendam requirebatur, vt mediator eſſet Deus.

Hic iuxta cogitetur magnitudo amoris in æterno patre, & filio, & Spiritu ſancto erga genus humanũ. Pater filio ſuo non pepercit, ſed voluit eum ſubiici pœnis, vt nos ab æternis pœnis liberaret. Filius volens & obediens patri factus eſt victima, reatum peccati in ſe deriuans. Spiritus ſanctus ipſe vult in cordibus reconciliatorum habitare, & motus diuinæ voluntati congruentes in nobis accendere. Hæc in nobis excitabunt fidem, inuocationem & gratitudinem erga Deum, & munient animos noſtros aduerſus terrores mortis, aduerſus diaboli tyrãnidem, &c.

II. Impotẽtia creaturæ ad reſtituenda bona amiſſa. Hæc ſunt à Chriſto reſtituta. videlicet.

Secunda cauſſa cur oportuerit mediatorem Deum eſſe, eſt impotentia & infirmitas creaturæ ad reſtituenda bona, quæ per peccatum amiſimus. Etſi autẽ vna voce imaginis Dei hæc bona comprehenduntur: tamen plura ad eius reparationem neceſſariò requiruntur, quæ Paulus enumerat 1. Cor. 1. 30. cùm ait Chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redẽtio, vt qui gloriatur in Domino glorietur. Hæc quatuor bonorum genera creatura nulla, aut finita potentia reſtituere hominibus potuit: quemadmodum de ſingulis ordine videbimus.

1. Sapientia.

Primum itaque *Sapientiam* debuit mediator reſtituere, non qualis eſt mundi, quæ certis terminis clauditur, ſed quæ abſcõdita eſt à principibus ſeculi huius. Quæ ſanè ſapientia à Zacharia definitur eſſe ſcientia ſalutis in remiſſionem peccatorum per viſcera miſericordiæ Dei noſtri: Luc. 1. 77. De hac ſapientia loquitur Euangeliſta Iohannes primo capite verſ. 18. cum ait: Deum nemo vidit vnquam, ſed filius qui eſt in ſinu patris ipſe enarrabit nobis. An non Iohannes Baptiſta miſſus eſt, Zacharia patre teſte, ad dandam hanc ſapientiam? An non per angelos & Prophetas potuiſſet Deus hominibus hanc reuelare ſapientiam? Aliud eſt dare ſapientiam, ſeu docere vt miniſtri: aliud eſt eſſe ſapientiam, hoc eſt, efficaciter præſtare vt corda hominum percipiãt ſalutarem ſapientiam. Vox quidem hominis ferit aures corporis. At filius Dei qui eſt ipſa Dei ſapientia, animum hominis ſapientia replet ſalutari. Nam tum demum verbum Prophetarum fructum affert, quando Deus cor aperit, & inſtillat veræ ſapientiæ ſemina, quod ſane non eſt creaturę vllius ſed creatoris ſolius. Ex quo ſequitur oportuiſſe mediatorem eſſe Deum.

2. Iuſtitia.

Secundo loco oportuit mediatorem *Iuſtitiam* reſtituere. Nam ſine perfecta iuſtitia nemo poteſt in conſpectum Dei prodire: verùm perfectam iuſtitiã, quæ ſufficiat omnibus, nemo poteſt conferre niſi Deus. Siquidem duo requiruntur, vt homo ſit perfectè iuſtus coram Deo: quorum primum eſt liberari ab iniuſtitia & peccato, quæ mala in mundum homines ſecum afferunt & augent poſtea. Alterum donari & ornari plena legis diuinę (quæ eſt menſura iuſtitiæ quæ coram Deo valet) obedientia, neutrum horum præſtitiſſet mediator niſi Deus eſſet. De priori ſupra diximus vbi oſtendimus enormitatem peccati, & iuſtitiam iræ diuinæ. De altero quod eſt donari & ornari iuſtitia, qua ſatiſfiat legi Dei, manifeſtum eſt, quod nullius creaturæ iuſtitia cum finita ſit, poſſit ſufficere infinitis hominibus in ſalutem, quod ſane in mediatore requiritur. Siquidem vt ſufficienti expiationis victima pro peccatis ſatiſfacere, atque adeo omnem reatum tollere: ita obedientia ſua erga legem omnes iuſtos coram Deo ſiſtere, qui in ipſum credunt, debuit. Ita enim Paulus ait, 2. Cor. 5. 21. Eum qui non nouit peccatum fecit peccatum, vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. Talem proinde mediatoris iuſtitiam, hoc eſt infinitam eſſe oportuit, vt infinitis hominibus ſufficeret. Quare neceſſe eſt vt mediator noſter ſit verus Deus.

3. Sanctificatio.

Sanctificatio tertio loco ſequitur, quam mediator afferre debuit. Quod ſanè cum nulla creatura præſtare potuit, Deum eſſe mediatorem oportuit. Siquidem ſolius Dei eſt dare ſpiritum ſanctificatorem, ſine quo ne inchoari quidem, nedum conſummari ſanctificatio noſtri potuit. Porrò cum ſanctificatio opponitur peccato, & in peccato ſunt duo, videlicet formale, vt reatus: & materiale, vt vitioſæ qualitates & actiones, duplex erit ſanctificatio. Vna quæ opponitur reatui, quæ eſt expiatio peccati per Chriſti ſanguinem. Altera quæ opponitur vitioſis qualitatibus & actionibus, quæ eſt ſegregatio hominis à prophanitate gentium per mortificationẽ carnis, & coniũctio eiuſdem hominis cum Deo per viuificationem ſpiritus. Hæc ſanctificatio vocatur etiã à Paulo Philip. 3. 3. Circumciſio ſpiritualis. Nos, inquit, circumciſio ſumus, qui ſpiritu Deum colimus, in Chriſto gloriamur, & non in carne confidimus. Proinde circumciſio ſpiritualis eſt amputatio fiduciæ carnis, cui ſuccedit gloriatio in Chriſto, & purus colendi Deum affectus. Atque hæc reuera eſt ſanctificatio illa, quam Deus & homo mediator noſter affert.

4. Redemtio.

Redemtio quam poſtremo locõ collocat Paulus, I. requirit perpetuam præſentiam mediatoris in Eccleſia late per mundum ſparſa. Sed quis poteſt ſimul & ſemper in tot locis præſens eſſe niſi ſit Deus? II. Requirit cuſtodiam Eccleſiæ, videlicet vt mediator ſit cuſtos non ſolùm Eccleſiæ totius: verumetiam ſingulorum membrorum aduerſus infinitas technas diabolorum & hominum, quod ſane diuinę potentiæ eſſe manifeſtum eſt. III. Requirit vt mediator inſpiciat corda, ne fallatur externa hypocritarum larua. Iam autem cùm ſolius Dei ſit intueri corda hominum, & intimos affectuum receſſus contemplari, & hoc mediatoris eſt officium: certe oportuit mediatorem eſſe Deum. IIII. Requirit vt vbique audiat gemitus ſe inuocantium, & in ſpiritu & veritate precantes exaudiat, quod ſane ſolius

lius diuinæ virtutis eſt. V. Requirit vt in extremo die exſuſcitet mortuos, vt prodeant ex terræ puluere omnes homines inde vſque ab Adam ad vltimum. Sed quid ad tantū opus valent omniū creaturarum vires? Sane omnes angeli & omnes homines ſuis viribus ne vnum excitarent mortuum, nedum omnes, idque in ictu oculi. VI. Requirit vt mediator conferat reſuſcitatis, qui in vera fide obierunt, æternam vitam, perpetuam gloriam, & conformitatem cum Deo. Sed quantum hoc ſuperat opus creaturarum vires, nemo non videt, niſi qui & mente & ſenſu caret. Cū igitur mediatoris ſit tantis bonis Eccleſiam ſuā ornare, quæ cōferre nemo poteſt niſi ſit Deus: Profecto neceſſe fuit mediatorem eſſe Deum. Hoc cum piè cogitaret Euangeliſta Iohannes, voluit hoc fundamentū iacere de verà diuinitate mediatoris in principio Euangelij ſui, vt certò ſtatuamus, mediatorem verum Deum eſſe, perſonam à patre diſtinctam: ſed eiuſdem eſſentiæ & potentiæ, vt & mala tolleret, quibus premitur humanum genus, & bona conferret, quibus per peccatum excidimus. Breuiter vt omnia vno verbo cōcludam, Si mediator Deus non eſſet, ſaluator non eſſet, ſed potius Saluatore indigeret. Et Iohannes Caſſianus: *Audi loquentem ad paſtores de Dei ortu angelum Dei: Natus,* inquit, *eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Ne ſolum vtique in Chriſto hominem intelligeres, & Domini & Saluatoris nomen adiecit, ſcilicet vt quem Saluatorem eſſe cognoſceres, Deum nequaquam eſſe dubitares. Et cum ſaluandi virtus non niſi diuinæ competeret poteſtati, diuinæ enim eſſe potentiæ non ambigeres, in quo ſaluandi potentiam eſſe didiciſſes.* Atque hæc breuiter ſint dicta de veritate diuinæ naturæ in Chriſto, & cur oportuerit mediatorem eſſe Deum. Nunc breuiter adijciemus teſtimonia de humana natura Chriſti, & oſtendemus cur neceſſe fuerit Meſſiam fieri hominē.

De natura humana Chriſti teſtimonia.

Teſtimonia igitur humanæ naturæ in Chriſto ex multis hæc pauca libuit aſcribere.

Gen. 3.15. promittitur mediator ſub nomine Seminis mulieris. *Semen*, inquit, mulieris cōteret caput ſerpentis. Seminis mulieris nomine procul omni dubio humana natura ſignificatur, quam mediator tempore à patre conſtituto aſſumere debuit, quod & fecit: iuxta illud Pauli: Poſtquam venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum natum ex muliere. Gal. 4.4.

Gen. 49.10. promittitur idem mediator ſub nomine *Silo*. Non, inquit, auferetur ſceptrum de Iuda donec veniat Silo, id eſt, filius mulieris, qui erit expectatio gentium, id eſt, promiſſus Meſſias.

Iere. 31.22. Creabit Iehoua nouum in terra, fœmina circumdabit *virum*, id eſt, fœmina ſine virili ſemine grauida, mater erit prolis maſculæ. Siquidē cum hoc nouū vocat, indicat fœminā concepturam & parituram contra cōmunem naturæ curſum. Nam cum nouum non ſit fœminam parere ex virili ſemine conceptum: ſequitur quod hic ſit intelligenda fœmina, quæ conceptura & paritura eſt contra naturæ curſum conſuetum.

Eſai. 7.14. Ecce virgo pregnans pariet *filium* & vocabitur nomen eius *Emanuel*, id eſt, qui erit Deus & homo. Cum his vaticinijs congruit vox Euangeliſtarum & Apoſtolorū. Iohān. 1.14. Verbum caro factū eſt. Hæc propoſitio tria docet de Meſſia, videlicet, in illo eſſe 1. naturā diuinam, 2. naturam humanā 3. Vnionem harum naturarum factam eſſe. Luc. 2.7. Naſcitur Meſſias Bethlehem ex virgine de Dauidis proſapia iuxta vaticinia. Et Paulus vocat ipſum filiū Abrahæ ſecundum carnem. Quid multis? Tota Euangelica hiſtoria teſtimonium eſt de vera humanitate Chriſti, quam aſſumſit integram, hoc eſt, conſtantem anima rationali, & corpore, obnoxiam tamen communibus humani generis calamitatibus, ſed ſine peccato. Oportuit enim ipſū, qui ſacerdos eſſet futurus, eſſe ſegregatum à peccatoribus, non quidem ſocietate naturæ ſed culpæ.

Cur mediatorem oportuerit eſſe hominē.

Cur autem oportuerit mediatorem noſtrū eſſe hominem, etſi Prophetæ & Apoſtoli id multis in locis docent: tamen Paulus omnium clariſsime hoc myſterium explicat, idque multis in locis. Et ſūma ſententiæ Paulinæ de hac re huc redit. Vt vnus homo Adam peccauit, & in damnationē alios omnes ſecum coniecit: ita congruebat iuſticiæ diuinæ, vt vnus homo ſatisfaceret pro peccato, & autor eſſet ſalutis æternæ. Hæc ratio hiſce verbis ad Ro. 5.15.16.17.18.19. proponitur. *Sicut per vnum hominem Adamum, peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, quia omnes peccauerunt: ita ſcilicet per vnū, videlicet Chriſtum, iuſticia in mundū intrauit, & per iuſticiā vita. Et paulo poſt, Sicut per vnius hominis delictum (reatus venit) in omnes homines in condēnationem: ſic & per vnius hominis iuſticiam) abſolutio à reatu venit) in omnes homines in iuſtificationem vitæ, hoc eſt, Sicut Adæ peccatum cauſa eſt cōdemnationis ad æternam mortem: ita Chriſti iuſticia cauſa eſt iuſtificationis ad vitā æternā. Et rurſus ſicut per inobedientiā vnius hominis (Adæ) peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius hominis (Chriſti) obedientiā iuſti conſtituētur multi, id eſt, omnes credentes. Ad hanc congruentiā diuinæ iuſticiæ in ſaluatione hominis reſpicit etiam idem Apoſtolus 1. Cor. 15.22. Vbi ait: Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Chriſto omnes viuificabuntur, ſcilicet nati filij Dei per fidem. Breuiter, Quemadmodum in vno homine Adamo facti ſumus inſipiētes, iniuſti, polluti, & ſub æterna morte captiui: ita vnus homo Chriſtus Ieſus, natus eſt nobis à Deo, ſapientia, iuſticia, ſanctificatio & redēptio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Hæc congruentia iuſticiæ in Deo præcipua cauſsa fuit, cur mediatorē noſtrum oportuerit eſse hominem, de qua re autor Epiſtolæ ad Heb. cap. 5.79. copioſius agit. Sed nobis hoc loco ſatis ſit ſummam rei indicaſse, Aliæ cauſſæ quæ afferuntur, ex hac de qua nunc egimus fluūt, & ad eam referuntur.

De vnitate perſonæ Chriſti.

Tertium, quod in Meſsia ſpectandum eſse dixi, eſt vnitas perſonæ. Etſi autem duæ ſunt naturæ mediatoris: tamen non ſunt duæ perſonæ, ſed vna duntaxat, eáque æterna, quæ dicitur, & Verbū ſeu λόγος, tum quia eſt χαρακτὴρ οὐσιώδης τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς, tum quia de eo & per eum factum eſt verbum promiſsionis, & ad eum omnia, quæ in Prophetis & Apoſtolis ſunt, referuntur: & Filius Dei, quia ab æterno à patre natus, eiuſdem naturæ eſt cum patre. Quicquid enim ab alio naſcitur, & eſt eiuſdem naturæ cum illo à quo naſcitur, dicitur eius filius. Aſumſit autem hic filius humanam naturam abſque eius perſonalitate propria in vnionem perſonalem, vt Deus & homo vnus ſit Chriſtus ſeu vna perſona. Nō eſt ergo Chriſtus ratione humanitatis perſona. Nam perſona Chriſti eſt ab æterno perfecta, quæ ſibi copulauit humanam naturam, vt vna eademque perſona eſset Deus & homo. Si quis obiecerit. Perſona eſt indiuidua rationalis & intelligentis naturæ ſubſtantia. Chriſtus quatenus homo, eſt indiuidua rationalis, ſeu intelligentis naturæ ſubſtantia. Igitur chriſtus videtur etiam ratione humanitatis eſse perſona. Reſpondeo,

D. j.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Maior eſt falſa. Etſi enim anima Petri eſt indiuidua rationalis & intelligentis naturæ ſubſtantia: tamen vt eſt in Petro non eſt perſona. Requiruntur ergo plura ad alicuius vt ita dicam perſonalitatem, videlicet, per ſe ſubſiſtere, vt perſona ſit indiuidua rationalis & intelligentis naturæ ſubſtantia per ſe ſubſiſtens. Nunc autem humanitas chriſti per ſe nõ ſubſiſtit, ſed ſubſiſtit in diuina perſona, à qua aſſumta eſt vt ſit eius propria. Nõ eſt ergo Chriſtus perſona ratione naturæ humanæ: ſed diuinæ ſolũmodo. Nõ enim vt omnis perſona ſimul naturam complectitur: ita omnis natura ſimul perſonam comprehendit, quia perſona eſt quiddam ὑφιστάμενον per ſe.

In perſona Chriſti, quatuor præcipuè cõſiderãda.

Porrò quatuor videntur in hoc myſterio digna diligenti conſideratione.

Primum, Qualis ſit vnio perſonalis, qua humana natura copulata eſt diuinæ.

Secundum, Quænam ſint naturarum idiomata.

Tertium, quæ eſt qualiſque ἰδιωμάτων κοινωνία,

Quartum, quid illa κοινωνία efficiat.

1. Vnio perſonalis.

Vnio perſonalis in Chriſto, vt alia vnionis genera prætercam, eſt duarum naturarum, videlicet verbi & carnis, id eſt, diuinæ & humanæ naturæ copulatio in vnam ὕπαρξιν ſeu ſubſiſtentiam, inconfuſa & impermixta, in qua copulatione natura aſſumens, id eſt, diuina ita ſibi copulat προσωπικῶς aſſumtam, id eſt, humanam naturam, vt eam ſuam propriam faciat, adeo vt vnum conſtituatur ὑφιστάμενον ſaluis naturis vtriuſque, & earum naturalibus proprietatibus, & operationibus inconfuſis. Etſi ergo Chriſtus natura eſt Deus, & idem Chriſtus natura eſt homo: tamen non eſt niſi vna perſona. Siquidẽ diuina perſona, humanam naturam ita ſuam propriam fecit, cum eam ſibi vniuit perſonaliter, vt hæc humana natura aſſumta, iam non ſit aut vnquã eſſe poſſit poſt vnionem factã alicuius alterius, niſi Dei verbi hominis facti. Hęc res vtcunque poteſt ſimilitudine hac declarari. Vt corpus Petri eſt corpus animæ Petri, ita vt ſit vnus Petrus: Sic corpus & anima Chriſti, ſunt corpus & anima vnigeniti filij Dei, vt vnus ſit Chriſtus eſſentialiter Deus & homo. Hoc tamẽ diſcrimen eſt. In Petro fit vna natura tertia cõpoſita ex duabus copulatis ſeu vnitis, videlicet corpore & anima: in Chriſto autẽ nõ fit vna tertia natura, vt voluit Eutyches. Manẽt. n. Chriſti naturæ ſaluæ cũ ſuis proprietatibus & actionibus, ſed vna perſona, quæ & Deus & homo eſſentialiter exiſtit, propter naturarum incolumitatem ſaluatam in vno ſubiecto. Hoc Augu. etiam teſtatur Ser. 58. de verbis Domini, cùm ait: *Licet vnam perſonam in Chriſto credamus: duas tamen ſubſtantias, id eſt, naturas eſſe fatemur, diuinitatis ſcilicet & humanitatis, aſſumtricis & aſſumtæ, creatricis & creatæ, quæ tamen ſubſtantiæ non ſunt confuſæ, ſed vnitæ, atque in vna eademque perſona inſeparabiles, & in ſua ſemper proprietate manentes. Quapropter vnicuique ſubſtantiæ propria vtique aptanda ſunt, id eſt, infirmitates humanitati, quæ creata eſt. Signa verò vel mirabilia diuinitati, quæ creauit.*

2. Naturarum proprietates.

Idiomate in chriſti perſona ſunt proprietates, quibus naturæ, videlicet diuina & humana & integræ ſaluæque manent, & diſtinguntur vna ab altera. Eſt enim Idioma quod vni naturæ ita proprium eſt vt non ſit alterius re ipſa. Diuerſæ igitur cum ſint naturæ, diuerſa habeant idiomata eſſentialia neceſſe eſt. Neque ex perſonę vnitate cõfundenda, ſed ex naturarum diuerſitate diſtinguenda ſunt in vno chriſto idiomata. Saluis igitur naturis diuerſis, maneant idiomata diſtincta, & idiomatis confuſis, cõfundantur etiam naturæ neceſſe eſt. Cum ergo hæc Enunciatio, Deitas eſt humanitas, ſit abſurda & falſa, diuerſiſſimæ enim ſunt naturæ: fieri non poteſt, vt ea quæ ſunt huius propria, illi attribuantur ſine errore & cõfuſione naturarũ. His ita poſitis, diſtinctius idiomata naturarum Chriſti explicemus.

Diuinæ naturæ proprietates.

Idiomata ergo diuinæ naturæ ſunt duplicia. Quædam enim ſunt ἀκοινώνητα, id eſt, incõmunicabilia, quę re ipſa non communicantur, hoc eſt, neque induuntur creaturis, neque creaturæ aliquas proprietates inde mutuantur. qualia ſunt hæc: Eſſe æternum, eſſe immenſum, eſſe infinitum, eſſe incircumſcriptum, per ſe exiſtere. Nihil enim præter ſolum Deũ eſt æternum, eſt immenſum, eſt infinitum, eſt ἀπερίγραπτον, eſt per ſe exiſtens. Quædam ſunt κοινωνητά, id eſt, communicabilia, quæ tametſi vt ſunt, ita manent quoque vnius Deitatis propria, alioqui communia effecta non amplius idiomata dici poſſent. Nam τὸ κοινὸν & ἰδίωμα ita opponuntur, vt nec alterum alteri, nec ambo tertiò alicui propriè & re ipſa tribui poſſint. Huius generis ſunt, exiſtere, ſapientem eſſe, bonum eſſe, purum eſſe, ſanctum eſſe, potentem eſſe, &c. Hæc enim etſi reipſa ſunt Dei propria: tamen vſus & virtutis reſpectu, item qualitatis ac ſimilitudinis cuiuſdam tenuis ratione, cõmunicari dicuntur, quam ob rem etiam κοινωνητά appellantur. Vt cum dicitur, homo exiſtit, homo eſt beatus, virgo eſt pura, qui credit eſt Sanctus, rex eſt potens. Hæc attributa etſi Dei re ipſa ſunt idiomata: tamen Deus bonus, & amans ſuæ creaturæ, radios quoſdam harum ſuarum proprietatum communicat creaturis.

Humanæ naturæ proprietates.

Idiomata humanæ naturę Chriſti ſunt in triplici diſcrimine: quædam enim ſunt temporaria: quædam perpetua quædam poſt reſurrectionẽ & triumphum Chriſti acceſſere.

Temporaria.

Temporaria idiomata humanę naturę Chriſti fuerunt infirmitatis, atque ideo durarunt ſolũmodo vſque ad mortem, vt fatigari, eſurire, dormire, triſtari, lacerari, angi, & multa huius generis. Hęc omnia cum morte depoſuit, ea enim ad tempus aſſumſerat, vt nobis ſimilis per omnia excepto peccato inueniretur. Pertinebant igitur iſta ad tempus exinanitionis, qua filius exinaniuit ſeipſum vſque ad mortem crucis, non quod diuinitas ſui ipſius reſpectu & ſeorſim ſit exinanita, ſed quatenus carni ſeſe vniuit. Non enim vt in naturam humanã participatio glorię, ita diminutionis ignominia in diuinam cadit naturam.

Perpetua.

Perpetua idiomata naturę humanæ ſunt quibus ſublatis, naturam humanam ſimul tolli neceſſe eſt. Fieri enim non poteſt vt vlla res ſine ſuis proprietatibus conſiſtat. Sunt enim eſſentiales, vt quę eſſentiam ipſam ſeu naturam conſtituant. Huius generis ſunt capi certo loco, ſecundũ Petrum Apoſtolum Acto. 3. 21. περίγραπτον eſſe, ſecundũ Nazianzenũ & Iuſtinum. loco teneri ſecundũ veri corporis modũ vt Auguſ. loquitur, in certo ſpacio eſſe, & finitum eſſe ſecundum Vigilium. Breuiter tota pia antiquitas cum vniuerſę ſcripturę conſenſu, veritatem humanę naturę in Chriſto agnoſcit & confitetur.

Aduentitia.

Idiomata humanę naturę poſt reſurrectionem, præter illa, quę perpetua eſſe cum tota ſcriptura & puriori antiquitate diximus, ſunt omnia, quæ coniuncta ſunt cum conſeſſu eius ad dexteram patris, videlicet, quod Chriſtus depoſita omni infirmitate, in eum glorię gradum ſit euectus, quo ſupra omne nomen, vt Paulus loquitur, id eſt, dignitatem & eminentiam, emineat, carne ipſius iam plene, à Deitate σωματικῶς in ea inhabitante, glorificata, non in ſua eſſentia, neque in proprietatibus eſſentialibus

abſor

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

abſorpta, quod ſanè non eſſet glorificari, ſed aboleri potius humanam naturam. Atque hoc eſt, quod Iuſtinus ait: *corpus Chriſti particeps factum eſt, non naturæ deitatis: ſed diuinæ dignitatis.*

Aduerſus vbiquitatis patronos.

Quod autem quidam humanam naturam Chriſti poſt reſurrectionem ita maieſtate Deificatam eſſe contendunt, quod ſuas proprietates eſſentiales non retineat, manifeſta refutantur ſcriptura. Scriptura enim vtriuſque meminit, videlicet maieſtatis & loci, ſeu ſitus carnis Chriſti poſt aſcenſionem. Ita enim autor Epiſtolæ ad Hebræ. cap. 1. 3. ait: Sedet ad dextram maieſtatis in excelſis. Si ergo quæris, quid acciderit Chriſto poſt aſcenſionem, reſpondet, ſedet ad dexteram Maieſtatis. Si vlterius quæris, vbi nam ſedet, reſpondet, in excelſis, hoc eſt vt Paulus ad Epheſ. 4. 10. interpretatur ſupra omnes cœlos. Verùm ſi obieceris, omnia eſſe plena Maieſtate gloriæ Chriſti. Reſpondeo. Sit anathema, qui vel aliud ſentit, vel dicit. Diſcernendum interea eſt inter maieſtatem ſimpliciter, & thronum Maieſtatis, quem in cœlo eſſe ſcriptura pronunciat. Hebræo. 8. 1. Qui conſedit ad dexteram throni Maieſtatis in cœlis. Huc facit illud Auguſtini tractatu 50. in Iohannem. *Quoniam verum eſt quod ait: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad cõſummationem ſeculi, & abijt, & hic eſt, & rediit, & nos non deſeruit. Corpus enim ſuum intulit cœlo, maieſtatem non abſtulit mundo.* Et Cyprianus lib. 6. cap. 14. *Hic animaduertendum eſt, quod etſi corporis ſui præſentiam hinc ſubduxerit: maieſtate tamen diuinitatis ſemper adeſt, ſicut ipſe à diſcipulis abiturus pollicetur: Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Hoc ipſum de veritate humanæ naturæ Chriſti docet modus aduentus Chriſti ad iudicium. Veniet (ait ipſe filius hominis) in gloria ſua, & omnes ſancti angeli eius cum eo, & ſedebit ſuper thronum gloriæ ſuæ. Item: videbitis filium hominis ſedentem ad dexteram potentiæ Dei, & venientem in nubibus cœli. In hac maieſtatis gloria ſedens ſtatuet oues quidẽ à dextris ſuis, hœdos vero à ſiniſtris. Non ergo gloria maieſtatis tollit localitatem aut circumſcriptionem carnis Chriſti, ſicut impurus Eutyches docuit.

Effugij vbiquitariorum refutatio.

Qui localitatem & circumſcriptionem carnis Chriſti exiſtimant non poſſe ſtare cum vnione perſonali, ſed ſeparari diuinitatem à carne, craſſiſſimè impingunt, ſomniãtes infinitatem finitam eſſe. Neque neceſſe eſt ea quæ vnita ſunt æque omnibus partibus patere. Teneatur ergo hoc antiquitatis teſtimonium, quod eſt apud Damaſcenum libr. 3. de fide cap. 7. *Deitas eſt incircumſcripta, non coextenſa carne eius cum incircumſcripta eius diuinitate.* Quamuis itaque non ſecundum vtramque naturam: tamen ſecundum inſeparabilem perſonæ vnitatem totus præſens eſt. Retineamus ergo conſtanter articulos fidei noſtrę, de vero Chriſti aſcenſu in cœlum & de reditu eiuſdem ad iudicium, iuxta teſtimonium angelorum Act. 1. 11. Hic Ieſus qui aſſumtus eſt à vobis in cœlum, Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.

Modus præſentiæ non ſcrutandus. ſed de veritate eius nobis ſentiẽda laborandum eſt.

Qui hæc, quæ hactenus diximus ex ſcriptura & patribus de veritate humanæ naturæ Chiriſti, putant aduerſari præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti in cœna, falluntur, à ſenſu carnis decepti. Fides enim Chriſtiana non fallacibus concluſiunculis ſinit ſe abduci à manifeſto verbo Dei: ſed veritate promiſſionis Chriſti fulcitur, etſi ſenſus & ratio hic deficiunt. Non ergo ſcrutatur modum præſentiæ, ſed veritatem ipſius ſentire potius laborat, proinde ſicut lutum cedit, figulo: ita nos verbo Dei cedamus, etiamſi tota rerum natura contrarium ſtatueret.

3. De proprietatũ communicatione

Iam videamus κοινωνίαν ἰδιωμάτων, id eſt; communicationem proprietatum. Verùm priuſquam eam definiamus, nominum quorundam, quorum notitia ad huius myſterij declarationem neceſſaria videtur, diſcrimen tenendum eſt, quod eſt quintuplex.

Nominũ diſcrimẽ primum.

I. Quædam ſunt naturarum propria, vt Deitas, humanitas, caro, diuinitas, diuina natura, humana natura.

Hæc enim ſolummodo naturas declarant, niſi quod carnis nomen interdum concretè accipiatur per Synecdochen, vt in illo dicto Iohannis: Verbũ caro factũ eſt. De his tenẽda eſt regula. Quæ natura diſtincta ſunt, eorum quoque idiomata & actiones diſtingui oportet. Cũ ergo deitas ſeu natura diuina ita diſtincta ſit ab humana natura, vt nunquam poſſit eſſe aut fieri humanitas ſeu humana natura: ſequitur, idiomata & actiones harum diſtinctarum naturarum minimè confundi aut alternari poſſe, niſi ſimul confundantur naturæ, quæ tamen inconfuſæ vnitæ ſunt.

Secundũ.

II. Quædam ſunt propria perſonæ in natura diuina ab omni æternitate, quibus filius à patre & Spiritu ſancto diſtinguitur, vt filius Dei, imago Dei, Deus de Deo, Lumen de Lumine. Item λόγος, οὐ ῥητὸς, ἀλλ' οὐσιώδης.

Tertium.

III. Quædam ſunt communia perſonę Chriſti, cum patre & Spiritu ſancto ab æterno, vt eſſe omnipotentem, æternum, increatum, infinitum, immenſum, incircumſcriptum, quæ æqualitatem, coæternitatem, & identitatem naturæ docent.

Quartũ.

IIII. Quædam ſunt officij perſonæ Chriſti, in duabus naturis ſubſiſtentis. Etſi enim hîc perſona tota agens eſt, tamẽ media actionũ ſunt naturæ ipſæ, quæ ſuis proprietatibus agunt & perficiunt opus redemptionis, quod eſt totius perſonæ Chriſti Dei & hominis.

Quintũ.

V. Quædam ſunt communia naturis Chriſti & perſonæ ab incarnationis tempore, videlicet, & ea quæ ſunt ſecundi & tertij ordinis, quæ diximus ab æterno Chriſto conuenire, & ea quæ homini facto, ex tempore attribuuntur, vt Deus, λόγος, filius Dei, Dominus gloriæ, homo, filius hominis, filius Dauidis, ſemen mulieris. Hæc quia concreta ſunt, naturas cum ſubiecto ſignificant. In his ſolis concretis locum habet κοινωνία ἰδιωμάτων. Obtinent enim concreta compoſitum ſignificandi modũ, vt abſtracta ſimplicem. Et ſi aliàs denominationẽ capit perſona à diuina natura, aliàs ab humana: tamẽ ſemper perſona vna ſignificatur. Hoc diſcrimine nominum quæ tribuuntur Chriſto obſeruato, facilius erit iudicare de communicatione idiomatũ, quę locum habet, vt diximus ſolummodo in concretis, quibus perſona ſignificatur vt abſtractis naturæ.

Definitio vbiquitariorũ exploditur.

Communicatio igitur idiomatũ non ſic dicitur reſpectu idiomatũ inter ſeſe, vt nonnulli putãt, quaſi hæc cõmunicatio aut eſſet effuſio proprietatũ vnius naturæ in aliã, aut mutua idiomatum cõfuſio. Nam ſi ita eſſet, & illa quæ effunderet ſuas proprietates aboleretur, & ea quæ reciperet, alia fieret quã erat antea. Atque ita Chriſtus nec Deus nec homo eſſet, conflatis ſcilicet duabus naturis in vnam tertiam compoſitam. Sed hæc communicatio idiomatum dicitur reſpectu perſonæ, de qua promiſcuè prædicantur idiomata, vndecũque perſona denominationem accipiat, hoc eſt, ſiue à diuina, ſiue ab humana natura.

Definitio vera.

Proinde communicatio idiomatum eſt talis prædicatio, in qua proprietates vnius naturæ, tribuuntur non alteri naturæ, ſed perſo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

næ denominatæ ab altera natura, propter vnionem duarum naturarum in vna eademque perſona. Seu, vt clarius forte dicatur, Communicatio idiomatum eſt communis prædicatio idiomatum de perſona, vndecunque denominatur ſiue à deitate, ſiue ab humanitate. Hinc rectè dicitur. Deus eſt homo. Deus eſt crucifixus. Deus acquiſiuit ſibi eccleſiam ſuo ſanguine. Deus eſt mortuus. Deus reſurrexit. Et contrà, Hic homo eſt Deus. Hic homo cōdidit cœlum & terram. Hic homo eſt vbique. Hic homo ſaluat, ſuſcitat mortuos, dat vitam æternam. Hîc enim hominis nomine intelligitur perſona quæ eſt Deus & homo, etſi dominationem capit à natura humana. Hæ ergo prædicationes veriſsimæ ſunt, quia ſubiecta in his propoſitionibus ſunt concreta, quibus duo ſignificantur, videlicet perſona & naturæ. Proinde perſonæ reſpectu, veræ ſunt iſtæ enunciationes: ſiquidem perſona illa vna & eadem eſt & Deus & homo.

Prædicatio realis in concreto.

Si quæris, qualiſnam ſit hæc prædicatio, recte reſponderi poteſt, quòd ſit realis. Nam ſi ea prædicatio eſt realis, cū id ineſt verè in ſubiecto & re ipſa quod de eo prædicatur, non video cur hæc prędicatio idiomatum de perſona, realis dici non poſſit. Eſt enim reuera in perſona & diuina & humana natura cum ſuis eſſentialibus proprietatibus. Verùm ſi hāc prædicationem verbalem dixeris, in multa abſurdiſſima incurres. Negabis perſonæ in duabus naturis ſubſiſtentis vnitatem. Negabis manere ſaluas duas naturas in vna perſona. Negabis concreta habere compoſitum ſignificandi modum, hoc eſt, ſua ſignificatione complecti & rem, & ſubiectū in quo res illa eſt, quæ principaliter nomine concreti ſignificatur.

Quo ſenſu Caro Chriſti dicitur deificata.

Cum ergo Patres, inter quos ſunt Iuſtinus, Damaſcenus, & Gregorius Nyſſenus, dicunt carnem Chriſti deificatam eſſe, accipiendum eſt dextrè, iuxta piorum doctorum in eccleſia interpretationem. Non enim dicitur caro Chriſti deificata, eò quod ſit conuerſa natura humana in diuinam, aut quod ſit facta ipſa diuinitas, ſed quia coniuncta eſt humana natura ad diuinam in vnionem perſonalem, & quod ſit facta Dei caro. Vt enim natura diuina non poteſt in aliud conuerti, quoniam eſt incorruptibilis: ita nec aliud in eam conuerti poteſt, eò quod ſit ingenerabilis. Ad hanc quæſtionem Iuſtinus reſpondens ait: μένει μὲν τὸ σῶμα σῶμα, εἴπερ οὐ σῶμα θεὸς, μετείληφε δὲ θείας ἀξίας οὐ φύσεως. Neque tamen exiſtimandum eſt quod hæc deificatio pertineat ad communicationem idiomatum duarum naturarū, quæ eſt alternata, vt declarauimus, proprietatem vtriuſque naturæ de perſona, prædicatio: ſed ad excellentiam vnius naturæ, nempe humanæ, in perſona Chriſti, qua humana natura antecellit omnibus creaturis ſapientia, bonitate, puritate, ſanctitate, potentia, maieſtate & gloria. Et tametſi hæc excellentia manat à natura diuina in humanam propter vnionem perſonalem, quemadmodum Nazianzenus indicat hiſce verbis, τὸ μὲν ἐθέωσε τὸ δὲ ἐθεώθη: tamen ab vnione illa omnino diſtinguenda eſt, ne vel cum Neſtorio faciamus Chriſtum diuinum hominem, atque ita imprudentes cōſtituamus duos filios, vnum Dei, alterum virginis, hoc eſt, duas perſonas vt ſunt duæ naturæ, vel cum Eutychete ſomniemus vnam naturam ex duabus compoſitā, vt eſt vna perſona. Hæc omnia incommoda facilè cauebimus, ſi accuratè, quemadmodum iam oſtenſum eſt, diſtinguamus inter hæc tria, videlicet vnionē perſonalem, communicationem idiomatum & donorum, quibus eſt ornata humana Chriſti natura, collationem quā à patribus deficationē dici oſtēdimus.

Iam reliquum eſt vt quid efficiat illa κοινωνία ἰδιωμάτων videamus. Primùm contra Neſtorium vnitatem perſonæ in duabus naturis ſubſiſtentis confirmat. Nā niſi vna eademq; perſona eſſet Deus & homo, abſurdiſſima eſſet alternata illa idiomatū prædicatio. Cum igitur Chriſtus dicit: Nemo aſcēdit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo, manifeſtè ex cōmunicatione idiomatis diuinæ naturæ, quod tribuit filio hominis, ſignificat eundem eſſe deum & hominem, vnam videlicet perſonam in duabus naturis ſubſiſtentem. *Deinde*, hæc communicatio idiomatum docet, preciū actionum mediatoris in humana natura infinitum eſſe, quia perſona vna eademque, quæ eſt Deus & homo, eſt agens, adeo vt omnes actiones ſiue mediante humana natura ſiue diuina, ſint & dicantur perſonæ actiones. Hinc eſt illud dictum Lyrani, *A Chriſto prouenit gratia & gloria principaliter ratione deitatis, & inſtrumentaliter ratione humanitatis quæ eſt organum coniunctum ipſius deitati.* Caro igitur Chriſti viuifica eſt, quia eſt caro eius perſonæ quæ eſt Deus. Obedientia hominis Chriſti eſt noſtra iuſticia, quia eſt obedientia eius perſonæ quæ eſt Deus. Paſſio Chriſti in æternum eſt efficax ad ſanctificandum credētes, quia eſt paſſio perſonæ quæ eſt Deus. Oratio Chriſti omnibus prodeſt, quia eſt oratio perſonæ quæ eſt Deus. Ad hunc modum iudicandum eſt de omnibus alijs actionibus mediatoris. Tametſi enim quædam actiones à diuina natura propriè proficiſcuntur, & quædam ab humana natura fiunt: tamen omnes æqualiter dignitatem accipiūt à perſona, quæ cum Deus & homo ſit alia agit diuina, alia humana natura.

DE TERTIO.

Qualitas perſonæ Meſſiæ nunc ſanctitatis, nunc iuſticiæ nomine in ſcripturis indicatur. Eſai. 54. 5. Dominus exercituum nomē eius, & redemtor tuus ſanctus ô Iſrael. Daniel. 9. 24. Vngatur ſanctus ſanctorum. Item Pſal. 16. 10. Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Hæc autem ſanctitas Chriſti conſideratur tripliciter. *Primum* reſpectu deitatis, quæ eſt ſumma & perfectiſſima puritas & eſſentialis quædam iuſtitia in diuina Chriſti natura, quæ eſt illi communis cum patre & Spiritu ſancto. *Secundo*, reſpectu humanitatis ſanctitas ſeu iuſticia Chriſti dicitur, qua ab ipſo conceptionis momēto ſupra omnes creaturas ſanctitate eminuit humana Chriſti natura. Vnde angelus ad virginem, quod ex te naſcetur, ſanctum Domini vocabitur. *Tertio*, reſpectu officij ſanctus & iuſtus dicitur Chriſtus: Iuxta illud Pſal. 14. 5. 17. Sanctus Dominus in omnib' operibus ſuis. Huc congruit dictum autoris Epiſtolæ ad Hæbr. ca. 7. 26. Talis, inquit decebat vt noſter eſſet ſumm' ſacerdos, ſanctus, innocēs, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus, qui non habuit neceſſitatem quotidie pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi.

Porro huius ſanctitatis ſeu iuſticiæ Meſſię, quod ad officium attinet, triplex videtur neceſſitas. *Prima* Dei reſpectu, ſecunda Adami, tertia noſtri. Nam ſi Deum reſpicis, ſanctus eſſe debuit, qui ipſius iram placaret. Nihil enim placere poteſt Deo, qui ſanctus eſt, niſi ſit & ipſum ſanctum. Huc pertinet illud in Leuitico, 11. 44. Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſū. Pater ſimiliter de filio ait Eſa. 53. 11. In ſciētia

ſua

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

iuſtificabit iuſtus ſeruus meus multos. Debuit enim neceſſariò ſanctus & iuſtus eſſe, cuius obedientia Deo ita placeret, non ſolùm vt ipſi ſoli, verùm etiã vt aliis ſalutaris eſſet, quibus vel imputaretur tantùm.

2. reſpectu Adami.

Si Adamum reſpicis, debuit Meſſias ſanctus & iuſtus eſſe. Opponi enim Chriſtus Adamo debuit in merito contrariorum. Adam meruit mortem & damnationem pollutione & peccato: ergo Meſsias debuit ſanctitate & iuſtitia mereri vitam & ſalutẽ. Adam ſua inobedientia adduxit in ſuos poſteros ſententiam maledictionis ſuo reatu: igitur Meſsias ſua obediẽtia, quæ eſt iuſtitia legis, & obedientia in cruce, adducere debuit benedictionẽ iuxta promiſſionis verbũ, Gen. 22. 18. Benedicẽtur in ſemine tuo omnes gentes.

3 Reſpectu noſtri

Si nos homines reſpicis, debuit Meſſias noſter ſanctus & iuſtus eſſe, vt ex ipſius ſanctitatis & iuſtitiæ fonte nos etiam iuſtitiam & ſanctitatem hauriamus. Iuxta illud Pauli, factus eſt nobis à Deo iuſtitia & ſanctificatio. Atque ita ſanctus & iuſtus eſſe Meſſias debuit & in ſe, & vt Deo placeret & vt nos ſanctos & iuſtos efficeret, vt ipſi ſeruiamus in ſanctitate & iuſtitia omnib. diebus vitæ noſtræ, ac poſt hanc vitam in omnem æternitatem ſancti & iuſti ſimus vbi exuerimus mortalitatem, & donati fuerimus conformitate Chriſti ſecundi Adami, qui cum ſit & iuſtior & ſanctior quam primus fuit Adã, abſq; omni dubio & nos iuſtiores & ſanctiores primo Adamo erimus in æterna vita, vt qui Spiritus imperio totos nos committamus, non obnoxij vel tentationib. Sathanæ vel inſtigationibus carnis.

DE QVARTO.

De officio Meſſiæ.

Finem promiſsi & exhibiti Meſsiæ vidimus in primo membro, qui eſt abolere peccatum & mortem & reſtituere iuſtitiam & vitam, opprimere æternis pœnis diabolum & impios, atque donare æterna felicitate omnes credentes in eum. Hîc autem de officio agendum eſt. Vt enim finis eſt propter quem agitur: ita officium eſt quod agitur, vt finẽ aſſequaris.

Duobus nominib. comprehenditur.

Hoc Meſſiæ officium etſi in Moſe & Propheticis ſcriptis multis indicatur nominibus, & declaratur deſcriptionibus: tamen duobus potiſſimum titulis, ad quos omnes aliæ appellationes referendæ ſunt, propriiſsimè notatur.

1. Rex.
2. Sacerdos.

Tituli autem hi ſunt Rex & Sacerdos, qui vno Meſſiæ, hoc eſt Chriſti nomine comprehenduntur, & pertinent ad finem dati Meſſiæ, qui finis nomine Ieſus, quod illi in circumciſione impoſitum eſt ex mandato Dei, intelligitur.

I. Regi titulum.

De hiſce titulis pauca adiiciemus ac primùm de Regio titulo. Pſal. 2. 6. Ego conſtitui Regem meum ſuper Sion montem ſanctum meum.

Sceptrum

Pſal. 110. 2. Sceptrum regni tui emittet Dominus de Sion. Hoc ſceptrum definit Eſai. 2. 3. cùm ait: De Sion exibit lex

Regnum.

& verbum Domini de Ieruſalem. Meſſiæ proinde regnum propagandum eſt voce Euangelij initio ſumpto à Ieruſalem. Hoc ipſum docet Pſalm. 145. 11. Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, vt notam faciat filiis hominum potentiam tuam, & gloriam magnificentiæ tuæ. Huc reſpexit Paulus ad Roma. 1. 16. cum ait: Euangelium eſt potentia Dei in ſalutẽ omni credenti. Dicitur autẽ Euangeliũ potentia Dei triplici reſpectu.

Arma.

Primò, Armorũ, quibus regnũ Chriſti acquiritur, poſſidetur, propagatur. Eſa. 11. 4. Sceptro oris ſui percutiet terram, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. Propter hunc vſum verbi Paulus verbum Euangelij gladium nominat, cum ait, Epheſ. 6. 17. Accipite gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Dicitur autem verbum gladius per metaphoram, hoc eſt, propter ſimilitudinem ſeu comparationem effectuum. Heb. 4. 12. Viuus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrantior quouis gladio bicipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ hominis. Huc illud Pauli 2. Cor. 10. 4. Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed Dei poteſtate valida ad ſubuerſionem munitionum, dum ratiocinationes euertimus, omnemq; ſublimitatem, quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnẽ cogitationem ad obediendum Chriſto.

Hoſtes.

Secundò, hoſtium, qui ſuperantur & poſternuntur, vt ſunt peccatum, mors, diabolus, infernus: iuxta illud, Geneſ. 3. 15. Semen mulieris conteret caput ſerpentis.

Bona ſubditorum.

Tertiò, Bonorum, quæ conſequuntur ſubditi regis Chriſti, quæ nomine iuſtitiæ συνεκδοχικῶς comprehenduntur à Paulo, cùm ait, Rom. 1. 17. Iuſtitia enim Dei in eo reuelatur ex fide in fidem. Cùm iuſtitia autem cohærent remiſſio peccatorum, reconciliatio cum Deo, pax conſcientiæ, ſalus, & vita æterna. De his bonis & beneficiis mediatoris Pſalmus idem canit hiſce verbis, Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos. (idem 145. 14.) Cum hoc Pſalmi dicto congruit & vox & facta Chriſti, Vox eius eſt, Matt. 11. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego refoçillabo vos. Facta ſunt innumera, quæ hanc vocẽ confirmant: vt multæ ſanationes corporum, quæ ſanationũ animarum ſymbola fuerunt. De hoc ſequitur in eodem Pſalmo: Bonus Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. Item: Miſericors & miſerator Dominus, tardus ad iram & multum miſericors. Item: Prope eſt Dominus omnibus, inuocantibus eum in veritate.

Amplitudo Regni.

Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationẽ eorũ exaudiet, & ſaluos faciet eos. Quam latè pateat regnum Meſſię oſtenditur in eodẽ Pſalmo, Regnum tuum regnum omnium populorum, & dominatio tua in omnem generationem & generationẽ. Huic congruit mandatum Chriſti: Mihi eſt data omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete Euangelium. Matt. 28. 18.

Cultus regis.

Cultus huius regis indicatur Pſal. 72. 5. Timebunt te, quam diu Sol & Luna erunt. Item, Adorabunt cũ omnes reges terræ omnes gentes ſeruient ei. Item, Omnes gentes benedicentur in ipſo & magnificabunt eum.

Maieſtas.

Maieſtas quoq; huius regis deſcribitur in eodem Pſal. Benedictus Dominus Deus Iſraël, qui facit mirabilia ſolus, & benedictum nomen maieſtatis eius in æternũ & replebitur maieſtate eius omnis terra. Huic prædictioni reſpondit euentus in Chriſto, qui victa morte aſcendit in altum, iuxta vaticinium Dauidis, & ſedet ad dexteram patris in throno maieſtatis, & ſua maieſtate omnia implet ac gubernat. His propheticis vaticiniis cum pulchrè congruere videmus euentum in nouo teſtamento, quid piis conſcientiis iucundius eſſe poteſt? Ex hac enim congruentia firmitas fidei noſtræ, ſicuti antea docuimus, pendet.

II. Sacerdos.

Deinde Chriſtus Sacerdos in ſcripturis dicitur, vt Pſal. 110. 4. Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Hæc ſententia tria habet, videlicet quòd Chriſtus ſit ſacerdos, quòd ſit non Leuitico more: ſed iuxta ordinem Melchiſedech conſtitutus, quòd ſit æternus, vt cuius vnius victima æternùm ſit efficax.

Sacerdos æternus.

Paul. 1. Timot. 2. 5. definit Ieſum Chriſtum Deum & hominem ſacerdotem, eſſe mediatorem Dei & hominum, qui dedit ſeipſum ἀντίλυτρον pro omnibus, hoc eſt, vt Epiſtola ad Hebre. 9. 14. interpretatur: Obtulit ſemetipſum patri per (Mediator)

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Victima.

ſpiritum æternum, & ſua illa vna oblatione perfecit in æternũ ſanctificandos. Vocatur autem hæc Chriſti oblatio, qua ſe obtulit patri in ara crucis ἀντίλυτρον, idque pro omnibus. Eſt ergo paſsio Domini victima ſufficiens, cuius merito omnes homines nõ ſolum liberantur à poteſtate diaboli, qui illos captiuos tenebat, verumetiam conciliantur Deo, iuxta fœdus: Ero illis in Deum & propitiabor peccatis eorum. Hæc congruunt cum multis dictis veteris teſtamenti. Pſal. 130. 8. Si iniquitates obſeruaueris Domine, quis ſubſiſtet? Sed apud te propitiatio eſt. Pſal. 103.1. Benedic anima mea domino, qui propitiatur omnib. iniquitatibus tuis. In his dictis Dauid ſpiritu intuens Chriſtum pendentem in cruce opponit vnius victimæ Chriſti efficaciam & meritum, omnibus iniquitatibus omnium hominum. Sicuti Paulus rectiſſimè Dauidis dictum interpretatur Roman. 3.23. cùm ait: Iuſtificamur gratis, gratia ipſius, (id eſt, iuſti facti expiatis peccatis gratia ipſius ſaluamur) per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propiciatorem in ſanguine ſuo. Et Iohannes 1. Iohan. 2.1. Habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tãtum: ſed etiam pro totius mundi. Eſt enim hæc propitiatio effectus proprius paſſionis Domini ſeu victimæ Chriſti, quæ propitiatio in hunc modum rectè definitur. Propitiatio per victimam Chriſti facta, eſt irati Dei placatio & hominis agnoſcentis ſua peccata, & fide confugientis ad mediatorem, reconciliatio cum Deo, per victimam ſacerdotis Chriſti, & preces quibus intercedit pro peccatoribus. Ex his promptum eſt intelligere nomine Sacerdotis, mediatoris, propitiatoris, redemptoris idẽ ſignificari, etiamſi hæc quadam ratione diſtinguuntur. Idem enim Chriſtus ſacerdos, mediator, propitiator & redemptor eſt. Sacerdos, quia in iis, quæ coram Deo agenda ſunt, pro hominibus conſtitutus eſt. Mediator, quia ſe interponit inter Deum offenſum, & homines qui offenderunt, vt fiat reconciliatio. Propitiator, quia ſua victima & precibus placat patrem, ac ipſum propitium reddit peccatoribus. Redemptor denique ob finem & fructum dicitur. Per Chriſti enim ſacrificium placato patre donamur ſalute æterna & felicitate. Hic conſenſus prædictionis Dauidis & euentus in Ieſu Chriſto confirmet fidem noſtram. Sed de hac re plura vide quæ annotauimus cap. 1. Iohannis, in hæc verba, Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi.

Propitiator.

Redemptor.

DE QVINTO.

Aduentus Meſſiæ teſtimonia.

1. Indeterminatum tempus.

De tempore aduentus Meſſiæ in carnem, duo ſunt teſtimoniorum genera. Quædam enim nunciant venturum, & non determinant tempus. Huiuſmodi ſunt promiſſiones pleræque de Meſſia, vt, Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Item: Benedicentur in ſemine tuo omnes cognationes terræ. Item: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuã &c. Quædam non ſolùm nunciant venturum, verùmetiam ſignant tempus, vt omnis dubitatio de exhibito Meſsia tollatur, ac refutetur perfidi Iudæi, qui ſua cæcitate dementati, fruſtra adhuc expectãt Meſſiam. Sed huius poſterioris generis teſtimonia ſunt etiam duplicia. Quædam enim prædixerunt Meſſiam venturum in carnem, antequam prorſus collaberetur & aboleretur in perpetuum politia Moſaica. Quædam articulum temporis notarunt. Iacob cùm ait, Gene. 49.10. Non auferetur ſceptrum de Iuda donec veniat Silo, ſignificat Chriſtum venturum antequam prorſus œconomia Moſaicæ Reipub. fuerit abolita, ita vt nunquam iterum inſtauretur, quo vaticinio refutat peruerſos Iudæos, qui tãtum etſi vident Moſaicam politiã iam mille quingentos annos iacuiſſe: tamen expectant adhuc Meſsiam, palàm accuſantes mendacij patriarcham Iacob, imò ſpiritum ſanctum in eo loquentem. Si enim non venit Meſsias iam prorſus oppreſſo Iudaico populo, & confuſis tribubus, profectò mendax eſt ſpiritus ſanctus in ore patriarchæ, quod vel cogitare extremæ blaſphemiæ eſt. Ex hoc Iacobi vaticinio, extruit Eſaias etiam ſuum vaticiniũ de partu virginis, Cap. 7.14. Ecce virgo imprægnata pariet filium, vocabitur nomen eius Emanuel. Achab impius rex exiſtimabat iam penitus deletum iri populum Iuda, vt nunquam amplius haberet ciuitatem, & templum in quo fierent oblationes, & preces, & ſcripturarum enarrationes: ſed Eſaias ſpiritu intuens vaticinium Iacob, regis incredulitatem reprehẽdit, ac ſi diceret, videtur tibi, ô rex, iam prorſus actum eſſe cum populo Dei, quaſi iam penitus periturus ſit imminente hoſte: ſed falleris. Nõ enim peribit populus prorſus, ſiquidem nondum completum eſt quod præcedere oportet abiectionem & oppreſsionem finalem huius populi. Quandoquidem nondum natus eſt promiſſus Silo filius virginis. Certò igitur ſtatue hunc populũ non prorſus & finaliter exterminandum eſſe priuſquã virgo fœcunda pepererit filium cuius nomen erit Emanuel, id eſt, qui erit Deus & homo. Quædam articulos temporis regni Meſſiæ notarunt vt Petrus, 1. epiſt. cap. 1.11. teſtatur. Huc pertinent Danielis Hebdomades, qui in hunc modum de Meſſia ſcribit, cap. 24.9. Septuaginta Hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & vngatur ſanctus ſanctorũ. Et paulò poſt: Et poſt hebdomadas ſexaginta duas, occidetur Chriſtus, & non erit populus, qui eum negaturus eſt, & populus ducis veniet, ciuitatemq; & ſanctuarium diſſipabit, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Euentum huius vaticinij, quod ad poſtremam partem eius attinet, nec inficiari poſſunt Iudæi ipſi in perpetuo exilio exulantes, confuſis tribubus, ſi qui tamen ſunt reliqui Iudæi non adulterini. Priorem vaticinij partem completam eſſe nouit, & credit Eccleſia Chriſti, quę ſtatuit Spiritum ſanctum in Daniele locutum eſſe. Computationem hebdomadarum Danielis vide in Chronicis Lutheri, Philippi, Funcij, & Mercatoris. Huic vaticinio Danielis reſpondere euentum, oſtendit Paulus cum ait, Gal. 4.4. Poſtquam venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum, natum ex muliere, & factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erãt, redimeret, ſcilicet à peccato, morte & damnatione. Hic ergo conſenſus prædictionis & euentus confirmet fidem noſtram de exhibito Meſſia, qui eſt Ieſus Chriſtus, qui verè peccato finem impoſuit, quantũ quidem ad virtutem ſui ſacrificij attinet, & adduxit ſempiternam iuſtitiam, hoc eſt, perfectiſſimam obedientiam erga Deum, quam omnibus in ſe credentibus in ſalutem imputat.

2. Terminatum.

Determinati tẽporis duplex teſtimonium.

1.

2.

Moſaica politia ſoluta.

Danielis hebdomades impletæ.

DE SEXTO.

Acta Meſſiæ, multiplicia.

Acta ſequuntur prout prædicta ſunt à prophetis, &

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tis,& completa à Chriſto humana natura aſſumpta. Sunt autem hæc acta præcipua. Miracula, doctrina, benefacta,vitæ ratio,mors,reſurrectio , triumphus. De miraculis ſupra diximus,de reliquis breuiter dicemus.

1 Doctrina & benefacta.

Doctrina & benefacta Chriſti prædicantur paſſim in Moſe & prophetis,ſed nos paucis teſtimoniis contenti erimus.Pſal. 40.10. 11. in perſona Chriſti Dauid in hunc modum loquitur:Euangelizaui iuſtitiam in Eccleſia magna,& labia mea non prohibebo,Domine tu ſciſti.Iuſtitiam tuā non abſcondi in corde meo,veritatem tuā & ſalutem tuam dixi,non abſcondi miſericordiam tuam & veritatem tuam in Eccleſia magna.Hîc breuiter Dauid in perſona Chriſti capita doctrinæ Meſſiæ complectitur , quæ ſunt veritas promiſsionum diuinarum,miſericordia iuſtitia,qua iuſtitiæ Dei ſatisfit,& ſalus quæ contingit iuſtificatis ex miſericordia.An non his pulcherrimè reſpondet euentus in nouo teſtamento? Eſai. 61.1. Spiritus Domini ſuper me,eò quod vnxerit me , ad euangelizandum humilibus miſit me , vt mederer contritis corde,& prædicarem indulgentiā,& clauſis apertionem , & prædicarem annum placabilem Domini,& diem vltionis Dei noſtri , vt conſolarer omnes lugentes & ponerem fortitudinem lugentibus in Sion,vt darem eis coronam pro cinere, oleū gaudij pro luctu,pallium laudis pro ſpiritu mœroris,& vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ plantatio Domini ad glorificandum.Eſa.42.6. Alloquitur Pater Filium per os prophetæ in hunc modum. Ego Dominus vocaui te in iuſtitia , & apprehendi manum tuam,& ſaluaui te, & dedi te in fœdus populi in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum & educeres de concluſione vinctum,de domo carceris ſedētis in tenebris.Eſa. 49.6. Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob , & reliquias Iſraël conuertendas,ſed dedi te in lucem gentium , vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ. Hæc teſtimonia,vt alia omittam , quæ cum his congruunt (nam ſummus eſt Moſis & omnium prophetarum de doctrina & benefactis Chriſti conſenſus) ſummam doctrinæ Chriſti continent, & clariſsimam Euangelij definitionem.Teſtantur enim gratiam vniuerſalem eſſe,remiſſionē peccatorum,iuſtitiam, vitam, & ſalutem allaturum eſſe Meſſiam pronuntiant,hoc eſt,verè Euangelium Chriſti proponunt.Euangelij enim nomine hæc beneficia Chriſti ſignificari Paulus docet ad Rom.1.16.

2. Vitæ ratio.

Vitæ ratio Dei manifeſtati in carne,hoc eſt Chriſti , qualis eſſet futura , ſimiliter prædictum erat à prophetis.Eſa.42.1.Pater in hanc ſententiam de filio manifeſtando in carne loquitur : Ecce ſeruus meus,ſuſcipiam eum,electus meus,complacuit ſibi in illo anima mea , dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium gentibus proferet , non clamabit , neque accipiet perſonam, neque audietur vox foris , calamum quaſſatum non conteret , & linum fumigans non extinguet,in veritate educet iudicium,non erit triſtis neque turbulentus, donec ponit in terra iudicium , & legem eius inſulæ expectabunt. An non huic prophetiæ reſpondet dulciſsima illa Chriſti vox,Matt.11.28. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis , ego reficiam vos. Item : Diſcite à me,quia mitis ſum & humilis corde. An non tota Euangelica hiſtoria teſtatur , Chriſtum Dominum humaniſſimè omnes excepiſſe,& neminem, qui ſuā implorauit opem,ſpreuiſſe,nec vllum territaſſe minis , niſi eos , qui ſua contumacia ſe veritati Dei oppoſuerunt. His enim protulit iuxta vaticinium patris iudicium.

3. Mortis vaticinia.

Vaticinia clara de paſsione & morte Meſſiæ,præter ſacrificia , figuras & typos,de quibus ſupra diximus , duplicia ſunt. Quædam enim in genere tantùm Meſſiam affligendum & moriturum prædixerunt , inter quæ alia figurate dicuntur , vt cum in Pſal.110.de paſſione domini dicitur:De torrente in via bibet. Alia diſertè ſine omni figura idem continent,vt cum Daniel dicit,Chriſtus occidetur. Eſai. 53.prolixè paſſio domini prædicitur , ſed in genere ſolummodo,quorum omnium ſumma hac propoſitione continetur:abſciſſus eſt de terra viuentium, propter ſcelus populi mei percuſsi eum. Quædam particulatim paſſionis partes, & mortis genus ſignarunt,inter quæ omnium maximè illuſtris eſt Pſalmus,22.qui orditur à querela Chriſti in cruce:Deus meus , deus meus, quare dereliquiſti me. Et infra mortis genus mox indicat,cum ait : Ego vermis ſum & non homo, opprobrium hominum & contemptio plebis , omnes videntes me derident me. An non hiſtoria Chriſti huic prophetiæ clariſsimè reſpondet? Pependit in cruce contēptiſsimus cruore & ſputis quodammodo obrutus , adeo vt vix appareret in ipſo hominis forma. Quemadmodum Eſaias prædixit,cap.53. 2. non erat forma ei neque decor , & non erat aſpectus , derident ſuſpenſum, mouent capita & flectunt genua,& cum magno ſarcaſmo dicunt:Aue rex Iudeorum.Item verba Pſalmi neſcientes proferunt in ipſius contemptum:Cōfidit in Dominum,liberet eum, eripiet eum quoniā complacet ſibi in eo.Et infra, Aperuerunt aduerſus eum os ſuum ſicut leo rapiens & rugiens. An non clariſſimè cum his congruit euentus, cum in domibus pontificum & Herodis,tum in cruce ? De perforandis Meſſiæ manib.& pedib. nonne clarè vaticinatur idem Pſal? Perfoderunt manus meas & pedes meos. Nec diuiſionem veſtimentorum domini tacuit idem Pſal. ita enim ait. Diuiſerunt veſtimenta mea ſibi, & ſuper tunicam meam miſerunt ſortes. Pſal.69. præter alia meminit fellis & aceti, quod illi ſitienti milites porrexerunt bibendum in cruce. Pſal.30. meminit verborum Domini , quæ edidit in cruce dum expirauit : In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum.

1. Generalia, figuratè.

Sine figura.

2. Particularia.

4. Reſurrectionis teſtimonia triplicia.

Reſurrectionis Meſſiæ præceſſere triplicia teſtimonia. Quædam enim non ſignato reſurrectionis tempore poſt mortem vitam illi promiſerunt longæuam,vt Eſai.53.10. Si poſuerit pro iniquitatibus animā ſuā,videbit ſemen longæuū.2.Quædam prænunciarunt reſurrectionē futurā, antequā caro eius in ſepulchro putreſceret,vt in Pſal.16. 8. &c. Poſui Dominū in cōſpectu meo ſemper, quoniā à dextris meis eſt,non mouebor.Ideo lætatum eſt cor meū& exultauit gloria mea, quia & caro mea requieſcit in ſpe,quoniā non derelinques animā meā in inferno, nec permittes ſanctū tuū videre corruptionē,notas mihi feciſti vias vitæ,implēs lætitia vultū tuū,& delectationes in dextera tua in ęternū.3.Quędā de ipſo reſurrectionis die prædixerūt,vt cū Oſeas Propheta ait,cap.6.3.Tertio die ſuſcitabit nos. Nā in ipſius reſurrectione quæ contigit tertia die, noſtra reſurrectio poſita eſt. Cū his vaticiniis quia pulcherrimè euentus congruit,vt eſt expoſitus in Euangeliſtarū libris, mirū eſt quantū robur fidelis anima concipiat ex illa conformitate prædictionum & hiſtoriæ.

5. Triumphus meſſiæ.

Triumphi Chriſti meminit Pſalm. 68. 19. hiſce verbis: Aſcendiſti in altū , captiuaſti captiuitatem, accepiſti dona pro hominibus.Hoc Pſalmi dictum Paulus ad Epheſ. 4. 8. aſcenſioni Domini accommodat, donaque quæ accepit pro hominibus interpretatur Euangeliſtas,Doctores,Paſtores, &c. Sed

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quid multis Pſalmi plurimi clariſſima vaticinia de paſſione, morte & reſurrectione Domini quibus hiſtoria per omnia congruit, continent, vt ſunt 16. 17. 22. 40. 118. & multi alij. Vide quæ annotauimus in enarratione Pſalmi 84. vbi inſtituimus integram collationem prædictionum cum hiſtoria Meſſiæ.

DE SEPTIMO.

Euenta poſt mortẽ, reſurrectionẽ & triumphũ meſſiæ.

Quid euenturum erat poſt mortem, reſurrectionem, & triumphum Meſſiæ non tacuere vaticinia Prophetarum cum quibus euentus clariſſimè congruit. Sunt autem hæc à Prophetis prædicta euenta poſt triumphum Chriſti præcipua.

1. *Donatio Spiritus ſancti.*
2. *Efficacia Euangelij.*
3. *Reiectio Iudæorum.*
4. *Aſſumptio gentium.*
5. *Regnum Antichriſti.*
6. *Regnum Mahometicum.*
7. *Conſeruatio Eccleſiæ in medio hoſtium.*
8. *Inuaſio regni Antichriſti.*

Hæc omnia vt prædicta ſunt à ſanctis Dei prophetis euenere. Sed nos pauca de ſingulis confirmãdi noſtri gratia adiiciemus.

I.

De donatione Spiritus ſancti.

Ioëlis locus illuſtris explicatus.

Ioël Propheta de effuſione Spiritus ſancti in Apoſtolos prophetauit hiſce verbis: cap. 2. 28. Et erit poſthac, effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem & prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ, ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, iuuenes veſtri viſiones videbunt. Hanc prophetiã Petrus Acto. 2. 17. affirmat impletam fuiſſe, cum miſſus eſt ſpiritus ſanctus die à reſurrectione domini 50. viſibiliter in Apoſtolos, quẽ dominus ipſe ſe miſſurum promiſerat. Quare & præcepit diſcipulis vt manerent in ciuitate Ieruſalem, donec promiſſum patris acciperẽt. Ita enim eodẽ die quo apparuit viuus poſt mortem ait diſcipulis: Et ecce ego mittam promiſſum patris mei ſuper vos, vos autem manete in vrbe Ieruſalẽ, vſquequò induamini virtute ex alto, id eſt, vſq; quò ſpiritus ſanctus è cœlo in vos illabatur. Et acto. 1. 4. Et cõueſcens præcepit eis ab Ieruſalẽ ne diſcederẽt, ſed expectarent promiſsionẽ patris, quam audiſtis per os meum. Nam Iohãnes quidẽ baptizauit aqua, vos autẽ baptizabimini (ſcilicet à patre & me) ſpiritu ſancto poſt non multos hos dies. Non dubium eſſe poteſt, Chriſtum cum hæc diceret, reſpexiſſe ad prophetiam Ioëlis, quæ completa eſt die pente coſtes, ſed prophetæ verba breuiter expendamus. Primùm itaq; cum dicit: *Effundam Spiritum meum*, ſignificat vberiorem ſpiritus gratiam contingere Eccleſię Dei poſt Chriſti aduentum, quàm cõtigit ſub lege. Ideo non dicitur, Stillabo ſpiritum meum: ſed *effundam*, vt plena copia voce effuſionis ſignificetur. Item cum dicit, effundam, reſpicit ad typum. Nam ſpiritus ſancti hæc effuſio, aqua manante de petra in deſerto ſignificabatur. Deinde dicit *ſuper omnem carnẽ*, quod comparatè accipiendum eſt. Sub lege enim pauci admodum ſpiritu prophetiæ donabantur. Verùm in nouo teſtamento, hoc donum ſpiritus, non eſt alligatum paucis aut certo hominum ordini, ſed promiſcuè datur omnibus audientibus Euãgelium & credentibus, etſi non hodie viſibiliter, vt die pentecoſtes à reſurrectione Domini accedit. Tertiò, cum dicit filios & filias eorum *prophetaturos*, item *ſenes ſomniaturos & iuuenes viſuros viſiones*, ſignificat fore vulgo pleniorem lucem cognitionis Dei in nouo teſtamento quam fuit in veteri. In nouo enim vident clarè completa, quæ olim obſcurius prophetæ prædixerunt.

Teſtimonium veritatis Euangelij.

Vt hæc viſibilis effuſio Spiritus ſancti in Apoſtolos, iuxta prædictionem prophetæ fuit veluti authenticum quoddam maieſtatis diuinæ ſigillum, quo ipſe Euangelium Chriſti mundo vniuerſo confirmari voluit: ita inuiſibilis eiuſdem ſpiritus effuſio in credentes, eſt teſtimonium firmum veritatis Euangelij in cordibus fidelium, & arrhabo quidam promiſſorum bonorum, iuxta dictum Pauli 2. Corinth. 1. 21. Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus eſt, & qui ſignauit nos & dedit pignus ſpiritus in cordibus. Quid effecturus eſſet ſpiritus ſanctus promiſſus & datus copioſè docet ipſe Dominus, Iohan. 14. 15. 16. 2. *De efficacia Euangelij.*

Efficacia Euangelij.

De efficacia Euangelij in nouo teſtamento prædixit Ierem. cap. 24. 7. Dabo eis cor vt ſciant me, quòd ego ſim Dominus, & erunt mihi in populum, & ego ero illis in Deum, quia reuertentur ad me in toto corde ſuo. Idem cap. 31. 31. Ecce dies venient dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Iuda fœdus nouum, non ſecundũ pactum quod pepigi cum patribus veſtris, in die qua apprehendi manũ eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorũ, dicit Dominus: ſed hoc erit pactum quod feriam cum domo Iſrael: poſt dies illos dicit Dominus, dabo legem meã in viſceribus eorum, & in corde eorũ inſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi mihi erũt in populum, & non docebit vltra vir proximũ ſuum & vir fratrem ſuum, dicens, cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſq; ad maximum ait Dominus, quia propitiabor iniquitati illorum, & peccati eorum non ero memor amplius. Hoc prophetæ teſtimoniũ manifeſtè docet de fœdere nouo & efficacia Euangelii in nouo teſtamento, quemadmodum autor Epiſtolæ ad Heb. cap. 8. 8. hãnc prophetiã interpretatur. Pſal. 19. 8. &c. efficaciam Euangelij multiplicem proponit. Eſa. 11. 4. percutiet (ſcilicet Chriſtus per ſuos apoſtolos, aliosq; verbi miniſtros) terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.

Euentus cum prophetiis congruens.

Cum his vaticiniis de efficacia Euangelij cõgruit euentus. Petrus, Actor. 2. 41. virtute huius Euangelij ex hoſtibus Chriſti tria millia hominum ad fidem conuertit. Apoſtoli reliqui cum Petro miſſi prædicatum Euangelium, virtute ſpiritus armati, & miraculis ad inuocationem nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti editis (quæ miracula, vt teſtimonia fuere viuentis, regnantis & præſentis filij Dei in Eccleſia: ita ſymbola erant internæ virtutis verbi per ſpiritum ſanctum in cordibus credentium) plurimos ad fidem à prophanitate idololatrica iuxta vaticinia pertraxerunt, quod nullis humanis viribus aut ſapientia effeciſſent. Id quod ipſe Paul. teſtatur 1. Corinth. 2. 4. cum ait: Neque ſermo meus & prædicatio mea verſatur in perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demonſtratione ſpiritualis potentiæ. Vide quæ ſupra annotauimus ex 2. Corinth. 10. de virtute Euangelij, quæ Euangelij virtus quantum ad internam efficaciam attinet, (nam miracula ſolummodo in noua Eccleſia confirmandæ doctrinæ deſtinabantur) in ſucceſſoribus Apoſtolorum etiamnum durat, & durabit iuxta vaticinium Prophetæ. Quam pulchrè congruat

experien

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

experientia cum Prophetarum prædictionibus de efficacia verbi, etiam poſt Apoſtolorum tempora docent omnes ætates, inde vſque à donatione viſibili Spiritus ſancti ad noſtra tempora. Ita videmus veram eſſe promiſsionem Chriſti: Portæ inferorum non prænalebunt aduerſus eam. Tametſi enim ſemper ſunt & erunt qui opponunt ſe verbo, donec hic mundus ſteterit: tamen nunquam vllis viribus diabolorum aut hominum reprimetur eius curſus. Siquidem vt nunquam deſinet antiquus ſerpens eiaculari ſua venena, ſicut habet prima promiſsio: ita Chriſtus nunquam deſinet adeſſe & tueri Eccleſiolam ſuam aduerſus poteſtates tenebrarum.

3.

DE REIECTIONE
Iudæorum.

Tria conſiderãda.

Tria ſunt in reiectione Iudæorum conſideranda iuxta Prophetica vaticinia. *Primum*, paucitas ſaluandorum ex Iudæis. *Secundum*, definita & ſtatuta vaſtitas politiæ Moſaicæ nunquam inſtaurandæ. *Tertium*, vtriuſque, id eſt, paucitatis ſaluandorum & vaſtitatis perpetuæ cauſſæ.

1 Paucitas ſaluandorum.

De paucitate ſaluandorum ex Iudæis prædixit Eſai. cap. 1. 9. Niſi Dominus Sebaoth reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma facti eſſemus, & ſicut Gomorra ſimiles fuiſſemus, Idem cap. 10. 22. Si fuerit numerus filiorum Iſraël tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient. Pſal. 69. 23. fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum & in captionem, & in ſcandalum, & in retributionem ipſis.

2. Politiæ Moſaicæ abolitio.

De abolēda penitus Moſaica Politia Eſaias quoque vaticinatur cap. 10. 23. finitionem Dominus Deus exercituum faciet in medio totius terræ. Et Daniel, cap. 9. 26. Poſt Sexaginta duas hebdomadas occidetur Chriſtus, & non erit ſcilicet populus amplius. Nam ciuitatem & ſanctuarium diſsipabit populus ducis venturi, & finis eius populi vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio.

3. Cauſæ vtriuſque

De cauſis paucitatis ſaluandorum ex Iſraël & abolendæ Politiæ Moſaicæ, ipſe Moſes prædixit Deut. 18. 18. Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrũ ſuorum, qui verba eius quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor exiſtam. Item 28. 15. &c. cap. Si audire nolueris vocem Domini Dei tui, mittet Dominus ſuper te maledictionem, perditionem, & perturbationem, donec conteret te & perdet velociter propter malitiam operum tuorũ. Item, remanebitis pauci numero, qui prius eratis ſicut aſtra cœli præ multitudine: Quoniam non audiſti vocem Domini Dei tui: & ſicut antea lætatus eſt Dominus ſuper vos bene vobis faciens vóſque multiplicans: Sic lætabitur diſperdens vos atque ſubuertens, vt auferamini de terra ad quam ingredieris poſsidendam. Hinc eſt quod Eſaias per Mimeſin dicat, cap. 28. 15. Percuſsimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans cùm tranſierit, non veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. Idē cap. 8. 14. Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petrã ſcandali. Idē 65. 2. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem ſed contra dicentem mihi. Pſal. 118. 22. Lapidem quem reprobauerunt ædificantes hic factus eſt in caput anguli. Cum his Prophetiis congruit Domini cōminatio quæ eſt Matth. 23. & 24. Hæc igitur vaticinia ſint nobis in cōſpectu de internecione populi Iſraelitici, quem propter ſuam contumaciam aduerſus Chriſtũ prophetę prę-

Conciliatio locorũ in ſpecie pugnãtiũ.

dixerunt exterminandum eſſe. Neque hîc obſtant promiſsiones factæ Iſraëlitis. Nam vt Paulus ait, iſtę promiſsiones non pertinent ad eos qui nati ſunt ex Iſrael ſecundum carnem, ſed ſecundũ promiſsionem, id quod olim adumbratũ erat in duobus filiis Abrahã, videlicet Iſmaël & Iſaac, Itē in duobus filiis Iſaac, Iacob & Eſau. Ideo Paulus ait: Non enim omnes qui ſunt Iſrael, ij ſunt Iſraelitę, neque qui ſemen ſunt Abrahę, omnes filij Abrahæ. Filios autē Abrahę Apoſtolus ipſe definit ad Rom. 4. eſſe omnes qui ſectētur veſtigia fidei Abrahę. Non ergo reiectio Iudęorũ reiicienda eſt ad arcanũ Dei conſiliũ, quo ab æterno ſtatuit, vt Stoici dicunt, reiicere iſtum populum: ſed ad contumaciam populi offendentis in lapidem ædificij, id eſt, in Chriſtum. Vult enim Deus paterna ſua beneuolentia totum humanum genus ſaluum fieri: ſed per ſalutem, id eſt, per ipſum Chriſtum. Vult quoque omnes contumaces in Chriſtum iuſto ſuo iudicio perire. Stat enim immota ſententia Pauli: Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Nos igitur qui ex gentibus vocati ſumus, ſimus grati Deo, fide & obedientia adhæreamus Chriſto, in quem quiſquis crediderit, nō pudefiet. Verùm ſi nos autori ſalutis oppoſuerimus contumaciter cum Iudæis, futurum eſt, vt etiam à nobis auferatur regnum Dei, & detur gēti facienti fructus eius. Si enim non pepercit naturalibus ramis, multò minùs parcet inſititiis. Vide Ro. 9. 10. & 11. vbi hoc ipſum argumentum tractatur.

4.

DE ASSVMPTIONE
Gentium.

Plurima vaticinia.

Plurima extant veteris Teſtamenti vaticinia, de vocatione & aſſumptione gentium. Taceo primam promiſsionem gratiæ, quæ eſt vniuerſalis. Prętereo repetitam promiſsionem: In ſemine tuo benedicentur omnes cognationes terræ. Hæ promiſsiones cum ſint vniuerſales, manifeſtè includunt gentes. Sed nos illa vaticinia ſolummodo hic attingemus, quæ meminerunt aſſumptionis gentium, reiectis Iudæis contumacibus aduerſus Chriſtum, Pſal. 2. 8. apertè pronuntiat, frementibus Iudæis aduerſus Chriſtum, gentes fore ipſius peculium: ita enim ait: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionē tuam terminos terrę. Oſeę 2. 23. propoſito ſymbolo docet gentes aſſumendas eſſe: vocabo, inquit, nō plebem meam, plebē meam: & non dilectam, dilectam. Huc pertinent exhortationes multę in Pſalmis, quibus Dauid hortatur gētes ad celebrandũ Deum, qui eas aſſumſit in gratiam ex mera ſua miſericordia, vt cum dicit Pſal. 117. 1. Laudate Dominum omnes gentes, & laudate eum omnes populi, quoniam confirmata eſt miſericordia Dei ſuper nos, & veritas Domini manet in æternum. Cum igitur videmus euentum reſpondere vaticiniis Prophetarum, ſciamus hanc gentium aſſumptionem, & vocationem, quæ per Apoſtolos facta eſt, vim demonſtrationis, qua veritas Euangelij & firmitas fidei gentium confirmetur, obtinere.

Pręcipua.

5. 6.

DE REGNO ANTICHRISTI
& Mahometico.

Prædixere Prophetæ Dei, oritura eſſe regna, Antichriſtianum & Mahometicum, quorum illud quidem fraude acquireretur, & mendaciis ſtabiliretur ſub Chriſti nomine, vt hodie in papatu cernitur, hoc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vero armis raperetur,Chriſtum ex profeſſo contemnens, & ſanctos Dei conculcans, quod videmus compleri in Turcico regno. De hoc Mahometico regno vide quæ annotauimus in enarratione Pſal. 84. De Antichriſti impietate vide 2. Theſſalo. 2. vbi Paulus ita depingit papam ac ſi ipſe coram ipſius impietatem & ſuperbiam vidiſſet. Lege quoque de vtroque regno commentarios Philippi in Danielem, item Chronica eiuſdem.

7. 8.

DE INVASIONE REGNI *Antichriſti.*

Diminutio regni Antichriſti prædicta.

Etſi autem Antichriſti regnum fore magnum, potens,& terribile prædixere Prophetæ: tamen circa finem mundi idem inuadendum & diminutum iri non tacuere. Etſi autem prorſus non abolebitur Antichriſti dominium, ante aduentum Chriſti ad iudicium: tamen ruinas magnas patietur. Nam tonitru cœleſti percutietur. O mitto alia multa teſtimonia,& vnum Pauli quod eſt 2. Theſſal. 2. aſſcribam: Quem (ſcilicet filium iniquitatis & aduerſarium Chriſti)Dominus deſtruet ſpiritu oris ſui,& abolebit illuſtri aduentu ſuo. Hoc Pauli vaticinium duo continet. Vnum de deſtructione, hoc eſt, inuaſione, qua patefiet fraus Antichriſti, vt multi ab eo deficiant. Alterum, de perpetua abolitione regni Antichriſti, poſt cuius abolitionem regnum ſanctorum perpetuo durabit, iuxta Danielis vaticinium & Chriſti promiſsionem. Primum enim dicit. Quem deſtruet Dominus ſpiritu oris ſui. Eſt autem ſpiritus oris Chriſti ipſa Euangelij vox, per quam regnum Antichriſti conquaſſabitur,& paulatim maiores ruinas accipiet. In totum autem non abrogabitur, antequam Dominus ad iudicium venerit. Etſi autem omnibus ſeculis erant pij quidem & docti viri, qui papæ Tyrannidi aduerſabantur, nihilominus tamen integrum ſuum regnum obtinuit vſque ad annum Domini 1517. à quo tempore vſque huc 54. annos Chriſtus Dominus Spiritu oris ſui potẽter inuadit regnum Antichriſti, per pios Euangelij pręcones in multis regnis, qui virtute Spiritus ex alto armati, viriliter oppugnant regnum papæ. Deinde dicit: & abolebit illuſtri aduentu ſuo, hoc eſt, Etſi inuaditur regnum Antichriſti nunc ex hac, nunc ex alia parte: tamen non in totum abolebitur, vt diximus, antequam dominus illud ſuo glorioſo aduentu aboleuerit, quod haud dubiè breui futurum eſt, pręſertim cùm ſigna aduentus Domini ad iudiciũ, à Prophetis, Chriſto,& Apoſtolis pręd icta, quotidie cumulãtur.

Locus Pauli ad Theſſalon. de Antichriſto explicatus.

DE OCTAVO.

Primus vſus & fructus omnium quæ de Meſsia dicta ſunt.

Horum omnium vſus & fructus *Primus* eſt, vt ex his collationibus Prophetiarum & hiſtoria Chriſti, confirmationẽ fidei noſtrę de Domino noſtro Ieſu Chriſto petamus. Nam cum videmus vaticinia quatuor millium annorum per omnia congruere cum euentu & hiſtoria Chriſti, nullus ſcrupulus piis mentibus amplius relinquitur, quin contra portas inferorum teneamus certiſsimam & euidentiſsimis demonſtrationibus confirmatam doctrinam Euangelij de Ieſu Chriſto, mortuo & reſuſcitato pro humano genere. His enim firmiſsime fulcitur aſſumptio demonſtrationis, quam in initio propoſuimus de vero Meſsia Ieſu Chriſto, quam demonſtrationẽ Chriſtus ipſe, vt diximus, & Apoſtoli ipſius nobis commendant. *Secundus* vſus & fructus coniunctus eſt

Secũdus.

cum primo, videlicet, vt cõiuncti de doctrinæ Euangelicæ certitudine, conuertamur ad Deum fiducia in mediatorem Ieſum Chriſtum concepta,& ſtatuamus illum verè præſtiturum nobis quæ in Euangelio promiſerat.

De vera fide digreſsio.

Quoniam autem nulla res homini ſalutem expetenti adeo neceſſaria eſt, vt vera fides, qua conuerſio (quæ græcis μετάνοια vulgò pœnitentia dicitur) ad Deum fit, ſtabilitur,& continuatur, placet huc quædam de fide ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον adſcribere,& vt firmiſsimè teneatur quæ ſit veræ, firmæ & ſalutaris fidei indoles, & facillimè diſtinguatur inter viuam piorum,& mortuam hypocritarum fidem. Siquidem fides hypocritica ſpectrum ſolum modò eſt verę fidei,& non fides propriè dicenda, quo tamẽ ſpectro adeo delectantur hypocritæ, vt ſe ſolos beatos eſſe exiſtiment. Verùm his idem vſu venit quod phreneticis. Vt enim phrenetici, ſi ad illorum colla ſuſpenduntur torques cupreæ, & capitibus imponuntur coronæ ſtramineæ, altum ſpirant, incedunt magnificè, alios tanquam ex alto deſpiciunt, ſe reges eſſe putant, & nominari geſtiunt: Sic hypocritæ (quorum conditio multò eſt deterior quàm phreneticorum) ſpectro fidei faſcinati, ſuis operibus, ſuis iuſticiis, ſuis meritis, ſe ornatiſsimos exiſtimant, ſe ſolos beatos gloriantur, & alios tanquam ex alto deſpiciunt, vt videre eſt in Phariſæo illo, qui gloriabundè ſe antepoſuit publicano, qui tamen publicanus viua fiducia in Deum concepta, ad propitiatoriũ cõfugiebat, qua fide & iuſtificatus eſt & ſaluatus.

Fides hypocritarum.

Quæ ſalutarem fidem præcedant.

Verùm priuſquam viua & ſalutaris fides (qua fit conuerſio) in corde hominis concipiatur & naſcatur, quatuor in homine præcedant neceſſe eſt.

1. Peccati cognitio in mente.
2. Iuſtæ iræ Dei in peccatores, & meritæ damnationis in corde ſenſus.
3. Μεταμέλεια, cum qua cruciatus in conſcientia propter peccatum commiſſum, & propter pœnas imminentes ex iuſta ira Dei, coniunctus eſt.
4. Chriſti vera notitia & firma in mente ex Euangelij prædicatione concepta.

Hæc quatuor ſunt veluti quatuor gradus, quibus gradatim conſcenditur ad veram & ſalutarem conuerſionem, quæ fit per fidem. De quibus gradibus ordine dicemus.

1. Peccati cognitio.

Primus itaque gradus eſt peccati cognitio. Hanc conſequitur homo ex lege Dei: per legem ait Paulus eſt cognitio peccati. Rom. 7. 7. Eſt enim lex Dei regula iuſtitiæ quæ monſtrat, quid iuſtum, quid iniuſtum ſit, quid Deo placeat, quídque diſpliceat, ex quo fit vt quicquid ſit in nobis, vel fiat à nobis non congruens cum regula, hoc eſt, cum lege Dei, ſit peccatum, quo Deus horribiliter offenditur. Ad hanc ergo regulam, vitam & actiones ſuas interiores & exteriores explorabit homo,& ex ea iudicabit de factis ſuis, peccatáne ſint, an non. Verùm ne quis errore fallatur in accommodatione & vſu huius regulæ, duo tenebit: Vnum, quod quicquid aduerſatur charitati Dei & charitati proximi, prohibeatur lege Dei,& pugnat cum regula iuſtitiæ,& contra, Quicquid congruit cum charitate Dei & proximi, præcipiatur, tametſi expreſſè verbis legis non videatur interdictum aut præceptum. Nam lex ex his duobus principiis concluditur, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua,& ex totis viribus tuis,& diliges proximum tuum ſicut teipſum. Alterum, quod lex ſit ſpiritualis, vt quæ poſtulet puram, perpetuam, perfectam & ſpiritualem obedientiam, ex quo intelligere in promptu eſt, ꝙ nullus homo natus iuxta naturæ legem, valeat le-

gem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

gem Dei implere. Nam hominis natura & legis conditio, ita ſibi aduerſantur, vt nunquam in hac vita inter eas conuenire (vt deberet fieri) poſsit. In quod Paulus conqueritur, cum ait, Rom. 7.14. Lex eſt ſpiritualis, ego autem carnalis, venditus ſub peccatum. Hinc intelligimus omnes homines reos eſſe coram tribunali Dei, vt trãſgreſſores ipſius ſanctiſsimæ legis, & non poſſe ne incipere quidem, nedum præſtare vllam obedientiam, iuxta legis mentem, priuſquam regeniti fuerint, & facti noui homines per fidem.

2. Senſus iræ Dei. quem 4. cogitationes augẽt.

Secundus gradus eſt ſenſus iræ Dei & iuſtæ damnationis, in corde hominis propter peccatum, quo reus eſt homo coram Deo. Quoties enim homo cogitat ſuum peccatum, ſimul debet intueri iram Dei aduerſus ſe, & cogitare de pœna quam meruerat propter peccatum.

Lex Adamo data.

Huius iræ Dei ſenſus in corde hominis propter commiſſa peccata, creſcit ex harum rerum cogitatione. Primùm, cogitandum de lege lata primis noſtris parentibus in Paradiſo videlicet, quando comederis de arbore iſta morte morieris. Hic Dominus toti Adamo minatur mortem ſi legem latã violauerit, hoc eſt, minatur mortem non ſolum perſonæ Adami, verum etiam naturæ Adami, quam nos omnes habemus, qui nati ſumus ex Adam, iuxta cõmunem naſcendi legem. Atque ideo eiuſdem cuius & Adam condemnationis rei ſumus, qui ab eo originem traximus. Pſal. 51.7. Paulus, Rom. 5.18.

Maledictio Dei præceptis affixa.

Deinde ſenſus iræ Dei & iuſtę noſtræ damnationis, creſcit ex cogitatione ſententiæ, quam Deus in monte Sina adiecit ſuæ legi, videlicet, maledictus omnis qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis vt faciat ea. Hęc maledictio venit ex iuſta ira Dei in omnes, & infert æternas pœnas omnibus iis, qui non per liberatorem Ieſum Chriſtum ex hac legis ſententia eximuntur.

Teſtimonium conſcientiæ.

Tertiò, ſenſus iræ Dei & iuſtæ condemnationis hominis propter peccatum, creſcit ex Chirographo Dei in cordibus noſtris, quod Chirographum eſt conſcientia hominis, quæ teſtatur de damnatoria ſententia, primum in Paradiſo, deinde in lege poſita. De vtraque ſententia, videlicet, conſcientiæ & legis Dei loquitur Ioannes, 1. Ioan. 3.20. Si, inquit, condemnet nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro qui nouit omnia. Quoties ergo ſentimus cruciatum in conſcientia noſtra propter peccatum, cogitãbimus eſſe pœnam diuinam, & præmonitionem quandam æternarum pœnarum propter peccatum, niſi nobis per Chriſtum ſuccurratur.

Signa iræ Diuinæ.

Quartò, ſenſus iræ Dei, & iuſtæ noſtræ pœnæ, etiam creſcere debet ex ſignis iræ diuinæ, quę ſunt duplicia. Quædam enim ſimul minantur & puniunt, vnde maxima ira Dei in peccatores intelligitur. Huius generis ſigna ſunt peſtis, annonæ caritas, fames, bellum, & variæ plagæ, quibus Deus vel integra regna, vel aliquos ſaltem homines aliis in admonitionem punit, in oſtenſionem futuri iudicij. Quædam non ſtatim puniunt, ſed minantur, & imminentes pœnas quaſi prædicunt. De huiuſmodi ſignis minantibus multas habemus hiſtorias tum prophanas tum ſacras.

Egeſippus ſigna comminantia, quę præceſſerunt euerſionem Ieruſalem recitat. Chriſtus Dominus Matth. 24. enumerat ſigna præceſſura extremum diem, quibus ſubiungit hanc grauiſsimam admonitionem, videte ne quis vos ſeducat. De his tenenda eſt regula. Quicquid non fit vſitatè, etiamſi naturales cauſſas habeat, aliquid ſignificat. Etſi ergo cometæ, inundationes aquarum, horrendæ & inuſitatæ tempeſtates habent ſæpe naturales cauſas, quas Mathematici monſtrant: tamen experientia & hiſtoriæ docent, non ἄσημα eſſe quæ ita inuſitatè fiunt. Verùm huiuſmodi ſigna minantia, annexam conditionem habent duplicem, videlicet iudicij ſeu pœnæ, ſi non reſipiſcimus ſignis admoniti: miſericordiæ, ſi vera pœnitentia confugimus ad Deum, petentes veniam. Exemplum in Propheta Iona habemus illuſtre. Per hunc enim Deus minatur exitium Niniuitis, poſt quadrageſimum diem à tempore concionis Ionæ. Sed quid accidit? Audita hac comminatione, agnouere Niniuitæ ſuum peccatum, & iuſtam iram Dei, & conuerſi ſunt in vera pœnitentia ad Deum, petiuerunt veniam in planctu & ieiunio. Horum ergo pœnitentia motus Deus illis pepercit & nõ puniuit iuxta comminationem Prophetæ. Horum exemplum ſi hodie multæ gentes imitarentur. Deus etiam miſericordiæ ſuæ memor, parceret iis, quibus iam variis & inuſitatis portentis minatur pœnas.

Tertius gradus, qui veram conuerſionem quæ fit per fidem præcedit, eſt μεταμέλεια, dolor ob peccatum in conſcientia. Vt enim ſecundus eſt ſenſus iræ Dei, quo verè ſtatuimus Deum iraſci peccato: ita hic μεταμέλεια & dolor ob peccatum eſt, quo compungimur ob culpam noſtram, & vellemus nos nũquam peccaſſe & offendiſſe Deum, vnde concipitur in nobis per Spiritum ſanctum dolor, odium peccati, & fuga peccati. 3. Pœnitentia.

Quod autem huiuſmodi μεταμέλεια & dolor in corde præcedat ſalutarem pœnitentiam, quę eſt conuerſio hominis ad Deum per fidem in Ieſum Chriſtum, pręter alia multa, ſequentia teſtimonia confirmant. Actor. 2.37. poſtquam diſplicuiſſet Iudæis factum ſuum, & compũcti eſſent corde ob peccatum ſuum, quærunt: quid faciemus viri fratres? Reſpondet Petrus, μετανοήσατε, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum. Hic apertè vides quod & μεταμέλεια ſeu dolor ob peccatum præcedat μετάνοιαν, & quod prædicatio τῆς μετανοίας ſit propria Euangelij, & ſit conuerſio ad Deum per fidem in Ieſum Chriſtum, id quod verba hæc declarant: Baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum, hoc eſt, baptizamini vt habeatis teſtimonium Dei quod vobis conuerſis, id eſt credentibus in Chriſtum ſint remiſſa peccata Matth. 21.32. vos videntes οὐ μετεμελήθητε vt crederetis ei, id eſt, non μεταμελείᾳ ducti eſtis vt conuerteremini ad Deum per ipſius prædicationem. 2. Corin. 7.10. etiam clariſsimè docet, quod dolor ob peccatum, ſeu contritio, præcedat ſalutarem pœnitentiam, id eſt conuerſionem. Dolor, inquit, ſecundum Deum operatur μετάνοιαν ſalutarem, hoc eſt, pręparat hominem vtſe ad Deum conuertat per fidem, ne in ſuis peccatis pereat.

Porrò odium & abominatio peccati ex eo venit. 1. Si cogites ſummam voluptatem Diaboli eſſe, videre hominem, qui eſt conditus ad imaginem Dei potius ſe velle imitari, quam Deum, potius ſuum ſignum quam Dei geſtare. 2. Si cogites, quemadmodum ſupra diximus, quam horrendè peccatum Deum offendat, vt quod expellat Spiritum ſanctum de corde hominis, & faciat ex templo Dei habitaculum diaboli. 3. Si cogites quantum damnum tibi afferat peccatum, & quantum aliis noceat malo exemplo. 4. Si, vt par eſt, cogites, quàm turpe & abominabile ſit peccatum, quod caſtiſsimos Dei Angelos fugat. Hæc quatuor merito cor hominis ad dolorem propter peccatum, ad odium & fugam peccati commouere deberent. Odium peccati vnde.

Quartus gradus, qui viuam & ſalutarem fidem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

4 Chriſti vera cognitio.

Proximè præcedit,eſt Chriſti vera cognitio, quæ aliunde haberi nequit, quam ex prædicatione Euangelij,ſiquidem Euangelium docet, cur Chriſtus in mundum venerit,quis ſit,quid fecerit, & quomodo ſit affectus erga miſeros peccatores, qui ad ſe veniunt.

Cur in mundum venerit.

Venit in mundum miſſus à patre vt liberet miſeros peccatores à triſtiſsimo peccati onere : ita enim Ioannes ait : Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi,Et ipſe dicit:Veni in mundum vocare peccatores ad pœnitentiam. Item,veni ſaluare quod perierat. Et Paulus ait : Certus eſt ſermo & omnium approbatione dignus quod Ieſus Chriſtus venit in mundum peccatores ſaluos facere.

Quid ſit.

Eſt verus Deus, qui poteſt quicquid vult,& vult quicquid ſuo verbo promittit:eſt verus homo aſſumpta in vnionem perſonalem noſtra natura, vt eam reddat participem diuinæ naturæ & gloriæ: eſt vna perſona Deus & homo, vt ſciamus omnia opera ipſius eſſe infiniti pretij & æſtimationis.

Quid fecerit.

Paſſus & mortuus eſt pro peccatis noſtris,impleuit legem,vt ſua obedientia nobis imputata,iuſti habeamur coram Deo. Hic orat pro te apud æternum patrem, vt omnis qui venit ad illum & credit in illum non pereat,ſed habeat vitam æternam.

Quomodo ſit affectus erga peccatores.

Denique ita affectus eſt erga quemlibet peccatorem quod velit ipſum in gratiam recipere,quãtumuis enormiter peccauerit, modo ad ipſum venire non recuſauerit. Venite, inquit, omnes qui laboratis & onerati eſtis,ego reſocillabo vos.Hunc ſuum affectum in multis magnis peccatoribus conſpiciendum exhibuerat, vt in Magdalena, in latrone & in multis aliis. Breuiter vt venit in mundum propter peccatores:ita reuera vult omnium peccatorum ſalutem,ſed per fidem, vt ipſe ait : Qui videt filium(id eſt,agnoſcit filium eſſe ſaluatorem mundi) & credit in illum, habebit vitam æternam & ego ſuſcitabo eum in vltimo die.

Atque ita vidimus, quid veram & ſalutarem fidem præcedat,antequam concipi & naſci poſsit in cordibus noſtris.Ex tribus primis gradibus intelligimus, quæ maneat nos damnatio,niſi liberemur à peccatis noſtris,vnde oritur compunctio cordis.Ex quarto intelligimus,remedium aduerſus peccatum, eſſe propoſitum in Ieſu Chriſto. Nam qui in ipſum credit,habet remiſsionem peccatorum & vitam æternam.

Deſiderij promiſſæ in Chriſto gratię fontes.

In his cogitationibus per Spiritum ſanctum excitatur in corde ingens deſiderium promiſſæ in Chriſto gratiæ, quod deſiderium eſt veluti quidam fidei conceptus, & cum ad hoc deſiderium fiducia cordis in promiſsionem gratiæ accedit,fides in corde naſcitur. Atque ita viua ſalutaris & Chriſtiana

Fidei deſcriptio.

fides,eſt ingens deſiderium gratię promiſſæ in Chriſto,& firma fiducia in Chriſtum,quod velit ex gratia remittere peccatum, & vitam æternam donare credenti gratis abſque omnibus operibus & meritis humanis.

Is qui in hunc modum credit,habet remiſsionem peccatorum,ex merito mortis Chriſti,eſt iuſtus iuſtitia Chriſti ſibi imputata,eſt filius Dei, eſt reconciliatus cum Deo,eſt nouus homo, habet acceſſum ad Deum,ſtat in gratia & fauore Dei.

Fidei incrementa

Quando fides ita eſt concepta & nata in corde hominis,cum ſit initio tenerrima & perexigua, debet quotidie creſcere & incrementa aſſumere,per ardentem inuocationem Dei,vt cum Dauide ores,ô Domine,confirma quod in nobis es operatus, Spiritu tuo ſancto confirma me, dirige me in tua veritate. In huiuſmodi ſeria & ardenti inuocatione ſentitur reſponſum Spiritus ſancti in corde peccantis, per lætitiam cordis & conſolationem aduerſus peccatum & mortem. Hæc enim lætitia & conſolatio in corde,eſt teſtimonium ſpiritus,quod ſimus filij Dei, & iam inchoauerimus vitam æternam.

Huiuſmodi viua & ſalutaris fides non eſt ſterilis, ſed fœcunda.Producit enim ſuauiſsimos & pulcherrimos fructus, & ante omnia ſe gratam exhibet erga Deum, ipſum prædicat, ipſum laudat mente, corde, lingua, atque adeo tota vita. Quemadmodum videmus in Abrahamo, cuius filij ſunt, qui veſtigiis fidei ipſius inſiſtunt per fidem & obedientiam.

Huius fidei fructus vt particulatim dicam ſunt quatuor, pietas erga deum, innocentia in vita, charitas erga homines,ſancta cura in officio.

Probatur & hæc fides cruce,vt aurum igni. Nam patientia ſub cruce cum inuocatione Dei, expectatione liberationis,eſt veluti examinatio fidei, num ſit vera nec ne,vt in Iob videre eſt. Pugnat quoque contra diabolum, mundum & carnem, & ſit victrix,cuius finis eſt ſalus animæ,& vita æterna, iuxta dictum Domini : Beatus qui perſeuerauerit vſque ad finem.

Qui gradus ad fidem à nobis enumeratos rectè cogitat, & qui fidei ortum in corde perpendit, & qui fructus fidei vt par eſt æſtimat, is intelligit Euangelium eſſe prædicationem vniuerſalem pœnitentiæ, id eſt, conuerſionis, quæ fit per fidem, & remiſsionis peccatorum(cum qua coniuncta eſt iuſtificatio & donatio vitæ æternæ) intelligit quoque tres eſſe pœnitentię partes,videlicet contritionem (quæ rectè pars antecedens dici poteſt,vt quæ antecedat conuerſionem, vt oſtendimus) fidem, per quam fit conuerſio, atque ideo pars formalis conuerſionis ſeu pœnitentię dici poteſt,& nouam obedientiam, quæ cum fide connata eſt, tametſi ab ea accurate diſtingui debet, & pars conſequens dici poteſt. Hæc tria,partes dicuntur pœnitentiæ, ſed reſpectu finis ad quam ordinantur, ordine eam ſinem præcedunt,qui eſt ſalus conuerſorum. Et ſunt hæ partes,vt dixi, diligenter diſtinguendæ. Prima remouet obſtaculum. Secunda apprehendit beneficium oblatum. Tertia eſt fructus iuſtitiæ fidei, qui eſt veluti intermedium ad ſalutis portum : Non enim fieri poteſt vt ſit fides, ſine ſuis naturalibus proprietatibus. Etſi autem hæc noua obedientia non eſt pars aut cauſſa iuſtificationis : tamen eſt neceſſarius fructus regenerationis, ſine qua nemo ſaluatur.

Tertius vſus & fructus eſt vt Deum patrem per filium in Spiritu ſancto,mente, corde,lingua,totaque vita pro tanto beneficio prædicemus cum in hac vita,tum in omni æternitate.

Quartus vſus & fructus collationis inſtitutæ, eſt confirmatio noſtri aduerſus tentationem grauiſsimam, quam externa Eccleſiæ forma, paucitas credentium, & defectio plurimorum ab Euangelio, animis infirmorum ſubinde quaſi inſtillat. Cum enim infirmi vident multos, qui ſunt extra Eccleſiam pollere ſapientia, autoritate, opibus, potentia, proſperóque rerum ſucceſſu, & contra intuentur fideles paupertate, cruce & contemptu tantum non opprimi, incipiunt dubitare de tota Eccleſiæ doctrina: Ratiocinantes, eos potius placere Deo, quos fœlices & fortunatos in hoc mundo vident, quam eos qui cum tantis calamitatibus conflictantur. Aduerſus hanc tentationem iuuat aſpicere poſitam à nobis vaticiniorum & euentuum conuenientiam, quæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Chriſtus remediũ tutiſſimũ.

quę docet regnum Chriſti eſſe ſpirituale, docet pios ideo grauius affligi in hoc mundo, vt in eis corpus peccati crucifigatur, & vt admoneantur de futura gloria, in quam Chriſtus victor nos ſuo tempore introducet. Neque alia vnquam fuit aut erit Eccleſiæ conditio in hoc mundo, quàm vt cruce veluti igni quodam probetur, vt Prophetæ & Apoſtoli teſtantur, & totius doctrinæ Eccleſiæ Dei conſenſus confirmat, & infinita ſanctorum exempla comprobant. Spectro igitur felicitatis impiorum in hoc mundo, opponamus cum Dauide veram felicitatem, eamq́; perpetuò duraturam in Chriſto Ieſu. Cruci Eccleſię opponamus gloriam. Contemptui opponamus adoptionem noſtri in Filio Dei. Cum paucitas credentium & defectio multorum ab Euangelio offendit, confirmemus nos verbo, quod hæc paucitas & defectio prædicta fuit per Prophetas, Chriſtum & Apoſtolos: ſuſtentemus nos exemplis piorum, qui omnibus temporibus fuere pauciſſimi. Semper enim optima quæque pauciſſimis placuere. Erigamus nos conſolatione promiſſionis, quod non ſit prorſus abolẽda Eccleſia in hac vita, etſi multi in ea trucidantur à tyrannis, & quod illi ipſi qui etiam trucidantur, in hoc ipſo ſint beati, quod perſecutionem & mortem patiantur propter confeſſionem nominis Chriſti: imò gaudeamus nos iſto pacto conformes fieri Filio Dei, vt olim cum eo regnemus in gloria. Si enim patimur cum illo, teſte Apoſtolo, 2. Tim. 2. 12. etiam cum illo regnabimus, & percipiemus fructum noſtri laboris cum gaudio, iuxta Dauidis vaticinium. Pſalm. 126. 5. Qui ſeminant in lachrymis cum exultatione metent: Euntes eunt, & flentes portant precioſum ſemen: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. Vt ergo Agricolæ non tantum mentem vertunt ad tempus ſationis, quod eſt moleſtius & laborioſius: verumetiam ad lætiſſimum & iucundiſſimum tempus quò laboris gratiſſimus fructus colligetur & percipietur: Ita nos non ad præſentes calamitates quas ſuſtinere cogimur in hoc mundo vertamus oculos, ſed multò magis ad æternam gloriam in Chriſto nobis promiſſam. Nam vt Paulus ait, 2. Cor. 4. 17. Leue momentum afflictionis noſtrę excellenter ſupra modum æternum gloriæ pondus operatur nobis.

Simile.

FINIS.

ANTICHRISTOMACHIA,

SEV

PVGNÆ INTER CHRISTVM & eius hoſtem, Papam Antichriſtum, Deſcriptio.

NICOLAO HEMMINGIO AVTORE.

Demõſtrationi de Chriſto cómodè adiuncta eſt hęc deſcriptio Antichriſti.

ETSI pij omnes norunt Papam, ſub titulo ſerui ſeruorum Dei, opponere ſe Chriſto Domino noſtro, vnico Seruatori credentium: tamen vtile eſt non tãtùm in genere hoc ſcire, verumetiam diſtinctè & ſpeciatim errores Papiſticos & multiplices corruptelas videre: vt eò magis abominemur, ac tanquam anathema fugiamus Papam, atq; eius tyrannidem in Eccleſiam Dei deteſtemur.

Regnum Chriſti.

Qui prima elementa veræ religionis degustarunt facilè vident formam regni Chriſti longè aliam eſſe, quàm eſt forma regni Antichriſtiani. Quare & adminiſtrationem vtriuſque diuerſiſſimam eſſe neceſſe eſt. Chriſtus interrogatus à Pilato de regno Ioan. 18. 36. Reſpondet, regnum ſuum non eſſe de hoc mundo: hoc eſt non eſſe mundanũ imperiũ, quo ipſe ſuis imperet. Idem diſcipulis de primatu cõcertantibus, Marc. 10. 42. Luc. 22. 25. manifeſtè diſtinguit inter ſuum regnum & regna mundi. Ita enim ait: principes gentium dominantur eorum, vos autem non ſic: Quid quæſo hac diſtinctione manifeſtius? Quid hac prohibitione clarius?

Regnum Antichriſti.

Contra hanc prohibitionem Papa regna mundi ſibi ſubiecit, & multò crudelius imperatoribus optimis & regibus imperauit, quã vlli Nerones. Finxit ſibi duos gladios datos eſſe: vnum ſecularem, quo mundi imperia adminiſtret: alterum Spiritualem, quo Eccleſiam regat. Quis vſquam adeo cæcus eſt, qui non videat Papam ſe Chriſto hîc opponere?

Papa verè Antichriſtus.

Turca ſe Chriſto opponit, ſed manifeſtè. Papa verò non tam manifeſtè: nam Chriſti ſe ſeruum fingit. Chriſti authoritatem prætendit: ſed exemplo Iudæ, qui proditorio oſculo dominum ſuum prodidit. Tu es Petrus (inquit Chriſtus, Matth. 16. 18.) & ſuper hanc Petram ędificabo Eccleſiam meam. Hoc dictum arripit Papa, ac de ſe dictum interpretatur. Quis nõ hîc videt ſycophantam eſſe Papam, qui ſuo impuro ore ad ſe transfert, quod à ſe alieniſſimum eſt? Petrus dixerat, Tu es Chriſtus Filius Dei viui. Quod reſponſum Chriſtus approbans ait, Beatus es, Simon, Bar-Iona: quia caro & ſanguis non reuelauerunt tibi, ſed Pater meus cœleſtis. Et ego dico tibi, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

Loci (Tu es Petr.) expoſitio.

Hîc promiſſio & confeſſio coniungitur: ex quo liquidò conſtat, quod promiſſio non ſit ſimpliciter accipienda, ſed cum confeſſionis conditione. Qui ergo confitetur Chriſtum Filiũ Dei eſſe & vnicum Saluatorem, petra illa eſt de qua Chriſtus hîc loquitur, non quidem perſonę dignitate, aut ſucceſſionis ratione, ſed confeſſionis reſpectu: quæ confeſſio habet promiſſionem clauium, quibus aperitur & clauditur regnum cœlorum. Vbi ergo hæc cõfeſſio non eſt, ibi nec claues ſunt. Iam autem experientia docet hanc confeſſionẽ non eſſe in Papa Romano, de quo dubitare non poteſt qui vitas Paparum nouit, inter quos ne vnus quidem inuenitur qui Chriſtum docuit & ſincerè confeſſus eſt. Taceo multas extitiſſe qui falſè omnem religionem deriſerunt, & gauiſi ſunt in ſinu, quod ſub religionis prætextu ſibi tantas delitias acquiſiuerint. Hinc patet quã iniuſtè, quàm ſacrilegè, quàm mendaciter Papa ſibi dictum Domini, Tu es Petrus, &c. accommodat, & cõtra Chriſtum, regnum ſuum mendaci interpretatione verborum ſtabilire conatur. Hoc regnum Antichriſtianum fraude & mendacio partum, tyrannide, gladio, igni, omnium ſuppliciorum genere tuetur & adminiſtrat, non Chriſti Legibus, ſed ſuis iniquiſſimis decretis & traditionibus, in ſuum & multorum certiſſimum exitium.

Diſtinct. cõſideratio regni papiſtici.

Etſi autem hæc piis nota ſunt in genere de regno Antichriſtiano (cui vt monarcha de Toparcha Satanæ præſidet Papa) & de eius tyrannica & cruenta adminiſtratione: tamen operæprecium eſt, vt magis eius inſidiæ caueantur, diſtinctiùs oſtendere quibus in partibus Papa manifeſtè ſe Chriſto oppo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nat: de qua re modò dicemus, non quidem plenè, ſed tantum indicando potiſſima τῆς ἀντιμαχίσεως capita.

Quib. rebus cõſtat Chriſti Eccleſia.

Omnibus piis notum eſt, Eccleſiam Dei, quæ eſt ſponſa Ieſu Chriſti, colligi, ædificari, conſeruari, fulciri & conſiſtere his quatuor, 1. Doctrina diuinitus patefacta, 2. Sacramentis diuinis, 3. ceremoniis, 4. & diſciplina. Hæc quatuor vbi ad regulam cõgruunt, non dubium eſt ibi veram & catholicam eſſe Eccleſiam Ieſu Chriſti. Contrà, vbi non ſunt integra, illic vel Eccleſiam nullam eſſe, vel ciues Eccleſiæ tanquam in Babylonico quodam carcere captiuos eſſe. Quemadmodum enim olim Babylone exulabat Eccleſia, ita hodie in regno Papæ non pauci pij deliteſcunt. Videamus ergo quomodo in his quatuor cõueniat Babylonicę meretrici cum ſponſa Chriſti quæ eſt Eccleſia.

Doctrina Eccleſię triplex.

Doctrina ſponſæ Chriſti triplex eſt: videlicet, 1. Legis. 2. Euangelij. 3. cultus Dei. Et ſi autem hæc tertia pars Legis eſt, ſi eius materiam reſpicis, & Euangelij, ſi modum præſtandi ſpectas: tamen diſtinctam facio, quia non ex Lege ſeorſim, nec ex ſolo Euangelio, ſed ex vtraque doctrina manat. Quantum autem ad Legem Dei, hoc eſt decalogũ, attinet, Sponſa Chriſti æſtimat Legem ex eius autore Deo, & ex eiuſdem perfectione. Nam qui eam fecerit viuet in ea iuſtus & charus Deo, qui legis autor eſt ſapientiſſimus, & ſolus habet poteſtatem condendi leges vitæ & mortis. Hæc planiora ſunt quàm vt vlla interpretatione egeant. Nam & ipſe Deus ſe authorem legis pronunciat, & idem dicit ſe in lege proponere vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, Deuteron. 30. 15. & Paulus, Roma. 7. 14. eãdem ſpiritualem vocat, quia & ſpiritualem obedientiam requirat, & ſit perfecta rectè viuendi norma. Etſi autem Eccleſia Chriſti fatetur hæc de lege Dei, tamen dum ſe reſpicit Eccleſia, agnoſcit ſe cum Paulo nequaquam poſſe legi perfectam obedientiam præſtare, imò ne cultum Dei inchoare poſſe ex ſola lege. Hac confeſſione Eccleſia non accuſat legem De Sanctam, puram & perfectam: ſed ſuas maculas deplorat, quibus inuoluitur, adeo vt puram obedientiam præſtare non poſſit. Quod & Paulus cõfirmat, prouocans ad teſtimonia corruptiſſimæ noſtræ naturæ, adducens in medium vniuerſalem omnium hominum experientiam, proponẽs iudicium Dei in omnes, proferens oracula Dei quæ idem teſtantur, commẽdãs nobis finem mortis Chriſti, qui eſt iuſtitia credentium & ſalus. Nam ſi (inquit Galat. 2. 21.) ex lege eſt iuſtitia, Chriſtus fruſtra mortuus eſt.

Hactenus diximus breuiſſimè in quo loco lex Dei ſit apud Sponſam Chriſti. Nunc videamus quid Antichriſtus Papa ſentiat.

Papa legem Dei nefariè violat.

PAPA omnium primùm, & legis authorẽ Deum, & legem ipſius ſumma & nefaria iniuria afficit. Sed quomodo hoc probas? Papa manifeſtè ſuas leges legi diuinæ anteponit: ex quo ſequitur quod ſe ſuperbè extollat ſupra Deum ipſum.

Probatio.

Nam qui ſuis legibus alterius leges opprimit, manifeſtè ſe anteponit illi cuius leges contemnit. Atque hoc eſt quod Paulus dicit, 2. Theſſal. 2. 4. Hominem peccati efferre ſe aduerſus omne quod dicitur Deus aut cultus. Quod autem Papa ſuas leges diuinis legibus anteponat, in pœnis cernitur. Multò grauius punit Papa tranſgreſſores legum ſuarum, quàm violatores legis diuinæ. Mœcho, Scortatori, ridiculam ſatisfactionem imponit, vt fortè ieiunet vnum aut alterũ diem, aut vt numeret ſacrificulo certam pecuniam pro Miſſa murmuranda. Nam egregiè norunt Satellites Papę variare ſatisfactionum modos pro hominũ diuitum & pauperum conditione. Vt enim diuites pecunia, ita pauperes preculis & ieiuniis expiare ſolent. At ſi quis fortè carnes ederit die Veneris contra interdictum Papæ, aut verbulũ dixerit contra idololatriam Romanam, hîc non preces, nõ pecunia, non ieiunia ſatisfaciũt, ſed atrociſſimæ pœnæ excogitantur, quibus vel minima decreti Papalis violatio punitur: non quidem vt pœna illa crudeliſſima ſit ſatisfactoria pro admiſſo delicto contra legem Papæ, ſed vt punitus tradatur diabolo, æternis pœnis expiandus. Quàm vera ſint quæ dico, teſtantur infinita exempla eorum, qui ab immaniſſimo pſychotyranno Papa crudeliſſimis pœnis propter violatas leges Papales affecti ſunt. An non hoc eſt, decreta miſeri hominis anteponere ſapientiæ Dei? An non hoc eſt, Deum de throno maieſtatis ſuæ detrudere, & ſe ſuper Deũ ſuperbè efferre? Qui ergo ſe Papæ ſubiicit, à Deo proditoriè deficit, & cum Papa ſe Chriſto ſuperbè opponit, non ſine ſuo certo interitu, niſi maturè per gratiam Dei reſipiſcat.

Alia probatio.

Huc accedit & alia iniuria, qua Papa diuinam legem afficit. Nam & eã externa tantùm præcipere & prohibere, & imperfectam eſſe nefariè conuiciatur, contra manifeſtam Chriſti interpretationem & teſtimonium. Papa dicit legem Dei cohibere manum tantùm: at Chriſtus eam requirere intimos affectus teſtatur, Matt. 5. & 22. Papa ſomniat legi ſatisfieri externa diſciplina: at ſeruus Chriſti Paulus clamat, Rõ. 7. 14. legem Dei ſpiritualem eſſe, ſe verò carnalem venditum ſub peccato, adeo vt non poſſit legi perfectam obedientiam præſtare. Chriſtus dicit, Matt. 19. 17. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata: vnde perfectio legis concluditur. Sed Papa collocat perfectionem in obedientia humanarũ traditionum, in ficta paupertate, & Sodomitica virginitate. Ex his, vel cæcis clarum eſſe poteſt, quod Papa ſe Deo & Chriſto eius opponat in prima doctrinæ Eccleſiæ parte, videlicet in lege diuina, cui non ſolùm ſuas præfert, & ſe Deo anteponit, verumetiam malignè, contra mentẽ Dei, interpretatur, ac vt imperfectam ſubiicit ſuis traditionibus, quibus perfectionis laudem tribuit, quã ſacrilegè ſapientię Dei adimit.

II. Euangelium.

Nunc accedamus ad ſecundam partem doctrinæ Eccleſiæ, quæ eſt Euangelium. Sponſa Chriſti, quæ eſt Eccleſia, non aliud Euãgelium, quàm quod ſuus Sponſus tradidit, quod habet teſtimonium à lege & Prophetis, agnoſcit. De quo Paulus ait, Galat. 1. 8. Si quis aliud Euangelium Euangelizauerit quàm nos, anathema ſit. Hoc Euangelium Chriſtus, vt artifex ſummus, Luc. 24. 46. his verbis definit: Sic Scriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtũ pati, & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius conuerſionem & remiſſionem peccatorum omnibus gẽtibus. Proinde Euangelium eſt vniuerſalis prædicatio conuerſionis & remiſſionis peccatorum nomine Chriſti paſſi & reſuſcitati à mortuis.

Quid?

In hac definitione multi ſunt theſauri cœleſtis ſapientiæ, quos ſola Eccleſia Chriſti rectè nouit explicare, & in vſus ſuos prudenter transferre.

Definitionis analyſis.

Vt autem appareat quantùm aduerſetur Chriſto Antichriſtus Romanus, explicabo hãc definitionem & Scripturis diuinis illuſtrabo. Primo ergo loco obſeruandum eſt quod Euangelium ſit vniuerſalis prædicatio. Particula vniuerſalis expreſſè ponitur, cũ dicitur à Domino quod oporteat prædicari omnibus gentibus. Nã ita Hebraiſmum explico, in oẽs gentes.

Vniuerſalis prædicatio.

Huc facit & mandatum vniuerſale, Matt. 28. 19. Ite & docete omnes gentes. & Marc. 16. 15. Eũtes in mundũ vniuerſum prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Ex his liquidò conſtat, quod Euangelium non

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ad hanc vel illam nationem pertineat excluſis cæteris, ſed ad omnes nationes ſub Sole, & ad omnes homines in omnibus nationibus. Apparuit (inquit Apoſt. Chriſti, Tit. 2. 11. gratia Dei ſalutifera omnibus hominibus. Et alibi, 1. Tim. 2. 4. Deus vult oēs homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Quid conſolationis hinc hauriat ſponſa Chriſti, quando luctatur cum conſcientia peccati, nemo verbis explicare poteſt. Sed quilibet hoc intra ſe ſentit facilius, quam de eo loqui poſſit.

Conuerſionis.

Deinde, hæc definitio habet, qualis ſit prædicatio Euāgelium, videlicet cōuerſionis & remiſſionis peccatorum in nomine Chriſti. Primùm dicitur Euangelium prædicatio conuerſionis. Fit autem hæc cōuerſio, cū renuntiamus Satanæ & peccato, & confugimus ad miſericordiam Dei, certa fiducia in Chriſtū paſſum pro nobis & reſuſcitatum recumbentes. Euangeliſta ſignificante voce vtitur, cùm propheticā appellationem, videlicet conuerſionem, transfert μετάνοιαν, qua voce ſignificatur non ſimpliciter quæuis conuerſio, ſed certa quædam conuerſionis forma, videlicet animi, ídque iuxta regulam Euangelij. Vulgò redditur μετάνοια pœnitētia, quę appellatio nō à forma cōuerſionis ſumitur, ſed à parte antecedente, ſeu à cōuerſionis initio.

Cui' tres ſunt partes.

Sunt. n. tres conuerſionis partes, videlicet contritio, cui propriè conuenit pœnitentiæ appellatio, fides, & bonum propoſitum ſeu noua obedientia. Contritione dolemus nos peccaſſe & pœnitet nos facti. Fide conuertimur ad miſericordiam, quam offert Euangelium in Chriſto Mediatore & reconciliatore noſtro: cum hac fide neceſſario coniunctum eſt bonum propoſitum ſeu noua obedientia. Antecedens proinde pars conuerſionis eſt contritio. Forma conuerſionis eſt ipſa fiducia in Chriſtū: conſequens pars eſt noua obediētia ſeu bonum propoſitum. Hoc cernitur clarè in omniū hominum cōuerſione: id quod paucis exemplis oſtendam.

Exempla.

David primùm tāgitur ſenſu peccati, obiurgatus à Propheta. Deinde erigit ſe fide promiſſionis, quā concepit ex cōcione Prophetæ, tū ſe gratū Deo oſtendit omni genere obediētię, Act. 2. 37. dū arguūtur Iudæi à Petro, veniunt primùm in cognitionem peccati, & iuſti iudicij Dei ob peccatū. vnde cōpunguntur corde, & dolent ſe Deum offendiſſe. Deinde in hoc ingenti dolore dicunt ad Pet. & reliquos Apoſtolos, Quid faciemus, viri fratres? quibus Pet. reſpondit, μετανοεῖτε, hoc eſt, conuertimini, ſcilicet ad Deum fiducia mediatoris Ieſu Chriſti & baptizetur vnuſquiſq; veſtrū in nomine I. Chriſti in remiſſionē peccatorū veſtrorū, & accipietis donum S. Sancti. Hoc exēplum facilè oſtendit quid ſit propriè cōuerſio, quā vt neceſſario præcedit notitia peccati & dolor ob peccatum, ita neceſſariò ſequitur noua obedientia, quæ eſt actio Spiritus Sancti in credentibus.

Prædicatio itē remiſſionis peccatorum.

Hactenus quid requirat Euangelium ab homine dictum eſt, videlicet cōuerſionē. Nunc ſequitur q̃d conuerſis offerat. Ita. n. habet definitio, Euangelium eſt prædicatio conuerſionis & remiſſionis peccatorū. Offert ergo Euāgelium omnibus hominibus, qui conuertuntur ſeu credunt, remiſſionē peccatorum. Hęc remiſſio nihil aliud eſt quàm obligationis ad ęternam mortem & damnationem ſolutio, & pœnę debitæ cōdonatio. Fit autē hæc remiſſio, vt dictum eſt, quando in conuerſione credimus nobis Deū eſſe propitium, propter mortē & reſurrectionē Chriſti.

Huius imago.

Huius remiſſionis pulcherrima imago proponitur, Mat. 18. in debitore qui debuit ſuo creditori decem millia talentorū. Qui cum nō habuit quod ſolueret, remiſſum & condonatum eſt ei totum debitum ex mera miſericordia.

Coniuncta.

Porrò in fide remiſſionis peccatorū plura cōiuncta ſunt. 1. Expiatio peccati per ſolum ſanguinē Chriſti. 1. Imputatio Iuſtitiæ. 3. Acceptatio hominis ad vitā æternā gratis propter Chriſtū. Hęc tria iuſtificationis nomine ſæpe intelliguntur, & eius quidem partes cenſentur.

De his beneficiis ita Paulus ſcribit, Rom. 3. 21. &c. Nunc abſq; lege iuſtitia Dei patefacta eſt, cōprobata teſtimonio Legis & Prophetarum: iuſtitia inquā Dei per fidē Ieſu Chriſti in oēs qui credunt. Nō eſt. n. diſtinctio. Oēs. n. peccauerunt & egent gloria Dei. Iuſtificātur aūt gratis per gratiā ipſius, per redēptionē quæ facta eſt in Chriſto Ieſu. Quem propoſuit Deus propitiatoriū per fidē in ſanguinē ipſius, ad oſtēſionē iuſtitię ſuæ propter remiſſionē peccatorū pręcedentiū, quæ Deus tolerauit, ad oſtentationē iuſticiæ eius in præſenti tēpore: vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificās eum qui ex fide eſt Ieſu Chriſti. Vbi ergo gloriatio? Excluſa eſt. per quā legē? operū? non. Sed per legē fidei. Arbitramur igitur iuſtificari hominem fide ſine operib. legis. Hactenus Paulus, ex cuius verbis facilè apparet cōiungi hæc tria in iuſtificatione hominis: videlicet expiationem peccati, imputationem iuſtitiæ, & acceptationem gratuitam ad vitam æternam. De quibus tribus nunc explicatius dicemus, vt manifeſtum fiat quàm inſigni contumelia Papa, qui hanc totam doctrinam obruit, filium Dei afficiat.

1. Expiatio peccati.

Primo ergo loco in remiſſione peccatorū eſt expiatio peccati, quæ fit, vt Paulus docet, per ſanguinē Chriſti: dum videlicet Chriſtū per fidē induimus & Chriſti mēbra efficimur. Huc pertinent multa dicta Scripturæ. Ioan. Baptiſta ait, Ioan. 1. 29. Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. 1. Ioan. 1. 7. Sāguis Ieſu filij eius mundat nos ab omni peccato. 1. Ioan. 2. 1. Si quis peccauerit, aduocatum apud Patrem habemus Ieſum Chriſtū Iuſtū, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris aūt tantū, ſed etiā pro totius mundi. Hæc teſtimonia & multa alia teſtātur nulla alia re expiari, purgari & tolli peccata omnia, quā ſolo ſanguine Chriſti, qui mortuus eſt, vt Paulus ait, Rom. 4. 25. propter peccata noſtra, ſcilicet expiāda, purganda, & tollenda.

2 Imputatio iuſtitiæ.

Secundo loco in remiſſione peccatorū eſt imputatio iuſtitię. Nā vt omnis qui credit habet expiationē peccatorū, ita etiā habet imputationē iuſtitiæ: vt lex ipſum dānare nō poſſit, cū habeat quod illa requirit.

Teſtimonium primum.

Quod aūt hęc iuſtitia ſit iuſtitiæ imputatio, teſtatur Paul. Rō. 4. 3. &c. Credidit Abrahā Deo, & imputatū eſt illi ad iuſtitiā. Ei aūt qui operatur, merces nō imputatur ſecundū gratiā, ſed ex debito datur: ei verò qui nō operatur, credit aūt in eū qui iuſtificat impiū, imputatur fides eius in iuſtitiam. Sicut & Dauid definit beatitudinē hominis, cui Deus imputat iuſtitiā ſine operibus: Beati quorū remiſſæ ſunt iniquitates, & quorū tecta ſunt peccata. Hæc iuſtitia Dei dicitur, quia nō eſt hominis propria, ſed eſt ex fide Ieſu Chriſti, ideóq; Deo accepta & grata.

Secundū.

Ita. n. Paul. Phili. 3. 8. ſeipſum ſtatuēs exēplum, hāc iuſtitiā ab hominis propria, quę eſt ex lege, diſtinguit. Sūt aūt hęc verba Pauli, Exiſtimo omīa detrimētū eſſe propter eminētē ſcientiā Ieſu Chriſti D. mei, propter quē omniū iacturam feci, & arbitror eſſe reiectamenta, vt Chriſtū lucrifaciā: vt & inueniar in illo non habens meā iuſtitiā, quæ ex lege eſt, ſed illā, quæ ex fide eſt Chriſti Ieſu, quę ex Deo eſt, iuſtitiā in fide, &c. Quid quæſo, clarius dici potuit? Paulus hîc primū prodit nudus in conſpectū Dei: exuit omnē opinionē iuſtitiæ propriæ, quæ eſt ex lege, vt poſſit fieri capax iuſtitiæ Dei, quę eſt ex fide Ieſu Chriſti. Proinde iuſtitia, qua cōſiſtim' corā Deo, nō eſt hominis, nō eſt legis,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nō eſt vllorū operū:ſed eſt Dei,eſt fidei,eſt I.Chriſti, quē induit oīs qui credit in illū,adeo vt Chriſti iuſtitia illi imputetur,vt ea cēſeatur iuſtus corā Deo,ac ſi ipſius propria eſſet. Hæc Chriſti iuſtitia quæ nobis imputatur,definitur Rom.5.19.obedientia Chriſti: vbi collatione facta inter Adā & Chriſtū ita loquitur Apoſtolus:Quēadmodū per inobedientiā vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi:ſic etiā per obedientiā vnius,iuſti conſtituentur multi. 2.Cor.5.21.Eum qui non nouit peccatum,fecit peccatum,vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo.

Tertium.

Iuſtitiæ Chriſtianæ definitio.

Ex his concluditur,quod iuſtitia Chriſtiana, qua conſiſtimus corā Deo,ſit obediētia Chriſti imputata.Nā vt obedientia crucis Chriſti eſt expiatio à peccato,ita obedientia legis in Chriſto eſt iuſtitia noſtra:quę obediētia ideo omnibus ſufficit,quia eſt obediētia hominis qui eſt Deus.Nā ex illa admirāda & adorāda vnione diuinæ & humanę naturę in Chriſto, eſt pretiū & æſtimatio infinita omniū operū in humana natura Chriſti.Quū ergo homo hac obediētia ſeu iuſtitia Chriſti ornatus,prodit in conſpectum Dei,iuſtus cenſetur,ita vt legi Dei ſit oīo ſatisfactū. Nā habet quod lex requirit,nēpe iuſtitiā:non quidē formalē in ſe,ſed in Chriſto,quę credēti imputatur. Inde Paulus,Rom.10.4.finis legis Chriſtus,in iuſtitiā omni credenti, hoc eſt,omnis qui credit in Chriſtū,habet finē legis, 1.quod lex vt ſummū requirit, nēpe iuſtitiā,& cū iuſtitia vitā. Hinc facilè patet ꝙd chriſtus voluerit,cū interrogāti cuidā (Mat.19.16.) quid faceret, vt haberet vitā beatā,reſp.Si vis ad vitā ingredi,Serua mādata.Nā qui ſeruat mādata habet ꝙ lex requirit,nēpe,iuſtitiam,cui vita beata debetur. Ita rectiſſimā viā mōſtrat Chriſtus,dū ad obedientiā mandatorū mittit. Verū,ſi hic adoleſcēs in ſe deſcēdiſſet,agnouiſſet ſuas maculas,deploraſſet ſuū peccatū,& ſe nudū cum Paulo corā Chriſto proſtrauiſſet. Tunc ſanè Chriſtus mōſtrauiſſet illi aliū modū conſequendi finē legis,iuſſiſſet illum in ſe credere, vt in chriſtum inueniret quod ipſe non habebat,nempe iuſtitiam quam lex requirit.

3.Acceptatio gratuita.

Tertio loco,in remiſſione peccatorū,eſt acceptatio gratuita credētis hominis ad vitā ęternā.Hęc cū expiatione peccati & iuſtitia imputata cohæret, vt quæ ab illis depēdeat:& in dilectione,qua nos in dilecto charos habet pater,fundata eſt. Porrò duplex acceptatio hominis eſt coram Deo.1.Fidei,cū gratis propter chriſtum acceptamur. 2.Obedientiæ,cum credens perſona propter ſuam obedientiam accepta eſt,adeo vt etiam præmium obedientiæ recipiat.Sed de priori acceptationis genere hîc agitur.

Duplex:

Hactenus ſimpliciter & perſpicuè,vt ſpero,propoſui doctrinam ſponſæ chriſti de Euangelio. Nunc quomodo huic doctrinæ ſe opponit aduerſarius chriſti Papa breuiter expediemus.

Romanus Antichriſtus euertit Euangelium.

Euangeliū Papiſtis noua lex eſt,quæ eadē præcipiat & prohibeat quæ decalogus:ſed plenius.Lōbardus lib.3.diſt.40.exemplū ſumit de non mœchādo: cui pręcepto dicit ſuperadditionē factā in Euāgelio, in quo oīs concupiſcētia mœchādi prohibetur.Breuiter illis lex vetus cōprimit manū:lex noua ſeu Euangeliū cōprimit animū.Quid hîc dicemus? An non intolerabilis iniuria eſt,qua chriſtū afficiūt,quē nouum legiſlatorē cōſtituunt?Chriſtus corrigit errorē Phariſaicū de lege Dei,& mentē legis exponit.Hoc Papiſtæ putāt eſſe nouū legiſlatorē fieri.Sed toto cęlo errant,& ſatis confutātur ſentētia Eccl.quā ſupra expoſui.Nā ſi Euangeliū eſt doctrina cōuerſionis& remiſſionis peccatorū in nomine chriſti,ſicuti ipſe chriſtus definit,falſiſſima profectò erit Papiſtarū aſſertio,quia Euāgeliū definit nouā legē moraliū præceptorū decalogi eſſe.Proinde vtrunq; falſum eſt,videlicet & ꝙ dicūt Euangeliū nouā legē eſſe,& quod affirmāt plenius præcepta cōtineri in Euangelio.Vt enim prius barbarico cœno obruit lucē Euāgelij:ita poſterius cōtumelioſum eſt in Deū authorē legis.Si Euāgelium eſt prædicari conuerſionē & remiſſionē peccatorū in nomine chriſti:ſeu(vt Paul. loquitur) ſi Euangeliū eſt hominē gratis iuſtificari fide abſque operibus legis: profectò anathema eſt dicere Euāgeliū eſſe operū doctrinā,quib.homines corā Deo iuſtificētur.Prætcrea ſi plenius continētur moralia in Euāgelio quā in decalogo,lex Dei ꝓfectò eſt imperfecta,nec vita & mors in ea propoſita ſunt, nec rectè à Moſe dictū eſt , Qui fecerit ea viuet in eis.Immò chriſtus ipſe malè pronuntiat de lege morali,Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata.Cuicunq; ergo pietas cordi eſt,fugiat definitionē illam Papalē non ſecus atq; anathema.Ex hoc veluti fundamēto extruūt Papiſtæ omnes ſuos errores contra gratuitam iuſtificationē , & abolent fidē remiſſionis peccatorum.

Abolet fidē remiſſionis peccatorum.

Supra oſtendimus in fide remiſſionis peccatorum tria ſpectāda eſſe.1.Expiationē peccati per ſolū ſanguinē chriſti. 2.Imputationē iuſtitiæ Chriſti.3.Acceptationē gratuitā hominis ad vitam æternā. Hæc oīa Papa abolere conatur , in maximā contumeliam filij Dei,& in certiſſimū interitum omniū eorū qui à Papa ſeducūtur,niſi ante mortē reſipiſcāt.Sed age, videamꝰ quib.ſordib.has iuſtificationis noſtrę partes obruat Papa,quò nobis ſit magis abominabilis Papę impoſtura.Sponſa Chriſti,edocta verbo Dei,ignoſcit & credit ſolo ſanguine Chriſti expiari, purgari, & aboleri peccata oīa. Sed Papa longè aliter docet. Nā quædā peccata dicit ablui ſuo anabaptiſmo ſeu luſtrali aqua , vtpote minora peccata quædam dicit purgari igni purgatorio : vt qui nō purgatus eſt hîc ſatis in vita,purgetur in igne purgatorio,donec Papę viſum fuerit.Quædam dicit redimi eleemoſynis, quędam peregrinationib.quædam indulgētiis à Papa auro & pecunia cōparatis. Nam dicit ſe habere theſaurū Eccleſiæ,hoc eſt merita ſanctorū quę vēdit quib.vult.Quædā mētitur merito miſſarū tegi:quædam clamat preculis & ieiuniis,& inuocatione Sanctorū expiari.Quid dicam de thure & candelis cōſecratis & accēſis corā imaginibus?Hæc oīa tanquam fulmine quodā proſternūtur hac vna ſentētia,1.Ioā.1.7.Sāguis I. Chriſti purgat nos ab omni ἀνομία hoc eſt,ab omni peccato quo lex Dei violata eſt.Nā ἀνομία eſt quicquid nō congruit cū lege Dei,ſiue actio, ſiue paſſio,ſiue defectus,ſiue qualitas ſit,ſiue à nobis fiat,ſiue in nobis ſit.Quę oratio,obſecro,ſufficiet ad deteſtādum iſtā contumeliā Papę aduerſus ſanguinē filij Dei? Quis non exhorreſcit cogitans de potentia diaboli,qui in tā execrabilē blaphemiā hominē pertrahere potuit? Quis quæſo,niſi prorſus ſuæ ſalutis immemor,hîc ſuſtinet imperiū Papæ? Iudas filium Dei oſculo prodidit, & crepuit medius. Sed Papa multò iniquius,crudelius, & immanius facit,qui pretioſum filij Dei ſanguinē pedibus conculcat,& cœno fœdiſſimo obruit. Quod ſanè facit quando ſuis ſtercoribus,hoc eſt fictis purgationib. tribuit eā virtutē quæ eſt ſolius ſanguinis D.noſtri Ieſu Chriſti. Orandus eſt igitur Deus,vt hunc hoſtē filij ſui Papā cōficiat potenter gladio oris ſuis, & proſternat iſtā immanē beluā, quæ vineā Domini tā miſerè vaſtat, quæ Eccleſiam Dei prætextu ſanctimoniæ horrēdis modis lacerat,quæ ſanguine ſanctorū conatur impedire curſum Euangelij,& nihil magis in votis habet,quā vt in Eccleſiā dominiū habeat , agnoſcatur caput & monarcha Eccleſiæ,& ſucceſſor Petri:cū reuera ſit peſtis Eccleſiæ,toparcha Satanæ, & ſucceſſor Iudę:

Expiationē peccati quaſi conſtituat Antichriſtus.

Blaſphemia Antichriſti deteſtāda.

Iudæ: imò non Iudæ ſolius, ſed Iuliani quoque & Neronis, quos omnes ſolus Papa ſuperat crudelitate & ſæuitia in mēbra Chriſti, idq; non ob aliā cauſam, quàm quod fateantur ſe non aliis ablutionib. & purgationibus indigere quā ſolo ſanguine Chriſti, qui ſufficit ad oīa mūdi peccata purgāda & abolēda.

De iuſtitia Euangelij Papę ſententia.

Diximus, quomodo Papa obruat primā Euāgelij partē de remiſſione peccatorum. Nūc quomodo iuſtitiā, quā prædicat Euangelium, tollat, videbimus. Sponſa Chriſti, in ſchola S. Sancti erudita, nouit Euangelij iuſtitiam eſſe, quā tota Scriptura commendat, videlicet filij Dei obedientiā credenti imputatā: de qua ſupra ſententiā Catholicæ Eccleſiæ Chriſti expoſuimus & confirmauimus. Sed Papa Chriſti iuſtitiā eſſe noſtrā planè negat: & in locum iuſtitiæ fidei ſubſtituit iuſtitiā operum & merita humana. Et ſi autem iā tandē Papiſtæ in iuſtificationis doctrina fidei meminerunt, tamen intelligunt fidē hiſtoricā: cui addunt ſpem & charitatem. Has.n. iuſtitiæ partes faciunt: vt fides ſit initium, charitas autem conſummatio iuſtitiæ. Hæc erronea doctrina de Iuſtitia Chriſtiana euertitur paſſim in Scripturis. Præcipuè autē in Epiſt. Paul. Rom. 3. 4. 10. Ephe. 2. Gala. 2. 3. 4. Phil. 3. breuiter cum perpetuo Scripturæ cōſenſu pugnat, & eſt blaſphema in filium Dei, non minus quā illa de expiatione peccati. Sophiſmata Papiſtarum à multis doctiſſimis viris in noſtris Eccleſiis publicis ſcriptis refutata ſunt.

Gratuitā acceptationē quibusmachinis labefactare Papa nitatur.

Spōſa Chriſti, vt gratuitā remiſſionē peccatorum & iuſtitiā, ita etiā gratuitā agnoſcit acceptationem, quēadmodum ſupra declarauimus. Sed Papa meritum triplex in locum gratuitę acceptationuis ſubſtituit. Eſt.n. Papiſtis aliud meritum congrui, aliud digni, aliud condigni. Meritū *congrui* vocāt quo peccator dicitur gratiam ſibi mereri, dum ad gratiam ſe diſponit: hoc eſt, vt iſti interpretantur, quando facit quod in ſe eſt, & tribuunt hoc meritum non renatis & inimicis Dei. Meritum *digni* definiunt, in quo vir iuſtus orat pro alio, & meretur exaudiri. Meritū *condigni* eſt meritum pro quo exigitur præmium ex debito. Hoc meritum, inquiunt, exigit in operante, vt ſit amicus: in opere, vt reſpiciat ad debitum præmiū: in præmiante, vt acceptet opus, & hominem propter opus. Breuiter quoduis horum meritorum eſt merentis aliquid ſuo labore, & debitum dicitur quod datur merenti aliquid ſuo labore. Hæc ſumma eſt Doctrinæ Papiſticæ de merito & eius generibꝰ.

Doctrina Antichriſti de merito, euertitur.

Verùm huic doctrinæ opponit ſe Chriſti Eccleſia, freta verbo & gratia ipſius. Luc. 7. 10. Cum oīa feceritis quæcunque præcepta ſunt vobis, dicite inutiles ſerui ſumus. Ioan. 1. 17. Gratia data eſt per I. Chriſtum. Si gratia eſt qua accepimus, profectò non eſt in nobis meritum operum, alioqui gratia nō eſt gratia. Pręterea ſi Deus gratuitò dat, certè non eſt debitor, hoc eſt, vt det, quia debet, & tu accipias quia mereris. Atq; hoc ſit dictum breuiter contra meritum in genere, quod cùm nullum ſit, non eſt quod multum diſputemus contra ſubiectas partes, quæ ſunt meritū congrui, meritū digni, & meritū ex cōdigno.

Meritum congrui euertitur.

Meritum congrui euertitur his rationibus. 1. Ante iuſtificationē, quæ eſt oīo gratuita, vt oſtenſum eſt, omnis homo eſt filius iræ. Quid ergo meretur miſer? 2. homo ante regenerationē viuit ſecundū carnē, cuius φρόνημα, i. cogitatio, iudiciū, affectus, voluntas & ſenſus, eſt inimicitia coram Deo. Quomodo ergo cōgruit, vt qui talis eſt, aliquid ſuo mereatur opere? 3. Chriſtus dicit (Matth. 3. 17.) mala arbor facit malū fructū. Quū ergo oīs nō renatꝰ ſit mala arbor, qualis fructus expectandus niſi malus? 4. Quicquid nō eſt ex fide, eſt peccatum. Rom. 14. 23. Si peccatum, quomodo placebit? Si nō placebit, quomodo merebitur?

Meritum digni refellitur.

Meritum digni habet aliquā ſpeciē: ſed tamen reuera nullum eſt dignitatis meritum. Quicquid enim accipimus pro præſtito officio, id ex gratia accipimus propter bonitatē largientis, & non propter dignitatem operantis. Vir iuſtus orat pro alio & exauditur, non quia meretur, vt exaudiatur, ſed quia promiſit ex gratia Deus.

Condigni meritum refutatur.

Meritum condigni ſimiliter multis Scripturæ teſtimoniis euertitur. Si quis merebitur ex condigno, id fiet vel quia patitur aliquid, vel quia aliquid facit. Iam (vt ait Pau. Rom. 8. 18.) nō ſunt cōdignæ paſſiones huius tēporis ad futurā gloriā. Ita Chriſtus ait, Luc. 17. 10. Cum feceritis oīa quæcunque præcepta ſunt vobis, dicite, inutiles ſerui ſumus. Breuiter cùm nulla ſit in homine dignitas, quomodo, quæſo, in eo reperietur meritum condigni?

III. Verus Dei cultus, quid.

Hactenus oſtendimus pugnantiā Eccleſię Chriſti & Eccleſiæ Papiſticæ in doctrina Legis & Euangelij. Nunc accedamus ad tertiā partē doctrinæ Eccleſiæ, quæ eſt de vero cultu Dei. Eccleſia Chriſti edocta ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis definit cultū Dei eſſe quodlibet opus mandatum à Deo, factū ex fide, principaliter vt glorificetur Deus. Non.n. ſufficit opus eſſe mandatum, vt fiat iuxta rationē Legis, ſed requiritur etiā fides Euangelij, ſine qua opus factum non habet rationē cultus. Præterea, vt fides cauſa eſt cultus, ita gloria Dei finis operis erit. Concurrere ergo tria debēt in quolibet opere, vt ſit cultus Dei: materia, cauſa, finis. 1. Materia eſt opus mandatum à Deo in ipſius lege & verbo. 2. Cauſa eſt fides, quæ cùm non adeſt, opus eſt mortuum. 3. Finis eſt gloria Dei quem operans reſpicit. Quod autem hæc neceſſariò coniungenda ſint in cultu Dei nunc monſtrabimus.

Eius partes.

Adu. traditiones humanas.

Quod oporteat opus cultus eſſe mandatū his manifeſtum redditur rationibus. 1. Dominus dixit per Ezech. cap. 20. 18. In pręceptis meis ambulate, & nō in præceptis patrum veſtrorum. 2. Apud Eſai. 29. 13. & in Euangelio Mat. 15. 9. fruſtra colunt me, docentes doctrinas mandata hominum. 3. Omnis ἐθελοθρησκεία Coloſ. 2. 20. damnatur. Ex his rationibus firmiſſimā colligamus regulā de opere cultus: videlicet ꝙ nihil probetur Deo, niſi quod ipſe inſtituit. Quare neceſſe eſt opus, quod erit cultus, mandatum Dei habere.

Adu. bonā (quam vocāt intentionē.

Deinde, fidem neceſſariò in cultus ratione requiri, ex ſubiectis rationibus patebit. Paul. Rom. 14. 23. ait, Quicquid non eſt ex fide peccatum eſt: 1. nullum opus eſt Deo acceptum, niſi fides prælucceat. Perſona enim placet propter fidem, & opus in credente perſona acceptum eſt. Heb. 11. 6. Impoſſibile eſt placere Deo ſine fide. Etſi autē Ethnicorum politica facta acceperūt remunerationē, tamē nō placuerūt, vt cultus: nec placuerunt per ſe, ſed propter aliud.

Operū fiducia & meriti gloria damnatur.

Cultum propterea reſpicere gloriā Dei principaliter ex Eſaiæ dicto, cap. 43. 7. probatur. Ita enim ait Propheta in perſona Dei, Oēm qui inuocat nomen meum, in gloriā meā formaui eum, creaui eū, & feci eum. Si ergo finis creationis eſt gloria Dei, profecto eundem finē oī. humana actio reſpiciat neceſſe eſt. Paulus oēm Eccleſiæ Dei profectum ad gloriā Dei refert, ſemper gratias Deo agit ob felicē ſucceſſum in Eccleſia. Quare nō dubium eſt quin velit finē oīs actionis gloriam Dei eſſe. Poſtremò, ſi Deus fons eſt omnis boni & author, decet profectò vt oīa ad illū, vt finē vltimum referātur: iuxta illud, Rom. 11. 36. Ex illo, & per illum, & in illo oīa. Ipſi gloria in ſecula, Amen. Etſi autē Deus, ſiue gloria Dei, finis principalis eſſe debet omniū operum piorum: tamen minus principales plures poſſunt eſſe fines, vt ordinati

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ad vltimū. Pius pater ſuos liberos inſtituit, caſtigat, in officio retinet, vt ſint modeſti, tractabiles, & honeſtum nomen tueantur. Verùm hæc omnia ſcopū habent gloriam Dei. Pius dat eleemoſynam, vt ſubleuetur penuria laborans. Sed gloriam Dei, cuius mandato obtemperat ex fide, reſpicit principaliter. Atque in hunc modum pij plures ſuarum actionum fines habere poſſunt, qui omnes deſtinantur gloriæ Dei vt fini vltimo. Hæc eſt ſumma ſententiæ Eccleſiæ Chriſti de vero cultu Dei & eius partibus.

Antichriſtus corrupit cultū Dei.

Iam videamus quomodo his ſe opponat Romanus Pontifex. Primùm in hoc errat Papa, quod Iuſtitiā Chriſtianā cum cultu Dei confundat, hoc eſt cauſam cum ſuo effectu. Eſt.n. iuſtitia fidei cauſa cultus, hoc eſt, obedientiæ erga Deum, quem Paulus vocat fructū iuſtitiæ fidei, & Ioannes Baptiſta fructus pœnitentiæ, hoc eſt, conuerſionis. Hæc confuſio horrendos errores inuexit in Eccleſiam. Nam inde factum eſt quod cauſas iuſtificationis & effecta non potuerint diſcernere: ſed ex effectis cauſas fecerint, & ex cauſis effecta: quod quantum ſit vitium nemo non videt, qui ſenſu communi præditus ſit.

1. Miſcendo cauſām cum ſuo effectu.

2. Traditiones humanas inuehendo.

Deinde, in partibus cultus diuini fœdè aberrarunt, quemadmodum nunc breuiter declarabimus. Materiā cultus diuini non ſtatuerunt ſola illa opera quæ Deus nobis mandauit, ſed priorē locum dederunt ſuis traditionibus, vt olim Phariſæi fecerunt, quos ſeueriſſimè Chriſtus reprehendit, adducens in medium omnium Prophetarum cōſentientia ſuffragia: fruſtra (inquit, Matt. 15.9.) colunt me præceptis hominū. Hinc enim eſt, quòd inuocationē Sanctorum tanquā pręcipuā cultus Dei partē vrgent, & puniunt eos qui ſuo impio decreto non obtēperant. Scriptura dicit, Deut. 6.13. & Mat. 4.10. Dom. Deū tuum adorabis, & illum ſolum coles. Papa autē contra: Inuocabis Sanctos, vt te protegant, tueantur & conſeruent, vt ſint tui aduocati, & tibi ſuffragētur, &c. Hęc blaſphemia non eſt vt parua prætereunda. Nam honorē Chriſto debitū ſacrilegè ei detrahit, & ſanctis eum attribuit contra mandatum Dei, ſine promiſſionibus diuinis, & abſque piorum exemplis qui vnquam in Eccleſia Dei extiterunt: ſeducti partim ſpectris, partim aliis illuſionib. diabolicis, partim quoque exēplis Ethnicorū, qui infinitos Deos inuocarunt, & ſingulos ſuis quibuſdā officiis præfecerunt. Hic ergo ne Chriſtiani in hac parte viderentur Ethnicis inferiores, Papa ſanctorum cultus inſtituit, erexit templa, altaria, ſtatuas, vt Sancti illic colerentur miſſis ſuffragiis, genu flexionè, thure, & aliis modis, ſicuti adhuc fit in Papatu, & quædam veſtigia adhuc apud nos apparent.

3. Vota varia inuehendo.

Alterum locum in cultu diuino apud Papiſtas vota obtinent, quæ non ſunt vnius generis. Nam apud eos ſunt vota virginitatis, cœlibat⁹, paupertatis, monachatus, ieiuniorum, peregrinationum, certi numeri precularum, miſſarum &c. quæ omnia ideo ſtulta ſunt, quia & verbo Dei deſtituuntur, & commune votum omnium Chriſtianorum abolent, & cultus gratia nūcupantur. Anne maxima ſtulticia eſt quod monachi ſuum votum baptiſmo præferant? eſtne pluſquā ſacrilegū, quod votis ſuis dirimāt coniugia de quibus dictum eſt, quod Deus coniunxit, homo ne ſeparet? Cum igitur tanta ſit impietas in ſtultis votis Papiſtarum, quis non videt ea ex diametro pugnare cum doctrina Chriſti? pij proinde cōtenti ſint voto communi, & ſi quando vouere contingit, non cultus cauſſa hoc faciant, ſed pietatis exercendæ gratia. Nec ſe in perpetuum obligent, ſed ad tempus tantum caueant: præterea ne quid voueant, quod in ipſorum manu minime eſt poſitum. Et ſi quid aliquando vouerunt temere, ſapienter mutent, quod ſtultè decreuerunt iuxta regulā: In malis promiſſis reſcinde fidē. & in turpi voto muta decretum. Nam nullum eſt vinculū, vbi quod homo cōfirmat, Deus abrogat. Præterea nullū votū obligat, quod in voto communi, vt in genere non includitur. Id quod ex ſuperioribus ſatis liquet, ſed quid opus eſt longa refutatione in tanta Euangelij luce?

De Sacramētis Eccleſiæ ſententia.

Contulimus hactenus doctrinā Eccleſiæ Chriſti de lege & Euangelio, & de vero cultu Dei cū doctrina Papæ, & oſtendimus Papam ſe manifeſtè Chriſto opponere, in omnibus doctrinæ partibus. Vnde cōcludimus quod propoſuimus, Papā aduerſari Deo, & verè Antichriſtum eſſe. Nunc aūt accedamus ad ſecundā partē, videlicet de Sacramentis diuinis: quæ ſunt quædā aſpectabiles conciones Euāgelij, ac primū ſummā ſententiæ veræ Eccleſiæ proponemus, Deinde etiā quantum in hac re peccet Papa hoſtis Dei aperiemus. Eccleſia Chriſti nullum agnoſcit Sacramentū quod diuinitus in nouo Teſtamēto inſtitutū nō ſit. Nā de veterib. Sacramētis in politia Moſaica nō opus eſt vt hîc aliquid dicam⁹. Quoniā igitur Baptiſmus & cœna D. & nō plura in nouo Teſtamēto diuinit⁹ nobis Sacramēta sūt cōmēdata, Eccl. Chriſti Baptiſmū & Cœnā Sacramenta agnoſcit ſola & non plura. Definit.n. Eccleſia ex verbo Dei Sacramētum ceremoniā diuinitus inſtitutā per res externas, continentē promiſſionē gratię, & requirentē promiſſionis fidē, ſine qua Sacramenta inania ſunt, vt verbum ſine fide auditum. Requiruntur proinde quatuor ad integrā rationē Sacramenti, videlicet, inſtitutio diuina, res externa, verbū promiſſionis, & fides in verbū promiſſionis reſpiciēs. Vt, in baptiſmo eſt inſtitutio diuina. Nā & Ioannes ex mandato Dei baptizare cœpit, & Chriſtus amādans diſcipulos in vniuerſum mundū, iuſſit vt doctrinæ baptiſmū adiungerent. Deinde in baptiſmo eſt res externa, aqua, cū immerſione hominis, & pronunciatione verborum. Præterea eſt promiſſio, nā baptizatis promittitur vita & ſalus propter Chriſtum. Poſtremo quia omnis diuina ꝓmiſſio requirit fidē, neceſſe eſt etiā, vt hæc fides promiſſioni reſpondeat. Ideo dictum eſt: qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit. Qui vero non crediderit, condēnabitur. Abſente igitur fide externū baptiſma non eſt efficax. De pueris hic non loquimur qui habent promiſſionē, quæ eſt in eis efficax, tametſi de ipſorum fide quomodo in eis exiſtat, nihil certi ſtatuere poſſumus. Sed fidem illis quoq; tribuit Chriſtus, Mat. 18. Cū inquit: Qui ſcandalizauerit vnū de puſillis iſtis, qui in me credūt, &c.

Sacramētum quid ſit & quæ requirat.

Baptiſmus.

Cœna Domini.

Ad eundē modum in Cœna Domini eſt verbum mandati. Vnde Paulus: quod accepi à Domino, hoc & vobis tradidi, &c. & Chriſtus, hoc facite in mei cōmemorationē. Deinde res externa, eſt panis & vinū, præterea totum ſpectaculū eſt promiſſionis quędam ſignificatio, quæ etiam diſertè exprimitur in Cœnæ inſtitutione. De pane.n. dicit, hoc eſt corpus meum, quod datur pro vobis, & de vino, hîc eſt ſanguis noui Teſtamenti qui effunditur pro vobis, & pro multis in remiſſionē peccatorū. Poſtremò hæc promiſſio requirit fidē Euangelij, hoc eſt promiſſionis additæ in ipſa Cœna. Hāc fidē qui non affert, impuro ſuo roſtro corpus & ſanguinē Domini contaminat ſibi in certū iudicium, niſi reſipiſcat. Hæc ita ſe habere facilè intelligit, qui Sacramenta cōciones Euangelij eſſe nouit. Nā vt Baptiſmus cōcionatur de ablutione noſtri per ſanguinē Chriſti, ita Cœna cōcionatur quod Chriſtus ſit credentibus cibus & potus, quo cibo & quo potu anima alitur & recreatur ab vitā æternā. Hoc pulcherrimè ſymbolis ſignificatur. Habent.n. ſigna ſacramentalia ſemper cōparationē quandā ad res quæ Sacramētis exhibentur. Au-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

guſtinus.n.dicit:*Si Sacramẽta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum Sacramenta ſunt non haberent, omnino Sacramenta non eſſent*. Hãc ob rem ſigna Sacramentalia ſymbola non inepiè dicuntur. Eſt enim quædam analogia rei externæ ſeu ſigni ad rẽ ſignatã, propter quã analogiã Symboli nomẽ Sacramentis attribuitur. Symbolum.n. παρὰ τὸ συμβάλλειν, i. à cõferendo ſeu cõparãdo dicitur. Eccleſia igitur in hũc modũ analogiã ſignorũ Sacramentaliũ ex Euangelio explicat. Sicut aqua foris adhibita abluit ſordes corporis, Ita ſanguis Chriſti intus abluit conſcientiã à peccatis mortuis. & ſicut panis externũ hominem paſcit, & vinũ reficit & exhilarat, ita corpus Chriſti interiorem hominem alit, & ſanguis Chriſti eundem reficit & exhilarat, modo fides verè ſentur. Quod igitur in Eccleſiam recipimur per baptiſmũ, ac Chriſto inſerimur in eóq; regeneramur, & à peccatis emundamur, nòn niſi corporis Chriſti beneficio conſequimur, quo induimur, & ſanguinis quo abluimur. Quod vero per baptiſmũ inſiti in eodẽ alimur, fouemur, & ſuſtentamur, id denuo nullo conſequimur alio beneficio, quã corporis & ſanguinis Chriſti. Quod ergo nobis in baptiſmo tegumentum eſt, & emundatio, in cœna cibus eſt & potus, atque vt aliud eſt gigni atque renaſci, aliud ali & educari: Ita aliud eſt in nouã vitã renaſci, & aliud in eadẽ ſuſtentari & creſcere. Præcedit.n. natiuitas, ſequitur educatio, id quod pulcherrimè ſymbolis Sacramentalibus ſignificatur. Nihil proinde aliud docẽt Sacramenta Euangelij, quã verbũ Euangelij, niſi ꝙ mod⁹ diuerſus ſit in noſtrũ bonũ, vt vtroq; verbo, i. externa voce Euangelij, & eiuſdem Sacramento in ſchola Chriſti erudiamur, alamur & creſcamus.

De præſentia Chriſti in Baptiſmo & Cœna.

De præſentia Chriſti in vtroq; Sacramẽto nullus piorũ vnquã dubitauit. Nã & Paulus dicit, quotquot baptizati ſunt Chriſtũ induerunt, & Chriſtus porrigens panẽ dicit, hoc eſt corpus meũ, porrigẽs calicẽ dicit, hic eſt ſanguis me⁹. Quomodo aũt vtrobiq; ſit corpus Chriſti non ignorat, qui & verbis & factis Chriſti credit. Quia igitur verbo D. credit Eccl. ſtatuit verè adeſſe corpus & ſanguinẽ Chriſti in cœna, ſic enim promiſit qui mentiri nequit. Prætera quia factis Chriſti credit Eccleſia, ſtatuit præſentiæ modũ non naturalẽ eſſe, ſed ſupernaturalẽ. vt Lutherus Chriſti ſeruus loquitur. Naturaliter enim ſedebat ad menſam, quãdo manibus porrexit diſcipulis corpus ſuũ & ſanguinẽ ſuũ. Verbis igitur docet Chriſtus præſentiã corporis & ſanguinis ſui, factis vero præſentiæ modũ. Cũ hac confeſſione cõgruit dictũ Ambroſij tom. 4. pag. 367. *in illo Sacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti*. Nõ ergo corporalis eſt eſca, ſed ſpiritualis eſt. Cũ hac ſententia congruit, & dictũ Bernardi. *Cibus iſte non eſt ventris, ſed mentis, non eſt enim datus ad ruinas huius vitæ; quæ vapor eſt ad modicũ apparens, ſed ad æternam vitam animæ conferendũ*. Hæc de præſentiæ modo dicta ſint, quæ cupio à fratribus ſine ſophiſtica accipi. Deũ.n. teſtor quod nihil φιλονεικίᾳ agã, nihil in fauorẽ hominũ faciã, ſed ſimplicẽ veritatẽ quærã, & perpetuũ conſenſum veræ Eccleſię filij Dei anteferã maleuolorũ quorũdã clamorib. qui mihi inſidiãtur. Hac cõſcientia cõtentus, ferã volente Deo quicquid vel occupati alia ſentẽtia, vel maligni adu. me moliantur. Veritas tandem vincet.

De Cõſecratione.

De conſecratione præſertim cœnæ Dominicæ ſic etiam ex verbo Dei pij ſentiunt. Conſecratio panis & vini non fit aliter, quã conſecratio aquæ baptiſmi. Nã vt hæc conſecrata dicitur cũ ſeparatur a cõmuni vſu, & vſui baptiſmi applicatur. Ita panis & vinum ſeparata à cõmuni vſu, & deſtinata cœnæ Domini conſecrata habentur, ídque virtute ſummi ſacerdotis Dei & hominis Ieſu Chriſti, qui baptimũ & cœnã inſtituit. Nihil.n. aliud conſecrare eſt, quã rẽ communem vſui ſacro dedicare. Proinde hæc conſecratio fit obedientia erga Chriſtum cœnæ inſtitutorem, per prædicationem beneficiorum Chriſti, per preces & gratiarum actionem & per pium vſum huius ſacratiſſimæ cœnæ: nec aliud vult Auguſtinus cum dicit, *accedat verbum ad elementum & fit Sacramentum*. Nam Auguſtinus non intelligit verbum ſuperſtitione magica prolatum, ſed verbum Dei inſtituentis & promittentis, & verbum creditum, &c. vt ipſe Auguſtinus ſe interpretatur. De probatione eius qui hac cœna cum fructu vti velit hoc ſentit Eccleſia. Qui reuerenter in timore Dei, vera fiducia & cum pio propoſito accedit hanc ſacram cœnam, probatus & dignus cenſendus eſt. Nam hic & gratias agit Deo pro filio exhibito, & intelligit Sacramento iſto accommodari ſibi beneficia Chriſti.

De Sacramentis Papæ Sẽtentia.

Hactenus breuiter de Sacramentis Eccleſiæ Chriſti diximus, nunc monſtrandum eſt, quid in hac parte peccetur à Papiſtis. An Papa hic Chriſto & eius ſponſæ Eccleſiæ aduerſetur nécne. Etſi autem magiſter ſententiarum ex Auguſtino nonnulla de Sacramentis haud ἀπροσδιόνυσα dicit: Tamen poſtea in numero Sacramentorum & in ſingulorum explicatione multum aberrat. Deinde poſt illum ſecuti commentatores, plerique quæſtionum quidem numerum augent, ſed rem ipſam magis peruertunt, & Sacramentorum veram rationem inutilibus diſputationibus euertunt, omniaque miſere confundunt.

Septẽ conſtituunt.

Numerant Sacramenta, ſecundum magiſtrum ſuum, ſeptem quæ ſunt baptiſmus, confirmatio, panis benedictio, id eſt, Euchariſtia, pœnitentia, vnctio extrema, ordo, coniugium. Ex his ſeptem, primum & tertium, hoc eſt, baptiſmus & cœna Domini: plenam Sacramentorum rationem obtinent, (de ordine quid ſit ſentiendum ſuo loco dicam.) Nam hæc duo habent mandatum Dei, res ſunt aſpectabiles, habent promiſſionem gratiæ noui Teſtamenti: quæ promiſſio fidem requirit, ſicuti ſupra demonſtratum eſt. Quæ autem his adduntur, Sacramenta non ſunt ſicuti mox patebit.

De baptiſmo errores Papæ.

Baptiſmus, vt initiale Sacramentum, etſi rectè primo loco proponitur à Papiſtis; tamen poſtea indigniſſime votis monaſticis inferior iudicatur: quod autem dicunt baptiſmum conferre gratiam, recipi poteſt, modo interpretatio non pugnet cum principio. Principium eſt immotum, quod ſolus Deus ſit Deus gratiæ & pacis in Chriſto Ieſu. Si ergo in hũc modum accipiamus dictum: Baptiſmus confert gratiam, hoc eſt, Deus per diſpenſationem baptiſmi offert, & obſignat gratiam, recipio dictum. Verbo enim offertur tantum gratia, Sacramento vero & offertur & obſignatur, modo fides in vtente Sacramento non defuerit. De infantibus ſingulare eſt priuilegium. Verum ſi hoc modo acceperis dictum. Baptiſmus confert gratiam: i. ſua virtute facit homines gratiæ participes, ſeu vt interpretantur Papiſtæ; ſanctificat per ſe, interpretatio cũ principio pugnat, atque ideo falſa & erronea eſt iudicanda. Iam porrò videamus an Papa ſe Chriſto opponat in diſpenſatione huius ſacramenti.

Chriſtus amandat diſcipulos, vt voce & baptiſmo doceant Euangelium, Idcóque iubet baptizare omnes gentes. Quare non lingua peregrina, & iis ignota quos docerent, fieri debuit. Quis enim doceri poteſt ea lingua quam non intelligit? Sed quid hic Papa? Euangelium voce non docet, ſicuti ſupra ſatis oſtenſum eſt, ſed partem tantum legis, & ſua decreta quæ in locum Euangelij ſubſtituit,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Deinde, vt concio Euangelij quæ peragitur Baptiſmo minus efficax ſit, baptiſmũ peregrina, hoc eſt, latina lingua mãdat peragi, etiã in iis nationib. quibus latina lingua prorſus barbara eſt. Et eos qui impio ſuo decreto nõ obtẽperant, grauiſſimis pœnis, tanquã hæreticos punit. An non hoc eſt ſe Chriſto opponere? An non hoc eſt partẽ Euangelij, imò ipſum Euangeliũ totum alto ſilentio obruere, ne homines illud diſcãt ac ſalui fiãt? 2. Aquã baptiſmi exorciſant in contumeliã Chriſti, qui, cum baptizaretur ipſe, oẽs aquas ita conſecrauit, vt ſint idoneæ baptiſmo peragẽdo. 3. Addũt prætereà multas ineptias. Sacrificulus impuro halitu, & ſaliua ſæpe infantes inficit. Fiunt inuocationes ſanctorum, recitãtur exorciſmi magici ſalis, vngitur vertex baptizandi oleo ſacro, quæ omnia cõtaminant non parũ baptiſmũ, & Chriſti inſtitutionẽ quodãmodo fœdãt, qui vult nos contentos eſſe ſuo ſimplici mãdato ſine additamentis humanis. 4. Quũ docet baptiſmum abolere peccatum originale tantum, & non reliqua, dupliciter peccant. Primum.n. tribuunt baptiſmo, quod eſt ſolius ſanguinis Chriſti. Sanguis.n. Chriſti emũdat nos ab omni peccato: cuius emundationis baptiſmus efficax ſymbolum eſt. Deinde cum dicunt actualia peccata non aboleri baptiſmo, reuera hoc volunt, quod ſanguine Chriſti non aboleatur niſi originale peccatum, reliqua reſeruentur ſatisfactionibus fictitiis. Quid quęſo hoc aliud eſt, quã Chriſtũ rurſus ſepelire? quã verum vſum baptiſmi abolere? quã Euangelium turpiſſimo cœno fœdare? An hæc piis ferenda eſt iniuria? retinet Papa baptiſmum, ſed ſuis additamẽtis fœdatum. Baptiſmum fatetur Sacramentũ, ſed eius verũ vſum abolet: Dũ Chriſto perfidè detrahit, ꝙ baptiſmus ei tribuendũ manifeſto ſigno declarat.

De confirmatione.

Secundum locum inter Sacramenta Papæ obtinet confirmatio, quæ ſi ritè peragèretur, vt tempore Apoſtolorũ, & deinde multis annis, non tã Sacramentum eſſet, quã pars diſciplinæ vtilis in Eccleſia. Nam vetus confirmatio nihil aliud fuit, quã examinatio eorum, qui infantes receperunt baptiſmum, vt iã adulti facti redderent rationẽ fidei ſuæ, & teſtarentur propria voce ſe Chriſto dediſſe nomina, quẽadmodũ Eccleſia illorum nomine olim promiſerat, dum baptiſmus eis cõferretur. Hac cõfeſſione edita & facta promiſſione de perſeuerantia in Chriſti fide, Epiſcopus eos confirmabat, docendo, admonendo, conſolando, exhortando. Hic ritus fuit vtilis diſciplina, in cuius locum apud nos ſucceſſit examen Catecheſios ante ſumptionem cœnæ Dominicæ, ſicuti infra dicendum erit. Sed quid hic Papa? veterẽ ritum qui vtiliſſimus fuit abolet, & nomen tantum eius retinet. Deinde facit ex confirmatione ſua Sacramẽtum Eccleſiæ, quod impudenter dicunt plenius eſſe baptiſmo. Nã hęc ſunt verba Lõbardi Coryphæi Papiſtarum: Oẽs fideles per manus impoſitionẽ Epiſcoporum poſt baptiſmũ accipere debẽt S. Sãctum, vt pleni Chriſtiani inueniantur. En blaſphemiã, baptiſmo adimunt S. Sanctum, quem Epiſcopus in ſua manu habet, vt det cui vult. Plenum Chriſtianiſmi ſignum adimunt baptiſmo, & tribuunt ſuo fictitio Sacramento. Sed age videamus quale ſit Papiſtis Sacramentũ confirmatio.

Cõfirmationis Papiſticæ refutatio.

De quo quatuor potiſſimum docent. 1. Primùm à quo hoc Sacramentum conferri poſſit. 2. Deinde quod ſit eius elemẽtũ. 3. Tertiò, quę ſit forma. 4. Poſtremò, quæ virtus & efficacia. 1. Quantũ ad eum qui cõferre poſſit hoc Sacramentum, conſtanter dicunt, quod non poſſit conferri, niſi à ſummo ſacerdote. Nã ſi aliter (ait Lombardus) præſumptum fuerit, irritum habetur & vacuum, nec inter Eccleſiaſtica reputabitur Sacramenta. Quid quæſo hoc decretum ſibi vult? Baptiſmus poteſt apud Papiſtas à quouis conferri ſacrificulo, modo tantum latine poſſit pronuntiare exorciſmos, & verba baptiſmi, etiamſi ea non intelligat. Verum hoc auguſtum, ſi diis placet, Papæ Sacramentum nemo adminiſtrare poteſt, niſi ſummus ſacerdos, hoc eſt mitratus aliquis apoſtaticus, (Apoſtolicus volebam dicere) hoc eſt Epiſcopus. Vide quæſo quanta contumelia hîc fit Chriſto, ac ipſius ſacro baptiſmo. Chriſti Sacramentum tam contemptibile habetur, vt poſſit à quouis conferri, contra verò Papæ Sacramentum in tanto precio & honore habetur, vt nephas ſit illud adminiſtrari niſi à ſummo Pontifice? An non hoc eſt baptiſmũ cœno obruere, & pigmẽtum Papæ in cœlum tollere? An nõ hoc eſt baptiſmũ manifeſtè abolere? An non hoc eſt Chriſtum in ordinem redigere, vt ipſe cum ſuo Sacramento infra ſcabellũ pedum Papæ abiectus iaceat? Quis hęc cogitans non exhorreſcit? Papa, tanquam victoria parta in Eccleſiam, imperium Chriſto adimit, & ſibi ſacrilege aſſumit autoritatem ordinandi Sacramenta in Eccleſia Dei, quæ antepõnit Sacramentis Chriſti. 2. Secundo loco elemẽti confirmationis meminerunt Papiſtæ, quod dicunt eſſe Chriſma, hoc eſt, vnguentum ſeu oleum. Hoc autem Chriſma, vt non eſſet commune, à Papa vel Archiepiſcopo conſecrari debuit, & magno precio haberi propter Spiritum S. quem in ſe incluſum per adiurationem conſecrantis haberet. Vide quanta temeritas! Puluis & cinis audet Eccleſiæ noua ſacramentalia ſigna obtrudere. Audet ſuo pigmento Sacramenti titulum tribuere. Qua hoc autoritate faciat Papa? niſi quod filius iſte perditionis aduerſarius Chriſti, velit facto declarare ſe eſſe ſupra Deum, & omnem religionem, vt in templo Dei ſedeat oſtentans ſe quod ſit Deus. Hoc diuus Paulus longè antea præuidit, monuítque vt ab ipſius impoſturis nobis caueamus. 3. Forma ſequitur Papalis Sacramenti confirmationis. De qua forma Lombardus in hunc modum: Forma aperte eſt, ſcilicet, verba quæ dicit Epiſcopus, cum baptizatos in frontibus ſacro ſignat Chriſmate. Quid hac forma deformius? deformat enim baptiſma Chriſti, & verũ vnguentum, quo vncti ſunt baptizati, hoc eſt Spiritum Sanctum, ſua fœda amurca contaminat, in qua ſe incluſum habere Spiritum S. ſtultè exiſtimat. Nam Spiritus Sanctus non eſt alligatus ordinationibus humanis, quæ diuino ordini aduerſantur, ſed potius ſpiritus Satanæ, cuius inſtinctu Pontificij ſe Chriſto & eius ordinationibus opponunt. Sed quid opus eſt multis? Cũ piis omnibus cõſtet ſatanicã illuſionẽ eſſe formam iſtam confirmationis, vt quæ veram, vtilem & ſalutarem confirmationem aboleat. 4. Quarto loco virtutem huius Sacramenti docent. Ita enim aiunt: Virtus huius Sacramenti eſt donatio S. Sãcti ad robur. Hoc quam vanum ſit ex eo apparet, quod Spiritus S. emittatur à Deo in corda credentium, iuxta Pauli doctrinam. Qui ergo credit, S. Sanctum habet, qui ſuam præſentiam teſtatur, dum excitat motus in hominibus congruentes cum lege & voluntate Dei, dum impellit ad orandum, & ad pietatis & charitatis officia. Qui confirmat nos, ait Paulus, in Chriſto, & qui vnxit nos Deus eſt, & qui ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. Hoc ſigno, hoc vnguento, hoc ſignaculo, & pignore contenta eſt Eccleſia Chriſti. Non quærit robur à mortuo vnguento, quo ſuos inungit Antichriſtus, ſed vt ſponſa, Chriſti ſui ſponſi balſamo lætatur & exhilaratur.

Tertium Sacramentum Papiſtis eſt benedictio panis, de quo Sacramento quid Eccleſia Chriſti ſentit ſupra

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tit ſupra dictum eſt, hic aperimus quomodo Papa ſe Chriſto opponat in huius Sacramēti diſpenſatione. Quo autem hoc fiat commodius, primum dicemus de miſſa. Nam hoc nomen cœnæ tribuerunt, Deinde de abuſu conſecrati panis extra miſſam.

Intereſt profectò omnium piorum toto pectore execrari ſacræ Cœnæ prophanationes, quæ in iſta cernuntur miſſa. Quæ abominabilius idolum eſt, quam vllum Ethnicum idolum vnquam fuit. Vt autem diſtinctius appareat abominatio Dei Maoſim, ordine cauſſas recitabo, cur iſtud idolum merito fugiendum ſit.

Miſſæ Pōtificię octo abominationes.

Prima, miſſa Papiſtica eſt ad turpem quæſtum & abominationem proſtituta, & tanquam turpiſſima χαμαιτύπη vndecunque quęſtum occipit, non tantum regibus mundi & principibus ſuccumbit, verum etiam ſuibus & canibus, qui eius abominabili complexu oblectantur, adeo dulce lucrum eſt iſti meretrici, vt nullius amplexus defugiat. Virgo ſi vult nubere ad hanc confugit pronubam. Matrona cupiens parere feliciter, hanc Lucinam implorat. Si cui porcus ægrotat, ab hac petit opem. Si nauigandum, hæc prima nauem conſcendet. Breuiter huius meretricis præſidio, ſed pecunia proſtitutori ſacrificulo numerata, nemo non tutum ſe in regno Antichriſti arbitratur. Quid eſt prophanare ſacram Cœnam, ſi hoc non eſt? Prætexant quicquid velint miſſatici patroni, & laudent quantum poſſint, qui iſtam mercem extrudere volunt: Tamen reuera omni abominatione turpior eſt Miſſatica meretrix.

Secunda, Cœna quam inſtituit Dominus & ſanxit ſuo perpetuo mandato, ſacrilege mutilata eſt. Chriſtus cuius mandato obtemperant Angeli hic prorſus excluditur. Nā quod ipſe inſtituit in perpetuum ſuum teſtimonium, impiè ſuffurati ſunt, arcētes laicos à participatione calicis. An nō hoc eſt teſtamentum Chriſti violare, & reuocare? Is vult omnes de calice bibere, quod Papa ſacrilege prohibet, manifeſtè teſtamentū filij Dei pedibus conculcans, & ſuum idolum in loco teſtamenti Chriſti ſubſtituens.

Tertia, Miſſa Papalis Cœnam Dominicam manifeſtè in aliam formam conuertit. Nam in ea vnus ſeorſum ſuum habet epulum, abolita communicatione, & ordinatione Chriſti, & eius Apoſtoli Pauli. Quod ſane perinde eſt, ac ſi vnus ſubinde ſeipſum ſacro Baptiſmate ablueret. Age quid poteſt abſurdius cogitari? quid poteſt magis contumelioſum eſſe aduerſus Cœnæ inſtitutionem?

Quarta, in Miſſa Papali nulla fit myſterij expoſitio, ſed murmur incantationi magicæ, & nefandis gentium ſacris potius quam Domini inſtituto conueniens. Iuſtinus martyr refert ritum ſimilem ſeruatum fuiſſe olim in ſacris Solis, (quem μίθραν ſacerdotes ipſius vocarunt.) in his Solis ſacris vſus panis & aquæ fuit, ſed nulla vox à ſpectatoribus audiebatur niſi hæc. ἢ ἐπίσταθε, ἢ μαθεῖν δύναθε. Hoc eſt, aut noſtis, aut diſcere poteſtis. Ab his ſacrificulis Solis ſuū miſſandi ritum, & non à Chriſto accepiſſe Papiſtas ſole ipſo clarius eſt. In Miſſis quando cantus adhibetur, ſatis boatur, ſed vbi ventum eſt ad cœnæ myſteriū, ſolus ſacrificulus muſſitat, & cauet ne ab vllis audiatur, niſi vnica ſyllaba No, quod tamen fit poſt incantationē panis & vini, & poſt eleuationem, & hiſtrionicam panis circa calicem agitationem.

Quinta, habet Miſſa Papiſtica multas ceremonias ineptiarum hiſtrionicarum & ſuperſtitionis plenas, quibus manifeſtè fœdari ſacram Cœnam vel pueris piè educatis notum eſt.

Sexta, Miſſa iſta culinaria ad miſeros homines carnali fiducia inebriandos aptatur, & tanquam expiatio Deo opponitur. Nam eo vſque res tādem deuenit, quod homines poculo meretricis Babylonicæ inebriati, auditu Miſſæ ſeu potius inſpectione Hiſtrionica ſaltationis armari ſe putant, & aduerſus Deum, tanquam tuto præſidio muniti, multo licentius peccare audent, & obſtinatiores redduntur.

Septima, Cœna inſtituta fuit vt ſit Sacramentum, quod cum adminiſtratur fiant gratiarum actiones, verum Papa inde ſacrificium facit meritorū pro viuis & mortuis, & vt ſacrificij forma conſpiceretur, panem magico ritu conſecratum, (nam vt referrent magicam ſuperſtitionem addita vna vocula enim, ter ſufflando crucem in panem dixerunt, hoc eſt enim corpus meum.) primum leuat ſacrificulus ſupra caput, vt reſponderet ſacrificio Leuitico therūmali (quod à leuando nomē habet) deinde agitat panem ſupra calicem in quatuor angulos, vt iſto modo compararetur ſacrificio veteri thenupha, cui nomen ab agitādo ſeu mouendo inditum fuit. Quam ſit hęc κακοζηλία Leuitica impia ſatis manifeſtum eſt: nam caret mādato Dei, plena eſt idololatrię, & ſuperſtitionis, irritum facit teſtamentum Chriſti, abducit homines à morte Chriſti, quæ vnica eſt hoſtia pro peccatis, qua cōſummati ſunt ſancti in perpetuum, breuiter in locum ſalutaris remedij animorum reponit triſtiſſimum venenum, quod cedit in certiſſimum interitum, omnibus iis qui iſtud idolum Papæ adorant.

Octaua, impius canon ille, quem vt diuinum myſterium venerantur ſacrificuli, totus eſt conflatus ex impietate: nam in eo multiplex idololatria cōſpicitur. Merita ſanctorum ibi Chriſti merito quodammodo pręferuntur, obruuntur beneficia Chriſti, Victima Chriſti Abelis ſacrificio confertur, panis adoratur, fit oblatio panis, inuocantur ſancti. Breuiter, nihil eſt ſuperſtitionis & impietatis quod in miſſa illa theatrica non conſpicitur. Et videtur arte quadam ſatanica inuenta, ad obruenda beneficia Chriſti, ad tollendam virtutem victimæ vnici ſacerdotis noſtri Chriſti. An nō hoc eſt ſe Chriſto opponere? Qui ergo ſapis fuge Deum iſtum Maoſim, & apud ſimplicem inſtitutionem Chriſti maneto cōſtans: nam qui Chriſti verbo contentus eſt, à via ſalutis errare non poteſt. Ipſe enim ſolus eſt via, veritas, & vita. Qui ergo in ea manet non aberrat, non fallitur, non moritur. Porrò abuſus conſecrati panis extra miſſam, plenus eſt idolomania. Reponunt panem in monſtrantiam, vt vocant, accendunt candelas, procumbunt coram pane, circumgeſtant panem Ethnico more. Breuiter vt Deum colunt mucidū panem & à vermibus ſæpe corroſum. Hæc impietas cum tanta ſit, vt omnibus piis merito ſit fugienda, tanquam idolum planè diabolicum, fruſtra confugiunt Papiſtæ ad miracula, quibus ſuam idolomaniā confirmari putant. Perinde enim eſt iſtum panem adorare, atque Apin Ægyptiacam, aut ſerpentes & feles.

De pœnitentia.

Sacramentum pœnitentiæ quartum locum inter Papalia Sacramenta occupat: verum ſi Petro Apoſtolo credimus, baptiſmus Sacramentum eſt pœnitentiæ. Nam compunctis corde præcipit vt pœnitentiam agant, ſiue conuertantur & baptizentur in remiſſionem peccatorum: ſignificans baptiſmum eſſe Sacramentum, quo Deus obſignet remiſſionem peccatorum pœnitentibus, Papiſtæ fortè intelligunt ſuam pœnitentiam, (quam ſacramentum volunt) de ea quæ fit poſt conuerſionem, & ſuſceptum baptiſmum, videlicet cum homo baptizatus labitur in peccatum, tunc enim pœnitentiam requirūt, quam propter manuum impoſitionē, & ab

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſolutionis formã Sacramentum nominãt. Neq; hoc pacto pœnitentia ipſa Sacramentum erit, ſed ad ipſum baptiſma recurrendũ eſt, non vt quis rebaptizetur, ſed vt pactũ Dei cũ homine in baptiſmo peractũ recolat. Qui baptiſmus eſt teſtimoniũ ablutionis eius à peccato qui crediderit, & vera pœnitentia ad fontẽ miſericordiæ confugerit. Iuxta illud: ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrẽ Ieſum Chriſtũ iuſtũ, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Nõ ergo nouo Sacramẽto indigemus, qui vnico Chriſto propitiatore contenti ſumus, ſed perpetua pœnitentia peccatorũ, quæ nititur propitiatione Chriſti, & confirmatur cogitatione baptiſmi noſtri, qui eſt perpetuũ ablutionis noſtræ per ſanguinem Chriſti teſtimoniũ & Sacramentum. Sed quib. fundamentis nitũtur Papiſtę, qui nobis Sacramentũ pœnitentiã obtrudunt? Multa & inextricabilia contarciunt ex patribus de pœnitentia, ſed tandẽ vbi concludendũ eſt de hoc Sacramento, ipſi ſe cõfodiunt, dũ ſignum huius Sacramẽti quærunt. Ex Auguſtino didicerunt Sacramentũ eſſe ſignum gratiæ, hic alius aliud ſignum ſtatuit, & ſatis ineptos ſe eſſe declarãt, dũ Sacramẽtum docent eſſe pœnitentiã, & tandem elemẽtũ huius Sacramẽti ſe ignorare ſuis multis cõiecturis atteſtãtur. Hic locus poſtularet, vt de carnificina illa conſcientiarũ, quę ſub iſto Papali Sacramẽto latet dicerẽ. Requirunt enumerationẽ peccatorũ cũ omnibus ſuis circumſtãtiis: requirunt contritionẽ ſufficientẽ, quæ ſuo merito poſſit abolere peccatum: requirunt ſatisfactionẽ operis: quibus nihil aliud efficiunt, quã quod iniiciant laqueos conſcientiis, & obruant Euangeliũ Ieſu Chriſti ſuis ſatisfactionibus, abſolutionib. & abſolutionũ mitigationibus per indulgentias, quibus non magis cõuenit cum Euangelio, quã Chriſto cũ Belial, & luci cũ tenebris. Nam cum fidẽ excludunt à pœnitentia, nõne apertè Chriſtum excludunt? cum mittunt nos ad ſatisfactionem pro peccatis, nonne ſanguinem Chriſti conculcant pedibus? dum meritis Sanctorum remittunt peccata, an non meritum Ieſu Chriſti impiè & nephariè repudiant? Dum indulgentias habent venales quibus redimantur ſatisfactiones, an non ſatis produnt quo ſpiritu ducantur?

De vnctione Sacramẽtorum.

Quintum Sacramentum Papale eſt vnctio infirmorum, de quo cum producunt teſtimonium ſanſancti Iacobi, putãt ſe ſatis muniuiſſe ſuum pigmentũ. Iacobi verba ſunt hæc: Infirmatur quis in vobis, accerſat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eũ vngentes cum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, dimittentur ei. Hæc ſunt Iacobi verba: quibus refertur ritus Eccleſiæ, dum adhuc miraculis loc⁹ fuit, quę cũ nũc ceſſarũt, ſtultè retinetur ſine miraculis ceremonia. Illi. n. vngebant, vt miraculis ad preces presbyterorũ ſanaretur ægrotus: noſtri vero vngũt, nõ niſi eos, quos vidẽt in agone mortis eſſe. Nã ſi Chriſtus vnctionẽ iſtam voluiſſet perpetuum Eccleſiæ ſuæ Sacramentum eſſe, ſerio commendaſſet Apoſtolis eius diſpenſationem. Quid referã de contumelia quæ Chriſti ſanguini fit hac vnctione? Nam quicquid illicito viſu delictum, quicquid delectione vocis admiſſum, quicquid odore ſuperfluo contractum, quicquid ocioſa locutione peccatum, quicquid illicito opere peractum, quicquid ſuperbò inceſſu commiſſum fuit, hoc totum per vnctionem ſuam expiari voluerunt. Quæ quæſo inſania hęc eſt? tribuunt rancido oleo eam virtutem quę eſt ſolius ſanguinis Ieſu Chriſti. Tribuunt creaturæ quod eſt creatoris: Tribuunt ſuo pigmento, quod eſt vnici mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti. An hoc eſt vicarium Chriſti agere in terris? An non potius Satanæ eſt, qui voluit ſupra Chriſtum eſſe & ab eo adorari? Certe qui hîc non agnoſcit Antichriſti characterem, plane cæcus eſt.

De ordinibus.

Sextum Papale Sacramentum eſt ordo, de quo quid ſentiat Eccleſia Chriſti breuiter explicandum eſt. Ordinem vocamus vocationẽ & ordinationem ad miniſterium Eccleſiaſticum. In perſonis quæ vocantur, requiritur honeſtas vitæ, morum grauitas, cognitio doctrinæ Eccleſia, donum docendi, & ætas tanto miniſterio conueniens. Vocatio relinquitur libera Eccleſiæ, ita tamen vt Paſtores & Epiſcopi quilibet ſuo loco examinandi & explorandi poteſtatem habeant. Vocatus & examinatus ordinatur Apoſtolico more. Primum fiunt preces pro ordinãdo, deinde recitantur lectiones ſacræ de miniſterio verbi, requiritur ab ordinãdo vt promittat fidelitatem in miniſterio. Quo facto imponit presbyter ordinando manus cum inuocatione nominis Dei ſuper ipſum, tandem commendatur Deo, atque ita abligatur ad Eccleſiam cuius miniſter eſſe debet. Hac ſimplicitate fuere contenti Apoſtoli Chriſti, & eorum proximi ſucceſſores. Verum Papa pompam quęrit & maiorem ſplendorem, qui incurrat in oculos hominum. Atque ideo non ſolum plures gradus officiorum ſacrorum excogitauit, verumetiam plurimas adiecit ceremonias, eaſque ineptiores, quam vt eas referre libeat. Quæ cũ ſatis oſtendunt Papam à Chriſto defeciſſe, nolo longiori oratione iſtas nugas perſequi.

De coniugio.

Septimũ Papalium Sacramentorũ eſt coniugium. Etſi autem Eccleſia Chriſti agnoſcit coniugium eſſe ordinationem Dei, & cum Paulo fatetur coniugium eſſe honorabile in omnibus, hoc eſt, thorũ caſtum & coniugalem conceſſum eſſe omnibus ordinibus hominum: Tamen non exiſtimat coniugium Sacramentum noui Teſtamenti eſſe, quia non habet promiſſionem gratiæ noui Teſtamenti annexam: neque præterea Sacramentum eſt, quia iuxta Paulum eſt myſterium arcanæ copulæ Chriſti & eius Eccleſiæ. Nam ſi omnia, quæ arcanas ſignificationes habent, eſſent Sacramenta, infinita profecto forent Sacramenta. Sol hic aſpectabilis eſt ſignum quoddam arcanũ & veluti myſterium Solis inuiſibilis Ieſu Chriſti, ſicut ex Pſalmo quodam patet. Radij ſolares ſignant efficaciam virtutis Chriſti. Hic ignis viſibilis figurat Spiritus Sancti efficaciam in cordibus credentium. Sabbathum Sacramentum eſt quietis Domini in ſepulchro, & perpetuæ quietis beatorum in æterna vita. Ad eundem modum multa numerari poſſunt Sacramenta, quæ tametſi Sacramenta dici poſſunt: tamen Sacramentorum noui Teſtamenti rationem non habent. Nam peculiare mandatum ceremoniæ non eſt expreſſum Dei verbo. Non annexa eſt promiſſio noui Teſtamenti, ex quo & quartum ſequitur, quod fides promiſſionis non hîc requiratur. Cum ergo ea quæ requirit ratio Sacramẽti noui Teſtamenti hîc non inueniantur, non poteſt cõiugiũ inter Sacramẽta Eccl. numerari. Sed quî fit quod Papa nolit iſtud ſuum Sacramentum eſſe commune toti Eccleſiæ? ſi eſt iuxta illum Sacramentum Eccleſiæ coniugium, cur interdicit Sacerdotibus coniugiũ? Spiritus Sanctus pronunciat coniugium honorabile eſſe inter omnes, Papa autem vt ſe manifeſtum hoſtem Chriſti declaret, ſuis interdicit coniugium, & vt non videatur Scripturę teſtimonio deſtitui, adducit ſuo more dictum Pauli Rom. 8. qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt: quaſi Apoſtolus hic ageret de operibus naturæ ſimpliciter, & nõ poti⁹ de operib. carnis, hoc eſt, vicioſę & corruptę naturæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

naturæ, perturbantibus & deſtruentibus ordinem diuinũ in natura, qualia ſũt illa opera quę Paulus enumerat Galat. 5. opponam' igitur Papæ ordinationẽ Dei, quam omnibus liberam eſſe vult. opponamus & illi Paulum, qui prohibitionem coniugij definit doctrinam eſſe dæmoniorum. Habent & aliud Papiſtæ refugium, volunt ſacerdotes inperfectiori & digniore vitæ ſtatu viuere. Iam autem pro confeſſo habent virginitatis & cœlibatus ſtatum meliorem eſſe, & digniorem ſtatu coniugali. Vnde ſuum decretum de cœlibatu ſacerdotum concludunt. Si tam facile eſſet donum continentiæ dare, quam concludere, videretur aliquid habere momenti eorũ concluſio. Sed orationibus aiunt impetranda eſt caſtitas. Age vbi eſt promiſſio quod Deus velit iſtam largiri? promittere perpetuum cœlibatum, & nõ habere rationem humanæ fragilitatis, & inſidiarum diaboli ſumma eſt amentia. Omnes pij norunt ea quæ ad hãc vitã ſpectãt petenda eſſe, cũ conditione. Quare nemo certus eſſe poteſt de impetranda perpetua caſtitate: proinde ſtultus eſt, & qui eam requirit, & qui eam vouet.

Iam videamus principium ſeu fundamẽtum, quo Papiſtæ nituntur. Cœlibatus inquiunt ſtatus eſt melior & dignior coniugali ſtatu, à quo magiſtro hoc didicerunt? certe non à Deo qui matrimonium in Paradiſo ſanxit. Paulus (inquiunt) 1. Cor. 7. præfert virginitatem & cœlibatum cõiugio. inter alia enim ita ait: Qui non iungit melius facit. Reſpondeo, cœlibatum non eſſe meliorem coniugio ἁπλῶς: ſed κατά τι, hoc eſt, non bonitate operis, ſed vſu, idque non ſemper, nec in omnibus, quemadmodum Paulus apertè docet. Qui abſtinet à coniugio ſine caſtitatis dono, quomodo ſolicitus ſit facere ea quæ ſunt Domini, vt placeat Deo, apparet in vita Sodomitica monachorum, & monialium: apparet in turpiſſimis moribus ſacrificulorũ, qui omni genere libidinum ſe fœdiſſime polluunt. Faceſſant igitur Papiſtæ cum ſuo impuro cœlibatu, & tum demum imponant ſacerdotibus cœlibatum, vbi à Deo fuerint certiores facti, quod velit omnibus raſis & vnctis donũ conferre caſtitatis.

De ritib. Eccleſia. Anti-christi errores. Hactenus oſtendimus quomodo Papa Chriſto aduerſetur in diuinis Sacramentis, peruertit veram Sacramentorum rationem: auget ſua temeritate Sacramentorum numerum, deprauat vera Sacramenta, & à vero fine & vſu Sacramentorum aberrat. nunc de tertio, in quo propoſuimus Chriſto Papam aduerſari, hoc eſt, de ritibus humanis agendum eſt.

Ritus humanos qui faciunt ad ordinem & εὐσχημοσύνην piam in Eccleſia non improbant pij, ſed eis ſuũ locum tribuunt, infra opera tamen cultus & Sacramenta, atque eos retinendos iudicant decori, & ordinis cauſſa. Decori quidem, vt excitemur ad pietatem iſtis adminiculis, vt modeſtia & grauitas in pietatis exercitijs eluceat: ordinis vero, vt præſidentes habeant certam agendi regulam, vt auditores aſſueſiant ad obedientiam & diſciplinam, vt bene compoſito Eccleſiæ ſtatu paci & tranquillitati conſulatur. Huiuſmodi ritus ordinare poteſt Eccleſia, & mutare ſi quando viſum fuerit. Nam Eccleſia habet poteſtatem in ædificationem, & habet mandatum in genere. 1. Cor. 14. omnia fiant ordine, & decenter. Quid in hac re Papa peccat? peccat tyrannide, multitudine, κακοζηλίᾳ, vanitate, opinione. Tyrannus eſt, quod Papa ſumat ſibi authoritatem in Eccleſiam Chriſti, cui audet præſcribere leges quas vult, quæ vna ex notis Antichriſti eſt.

I. Multitudine peccat, cum congerit in infinitum ceremonias, nec vllum finem facit, imo magis onerat Eccleſiam Chriſti ritibus, quam vnquam Iudaicus populus fuit grauatus, contra manifeſtum interdictum Petri, cuius ſe ſucceſſorem gloriatur: Ita enim Petrus ait: Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruicem diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus.

II. Κακοζηλία eſt quod ad imitationem prophanarum gentium, & ad ſimilitudinem Moſaicorum rituum multa ſunt inuecta in Eccleſiam per Papam. Iam autem gentium ſuperſtitio deteſtanda eſt, & Moſaici ritus exhibito Chriſto ceſſare debuere. Quare iſta Papalis κακοζηλία indigna eſt, quæ locum vllum habeat in Eccleſia Chriſti.

III. Vanitas eſt, ꝙ multi rit' Papiſtici ſunt ἄσημοι, tantum ſunt hiſtrionicæ quædam geſticulationes, nihil ad ordinem & decorem facientes.

IIII. Opinio damnanda accedit, videlicet neceſſitatis, quæ pugnat cum libertate Chriſtiana: meriti, quæ pugnat cum Chriſti victima: iuſtitiæ, quæ pugnat cum fide gratuitæ remiſſionis: & cultus, quę pugnat cum dicto Chriſti, fruſtra me colunt mandatis hominum.

De diſciplina Eccleſię, Papatus errores. Reſtat vltimum quod propoſuimus, videlicet diſciplina, de qua quid vera Eccleſia ſentiat ex verbo Dei, & quid Papa contra audeat, dicendũ eſt. Diſciplina in Eccleſia Chriſti nihil aliud eſt, quam aſſuefactio quędam cum interior tũ exterior, qua pii aſſuefiunt ad pietatem, iuſtitiam, modeſtiam, & alias virtutes, quáque in officio debito retinentur, ne excuſſo iugo Chriſti ferantur effręnes in quæuis flagitia. Partes huius ſunt inſtructio & correctio: inſtructio abſoluitur præceptis, quorum alia mentem inſtruunt, affectus fręnant, & volũtates regunt: alia linguã, geſtus, & facta gubernant. Correctio eſt caſtigatio quæ fit per gubernatores diſciplinæ, hoc eſt, per parochos & alios graues viros, quibus hæc cura cõmiſſa eſt. Mitior caſtigatio fit verbis tantũ: grauior excluſione ab Eccleſia per excommunicationem: grauiſſima fit excluſione per anathematiſmũ, qui exercetur tantũ in pertinaces hæreticos. Hæc fere ſumma eſt diſciplinæ Eccleſiæ Chriſti: à qua quantũ aberret Papa facile eſt videre in moribus Papalium, & abuſu excommunicationis, & fulmine anathematis, de quibus omnibus referre, quibus illorũ libri referti ſunt, nolo. Quid .n. valet diſciplina vbi fundamẽtum nõ eſt bonũ. Caſtigatio quæ verbis fit apud eos eò pertinet, vt Papa ſuos ſub imperio retineat. Excommunicatio exercetur non in facinoroſos legitime iuxta mandatũ Chriſti admonitos, ſed in pauperes, qui fortè nõ ſunt ſoluendo ea, quæ Papalis dignitas ſibi deberi autumat. Scortatores leui ſatisfactione reconciliãtur. qui obolũ ſacrificulo debet, & non ſoluit ad nutũ, excõmunicatione feritur, nõ ſine graui, ſi diis placet, ceremonia, è ſuggeſtu declamitat in miſerum hominem, infamat inſontem, candelas mittit, pulſat campanula, horrenda voce debitorem excludit ab Eccleſia, imò non ſolum ab Eccleſia, verumetiam adimit omnem ſpem veniæ. Sub tamen tacita conditione, niſi reus pecunia fulmen extinxerit. Anathematiſmus exercetur nõ in hæreticos, ſed in eos qui Prophetica & Apoſtolica ſcriptura ſe contentos eſſe dicunt: in eos qui ſolo ſanguine Chriſti fatentur peccata expiari: in eos qui dicunt Chriſtũ vnicã ſuã ſpem eſſe: in eos qui non inuocant ſanctos: in eos qui nõ oĩa Papæ nugamẽta recipiunt. Breuiter in eos qui Papã loco Dei nõ adorãt. illã .n. formã quã vſi ſunt ſancti patres, imò Apoſt. Paulus in corruptores Euangelij, trãsfert Romanus tyrannus ad ſtabiliendum ſuum regnũ, quod ſophiſtica

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

partum, hypocriſi & tyrannide defenditur. Non ſunt ergo magis metuendi anathematiſmi Papales, quam ſi amator aliquis turpis omnes ſuas veteres amicas anathemate ferire vellet quæ iam contempto meretricio amore honeſtis oblectaretur nuptiis. Nã cum Papæ ſuccubuimus viliſſimis ſcortis turpiores eramus, nunc autem poſtquam Chriſto nupſimus, ſponſæ honeſtiſſimæ coronam gerimus. Quo ſolo marito contenti, amatorem veterem Papam execramur cũ omnib. ſuis philtris & incantationibus. Hæc placuit interſerere de collatione Papæ Antichriſti, & Ieſu Mariæ Filij veri noſtri Chriſti: ſingula perſequi nolui, ſed capita tantum attingere. Nam timendum eſt ne noſtra ſecuritas aliquid magni mali nobis afferat. Deus faxit ne nonnulli qui hactenus cõſtantiæ laudem meruere, turpiter arma abiiciant, & Turco aut Papę ſe ſubiiciant. Talia enim minari videtur noſtra ingratitudo.

SYNTAGMA INSTITVTIONVM CHRISTIANARVM.

PERSPICVIS ASSERTIONIBVS EX DOCTRINA Prophetica & Apoſtolica congeſtis (pleriſque propoſitis & diſputatis in Academia Hafnienſi) comprehenſum:

NICOLAO HEMM. AVTORE.

ORNATISSIMO VIRO, DOCTRINA, PIETATE, virtute atque ſapientia excellenti, D. Ioanni Franciſco Ripenſi, artis medicæ Doctori eximio, Rectori Academiæ Hafnienſis magnifico, & ſuo collegæ ac fratri in Chriſto cahriſſimo.

TRIA ſunt homini, magnificè domine Rector, frater & collega chariſſime, in primis meditãda, Quomodo bene ſapiat, Quomodo bene agat, &, Quomodo bene habeat. Ad hæc enim hominis natura fertur: hæc appetit: in his finem bonorum collocat. Huc pertinent tres illæ facultates animæ, à Deo Opt. Max. homini aſtructæ, γνωστικὴ, ἐπιθυμητικὴ, & θυμικὴ. Harum prima verum & bonum vt inquirat, ſatagit: nec quicquam illi ſatis eſt priuſquam ad veriſſimum & ſummum bonum peruenerit. Media verò & bono inuento ſe applicat, & in eo acquieſcit. Poſtrema illud ipſum verum & bonum tuetur, & contrariis aduerſatur. Huc proinde quæcunque à maximis ingeniis acutiſſimè excogitata & perſcripta ſunt pertinent: huc ſcholaſtici labores, huc facultatum ac profeſſionum ordinatio referuntur: quibus hic ſcopus præfixus eſt, vt & ingentibus corporis animíque morbis remedium adferant, & hominem ad quietem, tranquillitatem & beatitudinem perducant.

Cæterùm, etſi omnium, qui in hoc ſtudio occupãtur, laudandus eſt conatus: tamen euentus conatui & expectationi in omnibus peræquè non reſpõdet. Nam, vt Pindarus ait: ἐπὶ μὰν βαίνει τι καὶ λάθας ἀτέκμαρτον νέφος, καὶ παρέλκει πραγμάτων ὀρθὰν ὁδόν γε ἔξω φρενῶν. Hoc eſt, Accedit obſcura nubes obliuionis, & rectam viam rerum agendarum aufert ex mentibus. Tametſi autem Pindarus aliquid mali in naturam humanam ſuperueniſſe, quo impediuntur homines, quo minus ἀρετὰν καὶ χάρματα, quæ natura appetunt, aſſequantur, recte animaduertit: tamen malum illud & obſcuram illam obliuionis nubem monſtrare non potuit luce diuina deſtitutus. At Eccleſia Dei, & nouit illud malũ, & habet remedium, quo illi malo medeatur. Malũ ipſum eſt peccatum originis. Remedium mali eſt prædicatio Euangelij. Ideo Paulus ait: Poſtquam in ſapientia Dei non cognouit mundus, per ſapientiam, Deum: placuit Deo, per ſtultitiam prædicationis, ſaluare credentes. Hoc eſt, Poſtquam in hac mundi fabrica, quæ eſt veluti ſpeculum quoddam ſapientiæ Dei, non cognouerunt homines, per lumen rationis ac demonſtrationes, Deum,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vt par erat, viſum eſt Deo ex gratuita ipſius bonitate per ſtultã coram mundo prædicationẽ, de Chriſto crucifixo, ſaluare credentes. Tametſi itaq; magna laus eſt Sapientiæ, quã profitẽtur illi qui Philoſophi nominantur: & profectò magnus ipſius vſus eſt, in vita œconomica, politica, addo etiã in Eccleſia, tamen plurimũ differt humana illa Sapientia ab illa, quam Paulus ſtultitiã, iudicio mundi, ſed Dei Sapientiã, vero iudicio, nominat. Nã ſiue autores ſpectas vtriuſq; Sapientiæ, ſiue cauſſas certitudinis attendis, ſiue effecta ſcrutaris, apparebit quantum Dei Sapientia ſapientiam principum huius mundi, excellat.

Primũ autores diſcreti ſunt. Deus eſt autor ſapientiæ Eccleſiæ: homo eſt inuentor Sapientiæ, quã Paulus ſapientiam nunc mundi, nunc principũ huius mundi appellat. Verùm ſi quis obiicit humanam Sapientiam à Deo eſſe qui facultates naturæ indidit, quibus inuenta, locupletata & aucta eſt Sapientia hæc, quam Philoſophiam nominamus: huic viciſſim obiicio νέφος ἀτέκμαρτον λάθας (cuius Pindarus meminit) ex quo factũ eſt, vt ſæpiſſime extra viam aberrent Philoſophi. Vt ergo Deus & homo diſtant in infinitum inter ſe, & bonitate & dignitate, vt alia taceam: ita ſapientia Dei bonitate & dignitate ſapientiam hominum excellit. Hoc diſcrimen notat Paulus, in hunc modum Corinthiis ſcribens: Porrò ſapientiam loquimur inter perfectos, Sapientiam autẽ non ſeculi huius, neque principũ ſeculi huius, qui abolentur: ſed loquimur ſapientiã Dei in myſterio abſconditam, quã præfinierat Deus ante ſecula in gloriã noſtram, quam nemo principũ huius ſeculi cognouit. Hîc habemus deſcriptã verã ſapientiã, quæ non hominũ ſed Dei eſt. Si ergo ſapientia Dei eſt, non eſt contẽnenda nec reiicienda in tertiã claſsẽ Scientiarũ, quaſi inferior multũ eſſet ſciẽtiis humanis εἰκασίᾳ proxima. Si ſapiẽtia Dei eſt, caueat puluis & cinis, ne mẽſura ſenſuũ & rationis eã metiri velit. Si eſt in myſterio recondita, non eſt noua & nuper nata, ſed ante mundi cõſtitutionẽ à Deo concepta & deſtinata in ſalutẽ & verã hominis beatitudinẽ. Si eſt in gloriã noſtrã, cò pertinet vt nos perficiat, & ad gloriam veram æternæ beatitudinis perducat, vt Deo iuncti perfecto amore, optimè habeamus.

Secundũ diſcrimen inter Philoſophicã ſapientiam & diuinã, à cauſſis certitudinis petendã eſſe propoſuimus. Philoſophi iactant lumen rationis: proferunt κριτήρια, quibus quaſi manu ducuntur à notis ad ignota: amuſſim Philoſophicã immotam eſſe gloriantur. At Dei ſapientia lumen Dei prætendit, experientia Sanctorũ cõprobatur, arrhabone Spiritus confirmatur, & multis demonſtrationibus Spiritus firmiſſima eſſe conuincitur: adeo, vt eius reſpectu humana ſapientia omni fere teſte carere videatur.

Diſcrimen tertiũ ab obiectis petimus. Philoſophica Sapientia, etſi de Deo diſſerit, tamen nec naturã Dei, nec diſtinctionem ὑφισταμένων in vna ſimpliciſſima natura, nec voluntatem rectè intelligit, ſed cũ de Deo philoſophatur, in horrendas tenebras incidit: id quod videmus omnibus philoſophis, qui Euangelij cognitione deſtituebantur, accidiſſe, qui, cum ſibi ſapere videbantur, ἐματαιώθησαν καὶ ἐμωράνθησαν, vt Paulus loquitur.

Effecta quoque variant. Quid efficit Philoſophia aliud, quàm vt hominẽ pædagogia quadã in officio contineat? quã vt hominẽ in arcana naturę introducat? quã vt ſermonẽ regat? Quid? An non hæc magna ſunt? Permagna eſſe fateor, & veſtigia quædã diuinitatis, cũ Paulo agnoſco. Sed ſapientia Dei, ſi pædagogiã ſpectamus ſpiritualẽ, quæ locũ habet in familia Dei, ſola nos regit & perficit ita: vt & bene ſapiamus, & bene agamus, & bene habeamus. Nã philoſophia, etſi multa præclara de virtute habet, digna quæ cognoſcãtur: tamen nec vnde proficiſcantur Chriſtianæ virtutes, nec quæ ſint, nec quomodo fiant, nec quo tendant, rectè & ſine errore monſtrat. Si quidẽ ſola pietas, quã profitetur ſapientia Dei, eſt principiũ, fundamentũ, formatrix, dux & gubernatrix omniũ virtutũ quæ Deo probantur. Principiũ, quia ab ea manant, vt à fonte riuuli. Fundamentũ, quia ſuper ea tanquã ædificiũ veræ virtutes extruuntur. Formatrix, quia fides quæ percipitur ex ſapientia diuina facit vt virtutes ſint, quæ ex mandato fiunt. Dux, quia regit eas, & continet intra ſuos limites, ne euagentur, & in ſpectra virtutũ conuertantur. Gubernatrix, quia vt recta ad finem verum ferantur, videlicet ad gloriam Dei, ædificationem Eccleſiæ, tranquillitatem vitæ, & vtilitatem proximi, facit.

Porrò ſi quis ex ijs, quæ diximus, de excellentia virtutũ, quas ſapientia Dei docet, velit inferre abijciendã eſſe eam humanæ ſapientiæ partẽ, quæ doctrinã de virtutibus continet; ille ſane haud rectè iudicat. Nequaquam enim ideo abijcienda eſt philoſophia in doctrina virtutum, vt quidã (opinione ſua docti) autumant, quod imperfectior ſit: ſed vt lumen adhibendũ eſt illi ex doctrina cœleſti: ita illuminata vtiliter ſeruit Eccleſiæ Dei. Quemadmodum .n. nõ abijciendũ eſt cuprum, quod aurum ſit illo longe præſtantius & nobilius. (Habet .n. cuprum ſuũ vſum, modo auro relinquat ſuum precium. Et rurſus aurum indiget interdũ cupro, vt id quod inde efficitur fiat ſtabilius.) Sic doctrina Eccleſiæ de virtutibus etiamſi longè excellat philoſophiã: tamẽ multum in ædificio tabernaculi Dei cognitione virtutum philoſophicarũ, tanquam exoticis quibuſdam theſauris iuuatur. Quare qui illã Philoſophiæ partem, quę doctrinam de

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

virtutibus continet,contemnit,dignus eſt potius flagris quam refutatione, pręſertim cum videamus Paulum Apoſtolum non raro dicta Philoſophorum & Poetarum de virtutibus mutuatum eſſe.

Iam ad eam partem humanæ ſapientiæ veniamus, quæ naturas rerum ſcrutatur. Hîc profecto fatendum eſt eam Philoſophiæ partem,quæ rerum naturas rimatur,magnum adminiculum adferre iis,qui in Schola Chriſti verſantur. Multa enim in Moſe,Prophetis,Pſalmis,Euangelicis ſcriptis occurrunt,quæ ſine humana ſapientia de rerum naturis & proprietatibus, intelligi non poſſunt. Quod qui negat,ei ſanè helleboro opus eſt: vt interim ſileam, eum ingratum eſſe Deo,qui dona ipſius in Philoſophis non agnoſcit & veneratur.

Quantum autem ad ſermonem attinet,Philoſophia facit vt ſermo ſit emendatus & rectus, & elegans. Quo profectò beneficio humanæ ſapientiæ Eccleſia Dei carere nō poteſt,niſi muta eſſe velit. Quid de theorica dicam,quàm Epiphanius in Scripturæ ſacræ interprete requirit? certè qui ſine dialectica hanc accedit,profectò ὥσπερ ὄνος πρὸς λύραν accedit. Vt taceam theoricam planè ἀχαλίνωτον eſſe ſine dialectica & in præcipitia agere. Quomodo enim ſine dialectica collationes inſtituet? Quomodo ordinem intelliget & monſtrabit aliis? Qomodo genera,ſpecies & differentias inueniet? Quomodo definitiones extruet? Quomodo diuiſiones faciet? Quomodo rationes ordinabit & iudicabit? Quomodo antilogias ſoluet?

At ſi quis Enthuſiaſta obiecit Apoſtolos fuiſſe rudes harum rerum. Igitur neque iam requiri in doctoribus Eccleſiæ,ſed ſufficere Spiritum S. Etſi ſpiritus Chriſti doctor veritatis ſemper eſt implorandus,vt nos doceat,& in veritate dirigat: tamen diſcernendum eſt inter miraculoſam inſtructionem: qualis fuit Prophetarum: deinde Apoſtolorum qui die Pentecoſtes per Spiritum Sanctum planè ſunt edocti de myſterio Euangelij: deinde paucorum aliorum: & Ordinariam,qualis eſt eorum qui ſucceſſerunt Apoſtolis. Hanc commendat Paulus ſuo diſcipulo,cum ait: Attende lectioni. Neque poteſt hæc ordinaria inſtructio, quam requiro in interprete Scripturarum, vtiliter fieri, ſine rerum multarum notitia, quæ ex philoſophia petenda eſt. Proinde vt rectè ſapiamus,& bene agamus,opus eſt nobis & philoſophia & Theologia: illa quidem,vt miniſtra,hac verò,vt imperatrice. Quando ergo humana ſapientia quæ Philoſophia dicitur,ſubmittit ſe diuinæ ſapientiæ,id eſt,Theologiæ,eíque ſeruit,vtiliſſimum eſt ipſius miniſterium. Verùm ſi, vt Agar ancilla dominari voluit Saræ heræ ſuæ, ita Philoſophia incipiat dominari Theologiæ: vt meretrix de familia Dei eiicienda eſt. Neque aliud vult Paulus cum hortatur Coloſſenſes, vt caueant ne quis ſe decipiat, & à recta via abducat, per inanem philoſophiam,manifeſtè opponens inani philoſophiæ,veram & piè ſeruientem dominæ ſuæ, hoc eſt diuinæ ſapientiæ. Porrò qui rectè ſapit & benè agit, is etiam bene habet, animo ſaltē. Corporis enim morbis deſtinata eſt ars medica,quæ ex media philoſophia nata,obſeruatione & experientia aucta & confirmata eſt. Quam qui non magnifacit, donum Dei contemnit,& Spiritui Sancto reſiſtit,qui iubet,vt medicum in honore habeamus.

Hactenus expoſuimus quæ ſunt homini imprimis meditanda, videlicet quomodo bene ſapiat,bene agat,& bene habeat,& oſtendimus præſtantiſſimorum hominum ingenia in iis tradendis & transferendis in vſus hominum,elaboraſſe. Quorum exemplo & nos pro modulo ingenij noſtri aliquid adferre conati ſumus, & hoc Syntagma aſſertionum de pręcipuis noſtræ religionis articulis,euulgamus,vt ſtudiis eorum qui bene ſapere, bene agere,& bene habere cupiunt,conſulamus. Deus faxit vt omnia in ipſius laudem,in ædificationem Eccleſiæ,& ſalutarem inſtructionem eorum qui hæc lecturi ſunt,cedant.

Quod autem,magnificè domine Rector,frater & collega chariſſime hoc Syntagma ſub tuo nomine in lucem prodire voluerim,has habui cauſſas. Primùm enim quia longo tempore in hac Academia vnà viximus,vera amicitia & ſumma familiaritate coniuncti, volui hoc teſtimonium amoris mei erga te publicè extare,quo vterque noſtrûm tanquam ſymbolo quodam de vinculo familiaritatis mutuę, qua deuincti ſumus,admoneamur. Deinde, vt tua autoritate, ſummo magiſtratu in noſtra Academia magna cum laude fungentis ſtudioſa iuuentus excitata,hoc Scriptum,in eorum potiſſimum vſum euulgatum, legat libentius. Ad hæc vt ſignum ſit meę gratitudinis erga collegas meos omnes,potiſſimum propter amptiſſimū illud munus, quo me nuper honorarunt,te & rectore & ſuaſore. His bene & feliciter vale, cū collegis meis & fratribus chariſſimis. Oro autem ęternum Deum Patrem Dom. noſtri Ieſu Chriſti,vt dulciſſimo vinculo ſui ſpiritus in vero amore nos coniungat, regátque ſingulos, vt omnes noſtros conatus eo referamus,vt qui noſtrę fidei commiſſi ſunt proficiant in vera ſapientia,pietate & virtute,quo nobiſcum ſani ſint & animo & corpore, Amen. Ex muſæo noſtro, 1. Aprilis, Anno Dom. 1574. Ætatis autem meę,ſexageſimo primo.

DEVS.

D E V S.

Cognitio Dei duplex.

DVPLEX de Deo hominum eſt inſtitutio. Vniuerſalis vna, quæ omnium hominum eſt. Peculiaris altera, quæ filiorum Dei eſt propria.

Ex operibus.

2. Vniuerſalis Dei inſtructio, Natura & Demonſtratione, ex operibus Dei deſumpta, nititur. Vt enim Natura magiſtra, omnes ſani homines intelligunt Deum eſſe: ita opera Dei, & vnum eſſe Deum clamant, & eundem æternum, omnipotentem, ſapientem, bonum, miſericordem, veracem teſtantur.

3. Huic cognitioni Dei naturali, duplex finis eſt propoſitus: proprius vnus, alter acceſſorius.

4. Proprius quidem finis bipartitus eſt, videlicet veri Dei, vera notitia, & Dei cogniti verus cultus. Acceſſorius vero accedit hominum culpa, nimirum vt ſint inexcuſabiles, vt qui nihil prætendere poſſint, quin iure ſint damnabiles, quotquot Deum non agnoſcunt, vel agnitum non glorificant veris cultibus.

5. Etſi igitur fatendum eſt, mentē humanam quaſdam de Deo prolepſes veras habere: tamē cùm iſtæ prolepſes, hypotheſibus & actionibus accommodari incipiunt, ipſa *διάνοια* toto aberrat cœlo, id quod cum experientia teſtatur Apoſtolus, Rom. 1.

Verbo Dei.

6. Et tametſi opera Dei ſatis euidētem demonſtrationem de Deo ſuppeditant, quantum quidem ad lucem Dei attinet: ſenſus tamen humanus, verbo Dei deſtitutus, deficit, antequā aſſequatur, aut quis ſit Deus, aut quæ ſit eius voluntas, vt in Socrate, qui iudicatus eſt ſapientiſſimus, videre, eſt.

7. Sibi igitur relicta ratio, à vero Deo aberrat, adeo, vt nec eſſentiam, nec diſtinctionem perſonarum, nec beneficia erga Eccleſiam, ſalutariter intelligat.

8. Quare philoſophi, etſi multa diſputarunt de Deo acutè, multáſque gnomas prodiderunt veras: tamen ſalutarem Dei notitiam non ſunt aſſecuti. Nam iuxta Pauli dictum, cum ſe putarūt ſapientes, ſtulti facti ſunt, vt qui pro vero & ſolido cultu Dei, ſpeciem eius amplexati ſunt, ſuis dialogiſmis, vt Paulus loquitur, decepti.

9. Contra verbum Dei rhetoricantur, imò nugantur potius, qui ſanctis Patriarchis, Regibus & Prophetis, annumerant Scipiones, Fabios, Fabritios & alios quoſdam, qui verbum Dei non didicerunt, ſed potius pro ludibrio habuerunt.

10. Vano enim & erroneo nituntur fundamento, cum aiunt: Gentes, lege naturæ: Iudæos, lege Moſaica: & Chriſtianos, lege Chriſti, ſaluari, ſomniantes qualemcunque diſciplinam morum, ſalutis meritum eſſe.

11. Siquidem vnica ſalutis via eſt Ieſus Chriſtus. Qui hac in cœlum non tendunt, ad inferos detruduntur, vt qui ſub ira Dei manent damnati. Firmum enim eſt dictum Ioann. 3. Qui non credit in filium, ira Dei manet ſuper eum.

12. Neque tamen hęc naturalis Dei notitia, piis eſt inutilis, imò mirum in modum eos erigit, confirmat & conſolatur. Nam dum cœlos narrare gloriam Dei vident, ipſi rapiuntur, non ſolum in admirationem potentiæ & ſapientiæ Dei: verumetiam de æterno Chriſti regno cum Dauide, cogitant, in quo Chriſtum, Solem iuſtitiæ, venerantur, Prophetas, pios reges, Apoſtolos, &c. tanquam ſtellas ſuſpiciūt, non ſine ingenti animorum voluptate.

13. Altera Dei notitia, quā propriam filiorū Dei dixi, duobus firmiſſimis fundamentis nititur, nēpe verbo Dei infallibili, & teſtimonio verbo addito. Quod enim verbo exponitur, id teſtimonio, tanquam maieſtatis diuinæ ſigillo, confirmatur & obſignatur.

14. Verbum diſertè pronuntiat vnū eſſe Deum, qui eſt Pater æternus, & Filius coæternus Patri, & Spiritus Sanctus coæternus Patri & Filio. Teſtimonium patefactionis in baptiſmo Domini idem verbum confirmat & obſignat.

15. Cùm ergo talis omnino ſit cogitādus Deus, qualis per verbum & teſtimonium nobis proponitur, & oporteat omnino pios de Deo quærere ex eius verbo, de Deo cogitare cum eius verbo, de Deo loqui per eius verbum. Vt vnum æternum Deum ita in vna diuina & indiuidua eſſentia Dei, tres hypoſtaſes ſeu perſonas, Patrem & *Λόγον*, & Spiritum Sanctum confiteri par eſt.

De Dei eſſentia & tribus perſonis.

16. Nam cùm ſcriptura vnum ſolum Deum agnoſcit, & eadem Patrem Deum fatetur, qui non ſit Filius: & Filium Deum veneratur, qui non ſit Pater: & Spiritum Sanctum Deum colit, qui nec Pater ſit, nec Filius: diſcernit vtrique tria *ὑφιστάμενα*, in vna indiuidua diuina natura.

17. Non eſt igitur aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus Sanctus, quia vna indiuidua & diuina eſt natura, licet alius Pater ſit, ſit alius Filius, alius Spiritus Sanctus. Nā nec Pater Filius eſt, nec Spiritus Sanctus Pater aut Filius.

18. Hinc piè Fulgentius aduerſus Hæreticos: *Cū vnum Deum audis, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, vnam naturam iſtius ſummæ Trinitatis, intellige. Cum Trinitatem audis, tres perſonas illius ſummæ Trinitatis agnoſce.*

19. Proinde, etſi Pater, etſi Filius, & Spiritus S. idem ſunt eſſentialiter, vt qui ſunt *ὁμοούσιοι*, non *συνούσιοι* aut *ταυτούσιοι*: tamen realiter diſtinguuntur, & ſuas diſtinctas proprietates interiores & exteriores habent.

Proprietas perſonarum.

20. Interiores quidem proprietates ſunt: quod ſolus Pater ingenitus gignit Filium: ſolus Filius naſcitur ex Patre: ſolus Spiritus Sanctus procedit ab vtroque. Exteriores vero proprietates ſunt, mittere & mitti. Pater mittit: Filius miſſus eſt, & aſſumpſit naturam humanam, in qua & victima factus eſt: Spiritus Sanctus mittitur in corda hominum, vt in iis accendat nouam lucem & iuſtitiam.

21. Neque hæ exteriores proprietates infringūt regulam Auguſtini, qui dicit, *Opera Trinitatis ad extra eſſe indiuiſa*, modò eam intelligamus, ſeruata cuiuſque perſonæ proprietate: vt, Pater creat, Filius creat, Spiritus Sanctus creat: Pater ſaluat, Filius ſaluat, Spiritus Sanctus ſaluat, ſed ſeruatis proprietatibus perſonarum.

22 Proprietates, quibus Deus à creaturis diſtinguitur, inter alias hæ ſunt. 1. quod in vna indiuidua natura ſint tres hypoſtaſes. 2. quod Deus ſit eſſentia æterna. 3. quod ſit creator & ſaluator. 4. quod ſit in mundo & ſupra mundum. 5. quod ſit in nullo loco, & in omni loco.

23. Præterea, cùm varia prædicata in Scripturis tribuantur Deo, obſeruandæ ſunt eorum differentiæ, quarum prima eſt, quod quædam negatiue, quædam affirmatiue de Deo dicuntur. Vt negatiua quid non ſit Deus indicant, qualia ſunt ingenitus,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

immenſus,ineffabilis, ἄναρχος:ita affirmatiua ad deſcriptionem Dei pertinent, non quod vlla nomina ſatis explicant diuinam naturam, ſed vt talem nobis delineent,qualem intellectus noſter cum poteſt apprehendere,

Negatiua.

Affirmatiua.

24. Affirmatiua prædicata ſunt multiplicia.Quędam enim eſſentialiter Deo tribuuntur,ſeu ad ſe dicuntur : vt loquitur Auguſtinus : quædam relatiue: quædam per ſimilitudinem,vt ſunt ea quæ ad actionem,paſſionem,locum,ſitum, tempus,habitum referuntur : quædam ex tempore & relatiuè ſimul,vt, Dominus,creator,refugium,donatus,datus, miſſus: quædam ex tempore ſine relatione,vt,humanus,incarnatus.

Proprietates eſſentiales.

25. Eſſentialiter tribuuntur Deo voces quæ Categoriis ſubſtantiæ, quantitati & qualitati ſubiiciuntur,vt,Deus omnipotens,bonus,&c.de his ſunt duæ regulæ obſeruandæ.

26. Prima, Quod iſta varia attributa Dei, non diuerſitatem in eſſentia,aut vllum accidens ſignificant,(in Deum enim nullum cadit accidens) ſed vnam eandémque eſſentiam notant, quæ effectuum ratione in creaturis, varias ſortitur appellationes. Nam ſecundum eſſentiam non diſtinguitur bonitas à iuſtitia aut omnipotentia, ſed ſolum reſpectu effectorum.

27. Secunda, Quicquid propriè ad ſe dicitur Deus,& de ſingulis perſonis dicitur,Patre & Filio & Spiritu Sancto,& ſimul de ipſa Trinitate, non pluraliter,ſed ſingulariter,dicendum eſt.Siquidem non aliud eſt Deũ eſſe,aliud magnum eſſe, aliud bonum eſſe.Quare vt vna eſſentia eſt diuina:ita vna magnitudo,vna bonitas,& ſic de aliis.

Relata.

28. Quæ relatiuè dicuntur nomina, non commeant.Qui enim eſt Pater,non eſt Filius,nec Spiritus Sanctus. Etſi autem Pater dicitur ad Filium, & Filius ad Patrem,ſecundum aliquid,vt vocant : non eſt tamen accidens Patri quod Pater ſit, nec Filio, quod Filius ſit,quia & ille ſemper Pater,& hîc ſemper Filius exiſtit.

29. Quæ per ſimilitudinem dicuntur,vt ſedere ſuper Cherubin,amictum eſſe abyſſo,aſcendere,deſcendere,pœnitere & ſimilia, nequaquam accidentia eſſe in Deo conuincunt,ſed tantùm Deus ſe accommodat captui hnmano, per huiuſmodi imagines,& ſuam prouidentiam teſtatur,quo noſtra fiducia ſuſcitetur & creſcat.

De S. Trinitate teſtimonia.

30. Hanc Dei notitiam,inauguratio Chriſtianiſmi, quæ fit per Baptiſmum, requirit. Iubemur illic baptizari in nomine Patris,& Filij, & Spiritus Sancti, & vnius Dei, qui eſt Pater, & Filius,& Spiritus Sanctus,fidei nos committamus,eumque ſolum colamus.

31. Hanc quoque Symbolum, quod Irenæus traditionem Apoſtolicam vocat, efflagitat.In eo enim ſymbolo duo proponuntur, Hiſtoria & Fidei profeſſio.Hiſtoria primo loco, vnum Deum Chriſtianis commendat.2.tres enumerat perſonas.3.perſonales differentias exprimit. 4. Opera communia Trinitatis proponit. 5. Peculiares in Eccleſia actiones,perſonarum in Trinitate,attingit. Fidei(quæ in notitia hiſtoriæ, & fiducia miſericordiæ poſita eſt) profeſſio. Chriſtianum ab omnibus mundanis ſectis ſeparat.

Opera cõmunia.

Fines notitiæ ſalutaris.

32. Cæterùm huic notitiæ Dei,idem quidem finis propoſitus eſt,qui & naturali Dei notitiæ. Verũ quia hæc noticia ſalutaris eſt,habet eius finis plures partes.Primùm enim hæc noticia eò pertinet,vt rectè formet iudicium noſtrum de Deo, qui vult à nobis agnoſci talis,qualem ſe ſuo verbo & teſtimonio patefecit.Deinde,vt rectè de creatione iudicare diſcamus, quæ eſt opus totius Trinitatis. 2.Tum,vt rectè de reparatione generis humani cogitemus. 3. Præterea vt articuli fidei noſtræ, perſpicui ſint & illuſtres.4.Ad hæc,vt rectè de Deo edocti,ſolicite in hac vita ambulemus coram ipſo,in vero timore, fide & vera inuocatione, (eſt enim inuocatio in hunc ſolum Deum dirigenda,qui eſt vnus in eſſentia,trinus in perſonis)& in futura vita,perpetuo eius conſpectu beati fruamur.

33. Porrò cum hæc ex verbo Dei, & confeſſione Catholicæ Eccleſiæ,aſſerimus,damnamus ſimul & execramur omnes hæreſes cum his aſſertionibus pugnantes.

Hæreſis.

34. Imprimis autem execramur Epicureorum ἀθεΐαν cum Græcorum πολυθεΐᾳ, & Manichæorum deorum iugo, cúmque omnium Philoſophorum (quos patriarchas hæreticorum rectè appellat Tertullianus)aberrante à verbo Dei ſententia.

35. Damnamus quoque Nouatianos & Sabellium,qui tametſi vnicam eſſentiam diuinam rectè agnouerunt : perperam tamen vnam tantum perſonã,cæcæ Philoſophiæ ductu præcipitati,docuerunt.

36. Arium præterea execramur,qui etſi rectè tres perſonas agnouit : impiè tamen tres eſſentias ſtatuit, quarum alia eſſet Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti : Patris quidem increatam agnoſcens, ſed reliquas ſacrilegè in creaturarum ordinem redigẽs.

37. Similiter & Donatiſtas execramur, qui filium Dei minorem Patre,& Spiritum Sanctum minorem Filio impudenter aſſeruerunt.

38. Deinde, cum his hęreſiarchis,damnamus etiam impium & impuriſſimum nebulonẽ, Michaelem Seruetum, qui rabioſè contemptis ſanctorum patrum conſiliis,Arij,& aliorum Fanaticorum hominum damnatas hæreſes reuocare conatus eſt, quem iuſtè accuſatum à D. Ioanne Caluino, merito Geneuates,affecere ſupplicio.

II.

CREATIO.

Creationis deſcriptio.

1. CREATIO propriè eſt palmaria illa rerum productio ſiue formatio, qua Deus æternus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, vna cum Filio æterno & Spiritu Sancto, produxit ex nihilo, ſua diuina potentia,& formauit cœlum & terram, & quicquid in illis continetur, viſibile & inuiſibile,vt ipſe à creatura rationali agnoſcatur & celebretur:vt qui res omnes ſapienter creatas, nunc ſua bonitate & paterna prouidentia,complectatur.

2. Hæc deſcriptio plures habet partes, quarum ſingulæ diligentius perpendendæ & excutiendæ ſunt,quo in maiorem Opificis admirationem rapiamur,& rebus ab optimo Deo conditis,in ipſius gloriam,cum gratiarum actione,vtamur.

Partes.

3. Sunt autem hæ partes. 1.Quis creat? 2.Vnde creat? 3. Quid creatum eſt? 4. Quis creationis finis? 5. Quæ rerum gubernatio & adminiſtratio? De his partibus ordine dicendum eſt.

Quis creat.

4. Cum audimus, vnum æternum Deum rerũ creatorem eſſe,iuxta verbum Dei infallibile, vt muniamur non ſolum aduerſus errorem Ariſtotelis, qui ſine demonſtrationibus, & falsò, aſſeruit mundum eſſe ἄναρχον, fortè vt præceptoris ſui Platonis dogma, de principio mundi, euerteret, verumetiam aduerſus Manichæos, qui duos rerum formatores finxerunt, vnum bonum,alterum malum: Ita, qui rebus creatis & ipſi creati vtimur, admonemur de gra-

de gratitudine erga opificem, & legitimo rerum creatarum vſu.

2. Vnde.

5. Hic æternus Deus, non ex præiacente materia, vt finx t Plato, ſed ex nihilo produxit creaturas. Qui autem materiam Deo coæternam fingunt, hi & Deum, ſenſuum ſuæ rationis menſura, ſacrilege metiri conantur, & Materiam diuina Natura præditam eſſe, tacite fingunt, cum nihil æternum dici poſſit, niſi idem ſit Deus.

3. Quid.

6. Res creatas & productas, Moſes per ſynecdochen cœlum & terram vocat. Vt enim ipſum cœlum & terram condidit: ita omnium rerum, quæ in illis continentur opifex eſt.

7. Tametſi autem hanc breui diuiſione, periocha omnium rerum abſoluitur: tamen vt magis admiremur opificis ſapientiam, omnipotentiam, & bonitatē, vtile eſt, & aliarum rerum creatarum ordines aſpicere.

Rerum creatarū ordines.

8. Primum igitur hic ordo conſideretur, quod quicquid Deus creauit, vel eſt ſpirituale tantùm, vel corporale tantùm, vel vtriuſque particeps. Vt autem quod ſpirituale tantùm eſt, ſupremum dignitatis locum occupat, & id quod corporale tantùm, infimum: ita quod eſt vtriuſque particeps, vt eſt ſupra corporalia omnia: ita proximum eſt ſpiritualibus.

Angeli. Res viſibiles & corporeę.

9. Hæc triplicia rerum genera ad bonitatis ſuæ participationem produxit Deus: quorum *Primum*, continet inuiſibiles & angelicas ſubſtantias. *Medium*, viſibilia atque corporalia, vt ſunt elementa, animalia, cœlum, &c. quorum admirandūm ordinem, motum & virtutem, præclaræ illæ artes, Phyſica, Aſtronomia, & Medicina, rimantes, inde opificis ſapientiam, potentiam & bonitatem monſtrant. In *tertio* rerum genere ipſe homo eſt, vt qui ex ſpirituali & corporali natura conſtat.

Homo.

Ordo Phyſicis conſiſtatus.

10. Nec iſte ordo rerum creatarum, quem Phyſici eruditè ponunt, eſt negligendus. Dicunt enim, rerum eſſe quatuor gradus, quorum *Primus* & infimus, eſt earum rerum quæ ſunt tantùm, vt Elementa, lapides, metalla. *Proximus*, rerum quæ ſunt & viuunt tantùm, vt plantę, herbę, frutices. *Tertius*, rerum quæ ſunt, viuunt, & ſentiunt ſimul, vt Animalia, bruta. *Quartus*, rerum quæ intelligunt, vt Angeli & homines.

Nihil fruſtra conditum.

11. Porrò, in his rebus, pulcherrima ſpecierum varietas, facultatum ac virium proprietas, vt nobis ſummam ſapientiam & bonitatem Opificis monſtrant: ita nihil eſſe fruſtra conditum clariſſimè oſtendunt. Ex quo efficitur, quod quicquid conditum ſit, nequaquam debeat ſuarum facultatum vſum ſibi ſoli retinere, ſed benignè aliis communicare.

12. Vt enim Deus ſuæ bonitatis participes fecit creaturas: ita viciſſim res ſic condidit, vt aliæ aliis ſua communicent dona, in omnium communem vſum collata, & Opificis gloriam.

13. Hinc Sol ſuum lumen communicat Lunæ, & Luna rurſus ſuas virtutes impertit rebus inferioribus, & ſic de aliis.

14. Atſi qua creatura hanc Dei ordinationem violet: bonitatis rationem amittit, & reatu coram Deo obſtringitur. Hinc eſt, quod homo in peccatum lapſus, omnium maximè hunc diuinum ordinem perturbat.

15. Quicquid enim creatum eſt, etſi ratione Efficientis cauſſæ & Materiæ, bonum ſemper exiſtit: tamen, cum in ſuo ordine Opifici non ſeruit, contra ordinem diuinum ruit, & peccato inuoluitur, vt videmus in angelis lapſis & hominibus.

4. Finis creationis.

16. Etſi autem finis creationis & rerum creatarum, ex iis, quę dicta ſunt, in genere intelligi poteſt: tamen is paulò diſtinctius eſt repetendus.

17. Creationis quidem finis eſt, quem Salomon ponit his verbis: Prouerb. 16. 4. Omnia operatus eſt Iehoua propter ſemetipſum, Hoc eſt, vt ipſe in iis agnoſcatur, laudetur & glorificetur.

Triplex.

18. Verum ſi res creatas ſpectes, triplex earum finis eſt ſpectandus, nempe, Status, actionis, & ordinis, quorum Primus, Secundo: & vterque Tertio, deſtinatur.

1. Status.

19. Quantùm autem ad ſtatum cuiuſlibet rei attinet, finis eſt, vt quælibet res incolumitatem ſuam abſque incommodo tueatur. Vt, finis herbæ eſt, vt creſcat, abundet humoribus, vireſcat & floreat. Equi, vt, ſine fręno, laſciuus feratur in campis. Hominis, vt ſit mens ſana in corpore ſano, abſque omni mœrore & ærumnis.

20. Ad hunc ſtatum hominis tuendum, Deus contulit homini triplicia bona, vt Aliis alatur, Aliorum miniſterio vtatur, Aliia ad honeſtam voluptatem conuertat. Voluptas autem, quam Epicuri ſchola tuetur, cum hominis dignitate pugnat.

2. Actionis.

21. Secundus finis, actionis eſt, quem eruditè Phyſici ex duobus principiis colligunt. Primum enim, cum Theologis fatentur, nihil fruſtra conditum eſſe, ſed ad certum vſum: quia omnia, quæ fecerat Deus, erant valde bona. Deinde, quia Deus ſingulis ſpeciebus rerum indidit peculiares facultates, inde rectè concluſerunt, cuiuſlibet rei actiones, quæ procedunt à propriis eius facultatibus, eſſe finem eius rei.

22. Hoc Lemmate conſtituto, finem hominis (vt de aliis rebus, quas Phyſici ſibi excutiendas aſſumunt, taceam) hoc modo ſaniores Philoſophi colligunt.

Duplex finis hominis: Dei agnitio & cultus.

23. Duæ ſunt facultates in homine, quæ eius propriæ ſunt, nempe, facultas inquirendi, & facultas eligendi: quarum, illa inquirit veritatem: hæc, honeſtatem meditatur.

24. Facultas inquirendi veritatem, quadruplici vtitur inſtrumento, Mente, Ratione, Phantaſia, Senſu. Verùm quia, lapſu hominis in peccatum, deprauata eſt Mens & Ratio, quantum ad res diuinas attinet, opus habet homo doctrina cœleſti, ſine qua ſalutarem Dei cognitionem, ad quam & conditus & regenitus eſt, minimè peruenire poteſt.

25. Facultas eligendi honeſta, expedita quidem fuit ante lapſum. Sed nunc ad ſalutares actiones, coniungendæ ſunt tres cauſſæ: Verbum, quod monſtrat veras actiones: Spiritus Sanctus, intus mouens: & Voluntas Spiritui Sancto obtemperans.

26. Hinc efficitur, quod, ſi actionem ſpectes, duplex ſit finis hominis: nempe, veritatis inquiſitio agnitióque, & virtutis electio. At, cum ſumma veritatis ſit noticia Dei, & ſumma virtus ſit Deum vero cultu celebrare, ſequitur quod finis hominis ſit agnitio Dei & cultus.

27. Hinc Scriptura pronunciat, ideo conditum eſſe humanum genus, & deinceps ideo redemptum, vt ſit templum Dei, Deum celebrans. Sicuti & Dominus teſtatur, Ioan. 17. 3. cùm ait: Hæc eſt vita æterna, vt te verum Deum agnoſcant, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum.

3. Ordinis.

28 Finis, quem ordinis appellaui, rectè aſſignatur à Stoicis Deus ipſe, qui omnia dicunt hominis cauſſa facta, homines verò Dei: nempe, vt ad ipſum omnia referant, & eum celebrent.

29. Nam hac conditione, Deus res creauit: vt inferiores gradus rerum ſeruiant ſuperioribus, do-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nec ad Deum ventum fuerit,qui eſt finis bonorum. Quare vt tres primi rerum ordines ſeruiunt homini : ita quartus,in quo ſunt angeli & homines, Deo ſeruire debent.

30. Vt igitur ſuum ordinem vniuerſæ creaturæ ſeruant,ſeruientes homini:ita homo cùm Deo non ſeruit,contra ſuam dignitatem facit,& ordinem Naturæ rerum peruertit.

31. Propter has rerum fines, Deus,qui condidit res, idem eaſdem paterna cura & prouidentia complectitur.

I I I.

PROVIDENTIA.

Prouidentiæ definitio.

I. PROVIDENTIA Dei eſt,cum ſapientia, tũ actio Dei,quib. ſuſtẽtat,gubernat,& moderatur omnia à ſe condita,in ſui nominis gloriam.

Modi tres. 1. Vniuerſalis.

2. Huius prouidentiæ modi, tres ſunt. Primus eſt vniuerſalis, quo dirigit Deus omnes creaturas, iuxta conditionem & proprietatem, quas ſingulis, dum formauit eas,dedit,& nunc eas ſua cura complectitur, vt ſtet incolumis naturæ ſtatus.

3. Hæc vniuerſalis Dei operatio,nequaquã prohibet, quo minus ſingulæ creaturæ, tum in cœlo, tum in terris,qualitatem ſuam & naturam retineãt, propriámque inclinationem ſequantur.

4. Vnde Auguſtinus rectè dicit,Deum res conditas ita adminiſtrare,vt eas propriis motibus agere ſinat. Nam hoc ipſum prouidentiæ opus eſt, & naturam & inclinationem, modúmque naturæ agendi ſuſtentare.

2. Specialis.

5. Secundus prouidentiæ modus eſt ſpecialis, quo Deus moderatur omnia, & addicit creaturas in obſequium ſuum,vt maximè expedire & conducere ſibi videtur.

6. Hac prouidentia,tonitrua,gelu,grandinem, ſiccitatem,tempeſtatem,ſerenitatem,abundantiam, famem,bellum,pacem,exilium efficit Deus : vt hæc ſint bonitatis, iuſtitiæ & iudicij ſui inſtrumenta, prout nunc ſeruos ſuos iuuare,nunc ſontes punire, nunc pios caſtigare conſtituit: idque iuxta ſuas promiſſiones & minas,non ex Stoica neceſſitate.

7. Hoc ita eſſe, conuincunt Prophetæ Dei, Eſaias,Ieremias,Hoſeas,Amos, Abacuc, Haggæus, quorum ſententiis potius acquieſcendum eſt, quam ſtultis imaginationibus hominum,qui vel fatali neceſſitate,vel caſu,omnia ferri falsò autumant.

3. Peculiaris.

8. Tertius modus prouidentiæ eſt peculiaris, quo Deus viuit & regnat in Eccleſia Chriſti, fideles erigit & fouet,operatur velle & perficere, inſpirat precandi affectum, & efficit, vt in præceptis ſuis ambulemus, iuxta promiſſionem quę habetur, Ezechiel.36.

9. Vt autem cogitatio prouidentiæ Dei ſit nobis gratior, cum finis,tum eius vſus, diligenter eſt perpendendus.

Finis.

10. Finis duplex eſt, Prior, vt nos totos Deo commendemus, eum timeamus, inuocemus & prædicemus. Poſterior, vt in rectè factis ſecurè contemnamus quicquid vel mundus, vel Satan minatur.

Vſus.

11. Vſus autem gubernari poteſt duabus regulis,quarum prior eſt,quod tam in præteritum quam in futurum conſideranda ſit prouidentia Dei.Poſterior,quod Deus interdum mediis, nonnunquam etiam contra omnia media,aliquando abſque mediis ſuam prouidentiam exequatur.

12. Si ad tempus reſpicis præteritum, Diuinæ prouidentiæ aſcribes,quicquid vel proſperi, vel aduerſi tibi contigit, ſed diuerſimode. Si enim quid proſperi contigit, habes occaſionem Dei celebrandi, ídque exemplo Sanctorum. Si quid aduerſi contigit,duo facienda ſunt. Primum cogita cum Iob: Vt Domino placuit,ita factum eſt.Deinde,actæ vitæ ſubeat memoria, vt ex pœnis tibi inflictis, peccata tua agnoſcas,& emenderis.

2. Futur.

13. In tempus futurum, hoc modo eſt reputanda prouidentia Dei, vt ſemper ad comminationes & promiſſiones reſpicias. Honora, inquit, parentès. Huic præcepto obtemperanti bene erit. Qui autem non obtemperat,pœnis ſubiacebit.

3. Per media.

14. Porrò ſi per media nobis proſpicit Deus, accipienda ſunt quidem illa media vt organa Dei, & diuinæ prouidentiæ inſtrumenta, ſed Deo gratias agemus, agnito beneficio,& organa amplectemur, vt Dei manum, per quam nobis ſua beneficia porrigit.

4. Sine medio.

15. Si abſque mediis nos iuuat, quemadmodum Moſen & Eliam abſque pane aluit, verbo Domini hoc aſcribemus, iuxta illud:Non in ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo quod procedit ore Dei.

5. Contra media.

16. At ſi contra media nobis proſpicit Dominus,hoc eſt, cum nulla obſtacula prouidentiam diuinam impedire poſſunt, ſicuti viris qui erant in camyno Babylonico accidit, prædicabimus Deum, & omnibus hominibus patefaciemus eius bonitatem.

Exemplum diuinæ prouidentiæ.

17. Huius prouidentiæ exemplum conſpicitur illuſtre hodie in Eccleſia, contra quam portæ inferorum, & conciliabula hominum præualere non poſſunt. Et,vt alia taceam,vnum illum Prophetam Dei, Martinum Lutherum, Satan vt leo rugiens, & vniuerſus orbis furibundus, non potuit lædere, vel in minimo capitis pilo.

18. Etſi autem hoc non eſt vniuerſale,quod ſuos ita miraculoſè ſeruet Deus:tamen cum fit,agnoſcenda eſt Dei prouidentia cum gratiarum actione. Sin autem ſecus viſum fuerit diuinæ prouidentiæ,etiam id in explorationem & ſalutem Sanctorum fieri,ſtatuendum eſt.

Regulæ tres de Dei prouidentia.

19. Breuiter hîc tres regulæ teneantur, quarum maximus erit vſus in tota vita.

20. *Prima*,Retineatur fides & bona conſcientia quæ non poſſunt eſſe niſi coniunctæ, etiamſi fides naturæ prior eſt.

21. *Secunda,* Cauendum ne vel in proſperis efferaris,vel in aduerſis ſuccumbas:quod Chriſtianę fortitudinis opus eſt.

22. *Tertia*, Submittas te ſapienti prouidentiæ Dei, in vero timore, inuócatione,gratiarum actione & obedientia.

De voluntate & permiſſione Dei.

23. Porrò, hîc quæritur, cum Deus omnia ſua prouidentia gubernet,adeo vt nihil poſſit ipſius voluntati reſiſtere : Quî fiat, quod multa fieri videantur contra ipſius voluntatem?

24. Duplex modus voluntatis Dei eſt, videlicet, Decreti puri,& permiſſionis.

25. Voluntas decreti puri ſemper permanet immota. De hac dictum eſt, Voluntati eius quis reſtitit.

26. Voluntas permiſſionis pendet ex ordine prouidentiæ Dei, tantùm abeſt, vt cum prouidentia pugnet.

27. Eſt autem ordo prouidentiæ diuinæ,vt Deus conſeruet modum agendi, quem dedit rebus à ſe creatis,cum eas primum creauit.

28. Nunc autem,cum alias res ita creauit, vt naturaliter

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

turaliter agant, aliâs, vt voluntariè: certe cum res voluntariè agentes feruntur liberè, Deus ſuum opus conſeruat, videlicet modum agendi iis in creatione attributum.

29, Hæc Dei voluntas permiſſionis dicitur, quæ relinquit angelis & hominibus liberam προαίρεσιν, quam ſi non haberet homo, nec pręceptio, nec prohibitio locum haberet.

30. Addo quod nec virtutis laus vlla eſſet, nec ſcelerum iuſta pœna, ſi voluntatis nulla eſſet libertas.

31. Hinc ergo fit, quod tam multa contra ordinem diuinum ferantur, quæ tamen prouidentiam diuinam non effugiant.

IIII.

HOMO.

Definitio hominis. 1. HOMO creatura Dei, conſtans corpore & anima rationali, vt ad imaginem Dei cum libera voluntate eſt conditus: ita præſes creaturarum inferiorum ordinum eſt conſtitutus, vt Deum agnoſcat, & agnitum celebret cum ſanctis angelis in omni æternitate.

2. Hæc definitio quia extructa eſt ex verbo Dei, nullo modo labefactari poteſt. Etſi enim hominis vires diminutæ ſunt, per lapſum primorum parentum: conuenit tamen definitio homini, qualis primùm eſt creatus.

Status eius quadruplex. 3. Neque enim ſimpliciter conſiderandus eſt homo, cuius ſtatus pro diuerſitate conditionum ipſius mirabiliter variat. Eſſe autem ſtatum hominis quadruplicem, verbo Dei clarè oſtenditur, cuius diuerſitatis reſpectu, etiam de eius viribus iudicandum erit.

1. Ante lapſum habuit tunc Adam. 4. Primus enim hominibus ſtatus fuit innocentiæ, in quo homo creatus purus ab omni peccato fuit, & Deo plenam obedientiam præſtare potuit. Habuit enim homo in hoc primo ſtatu imaginem Dei, integritatem, εὐταξίαν omnium virium, verbum & ſacramentum duplex, nimirum immortalitatis & probationis.

Imaginē Dei. 5. Imago Dei, quæ in homine relucebat, gratuita erat. Ad hanc enim ipſum Deus formauit. Hæc imago erat quædam conformitas & ſimilitudo, quæ Adamo erat cum Deo, qua iuſtitiam & ſanctitatem Dei, quaſi in ſpeculo repræſentauit Adam. Nam libertate ſuæ voluntatis potuit, & iudicare quæ recta erant, & velle quæ rectè iudicauit, & exequi quę voluntas imperauit. Quare rectè ante lapſum αὐτεξούσιος dici potuit.

6. Erat præterea hæc imago teſtimonium, quod homo fuit conditus ad immortalitatem & perpetuam cum Deo ſocietatem, in qua re finis hominis principalis eſt poſitus.

7. Hinc eſt, quod Sapientiæ 2. 23. ſcriptum eſt: Deus creauit hominem ad immortalitatem, cúmque ad imaginem propriæ ſimilitudinis fecit, hoc eſt, propriæ naturæ. Vt ſicut ille eſt immortalis: ita eum ornauit eadem gloria. Ea cum ſit propria ipſius Dei: ſingulari eius beneficio, homini communicata eſt. Item Sapien. 6. 20. Immortalitas facit vt proximè ad Deum accedamus. Hac ergo ſimilitudine homo Deo coniungitur.

Integritatem. 8. Integritas autem, qua præditus fuit Adam ante lapſum, fuit mentis perfectè intelligentis, & rectiſſimè iudicantis: cordis iuſtiſſimè & ordinatiſſimè appetentis, & virium animi & corporis promptiſſimè exequentium, quę mens perfectè iudicauit, & voluntas imperatrix rectè imperauit.

Εὐταξίαν. 9. Εὐταξία, omnium virium pulcherrima harmonia fuit, qua mens nihil cogitauit, cor nihil appetiuit, corpus nihil executum eſt, niſi quod Deo probabatur. Hæc harmonia mentis, cordis, corporis, cum voluntate Dei, ſummum hominis decus fuit, in quo & iuſtitia originalis poſita erat.

Verbum. 10. Verbum habuit quod præceptum, prohibitionem, & comminationem continebat. Præceptum erat: Ex omni arbore Paradiſi comedes. Prohibitio: De arbore autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. Comminatio: Quocunque die de arbore iſta comederis, morte morieris.

Sacramentum duplex. 11. Huic verbo appoſitum erat à Deo Sacramentum duplex: immortalitatis vnum, videlicet, Arbor vitæ: Alterum, probationis, ſcilicet, Arbor ſcientiæ boni & mali. Quemadmodum enim Arbor ſcientiæ boni & mali exitio fuit Adamo: (non quidem ſua natura, bona enim Dei creatura erat, ſed propter mandati Dei, quod violare nefas erat, tranſgreſſionem) ita, ſi præcepto obtemperaſſet, fructus Arboris vitæ, Sacramentum fuiſſet illi immortalitatis.

2. Poſt lapſum. 12. Secundus ſtatus hominis eſt, in quem Adam, violato præcepto diuino, eſt detruſus, vt in eo, ſuæ inobedientiæ iuſtas pœnas lueret. Atque hic ſtatus omnium miſerrimus eſt. Amiſit enim imaginem Dei, integritatem & εὐταξίαν, adeo vt totus corruptus ſit, & maledictioni ob ſuam tranſgreſſionem obnoxius.

3 Sub gratia. 13. Tertius ſtatus hominis, eſt gratiæ & benedictionis, qualis fuit Adami poſtquam promiſſione erectus eſt: & qualis Abrahæ, poſtquam verbo Dei credidit: denique qualis eſt omnium, qui Spiritus Sancti gratia per ſemen immortale regenerantur.

14. In hoc ſtatu imago Dei reparari incipit, dum homo regeneratus veram pietatem & ſanctitatem meditatur. Et quemadmodum in hac vita regeneratio non perficitur, perficienda in extremo die: ita hic imago non plenè reparatur. Sed tum demum plena & perfecta erit, quando ſimiles Filio Dei erimus in omni æternitate.

4 In gloria. 15. Quartus ſtatus hominis erit Gloriæ, in quo donabitur homo immortalitate, ídque reſuſcitatis corporibus, quando reddet vnicuique Deus iuxta facta ſua.

16. In hoc ſtatu recuperabit homo, imaginem Dei plenam; qua conformis erit Deo in vera iuſtitia & ſanctitate, in omni æternitate.

Corpus hominis erectum. 17. Verum quod de erecto hominis corpore Xenophon, & poſt illum Ouidius, dicunt, memorabile eſt. Hac enim figura formati humani corporis aſſerunt homines admoneri rerum cœleſtium; vt Deum, qui in cœlis habitat, colant & venerentur.

Animę facultates. 18. In animæ humanæ fabrica, mirabile opificium Dei conſpicitur. Nam cum eam formarit duplicibus facultatibus præditam, γνωστικοῖς & ὀρεκτικοῖς: ſatis indicat hominem formatum eſſe ad notitiam recti; & electionem boni, vt in his duabus rebus totus occupetur.

Finis hominis. 19. Hinc finis hominis rectè ſtatuitur, Notitia ſummi boni, & eiuſdem electio ac fruitio. Vnde Chriſtus: Hęc eſt vita æterna, vt te agnoſcant verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

V.

PECCATVM.

Peccati ratio.

1. CVM Moſes ait: Deut.27.26. Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus, quę ſcripta ſunt in libro Legis, vt faciat ea, quænam ſit vera peccati ratio, manifeſtiſſimè oſtendit.

2. Nam ex hoc dicto ſequitur: omne quod Deus præcipit, cum non fit: & omne quod Deus prohibet, cum fit, peccatum eſſe, quo tranſgreſſor obnoxius maledictioni redditur.

Definitio.

3. Quare peccatum rectè definitur eſſe inobedientia aduerſus Deum, ſeu defectio à lege & voluntate Dei, cui coniuncta eſt ad maledictionem obligatio, donec fiat remiſſio.

4. In hac definitione, inobedientiæ vox latius accipitur. Nam interdum complectitur defectum, corruptionem, & inclinationem: interdum cum his actionem quoque pugnantem cum lege & voluntate Dei.

5. Ioannes, cum ait 1. epiſt. cap. 3. 4. Peccatum eſt ἀνομία: omnia quæ recenſui complectitur. Eſt enim ἀνομία quicquid eſt in nobis, vt defectus, corruptio, inclinatio: & quicquid fit à nobis, vt omnis actio, interna & externa cum lege Dei nō congruēs.

6. Hoc breuiter & bene expreſſit Ambroſius hiſce verbis: *Peccatum eſt legis diuinæ præuaricatio.*

Duo in peccati ratione cōcurrūt.

7. Porrò, cum lex Dei homines obligat, aut ad obedientiam, aut ad pœnam: duo in peccati ratione concurrere neceſſe eſt, quorum prius, Theologi veteres vocarunt Materiale, poſterius Formale.

Inobediētia & reatus.

8. Materiale eſt vel defectus, vel corruptio, vel inclinatio, vel actio, vel hæc omnia ſimul. Formale eſt ipſe reatus ad quem obligatur Legis tranſgreſſor, nimirum, vt iuxta Legis ſententiam, pœnam luat.

9. Eſſe ſine timore Dei materiale eſt. Hanc inobedientiam obnoxiam eſſe maledictioni, formale huius peccati eſt.

Diſcrimē quale.

10. Etſi autem in omnibus hominibus eſt defectus, corruptio, inclinatio, & actio, pugnantes cum voluntate Dei: tamen non eſt in omnibus plena peccati ratio.

11. In omnibus infantibus & adultis, qui non ſunt participes promiſſionis gratiæ, plena eſt peccati ratio. Nam & in eis eſt defectio à lege Dei, & ſunt maledictionis ſententiæ ſubiecti.

12. At in infante, ex Chriſtianis parentibus nato, eſt defectus & corruptio, quæ ſunt materiale peccati in infante. Sed formale peccati, quod eſt reatus, non eſt in Chriſtiano infante. Miſericordia enim Dei abſolutus eſt à reatu: quæ abſolutio, Baptiſmi obſignatur Sacramento.

13. In Paulo conuerſo fuit defectus, corruptio, inclinatio, & actio, pugnantes cum lege Dei, quæ fuerunt materiale peccati in Paulo. Verùm non fuit in eo formale peccati. Reatus enim ipſi in Chriſtum credenti condonatus fuit.

14. Atque hac ſententia loquitur Ioan. 1. epiſt. 1. & 3. c. cum ait: Si dixerimus, peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus. Et, Qui natus eſt ex Deo, non peccat. Prius enim dictum de materiali, poſterius de formali peccati intelligendum eſt.

Varia peccati genera.

15. Poſtquam autem de peccati ratione in genere dictum eſt: Nunc eius varia genera ſunt ſpectanda, quorum obſeruatio nos noſtrarum ſordium admonebit, & quam gratum nobis eſſe debeat beneficium Chriſti, à peccatorum ſordibus nos abluentis, commonefaciet.

1. Originale & actuale.

16. Prima itaque partitio peccati hæc eſt, quod aliud ſit originale, aliud actuale. Illud parens, hoc miſera eſt proles. Illud fons impurus, hoc riuulus fœtidus. Illud camarina peſſima, hoc peſtis lethalis.

Originalis definitio.

17. Originale autem peccatum eſt, cum defectio & corruptio humanæ naturæ, propagata ab Adam in eius poſteros, tum reatus, quo naſcentes, propter Adæ lapſum, rei ſunt iræ Dei & mortis æternæ, donec fiat remiſſio.

18. Hæc definitio vtrumque complectitur, Materiale ſcilicet & Formale peccati originis, à qua non diſſentit illa Anſhelmi eruditiſſima definitio, per priuationem contrarij formata. Ita enim ait: *Peccatum originis carentia eſt iuſtitiæ originalis, debitæ ineſſe.*

19. Iam cum certum eſt, iuſtitiam originalem (cuius carentia eſt peccatum originis) duo complecti, nempe integritatem omnium virium in Adam, & approbationem, qua Deo acceptus erat Adam: ſequitur, quod peccatum originis, ſit defectus, corruptio, & reatus.

Peccati originis perſpicua explicatio.

20. Qualis autem ſit defectus, & qualis corruptio peccatum originis, rectius ſciri non poteſt, quam ex integritatis partitione. Nam cum integritas humanæ naturæ, fuit imago Dei, obedientia & εὐταξία omnium virium, mentis, cordis, & corporis erga Deum: ſequitur quod iſte defectus & corruptio, ſit inductio imaginis Dei, & ἀταξία, omnium virium mentis, cordis & corporis.

21. Hoc peccati genus à Paulo inhabitans peccatum dicitur, propterea quod in carne noſtra maneat perpetuo vſque ad mortem, & propagatur ab vno *Adamo* in omnes, vnde fit quod omnes naſcantur, vt Paulus ait, filij iræ.

De ratione reatus.

22. Porrò de ratione reatus hoc tenendum eſt. Diſcernendum eſt inter perſonam Adæ & naturam Adæ. Non ſum particeps perſonæ Adæ, quare nec reus *ſum* propter perſonam Adæ. Particeps ſum naturæ Adæ, quæ humana natura in omnes homines propagata eſt, idcirco naturæ reſpectu reus ſum non minus, quam ſi ipſe peccaſſem.

Simile.

23. Atque hæc poſſunt hac ſimilitudine vtcumque declarari. Sicut in vna perſona, multa ſunt diuerſa membra, quæ omnia ſunt rea, dum perſona fit rea: ita in vna natura humana, multæ ſunt perſonæ, tanquam eius membra. Quare natura humana rea, in primo homine, omnes perſonæ reæ ſunt, quæ naturæ communis veluti membra exiſtunt.

24. Atque hinc eſt quod Paulus Epheſ. 2. 3. ait: Natura omnes filij iræ ſumus. Hoc eſt, Quia rea facta eſt natura in primo homine, nos omnes ab eo propagati, rei ſumus, vt eiuſdem naturæ participes.

25. Huc etiam querela Dauidis pertinet: Pſalm. 51. 7. Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.

26. Hìc Dauid nequaquam accuſat parentes ſuos, nec thorum coniugalem culpat, ſed retro reſpicit, & conqueritur de vitioſa natura, in nos, à primo homine Adam, propagata talis, qualis facta eſt propter Adæ tranſgreſſionem.

Peccat. Adæ grauitas.

27. Porro, qui extenuāt peccatum Adæ, quo tota natura contaminata eſt & rea, non iuſta menſura peccatum originale metiuntur, in quo plurima peccata grauiſſima concurrunt, quę in filiis Adæ, ſe manifeſtè prodant.

28. *Primùm* enim in peccato Adæ fuit horribilis dubitatio,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dubitatio, de veritate Dei. *Secundò*, amiſſa eſt fides, cum nõ credit Deo minanti pœnas. *Tertiò*, curioſitate peccauit. Quæſiuit enim alienam ſapientiam relicto Deo. *Quartò*, ſuperbus eſt factus, vt qui voluerit magnifieri & Deus haberi. *Quintò*, peccauit ἀποστασίᾳ, qua antetulit Diabolum Deo. *Sextò*, ingratus erat, expulit enim Spiritum Sanctum in ſe habitantem. *Septimò*, homicidium commiſit, qui & ſe & ſuos poſteros occidit. *Octauò*, contempſit Deum, dum ipſius mandatum contra conſcientiam violauit.

29. Hæc omnia & plura concurriſſe in peccato Adæ, oſtendunt eius fructus in poſteris Adæ, qui non aliunde veniunt, quam à primo fonte peccati venenato.

Propagatio peccati Adæ.

30. Porrò, hoc virus propagatum, etſi manet in omnibus hominibus, vſque ad mortem: tamen plurimum pro diuerſitate hominum, vi & efficacia variat.

31. Nam in non renatis manet materialiter & formaliter ſimul. In renatis autem materialiter tantùm. In non renatis habitat & regnat ſimul. In renatis habitat quidem, ſed non regnat. In non renatis fertur cæco impetu per ſuas concupiſcentias. In renatis fręno ſpiritus repreſſum domatur, & gladio ſpiritus magis magíſque mortificatur.

Errores de peccato originis.

32. Hactenus, quid ex verbo Dei ſentiendum ſit de peccato originis diximus. Nunc nonnihil de erroribus quorundam attingamus. 1. Quidam Deum autorem faciunt peccati originis, cõtra manifeſtam Scripturam, quæ Diabolo, & hominis liberæ voluntati & electioni hoc malum attribuit. 2. Monachi negant eſſe peccatum, ſed tantùm fomitem, contra Pauli vocẽ qui dicit nos naſci filios iræ. 3. Pelagiani negant peccatum originis ab Adam propagari in poſteros, contra Paul. Rom. 5. aſſertionem. 4. Anabaptiſtæ nullos natos fuiſſe in peccato originis poſt Chriſtum exhibitum, inſulsè nugantur, cum pœnæ peccati originis in infantib. manifeſtè cõſpiciantur.

Actualis peccati definitio.

33. Porrò, actuale peccatum, fructus peccati originis, eſt omnis cogitatio, affectio, locutio, actio, pugnans cum voluntate Dei, vnde homo obſtringitur nouo reatu, & fit reus irę Dei & mortis æternæ.

Diſtinctio.

34. Seu, vt breuius dicam, Peccatum actuale, eſt omnis commiſſio & omiſſio, pugnans cum lege & voluntate Dei, maledicta & damnata à Deo.

35. Cum autem omnis Legis tranſgreſſio mereatur mortem, & obliget hominem ad æternas pœnas, ſciendum eſt meritum mortis triplex eſſe, videlicet, irremiſſibile, remiſſibile, & veniale.

1. Peccatũ irremiſſibile.

36. Meritum mortis irremiſſibile, eſt peccatum in Spiritum Sanctum, quod eſt voluntaria veritatis euidenter cognitæ renũciatio, & rebellio ex odio veritatis nata, coniuncta cum Tyrannica, Sophiſtica, & Hypocritica veritatis oppugnatione. De quo aliás plura.

2. Remiſſibile.

37. Meritum mortis remiſſibile, eſt quęuis Legis diuinæ tranſgreſſio, quæ fit à ſciente & volente contra conſcientiam. Hoc peccatum remittitur, ſi tranſgreſſor illud peccare deſignat, & confugiat ad propitiatorium: alioqui minimè. Proinde ab euentu, & non à natura, remiſſibile dicitur.

3. Veniale.

38. Veniale meritum mortis eſt, cum ipſum peccatum inhabitans in Sanctis, tum mala eius deſideria quæ excitat, & impedimenta quæ adfert conãtibus piè viuere. Hoc peccatum veniale dicitur, ob veniam, qua indulget propitius Pater iis, qui cõtra ipſum fide & ſpiritu luctantur. Nam in non conuerſis nullum eſt veniale peccatum.

39. Hinc clarè liquet; quomodo vetus diſtinctio, qua peccatum in mortale & veniale diſtinguitur, intelligi debeat. Non enim vllum peccatum dicitur veniale ſua natura, ſed ex euentu, & ob veniam, quemadmodum dictum eſt.

40. Quicquid enim Deus præcipit cum non fit, peccatur mortaliter, & quicquid prohibet Deus, cum fit peccatur mortaliter, ſi naturam peccati & non gratiam condonantis reſpicis.

Omnia peccata mortalia, tametſi inęqualia.

41. Etſi autem fatendum eſt, contra Stoicorum Paradoxon, Alia peccata aliis eſſe grauiora, tamen omnia idcirco natura ſunt mortalia, quia Legis diuinæ ſunt tranſgreſſiones, iuxta dictum: Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, vt faciat ea.

42. Hæc maledictio tantiſper durat, donec ad Chriſtum peccati expiatorem ventum fuerit. Qui enim in Chriſtum credit, fide iuſtificatus eſt, hoc eſt, abſolutus à reatu peccati, vt non amplius propter illud reus habeatur coram Deo, & obnoxius damnatoriæ Legis ſententiæ.

Abſolutio à peccato.

43. Proinde vera abſolutio in Eccleſia perpetuò durans, nihil aliud eſt quam ſolutio & liberatio ab obligatione damnatoria propter peccatum, quam abſolutionem omnis qui credit in Chriſtum, habet. Ita enim Ioannes ait c. 3.36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Quod ſi vitam æternam habet: profectò liber eſt obligatione mortis æternæ.

44. Hæc ergo perpetua Eccleſiæ abſolutio, ſolo Chriſti merito nititur, quando videlicet, peccator confugit ad propitiatorium vnicum, Ieſum Chriſtum, iuxta illud: Iuſtificati illius gratia, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus ἱλαστήριον per fidem in eius ſanguine.

45. Hæc noſtra aſſertio de perpetua Eccleſiæ abſolutione, nequaquam conuellit abſolutionem Eccleſiaſticam, quam vtilem diſciplinæ partem in Eccleſia iudicamus. De qua ſuo loco diſputabimus.

VI.

PROMISSIO REparationis.

Vbi, quando, à quo, in quem, cui facta.

1. PROMISSIO reparationis & ſalutis per Chriſtum conſequendæ, voce Dei proponitur, Geneſ. 3.15. Inimicitias ponam inter te (alloquitur Dominus ſerpentem) & ipſam mulierem, & inter ſemen tuum, & ſemen eius, ipſum conteret tibi caput, & tu mordebis calcaneum eius. Hoc eſt, Chriſtus Filius virginis deſtruet opera tua, & te victo, liberabit ſuos à ditione tua, & tu more ſerpentum, qui inſidioſè aggrediuntur & mordent incautos, inſidiaberis ei, & mala quæcunque poteris inferes.

Partes 8. huius promiſſionis.

2. Hanc promiſſionem Adam altius perpendens, multiplicem in ſe continere doctrinam haud obſcurè intellexit, cuius ſingulas partes abſque dubio per totam vitam piè & prudenter mediatus eſt.

3. Intellexit enim hinc, duo regna eſſe, eáque potentiſſima, nempe Chriſti & Satanæ, longè diuerſiſſimis ſtudiis occupata.

4. Intellexit Chriſti regnum & Satanæ ſibi inuicem aduerſari, ita vt nulla vnquam inter ea ſtabiliri poſſit conſenſio.

5. Intellexit fore maxima certamina inter iſta regna, nec prius à certamine quietem futuram eſſe, quam Chriſtus victor, regnum Satanæ penitus aboleret.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

6. Intellexit perpetuam Eccleſiæ in hoc mundo perſecutionem, à Satana & eius membris imminere.

7. Intellexit Diabolum callidè inſidiaturum eſſe Eccleſiæ, cum in doctrina, tum in moribus, vnde & ſcandala varia, & perturbationes & cædes orirentur.

8. Intellexit quod quemadmodum Satan regnaturus eſſet per peccatum, maledictionem & mortem: ita Chriſtus ſuum regnum eſſet adminiſtraturus per Remiſſionem peccatorum, Benedictionem & Vitam.

9. Intellexit tandē futuram glorioſam victoriam Eccleſiæ, vt nullas amplius à Satana timeret inſidias, abolitio extremo hoſtium morte.

10. Intellexit huius reparationis promiſſionem fide amplectendam & retinendam eſſe, qua fide iuſtificatus homo, Deo verum cultum præſtaret, certa fiducia promiſſam ſalutem expectans

Externo Symbolo confirmata.

11. Vt autem huius promiſſionis memoria maneret firmior, & ad poſteritatē Adæ perueniret: addidit Dominus ſuo verbo externum Symbolum, ſacrificandi ritum.

12. Semper enim ab ipſis mundi initiis, hunc ritum in homine inſtituendo ſeruauit Deus. Primùm, verbis illi animum voluntatémque ſuam aperuit. Deinde, quo clarius id exprimeret, quod erat verbis ac oratione complexus, Symbola quædam adiecit, quorum vſu atque conſuetudine, in eius verbi exercitatione verſaretur homo.

13. Sacrificiorum itaque crebra iteratione inculcabatur promiſſio, vnde fides, in promiſſum humani generis reparatorem Chriſtum accendebatur, alebatur, & conſeruabatur.

A vera Eccleſia (cuius Abel imago eſt) intelligitur & recipitur.

14. Tametſi autem ſtatim orta eſt contentio, inter liberos Adami, de ſacrificiis & cultu Dei: Abel tamen verbum promiſſionis rectè intellectum retinuit: cum Cain contra, oblitus promiſſionis, ſolummodo ſuum factum admiratus eſt, & magnifecit. Atque ita ſe Satanæ imperio ſubiecit ac fratrem innocentem occidit.

15. Abel, ciuis regni Chriſti fidelis, aſpiciens ſuam victimam, eámque cruentam, admonebatur ſui reatus. (ſanguis enim Symbolum reatus fuit) admonebatur promiſſionis factæ ſuo patri, de ſemine, quod futurum erat victima pro peccato. Hanc promiſſionem fide amplectens, iuſtificatur & regeneratur Abel, atque ita Deo verum cultum ex fide præſtitit.

16. Ad eundem modum ſancti Patriarchæ, Seth, Enos, Enoch & alij ante Diluuium, promiſſionem de Meſſia, Verbis & Symbolis conſeruarunt & propagarunt.

Promiſſionis repetitio.

17. Poſt diluuium, multiplicatis hominibus, & late ſparſis per orbem, iterum ſuam promiſſionem inculcat Dominus, dum promittit benedictionem in ſemine Abrahæ, quam promiſſionem Abraham fide recipiens, iuſtus coram Deo reputatus eſt, iuxta dictum: credidit Abraham Deo, & imputatum eſt illi ad iuſtitiam. Gen. 15.6.

Noua confirmatio.

18. Huic promiſſioni, non nouo ſenſu, ſed noua verborum forma, propoſitæ, adiecit Dominus externum ſigillum, Circumciſionem, qua iuſtitia fidei, patri noſtro Abrahamo obſignata fuit. Ro. 4.11.

19. Retinuit ergo Abraham olim inſtitutum ſacrificandi ritum, quo admonebatur promiſſionis primis parentibus factæ, cum nouo Symbolo, quod iteratæ promiſſionis teſtimonium fuit.

20. Hanc promiſſionem, cum ſuo externo ſigillo, retinuerunt poſteri Abrahæ, vſque ad promiſſionem complementum.

21. Porrò, conſtituta certa & peculiari populi Dei politiá, plura ſacrificiorum genera ſunt addita, inter quæ Agnus Phaſe, & ſanguis Teſtamenti, præcipua fuerunt: cum, vt populus Dei iſtis adminiculis retineretur in cultu Dei, tum, vt vmbræ quædam extarent veritatis in Chriſto Ieſu exhibendæ.

22. Huc illud Ioannis: Lex per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.

23. Vt enim Moſes iram & maledictionem mōſtrauit, & vmbras quaſdam futurorum bonorum exhibuit: ita Chriſtus gratiam & fauorem Dei adferens, compleuit in veritate, quod vmbræ obſcurius præfigurabant.

24. Nam poſtquam venit plenitudo temporis, emiſit Deus filium ſuum natum ex muliere, factum ſub Lege: vt eos qui ſub Lege erant redimeret, vtq; adoptionem filiorum acciperemus.

25. Hîc ergo verus Meſſias, Deus & homo, promiſſiònem compleuit. In cuius rei memoriam & certitudinem, duo inſtituit huius rei teſtimonia, Baptiſmum & cœnam Dominicam.

26. Cæterum ſolenne præconium manifeſtati Chriſti, in quo promiſſiones olim Patribus factæ, ac ſæpius per Prophetas inculcatæ, aptiſſimo & dulciſſimo vocabulo, Euangelium, Apoſtoli appellarunt.

27. Etſi autem hoc vocabulum, prius fuit apud Scriptores prophanos in vſu, ſignificans quemuis felicem, optatum, & fauſtum nuncium: tamen hanc generalem ſignificationem κατ' ἐξοχὴν Apoſtoli aptiſſimè accommodarunt ad præconium manifeſtati Chriſti, qui vitam & ſalutem gratis offert, & credentibus eandem donat, & obſignat.

28. Hic proinde gratiæ, reconciliationis, ſalutis, & vitæ nuncius, quod nihil homines ob peccata ſua maledicti & damnati, felicius, optatius & fauſtius audire poſſunt, rectiſſimè Euangelium dicitur.

Simile.

29. Quemadmodum enim latronibus, propter ſua latrocinia adiudicatis rotæ, acerbiſſimo & maximè probroſo ſupplicij generi, nihil lætius, nihil iucundius, nihil denique optatius contingere poteſt, quam vt à ſententia damnatoria liberati, iam gloria Regia, & libertate gaudeant: ita hominibus reis iræ æternæ, maledictioníſque ob ſua peccata, quid melius, quid felicius, quid optatius, quā audire ſe à damnationis ſententia abſolutos, inter Filios Dei cenſeri & eſſe?

30. Hinc illud apud Lucam 24.46. Domini dictum: Sic ſcriptum eſt: & ſic oportuit pati Chriſtum, & reſurgere ex mortuis tertia die, & proclamari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, coram omnibus Gentibus.

Euangelij definitio.

31. Hæc breuis Chriſti concio clariſſimam Euangelij definitionem ſuppeditat, nimirum quod Euangelium ſit vniuerſalis prædicatio pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum in nomine Chriſti.

32. Huc & illud vltimum Chriſti mandatum ad Apoſtolos: Marc. 16.15. Euntes in mundum vniuerſum proclamate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui vero non crediderit, condemnabitur.

33. In hoc Chriſti mandato, primum indicatur, quam late pateant beneficia Chriſti, nempe, ad mundum vniuerſum, non ad peculiares quaſdam in mundo nationes. Deinde ſignificatur, quomodo eadem beneficia offerantur: nempe, per prædicationem Euangelij. Proclamate, inquit, Euangelium. Tum oſtenditur quibus offerantur, cum ait: Omni creaturæ: qua voce ſignificat, quod nemo morta-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mortalium ſit excluſus à Chriſti beneficiis, ſi modo ſibiipſi non defuerit. Poſtremò indicatur quomodo oblata beneficia accipiantur, & quomodo reiiciantur. Vt enim ſola fide recipiuntur: ita diffidentia reiiciuntur.

34. Ex his omnibus quæ dicta ſunt, ſimul conſideratis, vt nobis ſit gratior & dulcior hic nuncius ſalutaris, pleniorem quandam deſcriptionem Euangelij colligemus, eámque in ſuas partes retexemus.

Plena Euangelij deſcriptio.

35. Euangelium eſt doctrina diuinitus reuelata, in qua annuntiatur liberatio à maledictione Legis, ab ira Dei, à morte æterna, & proclamatur remiſſio peccatorum, pax & reconciliatio cum Deo, ſalus & vita æterna, omnibus credentibus in Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: ídque propter eiuſdem victimam, ſine meritis noſtris, ſecundum promiſſionem olim Patribus factam: vt perpetuò gloria bonitatis Dei prædicetur, vtque porrò dignos Euangelio fructus edant per Chriſtum liberati, tandemque vita fruantur æterna.

Partes 1. diſcrimẽ Legis & Euãgelij.

36. Hæc deſcriptio primum diſcernit inter Legem & Euangelium. Lex peccatum oſtendit: Euangelium gratiam. Lex morbum indicat: Euangelium remedium. Lex mortis miniſtra eſt: Euangelium vitæ. Lex iuſtitiam hominis requirit, cum interminatione damnationis, ſi quis Legis iuſtitiam non habuerit: Euangelium iuſtitia aliena credentes ornat, & à damnatoria Legis ſententia iuſtificatum fide abſoluit.

37. Vt ergo in lege proclamatur ira Dei, peccati virtus, maledictio & mors: ita in Euangelio annunciatur pax cum Deo, peccati abſolutio, benedictio, vita æterna: ídque gratis abſque omnibus humanis meritis & oper bus.

38. Hinc Paulus Coloſſ. 1. 13. Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum Filij dilecti ſui, in quo habemus redemptionem, per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum. Per remiſſionem peccatorum intelligendum eſt, quicquid cum ea, ex gratia Dei, coniunctum eſt, vt iuſtitia, redemptio, ſalus, vita, pax.

2. A quib. Euãgeliũ recipiatur.

39. Quoniam autem magna pars mundi ruit præceps in damnationem, ob ſua ſcelera, & Euangelij contemptum: deſcriptio noſtra duo genera hominum indicat, quorum alij credunt Euangelio, alij Euangeliũ contemnunt. Vt enim illi ſaluantur: ita hi iuſtè damnantur, vt qui noluerunt ſalutem gratis oblatam accipere.

40. Hinc Apoſtolus Romanorum 1. 16. Euangelium eſt potentia Dei in ſalutem omni credenti. Credenti enim imputatur fides in iuſtitiam, hoc eſt, Qui credit, iuſtitiæ Chriſti imputatione iuſtus coram Deo reputatur. At non credentem maledictionis ſententia ad æterna ſupplicia obligat.

41. Non ergo operantis meritum: ſed credentis donum eſt iuſtificatio & ſalus. Vt enim ei qui operatur non imputatur merces ex gratia, ſed datur ex debito: ita non operanti, ſed credenti in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides eius ad iuſtitiam, Rom. 4. 4. 5.

3. Quomodo.

42. Qualis autem fides illa ſit, quæ beneficia Chriſti per Euangelium oblata, recipiat, Paulus, propoſito Abrahami exemplo docet: ac ſumma huc redit, quod fides ſit fiducia promiſſæ ſalutis propter Chriſtum.

43. Vt enim Chriſtus pro peccato noſtro ſatiſfecit, factus pro nobis peccatum: ita ſummam obedientiam, ne Legis damnemur ſententia, nobis donat: vt, non ſolum liberati à peccato, verum etiam Chriſti iuſtitia ornati, appareamus in cõſpectũ Dei iuſti.

4. Imagines & exẽpla.

44. Hæc Euangelica gratia multis, & parabolis, & exemplis paſſim in Scripturis pingitur: vt in ſeruo debitore 10000. talentorum: in duobus Debitoribus, & Peccatrice, in Paulo, Cornelio, Dauide, & multis aliis.

45. Hæ imagines & exempla, Vt gratuitum eſſe docent beneficium redemptionis: ita qualeſnam oporteat eos eſſe, qui Euangelio credunt, & iuſtificati fide ſunt, clarè oſtendunt.

46. Seruò debitori condonauit Dominus ex mera miſericordia totum debitum, quod ſoluendo non erat: Sed eundem durum in conſeruos, ad pœnas reuocat. Peccatrix fide iuſta, non deſinit officioſa erga Chriſtum eſſe.

5. Euangelij fide amplexi teſtimonia.

46. Nam tametſi ſine operibus & meritis noſtris, gratia iuſtificationis & ſalus contingit: tamen à gratia hac, donatio Spiritus Sancti, & regeneratio ſeparari non poſſunt. Nam Regeneratio inſeparabile iuſtificationis accidens eſt.

Errores circa doctrinã de reparatione hominis lapſi.

47. Quapropter duo genera hominum hic impingunt, Iuſticiarij & Epicurej. Illi quidem, propterea quod ex operibus merita ſalutis, & cauſſas iuſtificationis faciunt. Hi vero, quia de gratuita iuſtificatione & ſalute gloriantes, ſe omni turpitudini proſtituunt, & cupiditatum carnis ſe ſeruos conſtituunt.

48. Vterque error peſtilens eſt, & confutatur finibus aduentus Chriſti in mundum, & Euangelij. Nam vt Chriſtus venit in mundum, vt deſtruat opera Diaboli: quod ſanè facit, vincendo Diabolum, expiando peccatum, infundendo gratiam, & conſummando opus redemptionis, quod futurum eſt in reſurrectione: ita finis Euãgelij prædicati eſt, vt glorificemus Deum; vt fructus fidei edamus, vt vincamus mundum, vt tanquam ſacerdotes noui, induamus iuſtitiam & ſanctitatem, & ſeruiamus Deo omnibus diebus vitæ noſtræ, hoſtias gratas Deo per Chriſtum offerentes.

49. Quam ſit huiuſmodi obedientia in renatis neceſſaria, tota Scriptura docet: omnium Sanctorum exempla comprobant: natura fidei euincit: energia Spiritus, quo impelluntur fideles, atteſtatur: gratia adoptionis indicat. Breuiter, Regni Chriſti ratio oſtendit.

VII.

MEDIATOR.

Tria conſideranda.

1. HIc tria ordine exponenda ſunt. I. Cur neceſſe fuerit Mediatorem Dei & hominem eſſe Deum. II. Cur oportuerit eundem eſſe hominem. III. Quod, & cur ſit vna perſona in duabus naturis ſubſiſtens.

1. Mediatorẽ Deũ eſſe oportuit.

2. Quod neceſſe fuerit Mediatorem eſſe Deum, duæ grauiſſimæ ſunt cauſſæ: videlicet, Magnitudo mali, quo premebatur natura humana; & impotentia ſeu infirmitas creaturæ, ad reſtituenda bona, quæ per peccatum amiſſa erant.

Prima cauſa, cuius partes ſunt.

3. Magnitudo mali cernitur in quatuor potiſſimum: videlicet, in Peccati grauitate, in iræ diuinæ iuſtitia, in potentia mortis, & in Diaboli tyrannide crudeliſſima.

4. Peccati grauitas maior eſt, quam vt eius onus ſuſtinere poſſit finita potentia, qualis eſt angelorum & hominum. Nam cùm infinitus reatus ſit,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

propter infinitum bonum offenſum, videlicet Deũ, cuius Maieſtas læſa erat per peccatum primorum parentum: neceſſe fuit vt hoc peccatum, aut infinitis pœnis puniretur, iuxta normam iuſtitiæ Diuinæ, aut pro eo ſatisfieret iuſtitiæ Diuinæ. Verùm quia hæc ſatisfactio debuit eſſe pretium infinitæ bonitatis, & æquiualens, non potuit ab vlla, imò ne ab omnibus creaturis ſimul, fieri, Quare neceſſe fuit expiatorem peccati Deum eſſe. Solus enim Deus, vt eſt infinitus: ita ſolus infinitum malum ſuperare, aboleréque potuit.

Iræ diuinæ iuſtitia.

5. Iræ diuinæ iuſtitia proportionem vindictę ad offenſam poſtulabat. Cùm ergo offenſa erat infinita: fuit & ira infinita, quam pura creatura ſuſtinere, placeréque non potuit. Quare neceſſe fuit, vt Mediator, qui iram Dei placaret, Deus eſſet. De hac ira loquitur Paulus, Rom. 1.18. Reuelatur ira Dei de cœlo, ſuper impietatem omnium hominum. Quod autem hæc tolli non poſſit ſine Mediatore, docet hoc dictum Baptiſtæ apud Ioannem 3.36. Qui non credit in Filium: ira Dei manet ſuper eum. Quod autem hæc ira Dei ſit immenſa & infinita propter peccatum: (in quo concurrunt hæc mala, contemptus Maieſtatis diuinæ, ſuperba contumacia aduerſus legem Dei, indigna imaginis Dei, ad quam conditus erat homo, cõſpurcatio, imitatio Satanæ hoſtis Dei, defectio à caſtris Dei ad Diabolũ, & intolerabilis ingratitudo, &c.) cognoſcitur ex pœna primorum Parentum, ex pœna ſecuta in omnibus poſteris Adæ: ex comminationibus diuinis: ex calamitatibus, quibus premitur humanum genus: ex tyrãnide Diaboli in homines: ex ſignis iræ Dei in cœlo, in terra, in mari: ex magnitudine æternarum pœnarum, quas luent, qui nõ conuertuntur. Denique ex pretio infinito, ſoluto pro redemptione pœnæ peccati. Quis hîc non videt impoſſibile fuiſſe iram Dei tolli, niſi per Mediatorem, cuius eſſet infinita potentia?

Potentia mortis.

6. Potentia mortis maior fuit quàm vt ab vlla creatura ſuperari potuit: adeo quod Plinius dixerit, ſed falsò, ne Deo quidem poſſibile eſſe mortuum excitare. Nunc autem cùm munus præcipuum et Mediatoris, deſtruere mortem: neceſſe fuit, vt potentia Diuina polleret, qua vt vitã conferre, ita mortem abolere poſſet. Non eſt enim apud illum, vt Angelus ait, impoſſibile omne verbum.

Tyrannis Diaboli.

7. Tyrannis Diaboli crudeliſſima, ſub qua captiuum tenebatur genus humanum propter peccatum, etiam erat opprimenda à Mediatore. Quam autem hoc fuerit impoſſibile humanæ Naturæ, Hiſtoria mundi, cum omnium hominum experientia, teſtatur. Quare neceſſe fuit Mediatorem eſſe Deum, qui tyrannidem Diaboli ſua opprimeret potentia. Hinc perſpicuum eſt, quod ad magnitudinem mali, quo premebatur genus humanum, tollendam requirebatur, vt Mediator eſſet Deus.

8. Hîc iuxta cogitetur magnitudo amoris in æterno Patre & Filio & Spiritu Sancto, erga genus humanum. Pater Filio ſuo non pepercit: ſed voluit eum ſubiici pœnis, vt nos ab æternis pœnis liberaret. Filius volens & obediens Patri, factus eſt victima, reatum peccati in ſe deriuans. Spiritus Sanctus ipſe vult in cordibus reconciliatorum habitare, & motus diuinæ voluntati congruentes in iis accendere. Hæc in nobis excitabunt fidem, inuocationem & gratitudinem erga Deum: & munient animos noſtros aduerſus terrores mortis, aduerſus Diaboli tyrannidem, &c.

Secunda cauſa in qua Chri

9. Secunda cauſa cur oportuit Mediatorem eſſe Deum, eſt impotentia & infirmitas creaturæ, ad reſtituenda bona, quæ per peccatum amiſimus. Etſi autem vna voce imaginis Dei, hæc bona comprehenduntur: tamen plura ad eius reparationem neceſſario requiruntur: quæ Paulus enumerat, 1. Cor. 1.30. Cùm ait: Chriſtus natus eſt nobis à Deo Sapiẽtia, Iuſtitia, Sanctificatio, & Redemptio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Hęc quatuor bonorum genera nulla creatura aut finita potentia reſtituere hominibus potuit, quemadmodum de ſingulis ordine videbimus.

Sapientia.

10. Primùm itaque ſapientiam debuit Mediator reſtituere, non qualis eſt mundi, quæ certis terminis clauditur, ſed quæ abſcondita eſt à principibus ſeculi huius. Quæ ſanè ſapientia à Zacharia Luc. 1. 77. definitur eſſe ſapientia ſalutis, in remiſſionem peccatorum per viſcera miſericordiæ Dei noſtri. De hac ſapientia loquitur Ioannes, cum ait, Deũ nemo vidit vnquam, ſed Filius, qui eſt in ſinu Patris ipſe enarrauit nobis. Ioan. 1.18.

11. An non Ioannes Baptiſta miſſus eſt, Zacharia teſte, ad dandam hanc ſapientiam? An non per Angelos & Prophetas potuiſſet Deus hominibus hanc reuelare ſapientiam? Aliud eſt declarare ſapientiam ſeu docere, vt miniſtri, aliud eſt eſſe ſapientiã, hoc eſt, efficaciter præſtare, vt corda hominum percipiant ſalutarẽ ſapientiam. Vox quidem hominis ferit aures corporis: At Filius Dei, qui eſt ipſa Dei ſapientia, animum replet hominis ſapientia ſalutari. Nam tum demum verbum Prophetarum fructum adfert, quando Verbum Deus cor aperit, & inſtillat veræ ſapientiæ ſemina. Quod ſanè, non eſt creaturæ vllius, ſed Creatoris ſolius. Ex quo ſequitur oportuiſſe Mediatorem eſſe Deum.

Iuſtitia quæ duplex.

12. Secundo loco, oportuit Mediatorem iuſtitiam reſtituere. Nam ſine perfecta iuſtitia nemo poteſt in conſpectum Dei prodire. Verùm perfectam iuſtitiam, quæ ſufficiat omnibus, nemo poteſt conferre, niſi Deus. Siquidem duo requiruntur, vt homo ſit perfectè iuſtus coram Deo: quorum primum eſt liberari ab iniuſtitia & peccato, quæ mala in mũdum homines ſecum adferunt. Alterum, donari & ornari plena legis diuinæ (quæ eſt menſura iuſtitiæ, quæ coram Deo valet) obedientia. Neutrum horum præſtitiſſet Mediator niſi Deus eſſet.

13. De priori ſupra diximus, vbi oſtendimus enormitatem peccati, & iuſtitiam iræ diuinæ. De altero, quod eſt donari & ornari iuſtitia quæ ſatisfaciat legi Dei, manifeſtum eſt quod nullius creaturæ iuſtitia, cum ſit finita, poſſit ſufficere infinitis hominibus in ſalutẽ, quod ſanè in Mediatore requiritur. Si quidem, vt ſufficiẽti expiationis victima pro peccatis ſatisfacere, atque adeo omnem reatum tollere: ita obedientia ſua erga Legem, omnes iuſtos coram Deo ſiſtere, qui in ipſum credunt, debuit. Ita enim Paulus ait, 2. Cor. 5.21. Eum qui non nouit peccatũ, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. Talem proinde Mediatoris iuſtitiam, hoc eſt infinitam eſſe oportuit: vt infinitis hominibus ſufficeret. Quare neceſſe erat, vt Mediator noſter ſit ver⁹ De⁹.

Sanctificatio quæ eſt duplex.

14. Sanctificatio tertio loco ſequitur, quam Mediator adferre debuit, quod ſanè cùm nulla creatura præſtare potuit, Deum oportuit eſſe Mediatorem. Siquidem ſolius Dei eſt, dare Spiritum ſanctificatorem, ſine quo, ne inchoari quidem, nedum conſummari potuit ſanctificatio noſtri.

15. Porrò, cum ſanctificatio opponitur peccato, & in peccato ſunt duo, videlicet, Formale, vt reatus, & Materiale, vt vitioſę qualitates & actiones: duplex erit ſanctificatio. Vna quæ opponitur reatui, quæ eſt expiatio peccati per Chriſti ſanguinem: Altera oppo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

opponitur vitioſis qualitatibus & actionibus, quæ eſt ſegregatio hominis à profanitate Gentium, per mortificationem carnis: & coniunctio eiuſdem hominis cum Deo, per viuificationem Spiritus.

16 Hæc ſanctificatio vocatur etiam à Paulo Philip.3.3. Circumciſio ſpiritualis. Nos, inquit, circumciſio ſumus, qui ſpiritu Deum colimus, & in Chriſto gloriamur, & non in carne confidimus. Proinde circumciſio ſpiritualis eſt amputatio fiduciæ carnis, cui ſuccedit gloriatio in Chriſto, & purus colendi Deũ affectus. Atque hæc reuera eſt ſanctificatio illa, quã Deus & homo, Mediator noſter adfert.

Redẽptio

17 Redemtio, quam poſtremo loco collocat Paulus, 1. Requirit perpetuam præſentiam Mediatoris in Eccleſia, late per mundum ſparſa. Sed quis poteſt, ſimul & ſemper in tot locis pręſens eſſe, niſi ſit Deus? 2. Requirit cuſtodiã Eccleſiæ, videlicet, vt Mediator ſit cuſtos, non ſolum Eccleſiæ totius, verum etiam ſingulorum membrorum, aduerſus infinitas technas Diabolorum & hominum, quod ſane diuinæ potentiæ eſſe, manifeſtum eſt. 3. Requirit vt Mediator inſpiciat corda, ne fallatur externa hypocritarum larua. Iam autem, cùm ſolius Dei ſit intueri corda hominum, & intimos affectuum receſſus contemplari, & hoc Mediatoris eſt officium: certe oportuit Mediatorem eſſe Deum. 4. Requirit, vt vbique audiat gemitus ſe inuocantium, & in Spiritu & veritate precantes exaudiat: quod ſanè ſolius diuinæ virtutis eſt. 5. Requirit, vt in extremo die exſuſcitet mortuos, vt prodeant ex terræ puluere omnes homines, inde vſque ab Adam ad vltimum. Sed quid ad tantum opus valent omnium creaturarum vires? Sanè, omnes angeli & omnes homines ſuis viribus, ne vnum excitarent mortuum, nedum omnes, idque in ictu oculi. 6. Requirit, vt Mediator conferat reſſuſcitatis, qui in vera fide obierint, æternam vitam, perpetuam gloriam, & conformitatem cum Deo. Sed quantum hoc opus ſuperat creaturarum vires, nemo non videt, niſi qui & mente & ſenſu caret. Cùm igitur Mediatoris ſit, tantis bonis Eccleſiam ſuam ornare, quæ conferre nemo poteſt, niſi ſit Deus, profecto neceſſe fuit Mediatorem Deum eſſe.

18 Breuiter, vt omnia vno verbo concludam, Si Mediator Deus non eſſet, ſaluator non eſſet, ſed potius ſaluatore indigeret. Et Ioannes Caſſianus: *Audi loquentem ad paſtores de Dei ortu, angelum Dei: Natus eſt, inquit, hodie vobis ſaluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid: Ne ſolum vtique in Chriſto hominem intelligeres, & Domini & Saluatoris nomen adiecit, Scilicet, vt quem ſaluatorem eſſe cognoſceres, Deum nequaquam eſſe dubitares. Et cum ſaluandi virtus non niſi diuinæ competeret poteſtati, diuinæ eſſe eum potentiæ, non ambigeres, in quo potentiam ſaluandi eſſe didiciſſes.*

II. Mediatorem oportuit eſſe hominem.

19 Hactenus cur neceſſe fuerit Mediatorem eſſe Deum, dictum eſt. Nunc ſecundo loco, vt propoſuimus, dicendum erit, cur oportuerit eundem eſſe hominem. Et poſſunt quatuor cauſſæ ex Scripturis apte numerari, quæ ſunt 1. Iuſticia Dei. 2. Reſtitutio imaginis Dei amiſſæ per peccatum. 3. Adoptationis ratio. 4. Reſurrectionis certitudo.

Iuſticia Dei illud requirebat.

20 Iuſticia Dei requirebat, vt inobedientia commiſſa in carne noſtra, in eadem ſarciretur. Congruebat enim ordini diuinæ iuſticiæ, vt cum genus humanum primùm peccaſſet in vno Adamo, aliquis in humano genere à peccato immunis, pœnam ſolueret; quæ eſſet pretium pro cæteris. Ideo ergo Dominus noſter aſſumpſit humanam naturam & homo factus eſt, veluti perſonam ipſius Adæ referens: (cuius etiam nomen illi tribuitur) vt pœnam peccati in carne, in qua admiſſum fuerat, perſolueret. Ideo Paulus ait 3. Rom.5. 17. Si vnius delicto mors regnauit per vnum, (ſcilicet Adam) multo magis abundantiam gratiæ, donationis & iuſticiæ accipientes in vita regnabunt, per vnum Ieſum Chriſtum. Item: Sicut per inobedientiam vnius multi conſtituti ſunt peccatores: ita per obedientiam vnius multi conſtituentur iuſti. Item: Quia per hominem mors, per hominem etiam reſurrectio mortuorum. Item ad Heb.2.14. Quoniam pueri ſunt participes carnis & ſanguinis, ipſe quoque conſimiliter factus eſt particeps carnis & ſanguinis, vt per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperium, hoc eſt, Diabolum. Huc & illud Irenæi dictum: *Oportebat eum, qui inciperet occidere peccatum, & mortis reum redimere hominem, id ipſum fieri, quod erat ille, id eſt, hominem*: Et Auguſtinus: *Caro occæcauerat te, caro te ſanat: quoniam ſic venit Chriſtus, vt de carne vitia carnis reſtingueret.*

Reſtitutio imaginis Dei.

21 Reſtitutio imaginis Dei, ad quam homo fuit conditus, fieri debuit per naturalem imaginem Dei. Vnde Athanaſius: *Congruebat Filium aſſumere humanam naturam, vt hac perſona, quæ eſt ſubſtantialis imago Patris, reſtitueret imaginem Dei in nobis.*

Adoptionis noſtrę ratio.

22 Adoptionis noſtræ ratio idem poſtulabat. Ideò enim venit filius Dei, aſſumta humana natura: vt nos filios Dei faceret. Voluit ergo nobis naturæ ſocietate iungi, & frater noſter fieri: vt nos ipſius membra effecti, filij Dei fieremus. Nã ideo filij Dei ſumus, quia in Chriſto, qui eſt naturalis filius Dei, ſumus per fidem. In hoc enim ſolo dilecti ſumus, & filij. In hanc ſententiam loquitur Irenæus: *Filiorum*, inquit, *adoptionis eius non participes poſſemus eſſe, niſi per Filium eam quæ eſt ad ipſum, recepiſſemus ab eo communionem, niſi verbũ eius communicaſſet nobis, caro factũ.*

Reſurrectionis certitudo.

23 Reſurrectionis noſtrę certitudo, vis & efficacia in hoc ſita eſt, quod Mediator noſter ſit homo. Vnica enim ſpes & certitudo, quã de reſurrectione corporum habemus, eſt, quod Chriſtus Mediator noſter, carnem noſtram aſſumpſerit. Nam caro, quam nunc corruptioni obnoxiam circumferimus, iam ſuſcitata eſt in Chriſto vt in primitijs, & in poſſeſſionem regni cœlorum ingreſſa, ibique immortalis eſt facta. Virtute igitur ſocietatis, quã habemus cum Chriſto, excitabimur in extremo die, & donabimur, etiam ſecundum carnem immortalitate. Hiſce quatuor rationibus demõſtratur, ſummè neceſſarium fuiſſe Mediatorem Dei & hominũ, verum hominem eſſe.

III. Cur mediatorem oportuerit eſſe vnã perſonã.

24 Tertio loco propoſuimus, quod Mediator qui eſt Deus & homo, ſit vna perſona, & cur hoc fuerit neceſſarium. Quod ſit vna perſona Mediator noſter, hæc dicta confirmant; Et verbum caro factum eſt. Quo dicto ſignificatur vnio diuinæ & humanæ naturæ, & non confuſio, aut mutatio. Nã factum eſt, refertur ad cõpoſitionẽ ſeu vnionẽ extremorum, ſcilicet Verbi & carnis, & non ad extrema compoſitionis. Dicitur enim Verbum factum non abſolute, ſed reſpectu carnis aſſumtæ. Ad Rom.1. Filius Dei natus eſt ex ſemine Dauid, ſecundũ carnem, & declaratus eſt Filius Dei per potentiam. Ad Rom.9. Ex quibus eſt Chriſtus ſecundum carnem, Qui eſt ſuper omnia benedictus in ſecula.

25 In his dictis Pauli, Secũdũ, eſt diſtinctiua particula, qua diſtinguũtur naturæ vnius & eiuſdẽ perſonæ. Luc.1. Quod ex te naſcetur Sãctum, Filius Dei vocabitur ad Galat.4. Poſtquã venit plenitudo temporis, miſit Deus Filiũ ſuum natũ ex muliere. Philipp.2. Dedit ei nomen, quod eſt ſuper omne nomẽ, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, & omnis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

lingua confiteatur quod Dominus ſit IeſusChriſtus ad gloriam ſui Patris.

26 Hæc dicta teſtantur quod Chriſtus ſit vna perſona, in qua ſunt duæ naturæ, non mutatæ aut confuſæ, ſed perſonaliter vnitæ.

27 Quod autem ex Damaſceno & Gregorio Nyſſeno adfertur de deificata natura humana, dextrè accipiendum eſt. Dicitur enim natura humana deificata, non quidem per conuerſionem ipſius in diuinam: ſed per coniunctionem humanæ naturæ ad diuinam in vnam hypoſtaſin.

Rationes vnionis hypoſtaticæ.

28 Quod autem neceſſarium fuerit, vt Mediator eſſet vna perſona, & non duæ, vt ſunt diſtinctæ naturæ, hæ ſunt rationes.

1. Vt Deũ & homines coniungeret.

29 Prima, Mediator noſter Deus & homo vnà perſona eſſe debuit, vt Deum & homines vnum faceret. Iungitur ergo Patri vera diuinitate, & homini vera humanitate, vt ita vtroſque copulet.

2. Vt vtrique (Deo & homini) adhæreret.

30 Secunda, Mediator inter partes diſſidẽtes nihil efficiet, ſi vni adhæret, & ab altera diſſidet. Quare oportuit vt Mediator quadam neceſſitate vtrique parti iunctus ſit. Deo ergo, qui offenſus erat peccato noſtro, vera diuinitate eſt iunctus Mediator noſter. Homini autem vera humanitate ſociatus eſt, vt poſſet coniungere aduerſas partes, ſocietate quã habuit cum vtriſque: iuxta illud Irenæi lib. 3. cap. 20. vbi agit de cauſſis cur verbum Dei caro fieret. *Oportuerat*, inquit, *Mediatorẽ Dei & hominum propter ſuam ad vtroſque cognationem in amicitiam & concordiam vtroſque reducere, & facere vt Deus aſſumeret hominem, & homo ſe dederet Deo.* Et Theodoretus, *Quemadmodum qui duos quoſpiam, manus inter ſe conſerentes, vult reconciliare, ſe medium interponens, & hunc quidem dextra, illum verò ſiniſtra tenens ad amicitiam deducit & coniungit, ita ipſe cum diuinam naturam humanæ vniiſſet, inuiolabilem, & quæ diſſolui non poteſt, pacem conciliauit.*

3. Vt poſſet & mori & vitã æternam conferre.

31 Tertia, Si non eſſet Mediator vna perſona, opera redẽptionis in humana natura peracta, nequaquam eſſent ſuffiiciẽs pretium pro peccato, quo infinitum bonum eſt offenſum. Mors ſiquidem debebatur pro peccato. Verùm, purus Deus mortem ſentire non potuit, nec ſolus homo ſuperare potuit: factus eſt ergo Deus homo: vt homo & Deus, & deberet & poſſet ſatisfacere pro morte æterna humano generi debita.

32 Aſſumſit proinde æternus Dei filius humanam naturam in vnionem perſonalem, vt opera in humana natura peracta, infinitæ eſſent virtutis & meriti. Siquidem ex indiuidua naturæ diuinæ & humanæ, in vna perſona, vnione, eſt dignitas infinita, perfectio abſolutiſſima, & inæſtimabile pretium ſanguinis, mortis, atque adeo omnium actionum & paſſionum Chriſti, in ſanctiſſima eius humanitate. Inde eſt potentia & virtus delendæ iniquitatis, & poteſtas remittendi peccata, iuſtificandi, viuificandi, & ſaluandi credentes.

Cur paſſio toti perſonæ tribuitur.

33 Etſi autem Chriſtus in ſola carne paſſus eſt: tamen Paſſio perſonæ tribuitur: propter illã arctiſſimam duarum naturarum vnionem in vna perſona. Atque hoc vult Cyrillus, cum ait: Quoniam corpus, quod proprium eius factum eſt, paſſum eſt, propterea Verbum ipſum pro nobis paſſum dicitur. Atque hinc eſt quod omnia in Chriſto habeantur diuina, immenſa, inæſtimabilia & ſaluifica opera, & beneficia redemptionis.

VIII.
COMMVNICATIO idiomatum.

1 IDiomata in Chriſti perſona ſunt proprietates, quibus naturæ, videlicet diuina & humana, & integræ ſaluæque manent, & diſtinguntur vna ab altera.

2 Eſt enim idioma quod vni naturæ ita propriũ eſt, vt non ſit alterius reipſa.

3 Diuerſæ igitur cum ſint naturæ: diuerſa habeant idiomata eſſentialia, neceſſe eſt.

4 Neque ex perſonæ vnitate confundenda, ſed ex naturarum diuerſitate diſtinguenda ſunt in vno Chriſto idiomata.

5 Saluis igitur naturis diuerſis, maneant idiomata diſtincta: & idiomatis confuſis, confundantur etiam naturæ, neceſſe eſt.

6 Cum ergo hæc enunciatio: Deitas eſt humanitas: ſit abſurda & falſa (diuerſiſſimæ enim ſunt naturæ) fieri non poteſt, vt ea quæ ſunt huius propria, illi attribuantur, ſine errore & confuſione naturarum.

7 His ita poſitis, diſtinctius idiomata naturarum Chriſti explicemus.

8 Idiomata ergo diuinæ naturæ ſunt duplicia. Quædam enim ſunt ἀκοινώνητα id eſt, incommunicabilia, quæ reipſa non communicantur, hoc eſt, neque induntur creaturis, neque creaturæ aliquas proprietates inde mutuantur. Qualia ſunt hæc: eſſe æternum, eſſe immenſum, eſſe infinitum, eſſe incircumſcriptum, per ſe exiſtere.

9 Nihil enim præter ſolum Deum eſt æternum, eſt immenſum, eſt infinitum, eſt ἀπερίγραπτον, per ſe exiſtens.

10 Quædam ſunt κοινωνητὰ, id eſt, communicabilia, quæ tametſi vt ſunt, ita manẽt quoque vnius Deitatis propria, alioqui communia effecta, non amplius idiomata dici poſſent.

11 Nam τὸ κοινὸν & ἰδίωμα ita opponuntur, vt nec alterum alteri, nec ambo tertio alicui, propriè & reipſa tribui poſsint.

12 Huius generis ſunt exiſtere, ſapientem eſſe, bonum eſſe, purum eſſe, ſanctum eſſe, potentem eſſe, &c.

13 Hæc enim etſi reipſa ſunt Dei propria: tamen vſus & virtutis reſpectu, item qualitatis ac ſimilitudinis cuiuſdam tenuis ratione, communicari dicuntur: quam ob rem etiam κοινωνητὰ appellantur. Vt cùm dicitur: homo exiſtit: homo eſt beatus: virgo eſt pura: qui credidit eſt ſanctus: Rex eſt potens.

14 Hæc attributa, etſi Dei re ipſa ſunt idiomata: tamen Deus bonus & amans ſuæ creaturæ, radios quoſdam harum ſuarum proprietatum communicat creaturis.

15 Idiomata humanæ naturæ Chriſti ſunt in triplici diſcrimine: quædam enim ſunt temporaria: quædam perpetua: quædam poſt reſurrectionem & triumphum Chriſti acceſsere.

16 Tẽporaria idiomata humanæ naturæ Chriſti fuerunt infirmitatis: atque ideo durarunt ſolũmodo vſque ad mortem: vt fatigari, eſurire, dormire, triſtari, lacerari, angi, & multa huius generis. Hæc omnia cum morte depoſuit, ea enim ad tempus aſſumpſerat, vt nobis ſimilis per omnia excepto peccato, inueniretur.

17 Pertinebant igitur iſta ad tempus exinanitionis, qua Filius exinaniuit ſeipſum vſque ad mortem crucis.

18 Non

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

18 Non quod Diuinitas ſui ipſius reſpectu, & ſeorſim ſit exinanita, ſed quatenus carni ſeſe vniuit. Non enim vt in naturam humanā participatio gloriæ, ita diminutionis ignominia in diuinam cadit naturam.

Perpetua.

19 Perpetua idiomata naturæ humanæ ſunt, quibus ſublatis naturā humanā ſimul tolli neceſſe eſt.

20 Fieri enim non poteſt vt vlla res ſine ſuis eſſentialibus proprietatibus conſiſtat. Sunt enim eſſentiales proprietates, quæ eſſentiam ipſam ſeu naturam conſtituunt.

21 Huius generis ſunt, occupare certum locū, ſecundum Petrum Apoſtolū. Act.3.21. περίγραπτον eſſe ſecundum Nazianzenum & Iuſtinum, *Loco teneri, ſecundum veri corporis modum*, vt Auguſt. loquitur. *In certo ſpacio eſſe, & finitum eſſe*, ſecundum Vigilium. Breuiter tota pia antiquitas cum vniuerſæ ſcripturæ conſenſu, veritatem humanę naturæ in Chriſto agnoſcit & confitetur.

1 Poſt reſurrectionem.

22 Idiomata humanæ naturæ poſt reſurrectionem, præter illa, quæ perpetua eſſe cum tota Scriptura & puriori antiquitate diximus, ſunt omnia, quæ coniuncta ſunt cum conſeſſu eius ad dexterā Patris: videlicet quod Chriſtus depoſita omni infirmitate, in eum gloriæ gradū ſit euectus, quo ſupra omne nomen, vt Paulus loquitur, id eſt, dignitatem & eminentiam, emineat, carne ipſius iam planè à Deitate, σωματικῶς in ea inhabitante glorificata, non in ſua eſſentia, neque in proprietatibus eſſentialibus abſorpta, quod ſanè non eſſet glorificari, ſed aboleri potius humanam naturam. Atque hoc eſt quod Iuſtinus ait: *Corpus Chriſti particeps factum eſt, non naturæ Deitatis, ſed diuinæ dignitatis.*

Vbiquitas refutatur.

23 Quod autem quidam humanam naturā Chriſti, poſt reſurrectionem, ita maieſtate Deificatā eſſe contendunt, quod ſuas proprietates eſſentiales non retineat, manifeſta refutantur Scriptura.

24 Scriptura enim vtriuſque meminit: videlicet, maieſtatis & loci, ſeu ſitus carnis Chriſti poſt aſcenſionem. Ita enim autor Epiſtolæ ad Hebræos ait: Sedet ad dexteram Maieſtatis in excelſis. Heb.1.3.

25 Si ergo quæris, quid acciderit Chriſto poſt aſcenſionem? reſpondet: Sedet ad dexteram Maieſtatis. Si vlterius quæris, vbinā ſedet? reſpondet, in excelſis, hoc eſt, vt Paulus ad Eph.4.10. interpretatur, ſupra omnes cœlos.

26 Verùm ſi obieceris, omnia eſſe plena Maieſtate gloriæ Chriſti. Reſpondeo, Sit anathema, qui vel aliud ſentit, vel dicit.

27 Diſcernendum interea eſt, inter Maieſtatem ſimpliciter, & thronum Maieſtatis, quē in cœlo eſſe Scriptura pronunciat: Heb.8.1. Qui conſedit ad dexteram throni Maieſtatis in cœlis. Huc facit illud Auguſtini, tractatu.50. in Iohannem. *Quoniam verū eſt quod ait: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi, & abijt: & hic eſt: & rediyt: & nos non deſeruit. Corpus enim ſuum intulit cœlo, Maieſtatem non abſtulit mundo.* Et Cyprianus lib.6. cap.14. *Hic animaduertendum eſt, quod etſi corporis ſui præſentiam hinc ſubduxerit. Maieſtate tamen diuinitatis ſemper adeſt, ſicut ipſe a diſcipulis abiturus pollicetur: Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi.*

28 Hoc ipſum de veritate humanæ naturæ Chriſti, docet modus aduentus Chriſti ad iudicium. Veniet, (ait ipſe Filius hominis) in gloria ſua, & omnes ſancti Angeli eius cum eo, & ſedebit ſuper thronū gloriæ ſuæ. Item, Videbitis filium hominis ſedentem ad dexteram potentiæ Dei, & venientem in nubibus cœli. In hac maieſtatis gloria ſedens, ſtatuet oues quidem à dextris ſuis, hœdos verò à ſiniſtris. Nō ergo gloria maieſtatis tollit localitatē aut circūſcriptionē carnis Chriſti, ſicut impur' Eutyc. docuit.

29 Qui localitatem & circumſcriptionem carnis Chriſti exiſtimant nō poſſe ſtare cum Vnione perſonali, ſed ſeparari Diuinitatem à carne, craſſiſſimè impingunt, ſomniantes infinitatem finitā eſſe. Neque neceſſe eſt, ea quę vnita ſunt, ęque omnibus partibus patere.

30 Teneatur ergo hoc Antiquitatis teſtimoniū, quod eſt apud Damaſcenum, libr.3. de fide capi. 7. *Deitas eſt incircumſcripta, non coextenſa carne eius cū incircumſcripta eius diuinitate.*

31 Quamuis itaque non ſecundum vtramque naturam: tamē ſecundum inſeparabilem perſonæ vnitatem, totus pręſens eſt.

32 Retineamus ergo conſtanter articulos fidei noſtrę, de vero Chriſti aſcenſu in cœlum: & de reditu eiuſdem ad iudicium, iuxta teſtimonium angelorum Act.1.11. Hic Ieſus, qui aſſumtus eſt à vobis in cœlum, Sic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.

De communicatione proprietatū nomina multiplicia.

33 Iam veniamus ad κοινωνίαν ἰδιωμάτων, id eſt, cōmunicationem proprietatum. Verùm priuſquam eam definiemus, nominum quorundam, quorum noticia ad huius myſterij declarationem neceſſaria videtur, diſcrimen tenendum eſt, quod eſt quintuplex.

1. Quædā ſunt naturę propria.

34 Primum, Quædam ſunt naturarum propria: vt Deitas, humanitas, caro, diuinitas, diuina natura, humana natura.

35 Hęc enim ſolummodo naturas declarant, niſi quod carnis nomen interdum concretè accipiatur per Synecdochen, vt in illo dicto Iohannis: Verbū caro factum eſt.

36 De his tenenda eſt regula: Quæ natura diſtincta ſunt, eorum quoque idiomata & actiones diſtingui oportet.

37 Cum ergo Deitas, ſeu natura diuina, ita diſtincta ſit ab humana natura, vt nunquā poſſit eſſe, aut fieri humanitas, ſeu humana natura: ſequitur idiomata & actiones harū diſtinctarū naturarum minimè confundi aut alienari poſſe, niſi ſimul cōfundantur naturæ, quæ tamen inconfuſe vnitæ ſunt.

2. Quædā propria perſonę in natura diuina.

38 Secundum, Quædam ſunt propria perſonæ in natura diuina ab omni æternitate, quibus Filius à Patre & Spiritu ſancto diſtinguitur, vt Filius Dei, imago Dei, Deus de Deo, lumen de lumine. Item Λόγος, οὐ ῥητὸς ἀλλ' οὐσιώδης.

3. Quædā cōmunia huic perſonę.

39 Tertium, Quædam ſunt communia perſonę Chriſti cū Patre & Spiritu ſancto ab æterno: vt eſſe omnipotentem, æternum, increatum, infinitum, immenſum, incircumſcriptum, quæ æqualitatem, coæternitatem & identitatem naturæ docent.

4. Quædā ſūt officij Chriſti θεανθρώπου.

40 Quartum, Quædā ſunt officij perſonæ Chriſti in duabus naturis ſubſiſtentis. Etſi enim hic perſona tota agens eſt: tamen media actionum ſunt naturæ ipſæ, quæ ſuis proprietatibus agunt & perficiunt opus redemptionis, quod eſt totius perſonæ Chriſti Dei & hominis.

5. Quædā cōmunia naturis & perſonæ Chriſti.

41 Quintum, Quædam ſunt communia naturis Chriſti & perſonę, ab incarnationis tempore: videlicet, & ea quæ ſunt ſecundi & tertij ordinis, quę diximus ab æterno Chriſto conuenire, & ea quæ homini facto ex tempore attribuuntur: vt Deus, Λόγος, Filius Dei, Dominus gloriæ, Homo, Filius hominis, Filius Dauidis, Semen mulieris.

42 Hæc, quia concreta ſunt, naturas cum ſubiecto ſignificant.

43 In his ſolis concretis locū habet κοινωνία ἰδιωμάτων. Obtinent enim concreta compoſitū ſignifican-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

di modum vt abſtracta ſimplicẽ. Etſi aliâs denominationem capit perſona à diuina natura, aliâs ab humana: tamen ſemper perſona vna ſignificatur.

44 Hoc diſcrimine nominum, quæ tribuuntur Chriſto, obſeruato, facilius erit iudicare de communicatione idiomatum, quę locum habet, vt diximus, ſolummodo in concretis, quibus perſona ſignificatur, vt abſtractis naturæ.

Error Vbiquitariorum.

45 Communicatio igitur idiomatum non ſic dicitur reſpectu idiomatum inter ſeſe, vt nonnulli putant, quaſi hæc communicatio aut eſſet effuſio proprietatum vnius naturæ in aliam, aut mutua idiomatum confuſio. Nam ſi ita eſſet: & illa, quæ effunderet ſuas proprietates, aboleretur: & ea quæ reciperet, alia fieret quam erat antea. Atque ita Chriſtus nec Deus nec homo eſſet, conflatis ſcilicet duabus naturis in vnam tertiam compoſitam.

46 Sed hæc communicatio idiomatũ dicitur reſpectu perſonæ, de qua promiſcuè prædicãtur idiomata, vndecunque perſona denominationem accipiat, hoc eſt, ſiue à diuina ſiue ab humana natura.

Communicatio proprietatum quid ſit.

47 Proinde communicatio idiomatum, eſt talis prædicatio, in qua proprietates vnius naturæ tribuuntur non alteri naturæ, ſed perſonæ denominatæ ab altera natura, propter vnionem duarum naturarum in vna eademque perſona.

48 Sed, vt clarius forte dicatur, Communicatio idiomatum, eſt communis prædicatio idiomatũ de perſona, vndecunque denominetur, ſiue à deitate, ſiue ab humanitate.

Prædicationes veræ & reales, in cõcreto.

49 Hinc rectè dicitur: Deus eſt homo, Deus eſt crucifixus, Deus acquiſiuit ſibi Eccleſiã ſuo ſanguine, Deus eſt mortuus, Deus reſurrexit. Et cõtra: Hic homo eſt Deus, Hic homo condidit cœlum & terram, Hic homo eſt vbique. Hic homo ſaluat, ſuſcitat mortuos, dat vitam æternam.

50 Hic enim Hominis nomine intelligitur perſona, quæ eſt Deus & homo, etſi denominationem capit à natura humana.

51 Hæ ergo prædicationes veriſſimæ ſunt, quia ſubiecta in his propoſitionibus ſunt concreta, quibus duo ſignificantur, videlicet, perſona & naturæ. Proinde perſonæ reſpectu veræ ſunt iſtæ enunciationes: Siquidem perſona illa, vna & eadem, eſt & Deus, & homo.

52 Si quæris, qualiſnã ſit hæc prædicatio? recte reſponderi poteſt, quod ſit realis. Nam ſi ea prędicatio eſt realis, cum id ineſt vere in ſubiecto, & reipſa quod de eo prædicatur: non video cur hæc prædicatio idiomatum de perſona, realis dici non poſſit. Eſt enim reuera in perſona, & Diuina & humana natura, cum ſuis eſſentialibus proprietatibus.

53. Verùm ſi hanc prædicationem verbalẽ dixeris, in multa abſurdiſſima incurres. Negabis perſonæ in duabus naturis ſubſiſtentis vnitatem. Negabis manere ſaluas duas naturas in vna perſona. Negabis concreta habere compoſitum ſignificãdi modum, hoc eſt, ſua ſignificatione complecti, & rem, & ſubiectum, in quo res illa eſt, quæ principaliter nomine concreti ſignificatur.

Caro Chriſti an deificata.

54 Cum ergo Patres, inter quos ſunt Iuſtinus, Damaſcenus, & Gregorius Nyſſenus, dicunt, carnẽ Chriſti deificatam eſſe, accipiẽdum eſt dextre, iuxta piorum doctorum in Eccleſia interpretationem.

55 Non enim dicitur caro Chriſti deificata, eo quòd ſit conuerſa natura humana in diuinam, aut quod ſit facta ipſa diuinitas: ſed quia coniuncta eſt humana natura ad diuinam, in vnionem perſonalẽ: & quod ſit facta Dei caro.

56 Vt enim natura diuina non poteſt in aliud conuerti, quoniam eſt incorruptibilis: ita nec aliud in eam conuerti poteſt, eo quod ſit ingenerabilis.

57 Ad hanc quæſtionẽ Iuſtinus reſpondens ait: Μένει μὲν τὸ σῶμα, σῶμα, εἴπερ ϗ σῶμα θεοῦ, μετείληφε δὲ θείας ἀξίας, ϗ φύσεως.

58 Neque tamẽ exiſtimandũ eſt, quod hæc deificatio, pertineat ad communicationem idiomatũ duarum naturarum, quæ eſt alternata, vt declarauimus, proprietatũ vtriuſque naturæ de perſona, prædicatio. Sed ad excellentiam vnius naturæ, nempe humanæ in perſona Chriſti, qua humana natura antecellit omnibus creaturis, ſapientia, bonitate, puritate, ſanctitate, potentia, maieſtate, & gloria.

59 Et tametſi hęc excellẽtia, manat à natura diuina in humanam, propter vnionem perſonalem, quemadmodum Nazianzenus indicat hiſce verbis: τὸ μὲν ἐθέωσε, τὸ δὲ ἐθεώθη. Tamẽ ab vnione illa omnino diſtinguenda eſt, ne vel cũ Neſtorio, faciamus Chriſtum, diuinum hominem, atque ita imprudentes cõſtituamus duos Filios, vnum Dei, alterum virginis, hoc eſt, duas perſonas, vt ſunt duæ naturæ: vel, cum Eutychete, ſomniemus vnam naturã ex duabus cõpoſitam, vt eſt vna perſona.

60 Hæc omnia incommoda facilè cauebimus ſi accuratè, quemadmodũ iam oſtenſum eſt, diſtinguamus inter hæc tria, videlicet: Vnionem perſonalẽ, Communicationem idiomatum, & Donorũ, quib' eſt ornata humana Chriſti natura, collationem, quã à patribus deificationem dici oſtendimus.

61 Sed quid efficit illa κοινωνία ἰδιωμάτων? Primum contra Neſtorium, vnitatem perſonæ, in duabus naturis ſubſiſtentis confirmat. Nam niſi vna eademq; perſona eſſet De' & homo, abſurdiſſima eſſet alternata illa idiomatum prædicatio. Cum igitur Chriſtus dicit, Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo: manifeſtè ex communicatione idiomatis diuinæ naturæ, quod tribuit Filio hominis, ſignificat eundem eſſe Deum & hominem, vnam videlicet perſonam, in duabus naturis ſubſiſtentem.

62 Denique hæc communicatio idiomatum, docet precium actionum Mediatoris in humana natura infinitum eſſe, quia perſona vna eademque, quæ eſt Deus & homo, eſt agens, adeo vt omnes actiones, ſiue mediante humana natura, ſiue diuina, ſint & dicantur, Perſonæ actiones.

63 Hinc eſt illud dictum Lyrani, Luc. 11. *A Chriſto prouenit gratia & gloria, principaliter ratione deitatis, & inſtrumentaliter ratione humanitatis, quæ eſt organum coniunctum ipſius deitati.*

64 Caro igitur Chriſti viuifica eſt, quia eſt caro eius perſonæ, quæ eſt Deus. Obediẽtia hominis Chriſti eſt noſtra iuſticia, quia eſt obedientia eius perſonæ, quæ eſt Deus. Paſſio Chriſti in æternũ eſt efficax ad ſanctificandũ credentes, quia eſt Paſſio perſonæ, quæ eſt Deus. Oratio Chriſti omnibus prodeſt, quia eſt oratio perſonæ quæ eſt Deus. Ad hũc modum iudicandum eſt, de omnibus alijs actionibus Mediatoris.

65 Tametſi enim quædã actiones à diuina natura propriè proficiſcuntur, & quædam ab humana natura fiunt: tamẽ omnes æqualiter dignitatem accipiunt à perſona, quæ cum Deus & homo ſit, alia agit diuina, alia humana natura.

IX.
CHRISTVS SACERDOS.

DE Filio Dei, rege & pontifice noſtro, quatuor tenere pios oportet. 1. Quod ſit verus Deus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Deus. 2. Quod ſit verus homo. 3. Quod admiranda ſit coniunctio duarum naturarũ, Diuinæ & humanæ, in vnionem perſonalem. 4. Quodnam ſit perſonæ officium, quæque eius beneficia erga Eccleſiam.

I. Chriſtũ eſſe verũ Deũ proteſtantur

2 Pontificem noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum eſſe quintuplicia teſtimonia conuincunt, quorum authoritas tanta eſſe debet piis, vt nec à Diabolis, nec ab hominibus, ſibi aliud perſuaderi permittant. Quincunque enim hic impingit, gratia Dei & ſalute excidit.

Prophetę & Apoſtoli.

3 *Primum* teſtimonium, eſt ipſa vox Prophetarũ & Apoſtolorum, qui Chriſtum verum Deum pronunciant. Pſal. 68. 5. ait de Chriſto: Iehoua nomen illi, Exultate in conſpectu eius. Et 1. Ioan. 5. 20. Et ſumus in Filio eius Ieſu Chriſto, Hic eſt verus Deus & vita æterna. Huiuſmodi Prophetarum, & Apoſtolorum pronunciata, ſunt pene infinita.

Cultus.

4 *Sundum*, eſt cultus Chriſto mediatori noſtro exhibendus. Nam, cùm vniuerſa Scriptura veteris & noui Teſtamenti præcipit inuocare Chriſtũ, Et ſancti Prophetæ & Apoſtoli, cũ tota Eccleſia, Chriſtum adorant, nemini dubium eſſe poteſt, Chriſtum eſſe verum Deum. Creaturam enim inuocare, abominandá idololatria eſt voce Dei damnata.

Opera diuina.

5 *Tertium*, Opera Chriſti, teſtantur veram chriſti diuinitatem. Cum enim ſolus Deus creet, viuificet, exaudiat, ſaluet, & hæc opera Chriſto rectè tribuantur: ſequitur, eum natura Deum eſſe.

Confeſſio Eccleſię.

6 *Quartum*, Confeſſio puræ & Catholicæ Eccleſiæ, quæ in Symbolis, Apoſtolico, Athanaſiano, & Ambroſiano, apertiſſimis verbis Filiúm Dei vnũ cũ Patre Deũ, in vera & æterna diuinitate, agnóſcit.

Munus mediatoris.

7 *Quintum*, eſt munus Mediatoris, quod puræ creaturæ nullo modo conuenit, quemadmodũ paulo poſt declarabimus.

8 Hæc teſtimonia, vt veram notitiam diuinitatis Chriſti adſtruunt: ita fidem piorum confirmant, qua ſtatuunt Chriſtum omnipotentem eſſe, ideoque poſſe credentibus omnia quæ promittit in ſuo verbo præſtare. Etiamſi tota rerum vniuerſitas contradicere videatur.

II. Chriſtus eſt verus homo.

9 Secundum, quod tenendum dixi de chriſto Mediatore, eſt, quod ſit verus homo de virgine matre natus, quę virgo recte à ſanctis Patribus θεοτόκος dicta eſt. Nam Filius, quem genuit, ſecundum carnẽ verum hominem, eſt etiam verus & æternus Deus.

10 Hinc fides piorum, de chriſti affectu erga ſe, alitur. Nam qui adeo ſe humiliauit, vt ſe coniungeret naturæ ſocietate cum homine, abſque omni dubio humanis ærumnis & calamitatibus afficitur, vt cis adſit, qui in ſe viua fiducia recumbunt, & ſpiritu ei ſocientur.

III. Vnio perſonalis.

11 Tertium, quod tenere oportet, eſt Vnio perſonalis, nimirum, quod Diuina & humana natura ita copulatæ ſeu potius vnitæ ſint in vnionẽ hypoſtaticam, vt & de eodẽ rectè dixeris: Hic eſt verus Deus, hic eſt homo verus: & quæ ſunt diuinæ naturæ, verè tribuantur homini propter vnionem perſonalem. Vt enim piè dixeris: Deus eſt crucifixus: ita Catholice pronunciaueris: Homo Ieſus cœlum & terram condidit. Ideo enim prædicata commutantur, quia eſt vnum ὑφιςάμενον.

De cõmunicatione proprietatum.

12 Hanc cõmutationem prædicatorum vocarunt ſancti Patres cõmunicationẽ idiomatum, videlicet quia idiomata, hoc eſt, proprietates vnius naturæ, alteri communicentur & tribuantur in concreto.

13 Diuinæ naturæ idiomata ſunt, eſſe omnipotentem, eſſe creatorem, eſſe ſcrutatorem cordium: rurſus idiomata humanæ ſunt naturæ, edere, bibere, fatigari, triſtari, pati, mori, reſurgere.

14 Verùm hæc idiomata naturarum, cõmunicantur hoc modo: Filius Mariæ eſt omnipotens: eſt ſcrutator cordium: Deus edit, bibit, fatigatus eſt, triſtatus eſt, crucifixus, mortuus eſt: Verbum factum eſt caro: nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo.

15 Hæ commutationes proprietatum ideo verę ſunt, quia naturæ, Diuina & humana, vnione perſonali ſunt vnitæ, vt non quemadmodum ſunt duæ naturæ, ſint quoque duæ perſonæ, ſed vna duntaxat.

16 Hinc fit, quod multa tribuantur Chriſto, ſub appellatione diuinitatis, quæ ad humanitem pertinent & rurſus, multa ſub appellatione humanæ naturæ, quæ propria ſunt diuinæ naturæ. Et ſæpe, quæ non ſunt, vel huius, vel illius naturæ, ſed perſonæ, tribuantur perſonæ iam ſub appellatione Hominis, iã ſub appellatione Dei.

17 Cum enim dicitur Deus edit, bibit, fatigatur, moritur: rectè quidem dicitur: quia ea perſona quæ edit, bibit, fatigatur, moritur, eſt Deus. Item quando dico: Homo eſt omnipotens, creator, ſcrutator cordium: verè dicitur: quia ea perſona quæ eſt omnipotens, creatrix, ſcrutatrix cordium, eſt verus homo. Similiter: Semen mulieris conteret caput ſerpentis: & Iehoua eſt iuſtificator noſter, vbi Perſonæ, illic quidem ſub appellatione humanę naturę, hîc verò ſub appellatione diuinæ naturæ tribuitur officium redemptionis, quod neque Diuinæ naturę, nec humanæ ſeorſim conuenit, ſed perſonæ. Quæcunq; enim ad officium redemptionis pertinent, nõ naturis ſeorſim, ſed perſonæ tribuenda ſunt. Hinc illæ locutiones, Chriſtus eſt mediator, paſtor, ſacerdos, redemptor, lux mũdi, via & veritas, reſurrectio, vita, &c.

18 Diſcernendæ ſunt igitur naturarum proprietates, proprietatum cõmunicationes, & appellationes officij, quæ ad totam perſonam referendæ ſunt.

19 Quare nec Stancarus recte facit, cum ea quæ perſonæ ſunt, ad naturam humanã refert. Nec Oſiãder, qui officium Mediatoris ſoli diuinitati aſcribit.

IIII De officio Chriſti Sacerdotis & mediatoris.

20 Sequitur quod quarto loco propoſuimus ſpectandum in Chriſto, nẽpe Officiũ perſonæ, eiuſque erga Eccleſiam beneficia, ad quod ſane Chriſtianæ religionis, caput, omnia quæ ſuperius dicta ſunt imo vniuerſa Scriptura referenda eſt.

21 Vt autem hanc partem explicatius proponamus, quæ ad Sacerdotium & Regnum Chriſti ſpectant, nobis ſunt excutienda. Quæ duo rectè explicata theſaurum beneficiorum Chriſti copioſiſſimũ nobis ponunt ob oculos.

22 Hæc breuiter ſignantur, nunc appellatione Paſtoris, nunc Sacerdotis, nunc Mediatoris, nunc Regis, quæ omnia, ſub Sacerdotis & Mediatoris voce, explicare libet: idq; iuxta rerum conſequentiam & ordinem.

Primùm conſideratur creatio & lapſus hominis.

23 Conditis cœlo & terra, reliquiſq; creaturis, Deus in medio principem poſuit hominem, quem ornarat ſua imagine, hoc eſt ſumma ſapientia, iuſtitia, ſanctitate & veritate, quam imaginẽ ſi retinuiſſet, æternum cum ſuis poſteris beatus vixiſſet, Datũ enim ei in certitudinem fuit Sacramentum immortalitatis, Arbor vitæ.

24 Verùm quia Dominus condiderat hominẽ ad certam obedientiam, adiecit præceptum, vt caueret à vetitę arboris fructu, cui præcepto probationis, Sacramentum addit, Arborem ſcientiæ boni & mali.

25 Huic hominis felicitati inuidẽs Sathan, hominẽ aggreditur, verbũ Dei calumniatur, malignè

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

pellicit hominem vt à Deo deficiat, verbum Dei, & eius Sacramentum pro ludibrio habeat.

26 Lapſus igitur homo contra Deum, reatu dãnationis obſtringitur, cum tota ſua poſteritate. Tales enim poſtea genuit, qualis ipſe iam fuit, hoc eſt miſer, peccator, damnatus, vt qui infinitum bonum offenderat, adeo vt nulla creatura eam offenſam mitigare potuerit. Requirebat enim iuſtitia Dei, vt æternas lueret pœnas, qui infinitum bonũ offenderat.

27 Poſtquã itaq; peccatores facti ſumus, reique mortis naturæ, propter peccatum: aut, æternum nobis fuit pereundum, aut, reconciliatio cum Deo offenſo, facta compenſatione iniuriæ, ineunda erat: alterutrum norma iuſtitiæ diuinæ efflagitabat.

Secundò, neceſſitas mediatoris.

28 Cum ergo reconciliatio, cum iniuriæ compenſatione, requirebatur: neceſſarius fuit Mediator, qui ſe inter hominem & Deum interponeret, Deum offenſum placaret, facta ſimul iniuriæ compenſatione.

29 Iam autem cùm maior eſſet ira Dei, quam vt eã ſuſtinere poſſet vlla creatura, & iuſtitia Dei requireret, vt, quẽadmodũ per vnũ hominẽ peccatum & damnatio in mundum intrauit: ita aliquis in humano genere capitali iudicio Dei ſatisfaceret: λόγος Dei æternus humanam aſſumſit naturam, vt fieret Mediator & Sacerdos, qui iram Dei placaret.

30 Huc pertinet prima promiſſio poſt lapſum Adæ, de Semine mulieris, quod contriturum erat caput Serpentis, quod ideo ſemini mulieris tribuitur, quia humanam naturam in vnionem hypoſtaticam æternus λόγος aſſumſit.

Tertiò, ratio Sacerdotij mediatoris. Hîc quinque cõſideranda.

31 Quoniam autem in huius Sacerdotis notitia & fide, noſtri reconciliatio cum Deo, atque adeo ſalus, eſt poſita, pio ſtudio, ſacerdotij Chriſti ratio quærenda eſt.

32 Plana igitur & perſpicua ratio ſacerdotij Chriſti, in quinq; horum capitum explicatione poſita eſt. Quorum primum eſt, vt ſciatur cõditio perſonæ. Deinde, vt eius officium cũ ſuis partibus perpendatur. Tum, vt mutui fœderis ratio teneatur. Præterea, quam diuturnũ ſit hoc fœdus. Poſtremo, quæ ſit applicationis ratio.

1. Cõditio perſonæ.

33 Conditio duplex conſideranda occurrit in perſona huius Sacerdotis, naturarum videlicet, & qualitatis.

34 Conditio naturarum eſt, quod hic Sacerdos ſit Deus & homo, vna perſona. Aliâs enim Mediator eſſe haud potuiſſet. Nam vt ſua Diuinitate, Patri ita nobis humanæ naturæ ſocietate, coniunctus eſt.

35 Huius coniunctionis cauſſas Irenæus explicans, in hunc modum ait: Oportebat Mediatorem Dei & hominum, propter οἰκειωσιν, in amicitiam & concordiam reducere, & facere, vt Deus reciperet hominem, & homo reſtitueretur Deo.

36 Ex hoc etiam concluditur, quod vnus eſſe debuerit Mediator ſiue Sacerdos, quemadmodum etiam Deus vnus eſt. Hinc Apoſtolus: vnus Deus, vnus etiam Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus. Nam cum is Mediator, caput erat futurus Eccleſiæ ſuæ, vnus vt eſſet neceſſe fuit.

37 Fœdè igitur errant, qui vel plures Mediatores inter Deum & homines docent, vel plura capita Eccleſiæ agnoſcúnt, quam vnicum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

38 Conditio qualitatis Sacerdotis Chriſti, ad Hebræos explicatur, quod ſit ſanctus, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis.

39 Huiuſmodi oportuit eſſe eum, qui peccatis hominum in ſe receptis, Legem condemnantem nos impleret, & eius capitali iudicio ſatisfaceret.

40 Iam officium cum ſuis partibus conſiderandum eſt. Officium quidẽ eſt, Reconciliare nos Deo, ſatisfacere Deo pro peccatis noſtris, ac nobis ſua merita applicare, vt ipſi, eius iuſtitia donati, iuſti in cõſpectu Dei appareamus. Partes vero numerantur, docere, orare, offerre. Iſta enim tria, ad complementum redemptionis per Mediatorem Chriſtum, referuntur.

41 Doctrina Mediatoris eſt, publicatio beneficij ipſius, nimirum quod velit recipere omnes pœnitentes, donare eos ſua iuſtitia, viuificare ad vitam æternam. Verbo, Spiritu ſancto, & Sacramentis, in hac vita regere.

42 Oratio eius eſt, qua intercedit pro genere humano, & petit nos recipi, propter ſua merita, quemadmodum in Euangelio precatur: Pro eis ſanctifico me ipſum, vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Ioan. 17. 19.

43 Oblatio Mediatoris, eſt eius paſſio quæ fuit & eſt ſacrificium propiciatorium, placans iram Dei, & ſatisfactorium pro culpa & pœna æterna.

44 In hac oblatione plura perpendenda occurrunt, ex quibus fides concipitur, fouetur, & alitur. 1. quod Sacerdos & ſacrificium ſimul, ſit ipſe Chriſtus. 2. quod Deo Patri obtulerit ſemetipſum, per æternum Spiritum. 3. quod pro humano genere reconciliando Patri cœleſti, ſacrificium ſuũ peregerit. 4. quod ſemel peracta victima, nunquam iteranda ſit: ſed maneat efficax in æternum. Nam vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificandos.

45 Porro quia Sacerdos, alicuius fœderis ſeu Teſtamenti ſponſor eſt & Mediator, qualenam ſit huius noſtri Mediatoris fœdus, ſcire oportet. Illud enim fundamentum fidei Chriſtianæ eſt.

46 Tametſi autem multa in hoc fœdere concurrunt, eius tamen præcipua membra ſunt, Obligatio mutua inter Deum & homines, & fœderis ſeu Teſtamenti confirmatio.

47 Obligatio ex parte Dei eſt, quod Deus promittat ſe propitium fore iniquitatibus noſtris, fore Deum noſtrum, ſcripturum leges ſuas in cordibus noſtris, adoptaturum nos in filios, donaturum nos Spiritu ſancto, ac tandem nos in glorioſum Chriſti regnum perpetuo poſſidendum introducturum.

48 Obligatio ex parte hominis eſt, quod homo ſe viciſſim cõmittat fidei Dei, credat in ipſum, expectet bona promiſſa, ac ipſi ſuam vitam approbare ſatagat. Chriſtus enim ſacrificatus, omnibus obtemperantibus ſibi factus eſt autor ſalutis.

49 Confirmatio fœderis huius effuſione ſanguinis Chriſti Mediatoris, ſancita eſt, in cuius rei teſtificationem & memoriam perpetuam, à Chriſto, in Eccleſia, duo Sacramenta ordinata ſunt, toti Eccleſiæ communia: nempe Baptiſmus, & ſacra Cœna corporis & ſanguinis Domini.

50 Durare præterea Chriſti ſacerdotis ſacrificium in æternum, Teſtimonio Patris de ipſo Typo, & Victimæ præſtantia, concluditur.

51 Teſtimonium Patris & promiſſio, eſt in Pſal. 110. 4. Iurauit Dominus, & nó pœnitebit eum, tu es Sacerdos æternus.

52 Typus durationem figurãs, eſt Melchiſedech. Nam ſecundum ordinem Melchiſedech eſt à Patre ſacerdos conſtitutus, qui neque initium dierum, neque vitæ finem habens, aſſimilatus eſt Filio Dei, manet Sacerdos in æternum.

53 Præſtantia victimæ eſt, quod ſemel ingreſſus Chriſtus in ſancta, ſatisfecerit pro omnibus mundi peccatis, inueneritque redemtionem perpetuo duraturam, & nunc appareat vultui Dei pro nobis.

54 Ap-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Applicationis Sacrificij ratio.

54 Applicatio ſacrificij Chriſti Mediatoris, fit per fidem. Sic enim Paulus ait: Quem Deus conſtituit Propitiatorē, per fidē in ſanguine eius. Rō.3.24.

55 Vt enim nobis ipſe Chriſtus ex mera gratia & φιλανθρωπία, ſua beneficia offert: ita nos viciſſim oblatam gratiam, cordis brachijs, hoc eſt, fide apprehendere, & tenere debemus.

56 Cum autem hanc gratiam, qua regeneramur in nouos homines, fide poſſidemus, in regales Sacerdotes, vnctione Spiritus conſecramur, vt iuſticia & ſanctitate induti, hoſtias offeramus Deo gratas, per chriſtum Mediatorem vnicum. Nam, vt ipſe noſtras conſcientias ab operibus mortuis emundat, ita nos viciſſim, excuſſo peccati iugo, Deo viuenti ſeruire debemus.

57 Nequaquam enim Filius Dei miſſus eſt, & aſſumpta humana natura factus eſt victima, vt iam omnibus furoribus opinionū & libidinum indulgeamus: imo ideo ingenti miſericordia nos liberauit, vt deleat peccatum & mortem; vt nos viuificet, ac ſibi aſſimilet, quemadmodum Paulus ait, Nos autem retecta facie gloriā Domini in ſpeculo intuemur, & in eandē imaginē trāſformamur, ex gloria in gloriā, tanquam ex Domini Spiritu. 2. Corinth. 3. 18.

58 Ex his, quæ hactenus fuſius, ſecūdum rerum conſequentiam, dicta ſunt, duas colligemus definitiones, quo res vniuerſa ſummatim comprehendi poſſit: Vnam Sacerdotis chriſti: Alteram, noui Teſtamenti, cuius ſponſor eſt chriſtus.

Sacerdotis ſeu Mediatoris Chriſti definitio.

59 Mediator itaque ſiue Sacerdos, eſt perſona vna, Deus & homo Ieſus chriſtus, mūdus & purus ab omni peccato, amans hominum, ex decreto Dei Patris proferens Euangelium, offerens ſeipſum ſemel pro hominibus & perſoluens λύτρον, & applicans ſua merita credentibus, in æternam redemtionem, pro quibus & interpellat apud Patrem.

Noui Teſtamenti definitio.

60 Nouum Teſtamentum eſt pactum Dei cum hominibus, ſancitū ſanguine chriſti, in quo, vt Deus promittit ſe ignoturum peccatis hominum, propter Filium & Mediatorem: ita homo viciſſim, fidei Dei ſe committit, credit in Deum, promittitque ipſi obedientiam, renunciatis Satana, Mundo & Peccato.

Errores.

61 Hæc doctrina de Mediatore, eſt ſumma ſapientia Eccleſiæ, quam non norunt, qui vel operibus hominem iuſtificari contendunt, vel ſanctos Mediatores inuocant, vel Papale ſacrificiū mundo trudunt, cum ſuo impuro canone, vel denique, qui vlli rei, principium, medium, conſummationem ſalutis attribuunt, præterquam ſoli Mediatori & eius victimæ.

Vſus & fructus huius ſacerdotij.

62 Etſi autem ex dictis conſtat, vnum eſſe ſummum Sacerdotem & Mediatorem Ieſum chriſtum: tamen ab hoc vno & vero pontifice, chriſtiani hanc dignitatem accipiunt, vt & Filij Dei fiant per adoptionem, & Sacerdotes per communicationem.

63 Per chriſtum enim pontificem habemus ius verbum Dei docendi, accipimus ius inuocādi, præterea poteſtatem offerēdi, ſed εὐχαριστικὸν ſacrificium, & non Expiatorium, quod ſolius Filij Dei eſt.

64 chriſtianorum autem ſacrificia ſunt, Spiritus contritus, ſacrificium iuſticiæ, ſacrificium laudis, hoſtia beneficentiæ & communionis, hoſtia rationalis propriorum corporum. Breuiter omnis obedientia & crux, cui viua in chriſtum fides prælucet.

GRADVS AD Conuerſionem.

Quæ præcedunt fidem viuā & ſalutarem.

1 PRiuſquam viua & ſalutaris fides, (qua fit cōuerſio) in corde hominis concipiatur & naſcatur, quatuor in homine præcedant neceſſe eſt.

2 *Primum*, eſt Peccati cognitio in mēte. *Secundum*, iuſtæ iræ Dei in peccatores, & meritæ damnationis in corde ſenſus. *Tertium*, μεταμέλεια, cum qua cruciatus in conſcientia, propter peccatum commiſſum, & propter pœnas imminentes ex iuſta ira Dei, coniunctus eſt. *Quartum*, Chriſti vera noticia & firma, in mente, ex Euangelij prædicatione, concepta.

3 Hæc quatuor ſunt veluti quatuor gradus, quibus gradatim conſcenditur ad veram & ſalutarem conuerſionem, quæ fit per fidem. De quibus ordine dicemus.

1. Peccati cognitio, ex Lege Dei, regula vitæ.

4 Primus itaque gradus eſt, Peccati cognitio. Hanc conſequitur homo ex Lege Dei: Per Legem, ait Paulus, eſt cognitio peccati. Rom. 7. 7.

5 Eſt enim Lex Dei, regula iuſtitiæ, quæ monſtrat, quid iuſtum, quid iniuſtum ſit, quid Deo placeat, quidque diſpliceat.

6 Hinc fit, vt quicquid ſit in nobis, vel fiat à nobis, non congruens cum regula, hoc eſt, cum Lege Dei, ſit peccatum, quo Deus horribiliter offenditur.

7 Ad hanc ergo regulam, vitam & actiones ſuas, interiores & exteriores, explorabit homo, & ex ea iudicabit de factis ſuis: peccátane ſint, an non.

Vſus Legis.

8 Verùm, ne quis errore fallatur in accommodatione & vſu huius regulæ, duo tenebit. Vnum, quod quicquid aduerſatur charitati Dei, & charitati proximi, prohibeatur Lege Dei, & pugnet cum regula iuſtitiæ: & contra, quicquid congruit cum charitate Dei & proximi, præcipiatur, tametſi expreſsè verbis Legis non videatur interdictum aut præceptum.

9 Nam Lex ex his duobus principiis concluditur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis: &, Diliges proximum tuum, ſicut teipſum.

De Legis impletione.

10 Alterum, quod tenendum eſt, eſt, quod Lex ſit ſpiritualis, vt quæ poſtulet puram, perpetuam, perfectam & ſpiritualem obedientiam, ex quo intelligere in promptu eſt, quod nullus homo natus iuxta Naturæ legem, valeat legem Dei implere.

11 Nam hominis natura & legis conditio, ita ſibi aduerſantur, vt nunquam in hac vita inter eas conuenire (vt deberet fieri) poſsit. In quod Paulus conqueritur, cum ait, Rom. 7. 14. Lex eſt ſpiritualis, ego autem carnalis, venditus ſub peccatum.

12 Hinc intelligimus oēs homines reos eſſe corā tribunali Dei, vt trāſgreſſores ipſius ſanctiſsimæ legis, & non poſſe ne incipere quidem, nedum præſtare vllā obedientiā, iuxta legis mentē, priuſquam regeniti fuerint, & facti noui homines per fidem.

2. Senſus iræ Dei.

13 Secundus gradus eſt ſenſus iræ Dei & iuſtæ dānationis, in corde hominis propter peccatum, quo reus eſt homo coram Deo.

14 Quoties enim homo cogitat ſuū peccatū, ſimul debet intueri iram Dei aduerſus ſe, & cogitare de pœna quam meruerat propter peccatum.

Creſcit.

15 Huius iræ Dei ſenſus in corde hominis propter cōmiſſa peccata, creſcit ex harum rerum cogitatione.

Cogitatione lapſus Adami.

16 Primùm, cogitandum de lege lata primis noſtris parentibus in Paradiſo videlicet, quando comederis de arbore iſta morte morieris. Hic Dominus toti Adamo minatur mortem, ſi legem latā violauerit, hoc eſt, minatur mortem non ſolum perſonæ Adami, verum etiam naturæ Adami, quam nos omnes habemus, qui nati ſumus ex Adam, iuxta cōmunem naſcendi legem. Atque ideo eiuſdem cuius & Adam condemnationis rei ſumus, qui ab eo originem traximus. Pſal. 51. 7. Paulus, Rom. 5. 18.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Maledictionis legi appoſitæ.

17 Deinde ſenſus iræ Dei & iuſtę noſtræ damnationis, creſcit ex cogitatione ſententiæ, quā Deus in monte Sina adiecit ſuæ legi, videlicet, maledictus omnis qui non permāſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis vt faciat ea.

18 Hęc maledictio venit ex iuſta ira Dei in omnes, & infert æternas pœnas omnibus iis, qui non per liberatorem Ieſum Chriſtum ex hac legis ſententia eximuntur.

Conſcientiæ accuſantis.

19 Tertiò, ſenſus iræ Dei & iuſtæ condēnationis hominis propter peccatum, creſcit ex Chirographo Dei in cordibus noſtris, quod Chirographum eſt conſcientia hominis, quæ teſtatur de damnatoria ſententia, primum in Paradyſo, deinde in lege propoſita.

20 De vtraque ſententia, videlicet, conſcientiæ & legis Dei loquitur Ioannes, 1. Ioan. 3. 20. Si, inquit, condemnet nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro qui nouit omnia.

21 Quoties ergo ſentimus cruciatum in cōſcientia noſtra propter peccatum, cogitabimus eſſe pœnam diuinam, & præmonitionem quandam æternarum pœnarum propter peccatum, niſi nobis per Chriſtum ſuccurratur.

Signorū iræ diuinæ.

22 Quartò, ſenſus iræ Dei, & iuſtæ noſtræ pœnæ, etiā creſcere debet ex ſignis iræ diuinæ, quę ſunt duplicia.

23 Quædam enim ſimul minātur puniuntque, vnde maxima ira Dei in peccatores intelligitur. Huius generis ſigna ſunt peſtis, annonæ caritas, fames, bellum, & variæ plagæ, quibus Deus vel integra regna, vel aliquos ſaltem homines aliis in admonitionem punit, in oſtenſionem futuri iudicij.

24 Quædam non ſtatim puniunt, ſed minantur, & imminētes pœnas quaſi prædicunt. De huiuſmodi ſignis minantibus multas habemus hiſtorias tum prophanas, tum ſacras.

25 Egeſippus ſigna cōminantia, quę præceſſerunt euerſionem Ieruſalem recitat. Chriſtus Dominus Matth. 24. enumerat ſigna præceſſura extremum diem, quibus ſubiungit hanc grauiſsimam admonitionem, videte ne quis vos ſeducat.

De ſignis minantibus, regulæ duæ.

26 De his tenendæ ſunt duæ regulæ. Prima, quicquid non fit vſitatè, etiamſi naturales cauſſas habeat, aliquid ſignificat.

27 Etſi ergo cometæ, inundationes aquarum, horrendæ & inuſitatæ tempeſtates, habent ſæpe naturales cauſas, quas Mathematici monſtrant: tamen experientia & hiſtoriæ docent, non ἄσημα eſſe quæ ita inuſitatè fiunt.

28 Altera regula. Signa minantia, annexam conditionem habent duplicem, videlicet iudicij ſeu pœnæ, ſi non reſipiſcimus ſignis admoniti: miſericordiæ, ſi vera pœnitentia confugimus ad Deum, petentes veniam.

29 Exemplum in Propheta Iona habemus illuſtre. Per hunc enim Deus minatur exitium Niniuitis, poſt quadrageſimum diem à tempore concionis Ionæ. Sed quid accidit? Audita hac comminatione, agnouere Niniuitæ ſuum peccatum, & iuſtam iram Dei, & conuerſi ſunt in vera pœnitentia ad Deum, petiuerunt veniam in planctu & ieiunio. Horum ergo pœnitentia motus Deus illis pepercit & nō puniuit iuxta comminationem Prophetæ.

30 Horum exemplum ſi hodie multæ gentes imitarentur, Deus etiam, miſericordiæ ſuæ memor, parceret iis, quibus iam variis & inuſitatis portentis minatur pœnas.

3. Dolor ob peccatum.

31 Tertius gradus, qui veram cōuerſionē quæ fit per fidem præcedit, eſt μεταμέλεια, dolor ob peccatum in conſcientia. Vt enim ſecundus eſt ſenſus iræ Dei, quo verè ſtatuimus Deum iraſci peccato: ita hic μεταμέλεια & dolor ob peccatum eſt, quo compungimur ob culpam noſtram, & vellemus nos nūquam peccaſſe & offendiſſe Deum, vnde concipitur in nobis per Spiritum ſanctum (qui ideo Spiritus timoris dicitur, Rō. 8.) dolor, odiū peccati, & fuga peccati.

32 Quod autem huiuſmodi μεταμέλεια & dolor in corde præcedat ſalutarē pœnitentiā, quę eſt conuerſio hominis ad Deum per fidem in Ieſum Chriſtum, pręter alia multa, ſequentia teſtimonia confirmant.

Teſtimonia.

33 Actor. 2. 37. poſtquam diſplicuiſſet Iudæis factum ſuum, & compūcti eſſent corde ob peccatum ſuum, quærunt: quid faciemus viri fratres? Reſpondet Petrus, μετανοήσατε, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum. Hic apertè vides quod & μεταμέλεια ſeu dolor ob peccatum præcedat μετάνοιαν, & quod prædicatio τῆς μετανοίας ſit propria Euangelij, & ſit conuerſio ad Deum per fidem in Ieſum Chriſtum, id quod verba hæc declarant: Baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſsionem peccatorum, hoc eſt, baptizemini vt habeatis teſtimonium Dei quod vobis conuerſis, id eſt credentibus in Chriſtum ſunt remiſſa peccata.

34 Matth. 21. 32. vos videntes οὐ μετεμελήθητε vt crederetis ei, id eſt, non μεταμελείᾳ ducti eſtis, vt conuerteremini ad Deum per ipſius prædicationem.

35 2. Corinth. 7. 10. etiam clariſsimè docet, quod dolor ob peccatum, ſeu contritio, præcedat ſalutarē pœnitentiam, id eſt conuerſionem. Dolor, inquit, ſecundum Deum operatur μετάνοιαν ſalutarem, hoc eſt, pręparat hominem vt ſe ad Deum conuertat per fidem, ne in ſuis peccatis pereat.

Odiū peccati vnde.

36 Porrò odiū & abominatio peccati ex eo venit. Primùm ſi cogites ſummā voluptatē Diaboli eſſe, videre hominē, qui eſt cōditus ad imaginē Dei potius ſe velle imitari, quam Deum, potius ſuam imaginē quā Dei geſtare. Deinde ſi cogites, quēadmodum ſupra diximus, quam horrendè peccatum Deum offendat, vt quod expellat Spiritum ſanctum de corde hominis, & faciat ex templo Dei habitaculum diaboli. Tertiò, ſi cogites quantū damnū tibi afferat peccatum, & quantū aliis noceat malo exēplo. Poſtremò, ſi vt par eſt, cogites, quàm turpe & abominabile ſit peccatum, quod caſtiſſimos Dei Angelos fugat. Hæc quatuor merito cor hominis ad dolorem propter peccatum, ad odium & fugam peccati, commouere deberent.

4. Chriſti vera cognitio.

37 Quartus gradus, qui viuam & ſalutarem fidem proximè præcedit, eſt Chriſti vera cognitio, quæ aliunde haberi nequit, quam ex prædicatione Euangelij, ſiquidem Euangelium docet, cur Chriſtus in mundum venerit, quis ſit, quid fecerit, & quomodo ſit affectus erga miſeros peccatores, qui ad ſe veniunt.

Cur Chriſtus venerit in mundum.

38 Venit in mundū miſſus à patre vt liberet miſeros peccatores à triſtiſsimo peccati onere: ita enim Ioannes ait: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi, Et ipſe dicit: Veni in mundum vocare peccatores ad pœnitentiam. Item, veni ſaluare quod perierat. Et Paulus ait: Certus eſt ſermo & omnium approbatione dignus quod Ieſus Chriſtus venit in mundum peccatores ſaluos facere.

Quis ſit.

39 Eſt verus Deus, qui poteſt q̃cquid vult, & vult quicquid ſuo verbo promittit: eſt verus homo aſſumpta in vnionem perſonalem noſtra natura, vt eam reddat participem diuinæ naturæ & gloriæ: eſt vna perſona Deus & homo, vt ſciamus omnia opera ipſius

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Quid fecerit in mundo.

ipſius eſſe infiniti pretij & æſtimationis.

40 Paſſus & mortuus eſt pro peccatis noſtris: impleuit Legem: vt ſua obedientia nobis imputata, iuſti habeamur coram Deo. Hic orat pro te apud æternum Patrem, vt omnis qui venit ad illum & credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Quomodo ſit affectus erga nos.

41 Denique ita affectus eſt erga quemlibet peccatorē, quod velit ipſum in gratiam recipere, quantumuis enormiter peccauerit: modo ad ipſum venire non recuſauerit. Venite, inquit, omnes qui laboratis & onerati eſtis, ego refocillabo vos.

42 Hunc ſuum affectum, in multis magnis peccatoribus conſpiciendum exhibuerat: vt in Magdalena, in latrone, & in multis aliis.

43 Breuiter, vt venit in mundum propter peccatores: ita reuera vult omnium peccatorū ſalutem: ſed per fidem, vt ipſe ait, Qui videt Filium (id eſt, agnoſcit Filium eſſe ſaluatorem mundi) & credit in illum, habebit vitam æternam, & ego ſuſcitabo illum in vltimo die.

44 Atque ita habemus, quid veram & ſalutarem fidem præcedat, antequam concipi & naſci poſſit in cordibus noſtris.

Vſus ſuperiorū graduum.

45 Ex tribus primis gradibus intelligimus, quæ maneat nos damnatio, niſi liberemur à peccatis noſtris: vnde oritur compunctio cordis.

46 Ex quarto intelligimus, remedium aduerſus peccatum eſſe propoſitum in Ieſu Chriſto. Nam qui in ipſum credit, habet remiſsionem peccatorum & vitam æternam.

47 In his cogitationibus, per Spiritum ſanctum excitatur in corde ingens deſiderium promiſſæ in Chriſto gratiæ, quod deſiderium eſt veluti quidam fidei conceptus.

Fidei Chriſtianæ deſcriptio.

48 Et cum ad hoc deſiderium, fiducia cordis in promiſsionem gratiæ accedit: fides in corde naſcitur.

49 Hinc concluditur, quod viua, ſalutaris & Chriſtiana fides, ſit ingens deſiderium gratiæ promiſſæ in Chriſto, & firma fiducia in Chriſtum quod velit ex gratia remittere peccatum, & vitam ęternam donare credenti gratis, abſque omnibus operibus & meritis humanis.

Fructus.

50 Is qui in hunc modum credit, habet remiſſionem peccatorum, ex merito mortis Chriſti. Eſt iuſtus, iuſtitia Chriſti ſibi imputata. Eſt Filius Dei. Eſt reconciliatus cū Deo. Eſt nouus homo. Habet acceſſum ad Deum. Stat in gratia & fauore Dei.

51 Quando fides ita eſt concepta & nata in corde hominis, cum ſit initio tenera & perexigua, debet quotidie creſcere, & incrementa aſſumere, per ardentem inuocationem Dei, vt cum Dauide ores: ô Domine, confirma quod in nobis es operatus, Spiritu tuo ſancto cōfirma me, dirige me in tua veritate. In huiuſmodi ſeria & ardenti inuocatione ſentitur reſponſum Spiritus ſancti in corde precantis, per lætitiam cordis & conſolationem aduerſus peccatum & mortem. Hæc enim lætitia & conſolatio in corde, eſt teſtimonium ſpiritus, quod ſimus filij Dei, & iam inchoauerimus vitam æternam.

XI.
SALVTARIS POENITENTIA.

Euangelium prædicat pœnitentiam ſalutarem.

CVm dicimus Euangelium eſſe prædicationem pœnitentiæ & remiſsionis peccatoruum in nomine Chriſti: Apoſtolico ſignificato, id eſt, propriè, vocem Euangelij accipimus, & non (ſicut quidam contendunt) pro toto miniſterio Legis & Euangelij: ac ſi prædicatio pœnitentiæ pertineret ad Legem, & prædicatio remiſsionis peccatorum ad Euangelium.

2 Immotum enim ſtat hoc diſcrimen Legis & Euangelij, quod vt Lex prædicat peccantibus damnationem: ita Euangelium pœnitentibus ſalutem.

3 Prædicatio ergo pœnitentiæ quæ ad ſalutem ducit, & prædicatio maledictionis, non ſunt eiuſdem, hoc eſt, nec Legis ſeorſim, nec Euangelij. Longè enim inter ſe diuerſa ſunt, oſtendere remedium aduerſus morbum, & in certum interitum hominem ducere.

Teſtimonium.

4 Cum Dominus dicit: Conuertimini ad me & ſalui eritis. Item, Nolo mortem peccatoris, conuertimini & viuite: non eſt Legis concio, quæ hanc damnatoriam ſententiam abſque miſericordia ſonat, Maledictus omnis qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis: ſed ipſiſsima Euangelij vox. Non enim hic auditur tonitru damnantis Legis, ſed ſuauiſsima compellatio miſerentis Dei, qui reuertentibus vitam promittit.

5 Cum his conſonat vox Chriſti: Oportet prædicari pœnitentiam & remiſsionem peccatorum in nomine meo. Item: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Item Actor. 5.31. Petrus hoc ipſum teſtatur, cum ait: Hunc principem & ſaluatorem exaltauit Deus dextera ſua, ad dandam pœnitentiam Iſraëli, & remiſsionem peccatorum.

Cōtrariæ ſententiæ refutatio.

6 Qui ergo dicunt Legis eſſe munus prædicare pœnitentiam: nec vim Legis rectè conſiderant: nec virtutem mortis & reſurrectionis Chriſti recte perpendunt, vt interim taceam, eos magnam iniuriam Chriſto facere, in cuius ſolius nomine pœnitentia eſt prædicanda,

7 Sed clamant, iſto pacto Legem tolli, & locum dari Antinomis. Vtrumque falſum eſt. Nam & Legem fatemur ea peccata monſtrare, ad quorum pœnitentiam nos inuitat Euangelium, & agnoſcimus Legem Dei, quam vſitatè Decalogum appellamus, eſſe normam vitæ Chriſtianæ vnicam.

8 Magna eſt ſanè inſulſitas, ex eo inferre Legis eſſe prædicare pœnitentiam, propterea, quod monſtret peccatum. Nam Lex, dum monſtrat peccatum, vulnerat, occidit, damnat, nec vnquam ſonat hanc vocem, Reſipiſce & ſaluus eris, ſed potius, morte æterna morieris. Euangelium autem, dum inuitat ad pœnitentiam, vulneri paratum eſſe remedium indicat, iuxta illud: Agite pœnitentiam, appropinquat enim Regnum cœlorum.

9 Præterea eius eſt inuitare ad pœnitentiam, cuius eſt ſpem veniæ facere, hoc cum ſit ſolius Euangelij, errant qui Legis eſſe dicunt munus prædicare pœnitentiam.

10 Sed dicunt qui διαλεκτικώτεροι eſſe volunt: Lex prædicat pœnitentiam per ſe, Euangelium verò per accidens. Vtrunque inſulſè dicitur. Verùm ſi illam dialecticam diſtinctionem retinere lubet, ita potius dicendum eſt: Lex eſt prædicatio pœnitentię, at non per ſe, ſed per accidens, hoc eſt, quatenus deducit nos in cognitionem peccatorum, quorum iubet nos pœnitere Euangelium. Euangelium autem eſt prædicatio pœnitentiæ per ſe, quia pœnitentibus proponit Chriſtum, & offert gratuitam remiſsionem peccatorum.

11 Hoc etiam fine prædicationis pœnitentiæ confirmatur. Ideo enim prædicatur pœnitentia, vt

gratiæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

gratiæ ſit locus. Conuertimini, in quit, filij auertentes, & ego ſanabo auerſiones veſtras.

12 Nemo, vt exiſtimo, negabit Baptiſmum eſſe Sacramentum Euangelij & non Legis. Sed ipſe Baptiſmus nihil aliud eſt, quam aſpectabilis concio pœnitentiæ & remiſsionis peccatorum, in nomine Chriſti. Perperam igitur faciūt, qui quod proprium eſt Euangelij, Legi attribuunt.

13 Hinc ergo effectum eſt, quod Lex per ſe prædicet tranſgreſſoribus mortem & damnationem: Euangelium vero pœnitentibus vitam & ſalutem, & ab omni reatu abſolutionem.

14 Rurſus obiicient fortè, Iudam egiſſe pœnitentiam, ad quam non ipſum vocauit Euangelium, ſed Lex. Egit quidem ipſe pœnitentiam ad deſperationem & damnationem, ſed ea non prædicatur in nomine Chriſti, ſed ſuggeritur à diabolo, vt homo reus pereat. Ad hanc non inuitant nec Prophetæ, nec Apoſtoli, nec vlli ſinceri miniſtri: imo, vt hæc caueatur, ad Euangelicam inuitant pœnitentiam, quæ in ſcriptura μετάνοια dicitur, & non μεταμέλεια, qualis Iudæ fuit.

Ratio ſalutaris pœnitentiæ.

15 Poſtquam iam oſtenſum eſt Euangelij proprium eſſe prædicare pœnitentiam, nunc declarandum eſt, quænam ſit vera ratio ſalutaris pœnitentiæ.

16 Vna itaque hæc ratio eſt veræ pœnitentiæ, vt audita inuitatione ad pœnitentiam, ex animo doleamus admiſſa peccata, quæ Deum à nobis abalienarunt, & expectemus condonationem peccatorum propter victimam Flij Dei, & certam concipiamus fiduciam remiſsionis peccatorum, iuxta verba Symboli: Credo remiſsionem peccatorum: ſimul proponentes nos velle omnem offenſam Dei in poſterum cauere, deponendo veterem hominem, & induendo nouum.

17 Hanc eſſe vnicam rationem ſalutaris pœnitentiæ coram Deo, multæ Propheticæ & Apoſtolicæ conciones, & exempla Sanctorum oſtendunt.

Teſtimonia.

18 Paulus Epheſ. 4. 20. ita ſcribit, Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum. Siquidem ipſum audiſtis, & in ipſum eſtis edocti, vt deponatis, ſecundum priſtinam cōuerſationem, veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum concupiſcentias erroris: renouemini autem ſpiritu mentis veſtræ, & induatis nouum hominem qui ſecundum Deum creatus eſt.

Pœnitentiæ veræ definitio.

19 Paulus his verbis, vt alia teſtimonia omittamus, ſatis oſtendit veram ſalutaris pœnitentiæ rationem eſſe quam poſui, quæ hac breuiſsima definitione concludi poteſt. Pœnitentia vera eſt conuerſio hominis ad Deum, per fidem in Ieſum Chriſtum, qua fit nouus homo, iuxta voluntatem Dei viuens.

Partes tres.

20 Hæc diſtinctius intelliguntur enumeratis partibus veræ pœnitentiæ, quæ vſitatè nominantur: Contritio, Fides, & Noua obedientia. Hæ ideo partes dicuntur, quia ordine præcedunt finem conuerſionis, qui eſt ſeruire Deo in iuſtitia & ſanctitate vera.

1. Contritio: cuius quatuor ſunt effectus.

21 Contritio eſt pauor conſciētiæ ob peccatum admiſſum, quæ tum demū vera fit ex agnitione peccati & ſenſu iudicij Dei, quando proponitur victima Chriſti peccati expiatrix.

22 Hæc contritio quatuor proprietates ſeu effectus habet. Primùm enim agnoſcit peccatum, quod contra normam iuſtitiæ Dei commiſſum eſt. Deinde agnoſcit iuſtam iram Dei & maledictionem ob peccatū. Tertiò, ſerio dolet ob admiſſum peccatum. Poſtremò, deteſtatur & abominatur peccatum.

23 Hæc Euangelica contritio differt à Iudę contritione, cui factum non diſplicuit propter ſuam turpitudinem, & propterea quod erat violatio normæ iuſtitiæ Dei, ſed propter metum pœnæ. Voluit enim proditionem ſuam, cum facta eſſet, eſſe infectam, & ideo dicitur μεταμεληθεὶς, hoc eſt, ſolicitus & anxius factus propter ſuum factum, adeo quod triſtitia ſit abſorptus: non μετανοηθεὶς, qua voce ſignificatur vitæ & conſilij mutatio in melius.

2. Fides.

24 Fides eſt notitia & aſſenſus promiſſæ & expetitæ miſericordiæ, & in eandem firma fiducia, non autem vacillans opinio.

Fidei partes.

25 Hæc fides habet partes has, 1. Agnitionem Mediatoris & interceſſoris Ieſu Chriſti apud Patrem. 2. Fiduciam Mediatoris agniti, & imputatæ credenti iuſtitiæ Mediatoris. 3. Conſolationem conſcientiæ aduerſus terrores peccati & Legis. 4. Inchoationem nouæ vitæ.

26 Hæc Euangelica fides differt à fide Legis. Fides enim Legalis talis eſt qualis promiſsio. Promiſsio autem Legis habet annexam conditionem impletæ Legis, quæ cum à nemine pręſtari poteſt, fit & irrita Legis promiſsio, donec ventum fuerit ad Chriſtum, & fides ruit quæ legales promiſsiones reſpicit. Verùm quia fides Euangelica accipit quod gratis offertur, manet firma: qua credēs iuſtus & acceptus eſt Deo.

3. Noua Obedientia, & eius partes.

27 Noua obedientia neceſſario nexu cum fide coniuncta eſt. Hæc abſoluitur quatuor partibus, Pietate erga Deum, Charitate erga homines, Sanctimonia & puritate vitæ, & diligentia in officio. Ideo enim fide regeneramur, vt pie, iuſte & temperanter viuamus.

28 Hæc obedientia à fide profecta, multùm differt ab ea, quæ qualiſcunque præſtatur ab impiis, iuxta externam Legis literam. Nam hæc literalis, vt ita dicam, obedientia, fecit quidem, vt Paulus eſſet irreprehenſibilis coram hominibus, cuius tamē cor, priuſquam conuerſus eſt ad Chriſtum, manſit impurum. Defuit enim Paulo ante conuerſionem fides, & Chriſti Spiritus, ſine quibus obedientia erga Legem placere nequit.

Exempla partium pœnitentiæ.

29 Hæc pœnitentiæ membra, ſi in illuſtribus exemplis conſpiciantur, magis & animos mouebunt, & erunt in promptu tanquam veræ pœnitentiæ pictæ quædam imagines, quæ in oculos incurrunt quodammodo, & deinde in animum tranſferuntur.

30 Peccatrix, Luc. 7. audito Euangelio Chriſti, quo inuitantur homines ad pœnitentiam, lachrymis teſtatur pauorem conſciētiæ ob peccatum, & odium peccati: fidem ſuo ad Chriſtum acceſſu indicat: nouam vitam, officioſa erga Chriſtum, declarat.

31 Latro in cruce, voce & confeſsione publica ſuum teſtatur peccatum. Ex fide Chriſtum inuocat, atque gratitudinis erga Deum, & charitatis erga proximum teſtimonia edit, atque ita mortificatur carne, & viuificatur ſpiritu.

32 Etſi autem vna eſt ratio veræ pœnitentiæ: tamen eiuſmodi ſunt plures. Eſt enim pœnitentia impij, & eſt pœnitentia pij. Vtraque & priuata & publica eſſe poteſt.

Pœnitentia impij.

33 Pœnitētia impij eſt cōuerſio impij ad Deum, videlicet, cum impius audiens Euangelium inuitare homines ad pœnitentiam, ſe coram Deo proſternit in vera agnitione peccati, concipit fiduciam in Mediatorem, & meditatur pietatem erga Deum & charitatem erga proximum. Exemplum illuſtre eſt in Publicano, Lucæ 18. & in Debitore 10000. talento-

Pœnitẽtia Pij.

lentorum,pulcherrima pictura.

34 Pœnitentia pij eſt,qua pius deplorat ſua occulta peccata,& lapſus alios, qui vel ex infirmitate, vel ignorantia contingunt,erigit ſe fiducia Chriſti, petens remiſsionem,& aſsiduè creſcit in mortificatione Veteris hominis & excitatione Noui. Hæc pœnitentia in multis Pſalmis deſcribitur, & præcipue in 51.

Priuata.

35 Vtraque priuatim & publicè fieri poteſt,Priuatim fit,cum ſoli Deo te aperis. Publicè,cùm accedit publica pœnitentiæ profeſsio.

Publica.

36 Verum de publica ſciendum eſt,quod ſit duplex, Vnius, & Totius cœtus Eccleſiæ: ſed modus diuerſus eſt propter circunſtantias.

Totius Eccleſiæ.

37 Publica enim pœnitentia totius cœtus eſt, quando ſolennis inſtituitur pœnitentiæ profeſsio, indicta à magiſtratu vel gubernatoribus Eccleſiarum,qualis fuit pœnitentia Niniuitarum, & in noſtris Eccleſiis ſæpe eius exempla vidimus.

38 Huius finis eſt deprecatio iræ Dei & pręſentium ſeu impendentium malorum, propter admiſſa ſcelera. Abſoluitur agnitione peccati & iuſtę irę Dei, fiducia Chriſti, meditatione pietatis in poſterum, & inuocatione ſobria & ſeria.

Vnius.

39 Publica vnius eſt,cum aliquis,poſt quam receptus eſt in Album ciuium Eccleſiæ,ita ſuis moribus Eccleſiam offendit,vt ſenatus Eccleſię eum excludere de Eccleſiaſtico cœtu cogatur, ſicut accidit Corinthio,qui nouercam polluerat.

40 Hæc publica pœnitentia eas partes requirit, ex quibus Eccleſia colligere poteſt eum, qui offenderat, verè reſipiſcere, & meditari pœnitentiam ſeriam.

Pœnitẽtię Eccleſiaſtię partes.

41 Hinc eſt,quod veteres huius pœnitentię tres numerant partes,contritionem,confeſsionem & ſatisfactionem.

Cõtritio.

42 Contritio fuit aſsiduus dolor excluſi à cœtu Eccleſiaſtico propter ſuam culpam,qui dolor deprehendebatur ex lachrymis pœnitentis & petentis redire in gratiam cum Eccleſia. Exemplum eſt inceſtuoſus Corinthius.

Cõfeſſio.

43 Confeſsio erat publica coram Eccleſia criminis admiſsi agnitio & deteſtatio: non fuit enumeratio ſecretorum ſcelerum, ſed tantum eius delicti, cuius arguebatur,expoſitio & deploratio.

Satisfactio.

44 Satisfactio conſtabat duabus rebus. Vna,vt reus publicè à Parocho verbis caſtigaretur,in aliorum exemplum:quam ob cauſam Græci, hanc tertiam partem pœnitentiæ publicę vocarunt,ἐπιτίμιον, quemadmodum ex Baſilio apparet. Altera,vt reus ſua voce & lachrymis peteret veniam ſupplex ab Eccleſia,quam offenderat:quo facto ſatisfiebat Eccleſiæ,adeo quod Eccleſia lapſum fratrem in gratiam reciperet, ac eum poſtea omni officio proſequeretur oblita offenſæ. Atque hac de cauſſa Latini hanc partem vocarunt Satisfactionem.

45 Hæc bono conſilio inſtituta erant & conſeruabant Politiam Eccleſiaſticam ſancta diſciplina, quę iam maxima ex parte non ſine magno detrimento Eccleſiæ Chriſti collapſa eſt.

Errori de pœnitẽtia bona.

46 Hoc cum non animaduerterent poſteriores, hanc pœnitentiam publicam fecerunt vniuerſalem, non diſcernentes inter eam pœnitentiam,quæ Deo fit,& eam quæ fit Eccleſiæ propter lapſum aliquem quo ipſa offenſa erat.

Papiſtarũ matæologia de pœnitentiæ partibus.

47 Hinc factum eſt,quod papiſtæ dicant,tres eſſe pœnitentiæ ſalutaris, quæ fit coram Deo,partes: Contritionem,confeſsionem,& ſatisfactionem,neque vllam aliam pœnitentiam agnoſcunt.

48 Contritionem requirebant ſufficiẽtem,cum nulla poſsit eſſe ſufficiens:& hanc fingebant remiſſionem peccatorum mereri: quod ſanè in Filiũ Dei ſummè contumelioſum eſt.

49 Confeſsionem vocabant, enumerationem peccatorum coram ſacerdote, & hanc neceſſariam ad abſolutionem docebant, cum tamen nuſquam extet præceptum diuinum de enumeratione ſingulorum,& enumeratio omnium ſit impoſsibilis,ſicut ſcriptum eſt: Delicta quis intelligit? Pſal.19.13.

50 Satisfactionem vocabant opus,quo fingebãt compenſari pœnas æternas ſeu Purgatorij. Hoc figmentum vnico hoc dicto ſatis refellitur: Fruſtra colunt me mandatis hominum,vt interim taceam nullum errorem in Eccleſia fuiſſe magis contumelioſum in Chriſtum, vnde tam immenſum errorum Chaos emerſit. Hinc Regnũ Antichriſti ſtabilitum eſt,hinc Miſſæ,hinc Indulgentiæ,hinc pingues culinæ monachorum & ſacrificulorum.

Refelluntur.

51 Cum huiuſmodi ſit doctrina Antichriſti,hoc eſt,papæ & papiſtarum, ducet omnes pios eam deteſtari, & gratias Deo agere, quod lucem ſuam accenderit, ad quam iſtæ diabolicæ tenebræ euaneſcant.

52 Non minus Catharorum impium dogma eſt deteſtandum, qui negarunt poſt Baptiſma lapſis in manifeſta ſcelera remitti peccata:qui error manifeſte pugnat cum promiſsionibus Euangelij & exemplis illuſtribus. Nam & Petrus poſt triſtem lapſum receptus eſt à Chriſto,& inceſtus apud Corinthios pœnitens recipitur à Paulo:& multa alia in ſcripturis exempla extant.

4. Cathari refutãtur

53 Hoc tamen ſummo ſtudio cauendum eſt, ne vel perſeueremus in delictis contra conſcientiam, vel ſimus ſecuri, quaſi parum eſſet Deum peccatis noſtris offendere. Nam vt extant multa exempla miſericordię Dei in peccatores,qui ſunt recepti in gratiam, vt Adam, Manaſsis, Dauid, Petri,inceſti,&c. Ita etiam horrenda exempla iudicij Dei in peccatores, qui non ſunt reuerſi per pœnitentiam, (vt ſunt Cain,Eſau,Saul,Iudas,& innumeri alij) admonẽbũt nos timoris Dei, in cuius conſpectu nos ambulare cogitandum eſt.

Pia & neceſſaria admonitio.

54 Omnium igitur tutiſsimum conſilium eſt illud Prophetæ, Micheæ.6.8. Indicabo tibi ô homo quid ſit bonum, & quid requirat Iehoua abs te: vtiq; facere iudicium,& diligere miſericordiam,& humiliare te ad ambulandum cum Deo tuo.

XII.

IVSTIFICATIO hominis.

PAVLVS docturus Romanos quænam ſit iuſtitia,qua coram Deo homo conſiſtere poſsit,duplicis iuſtitiæ mentionem facit, quarum altera hominem iuſtum fieri neceſſe eſt, qui ſalutis æternæ hæreditatem adire voluerit.

Duplex iuſtitia Legis & Euangelij.

2 Harum vnam iuſtitiam ex lege, alteram, iuſtitiam abſque Lege appellat:illam hominis: hanc Dei eſſe pronuncians.

3 Quod autem nemo mortalium iuſtitia Legis coram Deo iuſtificari poſſit, firmiſſimis demõſtrationibus aſtruit:inter quas hæ ſex ſunt præcipuæ.

Iuſtitia legali neminem iuſtificari poſſe ſex argumentis firmiſsimis probat Paulus Apoſtolus

4 Prima ſumitur ab ipſa natura humana, quæ eſt impura & cõtagione peccati fœdata. Iam cum quicquid ab impuro fonte manat, impurum eſſe neceſſe ſit: quî fieri poteſt,vt ex natura impura prodeat pura erga Deum obedientia,& plena erga homines dile-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ctio? Cecidimus, inquit Propheta, quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos.

5 Secunda ſumitur ab experientia vniuerſali omnium hominum, & à proprio conſcientiæ in omnibus hominibus teſtimonio. Nec minus certa eſt hæc vniuerſalis experientia, nec minus certum eſt conſcientiæ teſtimonium, quàm certum eſt per experientiam, ignem eſſe calidum, & aquam humidam.

6 Tertia ſumitur à iuſto Dei iudicio punientis omnes homines. Iam autem cum nemo puniatur à iuſto iudice, niſi qui reus ſit, & omnes homines, etiam infantes, diuinitus puniantur morbis & morte: ſequitur omnes homines reos eſſe, & neminem coram Deo ſua obedientia ergaLegem iuſtum eſſe.

7 Quarta ſumitur à Scripturæ teſtimoniis, Scriptura enim nullum iuſtum eſſe Legis operibus, & ne vnum quidem, affirmat. Si iniquitates obſeruaueris Domine (inquit Dauid) quis ſuſtinebit?

8 Vt autem fortius concludat Scriptura, neminem operibus iuſtificari poſſe, adimit homini tria, quæ ad iuſti actionem, & plenam Legis obediētiam requiruntur: videlicet, intelligentiam, voluntatem bonam, & vires præſtandi ſpiritualem iuſtitiam, qualem lex Dei requirit.

9 Quinta ſumitur à qualitate Legis, & qualitate hominis, quæ ſibi inuicem aduerſantur. Lex enim ſpiritualis: homo carnalis: hinc illa Pauli querela iam iuſtificati: O me infelicem, quis liberabit me de corpore mortis huius? Rom. 7.

10 Sexta ſumitur à neceſsitate victimæ filij Dei: Si iuſtitia eſt per Legem, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Prioribus quinque vtitur Apoſtolus in Epiſtola ad Romanos, Sexta in Epiſtola ad Galat. cap. 2.

11 Ex his demonſtrationibus Paulus infert hāc concluſionem: propterea ex operibus Legis nullus homo iuſtificabitur in conſpectu Dei.

12 Hac confecta & demonſtrata concluſione, videlicet, quod nullus coram Deo iuſtificari, hoc eſt, iuſtus fieri per opera Legis queat, aggreditur alteram iuſtitiæ formam, quam diuerſiſsimam à iuſtitia Legis facit.

Diſcrimē iuſtitiæ legalis & euangelicæ.

13 Ponit autem has differentias, vt ſupra admonui: Ex Lege: Abſque Lege. Iuſtitia enim Legis, eſt ex lege, videlicet, cum legi obedientia hominis ſatisfit: iuſtitia Euangelij eſt iuſtitia abſque Lege, quo ad hominem iuſtificandum attinet. Quā differentia Paulus apertè docet, quod opera hominum neque ſint principium, neque cauſſa, neque materia, neque forma, neque conſummatio iuſtitiæ Euangelicæ, qua credentes iuſtificati conſiſtunt coram Deo.

14 Hac conſtituta differentia inter iuſtitiam Legis & iuſtitiam Euangelij, longa expoſitione docet Apoſtolus, qualis ſit res iuſtitia Euangelij, quæ teſtimonium habet à Moſe & Prophetis.

Iuſtitiæ euangelicæ definitio.

15 Summa autem huc redit, quod ea iuſtitia non ſit in nobis qualitas, ſed donum potiùs, quo condonantur credenti peccata, quo imputatur credenti Chriſti iuſtitia, quo credens acceptatur ad vitam æternam, gratis propter Chriſtum.

16 Vt ergo Legis iuſtitia eſt ex operatione hominis, atque ideo hominis dicitur: ita Euangelij iuſtitia eſt ex dono Dei, atque ideo iuſtitia Dei per fidem Ieſu Chriſti ab Apoſtolo nominatur.

17 Hinc conſtat, quod iuſtificatio, de qua Euangelium concionatur, ſit hominis credentis in Chriſtum abſolutio à peccato, imputatio iuſtitię Chriſti, & acceptatio iuſtificati ad vitam æternam, & gratis propter Chriſtum.

18 Vt autem hæc iuſtificationis doctrina à piis facilius intelligatur, definitionem poſitam in ſuas partes quaſdam retexam: quæ ſunt quinque.

19 Prima eſt, quod fit mentio fidei, quæ propriè loquendo, non eſt id quo iuſtificamur, ſed tantum inſtrumentum, ac veluti manus, qua iuſtitia gratuita per Euangelium oblata, accipitur. Ideo fides non magis meretur iuſtitiam, quam manus leproſi meretur eleemoſynam ſibi à pio homine porrectam.

20 Qualis autem res ſit fides, melius doceri non poteſt, quam propoſito exemplo fidei Abrahami, cuius fidem imitari omnes oportet, qui cupiunt iuſtitiæ Euangelicæ, atque adeo ſalutis æternæ participes fieri.

21 Abrahamo proponitur voce Dei hæc promiſſio. In ſemine tuo (hoc eſt in chriſto) benedicentur omnes cognationes terræ. Item: Ero Deus tuus & ſeminis tui. Hanc promiſſionem Abraham intelligit: huic aſſentitur: expetit etiam toto pectore promiſſam benedictionem. Et quia ſtatuit Deum, & veracem eſſe, & omnipotentem, firma fiducia recubuit in promiſſionem factam, dans Deo gloriam: nihil motus rationibus quas contra obiecit ſenſus & ratio.

22 Hinc efficitur, quod fides vera ſit notitia, & aſſenſus, & expetitio miſericordiæ promiſſæ: & in eum, qui promiſit, fiducia firma.

23 Etſi autem Diaboli, & multi impij habent notitiam & aſſenſum promiſſionis gratiæ: tamē quia Diaboli promiſſionem non habent, & impij homines viua carent fiducia, non habent veram & iuſtificantem fidem, quæ propria eſt filiorum Dei.

24 Publicanus in Euangelio, & Latro in cruce nouerūt hanc promiſſionem Euangelij, quod Chriſtus venerit in mundum ad ſaluandos peccatores. Huic notitiæ non ſolum aſſentiuntur, verumetiam expetunt promiſſam gratiam, ac viua fiducia in Chriſtum, quem veracem eſſe & omnipotentem per diuina eius opera didicerant, recubuerunt. Eadem ratio eſt fidei etiam in alijs pijs.

25 Deinde ſecūdo loco in definitione fit mentio abſolutionis à peccato, quæ eſt prima pars iuſtitiæ Chriſtianæ. Huc illud Dauidis dictum: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Beatus cui Dominus non imputauit peccatum.

26 Eſt autem abſolutio à peccato, liberatio hominis credentis ab obligatione mortis æternæ & damnationis ob peccatum.

27 Quod huiuſmodi abſolutio contingat credenti in Chriſtum, teſtatur Chriſtus cum ait: Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui autem vitam æternam habet, eum à morte & damnatione liberatum eſſe manifeſtum eſt.

28 Tertio loco in definitione noſtra fit mentio imputationis iuſtitiæ Chriſti. Huius enim obedientia, noſtra fit iuſtitia, quando in eum credimus.

29 Hoc comprobatur dicto Pauli, 2. Cor. 21. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. Hoc eſt, Deus Pater Chriſtum filium, qui nō fuit peccator, fecit reum noſtro nomine, tanquā omnia noſtra peccata perpetraſſet, vt nos fieremus iuſti ipſius iuſtitia coram Deo.

30 Ad eum ergo modum iuſti ſumus corā Deo, qualiter Chriſtus fuit peccator. Vt enim is perſonam noſtram quodāmodo ſuſcepit, quo reus noſtro nomine fieret, & tanquam peccator iudicaretur, nō ob propria, ſed aliena delicta, cum purus foret ipſe, & mundus ab omni culpa, pœnámque ſubiret, nobis non ſibi debitam: ita nos nunc iuſti ſumus in ipſo, nō quia operibus noſtris ſatisfaciamus iudicio Dei, ſed

ſed quoniam cenſemur iuſti Chriſti iuſtitia, quam fide induimus, vt noſtra fieret.

31 Idem docetur Rom.5.hiſce verbis: Quemadmodum per inobedientiam vnius hominis (Adam) peccatores conſtituti ſunt multi: Sic etiam per obedientiam vnius (Chriſti) iuſti conſtituentur multi.

32 Huc accedit dictum Auguſtini: *Noſtra delicta ſua delicta fecit, vt ſuam iuſtitiam, noſtram iuſtitiam faceret.*

4. Acceptatio.

33 Quarto loco in definitione, fit mentio acceptationis iuſtificati ad vitam æternam. Nam ideo abſoluimur à peccato, ideo imputatur nobis iuſtitia Chriſti: vt accepti ſimus Deo, tanquam dilecti Filij in Chriſto Ieſu.

34 Hæc acceptatio non pertinet ad ruinas huius vitæ, ſed ad æternam vitam, qua donabuntur omnes in chriſto iuſtificati. Nam hos ita habet Pater charos in dilecto vt æterna beatitudine eos donare decreuerit.

5. Gratis propter Chriſtum.

35 Poſtremo loco in definitione annectitur: Gratis propter chriſtum. Gratis quidem, vt omnia humana merita excludantur: Propter chriſtum verò, vt beneficium redemptionis ſoli Filio Dei acceptum feratur.

Sola fide iuſtificamur: & quo ſenſu id dicatur.

36 Hinc apparet cur ſancti Patres, Auguſtinus, Baſilius, Ambroſius, Bernardus, & multi alij vtãtur particula, *Sola*: affirmantes ſola fide nos iuſtificari. Nam voce, *Sola*, ſignificant nullum eſſe in nobis meritum iuſtitiæ: ſed nos ſola fide eam nobis verbo oblatam accipere. Non excludit ergo particula, *Sola*, cauſſas iuſtitiæ, quæ extra nos ſunt, ſed tantum vnam facultatem in nobis ponit, qua illam iuſtitiam apprehendimus.

Errores.

37 Etſi hæc doctrina iuſtificationis ſolidis nititur teſtimonijs Scripturæ & exemplis: tamen multi omnibus ætatibus, aſtu Satanæ, contra ipſam exorti ſunt errores: quorum præcipuos recenſebimus, & firmis rationibus, ſed breuiſſimè, refutabimus.

1. Libertinorum veterum & recentium.

38 Primus error eſt Libertinorum veterum & recentium. Hi cum audiunt hominem gratis iuſtificari aliena iuſtitia, nempe chriſti, & humana merita & opera non eſſe cauſſas iuſtificationis: ſecuritatem carnalem docent, quaſi iuſtificatis fide quiduis liceret.

39 His ita reſponſum volumus. Etſi reuera beneficium eſt gratuitum, & iuſtificatio diſtinguenda eſt ab operibus noſtris: tamen cum iuſtificatione coniuncta eſt regeneratio, & ſanctificatio ſeu noua obedientia.

40 Paulus enim apertè dicit, Rom.8.14. Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei: Et chriſtus, Mat. 7.17. Bona arbor facit bonum fructum. Qui ergo ſtatuit, hominem iuſtum eſſe fide, cuius mala & flagitioſa eſt vita, ſenſu cõmuni deſtitut⁹ eſſe videtur.

41 Vtrumque igitur tenendum eſt, quod & iuſti ſimus imputatione iuſtitiæ Chriſti, & iuſtificati debitores ſimus Deo, vt non viuamus ſecundũ carnem, ſed ſecundum ſpiritum. Si enim, inquit Apoſtolus ſecundum carnem vixeritis, moriemini.

42 Diſcernendum eſt itaque inter cauſas iuſtificationis, & qualitates ſeu proprietates iuſtificati. Cauſſa iuſtificationis eſt ſola gratia in Chriſto: qualitas iuſti ex gratia, & proprietas eſt, vt iuſtitiæ fructus edat, iuxta illud: Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt.

43 Hinc manifeſtum eſt, quod horribiliter errent, qui negant bona opera eſſe neceſſaria in iuſtificatis. Etſi enim non ſunt neceſſaria, vt merita iuſtificationis: tamen neceſſaria ſunt, vt fidei fructus, & Nouæ creaturæ propriæ actiones. Siquidem finis iuſtificationis in hac vita eſt, vt ſeruiamus Deo per iuſtitiam, Rom.6. Poſt hanc vitam, ſalus animæ: & vita beata poſt reſurrectionem.

44 Neque tamen recipimus illorum orationẽ, qui dicunt, bona opera neceſſaria eſſe ad ſalutem: propter ambiguitatem. Nam ſi ſic eam interpreteris: Opera ſunt neceſſaria ad ſalutem, vt cauſſa ad effectum: planè falſa eſt. Verum ſi ſic eam accipis, vt ſit ſenſus: Opera ſunt neceſſaria ad ſalutem, vt iter intermedium: vera eſt. Verum quoniam propoſitiones dogmaticæ debent eſſe certæ & perſpicuæ, ſine ambiguitate: iuſte à quibuſdam fratribus eſt improbata.

45 Secundus error pugnans cum vera ſententia de iuſtificatione, eſt Phariſaicus & Papiſticus. Phariſæi enim & Papiſtæ non intelligentes iuſtitiam gratuitam, duplici errore implicantur. Vno, quòd iuſtitiam in operibus collocent: Altero, quòd traditionum ſuarum obſeruationem, iuſtitiam eſſe contendant. 2. Phariſæorum. & papiſtarum.

46 Hunc errorem, quia manifeſtè pugnat cum verbo Dei, non eſt quod eum multis refellamus. Dauid aperté clamat, Pſal.143.2. Domine ne intres in iudicium cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Et Dominus poſt Eſaiam dicit: Fruſtra me colunt docentes doctrinas hominum. Eſai.29.23. Mat.15.9.

47 Quod autem ſuæ ſententiæ patrociniũ quęrant ex Iacobo, nihil eſt. Spiritus idem locutus eſt per vtrumque, qui mentiri aut fallere neſcit. Paulus dicit, hominem iuſtificari ſine operibus. Iacobus dicit hominem iuſtificari ex operibus. Vtrumque verum eſt, rectè intellectum, iuxta ſcopum diſputationis vtriuſque. Paulus & Iacobus non ſunt contrarij.

48 Paulus enim cum dicit hominem iuſtificari abſque operibus, loquitur de effectione iuſtitiæ. At cum Iacobus dicit hominem iuſtificari ex operib⁹, loquitur de declaratione iuſtitiæ. Iuſtificari enim apud Paulum eſt iuſtum fieri: apud Iacobum, eſt iuſtum declarari. Ille loquitur de principio, vnde ſit res: hic, vnde cognoſcatur.

49 Tertius error eſt Iudaicus & Papiſticus. Iudæi enim & Papiſtæ exiſtimant iuſtitiam Chriſtianam conſtare fide & operibus ſimul, tanquam partibus iuſtitiam Chriſtianam conſtituentibus. 3. Iudæorum & papiſtarum.

50 Hic etſi magnus & peſtilens eſt error: tamen magis ſpecioſus eſt, quam ſuperior. Sed facilè refutari poteſt. Nam cum conſtet obedientiam Chriſti eſſe iuſtitiam noſtram, cuius pars nec fides noſtra exiſtit, nec opera noſtra: quis compos mentis, Chriſtianæ iuſtitiæ faciet partes, fidem, & opus hominis?

51 Paulus quoque hunc errorem refutat. Rom. 10.2. his verbis: Teſtificor enim illis quod zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam. Ignorantes enim Dei iuſtitiam, & propriam iuſtitiam quærentes ſtabilire, iuſtitiæ Dei non ſubiecti fuerũt. Finis enim Legis Chriſtus in iuſtitiam omni credẽti.

52 Hic Paulus manifeſte reiectionis Iudæorum cauſſam ponit, quod voluerint & ſuam iuſtitiã, hoc eſt, ſua opera, partem iuſtitiæ facere, & ſimul iuſtitiam amplecti, quæ eſt ex fide.

53 Rationem huius rei ſubiungit: quia Chriſtus eſt finis Legis in iuſtitiam omni credenti. Non eſt dubium quin Legis finis (hoc eſt, extremum quod quærit Lex) ſit illos iuſtificare, qui eam obſeruant. Quo minus aſſequatur Lex, impedit non ipſius Legis impotentia, ſed carnis noſtræ vitioſitas, cui demũ ita medetur Chriſt⁹, vt eius iuſtitia gratis nobis per fidẽ imputata finẽ Legis conſequamur, per illũ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſcilicet iuſtificati: qui quia pro nobis Legē impleuit,factus eſt nobis iuſtitia,1.Corinth.1.30.

54 Hoc etiam confirmatur Rom.4.4.Operanti,inquit,merces non imputatur ſecūdum gratiam, ſed datur ſecundum debitum: at credenti in eum, qui iuſtificat impium,imputatur fides eius in iuſtitiam.

55 Hic Apoſtolus duplicem iuſtitiā ponit,quarum vna ab altera eſt diuerſa. Nam habent contrarias cauſſas. Fidei enim iuſtitia,qua iuſtificatur credens,imputatur & gratis donatur:ſed operū iuſtitia non eſt gratuita vt quæ pendeat ex operum merito.

56 Ex his liquet Chriſtianam iuſtitiā non conflatam eſſe ex fide & operibus, ſed eſſe ipſiſſimam Chriſti iuſtitiam credentibus imputatam,ſicuti ſuperius oſtenſum eſt.

4. Oſiandri.

57 Quartus error eſt recens Oſiandri, qui ſtatuit iuſtitia Dei eſſentiali, hoc eſt, iuſtitia, quæ eſt ipſa diuina eſſentia,homines iuſtos fieri, quem errorem, quia obedientiam crucis,qua Chriſtus peccatum noſtrum expiat, & obediētiam Legis, quam Dominus nobis credentibus imputat, extenuat, imò reijcit, non iudicamus dignum longiori refutatione, etiamſi magnos quoſdam patronos habeat.

XIII.

EXTRVCTIO
regni Christi.

Quo modo & tempore inchoata ſit

1 POST lapſum primorum Parentum, Deus decretum edidit de reparatione generis humani,viamq.monſtrauit quomodo homines lapſi erigi poſſint, vt,è regno Satanæ vindicati,ciues regni Chriſti cenſeantur.

2 Nam cum Adam lapſus cum ſua poſteritate, erigere ſe nequiret:Deus,porrecta manu,illum erexit, facta promiſſione ſeminis contrituri caput ſerpentis,hoc eſt,demoliturí opera Satanæ: vt ita homo in priſtinum ſtatum reſtitutus,Deum per Chriſtum perpetuo celebret.

3 Cum hoc reparationis myſteriū ſcire perutile ſit,illud in quatuor partes diſtributum explicare conabimur,cui breuem regni Chriſti deſcriptionē ſubijciemus.Nam huic erigendo myſterium reparationis deſtinatum eſt.

Partes huius myſterij.

4 Partes autem myſterij reparationis hæ ſunt ſpectandæ. 1. De gradibus actionis diuinæ in reparationis myſterio. 2. De modo reparationis.3.De officio hominis qui reparandus eſt, eiuſque officij partibus. 4. De ſalutis noſtræ,hoc eſt, reparationis certitudine.

1 Gradus actionis Dei in hominis reparatione.

5 Quinam gradus ſint actionis Dei in hominis reparatione,Paulus oſtendit,Rom.8.28. his verbis: Quos præſciuit, eos & prædeſtinauit conformes imaginis Filij ſui,vt ſit ipſe primogenitus inter multos fratres:quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit,hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit.

Præſcientia.

6 Hic Paulus quinque actionum gradus in Deo enumerat. Primum enim præſciuit Deus, quos vult in gratiam propter Chriſtum recipere, vult autem omnes eos recipere, qui fide ad Chriſtum confugerint,quantūuis impij antea fuerint, & infinitis peccatis contaminati. Vt enim lapſus fuit vniuerſalis: ita etiam promiſſio gratię abſque diſcrimine ſtatuū perſonarum & nationum omnibus facta eſt.

Prædeſtinatio.

7 Deinde prædeſtinauit & ordinauit,quos pręſciuit, ad vitam æternam conſequendam, abſque omni ipſorum merito,ſola gratia per Chriſtum reparatorem.

8 Tertiò,præſcientiam & electionem per vocationem patefacit.Nam cum Chriſtus mandat diſcipulis his verbis:Ite in mundum vniuerſum,proclamate Euangelium omni creaturæ,qui crediderit & & baptizatus fuerit,ſaluus erit,qui verò non crediderit,condemnabitur.Satis declarat conſiliū ſuum eſſe,vt omnes obtemperantes voci Euangelij, ſint ſalutis per Chriſtum partæ,hæredes.

9 Quarto loco,vocatos iuſtificat,hoc eſt,eos, qui ad Euangelij vocem agunt pœnitētiam,& promiſſioni gratuitæ credunt,abſoluit à peccato, Chriſti iuſtitiam imputat,& acceptat gratis propter Chriſtum ad vitam æternam.Neq.enim hæc iuſtificatio eſt,aut actio hominis, aut paſſio, aut vlla affectio, ſed eius,quæ eſt Chriſti propria,iuſtitiæ imputatio.

10 Quinto loco,glorificat iuſtificatos,hoc eſt,donat beata immortalitate. Hæc glorificatio eſt plena hominis reparatio,ſcopus vltimus miniſterij Euangelici.

11 Modus reparationis ad Galat. 4.4. his verbis deſcribitur: Vbi venit plenitudo temporis, emiſit Deus Filium ſuum natum ex muliere, factū ſub Lege,vt eos qui ſub Lege erant,redimeret,vt adoptionem filiorum acciperemus:quia autem eſtis Filij,emiſit Deus Spiritum Filij ſui in corda veſtra, clamantem Abba pater.

12 Initium ſalutis facit Apoſtolus charitatem illā Patris cœleſtis immenſam, qua Filium ſuum dedit. Hoc ipſum & Dominus teſtatur,Ioan.3.16. cum ait: Sic Deus dilexit mundum,vt filium ſuum vnigenitum daret,&c.Deinde redemptionem noſtri factā per oblationem Chriſti aſſerit. Cum hac coniuncta eſt adoptio,Spiritus ſancti donatio,ac inuocatio.

13 Officium noſtrum eiuſque partes,tametſi ex dictis intelligi poſſunt: tamen vt diſtinctius teneantur,Matthæi 13.pulchrè depingi videntur, quemadmodum ex antitheſi colligitur. Prima ergo officij noſtri pars eſt oculis videre,hoc eſt, ſentire noſtrā miſeriam,& damnationem intelligere.Secūda, verbum reconciliationis audire & cognoſcere, in quo remedium proponitur.Tertia, verbum illud amplecti,eique aſſenſum præbere.Poſtrema, conuerti ad Dominum vera pœnitentia,ac ita per totam vitam, fructus dignos pœnitentiæ facere.

14 In certitudine de reparationis effectu tria ſunt ſpectanda.1.Ius Chriſtianorum de ſalute cōſequenda,2.Securitas Chriſtianæ mētis de iure ſalutis 3. Diſcrimen inter eos,qui hoc ius habent, & alios.

15 Ius adeundi hæreditatem vitæ immortalitatis, triplex habent fideles,Electionis, redemptionis & promiſſionis,Electio fundata eſt in Filio Dei Domino noſtro IeſuChriſto. Quare hoc ius infallabile eſt,Redemptio eſt ſatisfactio pro peccato, quæ facta eſt per ſanguinem chriſti, qui eſt ſufficiens λυτρον pro peccatis omnium hominum. Promiſſionis verbum ſæpiſſime Scriptura repetit: Qui credit in Filium,habebit vitam æternam. Hoc triplici iure,fideles ſuas mentes confirmabunt, aduerſus omnes tentationes,vndecunque veniant.

16 Securitas chriſtianarum mentium, reſidet in charitate adoptionis: Sic Deus dilexit mundum,vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. In veritate promiſſionis, Qui enim promiſit Deus immutabilis eſt: cœlum & terra citius tranſibunt,quam vnum iota de ipſius promiſſione: in facultate promiſſi præſtandi. Ad hanc reſpexit:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Abraham,cum tota rerum natura videretur reclamare promiſſioni diuinæ.

Diſcrimē electorū & reprobotum.

17 Diſcrimen inter eos, qui ius habēt cœleſtis ciuitatis,& alios,duplex eſt,Internum & externum. Internum eſt , quod qui ius ciuitatis cœleſtis obtinet,habeat arrhabonē Spiritus,hoc eſt, fidem, motus excitatos à Spiritu ſancto, bonam cōſcientiam, ſiue,vt breuius dicam , qui retinet fidem & bonam conſcientiam , habet notas , quæ teſtantur de iure ciuitatis cœleſtis.Contrà,qui hæc non habent, adhuc extra familiam Dei ſunt.Externum,Interni effectus eſt. Qualis enim animus eſt, talis relucet in externa vita & moribus.Nam iuxta Chriſti dictum ex fructibus arbor cognoſcitur.

18 Quicunque ergo iuxta carnem viuunt,& deſideria carnis faciunt,vt nec ſpiritum Chriſti habēt, nec fidem:ita adhuc ſunt in ſuis peccatis , & reparatio in ipſis nequaquam eſt inchoata.

19 Hic non attenditur ratio diuitis & pauperis, nobilis & ignobilis,clari & obſcuri, ſacerdotis & laici,domini & ſerui,maſculi & fœminæ.Sed , vt omnes,qui Chriſto fide & ſpiritu adhęrent,vnū in ipſo ſunt:ita qui fide & Chriſti ſpiritu vacui inueniūtur, ſerui ſunt Satanæ , quantumuis externa religionis larua ſe inter Filios Dei vendicent. Honeſtus ille aulicus Iohan. 4. inter ciues regni Chriſti fuit, cum interim ſuperbus Phariſæus,Satanæ erat mancipium.

De triplici regno Chriſti.

20 Regnum Chriſti triplex eſt,Potentiæ,gratię & gloriæ. Potentia vicit Diabolum & peccatum, vt eſſet locus gratiæ:per gratiam in fidelibus dominatur,vt viam ad gloriam præparet.

Regnū Potentię.

21 Regnum potentiæ, eſt quo potenter dominatur omnibus creaturis in cœlo, in terra , & apud inferos. Hoc illi commune eſt cum Patre & Spiritu ſancto. Vt enim hæ tres perſonæ vnus Deus eſt : ita vnum , potentiæ regnum : cui nemo reſiſtere poteſt.

1. Regnū gratiæ.

22 Regnum gratiæ,eſt quo per ſpiritū & verbum regnat in piorum animis. Huius regni fructus eſt iuſtitia,pax,gaudium in Spiritu ſancto.Neque venit hoc regnum cum vlla externa obſeruatione,hoc eſt cum externo quopiam maieſtatis ſplendore.

Eius ratio.

23 Etſi autem hoc gratiæ regnum, externam & mundanam pompam non agnoſcit: tamē habet ſuā quandam peculiarem rationē in erectione, propagatione,conſeruatione,ordine, dominio,ſeruitute.

In erectione.

24 Erigitur ab ipſo ſummo architecto Deo, vt Pſal.2.docet, vnde mens pia fiduciā concipiet,nunquam fore , vt hoc Regnum vllis Satanæ machinis aboleatur. Concutitur quidem: ſed inuictum tamen manet. Hoc regnum Chriſtus erigit ſceptro verbi ſui, quod vbicunque purè ſonat , ibi hoc gratiæ regnum eſt.

In propagatione.

25 Propagatur præterea per Verbum , per pios Euangelij miniſtros,per ſanctosReges & principes, cuiuſmodi fuerunt Dauid,Ezechias,Ioſias,Ioannes Fridericus,Chriſtianus tertius,& alij multi : quales Deus ſubinde excitare ſolet , vt ſint propagatores ſui regni,ac nutritores Eccleſiæ Chriſti.Atque hi in beata vita vt ſpendor firmamēti æternū ſplendebūt.

26 Huic regno propagando ſtudēt quoque pij patresfamiliâs , Conſiliarij regnorum Deum timentes,imò quilibet in ſuo ſtatu & ordine, quādo vita, operibus,conſilio,Chriſti gloriam quærit.

In conſeruatione.

27 Conſeruatur hoc regnum ab eodem qui illud erigit , hoc eſt,Deo : vnde fiducia concipienda eſt , de eius firmitudine & ſtabilitate contra portas inferorum.

In ordine

28 Ordo in hoc regno non eſt Politicus & Tyrannicus.Non vnus aliquis pręeſt vt in Monarchijs mundi:ſed ſunt in eo docentes & diſcētes, ſine dominio vnius in alterum.Omnes pij in hac vita poteſtati politicæ eminentiori ſubiectos ſe eſſe ſciunt, cui & honorem debitum præſtant,modò nihil imperetur, quod cum ſcelere perficitur. Tum enim ſequenda eſt Regula:Oportet Deo magis obedire, quam homini.

In dominio.

29 Dominiū in hoc gratiæ regno vnius Chriſti eſt : idque ἀνυπεύθυνον. Hic enim ſolus in ſuo regno dominatur,nec obnoxius eſt ad reddendam alicui ſuperiori rationem ſuæ adminiſtrationis.

30 Sceleratus Papa , qui ab impijſſimo Phoca, difficulter admodum dominium in Eccleſiam impetrauit , iſto facto ſatis oſtendit , ſe non Chriſti ſeruum eſſe, ſed aduerſarium,hoc eſt, Antichriſtū. Nec eſt alius Antichriſtus expectandus , quam iſte filius perditionis Papa:quem Filius Dei iam cœpit conficere gladio oris ſui, & tandem tollet omnino è medio,per ſuum omnibus pijs expectatum aduentum,iuxta doctrinam Pauli.

In ſeruitute.

31 Reſtat ſeruitus præſtanda Regi Chriſto in ſuo regno,quam definit ſanctus ille rex Dauid , Pſal. 2. cū inquit:Seruite Domino in timore , & exultate ei cū tremore. Zacharias in ſuo carmine collocat hāc ſeruitutem in iuſtitia & ſanctitate:quibus nos decet ſeruire Regi Chriſto,omnib' dieb' vitæ noſtræ.Lu.

2. Regnū gloriæ.

32 Regnum Chriſti glorioſum,ad quod via eſt regnum gratiæ, ſpectatur dupliciter. Primùm enim conſideratur in ipſo Chriſto Rege:qui poſtquā ſurrexit à mortuis , glorioſè ſuum regnum occupauit, captiuam ducens captiuitatem aſcendendo in cœlum, vbi ſedet ad dexteram Dei Patris,vnde & redibit iudicatum viuos & mortuos.

33 Deinde ſpectatur Chriſti glorioſum regnum in Chriſti myſtico corpore,quod eſt Eccleſia. Qua ratione tum demum perficietur hoc Chriſti regnū glorioſum , vbi reſuſcitatos mortuos adduxerit ad æternum Patrem. Tum enim,vt pij perpetuo conſpectu Dei & ſanctorum Angelorum fruentur : ita impij,qui gratiæ Chriſti regno aduerſabātur in hac vita,perpetuis flammis cruciabuntur.

34 Hinc ergo admoneantur omnes:Impij quidem,vt cum adhuc in via ſunt, reſipiſcant maturè, ne ſubitus eis ſuperueniat interitus:Pij verò, vt cōſtanter vſque ad finem perſeuerent, expectātes beatam illam ſpem & illuſtrem aduentum gloriæ magni Dei ac ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti. Huic ſit Regnum , gloria , benedictio, robur in ſecula ſeculorum, Amen.

XIIII.

LEX DIVINA.

Lex moralis.

1 ETSI vox Legis plura complectitur in Scriptura:nos tamen hic ſolam eam partem intelligi volumus, quam & à numero præceptorum, Decalogum,& à cōmuni eius vſu , Moralem legem appellamus.

Naturæ Lex

2 Hæc diuina Lex , quæ & naturæ dicitur, vna cum primis hominibus nata eſt : quæ illorum animis impreſſa, & Deum colendum, & homines diligendos eſſe dictat.

Via ad vitam

3 Eadem rectiſſima via eſt ad vitam. Nam ſi in eius obedientia perſtitiſſent primi Parentes noſtri, æternum vixiſſent beati : quia iuſti. Verùm , quia eam violarunt,ceſſit eis & poſteris ipſorum in mortem. Atque ita mandatum , (vt Paulus ait) quod

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

inſtitutum erat ad vitam facit ad mortem. Huc illud Domini ad Legiſperitum interrogantem, quid faciat, vt vitam conſequatur æternam: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Matth. 19. 17.

Etiam ſi impoſſibili hodie.

4 Lapſis primis parentibus, ita natura hominum deprauata eſt, vt obedientiam, quam requirit Lex, præſtare minime valeat. Id quod non ſolùm arguit vniuerſalis experientia, & Scripturæ teſtimonia teſtantur: verumetiam noua via in cœlum monſtrata, qui eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, euincit. Nam ſi ex lege eſt iuſtitia, (ait Paulus) Chriſtus fruſtra mortuus. Gal. 2. 21.

Non fruſtra tamē repetita.

5 Etſi autem hæc Lex præſtari non poteſt in hac vita: tamen nec fruſtra per Moſen repetita eſt, nec eius vſus eſt vulgaris.

Cauſæ tres.

6 Hæc igitur Lex, rurſus commendata eſt populo Dei, tribus de cauſſis. Quarum prima eſt, vt legis Naturæ autoritas hac noua publicatione confirmaretur. Secunda, vt quæ per cōſuetudinem peccandi, & ſceleratorum multitudinem latere cœperant, manifeſtarentur: ne quis ignorantiam prætenderet. Tertia, vt conſtaret certa Deum colendi ratio: ne pij, Ethnicis & Phariſaicis ſuperſtitionibus, à vero Dei cultu abducerentur.

Cur in tabulis lapideis.

7 Quod autem hæc Lex exarata ſit in tabulis lapideis, Symbolicum eſt. Nam Deus iſto Symbolo, non ſolum monet, tantam noſtrorum cordium duritiem eſſe, vt non prius Lex Dei in ea inſcribi poſſit, quam Deus ea ſuo digito adaptauerit, legemque ſuam ipſe ijs inſcripſerit: verumetiam ſignificari voluit, nulla vetuſtate abolendam eſſe obedientiam, quæ in hac Lege requiritur.

Vſus triplex.

8 Huius Legis vſus in hac vita triplex eſt: Externus, internus, ſpiritualis.

1. Externus, in quo politici homines, hypocritæ & Phariſæi acquieſcunt.

9 Primum vſum ideo externum voco: quia ad externum hominem in hac vitæ conſuetudine pertinet. Regit enim hæc Lex externos mores: ſicuti aliæ leges Oeconomicæ & Politicæ, quales traduntur à Philoſophis & Iureconſultis.

10 Hac externa diſciplina nequaquam ſatisfit Legi Dei, quæ ſpiritualis exiſtit: ſed tantum vitātur pœnæ ciuiles. Magiſtratus enim non punit eos, qui hanc externam diſciplinam ſeruant: ſed honore potius obſeruatores ornat & præmijs, quia ad pacem publicam conſeruandam facit.

11 Hypocritæ tamen & Phariſæi, in hac Legis ſuperficie hærent: & ſe ea iuſtos eſſe coram Deo falſo gloriantes, alios tanquam iniuſtos deſpiciunt & condemnant: quemadmodum Euangelica docet hiſtoria.

12 Iuxta hanc Legis ſuperficiem Paulus vixit irreprehenſibilis ante conuerſionem, dum in Phariſaiſmo excelluit ſupra omnes æquales ſuos. Quo ſanè tempore peccatum in eo mortuum fuit: ſicuti ipſe de ſe teſtatur, inquiens: Sine Lege, peccatum mortuum eſt: Ego autem viuebam aliquando ſine Lege. Rom. 7. 9.

13 Donec enim homines tantùm externam faciem Legis intuentur, vt Phariſæi & hypocritæ, dicuntur eſſe ſine Lege, ſcilicet, & reuelante & damnante peccatum: & dum ſunt ſine Lege, peccatum in ipſis mortuum dicitur: quia ignoratur: non apparet: nec irritantur eius παθήματα per Legem.

2. Internus damnans hominem.

14 Secundum vſum Legis ideo internum voco: quia conſcientiam hominis ferit, oſtendens, arguēs, & damnans peccatum, producens hominem ad tribunal Dei, eumque maledictionis ſententiæ ſubijciens.

15 De hoc interno Legis vſu ante conuerſionem ad Deum, concionatur Apoſtolus, Rom. 7. 9. Et in illuſtri exemplo generalem doctrinam proponit, oſtendens in ſeipſo vim Legis reuelantis & damnantis peccatum.

16 Veniente, inquit, mandato, peccatum reuixit, & ego mortuus ſum, & inuentum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, ad mortem facere. Nam peccatum, occaſionem adeptum, per mādatum decepit me, & per ipſum occidit.

17 Pulcherrimè in hoc paradigmate Legis vſus, de quo agimus, oſtenditur. Primum, inquit, Veniente mandato peccatū reuixit, hoc eſt, poſtquam ſenſi mētem Legis, vita mea ad normam Legis examinata: me tranſgreſſorem Legis agnoui, & deprehendi me reum coram tribunali Dei.

18 Nam & peccatum, quod antea latebat vt mortuum, iam per Legem agnitum, in conſcientia mea reuixit: ac affectiones peccatorū, quæ ſunt per Legem, vigebant magis in membris meis.

19 Hanc hypotheſin ſi ad theſin traduxeris, hæc generalis doctrina emerget. Lex Dei, vbi homo cœperit ſuam vitam ad eius normam exigere, peccatū antea veluti mortuum deliteſcens excitat: ac in conſcientia hominis, affectus peccatorum, qui latuerūt antea, vigent magis magiſque.

20 Sequitur deinde: Ego autem mortuus ſum, hoc eſt, me morte & damnatione dignum intellexi: propterea quod Deo obedientiam perpetuam & perfectam, iuxta Legis præſcriptū non præſtiterim.

21 Ex peccati ergo cognitione homines in agnitionem iræ Dei, & iuſtæ ſuæ damnationis ducuntur: vt, velint nolint, fateantur ſe mortis ſententiæ obnoxios eſſe.

22 Et inuentum eſt, inquit, mihi mandatū, quod inſtitutum erat ad vitam, ad mortem facere: hoc eſt, deprehendi mandatum, quod datum erat, vt mihi qui ei obediret, vitam conſequeretur, cedere mihi in mortem, propterea quod eius tranſgreſſor inuentus ſum. Vt enim obedientibus vita promittitur: ita præuaricatoribus mors eſt vt ſtipendium propoſita.

23 Hinc patet, promiſſiones legales annexam habere conditionem impiendæ Legis: & comminationes pertinere ad eos, qui vel in minimo Legem violauerint.

24 Huius rei ratio ſubiungitur his verbis: Nam peccatum occaſione ſumta, decepit me per mandatum, ac per ipſum occidit me: quaſi diceret: quod mortuus ſum Legis miniſterio, id nequaquam vitio Legis factum eſt: ſed peccati potius & innatæ corruptionis culpa. Hoc peccatum per mandatum me decepit, & vt latro quiſpiam, me è via abductum occidit & ſpoliauit.

25 Hinc concluditur generalis doctrina. Non eſſe culpam Legis reuelantis peccatum, ſi ex agnitione peccati per Legem, euadimus deteriores: ſed eſſe vitium peccati habitantis in carne noſtra. Nam magis æſtuat & inflammatur in nobis peccatum, quando accedit vox Legis prohibentis, & damnantis peccatum.

26 Hunc vſum Legis internum Apoſtolus Corinthijs ſcribens, indicat his verbis: Lex eſt miniſterium mortis, hoc eſt, facit vt ex agnitione peccati, intelligamus nos morte dignos. 2. Corinth. 3. 7.

27 Eſtque diligenter conſiderandum cuius mortis ſit miniſterium Lex: cum mors ſit multiplex. Eſt enim miniſterium mortis hominis, hoc eſt, damnationis hominis ob Legis trāſgreſſionē: Non eſt miniſterium mortis peccati, ſed potius vitę peccati iuxta Apoſtolū, Veniente mādato peccatū reuixit, & ego mortu' ſum. Etſi id fit vitio carnis, vt dictū eſt.

28 Hinc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

28 Hinc patet manifeſtè, Legem non prædicare veniam pœnitentibus: ſed pœnam tranſgreſſoribus. Pœnitentiæ enim prædicatio, medicinam Lethali adhibet vulneri, quod inflixit peccatum, & Lex reuelauit.

Legis & Euangelij munera.

29 Quod autem quidam contendunt, Legis eſſe proprium arguere peccatum, rectiſſimè quidem id faciunt, vt qui vendicant Legi ſuum proprium officium contra Antinomos, qui duo ademerunt Legi Dei: vnum, quod non per Legem ſit agnitio peccati: Alterum, quod Lex non ſit norma vitæ Chriſtianæ. Verùm cum inde effici putant Legis eſſe proprium prædicare pœnitentiam, grauiſſimè impingunt. Nam quod Euangelij eſt proprium, falſò Legi attribuunt.

30 Ego quidem non dubito præcipuam conſolationem afflictorum, in hoc ſitam eſſe, quod certò ſibi perſuadeant, Euangelium eſſe vniuerſalem prædicationẽ pœnitentiæ, & remiſſionis peccatorum in nomine Ieſu Chriſti: ſicuti ipſe Dominus Euangelij ſummam complexus eſt, Luc. 24. 46.

31 Duo enim facit Euangelium: monſtrat remedium, & oſtendit quibus remedium applicatur. Maledictionis ſentẽtiæ omnes homines obnoxij ſunt: ſed Euangelium monſtrat Chriſtum, qui Legi ſatisfacit, & transferens in ſe noſtram culpam, abſoluit à reatu pœnitentes.

Pœnitentiæ ſignificata.

32 Cum autem quidam excipiunt, & dicunt pœnitentiæ vocem propriè pro contritione accipi, falluntur. Nam conuerſio Prophetis, & μετάνοια, Euangeliſtis, ſunt ſynonyma: niſi quod μετάνοια notat cõuerſionis formam: videlicet, quod non ſit quæuis de loco in locum reuerſio: ſed mentis mutatio, in qua regeneratur homo, & fit noua creatura, ac ſimul fide iuſtitiam Chriſti apprehendit.

33 Diligenter igitur diſcernendum eſt inter accuſationem peccati & prædicationem pœnitẽtiæ, hoc eſt μετανοίας. Illa Legis eſt, & præparat ad hanc. Hæc Euangelij eſt, in remiſſionem peccatorum.

Teſtimonia ſuperioris diſtinctionis.

34 Hanc noſtram aſſertionem, de accuſatione peccati, & prædicatione pœnitentię, niti Prophetica & Apoſtolica autoritate manifeſtum eſt. Quare qui eam conuellere conantur, Prophetis & Apoſtolis bellum faciunt.

35 Ieremias cap. 14. 20. vt iniquitatum notitiam, ad cõpunctionem impellere teſtatur, quæ iniquitatum notitia, aliunde eſſe non poteſt, quam ex Lege: (Per Legem enim agnitio peccati:) ita cognitionem fœderis, conuerſionis, hoc eſt, pœnitentiæ fundamentum eſſe affirmat. Si ergo fœdus, Euangelij eſt proprium: cur non etiam prædicatio pœnitentiæ, quæ in fœdere fundatur?

36 Hoc apertius adhuc Threnorum 2. 14. oſtenditur, vbi Propheta in hunc modum loquitur: Prophetæ tui non aperiebant iniquitatem tuã, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Eſt ergo argutio peccati non prædicatio pœnitentiæ: ſed ad eam tantum pręparatio quædam, ſummè neceſſaria in hoc humani generis veterno.

37 Petrus Apoſtolus Actor. 2. ad eundem modum diſcernit inter accuſationem peccati, & prædicationem pœnitentiæ, vbi etiam compunctionem à pœnitentia ſeparat. Primùm enim arguit peccatum per Legem, obiiciens Iudęis ingratitudinem erga Deum, & homicidium innocentis Chriſti, hoc eſt, violationem primæ & ſecundæ Tabulæ. Deinde, cum ad hanc concionem corde compuncti Iudæi dicunt Apoſtolis: Quid faciemus viri fratres? Petrus reſpondit, μετανοεῖτε, hoc eſt, conuertimini, ſeu reſipiſcite, ſeu pœnitentiam agite. An non hic Apoſtolus aperte diſcernit inter accuſationem peccati, compunctionem, & μετάνοιαν? Hancne opponit terroribus Legis, & commeritæ damnationi, tanquam antidotum efficaciſſimum?

38 Conſtanter igitur vt accuſationem peccati tribuimus Legi: ita prædicationem pœnitentiæ, propriam eſſe Euangelij defendimus: & in hac aſſertione propriiſſime vtramque vocem & μετανοίας, & Euangelij accipimus.

39 Fateor quidem pœnitentiæ vocabulum durius eſſe: attamen, quia eo vſa eſt Eccleſia tot ſeculis pro eo quod Græcè eſt μετάνοια potius ſẽſum vocis, quam originem reſpicere oportet, ne quis etiam ad Iudæ μεταμέλειαν, hanc vocem referat: quod planè Sycophanticum iudico.

3. Spiritualis vſus ad renatos pertinens.

40 Reſtat tertius vſus Legis, quem ideo Spiritualem appello, quia pertinet ad homines ſpiritu Dei renatos. His præſcribit certã viuendi regulam, iuxta quam viuere contendant, vt Deo ex fide ſpiritualem cultum præſtent.

41 Hic maximam luctam experiuntur fideles, dum Spiritus in illis condelectatur legi Dei, ſéque ad eius normam componere ſtudet: & caro contrà peccati ſtimulis agitatur contra Spiritum, vt non, quod volunt, faciant renati, ſed quod nolũt malum, hoc agant. Sub hac lucta ingemiſcentes Sancti, cupiunt liberari de corpore mortis huius, vt tandem liberè poſſint Deo præſtare obedientiam iuxta Legem.

42 Tametſi autem non poſſunt renati vel exuere peccatum inhabitãs, vel Deo plenè iuxta Legem obedire: tamen nulla eſt iam eis metuenda condemnatio: quia ſunt in Chriſto Ieſu, & nõ ambulant ſecundum carnem, ſed ſecundum Spiritum.

43 Reliquis autem omnibus, qui non ſunt in Chriſto, & qui ambulant ſecundum carnem, manet certa damnatio, donec reſipiſcant.

De abrogatione Legis.

44 Ex his facile ſoluitur quæſtio, de abrogatione legis Decalogi, quæ nunquam abolebitur, quo ad doctrinam attinet: ſed tantùm, quantum ad eius damnatoriam ſententiam pertinet: à qua ſoli ſunt liberi, qui ſunt in Chriſto Ieſu, & ambulant ſecundum Spiritum. Nam ſpiritus Dei teſtatur eos filios Dei eſſe.

XV.

EVANGELIVM.

Euangelij definitio.

1 EVangelium propriiſſimè definitur vniuerſalis prædicatio pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum in nomine Chriſti.

2 Pœnitentiæ vocabulum hîc accipio cum veteri interprete pro μετάνοια non pro μεταμέλεια, quam eodem pœnitentiæ nomine vertit interpres.

Definitionis explicatio.

3 Verùm hoc eſt perpetuum diſcrimen apud Euangeliſtas, quod μεταμέλεια ſignificat diſplicentiã cum dolore, ob factum commiſſum: μετάνοια verò ipſam conuerſionem peccatoris notat, quæ conuerſio fit per fidem in Chriſtum.

4 Poteſt autem μεταμέλεια eſſe ſine μετανοίᾳ, vt in Iuda fuit. Sed nunquam poteſt μετάνοια habere locum, niſi præcedat μεταμέλεια: ex quo factum eſt vt prima pars pœnitentiæ, id eſt, conuerſionis, habeatur. Ordine enim præcedit conuerſionem, ſicut nouitas vitæ ſequitur, quæ eſt iuſtificationis finis in hac vita, Rom. 6.

5 Vt autẽ doctrinã Euangelij apertius intelliga-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mus, definitionem poſitam, in ſuas retextam partes examinabimus.

Partes.

6 Partes autem hæ ſunt. 1. quidnam offerat Euangelium. 2. quibus offerat. 3. qua cum conditione offerat. 4. cuius tandem merito offerat.

1. Remiſſio peccatorum.

7 Quidnam offert Euangelium? Remiſsionem peccatorum. Quam autem lætum ſit hoc nuncium tum demum intelligemus, ſi quid præcedat remiſſionem peccatorum & quid cum remiſſione peccatorum coniunctum ſit, & quid cõſequatur, attenderimus.

Hanc præcedit peccatum.

8 Quid remiſsionem peccatorum præcedit? Peccatum, reatus, ira Dei, maledictio, triſtiſſima ſeruitus ſub Satana, & obligatio ad æternas pœnas. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis qui non mãſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in libro Legis, vt faciat ea.

9 Dum ergo Euangelium prædicat remiſſionem peccatorum, ſimul prædicat liberationem à peccato, à reatu, ab ira Dei, à maledictione, à triſtiſſima ſeruitute diaboli, & ab obligatione ad æternas pœnas.

10 Quis vel hominum vel Angelorum ſatis prædicauit hoc beneficium? A tantis enim malis liberari, eſt à ſempiterna miſeria liberari.

Comitatur Iuſtificatio.

11 Quid eſt coniunctum cum remiſſione peccatorum? Iuſtificatio, regeneratio, adoptio, libertas, liber ad Deum acceſſus, & arctiſſima quædam cum Deo coniunctio.

12 Iuſtificatio eſt, qua habentibus remiſſionem peccatorum, imputatur Chriſti obedientia, vt ſit eorum iuſtitia, qua iuſti apparent in conſpectu Dei, adeo vt iam non ſint ſub Lege, ſed ſub Gratia.

Regeneratio.

13 Regeneratio eſt, qua Spiritus ſanctus iuſtificatos regignit, vt ſint nouæ creaturæ: in qua motus excitat Spiritus ſanctus ſibi ſimiles, & congruentes ad Legem & voluntatem Dei.

Libertas.

14 Libertas eſt, qua manumiſſi ſumus à veteri ſeruitute, & facti ſumus liberi.

Adoptio.

15 Adoptio eſt, quod iuſtificati iam ſint Dei filij, exempti à poteſtate diaboli, qui efficax eſt in filiis contumaciæ, hoc eſt, in iis, qui non habent remiſſionem peccatorum.

Liber acceſſus ad Deum.

16 Liberũ acceſſum ad Deũ habent qui filij adoptione ſunt facti. Poſſunt enim Deum inuocare, & offerre ipſi ſacrificia grata per Chriſtum Ieſum.

Coniunctio cum Deo.

17 Arctiſſima cum Deo coniunctio inde eſt, quod habentes remiſſionem peccatorum, ſint membra Chriſti illi Spiritu ſancto iuncti, vt palmites viti & membra corpori.

18 Hinc eſt quod Ioannes definit Eccleſiam, Sanctã κοινωνίαν cum Patre, & cũ Filio eius Ieſu Chriſto.

Conſequitur Immortalis felicitas.

19 Quid conſequitur remiſſionem peccatorum? Immortalitas, gloria ſempiterna, fruitio Dei in omnem æternitatem, ſecuritas. Breuiter, conſtans beatitudo & felicitas.

Oppoſita.

20 Hæc quanta bona ſint æſtimare eſt ex collatione malorum, quæ manent non habentes remiſſionem peccatorum: quæ ſunt, Mors æterna, non carens ſenſu, ſed fruitione Dei, qui vera vita eſt: Sempiterna miſeria, cruciatus corporis, vermis conſcientiæ, ſocietas cum diabolo & angelis eius in omnem æternitatem.

21 Qui ergo mala quæ præcedunt remiſſionem peccatorum, & quam dulcis ſit remiſſio peccatorũ, & quid cum ea coniunctum ſit, & quid eam tandẽ excipiat in æterna vita, intelligit, cur prædicatio remiſſionis peccatorum, dicatur Euangelium, hoc eſt, bonus ac lætus nuncius, ignorare non poteſt.

2. Peccatoribus.

22 Quibus offert Euangelium remiſſionem peccatorum? Peccatoribus, ĩiſq; omnibus abſq; diſcrimine ordinum, conditionum & nationum.

23 Sic enim Veritas dicit: prædicate Euangeliũ omni creaturæ, intelligens per Omnem creaturam, omnes homines cuiuſcunque ordinis, conditionis, & nationis.

24 Idem ait: Oportet prædicari remiſſionem peccatorum in omnes gentes, hoc eſt, omnibus gentibus: idq; in hunc finẽ, vt gentes fiant participes bonorum quæ offert Euangelium. Luc. 24. 46.

25 Paulus ſimiliter dicit: Certus eſt ſermo, quod Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere. Item: Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Vnus enim eſt Deus, & vnus Mediator Dei & hominum.

26 Qui ergo negãt gratiam eſſe vniuerſalẽ, corrumpunt doctrinam Euangelij, & Chriſto ſe opponunt: & miſerè ſeipſos & alios ſeducunt, concluſiũculis ſuis perperam ex Scriptura conſtructis capti.

27 Qua cum conditione offert Euangelium remiſſionem peccatorum omnibus peccatoribus? Cũ conditione pœnitentiæ, hoc eſt, ſi conuertantur per fidem ad prædicationem Euangelij. Ideo ait: Oportet prædicari pœnitentiam.

28 Conditio pœnitentiæ & fidei eadem eſt. Nã per fidem fit conuerſio. Ideo Dominus mandato de prædicando Euangelio inter omnes gentes addit: Quiſquis crediderit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.

29 Hæc conditio ſæpiſſimè inculcatur in Scripturis. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ergo non credens peribit. Qui enim non credit in Filium, ira Dei manet ſuper eum.

30 Vt autem conditio fidei requiritur, vt applicetur beneficium, hoc eſt, remiſſio peccatorum: ita conditio perſeuerantiæ neceſſaria eſt, vt retineatur acceptum.

31 Ideo autor Epiſtolæ ad Hebræ. dicit: Participes Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium fiduciæ eius, vſq; ad finem, firmum tenuerimus. Item: Qui perſeuerauerit vſque ad finem, hic ſaluus erit.

32 Hæc perſeuerantiæ conditio euertit dogma eorum, qui ſentiunt hominem, qui ſemel cepit credere, non poſſe amittere fidem: quaſi fides eſſe poſſit, vaſtata conſcientia, & expulſo de corde Spiritu ſancto, qui vbicunq; ſit, efficax eſt.

33 Porrò cum fides ſit voluntatis, ceptum eſt quæri, Quomodo ſe voluntas habeat in conuerſione, ſeu in apprehenſione quæ fit per fidem: paſſiuéne, an actiue?

34 Vt ad hanc quæſtionem rectè reſpondeatur, conferenda ſunt plura Scripturæ teſtimonia, qualia ſunt hæc. Hic eſt Filius meus dilectus, hunc audite. Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Deus operatur in nobis & velle & perficere. Spiritus adiuuat infirmitates noſtras. Exſuſcita donũ quod in te eſt. Contendite intrare per anguſtam portam. Quoties volui filios tuos congregare, & noluiſti? Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis. Nolite contriſtare Spiritũ ſanctum Dei.

35 Hæc & ſimilia teſtimonia vna conferenda ſunt, & non vnum aliquod ex illis ita arripiendum eſt, vt cætera, Sophiſtica eludantur.

36 Mandatum eſt vt audiamus vocem filij Dei. Huic mandato obtemperare poteſt hominis voluntas. Verùm quia, dum verbum auditur, voluntas per ſe aſſentiri non poteſt, Spiritus ſanctus adeſt, & mouet voluntatem, vt verbo aſſentiatur.

37 Hæc voluntas non habet ſe, vt ſaxum, quod violẽter trahitur: ſed vt poteſt aſſentiri Spiritui ſancto mouenti, ita ſua contumacia poteſt Spiritui ſancto reluctari.

38 Deinde, conuerſus & regenitus habet perpetuum opitulatorem Spiritum: vnde poteſt & debet voluntas piis exercitiis ſe magis magiſque excitare. Poteſt etiam Spiritum ſanctum contriſtare, & relabi in priores ſordes.

39 Quare vt crebræ Prophetarum exhortationes, lectio, meditatio, ſacræ cœnæ vſus, alacritati voluntatis excitandæ ſeruiunt: ita comminationes & ærumnæ præſentis vitæ, voluntatem veluti refrẹnare debent, ne Spiritum ſanctum expellat.

40 Habet ergo voluntas hominis ſe, cum in cõuerſione, tum poſt conuerſionem, partim paſſiuè, partim actiuè.

41 Abraham accipiens mandatum de mactando filio, omnia libera voluntate, mandato Dei poſtpoſuit. Quod factum cum Deus prædicat, ſatis oſtendit voluntatem Abrahæ non ſe habuiſſe vt ſaxum, ſed verè elegiſſe obedientiam erga Dei mandatum.

42 In voluntate ſiquidem eſt προαίρεσις, qua ipſa poteſt, pluribus monſtratis, alia præ aliis eligere.

4. Cuiuſnam merito Euangelium nobis offeratur.

43 Sequitur quod quarto loco propoſuimus, cuiuſnam merito Euangelium offerat remiſſionẽ peccatorum pœnitentibus? Ad quod reſpondet Dominus, cum addit: In nomine meo.

44 Hæc locutio, In nomine meo, vnum excludit, alterum includit. Excludit meritum hominis pœnitentis: & includit meritum Chriſti paſſi pro nobis & reſuſcitati.

Chriſti morte.

45 Porro triplex meritum Chriſti eſt, videlicet mortis, obedientiæ & interceſſionis.

46 Meritum mortis Chriſti abolet peccatũ, iuxta illud: Ecce agnus Dei qui tollit peccatum mundi.

47 Quicunque ergo aliunde, quã à merito mortis Chriſti, quẹrit peccati expiationem, puritatem Euangelij corrumpit, & mortem filij Dei extenuat. Nullum enim vnquam peccatum aboleri poteſt, niſi virtute ſanguinis Chriſti. Ideo autor Epiſtolæ ad Hebræ. ait: Chriſtus ſemel oblatus eſt, ad multorum exhaurienda peccata. Item: Sanguis Chriſti emundat conſcientias ab operibus mortuis. Item: Sine effuſione Sanguinis nulla fit remiſſio. Hebr. 5.6.7.8.&c.

Obedientia.

48 Meritum obedientiæ Chriſti, qua videlicet Legi Dei ſatisfactum eſt, nobis confert iuſtitiam. Nam Chriſtus ſuam obedientiam nobis imputat, qua iuſti appareamus in conſpectu Dei.

49 Ita enim Paulus ſcribit, Rom. 10.4. Chriſtus eſt finis Legis in iuſtitiam omni credenti. Item Quemadmodum vnius inobedientia multi ſunt cõſtituti peccatores: ita vnius (Chriſti) obediẽtia, multi ſunt conſtituti iuſti. Rom. 5.19.

50 Qui ergo in alia quauis re collocant iuſtitiã, qua iuſti ſumus coram Deo, quam in obedientia Chriſti credenti imputata, abolent Euangelium, & Chriſti beneficium non, vt par eſt, æſtimant.

Interceſſione.

51 Meritũ interceſſionis eſt, quo reconciliamur Deo. Chriſtus enim ſolus eſt Mediator Dei & hominum, & ſolus intercedit, ſoluſque exauditur.

XVI.

CONVENIENTIA ET *diſcrimen Legis & Euangelij.*

Idem autor.

1 CVm idem Deus ſit autor & Legis & Euangelij, fieri non poteſt, vt ſibi Lex & Euangelium repugnẽt: modò finis principalis & vltimus vtriuſque doctrinæ rectè conſideretur.

2 Idem enim planè requirit Deus, & Lege & Euangelio, ſi finem ſpectemus vltimum, videlicet, plenam perfectam, & ſpiritualem iuſtitiam, quæ eſt via vitæ æternæ. Nam ſine perfecta iuſtitia, hoc eſt, integra obedientia erga Legem Dei, nemo vitam ingreditur. Idẽ finis.

3 Verùm ſi modus quæritur, quo peruenitur ad finem Legi & Euangelio communem, maximum diſcrimen inter Legem & Euangelium apparebit. Modus verò diſcrimen conſtituit.

4 Deus ſiquidem Lege ſua requirit, vt homo ipſe Legem operibus impleat, quo operibus Legis iuſtificatus, vitam ingrediatur.

5 Hoc Deum velle ſua Lege, promiſsio benedictionis Legi addita, indicat. Præterea ſententia illa: Qui fecerit ea, viuet in eis. Idem confirmatur verbis Domini, dicentis: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Matt. 19.17.

6 Verùm quoniam conditio Legi addita, Si fecerit ea homo, viuet in eis, homini eſt impoſſibilis (nemo enim mortalium, iuxta communem naſcendi Legem natus, Legi Dei perfectam obedientiam præſtare poteſt) omnes homines ſententiæ damnatoriæ Legis primùm in Paradiſo latæ, deinde hominum mentibus impreſſæ, & de nouo promulgatæ in monte Sina, ſubiacent, donec finem Legis, hoc eſt, perfectam iuſtitiam conſequantur, qua conſiſtere coram tribunali Dei iuſti iudicis poſsint. Modi huius explicatio.

7 Cùm igitur homo finem Legis ſuis viribus aſſequi haud poteſt: Deus ex mera ſua bonitate, Euangelium proponit de Filio ſuo, qui factus homo, Legem impleuit perfecte, adeo vt ſententia Legis perfectẹ iuſtus iudicatus ſit: teſte ipſius glorioſa reſurrectione. Per Chriſtum in Euangelio oblatũ iuſtitiam obtinemus.

8 Hanc ſuam iuſtitiam, quæ eſt Legis perfecta obedientia, Filius Dei (cuius omnes actiones & paſſiones infiniti ſunt valoris) omnibus in ſe credentibus imputat, vt habeant ex imputatione, quod Lex requirit, hoc eſt, plenam & perfectam iuſtitiam, quẹ eſt via ad beatudinem.

9 Hoc autem ita eſſe Paulus ſæpe oſtendit. Rõ. 5.19. vnius (ſcilicet Chriſti) obedientia, iuſti conſtituentur multi 2. Cor. 5.21. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſtitia Dei in eo. Hoc eſt, ipſe factus eſt reus noſtro peccato, & nos facti ſumus iuſti ipſius iuſtitia. Quod Auguſtinus recte intellexit, cum diceret: *Noſtra delicta ſua delicta fecit, vt ſuam iuſtitiam noſtram iuſtitiam faceret.* Teſtimonia quibus patet nos iuſtificati ſola fide in Chriſtum

10 Sed quid clarius dicto illo Pauli Rom. 10.4. Chriſtus eſt finis Legis in iuſtitiam omni credenti, hoc eſt, omnis qui credit, habet quod Lex requirit, nempe iuſtitiam, non quidem à ſe factam, ſed ſibi imputatam, qua perfecte iuſtus coram tribunali Dei apparet.

11 Huius iuſtitiæ imputatæ credenti, illuſtre paradigma Paulus ſe ipſum ſtatuit, Philippen. 3. quum ait: Exiſtimo omnia damnum eſſe propter eminentiam cognitionis Chriſti Ieſu Domini mei, propter quem omnium iacturam feci, & arbitror, vt σκύβαλα, vt Chriſtum lucrifaciam, & comperiar in eo non habens meam iuſtitiam, nempe quæ eſt ex Lege, ſed eam quæ per fidem eſt Chriſti, iuſtitiam, inquam, quæ eſt ex Deo per fidem.

12 Hîc Paulus diſertè deſtinguit inter iuſtitiam Legis & Euangelij. Legis iuſtitia eſt, cum homo ipſe Legem præſtat. Euangelij iuſtitia eſt, cũ Deus imputat iuſtitiam credenti, quæ imputata iuſtitia, eſt obedientia legis à Filio Dei præſtita, quam ipſe

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

imputat,& gratis donat in ſe credentibus. Promiſſio enim Euangelij, conditionem fidei requirit.

13 Eſt ergo hæc iuſtitia hominis credentis, donum Chriſti. Nam ſi homo ipſe potuiſſet iuſtificari Lege: Chriſtus non mortuus fuiſſet, vt Paulus docet, Gal.2.

14 Habemus ergo, & in quo conueniant Lex & Euãgelium, ſi finem reſpicimus, nempe in eo, quod vtraque doctrina requirat iuſtitiam, viam vitæ ęternæ, & in quo diſcrepent, videlicet in modo obtinendæ iſtius iuſtitiæ. Lex enim requirit ab homine propriam hominis iuſtitiam, quam ipſe facit: Euangelium offert alienam, nempe Chriſti, fidę accipiendam, vt iſto pacto legi Dei ſatisfiat.

Papiſtarũ obiectioni de legis poſſibilitate reſpõſio.

15 Papiſtæ autem, vt hanc dulciſſimam doctrinam & myſterium ſolo verbo Dei Eccleſiæ reuelatum, de modo obtinendæ iuſtitiæ quam Lex requirit, obruant, clamant nos Deum Tyrannidis accuſare, vt quem Legem impoſſibilem dediſſe doceamus. Sed ipſi potius reprehendendi, qui non rectè diſcernunt inter Deum & Tyrannum, qui in Legibus ſuis, omnibus cauſis differunt, ita prorſus, vt in nulla conueniant.

16 Nam, ſi cauſſam efficientem & finalem ſpectes: in Deo, efficiens eſt iuſtitia: finis autem, miſericordia. (Matt.18.) In Tyranno, efficiens malitia eſt: finis, crudelitas. Si materiam & formam conſideres: Deus, ſancta, iuſta & ſalutaria ex fide facienda in gloriam Dei imperat: Tyrannus contrà, profana, iniuſta, pernicioſa.

17 Præterea Lex & Euangelium etiam in hoc conueniunt, quod vtraque doctrina peccatum arguat, etſi diuerſimodè. Vtrumque enim rectè dicitur. Lex arguit peccatum. Euangelium arguit peccatum: ſed illa, per ſe & proprie: hoc, ex conſequenti & per accidens.

18 Lex enim cum dicit. Maledictus omnis, qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro Legis, manifeſtè omnes homines peccati arguit, eoſque reos coram tribunali Dei peragit, donec prodeant Chriſti ornati iuſtitia. Euangelium autem, quoties Chriſtum nominat panem vitæ æternæ, lucem mundi, ſaluatorem in ſe credentium, donatorem vitæ æternæ, agnum Dei tollentem peccata mundi: toties ex conſequenti ſequitur, omnes argui reos peccati, & damnari, qui ad Chriſtum non confugiunt, & in eum non credunt. Quod Iudæi optimè ex concionibus Chriſti intellexerunt. Ex quo factum eſt, quod tam rabioſè ſe Chriſto oppoſuerint, vt qui eorum peccata eis ob oculos poſuerit.

Aliud diſcrimẽ Legis & Euãgelij.

19 Adhæc differunt Lex & Euangelium etiam hoc modo. Lex prędicat iram & maledictionem: Euangelium contrà, Gratiam & benedictionem. Lex monſtrat culpam & pœnam: Euangelium prædicat remiſſionem culpæ, & abſolutionem à pœna. Lex morbum & ægrotum: Euangelium medicum & remedium indicat.

20 Æternæ enim maledictioni Legis: Euangelium opponit prędicationem μετανοίας, id eſt, pœnitentiæ, ſeu, conuerſionis, & promiſſionem vniuerſalem & gratuitam de remiſſione peccatorum, & de acceptatione coram Deo, & vitam æternam propter Filium Dei, Mediatorem.

21 Quia igitur ſolum Euangelium nouit remedium contra maledictionem Legis, ſolum etiam prædicat pœnitentiam in nomine Chriſti: & non Lex, quę nihil planè de remedio contra maledictionem, & mortem æternam nouit.

22 Facientibus quidem Legem, quales nulli ſunt, benedictionem promittit Lex, non autem ſacientibus Legem, quales omnes ſumus, nobis relictis, maledictionem minatur; neque vltra hos terminos ſe Lex extendit.

23 Hinc iam intelligi poteſt, quid ſit iuſtificare, Legis ſententia, & quid iuxta Euangelium. Iuſtificare, Legis ſententia, eſt Deum, defendente Moſe, & propria hominis conſcientia excuſante, hominem Legis obſeruatorem, ſeu, impletorem, innocentem dicere, iuſtum pronuntiare ac vitæ æternæ, & benedictum à Deo, adiudicare. Atque hoc pacto ſolus Chriſtus, Deus & homo, iuſtificatus eſt.

24 Iuſtificare, iuxta Euangelium, eſt Deum, intercedente Sacerdote Chriſto, hominem pœnitentem à reatu abſoluere, propter λύτρον ſolutum à Chriſto, iuſtum pronuntiare propter iuſtitiam Chriſti illi imputatam, ac vitæ æternæ, vt Filium dilectum in dilecto gratis propter Chriſtum, adiudicare.

25 Quicunque igitur prædicationem pœnitentiæ, non ſubiiciunt ſoli Euangelio, confundunt has diuerſas actiones, tempore & ordine diſtinctas: Accuſare peccatum, & prædicare pœnitentiam: nec rectè perpendũnt diſcrimen Legis & Euangelij.

26 Pœnitentia enim cum pro μετανοία ponitur, vſu veteris interpretis, propriiſſimè eſt conuerſio hominis ad Deum, per fidem in Ieſum Chriſtum, quæ, vt ſequitur compunctionem ob peccatum: ita cauſa eſt nouitatis vitæ. Hoc plurima Scripturæ teſtimonia conuincunt. Luc.16. πιστεύειν καὶ μετανοεῖν pro eodem ponuntur. Paulus 2. Cor.7. diſtinguit dolorem ſecũdum Deum à pœnitentia, cum dicit: Dolorem ſecundum Deum operari μετάνοιαν ad ſalutem. Chriſtus μεταμέλειαν pręcedere conuerſionem affirmat. Baptiſta, nouitatem vitæ vocat fructum pœnitentiæ dignum. Petrus μετάνοιαν compunctioni ſubiicit, & ante nouam obedientiam collocat.

27 Hæc teſtimonia clariſſimè ponunt ob oculos quid ſit pœnitentia, ſeu, μετάνοια, nempe, conuerſio hominis agnoſcentis iram Dei propter peccatũ, ad Deum, per fidem in Ieſum Chriſtum.

28 Verùm cum tres nominantur pœnitentiæ partes, Synecdoche eſt, cuius hæc eſt ratio. Contritio neceſſario præcedit conuerſionem quæ fit per fidem, & nouitas vitæ neceſſario comitatur conuerſionem. Quare vt omnia complecterentur doctores Eccleſiæ, bono conſilio tradiderunt tres eſſe partes pœnitentiæ, idq; reſpectu finis, qui eſt in hac vita ſeruire Deo in iuſtitia & ſanctitate vera.

29 Harum partium prima, Contritio, (id eſt dolor cordis, ex agnitione peccati, & ſenſu iuſtæ iræ Dei, & iuſtæ damnationis noſtræ conceptus) antecedens pars pœnitentiæ recte dicitur.

30 Secunda, formalis, videlicet, conũerſio per fidem, ſeu, fides ipſa, (quæ eſt lætitia cordis ex agnitione miſericordiæ Dei, & fiducia remiſſionis peccatorum propter meritum Chriſti, per Spiritũ ſanctum, ad prædicationẽ Euangelij, excitata) recte appellatur.

31 Tertia, conſequens pars dici poteſt, Noua obedientia, quæ eſt alacritas cordis ad obediendũ Deo, à Spiritu adoptionis accenſa.

32 Etſi autem agnitio peccati ex Lege eſt: tamen prædicatio pœnitentiæ non eſt Legis, ſed Euangelij propria. Siquidem agnitio peccati, ſeu, dolor ob peccatũ, non eſt ipſa pœnitentia, ſeu, conuerſio, ſed paraſceue quædã ad pœnitentiam, ſeu, pars, vt diximus, antecedens, quæ Deo non placet, priuſquam fide temperetur. Quod cum ſit, ſacrificium Deo

Deo gratum exiſtit, iuxta illud: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Item: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Pſal. 51.

Alius papiſtarum error. 33 Porrò cum papiſtæ vtrumque, hoc eſt Decalogum & Euangelium, Legem operum definiunt, vt illa ſit imperfectior, hoc perfectior Lex, vt quę non tantum manum, verum etiam animum cohibeat: ſatis declarant ſe nunquam didiciſſe quid ſit Euangelium.

34 Neque enim ex interpretatione Legis, qua Chriſtus corrigit corruptelas Phariſaicas, efficient, quod Chriſtus ſit nouus Legiſlator: neque quia ait: Hoc eſt pręceptum meum vt diligatis vos inuicem, definiuiſſe Euangelium putandus eſt: ſed cum dicit: Oportet prædicari pœnitentiam & remiſſionẽ peccatorum in nomine meo, in omnes gentes, Euangelium propriiſsime definit.

35 Diſcernendum eſt igitur, inter doctrinam de Chriſti beneficio proprio quæ eſt Euangelium de pœnitentia & remiſſione peccatorum, & de officio noſtro debito, quod eſt ex fide præſtare Deo nouã obedientiam.

36 Hæc noua obedientia Deo præſtanda, cultus Dei Spiritualis eſt, & ſacrificium ipſi gratiſſimum, cuius quidem materiam Lex: formam verò Euangelium monſtrat.

37 Eſt autẽ forma veri cultus Dei, opus quodlibet lege Dei præceptum ex fide fieri, in gloriam Dei principaliter: cuius tamẽ intermedij fines, plures eſſe poſſunt, quorum regula, Fides & charitas eſſe debent.

XVII.

OBEDIENTIA NOVA.

Quid. 1 OBEDIENTIA propriè eſt mandati ſuperioris prompta & debita executio.

Cur dicitur noua, 2 Obedientia noua dicitur, quæ eſt nouorum hominum qui per fidem & Spiritum Dei nati ſunt filij Dei, vt Deo ſeruiant in iuſtitia & ſanctitate vera.

Eius fundamentum 3 Hic ergo duo ante omnia tenenda ſunt. Primũ, Vbi nullum eſt mandatum, ibi nulla obedientia. Secundum, vbi non præcedit noua natiuitas, obedientia præſtari nequit, niſi ſeruilis. *Cauſa.*

4 Duo ſunt quæ renatum ad obedientiam Deo præſtandam merito flectere debent, Obligatio, & finium excellentia.

Obligatio quadruplex. 5 Obligationis obedientiæ erga Deum quatuor ſunt modi.

6 Primus, obligamur vt creatura creatori. Eſt enim æternum debitum gratitudinis (quę in obedientia poſita eſt) creaturæ erga creatorem.

7 Secundus, obligamur vt ſerui Domino. Si Dominus ego ſum, vbi timor meus?

8 Tertius, obligamur vt filij patri. Si pater ego ſum, vbi honor meus? Cum ergo nos ſimus filij Dei, non ſolum creatione, verumetiam regeneratione: par eſt, vt Deum tanquam patrem optimum, vera obedientia colamus.

9 Quartus, obligamur vt grati erga benefactorem. Cum ergo Dei beneficia erga nos ſunt omnium maxima, debetur illi profecto maxima gratitudo, quæ in mandati ipſius prompta executione cernitur.

Gradus obedientię 10 Gradus obediẽtię erga Deum in genere ſunt duo, videlicet, Dilectio Dei, & dilectio proximi. Horum ſinguli habent gradus inferiores iuxta decalogi præcepta.

11 Dilectio Dei concipitur ex notitia paterni affectus in Deo erga nos: naſcitur ex fiducia Chriſti: creſcit per Spiritum fidei: roboratur cogitatione cumuli beneficiorũ Dei, corporalium & ſpiritualium: cernitur in obedientia ſub cruce, & in ſanctitate vitæ, quæ tametſi perfecta præſtari nequit, tamen placet, quia filij ſumus.

12 Dilectio proximi habet cauſſas, Mandatum Dei, vinculum naturæ & gratiæ, & neceſsitatem conſequentiæ. Qui enim dicit ſe Deum diligere, & proximum ſuum odit, mendax eſt: & charitas Dei in eo non eſt.

13 Finis obedientiæ eſt adeo multiplex, vtilis & neceſſarius, vt qui eo non mouetur, ne hominis quidem titulo dignus ſit, nedum filij Dei. Diſtingui autem poſſunt fines commodè hoc modo. *2 Finis multiplex*

14 Primus, vt fideles ſua obedientia teſtentur ſe renuntiaſſe ſatanæ hoſti Dei, ac Deo ſe ſubieciſſe ad obediẽdum ipſi per iuſtitiam & ſanctitatem veram, in ipſius gloriam, iuxta ſtipulationem in Baptiſmo factam.

15 Secundus, vt fideles teſtentur ſe eſſe ſocios caſtiſsimorum ſpirituum in cœlo, qui Deo ſemper aſsiſtunt, vident eius faciem parati ad imperata ipſius exequenda. Ob hanc cauſſam fideles orantes dicunt: Fiat voluntas tua, quemadmodum in cœlo, ſic etiam in terra,

16 Tertius, vt fideles teſtentur ſe eſſe ſocios omnium timentium nomem Dei in terra cùm Dauide, qui ait: Socius ſum omnium timentium nomen Domini, & cuſtodientium mandata eius, Pſal. 119.

17 Quartus, vt fideles, cum ſint templum Dei, offerant in eo holocauſtum & thymiama, & ornent cornua Altaris frondibus & floribus obedientiæ.

18 Quintus, vt opera obedientiæ in filiis Dei & fratribus Ieſu Chriſti ſint veluti συνθήματα quædam militaria, quibus Chriſtiani teſtẽtur ſe militare ſub vexillo Ducis ſui Ieſu Chriſti, contra peccatum & diabolum.

19 Sextus, vt bona opera ſint fulcra bonæ conſcientiæ, quæ fidei quoddam propugnaculum eſt, ne ipſa patiatur naufragium. Vaſtata enim conſcientia per cõtumaciam erga Deum, fidei fit naufragium, vt Paulus docet.

20 Septimus, vt alij inuitentur exemplo. Ideo ſcriptum eſt: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt cum videant veſtra bona opera, glorificẽt patrem veſtrum, qui eſt in cœlis.

21 Octauus, vt obedientes præmia temporalia & æterna conſequantur, iuxta promiſsionem: quam promiſsionẽ non ſolum licet, verumetiam oportet intueri, & ſcire Deũ nõ eſſe vanũ in ſuis promiſsis.

22 Porrò, huic noſtræ ſententiæ de obedientia erga Deum, tria genera hominum aduerſantur. Quidam enim plus tribuunt obedientiæ hominis, quàm par eſt: quidam plus, quàm decet, adimunt, quidam plane deſtruunt. *Errores.*

23 Plus tribuunt obedientiæ hominis papiſtæ quàm par eſt, cum fingunt opera eſſe cauſſas iuſtificationis coram Deo, & merita vitæ æternæ. Vtrumque pugnat cum Paulo, qui docet obedientiam erga Deum, eſſe finem iuſtificationis: & vitam æternam, donum Dei per Ieſum Chriſtum. *Papiſtarũ,*

24 Plus adimunt obedientiæ quam par eſt, qui clamant eam non cohęrere cum fide, nec eſſe neceſſariam: cum tamen Chriſtus, & Paulus dicant nos debitores eſſe: & natura fidei ſit per dilectionem operari: ſitq́ue nota diſcipulorum Chriſti, ſe mutuò exemplo Chriſti, diligere. *Epicureorum,*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Monachorum.

25 Deſtruunt rationem veræ obedientiæ Monachi, cum mandata hominum definiunt obedientiam erga Deum, qua Deus colitur, contra Eſaiam & Chriſtum, qui teſtantur Deum non coli mandatis hominum.

26 Ex hoc falſo principio extruxerunt miſſas, Indulgentias inuocationes mortuorum, & alias multas ſuperſtitiones: quas cultum Dei definiunt, quod probare difficilius ipſis erit, quam Oceanum cribro exhaurire.

27 Præſertim, cum iſta omnia pugnent cum obedientia erga Deum, & inobedientiæ ſeu contumaciæ ſint ſubiicienda.

Inobediẽtia quadruplex.

28 Eſt enim inobedientia contra Deum, quadruplex: videlicet, non facere imperata: facere imperata, ſed non debito modo ac ordine: facere contra interdictum: & comminiſci cultus, præter mandatum Dei.

XVIII.

CVLTVS DEI.

Hominũ officium.

1 HOMINES ad prædicationem Euangelij (quæ eſt pœnitentiæ & remiſsionis peccatorum in nomine Chriſti) conuerſi & ſpiritualiter renati, Deo ſpiritualem quendam cultum debent, quem ſoli credentes & intelligunt & præſtare poſſunt.

Philoſophorum cæcitas in rebus diuinis.

2 Philoſophi quidem omnibus ætatibus ſe torſerunt, in tradenda huius cultus ratione: & quidam ex illis, vt Socrates, Plato, Xenophon, &c. multas præclaras gnomas reliquerunt: ſed nullus eorum ſcientiam colendi Deum veram monſtrauit.

3 Nam, etſi principia quædam huius cultus naturæ lumine viderunt Philoſophi: tamẽ, priuſquam ad rem deuentum eſt, in horribiles demerſi tenebras, & ſe, & ſuæ doctrinæ ſectatores miſere deceperunt: ac à vero Deo aberrantes, creaturas & dæmonia coluerunt, ſicuti cum hiſtoria mundi Paulus Apoſtolus teſtatur.

Eccleſiæ cæcitas.

4 Verum de tenebris iſtis ſuam Eccleſiam educit Dominus, prætenſa verbi ſui lucerna, ſicuti ſanctus ille rex Dauid teſtatur, cum inquit: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Pſal. 119.

5 Huius lucernæ ſplendore, quæ ad ſubſtantiam huius diuini cultus pertinent, inquirere operæpretium eſt: ne vel cum Philoſophis vmbras inanes ſectemur: vel de vno errore in alium cum Monachis ſpreta lucerna cœleſti feramur.

Partes præcipuæ cultus Dei.

6 Sunt autem quatuor, quibus probè ex verbo Dei perceptis, ſolida cultus Dei ſcientia haberi poteſt. 1. Regula, ad quam tanquam ad Lydium lapidem exigendus eſt cultus Dei. 2. Fundamentum. 3. Definitio ſeu ratio. 4. Cultus Dei in ſuas quaſdam formas ſectio.

1. Regula generalis.

7 Regula cultus Dei generalis eſt hæc: Nullus cultus Deo acceptus eſt, niſi quem ipſe Deus proprio ſuo verbo ordinat, ac homini commendat.

8 Hanc regulam vox Dei apud Eſaiam, & Dominus in Euangelio confirmat, cum inquit: Fruſtra colunt me docẽtes doctrinas & mãdata hominum. Et Paulus clare damnat omnes ἐθελοθρησκείας, hoc eſt, cultus quos homines, bona, vt dicunt, intentione excogitant. Huc accedit quod Paulus diſerte pronunciat, impoſsibile eſſe placere Deo ſine fide. Et rurſus, Quicquid non eſt ex fide, peccatum eſt. Vide Eſai. 29. Matth. 15. Coloſ. 3. Rom. 14. Hebr. 11.

9 Hanc ergo regulam teneant pij, & quiduis potius patiantur, quam vt ſinant eam ſibi vlla diabolorum, aut hominum tyrannide, hypocriſi & Sophiſtica eripi. Nam ea amiſſa, omnis ſuperſtitionis & idololatriæ ianua eſt aperta, & regnum Chriſti inuaditur.

10 Vſus huius Regulę eſt multiplex. Primum enim, ea ſtabilitur autoritas Legiſlatoris Dei. Nam vt in Republica, vbi liberum eſt cuilibet condere Leges pro ſuo arbitrio, autoritatem ſupremi domini vileſcere neceſſe eſt: ita etiam in eccleſia Dei autoritas contemnitur, quando alij alios cultus Eccleſiæ obtrudunt. Quare cum hanc autoritatem ſibi ſoli vẽdicat Dominus in primo præcepto: caueat puluis & cinis, ne ſibi honorem diuinæ maieſtatis vſurpet.

11 Deinde, hæc regula liberat nos ab errore Ethnico, Phariſaico & Papiſtico, ne cum illis, ſine modo, ſuperſtitiones & ἐθελοθρησκείας cumulemus.

12 Præterea, nos animat hæc regula, ad audacter contemnendas, & deteſtandas omnes paparum, ac monachorum regulas ac leges, quas volunt Eccleſię obtrudere, cum infinitis penè cultus generibus, de quibus vox Dei nullum plane verbum habet. Quare vtut ſpecioſæ ſunt humanæ leges, de cultibus, quos ignorat verbum Dei, ſecure à piis omnibus contemnantur ac vitentur, non ſecus atque ſerpens: qui in Paradiſo decepit Euam.

13 Donec enim ſteterit vox Dei, & regula, quam ſequimur: fieri non poteſt aliud, quam vt omnes cultus, quos non tradit verbum Dei, ſint cultus dæmoniorum, quemadmodum & Paulus teſtatur. 1. Tim. 4. 1.

14 Sequitur ſecundo loco fundamentum cultus Dei, quod in quouis homine, volente Deum rite colere, iactum eſſe oportet. Huius fundamenti duæ ſunt partes: cognitio Dei, & cognitio noſtri.

15 Cognitionem Dei conſequimur duabus rebus, nimirum verbo & teſtimonio. Hæ enim duæ res cõiunctæ, docent nos, quod Deus ſit fons omnis virtutis, iuſtitiæ, ſapientiæ, veritatis, ſalutis: quod Deus ſit ad iuuandum promptus ſua natura: quodque illi ſoli omnis gloria ſit tribuenda.

16 Quod autem hæc Dei cognitio ſit pars fundamenti cultus Dei, teſtatur ipſe Deus, Eſaiæ 19. 21. Cognoſcent Ægyptij Dominum in die illo, & faciẽt ſacrificia & oblationem, vouebúntque vota Domino, ac reddent.

17 Cognitio noſtri, quam dixi alteram partem eſſe fundamenti cultus Dei, ex trium rerum contemplatiõne petenda eſt: nimirum ex fine creationis, ex virium præſentium æſtimatione: ex facilitate lapſus in peccatum.

18 Finis docet officium, quod eſt referre imaginem Dei in ſyncera pietate, & iuſtitia vera. Vires præſentes docent, quod præſtare Deo debitam obedientiam minime valeamus. Lapſus frequentes, nos admonent fragilitatis noſtræ & infirmitatis.

19 Harum rerum conſideratio non hypocritica, facit vt omnem gloriandi materiam abiiciamus, & nos ſoli diuinæ bonitati committamus, omni fiducia ſalutis coniecta in Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Nam ipſe fons ille eſt, de quo Pater cœleſtis vult nos aquas ſalutis haurire.

20 Tertio loco propoſui cultus Dei definitionem certam tenendam eſſe, qualis eſt hæc: Cultus Dei eſt opus mandatum à Deo, factum ex fide, in celebrationem gloriæ Dei principaliter.

21 In hac definitione ſunt tria, quæ neceſſario coniuncta ſunt in vero Dei cultu: Opus pręceptum, Fides, Celebratio Dei. Nam ſi vnum ex his dempſeris,

ris,actio quantumuis ſpecioſa, non habet rationem cultus Dei.

1. Opus præceptum.

22 Opus præceptum, eſt materia cultus Dei, ſine qua cultus Dei eſſe non poteſt. Verum ſi quis peregrinam materiam ſubſtituat, cultus Dei non erit. Vt inuocatio Sanctorum eſt opus, Celebrare miſſam eſt opus, Roſarium peragere eſt opus: ſed quia à Deo non ſunt præcepta, non poſſunt eſſe materia cultus Dei, ſed impię potius ſuperſtitionis.

2. Fides.

23 Secundum, quod neceſſariò requiritur in ratione cultus Dei, eſt fides. Nam opus præceptum non eſt cultus, niſi fides ſit eius effectrix. Caſtus fuit Xenocrates, caſtus fuit & Ioſeph, vtrique caſtitas erat præcepta: ſed quia ille fide vacuus erat, eius caſtitas non fuit cultus Dei: huius verò, quia fides pręlucebat, cultus Deo gratiſsimus, qui in gloriam Dei in tota Ægypto ceſsit. Similiter Dauidis militia cultus Dei fuit: Scipionis, minimè.

Rationes ſex quod fides requiratur.

24 Quod autem fides neceſſariò requiratur, vt quæ formet opus, multæ ſunt rationes. *Prima*, Nullum opus placet, niſi prius perſona placeat: placet autem fide. *Secunda*, Opus non placet niſi ſit iuſtum. Nunc autem vt perſona iuſtificatur fide: ita opera, quæ facit iuſtificatus, iuſta habentur propter fidem. *Tertia*, Fides facit, vt voluntarium ſit noſtrum obſequium, & non veluti coactum minis legalibus, quod in cultu Dei requiritur. *Quarta*, Fides facit vt opus externum ſit ſpiritualis cultus. Oportet enim omnem Dei cultum ſpiritualem eſſe. *Quinta*, Differentiam facit fides inter cultum verum Dei, & alias omnes ſuperſtitiones. *Sexta*, Fides tegit defectus operum, & infirmitates multas, quibus alioqui contaminaretur cultus Dei.

Sine fide omnia impura.

25 Proinde omne opus cui non prælucet fides, ſiue præceptum ſit, ſiue liberum: impurum, ſuperſtitioſum: carnale eſt. Impurum, quia ex impuro corde proficiſcitur: Superſtitioſum, quia non regitur fide: Carnale, quia ſpiritu Chriſti deſtituitur.

Exempli.

26 Phariſæus in Euangelio liberalis fuit in pauperes, fuit caſtus, fuit ſobri9, ex iuſtè partis vixit. Hęc ſi præceptum tantùm conſideres, præclara fuerunt omnia: ſed quia vacuus erat fide, omnia iſta ſunt impuritate animi contaminata, atque ideo abominabilia coram Deo. Contra autem Cornelij aulici eleemoſyna, caſtitas, ſobrietas, iuſtitia, placuerunt Deo, vt ſpiritualis cultus. Nam prælucebat fides.

Aduerſus opera papiſtica.

27 Hinc facilè eſt iudicare, quid ſit ſentiendum de operibus, quæ Papa vt cultum Dei, Tyrannide, Sophiſtica, & hypocriſi tuetur: qualia ſunt, Monaſtica vita, vota impuri cœlibatus, aqua luſtrali aſpergi, inũgi vnguento pontificio, inuocare Sanctos, peregrinari ad loca longinqua religionis ergo, adorare reliquias Sanctorum, miſſare pro viuis & mortuis, circumgeſtare panem, reponere panem intra cancellos vt adoretur, & eius generis pene infinita: quæ omnia ſunt apertiſsimi characteres Antichriſti.

28 Huiuſmodi itaque Papalia opera qui ponit in cultu Dei, quid ſit cultus Dei nunquam didicit. Nam nihil in iis eſt, quod ad cultus Dei rationem pertinet. An non apertè contra regulam ſupra traditam pugnant? An non omnibus partibus deſtituuntur, quæ requiruntur in vera cultus Dei ratione? Quare iſta relinquamus Satanæ Toparchæ, hoc eſt, Antichriſto: & nos ſequamur facem verbi Dei, quæ ſola nobis veram viam cultus ſalutis monſtrat.

3. Celebratio gloriæ Dei.

29 Tertium definitionis cultus Dei membrum fecimus, vt opus præceptum, ex fide factum, tendat in celebrationem gloriæ Dei. Vt enim à fide proficiſci debet omnis cultus Dei: ſic tendat in gloriam Dei principaliter neceſſe eſt: ita vt gloria Dei ſit vltimus finis operis.

Teſtimonia.

30 Hoc confirmatur Eſaiæ dicto cap. 43. 7. Omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, feci eum. Et Dominus apud Matth. 5. 16. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt glorificent Patrem veſtrum cœleſtem. Huc & illud Auguſtini aduerſus Iulianum: *Noueris itaque non officiis, ſed finibus, à vitiis diſcernendas eſſe virtutes. Officium autem eſt, quod faciendum: finis verò, propter quod faciendum eſt. Cum itaque facit homo aliquid, vbi peccare non videtur, ſed non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare conuincitur.*

4. Cultus Dei in quaſdam formas ſectio.

31 Etſi autem vltimus & principalis finis cultus Dei eſt gloria Dei: tamen nihil prohibet gradus eſſe mediorum finium, qui vltimo deſtinantur. Dauid militat, vt defendat ciues: defendit ciues, vt incolumis ſit Reſpublica: vult incolumem rempublicam vt doctrina religionis conſeruetur, & propagetur: idque ideo, vt Deus glorificetur.

32 Poſtremum quod ſpectandum in cultu Dei propoſui, eſt eius in ſuas formas, ſeu potius modos ſectio. Hæc ſectio ideo obſeruanda eſt diligentius, quia non ſolùm oſtendit quam latè pateat cultus Dei: verumetiam errorem eorum confutat, qui otioſos homines propterea quod non attingant rempublicam, ſolos Deum in ſuo ocio colere exiſtimãt. quaſi non multò melius militi, iudici, marito, &c. pateret via ad colendum Deum, quam otioſo ventri qui fumos auro commutat.

33 In vniuerſum itaque cultus Dei duplex eſt. Internus & externus, quorum poſterior ſine priore cultus rationem non habet. Prior, eſt animi: poſterior eſt corporis.

Internus.

34 Vterque Deo iuſtè debetur. Nam quoad animam, creauit hominem ad imaginem ſuam, & corpus finxit ex limo terræ, ac omnes vires contulit, ac conſeruat. Huc illud Pauli: Glorificate Deum in corpore veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei. 1. Corinth. 6. 20.

Externus

35 Vt internus cultus eſt motus cordis purificati fide, congruens cum Lege Dei: ita externus eſt actio externa, quæ motu cordis regitur, congruens ad normam voluntatis Dei. Vterque differentias recipit iuxta gradus præceptorum Decalogi, & diſcrimina vocationum in ſtatibus à Deo approbatis, hoc eſt, in Oeconomico, politico, & Eccleſiaſtico. Hi enim tres ſtatus, ſoli approbantur à Deo, cum omnibus artibus & officiis, quæ faciunt ad eorum incolumitatem conſeruandam.

36 Hæc varietas cultus diuini, non euertit quod ſupra tradidimus, videlicet, quòd omnis cultus Dei ſit ſpiritualis. Hæc enim differentia non ſumitur à qualitate operis, ſed à qualitate animi, qui agitur ſpiritu Dei. Propter hunc ſpiritus motum, omne opus factum ex fide in celebrationem Dei, dicitur & eſt, ſpiritualis cultus.

37 Solos enim hos cultores requirit Pater cœleſtis, teſte Filio, qui eum colunt in Spiritu & veritate, hoc eſt, qui veris moribus Spiritus ſancti aguntur ad præſtandam Dei obedientiam, cum communem cum omnibus piis, tum propriam cuiuſque in ſua vocatione.

XIX.

BONA OPERA.

Neceſſitas & methodus huius doctrinæ.

1 NECESSE eſt recte doceri Eccleſiam Chriſti de bonis operibus, & de eorum neceſſi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tate. Nam vbi hîc erratur, magnas tenebras in reliquis doctrinæ partibus ſequi manifeſtum eſt.

2 Sex autem quæſtiones ſunt, quæ ex verbo Dei rectè explicatæ, clarè docebunt quid ſit piè ſentiendum de bonis operibus, & omnes errores, cum veterum, tum recentium apertè refellent.

Queſtiones præcipuæ.

3 Quæſtiones autem hæ ſunt. *Prima*, Quænam opera docenda ſint & facienda. *Secunda*, Quomodo fieri poſsint. *Tertia*, Quomodo placeant. *Quarta* Quęnam ſint cauſſæ bonorum operum. *Quinta*, Cur promiſsiones additę ſint bonis operibus. *Sexta*, Quoniam omnes homines habent peccatum, meritò etiam quæri poteſt, quorum hominum obedientia placeat, & quorum non.

DE PRIMA QVAEſtione.

Qui nos ſimus.

4 Cum quæritur quæ opera docenda & facienda ſint, duo imprimis perpendere oportebit: 1. Qui nos ſimus, quibus bene agendi incumbit neceſsitas. 2. Quiſnam ille, cui bene operando, placere ſtudebimus.

5 Cum nos intuemur, noſtra corruptio nobis in mentem veniet, qua noſtra mens ita obſcurata eſt, vt nec quid Deo placeat, nec quid ei diſpliceat per nos intelligamus. Quare extremæ erit inſanię, ſi nos velimus opera excogitare, quibus nos Deum colere ſine eius mandato ſtatuerimus, præſertim cum ipſe dicit: Fruſtra me colunt mandatis hominum.

Quis Deus ſit.

6 At ſi Deum intuemur, eius maieſtas nobis in mentem veniet, quæ nos meritò reuerentiæ erga ipſum admonebit, ex quo fiet, vt hoc ſolum illi placere ſtatuamus, quod ipſe ſuo præſcribit nobis verbo.

7 Huc illud Ezechielis 20.18. In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere, nec iudicia eorum cuſtodiatis, nec idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus veſter, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea cuſtodite, & facite ea. Item ca.3.17. Speculatorem dedi te domui Iſrael: audiens ergo ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis ex me.

Quæ opera facienda

8 Hinc manifeſtè concluditur, nec alia opera docenda aut facienda eſſe, quam quæ nobis verbo ſuo Deus commendat, quorũ Epitome eſt Decalogus.

9 Hæc concluſio euertit omnia Papiſtarum & hypocritarum deliramẽta, qui Eccleſiæ Chriſti ſuas obtrudunt traditiones: quarum multæ manifeſtè pugnant cum voce Dei, & ſunt doctrinæ vt Paulus 1. Tim.14.1. loquitur, dæmoniorum.

DE SECVNDA QVAEſtione.

Tria hîc requiruntur.

10 Poſtquam mens pij hominis edocta eſt, quęnam opera ſint facienda, mox in hac humana fragilitate quærit, Quomodo fieri poſsint? Hic cum alij aliter reſpondeant, neceſſe eſt id quærere, in quo mẽs pia tutò acquieſcere poteſt.

Chriſti cognitio.

11 Chriſtus dicit diſcipulis ſuis Ioan.15.5. ſine me nihil poteſtis facere. Loquitur enim de ſalutaribus actionibus, quæ dici bona opera poſſunt. Et Paulus dicit Hebr. 11. 6. ſine fide impoſsibile eſſe placere Deo. Et idem: Qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filij Dei. Rom.8.14.

Fides.

12 Ex hiſce teſtimoniis luce clarius patet, quod hæc ordine requirantur, vt bona opera fieri poſsint. Primùm, Chriſti cognitio. Secundò, Fides, quæ eſt viua in Chriſtum Mediatorem fiducia, qua homo ſola iuſtificatur. Tertiò, Viuificatio, quæ fit cum Chriſtus, ad prædicationem Euangelij, Spiritum ſuum in

Viuificatio.

nos effundit: ſine quo perſimiles ſumus arido ramo. Cum autem in Chriſtum credimus, nouæ vires acquiruntur, iuxta illud: Qui ſperant in Dominum, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquila, current & non laborabunt, & ſi laborabunt, non deficient.

13 Sine ergo notitia Chriſti, fiducia in Chriſtum & viuificatione per Spiritum ſanctum, ne inchoari quidem poſſunt bona opera, nedum fieri aut conſummari.

Errores.

14 Damnandus ergo error eorum eſt, qui vel à profanis Ethnicis fieri bona opera poſſe, quæ Deo placeant, exiſtimãt: vel puris naturalibus, vt loquuntur, & vi liberi arbitrij præſtari Deo obedientiam clamitant: vel bona opera hominum in cauſis iuſtificationis hominis coram Deo numerant. Nam fieri non poſſe bona opera, niſi à iuſtificatis oſtendunt dicta quæ adduximus. Quare Papiſtæ, qui hominem coram Deo operibus iuſtificari contendunt, manifeſtè confundunt ordinem cauſſarum & effectuum.

DE TERTIA QVAEſtione.

15 Poſtquam pius edoctus eſt, quomodo fieri poſsint bona opera, proximè quærit, quomodo placeant. Ad quam quidem quæſtionem in genere dico, ea placere in conuerſis, à quibus ſolis etiam fieri poſsint.

16 Vt autem hæc quæſtio determinetur diſtinctius, quatuor ordine ſunt ſpectanda. Primum enim ſtatuendum eſt de perſona, quod ea fide reconciliata & iuſta ſit propter Chriſtum gratis. Deinde fatendum eſt, quod perſona fide iuſta nondũ Legi ſatisfacere poſsit. Nam hęrent etiam in piis multa interiora peccata. Tertiò, perſona iuſtificata cum Paulo & Dauide deplorabit hanc immunditiem: repugnabit malis affectibus qui ſubinde etiam in ſanctiſsimis ſuboriuntur: precabitur veris gemitibus cordis, ne Deus ſibi ſordes, quibus inuoluitur, imputet. Quartò, Etſi has ſuas ſordes agnoſcit perſona fide iuſta: nihilominus ſtatuet, quod & Deus poſtulet inchoatã obedientiã, & quod placeat hęc inchoata obedientia propter Chriſtũ, iuxta illud Petri: Offerte hoſtias ſpirituales acceptas Deo propter Chriſtũ, qui & propitiator eſt, & nunc pro nobis interpellat. 1. Pet.2.5.

17 Hinc proinde & hoc ſequitur, quod noſtra obedientia non placeat, vel propter dignitatem operis in ſe, vel ob perfectionẽ, vel propter ordinem & ſtatum hominis. Non enim magis placet Apoſtoli Petri opus quàm Cornelij aulici. Quare manifeſtus error Monachorum eſt, qui putant ſanctitate ordinis & ſtatus opus commendari.

DE QVARTA QVAEſtione.

18 Multi non peſsimi, cum audiunt hominem coram Deo fide ſola iuſtificari abſque operibus (vt Ambroſius loquitur) Moſis & naturæ, quærunt cauſſas bonorum operum, quibus homines merito ad bene operandũ accendi & impelli debent. Ad quam quæſtionem ex ſcripturis reſponderi oportet, quæ tres cauſſas grauiſsimas bonorum operum ſubinde inculcat, quæ ſunt: Neceſsitas, Dignitas, Præmium. De quibus ſigillatim quid ſentiendum ſit, breuiter indicabo.

19 *Neceſſitas* quintuplex ſtatui poteſt. Mandati, debiti, fidei, conuerſionis, & vitationis pœnarum, quarum quælibet tanta eſt, vt nos merito ad bene operandum impelleret.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

20 Neceſſitas mandati eſt, quod neceſſe ſit, vt creatura obtemperet creatori. Cũ ergo Deus ſerio & ſeuere obedientiam erga ſe mandat: quis non videt bonorum operum ſtudium pijs eſſe neceſſariũ? in præceptis, inquit meis ambulate, & Paulus: hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra. 1. Theſſal. 4.3.

21 Neceſſitas debiti, Rom. 8. 12. indicatur his verbis: Debitores ſumus non carni, ſed ſpiritui, nõ ſumus noſtri iuris, ſed eius qui redemit nos ſuo ſanguine. 1. Corin. 6. 19.

22 Neceſſitas fidei, ſcilicet retinendæ & fouendæ, commendatur pijs à Paulo, 1. Tim. 5.8. Si quis, inquit, ſuorum, & maximè domeſticorum, curam nõ habet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior. Item 1. Tim. 1. 18. 19. milita militiam honeſtam, habẽs fidem & bonam conſcientiam, quam quidam dum repulerunt, circa fidem naufragium paſſi ſunt.

23 Neceſſitas conuerſionis hoc dicto confirmatur: Viuo ego, dicit Dominus, Ezec. 18.32. & 33.11. nolo mortẽ peccatoris, ſed vt cõuertatur & viuat. Cũ igitur fit, cõuerſio, ſimul viuificatur homo fide, per Spiritũ ſanctũ. Nã cõuerſioni regeneratio cõiũcta eſt, quæ eſt inchoatio nouæ vitæ, quę eſt noua lux, ſapientia, & renouatio imaginis Dei in iuſtificatis.

24 Neceſſitas vitandi pœnas confirmatur Dauidis teſtimonio. Propter iniquitatem, inquit, corripis filios hominum. Pſal. 89.33.

2. Dignitas.

25 *Dignitas* in hoc ſita eſt, quod credentes, ſint Filij Dei. Dedit enim omnibus qui credunt, hunc cœleſtem honorem, vt ſint Filij Dei: quod ſint tẽplum Spiritus ſancti viuentis: quod Chriſtus in credentibus habitet: quod Pater, Filius & Spiritus ſanctus ad ipſos veniat, & in ipſis manſionem faciat: quod Chriſti ſint membra.

26 E contrario cogitetur, quantum ſcelus ſit, ſi Filij Dei imaginem hoſtis Dei referant. Quantum periculum ſit, templum Dei Satanæ fœtore cõſpurcare: quàm immane ſit, Spiritum ſanctum è ſuo exturbare hoſpitio.

27 Filiorum ergo Dei cum ſit proprium, patrẽ imitari cœleſtem, qui dicit: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum: Et Paulus ait nos ad Sanctitatem vocatos: quis nũ videt, quod ſanctos ſummum deceat ſanctimoniæ ſtudium.

3. Præmiũ.

28 Præmium præſtitę obediẽtiæ ſæpius in Scripturis promittitur pijs: Vnde Moſes, in iſtis moleſtijs, quas tulit vltra quadraginta annos, reſpexiſſe ad remunerationem ſcribitur. Heb. 11.26.

29 Etſi autem fide promiſſionis ſola, ſe iuſtum coram Deo ſtatuit Moſes: tamen extra iuſtificationem, etiam ad alias promiſſiones reſpexit. Nam cũ Deus obedientibus ſuæ voci promittit præmium: debet pius promiſſionem fide amplecti, & expectare mercedem promiſſam.

30 Verùm hoc interea cauebit pius, ne cum Agamennone iactet ſua opera, & eorum dignitate nitatur: ſed potius gratiã promiſſionis intueatur, ſtatuatque ſibi non dari mercedem, propter operis valorem, ſed propter promiſſionem ex gratia.

31 Hæ cauſſæ bonorum operum quas recenſuimus, ſatis oſtendunt, quod & bona opera ſint neceſſaria, & quod qui bonorum operum ſint expertes, potius porcis Epicuri, quam gregi Chriſti ſint annumerandi.

DE QVINTA QVÆſtione.

Quinque

32 Cum opera à pijs facta non ſolum debita ſint ſeruorum officia, verumetiam imperfecta & contaminata, quæri meritò poteſt, Cur Deus bonis operibus tam magnificas promiſſiones adiecerit? Quare huius rei cauſſas inquirere operæprecium eſt: vt ijs cognitis magis ad bene operandum excitemur. Poſſunt autem cauſſæ quinq; ſtatui.

cauſſæ cur Deus bonis operibus promiſſiones adiecerit.

33 *Prima*, vt promiſſiones completæ, ſint teſtimonia prouidentiæ Dei. Vult enim ſciri Deus, & bona corporalia res eſſe à ſe creatas, & nõ caſu ſpargi, ſed ab ipſo Eccleſiæ dari & conſeruari, iuxta dictum, Deuter. 30.20. Ipſe eſt vita tua & longitudo dierum tuorum. In diebus famis ſaturabuntur, Pſal. 37.19. diuites eſurierunt, timenti autem Dominum non deerit vllum bonum. Pſal. 34.11.

34 *Secunda*, vt ſint teſtimonia quod Deus etiã in hac vita velit ſeruare Eccleſiam. Huc illud: Pietas habet promiſſionem præſentis vitæ & futuræ. 1. Timoth. 4. 8.

35 *Tertia*, Deus non ſolum vult neceſſitatem corporalem eſſe commonefactionem de fide, inuocatione, ſpe; gratiarum actione: verumetiam hæc bona vult fide peti & expectari, & in hac petitione & expectatione, fidem, ſpem, patientiam & cæteras virtutes creſcere.

36 *Quarta*, vult Deus promiſſiones de neceſſarijs huius vitæ, eſſe commonefactiones de promiſſione gratiæ. Nam fidem, qua agnoſcit Filium, & accipit reconciliationem, oportet ſemper prælucere in petitione corporalium rerum: & quidem propter Filium, cęteræ promiſſiones additæ & ratæ ſunt. Hæc omnia comprehendũtur in dicto: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioann. 16. 23.

37 *Quinta*, vult Deus ſciri vtrumque, & Eccleſiam ſubiectam eſſe cruci, & tamẽ inter ipſa pericula mirabiliter ſeruari in hac vita: vt vniuerſa admiranda conſeruatio Eccleſiæ, & omnes mirandæ liberationes ſint teſtimonia præſentiæ Dei in Eccleſia: vt dicitur Num. 14.13. Vt ſciant Ægypti, quod tu Domine ſis in hoc populo. Ioſue. 3.10. Sciatis quod Dominus Deus in medio veſtri ſit. 1. Reg. 17.46. Vt ſciat omnis terra quod ſit Deus in Iſrael. Eſaiæ 37. 28. Ecce nunc Dominus Deus ſaluabit nos de manu Zennacherib, vt cognoſcant omnia regna terræ, quod tu ſolus ſis Dominus.

DE SEXTA QVÆſtione.

38 Cum omnes homines habeant peccatum, rectè quæritur, quorum obedientia placet & quorum non? Præſertim cum ſcriptum ſit: Deus peccatores non exaudit. Ioan. 9.31.

Duplicis peccati diſtinctio.

39 Hæc quæſtio ſoluitur, adhibita diſtinctione duplicis peccati. Eſt peccatum, quod fit à volente & ſciente contra conſcientiam, quale in Chriſtianis eſſe non poteſt. Eſt peccatum, quod non fit contra conſcientiam. Huius generis ſunt vitioſi affectus, peccata ignorantiæ, omiſſiones, & ſuborientes interdum dubitationes, quibus peccatis ſancti repugnant, & credunt ea deleri propter Chriſtum.

40 Quicunque peccatis prioris generis indulgent, abijciunt fidem & vaſtant conſcientiam. Quare illorum opera ſunt abominationes coram Deo. Verùm qui poſteriori generi obnoxij ſunt, & retinent tamen fidem & bonam conſcientiam, illorum obedientia propter Chriſtum, cuius renati ſunt Spiritu, placet, & eſt cultus Deo gratiſſimus.

I. j.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

XX.

OPERA CHARITATIS.

Neceſſitas huius doctrinæ.

QVoniam in proximis noſtris aſſertionibus, de bonis operibus in vniuerſum, & eius cauſis diſſeruimus: hic libet quoddam certum genus operum, videlicet charitatis erga proximum proponere: quo magis piorum animi permoueantur ad charitatis opera ſibi mutuo præſtanda.

Methodus & partes.

2 Hic tria mihi expendenda videntur. Primùm, quibuſnam rationibus impelli & permoueri quiſq; debeat ad præſtandum proximo ex charitate officium. Deinde, quæ genera operum charitatis ſint præcipua. Tum quæ regulæ ſpectentur, ad quas opera proximo præſtanda ſunt exigenda.

1. Tres rationes impellentes ad Charitatis officia

3 Etſi autem recte obedientiæ erga Deũ quintuplex ſtatuitur neceſſitas, nempe, Mandati, debiti, fidei, conuerſionis, & vitationis pœnarum: tamen in hoc certo operum genere, tria vtiliter conſideranda puto, quorum cogitatio nos ad præſtãda proximo charitatis officia impellet, illa autem tria hæc ſunt. Efficiens, obiectum, finis.

Efficiens triplex mandatũ. Dei.

4 Efficientia tria. Primum, mandatum Dei, cui omnes creaturas parere oportet. Deus enim & Legem dilectionis impreſſit animis hominum, & ſeriũ mandatum edidit. Dilige proximum tuum ſicut teipſum. Hæc dilectio ſi vera eſt, ex corde ſyncero manat, ore comprobatur, & opere, cum res poſtulat, conſignatur.

2. Fides.

5 Secundum efficiens, eſt fides. Hæc enim, vt Apoſtolus teſtatur, efficax eſt per charitatem. Nam dum credens donatur Spiritu Chriſti, nõ poteſt fieri, quin pro natura iſtius Spiritus ducatur. Quiſquis etenim Spiritu Chriſti donatus eſt, Chriſti quoque affectus quodammodo inducit. Hinc Dominus certam ſuorum notam tradid t: In hoc cognoſcent homines, quod ſitis mei diſcipuli, ſi vos inuicem dilexeritis.

Exemplũ Chriſti, ſeu actio, quæ eſt triplex.

6 Tertium efficiens eſt, exemplum Chriſti. Nõ enim tantùm ſpiritu Chriſti ducuntur fideles, verũ etiam intuentur ſuum ducem Chriſtum, & nihil ducunt pulchrius, quam in omni vita eum, tanquã normã quandam vitæ, ſibi proponere. Qualis enim Dominus, talis & ſeruus eſſet ſolet.

7 Huc illud cuiuſdam Patris: *Omnis Chriſti actio, noſtra eſt inſtructio.* Quod ſane dictum vt veriſſimum eſt: in multa abſurda cõtinet, ſi eidem inſtructionis generi accommodetur.

8 Vt itaque rectè applicari poſſit ad noſtri inſtructionem, illud obiter declarandum duxi. Actio Chriſti eſt triplex, Miraculoſa, piacularis, & moralis. Harum quælibet noſtra eſt inſtructio, ſed diuerſimode.

Miraculoſa.

9 Miraculoſa enim Chriſti actio inſtruit nos de veritate verbi Chriſti, vt eum veracem eſſe ſciamus, non inſtruit nos, vt ipſum imitemur agendo. Quis enim poteſt imperio morbos pellere? Quis poteſt voce mortuos excitare? Quis ſine fame ieiunabit totos quadraginta dies & noctes? Qui proinde hoc genus actionum imitari vel t, ſimia potius, quam diſcipulus Chriſti cenſendus eſt: præſertim ſi peculiaris ratio non acceſſerit, vt in Prophetis & & Apoſtolis.

Piacularis

10 Piacularis actio adeo Chriſti eſt propria, vt qui eius vel minimam portionem ſibi vẽdicauerit, in Chriſtum ſit contumelioſus. Chriſtus enim ſolus natus & datus eſt nobis, vt ſua piaculari actione noſtrum peccatum expiet. Impius ergo, crudelis & ſacrilegus eſt Papa, qui ſuos vnctos & ra ſos, miſſando & cantillando, peccatum expiare putat.

Moralis

11 Moralis Chriſti actio inſtruit, & imitationẽ requirit. Vult enim Chriſtus, vt in formanda vita ipſum imitemur. Hinc illud: Exemplum meũ do vobis. Item: Diligite vos inuicẽ, ſicut i ego dilexi vos.

12 Etſi autem dilectionis mandatum, ſi Legem in ſe ſpectes natum eſt cum natura, & poſtea Lege Moſis promulgatum: tamen propter formam hanc nouam, Sicut Ego dilexi vos, à Chriſto nouum datum appellatur.

13 Quicunque igitur Chriſtum, vt donũ, veneratur: debet etiam ipſum, vt exemplũ, imitari. Nam qui contra facit, & dono excidit, & ſe diſcipulum Chriſti mentitur, Et ſi hæc imitatio non in perfectione, ſed in conatu poſita eſt.

3. Obiectum

14 Obiectum charitatis, eſt proximus noſtro ope re & auxilio indigens. Hic corde, lingua & opere iuuandus eſt. Ita enim Lex dicit: Dilige proximum tuum, &c.

15 Chriſtus interrogatus à Phariſæo, quiſnã ſuus eſſet proximus, pulcherrima imagine reſpondit, & Phariſæum (qui tantum inter proximos numerabat eos, qui vel de ſe eſſent benemeriti, vel qui alioqui aliqua ſingulari neceſſitudine eſſent ſibi deuincti, nihil minus ſtatuens, quam alienigenas, & nihil de ſe boni meritos, pro proximis habendos) deducit eo, vt ſponte confiteatur, quod antea non ſtatuit. Affirmat enim Samaritanum, qui Iudęo ſaucio opem tulit, veri proximi officium præſtitiſſe.

16 Hinc patet omnem hominem proximum noſtrum agnoſcendum eſſe, qui noſtra ope & auxilio indiget. Etſi ſocietatis ſeu proximitatis non ſunt ſemper iidem gradus, pro quorum diuerſitate variat non parum obligatio.

Duplex proximitas.

17 Duplex enim proximitatis ratio eſt. Vna eſt naturalis, alia ſpiritualis. Illa quidem nobis communis eſt cum omnibus hominibus, non ſolum pijs, verumetiam Ethnicis, Turcis & Iudæis. Hæc vero filiorum Dei eſt propria, & magis obligat.

Naturalis tribus ...

18 Naturalis illa proximitas tribus conſtat. Primũ enim homo homini proximus eſt ratione creationis. Omnes enim ſimul in vno Adam creati ſumus, quantum quidem ad ſubſtantiæ noſtræ originem attinet. Deinde, homo homini proximus eſt ratione ſimilitudinis. Nam omnes & homines ſunt, & ad imaginem Dei primum creati. Tum reſpectu communis vitæ & humanæ ſocietatis, in qua vnus alterius opera indiget. In hac vitæ ſocietate multi ſunt particulares gradus, partim ex affinitate & cognatione, partim ex ſimilitudine officiorum, partim ex alia quauis neceſſitudine.

19 Hæc naturalis hominũ inter ſe copulatio, meritò monere nos deberet charitatis mutuæ, id quod etiam Philoſophi ſaniores viderunt. Nam ideo ratione & ſermone præditos eſſe homines docent, vt poſſit alter alteri, quod rectum bonum eſſe nouit, ſermone explicare: vt ita mutuis officijs inter ſe coaleſcant, ac ſe inuicem iuuent.

Spiritualis, quadruplex neceſſitas.

20 Spiritualis ſocietas eſt tantum Chriſtianorum inter ſe. Huius quadruplex eſt neceſſitas. Prima, eſt regenerationis. Nam ex eodem ſemine verbi diuini nati ſunt filij Dei. Secunda, eſt myſtici corporis. Nam membra ſumus vnius corporis, cuius caput eſt Filius Dei ſaluator noſter. Tertia, eſt vocationis communis, qua ad vnitatem Spiritus in vinculo pacis vocati ſumus, Epheſ. 4. 3. Quarta, eſt futuræ gloriæ & communis hæreditatis cœleſtis, qua vnà fruemur in omni æternitate.

21. Hæc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

21 Hæc ſpiritualis copulatio & coniunctio ſatis arguit, quomodo Chriſtianos erga ſe inuicem affectos eſſe deceat. Quid pulchrius, quam Filios Dei ſe mutuo amore complecti? Quid conuenientius quam membra eiuſdem corporis ſe inuicem charitate fouere? Quid ſuauius, quã donatos eodẽ Chriſti ſpiritu vnanimes eſſe ac ſtudere communi commodo? Quid dignius, quam cogitatione futuræ glorię & æternæ ſocietatis cum æterno Deo & Sanctis omnibus angelis & hominibus, excitari ad mutuam beneuolentiam?

22 Qui hoc duplici humanæ ſocietatis vinculo, Naturali & Spirituali, non permouetur, ne hominis quidem titulo eſt dignus, nedum Chriſtianus dicatur.

Fines quatuor.

23 Iam ſpectentur fines operum charitatis, qui ſunt quatuor. Primus, gloria Dei, Nam Deus, cũ vltro citróque certant beneficijs ſui Filij, glorificatur & prædicatur. Secundus, refocillatio mutua membrorum eiuſdem corporis. Tertius, ædificatio aliorum. Nam cum alij alios intuentur ſtudioſos eſſe fraternæ charitatis, incitantur exemplo. Quartus, remuneratio. Deus enim promiſit remunerationem ei, qui vel hauſtum frigidæ aquæ dederit diſcipulo Chriſti.

Quatuor genera operũ charitatis.

24 Dominus Luc. 6. 37. quatuor genera operũ charitatis, quæ perpetuò pijs in conſpectu eſſe debent, ſuis commendare videtur.

25 Primum eſt, corde non iudicare perperam de proximo, ſed candidè potius de ipſo ſentire, ſẽmperque meliora de ipſo ſperare. Neque tamen hæc eo pertinent, vt fideles prorſus cæcutiant, & nihil diſcernant inter Paulum & Neronem. Sed tantũ affectum charitatis poſtulant, vt fideles amanter affecti erga ſe inuicem, ſeipſos fręnẽt & non titillentur cupiditate in aliena vitia, plus quam requirit pietas inquirendi.

26 Secundum eſt, ore non condemnare, ſed potius benignè de proximo loqui, & ſine calumnijs, omnia in meliorem partem interpretari. Hîc tamẽ nec verum teſtimoniũ contra criminoſos ferre, nec ſontes ex verbo Dei & Legib⁹, iuxta vocationis noſtræ rationem condemnare, prohibemur.

27 Tertium eſt, peccanti in nos & deprecanti culpã condonare offenſam. Ita enim ait Dominus: Remittite & remittetur vobis. Huius dicti ſenſus eſt, facturum eſſe Dominum, vt qui ſe facilẽ humanum & æquum præbuerit fratribus, eandem ſentiat erga ſe clementiam aliorum, vt benignè & amicè ab ipſis tractetur.

28 Quartum, indigentibus fratribus adeſſe conſilio & opere. Conſilio, quoties illis à recta via aberrare contingit. Opere, aliàs egentibus dando largius eleemoſynam, alias mutuando hilariter, etiamſi ſimile officium ab ipſis non expectemus.

29 Mutuare enim cum expectatione ſimilis officij vulgare officium eſt, etiam inter Ethnicos & peccatores. Quod etſi in ſe malum non eſt: tamen aliquid vltra requirit Dominus ab ijs, quos in ſuam familiam recepit.

Regulæ operum charitatis.

30 Regulæ quas in præſtandis operibus charitatis intuebuntur fideles, ſunt tres: Verbum, Fides, Charitas ipſa. Hæ enim tres regulæ modum continent præſtandorum officiorum.

31 Verbum ſit hoc, exempli gratia Prou. 5. 15. Bibe aquam de ciſternis tuis & fluenta de medio putei tui: fontes tui deriuentur foras, ſint tibi ſoli & non alienis tecum. Hoc Solomonis dictũ tria continet præcepta. Primũ, de vſu facultatũ, videlicet, quod quilibet debeat ſuis facultatibus vti in ſuũ commodum, prout ratio ſui ſtatus requirit. Secundum, de liberalitate erga indigentes. Non vult vt ſolus omnia deuores, ſed vt nonnihil conferas in vſus aliorũ. Tertium, de facultatum poſſeſſione. Non vult vt ita profundas res tuas, vt ipſe poſtea turpiter egeas, ex nimia profuſione ad mendicitatẽm redactus.

32 Fides intuetur & mandatum Dei & promiſſionem. Mandato quidem vrgetur ad charitatis officia fidelis. Promiſſione verò paterna allicitur, vt hilariter præſtet officium quod debet.

33 Charitas mutuis afficitur commodis & incommodis: gaudet cum gaudentibus: dolet cum dolentibus: & membrorum συμπαθεία quadam ad ſuccurrendum indigentibus & affectis membris, excitatur.

34 Quicũnque ergo fide præditus eſt, & verbum Dei veneratur, facile ex charitatis fonte ſcientiam hauriet communicationis mutuæ & officiorũ, quæ ſibi mutuo debent eiuſdem corporis membra.

XXI.

VOCATIO.

Communis & particularis.

1 ETSI omnes pij vnam communem vocationem habent, nimirum, vt ſint ciues regni Dei, Deum celebrantes: tamen vt alia membra eiuſdem corporis, alias habent functiones: ita in Eccleſia quæ eſt in hoc mundo, aliam alij habẽt vocationem.

Particularis definitio.

2 Vocationem autem hic definimus, legitimam functionem officij alicuius, certæ perſonæ propriam, vt eſt vocatio ad gubernandum, cõnſulendum, docendum, iudicandum, diſcendum, operandum, &c.

3 In huiuſmodi functionibus ſeu vocationibus perſonalibus, opus eſt ſingulari prudentia, ne vel in dexteram, vel in ſiniſtram nimium deflectamus: quod cum fit, incidimus in iudicium Dei, & opus Dei facimus fraudulenter. Quinque ergo colligam veluti puncta, quo quilibet reſpicere debet in ſua vocatione ne aberret.

Partes quinque.

4 Primum, vocatio habeat verbum Dei. Non enim poteſt legitimum eſſe, de quo verbum Dei nõ extat: cum ex eo ſolo ſciamus, an vocatio noſtra ſeu functio, ſit approbanda, nec ne.

Regula.

5 Vt autem hic non fluctuet conſcientia, hæc tenenda eſt regula: Omne officium faciens ad conſeruandos, iuuandos, & ornãdos ſtatus, à Deo ordinatos, vt Oeconomicum, Politicum, Eccleſiaſticum primo & quarto Decalogi pręcepto mandatur. Atque ideo in ſe legitimum, licitum & ſanctũ eſt. Huc ſi acceſſerit iuſta & ordinaria vocationis deſignatio, fit etiam officiũ legitimũ perſonæ reſpectu, & præterea cultus Dei in conuerſis. Requiritur proinde, vt vocatio ſit legitima & ratione officij præſtandi, & reſpectu perſonæ officio fungentis.

Vocationum regulæ.

6 Secundum, Sint actionum in vocatione regulæ, Fides & Charitas. Fides quidem Deum reſpiciat, moneatque nequis vel officio committat, quo gloriam Dei lædat: vel omittat, quod requirit officij ratio: vel faciat ſegniter, quod vocatio requirit. Charitas verò proximum intueatur, moneatque ne quis alteri ſit iniurius: hoc eſt, ne vel curioſè aliena inquirat, ſuo neglecto officio: vel inuideat ijs qui fortunatiores & præſtantiores videntur: vel contẽnat eos, quos ſe inferiores putat, ſeu, qui viliorẽ vocationẽ videtur adepti quã ipſe: vel dolo vllo aut fraude circumueniat proximum in officio & vocatione: vel ſit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

πλεονέκτης, quouis iuſtitiæ aut iuris titulo. Sed potius requirit charitas, vt in ſua quilibet vocatione maneat quietus, & propria agat, adeóque omnia referat ad vinculum ſanctæ ſocietatis.

Fructus legitimæ vocationis.

7 Tertium, Perpetuò reſpiciatur ad verbũ, quo nititur cuiuſque vocatio. Hinc enim, ſi quid aduerſi inciderit, conſolatio petenda eſt.

8 Quartum, Vocatio ſemper ad gloriam Dei, & vtilitatem reipublicæ in qua quis viuit, referatur. Hinc enim ſuauiſſimus percipitur fructus, videlicet, tranquilla & bona conſcientia.

9 Quintum, Felix in vocatione ſucceſſus tribuatur ſoli Deo, & ab eo expetatur. Is enim cum manum applicat, iucundiſſimus percipitur laboris fructus. Hinc moneatur vnuſquiſque, vt ſemper leuatam ad Deum mentem habeat, à quo petat ſucceſſum.

10 His iactis fundamentis, non ſolum diligentia in vocatione creſcit: verumetiã profana & Ethnica cura abijcitur. Nam cum Deus ſtatuitur σύνεργος noſter, facile ſpes concipitur ſalutaris euentus.

XXII.

VOTVM.

Vocis cõſideratio.

1 Scriptura votum appellat, non quãlibet promiſſionem que cuiuis fit, ſed eam ſolummodo quæ fit Deo, idque ſponte & religioſè.

Rei definitio.

2 Definitur autem rectè in hunc modum. Votum eſt ſpontanea, Deo facta, obligatio, ad aliquid faciendum, vel omittendum, quod illi gratum & acceptum fore conſtat, vel ex ſe, vel propter aliud.

Diuiſio.

3 Huiuſmodi votum non vnius generis eſt. Eſt enim vnum omnibus illis, qui nomen Chriſto dederunt commune. Alterum priuatorum eſt. Illud itaque, commune: hoc, priuatum ſeu ſpeciale, ſeu perſonale vocare licebit.

1. Votum commune.

4 Commune Chriſtianorum votum eſt promiſſio illa ſolẽnis, qua in vnius Dei, qui eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, nomen inauguramur, atque illi, renunciato Satana cum operibus ſuis, omnem pollicemur obedientiam, noſque totos illius fidei ac bonitati committimus.

Eius confirmatio.

5. Hoc votum commune nuncupatum, in Baptiſmo, Confeſſione, & Cœnæ Dominicæ ſumtione confirmatur.

6 Purior Eccleſia, ſecuta Apoſtolorum tempora, quando Chriſtianorum infantes baptizari cœperunt, hunc morem habuit, vt inſtituti pueri in Catecheſi, producerentur publicè in conſpectum Epiſcoporum, ac ibi interrogarentur de articulis fidei, ac votum illorum nomine factum in baptiſmo, propria voce confirmarent: & illa actio à parte, confirmatio cœpta eſt appellari.

7 Conſtabat autem iſta actio Examine, Solenni voti in Baptiſmo nuncupati confirmatione, Precatione Epiſcopi, & Manuum impoſitione.

8 Hic mos vtiliſſimus erat, & faciebat ad retinendam confeſſionem & cõcordiam. Neque enim facile quiſquam à doctrina, quam ſolenni voto confirmauerat, diſcedebat.

Errores.

9 Verùm paulatim actio illa bono conſilio inſtituta in ocioſas ceremonias degenerauit. Primùm enim omiſſum eſt examen, quod ante omnia retinendum erat. Deinde additũ eſt Chriſma. Præterea Sacramentum fecerunt ex confirmatione. Adhæc, ſuperſtitioſa certorum verborum recitatio adhibebatur lingua pleriſque incognita. His enim verbis vſi fuerũt: Signo te ſigno crucis: cõfirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris & Filij, & ſpiritu ſancti.

10 In noſtris Eccleſijs, ſubſtantia confirmationis veteris retinetur, abolitis ſuperſtitionibus Papiſticis. Nam Epiſcopi in viſitationibus publicè examinant iuuentutem in articulis fidei, & in doctrina de Sacramentis. Deinde eam doctrina & exhortationibus confirmant. Idem fit quoque priuatim à paſtoribus, antequam admittantur, præſertim rudiores, ad participationem Cœnæ Dominicæ.

21 Iam cum conſtet, nos in hoc voto communi & ſolenni renũciaſſe Satanæ ac eius operibus, atq; promiſiſſe Deo omnem obedientiam: quis non videt, quam ſit neceſſaria obedientia erga Deum, ad quam præſtandam, & præcepto, & voto hoc ſolenni ſumus obſtricti?

12 Quicunque ergo oppugnant neceſſitatem obedientiæ, hoc eſt bonorum operum, quæ Deus à nobis requirit, non ſolum mandatum Dei æternum turpiter contemnunt: verumetiam hoc votum in Baptiſmo nuncupatum fœdifragè infringunt, & homines rurſus iugo peccati & Satanę imperio ſubijciunt.

13 Quare qui verè pij ſunt & gaudẽt in Domino, perpetuo memores eſſe debent voti eius, quod in Baptiſmo vouerunt. Quo vt renunciarunt Satanæ: ita Deo per omnem vitam promiſerunt obedientiam.

14 Præter hanc voti neceſſitatem, multiplex cogitetur neceſſitas, videlicet, mandati, debiti, fidei, cõuerſionis, regenerationis & vitationis pœnarum: & ſemper ſit in conſpectu dictum Iohannis: Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt. Et hoc Pauli: Debitores ſumus non carni, ſed Spiritui.

15 Porro votum in Baptiſmo factũ, violatur omni voluntaria inobedientia erga Deum, interiori & exteriori. Ex quo fit, vt homo ita violans votum, excutiat Spiritum ſanctum, & fiat reus mortis æternæ: donec rurſus per pœnitentiam votum renouet.

16 Verum qui vel ignorantia, vel infirmitate labuntur, retinent tamen fidem & bonam conſcientiam: illis non imputatur peccatum. De ijs dictum Ioannis intelligi debet: Qui natus eſt ex Deo, non peccat.

17 Quicunque ergo Chriſto in Baptiſmo nomen dederunt, ac illi militare ſe promiſerunt, militent honeſtam militiam, retinentes fidem & bonã conſcientiam: & non ſe proprijs ratiocinationibus præcipitent in certum interitum.

18 Hæc doctrina non pugnat, vt quidam falſò opinantur, cum gratuita iuſtificatione: ſed optimè cũ ea conſentit. Nam vt ſolus Chriſtus ſtatuitur nobis eſſe à Deo ſapiẽtia, iuſtitia, ſanctificatio, redemptio, quem Chriſtum ſola fide apprehendimus: ita Spiritus Chriſti eſt, in iuſtificatis, vitæ nouæ autor. Huc illud Pauli: Si quis ſpiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius: Item: Quicunque ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Rom. 8.

19 Nemo igitur ſeipſum fallat vanis paralogiſmis, quaſi Deus noſtram obedientiam ſerio non requireret, ac quaſi fides eſſe poſſet abſq; ſuis germanis proprietatibus, & viuis iuſtitiæ fructibus.

20 Etſi autem fides in alijs eſt languidior, in alijs robuſtior: tamen ſi vera eſt, & non inanis fidei profeſſio, ſtudio bene operandi prædita eſt, & ſpiritu militat aduerſus peccatum & Diabolum.

21 Languidior quidem fides ſæpe videtur ſuccumbere: quæ tamen proſtrata mox ſe erigit, apprehenſa

apprehenſa dextera Dei,id eſt,Domino noſtro Ieſu Chriſto.Quare pij in dies proficiant in fide,quo magis magiſque Spiritus imperium aduerſus carnem roboretur ac confirmetur.

22 Priuatum ſeu perſonale ſeu ſpeciale votũ eſt, quod aliquis Deo ſua ſponte promittit.Vt mater Samuelis voto filium diuino miniſterio addixit.

Priuatũ ſeu ſpeciale votum

23 In huiuſmodi perſonalibus votis, multa ſunt timenda,vt pote,Superſtitio,impietas,turpitudo,vanitas. Quare hic ſingulis adhibenda eſt cura, ne nobis ipſis ſtruamus laqueos periculoſos.

Eius partes.

24 Ne igitur temeraria ſint noſtra vota futura quatuor in deliberationem venire debent, quorum ſingula diligenter examinanda ſunt, priuſquam votum nuncupemus. Horum primum eſt, Quiſnam ſit is cui nuncupatur votum. Secundum, Qui nos qui vouere decreuimus. Tertium, Quæ res, quam vouere ſtatuimus. Quartum, Animus vouentium, ſeu finis.

1.Cui voueamus.

25 Cum itaq; Deus ſit cui votum nuncupatur, diligenter ſpectandum, an votum ſit approbaturus. Primùm, hoc ex verbo Dei conſtat, quod Deus dãnet omnes ἐθελοθρησκείας. Ita enim ait:fruſtra me colunt,docentes mandata hominum.Hinc petendum eſt hoc conſolationis caput,quod nihil omnino vouere liceat,niſi conſcientia prius ſtatuat votum placere Deo.Hoc aliunde ſciri non poteſt, quam ex ipſius verbo,quod requirit,vt in præceptis ipſius ambulemus,& non iuxta præcepta hominum.

2 Qui nos ſimus.

26 Secunda deliberatio erit de nobis ipſis. Hic diligenter noſtrã conditionẽ conſideremus, caueamuſq; ne votum vocationẽ noſtram impediat,atq; ita impietatis aduerſus Deum arguamur.

3 Quid voueamus.

27 Tertia deliberatio erit de re voti.Hic tria ordine perpendenda ſunt. Primum, An res poſſibilis ſit,& in noſtra manu poſita. Secundum, An genus voti in communi voto includatur. Tertium,Anne ingrati videamur,contemnentes creaturas Dei, quas nobis contulit vtendas, pro commoditate noſtra,cum gratiarum actione.

4 Quo animo.

28 Quarta deliberationis pars eſt, vt ſpectetur, quo animo quis votum nuncupet,vt eius verus finis conſpiciatur.

29 Omnis autem qui votum facit, aut reſpiciet ad tempus præteritum,aut ad futurum.Si ad præteritum reſpicit,votum aut erit exercitium pœnitentiæ,aut gratiarum actionis teſtimonium. Si ad futurum,eo pertinebit votum, vt vouentem cautiorem reddat,vtque ſtimulis quibuſdam eum ad pietatis & vocationis officia excitet.

30 Hæ conſultationis partes in Papatu negligebantur:vnde factum eſt, vt multa ſint eorum vota, partim ſuperſtitioſa,partim impia, partim temeraria ac vana.

31 Monachus vouet religionẽ,quæ tantum pendet ex humanis traditionibus,idque in hunc finem, vt mereatur obſeruantia voti fauorẽ Dei.Hic apertè contra primum & vltimum cõſultationis caput delinquit.

32 Carthuſianus vouet perpetuam abſtinentiã à carnibus.Quare,ita fit multipliciter reus.Primùm, contemnit creaturas Dei, quibus Deus mandat nos vti cum gratiarum actione. Deinde, valetudinem propriam lædit, & fit reus violati quinti præcepti. Præterea, hac abſtinentia vult mereri remiſſionem peccatorum:atque ita temerarius deprehenditur: vt qui omnia deliberationis capita neglexerit: ac ob impietatem reus peragitur conculcati ſanguinis Chriſti.

33 Sacrificulus vouet caſtitatem perpetuam, quæ donum Dei ſingulare eſt, quod Deus donat non omnibus,ſed valde paucis. Quare tertium deliberationis caput præterit,& ſe inuoluit laqueo Satanæ.

De votis impiis regulæ.

34 De huiuſmodi votis,quæ partim ſuperſtitioſa, partim impia, partim vana ſunt, tenendum eſt dictum: In malis promiſſis reſcinde fidem. In turpi voto muta decretum. Quod incautè vouiſti, ne facias. Impia eſt enim promiſſio, quæ cum ſcelere adimpletur.

35 Sicut enim rectè reſcinditur,quod incautè & temerario impetu iuratum eſt: ita votum temerarium non eſt ſeruandum. Nam qui, rectius edoctus, præſtat quod incircumſpectè promiſit, duplicat peccatum.

Exẽplum.

36 Quare exemplum Dauidis imitari par eſt, qui votum ſuum,inconſiderate factum,infregit. Votũ autem hoc erat: Verè,inquit,fruſtra ſeruaui omnia quæ huius erant in deſerto.Hæc ergo faciat Dominus inimicis Dauid, & hæc addat,ſi relinquero, de omnibus quæ ad Nabal pertinent, vſque ad mane, mingentem ad parietem.Verùm hoc votũ non implet,ſed infregit,ductus pœnitentia temeritatis. Ita enim ait: Benedictus Dominus Deus Iſrael,qui miſit te hodie in occurſum meum:& benedicta tu,quę prohibuiſti me,ne hodie irem ad ſanguinem,vt vlciſcerer me manu mea.1.Sam.25.22.32.

Cõſilium Chriſtianum.

37 Poteſt igitur Monachus rectius edoctus, ſuperſtitionem,quam vouit,reſcindere: imo niſi hoc faciat, maiorem damnationem ſibi accerſit. Nam hæc conditio (quod & Monachi ipſi teſtantur) intelligitur in omni voto: Hoc Deo promitto me facturum,ſi illi placet. Proinde Monachus intelligẽs votum ſuum diſplicere Deo,agat pœnitentiam, & reſcindat votum propter defectum conditionis implicitæ.

38 Similiter Monacha,quæ vel impulſu parentũ, vel temeritate, vouit caſtitatem extra matrimoniũ, abſoluitur à voto,propter defectum conditionis tacitæ. Nam & hanc inter conditiones generales nominat: Si potero.Si itaque non poterit,victa carnis imbecillitate,quærat honeſtum coniugium, & non ſectetur turpem cum Papiſtis libidinem.

Obiectionum duarum dilutio.

39 Cùm autem Scriptura dicit: Vouete, & reddite:intelligendum eſt dictum de votis piis,quæ habent conditiones, quas ratio piorum votorum poſtulat.

40 Monachi, qui definiunt vota eſſe opera ſupererogationis, & nugantur factum cum voto magis meritorium eſſe,quam ſine voto factum, deplorandi ſunt potius quam refutandi. Apertè enim ſanguinem Chriſti conculcant.

41 Manifeſta ſiquidem impietas eſt, quod doceant,voto religionis ſolui matrimoniũ. Nam hoc perinde eſt,ac ſi dicerent opera Diaboli eſſe operibus & ordinationibus Dei præferenda. Quis quæſo poteſt hanc blaſphemiam audire?

42 Quare,vt Papiſtas relinquendos iudico, cum ſuis impuris votis:ita ſtatuo,fidelibus ſufficere illud ſolenne votum,quod vouerunt in Baptiſmo.

Voti ſpecialis regula.

43 Verùm, ſi contigerit aliquando, priuatæ diſciplinæ cauſſa, aliquid vouere: fiat votum cum conditione, nec promittatur in perpetuum: ne nobis laqueos temeritate noſtra iniiciamus. Vt, Si honeſtus adoleſcens, quo expellat torporem voto ſe aſtringat ad certas horas & lectiones: certum voti tempus præfiniat, & claudat votum iuſtis conditionibus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

XXIII.

BLASPHEMIA.

Duplex blaſphemia.

1 DVplex peccatum committitur aduerſus Euangelium. Vnum, eſt cōtẽptus Euangelij, videlicet, cum quis vel recuſat audire & diſcere Euangelium, vel alioqui ſegneſcit & non facit quotidianos progreſſus in fide & obedientia Euangelij. Alterum, eſt abnegatio Euangelij, videlicet, cum quis veritatis Euangelij, quam antea complexus erat, & de qua erat certus, confeſsionem abiicit.

2 Vtrumque damnatur voce Euangelij: Qui nō credit in Filiū, ira Dei manet ſuper eum. Ἀπειϑεῖν enim vtrumque ſignificat, videlicet, non credere, Et ſe alicui contumaciter opponere.

De blaſphemia in Spiritū ſanctum.

3 Sub poſterioris rationem venit Blaſphemia in Spiritum ſanctum, quam Chriſtus, Ioannes, & Epiſtola ad Hebr. irremiſſibilem eſſe pronuntiant, nō quidem ſubſtantia ſua. Nam gratia ſuperat peccatū, ſed circunſtantia certa.

Definitionis inueſtigatio.

4 Definitio huius Blaſphemiæ, quam Scriptura etiā peccatum in Spiritum ſanctum vocat, & peccatum ad mortem, ex collatione Scripturarum inquirenda eſt & ſtatuenda: vt nullus conſcientiis relinquatur dubitandi locus.

Partes ſeu teſtimonia Scripturę, ex quibus differētia ſpecifica huius peccati colligitur.

5 Cum animum per Scripturas circūfero, quinque ſe mihi offerunt excutienda, quæ ad huius peccati plenam rationem explicandam, pertinere videntur.

6 Primùm, occurrit dictum Ioannis, 1. Ioan. 5. 17. Omnis ἀδικία peccatum eſt, ſed nō ad mortem. Hic Iohannes diſtinguit peccatum ad mortem, quod aliàs dicitur peccatum in Spiritum ſanctum, à tranſgreſſionibus Legis diuinæ, ſiue ſint voluntariæ, ſiue inuoluntariæ, ſiue multæ, ſiue plurimæ. Dicit enim diſtributiuè: Omnis ἀδικία, id eſt, quælibet Legis tranſgreſſio eſt peccatum, ſed non ad mortem.

7 Hinc concludo, peccatum in Spiritum ſanctū non eſſe Legis moralis tranſgreſſionem vllam, nec vniuerſalem, nec particularem. Atq; hæc concluſio in primis tenenda eſt contra multorum errorem, veterum & recentium Scriptorum, qui multis præbet occaſionem deſperationis.

8 Secundò, occurrit dictum Domini Matth. 12. 31. Mar. 3. 28. Luc. 12. 10. Dominus enim, in iſtis locis, obiicit blaſphemiā in Spiritum ſanctum Iudæis, qui non ſolùm Chriſtum & eius Euangelium aſpernabantur, freti propriis iuſtitiis & ſacrificiis legalibus: verumetiam dicebant Chriſtum eiicere Dæmonia per Beelzebub, principem Dæmoniorum, & habere ſpiritum impurum.

Materia.

9 Hinc concluditur, quod materia ſeu generica differentia peccati in Spiritum ſanctum, ſit abnegare Chriſtum & eius ſanctum Euangelium aſcribere ſpiritui Satanæ opus, quod eſt Spiritus ſancti proprium: & fidere propriæ iuſtitiæ, dignitati, ſacrificiiſque legalibus.

10 Tertiò, occurrit Paulus, qui fatetur ſe blaſphemum fuiſſe in Chriſtum, perſecutorem, & violentū: vt qui ſumma tyrannide & iniuria, oppreſſerit Chriſtum in ſuis membris, vnde à Domino illi obiectum eſt: Saule, Saule, cur me perſequeris? Hac confeſſione, Paulus complectitur omnia vitia, quæ Chriſtus obiecit Phariſæis.

11 Tribuit enim Paulus opera Chriſti Diabolo, quod eſt verè blaſphemum eſſe in Chriſtum. Nā detrahit Chriſto laudem veritatis, negat eius diuinā potentiam. Qua ratione nomen Chriſti inter homines ſupra modum læſit. Præterea plus quam alij Phariſæi omnes, perſecutus eſt Chriſtum in ſuis membris, zelo lege Moſaicæ.

12 Etſi autem Paulus blaſphemus fuit in Chriſtum, & Euangelij ipſius perſecutor violentus: tamē ſe conſecutum eſſe miſericordiam dicit, quod ignorans hoc fecerit in incredulitate.

13 Significat igitur Paulus, duplicem eſſe blaſphemiam & perſecutionem Chriſti, atque eius ſancti Euangelij: quarum vnam, quæ ex ignorantia proficiſcitur, non eſſe peccatum in Spiritum, clarè indicat.

14 Atque ideo ipſe Dominus apud Matt. ait: Quiſquis locutus fuerit aduerſus Filium hominis, remittetur ei: intelligens eum, qui ex ignorantia hoc facit, & poſtea melius edoctus reſipiſcit.

15 Quartò, occurrit Domini dictum. Matt. 12. 32. Quiſquis autem locutus fuerit aduerſu Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neq; in hoc ſeculo neque in futuro.

16 Quomodo autē hoc Domini dictum accipiēdum ſit, epiſtola ad Heb. cap. 6. 4. hiſce verbis exponit: Impoſſibile eſt eos, qui ſemel fuerūt illuminati, guſtaueruntq; donum cœleſte, & participes facti fuerunt Spiritus ſancti, guſtaueruntq; bonum Dei verbum, & virtutes ſeculi futuri, ſi prolabantur, vt denuo renouentur per pœnitentiam, rurſus ſibi crucifigentes filium Dei, & ludibrio habentes.

17 Hoc dictum collatum cum verbis Domini, differentiam ſpecificam peccati in Spiritum ſanctum, ſuppeditabit: & rationem docebit, cur hoc peccatum dicatur præcipue contra Spiritum ſanctum.

Differentia ſpecifica.

18 Differentia ſpecifica eſt, à Chriſto vere agnito, & ab Euangelio, per Spiritum ſanctum illuminantem corda, cognito, deficere: Chriſtum negare: eum perſequi, & contumelia afficere, ſpreta ipſius victima.

Ratio nominis.

19 Eſt ergo ratio appellationis, quod tales, ſciētes & volentes expellant Spiritum ſanctum de cordibus ſuis: reiiciunt eius teſtimonium, per quem veritas Euangelij in eorum cordibus obſignata erat.

20 Quinto, cum Epiſtola ad Hebręos ait: non eſt alia hoſtia reliqua pro peccato, circumſtantiam, cur hoc peccatum dicatur irremiſſibile, ponit.

21 Quomodo enim is peccator per pœnitentiā renouari poterit, qui pœnitentiæ fundamentum abiecit, videlicet Chriſtū ipſum? Renouatio enim fieri non poteſt, niſi per fidem in Ieſum Chriſtum.

22 Deinde peccator, qui per Chriſti hoſtiam ſaluari non vult, vbi inueniet aliam hoſtiam per quam ſaluabitur? Non enim eſt alia hoſtia pro peccato, quā Chriſti ſola.

23 Putabant Phariſæi ſe ſuis ſacrificiis, poſſe abolere peccatum, & ſine hoſtia chriſti, ſe remiſſionem peccatorum poſſe conſequi. Quod Paulus, conſentiente tota Scriptura, dicit eſſe impoſſibile.

24. Dicitur proinde hoc peccatum irremiſſibile, non quod ſit potentius, aut maius, quam gratia. Nam certiſſima eſt hæc Pauli regula: Gratia ſuperat peccatum. Sed quia non eſt alia, quam ſola Chriſti victima pro peccato, quam illi finaliter reiecerūt.

Definitio.

25 Ex his iam concludamus plenam definitionē huius peccati, quod vocant blaſphemiam, ſeu peccatum in Spiritum ſanctum.

26 Peccatum in Spiritum ſanctum eſt voluntaria rebellio aduerſus chriſtum rectè agnitum: defectio ab Euangelio, in corde hominis, per Spiritum ſanctum illuminantē, obſignato: perſecutio Eccleſiæ, cum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſiæ, cum fiducia propriæ iuſtitiæ aut dignitatis, ſpreta & abiecta finaliter Chriſti hoſtia, quæ ſola peccati expiatrix exiſtit.

27 Non igitur mirum eſt Dominum dixiſſe: Omnia peccata, quæ peccauerint homines, remittentur eis. Sed blaſphemia Spiritus, non remittetur eis, nec in præſenti, nec in futuro ſeculo.

Explicatio.

28 Hinc petenda eſt declaratio dicti ad Heb. Voluntarie peccantibus, poſt acceptam notitiam veritatis, non relinquitur pro peccato hoſtia.

29 Nam voluntarie peccantes vocat eos, qui renunciant Chriſto, quem agnouerunt, atq; eius hoſtiā abiiciunt, & ludibrio exponunt, vt Iulianus, &c.

Errores.

30 Nequaquam igitur dictum Apoſtoli patrocinatur Donatiſtis, qui lapſis negarunt veniam. Nā inter lapſum in moribus, & lapſum renunciantium Chriſto vere agnito, eiuſque ſancto Euangelio, maximum eſt diſcrimen.

31 Etſi autē horrendiſſima peccata, ſiue ex ignorantia, ſiue ex infirmitate, ſiue ex malitia, commiſſa contra præcepta Decalogi, digna ſunt æterna morte: tamen pœnitentibus remittuntur. Cuius rei illuſtria habemus in Scripturis teſtimonia, vt Manaſſis, Dauidis, & multorum aliorum.

32 Perperam igitur faciunt Donatiſtæ, qui vnā voculam, voluntariè, vrgent, non ſolum contra tam clara teſtimonia, verumetiam contra περίστασιν loci, & Apoſtoli mentem.

Peccata contra cō ſcientiam periculoſiſſima.

33 Quanquam autem particulares lapſus, vt oſtē dimus, non ſunt peccatum in Spiritum ſanctum: tamen cum ſæpe contra conſcientiam perpetrantur, merentur deſertionem, atque ita homines præparāt ad blaſphemiam in Spiritum ſanctum.

34 Quare magno ſtudio cauendi ſunt lapſus voluntarij, & iterationes peccatorum, quæ fiunt vincula, quibus ligantur homines ſub peccati imperio, & diaboli tyrannide, vt poſtea, cum velint, non poſſint eluctari.

35 Huc illud Gregorij: *Cū culpa in vſum venerit, etiam volens animus, vix reſiſtet: quia quot vicibus praua frequentationis aſtringitur, quaſi tot vinculis alligatur.*

36 Veriſſimum enim eſt quod dicit Auguſtinus: *Conſuetudine vitia roborata difficulter vincuntur.* Item, *Conſuetudine nimia, peccatum fit quaſi naturale. Nam dum conſuetudini non reſiſtitur, fit neceſſitas*

37 Eadem ſiquid ratio eſt morbi animi, & morbi corporis: vt de vtroque rectè videatur dixiſſe Poeta: *ſero medicina paratur, cum mala per longas conualuere moras.*

XXIIII.

LIBERVM ARbitrium.

Methodi & diſtinctionum vſus.

1 MVlti multa diſputant de libero arbitrio, & ſe plurimis quæſtionibus inuoluunt ſine fructu: cum tamen res per ſe facilis ſit, modo Scripturam ſequi velimus.

2 Scriptura enim manifeſtè tribuit voluntati libertatem eligendi. Propoſui, inquit Moſes, Deut. 30.19. vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem: elige ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemē tuum. Et Chriſtus dicit: volui te congregare, & tu noluiſti. Matt. 23.37.

3 Cùm hoc dicimus, non conuellimus eorum ſententiam, qui vel defendunt Liberum arbitrium, vel ſtatuunt Seruum arbitrium, oppugnantes Liberum arbitrium. Nam horum ſententiæ ſimul ſtare poſſunt, modo recte diſcernantur.

4 Ordiamur ergo à definitione. Liberum arbitrium eſt voluntatis libertas, ad hoc vel illud inclinandæ, pro arbitrio. Definitio

5 Arbitrium autem, eſt iudicium, quod à ratione, tanquam arbitro, ſtatuitur. Si ergo, arbiter, ratio, rectè iudicat: rectè eligit voluntas. Si male iudicat, vel corruptus eſt: male eligit voluntas.

6 Verùm, ne hic vllo errore implicemur, diſcernemus primum, inter arbitrium rectum, & prauū: deinde, inter προαίρεσιν, & executionem. Diſtinctio.

7 Ante regenerationem & illuminationē mētis per Verbum & Spiritum ſanctum, arbitriū, quātum ad ſpirituales res, quæ ſunt ſalutis, attinet, planè eſt prauum, quod Scriptura multis locis docet. Ante regenerationē quale ſit hominis arbitriū.

8 Vt in illo: Prauum eſt cor hominis ab initio, ſcilicet, ſtatim poſt lapſum primorum Parentum, & Paulus poſt Dauidem, dicit, non eſſe quēquam, qui intelligat. Quid multis? Homo ſequitur φρόνημα carnis, ante illuminationem: & illud φρόνημα eſt inimicitia coram Deo. Teſtimonia.

9 Hinc eſt, quod homo ſponte ſeruit prauis cupiditatibus, & liberè eligit noxia, pro arbitrio, ſiue errante ſiue corrupto.

10 Hoc vtcunq; hac imagine pingi poteſt. Vt meretrix, pro arbitrio ſuo, minime coacta, ſuis amatoribus ſe proſtituit, qua in re miſere & perdite ſeruit, etſi volens & libens hoc faciat, ita voluntas, peccati concupiſcentiis miſere ſe ſubmittit illis, volens & non coacta, ſeruiens ad omnem turpitudinem perpetrandam. Simile.

11 Hinc eſt, quod Lutherus Seruum arbitrium ſtatuat, hoc eſt, ſeruitutem voluntatis pro arbitrio prauo. Qui facit, ait Dominus, peccatum, ſeruus eſt peccati. Ioan. 8.34.

12 Cum autem Lutherus ſeruum arbitrium defendit, non tollit Liberum arbitrium, quatenus liberum, coacto opponitur: quod nemo poteſt facere, niſi ſimul opus Dei deſtruat, hoc eſt voluntatē in nomine eſſe neget. Voluntas enim non fert neceſſitatem coactionis: ſed quatenus liberum, ſeruo opponitur. Sponte enim homo ſeruit peccato ante regenerationem.

13 Cur autem Lutherus ſic docuerit, habuit cauſas grauiſſimas. Antagoniſtæ Lutheri, non ſolum, de arbitrio diſſerentes, errabant, cum ex Ariſtotele dicebant: Ratio deprecatur ad optima: verumetiam, executionem cum electione, non ſine magno errore, confundebant.

14 Voluit ergo Lutherus docere: & arbitrium prauum eſſe ante regenerationem, & voluntatem ſe ſponte illi ſubmittere, ſeruireque prauis deſideriis, & executionem, à iudicio & electione diſtinguendam eſſe.

15 Porro, poſtquam hominis mens eſt illuminata verbo Dei, & homo Spiritus ſancti gratia, per Spiritum ſanctum regenitus eſt: nouum fit arbitrium, hoc eſt, nouum, à ratione rectè docta & reformata manu Dei, tanquam arbitro, iudicium ſtatuitur, hoc eſt, rectum, iuxta normam voluntatis Dei. Poſt regenerationem.

16 Cùm pro hoc arbitrio nouo & recto, voluntas eligit vitam, & mortem auerſatur, eligit benedictionem & recuſat maledictionem: non amplius ſeruit peccato, ſed iuſtitiæ, in qua re ſumma eſt libertas.

17 Hinc eſt quod quidam tribuant homini renato liberū arbitrium, quo videlicet voluntas liberè, pro arbitrio recto, voluntati Dei ſe ſubmittit, eique

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſeruit. Deo enim ſeruire ſumma eſt libertas.

18 Sed ſemper tenendum eſt,quod Lutherus propter cauſſas ſupra enumeratas, Liberũ opponit Seruo,& non coacto,quemadmodum illi,qui libertatẽ voluntatis defendunt.

De electione & executione.

19 Cæterum exacte hic diſtinguendum eſt,inter προαίρεσιν ſeu electionem,& executionem.

20 Προαίρεσις enim voluntatis eſt facultas, qua quod placet,eligit,& quod diſplicet,reſpuit. Executio eſt virium,quibus opus imperatum à voluntate perficitur,vel non perficitur.

21 Incluſus in carcerem habet προαίρεσιν, qua vult & eligit liberationem, & qua reſpuit captiuitatem : vires tamen, quibus exequatur non habet. AEgrotus vult & eligit liberrimè ſanitatem,& reſpuit liberrimè morbum:ſed executio extra electionem poſita eſt.

22 Paulus habet arbitrium rectum, & libertatem voluntatis pro arbitrio,hoc eſt, habet προαίρεσιν boni:ſed corpus mortis huius eſt illi impedimento:ne perficiat bonum quod velit.Rom.7.19.

23 Nam cum ait:Non,quod volo,hoc ago : ſed quod odi, hoc facio. His verbis ſignificat, & arbitrium ſuum rectum eſſe,& voluntatem liberam,ſed executionem impediri.

24 Pij ergo,intelligentes virium præſtandi imbecillitatem,ad Deum confugiant,ipſum orent, vt aliquid ipſi gratum faciant.

XXV.

CONSCIENTIA.

Teſtis & index factorum.

1 Mirandum ſanè opificium Dei in hominibus eſt conſcientia, quam quiſque ſecum circumferens,teſtem & iudicem ſuorum factorum præſentem habet.Vnde prouerbialis ille ſermo natus eſt:Conſcientia mille teſtes.

2 De hoc opificio Dei Paulus Rom. 2.15. in hũc modum ſcribit; Oſtendunt Gentes opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis,conteſtante eorum conſcientia,& intra ſeſe rationibus excuſantibus aut etiam accuſantibus.

Conſcientiæ vis & pictura.

3 In hoc Pauli dicto quatuor veniunt perpendenda,quæ faciunt ad intelligendum hoc Dei opificium, de quo agimus. Primùm enim, cum dicit: Opus Legis ſcriptum in cordibus Gentium, ſignificat diſcrimen honeſtorum & turpium,natura notum eſſe. Deinde,cum addit, Gentes hoc ipſum opus oſtendere,ad experientiam prouocat. Dum enim gentes religiones inſtituunt, dum puniunt turpia & iniuſta facta, vt Deum colendum eſſe teſtantur : ita honeſtatem & iuſtitiam expetendam eſſe iudicant, ad quæ tanquam ad prima capita, tota Lex Dei reuocatur. Tertiò, cum addit : Vna teſtante eorum cõſcientia, coram interno teſtimonio conſcientiæ Gentes ſiſtit. Quartò,cùm inquit: Et inter ſe rationibus accuſantibus aut excuſantibus, qulisnam teſtis ſit conſcientia definitur. Nam cum dicit:Gentes rationibus ſe nunc excuſare, nunc accuſare,aperte ſignificat,conſcientiam,naturalẽ quãdam eſſe Legis intelligentiam,qua,vt honeſta facta excuſantur & probantur:ita turpia accuſantur & improbantur.

4 Cùm hac definitione cõuenit & poetæ deſcriptio.*Conſcia mens vt cuique ſua eſt, ita concipit intra Pectora,pro meritis,ſpemque metumque,ſuis.*

5 Verum,vt hoc opus diuinũ cogitetur cũ maiori admiratione,in gloriã Opificis:ſubtilius, quæ ad huius opificij fabricam pertinere videbuntur, inquirã.

6 Omnium primum hoc tenẽdum eſt,quod ſedes conſcientiæ ſit in præcipua parte hominis,videlicet,in mente ipſa,in qua tres facultates ſunt,veluti huius diuini opificij partes.

7 In mente, quæ ſedes eſt conſcientiæ, eſt primùm intelligentia, quam Philoſophi vocant contemplantem, à proprio eius officio. Nam in contemplatione occupatur,ac ſcientiarum omniũ principia ſcrutatur.

8 In hac ergo intelligentia contemplante collocatur,συντήρησις ea,quæ propoſitiones,hoc eſt,Maiores,in ſyllogiſmis practicis ſuppeditat,& à Paulo νοῦς appellatur.

9 Nam cũ hæc ſyntereſis ſit cuſtos & conſeruatrix notitiarum,quæ nobis innatæ ſunt,de honeſtis expetendis & turpibus fugiendis : attendit ſemper quid expediat.Atq; hãc ob cauſſam ſuppeditare ſyllogiſmis practicis propoſitiones dicitur,quales ſunt hæ:Honeſta expetenda ſunt:Turpia vitanda.

10 Deinde, in mente eſt intelligentia practica, quæ in actione poſita eſt. In hac parte mentis conſcientia collocatur. Atque hæc, aſſumptiones ſeruientes ſyllogiſmis practicis,pro actionum differentia,promit.

11 Adhæc,in mente eſt facultas iudicatrix de facto,hoc eſt, τὸ κριτήριον. Hæc facultas de præmio & pœna factorum pronunciat, iuxta honeſtè ſecus factorum gradus.

12 Syllogiſmus ita extructus vocatur practicus, propterea quod de actione inſtituitur, & de actionis præmio & pœna iudicat. Hic ſyllogiſmus, interdum partis nomen ſibi vſurpat,& dicitur conſcientia.

13 Hunc ſyllogiſmum practicum,diuino ordine,ſequitur aut lætitia,aut trepidatio in corde, pro actionum varietate. Huiç affectui haud raro etiam tribuitur conſcientiæ nomen. Non enim inuſitatũ eſt,idem nomen toti & partibus tribui.

14 Συντήρησις intelligentiæ in Hectore contẽplãtis,hanc ſuppeditat propoſitionẽ: Honeſta ſunt facienda eáque quæ laude digna ſunt.Cõſcientia, quæ proprie eſt mentis practicæ,hanc ponit aſſumtionẽ: Defendere patriam,& pro ea fortiter mori (vt ego decreui)eſt & honeſtum,& laude dignum,τὸ κριτήριον conclusionem infert:Ergo defendere patriam & pro ea fortiter pugnare,eſt honeſtum & laude dignum. Hunc ſyllogiſmum in mente Hectoris ſecuta eſt lætitia,qua magis animatus eſt.

15 In Oedipo συντήρησις ſuppeditat hanc propoſitionem,Turpiſſima facta,maxima ſunt digna pœna.Conſcientia apponit aſſumtionem. Incœſtus cũ propria matre concubitus,eſt turpiſſimus. τὸ κριτήριον concludit,Igitur incœſtus cum propria matre concubitus,eſt pœna maxima dignus.Hunc ſyllogiſmũ practicum in mente Oedipi tantus ſecutus eſt cruciatus,quod pudore ſuffectus, ob ſceleris turpitudinem,ipſe ſibi oculos eruerit,ne Solem aſpiceret, dixeritque vicinis,Diſcedite à me,ne vmbra bonis noceat.Huc Oedipum potentem regem, adegit conſcientia ſola, qui antea Sacerdotem Tyreſiam recte admonentem,ſuperbiſſimè contemſit. Etſi ſatis animoſe,ab eo viciſſim contemtus eſt.

16 Hactenus ex media Philoſophia deſumſimus deſcriptionem conſcientiæ, quam deſcriptionem mens ſana in omnibus hominibus, abſque controuerſia approbat.Nunc autem aliquid adiiciamus quod ignotum eſt Philoſophiæ,& ſine quo doctrina de conſcientia eſt imperfecta, & plane deſperationis plena.

17 Regula

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Regula.

17 Regula triplex in mente contemplante conſideranda eſt: Vna, Naturalis: Legalis, altera: Tertia, Euangelica. De naturali regula, quam cum Philoſophis συντηρησιν appellamus, iam dictum eſt, quare de reliquis duabus eſt dicendum.

Legalis.

18 Legalem appello regulam, quam lex Dei ſuppeditat, quoties Deus vel mandat aliquid fieri, vel prohibet, ſiue id fiat catholice, ſiue perſonaliter.

Exēplum.

19 Deus mandat Sauli, vt aboleat Amalech cum omnibus ſuis, vt nihil prorſus de anathemate reſeruetur. Hoc mandatum regula erat, ſuppeditans Sauli maiorem ſyllogiſmi practici, ex qua regula, obiurgatus tandem à Samuele, hoc modo ratiocinatur: Mandato Dei inobediens iuſtè punitur. Ego Saul mandato Dei non obediui, Ergo, iuſtè punior. Hũc practicum ſyllogiſmum in Saule, deſperatio conſecuta eſt: vt in Cain, Iuda, & multis aliis.

20 In hoc ſyllogiſmo, vox Dei eſt loco συντηρήσεος, quæ Maiorem conſtituit: ſubſumit conſcientia Minorem, τὸ κριτήριον pronunciat ſententiam, quam ſequitur pœna.

Euangelica.

21 Tertia regula eſt ignota rationi ac Legi, & eſt vox Euangelij, quæ pœnitentiam prædicat, & pœnitẽtibus offert remiſsionem peccatorum, iuxta illud: Conuertimini, & propitius ero iniquitati veſtræ. Et Dominus: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Ex quo ſequitur, non perituros, quotquot egerint pœnitentiam.

Exēplum.

22 Et hæc regula Dauid hunc ſyllogiſmum extruxit: Deus promittit veniam peccatoribus, qui pœnitentiam egerint. Ego reus homicidij & adulterij, pœnitentiam ago, & confugio ſerio ad miſericordiam. Igitur Deus condonat mihi grauiſsimum peccatum, quo illum offendi. Hunc ſyllogiſmum in corde Dauidis conſolatio vera ſecuta eſt, & lætitia in Deo, qui peccatum iuxta promiſsionem remiſit. In concione Nathan cernitur vnus ſyllogiſmus, ex regula Legis: alter, ex regula Euangelij. Vtriuſque affectus in corde Dauidis ſentitur: quod & voce declarat.

Conſcientiæ fulcra quatuor.

23 Ad eundem modum Manaſſe, Latro in cruce, Petrus, Paulus, & alij, conſcientia ſcelerum proſtrati, contra Legis damnatoriam ſententiam Euangelij promiſsione ſe erexerunt.

24 Cæterùm, ne quis hanc Euangelicam regulam malè applicet, ſciendum eſt, quibus veluti fulcris nitatur, ne quis ſeipſum fallat, & abutatur Euangelij regula in propriam perniciem.

25 Quicunque proinde hac Euangelij regula rectè vti velit, hæc quatuor abſque hypocriſi in ſe ſentiat. *Primum*, eſt fiducia Chriſti, qua ſtatuitur eſſe remiſſum peccatum, iuxta illud: Beati omnes qui confidunt in eo. *Secundum*, eſt pium & ſanctum propoſitum, quo abiicitur propoſitum peccandi. Qui enim propoſitum habet peccandi aliquando ſpiritum Chriſti non habet: quare nec fidem viuam, qualem requirit Euangelium, habere poteſt. *Tertium*, eſt ſingulare deſiderium totam ſuam vitam Deo approbãdi. Hoc enim deſiderium, veluti flamma quędam ardentis in corde fidei eſt. *Quartum*, eſt ſancta cura muneris ſibi demandati. Qui enim officium negligit, infideli (teſte Paulo) eſt deterior.

26 His quatuor veluti fulcris, conſcientia mundata à mortuis operibus per ſanguinem Chriſti, ædificatur, fouetur, conſeruatur, comprobatur.

Differen[tiæ]

27 Differentiæ conſcientiæ, quibus alia dicitur bona, alia mala, ab effectu ſyllogiſmi practici ſumuntur, hoc eſt, à ſenſu iudicij Dei in hominibus, qui ſane ſenſus, haud obſcurum iudicium eſt futuri iudicij. Bona conſcientia eſt, ex honeſtè actæ vitæ recordatione, lætitia, ſeu remiſsi peccati fiducia. In hac duorum affectuũ συζυγια eſt, videlicet lætitiæ & ſpei. Mala conſcientia eſt, ex turpiter actæ vitæ recordatione, trepidatio ac pauor. In hac eſt etiam duorum affectuum συζυγία: videlicet, ægritudinis & metus.

28 Bona conſcientia, theſaurus eſt omnium optimus & precioſiſsimus, vnde Auſonius:
Quænam ſumma boni: Mens quæ ſibi conſcia recti. Hanc Plato bonam nutricem ſenectutis nominat.

29 Mala conſcientia, res omnium triſtiſsima eſt. Quid enim triſtius eſſe poteſt, quam Nocte diéque ſuum geſtare in pectore teſtem.

30 Cæterùm hoc loco non inutile fuerit, cum bonæ tum malæ conſcientiæ diſcrimina recitare, quæ notat Bernardus. Sæpe enim fit, vt vis conſcientiæ, non, vt deceret, ſentiatur. Bonæ & malæ diſcrimina.

31 Cõſciẽtia (inquit) alia bona & trãquilla: alia bona & turbata: alia mala & trãquilla: alia mala & turbata

32 Bona & tranquilla conſcientia eſt, quæ ſtatuit remiſſum peccatum, & ſentit teſtimonium intus in corde. Bona, ſed turbata eſt, cum homo quidem ſtatuit peccatum remiſſum, ſed vehementius carnis importunitate ſolicitatur, vt haud rarò videatur ſuccumbere.

33 Mala & tranquilla eſt qua nihil peius, nihil infelicius. Hæc eſt, cum homo adeo eſt immerſus in profundum peccati, vt de reſipiſcentia non cogitet: ſed tanquam cæcus de vno ſcelere in aliud feratur. Hanc Paulus cauterio reſectam dicit, vnde fit vt non ſentiatur, præſertim cum res omnes ex voto ſuccedunt. Significat igitur Paulus quorundam hominum conſcientiam ita obduruiſſe vt callum obduxerit: deinde cancrum illam inuaſiſſe: poſtremo cauterio amputatam, vt iam planè abſque omni ſenſu eſſe videatur. Homines qui huiuſmodi conſcientiam habent, Paulus Epheſ. 4. 19. vocat ἀπηλγηκότας, vt qui omne συντηρήσεως iudicium amiſerint, & quorum mẽs reproba ſit facta: quę mens reproba Rom. 1. 28. inter pœnas contẽpti Dei numeratur. Eſt autem mẽs reproba, quę probat improbãda, & improbat probanda, qualis eſt hodie in præcipuis mundi hominibus.

34 Mala & turbata conſcientia, eſt qua ſentitur peccati grauitas, quáque homo premitur tanquam monte quodam impoſito, vt eluctari non poſsit. Huiuſmodi fuit cõſcientia Cain, Iudæ, Achitophel: & talis fit omnium in hora mortis, qui in hac vita ſine pœnitentia vixerunt, niſi fortè admodum pauci, veluti crura è faucibus lupi eripiantur.

35 Hoc teſtatus Plato eſt, etſi Ethnicus, ignarus verbi Dei. Ita enim in primo de republica ait: *Quando aliquis vicinus mori videtur, inuadit ipſum ſubito metus quidam, & cura eorum de quibus antea non cogitauit: & ſermones qui feruntur de inferis, nempe quod illi qui hic alios laſerint, illic pœnas luere debeant. Hactenus quidem ridiculi & fabuloſi ſunt viſi: at tunc torquẽt animum ægrotantis: atque ipſe ſiue ex ſenectutis infirmitate, ſiue aliunde inferis vicinior, magis quæ illic aguntur conſiderat. Suſpicione itaque atque metu plenus, animo verſat ac penſitat ſi quem læſerit: ac ſi deprehenderit ſe multa iniuſtè feciſſe in vita ex ſomnis, tanquam pueri crebro excitatus, metuit, ac mala cum ſpe viuit.*

36 Verùm ne quis deſideret quicquam in noſtra diuiſione, addo & hanc ſectionem, Quod conſcientia alia ſit bona, ſed falſò, alia ſit mala, itidem falſò. Vtrumque contingit vbi erroneum ſtatuitur principium. Monachus murmuratis ſuis preculis & celebrata miſſa, bonam conſcientiam habet, ſed falſò bonam. Alter neglectis preculis & miſſa, torquetur mala conſcientia, ſed falſò mala. Nam vterque ex malo principio ſuam conſcientiam extruit. Alia diuiſio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

XXVI.

VETVS ET NOVVS homo.

Neceſsitas huius doctrinæ.

1 CVM Paulus Apoſtolus iubeat, vt deponamus veterem hominem & induamus nouum, modò ſalutis per Chriſtum partæ conſortes eſſe velimus: operæpretium eſt diligenter inquirere, quiſnam ſit ille vetus homo, quem deponi, crucifigi & exui vult Apoſtolus: & quiſnam ſit ille nouus, quem in locum veteris ſuccedere poſtulat.

Summa.

2 Etſi autem rem ipſam facilè eſt ex 4. ca. ad Epheſ. verſ. 22. & 24. intelligere, vbi veterē hominem appellat veterem conuerſationem ſecundum concupiſcentias erroris: & Nouum qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate vera: tamen ratio appellationis in iſta breuitate non ſatis perſpicitur: quare ex aliis Scripturæ locis declaratio petēda eſt.

Plenior explicatio.

3 Imprimis autem hoc conſtat, quod Metonymia Hebraica, nomina ſubſtantiarum & ſubiectorum ſæpiſsime pro adiunctis, hoc eſt, pro qualitatibus in ſubiectis hærentibus, & pro actionibus qualitatum ponantur: id autem fieri in oratione Paulina vel ex eo manifeſtum eſt, quod in eodem ſubiecto haud rarò vetus homo & nouus opponantur. 1. Cor. 15. 47. opponitur terrenus homo & cœleſtis: vbi nequaquam ſubſtantiarum diuerſitas, ſed qualitatum & actionum notatur differentia.

Homo quid.

4 Nemini ergo dubium eſſe debet, quin hominis appellatione ſignificetur qualitas, & ex qualitate manans actio.

5 Epitheta veteris & noui, & cauſſarum reſpectum indicant, & imitationem ſeu diuerſa ſtudia ſignificant.

Vetus & nouus.

6 Nam cum Apoſtolus veterem hominem à nouo diſcernit, ad cauſſas huius differentiæ reſpicit. Cauſſa veteris hominis, eſt primus homo, de terra terrenus: ideóque vetus. Cauſſa noui hominis, eſt ſecundus homo, de cœlo cœleſtis: ideóque meritò nouus dicitur. 1. Cor. 15. 47.

7 Deinde ſignificatur his epithetis imitatio ſeu ſtudium, vt vetus ſit, quatenus imitatur primum hominem poſt lapſum: nouus verò quatenus hominem ſecundum exprimit.

8 Atque hoc eſt quod Apoſtolus ait: Qualis terrenus ille, tales & qui terreni ſunt: & qualis ille cœleſtis, tales & qui cœleſtes ſunt, & ſicut geſtauimus imaginem terreni, geſtabimus etiam imaginem cœleſtis.

Variæ eorum oppoſitiones.

9 Eſt & hoc obſeruandum, quod vetus homo & nouus aliàs opponuntur in diuerſis ſubiectis, aliàs in iiſdem: pro qua diuerſitate, modus ſignificandi non parum variat.

Prima.

10 Cum opponuntur in diuerſis ſubiectis, tunc vt vetus homo vniuerſam hominis naturam complectitur, ſicuti homo in iniquitate conceptus eſt, & in hanc lucem editus: ita nouus homo ſignificat regeneratum per fidem, quia homo per fidem Filius Dei naſcitur. Ioan. 1. 12. Proinde hac comparatione vetus homo eſt ψυχικὸς homo, hoc eſt, non renatus, expers fidei regníque Chriſti. Contra verò, nouus homo eſt qui credit in Chriſtum. Fides ergo hoc pacto ſeparat nouum hominem à veteri.

Secunda.

11 Opponuntur & vetus homo & nouus in iiſdem ſubiectis, qua ratione vetus homo dicitur, quicquid erroris & vitij remanet in regeneratis, quod carnis nomine apud Paulum deſignatur. Contrà nouus homo, noua iuſtificatorum qualitas eſt, & motus & actio proficiſcens ex fide & congruens cum Lege Dei: & dicitur Spiritus à cauſſa & autore. Vt igitur prior comparatio à cauſsis: ita ſecunda ab effectis petitur.

12 Vbicunque igitur Spiritus concupiſcit & militat aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum: illic & vetus homo, & nouus vnà ſunt, ſed diſpari ratione. Nam donec imperium manet penes ſpiritum, & caro reprimitur, crucifigitur, mortificatur, verè nouus homo adeſſe putandus eſt. Verum cum imperium plenum relinquitur carni, adeò vt homo ſecundum carnem viuat: nouus homo exulat, & homo ſub ira Dei manet. Hoc cōfirmatur Pauli dicto: Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. At ſi Spiritu actiones corporis mortificaueritis, viuetis. Huius dicti rationem ſubiicit. Quotquot Spiritu Dei ducuntur, hi ſunt Filij Dei. Rom. 8. 13. 14.

13 Hactenus in genere oſtendimus cauſſas appellationum veteris & noui hominis: differentias monſtrauimus, & alterum ab altero cum in diuerſis ſubiectis, tum in iiſdem diſtinximus. Nūc quò melius cognoſcatur vterq;, hoc eſt, vetus & nouus homo, veluti ἀναλογίαν quandam vtriuſque inſtituam.

14 In veteri igitur homine conſideremus. Primum, corpus ipſum. Deinde corporis membra. Præterea, effecta ſeu opera veteris hominis.

15 Corpus veteris hominis nunc à Paulo corpus peccati, nunc peccatum ipſum dicitur: & eſt vniuerſa natura vitioſa & deprauata. Hoc corpus circumfert ſecum omnis qui natus eſt iuxta communem naturæ curſum, ex ſeminis maris & fœminę commixtione: nec plene mortificari poteſt, priuſquam hoc mortale noſtrum corpus ab anima relictum fuerit.

16 Membra veteris hominis ſunt, facultates tum animi, tum corporis, quæ ſe peccato ſiſtunt ad obediendum ei in deſideriis ipſius. Animi quidem: iuxta Pauli enumerationem, Mens, διάνοια, cor: corporis verò, vires corporis, & ſenſus omnes externi.

17 Mens, id eſt, τὸ ἡγεμονικὸν, adeo celebratum à Philoſophis, eſt ea facultas, qua homo lumine rationis cernit & iudicat honeſta & inhoneſta: quam Paulus in non renatis vanam eſſe pronuntiat.

18 Διάνοια eſt facultas illa, per quā ratiocinamur & colligimus aliquid ex iis, quæ mens ſine ratione quietè cernit. Verum hanc in homine veteri excæcatam pronuntiat Apoſtolus.

19 Cor complectitur affectus, voluntatem, concupiſcentias. Hoc Paulus obduratum eſſe affirmat, adeo vt Deo non cedat, nec afficiatur vllis rebus diuinis.

20 Præter has internas facultates ſeu membra veteris hominis ſunt παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν, vt Paulus appellat, quæ exiſtunt in membris noſtris per Legem, antequam veniamus in communionem gratiæ. Neque tamen Lex harum affectionum effectrix eſt per ſe, ſed tantum κατ᾽ ἀφορμὴν, vt Paulus ſeſe interpretatur.

21 Eſt igitur mens in non renatis, primùm veteris hominis membrum, & veluti primus peccati, id eſt, natiuæ noſtræ corruptionis, adminiſter, cui famulatur intelligētia, ad ſuggerendum cordi prauos motus. Hi poſtquam commouerint voluntatem, naſcuntur ἐπιθυμίαι. Tum verò corpus ab animo impulſum, huc & illuc tranſuerſum rapitur: omnes ſenſus, adeóque omnia corporis membra tyranni arbitrio ſe ſiſtunt, ad perpetranda omnia, quæ imperat. Et cum voce Dei peccatum accuſatur, eius παθήματα inde occaſione ſumpta magis vigent in membris non renatorum.

22 Hinc fructus peſſimus profertur, & varius, quem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quemadmodum Paulus Galat.5.19.teſtatur hiſce verbis:Manifeſta ſunt opera carnis,quæ ſunt,adulteriū, ſcortatio, impuritas,proteruia, idololatria, veneficium,inimicitiæ,lis,ęmulationes,irę,contentiones, diſsidia,hæreſes,inuidiæ,cædes,ebrietates,comeſſationes,& his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quod qui talia agunt, regni Dei hæredes non erunt.

23 Hactenus quid ſit vetus homo, Quæ eius membra, Quæ actiones, &, Quis exitus. Verùm vt omnia in breuiorem ſummam contraham, vetus homo eſt peccatum regnans in mortali noſtro corpore, ita vt obediamus peccato in cupiditatibus corporis. Rom.6.12.

24 In nouo homine ſpectentur,natiuitatis cauſſæ,modus, partes, noui hominis membra, actiones & ſigna teſtantia infallibiliter de hac noua natiuitate ex quibus,quilibet ſcire poteſt, num ſit nouus homo in Chriſto,necne.

25 In noui hominis natiuitate nihil craſſum,nihil carnale cogitādum eſt. Eſt enim arcana quędam ac ſpiritualis natiuitas,cuius cauſſæ & cognoſcendæ ſunt,& accurate diſtinguendæ. Nam cū nunc à Deo naſci,nunc è Spiritu renaſci, interdum per verbum, nonnunquam per fidem,rurſus per lauacrum aquæ, interdum quoque per miniſtros Euangelij naſci dicimur:neceſſarium erit cauſſas has accuratè diſtinguere,ne confuſio harum cauſſarum errores pariat.

26 Hoc autem ante omnia tenendum eſt, quod ſicut opus creationis hominis,eſt totius Trinitatis: ita & recreatio ſeu regeneratio hominis,Deum autorem habet. Nam hoc mirandum opus à nulla creatura fieri poteſt.

27 Vt ergo Deus Pater creauit hominem, & Deus Filius creauit hominem,& Deus Spiritus ſanctus creauit hominem:ita Deus Pater,Filius & Spiritu ſanctus hominem peccato mortuum regenerant:ſed ſeruata cuiuſque perſonæ proprietate, hoc modo:

28 Vt Deus Pater creauit mundum, per Filium, in Spiritu ſancto:ita recte dicitur:Deus Pater per Filium,in Spiritu ſancto regenerat hominem. Pater enim autor & fons eſt: Filius medium & meritum: Spiritus ſanctus vim ſuam exerit in hominē,ac eum nouam creaturam efficit & conſeruat. Verùm quia Deus vtitur ad hanc noui hominis regenerationem, ſenſibilibus inſtrumentis: fit vt hæc natiuitas nunc verbo,nunc fidei, nunc Baptismo, nunc miniſtris Euangelij tribuatur:ſed diuerſimode.

Vt Petrus Apoſtolus ſemen noui hominis naſcendi,verbum Dei ſtatuit:ita Ioannes per fidem naſci Filios Dei affirmat. Nam ſicuti verbum promiſsionis eſt veluti ſemen Dei,ex quo Filij Dei naſcuntur:ita fides,quæ eſt opus Spiritus ſancti,recipit ſemen:quo recepto hæc diuina peragitur natiuitas. Huc illud:Dedit Deus hunc honorem, vt Filij Dei fiant,quotquot credunt in nomen eius.

30 Dignatur proinde adoptionis honore Deus eos,qui in Filium credunt, ſed quos ſuo Spiritu iam genuerat. Proinde,quod efficit ſpiritus:hoc verbum offert,atque idem fides receptum declarat.

31 Quod autem natiuitas hic tribuatur nunc Baptiſmo,nunc miniſtris Euangelij, non pugnat cum ſuperioribus. Vt enim Baptiſmo tribuitur,tanquam Sacramento:ita miniſtris Euangelij,tanquam cooperariis Dei,non tanquam autoribus.

32 Cum autem huius nouæ natiuitatis modum ignoraret Nicodemus,Dominus eum hac ſimilitudine docet. Ventus,inquit,quò vult ſpirat,& ſonum eius audit,ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat:ita eſt omnis qui genitus eſt è Spiritu, hoc eſt, Quemadmodum ignoratur, vnde veniat, aut quò vadat, ventus, ſed tamen eius ſonus ſentitur, dum ſpirat: ita modus regenerationis per Spiritum ſanctum,eſt nobis reconditus:ſed mox vbi regeniti ſumus,vis & effectus Spiritus ſancti in rebus regenitis,ſe profert. Nam huius Spiritus motus & ſtatus,in cordibus regenitorum eſt fides,qua ſola iuſtificamur, Timor Dei,Ardens amor,&c.

33 Partes huius nouæ natiuitatis,ſeu noui hominis,ſunt duæ,videlicet, Mortificatio, & viuificatio: quæ quidem quotidianis incrementis opus habent, quo tandem perficiantur. Partes duæ.

34 Vt mortificatio eſt communio & ſocietas mortis Chriſti:cuius virtute verus homo caſtigatur, crucifigitur,occiditur:ita viuificatio eſt communio & ſocietas reſurrectionis Chriſti,cuius virtute viuificamur,vt nouam vitam viuamus. Quod enim repugnamus peccato, virtute mortis Chriſti fit:& quod militamus iuſtitiæ,virtute reſurrectionis Chriſti fit, quem poſsidemus fide,cum omnibus ſuis theſauris & beneficiis.

35 Membra huius noui hominis ſunt: mens, ſed reformata manu Dei,& noua luce perfuſa:intelligentia verbum Dei tanquam regulam,ſequens:affectus, ſed purgati per Spiritum ſanctum, ardentes timore Dei:& voluntas conuerſa ad Deum,& concupiſcentia Spiritus,quæ pugnat aduerſus carnem. Membra noui hominis.

36 Hinc etiam intelligi poteſt, qualeſnam ſint actiones noui hominis,ſeu Spiritus, qui teſtatur de noſtra renaſcentia. Paulus autem, exempli gratia, has enumerat actiones Spiritus:Fructus Spiritus eſt charitas,gaudium,pax,lenitas, benignitas, bonitas, fides,manſuetudo, temperantia. Aduerſus eos qui ſunt huiuſmodi non eſt Lex. Actiones.

37 Porrò,Signa teſtantia de hac ſpirituali natiuitate, vnumquemque Chriſtianum tenere oportet: ne quis vel ſeipſum decipiat, vanitate: vel deiiciat, puſillanimitate. Sunt autem præcipua ſigna quinq;. Signa huius natiuitatis.

38 Primum eſt, vera Chriſti cognitio:Hæc eſt, inquit Dominus, vita æterna, vt te cognoſcant verum Deum, & Ieſum eſſe Chriſtum, quem miſiſti. Hæc cognitio in notitia & fiducia Chriſti eſt ſita.

39 Secundum eſt,duci Spiritu Chriſti,& non carnis impetu ferri. Ita enim inquit Paulus: Qui ducuntur Spiritu Chriſti, hi ſunt eius. Hic Spiritus vt eſt arrhabo hęreditatis promiſſæ:ita miſſus eſt in corda noſtra,vt nos ad precandum excitet.

40 Tertium, aſsidua ſpiritus aduerſus carnem lucta, & eiuſdem ſpiritus victoria ſuper carnem. Etſi autem hæc victoria difficulter acquiritur: tamen reuera parta eſt, quando peccatum in nobis non negat, vt obediamus ei in cupiditatibus corporis.

41 Quartum eſt, patientia ſub cruce, quæ ſpei, quæ cum fide cōiuncta eſt,indiuidua comes exiſtit.

42 Quintum, quotidie magis magíſque abundare in cognitione & omni ſenſu. Philip.1.9.

XXVII.

SPIRITVS ET *litera.*

1 QVI ex Pauli dicto, 2. Corinth.3.6. Litera occidit,Spiritus autem viuificat. Grammaticum Scripturæ ſenſum (quem literalem vocant) Allegoricorum error refellitur ſolidis rationibus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

occidere,& allegoricum viuificare concludunt,perniciosiſsime errant.

2 Primùm enim iſta interpretatio contumelia Deum afficit,vt qui homines obſcuris ęnigmatibus in certam ipſorum perniciem,illudat & decipiat.

3 Deinde,eadem omnem doctrinæ cœleſtis certitudinem euertit. Nam ſi Grammaticus ſenſus, quem verba rectè intellecta ſuppeditant, eſt litera occidens: quæ quæſo certitudo eſſe poterit,præſertim cum alij alias gignunt allegorias?

4 Idem error homines paulatim, à verbo nobis diuinitus tradito,ad humana ſomnia abducit.Vnde fit vt doctrinæ dæmoniorum & humanæ traditiones in locum cœleſtis doctrinæ, quæ ſola ſalutaris eſt,ſuccedant.

5 Breuiter, Iſta erronea ſententia omnem ſalutis ſpem & omnem conſcientiarum conſolationem euertit.Quæ enim ſpes & quæ conſolatio ex eo verbo eſſe poterit,quod inſtar Prothei,in mille allegoriarum formas ſe flectit?

6 Proinde ſanis hominibus & piis,dubium eſſe non poteſt,quin afflatu diabolico factum ſit, vt genuinus verborum ſenſus , quem ſuppeditat grammatica,ſit iſtis doctoribus litera occidens : & contrà,ſomnium hominis ſit allegoria , adeóque Spiritus viuificans.

7 Similis prorſus contumelia fuit antiqui ſerpentis , qui primos noſtros parentes , à ſenſu verbi Dei genuino abduxit ad alias cogitationes pugnantes cum voluntate Dei in verbo reuelata.Nam cum Deus ſua voce minatur mortem comedentibus de fructu vetito,Satan contrà dicit:Nequaquam morte moriemini,ſignificans verba Dei non eſſe accipienda eo ſenſu , quem grammatica promebat, ſed alio arcano & allegorico.

8 Proinde non minus quam vox Satanæ,qua Eua decepta eſt,deteſtandus eſt error Origenis,qui ſcripturam totam in allegorias transformat.Et probanda eſt Epiphanij ſententia , qui affirmat non omnia diuina verba allegoriis indigere,ſed accipienda eſſe prout ſe habent,hoc eſt,eo ſenſu,quem voces rectè intellectæ conficiunt.

9 Abraham audit à Domino : Vade in locum quem monſtrauero tibi,atque ibi offer vnigenitum filium tuum Iſaac , quem diligis , in holocauſtum. Hîc,ſi Abraham præterito grammatico ſenſu, confugiſſet ad allegorias,nequaquam filium Iſaac, vinculis prius ligatum , mactare in holocauſtum properaſſet.

Regula de ſenſu Scripturę.

10 Quapropter in mandatis diuinis , in ordinationibus , in promiſsionibus , & comminationibus omnibus modis quærendus eſt,& retinendus genuinus verborum ſenſus:niſi forte ex grãmatico ſenſu aliqua abſurditas ſequitur, aduerſus articulos fidei. Tunc enim adhibenda eſt theoria, iuxta Epiphanij conſilium,quæ ex ſcopi conſideratione,ex periſtaſi rerum,& ex collatione plurium ſententiarum, eruit (ſeruata analogia fidei)verum verborum ſenſum.

Alia regula.

Alia regula.

11 Etſi autem in veteri potiſsimum teſtamento, multa ſunt typica & myſtica : tamen genuinus verborum ſenſus primum tenendus eſt. Deinde ſymbolica ratio, potius quam allegoria , eſt ſpectanda: quæ tantiſper probanda eſt , donec cum axiomatis primis Religionis conſentiat.

De allegoriis regula.

12 Quantum autem ad allegorias attinet,ſeruari hanc regulam perutile fuerit. Allegoria nulla recipiatur,quantumuis ſpecioſa fuerit , niſi quæ habeat facem claram verbi diuini præeuntem.

Method' doctrinæ huius cap.

13 Cæterùm, ne errore Papiſtico & nos inuoluamur,de Spiritu & Litera:primum quęramus,quid Litera, & quid Spiritus abſolutè ſint. Deinde quid comparate,videlicet, cum Litera tribuatur Legi, & Spiritus Euangelio,quatenus opponuntur.

14 Quid autem ſint Spiritus & Litera abſolutè, ex ſequentibus licet colligere teſtimoniis.Rom.28.2.Non circumciſio carnis, circumciſio eſt : ſed circumciſio cordis in Spiritu,& non in Litera.Circumciſio ergo cordis,eſt ſpiritus:& circumciſio, quæ in carne tantum eſt,eſt litera.2.Corinth.3.3.opponitur Spiritus Dei viui,tabulis lapideis.

15 Hinc primùm firmiſsima demonſtratione concludo , Literæ & Spiritus vocabula , nequaquam ad expoſitionem pertinere,vt volunt cum Origene papiſtæ:ſed potius ad vim quandam & fructum verbi in hominibus.

16 Hoc comprobatur & his Pauli verbis : Dum palam ſit,vos eſſe epiſtolam Chriſti,inſcriptam non atramento,ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis,ſed in tabulis cordis carneis.2.Cor.3.3.

17 Præterea antitheſis literæ & ſpiritus rectè perpẽſa,omnem dubitationem tollit. Nam certum eſt,literam & ſpiritum,vt cõtraria,ab Apoſtolo opponi.Si itaque conſtiterit,quid propriè alterutra harum vocum ſignificetur:mox ex collatione contrariorum,quid ſibi velit reliqua,apparebit.

18 Cum igitur Paulus ipſe ſpiritui , in corde locum tribuit , atque eum definit eſſe viuum ſenſum, & ſcripturam Spiritus ſancti, viuificantis corda hominum : ſequitur literam eſſe quiddam expers viui ſenſus ſpiritus in corde.

19 Proinde vt ſpiritus eſt , quod Spiritu Dei viuentis in cordibus noſtris inſcriptum eſt : ita litera erit quicquid legitur, intelligitur, cogitatur , & fit, quantumlibet ſpirituale ſit,cum animo noſtro non inhæret & viuit per ſpiritum.

20 Quantum itaque ad rem attinet,quæ proponitur,intelligitur, cogitatur, non eſt differentia,inter Literam & ſpiritum : ſed quoad animi affectus. Si enim animus ſpiritu Dei viuificantis excitatur ad pios & ſanctos motus & actiones : Spiritus eſt. Sin minus,litera eſt inefficax ad vitam infundendam,& ſatis potens ad occidendum:non quidem verbi vitio,ſed hominis culpa.

21 Paulus vult hominem abundare in cognitione & ſenſu ſimul. Nam cognitio omnis,ſiue ſit Legis, ſiue Euangelij , ſine ſenſu , litera eſt occicens: Contra autem , cum ſenſus viuus in çorde accedit, ſpiritus eſt viuificãs,& non amplius litera occidens.

22 Legis proinde cognitio,& opus Legis, ſi ſpiritu Dei intus viuificante corda deſtituitur,litera eſt occidens,vt in Paulo cernimus nondum conuerſo. Is enim,etſi inculpatè coram oculis hominum vixerat:tamen ad extremum, ſe à Lege occidi , animaduertit.

23 Euangelij ſimiliter cognitio, confeſsio, & vſus Sacramentorum , ſine ſpiritu intus corda renouante,litera eſt occidens.

24 Contra,Legis cognitio,&opus Legis,quando ſpiritus intus cor viuificat , ſpiritus eſt , & non litera , vt in Paulo eſt videre, qui conuerſus , condelectabatur Legi Dei , ſecundum interiorem hominem.

25 Euangelium ſimiliter creditum & efficax in corde,ſpiritus eſt.Idem ſit de ſacrificiis & ſacramentis iudicium.

26 Sacrificium Cain,Decimæ Phariſæi,quia vitali ſpiritu in corde deſtituebantur , litera fuerunt. Contrà , Abelis munera , & Cornelij eleemoſynæ, quia corda eorum viuificabantur ſpiritu Dei,ſpiritus erant.

27 Sic-

27 Sic Paulus,circumciſionẽ, quæ in carne hæret ſine fide in corde, Literam vocat : & contra,eandem,Spiritum nominat,cum ſuum proprium finem aſſequitur,hoc eſt , cum res in corde , ſigno externo reſpondet.

28 Fine enim præceptorum,ſignorum,typorũ, atque adeo omnium operum ſublato , manet ſola Litera,quæ per ſe inutilis eſt.

Ratio locutionis.

29 Ratio locutionis,ſi quæritur,hæc eſt,Vt Spiritus vocabulum per Synecdochen accipitur. Nam & Spiritum ſanctum ſignificat , & motus viuos , in corde excitatos,ab eodem Spiritu:ita Literæ vox,per Metalepſin transfertur , & ſignificat , quod nudam Literam,ſine motu Spiritus ſancti in corde , conſequitur.

Quo ſenſu Lex Litera: Euangelium Spiritus dicatur.

30 Hactenus perſpicuè oſtendimus , quid abſolutè ſit Spiritus,& quid Litera.Nunc autem declarãdum eſt,quid ſibi velint,cum litera Legi,& Spiritus Euangelio,à Paulo tribuantur:quæ ſane epitheti vice funguntur,ac ſi diceres Legem literalem eſſe , Euangelium autem ſpirituale.

31 Verba Pauli hæc ſunt,2.Cor.3.6.Qui fecit,vt idonei eſſemus miniſtri noui Teſtamenti, non literæ,ſed Spiritus.Litera enim occidit : Spiritus autem viuificat. Quod ſi mortis miniſterium,literis informatum in ſaxis,fuit glorioſum, adeo vt non poſſent intueri filij Iſrael in faciem Moſis , propter gloriam vultus eius,quæ abolenda erat.cui non potius miniſterium Spiritus , erit glorioſum? Nam ſi miniſterium condemnationis,erat glorioſum:multò magis miniſterium iuſtitiæ abundat in gloria.

32 Hic Paulus manifeſtè legem Moſis,ſcriptam in tabulis lapideis,vocat literam occidentem:& contra,Euangelium,Spiritum viuificantem.

33 Sed ſciendum eſt,Legem quidem literam,Euangelium verò Spiritum appellari,non ſimpliciter. Nam vt Euangelium nõ ſemper eſt Spiritus:ita Lex non ſemper eſt litera:ſed quatenus vnum alteri opponitur.Tunc enim verè & congruenter dicitur, Legis naturam eſſe,literaliter docere homines : Euangelij autem,ſpiritualiter : quia gratiæ Chriſti ſit inſtrumentum.

34 Neque his obſtat,quod Euangelium à Paulo alibi dicatur odor mortis ad mortem,& Chriſtus appelletur lapis offenſionis,& petra ſcandali. Nam id Euangelio non competit natura , quia omnibus eſt ſalutare:ſed hominum vitio , qui inſtrumentum regenerationis & reconciliationis repudiant.

35 Legis igitur perpetuum & inuiolabile accidens eſt , (quatenus à Chriſto ſeparatur) vt occidat. Quoniam,vt alibi dicit Apoſtolus , Quicunque ſub ea manent,maledictioni ſunt obnoxij.Contra,Euãgelij accidens eſt,per occaſionem occidere. Nam in eo reuelatur iuſtitia Dei ex fide in fidem:ideóque potentia Dei eſt,in ſalutem omni credenti.

36 Breuiter,Lex morbum oſtendit, ita vt nullã monſtret ſpem ſanationis:ſed potius cum hominem relinquit in ſeipſo , morti eum neceſſariò adiudicat: ideóque meritò Litera occidens dicitur. Verum Euangelium deſperatis remedium adfert.Quare pœnitentiam prædicat, & ad Chriſtũ adducens,vitę ianuam aperit:ideóque meritiſſimè,Spiritus viuificans à Paulo dicitur.

37 Diſcernendum eſt igitur, inter fortuitum euentum,& perpetuum accidens:inter proprium officium rei,& occaſionem.Fortuitus Euangelij euẽtus eſt occidere,videlicet,cum auditur,& non creditur. Vnde fit,vt per accidẽs,ſit Litera occidens:cum eius tamen proprium officium ſit,viuificare:vnde Spiritus appellatio illi propriè competit.

Cur Euangelij præcones vocantur miniſtri ſpiritus.

38 Cæterum cum Paulus ſe alioſque Euangelij præcones,vocat miniſtros non Literæ,id eſt , Legis occidentis, ſed Spiritus,id eſt , Euangelij viuificantis:nõ abolet doctrinã Decalogi,ſed tantùm diſcernit inter miniſterium Moſis proprium, & propriũ munus præconum Euangelij.

39 Etſi autem homines ad pœnitentiam ſeu cõuerſionem (ad quam inuitat Euangelium) ſemper prædicatione Legis præparandi ſunt , (Nam Legis prædicatio,& ignorantiæ noſtræ medetur,& ſtuporem excutit,vt vere ſentiamus noſtrum malum, cuius admonitione adigamur ad Chriſtũ , niſi malimus in noſtris peccatis perire.)Tamen proprium eſt miniſtrorum noui Teſtamenti , vt ſint miniſtri Spiritus:accidentale verò,quod ſint Literæ miniſtri.

40 Verùm hoc accidentale miniſterium,toties abolctur,quoties prædicationi Legis ſuccedit Euangelij gratia æterna.Quod quidem fit quando homines,agnita ſua iuſta damnatione, & percepto Spiritu ſeruitutis ad metum,obtemperant Euangelio, agentes pœnitentiam. Tum enim donantur Spiritu adoptionis per quem clamant, Abba pater.

41 Quicunque hoc adoptionis Spiritu, ad prædicationem Euangelij , donati fuerint , à maledictione Legis liberi ſunt:adeo,vt obedientia , quam præſtant Legi Dei,non amplius Litera, ſed Spiritus cenſeatur.Nam non ſolùm credentes ipſi viuificantur:verumetiam opera,quæ faciunt(tametſi Legi nõ ſatiſfaciunt)viuificantur.

Lex,quomodo perpetua & abrogata.

42 Atque hinc eſt , quod tametſi doctrina Decalogi , quatenus hominem,ad Chriſtum nondum conuerſum,condemnat,ſit temporaria & abolenda: tamen perpetuò maneat, quatenus eſt norma iuſtitiæ diuinæ,& regula obedientiæ , quæ neceſſariò à conuerſis requiritur.

43 Quare deteſtandus eſt furor non ſolum Antinomorum , qui Decalogum non prædicandum in Eccleſia mentiuntur:verumetiam eorum,qui prętextu Chriſtianæ libertatis,neceſſitatem obedientiæ in conuerſis tollunt.

44 Nam ſi neceſſarius eſt ordo cauſſarum & effectuum,& Chriſtiani omnes ſunt debitores , non carni,ſed Spiritui : omnino neceſſaria eſt noua obedientia. Adeo,vt qui ſecundum carnem vixerit, ſit moriturus:& cõtra,qui Spiritu actiones carnis mortificauerit,ſit victurus.

XXVIII.

PRÆDESTINATIO.

Neceſſitas huius doctrinæ.

1 DE æterna Dei prædeſtinatione , & electione hominum ad vitam beatam & immortalem recte erudiri Eccleſiam ſummopere neceſſarium eſt.Nam vt nulla doctrina vberiorem conſolationem piis conſcientiis adferre ſolet,quam doctrina prædeſtinationis rectè explicata:ita nihil periculoſius eſt,quàm à vera prædeſtinationis ratione aberrare.

Modus prædeſtinationis tenendus.

2 Quare ne à modo prędeſtinationis & electionis,quem nobis commendat Scriptura aberremus, ſummo ſtudio cauendum eſt.Nam qui à vero modo deflectit,in præcipitium fertur,vndè ſe recipere non poteſt.

3 Sunt quidam,qui cum audiunt noſtram ſalutem in Dei electione & propoſito ſitam eſſe,& modum verum haud obſeruant,ſomnia Stoica & tabulas Parcarum fingunt,quibus & ſeipſos miſerè implicant,& alios pernicioſè ſeducunt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Extrema quæ fugienda. 4 Nam fieri aliud nequaquam poteſt quam vt is, qui fatales libros de ſaluandis & perdendis imaginatur, vel hypocriſi vana turgeat, vel deſperatione pernicioſa tabeſcat.

5 Quidam enim carnalis cuiuſdã ſecuritatis anſam arripiẽtes, in quæuis ſcelera licentioſe ruunt: ſibi quidem ipſis in certam perniciem: aliis verò, in graue ſcandalum.

6 Nõnulli in contrarium malum feruntur, qui cum contra verbum Dei, particularem gratiæ promiſſionem ſomniant, in deſperationis baratrum demerguntur: in quo eos æternum perire, niſi mature dextera Dei erecti reſipiſcant, neceſſe eſt.

7 Quapropter cum audimus verbo Dei nobis prædeſtinationis myſterium commendari, ſimul in verbo Dei prædeſtinationis modum cum ſua vera cauſſa quæramus: quem ſi rectè tenuerimus, ſummã conſolationis prædeſtinationis doctrina nobis adferet, & erit non ſolum veluti calcar quoddã ad omnia pietatis exercitia: verumetiam vt ſacra quædam anchora in mortis articulo.

Modus veriſsimus. 8 Modus autem prædeſtinationis veriſſimus eſt, quem Paulus nobis commonſtrat, cum ad Eph. 1. 4. ita ſcribit: Elegit nos in Chriſto ante conſtitutionẽ mundi, vt ſimus nos ſancti, & inculpati coram ipſo in dilectione. Item, prædeſtinauit nos in adoptionẽ per Chriſtum Ieſum. Item, Gratos nos fecit in Dilecto: in quo habemus redemtionem per ſanguinem eius. Item, Propoſuit recolligere omnia in Chriſto. Item, In quo in ſortem aſciti ſumus, prædeſtinati ſecundum propoſitum eius, qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ, vt nos ſimus in laudẽ gloriæ eius, qui ante ſperauimus in Chriſto. Item, In quo & credentes obſignati eſtis Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt Arrhabo hæreditatis noſtræ.

9 Hic Paulus clariſſimè modum prędeſtinationis definit, dum pronunciat Deum prædeſtinaſſe nos ſaluti per Chriſtum, & in Chriſto. Per Chriſtum quidem, vt mediatorem & λυτρωτὴν. In Chriſto verò, vt in capite, & cum capite: cuius membra efficimur per fidem, quam Euangelium promiſcue omnibus prædicat.

Chriſtus fundamẽtum noſtræ electionis. 10 Prædeſtinauit igitur nos Deus, non exarando fatales libros cum Zenonis familia: ſed ſtatuendo iuxta conſilium voluntatis ſuæ modum ſalutis conſequendæ per Chriſtum & in Chriſto.

11 In hoc modo conditio fidei includitur. Nam cum fide inſerimur Chriſto, eius membra efficimur: atque ideo electi, quia membra Chriſti ſumus.

Electorũ Dei proprium & ſpeciale donum, fides. 12 Quam autem hæc conditio ſit neceſſaria ex ordinatione diuina, plurima ſanè declarant teſtimonia. Paulus Rom. 9. vbi de prædeſtinatione diſputat, hanc conditionem inculcat, inquiens: Quid igitur dicemus? Gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam inquam, quę eſt ex fide. Iſrael vero ſectans Legem iuſtitiæ, ad Legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? quia non ex fide, ſed ex operibus Legis. Hanc conditionem repetit Apoſtolus in 10. cap. & ſæpe alias eam vrget. Coloſſ. 1. Si modo in fide permaneatis fundati. Heb. 3. Participes facti ſumus Chriſti, ſi modo inchoatã fiduciam vſque ad finem firmam teneamus. 1. Tim. 2. Mulier ſaluabitur, ſi permanſerit in fide.

13 Neceſſitatem huius conditionis Apoſtolus ipſe de ſe loquens oſtendit, cum ait: Væ mihi ſi non Euangelizem. Item, Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cùm aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar. Si igitur Paulus electum Dei organum, ex fide obedientiam erga Deum non præſtitiſſet, fide excuſſa, gratia excidiſſet, reprobus ſua culpa effectus. Ieremias idem verbis Domini inculcat: Si, inquit, pœnitentiam egerit gens illa à malo, quod locutus ſum aduerſus eam: agam & ego pœnitẽtiam ſuper malo, quod cogitaui vt facerem ei. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiant vocem meam: pœnitentiam agam ſuper bono quod locutus ſum vt facerem ei.

14 Hinc manifeſte apparet prædeſtinationem diuinam, per Chriſtum & in Chriſto, ratam eſſe & requirere à nobis conditionem fidei, qua Chriſto inſerimur, atque ideo electi cenſemur. *Fides & electio pendent, tanquam effectus certus & certificatio.*

15 Ex his quæ hactenus diximus hanc prædeſtinationis extruamus definitionem. Prædeſtinatio eſt ordinatio Dei, qua ipſe ante conſtitutionem mundi, ſecundum beneplacitum & conſilium voluntatis ſuæ per Chriſtum & in Chriſto, deſtinauit vitæ æternæ omnes in Chriſtum redemtorem credituros: vt ſint ſancti & inculpati coram ipſo: vtque laudem gloriæ & gratiæ ipſius prædicent in omni æternitate. *Definitio.*

16 Huic opponitur reprobatio, qua reiiciuntur & arcentur ab æterna vita, & mancipantur æternis pœnis, quotquot in Chriſtum credere recuſant, & quicunque in fide Chriſti, ad finem vſque vitæ, non perſeuerant. *Oppoſitio.*

17 Huius reprobationis cauſſa eſt peccatum hominum, & iuſtitia Dei iuſtè punientis trãſgreſſores, qui ad propitiatorium hominibus à Deo propoſitum, non confugiunt.

18 Porro cum conditionem fidei requirimus: ſimul Phariſaicum taxamus errorem, de Dignitate perſonarum, de Prærogatiua carnis, de Meritis humanorum operum. Vnde & hoc ſequitur, quod nec ex ratione, nec ex Lege de hoc myſterio iudicandum ſit. Nam vt ratio dignitatem & prętogatiuam carnis: ita Lex, merita operum hypocritis electionis cauſſam falſo ſtatuere videtur. *Errores.*

19 Non eſt itaque cauſſa prędeſtinationis in nobis, vt falſò opinantur Monachi, ſed in Deo, quam cauſſam Paulus εὐδοκίαν voluntatis Dei vocat: Auguſtinus miſericordiſſimam Dei voluntatem.

20 De hac voluntate Dei erga homines, vbi certò conſtiterit: prædeſtinationis noſtri fundamẽtum habemus immotum. Nam Deus omnia, vt Paulus teſtatur, ſecundum conſilium huius ſuæ voluntatis operatur. *Beneplaciti Dei fundamentum*

21 Hæc Dei voluntas miſericordiſſima, non eſt nobis incognita aut tecta: ſed tradita eſt & reuelata nobis: voce Euangelij. Et in quatuor potiſſimum cernitur: in miſſione Filij: in promiſſione: in mandato & in obſignatione gratiæ.

22 Miſſio Filij locupletiſſimum teſtimonium paternæ voluntatis Dei erga nos eſt, iuxta hanc vocem Filij: Ioann. 3. 16. Sic Deus dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Ro. 5. 8. Commendat Deus charitatem ſuam erga nos, quod cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. *Eius perfectio.*

23 Huius itaque λύτρον, ſufficiens ſatisfactio eſt & expiatio peccatorum totius mundi. Per hunc enim Pater fatetur ſe placatum eſſe, & iubet ſerio vt ipſum audiamus.

24 Neq; eſt quod quiſquã exiſtimet miſſum eſſe Filium in mundum, vt quoſdam ſelectos tantùm de genere humano redimeret: ſed potius vt totius mundi peccata tolleret, iuxta illud: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. *Efficacia mortis Christi.*

25 Nam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

25 Nam vt communem noſtram naturá aſſumpſit,& cum natura,noſtram cauſſam in ſe recepit:ita palam ipſe de ſe ait:Filius hominis venit ſaluare quod perierat.

26 Iam autem non pauci aliquot perierant de genere humano:ſed totum genus humanum.

27 Quemadmodum igitur in Adamo omnes lapſi ſumus:ita cum Adamo datur omnibus promiſſio ſeminis contrituri caput ſerpentis.Hinc Ioannes: Chriſtus apparuit, vt deſtruat opera Diaboli. Quapropter,fidelis ſermo,vt Paulus ait, & omni approbatione dignus eſt , quod Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere.

Soli electi credentes ſunt participes Chriſti.

28 Quod autem euentus (proh dolor)non reſpondeat voluntati Patris mittentis Filium,& deſiderio Filij deriuantis in ſe pœnam peccati:id fit propria hominum malitia,qui à Patre clementiſſimo ad nuptias filij inuitati,venire recuſant : quemadmodum Chriſtus ipſe conqueritur,cum ait : Multi ſunt vocati,pauci vero electi. Hoc eſt, pauci credunt & fructus pœnitentiæ edunt , atque ideo expelluntur de domo nuptiarum,vt qui veſtem nuptialem non habeant.

Soli promiſſionem omnibus oblatam fide amplectuntur.

29 Promiſſio gratiæ quæ vere vniuerſalis eſt,ſimiliter voluntatem miſericordiſſimam Patris cœleſtis nobis commendat.Huc pertinent plurima dicta, inter quæ ſunt hæc.Hæc eſt voluntas Patris mei,qui miſit me,vt omnis qui videt Filium, & credit in eũ habeat vitam æternam.Matth.18.14. Sic non eſt voluntas ante Patrem meum,qui in cœlis eſt,vt pereat vnus de puſillis iſtis.1.Tim.2.4.Deus vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. 2.Pet.3.9.Deus longanimis eſt erga vos, non volens vllos perire,ſed omnes ad pœnitẽtiam recipere.Huc & illud Propheticum pertinet. Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Ezec.18.33.

30 Hinc Diuus Bernhardus: *Prodit in lucem ad miſeri conſolationem magnum conſilium , quod ab æterno latuerat in ſinu æternitatis,quod nolit, videlicet , Deus mortem peccatoris,ſed magis vt conuertatur & viuat.*

31 Hæc promiſſio gratiæ , vt eſt vniuerſalis,ita etiam eſt gratuita,ſola fide accipienda. Vtrumque perſpicuè docet Paulus ad Rom.9.10.11.vbi excludit apertè omnem prærogatiuam carnis & operum merita : & concludit omnem qui credit non pudefieri. Non eſt enim (ait) diſtinctio Iudæi & Græci.Idem enim Dominus omnium , diues in omnes qui inuocant ipſum.

Iacob & Eſau typi gratiæ & iudicij.

32 Huc faciunt pulcherrimi illi typi , quos idem Apoſtolus proponit,cum filios Abrahæ,Iſmahelem & Iſaac:& filios Iſaac, Iacobum & Eſau,in medium adducit : qui typi in hunc modum accommodandi ſunt : In commodis certis ad hanc vitam ſpectantibus, non omnes qui nati ſunt ex ſemine Abrahæ & Iſaac, habentur illorum filij. Multò minus in rebus ſpiritualibus cenſebuntur filij , qui ab iſtis ſanctis Patribus ortum ducunt. Quocirca,quemadmodum in commodis ad hanc vitam ſpectantibus , tantùm illi reputantur filij , de quibus ſancti Patriarchæ habebãt promiſſiones, vt Abraham de Iſaaco & de Iſmaele, Iſaac de Iacobo & non de Eſau.Ita in rebus ſpiritualibus ſolùm illi ſunt Abrahæ filij cenſendi, qui promiſſioni gratuitæ credunt:& nõ illi,qui prærogatiua carnis tument.

33 Neque aliud vult concluſio Apoſtoli:Non eſt igitur volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. Nam huius concluſionis hic ſenſus abſque dubio eſt veriſſimus.Non eſt volentis neque currentis,videlicet ſecundum carnem : quia voluntas carnis & curſus carnis nituntur prærogatiua carnis & meritis operum,atque ideo aduerſantur miſericordiæ Dei & merito Chriſti. Sed eſt volentis & currentis ſecundum promiſſionem,hoc eſt,credentis. Siquidem omnia poſſibilia ſunt credenti. Nam hæc voluntas,& hic curſus,commendant miſericordiam Dei, adeóq; ſola miſericordia in Chriſto promiſſa nitũtur. Quid hinc iam efficitur ? Illud quod propoſitum erat ab Apoſtolo. Non filios carnis,ſed filios promiſſionis eſſe hæredes.

34 Sunt autem filij promiſſionis omnes qui credunt promiſſioni vt Abraham credidit.Nã Apoſtolus Ro.4. definit filios promiſſionis eſſe eos,qui inſiſtunt veſtigiis fidei Abraham.Et ad Gal.3. Scitote,inquit,quod qui credunt , hi ſunt filij Abrahæ. Si filij ſunt,& hæredes ſecundum promiſſionem.

35 Qui hanc vniuerſalem gratiam negant (quãtum quidem ad voluntatem Dei paternam attinet) præterquam quod Paulo , adeóque conſenſui totius Scripturæ ſe opponunt,grauiſſimè impingunt. Primum enim tribuunt Deo προσωποληψίαν. Deinde fingunt in Deo contradictorias voluntates.

36 Sed quod apud Deum non ſit προσωποληψία, multa dicta teſtantur.Deus enim ſemper bonã cauſſam comprobat,& ſemper malam condemnat,iuxta hãc regulam:Fideles cuſtodit Dominus,& retribuet abundanter facienti ſuperbiam.

39 Nihil proinde certius eſt, quam quod Deus omnes pœnitentes recipiat in gratiam, & contra impœnitentes omnes reiiciat abſque omni perſonarum reſpectu.

38 Quod autem Deus Lazarum mendicare voluit,& Ioſephum principem Ægypti fecit , hoc non conſtituit in Deo προσωποληψίαν. Nam perſonarum acceptio in iudiciis locum habet,vbi æqualibus inæqualia,aut inæqualibus æqualia tribuuntur. Nunc autem cum Deus ſibi hanc iudiciariam regulam ſtatuit,quod velit in Chriſto omnes credentes ſaluare, & quod velit omnes contemnentes Filium , & perſeuerantes in delictis , pœnis punire æternis:nequaquam perſonarum acceptor eſt.

39 Præterea,quod non ſint in Deo contradictoriæ voluntates,ex eo manifeſtum eſt , quod, vt ipſe veraciſſimus,imo ipſa veritas eſt:ita duplex cor damnet.Cum igitur ſcriptum eſt:Deus vult, omnes homines ſaluos fieri.Item, Deus non vult vllos perire, ſed omnes ad pœnitentiam recipere : nequaquam ſunt harum propoſitionum contradictoriæ admittendæ,quæ ſunt , Deus non omnes vult ſaluos fieri, Deus vult aliquos perire,& non omnes ad pœnitentiam recipere.

Autoris ſententia de reproborum damnatione.

40 Quomodo ergo(inquies)damnantur multi, cum omnes ſaluos fieri Deus velit?Si conſilium creationis & miſſi Filij in mundum reſpicimus,verè voluntas Dei eſt vt nullus pereat. Verùm ſi euentum conſideramus,volũtas Dei eſt,vt contumaces & impœnitentes pereant.Pater terrenus vult omnes ſuos filios hæreditate gaudere.Hæc eſt enim paterna ſtorga in bono patre. Verùm ſi aliquis filiorum perrexerit eſſe contumax,vt nec verbis nec flagellis emẽdari velit,hunc pater hęreditate priuat,& inter filios amplius non numerat.

41 Huius rei typus in Deuteronomio proponitur.Si genuerit(ait Dominus) homo filiũ rebellem & proteruum,qui non audierit patris aut matris imperium,& coercitus obedire contemſerit,apprehendent eum pater eius & mater eius,& ducent eum ad ſeniores ciuitatis,& ad portam iudicij,dicentque ad eos:Filius noſter iſte proteruus & rebellis eſt,monita noſtra audire contemnit , lurco & potator eſt,

lapidibus eum obruet populus ciuitatis & morietur. Nonne hic pater vult filium obrui lapidibus, quem naturali ſtorga chariſſimum habuit? Ad eundem plane modum Deus, ex ſua paterna bonitate, vult omnes hæredes fieri vitæ æternæ. Verum contumaces nihilominus & rebelles perpetuis pœnis vult obrui.

Diſtinctio volũtatis Dei. 42 Diſcernendum eſt igitur accurate inter voluntatem Dei paternam, quam Theologi antecedẽtem vocant, & eam quæ ſequitur hominum contumaciam. Quare & conſequens dicitur.

43 Mandatum (hoc enim eſt tertium in quo ſupra propoſuimus voluntatem Dei erga homines cõſpici) ſimiliter nobis voluntatem Dei verè paternã erga omnes commendat. Fieri enim non poteſt vt Mandati conſideratio. voluntas Dei cum mandato ipſius pugnet. Quapropter cum iubet vt totus mũdus Filium ſuum audiat, vult profectò vt omnes illum audiant, vult vt ex auditu fidem concipiant. Prædicatio enim Euangelij requirit fidem. Vult denique vt credentes ſaluentur. Deinde Filius, qui eſt ſapientia Patris, amandat diſcipulos ſuos in omnem terram cum hoc mandato Ite in mundũ vniuerſum, & proclamate Euangeliũ omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Hoc mandatũ cum ſit vniuerſale, clare teſtatur Deũ velle omnium hominum ſalutem: ſed cum conditione fidei, vt indicat promiſſio mãdato addita, Mat. 11.28. clamat Dominus: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Hic vtrumque hoc eſt, mandatum & promiſſio teſtantur voluntatem Dei paternam eſſe, vt omnes veniant ad Chriſtum vocantem, vt omnes in eo conſequantur ſalutem.

44 Firmiſſimè itaque & ſine hæſitatione ſtatuendum eſt mandatum Dei æternum & vniuerſale, eſſe teſtimonium infallibile voluntatis ipſius erga homines. Cum igitur mandat omnibus vt audiant Filium & credant, vult reuera, vt omnes audiant, credant, iuſtificentur, ſanctificentur, ſaluentur.

Soli electi trahuntur efficaci voce Euangelij 45 Sed obiiciet forte aliquis. Fides donum Dei eſt, & opus Spiritus ſancti. Ergo nemo credere poteſt niſi qui diuinitus fidem acceperit. Item, Nemo venit ad Filium niſi quem Pater traxerit. Hoc veriſſimum eſſe fateor. Verùm, cum Paulus inquit. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei: ſignificat ordinarium ad conſequendam fidem inſtrumentum eſſe prædicationem Euangelij: in qua Deus iuxta ſuas promiſſiones vult eſſe efficax, vult trahere Verbo & Spiritu ad Filium. Sed multi trahenti Patri repugnant, cui poterant obedire. Hoc clarè comprobatur querela Chriſti, in hunc modum peruicaciam Iudæorum deflentis, Matth. 23.37. Quoties volui te congregare vt gallina congregat pullos ſuos, & noluiſti? Similem contumaciam Stephanus ſuis Iudæis obiicit. Act. 7.51. Duri, inquit, ceruice, & incircũciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis. Et Dominus apud Eſaiam. 64.2. Tota die expandi manus meas ad populum contumacem & contradicẽtem mihi. Hoc ipſo teſtimonio & Paulus rebellionem Iudeorum oſtendit, quam rebellionem cauſſam reiectionis eorum fuiſſe concludit.

46 Huc etiam facit exemplum quod Auguſtinus de Nabuchodonoſor & Pharaone proponit hiſce verbis: *Quantum ad naturam, ambo homines erant. Quantum ad dignitatem, ambo reges. Quantum ad cauſſam, ambo populum Dei captiuum poſſidebant. Quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit diuerſos? niſi quod vnus manum Dei ſentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra miſericordiſſimam Dei voluntatem pugnauit arbitrio.*

47 Verùm hic imprimis cauendum eſt, ne quis peccandi petulantia & longa conſuetudine, abuſus benignitate Dei inuitantis ſe ad pœnitentiam, acerſat ſibi ipſi iudicium, vt à Deo permittatur ruere in reprobam mentem. Hoc cum fit, homo ad verbum Dei obſurdeſcit, & ſibi ipſi eam peccandi neceſſitatem imponit propria voluntate, vt iam aliud quàm peccare non poſſit. Perinde enim illi accidit, ac ſi quis ſeipſum de cacumine montis præcipitem daret, vnde poſtea caſum reuocare non valeret. Admonitio.

48 Maturè igitur vocanti Deo obtemperare oportet, & reſipiſcere, ſolicitéque ambulare (vt Propheta monet) coram Deo ſuo. Nam qui vocantem Deum per ſuos miniſtros audire recuſat, in contumaciæ pœnam incurrit. Vnde fit vt magis magiſque vinculis peccati conſtrictus donec tandem dedoleat, ſuſque deque ferat omnia ſalutis media. Hinc proinde locum habet vulgo notus verſiculus:

Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.

49 Obſignatio gratiæ (huic enim quartum locum tribui inter ea indicia, quæ nobis ob oculos ponunt quam ſit paterna, volũtas Dei erga omnes homines) clariſſimè nobis paternã volũtatem Dei cõmendat. Nam dum iubet baptizari omnes gentes, vt veriſſimè omnibus gentibus ſuam obſignari gratiã & miſericordiſſimam voluntatem. Nunquam enim gentes omnes inuitaret ad Baptiſmum, niſi omnibus gentibus ſalutem, quam obſignat Baptiſmo, impartiri vellet. De obſignatione gratiæ.

50 Quod autem in multis Baptiſmus eſt tantũ literalis, hoc non fit Dei conſilio & voluntate, qui verè ſuam gratiam Baptiſmo offert & obſignat: ſed hominum culpa, qui à pacto cum Deo in Baptiſmo inito, turpiter diſcedunt.

51 Nam vt Deus promittit, & promiſſum obſignat Baptiſmo: ita par eſt, vt homo ab altera parte fide reſpondeat. Siquidem in omni pacto vtraque pars pacti conditiones & leges ſeruabit. Atque eam ob cauſſam Petrus Baptiſmum definit, ſtipulationem bonæ conſcientiæ cum Deo. Deus enim Baptiſmum offerens promittit gratiam: conſcientia vero fide reſpondens, in pacto acquieſcit freta reſurrectione Ieſu Chriſti.

52 Cum itaque ex his demonſtrationibus euidentiſſimè nobis conſtat de voluntate Dei paterna ergo nos, quæ voluntas eſt cauſſa & baſis prędeſtinationis & electionis noſtri: firmam teneamus fiduciã ſalutis, & ad voluntatem Dei paternam in miſſione Filij, in promiſſionẽ, in mandato, & in obſignatione gratiæ expreſſam, tanquam ad arcem munitiſſimam nos recipiamus nihil morantes decreta Stoica, quã tumuis magnos patronos & ſapientes habeant.

53 Porro fines prædeſtinationis & electionis noſtri ad ſalutem, duos Paulus conſtituit, Epheſiis ſcribens: quorum proximus eſt vt ſimus ſancti & irreprehenſibiles coram ipſo, hoc eſt, vt ſtudeamus ſanctitati & innocentiæ, habeamuſque ſemper bonum propoſitũ. Vltimus, vt laudetur gloria ipſius à nobis in omni æternitate. Fines prædeſtinationis.

54 Reſtat nunc vt nonnihil dicatur de vſu huius dulciſſimæ doctrinæ prædeſtinationis & electionis æternæ: qui duplex ex Pauli epiſtolis ad Rõ. & Eph. colligi poteſt. Ad Romanos ideo ſcribit Paulus de prædeſtinatione, vt ex cauſſa, modo, & conditione prædeſtinationis concludat, prærogatiuam carnis & humana merita nequaquam eſſe cauſſam ſalutis. Euertit igitur Apoſtolus prærogatiuam carnis, & omnia humana merita tollit, quò ſit locus miſericordiæ Dei in Chriſto Ieſu, & via pateat ſalutis, omnib. Vſus.

qui in Chriſtũ credere nõ recuſauerint. Ad Epheſios de hoc ipſo myſterio agit, vt oſtendat Euangelium Chriſti non eſſe nouam doctrinam ab Apoſtolis excogitatam, ſed ante mundum conditum in pectore Dei fuiſſe reconditam, & ſuo tempore mundo patefactum.

55 Præter hunc duplicem vſum, quorum prior ad confirmationem gratuitæ iuſtitiæ, & vniuerſalis gratiæ pertinet: poſterior ad commendationem antiquitatis Euangelij refertur, erit & hic vſus, (quem Paulus attingit ad Rom. 8.) vt ſtatuant pij nullam crucem, nullam calamitatem, nullam denique rem aliam poſſe impedire ſalutem credentium, quæ decreto Dei æterno nititur.

Conſolationes.

56 Hinc conſolatio ingens oritur in agone mortis, & ſumma & inenarrabilis lætitia naſcitur: adeo vt iã moriturus quaſi ouans dicat: In Domino confidit anima mea, non timebo: Chriſtus meus victor mortis eſt, in hoc ego triumphabo.

57 Huc pertinet illud Dauidicum: Viriliter agite & confortetur cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Dominum. Cuſtodit enim Dominus omnes diligentes ſe.

58 Cæterùm hic vſus confirmans nos in cruce, & conſolans in agone mortis, tum demum locum habet vbi nos ipſos in Chriſto eſſe ſenſerimus, & Chriſtum in nobis.

Probatio noſtri.

59 Quare iuxta conſilium Pauli inſtituenda eſt probatio noſtri, qui in hunc modum ſcribit Corinthiis: Vos ipſos tentate an ſitis in fide, vos ipſos probate, an cognoſcitis vos ipſos, quod Ieſus Chriſtus ſit in vobis. 2. Cor. 13. 5.

60 Hæc Pauli verba certiſſimum probandi modum nobis præſcribunt, qui eſt tentare & explorare an quis ſit in fide, an Chriſtus in ſe habitet: quæ ſane probatio aliunde proficiſci non poteſt, quàm ex effectibus Spiritus Chriſti. Nam qui Spiritu Dei ducuntur, hi ſunt eius. Qui autẽ ducuntur Spiritu Chriſti, cogitant, amant, proſequuntur quæ ſunt Chriſti, & nihil antiquius habent, quam totam ſuam vitam Deo approbare. Hinc eſt illa, in Sanctis, pugna ſpiritus aduerſus carnem.

61 Huc & illud Pauli pertinet: Milita honeſtam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam. Nam hæc certiſſima ſunt inhabitantis Chriſti teſtimonia. Vbi enim fides eſt, illic conſcientia purgata eſt à malis operibus. Quare & bona conſcientia, & pium propoſitum, fidei ſynceræ teſtimonia ſunt. Contra autem vbi contaminata eſt conſcientia, & vbi eſt propoſitum peccandi, ibi nulla prorſus fides eſt, niſi forte hypocritica quædam de fide gloriatio, quam vaniſſimam eſſe opera ipſa declarant, & diuus Iacobus commonſtrat.

XXIX.
ECCLESIA.

Eccleſia quid.

1 VEra Chriſti Eccleſia (quemadmodum eam definit Symbolum Apoſtolicum) eſt ſocietas ſanctorum, in cuius tamen externo cœtu multi ſunt ſcelerati, hæretici, ſchiſmatici & hypocritæ.

Qualis.

2 Hæc ſocietas ſpiritualis eſt, qua videlicet per fidem (quæ ex auditu verbi eſt) homines iuſtificati, abſque ſuis meritis & operibus antecedentibus, coniunctis, & conſequentibus, Chriſti (cuius ſanguine à peccato mundati ſunt) membra effecti, inter ſe mutuo ſpiritu Chriſti, coaleſcunt, vt omnes ſimul participes ſint virtutis Chriſti ac ſpiritualium bonorum, quę ad ſalutem neceſſaria ſunt.

Quorum ſocietas.

3 Sanctorum autem dicitur hæc ſocietas, vt clara & ſpecifica differentia ſtatuatur, qua & Eccleſia vera Chriſti, ab aliis in mundo cœtibus diſcernatur, & ſua quadam proprietate ſignata monſtretur.

4 Aliæ enim omnes ſocietates in mundo ſunt impuræ & profanæ, vt quæ peccati maculis & reatu inuolutæ, extra familiam Dei, in regno Diaboli verſentur.

Cur ſancta.

5 At ſocietas illa, quæ Eccleſia dicitur, eſt ſancta: cùm quia corda eorum, qui huius ſocietatis veri ciues ſunt, fide purificata ſunt, in Sanguine Chriſti: tum quia iam deſtinati ſunt vſui ſancto, vt Deo ſancto cultum ſanctum præſtent, in vera ſanctitate viuentes.

6. Hinc Paulus Corinthiis ſcribens definit Eccleſiam Dei eſſe eos, qui ſanctificati in Chriſto Ieſu, vocatione ad ſanctitatem, inuocant nomen Chriſti in quouis loco.

Eius fundamentũ.

7 Hęc Eccleſia & ſpiritualis Ieruſalem, extructa ſcribitur nunc ſuper fundamentum Apoſtolorum, nunc ſuper fundamentum quod eſt Chriſtus. 1. Cor. 3. 11. Epheſ. 2. 20.

8 Verùm in primis hic cauendum eſt, ne cum Papiſtis, hominum opiniones fundamentum Eccleſiæ eſſe ſtatuamus.

9 Quare hoc diſcrimen tenendum eſt, Eccleſia dicitur extructa ſuper fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum, videlicet, quod attinet ad propagationem, & miniſterium, & teſtimonium doctrinæ. Sed eſt extructa ſuper Chriſtum, quod attinet ad autorem, meritum, doctrinæ fontem, & efficaciã, hoc eſt, propter Chriſtum electa eſt Eccleſia, & vocata à principio mundi & propter eum ſeruatur & ſaluatur, & per Chriſtum ex ſinu Patris reuelatum eſt Euangelium & Filius eſt efficax, dat Spiritum ſanctum per Euangelium.

10 Hanc ob cauſſam 1. Cor. 3. 11. dicitur: Fundamentum aliud poni non poteſt, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. Item. Ioan. 1. & 14. & 16. Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe reuelauit nobis Item, Ego ſum via, veritas & vita. Item, Non relinquã vos orphanos, ſed veniã ad vos. Item, Act. 2. 33. Ad dexteram igitur Dei exaltatus, promiſſionem Spiritus ſancti accipiens à Patre effudit.

11 Cogitatio huius duplicis fundamenti, quorũ illud in miniſterio, hoc in virtute ſitum eſt, confirmabit nos, cum de doctrina Eccleſiæ, tum de Eccleſiæ ſtabilitate.

Fũdamẽtum miniſteriale.

12 Fundamentum miniſteriale eſt doctrina Prophetica & Apoſtolica ſola. Vnde diſcamus intrepidè cum Paulo pronunciare anathemata, quicunque humanas traditiones obtrudunt Eccleſiæ, ſi vel fuerint angeli de cælo, nedum puluis & cinis, qualis eſt Papa & Mahomet. Fundamentum potentiæ & virtutis eſt Chriſtus, Deus, & homo: qui ſuæ Eccleſiæ ſacerdos manet in æternum. Quare portę inferorum non præualebunt aduerſus eam.

Perpetua nota Eccleſiæ.

13 Quicunque eſt extra hoc fundamentum fruſtra gloriatur de Eccleſiæ titulo. Eſt enim Eccleſia Chriſti vna, vt quæ ſuper vnum fundamentum extructa ſit.

14 Hinc ſequitur fieri non poſſe, vt Mahometiſtarum conuentus ſit Eccleſia, nam vt doctrinam Propheticam & Apoſtolicam reiiciũt: ita Chriſtum Dominum reiiciunt & perſequuntur.

15 Nec colluuies Monachorum & ſacrificulorũ in Papatu eſt Eccleſia. Nam tametſi non reiiciunt manifeſtè doctrinã Apoſtolicã & Propheticam: tamen eius natiuam ſententiam corrumpunt. Deinde tametſi nobiſcum Chriſtum Deum & hominem fatentur: tamen perſonæ officium negant: cùm ſuis operibus tribuunt, quod Chriſti ſolius eſt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Veræ Eccleſiæ facies.

16 Proinde is cœtus ſolus eſt vera Eccleſia eaque viſibilis:quę alligatur ad ſceptrum rectum quod Dominus emiſit de Sion, hoc eſt, ad miniſterium Euangelij incorruptum,per quod offertur Chriſtus, qui recipit in album ciuium ſuorum,quotquot iuxta vocem Euangelij in illum crediderint.

17 Quicunque ergo Eccleſiæ ciuis eſſe cupit, is ſe vere huic Eccleſiæ adiungat viua fide, clara cōfeſſione,pia inuocatione, & officiis aliis quæ requirit Euangelium.

De Eccleſia viſibili

18 Quod autem aliqui,vt ideam Platonicam,fingūt Eccleſiam inuiſibilem eſſe,manifeſtus error eſt. Nam ſi Eccleſia non eſt viſibilis cœtus,quomodo agnoſcentur & miniſtri Euangelij & auditores:& quę Eccleſiæ indicia erunt,de quibus ſcriptum eſt : Dic Eccleſiæ?Quomodo diſcernemus ciues,quorum expetenda & tuenda eſt ſocietas, ab hoſtibus qui fugiendi ſunt?

Notæ Eccleſiæ.

19 Sunt autem hæc ſigna minime fallentia quæ monſtrant Eccleſiam:Vox miniſterij Euangelij incorrupta:Ritus diuinitus traditi, incurrentes in oculos,vt Baptiſmus & Cœna Domini:& obedientia erga Euangelium,id eſt,pœnitentia,confeſſio,inuocatio,&c.

Vna eſt.

20 Porro tametſi multi ſunt cœtus in orbe terrarum qui Eccleſiæ dicuntur:tamen vna eſt ſancta & catholica, cuius membra,tametſi ſpatio ſeparantur: tamen vinculo fidei & Spiritus coniunguntur.

Vnitatis Eccleſiæ typus.

21 Huius typus pulcherrimus proponitur in malo punico,quod mandato Dei tintinnabulo adiectū erat. Nam hoc Symbolo ſignificatur vnitas Eccleſiæ,ex multis gentibus in eundem ſonum,hoc eſt,ad eandem fidem per ſonum Euangelij conuenientibus.Sicut enim in malo punico, vno exterius cortice multa interius grana vniuntur,ſic innumeros ſanctæ Eccleſiæ populos vnitas fidei contegit.

Eccleſiæ viſibilis conditio.

22 Quod autem in externo Eccleſiæ cœtu ſunt multi ſcelerati ,hæretici , ſchiſmatici & hypocritæ, non ſolum Eccleſia Corinthiaca oſtendit , verumetiam parabola Chriſti de zizaniis apertè docet, vt taceam omnium temporum experientiam.

23 Quandiu enim in hoc mundo peregrinatur Eccleſia,bonis & ſinceris in ea permixtos fore malos & hypocritas,monet Dominus : vt ſe patientia arment Filij Dei,& inter offendicula,quibus turbari poſſent,retineant infractam fidei conſtantiam.

Duplicia eius membra.

24 Sunt proinde duplicia membra viſibilis Eccleſiæ : alia enim viua ſunt,alia mortua. Viua ſunt membra omnes qui ex fide Filij Dei viuunt, retinentes fidem & bonam conſcientiam. Mortua verò ſunt qui profitentur quidem nobiſcum articulos fidei,ſed ſpiritu Chriſti carent,hoc eſt,viuunt ſine pœnitentia,& ſinunt peccatum in ſe regnare per concupiſcentias corporis.

Eius infirmitates.

25 Deinde etſi ſanguine ſuo mundauit Eccleſiā Chriſtus,vt ſit abſque ruga & macula : adhuc tamen multis vitiis, & reſiduis carnis infirmitatibus laborat,quibus obnoxij ſunt ſinguli fideles, poſtquā regeniti ſunt Dei ſpiritu : adeo,vt opus habeāt perpetua hac oratione:Remitte nobis debita noſtra. Hæc tamen macula non impedit quo minus credētes ſint viua membra Eccleſiæ.

26 Cum ergo Eccleſia duplici vitio obnoxia eſt, alieno & proprio, debet perpetuò Deum inuocare, vt has maculas minuat,ac tandē tollat.Præterea ſanctam adhibebit diſciplinam, quo innocentia in externis ſeruetur moribus.

Adu.ſchiſmaticos.

27 Etſi autem impios errores,qui fidei puritatē inficiunt,ferre non licet tamen male faciunt,qui zeli prætextu, vel tumultuoſè ab Eccleſia diſcedunt, vel eam importuno rigore turbant.

28 Verùm pij videntes has maculas,ſe conſolabuntur promiſſione Chriſti, qui venturum diē promittit,quo vt lolium à tritico ſeparabitur,ita manifeſtū fiet,fruſtra ſceleratos & hypocritas ſibi externa Euangelij profeſſione placere.

29 Errant igitur qui eum cœtum Eccleſiam eſſe negant,in quo ſunt vlli impij & hypocritæ : cum tamen audiunt in eo verum Euangelium ſonare, Sacramenta recte adminiſtrari, & à multis veram miniſterio præſtari obedientiam : quæ tria infallibilia viſibilis Chriſti Eccleſiæ ſunt teſtimonia, vt ſupra diximus.

30 Porro cum Papiſtæ ſigna Catholicæ Eccleſiæ fingunt Primatum Papæ, ordinem Epiſcoporū, ſucceſſionem ordinariam,& ſimilitudinem rituum, toto cœlo aberrāt.Nam iſta ſigna Apoſtoli & Prophetæ ignorabāt,& Chriſtus ea non monſtrauit,qui ait:Oues meæ vocem meam audiunt.Ioann.10.4.16.

31 Multùm præterea errant qui σχῆμα πολιτικὸν in Eccleſia Chriſti quærunt. Non enim rectè perpendūt diſcrimē inter regnū Chriſti & regna mūdana.

32 Regnum Chriſti iuxta Propheticam & Apoſtolicam ſcripturam in hac vita,eſt miniſterium Euangelij,per quod Chriſtus colligit & viuificat Eccleſiam verbo & dato Spiritu ſancto, & protegit eam mirabiliter contra Diabolos & tyrānos, & poſt hāc vitam reſuſcitabit eam,& adducet ad æternū Patrē.

33 Ex hac deſcriptione petendum eſt Eccleſiæ, ſeu regni Chriſti,& Politiarum diſcrimen,quod ſex differētiis diſtinguitur,videlicet,obiectis beneficiis, forma gubernationis,gloria,præſidiis & ſtabilitate.

34 Primum enim poteſtas politica coercet externa membra,vt ſint in officio.Sed Chriſti regnum non tantùm gubernat externos mores:ſed arguit & ſanat corda.Ita enim Dominus ipſe ait, Vt mederer contritis corde.

35 Secundò,poteſtatis politicę ſumma beneficia ſunt,diſciplina & pax corporum.At huius regni beneficia,ſpiritualia & æterna ſunt,videlicet,iuſtitia,& pax conſcientiarum coram Deo,&c.

36 Tertiò differunt forma gubernationis.Nam reges & principes mundi eligunt miniſtros idoneos ad gerendam rempublicam,inſtructos ſapientia & eloquentia:Chriſtus vero eligit ſtulta huius mundi, vt pudefaciat ſapientiam ſapiētum:ſiue vt Pſ.8.3.ait: Ex ore infantium & lactantium perficit laudem.Forma executionis in defenſione & pœnis etiam variat. Nam politica poteſtas armis defendit ſubditos, & cōtumaces punit vi corporali ſeu gladio:ſed Chriſtus per vocem Euangelij dat æterna bona, remiſſionem peccatorum,Spiritum ſanctum & vitam ęternam:& punit contumaces non vi corporali, ſed verbo & legitima excommunicatione.

37 Quartò differunt gloria.Nam gloria regnorū politicorū eſt præſtantia conſilij in togata gubernatione,& in armis fortitudo,& felicitas. At Eccleſiæ Chriſti gloria in hac vita, eſt vera Dei agnitio, inuocatio,profeſſio veræ doctrinæ,conſeruatio perpetua Eccleſiæ etiamſi in aliqua membra ſæuitur,magnitudo animorum in vincendis omnibus illecebris & terriculamentis impiis,virtutum multarum decus in quibus præſentia Dei cernitur.

38 Quintò,pręſidiis differunt.Nam præſidia regni politici ſunt exercitus,& opus neceſſaria ad ſumtus domeſticæ gubernationis & ad bella gerēda:Eccleſia verò non eſt munita præſidiis viſibilibus : ſed regitur à Filio Dei,& habet cuſtodes Michael cū ſuis Angelis,qui perpetuò contra Draconem militant.

39 Poſtremò differunt ſtabilitate. Nam omnes politiæ habent ſuam fatalem periodum,finē,& ter-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

minum. Sed Eccleſiæ non erit finis: quia Rex eſt æternus, iuxta illud. Regnum tuum omnium ſeculorum & dominatio tua in generationem & in generationem: Et populo ſuo dat vitam æternam, quæ hic inchoatur, & poſt reſurrectionem conſummabitur.

40 Hoc diſcrimen politici regni & Eccleſiæ, qui non obſeruant, facilè cruce Eccleſiæ & ſcandalis alijs abſterrentur à confeſsione. Quare ſemper ſit nobis in conſpectu dictum Domini: Regnum meum non eſt de hoc mundo.

41 Cuicunque ergo ſalus & vita æterna curæ eſt, is det operam, vt cum Dauide ſit ſocius omnium timentium Deum, & cuſtodientium mandata eius, & aſsiduè cum eodem precetur, Pſalm. 119. Legem pone mihi Domine viam ſtatutorum tuorum, vt cuſtodiam ea ſemper. Item, Inclina cor meum ad teſtimonia tua, & non ad auaritiam.

42 Nam quicunque extra hanc ſocietatem eſt, is haud dubiè mancipium Sathanæ eſt, cum quo & ſtipendium peccati habebit mortem æternam, niſi ante mortem ſeria pœnitẽtia auertat iram iuſti iudicis.

XXX.

SYMBOLVM.

Summa Chriſtianiſmi.

ARticuli Symboli Apoſtolici, continent ſumma doctrinæ Chriſtianæ capita, quæ ſunt veluti totius Chriſtianæ religionis fundamentum. Vnde fit, vt qui ab vno aliquo horum articulorum aberret, extra fundamentum eſſe dicatur: & quia extra fundamentum eſt, extra gratiam & ſalutem, in regno tenebrarum ſub Satana militat.

Nomen.

2 His proinde articulis optimè quadrat Symboli appellatio. Quemadmodum enim milites mundani ſuo quodam ſymbolo teſtantur & cui ſeruiant, & cuius ſint hoſtes: ita Chriſtiani, hac fidei ſuæ profeſsione, tanquam Symbolo, teſtantur ſe, & Deo (qui eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus) ſeruire, & eſſe hoſtes diaboli & membrorum eius.

3 Hoc Chriſtianæ militiæ Symbolum ideò dicitur Apoſtolicum: vel quia ab Apoſtolis conſcriptum eſt, & quaſi per manus traditum Eccleſiæ: vel quia Apoſtolica doctrina nititur, & ex Apoſtolorum concionibus & ſcriptis demonſtratur.

4 Doctrinæ Symboli Apoſtolici ſumma huc redit, quod monſtret Deum, quod diuina opera nobis ponat ob oculos, quod veram ſalutis viam indicet.

Diuiſio.

5 Diuiditur autem Symbolum hoc vſitatè & rectiſsimè in quatuor partes. Quarum *prima*, eſt de Deo Patre. *Secunda*, de Deo Filio. *Tertia*, de Deo Spiritu ſancto. *Quarta*, de Eccleſia & eius ſalute.

Pars prima.

6 Prima pars hiſce verbis continetur: Credo in Deum, Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

7 Hæc Confeſsio vnitatem diuinæ eſſentiæ habet: diſtinctionem perſonarum in vna diuina eſſentia fatetur: potentiam & opera Patris agnoſcit, & fide in hunc vnum Deum recumbit.

8 Cùm enim dicit, Credo in Deum, vnum tantum Deum eſſe ſtatuit: quam particulam expreſsit Nicenum Symbolum hoc modo: Credo in vnum Deum. Dei proinde appellatio admoneat nos, quod ſit vnus Deus æternus natura & eſſentia, qui eſt fons & autor omnis boni, ex quo fonte liceat haurire omnibus iis, qui ex fide ipſum inuocant.

9 Cùm addit, Patrem, diſtinctionem perſonarum incipit, & cõfitetur Deum Patrem eſſe primam perſonam in diuina eſſentia. Eſt igitur Pater prima perſona diuina, qui ab æterno generat Filiũ ſibi ὁμοούσιον.

10 Cùm ſubiungit, omnipotentem, tantam potentiam Dei eſſe fatetur, vt & facere, quicquid voluerit poſsit: & facilè proſternere omnia, quæ ſe illi oppoſuerint, valeat.

11 Hanc potẽtiam confirmat opus creationis cœli & terræ. Cœli autem & terræ appellationibus, intelliguntur non ſolum cœlum & terra, verumetiam omnes creaturæ reliquæ viſibiles & inuiſibiles, quæ cœli & terræ ambitu continentur. Breuiter, Quicquid eſt rerum hic vnus Deus creauit. Verùm, deprauatio quæ in rebus creatis apparet, non Deum habet autorem, ſed Diabolum, qui ſua ſpõte defecit à Deo, qui bonus, ſed αὐτεξούσιος à Deo creatus fuit.

12 Ex creatione rectè concluditur, omnipotentia, ſapientia, iuſtitia, & bonitas Dei. *Omnipotentis* enim eſt ex nihilo omnia condere. *Sapientis*, ordinatè condere: *Iuſti*, gubernare, & prouidentia moderari creata: *Boni*, communicare rebus creatis ſua dona, vt in homine videmus, quem condidit ad ſuam imaginem.

13 Quartum quod habet hæc confeſsio, eſt de fiducia in hunc Deum qui eſt Pater. Cùm enim dicit Symbolum, Credo in Deum, ſenſus eſt: Statuo certa fiducia, quod Deus velit meus Deus eſſe, meus Pater, meus ſuſtentator, meus defenſor, quem ſolum me colere profiteor, renunciatis omnibus idolis.

Pars ſecunda.

14 Secunda pars Symboli, eſt de Deo Filio qui vt redimeret genus humanum reum & dãnatum propter peccatum, aſſumſit naturam humanam in vnionem ὑποστατικὴν ſeu perſonalem. In qua natura humana, factus eſt victima expiatrix peccati totius mundi.

15 Hæc ſecunda pars ſex Articulis abſoluitur, iuxta hæc Symboli verba 1. Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum. 2. Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, & natus ex Maria virgine. 3. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus, deſcendit ad inferna. 4. Tertia die reſurrexit à mortuis. 5. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. 6. Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.

16 Huius ſecundæ partis primus Articulus: Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum, multa paucis complectitur. Primum enim monſtrat ſecundam Perſonam in diuinitate, quæ eſt æterni Patris æternus Filius, qui vt eſſentia eſt idem Deus cum Patre & Spiritu ſancto: ita proprietate diſtincta eſt ab vtroque perſona. Hoc explicatius Symbolum Athanaſij, Ambroſij & Nicenum habent. Deinde cùm hũc Filium vocat Ieſum, vnionem perſonalem indicat: Nam æternus λόγος & Dei Filius factus eſt homo, & vocatus eſt Ieſus, propterea quod populum ſuum à peccatis eſſet ſaluaturus, iuxta promiſsiones Patribus factas. Hic enim Ieſus ſaluator mundi eſt, eo quod ſit nobis à Deo Chriſtus, hoc eſt, Propheta, Sacerdos, & Rex. Propheta quidem, qui è ſinu Patris prodiens, nobis Patris voluntatem reuelauit. Sacerdos, propter victimam & interceſsionem. Nam vt victima ſua expiauit peccatum: ita interceſſione interpellat Patrem, vt nos propter ſuam victimam in gratiam recipiat. Rex verò quia demolitus eſt poteſtates, & deſtruit opera Diaboli, iuxta primam promiſsionem.

17 Huius articuli fides eſt huiuſmodi: Ego firmiter ſtatuo quod Dei Filius ſit meus Saluator, verus Propheta Dei, vnicus Saluator, mediator & Rex, adeóque Dominus, qui me ſua prouidẽtia gubernat, me redemit, me aduerſus Diabolum defendit, &c.

18 Secundus articulus ſecundæ partis: Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, modũ aſſumtæ humanæ naturæ indicat. Cùm enim

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ait, Conceptus eſt de Spiritu ſancto, excludit vſitatum naturæ modum in generãdo. Vſitatus enim naturæ modus generationis eſt, vt fœmina concipiat ex virili ſemine. Sed hic Spiritus ſanctus occulta virtute Virginem fœcũdat, & format ex ſanguine Virginis hominem verum & perfectum, iuxta dictum Angeli ad Virginem: Spiritus ſanctus veniet ſuper te,& virtus Altiſsimi obumbrabit tibi,&c. Cùm addit, Natus ex Maria virgine, vt veram Chriſti humanitatem confitetur: ita inuiolata virginitate Virginem peperiſſe agnoſcit.

19 Tertius articulus ſecundæ partis, Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus, deſcendit ad inferna, modum redemptionis factæ per Ieſum Chriſtum fidelibus commendat, videlicet, quod paſſus ſit propter peccata noſtra. Eſt ergo Chriſti paſsio noſtra redemtio.

20 Huius paſsionis illuſtris definitio colligi poteſt ex Epiſtola ad Hebræos hoc modo: Paſsio Domini noſtri Ieſu Chriſti, eſt ſacrificium expiatorium & propitiatorium, quo æternus *Filius Dei* homo factus, ſeipſum per æternum Spiritum obtulit Patri æterno, vt ſua victima & obedientia, & expiaret peccata mundi,& placaret iram Dei: quo omnes credẽtes in ipſum, per eundem ſanctificentur ad vitam æternam. Hanc quòque definitionem includunt in ſe verba Domini Ioan.17. Ego pro ipſis ſanctifico meipſum, vt & ipſi ſint ſanctificati in æternum.

21 Huius ſacrificij applicatio fit verbo, Fide & Sacramento. Verbo enim quaſi manu Dei offertur: Fide veluti manu hominis accipitur: Sacramento vtroque obſignatur, ciúſque vis & vſus tanquam in tabula pingitur.

22 De ſententia verborum Symboli, Deſcendit ad inferos, non conuenit inter omnes. Quidam ante mortem intelligunt deſcenſum ad inferos, ipſam humiliationem, qua Chriſtus horribilem ſenſum iræ Dei aduerſus peccata ſuſtinuit. Sed horum ſententiam ordo Symboli videtur refellere. Quidam hanc clauſulam additam putant contra Valentinianorum hæreſin,& volunt hac loquẽdi formula Moſi & Prophetis vſitata, nihil aliud ſignificari, quàm quod Chriſtus verè morte proſtratus iacuerit, & in ſepulchrum incluſus fuerit, vt alij homines verè mortui & ſepulti. Quidam hæc verba ad vim & virtutem mortis Chriſti referunt, & volunt hac phraſi ſignificari, quod mors Chriſti profuerit etiam inferis, id eſt, mortuis, videlicet, in fide Abrahæ. Quidã exiſtimãt Chriſtum reuera deſcendiſſe ad tartareas ſedes. Sed nec inter hos conuenit. Sunt enim qui animam Chriſti, iacente corpore in ſepulchro eo deſcendiſſe dicunt, vt illic pateretur pro animabus hominũ. Quorum ſententia ex eo refellitur, quod Chriſti ſanguis perfectiſsima ſit peccati totius mundi expiatio. In quem enim finem pateretur anima ſanctiſsima apud inferos, niſi vt ſuppleret mortis crucis defectum? Sũt etiam qui animam Chriſti ad inferos quidem deſcendiſſe fatentur, ſed illic nihil paſſam eſſe. In hac ſententia eſt Auguſtinus ad Dardanum ſcribens. Sunt & alij, qui contendunt Chriſtum anima & corpore deſcendiſſe ad inferos,& in ipſo terræ motu in momẽto reſurrectionis ſe viuum inferis exhibuiſſe, & ſe declaraſſe victorem mortis & principis tenebrarum. Sed quid in hac varietate opinionum tuto ſequendum? Hoc firma fide teneatur, quod Chriſtus reuera deſcenderit ad inferos, iuxta Symboli verba, & veteris Eccleſiæ confeſsionem. De modo, nemo ſit ſolicitus. Satis eſt enim tenere Chriſtum victorem Satanæ eſſe, & deuicto mortis aculeo, aperuiſſe credentibus regna cœlorum.

23 Quartus articulus ſecundæ partis: Reſurrexit à mortuis: hiſtoriam victorię Chriſti, & contriti capitis ſerpentis continet: atque ita completa eſt promiſſio: Semen mulieris conteret caput Serpentis.

24 Quemadmodum autem hic articulus requirit firmam fiduciam in Chriſtum victorem mortis, auget ſpem promiſſæ hæreditatis, excitat nos ad confeſsionem huius victoris coram mundo & portis inferorum: ita eius vſus cum in tota vita, tum in mortis articulo, maximus eſt. Huius enim articuli ſeria cogitatio facit, vt nullis fracti calamitatibus, perſiſtamus in fide, donec ad finem omnium calamitatum huius mundi & ad ſalutis portum peruenerimus.

25 Quintus articulus ſecundæ partis, Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: ſpectabilem triumphum Chriſti, & maieſtatis gloriam Chriſti nobis commendat.

26 Aſcendit Dominus viſibiliter corporali & naturali modo ſurſum,& nube ſubuectus eſt in cœlum è conſpectu diſcipulorum, Actor.1.& inde ſubuectus ſupra omnes cœlos. Aſcendit autem, vt ipſe de ſe teſtatur, vt nobis locum pararet, Ioan.14. Abeo parare vobis locum,& vos ad me aſſumam. Aſcẽdit vt omnia ſubijciat pedibus ſuis: Aſcendit, vt caput Eccleſiæ emineat, & dona det hominibus. Aſcendit vt corda noſtra ad ſe trahat. Col.3. Si reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapite, vbi Chriſtus ſedet ad dexteram Patris. Huc illud Philip.3. Noſtrum πολίτευμα eſt in cœlis, vnde expectamus ſaluatorem.

27 Vt enim aſcenſio perſonæ fuit iuxta humanam naturam, ſecundum quam localiter & viſibiliter aſcendit: ita ſeſsio ad dexteram Patris perſonæ eſt, quæ eſt Rex regum, & Dominus dominantium, æqualis Patri gloria & maieſtate.

28 Fides proinde articuli hæc eſt: Quẽadmodum Chriſtum triumphatorem mortis, Dominum omnis creaturæ & patronum noſtrum apud Patrem agnoſcamus, in eum firma fiducia recumbamus, atque ipſum coram omnibus hominibus & inferorum portis confiteamur: ita vſus in hoc ſitus eſt, vt abnegata omni impietate,& humanis deſiderijs, leuemus corda noſtra in cœlum, petentes inde in omnibus calamitatibus noſtris auxilium, & expectantes vt nos ad ſe iuxta ipſius promiſsionem aſſumat, ac donet promiſſam hæreditatem.

29 Sextus articulus ſecundæ partis, Inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos, de futuro per Chriſtum iudicio cõcionatur. Nam idem ille Ieſus Chriſtus, qui hic ab iniquis ſpretus & condemnatus eſt, veniet in maieſtate ſua iudicaturus orbem terrarum. Iudicij forma Matth.26. exprimitur. Siſtent enim ſe coram ipſo boni & mali, ſeu pij & impij. Illis paratum regnum tradet: hos iuſtis ſupplicijs mancipabit: vt pij cum Chriſto beata immortalitate in æternum fruantur,& impij tradantur Diabolis cruciandi æternis pœnis.

30 Fides huius articuli hæc eſt: Quẽadmodũ firmiter ſtatuere oportet aliquando fore finem præſentium calamitatum: ita ſolidam conſolationem inde percipiamus, quod Ieſus Chriſtus, Deus & homo, ſit conſtitutus iudex, qui antea in ſe credentibus, iureiurando interpoſito, promiſerat vitam ęternã. Quare non eſt quod qui in fide Chriſti hinc diſcedũt, pertimeſcant condemnationis ſententiam.

31 Tertia pars Symboli eſt de Deo Spiritu ſancto tertia perſona in diuinitate: Credo in Spiritum ſanctum. Cultus fidei conuincit Spiritum ſanctum verum Deum eſſe. Ordo Symboli tertiam perſonam in diuinitate eum eſſe docet. Appellatio indicat officium, videlicet, quod ſit viuificator & ſanctificator. Pars tertia.

32 Eſt

32 Eſt ergo Spiritus ſanctus tertia in diuinitate perſona verus & æternus Deus ὁμοούσιος Patri & Filio non gignẽs nec genitus, ſed à Patre & Filio procedens, ſimul cum Patre & Filio creans, conſeruans, ſaluans, ſanctificans, qui mittitur in corda electorum, vt ea viuificet & ſanctificet, vna cum Patre & Filio adorandus.

33 Quemadmodum igitur credimus in Deum Patrem creatorem, & in Filium Dei redemtorem: ita etiam credere nos oportet in Spiritum ſanctificatorem, cuius tẽplum ſumus. Vſus huius fidei eſt, vt renũciata omni impuritate ſimus ſancti, ſpiritu & corpore, caueamúſque ne vllis factis contriſtemus ſpiritum Dei in nobis habitantem.

Pars quarta

34 Quarta pars Symboli quatuor articulis abſoluitur, & his verbis continetur. 1. Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, ſanctorum communionem. 2. Remiſsionem peccatorum. 3. Carnis reſurrectionem. 4. Et vitam æternam.

35 Primus articulus, Eccleſiam Catholicam definit eſſe ſanctorum communionem ſeu ſocietatem. In Sanctorum autem catalogo, ſunt omnes, qui voci Euangelij credunt. Nam hi ſegregati ſunt à profanitate mundi, & applicati Deo per fidem, vt ſint hoſtia illi placens. In horum numero ſe Dauid eſſe fatetur, cùm ait Pſalm. 85. Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum. Et in alio Pſalmo: Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei, pro hac (ſcilicet iniquitate remittenda) orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno.

36 Hinc efficitur quod ſanctorum ſocietas in hac vita, non ſit illorum qui perfectè ſancti ſunt, & ſine peccato, vt Anabaptiſtæ & Pelagiani putant. Sed eorum potius qui agnoſcunt ſua peccata, credũt remitti peccata, & orãt perpetuò pro ſua iniquitate remittenda, ídque fiducia Mediatoris Ieſu Chriſti.

37 Erit proinde fides huius articuli, firmiter ſtatuere æternum Pontificem Ieſum Chriſtum habiturum ſemper in mundo aliquem ſanctorum cœtum contra quem Diabolus & mundus non poterunt præualere: etiamſi, vt in exercitu, quædam membra trucidantur.

38 Secundus articulus quartæ partis. Credo remiſsionem peccatorum, eſt finalis cauſa notitiæ hiſtoriæ de Chriſto. Sic enim agnoſcit fides Chriſtum eſſe Filium Dei, paſſum & reſſuſcitatum, &c. vt propter hãc cauſam nobis verè donetur remiſsio peccatorum, vt efficiamur filij Dei, & hęredes vitæ ęternę.

39 Vt autem hic articulus de remiſsione peccatorum fiat illuſtrior, quatuor ordine ſpectanda ſunt Quid ſit peccatum, Quid remiſsio peccati, Quæ fides remiſsionis peccati, &, Quæ fidei remiſsionis peccatorum coniuncta ſint.

40 Peccatum vno verbo definitur à Ioanne, cùm dicit, Peccatum eſt ἀνομία, hoc eſt, defectus à Lege (quæ eſt voluntatis Dei regula) cum obligatione ad æternam mortem & damnationem, iuxta illud: Maledictus omnis qui non manſerit in ijs, quæ in libro Legis ſcripta ſunt.

41 Remiſsio peccati eſt obligationis ad æternam mortem ſolutio, & pœnæ debitæ condonatio. Hoc confirmatur parabola de debitore. Matth. 18.

42 Vt huius remiſsionis materia & meritum eſt victima Filij Dei: ita Deus Pater mira miſericordia recipit homines condonato reatu. Etſi autem defectus non integre curatur in hac vita, ſed tantum minuitur per mortificationem veteris hominis: tamen reatus adeò aboletur in conuerſis ad vocẽ Euangelij, vt Deus dicat ſe non recordaturũ peccatorũ eorum.

43 Fides remiſsionis peccati, eſt firma fiducia miſericordię Dei, iuxta promiſsionem ipſius, ex prędicatione Euangelij, in qua efficax eſt Spiritus ſanctus, concepta: qua ſtatuit homo, quod Deus velit ſe verè in gratiam recipere propter victimam Filij; & non amplius ſibi peccata imputare.

44 Cum fide remiſsionis peccatorum duo ſunt coniuncta, videlicet gratia; & donum.

45 Gratia eſt iuſtificatio ipſa: Gratia ex multis delictis in iuſtificationem, Rom. 5. Hæc iuſtificatio eſt perſonæ credentis in Chriſtum abſolutio à peccato, imputatio iuſtitiæ Chriſti, & acceptatio ad vitam ęternam gratis propter Chriſtum.

46 Donum eſt ipſa donatio Spiritus ſancti, qua homo ſola fide iuſtificatus regeneratur, id eſt, mortificatur & viuificatur: vt iam noua creatura fiat, viuátque porrò iuxta voluntatem Dei, quantum quidem id fieri poteſt per humanam infirmitatem.

47 Quia hęc donatio Spiritus ſancti, qua regeneramur, indiuidua comes eſt fidei remiſsionis peccatorum, ſæpe Scriptura hinc ſalutis argumentum petit: non tanquam à cauſa, ſed à qualitate credentis perſonę. Hinc illud Domini dictum: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non poteſt introire in regnum cœlorum.

48 Ad eundem modum cùm Paulus dicit: Omnis qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit, ab effectu fidei iuſtificantis, ipſa fides iuſtificans æſtimatur. Omnis enim qui verè inuocat, ex fide inuocat. Quæ inuocatio certiſsimum indicium eſt ſuæ cauſæ. Eſt proinde inuocatio, nota iuſtificandi & ſaluandi: & non cauſa iuſtificationis & ſalutis.

49 Tertius articulus quartæ partis, (Credo) Carnis reſurrectionem: eſt concio de perfecta regeneratione noſtri, qua noui homines reddemur animo & corpore, non quidem mutata ſubſtantia, ſed qualitate tantum. Hac perfecta regeneratione efficiemur conformes Chriſto Domino, & geſtabimus eius imaginem, quantum quidem ad humanam naturam attinet. Ita enim Paulus ait: Qui transfigurabit corpus noſtrum humile, vt ſit σύμμορφον glorioſo corpori ipſius.

50 Quartus articulus quartæ partis (Credo) vitam æternam: eſt extremus portus ad quem properat fides noſtra. Hæc vita ęterna, eſt æterna Dei fruitio, & beata illa fœlicitas, qua electi fruẽtur in omni æternitate.

51 Hoc Symbolum Chriſtiani militis, quicunque corde, ore & vita profitetur, conciuis ſanctorum eſt, & domeſticus Dei, ædificatus ſuper fundamento Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Ieſu Chriſto: in quo ædificium congruenter coagmẽtatum creſcit in tẽplum ſanctum Domino.

52 Si quis ergo nobiſcum hanc Symboli Chriſtiani fidem profitetur, eum vt membrum Chriſti amplectamur & foueamus, etiáſi in quibuſdam, quæ fundamentum non labefactant, à nobis diſſentiat.

53 Multas legimus pugnantes ſententias in ſcriptis Patrum, magnum diſcrimen in ceremonijs cernimus: ſed donec immotum manet fundamentum, res ſalua eſt.

54 Quapropter, cùm de Eccleſiæ membris iudicandum erit, non ex fumo & ſtipula petendum eſt iudicium, ſed ex fundamento, in quo qui manet, viuus lapis eſt, ab ipſo architecto Chriſto aſſumptus in ædificium templi Dei viuentis.

55 Non tamen hinc ſequitur permittendum eſſe inquietis ingenijs, vt pro ſua libidine ludant opinionibus. Nam ea res impedit hoc diuinum ædificium, & multos abſterret, quo minus fundamẽtum ipſum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quærant,& ſuper eo ædificentur.

56 Laudandum igitur iudico piorum Principum, & Regum conſilium, qui lege cauent, ne quis nouis opinionibus Eccleſię tranquillitatem turbet, ac prębeat aduerſarijs occaſionem calumniandi totum doctrinæ genus, quod profitemur.

XXXI.
INVOCATIO.

Neceſsitas huius doctrinæ.

SOla Dei Eccleſia cultum inuocationis, qui cum fide & ſpe coniunctus eſt, pręſtare poteſt. Siquidem ſoli Eccleſiæ aditus patet ad Patrem, per Mediatorem noſtrum Ieſum Chriſtum.

2 Quia autem proprium Eccleſiæ opus eſt orare, maximè neceſſarium eſt, rectè inſtitui homines de vera orationis ratione. Nam qui hanc non tenet, fruſtrà ſe orando fatigat.

Methodus.

3 Conſiſtit autem precandi ratio in tribus. Primùm enim tenendum eſt quid ſit oratio, & quotuplex. Deinde, quæ ſint circunſtantiæ orationis perpetuæ. Tum, quæ ſint precandi formulæ.

Oratio quid.

4 Quid ſit oratio, Symbolis quibuſdam in Scripturis indicatur. Primùm enim thymiamate perpetuo in populo Iſraëlitico figuratur. Vnde Dauid Pſalm.141.2. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Deinde geſtibus, iuxta illud: Ad te Domine leuaui oculos meos. (Pſal. 123.1.) Adhęc, eleuatione manuum, de qua idem Propheta: Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Et Paulus iubet puras manus leuare. Significant ergo hæc Symbola orationem piam, eſſe eleuationem animæ hominis ad Deum. Quemadmodum alibi claris verbis Dauid explicat, cùm ait: Ad te Domine leuaui animam meam. (Pſal.25.1.)

5 Erit igitur Chriſtiana & pia oratio, eleuatio animæ hominis ad Deum, vel aliquid ab eo petentis, vel ei gratias pro collatis beneficijs agentis. Seu, vt quidam ex Patribus Græcè definiuit, *προσευχή ἐστι ἀνάβασις τοῦ νοῦ πρὸς τὸν θεὸν, καὶ αἴτησις τῶν προσηκόντων παρ' αὐτοῦ.*

Genera Orationis.

6 Orationis quatuor genera Paulus 1.Tim 2 ponit, quæ ſunt, *δέησις*, deprecatio: *προσευχὴ*, adoratio: *ἔντευξις*, interceſsio: & *εὐχαριστία*, gratiarum actio. Hæc quatuor genera definitionibus diſcernantur hoc modo:

7 Deprecatio eſt ſupplex eleuatio animæ hominis ad Deum, qua petitur liberatio ab ijs, quæ nobis moleſta ſunt: vt cùm petimus remiſsionem peccatorum, & liberationem à malis quibuſlibet.

8 Adoratio eſt ſupplex eleuatio animæ hominis ad Deum, qua petuntur ſalutaria & vtilia: vt cùm petimus regnum Chriſti aduenire, Sanctificari nomen Dei, Fieri voluntatem Dei, & Panem *ἐπιούσιον* nobis dari quotidie.

9 Poſtulatio, eſt ſupplex eleuatio animæ hominis ad Deum qua vel alij pro alijs, vel omnes pro ſe inuicem orant, vt Deus largiatur ſalutaria & vtilia, & auertat noxia.

Pro quibus orandum.

10 Eſt autem orandum pro omnibus hominibus, ſuperioribus, inferioribus, miniſtris verbi, amicis, inimicis, peccatoribus, infidelibus, donec in hac vita nobiſcum viuunt.

11 Pro mortuis autem nequaquam eſt orandum, Nam vt Auguſtinus ait: In quo quemque inuenerit ſuus nouiſsimus dies, in hoc comprehendet mundi nouiſsimus dies. Quoniam qualis in iſto die quiſque moritur, talis in die illo iudicabitur.

12 Nec pro hoſtibus Dei induratis eſt orandum, ſed contra eos potius orare oportet exemplo Sanctorum. Pſal.5.59.134. Ierem.18. 2.Tim.4. Non enim charitas proximi poſtulat, vt pro hoſtibus Dei, qui conuerti nolunt, oremus. Siquidem nullũ locum habet dilectio proximi, vbi cũ dilectione Dei pugnat.

13 Sed quid de illis ſentiendum, qui vel nobis priuatim ſunt inimici, vel Rempublicam in qua viuimus, infeſtant? Pro illis quidem orandum eſt, vt ex inimicis fiant amici: pro his verò etſi idem faciendum iudico, tamen plura concurrunt perpendenda. Primùm enim agnoſcenda eſt iniquitas noſtra, propter quam Reſpublica affligitur: & ſeria pœnitentia, & publica peccatorum remiſsio, & mitigatio pœnæ petenda eſt. Deinde orandus eſt Deus, vt tranquillam habitemus terram noſtram. Tum vt magiſtratui adſit in defendendis ſubditis. Præterea, vt auertat ſanguinis effuſionem, vt conatus & ſtudia hoſtium infeſtantium nos impediat. Denique, vt tandem vtrinque depoſitis armis vnum ſimus, & viuamus in omni pietate.

14 Gratiarum actio eſt eleuatio animæ hominis ad Deum, qua gratiæ Deo aguntur, vel pro beneficijs nobis aliiſque collatis (his caſtigationem paternam ſubijcio) vel pro malis nobis aliiſue ſublatis.

15 In gratiarum actione ſpectanda ſunt duo, videlicet, quæ virtutes neceſſariò in ea concurrant, & quis ſit legitimus modus gratiarum actionis. Virtutes coniunctæ in gratiarum actione ſunt veritas & iuſtitia. Vt enim veritas candidè & apertè agnoſcit benefactorem Deum, & excludit hypocriſin & mendacium: ita iuſtitia grata eſt benefactori, & excludit ſuperbiam & abuſum rerum collatarum. Modus gratiarum actionis à Paulo ſæpe indicatur, cùm inquit: Gratias ago per Ieſum Chriſtum. Cùm enim ait, Per Ieſum Chriſtum, vult vt in omni gratiarum actione fides præluceat: vult vt agnoſcamus nos per Chriſtum accepiſſe ea pro quibus gratias agimus: vult vt ad Dei gloriam referamus accepta beneficia: vult vt Deum per Chriſtum prædicemus, propter quem etiam Deo accepta eſt gratiarum actio.

Circumſtantiæ orationis.

16 Poſtquam autem conſtat, quid ſit oratio & quotuplex: Secundo loco tenendæ ſunt circunſtantię Chriſtianæ orationis perpetuæ, quæ ſunt quinque præcipuè. Quarum *prima* eſt de affectu orantis. *Secunda*, de cauſis orationis ſeu inuocationis. *Tertia*, de eo qui inuocandus eſt. *Quarta*, de Mediatore: Nam ſine Mediatore, nemini ad Deum patet aditus. *Quinta*, de rebus petendis.

1. Affectus orantis.

17 Prima circunſtantia eſt de affectu orantis, quem bene compoſitum eſſe oportet, vt per ipſum anima ad Deum eleuetur. 1. Omnium igitur primùm, exuat animus omnem opinionem propriæ glorię, dignitatis & meriti. 2. Deinde, non ſimulatè, ſed verè ſentiat ſuam inopiam. 3. Tum, proſternat ſe coram Deo, ſupplex in vera pœnitentia & pio propoſito. 4. Adhæc, animus inflammetur viua fiducia, qua ſtatuat Deum ſecundum ſuas promiſsiones miſericordem eſſe, & velle exaudire inuocantes, propter Mediatorem vnicum & Sacerdotem noſtrum Ieſum Chriſtum.

18 Qui hoc modo compoſitus eſt ad orandum, is ſanè in Spiritu & veritate adorat. Siquidem ſentiens ſuam miſeriam, & cogitans miſericordiam Dei, veris motibus à Spiritu ſancto excitatis, ad orandum impellitur.

19 Nam qui tument opinione propriæ gloriæ, dignitatis aut meriti: qui non verè ſentiunt ſuam inopiam: qui ſe non proſternunt coram Deo in vera pœnitentia, cum pio propoſito, qui fiduciam promiſsionum diuinarum non adferunt, nequaquam

orant

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

orant. Nam illorum anima humi repit, & non eleuatur ad Deum.

20 In horum numero Phariſæus ille fuit, cuius meminit Euangelica hiſtoria. Is enim more hypocritarum ſine intellectu, ſine affectu, & cum contradictione orabat. Neque enim voluntatem Dei recte intellexit: nec inter precandum motus ſpirituales ſenſit: præterea etiam aliud lingua, aliud mente precabatur.

2. Cauſæ. 21 Secunda circunſtantia eſt de cauſis inuocationis, quæ ſunt plures. Quarum prima eſt mandatum Dei, requirentis à nobis cultum inuocationis: quod ſane mandatum contemnere nefas eſt.

22 Secunda, promiſſio quod Deus velit inuocãtes exaudire. Ex his duabus cauſſis patet, quanta ſit dignitas & efficacia orationis. Nam cum Deus inenarrabili bonitate & miſericordia, non ſolum præcipiat vt petamus bona, ſed etiam addat ampliſſimas promiſſiones, quas vult eſſe ratas & immutabiles: non difficile eſt cogitare quanta ſit orationis dignitas, quanta amplitudo & efficacia.

23 Tertia cauſa videlicet προκαταρκτική eſt ipſa varietas periculorum, quæ quidem plura & maiora ſunt, quam vt oratione comprehendi poſsint. Semper Eccleſiam hi duo exercitus oppugnant, tyranni & hæretici: quorum dux & incitator eſt hoſtis Chriſti & Eccleſiæ, Diabolus. Politiæ quanto in periculo verſantur? Quam multa flabella ſunt Satanæ, quibus gubernatores Rerumpublicarum ſæpe inflammantur. Vnde ingentia incendia Rerumpublicarum naſcuntur? Quantæ difficultates in domeſtica gubernatione? Quoties Satan ſingulos noſtrûm ex inſidijs adoritur? Breuiter, quocunque nos vertimus infinita pericula cernimus, quę vitare non poſſumus, niſi confugerimus ad aſylum Dei, quod eſt pia & ſeria inuocatio. Ex hac cauſa facilè videre eſt, quanta ſit Chriſtianæ orationis neceſsitas, vtilitas & efficacia.

24 Quarta cauſa eſt, vt conſuetudine orandi augeatur in nobis fides, excitetur ſpes, & reddamur ardentiores in alijs pietatis exercitijs. Pertinet & hæc cauſa ad vtilitatem.

15 Quinta cauſa eſt imitatio ſanctorum, quorum præcipuum & ſummum ſtudium fuit perpetuò orare. Nam in quibus viua fide eſt, quæ eſt veluti ignis quo accenditur hoc diuinum thymiama: ibi néceſſe eſt fidei germanos fructus eſſe, inter quos primum locum obtinet inuocatio: à qua nunquam abeſſe debet gratiarum actio. Has cauſas omnes ad dignitatem, neceſsitatem & efficaciam orationis reuocare licet.

3. Quis orandus. 26 Tertia circunſtantia eſt de eo ad quem dirigenda eſt oratio. Eſt autem dirigenda oratio ad eum in quem credere fas eſt. Ita enim Paulus dicit: Quo modo inuocabunt, in quem non credunt? Rom. 10. 14. Si proinde is demùm ſolus eſt inuocandus, in quem credere fas eſt: ſolus certè Deus inuocandus erit, qui eſt Pater & Filius, & Spiritus ſanctus. Nam maledictus eſt qui confidit in creaturam.

27 Vnus proinde Deus & ſolus eſt inuocandus, qui eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus. Qui ergo adorat Patrem, non excludit Filium, nec Spiritum ſanctum. Qui adorat Filium, Patrem & Spiritum ſanctum adorat. Qui Spiritum ſanctum inuocat, Patrem & Filium honorat. Nam Pater, Filius, & Spiritus ſanctus vnus eſt Deus. Huc & illud reſponſum Chriſti (cùm Chriſto Satan diceret, Si procidens adoraueris me.) Scriptum eſt, Dominum Deum tuum adorabis, & illum ſolum coles. Matth. 4. 10.

28 Quicunque igitur negat inuocandum eſſe Filium Dei, aut Spiritum ſanctum, Arrianus eſt. Nam tollit eſſentiam, à qua cultus fidei & inuocationis tolli non poteſt.

29 Ex his enim efficitur, quod inuocatio creaturarum ſit blaſphemia aduerſus Deum, & fœdiſsima idololatria, contra quam pugnat etiam Epiphanius, pag. 448. οὐ κυριεύσει ἡμῶν ἡ ἀρχαία πλάνη, καταλιμπάνειν τὸν ζῶντα καὶ προσκυνεῖν ὑπ' αὐτοῦ γεγονότα.

30 Papa itaque qui iubet ſanctos inuocari, & ſupplicio afficit non obedientes impijſsimo decreto, Deum contemnit, eſt hoſtis Eccleſiæ & ſatelles Satanæ, qui per Papam inuexit inuocationem Sanctorum: propter has præcipuè cauſas, vt Deum ſuo proprio honore ſpoliet, vt ignominia afficiat demortuos ſanctos, vt perdat idololatras, qui creaturas inuocant: denique vt paulatim Chriſti regno abolito, ſuum erigat.

31 Huic errori Ethnico & Papiſtico, vicinus eſt eorum, qui dicunt quidem ſe ſolum Deum inuocare, & damnare inuocationem creaturarum. Sed interea contra Dei prohibitionem volunt Deum adorare, proſtrati coram idolis & imaginibus. Nam nulla alia eſt cauſa prohibitionis idolorum & ſculptilium, quam quod Deus nolit coram ſculptilibus & imaginibus adorari.

32 Quicunque igitur coram lignis & lapidibus religionis cauſa procumbunt, Serpentem adorant, qui ligni fructu primos occidit parentes.

33 Neque excuſat patronos huius ſuperſtitionis, bona intentio quam prætendunt. Nam bis homines coram Deo reos facit bona intentio, quæ verbo Dei non regitur, videlicet defectionis & temeritatis. Defectionis quidem, quod deficiunt à ſimplicitate verbi & præcepti diuini ad ſuas cogitationes. Temeritatis verò, quod audeant Deo modū pręſcribere, quo ipſum colere velint.

34 Nec illi audiendi ſunt qui ideò ſe procumbere coram imaginibus dicunt, vt contemplatione imaginum excitetur animi deuotio. Nam admodum frigida eſſe oportet ea corda, quæ iſtis flabellis à Satana excogitatis opus habent, vt excitentur ad precandum.

35 Quarta circunſtantia eſt de Mediatore. Nam ſi ſine Mediatore Deum accedimus, facilè reijciet nos noſtræ indignitatis & peccatorum cogitatio, pręſertim cùm ſcriptum ſit, Ioan. 9. 31. Deus peccatores non exaudit. Quare Mediatorem nos habere oportet, cuius interceſsione, merito & dignitate freti, audeamus Deum accedere. 4. Per quē

36 Sed quiſnam eſt iſte Mediator? Deus & homo Ieſus Chriſtus, qui vt vera diuinitate cum Patre vnum eſt, ita vera humanitate nobis coniunctus eſt. Qua ratione fit, vt Deum & hominem ipſe, Deus & homo, optimè conciliet & coniungat, idque interceſsione, merito & dignitate. Hinc eſt quod Paulus dicit. Vnus eſt Mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus, 1. Tim. 2 5.

37 Huc pertinet & Chriſti illa promiſsio, Ioan. 6 23. *Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ac ſi dicat, Nequaquam debetis veſtra opera ac dignitatem iactare in conſpectu Dei, ſed me nominabitis, & propter me petetis, videlicet Mediatorem, & datorem vnà cum Patre. Ita etiam Cyrillus rectiſsime explicat promiſsionem Chriſti. *In nomine meo*, inquit, *addidit, vt Mediatorem ſe, & collargitorem oſtendat. Non enim tantùm pro nobis intercedit, vt Pater det nobis ſalutaria, verùm etiam ipſe vt Mediator dat nobis dona*, iuxta illud: Aſcendit in altum, & dat dona hominibus.

38 Ex hoc ſequitur quod Chriſtus, etiam quatenus Mediator eſt, ſit inuocandus. Nam ſi & impe-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

trat nobis, & donat cum Patre, vt Mediator: certè vt Mediator inuocandus eſt. Proinde rectè orauit Bartimæus cæcus, Marc.10.47. Fili Dauid miſerere mei. Et Stephanus, Actor.7.59. Ieſu, ſuſcipe Spiritum meum. Et Paulus piè ſolet præfari in ſuis Epiſtolis: Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, &c.

39 Porrò ex eo quod alij homines pro alijs orent, non efficitur vt ſint plures mediatores. Nam quicunque pro alijs rectè orant, freti Mediatore vnico Chriſto, hoc faciunt.

5. Quid petendum.

40 Quinta circunſtantia reliqua eſt, videlicet de rebus petendis. Nam quia non ſolet pater bonus dare filijs petita, ſi nocent: nec decet probos filios à patre petere, quæ patrem dare indignum eſt: meritò hæc etiam circunſtantia, de rebus petendis, addenda fuit.

Quomodo.

41 In primis hic tenendum eſt diſcrimen inter ea, quæ petenda ſunt ſine conditione, & ea quæ cum conditione peti poſſunt. Vt enim bona ſine quibus ſalus contingere non poteſt, atque adeò ſalus ipſa, ſine conditione petenda ſunt: ita bona quorum vſus eſt tantum in præſenti vita, cum conditione peti debent. Et vt mala impedientia ſalutem animarum, ſine conditione precabimur à nobis auerti: ita mala quæ in hac vita nobis moleſta ſunt, cum conditione non impeditæ gloriæ Dei & noſtræ ſalutis, precibus áuertemus.

42 Hinc eſt quod pij gloriantur in afflictionibus, & habent ſpem etiam tunc cùm interficiuntur à tyrannis. Diſcernunt enim inter bona ſine conditione & certò promiſſa, & inter commoda huius vitæ. Hinc eſt illa vox Iob: Etiamſi occiderit me, ſperabo in eum, & ipſe erit Saluator meus.

43 Neque cum his pugnat præceptum Iacobi, cap.1.6. qui iubet petere ſine hæſitatione. Nam aliud eſt cum hæſitatione petere, aliud cum conditione. Nam fidelis non dubitat, quin Deus ſuas preces exaudiat: quoniam ſi id non dat quod petitur, certè id quod multò melius eſt, largitur. Rectè proinde Bernardus, cùm inquit: *Vnum è duobus ſperare indubitanter poſſumus: quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit eſſe vtilius.*

44 Vniuerſalis igitur particula in dicto Domini: Quicquid petieritis, &c. ad certum genus reſtringenda eſt. Quicquid ſcilicet vobis ſalutare eſt, non veſtro iudicio, ſed benigniſsimi Patris mei ſentẽtia Sic Ioannes hoc genus reſtringit, cũ inquit: Si quid petieritis ſecundum voluntatem eius, audiet vos. 1. Ioan.5.14.

Precandi formula.

45 Reſtat tertium quod propoſuimus, videlicet, de precandi formula. Quidam nimis Socraticè nolunt quicquam expreſsis verbis nominare, ſed Deo ſupplicant, vt ipſe largiatur quæ ſcit ſibi vtilia eſſe. Sed illi refutantur, & plurimis ſanctorum exemplis, & forma precationis nobis à Chriſto commendata.

46 Etſi enim fateor duplicem eſſe inuocationem, vnam *cordis* tantum, alteram *cordis & oris* ſimul: (nulla eſt enim oratio oris tantum: quod tamen Monachi impiè nocent) tamen recitatio certæ formulæ propter multas cauſas vtilis eſt.

47 Primùm, recitatio non ſolùm de multis rebus precantes admonet, verumetiam eſt confeſsio quædam, ſegregans nos ab impijs & profanis ſectis. Deinde recitatio piè concepta, excitat pios motus in pectoribus. Nam ideò verba adhibentur, vt pectora inter precandum accendantur, non vt Deo narremus quæ ignorat. Ita enim ait Auguſtinus: *Quamuis inuiſibilis voluntas orantis Deo ſit nota, nec vllis indigeat indicijs, vt ei animus pandatur humanus, qui locutionem cordis cognoſcit: tamen homo vocibus & membris ſui corporis vtitur, vt ſic orando, affectus hominis humilior, deuotior, feruentior creſcat.* Poſtremò, diſtincta & expreſſa recitatio, terrorem incutit Diabolis. Nulla enim re magis expaueſcunt Diaboli, quam audita vera inuocatione Dei. Quam ob cauſam Paulus inter arma quibus inuaditur Diabolus, orationem recitat.

48 Quanquam autem multæ ſunt precandi formulæ, cum veteres, quales ſunt Pſalmi Dauidici, & orationes aliorum ſanctorum Regum & Prophetarum, tunc recentes bene & vtiliter conſcriptæ: tamen formula, quam nobis Dominus præſcripſit, omnibus reliquis anteponenda eſt, cum propter autoris maieſtatem, tum propter rerum petendarum ordinem & materiam.

Ordo orationis dominicæ.

49 Ordo autem hic eſt: Votum omnium primum eſſe debet piorum, vt firmum & immotum fundamentum cultus Dei iaciatur: *quod eſt vera Dei notitia*: ídque in hunc finem, vt regnum Dei erigatur, ſtabiliatur, propagetur: & vt ciues in eodem regno, Regi cœleſti debitam obedientiam præſtent. Ideò Chriſtus iubet primùm peti notitiam Dei. Deinde aduentum regni: Tum obedientiam ciuium in eodem regno. Deinde, quia in hac mortali vita regnum Dei inchoatur, erigitúrque, vbi varijs opus habemus præſidijs: iubet quarto loco, vt petamus quicquid ad huius vitæ ſuſtentationem facit. Verùm quia ea eſt corruptio naturæ humanæ, quòd facilis ſit lapſus in errata & mutuas offenſiones: quinto loco docet petendam eſſe condonationem iſtorum lapſuum & erratorum, ne propter ea à regno Dei excludamur. Poſtremò, quia ſunt duo acerrimi hoſtes, qui conſpirarunt aduerſum regnum Dei, caro & Diabolus: docet petendam eſſe defenſionem aduerſus eos, ídque ſexta & ſeptima petitione. Quis, quæſo, ordo aptior eſſe potuit?

50 Porrò, vt compellatio orationis Dominicæ fidem excitát, animat orantes: ita confirmatio qua clauditur, veluti exauditionis quædam obſignatio eſt, & certitudo.

XXXII.
CERTITVDO DOCTRInæ Eccleſiæ.

DOctrina Eccleſiæ Dei non eſt alia, quam quæ nobis ab ipſo Deo commendata eſt, iuxta dictum Domini apud Eſai.59.21. Hoc autem pactum meum cum eis, dicit Iehoua. Spiritus meus qui eſt ſuper te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dixit Iehoua, ex hoc tempore vſque in ſempiternum. Et Chriſtus dicit. Oues meæ vocem meam audiunt. Ioan.10.4.

2 Hoc verbum, & hæc doctrina quæ eſt Eccleſiæ, in Moſe, in Prophetis, in Euangelicis hiſtorijs, in Epiſtolis Apoſtolorum traditur. Habent Moſen & Prophetas, dicit Abraham, audiant illos. Luc.16.29. Hos audiunt etiam qui Euangelicas hiſtorias & Apoſtolorum ſcripta audiunt. Nam hæc ſunt Moſis & Prophetarum clariores enarrationes.

3 Quoniam autem Mahometiſtæ, & aliæ profanæ gentes, paſsim per orbem opponunt ſe doctrinæ Eccleſiæ, & eam ferro & igni abolere conantur: neceſſe eſt, vt pij, in tanta colluuione malorum, muniant ſuos animos aduerſus ſcandala, & ſæpe cogitent de immota certitudine doctrinæ religionis quam profitentur: præſertim cùm maxima pars mundi eam rideat & perſequatur.

4 Philo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

profitentur: præſertim cùm maxima pars mũdi eam rideat & perſequatur.

4 Philoſophi de ſuæ doctrinæ certitudine gloriantur, iactant κριτήρια, demonſtrationes proferunt, experientiam prædicant. Quæ tametſi agnoſco eſſe excellentia dona Dei: tamen dico, quod nequaquam philoſophica certitudo poſſit conferri cum firmitate doctrinæ Eccleſiæ.

5 Hęc doctrina Eccleſię, etſi ſolo teſtimonio nititur: tamen hoc teſtimonium maius pondus habet, quàm vt ei conferri poſſit vlla philoſophica certitudo. De hoc ergo teſtimonio copioſius quædam adferemus.

6 Teſtimonium quo nititur Eccleſiæ doctrina duplex eſt, externum & internum. Illud in ſenſus incurrit, quo doctrina Eccleſiæ confirmatur tanquam ſigillo quodam Dei externo: hoc in mentem cadit, & doctrinam Eccleſiæ in cordibus fidelium obſignat. De vtroque ordine dicemus.

7 Externum itaque teſtimonium, ſeu externum ſigillum, quo Deus obſignat doctrinam Eccleſiæ, ſex habet partes præcipuas, quæ ſunt: 1. Patefactio diuina, 2. miraculorum operatio & varietas. 3 Prophetiarum firmitudo. 4. conſenſus veræ Eccleſiæ perpetuus. 5. duratio Eccleſiæ. 6. & cruenta plurimorum martyrum confeſsio.

8 Prima pars externi teſtimonij eſt patefactio diuina, per quam ipſe Deus de ſua arcana ſede procedens, ſe olim ſanctis Patribus patefecit: quibus ſuum verbum, quo vult Eccleſiam colligi & regi, tradidit & commendauit.

9 Quanquam autem Dominus apparuiſſe ſæpe legitur: tamen paucas eius apparitiones, quas prodeſt habere in conſpectu, recitabo: in quibus ſummam doctrinæ Eccleſiæ proponit, inculcat, repetit, illuſtrat.

10 Primùm itaque apparuit Adamo poſt lapſum, Geneſ.3. & doctrinam Legis & Euangelij ſua voce tradidit, pœnas inflixit propter peccatum. Ab hac doctrina Eccleſia Dei nunquam defecit: ſed perpetuò eandem amauit, retinuit, propagauit.

11 Deinde apparuit Nohę, & facto cõfirmauit doctrinam Legis & Euangelij, dum impœnitentes quidem diluuio perdidit: Nohæ verò cum ſua familia, ex gratia promiſsionis clemẽter liberauit. Ge.6.7.9.

12 Poſt diluuium, vt doctrinam malitia hominum ferè collapſam erigeret, apparuit Abrahamo decies. Geneſ.12.13.15.17.18.21.22. Eius filio Iſaac bis. Geneſ.26. Nepoti Iacob ſexies, Gene.28.31.32.35. In his apparitionibus Abrahamo, Iſaac, & Iacob factis, eadem doctrina eſt propoſita, & promiſsionis verbum clarius illuſtratum eſt. Iuſtificationis quoque doctrina in Abrahamo, certiſsimo typo expreſſa eſt apertius. Nam in hoc clarè oſtendit, quod fide ſola abſque operibus iuſtificetur homo, quod fidei ſit coniuncta obedientia erga Deum: quod Sacramenta non iuſtificent, ſed obſignent iuſtitiam promiſſionis & fidei.

13 Poſt hæc in Ægypto Moſi apparuit, eandem doctrinam repetens & confirmans, Exod.3.

14 Adhæc multis Prophetis idem verbum in viſionibus & ſomnijs apparens commendauit, & prolixis concionibus declarauit, quod primis Patribus tanquam breuibus Aphoriſmis tradiderat.

15 In nouo Teſtamento Deus idem verbum ſonuit de cœlo, & proprio ore nobis Chriſtum doctorem commendauit, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo placatus ſum, hunc audite. Acſi dicat: Olim promiſi ſemen mulieris deſtructurum caput ſerpentis, & reparatorem generis humani, ſublata Legis maledictione: Ecce iam præſtò adeſt, eum audite, in eum credite, quibus vita & ſalus curæ eſt, in hoc enim mihi complacui & reconciliatus ſum mundo.

16 Hæ omnes apparitiones cum multis alijs, vnà cum angelorum appatitionibus & concionibus, noſtræ infirmitati mederi debent, ac confirmare noſtros animos, ne credamus impoſturis Diaboli, qui cum omnibus Sophiſtis & Mahometiſtis profaniſque gentibus in hoc totus incumbit, vt nos ab iſto verbo, tot apparitionibus diuinis nobis commendato, abſtrahat. Atque hoc eſt, quod prædictum eſt à Deo: Semen ſerpentis mordebit calcaneum ſeminis mulieris, Geneſ.3.15.

17 Secunda pars externi teſtimonij eſt, operatio miraculorum & varietas, quę miracula ſunt quędam extraordinaria opera Dei, quibus tanquam ſigillis firmiſsimis, verbum ſuum, hoc eſt, Legem & Euangelium, quatuor millibus annorum confirmauit. Miracula

18 Sunt autem miracula, quę vltra virtutem creatam, contra conſuetudinem aliquid obijciunt ſenſibus, quod in admirationem diuinæ Maieſtatis homines adducit. Huiuſmodi ſunt plurima, cum in veteri, tum in nouo Teſtamento: ex quibus nonnulla aſcribemus.

19 Ante diluuium, duo inſignia miracula occurrunt. Primùm, in ſacrificijs Abel & Cain: vbi aperto teſtimonio Dominus confirmauit Legem & Euangelium. Nõ reſpexit Dominus ad Cain, ſed ad Abel. Ille enim hypocrita fuit, Lege damnatus: hic pius propter fidem in promiſſum ſemen. Quare primum reſpexit ad Abel: deinde ad munera eius, quæ propter offerentis fidem placuerunt, Geneſ.4. Secũdum in Enoch, quem Dominus è cõſortio hominum ſuſtulit in cœlum, quo facto doctrinam promiſſionis confirmauit Dominus de victoria ſuper regno Satanæ. Gen.5. Ante diluuium.

20 In diluuio duo quoque præcipua ſunt edita miracula. Vnum, miraculoſa pœna ob peccatum iuxta Legis comminationem. Alterum, admiranda liberatio credentium iuxta promiſſionis verbum, Atque ita diluuium obſignat vtranque doctrinam, nimirum Legis & Euangelij Gen.8. In diluuio.

21 Poſt diluuium primùm occurrit confuſio linguarum in ædificatione Turris: qua confuſione minæ in contumaces confirmantur, Gen.11. Deinde partus aniculæ Saræ ſterilis natura & ætate, per Angelũ annunciatus, Gen.21. Pugna Iacob cum Angelo. Scala extenſa in cœlum viſa ab eodẽ, promiſſionis gratiæ certitudini ſeruiunt, Gen.28.32. Poſt diluuium.

22 In Ægypto ardet rubus, ſed incolumis manet, Exod.3. Virga in colubrum vertitur, Exod.4. Vrgente Moſe mandatum Domini de exitu populi, decem mirabilia ſigna eduntur, Exod.7.8.9.10.11.12. quæ ſanè ſigna teſtantur Deum iuxta Legis minas, punire contumaces: & rurſus iuxta gratiæ promiſſionem, ſuos tueri. Sub Moſe.

23 In exitu de Ægypto, vt miraculoſa maris exſiccatio, per quam liberati ſunt Hebręi, promiſſę gratiæ teſtimonium eſt, Exod.12. ita ſubmerſio Pharaonis cum ſuo exercitu, Legis diuinæ eſt ſigillum. Exo.14. Eodem pertinet columna nubis per diem, & columna ignis per noctem, qua ſuum populum Dominus in itinere direxit, Exod.14.

24 In monte Sinai doctrina Legis multis confirmatur miraculis, quę & Symbola fuerunt effectuum Legis in hominibus, & teſtimonia de doctrina, quod verè à Deo ſit profecta. Tacco miraculoſum ieiuniũ Moſis in monte, quod eodem pertinet. Exod.19.

25 Tempore quadraginta annorum quo populus in deſerto fuit, plurima ſunt miracula edita, quibus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vtraque doctrinæ pars confirmata eſt. Legis doctrina confirmatur miraculoſa pœna Core, Dathan, & Abiron, cum eorum ſocijs, quos terra abſorpſit, Num. 17. Deinde thurificantes contra Legem, igne de cœlo abſumti ſunt. Inobedientes ſerpentibus percutiuntur, Num. 22. Promiſsio quoque gratiæ confirmatur miraculoſis beneficijs Dei. Aqua de petra manat contra naturam, & comitatur populum quocunque proficiſcitur. Man de cœlo datur, vnde tot millia hominum aluntur 40. annis. Aſpectus æneï ſerpentis erecti mandato Domini, quo ſanantur percuſsi à dipſadibus, Num. 22. Veſtimenta ac calcei tot hominum, tanto tempore non teruntur. Deuter. 8.

Sub Ioſua & iudicibus.

26 Sub Ioſua duce, primum occurrit tranſitus per medium Iordanis, ſtante aqua ab vna parte inſtar muri, & defluente ab altera, Ioſ. 3. Ciuitatis Hiericho, ſeptimo circuitu & voce tubarum, iuxta vocem Domini, euerſio, Ioſ. 6. Prolongatus dies pugnantibus Hebræis contra Gabaon. Lapides de cœlo demiſsi, quibus hoſtes populi Dei occiſi ſunt. His omnibus confirmari vtrunque doctrinæ genus nemo non videt.

27 Sub ducibus etſi plurima contigere miracula, duo tamen præ alijs ſunt inſignia: Vellus Gedeonis, Iudic. 6. Et fortitudo Samſonis, Iud. 14. 15. 16. Vtrunque veritatis doctrinæ ſigillum eſt.

Sub Regibus.

28 Temporibus Regum Elias & Eliſæus miraculis plurimis claruerunt, quibus vtramque doctrinam Legis & Euangelij confirmarunt. Elias excitat mortuum. Hoſtiam perfuſam, aqua, impetrato miraculosè igne de cœlo, accendit, in teſtimonium doctrinæ ſuæ. Ad preces eiuſdem tribus annis non pluit: rurſus petente eo in pluuiam nubes denſantur, & pluuiam mittunt. Hic pallio Iordanem diuidit, ſiccus tranſit, & ignito curru in cœlum tollitur. Eliſæus ſanat aquas peſsimas & ſteriles. Ditat mulierem oleo miraculosè. Sanat Naaman Syrum à lepra. Alia multa prætermitto, quæ contigere temporibus Regum.

In captiuitate.

29 Sub captiuitate populi in Chaldæa, hæc ſunt præcipua: Miraculoſa liberatio trium virorum, qui propter confeſsionem doctrinæ Eccleſiæ in ardentem fornacem coniecti ſunt, Daniel. 3. Miraculoſa defenſio Danielis coniecti in lacum, vt deuoraretur à leonibus, eo quod nollet abijcere doctrinam Eccleſiæ, & idola profana loco veri Dei colere.

Poſt captiuitatem.

30 Miracula ſub ducibus vſque ad Chriſtum fuerunt non pauca: ſed præcipuum eſt, quod Deus populum ſuum, tot perſecutionibus fractum: contra adeò potentes Reges & principes defenderit, vt firmum ſtaret vaticinium Iacob, de expectatione gentium ſeu aduentu Meſsiæ.

Sub nouo teſtamẽto

31 Noui Teſtamenti miracula ſunt plurima, quorum præcipua attingam. Primùm occurrit ſterilis aniculæ partus. Deinde Virginis, vterque ab Angelo nunciatus. Sequuntur Angelorum conciones, Magorum ſtella, facta Chriſti diuina eáque plurima: vt ſanationes ægrotorum, ſuſcitationes mortuorum, apparitiones in monte, reſurrectio Chriſti. Quibus omnibus accedit veluti Regia quædam obſignatio, viſibilis donatio Spiritus ſancti, quinquageſimo poſt reſurrectionem Domini die. Eodem pertinent miracula Apoſtolorum.

32 Quod autem miracula eo pertinebant, vt illis confirmaretur doctrina, teſtantur hęc dicta, Exod. 13. Erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monumentum in oculis tuis, vt Lex Domini ſemper ſit in ore tuo. Num. 14. Vſquequo non credent mihi in cunctis ſignis quæ feci in medio eorum? 3. Reg. 17. Vidua excitato filio, dixit: Nunc ſcio quod vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt. Ioan. 8. Si mihi non creditis, credite operibus meis,

33 Cur non adhuc eduntur miracula? Reſpondet Auguſtinus his verbis: *Nec miracula illa in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne animus ſemper viſibilia quæreret, & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit. Nec iam nobis dubium eſſe debet, ijs eſſe credendum, qui dum ea prædicarent, quæ pauci aſſequuntur, ſe tamen ſequendos populis perſuaſerint.*

34 Tertia pars externi teſtimonij eſt Prophetiarum firmitudo & veritas. Nam cùm euentus reſpondet Prophetiæ, teſtatur Deus quod ſit Prophetiæ autor, iuxta illud Iere. 28. 9. Propheta qui vaticinatus eſt pacem, cùm venerit verbum eius, tunc ſcietur Propheta, quem miſit Dominus in veritate. Apoc. 19. 10. Teſtimonium Ieſu eſt ſpiritus Prophetiæ,

35 Iacob prædixit tempus aduentus Chriſti in carnem. Gene. 49. 10. cui euentus reſpondit Prophetia Balaam ſub imagine ſtellæ, Numer. 24. 17. Vaticinium Eſaiæ de Virginis partu, Eſai. 7. 14. Danielis prophetia de quatuor Monarchijs, de hebdomadibus, de tempore aduentus Chriſti, de eius morte æternóque regno. Prophetarum plurimorum vaticinia de contumacia populi Iudaici, de perſecutione Eccleſiæ. Pauli prædictio de Antichriſto. Hic cùm euentus, qui à nulla creatura proſpici poterant, vaticinijs Propheticis reſpondeant, manifeſtū eſt, à Deo monſtratos eſſe, & vocem Prophetarum diuinam eſſe.

36 Quarta pars externi teſtimonij eſt conſenſus Moſis, Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, ac Catholicæ totius Eccleſiæ, in doctrina, cultu, & vita. Nam hi omnes Legem & promiſsiones vrgent, ac alij alijs clarius exponunt.

37 Quinta pars externi teſtimonij, eſt ipſa duratio Eccleſiæ ac doctrinæ Legis & Euangelij, contra tot Diabolorum & hominum potentiam, & ſophiſticam, qui conſpirarunt aduerſus Chriſtum, & eius Eccleſiam: quæ tamen hactenus conſeruata eſt & conſeruabitur, vtut furat & inſaniat Satan & mundus, quemadmodum Dominus promittit, cùm ait: Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Huc quoque Gamalielis dictum pertinet: Si ex hominibus eſt opus hoc, diſſoluetur.

38 Sexta pars externi teſtimonij eſt, cruenta confeſsio tot Martyrum inde vſque ab Abel ad Chriſtum Dominum, & ab ipſo in hunc vſque diem. Nam tanta & tam atrocia ſupplicia nequaquam ſuſtinuiſſent pro incerta & erronea doctrina.

39 Neque hoc genus teſtimonij infringitur ex eo, quod multi enthuſiaſmo quodam inſtigati, pro erroribus ſuis confirmãdis mortem oppetunt. Nam deſtituti ſunt ſuperioribus teſtimonijs, quæ ſemper tanquam regula & norma ſunt, vt diſcernatur inter veros Martyres, & impulſos à Diabolo ad oppugnandam veritatem.

40 Internum teſtimonium vnicum eſt, nimirum arrhabo ſeu pignus Spiritus ſancti, quo veritas verbi Dei obſignatur in cordibus fidelium. De hoc interno teſtimonio loquitur Paulus Corinthijs, ſcribens in hanc ſententiam, 2. Corin. 1. 22. Qui confirmat nos vobiſcum in Chriſto, & qui vnxit nos Deus eſt, qui etiam obſignauit nos, & dedit arrhabonem Spiritus in corda noſtra. Et ad Ephe. 1. 13. In quo Chriſto & obſignati eſtis Spiritu promiſsionis ſancto, qui eſt arrhabo hæreditatis noſtræ.

41 Hæc teſtimonia externa & interna ſunt cauſæ certitudinis in doctrina Eccleſiæ, quæ ſi conſeruntur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

runtur cum philoſophica certitudine plurimum excellunt.

42 Omnia in philoſophia, lumini rationis & ſenſibus ſubijciuntur: at in Theologia noſtra, hoc eſt, in doctrina Eccleſiæ, lumen Deus eſt, qui ſuam doctrinam proponit & confirmat.

43 Valeant igitur profani homines, qui certitudinem rei Theologicæ poſt ſcientiam collocant, & ferè cum εἰκασίᾳ coniungunt.

De autoritate S. Patrum.

44 Hic meritò quæri poteſt de doctoribus Eccleſiæ, quo in loco eorũ dicta habenda ſint. Ad quam quæſtionem ita reſponderi debet. Triplicia ſunt dicta Patrum, Quædam demonſtrata, Quędam probabilia, Quædam falſa. Demonſtrata, vt ſunt Symbola, Apoſtolicum, Nicenum, Athanaſianum, eiuſdem autoritatis ſunt cum Scriptura: quia ex ea collecta ſunt & in ordinem digeſta. Probabilia retineantur, donec trahantur in malam conſequentiam à Sophiſtis. Falſa vt vox ſerpentis fugienda ſunt, iuxta hanc Ambroſij regulam: *Nos noua omnia quæ Christus non docuit iure damnamus, quia fidelibus via Christus eſt. Si igitur Christus non docuit quod docemus, & nos id deteſtabile iudicemus.*

Hoſtes puræ doctrinæ.

45 Porrò præter hæreticos (quorum caput eſt Papa) qui inter mœnia Eccleſiæ deliteſcunt, hoſtes doctrinæ ſunt Turci, Iudæi, & aliæ gentes barbaræ. Turci, quia libros Propheticos & Apoſtolicos reijciunt, planè furunt. Iudæos confutat tempus, quo adeſſe debuit Chriſtus, & plurimæ prædictiones de illorum reiectione. Gentes barbaræ ab ipſo Satana agitantur, adeò vt ſe omni turpitudini & idololatrię proſtituant.

46 Non ergo debet pios offendere vel Turcorum ſecta, quæ confuſio quædam eſt ex blaſphemijs, latrocinijs, & flagitioſis libidinibus conflata, quæ ſunt manifeſtæ notæ Diaboli. Sed debent pij vaticinium Danielis cogitare, de furoribus Mahometi, qui bellum inferre Sanctis, & præualere eis, & loqui ſermones contra excelſum prædicitur: vel Iudæorum reproba mens, qui à Deo propter ſuam ingratitudinem reiecti ſunt, vel gentium aliarum barbararũ cęca idolomania. Nam longè antea prædictum fuit, vt talis colluuies hominum contemnentium Euangelium foret in mundo. Quare euentus prædictionum confirmabit piorum animos contra omnes ſectas, quæ perſequuntur doctrinam Propheticam & Propheticam.

47 Quemadmodum igitur abominamur ſuperſtitiones Ægyptiorum, qui boues, feles, ſerpentes tanquam numina colebant, & vt deteſtamur Corybantum tympana, & Baccharum vlulatus: Sic Mahometi deliria, Iudæorum ſomnia, & omnium profanarum gentium ſectas, tanquam ludibria Diaboli, execremur ac fugiamus.

48 Retineamus igitur hanc ſpem, quod ſicut verè Chriſtus exhibitus eſt iuxta Scripturam, & diuinis teſtimonijs confirmatus eſt, quod ſit Rex & Mediator noſter à Deo miſſus: ita breui aduenturus ſit iudicatum viuos & mortuos. Atque tunc futurum eſt, vt qui hîc in fide Chriſti vixit & perſeuerauit, non pudefiat: cum contrà, omnes hoſtes Chriſti pudore confundentur, quando videbunt Chriſtum in ſua gloria venire abducturum ſecum omnes qui in ipſum crediderunt, & in eo mortui ſunt, hoſtibus Dei coniectis in ignem æternum.

49 Cùm autem electos ſuos Chriſtus Dominus ad ſe receperit, perficietur prophetia Dauid, dicentis: Nótas mihi feciſti vias vitæ, adimplens lætitia vultum tuum: Delectationes in dextera tua in perpetuum.

XXIII.

GVBERNATIO ECCLESIÆ.

IN gubernatione Eccleſiæ Dei ſpectentur Verbum, Sacramenta, Diſciplina & Ceremoniæ. His enim colligitur, fouetur, fulcitur & conſeruatur Eccleſia. Partes.

2 Verbum non aliud requiritur, quam quod in Moſe, Prophetis, & in Euangeliſtarum Apoſtolorúmque ſcriptis traditum eſt. Hoc enim diuinum teſtimonium habet de infallibili certitudine. 1. Verbum

3 Diuiditur autem hoc verbum rectè; ſi doctrinam ſpectes, in Legem, & in promiſsionem gratiæ ſeu Euangelium. Lex monſtrat normam viuendi & arguit peccatum. Euangeliũ prædicat gratuitã gratiã pœnitentibus. Vtrumque Verbum, hoc eſt, Lex & Euangelium, verum colendi Deum continet modum. Vt enim Lex quid Deus requirat: ita Euangelium quomodo fieri & placere poſsit, oſtendit.

4 Sacramenta Euangelio addita ſunt, vt eius ſignacula. Obſignant enim nobis eam gratiam, quam Euangelium prædicat. 2. Sacramenta.

5 Sunt autem duo noui Teſtamenti Sacramenta communia, videlicet, Baptiſmus & Cœna Domini, quorum vſus perpetuò pię meditandus eſt.

6 Sunt enim hæc ſacra ſigna, aſpectabiles quædam conciones, de ſummis beneficijs Chriſti erga Eccleſiam. Nam cùm Paulus dicit, Galat. 3. 27. Quotquot in Chriſtum baptizati ſunt, Chriſtum induerunt: magnas ſanè res breui oratione complectitur. Teſtatur enim per Baptiſma nos in Eccleſiam recipi, Chriſto inſeri, in Chriſto regenerari, & à peccatis emundari: ídque beneficio corporis Chriſti, quo induimur, & ſanguinis quo abluimur. Verùm quod per Baptiſmum Chriſto inſiti in eodem alimur, fouemur & ſuſtentamur, id denuo nullo conſequimur alio beneficio quam corporis & ſanguinis Chriſti.

7 Quod ergo nobis in Baptiſmo tegumentum eſt & emundatio, in Cœna cibus & potus eſt. Atque vt aliud eſt gigni & renaſci, aliud ali & educari: ita aliud eſt in nouam vitam renaſci, & aliud in eadem ſuſtentari & creſcere: præcedit enim natiuitas, ſequitur educatio.

8 In diſciplina Eccleſiæ plura conſideranda concurrunt, vt ſunt, Ordo, poteſtas & autoritas. 3. Diſciplina in qua concurrũt Ordo.

9 Ordo eſt Omnium pulcherrimus. Præſidet enim vnus Monarcha Ieſus Chriſtus, qui à Patre acceptum regnum ſuo ſpiritu verbóque gubernat. Hic Monarcha ſolus eſt in ſuo regno ἀνυπεύθυνος.

10 Hoc regnum, quod eſt Eccleſia, pulcherrima ſymmetria cohæret. Nam conſtat cœtu hominum, qui in Chriſto Rege ſuo renati, & de carne & oſſibus eius facti, capiti ſuo ſic adhærent, & inuicem ita ſunt coniuncti, coaptati, & coagmentati pro cuiuſque fidei menſura, pro donorum Spiritus ſancti varietate, pro vocationum connexione, vt vnum corpus conſtituant, vt eodem omnes Spiritu viuant & agantur, vt ſinguli ſuum proprium munus habeant & donum, quo commmoda & incrementa vniuerſi corporis pro ſe quiſque promoueat.

11 Hanc pulcherrimam harmoniam nequaquam impedit, quod in externo cœtu Eccleſiæ ſint multa mortua membra, quod ſint multi hypocritæ, multi infirmi, multi nomine tantùm Chriſtiani. Nam Catholica Eccleſia non ab ipſis ſordibus, ſed à ſua propria natura & indole æſtimanda eſt.

12 Præterea cùm regnũ Chriſti Monarchæ, verbo & Spiritu Chriſti regitur, duo ſunt in eo genera ho-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

minum: videlicet, verbi præcones & eorum auditores, qui non ſecus atque patres & filij ſe inuicem venerantur & colunt.

13 Etſi autem horum præconum ſpiritualis iuriſdictio, de qua poſtea dicemus, eadem eſt: tamen diſpares dignitatis gradus ſunt: ídque partim iure diuino, partim Eccleſiæ approbatione.

14 Vt enim Chriſtus aſcendens in altum dedit dona hominibus, Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Doctores & Paſtores: ita Eccleſiæ ſuæ poteſtatem dedit in ædificationem. Hac poteſtate Eccleſia ordinat miniſtros pro commodo ſuo, vt omnia ordinatè fiant ad inſtaurationem corporis Chriſti.

15 Hinc Eccleſia ſecuta tempora Apoſtolorum alios Patriarchas, alios Epiſcopos, alios Chorepiſcopos, quos Iuſtinus Martyr προεστῶτας vocat, nos præpoſitos: alios Paſtores & Catechetas inſtituit.

Quarundã eccleſiarũ ordo.

16 Reformatæ Eccleſiæ poſt tenebras excuſſas, quas Papa inuexit in Eccleſiam, contentæ ſunt paucioribus gradibus, ne res paulatim in tyrannidem abeat. Habent Epiſcopos, Doctores, Paſtores, & paſtoribus inferiores miniſtros, quos inepto vocabulo ſacellanos nominant.

17 Inter hos qui excellit donorum excellentia, laborum magnitudine & vocationis gradu, alijs dignitate præfertur: non quidem vt dominium in alios exerceat, ſed vt alios ſapientia & conſilio regat, modò rationem ſui conſilij ex verbo Dei & legitima Eccleſiæ ordinatione petitam oſtenderit. Nam cùm ſolus Chriſtus in ſuo regno eſt ἀνυπεύθυνος, par eſt, vt qui illi ſubiecti ſunt, rationem ſuorum factorum reddant.

Poteſtas Eccleſiæ.

18 Poteſtas eccleſiæ duplex eſt, vna clauium, ſeu ſpiritualis iuriſdictionis, altera externæ iuriſdictionis, quæ à priori tamen pendet.

19 Poteſtas clauium dicitur, quæ Symbolo clauium deſignatur, cuius appellationis hæc ratio eſt: Qui œconomi conſtituuntur in aliqua familia, ijs traduntur claues vt omnia aperiant, claudant, adminiſtrent pro arbitrio domini ſui. Ex quo factum eſt, vt clauium Symbolo, primum domus adminiſtratio, deinde regni gubernatio, & tandem Eccleſiæ poteſtas ſignificetur.

20 Sed quæ ſunt claues iſtæ quibus deſignatur Eccleſiæ poteſtas? Verbum & fides. Prædicatio enim verbi Dei de remiſsione peccatorum impetranda per Chriſtum, vnica clauis eſt ad aperiendum regnum cœlorum. Quod ſi is qui audit, adiungit prædicationi remiſsionis peccatorum veram fidem, accedit etiam clauis altera.

21 Hoc confirmatur mandato Chriſti, amandantis ſuos diſcipulos in vniuerſum mundum: Euntes, inquit, prædicate Euangelium. Et addit: Qui crediderit ſaluus erit. Quibus ſanè verbis expreſsit claues, quas tradidit Eccleſiæ.

22 Nam cùm prædicationi remiſsionis peccatorum homo credit, abſolutus eſt à peccato, liberatus eſt ab obligatione æternæ mortis & condemnationis, atque adeò ius habet cœleſtis hæreditatis.

23 Poteſtas externæ iuriſdictionis maxima ex parte pendet à poteſtate clauium, & in tribus potiſſimum conſiſtit: In cognitione veræ doctrinæ, in improbatione falſæ doctrinæ, & in moribus gubernandis.

24 Cùm Chriſtus inuitet ad ſe omnes vt à ſe diſcant, & Apoſtoli mittantur vt doceant, manifeſtum eſt Deum requirere ab Eccleſia cognitionem ſui verbi, ſine qua ſalus nemini contingere poteſt. Quare ſacrilegi ſunt Papiſtæ, qui Laicos arcent à lectione Scripturæ.

25 Cùm Chriſtus dicit, Cauete à pſeudoprophetis. Item, Cauete à fermento Phariſæorum: manifeſtè poteſtatem ſuæ Eccleſiæ facit, improbandi falſam & erroneam doctrinam.

26 Gubernatio morum vſitatè diſciplinæ nomen retinuit, de qua quia antea diſputauimus, nolo eam hîc prolixius proſequi.

27 Autoritas Eccleſię cum poteſtate eiuſdem cõiuncta eſt, in qua duo ſunt ſpectanda. Vnum quarum rerum ſit. Alterum, penes quas perſonas reſideat.

28 Duas res ſubijciunt Eccleſiæ autoritati, Traditiones nimirum, & ius interpretandi Scripturam.

29 Traditiones, ſunt inſtituta quæ abſque Scriptura traduntur, vel ab Apoſtolis vel à Patribus. Huius generis ſunt baptiſma infantium, obſeruatio diei Dominicæ, ſumtio cœnæ à ieiunis, &c. De huiuſmodi traditionibus quid ſit ſentiendum, copioſè Philippus explicat in ſuis locis.

30 Ius interpretandi Scripturam, non eſt alicui hominum ordini peculiariter alligatum, ſed eſt peculiare donum Dei, datum ad inſtaurationem Eccleſię.

31 Epiphanius in interpretatione Scripturæ quatuor requirit, αἴσθησιν, θεωρίαν, ἀλληγορίαν, παράδοσιν.

32 Αἴσθησις eſt, cùm contenti ſumus ſentẽtia quam primùm voces offerunt. Vt enim ſenſus viſus hæret in obiecto, ita animus in ſenſu quem verba offerunt: cùm dicitur, Non mœchaberis. Hîc animus in verborum propria ſignificatione acquieſcet.

33 Θεωρία, ſpeculatio eſt, cùm ad loci alicuius veram explicationem non ſufficit ſenſus, ſed requiritur contemplatio, qua eruuntur definitiones, diuiſiones, qua fiunt collationes plurium locorum, ex quorum collatione ſententia vera eruitur: vt cùm dicitur, O. Maraturus, intra in conclaue, &c. Pauci ſunt electi. Maledictus qui non fecerit Legem. Hic non ſufficit ſenſus. Sed requiritur etiam contemplatio, qua conferuntur plures loci, ſine qua ſententia vera deprehendi non poteſt. Huius contemplationis contemtus, plurimas hæreſes in Eccleſia peperit.

34 Ἀλληγορία adhibetur, quando in ſimplici verborum ſenſu, eſt abſurditas contra verbum Dei & apertam ordinationem: vt cùm dicitur, Si oculus tuus dexter te offenderit, erue eum. Item, Beati qui ſe caſtrauerunt pro regno Dei.

35 Παράδοσις traditio, eſt cùm aliorum iudicium qui de aliquo pronunciarunt adhibetur: vt cùm quęritur, quid ſit λόγος, Ioan. I.

36 Alterum quod ſpectandum diximus in autoritate Eccleſiæ eſt, penes quas perſonas reſideat. Etſi autem hæc autoritas eſt totius & vniuerſæ Eccleſiæ, tamen non cõſimiliter: nam maior eſt eorum in Eccleſia autoritas, qui ex veris fructibus ſpiritus, declarant ſe ſpiritum Chriſti habere: amplior adhuc penes pios Doctores longo tempore exercitatos: grandior adhuc penes piorum conſilia, vbi ex fructibus, ſpiritus Chriſti adeſſe cognoſcitur. Nam iuxta Pauli conſilium, probandi ſunt ſpiritus, an à Deo ſint.

37 Reſtant ceremoniæ, hoc eſt, humanæ ordinationes ad regendam Eccleſiaſticam politiam inſtitutæ. In his requiritur Decorum & Ordo.

38 Decori partes ſunt duæ. Prior, vt excitemur ad pietatem illis adminiculis. Poſterior, vt modeſtia & grauitas in pietatis tractatione eluceat. Quare nec ἄσημοι, nec hiſtrionicæ eſſe debent, quales ſunt pleræque in Papatu.

39 Ordinis partes tres ſunt. Prima, vt præſidentes habeant certam agendi regulam. Secunda, vt auditores aſſuefiant ad obedientiam & diſciplinam. Tertia, vt bene compoſito Eccleſiæ ſtatu, paci & tranquillitati conſulatur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

XXXIIII.

SACRAMENTVM.

Sacramẽtis nunquam caruit Eccleſia.

DEus ſemper, & antequam homo lapſus eſt ab innocentiæ ſtatu, & poſt lapſum hominis, conſueuit ſuam voluntatem homini patefacere duabus rebus: nempe, verbo & ſigno externo.

2 Verbo voluntatem ſuam expreſsit, ſigno eandem confirmauit: vt id quod mens ex verbo perciperet, quodammodo per ſignum ſenſibus præſentaretur.

3 Hoc enim modo optimè conſultũ erat ruditati & tarditati hominis. Et tametſi Deus ſapiẽtiſsimus & optimus ita res omnes viſibiles condidit, vt homines quaſi manu duceret in rerũ cœleſtium & ſpiritualium contemplationem: tamen hoc potiſsimum in ijs ſignis cernitur, quæ Eccleſia vſitatè Sacramenta nominat.

Cur ſigno res ſignatæ nomẽ tribuitur.

4 Huc pertinet dictum Auguſtini: *Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quarũ Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent.*

5 Atque ex hoc, quod ſigna ſæpe accipiant nomina rerum, quarum ſunt ſigna: ſicuti Auguſtinus ſuperioribus verbis annectit, cùm ait: *Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt, ſcilicet Sacramenta.*

6 Quod ſanè factum eſt vtiliſsimo conſilio: nimirum, ne homines obliti rerum hærerent in externis ritibus ſine fructu, vt Ethnici fecerunt.

Ad dogma tranſſubſtantiationis.

7 Fœde itaque errant, qui cùm audiant res prædicari de ſignis, putãt mutari rerum naturas, & deſinere eſſe quod antea erant. Vnde Thomas horribiles & deteſtandos errores in Eccleſiam inuexit.

8 Quare firmiſsimè cum in tota doctrina Eccleſiæ, tum in doctrina Sacramentorum tenenda eſt hæc regula: nomina rerum diuerſiſsimarum ſæpe propter analogiam quandam & comparationem effectuum, cum docendi, tum admonendi cauſa permutantur, & de ſe mutuo prædicantur.

9 Chriſtus & vitis, diuerſarum rerum ſunt nomina. Sed Chriſtus ſe vitem nominat, propter comparationem effectuum. Nam vt vitis miniſtrat palmitibus in ſe manentibus ſuccum: ita Chriſtus ſuum ſpiritum infundit in eos, qui in ſe manent per fidem, atque ita de alijs infinitis.

Panis quo ſenſu vocatur corpus Chriſti.

10 Panis & corpus, item vinum & ſanguis, rerum diuerſiſsimarum nomina ſunt: ſed tamen, propter comparationem effectuum, panis in cœna Domini, dicitur corpus Domini, & vinum dicitur ſanguis eius.

11 Nam vt panis confortat corpus hominis, & vinum recreat: ita corpus & ſanguis Chriſti fide hauſta, vt Patres loquuntur, animam confortant, & recreant ſpiritualiter. Huiuſmodi analogia in omnibus Sacramentis conſideranda eſt.

12 His ita conſtitutis, accedamus ad Sacramenta noui Teſtamenti, & videamus quid in ijs potiſsimum ſit ſpectandum.

Sacramẽtum in genere quid.

13 Auguſtinus definit Sacramentum in genere, cùm ait: *Sacramentum eſt ſignum gratiæ.* Teſtantur enim Sacramenta de fauore Dei erga eos qui illis ritè vtuntur.

14 Neque dicuntur ſigna gratiæ tantùm, quia pingunt & ſignificant res promiſſas in Euangelio: Sed potiſsimum quia credentibus res promiſſas obſignant. Quare non ſimpliciter ſigna, ſed σφραγίδες à Paulo dicuntur, id eſt, obſignationes.

15 In omni ergo Sacramento ſciatur, quod σφραγὶς, hoc eſt, ſignaculum, ſit genus quo proprius finis indicatur. Quod genus cùm applicatur ſingulis, melius & certius eorum vſus conſpicitur. Circumciſio eſt pactum. Hîc ſi addis genus, Circumciſio eſt σφραγὶς, id eſt, ſignaculum pacti. An non clarius iam intelligitur, quid velit Circumciſio? Atque ita de alijs.

16 Ratio appellationis hæc eſt: Quemadmodum militare Sacramentum, eſt obligatio militum, per ſolenne iuramentum: ita iuramentum Eccleſiæ, eſt Symbolum obligationis mutuæ inter Deum & hominem credentem.

17 Extra vſum diuinitus inſtitutum, nihil habet rationem Sacramenti: hoc eſt, nec accipiuntur beneficia in Euangelio oblata, nec accepta obſignantur. Extra vſum nihil habet rationem ſacramenti.

18 Confirmant ſiquidem hominem Sacramenta ex pacto legitimi vſus. Is verò eſt, cùm vſurpantur à credentibus Euangelio. Sine enim fide Sacramenta cedunt vtentibus in iudicium, ſicuti & verbum cùm ſine fide auditur.

19 Porrò cùm Auguſtinus ait: *Accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum.* Non intelligit verbum recitatum ſuper externa ſigna, eſſe conſecrationem quandam ſignorum, vt Papiſtæ putant. Sed intelligit verbum Dei inſtituentis, promittentis, & requirentis fidem promiſsionis. Hoc verbum cum accedit ad elementum, fit ex elemento Sacramentum. De conſecratione.

20 Ex ijs quæ iam dicta ſunt, tria colligere promptum eſt. *Primum,* Quot in quolibet Sacramento concurrunt? *Secundum,* Quid ſit Sacramentum noui Teſtamenti? *Tertium,* Quænam ſint, & quot noui Teſtamenti Sacramenta?

21 In quolibet noui Teſtamenti Sacramento (vt ex dictis colligitur) concurrunt quatuor. *Primum,* Verbum, ſeu mandatum Dei. Nullius enim hominis autoritate Sacramenta inſtitui poſſunt. *Secundum,* Signum externum & analogicum, vnde Græcis Symbolum dicitur. Eſt enim Symbolum propriè, non quodlibet ſignum, ſed quod habet quandam analogiam cum re ſignata. *Tertium,* Res promiſſa in Euangelio, quæ eſt gratia & fauor Dei gratuitus propter Chriſtum. *Quartum,* Fides promiſsioni reſpondens. Fide enim res Sacramenti accipitur, retinetur, poſsidetur. Quæ in quolibet ſacramẽto concurrant.

22 Similiter ex dictis colligitur, quod Sacramentum noui Teſtamenti ſit ſignum viſibile, mandatum & inſtitutum à Deo: quo ſigno vt Deus ſuam teſtatur promiſsionem homini factam, ita homo viciſsim ſuam erga Deum fidem profitetur. Quid ſit.

23 Hac ſtante definitione quæ plena eſt, ita vt nec redundet quid, nec deſideretur: ſequitur duo tantum Sacramenta Eccleſiæ noui Teſtamenti eſſe, quæ ſunt Baptiſmus & ſacra Chriſti Cœna. Quot ſint ſacramẽta.

24 Nam in his ſolis cernimus & verbum & elementum. In illis ſolis quæ adducunt Papiſtæ, nihil eſt quod plenam rationẽ habeat Sacramenti. Quare relinquantur Antichriſto, cum alijs infinitis ſuperſtitionibus.

25 Etſi autem principalis finis Sacramentorum eſt, vt ſint ſignacula Dei, quibus fides legitimè vtentium Sacramentis confirmatur, tamen alij fines non ſunt prætereundi, qui cum primo coniuncti ſunt, vt ſunt, diſtinctio Eccleſiæ ab alijs ſectis, conſeruatio & propagatio doctrinæ, obligatio ad fidem & bonam conſcientiam, vinculum dilectionis. Fines ſacramentorum.

26 Hi ergo quinque fines generales ſunt, & in omnibus Sacramentis, præter quos, ſingula ſeorſum ſuos habent peculiares fines & proprios, vt oſtendemus ſuis locis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

XXXV.

BAPTISMVS.

Quid ſit.

BAptiſmus Sacramentum initiale eſt in nouo Teſtamento: & vt omne Sacramentum eſt ſignum gratię,ita & Baptiſmus. Teſtatur enim de gratia & fauore Dei erga eum qui iuxta inſtitutionem baptizatur.

2 Nam cùm Marcus dicit cap.1.4. Fuit in deſerto Ioannes baptizans & prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſsionem peccatorum: definit Baptiſmum eſſe teſtimonium & ſignaculum, quòd pœnitentibus Deus peccata remittat.

3 Pœnitentes vocat eos, qui ad prædicationem Euangelij reſipiſcunt, & conuertuntur per fidem in Ieſum Chriſtum.

Analogia ſigni ad rẽ ſignatam.

4 Analogia ſigni ad rem ſignatam, hæc eſt: Vt corpus hominis externè abluitur aqua,& purgatur à ſordibus: ita conſcientia hominis à mortuis peccatis ſanguine Chriſti abluitur internè & purgatur. Vt ad generationem naturalem requiritur aqueus humor: ita ad ſpiritualem generationem,qua homo naſcitur Filius Dei,requiritur Spiritus ſanctus.

5 Habet enim aqua comparationem, & ad ſanguinem Chriſti, & ad Spiritum ſanctum, per quem homo regeneratur.

Chriſti baptiſmus, noſtri fundamentũ.

6 In Chriſti Baptiſmo pulchrè pingitur, & pactum Dei cum homine qui baptizatur,& actio Chriſti,& Spiritus ſancti operatio.

7 Nam cùm Pater ſuper Filium baptizatum hanc vocem ſonat:Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui:teſtatur quod & Chriſtus ſit in ſuo fauore & gratia: & ſignificat eos qui baptizantur iuxta inſtitutionem, & Chriſtum per baptiſmum induunt, placere Deo propter Chriſtum, cui per baptiſmum inſeruntur.

8 Huc Paulus reſpexit cùm ait: Nos ſumus dilecti in dilecto. Et Pater ipſe: In hoc mihi complacui.

9 Apparitio Spiritus ſancti ſuper Chriſtum baptizatum,in ſpecie columbæ, eſt teſtimonium quod Dominus internè baptizat Spiritu ſancto, quando miniſter foris aqua baptizat.

10 Ideò Baptiſta ait: Ego baptizo aqua,in medio autem veſtri ſtat, (Chriſtum intelligit) qui baptizat Spiritu ſancto & igni.

In cuius nomen baptizamur

11 Quoniam autem in baptiſmo fit mutua pactio Dei & hominis qui baptizatur, vt & Petrus teſtatur cùm ait 1.Pet.3.21. Baptiſmus eſt ſtipulatio bonæ conſciẽtiæ cum Deo, per reſurrectionem Ieſu Chriſti: Chriſtus iuſsit baptizare in nomen Patris & Filij, & Spiritus ſancti.

12 Nam cùm miniſter dicit, Egò baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti:& actus baptizandi,& finis in quo pactio mutua exprimitur,ſignificatur.

Actus baptiſmi.

13 Actus eſt baptizare, id eſt, immergere, intingere,abluere, vel aqua aſpergere: quorum poſtremum optimè congruit propter ſignificationem. Petrus enim vocat ῥαντισμὸν, id eſt, aſperſionem ſanguinis Chriſti,quæ ſignificatur externo baptiſmo. 1. Pet.1. 2.

14 Fines in quo pactio mutua intelligitur, eſt baptizare in (εἰς enim finem notat) nomen Patris & Filij,& Spiritus ſancti.

15 Baptizo te in nomen,id eſt,vt agnoſcas, inuóces,colas,timeas,celebres(renunciato hoſte Dei Satana) hunc vnũ Deũ,qui eſt Pater qui dedit Filiũ in mortẽ,qui Filius pro te mortuus eſt,qui abluit te ſuo ſanguine à peccato, qui te veſtit ſua iuſtitia, qui te membrum ſui corporis facit: & Spiritus ſanctus qui te regenerat & ſanctificat ad vitam æternam:vt Deo iunctus,in omni æternitate beatus ſis.

16 Hinc clariſsimè patet,quale pactum ſit baptiſmus inter Deum & hominem. Deus teſtatur ſe hominem recipere in gratiam,tanquam membrum Filij,& homo ſubmittit ſe Deo vt ipſum colat,timeat, & veneretur,renunciato Satana & operibus eius.

17 Sanctificamur ergo in baptiſmo, id eſt,conſecramur Deo tanquam hoſtię.Deus enim nos purgat in verbo: quam purgationem teſtatur viſibili ſigno, & ſeparat nos à profanis hominibus,qui impuro ſpiritui ſe ſubiecerunt,eíque ſeruiunt.

18 Etſi autem baptiſmus eſt ſignum gratiæ,videlicet, quod Deus remittat reſipiſcenti peccata: tamen qui ſemel baptizatus eſt, & relabitur in peccatum,& reſipiſcit denuo,non eſt iterum baptizandus, vt Anabaptiſtæ ſentiunt. Nam baptizatus quandocunque credit baptiſmo ſemel facto, confirmatur quod ſit in gratia.

19 Infantibus Chriſtianorum ideò baptiſmus conferendus eſt, quia ſunt fœderis initi cum Abrahamo & eius ſemine participes,hoc eſt,ſunt filij Dei ex virtute fœderis,etſi natura ſunt filij iræ.

20 Neque cogitandum eſt, infantes ideò eſſe filios Dei, quia baptizantur: ſed ideò baptizari, quia ſunt filij Dei: & vt ſe eſſe filios Dei reddantur certiores.

21 Etſi autem infantes nati à Chriſtianis,participes ſunt fœderis, vt diximus: tamen quia Deus vult omnes, quos in cœtu vocatorum vult haberi, ab Eccleſia recipi, & ab alijs ſectis diſcerni, neceſſe eſt infantes baptizari.

22 Ideò Matth.19.14. dicitur: Sinite paruulos ad me venire, & ne prohibete illos. Talium eſt enim regnum cœlorum.Et 1.Cor.7.14.Liberi veſtri ſancti ſunt,hoc eſt,pertinent ac Eccleſiam viſibilem.

23 Cæterùm,etſi ad omnem legitimi baptiſmi vſum concurrit rerum ſignatarum exhibitio: nulla tamen aquæ & ſanguinis,vel Spiritus Chriſti mutatio, aut coniunctio phyſica cum Papiſtis fingenda eſt.

24 Signum enim ſeu ablutio externa, eſt actio corporalis miniſtri, qui ſua manu conſpergit aqua corpus baptizandi, & pronunciat eum recipi à Deo.

25 Signatum verò res ſpiritualis eſt, & actio ſolius Dei, videlicet, ablui ſanguine Chriſti & Spiritu ſancto regenerari,quod non eſt corporaliter ſiue viſibiliter, ſiue inuiſibiliter conſpergi ſanguine Chriſti: ſed recipi in gratiam à Deo propter fuſum ſanguinem, id eſt, totam obedientiam Filij, & inſertos ipſius corpori,ab ipſo viuificari,effuſo in nos Spiritu ſancto.

26 Etſi autem nec lauantur ſanguine Chriſti qui lauantur aqua à miniſtro,niſi in vſu legitimo baptiſmi:ídque non merito,aut propria vi humanæ actionis,vel aquæ indita potentia, ſed libera Dei ordinatione, & Spiritus ſancti efficacia, propter ſigni tamen & rei conuenientiam, & ſacramentalem copulationem, nomina & proprietas permutantur, propter cauſas à nobis in ſuperiori diſputatione aſſignatas.

27 Veræ igitur ſunt hæ locutiones ſacramentaliter, baptiſmus eſt lauacrum regenerationis: baptiſmus nos ſaluos facit: Aſperſio aquæ eſt aſperſio ſanguinis Chriſti, & donatio Spiritus ſancti: aqua eſt ſanguis Chriſti,&c.

28 Qui hic fingit vel mutationem aliquam, vel copulationem phyſicam,mutat genus prædicationis Sacramentalis, in proprium, contra totius ſcripturæ con-

pturæ conſenſum,& Sacramentorum rationem.

29 Cum autem Sacramentaliter accipiũtur iſtæ locutiones, ſignificatur quod Baptiſmus externus interioris ſit ſignum & arrhabo, id eſt, non tantum huius imago,ſed etiam ob veritatis diuinæ conſtantiam, certiſsimum teſtimonium baptizatos, quandocunque credunt, mundari ſanguine Chriſti,& regenerari à Spiritu ſancto.

30 Etſi ea quæ hactenus in genere de Baptiſmo diximus,ſufficere videntur ad cognoſcendum finem Baptiſmi:tamen quia multa cum fine coniuncta ſunt quæ cuiuis non ſunt obuia,huc adiiciemus,tanquam in tabula, quæ ſimul in Baptiſmo conſideranda veniunt:quorum vſus in tota vita eſt perneceſſarius.

Significationes Baptiſmi.

31 Significationes Baptiſmi ſunt plures, quas tribus veluti limitibus claudimus. Eſt enim Baptiſmus,& teſtimonium gratiæ & Symbolum rerum arcanarum ſpiritualiumque,& nota externa Chriſtianiſmi.

32 Etſi autem de prima ſignificatione videtur ſatis ſupra dictum eſſe:tamen hîc quò omnia tãquam ſub vnum conſpectum veniant breuiter repetenda ſunt.

Eſt teſtimonium gratiæ.

33 Primo loco diximus Baptiſmum eſſe teſtimonium gratiæ:quod ita accipiendũ eſt : Baptiſmus eſt teſtimonium gratiæ,cum exhibitæ,tum applicatæ.

34 Exhibitæ quidem,quia vt circumciſio figurabat Iudæis Chriſtum venturum:ita Baptiſmus eũdem veniſſe nobis teſtatur : Applicatæ verò, quia Baptiſmus eſt σφραγὶς,quã Deus obſignat gratiam ei, qui iuxta Chriſti inſtitutionem lauacro Baptiſmatis abluitur.

35 Cum igitur Chriſtus ſit fons gratiæ,iuxta illud:Lex per Moſen data eſt, gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum,quem aduenisſe teſtatur Baptiſmus:& Paulus dicat:Quotquot baptizati ſunt,Chriſtum induerũt:meritò Baptiſmus teſtimonium gratiæ dicitur,cum exhibitæ,tum applicatæ.

Eſt Symbolum rerum arcanarum & ſpiritualium.

36 Secundo,propoſuimus Baptiſmum eſſe Symbolum rerum arcanarum & ſpiritualium. Symbolum dicimus propter comparationem rerum viſibilium & ſignatarum. Eſt enim Baptiſmus Symbolum quatuor rerum maximarum,videlicet,hiſtoriæ, gratiæ,doni & conformitatis. Sed hæc clarius repetenda ſunt.

Hiſtoriæ.

37 Baptiſmus eſt Symbolum hiſtoriæ,videlicet Chriſti.Pingitur enim in eo mors, ſepultura & reſurrectio Chriſti. Nam merſio in aquam,mortem figurat:mora ſub aquis,ſepulturam adumbrat : Extractio de aquis,reſurrectionem repręſentat : ſicuti Paulus Rom.6.clariſſimè docet.

Gratiæ.

38 Baptiſmus eſt Symbolum gratiæ, vt qui teſtetur eos qui baptizãtur, virtute mortis, ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti ablui à peccato, inſeri Chriſto, regenerari & in communionem corporis Chriſti recipi.

39 Nã quod per Baptiſmum mundemur à peccatis,inſeramur Chriſto, & recipiamur in communionem corporis Chriſti,hoc eſt Eccleſiæ:fit beneficio corporis Chriſti quo induimur, & ſanguinis quo abluimur.

40 Siquidem Chriſtus in Baptiſmo ſit baptizatis emundãtio,tegumentum & caput,quã ob cauſſam ipſe baptizari voluit, vt ſignificaret baptizatos illi inſeri,ſanguine eius ablui, & omnes baptizatos vnum corpus myſticum vnius capitis Chriſti fieri iuxta illud: per vnum Spiritum nos omnes in vnum corpus baptizati ſumus.1.Cor.12.13.

Donorum Chriſti.

41 Eſt præterea Baptiſmus Symbolum Domini. Nam teſtatur de virtute mortis,ſepulturæ,& reſurrectionis Domini in nobis.

42 Quod enim morimur peccato, virtute mortis Chriſti fit:quod reluctamur peccato, vt quieſcat, & Spiritus imperium non excutiat,efficacia ſepulturæ Chriſti fit. Quod autem de peccati ſepulchro in nouam vitam reſurgimus, id quoque in efficacitate reſurrectionis Chriſti in nobis.

43 Hoc clare Paulus docet cum ait Rom. 6.3. An neſcitis quod quicũque baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum,in mortem eius baptizati ſumus? Conſepulti ergo ſumus per Baptiſmum in mortem, vt quemadmodum excitatus eſt Chriſtus ex mortuis per gloriam Patris:ita & nos in nouitate vitę ambulemus.Nam ſi inſiti ſumus ſimilitudini mortis eius, etiam reſurrectionis erimus,&c.

Cõformitatis.

44 Eſt præterea, vt propoſuimus, Baptiſmus Symbolum conformitatis. Teſtatur enim nos debere conformes fieri imagini filij Dei,cum in morte & ſepultura,tum etiam in reſurrectione.

45 Admonebit igitur nos Baptiſmus crucis ferendæ in hac vita cum Chriſto,item, mortis corporalis & reſurrectionis.

46 Nam ſi Chriſtus qui caput eſt, per mortem introiuit in gloriam:nos profectò qui eius membra ſumus,non poterimus alia via ad gloriam beatitudinis peruenire.

47 Quotieſcunque ergo premimur cruce,reuocemus in memoriam Baptiſmum noſtrum, qui nos cruci ſubiectos fore ſignificat : non ita tamen vt ſub cruce perpetuò proſtrati iaceamus,ſed vt cũ Chriſto tandem ad gloriam beatitudinis perueniamus,iuxta illud:Compatimur,vt vnà cum eo regnemus. 2. Timoth.2.11.

Eſt nota profeſsionis Chriſtianiſmi.

48 Poſtremò, propoſuimus Baptiſmũ eſſe externam teſſeram, hoc eſt,notam profeſſionis Chriſtianiſmi,& veluti σύνθημα quoddam militare, quo Chriſti milites à Satanę mancipiis diſcernantur:modo Baptiſmum non deſtituatur ſua ſpirituali ſignificatione.

De vſu & meditatione Baptiſmi.

49 Hinc clariſſimè colligitur vſus Baptiſmi & eius ſalutaris meditatio:de quo Petrus 1.Petr.3.21.ſic ſcribit:Baptiſmus eſt bonæ conſcientiæ ſtipulatio cũ Deo per reſurrectionem Ieſu Chriſti.

50 His verbis ſignificat Petrus Baptiſmum eſſe mutuam pactionem Dei & conſcientiæ hominis. Dei quidem promittentis & offerentis gratuitam ſalutem propter Filium : conſcientiæ verò reſpondentis,id eſt, accipientis fide promiſſam & oblatam gratiam.

51 Verùm in hac mutua pactione plura concurrunt. Nam vt ex parte Dei paciſcentis,doctrinam & conſolationem habemus:ita ex parte noſtri, admonitionem capiemus.

52 Ex pacto Dei colligit fides,1.quod Deus placatus ſit per Filium. 2. quod Chriſti beneficia & merita donentur ritè baptizatis. 3. quod baptizati in filios ſint adoptati. 4. quod Pater velit nos ſuo Spiritu regere. 5. quod velit nos eripere è morte æterna & donare vita æterna.

53 Pactione hominis admonemur de obligatione,de ſpe,de glorificatione,de pœnitentia, mortificatione & cruce,& de reſurrectione ad æternam vitam & gloriam immortalem.

XXXVI.

COENA DOMINI.

Quid ſit.

1 COENA Domini(alterum ſignum gratiæ in nouo Teſtamento) in qua panis & vinum Symbola corporis & ſanguinis Domini diſtribuun-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tur, eſt Sacramentum noſtræ per victimam Chriſti redemtionis.

2 Seu, Cœna Domini eſt obſignaculum promiſſionis Euangelij, videlicet quo Deus obſignat credentibus omnia beneficia, quæ Filius ipſius meruit nobis obedientia ſua, traditione corporis & effuſione ſanguinis ſui. Ideo dicitur in inſtitutione: Hoc eſt corpus meum, quod traditur pro vobis: Hic eſt ſanguis meus, qui effunditur pro multis, &c. Hic calix eſt nouum Teſtamentũ in ſanguine meo. Mat. 26. 1. Cor. 11.

3 Promiſſio ergo quæ obſignatur credentibus hoc Sacramento, non eſt particularis alicuius gratię, ſed omnium beneficiorum Chriſti.

Signi & rei ſignatæ diſtinctio.

4 Diſtinguendum eſt autem accurate vt in omnibus Sacramentis: ita etiam in hoc, inter ceremoniam ſeu ritum externum cui Sacramenti nomen tribuitur, & rem promiſſam in Euangelio, quæ hoc Sacramento obſignatur legitimè vtentibus.

5 Ritus ipſe ſeu externum ſignum ſentitur, ſignificat, obſignat, ſignatum, hoc eſt, promiſſio creditur, ſignificatur, obſignatur.

6 Promiſſio ipſa, id eſt, res ſignata ſæpiſſime in Scripturis alia atque alia verborum forma proponitur. Semen mulieris conteret caput Serpentis: Benedicentur in ſemine tuo omnes cognationes terræ: Beati qui confidunt in eo: Qui credit in Filium, habet vitam æternam: Chriſtus eſt natus à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemtio, &c. Omnes huiuſmodi ſententiæ vbicunque leguntur, de re ſignata loquuntur.

7 Ioannis 6. Manducatione carnis Chriſti, & potatione ſanguinis ipſius pingitur ſumma promiſſionis Euangelij: vt qualis ſit fides, qua percipimus promiſſa bona, & quæ ſit eius vis in corde, ad erigẽdum hominem luctantem cum peccato, mundo, Diabolo intelligatur.

8 Atque ſanè eandem ob cauſſam Chriſtus Sacramentum promiſſionis Euangelij ſub ſignis panis & vini inſtituit: videlicet vt ex comparatione effectuum, vis fidei ſentiretur, qua promiſſa bona apprehendimus, retinemus, poſſidemus.

Analogia ſignorum ad rem ſignatam.

9 Vt enim panis & vinum hominem fame quodammodo proſtratum, & de vita periclitantem rurſus erigunt, fouent, confortant, viuificant, atque adeo refectum exhilarant: ita fiducia Chriſti tradẽtis corpus ſuum, & effundentis ſanguinem ſuum pro nobis in remiſſionem peccatorum, nos proſtratos à Diabolo ac veluti mortuos in peccatis, rurſus erigit, à morte liberat, fouet, confortat, viuificat, non ad caducam, ſed ad æternam vitam: vnde cor ſupra modum in tanti boni fruitione exhilaratur. Hinc intelligi poteſt, cur apud Ioannem comedere carnem Chriſti bibereque eius ſanguinem, & in Chriſtum credere, pro eodem ponantur: & cur Auguſtinus dicat: *Crede & manducaſti.*

Locus ex 6. cap. Ioannis quomodo Cœnæ applicatur.

10 Atque ex hoc eſt, quod Patres ſępe cum agũt de Cœna Domini, proferant dicta ex ſexto capite Ioannis: nõ quod exiſtiment Dominum illic locutũ eſſe de Cœna: ſed quia in legitimo vſu Cœnæ, fides rei promiſſæ, ſub manducationis & potationis nominibus, illic à Domino exprimitur: cuius promiſſionis Cœna pignus eſt.

Regula.

11 Eſt autem ſemper tenẽda regula: omnis promiſſio fide accipitur. Vt ergo ſenſu ſignum ſumitur ita promiſſio fide accipitur, retinetur, poſſidetur.

Finis Cœnæ.

12 Iam tenemus proprium finem Cœnę Domini qui eſt obſignatio promiſſionis Euangelij, qua fides confirmatur. Verum vt meditatio & vſus huius Cœnæ nobis dulcior euadat, altius repetemus, & diſtinctius de vſu legitimo & fine inſtitutionis dicemus.

13. Primùm ergo, Cœna Domini eſt Sacramentum inſtitutum, in memoriam corporis Chriſti traditi pro nobis, & ſanguinis ipſius effuſi pro multis in remiſſionem peccatorũ iuxta dictum Domini: Hoc eſt corpus meum traditum pro vobis: Hic eſt ſanguis meus, qui effunditur pro multis in remiſſionem peccatorum.

14 Secundò, Cœna Domini eſt Sacramentum incorporationis noſtri in corpus Chriſti. Ita enim Paulus ait: Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Chriſti eſt? Calix cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? Atque hoc eſt quod habet promiſſio, Ioan. 6. Qui manducat carnem meam in me manet, & ego in eo.

15 Ad hanc incorporationem & manſionem in corpore Chriſti, non requiritur applicatio corporũ phyſica, ſed ſpiritualis copulatio per fidem, vt Chriſtus exponit, & ratio Sacramentalis poſtulat.

16 Tertiò, Cœna Domini eſt Sacramentum educationis noſtri ſpiritualis in corpore Chriſti. Vt enim per Baptiſmum abluimur ſanguine Chriſti: ita in Cœna abluti & regenerati, corpore & ſanguine Domini alimur.

Modi manducationis.

17 Hic rurſus cauendum, ne carnaliter ſapiamus cum Capernaitis. Diſtinguantur ergo manducationis modi. Eſt enim alia manducatio Sacramentalis tantum, alia ſpiritualis tantum, alia ſpiritualis & Sacramentalis ſimul, quam requirit inſtitutio Chriſti, hoc eſt, legitimus Cœnæ vſus.

18 Sacramentalis manducatio & potatio eſt externa & ſenſibilis manducatio panis, & potatio vini: cui ex ordinatione diuina, ſpiritualis manducatio & potatio quæ ſola fide fit, reſpondet. Nam illa huius Symbolum eſt.

19 Verum vt externa illa ceremonialis, poteſt eſſe ſine ſpirituali: ita ſpiritualis, ſine externa quemadmodum perſpicue docet Auguſtinus, de ciuitate Dei lib. 21. cap. 25.

20 Carnalem manducationem, qualem ſomniauerunt Capernaitæ & quidam cum illis, ipſe Dominus Ioannis 6. duobus refutat argumentis: Quorum prius à ſigno, poſterius ab vſu petitur.

21 A ſigno: Quid ſi videritis filium hominis aſcendere vbi erat prius? ſignificans (vt Athanaſius recte intelligit) aſcenſionem, & carnalem manducationem carnis Chriſti, non poſſe ſimul conſiſtere.

22 Ab vſu: Spiritus viuificat, caro non prodeſt quicquam, hoc eſt (vt ipſe contextus conuincit) manducatio carnalis eſt inutilis: Spiritualis autem viuificat.

Modus præſentiæ corporis Chriſti.

23 Quid? Adeſtne ergo corpus Domini pro nobis traditũ, & ſanguis ipſius pro nobis effuſus, verè & ſubſtantialiter in Cœna? Adeſt quidem, non ratione loci. Nam ſi locum ſpectes, corpus Chriſti in cœlo eſt περίγραπτον: ſed ratione fidei hominis legitimè vtentis ſacra Chriſti Cœna. Hæc enim fides coniungens nos cum filio Dei, facit vt multo arctius carni & ſanguini Chriſti mediante λόγῳ iungamur, quam iungimur pani quem comedimus, & vino quod bibimus. Ea eſt enim vis fidei, vt iungat remotiſſima: idque arctiſſimè. Vbi autem fides non adeſt, nulla fit coniunctio niſi Sacramentalis tantùm, quæ cedit vtenti in iudicium.

24 Nec cum his pugnat, quod Paulus affirmat reos fieri corporis & ſanguinis Domini, qui indigne manducant hunc panem, & bibunt hunc calicem.

25 Nam eadem eſt ratio de indigne audientibus verbum, & indigne ſumẽtibus Baptiſmum. Qui enim

enim audit verbum Dei indignè, reus fit verbi Dei. Siquidem, Qui non crediderit, condemnabitur.

26 De Baptiſmo hæc ſunt Auguſtini verba: *Sicut qui manducat corpus & bibit ſanguinem Domini indigne, iudicium ſibi manducat & bibit. Sic qui accipit indigne Baptiſma, iudicium accipit, non ſalutem.* Cum Auguſtinus hic nominat corpus & ſanguinem Domini, loquitur Sacramentaliter, tribuẽs ſigno nomẽ rei.

Fructus vnionis noſtræ cum Chriſto.

27 Quartò, Cœna Domini eſt Sacramentum & pignus noui Teſtamenti, id eſt, promiſſionis remiſſionis peccatorum, videlicet quod Deus hoc Sacramento tanquam ſigillo obſignet, quod velit propitius eſſe, & remittere peccata credentibus. Ideo in verbis inſtitutionis dicitur: Hic calix eſt nouũ Teſtamentum in meo ſanguine, id eſt, hic calix eſt pignus & ſigillum promiſſionis de remiſſione peccatorum.

28 Quintò, Cœna Domini eſt Sacramentum coniunctionis communicantium inter ſe, tanquam membrorũ eiuſdem corporis, cuius caput eſt Chriſtus. Sicut vnus panis, ita multi vnum corpus ſumus. Hinc mutua dilectio manat.

29 Sextò, Cœna Domini & pignus & teſtificatio de reſurrectione noſtri per virtutem reſuſcitati Chriſti, cuius membra ſumus.

30 Nam ad hunc ſcopum omnia ſuperiora pertinent. Ideo Dominus ait: Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, ego ſuſcitabo eum in nouiſſimo die.

Modus probationis.

31 Porro, quoniam Paulus requirit probationẽ eius qui velit Dominica Cœna vti: modum probationis inquiramus.

32 Paulus 2. Cor. 13. 5. de probatione ſic ait: Vos ipſos tentate, an ſitis in fide, an non cognoſcitis vos ipſos, quod Ieſus Chriſtus in vobis eſt, niſi ſicubi reprobi eſtis?

33 Hæc antitheſis, qua reprobi & probati opponuntur, illuſtris eſt. Vt enim probatos dicit eos, qui in fide ſunt, & Chriſtum habitantem in ſe ſentiunt: ita reprobos eos ſtatuit, qui fide carent, & Chriſtum in ſe habitantem non ſentiunt.

34 Quare iuſta probatio & examen in hoc conſiſtit, vt vere ſentiatur fides, & Chriſti præſentia in nobis: idque ex virtute ſpiritus eius, nos ad pietatis ſtudium excitantis.

35 Quicunque ergo hanc ſacram Cœnam dignè vult percipere, exploret apud ſeſe, an vera pœnitentia ſentiatur: experiatur, an ſtatuat victimam Chriſti ſatiſfactionem eſſe pro peccatis totius mundi: examinet ſe, an in hunc ſatisfactorem viua fiducia recumbat, excutiat, num ſentiat Chriſtum in ſe habitantem & oſtendentem ſuam præſentiam, ex ſpiritus ſua efficacia: videat, an firmum propoſitum habeat peccatum poſthac vitandi, ac Deo totam ſuam vitam approbandi.

Confeſſionis papiſticæ refutatio.

36 Vanum eſt figmentum Papiſtarum: qui, tanquam neceſſariam ad hanc probationem, requirunt confeſſionem quam vocant auricularem.

37 Nam ſi ea neceſſariò requireretur ad probationem, quæ vſum Cœnæ præcedit, Paulus non diceret: Probet ſeipſum homo: ſed potius, Probetur per alium: nec Apoſtoli & eorum ſucceſſores, multis annis eam neglexiſſent.

38 Neque tamen repudio pædagogicam illam confeſſionem, quæ in noſtris Eccleſiis eſt vſitata: præſertim cum habeat ſuum vſum in rudioribus informandis.

Vera confeſſio.

39 De vera autem confeſſione & neceſſaria ex verbo Dei ſic ſentiẽdũ eſt. Si adeſt pœnitẽtia & vera fides, non opus eſt alio confeſſionis genere, quàm quo ſancti homines Dei, Patriarchæ, Prophetæ, Reges, Abraham, Dauid, Daniel, &c. veniam de maximis ſceleribus impetrarunt à Deo, qui ſolus peccata condonare & delere poteſt.

40 Quantum autem ad publicam confeſſionẽ attinet, quæ fit ab iis, qui Eccleſiam aliquo ſcandalo offenderunt, regulam à Domino preſcriptam, & exemplum Pauli, congruẽs cum regula, ſequi oportet.

41 Verùm hoc diligenter & prudenter moderatores diſciplinæ cogitent, vt faciat ad ædificationem, non ad deſtructionem.

XXVI.

APPENDIX DE COENA.

Chriſti in inſtitutione Sacramentorum cõſilium.

1 QVoniam alibi à nobis & ſepe de ſacra Chriſti Cœna ſcriptum eſt, nolo hîc proxilior eſſe: ſed ſolummodo dicam de Chriſti conſilio, inſtituentis hanc Cœnam, & de legitimo Cœnæ vſu.

2 Chriſtus veteribus Sacramentis, quibus preter obſignationem gratiæ, ipſius aduentus in carnem & mors adumbratur, finem imponens, noua inſtituit Sacramenta, quibus præter obſignationem gratiæ, ipſe exhibitus eſſe ſignificatur. Atque hoc diſcrimen in vniuerſum tenendum eſt, inter Sacramenta vetera & noua.

3 Sunt autem Sacramenta exhibiti Chriſti, Baptiſmus & Cœna Domini illo inauguramur corpori Chriſti & regeneramur: hac alimur, noui homines effecti. Vtrunque ſignum gratiæ eſt, & ſignaculum fauoris Dei erga legitimè vtentes.

Signis cur rerum ſignatarum nomina tribuuntur.

4 Verum ſi de modo prædicandi quæritur, ex ſcriptura diſcendus eſt. Externo ſigno, quod Sacramentum dicitur, tribuit Scriptura nomen rei quæ Sacramento ſignificatur & obſignatur: idque eo conſilio, vt finis & vſus inſtituti Sacramenti intelligatur.

5 Circumciſio Gen. 17. 9. 11. dicitur fœdus. Verùm ne quis hic hæreret in re externa, ſeu in opere operato (vt loquuntur) tanquam res externa, ſeu opus operatum per ſe fœdus eſſet, mox Dominus in eodem capite ſe interpretatur, & dicit circumciſionem ſignum fœderis eſſe.

De Sacramentalib. prædicationibus.

6 Quoties ergo res diuinitus ordinata dicitur fœdus, ſciendum eſt, quod perinde ſit ac ſi diceretur, eſt ſignum fœderis.

7 Verùm quia ſignorum non eadem eſt ratio, Paulus ad Rom. 4. 11. σφραγῖδα interpretatur, hoc eſt ſignum obſignans rem promiſſam, ſeu ſignaculum quo res promiſſa ex pacto mutuo inter Deum & hominem obſignatur. Vt Circumciſio eſt σφραγὶς iuſtitiæ fidei, Hoc eſt, Circumciſio eſt obſignaculũ Dei, videlicet quo Deus obſignat credenti iuſtitiam.

8 Hinc catholica regula ſumenda eſt: Omne Sacramentum eſt σφραγὶς, id eſt, ſignaculum Dei, quo res promiſſa legitimè Sacramento vtẽti obſignatur.

Applicatio ad Baptiſmum & Cœnã.

9 Cum ergo dicitur: Baptiſmus eſt lauacrum regenerationis, ſenſus eſt, Baptiſmus eſt σφραγὶς, id eſt, obſignaculum, quo Deus teſtatur legitimè vtentem Baptiſmo regenerari, eique regenerationis gratiam obſignari.

10 Similiter cum dicitur Panis eſt corpus Chriſti, vinum eſt ſanguis Chriſti: ſenſus eſt, Panis eſt obſignaculum corporis Chriſti traditi pro nobis. Vinum eſt obſignaculum ſanguinis Chriſti effuſi pro multis.

11. Hoc expreſſius dicitur cum Dominus ait: Hic calix eſt nouum Teſtamẽtum in meo ſanguine, hoc eſt, Deo ipſo interprete, hoc vinum eſt ſignũ & σφραγὶς noui Teſtamenti, videlicet, quo Deus obſignat legitimè vtenti ſuum fœdus de remiſſione peccato-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

rum,propter meritum effuſi ſanguinis.

12 Et Paulus 1.Cor.10.16.dicit panem eſſe κοινωνίαν corporis Chriſti,& calicem eſſe κοινωνίαν ſanguinis Chriſti,hoc eſt, vt ipſe contextus conuincit:Panis eſt ſignum & obſignaculum,quod legitimè vtentes ſacra Chriſti Cœna iungantur toti Chriſto:idque pane quidem ſacramentaliter, ſpiritu vero Chriſti efficaciter:quo ſpiritu ſanctiſſime Chriſti humanitati iungimur.

Coniunctio cum Chriſto qualis.

13 Quod autẽ hæc coniunctio ſit ſpiritualis,quæ figuratur ceremoniali manducatione & potatione, modus ipſe copulationis oſtendit.

14 Nam vt Chriſto capiti iungimur non niſi Chriſti ſpiritu : ita etiam inter nos κοινωνοὶ efficimur eodem Spiritu, cuius conſociationis vnus panis ex multis granis conſtans,Symbolũ eſt & teſtimoniũ.

15 Verùm quia prima & principalis copula fit cũ Chriſto capite,recte fit in noſtris Eccleſiis, quod etiam ſingulis ægrotantibus & petentibus porrigatur ſacra Chriſti Cœna,vt morituris obſignetur vita æterna in Chriſto promiſſa. Hæc plana & vera ſunt, extructa ex ſolido verbo Dei.

16 Hinc iam extruamus claram & perſpicuam definitionem Sacramenti Cœnæ Dominicæ,quæ faciat ad ædificationem conſcientiarum.

Cœnæ definitio.

17 Cœna Domini eſt σφραγὶς,id eſt, obſignaculum,quo Filius Dei legitime vtentibus hac Cœna, obſignat omnia beneficia, quæ nobis meruit ſua obedientia,traditione corporis in mortem, & effuſione ſanguinis ſui.

Legitimè vtentes.

18 Legitimè vtentes ſunt,qui fidem in promiſſionem afferunt.Sine enim fide promiſſio nec accipitur nec obſignatur,iuxta regulam:Omnis promiſſio fide accipitur.

Mutuum pactum.

19 Hinc ſequitur pactionem duplicem in ſacræ Cœnę vſu requiri.Vnam,à parte Filij Dei.Alteram, à parte hominis legitime vtentis Sacramento.Filius Dei promittit remiſſionem peccatorum legitimè vtenti, cum qua remiſſione omnia beneficia Euangelij coniuncta ſunt.Homo viciſſim fide in promiſſionem recumbit,obligat ſe ad perſeuerantiam, in fide & bona conſcientia.

Regula de Sacramentis.

20 Huius mutuæ pactionis & dulciſſimi fœderis,σφραγὶς, hoc eſt, obſignaculum, eſt ſacra Chriſti Cœna,de qua Cœna , regula in omni Sacramento obſeruanda,tenenda eſt. Nihil habet rationem Sacramenti extra vſum diuinitus ordinatum , qui vſus in actione legitima cernitur.

Vſus.

21 [1] Porro vſus requirit cogitationem & meditationem:videlicet,cur Chriſtus ſit pro nobis mortuus,cur effuderit ſanguinem,& quid requirat ab vtentibus.

22 In hac enim cogitatione ſentitur vis fidei, & intelligitur cur promiſſio Euãgelij & fides,qua promiſſio accipitur,manducatio carnis Chriſti,& potatio ſanguinis ipſius,dicuntur.

23 Nam vt homo fame corporali & ſiti corporali preſſus,mortis periculo proximus eſt,ſed recreatur rurſus, colligit vires & exhilaratur eſu panis & potu vini:ita hominis anima proſtrata & victa fame ſpirituali,& ſiti ſpirituali:vt mortis æternę periculo ſubiaceat, erigitur rurſus, roboratur & exhilaratur fiducia Chriſti, qui tradidit corpus ſuum, & effudit ſanguinem ſuum pro nobis, in remiſſionem peccatorum.

24 Hæc fides vſu Cœnæ confirmatur. Ideo ab Auguſtino recte dictum eſt : Crede & manducaſti.

25 Ceremonialis enim manducatio, Spiritualis eſt obſignatio,in legitime vtentibus ceremonia.

26 Cum hoc principali fine,qui eſt obſignatio gratiæ(qua obſignatione fides confirmatur) plures ſunt coniuncti, vt Inſertio legitime vtentis in corpus Chriſti:Conſociatio ſpiritualis communicantiũ ſimul:Obligatio vtentis legitime ad fidem & bonã cõſcientiam:Teſtimoniũ confeſſionis publicum:Teſtificatio conſenſionis in tota doctrina & cultu:Teſſera ſeiunctionis à caſtris Satanę, & ab omnibus ſectis alienis à Chriſti vera agnitione.

Fines.

27 Hac breui explicatione contenti ſimus,maneamus in Chriſto,vt in nobis maneat,abſtineamus ab inutilibus diſputationibus,quibus hominum animi auocantur à vero Cœnæ vſu, atque ita dulciſſimi huius fœderis non ſolum fructum amittunt,verumetiam ſibi accerſunt iudicium,propter abuſum tanti Sacramenti.

Pia admonitio.

XXXVII.

MISSA PAPISTICA.

1 IN idolo Papiſtico,quod miſſam vocant,pluri mæ & horrendæ ſunt abominationes, quæ ſuperant omnium temporum idolomanias.Quare qui pius eſſe vult,non minus iſtud idolum fugiet, quam antiquum ſerpentem, qui primos noſtros parentes ſeduxit.

Idoli papiſtici abominationes.

2 Sunt enim in miſſa Papiſtica, præter multa alia,Vanitas,Superſtitio,Turpis quæſtus, Sacrilegiũ, Magica incãtatio,Blaſphemia,Idololatria,Seductio, Fucus meretricius.

3 Vanitas eſt,quod fingunt miſſam cultum Dei, eumque præcipuum in Eccleſia, contra manifeſtam Scripturam:Fruſtra colunt me mandatis hominum.

1 Vanitas.

4 In omni cultu Dei,neceſſariò tria concurrũt, videlicet opus mandatum,fides agentis,& finis proprius,quæ omnia in miſſa Papiſtica deſiderantur.

5 Nam nec mandatum Dei,quod omnis diuini cultus fundamentum eſt,proferre poſſunt, nec fides ibi eſſe poteſt. Eſt enim ex verbo. Quare cum verbum non habent,nec fides adeſt, quæ ſola directrix operis eſt in propriumcultus Dei finem,qui eſt gloria Dei.

6 Superſtitio eſt in geſticulationibus, ſaltationibus,hiſtrionicis veſtibus,expanſione brachiorum, incuruationibus,& in multis aliis nugis,quas omnes recitare longum foret.

2 Superſtitio.

7 Turpis quæſtus eſt, quod proſtituant ſuam miſſam tanquam meretricem,pro pecunia, & promittunt emtoribus quicquid poſtulant, nautis felicem nauigationem,virginibus maritos, meretricibus amatores, militibus victoriam, parturientibus partum facilẽ.Breuiter,nihil eſt quod non promittant Papales ſacrifici,pecuniam numerantibus,adeo vt ex hoc quæſtu,infinitos theſauros,fundos,poſſeſſiones,regna collegerint.Quare nõ mirum eſt quod Papa ſuum iſtud idolum, gladio & igni tueri conatur,fideliſſimus toparcha Satanæ.

3 Turpis quæſtus.

8 Sacrilegium eſt,quod Papiſtæ cœnam, quam Dominus voluit perpetuum ſuæ voluntatis teſtimonium eſſe,& teſtamentum inuiolabile,mutilent,ſublato vſu ſacri calicis.

4 Sacrilegium.

9 Quid dico de calice ſublato?imo totam Cœnam aboleuerunt, abolita communicatione. Nam cum vnus ſeorſum ſuum epulum habeat, quid aliud eſt quam Cœnam in aliam formã conuertere? Quid quæſo hoc aliud eſt,quam ſi quis ſeipſum Baptiſmate ſubinde abſueret?quo profecto nullum fœdius cogitari poteſt ſacrilegium.

10 Magica incãtatio eſt,quod Papiſtæ ſe gloriẽtur quinque verbis poſſe Chriſtum de cœlo deducere.

5 Magica incantatio.

cere.Nam verba quę vocant conſecrationis,quinque dicunt eſſe,videlicet:Hoc eſt enim corpus meum.Enim addunt, vt ſit numerus impar,& hoc pronuntiat ſacrificus inſlando crucem in panem, vt magia ſit efficacior.

11 An non iſta magis conueniant nefandis gentium ſacris,quam Chriſti inſtituto? Iuſtinus Martyr refert ſimilem ritum ſeruatum fuiſſe olim, in ſacris Solis(quem μύθραν ſacerdotes ipſius vocarũt)in quibus vſus panis & aquæ fuit,ſed nulla vox à ſpectatorib.audiebatur,niſi hæc,ἢ ἐπίστασθε, ἢ μαθεῖν δύνασθε. An non ab his Solis Sacerdotibus videtur Papiſtæ ſuum miſſandi ritum didiciſſe?

6. Blaſphemia.

12 Blaſphemia horrenda in Filium Dei eſt,quod fingant miſſam ſuam ſacrificium eſſe, quo illorum peccata expiantur, qui miſſas illas pro ſe celebrari curauerint.

13 An non hoc eſt conculcare pedibus ſanguinẽ Chriſti? An non hoc eſt miſerum Sacrificium in locum Chriſti,imò ſupra Chriſtum extollere?Quid eſt profanare paſsionem Chriſti,ſi hoc non eſt?

14 Hoc ſuum ſacrificium non tantùm valere pro viuorum peccatis expiandis contendunt, verumetiã pro mortuorũ. Hinc illa magnifica palatia Papiſtarum,hinc cœnobia ſplendore ſuperantia aulas Imperatorum,hinc firmitas regni pontificij. Quæris certiorem notam Antichriſti?

15 Huic blaſphemo errori refragatur tota Scriptura.Nam ſi verum eſt,Chriſtum eſſe ſemen mulieris,conterens caput ſerpentis:Si verum eſt, Chriſtũ eſſe agnũ tollentem peccatum mundi : Si verum eſt,Chriſtum,vna oblatione ſemel tantum facta,cõſummaſſe in æternum ſanctificandos:Breuiter ſi verum eſt,Chriſtum eſſe vnicum Mediatorẽ inter Deũ & homines, profectò diabolicum mendacium eſt quod Papiſtæ fingunt, ſuam miſſam eſſe ſacrificium pro viuis & mortuis.

16 Iam vero quia Scriptura ſolui non poteſt,nõ habet micam veritatis Euangelicæ in ſe, qui iſtud Papiſticum figmentum non vidit continere deteſtãdam,in Chriſtum vnicum Mediatorem noſtrum, blaſphemiam.

7. Idololatria.

17 Idololatria horrenda admiſcetur in iſto ſacro pontificio. Nã ne quid impietatis præteriiſſe videãtur,non ſolùm Sanctos inuocãt,verumetiam ipſum panem, poſtquam illum magica incantatione intoxicauerunt,adorandũproſtituũt.Leuant enim ipſum in altum,vt circumſtantes illum vt Deum adorent.

18 Non hac idolomania pluſquam ethnica ſunt contenti,ſed reponunt panem intra cancellos,accendunt coram eo candelas,iubẽt eum adorari, circumferunt ſæpe in monſtrantiis,vt vocant,vt adoretur.

19 Si hæc non eſt idololatria deteſtanda, nulla vnquam fuit in mundo.Nam hęc facilè ſuperat alias impietate,& omnis generis abominatione.

8. Seductio.

20 Seductio eſt maxima & nocentiſſima, quod iſta miſſa Papiſtica,ad miſeros homines carnali fiducia inebriandos aptetur:adeo vt miſeri homines hoc amuleto putent ſe expellere omnes noxas, ídque ſine fide & pœnitentia.Quinetiam ter ſtulti homines auditu miſſæ,ſeu potius inſpectione hiſtrionicæ ſaltationis,armari ſe putant, & aduerſus Deum, tanquam tuto præſidio muniti,multo licentius peccare audent,& obſtinatiores redduntur.

9. Fucus meretricius.

21 Fucus meretricius eſt,quo pingunt ſuã miſſam,ne appareat eius turpitudo.Adhibent ſacras lectiones,preces Græcas,exhortationes Hebræas,gratiarũ actiones Latinas,quæ omnia per ſe ſunt bona.

22 Verùm res ipſa aliter ſe non habet quam cũ Thaide,quę vt amatores habeat,faciem pingit fuco, collum auro ornat,veſtibus ſplendidis ſe induit : nihilominus tamen eſt fœdiſſima meretrix, pernicies eorum qui ipſius amplexus amauerint.

XXXVIII.

ADIAPHORA.

Definitio nominis.

1 QVæ Baſilius τὰ ἐν ἐξουσίᾳ καὶ μέσα, Nazianzenus τὰ ἐν μέσῳ κείμενα, ea Chryſoſtomus ſcribens in Epiſtolam ad Romanos λόγῳ, ἀδιάφορα nominat, quo nomine nunc Doctores Eccleſiæ vtuntur in certo operum & actionum genere.

2 Et vocant ἀδιάφορον tertium genus operum. Nam cum tria ſint operum genera, videlicet mandata,prohibita, & quæ nec mandata nec prohibita ſunt.Huic tertio generi nomen ἀδιάφορον tribuerũt.

Definitio rei.

3 Eſt ergo ἀδιάφορον opus,ſeu res,ſeu actio, quæ nec mandatur,nec prohibetur,neque expreſſe, neque implicite vllo verbo Dei.

Diſtinctiones tenendæ.

4 De adiaphoris ſequentes diſtinctiones tenendæ ſunt,ne quis error in eorum vſu committatur.

5 Genus operis in ſpecie non expreſſe præcepti vel prohibiti,aut eſt præceptum aut prohibitum. Si genus præceptum eſt,opus ἀδιάφορον cenſebitur:at ſi genus prohibitum eſt,nequaquam opus medium & indifferens dicetur.

Exemplũ primum.

6 Vetitum eſt in genere, ne quis colat Deum mandatis hominum : ergo miſſa quæ ſub vetito genere continetur,non eſt in adiaphoris ponenda. Nã in genere eſt prohibita.

Secundũ.

7 Hoc genus:Decorum in Eccleſia ſeruandum eſt.Sed circunſtantiæ loci,temporis,veſtitus,ſunt liberæ & indifferentes.

Tertium.

8 Diſcernendum eſt inter libertatem & vſum adiaphororum Eccleſię.Natura & per ſe liberum eſt ne pallio ſacro Cœnam celebrare:Sed propter ordinationem Eccleſiæ non eſt vſus liber.

Ratio.

9 Qui enim violat Eccleſiaſticam politiam peccat multis modis. Primum enim reus fit violati ordinis in Eccleſia. Deinde autoritatem magiſtratus contemnit. Tum infirmorum conſcientias vulnerat. Poſtremo nocet exemplo,& charitatem erga fratres violat.

Vſus priuatus rerum indifferentium.

10 Quantum ad rerum indifferentium vſum priuatum attinet, Paulus diſcernit inter fidem & factũ. Fidem probat Paulus; Exempli cauſſa, vt ſi quis credit ſibi licere veſci quolibet cibo.Factũ improbat,ſi fiat cum offendiculo infirmorum. Omnia, inquit, munda mundis,ſed malum eſt homini, qui per offendiculum veſcitur.

Duplex earũ conſideratio.

11 Præterea adiaphora conſideranda ſunt dupliciter.Primum in ſe vt ſunt res mediæ. Deinde ex ratione perſonarum,quæ illis vtuntur.

12 Si per ſe conſiderantur, neque placent, neq; diſplicent Deo. : vt cantare in choro,aut quodlibet aliud opus medium facere:vt ieiunare,&c.

13 Verum ſi ex qualitate perſonarum conſiderantur,magnum eſt diſcrimen.

14 Si perſonæ vtentes adiaphoris ſunt fideles, placet vſus adiaphororum Deo,non vt cultus per ſe, ſed propter aliud.

15 At ſi vtentes adiaphoris ſunt infideles,quoniã illorum mens & conſcientia eſt polluta, non poteſt adiaphororum vſus Deo placere.

Regula de adiaphoris.

16 Breuiter, fides & charitas ſolæ moderantur vſum rerum indifferentium. Nam vt fides nouit,quid liceat:ita charitas ſpectat,quid proſit.

17 Has regulas ſi cogitarent quidam,minus turbarent infirmos inutilibus diſputationibus, & magis ſtuderent concordiæ & ædificationi mutuæ.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

XXXIX.

VETVS ET NOVVM Teſtamentum.

Vna & eadem ratio cõſequẽdę ſalutis: & vnicũ perpetuumque Dei teſtamentum.

1 ANte omnia firmiſſimè tenendum eſt, quod omnibus temporibus inde vſque à lapſu primorum parentum eadem fuerit & ſit ratio conſequendæ ſalutis & vitæ æternæ, videlicet per vnicũ Chriſtum, cuius iuſtitię efficiuntur participes, quotquot in ipſum credunt.

2 Quare quantum ad expiationem peccati attinet, vnum eſt fœdus ſeu Teſtamentum Dei perpetuum, quo Deus ſe obligat ad remittendum peccata omnibus, qui ad Chriſtum confugiunt.

3 Etſi autem huius fœderis, ſi verbum hoc ſpectes, nulla facta eſt mentio, antequam Dominus hoc fœdus cum Abrahamo iniit: tamen res ipſæ quæ ad ſubſtantiam huius fœderis pertinent, ſemper Patribus, etiam ante diluuium, notiſſimæ erant.

4 Res voco promiſſionẽ reparationis per Chriſtum, & fidem huius promiſſionis. Nam promiſſio in Deo, & fides in homine, ſunt huius fœderis partes, vt ita dicam, ſubſtantiales.

Confirmatio à conſideratione fœderis cum Abrahamo petita.

5 Pactio inter Deum & Abrahamum hæc fuit: Statuam, ait Dominus, pactum meum inter me & te, interque ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis, fœdere ſempiterno, vt ſim ſcilicet tibi in Deũ, & ſemini tuo poſt te. Geneſ. 17.7.

6 Hic primùm conſideranda eſt materia ſiue fundamentum huius fœderis, quod eſt promiſſum ſemen. Nam quicquid Deus promittit ſalutare, ratũ eſt in Filio qui nos cum Patre reconciliat.

7 Deinde cogitanda eſt bonitas & φιλανθρωπία Dei, qui tantam rationem humanæ fragilitatis habeat, quod ſe velit etiam fœdere obſtringere, vt ſciamus immobile ipſius conſilium eſſe, de fauore ipſius erga nos.

8 Adhæc, perpendenda eſt amplitudo promiſſionis factæ Abrahamo, videlicet, quod ad ſemen Abrahæ ſe extendat, idque in ſempiternum. Verum autem Abrahæ ſemen definit Paulus, Rom. 4.12. Gal. 3.9. eſſe omnes qui inſiſtunt veſtigiis fidei Abrahæ, hoc eſt, qui credunt promiſſioni gratiæ, ſicuti Abraham fecit.

9 Præterea cum hoc fœdus ſempiternum dicitur, ſignificatur quod Deus immortalitatem det ſuis confœderatis. Nam ſi periremus per mortem, nullo modo conſtaret perpetuitas fœderis, cum Deus ſit Deus viuorum, hoc eſt, non ſolum creator & ſuſtentator, ſed etiam ſaluator & donator æternæ vitæ.

10 Quoties igitur huius fœderis fit mẽtio, toties prædicatur immortalitas confœderatorum Dei. Primùm enim ſpiritu, deinde corpore & ſpiritu æternùm viuent.

11 Huic pacto reſpondet fides Abrahæ & ſeminis eius. Nam cum Deus ſe nobis fœdere obſtringit ad dandam ſalutem, ſimul nos obligat ad fidem & nouam obedientiam ex fide præſtandam. Ideo dicit Abrahamo: Ambula coram me & eſto perfectus. Geneſ. 17.1.

12 Vt hoc æternum fœdus Dei cum Eccleſia habet fundamentum & materiam, ſemen promiſſum: ita variis typis olim adumbratum, tandem Chriſti aduentu in mundum completum eſt, & per eiuſdem ſanguinem confirmatum.

Cur igitur veteris & noui teſtamenti ſcriptura meminit.

13 His ita conſtitutis, iure quæritur, cur duorum teſtamentorum Scriptura meminerit, quorum alterum vetus, alterum nouum nominat: præſertim cum ſit extra omne dubium, vnum tantum perpetuum fœdus eſſe, quoad expiationem peccati & æternam hęreditatem attinet.

14 Dominus apud Ieremiam, 31.31.33.34. ita loquitur, Ecce, dies veniẽt, dicit Iehoua, & feriam cum domo Iſrael & cum domo Iuda pactum nouum, nó ſecundum fœdus quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, & educerem eos de terra Ægypti, &c. Sed iſtud eſt fœdus meum quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos: dixit Iehouah. Dabo Legem meam in medio eorum, & in corde eorum inſcribam eam, & ero eis in Deum & ipſi erunt mihi in populum, nec docebũt vltra vnuſquiſque proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum, dicendo: Cognoſcite Iehoua. Omnes enim cognoſcent me à minimo eorum vſque ad maximum eorum, dixit Iehoua. Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius.

15 His Prophetæ verbis ſubiungit Epiſtola ad Hebræos: dum nouum dicit, antiquatur prius. Quod autem antiquatur ac ſeneſcit, prope interitum eſt, Heb. 8.13.

16 Paulus Galat. 4.24. docet Agarem ſeruam montis Sinai, & Saram liberam, figuram fuiſſe cœleſtis Ieruſalem, à qua fluxit Euangelium, additque his notari duo Teſtamenta: Vnum quidem in ſeruitutẽ generans: Alterum vero in libertatem generans. Vt enim vetus Teſtamentũ Agari generanti in ſeruitutem: ita nouum Saræ generanti in libertatem, comparatur.

17 Nonum caput ad Hebręos longam collationem inſtituit veteris & noui Teſtamenti. Et ſumma rerũ huc redit, quod vetus fuerit vmbra noui, quod vt confirmatum eſt morte & ſanguine Chriſti: ita duraturum eſt in perpetuum abolito veteri.

18 Ex his Scripturæ teſtimoniis concluditur, quod vt vetus Teſtamentum ſit promiſſio certæ ſedis & regni politici, cum conditione Legis & ceremoniarum, ad hunc finem ordinata, vt in hoc certo populo naſceretur Meſſias, & conſeruaretur ibi memoria promiſſionis gratiæ, vſque ad aduentũ Meſſię: ita nouum Teſtamentum eſt promiſſio remiſſionis peccatorũ, iuſtitiæ, Spiritus ſancti, vitæ æternæ, propter Chriſtum ęternum Sacerdotem cum conditione fidei & obedientiæ ex fide præſtandæ.

19 Vetus igitur Teſtamentum ſubſeruit nouo, ipſumque adumbrat: quare vt illud σκία, ita hoc εἰκὼν ab Apoſtolo nominatur. Omnia enim veteris Teſtamenti ſunt veluti quædam σκιογραφίαι noui Teſtamenti.

20 Cum ita propriiſſime, Apoſtolica & Prophetica phraſi accipitur vetus Teſtamentum: nequaquã complectitur promiſſiones gratiæ, quæ ad nouum Teſtamentum, ſicuti rectè teſtatur Auguſtinus referendæ ſunt.

De lege abrogatione.

21 Porro cùm politia Moſis perierit, cùm Aaronicum Sacerdotium cum omnibus ſuis ceremoniis, purgationibus & ſacrificiis defecerit, breuiter cum vetus Teſtamentum per Chriſti aduentum ſublatũ, aut potius completum ſit: iure quæritur de Decalogo, quæ pars Legis Moſaicæ fuit, num is quoque ſit ſublatus? Ad hanc quæſtionem ita reſpondeo: Quatenus Decalogus eſt pars Legis Moſaicę, nos nequaquam obligat, ſed quatenus ęternam normam volũtatis Dei continet, perpetuo durat, ſicuti etiam multa alia, quæ in Moſe ſunt naturalia.

22 Verùm in eo, hoc eſt, in Decalogo, ſpectãdus eſt duplex vſus, iuxta rationem duplicis ſtatus hominis. Nam ſi tempus hominis ante reuelationem Chriſti in homine, hoc eſt, ante iuſtificationẽ hominis per fidẽ Chriſti reſpicis, vt ipſe homo vetus dicitur: ita

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tur:ita Decalogus analogia quadam veteri Teſtamẽto ſubiici poteſt. Nam pædagogia quædam eſt ad Chriſtum, hominem accuſans & damnans, quod nõ habeat iuſtitiam quam requirit Lex. Vnde homo impellitur ad quærendum Chriſtum, qui eſt finis Legis in iuſtitiam omni credenti. Hoc ſenſu Paulus Legem moralem nouo Teſtamento opponit 2. Cor. 3. At ſi tempus hominis poſt reuelationem Chriſti in homine attendis, vt ipſe homo nouus eſt effectus: ita Decalogus norma vitæ noui hominis eſt, quæ nunquam aboletur.

Diſcrimẽ veteris & noui Teſtamenti.

23 Ex his luce clarius apparet diſcrimen veteris & noui Teſtamenti. Nam ſi tempus reſpicis, vetus Teſtamentum præcedit reuelationem noui. Si ſubiectum attendis, eadem plane ratio eſt. Si Mediatoris, illud per Moſen famulum, hoc per Dominum ipſum adminiſtratum eſt. Si diſpenſationis modum, illud vmbratile fuit, hoc ipſam rerũ imaginẽ cõtinet.

24 Vmbra fuit liberatio Iſraelis ex ſeruitute Ægypti, oppreſſo tyranno Pharaone. Veritas eſt liberatio populi ex ſeruitute peccati victo Diabolo. Vmbra fuit introductio Iſraelis carnalis in terram Canaan, & eiuſdem occupatio. Veritas eſt introductio Iſraelis ſpiritualis in cœlum, eiuſque hæreditaria poſſeſſio. Vmbra fuit Legiſlatio in mõte Sina per Moſen Veritas eſt verbum, quod prodiit de Siõ per Chriſtũ. Vmbra fuit Lex in tabulis lapideis ſcripta Veritas eſt lex Dei ſcipta in cordib⁹ hominũ digito Dei: Hoc eſt, nõ notitia ocioſa, ſed fiducia efficax, qua ſtatuimus & ſentimus Deum nobis eſſe propitium remiſsis peccatis, quaque excitantur in nobis motus congruẽtes Legi Dei. Atque hæc eſt inchoatio Decalogi. Vmbra fuit miniſterium mortis. I. Veritas eſt miniſterium Spiritus & vitæ. Breuiter, vmbræ ſunt Moſaica omnia, Politia, ſacerdotium, purgationes, ſacrificia, &c. Veritas eſt Ieſus Chriſtus cum ſuis beneficiis.

25 Horum attenta conſideratio ſeruit imbecillitati noſtræ, & oſtendit vnam fuiſſe ſemper ſalutis conſequendæ rationem, videlicet, per fidem gratuitæ promiſsionis in Ieſu Chriſto.

Errores.

26 Quare deteſtãdi ſunt furores illorum, qui falſo imaginati ſunt triplicem ſalutis viam, videlicet, per Legem Naturæ, per Legem Moſis, & per Legem Chriſti, ac ſi tria fuiſſent fœdera Dei ſubſtantia diuerſa.

XL.
CHRISTIANA LIBERTAS.

Neceſſitas huius doctrinæ.

1 DOCTRINA de libertate Chriſtiana rectè explicata vberrimam conſolationem continet: quare eius explicatio grata debet eſſe piis mentibus.

Tres aduerſarij.

2 Vt autem non, quaſi in limine, impingamus, procul ſeiungamus oportet ſomnia Iudæorum de regno Meſsiæ terreno, enthuſiaſmos Anabaptiſtarum de imperio ſanctorum in mundo ante extremũ diem, & furores Libertinorum, qui libertatis prætextu ſe omni turpitudini proſtituunt.

Epithetõ.

3 Nam Epitheton *Chriſtiana*, differentiam facit, qua hæc libertas, & à ciuili libertate, & ab aliarum ſectarum ficta libertate, diſcernitur.

Diſtinctio Libertatis.

4 Deinde cum de Chriſtiana liuertate agimus, eſt etiam accuratè diſcernendum inter libertatem perſonæ, & libertatem voluntatis. Vt enim huius diſtinctionis obſeruatio, multùm lucis adfert huic doctrinæ: ita eiuſdem cõfuſio multos errores gignit, & diſputationes infinitas parit. Quare de vtraque, hoc eſt, perſonæ & voluntatis libertate, ordine & diſtinctè dicemus.

5 De libertate perſonæ Chriſtus loquitur, cũ ait: ſi Filius vos liberauerit, verè liberi eritis Ioann. 8.

1. De libertate perſonæ.

6 HOC dictum Chriſti manifeſtè docet, quod nemo ſit vere liber ſine Chriſto, vnde ſequitur hanc libertatem non eſſe ciuilem aut politicam, ſed multo auguſtiorem, nec eſſe carnalem, ſed ſpiritualem.

7 Qualis autem hæc libertas perſonæ ſit, partim ex collatione ſeruitut s ſpiritualis cui opponitur, partim ex manifeſtis oraculis ſcripturę intelligi poteſt.

8 Adam peccans factus eſt reus coram Deo, incurrit in iram Dei, obnoxius factus eſt morti æternæ, & amiſſo ſpiritu libertatis, triſtiſsimo ſeruitutis iugo eſt preſſus, an poſtea tales genuit filios, qualis fuit ipſe pater, hoc eſt, ſeruos.

Spiritualis ſeruitus.

9 Eſt igitur ſpiritualis ſeruitus, propter peccatum eſſe reum iræ Dei, eſſe maledictum à Deo, eſſe obnoxium morti æternæ, & iugo ſeruitutis premi, adeóque ſeruum peccati eſſe.

Libertas ſpiritualis

10 Huic ſeruituti cũ libertas ſpiritualis opponitur: neceſſe eſt vt ſit liberatio à peccato, ab ira Dei, à maledictione, à morte æterna, & à ſpiritu ſeruitutis.

11 Nam vt Adam peccans coniecit nos in iſtam triſtiſſimam ſeruitutem: ita Chriſtus iuſtus nos in libertatem vindicauit, modo nos in eius fidem coniecerimus.

12 ſi cauſſa huius liberationis quæritur, rectiſſimè reſpondetur quod merito & efficacia Chriſti perficiatur.

Liberatio à peccato.

13 Primùm enim meritò nos à peccato liberat Chriſtus qui factus eſt λύτρον pro nobis, & Ioannes dicit 1. 17. sanguis Chriſti purgat nos ab omni peccato. Merito n. s liberat ab ira Dei, quia iram Dei pro nobis ſuſtinuit, iuxta illud: Erat Deus in Chriſto mundum ſibi reconcilians. Item, Hic eſt Filius meus ἐν ᾧ εὐδόκησα. Matth. 3. & 17. Item, Merito, nos à maledictione liberat, iuxta illud, Gal. 3. 13. Chriſtus redemit nos à maledictione Legis, factus pro nobis maledictum. Et merito nos à morte æterna vindicat, iuxta illud, Ioan. 3. & 5. & 6. &c. Qui credit in ipſum non peribit, ſed habebit vitam æternam: vel, vt breuius dicam, merito obedientiæ crucis expiat peccatum: meritò obedientiæ Legis imputat iuſtitiam ſuã omni credenti. Hæc beneficia ſæpe vno gratiæ vocabulo intelliguntur.

A ſpiritu ſeruitutis

14 Deinde efficacia nos idem Chriſtus à ſpiritu ſeruitutis liberat. Nam credentes donat ſpiritu ſancto, qui libertatem adoptionis obſignat fideliũ cordibus, & in eis accendit nouam lucem, & inchoat nouam obedientiam. Hoc Chriſti liberatoris beneficiũ Donum per gratiam ab Apoſtolo nominatur.

A ritibus Moſaicis.

15 Cum his duobus libertatis gradibus, quorum prior gratiæ vocabulo, poſterior doni appellatione ſignatur, coniunctus eſt tertius gradus poſt Chriſtũ exhibitum, Liberatio à ritibus Moſaicis, quemadmodum docet Paulus in multis locis. Non enim Chriſtianus obnoxi:is eſt ritibus & ceremoniis Moſaicis. Nam illi vt vmbræ finem habuerunt aduenıẽte Chriſto, & peracto λύτρῳ pro nobis.

A traditionibus humanis.

16 Q iartum libertatis gradum Paulus addit, Liberationem à traditionibus humanis, ne videlicet illas traditiones humanas putemus ad ſalutem neceſſarias eſſe vt debitum cultum. Quas tamen ordinis & εὐσχημοσύνης gratia ſeruare, ſi ſint piæ, oportet.

17 Hanc libertatem offert Euangelium omnibus qui conuertuntur, cum prædicat pœnitentiam & remiſsionem peccatorum, in nomine Chriſti.

Chriſtianæ libertatis definitio.

18 Ex his quæ hactenus expoſuimus, plenam definitionẽ libertatis Chriſtianę, quę inchoatur in hac vita, extruamus. Libertas Chriſtiana eſt manumiſſio ſpiritualis parta per Chriſtum, quam offert Euan-

M. j.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

gelium in nomine Chriſti,qui vt merito ſuo credentes liberat à peccato, ira Dei, damnatione Legis, morte æterna, ritibus Moſaicis & humanis traditionibus, adeóque ſua iuſtitia ornat: ita efficacia eoſdē donat Spiritu ſancto,qui & obſignat in ipſis libertatem adoptionis, & flectens eorum corda ad nouam obedientiam,inchoat in eis vitam æternam.

19 Hæc inchoata libertas perſonæ locum habet in hac vita per quam fit tranſitus ad plenam libertatem,qualis futura eſt poſt iudicium, quando deleto peccato,placata ira Dei,abolita morte, & ſublatis omnibus calamitatibus donabimur æterna iuſtitia, & erimus conformes Deo in omni ęternitate.

Quātus ſit theſaurus

20 Hinc æſtimari poteſt,quantus theſaurus Eccleſiæ Chriſti ſit libertas Chriſtiana, de qua fruſtra gloriantur, qui viuunt ſine pœnitentia, & contra conſcientiam peccatorum cœno ſe miſerè inuoluunt. Hi enim miſerrimi ſerui ſunt,iuxta dictum Chriſti: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Ioann.8.

21 Contrà verò, qui retinent fidem & bonam conſcientiam,militantes honeſtam militiam, iuſtè gloriari poſſunt ſe liberos eſſe. Nam vt Paulus ait: Nulla condemnatio eſt iis qui ſunt in Chriſto Ieſu, & non ſecundum carnem ambulant, ſed ſecundum Spiritum. Nam lex Spiritus vitæ in Chriſto liberauit me à Lege peccati & mortis.

Refutantur.

22 Hæc recte expenſa confutant errores Iudæorum,Papiſtarum,Anabaptiſtarum,Libertinorum & aliarum ſectarum omnium, quæ ſecus docent de libertate,quam offert Meſsias.

Iudæi.

23 Iudæi dum ſomniant mundanum imperium Meſsiæ,contra dictum Chriſti, Regnum meum non eſt de hoc mundo, de libertate Spiritus plane nihil intelligunt.

Papiſtæ.

24 Papiſtæ etſi libertatem ſpiritualem agnoſcunt:tamen ab eius poſſeſſione homines abducunt, dum alia merita,& aliam ſatisfactionem pro peccato,quàm ſolius Chriſti,hominibus obtrudunt.

Anabaptiſtæ.

25 Anabaptiſtæ nihilo meliores Iudæis ſunt. Nam & illi fingunt libertatem externam,excuſſo ciuilis magiſtratus iugo,& ſomniant Chriſtianos debere dominium in mundo obtinere, mille annos ante iudicium.Horum delirium paulatim ſponte ſua collabitur.

Libertini.

26 Libertini noſtrę ętatis,prorſus à Diabolo dementati,frenum laxant cuiuis carnis laſciuiæ, vt ſine vllo ſcrupulo,vnuſquiſquę viuat ſuo arbitratu,Chriſtianam libertatem definientes licentiam quiduis faciendi,ſine omni honeſtatis & turpitudinis diſcrimine.

27 Hos beluinos fœtores qui non extreme odit,eum porcum eſſe,imo Diabolum potius quam hominem dixero.

28 His ergo erroribus de Chriſtiana libertate profligatis, veram ſententiam quam propoſui amemus, ac caueamus ne vllis Satanæ impoſturis circūuenti,Libertate quam in Chriſto habemus, excidamus,ac rurſus in laqueos ſeruitutis incurramus,in certiſsimum animarum & corporum interitum.

2. De libertate volūtatis.

29 Libertas voluntatis variat tempore. Nam alia eſt eius ratio ante conuerſionem perſonæ, alia in conuerſione,alia poſt conuerſionem,præſertim in actionibus ſalutaribus.

30 Ante conuerſionem voluntas hominis ſpōte ſua ſerua eſt, quantum ad actiones ſalutares attinet. Nam & iudicio aberrat & electione decipitur, & conatu ſuccumbit, vt non queat niſi pro qualitate ſua malè velle,Rom.3.

31 In conuerſione Spiritus ſanctus in verbo eſt efficax,& non ſolum monet voluntatem,ſed mouēdo immutat,non pertinaciter ſe opponentem Spiritui ſancto.Hoc ita eſſe & Scriptura atteſtatur,& Sanctorum experientia comprobat.

32 Poſt conuerſionem in renatis voluntas eſt libera,non ex natura,ſed ex gratia.Nam & mens illuminata eſt verbo & ſpiritu, & voluntas eſt conuerſa ad Deum,& conatus iuuatur.

33 Verum quia magna in natura adhuc imbecillitas reliqua eſt, non poteſt hæc libertas perfectiſsima eſſe,ſed habet ſua incrementa,prout fides in corde creſcit.

34 Cum Scholaſtici Doctores diſtinguunt inter liberum arbitrium naturale,& gratuitum,rectiſſimè faciunt. Nam & liberum arbitrium naturale eſt rerum naturalium,quæ ſunt hominum iudicio & electioni expoſitæ:ita liberum arbitrium gratuitum eſt cum Deus in nobis operatur ſalutaria, vt cognoſcere,velle & facere.Hoc habent ſoli renati, non natura,ſed dono.

35 Vt gratuitum hoc liberum arbitriū eſt præſtantius & perfectius naturali tantùm (quale eſt in non renatis:)ita gratuitò renatorum præſtantius eſt, & perfectius liberū arbitrium (etſi naturale eſt) Angelorū: & omnium præſtantiſsimum & perfectiſsimum liberum arbitrium in Deo eſt. Nam huius natura perfectiſsima,& vis cognoſcendi pręſtantiſsima coniunctæ ſunt cum omnipotentia & liberrima voluntate.

XLI.

SCANDALVM.

1 CVM Chriſtus dicit,Matt.18.7.Neceſſe eſt venire ſcandala: &, væ homini per quem venit ſcandalum,non ſolùm ſignificat magna pericula fore Eccleſiæ à ſcandalis,ſed etiam denuntiat grauiſſimas pœnas ſcandalorum autoribus.

2 Verùm quia non omnia ſcandala ſunt vnius generis,nec omnia æquali reatu obſtringunt,operæprecium eſt rectè ſcandalorum genera diſtinguere & explicare.

3 Scriptura has voces vſurpat σκάνδαλον, πρόσκομμα, & ἐγκοπήν. Scandalum propriiſsimè ſignificat tegillū in inſtrumentis,quibus capiuntur mures, vulpes, lupi,&c. Vnde Eccleſia nomen tranſtulit ad inſidias ſeu tendiculas,quibus capiuntur homines veluti beſtiæ tendiculis. Πρόσκομμα propriè eſt, cùm in via aliquid obiicitur pedibus, in quod incurrens impingit aut cadit, vnde mala exempla veluti ſaxa quædam ſunt,in quę incurrentes impingunt. Ἐγκοπὴ ipſa offenſio eſt ſeu impactio.

4 Erit igitur ſcandalum generatim,quicquid alicui vel cauſſa vel occaſio offenſionis eſt. Hoc eſt, quicquid impedit quo minus inoffenſo curſu pergamus in Lege Domini. Nam quæ ita offendunt,ſunt veluti tendiculæ ſeu obices quibus in via Domini ad caſum impellimur.

5 Bernhardus duplex ſcandalum facit, videlicet interius & exterius. Interius vocat, cum vetus homo offendiculum præbet nouo homini. De quo interpretatur dictum Domini,Mat.5. ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te,erue illum,&c. Vbi per oculū, manum,& pedem,intelligit cōcupiſcentias prauas,quæ ſępe nouum hominem moleſtant, vt inoffenſo curſu non pergat in via Domini.Exterius definit quod foris accedit,& prębet vel cauſſam vel occaſionē ruinę.

6 Hoc exterius ſcandalum de quo potiſsimum Theologi diſputant eſt duplex, videlicet datum & acceptum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

acceptum. In vtroque duo ſpectanda ſunt, ſcilicet materiale, hoc eſt, factum ipſum, & formale, hoc eſt, imitationis ſeu offenſionis occaſio, vnde ſcandali nomen eſt.

Datum ſcandalũ.

7 Datum ſcandalum eſt, cum aliquis efficacem cauſſam lapſus alicui dat ſeu præbet. Hoc, ſi materiale ſpectes, aut oritur ex facto per ſe malo, hoc eſt diſertè prohibito Lege Dei: aut ex facto in ſe adiaphoro, ſed intempeſtiuè vel facto vel omiſſo, contra charitatis regulam. In illo, duplex peccatum: in hoc, ſimplex eſt.

8 De priori genere loquitur Chriſtus ad Petrum Matth. 16. 23. Vade poſt me Satana, ſcandalo es mihi. Etſi enim Chriſtus non impegit: tamen dictum Petri reuera offendebat, & potuit infirmis occaſio eſſe ruinæ. Fuit ergo dictum Petri actiuum & datum ſcandalum, etſi paſſiuè Chriſtus non impegit.

9 Hoc ſcandali genus datum malo exemplo, hoc eſt, actionibus vel omiſſionibus pugnantibus cum Lege Dei, omnes quibus ſalus curæ eſt, non ſecus quam infernum ipſum cauere debent.

10 Hoc, eſt illud ſcandalum quod tam multis præbet occaſionem præcipitij in æternam mortem. Huic omnes hæreſes, omnia fl gitia, breuiter, quicquid aduerſatur dilectioni Dei & dilectioni proximi, ſubiicitur.

Pœna.

11 Autoribus huius ſcandali Chriſtus θρηνῶδες illud ἐπίφθεγμα væ accinit: & addit melius eſſe homini illi, vt alligata mola aſinaria collo eius, ſubmergatur in profundum maris. Matth. 18. 6.

Differentiæ.

12 Variat & hoc genus ſcandali pro perſonarum differentiis. Nam ſi datur à perſona quæ verſatur in mundi theatro, & in aliquâ dignitate eſt conſtituta, magis nocet exemplum, & pluribus ruinam adfert, quam ſi priuatam vitam ageret, aut alioqui obſcura eſſet perſona. Vt enim quo ingentius fuerit ſaxum cadens ab altâ rupe, eo plura fragmenta facit: Ita quò dignior fuerit perſona, & in ſublimiori dignitatis culmine conſtituta, eo plures in lapſum ſecum trahit cum cadit: quare & maiorem pœnam meretur. Vt Dauid ob adulterium grauius punitur, quam obſcurus ciuis.

Rebus adiaphoris quomodo vtendum.

13 De poſteriori genere loquitur Paulus, cum inquit, 1. Cor. 8. 13. Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non veſcar carnibus in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem. Non enim vult Paulus cum offenſione proximi, vel vti rebus adiaphoris, vel abſtinere ab earum vſu.

14 Verùm hic triplex hominum genus conſiderandum eſt. Quidam enim ſunt docti Chriſtianam libertatem: ideo firmi habentur. his non eſt ſcandalo factum adiaphorum: ſed potius gaudio & conſolationi. Nam ex mutua firmitudine in negotiis pietatis non parum gaudent verè pij. Q idam ſunt obſtinati & indociles, quales fuere Phariſęi, de quibus regula Chriſti notanda eſt: Sinite eos quia cæci ſunt & duces cæcorum. Quidam ſunt infirmi & veluti puſilli in ſchola Chriſti. Horum ratio habenda eſt in vſu Adiaphororum. Nam qui cum ſcandalo talium, hoc eſt, infirmorum vtitur rebus adiaphoris, charitatis legem violat, & fidem Chriſti abiicit.

15 Bernhardus hoc etiam comprobat: *Non omnium* (inquit) *ſcandala æqua lance ſunt pendenda. Aliter namque accipienda ſunt puſillorum, aliter Phariſæorum ſcandala. Illorum quippe ſcandalum de ignorantia, horum verò de malitia deſcendit. Illi ſcandalizantur quia veritatem neſciunt: hi quia veritatem oderunt.*

16 Apoſtolus duo conſiderari vult in rebus & actionibus mediis, videlicet factum & fidem. Factum liberum vult eſſe, ſi caret ſcandalo: alioqui non. Fidē ſemper approbat.

Acceptũ ſcandalũ.

17 Acceptum ſcandalum eſt, quod homines ſibi accipiunt, vel ex aliorum rectè factis, vel ex aliis rebus quibuſcunque.

18 Sed hoc variat. Nam aliud eſt hominum ſapientum extra Eccleſiam, aliud hypocritarum in externo cœtu Eccleſiæ: aliud piorum, ſed infirmorum, in Eccleſia.

A ſapientibus huius ſeculi.

19 Mundi ſapientes offenduntur. 1. Primùm infirma ſpecie Chriſti. 2. Deinde abſurditate doctrinę, quam tradit Eccleſia. Nos (inquit Paulus) prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Græcis verò ſtultitiam. 3. Tum mole ærumnarum, quæ comitantur profeſſionem Euangelij. 4. Præterea dilatione promiſsionis aduentus Domini.

20 Horum ſcandalum contemnendum eſt forti & inuicto animo, & ſequenda eſt regula Hieronymi, qui ita ait: Dimittendum eſt propter ſcandalum, omne quod poteſt prætermitti ſalua triplici veritate, ſcilicet vitæ, iuſtitiæ, & doctrinæ, & Bernhardus piè dicit: Melius eſt vt ſcandalum oriatur, quam vt veritas relinquatur.

Ab hypocritis.

21 Hypocritæ, mortua Eccleſiæ membra, quia operibus ſuis nituntur, doctrina iuſtitiæ offenduntur, & vita piorum contemnentium hypocriſin: horum ſcandalum vt abominatio ſpernendum eſt.

Ab infirmis.

22 Infirmi in Eccleſia accipiunt ſcandalum à florenti impiorum fortuna, & proſpero rerum ſucceſſu. Vnde Dauid Pſal. 73. Mei pene moti ſunt pedes, pene effuſi ſunt greſſus mei, quia zelo ardebam ſuper iniquos, pacem impiorum videns, in miſeria hominum non ſunt, & cum hominibus non affliguntur. Ideo tenuit eos ſuperbia: operti ſunt violentia tanquam veſte, &c. Et paulo poſt ſubiungit: Ergo fruſtrà mundaui cor meum, & laui in innocentia manus meas.

23 Sed quid hic infirmi facient? Hoc Dauid pręclarè docet in eodem Pſalmo, cum inquit: Cogitabā, inquit, vt ſcirem hoc, ſed difficile erat in oculis meis, donec veni in ſanctuarium Dei, & animaduerterem in nouiſſima eorum.

24 Hic Dauid duo requirit in infirmis, qui offenduntur proſperitate impiorum. Primum vult nos introire in ſanctuarium Dei. Deinde iubet nos in nouiſſima impiorum animaduertere.

25 Sanctuarium Dei eſt Eccleſia, cui commendata eſt ſapientia illa arcana, de conſilio & voluntate Dei. Hæc ſapientia, nos ita erudire poteſt, modò dociles nos præbuerimus, vt facilè, contemta proſperitate impiorum, credamus inuiſibilia, ſperamus promiſſa, amemus Deum, atque illi adhærentes, dicamus cum Pſalmiſta: Mihi adhærere Deo bonum eſt, poſui in Deo Domino ſpem meam, vt annunciem omnia opera eius.

26 Animaduertere nouiſſima impiorum eſt conferre finem triſtiſsimum impiorum, cum lætiſſima cataſtrophe piorum. Vt enim impij morte hanc vitam commutantes, rapiuntur ad æternum exitium: ita pij in media morte ſentientes præſentiam Dei, ducatu angelorum, ex præſentis vitæ miſeriis migrant in æternam vitam.

27 Hæc cum pij cogitant, deſinunt æmulari in malignantibus, inuidereque iniquitatem facientibus & ſperant in Domino, & faciunt bonum, ſcientes hęreditatem ſuam in cœlis repoſitam eſſe.

28 Hoc cum ſanctus Iob cogitaret, fortuna impiorum contemta, in mediis ærumnis in hanc vocem erupit: Scio quod redemtor meus viuat, & in nouiſſimo die reſurrecturus ſim.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

29 Hinc exitum piorum & impiorum commẽdat nobis Dominus, propoſitis exemplis purpurati Epulonis & vlcerati Lazari: quorum illum luctus excepit ſempiternus: hunc angelorum chorus in cœlum ſubuexit, vbi æternum beatus viuet.

Finis & vſus huius doctrinæ.

30 Finis omnium quæ hactenus à nobis propoſita ſunt, eſt, vt animis noſtris verbo Dei confirmatis, & moribus noſtris ad normam Legis diuinæ compoſitis, ſimus ſynceri & ἀπρόσκοποι in diem Chriſti, pleni fructibus iuſtitiæ, quæ fiunt per Chriſtum Ieſum in gloriam & laudem Dei.

XLII.

CRVX.

Neceſſitas huius doctrinæ.

1 QVONIAM Eccleſia Dei ſemper ſubiecta eſt cruci in hac vita, neceſſarium eſt recte inſtitui pios de cruce: ne fracti crucis ſcandalo, abiiciãt confeſsionem: id quod, proh dolor! multis accidiſſe certum eſt.

Nominis ſignificatio.

2 Nominamus autem crucem, quãuis afflictionem, qua vel tota Eccleſia premitur: vel ſingula eius membra, vel caſtigantur vel probantur: ſiue id in corpore, ſiue in animo fiat.

Doctrinæ methodus.

3 Vt autem diſtinctius de hac re dicamus, quatuor ordine exponemus. *Primum* cauſſas crucis recitabimus. *Deinde* diſcrimina crucis piorum & ſupplicii impiorum, colligemus. *Tum* quo animo piis crux ſit ferenda, indicabimus. *Poſtremo* vnde conſolationes ſub cruce petendæ ſint, aperiemus.

1. Cauſæ crucis.

4 Cauſæ crucis, cum in nobis ipſis, tũ extra nos quærendæ ſunt.

Tres in nobis.

5 In nobis ipſis tres cauſſæ crucis ſunt manifeſtæ, quorum prima eſt peccatum in nobis habitans. Secunda, concupiſcentia quæuis inde pullulans. Tertia, quotidianus lapſus, quem peccatum inhabitans, per ſuas concupiſcentias gignit & producit in conſpectum.

6 Hæ tres cauſſæ ſub genere culpæ ponuntur, quæ culpa quia violat Legem Dei, iuſtè cruce reprimitur & caſtigatur.

Quatuor extra nos

7 Extra nos cauſſæ crucis ſunt quatuor. 1. Nunc enim Satanas Eccleſiam moleſtat. 2. Nunc membra Diaboli eandem cruciant. 3. Nunc benignisſimus Pater caſtigat. 4. Nunc obiecta in cuiuſque vocatione perplexitas & difficultas, perturbat.

1. Satan.

8 Diabolus hoſtis humani generis & præcipue Eccleſiæ, circumiens vt Leo rugiens, quęrit quem deuoret, hoc eſt, molitur Eccleſiæ interitum, mendacio & homicidio. Id quod & primi parentes experti ſũt, & tota poſteritas eorum omnibus temporibus experta eſt, & experietur vſque ad extremum diem.

2. Satanæ mẽbra.

9 Membra Satanæ, vt ſunt Sycophantę, tyranni, hypocritæ & flagitioſi, non parum moleſtant Eccleſiam.

Sycophãtæ.

10 Sycophantæ ſunt qui de ſapientia ſua gloriantes doctrinæ Eccleſiæ inſidiantur. Hi ſunt vel extra viſibilem Eccleſiam, & manifeſte totam Eccleſię doctrinam abiiciunt, & derident vt ſtultam, quales ſunt Mahometiſtæ, Iudæi indurati, & aliæ profanæ gentes, quæ Chriſti nomen aduerſantur: vel in Eccleſia ſunt viſibili, & volunt Chriſtiani appellari. Hi non totam doctrinam, ſed nunc hanc partem nunc illam, vel deprauant, vel prorſus abiiciunt. Hos hæreticos appellamus.

Tyranni.

11 Tyranni à ſycophantis & ſophiſtis excitati, bella Eccleſiæ Dei mouent, & violenta manu conãtur Eccleſiam opprimere. Sed non eodem modo. Quidam enim apertè nomen Chriſti deteſtantur, atque ideo pios perſequuntur, vt Turca, ſaraceni, & aliæ profanæ gentes. Quidam Chriſti nomen ſe magnifacere ſimulant, ſed tamen ſanguine ſanctorum curſum Euangelij occludere moliuntur, quorum anteſignanus eſt Papa, hoc eſt, Antichriſtus ille, de quo prædictum eſt ab Apoſtolo, 2. Theſſ. 2. Huic militant multi principes, quidam errore, quidam malitia.

Hypocritæ.

12 Hypocritæ ficta religione ſua, non paruam moleſtiam Eccleſiæ inferũt. In horum numero ſunt Monachi, Moniales, Canonici, Vicarij, ſacrificuli, non quidem omnes, ſed eos tantum intelligo, qui Papæ caſtra ſequuntur, & abdomini ſuo potius quam Domino ſeruiunt.

Flagitioſi.

13 Flagitioſi ſunt, quos Græci ἀλάστορας vocant. Horum cauſa, præſertim cum in caſtris Eccleſiæ tanquam ciues Eccleſiæ deliteſcunt, multùm affligitur Eccleſia, vt hiſtoriæ & experientia docet. Vnius Achan ſcelere exarſit ira Dei in populum. Facinus Roboam, multis fuit exitio. Stuprum vxoris Leuitæ plurimis, etiam piis, ceſsit in perniciem corporum & fortunarum.

14 Quod autem innocẽtes ſępe affligantur propter paucorum flagitia, etiam homines ſapientes extra Eccleſiam, norunt. Sophocles refert propter Oedipi inceſtum, Thebanum regnum fuiſſe peſte vexatum. Homerus propter abreptam ſacerdotis filiam, magnam Græci exercitus partem deletam eſſe, teſtatur. Heſiodus interdum vnius ob noxam totam Rempublicam affligi affirmat.

3. Pater cœleſtis.

15 Inter cauſſas crucis externas, tertium locum tribuimus benigniſſimo cœleſtis patris conſilio & paternæ voluntati. Hic enim ſæpe alienum opus facit, vt faciat ſuum, hoc eſt, occidit & mortificat, vt viuificet & ſaluet.

16 Eſt ergo vtrumque ſpectandum diligenter, quando Deus cruce caſtigat Eccleſiam, videlicet iudicium & miſericordia. Iudicium eſt, quod propter peccata noſtra punimur. Ideo Dominus ait, Ioann. 8. 11. Noli peccare, ne quid deterius tibi accidat. Miſericordia eſt, quod punit vt conuertat, iuxta illud Pauli 1. Cor. 11. 32. Cum iudicamur à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

17 Cum his congruit Auguſtini dictum Pſ. 98. *Cum blandiris, pater es; cum cædis pater es: blandiris ne deficiam, cædis ne peream.*

18 Vt ergo Myrrha acris & amara eſt, & tamen ſanat vulnera: ita Crux, etſi carni inſuauis eſt: tamen tẽperata fide nequaquã exitialis, ſed ſalutaris exiſtit.

4. Difficultas vocationis.

19 Quarto loco inter externas cauſſas crucis, ſequitur difficultas quæ in cuiuſque vocatione obiicitur. Nulla enim eſt vocatio tam exigua, quin habeat ſuam moleſtiam adiunctam, modò quis non fraudulenter faciat opus Domini.

20 Hoc quàm verum ſit conſpicitur in regimine domeſtico: In gubernatione politica: In adminiſtratione Eccleſiaſtica, vt taceam de omnibus aliis vocationis generibus.

II. Diſcrimẽ quintuplex crucis piorum & impiorum.

21 Secundum quod propoſui, fuit de diſcrimine crucis piorum, & ſupplicij impiorum.

22 Eſt autem hoc diſcrimen potiſsimum colligendum ex his quinque, videlicet, ex cauſis efficientibus, finibus, effectibus, tempore, & loco.

23 Si cauſſas efficiẽtes reſpicis, quas vocant προκαταρκτικάς, Deus pios paterna virga ex paterno amore caſtigat. Impios verò & inemendabiles flagello iræ & furoris ſui premit. Illos igitur, vt pater: hos, vt iudex punit.

24 Si fines reſpicis, pios punit Deus in ipſorum bonum: impios qui emendari & conuerti nolunt, in in-

in interitum eorum : hoc eſt, pios quidem punit, vt cruce probentur : impios verò, vt vel cruce reſipiſcant, vel dignis ſuppliciis coërceantur.

25 Effectus quoque variant. Pij, vt Iob, Dominum benedicunt ſub cruce : Impij fremunt aduerſus Deum & triſtantur. Pij erudiuntur, Impij confundũtur. Pij probantur, Impij perturbantur. Pij patientia ſub cruce diſcunt & inuocant, Impij impatientia victi deſperant.

26 In tempore quoque permagnum eſt diſcrimen. Pij ad breue tempus, vt poſtea cum Chriſto glorificentur. Impij perpetuo malo inuoluuntur, quorum præſens afflictio præludium eſt ſuppliciorum æternorum.

27 In loço quoque differunt crux piorum, & impiorum pœna. Nam pij in hoc mundo tantum erudiuntur. Impiorum ignis nunquam extinguetur.

III. Quo animo crux ferenda.

28 Tertium membrum noſtræ partitionis fuit, quonam animo piis ferenda ſit crux: id quod pauciſſimis verbis exponi poteſt.

29 Pij hominis animus ſub cruce in hunc modũ erit compoſitus. *Primùm* omnium renunciabit veteri homini & eius concupiſcentiis, vt tanquam noua creatura in Chriſto, non amplius iuxta carnis, ſed iuxta Spiritus & noui hominis imperium viuat. *Secundò*, fides vera prælucere debet in omnibus ærumnis, videlicet probris & cruciatibus. Hæc fides quia nititur merito & interceſsione Chriſti, facile victrix euadet. *Tertiò*, quicquid iam mali euenerit, accipiendum eſt, tanquam ex manu optimi patris. *Quartò*, præſenti cruce vtendum tanquam auxiliari pharmaco contra omnes animi morbos, ſuperbiam, philautiam, petulantiam carnis, &c. *Quintò*, Cruce excitabitur pius, ad ſtrenuè currendum in propoſito ſalutis ſtadio, per prædicationem Dei, inuocationem & alia pietatis exercitia.

IIII. Capita conſolationis ſub cruce.

30 Etſi autem ex his quartum quod in principio propoſuimus, colligi poteſt, videlicet, vnde pius conſolationes ſub cruce petat: tamen prodeſt ad hęc capita conſolationis reſpicere. *Primùm* cogitet pius in ſe peccatum puniri, vnde excitetur ad pœnitentiam. *Secundò*, finis intueatur, cur Deus vult Eccleſiam ſub cruce eſſe. *Tertiò*, hiſtoria piorũ, qui cruce probati ſũt, cogitetur: & præcipuè Filij Dei. *Quartò*, cogitetur neceſsitas obedientiæ. *Quintò* præſentia Dei erigatur animus, qui dicit: Sum tecum in tribulatione. *Sextò*, concipiatur fiducia promiſſæ liberationis glorioſæ. *Septimò*, Cõferatur præſens afflictio cum futura gloria. *Octauò*, Dignitas cruçis attendatur. Nam hac ratione olim glorificandi filij Dei, declarantur conformes imaginis filij Dei vnigeniti.

XLIII.

MAGISTRATVS.

Magiſtratus politici neceſsitas & commendatio.

QVIA & Salomon dicit abſque Magiſtratur, vere populum, ibique ſalutem eſſe, vbi multa ſũt conſilia: & experientia docet fieri non poſſe vt incolumis ſit humana ſocietas ſine Magiſtratu: decet profectò omnes, quibus pietas eſt cordi, rectè de Magiſtratu ſentire, ne cum profanis hominibus, in contẽtum ordinationis diuinæ abripiantur, in contumeliam Dei, & in propriam corporum & animarum perniciem.

Analyſis doctrinæ de magiſtratu.

2 Vt autem hanc de Magiſtratu doctrinam diſtinctius explicemus, quinque nobis excutienda videntur: quorum *Primum* eſt, vnde & quid ſit Magiſtratus. *Secundum*, quænam ſint conditiones legitimi Magiſtratus. *Tertium*, quod officium, quíque fines adminiſtrationis politicæ. *Quartum*, quodnam ius Magiſtratus in ſubditos, & in illorũ bona. *Quintum*, quidnam Magiſtratui debeant ſubditi.

I. Vnde ſit magiſtratus.

3 Tota Scriptura docet, & Paulus diſertis verbis affirmat Magiſtratum à Deo eſſe. Non eſt, inquit, poteſtas niſi à Deo. Quæ vero ſunt poteſtates, à Deo ſunt ordinatæ. Rom. 13. 1. &c.

4 Hæc diui Pauli aſſertio, quæ cum tota Scriptura conſentit, de imperio ipſo Magiſtratuſque dignitate intelligenda eſt, non autem de confuſione, quæ ſæpe in Imperiis propter ſcelera hominum exoritur.

Quid ſit.

5 Etſi igitur Deus, Neronis imperium conſtituit: tamen eius ſcelera abominatur & punit.

6 Cum ſcitur quod Magiſtratus ſit à Deo, definitio quoque Apoſtolica eſt tenenda: videlicet, quod Magiſtratus ſit ordinatio Dei, ſubditis in bonum, hoc eſt, vt honorentur boni, & puniantur mali, pro delictorum ratione : idque in hunc finem, vt quieta ſit & tranquilla humana ſocietas, Deo ſeruiens.

II. Conditiones legitimi magiſtratus.

7 Secundum partitionis noſtræ membrum, eſt de conditionibus legitimi Magiſtratus, quę Exod. 18. 21. quatuor recenſentur : quæ ſunt, Pietas, Sapientia, Veracitas, & Odium auaritiæ. Vbi enim hæ conditiones in magiſtratu inueniuntur, ſalutaris eſt gubernatio. Contrà, vbi vel aliquę deſiderantur, moleſta & infęlix eſt adminiſtratio.

8 Impia igitur vox fuit profani Tyranni : Sanctitas, Pietas, Fides, priuata bona ſunt, quà iuuat Reges eant.

9 Pietas quæ requiritur in Magiſtratu, caput eſt felicis gubernationis. Monet enim vt magiſtratus in omnibus cauſſis ad Deum reſpiciat, caueátque ne quid committat, quo illum offendat. Pietas.

10 Hinc eſt quod Ieremias de Ioſia loquens, dixerit ipſum pauperis cauſſam iudicaſſe, eo quod Dominum cognouerit.

11 Sapientia in pio principe gubernat actiones, ne ſophiſtica vſitata in iudiciis circumuentus, peruertat iudicium, ac iniuſtitiæ, iuſtitiæ laruam induat. Præterea etiam Sapientia efficit, vt iudex flectat legem ad cauſſam, non cauſſam ad legem. Sapiẽtia.

12 Veracitas efficit ne Magiſtratus iudicaturus falſas legum interpretationes admittat, quæ poſtea in præiudicia raptæ, paulatim omnem æquitatem peruertunt. Veracitas

13 Odium auaritiæ ſynceritatem in iudicando confirmat. Vbi enim iudices ſunt nummarij, actum eſt de æquitate. Nam ſi perſonæ acceptio corruptio eſt iudicij, vt nulli ſit æquitati locus : profectò auaritia efficit, vt iudex potius perſonam, quam cauſſam intueatur. Odium auaritiæ.

14 Vbicunque itaque hæ quatuor conditiones in gubernatoribus incorruptæ adſunt, adminiſtratur regnum in ſanctitate, vt Sapiens loquitur.

III. Officium magiſtratus.

15 Tertium membrum, quod in partitione propoſuimus, eſt de officio Magiſtratus. Hoc Magiſtratus officium in genere, eſt vt ſit cuſtos Legis vtriuſque, videlicet diuinæ & humanæ.

Sit cuſtos legis diuinæ.

16 Legis diuinæ cuſtos eſt. Primum, quando exemplo Dauidis, Ioſiæ, Ezechiæ, Theodoſij, Ioannis Frederici ducis Saxoniæ, Chriſtiani III. Regis Daniæ, &c. tollit idololatriam & idololatrię occaſiones. Secundò, quando veram religionem proponit, conſeruat, & propagat. Tertiò, quando Scholas erigit, docentes & diſcentes fouet. Quartò, cum aliis ipſe pietatis norma eſt. Rectè enim à Claudiano dictum eſt : Regis ad exemplum, totus componitur orbis. Quintò, cum religioſa diſciplina cauet, ne quis pateat aditus ad corrumpendam doctrinam,

& ad inficiendos mores.

Et legis humanæ.

17 Cuſtos legis humanæ eſt, quando iudicia diligenter exercet, diſciplinam grauiter tuetur, populi vtilitatibus conſulit, Statuum omnium & ordinum iuſtam harmoniam conſeruat, & foris fortiter depellit hoſtes.

18 Etſi autem arduum opus eſt, cuſtodem eſſe vtriuſque legis, Diuinæ & humanæ: tamen cum fides prælucet, & verus affectus ſentitur erga omnia Reipublicæ membra, difficultas non erit maxima.

19 Nam vt fides rectà ad Deum oculos conuertit in omni neceſsitate, vnde omnis felicitas in gubernatione dependet: ita verus affectus erga Rempublicam facit, vt quæ grauiſsima per ſe ſunt, facilia æſtimentur.

20 Qualis autem affectus eſſe debeat principis erga ſuos, monet Homerus, cum principem appellat ἤπιον πατέρα. Et Xenophon in Hierone particulatim idem explicat, hiſce verbis: Νόμιζε τὴν μὲν πατρίδα οἶκον, τοὺς δὲ πολίτας ἑταίρους, τοὺς δὲ φίλους τέκνα σεαυτοῦ, τοὺς δὲ παῖδας ὥσπερ τὴν σὴν ψυχήν, καὶ τούτους πάντας πειρῶ νικᾶν εὖ ποιῶν.

IIII. De Iure Magiſtratus.

21. Quartum partitionis noſtræ membrū quęrit de Iure Magiſtratus, cùm in ſubditos ipſos, tum in ſubditorum bona. Nam hîc etiam frequenter grauia errata incidunt.

22 Quid autem de hoc iure ſentiendum ſit ſine errore, & vſitata adulatione τῶν κερκώπων ex regula Xenophontis ſciri poteſt: Μέτρον δ᾽ αὐτῷ οὐχ ἡ ψυχή, ἀλλ᾽ ὁ νόμος ἐστί.

23 Ex hac regula concludo tantum Iuris Magiſtratum habere in ſubditos & ſubditorum bona, quantum Leges conſentientes Decalogo & legi naturæ, illi tribuunt.

In ſubditos.

24 Quantum igitur ad ſubditos attinet, ius Magiſtratus eſt iuxta quartum Decalogi pręceptum, imperare ſubditis neceſſaria officia, cum ad publicam incolumitatē, tū ad ſingulorum cōmoda facientia.

25 Cum itaque publica incolumitas conſeruari non poteſt, ſine defenſione ab externis hoſtibus, habet Magiſtratus ius vocandi ſubditos ad bella, vt armis tranquillitas paretur, & defendatur.

26 Et quia corpus integrum nequaquam conſiſtere poteſt, niſi ſingula membra ſuum munus fideliter obeant: Magiſtratus ius habet cogendi quemlibet in ſuo ordine & ſtatu, vt officium faciat, & puniendi eos qui contumaces inueniuntur.

In ſubditorum bona.

27 Quantum autem ad bona ſubditorum attinet, Magiſtratus non habet ius ſimpliciter inuolandi nec in publica, nec in Eccleſiaſtica, nec in priuata bona.

28 Si ad publica bona reſpicis, nefas eſt vt vnus ad ſe rapiat, quod eſt commune multis. Si ad Eccleſiaſtica, ſacrilegium eſt transferre ad pompam & voluptates, quod deſtinatum eſt pietati, hoc eſt, docentibus, diſcentibus, piis pauperibus, ſtructurę templorum & aliarum domorum ſpectantium ad Eccleſiaſticam Rempub. Si ad priuata, manifeſtum latrocinium eſt, & rapina, quæ non erit inulta: ſicuti clarè docet hiſtoria Achab & Naboth.

29. Etſi autem ius in bona ſubditorum non habet Magiſtratus ſimpliciter: tamen eius habet exigendi tributa: ordinaria quidem, ſemper: extraordinaria verò, quando hoc poſtulat ingruens aliqua neceſſitas.

30 Sæpe enim accidit vt propter maiora pericula deuitanda, propter hoſtes externos arcendos, & alias quaſcunque neceſsitates, extraordinariis tributis indigeat Magiſtratus: quæ vt ipſe exigendi ius habet: ita diuino mandato obligantur ſubditi, ad ſoluendum.

V. De officio ſubditorum.

31 Reliquū eſt poſtremū noſtræ partitionis mēbrū, de analogo officio ſubditorum erga Magiſtratū quod ſane vna voce honoris in Decalogo ſignatur.

32 Quia autem hic honor non debet pugnare cum præceptis Dei, recte dicit Polycarpus: *Magiſtratui honor tribuendus eſt, qui non eſt religioni contrarius.*

33 Porro partes legitimi honoris Magiſtratui debiti ſunt plures, quarum prima eſt ſtatuere ſtatum Superiorum, diuinam ordinationē eſſe, quam Deus vult nos magnifacere. Secunda, libenter ſe ſubiicere poteſtati maiorum iuxta regulam. Tertia, vera ſτοργῇ superiores complecti. Quarta, reuereri eos tanquam vicarios Dei, ipſius imaginē geſtantes. Quinta, obedire in honeſtis & licitis, hoc eſt, in omnibus quæ non faciunt ſubditos impios. Vt ſi Magiſtratus iuberet te auream ſtatuam adorare. Tum enim exemplum Danielis ſequi deberes. Idem eſt de ſimilibus iudicium. sexta, gratitudinē & beneuolentiam omni officiorū genere declarare. ſeptima, errata maiorum, vel pia ἐπιεικείᾳ tegere, vel prudenti diſſimulatione præterire, vel moderatis conſiliis & admonitionibus corrigere. Octaua, ex conſilio Pauli pro ipſis orare.

XLIIII.

LEGES ET IVDICIA.

Legum encomia.

1 MAGNAE ſunt laudes legum ciuilium etiam apud Philoſophos & Oratores *Vt corpora noſtra* (ait Cicero) *ſine mente: ſic ciuitas ſine lege ſuis partibus, vt neruis, ſanguine, & membris, vti non poteſt.*

2 Fieri enim nequit, vt ſocietas humana incolumis conſeruetur, niſi ſint gubernatores & rectores diſciplinæ politicæ. Hæc autem diſciplina vt exerceatur iuxta certas legum regulas, neceſſe eſt.

3 Vt enim nulla familia ſalua eſſe poteſt, ſine Oeconomica diſciplina: ita politica ſocietas prorſus collabitur, ſine imperandi & prohibendi autoritate, quæ honeſtarum Legum executrix eſt.

In legum conſtitutione requiritur 1. Ratio.

4 Vt autem Leges rectè & ſine errore conſtituantur, duo in ipſis requiruntur, videlicet, Ratio & Autoritas.

5 Ratio hæc, aliunde peti non debet, quam ex duobus, videlicet, ex naturæ Lege (cuius Epitome eſt Decalogus) & ex fine Legis.

6 In natura ipſa, ſunt ſemina quædam iuſti & honeſti, præterea iudiciū, quo iuſta & honeſta iniuſtis & turpibus præferantur. Hæc ſemina & hoc iudiciū confirmantur voce Dei, hoc eſt, Decalogo.

7 Finis Legis eſſe debet, vt iuſtitiæ norma homines retineantur in officio, & inter ſe iuſtitiæ neruis veluti colligantur: Vt & incolumis ſit ſocietas, & Deus in ſocietate ſancta & iuſta colatur. Atq; hoc eſt quod Cicero ait: *Salus populi ſuprema Lex eſto.*

8 Nam tum demum eſt Reſpublica, & bona hominum inter ſe ſocietas, cum bene ac iuſtè geritur. Geritur autem bene & iuſtè, cum iuxta iuſtitiæ normas, hoc eſt Leges, viuitur, quarum vltimus ſcopus eſt ſalus populi & gloria Dei.

2. Autoritas.

9 Autoritas, quam in Legum ſanctione requiro, etiam in duobus conſiſtit, videlicet, vt Lex feratur à legitimo Magiſtratu, ac publico approbetur conſenſu.

10 Cum Leges hoc pacto extruuntur è Lege naturæ, & feruntur à legitimo Magiſtratu, & approbantur publico conſenſu, obligant conſcientias ſubditorum, vel ad obedientiam vel ad pœnam: idq; nō ſolum apud homines, ſed etiam coram Dei tribunali.

11 Verùm ſi Leges aberrant à ratione, & non ordinan-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dinantur ad verum finem, vim Legum non habent, ſed vincula potius Tyrannica ſunt cenſenda.

Tyrannica vincula.

12 Sunt autem huiuſmodi Tyrannica vincula duplicia. Aut enim ſunt onera iniuſta, quibus premuntur ſubditi immodicè: Aut ſunt decreta impia quibus mandatur aliquid fieri contra honeſtatem naturæ & Deum. In illis obedientiam debemus, in his minimè. Nam hîc autoritas ſuperioris Magiſtratus, videlicet Dei, excuſat. Oportet enim magis Deo obedire quam hominibus. Quemadmodum Socrates ex Philoſophia, & Petrus, ex verbo Dei, rectè reſponderunt.

Leges quomodo fiunt ſalutares.

13 Vt autem honeſtæ Leges legitime latæ, ſint ſalutares Reipublicæ & diuturnæ futuræ, requiruntur duo, videlicet, vt ipſi Legumlatores & principes ſint veluti viuæ quædam Leges, vt qui vita exprimāt, quod Legibus ſtatuerunt. Nā vt cupiditatibus principum & vitiis infici ſolet ciuitas: ſic emendari & corrigi continentia. Vt & Claudianus teſtatur cum ait *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Deinde requiritur vt ſint νομοφύλακες, qui facta hominum obſeruant & ad Leges reuocant, vt boni honorentur & mali puniantur.

14 Lycurgus ideo rectè affirmat, non ſatis eſſe Leges eſſe bonas, & eſſe iudices ordinatos, niſi etiam ſint qui hominum facta ad Leges reuocant, vt nocentes iuxta Leges plectantur, & alij ſint incolumes.

15 Apud Græcos igitur hoc officium fuit νομοφυλάκων, vt Leges quæ per νομοθέτας poſitæ erant, conſeruarent diſciplina iuſta.

16 Nam vbi Legum non fit executio, veniunt & Legumlatores in contemtum, & Leges vileſcunt, & ſcelera augentur, iuxta illud Solomonis: Quia non citò fiunt iudicia contra malefacta, æſtuant hominum corda ad ſceleratè faciendum.

17 Atque ideo rectè dictum eſt à Zaleuco Locrenſium Legiſlatore: Leges eſſe ſimiles aranearum telis, vbi cura ſeruandarum legum deeſt, in quibus muſca & culex hęreat, ſed veſpa, diſſipata tela, auolet.

Munimēta legum.

18 Porro in hac νομοφυλακίᾳ æqualitas, æquitas, maturitas, ſpectentur.

Æqualitas.

19 Æqualitas facit ne det veniam coruo & vexet cenſura columbum. Hæc enim æqualitas poſtulat vt ſit proportio pœnę & commiſsi contra Leges, eáque Arithmetica ſine reſpectu perſonarum.

20. Porro hæc æqualitas partim in facti qualitate, partim in perſonæ conditione poſita eſt. Fraus à plebeio homine, & à perſona conſtituta in dignitate fungentíque præclaro munere, commiſſa: Si qualitatem facti reſpicis, ſimilis ratio eſt. Verùm quia conditio perſonarum eſt diuerſa, quæ vel extenuat vel exaggerat ſcelus, æqualitas poſtulat, vt plebeius mitius, in dignitate conſtitutus grauius puniatur.

21 Neque tamen hic perſonarum ſit reſpectus ſimpliciter: ſed grauitatis cauſſæ ratio habetur, quam prudens iudex perſpicit.

Æquitas.

22 Æquitas, quam Græci ἐπιείκειαν vocant, eſt cū propter certas circumſtantias à rigore Legis, & non à ſententia Legiſlatoris diſceditur.

23 Eſt autem hæc æquitas duplex, videlicet ciuilis, quam ius appellant: & naturalis, quæ ingenita eſt à natura animis bene ſentientium & iudicantium: qua nihil cum ſit melius, idcirco bonum nominatur.

24 Vt autem iudex non imtempeſtiuè vtatur ἐπιεικείᾳ prodeſt, vt ad hæc tria reſpiciat, Legem, Sontem, & Populum.

25 Cum Legem reſpicit, primum cauebit, ne indulgentia intempeſtiua, Legis autoritas minuatur, eleuetur & vileſcat. Deinde prudēter inquirat Legis extremam voluntatem, quæ ſane non vult perniciē ciuium, ſed emendationem potius, cum conſeruatione totius corporis.

26 In ſonte conſiderandum eſt, qualis ſit ipſe, qualeque delictum perpetratum, & an nocere poſſit exemplum.

27 In Populo duo cauēnda ſunt. Primum, ne lenitatis exemplum pariat peccato pàtrocinium. Deinde, ne cum damno & periculo ſocietatis humanæ parcatur reo. Nam tum melius eſt vt pereat vnus, quam vnitas.

28 Ex his concluditur hæc de æquitate regulá. Quando Legis voluntas admittit ἐπιείκειαν, & reus emendari ſine duriori pœna poteſt, & populus non redditur deterior exemplo: poteſt Magiſtratus clementiori ſententia vti, ac reo ſupplici emendationis ſpe parcere.

Maturitas.

29 Maturitas, & opportunitatem quærit, & moram frangit. Illa facit ne quid intempeſtiuè & non debito modo fiat. Hæc occurrit initiis, ne vnius flagitium ſerius punitum multis ſit occaſio petulantis contumaciæ aduerſus Leges & iudices.

30 Impunitas enim ſcelerum multos inuitat ad peccandum. Peccantium multitudo, pabulum eſt omnis generis flagitiorum.

Anabaptiſtæ refelluntur.

31 Cęterum, quia Anabaptiſtæ ex nonnullis Scripturæ dictis perperam intellectis, conantur tollere actiones forenſes, atque adeo ipſas Leges & iudices: ſciendum eſt quid pius animus tuto ſequi poſsit.

32 Solomon, Prou. 25. 9. ait: Age cauſſam, de qua eſt controuerſia inter te & proximum tuum, & arcanum alterius noli reuelare, ne contumelia afficiat te auditor, & infamia nunquam à te recedat.

Quomodo litigandum.

33 Hoc dictum ſapientis oſtendit litigationem forenſem licitam eſſe, imò præceptam. Verùm quid ſit ab ea excludendum monet. Vult vt partes inter ſe diſceptent de controuerſia, ſed amotis præſtigiis ſophiſmatum & ſycophantiarum. Vult frænari cupiditatem & proprium dolorem.

34 Nam qui omiſſa cauſſa in aduerſarium fertur, limites iuſti actoris excedit, ac ſibi ipſi infamiam inurit. Siquidem affectibus indulgens, ſæpe malè agendo, bonam cauſſam corrumpit.

Conciliatio.

35 Cum hac Solomonis ſententia non pugnat Paulus, 1. Cor. 6. 7. cum vult pios potius ſuſtinere iniuriam, quam eam perſequi in iudicio. Nam cum addit, Coram incredulis, ſignificat non malum per ſe eſſe perſequi ſuam cauſſam, ſed propter ſcandalum. Neque Chriſtus cum prohibet vindictam. Nam dānat tantum vltionis cupiditatem, quæ tendit in malum eius, de quo petitur vindicta.

36 Nam qui eo affectu petit vindictam, vt qui is qui priuatim offendit pereat, accerſit ſibi ipſi diuinam vindictam, iuxta dictum Syracidæ: Cupidum vindictæ vltio manet à Domino, & peccata eius ſedulo conſeruabit.

De vindicta licita & illicita.

37 Diſtinguatur igitur diligenter & rectè, inter vindictam licitam, & non licitam.

38 Qui patitur iniuriam, licitè petit defenſionē à Magiſtratu, tantum hoc ſpectans vt quietè ſibi viuere liceat. Verùm Magiſtratus qui exercet iudiciū Dei, & non hominis, debet iuxta leges coercere petulantiam eius qui iniuriam facit: & hæc vindicta dicitur publica, & Dei vindicta.

39 Sine hac publica vindicta, actum eſt de Legibus & tranquillitate ſocietatis humanæ. Quare Paulus Magiſtratui gladium datum eſſe dicit, vt ſit terrori malis operibus, & vindex ad iram.

40 Verum ſi exacerbato animo quæris non tam defenſionem tui, quam oppreſsionem aduerſarij, aut etiam ſi ſine legitima cognitione tuus ipſius iudex

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ętiam ſi ſine legitima cognitione tuus ipſius iudex & vindex velis eſſe,tua vindicta illicita eſt & damnãda.

XLV.

CONIVGALE IMPERIVM.

Vnde differentia œconomiarum.

1 CVM omnis Oeconomicę adminiſtratio cernatur in iis qui imperant, & in iis qui parẽt, neceſſe eſt vt hinc pętatur differentia œconomica ſocietatis & adminiſtrationis.

2 Nunc autem, vel maritus imperat & vxor paret,vel pater imperant & liberi parent,vel herus imperat & ſerui parent.

Diſtinctio œconomici imperij.

3 Hinc concluditur Oeconomicum imperium eſſe triplex,videlicet coniugale,Patrium & Herile.

4 Neque his obſtat, quod primogenitorum ius quoddam & autoritas fuerit olim in reliquos fratres eiuſdem familiæ: & procuratorum ſeu τῶν ἐπιτρόπων ſit poteſtas in reliquos eiuſdem familiæ ſeruos.

5 Nam nos hic loquimur de ea œconomica adminiſtratione, quæ ἀνυπεύθυνος à Platone dicitur & non continetur ſub alia,vt pars eius.

I. Societas coniugalis.

6 Prima harum ſocietatum, coniugalis,eſt imperium ἀνυπεύθυνον,quo maritus imperat, & vxor paret iuxta rectam rationẽ,Leges & ciuiles & diuinas.

Eius deſcriptio.

7 Hæc ſocietas coniugalis,omnibus ſtatibus hominum conceſſa, vniuſque viri & fœminæ legitima copulatio,conſeruatur recta imperandi ſcientia, legitima parendi alacritate,& promtitudine, vtrinque reddendi τὰ ἴσα ſeu τὰ αὐτὰ, vt Paulus loquitur, hoc eſt,ſi analoga officia ſibi mutuo præſtiterint maritus & vxor.

Mariti officium requirit.

8 Porro recta imperandi ſcientia in marito,poſita eſt in timore Dei, in cogitatione iugi communis,in affectione mariti erga vxorem,iuxta voluntatem Dei,in recta officiorum partitione,in noticia finium coniugalis ſocietatis.

Timorem Dei.

9 Timorem Dei ideo primo loco requiro, non ſolum quia eſt ἀμάχητος, verumetiam quia vt ſolus nos in obſeruantia mandatorum Dei,& in omni ſancta vocatione,continet: ita niſi quis ſe in timore Domini ſtudioſe continuerit,citò euertitur domus eius. Debet ergo ſumma & prima & regula in Oeconomica adminiſtratione timor Dei eſſe.

Sincerum affectum erga vxorem.

10 Secundò,cogitetur commune iugum,videlicet,quod vir & fœmina eodẽ quaſi iugo iuncti ſunt, ex quo hæc ſocietas dicitur coniugium, & ipſe maritus & vxor coniuges.

11 Huius iugi vinculum eſt,quo coniuges per beneuolentiam & fidem ad omne vitæ conſortium,diuinique & humani iuris communionem conſociantur atque conſtringuntur.

12 Hoc qui ſerio cogitat, non imperat vxori vt beluæ,ſed vt compari ſeu συζύγῳ:idque in timore Dei qui autor eſt huius iugi.

Iuxta coniugij primi inſtitutionem

13 Affectio mariti erga vxorem indicatur in cõiugij primi inſtitutione,in Sanctorum exemplis, & paſsim in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis: vt taceam pulcherrima dicta ſapientum, extructa ex Lege naturæ.

14 Alia animalia fecit Deus duplicia,ſcilicet maſculum & fœminam: hominem autem fecit vnum, & ex illo ſunt omnes & ſinguli procreati, vt ſcilicet, vnitatem pacis & concordiæ commendaret in homine:idque maxime in coniugio.

15 Cum Adę parenti noſtro non inuenitur adiutor coram eo,immiſit Deus ſoporem in Adam,cũque obdormiuiſſet, tulit vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea,& adduxit eam ad Adam, dixitque Adam, hæc verè os de oſſibus meis & caro de carne mea,hæc vocabitur *Iſcha*, quoniã de viro ſumta eſt: quamobrem relinquet homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam.

16 Hæc inſtitutio docet qualis affectus debeat eſſe mariti erga vxorem. Maritus & vxor ſunt vna caro,hoc eſt vnus homo,non quidem ſubſtantia, ſed affectu. Quare par eſt,vt maritus ſit affectus erga vxorem ſuam tanquam erga ſeipſum,& eam foueat ac diligat,tanquam proprium corpus.

Sanctorum exempla.

17 Sanctorum exempla plurima ſunt quæ nobis hunc dilectionis affectum mariti erga vxorem commendant,vt Abrahæ, Tobiæ, Dauidis & plurimorũ aliorum,quæ decet maritos pios imitari.

Dicta Scripturæ.

18 Dicta Scripturæ multa commendant maritis dilectionem erga vxores. Eph.5.25. Mariti diligite vxores proprias;vt Chriſtus dilexit Eccleſiam. Item, Sic debent diligere proprias vxores mariti,tanquam propria corpora. Qui diligit vxorem ſuam, ſeipſum diligit. Col.3.19. Mariti diligite vxores, & ne ſitis amari erga ipſas.

Ethnicorum dicta.

19 Sapientum,vt Philoſophorum & Poetarum, dicta prætereo,quale eſt illud Homeri: Qui bonus & prudens eſt,is & diligit & magnifacit propriam coniugem. Et illud Phocylidis: Dilige vxorem tuam. Quid enim ſuauius? quid melius?

20 Hæc dilectio, quam in maritis requiro erga vxores,excludit acerbitatem,tegit incidentia errata, non violentia & rumpentia coniugij fœdus, multa ἐπιεικείᾳ mitigat,ſub iugo communi ſubleuat.

21 Recta officiorum partitio etiam pars eſt ſcientiæ coniugalis. Mariti enim eſt iuſto labore victũ & ſibi & vxori quærere,tueri vxorem, non imperare vxori labores iſti ſexui non conuenientes.

Fines coniugij.

22 Fines coniugij plures ſunt. Clemens Alexãdrinus duos ponit,ad quos reliqui referri poſſunt: dicit fœminam viro datam eſſe,vt ſit βοηθὸς τῆς γενέσεως καὶ τῆς οἰκουρίας.

23 Ex Scripturis hi fines colligi poſſunt. 1. procreatio & educatio ſobolis. 2. ſocietas vitæ domeſticæ & mutuum auxilium. 3. Eccleſia domeſtica. 4. caſtitas, qua vitatur omnis impuritas contra ſextum præceptum. 5. conſeruatio Eccleſiæ,politiæ, & familiæ,per ſucceſsionem liberorum in locum parentum: quem finem & Plato,etſi Ethnicus,agnouit.

24 Si quis huc addit ſextum finem, videlicet, quod coniugium inſtitutum eſt,vt ſit quoddam myſterium arcanæ copulæ & amoris Chriſti & Eccleſię, non repugno,modo inde non faciat Sacramentum noui Teſtamenti.

Vxoris officium.

25 Deinde conſeruatur coniugalis ſocietas legitima parendi alacritate,videlicet cum vxores maritis ex dilectione ſubiectæ ſunt,& ea quæ requirit officij ratio præſtant.

26 Eſt enim ordo naturalis in hominibus,vt ſeruiant fœminæ viris. Nam natura poſtulat, vt maiori ſeruiat minor.

Eius partes duæ.

27 Hęc parendi ratio in duobus potiſsimum videtur ſita,videlicet in ornatu & φιλεργίᾳ.

28 De ornatu Syracides ait: Vxor verecunda & fidelis grata eſt, duplici commendatione cumulata. Hæc enim duo ſunt maxima mulieris ornamenta,verecundia & fides: quarum illa cauet omnem in dictis & factis turpitudinem,in primis autem mariti offenſionem:hęc,in rebus commiſsis creditiſque verſatur.

1. Ornatus triplex.

29 Paulus commendat in piis matronis tria ornamenta,Decentem amictum,verecundiam,& temperantiam.

30 Amictum decentem ſeu conuenientem requirit. Vt enim non vult fœminam ſordidatam eſſe

ita nec meretricio,ſed eo habitu, qui animum optimè compoſitum teſtetur.

31 Verecundia eſt,qua omne turpe & dictu & facto fugit,ne maritum vlla turpitudine offendat.

32 Temperantia,σωφροσύνη, modeſtiam, caſtitatem,ſobrietatem,& pudicitiam continet.

1 Induſtria.

33 Φιλεργία ſeu induſtria diligentiam adiunctam habet,laborémque facilè ſuſcipit.

34 Hæc induſtria grata eſt propter oportunitatem rerum domeſticarum, in quibus acquirendis, conſeruandis,augendis,mulier induſtria, diligens & laborioſa,plurimum poteſt.

Quomodo hæc ſocietas confirmatur.

35 Adhæc confirmatur ſocietas coniugalis,prõtitudine vtrinque reddendi τὰ ἴσα,hoc eſt, ſi maritus & vxor ritè ſibi inuicem præſtiterint analoga officia.

36 Hæc officia tum demum præſtari poſſunt, quando animi vero timore Dei, & mutuo amore deuincti ſunt & copulati.

XLVI.

PATRIVM IMPERIVM.

De parẽtum & liberorum officio.

SECVNDVM Imperium œconomicum eſt patrium, videlicet cum parentes imperant & liberi parent.

2 In hoc imperio ſpectandum eſt quid parentes liberis, & quid vicisſim liberi debeant parentibus. Nam mutuis officiis conſeruatur hæc parentum & liberorum ſocietas.

1. Officium parentum

3 Paulus Epheſ.6.4.paucis indicat officia parentum erga liberos cum inquit: Vos parentes nolite prouocare ad iram filios veſtros, ſed educate eos in diſciplina & admonitione Domini.

4 Hoc præceptum Apoſtoli docet & quid parentes vitare in patrio imperio, & quid ſuis liberis præſtare debeant,modo rite velint ſuo fungi officio.

Quid cauendum.

5 Primum enim cauendum monet,ne nimis ſeuere & aſperè tractent ſuos liberos.Durior enim tractatio, in qua nulla relucet paterna ſtorga, plurima habet incommoda.Nam & liberos reddit puſillanimes & ſtupidos,& paulatim odium inſtillat teneris mentibus aduerſus parentes. Vnde contumacia & rebellio naſcitur,vt vbi tandem velis lenior eſſe,fruſtra labores.

Quid præſtandum.

6 At vbi paternum imperiũ exercetur rectè, ibi autoritas quidem in timore & obſequendi ſtudio, εὐνοργία vero in amore & alacritate placendi parentibus,pueros retinet.

7 Recte quidem dicit Syracides: Qui ſuum diligit filium,crebro ei admouet flagella, vt in poſtremis vitæ ſuæ diebus gaudeat. Sed vult hanc caſtigationem dilectione temperatam eſſe.

8 Vt enim Blanda patrum ſegnes facit indulgẽtia natos: ita prudens educatio & iuſtum imperium dilectione temperatum,liberos frugi efficit.

1. Educentur liberi.

9 Quid autem liberis ſuis debeant præſtare parentes,breuiter monet Apoſtolus,cum ait: Educate illos in diſciplina & admonitione Domini. Hic tria requirit Apoſtolus à piis parentibus, quæ præſtabunt ſuis liberis,videlicet,educationem,diſciplinam & admonitionem.

10 Ad educationem liberorum obligantur parentes,Lege naturæ,mandato Dei, omnium hominum iure communi,& legibus ciuilibus.

In diſciplina contineantur.

11 Deinde requirit diſciplinam, qua vt inſtituuntur nati in rerum piarum & honeſtarum cognitione:ita humani & comes redduntur: quo ipſorum prudens conuerſatio & parentibus ipſis ſit honori, & reipublicæ vtilis.

12 Tertio loco requirit Apoſtolus admonitionem Domini,qua pueris veluti in animum ponunt, & ingerunt quid facto opus ſit. Vult enim Apoſtolus,vt illa teneris mentibus aſsiduis monitionibus, inſtillentur quæ Domini ſunt,hoc eſt, quæ ad veram pietatem & timorem Domini faciunt. Deinde etiã, adhibeantur artibus diſcendis, ad quas natura videãtur maxime idonei: idque vt & ſibi victum honeſte quærãt & ſint vtiles ſuo loco in Eccleſia & politia.

Admoneantur.

13 Parentes qui hæc officia negligunt, in naturã peccant, Deum horribiliter offendunt, (cuius vice funguntur in educandis liberis) liberos proprios perdunt, & in Eccleſiam & politiam ſunt crudeles. Quare & maledicti iuxta illud Prophetę: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.

14 Quid vicisſim liberi debeant parentibus, idẽ Paulus docet repetens Legem Dei: Honora patrem & matrem tuam, vt bene ſit tibi, & ſis longæuus in terra.

2. Liberorum officium.

15 Syracides 3.ait: Tam factis,quam dictis, patrẽ matremque honora, vt ab hominibus ad te benedictio perueniat. Vult Sapiens orationis reuerentiam cum cæteris vitæ officiis neceſſariis atque honorificis coniunctam eſſe,vt liberi ea tum dicant, tum faciant, in quibus ipſorum reuerentia erga parentes reluceat.

16 Verùm liberi qui hunc honorem non tribuunt parentibus, in naturam & in Deum horribiliter peccant. Huc illud Syracidæ: Quam infamis eſt deſertor patris,& maledictus à Domino,qui mouet indignationem matri ſuæ.

XLVII.

HERILE IMPERIVM.

De dominorum & ſeruorum officiis.

1 TERTIVM Imperium œconomicum,eſt herile,in quo herus imperat,& ſerui parent.

2 Scientiam imperandi ſeruis tradit Paulus Epheſ.6.9.hiſce verbis: Et vos Domini eadem facite ſeruis,remittentes minas, ſcientes quod & veſter ipſorum Dominus eſt in cœlis,& perſonarum acceptio apud Deum non eſt. Col.4.1. Domini quod iuſtum eſt & æqualitatem ſeruis præbete.

1. Dominorum officium.

3 Hæc Pauli teſtimonia quinque continent ſpectanda in herili imperio.Horum primum eſt, quod liceat homini Chriſtiano vti ſeruorum operibus. Secundum,quod Domini Chriſtiani debeant oculis fidei intueri ſuos ſeruos,& cogitare ſe & ipſos eſſe conſeruos Dei. Tertium ex ſecundo ſequitur, quod debeant placide illos tractare,non aſperè,aut Tyrannicè.Quartum,vt reddant τὰ αὐτὰ ſeu iuſtum & æqualitatem, hoc eſt iure analogo compenſent mercede & beneficentia illorum labores. Quintum, cum dicit apud Deum perſonarum acceptionem non eſſe, monet dominos de pœnis in quas incurrent, ſi tyrannice ſeruos ſuos tractauerint.

Eius partes.

4 Idem Apoſtolus ſeruis hanc regulam præſcribit. Eph.6.5. Serui obedite dominis veſtris carnalibus cum timore & tremore,& in ſimplicitate cordis veſtri,tanquam Domino,non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes,ſed tanquam ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei cum beneuolentia ſeruientes Domino,& non hominibus. Col.3.22. Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum ſeruientes quaſi hominibus placẽtes,ſed in ſimplicitate cordis timentes. Quodcunque facitis ex animo operamini tanquam Domino.

2. Seruorum officium.

5 Hæc Pauli dicta præſcribunt ſeruis iuſtam pa-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

rendi dominis ſuis rationem. Primo loco requirit in ſeruis timorem Dei, ſine quo nullum officium rectè præſtari poteſt, nec à dominis nec à ſeruis. Secundò, requirit in ſeruis ſimplicitatem: qua nequitia πανουργία ſeruilis, contumax rebellio & reſponſatrix audacia expellitur. Tertiò, requirit obediendi alacritaté in ſeruilibus officiis. Quarto regulam obediẽtiæ tradit çum iubet ſeruos obedire Dominis tanquam Chriſto; Quare vult vt Chriſtiani ſerui in omnibus actionibus ſuis ad mandatum Dei reſpiciant. Poſtremò magnifice ſeruorum obedientiam ornat, cũ ipſam Deo præſtari pronunciat.

6 Verùm ſerui qui hanc ſuam parendi regulam negligant, plerunque puniuntur egeſtate in ſenectute, vt taceam maledictionem in quam ſua contumacia iuſtè incurrunt.

XLVIII.

DIVITIÆ.

Exordiũ à refutatione erroris monachoru de perfectione, quã in ficta paupertate cõſtituunt.

1 IN primis Monachorum error deteſtandus eſt, qui perfectionem Chriſtianam poſuerunt in mendicitate, & diuites omnes extra perfectionis ſtatum eſſe falsò ſtatuerunt.

2 Nam neque diuitiæ, neque paupertas, per ſe, aliquem meliorem aut deteriorem faciunt. Quare rectè ille apud Terentium, diuitias neque in bonis neque in malis numerat, ſed tales dicit eſſe, quales ſunt ij, qui illis vtuntur. Idem plane iudicium eſt de paupertate ſeu mendicitate.

3 Si quis ergo bene vtitur diuitiis, bonæ cenſentur: Contra vero, ſi male, malæ culpa vtentis ſunt.

4 Hinc rectè Plato diuitias cæcas eſſe pronũciat ſine prudentia: acutum aũt cernere, cum prudentiã ſequuntur. Et ſapiens: Diuitiæ ſunt bonæ ei, in quo non eſt peccatum, & paupertas mala in ore impij. Et Bernhardus. Crimen non eſt in rebus, ſed in vſu agẽtis. Item, nec diuiti obſunt opes, ſi eis bene vtatur: nec pauperem egeſtas commendabilem facit, ſi inter inopiam ſordes peccati non caueat.

Regula.

5 Proinde conſtãter teneatur hæc regula, Quod neque diuitiæ, (loquor autem de terrenis diuitiis) neque paupertas ſeu mendicitas, per ſe, hominem coram Deo commendabilem reddant.

6 Cum igitur diuitiæ à Domino dicantur ſpinæ, & ab Apoſtolo laqueus, non ad rerum naturam, ſed ad abuſum referendum eſt. Nã multi diuites, ſuis diuitiis malè vtuntur, & inde fiunt petulantes, & ſuperbi ac pugnaces, atque ita in alios contumelioſi & iniurij, iuxta dictum Græcorum, πλοῦτος ὕβριν τίκτει.

A diuitibus tria requiruntur.

7 Ne ergo piis diuitiæ fiant vel ſpinæ, vel laqueus, ſed inſtrumenta potius multarum virtutum, in gloriam Dei, & multorum vtilitatem: tria ſunt in diuitiis ſpectanda, videlicet iuſta acquiſitio, pia poſſeſſio, ac prudens adminiſtratio. De his tribus ordine dicemus.

1. Sit diuitiarum iuſta acquiſitio.

8 Quantum itaque ad iuſtam acquiſitionem diuitiarum attinet, ſex ſequentes regulæ teneantur.

9 Prima, Summa cura & præcipua, in tota vita, & omni actione noſtra, ſit ſalutis animæ noſtræ, iuxta Domini dictum: Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius.

10 Secunda, Quia hæc vita opus habet adminiculis, iuxta ordinationem Dei, quæri poſſunt facultates, licetque iis quæ ad victum cultumque neceſſaria ſunt quærendis operam dare. Hæc regula confirmatur non ſolum promiſsione diuina. Deus enim pie laborantibus benedictionem promittit: verumetiam multorum Sanctorum exemplis, qui ampliſſimis ſua induſtria partis diuitiis, abundarunt.

11 Tertia, Sit labor noſter in legitima vocatione legitimus, vt bona conſcientia gloriari poſsimus, nos in vllius fraudem nihil egiſſe.

12 Quarta, Abſint malæ artes, quibus facultates aliorum ad nos auarè trahamus: abſint fallaciæ & fraudes in contractibus.

13 Quinta, Omnibus contractibus, approbatis à gubernatoribus ſapientibus, liberè vtamur.

14 Sexta, Lucrum, quod proficiſcitur, nobis laborantibus, ex benedictione Dei, capiamus tanquã ex manu Dei, fructumque laboris noſtri tanquam iuſtam mercedem, percipiamus cum gratiarum actione.

15 Partas his viis diuitias vt pie poſsideamus ſũma cura adhibẽda eſt. Nam niſi pie poſſederis, quod iuſte acquiſitum eſt, tibi ipſi laqueum ad interitum paraſti.

2. Pie poſſideantur.

16 Hic proinde regula Dauidis, Pſalm. 62. 11. obſeruetur: Si diuitiæ affluant, nolite cor apponere, hoc eſt, nolite fiduciam collocare in diuitiis, ſunt enim incertæ.

17 Hæc regula Dauidis vult, vt animus noſter non ſit affixus diuitiis: vult vt non metiamur felicitatem fallaci diuitiarum menſura: vult vt non efferamur ſuperbè aduerſus tenuiores.

18 Quicunque ergo pius eſſe velit, abiiciat fiduciam diuitiarum: ne ſibi in laqueos vertantur: ne ſibi intercludant aditum regni cœlorum. Sit ſpes firma in ſolo Deo, ſiue augeantur, ſiue minuantur, ſiue auferantur diuitiæ. Retineatur verus theſaurus Ieſus Chriſtus. Qui enim hunc habet, verè diues eſt, etiãſi cum Lazaro mendicet panem.

19 Hic affectus in Paulo Apoſtolo fuit, qui ita de ſe ait, Phil. 4. 12. noui & humilis eſſe, & abundare, hoc eſt, paupertate, contemtu, & ærumnis preſſus, non frangor animo, ſed ſubmitto me voluntati Dei, & conſtanter perfero aduerſæ fortunæ ſæuitiam. In felici rerum ſucceſſu minime ſuperbio, ſed in timore Dei, cum gratiarum actione, præſentibus bonis vtor.

20 Hoc ſuum exemplum vult omnibus piis cõmendatum Apoſtolus. Nam ſumma ars piorum eſt, nec aduerſis frangi, nec proſperis efferri.

21 Verùm huius artis principia duo ſunt, videlicet, viua fides, & verus timor Dei. Fides enim facit, ne in aduerſis ſuccumbamus. Timor Dei nos reprimit, ne in proſperis efferamur. Vtrunque principiũ inuocatione Dei fulcitur & conſeruatur.

3. Prudenter adminiſtrentur.

22 Cum in hunc modum animus diuitis compoſitus eſt, debet de prudenti adminiſtratione ſuarum diuitiarum cogitare, vt rectus & legitimus ſit diuitiarum vſus.

23 Etſi autem laudanda eſt ſententia Xenophõtis, qui vſum diuitiarum triplicem facit: (Primã partem cultui diuino tribuit. Secundam amicis indigentibus. Tertiam conſeruationi & ornamento Reipublicæ, in qua quis viuit) tamen nos verbo Dei edocti, diſtinctius paulo & clarius oſtendemus pium & verũ diuitiarum vſum qui in quatuor poſitus eſt.

Primus vſus diuitiarum: conſeruatio religionis.

24 Primus ergo & principalis diuitiarum vſus eſſe debet, vt ſeruiant conſeruandæ religioni, & propagandæ gloriæ Dei.

25 Hic vſus confirmatur ex fine hominis. Homo enim primum conditus, & deinde regenitus eſt per ſpiritum ſanctum, vt Deum glorificet. Proinde quicquid bonorum habet homo, ad iſtum ſuæ creationis & reparationis finem referre debet.

26 Hîc multi, miſerè ineſcati cupiditate habendi, horribiliter peccant. Sunt enim diuites, qui nihil

prorſus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

prorſus conferunt ad conſeruandum verbi miniſterium. Sunt qui rapiunt ſceleratè, quæ diuino cultui à maioribus noſtris deſtinata ſunt. Sũt qui diuitiis ſuis augent potentiam Tyrannorum ad opprimendam Eccleſiam, & abolendam religionem, quibus præſtaret ſi nunquam nati fuiſſent. Nam illorum portio, tandem erit cum Diabolo, cuius ſatellites ſunt.

27 Pius ergo cui contigere facultates in hoc mũdo, intueatur finem creationis & regenerationis ſuæ: & partem ſuarum facultatum conferat in hunc vſum vt Dei gloriam ornet, ac veram religionem ſuis opibus promoueat.

28 Proponat ſibi pius piorum hominum, vt Dauidis, Ioſiæ, Ezechiæ, Conſtantini, Theodoſij, item multorum honeſtorum nobilium & ciuium, aliorũque exempla, quorum hæc præcipua cura fuit, pro ratione facultatum ornare gloriam Dei, iuuare docentes & diſcentes religionem, conſeruare Scholas, & honeſta Scholarum priuilegia, defendere Doctores pietatis contra ſæuitiam & iniuriam Tyrannorum, quibus nihil dulcius eſt, quã varias artes & vias excogitare, quibus opprimere poſſunt docentes & diſcentes. Horum Tyrannorum vicem toto pectore doleo. Nam reproba ſua mente magis magiſque ſe immergunt in gehennam.

Secundus vſus: conſeruatio rerumpublicarum.

29 Secundus vſus diuitiarum verus & legitimus eſſe debet, vt eas reſpub. in quibus viuimus, iuuemus & ornemus pro noſtrarum facultatum modulo.

30 Hanc ob cauſſam tributa imponuntur, vt illis tanquam neruis contineatur reſpublica, hoc eſt, vt ſint ornamenta pacis, ſubſidia belli legitimi, & præmia eorum, qui Reipublicæ præſunt.

31 Hic non parum peccant duo hominum genera. Sunt enim quidam, qui tametſi abundant facultatibus: tamen cum aliquid erogandum eſt in vſum Reipublicæ, hoc vafrè reiiciunt in miſeram plebeculam, quæ vltra vires & facultates conferre quæ petuntur, cogitur. Qui autem hoc faciunt, ſuo reſeruantur iudicio.

32 Sunt etiam forte, qui non contenti ordinariis reditibus, nouas exactiones ſubditis imponunt, qui non tam furti, quam ſacrilegij rei, coram Dei tribunali, ſiſtuntur.

33 Verùm hoc intelligi cupio prudenter. Nam hîc diſcerno inter tempora pacis, & belli. Tempore pacis ſit contentus Magiſtratus ordinariis reditibus ne in Deum peccet. Tempore belli, corpora & facultates ſubditi ſuo magiſtratui debent. Verùm hîc piam prudentiam moderatricem eſſe oportet.

Tertius: conſeruatio familiarum.

34 Tertius vſus rectus & legitimus diuitiarum eſt, vt quilibet pro ratione ſuæ perſonæ ſtatum ſuũ tueatur, honeſtè viuat, ac ſuam familiam alat atque defendat.

35 Verum hîc cauenda ſunt duo vitia, ſordes & prodigalitas. Sordes ſunt indignæ pio homine. Prodigalitas effundit temere facultates: ſæpe in ſplendorem ſtatui minime conuenientem.

36 Pius nobilis tueatur ſuum ſtatum, relinquat principibus ſuam magnificentiam. Honeſtus ciuis relinquat nobilibus ſuum ſplendorem. Doctor pietatis in Scholis & templis, modeſte tueatur ſuum ſtatum, ſine thraſonico faſtu. Breuiter, quilibet, quod ſuæ perſonæ conueniat, cogitet.

Quartus: cura & cõſeruatio pauperũ.

37 Quartus & poſtremus vſus rectus & legitimus diuitiarum ſit, vt diuites afficiantur egenorum calamitate, eoſque ſubleuent ſuis facultatibus.

38 Nam hoc conſilio Deus abſque omni dubio vult in medio noſtri eſſe pauperes & egenos, vt exploret, & qua ſimus erga ipſius mandatum obedienti promtitudine, & quo ſimus affectu erga filij Dei membra.

39 Quare non ſine cauſſa in extremo die prouocabit Dominus ad opera miſericordiæ, tanquam ad teſtes fidei & timoris Dei. Eſuriui, inquit, & dediſtis mihi cibum, ſitiui, & dediſtis mihi potum, hoſpes eram, & collegiſtis me.

40 Cur autem tanti faciat opera miſericordiæ Dominus, oſtendit cum ait: Amen dico vobis, quatenus feciſtis vni ex iſtis fratribus meis, mihi feciſtis, & quatenus non feciſtis vni ex iſtis minimis, nec mihi feciſtis.

Præmia recti vſus diuitiarũ.

41 Huiuſmodi verum & rectum diuitiarum vſum, duo præter ſpiritualia præmia, conſequuntur: ſtabilitas bonorum, & illuſtris beneficiorum commemoratio in cœtu piorum, quæ eſt ſumma gloria. Ita enim Sapiens ait: Itaque eius bona conſtabilientur, eiuſque beneficia in cœtu Sanctorum commemorabuntur. Et Pſalmus 112.9. Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Hoc eſt, perpetuo in hominum memoria durat.

Supplicia impiis diuitibus parata.

42 At quanta mala concomitantur iniuſtam acquiſitionem, & profanum abuſum diuitiarum, nemo oratione explicare poterit. ſumma tamen huc redit, quod conſcientia ſcelerum, & metu iudicij diuini tãdem proſtrati miſerrimè ſuas opes ſint relicturi, vel hæredibus ſuis in laqueum, vel alienis, & plerunque hoſtibus. Atque ita tandem, ſuo magno malo, diſcũt vanam fuiſſe ſpem, quam collocarunt in diuitiis, vero & viuo Deo poſthabito. Nam fieri non poteſt, vt ſimul & Mammonæ & Deo vero ſeruias.

XLIX.

CVRA.

Vtilitas huius doctrinæ à conſideratione oppoſitorũ.

1 VT nulla maior peſtis eſt veri cultus Dei, quam ethnica & profana cura & ſolicitudo, ita ſummus cultus Dei eſt, cum vnuſquiſque ſolicitè ambulat coram Deo in vocatione ſua.

2 Eſt itaque operæprecium, vt pij recte inſtituantur, ne nimium vel in dexteram partem deflectãt, omnem curam abiicientes: vel in ſiniſtram, ethnica & profana cura tabeſcentes.

Triplex cura.

3 Eſt autem triplex cura. 1. Quædam enim eſt neceſſaria & ſancta. 2. Quædam ethnica & profana. 3. Quædam ex vtroque genere mixta.

1. Neceſſaria & ſancta.

4 Neceſſaria & ſancta ſolicitudo eſt pars officij Chriſtiani hominis, quæ nobis & mandato Dei, & multis illuſtribus exemplis commendatur.

Confirmatio à dictis.

5 Paulus enim Rom. 12.8. ait: Qui præeſt, in ſolicitudine præſit 1. Tim. 5.8. ſi quis ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior.

Ab exemplis.

6 Exempla huius ſanctæ curæ, ſacra hiſtoria pluríma ſuppeditat, vt Noe, Abrahæ, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moſis, Iudicum, Regum, Ducum, Prophetarum, ſacerdotum, &c.

7 Breuiter, vera pietas cõſiſtere nequit, niſi hæc ſancta cura adſit, cum in communi piorum omnium tum in ſingulorum vocatione & officio.

Applicatio.

8 Pius proinde rex, pro ſuo regno & ſubditis, pius paterfamiliâs, pro ſua domo, vxore & liberis, pius Euangelij miniſter, pro commiſſa ſibi Eccleſia, & quilibet pro ſeipſo, ſanctam ſolicitudinem habere debet.

Eius limites quatuor.

9 Vt autem ſancta hæc cura certis limitibus claudatur, in ea ſpectanda ſunt quatuor, videlicet, mandatum Dei, fides, finis, & modus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Mandatū. 10 Mandatum Dei eſt quo præcipitur hæc ſancta cura. Hoc mandatum iubet, vt Deum, proximū, & nos ipſos intueamur. Vult enim Deus, vt coram ſe ſolicitè ambulemus. Vult vt proximos pia cura foueamus. Vult vt noſtræ ſalutis & vocationis rationem habeamus.

Fides. 11 Fides ideo requiritur, quia nihil ſine fide rectè fieri aut Deo placere poteſt. Deinde fides eſt veluti regula huius ſanctæ curæ. Nam niſi ad hanc regulam moderemur curam noſtram; ſancta eſſe non poteſt.

Finis. 12 Finis principalis debet eſſe gloria Dei, cui alij plures ſubordinentur, vt Status cuiuſque incolumitas, Conſeruatio œconomiarum & Politiarum, Eccleſiæ ædificatio. Hi omnes gloriæ Dei deſtinentur.

Modus. 13 Modus ſanctæ curæ hic eſſe debet, vt pius in omnibus actionibus ſe voluntati Dei ſubiiciat, à quo non ſolùm ſucceſſus petendus eſt, verumetiam, ſi parum labor noſter votis reſponderit, ipſius tamen beneplacito nos ſubmittamus.

Obiectionis explicatio, inſignibus exemplis cōfirmata. 14 Quod autem Deus non ſemper ſinat, vt votis noſtris omnia reſpondeant (ſæpe enim fruſtra videmur vel ſummam curam adhibuiſſe, ſæpe preces noſtræ videntur contemni) in cauſſa eſt dilectio Dei erga nos. Ea eſt enim noſtra imbecillitas, vt in rebus proſperis facilè vincamur à vana gloria, partem ſaltem noſtri ſucceſſus nobis ipſis aſcribentes: ſicut ſcribitur de Ioſia, qui cum roboratus eſſet, cor ipſius in interitum eleuatum eſt. Et Ezechias in afflictione iuſtus fuit: in proſperitate, à vana gloria eſt victus.

15 Epiſcopi Romani in paupertate & perſecutione ſanctiſsimi fuere: at ſucceſſores in diuitiis, ſplēdore & proſpero rerum ſucceſſu, obliti ſunt Dei, & ex paſtoribus verſi ſunt in lupos.

16 Eccleſia ſub tyrannis ſancta erat: poſtea ex fauore Imperatorum facta eſt remiſſior. Veriſſimum eſt enim dictū Prophetæ: Afflictio dabit intellectū.

17 Quapropter ſingulari arte opus eſt, ne rerum proſperitate abutamur in noſtram ipſorum perniciem. Atque ob eam cauſſam, Deus paterno conſilio, & ſingulari dilectione facit, vt nos interdum aſperioribus flagellis cohibeat, ne ferociores facti, iugū obedientiæ abiiciamus. Neſcit enim mens hominis ſeruare modum, rebus ſublata ſecundis.

2. Mala & profana. 18 Mala & profana ſolicitudo, quæ & ethnica dicitur, & Matth. 13. 22. ſuffocans: Solicitudo, inquit, ſeculi huius, & ſeductio diuitiarum, ſuffocat ſermonē, vt non ferat fructum.

Eius origo. 19 Naſcitur autem hæc profana ſolicitudo ex diffidentia & ignorantia prouidentiæ diuinę, & prohibetur ſæpe verbo Dei. Matth. 6. 34. Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum, 1. Petr. 5. 7. Omnem curam proiicientes in illum.

Error. 20 Hæc profana cura, in cauſſa, in fine, & in modo, longiſsime aberrat à ſancta & pia ſolicitudine. In cauſſa: quia oritur à diffidentia & ignorantia. In fine: quia præſentis vitæ ſecuritatem & tranquillitatem tantum ſpectat. In modo: dum iuſtum modum & menſurā traſgreditur, mundana cœleſtibus, peritura æternis, ſaluti animæ tranquillitatē corporis, præponens. Non enim ſe ſubiicit voluntati Dei: ſed potius fremit aduerſus Deum, iraſcitur Deo, quando omnia ex voto non ſuccedunt.

3. Mixta. 21 Mixta ſolicitudo eſt, qua curamus quidem, quæ officij noſtri ſunt: ſed modum non ſeruamus. Sępe enim propter innatam in nobis intemperantiam, in officium Dei ſacrilegè irrumpimus. Vt cum Paterfamiliâs, rectè quidem ſecundum mandatum inſtituit familiam, liberos curat, quærit victum, &c. ſed non rectè laborem & curam partitur. Labor quidem cum ſancta cura in vocatione requiritur: ſed euentus Deo commendandus eſt, cauendumque ne trepidatio aut nimia anxietas ad impatientiam & profanitatem impellat.

22 Quare hic opus eſt precatione, aduerſus ſolicitudinis tentationem, qua noſtra vota Deo commendemus, vt ipſe nos laborantes adiuuet & euentum gubernet.

L.

PERFECTIO CHRISTIANA.

Scopus ſcripturæ. 1 CVM tota Scriptura, teſte Apoſtolo, 2. Tim. 3. 17. eò pertinet, vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus: huc nonnulla de perfectione Chriſtiana, ad quā omnia quæ hactenus diſputauimus, tanquam ad finem ſeu ſcopum referenda ſunt, adiiciam.

Perfectio piorum. 1. In præſenti vita. 2 Omnium primùm ſtatuendum eſt diſcrimen inter perfectionem duplicem piorum. Nam alia eſt perfectio piorum in præſenti vita: alia erit in futura.

3 Perfectio piorum in præſenti vita, non æſtimanda eſt ex perfectione ſeu impletione Legis: ſed ex imputatione diuina, cordis rectitudine, & alacritate obediendi Deo, qualis in omnibus vere piis exiſtit.

4 Monachi inſulſè definiūt perfectionem Chriſtianam eſſe, abdicare diuitias, & paupertatem ſpontaneam amplecti.

Refutatio erroris Monachorum. 5 Etſi autem Dominus Matt. 19. 21. iuueni, à quo interrogatus erat de modo conſequendi vitam æternā, dicit: Si vis perfectus eſſe, vade, vende tuas poſſeſſiones & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlis, & veni & ſequere me: tamen non recte ex perſonali mandato, conſtituunt generalem regulam, & ex ſingulari facto vniuerſalem definitionem: præſertim cum exceptiones ſint manifeſtæ.

6 Nā Noe, Abraham, Dauid, & multi alij, perfecti in Scriptura dicuntur: qui tamen ſuas facultates non abiecerunt, ſed eis, vt plurimarum virtutum inſtrumentis, recte vſi ſunt.

7 Non ergo dictum Domini ad iuuenem, accōmodandum eſt in ſpecie ad generalem definitioné: ſed in genere tantum. Nam ſi iuuenis iſte ſecutus fuiſſet Chriſtum, & antepoſuiſſet obedientiam erga ipſum ſuis diuitiis, vere fuiſſet perfectus. Proinde omnis, qui ex fide Chriſti anteponit obedientiam erga ipſum omnibus rebus chariſsimis in hac vita, perfectus rectè dicitur.

8 Abraham iuſtus fide promiſsionis, iubetur à Domino, filium ſuum vnigenitum, quem diligebat, Iſaac mactare in holocauſtum. Hic quia Abrahā anteponit obediētiam erga Deum filio, quo nihil erat illi dulcius in vita, nihil carius, pronūciatur perfectus.

Monachorum. 9 Hoc Abrahami exemplum duo docet. Primùm, quæ ſit perfectio perſonæ. Deinde, quę ſit perfectio operis.

10 Perfectio perſonæ eſt ex fide Chriſti obedientiā erga Deū pręferre omnibus rebus mūdi. Perfectio operis eſt, cum opus perfectum eſt, non quidem opere operato, vt loquuntur, ſeu operis conſummatione, ſed propoſito operantis & acceptione diuina.

12 Abraham enim non perfecit opus mandatū: ſed quia propoſitum fuit rectum, & voluntas prompta, Deus acceptauit opus.

Partes. 12 Porro partes Chriſtianæ perfectionis ſunt, rectitudo mentis, puritas affectuū, & morū integritas.

13 Rectitudo mētis eſt rectè ſentire de Deo, iuxta ipſius verbum. Puritas affectuum agnitione noſtræ in-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſtræ infirmitatis, fiducia Mediatoris, & voto pietatis continuandæ æſtimatur. Morũ integritas in pietate erga Deum, ſanctimonia vitæ, dilectione erga homines, & ſancta, in vocatione cura.

Definitio.

14 Vel vt omnia breuius dicamus. Perfectio Chriſtiana eſt retinere fidem & bonam conſcientiam.

15 Neque perfectionis vox in hoc loco, imperfecto gradibus: ſed fucato & mendaci, hoc eſt, hypocriſi, opponitur.

16 Breuiter, Perfectio Chriſtiana in hac vita, in vera pietate & non fucata conſiſtit.

17 Eſt ſiquidem pietas vera, fundamentũ, principium, dux, & gubernatrix omnium virtutum.

18 Fundamentum, quia ſuper ea extruuntur veræ virtutes. Principium, quia ab ea manant, vt à fonte riuuli. Dux, quia regit eas, & continet intra verbi Dei limites. Gubernatrix, quia dirigit eas, vt recta ad finem verum ferantur, videlicet, ad gloriam Dei, ædificationem Eccleſiæ, & vtilitatem proximi.

19 Perfectio Chriſtiana in futura vita conſtabit perfecta regeneratione corporum & animarum, & conformitate noſtri cum Deo, qui erimus Deo iuncti perfecto amore in omnem æternitatem.

20 In hac coniunctione noſtri cũ Deo ſummo bono, poſitus eſt finis bonorũ hominis, & vera hominis beatitudo & ſalus. Hanc donet nobis Pater cœleſtis in Chriſto vnico Mediatore.

LI.

STATVS ANIMAE post mortem corporis.

1 QVI fingunt animas poſt mortem corporum vel interire, vel dormire, ſeu nihil ſentire, ſiue boni, ſiue mali, contra Scripturam ſentiunt: quæ & vitam & ſenſum tribuit animabus, poſtquam diſceſſerunt à corporibus, id quod Scripturis confirmabimus.

2 Primùm enim filius Dei dicit, Ioan. 11.25. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet, hoc eſt, etiamſi moriatur ad tempus, quoad corpus attinet: tamen anima viuet, quæ eſt ita creata vt ſit immortalis.

3 Significat ergo Dominus duo, Primùm, quod anima morientis in fide Chriſti, ſit poſt mortem victura beata. Alterum, quod anima non credẽtis, ſit victura miſera.

4 Secundò, Orta diſſenſione inter Phariſæos & Sadducæos de anima poſt mortem, viuatne an moriatur: quorum illi & animam viuere poſt mortem, & corpora aliquando viua proditura ex ſepulchris, recte ſtatuerunt: hi autem neutrum crediderunt. Horum ergo falſam opinionem Dominus hoc argumento euertit, Mat. 22.32. Deus eſt Deus viuorũ. Deus eſt Deus Abraham, Iſaac & Iacob. Ergo Abraham, & Iſaac, & Iacob viuunt. Non autẽ nunc corporibus. Igitur animabus: quæ aliquando redibunt ad corpora, vt & ipſa viuant.

5 Tertiò, Dominus dicit diſcipulis ſuis, Mat. 10. 28. Nolite timere eos qui corpus occidunt, & animã non poſſunt occidere. Sed timete eum potius, qui & animam & corpus poteſt perdere in gehenna. Quid poteſt clarius dici de vita animæ poſt mortem corporis?

6 Quartò, Salomon claris teſtatur verbis, quid illi futurum ſit, qui moritur in timore Dei. Puluis, inquit, (id eſt corpus hominis) redibit ad terram, vnde ſumtus eſt. Spiritus autem, (id eſt, anima hominis) redibit ad Deum, qui dedit illum. Eccleſiaſt. 12.7.

7 Quintò, Sap. 3.1. ita ſcriptum eſt: Iuſtorum animæ ſunt in manu Dei, & non tangit illas tormentũ. An non hoc dictum congruit cum Chriſti & Solomonis dictis, de vita animæ poſt mortem corporis?

8 Sextò, Chriſtus proponens hiſtoriam de diuite & impio Epulone, & de paupere & pio Lazaro, Luc. 16.19. an nõ apertiſſimè affirmat vtriuſque animam poſt mortem corporis viuere? Illius quidem, in pœnis miſeram: huius verò, in ſinu Abrahæ beatam? Quid? An non eſt hoc animã poſt mortem corporis viuere & ſentire? miſeram eſſe vel beatam?

9 Septimò, Petrus Apoſtolus claris affirmat verbis, eorum animas detineri in carcere, qui Chriſti ſpiritui ſonanti in Noe, & inuitanti ad pœnitentiã non crediderunt. Quare neceſſe eſt fateri impiorũ animas poſt mortẽ corporum, & ſupereſſe, & viuere, & ſentire pœnas. 1. Petr. 3.19.20.

10 Octauò, Sanctus Ioannes, in ſua reuelatione, cap. 6.10. dicit Sanctorũ Martyrum animas clamare in cœlo, & expetere vindictam eorum, qui ſua corpora occiderunt. Si ergo Sanctorum animæ in cœlo ſunt beatæ cum Deo: vanus eſt, qui eas vel interijſſe, vel ita ſopitas, vt nihil ſentiant ſtatuit.

11 Nonò, Quid audit Latro qui pependit in cruce, & dixit: Domine memento mei dum veneris in regnum tuũ? An non ei reſpondit Dominus, Luc. 23.43. Hodie eris mecum in Paradiſo, hoc eſt, in loco cœleſti & beato? Quod ſane non de corpore latronis intelligi poteſt. Quare neceſſe eſt vt de anima accipiatur, quæ nunc beata viuit in cœlo, cum Chriſto, & multis Sanctorum animabus, & caſtiſſimis Dei angelis.

12 Decimò, Chriſtus moriturus in ara crucis pro peccatis noſtris clamauit & dixit: In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. Luc. 23.46. Iam autem ipſe dicit, Ioan. 12.26. Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Quare vt anima Chriſti recepta eſt in cœlũ in manus Dei: ita omniũ eorũ animę recipiuntur, qui Chriſto per fidem inſerũtur. Quod enim in capite præceſſit, ſequetur in membris.

13 Vndecimò, cum Iudæi Stephanũ propter Chriſti confeſſionẽ obruerent lapidibus, vidit Stephanus cœlum apertum, & filium Dei ſtantem ad dexterã Patris, quem moriturus inuocat & ait: O Domine, accipe Spiritum meum. Act. 7.59.

14 Hîc videmus Iudæos habuiſſe poteſtatem in corpus Stephani, ſed non in animam, quam filius Dei in cœlum ad ſe recepit, vt illic beata viuat. Nec aliter ſentiendum, de aliorum piorum animabus.

15 Duodecimò, Paulus poſt multas moleſtias in Apoſtolico munere, tandem ait, Philip. 1.23. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Diſſolutio hæc, fuit animæ à corpore ſeparatio, qua animam poſt mortem non dubitabat manſuram cum Chriſto, corpore in terra condito.

16 Decimotertiò, Ioannes dicit: Beati mortui qui in Domino moriuntur: requieſcũt à laboribus ſuis, & opera eorum ſequuntur eos. Apoc. 14.13.

17 Si mortui ſunt beati: certe beati ſunt reſpectu animarum. Nam corpora ante reſurrectionẽ communem, nec bonum nec malum ſentiunt. Si iam animæ ſunt beatæ: certe ſunt, viuunt, gaudẽt in cœlo cum angelis Dei.

18 Omitto Platonis, Ciceronis, Macrobij, Lucretij, Xenophontis, Senecæ, & aliorum plurimorum Philoſophorum ſententias, de animarũ immortali-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tate, quæ etſi veræ & præclaræ ſunt: tamē, quia quærimus immotam certitudinem, maneamus apud tredecim illas demonſtrationes, quas ex verbo Dei infallibili adduximus.

Ex ſuperioribus demōſtrationibus concluſiones tres certiſſimæ.

19 Ex demonſtrationibus adductis, hęc ordine, & abſque omni dubio, concludamus.

20 Primum, quod hominū animæ vere ſuperſunt, viuunt & ſentiunt, mortuis & in puluerem redactis corporibus.

21 Secundum, quod omnium impiorum animę ſint in ſummis doloribus, & tormentis nunquam finiendis.

22 Tertium, quod omnium eorum, qui in Domino mortui ſunt, animæ ſint beatæ, abſque omni dolore & tormento: ſint apud Deum, ſint cum Chriſto: expectent corporū glorioſam reſurrectionem, & extremum iudicium, quando redibūt animæ in corpora viua, ac vnà viuant in omnem æternitatem beati. Amen.

LII.

RESVRRECTIO mortuorum.

Neceſſitas huius articuli in fidei doctrina.

1 QVONIAM fides reſurrectionis mortuorum, in qua boni donabuntur vita æterna, & mali ſupplicis nunquam finiendis ſubijcientur, excedit omnem ſenſus noſtri & rationis menſuram, neceſſe eſt, vt firmis fundamentis noſtram fidem confirmemus: ne cum Epicureis & maxima colluuie generis humani, vel de hoc articulo dubitemus, vel prorſus fidem eius abijciamus.

Methodus diſputationis de reſurrectione.

2 Duo ergo hic faciemus. Primum, iaciemus ſolida fidei noſtræ fundamenta, quo ſit immota fides noſtra, de hoc articulo. Vt enim quod facilius ſculpitur facilius abolętur: ita citius venit in dubium, quod velocius fuerit perſuaſum. Non ergo leuia, ſed ſolidiſſima argumenta proferemus, quibus fides huius articuli nitatur. Deinde reddemus rationem, cur filius Dei non dicat credentes, ſed eos qui bona fecerunt, prodituros in reſurrectionem vitæ: qui verò mala fecerunt, in reſurrectionem iudicij.

Primum fundamētum: Certitudo veritatis Dei.

3 Cogitantes itaque de hoc articulo, primum omnium veniet nobis in mentem, qua certitudine nitatur vniuerſa Scriptura Prophetica & Apoſtolica, quam cum conſtiterit eſſe infallibilem & immotam, animus nō amplius de vlla promiſſione Dei dubitabit, quantumuis illi videantur ſenſus & ratio, adeóque tota natura contraria eſſe. Nam vt ratio & ſenſus non ſe extendunt vltra naturæ limites: ita fides promiſſionum diuinarum prorumpit cœlum, non dubitans de vlla promiſſione Dei. Nam Deum potentem, iuſtum, veracem, ſtatuit.

Alterum: perpetuitas regni Meſſiæ.

4 Deinde regnum Meſſiæ, quod habet perpetuum Scripturæ cōſenſum de perpetuitate, intueamur. Hoc regnum Chriſti, quod eſt vitæ æternæ, opponitur regno mortis & tenebrarū, quod Diabolo tribuitur. Semen, inquit Scriptura, mulieris, conteret caput Serpentis, hoc eſt, deſtruet opera Diaboli, id eſt, peccatum & peccati ſtipēdium mortem abolebit. Id autem fieri non poteſt niſi reſſuſcitatis mortuis. Neceſſe eſt igitur vt reſurgāt mortui. Siquidem Rex noſter Chriſtus mortuus & ſepultus eſt, & noſtram carnem tanquam primitias, cum è ſepulchro prodiret, è terra reduxerit, vt ſciamus nos virtute ipſius in lucem prodituros.

5 Pendet ergo reſurrectio noſtri à reſurrectione Chriſti regis noſtri. Is primo dierum ſurrexit: nos in nouiſſimo die reſurgemus. Ideo Paulus Chriſtum primitijs confert: nos vero maturæ meſſi. Eſt enim, vt ipſe Dominus teſtatur, conſummatio ſeculi tempus meſſis. Cum ergo ſcimus Chriſtum reſurrexiſſe, ſciamus & nos eius virtute reſurrecturos. vide 1. Corinth. 15.

6 Secundo, Patres ante Moſen cum nondum Prophetica & Apoſtolica extarent ſcripta, quinque futuræ reſurrectionis poſt mortem habuere argumenta.

7 Primum à forma hominis erecta. Eſt enim hæc forma Symbolum naturæ hominis, videlicet, quod ſit cōpoſita ex terreſtri & cœleſti natura. Siquidem homo conditus eſt ex limo terræ, & ſpiraculo Dei. Dicere autem hanc tam nobilem naturam & ſingulare Dei opificium conditum eſſe ad certū interitum, nimis abſurdum fuerit. Hinc coniecturā duxerunt Patres de corporum reſurrectione.

8 Secundum, ab imagine Dei, ex qua & finis hominis intelligitur, & vitæ perpetuitas ſignificatur. Nam vt imago Cæſaris in nummo, monet quid debeatur Cęſari: ita imago Dei in homine, docet quid homo debeat Deo, videlicet, perpetuū cultum, ad quem præſtandum perpetuitas vitæ requiritur. Prętерea abſurdum eſt cogitare Deum velle ſuam imaginem perpetuo interitu obſcurari & opprimi.

9 Tertium à loco, in quo homo creatus, collocatus eſt. Ideo enim Deus hominem conditum in Paradiſo collocauit, vt ſignificaret ſtatum hominis fœlicem fore, modo obediret. Iam autem cum ſit ſapientis, non fruſtrari fine inſtituti opificij ſui: Patres rectè ratiocinabantur, hominem aliquādo ſuo priſtino ſtatui reſtitutum iri. Quod fieri non poteſt ſine reſurrectione mortuorum.

10 Quartum à ſemine promiſſio, quod omniū euidentiſſimum & maximum reſurrectionis futuræ argumentum eſt. Sciuerunt enim Patres, Semen mulieris promiſſum eſſe, vt contereret caput Serpentis, hoc eſt, vt deſtrueret opera Diaboli, ſeu regnum Satanæ, quod eſt peccati & mortis. Hinc Patres abſque omni dubitatione, fidem reſurrectionis extruxerunt.

11 Quintum, à perpetuitate fœderis. Inijt Deus pactum ſempiternum cum Abrahamo, videlicet, quod velit eſſe Deus ipſius & ſeminis eius poſt eum in ſempiternum. Hoc fœdus non poteſt eſſe ratum, niſi homines à morte reſurgant, poſtea perpetuo victuri. Alioqui Deus ipſorum Deus dici non poſſet: cum Deus non ſit mortuorum, ſed viuorum. Atque ita Patres à forma hominis, naturam: ab imagine Dei, finem: à loco, ſtatum: à ſemine, reparationem poſt lapſum: à fœderis qualitate, perpetuitatē reparationis: & ab his ſimul, reſurrectionem hominis à morte, ratiocinabantur.

3. Iuſtitia Dei.

12 Tertiò, Demonſtratio reſurrectionis firma ſumitur à iuſtitia Dei. Nam cum Deus iuſtus ſit: neceſſe eſt vt virtuti præmium, & vitio ſuppliciū reddat. Quod cum non fit in hac vita: (Nam ideo hoc differt Deus vt extet teſtimonium futuræ reſurrectionis) neceſſe eſt homines boni & mali reſurgant: & vnuſquiſque reportet mercedem, ſecundū ea, quæ geſſit in corpore.

13 Neque enim hic ſatis erit dicere, animabus præmia & ſupplicia rependi pro factis in hac vita. Nam cum omnis vitæ noſtræ vſus, in corporis animæq; conſortio eſt: neceſſe eſt prēmia virtutum & ſupplicia ſcelerum non corpori ſeorſim, nec animæ ſeorſim, ſed homini cōſtāti ex corpore & anima debe

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

deberi. Proinde animas redituras eſſe in eadẽ corpora,vt homines reſurgant,neceſſe eſt.

14 Interea vt corpora mortuorum, cum bonorum tum malorum,vermibus hic obnoxia ſunt : ita animæ piorum quidem,cum gaudio, expectant reſurrectionis diem:Impiorum vero vermibus & igni conſcientiæ torquentur, metuentes iram in die reſurrectionis,in quo tradentur, cum corporibus, in quæ redierint,æternis cruciatibus.

4. Perſpicua Scripturę prophetica & Apoſtolica teſtimonia.

15 Quartò,clara Scripturæ teſtimonia de hoc articulo colligenda ſunt,qualia ſunt hęc inter multa,Eſaiæ 26.19.Viuent mortui tui, & interfecti tui reſurgent.Ezech.37.12. Ecce ego aperiam tumulos veſtros,& educam de ſepulchris vos, popule meus: & dabo vobis ſpiritum & viuetis. Hic Propheta liberationem populi Iſraelitici à captiuitate Babylonica,figuram eſſe futuræ reſurrectionis mortuorũ, ſignificat.Atque ita Prophetico ſpiritu vtrunque videt & complectitur, videlicet liberationẽ populi à captiuitate,& reſurrectionẽ mortuorum vniuerſalem,cum qua illam confert. Iob.19. 25. Et ego ſcio quod redemtor meus viuit,& in nouiſſimo(ſcilicet die)ſtabit ſuper terram(ſcilicet iudicaturus)& poſt quam cum pelle mea excauauerint(ſcilicet vermes) hoc,(ſcilicet corpus meũ)etiam in carne mea videbo Deum,quem viſurus ſum ego ipſe , & oculi mei conſpecturi ſunt,nõ alienus. Hoc eſt, ego ipſe proprietate perſonæ & vtriuſque ſubſtantiæ veritate, reſurgam.

16 Daniel.12.2.Multi qui dormiunt,euigilabũt: alij ad vitam æternam:alij ad opprobria & cõtemtum ſempiternum.

17 In nouo Teſtamento Chriſtus contra Sadducæos probat reſurrectionem mortuorum, Mat. 22.31.Item,Matth.25.31.reſurrectionem & iudicium ſimul prædicit Dominus.

18 Chriſtus ait, Ioan. 5.28. Veniet hora, in qua omnes,qui in monumentis ſunt,audient vocẽ eius, & prodibunt qui bona fecerunt in reſurrectionẽ vitæ,qui verò mala egerũt,in reſurrectionem iudicij.

19 Omnes prætcrea Apoſtoli reſurrectionis futuræ teſtes ſunt. Quid enim aliud eſt prædicatio Euangelij, quam teſtimonium reſurrectionis? iuxta illud,Marc.16.16. Qui crediderit & baptizatus fuerit,ſaluus erit,Qui verò non crediderit,condemnabitur.Hæc manifeſtè vniuerſalem hominum reſurrectionem cõcludunt. Paulus Apoſtolus potiſſimũ hiſce rationibus articulum reſurrectionis fulſit, videlicet, Prædicatione Euangelij, Exemplo Chriſti reſurgentis,1.Theſſal.4.14. Potentia Chriſti ſaluatoris,Philip.3.10.Arrhabone Spiritus ſancti, ad Ephe.1.14.Signis in natura impreſſis.1.Cor. 15.36. & Perpetuitate regni Chriſti,1.Cor.15.27.

5. Sacramenta noui Teſtamenti.

20 Quinto,Baptiſmus & Cœna Domini reſurrectionis futuræ viſibilia ſunt teſtimonia. Sicut enim verbum menti : ita hæc ſenſibus de reſurrectione futura teſtantur. Vt igitur Baptiſmus duplicis reſurrectionis noſtri eſt Symbolum, videlicet animæ à peccato, & corporis ex terra : ita Cœna Domini, perpetuæ in Chriſto obtinendæ vitæ indicium certiſſimum eſt.

6. Signa in natura expreſſa.

21 Sextò,Signa in natura expreſſa futuram reſurrectionem adumbrant.Ieronymus, Ambroſius, & Auguſtinus dicunt reſurrectionem futuram in Phœnice aue ſignatam eſſe,de qua ſcribitur, quod cum in cineres redacta fuerit, mox poſt irrigationem viua prodeat.

22 Præterea,experientia docet, multas auiculas, vt Vpupas, Sturnos, Hirundines,tempore hyberno in profundis paludibus, tanquam ſepultas mortuaſque deliteſcere : quæ verno tempore rurſus viuæ prodeunt.

23 Granum coniectum in terram & mortuum, & poſtea renatum,etiam reſurrectionis futuræ, teſte Apoſtolo,ſymbolum quoddam eſt.

24 Eſt quoque vnuſquiſque dies imago vitæ,cui ſuccedit nox & ſomnus,quo nihil morti eſt ſimilius. Itaque reducti à ſomno ad vigiliam,veluti à morte reuocamur ad vitam : quæ res reſurrectionis futuræ quotidiana eſt admonitio. Præterea Lunam quæ poſt defectum & veluti mortem quandam, noua prodit.

7. Præmonitiones in veteri Teſtamẽto.

25 Septimò, Præmonitiones conſiderentur in veteri populo. Enoch ante diluuium, viuus tranſlatus eſt. Ita enim ſcribitur,Geneſ.5.28. Ambulauit Enoch cum Deo,& non comparuit: quia tulit eum Deus.Hoc facto Deus voluit (abolita iam penè doctrina de victoria ſuper Serpẽte)proponere cõmunẽ omnibus doctrinã, videlicet, quod pij aliquando plenam ſuper ſerpente conſequerentur victoriam, ne ſpem ſuam huius mortalis vitæ finibus incluſam haberent.

26 De Elia ſcribitur, quod cum iam maxima pars adhæreret Baaliticis ſacerdotibus , oppreſſa vera doctrina , ſit in cœlum receptus : vt Deus iſto facto rurſus doctrinam de æterna vita commendaret hominibus. Ita enim textus habet,2. Reg. 2.11. Aquis Iordanis diuiſis, Ecce currus igneus & equi ignei diuiſerunt vtrumque, ſcilicet Eliam & Eliſæum:& aſcendit Elias per turbinem in cœlũ. Hoc facto voluit Deus hominibus iſtius ſeculi, commendare ſpem futuræ reſurrectionis,in qua pij ab omnibus malis & perſecutionibus liberentur,oppreſſis eorum hoſtibus igne gehennæ.

27 Etſi autem Enoch & Elias in cœlum ſubuecti ſunt,in teſtimonium victoriæ futuræ ſuper Serpente: tamen in gloriam illam cœleſtẽ & plenam, quæ eſt conſtituta electis & percipienda in extremo die, non ſunt recepti, ſed tantũm miſerijs huius vitæ ſoluti, expectant plenam gloriam cum toto Chriſti corpore.

8. Symbola & miracula in Nouo Teſtamẽto.

28 Octauo, Symbola futuræ reſurrectionis in nouo Teſtamento ſunt,ſuſcitationes mortuorũ, vt filiæ principis,Mat.9.Filij viduæ, Luc.7. & Lazari, Ioan.11. Nam vt hæ ſuſcitationes à morte corporis fuere externa ſymbola ſuſcitationis animarum eorum,qui credunt Euangelio:ita etiam haud obſcurè figurabant plenam liberationem, quæ fiet in extremo die reſuſcitatis corporibus.

9. Conſcientiæ teſtimonium.

29 Nonò,Chirographum Dei in cordibus hominum de præmijs bonorum & pœnis malorum euidens teſtimoniũ eſt reſurrectionis futuræ : præſertim,cum imminente iam morte,magis ſentitur conſcientiæ morſus,magiſque torquetur animus cogitatione malè tranſactæ vitæ:idque in ijs qui ad Deũ per fidẽ non ſunt conuerſi. Nã alij,hoc eſt,pij vehementer in ſpiritu exultant, quod tandẽ in portum optatum & tranquillum, poſtquã varijs calamitatũ & miſeriarum in hoc mundo iactati ſunt procellis, perueniant. Siquidem Spiritum ſanctum promiſſæ hæreditatis arrhabonem in pectoribus incluſum habent,qui facit vt minus mortem perhorreſcant.

10. Conſentiẽtia piorũ omnium & martyrũ ſuffragia.

30 Decimò & vltimò, Conſentientia Sanctorũ omnium temporum ſuffragia,fidem futuræ reſurrectionis comprobant, quæ quia plura ſunt quã numerari poſſint,ea omitto.

31 Martyres præterea infiniti, omnibus penè tẽporibus,nunquã tam forti animo grauiſſima ſuſtinuiſſent ſupplicia, niſi ſuæ confeſſionis præmia in futura vita,reſuſcitatis corporibus,ſperaſſent.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

32 Hinc teſtimonijs, quorum alia infallibiter probant, alia probabiliter confirmant, alia venuſtè pingũt reſurrectionis futuræ myſteriũ, cõtenti ſim⁹.

33 Neque moremur Epicureorum voces, ſiue ioco ſiue ſerio dicantur. *Infidelitas*, ait Ambroſius, *non poteſt claram fidem reſurrectionis habere. Quia ſicut carbo cinere ſuo coopertus obcæcatur: ita hi perfidia ſua erroris tenebris circumdati, luce carebunt.*

Sadducæorum & Epicureorum impietas refellitur varijs argumentis ſumptis à potentia, & voluntate Dei, tum à natura petitis & ſupra explicatis.

34 Poſtquam ergo conſtat nobis, de veritate immota, ſciamus hanc vnam ſatis refutare Sadducæorum & ſimilium vanitatem, qui ignorantes ſapientiam potentiamque Dei, & Scripturas de volũtate ipſius, ex menſura ſenſus humani, & ex rationis regula ſuum extruxerunt, & extruunt, errorem.

35 Sed nos ab illis quæramus, Cur putent mortuos non reſurrecturos? Nam ſi, vt illi dicunt, mortui non reſurgẽt: neceſſe eſt vt id fiat: vel, quia Deus non poteſt: vel quia non vult mortuos excitare. Si non poteſt: vel ignorat modum ſuſcitandi mortuos, vel ſi norit, imbecillior eſt, quam vt valeat. Nunc autem, quia ſapientiſſimus eſt, ignorare non poteſt: & quia potentiſſimus, (vt patet ex creatione rerum ex nihilo, & earundem perpetua gubernatione) non poteſt imbecillior dici, quam vt valeat. Huc illud Auguſtini: *Abſit vt ad reſuſcitanda corpora vitæque reddenda, non poſſit omnipotentia Creatoris omnia reuocare, quæ vel beſtia, vel ignis abſumſit, vel in puluerem cineremue collapſum, vel in humorem ſolutum, vel in auras eſt exhalatũ. Abſit vt ſinus vllus ſecretumque naturæ, ita recipiat aliquid ſubtractũ ſenſibus noſtris, vt omnium Creatoris aut lateat cognitionem, aut effugiat poteſtatem.*

Simile.

36 His Auguſtini verbis, Viues addit hanc ſimilitudinem: Diligenti & acuto patrifamiliâs in promtu eſt, & velut ad manum, ac ante oculos, vbi quidque, in quamlibet amplis ſuis ædibus, ſit reconditum: & Deum aliquid putabimus in hoc mũdo latere, cuius infinita ſapientia minor eſt hic totus mundus, quam cuiuſuis noſtrûm anguſtiſſima & minima capſula.

37 Quod autem velit Deus ſuſcitare mortuos, iam multis immotis rationibus demonſtratum eſt: adeo vt de voluntate Dei nemo ſanus dubitare poſſit. Hanc proinde immotam veritatem opponamus omnibus, quæ huic veritati opponi poſſunt. Et hoc Pauli dictum, tanquam clypeum, opponamus & noſtræ rationi atque ſenſibus, & aliorum argutijs: *Qui promiſit, poteſt etiam præſtare.* In hoc dicto acquieſcamus, expectemuſque è cœlis venturum eſſe Saluatorem, qui transformabit noſtra contemta corpora vt fiant conformia ſuo glorioſo corpori: idque ea potentia, qua poteſt ſibi omnia ſubijcere.

De qualitate corporum ſuſcitandorum.

38 Quantum autem ad qualitatem corporum reſſuſcitandorum attinet, ſciendum eſt quid habeãt commune corpora iuſtorum & iniuſtorum, & quid peculiare per ſe.

39 Corpora vtrorumque, hoc eſt, iuſtorum & peccatorum, tria habent communia, videlicet, *eandem carnis naturam* cum perſonalibus proprietatibus, abſque mole craſſa, ſuperflua & inutili: *Incorruptibilitatem*, qua fit, vt corrumpi & in nihilum redigi, aut in auras reſolui non poſſint: & *Immortalitatem*, qua perpetuò ſupererunt ſine victu & alijs præſidijs, quorum vſus erat ipſis ſuſtentandis in hac vita mortali, neceſſarius. Huius rei cauſſam exponit Ieronymus cum ait: *Erit corpus quod reſurget incorruptibile & immortale, non ſolum iuſtorum, ſed etiã peccatorum. Iuſtorum quidem, vt ſemper poſſint permanere cum Chriſto: Peccatorum verò, vt abſque interitione ſua, debitas luant pœnas.*

Diſcrimina inter corpora iuſtorum & impiorum corpora.

40 Diſcrimina autem inter corpora iuſtorum & peccatorum hæc erunt præcipua. 1. Corpora iuſtorum erunt in gloria, in compenſationem ignominiæ, quam hic ſuſtinuerunt: Peccatorum vero in confuſione, quæ erit contumaciæ pœna. 2. Iuſtorum corpora, perpetuis deteſtationibus in Deo oblectabuntur, pro momẽtanea huius vitæ afflictione: Peccatorum nũquam finiendis tormentis ſubijcientur, cum propter tranſgreſſionem Legis diuinę, tum propter contemtum Filij. 3. Iuſtorum corpora, in cœlo erunt conformia Chriſti corpori glorioſo, cui in hac vita ſub cruce erant ſimilia: Peccatorum autem, in inferno, opprobrio ſempiterno obruentur. 4. Iuſtorum corpora lumine diuino, tanquam pallio veſtientur: Peccatorũ autem tenebris infernalibus oppreſſa, à fruitione vultus Dei excludentur. Atq. hæc excluſio à fruitione vultus Dei, æterna mors dicitur: ſicuti contrà æterna vita eſt, in omnem æternitatẽ iucundiſſimo Dei aſpectu frui.

De conditione corporũ noſtrorum poſt reſurrectionem.

41 Sed Paulum Apoſtolum de Sanctorũ corporibus differentem audiamus, 1. Cor. 15. 40. & c. Sũt corpora, inquit, cœleſtia, & ſunt corpora terreſtria. Sed alia quidem cœleſtium gloria: alia, terreſtrium: alia gloria Solis: & alia Lunæ: & alia gloria Stellarum. Stella ſiquidem à ſtella differt in gloria: ita & erit reſurrectio mortuorum. His verbis Paulus ſignificat, quanta futura ſit corporum iuſtorum ſubtilitas poſt reſurrectionem, nimirum, quod ſint futura puriſſima, defecatiſſima, ſubtiliſſima.

42 Huius rei admonebit nos claritas corporũ cœleſtiũ, quæ Paulus hic proponit tanquã ſymbola gloriæ corporum noſtrorum poſt reſurrectionem.

53 Hinc facilè eſt intelligere, quod ſupra dixi, videlicet quod corpora iuſtorum, ſunt purgata ab omni mole craſſa, obſcura, ponderoſa & inutili, clarificatis ſpiritibus & carne, vt proxime accedant ad ſpiritualem naturam. Vnde ſequitur in Paulo: Seminatur corpus corruptibile, ſuſcitatur incorruptum: ſeminatur ignominioſum, ſuſcitatur glorioſum: ſeminatur infirmum, ſuſcitatur potens: ſeminatur corpus animale, ſuſcitatur corpus ſpirituale. Et paulò pòſt: Sicut geſtauimus imaginem terreni (id eſt Adam in hac vita, in quo dominabatur anima viuens, vnde animalis dicebatur) ita geſtabimus imaginem cœleſtis, hoc eſt Chriſti reſurgentis, vt in nobis ſpiritu dominetur, vnde corpora noſtra ſpiritualia dicuntur.

44 Et idem Apoſtolus ad Philippen. 3. 21. affirmat Chriſtum transfiguraturum noſtra contemta corpora, vt ſint futura conformia ipſius glorioſo corpori, idque per eam potentiam, qua poteſt ſibi omnia ſubijcere.

Vſus huius doctrinæ.

45 Horum, quæ iam dicta ſunt, de gloria corporũ iuſtorum, vſus eſt, vt nos inde conſolationẽ petamus, dum corpora noſtra in hac vita, varijs morbis, contemtu, & morte affliguntur: vt Sanctorũ corpora habeam⁹ in honore: vt ea honorificè ſepeliamus: vt munda ſeruemus ea loca, in quibus Sanctorum corpora ſepeliuntur, & quaſi conſopita deliteſcũt, donec tuba archangeli excitabuntur.

Altera pars methodi huius capitis.

46 Sed cur dicit Dominus, Io. 5. 29. eos, qui bona fecere, prodituros in reſurrectionem vitæ: qui vero mala fecerunt, in reſurrectionem iudicij? Num ergo bona opera, vt Papiſtæ hinc colligunt, merentur vitam, vt mala condemnationem? Nequaquam. Firma enim ſunt hæc veritatis teſtimonia. Stipendiũ peccati mors, donum autem Dei eſt vita æterna per Ieſum Chriſtum, Rom. 6. 23. Si eſt donum, gratis datur. Si gratis datur, non redditur pro merito,

Gratia

Gratia enim, vt ait Auguſtinus, *eſt nullo modò, qua non eſt gratuita omni modo*. Deinde ſolus Chriſtus eſt, qui remittit peccatum, qui iuſtificat, qui ſanctificat, qui homines Patri reconciliat. Ergo ſolus Chriſtus meretur ſuis, id eſt, in ſe credentibus, vitam æternam.

47 Cur igitur hic Dominus affirmat eos, qui bona fecere, prodituros in reſurrectionem vitæ, videlicet, vt reſuſcitati viuant beatam & immortalem vitam: & qui mala fecerůt, prodituros in reſurrectionem iudicij, hoc eſt, vt ſuſcitati æternam mortem luant? Vt ex ſigno perſpicuo diſcernat inter hæredes vitæ æternæ, & damnandos: vt omnes creaturæ, & potiſſimum ſancti angeli, filios Dei ex qualitatibus propriis agnoſcant: vt nemo ſe ſpectro fidei & hypocriſi fallat. Non ergo hic opera, vitæ æternæ merita facit Chriſtus, quod eſſet ſeipſum mediatoris gloria ſpoliare: ſed indicia fidei non fucatæ.

48 Vt enim vera & viua fides efficax eſt per charitatem, & cernitur in operibus charitatis: ita ſpectrum fidei, vanitate & hypocriſi delectatur.

49 Verè ergo Bernhardus ſentit cum ait: *Bona opera non ſunt cauſſa regnandi, ſed via regni.* Cuius autē generis hæc opera potiſsimum eſſe oporteat, docet Chriſtus, Lucæ 16.9. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Et Matt. 25.35. Eſuriui & dediſtis mihi cibum, ſitiui & dediſtis mihi potum, peregrinus eram & collegiſtis me, nudus eram & cooperuiſtis me, infirmus eram & viſitaſtis me, in carcere erā & veniſtis ad me. Et Mat. 5.3. &c. Chriſtus pauperes ſpiritu, mites, lugentes, eſurientes & ſitientes iuſtitiam, pacificos, mundos corde, patiētes perſecutionem, pronunciat beatos, hoc eſt, liberos ab æterna miſeria, quam ipſi ſuis peccatis meruerant, & hæredes vitæ æternæ, quam ex dono Dei per Chriſtum habent.

50 Ex his locis promtum eſt colligere, Primùm, quod nō loquatur Dominus niſi de iis, qui Filij Dei per fidē ſunt facti. Deinde, quod ea opera, quæ ſunt germani fidei fructus intelligat: qualia ſunt mortificatio carnis, patientia, ſtudium benefaciendi hominibus, miſericordia erga afflictos, facultatibus iuuare egenos. Huiuſmodi operibus, tanquam hoſtiis quibuſdam, delectatur Deus: & ſunt propriæ filiorum Dei notæ, & veræ fidei germani fructus, qui non magis à fide, affectu ſaltem, ſeparari poſſunt, quam calor ab igni.

51 Secundo quæritur, Cum multa genera ſint bonorū operum, quæ Dominus ſua Lege requirit: cur vnius certi generis tantum Dominus, Matth. 25.35. in ſententia iudiciaria meminit? Meminit autem ſolius beneficentiæ erga proximos, neq; erga quoſuis proximos, ſed erga proximos miſere afflictos, videlicet, Eſuriētes, ſitientes, nudos, vagos, incarceratos. Huius rei duas eſſe cauſſas ſciendum eſt.

52 Vnā, quia in hoc genere operū magis cernitur charitas erga proximū carere omni fuco, quæ ſanè charitas, ſancti timoris Dei, & viuæ cordis fiduciæ certiſſimum & infallibile eſt indicium. Eſt proinde hoc genus bonorum operum, luculentum teſtimoniū filiorū Dei, qui hæredes vitæ ęternę ſcripti ſunt.

53 Alteram, quod in hoc genere operum manifeſtior eſt imitatio Filij Dei, cuius membra ſunt hæredes vitæ æternæ. Nam cum Filium Dei, hoc operū genere proximè imitantur homines, haud obſcure teſtantur, ſe vere Filios Dei eſſe per Chriſtum, cuius Spiritu mouentur ad beneficentiam miſere afflictis præſtandam. Cum igitur & adoptionis noſtri in Chriſto, & viuæ fidei, timoriſq; Dei, teſtimonium ſit perſpicuum hoc genus operum, non mirum eſt, Chriſtum eius potiſſimum meminiſſe in ſententia, quam ipſe iuſtus iudex pronunciabit in die iudicij.

54 His tertiā cauſſam non ineptè addiderimus. Dominus ipſe miſericordiam anteponit ſacrificio, & ceremoniali cultui. Proinde hoc genus operum præcipuè requirit, vt ſciamus cum eo reliqua placere, & ſine eo nihil, ſi non præſtetur, modo poſſit. Nā deficiente facultate præſtandi, Deus affectum pium & promtam voluntatem loco facti reputat.

55 Tertio, quæritur de illis qui maximam ætatis ſuæ partem tranſegerunt in ſordibus ſuis, ſine vera pœnitentia, & tandem vel in mortis articulo conuertuntur. Reſpondeo, Peccata eorum qui conuertuntur in obliuionem venire apud Deum, qui apud Eſaiam ait. Ego ſum, Ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. Qui enim in Filio eſt per fidē, habet remiſſionem peccatorum, habet iuſtitiā Chriſti, qua apparebit iuſtus in die iudicij, & habet propoſitum benefaciendi, quod Deo pro facto eſt, quando negatur præſtandi facultas.

56 Præterea de horum conuerſione & inuocatione, qua in mortis articulo ſe committunt fidei Filij Dei, teſtabūtur angeli eorum in die iudicij. Sed rem illuſtremus exemplis.

57 Lazarus fuit Filius Dei, & hæres vitæ æternæ, ſic & Latro in cruce, & Cornelius aulicus, de quo Lucas in Actis. Lazarus & Latro affectu hæc opera habuere, non externo facto. Ille enim paupertate: hic temporis breuitate poſt conuerſionem impediebatur quo minus affectus ſui externa teſtimonia ederet. At Cornelius qui à conuerſione diutius vixit, teſtimonia ſuæ fidei, & pij affectus luculenta edidit, adeo quod ipſius Eleemoſynæ & preces cœlum penetraſſe à Luca commemorentur.

58 Hæc quæ diximus & neceſſitatem benefaciendi concludunt, & beneficium Mediatoris eſſe gratuitum oſtendunt, & inter olim iudicandos clariſſimè diſcernunt.

Margin notes: 1. Cur vita æterna bene operātibus promittitur, quum ſit gratuitū Dei donū. — 2. Cur ſolius beneficentiæ erga proximum Chriſtus meminit. — 3. De iis qui in mortis articulo conuertūtur. — Exempla.

ASSERTIONES

QVIBVS LEGES DECALOgi explicantur, propoſitæ & diſputatæ in Academia Hafnienſi, ab anno Domini 1567. vſque ad annum 1574.

Autore

NICOLAO HEMMINGIO.

PROOEMIVM DECALOGI.

Locutuſque eſt Deus cunctos ſermones hos. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis.

1 DVPLEX Prooemium Legi Dei præfigitur, Exo. 20. Vnum Moſis, quo populum excitat & præparat ad audiendas Leges diuinas. Alterum Dei, quo populus docetur quis ſit

Margin note: Duplex prooemiū

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Deus,& quid ſit à Deo expectandum.

1. Moſis. 2 Moſis autem hoc eſt procemium : *Et locutus eſt Deus omnia hæc verba.*

3 Hoc procemium meritò omnium hominum animis infixum eſſe deberet,vt eius nunquam caperentur obliuione.

4 Eſt enim vnum ex illis principiis,quæ immota tenere oportet omnes eos, qui in ſchola Chriſti proficere in ſalutem cupiunt.

Verę Religionis quatuor principia. 5 Sunt autem quatuor hæc principia tenenda Chriſti diſcipulis.Primum,quod vnus ſit Deus,conditor omnium rerum & conſeruator. Secundum, quod hic verus Deus certo verbo hominibus ſuam voluntatem patefecerit. Tertium, quod hoc verbū ſit comprehenſum in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis,in quibus ipſe Deus loquitur.Quartū,quod vt quicquid eſt præter hoc verbum non ſit ad ſalutē neceſſarium:ita quicquid pugnat cum hoc verbo,ſit tanquam venenum Diaboli fugiendum.

6 Inter hæc,tertium eſt quod Moſes hic nobis commendat,cum ait: *Et loquutus eſt Deus omnia verba hæc.*

7 Mens enim pia cupiens ſe Deo approbare,ac iuxta ipſius voluntatem & credere & viuere, certa non eſt priuſquam intelligat ea quæ audit hoc niti principio.

8 Hinc eſt quod Prophetæ hanc vocem toties repetant:Hæc dicit Dominus:Os Domini locutum eſt:Hæc dicit Dominus Sebaoth. Hinc eſt quod ipſe Filius Dei ſermonem Patris ſe loqui reſtatur. Et Paulus eandem ob cauſſam titulum Apoſtolatus ſuis aduerſariis obiicit.

9 Hoc verbum Dei infallibile in ſe, Deus propter humanam ignorantiam & multiplicem cæcitatem,variis modis, ſuum eſſe, & non alicuius creaturæ teſtatus eſt.

10 Et quoniam menſura rationis,hoc eſt demōſtratione,capi non poteſt,teſtimonia addidit admodum congruentia.

11 Vt igitur quæ lumine mentis percipi poſſunt demonſtrationibus innoteſcunt:ita quæ aciem humanæ mentis excedunt,cœleſtibus & diuinis teſtimoniis confirmantur.

Teſtimonia certitudinis verbi Dei 12 Huius generis teſtimonia ſunt & externa & interna.Externa,vt patefactiones diuinæ,miracula, prophetiæ,conſenſus Moſis, Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum,duratio & conſeruatio Eccleſiæ,& cruenta confeſſio infinitorum Martyrum omnibus ſeculis. Interna ſunt Spiritus ſancti obſignationes in cordibus fidelium.

13 Huius verbi diuini vera & non fluctuans perſuaſio & fides, fundamentum eſt omnis fiduciæ pietatis & virtutis, quibus Deo coniungimur, & aſſequimur finem noſtræ creationis.

14 Quod enim radix eſt arbori,quod oculus corpori,quodq; telis contexendis ipſa ſunt ſtamina, vt rectè ait Thodoretus, hoc perficiendis animis eſt veritatis cognitio ſtabiliſq; rerum diuinarum fides.

15 Admoneamur igitur hoc Moſaico procemio, de certiſſimo & indubitato principio & Theologiæ veræ,quod eſt ipſum verbum Domini,in libris Propheticis & Apoſtolicis comprehenſum,& quod omnia quæ pugnant cum hoc verbo, ſint venena Diaboli inſidiantis ſaluti humani generis.

2. Dei. 16 Alterum procemium eſt ipſius Dei : *Ego ſum Iehoua Deus tuus,qui eduxi te de terra Ægypti,&c.*

17 Pauca ſunt quidem hæc verba, ſed quæ nulla ſapientia humana exhauriri poſſunt.

1. Modus cognoſcēdi Deum. 18 Omnium primum procemium hoc Domini proponit modū cognoſcendi Deum,videlicet,Verbum & Teſtimonium verbo additum.

19 Tametſi autē Paulus dicit,Rō.1. τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ fuiſſe hominibus manifeſtum ex rerum creatione & conſeruatione: tamen cognitio hæc non fuit eis ſalutaris, imò pernitioſa magis idq; ipſorum culpa.

20 Nam quo magis quæſiuerunt Deum naturali lumine,eo magis vanitate mens,tenebris intelligentia,& cor obduratione oppreſſa ſunt.

21 Siquidem nihil ex illa notitia concluſerunt, quam horrendas idololatrias,quas infinita ſcelera, vt Paulus teſtatur,ſecuta ſunt.

22 Salutaris proinde cognitio Dei, ex verbo & teſtimonio ſimul petenda eſt.

23 Quare vt nihil præter & contra verbū de Deo ſentiendum & cogitandum eſt,vel loquendum, ſed illud ſolum de Deo credendum,quod ipſe de ſe teſtatur,iuxta dictum:*Eſſe Deum credas,quod de ſe prædicat ipſe*: ita teſtimonia verbo addita,ipſius bonitatē nobis cōmendant, & fidem & inuocationem accēdunt,quibus nos ſeiungimus ab omnibus aliis cœtibus in mundo,& adhæremus Eccleſię Dei,quæ eſt ſocietas Sanctorum.

24 Secundò, etſi obſcurius docemur hoc procemio de eſſentia Dei & perſonis in vna diuina natura, tamen vnitas eſſentiæ diuinæ, & pluralitas perſonarum in vna eſſentia hic indicantur.

25 Prima enim vox *Iehoua* ſingularis numeri, ſignificat eſſentiam illā diuinam,ſimpliciſſimā & vnicam eſſe,hoc eſt,quod vnus ſit Deus in eſſentia.

26 Secunda vox Hebræis eſt pluralis numeri,qua ſignificatur pluralitas perſonarum ſubſiſtentium in vna diuina natura.

28 Hoc myſteriū primū propoſitū eſt in Libro creationis,vbi dicitur : In principio creauit Elohim cœlū & terrā,vbi plurali numero,propter perſonarū diſtinctionem vtitur Moſes, cui adiungit ſingulare verbum,propter eſſentiæ & naturæ vnitatem.

28 Hoc ipſum deinde in Prophetis repetitū eſt, & poſtea clarius in nouo Teſtamento patefactum, vbi & patefecerunt ſe tres perſonæ in diuinitate, & nominantur, Pater, λόγος ſeu Filius, & Spiritus ſanctus.

29 De hoc arcano ita loquitur Bernhardus: *Sacramentum hoc magnum eſt & quidem venerandum, non ſcrutandum, quo pluralitas in vnitate, ac ipſa vnitas ſit in pluralitate. Scrutari hoc temeritas eſt, credere pietas eſt,noſſe vero vita eſt æterna.*

30 Tertio,cum dicitur,*Deus tuus*,ſignificatur bonitas Dei,φιλανθρωπία erga homines, & requiritur fides in hominibus,qua hanc bonitatē ſibi applicant, quod fieri non poteſt ſine Mediatoris notitia.

31 Hanc vocē cum audiret populus Iſrael,non omnes fundamentum bonitatis Dei erga homines cogitarunt,nec veram fidem adhibuerunt huic verbo.

32 Qui pij inter eos fuerunt,vt Moſes,Caleb & quidam alij, vt ſeriò cogitarunt ſuam indignitatem: ita ardenti fide in promiſſum mulieris ſemen recubuerunt.

33 Reliqui,vt hypocritæ, ſua dignitate putabāt ſe hunc honorem adeptos, quod Deus ipſos ſuum populum vocauerit, & ſegregauerit ab aliis omnibus nationibus.

34 Moſes ergo & qui cum illo erant pij, hac ſola fide,& iuſtificati ſunt, & placuerunt Deo, per obedientiam Legis,etſi eam perfectè non præſtiterint. Cæteri autem Legis damnatoria ſententia oppreſſi, in ſuis peccatis perierunt.

35 Atque ita hoc procemium concio fuit Euangelij,Nam Deus ſe nemini cōmunicat niſi per prædicationē,qua offertur fauor & gratia Dei in Chriſto Ie-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſto Ieſu, omnibus credentibus.

36 Et tametſi Mediatoris mentio non ſit expreſſe: tamẽ includitur in promiſſionis verbo, *Deus tuus*, ex eoq; intelligitur, vt ab effectu cauſſa.

37 Nam cum certitiſſimum ſit neminem placere Deo, niſi per Chriſtum & in Chriſto, conſequitur hanc bonitatis, & miſericordię promiſſionẽ fundari in illo dicto: Semen mulieris cõteret caput Serpẽtis.

4. Autoritas Legis confirmata.

38 Quarto, continet hoc Domini procemium confirmationem autoritatis Legis diuinæ, eamque triplicem.

39 Prima ſumitur à poteſtate, qua ſibi Dominus ius imperij vendicat, cum dicit: *Ego ſum Iehoua.* Eſt enim hoc nomen Dei proprium, quo eſſentia, potentia & maieſtas ipſius ſignificatur. Potentia enim & maieſtas τῇ αὐτοφυείᾳ diuinæ neceſſario coniunctę ſunt.

40 Secunda, ſumitur à promiſſione diuina, cum inquit: *Deus tuus & Dominus tuus.*

41 Tertia ſumitur à beneficio, cum inquit: *Qui eduxit te è terra Ægypti.* Quo admonet populum totius Hiſtoriæ eductionis de Ægypto, in qua cũ præcipuum ſit liberatio, per aſperſionem ſanguinis in poſtes domorum, fides requirebatur in agnum Dei Ieſum Chriſtum, cuius ſanguinem adumbrabat ſanguis agni aſperſus.

42 Pij proinde cum hoc dictũ audiuerũt, reuocarunt in memoriam promiſſionem agni illius immaculati, qui tolleret peccata mundi.

5. Prouidentiæ Dei teſtimonium.

43 Quintò, cum dicit: *Ego ſum Iehoua Deus tuus,* ſignificat ſe & creatorem eſſe omniũ, & conſeruatorem, atq; adeo ſuæ prouidentiæ omnia ſubiicere.

44 Non enim vt faber, relicta naue à ſe extructa, diſcedit: ſed vt Pater, prouidentia omnia vel minima dirigit atq; gubernat, prout maximè ſuæ gloriæ expedire videtur.

45 Deteſtandi igitur ſunt furores Græcorũ, qui tollunt prouidentiã, & negant Deum vel poſſe, vel velle rerum à ſe conditarum curam habere.

6. Gratitudo piis commẽdata.

46 Sextò, inuitat nos hoc procemium & ad gratitudinem erga Deum, à quo tanta bona habemus, ab ipſo conditi & creati: & ad ſtudium obediendi ipſius præceptis.

47 Eſt proinde hoc procemium, veluti fundamẽtũ & cauſſa Legum, quas Dominus humano generi impoſuit, nõ quidem ſui cauſſa, qui noſtra obedientia non indiget, ſed noſtri, quibus obedientibus, vt Pater benigniſſimus, proponit præmia maxima.

48 Natura enim hanc Legem omnibus poſuit, vt ſint grati erga benemeritos, & maxime erga optime meritos.

49 Si igitur parentibus debemus gratiam, qui nos genuerunt & aluerunt, multo magis gratos nos eſſe oportet Deo, à quo parentes habemus, in quo ſumus, viuimus & mouemur, ac tanta prouidentia conſeruamur, vt tandem optatam beatitudinem, ad quam conditi ſumus, conſequamur.

50 Dolendum eſt proinde vehementer, quod tantus veternus occupet humanas mentes, vt non immenſa bonitate moti, gloriam quam debent Deo reddant.

II.

SVMMA CAPITA DEcalogi.

Totius legis ſumma.

1 DEcem Legis Moralis præcepta Dominus ad duas theſes reuocat, tanquam ad ſumma capita ſeu fontes, ex quibus dependent & manant.

2 Harum, theſeon prior eſt: *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex tota fortitudine tua.* Poſterior, *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.*

3 Harum θέσιων ratio quidem eſt, Deus ſummũ bonum eſt, & author omnis boni in natura. Finis verò, vt Deo coniuncti, in eo tanquam ſummo bono acquieſcamus, quod ſane ſumma felicitas eſt, adeóq; finis hominis proprius & vltimus, ſi ſtatum hominis perfectiſſimum ſpectemus. Ratio.

4 Quoniam autem omne bonũ naturaliter amatur, & ipſa boni ratio, modum amori imponit, neceſſe eſt, vt Deus cum ſit ſummum bonum, præ omnibus, ante omnia, & ſupra omnia diligatur. Deus perfecte bonus.

5 Et quia dilectionis vocabulo omnis notitia dilectionem neceſſario antecedens, omnis affectus dilectioni neceſſario coniunctus, atq; omnis actio dilectionem neceſſario conſequens, intelligitur. Lex in Moſe ſapientiſſime iſta tria coniungit, cum ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota virtute tua,* vt in corde, id eſt, mẽte, ſit vera lux, ſeu notitia de Deo (quæ dilectionem Dei neceſſario antecedit) In anima, puriſſimi affectus, fides, timor Dei, ſpes, &c. (Qui cum dilectione Dei quaſi quodam naturæ pacto connexi ſunt) In virtute, conatus ſufficiens ad agendum eá quæ Deus imperat, qui ſane conatus neceſſario dilẽctionem Dei comitatur. Ergo perfectè amandus.

6 In hac enim re conſiſtit rectitudo hominis, vt corpus animæ, anima menti, & mens Deo pareat & obſequatur, atque ita ei fide iungatur, atque amore veluti vnum cum eo fiat. Rectitudo hominis.

7 Etſi autem Moſes tria tantum requirit, nempe totum Cor, ſiue mentem plenam noticia Dei, totã animã puriſſimis affectibus ornatam, & totam virtutem, qua perfectiſſimũ præſtatur obſequium: tamen ab eo non diſcrepant Euangeliſtæ Marcus & Lucas qui quatuor, nempe cor, animã, διάνοιαν καὶ ἰσχὺν ponunt. Nam quod Moſes ſub genere virtutis ſeu validitatis, vt ita dicam, intelligit, Euangeliſtæ per ſpecies explicant, vt ſciamus & mentis virtutem, quæ eſt διάνοια & corporis robur, quod eſt ἰσχὺς, ad præſtandum Deo obſequium, requiri. Quid à nobis requirat Deus.

8 Cum hanc Legem, qua nos obligat, vel ad obedientiã perfectam, vel ad pœnas æternas, intuemur ſine Chriſto, deprehendimus eam in ſe quidem eſſe iuſtam & ſanctam, ſed nobis fieri miniſterium mortis, vt qui eam non præſtemus.

9 Nam cum ſententiam Legis audimus: Maledictus omnis qui non mãſerit in omnibus quæ ſunt ſcripta in libro Legis, ſiſtimur veluti coram tribunali Dei, nos damnantis propter Legis tranſgreſſionem, quam damnationem conſcientia noſtra agnoſcit iuſtiſſimam eſſe. Siquidem nemo eſt mortalium, qui nõ longiſſime abeſt à Legis huius perfectione. Quomodo lex Sancta eſt & miniſterium mortis.

10 Idem omnino ſentiendum eſſe de ſecundo Legis capite, indicat Dominus, cum ait: *Secundum eſt ſimile primo.* Hoc enim dicto vult Dominus corrigere errorem Phariſaicum. Phariſæi enim non putarunt ita difficilem eſſe obedientiam ſecundi præcepti atque primi, præſertim cũ ſcriptum ſit: Odio habebis inimicum tuum, Nec obedientiam ſecundi tam neceſſariam, nec pœnam violati tam grauem, nec impediri poſſe primi obſeruationem, etiãſi quis in ſecundo fuerit negligentior. Hunc errorem vt taxat Dominus, ait: Secundum ſimile eſt primo. Nam ſiue facultatem præſtandi reſpicis, vtrumque

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

peræquè difficile eſt: ſiue debitum, ad vtrumque obligamur mandato: ſiue obligationem ad pœnam tranſgreſſionis, vtrumq; ad pœnas æternas obligat: ſiue denique ad connexionem obedientiæ, vtriuſq: obedientia connexa eſt, ita vt altera ſine altera ſtare nequeat. Qui enim Deum diligit, diligit & proximum, & qui proximum, multò magis Deum. Hanc rationem poſtremam ſimilitudinis primi & ſecundi, vidit Theophylactus.

Lex pædagogus ad Chriſtum.

11 Quid ergo hic faciendum eſt? Damnatoria Legis ſententia, vel te ad deſperationem adiget, vel ad quærendum Chriſtum te compellet, vt in eo inuenias, quod ipſe non habes, videlicet obedientiam Legis.

12 Nam ſi in Chriſtum credideris, obedientia quæ propria eſt Chriſti, fit tua ex imputatione, vt Lex non amplius habeat quod in te condemnet. Chriſtus enim eſt finis Legis, in iuſtitiam omni credenti, Rom.10.4. hoc eſt, omnis qui credit, habet ꝙ Lex vt vltimum requirit, nempe iuſtitiam. Si iuſtitiam, & vitam, adeóque ſalutem & fœlicitatem, quæ eſt finis hominis. Hinc illa gloriatio Apoſtoli: Chriſtus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condēnet? Rō.8.33.

13 Cùm ergo iuſtificati ſimus fide, & habeamus pacem cum Deo, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, nō ſumus amplius ſub Lege, ſed ſub Gratia. Rom.5.1.

Hypocritarum obiectio refellitur.

14 Sed quid contra hæc ignari ſcientię ſalutis & remiſſionis peccatorum, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri? Nonne idem nobis obiiciunt, quod præconi fidei, Paulo, magno illi Theologo, obiecerunt Romani? Quid, inquiunt, peccabimus, quia non ſumus ſub Lege, ſed ſub Gratia? Rom.6.1.

15 Hæc obiectio neceſſe eſt vt proficiſcatur, vel à craſſiſſima ignorantia Euangelij, vel ab improba libidine deformandi Euangelium.

16 Tantum enim abeſt, vt valeat hæc conſequentia, Iuſtificamur gratis fide abſq; operibus, Ergo bonis operibus incumbere non eſt neceſſe, vt nihil validius concludi poſſit, quam contrarium eius quod illi volunt, hoc modo. Iuſtificamur, id eſt, abſoluimur à peccatis, & donamur iuſtitia Chriſti ex fide abſque operibus. Igitur nunc ſummo ſtudio bonis operibus inuigilandum eſt.

17 Nam Paulus opera bona & neceſſarium fructum iuſtitiæ eſſe ſcribit, & iuſtificationis finē proximum facit, & obſequium Deo debitum prædicat, & ex efficacia mortis & reſurrectionis Chriſti in nobis fieri contendit.

Diſtinguēdū eſt inter iuſtificationē & nouā obedientiam.

18 Accurate proinde diſtinguendum eſt, primum inter beneficium Dei gratuitum, & hominis iuſtificati debitum obſequium. Beneficium Dei eſt gratia in iuſtificationem, hoc eſt, iuſtificatio hominis gratuita, quæ non ex operibus eſt: ſed ex fide: qua ſola gratia iuſtificans apprehenditur. Obſequium debitum hominis iuſtificati eſt, vt homo ea ſequatur & faciat, quæ Deo placitura ex regula voluntatis ipſius nouit. Nam iuſtificati fide, debitores ſumus Deo, vt membra noſtra præbeamus arma iuſtitiæ.

2. Item legis officiū in electis & reprobis.

19 Deinde diſtinguendum eſt inter Legis officium in non conuerſis, & in conuerſis. In non conuerſis eſt miniſterium mortis. Nam illi ſunt ſub Lege. In conuerſis non eſt miniſteriū mortis, ſed norma vitæ iuſtiſſima. Hi enim ſunt ſub Gratia, rigore Legis vindicati.

20 Vt ergo Lex hæc, de dilectione Dei & proximi, obligat non conuerſos ad pœnas æternas, cum ab iis requirit perfectam & perpetuam obedientiā, quam præſtare non poſſunt, ita conuerſis, & abſolutis à iure Legis, eſt regula vitæ, ad quam conabuntur vitam ſuam componere, quod quia non faciunt hypocritæ, ſunt fide vacui.

3. Inter obedien. in ren.

21 Tertiò, Præterea diſtinguendum eſt inter obedientiam Legis in non renatis & iuſtificatis. In illis non placet quia eſt impura, imo nulla potius. In his placet etſi imperfecta, inchoata tamen. Nam vt iuſtificati fide placent propter iuſtitiam Chriſti, quæ illis imputata eſt: ita etiam conatus illorum, donec retinent fidem & bonam conſcientiam, propter Chriſtum acceptus eſt, & eſt Deo gratum ſacrificiū.

Origo dilectionis Dei.

22 His iactis velùti fundamētis, videamus quomodo hæc Lex dilectionis inchoari poſſit à nobis. Nam dilectio vt ſumme neceſſaria obedientia à nobis requiritur, ſine qua cætera nihil, vt Paulus teſtatur.

23 Cum Paulus dicit, 1.Tim.1.5. Finis Legis eſt dilectio, ex corde puro, conſcientia bona, & fide nō ficta, monſtrat & vnde manat dilectio Dei atque hominis, & quod nemo poſſit eam præſtare ſine notitia Euangelij, & fiducia viua in Chriſtum.

24 Nam vt puritas cordis & conſcientiæ bonitas ſunt ex fide vera & viua, cuius fundamentum eſt notitia Euangelij: (Fides enim ex cognito verbo Dei concipitur) ita dilectio Dei eſt affectus cordis purus, ex fide per ſpiritum Chriſti creatus: ex quo fit vt nihil cognitionem Dei & erga ipſum obedientiæ anteponamus, vtque præ omnibus, ante omnia, & ſupra omnia ipſum amemus, adeo vt cupiamus illi iungi, vnumque cum eo fieri.

Incrementa.

25 Hic dilectionis affectus erga Deum, tanquā flabellis quibuſdam ſpiritualibus, cogitatione dilectionis Dei, qua nos prius dilexit, meditatione beneficiorum Chriſti erga nos, fiducia & ſpe promiſſorum bonorum, atque ardenti Dei inuocatione, excitandus eſt, ne fonte impuro carnis obrutus, extinguatur.

Dilectio proximi.

26 Ex hac dilectione Dei manat dilectio proximi, qui geſtat imaginem Dei. Quare & ipſum propter Deum diligere debemus. Vnde Auguſtinus: *Dilectio eſt rectiſſima animi affectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum.*

Huius forma & modus.

27 Forma & modus dilectionis proximi additur in Lege, cum dicitur: *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Proinde amor quo nos ipſos amamus, debet eſſe regula, ad quam diligendus eſt proximus.

28 Verùm vt hoc recte accipiatur, duo obſeruāda ſunt. Primum diſcernendum eſt inter duplicem amorem noſtri, videlicet vitioſum & laudabilem. Deinde cauendum eſt, ne vitia cum ſubiectis eorum confundamus.

29 Duplex eſt amor ſui. Vnus qui ſequitur ſenſum carnis, cæcus, inconſultus, ferus & pernicioſus ſibi & aliis. Hic cum vitioſus ſit, non debet eſſe regula puri amoris, quo diligendus eſt proximus. Alter eſt laudabilis, qui ſequitur Spiritus impetū, quo cupit animus in illis rebus occupari, quæ Deo ſunt gratæ & ſibi ſalutares. Hic amor ſui, quia eſt purus & ſanctus, debet eſſe menſura dilectionis proximi: vnde fit vt cupiamus proximo omnia, quæ ad ipſius incolumitatem & ſalutem facere videbuntur. Ac ſimul conſilio, opere, precatione, ipſius cō moda procuremus atque adiuuemus, & amoliamur ab eo pro noſtris viribus, quicquid ipſi vere noxium eſſe deprehenderimus.

Noua dilectionis forma.

30 Chriſtus Dominus nouam dilectionis proximi formam nobis cōmendat, cum ait: Diligite vos inuicem, ſicuti ego dilexi vos, propter quā cauſſam nouum etiam mandatum vocat. Sicut igitur Chriſtus dilexit nos intimè: ita & nos ipſius exemplo,

nos

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nos inuicem diligere debemus.

31 Alterum, quod obſeruandum eſt in dilectione proximi, eſt vt caueamus ne vitia cum ſubiectis confundamus. Vnde Auguſtinus: *Vnuſquiſque iniquus homo, inquantum iniquus eſt, odio habendus eſt, in quantum autem homo eſt, diligendus eſt, vt illud quod in eo rectè odimus, arguamus, id eſt, vitium, quo poſſit illud quod in eo recte diligimus, id eſt, humana natura, ipſo emendato vitio, liberari.*

32 Etſi autem neutra dilectio, nec Dei, nec proximi perfecta eſſe poterit in hac vita, ſed tãtum inchoatur & creſcit pro menſura fidei: tamen cum non ſit ſimulata, ſed ex viua fide, conſcientia bona, & puro corde proficiſcatur, placet Deo, & hæc inchoata dilectio eſt teſtimonium plenæ regenerationis noſtri, quam expectamus, quáque perficietur dilectio & Dei & proximi.

III.

PRIMA LEX DEcalogi.

Non habebis Deos alienos coram me.

Summa Decalogi.

1 VT prœmium Decalogi modum notitiæ Dei monſtrat, videlicet, per verbum, & teſtimonium verbo additum: ita Decalogus ipſe, quo cultu Deus coli velit, oſtendit.

2 Tametſi autem obedientia Decalogi ne inchoari quidem poteſt, ſine notitia Euangelij: tamen Deus iuſtiſſimus iuſtè requirit ab homine, quod ſibi iure debetur: & talem Legem præſcribit, cui obedientia integra præſtari potuiſſet, ſi homo in ea integritate perſtitiſſet, in qua creatus fuit.

3 Atque ideo hoc facit Deus, vt agnito morbo, quæramus medicum, hoc eſt, vt agnito iuſto iudicio Dei in nos, confugiamus ad Chriſtum, qui eſt conſummatio Legis, in iuſtitiam omni credenti. Atque ita demum obedientiam erga Legem inchoemus in hac vita, quæ perficitur in beata illa vita, quam ex fide expectamus.

Lex quomodo cõſideranda.

4 Debemus proinde Legem cõſiderare quadrupliciter. Primum, vt ſumus creati in Adamo in perfectionis ſtatu. Secundò, vt ſumus poſt creationem lapſi. Tertiò, quatenus ſumus de nouo creati, & per Chriſtum erecti. Quartò & vltimò, in beatitudinis ſtatu, reſuſcitatis mortuis.

5 His ita iactis fundamentis, primum præceptum perpendamus, à quo & reliqua pendent omnia, & ſine quo nulla ergà alia obedientia præſtari poteſt.

Summa primi præcepti.

6 Eſt autem hoc primum præceptum: *Non habebis Deos alienos coram me.* Hoc eſt, Me ſolum Deum tuum habebis, & non alienos Deos.

Ratio.

7 Vt huius Legis ratio eſt, quod Deus conditor rerum, ſolus ſit omnium bonorum fons, id quod ſignificatur cum dicitur: Ego ſum Dominus Deus tuus: ita finis Legis eſt, vt omni idololatria & impietate abiecta ſolus habeatur Deus noſter, & ſolus à nobis colatur, & non alius.

8 Vt hæc Lex prima requirit cultum vnius Dei, agniti per verbum & teſtimonium: ita docet non licere vllum cultum Dei inſtituere, ſine mandato Dei. Eſt enim ſolius Dei opus cultum ordinare, iuxta dictum, Pſalm. 25. 5. Dirige me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus meus.

Habere Deũ quid.

9 Porrò, habere Deum, eſt Deum mente, affectu, voluntate, adeóque omnibus viribus complecti, ſeu vt ipſe Deus ſe interpretatur, Diligere Deum ex tota mente, ex tota anima, & ex totis viribus.

10 Mente habetur Deus, quando vera notitia Dei in mente lucet: videlicet, quod ſit vnus æternus & verus Deus Pater, & λόγος, & Spiritus ſanctus: quod hic Deus ſit creator & conſeruator rerum omnium: quod ſit fons omnis boni: quod ſuas creaturas amet, gubernet, conſeruet: quod ad ſe confugientes iuuet, & contra contumaces puniat. Mente.

11 Hæc in genere eſt vera Dei notitia, quæ in duas formas diuiditur: Vt alia ſit notitia Dei Legalis, alia Euangelica.

12 Affectu habetur Deus, quando ex vera Dei notitia concipitur vera dilectio, verus timor, conſtans fiducia, & ſpes minime vacillans. Affectu.

13 Voluntate habetur Deus, cum ex mentis recto iudicio, & puro animi affectu, naſcitur voluntatis alacritas, ad imperandũ omnibus viribus, vt Deo perfectam & perpetuam obedientiam præſtent. Volũtate.

14 Viribus omnibus habetur Deus, cum ipſæ vires, interiores & exteriores, voluntati alacriter imperanti, quæ mens recte iudicat, & affectus pure ſuadent, obſequuntur & imperata faciunt. Viribus.

15 Contrà vero alienos Deos habet, quicunque mente, affectu, voluntate & viribus, vllam rem creatam vel fictam complectitur, ſine vero timore Dei, vt ab ea pendeat, auxilium ſperet contra ordinationem diuinam. Hinc Scriptura diuitias, cùm illis fiditur, inter alienos Deos numerat. Et Paulus auaritiam idololatriam eſſe pronuntiat. Coloſ. 3. 5. Alienos Deos habere.

16 Ex his promptum erit colligere opera primi præcepti, quæ ſunt. 1. Amor verbi Dei, & conſideratio creaturæ totius. 2. Notitia Dei ex verbo & creatura. 3. Dilectio quæ ipſam notitiam excipit. 4. Timor verus. 5. Fides. 6. Alacris voluntas. 7. Conatus omnium virium ad obediendum Deo, 8. Spes, ex qua patientia. Opera primi præcepti.

17 Hæc opera in hoc præcepto requiruntur perfecta & perpetua, qualia Adam & Eua præſtitiſſent. ſi in ſua integritate manſiſſent, qua conditi erant ad imaginem Dei. Poſt lapſum primorum parentum nullus fuit, neq; erit, præter vnum Ieſum Chriſtum, qui hanc Legem impleuit.

18 Porrò fides, quam requirit per ſe primum præceptum, verſatur circa promiſsionem additam primo præcepto: videlicet, *Faciam miſericordiam in millia iis, qui diligunt me* (ſcilicet ex toto corde, tota anima, & totis viribus) *& cuſtodiunt præcepta mea.*

19 Et tametſi homo non poteſt hanc obedientiam præſtare: tamen Deus iuſtiſsimè illam requirit vt debitum, ad quod ſoluendum obligatus eſt omnis homo, in primo parente Adam.

20 Quare autem hoc debitum requirat Deus, exponit Chriſtus, Matth. 18. 22. Vbi proponit parabolam de homine rege, & ſeruo qui debebat decem millia talẽta. Sicut enim ille ſeruus, intellecta debiti magnitudine, confugit ad miſericordiam regis ſui, & impetrauit totius debiti condonationem: ita Lex Dei requirit perfectam obedientiam, vt homo in ſeſe deſcendens, & agnoſcens ſuum peccatum, iuſtámque Legis ſententiam, ad promiſsionem quæ Decalogi præcepta præcedit, redeat, videlicet, *Ego ſum Dominus Deus tuus.* Quæ promiſsio eſt pars fœderis initi cum Abrahamo & ſemine eius, de gratuita iuſtificatione, & pendet ex prima promiſsione: Semen mulieris conteret caput Serpentis. Quare Deus requirat id quod non poſſumus præſtare.

21 Vt autem fide huius promiſsionis iuſtificatus eſt Abraham: ita omnis qui credit, iuſtificatur, imputata ſibi perfecta Legis iuſtitia, quam Chriſtus præſtitit, & homini credenti imputat.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

22 Nam quoniam Chriſtus Legi Dei perfectam obedientiam præſtitit, iuſtus eſt ex Lege, & quia ſub Lege fact s eſt, vt eos qui ſub Lege erant redimeret, iuſtitia ipſius credentibus imputatur, vt iuſti ſint & viuant.

23 Quoniam autem Chriſtus non ſolum eſt homo, ſed etiam verus & æternus Deus, fit vt eius iuſtitia, quam præſtitit in ſua ſanctiſsima humanitate ſit infinita, vt ſufficiat omni credenti in iuſtitiam. Atque hoc eſt quod Paulus ait: Chriſtus eſt conſummatio Legis in iuſtitiam omni credenti. Rom. 10. 4.

Vſus primi præcepti.

24 Hic proinde cum huius primi præcepti, tum aliorum ſequentium vſus erit, vt examines conſcientiam tuam ad normam Legis, & ſententiam Legis recolas hoc ordine.

25 Primùm in hoc conſcientiæ examine ad regulam Legis, cum deprehendis te Lege Dei non ſatisfeciſſe, agnoſce te Legis diuinæ tranſgreſſorem eſſe, agnoſce magnitudinem & turpitudinem peccati tui. Secundò, agnoſce ſententiam Legis aduerſus te latam, iuſtam eſſe. Tertiò, expaueſce ad iram Dei, & dole quod Deum tuo peccato offenderis. Quartò, cōfugito ad promiſsionem fœderis noui, & viua fide recumbe in Chriſtum expiatorē peccati, & ardenter pete remiſsionem peccatorum, donec reſponſum Spiritus in corde tuo acceperis, de impetrata gratia, & imputata Chriſti iuſtitia. Quintò, nactus remiſsionem peccatorum, fide Chriſti, qui noſtra delicta ſua delicta fecit, vt ſuam iuſtitiam noſtram iuſtitiam faceret, redi ad Legem, & iuxta illam vitam tuam, quantum quidem id fieri poteſt, componito.

26 Et tametſi adhuc hærent reliquiæ peccati in natura (Vnde fit vt obedientia noſtra ſit imperfecta) tamen placet propter Chriſtum, quia non ſumus ſub Lege, ſed ſub Gratia.

27 Atque ita Notitia Dei, Amor Dei, Fiducia, Spes & aliæ virtutes, quas requirit Lex, fiunt ſacrificium Deo longè gratiſsimum & acceptiſsimum.

Peccata pugnātia cū primo præcepto.

28 Porrò peccata pugnantia cum primo præcepto, ex antitheſi facile intelliguntur. Cum vero Deo, pugnant alieni Dij, quorum nomine intelligitur, quicquid loco veri Dei haberi hominibus profanis ſolet. Cum amore verbi, pugnat odium verbi. Cum notitia Dei, pugnat ignoratio Dei, & omnis falſa perſuaſio de Deo. Cum timore, pugnat profana ſecuritas. Cum fide, diffidentia. Cum ſpe, deſperatio & impatientia. Cum alacritate voluntatis, pugnat auerſio voluntatis. Cum virium promptitudine ad obediendum, ignauia & torpor, & quæ Græcis dicitur ἀκηδία.

Præmia.

29 Præmia huius Legis inchoatæ à fidelibus ſunt multiplicia, ſpiritualia & corporalia: vt fauor & miſericordia, &c. iuxta promiſsionem Legi additam.

30 Hæc promiſſio plane irrita eſt ſine Chriſto, quare Chriſtum intuetur, qui vt Legi ſatisfecit: ita huius promiſſionis eſt particeps, ídque in mille generationes eorum qui ex ſe per fidem & Spiritum ſanctum naſcuntur.

31 Si ergo in Chriſto es per fidem, ſtatue te in fauore Dei & miſericordia eſſe, iuxta Legis promiſſionem. Nam vt Chriſtus eſt finis Legis, in iuſtitiam omni credenti: ita etiam omni credenti benedictionem Legis confert, & promiſſionem Legis in eo complet.

Pœnæ.

32 Pœnæ violatæ huius Legis in non conuerſis eſt, maledictio & damnatio, & viſitatio iniquitatis in tertiam & quartam generationem.

33 Hoſeas 4. capit. 6. verſ. meminit ſpecialis cuiuſdam pœnæ violati huius præcepti, cum ait: Quia oblitus es Legis Dei tui, obliuiſcar & ego filiorum tuorum.

IIII.

SECVNDA LEX

Decalogi.

Non facies tibi ſculptile, &c.

1 LEx Domini, Exo. 20. hæc eſt: *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ eſt in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra. Non adorabis ea. Ego ſum enim Dominus Deus tuus.*

2 Tria hac Lege prohibentur. Primum, ne Deum vlla effigie exprimere tentemus. Effigies enim Dei manu hominis expreſſa, cedit in contumeliam diuinæ maieſtatis. Nam cum Deus ſit expers corporis, inuiſibilis & infinitus, & effigies omnis ex materia corporea ſit viſibilis, & terminis clauſa: fieri non poteſt ſine contumelia Dei, effigiem Dei manu exprimere.

3 Secūdum, quod prohibetur eſt, ne incuruemus nos coram vllo idolo religionis cauſſa. Nam cum ex duplici natura compoſiti ſimus, anima & corpore, vtrumque debemus Deo, videlicet cultum interiorem animæ, & exteriorem corporis.

4 Qui ergo corpore proſternit ſe coram idolis, religionis ergo, inuertit naturæ ordinem, ſubiiciens ſe infra creaturas. Deinde ſacrilegium committit, tribuens creaturæ cultum, qui ſoli creatori debetur.

5 Tertium, quod hac Lege prohibetur, eſt, ne animo fingas tibi Deum, qui non eſt Deus, & ne animo neges eſſe Deum, qui reuera eſt Deus. Id quod & Ethnici fecerunt, qui multitudinem Deorum introduxerunt, & hæretici, qui ſiue circa diuinitatis eſſentiam, ſiue circa perſonarum diſtinctionem, ſiue circa voluntatem diuinæ maieſtatis errauerunt.

Idololatriæ origo.

6 Cur autem diabolus inuexerit idola in mundum, & quæ fuerit eorum prima occaſio, Sapien. 14. 11. &c. exponitur. Ita enim ait Sapiens:

7 In opificio Dei ad abominationem ſunt deformata ſimulachra, ad offenſionem animis hominum, ad laqueum pedibus inſipientum iniiciendum.

8 Initium enim ſcortationis, (id eſt idololatriæ) excogitatio ſimulachrorum eſt, atque eorundem inuentio, vitę corruptela. Neque enim ab initio erant, neque in æternum erunt. Quippe hominum ambitione in mundum ſunt introducta.

9 Cum his conſentiunt multæ Prophetarum conciones, quę abominationem idolorum extremè damnant, vt quæ homines paulatim à vero Deo abducant.

10 Quid dico de Prophetis? Imo & Ethnici ſaniores ſimulachra Deorum abominati ſunt.

11 Numa (vt Plutarchus refert) prohibuit Romanos exiſtimare imaginem Dei aut hominis ſpeciem, aut animalis habere formam: propterea nefas eſſe putabat deterioribus meliora aſsimilare, nec aliter poſſe Deum percipi quam intelligentia.

12 Varro acutiſsimus atque doctiſsimus autor (teſte Aug.) dicit antiquos Romanos pluſquam annos 170. Deos ſine ſimulachro coluiſſe. Quod ſi adhuc, inquit, manſiſſet, caſtiùs Dij obſeruarentur.

Cuius

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Cuius ſententiæ ſuæ adhibet inter cætera gentem Iudæam. Nec dubitat eum locum ita concludere, vt dicat. Qui primi ſimulachra Deorum populis poſuerunt, eos ciuitatibus ſuis & metum dempſiſſe, & errorem addidiſſe.

13 Ante annum Domini 427. Sancti Patres qui doctrinam ſine Pontificiis corruptelis retinuerunt, nulla planè ſimulachra in templis Chriſtianorum eſſe permiſerunt. Sciuerunt quanti damni occaſionem olim præbuiſſent ſimulachra,

14 Verùm poſterior ætas, paulatim deficiens à puritate doctrinæ, imagines & ſimulachra inuexit in Eccleſiam, non ſine magna, & Imperiorum ruina, & veræ religionis iactura.

15 Etſi autem conſilium eorum, qui primùm pinxerunt imagines in templis Chriſtianorum nō fuit peſſimum: tamen procedente tempore, error auctus eſt, & idololatria, per Romanos pontifices, contra Græcos eſt defenſa.

16 Et tandem eò perducta eſt res, quod præcipua pars cultus diuini, collocata fuerit in cultura ſimulachrorum. Id quod in regno Antichriſti videre eſt.

Ars pingendi & ſculpendi non prohibetur.

17 Porrò, ne quis artem pingendi & ſculpendi, prohibitione imaginum & idolorum damnari exiſtimet, conferat Legem prohibitionis cum aliis præceptis & exemplis Scripturæ, quibus aliquæ imagines & ſimulachra approbantur.

18 Mandatum Dei eſt, Exod. 25. 18. Duos Cherubim aureos facies ex vtraque parte propiciatorij. Fuerunt autem Cherubim alatæ imagines, in quibus hominis ſpecies præualebat. Hos poſtea Solomon in ſuo templo curauit fieri, ad exemplar eorum qui fuerunt in tabernaculo.

19 Solomon in fabrica templi boues ſculpi mandauerat. Ita enim legimus, 2. Paralip 4. 3. Similitudo quoque boum erat ſubter illud. Item: Duo ordines erant boum fuſorum.

20 Ex hoc mandato Dei & exemplo Solomonis efficitur, quod imagines & ſimulachra non prohibeantur ἁπλῶς & ſimpliciter, ſed ſecundum quid, vt loquuntur in ſcholis.

Quibus de cauſis imagines prohibentur.

21 Prohibentur ergo tribus de cauſis. Prima, cum rem non tantum non repræſentāt, ſed eius maieſtatem lædunt. Vt cum Deus pater pingitur, cana barba in capite gerens triplicatam coronam, more Paparum. Secunda, cum proſtituuntur cultus ac venerationis cauſſa, vt in Papatu, quem vſum Prophetæ paſſim damnant. Tertia, ne ſint idololatriæ occaſiones, obſcurata tempore doctrina, quemadmodum fieri conſueuit.

Triplex vſus imaginum.

22 Porrò, cum ex iis quæ dicta ſunt manifeſtum ſit, non ſimpliciter prohiberi & damnari ſimulachra, quæritur, an poſſit aliquis eſſe non impius ſimulachrum vſus?

23 Triplex eſt in vniuerſum imaginum & ſimulachrorum vſus, videlicet, ſuperſtitioſus, typicus & Policitus.

Superſtitioſus.

24 Superſtitioſus, vt contumelioſus in Deum & eius creaturas, ſolus damnatur verbo Dei.

Typicus.

25 Typicus vſus in veteri Teſtamento fuit, vt rem aliquam diuinam, ſub imagine rei incurrentis in oculos, adumbraret. Veluti æneus ſerpens ſuſpenſus in deſerto, adumbrabat Chriſtum, Ioann. 3. 14. Hic vſus tantiſper fuit licitus, donec populus Ægyptio more eum adorare cœpit. Quod cum videret Ezechias rex pius (haud dubiè admonitus à Sanctis Dei Prophetis, quorum officium erat voce damnare iſtam idolomaniam,) illum confregit, relinquens omnibus regibus & principibus exemplum, vt & ipſi tollant inſtrumenta idololatriæ, ne impediatur verus Dei cultus, & caueant, ne poſteris inſtrumenta relinquant impietatis.

3. Politicus triplex.

26 Politicus vſus imaginum & ſimulachrorum eſt cum ſine ſuperſtitione pinguntur imagines, aut fiunt ſimulachra alicuius vtilitatis gratia.

27 Eſt autem hic politicus vſus triplex, videlicet hiſtoricus, ſymbolicus, & ornatus cauſſa inuentus. Hi donec manſerint intra ſuos limites, nullo iure damnari poſſunt.

Hiſtoricus.

28 Hiſtoricus vſus eſt, qui hiſtoriis ſeruit, hoc eſt; qui ad intelligendas rectius rerum deſcriptiones, & ad memoriam rerum cōſeruandam facit. Hic vſus & in libris & alibi licitus eſt.

Symbolicus.

29 Symbolicus vſus eſt, qui de re alia, quæ ſignificatur imagine, tanquam Symbolo intuentes admonet. Vt imago in moneta Cæſaris, admonebat Iudæos, quod Cæſari eſſent ſubiecti. Vnde Chriſtus infert: Date ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Eſt & hic vſus licitus, ſi non contaminatur aliunde.

Ornans.

30 Ornatus cauſſa inuentus vſus eſt, qui ornandi gratia ſine ſuperſtitione adhibetur. Hic etiam conceſſus eſt, dummodo nulla ſuperſtitio acceſſerit.

V.

LEX TERTIA DEcalogi.

Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Ratio & finis præcepti.

1 Vt ratio huius Legis eſt, Deus conditor rerum, ſolus omnium bonorum fons eſt & dator: ita finis eſt, vt maieſtas nominis Dei inter homines habeatur ſacroſancta.

2 Huc pertinent verba Pſalmi 72. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui fecit mirabilia ſolus. Benedictum nomen maieſtatis eius in ſeculum, replebitur maieſtate eius vniuerſa terra.

Fundamētum.

3 Huius maieſtatis fundamentum eſt ipſa diuina eſſentia ſimpliciſſima, perſonarum Trinitas, potentia immenſa, ſumma bonitas, ſapientia infinita, miſericordia ineffabilis, miſſio Filij, vt homo fieret & victima pro peccato, amplitudo imperij, cū aliis virtutibus Deo dignis.

Terminus.

4 Terminus eſt, A creatura rationali, id eſt, ab hominibus & Angelis, ſentiri, agnoſci & prædicari, cum ſumma ſubiectione, reuerentia & cultu.

Reſpectus reciprocus.

5 Reciprocus reſpectus fundamenti & termini eſt ipſa maieſtas, ſummuſque honor, qui Deo ſapientiſſimo, potentiſſimo, iuſtiſsimo, & miſericordiſſimo debetur.

6 Eſt quoque ſciendum, quod Maieſtatis vox, interdum pro ſolo fundamento ponitur, vt in illo: Scrutator Maieſtatis opprimetur à gloria: interdum pro termino, vt in Pſal. Replebitur Maieſtate eius vniuerſa terra.

Maieſtas, quid.

7 Eſt proinde Maieſtas, magnificus ille ſplēdor gloriæ, qui comitatur honorem ſummum & reuerentiam, quę præſtantur Deo optimo, potentiſſimo ob ſumma beneficia, merita & virtutes.

Nomen Dei quid.

8 Hinc iam promptum eſt colligere, quid per nomen Dei ſignificetur in hac Lege: *Non aſſumes nomen Dei tui in vanum*, videlicet, quod nomen Dei ſit, cum ipſe Deus, tum quicquid de eo dignè dici poteſt, vtpote omne quod in eius notitiam, famam & gloriam vergat.

Aſſumere nomen Dei quid

9 Hoc Dei nomen legitimè vſurpat, qui cum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſumma ſubiectione illud ſacroſanctum habet, cauétque, vt nec ſentiat nec dicat quod vel minimum Maieſtati ipſius deroget.

10 Vt ergo opera omnia in hac Lege percipiuntur, quæ ad nomen Dei illuſtrandum & prædicandum inter homines facere videntur: ita ea omnia prohibentur, quæ præceptis operibus quouis modo aduerſantur.

11 Nos autem exempli gratia quædam ὑπαλλήλως. recitabimus, ad quæ reliqua non difficile referri poterunt.

Opera hîc præcepta, & oppoſita ſeu prohibita.

12 Primum locum inuocationi vnius Dei tribuamus, quæ inuocatio eſt eleuatio mẽtis ad Deum aliquid ab eo petentis vel deprecantis Huic opponuntur omnia quæ pugnant cum vera inuocatione Dei, vt inuocatio Sanctorum, battologiæ, magicæ precationes, exorciſmi creaturarum, ſine fide inuocare, &c.

13 Secundum opus huius Legis ſit, prædicatio operum Dei, potentiæ, ſapientiæ, iuſtitiæ, miſericordiæ, veritatis, &c. Huic opponitur quicquid detrahit aliquid, vel potentiæ, vel ſapientiæ, vel iuſtitiæ, vel miſericordiæ, vel veritati Dei.

14 Tertium opus ſit gratiarum actio, qua & agnoſcimus Dei beneficia, & ea cum ſumma reuerentia prædicamus, gratias pro omnibus agentes per Ieſum Chriſtum. Huic opponuntur hypocriſi, cum ore ſine mente Deo agimus gratias, vt Phariſæus fecit, & qui in templis Pſalmos decantant pro mercede. Hi enim potius ſuo ventri quàm Deo ſeruiunt.

15 Quartum opus ſit, glorificatio Dei, videlicet, cum mente rectè de Deo ſentimus, ore prædicamus, vita & moribus, quod recte ſentimus, exprimimus. Huic opponitur omnis hæreſis, ſcandala, ſchiſmata, contentiones inutiles, iurationes temerariæ, flagitioſi mores, quibus nomen Dei apud hoſtes religionis blaſphematur.

16 Quintum huius Legis opus ſit, confeſſio veræ religionis publica & priuata. Publica cernitur in cœtu piorum, quando cum aliis piis conuenimus, cum iis ſimul precamur, & Sacramentis communicamus. Priuata conſiſtit in fortitudine animi inuicta, cum interrogata ab hoſtibus, palam teſtamur fidem noſtram. Nam vt corde creditur ad iuſtitiam: ita ore fit confeſſio ad ſalutem. Huic opponitur abnegatio Dei, quæ fit vel voce, vel ſigno, vel moribus.

17 Sextum opus ſit huius Legis, cultus iuriſiurandi, cui opponuntur peierationes, execrationes, temeraria iuramenta, de quibus aliâs.

VI.

IVRAMENTVM.

Errores adu. hoc caput.

1 VALDE neceſſarium eſt, pios rectè inſtitui de iuriſiurandi religione, ne vel cum Manichæis & Anabaptiſtis omnia iuramenta impie aboleant: vel cum promiſcua hominum multitudine, temerè iuramentis aſſueſcant.

2 Vtrumque ſanè valde eſt pernicioſum. Nam vt religione iuramentorum ſublata, ſublata & fides eſt iuſtitiæ fundamentum, & ſine qua omnis vitæ humanæ ratio periclitatur: ita temerariis friuoliſque iuramentis & periuriis polluitur nomen Dei. Vnde horrendæ pœnæ & in familiis & in rebuſpublicis ſæpe conſpiciuntur.

3 Non enim fruſtra hęc comminatio Legi addita eſt: *Non habebit Deus inſontẽ, qui aſſumpſerit nomẽ Dei ſui in vanũ.* Et Sapiens ait: Vir multũ iurans, replebitur iniquitate, & non diſcedet plaga de domo eius.

4 Taceo Papiſtarum commentum, qui tametſi fatentur quædam iuramenta Chriſtianis licita eſſe, tamen perfectis, quos fingunt, omnem iuriſiurandi vſum adimunt.

5 Vt autem ordine iuſto procedamus, Primum, quid ſit iuramentum dicemus notatis præcipuis generibus. Deinde, quæ in legitimo iuramento requirũtur, expẽdemus. Tum, regulas colligemus, quibus regi conuenit iuramẽta. Poſtremò, illicitorum iuramentorum, & dirarum execrationum & deuotionum abominationem & pœnam indicabimus.

6 Iuramentum itaque proprie eſt inuocatio & atteſtatio Dei, ſuper re ¦ ſub conditione pœnæ, ſi fallimus. Vulgo autem ſic: Iuramentum eſt affirmatio vel negatio, ſacræ rei atteſtatione firmata. Sed prior definitio, ex verbo Dei: poſterior, ex conſuetudine iurantium deſumpta eſt.

7 Eſt autem duplex iuramentum. Smplex, vt inter priuatos. Solenne ſeu publicum: vt inter populos diuerſarum nationum: vt inter principẽ & populum. Vtrumque eſt aut aſſertorium de re præſenti vel præterita: aut promiſſorium, quum promi ttitur aliquid Sacramento iuriſiurandi interpoſito.

8 Iurans autẽ duo petit: Primũ, vt Deus ſit teſtis eorum, quæ iuramento affirmãtur vel negãtur. Alterum, vt ſit vltor ſi fefellerit. Cum ergo quis dicit: Teſtis eſt mihi Deus: vel, iuro per Deum, ſenſus eſt, Deum, quẽ inuoco, in teſtẽ voco, & ab eo peto, vt ſi fallam, me puniat iuxta cõminationẽ: Non habebit Deus inſontẽ, quiſquis vanè vſurpauerit nomẽ eius.

9 Vt itaque iurans ſit cautior, cogitet ordine hęc quinque: Præſentiam Dei, omniſcientiam, veritatem, iuſtitiam & potentiam.

10 Præſentiæ Dei cogitatio, accedet in iurante timorem Dei, & reuerentiam erga diuinam Maieſtatem, vnde fiet, vt coram tanta Maieſtate nihil temere effutiat, aſſeueret, aut promittat.

11 Cogitatio omniſcientiæ, tribuet Deo hanc laudem, quod, vt omnia nouit, vel occultiſsima: ita omnium, quæ dicuntur & fiunt, locupletiſsimus teſtis eſſe poſſit.

12 Veritatis prætereа laudem Deo tribuet, quaſi ipſe mendacia, tanquam Diaboli hoſtis ſui ſigna, auerſatur & odit, & ea quæ vera ſunt, tanquam ſua tuetur & amat.

13 Cogitatio iuſtitię Diuinę monet, quod Deus & pium iuramenti vſum præmiis ornare, & contrà, periuros horrendis pœnis punire velit.

14 Ne autem quis putet, vel præmiis cariturum, ſi piè & ſanctè iurauerit: vel pœnas euaſurum, ſi vanè nomen Dei ſumpſerit, potentia Dei cogitanda eſt, qua poteſt omnia quæ vult, & vult omnia quæ verbo ſuo promiſit.

15 Iam, vt ſecundo loco propoſuimus, expendamus quæ ad legitimum & neceſſarium iuramentum requiruntur, Ieremias tria ponit, cum inquit: Iurabis in veritate, & in iudicio & in iuſtitia.

16 Veritas eſt, non fluctuans opinio, ſed firma & ſolida notitia eius rei, ſuper qua iuratio fiet. Nam qui incertus eſt aut dubius, & nihilominus iurat, is & Deum contemnit, & ſe vanitatis periculo apud homines exponit.

17 Iudicium eſt deliberatio & conſultatio in mente iurantis, quo vt Deum, quem teſtem adhibet, in conſpectu habet: ita cauet, ne tẽpeſtate affectuum aut incogitantia abripiatur, ad iurandum id, cuius poſtea ipſum pœnitebit.

Hæc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

18 Hoc ergo iudicium,quod timore Dei regitur, facit vt nec in re falſa quis iuret. Nā hoc eſſet Deū mendacem teſtem producere: nec in re leui, quod eſſet Deum contemnere, & ipſius ſanctum nomen paruifacere:nec in re, cui facilè fides adhiberi poſſit vel ſui euidentia, vel grauitate & autoritate dicentis.Nam hoc eſſet planè ſuperuacaneum: nec in re, quæ humano teſtimonio confirmari ſine iuriſiurādi religione poſſit. Nam hoc eſſet repudiare teſtimonium diuinitus oblatum:nec in re turpi, impia, iniuſta,impoſſibili,ſi promiſſorium iuramentū petitur.Nam hoc manifeſtè contra Legem naturæ,& contra mandata Dei eſſet.

19 Iuſtitia cauſſas iurationis iuſtas eſſe vult. Vt enim,Iudicium,incautū:Veritas, falſum:ita iuſtitia, illicitum iuramentum repudiat.

20 Iſocrates duas cauſſas iuſtas numerat, in quibus iuramentum delatū ſuſcipere poſſumus, videlicet,cum aut de noſtra fama & exiſtimatione agitur,aut de ſalute amicorum,videlicet,vt aut liberemus nos ipſos turpi crimine, aut amicos periculo. Non vult honeſtos, probos & modeſtos, iuſiurandum poſtulare: ne in aliquam auaritiæ, aut priuati commodi ſuſpicionem veniant.

21 Hæc Iſocratis hominis Ethnici ſententia monet quanta religio iuriſiurandi olim fuerit,etiam apud homines ignaros Euangelij: quæ profectò res meritò multos,qui Chriſtiani dici volunt,extremæ vanitatis accuſat, qui ſola leuitate adducti, ſingula fere verba, ſingulis iuramentis, in contumeliam Dei polluunt.

De cauſis iu- iuramenti. 22 Etſi autem Iſocratis ſententiam, vt in Ethnico,probo:tamen clarius explicandum iudico, quænam iuſtæ cauſſæ ſint iurationis apud Chriſtianos.

23 Quatuor proinde cauſſas neceſſarias & pias liciti iuramenti,in exemplis approbatis inuenio.Quarum prima eſt, cum agitur de gloria Dei. Secunda, cum ſalus & exiſtimatio proximi in diſcrimen venit.Tertia,quoties de propria iurantis neceſſitate diſceptatur.Quarta,cum à magiſtratu iuſtis de cauſſis,poſtulatur teſtimonium, ſub iuriſiurandi religione.

24 Vbi autem nulla harum quatuor cauſſarum, neceſſariò requirens iuramentū,ſubſit, iuſta ira Dei prouocatur in iurantem,vt in eum qui nomen Domini ſacrilege polluat.

De iuramentis quæ ordinatis regenda. 25 Porrò,quia contingit vt homines aliquando iurent,vel coacti metu,vel errore decepti, vel affectibus abrepti:tenendæ ſunt regulæ, quibus huiuſmodi iuramenta regi oportet.

Prima. 26 Prima, Quicquid iuratum fuerit, ſiue Deo, ſiue homini, quod cum gratia Dei & ſine peccato præſtari poteſt,omnino præſtandum eſt.

27 Vbi ergo tantum de noſtra vita & fortunis agitur,nomē Dei præferemus noſtræ incolumitati.

28 Ex hac regula ſequitur, quod pius ne hoſti quidem fidem,quam iureiurando confirmauit, fallere debeat,ne in periurij crimen incidat.

29 Iure proinde M. Regulus in hoc laudatur, quod potius mortem oppetere voluerit, quam fidem hoſti datam non ſeruare.

30 Puniti diuinitus violati iuriſiurandi ab hoſte, inſigne apud Horoſium lib.5. cap.18. habemus exēplum, vbi dicit populum quendam Romanorum legiones, quibus ſeſe dedidit,& per iuramentum pacem cum iis inijt,ſubita perfidia ex inſperato occidiſſe. Vnde ſtatim in vltionem tanti periurij, panem fractum apud populum illum ſanguine manaſſe:animantia quoque domeſtica ab hominibus ad ſyluas diſceſſiſſe,balatibus, mugitibus & latratibus cœlum repleuiſſe. Tandem populum illum à Lucio Pompeio eſſe victum, & plane extinctum, &c. Vſque adeo ira Dei exarſit in fœdifragos & periuros.

31 Secunda,Si cum mādatis Dei pugnat, ad quod ſe aliquis iureiurando aſtrinxit,nequaquam præſtādum eſt.Nam quod Deo diſplicet, non debet pius velle.Quare illud nec iurat' nec iniuratus prę̨ſtabit. Siquidem cum non ſit ſui iuris, non licet vt contra voluntatem Dei ſe obliget. Secunda.

32 Monachus proinde & Monacha errore ſeducti,poſtquam rectius inſtituti fuerint, poſſunt votum iureiurando firmatum violare.

33 Cum enim ſcriptum eſt à Propheta, & à Chriſto pronunciatum,vt decretū Dei inuiolabile, Fruſtra me colunt doctrinis & mandatis hominū:contra Deum peccant, qui, vel ob votum, vel bonam alioqui intentionem, hoc Dei decretum tranſgrediuntur.

34 Hac regula excuſatur Dauid,qui non interfecit Nabal, qui tamen ſe eum occiſurum religione iuriſiurandi aſtrinxit. Scriptum eſt enim: Non occides. Saul autem,qui ſe magis dilexit quam Deum, prius voluit impium & iniuſtum iuramentum præſtare,quam videri aliquid contra iuramentum facere,adeo quod filium virum ſanctum, ne videretur periurus,de medio tollere voluerit.Sic & Herodes, duplicauit peccatum ſæuiens in innocentem Ioannem,propter ſtultum & temerarium iuramentum.

35 Etſi autem is,qui vel errore deceptus, vel affectibus abreptus iurat,iurando peccat:tamen non eſt duplicandum peccatum, ſi contrà voluntatem Dei fuerit, quod iuratum eſt.

36 Huc dictum Iſidori pertinet:In malis promiſſis reſcinde fidem:in turpi voto,muta decretū:quod incautè vouiſti,ne facias.Impia eſt enim promiſſio, quæ cum ſcelere adimpletur.

37 Tertia, Iuramenta quæ vel implicitam vel expreſſam habent conditionem annexam,haud obligant,non ſeruata conditione.Sed iuratus, iudicio & ſententia iudicis abſolui debet. Tertia.

38 Cum his nequaquam pugnat pręceptū Domini,Matth.5. 34. Ego dico vobis,ne omnino iuretis, ſed ſit ſermo veſter:Eſt, eſt,Non, non.

39 Nam Chriſtus non ibi tollit Patris Legem:videlicet.Per nomen meum iurabis. Sed leuitatē Iudæorum in iurando, iurandi formas, & periurium damnat,quibus polluitur nomen Dei, quod ſacroſanctum ab omnibus haberi conuenit.

40 Quicunque enim ex leuitate iurant, periurij periculo obnoxij ſunt, & rei polluti nominis Diuini.Qui per creaturas iurant,violant iuriſiurandi Legem,videlicet,Per nomen meum iurabis.Qui peierant:maledictioni & vindictæ diuinæ ſe ſubijciunt.

41 Etſi autem per creaturas iurare non licet: tamen res nobis charas in medium adducere:tāquam pignora & creaturas Dei: tanquam gloriæ diuinæ ſymbola licet.Paulus Deum teſtem inuocat in animam ſuam.Moſes teſtes inuocat, cœlum & terram ipſius opificis intuitu:Sic cum iuramus per Deum, & ſanctum Euangelium, Deum quidem teſtem dictorum facimus:nobis vero pœnam imprecamur, ſi fallimus,quæ eſt priuatio fructus Euangelij, adeoq; beneficiorum Chriſti.

42 Auguſtinus proinde rectè ait: *Iuratio falſa, eſt pernicioſa:vera,periculoſa:nulla ſecura.*

43 Porro,cum tantum ſceleris ſit in temerarijs iuramentis & periurijs,quis poterit oratione explicare,quantum ſit abominationis in vſitatis vulgo diris,execrationibus & deuotionibus? Periuriorum, blaſphemiarū &c. deteſtatio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

44 Audire eſt enim multos, qui non ſolum temere iurant, per mortem & vulnera Dei: verũetiam morte & vulneribus Dei abutuntur, ad horrendas execrationes & diras deuotiones, ad quas abſque omni dubio contremiſcunt angeli Dei, cum audiũt maledictioni & perniciei hominum, accommodari mortem & vulnera Dei: vnde benedictio & ſalus hominum effluxit.

45 Hanc horrendam blaſphemiam olim apud nonnullas gentes pius Magiſtratus puniuit, interdũ mutilatione membrorum, vt digitorum, aurium, narium: interdum exectione linguæ: nonnunquam ſubmerſione in proxima flumina.

46 Scribitur Ludouicus rex Galliarum, ciuem quendam Pariſienſem, propter huiuſmodi diras, per mortem & vulnera Dei, deuotiones puniuiſſe: admoto labijs ipſius candente ferro, vt in ijs per quæ peccarat, puniretur, in terrorem & exemplum aliorum.

47 Verùm, cum hoc quidam ex Satrapis iudicarent crudelius, adeunt Regem, improbant factũ: quibus ſanctus Rex reſpondet: Optarem mihi tale ſtigma inuri labijs, toto vitæ meæ tempore portandum: modo poſſim blaſphemiam iſtam de meo regno tollere.

48 Præclara vox, & digna verè Chriſtianiſſimo rege, cuius exemplum ſi multi imitarentur, minus prouocaretur ira Dei, & ſanctior eſſet & priuata & publica diſciplina.

49 Sed, proh dolor! ita inualuit deierandi & execrandi conſuetudo, in omnibus ſtatibus hominum, vt facilius inueteratam lepram, quam hoc malum curaueris.

50 Huius mali rei ſunt, Primum parentes, qui ſuos domeſticos exemplo docent abuti nomine diuino. Deinde miniſtri Euangelij, qui eos, quos norunt ſingulis fere verbis iuramenta adhibere, non admonent in priuato colloquio, ante vſum Cœnæ Dominicæ. Poſtremò, magiſtratus, qui Legem non ſtatuit in profanatores nominis diuini: cum tamen ſit cuſtos vtriuſque tabulæ.

VII.

MAGIA.

Omnis abuſus nominis & verbi Dei prohibitus.

1 QVONIAM Deus ſerio vult ſuum nomen inter homines ſacroſanctũ haberi, & requirit ab omnibus hominibus notitiam, fidem, ſpem, gratiarum actionem, iuxta verbi regulam: damnat omnem abuſum nominis & verbi ſui: quorum profanatoribus æternas pœnas comminatur.

2 Verùm quia Diabolus hoſtis Eccleſiæ eſt, nihil magis in votis habet, quam vt indies magis magiſque creſcat inter homines profanatio nominis & verbi Dei. Nam huiuſmodi profanatione, tanquam machina quadam bellica, muros Eccleſiæ ſubruere nititur.

Aſtus diaboli.

3 Hinc fit quod Diabolus adeo obſequentem ſe præbeat ſtultis hominibus, qui nomine Dei, & ſacroſancto eius verbo ad magicas ſuperſtitiones, figuras & ſacrilegas adiurationes abutuntur.

4 Etſi autem horrendum eſt, cogitare tantã tyrannidem exerceri à Satana in humanum genus: tamen magis horrendum eſt, iuſtiſſimam iram Dei, permittentis Diabolo hanc tyrannidem, cogitare.

Cauſſa huius permiſſionis

5 Cauſſa autem huius permiſſionis exponitur ab Apoſtolo Paulo, 2. Theſſ. 2. 11. Mittet (inquit) Deus efficacem illuſionem, vt credant mendacio, vt damnentur omnes, qui non crediderũt veritati, ſed conſenſere iniquitati.

6 Hæc efficax Satanæ illuſio, continet omnes artes & vias, quibus ipſe, vel verbum Dei corrumpit, vel eo abutitur in contumeliam Dei, & in damnationem eorum, qui à Satana ſeducuntur.

7 Hic nominis & verbi Dei abuſus turpiſſimus, indigniſſimus & maximè ſacrilegus, cernitur in magicis incantationibus, ſignationibus & impijs adiurationibus.

8 Etſi autem Satan nec incãtationibus, nec ſignationibus, nec conceptis adiurationibus reuera cogi poteſt: tamen iſte impoſtor Spiritus fingit ſe cogi, ſæpe etiam inuitum, ad faciendum ea, quæ illi à Magis & incantatoribus, imperantur.

9 Habet autem Satan eas, ſuæ obediẽtiæ erga Magos & incantatores, cauſſas, quæ merito omnes homines reprimerent, ne ſe Diabolo tam fatuè ſubijcerent, in contumeliam Dei.

10 Prima cauſſa eſt, quod Diabolus optime ſciat, nulla re magis profanari nomen & verbum Dei, quam Magica impietate.

11 Secunda, Pulchrum ſpectaculũ Satanę eſt, quod videat, homines à ſe doctos & ſeductos, contemnere apertum Dei interdictum, abnegare fidem. Nam cum verbum Dei ſit regula fidei, fieri non poteſt, vt fides conſiſtat, vbi eius regula amittitur, vel ad impiam profanitatem transfertur.

12 Tertia, Matth. 4. indicatur, quod Diabolus expetat, vt homines alia media quærant incolumitatis & gloriæ, quam diuinitus ordinata. Hoc eſt, impellit homines, vt audeant corrigere ordinationem diuinam. Quæ ſane horrenda tentatio Dei eſt.

Magorum profanitas.

13 Eſt autem ordinatio diuina, vt nomen & verbum Dei ſeruiant Chriſti regno erigendo, & ſaluti hominibus parãdæ. Contra hanc ordinationem apertè faciunt, qui nomine & verbo Dei abutuntur ad magicas ſuperſtitiones, quibus erigitur, fulcitur, ſtabilitur & propagatur regnum Diaboli. Quid quæſo Diabolo magis gratum eſſe poterit?

14 Taceo Ethnicum furorem, taceo damnatam ſuperſtitionem, taceo pactionem cum Diabolo, taceo cultum & venerationem Diaboli: quibus cum imprimis delectatur Satan, non mirum eſt eum ſe adeo obſequentem præbere aniculis, maleficis ac Magis.

15 Vt autem hanc profanitatem auerteret Deus à ſuo populo, qui Ethnica profanitate corrupt᾽ erat in Ægypto: Legem ſtatuit de maleficis & incantatoribus tollendis è medio. Et laudandæ ſunt Leges imperatoriæ & Pontificiæ, latæ in iſtam horrendã blaſphemiam.

1 16 Nullo enim pacto ferendi ſunt inter homines, qui ad incantationes magicas abutuntur nomine & verbo Dei, vt qui putent nos talem Deum habere, qui patrocinetur impietati à ſe damnatæ.

17 Genera & formas antiquæ magiæ ideo omitto: quia laudabilius eſt illa ignorare, quam ſcire, & in lucem proferre.

Satan Dei Simiolus.

18 Certum eſt Diabolum, tanquam ſimiã, Deum imitari in erigendo & ſtabiliendo ſuo regno. Nam vt Deus Verbo, Sacramentis, Miraculis & Spiritu ſuo erigit ſuum regnum & propagat: ita Satan ſuo verbo, (cum verbum Dei ſuum facit abuſu) ſuis Sacramentis, (id eſt, characteribus, figuris, fabis, pilis, & neſcio quibus alijs nugis) ſuis præſtigijs (loco miraculorum) & ſuo Spiritu (quo efficax eſt in voce magorum, incantantium & adiurantium.) regnũ ſuum erigit & confirmat.

19 Ne

Adiurationis vox, quid.

19 Ne quis autem ambiguitate vocis Adiurationis decipiatur, ſciat verbum adiurandi, plura, habere ſignificata.

20 Primum enim ſignificat idem, quod ſimplex verbum Iurare, niſi quod Ad particula ἐπίτασιν & αὔξησιν notat.

21 Secunda, adiurare ſignificat facere vt aliquis iuret, & iureiurando interpoſito, aliquid promittat.

22 Tertiò, ad genus transfertur, & ſignificat, nunc imperare aliquid, interpoſita diuini nominis autoritate, nunc rogare aliquem, vt ob religionem & metum Dei aliquid agat, vel non agat.

23 Hinc adiuratio, Quæ ſi fuerit Dæmoniorũ, nititur fide miraculorum adiurantis. At ſi hominũ fuerit, pendet vel ab autoritate; vel ab obteſtatione adiurantis.

24 Quartò, Magicis impoſtoribus, adiurare, eſt virtute pronunciationis conceptorum verborum, additis nunc certis characteribus, nunc neſcio quibus alijs nugis, & cæremonijs, adigere Diabolum, vel alias creaturas, ad imperata facienda.

Triplex adiuratio.

25 Porro, vt ſciatur, nos non omnem adiurationem dãnare, obſeruetur quod triplex ſit adiuratio: Diuina, Magica, & Adiaphora.

1. Diuina.

26 Diuinam voco, per quam, interpoſito iureiurando & inuocato nomine Chriſti, Dæmonia eijciebãtur in primitiua Eccleſia, fiducia Chriſti. Hoc enim faciebat tum temporis, ad commendandam hominibus potentiam Chriſti, & ad confirmãdam certitudinem Euangelij Chriſti.

27 Huiuſmodi tamen adiuratio nec Chriſto, nec Apoſtolis vſitata fuit. Sed alijs quibuſdam pijs, minoris autoritatis & gradus. Nam vt Chriſtus, ſua authoritate propria: ita Apoſtoli, authoritate Chriſti, ſimpliciter præceperunt Diabolis vt exirent de hominibus.

28 Paulus in Actis cap. 16. 18. ait: Præcipio tibi per nomẽ Ieſu, vt exeas ab ea. At Exorciſta ſic dixiſſet: Adiuro te per nomẽ Ieſu, vt exeas ab ea, hoc eſt, præcipio tibi autoritate Chriſti, & metu potentiæ eius, ac ſi ipſe Chriſtus tibi præciperet, vt exeas, &c.

2. Magica.

29 Magica adiuratio eſt, quando verborum efficacia & verbis conceptis, & neſcio quibus ceremonijs, putãt exorciſtæ ſe Dæmones cogere, aut alias creaturas ad aliquid faciendum. Vt cum ſerpentes adiurati & incantati, venena retinent, & non lædũt geſtatorem: ſed videntur cum illo quaſi colludere. Sed malignus ſpiritus dum corpus hominis illæſum ſeruat, veneno peſſimo animum interficit.

3. Media.

30 Adiaphoram adiurationem appello, qua quis & bene & malè vti poterit: Qualem iudico eam quę in noſtris Eccleſijs adhibetur, in Baptiſmo infantium.

31 Nam ſi adhibetur tantum ad ſignificandum, qualis ſit conditio hominis extra Chriſti gratiam, & qualis efficitur per Chriſti gratiam: nemo eam iuſtè improbare poterit. Siquidem admonet & de ſententia Legis in non reconciliatos, & de gratia Euangelij in eos, qui Chriſto inſeruntur per Baptiſmum.

32 At ſi adhibetur, vt in Papatu, cum inſufflatione & Chriſmate, ad expellendum Diabolum, actu habitantẽ in homine, non caret manifeſta impietate & ſtultitia. Nam nec Diabolus in infantibus Chriſtianorum parentum habitat. Sunt enim participes fœderis initi inter Deum & Abrahamum patrem noſtrum. Nec miraculis clarent miniſtri Eccleſiæ hoc tempore. Nam miracula ad tempus tantùm durare debebant.

35 Eſt etiam adiaphora adiuratio, quando homo hominem adiurat. Nam bona quidem eſt, ſi è cauſſa bona procedit, & ad bonum finem tendit. Vt cũ Paulus adiurat Theſſalonicenſes, vt Epiſtola ijs ſcripta legatur coram omnibus fratribus. Mala vero erit, ſi temerarie fit, leuem ob cauſſam. Tum enim, vt iuramentum leue, damnatur.

VIII.

PRÆDICTIONES futurorum.

1 NECESSE eſt Eccleſiam recte inſtitui, de vtilibus & pernicioſis prædictionibus futurorum euentuum, ne vel ſecurè contemnat vtiles & laudabiles prædictiones vel ſuperſtitioſè inuoluatur pernicioſis prænunciationibus, in contumeliam Dei, & in propriam perniciem.

Duplex prædictionum genus.

2 Vt autem recte diſcernamus inter vtiles & pernicioſas prædictiones: cauſſas earum in primis obſeruare oportet, vnde iudicium pendet & certitudo.

3 Omnis proinde prognoſis, ſeu futurorũ euentuum prænunciatio, vel oritur à prima cauſſa immediatè, vel à ſecundis cauſſis naturalibus, vel aliunde, hoc eſt, vel à Diabolo, vel ab homine.

De quatuor earũ cauſis.

4 Prognoſis, ſiue præcognitio, oritur à prima cauſſa, cum Deus per inſpirationem, ſiue quocũque alio modo reuelat hominibus futuros euentus. Et hæc præcognitio dicitur Prophetica.

5 Eſt autem hæc præcognitio Prophetica, ideo certiſſima, & digniſſima cui fides habeatur, quia autorem habet Deum, qui omnia futura, tanquã præſentia, in ſuo æterno videt.

1. Prophetiæ.

6 Huius Propheticæ prædictionis vſus eſt maximus: vt quæ certitudinem doctrinæ Eccleſiæ humanis mentibus obſignet.

7 Nam cum vident homines, euentus longiſſimè antea ſignatos, reſpondere prædictionibus Prophetarum, confirmantur de autore Deo, & doctrinam, quam Prophetæ proponunt, diuinam eſſe ſtatuunt: præſertim cum eandem multiplices patefactiones diuinæ, miracula plurima, conſenſus Moſis, Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, conſeruatio Eccleſiæ in tantis furoribus Diabolorum & hominũ, & obſignatio veritatis in cordibus Sanctorum per Spiritum ſanctum, confirment.

8 Prognoſis ſiue præcognitio, quæ pendet à ſecundis cauſſis, quas Naturales vocamus, Prognoſticis quibuſdam nititur, hoc eſt, ſignis futurorum euentuum.

2. Prædictiones phyſicæ, triplices.

9 Hæc autem Prognoſtica & ſigna futurorum euentuum, ſunt triplicia, (pro quorum varietate certitudo etiam variat) videlicet τεκμήρια, εἰκαῖα & erratica.

10 Τεκμήρια demonſtrationem & ſcientiam pariunt. Et ſunt cauſſæ, quæ neceſſitate phyſica agũt, & conſtanter & ſemper ſuos effectus producunt.

Apodicticę.

11 Hæc prognoſis, propter conſtantiam cauſſarũ, Apodictica dicitur. Hac mathematici prædicunt ſine errore Ecclipſes futuras. Vnde patet quanta laus ſit Mathematicæ doctrinæ, quando intra ſuos terminos manet.

12 Huius Apodicticæ præcognitionis vſus eſt, vt cognoſcamus totius vniuerſi autorem Deum eſſe, qui certis legibus gubernat hanc cœli pulchritudinem, vt illum agnoſcamus, agnitum colamus ac prædicemus. Quemadmodum Paulus docet, Rom. 2. Ideo in Actis Apoſtolicis de Deo dicitur:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν.

Veriſimiles.

13 Signa quæ εἰκαῖα dicuntur, nec demonſtrationem nec ſcientiam pariunt,ſed coniecturam tantũ, vt plurimum tamen veram. Nam ſunt cauſſæ, quæ producunt ſuos effectus non neceſſario & ſemper. Vnde fit,quod interdum fruſtrẽtur ſuis effectibus, impedientibus occultis cauſſis. Dicitur autem hæc præcognitio, probabilis.

14 Hac probabili coniectura freti Mathematici,pluuias,ſiccitates,tempeſtates, graſſaturos morbos,interitus animantium,frugum,vini, & aliarum rerum copiam vel defectum prædicunt, non ſine magna ſuæ artis commendatione.

15 Huius probabilis præcognitionis vſus eſt,vt homines ſuas operas recte diſtribuant:ne tempeſtate imminente,nauta ſoluat:ne agricola faciat,inſtãte pluuia,quod requirit ſiccitatem: Et morbos imminentes aptis præſeruatiuis anteuertamus.

Erratica.

16 Erratica ſigna ſunt, quæ nec demonſtrationem pariunt,nec veram coniecturam faciunt, nec cauſſæ ſunt propriæ actionum humanarũ aut euentuum proſperorum vel aduerſorum,& errãt vt plurimum.Et quia raro, idque caſu, euentus reſpondet,deceptionem & vanam ſpem hominibus credulis inijciunt.

3. Genethliacorum diuinationes ſeu Aſtrologia iudiciaria cum ſolida refutatione.

17 Hinc erronea illa prognoſis Genethliacorũ naſcitur qui gloriantur ſe fortunas hominum & euentus,ex horoſcopis,prædicere poſſe.

18 Hi tametſi vera interdum prædicunt:tamen ipſa prædictio fallaciam perniciosſam habet annexam.Nam homines qui iſtis nugis fidem adhibent paulatim abducuntur à verbo Dei: promiſſionibus & comminationibus diuinis diffidunt:varijs implicantur erroribus:donec laqueis Satanæ impediti,religioni ipſi renuncient,etſi non aperte & verbis,occulte tamen & animo.

19 Hoc periculum animaduertentes pij gubernatores Politiarum & Eccleſiarum, legibus cauerunt & pœnis,ne quis eſſet, qui hãc deceptoriam artem profiteretur, quæ corruptela eſt morum, pugnans cum verbo Dei & profeſſione Chriſtiana.

20 Fuerunt quoque inter Ethnicos, ſapientes homines, qui hanc vanitatem in ſuas Reſpublicas non admiſerunt.Et Gellius acuto dilemmate eam exagitat.Ita enim ait:Aut aduerſa euentura dicunt, aut proſpera. Si dicunt proſpera, & fallunt: miſer fies fruſtra expectando. Si aduerſa dicunt,& mentiuntur: miſer fies fruſtra timendo. Si vera reſpõdent, eaque ſunt non proſpera: iam inde ex animo miſer fies, antequam è fato fies. Si felicia promittunt, eáque euentura ſunt: tum plane duo erunt incommoda,& expectatio te ſpei ſuſpenſum fatigabit,& futurum gaudij fructum ſpes tibi iam deflorauerit.Nullo igitur pacto vtendum eſt iſtiuſmodi hominibus, res futuras præſagientibus.

21 Etſi autem corporum humanorũ affectiones ex tempore conceptionis & ortus,coniectare interdum poſſunt Genethliaci:tamen cum cauſſæ euentuum humanorum, quoad ſucceſſum proſperum & aduerſum in negotijs & vita attinet, non pendent à tempore conceptionis & ortus: decipiunt ſtultos homines Genethliaci, qui illorum fortunas aſtris ſubijciunt.

22 Nam cum cauſſæ futurorum euentuũ in hominibus ſint duæ, videlicet prouidentia diuina, & volũtas humana,& neutra ſubijcitur imperio aſtrorum: profecto ſtultum fuerit & pernicioſum,ex vna particulari cauſſa,eáque inferiore,impotentiore, ne dicam erronea,determinate colligere effectum, repugnantibus cauſſis principalibus,proprijs, prædominantibus,& vnà agentibus efficaciter.

23 Infiniti homines concipiuntur eodem tempore,& in hanc lucem eduntur, maximè diſſimiles & fortuna & moribus.

24 Iacob & Eſau vnà concipiuntur, qui tamẽ nec fortuna,nec moribus fuere ſimiles.

25 In eodem ſæpe prælio multa hominum millia cadunt:in eodem naufragio ingens multitudo hominum perit. Quibus aptare eũdem horoſcopum, quid quæſo ſtultius eſſe poterit?

26 Pius ergo homo,cogitans de futuris ſibi vel proſperis vel aduerſis,intueatur primùm prouidẽtiam Dei,quæ nunquam pugnat cum promiſſionibus & comminationibus diuinis.

27 Hæc prouidentia poſtulat plura.Primum, vt nos totos Deo cõmendemus,eum timeamus,inuocemus & prædicemus:Deinde, vt ſecure cõtemnamus quicquid nobis mundus vel Satanæ mancipia, minantur.Tertiò, vt reſpiciamus ad ipſius promiſſiones & minas.Promittit enim proſpera,qui ſe diligunt:minatur aduerſa,ſe non diligentibus. Impij, ait Scriptura,non dimidiabunt dies ſuos.

28 Has promiſſiones & comminationes diuinas euertunt,quantum in ſe eſt, qui euentus hominum ſuis horoſcopis ſubijciunt.

29 Neque eſt quod voluntatem hominis ſubijciãt aſtris.Nam hoc eſſet opus Dei deſtruere,Deum autorem peccati facere,proæreſin tollere, verbũ Dei negare,Spiritum ſanctum legibus Genethliacorum ſubijcere.

4. Diuinationes Diabolicæ.

30 Huic Genethliacorum vanitati affinis eſt diuinatio,Lege Dei damnata,videlicet,cum homines Enthuſiaſtæ,ſe plenos diuinitate ſimulãt, & aſtutia quadam Satanica,interdum futura coniectant.

31 Fit autem hæc pernicioſa diuinatio multis modis,videlicet,per exta pecudum,auguria,ſortes, colloquia cum dæmonibus,&c.

32 Nam Dæmones aliquando prædicunt, quæ ipſi facere decreuerunt, interdum ambiguitate ludunt: nonnunquam ex ſignis naturalibus breui futura coniectant. Fieri etiam poteſt, vt aliquando prædictiones Prophetarum ſequantur, & vt ſuas proponant. Vnde fit, quod euentus ſæpe reſpondeat.

33 Sed caueat ſibi Chriſtianus, ne ſe ſinat à Satana illudi.Quod promtiſſimum erit,ſi vel minimum deflexerit à verbo Dei,ad vanitatem diuinatoriam.

IX.

QVARTA LEX Decalogi.

Memento vt diem Sabbati ſanctifices.

Ratio & finis præcepti.

1 DOMINVS de Sabbato hanc Legem tulit: *Memento vt diem Sabbati ſanctifices.*

2 Vt huius Legis ratio eſt, quod Deus ſolus ſit & rerum conditor,& fons omnium bonorum, datorque:ita eius finis eſt, vt proprijs operibus emortui, veram ſanctificationem, operibus à Deo mandatis,meditemur & ſinamus nos à Deo ſanctificari.

Partes præcepti.

3 In huius Legis explicatione hęc ordine ſunt ſpectanda, Quid Sabbatum: quid ſanctificare: quid ſit Sabbatum ſanctificare:quatenus abrogatum ſit Sabbatum: Symbolica Sabbati ſignificatio:opera Sabbati & hypocritarum,Phariſæorumque de Sabbato error,cum defenſione facti Domini ſanantis ægrotos Sabbatis.

4 Σάββατον propriè quietem ſeu ceſſationẽ ſignificat,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

cat vnde transfertur ad diem ſeptimum, in quo Dominus ceſſauit ab opere creationis, quod conſummauit ſex diebus. Vnde Gen. 2. ſcriptum eſt: Et benedixit Deus diei ſeptimæ, & ſanctificauit eam, qui in ea ceſſauit ab omni opere ſuo, quod creauit Deus vt faceret. Et hoc Sabbatum dierum dicitur. Et per Synecdochen, integra hebdomas dierum, ſabbatum dicitur, vt in illo: Ieiuno bis in ſabbato.

5 Præter hoc dierum Sabbatum apud Iudæos, fuit Sabbatum annorum, & Sabbatum magnum, & Sabbatum primum, & δευτερόπρωτον.

6 Sabbatum annorum eſt ſeptimus quiſq; annus. Leuit. 25. Numerabis tibi ſeptem Sabbata annorum, id eſt, ſeptē annos, ſeptem vicibus. Qui dies ſeptem Sabbatorum annorum, efficient quadraginta nouem annos. Vt autem ſeptimo quoq; anno quieuit terra: ita quinquageſimo quieuit ſeruitus, & reddebatur libertas cum poſſeſſionibus.

7 Sabbatum magnum, quod in Scriptura Sabbatum ſabbati dicitur, fuit ſabbatum incidens in ſolēne feſtum: Magnum dictum, quia præ reliquis feſti diebus ſanctum habebatur.

8 Vt ſabbatum primùm fuit primus dies in feſto plurium dierum, vt primus dies feſti azymorum, & tabernaculorum: ita δευτερόπρωτον, ſecundo primum, dictus eſt à Luca vltimus dies claudens feſtum plurium dierum: ſic appellatum, quod pari honore, pariq; prorſus religione, cum primo celebraretur. Vnde propter ſimilem religionem, quaſi primum erat ſecundariò repetitum.

8. Sanctificare quid.

9 Sanctificare in genere eſt aliquid ſegregare à communi & profano vſu, purum ſeruare, & diuino cultui & ſacro vſui deſtinare & applicare.

3. Quid ſit Sabbatū ſanctificare.

20 Hinc ſanctificare ſabbatum, eſt diem, quam Sabbatum nominamus, ab vſu communi & profano ſegregare, eum purum & incōtaminatum ſeruando, accommodare vſui ſacro, hoc eſt, religioni ſeu operibus, quibus Deus immediate colitur.

4. De abrogatione Sabbati.

11 Hoc Iudaicum Sabbatū abrogatum eſt quoad circumſtantiam diei certæ attinet: idque propter duas cauſſas, harum prior eſt, quod fuerit typus quietis Chriſti in ſepulchro. Vmbra proinde ceſſare debuit exhibita veritate. Poſterior, vt hęc abrogatio ſit teſtimonium liberationis credentium à iugo legis Moſaicæ.

12 Etſi autem hoc Sabbatum Iudaicum nos in ſpecie non obligat: tamen, quantum ad genus attinet, ipſa pietas poſtulat, vt in ſingulis ſeptimanis vnum aliquem diem ſegregemus à profano vſu, ac illum diuino cultui deſtinemus. Quare piè factum eſt ab Apoſtolis, qui primam ſeptimanæ diem, in memoriam reſurrectionis Domini à mortuis, in locum vltimæ ſubrogant, quam vocarunt ab euentu, κυριακὴν.

5. Symbolica Sabbati ſignificatio.

13 Quantum autem ad Symbolicam ſignificationem & typum attinet, ſciendum eſt, quod pro triplicis temporis ratione ſpectetur.

14 Nam ſi præteritum tempus reſpicis, ſabbatū fuit inſtitutum in memoriam quietis Dei poſt rerū creationē. Vnde μνημόσυνον rerum creatarū fuit. Deinde adumbrabat, requiē populi Dei in terra Canaan, poſt multos in Ægypto & deſerto exhauſtos labores, quemadmodū ex Pſalmo, Epiſtola ad Hebræos indicat. Præterea ſabbatū fuit typus ſabbatiſmi Domini quieſcentis in ſepulchro, peractis noſtræ redēptionis laboribus.

15 Si præſens tempus reſpicimus, Sabbatum fuit typus quietis conſcientiarum à peccatorum procellis, poſt liberationem à regno Diaboli, per Chriſtū ducem. Deinde ſignum fuit quod Deus ſit qui hominem ſanctificet: iuxta illud: Sabbata mea dedi eis, vt eſſent ſignum inter me & eos, vt ſcirent quod ſim Iehoua, qui ſanctifico eos. Præterea monet vitam ſanctorum perpetuo in meditatione quietis cœleſtis tranſigendam eſſe.

16 Huc Auguſtini dictum pertinet: *Eſt autem ſacramentum Sabbathi antiquis noſtris Patribus praceptum, quod nos Chriſtiani ſpiritualiter obſeruamus, vt ab omni ſeruile opere, & ab omni peccato (quia Dominus ait: Omnis qui facit peccatum ſeruus eſt peccati) abſtineamus nos, & habeamus quietem in corde noſtro, id eſt, tranquillitatem ſpiritualem: & quamuis hoc ſeculo id conemur: ad eam tamen requiem perfectam non perueniemus, niſi cū de hac vita exierimus.*

17 Si tempus futurum reſpicimus, Sabbatū fuit typus conſummationis mundi. Quemadmodum enim ſex dies creationis rerum, adumbrabant ſex annorum millia, iuxta dictum domus Eliæ: ita Sabbatum ſignificat æternitatem quietis in cœlo, & Sabbatiſmum illum beatorum, perpetuo duraturum, quem Sancti expectant.

6. Opera Sabbati.

18 Obedientia vera Sabbati apud Iudæos, ſita erat in vacatione ab operibus ſeruilibus, in ceremoniarum & ſacrificiorum obſeruatione, in tractatione & meditatione doctrinæ cœleſtis, in fidei & charitatis exercitiis.

7. Errores de Sabbato.

19 Cæterùm vt hypocritæ ſemper hærent in cortice Scripturæ: ita etiam Phariſæi ægreferentes miraculum à Chriſto editum die Sabbati, turpiter hallucinati ſunt: non intelligentes quantum fecerit iſta ſanatio ad veri Sabbati meditationem. Primum enim illa ſanatio non fuit ſeruile opus Lege interdictum, ſed diuinum planè, quo gloria Dei illuſtrabatur inter homines, multo præſtantius omnibus ceremoniis & ſacrificiis, quo Meſſiæ, in quem tota lex Moſis reſpiciebat, præſentia ſignificabatur; quo doctrina Chriſti confirmabatur; quo fides in multis accendebatur; quo charitas erga proximos afflictos declarabatur: denique, quo vera Sabbatiſmi ratio indicabatur.

De dieb. feſtis quarūdā Eccleſiarum.

21 Hactenus de Sabbato Iudaico, nunc quædam adiiciemus, de feſtis noſtris & ceremoniis.

22 Noſtra feſta triplicia ſunt, videlicet, Dominicus dies, feſta Saluatoris, memoriæ Sanctorum.

23 Dominicus dies, exemplo Apoſtolorum, à nobis, non ſuperſtitionis, ſed miniſterij, ordinis, diſciplinæ, & exercendæ pietatis cauſſa obſeruatur.

24 Feſta Saluatoris ideo in Eccleſia ſeruantur, vt ordine diſcatur hiſtoria, vt ſigillatim beneficia Mediatoris ſpectentur, vt beneficiis eiuſdem recte vtamur, in gloriam Dei & noſtram ſalutem.

25 Memoriæ Sanctorū hos fines habent vtiles, vt cognoſcatur Eccleſiæ hiſtoria, vt cogitentur beneficia Dei erga membra Eccleſię, vt gratiæ Deo, pro ipſis agantur, vt varij Sanctorum caſus perpendātur, vt Sanctos imitemur in pœnitentia, vita, cultu, confeſſione, conſtantia, patientia, & aliis virtutibus, vt piis ſuſpiriis expetamus Sanctorum conſortium.

26 Hi fines omnes ſeruiunt gloriæ Dei & ſaluti noſtræ. Fines autem feſtorum Ethnicos & Papiſticos execramur, vt indignos quorum vel mentio fiat inter Chriſtianos.

De Idolatrarū feſtis.

27 Ethnicorum feſta non animabus pietate & virtute exhilarandis, ſed corporibus explendis deſtinata erant. Vnde Græcis ebrietas μέθη dicitur, eo quod peractis ſacris, ingurgitationi vacabant, qua reputabant ſe ſuis diis, hoc eſt, Dæmonibus rem gratā facere, & dies mox à feſto ſequens ἐπίβδα aſpera dicebatur, eo quod ex crapula poſt feſtum laborabant. Vtinā multi, qui Chriſtiani cenſeri volūt,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Ethnicos Græcos in potandi certamine, idque præcipuè in feſtis, non ſuperarent.

28 Papiſtarum feſta, potiſſimum de ſanctis, deſtinantur turpiſſimæ idololatriæ, videlicet, inuocationi ſanctorum, quã diabolus in mundum inuexit, potiſſimum propter tres cauſſas, videlicet, vt Chriſtum vnicum Mediatorem ſuo honore ſpoliaret, vt ignominia afficeret demortuos ſanctos, vt perderet idololatras qui ſanctos inuocant, haberetque ipſos ſocios æternarum pœnarum.

De ceremoniis Eccleſiaſticis.

29 Quantum autem ad ceremonias attinet, diſtinguamus inter diuinitus ordinatas & humana authoritate introductas: illas perpetuò retinendas iudicamus propter authoritatẽ inſtituentis, & eas ſuæ commendantis Eccleſiæ: has, quatenus ſeruiunt decoro & ordini, retinemus: nec offendimur, ſi aliæ nationes à nobis in ceremoniis hiſce variant. Nam ſcimus Eccleſiam Dei eſſe omnem cœtum, qui iuxta verbum Dei Deum colit, etſi magna eſt diſſimilitudo ceremoniarum.

30 Auguſtinus & Ambroſius non offenduntur ex eo, quod aliæ Romæ, aliæ Mediolani eſſent ceremoniæ. Nam inter ſe iunguntur pij, ſpiritu Chriſti, non humanis ceremoniis.

31 Vt pios gubernatores Eccleſiarum velim magno ſtudio cauere, ne ceremoniæ ſcandalo ſint infirmis: ita priuatos nolim quicquam mutare in ceremoniis, graui authoritate à maioribus inſtitutis & approbatis.

32 Neque eſt quod exactiſſima ratio ſingularum ceremoniarum inquiratur, modò non manifeſtam ſuperſtitionem & impietatem redoleant.

33 Quidam offenduntur ceremoniis noſtris, quas clamitant Papiſticas eſſe: dicunt nos habere ſacerdotes, altaria, veſtes, candelas, imagines, exorciſmos, ſignationes crucis, plane Papiſtico more. His ego reſpondeo, Eccleſiam veram à falſa diſtinguendam eſſe doctrina & cultu, non ceremoniis quæ per ſe adiaphoræ ſunt.

34 Neque enim ceremonias adiaphoras tanti momenti eſſe iudicamus, vt propter illas ſchiſmata moueantur in Eccleſia. Retineatur doctrinæ ſinceritas: retineatur purus Dei cultus. Alia ſeruiant partim tranquillitati, partim infirmitati hominum: & relinquamus prudentiæ gubernatorum, vt de his rebus diſpiciant.

X.

QVINTA LEX Decalogi.

Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram.

Summa ſecundæ tabulæ.

1 VT ſuperiora præcepta ſub dilectione Dei, tanquam capite: ita ſequentia ſub dilectione proximi continentur. Quare vt dilectio Dei, moderatrix eſt omnium actionum interiorum & exteriorum primæ tabulæ: ita dilectio proximi, moderabitur ea quæ debemus proximis, & præſcribuntur in ſecunda tabula.

2 Hinc fit, quod quicquid facit ad charitatem proximis exhibendam, contineatur in ſecunda tabula, etiamſi verbis expreſſum non ſit: & contrà, quicquid non eſt contra dilectionem proximi in ſecunda tabula nequaquam prohibeatur. Huius regulæ obſeruatio, multis quæſtionibus diluendis ſeruiet.

3 Cùm autem dilectionis proximi ſunt plures gradus, & inter hos primus eſt parentũ: merito primum præceptum ſecundæ tabulæ eſt, de liberorum officio erga parentes, quod ex dilectione naſcitur.

4 Eſt autem hæc Lex: *Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus, & bene ſit tibi ſuper terram.*

5 Quoniam autem hæc Lex latiſſimè patet, nec poſſunt omnia ſimul commodè explicari: viſum eſt nobis in hac collatione, tria exponere.

6 Horum primum, eſt debitum officium: Secundum, præmium præſtiti officij: Tertium, enormitas reatus neglecti officij, & eiuſdem iuſta pœna. Vſum Legis prætereo, qui vnus & idem eſt omniũ Legum, & à nobis traditur in aſſertionibus de prima Lege ſcriptis.

7 Primùm ergo debitum officium liberorum erga parentes quærendum eſt, & quo iure obligantur liberi ad officium præſtandum.

8 Eſt autem hoc officium liberorum erga parentes (quod per Synecdochen honoris vocabulo continetur) in duobus poſitum, videlicet, in honore parentum, & in præmio nutricationis illis reddendo. Quorum prius dignitati, poſterius neceſſitati parentum tribuendum eſt.

9 Etſi autem honor parentibus debitus manat ex charitatis fonte: tamen cauſſas hic concurrentes videre vtile eſt: quæ quatuor numerari poſſunt, videlicet, agnitio ordinationis diuinæ, timor Domini naturalis ratio & στοργὴ diuinitus homini ingenita.

10 Primùm itaq; inuitabit liberos ad honorẽ exhibendum parentibus, quod illorum autoritas & eminentia ſit ordinatio diuina. Nihil enim voce Dei honorabile dici poteſt, niſi idem à Deo profectum ſit & ordinatum. Adhæc, conſideranda eſt diuinæ maieſtatis ſimilitudo quædam in parentibus, nempe quod filiis ſint cauſſa vitæ generando, vt Deus creando. Quæ res monet, vt non tam quales, quam quod parentes habeamus, æſtimemus.

11 Secunda honoris parentum cauſſa eſt, timor Domini præcipientis hunc honorem. Qui timet (ait Syracides) Dominum, honorat parentes. Proinde, qui non honorat parentes, Dei maieſtatem contemnit.

12 Tertia honoris parentum cauſſa eſt, naturalis ratio, quæ dictat, quod inferiora debeant ſubiectionem & honorẽ ſuperioribus, tanquã dignioribus, præſertim bene meritis. Qui ergo hunc ordinem perturbat, legem naturæ pro nihilo habet, conferendus viperinæ ſoboli.

13 Quarta honoris parentum cauſſa eſt, στοργὴ diuinitus homini ingenita, quæ in multis Ethnicis, item in brutis, vt in aquilis, gruibus & ciconiis, agnoſcitur.

14 Cauſſis honoris parentum cognitis, videamus in quibus rebus legitimus parentum honor conſiſtit: vt explicatè intelligatur, quam latè pateat vis honoris erga parentes.

15 Etſi autem alij aliter de gradibus huius honoris ſtatuunt: ego tamen ſeparans cauſſas ab effectis, tres præcipuos gradus facio, non eos reiiciens qui vel plures vel pauciores numerant.

16 Sint ergo nobis hi gradus, Primus, pia reuerentia. Secundus, caſtus timor. Tertius, promta obedientia. Reuerentia, eminentiã & ordinẽ diuinum agnoſcimus: timore offenſam cauemus: obedientia, debita præſtamus obſequia, quæ ſimul dilectionis, à qua naſcuntur, ἀκόλουθα ſunt.

17 Pia reuerentia eſt externa teſtificatio, vt qua veneramur parentum dignitatem & eminentiã quã ſuſtinent, & humiliatio quædam, qua nos illis ſubmitti-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mittimus, tanquam dignioribus, non ſine admiratione ordinis diuini. Nam omnis reuerentia admirationem coniunctam habet.

18 Hæc externa reuerentia ſignificatur non eodē modo vbiq;, ſed pro nationum diuerſitate variat. In genere autem continetur tribus, videlicet, geſtibus corporis, verbis, & obſequiis, non imperatis ſed ſpōtaneis. Hæc enim tria teſtantur de animo rectè ſentientis de alicuius virtute & dignitate.

19 Caſtus timor filiorum, ex perſuaſione amoris parentum erga ſe natus, facit, vt caueamus parentes offendere vllo vel facto, vel dicto, vel ſigno.

20 Prōpta obedientia erga parentes tertiū honoris gradū obtinet, quæ eſt mandatorū, quæ nobis imperantur à parentibus, prompta & debita executio.

Diſcrimē inter obedientiam Deo & parentibus debitam.

21 Hic tenendum eſt diſcrimen inter obedientiam, quam Deus poſtulat, & quam parentes requirūnt. Illa caret omni exceptione: hæc certis terminis clauditur.

22 Nam ſi parentes aliquid iuſſerint, vel contra Deum, vel contra ſalutem filiorum, vel contra naturam, vel contra Leges patriæ iuſtas, vel contra legitimum magiſtratum: nequaquam illis obtemperandum eſt. Magis enim Deo, quam homini obtemperare oportet.

23 Hic locum habet dictum Domini, Luc. 14.26. Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, ſorores, & filios, & fratres, præterea etiam animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

24 Hic, odiſſe parentes, non eſt parentibus malè velle, ſed iis qui impiè imperant, aduerſari, atque ea fugere, non ſecus atque peſtem animarum. Sic multæ ſanctiſſimæ virgines olim fecerunt, quæ potius vitam amittere, quam impia parentum imperata facere, non dubitarunt.

De præmio nutricationis.

25 Hactenus de ea parte officij liberorum erga parentes, quæ ad illorum dignitatem pertinent dictum ſit: nunc pauca adiiciamus de præmio nutricationis. Quæ pars neceſſitati ipſorum ſeruiet, & eſt ſynceri honoris effectus.

26 Cū nulla ſit ingratitudo crudelior, nulla nequior, nulla diuina vindicta dignior, quam ingratorū liberorum in parentes: poſtulat natura, lex Dei præcipit, omnes Leges humanę exigunt, & multorū beatorum exēpla confirmant, atq; adeo ipſa iuſtitia clamat, vt liberi indigentibus, infirmis, ſenibus parentibus præmia nutricationis reddant.

27 Nam cum humana natura & in ortu & occaſu, hoc eſt, in infantia & ſenectute ſit debilis, opus habet aliunde ſubſidio, refugio & ſolatio. Vt ergo infantia opus habet parentum ſubſidio, refugio, conſilio, alioqui peritura: ita ſenectus opus habet liberorum ſubleuatione, vt ipſi τὰ θρεπτήρια ſoluant, idque iure analogo. Qui autem hæc non perſoluunt, immemores ſunt beneficiorum olim à parentibus præſtitorum.

28 Verùm hęc θρεπτήρια ſeu nutricationis præmia, in tribus potiſſimum poſita eſſe videntur: Si alis egentes, ſi miniſtras infirmis, ſi pia ἐπιεικεία ſenectutis ſordes & errata regis.

29 Qui alit parentes indigentes, naturam ſequitur ducem, quæ iubet ſimili beneficio beneficium compenſare, id quod & brutis quibuſdam natura impreſſit.

30 Ambroſius & Baſilius Ciconiarum exemplum proponunt, quas affirmant parentes ſenio confectos in nidis alere, nudatos pennis tegmine alarum dulciter fouere, & ſi quando volandi neceſſitas incumbit, ſupponere corpora ſua volantium parentum corporibus, ne in terram decidant & grauius impingant. Hinc ἀντιπελαργεῖν eſt more Ciconiarum gratiam referre parentibus, eoſque pie colere & fouere.

31 De miniſterio parentibus infirmis debito, loquitur Syracides, cap. 3.8. Qui timet Dominum, ſeruiet iis qui ſe genuerunt, in omni opere & ſermone, & in omni patientia. Item: Fili, ſubleua Patrem tuum in ſenectute, neque in vita tua moleſtia eum afficias.

32 De ἐπιεικεία idem Syracides ait: Si ſenſu deſtituatur, ignoſce illi, & ne ſpernas eum in virtute tua, hoc eſt, cum tu ſis forti & bona valetudine, ne contemnas parentes παλιμπαιδας, ſordidos & imbecilles.

33 Vult ergo Sapiens, vt liberi, cum parentes vitio ætatis repueraſcunt, hanc ætatis imbecillitatem & deformitatem moderatè ferant ac tegant.

34 His officiis liberorum erga parentes accedat ſeria liberorum precatio pro parentibus, vt Deus illis largiatur patientiam, cōfirmet fidem, ac tandem exitum pium de hac vita concedat.

35 Secundum, quod propoſuimus eſt, de pręmio officij parentibus pie præſtiti. Lex ipſa, longæuam & proſperam vitam, præmium honoris parentum facit: idque valde congruè. Promittitur vita longæua & proſpera, ob gratitudinem erga eos, à quibus vitam habemus: vt præmium officio reſpondeat.

II. De præmio officij parentibus piè præſtiti.

36 Porrò, huius proſperitatis ſeu felicitatis promiſſæ pietati erga parentes, plures ſunt partes, videlicet, gratia ſpiritualis, ſucceſſus in negotiis vitæ felix, honeſtum nomen, fauſta precatio, promiſſio lætitiæ ex liberis.

Partes huius præmij.

37 De gratia ſpirituali loquitur Sapiens, cum ait: Qui honorat patrem, veniam peccatorum impetrat, atque in die precationis ſuæ exaudietur. Item, Tributa patri benignitas non tradetur obliuioni, aduerſus peccata tibi propugnaculum extruetur.

38 De ſucceſſu in negotiis vitæ felici, ipſa Lex potiſſimum loquitur, cum ait: Vt tibi bene ſit ſuper terram. Item Syracides: Bona patris precatio domos liberorum ſtabilit.

39 Honeſti nominis, bonæ famæ, & gloriæ, meminit idem Sapiens: Gloria hominis honore patris comparatur, hoc eſt, qui patrem honorat, famam bonā & gloriā apud homines ſibi cōparat.

40 Piæ precationis & voti hominum, videntiū liberos, ſuos parentes dulciter amplecti & fouere meminit idem Syracides, cum inquit: Tam dictis quam factis patrem matremque honora: vt ab hominibus benedictio ad te perueniat.

41 Promiſſio lætitiæ ex liberis propriis, qui ſuos honorant parentes, hæc eſt eiuſdem Sapientis: Qui honorat patrem, lætabitur in filiis, hoc eſt, Vt quis honorauerit patrem ſuum: ita viciſſim à filiis honorabitur, iuxta regulam: Par pari referendum. Item: Eadem menſura, &c.

42 His enumeratis præmij eorum, qui honorat parentes, partibus, addo bonam conſcientiam, quæ dulciſſima nutrix erit aduentantis ſenectutis. Quæ vel ſola, ad honorandos parentes, natos inuitare deberet.

43 Tertium quod poposuimus, eſt, de enormitate reatus eorum, qui ſunt contumaces erga parentes, & de pœna eorundem.

III. Enormitas reatus filiorū cōtumaciū.

44 Quantus ſit reatus eorum, qui Legem de honorandis parentibus violant, facilè eſt iudicare. Nā quicquid honori parentum & eius partibus, quas recitauimus, aduerſatur, Legem violat, & tranſgreſſores reos peragit coram iudicio Dei.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

45 Nam ſiue in corde latet, ſiue ore profertur, ſiue geſtibus aut ſignis ſignificatur, ſiue opere probatur aliquid, quo dignitas parentum aliquo modo læditur: reus es violatæ huius Legis.

Vnde patet.

46 Quantus autem ſit hic reatus, ex pœnis patet. Primùm enim immorigeris filiis à diuina maieſtate denunciatur maledictio, Qua pœna nulla maior, nulla triſtior eſſe poteſt. Deut. 27.16. Maledictus qui non honorat patrem ſuum & matrem ſuam, & dicet omnis populus, amen.

47 Cum hac maledictione, Ilias, vt ita dicam, malorum coniuncta eſt, quæ ex antitheſi præmiorum intelligi poſſunt, vt ſunt ira Dei, infelix in rebus ſucceſſus, mala fama, imprecatio ab hominibus, in propriis liberis ignominia, & horrenda conſcientiæ carnificina, quæ ipſa morte grauior eſt. Quæ mala tandem excipiet deſperatio, niſi ſuccurratur per Euangelium.

XI.

SEXTA LEX DECAlogi. Non occides.

Vniuſcuiuſq. præcepti duæ hypotheſes.

1 CVM hoc ſit conſilium Legiſlatoris Dei, vt cum vnum præcipit, contrarium vetet, & contra cum vnum vetat, contrarium præcipiat: fit, vt ſingularum legum Decalogi ſint duæ hypotheſes, vna affirmatiua, negatiua altera.

2 Sunt ergo huius ſextæ legis duæ hypotheſes: *Negatiua*, Non occides, hoc eſt, tu homo non occides, ſcilicet quemuis hominem. *Affirmatiua*, vitam proximi fouebis, conſeruabis, tueberis.

Ratio huius.

3 Ratio huius Legis ex creatione hominis intelligitur & clarè exprimitur, Gen. 9.6. videlicet, quia homo eſt conditus ad imaginẽ & ſimilitudinẽ Dei.

Finis.

4 Finis autem huius Legis eſt, vt mutuis officiis, ex mutua beneuolentia ſocietas hominum inter ſeſe coaleſcat & conſeruetur, vt de Deo rectè doceri poſſint homines, vtque viuant tranquillè, quietè, honeſtè & piè in hac vita.

5 Quicquid ergo ad hunc finem facit, hac ſexta Lege præcipitur: & quicquid vel huic fini aduerſatur, vel quouis modo eum impedit, vetatur.

Quid prohibeatur.

6 Hinc manifeſtum eſt, non ſolum externum homicidium prohiberi hac Lege: verumetiam omnia, quæ quouis modo gradus eſſe poſſunt ad homicidium, & quæ humanam ſocietatem, quo minus ſuauis ſit & tranquilla impediunt.

7 Hæc ſimul requiri, etiam manifeſtum eſt ex generali Lege ſecundæ tabulæ, quæ eſt: Diliges proximum tuum, vt teipſum.

Gradus ad homicidium.

8 Sunt autem gradus ad externum homicidium plures: vt, cogitata, affectus, dicta & facta pugnantia cum dilectione proximi.

9 Ex cogitatione de proximo praua, affectus feri naſcuntur: vt, impatientia, faſtidium, maleuolentia, contemtus ἐπιχαιρεκακία, ira, odium, inuidia, indignatio, vindictæ cupiditas: & multi alij.

10 Hinc, hoc eſt, ex affectibus, proruunt dicta cõtra proximum: vt, conuicia, probra, obtrectationes: Quæ quouis gladio ſunt acutiora, magiſq; animum proximi vulnerant, quam gladius corpus.

11 Facta conſequuntur dicta: vt iurgium, inſultatio, prouocatio, pulſatio, & huiuſmodi multa: quæ in generibus enumeratis continentur.

12 Hos gradus ſæpe excipit externum homicidium, quod eſt horrenda imaginis Dei deſtructio. Ita enim Moſes ait. Gen. 9.6. Qui effuderit ſanguinem hominis, per hominẽ effundetur ſanguis eius: quia ad imaginem Dei fecit hominem.

Errores.

13 Porrò ab huius Legis ſententia multi aberrarunt, non attendentes legitimos huius Legis limites & fines, quos imprimis in omnibus legibus conſiderare oportet.

Manichæorum.

14 Primus error eſt Manichæorum, qui iuſtos limites trãſgreſſi, Legem hanc de non occidendo, interpretabantur, hoc modo, Non occides, ſcilicet vlla viuentia, Sed horum errorem confutat non ſolum rerum conditarum conditio: verumetiam theſis, ſub qua continetur hæc hypotheſis.

15 Secundus error eorum eſt, qui putarunt hic prohiberi ſolummodo, ne quis alium hominem occidat, non autem vetari, ſi quis ſe ipſum occiderit, vt Samſon, Iudas, Empedocles, Cato, Lucretia, Seneca Raſias.

16 Tertiò, hîc errãt, qui ſe à crimine homicidij alienos eſſe putant, ſi rogati, volentem occiderint. Nam hic & qui petit ſe occidi, & is qui occidit, Lege homicidii tenentur.

17 Quartò, aberrant & illi ab huius Legis mente, qui exiſtimant ſibi licere hoſtes religionis, vt Mahometiſtas & alios in Chriſtum blaſphemos priuato arbitrio occidere. Nam poteſtatem alienam ſibi vſurpant, quod ſacrilegij quoddam genus eſt.

Anabaptiſtarum.

18 Quintò, aberrant quoque illi à ſcopo huius Legis, quæ hoc præceptum contra publicam iuſtitiam interpretantur, non diſcernentes inter hominis factum, & Dei iudicium, quod exercetur per hominẽ. Quare cum ſimpliciter Lex ait, non occides, concludunt nullo pacto licere vllum hominem occidere, nec publica nec priuata autoritate.

19 Verum cum iſta ſententia, pugnat & cum capite Legis, & cum iuſtitia, & cum manifeſto verbo Dei, eam fugiamus vt falſam, & humanæ ſocietatis peſtem.

20 Manifeſta eſt Lex de vindicta homicidij, Gẽ. 9.6. Item Exod. 22.18. Maleficam non patieris viuere ſuper terram.

21 Vt enim è re corporis humani eſt, putridum mẽbrum maturè abſcindere, ne pars ſyncera trahatur: ita ſalutis ſocietatis humanæ intereſt, noxios & pernicioſos ciues è medio tollere, ne malum vnius paulatim ſerpat in totum ſocietatis corpus.

Papiſtarum.

22 Sextus error Papiſtarum eſt, qui hoc præceptum manum cohibere dicunt, & non animũ: quorum vanitas manifeſtior eſt, quam vt refutanda ſit.

23 Septimo, aberrant quoque illi à mente huius Legis, qui nullam vindictam licitè, & ſine peccato expeti poſſe putant. Etſi enim Magiſtratui permittunt ius gladij, vt Dei miniſtro, ad iram ei qui quod malum eſt, fecerit, tamen pios qui perfectionis laudem quærunt, alienos eſſe ab omni expetitione vindictæ debere, contendunt. Atq; ea de cauſſa prohibitionem vindictæ inter Conſilia numerant, in illa falſa diſtinctione, qua dicunt Chriſtum alia præcepiſſe, alia conſuluiſſe: & hæc poſteriora ad perfectionem pertinere: illa ad promiſcuã Chriſtianorum turbã.

24 In huius ſuæ ſententiæ defenſionẽ, dicta Domini, Matth. 5. Ne reſiſtatis malo. Item, Benefacite iis, qui oderunt vos. Et illud Pauli, Noli vinci à malo, ſed vince bono malum. Item illud: Mihi vindicta & ego retribuam. Et huiuſmodi multa alia adferunt.

25 Verùm, cum ex his dictis & ſimilibus conantur omnem vindictam tollere, non diſtinguunt inter ea quæ ſimpliciter, & ea quæ ex parte dicuntur, qualia ſunt ea omnia, quæ ad tollendam omnem vindictam torquent.

26 Natus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

26 Natus eſt autem hic error, ex eo, quod omnis hæreſeos fons eſt, videlicet, cum de re aliqua agitur, eam æſtimant imprudentes ex vno ſcripturæ loco non recte intellecto, & non circumferunt animum vt par eſſet per vniuerſam ſcripturam, dicta omnia de re propoſita conferentes. Quam diligentiam Epiphanius theoriam vocat: ſine qua nemo ſcripturam recte interpretari poterit.

27 Eſt ſiquidem hæc doctorum apud Hebræos ſententia veriſsima: Qui non aduertit quod ſupra & infra in libris ſcribitur, peruertit verba Dei viuentis.

De vindicta.

28 Nos ergo animum per totam ſcripturam circumferentes, deprehendimus quadruplicem vindictam, videlicet, Diuinam, heroicam, ordinatam, & temerariam: quarum ſola poſtrema damnatur verbo Dei.

1. Diuina.

29 Diuina vindicta eſt, qua ipſe Deus immediatè vlciſcitur offenſam, qua ipſius maieſtas læſa eſt. Hanc vindictam & occultè & manifeſtè exercet ſimiliter in hac vita & poſtea, & eſt ſupra omnem legem.

30 Hæc ſemper iuſtiſſima eſt, vt quæ ab optimo Deo proficiſcatur: tametſi eius rationem non ſatis intelligimus. Vlciſcitur ſæpe peccata parentum in liberis, Magiſtratus ſcelera in ſubditis, ſubditorum in capite, vnius flagitium in multis: idque iuſtiſsimè, quia iuſtiſsimus.

31 Hic Dei vindicantis ſcrutari iudicia, temerarium eſt. Sunt enim iudicia Dei abyſſus multa: adeo vt menſura ſenſus noſtri & rationis capi non poſſint. Adoremus ergo hic Dei iudicia, ac ipſum timeamus, ne in nos ira ipſius effundatur.

2. Heroica

32 Heroica vindicta eſt, quæ zelo diuino accenſa, vltionem ſumit de hoſtibus Dei. Huius heroicæ vindictæ exempla habemus in Samſone, qui euerſione domus, hoſtes Dei oppreſſit. In Elia, ſacerdotes Baalim, & duos quinquagenarios cum ſuis militibus, occidente. In Heliſæo conuicium non ferente puerorum. In Iudith, ſanctiſsima fœmina, obtruncante Holofernem. In Chriſto eiiciente ementes & vendentes è templo, flagello. In Petro, qui mentientem Ananiam verbo occidit.

33 Hæc heroica vindicta præter legem fit communem. Quare huius rationem non in Lege quęramus, ſed Deo illam relinquamus, qui hunc zelum vindictæ in quibuſdam excitat, in teſtimonium ſuæ iuſtitiæ.

3. Ordinata & legitima.

34 Ordinata vindicta & legitima eſt, quæ ſub Lege continetur, & ex ordinatione Dei, vel ſecundum rectam rationem, vel iuxta legem politicam, vel ad præſcriptum verbi Dei exercetur ab eo, cui eius poteſtas a Deo eſt conceſſa. Hanc ordinatam voco quia oritur à bona cauſſa, & procedit per legitima media, ad bonum aliquem finem.

35 Hac Pater contumaciam filij punit: hac pædagogus rebellionem diſcipuli caſtigat: hac miniſter Euangelij eum, qui ſcandalo offendit, reprimit: hac magiſtratus noxios ciues è medio tollit: hac latrones, fures, alióſque hoſtes Rector reipublicæ coercet.

36 Sine hac vindicta nec domus, nec ciuitas, nec Eccleſia, nec Regnum, nec vlla humana ſocietas, incolumis eſſe poteſt.

37 Porrò, ne hæc vindicta excedat iuſtos limites, duo conſiderentur: Vnum de eo qui petit vindictam, Quo ſit animo, quem finem ſibi proponat, quidque eum ad vindictæ petitionem excitet. Alterum de miniſtro iuſtitiæ, cui vindicandi poteſtas à Deo data eſt, quo ſit affectu, ad quem ſcopum reſpiciat, & quid illi liceat, & quid non.

Quomodo affectus eſſe debet qui petit vindictã.

38 Qui petit vindictam ſit alienus ab omni odio, in timore Dei confugiat ad remedium diuinitus ordinatum, nihil magis in votis habeat, quàm ſalutem eius qui offendit. Atque ita à miniſtro iuſtitiæ petat defenſionem, & correctionem eius qui læſit, ac intueatur iuſtos vindictæ fines, videlicet, cohibitionem ſcelerum, pacem, & quietem ſocietatis humanę, æquitatis & iuſtitiæ conſeruationem, amotionem ſcandali, deſtructionem regni Satanæ, regni Chriſti propagationem, & gloriam Dei.

39 Hos fines qui dignè æſtimat, non ſolùm iniuriam ſibi illatam puniri petit, verumetiam magno zelo fertur ad vindictam petendã de iis qui vitę turpitudine, morum leuitate, & ſcandalo faciunt, vt doctrina Euangelij audiat malè apud aduerſarios.

40 Ideo Dominus mandat, vt ſi quis peccauerit te cõſcio, vt illum primùm admoneas ipſe: deinde idem facias adhibito fratre aliquo: tandem, ſi nihil effeceris, vt dicas Eccleſiæ. Matth. 18. 17.

41 Paulus obiurgat Corinthios conſcios ſceleris eius qui nouercam in vxorem duxit, quod ad tantum ſcelus tacuerint, & hominem, qui tanti ſcandali autor fuit, non coram Eccleſia accuſauerint. 1. Corinth. 5. 2.

42 Verùm ſi ſceleris commiſsi ratio talis fuerit, quod accuſatus in vitæ diſcrimen incurrat, ſequẽda eſt regula Bernhardi: *Melius eſt vt pereat vnus quam vnitas.* Nec pugnat cum dilectione proximi, pœnam petere de flagitioſo. Eſt enim tota ſocietas humana magis diligenda, quàm vnus incorrigibilis.

De officio miniſtri iuſtitiæ.

43 Miniſter iuſtitiæ, cui vindicandi poteſtas commiſſa eſt, eoſdem fines ſibi proponat, quos dixi accuſatorem debere aſpicere. Deinde ſit animo incorrupto. Tertio ſciat ſe non ſuam vindictam exercere, ſed Dei: non licere ſibi vel parcere cuiquam, vel aliquem abſoluere, niſi quem mẽs legis excipit. Scriptum eſt enim: Qui condemnat iuſtum, & iuſtificat impium, vterque eſt abominatio coram Deo. Verum hîc magna prudentia in iudice requiritur.

4. Temeraria.

44 Temeraria vindicta ſola dãnatur verbo Dei, (vt diximus) videlicet, cum vel is qui accuſat, cupiditate vindictæ ardeat, & principaliter quærit pœnam eius qui offendit, & interitum: vel cum is qui iudicat, Legem affectibus prauis cõtaminat, & lętatur malo eius, de quo ſumit vindictam. Quod cum fit, vterque homicida coram Dei tribunali iudicatur.

45 Eſt & temeraria vindicta, omnibus modis damnanda, quando læſus, iniuriam ſibi illatam, per ſe vlciſci molitur. Nam quod Dei eſt proprium ipſe ſceleratè ſibi vendicat, ſed excipio defenſionis, ἐν αὐτοφόρῳ neceſſitatem. Ibi enim locum habet: vim vi repellere licet.

14 Eſt & illa cenſenda temeraria vindicta, quæ cum exercetur à miniſtro iuſtitiæ, plus tamen mali adfert quàm boni. Nulla enim vindicta, cuius finis malus eſt, à piis eſt expetenda, aut exercenda. Beluarum enim potius eſt, quam hominum, talis vindicta.

XII.

OPERA SEXTAE Legis.

Huius legis limites.

1 VT opera bona ſextæ Legis, à ſyncera dilectione proximi manant: ita ad iuſtam & legitimam perſonæ proximi conſeruationem, & ſocietatis humanæ incolumitatem referuntur.

2 Dilectio ergo proximi & eiuſdem conſeruatio

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

(vnde pendet incolumitas ſocietatis humanę) limites ſunt intra quos operas huius pręcepti, proximo debita, claudentur.

3 Hac conſtituta regula facilius erit & promtius colligere, quæ opera Deus à nobis hac ſexta lege requirat.

4 Verùm quia opera illa, certarum virtutum ſunt actiones, quę virtutes rectrices & moderatrices actionũ ſunt, iuxta rectã rationẽ: de virtutibus ipſis huius Legis proprijs, earumque actionibus agemus.

5 Etſi autem alij aliter virtutes huius legis digerunt, quorum quidem diligentiã laudo: tamẽ vt nos intra limites à nobis poſitos contineamur, omnes virtutes huius ſextæ Legis ſub beneuolentia & beneficentia cõcludamus. Nihil enim hęc Lex requirit, quod non alterutra harum virtutum contineatur.

DE BENEVOLENTIA.

Beneuolentia.

6 Beneuolentia eſt veluti primus riuulus, manãs à dilectionis fonte. Nam ei quem diligimus, hoc eſt, charum habemus, bene quoque velimus neceſſe eſt.

7 Hanc beneuolentiam tanquam ἀκόλουθα excipiunt hæ virtutes, Candor, amicitia, humanitas, concordia.

Candor quid.

8 Candor, ſinceritas & puritas quædam animi eſt, quæ vt non admittit vllas ſiniſtras ſuſpiciones de perſona proximi ſine euidenti probatione: ita vituperabilia in proximo non virtutum larua induit, ſed vitia eſſe vitia iudicat. Quod qui non facit, non ſolùm Deo & naturæ Legi aduerſatur: verumetiam ſano iudicio deſtitutus eſſe cenſendus eſt.

9 Quid enim turpius eſſe poteſt, quàm ſcapham ligonem, & ligonem ſcapham appellare, hoc eſt, vitia larua virtutum ornare, & virtutes vitiorum cœno deformare?

Amicitia, quid.

10 Amicitia, reciproca bonorum inter ſe beneuolentia eſt, & voluntas ſibi inuicem benefaciendi, ex vera pietate & virtute manans.

11 Amicitia enim illa, quæ vel ἐκ ἀδονᾶς, vel ἐκ παροχᾶς (vt Hippodamus loquitur) ortum habet, deficiente voluptate, & ceſſantibus beneficiis reciprocis intermoritur.

12 Vera proinde & homine digna amicitia, pietate & virtute conciliata, comitate conditur, grauitate firmatur, conſtantia & fide conſeruatur, συμπαθείᾳ probatur, & mutuis officiis continuatur.

Humanitas.

13 Humanitas latius ſe extendit, quæ & naturæ facilitatem & morum ſuauitatem complectitur.

14 Hæc maximè ſibi animos hominum conciliare ſolet, facilè ignoſcit, communem fragilitatem cogitat: vnde comicum illud: *Homo ſum, humani à me nihil alienum puto.*

15 Græcè admodum ſignificante vocabulo dicitur, φιλανθρωπία, quam Plato definit ἕξιν εὐεργητικὴν τῶν ἀνθρώπων. Hanc Paulus Tito ſcribens, Deo tribuit. Digna propterea homine, vt qui & homo ſit, & ad Dei imaginem conditus, vt ipſum imitetur.

Concordia.

16 Concordia, ſiue à citharæ chordis, ſiue à plurium chordarũ vinculo dicitur, laudatiſſima virtus eſt, qua vt quidam rectè ait, paruæ res creſcunt.

17 Hęc virtus vt mutuam beneuolentiã fouet: ita maiores, pares, minores reſpicit, & συμφωνίᾳ quadã ordinũ & omnium ſtatuum inter ſe tanquã omnium dulciſſima muſica, ſummè delectatur. Nam vt citharæ ſonus tum demũ iucundus eſt, quando ita intenduntur & remittuntur chordæ, & arte trahuntur ad harmoniæ regulam, vt vnũ, iuſtum, & ſuauẽ concentum efficiãt: ita animi bonorum, cõcordia mutua delectantur, vnde apud Grȩcos nomen accepit ὁμονοίας, quo ſignificatur animorum ſummus conſenſus.

DE BENEFICENTIA.

18 Beneficentia id præſtat opere, quod beneuolentia animo concepit. Hanc dicunt cõiunctam eſſe cum iuſtitia. Per hanc enim iuſtitia ſuum munus exequitur.

19 Siquidem iuſtitia, vt præclarè dicit Bernhardus, maioribus reuerentiam & obedientiam: æqualibus conſilium & auxilium: inferioribus cuſtodiam & diſciplinam, Hoc eſt, ſingulis τὰ καθήκοντα, reddit.

20 Etſi autem hęc verè dicuntur: tamen vt magis ſit nobis vis beneficentiæ perſpecta, quam hæc ſexta Lex poſtulat: ſubiiciam beneficentiæ, vt ἀκόλουθα, quędam, manſuetudinem, ἐπιείκειαν, fortitudinem, zelum, liberalitatem, & miſericordiam.

21 Manſuetudine benefacit proximo, qui iniuria affectus, iræ ruentis ad vindictam impetum ita retinet, vt crudelitate, in proximum, qui offendit, non ſæuiat, & aliquid indignum iuſtitia, temere committat.

22 Etſi autem ira naturalis affectus eſt, inſurgens aduerſus ea, quæ virtuti aduerſantur, & ea propugnans quæ à ratione monſtrantur eſſe bona & laudabilia: tamen in vitio eſt, quando rectam rationem non ſequitur, ſed ruit cæco impetu in eum qui offendit, extra iuſtitiæ limites.

23 Sed illa demum ira laudabilis eſt, quæ ex bona cauſſa procedit, & tendit moderatè & iuſtè in bonum aliquem finem. Talis ira & motus animi ad coercenda peccata inſurgentis, fuit in Moſe, Elia, Chriſto, Paulo, abſque vitio.

24 Ἐπιείκεια ſummum ius moderatur, & cedit, ob cauſſæ circumſtantias, ſeueræ iuſtitiæ. Dicitur autem ἐπιείκεια quaſi ἐπὶ τινος εἴκουσα τῷ νομικῷ.

25 Eſt autem hæc ἐπιείκεια duplex, Publica & Priuata: illa, iudicis perſonam ſuſtinentis: hæc, hominis cuiuſuis priuatim agentis eſt.

26 Publica ἐπιείκεια eſt qua iudex flectit Legem ad cauſſam, & non cauſſam ad Legem. Vt enim figura lapidis in ſtructura Lesbia mutata, mutatur & norma: ita cauſſa, pro circumſtantiarum conditione, variante, variat & mens Legis, ἐπιείκεια.

27 Flectitur ergo Lex ad cauſſam, quando non ſpectatur τὸ ἀκριβοδίκαιον. Sed mens & voluntas Legis accommodatur cauſſæ. Contra vero cauſſa ad Legem flectitur, quando retinetur in iudicando τὸ ἀκριβοδίκαιον, & nulla ἐπιείκεια propter circumſtantias admittitur: & tunc ſummum ius fit ſumma iniuria.

28 Priuata ἐπιείκεια tolerat infirmitatem proximi, tegit arcana errata, ſanat manifeſta delicta: doctrina, conſilio, admonitione, fraterna obiurgatione.

29 Fortitudo proximo commodans, etiam duplex eſt, videlicet publica & priuata: illa magiſtratus: hæc ſingulorum priuatim.

30 Fortitudo in magiſtratu, iuſtitiæ propugnatrix, ratione ad vindictam properat, & finem habet conſeruationem humanæ ſocietatis: idque per defenſionem verę religionis, veræque virtutis: & oppugnationem falſæ religionis, & vitiorum graſſantium repreſsionem.

31 Fortitudo priuata eſt, cum ſinguli inuicto animo potius ferunt iniuriam, quam vt iniuſtè ſe vlciſcantur de proximo. Hæc etiam patientia dicitur.

32 Zelus etſi in genere eſt cuiuſuis affectus vehementior æſtuatio: tamen hîc ſolummodo de eo zelo agimus, quæ beneficentiæ erga proximum vt pars quædam, ſubiicitur.

33 Eſt ergo hic zelus affectus vehemens, quo iuſtè indignamur aduerſus contumaciam in atrocibus

ſceleribus

ſceleribus: quo contumacia repreſſa, alij tranquillè viuant,& vnitas ſocietatis conſeruetur.

34 Hic zelus tum demum eſt laudabilis, quando excitatus ab Heroico motu, in magiſtratu vindice ſcelerum, vel à Spiritu ſancto ortus, ſecundum ſcientiam tempeſtiuè exercetur in gloriam Dei, qualis conſpicitur in Moſe, in Phinee, Elia, in Chriſto, in Paulo.

Liberalitas.

35 Liberalitas quæ ἐλευθεριότης Græcè dicitur, eſt munificentia, propriè magnorum & liberorum hominum, qua iuuant & ornant ordines & ſtatus hominum, ſuis facultatibus, vt bene mereri videantur de ſocietate humana. Huic cum prælucet pietas vera, vt in Salomone, Dauide, Ioſia laudabilis eſt. Con trà verò, ſi ab animo inanis gloriæ cupido proficiſcitur, in vitio eſt.

Misericordia.

36 Miſericordia erga proximum, affectus homine digniſsimus, eſt συμπάθεια, qua tangimur aliena miſeria tanquam noſtra propria, quaque eius miſeriæ noſtris bonis ſuccurrimus. Breuiter, miſericordia eſt affectus ipſe miſerendi: & quicquid officij ex hoc affectu miſeris & afflictis piè iuſtéque præſtatur. Et dicitur in ſcripturis interdum δικαιοσύνη, vt ſciamus eleemoſynam non eſſe liberum beneficium, ſed debitum officium.

37 Conſiſtit autem hæc miſericordia in duobus, ſcilicet in remittendo & dando.

38 Miſericordia in remittendo poſita, eſt quæ vel pauperi debitum quod non eſt ſoluendo, niſi attrahat ſibi miſeriam, condonat: vel ei qui offendit, veniámque precatur, offenſam remittit, modo id piè & vtiliter fieri poſsit.

36 Miſericordia quæ in dando cernitur, ignoranti communicat doctrinam, aberranti correctionem, dubitanti conſilium, triſti conſolationem, eſurienti cibum, ſitienti potum, nudo veſtes, vago domum. Breuiter, Omni miſero & afflicto, quantum poteſt, ſuccurrit.

40 Hunc Dominus, ex Oſeæ 6.6. teſtimonium adducens, anteponit ſacrificio, cum ait: Profecti diſcite quid ſit: Miſericordiam volo & non ſacrificium. Matth.9.13.

41 Autor Epiſtolæ ad Hebræos eleemoſynam valde placere Deo teſtatur, cum inquit: Beneficētiæ & communicationis ne obliuiſcamini. Talibus enim victimis delectatur Deus. Heb.13.16.

42 Verum hoc accipiendum eſt, de eleemoſyna, quæ præſtatur à Publicano, & non à Phariſæo, id eſt, quæ præſtatur à piis ad Deum conuerſis, & non ab impiis hypocritis. Nam horum eleemoſyna, etſi vſu valet: cultu tamen eſt vitioſa & abominabilis coram Deo. Quicquid enim non fit ex fide, peccatum eſt: vtpote profectum ab iis, quorum & mens & conſcientia polluta eſt, & aberrans à debito fine.

XIII.

SEPTIMA LEX Decalogi.

Non Mœchaberis.

Summa præcepti.

1 VT ſub adulterij nomine, omne intemperantiæ, id eſt, impuritatis & impudicitiæ genus, quo anima vel corpus hominis polluitur, vetatur: ita omne temperantiæ genus impuritati animæ & corporis repugnans, præcipitur.

Duæ hypotheses oppositæ.

2 Duæ ſunt ergo huius Legis hypotheſes generales: vna *affirmatiua*, Temperantiam ſectator: Altera *negatiua*, Intemperantiam ne ſectare. De affirmatiua, hac vice dicendum erit.

De affirmatiua.

3 Temperantiæ bonum nemo ſatis laudauerit. Eſt enim temperantia veluti naturæ cuſtos fideliſſimus quam qui vere ſectatur, tranquillum naturę ſtatum ſentit.

4 Hoc Græca appellatione pulcherrime ſignificatur. Dicitur enim temperantia Græcis σωφροσύνη quaſi σώζυσα φρόνησις, hoc eſt, conſeruans prudentia.

5 Huius ratio ex appellatione Latina peti poteſt. Dicitur enim temperantia Latinis à temperie, hoc eſt ἐυκρασία affectuum & actionum temperata ad rectam rationem.

Temperantiæ definitio.

6 Definitur autem temperantia in hunc modum. Temperantia eſt rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi, firma & moderata dominatio.

7 Hæc ergo facit vt nihil appetas, cuius te pœniteat: vt in nullo Legem moderationis excedas: vt ſub iugo rectæ rationis cupiditatem fręnes.

Partes.

8 Cernitur autem hæc virtus (quantum quidem ad noſtrum inſtitutum facit) in quatuor partibus, quæ ſunt, abſtinentia, ſobrietas, caſtitas, pudicitia, quæ aptiſsimo ordine ad finem Legis huius referuntur.

Abſtinentia.

9 Abſtinentia gulæ aduerſatur, vt quæ vſum potus cibíque iuxta rectæ rationis iudicium moderetur, ab iiſque abſtineat, quibus caro ad vllam impuritatem natura hominis indignam, irritari poteſt.

10 Huic ieiunium ſubiicio, quo caro, ferocior facta, tanquam fręno, coercetur & domatur, quoties aduerſus ſpiritum importunius inſurgit.

11 Et quia nemo melius nouit propriæ carnis petulantiam, quam is qui ferocientem ſentit: nemo ieiunando tempus aut modum rectius præſcripſerit, quam ipſe.

Sobrietas

12 Sobrietas duplex eſt: Vna animi: Corporis altera. Vtraque vt rariſsima: ita maximè laudabilis.

31 Sobrietas animi eſt & rectus vſus rationis, & ſuauis affectuum moderatio. Huius cauſſa eſt mens piè rectéque edocta, & aſſuefactio ad moderationem ſeruandam in omnibus rebus. Ex quo fit, vt hac præditus conſilia & actiones prudenter gubernet, ne quid turpe aut indecorum in vita committat.

14 Sobrietas corporis eſt in potu potiſsimum temperantia, ne eius ſit immoderatus vſus, vnde inflammantur impuri affectus. Hæc vt à ſobrietate animi venit: ita ſanitatem corporis, virium incolumitatem, & vitæ puritatem conſeruat.

Caſtitas.

15 Caſtitas, puritas mentis eſt, quę etiam in corpus dimanat, qua fit vt ab omni impuritate & contagio abhorreamus, impuram Venerem fugientes.

16 Neque enim vera caſtitas corporis eſſe poteſt, niſi quæ à caſto proficiſcatur animo: id quod Ariſtoteles intellexit, dum diceret Philoſopho cuidam, caſtis manibus reddenti vrinam, ἁγναὶ μὲν χεῖρες, φρὴν δ' ἔχει μιάσματα.

Errorum refutatio.

17 Quod autem Papiſtæ laudem caſtitatis ſuis impuris Sacrificulis, Monachis & Monialibus vendicant, impurum eſt commentum, cum recta ratione & verbo Dei pugnans.

18 Nam caſtitas omnium hominum eſt, qui à vetita libidine ſe puros & integros ſeruant, ſiue ſint virgines, ſiue cœlibes, ſiue coniuges.

19 Nam cum Paulus pronuntiat piorum coniugium thorum honorabilem eſſe vt ſanctum & impollutum, quis caſtitatis laudem piis coniugibus adimere audebit?

20 Damnandus eſt proinde & error eorum, qui

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ad certos hominum ordines caſtitatem alligarunt, & commentum eorum, qui virginitatem cælibatu, cælibatum coniugio meliorem tradunt, ac inter opera perfectionis, & conſilia Euangelica numerant.

De virginitate, cõiugio & cœlibatu.

21 Quod autem Paulus 1. Cor. 7. videtur virginitatem præferre coniugio, dextrè iuxta mentem Pauli accipiendum eſt. Non enim ſimpliciter & omnino anteponit coniugio virginitatem, vt meliorem, ſed κατά τι, ob certas ſcilicet circumſtantias.

22 Si quidem non bonitate operis, ſed vſu, non merito perfectionis, ſed actionis commoditate, virginitas & cælibatus anteponuntur coniugio: non tamen ſemper, neque in omnibus, ſed tempore neceſsitatis, & in iis qui donum forte habent perpetuę continentiæ.

23 Nam illi qui perpetuum continentiæ donum non habent, regulam Apoſtolicam teneant: Propter fornicationem (ſcilicet vitandam) vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum maritũ habeat.

24 Tametſi autem hæc Lex non mandat coniugium ſimpliciter, ſed caſtitatem animi & corporis ab omnibus ſine diſcrimine requirit: tamen ſub conditione, omnes ad coniugium obligat, qui donum perpetuæ continentiæ non habent: adeo vt qui contra faciunt, Deum tentare videantur.

Pudicitia.

25 Pudicitia virtus animi eſt, quæ ſe in vita & moribus contemplandam exhibet. Hæc enim facit vt nos pudeat vel audire, vel videre, vel loqui, vel vllis geſtibus oſtendere aliquid à vera caſtitate alienum. Hæc vt à pudore nomen habet, ita pudore conſeruatur.

26 Huius pudicitię indoles eſt, vt ſi quis ea præditus, caſu vel viderit, vel audierit, vel fecerit quod parum caſtum videtur, mox erubeſcat, & rubore vultus pudicitiam animi teſtetur.

27 Huc pertinet comicum illud: *Erubuit, ſalua res eſt.* Et vir quidam ſapiens adoleſcenti in rubore dixit: *Confide fili, iſte eſt color virtutis.*

28 Cyprianus ſcribit pudicitiam non in ſola carnis integritate conſiſtere, ſed etiam in cultus & ornatus honore pariter & pudore.

De veris temperantiæ cauſis.

29 Hactenus de temperantia & eius partibus. Nunc autem vt in eius amorem accendamur magis, cauſſas eius veras recitabimus.

30 Prima, Mandatum Dei. Is enim ſeriò nobis hanc virtutem in ſua Lege præcipit. Hoc Dei mandatum merito nobis eſſe deberet vice mille demonſtrationum. Sola enim ad dictorum confirmationem, rerum ſufficit demonſtratio, quando probatio in autoritate dicentis eſt.

31 Secunda, Conditio fidei: quam, vt indiuiduus comes, timor Dei purus & caſtus comitatur, qui ſine hac temperantia conſiſtere nequit.

32 Tertia, Cum temperantia ſit naturæ cuſtos, naturam effręnem facit, qui temperantiam non maximo ſectatur ſtudio.

33. Quarta, vocatio noſtra. Vocati enim ſumus ad ſãctitatẽ, cuius & præcipua pars eſt pia tẽperantia.

34 Quinta, Precandi forma Chriſtianorum, qua iubentur petere voluntatem Dei fieri in terra, quemadmodum in cœlo ſit. Nunc autem cum angeli Dei ſint maxime temperantes & caſti: petimus conformes illis fieri in temperantia & caſtitate.

35 Sexta, Exemplum Chriſti, à quo Chriſtiani dicimur. Cum ergo is fuit temperatiſsimus, cuius omnis actio noſtri eſt inſtructio, decet profectò, modo ipſius diſcipuli eſſe velimus, imitari ipſius temperantiam.

36 Septima, Ipſa temperantia eſt per ſe virtus amabilis, vtpote optima & pulcherrima, vt quæ ſua bonitate & pulchritudine merito nos in ſui amorem alliciat.

37 Octaua, Turpitudo & pœna, quibus inuoluuntur omnes qui temperantiæ immemores, ſeſe in omne intemperantiæ cœnum fœdiſsimè immergunt.

XIIII.

INTEMPERANTIA.

De negatiua.

1 QVemadmodum temperantia virtus eſt ſub qua continetur, & cum qua coniunctum eſt, quicquid Dominus ſua ſeptima Lege requirit: ita intemperantia, & quæ ab ea naſcuntur infelices proles, hac eadem Lege interdicuntur, accuſantur, damnantur.

Nomen & rei definitio.

2 Eſt autem intemperantia, quam Græci aptiſſimo vocabulo ἀκρασίαν nominant, vitium Deo inuiſum, naturæ inimicum, & hominis excellentia indigniſsimum.

3 Per hanc intelligo omnem impuritatem animi & corporis, cum vera caſtitate & temperantia pugnantem.

4 Etſi autẽ Auguſtinus in libro De agone Chriſtiano ait. *Inter omnia Chriſtianorum certamina duriora ſunt prælia caſtitatis, vbi quotidiana pugna, & rara victoria:* tamen qui verè à Spiritu ſancto regitur, flammas libidinis, etſi non prorſus extinguere, tamen reprimere poteſt, ſi gradus, occaſiones, cauſſas vitauerit: Si remedia aduerſus eas monſtrata verbo Dei arripuerit: ſi pœnas, quæ libidines ſequuntur & in hac vita & futura, rectè cogitauerit: denique ſi præmia diuinitus caſtis promiſſa, ante oculos habuerit.

Gradus intemperantiæ.

5 Gradus ad obſcœnas voluptates ſunt plures, videlicet cogitatio, affectus, conſenſus, ὁρμὴ: Quæ vt à concupiſcentiæ vocabulo intelliguntur, ita à concupiſcentia innata pullulant, & altas radices agent, & partus infœlices producent, niſi mox vt inceperint, ſuffocentur.

6 Cogitatio enim ἐμπαθὴς ſi moram traxerit, affectus mouetur: ſi hic non ſtatim repreſſus fuerit, inflammatur: inflammatus affectus voluntatem ad conſenſum impellit: conſenſum excipit factum. Hoc ſępius iteratum veluti in naturam vertitur, vt poſtea reuocare pedem non poſsis, ſed cogaris contra etiam conſilium mentis ruere. Huc querela illa Medeę, θυμὸς δὲ κρέισσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων. Quare qui ſapit obtemperet Poetæ, qui ait: *Principiis obſta, ſerò medicina paratur, Cum mala per longas conualuere moras.*

Occaſiones.

7 Occaſiones multæ offeruntur, partim à diabolo, partim ab hominibus, vt prauum ſodalitium, ſicuti Medea de ſe teſtatur: *Frequentes acceſſus malarum fœminarum me perdiderunt.* Huc viſum impudicum, geſtus venereos, & colloquia obſcœna refero.

Cauſſæ.

8 Cauſſæ ſunt concupiſcentia innata, hæc fouetur crapula, ebrietate, comeſſationibus & id genus aliis Veneris inſtrumentis.

9 Nam poſtquã vino ſeu largiori potatione ſanguis calere inceperit, bruta pars animæ ſanguine calidiore veluti fermentata, furores feruentes & concupiſcentias ardentes excitat.

10 Hos gradus, has occaſiones & cauſſas ſciamus prohibitas eſſe hac ſeptima Lege. Quare quibus ſalus animæ curæ eſt, intempeſtiuè ſe aduerſus hæc mala muniant: ne tempore naturam æquent, ex quo quædam peccandi neceſsitas comparatur.

11 Præterea

Quatuor remedia aduerſus damnatã venerem.

11. Præterea quæ diximus, Theologi ex verbo Dei quatuor (præter caſtum coniugium) remedia aduerſus malum damnatæ Veneris numerant, ac omnibus piis commendant, quæ ſunt aſſidua inuocatio ex fide, lectio ſacra, ieiunium, & fuga ocij, ſeu labor honeſtus.

Oratio.

12. De oratione habemus promiſſionem, quod Deus ex vera fiducia inuocantes velit exaudire, modò ſumma noſtra oblectatio & voluptas in Domino fuerit radicata, iuxta illud: Delectare in Domino, & ipſe dabit tibi petitiones cordis tui. Pſ. 37. 4.

Sacra lectio.

13. Sacra lectio mentem hominis ſurſum eleuat, vt homo brutæ voluptatis obliuiſcatur, Quare Dauid verbi diuini meditationem nobis diurnam & nocturnam commendat. Cũ hac coniungo pios hymnos & cantilenas, quibus anima hominis mirificè in ſublime tollitur, & veris voluptatibus perfruitur.

Ieiunium.

14. Ieiunio pabulum Veneri adimitur, & Spiritus hominis pij excitatur, vt inſurgat aduerſus Veneris æſtum, eum extinguat. Redduntur enim preces ardentiores ſpiritu dominante. Nec alia de cauſa laudatur ieiunium. Nam Monachorum figmentum de ieiunij laudibus, quaſi per ſe eſſet meritorium & cultus Dei, ad Papatum remittimus.

Otij fuga & honeſtus labor.

15. Otij quoque fugam & honeſtum laborem, remedium eſſe Veneris vetitæ etiam profani ſcriptores intellexerunt, vt ille, *Ocia ſi tollas, periere cupidinis arcus.* Item, *Nihil agendo malè agere diſcimus.*

16. Hæc quatuor remedia hoc diſticho complecti ſoleo:

Ores, caſta legas, ieiunes, ocia vites,
Si ſeruare cupis corpora caſta Deo.

Pœnæ comitantes ſcortationem.

17. Pœnæ quæ comitantur πορνείαν ſunt horrendæ & plures quam quæ cogitari poſſint, ne dum numerari: inter quas præcipuæ ſunt, cæcitas mentis, obduratio cordis, infamia vitæ, donorum Dei fœda contaminatio, pœnæ corporales, ſupplicia æterna.

Cæcitas mentis.

18. Cæcitas mentis, quam Paulus ἀδόκιμον νοῦν nominat, facit, vt amans putet ſe videre quod non videt, iudicet mala bona, & bona mala. Breuiter, Qui deceat, non videt vllus amans.

Obduratio cordis.

16. Obduratio cordis, quo malum nullum eſt magis triſte: Hæc à Paulo etiam dicitur ἀμετανόητος καρδία, ἀπαλγησία, qua conſcientia hominis tanquam cauterio vſta, plane ἀναίσθητος efficitur.

Infamia vitæ.

20. Infamia vitæ, quæ non ſolum in ipſis Veneris mancipiis hæret: verumetiam vniuerſam familiam & poſteritatem fœdat.

Donorum Dei pollutio.

21. Donorum Dei fœda contaminatio, Veneris damnatæ quoque ſtipendium eſt. Vt enim fumus rem obiectam fœdat & offuſcat fuligine ſua: ita obſcœnus ille Veneris vſus dona Dei, quibus homo alioqui ornatus erat, fœtore polluit, vt nulli ſint vſui.

Pœnæ in corpore.

22. Pœnæ in corpore ſæpe hærent, vt lues Venerea & alij morbi, quibus qui non corripiuntur, maius iudicij Dei aduerſus ſe teſtimonium habent. Videtur enim Deus eos tanquam inemendabiles abiecisse.

Supplicia æterna.

23. Supplicia æterna, hæc enumerata mala excipient in omnibus iis, qui non ante mortem conuertuntur. Nam Dei miſericordiæ in infinitum excedunt omnes omnium hominum miſerias.

24. Sed cur tantæ pœnæ, & tam multiplices vni Veneri debentur? Quia mandatum Dei contumaciter violatur, dignitas humanæ naturæ per libidinem effrenem calcatur, Spiritus Sanctus contriſtatur, tẽplum Dei profanatur, inuocatio impeditur. Breuiter, Nullus locus relinquitur aut pietati, aut vlli virtuti, ſed homo ſe totum imperio Satanæ ſubiicit in contumeliam Creatoris.

Præmia temperantiæ.

25. Poſtremo loco propoſuimus de præmiis frenatæ libidinis, quæ maxima ſunt, & omnia continentur hoc Domini dicto: Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Matth. 5.

26. Etſi autem cor hominis nunquam ita in hoc mundo mundari poteſt, quin reliquiæ flammarum Veneris interdum excitentur, vtut fuerint ſopitæ, & irritentur concupiſcentiæ turpes: tamen quando penes Spiritum manet victoria, & non ſuperatur homo flammis libidinum, conatus hic apud Deum pro munditia cordis acceptatur, vt non imputet nobis noſtras ſordes, quibus purgandis damus operam.

Genera veneris vetitæ.

27. Genera Veneris vetitæ plurima ſunt, vt fornicatio, ſtuprum, raptus, inceſtus, adulterium, τὸ ἄῤῥητον βδέλυγμα, & multa alia, quæ accuratè recitant Monachi: vt qui ea vel in priuatis confeſſionibus didicerint, vel ipſi Sodomitarum progenies, inuenerint & auxerint.

28. Si quis contraxerit cum ea, cum qua turpiter conſueuit, viuente marito, tametſi Papiſtæ contractum iſtum continuatum adulterium ſtatuunt: tamẽ ego iſtud ſimpliciter affirmare non audeo, ſed diſtinctione opus eſſe iudico, in hunc modum.

29. Aut turpido præcedens fuit publicè nota; vel ſaltem iuſtè ſuſpecta: aut fuit ſine omni ſuſpicione. Si turpido fuit publicè nota, contractus ſequens peccat ſcandalo, nec poteſt vnquam probari: niſi publicè nota pœnitentia, vt in Dauide, præceſſerit. At ſi turpitudo ſequens, nec publicè nota, nec iuſtè ſuſpecta fuit, doctus & prudens paſtor poteſt conſcientias eorum qui contraxerunt, ſic ſanare, vt vſus eius coniugij fiat ſanctus.

30. Verùm, quoniam rarò bene ſuccedit iis qui ſic contrahunt, hortarer omnes qui Chriſtiani dici & eſſe volunt, vt id non tentent, de quo iuſta poſſit eſſe dubitatio, & ex quo inſuauis conuerſationis imminere periculum, & inſanabile ſcandalum.

31. Antichriſtus quædam mentitur contra hanc Legem fieri, vt ſunt Sacerdotum, Monachorum & Monialium coniugia. Præterea ſpiritualem cognationem impiè inceſtui comparat.

Papiſtici errores.

32. Nam cùm Sacerdotibus Papa interdicit coniugia, legi Dei, naturæ, & laudatis exemplis aduerſatur, & patrocinatur nefandis illis ſceleribus, propter quæ Deus multas gentes deleuit.

33. Cum votum Monachorum & Monacharum putat impedire coniugium, ſacrilegè facit: vt qui probet vota, quæ Deus improbat.

34. Si ſpiritualis cognatio, quam Papa definit eſſe eorum, qui pueris baptizandis vnà teſtes adſunt, impedit coniugium; profectò nulla inter Chriſtianos coniugia erunt licita: cum multo ſit arctior cognatio per Spiritum eiuſdem Chriſti, quo coaleſcunt in vnum corpus (cuius caput eſt Chriſtus) fideles omnes, quam per externam baptiſmi teſtificationem.

X V.

OCTAVA LEX DECALOGI.

Non furtum facies.

Ratio & finis præcepti.

1. VT in omni honeſta Lege, duo ſpectãda ſunt, Ratio & Finis: ita etiam huius octauæ Legis & rectiſſima ratio eſt, & vtiliſſimus finis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

2. Ratio quidem hæc eſt: Deus cum ſit iuſtiſſimus, vt ad normam ſuæ iuſtitiæ ſuum cuique tribuatur. Finis vero, vt homines ſua ſorte contenti, ſuúmque cuique tribuentes, humanam ſocietatem communibus officiis foueant, iuuent, tueantur.

3. Hac ratione & hoc fine Legis inter ſe collatis, facile eſt videre, & quid hac Lege præcipiatur, & quid vetetur.

Quid præcipiat. 4. Vt enim omnia iſta hac Lege præcipiuntur, quæ ordine iuſto à ratione ad finem eius aſſequendum tendunt: ita omnia quæ & à ratione deflectunt, & ad finem non rectè feruntur, prohibentur. Vt enim illa ex charitatis fonte manant: ita hæc eandem perturbant.

5. His iactis veluti fundamentis, diſtinctius huius Legis amplitudinem conſideremus, videamúſque quæ particulares Leges ſub hac communi contineantur.

Leges eius particulares. 6. Sunt enim potiſſimum quinque Leges particulares, quas hæc communis complectitur. Prima de rerum diſtinctis dominiis. Secunda, de alienis contra iuſtitiam non contrectandis. Tertia, de iuſtè quærendis propriis. Quarta, de recto vſu quæſitorum. Quinta, de ſoluendis debitis, quæ vel natura, vel lege aliis debentur. Hæc enim omnia cum ratione & fine Legis propoſitis conueniunt, de quibus ordine dicemus.

1. De diſtinctis rerum dominiis. 7. Prima Lex particularis, ſub communi comprehenſa eſt, de diſtinctis rerum dominiis. Nam cum furtum prohibetur, diſcrimen traditur inter meum & tuum. Nam ſi mihi tuo, & tibi meo vti ex æquo liceret, furtum non committeretur, ſed rerum communio æqualis ſtatueretur.

8. Iam ſi rerum communio eſſet æqualis, plerique omnes ſegniores & negligentiores in præſtandis officiis efficerentur. Ex qua re humana ſocietas non ſolùm maxima detrimenta acciperet: verumetiam paulatim litibus ſolueretur, & tandem miſerè aboleretur.

9. Hæc detrimenta, ſolutio & abolitio humanæ ſocietatis cum manifeſtè pugnant cum Lege naturæ: (quę dictat humanam ſocietatem conſeruandam eſſe) ſequitur eorum cauſſam, nempe rerum communionem æqualem, cum lege naturæ pugnare. Quid enim magis cum natura pugnat, quam quod naturam deſtruit?

10. Hinc planiſſimè ſequitur quod propoſuimus, videlicet, rerum diſtinctionem commendari & eſſe iuris naturalis: vt quæ faciat ad conſeruandam naturam humanam, qualis nunc eſt in hac vita poſt lapſum primorum parentum.

11. Huc Leges pertinent humanæ, quibus diſtincta rerum dominia approbantur: huc iudicia forenſia: huc gladius, (quem magiſtratus à Deo accepit:) quo rerum proprietates contra fures & latrones defenduntur.

12. Verùm quia Deus voluit homines ſocietate coniungi, ſapienter diſtribuit ſua dona. Non enim vni contulit omnia, ſed aliis alia, vt tu meis & ego tuis indigerem, ex quo nata eſt iuſtitia commutatiua, quæ, vt in commutatione rerum ſeruat æqualitatem: ita maximè facit ad aſſequendum finem Legis, de quo agimus.

13. Cum hac pugnat iuſtitia, quæ in rerum permutatione æqualitatem non ſeruat pro temporum & locorum ratione. Neque enim ſimilis ſemper æqualitas eſſe poteſt in ſpecie, etſi in genere æqualitatem ſemper eſſe oporteat. De qua æqualitate gubernatorum Rerumpublicarum eſt iudicare. Poſſunt enim gubernatores pro commodo ſocietatis humanæ, hic quædam permittere, & quædam Legibus ſtabilire.

14. Vt autem hæc æqualitas commodius inter homines ſeruari poſſit, ſapienter nummus inuentus eſt, qui quidem vſum ſuum non natura, ſed hominum arbitrio, inſtituto, ac Lege, tenet. Nummus enim quaſi νόμος dictus eſt.

15. Quapropter de nummo non tam ex materia & valore eius in ſe, quam ex Lege, vſu & fine iudicandum eſt.

16. Secunda particularis Lex, quæ ſub generali continetur, eſt, ne quis aliena contra Legem contrectet. Eſt enim furtum rei alienæ iniuſta contrectatio. Ita enim ratio Legis poſtulat, vt furti appellationem latius quam Iuriſconſulti accipiamus. 2. Ne aliena contrectes.

17. Sunt autem furti genera duo, videlicet clancularia ſurreptio, & rapina.

18. Clancul[a]riæ ſurreptioni (cum qua pugnat virtus rariſſima ἀυτάρκεια) tribuunt Iuriſconſulti nomen furti, quam interdum neceſſitate & iure belli excuſari diſputatur à nonnullis, quorum ſententiam tum demum approbato, cum eam cum capite Legis, *Dilige proximum tuum vt teipſum*, non pugnare monſtrauerint. Quod tametſi aliquando fieri poſſe non nego: tamen quia de ea communis regula ſtatui vix poteſt, volo hîc omnia potius ad charitatis legem reuocari.

19. Rapina duplex eſt. Vna manifeſta, Altera iuris prætextu palliata.

20. Manifeſta rapina eſt, quæ per violentiam exercetur, qualis eſt latronum, piratarū, & omnium qui violenta manu iniuſtè alienas poſſeſſiones rapiunt, & auferunt.

21. Rapina palliata prætextu iuris, eſt, cum potentiores non coacti neceſſitate, contra Legem & longo tempore confirmatam conſuetudinem, ſuorum ſubditorum facultates ad ſe transferunt, vt habeant inſtrumenta, non quibus conſeruare ſocietatem humanam poſſint, ſed quibus ſuæ ſuperbiæ & libidinibus ſatisfaciant.

22. Etſi autem huius generis rapina ſæpe committitur: tamen nolim hîc ſubditos ſibi de hoc genere ſumere iudicium. Nam hoc tempore plura ornamenta pacis, firmiora ſubſidia belli, & nerui reipublicæ maiores requiruntur, quam olim. Quare & neceſſariò grauiora onera imponi ſubditis neceſſe eſt, quę ſubditi æquo animo ferre debent, modo contra Deum arma ſumere noluerint.

23. Potentiores tamen vellē cogitare, non tā quid libeat, quā quid liceat. Quod tū demum facerent ſi Deū timerent, ſubditos tanquā liberos proprios diligerēt: Quod profanus Cyrus à Xenophonte feciſſe ſcribitur.

24. Tertia particularis Lex, quę ſub cōmuni continetur, eſt vt iuſtę quiſque quęrat propria. Nā ſi diſtinctio rerū ſancitur lege Dei & contrectatio rerū ad nos non pertinentiū dānatur à Deo: certe aut iubemur propria iuſtè quęrere, aut nos ipſos iniuſtè de medio tollere. Horū poſterius, cū ſit contra Deū & naturā, profectò & Deus & ipſa natura volūt, vt quilibet ſua quærat, & de iuſtè partis viuat. 3. Iuſte quiſque quærat propria.

25. Iuſtè parta voco, quæ vel ex hæreditate iuſta quis poſſidet, vel iuſto labore in legitima vocatione acquiſiuit.

26. Legitimam vocationem definio, cum vtrumque coniungitur, hoc eſt, cum & opus functionis eſt legitimum, & perſona operās legitimè ad opus faciendum eſt ordinata.

27. Cū hæc duo concurrunt, officiū dicitur vocationis opus. Siquidem officium eſt, quod quilibet facere debet ex vocationis ſuæ conditione.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

28. Sed in officij ratione duo ſpectanda ſunt, videlicet genus officij & muneris executio.

29. De genere officij tenenda eſt hæc regula: Omne officium faciens ad conſeruandos & ornandos ſtatus à Deo ordinatos, videlicet, Oeconomicũ, Politicum, & Eccleſiaſticum, prima, quinta, & hac Lege mandatur.

30. In muneris executione fides & charitas regulæ eſſe debent. Fides quidem cauet, ne quis Deum offendat, ſuadet vt omnia ad gloriam Dei referat, continet operantem in timore Dei. Charitas verò cauet, ne cui iniuria inferatur, ſuadet vt proximi commodis ſeruiatur, continétque operantem in amore proximi.

31. Ex his concluditur, quod vt Segnities & impoſtura hic damnãtur: ita ſedulitas, & diligentia & candor in præſtando officio commendatur.

4. Legitimè quæſitis rectè vtendum.

32. Quarta particularis Lex, quæ ſub communi continetur requirit, vt legitimè quæſitis vtamur in gloriam Dei, in miniſterij diuini conſeruationem, in reipublicæ commodum, in ſuſtentationem noſtri & familiæ, in eleemoſynam, qua ſubleuantur tenuiores.

33. Vt huic legitimo vſui ſeruiunt virtutes, liberalitas, miſericordia, & iuſtitia: ita cum eo pugnant profuſio, tenacitas, auaritia, immiſericordia, iniuſtitia.

Soluenda aliis quæcunque natura vel lege debentur.

34. Poſtrema Lex, quæ ſub hac communi continetur, iubet ſoluere quæcunque aliis natura vel Lege debentur.

35. Qui enim non reddit quod debet, alienum detinet contra iuſtitiam, quæ tribuit vnicuique quod ſuum eſt: quare & furti coram tribunali Dei peragitur. Rectè enim Auguſtinus ait: Omne quod malè poſſidetur, alienum eſt, Si alienum, furtum coram Deo iudicatur.

36. Huc ergo pertinet præceptum Pauli: Reddite omnibus debita. Item: Nemini quicquam debeatis niſi hoc, vt inuicem diligatis. Hîc Paulus & præcipit eſſe ſoluenda debita, & diſtinguit debitorum genera.

37. Quorum vnũ ita ſolui vult, vt nemini quicquam debeamus. Alterum perpetuò quidem ſoluendo poſtulat, quod tamen nunquam ita perſoluitur, quin adhuc debeatur aliquid.

38. Prius illud debetur Lege ciuili, & iuxta Legem ſolui oportet: Poſterius natura. Quod quidem iuxta naturam ſoluitur, ſed nunquam perſoluitur. Verùm hæc forte ita clarius diſtinguuntur.

39. Prius debitum eſt, quod ciuili obligatione debetur, videlicet cum lege ciuili aliquis ad ſoluendum obligatur, ita vt magiſtratus debitorem cogere poſſit vt ſoluat, & puniat non ſoluentem. Atque hoc debitum vult Paulus perſolui, cum ait: Nihil cuiquam debeatis.

40. Poſterius debitum eſt, quod naturali obligatione debetur, videlicet, cum natura aliquis ad ſoluendum obligatur. Obligamur autem natura omnes ad mutuã dilectionem, & ad mutuę dilectionis officia analoga præſtanda.

41. De hoc debiti genere loquitur Paulus, cum ait: Niſi hoc, vt vos mutuo diligatis: ſignificans perpetuam obligationem eſſe, qua nos Deus & natura obligat ad officia dilectionis.

42. Neque huius obligationis ratio obſcura eſt, vt quæ ſit in ipſa natura impreſſa ab ipſo Deo opifice: quod tibi vis fieri, aliis præſtabis. Qui ergo non diligit, & ex dilectionis Lege benefacit proximo indigenti, contumax eſt aduerſus Deum, & cum natura pugnat, indignus qui bonis naturæ fruatur.

XVII.

NONA LEX Decalogi.

Non reſpondebis falſum teſtimonium aduerſus proximum tuum.

IN hac Lege, vt in omnibus aliis, duo ſpectanda ſunt, videlicet, ratio & finis. Quæ ſi rectè æſtimentur, facilè apparebit, & quid ea præcipiatur. Ratio & finis præcepti.

2. Ratio quidem hæc eſt: Quoniam Deus eſt verax, vult ſuam creaturam amare veritatem & odiſſe mendacium. Finis verò, vt veritatem ſine fuco colentes, ſanctiùs & tranquillius, & in Eccleſia, & in humana ſocietate, viuámus imaginem Dei portantes, in veritate & iuſtitia.

3. Quicquid ergo à ratione hac proficiſcitur, & ad hunc finem iuſto ordine tendit, hoc præcepto mandatur, & quidquid quouis modo vel à ratione, vel à fine deflectit, prohibetur.

4. Hinc patet, quod vt veritas omnis in dictis & factis præcipitur: ita omne mendacij genus in iſdem prohibetur & damnatur. Quid præcipiat & prohibeat.

5. Sapientes illi qui primi dederunt rebus nomina, vt docerent veritatem Lege naturæ requiri, & mendacium eſſe contra naturam, conceptum mentis & ſermonem vno nomine λόγον nominarunt. Volebant enim hoc modo ſignificare λόγον alium fonti, alium riuo ſimilem eſſe. Fonti quidem, qui mente concipitur, atque ideo ἐνδιάθετος cognominatur: Riuo verò qui per os linguamque profluit, ex quo προφορικὸς appellatur.

6. Iam verò, vt eſt ſecundum naturam, vt riuus ſapiat fontem, à quo profluit: & contra naturam, ſi fœtidus riuus à dulci promanat fonte: ita ſecundum naturam eſt, cum λόγος externus congruat cum interno: & contra naturam, ſi ab eo diſcrepet.

7. Porrò, quoniam hæc lex Nona prohibitiua eſt, vt quæ prohibeat falſum teſtimonium, quo per Synecdochen omne mendacium comprehenditur: dicemus de mendacio, eiúſque generibus. De mendacio.

8. Eſt aũt mendacium, omne dictum & oẽe factum cui veritas non ſubeſt, quauis cauſſa, quouis fine, & quauis intentione prolatum aut fictum. Cuius generis ſunt plura. Quid ſit.

9. Vt autem omne mendacium, vel in dictis, vel in factis verſatur: ita committitur dupliciter, videlicet in doctrina, & in vita. Genera mẽdacij.

10. In doctrina committitur mendacium cum vel in religione ab analogia fidei diſceditur, vel in artibus à principiis certò perceptis aberratur. 1. In doctrina.

11. Mendacium in religione commiſſum ſi eſt contra analogiam fidei ſeu fundamentum, omnium pernicioſiſſimum eſt, ſub quo mendacio omnes hæreſes continentur.

12. In artibus mendacium leuius eſt, videlicet, cum non rectè applicatur rebus in Philoſophia iudicandis demonſtratio, quæ amuſſis philoſophica dicitur. Nam vt fabri ſuam amuſſim ſequuntur, ne in ædificando peccent: ita Philoſophi in artibus nihil ſine demonſtratione, vt immotum, admittant.

13. Hîc fœdiſſimè lapſus eſt Epicurus, qui contempta amuſſi philoſophica, errores multos in Philoſophiam inuexit, & inter alios, finem hominis eſſe voluptatem: quod ſanè potius in haris porcorum, quam in Scholis Philoſophorum didiciſſe putandus eſt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

2. In vita vbi quadruplicia committantur mẽdacia.

14. In vita committitur mendacium pluribus modis. Qui tametſi vix numerari poſſunt: tamen eos omnes ſub certis generibus comprehendere conabimur. Statuamus ergo huius mendacij, quod in vita committitur, quatuor genera.

15. Primum, cum qui ſola mentiendi libidine, non ſpectans ſuum vel aliorum commodum aut incommodum, mentitur. Hoc genus mendacij ab Auguſtino merum mendacium dicitur, vt quod nulla opinione commodi vel incommodi mixtum ſit.

16. Secundum, cum qui ſua ipſius gratia mentitur ſiue id fiat dictis, ſiue factis: Quales ſunt arrogantes, hypocritæ, diſſimulatores, à quibus vitiis alienus αὐθέκαστος à Philoſopho dicitur, hoc eſt, qui dictis & factis ſuis ſibi per omnia ſimilis eſt, nec quicquam fingit, ἀλλ' ἕκαστος ὁ αὐτὸς manet.

17. Tertium, cum quis propter alios mentitur. Atque huius generis quatuor ſunt gradus.

18. Primus gradus eſt, cum ſolummodo voluptas auditorum ſpectatur, & vocatur Græcis εὐτραπελία quam Ariſtoteles virtutibus, Paulus verò vitiis annumerat. Hoc quidem iocoſum mendacium nominant.

19. Secundus gradus, cùm tantum commodum aliquod ſpectatur, ſine alicuius damno. Hoc interdum verum occultatur quod dici oportuit, & falſum dicitur quod non oportuit. Hoc nonnulli officioſum mendacium appellant: cum tamen contra officium pij hominis eſt, vllam ob cauſſam mentiri.

Vitia quę maligno mẽdacio ſubiiciuntur.

20. Tertius gradus eſt, cum ſolummodo damnum ſpectatur eius, de quo quis loquitur. Huic gradui ſubiiciuntur detractio, contumelia, deriſio, ſuſurratio, quæ in hunc modum diſtinguuntur.

21. Detractio eſt, qua abſentis vita apertè roditur, quæ ab odio vel inuidia nata, tendit in eius infamiam cui detrahitur.

22. Contumelia eſt, qua præſentis honori aliquid dictis, vel factis iniuſtè detrahitur, quáque indignus ignominia afficitur.

23. Deriſio eſt, qua alicuius dictum aut factum, contẽptus cauſſa, in riſum iocúmq; trahitur iniuſtè.

24. Suſurratio eſt occulta & inſidioſa oratio de abſente, cuius finis eſt diſcordiam inter amicos ſeminare.

25. Quartus gradus eſt, cum vtrũque ſpectatur, videlicet commodum & damnum. Hoc eſt, cum quis mentitur, vt proſit vni, & noceat alteri. Huic gradui fraudem & dolum ſubiicio.

26. Quartum, cum quis contra alios mentitur aut falſum dicit, ídque in iudicio. Superiora enim omnia, vt fiunt extra iudicium, accipimus. Hoc autem quartum genus præcipuè hac Lege nona interdicitur, cum cætera ad ſuperiores quoque Leges referuntur.

27. Hoc genus committitur in iudicio, nunc accuſatione falſa, nunc teſtimonio falſo, nunc inficiatione falſa, nunc defenſione falſa, nunc ſentẽtia falſa.

28. Reus eſt igitur violatæ huius Legis, & qui falſò fictéque accuſat, & qui falſum teſtimonium dicit, & qui verum negat, & qui defendit iniuſta, & qui iudicat malè. Huic mendacij generi ſubiicitur συκοφαντία.

29. Eſt autem συκοφαντία, calumnia qua quis vel fictè accuſat, vel vera crimina celat, vel tergiuerſatur, quò ſententiam iudicis eludat.

De veritate.

30. Atque hactenus de generibus mendaciorum dictum ſit, quibus omnibus veritas opponitur, quæ in omni re, honeſta & laudabilis eſt, quemadmodum mendacium malum vicioſúmque ſemper exiſtit.

31. Eſt autem veritas, cum dictum aut factum cum re conſentit, vel ſubiecta vel ſignificata: cuius cum firma ſit προαίρεσις in voluntate, maxima virtus eſt, qua homo conſtanter amplectitur veras ſententias, dicit vera, ſeruat pacta in ſermone & geſtu, vitat inſidioſas occultationes. *Quid ſit*

Virtutes ſubſequentes.

32. Veritati ancillantur amor veritatis, candor, docilitas, vera gloria, modeſtia, temperantia linguę, & multæ aliæ virtutes, quæ vitiis in mendacij generibus enumeratis opponuntur.

33. Porrò quoniam mendacium eſt quiddam ἀνταπόληπτον, (vt loquuntur) multa, quæ aliquid veri ſignificant, ſub dictis vel factis qualibuſcunque mendacia ſunt dicenda, ſed ſchemata ſermonis, ſub quibus veritas continetur.

34. Chriſtus ergo cum apparet in forma peregrini, non committitur mendacium. Nam illa forma peregrinantis ſignificat Chriſtum in ſuis membris peregrinari in hoc mundo, & non habiturum ſtabilem manſionem. Nec quod finxit ſe longius ire, mendacium erat. Nam iſta fictione ſignificat ſe diſceſſurum ab illis, qui ſe docentem fide non recipiunt.

35. Similiter multa Prophetica dicta & facta, mendaciis ſimilia ſunt: ſed cum referũtur ad eas res, ob quas ſignificandas ita vel dicta vel facta ſunt, reperiuntur ſignificationes eſſe veraces, atque ideo nullo modo mendacia eſſe dicenda.

36. Similiter tropi, vt metaphora, metonymia, allegoria, εἰρωνία, hyperbole, &c. Item, parabolę, apologi, fabulæ, & quibus non falſa ſignificantur: non mendacia, ſed veritatis inſtrumenta ſunt iudicanda.

XVII.

DECIMA LEX Decalogi.

Non concupiſces rem proximi

Ratio & finis præcepti.

1. VT ratio huius Legis, Non concupiſces, &c. hæc eſt: Deus ſanctus & purus, & ab omni mala concupiſcentia alienus, vult nos puritati & ſanctitati ſtudere: ita finis eius eſt, vt nulla cupiditas, cum charitate Dei & proximi pugnans, humanos animos perturbet, & à recto auocet.

Cur interdictum ...

2. Etſi autem hanc Legem vetitæ concupiſcentię in ſuperioribus legibus includi non eſt dubium: tamen peculiarem legem de ea ferri, multis de cauſſis vtile erat.

3. Prima, vt errorem corrigat eorum, qui peccatum definiunt opus cum voluntate coniunctum, negantes inclinationem & voluntatem malam, ſine perpetratione operis, eſſe peccatum. Quod ergo in ſuperioribus Legibus implicite, idem hic expreſſe prohibetur, vt primum peccati fontem monſtret prauam concupiſcentiam.

4. Secunda, vt diſcernat inter leges politicas & diuinas: quarum illæ contentæ ſunt externa diſciplina: hæ puritatem cordis ante omnia poſtulant.

5. Tertia, vt hypocriſin damnet eorum qui externa legis diſciplina ſe iuſtos putant, cum interim cor ardeat prauis cupiditatibus Lege Dei damnatis. Ex quo fit vt homo in hac vita Legem Dei nunquam implere poſſit.

Hominis ἀταξία in toto homine poſt lapſum.

6. Hîc cogitandum eſt quanta ſit ἀταξία in toto homine lapſum primorum parentum ſecuta. Homine integro adſtructa fuit concupiſcentia, vt quod bonum ſibi eſſe crederet, expeteret, ſequeretúrque: adeptus verò, retineret & conſeruaret. Bonum autem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tem hominis verum & ſolidum eſt Deus. Itaque hominis concupiſcentia recta eſt, vt Deum tanquā ſummum bonum ſectetur, ei adhæreat amore perfecto,& in eo ſolo acquieſcat. Verùm poſtquam homo in peccatum lapſus eſt, & auerſus à Deo, concupiſcentia hominis deprauata eſt,vt quæ feratur in res prohibitas contra naturæ ordinem & Dei voluntatem.

7. Et vt homo in fruitione Dei ſummas habiturus erat delicias & voluptates,ſi manſiſſet in perfectionis ſtatu: ita factum eſt,vt auerſus à Deo quærat delicias & voluptates, quibus tamen nunquam expleri poteſt in ſignum,quod vero & ſolido exciderit bono, quod ſolum ſufficit ad explendum hominis deſiderium.

Concupiſcentiarum diſtinctio.

8. Neque tamen omnem concupiſcentiam,quæ eſt in homine poſt lapſum, peccatū eſſe definimus, ſed tantum eam,qua id quod non licet,libet,& quia libet,appetitur.

Naturalis.

9. Nam vt naturalis concupiſcentia, qua appetimus ea quæ faciunt ad conſeruationem noſtri & naturæ,ordinatis mediis, ac recto rationis iudicio, bona & neceſſaria eſt: ita renatorum concupiſcentia reparatio eſt concupiſcentiæ eius quæ fuit in homine ante peccatum, idcóque ſancta & laudabilis.

Corrupta.

10. Non ergo ſimpliciter damnamus omnem concupiſcentiam, ſed vetitam ſolummodo, quæ à Deo ad creaturas hominem auertit,quæ hoc modo rectè definiri poteſt.

Vna definitio.

11. Concupiſcentia,Lege Dei vetita,eſt ἀταξία, infirmitas, & inclinatio in homine, pugnans cum Lege Dei,damnata à Deo & rea æternæ pœnæ, donec fiat remiſſio.

De peccato veniali & mortali.

12. Monachorum ſomnium damno, cui ex natura huius concupiſcentiæ, petunt diſcrimen,vt alia ſit peccatum veniale, alia mortale. Nam omne quod eſt,vel fit ab homine,pugnans cum Lege Dei, per ſe conſideratum,infert meritum mortis.

13. Verùm ſi quis hoc referat ad ſubiecta, in quibus ſunt concupiſcentiæ,diſcrimen admitti poteſt. Nam concupiſcentia Pauli veniale peccatum erat,non natura ſed gratia. In Nerone vero omnis concupiſcentia ſiue inchoata tantum, ſiue deliberata,ſiue conſummata,peccatum erat mortale,& naturæ & Legis ſententia.

Duplex concupiſcentia.

14. Eſt autem vetita concupiſcentia duplex, videlicet,Originalis,quæ & inuoluntaria,& paſſiua dicitur: Et actualis,quæ & voluntaria, & actiua nominatur. De his duobus generibus ordine dicendum eſt.

15. Originalis concupiſcentia eſt ἀταξία omnium virium hominis contra Deum,cuius ſi ortum attendas, cauſſam habet vetitum fructum & perſuaſionem Diaboli. At ſi nos reſpicis, traducta eſt cum natura ab vno Adam in omnem Adæ poſteritatem. Nam vt naturam ab Adam trahimus: ita naturæ vitium.

16. Hæc originalis concupiſcentia, verè peccatum damnans eſt,in omnibus qui ſunt extra fœdus gratiæ in Chriſto Ieſu. In iis autem qui ſunt in gratia remittitur;non vt non ſit,ſed vt non imputetur. Atque ideo veniale peccatum dicitur.

17. De hac concupiſcentia Paulus loquitur cum ait: Concupiſcentiam neſcirem eſſe peccatum, niſi Lex diceret:non concupiſces. Rom. 7.7.

18. Quoniam autem huius originalis concupiſcentiæ,motus quidam ſeu παθήματα, vt Paulus loquitur, ſentiuntur in omnibus Sanctis, vocat eam Legem peccati,cùm ait: Mente ſeruio legi Dei,carne verò legi peccati. Eſt enim hæc cōcupiſcentia,vt quidam ait, πάσης κακίας πηγή.

Actualis.

19. Actualis concupiſcentia, quæ à Platone ϑηρίον πολυκέφαλον dicitur,eſt qua actu hoc vel illud Lege Dei vetitum,libet & appetitur;& hæc habet plures cauſſas.

Eius cauſſæ ſeptē.

20. Prima eſt originalis concupiſcentia,ex qua omnes aliæ actuales ſunt, veluti riuuli ex fonte, & fumus ex igne. Quaſi enim ignis concupiſcentia exardeſcit,vt Sapiens ait.

21. Secunda,Senſus externus. Hinc Auguſtinus dicit, *mortem per quinque ſenſus, tanquam per feneſtras, in animam noſtram ingredi: non quod ibi antea non fuerit, ſed quia noua peccatorum acceſſione, mortis æternæ meritum augetur.*

22. Hinc eſt quod alius quidam dicat, *concupiſcentias prauas eſſe portas mortis.* Sunt enim acceſſus ad conſenſum & operationem,per quæ duo peccatum in homine regnat, vnde mors æterna. Decipiunt ergo hominem concupiſcentiæ prauæ, & deceptum occidunt.

23. Tertia eſt temperamentum. Temperamentum enim aliud ad alia vitia flectit, vt & Phyſici & Medici agnoſcunt, & experientia conuincit. Vnde de Diogene fertur; quod cum videret ſtupidum & deſipientem adoleſcentem dixerit, νεανίσκε ὁ πατήρ σου οἰνωθεὶς σε ἔσπειρε.

24. Quarta, Diabolus, qui cum nouit hominis complexionem, poteſt occulte adhibere ea quibus inclinationes prauæ magis inflammantur. Nihil enim inſidiarum omittit; ſed quærit ſemper, quos ſuis laqueis conſtringat.

25. Quinta,conuerſatio cum malis & peruerſis hominibus, qui impuris ſermonibus commouent in auditoribus concupiſcentias prauas. Vnde dictum Menandri quod & Paulus vſurpat: φθείρουσιν ἤθη χρηστ᾽, ὁμιλίαι κακαί.

26. Sexta otium,quod ideo dicitur puluinar Diaboli, quia in otioſis facilius & quaſi ſine labore facit quod vult, hoc eſt,decipit & interficit. Hoc etiam agnouit Poeta,cum diceret:

Quæritur Ægiſtus quare ſit factus adulter,
In promptu cauſſa eſt,deſidioſus erat.

27. His cauſſis addi poteſt memoria, quæ ſæpe irritat concupiſcentias prauas. Vt impurus adulter cogitans de ſuo facto,concupiſcentia in eo irritatur & inflammatur magis magiſque.

28. Neque cùm iis quæ hactenus diximus de cauſſis concupiſcentiarum prauarum pugnat, quod quidam ſtatuunt inordinatum amorem ſui eſſe omnium prauarum cupiditatum cauſſam. Nam iſtum inordinatum amorem ſub concupiſcentia originali concludimus.

Gradus.

29. Concupiſcentiam tribus gradibus conſtare dicunt,videlicet ſuggeſtione, delectatione,conſenſu,idq; rectè. Iacobus ei duo tribuit,videlicet, quod cogitationem hominis à bono abſtrahat, & quod ineſſet hominis affectus,vt incautum obruat.

Genera.

30. Porrò, quoniam tria ſunt, quæ maximè deſiderant homines,videlicet,voluptates,opes, honores, Ioannes Apoſtolus tria concupiſcentiarum genera facit,cum ait: Omne quod eſt in mundo,concupiſcentia carnis, & concupiſcentia oculorum,& faſtus vitæ. 1. Ioan. 2.16.

31. Etſi autem hæc tria genera,videlicet concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum,& concupiſcentia honoris,vno nomine à Paulo dicuntur concupiſcentiæ carnis: tamen Ioannes,vt monſtret plenius fontes omnis mali in mundo,petit differentias à principiis motiuis:

P. iij.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

32. Concupiſcentia carnis, Iuxta Ioannis ſententiam, eſt cuius principium eſt internum, videlicet, caro ipſa, id eſt, vitioſitas carnis, quæ fertur in ea quæ carni ſunt ſuauia, vt voluptates in cibo, potu, rebus venereis.

33. Concupiſcentia oculorum eſt, cuius principium motiuum eſt extra hominem, & incurrit in oculos. Concupiſcentia ergo, quę ex rerum intuitu & admiratione concipitur, concupiſcentia oculorum dicitur. Hinc auaritia & multæ fraudes.

34. Tertia concupiſcentia Ioanni eſt faſtus vitę, & appetitus honoris & inanis gloriæ.

Pœna. 35. Porrò, cum pœna regnantis peccati per concupiſcentias corporis ſit mors, iuxta illud: Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini: Omnibus modis prauis concupiſcentiis eſt reſiſtendum.

36. Etſi autem nec fons malarum concupiſcentiarum intercludi, nec ebullitio coerceri omnino poteſt: tamen riuuli ſunt cohibendi, ne malæ concupiſcentiæ excurrant in conſenſum, & ex conſenſu in operationem, per quæ duo diximus peccatum in homine regnare.

Remedia. 37. Iuuerit autem ad horum riuulorum cohibitionem, ſi Chriſtum fide amplectaris. Nam in Chriſtum fides, eſt iuxta Ioannem, victoria mundi: ſi diligenter ores: ſi occaſiones fugias: ſi labores: ſi ieiunes: ſi ocia vites: ſi Chriſti crucem ſemper in corde geras: ſi lectionibus ſacris incumbas, piiſque exercitiis delecteris.

38. Cum Paulus iubet Rom. 12. cap. 1. nos offerre corpora noſtra Deo in hoſtiam placentem, reſpicit ad morem Sacerdotum, qui beſtias mactandas ligabant ad aram & occidebant. Quare cum nos volumus noſtra corpora offerre Deo, debemus concupiſcentiam, beſtiam noſtram, ligare ſingulari arte, vt tandem interficiatur.

39. Ligamus ergo hanc beſtiam, quando eam cruci Chriſti affigimus, vt illi affixa non ſit ad operandum efficax.

40. Etſi autem in fidelibus ligatur hæc concupiſcentia, dum virtute crucis Chriſti non faciunt quod illa imperat: tamen mortificari prorſus in ipſis non poteſt, priuſquam hanc vitam morte commutauerint. Semper enim eius vim ſentiunt ſancti, quod Paulus de ſe teſtatur.

41. Porrò quoniam opera, quæ ex antitheſi vetitæ concupiſcentiæ concludi poſſunt, hoc præcepto mandata in ſuperioribus Legibus ſunt enumerata, hîc omittenda duximus.

42. Vſus huius Legis eſt, vt agnita infirmitate noſtra & corruptione, confugiamus ad Chriſtum medicum, & ab eo petamus veniam peccati & conſeruationem in ſui timore, qui fons eſt omnis ſapientiæ, puritatis & virtutis.

FINIS.

ADMONITIO DE SVPERSTITIONIBVS MAGICIS VITANDIS,

IN GRATIAM SINCERÆ RELIGIONIS AMANTIUM ſcripta

A

NICOLAO HEMMINGIO.

LECTORI VERÆ ET SINCERÆ religionis amanti.

VT lux huius ſolis aſpectabilis, piè Lector, nos regit ne in via, qua nobis de loco in locum, gratia negotiorum conficiendorum (quæ ad hanc vitam pertinent) eundum eſt, impingamus, aut labamur: Ita ſolum verbum Dei eſt, quod & nos, qui antea ambulauimus in tenebris, & in vmbra mortis, in veram ſalutis viam ducit, & deinde dirigit rectâ, ne vel ad dexteram, vel ad ſiniſtrã deflectentes, in præcipitia (quod nimis, proh dolor, procliuè eſt) feramur incauti. Nam qui, vel minimum tribuit prudentiæ carnis, facillimè à via ſalutis aberrat, non ſine animæ ſuæ certiſſimo interitu. Non ergo immeritò Dauid, plurimas variáſque carnis, Mundi, & Diaboli inſidias expertus, ardentiſſimè precatur in hunc modum: Doce me Domine viam tuam, & ingrediar in veritate tua. Et alibi: Dirige me in veritate tua. Quibus verbis Dauid ſatis teſtatur, quòd nec viam ſalutis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſalutis nouerit, Deo non monſtrante, nec in ea ingredi potuerit, eodem non dirigente. Sapientia enim huius Mundi, ſe non vltra ſenſuum & rationis limites extendit. Quare nihil planè periculoſius eſt, quàm ſenſuum aut rationis iudicium ſequi, cùm ſalus animæ & beata immortalitas agitur. Abrahamo ſeni & effœto, promittitur ſemen ex anicula, ætate & natura ſterili. Hîc ſi Abraham ſenſum & rationem adhibuiſſet in conſilium, omnino de promiſſione diuina deſperaſſet. Quis enim ab effœto ſene & ſterili anicula ſperaret ſobolem? Sed quid facit Abraham? Verbum intuetur: Deum veracem & potentem ſtatuit: Ex quo concipit fiduciam, vt & ipſe effœtus ſenex Pater, & Sara anicula mater fieret, vel tota naturæ lege reclamante, nec ipſum fefellit promiſſionis fiducia. Cùm ergo in negotio ſalutis verſamur, oculos noſtros leuemus ad lucem verbi Dei: illam ſolùm aſpiciamus, illius ſolius ductum ſequamur, donec nos rectâ in ſalutis portum deduxerit, ſanctiſſimi Dauidis & Regis & Prophetæ Dei regulam nobis proponentes, videlicet: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Hæc regula monet, vt agnoſcamus noſtræ mentis caliginem, quæ maior eſt, quàm vt cogitare poſſimus, vt ſinamus nos regi verbo Dei, tanquam lucerna, quæ rectiſſimâ deducit in fœlicitatis portum: Vt includamus nos limitibus verbi cœleſtis: vt firma aſſentione amplectamur doctrinam de eſſentia & voluntate Dei, & de mediatore, iuxta dictum Chriſti: Hęc eſt vita æterna, vt & agnoſant te ſolum verum Deum, & agnoſcant Ieſum Mariæ filium Chriſtum eſſe. Petrus idem dat conſilium cùm ait: Bene facitis, attendentes ſermoni prophetico, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec oriatur Lucifer in cordibus veſtris. Et Eſaias ait, Ad Legem & Teſtimonium. Breuiter, tota Scriptura, vnicam lucem, quæ ducit homines in rectam viam, & eos poſtea in eadem dirigit, donec in cœleſtem patriam deduxerit, verbum Dei ſolum agnoſcit: à qua luce qui aberrat, in tenebras priores & in vmbram mortis infelix, relabitur. Hæc cùm non ignorat Satanas, omnia tentat, occaſiones plurimas obijcit, vt homines vel impediat, ne viam ſalutis ingrediantur, vel ingreſſis rectam viam, obijciat ſcandala, vt impingant, labantur, ſalute excidant. Adoritur enim iſte noſter aduerſarius & doctores Eccleſiæ & auditores. Doctores quidem, vt vel in doctrina, vel in vita, vel in vtroque delinquant. Ex quo fit vt multi Eccl. doctores, ſimiles ſint fabris illis, qui arcã Noe extruxerũt, qua extructa, ipſi miſerrimè in diluuio perierunt, liberato Noe cum iis qui cum illo in Arcam ingreſſi ſunt. Non ſint ergo miniſtri Euangelij ſimiles iſtis Noe fabris, nec nocturnis viatoribus, qui lumen in tenebris à tergo geſtantes, oſtendunt ſecuturis viam, in qua ipſi miſerabiliter labuntur: Quare nihil triſtius, nihil lamentabilius. Auditores verò variis viis aggreditur idem aduerſariũs, vt illos quoque impediat, ne rectum curſum teneant, & πληροφορίᾳ fidei deducantur in portum, quemadmodum triſtiſſima omnium ætatum experientia, inde vſque à creatis primis hominibus teſtatur. Nam ſemper Diabolus quinque genera hominum, quaſi conductos ſatellites habet: Qui intercludent aliis hominibus ſalutis viam, vt ſunt Tyranni, Epicurei, Flagitioſi, Hypocritæ, & Magi cum ſuis diſcipulis.

Tyranni ſemper viam ſalutis intercludere hominibus ſanguine Martyrum moliuntur, vt multi eorum cruciatibus abſterriti: vel ſalutis viam non ingrediantur: vel ingreſſi turpiſſimè & fœdiſſimè in priores ſordes & tenebras relabantur. Quid enim aliud hodiè molitur Turcica tyrannis? Quid furor Papiſticus? Quid quorundam inconſideratus zelus? Verum quia hæc prædicta ſunt à ſanctis Dei Prophetis, & à Chriſto ipſo, pij ſe ſolentur Prophetarum eorundem & Chriſti promiſſionibus. Futurum enim eſt, vt breui Dominus ſit abſterſurus omnes lachrymas eorum, qui in ſe ex animo confidunt.

Epicurei, curantes cuticulam ſuam, non ſunt de vlla religione ſoliciti: Quorum exemplo multi ſeducuntur. Hi cùm religionem videntur amplecti, ideo hoc faciunt, ne ſuum contemptum prodant. Videntur quidem pij & religioſi vulgò, ſed tùm demum apparet quàm ſint pij & religioſi, cùm aliquid iubeantur ex mandato Dei facere, à quo affectus praui, quibus indulgere, vel inuito Deo ſibi propoſuerunt, diſſuadẽt. Aiax, vt eſt in Tragœdia, cultor Mineruæ haberi voluit. Hanc enim ſibi Deam, cuius monitis pareret, elegerat. Verùm, cùm ille ſuis prauis affectibus indulgeret, & ſtatueret flagellare ad mortem vſque Vlyſſem, quem putabat ſe vinctum tenere, iubetur à Minerua vt Vlyſſi parcat. Quid hîc facit Aiax? Non vult videri impius in Deam ſuam, nec vult cedere ſuis affectibus, Quare in hunc modum Deæ ſuæ reſpondet: O Minerua Dea, in alijs rebus tibi gratificabor, in hac quidem non poſſum. Vlyſſem enim vt meritus eſt tractabo. An non hîc Aiax multos habet ſocios? Vtinam non plures haberet, quàm tales cenſeri volunt. Multi enim ſunt, qui in quibuſdam Deo ſe parêre ſimulant. 1. Non colunt Idola, quia Deus hoc prohibet. 1. Non occidunt, quia hoc lege Dei cauetur, Et multa alia faciunt, vt videantur veri Dei cultores eſſe. 1. Sed quando aliquis affectus ſuboritur, vel iræ, vel auaritiæ, vel cuiuſuis alterius rei, huic indulgent, huic morem gerunt. Non cogitantes obedientiam erga Deum copulatiuam eſſe, adeo vt qui in vno labitur, volens & ſciens, ſit omnium reus, hoc eſt, Obedientia ipſius in aliis non placeat. Hoc cùm Dauid ſanctiſſimus cogita-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ret,orat Deum in hunc modum, Pſal.86.11. Doce me Domine viam tuam,& ingrediar in veritate tua , vnias cor meum , vt timeat nomen tuum. Petit Dauid vniri cor ſuum , hoc eſt , vt mens illuſtrata verbo Dei,& affectus cordis Spiritu Sancto mundati , & voluntas conuerſa ad Deum & actiones corporis in vnum veluti conſpirent , quo purè timeatur nomen Domini. Nam ſi hæc diſſentiunt,obedientia grata non eſt & immaculata.

Flagitioſi præterea multos impediunt,ne viam rectam ingrediantur , qui tanquam phrenetici in vnum flagitium poſt aliud feruntur,ex eo ſe beatos putantes ſi ſcelerum enormitate inter homines,eiuſdem turpitudinis ſocios,(habenis verbi Dei prorſus excuſſis) triumphent. Quorum tanta eſt multitudo,vt non ſit opus exemplorum commemoratione. Multa etiam mihi in oculos incurrunt,non ſine ingenti mœrore animi mei , in hac mea ſenectute. Sed te,ô Deus,oro,vt finem aliquando huic meo ſummo dolori imponas.

Hypocritæ ſequuntur , non multo meliores Tyrannis,quorum numerus maximus eſt.Hi lucem quidem verbi Dei prætendere ſe fingunt , ſed falsò. Nam loco veræ lucernæ ſuas tenebras,quas lucernas eſſe putant,hoc eſt,humanas traditiones,venditant & ſequuntur,donec in horribiles tenebras præcipitabuntur. Vt ergo flagitioſi ad ſiniſtram deflectunt:Ita hi ad dexteram. Ambo à recta via aberrantes,non parum exemplo nocent.

Magi cum ſuis Diſcipulis , hoc eſt , cum iis qui ipſorum opera vtuntur , non minus à lumine vitæ aberrant , aliiſque impedimento ſunt , quàm ſuperiores, de quibus diximus. Hi enim derelicto vero Deo,& ordinarijs medijs,quærunt auxilium à Diabolo aduerſario Dei in contemptum Dei:Cuius interdictum non curantes,contumaciter inſurgunt aduerſus Deum, bellum illi cum Diabolo & membris eius inferentes. Verùm quoniam hi ſuam turpitudinem folijs ficus tegunt , & nolunt videri tales quales ſunt , ego admodum nuper admonitionem quandam ſcripſi,de magicis artibus cauendis:Quæ nullo modo magis poſſunt ſtare cum pura & ſincera religione,quàm Belial cum Chriſto , & tenebræ Diaboli cum lumine Dei , in quo Sancti omnes iubentur ambulare. Cuicunque ergo cordi eſt ſincera religio, ſciat iſtas verbo Dei damnatas artes,non minus quàm Diabolum,& præſentiſſimam animæ peſtem fugiendas eſſe. Occaſionem ſcribendi de his artibus vitandis præbuerunt mihi quædam triſtiſſima exempla in hac vrbe:Quæ nominare nolo,cùm,quia ſpero eos,qui iſtis artibus polluti erant, reſipuiſſe ante mortem:tùm,ne videar illos traducere poſt mortem , qui potius commiſeratione digni ſunt. Te autem , ô Lector,quiſquis futurus es, rogo , vt hunc meum exiguum laborem boni conſulas:&,ſi quem fructum inde perceperis, ſcias hunc libellum tibi dicatum eſſe. Vale in Chriſto Ieſu. Et iudica de hoc meo ſcripto & aliis , non ex priuato affectu,ſed iuxta verbum Dei,quod ſolum piis,& regula doctrinæ , & norma vitæ eſſe debet. Primo Iulij, Anno à natiuitate Dei & hominis,mediatoris & magiſtri noſtri vnici Ieſu Chriſti 1 5 7 5.

N. H.

Τοῦ λόγου ἀΐδιον ἔμμεν δ᾽ εὔχομαι ἠὶ μαθητὴς,
Καὶ νέος ἠδὲ γέρων ἱερὰ διζόμενος
Σώης θεσπεσίης σοφίην φέρε χειρὸς ἄνωθεν,
Εἰδὼς πάντα σαφῶς, πάντα ποιῶν τε σοφῶς.

DE SVPERSTITIONE Magica.

Magia naturalis quid. QVos Greci σοφοὺς hos Perſæ Magos nominarunt: vnde Σοφία Græcis , & Perſis Magia,dicta eſt Sapientia, eáque potiſſimum quæ eſt naturalium rerum excellens cognitio : & perſcrutatio motuum corporum cœleſtium : & effectuũ eorundem in hiſce rebus inferioribus. Huius profeſſionis, hoc eſt, Magiæ naturalis,fuere Perſæ illi,quorum meminit Mattheus cap.2.eos à profeſſione Magos nominans. Verùm quoniam Magi , hoc eſt, σοφοὶ in magno precio fuerunt apud homines propter opinionem Sapientiæ, vnde non parum efferebantur , Diabolus occaſionem non negligens,ſe Magis illis inſinuauit , ac eos ſuperſtitioſa magia armauit , vt & ipſi Magi magis ſuperbirent propter vberiorem ſapientiam:& ipſius impoſtura locum haberet inter homines:quę impoſtura Magia & Magica dicta eſt.

Superſtitioſę Magiæ origo.

Magica ergo ſuperſtitio eſt , quicquid fit à Diabolo,mediante homine,quibuſuis conceptis verbis, ſignis,figuris,characteribus,ſiue intercedit pactum expreſſum cum Diabolo,ſiue non. Complector autem ſuperſtitionis magicæ nomine omnia illa,quæ Deut.28.10.11. prohibentur hiſce verbis:Non inuenietur in te diuinans diuinationes , præſtigiator, & augur,neque maleficu s,neque incantator,neque interrogans Pythonem , neque magus (nomine generis pro çerta ſpecie poſito)neque quærens à mortuis. Abominatur enim Dominus omnem qui iſta facit. Hæc genera magicæ ſuperſtitionis vſitata fuiſſe

fuiſſe in Ægypto, vnde tum recens exierant Iſraelitæ, non eſt dubium. Ne igitur conſuetudinem peſſimam, profanorum hominum, populus Dei imitetur, hoc mandato cauetur.

Quæſtiones de Magia.

Verùm priuſquam genera illa ſuperſtitionis Magicæ à Moſe recitata & damnata definitionibus & exemplis declarabimus, quaſdam quæſtiones proponemus, & excutiemus: quarum iuſta determinatio, quid ſentiendum ſit ſinceræ religionis amantibus, de vniuerſa Magia ſine errore oſtendet.

I. Vtrum hominis aut Diaboli inuentum ſit ars Magica.

II. An reuera poſſint aliquid efficere magicæ artis periti.

III. Liceat ne maleficia maleficiis tollere.

IIII. An excuſabiles ſint qui vt liberentur à morbis per maleficium ſibi illatis, implorant opem maleficorum.

V. Cur Deus permittat hanc ſui nominis blaſphemiam fieri inter homines.

DE PRIMA.

Superſtitio Magica eſt Satanæ inuẽtum.

AD primam quæſtionem, quam propoſuimus, Num ars magica ſit hominis an Diaboli inuentum, ita reſpondeo, Quemadmodum Satanas poſt conditos homines in Paradiſo, organo vſus ſerpente, primos noſtros parentes fraudulenter aggreſſus eſt, eóſque ab obedientia erga Deum ſophiſtica, & deprauatione verbi Dei abduxit, fecítque vt Deo renunciantes ſibi parerent, cuius contumaciæ pœnas grauiſſimas cum tota ſua poſteritate luerent, & prorſus ęternùm periiſſent, niſi Deus ex miſericordia, propter filium, eos noua promiſſione ſeminis erexiſſet: Ita dubium non eſt eundem impoſtorem Diabolum, poſt factam promiſſionem ſeminis, ſimili artificio vſum fuiſſe ad ſeducendos homines, ne promiſſioni diuinę crederent. Quare conſentaneum eſt, quòd poſteris Caini ſit tanquam organis idoneis vſus, ad ſeducendos homines, per ſuas magicas impoſturas. Id quod vel ex 7. capite Exodi, & 2. Theſſ. 2. manifeſtum eſſe poteſt. Aſſentior ergo Methodio, qui in ſuis reuelationibus in hunc modum ſcribit: *Anno 340. Iared ſurrexerunt viri malæ artis inuentores, iniqui, & omni nequitia pleni, ex filiis Cain, vt Iobeth & Tholuſcol filij Lamech, qui cæcus fuit, quorum dominatus Diabolus conuertit eos ad omne genus magicarum artium.* Hæc Methodius. Eſt proinde minimè dubitandum, Satanam iſtas maledictas artes excogitaſſe, vt ita paulatim ſuis fœtoribus fontem verbi Dei lympidiſſimum inficeret, & verum vnius Dei cultum, ſuperſtitionibus & impoſturis in eius locum ſubſtitutis, aboleret.

Eius organa poſteri Cain.

Zoroaſtres.

Porrò abolita poſteritate Cain per diluuium, Zoroaſtres, qui poſt diluuium, tempore Nini regis Babylonici, vixit, & putatur fuiſſe Cham, nequam ille, filius optimi patris Noe, fertur impulſu Satanæ magicæ artis fuiſſe inuentor. De hoc Zoroaſtre in hunc modum ſcribit Auguſtinus de ciuitate Dei lib. 21. cap. 14. *Solum quando natus eſt ferunt riſiſſe Zoroaſtrem, nec ei boni aliquid monſtruoſus riſus ille portendit. Nam magicarum artium fuiſſe perhibetur inuentor, quæ quidem illi, nec ad præſentis vitæ vanam fœlicitatem, contra ſuos inimicos prodeſſe potuerunt, à Nino quippe rege Aſſyriorum, cum eſſet ipſe Bactrianorum rex, bello ſuperatus eſt.* Hic filium habuit Miſraim, à quo Ægyptij Babylonij & Perſæ genus ducunt, cui artem à ſe inuentam tradidiſſe dicitur. Ex quo factũ eſt, vt Ægyptij, Babylonij, & Perſæ in ea Diabolica arte præ aliis gentibus excelluiſſe perhibeantur.

Miſraim & eius poſteri.

Satanæ cacozelia.

Cæterum hic diligentiſſimè cogitanda eſt κακοζηλία & aſtutiſſimum pernicioſiſſimúmque artificium Satanæ, qui vt tegat fallacias & inſidias, quibus humanum genus in perniciem adducere molitur, veluti ſimia hominem: ita ipſe Deum in propagandis ſuis deteſtandis impoſturis imitatur. Nam vt Deus, ad verum & ſalutarem ſui nominis cultum hominibus commendandum, præter vera miracula, & diuina opera, quibus veritas doctrinæ cœleſtis demonſtratur, vtitur tribus potiſſimùm inſtrumentis: Verbo videlicet, quod in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis continetur: Sacramentis ſuò mandato nobis commendatis: (quæ Sacramenta ſunt veluti quædam aſpectabiles conciones & obſignationes, iuxta illud Auguſtini dictum, *Sacramentum eſt viſibile verbum*) & Spiritu, quo Deus ipſe efficax eſt in prædicatione Euangelij, & in vſu Sacramentorum. His tribus adduntur piæ Ceremoniæ, quę faciunt ad ornandum & conſeruandum miniſterium Euangelij. Ita Diabolus, quem Paulus Deum huius Mundi, id eſt, infidelium omnium vocat, præter ficta miracula (Sæpe enim facit ſuis præſtigiis, vt videantur cæci, qui non ſunt, & mortui, qui non ſunt reuera mortui, vt locus ſit ipſius fictis miraculis) habet ſuum verbum, habet ſua (vt ita dicam) Sacramenta, habet & Spiritum, quo efficax eſt in ſuo verbo & Sacramentis. His addit varios geſtus Hiſtrionicos & actiones tanquam ceremonias.

Satanæ inſtrumẽta quibus in Magis operatur.

Verbum.

Verbum Satanæ eſt, partim verbi Dei abuſio, partim eiuſdem verbi deprauatio, per additiones ſtultas, partim excogitatio verborum obſcurorum, quæ nec ipſi Magi intellexerunt, quibus efficacia quędam, ex eo ſolùm quòd recitentur, & audiantur, ſeu ſcribantur, tribuitur.

Ceremoniæ.

Sacramenta Satanæ & ceremoniæ, non ſunt vnius generis, vt ſignationes, characteres, figuræ, imagines, ligaturæ, periapta, breuia, pili, vngues, & quarumcúnque rerum, ſicut ſæpe à maleficis qui diuinitus rapiuntur ad ſupplicia, audire licet.

Spiritus.

Spiritus Satanæ eſt afflatus quo ſuis myſtis adeſt, & eſt efficax in ſuo verbo, Sacramentis & ceremoniis in perniciem eorum, qui ſe ſinunt ab alio contra Deum impelli, pluris facientes mendacium Satanæ, quàm Dei veritatem. In hos filios contumaciæ imperium habet Satanas, etſi non raró, bonitate Dei, conatus ipſius impeditur. Nulla enim re magis Satan delectatur, quàm vt hominibus adimat fidem promiſſionum diuinarum, & eis metum comminationum excutiat, quò imitatione quadam Dei, ſub Angeli ſpecie, homines in omne ſuperſtitionis genus præcipitet, vt miſerè tandem cum ipſo pereant. Non igitur ob aliam cauſam magicas ſuperſtitiones in Mundum inuexiſſe Satan putandus eſt, quàm, vt religione quadã, ſed peruerſa, hominum animos occupet, ne veræ & ſalutaris religionis ſint capaces, & ſaluentur, illo ſolo cum ſuis Angelis in æternos cruciatus coniecto.

Satanę cõſilium.

Sed cur Satan ad hoc conſilium confugit? Poſtquam ſatis intellexit malignus iſte, ſe non poſſe hominibus perſuadere omnem religionem & cultum abiiciendum eſſe (habent enim omnes homines, vel maximè Barbari, vt Cicero teſtatur, quendam religionis ſenſum, quo intelligunt & Deum eſſe, & colendum eſſe, ídque natura duce) confugit ad id quod proximum erat, & in locum veri & legitimi cultus, falſum & pernicioſum, ſub quo omnis Magica verbi Dei profanatio, & aliæ impoſturæ Diabolicæ continentur, ſubſtituit. Ex his facilè

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

eſt intelligere, quis ſit autor magicarum ſuperſtitionum, quò tendant, & quo in loco eas apud Chriſtianos eſſe oporteat.

DE SECVNDA.

Magos aliquid efficere poſſe, Diaboli auxilio & opera.

SECVNDA quæſtio, quam propoſuimus, eſt de efficacia magicæ ſuperſtitionis: Num videlicet reuera poſſint aliquid efficere magicæ artis periti, néene? Sunt qui affirmant, & ſunt qui negant. Reſpondeo ſimpliciter & clarè, Deum nunquam ſuis legibus prohibuiſſe artem magicam, & eos qui eam exercent interfici iuſſiſſe, niſi ars illa aliquid præſtare poſſet. Sapientiſſimus enim Deus non poteſt leges ferre de rebus, quæ vel non ſunt, vel eſſe non poſſunt. Verùm hoc ita accipiendum eſſe volo: Maleficos ſuis propriis viribus, & ſuis propriis actionibus magicis nihil omnino poſſe. Nulla enim vis, aut efficacitas, recitationi verborum conceptorum, characteribus, imaginibus, breuibus, figuris, aliiſque quibus vtuntur magicæ artis periti, ineſt, ſed Diabolus inſinuans ſe hominibus, vt vel homines abducat in errorem, vel in errore confirmet, multa, permittente Deo, ad incantationes magicas operatur, ſiue pactum expreſſum cum Diabolo interceſſit, ſiue non. Id enim facit, vt tandem deceptos ſub religionis ſpecie totos poſſideat. Anicula Saga, non putat impium eſſe, quod recitatione conceptorum precaminum, & ſignationibus, hominis vel animalis alterius morbum curet, ſed ſanctum opus ſe facere ſtultè prædicat, cum illa tamen miſerè abſurda verbo Dei, paulatim abducitur magis magíſque à Deo, donec tandem planè ſeducta, cum Diabolo expreſſum pactum facit. Ex quo fit, vt interdum loquatur cum ea, vt nunc ſub hac, nunc ſub illa forma, ſe videndum exhibeat, adeò vt interdum ſe ab ea flagellari, quod imperata non fecerit ſimulet, atque ita ex paruis initiis deteſtanda à Deo ad Diabolum fit defectio.

Nullā vim ineſſe verbis aut characteribus magicis.

Quod autem nulla vis inſit verbis aut characteribus, aliiſve inſtrumentis magicis hinc manifeſtum eſt. Chaldæi, Arcades, Ægyptij, Indi & alij multi populi, non ſecus atque mancipia Satanæ apud nos, artibus magicis, & incantionibus vtuntur: ſed dubium non eſt formas Ægyptiorum & noſtrorum magorum & verbis & ſententiis diuerſas eſſe & diſſimiles. Nā cū iſti Chriſtum, eius Euangelium & Sacramenta ignorarunt, alias omnino incantandi formas, alios characteras & figuras habuiſſe extra controuerſiam eſt, quàm noſtri Magi, qui Dei verbo, Chriſti nomine, ſacris Euangelij verbis, aqua baptiſmatis, ſacro pane abutuntur, atque illis adhibitis ſua myſteria peragunt. Quare ſe duplo peiores eſſe Chaldæis, Ægyptiis, aliiſque ignaris Dei maleficiis declarant. Chaldæi enim & alij, quos nominaui, verbis Satanæ & malignorum ſpirituum compellatione vtuntur. Noſtri verò Dei verbo, Chriſti nomine blaſphemè ad ſuas nugas diabolicas abutuntur, id quod paucis exemplis hoc loco declarabo. Chaldæi vtuntur coſcinomantia, hoc eſt, diuinatione, in qua cribrum cum forfice adhibebatur, tanquam Sacramentum Satanæ, quoties de re aliqua furtim ablata quærebatur. Noſtræ maleficæ ſimilem Coſcinomantiam, cum de clam ablatis quęritur, exercere ſolent, etſi eadem cum Chaldæis in diuinationis ſuæ myſteriis verba non habent, id quod omnino neceſſarium eſſet, ſi qua verbis conceptis, aut linguis ineſſet efficacia. Sacrificuli in

Magorū nugæ Satanicæ.

papatu, loco cribri & forficis, libro Pſalmorum cum claue alligato libro, iuxta Pſalmum 50. vtuntur, impoſitis ordine vno poſt aliud nominibus eorum, qui ſuſpecti erant, in fiſtulam clauis. His ita paratis recitatur Pſalmus: Deus Deorum Dominus locutus eſt. Verùm, ſi cum ventum fuerit, ad hæc verba Pſalmi, Si videbas furem currebas cum eo, liber ſe mouerit, & excutitur è digitis eorum qui eum tenent (Sunt enim tres perſonæ ad minimum in hac fabula) non dubitant reum furti eſſe eum, cuius nomen impoſitum eſt claui. Quis non riſerit has ineptias? Quis non videt Pſalmum quem recitant, longè alium ſcopum habere? Hinc ergo quilibet facilè iudicauerit, quod nec in verbis magicis, nec in rebus quas adhibent, ſit aliqua virtus efficiendi ea, quæ promittunt magi. Quare in Satana eam fateri eſſe neceſſe eſt, qui homines iſto pacto ſibi obnoxios reddit, cum ita abutuntur Dei verbo in propriam perniciem. Nihil enim Satanæ iucundius eſt, quàm vt homines contra verbum Dei impellat. Nam vt nouit optimè fruſtra quæri ſalutem extra verbi Dei verum & legitimum vſum: Ita ſcit omnem abuſum verbi Dei homini pernicioſum eſſe, atque coram Deo abominabilem.

Satanæ efficacia per verba & characteres magorum.

Verus autem & legitimus verbi Dei vſus, in his tantùm quatuor ſitus eſt. Primùm, vt mentes noſtras rectè inſtituat de rebus ad ſalutem cognitu neceſſariis, vt de Deo, de Dei vero cultu, de peccato, de gratia, de pœnitentia, de myſterio incarnationis & paſſionis Domini, de iuſtificatione, déque aliis ad ſalutem noſtram pertinentibus. Deinde vt iuxta verbum fiduciam in Deo collocemus. Primus enim finis verbi cogniti eſt fides in Deum iuxta verbum. Tum, vt ex fiducia quam ex verbo concepimus, promiſſa bona per patientiam expectemus. Poſtremò, vt viuamus & agamus iuxta verbi præſcriptum. Si in hoc vero & legitimo verbi Dei vſu manſerimus conſtantes vſque ad finem, iuxta promiſſionem Domini, ſalui erimus. At qui contrà fecerit, & quouis modo abuſus fuerit ſancto Dei verbo, contra ordinationem diuinam, Deum tentat, ſalute excidit, Satanæ ſe mancipat: Quare non dubitat ſe Deum inuenturum ſeuerum iudicem in extremo die, niſi maturè reſipiſcat.

Verbi Dei vſus in quib. conſiſtit.

Monachus quidam Gotſchalcus nomine, ſcribit ſe nouiſſe fœminam quæ cum grauiſſima oculorum infirmitate laboraret, accedit quendam ſcholaſticum, conqueritur de dolore oculorum, petit vt, ſi quis poſſit, ſibi ſuccurrat, promittit mercedem liberalem. Quid hîc facit ſcholaſticus? Etſi remedium ignorauit, tamen propter ſpem lucri, promittit ſe effecturum, vt conualeſcat. Sumit ergo chartam, in qua ſcribit characteres, nunquam antea à ſe cogitatos vel viſos. Infra hos addit hæc verba maiuſculis literis: *Diabolus eruat tibi oculos, & foramina ſtercoribus repleat.* Hanc chartam complicatam, & inclusam panno, iuſſit mulierem alligare collo, Mulier obtemperat & ſanatur. Verùm poſt annum atque alterum, mulier cupiens ſcire quid charta contineret, aperit, curat legi, iraſcitur, abiicit chartam, quo facto, morbus oculorum redit. Quis non videt, quod nec in characteribus, nec in verbis ſcriptis fuerit aliqua efficacia? Vnde ergo niſi à Dæmone, qui iſta fraude delectabatur?

Lepidæ narrationes de ſtulta quorundam credulitate.

Sunt qui norunt quid mihi acciderit ante annos plus minus 24. Docui dialecticam & cum περὶ τῆς ἀ-πορείας τῶν [illegible] agerem, recitaui & declaraui verſus hos, olim in ſcholis vſitatos.

Fecana, cageti, daphenes, gebare, gedaco,
Gebaliſtant, ſed non ſtant phebas, hecas & hedas.

Hic

Hîc ioco addidi, valere hos verſus contra febrim, ſi ſingula verba inſcriberentur pani, & ægroto ordine darentur, ita vt quotidie vnum fruſtum panis, cum inſcripto verbo comederet. Quid hîc accidit? Aderat quidam homo ſimplex & bonus, qui iocum non intellexit, ſed credidit rem ſeriò agi. Cum ergo poſt paucos dies, famulus quem tum habebat, incideret in grauiſſimam febrim, dat ægrotanti primo die fruſtum panis, cui inſcriptum erat primum verbum, Fecana, & deinde ordine vſque ad ſextum verbum, Gebali, tum enim ſanabatur febricitans. Alij autem videntes efficaciam amuleti, ſecuti ſunt exemplum & multos curabant. Tandem patefacto ioco, virtus amuleti defecit. Quid poſſumus hîc aliud dicere, quàm Diabolum hîc homines deluſiſſe?

Redit ad rationes de incantationum inefficacitate per ſe.

Poſtremo & hinc patet ſagarum & maleficarum incantationes per ſe ineſſicaces eſſe, quia, vt teſtatur Auguſtinus, poſtquam vulgo innotuerint, concepta incantatorum verba, non amplius recitata vim habent. Nam Diabolus vulgò innoteſcere ſua myſteria non patitur, ne hominibus cordatis quam ſint ridicula, appareat, Atque ita ipſe cum ſua arte in contemptum veniat. Eſt & hæc cauſa cur fœminis ſæpius quam viris vtatur. Fœminæ enim, vt Eua, facilius à Satana ſeducuntur. Cùm igitur plerique veterum, veræ religionis ignari, exiſtiment magicas artes naturaliter non obeſſe, ſed vnumquemque cogitatione & imaginatione ſua, ſemetipſum incantare, plurimum errant. Non enim ſequitur, Magicæ artes naturaliter non obſunt. Ergo non obſunt. Tametſi enim natura non obſunt, vt faſſi ſumus: Tamen aliunde obſunt, nempe virtute Satanæ, qui in ſuis artibus efficax eſt, ad miſeros homines decipiendos, vt probatum eſt. Non ergo verum eſt quod inferunt, Vnumquemque cogitatione & imaginatione ſua ſemetipſum incantare.

DE TERTIA.

Non licet maleficiis maleficia depellere.

TERTIA quæſtio, quam excutiendam propoſuimus eſt: Num liceat maleficia maleficiis depellere? hoc eſt, an artis magicæ peritis liceat ſua arte morbos maleficiis illatos curare nécne? Ad hanc quæſtionem breuiter reſpondeo. Similis eſt impietas nocere & prodeſſe arte magica. Non enim magis licet Diaboli opera vti ad iuuandum, quàm ad perdendum. Vtrumuis feceris à Deo recedis, & in caſtra Satanæ te recipis.

Obiectio ex lege Conſtantini.

Verùm huic ſententiæ noſtræ aduerſatur lex Cõſtantini, quæ eſt in codice hiſce verbis: *Eorum eſt ſcientia punienda, & ſeueriſſimis meritò legibus vindicanda, qui magicis accincti artibus, aut contra ſalutem hominum moliri, aut pudicos animos ad libidinem deflexiſſe deteguntur, nullis verò criminationibus implicanda ſunt remedia humanis quæſita corporibus.* Hîc Imperator diſtinguit inter magos, qui ſuis artibus nocent, & eos qui magicis remediis videntur prodeſſe hominibus, illos condemnans, hos iuſtificans, vt pœna indignos.

Reſponſio.

Primùm reſpondeo ad rationem vtilitatis, quam prætendit legiſlator. Certum eſt Diabolum hoſtem eſſe humani generis, qui nunquam vult niſi perniciem hominum. Et vt eſt vafer ad omne malum, ſæpe ſub vtilitatis prætextu homines decipit, & à Deo abducit. Hîc erat ipſius primus conatus, & erit poſtremus. An non primos noſtros parentes vtilitatis prætextu decepit? Eritis, inquit, ſimiles Deo, ſcientes bonum & malum. Sed euentus declarauit, qualis fuerit iſta vtilitas. Sic ergo de omnibus operibus Satanæ, in quorum numero ſunt omnia quæ fiunt artibus magicis, ſiue bona videntur, ſiue mala ſtatuendum eſt. Omnia opera Satanæ ſemper ſunt mala, & ſemper ad malum tendunt, qualiacunque ſtultis hominibus eſſe videntur. Sanat interdum corpus, ſed animam inficit, quæ multo eſt corpore præſtantior. Iam ſi anima eſt præſtantior corpore, profectò morbus animæ multo nocentior erit, quàm corporis, nec vnquam Satan corpus ſanat, niſi in vtriuſque, id eſt, animæ & corporis perniciem. Hæc ſi cogitaſſet Imperator, non ſpectro vtilitatis tam fœdè fuiſſet faſcinatus.

Iam ad legem ipſam veniamus, videamúſque an ſententia imperatoris legis nomen & dignitatem mereatur, nécne? Si iuſta fuerit, digna erit legis nomine: At ſi iniuſta, & iniqua, quis eam legis nomine dignabitur? Age ergo ne fallamur iudicio, videamus quæ ad iuſtæ legis rationem pertineant. 2. Reſp.

Duo requiruntur in quauis iuſta lege, ratio recta, & autoritas iuſta.

Ratio recta in humanis præſertim legibus, pendet ex duabus rebus, videlicet ex origine & fine. Vtramque complectitur Cicero, dum ita legem definit: *Lex nihil aliud eſt quam recta & à numine tracta ratio, imperans honeſta, & prohibens contraria.* Origo debet eſſe ex fonte proprio legum, qui eſt vnus tantum, videlicet, æterna lex Dei, præcipiens æternam Dei & hominis dilectionem. Finis duplex legis erit, Subordinatus, & principalis, quorum prior, qui eſt incolumitas & vtilitas populi, ſeruire debet poſteriori, id eſt principali, qui eſt gloria Dei. Nam ſi huic non ſeruit lex, nequaquam iuſta eſſe poteſt. Nunc autem lex Imperatoris de magicis remediis, aberrat à iuſta ratione. Nam & pugnat cum æterna lege Dei, ex qua originem ducere debet. Manifeſtè enim aduerſatur dilectioni Dei, quæ iubet omnia bona & ſalutaria à Deo peti & expectari per ordinata media. Et pugnat cum vtroque fine legem videlicet ſubordinato & principali. Nam vtilitas quæ videtur eſſe vnius aut alterius, vtilitas dici non poteſt, modò reſpicimus ad vniuerſum populum, ſeu corpus multitudinis hominem iuris conſenſu & vtilitatis communione ſociatæ. Nam plurimi ſcandalo vulnerantur, vt deficiant à Deo, ex quo fit, vt etiam aberretur à fine principali, & in contrarium incurratur.

1. Ratio recta. Origo. Finis. A recta ratione Cõſtantini lex aberrat.

Verùm ſi quis obiiciat priuilegia non poſſe cum iis, quæ de vtilitate totius reipublicæ diximus, ſtare, & propterea ratione, iuxta noſtram ſententiam deſtitui. Reſpondeo, totius intereſſe Reipublicæ, præmia virtutum rerúmque bene geſtarum, & teſtimonia gubernatorum erga bene meritos, quibus alij inuitentur ad bene merendum de republica, extare. Hinc enim manant priuilegia, certis ordinibus hominum, & perſonis egregie meritis data, quæ tum demum iuſta ſunt ſi citra aliorum iniuriam conceduntur, & dantur bene meritis, hoc eſt, ſi priuilegiorum gubernatrix fuerit Iuſtitia diſtributiua, quæ reddit ſingulis τὰ καθήκοντα. Hoc cum ſit, priuilegia potius noſtram ſententiam confirmant quam labefactant.

Inſtãtia. Reſponſio.

Hactenus de ratione legum, iam de autoritate dicamus. Nam ad iuſtæ legis ſanctionem requiritur, vt diximus, autoritas, quæ eſt legitimi magiſtratus in ſubditos poteſtas. Hæc autoritas, etſi ſemper iuſta videtur ſubditorum reſpectu, fit tamen iniuſta ſi autoritati diuinæ ſe non ſubiiciat. Nam, vt humana autoritas eſt finita: ita par eſt, vt ſe autoritati infinitæ, quæ ſolius Dei eſt, ſubiiciat, à qua ſi diſcedit hu- 2. Autoritas iuſta.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Cōſtantini lex iniuſta autoritate caret.

mana autoritas, abuſu fit iniuſta. Imperator igitur cùm ſuam legem non ſubiiciat Deo, vt ex ſuperioribus patet, autoritatem, qua pollere deberet, amittit. Sequitur ergo iſtam Imperatoris legem iniquam eſſe, & indignam legis nomine.

Inſtantia.

At, inquies, Apoſtolus dicit, parendum eſſe non ſolum bonis ſed etiam malis. Mali autem abſque dubio ſunt qui iniquas ferunt leges. Reſpondeo:

Solutio.

Iniquitas legum variat. Quædam enim leges ſunt iniquæ & impiæ ſimul. Iniquæ quidem, quę à ratione legum iuſtarum diſcedunt, vt quæ nec ab æterna lege Dei extruantur, ne commodum Reipublicæ, ſed vnius, aut paucorum, plurimorum damno, ſpectent. Impiæ vero, quarum obedientia præſtari non poteſt, niſi eos qui obediunt faciant impios. Huiuſmodi lex fuit Nabucdonoſor regis Babylonici, qui mandatum propoſuit de adoranda ſtatua, quam erexerat. Similiter & lex de non inuocando Deo intra triginta dies. Iſtæ leges iniquæ fuerunt & impiæ. Iniquæ quidem, quia cum principio legum iuſtarum pugnabant. Impiæ verò, quia obtemperantes iſtis legibus impietatis rei fuêre. Quare tres illi viri potius voluerunt in caminum ardentem coniici, quàm adorare ſtatuam regis, & Daniel malebat coniici in lacum leonum, quàm impio edicto parere, de Deo intra triginta dies non adorando. Tales ſunt pleræque leges pontificiæ, de adorandis ſtatuis, de idolo miſſæ, de inuocatione Sanctorum, & de multis aliis rebus, Quare Principes quidam laudandi ſunt, qui renunciarunt Papæ obedientiam, in tam iniquis & impiis legibus. Sanctè etiam hodie faciunt qui malunt mori, quàm impietati tyrannorum conſentire. Ab huiuſmodi legum obedientia abſoluit nos autoritas ſupremi legiſlatoris Dei, iuxta illud: Magis obedire oportet Deo quam hominibus. Potius proinde mortem oppetere, quàm huiuſmodi legibus obedire debemus. Quædam ſunt iniquæ & non impiæ. Iniquæ quia diſcedunt à ratione iuſta, vt modo diximus. Non impiæ, quia iis parere poſſumus, vt nos impietate non inuoluant. Talis fuit lex Pharaonis, qui multa onera & intolerabiles labores mandauit populo Iudaico. Huius generis ſunt leges multorum tyrannorum, qui nouis oneribus, præter iuſtam neceſſitatem miſeros ſubditos affligunt. Harum legum obedientia requiritur à piis cùm propter mandatum Dei: Obedite diſcolis, tùm propter publicum bonum, hoc eſt, pacem & concordiam in humana ſocietate. Igitur Paulus vult nos obedire non ſolum propter iram, verametiam propter conſcientiam. Hæc prolixius de hac quæſtione diximus, vt ſtudioſi intelligant quid iudicandum ſit de humanis legibus & quatenus ſit eis obediendum.

DE QVARTA.

Magorum auxilium nullo modo eſt implorandũ.

QVARTA quæſtio, quam excutiendā promiſimus, eſt hæc: Num excuſabiles ſint, qui, cum ipſi magicæ artis ſint imperiti, vt tamen liberentur à morbis, per maleficia (vt putant) ſibi illatis, implorant opem maleficorum nécne? Qui tales excuſari poſſe putant, in hunc modum ratiocinantes

Obiectio.

ſeu potius nugantes, & ſe & alios miſerè decipiunt, & à Deo abducunt. Si, inquiunt, ſanitas corporis, donum Dei eſt, & res bona, cur non quauis ratione amiſſam recuperare licebit? Si itaque Diabolica arte eſt ablata, cur non eandem licebit Diabolica arte repetere?

Reſponſio

Iis qui ſic ineptiunt reſpondet Auguſtinus hiſce verbis: *Qui ſine ſaluatore ſalutem vult habere, & ſine vera ſapientia æſtimat ſe prudentem fieri poſſe, non ſanus, ſed æger, non prudens, ſed ſtultus, in ægritudine laborabit, & in cæcitate noxia ſtultus & demens permanebit. Ac proinde omnis inquiſitio & omnis curatio quæ à magicis artibus expetitur, mors potius eſt dicenda quam vita.* Hæc Auguſtinus, Cuius ſententiam canoniſtæ legi Conſtantini, de qua ſupra diximus, rectè opponunt non propter autoritatis papalis eminentiam, ſed propter veritatis euidentiam. Sed Paulum per Spiritum Dei loquentem audiamus Rom. 1. 32. Digni ſunt morte, inquit, non ſolum qui mala faciunt, verumetiam qui mala facientibus conſentiunt. Iam quæro, an quiſquam poſſit expetere remedium à maleficis, niſi illis conſentiat? Quomodo enim poterit eos conſulere, ſine conſenſu? Proinde iuxta Pauli doctrinam, eiuſdem impietatis reus peragitur, & eiuſdem pœnis obnoxius eſt apud Deum, & qui artem exercet magicam, & qui ex ea remedium petit.

Iterum obiectio.

At, inquies, ſi eſt peccatum quærere valetudinem amiſſam à ſagis, profecto non erit ita magnum peccatum. Recuperata ergo valetudine, poteſt expiari Eleemoſyna & aliis bonis operibus.

Reſponſio.

Primùm reſpondeo, peccatum non menſura ſenſus noſtri, ſed verbo Dei metiri debemus. Nunc autem, cùm verbum Dei pares facit facientem & conſentientem, nos non debemus eos impares putare. Præterea lex Dei diſertè ait, Leuit. 20. 6. Anima quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam eam de medio populi. Hoc Domini mandatum ſtultæ rationi hominum quorumcunque opponamus. Nam apertè Deus affirmat, quod & iraſcatur vtriſque & quod velit vtróſque hoc eſt magos ipſos, & eos qui eorum opera vtuntur, de medio populi ſui tolli, videlicet per Magiſtratum, etſi ſæpe fit, vt, iuxta prouerbium, Coruus euadat, & columbus ſub cenſura iaceat.

Alterum caput reſponſionis.

Deinde quod de pœnitentia adferunt, & de Eleemoſyna aliiſque bonis operibus, quibus ſe redimere velle illud peccatum, ſi quod eſt, affirmant, valde & ſtultè & impiè dicitur. Stultè quidem quod illud proponunt, vt certum, quod non eſt in eorum manu facere, incerti & de vitæ termino & de gratia reſipiſcentiæ: Præſertim cùm multi ſcientes & volentes labuntur, qui nunquam per pœnitentiam rurſus eriguntur, vt Saul qui conſuluit Pythoniſſam, ſed deſperatione & æterna morte miſerrimè opprimuntur. Stultum eſt etiam non rectè ęſtimare morbum corporis, humano ſenſu vel maximum, & lepram ſpiritualem animæ. Nam dum morbum corporis per maleficia tolli ſtudes, lepram ſpiritualem animæ accerſis, quam ſtultitiam Cicero etſi Ethnicus damnat, cum ait: Quò maior eſt vis animæ quam corporis, eò grauiora ſunt mala, quæ anima concipiuntur, quam quæ corpori inferuntur. Impiè verò, quod Deum improbè tentent, quaſi ipſum haberēt in ſua poteſtate, vt ferat, velit nolit, eos cum peccant, & recipiat rurſus in gratiam, cum ipſis peccare amplius non libuerit. Perinde enim eſt ac ſi dicerent Deo: Verte huc maxillam, & alapam accipe, mox te rurſus oſculo placabo.

Enormia ſcelera eorũ qui remedia à dæmonũ mãcipiis petunt.

Verùm ne quis ſeipſum futilibus anicularum ſermonibus ſe duci ſinat, age, videamus quàm multa enormia ſcelera in iis, qui remedia à ſagis, id eſt, dæmonum miniſtris, petunt, concurrant. (Neque enim exiſtimandum eſt, vnum ſolummodo ſcelus hîc eſſe poſſe, cùm nunquam vllum ſcelus ſolitarium eſſe poſſit.)

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſit.) Nam ſuo facto fidem excutiunt: dilectionem Dei deponunt: timorem Dei exuunt: ordinationem Dei contemnunt: promiſſionem diuinam in dubium vocant: & eam patientiam, quæ Chriſtianorum propria eſt, abiiciunt. An non mors ipſa tantis malis meritò eſſet anteponenda? Eſſet ſanè ſi rectè inter bona & mala diſcernere poſſemus: Eſſet, ſi ſtatueremus Deum & inſpectorem & vindicem eſſe ſcelerum. Sed ne quis, quæ diximus, terriculamenta tantum puerilia eſſe putet, ſcripturis ea confirmemus.

1 Fidem excutiũt.

Primum igitur dico iſto nefario facto fidem excuti. Nam fidei proprium eſt in afflictionibus in ſolum Deum fiduciam collocare, iuxta ipſius verbum. Hæc fides ſtare non poteſt cum artibus vanitatis. Ideo Dauid, Pſal. 31. 7. ait, Odi obſeruantes vanitates falſitatis, ego autem in Domino ſperaui. Hîc manifeſtè opponit Dauid obſeruationem vanitatum falſitatis (per quas intelligit omnes illicitas artes, mediáque non ordinata, ad quæ confugere ſolent ignari Dei, in ſuis aduerſis) & fiduciam in Deum, ſignificans hæc duo in eodem homine ſimul conſiſtere non poſſe. Cùm igitur proprietas naturalis fidei ſit in ſolum Deum fiduciam collocare, ſatis manifeſtum eſt, eos, qui contra Deum illicita quærunt media, fidem abiicere. Nulla enim res ſine ſuis naturalibus proprietatibus conſiſtere poteſt.

Præterea, ſi vox fidei eſt, vt reuera eſt, Ad Dominum cum tribularer clamaui, profecto non eſt fidei, in ſuis quibuſuis afflictionibus, Sagarum opem implorare, ſed potius Ethnicæ diffidentiæ. Quicunque ergo hoc facit, fidem profeſſionis, cum ſceleratis multis habere poteſt. Fidem hiſtoriæ, cum dæmonibus contremiſcentibus retinere poteſt. Spectrum fidei & ſomnium cum Hypocritis iactare poteſt. Sed viua fiducia in corde, quæ filiorum Dei eſt propria, qua in vno Chriſto ſaluatore acquieſcunt, fœtoribus Satanæ eſt extincta. An non Paulus teſtatur vaſtata conſcientia naufragium fidei fieri? Milita, inquit, 1. Tim. 1. 18. honeſtam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam, qua quidam repulſa naufragium fidei fecêre. Quomodo obſecro bonam conſcientiam habebit is qui relicto Deo, ad ipſius hoſtem in ſuis aduerſis confugit? Accidit ſanè huiuſmodi homini, quod naui in mari. Nauis amiſſo gubernatore, huc illuc vndis pellitur, donec ſubmergatur prorſus. Sic homo, amiſſa fide, Diaboli iactatur procellis, donec ſalutis iacturam fecerit. Pugnat proinde cum viua in Deum fide, cum quocunque morbo quis premitur ſiue animi ſiue corporis, opem Sagarum implorare.

2 Dilectionem Dei abiiciunt.

Deinde dico dilectionem Dei imploratione Sagarum deponi. Quomodo enim poteſt Deum diligere qui diligit quod Deus odit? Ideo Dauid ait, 97. 10. Qui diligitis Dominum, odite malum. Fieri ergo non poteſt, vt ſimul & Deum & malum quod odio habet Deus, diligas. Quomodo poteſt Deum diligere, qui mandatum eius contemnit? Si diligitis me, ait Dominus, Ioan. 14. 15. ſeruate mandata mea. Nunc autem mandat Deus vt ad ſe ſolum in afflictionibus confugiamus, & non ad magos. Inuoca me, inquit, Pſalm. 50. 15. in die tribulationis, & ego eripiam te. Quomodo ergo quæſo Deum diligit, qui hoc mandatum Dei contemnit? verbo fortè, ſed corde minimè. Vnum enim & idem cor, non eſt capax Dei & Satanæ qui operatur per ſagas.

3 Timorē Dei deponunt.

Tertiò, dico timorem Dei tam ſacrilego auſu excuti. Nam qui timet Deum, non vt ſeruus ſed vt filius, is ex dilectione timet, reueretur ſincerè & caſtè: cauet omnibus modis offenſam, id eſt, vitat prohibita, & ingrata odit: facit imperata, idque non coactè ſed cum delectatione. De reuerentia loquitur Scriptura Malach. 1. 6. Filius honorat patrem & ſeruus Dominum ſuum, Si ego pater, vbi eſt honor meus? Et Angelus, Apocalyp. 14. 7. Timete Dominum & date illi honorem, quia veniet hora iudicij eius. De cauenda offenſa loquitur Salomon, Prouer. 3. 7. 24. 21. Qui timet Dominum recedit à malo. Et Syracides. 21. 7. Qui timet Dominum expellit peccatum. De imperatis faciendis loquitur Dauid cum ait, Pſalm. 112. 1. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis, Syracides 2. 19. Qui timent Dominum inquirent quæ beneplacita ſunt illi. Quomodo conſulentes veneficas, vt ſanitatem amiſſam recuperent timent Deum, cùm illi honorum debitum non præſtant, cùm ſectantur prohibita & damnata à Deo media, cùm contra imperata, ſcientes & volentes tanquam phrenetici, ruant?

4. Ordinē diuinitus cōſtitutū contēnũt.

Quartò dico eos, qui ad magica remedia confugiunt, ordinem diuinitus inſtitutum contemnere. Ordo autem recuperandæ ſanitatis amiſſæ diuinitus conſtitutus, quatuor habet gradus.

Primus gradus huius ordinis.

Primus gradus eſt, vt qui quouis malo affligitur vel tentatur, inquirat cauſam mali quo premitur, non extra ſe, ſed in ſemetipſo. Cauſa autem hęc eſt, Vniuerſalis quidem originale malum, propter quod omnes homines variis morbis & ærumnis obnoxij ſunt, & diuinitus puniuntur, vt Paulus docet, ad Rom. 1. Eſt enim iudicium Dei ſecundum veritatem in eos homines qui peccauerunt. Peccauerunt autem omnes. Accidentaria verò ſeu ſpecialis cauſa eſt perſonalis lapſus, iſque multiplex, qui pœnis diuinitus illatis punitur, vt emendetur qui peccauit.

Secundus gradus.

Secundus gradus eſt, vt afflictus quærat remedium eius partis ſui, quæ peccati commiſſi cauſa erat, hoc eſt, animæ. Remedium autem hoc nullibi inuenitur, niſi in apotheca Dei ſummi illius medici. Quænam eſt hæc apotheca? Verbum Dei in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis nobis commendatũ. In hac apotheca ſedet medicus Ieſus Chriſtus. Medicina quam vulneri animæ applicat, eſt vera pœnitentia, qua homo afflictus dolet de commiſſis peccatis, & confugit ad propitiatorium, petens remiſſionem peccatorum in vera fiducia mediatoris. Quod cùm fecerit ſeriò, abſque omni dubio curari animam, & eius vulnera ſanari, precioſo ſanguine Chriſti ſentiet.

Tertius.

Tertius gradus eſt, vt afflictus ſanatis vulneribus & morbis animæ, confugiat ad eundem medicum, ipſúmque roget cum conditione, in hanc ſententiam, ex firma in ipſum fiducia: Sana me Domine, ſi mihi vtile eſt: ſin minus, da nomini tuo gloriam, & mitiga cruciatus meos, pro tua iuſtitia & paterna miſericordia. At ſi ne hoc quidem tibi videtur, noli tollere à me miſericordiam tuam, ſed da gratiam, vt forti animo feram, quod tu vis mihi eſſe fręnum, ne ferociam aduerſus te & peream.

Quartus.

Quartus gradus eſt: in hunc modum compoſito animo, & impetrata peccatorum venia, afflictus ordinata diuinitus remedia quærat. Nam Deus vt eſt optimus: ita trium rerum genera in humanos vſus condidit.

Tria rerũ genera in humanos vſus.

Primùm, ſine quo viuere non poſſumus, hoc eſt, neceſſaria ad victum & amictum, ídq; in tanta copia & varietate, vt & copia ſufficiat, & varietas faſtidiũ tollat. Si quis autē interdum his deſtitui videtur, eſt vel pœna ingratitudinis erga Deũ: vel ſignum pigritia: vel fœdæ profuſionis indiciũ: vel probatio fidei.

Deinde quia hęc vita recreatione opus habet, vt non perpetuis laboribus tabeſcat, condidit Deus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

res voluptati ſeruientes, quibus in timore Dei & caſtè piis vti licebit.

Tertiò quia hæc vita variis morbis obnoxia eſt, noluit Deus vel in hac parte hominibus ſuo munere deeſſe. Condidit ergo lapides precioſos, gemmas, herbas, & alia quibus vis curandi affecta corpora ineſt, & quæ videntur in his venenata eſſe, vſu ſalutaria ſunt & abuſu noxia, quemadmodum ſuperiora. Omnes enim creaturæ Dei abuſu nocent, vſu proſunt. Atque propter hanc cauſam Deus vult nos in honore medicum habere. Ita enim ſapiens Syracides ait, cap. 38. Honora medicum propter neceſſitatem honoribus ſuis (ſcilicet reuerentiæ, qua agnoſcimus dona Dei in medico, & mercedis, qua compenſamus medici operam.) Etenim Dominus creauit illum. Item: Dominus medicamenta procreauit è terra, & vir prudens ea non abhorrebit. Cum ergò medicina ad hanc originem & autoritatem Dei reuocatur, tunc veris & ſuis ornatur honoribus. Ideo Homerus rectè dicit, ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πόλλων ἀντάξιος ἄλλων, hoc eſt, vnus medicus multis aliis comparandus ſeu æquandus eſt. Qui igitur verè pius eſt, ſuo ordine & loco vtitur hoc diuino dono: quo ſi adiutus fuerit, agat Deo gratias, ſin autem minus, non imputet medico, quod ſua culpa curari non poterat: Sed cum ſanctiſſimo Iob dicat: Etiamſi Deus me occiderit, in ipſum ſperabo, cogitétq; morbum corporis medelam eſſe animæ, atque hoc tandem pacto, iuxta Poëtæ dictum, *leue fit quod bene fertur onus*. Qui autem intra hos limites non manſerit, ſed extra ordinem diuinum damnata remedia quæſierit, ordinationem Dei contemnit, dignus pœnis præſentibus & æternis.

Medicinę vſus & cōmēdatio.

Sed quid hîc facit Satan? Suos miniſtros magos admodum aſtutè fallaciis ſuo more armat. Nam multi malefici, vt impoſturas ſuas tegant, adhibent neſcio quas herbas, item aquam diſtillatam, & dicunt ſe naturalibus remediis rem agere, & ſub hoc prætextu ſuis exorciſmis, figuris, characteribus, & precaminibus vtuntur, & rem planè magicam exercent, fingentes ſe iuxta ordinationem Dei omnia facere, cùm illam ſacrilegè polluant, hominéſque credulos pernicioſè ſeducant. Atque ita Satan mille viis ad fallendum vtitur. Et, vt de Protheo dictum, *Formas ſe vertit in omnes*, hoſtiliter hunc inſequens, huic fallaciter ſubueniens, vtrobique nocens. Quid enim expectandum eſt boni ab eo, qui maximus eſt hoſtis generis humani, & planè ἄσπονδος, vt qui in concordiam cum homine redire nunquam poſſit? Proinde ſi verum eſt prouerbium, quod eſt apud tragicum Poëtam Sophoclem: ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κ' οὐκ ὀνήσιμα: *Hoſtium dona mala dona ſunt, & non vtilia*: profectò hîc veriſſimum erit. Diaboli ergo remedia corporibus humanis adhibita procul omni dubio venena ſunt animæ, quocunque tandem colore à vanis hominibus pingantur & excuſentur.

Satanæ aſtutia.

5. Promiſſionem diuinam in dubiū reuocant.

Quintò dico eos, qui interdictis remediis vtuntur, ad recuperandam ſanitatem, reuocare in dubium promiſſionem diuinam, videlicet: Inuoca me in die tribulationis, ego eripiam te, & glorificabis me. Pſalm. 50. 15. Hîc tria coniunguntur: Mandatum, promiſſio, & promiſſionis euentus. Mandatum, inuoca me. Me, inquit, inuoca, id eſt, Noli quærere aliunde auxilium, ſed ſtatue auxilium tuum eſſe à Domino, qui fecit cœlum & terram, idque nunc immediatè, nunc per media diuinitus ordinata. Promiſſio eſt, Eripiam te. Non vult ergò vt aliò confugias, ſed vult vt hanc promiſſionem fide accipias. Promiſſionis euentus ſigno indicatur, Et glorificabis me. Hac glorificatione teſtaberis te à me adiutum eſſe.

Sexto dico eos abiicere patientiam Chriſtianorum propriam, qui confugiunt ad damnata remedia. Eſt autem hæc vox Chriſtianæ patientiæ: Etiamſi occiderit me, ſperabo in eum, id eſt, non quæram illicita & damnata media, ſed conſtanter feram quicquid mihi acciderit ex clementiſſimi patris voluntate. Patientia ergo oſtendit quantum quiſque in ſchola Chriſti profecerit. Prouerb. 19. 22. Doctrina viri per patientiam noſcitur: contra vero, impatientia hominum aut parum admodum, aut nihil profeciſſe in ſchola Chriſti, cùm hominem impellit vt contra Deum feratur, & quærat media prohibita, iuxta illud, Impatiens patefacit ſtultitiam ſuam. Sed de patientia aliâs plura.

6 Patientiā abiiciunt.

Habet adhuc humana vanitas quod in ſui perniciem veritati opponat. Licet, inquit, hominis impij, vt Iudæi increduli, Turci blaſphemantis nomen Chriſti, apoſtatæ, & cuiuſuis ſcelerati hominis, medicina ad depellendum morbum, vndecunque illatum, vti. Cur ergo non licebit ad caput ipſum, cum membra deficiunt confugere? præſertim cum Diabolus naturæ rerum, gnariſſimus, in multis morbis, abſque omni dubio naturalibus vtatur remediis, in quibus ipſe Deus reuera eſt efficax? Hoc argumentum ſpeciem habet, ſed veritatem non habet. Quid enim hoc aliud eſt dicere: *Flectere ſi nequeo ſuperos Acheronta mouebo*. Fateor ſanè quod Diabolus in multis morbis, naturalibus vtatur remediis, fateor etiam quod Deus ſit in iſtis remediis efficax. Fateor & hoc quoque quod multi medici apud Turcas & Iudæos ſint membra Diaboli. Sed tamen vaniſſima eſt hæc concluſiuncula: Licet impiis hominibus vti in morborum curatione. Ergo licet etiam opera Satanæ per veneficas vti. Nam illud permittitur, hoc prohibetur, Illud eſt ordinis diuini, hoc contra diuinum ordinem, Illud eſt neceſſitatis probatæ, hoc vanitatis damnatæ. Cum ergo piis regula actionum debet eſſe verbum Dei, non ſinunt ſe iſta concluſiuncula capi.

Obiectio.

Reſponſio.

Quod autem impij dicantur membra Diaboli eſſe, rectè accipiendum eſt: Qualitate enim, & non ſubſtantia: Imitatione, & non natura: Malitia & non arte ſua, ſunt membra Diaboli. Ars enim ipſa donum Dei eſt, quam Deus vult exerceri per homines, & non per impoſtores ſpiritus:

Impij quo ſenſu [illegible] membra Diaboli.

Verùm quod Deus ſit efficax in remediis Diabolorum, non magis excuſat conſulentes ſagas, quàm adulteros, in quibus Deus eſt efficax, ad procreandos liberos, quorum multi ex diuina benedictione non parum vtilia in Republica & Eccleſia efficiuntur organa, vt de Gedeone legimus, & aliis non paucis. Eſt autem in primis diſcernendum inter hominis factum, & modum agendi, naturis rerum in creatione diuinitus attributum. Deus vetat ne quis adulterium committat. Qui ergò contrà facit, reus eſt coram Deo, nihilominus tamen Deus efficax eſt in adulteris procreantibus proles, quia vult modum agendi in creatione naturæ ſingulis datum non deſtruere, ſed conſeruare tam in adulteris quam in aliis. Ad eundem modum Deus prohibet, ne vtamur magorum opera in depellendis morbis, & contra ſuum interdictum facientibus minatur pœnas: Idem tamen Deus efficax eſt in pharmacis, quibus vtitur Diabolus, cùm ad inferendos tùm ad depellendos morbos. Non ergo iuuat conſulentes veneficas, quod Deus ſit efficax in remediis, quæ Satan ad illarum precamina in minima quantitate applicat, nunc immiſcens cibo & potui occultè ſua pharmaca, nunc adhibens externè ſine humano ſenſu,

Aliæ obiectionis refutatio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſenſu, herbas vel lapides, vel aliud quod efficax eſſe nouit ad nocendum vel iuuandum. Sed quid multis? An non in baptiſmo renunciaſti Satanæ & operibus eius,& Chriſto nomen dediſti? Cur ergo nunc contra fidem Chriſto datam, recurris ad eius hoſtem Diabolum, vt ipſius opera libereris à morbo? Profectò hoc aliud non eſt, quā abiurare Chriſtum & in eius locum Diabolum ſubrogare.

Sed videor mihi audire quomodo bene garrula anicula mihi obſtrepat. Quis, inquit, ita credit? quis diligit? quis ſperat? quis obedit ſicut deberet? Quis dicet? purum eſt cor meum, & mundus ſum à peccato? An non in multis delinquimus omnes, Si tu ergo perfectus es, ſolus in cœlum conſcende. Si tu extra illorum numerum es, de quibus Iohannes loquitur, cum ait: Si dixerimus peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, non opus habes Chriſto: non eſt tibi neceſſe precari cum aliis: Remitte nobis peccata noſtra. Huic garrulæ aniculæ ſic reſpondeo: Via ſtulti recta eſt in oculis eius. Tibi quidem ſapis, ſed tua ſapientia ſumma ſtultitia eſt. Nā vt tua defenſio iniuſta eſt; etſi ſententias loqueris, venefica, ſic inſultatio tua maligna eſt. Iniuſta eſt defenſio tua, cùm quia peccatum peccato nō abluitur, tùm quia non diſcernis inter peccata humana (quibus ſæpe ſancti, non volentes & ſcientes offendunt, qualia ſunt ea, de quibus Solomon, & Iohannes loquuntur, & ſancti deprecantur, dicentes: Remitte nobis debita noſtra. In horum peccatorum catalogo, me vnum eſſe agnoſco, & cum illis, remiſſionem peccatorum, ex fide in Chriſtum peto,) & peccata Diabolica, quibus tu renuntias Chriſto & Satanæ te ſubiicis. Nam contempto Chriſto confugis ad ipſius hoſtem Diabolum, & ab ipſo, in tuis corúmque, qui tibi mercedem promittunt, morbis, remedium quæris, contrà illud dictum Domini: In me tantummodo auxilium tuum, Oſee.13.9. Inſultatio tùa maligna me non frangit. Non enim ignorare poſſum, hoc eſſe artificium Satanæ magiſtri tui vſitatiſſimum, vt cùm ratione vincere non poſſit, crudelitate & Sophiſtica rem agit. Quare non tam inſultatione tua perturbor, quàm doleo vicem tuam, quæ non ſolum contra Chriſtum bella geris, verùm etiam impietatem tuam defendis, tanquam rem bene geſtam. Hoc vnum tibi dictum volo: Qui Chriſtum non habet nihil habet, etiamſi Crœſi opes poſſideat. Quomodo autem Chriſtum habere poterit, qui operibus Satanę aduerſarij Chriſti totus non renunciauit?

Cuicunque ergo ſalus & vita æterna curæ eſt, is quicquid facit, iuxta conſilium Pauli, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti faciat, & ab eo ſanitatem petat, & adhibeat ordinata remedia, eo ordine quem monſtrauimus, Non tentet Deum, nec exiſtimet ſe vnà poſſe & Deo & Satanæ adhærere. Nulla enim eſt conuentio Chriſti & Belial. 2. Corinth. 6. 15. Et Elias ad impium Achab, & ad eos, qui cum illo erant dicit, 1. Reg. 18. 21. Vſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus Deus eſt, ſequimini ipſum: Si autem Baal ſequimini illum. Semper memores ſimus dicti Pauli, 2. Tim. 2. 19. Diſcedat ab iniquitate, quicunque inuocat nomen Chriſti. Nullo proinde pacto excuſandi ſunt; qui cùm læſos ſe putant à maleficis ad maleficos confugiunt, vt ſuis carminibus morbos ab ipſis pellant. Nam hoc eſſet ſicut ſuprà demonſtratum eſt, à Diobolo omnis mali autore bonum petere, quod à ſolo Deo expectari debet, vel immediatè, vel per media iuſta, & dari ſolet. Fide itaque in Deum ac fructibus fidei, hoc eſt, orationib. & eleemoſynis, à Deo poſtulandum eſt, vt pro ſua bonitate ipſe nos à malo liberet. Si vero nec ſic quidem tollitur malum, quo premimur, reſtat vt incommoda omnia patienter feramus, quamdiu Deo ſapienti atque optimo patri noſtro viſum fuerit nos punire & probare.

Quid, inquies, faciet miniſter Euangelij, ſi in hominem, qui implorata magorum ope à morbo ſit liberatus, inciderit? Primùm exponet ei quàm horribiliter in Deum peccauerit, quod hoſtem ipſius Satanā loco veri Dei habuerit. Nec hîc tribuendum eſt aliquid eminentiæ & dignitati perſonæ; ſed potius illic petenda eſt defectionis à Deo exaggeratio. Deinde oſtendendum eſt illi quod maiorem morbum animi ſibi illicita curatione accerſiuerit, nempe lepram ſpiritualem, quàm morbus corporis fuit, à quo per magicas impoſturas liberatus eſt. Tùm proponet pœnas defectionis à Deo, cum maledictione æterna, perpetuos animi & corporis cruciatus, niſi rurſus ſe ad Deum in vera pœnitentia conuerterit. Hîc ſi miniſter Euangelij viderit hominem, qui iſto modo peccauit, veris doloribus affici, propter ſcelus à ſe commiſſum, adhibebit vocem Euangelij, eúmque conſolabitur. Verùm ſi factum ipſius innotuit Eccleſiæ, hortabitur ipſum miniſter Euangelij, vt culpam deprecetur apud Eccleſiam, vel per ſe, vel per miniſtrum Euangelij. Quod ſi recuſauerit facere, ficta eſt eius pœnitentia. Quare ad ſacram Chriſti Cœnam nullo pacto eſt admittendus; ſed Dei iuſto iudicio relinquendus. Interea tamen non eſt ceſſandum à precibus pro eo ad Deum, vt ipſum conuertere ac reſtituere ſanctorum ſocietati dignetur. Qui hoc meum conſilium iudicat nimis graue eſſe, is ſanè peccatum & ſcandalum inde ortum, nimis leue exiſtimat.

Reſponſio.

Vnum cōſilium.

Cōſilium paſtorib. Eccleſiæ propoſitū

DE QVINTA.

RESTAT quæſtio poſtrema, quæ non parum turbat infirmorum animos: Cur videlicet Deus permittit fieri talem ſui nominis prophanationem, cùm poſſit eam ſua potentia impedire? Reſpondeo. Quicquid Deus agit aut fieri permittit, hoc in ſuam gloriam agit & permittit. Auguſtinus ait: *Non fit aliquid niſi omnipotens fieri velit, vel ſinendo, vt fiat, vel ipſe faciendo. Nec dubium eſt Deum facere bene, etiam ſinendo fieri, quæ fiunt malè.* Idem: *Non fit aliquid niſi omnipotens velit fieri, & hoc vel voluntate beneplaciti, qua omnia bona fiunt, vel voluntate ſigni, quæ eſt permiſſio mali.* Nunquam igitur prophanatur Dei nomen, ſine eiuſdem glorificatione. Nam ſi apicula, inſectum admodum paruum & imbecille, poteſt ex venenata herba elicere ſuauiſſimum ſuccum, humanis vſibus accommodatum, cur Deus maximus & potentiſſimus materiam ſuæ gloriæ ex hominum malefactis deſumere non poterit? Dùm ergo paritur magicas impoſturas, prædicatur propter diuitias tolerantiæ ſuæ, qua inuitat peruerſos ad pœnitentiam; ad Roman. 2. 4. Dùm ſuperbos & impios Tyrannos punit, potentia ipſius celebratur, ad Roman. 9. 17. Dùm oppreſſos liberat, prædicatur ipſius iuſtitia. Ibidem. Dùm pœnitentes in gratiam recipit, laudes miſericordiæ ipſius cum gaudio canuntur in cœlo, Luc. 15. 7. Denique dùm omnia ſiue bona ſiue mala in ſuam gloriam conuertit, ſapientiæ ipſius prædicatio eſt. Hoc ſtante fundamento, notandæ ſunt quatuor huius diuinæ permiſſionis cauſæ, quas primùm ſingulas nominibus memoriæ cauſa notabimus. Deinde eaſdem ordine declarabimus.

De Dei permiſſione:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Diuinæ permiſſionis cauſæ quatuor.

Nomina quibus notantur permiſſionis cauſæ, hæc ſunt. Signum, præmonitio, pœna, probatio. Declaratio ſequitur.

1. Signũ.

Signum primum locum occupat. Sunt enim impoſturæ iſtæ magicæ, vbi paulatim creſcunt & in vſum veniunt, ſignum certiſſimum factæ defectionis plurimorum à puritate Euangelij, & à vero nominis diuini cultu. Nam vt liuidus faciei color, langueſcentium virium corporis ſignum eſt: Ita ſuperſtitio quæuis & præſertim magica, minimè fallax indicium eſt animi langueſcentis, & deficientis à Deo, in quo ſolo virtus animi reſidet. Hoc quàm verùm ſit non ſolùm hiſtoriæ omnium temporum teſtantur, verumetiam hic dies ſatis euidens teſtimonium præbet. Cùm primùm ante annos plus minus 40. doctrina Euangelij cœpit in hoc regno per pios miniſtros Dei repurgari & à tenebris pontificiis vindicari, ceſſauêre omnes iſtæ Diabolicæ impoſturæ. Lucente etenim Euangelij clariſſima luce tenebræ ſuperſtitionum euanuerunt. Siquidem lux illa magna verbi cœleſtis, fulgore ſuo omnes ſuperſtitiones diſpulit & diſcuſſit, non ſecus atque ſol oriens in horizonte noſtro, tenebras noctis depellit. Verùm poſtquam homines paulatim cœpêre, vt fit, Euangelium faſtidire, rediêre ſenſim ſuperſtitiones, tanquam tenebræ ſuccedentes in locum lucis Euangelicæ. Et planè nobis idem accidit quod olim pleriſque Iudæis. Nam vt illis manna cœleſte in principio optatiſſimum & ſuauiſſimum erat, & omnibus modis ollis carnium Ægyptiarum anteponendum iudicabatur, ſed ſuccedente tempore vile & inſuaue præ ollis carnium AEgyptiarum reputatum eſt: Sic noſtris hominibus cum primùm verbũ Euangelij verè cœleſtis cibus in hoc regno apponebatur accidit. Omnes auidè accurrebant, abiiciebant repentè ſuperſtitiones omnes. Nihil enim ipſis Euangelio nec dulcius, nec carius fuit, ſed, proh dolor! nimis cito iſte feruor incipit langueſcere. Incipiunt homines faſtidire panem illum ſuauiſſimum Euangelij, & cupiunt iterum ſatiari carnibus ſuperſtitionum, quas olim præ nauſea eiecerant, in hoc canes imitantes, qui ad σκύβαλα redeunt, quæ prius euomuerant, Ex quo fit vt ſuperſtitiones multiplices & impoſturæ Diabolicæ, in locum puriſſimi Euangelij, in plurimorum cordibus, ſuccedant. Siquidem Diabolus non immemor ſuarum fraudium antiquarum, non deſinit quotidie affundere caliginem ſuóque more quærit & inuenit ſuæ impoſturæ non inidoneos patronos, id quod qui non videt hodie fieri, is etſi oculis acutum cernere ſibi videtur, mente tamen planè cæcus eſt. Cùm ergo & audimus & videmus augeri quotidie eorum numerum, qui ſe iſtis impoſturis magicis dedunt, ſciamus ſignum certiſſimum obſcurati Euangelij & deficientis fidei, in plurimis hominibus, diuina permiſſione, nobis propoſitum eſſe. Quid quæſo hinc expectandum eſt, niſi extremus veræ religionis interitus, plurimorúmque hominum certiſſima perditio? Nam vt nauis, amiſſo clauo, pellitur vndis, donec fracta ſubmerſáque pereat: Sic amiſſa puritate Euangelij, procellis ſuperſtitionum, quas Diabolus excitat, Eccleſia iactatur, donec multi in præcipitium damnationis ruant, ídque iuſtiſſimo Dei iudicio, quod celebratur à ſanctis Dei Angelis in cœlo. Simus ergò, ſi ſapimus, ſerpentes in cauendis fraudibus Diaboli, & columbæ in tuenda manſuetudine & ſimplicitate fidei.

2. Dei præmonitio.

Secunda cauſa cur Deus permittit vt Diabolus quaſi triumphet in impiis per ſuas magicas impoſturas, eſt clementiſſimi patris paterna præmonitio. vt enim impij iuſtè præſtigiis Diabolicis excæcantur. Ita pij in medio eorum habitantes paternè præmonentur, ne contagione eorum, cum quibus verſantur, polluantur. Eſt etenim boni patris præmonere filios priuſquam in extrema pericula incurrant, ne exemplo malorum fiant deteriores, & vt ſi aliqua labe ex conſuetudine ſunt infecti, reſipiſcant, & ſanentur rurſus, ne cum impiis pereant ipſis ſimiles effecti. De duabus ergò rebus grauiſſimis nos præmonent ſuperſtitiones magicæ, quæ paulatim ſuboriuntur (cum quibus coniungo graſſantium ſcelerum in omnibus ordinibus & ſtatibus impunitatem) videlicet de diuina vindicta & paterna miſericordia. Diuinæ vindictæ impendentis indicium eſt ſubtractio lucis Euangelij, per ſuperſtitiones & graſſantia ſcelera, & ſucceſſio tenebrarum, quas cruciatus æterni corporum & animarum excipient, niſi maturè ſeria pœnitentia anteuertantur. Nàm ſi moram fecerint poſt crebriores admonitiones, primùm quaſi callum quendam animo inducunt. Deinde callus in cancrum erumpit, atque ita, inſtar cancri, animi morbi redduntur incurabiles. Conſuetudo enim, veluti altera natura, facit malum quodammodo neceſſarium & incurabile, quod tamen initio ſanabile fuit. Verè enim dicitur: *Serò medicina paratur, Cum mala per longas cõualuere moras.* *Et non inſcitè à quodam patre dictum eſt, Peccati conſuetudo ſenſus obturat, ne clarè videant: Mentes indurat, ne mala terreant: Corda ineſcat, vt fœda placeant: Vires eneruat, vt victa iaceant.* Et Gregorius ait, *Cùm culpa in vſum venerit, etiam volens animus vix reſiſtit, quia quot vicibus praua frequentationis aſtringitur, quaſi tot vinculis colligatur.* Suborientes proinde impoſturæ magicæ, & alia cum illis coniuncta ſcelera, ſi moram fecerint, obruent tandem Euangelij lucem. Lucis autem Euangelij oppreſſionem excipient triſtiſſimæ tenebræ in mentibus hominum, quales in papatu fuere, vel illis deteriores, ídque iuſtiſſimo Dei iudicio, ingratitudinem mundi punientis.

Miſericordia clementiſſimi Patris eſt, quod hac præmonitione ſignificet ſe velle in gratiam recipere errantes, modò reſipiſcant. Nam cùm Deus homines prorſus ſibi permittit, magnum eſt extremæ perditionis indicium. Ideo autor Epiſtolæ ad Hebræos ait, 12.8. Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes (filij) ſpurij, & non filij eſtis. Huc pertinet quod Petrus ait, 4.17. Iudiciũ à domo Dei incipit. Loquitur autem Petrus de iudicio caſtigationis, ſeu diſciplinæ filiorum Dei in hac vita, non de iudicio condemnationis reproborum. Illud cauſam habet paternam ſtorgam, & finem emendationem ſalutémque piorum, qui paternam caſtigationem non contemnunt. Hoc habet cauſam iuſtam iram iudicis, & finem reprobationem & damnationem infidelium, niſi ante mortem reſipiſcant. Nam nulli viuentium clauditur reditus ad gratiam, niſi volenti.

3. Iudiciaria pœna.

Tertia cauſa huius permiſſionis, qua Deus permittit Satanam ſuis artibus multos pertrahere in ſua caſtra, eſt iudiciaria pœna, qua Deus non vt Pater, ſed vt iuſtus Iudex punit eos qui nolunt credere Euangelij veritati. De hac pœna loquitur Paulus ad Roman. 1.25. Quia noluerunt colere creatorem, dedit eos in reprobam mentem vt facerent non conuenientia. Et 2. Theſſal. 2.10. Iis, qui credere noluerunt veritati, dedit Deus illuſionem erroris, vt credant mendacio. Eſt autem mendacium hoc loco, cùm omnis abuſus verbi Dei contra ipſius voluntatem, tùm omnium Diabolorum & hominum inuenta,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

uenta, quibus impietas & ſuperſtitio fouetur & propagatur in Mundo.

Duplex.

Porrò hæc pœna iudiciaria in hac vita duplex eſt, videlicet Spiritualis & corporalis. Illa re, hæc ſenſu grauior eſt. Spiritualis pœna præcipua eſt opinio ſapientiæ, quam homines politici, magnum vitę ornamentum eſſe putant. Nam cùm homines traduntur diuina permiſſione, eáque iuſtiſſima in reprobam mentem, etſi exiſtimant ſe præ omnibus ſapere, tamen virtutes vitiorum, & vitia virtutum laruis tegunt. Ex quo fit, vt probent improbanda, & improbent probãda. De hac opinione ſapientię ſic loquitur Paulus ad Rom. 1.22. φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Hãc opinionem ſapientiæ, quæ mera cæcitas eſt, excipit cordis induratio: cum qua coniuncta eſt ἀπαλγησία, omnísque generis improbitas, ac tandem in mortis agone, conſcientia, quæ prius ſopita iacuit, excitato, deſperatio ſuccedit: quam multi tamen oppreſſi, ira iuſtiſſimi iudicis diſſimulant, ne poſt mortem reproborum numero ab iis qui ſuperſunt putentur aſcripti. Nihil enim verius eſt, quam Auguſtini dictum, *Sera pœnitentia rarò vera.* Huius rei indicium eſſe poteſt, quod inter multos tyrannos, cum moriuntur, pauciſſimi inueniantur, qui mandant reſtitui, quę per iniuriã poſſederunt, quod profectò facerent, ſi ſeria eſſet illorum pœnitentia. Zachæus, vt eſt Luc. 19.8. veræ pœnitentiæ teſtimonium edidit, cum dixit ad Dominũ, Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, etſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Hinc natum eſt illud dictum, Peccatum non remittitur, niſi ablatum reſtituatur. Quod dictum vnam tantum exceptionem habet, videlicet impoſſibilitatem. Nam ſi inopia impedit, quo minus poſſit reſtitui, animus volentis, & ſeriò reſipiſcentis acceptus eſt Deo, vt Latronis, qui in cruce pœnitentiam egit. Extremus dies omnia occulta reuelabit, diſcernétque inter fictam & veram pœnitentiam.

Corporalis.

Corporalis pœna varia eſt, per bella, per oppreſſiones tyrannicas, per noua grauamina, per peſtem, alióſque morbos infinitos. Sed quis plagas, quæ diuinitus inferuntur propter idololatriam, & ſuperſtitiones magicas, enumerare poteſt?

4 Probatio fidei.

Sequitur quarta cauſa permiſſionis diuinæ, quæ eſt probatio fidei, cum qua ſemper coniuncta eſt obedientia erga Deum.

Probatio fidei, quæ permiſſione diuina fit, habet cauſas nunc internas, nunc externas. Internæ ſunt multiplices, vt dubitationes ſubinde oriẽtes in animis hominum de prouidentia Dei, de promiſſionibus & comminationibus diuinis. Item dialogiſmi & φρονήματα carnis, conſcientiæ trepidatio, deſperatio &c. Externę cauſæ ſunt innumerabiles, inter quas ſunt doctrinæ Dæmoniorum, quibus omnes magicæ artes ſubiiciuntur, item corruptelæ in doctrina, hæreſes, ſchiſmata, diſſidia doctorum in Eccleſia, perfidia fratrum, impunitas ſcelerum graſſantium, proſper impiorum ſucceſſus, vt Turcarum, Papiſtarum, & aliorum multorum Tyrannorum perſequentium Eccleſiam, paucitas credentium, deformitas & oppreſſio Eccleſiæ, defectio plurimorum à fide. Sed quis poteſt omnia enumerare,

De probatione fidei, quæ fit per magicas impoſturas, loquitur Auguſtinus, cùm ait: *Nec mirum eſt quod hoc permittit Deus, vt illi qui hoc audiunt & vidẽt, probentur qua fide ſunt apud Deum.* Hanc ſuam ſententiam confirmat Auguſtinus lege Dei, quæ eſt Deuteron. 13.1. Si ſurrexerit in medio tui Propheta, aut qui ſomnium ſe dicat vidiſſe, (Hîc vna ſpecie omnes vanitatis artes comprehendit) & prædixerit ſignum & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi, eamus & ſequamur Deos alienos, non audies verba eius, quia tentat vos Deus, vt palàm fiat vtrum diligatis Deũ, an non. Hac Dei lege primùm docemur, quòd non ex euentu; ſed ex regula voluntatis Dei de faciendis & cauendis iudicandum ſit. Secundò docemur, quod fidere diuinationibus magicis & diligere Deum ita repugnent, vt in eodem eſſe non poſſint. Qui vidit diuinationibus magicis, quibus vniuerſum genus intelligitur Deum non diligit, & cõtrà, qui Deum diligit abominatur prohibitas à Deo vanitates. Ratio huius eſt. Qui Deum diligit non ſimulatè, is Deo ſoli viua fiducia adhæret, amore illi iungitur, in omnibus illi parere promptus eſt, imperata facit, prohibita & damnata à Deo cauet, hoſtibus eius aduerſatur. Breuiter, ipſum timet, & ab eo ſolo expectat ſalutem, bona corporis & animæ, iuxta eius verbum & ordinem ab illo conſtitutum. Hæc omnia ita coniuncta ſunt, vt à dilectione Dei ſeparari non poſſint. Sunt enim eius eſſentiales proprietates. Quicunque ergo putant ſe ſimul & Deum diligere poſſe, & fidere magorum impoſturis, miſerè falluntur, ſalute & gratia Dei excidunt. Tertiò docemur hac lege, cur Deus permittat, vt tales impoſtores in mundo ſurgant, & in externo etiam cœtu Eccleſiæ inueniantur, nimirũ vt tentet nos Deus, quo palàm fiat vtrum diligamus eum an non. Tentatio ergo hæc probationis eſt, qua videlicet fidei & obedientiæ noſtræ conſtantia probetur. Ita enim habetur Deut. 8.2. Tentauit te Dominus, vt ſcires quid haberes in corde tuo, vtrum obſeruaturus eſſes præcepta eius an non. Vt ergo olim Deus populum ſuum 40. annis variis modis tentauit in deſerto, vt palàm fieret, quæ eſſet fides & obedientia populi erga Deum, ita quoque hodie multa permittit fieri mala in Eccleſia, inter quæ non infimum locum maleficæ artes occupant, quibus non tentat, an ſinceri eius ſimus cultores nécne. Tentatio ergo, qua Deus nos probat, vt cauſam habet charitatem, qua Deus nos complectitur: Ita finis eius eſt noſtri ad bonum inſtructio. Contrà verò Diabolus hominẽ tẽtat ex odio, vt ipſum à Deo optimo abductũ perdat. Ideo tentatio Diaboli rectè ſeductionis dicitur, vt Dei probationis. Differunt ergo tentatio Dei & Diaboli cauſſis & finibus, quemadmodum indicauimus. Vt enim Deus ſemper ſalutem quærit hominum: Ita Diabolus eorundem perditionem. Hoc enim ſolùm Satan quærit, hoc ab initio quæſiuit, & in finem vſque quæret, vt fidem promiſſionum & metum comminationum diuinarũ hominibus excutiat, quo eos æternarum pœnarum ſocios habeat. Tanta eſt eius nequitia, tantáque perdendi homines ad imaginem Dei conditos, libido. Vulgo dicitur, *Felix quem faciunt aliena pericula cautum.* Si ergo felices eſſe volumus, abiectione plurimarum gentium ſapiamus, ne Satanæ cum ſuis impoſturis, quas Deus permittit probandæ fidei noſtræ cauſa, locum faciamus. Cùm ergo vel videmus vel audimus Diabolum in hoc mundo ſuis fallacijs tanquam pedicis quibuſdam alligatos tenere multos, non tentemus Deum, non negemus ipſius veritatem & potentiam, non corrigamus ipſius verbum & ordinationem, non ſimus carnaliter ſecuri in proſperis, non deſperemus in calamitatibus, ſed retineamus fidem & bonam conſcientiam, confugiamus ad preces, petamus nos diuinitus liberari à Diaboli inſidiis, inſtar leonis rugientis & circumeuntis & quærentis quem deuoret, qui tamen plus non poteſt quam illi à ſapientiſſimo, optimo & potentiſſimo Deo permittitur. Quod ex eo apparet, quòd ne Cyniphes qui-

Legis Dei conſideratio.

Cur Deus tolerat Magos.

De Tentatione Dei & Diaboli.

Admonitio ad pios omnes.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dem ſuis incantationibus magi Pharaonis facere potuerint, vnde coacti ſunt dicere Pharaoni: digitus Dei eſt hîc. Ex quo intelligi datur, vt Auguſtinus teſtatur lib. 3. de trinitate, cap. 7. *Ne ipſos quidem tranſgreſſores Angelos, & aereas poteſtates, in imam iſtam caliginem, tanquam in ſuis generis carcerem, ab illius ſublimis athereæ puritatis habitatione detruſas, per quas magicæ artes poſſunt, quicquid poſſunt, valere aliquid, niſi data deſuper poteſtate. Datur autem, vel ad fallendos fallaces, ſicuti in Ægyptios, & in ipſos etiam magos data eſt, vt in eorum ſpirituum ſeductione viderentur admirandi, à quibus fiebant à Dei veritate damnandi, vel ad admonendos fideles, ne tale aliquid facere pro magno deſiderēt, propter quod etiam ſcripturæ autoritate ſunt prodita, vel ad exercendam, probandam, manifeſtandámque iuſtorum patientiam. Neque enim parua viſibilium miraculorum potentia. Iob cuncta quæ habebat amiſit & filios, & ipſam corporis ſanitatem. Nec ideo putandum eſt iſtis tranſgreſſoribus Angelis ad nutum ſeruire hanc viſibilium rerum materiam, ſed Deo potius à quo hæc poteſtas datur, quantum in ſublimi & ſpirituali ſede incommunicabilis iudicat. Nam & damnatis iniquis, etiam in metallis, ſeruiūt aqua & ignis & terra, vt faciant inde quod volunt, ſed quantum ſinitur.* Hæc Auguſtinus.

Poteſtas cur dæmonibus conceſſa.

Dei permiſſio pugnat cū eius prouidentia.

Ex his concludimus etiam quod illa permiſſio non pugnet cum prouidentia Dei, qua ipſe omnia ſua moderatur ſapientia in ſuam gloriam. Non enim temerè permittit iſta fieri, tanquam non curaret humana, vt Epicurei opinantur, ſed habet ſuæ permiſſionis cauſas iuſtiſſimas, quæ ad ipſius gloriam manifeſtandam hominibus faciant. Has proinde quatuor cauſſas permiſſionis diuinæ, quas recitauimus, cum quæſtionibus ſuprà à nobis deciſis, optarem diligenter inculcari hominibus præſertim hoc tempore periculoſo, quo pedetentim irrepere magicas tenebras; ad obſcurandam Euangelij lucem, cernimus.

GENERA MAGICÆ *ſuperſtitionis.*

Scopus huius tractationis.

ETſi autem genera magicæ Superſtitionis plurima numerantur à multis, quę ignorare laudabilius quam ſcire iudico: tamen vt vanitatem magicam magis deteſtemur, caueamúſque ſtudioſius, ne laqueis Diaboli inuoluamur, ea tantum genera, quæ ſupra, ex 18. Cap. Deut. recitauimus, definitionibus & Exemplis declarabimus, quemadmodum antea promiſimus. Sunt autem hæc genera, Diuinatio, Pręſtigium, Augurium, Maleficium, Incantatio, Interrogatiò Pythonis, Magia ſpecialis, & Necromantia. Huc omnia alia, quocunque appellantur nomine referantur.

DE DIVINATIONE *Magica.*

Eius origo.

SIcut Prophetarum in Eccleſia prædictiones à Deo fuerunt: (Nam ſancti Dei homines acti ſpiritu Dei locuti ſunt, vt Petrus teſtatur, 1. 1. 21.) Sic diuinatio magica à Diabolo eſt. Diabolus enim inſtar ſimiæ Deum imitari conatur, præterita (ſed occulta) reuelando, & futura prædicendo. Quod quidem facit Diabolus, nō vt proſit, ſed vt obſit hominibus.

Finis.

An Diaboli verè futura pręſciant nécne.

Verùm priuſquam de diuinatione magica dicamus, quæſtio diluenda eſt, Num Diaboli verè futura præſciant nécne? cum videatur proprium Dei eſſe futura pręuidere & præſcire. Reſpondeo, maximum diſcrimen eſſe inter præſcientiam Dei & præſcientiam malignorum ſpirituum. Deus præſcit omnia in ſuo conſilio æterno, & omnia futura videt tanquam præſentia. Diaboli verò aliis modis variis & præcipuè quinque futura pręſciunt.

Primò, Diaboli ea præſciunt & prænunciant interrogati à magis, & quæ ipſimet perficere moliuntur, & quæ, vt fiant, per homines procurabunt. Permittit enim Deus impuris ſpiritibus, ídque iuſto ſuo iudicio, vt aërem, aquam, terram, fruges, cibum, potum inficiant, vnde morbi, peſtes, annonæ caritas, aliáque ſequuntur incommoda. Præterea, quæ malis hominibus, quos iam norunt ſibi addictos ſuggerere atque perſuadere volunt, vt diſſidia, lites moueant, eoſdem ad cædes, ad bellum inflammabunt, prænunciare poſſunt. Talia igitur, quandoquidem ipſa procurare Diaboli ſatagunt, mirum non eſt ſi ea alicubi euentura prædicant, cum & homines quæ ipſi facere decreuerunt, aliis non difficulter prædicunt.

Secundò, haud rarò ea prænunciant Diaboli euentura, quorum cauſas naturales paratas vident. Secundò. Poſitis námque cauſis naturalibus, ferè ſemper ſequuntur effectus. Non ergo mirum eſt, ſi Diaboli talia, interrogati à magis, prænunciant, cum & medici & agricolæ ſæpenumero quædam ex certis cauſis ſequutura præuident. An non in animalib. brutis, occulta quædam vis conſiderari poteſt, vnde homines ex moribus eorum & actionibus pluuias, tempeſtatē, & multa alia euentura præſciunt. Cùm igitur maligni ſpiritus naturalium cauſſarum & effectuum diligentiſſimi ſunt obſeruatores, & longiſſima temporis experientia ſunt edocti, procul omni dubio poſſunt de omnibus huiuſmodi certiſſimè pronunciare. Quid mirum eſt igitur, ſi de his effectibus, qui naturalium cauſſarum virtute eueniunt, frequenter ad votum magorum vaticinia edant?

Tertiò, Dæmones ſcire poſſunt ea, quæ iam alicubi vel in remotiſſimis locis parata ſunt, vel fieri incipiunt. Tertiò. Nam cùm ſint ſumma acrimonia ſenſus, & incomparabili celeritate motus prędıti, perfacilè eſt ipſis & citiſſimè ſentire, quę prę manibus ſunt, & celerrimè quouis penetrare, & quæcunque hinc inde fiunt explorare, explorata quocunque libuerit perferre poſſint. Quæcunque ergo in alio loco vel remotiſſimè diſſito, parata vel inchoata ſunt, myſtis ſuis, hoc eſt, magis aperiunt. Hi rurſus populo patefaciunt, & futura prænunciant, vt vates habeantur, & prædicentur diuini. Quo magis idonei ad decipiendos homines efficiantur. Nam cùm eius loci homines, vbi vaticinium editur poſt aliquantum tempus deprehendunt euentum vaticinio reſpondere, eos qui hoc prædixerunt diuino ſpiritu locutos eſſe exiſtimant, cóſque tanquam legatos Dei ſuſpiciunt, admirantur, colunt: illíſque fidem in aliis quoque rebus adhibent, vnde omnes ſuperſtitiones, cùm religioſę, tùm magicæ, originem traxerunt.

Neque tamen ſentiendum eſt, quòd acrimonia ſenſus, cogitationes & affectus hominum intimos percipiant dæmones. Scriptum eſt enim, Ego Dominus ſcrutans corda & probans renes: & in ſcriptura ſæpe prædicatur Deus καρδιογνώστης. Sed ſigna ſolummodo, & voces, & ſermones, & geſtus corporum, quibus mentis cogitata & affectus intimi aliquo modo indicantur, obſeruant, atque ex his aliiſque concurrentibus indiciis, coniecturas faciunt.

Cogitationes & affectus cordis non norunt dæmones.

Quartò, nunciant interdum futura Dæmones, Quartò. quę alicubi à ſancto aliquo Propheta, vel bono quopiam Angelo prædicta eſſe acceperunt: nequaquam tamen

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tamen vulgò nota, aut apud alios euulgata. Atque ita quod aliorum eſt, pro ſuo fallaciter vendicant, & oſtentant, indéque ſibi laudem & gloriam aucupantur, dum ſuis miniſtris ea patefaciunt, vt in admiratione vulgo habeantur, quo decipiant efficacius. Auguſtinus ſcribit *Dæmones ſui cultus ruinam prædixiſſe, idque vt & ſuam diuinitatem hominibus commendarent, & culpam hominibus defectoribus tribuerent.*

Quintũ.

Quintò, Dæmones ſæpenumero prædicere futura audent, etiamſi nec certi quicquam, nec coniecturas habeant, ex quo fit, vt haud raro turpiter fallantur. Atque hoc faciunt Dæmones, non ſolùm quando interponi poſſunt impedimenta, quibus imputabitur, quod ſucceſſus non reſponderit: verumetiam, quando eos quibus conſulunt fallere & perdere ſtudioſè volunt. Auguſtinus ait: *Fallunt ſæpe ſtudio fallendi, & inuida voluntate, qua hominum errore lætantur, ſed ne apud cultores ſuos pondus autoritatis amittant, id agunt, vt interpretibus ſuis ſignorúmque ſuorum coniectoribus culpa tribuatur, quando vel decepti fuerint vel mentiti.* Huc pertinent illa obliqua, & tortuoſa reſponſa Dæmonum, qualia Delphis & aliis reddita ſunt. Crœſus rex Lydorum ambiens regnum Perſarum, mittit legatos cum ampliſſimis muneribus Delphos interrogatum, num Crœſus aduerſus Perſas expeditionem faceret: qui hoc reſponſum retulerunt, *Si Crœſus arma Perſis inferat, magnum imperium euertet.* Hoc audito reſponſo ita elato animo factus eſt Crœſus, vt omnino conciperet ſpem ſe euerſurum regnum Cyri. Sed huic ſpei non reſpondet euentus, euertit quidem regnum magnũ, non Cyri, ſed ſuum ipſius. Atque ita ambiguitate oraculi deceptus eſt, & culpa non vati, ſed eius interpreti eſt tributa. Huic non eſt diſſimile quod Pyrrho reſponſum eſt: *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.* Quod reſponſum, & de victoria Pyrrhi, & de victoria Romanorum accipi poteſt. Huiuſmodi ambiguis & tortuoſis reſponſis vtuntur Dæmones duabus de cauſſis. Nunc quia non poſſunt prædicere vera cum futura omnia ſint in manu Dei. Nunc ſtudio fallendi. Nulla enim re magis delectantur Dæmones, quam fallacia, qua homines à Deo abducant & perdant. His ita expoſitis de diuinatione magica dicamus.

Ambigua dæmonũ oracula.

Cur ſic ludant ambiguis vocibus.

Diuinationis magicæ deſcriptio.

Diuinatio magica eſt, quæ ſine reuelatione diuina, & abſque cauſſis naturalibus, vel occulta indagat, vel futura inueſtigat, precaminibus conceptis, & certis ceremoniis adhibitis. Sine reuelatione diuina dico, vt diſcernam inter Sanctorum & Prophetarum prędictiones (quarum vt cauſa eſt ſpiritus Chriſti in Prophetis, ita finis emendatio, & ſalus hominum, gloriáque Dei) & prædictiones magicas, quarum autor eſt Diabolus, & finis interitus hominum & nominis Dei ſacrilega prophanatio. Prætera abſque cauſis naturalibus addo, ne videar improbare Aſtrologiam, ab omnibus, (donec manſerit intra ſuos limites) meritò laudandam. Hæc enim alia colligit neceſſariò, alia probabiliter. Neceſſariò colligit, quando ex neceſſariis cauſis neceſſarios effectus concludit, vt cum eclipſes Solis & Lunę neceſſariò futuras colligit. Huiuſmodi concluſio ideo neceſſaria eſt, quia ex ordine diuino, ſeu ex Phyſica neceſſitate pendet, vnde demonſtratio ipſa ſumitur. Probabiliter colligit, cùm ex probabilibus coniecturis concludit, id eſt, quando ex cauſis particularibus, quæ ab aliis occultis cauſſis interdum impediri poſſunt, colligit effectus futuros qui ſæpe quidem, etſi non ſemper, eueniunt. Huc prædictiones tempeſtatum, pluuiarum, ſiccitatis, ventorum nunc hinc, nunc illinc ſpirantium: item morborum ἐπιδημιῶν, &c. Experientia quoque hominum, qui non ſunt artifices, multa obſeruata ſunt & vt plurimum eueniunt. Ex pareliis, à terra remota, conſueto magis apparente, nautæ diuinant tempeſtates. Huc etiam pertinent coniecturæ Medicorum & Agricolarum, qui ex ſignis aliquid euenturum prænunciant ſine ſuperſtitione. Matth. 16. 2. Dominus ait, Facto veſpere dicitis, ſerenum erit, rubicundum eſt enim cœlum. Et manè, hodie tempeſtates, rubeſcit enim triſte cœlum. Multa quoq; ſigna obſeruata ſunt, ex quibus non ineptè colligunt effecta analoga (de diuinis ſignis hîc nihil dico, quæ ſe autoritate diuina tuentur, vt cùm Dominus dicit, Erunt ſigna in Sole & Luna, &c.) Ex auium quoque geſtibus obſeruatas coniecturas de pluuiis & ſiccitatibus non improbamus. Multi ex affectionibus corporum, in quorum numero ego ſum, tempeſtates prædicere poſſunt, & vix falluntur. Nec mirum eſt in μικροκόσμῳ indicia quædam impreſſa eſſe eorum quæ in hoc vaſto mundo eueniunt. Doctor Petrus Palladius, laudatiſſimæ memoriæ, olim Epiſcopus Sielandiæ vigilantiſſimus, & Profeſſor Theologiæ in hac Academia celeberrimus, ex multorum annorum obſeruatione, potuit ex loco corporis affecto prędicere ex qua plaga cœli tempeſtates erant venturæ & raro fallebatur. Nec phyſiognomica damnamus, quæ inclinationes ad vitia & virtutes notant. Hæc cùm non ſit neceſſaria, poſſunt vicioſę inclinationes corrigi, vt de Socrate legimus, & bonæ impediri acceſſorio malo. Sed felix ille eſt, & verè fortunatus, qui timet Dominum, & miſer qui non timet, qualemcunq; habeat horoſcopum & phyſiognomiam, etiamſi in ſinu fortunæ geſtetur ac ludat.

Cõiecturę ſeu prędictiones prudentũ Medicorũ, Agricolarum.

Prędictiones ex affectionibus corporũ.

Definitione diuinationis ita expoſita & declarata, eius modos videamus. Fit enim magica diuinatio multis modis, vt per ſomnia, per ſortes, per ſigna, per reſponſa. His quatuor modis multæ ſpecies ſubiiciuntur. Sed nos breuiter modos enumeratos exponemus, & ſpecies quaſdam indicabimus, idque eo conſilio, vt appareat quomodo Diabolus omnes ferè creaturas Dei ſuis polluat fœtoribus, nec à prophanis nec à ſacris abſtinens, vt homines in mortem & damnationem præcipitet.

Modi quatuor diuinationũ.

Primus ergo modus diuinationis magicæ fit per ſomnia. Hîc diſtinguenda ſunt ſomniorum genera, vt quæ magica vocamus ſeparentur ab aliis. Sumamus autem diſtinctionem à cauſſis efficientibus, vt alia ſint ſomnia, Θεόπεμπτα, alia Phyſica, alia fortuita, alia Diabolica.

1. Per ſomnia.

Θεόπεμπτα, id eſt, diuinitus inſpirata ſomnia ſunt, cùm Deus in ſomnis euenturum aliquid apertè, vel non euenturum, faciendum vel deuitandum denunciat. Et ſæpe figuris quibuſdam tegitur. Huius generis fuêre ſomnia Ioſeph de manipulis & ſtellis. Item Prophetarum, quibus Dominus per ſomnia locutus eſt. Huc pertinet illud Prophetæ Ioel 2. 28. Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem & iuuenes viſiones videbunt, & Senes ſomnia ſomniabunt. His affine eſt ſomnium, cùm in ſomno quid per diem ſibi euenturum ſit præſagiat mens hominis.

Diuinitus inſpirata.

Phyſica ſomnia ſeu naturalia, ſunt, quorum cauſſa eſt in ipſa hominis natura. Sunt enim ſomnia interiores animi actus in ſpiritibus cerebri, corpore à ſomno occupato. Dormiente enim corpore non conſopitur animus. Hæc autem Phyſica ſomnia pro humorum vaporúmque differentia variant, cuius

Naturalia.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ratio hæc eſt, vt Lodouicus Viues ſcribit: Spiritus à corde veluti à fonte ſuppeditantur capiti, itáque & illorum ſpirituum, & vaporum, vnde ſpiritus tenuantur, qualitatem ſæpenumero referunt ſomnia, eorum potiſſimum qui in ea via occurrunt ſpiritui aſcendenti, nempe in gutture aut pectore, aut quo alio loco, cúmque halitus craſſi ſenſorium commune per quietem occupent, non poteſt id de ſenſibus rectè iudicare, nec de ſenſuum actionibus, eóque cum quid ineſt in gutture humidæ pituitæ, viſa obuerſantur de aqua: Cũ quid ſanguinis, de ſanguine: Si atræ bilis, de rebus triſtibus: Sin flauæ, rixis & litibus. Hinc fit quod alia vident ſanguinei, alia cholerici, alia phlegmatici, alia melancholici. Vnde cum in morbis humores perturbantur, viſa fiunt ſæpe iuxta prædominantium humorum qualitates. Quia ergo ſomnia ſunt ſigna humorum vaporúmque tanquam effectus ſuarum cauſſarum, medici illis admonentur, & interdum coniecturas vel de morte, vel de vita ægrotorum capiunt.

Fortuita.

Fortuita ſomnia voco, quæ ex quauis occaſione cauſſam habent, id quod Salomon Eccleſ.5.2. indicat, cum ait, Somnium ex multitudine occupationis fit. Et Syracides, cap.34.3. Spectrum ſomniorum ex imagine rei alicuius exiſtit, ſicut ex facie aduerſa faciei ſimulacrum. Nam quemadmodum in corpore perſpicuo ac pellucido, vt in aqua ac ſpeculo, imagines referuntur eorum, quæ è regione collocantur, vt conſimilis vultus forma figuráque in ſpeculo reddatur, ex obiectu aſpectuque vultus contrà poſiti: Ita in ſomniis phantaſia, imaginatióque informat intellectui, ea quæ in ſenſus externos ſolent incurrere. Huc illud, *Mens humana quod optat dum vigilat ſperat, per ſomnum cernit idipſum.* Vt piſcator auarus, apud Theocritum, aureum ſomniat piſcem. Studioſus, quæ diurno tempore vigilans exercuit, nocturno ſomnia videt. Atque ſæpe ea quæ vigilans intelligere non potuit, dormiens deprehendit. Anima enim ſuis miniſtris ſenſibus ſoporatis ſpeculans, ſibi ſoli rimatur arcana, quibus maiori deſiderio flagrat, diſcítque ſomno, prius ſæpe negata. Aliquis diurno tempore ſæpe multa diuerſa videt, eáque mente concepit ſeparatim. Hinc conceptus mixti in arca memoriæ reſeruati, inter ſe pugnant, quos quia phantaſia diſcernere nequit, quiddam ex multis conceptibus conflatum & in vnum redactum naſcitur. Atque ita, *Turpiter atrum deſinit in piſcem mulier formoſa supernè.* Qui ergo noctu ſomniat, ea quæ ſuperioribus diebus vel oculis viderit, vel anima agitauerit, in memoriam reuocet, videátque num inde monſtroſum illud ſomnij conflatum ſit.

Diabolica, triplicis generis.

Diabolicorum ſomniorũ triplex genus eſt. Primum cùm Diabolus ingerit aliquid dormientibus immediatè ſine pacto intercedente: Secundùm, cùm Diabolus ad vota illorum qui pacti ſunt cum illo, aliquid dormientibus reuelat. Tertium, cùm magi ſua arte faciunt, vt homines ſomnient quod ipſi volunt. Hæc omnia quia à Diabolo proficiſcuntur pernicioſa & mala ſunt, quare illis nullo pacto credendum eſt: etiamſi haud raro reſpondeat euentus. Nam horum finis, qualemcunque externam ſpeciem habent, ſemper malus eſt, quare à finibus ſunt iudicanda.

Regula de ſomniis diabolicis.

De primo genere teneatur hæc regula. Si ſomniũ ad aliquid faciendum, quod eſt lege Dei prohibitũ ſuadet, abſque omni dubio Diabolicum eſt, ideóque meritò fugiendum, non ſecus atque vox Satanæ, qui primos noſtros parentes decepit. Huius generis ſomniis multi decepti ſunt, quorum quædam exempla ſubiicimus.

Exemplum.

Auguſtinus lib.4. capite 26. de ciuitate Dei pulchrum exemplum adducit. Dicit quendam ruſticum Romanum fuiſſe, Titum Latinum nomine, cui mandatum eſt in ſomno in ſenatum nunciare, vt ludi ſcenici inſtaurentur, qui cum poſtera die iuſſa facere non eſſet auſus, ſecunda nocte ſeuerius imperatum eſt, & amiſit filium, qui imperata non fecit. Tertia nocte idem imperatum eſt, qui cum non obtemperaret, incidit in morbum acrem & horribilem. Titus ergo ex amicorum conſilio ad magiſtratum rem detulit, atque in lectica allatus eſt in ſenatum, expoſitóque ſomnio, & recepta valetudine, pedibus ſuis ſanus abſceſſit. Tanto ſtupefactus ſenatus miraculo, quadruplicata pecunia ludos cenſuit inſtaurari.

Aliud exemplum.

Refertur de quodam milite qui deperibat quandam honeſtam fœminam, cuius pudicitiæ quotidie variis blanditiis inſidiabatur. Cum autem voti compos fieri non poſſet, reluctante pudica fœmina, litabat Diabolo, vt is ſibi in hac re auxilio eſſet. Diabolus ergo quadam nocte dormienti offert ſomnium quod fœmina illa, quam perditè amabat, ad ſe veniret, ſpontè ingrederetur lectum, atque eum amplexa ſit. Ille viciſſim, occaſionem optatam nactus, ſatisfacit ſuæ libidini, ſed manè euigilans iacet deportatus à Satana in turpiſſimo cœno, extra vrbem, amplectens & oſculans cadauer aſini fœdiſſimi: vt turpiora taceam. Hoc ſpectaculum haud dubiè iucundum fuit Diabolo, & dignum tali amore. Et profectò mirandum eſt milites adeo gnauiter militare Satanæ poſt tantam ignominiam homini ſui ordinis factam. Sed quid non facit auri ſacra fames?

Tertium.

Narratur de quodam (cui ſæpe apparuerunt Diaboli, quos ipſe putabat Dei angelos eſſe) qui ſomniauit ſe audire Chriſtum clara voce mandantem, vt ſe in puteum proiiceret. Obtemperat miſer ſomnio, & ſe in puteum proiicit. Nec dubium eſt multos qui ſibi ipſis manus adferunt, huiuſmodi ſomniis deludi.

Quartum.

Iohannes Papa ſomniauit, per miſſas defunctorum animas à purgatorio liberari, & ſe audiuiſſe Dæmones plangentes & lugentes dum per Miſſas & exequias funerales eriperentur ſibi animæ. Ex hoc ſomnio nata eſt abominatio oblationis in Miſſa Papiſtica, pro viuis & mortuis.

Quintum.

Birgitta illa Suetica multa ſomnia de Beata virgine inuocanda habuit: Vnde confirmabatur in Idololatria. Huiuſmodi ſomnia ex Diabolo fuiſſe ex fine facilè dignoſcitur.

Regula de 2. genere ſomniorum diabolicorum.

De ſecundo genere hæc ſit regula: Qui petit futurorum reuelationem à Diabolo in ſomno, Diaboli miniſter eſt, & qui credit ſomniatori, Deo renunciat, fidem abiicit, & ſe Satanæ ſubiicit.

Regula de 3. genere.

De tertio genere, quia dormiens ſcire non poteſt an magica arte ſomnium ſibi obuerſetur néc ne, videat finem, id eſt, ad quid vel hortetur, vel dehortetur ſomnium, caueátque ne quid contra Dei mandata tentet. Breuiter, Iudicium ex prima regula petat. Huius generis ſomnij vnum exemplum notatu digniſſimum aſcribam. Nectanebus Magus olim rex Ægypti in Macedoniam, regnante Philippo, veniens, Philoſophiam profeſſus arte ſua effecit, vt Olympias, vxor Philippi regis Macedonum, ex qua poſtea natus eſt Alexander Magnus, ſomniaret ſe nupturam Ioui Hammoni, & ex eo concepturam filium. Occaſio huius

Exemplum inſigne.

impo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

impoſturæ ſic habet. Nectanebus Magus poſtquam aliquantiſper in Macedonia Philoſophiam (cuius pars Magica tum temporis habebatur) profeſſus eſſet, ob peritiam vaticinandi, vocatur ab Olympiade, vt ipſa ab eo diſcat, quid de ſe ſit tandem futurum. Rumor enim ſparſus erat, quod Philippus rex, Olympiade abiecta, ad alias nuptias animum applicaret. Cùm ergo accerſitus veniſſet Nectanebus, interrogat ipſum regina de rumore, de ſe abiicienda ſparſo, cui ille reſpondens, affirmat rumorem minimè vanum eſſe: ſed addit modum quo periculum euitari poſſit, vt autem fraudi locum faceret impurus Magus, ait ſe, cum adhuc in Ægypto eſſet, oraculum accepiſſe, vt Reginæ alicui viam parata ſibi pericula euadendi monſtraret, & addit, forte tu illa regina es. Illa autem ſpe concepta ex oraculo Magi, quærit quænam ſit illa via. Iupiter, ait, ille Hammon te amat, & cupit tuum amplexum, vt ex eo concipias filium, qui te ab iſto periculo diuortij liberabit. His dictis diſcedit Magus & efficit ſua arte, vt Olympias ſequenti nocte dormiens ſomniet ſe concepturam ex Ioue Hammone, quod etiam ſomnium, eodem tempore Philippo marito qui aberat in bello, eadem arte offertur. Hîc Olympias verbis Magi docta & ſomnio confirmata, maximoperè expetit, vt euentus aliquando ſpei reſpondeat. Vocat ergo ſequenti die Nectanebum Magum Olympias, quærítque ab eo tempus quando expectandus ſit Iouis Hammonis concubitus. Is reſpondens iubet, vt regina thalamum paret, lectum adornet, in quem tantum ſponſum recipiat, & addit fore, vt Hammon veniat in forma Draconis habens caput & cornua capri. Hoc audito, regina terretur dicítque ſe non audere cum tali ſponſo congredi. At Nectanebus: Si, inquit, times, para mihi lectum in tuo thalamo prope tuū, ego efficiam vt ſis extra omne periculum. Fœmina nimis credula (Quod enim volumus, libenter credimus) obtemperat Mago, inſtruit thalamum, adornat lectum quam poſſit pulcherrimè, & pone collocat Mago lectum. Veſperi igitur itur cubitum, regina ornata & vncta in ſuo lecto ſe componit. Nectanebus autem in eo qui propè erat paratus. Egreſſis igitur miniſtris & foribus clauſis, Nectanebus non negligit occaſionem. Præſtigiis ſiquidem effecit magicis, vt non ſine magno totius aulæ motu ipſe apparuerit tanquã draco, capite & cornibus caprinis. Quid hîc Olympias? Exiſtimat Iouem Hammonem eſſe, iuxta prædictionem Magi, recipit eum in lectum, amplectitur nouum ſponſum, concipit, & tandem filium parit, quem Philippus Alexandrum nominat. Atque hanc ob cauſſam vulgo ſparſum eſt quod Alexander fuerit Iouis Hammonis filius, cùm fuerit ex matre adultera, & mago impoſtore natus. Sed impoſtor iſte pœnas ſuæ nequitiæ paucos poſt annos iuſtas dedit. Nam cùm Alexander filius adoleuiſſet, & à Nectanebo mago & Patre elementa artis magicæ didiciſſet, accidit vt ſub noctem ſuo more Magiſter & Diſcipulus exirent, aſcenderéntque in montem quendam præruptum, non procul ab aula, quò cùm veniſſent, Alexander à tergo accedens magiſtrum ſuum ex improuiſo vi impellit in præcipitium, qui adeò ceruicem ad ſaxum illidit, vt mori fuerit ei neceſſe. Cum iam lethali ictu ceruicis afflictus conquereretur, cur hoc Alexander feciſſet, Alexander inſultans iacenti, ait: Conquerendum tibi potius de arte tua eſt, quam es profeſſus, quippe neſcius quid tibi impenderet humi, nunc reſupinus quæ cœli ſunt fruſtrà rimaris, vt qui hoc præcipitium præſcire & præuidere non potueris. Cui Nactanebus: Nulla mortalium contra fatum fuga eſt. Et addit, Cùm adhuc in Ægypto eſſem, præſciui, quod aliquando à proprio filio eſſem interficiendus. Quid, inquit Alexander, meus ne Pater tu es? Hîc cùm Nectanebus Alexandro quomodo fugiſſet ex Ægypto, ex rege philoſophus factus, & quomodo matris ipſius complexu fuiſſet potitus, expoſuiſſet, moritur infelix, nunc apud inferos præmia ſuæ artis reportans. Hoc ſpectaculum iucundiſſimum fuiſſe Satanæ non eſt dubium: qui non vult niſi interitum eorum, qui ſibi ſunt addicti. Timeamus ergo Deum, rogemúſque eum vt à talibus illuſionibus Diabolicis nos clementer tueatur.

Secundus modus diuinationis magicæ fit per ſortes. Vocabulum ſortis variè accipitur. Primò pro parte ſeu portione, quæ alicui cedit; vt in hæreditatibus aut in aliis quibuſuis rebus. Secundò, ſors iuriſconſultis ſignificat τὸ κεφάλαιον vel eorum quæ ſunt à duobus vel pluribus ſociis collata communis negociationis gratia: vel pecuniarum quæ ſunt ad vſuram datæ. Tertiò, notat per metonymiam ſigna ex arbitrio conſortium accepta, quibus vel res inter conſortes diuiduntur; & vocatur vulgo ſors diuiſoria: vel actiones & officia certa attribuuntur perſonis, per ſortes deſignatis: & appellatur ſors conſultoria. Hæ ſortes diuiſoria inquam & conſultoria; ſi excluditur ſuperſtitio, licitæ ſunt & interdum neceſſariæ. Quartò, accipitur ſors pro diuinitatis ſpecie, & vocatur ſors diuinatoria, & interdum ſortilegium. Fit autem hæc ſors multis modis, quorum quidam ludicri & ioculares ſunt ſine ſuperſtitione, quidam magici, & verbo Dei damnati.

II. Per Sortes.

Sortis varia ſignificata.

Sortes licitæ q[illegible]

Sortis diuinatoriæ varij modi.

1. Ludicri ſunt qui ioco & voluptatis gratia tantum fiunt: quibus nihil ſerio tribuitur, vt ſi iubeam vt aliquis librum aperiat, & eligat verſum quotum velit, & ego inde aliquid ei euenturum ioco pronuncio, & ille ioco accipit. Verùm ſi euenerit quod ioco ex ſorte ludicra prædictum eſt, nihil tamen illi ſorti eſt tribuendum, ſed aliis cauſſis. Eraſmus Roterodamus, cui multum familiaris fuit Ioannes Bibliopegus, natione Danus, qui exulabat cum Chriſtierno I I. Olim Rege Daniæ, ſemel ioco iuſſit, vt Bibliopegus cultro aperiret librum Iliados Homeri, & indicaret quotum verſum lateris dextri eligeret. Bibliopegus Eraſmo obtemperat: Librum cultro aperit, nominat quotum verſum eligat. Quo facto Eraſmus ioco prædixit Bibliopegum prædiuitem vxorem ducturum, ſed malam, quam tandem propter improbitatem eſſet deſerturus. Huic prædictioni euentus triſtiſſimus reſpondit, quam tamen aliam cauſſam habuiſſe neceſſe eſt. Sed Diabolus forte hunc euentum procurauit, vt viam ſibi faceret, ad confirmandas huiuſmodi prædictionum vanitates.

Ludicri.

Exemplum.

Sortes Magicæ ſunt; cùm aliquid ſerio fit ab hominibus per ſortes, vt earum euentu conſiderato id quod occultum erat innoteſcat: Ad hoc genus diuinationis multa referunt, vt ſunt: Protractiones punctorum, Taxillorum iactus incantati, Subitus in rem aliquam oculorum intuitus, Occurſus hominis vel beſtiæ, vt leporis ex improuiſo, fortuiti errores. Vt Auguſtus iudicabat mali ominis eſſe, ſi illi ſiniſter calceus dextero pedi induceretur. Huius farinæ eſt; ſi vinum & ſal in principio menſæ effunditur. Illud enim boni, hoc mali ominis eſſe vulgo putatur.

Magici.

Nouimus nobilem & doctum iuuenem; qui ſemel caſu euertit ſalinum, quod aſſidentes mali

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

hominis eſſe dicebant. Suadebant ergo vt iſto die ſibi caueret. Sed quid factum eſt? Eodem die vulnus accepit, ex quo poſt paucos dies mortuus eſt. Hoc homicidium abſque omni dubio procurauit Diabolus, permittente Deo, vt iſta opinio ſuperſtitioſa confirmaretur in animis eorum, qui tum aderant, cum ſalinum eſt euerſum. Nam vt ſæpiſſimè poſt euerſum ſalem ſequuntur læta: Ita poſt effuſionem vini, homicidia & alia flagitia. Quare nihil omnino vel ſalis effuſioni vel vini tribuendum eſt.

Varia Sortis magicæ exempla.

Sunt qui ſtipulas colligunt imparis longitudinis, vnde diuinant breuitatem & longitudinem vitæ. Nam, qui clauſis oculis caſu longiorem accipit, longioris vitæ fore prædicatur quàm qui breuiorem accipit. Sed quid quæſo vanius huiuſmodi prædictione? Huc pertinet, ſi quis aliquid conſtituit agendum cum conditione, quæ nihil ad rem facit. Vt ſi quis proponeret ſe iter aliquod ingreſſurum certo tempore, ſi vetula ſibi portam exeunti non occurreret, quæ ſane conditio, nec cauſſa, nec effectus eſt, nec diuinitus gubernatur: nec ſignum eſt, natura aut ordinatione, cur iter proſperum vel aduerſum eſſet futurum. Sed huiuſmodi ſibi vani homines fingunt, qui ſuperſtitionum nugamentis delectantur. Breuiter, omnis obſeruatio quarumuis notarum, quarum nulla ratio cur ita obſeruentur in natura ſubeſt, huc referetur. Qualia monachi Magiæ non imperiti plurima cumulant, & ſortilegio ſubiiciunt. Nos autem breui hac admonitione contenti ſimus, & diſcernamus ludicras, vtiles, & neceſſarias ſortes, quæ diuinitus gubernantur, iuxta illud: Sortes in ſinum mittuntur, ſed à Domino temperantur. Ab illicitis, & Magicis, ne imperitè omnes ſortes cum quibuſdam damnemus, qui cum audiunt ſortilegium damnari, ſortes in vniuerſum damnatas putant, imperitè ſub genere non diſtributo omnes ſpecies concludentes.

3. Per ſigna.

Tertius modus diuinationis Magicæ fit per ſigna. Hunc modum nonnulli ſortibus ſubiiciunt, ſed ego ideo ſeparatim ſigna pono, vt diſtinctius diſcernam inter ea quæ manifeſta opera Diaboli ſunt, & alia quæ fortunæ & fato ſuperſtitioſè tribuuntur. Signa hoc loco voco, non quæ fabricantur à Magis: vt Characteres, Cruces, Imagines &c. Sed ea, quæ ad precamina & exorciſmos ſiue incantationes Magicorum, in quibuſdam rebus inanimatis ad hoc adhibitis apparent operante Diabolo.

Vide Cõmentariũ D Gaſparis Peuceri de variis diuinationũ generibus.

Huiuſmodi ſigna, ſi apparent in quauis terreſtri materia, ars diuinandi γεωμαντία dicitur. Si in vnguibus Magorum, ὀνυχωμαντία. Sunt enim magi qui interrogati de autoribus facinoris alicuius diuinant ex inſpectione vnguium propriorum, in quibus Diabolus ad vota magorum facit apparere imagines eorum de quibus interrogantur. Item in ferro polito aut lapide, ſimiles imagines ad vota magorum ſæpe apparent. Vulgo ferè notum eſt, quod inquirentes theſauros abſconditos, adhibeant Chryſtallum, in quo ſua arte maligna faciunt, vt appareat puero inſpicienti Chryſtallum locus in quo ſit theſaurus, ſed paucos exiſtimo inde diuites factos eſſe. Si in aqua appareant ſigna, vocatur ὑδρωμαντία. Admiſcent interdum magi cruorem humanum aquæ & incantationibus ſuis efficiunt, vt imagines hominum de quibus interrogantur in aquis appareant, quas oſtendunt interrogantibus. Humanum ſanguinem ideo addunt, quia putant Dæmones delectari ſanguine, quod quidem credo, vt effundatur, non vt conſeruetur. Interdum liquefactum plumbum in aquam mittunt, in quod Diaboli imprimunt imagines eorum de quibus interrogantur. Nonnulli chartulas plures, in quibus nomina ſuſpectorum ſcripta ſunt, incluſas argilla in aquam mittunt, vnde diuinant de rebus ablatis. Si in aëre, aëromantia, ſi in igne, pyromantia. Atque ita Diabolus omnibus elementis Dei ad ſuas impoſturas abutitur. Sed quis poteſt enumerare omnes impoſturas Satanæ, quæ ſub iſtis quatuor generibus continentur? Sed de omnibus hoc Auguſtini dictum teneatur: *Quicquid Dæmones faciunt verbis, figuris, ſignis, protractionibus, aſpectibus, & huiuſmodi, totum ad ludificationem faciunt hominum.*

Porrò, quoniam hoc loco agimus de diuinatione, quæ fit per ſigna quæ monſtrant ea de quibus dubitabatur, meritò quæri hîc poteſt de ſignis quibuſdam, quæ non fiunt Magica arte, etſi ſuperſtitioſè, ſed ſua ſponte ſine ceremoniis & precaminibus, quibus interdum quod latuit manifeſtatur.

Olim in Noruegia & in aliis multis locis, cum quæſtio ageretur de homicidio aut adulterio, candens ferrum dabatur ſuſpecto in manum: Quæ ſi illæſa manſit, iudicabatur innocens qui ſuſpectus erat. At ſi lædebatur manus, vt reus condemnabatur. Eodem pertinet exploratio quæ alicubi fiebat per feruentem & bullientem aquam. Innocens ſine læſione manum in aquam impoſuit, nocens vero læſionem ſenſit. De vtraque exploratione, videlicet, per candens ferrum, & feruentem aquam ſciendum eſt, quod neutra ſit approbanda. Nam duo horrenda peccata hîc concurrunt, videlicet, temeraria tentatio Dei, & peruerſio ordinis diuini. Rectè ergo in decreto dicitur cap. 2. quæſt. 4. Cap. Conſuluiſti. *Nam ferri candentis vel aquæ feruentis examinatione confeſſionem extorqueri à quolibet, ſacri non cenſent canones. Et, quod ſanctorum patrum documento ſancitum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione præſumendum non eſt. Spontanea enim confeſſione, vel teſtium approbatione, publicata delicta punienda ſunt: Occulta verò & incognita illi ſunt relinquenda, qui ſolus nouit corda filiorum hominum.*

Reſponſio. Confirmatio.

Alia quæſtio de exploratione homicidij.

Quæritur præterea de vſitata exploratione, cum perpetrati homicidij autor ignoratur, qua iubetur qui ſuſpectus eſt, manum cadaueri mortui imponere. Hîc ſi vel ex vulnere accepto, vel ex ore aut naribus cadaueris cruor manat, reus condemnatur qui manum appoſuit. At ſi non effluit ſanguis ad contactum, tanquam innocens dimittitur. Ego ſanè optarem hanc explorationem, vel omnino non fieri. Nam eſt & ſuperſtitioſa, & contra ordinem diuinum. Vel fieri non ſerio, hoc eſt, non vt certum inde petatur de facto argumentum, ſed vt iſto pacto eliciatur ſpontanea confeſſio. Sed quid dico? Res ſerias in timore Dei iuxta ordinem diuinum agi præſtaret. Hic fortè aliquis mihi obiiciet ſanguinem Abelis, clamantem vindictam de terra. Reſpondeo, Iſte clamor nihil aliud fuit quam terribilis morſus conſcientiæ in Caino, propter fratricidium perpetratum. Talem clamorem audiunt in Conſcientia ſua omnes homicidæ, vel ſaltem in agone mortis audituri ſunt.

Reſponſio. Obiectio. Reſponſio.

Ridiculum præterea & ſuperſtitioſum iudico nouum illud inuentum, quo fœmina ſuſpecta propter Magiam imponitur in aquam, neſcio quomodo ligatis manibus & pedibus. Hîc ſi non ſubmergitur, quæ erat ſuſpecta, ſcelus non elemento aquæ, ſed ignis expiãdum eſſe colligunt. At ſi ſubmer-

mergitur, vt innocens dimittitur. Hoc inuentum & ſuperſtitioſum, & ludibrium Satanæ, prorſus damno propter cauſſas quas paulo antea ex decretis adduximus. Quod autem ſomniant de pœnæ genere, vanum commentum eſt. Liber enim relinquitur magiſtratui puniendi modus, ſiue per aquam, ſiue per ignem, ſiue per gladium, modo puniat & non indulgeat ſceleribus ignauia, aut intempeſtiua miſericordia, in ſocietatis humanæ detrimentum.

III. Per reſpõſa Satanæ.

Quartus modus diuinationis Magicæ fit per reſponſa, quæ dat Diabolus, vel per viuos homines, vel per laruas mortuorum hominum. Vtrumque genus damnat Deus in ſua lege ſupra à nobis recitata ex cap. 18. Deut. Prius cùm ait, Non ſit qui interroget Pythonem, & ſextum locum occupat, Poſterius cùm ait, Nec quærens à mortuis, & octauo loco ponitur. Sed de his duobus generibus breuiter dicemus.

De Spiritu Pythonico.

Quorum prius dicitur reſponſum per Pythonem. Pytho nomen eſt ſerpentis, quem iaculis ſuis confecit Apollo, vnde & ipſe Pythius eſt dictus. Et, quoniam Apollo Pythius à facto denominatus, celebris erat propter oracula, nomen πύθων tranſlatum eſt ad ſignificandum diuinatorem ſpiritum, quo afflati prædicebant futura. Ipſi autem qui hoc ſpiritu correpti erant vocabantur Pythonici. Nam cum Pythia oracula præferebantur Dodonæis & Ammonæis, vel Crœſo teſte, tranſlatum eſt nomen à ſpecie ad genus per Synecdochen. Ex quo factum eſt vt fœminæ, quæ correptæ Dæmonio reſponſa dabant, dictę ſint Pythonicę. Plutarchus affirmat olim Pythonicos appellatos fuiſſe ἐγγαστριμύθους, quaſi dicas ventriloquos, quod nomen habent 70. interpretes Leu. 19 οὐκ ἐπακολουθήσετε ἐγγαστριμύθοις, non ſequemini ventriloquos, id eſt Pythones. Hinc facile eſt intelligere quid ſignificet in Moſe Pythonem interrogare, videlicet quod Pythonem interrogare ſit Pythoniſſam, id eſt, quamlibet magam interrogare, quæ per ſpiritum immundum, quem familiarem habet, dat reſponſa. Huiuſmodi ſpiritum eiecit Paulus è puella, vt eſt Actorum 16. 17. 18.

De Necromanticis.

Alterum genus diuinationis quod fit per reſponſa eſt, cùm laruæ mortuorum ad precamina magica, humano cruore adhibito, apparent & dant reſponſa. Vocatur autem hæc impoſtura νεκρομαντία, quam Varro allatam eſſe à Perſis teſtatur, qua & ipſum Numam, & poſtea Pythagoram Philoſophum vſum fuiſſe commemorat. Huius impoſturæ mentio fit 1. Samuelis 28. vbi ad petitionem Saulis Pythoniſſa producit laruam Samuelis, quem Saül interrogat de futuro euentu. Nullo enim pacto putandum eſt, quod ipſum Samuelem impura fœmina à mortuis excitauerit. Solius enim Dei eſt mortuos excitare, ſed laruam arte Satanæ repręſentantem imagine Samuelem in medium produxit. Nec obſtat quod ſcriptura eam laruam Samuelem nominet, quia ſolent imagines rerum earum nominibus appellari, quarum ſunt imagines, quemadmodum Auguſtinus in huius quæſtionis deciſione teſtatur. Etſi autem Diabolus ita interrogatus interdum dat vera reſponſa, vt hęc Samuelis larua vera prędixit & de morte Saulis & de morte filiorum eius: tamen conſilium ipſius eſt, non vt veritati patrocinetur, ſed vt homines, qui ipſum interrogant paulatim ſuis laqueis inuoluat, donec eos totos poſſederit. Ideo Chriſtus Dæmones (aſſeuerantes illam magnam veritatem, Tu es Chriſtus filius Dei) ſilere iuſſit, vt nos doceret veritatem à Diabolo nec quęrendam, nec audiendam eſſe. Idem nos docet Pauli factum Actorum 16. 17. 18. Nam tametſi Pythoniſſa vera dixit, clamans quotidie poſt Paulum & eius ſocios, Iſti homines ſerui Dei excelſi ſunt, qui annunciant vobis viam ſalutis, tamen Paulus hoc moleſtè ferebat. Quare & eiecit à puella Pythonem, ſignificans quod ne veritas quidem ſit audienda à Diabolis.

DE PRÆSTIGIIS magicis.

Harũ inuentor.

DIuinationi Magicæ ſubiicit Moſes præſtigias magicas, quarum Mercurius dicitur eſſe inuentor. Sunt autem præſtigiæ duplices, videlicet, Circulatoriæ & Magicæ. Illæ propter ineptias deridendæ ſunt, de quibus nos hic non agimus: Hæ propter impietatem damnandæ & deteſtandæ ſunt. Sunt enim præſtigiæ illuſiones Diabolicæ, quibus oculi humani ita illuduntur, & quaſi præſtringuntur, vt obiectum oculis aliud videatur eſſe quàm reuera ſit, vnde Præſtigiatores magici dicuntur, qui rem aliquam oculis obiectam arte Magica mutare videntur. Nam reuera non mutant, ſed oculos præſtringunt, vt mutata videatur. Non enim poteſt Diabolus creaturas Dei re ipſa tranſmutare, ſed tantum humanis ſenſibus illudere, quemadmodum ſupra ex Auguſtino docuimus. Nullo igitur pacto credendum eſt Diabolos transformare rerum naturas, & mutare rerum ſpecies. Proinde cum quæri ſolet, num Sagæ & veneficæ mulieres noctu ad certa loca conueniant, transformatis corporibus & conuiuentur, certo ſtatuendum eſt illuſionem Diabolorum eſſe, qui & illarum & eorum quibus occurrere videntur, oculos præſtringunt, vt putent ſe videre quod nuſquam eſt. Videtur quidem hoc ſagis ipſis, ſed reuera eſt Diabolorum illuſio. Imponunt enim iſti callidi hoſtes miſerorum ſenſibus, vt credant omnia reuera agi, quæ nihil ſunt niſi ſpectra quædam & præſtigiæ. Quod ſi Præſtigiator circulator oculorum aciem ita præſtringere poteſt, vt homines aliquid fieri putent, quod non fit: Quid non poterit ille nequam ſpiritus, qui mille artifex eſt? Hæ ſpirituales nequitiæ ſunt principis, cui poteſtas eſt aëris, agentis in filiis contumaciæ & impiis. Sed age quædam harum præſtigiarum exempla videamus. Omitto fabulas de ſociis Vlyſſis, qui mutati dicuntur in beſtias, apros, leones &c. Item de ſociis Diomedis, qui in aues verſi feruntur. Nactanebus Magus, cuius antea meminimus, cùm Philippus rex Macedonum, non parum dubitaret an Olympias vxor concepiſſet ab Ioue Hammone, aut ab alio, vt Olympiadem à ſuſpicione liberaret, ſuis Magicis præſtigiis effecit, vt cùm iam ſederent ambo Philippus & Olympias in celebri conuiuio, multis ſatrapis præſentibus, ſpectrum quoddam magno cum impetu ventorum in forma draconis veniret in aulam conuiuij, accederet Olympiadem, eámque oſcularetur: Quem illa viciſſim eſt amplexa & oſculata. Quo facto ad horas aliquot in aquilam mutatur & auolat. His præſtigiis deceptus Philippus, credidit verè ex Ioue concepiſſe Olympiadem, ac ita placatus eſt.

Quotuplices. 1 Circulatoriæ. Magicę. Præſtigiatores qui. Quæſtio de transformatione Sagarũ &c. Exemplũ.

Aliud exemplum.

Ad ſanctum Macharium in deſerto morantem, venerunt parentes cuiuſdam virginis, quam amiſerant, ſic tamen quod putarent eam in vaccam eſſe conuerſam, quia non poterant aliam quam vaccæ formam videre. Adducentes igitur filiam ad Machariũ, rogabant orationem ab ipſo ad Deum fieri, vt reſtitueretur ei humana forma. Hoc audiens

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Macharius, inquit, Virginem video non vaccam. Habebat oculos ſpirituales, ideo Satan non poterat ſuis præſtigiis ipſum fallere, vt parentes & filiam, quorum oculis ſic illuſerat ſpiritus nequam, quòd iuraſſent verè hoc geri, quod ipſis ob oculos verſabatur. Orante autem Machario pro virgine, non vt humanam ſpeciem, quam nunquam amiſerat, reciperet, ſed vt Deus hâc illuſionem Diaboli ab ea auferret, aperti ſunt oculi parentum & filiæ, cognouerúntque hoc totum, quod ipſis videbatur ſerio geri, ludibrium merum Satanæ fuiſſe.

Tertium exemplū.

Refertur etiam hiſtoria de quodam Ægyptio, qui cùm veſano amore alterius vxoris arderet, accedit magum, ipſum rogat numerata pecunia vt ſua arte excitet odium inter coniuges, faciátque diuortium inter Maritum & Fœminam quam deperibat. Magus ergo ſuis præſtigiis effecit, vt pulcherrima fœmina verſa in equam videretur, quam cernens Maritus in lecto ſuo cubantem, turbatur, ſurgit, rem proponit eidem Machario, qui ſimili modo vt parentes & puellam à præſtigiis Satanæ liberauit. Cùm tanta ſit aſtutia & potentia Satanæ in ludificandis ſenſibus hominum, quid putas illum facere vt mentes præſtigiis ſuis illudat, vt homines perdat? Ab huiuſmodi Diabolicis præſtigiis originem ducit, Inuocatio ſanctorum, Purgatorium, & miſſa papiſtica pro viuis & mortuis, adeò vt res eò tandem venerit, vt ſi quis alium vellet è medio ſublatū, ſacrificulū conueniret, numerata pecunia vt miſsā muſſitaret, quam vocant, *Requiem*, pro viuo tanquam iam mortuus eſſet. Et ſæpè expectationi, procurante Satana, euentus reſpondebat, nec pudet Pontificios in ſuis ſcriptis huiuſmodi exempla referre.

Quartum exemplū.

De faſcino.

Etſi autem præſtigium & faſcinum ſignificatione conuenire videntur, ex quo fit vt ſæpe promiſcuè vſurpentur à ſcriptoribus: tamen paulò latius patet faſcini nomen. Nam duplex eſt faſcinum, videlicet Natura malignum & Magicum.

Duplex eſt.

Natura malignū.

Natura malignum eſt, quod non tam voluntarium eſt quam peculiaris naturæ in quibuſdam hominibus & beſtiis. Fit autem hoc faſcinum aliàs viſu, aliàs voce, aliàs tactu, aliàs donatione.

Viſu. 1. Fœminæ menſtruoſæ. 2. Baſiliſci.

Viſu fit, cum ſolummodo aſpectus nocet, vt fœminæ menſtruoſæ aſpectu ſpecula vitiant. Baſiliſcus viſu peſtilenti extinguit herbas, necat arbores, corrumpit auras, ita vt in aëre nulla alitum impunè tranſuolet.

3 Lupi.

Ferunt hominem à lupo præuiſum ſubito conſternari & vocem amittere, atque vice verſa, ſi homo prius lupum viderit, cum eadem pati. Fertur in Sardinia fœminas eſſe, quæ ſi iratæ aliquem aſpexerint, viſu perimant.

4. Quarundā mulierum.

Sunt etiam homines quidam adeo malignæ naturę, vt recēs natis aſpectu noceant. Quò illud Virgilij pertinet: *Neſcio quis teneros oculis mihi faſcinat agnos.* Nam vt arcu ſagitta magno impetu in ſcopum fertur: Ita virus oculorum malignorum, rem obiectam penetrat eíque nocet. Nulli dubium eſt infici interdum oculos ex lippitudine oculorum aliorum. Eiaculantur enim oculi lippi ſpiritus Peſtilentes, quibus aliorum oculi læduntur, iuxta illud Ouidij.

5. Oculorū ęgrotātium.

Dum ſpectant læſos oculi, læduntur & ipſi,
Multáque corporibus tranſitione nocent.

Veriſimile eſt ergo etiam virus animi per ſpiritus viſiuos contagione animi infectos, effundi aliquando in alios homines, præſertim ſi conuerſatio fuerit diuturnior.

Voce.

Voce fit, cum peſtifera laudatione rebus aliquid incommodi accedit. Solinus ſcribit quaſdam in Aphrica hominum familias eſſe, quæ voce & lingua effaſcinant ex quadam naturæ malignitate, quæ ſi impenſius fortè laudauerint pulchras arbores, ſegetes lætiores, infantes amœniores, egregios equos, canes generoſos, pecudes paſtu & cultu opimas, flacceſcant paulatim & emoriantur. Et apud nos ſunt, qui non ferunt ſuos equos aut canes impenſius laudari, præſertim ab iis quorum dubia eſt amicitia. Putant enim mali ominis eſſe. Quod etſi ſæpe experientia comprobatur, velim tamen pios minimum tribuere huic rei, cùm ſuperſtitione non careat.

Exempla.

Tactu fit, cùm parum auſpicati homines fœtus recens natos attingunt. Sūt enim mulieres, quæ puerulos faſcinant ſolo contactu, & multi ſurculos & plantulas contactu lædunt, vt moriantur.

Tactu.

Donatione ſeu munere nonnulli etiam læduntur, vt cùm parum auſpicatæ fœminæ recens natis lac præbent, aut etiam inimici homines aliquid donant ſuis aduerſariis. Eſt enim veriſſimum dictum, Inimicorum dona nocent, id quod Aiax ſuo malo agnouit, incumbens in gladium ſibi ab Hectore hoſte donatum. Verum eſt, inquit, prouerbium, quo dicitur: Hoſtium dona non dona, ſed noxæ.

Muneribus.

Magicum faſcinum eſt, cùm vel ſenſus hominum præſtringuntur, vt aliud putent ſe videre, audire, palpare, quàm reuera eſt. Cuius rei ſuprà exempla dedimus, vel cum corpus totum mali artibus læditur, vt tandem ad extremam maciem deueniat, adeo vt totum pereat, vel cùm mentes hominum ita ligantur, capiuntur & inficiuntur magicis verbis, vt homines compotes mentis non ſint, ſed quodammodo ſtupeſcant, ex quo fit, vt præpōſterè de rebus ſuis iudicent. Nam voluptuaria quadam titillatione permulſi, pericula & incommoda ſua non intelligunt, ſed exiſtimant ſe eſſe felices & à magno errore liberatos. Hinc tranſtulit Paulus vocabulum faſcini ad Gal. 3. 1. vbi inquit: O ſtulti Galatæ, quis vos faſcinauit vt non crederetis veritati? Vt ergo faſcinum magicum ſtupidos facit: Ita ſpirituale ἀβάσκανος reddit. Sed vide quæ in locum Pauli Lutherus annotauit.

Magicum faſcinum.

DE AVGVRIO.

Quid ſit.

TErtio loco Moſes augurium & auſpicium ponit, videlicet cùm diuinatio petitur ex auiū geſtibus ſeu garritu. Apud omnes aquila fauſtum ſucceſſum ſignificauit, volans, citra laborem, fauſtiſſimum, ſedens, fauſtum, ſed non ſine labore. Contrà cornix cornicans infauſtum ſignum habetur. Quo illud Virgilij pertinet.

Aquilæ & Cornicis augurium.

Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix.

Corui crocitantes, aut noctuæ encubantes ſupra domos, mortem alicuius vulgi iudicio prænunciant. Bubones ſimiliter bubulantes infauſti ominis ſunt, iuxta illud,

Aliarum auium.

Ignauus bubo dirum mortalibus omen.

Item:

Bubulat horrendum ferali carmine Bubo.
Humano generi triſtia fata ferens.

Pica auis in vicino loco, vel ſupra domum cantillans, hoſpites nouos aduenturos putatur ſignificare, & ſanè ſæpe euentus reſpondet, & ſæpe non. Huiuſmodi omnia auguria tutiſſimum eſt

aſper-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

aſpernari,tanquam ludibria Diaboli. Quod etiam gentilis Poëta fecit,cùm de occiſo vate ſic ſcribit:

Non tamen augurio potuit depellere peſtem.

Auguriorum deteſtatio.

Quid enim vanius eſt quam ad regendas noſtras actiones, & expectandos euentus actionum noſtrarum,obſeruare in quam partem aues volitent, aut quomodo aut vbi garriant ? Huius ſuperſtitionis etiam eſt inſpectio extorum animalium, cuius vanitatem Dux quidam Athenienſis ſcitè reprehendit. Nam cùm Pruſias rex negaret ſe audere pugnare, quòd exta prohiberent,reſpondit, At tu,inquit,carunculæ vitulinæ mauis quam Imperatori veteri credere ? Proinde laudandum iudico reſponſum Hectoris quod eſt Iliados 12.qui cùm Polydamas ex volatu aquilæ vnguibus tenentis ſerpentem prædiceret augurium contra Troianos eſſe,reſpondit , εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνασθαι περὶ πάτρης. Optimum augurium eſt pugnare pro patria.

DE MALEFICIIS.

Quid ſint malefici.

QVarto loco in Moſe ſequitur : Neque maleficus , ſcilicet ſit inter vos. Malefici in genere dicuntur omnes, qui quouis modo aliis nocent & malefaciunt iniuſtè. Et maleficium dicitur, quicquid improbè committitur. Hinc ad certum genus nomen transfertur κατ' ἐξοχὴν, vt malefici dicantur artium magicarum periti, qui ſuis artibus ad quiduis vtuntur & maleficium idem ſit quod magia illa infamis. Tertiò ab hoc genere rurſus ad certam ſpeciem generi ſubiectam transfertur, vt hoc loco. Specialiter enim hîc malefici dicuntur propter facinorum deteſtandam abominationem, qui arte magica hominibus , animalibus aut frugibus malignè nocent , aut eas de loco in locum transferunt; quorum facinus deteſtandum maleficium à Moſe nominatur. Admodum familiare eſt maleficis imagines cereas , filis per omnia membra tractis,eorum hominum facere, quibus nocere volunt. Has imagines baptizatas , & aliis ceremoniis conſecratas,in locum ſecretum ſeponunt,vt arte ſua affligant inimicos pro arbitrio. Si enim volunt manum inimici torqueri , pungunt vel incendunt manum ceteræ imaginis. Si volunt claudum fieri,vulnerant vel incendunt pedem alterum. Si volunt cum capite laborare , pulſant vel incendunt caput. Hîc Diabolus,permittente Deo, ad precamina maleficorum promptus adeſt & exequitur,quatenus illi à Deo permittitur , vt miniſter,imperata veneficorum.

Maleficium. Malefici ſpeciales. Maleficorum artes abominandæ.

Venefica,pecunia vel largitionibus corrupta, adimit viro potentiam maſculam & exiſtimat ſe in ſuam cuſtodiam reponere virile membrum. Effectus ſanè ſæpe votis reſpondere videtur, Diabolo adhibente veneno vires clam eneruante. Eadem rurſus cùm volet reſtituit eodem miniſtrante. Verum quòd ipſa putat ſe habere in cuſtodia aliquid, præſtigium Diabolicum eſt. Huc Philtrum pertinet. Sed ſciendum eſt duplex eſſe Philtrum , vnum Naturale & laudabile : Alterum Magicum & damnabile,quod huius loci eſt. Philtrum naturale eſt cùm honeſti mores , pietas & probitas aliquem ad amorem honeſtum inuitant. Vnde Menander:

Exempla

Philtrum duplex. Naturale.

Philtrum optimum boni mores ſunt.

Magicum

Magicum Philtrum eſt , quicquid amoris conciliandi gratia arte Magica paratur,ſiue ſit poculũ,ſiue res alia,ſiue nuda incantatio, qua impurus amor, ſeu potius furor, conciliatur:Iuxta illud Ouidij:

Philtra nocent animis,vimque furoris habent.

Vt pecora inimicorum moriantur , veneficæ infodiunt in terram , neſcio quas imagunculas & ineptias,in quibus prorſus nulla vis eſt per ſe ad nocendum animalibus.

Exempla Philtri magici.

Saga,acceptas aqua plenas ſcopas,leuat in altum, excutit aquam in aërem vt pluuiam efficiat. Hîc ſæpe Dæmon præſto eſt & imperata exequitur.

Aliud.

Malefica pacta mercedem dat nautæ nodos, quibus ventus excitatur pro ipſius arbitrio. Et refertur neſcio de qua anicula, quæ dedit cuidam in funiculo tres nodos: Soluto primo,inquit, habebis aërem placidum.Si ſecundum ſolueris, habebis fortiorem. Si tertium,caue tibi.Tempeſtas enim erit.Quidnam ſcriptor hac arte nobilitat Noruagicas fœminas. Huius generis maleficij meminit Virgilius cum ait:

Aliud.

Hac ſe carminibus promittit ſoluere mentes,
Quas vult,aſt aliis duras immittere curas:
Siſtere aquam fluuiis,& vertere ſydera retro:
Sub pedibus terram,& deſcendere montibus ornos:

Sunt qui malleis maleficis oculos furum abſentiũ & ignotorum excutiunt, multò furibus deteriores: Digni ſanè,qui pro vno oculo binos amitterẽt. Sed de maleficiis ſatis.

Aliud.

DE INCANTATIONE.

ETſi Hebræa vox latius patet & in bonam partem interdum accipitur : Tamen Latinum verbum incantare, eſt in perſonam aut in rem quamlibet carmine aliquid moliri, præter naturam & contra ordinem diuinum . Vt præpoſitione *In* motus in rem aut perſonam deſignatur.Ita verbo *Canto* modus agendi ſignificatur. Præter naturam dico, quia nulla efficacitas per ſe eſt in verbis ſeu carminibus incantatorum, id quod ſuprà in ſecunda quæſtione demonſtrauimus . Contra ordinem diuinum addo,quia non ſolum pugnat incantatio cum natura & primo præcepto , verumetiam peculiari lege Dei prohibetur,& damnatur, tanquam res Deo abominabilis,quemadmodum ſuprà declaratum eſt.

Nominis ſignificatio.

Verbo excantandi effectus incantationis ſignificatur.Excantare enim eſt incantamentis expugnare & ſuperare pro voto rem vel perſonam in quam incantatio dirigitur. Interdum tamen promiſcuè ponitur incantare pro excantare.

De rei ſignificatione.

Porrò duplex eſt incantatio. Nuda vna,quæ ſolis verbis peragitur. Altera veſtita geſtibus & ceremoniis magicis , de quibus ſuprà monuimus. Quod apud gentes ignaras Dei fuerit incantationis vſus multa teſtantur teſtimonia , quæ ſuprà attigimus.Virgilius ait:

Duplex incantatio.

Carmina vel cœlo poſſunt deducere Lunam,
Ducite ab vrbe domum mea Carmina, ducite Daphnim.

Dicuntur autem omnia illa carminibus,id eſt,incantatione fieri,in quibus verba,carmina , precationes , imprecationes , & adiurationes contra ordinationem diuinam adhibentur. Nec intereſt ſiue ſacra ſint verba , ſiue profana , quæ adhibentur. Nam verbum Dei profanatur , quoties contra eius verum vſum , de quo ſupra diximus , vſurpatur. Hîc merito quæri poteſt de incantatione ſerpentum obſtruentium aures ad voces incantatorum,cuius & poëtæ & ſcriptura meminerunt.

De incantatione ſerpentum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Vigilius.

Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.

Et Ouid.

Vipereus rumpo verbis & carmine fauces.

In Pſal. 58. 5. hæc verba ſunt: Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas ne exaudiat voces incantantium & venefici incantantis, ſapienter. Atque ita non ſolùm apud profanos ſcriptores, verumetiam apud ſacros celebre eſt carminibus recitatis cogi ſerpentes & aſpides, vt virus ponant & manſueſcant; nõ quòd in carminibus recitatis ſit vlla vis, ſed quia Diabolus ſe miniſtrum incantatoribus præbet, vt homines in ſuos laqueos pertrahat.

Cur ſerpẽtes aures obturant incantamẽtis.

Sed non immeritò miretur aliquis quòd ſerpentes & aſpides obturent aures, ne audiant incantamenta. Nam ſi non audirent, nullius eſſent efficaciæ. Hinc aliquis ſic fortè colligit. Si obturatio aurium in ſerpentibus & aſpidibus eſt naturalis, profecto incantationes ipſas eſſe naturales veriſimile eſt, cum effectus naturalis ſit cauſſæ naturalis. Reſpondeo. Serpentes & aſpides nequaquam ſunt natura edocti, vt obſtruãt & obturent aures ad voces incantantium, ſed idem qui efficax eſt in carminibus incantatorum pro ſuo arbitrio facit, vt ſerpentes aures obturent, vel non, vt ita perſuadeat hominibus in ſola pronunciatione & auditione verbi ineſſe efficaciam, quo paulatim eripiat hominibus verum verbi Dei vſum, nec fruſtrà hoc conatur Satan. Hodie enim multos videmus, qui audiunt verbum & putant ſe operæpretium facere verbum audiendo, etiamſi nec credant nec viuant ſecundum verbum. Sed pij norunt regulam. Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Nam auditum & non cuſtoditum mortua litera eſt.

DE MAGIA SPECIALI.

Magia nomen generale.

Specialis, quid.

SEptimo loco Moſes magiam, videlicet ſpecialem ponit. Alioqui enim magia complectitur omnes artes damnatas & prohibitas à Moſe in lege quam ſupra adſcripſimus. Eſt autem Magia ſpecialis non illa, quæ nocet hominibus, aut aliis rebus damnum & nocumentum infert, ſed quæ prodeſſe videtur. Ita enim Suidas diſcernẽs inter γοητείαν, μαγείαν & φαρμακείαν, ait: μαγεία eſt inuocatio Dæmonum beneficorum ad aliquid conficiendum bonum. γοητεία fit per coactionem mortuorum etiam inuocatione: φαρμακεία veneficium, fit cùm aliquid alicui porrigitur ſumendum ore, quod mortem ſit allaturum certis incantamentis præparatum. Hæc Suidas. Sed venefici nomen poſteà ad totum genus transfertur.

Iamblici Magi opinio.

Quoniam autem magia hæc ſpecialis ad aliquid conficiendum bonum, vt aiunt, ordinatur, Iamblichus beneficis Dæmonibus nimium tribuens, non vult eam accuſari, ne dum condemnari. Ita enim ait:

Refutatio eiuſdem.

Non oportet artem totam accuſari tot ſeculis vſu & magno labore comprobatam. Sed vbi, ò Iambliche, probaueris Dæmonas eſſe beneficos? Id nunquam poteris, niſi mel veneno tinctum bonum dixeris. Vbi oſtenderis inuocationem Dæmonum ſtare poſſe cum vera Religione? non facies, donec hoc oraculum ſteterit, Dominum Deum tuum adorabis & illum ſolum coles: & vbi monſtraueris omnia quę habent multorum ſeculorum vſum, & magno fiunt labore eſſe licita, quod tunc præſtabis, quando vitia omnia, quæ inde vſque à principio præualuere, iuſtificaueris, quæ ſanè habet, proh dolor, & vſum longum, & laborem plurimum. Cum hæc, inquam, feceris, tibi, ò Iambliche, aſſurgemus, & laudem tuendæ veritatis tribuemus.

Iamblichi interitus.

Verum quid tibi, ò Iambliche, hoſtis & perſecutor nominis Chriſti, & plurimorum ſimplicium hominum ſeductor, vt deficerent à Chriſto, accidit? An non tibi ipſi exitio ars tua quam prædicas fuit? ſed breuiter hiſtoriam adſcribemus, in qua videre eſt quàm aſtutè diabolus hominibus inſidiatur, vt plurimorum ſanguis effundatur. Scribunt ſub Valente imperatore Libanium Sophiſtam & Iamblichum alectryomantiam (id eſt, diuinationem per gallum gallinaceum) feciſſe, inquirẽtes quis in regno Valenti ſucceſſurus eſſet. Eſt autem alectryomantia, vt fertur, huiuſmodi. Literæ 24. Grecæ pulueri inſcribuntur & harum vnicuique tritici aut hordei granum imponitur. Deinde gallus dimittitur, carminibus quibuſdam interim & incantamentis recitatis, & animaduertitur à quibus elementis grana capiat, quæ coniuncta id quod quærebatur oſtendunt. Id igitur, cum Libanius & Iamblichus feciſſent, cernebant gallum granum primum ex θ, alterum ex ε, tertium ex ο, quartum ex δ, ſumſiſſe, quo fiebat vt ambigua hæc eſſet ſignificatio θεοδ. Cum vel Theodoſius, vel Theodotus, vel Theodulus, vel Theodoſius ſignificari videretur. Eius rei certior factus Valens, multos iis nominibus vocatos, ob ſuſpicionem interemit, & ipſos diuinatores inquiſiuit. Quo circa Iamblichus crudelitatem eius metuens veneno hauſto vitam ſibi ademit.

Alectryomantia.

Obiectio pro magia religioſa.

Sed videor mihi audire quid noſtri obiiciant. Diſcrimen clamitant permagnum eſſe inter Ethnicorum magiam & θεουργίαν (vt honeſtiori vocabulo vtamur) Chriſtianorum: illi enim Dæmonas, hi ſanctos inuocat. Illi profanis, hi ſacris verbis vtuntur: illi characteras ignotos, hi ſignaculum crucis vſurpant. Vide quæſo aſtutiam Satanæ, pingentis ſuas impoſturas pietatis fuco. Quantum enim ad inuocationem attinet, nihil plane intereſt. Nam ſiue Dæmonas inuoces, ſiue ſanctos, à Deo defeciſti, cuius ſolius cultus eſt inuocatio. Si addis Chriſti nomen & ſacra Dei verba, item ſignaculum crucis rem totam polluis abuſu, vt qui nec mandatum nec promiſſionem, ſed interdictum & comminationem habeat. In characteribus, qualeſcunque ſunt, nulla eſt efficacia nec natura, nec ordinatione diuina, quemadmodum ſuprà demonſtratum eſt.

Reſponſio.

Verùm, vt vanitas illorum qui pietatem prætendunt manifeſtior fiat, exemplum quod in papatu vſitatiſſimum eſt, adiiciamus. Si quis inquiunt, laborat Epilepſia, & aliquis interueniens in laborantis aurem clamauerit: Balthaſar, Melchior & Caſpar te ſanent, mox virtute huius vocis ſanabatur ægrotus. An non obſecro perinde eſt, ac ſi quis manifeſtè Dæmonas inuocaret? Hoc profectò fatebitur quiſquis vel ad limen pietatis elementa ſalutauerit. Sed quid amplius faciunt? Vt ſecurus reddatur aduerſus Epilepſiam qui ſic Magicè eſt ſanatus, iubent eum alligare ad collum nomina trium regum, Balthaſar, Melchior & Caſpar, vnde hos lepidos verſus fabricarunt.

Caſpar fert Myrrham, Melchior Thus, Balthaſar aurum.

Hac tria qui ſecum portarit nomina regum,

Soluitur à morbo Domini pietate caduco.

Hîc coniungunt Belial & Chriſtum, inter quos nunquam conueniet. Confundantur igitur omnes, qui

qui ſub quauis ſpecie à Deo ad non ordinata & illicita media confugiunt. Quicunque hîc quærunt aufugia quibus ſe excuſent, quærunt præcipitia vnde ad poſtremum deiicientur in infernum. Qui ergo Deum verè timent, nihil tentent, quod vel manifeſtè contra Deum eſt, vel de quo iuſta dubitatio eſſe poterit.

De annulo curante epilepſiam.

Sed quid, inquies, dicis de annulo, quo dicitur curari Epilepſia? In Anglia enim ante lucem Euangelij illic ortam, creditum & exploratum ſcribitur, quod ſi annulus fieret ex auro, à rege Anglię, die quē vocant Paraſceues, oblato ſuper crucem, valeret contra Epilepſiam, ſi laborantis digito imponeretur. Profectò non dubito Diabolum hoc ſuo miraculo voluiſſe confirmare idololatriam, & ligni crucis impiam adorationem in hominum perniciem. Nec plus tribuo facto regis Galliæ. Fertur enim quod ſi quis Struma laborans veniret ad regem Galliæ & rex attingeret ægrotum & dixerit: Rex te tetigit, Deus te ſanat, mox ſanetur. Quid enim hoc aliud eſt quàm ludibrium Satanæ? Sed vtrobique & in Anglia, & in Gallia ad lucem Euangelij iſtas Diabolicas tenebras euanuiſſe credo. Sed de his ſatis ſuperque.

De ſtrumis Gallorum, autoris ſententia.

CONCLVSIO.

Finis huius ſcripti.

HActenus de ſuperſtitione Magica diximus, quæ iudicauimus digna eſſe commemoratione, idque in hunc finem, vt pij admoniti deteſtentur, execrentur ac fugiant omnes illicitas artes à Diabolo in mundum inuectas, vt hominibus ſcientiam ſalutis veram adimat, & in ipſius locum ſuas impoſturas & laqueos ſubſtituat, in contumeliam Dei & in hominum certiſſimum interitum. Nunc coronidis loco pauca adiiciemus.

I. Generalem inſtructionem, qua quiſque erudiatur, quomodo ſe armet aduerſus magicas impoſturas, trademus.

II. Conſilium dabimus miniſtris Euangelij, quomodo cum Magis agent, vt eos ab errore ſuo reuocent.

III. Magiſtratui præſcribemus quid ſequi poterit, bona conſcientia, cum huiuſmodi triſtes caſus offeruntur.

DE PRIMO.

Inſtructio generalis.

ETſi inſtructio generalis, qua quiſque erudiatur quomodo ſe aduerſus Magicas impoſturas armet, admodum facilis eſt, & ſi vno verbo dixeris vnam pietatem ἀλεξιφάρμακον eſſe omnium malorum, totum dixeris: tamen vt plenior ſit inſtructio, diſtinctius agemus. Quicquid enim diſtinctè traditur, citius percipitur, perfectius cognoſcitur, melius retinetur & ſuauius recolitur. Ante omnia ergo tenenda eſt hęc regula tanquam fundamētum. Omne malum aut culpę eſt, aut ex culpa. Malum culpæ, peccatum eſt: Malum ex culpa pœnæ dicitur. Quod culpa ſit hominis propria, nemo, vt opinor, inficiabitur. Nam illorum dogma, qui Deum autorem peccati faciunt, noſtræ eccleſiæ magno conſenſu & iuſtiſſimè deteſtantur. Quod autem malum ex culpa, ſeu propter culpam ſit à ſolo Deo, confirmatur dicto Domini, quod eſt Amos 3. Nunquid erit malum in ciuitate quod Dominus non fecerit? Hoc autem malum Dominus facit, nunc efficaciter, nunc κατ' συγχώρησιν id eſt, permiſſiue, ſed nunquam iniuſtè. Veriſſimum eſt enim euſdam patris dictum. *Nec natura Dei nocere quicquam iniuſtè poteſt, nec natura Dei nocere iniuſtè quemquam patitur.* Et Seneca verè ait: *Nemo ſine ſuo vitio miſer eſt.*

Eadem diſtinctio.

Malum culpæ ab homine.

Malum pœnæ a Deo.

Ex hac regula tanquam ex immoto principio cōcludat pius apud animum ſuum, quod nec Diaboli, nec Magi, nec alij homines poſſint ſibi nocere citra culpam, quam Dominus iuſto ſuo iudicio, & paterna miſericordia punit. Ideo Iob, cùm Diabolus ipſe corpori morbum, familiæ necem, & fortunis vim per Chaldæos intuliſſet, ait: Sit nomen Domini benedictum. Dominus dedit, Dominus abſtulit. Et addit, Etiamſi me occiderit, in ipſum ſperabo. Nec diſſimulat peccatum ſuum, cùm agnoſcit redemtorem. Sciuit ergo Iob, nec Chaldæos ſuis artibus, nec Diabolum ſua malitia ſibi nocere potuiſſe, ſine ſapienti Dei conſilio, iuſto iudicio, & paterna miſericordia.

In afflictionibus à Satana aut eius ſeruis illatis, quid cogitandum.

At hîc fortè obiecerit aliquis, Abel citra culpam occiditur à fratre: Baptiſta innocens trucidatur ab Herode. Reſpondeo. Nec Abel, nec Iohannes culpa carebant digna eo mortis genere, quo ſunt affecti. Tametſi enim perſonæ reſpectu, & Abel & Iohannes innocens erat coram iudicio humano, tamen reſpectu naturæ vitioſæ, vterque reus erat coram Deo & dignus pœna. Si ergo perſonam reſpicis per ſe, δοκιμασία fuit. Si naturam, τιμωρία iuſta. Si Cain, & Herodem, crudelis & iniuſta tyrannis. Si Deum, iudicium & miſericordia. Si eccleſiam, exemplum fortunæ eccleſiæ totius in hac vita.

Obiectio.

Reſponſio.

Hac regula firmiſſimè in animo conſtituta proximum eſt, vt à culpa abſtineat qui in malum propter culpam incurrere nolit. Nam propter iniquitates corripit Dominus hominem Pſalm. 39. 12. Et quia impoſſibile eſt, vt Nazianzenus ait: Hominem eſſe & non peccare, quatuor facienda ſunt. *Primùm*, Summa cura cauenda ſunt peccata voluntaria, ſeu contumaciæ, quibus excutitur Spiritus ſanctus, amittitur fides, vaſtatur conſcientia, & homo auerſus à Deo Satanæ ſe mancipat, rurſus ſubiectus maledictioni diuinæ, & morti æternæ, donec reſipiſcat. Ex quo fit, vt Satanas in eo ſit efficax, ad Epheſ. 2. *Deinde* peccata quæ ex ignorantia & infirmitate quotidiè etiam à ſanctiſſimis committuntur, vera pœnitentia, quæ nititur merito pretioſi ſanguinis Chriſti, eluenda ſunt; quorum quotidie ex mandato Domini remiſſionem petimus. Huc illud Iohannis pertinet, 1. Ioann. 2. 1. Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris, & non pro noſtris tantùm, ſed pro totius mundi. *Tertiò*, ardentibus precibus pugnandum eſt contra Diabolum & eius membra. Nam nulla re ita Diabolus terretur & repellitur à nobis, atque oratione ardenti, quę à pio pectore proficiſcitur. Sicut enim muſca, quantumuis magna fuerit, ab olla feruente fugit: ita Diabolus fugit ab homine cuius cor ardet vera Dei inuocatione qua Deo arctius iungitur. Atque hoc vult Iacobus cum ait: Subditi eſtote Deo, & reſiſtite Diabolo, & fugiet à vobis. *Quartò* in hunc modum animo tuo compoſito, ſubiicies te ſapientiſſimæ optimi Patris prouidentiæ, iuxta verbum eius (omnibus curioſis carnis dubitationibus & quæſtionibus excluſis) in vero timore, inuocatione, gratiarum actione & obedientia, cùm in cruce, tum in tota vita; certus, quòd ęrūnas huius vitę exceptura ſit tandē ſempiterna felicitas, quę nūquā artibus Satanę aut vllis aliis aduerſis interrumpi aut minui poterit.

Conſilium tutiſſimum.

1. Abſtinendum à peccatis contumacibus.

2. Pœnitentia vera ad meritum Chriſti confugiendum.

3. Ardenter & perpetuò precandum.

Prouidentiæ Dei omnia noſtra committenda.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Hinc futurum eſt, vt feras patienter quacunque ratione Deus tuam fidem explorare velit, certo tibi perſuadens, quòd iuxta regulam Pauli: Omnia diligentibus Deum cooperantur in bonum, Rom. 8.27. Hæc regula, dulciſsima promiſsione, quæ eſt Eſaiæ 54.10. confirmatur: Montes mouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autē mea non recedet à te, nec fœdus pacis meæ mouebitur, dicit miſerator tuus Dominus. Hinc videtur extruxiſſe Tertullianus dulciſſimum illud dictum de patientia: Adeo ſatis idoneus patiētiæ ſequeſter eſt Deus, ſi iniuriam depoſueris penes eum, vltor eſt: Si damnum, reſtitutor eſt: Si mortem, reſuſcitator eſt.

DE SECVNDO.

Miniſter Eccleſiæ quomodo excipiet magicæ impietatis reum.

QVid faciet pius Euangelij miniſter, cùm ſibi aliquis Magicæ impietatis reus offertur? Ante omnia cauebit, ne lancibus humanæ rationis vllum peccatum pōderet. Nam omne peccatum quatenus in ſe conſideratur, pendendum eſt menſura eius, in quem peccatur. Cùm ergo Deus ſit infinitus, caueat miniſter Dei ne vllum peccatum cum Dei mandato pugnans tanquam vile reputet. Quapropter omne peccatum magorum, quantumuis leue videatur coram hominibus, horrendam abominationem coram Deo, fœdam profanationem nominis Dei, turpem defectionem à Deo ad hoſtem eius diabolum, & dānandam pacti, cum Deo in baptiſmo initi, violationem autoritate verbi Dei munitus, audacter & grauiter pronunciabit.

1. Peccatum Magorum eſt horrendum.

2. Diſcernendæ ſunt perſonæ.

Deinde quantum ad perſonas magicæ impietatis reas attinet, non eſt par ratio. Diſcernēdum eſt enim inter eos, qui ſimplicitate quadam & pietatis prætextu, in alicuius, vt putant, commodum ſuam θεκργίαν exercent; & eos qui malitia peccant, vt aliis obſint.

3. Larua pietatis detrahenda eſt.

Quoniam autem qui ſimplicitate quadam & pietatis prætextu, vt alicui ſua arte commodent, Magiam exercent, pietatem prætendunt, dicúntque ſe bono conſilio, ac bona intentione permotos, facere quicquid faciunt, non vt noceant alicui, ſed vt opem afflictis ferant, quod Charitatis eſt opus. (Hæc ſunt ferè, quæ in ſui defenſionem adferunt Magi, qui ſua ſe arte opem ferre afflictis clamitant, & propterea ſe extra omnem culpam eſſe exiſtimant). Hanc laruam pietatis & caritatis detrahet ipſis miniſter Euangelij, idque hoc pacto. Ante omnia grauiter refutabit iſtam impiam opinionem, docebítque nihil pietatis nomine cenſendum eſſe, quod deſtituitur claro verbo, & expreſſo mandato Dei; nullum conſilium iudicandum eſſe bonum, quod cum ordine diuino & conſilio Dei pugnat; nullam intentionem bonitatis laude ornari debere, quæ regulæ Chriſtianiſmi aduerſetur: & nullum charitatis opus dicendum, quod corpori valetudinem, & animæ perniciem adferat. Hæc grauiter ſunt inculcanda, & ſcripturis confirmanda atq; demōſtranda. Deinde refutata opinione, qua ſuam impietatem palliarunt Magi, peccati quod commiſſum eſt Magica ſuperſtitione magnitudo & deformitas exaggeranda eſt, & oſtendendum iſta quatuor mala quæ modo recitauimus, videlicet, horrendam abominationem coram Deo, fœdam profanationem nominis diuini, turpem defectionem à Deo, & deteſtandam pacti, cum Deo initi in baptiſmo, violationem, in iſto peccato concurrere, vtut leue coram hominibus videatur.

4. Magnitudo peccati exaggeranda.

Verùm ſi quis hîc obiecerit, nimis grauem ſententiam ferri in eos, qui ex errore peccant. Reſpondeo: Peccatum ex errore eſt duplex. Vnum quod non pugnat cum fundamento, nec fidem excutit, qualia ſunt multæ omiſſiones & infirmitates. Aliud quod ex diametro pugnat cum fundamento, atque illud euertit, quale eſt peccatum eorum magorum, qui ſe pietatis prætextu excuſant. Fidem enim promiſſionum diuinarum ſuffocat in cordibus, cùm eorum qui exercent magiam, tum illorum, qui arte magorum curari videntur.

5 Conſilium ex re præſenti capiendum.

Tertiò his ita confectis, grauiter, vt requirit diuini miniſterij maieſtas, conſilium ex re præſenti capiendum eſt. Nam in iſtum modum detracta bonæ opinionis pietatíſque larua & monſtrata peccati enormitate, aut emendationem promittunt qui peccarunt, aut manent pertinaces in ſua opinione, & pro hac ergo diuerſitate cum illis agendum erit.

Quomodo tractandus qui emendationem promittit.

Si promittit emendationem, qui ſimplicitate ſua abreptus erat in ſuperſtitionem magicam, & rectè inſtructus verbo Dei, tangitur vero dolore cordis propter peccatum à ſe commiſſum, hortabitur eum miniſter Euangelij ad pœnitentiam, monſtrabit gratiam ſuperabundare peccatum, oſtendet bonitatem Dei & clementiam non volentis mortem peccatoris, ſed conuerſionem vt viuat. Si hîc peccator admittit conſolationem, & erigitur diuinis promiſſionibus, confirmandus eſt in eo propoſito, & admonendus ne ſe rurſus in laqueos Diaboli ob vlla terrena commoda pertrahi ſinat, & ſignificandum eſt illi, quàm periculoſum ſit peccatum verè agnitum iterare. Nam inde paulatim dedolentia quędam naſcitur. Atque ita inſtructum & admonitum in pace gratiis Deo actis, abire iubeat.

Regulæ de peccatis publicè notis aut non.

Verùm quia factum ipſum aut publicè notum eſt, aut non, teneātur hæ regulæ, ex lege charitatis & ex verbis Domini, Matth. 18. extructæ.

Prima, ſi publicè notum fuit factum, publicè miniſter verbi declaret peccantis conuerſionem, vt tollatur ſcandalum, deprecetur nomine rei culpam apud Eccleſiam, petet preces ad Deum pro eo fieri, vt in poſterum caueat Diaboli inſidias: moneat quoque totum cœtum, vt vigilet & oret, ne quis inſidiis Diaboli circumuentus, gratia excidat.

Secunda, ſi factum publicè non innotuit, charitas ſuadet, vt miniſter Euangelij delictum fratris tegat. Hoc enim modo & ſcandalum vitatur, & famæ proximi conſulitur. Atque hoc eſt quod Dominus vult cùm ait: Si peccauerit in te, id eſt, te conſcio, frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum, ſi te audiuerit, lúcratus eris fratrem tuum.

Pertinaces [illegible]

At ſi manet pertinax in ſuo propoſito, nec vult reſipiſcere, miniſter verbi regulam Domini ſequatur & adiungat ſibi vnum atque alterum virum grauem, vocétque reum, vt oratione, doctrina, admonitione, & obiurgatione conuincatur de ſuo errore. Quod ſi conuictus reſipuerit, agatur cum illo, iuxta regulas quas modo tradidimus. At ſi contumax eſſe perrexerit, excommunicatione feriendus eſt, vt pudore ſuffuſus tandem ſapiat. Verùm ſi non corrigitur excommunicatione, ídque breuiſſimo temporis ſpacio (Nam mora periculum habet, ne alij contagione polluantur) res deferatur à miniſtro verbi, ad politicum magiſtratum, vtriuſque tabulæ cuſtodem, cuius officium eſt tollere ſcandala, vel exilio, vel pœnis corporalibus, in iis præſertim, qui ſunt inſanabiles.

De pœnis eorum qui [illegible] artib. damna [illegible]

Expoſuimus hactenus noſtrum conſilium de iis, qui ſimplicitate quadam & obtentu pietatis magia vtuntur, in commodum, vt aiunt, aliorum, & oſten-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

& oſtẽdimus quomodo cum illis agendum ſit, quò ſanentur. Iam vno verbo de iis qui illicitis artibus, hominibus, animantibus, aut frugibus damna inferunt, dicemus. His conuictis legitimè de ſuo facinore, gladius politicus non parcet. Crudelis eſt enim miſericordia, in multorum damnum vni parcere. Quare dictum Bernhardi iuſtiſsimum eſt: Melius eſt vt pereat vnus quàm vnitas.

Cæterùm, quia miniſter verbi, ſalutem animæ miſeri quæret, vſitato in noſtris eccleſiis ordine agat cum reo. Hoc eſt *Primùm* inculcet reo, de quo ſumetur ſupplicium, magnitudinem & enormitatem peccati ſui, quam ſi agnoſcit, erigatur promiſsionibus, vt ſuprà monuimus. Deinde de ſupplicio quod ſuſtinebit ex ſentẽtia magiſtratus docebitur. Primùm, quod illud ſupplicium nequaquam ſit expiatio peccati ſui coram Deo. (Hîc enim vna mors Chriſti locum habet) ſed iuſta vindicta, quam magiſtratus ex mandato Dei exercet in eos, qui humanam ſocietatẽ ſcelerate læſerunt, & ſcandalo graui eccleſiam Dei vulnerauerunt. Satiſfit igitur non Deo per illud ſupplicium, ſed hominibus ſolummodo, qui læſi erant. *Deinde* ſupplicio afficiendus admonebitur, quòd tametſi ſupplicium quod ſuſtinebit, ex ſententia maſtratus, iuſta pœna ſit pro peccato: tamẽ fiat ſacrificiũ Deo gratum, modo tẽperetur fide, obedientia & patientia. Nã fides qua accipit remiſſionẽ peccatorum; obediẽtia, qua ſe Deo & legibus ſubijcit, & patientia, qua forti fert animo ſe propter ſuum peccatum puniri, notant ſupplicij conditionem, idque ex mera bonitate Dei, vt cultus Deo gratus euadat ex gratia, quod ſua natura iuſtum ſupplicium erat, iuxta illud; Pſal. 51. 19. Sacrificium Deo gratum Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies: huc exẽplum latronis qui cum Chriſto propter ſua malefacta cruci affixus eſt, pertinet. Hic enim fide adiunxit ſe Chriſto, voce clara iuſtum eſſe ſuum ſupplicium agnouit, atque ita Deo & legibus obtemperans, patienter pœnam quam meruerat, ſuſtinuit, non dubitans de promiſſione Chriſti, qui ſibi dixerat: Hodie mecum eris in paradiſo. Quod ergo Latroni natura ſua iuſta pœna erat, conuerſum eſt pœnitenti in magnum gaudium. Nam & in medio ſupplicio Spiritus Chriſti aſſiſtentia confortatus eſt, & morientis anima à crucis patibulo, in paradiſum beata & immortalis eſt ingreſſa. At ſiniſtri Latronis ſupplicium, quia non erat temperatum fide, obedientia et patientia, non fuit ſacrificium Deo gratum, ſed Diabolo iucundiſſimum ſpectaculum, qui effuſione ſanguinis humani mirum in modum delectatur. *Tertiò* docebitur reus de conſilio Dei, volentis ipſum in manus magiſtratus venire, & ab eo puniri propter ſua facinora. In hoc Dei conſilio, duo ſunt obſeruanda & reo diligentiſſimè inculcanda, videlicet Miſericordia Dei & Iudicium Dei. Miſericordiæ quidem eſt, quòd Deus facinoroſum ſupplicio inuitare ad ſeriam pœnitentiã velit. Multos facinoroſos cùm ducerentur ad locum ſupplicij audiuimus dixiſſe. Si Deus me in manus magiſtratus puniendum propter mea ſcelera non tradidiſſet, actum fuiſſet de mea ſalute, omnino in peccatis meis fuiſſem mortuus, æternùm damnandus. Nũc autem gratias ago Deo meo, qui ex ſua magna miſericordia me ad ſupplicium vocat, vt iſto pacto, me conuertat, & conuerſum ſanet. Exempla miniſtris verbi nota ſunt. Iudicij verò eſt, quo Deus propter conſeruandam & tuendam humanam ſocietatem, & eccleſiam, hanc diſciplinam velit conſeruari, vt qui publicè peccarunt, publicè etiam pœnas luãt. Hac enim ratione minuuntur ſcandala, tranquillitas conſeruatur, honeſtas defenditur, & pietas propagatur inter homines.

DE TERTIO.

De officio Chriſtiani Magiſtratus adu. Magos.

Tertio loco propoſui me dicturum aliquid de officio Chriſtiani magiſtratus ſeu Iudicis, ne quid faciat in iudicando contra conſciẽtiam, & quia nunc de magicis ſuperſtitionibus agitur, tria ordinẽ faciemus.

Primùm refutabimus eorum errorem, qui iudiciũ de rebus magicis ad politicum magiſtratum pertinere negant.

Deinde de accuſatione & eius variis modis quædam attingemus, vt iudex de hac re admonitus, diligentius de ſuo officio cogitet.

Poſtremò qualem oporteat eſſe iudicem, eiuſque ſententiam breuiſſimè exponemus.

1. Iudicium de rebus magicis ad politicum magiſtratum pertinet.

Error eorum qui iudicium de rebus magicis ad politicum magiſtratum, ſeu iudicem pertinere negant, nimis craſſus eſt, & indigna piis mentibus. Non enim intelligunt iſti magiſtratum eſſe cuſtodem vtriuſque tabulæ. Non perpendunt cur iudices in ſcripturis, Dij, Patres, & Paſtores cognominẽntur. Quò quæſo pertinebit diuini nominis communicatio, niſi vt admoneat iudicem ſeu magiſtratum politicum, vt cogitet ſummam & primam curam ſibi eſſe debere veræ religionis tradendæ, conſeruandæ & propagandæ, inter homines? Iám autem cùm vera religio, niſi deſtructa falſa religione tradi, conſeruari & propagari non poſſit, quis non videt piorum regum & principum, hoc eſt, ſummorum iudicum officium eſſe ſuperſtitiones omnes, inter quas vel primum locum occupant impoſturæ Magicæ, legibus & pœnis tollere? Eodem pertinet patrum & paſtorum appellatio, de qua aliàs diximus. Huc non ineptè referes duo illa Platonis præcepta, quorum Cicero meminit. Vnum: Quod qui præſunt reipublicæ, vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quicquid agant ad eam referant, obliti commodorum ſuorum. Alterum, vt totum corpus reipublicæ procurent, ne dum aliquam partem tuentur, reliquas deſerant. Iam verò qui negant ad iudicem politicum pertinere iudicium de rebus magicis, nõne tacitè vtilitatem ciuium, & procurationem totius corporis reipublicæ ad Magiſtratum pertinere inficiantur? Si quis obiecerit, nullam legem de iſtis rebus eſſe latam in hoc regno, audiat vocem Dei omnibus humanis legibus anteponendam: Exod. 22. 18. Maleficam ne patieris viuere. 1. Audiat leges Imperatorias, quæ idem ſeuerè imperant. Sciat conſuetudinem longam huius regni, cum verbo Dei & cum religioſorum imperatorum legibus congruentem, vim legis habere. Sed quid multis? Magiſtratus præcipuũ munus abolet, qui illius legibus & pœnis, manifeſtam nominis diuini profanationem coërcendi adimit.

2. Accuſationes in magos, veneficos, & Sagas, quales eſſe oporteat.

Accuſatio ſecundo loco ſequitur, de qua ideo dicam, quia interdum iudices, etſi norunt flagitia quæ committuntur: tamen ſe excuſant quò minus in flagitioſos animaduertant, propterea quòd nullus ſit qui accuſet: Ita enim admoniti de ſuo officio reſpondere ſolent. Verum hic ſciendum eſt, quòd tria ſint accuſandi genera. Primum, cùm publica fama aliquem notat & accuſat. Secundum, cùm in republica benè conſtituta, cenſores morum ad magiſtratum deferunt, quæ corrigenda & punienda iudicant. Tertium, cùm priuatim læſus accu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſitionem inſtituit coram legitimo Iudice. Quantum autem ad accuſationem, quæ ſit per publicam famam attinet, ſciat Chriſtianus Iudex ſuum officium eſſe in Republica ; quod eſt boni patris in familia. Quid hic facit bonus Pater? Si fama peruenerit ad ipſum eſſe in ſua familia hunc vel illum qui nequiter agit, nonne ſtatim omnibus modis inquirit, nec deſinit inquirere, donec ad veram rei cognitionem venerit ? Atque ita, quantum in ſe eſt, de ſua domo ſcandalum tollit. Si hoc facit Paterfamiliâs in vna domo, multò magis Chriſtiani Iudicis erit, & præſertim ſummi, qui Pater patriæ appellari gaudet, inquiſitionem ſeriam facere, vt tandem cognoſcat veráne ſit publica fama, an non, vt tollat ſcandala quibus multi offenduntur. Omitto breuitatis gratia exempla. De aliis duobus accuſationum generibus nihil opus eſt dicere, niſi vt ſecundum leges inſtituantur & determinentur, audita vtraque litigantium parte, iuxta illud Senecæ dictum. Qui ſtatuit aliquid, parte inaudita altera, æquum licet ſtatuerit, haud æquus eſt. Deinde vt litigantiũ, hoc eſt, accuſatoris & rei officium eſt tantummodo oſtendere rem ita eſſe, vel non eſſe: ſic factum, vel non factum eſſe: ita ſolius iudicis eſt rem vel factum iuſtum vel iniuſtum cognoſcere, & pronunciare, & non diſcere à litigantibus.

3. Qualem oporteat eſſe Iudicem.

Cæterùm, qualem requiro iudicem breuiſſimè accipite. Iudex ſit ſapiens, vt legem intelligat. Sit bonus, vt calumnias auerſetur. Sit prudens, vt legem rectè ad cauſſam accommodet. Potens, vt delinquentes coërcere & innocentes defendere poſſit. Sit timens Dei, ne quicquam ex priuatis affectibus agat, quo polluat conſcientiam ſuam, ſed omnia ad gloriam Dei, & vtilitatem reipublicæ, cui præeſt, referat; vt & nomen Dei, & paſtoris, & patris piè tueatur. Breuiter, cogitet ſe miniſtrum Dei eſſe, vt exerceat non ſuum ſed Dei iudicium. Qui enim ſuũ ex affectibus exercet iudicium, experitur aliquando verum dixiſſe Poëtam qui ait,

εὖ σὺ καλῶς δικάσῃς σε θεὸς μετέπειτα δικάσει.

1. An pœnas Legibus ſancitas Iudici remittere liceat.

Porro quia Iudex exercet non ſuum ſed Dei iudicium, cuius regula Lex eſt, duæ quæſtiones ſe hîc offerunt. Vna, an liceat magiſtratui aliquando reo cõtra legem apertam peccanti parcere, an non? Altera, an ἐπιείκεια, quæ cum verbis legis pugnat, ſit cuiuſuis Iudicis nec ne?

De prima quæſtione, videlicet, an liceat Iudici, delinquenti contra legem parcere an non. Hæc teneatur regula : Quando extrema voluntas legis patitur mitigationem, & qui peccauit, poteſt emendari ſine grauiori pœna, & ſocietas humana non periculoſè ſcandalo offenditur, poteſt Iudex Chriſtianus exemplo Dei (cuius vice in iudicando fungitur) vel mitigare pœnam, vel parcere omnino reo, modo ſuppliciter petat veniam, & ſeriam promittat emendationem.

Hæc regula copulatiuè eſt accipienda. Nam ſimul oportet finem, ſeu extremam voluntatem legis (quæ abſque omni dubio eſt pia ſocietatis humanæ conſeruatio) conditionem peccantis, & totum reipublicæ corpus intueri. His enim ſimul collatis & conſideratis, facilè intelligat prudens Iudex, quando Iuſticia, & quando Miſericordia ſit vtendum. Exemplis breuitatis gratia ſuperſedeo.

2. An cuiuis Iudici ex æquo & bono, rigore Legis omiſſo, iudicare liceat.

De altera quæſtione, an ἐπιείκεια, quæ cum verbis legis pugnat, ſit cuiuſuis Iudicis nec ne ? Sunt enim Iudices ſupremi, intermedij, & infimi ſeu populares. Si Iudex qui eſt infimi ordinis ἐπιείκειαν admittit, hoc eſt, ſi non iudicat ſecundum τὸ ῥητὸν legis, ſed, vt putat, ſecundum διάνοιαν, periculo ſe inuoluit, & calumniatoribus ſe exponit, ideo ſic agat, nõ ſtatim puniat iuxta verba legis, ſed cauſſam deferat ad ſupremum Iudicem, cuius ſolius eſt legem accommodare ad cauſſam, eámque interpretari, ídque cùm ex conſideratione finis vltimi legis, tum ex circumſtantiarum, perſonarum & rerum examinatione. Atque hoc faciet quando voluntas legiſlatoris cum verbis legis prudenti Iudici videtur pugnare, alioqui non. Nam ſi mens legis & τὸ ῥητὸν concurrunt, nullus locus ἐπιείκεια relinquitur. Hanc ἐπιείκειαν ideo eſſe ſupremi iudicis dixi, quia is ſolus viua Lex ſuorum eſt ciuium, cui reliquos omnes parere oportet.

Porro in ſententia ferenda, inter ſupremum Iudicem & ſubordinatum, tenendum eſt hoc diſcrimen. Supremus Iudex poteſt in ferenda ſententia probabiles coniecturas ex multis ſignis congeſtas, ſequi. Signorum enim plurium collatione certificatur Iudicis conſcientia, vt de qualitate cauſſæ non dubitet. De ſignis ergo rectè à Poëta dicitur ; Quæ ſi non proſunt ſingula, multa iuuant. At ſubordinatus Iudex debet habere vel ſpontaneam confeſsionem rei, vel teſtes ſufficientes, de quorum fide non hæſitat. Atque hæc cauſſa eſt, cur cauſſæ dubiæ ſupremo Iudici reſeruentur. Siquidem ſubordinatus Iudex non conſcientiæ ſuæ teſtimonio contentus eſſe debet, ſed teſtium quorum fides digna eſt, aſſeueratione, iuramento ſolenni adhibito, opus habet.

APPENDIX,

DE

QVINQVE CONSILIARIIS PESSIMIS.

Quinque ſunt Conſiliarij iniqui, qui cùm admittuntur, cum ſuis ſuffragiis, ad ferendam de quauis cauſa ſententiam, actum erit de æquitate.

Horum nomina ſunt:

1. *Beneuolentia.*
2. *Odium.*
3. *Contemtus.*
4. *Metus.*
5. *Spes.*

Hi enim ſæpe peruertunt iudicium, hoc eſt, iuſtificant impium & condemnant iuſtum.

1. *Beneuolentia*, ſontem ſæpè abſoluit vel contra leges manifeſtas, vel legibus Sycophantia deprauatis & iniquiſſimè detortis. Ideo Nazianzenus rectè dicit, *Beneuolentiam ſæpe facere vt Iudicem veritas vel fugiat, vel calumniis obruatur.* Hîc Iudex cogitet quid faciat, cùm Deum iniquæ ſententiæ teſtem faciat. Non enim ſuam, ſed Dei ſententiam pronuntiabit Iudex. Cùm igitur contra Deum pronuntiat, non tam Iudex quam Iudas cenſendus eſt.

2. *Odium* inſontem ſæpe condemnat ſimili modo, hoc eſt, aut contra legem manifeſtam, aut deprauatis legibus. Quid enim non audet odium, furori inueterato ſimile ? De his duobus iniquis conſiliariis, Deus hanc fert ſententiam apud Eſaiam,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Eſaiam,cap.1.23. Qui iuſtificat impium & condemnat iuſtum,vterque eſt abominatio coram. Domino Nec mirum eſt,cùm & mens eorum ſit polluta mala ſententia, & conſcientia contaminata malo propoſito,contra naturam fidei Chriſtianæ, & dilectionem fraternam, ſine quibus homines fruſtrà de Chriſtianiſmo gloriantur.

3. *Contemtus* & reum & pauperem negligit. Reum quidem vt indignum, cuius magna habeatur ratio, ſiue damnetur, ſiue abſoluatur: Pauperem verò, vt indignum,cuius nomine Iudex moleſtiam in examinanda cauſa ſibi ſumat. Narratur hiſtoria de quadam fœmina paupere, quæ affecta iniuria à quodam ciuium ſuorum, venit ad Regem, conqueritur de iniuria ſibi facta. Rex autem accinctus itineri, reſpondet,ſibi otium non eſſe iſtam controuerſiam audire: cui mulier, Eſtne tibi otium vt Rex ſis & ſaluteris? Hoc audito,Rex incipit cogitare de Regis officio, & vocato aduerſario mulieris, & auditis vtrinque partibus, mulierem inſontem pronunciat. Si hoc fecit Iudex Ethnicus,quid faciet Chriſtianus?

4 *Metus* declinat pericula. Iudices enim,præcipuè qui ſunt plebeij ordinis, cùm non poſſunt ſuſtinere potentum iram, ſæpe non tam in gratiam eorum pro quibus inuiti iudicant, quam vt ipſi vitent pericula,peruertunt iudicium. O quanta eſt hæc impietas, plus hominem quàm Deum timere! Magis metuere pulueris & cineris indignationem, quàm iram Dei!

5 *Spes*, quintus Conſiliarius iniquus, cùm ſibi amicos conciliare cogitat,placentia pronunciat: ex quo fit, vt iuſtus cauſa excidat & contra eum pronuncietur. Norunt fortè Iudices ipſi, non eſſe huius rei rara exempla. Cùm antiquas leges ſibi aduerſari vident,confugiunt ad nouas. Si hæ aduerſantur, interpretationem quærunt, non ex Legiſlatoris mente,ſed ex priuatis affectibus, quos in iudicium adferunt.

Vt autem Chriſtianus Iudex non det locum iſtis iniquis Conſiliarijs, exiſtimet ex verbo Dei quanta ſit grauitas peccati Iudicis, aliquem inſontem condemnantis, & quanta pœna iſtud peccatum aliquando excipiat. Nam qui aliquem iniuſtè condemnat, primùm quantum in ſe eſt, Deum homicidam facit. Deinde ſeipſum abominabilem reddit coram Deo, vaſtata conſcientia & excuſſa fide. Ad hæc, quando innocentem iniuſtè condemnat, notam ipſi infamiæ poſt mortem inurit, quæ infamia tranſit in familiam, & alios amicos. Prætærea ſocietatem humanam, quam conſeruare deberet, fœdè lacerat, dum eius partem aliquam iniuſtè deſtruit. Poſtremò, vt triſtitiam adfert bonis Dei Angelis, quos Deus hominibus attribuit cuſtodes: Ita exhilarat Diabolos, qui homicidijs aliiſque iniuſtis ſententijs delectantur. Hoc ſi cogitarent Iudices, non facilè perſonarum acceptio eos à recto abriperet, nec ſe ſocios facerent malignorum ſpirituum, qui nulla re magis delectantur, quam ſi videant homines in mutuam perniciem incumbere.

LIBELLVS DE CONIVGIO, REPVDIO, ET DIVORTIO.

IN GRATIAM FRATRVM, QVI IVDICES cauſarum matrimonialium in Regnis Daniæ & Nornegiæ conſtituti ſunt, cònſcriptus à

NICOLAO HEMMINGIO D.

I. DE CONIVGIO.

Tres variæ appellationes.

TRes ſunt appellationes præcipuæ, quibus copula coniugalis apud Latinos ſignificatur, videlicet, Nuptiæ, Coniugium, & Matrimonium: quæ appellationes, tametſi non re, ratione tamen quadam differunt, ſingulæque coniuges de officio monent.

Nuptiæ, vnde dictæ.

Nuptiæ dicuntur à geſtu ſponſæ. Nam ſponſa, cùm in domum ſponſi duceretur, velabat faciem, & flammeo, hoc eſt, velamine matronali, vultum & caput veluti quadam nube obtexit, ídque in ſignum caſti pudoris, liberalis ſubiectionis, & firmi propoſiti, quod ſponſa ſtatueret ſub tectum ſolius mariti degere, eiúſque ſolius thoro contenta eſſe. Ex quo factum eſt, vt hæc copula, nuptiæ & connubium dicatur, etſi poſtea vox nuptiarum apud ſolas ceremonias & ſolennitates nuptiales remanſerit.

Coniugij vox vnde.

Coniugium appellatur à iugo, eò quòd coniuges ſtabili iugo, parique iunctos eſſe oporteat, ſeu quod ſint eiuſdem iugi conſortes. Quo ſymbolo indicatur, quòd parem conatum, curam, amorem ſtudiúmque in conſortibus eſſe deceat, vtque mutuis officijs, paribúſque obſequijs coniuges ſe complectantur, domum regant & adminiſtrent. Huc reſpexit Sapiens, cùm de impari coniugio diceret: Βοοζύγιον σαλευόμενον γυνὴ πονηρὰ, hoc eſt, Mulier mala eſt tanquam iugum bouis inſtabile, vt quod huc illuc agitetur inconſtans.

Matrimonium, quare dicatur maritalis copula? intelligemus, ſi cur facultates quas liberis relinquunt parentes, patrimonij nomen acceperint, cognouerimus. Cùm ergo non ſit dubium, facultates, quas parentes liberis relinquunt, ex eo dictas eſſe patrimonium, quòd potiſsimùm patris induſtria, labore, & ſolicitudine ſint acquiſitæ; ſequitur matrimoniũ dici ab induſtria, labore & ſolicitudine matris, in pariendis, fouendis, curandis & educandis prolibus: quæ pignora, tanquam certiſsima amoris mutui, & indiſſolubilis copulæ argumenta, nominantur. Tametſi autem ſæpe contingit, vt coniuges abſque prolibus viuant: tamen denominatio rectè à conſilio & propoſito contrahentium deſumta eſt, & non ab euentu qui eſt incertus. Atque hactenus de appellationibus. Matrimoniũ, quare dicatur maritalis copula.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Vnde pendet doctrina de coniugio.

Porrò cùm vniuerſa de coniugio doctrina, pendeat ab eius iuſta definitione, ex verbo Dei rectè extructa, in principio definitionẽ coniugij tradã. Deinde, quoniam in definitionis analyſi, offerent ſe omnia, quæ de coniugio vtiliter dici poſſunt, ea quoque pertractabimus, qua poſſumus ſumma perſpicuitate, diligentia, ac fide. Deinde, de repudijs & diuortijs dicturi.

Moſes plenè de coniugio ſcripſit.

Etſi autem Iuriſconſulti & Canoniſtæ ſuas habent definitiones eruditas & bonas, quas in declaratione definitionis, quam dabimus, per occaſionem attingemus: tamen hac vice nobis placet paulò pleniorem definitionem, ab ipſo Moſe, qui primus de coniugio ex ore Dei ſcripſit, deſumtam, proponere. Hic ergo capite ſecundo Geneſ. hanc definitionem coniugij nobis ſuppeditat.

DEFINITIO CONIVGII.

CONIVGIVM eſt diuinitus ordinata, vnius maris & vnius fœminæ, legitimè conſentientium, in vnam carnem, mutui adiutorij cauſa coniũctio. Hæc definitio plena eſt, in qua nec quicquam redundat, nec quicquam deſideratur. Omnibus enim partibus iuſtæ definitionis conſtat. Quare non dubium eſt, quin quicquid de coniugio vtiliter dici poſsit, ex hac definitione, tanquam ex fonte fluat.

ANALYSIS DEFInitionis.

Hanc definitionem, ſi retexuerimus in ſuas, ex quibus contexta eſt, partes quinque inueniemus, quas diſtinctè proponemus & declarabimus.

Prima, quiſnam ſit coniugij autor.
Secunda, quæ ſit coniugij materia.
Tertia, quæ ſit coniugij cauſa efficiens.
Quarta, quæ ſit coniugij forma.
Quinta, quis ſit finis coniugij.

DE PRIMA.

1. Quis ſit autor coniugij.

DEVM ipſum autorem, conciliatorem, & approbatorem eſſe coniugij, prima definitionis pars oſtendit, & ex ſecundo cap. Geneſ. manifeſtum eſt. Ex hac definitionis parte tanquam ex immoto principio, vt multa extruuntur in laudes coniugij: ita multi pernicioſi errores, quibus nonnulli deformarunt hanc Dei ordinationem, clariſsimè refutantur. Quid enim, quæſo, laudabilius eſſe poteſt, quàm à Deo eſſe profectum? Quis eſt, qui opus Dei accuſare, & ordinationi ipſius quicquam detrahere audebit, niſi ab impuro dæmonio impulſus?

Coniugij ſtatus bonus & ſanctus eſt: vt ex inſtitutionis circunſtantijs colligitur.

Primùm itaque, cùm coniugium prædicatur eſſe ordinatio diuina, neceſſe eſt, vt coniugij ſtatum, ſanctum & bonum eſſe fateamur: cùm certum ſit, nihil niſi ſanctum & bonum, manare poſſe à ſanctitatis & bonitatis fonte Deo. Is enim & coniugium ſapienter inuenit, & vtiliter ordinauit, ídque non in pœnam, ſed in bonum eorum, qui coniugio piè copulantur, & in ſuam gloriam, quemadmodum ex circunſtantijs inſtituti coniugij promtum eſt colligere. 1. In paradyſo enim ſanctiſsimo loco initium cœpit coniugium, ídque ante lapſum primorum coniugum. Proinde nullo pacto ſentiendum eſt, quòd coniugium ſit ordinatum in pœnam. Non enim pœna præcedit, ſed ſequitur culpam. 2. Cœptum eſt coniugium inter ſanctiſsimos homines Adam & Euam, tum alienos ab omni labe & peccato. 3. Ipſe Deus ſancto ſponſo ſanctam copulauit ſponſam, & copulatis benedixit, tanquam ſuæ ſanctiſsimæ ordinationi. 4. Neque hæc benedictio ad perſonas illas ſolummodo, quæ tum præſentes aderant, referenda eſt, verum etiam ad ipſam Dei ordinationem in omnes poſteros Adæ. Tametſi autem poſtea aſtu Satanæ ſubintrauit peccatum in mundum, quo omnes homines natura polluti ſunt: tamen ſanctitas coniugij, vt ordinationis Dei, perpetua eſt. Peccatum quidem polluit contrahentes: ordinationem tamen Dei non vitiat. Huc reſpiciens Apoſtolus, Heb. 13. 4. Honorabile ſeu precioſum eſt coniugium in omnibus, & thorus immaculatus. Hîc profectò Apoſtolus, & coniugium honorabile ſanctúmque vult haberi: & ipſum thorum, hoc eſt, congreſſum piorum coniugum, immaculatum, hoc eſt, ſanctum, cenſeri poſtulat. Quis, quæſo, mortalium, in hac clariſsima veritate non acquieſcit, qui verbum Dei in aliquo loco habet?

Obiectionis dilutio.

Sit proinde hoc ante omnia infixum animis noſtris aduerſus omnes, qui vel minimum detractum volunt huic Dei ordinationi, quod coniugium non ſit immunditia, ſed res ſancta, immaculata, precioſa, omnibus hominibus & ſtatibus hominum conceſſa. Quod qui negant, Deum abſque omni dubio autorem malorum tacitè ſtatuunt, quicquid verbis ſimulent.

Cõſequẽs ſummum ſuperiorum argumentorum: ordinationis diuinæ hoſtes eſſe quos numerantur.

Tacianus, à quo ſuum venenum ſuxêre Encratitæ, nuptias vocat πορνεῖαν, φθορὰν, μῦσος, βδέλυγμα, hoc eſt, ſcortationem, corruptionem, ſcelus, abominationẽ. Et addit, Nihil planè differre matrimonium à ſcortatione, nec quenquam ſaluari poſſe, qui coniugium ſit amplexus, adeò quod nec Adam quidem ipſius ſententia ſit ſaluatus. Quis non exhorreſcit ad hanc blaſphemiam? Quis non videt iſtam blaſphemam vocem, manifeſtè pugnare cum veritate Dei, quam propoſuimus? Quis non intelligit impurum iſtum nebulonem, confuſionem à Diabolo inuectam, confundere cum ordinatione Dei bona? Quare non immerito Paulus, de ipſo & eiuſdem farinæ hæreticis prædicens, vocat illorum furores, doctrinas Dæmoniorum, 1. Timoth. 4. 1.

Tacianus & Encratitæ.

Fuerunt multi, qui tametſi primas nuptias vtcunque ferebant, de ſecundis tamen variè iudicabant. Quidam enim eas prorſus damnabant. Nonnulli, vt Athenagoras, σεμνὴν μοιχείαν definiuerunt. Sed horum vanitatem ſuo loco videbimus.

Secundarum nuptiarum hoſtes.

Pontificij, etſi coniugium ipſum non videntur damnare, (Nam illud titulo Sacramenti ornant) tamen cùm vſum coniugij coniunctum eſſe cum peccato, fabulantur, re ipſa cum Encratitis ſentiunt. Quis enim rem probauerit, cuius vſus improbetur, quáque vti non liceat ſine peccato? Sed quónam, quæſo, nituntur fundamento? Coniuges, inquiunt, mutua concupiſcentia ardent, ſine qua opus generationis iacet: Concupiſcentia autem peccatum eſt, vt carnis opus. Proinde vſus coniugalis cum peccato coniunctus eſt. Sed falluntur & fallunt Papiſtæ, cùm non diſcernunt inter concupiſcentiam ordinatam, imò creatam à Deo, & concupiſcentiam ruentem contra ordinem diuinum. Nos autem ex verbo Dei nouimus, diſcernendum eſſe inter concupiſcentiam honeſtorum coniugum, quæ Deum autorem habet, & concupiſcentiam carnis: id eſt, vitioſitatis naturæ, quæ limites ordinationis diuinæ tranſgreditur, qualis eſt perditè & contra ordinem diuinum ſe amantium. Deinde carnis opus duplex eſt, licitum & illicitum. Licitum, quod non pugnat cum ordinatione Dei, nec aduerſatur charitati Dei aut proximi. Illicitum autem, quod huic aduerſatur. Nec iuuat cauſam eorum dictum Dauidis: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Non enim rectè inferunt, Dauid eſt conceptus in peccato: Ergo complexus piorum coniugum eſt peccatum. Nam cui perſuadebunt,

Pontificij.

Pontificiorum fundamentum.

Encratitæ Papiſtæ.

Exceptio.

Reſponſio.

perſuadebunt, quòd Dauid hîc transferat culpam ſuam in matrem,& non conqueratur potius de contagione & reatu totius humanæ naturæ, propagatæ ab vno Adam? Nullo proinde modo, opus generationis in ſanctis coniugibus pollutum eſſe pronunciat Dauid, neque ſtatus coniugalis ab eo carpitur, neque congreſſus piorum coniugum, qui fit in timore Dei, taxatur. Eſt enim ſancta Dei ordinatio, & opus Deo acceptum. Senſus proinde verborum Dauidis hic eſt, In iniquitatibus conceptus ſum, id eſt, mox in conceptione fui pollutus communi naturæ vitio, & in peccatis concepit me mater mea, id eſt, cùm conciperer in vtero matris meæ, fui reus, ídque ex iuſto Dei iudicio. Propter vnius enim peccatum, rea eſt facta tota humana natura, Rom.5.

Pontificij, cum Taciano & Encratitis conueniũt.

Cæterùm, cùm Papa ſuis ſacrificulis legem perpetui cœlibatus opponit, tametſi multa videtur cumulare argumenta, quibus ſimpliciores ſeducit, eodem tamen quo Tacianus & Encratitæ fundamẽto nititur. Omnia enim argumenta Papæ de cœlibatu ſacerdotum hinc fluunt, quòd tacitè ſtatuat coniugium eſſe rem prophanam, & immundam. Quod vt clarius pateat, argumenta Innocentij III. in formas dialecticas retexta proponam, vt nuditas Babylonicæ meretricis conſpiciatur. Habetur autem Innocentij decretum, diſtinctione 82. capite *Propoſuiſti*, in quo capite Innocentius ſecutus veſtigia Siricij, tanquam principium ſibi ſumit ad abolenda coniugia ſacerdotum, quod coniugium ſit res prophana & immunda. Quod etſi verbis non dicit, ex conſecutione tamen argumentorum ipſius ſequitur.

Propoſitio.

Propoſitio probanda in nominato capite hæc eſt: Sacerdotes non debent eſſe coniuges. Hanc propoſitionem confirmat ordine, his argumentis.

Argumẽta Pontificia aduerſus coniugium, & eorundẽ refutationes.

Primum, Coniuges ſunt incontinentes. Sacerdotes non debent eſſe incontinentes. Igitur Sacerdotes non debent eſſe coniuges. *Reſp.* Etſi fateor inueniri quoſdam incontinentes coniuges, qualis eſt maxima cœlibum turba: tamen non rectè culpa hominum transfertur in rem, qua homines & rectè & malè vti poſſunt. Deinde, Paulus ex ſpiritu Dei pronunciat, coniugium eſſe remedium aduerſus incontinentiam, 1. Corinth. 7. Quis ergo credet Innocentio, qui ex ſpiritu Montani contrarium docet?

Secundum, Leuitici Sacerdotes abſtinebant eo anno à coniugibus, quo ſacra in templo adminiſtrabant: Ergo Chriſtiani Sacerdotes, qui ſemper in templo ſacrificant, debent ſemper abſtinere. Idcircò prorſus à coniugio alieni eſſe debent. *Reſp.* In hoc argumento multa ſunt vitia. Primùm, non poſſunt Papiſtæ docere, quòd Leuitici Sacerdotes, toto tempore vicis ſuæ abſtinuerint ab vxoribus. Debili igitur fundamento nituntur. Deinde in hoc peccat argumentum, quòd id quod omnibus Chriſtianis eſt commune, proprium ſacerdotum eſſe nugatur. Verùm ſi de Miſsis intelligunt, ſicuti reuera faciunt, nouimus Miſſam illorum horrendam eſſe prophanationem, & non minus execrandam, quàm Sodomiticam abominationem.

Tertium, Quicunque ſeruiunt iugiter ſacris oblationibus, puri & ab omni labe purgati eſſe debent. Sacerdotes iugiter ſeruiunt ſacris oblationibus: Igitur ſacerdotes puri & ab omni labe purgati eſſe debent. Ex quo ſequitur, Sacerdotes non debere eſſe coniuges. *Reſpon.* Quis non videt hæc profecta à Montani ſpiritu, & non à Chriſti ſpiritu. Siquidem Apoſtolus per ſpiritum Chriſti loquens, thorum coniugalem, ſanctum & immaculatum eſſe pronunciat. Gloſſator Decreti multò rectius, qui audet contra Papam dicere, matrimonium eſſe rem ſanctiſsimam.

Quartum, Sacerdotes debent eſſe ſancti. Coniuges non ſunt ſancti. Ergo Sacerdotes non debent eſſe coniuges. *Reſpon.* Hoc argumentum extruit Papa ex verbis Domini, Leuit. 20.26. Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Gloſſator hoc loco contra Papam argumentatur, ab autoritate Nicenæ Synodi. Contrà eſt, inquit, Nicena Synodus, quæ caſtitatem concludit eſſe concubitum cum propria vxore.

Quintum, Quibuſcunque ſacrificandi & orandi iuge officium eſt, ſemper abſtinebunt à coniugibus. Sacerdotibus iuge ſacrificandi & orandi officium eſt. Igitur Sacerdotes non debent eſſe coniuges. *Reſpon.* Hoc argumentum re ipſa conuenit cum ſecundo & tertio. Sed & maior & minor falſa eſt. Nam vt multi ſancti coniuges fuêre & ſunt, qui & ſemper orabant, & vera ſacrificia quotidie offerebant: ita non ſacerdotum tantùm eſt, veras hoſtias offerre, ſed omnium piorum, ſiue ſint coniuges, ſiue celibes. Offerre autem in Miſſa Papiſtica Filium Dei, (hoc enim Papiſtæ officium iuge ſacrificulorum definiunt) non eſt officium, ſed contra officium, cùm ſit mera abominatio à Deo damnata. Sed de idolo Papiſtico, vide quæ annotauimus in Pſalm. 84.

Sextum, Contaminati carnali concupiſcentia non exaudiuntur. Sacerdotes debent exaudiri. Igitur non debent contaminari carnali concupiſcentia. Hinc vult inferre Innocentius, Sacerdotes debere eſſe celibes, quaſi omnes coniuges eſſent contaminati carnali concupiſcentia. *Reſpon.* Hoc argumentum petunt ex verbis Pauli, Tit. 1.15. Omnia munda mundis, pollutis autem & infidelibus nihil eſt mundum, quorum & mens & conſcientia polluta eſt. Quis hîc non agnoſcit Montani ſpiritum, qui pollutum pronunciat, quod Spiritus ſanctus ſanctum eſſe affirmat. Deinde, malignè torquet verba Pauli ad ſuam Sodomiticam caſtitatem. Neque enim Paulus eo in loco confert inter ſe celibes & coniuges, ſed impios Iudæos (delectum ciborum ſuperſtitioſè docentes) & pios ex gentibus conuerſos. Illorum mentem pollutam ait: atque ideò omnem illorum cibum immundum concludit: horum autem mentem mundam affirmat, atque adeò omnem cibum eorum mundum pronunciat, ſiue ſint coniuges, ſiue celibes. Deinde, de exauditione dico, quòd vnicum habeamus Sacerdotem, quem ſcimus exauditum eſſe, Ieſum Chriſtum, cuius interceſsione omnes qui ex fide inuocant, exaudiuntur, ſiue ſint coniuges, ſiue celibes. Quis non ex hoc argumento intelligit, quid ſentiat Innocentius de coniugibus, quorum & mentem & conſcientiam pollutam eſſe ſubindicat? Imò niſi ſic ſentit, nulla eſt conſecutionis argumenti ipſius neceſsitas.

Septimum, Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Coniuges ſunt in carne. Igitur coniuges Deo placere non poſſunt. Sacerdotes itaque cum debeant placere Deo, non poſſunt eſſe coniuges. *Reſpon.* Huc renitentem & inuitum obtorto collo trahunt Apoſtolum, cuius verba hæc ſunt, Rom. 8.8. Qui autem ſunt in carne, Deo placere non poſſunt: Vos autem non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. Quis non riſerit ineptias iſtius Pontificis? qui ita verba Pauli accipit, quaſi diſtingueret inter coniuges & Sacerdotes, vt coniuges dicantur in carne eſſe, Sacerdotes autem in ſpiritu: cuius vanitas indigna eſt reſponſo. Nemo enim tam rudis erit, qui vel elementa religionis didicit, qui non intelligat, Papam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

iſtum ludere, quòd ita in alienum ſenſum verba Apoſtoli torquet. Paulus vult, homines iuſtificatos fide ſeruire Deo per iuſtitiam, & non indulgere vitioſitati naturæ ad perpetrandam iniuſtitiam: vt eſſe in carne, ſit nihil aliud, quàm obedire carni in concupiſcentijs damnatis à Deo, & eſſe in ſpiritu, ſit, ſpiritui fide ſe ſubmittere per nouam obedientiam.

Præter hæc ſeptem argumenta Innocentij & Siricij habent & alia, quorum præcipua attingam.

Octauum, Qui ducit vxorem, ea quæ ſunt mundi, curat, 1. Corinth. 7.33. Sacerdos non debet curare quæ ſunt mundi, ſed quæ ſunt Dei. Igitur Sacerdos non debet vxorem ducere. *Reſpon.* Maior comparatiuè accipienda eſt. Qui ducit vxorem, curat quæ ſunt mundi, ſcilicet, plus quàm celebs habens donum caſtitatis. Nam celebs non habens donum caſtitatis, non tam curat quæ ſunt mundi, quàm quæ ſunt immunda. Ad minorem dico. Sacerdos non debet curare quæ ſunt mundi, quatenus impediunt ipſius miniſterium, & auocant à confeſsione tempore perſecutionis, quale tum fuit, cùm Paulus hæc ſcriberet.

Nonum, Sacerdotum ſtatus debet eſſe perfectior. Cælibatus eſt perfectior coniugio. Igitur Sacerdotes non debent eſſe coniuges. *Reſpon.* Primùm dico, perfectionem ſtatus Chriſtianorum non poſitam eſſe in vitæ genere, ſed in animo & propoſito, videlicet, cùm homo pius obedientiam erga Deum, omnibus rebus mundi, atque adeò propriæ vitæ anteponit, ſiue ſit coniugiatus, ſiue celebs. Deinde quantum ad minorem attinet, dico, coniugium nequaquam poſtponendum eſſe celibatui, propter perfectionis meritum. Non enim Abraham poſtponendus eſt Ioanni, quia ille maritus, hic celebs fuit. Concludo itaque, celibatum non eſſe meliorem coniugio, ἁπλῶς, ſed κατά τι, hoc eſt, non bonitate operis, ſed vſu, idque nec ſemper, nec in omnibus, ſed ſolummodo in ijs, qui donum habent continentiæ. Hanc eſſe ſententiam Pauli non negabit, qui textum inſpexerit.

Argumẽta quibus probatur coniugiũ miniſtris eccleſiæ eſſe liberum.

Porrò, tametſi ex ijs quæ hactenus diximus, patere exiſtimo, quàm ſit impium interdictum, quo Sacerdotes arceantur à nuptijs: tamen vt fortius premantur aduerſarij, & habeant pij præcones Euangelij, quo ſuas conſcientias aduerſus impia Paparum decreta muniant, quædam argumenta notabo, quibus nuptias Sacerdotibus liberas eſſe diuino iure demonſtrabimus, & cum Deo pugnare omnes, qui imponunt perpetui celibatus iugum vlli hominum ordini.

A nominibus cõiugio tributis.

Primum, Quod ſanctum eſt, honorabile, & immaculatum, nullis ordinibus aut ſtatibus hominum eſt illicitum. Quomodo enim illicitum, quod ſanctum eſt? Quomodo illicitum, quod eſt honorabile? Quomodo illicitum, quod eſt immaculatum? Neque enim prophanat quod eſt ſanctum, neque vitiat quod eſt honorabile, neque polluit, quod eſt immaculatum. Cùm igitur Spiritus ſanctus, coniugium ſanctum, honorabile, & immaculatum eſſe affirmet, ſicuti ſuprà à nobis demonſtratum eſt. Quis ſanæ mentis audebit ſe Spiritui ſancto opponere? & arcere Sacerdotes à nuptijs, tanquam eorum ſtatu indignis, niſi impuro Montani ſpiritu fuerit agitatus?

A particula vniuerſali.

Secundum, Autor Epiſtolæ ad Hebræos clarè & disertè ponit particulam vniuerſalem, cùm affirmat, nuptias ἐν πᾶσι in omnibus, eſſe honorabiles. Hîc neceſſe eſt, vt retineamus particulam vniuerſalem & eam applicemus, & omnibus hominibus aptis ad coniugium, & omnibus partibus coniugij. Cùm igitur Papa autoritatem Apoſtolicam mentitus, excipit ſacerdotes, ſatis oſtendit ſe non Apoſtolico, ſed apoſtatico ſpiritu Regi. Nam manifeſta contradictio eſt, honorabiles eſſe nuptias inter omnes, & non eſſe honorabiles inter Sacerdotes. Quicunque ergo ſtatuit Deo obediendum eſſe magis quàm homini, Apoſtolum & non apoſtatam ſequendum eſſe ſciat. Græcus ſcholiaſtes admodum eleganter vniuerſalem particulam partibus coniugij accommodat: Τίμιος, inquit, ἐν πᾶσι ὁ γάμος, οὐκ ἐν τούτῳ μὲν τῷ μέρει τίμιος, ἐν ἑτέρῳ δὲ οὐκέτι, ἀλλ᾽ ὅλος δι᾽ ὅλου πᾶσι τρόποις τίμιος. Hæc interpretatio includit priorem, & omnem exceptionem, quam Papiſtæ afferre poſſunt, euertit.

A permiſſione Apoſtoli.

Tertium, Epiſcopum, inquit doctor gentium, oportet irreprehenſibilem eſſe, vnius vxoris maritum, &c. Si ergo habere vnam vxorem caret reprehenſione, quicunque Sacerdotibus interdicit nuptias, Paulo ſe opponit, vt qui reprehendat, quod Paulus non reprehendendum eſſe pronunciat, atque adeò Deum in Paulo loquentem contemnit. Proinde cùm Spiritus ſanctus in Paulo nuptias Epiſcoporum probat, vt irreprehenſibiles, quis feret Siricium, Nicolaum, Innocentium, aut alios Papas, Montani ſpiritu afflatos, ſibi legem celibatus tanquam neceſſariam imponere? Innocentius Papa hoc argumentum ex Paulo deſumtum eludere conatur, cùm ait: Sed fortè, inquit, hoc ſibi licere credet, quia ſcriptum eſt: Vnius vxoris virum. Non dixit hoc, vt permaneat in concupiſcentia generandi, ſed propter incontinentiam futuram, hoc eſt, propter incontinentiam quam metuebat Apoſtolus. Sed quis non videt Papam ſe ſuo gladio confodere? Nam ſi Paulus, metuens futuram incontinentiam, vult Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum, cur non Papa idem periculum metuit? Alij, vt refert Græcus ſcholiaſtes, dicunt, vnius vxoris, id eſt, vnius Eccleſiæ, oportet Epiſcopum, hoc eſt, ſacerdotem eſſe, ſed pudendo errore. Nam Paulus in eo loco, non loquitur de officio Epiſcopi, ſed de conditione ſeu qualitate perſonæ Epiſcopi.

A mandato incontinentibus propoſito.

Quartum, Omnis qui continere ſe non poteſt, & vocatur & mandato Dei, per Paulum loquentis, obligatur ad coniugium. Vnuſquiſque, inquit, propter fornicationem (ſcilicet vitandam) propriam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum. Verbum ἐχέτω imperantis eſt, & non liberum permittentis. Hoc mandatum cùm ſit vniuerſale, nullam prorſus exceptionem admittit. Siue ergo ſit Sacerdos, ſiue Monachus, qui vritur, hoc eſt, vincitur à flammis libidinum, ita vt ſcortationem aut aliam immunditiem nefandam meditetur, Deo potius quàm homini obedientiã debet, ne contẽpto hoc Dei mãdato, in laqueos Diaboli, propter incontinentiam ſuam incidat. Fit enim violenta continentia vt plurimum laqueus Satanæ, quo inuoluuntur homines, vt tandem ruant in varias concupiſcentias, donec prorſus à Deo deficiant ad impuras & damnatas libidines: quemadmodum videre eſt in regno Pontificio, in quo lupanaria præferuntur honeſtis nuptijs, vt manifeſtum eſt in illo, quod iactabatur à Papiſtis, tempore Valdrici Auguſtani: Honeſtius eſt, inquiunt, pluribus occultè implicari, quàm apertè & in hominum vultu & conſcientia cum vna ligari. τὰ ἄρρητα σιγᾶν βέλτερον.

ab exemplo Synodi Nicenæ.

Quintum, Nicena Synodus, etſi inclinauit in celibatum Sacerdotum: tamen audita ſententia Paphnutij, pro coniugio Sacerdotum pronunciauit. Ita enim (vt doctiſsimus Gallus hiſtoriam recitat) in actis Synodalibus ſcriptum eſt: In media Epiſcoporum

porum turba, diuinus Paphnutius magna voce clamans: Ne, inquit, aggrauate Sacerdotum iugum, cùm honoratæ ſint in omnibus nuptiæ, & cubile impollutum, ne potius iſta ſummè exacta ſeueritate, detrimentum Eccleſiæ afferatis. Nec enim omnes tuendæ iſti rationi vitæ ab omnibus iſtiuſmodi affectibus alienæ pares eſſe poſſunt. Nec quiſquam, opinor, caſtitatem ſeruabit, ſi vxores ſuis maritis priuentur. Aio verò, honeſtam etiam caſtitatem eſſe, cuiuſque cum legitima vxore concubitum. Hæc Paphnutius, in cuius ſententiam itum eſt à toto conſilio.

Ab exemplis. *Sextum*, Exempla laudatorum Sacerdotum, in veteri & nouo Teſtamento, vim regulæ habent, præſertim cùm ſcripturis congruant. Rectè igitur Syneſius affirmat, ſe non dimiſſurum vxorem, quam & Deus, & Lex, & Epiſcopi in manus tradidiſſent.

A Christi præcepto. *Septimum*, Chriſtus Matthæi 19. vult omnes remedio diuinitus dato, hoc eſt, coniugio vti, niſi quos vel natura ineptos ad coniugium procreauit, vel caſus impotentes reddidit, vel gratia continentes fecit. Qui plures eximunt à lege coniugij, Chriſto aduerſantur, & eius doctrinam conantur corrigere.

Quatuor exceptiones pontificiæ. Porrò cùm Papiſtæ ſe hiſce ſolidis rationibus adeò vrgeri animaduerterunt, vt cauſa prorſus cecidiſſe videantur, alia via aggrediuntur, & nouis technis conantur Sacerdotum celibatum ſtabilire. Ad quatuor enim confugiunt, vt ipſi putant tutiſsima præſidia, videlicet, autoritatem Eccleſiæ, votum, meritum, & conſuetudinem longam, clamantes, temporibus mutari decreta, & diſciplinæ leges, prout commodum videatur gubernatoribus. Iſta præſidia ſi expugnauerimus, nihil erit reliquum preter pertinaciam, quo ſe recipiant celibatus defenſores.

1. Autoritas pontificia. Primùm ergo aiunt, ſe fateri, nuptias olim fuiſſe Sacerdotibus, ſicuti alijs, liberas, ac nunc ijſdem autoritate ſummi Pontificis imperatum eſſe, vt à nuptijs abſtineant. Huic imperio clamant neceſſe eſſe parere, præſertim cùm Papa habeat iuriſdictionem ſupra omnes reges, atque adeò ſupra Imperatorem ipſum. Ita enim Bonauentura nugatur. Refutatio. Hîc primùm illos interrogo, num liceat homini œconomo, quoſdam excludere ab eo, ad quod Deus paterfamiliâs vult omnes liberum habere acceſſum? Nam ſi hoc licebit, œconomus erit ſupra patremfamiliâs, quo nihil eſt dictu abſurdius. Deinde, manifeſtè iuriſdictionis eminentiam mentiuntur, extra expreſſum Dei verbum. Nam illi obtemperandum eſt, non propter eminentiam hominis, ſed propter autoritatem Dei. Cùm igitur poteſtas Eccleſiaſtica ab ipſo Dei verbo dependeat tota, dico non licere cuiquam in Eccleſia leges condere, quæ verbo Dei, Apoſtolorum decretis, & purioris Eccleſiæ inſtitutis repugnant. Præterea & hoc addo, ſi Papa tam facilè caſtitatem dare quàm imperare poſſet, non tamen deberet legem celibatus condere neceſſariam, ſed relinquere hoc in cuiuſuis arbitrio, propter multiplices diaboli inſidias. Fieri enim poteſt, vt qui longo tempore continens vixit, accedente lege, tentetur ac ſuperetur à carne, atque ita ruat in laqueos diaboli. Nam vt eſt in verſiculo: *Nitimur in vetitum ſemper, cupimúſque negata.* Eſt enim continentia perpetua non hominis opus, ſed ſingulare Dei donum, vt Chriſtus ait: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Cùm igitur Chriſtus ipſe, incontinentibus celibatum imperare noluerit, neq; Papa vel alius quiſquam hoc facere debuit. Fateor quidem, bonum eſſe vxorem non attingere, ſcilicet illi cui collatum eſt continentiæ donum, ſed ſimul dico, bonum eſſe vxorem attingere, ſcilicet illi, qui donum continentiæ non habet. Nam hic regulam habet, quam ſequatur, modo non velit in laqueos diaboli incidere. Vnuſquiſque propter fornicationem, propriam vxorem habeat, & vnaquæque ſuum virum.

2. Votum. De voto quod obijciunt, facilè refellitur. Vota, inquiunt, ſunt ſeruanda. Scriptum eſt enim, Pſal. 76. 12. Vouete & reddite Domino Deo veſtro. Item Paulus affirmat damnari viduas, quæ poſt votum celibatus factum, ſectantur nuptias. Cùm igitur Sacerdotes celibatum perpetuum vouerunt, debent manere perpetuo celibes. *Reſpon.* Diſcernendum eſſe inter vota pia & impia. Responſio. Illa propter mandatum Dei ſeruanda ſunt, hæc quia contra mandatum Dei pugnant, non ſunt ſeruanda. Viduarum, quarum Paulus meminit, votum fuit pium, vt quod ex charitate profectum, finem habuerit curam pauperum ſanctorum. Sacrificulorum autem & Monialium impium eſt, vt quod ex errore profectum in finem malum tendat. Vouent enim Sacerdotes, vt merito celibatus Deum ſibi debitorem faciant; vt Deum colant abominatione Miſſæ, & mandatis hominum, contra apertum interdictum Dei apud Prophetam, & Chriſti apud Euangeliſtas: Fruſtrà me colunt mandatis hominum.

Regula de votis. De votis igitur teneatur hæc regula: Nullum votum ratum haberi debet, cùm homo vouet quod Deus improbat. Hinc illa hypotheſis Bernardi, *Reſcinde fidem in malis promiſſis: in turpi voto muta decretum.* Et Canon Iuris, *In malis promiſſis, fidem non expedit obſeruari.* Ratio. Ratio regulæ eſt: Qui præſtat quod impiè vouit ſine iuramento, duplicat ſcelus, quia & impiè vouit, & impiè votum præſtitit. Qui verò præſtat, quod impiè vouit, interpoſito iuramento, triplicat malum: quia & impiè vouit, & impiè iurauit, & impiè quod vouit præſtitit, vt Herodes. Siquidem iuramentum non debet eſſe iniquitatis vinculum.

3. Meritum. *De merito*, hoc inter alia afferunt: Chriſtus, inquiunt, laudat eos, qui caſtrauerunt ſe propter gloriam Dei, id eſt, iuxta Papiſticum ſpiritum, qui vouerunt caſtitatem, vt mereantur regnum Dei. *Reſp.* Responſio. Verba Chriſti agnoſco, ſed interpretationem vt impiam & blaſphemam in Chriſtum, repudio. Non enim, iuxta Chriſti ſententiam, caſtrare ſe dicuntur, qui volunt cœlum mereri celibatus dignitate, ſed qui cùm habeant donum caſtitatis, vt vterque Ioannes, Baptiſta & Apoſtolus, abſtinent à nuptijs propter regnum Dei propagandum ſine diſtractione, per prædicationem Euangelij: id quod ex ingenti amore propagandi Euangelium Chriſti profectum eſt, cùm adhuc non eſſent conſtitutæ Eccleſiæ & diſtinctæ Parochiæ. At nunc poſtquam ſingulis Eccleſijs præfecti ſunt Parochi, & Epiſcopi diœceſibus additi, vtilius & laudabilius cēſeo miniſtros Euangelij eſſe maritos, cùm vt honeſtate familiæ ornent miniſterium ſuum, aliíſque coniugibus ſint bono exemplo, & veluti viuendi norma, tùm vt minus ſint expoſiti laqueis Satanæ: propter quas cauſas nollem paſtores, adhuc ætate robuſta, & ſalua valetudine, viuere celibes.

4. Conſuetudo. Quod afferunt de *Conſuetudine* & præſcriptione temporis, nihil eos iuuat. Responſio. Nam neque ſemper obtinuit ea conſuetudo, nec apud omnes. Siquidem nec Græcæ Eccleſiæ, nec Rhutenicæ vnquam legem celibatus Sacerdotum admiſerunt. Deinde conſuetudinis differentia duplex eſt. Eſt enim conſuetudo æqua, quæ à iure dependet, & habet iuſtam rationem. Eſt conſuetudo iniqua, quæ cum iure pugnat, & nulla iuſta ratione nititur, qualis eſt, quam hîc prætendunt Papiſtæ, de qua Chryſoſtomus in in hunc modum loquitur: *Non conſuetudo quæ irre-*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

pſit impediri debet, quo min' veritas præualeat & vincat. Nã conſuetudo longa ſine veritate, vetuſtas erroris eſt. Et Tertullianus ait: *Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium annorum, non patrocinia perſonarum, non priuilegia nationum: quia Chriſtus, qui in æternum manet, veritatem ſe, non conſuetudinem cognominauit.* Et Cyprianus: *Non hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem.*

Atque hactenus dictum ſit de prima definitionis parte, in qua coniugium affirmauimus, eſſe ordinationem Dei ſanctam, & de quæſtionibus cum ea coniunctis. Nam ſtante hac definitionis parte inconcuſſa, omnes aduerſæ ſententiæ corruunt. Cuiuſlibet enim rei, vna eſt tantùm veritas, quæ opponenda eſt tanquam murus omnium aduerſariorum rationibus quantumuis ſubtilibus & acutis. Nunc ad ſecundam noſtræ definitionis partem veniamus.

DE SECVNDA PARTE DEFINITIONIS CONIVGII.

Materia coniugij, mas & fœmina.

Secunda pars definitionis Moſaicæ, continet materiam coniugij. Diximus enim coniugium eſſe vnius maris, & vnius fœminæ. Ex quo ſequitur, non debere eſſe in vno coniugio vel vnum marem & plures fœminas, vel vnam fœminam & plures mares. Siquidem inſtitutionis vox eſt: Et erunt duo in carnem vnam. Hanc inſtitutionem, aliquando collapſam, reuocat Dominus, atque eam ſuæ Eccleſiæ commendat, Matth. 19. 5.

Cum hac coniugij inſtitutione pugnat Polygamia, non qua quis ſucceſsiuè, priore vxore mortua, ſecundam ducit, & hac mortua, tertiam, &c. ſed qua quis, vel vno tempore plures habet vxores, vel vna non legitimè abiecta, aliam viuente priore ducit.

Polygamiæ diuiſio.

Sunt ergo tria polygamiæ genera, quorum primum licitum eſt, reliqua autem duo pugnant cum coniugij inſtitutione. De his tribus polygamiæ generibus ordine dicemus.

De primo polygamiæ genere.

Secundæ nuptiæ, quatenus legitimæ.

Primum polygamiæ genus eſt, vt diximus, cùm quis vna vxore mortua, aut legitimè per ſententiam iudicis excluſa, aliam ducit. H ͻc g nus polygamiæ in omnibus damnabant Cathari, & Montaniſtæ: in ſacerdotibus non ferebant Papiſtę: in alijs, honeſtam eſſe ſcortationem mentiebantur. Athenagoras, vt ſupra attigimus, in apologia pro Chriſtianis coram Antoninis, σεμνὴν μοιχεῖαν, iteratum coniugium pronunciabat. Horum omnium ſententias vaniſsimas eſſe clariſsimis rationibus oſtendemus.

Fundamẽtum eorũ qui ſecundas nuptias dãnant.

Etſi autem multa contorquent argumenta, qui ſecundas nuptias damnant: tamen hoc eſt præcipuum illorum fundamentum: Quod Deus coniunxit, homo ne ſeparet. Hoc ſi euerterimus, non magnopere curanda ſunt leuiora quæ afferunt. Colligunt autem hoc modo: Quod Deus coniunxit, homo ne ſeparet. Igitur ne morte quidem (aiunt) ſoluitur coniugij vinculum.

Reſpõſio.

Primùm reſpondeo ad antecedens, quod illi contra mentem Chriſti interpretantur. Neque enim hoc dicto negatur ſeparationem fieri poſſe, ſed ſolummodo vetatur, ne quis vxorem abijciat, ſcilicet illegitimè. Senſus ergo eſt: Ne ſeparet, id eſt, non debet ſeparare. Hoſtes autem ſecundarum nuptiarum atque adeò Papiſtæ iſti, ſic accipiunt: Homo non ſeparet, hoc eſt, homo nullus poteſt ſeparare. Quod igitur Chriſtus de iure intelligit, illi de facto interpretantur. Quod Chriſtus de officio, illi tanquam de eo quod fieri non poteſt, accipiunt. Quod denique Chriſtus homini marito præcipit, hoc extẽdunt ad quemuis hominem. Quod quàm vitioſum ſit, nemo non videt, niſi qui μὴ χωριζέτω pro μὴ χωρίζῃ ἂν imperitè accipiat, cùm illud ſit prohibentis, hoc negantis. Ex his videmus conſecutionem argumenti vitioſam eſſe. Etſi enim non oportet vt homo ſeparet, quod Deus coniunxit: tamen fieri poteſt ſeparatio, vel morte alterius interueniente, vel facto legitimo diuortio. Quoties enim duo vno ligantur vinculo, ſoluitur vterque alterutro quouis modo ſoluto. Huius rei teſtem habemus Apoſtolum, qui ait: Mulier viuenti viro alligata eſt lege, ſed ſi mortuus fuerit vir eius, libera eſt vt nubat alteri. Ad hæc, Chriſtus ait: Si quis vxorem dimiſerit extra rationem fornicationis, & aliam duxerit, mœchatur. Ergo ſi quis dimiſerit vxórem propter fornicationis rationem, & aliam duxerit, non mœchatur. Soluitur ergo coniugium non minus diuortio, quàm morte. Hinc falſum eſſe fundamentum hæreticorum, ex quo extruunt ſecundas nuptias licitas non eſſe, manifeſtum eſt: quandoquidem vinculum coniugij rumpitur, vel cùm alter coniugum moritur, vel cùm alteruter legitimè ſeparatur ab altero propter crimen alterius. Soluto igitur vinculo, liberum eſt viuenti, vel alioqui iudicis ſententia abſoluto, alias ſectari nuptias, modo in Domino, alioqui Paulus non rectè diceret, Iuniores viduas volo nubere, 1. Tim. 5. 14.

Papiſtarũ fundamentum aduerſus ſecundas nuptias.

Quanquam autem Papiſtæ, quantum ad ſummam rei attinet, hoc ipſo fundamento nituntur: tamen aliud quærunt ſuæ opinionis fulcimentum. Omitto quòd, ante legem latam de celibatu ſacerdotum, permiſerint ſacerdoti virginem ducere, ſed illa mortua, non licere iterare nuptias, propter excellentem honorem ſacerdotum, & dignitatem, vt ait Epiphanius. Hæc enim vanitas per ſe euaneſcit, euerſo fundamento, de ſecundis nuptijs damnatis. Secundæ, inquiunt, nuptiæ, non ſunt ſacramentales. (vide, quæſo, principium Papiſticum.) Cur non ſunt ſacramentales? Quoniam, inquiunt, non ſunt vnæ vnius. (præclara, ſi dijs placet, principij demonſtratio.) Sed quid hinc concludunt? Ergo, inquiunt, ſecundæ nuptiæ non habent plenam Chriſti & Eccleſiæ coniugij ſignificationem, ex quo ſequitur eas non eſſe ſacramentales. Hoc præcipuum Papiſtarum fundamentum eſt, ex quo concludunt, ſecundas nuptias parum honeſtas, & Chriſtianis non ſatis dignas.

Reſpõſio & plenior huius fundamenti explicatio.

Verùm, vt ſtudioſi hoc argumentum rectius diſſoluant, placet illud ſubtilius proponere. Solæ iſtæ nuptiæ ſunt probandæ, quę ſunt ſacramentum Chriſti & Eccleſiæ. Primæ nuptiæ ſolummodo ſunt ſacramentum Chriſti & Eccleſiæ. Igitur ſolæ primæ nuptiæ ſunt probandæ. Proinde cùm ſecundæ nuptiæ non ſunt ſacramentum Chriſti & Eccleſiæ, vt quæ non ſint vnæ vnius, ſed plurium, non videntur probandæ. Ad maiorem, quam dicunt eſſe Pauli, reſpondeo, & dico Paulum nequaquam affirmare coniugium eſſe ſacramentum gratiæ & noui Teſtamenti, ſicuti illi falſò ſomniant, ſed ſolummodo illius ſpiritualis Chriſti & Eccleſiæ coniunctionis, veluti imaginem quandam in coniugali copula extare, idque vt coniuges ad mutuum amorem exemplo Chriſti & Eccleſiæ excitet. Deinde minorem propoſitionem nego. Non enim minus ſecundæ nuptiæ, tertiæ, quartæ, quintæ, ſextæ, &c. ſunt iſtius ſpiritualis copulæ myſterium, quàm primæ. Nam illud quo minorem fulciunt eſt debile. Non, inquiunt, ſunt vnæ vnius, quaſi verò qui ſecundam ducit, non ſit æquè vna caro cum illa, ſicut fuit cum priore, dum viueret. Perperam præterea faciunt Papiſtæ, cùm quod Paulus in genere dixit, de quouis coniugio, transferunt

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

transſerunt ad primas nuptias tantùm.

Vera & orthodoxæ ſententiæ fundamenta.

Subuerſis hoc modò fundamẽtis Montaniſtarum & Papiſtarum, videamus quibus rationibus noſtra nitatur ſententia, qui & ſecundas, & tertias, & quartas: adde etiam, ſi fieri poſſet, centeſimas probamus nuptias. Non enim tam ſpectandum eſt, quis hoc vel illud dixerit, quàm expendendum quibus rationibus id quod defenditur, nitatur & confirmetur. Argumenta itaque, quibus iteratæ nuptiæ licitæ eſſe probantur, hæc inter multa ſunt præcipua.

Primum argumentum.

I. Eædem cauſæ, & ijdem fines, ſunt in bonis & pijs hominibus coniugij ſucceſsiuè iterati: quæ cauſæ & qui fines fuêre primarum nuptiarum, quas ſanctas & honorabiles eſſe demonſtrauimus. Quare neceſſe eſt, vt fateamur iteratas nuptias, ſiue fuerint ſecundæ, ſiue tertiæ, &c. eſſe ſanctas, honeſtas, & honorabiles. Nam vt primæ nuptiæ mutui adiutorij cauſa (cuius partes ſunt plures, ſicuti ſuo loco docebimus) per legitimum conſenſum promittuntur & ineuntur: ita & ſecundæ, tertiæ & quartæ, &c. Nullo enim modo fingendæ ſunt aliæ cauſæ honeſti coniugij iterati, quàm fuêre primi, nec alij fines. Proinde cùm quælibet actio, ſua natura media ſiue indifferens, à cauſis efficientibus & finalibus qualitatem bonitatis vel malitiæ mutuetur, ſtultiſsimè faciunt, qui iteratis nuptijs piorum hominum, vel minimum honoris detractum volunt. Eraſmus quidem dicit, Monogamiæ applauditur, polygamia toleratur: Sed angeli Dei & pij omnes, qui ordinationes Dei ſanctas honorandas eſſe norunt, non ſolùm applaudunt caſtis nuptijs, ſiue fuerint primæ, ſiue ſucceſsiuè iteratæ, ſed etiam ſuis precibus iuuant & caſtitatis teſtimonio ornant.

His addo, quod interdum finis iterati coniugij, etſi in genere ſit idem qui fuit primi: tamen vehementior, grauior, & ſanctior videtur, propter circunſtantias graues, honeſtas & ſanctas: familia fideliter regitur, pueri piè educantur, conſilium domeſticum expetitur, in aduerſa valetudine diligens, ſidáque cuſtodia ſubleuat, ſocietatis ſolatium iuuat, pia & ſancta de Deo colloquia exhilarant, mutuæ admonitiones, exhortationes & conſolationes percipiuntur. Cùm igitur & cauſæ & fines & circunſtantiæ iterati coniugij ſint graues & honeſtæ & ſanctæ, nemo iure huiuſmodi nuptias reprehenderit, quibus Deus benedicit, angeli applaudunt, & ſancti Dei congratulantur. Ideò Auguſtinus in hæc Pauli verba: Si dormierit vir eius, ſcribens, rectè ſentit, cum ait: *Non dicit Apoſtolus, vel ſecundas, vel quartas, nec nobis definiendum eſt, quod non definiuit Apoſtolus. Unde nec vllas debeo damnare nuptias, nec eis verecundiam inferre numeroſitatis.* Idem, *Nuptiæ non tantum primæ ſunt inſtitutæ diuinitus, & benedictæ à Domino, ſed etiam ſecundæ & tertiæ.*

II. Quod verbo Dei nec expreſsè, nec implicitè eſt prohibitum, nequaquam velut illicitum damnandum eſt, vel vt miniſtris Euangelij, tanquam illorum excellenti honore indignum interdicendum, præſertim cùm gubernatores Eccleſiarum habeant ſolummodo poteſtatem ædificandi Eccleſiam, iuxta verbum Dei, & non deſtruendi, ſiue præter, ſiue contra verbum, per nouas leges quæ poſſunt fieri laquei conſcientiarum, in multarum animarum certiſſimum interitum. Cùm ergo ne vnum quidem iota, ex verbo Dei poſsint Papiſtæ afferre de prohibitione ſecundarum nuptiarum, contra officium faciunt, ne quid durius dicam, cùm legem condunt de abſtinendo vel à ſecundis, vel tertijs, vel quartis, aliiſque nuptijs ſucceſsiuè iteratis.

III. Quod ſcriptura requirit, claréque & diſertè approbat, hoc Deus requirit & approbat. Nunc autem ſcriptura & requirit & approbat ſecundas nuptias. Volo, inquit Paulus, iuniores viduas nubere. Ergo Deus eas & requirit & approbat. Proinde nullus debet lege humana à ſecundis arceri nuptijs.

IIII. Quod in probatis exemplis eſt laudabile, non eſt in genere illicitum. Cùm ergo Abraham iam ſenex duxit Cethuram mortua Sara, non eſt improbandum ſi filij patris veſtigijs inſiſtant, præſertim cùm exemplum congruat cum regula. Quartum.

V. Hæc vox Dei, Geneſ. 2. 18. Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, hoc eſt, abſque vxoris adiutorio, ſeu extra coniugium, vniuerſalis eſt. Pertinet igitur etiam ad eos, quorum vxores vel mortuæ ſunt, vel propter crimen eiectæ per ſententiam iudicis Deum timentis. Quintum.

VI. Neceſsitas vitandæ ſcortationis, omnes qui non habent continentiæ donum, obligat ad obedientiam huius mandati. Propter fornicationem vnuſquiſque habeat ſuam vxorem, & vnaquæque ſuum virum. Si ergo aliquis amiſſa priore vxore vritur, hoc præcepto obligatur ad quærendas nouas nuptias. Huc illud Auguſtini, *Quia ægritudini ſemper conſulendum eſt, propterea ſi contigerit primo priuari coniugio, ſi voluerit ſecundas vel tertias inire nuptias, nullum de illis peccatum habebit, ſi eas caſtè ſeruauerit.* Sextum.

Porrò cùm hæc certiſsima ſint, & luce meridiana clariora, meritò mirantur multi, quid mouerit Papiſtas, cur tam abiectè iudicarint de nuptijs, præſertim iteratis, eáſque tandem prorſus ſuis interdixerint ſacrificulis. Hoc ex ſingulari calliditate & malitia Satanæ profectum eſſe non eſt dubium. Videbat enim impurus iſte ſpiritus, ſe hac ratione, ſeu lege, perpetui celibatus poſſe totum terrarum orbem nefandis libidinibus, quibus curſus Euangelij impediretur, implere. Nam cùm ſacerdotes rectores aliorum, & veluti morum cenſores conſtricti lege celibatus, propter incontinentiam ruerent in varias libidines, non dubitabat ſimilem damnatæ veneris peſtem inuaſurum alios: Satanæ odium adv. coniugia.

Scilicet in vulgus manant exempla regentum.

Hac ſpe minimè fruſtratus eſt Satanas, quemadmodum videre eſt hodie in toto regno Pontificio.

Huc acceſsit inſatiabilis Paparum & Epiſcoporum auaritia, qui putarunt bona Eccleſiaſtica conſeruari melius & augeri per celibes ſacerdotes, quàm per maritos. Ita enim Papa Gelaſius Cethego, patricio Syracuſanæ vrbis reſcripſit, cùm peteretur Epiſcopus vir coniugatus, vt eſt in decretis diſtinct. 28. capite, de Syracuſanæ. Ibi enim apertè Papa fatetur, ſe annum diſtuliſſe ordinationem eius qui electus erat, propterea quod haberet ſuperſtitem adhuc vxorem, & liberos ex ea natos, *per quos*, inquit, *Eccleſiaſtica ſolet periclitari ſubſtantia.* Pontificalis auaritię origo celibatus.

Ad hæc propoſitum Satanæ & auaritiam Epiſcoporum plurimum adiuuit hypocriſis eorum, qui & virginitatis laudem vulgò captabant, & meritum ex voto celibatus venabantur. Ex quo factum eſt, vt & corpora & animæ ſeorſim, & vtraque ſimul venerint in Satanæ poteſtatem, per legem celibatus ſacerdotum. Siquidem corpora ipſa, per libidines, animas per auaritiam, & vtraque ſimul per hypocriſim diabolo obtulêre in maximam ruinam veræ religionis & Eccleſiæ Chriſti, quemadmodum res ipſa clariſſimè docet. Hypocriſis cælibum.

De ſecundo polygamiæ genere.

SECVNDVM polygamiæ genus eſt, cùm vnus vir eodem tempore & ſimul, plures habet vxores, vel cùm vna fœmina ſimul pluribus eſt nupta viris,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Sunt qui hanc polygamiam probant, eámque nituntur ſtabilire ſanctorum quorundam exemplis, qui leguntur fuiſſe polygami, habentes ſimul plures vxores.

Reſpōſio.

Verùm vitiosè adducunt exempla particularia, contra vniuerſalem regulam. Nam tum demùm valent exempla, quando cum vniuerſali regula congruunt, & nulla monſtrari diuerſitatis ratio poteſt. Quare rectè à Iuriſconſultis dicitur: Non exemplis, ſed legibus iudicandum eſt. Diſcernendum eſt igitur inter vniuerſalem regulam & extraordinarios caſus, quorum eſt peculiaris ratio. Exempli gratia, Regula vniuerſalis in lege Moſis erat, Nemo ducat vxorem fratris ſui. Nam huiuſmodi nuptiæ ſunt inceſtuoſæ. Nihilominus tamen in certo caſu, ob peculiarem cauſam, Deus, qui eſt ſupra omnes leges, mandat, vt ſi quis moriatur ſine ſemine, frater ſuperſtes ei ſemen excitet, quod & ante Legem vſitatum fuit, & poſtea noua lege ſancitum eſt. Abraham promtiſsima voluntate Deo mandante aſcendit montem, ligat filium, imponit in rogum, ſtringit gladium vt mactet filium: quæ ipſius promptitudo magnoperè Deo placuit, & pro facto reputabatur. Quod exemplum cùm alij imitarentur, horribiliter peccarunt, non diſcernentes inter vniuerſalem regulam: Non occides, & peculiarem rationem facti Abraham. Ad eundem modum iudicandum eſt de propoſita quæſtione. Regula vniuerſalis eſt: Erunt duo in carnem vnam. Specialis caſus fuit patrum polygamia, quæ peculiarem rationem habuit. Deus enim in populo Iſraëlitico ad polygamiam conniuebat, vt præſtandæ ſuæ fidei, de innumerabili multitudine, ex paucíſsimis orituræ, quendam aditum hoc pacto ſibi faceret. Non ergo turpis libidinis explendæ gratia, ſed prolis tollendæ cauſa, patres polygami fuêre. Hîc proinde locum habet regula Iuris: In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſsitatem aliquando ſunt conceſſa. Alias rationes eorum qui defendunt hoc polygamiæ genus omitto, vt quæ indignæ ſint refutatione. Sunt enim ex Veneris ſchola adductæ. Quare ijs præteritis, firmas demonſtrationes aſcribam, quibus iſta impura polygamia funditus euertitur.

Prima demonſtratio adu. polygamiam.

I. Coniugij inſtitutio, ad quam Chriſtus nos reuocat Matthæi 19. tantum duas perſonas in vno coniugio admittit. Eſt autem hæc inſtitutio: Data eſt vna Eua vni Adam, & commendatum eſt exemplum toti poſteritati hac lege: Erunt duo in carnem vnam. Hanc enim legem Chriſtus & Apoſtolus Paulus accommodant ad omnium ætatum coniugia. Ergo contra hanc inſtitutionem, & contra hanc legem coniugij perpetuam fuerit, ſi vel vnus vir ſimul habuerit plures vxores, vel vna fœmina pluribus ſimul viris nupſerit. Hæc ratio vel ſola omnibus pijs abſque dubio ſatisfacit. Pij enim non ſtultæ rationis argutias, ſed lucernam verbi Dei ſequuntur, iuxta illud: Lucerna pedibus meis verbum tuum, Pſalm. 119.

Secunda.

II. Vnum debere vnius eſſe, & non plures in vno coniugio, ipſa natura nos docet, & ipſo opificio corporum maris & fœminæ, & perfectione generationis oſtendit. Perficitur enim generatio ex duorum corporum complexu.

Tertia.

III. Maximus & integerrimus amor debet eſſe coniugum inter ſeſe. Solidus amor & ex omni parte æqualis eſt, maximus & integerrimus. Igitur coniugum amor ſolidus & ex omni parte æqualis eſſe debet. Nunc autem natura duce intelligimus, duorum tantùm inter ſe amorem poſſe eſſe ſolidum, & ex omni parte æqualem, vt qui æmulatione careat, & non duorum aut plurium ad vnum. In hunc enim æmulatio cadit, qui reddit amorem languidiorem, & inæqualem. Igitur naturali inſtinctu eò ducimur, vt iudicemus ſocietatem coniugalem ex duabus ſolummodo perſonis, videlicet, maſculo & fœmina debere conſtare. Hæc naturæ lux, cùm congruat cum prima coniugij inſtitutione & perpetua lege, debet nobis gratiſsima eſſe.

Quarta.

IIII. Societas coniugalis æqualem obligationem coniugum requirit, quantum ad vſum corporum attinet. Nunc autem cùm vel vnus maritus plures habet vxores, vel vna fœmina plures habet maritos, non poteſt ſeruari in obligatione æqualitas. Cùm ergo huiuſmodi inæqualitas ſit contra naturam, ſi plures perſonæ quàm duæ in vno copulentur coniugio.

Quinta.

V. Recta ratio in omnibus ſanis dictat, quòd nemo debeat ſe obligare ad aliquid cui par eſſe nequeat. Iam autem fieri non poteſt, vt vnus vir peræquè obligari poſsit pluribus vxoribus, ſicuti vni ſoli. Quare cum natura pugnat vnius viri cum pluribus vxoribus copula.

Sexta.

VI. Pax domeſtica eſt ſumma coniugum fœlicitas, vt diſcordia ſumma miſeria. Verùm hæc pax domeſtica conſeruari non poteſt, ſi vnus maritus plures habet vxores. Fieri enim nequit, quin zelo quodam mulierculæ aduerſus ſe mutuò inflammentur, vnde iurgia, conuitia, negligentia in officijs præſtandis, breuiter, totius familiæ perturbatio, & euerſio tandem, quibus malis quid quæſo poteſt eſſe miſerius? Cùm igitur natura pacem domeſticam poſtulet, polygamiæ manfeſtè aduerſatur.

Septima.

VII. Ius naturæ eſt, vt nemo faciat alteri, quod ſibi nolit fieri. Cùm ergo maritus nolit vxorem ſuam pluribus miſceri viris, debet & ipſe vna vxore contentus eſſe. Cùm autem hoc ius analogum violatur, vis fit legi naturæ, & iniuria alteri coniugum.

Octaua.

VIII. Chriſtus apertiſsimè pronunciat eum mœchari, qui omiſſa vxore, excepta ratione fornicationis, aliam ducat. Ergo prohibet Chriſtus polygamian. Nam ſi plures ſimul habere vxores liceret, nequaquam committeret adulterium quiſquam, aliam ducendo, ſiue priorem repudiaret, ſiue minus. His rationibus muniti aduerſus polygamiæ defenſores, eorum fallaces concluſiunculas contemnamus.

De tertio polygamiæ genere.

TERTIVM polygamiæ genus ſequitur, de quo quid ſit iudicandum, ex proxima ratione, qua euertimus polygamiam ſecundi generis, ſatis euidenter conſtat. Diximus autem ſuprà, tertium polygamiæ genus eſſe, ſi quis priore vxore non legitimè ſeparata alteram ducat, quod cùm quis fecerit, manifeſtè adulterium committit, iuxta hanc Chriſti ſententiam, Matthæi 19. 9. Si quis vxorem dimiſerit extra adulterij rationem, & duxerit aliam, mœchatur, & facit eam mœchari, ſi ſcilicet alteri nupſerit. Proinde, & vir dimittens vxorem, non ob rationem adulterij, & vxor dimiſſa, ſi alias nuptias quærunt, adulterium committunt. An idem ſentiendum ſit de illo, qui eam in vxorem ducit, cum qua conſueuit viuente marito, variant ſententiæ doctorum. Iuriſconſultus quidam ait: Id quod initio vitioſum eſt, non poteſt tractu temporis conualeſcere. Sed de hac quæſtione infra plenius dicemus.

DE TERTIA PARTE
definitionis coniugij.

Legitimus conſenſus in coniugio requiritur.

TERTIO loco in coniugij definitione legitimi conſenſus meminimus, qui eſt veluti quædam contra-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

coniugalis anima. Sine enim legitimo conſenſu nuptiæ ritè fieri nequeunt. Siquidem conſenſus primus eſt ad nuptias gradus. Conſenſus quidem eſt, quando plures idem & ſentiunt & volunt, vt ad conſenſum requirantur duo, videlicet, iudicium & voluntas. Legitimus verò eſt rectus & laudabilis, videlicet, qui cum voluntate Dei, cum iure naturæ, cum honeſtis hominū cōſtitutionibus, cum honeſtate publica, cum ordine decenti, & decoro congruit.

Eius partes.

Spectatur autem hic conſenſus & in ſponſalibus, & in nuptijs, vt ille ſit pactionis de futuro coniugio, hic autem de præſenti. Conſenſus enim in ſponſalibus eſt cauſa diſponens ad nuptias futuras. Ideò rectè dicitur, Sponſalia eſſe promiſsiones de accipienda vxore, qualibuſcunque tandem verbis fiant. Conſenſus in nuptijs eſt cauſa efficiens coniugium, qui dicitur conſenſus cohabitationis, & indiuiduam vitæ conſuetudinem retinendi. Idcircò rectè aſſeritur, nuptias eſſe quibus accipitur vxor, & ratificatur promiſsio prius facta. Longè enim aliud eſt promittere quàm facere, & longè aliter iudicandum eſt de promiſsis nuptijs, quàm de ratificatis & conſummatis. Quapropter verè dictum eſſe exiſtimo de conſenſu ſponſalium: Conſenſus cauſa eſt nuptiarum, ſed non tota. Et rurſus verè dicitur: Conſenſus facit coniugium, cùm de conſenſu, qui in nuptijs fit, loquimur.

In ſponſalibus. In nuptijs.

Conſenſus coniugalis conditiones.

Quoniam autem conſenſum coniugalem grauiſſimum, ſanctiſsimum, & religioſiſsimum eſſe oportet, vt qui contrahunt, verè ſtatuere poſsint ſe à Deo coniungi & copulari, vt Adam & Eua à Deo coniuncti ſunt: neceſſe eſt diligenter perpendere, quales conditiones legitimus nuptiarum conſenſus requirat, ne quid in tanta re peccetur.

Quot ſunt.

Requiruntur igitur ad legitimum conſenſum plures conditiones, quas recitabo, & ſunt ſex præcipuæ. Debet enim legitimus conſenſus eſſe,

1. *Licitus.*
2. *Honeſtus.*
3. *Iuſtus.*
4. *Liber.*
5. *Plenus.*
6. *Sincerus.*

1. Licitus, ne fiat contra Dei & naturæ legem, néue contra honeſtas hominum cōſtitutiones. Nam conſenſus qui fit contra voluntatem Dei & naturæ legem, pro nullo habendus eſt. De humanis conſtitutionibus, eſt exceptio, de qua ſuo loco dicemus.

2. Honeſtus, ne ſit inter diſsimiles moribus, genere, fortuna, religione, perſonas, aut etiam contra honeſtatem publicam.

3. Iuſtus, ne ſit clandeſtinus, & contra eorum voluntatem, in quorum poteſtate, vel vterque contrahentium, vel alter fuerit. Huius iuſtitiæ rationem reddidit Iuſtinianus, cùm ait: Nam hoc fieri debere & ciuilis & naturalis ratio ſuadet, in tantum vt iuſſus parentis præcedere debeat.

4. Liber, ne quis vel coactus metu aut minis, vel pellectus promiſsionibus, promittat verbis, quod animo improbet.

5. Plenus, ne ſit vel ambiguus vel turbatus, cæco amore aut temulentia. Ratio ergo in re tanti momenti in conſilium adhibenda eſt, & non affectus ſine ratione.

6. Sincerus, ne alter alterum vllo dolo aut mendacio circumueniat. De his ſex conditionibus legitimi contractus ordine dicemus. Etſi autem requiruntur omnes hæ cōditiones, vt cōtractus ſit legitimus, non ſunt tamen eiuſdē omnes ponderis. Aliæ enim impediunt nuptias, ſi non aſſunt. Aliæ grauitatem & circunſpectionem in tanti ponderis contractu reſpiciunt.

Prima conditio, conſenſus.

CONSENSVS legitimus debet eſſe licitus, ratione perſonarum contrahentium, ne videlicet perſonæ contrahentes ſe attingant conſanguinitate aut affinitate in gradibus prohibitis, quas & Moſes recitat Leuit. 18. & Imperator libro primo Inſtitutionum, titulo de nuptijs, & omnes ſani tacito naturæ conſenſu agnoſcunt. Hoc ergo loco dicendum nobis erit primum de conſanguinitate. Deinde de affinitate.

De conſanguinitate & affinitate.

DE CONSANGVINITATE.

1. *Quid conſanguinitas.*
2. *Quæ conſanguineorum appellationes.*
3. *Lineæ conſanguinitatis.*
4. *Gradus conſanguinitatis.*
5. *Supputatio graduum.*
6. *Leges diuinæ de prohibitis gradibus.*
7. *Cauſa prohibitionis.*
8. *Leges humanæ de interdictis nuptijs.*
9. *Humanæ prohibitionis ratio.*

Hiſce veluti elementis dextrè explicatis, nihil reliquum erit, vt ſpero, quod in hac parte deſiderabimus.

1. *Quid Conſanguinitas?*

Quandoquidem ſtipes, conſanguinitatis origo & cauſa exiſtit: primùm de ſtipite nobis dicendum eſt, ſine quo nec de lineis, nec de gradibus rectè iudicabimus.

De ſtipite

Eſt itaque Stipes quantum ad noſtrum inſtitutum attinet, perſona, à qua alij traxerunt originem. Metaphora ſumta à ſtipite, hoc eſt, à trunco. Vt enim à ſtipite viuo in terram defixo, plures rami, eiuſdem cum ſtipite naturæ, pullulant: ita ab vno patre plures generantur, qui patris originem ſapiunt.

Quid ſit.

Porrò quadruplex ſtipes eſt. Primus, communis omnium. Secundus, communis multorum. Tertius, communis duorum tantum. Quartus, ſuus cuique proprius ſeu ſingularis.

Quotuplex.

Communis omnium ſtipes eſt Adam. Siquidem ab hoc vno traximus originem omnes, adeóque vniuerſum hominum genus ab eo propagatum, non aliter quàm à trunco rami. Quare & natura ipſius conſortes ſumus omnes. Hinc conſanguinitas omnium hominum communis naſcitur, qua omnes propagati ab vno Adam, naturæ vinculo iuncti, atque adeò nobis inuicem æterna lege deuincti ſumus: qua de cauſa quilibet homo alteri cuiuis proximus dicitur. Hinc manat præceptum illud diuinum & naturale: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Dicitur autem hæc communis conſanguinitas naturalis.

Communis omniū

Stipes multorum communis eſt, à quo multi deſcendunt, & ad quem ſuam originem multi referunt. Vt Iſraël eſt ſtipes communis multorum. De hoc enim vt generis ſui autore gloriantur Iſraëlitæ omnes. Duodecim Patriarchæ ſtipites ſunt, à quibus duodecim propagatæ ſunt tribus. Vt Rubenitæ à Ruben, Beniamitæ à Beniamin, &c. Ad eundem modum ab Æaco Æacidæ, Dardanidæ à Dardano. Ab Hercule Heraclidæ, Romulidæ à Romulo propagantur. In hoc regno Daniæ multæ ſunt nobiliſsimæ familiæ, ad quarum ſtipites, hoc eſt, autores familiarum, ſuam plurimi originem reuocant, cognomina ab illis ſe obtinere non parū gloriantes. Neque enim contemnenda eſt gloria à bonis & for-

Cōmunis multorū.

tibus natum eſſe, modò maiorum indolem ſapias,& à virtute progenitorum non degeneres. Vt hic ſtipes rectè familiarum dicitur, ita cognatio eorum generis cognatio appellabitur.

Cõmunis duorum. Communis duorum ſtipes eſt, quem duo ſolummodo inter ſe collati communem agnoſcunt, & ad quem vt communem patrem ſe referunt.

Singularis Suus cuique proprius ſtipes eſt,qui non eſt pluribus eodem reſpectu communis,ſed vni tantum proprius,quemadmodum videre eſt in hoc Schemate.

SCHEMA.

ABRAHAM.

Iſmael. *Iſaac.*
Nabaioth. *Iacob.*
Cedar. *Iudas.*

Schematis explicatio Hîc Cedar habet ſuum propium ſtipitem, videlicet,Nabaioth.Similiter Nabaioth habet proprium ſtipitem,nempe Iſmaëlem: & Iſmaël proprium ſtipitem agnoſcit Abrahamum. Ad eundem modum ab altera parte Iudas habet proprium ſtipitem, Iacobum,Iacob Iſaachum, Iſaac Abrahamum. Verùm ſi illi qui ſunt in lateribus oppoſitis, inter ſe conferuntur, communem ſtipitem habent Abrahamum, eúmque propinquum.Cedar igitur & Iudas inter ſe collati, communem habent ſtipitem, Abrahamum. Quare cùm de eorum cognatione quæritur, ad Abrahamum communem ſtipitem recurrendum eſt. Vocatur hic ſtipes communis & propinquus, & cognatio,generali vocabulo conſanguinitas.

De primo & vltimo genere ſtipitis & conſanguinitatis, non eſt præſentis inſtituti diſputare, ſed ſecundum & tertium,quorum ratio habetur in conciliandis nuptijs, ad noſtrum inſtitutum pertinent. Ex his promtum eſt intelligere,vſitatam conſanguinitatis definitionem,quæ ſequitur.

Conſanguinitatis definitio. Conſanguinitas eſt vinculum perſonarum,ab eodem ſtipite deſcendentium, carnali propagatione contractum. Siquidem conſanguinitas dicitur à communi ſanguine,vt quæ ſit quaſi vnius & eiuſdem ſanguinis communio.

Diuiſio. Hæc conſanguinitas generali quoque vocabulo cognatio appellatur, quam latius extendunt, & in tres ſpecies diuidunt, videlicet, naturalem, ciuilem, & ſpiritualem.

Naturalis. Naturalis cognatio eſt, quæ per generationem contrahitur, & ſubdiuiditur in agnationem & cognationem ſpecialem.

Ciuilis. Ciuilis cognatio eſt,quę per adoptionem contrahitur, vt cum hominem alienum, vel ſaltem remotiorem à ſanguine meo in filium aut nepotem adopto.

Spiritualis. Spiritualis cognatio eſt duplex, vna communis omnibus verè Chriſtianis. Huius enim virtute iuncti ſumus omnes eodem Chriſti ſpiritu. Eccleſiaſtica quam compaternitatem vocant. De hiſce duabus poſterioribus cognationibus quid ſit ſentiendum,ſuo loco videbimus.

2. *Quæ Conſanguineorum appellationes?*

Duo genera. CONSANGVINEI dicuntur omnes,qui quouis modo ſe ſanguine attingunt. Horum duo ſunt veluti prima genera. Conſanguineorum enim quidam agnati, quidam cognati dicuntur.

Agnati. Agnati quidem ſunt mihi, qui me ſanguine paterno attingunt.

Cognati. Cognati verò, qui mihi ſanguine materno iuncti ſunt:tametſi interdū promiſcuè vtriq; latius accepto vocabulo, cognati dicuntur. Horum alia atque alia habitudo eſt, vt ex eorum definitionibus & comparatione patebit.

Agnati in recta linea ſurſum. Agnati mei in recta linea ſi ſurſum aſpicio, hi ſunt: Proximè à patre meo, hoc eſt, in ſecundo gradu, eſt Auus paternus, patris mei pater: Auia paterna patris mei mater,(*Fader moder : Eltermutter,oder, Groſmutter.*) In tertio Proauus paternus aui mei pater: (*Oldefader: Oberelter vater.*) Proauia paterna auiæ meæ mater. (*Oldefaders moder:Oberelter mutter.*) In quarto Abauus paternus proaui mei pater : (*Storefader:Vorelter elter vater.*) Abauia paterna, proauiæ meæ mater. In quinto, Attauus paternus, abaui pater:Attauia paterna, abaui mater. In ſexto, Tritauus paternus,attaui pater: Tritauia paterna,attaui mater. Hucvſque aſcendendo à filio ad Tritauum, generali nomine parentes dicuntur & progenitores, (*Foreldre : Voreltern.*) Qui verò ſupra hos ſunt, communi appellatione maiores dicuntur: tametſi ſæpenumero, omnes qui ſunt ſupra nos quouis gradu,dicuntur maiores,(*Oldinge:Eltern oder vorfaren.*)

Sed vt clarius hæc conſpiciantur, ſchemata proponamus, quæ omnia ob oculos ponent. Verùm, quia ſæpe vnus plures perſonas pro eius diuerſa comparatione ad alios, ſuſtinet, fingamus eum vocari IANVM. Vt enim Ianus bifrons fingebatur, vt qui & retrorſum & antrorſum ſpectaret: ita nobis Ianus ſit, qui nunc ad ſuperiores, nunc ad inferiores,nunc ad eos,qui ſunt ad latera,reſpiciat.

SCHEMA.

6 { *Tritauus paternus.* / *Tritauia paterna.*
5 { *Attauus paternus.* / *Attauia paterna.*
4 { *Abauus paternus.* / *Abauia paterna.*
3 { *Proauus paternus.* / *Proauia paterna.*
2 { *Auus paternus.* / *Auia paterna.*
1 *Pater.*

IANVS.

Ianus hîc fungitur vice filij, & quia non peruenitur ad Auum, niſi per patrem, primo loco patrem poſuimus, etſi non agnatus, ſed pater dicitur. Illi autem qui ſunt ſupra patrem ſurſum, agnati dicuntur, quorum gradus diſtinguunt numeri appoſiti.

Agnati in transuerſa linea ſurſum. In tranſuerſa linea ſi ſurſum aſpicit Ianus, agnati ſunt illi patruus, (*Farbroder:Vetter.*) Amita, (*Farſoſter: Baſe.*)Supra hos patruus magnus, (*Faders farbroder. Groſuetter.*) Amita magna, (*Faders farſoſter. Gros baſe.*) Supra hos patruus maior,& amita maior. Item patruus maximus,& amita maxima.

SCHEMA.

5 { *Patruus maximus.* / *Amita maxima.*
4 { *Patruus maior.* / *Amita maior.*
3 { *Patruus magnus.* / *Amita magna.*
1 *Pater* 2 { *Patruus.* / *Amita.*

IANVS.

Hîc Ianus etiam filij locum obtinet, à quo ad patruum

truum non peruenies, niſi per patrem tranſeas; ex quo fit, vt patruus ſit à Iano in ſecundo gradu, ſicuti nota numeri indicat.

In tranſuerſa linea deorſum. Porrò ſi in tranſuerſa linea deorſum à patruo deſpicis, ſic ordinabis Schema.

SCHEMA.

1. *Pater.*	2. *Patruus.*
IANVS.	3. *Patrui filius.*
	4. *Patrui nepos.*
	5. *Patrui pronepos.*
	6. *Patrui abnepos.*
	7. *Patrui atnepos.*
	8. *Patrui trinepos.*

Hîc etiam patrem appoſui, quia per illum tranſitur ad agnatos Iani, qui ſunt deorſum in tranſuerſa linea.

Cognatorum appellationes. Porrò cognatorum, hoc eſt, eorum qui nos attingunt materno ſanguine, eædem ſunt appellationes, quæ agnatorum, ſolo Epitheto mutato. Vt Auus maternus, matris pater. Auia materna, matris mater. Proauus maternus, proauia materna, & ſic de ceteris.

SCHEMA.

6 { *Tritauus maternus.* / *Tritauia materna.*

5 { *Attauus maternus.* / *Attauia materna.*

4 { *Abauus maternus.* / *Abauia materna.*

3 { *Proauus maternus.* / *Proauia materna.*

2 { *Auus maternus.* / *Auia materna.*

1 *Mater.*

IANVS.

In tranſuerſa linea ſurſum. Porrò in tranſuerſa linea ſurſum eſt Auunculus, (*Morbroder ohem*) Matertera, (*Morſoſter : Muhm.*) & ſupra hos proauunculus, ſeu auunculus maior, (*Morſoſters fader: Gros ohem.*) promatertera, ſeu matertera maior, (*Morſoſters moder: Gros muhm.*) Auunculus maximus, (*Morſoſters oldefader: Oberohem.*) matertera maxima, (*Morſoſters oldemoder : Obermuhm.*)

SCHEMA.

5 { *Auunculus maximus.* / *Matertera maxima.*

4 { *Auunculus maior, ſeu proauunculus.* / *Matertera maior, ſeu promatertera.*

3 { *Auunculus magnus.* / *Matertera magna.*

1 *Mater* 2 { *Auunculus.* / *Matertera.*

IANVS.

Ianus non poteſt venire ad auunculum & materteram, niſi tranſierit per matrem, ideò auũculus eſt in ſecundo gradu.

Deſcendentes recta linea. Porrò qui deſcendunt rectà & perpendiculari linea, ſic ordinantur: Ianus 1. filius filia. 2. nepos neptis. 3. pronepos proneptis. 4. abnepos abneptis. 5. atnepos atneptis. 6. trinepos trineptis. Hi omnes generali nomine liberi dicuntur. Qui verò infrà hos ſunt, poſteri nominantur. Vt Adæ filius Seth, nepos Enos, pronepos Cain, abnepos Malalehel, atnepos Iareth, trinepos Enoch, atque hi liberi dicuntur. Qui verò infra hos ſunt, Mathuſalem, Lamech, Noë, Sem, &c. poſteri Adæ nominantur.

Comparantur autem ſeu relatiuè opponuntur perpendiculariter pater & filius, auus & nepos, proauus & pronepos, abauus & abnepos, attauus & atnepos, tritauus & trinepos, maiores & poſteri. *Comparatio eorũ.*

Addamus ſchema cùm aſcendentium, tùm deſcendentium in rectâ linea.

SCHEMA.

Maiores.

6. *Tritauus, tritauia.*
5. *Attauus, attauia.*
4. *Abauus, abauia.*
3. *Proauus, proauia.*
2. *Auus, auia.*
1. *Pater.*

IANVS.

1. *Filius, & filia.*
2. *Nepos & neptis.*
3. *Pronepos proneptis.*
4. *Abnepos abneptis.*
5. *Atnepos & atneptis.*
6. *Trinepos & trineptis.*

Poſteri.

Hîc Ianus ſurſum ſpectans, filium refert, deorſum verò patrem. Numerus appoſitus & comparationem ſuperiorum & inferiorum, & gradus aſcendentium & deſcendentium indicat. Linea à Iano ſurſum verſus rectà aſcendentium dicitur. At linea à Iano deorſum verſus appellatur rectà deſcendentium. Sed paulò poſt de lineis dicetur.

Cæterum in tranſuerſis lineis æqualibus opponuntur relatiuè, proximè à Iano Frater & Frater, Frater & Soror, Soror & Soror. Infra hos fratrum liberi, qui ſi nati ſunt ex duobus fratribus maſculis, patrueles, (*Farbroder ſonner: Bruder* kinder.) dicũtur. Si ſunt ex duobus fratribus maſculo & fœmina, ille conſobrinus hic amitinus dicitur. At ſi filij duarum ſororum ſunt, conſobrini dicuntur, (*Syskenborn : Geſchvviſter* kinder.) Infra hos Sobrini, (*Nechſt Syskenborn: nechſt geſchvviſter* kinder, *oder, geſchvviſter neffe.*) Sobrinorũ filij noſtra lingua dicuntur, (*Forſte frender: nech geſchvviſter vnter* kinder, *oder, geſchvviſter, vnterneffe.*) *Oppoſitio in tranſuerſis lineis æqualibus.*

SCHEMA.

A.	B.	C.
Frater. Frater.	*Frater. Soror.*	*Soror. Soror.*
Patruel. patruel.	*Conſobr. Amitinus.*	*Conſobr. Conſobri.*
Sobrinus. Sobrin.	*Sobrinus. Sobrinus.*	*Sobrinus. Sobrin.*

Poſt hos Sobrinorum filij, nepotes, pronepotes, &c. Idem iudicium ſit de fœmellis.

In linea inæquali quomodo fiat comparatio, oſtendit ſequens ſchema. *Comparatio in linea inæquali.*

SCHEMA.

IANVS.

1. *Petrus.*	1. *Paulus.*
2. *Iacobus.*	2. *Andreas.*
3. *Marcus.*	3. *Robertus.*
4. *Lucas.*	4. *Ionas.*
5. *Probus.*	5. *Chriſtiernus.*
6. *Albertus.*	6. *Ioannes.*

1. Petrus vocabit Andream fratris filium, Robertum fratris nepotem. Ionam fratris pronepotem. Chriſtiernum fratris abnepotem. Ioannem fratris atnepotem.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

2. Iacobus vocabit Paulum patruum. Robertum patruelis filium. Ionam patruelis nepotem. Chriſtiernum patruelis pronepotem. Ioannem patruelis abnepotem.

3. Marcus vocabit Paulum patruum magnum, (*Faders farbroder: Groſuetter.*) Andream Sobrino propiorem. Ionam Sobrini filium. Chriſtiernum Sobrini nepotem. Ioannem Sobrini pronepotem.

4. Lucas vocabit Paulum patruum maiorem, (*Sin oldefaders broder: Oberuetter.*) Andream patrui maioris filium. Robertum patrui maioris nepotem. Ionam (qui eſt in æquali gradu) patrui maioris pronepotem. Chriſtiernum patrui maioris abnepotem. Ioannem patrui maioris atnepotem.

5. Probus vocabit Paulum patruum maximum, (*Oldefaders farbroder: Vorelter oberuetter.*) Andream patrui maximi filium. Robertum patrui maximi nepotem. Ionam patrui maximi pronepotem. Chriſtiernum patrui maximi abnepotem.

6. Albertus vocabit Paulum patrui maximi patrem. Andream filium patris maximi patrui. atque ita ordine deſcendendo, ad nepotes, pronepotes, &c. patris patrui maximi.

Ab altero latere eodem prorſus modo inſtituenda eſt comparatio.

SCHEMA.

IANVS.

1. *Anna.*	1. *Paulus.*	1. *Martha.*
2. *Petrus.*	2. *Ioannes.*	2. *Iacobus.*
3. *Ionas.*	3. *Claudius.*	3. *Probus.*

1. Anna vocabit Ioannem fratris filium. Claudium fratris nepotem. Iacobum ſororis filium. Probum ſororis nepotem.

2. Petrus vocabit Paulum auunculum. (*Morbroder: ohem.*) Martham materteram, (*Morſoſter: Muhm.*) Ioannem conſobrinum, (*Morbroder Son.*) (cui ipſe viciſsim eſt amitinus. Eſt enim Anna amita Ioannis.) Iacobum ſimiliter vocabit Petrus conſobrinum, cui ipſe viciſsim dicitur eſſe conſobrinus. At Claudium & Probum conſobrinorum filios appellabit Petrus, quem ipſi viciſsim ſobrino priorem agnoſcent.

3. Ionas Paulum Auiæ fratrem agnoſcit, & Martham auiæ ſororem, Ioannem ſobrino propiorem, etſi Ioannes Ionam amitini filium nominat. Idem Ionas ſalutat Iacobum ſobrino propiorem, etſi Iacobus Ionam conſobrini filium nominat.

3. *Lineæ Conſanguinitatis.*

Ratio nominis. ORDINES cognationum vſitatè lineæ dicuntur. Definitur autem linea, quantum ad noſtrum propoſitum attinet, hoc modo.

Definitio rei. Linea eſt ordinata collectio perſonarum conſanguinitate coniunctarum ab eodem ſtipite deſcendentium, diuerſos continens gradus, numeros diſtinguens.

Metaphora ſumta videtur à lineis fabrorum. Vt enim illi lineas pingunt, quarum ductum in ædificando ſequuntur, ne aberrent: ita in cognatorum examine, ordines cognatorum deſcribimus, quos cùm intuemur, & gradibus & numero, abſque omni errore eos diſcernimus.

Differentiæ. Linearum differentiæ ex diuerſitate comparationis cognatorum inter ſe ſumuntur. Quare cùm hæc comparatio in genere ſit triplex, erit & triplex linea.

Prima comparatio cognatorum, eſt ſurſum verſus perpendiculariter, vt filij ad patrem, patris ad auum, aui ad proauum, proaui ad abauum, abaui ad attauum, attaui ad tritauum, hinc ad maiores. Linea quæ ex hac comparatione naſcitur, dicitur aſcendentium, quæ hoc modo definitur.

Linea aſcendentium eſt, quæ ſurſum verſus rectà tendit, hoc eſt, quando numerando aſcendimus à filio ad patrem, ab hoc ad auum vſque ad tritauum, tritaui patrem & auum, cęteróſque quibus non ſunt peculiaria vocabula.

Secunda comparatio cognatorum deorſum verſus perpendiculariter vergit, vtpotè à patre ad filium, à filio ad nepotem, à nepote ad pronepotem, hinc ad abnepotem, atnepotem, trinepotem. Ex hac comparatione naſcitur linea deſcendentium, quæ hoc modo definitur.

Linea deſcendentium eſt, quæ deorſum verſus rectà tendit, hoc eſt, cùm numerando progredimur à patre ad filium, ab hoc ad nepotem, deinde ad pronepotem, &c.

Tertia comparatio cognatorum eſt, quando à duobus fratribus (quorum communis ſtipes eſt pater) tanquam proprijs ſtipitibus deſcenditur, quales ſunt fratrum filij, fratrum nepotes, fratrum pronepotes, abnepotes, atnepotes, trinepotes, &c. Ex hac comparatione lineæ laterales ſeu parallelæ naſcuntur, quæ definiuntur hoc modo.

Lineæ laterales ſunt, quæ ex duobus oppoſitis lateralibus nunc ſurſum, nunc deorſum ſpectant.

Verùm cùm cognati, qui ad iſtum modum deſcendunt, ab oppoſitis lateribus ſe mutuò reſpiciunt, naſcitur linea, quæ tranſuerſa dicitur, eáque vel æqualis vel inæqualis. Nam ſi æquè diſtant perſonæ, quæ in lateribus oppoſitis ponuntur à communi ſtipite, tranſuerſa æqualis dicitur. At ſi inæqualiter, tranſuerſa inæqualis appellatur. Sed omnia in hoc ſchemate clarius conſpiciuntur.

SCHEMA.

Patruus maximus.	*Abauus.*	*Amita maxima.*
Patruus maior.	*Proauus.*	*Amita maior.*
Patruus magnus.	*Auus.*	*Amita magna.*
Patruus.	*Pater.*	*Amita.*

A.

IANVS.

B.

Filius.	*Filius.*	*Filius.*
Nepos.	*Nepos.*	*Nepos.*
Pronepos.	*Pronepos.*	*Pronepos.*
Abnepos.	*Abnepos.*	*Abnepos.*
Atnepos.	*Atnepos.*	*Atnepos.*
Trinepos.	*Trinepos.*	*Trinepos.*

Ab A ſurſum verſus ad Abauum, &c. eſt linea recta aſcendentium: à B, deorſum vſque ad trinepotem, &c. eſt recta linea deſcendentium, reliquæ ſunt laterales, quæ cùm inter ſe conferuntur, in tranſuerſas æquales & inæquales diuiduntur, quemadmodum ex ijs conſtat, quæ ſuprà diximus de linea tranſuerſa.

4. *Gradus Conſanguinitatis.*

GRADVS aliter ab alijs definitur, Iuriſconſultis nihil aliud eſt gradus, quàm generatio, vt graduum ordo ſit generationũ ſeries. Canoniſtis autẽ gradus eſt habitudo perſonarum diſtantium, qua cognoſcitur, quota diſtantia perſonæ inter ſe differunt, hoc eſt, Gradus eſt interuallum, quo cognoſcitur inter perſonarum (quæ in quæſtionem veniunt) inter ſe propin-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſe propinquitas & diſtantia.

Ratio nominis.

Metaphora autem ſumta eſt à gradibus ſcalarum, ſeu locorum procliuium. Vt enim in ſcalis & locis procliuibus à proximo gradu in proximum, atque ita ordine progredimur, donec peruenerimus quò tendimus: Ita hîc gradatim per ſeriem generationum ducimur à proximo in proximum, qui ab eo naſcitur, atque ita deinceps, donec ad eum veniatur, quem quærebamus.

Quomodo conſideratur à Iuriſconſultis.

Porro cum gradus ſimpliciter à Iuriſconſultis pro generatione accipitur, duplex eſt eius conſideratio. Aut enim reſpicit plures ab eodem ſtipite immediatè ortos ſine reſpectu vlterioris progreſſus. Vt cùm à Iacob plures filij videlicet Ruben, Simeō, Leui, Iudas, naſcuntur: hîc quia ſunt tres generationes, tres quoque gradus eſſe ſtatuuntur. Sed hæc conſideratio graduum ad noſtrum inſtitutum parum admodum facit. Aut ſpectatur gradus, prout ordine ad remotiores per intermedios progredimur, cùm videlicet alij ab aliis progignuntur, & quaſi per gradus alios atque alios deſcendunt, Vt cum à Thare naſcitur Abraham, ab hoc Iſaach, ab hoc Iacob, ab hoc Ruben, vt Abraham ſit à Thare in primo gradu, Iſaach in ſecūdo, Iacob in tertio, Ruben in quarto. Atque hic reſpectus graduum & generationum ſolummodo habetur à Canoniſtis, cùm agitur de nuptiis. Ob quam cauſam doctiſſimi quidam viri potius retinent definitionem Canoniſtarum, quia congruit ad nuptiarum argumentum, quàm Iuriſconſultorum, quæ latius patet, & eorum inſtituto optimè congruit, vt qui de hæreditatibus & tutelis diſputent.

A canoniſtis.

5. *Supputatio graduum.*

In quo iuriſconſulti & pontificij doctores conueniũt.

IN LINEIS rectis aſcendentium & deſcendentium nullum planè eſt diſcrimen inter ſupputationem Legalem & Canonicam. Nam iuxta Iuriſconſultos & Canonicos computandæ ſunt perſonæ mediæ (ſi quæ ſunt) inter illas de quibus quæritur, ex quarum numero graduum ſupputatio inſtituitur, hoc modo.


Si nulla ſit perſona media inter perſonas, de quibus quæritur, erunt in primo gradu, vt Abraham & Iſaach deſcendendo, Iſaach & Abraham aſcendendo, hoc eſt, pater & filius in primo gradu, ſiue aſcendas, ſiue deſcendas. Verùm ſi inter eas perſonas, de quibus quæritur, aliæ fuerint intermediæ perſonæ, numerentur omnes perſonæ, hoc eſt, & mediæ & extremæ, & tot emergent gradus, quot ſunt perſonæ vna demta. Hinc regula Canonica: In lineis rectis aſcendentium & deſcendentium, tot ſunt gradus, quot ſunt perſonæ vna demta. Vt ſi quæras de Thare & Iuda, numera perſonas intermedias & extremas, & habebis quinque perſonas. Nam inter Thare & Iudam ſunt Abraham, Iſaac & Iacob, tres perſonæ, extremæ ſunt duæ, videlicet, Thare & Iudas. Coniunctæ ergo ſunt quinque, vt Thare, Abraham, Iſaach, Iacob, Iudas. Erit ergo Iudas iuxta regulam in quarto gradu à Thare deſcendendo, & Thare ſimiliter aſcendendo à Iuda in quarto gradu erit. Idem ſit de aliis iudicium.

Sed quare in regula additur vna demta? Quia perſona per ſe gradum non facit, ſed quatenus eſt ab alia generata. Quare concinnius hîc loqui videntur Iuriſperiti, cum dicunt: Numera generationes (ſcilicet progrediendo ordine ad remotiores) & gradus numeraſti. Sed Canonica regula rectè intellecta, nihil habet incommodi.

In quo variant.

In lineis collateralib. variant Iuriſconſulti & Canoniſtę. Iuriſconſulti enim eadem ratione in lateralibus numerant gradus, vt in rectà aſcendentib. & deſcendentibus. Nam vt generationes, ita & gradus numerant, atque primum gradum tribuunt ei, qui proximus eſt illi, de quo quæritur: iuxta regulam eorum: Cùm quæritur quo gradu quæque perſona ſit, ab eo incipiendum eſt, de cuius cognatione quæritur.

SCHEMA.



Hîc ſi quæratur, quo gradu Marcus diſtet à Iona, iubet Iuriſconſultus, vt ordine à Marco aſcendas, (Nam de illo quæſtio eſt) & per ſtipitem tranſeas, vnde deſcendas in aliud latus ordine & gradatim ad Ionam. A Marco igitur in primo gradu eſt Berta, in ſecundo Anna, in tertio Ianus, in quarto Paulus, in quinto Andreas, in ſexto Robertus, in ſeptimo Ionas. Diſtat ergo Marcus à Ioná in ſeptimo gradu, ex Iuriſconſultorum ſententia. Eodem modo de aliis omnibus abſque omni diſcrimine iudicandum eſt.

Supputatio iuriſconſult.

Etſi autem hæc ſupputatio Iuriſperitorum vera eſt & accommodata illorum vſibus, præſertim cùm de tutelis, ſucceſſionibus & hæreditatibus diſputatur: tamen cum de nuptiis agitur, planè otióſa eſt. Quid enim iuuerit ad conciliandas nuptias inter Annam & Chriſtiernum, quòd inter ſe ſexto diſtent gradu, cùm Anna ſit Chriſtierno loco matris. Eſt enim eius amita maxima. Quare neceſſariò hîc alia inſtituenda eſt ſupputatio, qualis eſt Canonicorum.

Supputatio canoniſtarum.

Supputatio graduum Canonica hoc pacto inſtituitur. Primùm videndum eſt, vtrum perſonæ, de quibus quæritur, diſtent à communi ſtipite æqualiter vel inæqualiter. (Neque refert ſiue hoc explores deſcendendo à communi ſtipite juxta naturæ ordinem, ſiue aſcendendo iuxta cognitionis noſtrę viam, id quod ideò dico, ne aſſentiamur illis, qui damnant Canonicos, eò quòd velint à ſtipite communi inchoandam eſſe ſupputationem.)

Si æqualiter ambo diſtant à communi ſtipite, eo gradu coniungendi ſunt, quo diſtant à ſtipite, ex quo fit, vt quoto gradu vterlibet eorum diſtet à communi ſtipite, eo gradu inter ſe quoque iūcti ſint. Hinc regula Canonica, In linea tranſuerſa æquali quoto gradu diſtat vna perſona à communi ſtipite, eo etiam altera alteri iungitur. Fratres ergo iuxta hanç ſupputationem ſunt in primo gradu. Vt Nachor & Abraham, quorum communis ſtipes, hoc eſt, pater, eſt Thare. Patrueles iunguntur in ſecundo gradu. Sobrini in tertio. Sobrinorum filij in quarto, & ita ordine ad alios procedendum eſt, vt in propoſito ſchemate Anna & Paulus ſunt in primo gradu. Berta & Andreas in ſecundo. Marcus & Robertus in tertio. Lucas & Ionas in quarto. Probus & Chriſtiernus in quinto.

Ratio ſupputationis canonicæ.

Porro ſi perſonæ, de quibus quæritur, in linea inæquali à communi ſtipite diſtant: vt frater & fratris filii, Sobrino propior & Sobrina, Sobrinus & Sobrini filia: gradui nomen ab eo qui remotior eſt à communi ſtipite, tribuunt Canonici, id quod vtiliſſimo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

conſilio factum eſt. Nam cum lege cauiſſent generali, ne vlli matrimonio copularentur intra gradum quintum, quæſtio ſæpe offerebatur, an, cùm vnus eſſet in ſecundo vel tertio, alter in quinto gradu alterius lateris, licitè contraherent nec ne? Hæc quæſtio ſoluitur, cùm gradui inæqualiter diſtantium à ſtipite, nomen tribuitur à remotiore. Si ergo quæritur, An Berta & Chriſtjernus, vt maneamus in propoſito ſchemate, poſſint connubio iungi, reſpondetur quòd poſſint, quia ſunt in quinto gradu.

Nuptiæ in tertiò gradu conſanguinitatis à Danicis legibus Eccleſiaſticis prohibitæ.

Noſtris legibus Eccleſiaſticis cautum eſt, ne vlli in tertio gradu cōpulentur. Offerebantur duo in Conſiſtorio Roſchildenſi, quorum ille in quarto, hæc autem in tertio gradu fuit. Hîc iudices rectè ex regula Canonica pronunciarunt, eos non contra legem noſtram, quæ vetat contractus coniugales fieri in tertio gradu, facturos, ſi contraherent, vt qui in quarto gradu cenſerentur eſſe. Atque hinc regula illa approbata à doctis extructa eſt, quæ eſt in decretis: Collateralium in linea inæquali, quoto gradu remotior diſtat à communi ſtipite, toto diſtant inter ſe, hoc eſt, Quoto gradu remotior diſtat à cõmuni ſtipite, eodem etiam à quolibet per aliam lineam deſcendentium diſtat. Hæc regula veriſſima & certiſſima eſt, modo accipiatur ſine calumnia & Sophiſtica, eo ſenſu quo tradita eſt. Neque enim regula hoc vult, vt ſtatuamus ſimpliciter, à ſe inuicem peræquè diſtare eos, quorum vnus eſt in ſecundo, & alter in quinto gradu alterius lateris. Sed vt quantum ad ius connubialis contractus attinet, æquè diſtare cenſeantur. Significatur igitur regula iſta, ſuperuacaneum eſſe, diſputare de deſcendentibus in altera linea, id eſt, de iis, qui ſunt poſteriores primo gradu à ſtipite, modo in alterius fratris linea is de quo quæritur, in quinto ſit à communi ſtipite gradu. Vt ſi vnus fuerit in quolibet gradu deſcendentium ab vno latere, alter verò in quinto, Canonici rectè iuxta regulam traditam nuptias concedunt. Nam ambo cenſentur in quinto gradu.

Obiectio.

Verùm quidam contra hanc regulam, ſed mutilatam, hoc modo inſurgunt: Quoto gradu diſtat remotior à ſtipite, toto inter ſe diſtant. Si hæc regula vera eſt, (aiunt) Ianus qui eſt in quinto gradu, poteſt ducere Annam amitam maximam.

SCHEMA.

PAVLVS.

Anna. — *Iacobus.*
Andreas.
Ionas
Petrus.
Ianus.

Sed cùm amita maxima ſit Iano loco matris, profecto contra legem naturæ fuerit Ianum & Annam connubio iungi, id quod Gloſſographus licere ex regula malè intellecta ſtatuit. Putat enim cognationem Pauli in Iano deſiiſſe, hoc eſt, non extendi cognationem vltra atnepotes. Sed error, vt fit, errorem parit.

Reſponſio

Quid ergo dicendum? Regula integra eſt inſpicienda, hæc videlicet: Quoto gradu remotior diſtat à communi ſtipite, eodem etiam à quolibet, per aliam lineam deſcendentium diſtat. Si ergo Anna deſcendit per lineam alterius lateris, rectè concludunt, qui regulam impugnant. At ſi non deſcendit, nulla eſt illorum concluſio, vt quæ cum regula qua nituntur, pugnet. Quis enim quæſo verè dixerit, Annam ab altero latere à ſtipite deſcendere? Nam ſi Annam conſideres reſpectu ſtipitis, An non in recta linea aſcendentium inuenitur? Recta enim linea à ſilia ad patrem aſcenditur, vt viciſſim à patre ad filiam, perpendiculariter deſcenditur. At ſi reſpicias Annam reſpectu deſcendentium à latere, nequaquam in numero deſcendentium eius lateris cenſenda eſt, cum ſit ſtipes deſcendentium in eo latere, & filius eius primus deſcendentium, Nepos ſecundus, Pronepos tertius, atque ita deinceps. Proinde Anna & Iacobus, neque reſpectu mutuo, neq; cõparatè ad ſtipitem dicũtur laterales, ſed propter aliud, hoc eſt, quia ſunt ſtipites collateralium, ex quibus laterales deſcendunt. Ex quo factum eſt, quòd quidam ex veteribus, filios eorum, qui ſunt primi in oppoſitis lineis, in prima generatione poſuerint. Cùm ergo dicitur in regula: à quolibet per aliam lineam deſcendentium, is qui eſt proximus ſtipiti, manifeſtè excluditur, vt qui à ſtipite recta linea deſcendat, à quo prognati deſcendũt, quidem recta linea, ſed laterales dicuntur, quia opponuntur aduerſo lateri. Non ergo ex hac regula ſequitur, quod Ianus poſſit Annam ducere. Non enim eſt in numero deſcendentium, ſi latera oppoſita reſpicis. Atque ita videmus regulam accommodatam inſtituto eorum, qui ipſam primi tradiderunt, ex omni parte conſtantem & firmam eſſe, modo non ab eius vero ſenſu, quem vel ipſa grammatica ſuppeditat, diſcedamus.

Regula ſupra citata explicatur.

Cæterum cùm hæc regula vulgò mutilata allegatur hoc modo: Quoto gradu remotior diſtat à communi ſtipite, toto gradu inter ſe diſtant, & generalius quàm voluerunt, qui illam tradiderunt, accipitur, videtur ſanè ſua generalitate primum etiam gradum alterius lateris à ſtipite communi complecti, ex quo factum eſt, quod multi hanc regulam impugnauerint. Exemplum eſto,

THARE.

Abraham. — *Aram.*
Sara.

Hîc quia Sara diſtat ſecundo gradu à ſtipite communi, Abrahæ iuncta eſt ſecundo gradu. Hoc exemplum ſanctiſſimæ memoriæ præceptor noſter Philippus Melãcthon ponit, neque tamen regula ita accepta, modo commoda adhibeatur interpretatio, falſa erit. Nequaquam enim vult hæc regula, vt æqualiter à ſtipite vel inter ſe diſtare putetur remotior à ſtipite & vicinior ſtipiti, quod quidem ſentire abſurdiſſimum eſſet. Sed hoc ſolummodo vult regula, quòd remotior à ſtipite non propius attingat quemlibet eorum, qui ab altero latere deſcendunt, quàm ſtipitem ipſum. Ponamus exempli gratia hoc ſchema.

PAVLVS.

Anna. — *Iacobus.*
Petrus. — *Andreas.*
Ionas.

Hîc Ionas, qui eſt in tertio gradu, non propius attingit Petrum viciniorem ſtipiti, videlicet in ſecundo gradu, quàm ſtipitem ipſum. Nec idem Ionas propius attingit Annam, quæ eſt in primo gradu à ſtipite, quàm ipſum ſtipitem, etſi Ionas eſt in tertio gradu. Quod tamen ſuſpicari quis poſſet, cùm Anna & Iacobus ſint in vno gradu à ſtipite, nempe primo. Vult ergo regula, vt diſcernamus inter gradum ſimplicem & duplicatum. Breuiter, Si exponimus verbum diſtat, vt res ipſa poſtulare videtur per remotionem, ſeu negationem contrarij, vt diſtat, po-

natur

natur pro non propius attingit, regula nihil habet incommodi, tametſi ſatius eſt eam reuocare ad pleniorem illam regulam, & inde eius interpretationẽ petere. Sed hæc placuit breuiter adiicere, ne regulam iſtam truncatam, tanquam abſurdiſſimam cum quibuſdam abiiciamus, cùm poſſit commoda interpretatione adhibita rectè defendi, & vtiliter retineri.

Vſus ſuperiorum regularum.

Porrò quæ hactenus diximus, de regulis illis tribus Canonicorum, quæ ſeruiunt ſupputationi graduum, eò tantum referri volo, vt rectè eas iuxta Canonicorum ſententiam intelligamus, & accommodemus legibus diuinis & humanis, de licitis & illicitis nuptiis, ad quas modo nobis tranſeundum eſt.

6. *LEGES DIVINÆ DE prohibitis gradibus.*

Caſtitas ſeu ſanctitas lineamentum imaginis Dei.

Quoniam Deus hominem ad imaginem ſuam condidit, vult hanc imaginem in homine lucere. Huius quædam lineamenta ſunt virtutes, quæ in Deo ſunt perfectiſſimæ, inter quas primum locum, modò rectè iudicauerimus, occupat caſtitas, quæ in ſcripturis ſanctitas ſæpenumero appellatur, ad quam Deus ipſe inuitat, cùm ait: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum. Ab hac enim vt manant cæteræ: ita quoque ad eandem tuendam & conſeruandam referuntur omnes. Ex quo factum eſt, vt Græci caſtitatem aptiſſimis vocabulis, nunc à forma ἁγνότητα, nunc σωφροσύνην, ab effectu nominent. Nam quemadmodum corpus hominis in eburneo ſepulchro conditum, non putreſcere putatur; ita anima hominis, donec in vera caſtitate manet, à putredine vitiorum immunis eſt, & tuta conſeruatur. Vt ergo homines hanc virtutem hominis excellentia digniſſimam magis expeterent, amarent, tuerentur, Deus legem coniugiorum & in natura impreſſit, & poſtea eandem ſuo teſtimonio confirmauit, quam multę etiam barbaræ nationes ignaræ Dei agnouerunt, tametſi, proh dolor! inueniuntur, qui omni exuta humanitate, à diabolo impulſi, tanquam phrenetici aduerſus hanc legem ferantur. Sed hi non tam homines quàm immanes beſtiæ dici merentur. Huc acceſſerunt Imperatorum Conſtitutiones, Epiſcoporum decreta, & nationum inſtituta, quibus lex naturæ impreſſa, de caſtis coniugiis fulcitur, munitur & conſeruatur, ne homines inſtar beſtiarum in obſcœnas ruant libidines, quibus imago Dei veluti inducta aboletur, peritque. Hinc facilè eſt iudicare, in quanto pretio ſint apud Deum caſta coniugia, quibus tot limites præfixi ſunt, vt lex naturæ, teſtimonium Dei, religioſorum Imperatorum Conſtitutiones, Sanctiones Epiſcoporum, & nationum inſtituta, de quibus ordine dicemus, ac primùm de lege naturæ & teſtimonio Dei, quo non noua lex conditur, ſed olim mentibus hominum impreſſa repetitur & declaratur.

Eius nomina.

A deo maxime commendata.

Ab hominibus diſſ... grauiter munita & cõſeruata.

Lex naturæ & Dei coniugiis limites ſtatuit.

Quantum igitur ad legem diuinam, (quæ eadem naturæ eſt) attinet, obſeruandum eſt imprimis, a quorum nuptiis Deus velit nos abſtinere. Vult autem nos abſtinere ab iis, qui nos proximè attingunt conſanguinitate & affinitate, quorum certos gradus limiteſque ſtatuit, & addidit pœnas, ſi quis hos limites contumaciter tranſgrediatur, ídque ideò, ne vel ignorantia boni, vel peruerſitate mali, hãc legem violaremus. Dicamus ergo primùm de prohibitione graduum, iuxta legem Dei & naturæ.

De prohibitione graduum iuxta hãc legem.

In prohibitione graduum propinquitatis ſeu cõſanguinitatis, tria ſunt nobis ordine ex verbo Dei ſpectanda, videlicet, lex generalis, definitio propinquitatis, & declaratio vtriuſque.

Lex vniuerſalis, ex qua particulares fluunt, in Leuitico ad verbum hæc eſt, cap. 18. 6.

Vir vir ad omnem propinquitatem carnis ſuæ non appropinquabitis.

Expoſitio textus legis diuinæ.

Id eſt, non appropinquabitis vnuſquiſque ad propinquitatem carnis ſuæ, hoc eſt, Latina phraſi, nemo ad propinquam carnis ſuæ accedat, id eſt, ducat in vxorem, & cum ea rem habeat, ſeu, nemo iungat ſibi propinquitatem carnis ſuæ. Hanc legem, quæ caput eſt particularium prohibitionum, ſi rectè intellexerimus, facilis erit omnium aliarum legum, quæ ex ea concluduntur, intelligentia.

Primùm ergo in hac lege obſeruandum eſt; quò pertineat particula vniuerſalis. Deinde quòd non dicat lex, nemo accedat ad proximam ſuam aut conſanguineam ſuam, ſed ad propinquitatem carnis ſuę: ſeu vt propriiſſimè reddidere ſeptuaginta interpretes, πρὸς οἰκεῖαν σαρκὸς αὐτοῦ, hoc eſt, domeſticam carnis ſuæ.

Propinquitas autem carnis meæ eſt, quæ me ſine interuallo attingit, ídque vel ſupernè vel infernè, vel dextrà aut ſiniſtrà, hoc eſt, ad latera: ſupra me proximè ſunt pater & mater. Ad latera, hoc eſt, dextrà & ſiniſtrà, fratres & ſorores. Infra me proximè ſunt filius & filia. Ergo hac lege generali prohibentur parentes & liberi contrahere, & ex conſequenti, omnes qui in illorum loco ſunt. Item fratres & ſorores. Reliquis lege Dei liberum relinquitur.

Poteſt ergo, inquies, auus cum nepti contrahere? Nullo pacto. Ideò adieci qui in horum loco ſunt. Nam ſi non licet filiæ patri nubere, multò minus licebit nepti auo nubere, qui illi patris loco eſt. Siquidem maior reuerentia naturæ inſtinctu debetur & exhibetur remotioribus parentibus, quàm propinquis. Si ergo non licet contrahere cum proximis in recta linea, neque cum remotioribus licebit, quorum reuerentia maior eſt, & dilectio arctior, ſicuti ſtorga in omnibus bonis teſtatur, & experientia confirmat. Ecce, totum negotium de prohibitis gradibus conſanguinitatis, hac vniuerſalis legis expoſitione expediuimus, & poteſt hæc expoſitio prudentioribus, quantum quidem ad legem diuinam attinet, ſatisfacere.

Confirmatio à definitione propinquitatis per Moſen tradita.

Hanc noſtram legis generalis enarrationem, clariſſimè confirmat definitio propinquitatis à Moſe, Leuit. 21. 2. tradita, vbi in hanc ſententiam loquitur Moſes. Super animæ nullus (ſcilicet Sacerdotum) contaminetur in populis ſuis, niſi ſuper propinquitate ſua, hoc eſt, propinquo ſuo, nempe ſuper matre ſua, & ſuper patre ſuo, & ſuper filio ſuo, & ſuper filia ſua, & ſuper fratre ſuo, & ſuper ſorore ſua. Sub hac enumeratione continentur & illi, qui in horum numero ſunt. An non hæc definitio propinquitatis, per omnia congruit cum enarratione noſtra? Proximus enim ſupra me eſt pater & mater, proximus iuxta me eſt frater & ſoror. Proximus infra me eſt filius & filia. Patrueles ergo conſobrini, conſobrinus & amitina ſub hac lege non comprehenduntur. Nam patruelis mea, conſobrina mea, aut amitina, non ſunt mihi proximè, neque ſupra me, neque iuxta me, neque infra me. Proinde lege diuina non cogor ab illarum nuptiis abſtinere, ſed de humanis legibus ſuo loco dicemus, quas nemo pius contemſerit.

Maximilianus patrui ſui filiam vxorẽ duxit.

Maximilianus Imperator patruelem ſuam in vxorem duxit, quæ res tametſi imperitos offendit, tamen culpa caruit. Nam principes neque communi lege, niſi quantum ad iuſtitiam attinet, vt nemini contra leges fiat iniuria, tenentur, neque illorum facta, modò à Deo non ſint prohibita, transferenda ſunt ad imitationem, præſertim cùm ſubditi aliam legem habeant, cui eos propter publicum bonum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

obedire oportet. Quod ergo licuit Maximiliano, non ſtatim licebit cuiuis nobili aut plebeio in Romano imperio. Sed hac de re infrà copioſius dicendum erit.

Quinam in ordine parentum & filiorum cẽſendi ſint.

Porro cùm lex generalis vetat copulari propinquos quales ſunt parentes & liberi,& qui in illorum numero ſunt , item fratres & ſorores,ſciendum eſt, qui nam in ordine parentum , & qui in numero filiorum habendi ſint.

In ordine parentum ſunt,& qui ſunt iuxta parentes,ſeu ad latera parentum tranſuerſa & æquali linea,& qui ſunt recta linea ſupra parentes. Ad latera quidem patris mei ſunt patruus & amita:Matris verò,auunculus & matertera.Supra verò parentes ſunt patris & matris reſpectu , auus auia , proauus proauia , abauus abauia , &c. De his tradunt regulam:Prohibitio aſcendentium & deſcendentium in recta linea eſt perepetua.Adduntque facetè,Si hodiè viueret Adam,in celibatu illi fore viuendum. Verùm alij in quinto gradu redire ius contrahendi contendunt,ſed potius eorum ſententia probanda eſt , qui perpetuam prohibitionem eſſe malunt.

In ordine filiorum ſunt omnes,qui ſunt in eadem linea deſcendente , hoc eſt, omnes qui recta linea à ſtipite deſcendunt,item omnes qui à fratre meo & ſorore mea naſcuntur. Nam ego,frater meus,& ſoror vna caro ſumus.

Similiter in tranſuerſa linea ab Amita & matertera ſurſum aſcendendo , perpetua quoque eſt prohibitio. Amita enim & matertera,cæteræque deinde perſonę aſcendentes,cum nepotibus,aliiſque deſcentibus comparatæ,eorum parentum , quibus æquali linea tranſuerſa adiunguntur,vicem obtinent. Id quod in patruelibus,amitinis & conſobrinis nullum locum habet. Similiter deſcendendo à fratris & ſororis filia, perpetua eſt prohibitio , quia comparatæ inter ſe, parentum & filiorum vice funguntur. Quare laudandus eſt Paulus Iuriſconſultus, qui tempore Alexandri Imperatoris vixit, qui ius gentium eſſe docet,hanc de qua loquimur prohibitionem. Sororis, inquit, proneptem non poſſum vxorem ducere , quoniam parentis loco illi ſum. Eſt enim prohibitio,vt diximus,vniuerſalis,non ſolùm inter aſcendentes & deſcendentes in recta linea,verùm etiam in tranſuerſis lineis, inter eos qui parentum & liberorum loco ſunt.

Iam veniemus ad declarationem vtriuſque , hoc eſt , legis generalis & definitionis propinquitatis, hoc eſt , ad particulares ſeu ſpeciales leges , quæ ex communi lege concluduntur , quemadmodum declarabimus.

PRIMA LEX SPECIALIS.

Pudorem patris tui & matris tuæ non diſcooperies.

Legis expoſitio.

Hoc eſt,filia patri non nubet,nec filius matrem in vxorem ducet,ſeu quod idem eſt,pater non ducet filiam in vxorem , nec mater filio nubet. Nullus enim limes eſt inter has perſonas, proximè enim ſe attingunt.Concluditur igitur hæc lex generali lege, vt ſpecies à ſuo genere , ſeu hypotheſis à ſua theſi. Homo ad proximam ſuæ carnis non accedet. Mater & filia ſunt filio & patri proximę.Quare nec pater filiam,nec filius matrem in vxorem ducet. Hæc lex comprehendit etiam eos , qui loco parentum & filiorum ſunt. Rectè igitur Iuriſconſultus;Nuptiæ non poſſunt contrahi inter eos,qui parentum & liberorum ſunt numero,ſiue proximi , ſiue remotiores gradus ſpectentur.

Pœna violatæ legis.

Pœna gemina violatoribus huius legis debetur. Vna corporalis,nempe mors, Altera ſpecialis,videlicet maledictio. Nam ſi qui violat nouercæ thorum,morietur,& erit maledictus , multò magis qui hanc legem tranſgreditur.

SECVNDA LEX SPECIALIS.

Pudorem ſororis tuæ,filiæ patris tui , aut filiæ matris tuæ, quæ genita eſt domi, vel genita eſt foris , non reuelabis.

Expoſitio.

Hvivs legis eadem ratio eſt quæ ſuperioris. Vt enim nihil propinquius eſt filiæ & filio , ſi ſurſum ſpectes,quàm pater & mater:ita ſi ad latera reſpicis, nullum interuallum inter fratres & ſorores,ſiue ſint nati ab vtriſque patre & matre , ſiue ab alterutro. Eodem modo ergo concluditur hæc lex à generali, vt prima.

Porro foris & domi naſci alij aliter interpretãtur. Quibuſdam enim domi naſci eſt legitimè naſci,foris autem illegitimè. Aliis à patre naſci ab alia vxore, eſt domi naſci, ex matre naſci ex alio viro, eſt foris naſci.

Pœna violatæ legis.

De pœna corporali violatæ huius legis Moſes loquitur Leu.20.17.cum ait,Si quis acceperit ſororem ſuam filiam patris ſui, occidetur in conſpectu populi.Spiritualis pœnæ meminit idem Moſes Deut.27. 22.Maledictus qui dormit cum ſorore ſua.

TERTIA LEX SPECIALIS.

Pudorem nepotis tui aut neptis tuæ non reuelabis.

Expoſitio.

Hoc eſt, Auia non nubet nepoti , nec auus neptem in vxorem ducet.Ratio legis eſt, quòd auus & auia parentum loco ſunt,vt nepos & neptis liberorum.Qui tametſi ſe proximè non attingunt , tamén maiorem reuerentiam nepos auo exhibet,quàm patri , & auus nepotem arctiore dilectionis vinculo complectitur,quàm filium.

Pœna.

Pœnæ ergo tranſgreſſoribus huius legis eædem proponũtur,quæ violatoribus primæ legis ſpecialis.

QVARTA LEX SPECIALIS.

Pudorem amitæ tuæ non diſcooperies.

Ratio huius legis.

Ratio legis eſt,quòd amita ſit loco matris, vt quæ ad latus ſit patri. Cùm igitur fratris filius amitam ducere prohibetur,amita quoque illi prohibetur nubere. Nam ſi fratris filius non poteſt ducere amitam,profectò , nec fratris filia poteſt nubere patruo ſuo,aut auunculo,nec frater fratris filiã, nec neptem,nec proneptem. Nam cuius filiam ducere non poſſum , nec eius neptem , proneptem, abneptem,atneptem,trineptem, &c. licet mihi ducere. Siquidem cuicunque fœminæ non licet mihi nubere,eam non licebit mihi in vxorem ducere , & contra,quam non licet mihi ducere,ei non licebit mihi nubere. Vtrinque enim eadem eſt ratio. Cùm ergo non licet fœminę nubere auunculo aut patruo, non licebit profectò auunculo aut patruo,filiam ſororis aut fratris ſui ducere. Nam cùm vna perſona prohibetur,reliquæ omnes, quæ ſunt in pari gradu, cum illis prohibentur. Siquidem ex iis,quæ vetantur,certa norma de iis,quæ non expreſſe ponuntur, petenda eſt.

QVINTA LEX SPECIALIS.

Pudorem materteræ tuæ non diſcooperies.

Ratio.

Hvivs legis ratio ex ſuperius dictis manifeſta eſt.Eſt enim matertera loco matris,vt quæ illi ad latus,hoc eſt,in tranſuerſa linea æquali ſit proxima.

His

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Summa quinque priorum legum ſpiritualium.

His quinque legibus prohibetur omnis conſanguineorum inceſtuoſus coitus. Qui autem ſub his legibus non continentur, iure diuino propter conſanguinitatem non vetantur nuptias contrahere. Sed hæc omnia propoſitis ſchematibus oculis ſubiiciemus. Primum enim Schema ſimplex erit, ex verbis nudis Moſis deſumtum. Alterum ex conſecutionis neceſſitate extruetur.

SCHEMA PRIMVM.

Amita.	*Mater.*	*Matertera.*
Soror.	IANVS.	
	Filia.	
	Neptis.	

Hîc IANVS prima lege à matris & filiæ: Secunda à ſororis: Tertia à neptis: Quarta ab amitæ: Quinta materteræ nuptiis arcetur.

Alterum ſchema ex conſecutionis neceſſitate extructum.

&c.	&c.	&c.
maxima.	*Abauia.*	maxima.
maior.	*Proauia.*	maior.
magna.	*Auia.*	magna.
Amita.	*Mater.*	*Matertera.*
Soror.	IANVS.	*Frater.*
Filia.	*Filia.*	*Filia.*
Neptis.	*Neptis.*	*Neptis.*
Proneptis.	*Proneptis.*	*Proneptis.*
&c.	*&c.*	*&c.*

IANVS procus nullam ex his fœminis poteſt in vxorem ducere. Nam quæ ſupra illum ſunt, matres cenſentur: Quæ infra illum perpendiculariter, filiæ ſunt. Iis quæ à ſorore Iani & fratre eiuſdem deſcendunt, ipſe Ianus eſt patris loco, qui cum ſorore ſua vna eſt caro. Idem iudicium ſit de fœmina quærente nuptias, quæ ſimiliter abſtinebit ab iis, qui ſimili modo ſe attingunt.

Licebit ergo per leges diuinas patrueles, amitinos, conſobrinos, & qui ſunt infra illos, matrimonio iungi. Non enim ſunt ſibi proximi ſanguine. Nam limes tranſuerſus interponitur inter ipſos & ſtipitem, nec parentum & liberorum loco ſunt. In horum igitur nuptiis, quantum ad leges diuinas attinet, licet exempla ſanctorum ſine peccato bona conſcientia imitari. Quatenus autem legibus humanis obligemur, & qua exceptione, ſuo loco docebimus.

Exemplo ſanctorum.

BATHVEL.

Rebecca.	*Laban.*
Iacob.	*Rachel.*

Hìc Iacob filiam auunculi in vxorem duxit.

Ioſue 15.

IAPHVNE.

Caleb.	*Cœnas.*
Axa.	*Othoniel.*

Hic Othoniel patrui filiam ducit in vxorẽ. Quod matrimonium ipſe Ioſue legis diuinæ ſanctiſſimus cuſtos & conciliat & probat.

Aliud quod Philippus ponit.

MATHAN.

Iacob.	*Eli.*
Ioſeph.	*Maria.*

Hîc Ioſeph patrui filam in vxorem ducit; quod nequaquam feciſſet vir ſanctus & iuſtus, ſi contra legem Dei fuiſſet patruelem ducere. Quod autem Eli dicitur pater Ioſeph à Luca, qui tamen patruus ipſius fuiſſe videur, id fit more ſcripturæ, quo maiores minorum patres cenſentur. Quod autem Euangeliſta Matthæus, Iacob fuiſſe filium Mathan affirmat, & Lucas Eli fuiſſe filium eiuſdẽ Mathan teſtatur, id ideò factum eſt, vt cognatio Ioſeph & Mariæ intelligatur, vt cùm Ioſeph deſcendat à Dauidis proſapia, intelligatur Maria ab eadem deſcendiſſe.

Conciliatio genealogiæ Ioſephi apud D. Matthæū & Lucam.

Si iam licuit Ioſepho ducere patrui filiam. Si licuit Othoniel idem facere, & ſi licuit Iacobo auunculi filiam per legem diuinam in vxorem ducere, cur non Maximiliano Imperatori patrui ſui Caroli V. filiam, hoc eſt, ſuam patruelem, ducere in vxorem liceret? Nam præterquam quòd huiuſmodi contractus coniugalis, videlicet, natorū ex duobus fratribus, non ſit prohibitus, habet probata ſanctorum exempla, & aprobationem Moſis & Ioſue, qui huiuſmodi nuptias & conciliauerunt & approbauerūt. De Moſe enim legitur vltimo Numerorum capite, vbi Maacha, Terſa, Egla, Melcha, & Noa filiis patrui ſui approbante Moſe nupſerunt. De Ioſue legitur in eius libro cap. 15. vt paulò antea meminimus.

Si quis autem obiiciat, non tam ſpectandum eſſe quid liceat, quàm quid honeſtum ſit; & habendam eſſe rationem publicæ honeſtatis, hunc viciſſim interrogo, Quisnam honeſtatis maiorem rationem, quàm ipſe Deus omnis honeſtatis fons & autor habere potuerit? Si ergo Deus hoc honeſtum iudicat, tu quis es, qui hoc inter minus honeſta numeras? Loquor autem de diuinis legibus, de humanis autem quid ſit ſentiendum, quos obligent & quatenus, paulò pòſt dicam.

Obiectio de coniugio eius qui patruelem, id eſt, patrui ſui filiam ducit.

7 *Cauſæ interdictarum nuptiarum in certis gradibus.*

CVM non dubium ſit omnia officia Chriſtianorum ſub his duabus legibus: Dilige Deum ex toto corde & dilige proximum tuum vt teipſum, contineri, meritò hîc quæritur, quomodo prohibitiones nuptiarum inter certas perſonas ſub his legibus contineantur. Nam ſi lege prohibitionis obligamur, qui legib. Moſaicis exemti ſumus, neceſſe eſt, vt ea prohibitio ſub altera harum rerum contineatur: præſertim cùm Dominus ſolam dilectionis legem nobis commendet, & omnia in ea contineri affirmet. Ad hanc quæſtionem ita reſpondeo: Duæ ſunt cauſæ prohibitionis diuinæ videlicet naturalis ſanguinis reuerentia, & dilectionis inter homines propagatio. Naturalis ſanguinis reuerentia eſt, quam homines ſibi mutuò iuxta naturæ legem & mandatū debent ob ſanguinis propinquitatē. Liberi progenitoribus ſuis debent ſummam reuerentiam, & quò ſunt remotiores, eò maiorem. Sunt enim progenitores liberis loco Dei, vt ſecundum Deum ipſos honorent. Proinde oportet, vt in omni vita liberi parentes ſuos tanquam deos quoſdam ſuſpiciant. Cùm ergo coniuges debent eſſe pares, etſi non conditione, coniugali tamen amore, reuerentia & dignitate, contra ſanguinis reuerentiam fieret, ſi parentes cum liberis connubio copularentur. Nam ſi pater filiam duceret, eámque ſibi ſociam adiungeret, ipſe quidem ſuam eminentiam & dignitatem contra naturæ ordinem & legem Dei deponeret & contemneret. Illa verò reuerentiam paternam maritali commutaret. Et quoniam vxor marito vt capiti iure naturæ ſubiecta eſſe debet, contra naturam faceret mater, ſi filio nuberet. Similiter filius

Quæſtionis difficultas.

Reſpōſio.

Cauſa prima.

Parentum & liberorum nuptiæ illicitæ.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

maternam reuerentiam maritali commutaret contra naturæ ordinem. Breuiter, ius naturæ dictat, maiorem deberi reuerentiam parentibus, quàm coniugibus. Ex his manifeſtè concluditur, quòd lex prohibens nuptias parentum cum liberis, contineatur ſub quarto præcepto, & ſub communi dilectionis proximi capite. Eadem naturæ lex fratres cum ſororib. connubio iungi vetat, etſi hîc ratio obſcurior eſt. Videtur autem ordini naturæ non congruere, vt qui iam ſanguine vnum ſunt, fœdere maritali iungantur, neque reuerentia fraterna in maritalem contra naturæ ordinem transformanda eſt. Ideò Auguſtinus ait: *Neſcio quomodo ineſt humanæ verecundiæ quiddam naturale, vt cui debet cauſa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat.* Huc accedit tacitus naturæ conſenſus in omnibus ſanis hominibus, ex quo factum eſt, quòd etiam ethnici ignari Dei, præſertim philoſophi Græci & Romani, nuptias parentum cum liberis, & fratrum cum ſororibus inceſtas iudicarint.

Item fratrum & ſororum.

Altera cauſa.

Altera cauſa prohibitarum nuptiarum in gradib⁹ certis eſt caritatis inter homines propagatio. Lex ergo dilectionis vetat quicquid impedit caritatis mutuæ inter homines propagationem, & præcipit, quod eam latiſſimè inter homines ad ſocietatem natos diffundit, hoc eſt, quod aliis verbis dici ſolet. Lex naturæ ea dictat, quæ faciunt ad conſeruationem naturæ, & vetat impedientia naturæ conſeruationem, Nunc autem nuptiæ cum propinquis amorem inter homines in anguſtum cogunt & impediunt, quo minus ſe latiſſimè amor inter homines diffundat: Et contra, nuptiæ cum remotioribus initæ amorem inter homines latiſſimè ſpargunt, & veluti fugientem reuocant. Quare & ſocietas humana ſtabilitur, & incolumitas conſeruatur. Proinde vt illæ nuptiæ lege naturæ & dilectionis prohibentur, ita hæ præcipiuntur. Siquidem ſocietas hominum amore coit, amicitia firmatur, officiis mutuis continuatur, nuptiis fouetur, dilatatur & conſeruatur. Id quod Deus atque omni dubio his legibus de nuptiis voluit.

Obiectio.

Sed video quid obiiciant, qui noſtræ ſententiæ aduerſantur. Lex naturæ, inquiunt, eſt immutabilis. Si ergo licuit aliquando cum proximis matrimonio iungi, videtur prohibitio non eſſe legis naturæ, ſed politicæ ordinationis in Republica Moſaica. Reſpondeo. Lex naturæ dupliciter conſideratur. Aliàs enim lex naturæ ſic dicitur, ἁπλῶς ſeu ὅλως, hoc eſt, ſimpliciter, & ex omni parte, vt Deus colendus eſt, honorandi ſunt parentes, nati ſunt educandi, parentum & liberorum nuptiæ ſunt inceſtæ. Hæc lex naturæ planè eſt immutabilis. Aliàs dicitur lex naturæ κατά τι, ſeu τινὸς ἕνεκα, videlicet, cùm natura finem intuetur, qui eſt incolumitas humanæ ſocietatis & conſeruatio. Hæc lex naturæ, etſi quò ad finem mutabilis non eſt: tamen ſi modum, quo ad finem peruenitur, reſpicis, eſt mutabilis. Lex naturæ in exordio mundi requirebat proximorum nuptias, vt fratrum cum ſororibus, vt homines multiplicarentur. Iam eadem lex naturæ, humano genere multiplicato, & latè ſparſo, prohibet proximorum nuptias in lineis certis & gradibus propter eundem finem, videlicet, vt homines inter ſe ſocietate coaleſcant, & firmis amicitiæ fœderibus iungantur, ſerpente in plures caritate per affinitates. Cicero ait: *Ipſa charitas generis humani, quæ tota domus coniugio & ſtirpe coniungitur, ſerpit ſenſim foras cognationibus primùm, tum affinitatibus.* Et Auguſtinus: *Habita eſt ratio rectiſſima charitatis, vt homines, quibus eſſet vtilis & honeſta concordia diuerſarum neceſſitudinum vinculis necterentur, nec vnus in vna multas haberet, ſed ſingula ſpargerētur in ſingulos, ac ſic ad ſocialē vitam diligentius colligendam plurimæ plurimos obtinerent. Voluit ergo natura, vt neceſſitudinis vinculum in multos diffuſis coniugiis, & non intra eoſdem parietes manentibus, plures connecteret.* Hanc naturæ legem, vt ſit inuiolabilis, Deus ſua voce confirmauit, & diſertè eam pertinere ad omnes nationes pronunciat, Leu. 18.

Reſponſio per diſtinctionem.

8. *LEGES HVMANÆ DE prohibitione certorum graduum.*

Triplices leges.

LEGES humanæ de nuptiis ſunt triplices: Pontificiæ, Imperatoriæ, & Nationum propriæ.

1. Pontificiæ.

Pontificiæ leges Chriſti ſponſam non obligant. Nam cùm Pontifex ſit verus Antichriſtus, illius legibus non poteſt ſe ſubiicere Chriſti ſponſa, niſi Chriſto perfidè repudiato. Ineptiſsima eſt ratio, qua Bonauentura αὐτονομίαν Papalem extollens, nititur. Dicit enim Deum dediſſe Petro iuriſdictionem ſupra omnes Reges & Imperatorem ipſum. Ideò ſtandum eſſe Papæ legibus, qui Petro ſucceſsit. Hac oratione Bonauenturæ nihil vanius, nihil mendacius, nihil contumelioſius ſingi potuit. Chriſtus enim Eccleſiæ Monarcha vult reges gentium dominari in mundo, & non ſuos. Et Petrus Apoſtolorum coriphæus prohibet, ne quis dominium in hæreditatem Dei, hoc eſt, in Eccleſiam ſibi vendicet. Non igitur dare Petro claues regni cœlorum, & Petrum habere iuriſdictionem, ſeu autoritatem ſupra reges mundi & Imperatores, idem ſunt, cùm hęc duo Dominus adeò exactè diſtinguat. Non eſt proinde, quod moueamur autoritate Papæ, quæ planè nulla eſt in Eccleſiam Dei. Præterea, ſi rationem, qua lex pontificia de interdictis nuptiis nititur, examinemus, inueniemus eam ridiculam eſſe & ineptam. Quatuor, inquiunt, ſunt humores in humano corpore, & in his totidem elementa. Ideo non licet nuptias coire intra quartum gradum, quaſi verò humorum aut elementorum in humano corpore plus faceret ad prohibitionem nuptiarum, quàm numerus partium anni aut portarum Nili. Olim duriores fuerunt, cùm intra ſeptimum gradum nuptias non admitterent, propterea quòd ſeptem (iuxta illos) numerentur ætates mundi. Quæ lex vt crudeliſſima fuit, ita eius ratio ſtultiſſima. Cum igitur leges pontificiæ de gradib. prohibitis nec autoritate, nec ratione nituntur, non ſunt nobis vt iuſtæ leges obtrudendæ.

2. Imperatoriæ.

Imperatoriæ leges de prohibitis certis gradibus, graues & honeſtæ ſunt. Nituntur enim autoritate ſummi Monarchæ; & honeſtis rationibus fulciuntur. Has leges dico obligare eos, qui ſunt ſub Romano imperio, & non alios. Quemadmodum ergo nos Dani non ſumus ſub Imperatore, ſed ſub proprio rege: ita nō legibus Imperatoris, ſed noſtri principis legibus parere debemus. Quilibet enim ſuo magiſtratui, & non alieno ex mandato Dei obedientiam, quæ cum pietate ſtare poteſt, debet. Præterea leges Imperatorum ſæpe variarunt. Ante Theodoſium nihil adiecerant Imperatoriæ leges diuinis legibus. Theodoſius prohibuit, ne patrueles, fratrum liberi matrimonio iungerentur, quam legem ſucceſſores rurſus aboleuerunt.

3. Propriæ nationum leges.

Proprię nationum leges ſunt, quas nationes habēt peculiares, quæ non ſunt ſub Romano imperio. Atque hæ in nonnullis locis magis ſunt conſuetudines laudabiles, quàm leges, niſi quòd conſuetudo longa, modò laudabilis fuerit, vim legis obtineat. His

legibus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

legib⸗s ſiue conſuetudinibus in quibuſdam regnis abſtinetur à tertio gradu, vtrinque incluſiuè. Rurſus alibi à quarto ſimiliter incluſiuè, iuxta ſupputationem Canonicam.

9. *Ratio humanæ prohibitionis.*

Politiæ & charitatis habita est ratio à [illegible].

Imperatoriæ & nationum leges honeſtiſsimas rationes prohibitionis nuptiarum in certis gradibus aſſignant. Viderunt enim ſapientiſsimi gubernatores ad quartum vſque gradum durare amicitiam inter homines, propter vinculum amoris naturale, quo conſanguinei inter ſe deuincti ſunt. Ideo putarunt vſque ad hunc gradum non ſuperſtitioſè, ſed ob politicum finem, abſtinendum eſſe à nuptiis. Rurſus quoniam viderunt illam naturalem amicitiam, veluti fugere in quarto, & in reliquis inferioribus gradibus, concedebant nonnulli nuptias in quarto, multi in quinto, & inferioribus gradibus vt amicitia quodammodo fugiens reuocaretur, vtque iſto pacto charitas inter homines ſpargeretur latius, & plures amica ſocietate iungerentur. Nam poſtquã charitas ad paucos affectuum vicio & ſcelere contrahi cœpit, rurſus per connubia eam diffundi in plurimos ſapienter ſtatuerunt nationum gubernatores. Vnde Philo: *Connubia cum exteris, nouas coniunctiones faciũt, nihilo deteriores quàm conſanguinitas.* Et Cicero affirmat charitatem ad plurimos ſerpere affinitatibus. Etſi autem hanc honeſtiſsimam rationem eſſe iudico, nolim tamen in ea regulam generalem figere, ſed habendam eſſe rationem publici boni, & ad illud accommodandas eſſe leges.

Perſonarũ diſtinctio.

Primùm igitur iudico, rectè diſcerni inter illuſtres perſonas, præſertim eas, penes quas ſumma rerum eſt, & alias. Eſt enim planè indignum communibus legibus principes conſtringere, vt nullis in rebus eis quicquam, quod tamen fieri poſsit ſine offenſione Dei & iniuria ſubditorum, concedatur, niſi quod infimis cerdonibus & baiulis ex lege communi conceditur, cùm tamen multis priuatis propter ſingularia in rem publicam & Eccleſiam merita iuſtè conceduntur priuilegia. Nec omnium in vlla bene conſtituta republica eadem eſt prærogatiua, id quod profectò omnem ordinem tolleret, & barbaricam ἀναρχίαν inueheret, qua nihil humano generi magis noxium eſſe poterit. Inter illuſtres igitur perſonas nuptiæ concedi iuſtè poſſunt in omnibus gradibus diuinitus non prohibitis, potiſsimum cum inde bonũ publicum ſperetur. Nam ſi idem finis monſtrari poterit conceſsionis nuptiarum in illuſtribus perſonis, qui eſt prohibitionis in aliis, poterit & conceſſio & prohibitio ſimul ſtare ſine vlla legis communis iniuria. Nam vt conceſsio non pugnans cum verbo Dei, vergit ſæpe in publicum bonum in illuſtribus perſonis: ita prohibitio humana in aliis ad bonum publicum refertur. Non igitur inter ſe pugnant conceſsio & prohibitio, cùm finibus conueniant. Hanc ob cauſam concedi poſſunt illuſtribus perſonis nuptiæ in gradibus diuino iure non prohibitis, præſertim cùm contractus huiuſmodi, vt diximus, videtur in bonum publicum cedere. Nulla enim lex Dei id vetat, nec voluntas communis legis alia eſſe poteſt. Siquidem omnis lex iuſta bonum publicum ſibi proponit, vt finem vltimum, quem cùm aſſecuta fuerit, ſibi ſatisfactum eſſe iudicat, etiamſi τὸ ῥητὸν legis aliud videtur poſtulare. In papatu recurritur ad diſpenſationem, quæ non poteſt fieri, niſi per eum, penes quem eſt ſumma rerum, quam diſpenſationem Papa, tanquam ſummus in Chriſtianorum orbe Monarcha ſibi vindicat, & diſpenſat cum iis, qui pecuniam numerant. Subditorum autem non eſt diſpenſare cum ſuis principibus, ſed iis ſubeſſe & parere, & nihil inquirere in ea quæ principes faciunt præter legem communem, præſertim cùm nec legem Dei violant, nec vllam ſuis ſubditis ſuo facto iniuriam inferunt, ſed potius bonũ publicũ ſpectãt.

Quid concedendũ ... perſonis.

De diſpẽſationib. papiſticis.

Quid expediat attendendũ eſt diligẽter.

Cæterùm, etſi eorum, qui in ſecundo gradu æquali ſunt, & eorum qui infra eos collocantur, ſiue æquali, ſiue inæquali linea, nuptiæ, verbo Dei prohibitæ non ſunt: tamen optandum eſſet in aliis omnibus, præter illuſtres perſonas, ídque propter finem à nobis poſitum, prohibitionem humanam ſeruari, qua cauetur, ne qui contrahant in primo, ſecundo, & tertio gradibus, ſeruata & ſupputatione Canonica. Non enim tam ſpectandum eſt, quid liceat ſimpliciter, quàm id quod expediat faciátque ad humanæ ſocietatis conſeruationem & incolumitatem. Nam ſi idem permitteretur aliis quibuſuis, quod illuſtribus perſonis propter certas cauſas conceditur, factiones metuendæ eſſent, ex quibus periculum immineret, ne potentiores inſtar piſcium paulatim deuorarent minus potentes.

De nuptiis conſanguineorum in quarto gradu.

Porro quia ſæpe accidit, vt vnus volentium contrahere ſit in tertio gradu, alter in quarto, vellem tales non arceri à nuptiis, ſed reputari vtrunq; in quarto gradu, iuxta veterem regulam: Quoto gradu remotior diſtat à communi ſtipite, eo inter ſe diſtant. Hoc enim modo & charitas ſe ad plures diffunderet, & non prorſus alieni à ſanguine, in bona mortuorum inuolarent. Vnde ſæpe magnæ inimicitiæ oriũtur in ſocietatis humanæ detrimentum.

A monarcha autem vellem caueri, ne contra has leges connubiales vllam permiſsionem aut relaxationem admitteret. Diſpenſationes enim, maximè ſi crebræ fuerint, faciunt vt leges paulatim vileſcant, & tandem penitus intercidant.

DE AFFINITATE.

DIXIMVS ſuprà propinquitatem carnis, & affinitatem impedire nuptias. De propinquitate carnis hactenus diſputauimus, quantum ratio inſtituti noſtri poſtulat. Nunc ideò breuius de affinitate dicemus, quia ea res, ex iis quæ diximus, magna ex parte pendet. Excutiantur autem hæc ordine.

1. *Qui affines.*
2. *Nomina & comparationes affinium.*
3. *Regulæ iudicij.*
4. *Leges prohibitionis.*

1. *Quinam dicuntur affines?*

Deſcriptio.

AFFINES dicuntur non maritus & vxor. Ab his enim affinitas oritur: ſed qui neceſsitudine quadam copulantur matrimonio iunctis, propter ſolas nuptias. Nam vt cognati ipſius viri neceſsitudine affinitatis mulieri iunguntur, ita cognati ipſius mulieris neceſsitudine affinitatis viro copulantur. Siquidem qui eiuſdem cognationis proximæ non erant, noua hac neceſsitudine nectuntur, vt non minus ſint inter ſe deuincti, quàm ſi eſſent cognati. Eſt ergo affinitas duarum cognationum neceſsitudo, quaſi finibus & certis punctis contracta. Metaphora ſumta eſt ab iis, quorum agri vicinis finibus ſunt coniuncti. Quemadmodum enim illi, quorum agri finibus ſe contingunt, propter coniunctos agrorum fines, affines dicuntur: ita cognatio viri, quæ eſt veluti ager diſtinctus, & cognatio mulieris, quæ eſt vt alter ager diſtinctus ante nuptias, finibus, hoc eſt, marito & vxore, per nuptias cõpulantur, ideóque ſic iuncti, affines dicuntur. Dicuntur ergo ipſius

Affinitatis definitio

Ratio nominis.

viri cognati, affines mulieres & ipſius mulieris cógnati, affines appellantur viri, propterea quòd duæ cognationes inter ſe per nuptias copulentur, & vtraque ad alterius cognation s finem accedat. Affinitatis autem huius ratio eſt: quòd maritus & vxor ſint vna caro: ex quo fit, vt cognati ipſius mariti ſint vxori affines: & cognati ipſius vxoris ſint marito affines, vt alter ab alterius cognatis, quantum ad nuptias attinet, abſtinere debeat, tanquam à propriis. Sunt enim noua quadam neceſſitudine, videlicet affinitatis, quæ non eſt deterior quàm cognationis, coniuncti.

Affinitatis ratio.

Limites. Et quemadmodum non omnes partes vicinorum agrorum finibus copulantur, ſed in certis duntaxat locis ita conſanguinei vxoris, & conſanguinei mariti, tanquam agrorum diſtinctæ partes, non copulantur reſpectu mutuo, ſed ſolummodo reſpectu, eorum qui cõnubio iuncti ſunt. Quare inter conſanguineos viri, & conſanguineos mulieris, nulla eſt neceſsitudo nuptias impediens: ſed ſolummodo inter conſanguineos viri, & mulieris, & inter conſanguineos mulieris & virũ. Sed de hac re infrà, dicendum erit.

Origo. Porro & hoc tenendum eſt, quòd affinitas iuxta leges ciuiles, ſolummodo ex nuptiis naſcatur: ſed ſecundum ius pontificium, ex quocunque coitu. Leges enim ciuiles tantum honeſtatis & neceſsitudinis neceſſariæ habuêre rationem. Ius autem pontificium ſuis canonibus mixtiones promiſcuas cauere voluit.

2. *Nomina & Comparationes affinium.*

Fingamvs nunc ſponſum, nunc ſponſam in hũc modum loqui.

1. Socer meus, *min mands eller huſtruis fader: mein ſchvveher.)* Socrus mea, *(min mands eller huſtruis moder: mein Schvvieger.)* His opponuntur gener meus, *(min daaters mand: mein Eidem.)* & nurus mea, *(min Sons huſtrue, eller Sonnequen: mein Schnur.)*

2. Socer magnus, ſeu proſocer meus, *(min mands eller huſtruis farfader: Elter Schvveher, oder Groſſchvveher.)* Socrus magna, ſeu proſocrus mea, *(min mãds eller huſtruis mormoder: Elter Schvviger, oder Gros ſchvviger.)* His opponũtur progener meus, *(min daater barns mand: vnter Eide)* & pronurus mea,) *min ſon ſons huſtru, eller daater ſons huſtru: vnter Schnur.*

3. Vitricus meus, *(min Steffader: mein Stieffuater.)* Nouerca mea, *: min Steffmoder: mein Stieffmutter.)* His opponuntur, Preuignus meus, *(min Steffſon: mein Stieffſohn.*(& Præuigna mea, *(min Steffdaater: mein Stieff. tochter.*

4. Leuir meus, *(min mands Broder: meins mans Bruder, mein Schvvager.)* Glos mea, *(min mands Syſter: meins mans ſchvveſter, mein Schvvegerin.* His opponuntur, Sororius meus, *(min Syſters mand: meiner ſchvveſter man, mein ſchvvager.)* & fratria mea, *min Broders Huſtru: (meines brudern vveib, mein ſchvvegerin.)*

Hæ ſunt præcipuæ appellationes latinæ, vel ſi placet latinè hæc efferre, loquatur ſponſus in hunc modum, Socer eſt vxoris meæ pater, & ego illi gener. Socer magnus, vxoris meæ auus, ego illius ſum progener: & è conuerſo, Pater meus vxoris meæ ſocer eſt, hæc illi nurus. Et auus meus, ſocer magnus ſiue proſocer eſt vxori meæ, illa illi pronurus. Item próſocrus mihi vxoris meæ auia eſt, & ego illi progener. Et retrò, mater mea vxoris meæ ſocrus eſt, illa huic nurus. Et auia mea vxori meæ ſocrus magna eſt, & vxor illi prónurus. Preuignus autem meus, eſt vxoris meæ filius, èx alio viro natus, ego illi vitricus. Et cõtrà, vxor mea liberis meis aliunde ſuſceptis nouerca dicitur: liberi mei illi preuigni ſunt. Frater meus leuir eſt vxori meæ. ſoror mea illi glos eſt. Duorum fratrum vxores inter ſe εἰνάτερες vocantur. ſororius meus vxoris meæ frater. Fratria autem mea, fratris mei vxor. Hæc ferè ex Eraſmo.

3. *Regulæ iudicij.*

I. Vir abſtinebit ab vxoris cognatis, vt à propriis. ſimiliter mulier abſtinebit à mariti cognatis, tanquam à ſuis. *Prima.*

Huius regulæ fundamentum eſt: Quòd maritus & vxor vna ſint caro. Cùm igitur ego & vxor mea vna caro ſimus, ab ipſius cognatis, tanquam à meis, abſtinebo, & illa viciſsim à meis, tanquam à propriis. Ex quo ſequitur. Eóſdem gradus affinitatis qui conſanguinitatis prohibitos eſſe.

II. Vir non poteſt eam ducere, cui ſibi nubere non licet, nec mulier ei nubere, qui ſe non poteſt ducere. Cùm igitur nouerca mea eſt vna caro cum patre meo, non poteſt mihi nubere, quare & ego abſtinebo ab illa, tanquam à matre. ſimiliter quoniam vitricus meus vna caro eſt cum matre mea, non poteſt me ducere, quare & ego ab illo abſtinebo, vt à patre proprio. *Secunda.*

III. Cognati ipſius viri, & cognati ipſius mulieris affinitatis lege non prohibentur contrahere. Poſſunt igitur duo viri, qui ſunt pater & filius, cum duabus fœminis, quæ ſunt mater & filia, contrahere. Itẽ duo viri qui ſunt fratres, cum duabus fœminis quæ ſunt ſorores, licitè contrahunt. Item vir vxore ſua mortua, poteſt ducere eam, quæ nupſerat fratri vxoris ſuæ iam mortuo. Item mariti filius ex alia vxore, & vxoris filia ex alio marito, vel contrà, matrimonium rectè contrahunt. *Tertia.*

Porro, etſi in Papatu olim numerarunt tria affinitatis genera impedientia nuptias, hodie tamen primum ſolummodo nuptias impedire rectè affirmant. Diſcernuntur autem affinitatis genera iuxta hanc regulam: Perſona addita perſonæ per carnis copulam, mutat genus affinitatis, & non gradum. ſi ergo quis fuerit mihi in primo gradu cognationis, vtpote filius, & duxerit vxorem, illa fœmina erit mihi in primo gradu affinitatis, & in primo genere. ſi mortuo filio meo alius eam duxerit, is erit mihi ſimiliter in primo affinitatis gradu, ſed in ſecũdo genere. Verùm ſi idem aliam mulierem cognouerit, ea erit mihi quoque in primo gradu affinitatis, ſed in tertio genere. Perſona ſiquidem addita perſonę, non gradum, ſed genus ſolummodo affinitatis mutat.

Eadem eſt prorſus ſupputandi gradus affinitatis ratio, quæ eſt cognationis. Filius eſt mihi in primo gradu cognationis, ergo nurus mea erit mihi in primo gradu affinitatis. Nepos eſt mihi in ſecundo gradu cognationis, ergo pronurus mea eſt mihi ſimiliter in ſecundo gradu affinitatis. Frater & ſoror ſunt mihi in primo gradu cognationis, ergo ſororius meus & fratria mea ſunt mihi in primo affinitatis gradu, atque ſic de cæteris.

4. LEGES PROHIBITIONIS GRADVVM AFFINITATIS.

I. *Nouercæ tuæ pudorem ne reuelabis.*

Ratio legis eſt: Pater tuus & nouerca tua vna eſt caro, vt pater tuus & mater tua fuêre. Proinde vt à matre propria ita & nouerca tua abſtinebis. *Prima lex.*

Con-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Concluditur autem hæc lex ex prima regula, hóc pacto, Nouerca mea debet abſtinere à conſanguineis mariti ſui, hoc eſt, patris mei. Igitur non licet illi, mihi nubere. Proinde neque mihi licebit, eam in vxorem ducere.

Pœna corporalis violatæ huius legis eſt mors. Moriendo, inquit, morientur ambo, ſanguis eorum ſuper eos. *Spiritualis*, Deute. 27. 20. Maledictus qui dormit cum vxore patris ſui. Huius inceſtus meminit Paulus 1. Cor. 5. 1.

II. Pudorem ſocrus tuæ non reuelabis.

RATIO legis ex prima regula dependet. Deinde Socrus matris loco eſt, vt leges etiam affirmãt.

Pœna corporalis Leuit. 20. 11. hæc eſt: morte moriãtur ambo. *Spiritualis*, Deu. 27. 23. Maledictus qui cum ſocru ſua rem habet.

III. Pudorem vxoris patrui tui non reuelabis.

RATIO legis: Cùm vxor patrui mei debeat abſtinere à conſanguineis mariti ſui, non poteſt nubere mihi, qui ſum filius fratris mariti ipſius: Quare nec mihi eam in vxorem ducere licebit, vt patet ex ſecũda regula. Præterea vxor patrui eſt mihi loco amitę, hoc eſt, in numero parentum. Igitur non minus ab illa abſtinebo, quàm ab amita. Ex hac lege ſequitur, quod ab vxore mei auunculi debeam abſtinere. Sunt enim patrui mei vxor & auunculi mei vxor, in pari gradu.

IIII. Pudorem vxoris fratris tui non reuelabis.

RATIO legis: Vxor mea debet abſtinere à cognatis meis, Igitur abſtinebit à fratre meo, & frater meus vicißim ab ea abſtinebit. Lex ergo hæc nititur prima & ſecunda regula, Leuit 20. 20. Ratio huius legis adiicitur hoc modo: Vir qui acceperit vxorem fratris ſui, ſcelus eſt, pudorem fratris ſui reuelauit, orbus erit. Et Imperator in Codice: Fratris vxorem ducendi, vel duabus ſororibus coniungendi penitus licentiam ſubmouemus, nec diſſoluto quoquo modo coniugio.

Verùm huic legi duo videntur aduerſari, exẽplum videlicet & lex contraria. Exemplum eſt Gen. 38. de filiis Iudæ patriarchæ, qui ſucceſſiuè eandem fœminam Thamar in vxorem duxerunt. Conſuetudo enim erat, vt ſi maritus ex vxore non gigneret, eo mortuo, frater ſuperſtes eandem duceret, vt excitaret mortuo fratri ſemen. Sed diximus ſupra, exempla non præbere firma argumenta, ſine generali regula. Lex contraria eſt Deuteronom. 25. 5. Quando habitauerint fratres ſimul, & vnus ex eis abſque liberis mortuus fuerit, vxor defuncti non nubet alteri, ſed accipiet eam frater eius, & ſuſcitabit ſemẽ fratri ſuo, & primogenitum ex ea filium, nomine fratris defuncti appellabit, vt non deleatur nomen eius ex Iſraël. Reſponde, Diſcernendum eſſe inter legem generalem, quæ omnes obligat, & ſpecialem, quæ ad paucos pertinet. Specialis enim lex, quam adduximus, ſolummodo locum habet in caſu certo, in populo certo, & propter ſingularem finem, ſicut circũſtantiæ legis clarißimè indicant. Quare qui contra generalem legem fecerit, inceſtum committit, & Deo & naturæ ſe opponit.

V. Sororem vxoris tuæ non accipies vxorem.

ETSI hęc lex implicitè & obſcurè ponitur in Moſe, tamen eius clariſſima ratio eſt, & ex prima regula dependet, quam tradidimus, & ex quarta lege, quam iam poſuimus, euidenter concluditur. Nam ſi non licet vni fœminæ duobus fratribus nubere, profectò nec licebit vni viro, duas ſorores in vxores ducere.

SEXTA LEX.

VI. Pudorem nurus tuæ non reuelabis.

RATIO legis eſt, Vxor filij mei, quæ nurus eſt mihi, debet abſtinere à me patre mariti ſui. Ergo filio meo mortuo, non licebit mihi eam, iam viduam, in vxorẽ ducere. Fluit enim & hæc lex à ſecunda regula.

Pœna corporalis violatæ huius legis, Leuit. 20. 12. hæc additur: Vir qui dormierit cum nuru ſua, morte interficiantur ambo ipſi, ſcelus fecerunt, ſanguis eorum ſuper eos.

SCHEMA.

Vxor patrui.	*Nouerca Socrus.*	*Vxor auunculi.*
Vxor fra.	IANVS.	*Soror vxoris.*
	Nurus.	
	Præuigna.	
	Filia præuignæ.	
	Neptis præuignæ.	

Hæ fœminæ nominatim in affinitate recenſentur prohibitæ, excepta vxore auunculi, quæ tamen ſub tertia continetur lege. Nam cùm prohibeor matrimonio iungi cum vxore patrui mei, profectò non licebit mihi in vxorem ducere viduam auũculi mei. Nam prorſus pari gradu & linea vtraque, videlicet vxor patrui, & vxor auunculi, me attingunt affinitatis iure.

Hactenus de legibus cognationis & affinitatis, quantum quidem ad nuptias attinet, cùm ex verbo Dei, tum ex iure humano diſputauimus. In verbo Dei clariſsimè inuenimus decem & ſeptem fœminas recenſeri, cum quibus prohibemur matrimonio iungi, quæ ſunt, *Mater, Filia, Soror, Auia, Neptis, Amita, Matertera, Nouerca, Socrus, Vxor patrui, Vxor auunculi, Vxor fratris, Soror vxoris, Præuigna, Filia præuignæ, Neptis præuignæ, Nurus.* Quæ autem ex conſecutionis neceſsitate prohibentur, ex regulis, quas ſuprà tradidimus, patet, Ἀνακεφαλαίωσις.

Porro, præter conſanguinitatem & affinitatem, numerantur plura nuptiarum impedimenta apud Iuriſconſultos & Canonicos, vt ſunt: Publicæ honeſtatis iuſticia, adoptio, cognatio ſpiritualis, votum, ordo, &c. Nuptiarũ impedimenta.

Publicæ honeſtatis iuſticiam definiunt propinquitatem ex ſponſalibus puris & certis prouenientem, robur trahentem ex Eccleſiæ inſtitutione, propter eius honeſtatem. Hanc aiunt impedire nuptias, cum conſanguineis ſponſæ, ante conſummatum matrimonium defunctæ. Ianus fidem dat Bertæ de futuris nuptiis, Berta moritur ante nuptias. Hîc quæritur, num liceat Iano Bertæ matrem, aut ſororem, aut filiam in vxorem ducere. Canonici negant. Dicunt enim iuſticiam publicæ honeſtatis huiuſmodi nuptias non permittere, quæ publicæ honeſtatis iuſticia, robur trahit ex Eccleſiæ conſtitutione. Verùm ego oppono iſti robori Eccleſiæ pontificiæ robur Chriſtianæ libertatis, quo exemti ſunt legibus Antichriſti, omnes qui in Chriſtum credunt. Siquidem longè alia eſt honeſtas ſponſæ Chriſti, quàm meretricis Babylonicæ, quæ externo fuco humanarum traditionũ ſe pingit. Præterea Auguſtinus rectè ait: *Illa mulier, cũ qua commixtio ſexus non docetur fuiſſe, non pertinet ad matrimonium.* Nihil igitur vetat quo minus Ianus cõtrahat cum Bertæ defunctæ matre, vel ſorore, vel filia, vel quauis alia ex eius cognatione. Verùm ſi ſpõſalibus acceſsiſſet copula carnis antè nuptias, affinitatis lege à cognatis Bertæ abſtinere deberet.

(Margin notes: 1. Publicæ honeſtatis iuſtitia. — Autoris iudicium.)

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

2. Adoptio. *Adoptio* iuxta leges quoque Cæſareas impedit nuptias. Nam per adoptionem parentum & liberorum loco cenſentur, qui adoptãt, & qui adoptantur. Huic legi oportet eos parere, qui ſunt ſub Romano Imperio, alij iſta lege non obligantur. Nam neque fundamentum habet in iure diuino, aut naturali, ſed ſolummodo habita eſt ratio politici boni, non ita latè ſe extendentis.

3. Spiritualis cognatio. In Codice Imperatores volunt, *Spiritualem Cognationem*, quæ initur baptiſmo inter teſtes & eos qui baptizantur, connubia impedire. Verùm iſta lex nulla ratione nititur. Quare ratione quidem nullos obligat. Autoritate verò ſola obligat eos, qui magiſtratũ agnoſcunt Cæſarem, tametſi illa lex non tam Cæſaris quàm Papæ cenſenda eſt, in cuius gratiam Cæſar iſtam legem in Codicem videtur tranſtuliſſe.

De voto & ordine ſuprà à nobis dictum eſt, &c.

Secunda conditio conſenſus.

Sit Honeſtus. SECVNDA, quam requirimus in conſenſu, conditio eſt, vt ſit honeſtus. Eſt autem conſenſus honeſtus cùm circumſtantiarum, perſonarum, familiarum, ordinis, dignitatis, & officij ratio habetur, & quaſi æqualitas, quantum ad decorum politicum attinet, ſpectatur. Qui huius honeſtatis rationem non habet, non ſolùm malè ſuis rebus conſulit, verùm etiam ipſam naturam & Dei ordinationem ingratus contemnit. *Ratio.* Nihil enim tam expetit cuiuſque rei natura, quàm ſibi ſimile, nihil abominatur æquè & deuitat, quàm diſsimile. Deus quoque, qui omnia ordine pulcherrimo diſpoſuit, vult, vt in vita & moribus decorum non negligamus. Honeſtus proinde vir, nuptias quærens, abſtineat ab inhoneſta fœmina, in dignitate conſtitutus ab infami, liber à ſerua, illuſtris ab obſcura, ſua familia, ordine, dignitate, officio indigna.

Quorum igitur intereſt diſpicere de aliorum nuptiis, in hac re prudentiam adhibeant, caueántque ne cæco amore & iuuenili impetu nuptiæ contractæ, vel claritatem familiæ, vel dignitatem ordinis, vel officij eminentiam maculent. Et ſi quando talis cõſenſus temerariè acceſſerit, autoritate cogent, qui poteſtatem habent, vt qui conſenſerunt, à ſuo temerario promiſſo, re adhuc integra, hoc eſt, ante nuptias vel carnalem copulam, diſcedant. Eſt enim huiuſmodi temerarius conſenſus contra Deum, qui vult omnia honeſtè fieri & ordinatè. Quapropter, etiamſi quis ſe iuramento aſtrinxerit fœminæ impari, poteſt à contractu rectiùs edoctus decedere. Nunquam enim placueris Deo, ſi præſtes quod temerariè iuraſti contra Dei voluntatem. *Regula.* Teneatur ergo regula iuris: Non eſt obligatorium, contra bonos mores præſtitum iuramentum.

Tertia conditio conſenſus.

Sit iuſtus. Ratio. TERTIA legitimi conſenſus conditio eſt, vt ſit iuſtus. Requirit autem iuſticia, vt liberi debitum honorem reddant parentibus, & parentes ſuorum liberorum ſanctam curam gerant. Hæc enim analoga parentum & liberorum officia ſunt. Qui ergo clam, hoc eſt, inſciis parentibus, aut iis qui eorum vice funguntur, contrahit nuptias, contra iuſticiam facit, atque adeò legis diuinæ tranſgreſſor eſt. Parentes qui non cogitant de honeſtis ſuorum liberorum nuptiis, immemores ſunt officij ſui, nec cogitant ſe voluntatem in hac re vilipendere. *Confirmatio multiplex.* 1. Cùm igitur liberi non ſunt ſui iuris, non licet eis clandeſtinas ſectari nuptias, contra Dei voluntatem & naturæ legem, Honora patrem & matrem, vt tibi bene ſit. 2. Atqui Iuſtinianus Imperator nõ permittit filiisfamiliâs vxores ducere citra parentum autoritatem, ídque putat naturali ſimul & ciuili ratione congruere. 3. Taceo Ethnicorum exempla quæ vel ex poëtarum ſcriptis nota eſſe poſſunt. Achilles apud Homerum, 9. Iliados non vult ſine patris ſui cõſenſu, ne regis quidem filiam in vxorem ducere. Andromacha apud Euripidem, cùm ipſius nuptiæ petuntur, reſpondit, patris ſui eſſe, ſponſalium ſuorum curam habêre. 4. Experientia præterea teſtatur, nuptias ſine hoc iuſto cõſenſu initas, infelices eſſe, vt quæ ſint à Deo maledictæ & damnatæ. 5. Prætereo quòd apud honeſtas gentes, qui ſine conſenſu parentum vel duxerũt vel nupſerunt, meruerint abdicationem. Simo Terentianus parat abdicationem, patris nomen recuſans, quòd Pamphilus clam ipſo duxiſſet vxorem.

Canoniſtarum error. Cùm Canonici contendunt conſenſum liberorũ de nuptiis non poſſe irritum fieri reluctantibus parentum, falſum eſſe vel hinc conuincitur. Deus ne ſibi quidem vel vnius duntaxat diei ieiunium filiisfamiliâs vouere, neſcio patre, permiſit, neque gratum ſi vouiſſent, habere voluit, & ſcilicet probet, vt filia inconſulto patre, patris poteſtate exemta, addicat ſe connubio alieno viro, vt iam relicto patre inuito, vna ſit cum illo caro. 1. Etſi autem non licet liberis citra parentum autoritatem nuptias contrahere, tamen parentes nullo pacto debent cogere liberos ad nuptias quas oderunt, ſed illorum cõſenſum quærere, vt Geneſ. 24. 57. rogatur puellæ conſenſus. Vocemus, inquiunt, puellam, & quæramus os eius. Sit ergo talis temperatura, vt nec maiorum ſpernatur autoritas, nec liberis pereat ſua libertas.

Quarta conditio conſenſus.

Sit liber. DEBET præterea legitimus conſenſus eſſe liber, ídque & iudicio & voluntate. *Iudicio* quidem, vt qui conſentit, ſano iudicio, ſine errore hoc faciat. Nam qui errat, iudicio fallitur. Qui fallitur iudicio, nõ purè conſentit. Qui non purè conſentit, non verè promittit. Quicquid enim impedit cauſam, impedit etiam effectum. *Voluntate* verò, vt quod ſano iudicio probatum eſt, libera voluntate, eáque pura & nõ turbata affectibus, approbetur. Non eſt igitur liber conſenſus, cùm vel impuberes, vel furioſi ſpondent nuptias, neque cùm quis cæco amore & vino captus contrahit, multò minus, cùm qui in aliena poteſtate eſt, autoritate & minis eorum, in quorum poteſtate eſt, cogitur. *Regula.* Hinc regula: Sponſalia, per vim & metum contracta, nulla ſunt.

Quinta conditio conſenſus.

Sit plenus. OPORTET etiam legitimum conſenſum eſſe plenum, ídque & verbis vtrinque, & repromiſſione mutua. Verba careant omni fuco, ſint clara & perſpicua. Si autem conditio additur, ſit honeſta, grauis, vtilis. Futiles conditiones procul abſint à Chriſtianorum pactis. Promiſſio ſiquidem nuptiarum, vel eſt ſimplex & abſoluta, vel habet conditionem annexam. Simplex & abſolutus conſenſus aliàs fit promiſſione nuda, aliàs data arrha, aliàs annulo firmatur, interdum iuramentum accedit, quod tamen non facit nouam obligationem, ſed factam confirmat. Promiſſio quæ habet conditionem annexam, variat pro diuerſitate conditionis. Eſt autem conditio honeſta vel inhoneſta. Si honeſta fuerit conditio, ſtante cõditione, ſtat obligatio, & promiſſio, niſi impedimentum iuſtum interuenerit. Si inhoneſta fuerit conditio, pro nulla eſt habenda. Procul enim abeſſe ab ordinatione Dei oportet inhoneſtas & turpes conditiones.

Sexta conditio conſenſus.

Poſtre-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Poſtremò requiritur,vt conſenſus ſit ſincerus, hoc eſt,purus,ſine omni dolo & fraude, ne alter alterum circumueniat mendacio, lactet iactantia & vanis promiſsionibus. Nam retecta fraude vel diſceditur turpiter à pactione, vel nuptiæ ſi ſecutæ fuerint, erunt inſuaues,& tota vita iniucunda & moleſta. Nũquam enim commoda,& ex tui animi ſententia vteris ea,quam tu ad te fraude pellexeris. Natura enim eum à quo ſumus falſi,vt hoſtem odimus, nihílque humano ingenio inuiſius, quàm fruſtrari ſpe atque expectatione tanquam debito. Huc refero conditiones tacitas inter honeſtas perſonas,videlicet integritatis ſeruatæ,& fidei coniugalis ſeruandæ,quæ nõ exprimuntur verbis,ſiniſtræ ſuſpicionis, aut mali ominis vitandi gratia.

DE QVARTA PARTE DEFINITIONIS CONIVGII.

DE FORMA.

QVARTO loco in definitione meminimus formæ coniugij, quæ eſt legitima vnius maris, & vnius fœminæ in vnam carnem coniunctio. Qui enim ante coniugium duo erant,per nuptias vna fiunt caro, & veluti vnus homo. Cùm autem in carnem vnam dicitur,vna caro eſt intelligenda. Porro caro hominem ſignificat,vtrumque ex Hebræi ſermonis proprietate. Itaque qui prius duo erant homines con glutinati matrimonio, fiunt vnus. Hæc vnio coniugum, in prima coniugij inſtitutione pulcherrimè pingitur, ad quam picturam pios coniuges aſpicere oportet, vt rectè de vinculo coniugali cogitent. Quemadmodum enim Adam vnus eſt conditus, & ex eius latere ſumta eſt fœmina, tanquam pars eius, & poſtea rurſus à Deo per nuptias coniuncti ſunt:ita mas & fœmina contrahentes in vnam carnem tanquam in vnum Adamum coaleſcunt, vt iam non vt duo,ſed veluti vnus homo cenſeantur. Ex quo ſequitur,tantam mariti & vxoris in coniugio eſſe neceſsitudinem, quanta poterit eſſe maxima, adeo vt neceſsitudinem, quæ eſt inter parentes & liberos longè ſuperet. Siquidem vnam carnem in coniugio fieri, eſt ſumma vniri animorum & corporum coniunctione. Ariſtoteles ex ſententia Pythagoræ amicum definit eſſe cuique alterum ipſum. Sed Deus cõiugem definit eſſe cuique eundem ipſum. Eſt proinde duplex vnio coniugum honeſtorum, vna animorum,altera corporum. Quemadmodum enim animorum conſenſus legitimus ex duobus animis vnum reddit: ita corporum legitima coniunctio ex duobus corporibus vnum efficit. Etſi autem ex hac vnione æqualitas coniugum quodammodo concluditur:tamen pares non ſunt, niſi impar ſit viro fœmina: Quemadmodum feſtiuè luſit Martialis Epigrammate:

Inferior matrona ſuo ſit, Sexte,marito,
Non aliter fiunt fœmina virque pares.

Porro cùm Paulus affirmat,eum qui adhæret ſcorto, vnam fieri carnem cum ſcorto, & ad id probandum adducit verba ex Geneſi,de prima coniugij inſtitutione: Et erunt duo in carnem vnam, non vult fornicarium concubitum æquare cum coniugali copula,quæ eſt ordinatio Dei, ſed eum vt horrendam confuſionem ordinis diuini,inuectam à diabolo,damnat. Etſi autem commixtio ſcortatoris & ſcorti, vnam carnem facit, ſi ſimilitudinem mixtionis corporum ſolummodo attendimus:tamen in coniugio cogitanda eſt longè diuerſiſsima & animorum & corporum copulatio,vt quæ à Deo ſit, Deo placeat, naturæ congruat, legibus approbetur, vt bona Dei ordinatio & ſocietas ſancta. Paulus ergo in confuſionem Chriſtianorum,qui ſcortationem ſectabantur,ita loquitur.

Quinque hypotheſes.

Cæterùm ex hac coniugij forma quinque concluduntur hypotheſes,quarum explicatio, multum cõiugij excellentiam & dignitatem commendat & illuſtrat.

Prima. Neceſsitudo coniugii reſpectu cognatorum & cognatarum.

I. Vir & vxor vna caro ſunt, Igitur neceſsitudo inter virum & cognatas vxoris, & inter vxorem & cognatos viri,maxima eſt. Tantum enim vinculum eſt coniugalis vnio, vt alter in alterum ſe transferat, & alter cum altero totus cohæreat, quaſi eiuſdem ſubſtantiæ particeps. Hinc eſt quòd iubeamur lege Dei,non minus abſtinere à cognatis coniugum, quã à propriis. Coniuges enim cùm ſint vna caro,qui attingit matrem, aut ſororem, aut filiam vxoris ſuæ, proximam carnis ſuæ attingit,& inceſtum committit. Sola autem animorum coniunctio, quæ ſpiritualis eſt vel maxima, & amor quantumuis ardens non impedit contractum coniugalem cum hominibus quibuſuis. Neceſſe eſt igitur coniunctionem maris & fœminæ maximam eſſe. Proinde admoneat hæc vnio coniuges mutuæ neceſsitudinis, vt cogitent eã quamlibet aliam vel maximam ſuperare.

Secunda. Ius coniugum.

II. Vir & mulier ſunt vna caro. Ergo ius corporum æquale eſt vtriuſque in alterius corpus. Vinculum igitur hoc coniugale facit, vt neuter coniugũ ius ſui corporis habeat,ſed alter alterius. Quod non ſit vinculo cuiuſuis alterius neceſsitudinis. Ita enim Paulus ait: Maritus ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier, & mulier ſui corporis poteſtatem non habet,ſed vir. Quare? Quia vtrumque eſt alterius, & vtrunque eſt vnum. Eſt enim corpus vxoris, corpus viri,& corpus viri,corpus vxoris,& vtrunque vnum corpus. Debet ergo vir vxori debitam beneuolentiam reddere,ſimiliter & vxor viro. Hęc debita beneuolentia eſt corporum vſus mutuus in coniugio. Ex hac hypotheſi ſequitur, polygamiam & adulterium cum lege naturæ pugnare.

Tertia. Inſolubile coniugii vinculum.

III. Vir & vxor ſunt vna caro. Igitur firmiſſimũ & inſolubile oportet eſſe coniugale vinculum. Dominus interrogatus de diuortiis, ex hac vnione maſculi & fœminæ in vnam carnem, non ſoluendum eſſe coniugium reſpondet: Erunt, inquit, duo in vnã carnem. Item: Quod Dominus coniunxit, homo ne ſeparet. Matt.19.4.&c. Hîc Dominus non negat vinculum coniugale ſolui poſſe, ſed ſolummodo de officio mariti contra leuitatem Iudæorum,qui quauis de cauſa diuortia fecerunt,loquitur. Prohibet enim ne maritus ſoluat, quod Deus coniunxit, néue homo, qui alteri homini fœdere coniugali iunctus eſt, adulterio diuidat ſe ab eo, cui iunxit ſe connubio, aut vllam ob cauſam abiiciat carnẽ ſuam, contra Dei mandatum.

Chriſti dictum explicatur.

Cõcluditur autem breuiſsimè reſpõſum Chriſti hoc modo: Coniuges ſunt vna caro ex Dei ordinatione: igitur vinculum coniugij debet à vobis haberi ſacroſanctum & inuiolabile. Proinde non debet maritus quamlibet ob cauſam vxorem dimittere,dato illi libello repudij. Hæc vera eſt ſententia reſponſionis Domini, qui non loquitur de homine iudice, vice Dei in iudicando fungente & puniente ordinis diuini confuſionem, ſed de homine, qui alteri vinculo coniugij iunctus eſt, ne ipſe ſoluat vinculum,quod Deus vult eſſe inſolubile. Verùm cùm alteruter coniugum diſcedit à matrimonij lege, cõtra ordinationem Dei peccat, & ſoluit quod Deus ſolui prohibuit.

Erroris Canoniſtarum refutatio

Porrò qui ex dicto Domini contendunt vin-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

culum coniugij indiſſolubile eſſe actu, non diſcernunt inter præcepta Dei & decreta Dei. Præcepta Dei violari ab hominibus poſſunt: Decreta autem Dei nunquam ab hominibus mutabuntur. Præceptum eſt, non occides. Hoc præceptum ſæpe violatur contra Dei voluntatem, qui non præcipit, niſi quod vult fieri. Sic hoc loco, homo ne ſeparet, præceptum eſt, quod triſtiſsimè ab hominibus violatur. Nam ſi decretum eſſet, mutari non poſſet, ne ab ipſo quidem Deo, qui mutabilis non eſt, neque ab homine, qui decreta mutare non poteſt. Quis enim voluntati eius reſtitit? Verùm ne quid dubij auditoribus relinquatur de dicto Domini, quod dicimus eſſe non decernentis, ſed prohibentis, quæſtionem Phariſæorum cum reſponſo Domini conferamus. Phariſæi itaque tentantes Dominum quærunt, num liceat dimittere vxorem quamuis ob cauſam. Ad hanc interrogationem Dominus ex forma coniugij reſpondet hoc modo. An non inquit legiſtis, quod qui fecit hominem, maſculum & fœminam fecit eos. Hinc infert ex modo inſtituti coniugij: Propterea relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur vxori ſuæ, & qui duo erant, erunt in vnam carnem, hoc eſt, fient denuò vna caro, ſeu vnus homo, vt vnus ab initio creatus erat, vt eſſet videlicet ſignum copulę cõiugalis in tota poſteritate. Ex hoc fundamento, & ex hac concluſione infert Dominus præceptum, quod opponit leuitati Iudæorum, qui quamlibet ob cauſam ſuas abiecerunt vxores, & ait: Quod ergo Deus coniunxit, homo ne ſeparet, μὴ χωριζέτω, hoc eſt, Quia Deus coniunxit coniuges, & vult eos manere coniũctos, ego pręcipio vobis, ne quis ſeparet, quod Deus vult vnum manere. Quod ſi quis fecerit, ſiue leuitate, ſiue malitia, abſque iuſta cauſa, in Deum peccat. Cùm igitur vnio & ſeparatio inter ſe pugnant, & cõiuges ſunt vnum, igitur non ſunt ſeparandi. Hinc patet, quod propoſuimus, vinculum coniugale ex ordinatione & mandato Dei eſſe indiſſolubile. Huc reſpexerunt, qui definiuerunt coniugium eſſe legitimã maſculi & fœminæ coniunctionem, indiuiduam vitę conſuetudinem retinentem. Nemo enim ſapiens cõtrahit matrimonium, niſi hoc animo, vt toto vitæ tempore ſit indiſſolubile.

Quarta. De mutuo amore coniugum.

IIII. Vir & vxor ſunt vna caro. Igitur vir & vxor ſe mutuo amore complecti debent. Sic Paulus ad Epheſ. 5. 28. neceſsitatem mutuæ dilectionis coniugum ex hoc fonte deriuauit: Viri, inquit, debent diligere vxores ſuas vt corpora ſua. Qui enim vxorem diligit, ſeipſum diligit. Nullus enim ſuam ipſius carnem odio habuit, imò enutrit & fouet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam. Rationem ſubiungit Paulus, ex forma coniugij petitam, cùm inquit: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam. Neruus proinde argumenti Paulini eſt: Maritus & vxor ſunt caro vna, qua nihil poteſt eſſe coniunctius: Ergo ipſa lex naturæ requirit, vt coniuges ſe mutuo ament. Eſt enim contra naturam, ſi quis ſeipſum oderit.

Symbolũ huius amoris.

Huius mutuæ dilectionis ſymbolũ in ſacris Iunonis apud Ægyptios conſpiciebatur. Ita enim ait Euſebius li. 3. de præparatione Euangelica: Qui Iunoni ſacrificant, bilem in ſacris non adhibent, ſed eam iuxta aram infodiunt. Nam quoniam viri & mulieres, id eſt, coniuges coniunctam ſignificant vitam, ea re oſtẽditur, abſque ira, & odio, & amaritudinę matrimoniũ eſſe oportere, ſed loco iræ beneuolentiam, pro odio amorem, & pro amaritudine humanitatem eſſe decet. Ideo Sapiens dicit: Tria me exhilarant, & coram Deo ſimul & hominibus condecorant, concordia fratrum, amicitia propinquorum, vir & vxor inter ſe bene conſentientes.

Clemens Alexandrinus de optimo vitæ genere diſſerens, hos ſenarios de mutua coniugum beneuolentia recitat: οὐ χρυσὸς, οὐ τυραννὶς, οὐ πλούτου χλιδὴ, τοσοῦτον ἴσχει διαφόρους τὰς ἡδονὰς, ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ γυναικὸς εὐσεβοῦς γνώμη δικαία, καὶ φρονοῦσα τ' ἀνδρικά. hoc eſt, *nec aurum, nec imperium, nec opum deliciæ tam præſtantes habent voluptates, quàm boni viri beneuolentia iuſta, & pia fœminæ animus mariti ſtudioſus.*

Porro naturalis ille amor, quo coniugum corda vniuntur, quóque coniuges mutuo cõuictu cum quadam ſuauitate fruuntur, multo fit ſtabilior, caſtior, ſanctior, ſi viua fide, vero amore & timore Dei tanquam fundamento triplicato nititur. Hic amor coniugalis eſt veluti ſurculus quidam, qui animis coniugum timentium Deum inſeritur cogitatione ordinationis diuinæ, quam Deus vult amari, & in honore eſſe, fulcitur in cordibus omni virtutum genere, augeſcit piis exercitiis, irrigatur rore cœleſti, id eſt, gratia Spiritus ſancti, per veram Dei inuocationem, vt aduerſus tempeſtates incidentes ſit immobilis. Pellitur enim diabolus, qui huic ordinationi Dei inſidiatur, precibus ardentibus & gratiarum actione. Denique, fructificat domi & foris. Domi quidem amicam, beneuolam & dulcem conuerſationem parit. Item officiorum æquale ſtudium, prolis, ſi qua datur, ſanctam educationem, συμπάθειαν instar membrorum eiuſdem corporis. Ἐπιείκειαν, qua errata in vitam incidentia teguntur. Breuiter, hic amor coniugalis caſtiſſimos mores in tota vita gignit, qui ſunt veluti nouum philtrum amoris coniugalis, idque efficaciſsimum, iuxta hos Menandri verſus:

> ἕν ἐστ' ἀληθὲς φίλτρον εὐγνώμων τρόπος·
> τούτῳ κατακρατεῖν ἀνδρὸς εἴωθεν γυνή.

Hoc eſt, *mores placidi & benigni verum ſunt philtrum, quo mulier virum in amore ſui retinet, & vir mulierem.*

Foris verò amor cõiugalis gignit honeſtam apud omnes famam, teſtimonium mutuum ſanctæ conuerſationis, miſericordiam erga inferiores, comitatem erga pares, honorem erga ſuperiores. Breuiter, iuſticiam erga omnes. Sed de officiis coniugum, quæ ex vno amoris fonte manant, aliâs copioſius.

V. Maritus & vxor ſunt vana caro. Igitur maritus & vxor iuris diuini & humani conſortes eſſe debent. Hinc Iuriſconſultus partem definitionis matrimonij extruit, cùm ait: Matrimonium eſt coniunctio maris & fœminæ, conſortium omnis vitæ, diuini & humani iuris communicatio. Etſi autem communicatio diuini & humani iuris, inter accidentarias cõiugij circumſtantias, quæ à re ipſa diſtinguuntur, numeranda eſt: tamen eam ſapientèr adiectam eſſe à Iuriſconſulto iudico. Qualis enim, quæſo, erit vitæ ſocietas, vbi vel diſpar religio, vel diuerſa viuendi regula fuerit? Profectò firma & ſtabilis animorum coniunctio, qualem in coniugio requirimus, nunquam erit inter eos, qui diuerſam ſectantur religionem. Canonem proinde, quo cauetur, ne Chriſtianus ducat alienam à ſua religione, laudo. Quantum autem mali in coniugio timendum ſit à diuerſitate religionis, vidit ſanctiſſima matrona Rebecca cum diceret, Geneſ. 27. 46. Si acceperit Iacob vxorem de ſtirpe terræ huius, nolo viuere. Et Dominus Exod. 34. 16. ait: Nec vxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis. Ratio eſt, ne diuerſitas religionis peruertat animum mariti, & ne ſobolęs inter diuerſas

religiones

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

religiones educata, omnẽ religionẽ tacitè auerſetur: Quod quidẽ eſt initiũ & caput extremæ miſeriæ. Etſi autem Paulus 1. Cor. 7. probat coniugium fidelis & infidelis, videlicet contractum, cum ambo adhuc in fideles eſſent: (dicit enim huiuſmodi coniugium ſanctificari per fidelem) tamen diſſuadet, ne fidelis cum infideli nuptias ineat. Nam cùm præcipit Chriſtianis, vt fugiant conuerſationem cum infidelibus, manifeſtè generali dicto vetat, ne fidelis ſe matrimonio iungat cum infideli. Nolite, inquit, 2. Cor. 6. 14. iugum ducere cum infidelibus. Quod enim conſortium iuſtitiæ cum iniuſtitia? & quæ communio luci cum tenebris? & quæ concordia Chriſto cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? & quæ conſenſio templo Dei cum ſimulachris? Etſi ergo Paulus non vult fidelem vxorem ab Ethnico diſcedere, niſi ille recuſet conuictum: tamen non permittit mulieri liberæ, iámque Chriſtum profeſſæ, nubere, niſi in Domino, hoc eſt, ſuæ religionis viro. Iohannes prohibet, ne ſalutemus quidem eos, qui alienam à Chriſti religione doctrinam afferunt, & ſcilicet probaret, ſi pius matrimonio cum infideli iungeretur? Breuiter, pij eſt declinare à malo, prudentis præcauere pericula, ſancti à prophano abſtinere, ſapientis alieno malo ſapere, inſani in ignem ſe ſponte conijcere. Samſon fortis erat: Salomon ſapiens: Achab potẽs, ſed à mulieribus diuerſæ religionis decepti ſunt. De hac quæſtione vide quæ annotauimus ad finem ſecundæ Epiſtolæ Iohannis.

DE QVINTA PARTE DEFINITIONIS CONIVGII.

DE FINE.

Mutuum adiutoriũ.

QVINTA definitionis noſtræ pars meminit finis inſtituti à Deo coniugij. Eſt enim coniugium inſtitutũ mutui adiutorij cauſa. Ita enim inſtitutio habet: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, ſed faciamus ei adiutorium coram ipſo. Nam cùm creator rerum Deus, ſit & optimus & ſapientiſsimus, fieri non poteſt, quin omnia creauerit ad bonos fines, & cùm rationalis creatura, reliquas creaturas dignitate & gradu ſuperet, dubitandum non eſt, quin eam condiderit ad optimum finem, cui coniugium deſtinatur.

Triplex finis coniugij.

Vt autem memoriæ diſcentium conſulamus, in hũc modum placet fines coniugij ex obiectorum diuerſitate diſtinguere, 1. vt alius finis ſit coniugij, ſi ipſos coniuges, & eorum familiam ſeorſum, conſideremus. 2. alius, ſi ad Eccleſiam & Rempublicam. 3. alius denique, ſi ad Deum ipſum reſpexerimus: quem omnia propter ſuam gloriam condidiſſe certum eſt.

Primus, coniugum reſpectu, eſt quadruplex.

FINIS coniugij, ſi ipſos coniuges, & eorum familiam reſpicimus, quadruplex eſt, videlicet, συνήθεια, ἁγνότης, οἰκουρία, γένεσις. Sed de ſingulis breuiter dicemus.

1. Societas & familiaritas.

Συνήθεια et familiaris eſt amica ſocietas, ad quam hominem conditum eſſe etiam Ariſtoteles intellexit. Nunc autem cùm nulla ſocietas iucundior eſſe poſſit, & magis amica, quàm piorum coniugum inter ſe, nemo ſanæ mentis inficiabitur, coniugalem ſocietatem reliquis omnibus anteponendam eſſe. Atque ideò Deus primos homines coniugali ſocietate, ídque vinculo inſolubili coniunxit, vt ipſo facto teſtaretur, hanc eſſe præcipuam ſocietatem. Quàm autem dulcis ſit hæc ſocietas, nemo vel cogitare poteſt, niſi ipſe expertus fuerit. Verùm quoniã hæc ſancta ſocietas Deo eſt gratiſsima, & hominibus coniugali fœdere iunctis ſuauiſſima, diabolus, hoſtis ordinationis diuinæ, nihil non facit, vt hanc ſocietatem turbet, & inſuauem reddat. Quare coniugum piorum officium fuerit, precibus aſsiduis ſe inſidiis diaboli opponere, & rogare Deum, vt ipſe ſuam ordinationem caſtiſsimorum angelorum præſidio tueatur.

2. Caſtitas.

ἁγνότης, caſtitas eſt, quæ in hac corrupta natura vix ſeruari poteſt, niſi in ſancto coniugio. Ideò Paulus dicit: Propter fornicationem vnuſquiſque habeat ſuam vxorem, & vnaquæque ſuum virum. Item, Nolite fraudare vos inuicẽm, niſi fortè ex conſenſu ad tẽpus, ne tentet vos Sathanas, propter incontinentiã veſtram. Significat Paulus his verbis thorum immaculatum, hoc eſt, congreſſum honeſtorum coniugum eſſe caſtitatem, qua incontinentia & immunditia cauetur.

Paphnutius etiam concubitum cum propria vxore σωφροσύνην, id eſt, caſtitatem nominat. Verùm quoniam diabolus, autor omnis turpitudinis & immundiciei, ſola immundicia delectatur, omnia tentat, vt caſtitatem honeſtorum coniugum, turpiſsimo alienæ libidinis cœno contaminet. Quam ob cauſam inde vſque ab initio cõiugibus inſidiatus eſt, & quotidiè obiicit multas occaſiones, quibus vt laqueis conſtringere honeſtos coniuges conatur, vt victi tãdem alieno amore caſtitatem coniugalem contaminent, & illicitos ſequantur amores. Quare & hic imprimis vigilandum eſt piis coniugibus, ne diaboli inſidiis locum faciant.

3. Diligens cura & cuſtodia familiæ.

Οἰκουρία, ſedulitas eſt, in tuenda & conſeruanda domo, ſeu diligens cura & cuſtodia domus & familiæ. Sine hac ſedulitate ſocietas coniugalis incolumis eſſe nequit. Vbi enim negligitur domus, ibi ruinam ſequi neceſſe eſt. Hunc finem coniugij requirit Paulus, cùm iubeat matronas eſſe οἰκουροὺς ad Tit. 2. 5. Tametſi autem οἰκουρία hæc ad vtrumque, hoc eſt, ad maritum & vxorem, pertinet, vt Clemens Alexandrinus teſtatur, dicens: Vxorem viro datam eſſe, vt ſit συνεργὸς τῆς οἰκουρίας, hoc eſt, ſocia & adiutrix in tuenda & conſeruanda re familiari: tamen Paulus hoc potiſsimum vxori tribuit, vt quæ aſsiduè ſe domi contineat. Nam cùm maritus ſæpe foris agit, niſi vxor ſit οἰκουρὸς & οἰκονομική, hoc eſt, ſedula in curanda familia; quò omnia rectè domi agantur, peregrinante marito, non diu manebit familia ſalua. Laudantur igitur mulieres induſtriæ, & οἰκουροί, à Solomone: inquit, timens Dominum, ipſa laudabitur. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius. Prouer. 31. 30.

4. Liberorum procreatio.

Γένεσις eò pertinet (quatenus familiam propriam coniuges conſiderant) vt hæredes habeant, quibus bona ſua poſt mortem relinquant, quíque eorum nomen in memoria ſempiterna conſeruent. Hunc finem cùm ſibi proponunt pij coniuges, regulam Chriſti teneant, videlicet: Quærite primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius, & cætera adiicientur vobis. Nõ ergo cumulent coniuges opes quouis modo, per fas & nefas, vt ditent ſuos hæredes, ſed iuſte quærant benedictionem à Domino, in timore Dei officium gnauiter præſtantes. Sciant fruſtrà ſe laborare, fruſtrà vigilare, fruſtrà domum cuſtodire, niſi Dominus eam ædificauerit. Atque hæ ſunt partes primi finis coniugij, cùm videlicet ipſos coniuges per ſe conſideramus, quarũ prima animi coniugũ ſociantur: Secunda corpora caſta ſeruantur: Tertia incolumitas domus cuſtoditur: Quarta nomen & memoria piorum coniugum ad poſteritatem propagatur.

Secundus finis, reſpectu Eccleſiæ & reipub.

Si Eccleſiam & Rempublicam reſpicimus, finis coniugij eſt, vt ſeminariũ ſit Reipublicę & Eccleſię. Certum enim eſt, Deum conſeruare & tueri coniugia propter Eccleſiam & Rempublicam, vt inde

prodeant vtiles Eccleſiæ & Reipublicæ ciues. Huius finis Plato meminit in 6. de legibus cùm ait: χρὴ τῆς ἀειγενοῦς φύσεως ἀντέχεσθαι, τῷ παῖδας παίδων καταλείποντι, ἀεὶ τῷ θεῷ ὑπηρέτας ἀνθ' αὑτοῦ παραδιδόναι. hoc eſt, *Oportet operam dare naturæ perpetuo conſeruandæ, relinquendo filios filiorum*, ſempérque pro ſe Deo cultores tradere. Et paulò pòſt: χρὴ γεννῶντάς τε, καὶ ἐκτρέφοντας παῖδας, καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδιδόντας ἄλλοις ἐξ ἄλλων θεραπεύοντας ἀεὶ θεοὺς κατὰ νόμους. Hoc eſt, *Oportet generare & educare liberos, vt vitam tanquam lampadem tradamus alijs, quò ſint alij poſt alios, qui Deum legitimè colant.* Ad hunc finem Paulus reſpiciens, hortatur coniuges, vt pueros ſuos inſtituant in diſciplina & admonitione Domini. Nam niſi recta fuerit educatio, nihil boni ſperandum eſt de iis, qui educantur. Qui enim malè educãtur, ſæpe fiunt ſordes in Eccleſia, & pernicioſi ciues in Republica.

Tertius finis, Dei reſpectu.

Finis coniugij, ſi Deum immediatè reſpicimus, eſt, vt coniuges ſciant ſe coniunctos eſſe, vt ei, qui ſe coniunxit Deo, grati ſint, vt vnà Deum laudent, celebrent, prædicent, de eius operibus & prouidentia miſceant colloquia, ſimul Deum inuocent, & ſe inuicem hortentur ad timorem Dei, ſe mutuo conſolentur, & ſi quid aſperi inciderit in vita, ſpe futuræ reſurrectionis & æternæ gloriæ, quę omnibus Deum timentibus propoſita eſt, cogitent ſuum coniugium imaginem eſſe quandam illius arcanæ copulæ Chriſti & Eccleſiæ, quæ copula hic inchoatur fide, amore, & noua obedientia: In æterna autem vita conſummabitur.

Quartus finis, quomodo intelligẽdus

Porro eorum ſententiam, qui finem coniugij dicũt eſſe, vt ſit ſacramẽtũ admirãdę illius copulę Chriſti & Eccleſiæ hac ratione recipio, modo patiantur omnia corporata eſſe Sacramenta quædam rerum arcanarum. Siquidem nihil corporatum à Deo conditum eſt, quod non habeat aliquam comparationem ad res arcanas & inuiſibiles. Coniugium enim propriè non eſt Sacramentum, hoc eſt, non eſt Sacramentum inſtitutione peculiari, ſed ſolummodo naturali imaginę. Eſt enim coniugium quædam imago nuptiarum Chriſti, & eius ſponſæ Eccleſiæ. Nam vt coniuges copulantur ſpiritualiter fide & amore coniugali, & corporaliter mixtione ſexuum: ita Chriſtus & Eccleſia ſpiritualiter quidem fide & charitate, corporaliter verò naturæ conformitate copulantur. Ex quo factum eſt, quòd Eccleſia dicatur caro de carne Chriſti, & os de oſsibus eius. Atque hactenus de coniugio dictum eſto.

DE REPVDIIS.

Repudii & diuortii origo.

HACTENVS diximus de coniugio, ordinatione Dei ſancta, vt nobis diuinitus commendatur. Nunc reſtat, vt de iis, quæ præter ordinationem Dei ex hominum culpa, proh dolor! contingunt, dicamus, quæ ſunt duo, videlicet, Repudium & diuortium. Illud leuius, hoc triſtius eſt. Non quidem quòd is peccet, qui vel iuſtis de cauſis repudiat eam, cui nuptias promiſit, vel qui ob coniugis flagitium diuortium facit. Culpa enim non in perſona innocente, ſed in rea hæret, tametſi fieri interdum poteſt, quẽadmodum infrà dicemus, vt repudium fiat interdum cum honeſta perſona, propter graues cauſas, in ſponſalibus non animaduerſas.

Diſcrimẽ & definitio.

Inter repudium & diuortium hoc eſt diſcrimen, Repudium dicitur, cùm vel vterque, vel alteruter promiſſas recũſat nuptias, & ita à pactione diſceditur. Diuortium autem fit, cùm coniugium conſummatum, propter alterius coniugum culpam, dirimitur. Sæpe tamen repudium etiam diuortium complectitur, ſed nos hoc loco diſcernamus repudium & diuortium, vt dictum eſt.

Inter vtriuſque cauſas diſcrimen.

Præterea vt plurimum intereſt inter ſponſalia & nuptias: ita inter cauſas repudij & diuortij maximũ eſſe diſcrimen, ſciendum eſt. Vetuſtas, vt ait Philippus, nominat ſponſalia tantùm eas promiſsiones, in quibus fiunt pacta de futuro coniugio. Vt enim ſponſus & ſponſa à ſpondendo, id eſt, promittendo, nomen habẽt: ita ſponſalia ſolummodo promittunt coniugum, quod nuptiæ perficiunt. Atque hinc eſt, quòd Chriſtiani Imperatores pactionem matrimonij non antea habendam indiſſolubilem cenſuerunt, quàm cum ducta ſponſa domum, nuptiarum feſtiuitas eſt celebrata. Quod tamen ita accipiendum eſt, ſi ſola matrimonij promiſſio ſit facta, & non etiam carnalis congreſſus acceſſerit. Nam ſi poſt ſponſalia ſequatur copula ante nuptiarum ſolennitatem, volente ſponſa, verè tunc efficitur perfectum matrimonium. Tametſi autem deſponſæ appellantur interdum vxores, vt in illo: Si quis ſponſam alterius in agro oppreſſerit, morte moriatur, quia vxorem alterius violauit: tamen re ipſa non ſunt vxores, ſed ita dicuntur propter promiſſionem factam, & ſpem futuri coniugij. Coniugium ſiquidem quod propriè ſic dicitur, cùm mulier iungitur viro, à deſponſatione quidem incipit, ſed traditione perficitur. Vnde hoc diſcrimen natum eſt, vt illud initiatum, hoc ratum & conſummatum dicatur coniugiũ. Ita enim Auguſtinus ait: *Non dubium eſt illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio ſexus non docetur fuiſſe.* Huc accedit, quòd virgo deſpõſa non velet caput ante nuptias, quo facto ſignificatur eam nondum veniſſe in poteſtatem viri. Canoniſtæ liberum volunt eſſe deſponſæ vouere religionem, vel inuito ſponſo, ſed hoc non permittunt vxori, reluctante marito. Quare oſtendunt & ipſi, magnum eſſe diſcrimen inter ſponſalia & nuptias.

Gradus coniugij.

Porro hos duos gradus, videlicet ſponſalia & nuptias, placuit ſapientibus gubernatoribus ad conſummationem coniugij ordinare, vt intermedio tẽpore, hoc eſt, inter ſponſalia & nuptias omnia diligentius inquirerentur, ne locus fraudi eſſet vllus. Et vt maior circumſpectio adhibeatur, rectè in hoc regno conſtitutum eſt, vt ante nuptias trina denunciatio in ſolenni Eccleſiæ cœtu (interpoſita ſemper ſeptimana integra) præcedat, cum hac admonitione, vt ſi quis habeat, quod conſtitutas nuptias iuſtè impedire poſſit, hoc ſignificet maturè ante diem nuptiis dictum, cùm adhuc res integra ſit.

Trina denunciatio ante nuptias.

Hæc denunciatio cum admonitione planè ridicula eſſet & inutilis, ſi ſolus conſenſus, quo fit promiſsio, conſummaret coniugium. Cùm igitur obiicitur ex iure Canonico, conſenſus facit nuptias, Reſpondendum eſt, hoc verum eſſe de conſenſu promittentis, & ſtatim accipientis deſponſam in ſua. Nam hic conſenſus cohabitationis & carnalis copulæ eſt. Non autem verũ eſt, de conſenſu promittentis ſolummodo futuras nuptias. Ideo Iuriſconſultus quidam ait: Conſenſus cohabitandi, & indiuiduam vitæ conſuetudinem retinendi, facit coniugium. Conſenſus igitur promittentis tantùm, etiam accedente iureiurando non facit matrimonium.

Obiectionis dilutio.

Ideò ſuprà diximus ex ſcholaſticorum ſententia: Conſenſum eſſe cauſſam matrimonij, ſed non totam. Eſt enim conſenſus, vt illi aiunt, cauſa, vt fiat matrimonium, non vt ſit: Inter quem gradũ & nuptias, quæ ſunt ſecundus gradus perficiẽs matri-

Cõſenſus quo ſenſu ſit cauſa matrimonij.

matrimonium, poſſunt varia eáque iuſta, promiſſarum nuptiarum impedimenta incidere. Medium proinde tempus inter ſponſalia & nuptias relictum eſt vtrique parti, vt diligentius inquirant, num aliquid ſit aut offeratur, quod conſummationem matrimonij iuſtè impediat. Cum his non pugnat forma pactionis qua in hoc regno vti ſolemus in honeſtis ſponſalibus. Ita enim quæritur: Vis hanc habere in vxorem? Vis hunc habere in maritum? & reſpondetur, volo. Nam hæc voluntas intentionis eſt, qua animus inclinat ad futuras nuptias, non traditionis, qua alter alteri ſe totum tradit, vt iam vnum ſint, vnà habitent, & indiuiduam vitæ conſuetudinem retineāt. Neque his aduerſatur dictum Domini: Quos Deus coniunxit, homo ne ſeparet. Nam Chriſtus loquitur de coniunctis legitimè, qui conſummato iam matrimonio, in vnum hominem conuenerunt. Siquidem non de repudio deſponſæ, ſed de diuortio iuſtæ vxoris, & interrogatus erat, & hoc reſponſum dedit Dominus.

Spōſaliorum formula.

Iudicum officium.

Iam ad iudices veniamus. Cùm repudium permitti petitur, pius & ſapiens iudex ante omnia grauiter perpendat & diſpiciat, quod vtile ſit Eccleſiæ, quid commodum reipublicæ, quídque faciat ad piam coniugum concordiam. Et contra, Quid vel Eccleſiæ & & Reipublicæ officere, hoc eſt, quid Eccleſiam ſcandalo offendere, quídque Rempublicam lędere, quídque priuatam vitam poteſt reddere moleſtam. His enim tribus, hoc eſt, Eccleſiæ Reipublicæ, & priuatæ familiæ deſtinatur coniugium. Quare ſi ſapiens iudex præuiderit aliquid periculi, vel Eccleſię, vel Reipublicæ, vel priuatæ familiæ imminere ex coactis nuptiis, ſua prudentia imminenti malo occurrat. Siquidem coacta matrimonia malos exitus habere ſolent. Hac regula in animis iudicum concepta, facilius fuerit quaſuis repudij cauſas excutere, diiudicare, & bona conſcientia determinare. Nā cùm Paulus dicit, agens de ſeparatione coniugum: ad pacem nos vocauit Deus, iudex ſecurè hoc dictum, vt regulam iudicij, ſequi poteſt, præſertim cùm de repudiis agitur.

DE CAVSIS REPVDII.

Prima cauſa ...

CVM quæritur repudium, aut peccatum eſt in cōſenſu eorum, qui promiſerunt nuptias, aut inter perſonas, poſt pactionem nuptiarum aliquid interuenit quod vel iure conſummationem coniugij impedit, vel vtrumque contrahentium, aut alterum offendit.

In conſenſu peccatur, vel cùm alteruter negat cōſenſum, vel alioqui contra conditiones legitimi cōſenſus, pactio de nuptiis facta eſt.

De negatione conſenſus.

Quando negatur conſenſus ab vno, & ab altero clam eſſe factus aſſeritur, quęrendum eſt, an interuenerit carnalis capula, nec ne. Si interuenerit carnalis copula, quærendum eſt, an fœminæ fama antea fuerit illæſa, nec ne. Si interuenit carnalis copula, & fama fœminæ compreſſæ antea fuit honeſta, admonēdus eſt qui accuſatur violatæ fidei datæ, grauiter à iudice, vt cogitet quantum peccatum ſit fidem fallere, præſertim cùm videatur confirmata eſſe carnali copula, & frotè prole. Si perſtiterit reus in negando, nolim tamen ipſum ſtatim abſolui, propter ipſius conſcientiam, cui iudex conſulere debet. Nam qui clam promiſit, & copula poſtęa conſummauit promiſsionem, viuet in perpetuo adulterio, mala cum conſcientia, ſi alteram, priore viuente, duxerit, etiamſi fuerit liberatus per iudicem, mendacio deceptum. Quare in hoc caſu iudicarem conſultum eſſe, ſequi conſilium Gregorij, qui præcipit, vt is, qui inficiatur promiſsionem factam de nuptiis, ſeptima cognatorum, aut aliorum honeſtorum virorū manu ſe purget. Quod cùm fecerit, iudex illum liberum pronunciabit, impoſita ſcortationis mulcta. Verùm ſi vel infamis fuit fœmina antea, vel non eſt ſecuta copula, conſtanter negans pactionem de nuptiis interueniſſe, ſine iuramento liber dimittatur.

Cæterùm, ſi vterque fatetur conſenſum, à quo alter cupit diſcedere, examinandus eſt conſenſus, an fuerit legitimus, hoc eſt, licitus, honeſtus, iuſtus, liber, plenus, ſincerus.

De examine conſenſus.

Si non fuit licitus conſenſus, ſed illicitus, vt qui factus ſit contra gradus cognationis & affinitatis, lege Dei prohibitos, pro nullo habebitur. Addo etiam, ſi fuit initus contra humanas leges, etſi diuortium non iuſtè facit: tamen repudium rectè fecerit.

Si illicitus.

Si conſenſus non fuit honeſtus, temerarius omnino eſt iudicandus, atque adeo pro nullo habendus, etiamſi iuramentum interuenerit. Etſi enim graue peccatum eſt, non præſtare, quod iuraſti: tamen certum eſt, grauius adhuc peccari, ſi impleas, quod temere iuraſti. Teneatur ergo regula: *In malis promiſſis reſcinde fidem. In ſtulto voto muta decretum.* Non honeneſtum conſenſum dico, qui vel petenti repudium, vel familiæ ipſius, vel ordini & dignitati congruit. Deus enim vult hominem, quem ad honeſtatem cōdidit, honeſtatis & ordinis amantem eſſe, & vult ſingulos ſuum ſtatum & dignitatem in timore Domini tueri & conſeruare. Plura de hoc genere conſenſus ſuprà diximus.

Si non honeſtus.

Si conſenſus non fuit iuſtus, hoc eſt, ſi promiſsio de nuptiis facta eſt contra illorum voluntatem, in quorum poteſtate ſunt illi, qui paciſcuntur de nuptiis, poteſt per iudicem reſcindi tanquam iniuſtus, ſiue ſecuta ſit carnalis copula, ſiue non, niſi aliter parentes, aut illi qui in parentum loco ſunt, perſuaderi poſſunt. Pontificia autem conſtitutio contrà pronūciat, nempe ratum eſſe matrimonium, quod inſciis etiam & inuitis parentibus contractum ſit per verba præſentis temporis. Ad quam conſtitutionem Eraſmus in hunc modum reſpondet: Hîc, inquit, vſu venit Legiſlatori, quod ferunt Herçuli, cui dum vnū cornu diſſecuiſſe Acheloo fluuio, magis etiam intumeſcens ex alia parte minitaretur amnis, imò fit, vt pro reſecto vno hydræ capite plura ſuppullulent. Non enim ſolùm verùm eſt, quod dicitur: Ex malis moribus naſci bonas leges, verumetiam ex optimis legibus hominū peruerſitas gignit mores peſsimos. Opinor autē humanū eſſe decretum, ſolo conſenſu coire matrimonium, vt qui legem pro ratione temporum ſtatuit, poſsit eandem pro ratione temporū vel abrogare vel moderari. Atque iam nunc ex hac lege Quòd adoleſcentes benè natos, quòd puellas etiam ſummo loco natas vidimus, & videmus implicari infauſtis perplexíſque cōiugiis, ingenti luctu parentū & propinquorū, nonnunquā & ſummo Reipublicæ diſcrimine. Hæc Eraſmus, qui mollius Papā tractat. Ego dico: Præceptum Dei: Honora patrem & matrem, vt bene tibi ſit, anteponendum eſſe conſtitutioni Antichriſti. Nunquam enim Deus iſtud matrimonium probauerit, quod coiit contra ſuum mādatum. Quare nunquam rata habenda ſunt, neque ſponſalia, neque matrimonia, contracta inuitis & reluctantibus parentibus.

Si iniuſtus.

Si conſenſus non fuit liber, ſed vel coactus, vel eorum, qui per ætatem aut morbum ſano deſtituuntur iudicio, non eſt habendus pro conſenſu. Locum enim nō habet conſenſus, vbi metus, vel coactiò, vel error

Si coactus, ſine iudicio & voluntate.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

error iudicij intercedit. Neque refert, cùm de repudio agitur, ſiue coactio fuit abſoluta, hoc eſt, per vim externam facta, ſiue conditionata per minas, vnde metus. Neque liber eſt conſenſus, quando mentis vigor in iudicãdo, quaſi inficitur mero aut cæco amore. Vt enim radice viciata veneno, arbor non profert bonum fructum: ita mens vino & amore infecta, non ſanè iudicat. Peſsimi enim & imprudentiſſimi ſunt conſiliarij Amor & vinum. Quare ſi quis ebrius promiſit, cuius ſobrium pœnitet, poteſt à promiſsione diſcedere, & à iudice abſolui. Si interuenerit copula carnalis, ebrij cum amata fœmina, fortè etiam ebria, quæ affirmat & probat coram iudice, per vanos homines, vt lenones & fœminas infames, promiſsionem coniugalem compreſſam præceſſiſſe, nihilominus ſcortatio, & non coniugium habebitur. Quare iudex tales ſcortationis pœnæ ſubiiciet.

Si nõ perſpicuis verbis expreſſus.

Si conſenſus non fuit plenus, hoc eſt, claris verbis & perſpicuis expreſſus, non obligat ſimpliciter, ſed ex aliqua parte, videlicet cùm libidinoſus aliquis promiſſionibus obſcuris, quæ poſſunt plures interpretationes inſidioſè recipere, eáſque ſimplex virgo, aut vidua honeſtæ famæ de coniugio verè promiſſo intelligit, virginem aut viduam lactet, atque ita deceptam corrumpat. Hîc profectò iudico pronunciãdum eſſe pro perſona decepta, hoc videlicet modo, vt deceptor, vel eam quam blanditiis pertraxit ad cõcubitum, in vxorem ducat, vel ſi ad hoc induci per iudicem non poſsit, multa ſtupratoris puniatur, vt ſatisfiat & magiſtratui, & perſonæ læſæ.

Si doloſus.

Si cõtractus nõ fuit ſincerus, hoc eſt, ſi quis aut dolus aut error claris verbis ſuberat, cùius generis ſũt: ſi quis mẽtitur perſonã, fortunã, conditionem, qualitatem. Tot enim erroris genera, cùm de nuptiis agitur, numerant Canonici.

Exempla.

Perſonã mentitur, qui ſe alium fingit quàm eſt, vt ſi quis diceret ſe Senatoris filiũ, cùm ſit carnificis.

Fortunam mentitur, qui ſe diuitem iactat, vt ſtulti proci facere ſolent, cùm ſit pauperrimus.

Conditionem mentitur, cùm quis nobilem ſe dicat, qui eſt plebeius.

Qualitatem mentitur, ſi quis honeſtum ſæ prædicat, & probum, cùm ſit inhoneſtus & improbus. Si quis veræ religionis ſectatorem ſe affirmet, cùm ſit hæreticus. Si qua ſe pro virgine ſpondet, cùm ſit corrupta. Si quis vel qua morbum celat ſuum ante ſponſalia, qui ante nuptias deprehenditur. Hîc iudex ſequatur Canonem: Fraus & dolus nemini debent patrocinari. Item, Nemo debet lucrum de ſuo dolo reportare.

Regula.

Secunda cauſa, inter perſonas.

Porrò ſi poſt legitimum conſenſum aliquid inter perſonas, quæ pactæ ſunt de nuptiis, interuenerit, quòd offendit, hac via procedendum eſſe iudico, vt primùm audiatur, an vterque cupiat à pactione diſcedere, aut alteruter tantum.

Si vterque cupit à pactione diſcedere.

Si vterque cupit à pactione diſcedere, iudex grauiter reconciliationi (modo ſpes ſit, vt tranquillè cohabitent reconciliati) det operam. Verùm ſi perſuaderi non poſſunt, vt conſumment promiſsionem legitimè factam, iudex quærat, an copula carnalis exceperit ſponſalia, néc ne. ſi copula carnalis non acceſsit poſt ſponſalia, velim iudicem non magnopere eſſe ſolicitum, de cauſis offenſæ interuenientibus. Sed, ne quid deterius ex coactis nuptiis eueniat, permittere reſcindi contractum, vt imperfectum, ita tamen, vt iuſtas pœnas fidei non ſeruatæ, ratione fortunarum & conditionis, luant. Atſi fortè copula interuenit, matrimonium conſummatum eſt, & pertinet quæſtio iam non ad repudiũ, ſed ad diuortium, Quare non licebit eis extra rationem fornicationis à pactione diſcedere, quam copula confirmauerunt. Hoc reſcriptum fuit à Gregorio IX. & Imperatorum approbatur legibus.

Si alteruter.

Sin autem alteruter à legitimo conſenſu ante nuptias cupit diſcedere, iudex rationes audiat mutatæ voluntatis, quæ ſi tales fuerint, vt vel meritò offendant, vel vitæ conſuetudinem reddere poſsint moleſtam & inſuauem, poteſt iudex diſceſsionem à pactione permittere, ſi cætera ſalva ſunt.

Caſus.

Canoniſtæ in hoc ordine primo loco ponunt hũc caſum. Si alteruter poſt ſponſalia, matrimonio nondum completo, votũm fecerit, hoc eſt, monaſticam vitam elegerit, ſolutam aiunt promiſsionem. Quia ſcilicet nondum effecti ſunt vna caro, completo ſcilicet matrimonio. Etſi autem nos votum iſtud, vt cõtra Deum ſuſceptum, pro nullo habemus, ſicuti ſuprà oſtendimus, hoc tamen ex Canone iſto colligimus, quòd Gregorius non voluerit ſolo conſenſu ratum eſſe coniugium ante nuptias.

2. Caſus.

Si quis honeſtè vixit ante legitimum conſenſum, ita vt nullo crimine publicè ſit notatus, ſed poſtea in infamiam ob quodlibet flagitium inciderit, poteſt honeſtæ perſonæ & innocenti, ſolutio pacti, modò petatur ante nuptias, concedi.

3. Caſus.

Si alteruter in grauem morbum & tetrum inciderit, vt in lepram, gallicam ſcabiẽ, epilepſiam, phreneſin, poteſt ſanus à pacto diſcedere, præſertim ſi copula non interuenit. Neque enim poteſt quiſquam bona conſcientia illud implere matrimonium, quo vti ſine abominatione non poſsit, quin & ſe ipſum & cæteros perdat, quin & liberos ad perpetuam miſeriam & commune Reipub. detrimentum gignat.

Exemplũ.

Ante annos 40. ciuis erat Coronæ epilepſia laborãs. Hic vxorem duxit & ex ea duodecim proles ſuſtulit, in quibus omnibus paternus morbus vt hæreditarius hæſit. An non præſtitiſſet hîc ab iſta pactione diſceſſiſſe? Eos igitur, qui huiuſmodi tetris abominandiſque morbis laborant, ita vellem eſſe affectos, vt ſic vitæ rationes inirent, vt celibes viuere poſſent ſine delicto, ne infortunium eorum ad multos peruaderet, ſed ſe vnis concluderetur. Quam enim dulciſsimum eſt genuiſſe, tam eſt acerbiſsimum videre liberos graui morbo afflictos, quem ſæpe optarent parentes, fieri ſi poſſet, in ſe tranſlatum potius, quàm eum in liberis ſuis tanto cum dolore aſpicere. Vellem profectò, vt lege caueretur, ne vllis, qui abominandis, hæreditariis, & incurabilibus morbis laborant, permitterentur nuptiæ, præſertim cùm videantur diuinitus ad celibatum vocari, quibus Dominus ademerit matrimonii, ex bona conſcientia exercendi, poteſtatem.

4. Caſus.

Si quis vel oculum perdat, vel naſum amittat, vel ei quicquam turpius eueniat, Canones & leges permittunt alteri à pactione nuptiarum diſcedere, ſi nõ interuenit copula.

5. Caſus.

Si ſuperuenerit affinitas fornicaria, hoc eſt, ſi ſpõſus cognouerit aliquam ex cognatis ſponſæ ſuæ in prohibitis gradibus, ſiue diuinis ſiue humanis legibus, etiamſi ſponſa non cupit repudium, reſcindenda eſt pactio cum priore inita: non ſine animaduerſione in eum, qui fidem priori datam, non ſeruauit.

6. Caſus.

Permittuntur etiam nuptiæ, ſecundum Canones & leges, virgini aut fœminæ, deſponſæ, ſi is qui cum ea contraxit de futuris nuptiis, diutius inuita ſponſa peregrinetur. Nam illic dolus ſubeſſe videtur. Verùm hîc tẽpus biẽnij præſcribi velim, niſi fortè grauiores cauſæ moram iſtam non ferant, de quibus prudens iudex viderit.

7. Caſus.

Si quis poſt contracta ſponſalia cum vna (cum

qua

quarem non habuit) cum alia contraxerit, & cum ea miſceatur, puniatur grauius, aliis in terrorem, ne tã facile reſcindant datam fidem, & impunitas ſceleris multis occaſio ſit peccandi: Sed maneat cum ſecunda, eò quòd cum ea conſummauerit promiſſum matrimonium, quod tamen vix felix & expers moleſtię fore ſtatuo.

Ex his repudij caſibus iudicari poteſt de multis aliis, qui vel ſub his continentur, vel his non multum ſunt diſsimiles.

DE DIVORTIIS.

Diuortiũ, cur triſtiſ. ſima.

SICVT diuortia triſtiora & grauiora ſunt quàm repudia: ita etiam maior cura in iudice requiritur, ne diuortia contra Dei voluntatem, aut faciat, aut approbet in certiſsimam eorum perniciem, qui non iuſtis de cauſis diuortia faciunt.

Variæ doctorũ ſententiæ.

Sententiæ doctorum hac in re multum variant. 1. Sunt enim qui vnam ſolummodo cauſam diuortij agnoſcunt. 2. Sunt qui duas admittunt. 3. Non deſunt qui tres iuſtas diuortij cauſas eſſe tradunt. 4. Multi quinque enumerant. 5. Alij adhuc multò plures. Quare etſi in tanta varietate videre, quid ſit ſequendum, difficile eſt: tamen expenſis rationibus ſingulorum, quid nobis videatur tutiſsimum, oſtendemus.

1. Eorum, qui vnicã diuortij cauſam ſtatuunt.

Qui vnam ſolummodo cauſam diuortii conſtituunt, nempe adulterium, verbo Chriſti clariſsimo ſe niti aiunt, Dominus interrogatus Matt. 19. 4. Num liceat homini dimittere vxorem quamuis ob cauſam reſpondet: An non legiſtis, quod qui fecit hominem à principio, maſculum & fœminam fecit eos. Et dixit: Huius cauſa relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carnem vnam. Quapropter non amplius ſunt duo, ſed caro vna. Ex hoc fundamento infert hanc reſponſionem ad quæſtionem propoſitam: Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & duxerit aliam, mœchatur. In his clariſsimis verbis inſiſtunt, nullam aliam admittentes rationem diuortij.

Quæſtio ... propoſita.

Verùm cùm his obiicitur: Paulus præter fornicationem, cauſam diuortij aliam ponit, 1. Corinth. 7. nempe infidelis deſertionem, hoc eſt, cùm infidelis deſerit & diſcedit malitioſè à pio coniuge. Hîc alij aliter reſpondent. Auguſtinus dicit: Infidelitatẽ eſſe adulterij quoddam genus, atque ideo includi in reſponſione Chriſti, quaſi verò Chriſtus eſſet interrogatus de ſolo diuortio inter coniuges, & non de diuortio illo ſpirituali, inter Deum & hominem. Quare illa dilutio planè pũerilis eſt, & ridicula, & indigna Auguſtino. Alij videntur ſibi rem acu, vt aiunt, tetigiſſe, ac illud vidiſſe, quod nemo ante ipſos videre potuerit. Dicunt enim, optimè conuenire inter Chriſtum, & Paulum, in diuortij cauſis, modo hæc adhibeatur diſtinctio, quòd aliud coniugium par, aliud impar ſit. Chriſtus, inquiunt, de pari coniugio interrogatus, reſpondet, & vnam cauſam diuortij in eo facit, nempe adulterium. Paulus autem interrogatus de impari coniugio, ſimiliter reſpondet, vnam cauſam in eo diuortij eſſe, videlicet, religionis imparitatem. Quaſi verò Chriſtus de genere vniuerſo interrogatus, hac verborum forma: Num licet homini de quauis cauſa dimittere vxorem, de ſpecie vna reſpondiſſet, & non ad quæſtionem, vt erat propoſita. At Iudæi omnes, inquiunt, fuerunt paris religionis. Verùm hoc falſiſsimum eſt. Fuerunt enim eo tẽpore diuerſiſsimæ Eſſæorum, Phariſæorum, & Saducæorum ſectæ, quæ non ſolùm inter ſe diſſidebant, verùm etiam plerique omnes coniunctis animis & ſtudiis ſe Chriſto opponebant. Neque defuerunt in iſto populo, cùm hæc quæſtio Domino opponeretur, qui ſanctis Dei non minus aduerſati ſunt, quàm Mahometiſtæ hodiè Chriſtianis aduerſantur. Hinc videmus & Auguſtinum, & alios, alioqui viros optimos & doctiſsimos, debili niti fundamento.

Verùm qui reſponſum Chriſti Synechdochicôs accipiunt, non deſtituuntur firmis rationibus. Primum enim à genere tanquam à principio concludunt. Moſes, inquiunt, Deutero. 24. 1. ob rem turpem permittit diuortium, & exemplum rei turpis ponit adulterium. Licebit igitur ob alias res turpes, & cum infamia coniunctas, fieri diuortia, vt ſunt parricidium, venenum, proditio, vitæ inſidiæ, furtum. Ad hoc confirmandum, teſtimonium Pauli adducunt: Si infidelis diſcedit, diſcedat, Non eſt alligatus frater aut ſoror in huiuſmodi. Ecce, inquiunt, Paulus diſertè, præter fornicationem, deſertionem cauſam facit diuortij. Nam ſi deſerta perſona non eſt alligata deſertori, profectò non mœchatur, ſi nubet in Domino. Vbi enim nullum eſt vinculum, ibi libertas eſt, ad nouas quærendas nuptias. Iam ex hac Pauli ſententia, vnum ex duobus ſequi neceſſe eſt, videlicet, vel Paulum Chriſto aduerſari, cuius haud dubiè ſpiritu dictante, & ſcripſit, & locutus eſt: vel Chriſti verba accipienda eſſe Synechdochicôs, vt ſub vna certa ſpecie, more ſcripturarum, genus contineatur, ſub quo conſimiles ſpecies, quo ad ſceleris grauitatem attinet, contineantur. Verùm cùm fieri non poteſt, vt Paulus Chriſto ſit contrarius, abſque omni dubio Chriſtus ſub fornicationis nomine intelligit etiam crimina, quæ grauitate fornicationem vel æquant vel etiam ſuperant. Pius & honeſtus maritus non minus triſtatur ex veneficio, parricidio, & ſacrilegio vxoris, &c. quàm ex adulterio. Quomodo autem hoc dilemna ſolui poſsit ſine ſophiſtica, non video. Huc etiam vel maximè facere putant quæſtionem à Phariſæis propoſitam. Interrogant enim Phariſæi, an liceat quauis de cauſa (vt viitatum tum erat apud Iudæos) vxorem dimittere. Ad hanc quæſtionem, Domini reſponſionem dirigendam eſſe contendunt, vt ſit eius ſenſus: Non licet vxorem dimittere quauis de cauſſa veſtro more, ſed oportet grauiſsimas eſſe cauſas, qualis eſt ſcortatio, vt ſcortatio ſit poſita ſolummodo exempli cauſa. Hoc præterea confirmari exiſtimant teſtimonio Matthæi, qui ex verbis Domini ſic ſcribit cap. 5. 31. Dictum eſt antiquis: Quicunque dimiſerit vxorem ſuam, det illi libellum repudij: ſed ego dico vobis, quicunque dimiſerit vxorem ſuam παρεκτὸς λόγου πορνείας, hoc eſt, præter rationem adulterij, facit eam mœchari. Hîc non πορνεία ſolùm, ſed λόγος πορνείας excipitur. Cùm ergo λόγος ſignificat rationem & proportionem, quid vetat Chriſti verba ſic interpretari: Qui dimiſerit vxorem ſuam, niſi ob cauſam, quæ eam rationem criminis habet, vt ſcortationem æquet, ac proportionem quandam, quo ad ſceleris grauitatem attinet, cùm ſcortatione habeat. Hanc ſententiam multi pij Imperatores ſecuti vidẽtur, qui multa crimina in ſuis legibus enumerant, propter quæ diuortia admittunt.

Sententiæ explicatio, qua diuortiũ permitti plures ob cauſas, poſtea poſitas, probatur.

Sunt autem hæc Iuſtiniani Imperatoris verba in Codice: *Sicut enim ſine iuſta cauſſa diſſolui matrimonia iuſto limite prohibemus: ita aduerſa neceſſitate preſſum vel preſſam (quamuis infauſto, attamen neceſſario auxilio) cupimus liberari. Si qua igitur maritum ſuum adulterum, aut homicidam, aut veneficum, aut certè contra noſtrum*

Confirmatio ab autoritate imperatoria.

imperium aliquid molientem, vel falſitatis crimine condemnatum, inuenerit: Si ſepulchrorum diſſolutorem: Si ſacris ædibus aliquid ſubtrahentem: Si latronem vel latronũ ſuſceptorem, vel abactorem, vel plagiarium, vel ad contẽtum ſui domuſve ſuæ, ipſa inſpiciente cum impudicis mulieribus, (quòd etiam caſtas exaſperat) coitum ineuntem: Si ſuæ vitæ veneno, aut gladio, aut alio ſimili modo inſidiantem: Si verberibus (quæ ingenuis aliena ſunt) afficientem ſe probauerit: tunc repudij auxilio vti, neceſſariam ei permittimus libertatem. Vir quoque pari fine claudetur, nec licebit ei ſine cauſis apertius deſignatis, propriam repudiare iugalem. Hucuſque Imperator.

A teſtimonio Ambroſii

Ambroſius affirmat, licere mulieri à viro diſcedere de tribus cauſis. Vna, ſi adulter fuerit maritus. Altera, ſi apoſtata, quantum ad religionem. Tertia, ſi vxore per libidinem abuti voluerit, & iuſtum naturalémque eius vſum inuertere. Sed non rectè concludit Ambroſius, cùm iubeat mulierem manere innuptam, propterea quòd ei non liceat, quod viro, quod profectò falſiſſimum eſt; quantum quidem ad cauſas diuortij, & libertatem nouas quærendi nuptias attinet. Rectiſsimè enim à ſcholaſticis dicitur: Coniuges ad paria iudicantur, quantum quidem ad thorũ. Item: Vbi par eſt ratio, par debet eſſe iudicium.

A Canoniſtarum dictis.

Canoniſtæ, vt ex his verſibus liquet, multò plures diuortij cauſas fecêre, quæ tamen omnes non ſunt probandæ, ſicuti ex parte ſuprà declarauimus, & infrà declarabimus. Verſus autem hi ſunt,

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis:
Hæc ſocianda vetant, connubia iuncta retractant.

In his verſibus, duodecim numerantur impedimenta matrimonij, quæ & vetant contrahenda, & dirimunt contracta. 1. Error, ſcilicet perſonæ. Vt cum Iacobo Lia pro Rachel in lectum traditur. 2. Cõditio, ſcilicet ſeruitutis. Vt ſi quis contraheret cum ſerua, quæ ſe liberam dicebat. 3. Votum, ſcilicet religionis, ſeu monachatus. 4. Cognatio, quam triplicem faciunt, naturalem, ſpiritualem, legalem. 5. Crimen, videlicet, ſi quis gladio vel veneno maritũ tolleret, vt eius viduam in vxorem ducere poſset. 6. Cultus diſparitas, vt ſi Chriſtianus Iudæam duceret. 7. Vis ſeu violentia, videlicet, ſi quis cogat fœminam, vt ſibi nubat. 8. Ordo, ſcilicet ſacer, vt ſi quis ſubordinatus fuerit in ſubdiaconum, & ſupra. 9. Ligamen, hoc eſt, ſi quis ligatus eſt vni, non poteſt alteram ducere. 10. Honeſtas, hoc eſt, publicæ honeſtatis iuſticia. Hac enim cauetur, vt aiunt, ne quis contrahat cum cognatis ſponſæ ſuæ, ſi illa moriatur ante nuptias. 12. Impotentia, hoc eſt, inhabilitas corporum ad vſum coniugij.

De iuſtis diuortii cauſis.

Quid igitur, dicat aliquis, in tanta opinionum diuerſitate ſequendum eſt? Non eſt difficile, ex iis quæ diximus, videre, quæ ſit ſententia veriſsima, & quid poſsit iudex bona conſcientia ſequi. Non eſt dubium, Chriſtum ſub ſpecie vna, totum genus comprehendiſſe, quemadmodum firmis argumentis oſtendimus. Verùm longiori diſputatione omiſſa, deſcendamus ad iuſtas diuortij cauſas, hac vna diſtinctione obſeruata: Quædam ſunt vera coniugia, quædam videntur coniugia, & non ſunt. In illorum diuortiis tutiſsimum eſt ſequi Chriſti regulam rectè intellectam. In his minus eſt periculi.

Methodus

Vt autem omnia diſtinctius explicentur, primùm proponemus & explicabimus ſex cauſas diuortij vſitatas. Deinde quoſdam caſus ſubiiciemus, quos ad certas regulas examinabimus.

Cauſæ diuortii vſitatæ.

I. Adulterium.
II. Malitioſa deſertio.
III. Inhabilitas corporũ, ad vſum matrimonij.
IIII. Error.
V. Violentia.
VI. Impietas.

Prima cauſa diuortij.

Adulterium, iuſtiſsima cauſa diuortij.

PRIMA cauſa diuortij, eáque iuſtiſsima, eſt adulterium. Verùm hîc ante omnia conſiderandum eſt, quòd perſona lapſa in adulterium, aut ſemel fortè atque iterum lapſa eſt, ſine infamiā publica, aut deploratæ malitiæ eſt, & proſtituit ſe cum infamia publica. Si ſemel fortè aut iterum lapſa eſt, & ſpes apparet, vt admonita caſtè viuat, ſuaderem vt innocens perſona peccatum lapſæ condonaret, & in gratiam reciperet, quò tegeretur malum domus ſuæ, & ſepeliretur ſcandalũ. At ſi ita rea perſona vitā inſtituit, vt nihil niſi domus contaminatio cum ſcandalo, & peſſima aliis exempla ab ipſa poſsint expectari, omnino abiicienda eſt, vel magiſtratus autoritate. Hic enim locum habet dictum Solomonis 18.23. Qui retinet adulteram, ſtultus eſt, & iniquus. Item Syrach. 25.35. Si ductum manus tuæ non ſequitur, à corpore tuo reſcinde eam, & da ei libellum repudij. Et Chryſoſtomus, *Sicut crudelis eſt & iniquus, qui caſtam dimittit: ſic fatuus & iniquus, qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis eſt, qui celat crimen vxoris.* Hermes, diſcipulus Pauli, ſic ait: *Si ſciuerit vir vxorem ſuam adulterium commiſiſſe, & ea non agit pœnitentiam, ſed permanet in ſuo vitio, reus erit peccati vxoris, & particeps adulterij ipſius, ſi eam retineat.*

Perſona adultera & quomodo condonanda.

Diuortium autem in hoc caſu ideò fit, quia cùm adulter vel adultera fit vna caro cum ea perſona, qua abutitur, deſinit eſſe vna caro cum ea perſona, cui iuncta erat matrimonio. Siquidem malitioſè ſeparauit, quod Deus ſanctè coniunxerat. Nam vt matrimonium ex duobus vnum facit: ita adulterium eam copulam nefariè diſſecat, & vnitatem diuidit.

Cauſa huius diuortii.

Tametſi autem, vt iam dictum eſt, adulterium eſt per ſe iuſta cauſa diuortij: tamen circumſtantiæ interdum incidere poſſunt, quæ diuortium iuſtè impediunt. Quare hîc nemo debet propria autoritate abiicere perſonam in adulterio deprehenſam, ſed iudicis ſententiam poſtulabit, vt examinetur cauſa cum ſuis circumſtantiis. Huc igitur qualis debeat eſſe iuris proceſſus, quale examen inſtituendum, quomodo ſententia ferenda, quídque de damnata perſona ſit ſtatuendum, adiiciam.

Circumſtantiæ impedientes, & quæ;

Actio coram iudicibus.

Cùm igitur petitur diuortium fieri, innocens perſona ſiſtat coram iudice perſonam ream, ſed prius literis præfecti conſiſtorij legitimè citatam, ídque ante ſextam ſeptimanam, priuſquam ſententia feratur, vt rea perſona ſpacium diſpiciendi, quæ ſuam cauſā concernunt, habeat. Hoc modo citatam & conſtitutam coram iudicibus, firmis teſtimoniis adulterij ream conuincet, ſiue perſona quæ accuſatur, neget crimen, quod obiicitur, ſiue non. Sæpe enim fieri poteſt, vt perſona, quæ accuſatur adulterij, mentiatur ſe adulterij ream, ídque vt vel iſto pacto à duriori coniuge liberari poſsit, vel etiam vt noceat illi perſonæ, cum qua conſueuiſſe ſe dicat, vel alia quauis de cauſa. Nam innumeræ ſunt iniquitatis inſidiæ. Nullo igitur modo ſatis erit iudicibus, ſicuti quidam exiſtimant, ſi rea perſona de ſeipſa teſtimonium ferat. Quod & lege cautum eſt, qua dicitur: *Alleganti propriam turpitudinem non eſt credendum.* Poſtulet ergo iudex ab actore clara & idonea

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

idonea teſtimonia, quæ etiam iureiurando confirmentur, vt certo conſtet, nullum calumnijs, aut mendacio locum dari.

Iudicum duplex examen.

Perſona quæ firmis teſtimonijs conuicta eſt de adulterio, non ſtatim damnanda eſt, ſed iudex, priuſquam diuortij ſententiã feret, duplex inſtituet examen: Vnum actoris, alterum reæ perſonæ. Ab actore quæret, num ipſe ſit alienus à crimine, num habeat teſtimonium magiſtratus ſui, & paſtoris, de ſua innocentia. Nam illum mundum eſſe oportet, qui alterum propter immunditiem abijcere decreuit. Quod ſi actor ſuam innocentiam teſtimonio magiſtratus ſui, & paſtoris probauerit, & deprehenſus fuerit eorum teſtimonio innocens, iudex ſe vertet ad ream perſonam examinandam. Fieri enim poteſt, quòd rea perſona, & conuicta de adulterio, habeat aliquid occultum, quod accuſatori obijciat, quo diuortium impediri poteſt.

Verùm, vt ad certa capita omnia reuocemus, ea quæ ſequuntur, diuortium in hoc caſu impediunt.

Primum, ſi is, qui diuortium petit propter coniugis adulterium, eodem ſcelere contaminatus deprehenditur, non permittetur diuortium, modò par ratio ſceleris ſit. Huius ſententiæ iuſtiſſima ratio eſt. Nam cùm rea perſona ob *Turpitudinem facti* excludi petitur, ſequitur, non abijciendam eſſe ab æquè ſcelerato. *Nihil iniquius eſt*, ait Auguſtinus, *quam cauſa fornicationis dimittere vxorem, ſi ipſe maritus conuincitur fornicari*. Et Eraſmus ait: *Maritus adulter non habet ius diuertendi ab adultera, quam docuit impudicitiam*. Huc facit, quòd coniuges iudicentur ad paria, quantum ad thorum attinet. Non igitur poteſt vir, qui fidem non ſeruat, vel cogere vxorem vt ſeruet, vel eam ob adulterium excludere.

Obiectio cum ſolutio.

Quid ſi, inquies, alter coniugum vitam corrigit piè & caſtè viuendo, eluitque maculam pœnitẽtia: Alter verò manet inemendabilis, & quotidie magis ſe immergit in adulterij cœnum, faciendum eſt? Num is, qui vitam correxit, debet retinere perſonam inemẽdabilem, cum perpetuo ſuæ domus dedecore? Nequaquam. Nam hic par ratio ſceleris nõ eſt. Qui enim vitam correxit, & emendauit piè & caſtè viuendo, habetur apud Deum & Eccleſiam innocens. Quare pius magiſtratus, poterit illũ ſententia diuortij liberare ab inemendabili & incurabili membro, ſecutus exemplum periti medici, qui cum affecta mẽbra in humano corpore curat, quod curationem admittit, fouet, & conſeruat: quod autem putreſcit indies magis magisque, & inſanabile permanet, abſcindit, ne ſanatum & reſtitutũ membrum ſimul cum incurabili pereat.

Secundum, Si maritus proſtituit vxorem, non poteſt adulteram excludere, cùm ipſe ſceleris autor exiſtit. Quid enim iniquius eſt, quàm vindictam petere eius criminis, cuius ipſe præcipuus es autor? Proſtitutionis rationem habet excluſio nocturna, cùm miſera fœmina fugiens ſæuitiam mariti, cogitur alienum tectum quærere, eiecta domo à marito. Maritũ enim qui hoc facit, iudico nõ minus ſceleratè agere, quàm ſi vxor excluſa, & quodammodo abſciſſa à marito, ſcortatione ſe pollueret.

Tertium, Si vxor credidit virum defunctum, & nupſit alij, non debet à marito reuerſo propter adulterium abijci. Non enim malitia, ſed ignorantia peccauit. Quare & iuſtum cenſeo, vt maritus eam in gratiam recipiat. Verùm ſi maritus abfuit propter infame factum, & poſtea, reconciliatur magiſtratui, reuertitur, & repetit vxorem, non eſt cogenda honeſta fœmina, vt ad infamem maritum redeat, ſed maneat apud poſteriorem, præſertim ſi venia impetrata à iudice, nupſit.

Quartum, Si cognita fuit ab aliquo, quem proprium maritum fuiſſe credidit, non culpa, ſed error eſt iudicandus.

Quintum, Si mulier vi compreſſa eſt, non debet ob iniuriam, quæ paſſa eſt, puniri. Non enim qui patitur, ſed qui facit iniuriam, puniendus eſt.

Sextum addunt Canoniſtæ, Si maritus, poſtquam culpam vxoris deprehendit, cum ea conſueuit, loco reconciliationis habebitur, adeò vt pericrit marito inſonti ius omne dimittendi adulteram. At ego non video, cur cuiquam fraudi debeat eſſe ſua clementia, qui ſemel atque iterum ignoſcit confitenti, & emendationem pollicenti, & redintegrata gratia non abſtinet ab vxore, ne præbeat occaſionem relabendi, cur is, veluti fautor alienæ nequitiæ, ſpoliatur iure dimittendi, ſit compererit inemendabilem.

Iudicis interceſsio.

Poſtquam autem omnia ad iſtum modum diligentiſsimè examinauit iudex, & deprehendit, actorem non iuſtè culpari, nec vllam conſorti ſuæ euidẽtem præbuiſſe cauſam ad peccandum, diſpiciet iudex, num hortatio ad condonationem iniuriæ, videlicet, vt perſona quæ offendit, recipiatur rurſus in domum innocentis, ſit è re eccleſiæ, reipublicæ, & perſonæ offenſæ, nec ne. Si videtur eſſe locus emendationi, & conditio perſonæ offenſæ hoc ferre poteſt, hoc eſt, ſi perſona innocens priuatam vitam degit, & ad functionem aliquam honeſtam in republica aut Eccleſia parum idonea videtur, poteſt iudex hortari innocentem, vt condonet offenſam, & recipiat rurſus in ſua promittentem emendationem & ſuppliciter petentem veniam, ſed non coget autoritate. Nam ſi hoc faceret, contra iuſtitiam faceret, & boni iudicis officio non fungeretur.

Iudicis prudẽtia.

Verùm ſi innocens perſona in dignitate aliqua eſt conſtituta, hoc eſt, ſi vel fungitur aliquo ſublimi officio in Eccleſia aut Republica, vel fungi aliquando poterit, non patietur iudex reconciliationem fieri, ita vt rurſus rea perſona iungatur ei quam offendit, tantum abeſt, vt ad eam hortetur. Nam ea recõciliatio & cohabitatio redderet innocentem inidoneum ad publici muneris functionem, vt in quem infamia conſortis redundaret, non ſine iniuria & damno Eccleſiæ & Reipublicæ. Triſte exemplum huiuſmodi caſus vidimus anno 1547. Nam cùm vir pius, & præclarum in Eccleſia Dei organon, vellet ſtupratam ab alio coniugem retinere, Rex ipſe Chriſtianus, eius nominis tertius, cum ſenatu regni, & Academiæ, prudenter cogitantes, quid inde incommodi ſequeretur, compulerunt optimum virum, etſi valdè reluctantem, vt ream perſonam dimitteret, ne ipſe, qui innocens erat, redderetur functioni, qua ſumma cum laude fungebatur, inutilis. Non ergo debet iudex hortari ad iterandam cohabitationem: ſi viderit eam vel reipublicæ, vel Eccleſiæ nocituram: ſed potius ſua autoritate eam impedire, optimi Regis exemplo.

Exemplũ.

Sententia diuortij.

Porrò cùm reconciliatio, & iterata cohabitatio locum non habet, iudex ſententiã diuortij grauiter, vt vicarium Dei decet, pronunciabit: ac innocenti perſonæ liberum faciet, ſectandi alias nuptias: quandocunque velit: nullo termino pręſcripto, modò in Domino.

Sed quid de liberis natis, aut conceptis ante latã

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

iudicis ſententiam, & quid de rea perſona ſtatuendum? Sitne illi omnis ſpes nouarum nuptiarum adimenda? De priori huius quæſtionis parte Canones & leges rectè ſentiunt, de poſteriori minimè.

De liberis ante adulteriū natis quid conſtituēdum.

Quantum autem ad liberos attinet, iuxta leges & Canones, legitimi habebuntur in coniugio nati, & concepti latam ſententiam, niſi fortè ex tempore natiuitatis colligi poteſt adulterinus fœtus, vt ſi maritus tempore conceptionis abfuiſſe probatur, hoc eſt, integris duodecim menſibus ante partum. Neque debet probrum parētum liberis obijci, modo ipſi improbi non ſint. Vnde Chryſoſtomus: *Qui virtute propria decoratur, parentum ſuorum opprobrijs non dedecoratur.* Et Hieronymus: *Non in ſeminibus, ſed in voluntate naſcentis, cauſa vitiorum eſt atque virtutum.*

Adulteræ perſonæ repudiatę an nouū coniugiū inire liceat.

Quantum autem ad ream perſonam attinet, ſi magiſtratus ciuilis eā morti non adiudicat, id quod meritò facere deberet, multi ex patribus iudicarunt, eam indignam eſſe nouo coniugio, quæ tam ſacrilegè ordinationem Dei violaſſet, & vinculum, quod Dominus ipſe ligauerat, tam perfidè rupiſſet. Fateor equidem indignam eſſe, ſed miſericordiæ Domini multæ ſunt, quæ faciunt, vt obliuiſcatur peccatorum eorum, qui ſe ad illum in vera pœnitentia conuertunt. Quare iudico non prorſus reæ perſonæ & pœnitenti adimendā eſſe ſpem noui cōiugij. Sed propter diſciplinā in Eccleſia ſeruādā, tria facienda ſunt. Primùm exploranda eſt reæ perſonæ ſeria pœnitentia, idque ad certū tempus, prout videbitur iudici ſufficere, habita ratione infirmitatis, & inſidiarū diaboli. *Deinde* prohibebitur rea perſona, ne illi nubat qui ſe polluit adulterio, excepta cauſa, quam infra indicabimus. Nam qui vel ducit quā polluit adulterio, ſiue viuente viro, ſiue mortuo adulterium continuare videtur. Ideo Lex rectè dixit: *Nullus ducat in vxorem, quam adulterio polluit.* Idem quoque Auguſtinus ſentit. Neque huic ſententiæ rectè opponitur Dauidis exemplum. Non enim ad exempla, ſed ad leges vita inſtituenda eſt, niſi exempla cum legibus congruant. *Tertiò* iubebitur rea perſona, ſi alias quærit nuptias, mutare locum, & eò ſe conferre, vbi ipſius turpitudo nō innotuit. Hanc diſciplinam vtilem eſſe iudico, quæ etiam ſeruatur in ducatu Saxonico, & in alijs Eccleſijs reformatis. Niſi enim hæc diſciplina ſeriò ſeruetur, breui omnia adulterijs plena erunt. Quare optarem, vt magiſtratus, cui à Deo gladius traditus eſt, in vindictam malorum operum, in hac re ſuum faceret officium.

Obiectioni ex Paulo reſponſio.

Quidam huic conceſſioni, qua concedimus reæ perſonæ nouas nuptias, opponunt dictum Pauli. 1. Cor. 7. Vxor à viro ne ſeparetur. At ſi ſeparata fuerit, maneat innupta. Paulus hîc non loquitur de muliere, quæ cogitur ſententia iudicis à viro, propter adulterium diſcedere: ſed de volūtaria mulieris à viro defectione, propter impatientiam, aut alias moleſtias domeſticas, quæ ſæpe incidunt. Græcus ſcholiaſtes rectè reſtringit hoc dictum cū ait: *εἰ μὴ τι ἐπὶ λόγῳ πορνείας.*

Error Canoniſtarum.

Quod autem Canoniſtæ putent innocentem ſolui, & ream perſonam manere ligatam, falſum eſt. Non enim manet ligatio, niſi maneant qui ligantur. Si ergo maritus ſolutus eſt legitimè, non manet vxor ligata marito. Nam alioqui maritus ſimul ligatus eſſet. Sed de ſolutione vinculi coniugalis, in prima tractatus huius parte, plura diximus.

Secunda cauſa diuortij.

Deſertio malitioſa.

Secundam cauſam diuortij Paulus 1. Corinth. 7. ponit, hiſce verbis: Si infidelis diſcedit, diſcedat. Non eſt enim ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi. Hic Paulus loquitur de cōiugio, in quo alter coniugum fidelis eſt, alter infidelis. Nam quia ſuaſerat Paulus, ne fidelis infidelem coniugem, modo conſentiat ſecum habitare, dimittat, poterat hoc modo interrogare: Quid faciet igitur fidelis, ſi infidelis ſe deſerit? Reſpondet Apoſtolus: Si infidelis diſcedit, diſcedat, hoc eſt, pius æquo animo ferat, ſi infidelis ſe deſerit. Rationem regulæ ſubiungit: Non eſt enim ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi, hoc eſt, Si acciderit infidelibus matrimonio iunctis, vt eorum alter, poſt initum matrimoniū, fidelis efficiatur, alter verò maneat pertinax in ſua infidelitate, atque inſuper odio religionis, ſua ſponte piam perſonam deſerat, non eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror, hoc eſt, fidelis perſona deſerta, libera eſt à vinculo coniugij. Si libera, certè nouas ſectari nuptias, ei non denegabitur.

Conciliatio ſententiæ Chriſti & Apoſtoli.

Porrò qui putant Paulum aduerſari Chriſto, nec Chriſti, nec Pauli verba rectè perpendunt. Chriſtus loquitur de abijciente temerè coniugem, quod minimè licere affirmat. At Paulus loquitur de perſona iniuſtè deſerta, cui magiſtratus opem ferre debet, vt poſſit piè & tranquillè viuere, quod fit, dum ei nouas nuptias concedit. Breuiter, Chriſtus loquitur de faciente diuortium: Paulus autem de patiente diuortium. Sententiam illorum, qui ideò exiſtimant Paulum pronunciare, deſertam perſonam liberam eſſe, quia infidelitas eſt ſpecies ſcortationis, & eorum opinionem: qui Chriſtum aiunt de pari, Paulum verò de impari loqui coniugio, ſuprà refutaui.

Cur diuortiū illud, malitioſum dicatur.

Hanc ſpeciem deſertionis Lutherus, & alij excellentes Theologi, rectiſsimè ad genus, hoc eſt, quamlibet malitioſam deſertionē transferunt, videlicet, cùm quis tædio vel odio piæ & honeſtæ vxoris diſcedit, non coactè, ſed ſua ſpōte, vt alios fortè amores ſectetur, ſiue fortunas quærat. Ratio autem, cur ex ſpecie genus concludunt, hæc eſt, Paulus. 1. Timo. 5. ait: Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. Qui autem deſerit vxorē piam, ſeu quæ deſerit maritum pium, non ſuorum domeſticorū curam habet. Proinde fidem abnegauit, & infideli eſt deterior. Iam ſi talis deſertor eſt infideli deterior, profectò multò minus expectandus eſt, quā ſimpliciter infidelis. Nam perfidia infidelem ſuperat. Huc facit quòd Paulus cauſam liberationis coniugis fidelis, à ſeruitute coniugis infidelis, non ſtatuit infidelitatem diſcedentis, (Nam ſuprà pronunciauit, infidelitatem non eſſe iuſtam diuortij cauſam) ſed diſceſſum infidelis. Præterea non dubium eſt, piam & honeſtam fœminam deſertam, iuſtè liberari à deſertore, qui ſe à ſuo corpore abſcindit, & malitioſè ſpoliat iure corporis ſui. Quæ res profectò honeſtæ fœminę non minus triſtis eſt, quàm adulterium mariti præſentis. Idem iudicandū eſt de viro, ſi vxor eum ſimili malitia deſeruerit.

Quibus conditionibus perſonis innocētibus deſertis nouas nuptias inire permittatur.

Porrò cùm innocens perſona & deſerta conqueritur ſe deſertam eſſe, & non poſſe caſtè extra coniugium viuere, petat à iudice poteſtatē, nouas quærendi nuptias, quam poteſtatem ei concedat iudex, ſed hiſce conditionibus. *Primum* deſertæ perſonæ triennium expectandi deſertorem præſcribatur. Fieri enim poteſt, vt deſertor interea temporis animum mutet, & ductus pœnitentia, redeat ad deſertam. *Deinde* hoc tempore exacto, tribus vicibus in publico placito curet deſerta perſona deſertorem

rem citari. Poſt hæc, ſi comparere nolit deſertor, hęc per literas aut nuncium certiorem reddiderit deſertam de reditu ſuo, veniat deſerta ad iudicem, triplici teſtimonio munita. 1. quod vixerit honeſtè & modeſtè, & cum marito, à quo nunc eſt deſerta, & toto deſertionis tempore. 2. quod triennium poſt deſertionem ſit exactum. 3. ternæ citationis in publico placito. His ita ordine geſtis & examinatis, ſumma cum diligentia & grauitate, iudex faciat innocēti & deſertæ perſonæ facultatem nubendi alij, cui vult in Domino. Idem iudicium ſit viri à muliere deſerti.

Cæterum, ſi fœmina moroſè & proteruè cum eo, à quo ſe deſertam conqueritur, vixiſſe conuincitur, vt illa quidem malitia viciſſe, hic verò impatientia victus eſſe videatur, iubeatur adhuc alterum triennium expectare, in pœnam ſuæ aduerſus maritum contumaciæ. Hanc enim pœnam, ſua moroſitate & proteruia, iuſtiſſimam meruit. Hoc tempore, hoc eſt, duplicato triennio, lapſo, ſi continere non poteſt, fiat ei, propter deteriora cauenda, nubendi facultas.

Verùm ſi fœmina teſtimonium habet, ſe placidè, humaniter & caſtè cum marito præſente vixiſſe, & poſtea ipſo deſertionis tēpore, hoc eſt, intra triennium illud, quo deſertor expectādus erat, ſe polluit ſcortatione, nolim iudicem ei nuptias permittere in ea ciuitate aut prouincia, vbi ſe polluit, ſed vt iubeat eam aliò proficiſci, vbi minus nota eſt, illícque nubere in Domino, ſi continere nequit.

Quid ſi fœmina, quæ caſtè & placidè cum marito deſertore vixit, exacto triennio, quo expectandus erat deſertor, humana infirmitate lapſa (præſertim cùm iam deſperarit de reditu deſertoris) peccarit? Hic puto miſericordiam requirere, vt infirmitatis muliebris habeatur ratio, & permittatur ei potius honeſtè nubere, quàm impurè viuere in certiſſimum animæ ſuæ interitum. Idem iudicium ſit de marito deſertore.

Tertia diuortij cauſa.

Inhabilitas corporum ad vſum matrimonij, tertia diuortij cauſa eſt, & poterit hæc inhabilitas eſſe, & in maſculo, & in fœmina, vt Conſiſtorijs notum eſt.

Inhabilitas viri plures poteſt habere cauſas. Alij enim natura ſunt Eunuchi, hoc eſt, inepti ad coniugium, de quibus Chriſtus Matth. 19. Alij voluntate ſunt facti Eunuchi, vt Origenes, qui ſeipſum caſtraſſe dicitur. Alij in morbo longo inhabilitatem contraxerunt. Nonnulli per violentiam facti ſunt inidonei. Interdum etiam, etſi rariſſimè, occurrunt contrario malo laborantes, ex quo inhabiles ſunt ad vſum coniugij. Nonnunquam faſcino & veneficio adeò inhabiles redduntur viri, vt nunquam ſanari poſſint. Fœminę inhabilitas occultior eſt, videlicet, cùm congreſſum viri propter naturæ vitiū, aut incurabilem morbum ferre, vel omnino non, vel nō ſine valetudinis periculo poteſt.

Quantum autem ad inhabilitatem viri attinet, plura ſunt ordine iudici perpendenda. *Primum*, an præceſſerit nuptias. *Secundum*, an ſit ſubſecuta nuptias. *Tertium*, an ſit curabilis. *Quartum*, an eius ſpecie mulier fuerit conſcia ante nuptias. Pro hac enim varietate variabunt & iudicum ſententiæ.

Si inhabilitas in maſculo præceſſit nuptias, in materia coniugij, vt vocant, peccatum eſt, & poteſt liberari perſona ſana, quæ diuortium petit. Non enim fuit verū coniugium. Siquidem non legitimè conſentiunt, cū vnus fallit, alter errat, fallit impotens, errat potens. Cùm ergo Deus nec fallaciā, nec errorem probat, non eſt dicendus eos coniunxiſſe. Proinde iudex, ſi intellexerit ex probationibus, incurabile vitium eſſe, mox declarabit ſuo teſtimonio, non fuiſſe matrimonium. Verùm ſi ſpes ſit curationis, triennium ſtatuatur, in quo patienter expectetur curatio, quæ ſi fruſtrà tentata fuerit, iudex pronunciabit coniugium nullum fuiſſe, & liberum faciet ſanæ perſonæ alias quærere nuptias, quocunque tempore voluerit. Exceptiō.

Si ſubſecutum eſt vitium poſt nuptias, & poſt complexum maritalem coniugum, nullo pacto permittendū eſt diuortiū: Cùm nullos ob morbos incidentes, poſt nuptias deceat cōiuges à cōiugio conſummato diſcedere. Fortuna enim afflicta, ſi abſit culpa, patienter in coniugio ferenda eſt. 2. Si ſubſecutū eſt vitiū poſt nuptias.

At ſi quis vel ferro ſeipſum caſtrauit poſt nuptias, vel pharmacis ſe ludo Veneris inutilē reddidit, vt homicida magiſtratui puniendus tradatur, vt diuortio per gladiū facto, ſanæ perſonæ conſulatur. 3. An ſit incurabilis.

Si alter fuit conſcius infirmitatis alterius ante nuptias, cogantur ſimul habitare, & alia officia ſibi mutuo præſtare. Nam perſona conſcia vitij, alterius, abſque dubio fraudem meditata eſt, quæ fraus non debet illi prodeſſe, ſi poſtea diuortium petat. 4. An altera parte conſciā.

Porrò quantum ad inhabilitatem fœminæ attinet, ſi eſt perpetua, fallacia & error fuit, itaque nullū matrimoniū. Si vel ætate vel arte inhabilitas corrigi poteſt, cum patientia expectanda eſt curatio triennium. Verùm ſi inhabilitas in fœmina ſecuta eſt nuptias poſt maritalem congreſſum ex morbo aliquo, æquo animo eſt ferenda, quemadmodum de viro diximus. In fœminæ inhabilitate quid expē dendū.

Porrò ne fallatur iudex, non erit contentus ſimplici narratione, ſiue vterque fateatur inhabilitatē, de qua alter coniugum conqueritur, ſiue alter ſolūmodo. Nam vt non eſt credendum allegenti propriam turpitudinem: ita nec credenda eſt inhabilitas corporum, ſine firma probatione, quæ per honeſtas matronas inſtituetur, ſi de fœmina agitur, per iuramentum verò & externa ſigna probabilia, ſi de viro dubitatur. Hæc ſint ita caſtis caſtè dicta: ab impuris ſermonibus monachorum volēs abſtinui, qui craſſius de hiſce rebus loquuntur, quàm vt deceat humanum pudorem.

Quarta cauſa diuortij.

Errorem propoſuimus, quartam diuortij cauſam eſſe, cuius aliquoties ſuprà meminimus. De hoc tenenda eſt regula: *Errantis voluntas nulla.* Canoniſtę in hoc argumento, vt antea quoque monuimus, quadruplicem errorem faciunt, videlicet, perſonæ, conditionis, fortunæ, qualitatis: quorum duos priores, videlicet perſonæ & conditionis, ad ſubſtantiam, reliquos autem, videlicet fortunæ & qualitatis, ad accidentia matrimonij referunt. Subſtantiæ, aiunt, partes ſunt materia, videlicet perſonæ ipſæ cōtrahentes, & forma, videlicet, ipſa matrimonij obligatio conſummata. Error ergo in perſona (vt illi volunt) vitiat matrimonium, vt materia: Error in conditione, vitiat coniugium, vt forma: vt cùm putatur eſſe liber, qui poſt nuptias deprehenditur eſſe ſeruus. Propter hos errores dirimunt Canoniſtæ matrimonium, non autem propter errorem fortunæ, vt ſi quis iactet ſe Crœſum, cùm ſit Codrus, nec qualitatis, cùm pro virgine nubit, quæ eſt corrupta. Ego autem matrimonio iam conſummato illis aſſentior, qui propter qualitatis errorem, videlicet, Error. Quadruplex. Perſonæ. Cōditionis. Fortunæ. Qualitatis.

cùm, quæ pro virgine habebatur, corrupta eſt deprehenſa, poſſe dirimi matrimonium ſtatuūt. Nam ſiue vitiata fuit ante ſponſalia, ſiue poſt ſpōſalia, ſed ante nuptias, exclusionis ſententiam meretur. Si enim ante ſponſalia fuit corrupta, ſiue ſpōte, ſiue per vim, & nihilominus vt virgo pacta eſt de futuris nuptijs, fraudulenter ſponſum fefellit, & ſponſus manifeſto errore deceptus eſt, putans virginem, quę fuit corrupta. Licebit igitur honeſto viro etiam matrimonio conſummato conqueri de fraude & errore, & poteſt iudex illum liberare, qui tam turpiter deceptus eſt (modo alioqui ſit honeſtus) idque propter turpiſſimam fraudem, & manifeſtum errorem. At ſi poſt ſponſalia, ſed ante nuptias eſt corrupta, tunc ſi id ſponte factum eſt, ab adulterij crimine non eſt aliena, vt quæ tam ſacrum fœdus de promiſſis nuptijs perfidè violauerit, Quare etiam par eſt, vt adulterij ſententiæ ſubiaceat. At ſi per vim compreſſam ſe dicat, conſentaneū non eſt, cùm ante nuptias de tanta iniuria non ſit conqueſta. Etſi autem probare poſſet, vi ſe compreſſam eſſe: tamen à fraudis vitio non liberatur, quæ vim ſibi illatā tacuit. Breuiter igitur in hunc modū concludo, Si vel firmis teſtimonijs, vel ex vtero pręgnāte, vel ex partus tempore fuiſſe corrupta, quæ pro virgine nupſit, poterit honeſtus vir agere contra corruptam tanquam adulteram, & diuortium petere, præſertim cùm Deus iubeat illam vt adulteram puniri, Deut. 22. 21. & poteſt innocens perſona alias nuptias in Domino quærere.

Canoniſtarum error circa qualitatem refellitur.

Ridicula Gratiani diſtinctio refutatur

Quid, inquiet aliquis, dicendum eſt de diſtinctione Gratiani, qui alium errorē ſubſtantiæ, quo ſoluitur matrimonium, alium accidentium, quo non ſoluitur matrimonium, eſſe dicit? Profectò in tanta re nimis ridicule dialecticis argutijs nugatur Gratianus. Quis enim vnquam iure dixerit, magis pertinere vel ad ſubſtantiam perſonæ libertatem & ſeruitutem, quàm diuitias, virtutes, & vitia? An nō hæc omnia ſunt in perſonis accidentia? Tu putas hunc eſſe liberum, qui eſt ſeruus, atque ideo in ſubſtantia erratum dicis? An non prorſus ſimili modo erratur, ſi putas hanc eſſe virginem, quæ eſt meretrix? Profectò vtrobique erratur in accidentib. Nam ſiue quis liber ſit, ſiue ſeruus, ſiue diues, ſiue pauper, ſiue virgo, ſiue meretrix, ſalua manet ſubſtātia perſonæ, & error ſolūmodo eſt in qualitate. Similitudines quas adfert Gratianus de agro vendito Marcello, & occupato poſtea à Paulo, qui ſe Marcellū mentitus eſt: Et de aurichalco oblato pro auro promiſſo: Itē de prælatura tenui, quā quis putauit eſſe diuitem: Et de vinea, quam putauit eſſe vberrimam, quæ tamen ſterilis inuenta eſt, nihil planè ad rem faciūt. Cæcus enim eſt, qui non maximam diſſimilitudinis rationem hîc eſſe videt. Quare Gratiano hæc tria oppono: Primum, Errantis voluntas nulla. Secundum, contractus bonæ fidei, cui dolus dedit cauſam, ipſo iure nullus. Tertium, lex diuina expreſsè permittit eiuſmodi ſtupratam deſerere, & mandat eam obrui lapidibus.

Inſtantia, per ſimilitudines, inepta, refellitur.

Quinta diuortij cauſa.

Violētia.

Quintam diuortij cauſam diximus eſſe violētiam, de qua, priuſquam meum conſilium dabo, aſcribam Philippi Melanchthonis ſanctiſſimæ memoriæ ſententiam, cuius verba in libello de coniugio hæc ſunt: Cùm textus Matth. 19. tantum faciat mentionem adulterij, valdè pugnant aliqui, nō poſſe fieri diuortia, propter ſæuitiam & inſidias vitæ ſtructas. Sed in codice lex Theodoſij, quā exiſtimo grani deliberatione piorum ſcriptam, vt tunc vſitata diuortia reſtringeret ad certos caſus, concedit diuortium etiam in his caſibus. Etſi autem aliqui reijciunt hanc legem, & contendunt eā ab Euangelio diſſentire: tamen hi non rectè intelligunt diſcrimē legis & Euangelij. Et cùm expreſſè dicat Dominus: In politia Moſi diuortia permiſſa eſſe, propter duritiam cordis, ſignificat aliam eſſe gubernationem hominum ſanabilium, qui ſunt membra Eccleſiæ, & volunt obtemperare Euangelio, aliam politiam impiorum & contumaciū, qui frenos legū pati nolunt. Si quis eſt igitur talis maritus, qui ſæuitiam in coniugem exercet, & admonitus à paſtoribus, non deſinit furere, & domeſticæ Eccleſiæ inuocationem turbare, & vxorem ita crudeliter tractare, vt vita in periculo ſit, hic certè magiſtratus politici imperio cohercendus eſt, qui non ſolùm vitam perſonæ innocentis tueri debet, ſed etiam debet eius conſcientiæ conſulere, ne fracta dolore & indignatione tandem abijciat inuocationem, aut aliquid iniuſtè faciat, vt dicitur: Furor fit læſa ſæpius patientia. In eo caſu in perſona crudeli non pertinente ad Eccleſiam, magiſtratus politicus Theodoſij lege vti poſſe videtur Imperia politica vult Deus honori eſſe bonis, & terrori malis. Vult Deus tegi eos, quorum mores ſunt ſine ſcelere. Vult eis concedi pacem ad inuocationē, ad educationē, ad inſtitutionem ſobolis. Vult latrones reprimi, ſiue domi, ſiue foris latrocinia exercent. Nō deſunt vnquam in imperijs homines contumaces, iniuſti & ἄστοργοι, exercentes in ſuos iniuſtam ſæuitiam, quales nominat Dominus in hac concione duros corde. Hactenus verba Philippi retulimus. Huius viri ſententiam videmus eſſe, vt innocenti perſonæ ſuccurratur diuortio, & habeatur conſcientiæ ipſius ratio, hoc eſt, vt permittatur illi nubere, ſi continere ſe non poteſt. Nunc breuiter noſtrum ſubijciemus conſilium.

De hac cauſſa Ph. Melanchthonis iudicium.

Summa ſententia D. Philippi.

Cum maritus, vt leo, omni depoſita pietate & humanitate, cum vxore habitat, tyrānicè & crudeliter verbis & verberibus eam tractans, adeò vt miſera mulier vitæ ſuæ metuat: Hîc iudex primū diligenter, quantum fieri poteſt, inquiret ſæuitiæ cauſas. Deinde ijs, ſi fieri poteſt, cognitis, reconciliationi grauiter ſtudebit. Tum ſi periculum videtur imminere innocenti, eximet eam periculo non diuortio, ſed ſeparatione domeſtica, idque ad triennium, ne quid deterius fiat. Præſertim cùm natura doceat, eos non poſſe aut debere cohabitare, intra quos continua ſunt diſſidia: & eſſet profectò crudele, periclitanti non ſubuenire. Triēnij memini, quia tantum temporis velim tribui ſtudio reconciliationis. Verum ſi fruſtrà tanto tempore reconciliatio tentatur, iuſtum fiat diuortium, & innocens ab impari liberetur iugo. Et cùm non dubiū ſit huiuſmodi violentiā mulieri piæ & honeſtę multò triſtiorē eſſe, quàm ſi maritus adulteriū cōmitteret, & ſibi pacificè permitteret viuere: ſuaderem innocētis conſcientiæ conſulendum eſſe nouis nuptijs, modo cōtinere non poſſit, aut eius vitæ ratio alioqui mariti auxilium poſtularet. Canones ita ſtatuunt, quando ſæuitia viri tanta eſt, vt vxor nō poſſit ſecurè cū eo ſine vitæ periculo verſari, ac ne quidem præſtita ſufficienti cautione, tum matrimoniū iure ſeparari, quo ad thorum attinet. Sed duriores ſunt Canones, cum non innocentis conſcientiæ conſulant. Quare Imperatoris & Philippi ſententiam Canonib. præferendam eſſe iudico. Nam cùm Chriſtus non corrigit, ſed excuſat Moſen, qui propter duritiem cordis permiſit diuortia fieri, excuſandus eſt etiam

Autoris conſilium pro innocente perſona.

Canonum ſententia.

Imperatorum ſtatuta.

pius

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

pius magiſtratus hodie, qui ſuccurrit tyrannide & ſæuitia iniuſtè preſſis.

Loci ex Apoſtolo citati explicatio.

Si quis obiecerit dictum Pauli: Vxor à viro non diſcedat. Quod ſi diſceſſerit, maneat innupta, aut reconcilietur viro. Reſpondeo, aliud eſſe loqui de voluntaria & temeraria diſceſsione, de qua Paulus agit, aliud de coacta & neceſſaria, qualis ea eſt, de qua hic agimus, vbi locus reconciliationi nullus relinquitur.

Cæterùm crudeli iſti leoni, omnem ſpem nouarum nuptiarum ademtam velim, præſertim viuente læſa parte, ſiue in matrimonio, ſiue extra matrimonium. Huiuſmodi enim pœna iuſtè infligitur beſtiæ ſæuienti, & violento, qui Dei ordinationem adeò proteruè pedib. conculcat.

Si obiicitur, non poſſe eum continere, igitur concedendum eſſe illi remedium diuinitus ordinatum, hoc eſt, coniugium. Reſpondeo, magiſtratus officiũ eſſe, ipſius libidini mederi, idque eo remedio, quod Deus morbo tyrannidis & violentiæ curando deſtinauit, hoc eſt, gladio.

Quæ hactenus diximus, ſic accipi volo, ſi fœmina ipſa culpa caret. Nam ſi æquè ſæuit in maritũ verbe rib. & verbis iudico ſeparationẽ fieri debere, omni ſpe nouarum nuptiarũ vtriſq; ademta, vt vel iſto pacto in gratiam mutuam redire cogantur.

Sexta diuortij cauſa.

Sextam diuortij cauſam propoſuimus eſſe impietatem in Deum. Hæc impietas in Deum cum pertinaci ſtudio & indefeſſo conatu pertrahendi piam coniugem in eandem impietatem coniuncta, iuſtè matrimonium ſoluit, quemadmodum docebimus. Hanc impietatem diſtinguo ab infidelitate, de qua Paulus loquitur 1. Cor. 7. 12. cùm ait: Si quis frater vxorem habet infidelem, & hęc conſentit habitare cũ illo, ne dimittat illam. Et ſi qua mulier habet virum infidelem, & hic conſentit habitare cum illa, ne dimittat eum. Huius præcepti ſeu conſilij paulò infra rationem ſubiungit Apoſtolus, hiſce verbis: Vnde enim noſti mulier, an virum ſaluum facias? aut vnde noſti vir, an mulierem ſaluam facias? Infidelitas, de qua hic Paulus loquitur, eſt eius, qui nondum didicit Chriſtum, nec illi nomen dedit, de quo tamen ſpes eſt, vt audito & cognito Euangelio, conuertatur, & fiat membrũ Chriſti. Ab eo qui talis eſt, Paulus non vult mulierem diſcedere, ſed manere cum illo, hac ſcilicet ſpe, vt ſana doctrina & ſancta conuerſatione eum ad Dominum conuertat, quo ſaluus fiat. At impietas, de qua hic loquitur, eſt vel deficiẽtis prorſus à religione Chriſtiana, vel ruentis in hæreſin pernicioſam, quæ tametſi externam Chriſti cõfeſſionem retinet, fidei tamen fundamentum euertit. Eſt ergo duplex impietas hæc, videlicet ἀποστασία & hæreſis.

Ἀποστασία eſt blaſphemia in Spiritum ſanctum, videlicet, cùm quis à vera religione, qua imbutus erat perfidè deficit, & Chriſto non ſolum renunciat, verùm etiam eum in ſuis membris perſequitur, adeò vt nihil illi ſit carius, nihil optabilius, quàm poſſe ſecum omnes à Chriſto auertere, in eorum certiſſimam damnationem, & in Chriſti contemtum. An non putas honeſtam & piam coniugem, potius ferre velle mille in marito adulteria, quã hanc incurabilem blaſphemiam, cum æterna maledictione & damnatione coniunctam? Abſcindit enim ſe talis apoſtata à corpore Chriſti, in quo ſolo eſt ſalus: cõiungit ſe Satanæ hoſti Chriſti, ac inſuper ſtudet pertinaciter & indefeſſè piam coniugem pertrahere in ſuam blaſphemiam. Quid hic faciet pia fœmina: profectò ſi propter inſidias vitæ ſtructas, licet diuertere à violento marito, multò magis licebit ab eo diſcedere, qui animã perdere conatur, cuius multò maiorẽ curam pios oportet habere, quàm fortunarũ & corporum ſuorum. Paulus 2. Cor. 6. 14. dicit. Ne ſitis iuncti cum infidelibus. Quæ enim eſt participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci cum tenebris? Quis autem conſenſus Chriſti cum Belial? aut quæ pars fideli cũ infideli? Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? Cùm igitur de hoc impietatis genere, hoc eſt, de ἀποστασία ſeu vniuerſali defectione à Chriſto, & de pertinaci ſtudio conatúque ſe abducendi à Chriſto, conqueritur alter coniugum, iudex cognita veritate poteſt piam & innocentem perſonam ſententia diuortij liberare, præſertim cùm huiuſmodi apoſtatæ diabolico ſpiritu agitentur, adeò vt qui piè decreuit viuere, & perſeuerare in vera religione, non poſſit ſine periculo ſalutis ſuæ. Autoris ſententia

Alterum impietatis genus eſt hæreſis, quæ nõ eſt vniuerſalis defectio à Chriſtiana religione, ſed tantum alicuius falſi dogmatis electio & defenſio. Hęc hæreſis aut eſt in fundamento, hoc eſt, contra articulos fidei directè: aut non eſt in fundamento, vt quæ poſsit ſtare cum articulis fidei. Deinde hæreſis quæ eſt in fundamento, vel eſt curabilis, vel pertinax. Si eſt curabilis, expectanda eſt patienter emendatio. At ſi eſt pertinax, hoc eſt, ſi curari non poteſt, vt quæ quotidiè fiat peruicacior, radicem egit, vt euelli non poſsit: de hac præceptum Pauli ad Titum 3. 10. teneatur: Hæreticum hominem poſt vnam & alteram admonitionem caue. Si ergo maritus aliquis talis fuerit, & conatur pertinaciter & indefeſſè coniugem in ſuum errorem pertrahere, & illa metuit, ne infirmitate paulatim victa labaſcat, velim eam maturè ſe ad iudicem conferre, ac petere liberationem à præſenti periculo. Hanc (etſi Canoniſtæ tantum faciunt ſeparationem in hoc caſu, quo ad thorũ attinet) liberare poteſt iudex per ſententiam diuortij, permiſſa facultate nubendi poſt trienniũ. Verùm ſi hic magiſtratus gladio faceret diuortium, non ſolum innocenti, verùm etiam Eccleſiæ Dei, & ſocietati humanæ melius cõſuleret. Extat enim mandatum Dei Deut. 13. 1. quod qui loquatur auerſionem à Domino Deo, interficiatur, vt malũ tollatur de medio populi Dei. Hæreſis. Autoris ſententia

Quod ſi autem maritus impia dogmata amplexus, non conatur vxorem ſecum in errorem perducere, maneat ipſa apud maritum, & lugeat mariti ſui miſeriam. Idem iudico, ſi labitur in hæreſin maritus, qua non euertitur fundamentum.

CASVS VARII.

QVæritur nonnunquam, num is, qui habet vxorem propriam, & interea cum vxoris ſuæ ſorore, aut quauis alia, quam ei non licuit per legem Dei & naturæ attingere, concumbat, num debeat propterea in poſterum amplexum vxoris propriæ, tanquam inceſtum fugere, nécne? Hæc quæſtio nullum locum habet, vbi magiſtratus ſuum facit officium, & pœna capitis punit adulterum & inceſtum. Verùm vbi per negligentiam magiſtratus reo parcitur, & vxor, quod iure poſſet, non petit diuortium, ſciendũ eſt, quòd affinitas ſuperueniens, matrimonium conſummatum non dirimat. Eſt enim regula iuris: Factũ legitimè retractari non debet, licet poſtea caſus eueniat, quod non potuit inchoari. Verùm ſi hoc accidiſſet inter ſponſalia & nuptias, De inceſtuoſi cõiugio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ab vtraque abſtinere debuiſſet. Scholaſtici hîc diſtinctionẽ fingunt, & dicunt, huiuſmodi inceſtu maritũ amittere ius petendi ab vxore debitum, nequaquã tamen licere ipſi, petenti debitum negare. Iniuſtum enim foret puniri vxorem, propter peccatum mariti. Hoc quidẽ rectè à ſcholaſticis dicitur, quòd non liceat marito vxori debitum negare. Nam hoc illi ex obligatione diuina, naturali, & ciuili debet. Verùm priorem partem ſententiæ ſcholaſticorum corrigendam iudico, & dico, quòd poſt reconciliationem cum vxore offenſa, ius ſuum integrũ recipiat maritus. Neque enim tanta vis illigitimæ cõiunctionis eſſe debet, vt propterea vſus conſummati matrimonij impediatur, niſi fortè pars offenſa ſeparationem poſtulet. Idem iudicium ſit de fœmina, ſimiliter peccante.

ALIVS.

De eo qui deſponſa vna relicta alterã ducit in vxorem.

Quæritur, ſi quis poſt deſponſam ſibi vnam, alteram ducit in vxorem, num debeat redire ad deſponſam, vel retinere eam, quam poſt ſponſalia cum priore duxit? Hîc multi pernicioſo errore implicantur, dum non diſcernunt inter conſenſum ſeu promiſſionem de futuris nuptiis, & iuſtum ſeu conſummatum matrimonium. Ex quo fit, vt ſæpe malè ſeparent, quos coniunctos eſſe deceret: & coniungant peſſimè, quos ſeparatos eſſe prȩſtaret. Atq; ita ſe coram Deo alieni peccati reos faciunt, dũ autores fiũt adulteriorũ. Hîc ergo tutiſſimũ erit ſequi hanc diſtinctionẽ: Si quis rem habuit cum deſponſa, conſummauit matrimonium, & adulterium commiſit alteram ducendo. Quare relicta adultera debet redire ad propriam, modo illa velit adulterum in gratiam recipere. Neq; enim cogi debet, vt eum recipiat. At ſi non habuit conſuetudinem cum deſponſa, diſceſsit à promiſſione facta priori, ducens ſolenniter alteram, quam retinebit, deſponſa à promiſsione abſoluta. (Hoc autem ita accipi velim, ſi hæc poſterior ignara fuit pactionis cum priore initæ. Nam ſi ſciuit ſe contrahere cum ſponſo alterius, iniuſtè fecit: Quare iuſtè ab eo ſeparabitur, & redibit ad eam, cui prius fidem dedit.) Sed dicet fortè aliquis: Ideo iubetur redire ad priorem, vt iſto modo puniatur ipſius temeritas. Reſpondeo, Non oportere pœnam duplicare malitiam, ſed iuſtè punire peccatum. Quare potius ſuaderem, tales remittendos eſſe ad magiſtratum politicum, qui poteſtatem habet, vel mulcta pecuniaria, vel plagis, vel carcere, vel exilio fœdifragos puniendi.

Obiectio. Reſpõſio.

Non dubito fore, qui hanc noſtram ſententiam ſint improbaturi. Dicent enim, iuſtitiam poſtulare, vt fides priori data, ſeruetur. His ita reſponſum volo: Si hic caſus, de quo agimus, vt par eſt, reuocetur ad iuſtitiæ normam, ſtabit profectò noſtra ſententia. Iuſtitia ſiquidem requirit, vt qui alterum læſit, compenſet iniuriam. Iam autem deſponſæ poteſt ſatisfieri iudicio bonorum virorum, vt non conqueratur de iniuria ſibi facta ab eo, cui fidẽ dedit, etiãſi diſcedat ipſe à pactione. Ductæ autem domum & paſſæ maritalem congreſſum poſt ſolennitatem nuptiarum non poteſt ſatisfieri, ſi dimittatur à marito. Nam virginitas amiſſa reſtitui nequit, neque infamiã vlla pecunia æquat. Deinde quia minus malum reſpectu maioris mali bonitatis quãdam rationem habere videtur, minor profectò iniuria cedet maiori. Nunc autem minor iniuria eſt diſcedere à pactione nuptiarum ante conſummatum matrimonium, quàm poſt conſummatum matrimonium, deflorata virgine matrimonij vinculum ſoluere. Quare dubitare non poſſum, quin peccent contra Deum, iuſtitiam, & omnem æquitatem, qui ſecus in hoc caſu iudicant, vt qui adulteria & iniuſta diuortia approbent.

Alia obiectio. Reſpõſio.

ALIVS.

De eo qui morbo cõtagioſo poſt nuptias afficitur.

Quæritur, ſi alter cõiugum poſt nuptias in morbum contagioſum incidat, vt congreſſus maritalis non careat periculo, num liceat diuortium facere? Bucerus hîc durior eſt, vt in multis, quæ ſunt huius argumenti. Sed hoc firmiſsimè tenendum eſt: Fortunam non puniendam eſſe, ſi abſit culpa. Quare nulla calamitas, quantumuis magna & horrenda, quæ inter viuentes accidit (ſi abſit culpa) diſſoluat coniugium. Diſcernendum eſt enim accuratè inter ea, quæ ſunt per ſe culpæ, & quæ non ſunt culpæ, ſed pœnæ ſolummodo iudicio humano, quæ ſæpe ſuas latentes cauſas apud Deum habent. Has oportet coniuges patienter ferre, & ſe inuicem tanquam propriam carnem fouere. Quantum autem ad amplexum connubialem attinet, facilè, modò Deum timeãt, & ſe verè ament, inter eos coueniet. Quis enim amat aliquem, & nihilominus vult ipſum in certiſsimum periculum conijcere?

ALIVS.

De eo qui promiſſionẽ negat fœminæ: quâ vt maritus ante nuptias admiſſus eſt.

Frequens & hic caſus proponitur in conſiſtoriis. Fœmina ſi promiſsionem de nuptiis factam, & propter ſperatas nuptias admiſsiſſe marẽ, tãquã ꝓpriũ maritum, à quo nunc deſeritur, conqueritur. Hîc ſi reus fatetur factum, & inficiatur promiſsionem, iudex diligenter inquiret de fama fœminæ, qualis fuerit, antequam à viro, de quo conqueritur, compreſſa eſt. Et ſi honeſta fuiſſe deprehenditur, iudex ſe ad ſtupratorem conuertet, eique grauiter exponet, quàm Deo diſpliceat mendacium, cum hominis perpetua infamia coniunctum, vt quod æquet crimine homicidium, & quàm horrendæ pœnæ mendacibus diuinitus immineant. Deinde ſeriò hortabitur reum, vt eam, quam promiſsionib. perduxit ad ſtuprum, in vxorem ducat. Qui ſi ita admonitus, perſtiterit in negando conſtans, iudex coget ipſum, vt ſe non promiſiſſe iuramento confirmet, idque non ſuo tantum, ſed ſeptem viris adhibitis, vel ex cognatione, ſi haberi poſſunt, vel ex aliis qui teſtimonium pietatis & honeſtatis habent. Et hoc iuramentum præſtabitur in publico placito coram iudice politico, Quo facto, ad iudicem Eccleſiaſticum redibit purgatus, qui ipſum pronunciabit liberum, quantum ad humanum iudicium attinet, cum hac admonitione, vt ſciat ſe vindicem Deũ habiturum, ſi periurio fefellit.

De eo qui ſtupratã à ſe virginẽ recuſat in vxorẽ ducere.

At ſi reus fatetur factum, & nulla promiſsio de nuptiis eſt interpoſita, ſed ſimplex virgo blanditiis illecta, admiſit ſtupratorem, quid hîc faciendum? Lex Dei mandat, vt eam quam violauit, ducat & dotet. Imperatoria verò vt aut ducat, aut dotet. Sed qui Chriſtiani eſſe & nominari volunt, nimium laxant frȩna libidinibus, dum relinquunt in ſtupratoris poteſtate, velit ne eam ducere aut dotare, nec ne, quam ſtuprauit. Quod profectò dolendum eſt inter Chriſtianos fieri. Nam vt corrigatur, non eſt ſperandum, prȩſertim vbi hîc magnatum quotidianus luſus eſt, quorũ arbitrio leges rogantur & abrogantur. Vellem profectò magiſtratum hîc ad minimum cogere ſtupratores, ad elocandum cum dote eas quas ſtuprarunt, Et abrogare legem, bono quidem conſilio latã, de mulcta no-

uem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

uem marcarum, præſertim cùm videat magiſtratus euentum ſuæ expectationi non reſpondere. Putauit enim, vt iſto pacto refrænaretur libido in puellis, ne tam facilè ſe proſtituerent.

ALIVS.

De eo qui polluit abſentis vxorẽ, an poſſit illã relictã à marito ſibi vxorẽ ducere.

Incidit & hic caſus: quidam dormit cum vxore abſentis mariti, illa concipit & parit. Maritus reuerſus, ex partu adulterium deprehendit, & per ſententiam iudicum dimittit vxorem, & ducit aliam. Hîc quæritur, an is qui polluit abſentis vxorem, poſſit relictam & legitimè dimiſſam ducere? Reſpondeo: Qui hoc facit, videtur continuare adulterium, niſi fortè hæc tria concurrant: Si præcedat publica pœnitentia: Si cum polluta proficiſcatur in locum, vbi factum ignoratur: Si amore ſobolis natæ, & vt eam, quam ſeduxit, in viã reducat, ne in peius ruat. Tunc enim iudico coniugium fore legitimum, quo vti poterunt bona conſcientia. Verùm ſi ſolo amore libidinis hoc facit, quem ex mutua cõſuetudine contraxerant, & iunguntur coniugio, adulterium planè continuãt, vbicunque loco habitent. Et Deus ſæpe teſtatur huiuſmodi nuptias ſibi diſplicere, dum ſinit tales ruere in reprobum ſenſum, vt poſt coniugium infeliciter initum, infeliciter viuant, adeò vt alter alterius aſpectum ferre nequeat.

ALIVS.

De pacto coniugali inter potos ſancito.

Haud raro & hic caſus offertur. Ebrius & libidine excæcatus iuuenis, vt optato potiatur amore, dat fidem ebriæ virgini aut fœminæ de coniugio: res plerunque per Lenas & Lenones agitur, poſtea ſobrius pœnitentia ductus, diſcedere à promiſſione cupit, accuſatur, ſiſtitur in iudicio, producuntur teſtes fidei datæ. Quid hîc dicendum? Vinum & amor peſſimi ſunt conſiliarij. Lenæ & Lenones, diaconi diaboli, nihilo meliores. Quid enim, quęſo, intereſt inter adoleſcentem ebrium, & mente captũ? Quid mentis habet fœmina, cui Baccho iuncta Venus, conduplicauit inſaniam? adeò vt Mimus nõ ineptè videatur dixiſſe: Amare & ſapere vix Deo conceditur. Amor enim & vinum in hominis poteſtate ſunt antequam bibat: poſtquam verò biberit, ipſe eſt illorum poſſeſſionis & mancipij. Dico ergo quod malè conglutinauit vinũ, quod temeritas, quod cæcus amor, quod malè per lenas & lenones, ſuos diaconos, coniunxerat diabolus, hoc per ſuos miniſtros ritè dirimat Deus. Neque enim ſententiam eſt, eos à Deo coniunctos eſſe, qui malè coniuncti ſunt. Nam vt Deus tantum coniungit, quod rectè coniungitur: ita idem Deus per ſuos miniſtros rectè dirimit, quod malè coniunctum erat.

ALIVS.

An ſit mœchus qui repudiatã ob aliam cauſam quàm propter fornicationẽ, duxerit.

Quæritur quoque, an is qui repudiatã ob aliam cauſam, quàm ob fornicationem duxerit, ſit mœchus, nec ne?) Nam ex verbis Chriſti certum eſt, nõ eſſe mœchum, qui eiectam propter adulterium ducit.) Reſpondeo: Chriſtus quidem videtur eum, qui ducit eiectam ob aliam cauſam, quàm ob adulterium, mœchum pronunciare. Ita enim ait: Quicunque repudiatam extra cauſam ſtupri duxerit, mœchatur. Sed idem dicit: Non eſt bonum hominem eſſe ſolum: Idem pœnitentes in gratiam recipit. Dico ergo: Qui ducit repudiatam in fraudẽ prioris coniugij, mœchatur, manente adhuc celibe, qui iniuſtè vxorem abiecit. Hoc enim tempore ſpes reconciliationis aliqua reliqua eſſe videbatur. Et in hãc ſententiam verba Chriſti accipienda ſunt. Verum poſtquam is qui repudiauit iniuſtè vxorem, duxit aliam, omni ſpe reconciliationis excluſæ ademta, vinculum rupit coniugij. Quare is non mœchari putandus eſt, qui derelictam ſuſcipit. Nam dimiſſa iniuſtè nunc liberata eſt per adulterium mariti, quod ipſe, aliam vxorem ducendo, priori illegitimè dimiſſa, commiſit: vt iam non ſit adultera, ſi nubat alij in Domino, nec ipſe adulter, qui eam ducit: Nihilominus tamen velim rem ad iudicem ſupremum deferri, vitandi ſcandali cauſa, & vt ſit ſecurior innocens perſona.

Sed quid eſt dicendum, ſi maritus, qui abiecit vxorem ſine cauſa, manet celebs? Tentabit excluſa reconciliationem triennium, quæ ſi interea reditũ ad maritum impetrare non poteſt, conqueratur de iniuria ſibi facta coram magiſtratu politico. Si autẽ magiſtratus reo parcit, innocens ferat iniuriam patienter, mutet locum, proficiſcatur in terram, vbi nota non eſt, exponat pio paſtori iniuriam ſibi factã, petat infirmitatis ſuę rationẽ haberi. Hîc paſtor cõſulens conſcientiæ afflictæ mulieris poterit eam hortari ad nuptias alias, ne infirmitate victa, ruat in libidines, aut alia horrenda ſcelera, & tandem in deſperationem, atque ita pereat, cui ſuccurri poterat, permiſsione noui coniugij. Neq; cenſendus eſt adulter, qui eam ducit, præſertim cùm nec in fraudẽ prioris coniugij id facit, nec vlla recõciliationis ſpes reliqua videbatur.

ALIVS.

Incidit & hic caſus haud rarò. Aliquis ducit vxorem, & ducta vxore, furtum committit, aut aliud facinus, cum perpetua infamia coniunctum, adeò vt homines honeſti, eum menſæ & mappæ, vt dici ſolet, conſortem non patiantur. Reus autem, vt non veniat in manus magiſtratus, & infami ſupplicio afficiatur, fuga ſibi conſulit. Quid hîc faciet honeſta & innocens fœmina? Certum eſt hanc diſceſsionem mariti, deſertionem non eſſe voluntariam, ſed coactam, atq; ideo deſertionis prætextu innocenti nõ ſuccurritur. Quid ergo? Non eſt dubium, quin piæ & honeſtæ fœminæ talis caſus ſit multò triſtior, quàm ſi coniunx adulterium commiſiſſet. Duriſſima præterea lex fuerit, ſi iubeatur innocens ſedibus incertis infamem & vagabundum quærere. Durum quoq; eſſet, ſi continere nequit, manere innuptam. Etſi autem lex Theodoſij Imperatoris ſanctiſſimi (quam ſequi ſummus magiſtratus abſque ſcelere poteſt) hîc abſoluit innocentem perſonã: tamen propter multas cauſas hoc conſilium non inutile iudicauerim. Sedeat innocens perſona annos quinque (quod tempus ſummus magiſtratus poteſt ſuo arbitrio moderari, vt ſit vel breuius vel longius) lugeat infortuniũ cõiugis, viuat honeſtè & pudicè. Exacto autẽ quinquennio, veniat ad iudicẽ, petat ſuæ infirmitatis rationem haberi. Hîc ex ſuperiorib. regulis ſtatuo, iudicẽ poſſe innocenti & honeſtæ perſonæ alias nuptias concedere, ſed re prius cõmunicata cũ ſupremo magiſtratu, vel eius vicario, vt ſecurior reddatur perſona innocens. Nam & is qui ob ſuã infamiã abiit, ciuiliter mortuus eſt, & ſuo ſcelere, quod Deus ligauerat, abrupiſſe videtur.

An liceat vxori à marito facinoroſo deſerta, ad aliud coniugiũ tranſire.

Sed quid, ſi poſt quinquenniũ redierit maritus in gratiã cum magiſtratu? An poterit iuſtè repetere vxorem, quæ iã alij nupſit? Si innocẽs perſona nupſit ſine iudicis ordinarij ſententia, & autoritate ſupremi magiſtratus, debet profectò vel redire ad prio-

rem maritum, vel manere innupta. Neque enim cogi debet ad cohabitandum cum infami. Hoc tamen ita accipi velim, quod ſummus magiſtratus, vt dixi, in hoc caſu Theodoſij legem ſequi poſſit, præſertim cùm facinus perpetratum æquet crimine fornicationem, ſi non ſuperet. Ego ſolummodo hîc expono, quid velim fieri à iudicibus ſubordinatis, qui conſiſtoriis præſunt. Verùm ſi ex ſententia iudicis ordinarij, & ex permiſsione ſummi magiſtratus, elapſo quinquennio, contraxit, non debet ad priorē redire, ſed manere apud poſteriorem. Nam Deus odit cōfuſionem libidinum, & vagas cōmixtiones. Verùm hîc præſtaret, facinoroſum & infamem dignis pœnis ſubiicere, ne reuerſus innocenti moleſtus eſſet, & ſcandalo plures offenderet.

ALIVS.

Quid cenſendum de iis fœminis quę deſertoribus nubunt.

Interdum fit, quod maritus deſerta vxore in aliā terram proficiſcatur, atq; illic vxorem ducat. Quid hic iudicandum eſt de fœmina, quæ illi nubit? Certum eſt, quòd nubat alieno, & non ſuo. Eſt ne igitur adultera cenſenda, vt ille adulter? Deſertor ille verè adulter eſt: ſed decepta non eſt pro adultera habenda, donec ſciat ſe cum alieno viro habitare. Verùm, mox vbi reſciuerit ſe alieno viro nupſiſſe, & nihilominus adultero miſceatur, iudicabitur adultera. Antea enim excuſabat ignorātia & error, adeò vt nec conſcientia ipſius vulnerari, nec fama ipſius periclitari debeat. Ita enim Auguſtinus rectè definit, cùm ait: *Si virgo nupſerit neſciens, viro alieno, hoc ſi ſemper neſciat, nunquam ex hoc adultera erit. Si autem ſciat, iam ex hoc adultera eſſe incipit, ex quo ſciens, cū alieno cubauerit. Sicut enim in iure prædiorum, tam diu quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſimè dicitur, quàm diu ſe poſſidere ignorat alienum. Cùm verò ſciuerit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei perhibetur, tunc iuſtè iniuſtus vocabitur.* Hactenus Aguſtinus. Idem iudicium ſit de maſculo, ſi duxerit, quam non ſciuit alienam eſſe. Debet ergo iudex, vbi fraus innotuerit, innocentem perſonam liberare, ac ipſius innocentiam ſuo teſtimonio declarare. Indigniſſimum enim foret, & contra omnem iuſtitiam & æquitatē notam infamiæ innocenti inurere, aut vllam pœnam infligere, vt quæ putarit ſe Deo obedire, cùm iuxta ordinationem ipſius nuberet. Hinc ſequitur, quòd in eo coniugio liberi ſuſcepti legitimi habeātur, & quòd iuſtum ſit, vt decepta perſona non fraudetur bonis, quæ illi vt legitimæ vxori cum ſuis liberis debētur: reliqua bonorum parte cedente illi, ſub cuius dominio adulter eſt. At deſertor ille, deceptor & impurus adulter, dignus eſt, qui ſuppliciis iuſtis ſubiiciatur, ne alij exēplo deteriores fiant. Neque enim licet magiſtratui, vice Dei fungenti, talibus impoſtoribus parcere: quod ſi fecerit, reus erit alieni peccati, & autor ſcandali.

Quid ſi deſerta nubat, antequam ea quæ alieno nupſit, reſciuerit ſe alieno nupſiſſe? Abſtineat à thoro alieni, rem deferat ad iudicem conſiſtorianum. Hîc magiſtratui politico rem exponat, petatque, vt propter gloriam Dei, & conſeruandam ſocietatem humanam, contemtorem ordinis diuini puniat. Verùm ſi hîc magiſtratus politicus negligētior fuerit, fortè pecunia, aut aliquo affectu corruptus, hoc do conſilium, vt decepta & innocens perſona petat diuortium propter conſcientiam ſuam. Nequaquam enim exiſtimo, huiuſmodi coniugium ſine vaſtatione conſcientiæ conſiſtere poſſe.

ALIVS.

Nuper & hic caſus mihi propoſitus eſt. Quidam homicidium commiſit, & ne veniret in manus magiſtratus vindicis homicidij aufugit, nec ſcitur, quò ſe recepit. Vxor eius iuuencula integrum expectauit triennium, quæ poſtquam nunc de mariti reditu deſperat, petit infirmitatis ſuæ rationem haberi per alias nuptias. Verùm quia non fuit mihi expoſitum homicidij genus, ad quæſtionem ſimpliciter reſpondere non potui. Nàm cùm theſes, quæ infinitæ ſunt, non ferunt reſponſionē ſimplicem, circumſtantiæ quibus veluti veſtiuntur hypotheſes, inquirendæ ſunt. Hæ enim ſæpe mutant actionum qualitates. Quam ob rem ad diſtinctiones deſcendendum erit, ne generis amplitudine decepti, demus reſponſa, quæ ſingularibus nullo pacto conueniant. Hîc itaq; iudico, diſtinctionem huiuſmodi adhibendam eſſe. Homicidium de quo quæritur, aut fuit inuoluntarium, aut voluntarium. Si inuoluntarium fuit, profectò extra culpam eſt, qui metu pœnæ aufugit. Iuſtū igitur erit, vt vxor vel quærat maritum, vel maneat innupta, deplorans & mariti & ſuam miſeriam. Si conqueritur ſe continere non poſſe, fugiat ocium cum Penelope, oret, laboret, ieiunet, fugiat occaſiones peccandi, contineat ſe domi, nec admittat leues homines in colloquium. Nullo enim pacto licet ei nouas quærere nuptias, viuente marito, vt qui non ſponte, ſed coactus metu citra ſuam culpam peregrinetur. At ſi homicidium voluntarium fuit, & cum infamia coniunctum, nolim vxorem inſontē maritum infamem & vagabundum quærere, ſed exacto quinquennio, ſi continere non poteſt, nec ſe alere ſine mariti auxilio, nubere in Domino, idque non ſine venia impetrata à ſummo magiſtratu, qui à conſiſtorianis admonitus de fœminæ infirmitate & neceſſitate, poteſt bona cōſcientia nouas nuptias illi concedere, maximè ſi probatur eſſe honeſta & innocens. Sin autem homicidium factum ſine infamia eſt, vt ſi quis in iuſto conflictu aduerſarium occidit, ſedeat vxor ſeptennium. Et ſi interea non cognouerit vbi ſit maritus, nec ipſe ei ſcripſerit, velim iudices conſiſtorianos rem deferre ad ſupremū magiſtratum, hoc eſt, ad principem ipſum, qui poteſt, datis literis, facere ipſi facultatem nubendi in Domino, ne miſera in periculum veniat, & tandem in deſperationem, propter ſuam incontinentiā. Quòd autem velim rem deferri ad ſupremum gubernatorem, ideo facio, vt qui eam ducit in vxorem, ſit ſecurior, ne alter fortè aliquando reuerſus, negotium illi faciat.

Quid faciendū vxori à marito homicida relictæ.

ALIVS.

Quæritur, ſi maritus quiſpiam in longinquas regiones profectus, conſentiente vxore, diutius emanſerit, quàm conuenerat inter ipſum & coniugē, quid ſit ſtatuendum de vxore domi remanente? Hic caſus non eſt pro deſertione habendus. Eſt enim ab eo diuerſiſsimus. Quare & hic aliter ſtatuēdum, quā de malitioſa deſertione. Primùm itaque cauſa profectionis examinanda eſt, quæ vel neceſſaria, vel vtilis, vel temeraria eſſe poterit. Pro harum cauſarum diuerſitate, de longiori mora abſentis mariti iudicandum eſt. Neceſſariam cauſam profectionis voco, cùm aliquis cogitur ſuperioris mandato obedire, fortè militiæ vel legationis cauſa. Vtilem dico, cùm rei familiaris augendæ gratia maritus ad peregrinas terras proficiſcitur. Temerariam nomino, cùm homines leues militiam non neceſſariam ſequuntur, ſed tantùm vt otientur, & liberius inter ſuæ farinæ homines viuant.

Abſentia à marito conſenſu vxoris an ſit deſertio: & quo pacto ei vxori conſulendum.

Si igi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Si igitur neceſſaria cauſa eſt emanſionis, vxor expectet maritum ad vitæ terminum, niſi certos de morte rumores audiuerit ab hominibus non leuibus, ſed fide dignis. Poſſunt enim multæ cauſſæ incidere diuturnioris emanſionis, vt ſunt morbi, captiuitas, poſitæ inſidiæ, bella, &c.

Si vtilis cauſa eſt abſentiæ, vt ſi maritus mercatus gratia abſuerit, velim vxorem patienter expectare reditum ad ſeptennium, modò abſens maritus interdum ſcripſerit, & ſuæ moræ rationem reddiderit. Verùm ſi nihil tanto tempore ſcripſerit, conſulat vxor conſiſtorianos, & examinata cauſa, mittant illam, ſi vel egeſtate cogitur, vel infirmitate vincitur, ad ſupremum magiſtratum, qui poteſt illi ſua autoritate nubendi veniam concedere.

Veriſimile enim eſt, eum, qui ſeptennium abſuit ab vxore, eámque non reddidit de ſua mora certiorem, quòd vel ſectetur alienos amores, vel alibi pedem fixerit, aliámque vxorem duxerit.

At ſi temeraria fuit profectio, nihílque ſcripſerit vxori maritus triennium, deſertor eſt habendus, vt qui ſectetur alienos amores. Quare velim fœminæ deſertę nouas nuptias concedi, exacto quinquēnio: Sed re per cóſiſtorianos cõmunicata principi, cuius permiſsione & autoritate munita nubere poterit.

ALIVS.

De mutuo conſenſu parentum & liberorū in matrimonijs contrahēdis.

Parentes promittunt iuueni nuptias filiæ, quas filia recuſat, filia promittit alteri iuueni nuptias refragantibus parentibus, & cum eo rem habet, vt conſummatum videatur matrimonium, quæritur vtri horum nubet filia? Reſpondeo: ſicut non licuit parentibus, reluctante filia, promittere alicui ipſius nuptias ſimpliciter: ita non licuit filiæ plenè in nuptias alicuius conſentire citra parentum conſenſum. Si ergo coactus conſenſus non facit coniugium, multò minus nullus. Libera eſt ergo à primo, quia non conſenſit. Libera eſt à ſecundo, quia contra autoritatem parentum contraxit. Nam verbum Dei Num. 30. vota & iuramenta facta à puellis, quæ ſunt in parentum poteſtate, irrita pronunciat, ſi parentes, mox vbi intellexerint vota & iuramenta facta, reclamauerint. Voti enim nomen non meretur, quod in parentum dedecus à liberis nuncupatur. Nam Deus præcipit liberis, vt colant parentes. Si ergo votum factum Deo à virgine eſt infirmum ſine parentum conſenſu, multò minus erit firma promiſsio homini facta ſine parentum conſenſu. Nec iuuat puellam, quòd concubitu voluerit confirmare, quòd ſtultè promiſerat. Non enim legitimus fuit, ſed fornicarius concubitus.

Quid ergo fiet, inquies, de eo, qui clam deſponſam neſciis parentibus ſtuprauit? Contra hunc parentes ſponſæ tanquam contra raptorem agere poſſunt, niſi malint in promiſsionem filiæ conſentire, & permittere matrimonium conſummari.

Verùm ſi virgo tantum promiſit alteri reluctantibus parentibus, & cum eo rem non habuit, velim ipſam propter diſsidia inter procos abſtinere ab vtriuſque nuptiis, in pœnam ſuæ aduerſus parentes contumaciæ, & temeritatis, quòd ſine conſenſu parentum alicui fidem dare de nuptiis auſa ſit.

De viduis.

Quid dicendum, ſi pater viduæ iuuenculæ promittit alicui nuptias filiæ, illa verò alteri? Hîc rata erit promiſsio viduæ. Eſt enim ſui iuris, Num. 30. Melius tamen faceret vidua, ſi parentum conſilio pareret, modò prudens & vtile videretur.

ALIVS.

An & quatenus nobilis cū ignobili matrimonium cõtrahere poſſit.

Quæritur, an vir nobilis, qui ex vxore nobili numeroſam ſobolē ſuſtulit, vxore mortua poſſit cum ignobili fœmina matrimonium contrahere hac conditione, vt liberi vxoris prioris in bonorū, maximè immobilium hæreditatem ſuccedant, quo nomen familiæ conſeruari poſſit. Ignobilis verò cum ſuis liberis ſit contenta bonorū mobilium parte iuxta honeſtum inter contrahentes contractū, quem cognati & amici probant & obſignant? Reſpondeo, Conſeruatio familiarum eſt vtilis ad tuendum ſtatum & decus Reipublicæ. Infirmitati hominum eſt conſulendum. Conſcientiarū eſt habenda ratio. Bonorum præterea communicatio æqualis non eſt de ſubſtantia matrimonij. Nec huiuſmodi contractus eſt contra legem Dei. Nec caret probatis exemplis. Quare iudico id licere, ita tamen vt autoritas & approbatio ſupremi magiſtratus ac conſenſus liberorum & cognatorū accedat: Ineatúrque contractus cõnubialis non in angulis coram vno atque altero, ſed ſolenniter in conſpectu Eccleſiæ, ad hoc vocatis ex cognatis & amicis multis: Et vt conſtet mundo legitimum eſſe coniugium non concubinatum: Et vt homines ſciant liberos ex eo coniugio natos legitimos eſſe. Videmus multos abſtinere à ſecundis nuptiis amore liberorum ex priori coniugio ſuſceptorum. Sed quam bene conſulant ſuæ cóſcientiæ experientia in agone mortis docet, & triſtiſsimus euentus in extremo die omnibus creaturis oſtēdet. Statuo ergo infirmitati humanæ hoc pacto, vt oſtēdimus, conſulendum eſſe ne interrūpātur preces, neúe homines paulatim ita inuoluantur laqueis diaboli, vt poſteà cùm maximè velint, extricare ſe non poſsint. Nam cõſuetudine longa peccandi peccatum ita firmatur, vt fiat veluti neceſsitas quædam, vt reuocare gradum non poſsis, id quod potiſsimum in libidinibus cernitur.

Idem iudicandum eſt, ſi quis vitio corporis laboraret, vt vel nõ auderet nuptias petere alicuius ex nobili familia, vel metueret, ne vitium ſibi exprobraretur, ſed concubinatum magiſtratus ferre non debet in vllo hominum ſtatu, modò fidelis miniſter Dei eſſe velit. Nam ſcandalum huiuſmodi plurimum Eccleſiā inficeret, & ad imitationem multos inuitaret.

ALIVS.

Iuſtiſsima diuortia.

Si maſculus illicitam & nefandam Venerē, qualis in Italia & Ruſsia eſt vſitata, ſectatur, iuſtiſsimè ab honeſta vxore dimittitur. Similiter ſi mulier ſe ſubiecerit execrabili contra naturā libidini indigna eſt, quæ poſtea thoro coniugali gaudeat. Verùm in his regnis, ſit Deo gratia, iſta nefanda ſcelera rariſſimè audiuntur. Et ſi quando audiuntur, & probātur, magiſtratus ita animaduertit in reos, vt res ad conſiſtoria non perueniat.

ALIVS.

Iuſtiſſima diuortia.

Si mulier abortiuū procurat, aut ſi vir cogit vxorē, vt pharmaco ſumpto abortiat, iuſtè petitur, & ſententia iudicis fieri poteſt diuortiū. Sed re prius euidenter probata, ne pateat calūniis locus. Hoc enim facinus ſceleſtū & execrabile excedit omnē infidelitatē, & omne adulteriū, & pugnat cū fine ordinationis Dei. Si ergo innocēs perſona iuſtè liberatur diuortij ſentētia ab adultero, Si à violēto, Si ab Apoſtata, Si à deſertore, multò magis liberabitur ab eo, qui omnes iſtos ſuperat crudelitate & immanitate, vt qui ipſi diabolo adhæreat, à Dei familia prorſus alienus. Quādo autē talis caſus cõſiſtorialis proponitur, velim eos admonere politicū magiſtratū, vt huiuſmodi piacula è medio tollat, ne vel alij inuitētur exēplo vel tota Reſpub. vnius ob noxā mulctetur. Et profectò magnū dedecus foret, ſi magiſtratus hîc vel pecunia, vel vllo affectu ſe corrūpi ſineret. Simile iudicium fiat de fœmina, quæ mentitur ſe grauidam, & poſtea ſuppoſito partu & alieno maritum fallit.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

N. H.

ENARRATIO PSALMI VIGESIMI QVINTI, SCRIPTA A NICOLAO HEMMINGIO.

NOBILI, PIO AC SAPIENTI VIRO, MAGNO Goſche, Domino de Horby, veteri amico ſuo, ſalutem & benedictionem à communi Saluatore Domino noſtro Ieſu Chriſto precatur.

QVATVOR ſunt genera hominum, qui ex caſtris Sathanę ſubinde eruptiones in Eccleſiam Dei faciunt, vt ſunt Tyranni, Sophiſtæ, Hypocritæ, & Epicurei. Aduerſus hos niſi muniamur ſpiritualibus armis, magnum profectò non tam fortunarum huius vitæ, quàm animarum noſtrarum & ſalutis periculum erit metuendum. Nam tametſi non vno modo aggrediuntur Eccleſiam, vnum tamen ſcopum habent, vt Eccleſia Dei oppreſſa ipſi dominentur, regnúmque Satanæ latè multúmque propagetur atque dilatetur. Tyranni, quorum animi potentia, diuitiis ſucceſsibúſque rerum fortunatis luxuriant, vel ſuperbè inſultant Eccleſiæ Dei exprobrantes ipſi crucis ignominiam, vel aperta vi graſſantes in Eccleſiam, multorum ſanctorum ſanguine madent. Sophiſtæ & ſycophantæ ſapientia huius mundi timidi doctrinæ Eccleſiæ aſtutè inſidiantur, quo ea vel deprauata vel abolita opprimatur Eccleſia, cuius vita verbum Dei exiſtit. Hi arte quadam planè Satanica fundamentum Eccleſiæ occultis cuniculis ſubruere moliuntur, nunc hunc articulum fidei noſtræ vel corrumpentes, vel omnino demolientes, nunc illum: & quò purior fuerit doctrina, eò plures Satan emittit Sycophantas & Sophiſtas, vt limpidiſſimos fontes Iſraelis ſuo cœno conquinet. Hypocritæ vero cultui Eccleſiæ moliuntur inſidias. Hi non hoſtes Eccleſiæ, ſed ciues & amici nominari volunt: quam ob cauſam incautos citius obruunt quàm aperti hoſtes. Veriſsimè enim dicitur: Tuta frequénſque via eſt per amici fallere nomen. Nam cùm Hypocritæ alienam ſuſtinent perſonam ſanctitatis larua tectam, ouile Chriſti ſubruunt, & tanquam lupi rapaces oues Chriſti diſpergunt & dilaniant. Epicurei non ſunt vnius generis. Et ſi omnes voluptatem tanquam finem bonorum ſectantur. Sunt enim quidam manifeſtè improbi, quibus ſummum bonum iudicatur omnibus flagitiorum generibus deliciari, & cùm nullam famæ aut nominis iacturam pertimeſcunt, tanquam porci volutabro omnium ſcelerum ſe ſponte inuoluunt. Sunt alij quibus vrbana quædam honeſtas propoſita eſt, hi ſummam voluptatem eſſe dicunt, nomen & gloriam apud homines obtinere, nec volunt videri ἄθεοι, ſed pij & religioſi, audiunt verbum, vtuntur Sacramentis, & multa faciunt præclarè. Verum in hos quadrat verſiculus ille quem in Zenocratem dixiſſe Ariſtótelem Athenæus refert: χεῖρες μὲν δ᾽ ἀγναὶ φρὴν δ᾽ ἔχει μιάσματα. Tria enim ſub illa externa larua ciuilitatis grauia peccata fouent: voluptates ſuas præferunt voluntati Dei, ſecurè viuunt, ſæpe magiſtri ſui veſtigiis inſiſtentes prophanas voces de religione cum voluptate audiunt: quę res multos infirmos euertit & alienat à Chriſto.

Aduerſus hæc quatuor genera hoſtiũ Eccleſiæ pios armatos eſſe oportet: ídque nõ carnalibus, ſed ſpiritualibus armis. Sed quæ ſunt illa ſpiritualia arma? Hæc mõſtrant viri conſiliarij Eccleſiæ Quinam ſunt illi viri cõſiliarij? Oracula Dei: ita enim Dauid regius ille Propheta inquit Pſal. 119. Teſtimonia tua gaudiũ meũ, & viri conſiliarij mei. Dicuntur autẽ oracula Dei ſanctorũ conſiliarij, cùm quia monſtrant ſanctis magnũ illũ cõſiliariũ Filium Dei, qui dat menti bona conſilia jn rebus dubiis, & regit eas ſuo ſpiritu, tum quia teſtantur de voluntate Dei erga Eccleſiam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſiā. cuius refugium & propugnator & ſaluator eſt. Horũ conſiliariorum conſiliũ in genere hoc eſt, vt fide prius purificatis cordibus noſtris, opponamus omnibus hoſtibus noſtris nomẽ Domini, hoc eſt, inuocationẽ Dei ex viua fide & conſtanti manantẽ. Nam vt Salomon ait, Turris fortiſſima nomen Domini, ad hanc confugiet iuſtus & ſaluabitur. Ita Iohannes teſtatur, Hæc eſt victoria quæ vincit mundũ fides veſtra. Huc pertinet deſcriptio armaturæ Sãctorũ, Ephe. 6. vbi Paulus hortatur ſanctos, vt totã armaturam Dei aſſumant, quo poſſint reſiſtere tẽpore aduerſo, & omnibus peractis ſtare: & quia quædã eſt analogia rerũ corporalium & ſpiritualium, vult nos exemplo militum mundi munitos eſſe, & nobis ſeptem genera armorũ commendat hiſce verbis: State igitur lumbis circumcinctis veritate, & induti thorace iuſtitiæ, calceatis pedibus præparatione Euangelij pacis, adhæc aſſumpto ſcuto fidei, quo poſsitis omnia iacula mali illius ignata extinguere, galeámque ſalutarem accipite, & gladium ſpiritualẽ, hoc eſt, verbum Dei, omni obſecratione & deprecatione orantes per ſpiritum. Hæc pulcherrima explicatio armaturæ Dei eſt, cuius vſum ex collatione intelligimus hoc modo. Vt lumbi mundani militis, in quibus potiſsimè corporis vires ſunt, cingulo firmantur ne inter pugnandum miles labatur: ita animus veritate Dei firmandus eſt, ne diabolus nos dubitantes ac hæſitantes facilius proſternat, & trucidet. Vt militis mundani pectus munit thorax, ita innocentia vitæ ſeu iuſtitia hominis animum conſeruat, ne tela diaboli cor penetrent, ac religionem inficiant ſuo veneno. Vt pedes militis mundani calceis ſeu tibialibus muniuntur, vt inoffenſo gradu in hoſtem feratur: ita Chriſtiani militis eſt ſe præparare Euangelio pacis, quo tutus eſſe poſſit, cùm rectâ in hoſtem fertur. Vt totum corpus militis mundani obtentu ſcuti tutum redditur à telis aduerſarij: ita fide viua & indubitata animus Chriſtiani vndequaque cuſtoditur & protegitur. Seu vt ſcutum aduerſariorũ telis obiicitur: ſic vera fides omni tentationũ generi opponitur. Vt caput mundani militis galea munitũ in tuto eſt: ita ſpes promiſſæ ſalutis omni inſultui diaboli eſt opponenda. Vt miles mundanus hoſtem in ſe irruentẽ repellit gladio: ita Chriſtianus verbo Dei Satanam adorientẽ repellere debet. Vt miles mundanus in periculoſiori pugna in caſtra imperatoris ſui ſe recipit: ita Chriſtianus ad orationem confugit, quæ vt turris fortiſsima opponenda eſt poteſtati diaboli. Hoc modo Paulus vult Chriſtianos imitari milites mundanos aduerſus omnia genera hoſtium quos habet Eccleſia, quorum ſummus dux & imperator eſt Satanas.

Cæterum quia non ſatis eſt ſcire præcepta rei militaris, & nouiſſe quibus armis opus ſit, niſi accedat vſus & experientia, quæ in imitatione ſita eſt, perneceſſarium eſt vt Chriſtianus miles proponat ſibi eorum exempla, quorum virtus in hoc militiæ genere eſt laudata. Etſi autem hiſtoria Eccleſiæ plurima habet exempla, & apoſtolus nonnulla Heb. 11. recitat: tamen vnum Dauidem ideò antefero reliquis, quia non ſolùm eius narrantur prælia & victoriæ, verumetiam quia nobis vſum armorũ ſpiritualium aduerſus omne genus hoſtiũ explicat, & verbis & exemplo ſuo commendat: quẽadmodum totus liber Pſalmorum teſtis eſt. Nam hic liber non ſolùm triumphos Dauidis aduerſus omnis generis hoſtes narrat, verumetiam ſpiritualia Dauidis ſtratagemata exponit & aliis imitanda proponit. Age paucis videamus quomodo profligat ſanctus Athleta Dauid quatuor illa genera hoſtium quæ propoſuimus.

Aduerſus ſæuitiam Tyrannorũ opponit fidem, & ſe conſolatur ſpe futuræ liberationis, & tragico exitu hoſtium. Deus deſtruet te, inquit, in æternum, conteret te, & euellet te de tabernaculo, & radicẽ tuam de terra viuentium: videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt: ecce homo qui non poſuit Deum fortitudinẽ ſuam, ſed ſperauit in multitudine diuitiarũ ſuarum, & præualuit in iniquitate ſua. Ego autẽ ſicut florens in domo Dei, ſperaui in miſericordia Dei in æternum & in ſeculum ſeculi: Pſal. 52. Hoc planè diuinum eſt ſtratagema. Tyrannus fretus potentia & diuitiis adoritur Dauidem, Dauid ſe aduerſus ipſum armat ſpe ſalutis & interitu ſuperbi hoſtis, & ſuperior euadit. Sophiſtis opponit Dauid veritatem promiſsionum diuinarũ, quemadmodum Pſal. 119. teſtatur, & alij multi. Hypocritas & Sycophantas contẽnit, & ſe verbo Dei aduerſus eos regi petit, ſimul imprecans illis iuſtam pœnam, vt ſi non conuertantur, pereant. Epicureis quibus inſipientiam tribuit, opponit verbum & promiſſionẽ Dei, quæ fallere non poteſt. Breuiter aduerſus omnes hoſtes verbo, fide, ſpe, oratione pugnat, id quod in Pſalmorum libro clariſsimè videre licet. Qui liber propterea gratior debet omnibus piis eſſe, quia & regulas militiæ vitæque Chriſtianæ continet, & exẽpla in quibus regulæ tanquàm in tabula pinguntur, habet. Quicunque igitur peritiam rei militaris Chriſtianæ aſſequi cupit, hunc librum legat, hunc meditetur, hunc verſet nocturna diurnáque manu, ſéque in omni periculorum ſpiritualiũ & corporalium genere ad Dauidis exemplum componat. Hoc enim qui fecerit, mirabilem fructum ſui laboris reportabit, & Satana victo in extremo die lætus cum Dauide triumphauit.

Verùm quia Pſalmi nonnulli propter phraſes Hebraicas & Propheticas videtur obſcuriores, laudanda eſt induſtria eorũ, qui enarrationes in Pſalmos ſcripſerunt, & obſcuriora dicta collatio-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

collatione clariorum illuſtrarunt. Et tametſi ſatis ſuperque in Pſalmos Dauidicos ſcriptum videri poſsit: tamen quia Deus vult vt ſinguli pro donis collatis ornemus miniſterium Euangelij, & edamus teſtimonia noſtræ fidei, & approbemus Eccleſiæ pium conſenſum, ſumpſi mihi enarrandum Pſalmum vigeſimum quintū, quem Dauid ſenex compoſuit, & tradidit cantoribus ſuis canendum in templo. Et vt poſſet à vulgo facilius percipi, iuxta ordinem literarū alphabeti Hebraici Pſalmus hic eſt compoſitus, qui tametſi plurimis ſaluberrimis ſententiis eſt refertus: tamen duo potiſſimum ſunt in eo ſpectanda; exaggeratio peccati, & amplitudo miſericordiæ Dei. Vt enim exaggeratio peccati facit vt in nos ipſos deſcendamus, ac nos agnoſcamus reos corā Deo: ita amplitudo immenſæ miſericordiæ Dei nos erigit, & conſolatur, ne peccatorū mole preſsi frangamur deſperatione, ſed cum Dauide leuemus animas noſtras ad Dominum, petamus nobis ignoſci peccata, cupiamus nos in poſterū diuinitus in viis Domini gubernari & conſeruari, retineamus fidem & bonā conſcientiam, ſemper cogitantes hanc dulciſsimā ſententiam: Omnes qui te expectant non confundentur. Confundentur præuaricantes ſine cauſa, hoc eſt, omnes Tyranni, Sycophantæ, Hypocritæ & Epicurei, quantūuis videantur fœlices eſſe in hoc mundo, tamen in extremo examine confundentur, quando filius Dei iudex iuſtus abſque perſonarū reſpectu iudicabit orbem: tunc enim apparebit gloria Eccleſiæ Chriſti, quæ in hoc mundo contēpta & vilis cenſetur; tunc nimis ſera pœnitentia agnoſcent ſuam ſtultitiam Eccleſiæ hoſtes, & cùm donari videbunt credentes cœleſti gloria & immortalitate, ingemiſcētes dicent de iis quos antea contēpſerunt: Hi ſunt (vt Sapien. 5. ſcribitur) quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij, nos ſtulti vitā illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo cōputati ſunt inter filios Dei & inter ſanctos. Ergò errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen nō luxit, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulabamus deſerta inuia, viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquàm vmbra, & c. Hęc confeſſio impiorum erit in extremo die, quando coram tribunali Chriſti pudefient.

Porrò enarrationem in hunc vigeſimum quintum Pſalmum ſub tuo nomine, vir optime, in lucem prodire volui, ídque potiſſimum tribus de cauſis: quarum prima eſt, vt te qui pro tua ſingulari pietate delectaris multùm Pſalmorū recitatione, magis incitem, & quaſi ſponte currenti calcar addam; Etſi autem omni ætati lectio Pſalmorum eſt vtiliſsima: tamen ſenibus gratior eſſe debet propter maiorem certaminum ſpiritualium experientiam, & conſolationes vberiores, quas hinc haurire poſſunt ſenes. Secunda cauſa eſt, vt alij tuo exemplo moueantur ad noſtram enarrationem legendam: quam ſpero ipſis vtilem fore, modo pium pectus ad lectionem adferant. Tertia cauſa eſt, vt ego ſaltem aliquod iudicium animi mei erga te declarem hoc ſcripto: qui mihi & ſemper piè fauiſti, & honeſtè de me meíſque laboribus iudicaſti. Rogo igitur vt hanc qualemcunque ſignificationem animi mei erga te grata manu ſuſcipias. Ego viciſsim, quod par eſt ſemper te tuóſque plurimi faciam. Vale ex Muſæo noſtro, vnà cum vxore tua Catharina Blomme, fœmina nobili & honeſta, & liberis. Hafniæ, primo Maij, Anno 1566.

PSALMVS XXV.

1 *AD te Domine leuaui animam meam.*
2 *Deus meus, in te ſperaui, non confundar, nec lætabuntur inimici mei ſuper me.*
3 *Etiam omnes expectantes te non erubeſcent, erubeſcent præuaricantes temere.*
4 *Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, ſemitas tuas doce me.*
5 *Dirige me in veritate tua, & doce me: quoniam tu es Deus ſalutis meæ, te expectaui tota die.*
6 *Reminiſcere miſerationum tuarum, Domine, & miſericordiarum, quoniam à ſeculo ſunt.*
7 *Delicta iuuentutis meæ, & tranſgreſsiones meas ne memineris, ſecundum miſericordiā tuam memento mei tu propter bonitatem tuam, Domine.*
8 *Bonus, & rectus Dominus, propterea docebit peccatores in via.*
9 *Diriget afflictos in iudicio, docebit afflictos vias ſuas.*
10 *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, cuſtodientibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius.*
11 *Propter nomen tuum, Domine, propiciaberis peccato meo, quoniam multum eſt.*
12 *Quis eſt homo qui timet Dominum? docebit eum viam quam eligat.*
13 *Anima eius in bonis commorabitur, & ſemen*

eius

eius hæreditabit terram.
14 *Secretum Domini timentibus eũ, & teſtamentum ſuum manifeſtabit illis.*
15 *Oculi mei ſemper ad* Iehouah*: quia ipſe educet de laqueo pedes meos.*
16 *Reſpice ad me & miſerere mei, quoniam vnicus & afflictus ſum ego.*
17 *Afflictiones cordis mei auctæ ſunt: ab anguſtijs meis educ me.*
18 *Vide afflictionem meam & laborem meum, & parce omnibus peccatis meis.*
19 *Vide inimicos meos, quoniã multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me.*
20 *Cuſtodi animam meam & libera me, ne pudefiam, quoniam ſperaui in te.*
21 *Integritas & æquitas conſeruabunt me, quoniam expectaui te,*
22 *Redime Deus Iſraelem, ex omnibus tribulationibus ſuis.*

ARGVMENTVM.

Pſalmus hic magna ex parte eſt precatorius. Precatur enim Dauid Dominum, vt vias ſuas ſe doceat vt peccatis ignoſcat, vt à perſequentibus ſe, liberet, vtque totum Iſraelem, hoc eſt, omnes credentes tandem redimat.

DISPOSITIO.

Septem partes ſunt huius viceſimi quinti Pſalmi. *Prima* eſt exordium aptiſſimum: nam vt verè precantium affectus deſcribit, oſtẽditque quo nitantur fundamento inter precandum fideles: Ita quoque quorum preces non exaudiantur indicat, & hoc facit in tribus primis verſibus.

Secunda, precatio eſt, qua ſe & à Deo regi docerique precatur, & petit veniam peccatorum præcipuè iuuentutis, idque, 4.5.6.7. verſibus.

Tertia, eſt prædicatio bonitatis, & miſericordiæ Dei: qua excitatur & alitur fiducia inter precãdum. verſibus 8.9. & 10.

Quarta, eſt repetitio petitionis veniæ: qua precantis affectus ardentior redditur, verſu 11.

Quinta, deſcriptio eſt fœlicitatis eorum, qui Deum verè timent: hoc eſt, vera religione colunt: quæ ſanè deſcriptio meritò excitabit homines ad pietatis ſtudium, verſibus 12.13.14.

Sexta, petitio eſt liberationis à præſentibus periculis, in quibus verſabatur perſequente ſe Saule, verſibus 15.16.17.18.19.20.21.

Septima, eſt generalis precatio pro redemptione totius Iſraelis, id eſt, Eccleſiæ, verſu 22.

EXEGESIS CVM *obſeruatione doctrinarum.*

1 *Ad te Domine leuaui animam meam.*
2 *Deus meus in te ſperaui, non confundar, nec lætabuntur inimici mei ſuper me.*
3 *Etiam omnes expectantes te non erubeſcent, erubeſcent præuaricantes temere.*

Exordiũ.

Prima Pſalmi pars eſt, videlicet exordium, quod ſumitur à profeſſione fidei propter promiſſionem, quam fides inter precandum intuetur. Nam vt ſine promiſſione nihil habet oratio quo nitatur, ita ſine fide promiſſio, hominis culpa, fit irrita.

Partis.

Iam altius verba perpendamus, quo melius exemplo Dauidis ad rectè inuocandum erudiamur.

1. Deum precatur.

Primùm dirigit Dauid orationem ſuam ad ipſum Deum, cogitans haud dubiè mandatum Dei, & promiſſionem: videlicet quod Deus propter promiſſum Meſſiam exaudire velit. Nam vt mandato obligamur ad cultum inuocationis, ita promiſſione erigimur inter precandum, & fiduciam concipimus de impetrandis ijs, quæ nobis ſunt ſalutaria. Nos proinde Dauidis exemplo non ſanctos, non angelos, aut vllam creaturam, ſed Deum ipſum inuocemus freti mandato & promiſſione: & opponamus infirmitati noſtræ, & indignati potentiam & dignitatem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Deinde cùm dicit, *Animam meam leuaui*, ſignificat veram inuocationem non eſſe clamorem vocis, ſed cordis gemitum & eleuationem animæ ad Deum ipſum. Proinde anima hominis precantis, non debet eſſe in his rebus immerſa, nõ debet terrenis rebus niti, ſed attolli debet ſupra omnes creaturas, & ad ipſum Deum leuari. Non enim ſatis eſt leuare manus, ſed oportet eum manibus cor ipſum leuare, vt oratio fiat in veritate, & non in hypocriſi, Vnde Ieremias, Threnorum 3.41. Leuemus corda noſtra cum manibus noſtris ad Deum in cœlos. Pſal. 145.18. Prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eũ in veritate.

Cauſæ. Doctrinæ. 2. Veræ inuocationis deſcriptio. Doctrina.

Sed quomodo anima hominis leuatur ad Deum? Duabus veluti alis: quarum vna eſt cogitatio miſericordiæ Dei mandantis cultũ inuocationis, promittentis ſe exauditurum inuocantes, & requirentis gratitudinem, iuxta Pſal. 50. 15. Inuoca me in die anguſtiæ, eruam te, & honorificabis me. Hic præter mandatum, & promiſſionem meminit Dauid gratitudinis. Ioan. 15.7. Si manſeritis in me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. Non ergò ſufficit intueri mandatum & promiſſionem, niſi ſimul adferas pium propoſitum. Nam qui conſcientia & προαιρέσει peccãdi orat, fruſtra verba fundit. Quare in Pſalmo. 66.18. dicitur: Iniquitatem ſi aſpexiſſem corde meo, non exaudiſſet Dominus 1. Iohan. 3.20. Si cor noſtrum non condemnet nos, fiduciam habemus ad Deũ, & quicquid petierimus accipiemus ab eo. Et Iacob. 4.3. Petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in voluptates veſtras inſumatis. Obtẽperemus igitur Paulo, qui in hunc modum 2. Timoth. 2.19. ait, Decedat ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini.

Locus de leuatione animæ ad Deum. In hoc tria conſiderãtur. Alæ animæ.

Altera ala eſt fiducia mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui hanc dulciſſimam promiſſionem apud ſuos depoſuit diſcipulos, Io. 16.23. Quicquid petieritis patrẽ ĩ nomine meo, dabit vobis. Hęc promiſſio dulciſſima eſt: in qua duo potiſſimũ ſunt obſeruanda, videlicet ſignum vniuerſale (*Quicquid*) & inuocationis modus (*in nomine meo*).

Vniuerſalis promiſſio.

Vniuerſalis promiſſio reſtringenda eſt ad certum genus, ſicuti eam interpretatur Ioh. 1. Ioh. 5.14. cũ inquit, Quicquid petierimus ſecũdũ voluntatẽ eius, audit nos: nequaquã enim decet probos filios aliquid à patre ſuo petere, quod ipſius aduerſatur paternæ voluntati. Vt autem aduerſatur voluntati paternæ, ſi filius ſcorpionem aut ſerpentem petat, id eſt, rem noxiam quouis modo, & contrà voluntati paternæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

prægratũ eſt ſi filius res ſibi vtiles & ſalutares petat: Ita ſe res habet cũ patre noſtro cœleſti. Si enim quid petamus contra gloriã patris,& cõtra ſalutẽ noſtrã, non exaudit nos, ſed melius nobis proſpicit, dat panem non lapidem, dat ouum & non ſcorpionẽ. Breuiter, quicquid petimus quod vergit in ipſius gloriam,& noſtram ſalutem, hoc verè impetramus per mediatorem noſtrum Ieſum Chriſtum. Etſi exauditionis ratio nõ ſemper expectationi noſtræ & ſtulto carnis iudicio reſpondet.

Inuocationis modus.

Inuocationis modus additur in promiſſione: cũ inquit, in nomine meo, id eſt, in agnitione & fiducia mei. Agnitio hæc conſiſtit in noticia naturarum diuinæ & humanæ in Chriſto, videlicet quòd & verus Deus ſit & ver⁹ homo, in perſonæ vnitate, & in redẽptionis officio, hoc eſt, ſacerdotio æterno. Fiducia ex agnitione depẽdet, videlicet cùm homo verè ſtatuit hunc Chriſtum Deum & hominem æternum ſacerdotem ſuum redemptorem eſſe,& interpellatorem apud patrem,& omnino talem ſibi fore qualis in Euangelio nominatur, id eſt, prædicatur. Nomen enim relationẽ habet ad verbum, quod de Chriſto prædicatur. Hic inuocationis modus diligẽter obſeruandus eſt. Nam & doctrinam multiplicẽ, & admonitiones ſalutares, & conſolationes efficaces continet.

Inde oriuntur doctrinæ.

Doctrina eſt quadruplex. 1. docet excludendam eſſe à noſtris precibus dignitatem noſtrã, quæ omnino nulla eſt. 2. ſeponendam eſſe hypocriſin, qua omnis actio inficitur. 3. deponendam eſſe prophanã & Ethnicam gloriationem,& iactationẽ meritorũ, qualis fuit Menelai, exprobrantis Ioui hecatombas quas illi obtulit. 4. diſcrimẽ inter Chriſtianam Orationem & omnium aliarum ſectarum. Nam Chriſtiana oratio nititur fiducia mediatoris, quem prophani homines non agnoſcunt.

Monitiones.

Monitiones ſunt quòd admoneat nos hic precandi modus noſtræ cæcitatis. Nam cùm petendũ ſit in nomine Chriſti, nõ poteſt eſſe dubium quin maxima ſint illa, quę peti neceſſe ſit. Oculos ergo aperire oportet,& diligẽter circumſpicere quę publicè, quæ priuatim nobis moleſta ſint, quæ interna, quæ externa, quæ corporalia & quæ ſpiritualia deſiderẽtur, vt in omnibus his ad clementiſsimũ patrẽ per mediatorem noſtrum Ieſum Chriſtum confugiamus.

Conſolationes.

Conſolationes ſunt quòd hic modus precãdi cõſoletur inuocantes aduerſus duo inuocationis maxima impedimenta, diffidentiã carnalẽ, & propriã indignitatem. Nam niſi fiducia mediatoris inter precãdum niteremur, carnalis noſtra diffidẽtia, quã auget memoria multipliciũ peccatorũ, nos à precãdo abſterreret: & facilè omnes ſuccũberemus proſtrati cogitatione noſtræ indignitatis: qui per nos indigni ſumus, vt prodeamus in conſpectũ Dei, ſed fiducia mediatoris his malis medetur. Nam & carnalẽ diffidentiam vincit, & dignitatẽ non ſuam, ſed Chriſti iactat. Huc illud Paul pertinet ad Rom. 5. 1. Per fidẽ pacem habemus cũ Deo per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem etiam habemus acceſſum per fidem in gratiam hanc in qua ſtamus.

Cum his optimè congruit reſpõſum Domini datum Samaritanæ Iohã. 4. 23. ita enim ait: Venit hora, & nunc eſt, quando viri adoratores adorabũt patrẽ in ſpiritu & veritate. Nã pater tales quærit, qui honorant ipſum. Samaritana mulier putabat ex loci dignitate pendere orationis efficaciã. Dicit enim: patres noſtri in monte hoc adorauerũt, & vos dicitis quòd Ieroſolymis eſt locus vbi oporteat orare. Ab hac opinione reuocat Chriſtus mulierẽ,& proponit ei verũ adorãdi modũ, videlicet quòd oporteat adorare patrẽ (ad quẽ nemini patet acceſſus niſi per filium) in ſpiritu & veritate. In ſpiritu quidẽ hoc eſt, fiducia viua in Deum, quæ fiducia eſt motus à Spiritu ſancto excitatus,& nititur mediatoris meritis. In veritate verò, hoc eſt, ſincerè & ſine hypocriſi, vt non aliud verba ſonent quàm cor intus dictet.

Ex his liquidò cõſtare exiſtimo, quàm neceſſarię ſint iſtæ duæ alæ: cogitatio mandantis & promittentis Dei cum conditione gratitudinis referendæ benefactori: & fiducia mediatoris: quibus anima noſtra ad Deum leuanda eſt, vt oratio noſtra nubes penetret, Deo placeat,& exaudiatur.

Cõcluſio.

Hactenus de primo verſu, ſequitur ſecundus.

Secundi verſus explicatio.

2 *Deus meus in te ſperaui, non confundar, nec lætabuntur inimici mei ſuper me.*

Cùm dicit Pſalmiſta, *Deus meus*, fiduciæ ſingularis vox eſt, quæ ſæpe Paulo in vſu fuit. Tametſi autẽ vnus eſt Deus Iudæorum & Gentiũ, adeóq; totius mundi: tamẽ peculiariter Deus dicitur Deus Eccleſiæ, propter peculiarẽ promiſſionẽ, in qua Eccleſia qui viuũ membrũ exiſtit, poteſt ſibi applicare quod eſt cõmune toti corpori. Neque tamen alijs adimit hoc pacto, dum ſibi vendicat quod cõmune eſt: nã per fidem cuilibet propriũ ita efficitur, vt alijs nihil detrahatur. Quare vt totius Eccleſiæ vox eſt, Deus noſter,& pater noſter, ita ſingulis pijs rectè ex corde dicere licet, Deus meus & pater meus. Hinc eſt quòd Deus dicatur Deus Abrahã, Iſaac, Iacob, &c. Hæc autẽ vox nõ in ore naſcitur, ſed ex intimo cordis affectu,& plena in Deũ fiducia erũpit, vnde ſequitur, *In te ſperaui*, hoc eſt, in tota hac cauſa aduerſus aduerſariũ meũ Saulem nõ confugi ad humana præſidia, ſed tua promiſſione & bonitate fretus hacten⁹ fui tutus: quare adhuc ſpem habeo, vt ſub tua protectione perſiſtã incolumis: atque hoc eſt quod ſubiũgit: *Non confundar, nec lætabuntur inimici mei ſuper me.*

Quo affectu pronunciandum ſit.

Fidei fructus.

In verbo confundendi metalepſis eſt. Cõſequens enim pro antecedente ponitur. Siquidem cõfundi dicuntur qui ſua ſpe fruſtrati alijs ſunt ridiculo, vnde fit vt iure afficiantur pudore, ſuisque inimicis præbeant inſultandi occaſionẽ. Senſus ergò eſt: ſpe mea minimè fruſtrabor, cùm tu ſis Deus meus, in quem, vt ſemper, in hac cauſa propter promiſſionẽ mihi factam, ſperaui: ita & nunc ſpero. Obſeruetur igitur hoc Enthymema. Deus meus in te ſpero, ergo nõ cõfundar, ergo nõ lætabũtur inimici mei ſuper me, tãquã à Deo abiect⁹ eſſem. Paulus videtur ex hoc Enthymemate cõcluſiſſe illud memorabile Axioma ad Ro. 5. 5. Spes non cõfundit. Rectè enim colligitur: Ego ſpero & nõ cõfũdar, ergo ſpes mea nõ cõfũdetur.

Verum hîc diſcernendum eſt inter res de quibus extant promiſſiones vniuerſales, vel perſonales, & res de quibus non extant promiſſiones in ſpecie, quales ſunt potiſſimum quæ ad hanc vitam pertinent, ſine ſingularibus promiſſionibus. In illis firma eſt concluſio in ſpecie, in his autem in genere tantùm.

Locus de diſtinctione ſpei & fiduciæ piorum in omnibus precibus.

Cũ Iob dicit cap. 13. 15. Etiãſi occiderit me, in ipſũ ſperabo, ad vniuerſalẽ promiſſionẽ reſpicit de ſalute animæ. Itẽ cũ ait, cap. 19. 23. Scio quòd redemptor me⁹ viuit, nihil omninò aliud vult dicere, quã quòd hîc Dauid dicit, De⁹ me⁹ in te ſpero, nõ confundar. quaſi diceret: etſi autẽ nũc in corpore crucior, cõtẽnor ab vxore, & alijs amicis, iaceo vlceroſus, & ſcateo vermibus, priuatus ſum poſſeſſionib⁹ & liberis: tamẽ quia in te ſpero, nõ cõfundar. Promiſiſti enim omnibus timentibus te ſalutẽ, quam expecto; mẽtiri enim non potes. Tres viri in Chaldea, iuſſi adorare ſtatuã Regis, hac freti fiducia ardẽtem caminũ contemnunt.

Teſtimonia.

Exemplũ.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

temnunt:ſtatuũt enim Deũ veracẽ eſſe, qui immarceſſibilem poſt hanc vitam promiſerat ſuis cultoribus coronam, ac ſi dicerent in caminum cõijciendi: Deus noſter in te ſperauimus, non confundemur. nam in extremo ſaltẽ dic, ſi hîc nõ placuerit tibi nos eripere de periculo, apparebit quòd noſtra fiducia non fuerit vana: quando Tyrãni iſti qui hîc nos conantur perdere, tradentur Diabolis æternũ cruciandi. Exempla huiuſmodi fiduciæ plurima ſuppeditat Eccleſiaſtica hiſtoria, cuius lectio hunc præcipuum fructũ adfert, quòd nõ ſolùm exempla iudicij & miſericordiæ Dei nobis ponit ob oculos, verũetiã fortitudinis, patientiæ ſub cruce, cõfeſſionis, & fiduciæ in Deũ habeat teſtimonia. De quo fructu exẽplorũ Syracides in hanc ſententiã loquitur capite 2.11. Reſpicite ait in priſca retrò ſecula, & cõſiderate quis ſuã in Domino fixit fiduciã & pudore affectus eſt? Quis in timore eius permanſit & fuit derelictus? Quis eũ inuocauit & fuit ab eo ſpretus? Nam miſericors & clemẽs eſt Dominus, ſummæque tùm miſericordiæ tùm patientiæ, qui & peccata remittit, & ſalutem affert in afflictionis tempore.

Abrahamo & eius poſteritati promittitur terra Canaã, qua promiſſione fretus Abraham egreditur de terra Chaldea, & poſtea multis annis vagatur ſine certis ſedibus, interdũ famem, interdum alia experitur incõmoda, idq; multis annis, nihilominus tamen firmiter ex promiſſionis fide concludit ſuum ſemen occupaturum terram Canaã. Promittitur illi ſemen in quo benedicerentur omnes gentes, at ipſe tandem & ſe effętũ & vxorẽ ſterilẽ experitur, credidit tamẽ promittẽti Deo, vnde dictũ eſt de ipſo: Credidit Abrahã Deo, & imputatũ eſt illi ad iuſtitiam. Porrò cùm iam illi natus eſſet filius Iſaac, de quo erãt factæ promiſſiones, iubetur ipſum mactare, obtemperat mandato, parat rogũ, ligat filium, ſtringit gladiũ in filiũ, ſed intus in corde retinet hoc Enthymema: Ego te Deus expecto, ergò non confundar. Promiſiſti mihi ſemen in hoc Iſaac, igitur non fruſtrabor mea ſpe. Nam priuſquàm tuum verbum fallat, mactatus filius prodibit viuus de igni, vt tua ſtet firma promiſsio.

Simili fiducia hîc Dauid concludit. Electus erat à Deo in ſucceſſorem Saulis, inunctus erat à Propheta ex mandato Dei in regẽ, ſed quid fit? Sæpe de vita periclitatur in aula Saulis, cogitur ad prophanas gentes ſe recipere, ab amicis ſæpe proditur, ſed tamẽ in his anguſtijs & grauiſſimis tentationibus concludit, Deus meus in te ſpero, ergò non confundar, atque ita ex fide promiſſionum vniuerſalium & perſonalium, res promiſſa in ſpecie concluditur firma fiducia, quæ non fallit ſperantem.

Verùm quantum ad res huius vitæ attinet, de quibus non extant promiſſiones in ſpecie, fides cõcludit genus, & non ſpeciẽ. Dauid cùm eiectus eſſet de regno à filio Abſolone, cũ Sadoch ſacerdote loquẽs ait, 2. Sam. 15. 25. Reduc arcã Dei in ciuitatẽ, ſi fortè inueniã gratiã in oculis Domini, reſtituat me, faciatque me videre eã, & habitaculũ eius. Et, ſi ſic dixerit, nõ places mihi, ego parat' ſum, faciat mihi quod bonum eſt in oculis ſuis. Quia hîc Dauid nõ habuit promiſſionẽ reductionis in regnũ, quo erat exutus propria culpa, fiduciã habet nõ in ſpecie, vt reſtituatur regiæ dignitati, ſed in genere, vt Deus ſe nõ deſerat, ſed clementer tueatur. Eſt enim fiduciæ vox, faciat mihi quod bonum eſt in oculis ſuis. Sciuit enim Deum promiſiſſe reſipiſcentibus veniam, ex cuius promiſſionis fide hæc vox erumpebat.

Simili modo & nos in rebus ſpectãtibus ad hãc vitam precantes concludamus ex promiſſione fauoris Dei erga pœnitentes, quod ſi nõ eo modo quo cupimus nos exaudiat, certiſſimè tamẽ faciet quod nobis bonũ & cõmodum erit ſuo iudicio, qui non poteſt ſperantes in ſe derelinquere, fiducia in illum nunquàm quenquam fefellit.

3 *Etiam omnes expectantes te non erubeſcent, erubeſcent prauaricantes temere.*

Tertij verſiculi expoſitio.

Porrò ne quis putet ſingulare priuilegiũ paucorum eſſe tali fiducia cõſiſtere, ſequitur in tertio verſu fundamentũ quo hęc fiducia nititur. Ita enim ait: *Etiam omnes expectantes te non erubeſcent.* Dixit in ſuperiori verſu: Ego ſperaui, ergò non confundar: iam huius fiduciæ cauſam reddit, trã ferens hypotheſin ad theſin, tãquàm ad conſultationẽ, ex qua cauſę definitio depẽdet. Eſaiæ 49. Ipſe Deus reuocat Eccleſiã à cogitationib' mũdanis ad hoc fundamentũ ſeu conſultationẽ. Ita enim ait: Et erunt reges nutricij tui, & reginæ eorũ nutrices tuæ. Proni in terrã incuruabunt ſeſe tibi, & puluerẽ pedum tuorũ lingẽt: & ſcies quòd ego Iehoua, quia non pudefiẽt expectantes me. Nota diſtributionis *Omnis*, qua vtitur Pſalmiſta, nõ ſolùm ad omnes ſtatus, & quaſuis hominũ cõditiones, ſed ad omnia indiuidua in humana natura referenda eſt. Hoc igitur fundamẽtum ſeu principium omnibus pijs in conſpectu eſſe debet, quod eſt vt dixi, veluti conſultatio quædam, ad quam fluctuantis animus confugiet, vt non ſuccumbat tẽtationum varietate, ſed inuictus potius perſiſtat aduerſus omnes tentationes quibus infeſtatur, & ad diffidentiam ſolicitatur.

AEtiologia.

Si caro aduerſus te ſurrexerit, examina cor tuum, ac vide an vlla ſcintilla fidei ibi latitet, ſi ſenſeris fidei ſcintillam, implora Spiritum Dei quò magis excitetur, atq; ita excitata fide aduerſus carnẽ ex hac cõſultatione inſurgito: Nulli expectantes Deum erubeſcent, (hoc eſt, apprehẽdẽtes promiſſiones Dei vera fide, et expectantes ſalutem vera fide, non fruſtrabuntur ſua ſpe) Ergò expecto Deum, & certiſſimè ſtatuo ipſius promiſſiones ratas fore, non igitur confundar.

Doctrina de fidei certitudine.

Ad eundem modum in alijs tẽtationibus faciendum eſt, & præcipuè in agone mortis. Tunc enim omnium maximè praxis huius conſultationis erit neceſſaria.

Cęterum ne quis ſeipſum ſpectro fidei fallat, obſeruanda eſt antitheſis, quæ fundamẽto fiduciæ opponitur, videlicet, *erubeſcent prauaricantes temere.* Ex hac enim antitheſi per locum à contrarijs facilè mõſtrari poteſt, vbi vera fides in corde habitet, & vbi ſpectrum fidei ſe tantùm in oculos ingerat. Nã duo genera hominum hîc notantur: quorum alij veram fidem habent, alij ſpectro fidei faſcinãtur. Illi nõ erubeſcent: hi autem erubeſcẽt, id eſt, vana ſua ſpe lactati confundentur. *Expectantes te non erubeſcẽt.* Hîc quum expectantes Deum & præuaricantes, opponuntur, debet obſcurior pars per clariorẽ explicari, & ab ea veluti lucẽ mutuari. Quoniam igitur nõ eſt difficile iudicare, quinam dicantur præuaricantes, ex eo petemus definitionem eorum, qui verè Deũ expectant, & non pudefient. Sunt autẽ abſq; omni dubio præuaricantes temere, qui cũ à Deo defecerunt, non verentur nec Deũ, nec homines offendere, tametſi nullo dãno aut iniuria laceſſiti. Eſt enim illis perinde ſiue bene ſiue malè faciũt, adeò ſecurè ſine ſenſu peccati, & iudicij Dei viuũt. Verbũ Hebraicũ Habogedim à veſte ſumptũ videtur, quę facilè induitur & exuitur. Vt igitur veſtis qua quis vtitur facilè exuitur, ita illi temere exuũt fidẽ erga Deũ, & amicitiam erga homines, vt quẽ antè amarunt, iam ſine

Confirmatio ab antitheſi.

Præuaricantes temere, qui.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

cauſa,id eſt,nulla laceſſiti iniuria odio proſequantur.hoc ſenſu videtur Ieremias vſus hoc verbo Threnorum.1.1.vbi ita ait,Omnes amici eius ſpreuerunt eam,& facti ſunt ei in inimicos. In Hebræo eſt Bagedu,quod verbū,vt dixi,à veſte ſumptū eſt,ac ſi diceret Propheta:qui prius vſi ſunt amicitia Ieruſalē, iam eam amicitiam exuerunt, poſtquā Ieruſalē victa ab hoſtibus iacet,& calamitatib⁹ plurimis obruitur. *Præuaricantes* igitur temere erunt qui ſciētes& volentes peccant,viuuntq; ſine pœnitentia.Hos dicit Propheta confundi ſeu pudefieri,quod ſanè mirum non eſt,quia ſpectrum fidei tantū habēt, & nō viuam fidem. Viua enim fides nullo modo ſtare poteſt cum mala conſcientia.Repulſa enim conſciētia, vt Paulus loquitur,naufragium fidei fit.

Impiorū hypotypoſis.

Eſt igitur firma demōſtratio in Theologia, Quorumcunque opera ſunt impia & mala, illi quoq; impij,mali,& vacui fide ſunt.Opera Neronis ſunt impia & mala.Ergò Nero impius & mal⁹ fidéq; vacu⁹ eſt. Nō enim ſufficit oris profeſſio,niſi facta reſpondent verbis. Nam ad Titiū ſcribit Paulus:Deū profitētur ſe ſcire,ſed factis negāt,cū ſint abominabiles & immorigeri,& ad omne opus bonū reprobi. Ex his igitur manifeſtū eſt,quinā dicantur præuaricantes temere,quib⁹ opponūtur *expectātes Dominum*,vt qui nō præuaricētur temere,id eſt,qui tales ſunt, vt à Deo nō deficiant,nec ſciētes nec volentes peccēt, ſed retineant fidē & bonam conſcientiā,peccatū fugiant,& habeāt perpetuò proæreſin rectè benéq; agendi,ne vel Deū quē timēt offendāt, vel homines lædant,quos vt mēbra corporis eiuſdē cōplectuntur.Qui huiuſmodi ſunt,habent verā & viuā fidem, quorum ſpes non cōfundet.de hiſce Pſa.130.7.loquitur cùm inquit:Expectet Iſrael Dominū , quia cum Domino eſt miſericordia,& multa apud eū redemptio.Hi ergò ſoli poſſunt ſubſumere ſub principio dato:Nulli expectantes Dominū fruſtrabuntur ſua ſpe: Ego Dauid expecto Deū. Ergò nequaquā fruſtrabor mea ſpe.Precatur⁹ igitur Deū adhibeat hāc regulam,qua nulla certior eſſe poteſt:Si odis peccatum,ſi confugis ad miſericordiā,ſi habes [illegible] rectè faciendi,ſi propoſitū peccandi in animo nullū remanet,viuā fidē habes,& potes audacter in Chriſto ex hoc principio aduerſus Satanā , mundum & carnem concludere:Expectantes Deū non confundentur,Ego expecto Deū.Ergò nō confundar.Cōtrà autē ſi non tangeris ſenſu peccati,ſi propoſitum habes peccandi,ſpectrū tantū habes fidei.Quare fruſtra fundamento hoc niteris, quia inter præuaricantes cēſeris,quorū oratio eſt abominatio corā Deo. Præuaricantibus Deū temere, adiungo hypocritas, quorū vita etſi videtur ſancta,& mores inculpati, tamen quia ſuis virtutibus fidūt,& collocāt ſalutis fiduciam in meritis,à via recta errant,ac ſpoliāt Chriſtum debito honore,quare & illorū preces ſunt irritæ.De his lege 6.caput Matthæi.

Opera fidei aut infidelitatis ſunt certa teſtimonia.

Expectantes Deū.

Conſolatio & doctrina.

Correctio.

Epilogus, & præcipui loci 1. partis.

Hactenus de prima parte Pſalmi diximus,iā breuiter doctrinas ſeu locos huius capitis notabimus. Sunt autem hi loci præcipui.

Primus,ad quem precibus ſit confugiendū , nēpe ad Deū ipſum, cui ſoli inuocationis cultus debetur.

Secundus,definitio piæ orationis , videlicet quòd ſit eleuatio animæ ad Deum ex fiducia promiſſionum diuinarum.

Tertius,quòd verè Deus exaudiat inuocantes iuxta ſuas promiſſiones.

Quartus,quòd illi ſoli orare rectè poſſint,qui agūt pœnitentiam, & abiecerunt propoſitum peccandi.

Quintus, quòd hypocritæ & criminoſi orare non poſſint.

SECVNDA PARS pſalmi.

4 *VIAS tuas Domine demonſtra mihi,ſemitas tuas doce me.*

5 *Dirigi me in veritate tua, & doce me: quoniam tu es Deus ſalutis meæ, te expecto tota die.*

6 *Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum, quoniam à ſeculo ſunt.*

7 *Delicta iuuentutis meæ & tranſgreſſiones meas ne memineris,ſecundum miſericordiam tuam memento mei tu propter bonitatem tuam Domine.*

HÆc ſecunda Pſalmi pars precatio eſt ardētiſſima. Vt enim in prima parte preparauit ſe ad precandū Dauid,cōcepta in Deū fiducia, ex promiſſionibus diuinis:Ita in hac ſecūda parte ardētiſſimè precatur ſe à Deo doceri,dirigi,& ſibi ignoſci, idq; non ſua ob merita , ſed ob Dei miſericordiam quæ perpetuò durat:hæc precationis ſumma eſt. Nunc altius ſingula perpendamus.

Summa ſecundæ partis.

Primùm dicit,*vias tuas Domine demonſtra mihi*, vel ad verbum ex Hebræo : *vias tuas notas mihi fac*, vel *fac me ſcire vias tuas*.Vt autem quæ ſint viæ Dei planius intelligatur,vſus huius vocis,viæ,in ſcripturis nobis explicandus eſt.Via igitur propriè eſt qua itur de loco in locum: hinc metaphoricè transfertur vocabulum,vt via ſit vitæ ratio,inſtitutū,& mos actionū,ex quo natæ ſunt hæ loquendi formulæ:via hominis,via Dei,via mortis,via vitæ, via iuſtorum, via peccatorū.Hæc etſi facilima ſunt obſeruata metaphora,tamen placet ea fuſius declarare , ac primū de via hominis,& deinde de vijs Domini dicemus.

Via quid.

1. Via hominis.

Via hominis in genere eſt ratio inſtitutióq; vitæ hominis quam viuit , vnde omnes à die natiuitatis ad extremū vſque ad viatores,hoſpites,& peregrini dicimur,& dicitur via propter terminū à quo, medium,& terminū ad quem. Nam hac via itur ab hac vita per actiones vel ad mortem,vel vitam. Si malæ ſunt actiones,per eas itur ad mortem,ſi piæ,ad vitam.Non quòd opera & actiones noſtræ mercātur vitam,ſed quia ſunt via vitæ,ſeu, vt Bernhardus loquitur,*Opera noſtra non ſunt cauſa regnandi,ſed via regni.* Fulgentius hoc modo : *Vita hominis via eius, qui male viuit, viam tenet erroris , qui bene viuit, viam graditur veritatis.* Hinc paret quòd via hominis ſit duplex,vna vitæ,altera mortis:illa iuſtorū, hæc peccatorum à Dauide appellatur.

2. Via iuſtorum.

Iuſtorum via duplex eſt,vna fidei,altera obedientiæ.Fidei via Chriſtus eſt, quæ ſola ſubducit homines in cœlū.huc illud Chriſti:Ego ſum via, veritas, & vita:qui ergo in Chriſto per fidē manet,nō aberrat,quia in via eſt:nō fallitur,quia in veritate eſt:nō moritur,quia in vita eſt. Et Cyrillus, *Via ſancta & pura quā itur ad ſupremam ciuitatem Chriſtus eſt.* Obedientiæ via eſt conformatio vitæ hominis ad voluntatem Dei iuxta ipſius voluntatē,quantū id quidem in hac naturæ imbecillitate fieri poteſt.hinc ſūt hæc ſcripturæ dicta:In præceptis meis ambulate.Et: Beati immaculati in via,qui ambulant in lege Domini: hoc eſt,qui hanc viuūt vitā,ea faciunt,quæ doctrina cœleſtis præcipit atque mandat. Et reuerti & auertimini reuertimini ad me.Reuertatur vnuſquiſq; à via

ſua

ſua mala, & auertatur à via ſua impia. Hæc iuſtorum via & hominis dicitur & Dei, hominis quidem quatenus in ea ambulat, Dei verò quatenus à Deo præcepta eſt eíque placet.

1. Peccatorum via.

Peccatorum via carnis via dicitur, cùm ex diffidẽtia homo malè viuit cõtra voluntatem Dei. Hęc via multis verbis deſcribitur ad Rõ.1.& 2. Pſa.14. ad Ephe.4. ad Gal.5. & aliis multis ſcripturæ locis, quos breuitatis gratia prætereo, & tantùm annotabo viarum peccatorum ordines, qui ſunt tres: quorum ſinguli habent 4. gradus.

Viæ peccatorũ tres ordines & 4. gradus vnius cuiuſq. ordinis.

In primo ordine ſunt hi gradus: Cogitatio rei illicitæ. 2. affectus cogitatione irritatus. 3. cõſenſus ab affectu exortus. 4. actio conſentientis.

In ſecundo ordine eſt 1. mala conſcientia, quæ ſequitur actionem prauam, vt fumus incendium. 2. cõtẽptus Dei, quo ipſius maieſtas nihili fit. 3. Idolatria ſeu Epicuriſmus, contẽptus Dei iuſtiſſima pœna. 4. vniuerſalis iniuſtitia, qua fit vt homines præcipites ruant tanquàm phrenetici in omnia flagitia aduerſus Deum, aduerſus homines, & aduerſus hominis dignitatem.

In tertio ordine 1. eſt mens reproba, quæ peruerſo iudicio de omnibus rebus iudicat, atque adeò omnem religionẽ in dubium vocat, vt legimus de Pontifice Romano Paulo Quarto. 2. Mentem reprobam ſequitur ἀπαλγησία ſeu dedolẽtia, videlicet cùm homini, vt Paulus loquitur, cauterio reſecatur conſciẽtia. 3. Hanc ἀπαλγησίαν ſequitur finalis impœnitentia. 4. huius fructus in agone mortis eſt deſperatio: qua nihil triſtius, nihil acerbius cogitari poteſt, atq; hæ ſunt viæ peccatorum, quæ deducunt homines ad æternos cruciatus.

Viæ iuſtorum ord. & gradus oppoſiti.

Iam per antitheſin ordines viarum iuſtorum, eorumque gradus ordinemus.

In primo ordine erunt, 1. pia cogitatio. 2. affectus cogitationi reſpondens. 3. cõſenſus voluntatis pius 4. actio cõgruens cũ cogitatione, affectu, & cõſenſu.

In ſecundo ordine erunt. 1. bona conſcientia dulciſsima ſenectutis nutrix (vt ait Pindarus) 2. ardẽtior amor Dei. 3. purus cultus Dei. 4. vniuerſalis iuſtitia, qua in omnibus ſtudet rectè piéque agere.

In tertio ordine erunt. 1. mens rectè docta, & quotidie creſcens in ſapientia & prudentia ſpirituali. 2. dolor ob quẽlibet vel minimũ lapſum per ignorantiã & infirmitatẽ cõmiſſum. 3. perpetuum ſanctitatis ſtudiũ. 4. gaudiũ ſpiritus inenarrabile, quo in Deo pius acquieſcit, & certò expectat finem fidei, qui eſt ſalus animarũ. Hæ ſunt iuſtorum viæ, & beati qui ambulãt in iis. Quicunq. ergo ſalutis ſuæ cogitatione tangitur, relinquat viã mortis, & quærat viã vitæ per Ieſum Chriſtum, nec ob peccata cõmiſſa deſperet, nã ſcriptũ eſt Eze.33.12. Impietas impij non nocebit ei in quacũq. die cõuerſus fuerit ab impietate ſua.

Hinc etiã intelligi põt cur via interdũ pro quauis ſecta, vocatione, more, conſuetudine, conſtituto accipiatur, quemadmodum in actis Apoſtolicis videre eſt.

Placet & hoc annotare, quòd Theologi diſtinguant viam à ſemita. Per viam quidem mandata ea peragenda intelligentes, quæ vniuerſo generi mortalium data ſunt, qualia ſunt ea quæ in Decalogo præcipiuntur. Per ſemitam verò quæ huic vel illi perſonę ex officij conditione præcipiuntur.

Viæ Domini.

Triplex ſignificatio.

Viæ Domini non vno modo accipiuntur, nã interdũ præcepta & promiſſiones Dei, viæ Domini dicuntur, vt in præſenti Pſalmo, Vias tuas Domine fac me ſcire. Item, Fac me viare in veritate tua. Interdum affectus Dei, voluntatem & morem agendi ſignificant, vt cùm hîc dicitur: Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Itẽ Pſal.145.17. Iuſtus eſt Dominus in omnib. viis ſuis, & miſericors in omnibus operib. ſuis. Interdũ cõformationem vitæ hominis iuxta volũtatem Dei, quæ in ipſius verbo nobis cõmendatur, vt cùm dicitur Gen.18.19. Scio ꝙ præcepturus ſis filiis tuis vt cuſtodiãt vias Domini, & faciant iudiciũ & miſericordiã. Hoc pacto in hominibus piis viæ Domini ſunt fides, ſpes, charitas, patiẽtia, iuſtitia, miſericordia, veritas, & aliæ virtutes ex fide & timore Dei manantes, quæ vt præcipiuntur à Deo, ita illi ſummè placent.

Quid hîc ſint viæ Domini. Preces re petitæ.

His de vſu vocabuli breuiter indicatis redeamus ad textum. *Vias tuas* (inquit) *Domine demonſtra mihi.* hîc viæ Domini ſignificant promiſſiones & mandata Domini, quæ requirunt fidem & obedientiam. Nam ſcire promiſſiones, & tenere mãdata ſine fide & obedientiæ ſtudio, obligat hominem ad maiora ſupplicia, iuxta illud Domini dictũ, Seruus ſciẽs voluntatem Domini, & non faciens vapulabit plagis multis. Quare cùm petit Dauid inſtrui in viis Domini, ſimul petit fidem & præſtandi facultatem.

Ad quid referũtur.

Porrò cùm ter eandem precationẽ repetit, licet diuerſis verbis, neceſſe eſt magnas huius precationis cauſas ſubeſſe. Primùm enim dicit: *Vias tuas Domine demonſtra mihi:* deinde: *Semitas tuas doce me.* Tum: *Dirige me in veritate tua, & doce me.* Quæ omnia eandem omninò ſententiam habent, & referri debent ad tres primas petitiones Dominicæ orationis. Nam nomẽ Dei ſãctificatur efficaci noticia Dei. Regno Dei per fidem aggregamur: & obedientiæ ſtudio voluntati Dei reſpondere conamur. Efficax autem notitia ſignificatur vocabulo veritatis. Nã Hebręis verba notitiæ per ſynecdochẽ ſæpe ſimul ſignificãt affectus ſequentes notitiã. hinc eſt ꝙ *Emeth*, quo verbo hîc vtitur Dauid, ſignificet non tantùm verbum Dei verum & immotũ, & promiſſiones gratiæ certiſſimas, verumetiam firmum aſſenſum verbi, & promiſſionum diuinarũ, fidẽ, cum qua fide coniuncta eſt obediẽtia erga Deum cum bono propoſito. Opponitur proinde veritas nõ ſolùm opinionib. & mendaciis omniũ hominum & diabolorum, verumetiã hypocriſi cùm fidei tum operum. Is proinde dirigitur in veritate Dei, cui certo perſuaſum eſt de infallibili veritate verbi Dei, cuíque ex fide hoc vnicũ in votis eſt vt ſuã vitam & mores ad regulam veritatis componat, creſcátq; quotidie in omni cognitione & ſenſu.

Cauſæ huius repetitionis.

1. Cognitionis miſeriæ humanæ neceſſitas.

Quæ ſunt cauſæ huius ardentiſſimæ precationis toties iteratæ? Etſi multæ huius rei cauſæ ſunt, tamẽ nos tres potiſſimum notabimus. harum prima eſt: homo ſuo carnali iudicio relict⁹, nihil rectè iudicat de Deo: nihil certi nouit de voluntate Dei, ſed inſtar arundinis nunc huc, nũc illuc opinionib. impellitur, id quod ſatis oſtendũt furores plurimarũ ſectarũ, & hæreticorũ. Homo enim ψυχικὸς nõ percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei. Vt igitur non circũferamur quouis vento doctrinę, & agitemur variis opinionib. opus eſt nobis doctrina cœleſti, quæ ſola omni errore caret, quæ ſola nos ducit ad ſacrarium Dei, vbi & ipſum Deũ & ipſius volũtatẽ cognoſcamus. Secũda cauſa eſt, vt teſtetur Dauid opus eſſe in Eccleſia voce docentiũ & magiſterio Spiritus ſancti, qui ad externam verbi prædicationẽ efficax eſt. Nã cùm homo voce docetur externa, & Spiritus ſanctus doctrinã in corde efficacem facit, Theodidactos dicitur. Nõ vult ergo Dauid vt more Enthuſiaſtarũ & Anabaptiſtarum quæramus reuelationes extra verbum, quaſi illi cenſendi eſſent Theodidacti, qui contẽpto miniſterio verbi per afflatus neſcio quos furere videãtur. Tertia cauſa eſt neceſſitas. Nam vt ſolæ viæ

2 Neceſſitas miniſterij.

3. Verbi Dei neceſſitas

X.iij.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Domini, quæ monſtrantur in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis, ſunt viæ ad vitam & ſalutem: ita ſine noticia harum viarum rectâ properant homines per viam erroris ad certiſſimum interitum.

Doctrina.

Hinc ergò patet & quo in loco habere nos oporteat miniſterium verbi, & quo affectu erga eos deceat nos eſſe præditos, qui has vias in ſcholis & templis monſtrant, & qua animi prõptitudine par ſit vt verbum Dei audiamus, ſine quo vias Domini ignorare neceſſe eſt. Hoc proinde Dauidis exẽplum meritò monere deberet nõ ſolùm reges & principes, vt & ipſi peterent ſe doceri vias Domini, & conſeruari puritatẽ doctrinæ in ſcholis & in tẽplis, verũetiã patresfamiliâs omnes, vt hanc curã potiſſimùm haberẽt, vt ſui liberi in viis Domini rectè inſtituerentur, ac vitam ſuam ad normã viarum Domini formarẽt.

Quinti verſiculi explicatio.

Sequitur ratio petitionis: *Quoniam tu es Deus ſalutis meæ, te expectaui omni die.* Hæc ratio petitionis ſumpta eſt à fine ſpei, quæ ex noticia viarum Domini & promiſsionum diuinarũ naſcitur: & habet ſcopum ſalutem, cuius autorem Deum agnoſcit. Nam Deus ſalutis meæ, nihil aliud eſt, quàm Deus qui eſt author & dator ſalutis meæ, ſiue Deus ſaluator meꝰ. Quid ſignificetur expectandi vocabulo ſupra in prima parte Pſalmi dictũ eſt, videlicet quòd expectatio ſit certa fiducia diuinarum promiſſionum, quæ fiducia nota piorum eſt, & habet ſemper coniunctum propoſitum piè rectéque agẽdi.

Salus quid.

Per ſalutem hîc intelligit tum ſalutem corporis, tum æternam animæ & corporis ſalutem, qua nequaquàm fruſtrabuntur qui promiſſionis fidem vſque ad finem retinent.

Huius collatio cum dãnatione.

Huius ſalutis collatio cum damnatione, in quam iuſto Dei iudicio omnes non conuerſi incurrent, vt meritò in nobis excitare deberet amorẽ verbi Dei, fidem, patientiã, dilectionem Dei & proximi atque alias virtutes, ita contrà, impios aut ad pœnitentiam impellere deberet, qua redirẽt à ſuis viis peruerſis, aut metũ impendẽtis iuſtiſsimi iudicij ipſis incuteret. Nã vt finis fidei & obediẽtiæ ex fide præſtitę eſt benedictio Dei ſalúſq; animæ & corpori, ita diffidẽtiæ & inobediẽtiæ ex ea natę finis eſt maledictio, & ad æternã mortem condẽnatio, quæ ſanè mors non erit ſenſus expers & priuatio vitę naturę, quod haud dubiè omnes impij optarẽt, ſed eſt perpetuus animę & corporis cruciatus, & priuatio vitæ, gratiæ & glorię beatorũ, quæ eſt Deus ipſe. vnde Auguſtinus: *Sicut vita corporis anima eſt, ita vita animæ Deus eſt. Sicut corpus exſpirat dũ amittit animam, ſic anima exſpirat dũ amittit Deũ. Deus amiſſus mors animæ, anima amiſſa mors corporis.* hinc ergo manifeſtum eſt, quanta cura ſalutis conſequendæ hominibus eſſe deberet.

Sexti verſiculi expoſitio.

Sextus verſus exordium cõſolatorium habet petitionis remiſsionis peccatorũ, quæ ſequitur in ſeptimo. Exordiolum eſt: *Reminiſcere miſerationũ tuarũ Domine, & miſericordiarũ tuarum quæ à ſeculo ſunt.* Hîc rurſus fundamentũ fiduciæ ſternit, vnde erigitur inter precandum animus. nã ex cogitatione miſericordiæ Dei concipitur fides, & confirmatur fiducia remiſſionis peccatorũ, cùm ait: *quæ à ſeculo ſunt,* ſenſus eſt, vt exprimitur Pſal. 103. 17. Miſericordia Domini ab æterno vſq; ad æternum ſuper timentes eũ.

Miſericordiæ Dei à ſeculo ſunt.

Extendit enim ſe miſericordia Dei ad omnes omnium ætatum homines, ſeu vt Canticum virginis habet, in progenies progenierum, ſcilicet eorum, qui timent Deũ, & ad ipſum confugiunt vera fide. Quare nõ eſt ꝙ quiſquã ſe de eorum numero eximat, quos Deus decreuit ſaluare, ſed potius ſe includat in vniuerſalẽ promiſsionem miſericordiæ, qua Deus omnes, vt Syracides loquitur, cõplectitur homines, neq; quiſquam eſt qui non ſit expertus argumenta bonitatis Dei erga ſe, vnde Iob non exiguam in ſua calamitate conſolationẽ habet: Manus, inquit, tuæ finxerũt me, & fecerũt me omni ex parte, & diſperdis me? &c. Etſi autẽ Iob in maximo luctu fuit, & horrendis tentationib. concutiebatur eius animus, tamen recolens priora beneficia Dei ſibi præſtita ſuſtentat ſe, & paulatim in eo præteritorũ beneficiorum cogitatione creſcit fides.

Doctrina.

Ad eũdem modũ & nos reuocemus in memoriã Dei priſca beneficia, & præcipuè ꝙ nobis in lucẽ editis per baptiſmũ obſignauerit gratiã & miſericordiã, à quo fœdere non recedet ſeruata conditione, ex parte hominũ, quam pactio requirit. quia perfectè bonus eſt. Nã πᾶν ἀγαθὸν ἴσην ἔχει φύσιν, id eſt, Omne bonum æqualem naturã habet. Proinde hęc firmiſsima demonſtratio eſt de fauore Dei & beneuolentia erga nos. Hactenus mihi Deus multa temporalia & ſpiritualia contulit beneficia. Igitur etiã in poſterum mihi benefaciet. Hęc cõcluſio fidei eſt: qui autem fide carent, ſuapte culpa pereunt. Nam vt Deus miſericors eſt erga omnes fideles, ita iuſtus iudex omnium impiorum erit.

De Dei reminiſcentia.

Porrò cùm petit vt Deus reminiſcatur ἀνθρωποπάθεια eſt. Deus enim reuera omnium pręteritorum, præſentiũ, & futurorũ perfectiſſimam habet noticiã, adeò vt nullius obliuiſci poſſit, cùm omnia ſint nuda & aperta corã oculis eius. Verùm hac forma loquẽdi vſus eſt Dauid propter homines, qui putabãt Deũ oblitũ fuiſſe ꝓmiſſionũ, quas Dauidi de regno fecerat. Poſſumus ẽt dicere metalepſin eſſe, qua antecedẽs pro cõſequẽte ponitur. Vt enim nouiſſe ꝓ approbare, ita reminiſci pro curã gerere, tueri, & ſcd̃m miſericordiã cõſeruare atque adeò ſaluator ponitur.

Septimi verſiculi explicatio.

Petitio remiſſionis peccatorum ſequitur: *Delicta iuuentutis meæ, & tranſgreſſiones meas ne memineris,* hoc eſt, Ignoſce peccatis meis cùm originali, tum actualibus omnibus.

Petitio gratiæ.

Vt autẽ recordari peccatorum eſt ea imputare & punire: Ita nõ recordari, ſeu nõ meminiſſe eſt peccata delere, tegere, & cõdonare. Sic Dominus apud Eſaiã loquitur cap. 43. 25. Ego ego ſum ipſe qui deleo præuaricationes tuas propter me, & peccatorũ tuorũ nõ recordabor. Hîc delere peccata & recordari peccatorũ opponuntur, vnde colligitur ꝙ non recordari ſeu meminiſſe accipiatur per metalepſin pro delere & cõdonare peccatũ.

Duplicia peccata.

Meminit autẽ hîc Dauid dupliciũ peccatorũ: alia iuuẽtutis delicta nominat, alia appellat trãſgreſſiones. Differunt autẽ hæc cauſis efficientibus potiſſimùm.

1. Infirmitatis.

Nã delicta ab ignorantia & infirmitate proficiſcuntur, ſub quo genere originale colloco, vtpote fontem aliorũ.

2. Contumaciæ.

Trãſgreſſiones ſunt peccata quæ ſcientes & volentes cõmittimus. Etſi autẽ vtrũq; genus ſua natura obligat ad pœnã, tamen permagnum eſt diſcrimen. Delicta enim ſeu peccata ignorantiæ & infirmitatis nec fidẽ extinguunt, nec ſpiritũ ſanctum excutiunt, nec conſcientiã vaſtant in renatis, quẽadmodum ea peccata faciunt quæ ſcientes & volentes cõmittimus.

Alia eſt minus...

Hinc eſt ꝙ Paulus aliud peccatum regnans appellat, aliud non regnãs, ſed domitũ & veluti frẽno ſpiritus ſubiectum. Ne regnet, inquit, peccatum in mortali veſtro corpore, vt obediatis peccato in cupiditatib. corporis. Eſt ergò regnans peccatũ, cùm volũtas hominis ſe ſubmittit peccato ad obediendũ concupiſcentiis corporis. Nõ regnans autẽ, quãdo voluntas hominis opponit ſe imperio peccati, & non obtẽperat cõcupiſcẽtiis corporis, ſed reluctatur per ſpiritũ ſidei.

Tria peccatorum regnantium genera.

Etſi autẽ omne peccatũ volũtariũ regnãs dicitur tamẽ tria ſunt peccatorũ genera, quę per excellẽtiã peccata dici poſſunt, de quibus Sapiens in hãc ſentẽtiã loquitur, Eccl. 23. 21. Duo ſũt hominũ genera quæ peccata multiplicãt. Tertiũ etiã quod irã importat.

Anima

Anima æſtuans tanquam ardens ignis, qui non extinguitur donec abſumatur: homo ſcortator in corpore carnis ſuæ non conquieſcit donec ignẽ accenderit: quiuis ciuibus ſuauis eſt homini ſcortatori, nõ ceſſabit donec intereat: tũ thori ſui homo temerator ſic animo ſecũ cogitans, quis me videt? tenebris circũſeptus ſum, parietib⁹ occultus, nec quiſquã me videt. quidnã metuã? peccata mea non curat altiſſimus. Hìc Sapiẽs tria dominantiũ peccatorũ genera recitat, Primi generis ſunt prauæ animi cupiditates æſtuantes, vt ira, odiũ, auaritia, ambitio, & cæteræ immoderatę affectiones, quę in animo hominis veluti in fornace accenſæ ſunt. Secundi generis ſunt libidines omnes cõſuetæ extra cõiugiũ, quæ indies magis magiſq; veluti flãma quædã exardeſcunt. Tertij generis eſt eorum qui declinant à thoro legitimo, & ſe ad alienas conuertunt. Hæc tria dominantiũ peccatorũ genera cũ cõparantur igni & incẽdio ſeu flãmæ ardenti, nequaquã extingui poſſunt, niſi verbo Dei & Spiritu ſancto reprimantur.

Locus de odio peccati. Porrò vt mai⁹ in nobis excitetur peccati odiũ, duo hîc aſcribã. Primũ ex Paulo cauſas peccatorũ annotabo, quo prudẽtius medicina adhiberi poſſit. Deinde, quę mala in peccati ratione cõcurrunt indicabo, vt horum malorum cogitatione à peccando magis abſterreamur.

1 Cauſæ peccatorũ quinque. Cauſæ peccatorũ ad Ephe. 2. 1. &c. hiſce verbis enumerat Paulus: Et vos cõuiuificauit qui eratis mortui in delictis & peccatis, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſeculum mundi huius, ſecundum principem poteſtatem aeris ſpiritus nũc operãtis in filiis cõtumaciæ, in quibus & nos omnes verſati ſumus aliquando, in cõcupiſcentiis carnis noſtræ, facientes voluntatem carnis & cogitationũ. In hiſce Pauli verbis, ſi ea diligentius examinauerimus, habemus cauſas peccatorum omnium graſſantiũ in hac vita, quas iuxta conſecutionis ordinem digeram.

1. Carnis concupiſcentia. Prima igitur peccatorum cauſa eſt ἐπιθυμία σαρκὸς, id eſt, carnis concupiſcentia, videlicet originalis & paſsiua, quæ etiam peccatum Originale dicitur. hęc omnis mali prima radix eſt, & omnium viciorum mater fœcundiſſima.

2. Carnis ratiocinatio. Secunda cauſa eſt διάνοια τῆς σαρκὸς, hoc eſt, vicioſę naturæ praua cogitatio & ratiocinatio, videlicet cũ ea quę carni placẽt, ratiocinamur ex cupiditatis principiis contra rectæ rationis dictamen. Nã cùm διανοητικὴ facultas ſumit ſibi hoc principium monſtratũ ab innata cõcupiſcentia: Quę delectãt, quæq; naturę ſuauia ſunt, ſunt experẽda & ſectãda: homo miſerè deceptus in omnia voluptatũ genera veluti pręcipitatur, nihil, aut parũ cogitans de hominis excellẽtia & dignitate, ſed fœdè ſe infra viliſſimas beſtias abiiciẽs: hinc Epicuri ſchola initiũ cœpit, quæ vtinã nõ plures haberet diſcipulos quàm Chriſti ſchola. Etſi autẽ fuerunt Philoſophi excellẽtes, vt Socrates, Plato, Ariſtoles, Plutarchus, & alij plurimi, qui ſcholam Epicuri condemnarunt, tamen parũ effecerunt, quia nec originẽ, nec remediũ mali humanę naturę innati nouerunt. Multi quidẽ ex ſcintillis hominib. inſitis de honeſtis & turpibus nouerunt, ꝙ illa his ſint præferenda, tamen euentus docuit quàm miſerè decepti ſint. Nã nemo inter eos Philoſophos fuit, qui nõ aliquo ſingulari flagitio fuerit conſpurcatus.

3. Voluntas carnis. Tertia cauſa eſt θέλημα τῆς σαρκὸς, id eſt, voluntas carnis, hoc eſt, προαίρεσις & cõſenſus, in ea, quę τὸ διανοητικὸν concludit ex concupiſcentiæ principiis. hæc voluntas conſummatio peccati eſt. atq; ita videmus quomodo ſe habeãt in peccati ratione partes animæ διανοητικὴ & ὀρεκτικὴ: illa quidem vim cogitãdi & ratiocinãdi habet, ſed propter cõcupiſcentiã innatã cęca & ignara eſt, donec à Domino illuminetur, ac doceatur: hęc in appetẽdo poſita eſt, ſed propter originale malũ, eſt immoderata & diſſoluta, niſi à Domino regatur & cõtineatur. Quia autẽ ex his duabus facultatib. peccata omnia manãt, Sapiẽs meritò precatur in hũc modũ, Eccl. 23. 2. Quis caſtigationẽ cogitationi meæ adhibeat, & cordi meo ſapiẽtẽ inſtitutionẽ, ne ignorantiæ meæ multiplicẽtur, & peccata mea pernicioſam acceſſionẽ faciãt? Quòd autẽ caſtigationẽ cogitationi adhiberi cupit Sapiens, ratio eſt quia hanc primã actualis peccati cauſam agentẽ agnoſcit. Deinde quia homo non poteſt facilius ſeipſum cognoſcere, quã ex cogitatione propria, & ſui animi cõſciẽtia, hinc eſt ꝙ in alio loco Sapiẽs dicit, Eccl. 27. 5. 6. Quẽadmodum ſortes in excuſſo cribro remanẽt: ita ſpurcitia hominis in cogitatione ipſius. Fornax probat vaſa figuli, homo verò in cogitatione probabitur.

Quarta cauſa αἰὼν τοῦ κόσμου τούτου ſeculũ mundi hui⁹, hoc eſt, mores hominũ ſceleratiſſimi. Nihil enim magis mouet quã multorũ exẽpla, præſertim in deteriorẽ partẽ. Vnde rectè ab Agapeto dictũ eſt: ἡ κακὴ συνήθεια πονηρίας νομή, hoc eſt, mala conſuetudo malitiæ pabulum eſt. 4. ſeculũ mundi huius.

Quinta eſt princeps aeris, qui & multas occaſiones & multa ſcandala obiicit hominibus, vt eos præcipitet in foueam exitij. 5. Princeps aeris

Has cauſas cùm pij cogitant, armabunt ſe ſpiritualibus armis aduerſus mundũ, carnẽ, & Sathanã, & ſimul cogitabunt quãta mala peccatũ, præſertim voluntariũ ſecũ adferat, quæ cogitatio nõ parũ facit ad retinẽdos homines in timore Dei. Etſi autẽ profundiſsimum pelagus malorum in peccatis exiſtit, tamen ea ad quinq; Capita reuocare conabor. II. Mala, quæ in Peccati ratione concurrunt.

Primũ, Peccatũ hominis ſupra modũ diabolo, vt pote eius autori, gratũ eſt, qui facit peccatũ, nõ ſolũ facit voluntatẽ Diaboli, vt Chriſtus teſtatur, verũetiã circumgeſtat characterẽ eius in ſignum defectionis à Deo, & obſequij erga Diabolum: qua re non parũ delectatur Satan, qui vt Auguſtinus ait, *ſemper praua docet & turpibus gaudet*. Quantũ autẽ hoc malum ſit, quamq; indignũ homine ad Dei imaginẽ cõdito, nemo ſatis cogitare poteſt, nedũ verbis eloqui. 1. Peccatũ hominis.

Secundum cum primo coniunctum eſt, videlicet ꝙ peccatum grauiſſimè Deum offendat, qui prohibet, odit, & abominatur peccatũ. Nã homo per peccatum non ſolum proditoriè à Deo deficit, & eius legẽ contẽnit, verumetiã nefariè ſe in caſtra hoſtis Dei recipit, qua turpiſſima ingratitudine nihil triſtius eſſe poteſt, hanc ingratitudinẽ exaggerat Moſes Deut. 32. 15. cùm ita ait: Deum qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini creatoris tui. 2. Dei maieſtas violata

Tertium nocet cõmittenti. Primũ enim homo, qui ſciens & volens peccat, gratiã quã habuit ante cõmiſſum peccatũ, amittit, & quidquid vnquàm boni fecit, in ſummã obliuionẽ venit apud Deũ. Ita enim ait Ezechiel: Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatẽ, omnes iuſtitiæ quas fecit obliuioni tradentur. Deinde peccãdi cõſuetudo paulatim excæcat hominẽ, atque adeo ipſum ineſcat & decipit, vt nec videat ꝙ rectum eſt, nec ſentiat hamũ Diaboli, quo ad mortẽ trahitur. Nã falſa delectatione cupiditatẽ auget, & ſtulta ratiocinatione rationẽ euertit, vt homo tandẽ fiat ſicut mulus & aſinus, in quibus non eſt intellectus, & de peccato in peccatũ ruat, vt ſequens peccatũ ſit antecedẽtis pœna. Rectiſſimè ergo monet Sapiens, Eccle. 21. 2. cũ inquit, tanquã à cõſpectu ſerpentis fuge peccatũ, nã ſi propius acceſſeris, mordebit te. Hoc dictum oſtẽdit quàm periculoſa & pernicioſa ſit peccandi conſuetudo & cõtinua- 3. Hominis exitiũ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nuatio. Nam cõparat peccatum venenatiſſimo ſerpenti, cuius morſus perniciẽ adferre poteſt. Proinde rectè Auguſtinus: Omnia ſeminaria voluptatis venenum puta. Et Bernhardus: *Experta voluptas libenter repetitur, repetita blanditur, conſuetudo ligat, ratio ſopitur, atq. ita ex conſuetudine peccandi quodamodo fit neceſſitas.* Vnde Salomõ, Prou. 1. 22. In iniquitate ſua capitur impius, & funibus peccati ſui conſtringetur Et quidẽ alius ait: Praua conſuetudo eſt veluti lepra inueterata, quæ vix curari poteſt, adhæc quicquid facit vel domi vel foris, vel in politica aut Eccleſiaſtica, ſeu œconomica adminiſtratione homo peccatis indulgens, & ruens de peccato in peccatũ, eſt aut planè noxiũ, aut prorſus inutile. Quẽadmodũ Eſaias cõparat opera impiorũ ouis aſpidũ & telis aranearũ. Quid dicã de amariſsimo fine hominis, qui malicioſè peccatis indulget, decedet enim ab hac vita mala cũ concupiſcẽtia, qua pœna quid triſtius eſſe poteſt? Et poſtea æternis ſuppliciis tradetur à iuſtiſſimo iudice. Vnde Archilochus ἓν δ' ἐπίσταμαι μέγα τὸν κακῶς δρῶντα δεινοῖς ἀνταμείβεσθαι κακοῖς, hoc eſt, vnũ noui & illud quidẽ magnum, malefacta malefactori grauiſſimis compenſatum iri malis.

4. Scandalum. Quartũ, peccatũ ſua contagione inficit etiã alios, vnde Medea dicit: Ingreſſus malarum fœminarum ad me etiam me deteriorem fecerunt. Vt enim qui pice contaminatus eſt, contaminat quicquid attigerit: ita homo malus & peccati pice ſordidus, eos quibuscum conuerſatur, fœdat.

5. Abominatio peccati. Quintum peccatum in ſe abominabile eſt, quia eſt imago Sathanæ, & turpe, quouis cœno & ſterquilinio fœdius. Hinc Petrus peccatores porcis comparat, quia in peccato veluti in ſtercore fœdiſſimo volutantur. 2. Pet. 2. 22.

Has cauſas, & hæc mala quæ ſecũ adfert peccatum cogitemus, nobiſq; dictũ putemus, ꝙ Dominus ſanato à ſe dicit Iohan. 5. 14. Ecce ſanus factus es, iam amplius noli peccare, ne quid deterius tibi contingat. Vulnus enim iteratũ tardius ſanatur, & Chriſtus Lucæ 11. 26. ait de ſpiritu malo egreſſo ab homine, qui reuerſus aſſumpſit ſecũ alios ſeptẽ ſpiritus nequiores ſe, & facta ſunt nouiſſima iſtius hominis peiora prioribus.

Ratio petitæ remiſſionis peccatorum. Ratio petitionis remiſſionis peccatorũ ſequitur, cũ ait: *Secundũ miſericordiã tuã memento mei tu propter bonitatem tuã Domine.* Hæc ratio ſumitur ab affectu Dei erga homines ipſum inuocantes: memẽto mei, inquit, hoc eſt, curam mei habe, tanquã pater filij, tuere, ignoſce peccatis, quia miſericors es & bonus hæ duæ virtutes, videlicet miſericordia & bonitas ſunt veluti radij quidã diuinæ eſſentiæ ſeu eſſentialis bonitatis Dei erga homines.

Miſericordia Dei. Miſericordia, Hebræis *Cheſed*, eſt paternus affectus Dei erga homines, nã in genere ſignificat στοργὴν illã pietatis, qua parentes naturaliter tanguntur erga liberos, & viciſſim liberi erga parentes, hinc ad Deũ trãsfertur, & à Paulo dicitur φιλανθρωπία, cui' effect' bonitas eſt, hoc eſt, benignitas, quæ apud Paulum vocatur χρηστότης, videlicet cùm Deus ex ſtorga paterna benefacit homini, ac eum benignè fouet.

Præcipui loci ſecundæ partis. Iã locos huius ſecundæ partis Pſalmi aſſignemus.

Primus, Vias Domini, id eſt, voluntatẽ, promiſſiones, & mandata Domini rationis lumine cerni non poſſe. Nam ſi cernerentur lumine rationis, non peteret Dauid eas ſibi monſtrari diuinitus.

Secundus, Deum ipſum hominib. ſuas vias patefacere, & in iis homines deducere ne aberrent. Nã petitio oſtẽſionis viarũ Domini nititur fide ꝓmiſſionis.

Tertius, Deũ eorũ qui in ſe ſperant, ſaluatorẽ eſſe vnicũ. Nã cũ Deus dicitur Deus ſalutis, ſignificatur quod iuxta regulam decreti ſui ſalutem præſtet.

Quartus, Miſericordiã Dei nullis claudi ætatũ terminis, ſed ſe extendere in omnes & ſuper omnes omniũ ætatũ homines, qui ad ipſum in veritate cõfugiũt, hoc enĩ ſignificatur cũ inquit: quę à ſeculo ſunt.

Quintus, Deũ paratũ eſſe ad ignoſcendũ omnibus iis, qui ex vera fide veniã petunt, apud Deũ enim nõ eſt προσωποληψία, vt enim erat paratus ad ignoſcendũ Dauidi petenti: ita & aliis petentibus ignoſcit.

Sextus, bonitati Dei accepta ferenda eſſe omnia cõmoda, quæ in hac vita & in futura nobis cõtingunt. Dauid enim hîc ad Deum vt fontem omnis bonitatis confugit.

Septimus, Deum non aliter affectum eſſe erga homines pœnitentes, quàm pius pater erga tenerrimã prolem affectus eſt, id quod hoc loco ex attributis Dei colligitur. Vnde monemur noſtri officij, vt illum ſimili proſequamur ſtorga.

TERTIA PARS PSALMI.

8 *Bonus & rectus Dominus propterea docebit peccatores in via.*

9 *Diriget afflictos in iudicio, docebit afflictos vias ſuas.*

10 *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas, & cuſtodientibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius.*

Hæc tertia Pſalmi pars prædicat bonitatem & miſericordiam Dei, vt eius cogitatione fides excitetur, & confirmetur animus precantis. Supra petiit Dauid ſibi monſtrari & oſtendi vias Domini, petiit ſibi ignoſci: hîc à natura Dei rationem ſuæ precationis petit. Deus eſt bonus, ergo errantibus viam mõſtrabit. Deus eſt miſericors & verax in ſuis promiſſis, ergo pœnitentibus ignoſcet, atq; hæc ſumma eſt huius partis Pſalmi, iam propius ſingula aſpiciamus. Summa tertiæ partis.

Verſiculi expoſitio. Primùm tribuit Deo duo Epitheta, cum inquit: *Bonus & rectus Dominus*: quorum prius cauſa, poſterius effectus eſt. Bonus dicitur Deus eſſentia, perfectione, origine & cauſa. Eſſentia bon' eſt Deus, quia eſt eſſentialis quædã bonitas. Perfectione bonus eſt, quia is ſolus abſolutè eſt bonus. Origine bonus eſt quia eſt fons omnis bonitatis in creaturis. Cauſa deniq; bonus eſt, quia eſt cauſa omnis boni in natura, vt Plato rectè dicit. Eſt enim, vt idem ait, αἴτιος bonorũ omniũ, ἀναίτιος verò malorũ. Cùm autẽ Deus ita bonus ſit, nihil poteſt ab eo proficiſci niſi ꝙ bonũ eſt, malũ enim diuinæ naturæ aduerſatur. De bonitate Dei.

Quo ſenſu Deus dicatur rectus. Deinde *Rectus* dicitur, hoc eſt, non deflectens à recto in hanc vel in illam partem propter perſonã, ſed conſtans iuxta regulã ſui decreti æternã, quæ regula eſt, ꝙ vniuerſaliter iraſcatur peccatis hominũ, vniuerſaliter quoq; recipiat in gratiã pœnitentes, atq; ita ſeruat æqualitatẽ iuxta regulã abſq. perſonarũ acceptione: Quod ſi nõ faceret, inæqualis eſſet, atq. adeo iniquus, & iniuſtus, quod ſanè à bonitate eius alieniſſimum eſt.

Illatio, ſeu conſequens ex ſuprapoſitis. Rectè igitur Dauid ex eo ꝙ bonus ſit & rectus infert: *propterea docebit peccatores in via*: hoc eſt, monſtrabit peccatoribus viã rectã, quæ eſt via ſalutis. Nã qui verè bonus eſt & rectus, cupit alios ſibi ſimiles fieri. Cùm igitur Deus ſit optimus & rectiſſimus, non poteſt aliter fieri, quàm vt omnia bona & recta eſſe velit, hinc eſt quod Deus ſuum verbum emittat in vniuerſum orbem, quo verbo peccatoribus rectam ſalutis viam monſtrat, quam ſi nõ ingrediuntur homines, ſuapte culpa pereunt, ingrati Deo, qui illis rectam viam monſtrauit.

Porrò

Applicatio.

Porrò vt diſtinguat Dauid inter peccatores contumaces & pœnitentes, applicat promiſsiones pœnitentibus hiſce verbis: *Diriget afflictos in iudicio, docebit afflictos vias ſuas*, hoc eſt, quia Deus bonus eſt & rectus, ſuo more agit cum afflictis, id eſt, pœnitentibus, ſeu vt Chriſtus loquitur, pauperibus ſpiritu, atque eos ſuas vias docebit reuocando eos ab errore ad veram ſcientiam ſalutis per remiſsionem peccatorum propter viſcera miſericordiæ ſuæ: atque ita poſterior pars verſus, interpretatio eſt prioris partis, ſeu definitio iudicij Dei in afflictos, hoc eſt, in pauperes ſpiritu, quos Chriſtus pronunciat eſſe beatos, propterea quòd eorum ſit regnum cœlorum. Sed quî fit quòd pauperes dicantur qui poſsident regnum cœlorum? Natura ſua & ſenſus ſunt pauperrimi. Gratia autem Dei ſunt ditiſsimi, ídque cùm propter fidem, qua in præſenti vita Chriſtum poſsident, tùm propter ſpem quam habent de occupando promiſſo regno, quæ ſanè ſpes nequaquam confundet eos. Vt autem de iudicio Dei hunc verſum exponerem, & non de iudicio afflictorum, interpretatio addita me monuit.

Locus de iudicio.

Porrò vocis huius, iudicij, vſus in ſcripturis eſt varius, quem explicare facilius nobis erit, ſi primùm proponamus diſtinctionem à ſubiectis petitam, vt deinde membra diſtinctionis definitionibus illuſtremus.

Diſtinctio hæc ſit: Iudicium aliud Dei dicitur, aliud hominis. Iudicium Dei propria & naturali, hoc eſt, prima ſignificatione eſt ſententia diuina, qua ipſe Deus, vt iuſtiſsimus iudex, alios quidem vt ſontes damnat & punit, alios verò vt inſontes abſoluit & liberat. In hoc iudicio cauſarum & non perſonarum ratio habetur: quare ſemper hoc iudicium iuſtiſſimum eſt. Iudicium Dei triplex eſſe inuenitur: aliud enim generale, aliud particulare, aliud finale dicitur: quod etiam vniuerſale vocant.

Generale iudicium Dei eſt, quòd Deus omnes homines propter peccatum primorum parentum ſubiecit morti & damnationi. Ab huius iudicij damnatoria ſententia liberantur per Chriſtum quotquot in ipſum crediderint, Rom. 5. 8. 9. &c.

Particulare in genere eſt conſtans ſententię diuinæ in verbo reuelatæ executio, cùm in puniendo iuſtè, tùm in liberando miſericorditer. Cùm ergò Deus punit Pharaonem, & liberat Moſen, vtrumq; iudicium Dei eſt: nam dum punit Pharaonem, exequitur ſuam ſententiam, quam verbo reuelauit de pœna contumaciæ. Dum Moſen liberat, exequitur ſuam ſententiam verbo reuelatam, videlicet quòd miſericordia ſua ornet & circumdet timentes ſe, ſeu, vt loquitur hîc Dauid, afflictos dirigat in iudicio ſuo, hoc eſt, doceat eos vias ſuas iuxta ſuam promiſſionem. Breuiter hoc iudicium Dei eſt mos agendi Deo familiaris & vſitatus iuxta ipſius verbum. Cum igitur inuocantes afflictos exaudit, cùm oppreſſos liberat, cùm deducit ad inferos & reducit, cum Eccleſiam cruci ſubiicit, cùm expectat hoſtium pœnitentiam, breuiter cùm ſecundum ſuas promiſſiones agit, iudicia exercere dicitur Dominus. Ab hac ſignificatione variè transfertur vocabulum iudicij, & in varia ſignificata deducitur. Nam interdum totam iudicis Dei gubernationem, adminiſtrationem & functionem, adeóque ipſum adminiſtrationis ius ſignificat, ídque per Synecdochen, qua partis nomine interdum totum comprehenditur, vt in hoc dicto, Pſalm. 72. 1. Deus iudicium tuum regi da, & iuſtitiam tuam filio regis. Interdum rurſus non toti, ſed totius ſingulis ſubiectis partibus tribuitur eadem figura: hinc eſt quòd iudicium Dei nunc ſignificet ordinationem, Prouerb. 16. 11. Regula & ſtatera iudicium ſunt Domini, nunc conſtitutiones & leges. Exodi. 21. 1. Hęc ſunt iudicia quę propones eis. Nunc quodlibet verbum Dei, vt in Pſal. 147. 20. Iudicia ſua manifeſtauit eis. Nunc opera verbo exacta, Leuit. 18. 4. Iudicia mea facietis, hoc eſt, opera quæ vobis mandaui. Nunc præmium obedientiæ, nunc pœnam contumaciæ.

Finale iudicium, quod vniuerſale vocant, exercebit filius Dei in extremo die, iuxta formam quam ipſe præſcribit Matth. 25. Finale.

Iudicium hominis, quia homo inconſtans eſt, non poteſt vna conſtanti definitione claudi. Quare adhibita diſtinctione conabimur rem illuſtrare. Sit ergò iudicium hominis, aut hominis de alio homine, vel de alia quauis re, aut hominis intra ſe & de ſeipſo. II. Iudiciũ hominis.

Iudicium hominis de homine eſt rurſus duplex. Nam vel eſt hominis iudicis de homine in iudicium adducto, vel hominis non iudicis de homine, aut alia quauis re extra iudicium. Iudicium hominis iudicis eſt ſententia in iudicio prolata, qua iudex hominem vel abſoluit, vel damnat. Hòc, cùm cauſarum ratio iuxta legis ſententiam habetur, iuſtum eſt. Contrà verò, cùm neglectis cauſis perſonæ ratio habetur, iniuſtum eſt. Hinc in varia ſignificata deducitur vocabulum, vt nunc ſignificet totam iudicis & magiſtratus functionem, nunc quaſlibet eius partes & officia, vt ſunt ordinationes magiſtratus, conſtitutiones, leges, caſus incidentes, id eſt, cauſſæ, & pœnę quibus afficiuntur damnati, vt cùm dicitur quorum iudicium iuſtum eſt, item, qui reſiſtunt poteſtati, iudicium ſibi acquirunt. Hæc ſignificata per tropos, Synechdochen, metonymiam & metalepſin vertuntur. Iudicis de homine in iudiciũ adducto iudicium.

Iudicium hominis non iudicis de homine vel de alia quauis re, eſt ſententia hominis vel concepta animo tantùm, vel concepta & prolata ſimul, ſiue recta ſit, ſiue iniqua. Iudicium hominis priuati.

Iudicium hominis intra ſe, vel de ſeipſo, variat pro animi affectione hominis: hinc eſt quòd hoc genus iudicij aliàs verum & rectum, aliàs hypocriticum & falſum ſit. Verum eſt & rectum, cùm ſecundum res ipſas & qualitates animi noſtri atque actiones de nobis ipſis iudicium ferimus. Hoc reddimur pauperes ſpiritu, hoc compellimur ad Chriſtum: huius iudicij pulcherrimam picturam licet in Publicano cernere. Hinc transfertur vocabulum cùm ad cauſas, tùm ad effecta, atque adeò ad actiones ipſas, quæ ſunt fuga peccati, ſtudium iuſtitiæ, & pia operatio, vt cùm dicitur: feci iudicium & iuſtitiam, hoc eſt, declinaui à malo & feci bonum, ſeu vitaui prohibita & feci mandata. Iudicium hominis de ſe ipſo. Verum.

Hypocriticum ſeu falſum iudicium eſt, quo iudicamus de nobis ipſis partim ex collatione noſtri cum aliis, partim ex larua externorum operum. Huius iudicij exemplũ habemus in Phariſæo, qui cùm intueretur Publicanum, & ſua opera cogitaret, ſe iuſtum putabat, cùm aliena miſeria, tum ſua, vt ipſi videbatur, iuſtitia. Hoc iudicij genere homines redduntur ſuperbi, hoc eſt, à Chriſto alienantur, atque adeò in damnationem incurrunt. Hactenus de ſignificationibus præcipuis huius vocis iudicij, iam vnde digreſſi ſumus reuertamur. Falſum.

Diriget afflictos in iudicio, hoc eſt, afflictos ſua complectetur miſeri cordia, eóſque liberabit. Ita enim ſolet cum afflictis ſuam opem implorantibus agere, id quod ſequenti verſu clarius explicat, cùm ait: *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas*, hoc eſt, Deus ſemper ex miſericordia recipit in gratiam afflictos, Applicatio loci de iudicio ad dictum Prophetæ.

vt euen-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vt euentus promiſsioni eius reſpondeat, quod cùm fit,& miſericors & verax in ſuis promiſsis eſſe deprehenditur, atque ita vt miſericordia affectum paternum exprimit: nam vtitur hic voce Cheſed, qua ſtorga paterna ſignificatur, vt ſupra docuimus: Ita veritas promiſsionum infallibile complementum notat. Eſt enim veritas Dei incommutabilis & immota.

Qui fiant miſericordiæ diuinæ participes.

Verùm quia multi ſua culpa pereunt iuſto Dei iudicio, ſubiungit Dauid modum applicationis miſericordiæ diuinæ cùm inquit: *Cuſtodientibus teſtamentum eius, & teſtimonia eius*. Hanc ſententiam beata virgo in ſuo Cantico expreſsit hiſce verbis. Luc. 1.50. Miſericordia eius in omnes ætates timentibus ipſum & Chriſtus ait, Ioan. 8.32. Si mãſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eritis,& cognoſcetis veritatẽ,& veritas vos liberabit. Proinde ſeruare teſtamẽtum ſeu pactũ & teſtimonia Dei, eſt timere Deum, & manere in veritate, id eſt, ex fide ipſum Deum colere.

Teſtamẽtum Dei quid.

Nam teſtamentum ſeu pactum Dei eſt ſtipulatio inter Deum & hominem, videlicet quòd vt Deus ſalutem & vitam promittit, atque adeo recipit hominem in ſuam tutelam: Ita homo ſe Deo per fidem committit, atque illi obedientiam promittit iuxta ipſius mandata: quæ ideò teſtimonia Dei dicuntur, quia de eius voluntate teſtantur.

Eius conditio.

Hæc proinde conditio pacti imprimis obſeruanda eſt,& rectè diſtinguenda à conditione legali. Nam legalis conditio impletionem legis exactam & perpetuam requirit. Vnde fit, quòd nemo lege ſaluari poſſit. At ea conditio quæ eſt Euangelij, eſt fidei gratuitę promiſsionis, cui obedientia noua coniuncta eſt, quæ eſt fidei veluti radius quidam. Nam à fide non poteſt ſeparari ſpiritus Chriſti, qui autor & effector eſt nouæ obedientiæ, non illius quidem plenæ, quam Lex requirit, ſed inchoatæ tantùm, quæ placet propter fidem, qua homo iuſtus conſiſtit coram Deo. Etſi autem vtrumque ſimul requiritur à parte hominis, fides & obedientia noua, tamen fide ſola nitimur, de qua teſtimonium fert ipſa obedientia, non ergò pactum de quo loquitur Dauid, eſt Legis impletio, ſed fides à qua obedientia erga Deum manat. Sed de hac re paulò pòſt plura dicemus.

Locus de miſericordia Dei.

Etſi autem nemo poteſt, vt Sapiens teſtatur, miſericordias Domini enarrare, tamen vtiliſsimum, imò maximè neceſſarium eſt, quæ verbo Dei nobis de miſericordia Dei commendantur, cognoſcere, cùm vt fides noſtra habeat quo fulciatur in tot tentationum & malorum procellis, tum vt in nobis augeatur erga Deum miſericordiarum gratitudo & obedientia in tota vita.

Methodus & partes.

Vt autẽ hæc doctrina de miſericordia Dei perſpicuè à nobis tradatur, diſtinctius de ea dicemus. Nam vt Bernhardus rectè ait, quod particulatim diſtinctũ fuerit, legitur dulcius,& melius conſeruatur. Sex igitur veluti membra huius doctrinæ ordine tractabimus.

I. Repetam definitionem, quæ erit veluti baſis & fundamentum eorum, quæ ſequentur.

II. Aliquot dicta Scripturæ colligam, quibus miſericordia Dei nobis clarè commendatur.

III. Figuras ſeu typos & exempla eiuſdem miſericordiæ Dei adiungam, vt dicta quaſi in tabulis picta reddantur dulciora.

IIII. Quàm latè pateat, quídque efficiat hęc miſericordia dicemus, ne nos Stoica doctrina de particularitate perturbet.

V. Verum vſum cognitæ miſericordiæ Dei adiiciam, quo nobis tanto bono frui liceat.

VI. De abuſu deteſtando miſericordiæ Dei admonebo, vt cõtineamur in timore Dei,& ne cum prophano mundo theſaurizemus nobis iram.

DE PRIMO.

Deus ſingulari conſilio multarum rerum ſpiritualium & cœleſtium imagines quaſdam in creaturis pinxerat, vt ipſis aliquo modo deduceremur in cogitationem diuinarum rerum & cœleſtium. Nam plurima corporalia ſunt, quæ quadam analogia nos ducunt in adyta ſapientiæ diuinæ. Ita enim placuit optimo Deo noſtræ ruditati & infantiæ conſulere. Sol hic aſpectabilis eſt ſignum quoddam, & veluti myſterium Solis inuiſibilis Ieſu Chriſti. Radij ſolares bonitatis & miſericordiæ Dei efficaciam notãt, qui ſpargit in vniuerſum orbem ſuæ bonitatis virtutem. Hic ignis viſibilis figurat Spiritus ſancti efficaciam in cordibus credentium. Coniugium eſt myſterium arcanæ copulę Chriſti & Eccleſiæ,& multa ſunt alia huiuſmodi. Vt igitur ſuum quoque affectum erga homines Dominus pingeret, aliquo modo indidit humanæ naturæ quandam huius rei imaginem. Nam ϛοργὴ illa naturalis, ſeu intimus amor in viſceribus parentum erga liberos, eſt imago animi ſeu affectus Patris cœleſtis erga homines, id quod ipſe nomine, facto,& exemplo declarat.

Sol. Ignis. Coniugium.

Vult appellari Deus miſericordiarum, vult nominari miſericors & miſerator. Sic enim de ſeipſo clamat, Exod. 34.6. Iehoua, Iehoua fortis, miſericors & miſerator, tardus ad iram,& multus miſericordia & veritate. Hic ipſe Dominus ſe *rachum & chanum* vocat, hoc eſt, miſericordem inſtar matris erga ſobolem,& miſeratorem ſeu beneficum, ídque ex mera gratia ſine hominis merito & dignitate, quod eſt planè munificentiæ regiæ. Ieremiæ 3.12. Qui miſericors ſum, ait Iehou. hîc nomen *Chaſid* ponitur, quo ſignificatur, vt ſupra dictum eſt, paterna ſtorga erga prolem. Hoc igitur nomen, miſericors, eſt paternæ pietatis erga prolem propria appellatio. Proinde cùm in nomine communicat Dominus, non vult à ſe eſſe alienus. Deinde facto hunc ipſum affectum cõprobat. Quæ enim poteſt eſſe maior ſtorga, quàm filium proprium dare pro redimendis nobis, térque quatérque miſeris hominibus?

Exemplum matris mulieris proponit nobis in Eſaia, cap. 49.15. Nunquid obliuiſcetur mulier infantis ſui, ita vt non miſereatur filij vteri ſui,& ſi illa oblita fuerit, non tamen obliuiſcar tui. Hîc Dominus miſericordiam ſuam erga homines confert ſtorgæ maternæ, imò eam multis modis anteponit. Iam ex iis quæ dicta ſunt definitionem miſericordiæ Dei erga homines extruamus.

Miſericordia ergò Dei erga homines eſt pius affectus in Deo, quo Deus paternè mundum complectitur propter Filium, quóque vt parens ſuam prolem, ita ipſe humanum genus tenerrimè diligit, afficitúrque eius miſeria, adeò vt potius Filium in mortem dari voluerit pro illo redimẽdo, quàm vt ipſum in peccatis ſuis periret. Huc illud Pauli pertinet, Rom. 5.8. Commendat Deus erga nos ſuam charitatem, id eſt, miſericordiam & paternam ſtorgam, qua nos intimè diligit, quòd cùm adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Huc & illud Ioannis pertinet, cap. 3. verſ. 16. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitũ daret, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitã æternam. Hanc miſericordiam, hunc pium affectum Dei erga homines Paulus dulciſſima voce φιλανθρωπίας expreſſit, Tit. 3.4. quam Plato definit eſſe ἕξιν εὐεργετικὴν τῶν ἀνθρώπων, id eſt, habitum benefaciendi hominibus.

Verùm

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Verùm cùm hanc Apoſtolus Deo tribuit, affectionem illam paternam Dei notat, qua homines proſequitur, non propter illorum dignitatem, ſed propter vnigenitum Filium Ieſum Chriſtum, quẽ conſtituit propitiatorem, vt locus foret miſericordiæ. Iuſtitia enim Dei non permittebat fieri reconciliationem ſine iuſta compenſatione iniuriæ. Dedit proinde filium quo ſatisfaceret iuſtitiæ, vt locus eſſet miſericordiæ.

DE SECVNDO.

Teſtimonia ex veteri Teſtamento.

1. Inter oracula de miſericordia Dei primùm occurrit vox Dei ad Moſen Exodi.34.6. Et tranſiẽs Iehoua ante Moſen clamauit: Iehoua, Iehoua, fortis, miſericors & miſerator, tardus ad iram, & multus miſericordia & veritate, ſeruans miſericordiam millibus, auferens iniquitatem & præuaricationes & peccatum.

2. Deuterono. 4.31. Deus miſericors eſt, Iehoua Deus tuus non derelinquet te, nec diſperdet te, neque obliuiſcetur pacti patrum tuorum, de quo iurauit illis (ſcilicet ſi reuerſus fueris ad Iehouam Deum tuum, & parueris voci illius.)

3. Deuteron.7.9. Scies quod Iehoua Deus tuus eſt Deus, Deus fidelis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus ſe, & cuſtodientibus præcepta ſua vſque ad mille generationes. Ibidem: Cuſtodiat Iehoua Deus tuus tibi pactum & miſericordiam, de qua iurauit Patribus tuis. In Pſalmis plurima ſunt Encomia miſericordiæ Dei, ex quibus pauca aſcribam.

4. Pſalmo 86.5. Tu Domine bonus & parcens, & multus miſericordia omnibus inuocantibus te. Ibidem, 15. Et tu Domine es miſericors & clemens, & longus ad iram, & multus miſericordia & veritate.

5. Pſal. 103. 4.6. 11. Miſericors & miſerator Iehoua, longus ira & multus miſericordia, non in ſeculum contendit, nec in ſeculum ſeruat iram, non ſecundũ peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis. Quoniam ſecundum altitudinem cœli ſuper terram roborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat oriens ab occidente, diſtare fecit à nobis præuaricationes noſtras. Quomodo miſeratur Pater filiorum, miſeretur Iehoua timentium ſe.

6. Pſal.117.1. Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi, quoniam confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.

7. Pſal.118.5. Magna eſt ſuper cœlos miſericordia tua, & vſque ad nubes veritas tua.

8. Pſal.145.8. Miſericors & miſerator Dominus, tardus ad iram, & multum miſericors. Bonus Dominus omnibus, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius.

9. Pſal.136. Longum texitur Encomion miſericordiæ Dei, in quo Pſalmo ſinguli verſus clauduntur hoc hemiſtichio: quoniam in æternum miſericordia eius. Sed quid multis? Totus Pſalmorum liber nihil aliud eſt, quam bonitatis & miſericordiæ Dei prædicatio.

10. Eſaiæ 54.10. Montes cõmouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet à te & fœdus pacis meæ non commouebitur, dicit miſerator tuus Iehoua.

11. Ibidem: In momento iræ abſcondi faciem meam ad momentũ ad te, at in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dixit redẽptor tuus Iehoua.

12. Eſaiæ.55.7. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, reuertatúrque ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt miſericordia ad remittendum.

13. Iere.3.22. Threnorum: Miſericordię Domini ſunt, quod non ſimus conſumpti, quia non defecerunt miſericordiæ eius.

14. Item, verſ.32. Nam ſi dolore affecerit, miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum.

15. Iohelis 2.9. Conuertimini ad Iehoua Deum veſtrum, quia miſericors eſt & miſerator, longanimis & multæ miſericordiæ, & pœnitet ſuper malum.

16. Ionæ 4.2. Scio quod tu Deus clemens & miſerator es, patiens & multæ miſerationis.

Breuiter, omnes conciones Prophetarum quibus inuitant homines ad pœnitentiã & conuerſionem, ſunt Encomia miſericordiæ Dei: nam Dei miſericordia eſt fundamentum pœnitentiæ. In nouo Teſtamento ſunt hæc inter alia multa.

1. In Cantico virginis Lucæ 2.50. Miſericordia eius in omnes generationes timentibus ipſum. Ex nouo Teſtamento.

2. Ad Corinth.2.1.3. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus omnis conſolationis.

3 Ad Epheſ. 2. 4. Deus diues eſt in miſericordia.

4. Petri 1. 3. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum magnam miſericordiam ſuam regenuit nos in ſpem viuam.

5. Ad Titum 3.5. Quando benignitas & φιλανθρωπία apparuit ſaluatori Dei, non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſeruauit nos.

DE TERTIO.

Figuræ inſignes miſericordiæ Dei.

Iam figuras & exempla miſericordiæ Dei videamus, quo dicta quæ recitauimus, tanquam in tabulis expreſſa conſpiciantur. Nulla enim ratio docendi accommodatior eſt, quàm cùm dicta de rebus, ceu regulæ accommodentur exemplis, & exempla regulis.

1. Filius prodigus.

Omnium pulcherrima imago affectus Paterni Dei erga homines Lucæ 15.11.&c. in parabola de prodigo filio nobis proponitur. Qui filius poſtquam omnia turpiter diſsipaſſet, ad Patrem reuertitur, ſola bonitatis paternæ cogitatione fretus. Exiſtimauit enim ſe paterna viſcera ſua miſeria poſſe permouere ad miſericordiam, quod & factum eſt. Nam cùm adhuc abeſſet longè, vidit eum Pater ipſius, ac miſeria motus accurrit, incidit in collum filij, oſculatus eſt eum. Ecce quomodo in Patre miſericordiæ affectus exercitatur erga pœnitentem Filium. Vox Filij pœnitentis concutit paterna viſcera, Filius fatetur ſe indignum eſſe, vt pro filio habeatur, rogat vt in numero ſeruorum cenſeatur. Sed quid Pater? Iubet primum ſtolam adferri, mactat vitulum ſaginatũ, chorum congregat, aduocat amicos, facit epulum magnum. Quare? Quia hic Filius meus, inquit, mortuus fuerat, & reuixit, perierat, & inuentus eſt. Hic Filius prodigus typus eſt peccatoris, Pater occurrens & eum amplexus imago Dei Patris eſt, qui non ſecus afficitur erga pœnitentem peccatorem, quàm Pater optimus erga reſipiſcentem filium & implorantem gratiam. Hîc nulla merita ſunt in Filio niſi mortis, quam vt deuitet, ad Patrem confugit. Sic quilibet peccator ſecum circumfert merita mortis,

Typi explicatio & veritas

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſed ſi per pœnitentiam ad clementiſſimum patrem redierit, vitam inueniet, & redeunti pater occurret, in cuius occurſu conſolatio eſt, & in complexu ſumma clementia & miſericordia. Hæc proinde pictura dulciſſima eſt, in qua paternus animus Dei erga homines tanquam in imagine repræſentatur, & commendatur. Phariſæi murmurabant, quòd Chriſtus peccatores reciperet & veſceretur cum iis. Sed Chriſtus hac pictura animum cœleſtis Patris declarans, eorum coarguit vanitatem. Iam cùm in Deo non ſit προσωποληψία, nullus quantumuis enormis peccator eſſe poteſt, qui non recipiatur in gratiam, modò ad miſericordiam paternam confugerit.

2. Ouis perdita.

Huic typo perſimilis & ille eſt, de perdita oue, quam nonaginta nouem relictis in deſerto paſtor quærit ſolicitus, & inuentam imponit humeris cum gaudio, veniénſque domum conuocat amicos & vicinos, ac dicit eis: Congratulamini mihi, nam inueni ouem, quæ perierat. Dico vobis ait Dominus, Luc. 15. 7. Ita gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore reſipiſcente. *Gaudeamus ergo*, ait Ambroſius, *quoniam ouis illa, quæ perierat in Adam, leuatur in Chriſto.*

3. Drachma amiſſa.

Eodem pertinet parabola de drachma amiſſa, quam mulier accenſa luce quærit & ſuper inuenta lætatur. Mulier hæc Deum figurat, Lumen accenſum prædicationem Euangelij, Drachma hominem in quo erat imago Dei inſculpta.

Explicatio typi ſeu parabolæ.

Non mediocris, ait Ambroſius, *hæc drachma eſt, in qua Principis eſt figura.* Hæc figura luto peccati obducta, à Chriſto rurſus reparatur in iis, qui ſe inueniri permittunt, id eſt, qui vocantem Chriſtum, & inuitantem ad pœnitentiam audiunt. Sic enim dicit, Matth. 9. 13. non veni vocatum iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Item venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos. Matth. 11. 28.

Exempla. 1. Adam & Eua.

Hiſce typis ſubiiciamus exempla, inter quę primum locum occupat miſericordia Adamo & Euæ exhibita. Hos enim etſi maximos peccatores, qui proditoriè à Deo ſuo creatore defecerunt, Deus ex mera ſua miſericordia erexit, data promiſſione de ſemine contrituro caput Serpentis, quæ ſanè miſericordia non pertinet ad ſolum Adam aut Euam, ſed ad totum genus humanum. Quod vt in Adamo lapſum eſt, ita etiam in Chriſto gratiæ & miſericordiæ promiſſionem accepit. Huc pertinet illud Pauli., Rom. 11. 32. Concluſit Deus omnia ſub peccato, vt omnium miſereatur. Hic Apoſtolus vt vniuerſalem reatum facit, ita etiam vniuerſalem miſericordiam. Nam particula vniuerſalis & diſtribuens æquè latè in vtroque membro accipienda eſt, vt ſciamus Deum miſericordem eſſe erga omnes, non minus quàm fuit erga primum parentem noſtrum, in quo rei facti ſumus & concluſi ſub peccatum: hoc multis declaratur exemplis. Nulli enim vnquam, qui veniam peccatorum petiuerunt, paſſi ſunt repulſam. Si peccatum magnum eſt, miſericordia prædicatur magna: ſi multum, miſerationes Dei infinitæ ſunt: ſi antiquum, miſericordia Dei ab æterno eſt: ſi nouum, nouę ſunt miſericordiæ Domini quolibet mane: hiſtoria vetus & noua infinitis exemplis abũdat.

2. Dauid.

Dauid præſtantem ciuem nefariè prodidit & vxorem eius nequiter ſtuprauit, ſed confugiens ad miſericordiam Dei veniam impetrat.

3. Manaſſes.

Manaſſes poſt effuſum Prophetarum ſanguinem, poſt inſtitutum idolorum turpiſſimum cultum, & poſtquam repleuiſſet totam Ieruſalem omni iniquitate, capitur ab hoſte, coniicitur in carcerem, in carcere flectit genua ſua coram Deo, confugit ad miſericordiam, & in gratiam recipitur, quantumuis ipſius peccata ſuperarunt, vt ipſe fatetur, arenam maris.

4. Latro in cruce.

Latro in cruce pendens audit: Hodie mecum eris in Paradiſo. Verùm ne prolixior ſim in enumeratione exemplorum, verba Bernhardi aſcribam, qui filium Dei alloquitur in hunc modum: *Omni- no propter manſuetudinem, quæ de te prædicatur, curri- mus poſt te Domine Ieſu, audientes, quòd non ſpernas pau perem, peccatorem non horreas, non horruiſti confiten- tem Latronem, non lachrymantem peccatricem, non Cananæam ſupplicantem, non deprehenſam adulterio, non ſedentem in telonio, non ſupplicantem publicanum, non negantem diſcipulum, non perſecutorem diſcipulo rum Paulum, non ipſos crucifixores tuos.* Et paulò pòſt applicans exempla, addit: *Quamobrem quiſquis pro peccatis compunctus eſurit, & ſitit iuſtitiam, credat in te, qui iuſtificas impium, & ſolam iuſtificatus per fidem, pacem habebit ad Deum.* hæc ille. Breuiter, nullus vnquam inuentus fuit peccator, cui petenti gratia negata eſt. Stat enim firmum & immotum hoc principium, Cor contritum & humiliatum, Deus, non deſpicis. Pſal. 51. 19.

DE QVARTO.

Miſericordiam Dei patere omnibus.

Quàm latè pateat miſericordia Dei, quídue efficiat, dictum eſſet ſatis in ſecundo & tertio membro, niſi hoſtes quidam gratiæ rem in anguſtum & arctum cogerent. Nolunt enim gratiam & miſericordiam Dei patere omnibus, ſed quibuſdam tantùm deſtinari. Quid autem his opponendum ſit, primùm quid miſericordia Dei efficiat, breuiter & ſummatim perſtrinxero, monſtrabo. Si vno verbo dixero, miſericordia Dei omnia nobis donari, cùm quæ ad præſentem vitam, tùm quæ ad futuram gloriam pertinent, rem totam quidem expediant, ſed non tam explicatè omnia intelligentur. Veteres Theologi ſummatim hæc docent: Miſericordia Domini, inquiunt, viſitat & inſpirat, vt tangamur dolore peccati, vt fugiamus ad miſericordiam. Vnde Bernhardus: *Viſitauit & immutauit cor meum, vt amara fierent, quæ mihi prius erant dulcia. Viſitauit me, vt vulnera meorum ſentirem peccatorum.* Expectat pœnitentiam, iuxta illud ad Rom. 2. 4 An ignoras quòd benignitas Dei te inuitet ad pœnitentiam. Huc illud Bernhardi pertinet: *Quàm benigna & ſuauis miſericordia tua, ego peccabam & tu diſſimulabas, non continebam me à ſceleribus, & tu abſtinebas te à verberibus.* Suſtentat conuerſos & eos quaſi fulcit, ne prorſus deficiant. Pſalmus. 94. 17. Niſi Dominus auxilium mihi fuiſſet, breuî habitaſſet in ſilentio anima mea.

Quatuor modi.

Hinc eſt quòd Theologi quadruplicem modum miſericordiæ Dei faciant: Vt ſit inſpirans, præueniens, concomitans & ſubſequens: hac ſanè diſtinctione modorum miſericordiæ Dei, nihil aliud volunt, quàm principium, progreſſum, medium & conſummationem in negotio ſalutis ſoli miſericordiæ Dei tribuenda eſſe. Auguſtinus in hunc modum de effectibus miſericordiæ Dei ſcribit, *O fratres mei, quid Chriſtum incarnauit niſi miſericordia Dei? Quid ſubiecit noſtra miſeria, niſi ſola clementia? O beata miſericordia, quæ ſola commercium noſtræ ſalutis agnouit. Sola enim miſericordia ad Deum Dirigit hominem, ſola ad Deum deducit hominem, hæc eſt ſola mediatrix auerſos conſolans, hæc diſiunctos copulat, hæc ſola Deum humilians, hominem ſublimat. O quam pia fuit Dei deſcenſio, vt noſtra eſſet glorioſa aſſumptio. O grandis miſericordia, infinita, Tu ſola potuiſti trahere Deum de cœlo*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Deum de cœlo ad terram, & nos de exilio ad regnum eligere. O magnum miſericordiæ vinculum, quo Deus ligari voluit & potuit, & homo ligatus vincula iniquitatis dirumpit. O homo ſi tuam conſiderares miſeriam & opera Dei erga te, non inuenires niſi miſericordiam. Miſericordia eſt ſi flagellat Deus, vt emendet, ſi à peccato per tribulationem liberat, ſi hypocritas & tyrannos regnare permittit. Hæc Auguſtinus. Si quis autem velit exactius videre, quid faciat miſericordia Dei, ſeipſum inſpiciat, ſeipſum examinet, conferat præterita cum præſentibus & præſentia cũ præteritis, quod ſi fecerit, verè dicturus eſt cum Dauide, miſericordia Domini abyſſus multa. Item, Miſericordia Domini plena eſt terra.

Gratiam Deus offert omnia.

Porrò quouſque ſe extendat miſericordia Dei, ſatis dictum eſſet, niſi hoſtibus miſericordię Dei eſſet reſpondendum. Nos ex verbo Dei affirmamus miſericordiam Dei extendere ſe ad omnes omnium ætatum homines, hoc eſt, Deum ex mera ſua bonitate omnibus offerre gratiam, & velle omnium ſalutem ex gratuita ſua miſericordia. Nec vllum hominem ad certam damnationem creaſſe. Immotũ enim eſt, quod dicit Sapiens: Deus nõ eſt author mortis, nec virorum interitu delectatur. Verùm hic antiquus ſerpen hoſtis humani generis Sophiſtica ſua conatur nobis aliud perſuadere, & occultè hominibus objicit deſperationis occaſionem, cùm negat gratiã & miſericordiam Dei vniuerſalem eſſe. Sed Diabolicæ Sophiſticæ quatuor opponamus. 1. Miſſionem Filij in mundum, vt ſaluaret quod perierat. 2. Promiſſionem vniuerſalem, qua omnibus & ſingulis offertur gratia & miſericordia: Proclamate (ait Dominus) Euangelium omni creaturæ. 3. Mandatum vniuerſale, quo omnes & ſinguli iubentur Chriſtũ audire & in eum credere. 4. Obſignationem gratiæ vniuerſalem, quæ gentibus omnibus offertur ex mandato Chriſti, qui iubet baptizari omnes gẽtes. Verùm quia de his quatuor in commẽtarijs noſtris in Epiſtolã ad Ephe. dictum eſt capite primo, nolo hic prolixior eſſe.

Quòd autem multi damnantur, ideò fit, quia multi non agnoſcunt veritatem Dei, multi dexterá Dei ſibi porrectam apprehendere nolunt, multi vocantem Chriſtum audire recuſant. Contemnunt mandatum Dei, abijciunt gratiam, propter hanc cõtumaciam iuſtiſſimo Dei iudicio damnãtur. Quemadmodũ enim hic ſol aſpectabilis omnibus lucet, & natura ſua in omnia ſpargit radios claritatis ſuæ, ſed is tamen, qui fugit Solem, vel oculos auertit, aut cæcus eſt, lucis Solaris non fit particeps, cuius culpa? Certè non Solis, qui à nemine retrahit ſuos radios, ſed ſua propria proteruia, qua Solem auerſatur: ad eundem modum Deus, apud quem eſt miſericordia & copioſa redẽptio, ſuum verbum in totũ mundum emittit, iubet vt audiant Filium, offert omnibus gratiam Verbo & Sacramentis. Verùm hîc, qui verbum Dei contemnunt & obedire recuſant, vult in ſua contumacia perire iuſtè, quos ex miſericordia & bonitate ſaluos voluiſſet. Terrenus pater vult ex ſtorga naturali liberos ſuos beatos & felices fore ſed cum hac conditione, ſi boni & probi fuerint. nam contumaces & incorrigibiles hęreditate excludit. Rex mundanus iuſtus & bonus ſuos ſubditos vult omnes incolumes & ſaluos eſſe, ſed per Legis ſuæ obſeruantiam, iuxta cuius præſcriptum viuere ſubditos oportet. Verùm ſi quis petulantia Regem contempſerit, vult eum Rex perire, vel de medio tolli quem alioqui, ſi legis obſeruans fuiſſet, voluiſſet ſaluum & felicem: Sic etiam Deus contemptores ſui verbi iuſtè punit, quos ſaluos voluiſſet, ſi ſuo verbo obtemperaſſent. Et vt bonus artifex finem ſui operis ob oculos habet, dum aliquod opus molitur. Sed ſi quod vas fractum fuerit, illud abijcit, aut ſi fieri poteſt, de nouo facit. Sic & Deus finem, creationis hominis intuetur, videlicet vt homo ſit templum Dei, illum celebrans. Verùm ſi homo Deo non obtemperat, aut abijcitur à Deo, aut expectatur pœnitentia, qua quaſi nouus prodit homo Nemo proinde Deum accuſet, ſi perit. Nemo hoc fatis tribuat, ſed potius ſuo fatuo iudicio aſcribat, quo mortem anteponit vitæ, & infernum cœlo. Et cogitet vnuſquiſque nullum peccatum grauius eſſe, quàm Deum inæqualem putare, atque ideò recuſare pœnitentiam & deſperare de venia. Obiectiones aduerſariorum non eſt quod moremur, poſtquam nobis de veritate Dei immota conſtat.

DE QVINTO.

Vſus doctrinæ de miſericordia Dei, etſi multiplex atque adeò in tota vita eiusque partibus omnibus perpetuus eſt, tamen quo nobis dulcius frui liceat hoc tanto bono, quoſdam vſus recitabo, & potiſſimùm quinque, qui ſunt etiam præcipui.

De quintuplici vſu diuinæ miſericordię.

Primus in conuerſione peccatoris conſpicitur.

Secundus in precatione.

Tertius in quotidiana pœnitentia.

Quartus, in externa hominum conuerſatione.

Quintus in agone mortis, in quo animæ anchora quædam ſacra exiſtit, miſericordiæ Dei cogitatio.

I. Conuerſio peccatoris ad Deum.

Primus vſus eſt in conuerſione peccatoris ad Deum: quæ conuerſio fieri nullo modo poteſt ſine miſericordiæ Dei noticia, quæ fundamentum eſt, veræ & ſalutaris conuerſionis. Cùm homo accuſatur à Lege, propter ſuam tranſgreſſionem, venit in noticiam peccati: ex noticia peccati venit in cognitionem iuſti iudicij Dei in peccatores. Ex hac cognitione omnino in deſperationem ruit, ſi ſolã Legem intueatur. Nam Lex ipſa omnẽ hominẽ abſq; omni exceptione obligat, vel ad obedientiam, quæ in hac vita impoſſibilis eſt, vel ad pœnam, quæ eſt maledictio, iuxta hanc Legis damnatoriam ſententiam: Maledictus omnis, qui non fecerit ea, quæ ſcripta ſunt in Lege Domini Deut. 27. 26.

Hîc opus eſt noticia miſericordię Dei per Euangelium.

De conuerſione hominis ad Deum per fidem in Chriſtum nihil agit Lex, vt quæ iram & non miſericordiam operetur. Opus eſt igitur noticia miſericordiæ Dei ad pœnitentiam ſeu conuerſionem, quę ſanè noticia Euangelij propria eſt. Nam Euangelium monſtrat nobis Chriſtũ, in quo nos diligit Pater, ac miſericordia planè paterna cõplectitur. Hoc diſcrimen inter Legis noticiam & Euãgelij clariſsimè oſtenditur Ezech. 33. 10. 11. vbi populus poſtquã accuſatus eſt à Propheta propter Legis diuinæ tranſgreſſionem, in hanc deſperationis vocem erũpit: Iniquitates noſtræ & peccata noſtra ſuper nos ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus, quomodo ergo viuere poterimus? Dic ad eos, ait Dominus ad Prophetã: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur ac viuat. Hîc clarè duo videmus, primum, quòd ex Legis doctrina nõ ſit per ſe initium

Teſtimonium.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

conuerſionis, (ſed per accidens) verùm deſperationis potius. Deinde quòd ex noticia voluntas Dei nolentis mortem peccatoris, ſed vitam volentis, initium capiat ſalutaris cõuerſio. Simile exemplũ vidcmus in Actis Apoſtolicis capite 2. Pòſtquã enim Petrus longa concione accuſaſſet peccatum Iudæorum, qui occiderunt Chriſtum, atque eos primæ & ſecundæ Tabulæ reos peregiſſet, veniunt in cognitionem peccati iuſtíque iudicij Dei, adeò vt cõpuncti corde in deſperationis periculum inciderint, id quod ex ipſorum verbis patet. Dicunt enim Petro & alijs Apoſtolis, Quid faciemus viri fratres? ac ſi dicerent: nos ex concione Petri intelligimus nos reos eſſe, atque adeò nos iuſtè damnari agnoſcimus, nec videmus vllum effugium, quin in damnationis malum incurramus, quid ergò nobis conſilij datis? huc vſque cõcione Legis perducti ſunt Iudæi. ſed quid ad hoc Petrus? *μετανοήσατε*, inquit, hoc eſt, pœnitentiam agite, ſeu conuertimini, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu in remiſſionem peccatorum: hæc concio longè alia eſt, quàm prior fuit. In priori non facta eſt pœnitentiæ & conuerſionis mentio, ſed poſtquam malleo Legis corda eorum ſunt pulſata, aperitur illis theſaurus miſericordiæ, & iubentur reſipiſcere. Nam Chriſtus illis proponitur, in quo & Pater placatus eſt, & recipit in gratiã ex miſericordia omnes verè pœnitentes ſeu reſipiſcentes. Breuiter, Vox Legis maledictos pronũciat tranſgreſſores omnes ſine exceptione. Sed Euangelium reſtringit Legis ſententiã cùm inquit, Niſi egeritis pœnitentiam, hoc eſt, niſi per fidem conuerſi fueritis, freti bonitate & miſericordia Dei propter Chriſtum. Hoc diſcrimen inter prædicationẽ Legis arguentis peccata & prædicationem conuerſionis obſeruatur in omnibus Propheticis & Apoſtolicis concionibus. Summa huc redit, quòd ex Lege ſit noticia peccati, iræ & mortis. Ex Euangelio autẽ noticia iuſticiæ, gratiæ ſeu miſericordiæ & vitę, ſine qua noticia conuerſio inchoari non poteſt, vel in hunc modũ: iniquitatũ noticia, quæ eſt ex Legis prædicatione, ad compunctionem impellit. Cognitio autẽ fœderis (cuius ſponſor eſt Chriſtus Dominus) quæ eſt miſericordiæ promiſſæ cognitio, ad conuerſionem inuitat. Ex hiſce patet, quẽ locum Lex in prædicatione conuerſionis habet: non prædicat ipſam conuerſionem, ſed tantum ad conuerſionẽ præparat. Dum hominum iniquitatem ponit ob oculos, eiſque cõminatur æternas pœnas propter tranſgreſſionẽ Legis diuinæ, iuxta illud Ieremiæ Threnorũ 2.14. Prophetæ tui non aperiebant tibi peccata tua, vt te ad pœnitentiam prouocarent. Hic videmus apertè diſtingui Legem & conuerſionis doctrinã, vt deſtinatũ & finẽ. Illam iram oſtendit vt terrorẽ incutiat. Hæc gratiã proponit, vt à terrore liberet. Vtrumque pulcherrimè pingitur Luc. 15.11. in Acolaſto, hic primũ fame magiſtra ſentit ſuũ malum. Ita nos lege magiſtra intelligimus noſtrã damnationẽ. Deinde ſpes melioris fortunæ, ſi ad patrẽ redierit, animũ reſipiſcẽti iuueni dedit. Ita nos cogitatione miſericordię, quam nobis prædicat Euangelium, reuocamur à deſperatione ad reſipiſcentiam. Proinde quemadmodum hic iuuenis paterni affectus fiducia, ad quærendam conciliationem erigitur: Ita nobis conuerſionis ſit initium oportet diuinæ miſericordiæ agnitio, quæ nos ad bene ſperandum excitet. Ambroſius: *Nemo pœnitentiam agere poteſt, niſi qui ſperat indulgentiam.* Hanc autem nemo poteſt ſperare, niſi qui Deum miſericordem eſſe agnoſcit. Auguſtinus: *Non ſolùm cùm agitur pœnitentia, verùm etiam vt agatur, Dei miſericordia eſt neceſſaria.* Ex his patere puto, quis ſit vſus miſericordiæ Dei in pœnitentia ſeu conuerſione peccatoris.

Legis & Euangelij diſcrimẽ.

Lex tantũ ad cõuerſionẽ præparat.

Euangeliũ eſt doctrina cõuerſionis & gratię.

Exemplũ.

Porrò quia dicimus miſericordiam Dei cauſam pœnitentiæ eſſe, & hanc prædicari in Euangelio, & non in Lege, ſunt qui noſtram ſententiam cõuellere conantur, affirmantes legis eſſe prædicare pœnitentiam, quam Prophetæ conuerſionem nominãt, & non Euangelij: Et nituntur hoc potiſſimùm fundamento: Lex accuſat peccatum, igitur prædicat pœnitentiam. Sed falluntur, cùm idem putant eſſe accuſare peccatum, & prædicare pœnitentiam, nam hæc differunt, vt deſtinatum & finis, vt præparatio neceſſaria ad rem, & res ipſa. Lex enim dũ accuſat peccatum, vulnus oſtendit & mortem proponit, vt nobis medici manus fiat gratior & acceptior. hoc ex ſuperioribus clarè patet.

Vſus varius vocabuli pœnitentiæ diſputationi locum fecit, quare vt ſine errore reſpondeamus aduerſarijs, vſus vocabuli explicandus eſt. Latinum vocabulum pœnitentia, & *μετάνοια* Græcum, quo vſi ſunt Euangeliſtæ, multùm differunt. Pœnitentiæ enim vox proprijſſimè diſplicentiam facti ſignificat, qualis eſſe poteſt in omni homine, quem pœnitet ſui facti, ſiue ob turpitudinem eius, ſiue ob pœnam quæ factum iuſtè comitatur, ſiue quamcunque aliam ob cauſam. In hac propria ſignificatione plerunque Doctores Eccleſiæ hanc vocem pœnitentiæ accipiunt, reſpicientes ad *ἔτυμον* vocabuli potius, quàm ad vocabulum Græcum *μετάνοιαν*. Etſi autem fateor hanc pœnitentiam neceſſariam eſſe ad conuerſionem, nego tamen ipſam conuerſionem in ea ſitam eſſe. Nam poteſt talis pœnitentia etiam eſſe in impijs, vt Cain, Iuda & alijs. Hoc pœnitentiæ genus ſola Lex directè & propriè prædicat. Directè & propriè dico, quia Euangelium per accidens peccatũ arguit & accuſat, vt lux tenebras, virtus vitium, vita mortem, pulchra turpia, &c. Lex verò propriè & directè, quod cùm negaret Islebius diſputans pœnitentiam hanc contritionis ex violatione filij (vt loquebatur) prædicandam eſſe, ipſámque Legem moralem cum ipſo Moſe ab Eccleſia Dei reijciendam eſſe, iuſtè à Luthero & Philippo reprehenditur, vt Legis diuinæ contemptor. Quare & Antinomus à Luthero nominatus eſt. Sciant proinde ſtudioſi in tota illa diſputatione Lutheri contra Antinomos pœnitentiæ vocabulum non pro conuerſione, quæ *μετάνοια* dicitur, & redditur à veteri interprete pœnitentia, accipi, ſed pro diſplicentia facti, quam contritionem vocant. Cæterùm quia hæc pœnitentia contritionis via eſt ad conuerſionem, & præparatio quædam neceſſaria, placuit Eccleſiaſticis ſcriptoribus per Synecdochem vocabulum vſurpare, vt complectatur pœnitentia, cùm dolorem antecedentem, qui excitatur per Legem, tùm conuerſionem ipſam, quæ eſt fidei per Euangelij prædicationem, & ſtudium nouæ obedientiæ, quod cum conuerſione coniunctum eſt. Non enim poteſt Spiritus fidei eſſe ſine motibus Spiritualibus, qui ſunt inchoatio nouæ obedientiæ. Hinc eſt, quòd tres partes pœnitentiæ numerent, videlicet, Contritionem, Fidem, & nouam obedientiam.

Partes pœnitentiæ.

Contritio

Contritio ipſa per ſe ſine fide non eſt bonum opus Deo placens, ſed eſt pœnæ quoddam initiũ in mente

mente ſibi malè conſcia, vt in Cain, Iuda & alijs multis. Immotum enim ſtat hoc principium: Impoſſibile eſt Deò placere ſine fide. Heb. 11. 6. Et quicquid nõ eſt ex fide peccatũ eſt. Ro. 14. 23. Verũ vbi ad cõtritionẽ acceſſerit ſpes veniæ ſeu fides per prædicationem Euangelij, Contritio fit ſacrificium Deo gratiſſimum, iuxta illud. Pſal. 51. 19. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatũ Deus non deſpicis. Et Eſaiæ 66. 2. Ad quem reſpiciã niſi ad pauperculũ & contritum ſpiritum. Et Chriſtus Matth. 5. 3. Beati pauperes ſpiritu. Cũ hac cõnexione contritionis & fidei ſeu conuerſionis, cõiunctum eſt etiam ſtudium nouæ obediẽtiæ, iuxta pręcepta Decalogi, quod ſane ſtudium placet propter fidem ſine qua nulla vera obedientia inchoari poteſt, atque ita Eccleſiaſtici Doctores ſæpe vocabulũ pœnitentiæ per Synecdochem accipiunt, ad quã docendam pertinet totum Eccleſiæ miniſterium. nam contritio per Legem excitatur, fides ex auditu Euangelij naſcitur, noua obedientia ab vtraque doctrina dependet, nempe Legis & Euãgelij. nam vt Lex docet, quæ opera Deus requirit: Ita Euangelium oſtendit quomodo inchoantur & placent.

De pœnitentia ſanctorum.

Tertiò eſt, & pœnitentia quædam quotidiana & perpetua ſanctorum. nam cùm iuxta dictũ Sapientis, ſepties in die cadit iuſtus & reſurgit, opus eſt quotidiana agnitione peccatorum & fide, qua ſtatuitur remitti peccata. Hinc Hieronymus: *Septies in die cadit iuſtus, Si iuſtus, quomodo cadit? Si cadit, quomodo iuſtus? Sed iuſti vocabulum non amittit, qui per pœnitentiam ſemper reſurgit.* Huc pertinet oratio Sanctorum: Remitte nobis debita noſtra. Sed diſcernendum eſt inter peccata, quibus excutitur fides, & cum quibus fides ſtare poteſt. Peccata voluntaria & contra conſcientiam commiſſa, fidem omnino extinguũt, & Spiritum ſanctum excutiũt, atque adeò hominem de nouo obligant ad æternas pœnas, niſi rurſus conuertatur. Peccata multa ignorantiæ, quæ à nobis nõ cogitantibus committuntur nec Spiritum ſanctum excutiunt, nec fidem extinguunt, ſed remittuntur ſanctis propter Filium. Propter hæc peccata opus eſt perpetua pœnitentia, quæ abſoluitur mortificatione & viuificatione, de qua copioſè Paulus diſputat Roma. 6.

Μετάνοια, quam non ſatis apto vocabulo reddunt pœnitentiam, nonnulli rectius reſipiſcentiam, non habet nomen propriè à diſplicentia facti, ſed à mutatione mentis, quæ eſt conuerſio ad Deum per fidem in Ieſum Chriſtum. nam fide ſola homo ſe ad Deum conuertit, & hanc ob cauſam Iohannes Euangeliſta, quoties de conuerſione agit, vtitur vocabulo fidei. Hebręi cõuerſionis vocabulo vſi ſunt, quod congruit cum Græca appellatione, niſi quòd vox Græca μετάνοια, clarius explicet conuerſionis formam, videlicet, quòd non ſit corporis aut pedũ reflexus, ſed mentis mutatio, ſcilicet per fidem in gratuitam promiſſionem remiſſionis peccatorum, atque ideò dicuntur Euangeliſtæ prædicare pœnitentiam in remiſſionem peccatorum. Et Chriſtus ait: Oportet in nomine meo prædicari μετάνοιαν, hoc eſt, conuerſionem, & remiſſionem peccatorum omnibus gentibus, atque ita μετάνοια ſeu conuerſio & remiſſio peccatorum cõiuncta ſunt, vt ſciatur vtrumque, & quod offerat Euangelium, & quinam capaces ſint beneficiorum Euangelij. Forma igitur pœnitentiæ ſalutaris cùm ſit conuerſio per fidem, rectiſſimè & propriiſsimè definitur Euangelium eſſe vniuerſalis prædicatio pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum. Qui autem contendunt prædicationem pœnitentiæ, quæ eſt conuerſio per fidem ad Legẽ referendam eſſe, tollunt præcipuam conſolationẽ Euangelij, videlicet, quòd Euangelium concionetur de vniuerſali gratia & miſericordia Dei, cuius omnes pœnitentes, hoc eſt, conuerſi verè reddun tur participes. Nam cùm dicit Chriſtus Luc. 24. 47. Oportet in nomine meo prædicari μετάνοιαν & remiſſionem peccatorũ in omnes gentes, ſumma conſolatio proponitur in particula vniuerſali & diſtributiua, ſiquidem cùm omnibus mãdat prædicari in nomine ſuo pœnitentiam, offert omnibus remiſſionem peccatorum, cum qua coniuncta eſt iuſtificatio, donatio Spiritus ſancti, & inchoatio vitæ æternæ.

Quòd autem quidam affirmant μετάνοιαν aliquando ſignificare diſplicentiam facti, qualis eſſe poteſt in impijs, id non nego, ſed tantùm eius propriam ſignificationem defendo, quæ eſt in Euangelicis hiſtorijs, & in actis Apoſtolicis, qua Apoſtoli reddiderunt vocem Hebraicam Theſcuba, id eſt, conuerſionem.

Summa diſputationis ſuperioris aduerſus Antinomos.

Ex his conſtare puto veriſſimum eſſe quod propoſuimus, videlicet, quòd miſericordia ſit fundamentum pœnitentiæ ſeu conuerſionis. Deinde, quòd immota ſit definitio Euangelij, cùm definitur eſſe vniuerſalis prædicatio pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum in nomine Chriſti. Præterea quòd Legi Dei tribuendus ſit locus & ante conuerſionem, vt homo præparetur, vt Ieremias loquitur, ad pœnitentiam: & poſt conuerſionem, vt ſit norma nouæ vitæ & obedientiæ Dei ex fide præſtandæ. Dãnamus igitur Antinomos, qui Legis prædicationi in Eccleſia nullum locum relinquunt.

II. Orationes ſanctorum.

Secundus vſus cognitæ miſericordiæ Dei in orationibus ſanctorum locum habet, nullus enim vnquam orare Deum rectè poteſt, niſi qui ſtatuit Deũ miſericordem eſſe, & placatum propter Filiũ. Per hunc enim vt patres veteris Teſtamenti, ita & nos habemus acceſſum ad Patrem. Hoc ipſum Dominus indicat, in forma precandi, quam ſuis commendauit diſcipulis: ita enim iubet, vt dicamus: Pater noſter, qui es in cœlis, &c. hæc paterna compellatio miſericordiæ Dei eſt confeſſio, qua inter precandum nitimur, & ſimul includit fiduciam Mediatoris. Exempla plurima in ſcripturis ſe offerũt.

Exẽpla.

Dauid in plerìſque Pſalmis fidem ſuam erigit fiducia miſericordiæ, & vt alios locos omittam, ita precatur in Pſalmo 51. 2. Miſerere mei Deus, ſecundum miſericordiam tuam, & ſecundum multitudinẽ miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Salomon orans pro ſapientia impetranda, ita incipit, Sapientiæ 9. Deus patrum ac Domine miſericordiæ. Daniel capite 9. 4. &c. Et Obſecro Domine Deus magne & terribilis, cuſtodiẽs pactũ & miſericordiã diligẽtibus te. Et rurſus, Tibi Domino Deo noſtro miſericordia & propitiatio, quia receſſimus à te. Itẽ: Neque in iuſtificationibus noſtris proſternimus ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Et vt ſignificet Daniel, ſe intueri olim promiſſum Semen benedictum, cùm meminit miſericordiæ, addit in precatione, vt ſe exaudiat propter Iehouã, hoc eſt, propter Chriſtum verum Deum, qui ordinato à Deo tempore humanam aſſumpſit naturam in vnionem perſonalem. Hæc fiducia diuinæ miſericordiæ, vt eſt confeſſio propriæ miſeriæ: ita etiã efficax eſt Chriſti mediatoris agnitio: nam quotieſcunque patres meminerunt miſericordiæ, cogitant ſimul de cauſa, quæ eſt promiſſio Seminis benedicti, in quo benedicendæ erant omnes gentes. Nos proinde oraturi reſpiciamus ad Patrem miſericordiarum, & agnoſcamus Chriſtum mediatorem,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſimulque deploremus ex animo noſtram miſeriam, quod ſi fecerimus, verè ſentiemus auxilium in tempore opportuno. Turci, Iudæi obſtinati, aliæq; prophanæ gentes, quia non agnoſunt Filium, nequaquā ſtatuere poſſunt, quòd Deus exaudiat peccatores ex fide inuocantes. Quare non verè orare poſſunt, etiamſi longiſſimis precationibus & crebris ſe fatigant.

III. Quotidiana pœnitentia.

Tertius vſus cognitæ miſericordiæ Dei in quotidiana pœnitentia ſentitur. Nam cùm ſancti, quæ eſt infirmitas carnis, quotidie labuntur, quotidiana indulgentia opus habent. Hæc autem in ſola miſericordia propter Chriſtum quærenda eſt. Multum delinquimus propter ignorantiam, multum per negligētiam, multum per infirmitatem, neque eſt qui ſe immunem & tutum à peccato ad momentū oculi ſtatuere poſſit, à quo reſurgere non valemus, niſi Deus ipſe Pater miſericordiarum ex bonitate ſuam porrexerit dextram. De hac repulchrè ſcribit Auguſtinus, cuius hæc ſunt verba: *Domine confiteor vt docuiſti me, nihil aliud ſum, quàm vniuerſa vanitas, & vmbra mortis, & abyſſus quædam tenebroſa, & terra inanis & vacua, quæ ſine tua benedictione non germinat, fructum quoque non facit, niſi confuſionem, peccatum, & mortem. Si quid boni vnquam habui, à te recepi, quicquid boni habeo, tuum eſt, vel à te habeo. Si quando ſteti, per te ſteti. Si quando cecidi, per me cecidi, & ſemper in luto iacuiſſem, niſi tu me erexiſſes, ſemper cæcus fuiſſem, niſi tu me illuminaſſes, quando cecidi, nunquam ſurrexiſſem, niſi tu mihi manum porrexiſſes. Poſtquam etiam me erexiſti, ſemper cecidiſſem, niſi tu me ſuſtinuiſſes, ſæpius periſſem, niſi tu me gubernaſſes. Sic ſemper Domine, ſic ſemper gratia tua & miſericordia tua præuenit me, liberans me ab omnibus malis, ſaluans à præteritis, ſuſcitans à præſentibus, & muniens à futuris, præcidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occaſiones & cauſas, quia ni ſi tu & hoc mihi feciſſes, omnia mundi peccata feciſſem, quoniam ſcio Domine, quòd nullum peccatum eſt, quod vnquam fecerit homo, quod non poſſit facere alter homo.* Hæc Auguſtini confeſſio ſatis luculenter oſtendit, quàm ſit neceſſaria cogitatio immenſæ miſericordiæ Dei propter Chriſtum, in quotidiana ſanctorum pœnitentia. Quotieſcunque igitur ſentimus infirmitatem noſtram & faciles in peccata lapſus, cogitemus & prædicemus miſericordiam Dei, qui ſemper paratus eſt ad ignoſcendum, qui nemini claudit viſcera miſericordiæ ſuæ, modò ad miſericordiam confugerimus in vero timore & perfecto corde, ſine hypocriſi adferentes pium & ſanctum propoſitum de cauendis in poſterum peccatis contra conſcientiam.

IIII. Imitatio & externa conuerſatio.

Quartus vſus cognitæ miſericordiæ Dei in imitatione poſitus eſt, & conſpicitur in externa hominum conuerſatione. Nam hæc, quomodo agendum ſit cum proximis noſtris, nos monet. De qua re Chriſtus Dominus nobis hanc regulam tradidit: Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt. Et alibi: Diligite vos inuicem, ſicut ego dilexi vos. Auguſtinus: *O ſi diligenter conſideremus miſericordiam Dei in nobis, habemus miſerendi formam.* Et paulò pòſt: *ſtudeamus igitur fratres, dum viuimus, miſericordiam rapere. Cibetur à nobis eſuriens, veſtiatur à nobis nudus, recipiatur à nobis peregrinus, conſoletur per nos pupillus, viſitetur à nobis infirmus, ſepeliatur à nobis defunctus. Iſta enim ſunt opera miſericordiæ, de quibus interrogari debemus in die nouiſſimo.* Bernhardus: *Ille offert ſacrificium, qui facit miſericordiam. Qui in alterum miſericors non fuerit, non poteſt inuenire miſericordiam.* Breuiter cùm Deus pater vult ſuos filios ſe imitari, nemo poteſt de Deo Patre gloriari, niſi qui Patris miſericordiam conatur imitari. Hoc autem vt valeamus, indigemus miſericordia, qua in nobis per ſpiritum ſuum excitet Deus pietatis & miſericordiæ erga proximum aculeos.

V. Anchora noſtra in agone mortis.

Quintus vſus & poſtremus cognitæ miſericordiæ Dei in agone mortis conſpicitur. nam cùm nec medici manus, nec amicorum opera ad iuuandum eſt idonea, ſola Dei miſericordia reliqua eſt, tanquam anchora ſacra, hanc cùm fidelis mittit in tentationis mare, ſolatium experitur ineffabile. Hanc enim opponit omni tentationum generi, hanc morti obijcit, hac fretus Diabolo & inferno inſultat, adeò vt iam exhalaturus animam non dubitet cum ſancto Iob dicere, Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die reſurgam, & cum Dauide: nō timebo millia hoſtium circundantium me. Iob. 19.25. Pſal. 3.7.

Quanquam autem mors ipſa per ſe horrenda eſt, & ipſiſsima peccati imago, tamen ijs omnibus, qui fidem Chriſti habent, verè eſt precioſa, cùm quia illius aculeus per mortem Chriſti eſt retuſus, vt ſomnus potius, quàm mors iudicetur, tùm quia eſt finis ærumnarum præſentis vitæ. Bernhardus dicit, quòd vita & cauſa mortem precioſam reddant. Finis enim vitæ bene actæ non poteſt niſi eſſe glorioſus. Cauſa quoque mortis æſtimanda eſt: nam ſi quis pro defenſione veritatis moritur, vt multi martyres fecerunt, verè mors ipſius precioſa eſt, qua veritas Dei quodammodo obſignatur.

Memini quondam nobilem matronam, cùm iam videretur morti vicina eſſe, aſtantibus & lugentibus dixiſſe, iam ego magis, quàm ante vnquā gaudeo. Mox enim futurum eſt, vt victa morte conſpectu Ieſu ſaluatoris mei fruar. Cùm autem aſtantes mirarentur fortitudinem animi, quędam matrona ſubiecit, quî fit, quòd tu mortem nō metuas? quā filius Dei adeò exhorruit, quòd ſanguineas guttas ſudauerit? cui illa veluti triumphans reſpondit: Quòd filius Dei ſaluator meus Ieſus Chriſtus exhorruerit mortem, profectò mirum non eſt: nam totius mundi peccata in ſe receperat, iram Dei ſuſtinuit, & tanquam reus omnium peccatorum pœnas luit. Ego autem cùm ex miſericordia Dei remiſſionem peccatorū habeam, & veſtita ſim Chriſti iuſticia, quid timebo? Chriſtus meus eſt victor mortis, quomodo ego ſuccumberem? Huiuſmodi πληροφορία in media concipitur morte, ex cogitatione miſericordiæ Dei propter Chriſtum. Eſt autem hæc ars moriendi optima. Qui enim ita moritur, non guſtat mortem, ſed vt Chriſtus dicit, tranſit de morte ad vitā. Hanc artem meditari oportet per totā vitā vt cum res poſtulauerit, tanquam Gigas inuictus te morti opponas, non tua tamen fretus potentia, ſed potentia Chriſti, qui victor eſt mortis, non pro ſe tantùm, ſed pro toto corpore, hoc eſt, pro omnibus ijs, qui Chriſto per fidem inſeruntur.

DE SEXTO.

A bonis doctrinis de Dei miſericordia duplex: diffidentia & temeritas.

Duo ſunt præcipua vitia ſecurorum hominum, qui viuunt prout affectibus rapiuntur. Vnum diffidentiæ, Alterum temeritatis ſeu audaciæ. Diffidentia, qua Deum mendacij quodammodo accuſant, excluſi ſunt à familia Dei. Temeritate, qua Deum ſecurè contemnunt, ruunt præcipites in quæuis ſcelera tanquam phrenetici: vtroque vicio intercluditur via ad veram ſapientiam, quæ primus gradus vitæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

gradus vitæ eſt. Dicit enim Sapiens: In animam κακότεχνον non intrabit ſapientia. Sapientia autem hæc conſtat recto intellectu de rebus ſalutis, & motu cordis cõgruente cum intellectu affectúque ad Deũ colendum iuxta ipſius præcepta. Etſi autem huiuſmodi homines ſæpius verbo Dei admonẽtur, aliíſque rebus, vt reſipiſcant, manent tamen plærique in ſua diffidentia pertinaces & temeritate ſua Deũ grauiſſimè tentant, prorogantes tempus, quo reſipiſcere ſibi proponunt, ſtultè freti miſericordia, quam ſuperbè contemnunt. Putant enim ſatis eſſe, ſi extremum halitum pœnitentiæ agendæ reſeruarint. Húc miſericordiæ Dei abuſum grauiter taxat Syracides hiſce verbis. 21.1.&c. Ne dicas, miſericordia Dei plurima eſt, multitudinẽ peccatorum meorũ mihi ignoſcit: tam enim ira, quàm miſericordia à Deo properabit, ac ſuper ſceleratos furor eius requieſcit. Ne igitur differas conuerti ad Deum, ſubitò enim ira Domini erumpit, & cùm ſecurus eris, profligaberis, atque in tempore vltionis peribis, & rurſus: Si peccaſti fili, ne pergas peccare, ſed pro delictis commiſſis deprecare, tanquam à conſpectu ſerpentis fuge peccatum, nã ſi propius acceſſeris, mordebit te. Quàm periculoſa & pernicioſa ſit peccandi conſuetudo ac continuatio comparatione oſtendit Sapiens: Comparat enim peccatum venenatiſſimo ſerpenti. Nam vt huius morſus perniciẽ ſolùm adferre poteſt, ita morſus ſiue aculeus mortis eſt ipſum peccatũ. Hortatur igitur Sapiens ad pœnitentiam, videlicet vt à perpetratis peccatis abſtineamus, & in poſterũ nobis caueamus à peccato. Cum his congruit admonitio Auguſtini, qui in libro de ſalutaribus documentis inter cætera ſcribit, in hunc modum: *Clementiſſimus Dominus confugientibus ad pœnitentiam ignoſcit, ſed ne de miſericordia tamen ſecuri exiſtamus, vt peccatis peccata augeamus, neque dicamus, donec viget ætas carnis noſtræ concupiſcentias exerceamus, & poſtremò in ſenectute, malorum pœnitentiam agamus. Pius enim eſt Dominus & miſericors, nec vltrà facinorum noſtrorũ recordabitur.* Idem alibi: *Sperando decipitur, qui dicit: Bonus eſt Dominus, miſericors eſt Deus, faciam quod mihi placet, quod libet, laxem habenas, cupiditatibúſque meis impleam deſideria animæ meæ: Quare hoc? quia miſericors eſt Deus, manſuetus eſt Deus.* Et rurſus: *immittit Diabolus ſecuritatem, vt inferat perditionem, neque denumerari poſſint quantos hæc inanis ſpei vmbra deceperit.* Et rurſus, *fratres, quando habemus tempus miſericordiæ, non nobis blandiamur, non nos demittamus, non dicamus, ſemper parcit Deus, ecce feci heri, & pepercit Deus, facio & hodie, & parcit Deus, faciam & cras, & parcet Deus. Attendis ad miſericordiam & non times iudicium, ſi vis cantare miſericordiam, iudiciũ intellige, quia ideò parcit, vt corrigas, non vt in malignitate permaneas.*

Argumen[ta] quæ ab [abuſ]u di[uinæ] mi[ſeri]cordię reuocant.

Cæterum ne in noſtram perniciem cũ pleriſque abutamur & nos Dei miſericordia, ac nobis theſaurizemus iram in die iræ, nonnulla argumenta colligã, quæ nos ab abuſu miſericordię Dei reuocabunt, quæ nos continebunt in timore Dei, & quæ nos ad pœnitentiam veram maturandam inuitabunt.

Incer[tus] vitæ terminus.

Primum, incertus vitæ terminus. nemo enim nouit qua hora, quo momento, aut quomodo ſit ſibi hinc migrandum: Hæc incertitudo meritò nos ad maturandam pœnitentiam excitare deberet. Chriſtus hortaturus diſcipulos ad vigilantiam, hinc petit argumentum cùm ait, Marc. 13.33. Vigilate & orate, quia neſcitis neque horam neque diem. Et Lucæ 12.16.&c. proponit Dominus parabolam de diuite ſecuro & procraſtinante pœnitentiam: hominis, inquit, cuiuſdam diuitis vberiores fructus ager attulit, itaque cogitabat apud ſe dicens: Quid faciam quòd non habeam quò congregem fructus meos? Et dixit, hoc faciam, deſtruam horrea mea, & maiora ædificabo, atque illuc congregabo fructus meos, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona repoſita in annos multos, requieſce, comede, bibe, oblectare: Dixit autem ei Deus: O ſtulte, hac nocte repetam animam tuam abs te, quæ verò paraſti cuius erunt? Ita eſt, qui theſaurizat ſibi, nec eſt in Deo diues. Hinc poſtea infert Dominus, quin potius quærite regnum Dei &c. Item: Beati ſerui, poſtquam venerit Dominus inuenit eos vigilantes. Item: Eſtote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Et Auguſtinus ait: *Largitur tibi Deus ſpatium correctionis, ſed tu plus amas dilationem, quàm emendationem, expectas, & de miſericordia Dei tibi plurima polliceris, quaſi ille, qui tibi per pœnitentiam promiſit ſalutem, promiſerit tibi longam vitam, vnde ſcis quid pariat craſtinus dies? Rectè dicis in corde tuo, cùm me correxero, Deus mihi omnia peccata mea dimittet. Negare non poſſumus quòd correctis ac conuerſis Deus indulgentiam promiſit. Nam in quo Propheta mihi legis, quia promiſit Deus correcto indulgentiam, num mihi legis, quia promiſit tibi longam vitam? Hæc proinde incertitudo termini vitæ nos admoneat maturandæ pœnitentiæ, ne citius opinione noſtra impingamus (vt Ieremias loquitur) ad montes caliginoſos, atque ita obruamur iuſto Dei iudicio. Multi fuerunt, qui ſperauerunt ſe vitam prorogare poſſe ad ſenectutem, ſed in medio ſenectutis flore occubuerunt: Multi quietum finem vitæ expectarunt, ſed in exilio perierunt. Multi ex notis & amicis propoſuerunt ſibi ſolatia in agone mortis, ſed inter hoſtes miſerè perierunt. Multi polliciti ſunt ſibi tempus, quo in lecto decumbentes ingemiſcerent & reſipiſcerent, ſed ſubitò ex hac vita erepti ſunt.* Seneca pulcherrimè monet, cùm ait: *Noli huic tranquillitati confidere, momẽto mare euertitur, & eodem die, vbi luſerunt nauigia, ſorbentur.* Breuiter: Cùm nemo ſciat, num ſpiritum per nares emiſſum reuocare poſſit, ſtultiſſimè agunt, qui cum contumelia Dei procraſtinant pœnitentiam, ac ſi temporis momenta in ſuis haberent manibus.

Secundum, theſaurus plurimorum ſcelerum, iræ Dei, & pœnarum pernicioſiſſimus procraſtinatione pœnitentiæ colligitur. Vnde Paulus Rom. 2. 8. Secundum duritiem tuam & cor pœnitere neſciũ, theſaurizas tibi iram in die iræ. Peccatum enim, quod per pœnitentiam non opprimitur, mox ſuo pondere in aliud trahit, de hoc rurſus in aliud, donec immenſus peccatorum cumulus conſtruatur, & vt peſſima radix non euulſa è terra perpetuò creſcit & magis germinat: Ita etiam peccatum, cùm ei indulges, vires nouas quotidie acquirit, donec maximum peccatorum diluuium ſuperuenerit. Nam qui hoc pacto miſericordia Dei abutitur, in Deum eſt iniquus, vt qui Diabolo ſtatuit longiori tempore ſeruire, quàm Deo, Angelos offendit. Nam vt hi gaudent de impiorum pœnitentia, ita haud dubiè triſtantur de illorum impœnitentia. Dolent enim quòd tam nobilis creatura Dei ſuapte ſit peritura culpa. In ſeipſum crudelis eſt, vult enim potius eſſe malus quàm bonus, vel potius eſſe infirmus quàm ſanus, vel ſeruus potius eſſe Satanæ, quàm libertus Chriſti, vel potius pauper eſſe, quàm diues. Breuiter: vult potius perire quàm ſaluari, qua ſanè crudelitate nulla alia maior eſſe poteſt. Taceo quòd in creaturas Dei ſit iniurius, vnde Paulus dicit, creaturam ingemiſcere, quod ſe abutantur impij. Oedipus intellecto inceſtu cum propria matre commiſſo ſibiipſi oculos eruit, vt vel iſto

2. Theſaurus ſcelerum, iræ Dei, & pœnarum.

pacto fugeret conſpectum Solis, qui inſpectorfuit tanti ſceleris. Cur infinita animalia perierunt in diluuio? Nónne propter peccata hominum? an nó maledicta pronunciatur tota terra propter peccata primorum parentum? Non ſecus hodie iniuria fit maxima creaturis Dei ab iis omnibus, qui illis vtuntur, non in gloriam creatoris, ſed ad propriam libidinẽ explendam.

3. Abalienatio mẽtis à Deo & finalis induratio.

Tertiũ, abalienatio mentis à Deo & finalis induratio. Nam quò diutius differtur pœnitentia, eò redditur difficilior. Nam vt in morbo corporis ſe res habet: Ita & in morbo animæ, qui eſt peccatũ. Quò enim differtur medicina corporis diutius, eò fit morbus periculoſior & difficilius curatur. Imò interdũ ex diuturnitate incurabilis euadit. Ita morb' animæ paulatim creſcit vt cancer, donec totum hominem occupauerit. Siquidẽ poſtquã conſuetudine peccandi anima callum induxit, veluti cancro quodam corripitur, ex quo fit vt paulatim malum ſerpat, donec interitum adferat. Huc illud Iob pertinet: cap. 20. 11. Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ ſuæ, & cũ eo in puluere dormient. Et illud Salomonis. Prou. 22. 6. Adoleſcens ambulans iuxta viam ſuam etiã cũ ſenuerit non recedet ab ea. Et illud Ieremiæ, 13. 23. Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuã, & pardus maculas ſuas, vos etiam poteſtis benefacere cùm feceritis malum. Huc congruit Iuuenalis verſiculus: *Conſuetudo mali tenet inſanabile vulnus*. Conſuetudo enim diuturna altera fit natura, vnde fit vt multi peccandi cõſuetudine quandam peccandi neceſſitatẽ ſibi accerſant. Hoc igitur malũ, hoc periculũ indurationis meritò nos cõmouere ad maturandã pœnitẽtiã debet.

Simile.

4. Cõſciẽtia mala.

Quartum, conſcientia mala, qua nihil grauius, nihil triſtius, nihil miſerius. Hanc teſtẽ ſuorum ſcelerum coguntur ſecum circumferre, qui peccati cœno oblectantur. De conſcientiæ malo patres in hanc ſententiam loquuntur: Formidoloſa res eſt improbitas proprio teſte conuicta, hæc compreſſa conſciẽtia ſemper malum præſagit. Nam vt Bernhardus ait: *Mala conſcientia debitorum noſtrorum ipſa teſtis eſt, ipſa iudex, ipſa tortor, ipſa accuſat, ipſa iudicat, ipſa punit, ipſa damnat*. Hæc etiamſi ad tempus reſecta fuerit tãquã cauterio, tamen aliquando prodibit, & ſi non antea, ſaltem in agone mortis inſtar mille teſtium aſtabit, accuſabit, damnabit, puniet. Eſt ſiquidem conſcientia mala diuinum quoddam teſtimonium animis hominum impreſſum de futuro in cõtumaces iudicio, & de pœnis, quas iuſtè luent contumaces.

5. Scandalum.

Quintum, ſcandalum, & reatus alieni peccati. Eſt autem in ſcandalo duplex malum, videlicet factum & exemplum. Vt facto per ſe violatur Lex Dei, ita exemplo proximus læditur propter imitationem. Hinc illud, θρυνῶδες ἐπίφθεγμα Chriſti, Mat. 18. 6. 7. væ homini per quem ſcandalum venit. Et rurſus, qui offenderit vnum ex paruis iſtis, qui in me credunt, præſtiterit illi, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collum eius, & demergatur in profundum maris. Paulus pronunciat in Chriſtum peccarę & perdere infirmos fratres, qui adiaphoris cum ſcandalo vtitur. Rom. 14. 20. & 1. Cor. 8. 13. Quid ſentiendum de eo eſt, qui vel erronea doctrina, vel improba vita multos in perniciem adducit? quod tanta graſſentur ſcelera in mundo hodie, an non inde prouenit, quòd vnus putet ſibi licere, quod videt alium facere? quem mox alius imitatur, & hunc alius, donec ſcabie vnius membri, totum corpus ferè Eccleſiæ infectum deformatur.

6. Priuatio bonorum ſpiritualium.

Sextum, priuatio bonorum, quorũ ſoli ſancti in Eccleſia ſunt participes, donec enim homo ſine pœnitentia viuit, gaudio Spiritus ſancti caret, conſciẽtiæ pace deſtituitur, conſolationibus Spiritualibus priuatur: Breuiter, communium Eccleſiæ bonorum nequaquam particeps eſſe poteſt, quicunq; ſciens & volens ruit contra conſcientiam.

7. Delitiæ ſatanæ.

Septimum, delitiæ Satanę. Quemadmodum enim Angeli in cœlo gaudent ſuper hominem agentẽ pœnitentiam: Sic Satanas ſummis delitiis, & veluti iucundiſſimis voluptatibus perfunditur, cùm homines præſertim eos, qui Chriſto dederunt nomina, videat ſine pœnitentia viuere. Sunt enim peccata hominũ, vt quidam ex Patribus ait: εὐωχίαι φαύλων δαιμόνων.

8. Cogitatio tragicorum exemplorum.

Octauum, cogitatio tragicorum exemplorum plurimorum hominum, qui à Deo ob contumaciã ſunt abiecti in æternas pœnas, in quorum numero ſunt, Cain, Pharao, Saul, Achitophel, Iudas, Iulianus & infiniti alij. *Deterreant*, inquit Auguſtinus, *quaſo vos ab hac perſuaſione innumerabiles populi, ſub tali ſecuritate nudi & vacui bonis, & malis pleni ex hac luce prærepti*.

9. Pœnitentia Dei donum eſt.

Nonum, Cogitatio etiam hęc animum ſubeat, quòd pœnitentia ſit non tam opus hominis, quam donũ Dei: Quod ſi cõtempſeris dum à Deo tibi offertur, metuendum eſt, vt ſuas margaritas ſæpius ſuibus obiiciat.

10. ſera pœnitentia rarò vera.

Decimum, Conditio ſeræ pœnitentiæ: dici enim rectè ſolet, Sera pœnitentia rarò vera. Nequaquam enim is pœnitentiam agere cenſendus eſt, qui poſtquam peccare non poteſt, pœnitentiam ſimulat. Et Auguſtinus ait, *Pœnitentia, quæ à moriente tantum petitur, timeo ne ipſa moriatur*.

Has decem rationes colligere placuit, quarum cogitatio nos retinebit in timore Dei, ne abutamur miſericordiæ Dei magnitudine, in noſtram propriam perniciem. Maturemus igitur pœnitentiam, dum adhuc integra valetudine ſumus, demus Deo gloriam antequàm tenebreſcat, & antequam offendant pedes noſtri ad montes caliginoſos.

Loci præcipui tertiæ partis.

1. Deus, cùm ſit bonus, nullius mali eſt author, ſed omnis potius fons boni & origo.
2. Deus, cùm ſit rectus, non προσωπολήπτης eſt ſed æqualis omnibus, iuxta regulam decreti ſui.
3. Dei proprium eſt afflictis opem ferre, atq; errãtibus viam monſtrare ſalutis.
4. Deus vt miſericors eſt, ita & verax, promiſſa ſeruans iuxta pacti conditionem.

QVARTA PARS PSALMI.

11 *PRopter nomen tuum Domine propiciaberis peccato meo, quoniam multum eſt.*

Summa.

Hic verſus quartam huius Pſalmi partem continet, quæ eſt repetitio petitionis veniæ, & remiſſionis peccatorum. Quæ ideò adhibetur, vt precantis affectus, fideſque magis accendatur.

Partes duæ.

In hac precatione duo ſunt obſeruanda. Primum precationis forma. Secundum, ratio propoſitionis duplex. Precationis forma eſt, propiciare peccato meo, ſeu condona mihi peccata mea. Conuenit prorſus hæc forma cum ea, quam Dominus nobis commendat Matth. 6. 12. Remitte nobis debita noſtra. Et cum precatione Publicani: Deus propitius eſto mihi peccatori. Luc. 18. 13.

1. Precationis forma.

In hac propitiatione plura ſunt ſpectanda, videlicet, figura, veritas, fides, & quæ cum fide remiſſionis peccatorum coniuncta ſunt.

Figura

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Figura huius remiſſionis fuerunt omnia ſacrificia diuinitus in Lege Dei ordinata,& præcipuè ea, quæ propiciatoria nominabantur propter ſignificationem.Hæc figura docet nullum peccatum eſſe, quod non remittatur,modò propiciatio peccati petatur. Nam ſacrificia expiatoria omnis generis peccatorũ ordinata erant in Lege Moſis.

Veritas eſt Chriſti victima,quæ efficax eſt ad expianda omnia peccata quantumuis enormia. Ita enim Iohãnes ait: Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato. Non eſt igitur quod quis vllum peccatũ inexpiabile putet,cuius cõdonatio petitur.

Fides remiſsionis peccatorum accipit petitam cõdonationem.Eſt autem hæc fides notitia,expetitio,& fiducia promiſſæ miſericordiæ & veniæ propter Chriſtum. Et eſt conuerſionis ſeu ſalutaris pœnitentiæ forma,quam præcedit peccati agnitio & contritio,quemadmodum ſupra copioſè declaratum eſt.

Cum fide remiſsionis peccatorum cõiuncta ſunt gratia & donum. Gratia eſt ipſa iuſtificatio, hoc eſt, credentis perſonæ abſolutio à peccato,imputatio iuſtitiæ Chriſti, & acceptatio gratuita ad vitam æternam.De hac gratia loquitur ſanctus Paulus,Rom.5.16.Gratia ex multis delictis in iuſtificationem. Donum eſt ipſa donatio Spiritus ſancti, qua homo iuſtificatus regeneratur ſeu ſanctificatur,hoc eſt,mortificatur & viuificatur,vt porrò ſit noua creatura, viuatque iuxta voluntatem Dei: Seu vt alibi loquitur Scriptura,vt timeat Deum.Hic enim finis propitiationis aſſignatur Pſalmo 130.4.vbi ita dicitur: apud te propitiatio eſt,vt timearis.

Rationibus duabus propoſitio fulcitur, quarum vna præcedit,altera ſequitur.Prior eſt, *Propter nomẽ tuum Domine.* Hoc nomen,vt includit aliquid, ita etiam aliquid excludit. Includit tres cauſas remiſſionis peccatorum, quarum prima eſt, impulſiua, videlicet promiſſio gratuita. Promiſit enim Deus veniam peccatorum omnibus ad gratiam confugiẽtibus. Hanc promiſſionem nunquam reuocabit, quia verax eſt & conſtans in ſuis promiſsis. Secunda cauſſa eſt efficiens, videlicet bonitas & miſericordia. Nam cùm bonus ſit,benefacere non ceſſat, & cùm ſit miſericors,tangitur reuera noſtra calamitate, & iuxta promiſſiones lapſis manum porrigit. Tertia cauſa eſt finis,iſque duplex:prior gloria Dei. Prædicatur enim bonitas Dei recipientis peccatores in gratiam, & ab Angelis bonis & ab hominibus.Poſterior,vt iuſtificetur in ſermonibus ſuis, & vincat cùm iudicetur, hoc eſt, vt prædicetur ipſius veritas,quòd ſeruet promiſſa, & verè exaudiat, recipiat,liberet inuocantes. Excludit hæc ratio omnia humana ἐνεργήματα & παθήματα à cauſis remiſsionis peccatorum. Nam cùm propter nomen ſuum Dominus peccata remittit, ſequitur profectò nos nec meritis noſtris,nec operibus,nec paſſionibus remiſſionem mereri. Poſterior ratio his verbis exprimitur: *Quoniam multum eſt.* Mirabilis ſanè videtur hæc ratio: ignoſce inquit, peccato meo: Quare? quia multum eſt, vbi enim multitudo peccatorum, ibi requiritur etiam copioſa miſericordia, Gratia enim,vt Paulus loquitur, Rom.5.20. exuperat peccatum. Nemo igitur deſperet ob peccatorũ ſuorum multitudinem, ſed confiteatur Deo ſerio corde peccata ſua,& ſperet in Domino, apud quem eſt miſericordia & copioſa redemptio.

1 Quòd ſine humanis meritis fiat peccati remiſſio propter promiſſionem Dei, bonitatem & gloriam.

2 Quòd peccati confeſſio coram Deo requiratur ab eo, qui petiturus eſt veniam.

QVINTA PARS PSALMI.

12 *QVis eſt homo,qui timet Dominum? Docebit eum viam,quam eligat.*

13 *Anima eius in bonis commorabitur, & ſemen eius hæreditabit terram.*

14 *Secretum Domini timentibus eum,& teſtamentum ſuum manifeſtabit illis.*

Summa.

Hæc pars Pſalmi continet deſcriptionem fœlicitatis eorum, qui timent Deum, & vera religione colunt. Hæc deſcriptio affectibus excitandis deſtinatur.Orditur autem Dauid hanc deſcriptionem ab admiratione per exclamationem & interrogationem: *quis eſt*, inquit, *homo qui timet Iehouam?* Quaſi diceret, O quàm felix eſt iſte homo, ô quàm beatus eſt qui Dominum timet, & eum religioſè colit. Dum enim noſipſos intuemur, extremè miſeri ſumus propter peccata, ſed cùm propitiatorem aſpicimus,Deum timentes à peccatis liberamur,& omni felicitatis genere donamur.

Exordiũ.

Admirationi huic ſubiicit quatuor genera fœlicitatis eorum qui timent Deum, quæ ſunt, vera ſapientia,læticia ſpiritualis,benedictio ſeminis ſeu poſteritatis,& myſteriorum Dei, & pacti diuini viuus in corde ſenſus. De his vbi nonnulla dixero, de timore Dei plenam inſtructionem adſcribam.

Docebit eum viam quam eligat. Hæc prima pars felicitatis timentium Deum eſt. Deus timentem ſe vera ornabit ſapientia,atque hoc eſt quod Dauid alibi,& Salomon poſt illum ait: Initium ſapientiæ timor Domini,Quanta ſit autem huius ſapientiæ vis, Syracides oſtendit cum ſapientiam introducit loquentem hiſce verbis: ἐγὼ μητὴρ τῆς ἀγαπήσεως καλῆς καὶ φόβου, καὶ γνώσεως, καὶ ὁσίας ἐλπίδος.

Prima pars felicitatis piorũ:vera ſapientia.

Anima eius in bonis morabitur. Secunda felicitatis pars timentium Deum, ſpiritualis quędam læticia eaque perpetua (Morandi enim vocabulo cõſtantia & perpetuitas ſignificatur) hæc læticia eſt pax conſcientiæ,gaudium Spiritus ſancti, & alij iucundi motus excitati in corde per Spiritum ſanctũ, qui ſunt quidam guſtus æternorum bonorum, quibus fruemur in æterna vita,& ſunt veluti arrha quędam qua Deus nos donat in certitudinem promiſſæ hęreditatis.

Secunda pars conſcientiæ.

Et Semen eius hæreditabit terram. Hæc eſt tertia pars felicitatis timentium Deum, de poſteritate eorum,cui promittitur hæreditas, id eſt, tuta habitatio in terra, & commoda fruitio rerum, quæ ex terra proueniunt.nam hæreditatis voce intelligitur genus cum adiunctis. Quia igitur præcipuum ius rerum ex hæreditate eſt,plenam ſcriptura poſſeſſionem, & præcipuum vtendi ius hæreditatem appellat. Poſſeſſio autem hæc non tam in κτήσει quàm in χρήσει poſita eſt, & habet annexam duplicem conditionem ſeu promiſſionem. Vnam ſi poſteri non degenerauerint à ſanctorum parentum virtute. Alteram,ſi poſſeſſio hæc non habeat maius periculum, quàm commodum, vnde fit,vt non pauci piorum liberi non degenerantes abripiantur ab hac vita. Nam ita Deus promittit pœnitentibus vitæ diuturnitatem & commoda,modo melius bonum & perfectius non impediatur.

Tertia benedictio. tẽporalis

Si quis obiiciat impiorum poſteritatem etiam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

impiam ſæpe hæreditare terram: diſtinguo, vt ſuprà inter κτῆσιν & inter χρῆσιν. Nã tales etſi videntur poſſidere terram, tamen eius rerũ vſum nõ habent, vnde ſæpe ſit, quò fuerint homines ditiores, eò ſint etiam miſeriores. Vnde Eſaiæ 3.1. Ecce Dominator Iehoua exercituum auferet à Ieruſalem omne robur panis & aquæ, vt Propheta hic diſtinguit inter panem & robur panis, ita inter poſſeſſionem terræ & eius verum & legitimum vſum diſtinguendum iudico.

Quarta: ſenſus gratiæ Dei.

Secretum Domini timentibus eum, & manifeſtauit illis teſtamentum ſuum. Hæc quarta pars eſt fœlicitatis timentium Deum, videlicet viuus in corde ſenſus myſterij & pacti Dei. Myſterium ſeu ſecretum & pactum idem ſunt re, ſed ratione diſtinguuntur. Myſterium dicitur, quia ignotum eſt carni & ſanguini. Animalis enim homo (inquit Paulus) non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Pactum verò propter ſtipulationem, quæ inter Deum & hominem interceſsit. Hoc pulcherrimè oſtenditur Geneſis 17. 4. vbi Dominus ita ait: Ecce pactum meum tecum, &c. Huic promiſsioni reſpondet in Abrahamo fides, qua ipſe recumbit in factam ſibi promiſſionem. Huius fœderis ratio deſcribitur fuſius Ieremiæ 31. 31. & Hebræ. 8. 8. &c. In hunc modum: Ecce dies venient, dicit Iehoua, & feriam cum domo Iſrael & cum domo Iuda fœdus nouum, non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Ægypti, quia ipſi irritum fecerunt pactum meum, & ego Dominus ſum eorum, dixit Iehoua. Sed iſtud eſt fœdus, quod feriam cum Iſrael, dixit Iehoua, Dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum deſcribam eam (ſcilicet digito meo qui eſt Spiritus ſanctus) nec docebit vnuſquiſque vltrà proximum ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuũ, dicendo: cognoſcite Iehoua. Omnes. n. cognoſcent me à minimo illorum vſque ad maximum eorum, quia propiciabor iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius. Hoc pactum Chriſtus reſuſcitatus à mortuis ſuis diſcipulis in memoriam reuocat, cùm inquit, Ioann. 20. 17. Aſcendo ad Deum meum & ad Deum veſtrum, ad patrem meum & patrem veſtrum. Summa huc redit, quòd Deus velit noſter pater eſſe remittendo nobis peccata, & acceptando nos ad vitam æternam propter Chriſtum mediatorem & reconciliatorem, & nos debeamus eſſe ipſius populus, vera fiducia illi adhærendo & obediendo. Quare nequaquam participes huius fœderis ſunt, qui vacui timore Dei viuunt prout cæcis & ferocibus abripiuntur affectibus. Hic locus poſtularet, vt aliquid diceretur de diſcrimine noui & veteris fœderis ſeu teſtamenti, verùm quia de hoc diſcrimine in Enchiridio noſtro ſatis dictum eſt, hîc tantum aſcribam verba Clementis Stromateon 8. *Vt vetus illud teſtamentum,* inquit, *diuina Ieſu opera futura præcinuerit, ita nouum facta prædicauerit, vt illud veritatem in imaginibus texerit, ita hoc præſentem oſtenderit illius prædictionum veritatem, huius effectus aperit & credi facit.*

Locus, de Timore Dei.

Chriſtus mittens ſuos diſcipulos ad oues perditas domus Iſrael, inter alia præcepta etiã hoc dedit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam verò non poſſunt occidere. Sed potius timete eum, qui poteſt & corpus & animam perdere in gehenna. Hîc Chriſtus duo genera timoris facit, vnum quidem quo homines metuimus, alterum verò quo Deum timemus.

Timor hominum. 1. Rectus. 2. Peruerſus.

Timor quo homines metuimus eſt duplex, videlicet, rectus & peruerſus. Rectus naturalis & præceptus adeóque bonus & laudabilis eſt, cùm ſerui dominos ſuos, & liberi parentes ſuos cum reuerentia timent. Peruerſus, hominum timor eſt, de quo hîc Chriſtus loquitur, qui nos à recta via abducit, quíque facit vt metu mali, quod videtur impendere cœleſtia terrenis, ſalutem animæ incolumitati corporis poſtponamus. Hoc timore fracti multi omnibus ætatibus confeſſionem abiecerunt.

Timor Dei. 1. Seruilis.

Timoris quo Deum timemus plures ſunt modi. Eſt enim timor ſeruitutis, de quo Paulus Rom. 8. 15. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis, rurſus in timorem, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorũ, per quem clamamus abba Pater. Hîc Paulus quendam timorem ſeruitutis facit, cuius quidem author eſt Spiritus ſanctus, quem Spiritum dicimur accipere, cùm in animis noſtris eſt efficax. Is igitur quia prædicatione Legis ſalutem quidem proponit, ſed addita duriſſima & planè impoſſibili conditione nihil niſi timorem pœnæ in animis poteſt ciere, vt quaſi ſerui iram domini magna cum anxietate & pauida conſcientia homines expectent. Hic ergò timor eſt ſine fide, & rectiſſimè ſeruilis dicitur, qui nihil aliud eſt, quàm metus cruciatus propter peccata commiſſa. De hoc timoris genere loquitur Syracides, cap. 36. 2. Timorem tuum immitte omnibus gentibus quæ te non requirunt. Hic timor aut perducit & impellit homines ad pœnitentiam, qua ratione rectè initium ſapientiæ dicitur, aut ad deſperationem adigit, & odium Dei parit, videlicet cum conſcientia victa mole peccati ſuccũbit, quare nihil ſanè triſtius. Dauid timore pœnæ adducitur ad pœnitentiam, ſed Saul ad deſperationem. Petrus metu pœnæ ob negatum Chriſtum plorat & impellitur ad implorandam veniam. Sed Iudas deſperans de venia ſe ſuſpendit. Magdalena timore pœnæ ducitur ad Chriſtum, ſed multi, vt Cain, Iudas, Iulianus &c. metu iudicij deſperatione perierunt. Eſt proinde hic timor ſeruilis, qui & culpæ rectè dicitur, primus gradus ad vitam, modò eo vt decet rectè vtamur. Huc pertinet illud Prou. 14. 27. Timor Domini fons vitæ, vt declinet à ruina mortis.

Exempla oppoſita.

2. Timor filialis.

Eſt & timor filialis, qui eſt eiuſdem Spiritus effectus in conuerſis. Hic autem timor filialis eſt purus colendi Deum affectus cum humili ſubiectione, reuerentia & amore, cumque ſerio ſtudio omnem offenſam Dei vitandi coniunctus, Ioſue 24. 14. Timete Deũ & ſeruite ei perfecto corde atq; veriſſimo, hîc poſterius mẽbrum prioris eſt interpretatio ſiue definitio. Huius timoris filialis partes ſunt duæ, videlicet, Timor cultus, & timor culpæ. Timor cultus eſt, quo Deo ſubiecti illũ reueramur & amamus exhibentes illi ex vera fiducia debitũ cultũ. Timor culpæ eſt, quo cauemus ne Deum Patrem dulciſſimum offendamus. Etſi autem ſeruus etiam timet ne Dominum ſuum offendat, tamen maximum eſt diſcrimen inter ſeruum timentem, & filium: Seruus enim timet Dominum ſuum vt crudelem cum latente odio. Filius autem patrem ſuum dulciſſimum genitorem cum amore & reuerentia timet, nihil enim charius habet, quàm vt patri per omnia placeat. Huius timoris filialis plurima ſunt præconia in ſacro Dei verbo, ex quibus pauca aſcribamus. Pſa. 19. 10. Timor Domini purus permanet in ſeculũ ſeculi. Dicitur autem hic timor purus & à ſubiecto & ab effectu: nam vt in puris, id eſt, fide purificatis eſt: Ita in puritate & ſanctitate fideles retinet,

Eius partes. Timor cultus. Timor culpæ.

Filialis timoris encomia.

retinet, ne cum impuro mundo ſe omni turpitudini proſtituant. Timor enim Domini, vt Salomon ait, Prouerb.8.13. odit malum. Et Syracides, Eccleſ.1.27. Timor Domini expellit peccatum. Vt igitur initium ſuperbiæ, vt loquitur Syrach, cap.10.14. eſt defectio hominis à Domino, atque à creatore ſuo cordis auerſio: Ita vnus timor Dei eſt, qui nos in obſeruantia preceptorum Dei atque in omni ſancta ſubiectione continere poteſt; Syrach. 25.13. &c. Magnus eſt, qui adeptus eſt ſapientiam, ſed timente Dominum nemo maior eſt. Item. Timor Domini claritate ſuperat omnia. Item, Qui timet Dominum nihil trepidabit, & non pauebit, cùm ipſe eſt ſpes eius. Timentis Dominum beata eſt anima eius. Item; facultates & virtutes exaltant cor, & ſuper hæc timor Domini. Timori Domini nihil deeſt. Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis. Pſal.112.7. extat hominis timentis Deum hæc commendatio, quòd ab auditione mala non timebit, quia paratum cor eius fidens Domino. Confirmatum cor eius non timebit, donec videat in hoſtibus ſuis quod optat. Breuiter, vt omnis boni fons cùm in hac vita, tùm in futura eſt timor Domini: Ita omnis mali ſcaturigo eſt Deum non timere, iuxta illud Syracidæ, 27. 4. Niſi quis ſe in timore Dei ſtudioſè continuerit, citò euertetur domus eius.

Loci quintæ partis.

Primus, quòd timentes Deum diuinitus doceantur, hoc eſt efficaciter per Spiritum ſanctum in viis Domini erudiantur.

Secundus, quòd ſumma fœlicitas hominis, atque adeo hominis ſummum bonum ſitum ſit in timore Domini.

Tertius, quòd timentes Deum indies in cœleſti ſapientia proficiant.

Quartus, quòd timore Dei vacui prorſus ignari ſint arcanæ Dei ſapientiæ.

SEXTA PARS.

15 *OCuli mei ſemper ad Iehouam, quia ipſe educet de laqueo pedes meos.*

16 *Reſpice ad me, & miſerere mei, quoniam vnicus & afflictus ſum ego.*

17 *Afflictiones cordis mei auctæ ſunt, ab anguſtiis meis educ me.*

18 *Vide afflictionem meam & laborem meum, & parce omnibus peccatis meis.*

19 *Vide inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt & odio iniquo oderunt me.*

20 *Cuſtodi animam meam, & libera me, ne pudeſiam, quoniam ſperaui in te.*

21 *Integritas & æquitas conſeruabunt me, quonaim expectaui te.*

Iam accommodat Dauid petitionem generalem præſentibus ſuis periculis, in quibus verſabatur perſequente ipſum Saule, ac primo loco parat ſibi aditum ad orandum nouo exordiolo, in quo & geſtus orantis & affectus exprimitur: Deinde ſæpius eandem propoſitionem repetit, vt magis in ſe excitetur exaudiendi fiducia. Poſtea collationem inſtituit inter ſuam cauſam & aduerſariorum.

15. Geſtus & affectus orantis hiſce verbis oſtenditur: *Oculi mei ſemper ad Iehouam*, ſcilicet ſuſpiciũt ſeu ſunt erecti. Solemus enim & oculos & manus cò dirigere, vnde expectamus auxilium, atque ideò ſubiicit: *quia ipſe educet de laqueo pedes meos*. Hoc eſt, liberabit me è periculo, in quo ſum. Directione igitur oculorum ſignificatur intentiſsimus orantis affectus, qui nititur promiſſionis fiducia. Vt igitur promiſsio offert auxilium: Ita fides oblatũ auxilium intuetur: vnde accenditur precãtis affectus. Laqueus inſidias & clancularias inimicorum machinas notat: metaphora ſumpta à venantium laqueis, quibus occultè feris ſtruunt inſidias.

Affectus, & fides.

6. *Reſpice ad me, & miſerere mei, quia vnicus & afflictus ſum ego.* Propoſitio precationis & eiuſdem ratio dulciſſima, quæ nititur hoc principio infallibili & immoto. Deus deſtitutos & afflictos ſe ex fide inuocantes reſpicit, eorúmque miſeretur. Obſeruandum eſt hoc loco genus crucis: quo ſæpiſſime Deus ſuos ſolet exercere. Nam eos non ſolùm multis oppugnandos obiicit; verumetiam amicorum & proximorum ope deſtituit & ſolatio, & ſimul affligi permittit, ídque facit paterno planè animo, vt nos doceat, quòd vt extra ſe nihil ſit niſi periculũ & malum expectandum: ita à ſe omnis ſalus, benedictio & auxilium dependeat. Nos igitur ſi quando in ſimilia pericula inciderimus, imitemur Dauidẽ, ſtatuamúſque, quòd Deus nõ aliter ſit affectus erga nos, quàm fuit erga Dauidem, modo ſimili fiducia ad ipſum cõfugerimus: Nam Deus perſonarum acceptor non eſt, ſed cauſas iuſtiſſimè diſcernit.

Precatio, & eiuſdẽ ratio.

Doctrina.

17 *Afflictiones cordis mei auctæ ſunt, ab anguſtiis meis educ me.* Hic verſus querela & precatione abſoluitur. Querela eſt maxima: non enim tàm ob cruciatus corporis gemit Dauid, quàm ob cordis anguſtias. Nam dum corpus foris premitur, animus intus perturbatur cogitatione peccati. Norunt enim pij crucem externam peccatorum latentium eſſe pœnam. Quoties igitur pij affliguntur, veniunt in cogitationem ſuorum peccatorum, non vt mole peccatorum obruantur, ſed vt precibus ad Deum confugiant, qui vnus poteſt moleſtiſſimã & grauiſſimam leuare ſarcinam & deponere. Quare mox ſequitur precatio, *ab anguſtiis meis educ me.* Hoc eſt, libera me ab opprobrio & perſecutione ſeu cruce. Hoc loco cogitemus duos modos eſſe, quibus filij Dei in hoc mundo exercentur, opprobrium videlicet, & cruciatus. Sapientiæ 2.19. Contumelia & opprobrio eum examinemus. 1. Timoth. 4.10. In hoc laboramus, & probris afficimur, quia ſperamus in Deo viuente.

Querela. & precatio.

Duplex piorum anguſtia.

18. *Vide afflictionem meam, & laborem meum, & parce omnibus peccatis meis.*

Hic apertè fatetur Dauid ſe ſuis peccatis meruiſſe præſentes afflictiones, quæ vt mitigentur, remiſſionem peccatorum petit: Nam hic eſt ordo rectiſſimus, primum omnium remiſſio peccatorum petenda eſt, hac impetrata cor mundum eſt effectũ: Corde purificato, recto ordine petitur pœnæ vel mitigatio, vel condonatio. Nam vt in corpore ſanando: ita in animæ morbo primùm cauſa mali remouenda eſt.

De cauſis afflictionum.

19. *Vide inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me.*

Exaggerat pericula ſua Dauid ab hoſtium ſuorum multitudine & truculentia, quaſi diceret. Etſi autem coram te Deus reus ſum, & hãc, qua premor, crucem ſum meritus, tamen inimici mei non habẽt iuſtam cauſam cur me perſequantur. Mentiuntur me regnũ tyrannicè affectare, ſed tu ſcis, quòd mandato tuo in regem inunctus ſum, propter quam cauſam tyrannico odio me perſequuntur.

Periculorum amplificatio.

Dauid hoc loco typum Eccleſiæ gerit: vt enim ipſe iniuſtè traducitur ab inimicis ſuis & odio implacabili grauatur: Ita Eccleſia Dei perpetuò in hoc

Dauid Eccleſiæ typus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mundo hoſtes habet, qui ſe perſequuntur, aliàs plures, aliàs pauciores.

Hoſtes Eccleſiæ

Sunt autem tria genera hoſtium Eccleſiæ præter Epicureos, videlicet Sophiſtæ, Hypocritæ & Tyranni. Sophiſtæ doctrinam inuadunt, vt ea vel abolita, vel deprauata, Eccleſiæ corpus paulatim collabatur. Hypocritæ ficta ſanctimonia & ſuperſtitione inſidias ſtruunt. Tyranni aperta vi graſſantur & ſanguine Eccleſiam extinguere ſtudent.

Eccleſiæ munimenta.

Sed quid faciendum Eccleſiæ? Primùm omnium conſolabitur ſe promiſsione Chriſti dicentis: Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam. Deinde contra Sophiſtas tuebitur doctrinæ puritatem, cauebítque ne fundamentum ſubruatur. Hypocritis opponet dictum Chriſti: Fruſtra colunt me docentes doctrinam hominum. Contra Tyrannos exemplo Dauidis ad preces confugiet (magis enim proſternuntur Tyranni in mundo precibus quàm vllis gladiis) Nam ratio ex fide facta tutiſſimum eſt aſylum Chriſtianorum contra tyrannos & hoſtes Eccleſiæ. Verè enim à Salomone dictum eſt, Turris fortiſſima nomen Domini, ad hanc confugiet iuſtus & ſaluabitur: Prouerb. 18. 10.

Ratio rectè orãdi aduerſus inimicos.

Porrò tenenda eſt ratio rectè orandi aduerſus inimicos: nam cùm Chriſtus iubet pro inimicis orare, & Dauid plenus Spiritu ſancto contra inimicos orat, neceſſe eſt, & diſcrimina inimicorum tenere, & diſcernere precandi modos. Sunt autem inimici vel cauſæ tantùm, vel perſonæ noſtræ tantùm, vel vtriuſque ſimul ſunt hoſtes. Si ſunt hoſtes cauſæ, hoc eſt, veræ doctrinæ quam profitemur, orabimus Deum vt tueatur cauſam aduerſus hoſtes, & eos vel conuertat ſi ſunt emendabiles, vel euertat, ſi ſunt obſtinati & inemendabiles. Si ſunt hoſtes perſonæ noſtræ, aut à nobis ſunt læſi, & iuxta regulam Chriſti petenda eſt venia, & iniuria illis à nobis facta compenſanda eſt. Aut non ſunt à nobis læſi, & orandum pro iis, vt ex hoſtibus amici fiant, aut ſi id fieri non poteſt, petenda eſt diuinitus defenſio aduerſus eorum truculentiam. Si ſunt hoſtes vtriuſque, hoc eſt, & cauſæ iuſtæ & perſonæ noſtræ, exemplum Chriſti pro regula nobis ſequendum eſt, qui orauit pro hoſtibus doctrinæ, & perſonæ ſuæ emendabilibus, & contra inemendabiles vindictam petiit.

20. *Cuſtodi animam meam & libera me, ne confundar, quoniam ſperaui in te.*

Precationis repetitio neceſſaria.

Hic verſus congruit cum ſecundo, & conſtat Rhetorico Enthymemate, quod mutato ordine hoc modo Dialecticè concluditur: Ego Dauid ſpero in te Deus: ergò cuſtodi animam meam, id eſt, defende vitam meam, & libera me ab aduerſarijs meis, ne fruſtratus ſpe ſuccumbam, & ipſi ſuper me lætentur & triumphent. Principium quo nititur huius Enthymematis antecedens ſupra expreſſum eſt in tertio verſu hiſce verbis: Etiam omnes expectantes te non erubeſcent, erubeſcent preuaricantes temere. Sed de hoc principio vide quæ ſupra annotauimus in tertium verſum.

21. *Integritas & æquitas conſeruabunt me, quoniam ſperaui in te.*

Fidei audacia.

Hæc oratio plena fiduciæ eſt. Opponit enim Dauid ſuam innocentiam criminationi hoſtium, qui illum criminabantur tanquam alienæ rei affectatorem: ſed huic criminationi opponit, vt dixi, ſuam integritatem & æquitatem. Integritas eſt ſinceritas, qua ſibi conſcius fuit Dauid nullius doli aut fraudis. Æquitas, integritatis effectus ſeu fructus eſt. Hæc enim cauet ne noceat proximo, ſed vt omnia potius in ipſius commodum conuertat. Quòd autem hac ſua innocentia ſola non nitatur Dauid, indicat ſubiecta ratio. Quoniã, inquit, ſperaui in te. Coram Deo igitur nititur Dauid fiducia promiſſionis & remiſsionis peccatorum, & promiſsi regni, verùm cùm hoſtes ſuos intuetur, bonitate cauſæ ſe ſuſtentat & conſolatur.

Diſcrimẽ inter conſolationes philoſophicas & Chriſtianas.

Hoc loco illuſtre diſcrimen inter conſolationem Philoſophicam & Chriſtianam obſeruandum eſt. Summa conſolatio Philoſophica in rebus aduerſis eſt, cùm quis ſibi bene conſcius patitur iniuſtè, quæ ſanè conſolatio mixta eſt haud raró cogitatione iræ Dei. Quemadmodum vel in illo Ouidij apparet. *Nec meriti pœnam pateris, ſed numinis iram. Eſt aliquid magnis crimen abeſſe malis.* Quantum enim ab aliqua parte leuatur dolor in hominibus non conuerſis cùm videntur iniuſtè pati, tantùm ab altera parte augetur & creſcit cogitatione irati numinis. Verùm conſolatio Chriſtiana in rebus aduerſis non tantùm bonitate cauſæ nititur, ſed fiducia promiſſionum diuinarum: qua afflictus & ſtatuit ſibi remiſſum eſſe peccatum, & Deum non vt iudicem aut tyrannum metuit, ſed vt patrem potius benigniſſimum & clementiſsimum agnoſcit, vnde certam ſpem concipit de futura liberatione.

Exemplum.

Pompeius fugiens Cæſarem, partim diſturbato, partim occiſo exercitu, ſuam cauſam iuſtiorem fuiſſe non dubitat, cuius cogitatione nonnihil ſe fortè ſuſtentat, verùm quia ignarus diuinarũ fuit promiſſionum, incidit miſer in cogitationem prouidentiæ Dei, & tandem ratiocinatur nullam planè eſſe prouidentiam, ex eo, quòd Iulius in deteriori cauſa ſe iuſtiorem defendentem vicerit. At Dauid variis obiectis periculis non ſolùm innocentia ſua ſe ſuſtentat, verumetiam ídque multò magis cogitatione prouidentiæ Dei, quem ſtatuit verè peccantem ſe exauditurum, & tandem de laqueis hoſtium erepturum.

Obiectionis obiiciendæ explicatio.

Si quis fortè obiicit, Dauid fretus bonitate cauſæ ſuæ, leuius ferre crucem potuit, ſed quid dicendum erit de ea cruce, quam quis ſibi ſua culpa accerſiuit? an hic afflictus ſub crucis onere deſperabit? Certum quidem eſt, quod cum Dauide non poſſit dicere, integritas & equitas conſeruabunt me. Num ergò cùm Cain clamabit, Maior eſt iniquitas mea, quàm propiciatio? Num ex impatientia dicet, maledicta ſit hora in qua natus ſum? Nunquid cum Saule deſperabit? aut cum Iuda & Achitophel ſe ſtrangulabit? Abſint hę cogitationes procul ab humanis pectoribus. Sunt enim viæ quædam & aditus ad inferni portas, quare omnibus hominibus ſummopere cauendæ ſunt, quantumuis vel maximi peccatores fuerint, quantumuis vel arenam maris peccatorum eorum multitudo excedat. Quid ergò hîc faciendum homini, qui ſibiipſi crucem ſua culpa miſerè impoſuit? Vt in difficiliori morbo corporis opus eſt præſentiori remedio: Ita in hac conſcientiæ lucta cum peccato opus eſt efficaciori remedio, opus eſt ſaniori conſilio, ne conſcientia peccati fractùs homo ruat cum multis in deſperationem & æternum exitium. Vt autem conſilio ſano & remedio ſalutari ſine omni errore vti afflictus poſſit, hæc nouem ordine, vt par eſt, cogitabit.

Conſcientiis afflictis lenia peccatorum ſalutaria remedia.

Primum omnium preſſus cruce ob certa peccata non hypocriticè extenuabit peccatum, nec collatione peccati ſui cum peccatis aliorum ſe fallet, ſed potius examinabit ſeipſum & ſuam iniquitatem lancibus non fallacibus ponderabit. Cogitabit quis ſit is quem offendit, nempe Deus iuſtus iudex, quem nihil latere poteſt. Cogitabit quis ſit is, quem offendit, nempe homo ſeu potius vmbra hominis: nam ſi

non

non eſt dignus, vt rectè meminit Cicero, nomine hominis, qui vnum totum diem velit eſſe in voluptate, quid dicemus de iis, qui toto ferè tempore ſe in volutabro peccati inuoluit? Cogitabit peccati ſui enormitatẽ, turpitudinem, magnitudinem, multitudinem, hæc cùm rectè ęſtimat peccator, qui iam aliquam ſingularem crucem impoſitam ſibi ſentit, ei lachrymæ erumpunt, atque adeò totus homo in anima & corpore horrendis cruciatibus afficitur. Huius rei multas imagines offert Pſalmorum lectio ex quibus vnam pro multis adducam ex Pſalmo 38. 3. vbi Dauid ita ſuos dolores ac pauores ob peccatũ deſcribit: Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & manus tua premit me, non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatę ſunt ſuper me, putruerunt & corrupta ſunt vulnera mea propter inſipientiam meam. Depreſſus ſum & curuatus valdè, tota die contriſtatus ingrediebar, quoniam lumbi mei impleti ſunt plaga, & non eſt ſanitas in carne mea. Reſolutus ſum & concuſſus valdè, rugiebam à gemitu cordis mei. Item, cor meum ſenſit palpitationem, derelinquit me virtus mea, & lumen oculorum meorũ non eſt mecum. Hîc Dauid in ſua perſona pingit affectus & cruciatus hominũ, qui vera menſura ſua peccata ponderant. Non enim vt Hypocritæ & ſecuri æſtimãt peccata ſua proprio ſenſu & iudicio, ſed Dei potius offenſi maieſtate, peccati turpitudine, & pœnis peccato debitis iuxta Legis ſententiam. Etſi autẽ huiuſmodi motus rari ſunt in mundanis hominibus, quales fuerunt in Dauide & Ezechia: tamen neceſſe eſt, vt qui affligitur propter peccata ſua, tangatur vero dolore ob peccatum ſine hypocriſi. Cauendus eſt hoc loco error Papiſtarum, qui huiuſmodi dolorem conceptum propter peccata mereri veniam docet. Nam tametſi hic dolor præcedit veniæ petitionem, tamen nequaquam eſt cauſa propitiationis ſeu veniæ. Quare hîc nemo deſperare debet, ſi tantos dolores ac pauores nõ ſenſerit in ſe, quanti fuerunt in multis heroicis ſanctis, ſed doleat quòd Deum offenderit, odio habeat peccatum, quo crucem ſibi accerſiuit.

Secundò, ne ſentiens dolorem inferni ob peccati magnitudinẽ deſperet in iſtis pauoribus, cogitabit promiſſiones Dei de gratuita peccatorum cõdonatione vniuerſales eſſe. Idem enim Dominus omniũ, vt ait Paulus, diues in omnes qui inuocant ipſum. Rom. 10. 12. Nolo mortem (ait Dominus, Ezech. 33. 11.) impij, ſed vt conuertatur ac viuat. Et Chriſtus ait, Ioan. 6. 39. 40. Hæc eſt voluntas Patris mei, qui miſit me, vt omnis qui vidit Filium & credit in eum, habeat vitam æternam. Matth. 18. 14. Sic non eſt voluntas patris mei vt pereat vnus &c. 1. Timoth. 2. 4. Deus vult omnes homines ſaluos fieri & ad agnitionem veritatis venire. 1. Pet. 31. 9. Deus lõganimis eſt erga nos, non volens vllos perire, ſed omnes ad pœnitentiam recipere. Et diuus Bernardus ait: *Prodit in lucem ad miſeri conſolationem, magnum conſilium ab æterno in ſinu æternitatis, quod nolit videlicet Deus mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur ac viuat.* Nemo igitur ab hac promiſſione vniuerſali ſe excluſum putet, Nam qui hoc facit, nouo reatu ſe inuoluit, vt qui Deum mendacem in promiſſis faciat.

Tertio loco cogitabit de mandato Dei vniuerſali. vt enim promiſſio eſt vniuerſalis, ita etiam mandatum Dei (quod mandat nobis conuerſionem) omnes homines ex æquo obligat. Cùm ergo audimus in Prophetis hanc vocem: Conuertimini ad me filij hominum. Item, Reuertatur vnuſquiſque à via ſua mala, cogitemus illam vocẽ ad omnes mortales pertinere, & hoc Dei mandatum omnes obligare, vel ad obedientiam vel ad pœnam contumaciæ. Proinde cùm cruce preſſus propter ſua peccata audit hanc vocem Dei, caueat ne hoc verbum Dei contemnat. Filius Dei hoc ipſum ſimiliter mandat omnibus & præcipuè oneratis & laborantibus. Ita enim ait: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, ego refocillabo vos, & inuenietis requiem animabus veſtris. Venit enim, vt ipſe de ſe teſtatur, vt ſaluet quod perierat. Nemo ergo magnitudine & turpitudine ſui peccati abſterreatur, quo minus Dei ſe vocantis mandato obtemperet.

Quarto, Ne peccati enormitas nos impediat, quo minus mandato Dei obtemperemus, cogitetur λύτρον quod pro peccatis mundi perſolutum eſt. hoc enim λύτρον cùm precij ſit infiniti, fieri non poteſt vt peccatum alicuius ſit tam enorme, vt non queat tanto precio redimi eius pœna. Cain deſperans clamat, Maior eſt iniquitas mea quàm venia, *Mentiris*, ait Auguſtinus, *ô Cain. Maior enim eſt Dei miſericordia quam omnium peccatorum miſeria,* — 4. Chriſti ſatisfactio fide amplectẽda.

Quinto, Cogitentur exempla maximorum peccatorum, qui ſunt recepti. Quis vnquam maior peccator fuit quàm Adam? At hic in gratiam receptus, vt ſuo exemplo doceat, neminem tantum peccaſſe, quin recipiatur in gratiam, modò ad miſericordiam confugerit. Quid non Manaſſes deſignauit? ſed gratia Dei eius peccata abſorpta ſunt. Peccatrix apud Lucam fide eſt filia Dei effecta. Latro in cruce pœnitens audit hanc dulciſſimam vocem: Hodie eris mecũ in Paradiſo. Paulus de ſeipſo ſcribit, Veniam conſequutus ſum, vt in me oſtenderet Ieſus Chriſtus omnem longanimitatem, vt eſſem exemplar iis qui crediturі eſſent ipſi in vitam æternam. Huc & vocatio gentium pertinet. — 5. Exẽpla corũ, qui miſericordiam ſunt cõſequuti

Sexto, In cogitatione horum, id eſt promiſſionis vniuerſalis, mandati vniuerſalis, pretij perſoluti pro mundi peccatis, & exemplorum peccatorum, qui in gratiam recepti ſunt, concipitur igniculus fidei operante Spiritu ſancto & efficaci in verbo iuxta ordinationem Dei. — 6. Effectus Spiritus ſancti.

Septimo, Fide concepta petenda eſt peccatorum venia: In hac precatione paulatim creſcit & augetur fides, donec certa fiducia ſtatuat peccator, peccatum ſibi remiſſum eſſe. — 7. Preces

Octauo, Venia peccati impetrata, petenda eſt crucis mitigatio, quæ ſi non aufertur proſſus, aut mitigatur vllo modo, tamen verè fit, ſi patientia temperetur, ſacrificium Deo gratiſſimum. Sic obedientia ſub cruce, quam ſibi Dauid adulterio & homicidio accerſiuit, fit ſacrificiũ. Vnde ipſe canit, Sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicis. Ad hunc etiam modum Latronis debitum ſupplicium, gratum per obedientiam ex fide redditur ſacrificium. Breuiter quæuis crux ſiue ſit commerita, ſiue non, vbi temperatur fide & obediẽtia, ſacrificiũ dicitur Deo gratiſſimum etſi natura ſua peccati pœna eſt. — 8. Crucis mitigatio

Nono & vltimo, Accedat gratiarum actio cum pio propoſito omnem offenſam Dei in poſterum cauendi. Vt enim gratiarum actio eſt agnitio iudicij & miſericordiæ Dei punientis nos paterno animo: Ita pium propoſitum teſtimonium eſt Spiritus ſancti de vera conuerſione & fide. — 9. Gratiarum actio

Loci ſextæ partis.

1. Vera Dei inuocatio tutiſſimum aſylum eſt aduerſus omne genus malorum.
2. Proprium Dei eſt miſereri afflictorum ſe inuocantium.
3. Externa crux interni peccati pœna eſt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

4 Liberatio à malis quibuſuis inchoanda eſt à petitione remiſſionis peccatorum.
5 Eccleſia ſemper habet hoſtes, qui ſe implacabili perſequuntur odio.
6 Mens ſibi conſcia recti, & fiducia in Deum fortiſſima ſunt aduerſus hoſtes præſidia.

SEPTIMA PARS.

22 R*Edime Deus Iſraelem ex omnibus tribulationibus ſuis.*

Summa. Ab hypotheſi ad theſin tranſit. Hactenus enim pro ſeipſo, vt membro Eccleſiæ orauit: nunc precatur redemptionem totius Iſraelis, id eſt, veræ Eccleſiæ Dei.

Eccleſia cur Iſrael dicitur. Sed quæ eſt ratio huius appellationis? cur Eccleſia Iſraelis nomine appellatur? Nomen Iſrael impoſitum eſt Patriarchæ Iacob ab euentu, vt legimus Gene. 32. 28. Cùm autem Deus non hominum more nomina hominibus imponit, ſed rem ipſam ſimul confert, vt certò reſpondeat euentus, operæpretium eſt altius perpendere rationem huius nominis, & cur toti Eccleſiæ tribuatur.

Iacob cur vocatus eſt Iſrael. Nominis huius Iſraelis impoſitionem præceſſit grauiſſima tẽtatio in Iacobo. Timuit enim valdè ne à fratre Eſau cum vxoribus & liberis tolleretur è medio propter ereptam olim benedictionem, & ius primogenituræ. Deinde in tentatione ardentiſſimè precatur, ac Deũ ea via aggreditur, qua ſciret ipſum vinci poſſe, vt ſe inuocantem exaudiret, & è præſentibus periculis liberaret. Nam vrget promiſſiones Dei. ita enim ait: Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Iſaac. Domine qui dixiſti ad me, Reuertere ad terram tuam, & cognationem tuam, & benefaciam tibi. Poſt orationem accingit ſe itineri, ac nocte tota luctatur cum Angelo & præualet, à quo euentu Angelus mutat nomen Iacob, dicens: Non Iacob vltrà dicetur nomen tuum, ſed Iſrael quia princeps fuiſti, cum Deo & cum hominibus præualebis.

Iacob typus Eccleſiæ. Eſt ergò Iſrael iuxta etymon victor Dei, ſeu princeps Dei, ſic dictus, quia heroicè cum Deo pugnauit, & præualuit. Præclarum ſanè victoriæ genus, cùm homo puluis & cinis cum Deo luctatur, & reportat victoriam. Iam non obſcurum eſt videre, cur hoc nomen Iſrael Eccleſiæ Dei tribuatur. Iacob typus fuit Eccleſiæ totius, & præclarum eiuſdem membrum. Vt ergò ille tentatur, orat, luctatur cum Deo, vincit & reportat benedictionem: ita Eccleſia Dei in hoc mundo tentatur variis modis, in tentatione orat, in oratione luctatur, vincit & reportat benedictionem. Hoc ergò exemplum imitantur omnes filij promiſsionis, id eſt, veri Iſraelitæ, ſuperant & vincunt Deum non carnalibus armis, ſed armis ab ipſo Deo porrectis. Nam ſpiritum fidei in iſis excitat, per quem promiſſionibus ipſius credunt, ſtatuúntque eum tàm veracem eſſe, vt mentiri non poſſit, tàm potentem eſſe, vt promiſſa præſtare poſsit, & tàm bonum, vt certiſsimè velit quod paternè promiſit adimplere, Veri proinde Iſraelitæ um demum cenſebimur, quando fide firmi & fortes in promiſſionibus diuinis acquieſcemus, & eaem fide omne genus tentationum ſuperabimus. Quoties igitur legimus Eccleſiam Dei Iſraelis nomine deſignari, cogitemus & luctam in tentatione grauiſsimam ſuſtinere Eccleſiam, & modum victoriæ, qui eſt fides promiſsionis. Ita enim ait oannes: Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, ides veſtra.

Loci … pars
1. Quòd Eccleſia in hoc mundo ſit ſubiecta cruci.
2. Quòd orandum ſit prò Eccleſiæ liberatione.
3. Quòd Eccleſia tandem ſit reportatura victoriam.

VSVS TOTIVS Pſalmi.

Cùm te præteriti turbat mens conſcia facti,
Imploranda tibi eſt gratia larga Dei.

FINIS.

ENARRATIO

PSALMI OCTVAGESIMI QVARTI.

MVLTA EAQVE IMPRIMIS COGNITV NECESSARIA, TEXITVR REFVTATIO ERRORIS Iudæorum, furoris Mahometiſtarum, vanitatis Epicureorum, idoli Papiſtarum: Exponitur ratio Sacerdotij Chriſti, & ſacrificiorum Eccleſiæ: monſtratur via à ſempiterna miſeria, ad perpetuam beatitudinem & coniunctionem hominis cum Deo, quæ eſt finis & conditi & redempti humani generis.

***

NICOLAVS HEMMINGIVS.

GENEROSO AC MAGNIFICO VIRO SAPIENTIA, pietate, & virtute excellenti D. Petro Oxe Domino de Giſſelfelda, Magiſtro palatij, & Regis & regni Daniæ &c. digniſſimo, æquiſſimo atque prudentiſſimo, Domino ac Patrono ſuo perpetua obſeruantia colendo pacem, ſalutem, & ſanctum rerum ſucceſſum precatur.

QVANTÆ ſint tenebræ humanarum mentium de Deo, & prouidentia, generoſe ac magnifice vir, teſtantur non ſolum philoſophorum ſectæ ferè infinitæ, verùm etiam triſtiſſima ſecuritas in plerìſque hominibus, qui vita & moribus teſtantur ſe aut nullum numen agnoſcere, aut exiſtimare Deum (vt Homerus) apud neſcio quos Æthiopes deliciari, vt non vacet illi rerum humanarum curam habere. Tanta eſt caligo, tanta vanitas hominum ſecuta lapſum primorum parentum, & poſtea confirmata, partim praua educatione, partim exemplis hominum, qui ſapientia & virtute videntur cæteris antecellere. Hæc triſtiſſima caligo non poteſt aliter diſpelli quàm per facem verbi Domini. Huc pertinet illa interrogatio & reſponſio Dauidis Pſal. 119. 9. In quo mundam faciet adoleſcentior viam ſuam? In cuſtodiendo ſermones tuos. Iam cùm qualis eſt adoleſcentia, talis eſt ſenectus, vt Solomon ait, ſequitur totam vitã hominis immundiſſimam eſſe ſine verbo Dei, quod ſolùm medetur viciis noſtris. Immundities autem illa quæ in toto humano genere hæret, donec diuinitus per verbum Dei abluatur, non eſt tam corporalis labes quàm ſpiritualis & interna: cuius partes plures ſunt. Quarum prima, (quæ eſt cauſa aliarum) eſt ignoratio veri & boni: quæ denſiſſimis confertur tenebris, & cæcitati perſimilis eſt, qua tota anima hominis veluti deforme monſtrum in tenebris palpitat. Secunda, eſt habere erroneam de rebus diuinis opinionem, eamque tanquàm euidentiſſimam veritatem amplecti & exoſculari. Qualis fuit plerorumque Philoſophorum, & hæreticorum, qui cùm mordicus tuerentur conceptas de rebus diuinis opiniones, in precipitium damnationis ruerunt. Qua re quid quæſo triſtius eſſe poteſt? Tertia eſt ἐμπαθὴς λογισμὸς, hoc eſt, cogitatio prauis affectibus obnoxia. Vt enim mens malè eſt informata: ita affectus mentis prauo iudicio excitatus, rapitur & fertur in peſſima quæque. Quarta eſt conſentire peccato; quem conſenſum ſequitur horrenda colluuies omnium ſcelerum (de quibus Paulus diſputat, Rom. 1.) donec homo in ſem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

piternam miſeriam demergatur. Ab his triſtiſſimis maculis emundatur anima hominis per limpidiſsimos fontes ſaluatoris, id eſt, per verbum Dei. De cuius verbi Dei efficacia loquitur Pſal. 19.8. in hanc ſententiam, Lex Domini eſt immaculata, recreat animas. Teſtimonium D. eſt fidele, Sapientiā præſtat paruulis. Mādata D. ſunt recta, lætificāt cor: præceptū D. eſt lucidū, illuminat oculos. Hoc encomiū verbi Dei, etſi breue, ſi verba ſpectes, tamen copioſiſſimū eſt, ſi doctrinas & cōſolationes quæ in eo latēt euoluis. Quod encomiū iure opponendū eſt omnib. furioſis iudiciis Epicureorum, politicorum, hypocritarum, & ſycophātarum. Huius encomij octo ſunt partes, quæ mirè diſcernunt inter verbum Dei, & Philoſophicas ſeu humanas doctrinas.

Prima, lex, inquit, Domini eſt immaculata. Hoc eſt verbum Dei, & in ſe purum eſt, vt quod à puriſſimo fonte Deo manat, & puros efficit eos, qui ei credunt. humana autē doctrina quantumuis nitida & ſplendida apparet, tamen non ex omni parte eſt munda, nec mundos efficit. Socratica Philoſophia, quam Plato exornauit, primū, iure ſuo, locum inter philoſophorū doctrinas ſibi vēdicare videtur, quæ profectò etſi plurimas bonas & rectas ſentētias de Deo, prouidentia, & fine hominis, continet, attamen turpiſſimo cœno contaminatur, cum promiſcuas libidines legibus approbat Plato, & exemplo ſuo turpiora quam quæ à nobis ſunt dicenda cōprobat. Quare cùm Socrates & Plato animam hominis purgare conantur ab vna parte, ab altera eam fœdant abominandis ſceleribus. Sed verbum Dei ſeu vox Euāgelij vt eſt ex omni parte purū, ita ex omni parte animam hominis, qui Euangelium viua fide recipit, immaculatam & perfectam reddit. liberat enim eam ab erroneis opinionibus, imbuit veris ſententiis: excitat per ſpiritum Chriſti affectus puros. Quibus cùm aſſentitur voluntas actiones interiores & exteriores tanquàm riuuli puriſſimi ex fonte puriſſimo manant.

Secunda, recreat, inquit, animas. animæ hominum ſiti quadam grauiſſima arēt, nec poſſunt recreari aut refici priuſquàm potantur ſalutaribus fontibus Iſrael, hoc eſt verbo Euangelij. Nā ſubinde conſcientia ſcelerum ſitim hanc auget, quam ſolus Euangelij liquor mitigat & tollit, cū anima eo perfunditur. De hac aqua Zacharias Propheta loquitur cùm ait, cap. 14.8. Et erit in die illa, exibunt aquæ viuæ de Ieruſalē: hoc eſt ſermo Euāgelij qui eſt animæ hominis, quod ſitienti eſt aqua limpidiſſima. De hac Dominus Ioan. 4.14. ait. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

Tertia, teſtimonium Domini eſt fidele. Hoc eſt, Verbum Dei eſt teſtimonium minimè fallax de voluntate Dei erga homines. Vt enim vox legis teſtatur quòd Deus ſine diſcrimine & perſonarum ac nationum acceptione velit omnes contumaces perſeuerantes in ſua contumacia, & non agentes pœnitentiam abiicere cum diabolis hoſtibus Dei in æternas tenebras & pœnas: Ita vox Euangelij teſtatur, quod Deus velit propter filium omnes homines quantūuis maximis & horrendis peccatis contaminatos recipere in gratiam, vt æternæ beatitudinis ſcribantur hæredes, modò Euangelio crediderint, & viua fide in filium Dei, qui dedit ſeipſum ἀντίλυτρον pro peccatis mundi, recubuerint. Propter hanc immotam regulam voluntatis Dei, quæ nobis verbo Dei commendatur, verbū Dei dicitur fidele, & verbum Euangelij, veritas, vt cum dicitur, Veritas liberabit vos. Nā Euangelium quod eſt verbum veritatis, Chriſtum liberatorem offert: De quo ſcriptum eſt: Si filius vos liberos reddiderit, verè liberi eſtis. Ioan. 8.32.36.

Quarta, Sapientiam præſtat paruulis. Sapientes huius mundi nihil rectè intelligunt de Deo & eius voluntate, nihil ſciunt ſolidi de eius operibus, quæ ſunt (vt præcipua referam) ſapientia in conditione hominis, iuſtitia in lapſu hominis, miſericordia in reparatione hominis, miſericordiſſima bonitas in conuerſione peccatoris. Ignorant diſcrimen familiæ Dei, & aliarum ſectarum: ignorant viam euadendæ æternæ miſeriæ, & obtinendæ ſempiternæ beatitudinis: ignorant modum colendi Deum, qui in timore Dei, qui ſumma ſapientia prædicatur, maxima ex parte ſitus eſt. Verùm hanc ſapientiam vox Euangelij præſtat paruulis. Cùm interim maximi & potentiſſimi in mundo ſua ſe ſapientia euertunt miſerè. Nā immotū ſtabit Domini dictum apud Ieremiam 8.9. Verbum Dei proiecerunt, quid proderit eis ſapientia?

Quinta, Mandata Domini ſunt recta. Hoc dictum opponendum eſt tabulis Parcarum, quas arat Zenonis familia. Significat enim hoc dictum Deū minimè eſſe προσωπολήπτην, ſed æqualem omnibus iuxta decreti ſui regulā. Vult reuera omniū hominum ſalutem, ſed per agnitionē veritatis. Iuxta illud. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vult etiam omnes non reſipiſcentes, ſine προσωποληψία, æternùm perire.

Sexta. Lætificant cor. Hic effectus Euangelij ſummum bonum eſt in hac vita. Nulla doctrina humana mederi vulneribus conſcientiæ nouit. Qui enim alicuius grauis ſceleris ſibi conſcius eſt, nocte diéque ſecum teſtem & accuſatricem conſcientiam circumfert; quam nulla Philoſophia ſanare poteſt. Verùm ſola vox Euangelij auxiliare pharmacum & præſentiſſimum remedium conſcientiæ ſauciæ applicat, dum Chriſtum mortuū pro peccatis noſtris, & reſuſcitatum propter iuſtificationē noſtri teſtatur: Dum Chriſtum finem legis pronūciat in iuſtitiam omni

credenti:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

credenti: Dum Chriſtum omnes laborantes inuitare teſtatur vt ad ſe tanquam ad medicum veniant, quibus omnibus pollicetur ſanitatem eámque gratis. Hic enim, vt Auguſtinus piè & rectè ait, noſtra delicta ſua delicta fecit, vt ſuā iuſtitiam noſtram iuſtitiam faceret. Cùm igitur conſcientiæ noſtræ aſpergũtur ſanguine Chriſti, (quod fit cũ in ipſum credimus,) mundantur, vnde mirabilis quædam in corde ſequitur lætitia. Vt cũ Dauide dicamus, Cor meum & caro mea exultant in Deo viuo.

Septima, Præceptum Domini eſt lucidum ſeu purum. Hoc opponendum eſt Papiſtis qui Satanicis quibuſdam ſtrophis inuoluunt verbum Dei, vt homines ab eius lectione abſterreant. Dicunt literam hoc eſt vt illi falſè interpretantur, literalem ſeu grammaticum ſenſum, cũ tamen ſit veriſſimus, occidere: & ſpiritum, hoc eſt allegoricam interpretationẽ approbatam à Papa viuificare. Verũ hîc Spiritus Sanctus in Dauide contrarium affirmat, dũ verbum Dei eſſe lucidum, clarũ & purum pronunciat: quod quidẽ veriſſimum eſt quantum ad ea quæ ad fundamentum pertinent, & ſunt omnino ad ſalutem neceſſaria.

Octaua Illuminat oculos, hoc dictum indicat, naturam hominũ ſine verbo Dei illuminante cæcam eſſe, vt quæ circumferat tenebras, videlicet dubitationem de Deo, ſecuritatem carnalem, diffidentiam, falſam inuocationem animi dubitantis & fugientis Deũ, & alios motus aberrantes à lege Dei innumerabiles. Sed hanc cęcitatẽ non intelligit mundus, imò ſe miratur & magnifacit propter exiguam vmbram externæ diſciplinæ. Eccleſia verò voce verbi Dei cõmonefacta agnoſcit & deplorat ſua mala, & petit à Deo nouam lucẽ, iuſtitiam & vitam. In hac petitione & meditatione Euangelij magis magíſque illuminantur oculi mentis, & excutiuntur tenebræ, adeo vt ſol ipſe iuſtitiæ Chriſtus, oriatur clarè in cordibus noſtris: cuius lucè deducimur à ſempiterna miſeria in æternã vitã & beatitudinẽ. Ad hunc ſuauiſſimum fructum verbi diuini reſpiciens Dauid, haud immerito exclamat in eodem Pſalmo, Deſiderabilia ſuper aurum & ſuper obrizum multum, & dulciora melle & fauo. Et Pſa. 119. In via teſtimoniorum tuorũ delectatus ſum, ſicut ſuper oẽs diuitias. Huc accurrit ſentiens peccatorum ſuorũ molẽ, vt exoneretur peccatorũ ſarcina, vt eſt in Pſ. 130. 1. 4. De profundis clamaui ad te Domine, quia apud te propitiatio eſt. Huc afflictus & cruce preſſus ſe confert iuxta illud, Pſ. 119. Hæc eſt conſolatio mea in afflictione mea, quòd verbum tuum viuificat me. Huc in lætis & proſperis ſe recipit. Viã, inquit, mãdatorum cucurri cũ dilatares cor meũ. Huc dubius & inops conſilij tanquàm ad conſiliarios currit iuxta illud. Teſtimonia tua gaudium meum, & viri conſiliarij mei. Hinc acturus cũ regibus & potentibus mundi conſiliũ petit iuxta dictum: loquar de teſtimoniis tuis in conſpectu regũ, & non confundar. Hinc ſe armat aduerſus crucis ſcandalum, ne frangatur animo, videns impiorũ proſperitatẽ. Mei, inquit, penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei. Quia zelaui ſuper iniquos pacẽ illorum videns, &c. Cogitabam vt ſcirẽ hoc, ſed difficile erat in oculis meis, donec irem in ſanctuarium Dei & animaduerterẽ in nouiſſima eorum. Verumtamen in lubrico poſuiſti eos, deieciſti eos in interitũ. Hinc in mortis articulo vitã quęſiuit, iuxta illud. In ęternũ non obliuiſcar ſtatutorum tuorum, quia in ipſis viuificas me, in æternũ verbum tuũ Domine permanet in cœlo. Nã vita & fœlicitas quæ verbo promittitur æternum durabit. Breuiter ex hoc verbo Dauid modum euadendæ ſempiternæ miſeriæ, & obtinendæ nunquam finiendæ fœlicitatis & beatitudinis ad quam homo primum creatus eſt, & deinde per Chriſtum redemptus nouit.

Cũ tanta ſit puritas diuini verbi, tãta neceſſitas, tanta vtilitas, tanta gloria, tã ſuauis fructus, vt nos Deo ſummo bono iungat, in quo æternũ erimus beati, nacti finẽ conditionis noſtrę, imprimis laudandi ſunt qui partẽ ſuarũ facultatũ, & opũ conferunt in conſeruationẽ, & propagationẽ verbi Dei in Eccleſia. Rectè .n. perpendunt hunc ſcopũ omnibus hominibus, & ſingulis pro ſua conditione & ſtatu propoſitũ eſſe, vt ornent gloriã Dei. Quod profectò illi præ cæteris faciunt præclarè, qui miniſteriũ verbi in ſcholis & in tẽplis conſeruare ſtudent. Quã autẽ tu, Magnifice vir, in hac re fueris ſemper diligens norunt multi, & teſtantur, quos hodie, & in hac Danica Academia, & in exteris ſcholis liberaliter foues, & tuis facultatibus in ſtudiis ſuſtẽtas, vt ſemper ſint in Eccleſiis his Danicis idonei miniſtri, qui purã Euangelij doctrinã ſonent. Eſt autẽ hic verus amor patriæ, non ſolũ ipſam, dũ nos in ea viuimus, ornare: ſed etiã dare operã vt ipſam meliorẽ relinquamus poſteris noſtris. Sapientes laudant iuſiurandũ Atticũ in quo inter alia ſunt hęc verba, ἀμυνῶ δὲ καὶ ὑπὲρ ἱερῶν καὶ ὑπὲρ ὁσίων, καὶ μόνος, καὶ μετὰ πολλῶν, τὴν πατρίδα δὲ οὐκ ἐλάσσω παραδώσω, πλείω δὲ καὶ κρείω. Hoc eſt pugnabo autẽ & pro ſacris & prophanis, & ſolus & cũ multis, & patriã non deteriorẽ poſteris tradã, ſed ampliorẽ & meliorẽ. Quanto magis nos hoc decet qui cenſemur ciues Eccleſiæ Chriſti laudatiſſimæ patriæ piorũ, cuius decus multo clarius eſt quã fuit Atticæ regionis, quã nunc barbaries Turcica occupat. Proinde multò maior gloria eſt, hanc laudatiſſimã patriã Eccleſiã Dei tradere poſteris non deteriorẽ, ſed ampliorẽ & meliorẽ: quod illi faciunt qui ſtudia veræ doctrinæ & bonarũ artiũ ſuis opibus adiuuant & promouent. Talis conatus fuit in Dauide cũ caneret ſe amare patriã propter Eccleſiã

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quæ in ea fuit: Propter domũ, inquit, Domini Dei noſtri quærã bona tibi Pſa.122.9. Hanc domũ hoc eſt Eccleſiam Dei prætulit palatiis ſplendidiſſimis princip um mundi Pſal.84. Vbi ait, Melior eſt dies vna in atriis tuis quã mille alibi. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis impiorum. Hunc Pſalmum 84. quia continet inſigne encomion Eccleſiæ Dei, inuitat ad amorem verbi, proponit commoda, monſtrat gloriam Eccleſiæ, & oſtendit ſcopum ipſi propoſitum, videlicet æternam beatitudinem, placuit hoc præterito anno in noſtra ſchola publicè enarrare, vt inuitarem iuuentutem ad amorem, lectionem, & meditationem verbi cœleſtis, quod eſt vt facula ardens qua ducimur de hiſce tenebris in admirabilem lucem Dei, & æternam vitam. Vt autem hanc enarrationem, quam hoc præterito anno in Pſ.84. conſcripſeram, tibi vir generoſe & magnifice nuncupare non dubitarem, non ſolum ſumma tua adeo & ſingularis in literas & literatos voluntas, (quam voluntatem cupio omnibus fore notiſſimam) me adduxit: verùm etiam tua in me meóſque beneficia, iure ſuo hoc poſtularunt, vt aliquod ſaltem pignus gratitudinis meæ apud tuam magnificentiam reponerem. Quod vt æqui boníque conſulas etiam atque etiam rogo. Quòd ſi quis ſolam operis noſtri molẽ ſpectet, ſcio nihil eſſe quod tua videatur magnificentia dignum. Sin verò & animum meum, & ipſius argumentum rei, neminem fore arbitror, qui meam hanc dedicationem ſit improbaturus. Hæc ergo mi domine ſpectato, & me, quo hactenus fauore es complexus, complectere. Ego profecto dabo operã, vt tuo fauore non indignus videar. Vale integer animo, corpore & ſpiritu, vna cum vxore tua D. Metta Roſenkrantz, fœmina nobiliſſima & caſtiſſima, filia Herois præſtantiſſimi D. Olai Roſenkrantz, Equitis Aurati, D. de VVall, olim ſenatoris Regni Daniæ ſapientiſſimi, ob pietatem, iuſtitiam, æquitatem, liberalitatem, clementiam, humanitatem, comitatem aliaſque virtutes penè innumeras, perpetua memoria & laude digniſſimi. Ex muſæo noſtro, 25. Martij. Anno 1569. Qui eſt annus à condito mundo 5539. ex quo manifeſtum eſt, nos in poſtremã ætatis mundi partem, quæ ſexto die creationis rerum ſignificatur, incidiſſe. Nam cum ſex millia annorum, quibus mundi ætas, iuxta traditionẽ domus Eliæ, menſuratur, reſpondet ſex diebus creationis rerum: ſiquidem mille anni coram Deo vt dies vnus 2.Pet.3.8. & ex ſexto millenario elapſi ſunt anni 539. apparet nos in tempus pomeridianum vltimæ diei mundi incidiſſe. Quod profectò tempus iure nos admonere debet maioris vigilantiæ, præſertim cum poſt clariſſimum ſolem lucentis Euangelij, ídque in ipſo meridie extremi diei mundi, quo repurgata eſt doctrina Eccleſiæ per Lutherum, Philippum: & alios pios & doctos viros, paulatim appropinquat veſpera & tenebræ. Quare cum diſcipulis Domini ſerio corde precemur,

Veſpera iam venit, nobiſcum Chriſte maneto,
Extingui lucem nec patiare tuam.

Et obtemperemus Prophetæ qui ait, Date Domino Deo veſtro gloriã antequam tenebreſcat, & antequã offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos. Deus nos in vera pietate conſeruet, quo tandem Sabbatum illud exoptatiſſimum, quod expectamus, nobis in ſalutẽ, beatitudinem & requiẽ ſempiternã illuceſcat per Ieſum Chriſtũ mediatorẽ noſtrũ vnicũ, cui cum Patre & Spiritu Sancto ſit laus honor, gloria in omnem æternitatem. *Amen.*

ANTITHESIS VANÆ GLORIÆ MVNDI *& veræ gloriæ fidelium.*

CAPNIO.

Mortalium iucunditas
Volucris & pendula
Mouetur inſtar turbinis
Quem nix mouet ſedula.
Quid ergo confiditis in gloria?

HEMMINGIVS.

Fidelium iocunditas
Perennis, & gloria,
Manebit inſtar liban
Quam vis tegit cœlica.
Quid ergo non fidimus in numine?

PSALMVS LXXXIIII.

1. *QVàm dilecta tabernacula tua Domine Zebaoth.*
2. *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria*
Domini: cor meum, & caro mea exultauerunt in
Deo viuo.
3. *Etenim paſſer inuenit domum, & hirundo*
nidum ſibi, vbi ponat pullos ſuos, altaria tua Domine zebaoth, rex meus, & Deus meus.
4. *Beati qui habitant in domo tua: perpetuo*
laudabunt te.
5. *Eeatus vir cui tu fortitudo es, & in corde*
eius ſemita tua.

6. *Qui*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

6. *Qui tranſit per vallem lachrymarum, & fontē fodit, certè benedictionib. coronabitur doctor.*

7. *Pergunt de victoria in victoriam, vt appareat in Zion Deus.*

8. *Domine Deus Zebaoth exaudi orationem meam, auribus percipe Deus Iacob.*

9. *Protector noſter aſpice Deus & reſpice in faciem Chriſti tui.*

10. *Quia melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia, Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis impiorum.*

11. *Quia ſol & ſcutum Dominus Deus gratiam & gloriam dabit Dominus: non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.*

12. *Domine zebaoth, beatus homo qui confidit in te.*

Argumentum.

Hic Pſalmus inſigne Eccleſiæ Dei præconium continet: quæ, vt eſt Deo dilectiſſima, ita in ſolo Deo acquieſcit, hunc celebrat, confitetur, inuocat. Hoc vnum in votis habet, vt Deo perpetuò fruatur: in quo & ſummè felix & beatiſſima exiſtit.

Diſpoſitio ſeu partes.

QVatuor partes huius Pſalmi ſtatui poſſunt, quarum ſingulæ plures doctrinas continent. Sunt autem hæ partes. *Prima*, deſcriptio Eccleſiæ, quæ quatuor primis verſibus abſoluitur. *Secunda* conditio doctorum Eccleſiæ, quæ continetur tribus verſibus, videlicet 5. 6. 7. *Tertia*, precatio, qua petit Dauid defenſionem & conſeruationem Eccleſiæ, additis pulcherrimis rationibus, quibus excellentia Eccleſiæ, & dignitas ob oculos ponitur, ídque verſibus 9. 10. 11. *Quarta*, eſt clauſula ſeu epiphonema per admirationem, in qua veram cauſſam beatitudinis Eccleſiæ monſtrat eſſe firmam in Deum fiduciam, ídque verſu poſtremo.

Occaſio, ſeu tēpora, quo ſcriptus eſt Pſalmus circūſtantia.

Porrò, occaſio huius pſalmi videtur fuiſſe exilium Dauidis, perſequente ipſum filio Abſolone: quod ſanè exilium vnum fuit ex decem illis plagis quibus punitum eſt adulterium, & homicidium Dauidis. Nam vt plurima peccata in vno illo facto Dauidis concurrebant: ita non vna plaga ſed multis caſtigatus eſt: videlicet 1. Amiſſione Spiritus Sancti. 2. Grauiſſimo conſcientiæ vulnere. 3. Oppreſſione Thamar filiæ. 4. Aman filij ſui. 5. Rebellione Abſolonis filij. 6. Exilio duplici, videlicet à regno & ab Eccleſia. 7. Contaminatione vxorum, ſanctarum matronarum. 8. Ciuium defectione. 9. Triſti interitu filij. 10. Infamia. Huiuſmodi enim plagis iuſtiſſimè punita eſt defectio à Deo, receptio ad diabolum hoſtē Dei, proditio exercitus Dei, homicidium inſontis ciuis, raptus, contaminatio ſui, abuſus alieni corporis non ſine conſcientiæ vaſtatione, hypocriſis, ſcandalum & tyrannis in officio ſibi diuinitus commiſſo. Cùm autem in exilio abeſſet Dauid, & non liceret ipſi in ſummo feſto conuenire ad tabernaculum in quo erat arca domini, illícque orare & ſacrificare, anxius & triſtis cogitat diſcrimen inter Eccleſiam in qua publicè colitur & inuocatur Deus, & alios cœtus hominum quorumcunque Deum non timentium, ſimúlque ſpiritu prophetico altius euectus eſt in contemplatione Eccleſiæ Chriſti ſub nouo teſtamento: cuius vmbra quædam fuit tabernaculum vetus, vt epiſtola ad Hebræos teſtatur. In hoc exilio & in hac cogitatione ſpiritu prophetico illuſtrata magno animi impetu fertur, & in admirationem felicitatis veræ Eccleſiæ (in qua liberè inuocatur & colitur Deus) & in conſideratione̅ ſuæ miſeriæ, vt cui non pateat aditus in Eccleſiam Dei, & in cœtum hominum Deum colentium: perinde ac ſi quis noſtrorum in Turcas viueret aliáſue prophanas gentes, haud dubiè altius cogitaret de felicitate veræ Eccleſiæ & iudicaret eos feliciſſimos eſſe, quibus integrum eſt certis & ſtatutis temporibus conuenire cum aliis piis, ad audiendum verbum Dei, ad precandum, ad vtendum ſacramentis.

Nos proinde admoniti Dauidis exulantis ob ſua peccata exemplò, diſcamus cautiores eſſe alieno damno, caueamus ne noſtris ſceleribus excludamus nos à cœtu ſanctorum: vera & ſeria pœnitentia anteuertamus vindictam Dei, quam imminere noſtris ceruicib. tumultus bellici, diſſenſiones in religione, & graſſantia infinita ſcelera manifeſtè oſtendunt. Quoties igitur legimus hunc Pſalmum, cogitemus vtrumque, hoc eſt felicitatem Eccleſiæ, in qua doctrina cœleſtis incorruptè traditur, & Deus colitur veris cultibus: & miſeriam eorum quibus non liceat cum aliis piis in Eccleſia ſanctorum Deum celebrare. Doctrina.

Porrò ſiue hic Pſalmus ab ipſo Dauide ſcriptus ſit, & traditus filiis Choræ ſit ſcriptus nomine Dauidis & decantatus, vt incertum eſt ipſis Hebræis: ita nos in dubio relinquamus. Satis eſt enim nobis Spiritum Chriſti, verum Pſalmi huius autorem agnoſcere, & ſcriptum eſſe ad inſtructionem & conſolationem noſtri. Quis autor.

EXEGESIS, CVM OBſeruatione doctrinarum.

De prima parte.

PRima pars Pſalmi, quæ abſoluitur quatuor primis verſibus, 1. diſcernit veram Eccleſiam ab aliis cœtibus hominum. 2. mōſtrat vnde ſit Eccleſia. 3. quàm chara ſit Deo. 4. quo illa viciſſim in affectu & animo ſit erga Deum. 5. vbi quæratur. 6. quæ eius notæ. 7. quàm ſit felix. 8. quo cultu potiſſimum Deum colat. 9. quòd ſit perpetuò manſura, id eſt immortalis. Iam verſus huius partis ordine videamus, & ſingula quæ ſignauimus copioſius excutiamus. Summa primæ partis.

1. *Quam dilecta tabernacula tua Domine zebaoth.* Hîc primùm indicat Pſalmiſta & quæ ſit vera Eccleſia, & vnde ſit, & quàm chara ſit Deo. Vera Eccleſia eſt cuius architectus eſt dominus zebaoth, quam ipſe intimè amat. Verum vt apertius omnia excutiantur tria ſunt nobis ordine explicanda. Primum quid ſit Dominus ille zebaoth, hoc eſt exercituum, cuius hîc fit mentio. Deinde cum multi cœtus hominum, híque diuerſiſſimi, ſibi Eccleſiæ titulum vſurpent, accuratè diſpiciendum erit, quínam cœtus ſibi falſò hunc titulum vendicent, & quænam ſit vera Eccleſia. Tertiò, Cúrnam Eccleſia vera adeò amabilis ſit & chara Deo, ſiue domino zebaoth. Quæ, vnde, & quā chara Deo ſit Eccleſ. Partes primi verſiculi.

Quis eſt ergo ille dominus zebaoth? Cur hunc titulum ſibi vendicat? & quis eſt huius rei cognitæ vſus? Quid ſit ille Dominus zebaoth, cuius hic meminit Pſalmiſta, ex nonnullis ſcripturæ locis colligemus. 2. Sam. 5. 10. Dauid creſcendo creuit, fuítq; Dominus Deus zebaoth cum eo: & Pſalmo 5. 9. 6. Et tu Domine Deus zebaoth. Hæc duo teſtimonia docent, ſi modò Hebraicum textum conſulamus, quòd ille Deus qui eſt vnus in eſſentia, & trinus in perſonis ſit ille Dominus zebaoth. Nam primo lo- 1. Quid ſit Dominus zebaoth.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

co ponitur proprium nomen Dei ab eſſentia eius ſumptum, videlicet Iehoua poſteriore nomen plurale Elohim, quo ſignificatur pluralitas perſonarum, quæ ſunt pater, & filius, & Spiritus Sanctus. Verum ne plures perſonas cogitemus quàm tres, Eſaias nos docet cap. 6.3. cùm ait, Et Seraphim clamabant alter alteri dicentes, ſanctus, ſanctus, ſanctus Iehoua zebaoth. Eſt proinde hic titulus proprius totius trinitatis. Verùm, quia altera perſona in diuinitate, videlicet æternus λόγος ſeu filius Dei, miſſa eſt ad frangendas vires diaboli, & ad redimendum genus humanum, tribuitur hic auguſtus titulus illi in multis locis, vt in Pſalmo 24.8. Quis eſt iſte rex gloriæ? Iehoua zebaoth eſt rex gloriæ. Hic abſque omni dubio rex glorioſus Chriſtus cuius typus erat arca fœderis, ſignificabatur. Et in Eſaia dicitur, Dominus zebaoth habitare in Zion quod certè de Chriſto intelligendum eſt. Tribuit autem ſcriptura Chriſto hunc auguſtum titulum, quia ille eſt ſummus imperator in ciuitate Dei aduerſus ciuitatem Diaboli, id eſt in Eccleſia aduerſus diabolum & mundum: ſiquidem ipſe eſt ſolus cœleſtium & terreſtrium copiarũ caput, & dux, vt potentiſſimus, ita & optimus. Quare in Pſalmo 24. 8. Deus fortis in prælio dicitur. Non enim ocioſus eſt, ſed ſtrenuè pugnat: non cadit, ſed vincit: non fugit ſed triumphat: idque non ſibi, ſed toti ciuitati Dei: atque ideo ei in Pſalmo 72.19. ſummus honor tribuitur, Benedictum ſit nomen gloriæ eius in ſeculum, & repleatur maieſtate eius vniuerſa terra.

Neque ideo ſibi adiungit exercitus, quaſi ipſe ſit imbellis aut imbecillus, ſed quia ſuam gloriam quodammodo vult communicare exercitibus ſuis.

Quinam ſint exercitus Dei. 1. Angeli.

Sed quinam ſunt illi exercitus? Primo loco & ordine ſunt ſpiritus illi cœleſtes, qui ex miniſterio quod regi ſuo præbent, Angeli nuncupantur. Omnes enim ſunt adminiſtratores ſpiritus, inquit Paulus Hebr. 1.14. propter eos qui hæreditatem accipiunt ſalutis. Quamdiu enim durat curſus huius æui, Angeli ſunt & famulantur in negocio regni Chriſti, id quod tamen non eſt naturæ illorum finis, ſed functio temporaria: poſt iudicium autem cum electis Dei, pleniſſima parta victoria æternum triumphabunt beati. Numerum illorum & munus nemo melius expreſſerit, quàm Daniel qui vidit. Millia, inquit, millium miniſtrabunt ei, & decies centena millia à dexteris eius. Dan. 7.10. De huius Domini zebaoth: & angelorum eius pugna & victoria in Apocalypſi ſcribitur in hunc modum, capite 12. 7. Michael & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli eius, & non valuerunt, neque locus eſt inuentus illorum amplius in cœlo, & proiectus eſt draco ille magnus, ſerpens antiquus qui vocatur Diabolus, & Satanas, qui ſeducit vniuerſum orbem, & proiectus eſt in terram, & angeli eius cum eo miſſi ſunt. Et audiui vocem magnam in cœlo dicentem, Nunc facta eſt ſalus & virtus in regno Chriſti noſtri, & poteſtas Dei eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte: & ipſi vicerunt eum propter ſanguinem agni & propter verbum teſtimonij ſui. Eſt autem Michael, quem hic ducem belli facit, filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt ex Daniele & nominis etymologia iudicari poteſt: dicitur enim Michael, quaſi quis vt Deus. Angeli igitur ſequentes ductum & auſpicium Michaelis, id eſt Domini zebaoth, ſunt ſpiritus cœleſtes.

2. Pij doctores.

Deinde in ordine ſecundo horum exercituum ſunt pij Doctores, belligerantes cum regno draconis, hoc eſt Diaboli & cum Angelis ipſius, id eſt defenſoribus idolorum & blaſphemiarum. Quales fuerunt Moſes, Ioſeph, Daniel, Prophetæ, Apoſtoli, & multi pij miniſtri verbi omnibus temporibus in Eccleſia. Horum arma non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia. Ita enim Paulus ait, 2. Corinth. 10. 4. Secundum carnem bellum non gerimus, arma enim militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed Dei poteſtate valida, ad ſubuerſionem munitionum, dum ratiocinationes euertimus, omnémque ſublimitatem, quæ extollitur aduerſus cognitionem Dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Chriſto, hoc eſt, arma piorum doctorum ſunt in Eccleſia, ipſum verbum Dei, Spiritus Sanctus in verbo efficax, & ardens precatio.

3. Pij auditores verbi.

In tertio ordine exercituum Domini ſunt pij auditores verbi: qui pro gloria Dei, & ipſorum propria ſalute, bellum gerunt aduerſus carnem, peccatum, mundum, diabolum. Horum pugna & armatura deſcribitur ad Epheſeos, 6.12. &c. hiſce verbis. Quoniam non eſt nobis lucta aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus rectores mundi tenebrarum ſeculi huius, aduerſus ſpirituales nequitias in cœleſtibus.

Propterea accipite totam armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & omnibus peractis ſtare. State igitur ſuccincti lumbos veritate: induti thoracem iuſtitiæ, calceati pedes pręparatione Euangelij pacis: ſuper omnia aſſumentes ſcutum fidei, quo poſſitis omnia maligni tela extinguere & galeam ſalutis accipite, & gladium ſpiritus, qui eſt verbum Dei: per omnem precationem & orationem omni tempore precantes in ſpiritu. Vel breuius, vt alibi Paulus, 1. Timoth. 1. 18. Milita honeſtam militiam retinens fidem & bonam conſcientiam. Quam qui repulerunt naufragium fidei fecerunt.

4. Singuli in ſua vocatione.

In quarto ordine ſunt ſinguli in ſua vocatione. Militat quilibet Chriſto, cùm ea quæ ſunt ſui officij, grauiter in timore Dei facit: docentes igitur & diſcentes in ſcholis cùm officium piè & ſedulò pręſtant, milites Domini zebaoth ſunt. Atque ita de aliis vocationibus quibuſuis, quæ habent mandatum Dei, iudicandum.

5. Militia cœlorum.

Huc adde, ſi placet, quintum ordinem, videlicet exercitum ſeu militiam cœleſtem, hoc eſt ſolem, lunam & ſtellas, quæ ideo dicuntur exercitus Chriſti ducis, quia ſuo quodam modo arguunt tenebras, enarrant gloriam Chriſti, & ſuo veluti exemplo angelos & homines ad perpetuò glorificãdum Deum inuitant.

Vſus duplex & doctrinæ prioris partis pij mirabilis.

Porrò eorum quæ hactenus diximus de Domino zebaoth, eius pugna, exercitibus, & triumpho, duplex vſus eſt, vt enim pios militantes ſub duce Chriſto confirmant, conſolantur, animant: ita impios deiiciunt, terrent, confundunt: quare nos admoniti adiungamus nos fide & obedientia duci Chriſto, ac vera animorum puritate caſtiſſimis illis ſpiritibus, certi quòd qui in ſancta hac militia militauerit honeſtam militiam in fide & bona conſcientia, ſit reportaturus coronam immarceſſibilem quam nobis dux noſter & ἀγωνοθέτης Chriſtus Dominus promiſit. Nam vt victoria certa conſiſtit in ſanguine agni & verbo teſtimonij: ita qui hoc ſanguine aſperſi fuerint, quod fit cum in Chriſtum creditur iuxta verbum teſtimonij, verè victoriam conſequentur.

II. De falſa & vera Eccleſia.

Iam cùm multi cœtus hominum ſibi Eccleſiæ titulum

titulum vſurpant, hoc enim ſecundo loco à nobis propoſitum eſt,) acuratè diſpiciendum erit, quínam cœtus falſo ſibi hunc titulum attribuant, & quænam ſit vera Eccleſia Dei, vt aliis cœtibus relictis nos verè Eccleſiæ Dei adiungamus. Iudæi putantes Meſſiam, quem adhuc fruſtrà expectant, ad ſe ſolos pertinere, ſuperbè omnes cœtus alios contemnunt, & ſe veram Eccleſiam Dei eſſe iactitant. Mahometiſtæ ſeu Turcæ, propter Dominium, quod ampliſſimum habent in orbe terrarum, ſibi Eccleſiæ titulum vendicant. Moſcoultæ similiter gloriantur ſe Eccleſiam Dei eſſe. Romanus pontifex ſe cum ſuis Eccleſiam Dei catholicam eſſe ferro & igni defendit. Epicurei nullam planè religionem curant, niſi quæ ſeruiat illorum voluptatibus & quieti.

CONTRA IVDÆOS.

Summa. Iudęos nō eſſe Eccleſiam Dei.

INter Iudæorum pleroſque & nos controuerſia eſt de Meſſia: à quo qui aberrat abſque omni dubio extra Eccleſiam eſt ſub regno Satanæ. Nos autem edocti & conuicti verbo Dei & teſtimoniis diuinis Ieſum Mariæ Virginis filium, natum Bethlehem in ciuitate Dauid iuxta vaticinia Prophetarum anno mundi 3962. regnante Cæſare Auguſto, & poſtea paſſum ſub Pontio Pilato verum Meſſiam, Deum verum & hominem, verum mediatorem Dei & hominum, atque adeo vnicum Saluatorem agnoſcimus, confitemur, veneramur, & colimus. Hunc multi ex Iudæis agnouerunt tum, & coluerunt, de quo Ioſephus lib. 18. cap. 4. Eodem tempore fuit Ieſus, vir ſapiens, ſi tamen virum fas eſt eum dicere, erat mirabilium operum patrator & Doctor eorum qui libenter vera ſuſcipiunt, plurimoſque tam de Iudæis quam de gentibus ſectatores habuit. Chriſtus hic erat, quem accuſatum à noſtræ gentis principibus Pilatus cùm addixiſſet cruci, nihilominus non deſtiterunt eum diligere, qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die viuus, ita vt diuinitus de eo hoc & alia multa miranda prædixerunt, & vſque in hodiernum Chriſtianorum genus ab hoc denominatum non deficit. Verùm plurimi Iudæorum vt tunc, ita & hodie mera inuidia moti, hunc Ieſum verum Meſſiam nobiſcum non agnoſcunt. Quorum alij negant omnino Meſſiam adhuc veniſſe, aliis ſcripturis & vaticiniis de tempore aduentus Meſſiæ conuicti fatentur quidem Meſſiam veniſſe, & natum eſſe ſub Herode, ſed occultari propter peccata populi, ídque vt alij dicunt in Zion cum Angelis: vt alij, vltra montes Caſpios: vt alij, per orbem mendicare, prodituram ſe cùm Deo erit viſum. Nam cùm tam multa Prophetarum vaticinia in tempus illud congruerent, perſuaſiſſimum fuit Doctioribus Iudæis ætatis illius, Meſſiam tum eſſe venturum. Vnde factum eſt quòd multi ex occaſione temporis Meſſiam ſe eſſe ſunt profeſſi, cùm ante illud tempus nemo hoc tentaſſet. Inter illos fuit Iudas Galilæus, Ioſeph Benzara, qui ſub Meſſiæ nomine auſus eſt aduerſus Adrianum Cæſarem rebellare, cúmque Iudæorum plerique ſunt ſecuti, ſed exitus vanitatem ipſius patefecit. Similiter Barcozbas Dux rei militaris peritus, qui propter victorias crebras creditus eſt Meſſias: in qua opinione diu perſeueratum eſt, quouſque & illum Adrianus propter ſcelera puniuit. Prætereo eos de quibus Felix Iudeæ præſes ſumpſit ſupplicium. Promptum enim erat eo tempore, quod ſignatum fuit à Prophetis vt naſceretur Meſſias ſub ſpecie Meſſiæ ſeducere populum, præſertim cùm non aliam ob cauſſam venturum Meſſiam putaret, quàm vt armis ſubiiceret ſibi reliquas nationes. Quo facto, ipſi abundarent omni genere voluptatum, & rerum omnium abundantia reductis in terram patriam promiſſam Iſraëlitis qui ſupereſſent. Hanc craſſam cùm habeant opinionem Iudæi de fine aduentus Meſſiæ; planè non differunt à porcis & leonibus: quorum illis ſumma voluptas eſt in volutabro libidinum fœdè ſe contaminare: his verò potenter alias beſtias ſupprimere, vt ſoli dominari videantur. Horum peſtilentiſſimum errorem tota Scriptura damnat. Nam vniuerſa ſcriptura teſtatur Meſſiam apparituram, non vt gerat bella cùm hominibus, vt Hercules aliquis, aut Alexander magnus: ſed vt iuxta primam promiſſionem ſerpentem antiquum inuadat, peccatum & mortem aboleat, reparet imaginem Dei in homine, quæ per peccatum erat abolita, ac ſuos; id eſt fideles, donet æterna iuſtitia & immortalitate, vt ita perfecta charitate Deo iuncti ſint beati & perfecti: in qua re hominis finis verus & proprius conſiſtit.

Ratio. Quia Ieſum Chriſtū Mariæ filiū vnicū Eccleſ. Meſſiā & fundamē. ti, reiiciunt.

Iudæorū de Meſſia errores.

Refutatio delirii Iudaici de Meſſia.

Cæterum vt nos magis muniamur aduerſus impoſtores Iudęos, Chriſto Domino obtemperemus; qui ait, Ioan. 5. Scrutamini Scripturas: illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me. Et Petrus, habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. Verùm quò ſolidius & firmius errorem Iudaicum refellamus in vnius argumenti complexum totam rem includamus hoc modo.

Is ſolus abſque omni dubio ac veriſſimo verius, atque adeo omnium confeſſione eſt Meſſias verus & vnicus, in quem omnia Prophetarum vaticinia concurrunt, cuique ſoli conuenit quicquid de Meſſia prædictum eſt à Sanctis Dei Prophetis, Moſe & aliis. In Ieſum Mariæ Virginis filium concurrunt omnium Prophetarum vaticinia, & huic ſoli Ieſu conuenit quicquid de Meſſia prædictum eſt à Sanctis Dei Prophetis Moſe & aliis. Ergo ſolus Ieſus Mariæ Virginis filius eſt Meſſias verus & vnicus.

Argumentum apodicticum adu. Iudęorū de Meſſia errores.

Maior ab omnibus recipitur: de minore; quæ eſt *κεινόμενον* inter nos & Iudæos controuertitur: quam ſi probauerimus; error Iudæorum patefiet; & noſtra fides confirmabitur.

Quoniam autem Auguſtinus dicit, *Firmitas fidei in eo eſt, quia omnia quæ euenerunt in Chriſto prædicta ſunt*, breuiter oſtendemus quomodo oracula Prophetarum vni Ieſu Chriſto ac ſoli conueniunt & non alij cuique. Deinde refutabimus ea quæ cæci Iudæi nobis obiiciunt.

Argumenti probatio.

Natus eſt Ieſus Chriſtus regnante Cæſare Auguſto in Bethleem ciuitate Dauid, à caſtiſſima Virgine. Hic (vt Lucas Euangeliſta refert) tempus nati Meſſiæ, locus, mater, & genus indicantur, & reſpondent vaticiniis Prophetarum.

Sūma probationis.

1. Tempus à Iacob Patriarcha ſignatum fuit: Geneſ. 49. 10. non auferetur ſceptrum de Iuda & legiſlator de fœmore eius donec veniat Silo; & ipſe erit expectatio gentium, Daniel, 9. 24. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuū, & ſupra vrbem ſanctam tuam; vt finiatur præuaricatio, & obſignetur pactum, & fiat propitiatio pro iniquitate, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & Prophetia, & vngatur ſanctus ſanctorum. Scito igitur & conſiderato ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem vſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem. Et hebdoma-

Tempus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

des ſexaginta duæ erunt, & rurſus ædificabuntur plateæ & muri in anguſtia temporum, & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit eius populus qui eum negaturus eſt, & confirmabit teſtamentum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis ceſſabit hoſtia & ſacrificium. Hæc Prophetia Danielis maximè illuſtris eſt, quæ tempus aduentus Meſſiæ clariſſimè ponit ob oculos: hebdomas vna ſeptem annos continet. Ergo 69. faciunt annos 483. tot enim ſunt anni ab exitu ſermonis de reædificanda Ieruſalem vſque ad Baptiſmum Chriſti. Deinde in dimidio hebdomadis Chriſtus concionatus eſt & paſſus. Poſtea interiectis plus minus 40. annis, ſecuta eſt deletio politiæ moſaicæ, iuxta Prophetæ vaticinium. Computationem eorum lege in commentariis Philippi in Danielem, in Functio & Galatino.

Locus. 2. Locus Bethleem, vbi natus eſt Chriſtus, longè antè monſtratus fuit à Michea Propheta, ca. 4.2. dicente, Et tu Bethleem Ephrata parum eſt vt ſis de millibus Iuda. Ex te enim mihi egredietur qui ſit dominator in Iſraël, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.

Mater. 3. Quod à virgine naſceretur prædictum fuit ab Eſaia, 7.14. qui ait, Dominus ipſe dabit vobis ſignum, Ecce virgo erit prægnans & parturiens filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Ieremiæ 31.22. Nouum creabit Deus ſuper terram: fœmina circumdabit virum, id eſt, Virgo Maria Chriſtum perfectum ſapientia in vtero virgineo circumdabit. Quod Eſaias ſignum vocat, hoc Ieremias nouum. Num inauditum fuit Virginē parere?

Genus. 4. Genus ex quo naſceretur ſignificatur in eo, cùm irent Bethleem, vt deſcriberentur & cenſerentur. Nam quiſque ibat in ſuam ciuitatem. Cùm igitur Ioſeph & Maria ibant in ciuitatem Dauid, teſtantur ſe ex proſapia Dauidica eſſe. Ita enim promiſſum erat Dauidi, vt Chriſtus naſceretur ex ſemine eius. De fructu, inquit, ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

Adoratores. 5. Nato Chriſto, magi venientes ex Perſia deferunt aurum, thus, & myrrham iuxta vaticinium Eſaiæ. De Saba venient, aurum, & thus deferent, & laudes Iehouæ annunciabunt. Ductu ſtellæ peruenerunt magi ad locum vbi erat mater Maria & Ioſeph cùm puero Ieſu de qua ſtella prædictum eſt à Balaam numero 24.17. Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga ex Iſraël. Hoc vaticinium magos ſciuiſſe veriſimile eſt, & viſa ſtella cogitaſſe eū adeſſe quem figurabat. Puer octauo die circumciſus eſt: voluit enim ſub lege eſſe, vt eos qui ſub lege erant redimeret, & appellatus eſt Ieſus, id eſt ſaluator: quo nomine officium Meſſiæ indicatur, vt naturę diuina & humana nomine Emanuelis.

Nomen. 6. Huius & nomen & typum videmus præceſſiſſe in Ieſu filio Nun. Quemadmodum enim Ieſus filius Nun populum Iudaicum in terram promiſſionis corporalem & temporalem introduxit: ita Ieſus Chriſtus, verus Ieſus. i. ſaluator, pios omnes in æternam illam & cæleſtem patriam introducet, vt vmbræ reſpondeat veritas.

Oblatio. 7. Poſt dies 40. oblatus eſt in templo ſicut Angelus promiſerat, 2.8. Et veniet deſiderium omnium gentium, & implebo domum hanc gloria, dixit Dominus zebaoth. Maior erit gloria domus huius nouiſſimæ, quàm primæ: huic prophetiæ intellexit Simeo reſpondere euentum, cum ita canit, Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Luc. 2.32.

Exilium. 8. Abductus eſt Puer à Parentibus in Ægyptum ad Herodis ſæuitiam deuitandam, vbi manſit ad mortem Herodis, vt quemadmodum pueritia corporalis Iſraëlis, hoc eſt populi Iſraëlitici naſcentis illic in Ægypto eſt tranſacta, ſic & ſpiritualis Iſraëlis tranſigeretur. Et quemadmodum ex Ægypto vocatus eſt Iſraël corporalis ad terram libertatis corporum, ita vocaretur etiam Iſraël ſpiritualis ad libertatem animorum. Oſeæ 11.1. dicitur, puer Iſraël, & eum dilexi, & ex Ægypto vocaui filium meum. Si hoc dictum eſt de vero Iſraele is eſt Chriſtus: ſin de carnali, figura eſt quæ habet vim Prophetiæ. Huc & illud Eſaiæ, 16.1. pertinet, Mitte agnum dominatoris terræ, de petra deſerti ad montem filiæ Zion.

9. Reuerſus Ieſus cum parentibus, habitauit cum illis in Nazaret in Galilea. Vnde & Nazarenus appellatus eſt: in quo Samſonis imaginem expleuit, qui Samſon vita & actibus ſuis Chriſtum Iudaico populo repræſentabat. Hinc Angelus Domini ad eius parentes miſſus priuſquā naſceretur iuſſit eſſe Nazaræum Domini. Et apud Eſaiam 11.1. Egredietur virga de ſemine Ieſſe, & nazer de radicibus creſcet. In Nazaret igitur habitare voluit Dominus, vt ſciremus hunc eſſe verum nazer ſeu nazaræum ſanctum ſanctorum, & iuſtitiæ florem germenque Dauidis, quod ſanctificat fideles. Habitatio.

10. Annos duodecim natus, in feſto Paſchæ aſcendit cum Matre & Ioſeph Ieroſolymam, ſedet in medio doctorum, quos & audit docentes, & interrogat, quod omnes qui illum audiuerunt, admirati ſunt ſuper intelligentia & reſponſis eius. Hîc voluit Meſſias in pueritia adhuc radios quoſdam ſuæ diuinitatis ſpargere, vt reipſa iudicarent Iudæi pluſquam humanum aliquid in eo latere, vtque cogitarent de Prophetico munere Meſſiæ. De quo inter alios Eſaias in hunc modum de Meſſia loquens, capite 61.1. Ad Euangelizandum miſit me. Et quia paſcha fuit inſtitutum, non ſolùm vt reuocarent Iudæi in memoriam tranſitum ſuorum maiorum per mare rubrum duce Moſe, verùm etiam vt Doctores admonerent populum de ſpirituali paſcha, i. tranſitu à regno diaboli in regnum Dei duce Meſſia, non dubium eſt quin hęc diſputatio ſit agitata inter Chriſtum & Doctores illos, vnde illa admiratio & ſtupor in illis extitit. Voluit etiam Chriſtus hoc ſuo facto adhuc in pueritia docere quid eos deceat qui Chriſtum ſequi decreuerunt. Vt enim ille ſedet in templo, ita vult ſuos in rebus ſacris conquieſcere, & ad diſcendum animum trāquillum curis adferre. Munus propheticum.

11. Deinde à 12. anno vſque ad 30. ſubiectus erat parentibus, proficiens ſapientia, ætate, & gratia apud Deum & Homines. Atque ita tota eius vita inter pauperes & homines ſimplices & demiſſo corde tranſacta eſt, atque hoc eſt quod dicit Eſaias, capite 61.1. Ad annunciandum manſuetis miſit me: illi enim gratiores ſemper fuerunt Deo, hoc eſt legibus & monitis diuinis accipiendis aptiores, quàm de opib. & potētia turgidi, vel de literis aut ingenio. Vita ge-nus.

12. Cùm iam ingreſſus eſſet annum ætatis 30. Iohannes Zachariæ filius mandato diuinitus accepto, de baptiſmo pœnitentiæ, vt præcurſor prodit & clamat: pœnitentiam agite: appropinquat enim Regnum cœlorum, parate viam Domino. Atque hoc eſt quod prædictum erat per Prophetā Malachiam, c.3.1. Ecce ego mitto nuncium meum & præparabit viam ante faciem meam, & ſtatim veniet ad templum ſuum dominator, quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quem vos optatis, ecce venit dicit Iehoua zebaoth. Pręcurſor eius.

13. Poſtea baptizatur à Iohanne, & Spiritus Sanctus Baptiſm⁹.

ctus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ctus deſcendit ſuper eum tanquam columba. Ita enim in typo præceſſit. Moſes refert, Geneſ.8.12.13. emiſſam à naui columbam rediiſſe ad veſperam, ac tuliſſe in roſtro ramum oliuæ pacis ſymbolum. Vnde Noe intellexit Domini iram eſſe ſedatam, terrámque exoneratam fluctibus. Ad eundem modum teſtatur hîc columba eum adeſſe per quem patris ira placata eſt, iuxta vocem patris, Hîc eſt filius meus dilectus per quem placatus ſum, Mat.3.17.

Tentatio & Ieiunium.

14. Quòd autem tentatur à Diabolo reſpondet prædictioni in genere ſaltem. Et tu inſidiaberis calcaneo eius, videlicet ſeminis mulieris. Ieiunat 40. dies & noctes, ſed figura præceſſit in Moſe & Elia.

Doctrina & miracula.

15. Tribus ſequentibus annis regnum ſuum auſpicatur, docendo, & miracula edendo iuxta vaticinium Prophetæ Eſaiæ, Cap.61.1. Spiritus Domini Iehouæ ſuper me, eò quod vnxerit Iehoua me, ad annunciandum manſuetis miſit me, vt alligarem contritos corde, & prædicarem captiuis libertatem, & vinctis apertionem carceris, vt prædicarem annum beneplacitum Iehouę, & diem vltionis Deo noſtro, vt conſolarer omnes lugentes, vt ponerem lugentibus Zion, darémque eis gloriam pro cinere oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro Spiritu conſtricto: & vocabuntur arbores iuſtitiæ, plantatio Domini, vt glorificer. Idem cap.35.4. Dicite ſtultis corde, confortamini, ne timeatis: ecce Dominus veſter cum vltione veniet, & videbitis retributionem Dei, ipſe veniet & ſaluos faciet nos, tunc ſcilicet cum venerit aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & laudabit lingua muti. Quid potuit manifeſtius dici de doctrina & miraculis Meſſiæ? Propheta quaſi digito monſtrat perſonam Meſſiæ certiſſimis ſignis: ac miſeri Iudæi affectuum ſuorum tempeſtatibus abrepti veritatem non agnoſcunt. Ad hæc ſigna monſtrantia Meſſiam, mittit duos diſcipulos Iohannes qui quærebant ab eo, tu es qui venturus es an alium expectamus? Euntes, inquit, renunciate Iohanni quæ auditis, & videtis, cœci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes Euangelizantur. Hinc illa admiratio in cœco, Ioh.9.30. mirabile eſt vos neſcire vnde ſit, & tamen aperuit oculos meos.

Pompa ingreſſus in Ieruſalē.

16. Appropinquante ſupplicij tempore, quod à Patre erat illi decretum Ieroſolymas eſt ingreſſus aſello vectus, cui obuiam proceſſit magna hominum multitudo & regia illum Pompa excepit, de quo eſt illud Zachariæ 9. 9. Exulta filia Zion, ecce rex tuũs venit tibi manſuetus, ſędens ſuper aſinam. Venienti acclamant pueri Hebræorum, ſtratis in via ramis palmarum, in ſignum perpetuum duraturi regni, Hoſſianna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſſianna in altiſſimis. Hoc quoque legimus prædictum eſſe in Pſalmo 118. 25. Hoſſianna Domine, da fœlicem ſucceſſum, benedictus qui venit in nomine Domini, ornate feſtum frondib. vſque ad cornua altaris.

Noui Sacramenti inſtitutio.

17. Pridie quàm pateretur agno phaſę iuxta legem comeſto, cœnã inſtituit corporis & ſanguinis ſui: cuius figura, Paulo teſte, 1. Corinth.10.1.&c. præceſſit in manna & in petra ex qua aqua fluxit in deſerto.

Proditio.

Deinde poſt longam conditionem, coram diſcipulis, & precationem, vt Adam in horto defecit à Deo, ita Chriſtus in horto proditur à proprio diſcipulo Iuda acceptis 30. argenteis: quod ſanè non tacuerunt vaticinia. Nam vt Doeg proditor Dauidis fuit typus proditoris Iudæ: ita Zacharias mercedis acceptæ meminit, cap.11.12. Et appenderunt mercedem meam 3. argenteis, & dixit Dominus ad me, proiice illos in theſaurarios ad magnificentiam glorię qua præcionatus ſum ab eis.

Captus deſeritus.

18. Mox captus deſeritur ab omnibus ſuis. De quo Zacharias, 13.7. O gladie ſuſcitare ſuper paſtorem & ſuper virum ſocij mei dicit Dominus: percutiam paſtorem & diſpergentur greges.

Contumeliæ & vexationes.

19. Poſt captiuitatem ſecutæ ſunt irriſiones, conſputationes, allapæ, contumeliæ, & vexationes aliæ de quibus Eſaias 50.6. Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meã non abſcondi ab ignominiis & ſputo.

Crucifixio & exinanitiõ Chriſti pro peccatoribus.

20. Actus eſt deinde in lignum ſeu crucem. A ligno enim ſæpe extitit apud patres ſalus: imago & vaticinium ligni huius fuit in arca Noe, in ligno quod Moſes iniecit in aquas amariſſimas, quo iniecto factæ ſunt aquæ dulciſſimæ. Perpulchrè profecto pingitur hac figura virtus crucis Chriſti. Vt enim amariſſimæ aquæ, iniecto ligno factæ ſunt dulciſſimæ, ſic nihil non fit nobis in hac vita ſuauiſſimum, ſi lignum crucis Chriſti, id eſt fides in Chriſtum crucifixum addatur tanquam condimentum. Sed multò illuſtrior figura eſt in ligno in quo ſuſpenſus fuit æneus ſerpens. Quemadmodum enim Moſes ex mandato Dei æneum ſerpentem in ligno ſuſpenſum, in deſerto poſuit ſublimem & conſpicuum vniuerſo Iſraëli, ad remedium eorum qui eſſent à ſerpentibus lethaliter ſauciati: ita Chriſtus eleuatus eſt in ligno, & quaſi oſtenſus vniuerſis gentibus, ad ſalutem intuentium & confidentium, qui erant lethaliter ab antiquo ſerpente Diabolo vulnerati. Suſpenditur ergo in lignum Chriſtus, & fit maledictum vt nos à ſerpentis maledictione vindicet, quam is per peccatum in homines inuexit. Ideo ſcriptũ eſt, maledictus omnis qui pependit in ligno; hoc modo Paulus typum veritati accommodat ad Galat.3.13.

Abiectio.

Hîc humanitas Chriſti abiectiſſima viſa eſt; & hominib. infimæ conditionis inferior, ita vt abſterriti & pudefacti fugerẽt propinqui, ac neceſſarij: de hoc prædictum eſt Pſalmo 22.7. Ego autem ſum vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis, & in Pſalmo 88.19. Fugaſti à me notos meos, poſuiſti me abominationem illis, procul auertiſti à me amicum & notos meos in tenebris: vſque adeo formoſiſſimus omnium virorum tempore illo, gratiam omnem pulchritudinis amiſit, vt difficillimum eſſet illum cognoſcere, quemadmodum Eſaias 52.13.14.15 prædixerat. Ecce intelliget ſeruus meus, exaltabitur & leuabitur, & ſublimis erit valde: quemadmodum admirati ſunt ſuper illum multi quòd adeo corruptus eſſet præ viro aſpectus eius, & forma eius præ filiis hominum, ſic aſperget gentes multas; ſuper eum claudent reges os ſuum, ij quibus non eſt narratum, viderint, & qui non audiuerunt intellexerunt. Et capite 53.2.3. Non eſt ei forma neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, deſpectus eſt, & abiectus inter viuos, vir dolorum & expertus infirmitatem, & quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus vnde non reputauimus eum. Vide quàm perſpicuè prædixit Propheta fore vt Iudæi contemnerent Meſſiam propter deformitatem ſupplicij, cuius ipſi autores erant.

Conuitia in eũ iactata.

Pontifices & Principes populi magna conuitia & ſubſannationes motis capitibus iecerunt in Ieſum cruci affixum ſicut prædixit Oſeas, 7.15.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia. Et Pſalmo 22. Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens. Item circumdederunt me canes, concilium malignantium obſedit me. Et Pſalmo 35. 16. Subſannauerunt me ſubſannatione, fremuerunt ſuper me dentibus ſuis.

Lateris, pedũ, & manuũ confixio.

De manibus autem Domini, & de latere lancea confixo Zacharias prædixit, cap. 12. 10. Aſpicient ad me quem confixerunt. Et in Pſ. 22. 17. foderunt manus meas & pedes meos.

Querela.

In acerbiſſimis cruciatibus clamat, Deus meus, Deus meus cur dereliquiſti me? id quod longè antea per Dauidem prædictum fuit Pſ. 22. 1. Qui Pſalmus quaſi epitome quædam eſt hiſtoriæ paſſionis Domini.

Spiritus cõmendatio.

Exhalaturus animam verbis Dauidis qui eius typum geſſit, vſus eſt. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum, vt eſt in Pſ. 31. 6.

Suſpenſio inter latrones.

Quod ſuſpenſus ſit inter latrones, etiam ſignificatum fuit ab Eſaia dicente cap. 53. 12. Et cum ſceleratis reputatus eſt.

Precatio pro inimicis.

De precatione Chriſti pro ſuis crucifixoribus præmonet quoque eodem capite. Ipſe peccatum multorum tulit, & pro præuaricatoribus orauit.

Miracula in morte.

Moriente Ieſu obductum eſt cœlum tenebris circiter meridiem tanquam ſi ſol deficeret, cùm eſſet tamen luna quinta decima, id eſt plena.

Tremuit ingenti motu terra iuxta vaticinium Iohelis, capite 3. 16. Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ ſplendorem ſuum retraxerunt, & Dominus de Zion rugiet, & ab Ieroſolymis mittet vocem ſuam, & contremiſcent cœli & terra. Et Amos 8. 9. Et erit in die illa dicit Dominus Deus, occumbere faciam ſolem in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis.

Sppliciũ extra portam.

Crucifixus eſt Dominus extra portam, quemadmodum hoſtia illa quæ ad purgationem & ſanctificationem populi extra caſtra deducebatur à multitudine filiorum Iſraëlis, vt eſt Numero 19. 2. &c. Vacca enim rufa in conſpectu omnium mactabatur, ex cuius ſanguine, cineribus & aqua fiebant emundationes.

Celeritas ſupplicij.

Ad celeritatem ſupplicij Domini, (qui captus de nocte, & ad pontifices ductus, poſtridie manè raptus ad tribunal præſidis, Sub meridiem eſt cruci affixus) pertinet figura agni phaſæ. Vnde & Chriſtus ſæpe agnus dicitur.

Collatio figuræ & veritatis.

Verùm quo magis appareat quomodo vmbræ corpus, & figuræ veritas reſpondeat, ſingula ſingulis conferamus: ſiquidem agnus ille paſchalis, plurimum habet ſimilitudinis cum ſeruatore noſtro Ieſu, ſed vt vmbra cum corpore, & figura cum veritate.

1. Vt ergo agnus ille Iudaicus erat maſculus vnius anni, ſine macula: ita Chriſtus adultus vir & integer, erat ſine peccato.

2. Vt ſanguine agni phaſæ intinctæ fores habitatorem à plaga tuebantur: ita omnes quorum conſcientiæ aſperguntur ſanguine Chriſti agni immaculati, à plaga peccati, quæ eſt damnatio, erunt immunes.

3. Vt nihil erat ex agno phaſæ edendum crudum, nec aqua coctum, ſed igne aſſatum: Ita nulla Dominici corporis pars non eſt ingentibus doloris facibus aſſa & exuſta.

4. Vt filij Iſraël vorauerunt agnum Paſchalem celeriter cum lactucis agreſtibus ſeu herbis amaris: Ita animo amariſſimo Chriſtum neci dederunt Iudæi, ídque cum ſumma feſtinatione.

5. Vt agnus Phaſæ immolatus eſt à cuncta multitudine filiorum Iſraelis: Ita quod factum eſt Chriſto Ieroſolymis, conſilio & voluntate pontificum & procerum ſine dubio factum videtur ab vniuerſo Iſraele, pauciſſimis quibuſdam exceptis.

6. Vt mandato Dei cautum erat ne os frangerent in agno phaſæ: Ita tametſi clauis confixæ ſunt manus & pedes Chriſti, & latus haſta perforatum, os tamen confractum in eo non eſt.

7. Vt nemo veſcebatur ex agno phaſæ immundus & incircumciſus tantum: ita animus purgatus, & receptus per fidem in familiam Dei, ſolus ſpiritualiter in ſalutem veſcitur carne Chriſti agni puriſſimi.

8. Vt is die menſis primi immolatus eſt agnus ille phaſæ ex mandato Dei: Ita Chriſtus verus ille Dei agnus, eodem die menſis eiuſdem, patre ita ordinante immolatus eſt.

9. Vt ſemel in anno mactabatur agnus phaſæ: Sic ſemel & non ſæpius immolari debuit filius Dei, quod etiam figuratum erat per ingreſſum ſummi ſacerdotis in adytum propitiatorij ſemel in anno.

10. Poſtremò, quemadmodum agni phaſæ ſacrificium gratum fuit Domino, & poſt illud reductus eſt populus ex Ægypto: Ita per Chriſti ſacrificium reconciliatum eſt Deo humanum genus, & ex Diabolica captiuitate aſſertum in libertatem. Huius magni ſacrificij, huius ſanctificationis, & pacificationis figuræ, ſeu vaticinia potius, fuere ſacrificia patrum, vt Abel, Noe, Abrahæ: & poſtera omnia Aaronica: ſed alia clarius, alia obſcurius ſacrificium hoc magnum propiciationis figurabunt.

Sepultura.

11. Depoſitus de cruce ſitus eſt in ſepulchro, de quo eſt in Pſalmo 88. 4. 5. &c. Obruta eſt malis anima mea, & vita mea ad ſepulchrum peruenit, annumeratus ſum iis qui deſcendunt in lacum, fui ſicut vir cui nulla eſt fortitudo, inter mortuos liber, quales ſunt dormientes in ſepulchris, & quorum non amplius eſt memoria, qui à manu tua abſciſſi ſunt, & poſuiſti me in lacu inferiori, in tenebris profundis. Manſit corpus Chriſti in ſepulchro ea parte diei ſexti qua iam incipiebat eſſe ſabbatum vacante ab operibus populo Iſraelitico: hinc ſabbatum totum integrum, quo finito multum manè reſurrexit, vt manifeſtum faceret ſe Iudaicum ſabbatum ſecum conſepeliuiſſe, & rediiſſe ad vitam nouam victa morte, atque vetere ſynagoga relicta in ſepulchro, nouáque Eccleſia excitata & conſtituta: idcirco Dominus ante mortem ſuam non abrogauit legem Moſaicam, quod nondum ſabbatum detulerat ſecum in mortem & ſepulturam. Quod autem non eſſet Dominus in monumẽto diu manſurus, Dauid cecinerat in Pſalmo 16. 9. 10. Caro mea fidenter conquieſcet: quoniam non relinques animam meam in inferno, nec permittes vt ſanctus tuus videat corruptionem.

Reſurrectio.

12. Illucente autem die primo ſeptimanæ, quem nos Dominicum appellamus, reduxit ſemet ipſe in lucem, & vitam, quæ fuit lux noſtra, & reſurrectio à morte ſempiterna. Huius & reſurrectionis Dominicæ figura præceſſit in Iona Propheta, & apertum vaticinium eſt in Oſea, cap. 6. 1. 2. vbi ex perſona Eccleſiæ Chriſtianæ dicitur, Venite & reuertamur ad Iehouam, quia ipſe rapuit & ſanauit nos, percuſſit & alligauit nos, viuificabit nos poſt duos dies, die tertia ſuſcitabit nos, & viuemus in cõſpectu eius,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Vocatio gentiū.

eius, efficiemur ſapientes vt ſequamur & agnoſcamus Dominum.

23. Confirmata diſcipulis ſua reſurrectione multis variiſque modis mandat baptizari & doceri omnes gentes pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum in ſuo nomine. Et ita completa eſt Prophetia Iob de vocatione gentium, qui ait, Is erit expectatio gentium. Hanc ob cauſam toties inuitantur gentes ad laudãdum & prædicandum Deum in Pſalmis & Prophetis, vt Pſalmo 117. 1. Laudate Dominum omnes gentes, & prædicate eum omnes populi, quoniam præualuit erga nos miſericordia Dei, & veritas Domini manet in æternum.

Aſcenſio in cœlū.

24. Hoc mandato diſcipulis commendato 40. poſt reſurrectionem die: aſcendit ad Cœlum, ad patrem ſuum, ad cuius dexteram ſedet in omnes æternitates. Vnde ad diſcipulos ſuos & in ſequentem deinde Eccleſiam miſit Spiritum Sanctum magiſtrum & gubernatorem. De hac aſcẽſione cauit Pſalmus 98.19. hiſce verbis, Aſcendiſti in altum, triumphaſti de captiuitate, accepiſti dona pro hominibus.

Seſſio ad dexteram Patris.

25. De ſeſſione autem ad dexteram Patris idem Pſalmiſta Pſalmo 110. 1. ſic ait, Dixit Dominus Domino meo, ſede à dexteris meis. Dextera autem patris ſunt præcipua illius bona, beatitudo, clementia, bonitas, munificentia, in quibus Chriſtus ſedet diſpenſator, & diſtributor, & regnum illius & liberalitas tantorum bonorum, eſt ſuper ſanctas, & beatas mentes Angelicas & humanas, de quo in Pſalmo 16. 5. Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui ſuſtentas hæreditatem meam, funes ceciderunt mihi in amœnis id eſt nactus ſum hæreditatem amœnam, etenim hæreditas præclara eſt mihi.

Miſſio S. Spiritus.

26. Porrò, quantum ad Spiritum Sanctum attinet, hoc tenendum eſt. Spiritus Sanctus perpetuo quidem apud Eccleſiam manet, etſi inuiſibilis. Ad Apoſtolos autem decimo die poſt aſcenſionem Domini, hoc eſt 50. à reſurrectione miſſus eſt conſpicuus in linguis igneis, vt toti mundo quaſi hoc maieſtatis ſuæ ſigillo Dominus zebaoth, id eſt, Ieſus Chriſtus, veritatem infallibilem ſui Euangelij obſignaret: id quod longe antea præuiſum fuit à Ioele Propheta, qui capite 2. 28. ſic ait, Et erit poſt hoc, (id eſt, poſtquam acceperit Iſraël Doctorem iuſtitiæ, vt quæ ille docuerit & recordentur homines & intelligant,) effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem; & Prophetabunt filij veſtri & filiæ veſtræ, ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, iuuenes veſtri viſiones videbunt. Huic Prophetiæ clariſſimè euentus reſpondet 50. die à reſurrectione Domini. Super omnem enim carnem effuſus eſt Spiritus Domini; non ſingulatim ſed generatim ſuper Iudæos, gentiles, ſenes, iuuenes, viros, fœminas, ſeruos, liberos, rudes, eruditos, &c. Et Eſaias 54. 13. Vniuerſi filij tui erunt docti à Iehoua & multiplicabit pacem filiorum tuorum. Olim homo homini faciebat ſe autorem, ducem, & magiſtrum pietatis vt patet in Philoſophis, quorum alij alium hominis finem eſſe ad quem ſummo ſtudio deberent contendere ſtatuerunt: Nunc verò, etſi homo hominem docet cultum Dei, non ſuam tamen ſed diuinam eſſe doctrinam profitetur.

Apoſtolorū doctrina & miracula.

27. Apoſtoli Domini accepto Spiritu Sancto, doctrina cœleſti ex mãdato Chriſti collegerunt Eccleſiã, & doctrinã ſtupendis miraculis iuxta Chriſti promiſſionẽ confirmauerunt: id ꝙ 600. annis antea ab Eſaia Propheta prædictum fuit, qui ita ait cap. 8. 18. Ecce ego & pueri quos dedit mihi Dominus vt ſint ſigna & portenta in Iſraël, à Domino zebaoth qui habitat in monte Zion. Quod quæſo portentum maius? quod ſignum euidentius? quàm apoſtoli ipſi & eorum opera, pauciſſimi numero, imbelles, imbecilli, atque imperiti ediderunt miracula ſtupenda, & conuertunt ad ſe & ſuam religionem ora atque ingenia hominum. Hi ſunt filij qui Eccleſiæ dati ſunt pro antiquis patribus ſicut Pſalmiſta ait, pro patribus tuis erunt tibi filij, conſtitues eos principes in vniuerſa terra. Pſalm. 45.

28. Cùm principes nominat ratio regni ſpectanda eſt, Cùm igitur Chriſti regnum verbo adminiſtratur, principes ſunt qui verbo & cœleſti doctrina regnum Chriſti adminiſtrant. Etſi autem Eccleſia patres, primóſque extructores & principes habuit ex Iudæis, ipſa tamen potiſſimum ex gentibus congregata eſt, ex grege illo ſterili prorſus & inutili: De quo Eſaias, 54. 1. &c. Lauda ſterilis quæ non parturiebas, prorumpe in laudem & exulta quæ non parturiebas, quia plures ſunt filij deſolatæ quàm maritatæ, dixit Iehoua, dilata locum tabernaculi & cortinas tabernaculorum tuorum extende, ne prohibeas, prolonga funiculos tuos, & clauos tuos conſolida: ad dexteram enim & ſiniſtram dilataberis, ſemen quoque tuum gentes hæreditate accipient, & ciuitates deſolatas inhabitabit. Idem capite 60. 15. pro eo quod fuiſti derelicta & exoſa; & non erat qui tranſiret per te, ponam te in gloriam perpetuam, & gaudium generationis. Et infrà verſiculo 22. parua familia erit in mille, & parua familia erit in gentem fortem. Ego Iehoua tempore ſuo accelerare faciam illud.

29. Chriſtus prædixit fore vt auferretur à Iudæis regnum Dei, & daretur genti facienti fructus eo dignos. Hoc vt iam completum eſſe videmus, ita olim prædictum ab Eſaia Propheta fuiſſe legimus, qui ſic ait capite 65. 1. &c. Quæſitus ſum ab iis qui antea non me interrogabant: inuentus ſum ab iis qui non quærebant me. dixi, Ecce ego, ecce ego; ad gentem non vocatam nomine meo, expandi manus tota die ad populum peruerſum qui gradiuntur per viam non bonam, poſt cogitationes ſuas ad populum nequam, qui ad iracundiam prouocant me ante faciem meam ſemper. Idem adhuc clarius. Si fuerit numerus filiorum Iſraël vt arena maris, reliquiæ tantum ſaluæ fient. Vide Paulum Rom. 9. 10. 11.

Reiectio Iudæorũ.

Hactenus, vt opinor, ſatis confirmauimus minorem propoſitæ demonſtrationis, & oſtendimus breuiter & ſimpliciter quomodo omnia completa ſunt in Ieſu, Mariæ filio quæ à Moſe & Prophetis prædicta fuerunt de Meſſia, atque hoc eſt, quod in Iohanne dicitur; Lex per Moſem data eſt, Gratia autem & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt: hoc eſt, quæ Moſes figuris adumbrauit, & Prophetæ vaticiniis prædixerunt, Chriſtus in veritate compleuit. Summa omnium huc redit, quòd Ieſus Mariæ filius ſit Meſſias id eſt Propheta, rex & ſacerdos. Propheta, de quo Moſes, Deut. 18. 18. Prophetam è medio tui, è fratribus tuis vt ego ſum ſuſcitauit tibi Iehoua Deus tuus, illum audietis. Rex, de quo Pſalmus ſecundus, 6. Ego conſtitui Regem meum ſuper Zion montem ſanctum meũ. Sacerdos, de quo Pſalmus 110. 4. Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Beneficia huius Meſſię & eorũ applicatio proponuntur Pſalm. 2. 12. hoc verſu, Beati omnes qui confidunt in eo.

Summa omniũ argumentorum quæ citata ſunt adu. Iudæos.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Iudæorũ peruicacia, & obiectiones cõtra Iesum Christum filiũ Dei, dominum & Messiam nostrum.

Iam cùm tanta pertinacia & malicia ſit Iudæorum plærorúmque, quòd velint potius ad clariſſimam lucem cæcutire quàm admittere veritatem Dei, de Meſſia exhibito Domino noſtro Ieſu Christo, volo paucis diluere quæ iſti falſò, malicioſè & furioſè obiiciunt. Negant illi non ſine magnis conuitiis minorem fundamenti noſtri: & mendaciter dicunt contra propriam conſcientiam multa Prophetarum vaticinia de Meſſia promiſſo non accepiſſe finem in Ieſu Mariæ filio. Obiiciunt enim quatuor. Primum de tempore aduentus Meſſiæ. Secundum de forma regni. Tertium de loco ſceptri. Quartum de populo, præter hæc vt detrahant Euangelij ſcriptoribus fidem, dicunt eos pugnantia ſcribere.

Obiectio contra Chriſti reſurrectionem.

Vt autem perſuadeant ſeductores iſti miſeris hominibus imprimis caput petunt, & negant Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis, vbi ad hoc mendacium reſpondero, diluam ordine iſta quatuor quæ obiiciunt vnà cum criminibus quibuſdam quæ mendaciter Domino noſtro impingunt. Clamitent iſti hoſtes Dei, ad rauim vſque Chriſtum Dominum non reſurrexiſſe à mortuis.

Refutatio.

Sed quis quæſo adeo ſtultus eſt, vt citius credat hoſtibus quàm amicis? Quis adeò ineptus fidem potius habeat multis malis, quam paucis bonis? Vtri maiorem fidem merentur, illi ne qui mera inuidia moti conuitia commulant, & mendacia, omni ſcelerum genere contaminati? An illi qui ſanctitate, & innocentia vitæ conſpicui veritatem Dei proprio ſanguine obſignauerunt? vter dignior fide eſt, Spiritus ne Satanæ in obduratis Iudæis, An Spiritus Chriſti qui viſibili teſtimonio 50. die à reſurrectione Domini teſtatus eſt de Chriſti reſurrectione, regno, & potentia? Quæ eſt inſania, maiorem fidem adhibere confictis mendaciis Iudæorum, quàm operibus diuinis Chriſti, quibus Apoſtoli confirmabant reſurrectionem Domini? Quid multis? ſepulchrum, diſcipuli, Angeli, ex hoſtibus multi, cælum, terra, Spiritus Sanctus, efficacia Chriſti in cordibus iuſtorum, conſeruatio Eccleſiæ aduerſus tot furores diabolorum & hominum, teſtantur Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verè à mortuis reſurrexiſſe. Quare execremur impudentiſſimum Iudæorum mendacium, & expectemus de cœlo Saluatorem, quem nunc redemptorem veneramur Ieſum Chriſtum.

Ad 4. præcipuas Iudæorũ obiectiones reſponſio.

Iam ad illa quatuor, quæ dicunt non completa eſſe in Ieſu, quem nos Meſſiam agnoſcimus & colimus, veniamus: quæ quatuor fatemur de Meſſia prædicta eſſe à ſanctis Dei Prophetis, quos nephas eſt vllius mendacij arguere.

Prima obiectio.

Primùm ergo quod obiiciunt eſt de tempore aduentus Meſſiæ.

Verus Meſſias, inquiunt, veniet in nouiſſimis diebus,

Ieſus ille, quem vos pro Meſſia agnoſcitis, multum anteuertit nouiſſimos dies. Nam ante 1567. annos eſt natus.

Proinde Ieſus ille veſter, non eſt Meſſias.

Maiorem probant dicto Eſaiæ Prophetæ qui ita de tempore Meſſiæ capite 2.1. ait. Et erit in nouiſſimis diebus, præparatus erit mons Domus Iehouæ.

Reſpõſio.

Vide hîc quam turpiter cæci Iudæi impingunt contra regulam quam ipſi ponunt veriſſimam, hanc videlicet, Qui non aduertit quod ſuprà & infrà in libris ſcribitur, is peruertit verba Dei viuentis. Si hîc contuliſſent Prophetiam Eſaiæ cum Danielis prædictione, in qua veluti digito clariſſimis verbis indicatur tempus aduentus Meſſiæ, longè aliter nouiſſimos dies definiuiſſent.

Diei triplex ſignificatio.

Dies tripliciter accipi ſolet. Primùm quidem pro tempore quo ſol eſt ſuper horizontem noſtrum, quem aſtronomi diem artificialem vocant. Secundò, capitur dies pro ſpacio 24. horarũ ab ortu ſolis ad ortum, quem naturalem diem appellant. Tertiò, pro aliquo ordinato, & decreto tempore rei alicui certæ deſtinato, vt ſæpiſſime apud Prophetas.

Dies nouiſſimi quid.

Cùm igitur dicit Propheta in nouiſſimis diebus, notat extrema tempora, id eſt, ætatem mundi poſtremam, non tam certa quadam & deſcripta annorum ſupputatione, quàm ſeparatione rerum in tempore geſtarum à ſuperioribus ætatibus diſtinctam. Sic Elias in tria tempora ſeu tres ætates mundum diſtinguit cum ait. Sex millia annorum mundus, & iterum deſtruetur, duo millia inanitatis: duo millia legis: duo millia dierum Meſſiæ, proinde poſtremum tempus mundi Eliæ eſt duorum annorum millium ſpacium. Vide Chronica Philippi. Deinde nouiſſimi dies non rarò apud Prophetas ſignificant extremum tempus regni Iudaici & gentis in Palæſtina. Senſus itaque Prophetæ hîc eſt, Erit in nouiſſimis diebus, non mundani temporis, quibus enim gratia profuiſſet tam diu dilata? certè pauciſſimis. ſed in vltimis diebus Prophetiæ, regni, & Sacerdotij, quæ tria ceſſauerunt peracto ſacrificio Chriſti. Vanum proinde eſt commentum Iudæorum, & contra conſcientiam eorum excogitatum de tempore Meſſiæ. Sed hoc tantummodo fingunt ad illudendum eos qui non norunt morem ſcripturæ in diſtinguendis temporibus.

Secunda obiectio.

II. Secundum quod obiiciunt ſumitur à forma regni Meſſiæ promiſſi, quam non conuenire Chriſto noſtro impudenter contendunt. Sub Meſſia, aiunt, nulla erunt bella, nec inter homines, nec inter beſtias terræ, ſed vbique pax ſumma, montibus terræ paſſim depreſſis, & eleuatis vallibus vt omnia ſint æqua & plana. Sed hoc non videmus factum adhuc, nondum igitur venit Meſſias. In confirmatione maioris adducunt multa Prophetarum dicta, qualia ſunt hæc: Eſaiæ 2. 4. conflabunt, ſcilicet ſub Meſſia, gladios ſuos in ligones, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, & amplius belligerare non nitentur. Idem, capite 11.6.&c. Ambulabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, & vitulus & catulus leonis, iumentum & bubalus ſimul, & puer paruulus ducet eos, & vacca & vrſa paſcentur, ſimul accubabunt proles eorum, & leo ſicut bos comedet paleam, & delectabitur lactens ſuper foramen aſpidis, & ſuper cauernam reguli ablactatus manum ſuam extendet, non nocebunt, & non periment in vniuerſo monte ſancto eius, quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aqua maris inundantis. In eandem ſententiam Micheas 4. cap. Addit etiam Eſaias, humiliabuntur montes, & valles extollentur. Ex his & huiuſmodi aliis multis vaticiniis de forma regni Meſſiæ concludunt Iudæi cæci & ſtulti quod Ieſus Mariæ Virginis filius non ſit verus ille Meſſias à Prophetis promiſſus.

Reſpõſio.

Sed his primùm opponamus immotum fundamentum, ex quo concludemus quòd ea quæ corporaliter tribuuntur Meſſiæ debeant ſpiritualiter accipi per comparationem rerum terrenarum & ſpiritualium. Fundamentum autem hoc eſt, regnum Meſſiæ non eſt terrenum, ſed cœleſte & ſpirituale: quod ex prima promiſſione facta de Meſſia venturo intelligi poteſt. Nam Meſſias

ſias promittitur adfuturus qui deſtruat regnum Diaboli. Ita enim habet prima promiſſio, Geneſ. 3.15. Semen mulieris conteret caput Serpentis: id eſt Meſſias deſtruet opera Diaboli, videlicet peccatum & mortem, & reſtituet homini imaginem Dei, quam peccando amiſerat. Hoc eſt, vt Daniel interpretatur, capite 9.24. adducet ſempiternam iuſtitiam & benedictionem iis qui ſe Regem agnouerint. Atque ideo ſcriptum eſt in ſemine tuo benedicentur omnes cognationes terræ, Geneſ. 12.18.22. Ex hoc fundamento firmiſſimè concluditur quòd quicquid à ſanctis Dei Prophetis prædictum ſit de regno Meſſiæ ad ſimilitudinem mundani regni, debeat accommodari per comparationem iuxta modum ſpiritualis regni, ad ſignificandam æqualitatem, concordiam, & admirabilem ſub Chriſto pacem, pacem inquam regno Chriſti congruentem, hoc eſt ſpiritualem, eámque in iis & inter eos qui Chriſtum vera fide in ſe recipiunt. Hæc pax ſpiritualis ſignificatur concordia beſtiarum de qua Prophetæ loquuntur. Nam iudicare Meſſiæ eſſe mutare naturas rerum, vt Leo deponat ferociam, aſpis & regulus venenum, nimis inſulſum eſt. Significant ergo Prophetæ ſub his figuris homines qui leonina ſunt ferocia, audacia, crudelitate, ſi iugum Chriſti lene & molle ſuper ceruices ſuas recipiant, hoc eſt Chriſti doctrinam admittant, & fide in illum recumbant, exuant naturam & mores leoninos, habitent quietè & concorditer cum ouibus, hoc eſt cum manſuetis & ſimplicibus, inductáque per fidem Chriſti charitate mutua, montes, hoc eſt, proceres populi, depoſita ſuperbia, infimis patiantur ſe adæquari. Quod autem non ſit futura mundana pax ſub Meſſia qualem Iudæi ſomniant, teſtatur Pſalmus 110. 2. de Meſſia ſcriptus vbi inter cætera dicitur, Dominare in medio inimicorum tuorum, id quod videmus in Chriſto impleri, qui inter ſæuiſſimos hoſtes ſuos habet Eccleſiam quam tuetur & defendit aduerſus omnium hominum & diabolorum furores. Firmum enim ſtat hoc vaticinium, Semen Serpentis inſidiabitur calcaneo eius, id eſt: Meſſiæ & Eccleſiæ, Gen. 3.15.

Tertia obiectio. Tertium quod obiiciunt Iudæi eſt locus ſceptri, hoc eſt regni, ſeu aulæ regiæ Meſſiæ.

Meſſias, inquiunt, habebit regium ſuum palatium in monte Zion.

Sed Ieſus quem vos Meſſiam agnoſcitis, ne tantillum quidem ibi poſſidet.

Igitur Ieſus ille non eſt promiſſus Meſſias.

Maiorem probant dicto Pſalmi ſecundi. Ego conſtitui regem meum ſuper Zion montem ſanctum meum. Et Micheæ capite 4. 1. Erit mons ſcilicet Zion domus Iehouæ, confluéntque ad eum populi. *Reſponſio.* Hîc rurſus miſeri Iudæi corporaliter intelligunt, quod ratio regni Meſſiæ conuincit intelligendum eſſe ſpiritualiter. Mons Zion Eccleſiam Chriſti ſignificat myſticè: quę ideo mons Zion dicitur, quia ibi regnum Meſſiæ ſumit initium, iuxta dictum Eſaiæ, cap. 2.3. Quia de Zion lex, & verbum Iehouæ de Ieruſalem. Eſt enim phraſis ſcripturæ totum denominare ab origine, vt totus populus Iudaicus dicitur Iſraël propter originem, eo modo Zion dicitur regia Meſſiæ, quia ibi auſpicatus eſt ſuum regnum Meſſias. Deinde vt Ieruſalem eſt duplex, terrena & ſpiritualis: ita & Zion terrenus, quo adumbratur cœleſtis, quia eſt regia Meſſiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quod autem corporaliter intelligi non poſſit vaticinium Dauidis ſeu Micheæ de monte Zion, & ciuitate Ieruſalem terrena, manifeſtè oſtendit prædictio Danielis capite 9. 26. qui ait: Ciuitatem verò & ſanctuarium deſtruet populus ducis venturi, id eſt exercitus Veſpaſiani imperatoris, & finis erit inundatio, & poſt finem belli definita ſeu decreta vaſtitas. Cùm huic prædictioni de perpetua vaſtitate vrbis Ieruſalem reſpondeat euentus, ſatis manifeſta eſt vanitas Iudæorum, qui regiam Meſſiæ in terreno monte Zion collocant.

Quartum, quod veſani Iudæi obiiciunt, eſt de populo Meſſiæ, quem dicunt iſti nullum alium eſſe poſſe, quàm Iſraelem carnalem. Hunc ſolum putant eſſe peculium Meſsiæ. Huic ſoli contendunt factas eſſe promiſſiones. Sed miſerè & fallunt & falluntur. Erat, fateor, populus Iſraëliticus etiam carnalis præ aliis nationibus electus, & peculiaris populus Dei dictus. Sed curnam quęſo? Num ob merita & dignitatem ipſius? nequaquàm. Sed vt eſſet certus populus cuſtos doctrinæ cœleſtis, in quo & ex quo naſceretur Meſſias, propter hanc dignitatem Dei dictum eſt à Dauide, Pſalmo 147.20. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis. Quid? an Deus mutato conſilio, reiectis Iudæis, aſſumpſit gentes idololatras? Conſilium Dei ſtat immobile, eſt enim conſtantiſsimus in ſuis promiſsis: ſed habet annexam conditionem fidei & obedientiæ. Propter incredulitatem igitur abiecti ſunt Iudæi. Dei enim verbum ſpreuerunt, & contumaciter Meſſiam ſibi miſſum reiecerunt: quod ſanè vaticinia Prophetarum non ſiluerunt. Quid eſt quod Eſaias ait, capite 10. 22. Si fuerit populus tuus Iſraël quaſi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo. Quid hoc vaticinio apertius? An non euentus prædictioni manifeſtè reſpondet? ſed quî fit quòd non conuertantur? Cuius hoc fit culpa? audiamus eundem Prophetam dicentem, capite 65. 2. Tota die expandi manus meas ad populum contumacem & contra dicentem. Sed vnde illa contumacia? non aliunde quàm quòd impegerint offenſi perſona Meſsiæ, quod idem Propheta videbat futurum. Sic enim ait, capite 28.16. Ecce pono in Zion lapidem offenſionis, & petram ſcandali, & omnis qui credit in eum non pudefiet. Reſpondeo igitur ad obiectionem. Iſraël eſt populus Meſsiæ, quod veriſsimum eſt de vero Iſraële, qui eſt non carnis, ſed promiſſionis. Promiſſionis autem Iſrael eſt omnis qui credit: quod ſcriptura variis typis indicat. Iſmael & Iſaac nati ſunt ex eodem patre Abrahamo. Eſau & Iacob ex eodem patre Iſaac. Sed vt Iſaac & Iacob propter promiſsionem reputantur pro ſemine, nulla habita prærogatiuæ carnis ratione: ita omnis qui credit promiſsioni reputatur pro ſemine, ſicut Paulus Roman. 9. 10. 11. capitibus prolixè & clarè diſputat. Nam in iſtis tribus capitibus idem argumentum tractat Apoſtolus, quod nos hîc attingimus. Quare remitto auditores ad Paulum, qui validis argumentis refutat erroneam definitionem Iſraëlis, & confirmat veram, quæ olim adumbrata erat in Veteri Teſtamento. Vnde concludit Apoſtolus nullum eſſe diſcrimen, nullam diſtinctionem Iudæi & Græci. Idem enim Dominus eſt diues in omnes qui inuocant ipſum. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini ſaluus erit. Nullo igitur habito nationum aut perſonarum reſpectu, Deus ſine perſonarum acceptione liberalis eſt in omnes. Eſt ſiquidem non ſolùm Deus Iudæorum, ſed etiam gentium, qui vt omnes contumaces reiicit, ita omnes confugientes ad ſe recipit mera miſericordia, iuxta re-

Quarta obiectio.

Reſpōſio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

gulam immotam ſui æterni decreti. Quòd autem gentes aſſumendæ erant in locum contumacium Iudæorum Oſeas prædixit, capite 1. 10. Vocabo plebem meam non plebem meam, & non dilectam dilectam, & erit pro eo quod dicebatur eis, non populus meus vos, dicetur eis Filij Dei viuentis. Quòd autem Iudæi obiiciunt de crucis ignominia, qua offenduntur, ſatis refutatum eſt ſupra teſtimoniis Prophetarum, vbi de paſsione Domini, glorioſa victoria, reſurrectione, & aſcenſione in cœlum actum eſt.

De autoritate SS. Euangeliſtarũ, adu. Iudæorũ increduli tatem.

Quòd detrahant increduli Iudæi Euangeliſtis fidem, dicántque eos pugnantia ſcribere, ex eodem, quo reliqua illorum nugamenta, impietatis cæno fluit. Nunquàm enim diſcrepant Euangeliſtæ in fundamento aut ſumma rerum, ſed tantum in circumſtantiis apparet diſcrepantia. Verum vt dilucidius ad obiectionem Iudæorum reſpondeam, verba Ludouici viuis ex ſecundo libro de veritate fidei adſcribam. At, inquit, quatuor illi (ſcilicet Euangeliſtæ) nonnunquam inter ſe diſſentiunt? Huic quæſtioni reſpondet Iohannes Chryſoſtomus: *Paruæ interdum in Euangeliis diſſidentiæ argumentum præbent veritatis, ne ex compoſito videantur ſcripſiſſe, ſi per omnia conſentirent. Fuit Iohannes Apoſtolus Epheſi eodem tempore, quò etiam Paulus: alter tamen nullam in ſuis Epiſtolis de altero mentionem facit, nec multum conueniebant & colloquebantur, poſtquàm ſatis erant ab ſpiritu Dei edocti, inſtructi & quaſi armati, ne de communicata ſententia ex conſilio videretur annunciare Chriſtum: ſed ex ipſius Chriſti doctrina & monitis cœleſtibus.* Ergo in fundamentis & ſumma nihil diſcrepant, nempe Chriſtum eſſe Dei filium, natum de Maria Virgine, edidiſſe miracula ingentia, docuiſſe contemptum rerum mundi huius fiduciam & charitatem erga Deum & homines, vocaſſe cunctos mortales ad ſempiternam fœlicitatem, paſſum, mortuum, ſurrexiſſe, aſcendiſſe ad cœlos, ſedere ad dexteram patris ſui, venturum Iudicem hominum vniuerſorum. Hæc, vna voce, vna ſententia conſtanter referunt, & docent. Diſcrepant quandoque in circumſtantiis, quas græci περιστάσεις nominant, quæ rei ſummam non variant. Hic aſtrictius rem narrat, ille fuſius: hic perhibet ſanatos duos, alter tres: vnus in egreſſu portæ, alius in ingreſſu. Quòd illa de cauſa ſæpe euenit, quòd eſt tanta miraculorum Chriſti multitudo, vt quæ ſunt diuerſa, nos tamen propter aliquam inter ſe ſimilitudinem eadem eſſe exiſtimemus, eundem in modum vſu venit in dictis & ſententiis doctrinæ. Eadem dixit Dominus variis locis, variis verbis. Hic refert quæ dixit hoc modo, ille quæ illo in loco paulò diuerſè, colligunt, videlicet centones concionum, & verborum Chriſti quæ ad inſtitutionem & ſalutem noſtram facerent.

Crimina ab impiis Iudæis in Chriſtum coniecta.

Sequuntur crimina quæ Chriſto noſtro ſanctiſſimo & innocentiſſimo, impudentiſſimè & nefariè obiiciunt Iudæi afflati à diabolo omnis mendacij patre, ſunt autem hæc crimina quæ Chriſto noſtro obiiciunt.

Primum (vt aiunt,) quod fecerit ſe Dei filium patri æqualem.

Secundum, quòd ad venerationem alterius Dei homines adhortatus fuerit.

Tertium, quod legem Moſi datam abrogarit.

Quartum, quòd contradixerit patrum traditionibus.

Quintum, quòd violauerit Sabbatum.

Sextum, quòd dixerit ſe poſſe templum Dei ſoluere, & triduo illud reædificare.

Septimum, quòd dæmonia eiecerit in principe dæmoniorum.

Ecce quantum faciat inuidia, quantum mens peruerſa, vbi homines in profundum maliciæ demerſi ſunt, quis pius non videt iſtos miſeros pulueres, qui Deo bellum inferre moliuntur, digniores eſſe commiſeratione quàm refutatione? Reſpondeamus tamen breuiſſimè ad ſingula.

Ad primũ crimen obiectum reſpõſio.

Quantum ad primum attinet, fateamur quòd ſe filium Dei profeſſus ſit, & ſe æqualem patri teſtatus ſit. Sed quiſnam compos mentis crimen eſſe dixerit veritatem fateri? nam ſi hoc crimen eſt, mendacium certè res erit laudabilis: quòd certè conceſſerit nemo, qui legem naturæ in aliquo loco habeat. An non Prophetæ paſſim in ſcripturis tribuunt Meſſiæ nomen diuinum Iehouæ? An non Eſaias ait capite 60.1.2. Super te orietur Iehoua, & gloria eius ſuper te apparebit? Huc pertinet etiam Ieremiæ dictum, capite 23.6. Hoc eſt nòmen quo vocabunt eum, Iehoua iuſtitia noſtra. Dominus ipſe ex Pſalmo 110.1. oſtendit Meſſiam non ſolum hominem debere eſſe, ſed etiam Deum cùm inquit. Dixit Dominus Domino meo, ſede à dexteris meis. Verùm error Iudæorum indè manauit, quòd non intelligerent officium Meſſiæ eſſe placare iram Dei, ſuſtinere pœnam peccatorum totius generis humani, eſſe vbique præſentem, intueri corda, exaudire gemitus inuocantium: quæ ſanè opera non ſunt vllius puræ creaturæ aut finitæ naturæ. Sed de hac re alibi copioſius diximus.

Ad Secundum.

Secundum de veneratione alterius Dei vt recens eſt inuentum Iudæorum, ita falſiſſimum eſt. Nam ad hunc vnum & verum Deum, qui dederat populo legem, & ceremonias, & eduxerat populum de terra Ægypti, ſolum inuocandum & colendum inuitauit & verbo & exemplo. Sed hoc offendit Iudæos quòd hunc verum Deum Patrem ſuum vocauerit, quod ſi negaſſet ipſis ſimilis fuiſſet, hoc eſt mendax.

Ad Tertium.

Tertium quòd obiiciunt iſti eſt abrogatio legis Moſaicæ, in quo manifeſtè mentiuntur. Nam ille ſolus & legem impleuit, & corruptelas Phariſæorum correxit, & ſemper vſque ad mortem crucis fuit legi ſubiectus.

Ad quartum.

Quartum quod dicunt illum contradixiſſe patrum traditionibus veriſſimum eſt. Sed quale quæſo crimen eſt impietatem reprehendere? ſuperſtitionem damnare? ac contradicere iis quæ manifeſtè pugnant cum verbo Dei? Quale crimen eſt peruerſam Phariſæorum opinionem damnare qua anteponunt humanas traditiones mandatis Dei? præſertim cum Dominus ipſe dicat. Ambulate in præceptis meis, & non in præceptis patrum veſtrorum. An non Dominus apud Prophetam ait, Iſai. 29. 13. Fruſtra me colunt docentes mandata hominum? Verum hæc vna cauſa fuit & præcipua quod Ieſum Meſſiam cruci affixerint, metuentes ne, abolitis traditionibus, ipſi venirent in contemptum apud populum, & non parum decederet de autoritate, atque ita paulatim facultates minuerentur.

Ad quintum.

Quintum crimen eſt quòd dicunt Dominum noſtrum Sabbatum violaſſe, quod etiam falſiſſimum eſt. Nam vt vera quies ſabbati eſt ociari à peccatis & acquiſcere in Deo: ita vera opera ſunt quæ faciunt ad abolendum peccatum & ad illuſtrandam gloriam Dei. Qualia fuerunt opera ſanationis, quę in ſabbatis peregit. Neque enim poteſt fieri excellentius opus, quàm hominis ſummæ neceſſi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

neceſſitati opẽ ferre. Si ſanare hominẽ in ſabbato nõ licet, igitur interficere licebit? Aſinum in puteum lapſum die ſabbati extrahere licet, & non licebit ſabbato hominem verbo & diuina virtute ſanare? Sed calumniandi petulantia in iſto populo nullum nec finem nec modum habet.

Ad ſextũ.

Sextum crimen quod obiiciunt, eſt quòd dixerit: ego poſſum deſtruere Templum hoc, & triduo reædificare illud. Occaſio huius dicti fuit. Iudæi petierant ſignum aliquod à Chriſto fiduciæ & poteſtatis ipſius, ipſe verò more cùm Prophetarum omnium, tum ſuo, demonſtrat illis ſignum non friuolum, non temporarium, aut humile, quale illi petebant, ſed magnum, admirandum, ſempiternum de reſurrectione ſui corporis, futura triduo poſt eius mortem: quod quidem corpus verius & appoſitius erat Templum Dei, quàm ſaxeum illud Ieroſolymitanum. Nam in eo corpore proprius & præſentius numen habitat.

Ad ſeptimum.

Septimum crimen quod obiiciunt Domino noſtro eſt, quòd dicant ipſum eieciſſe dæmonia in nomine Beelzebub principis dæmoniorum, quòd crimen ipſe Dominus validis argumentis à ſe depulit. Mat. 12. & Luc. 11.

Locus de miraculis Diuinis.

Cæterum priuſquam indicabo quomodo perfidi Iudæi miracula Chriſti ſugillant, volo breuiſſimè indicare quid ſibi velint miracula diuina. Deinde paucis aſcribere notas quibus diuina miracula Chriſti, & ſanctorum diſtinguuntur à fictis miraculis, magorum & dæmonum. Nam dęmon vt qui Deum odit & nos à Deo vellet auertere, omnia quæcunque poteſt per ſe & miniſtros ſuos magos diuina æmulatur, & tantò accuratius miracula: quòd videt eam rem maximè ad potentiam diuinama accedere quæ eſt ſupra naturam. Itaque vt eſt viribus ſuis naturalibus potentior quàm homo, tum virium & & facultatis naturæ rerum conſultior, facilè ſenſus noſtros illudit ad nos fallendos & abducendos à vero.

Quid ſint.

Miracula diuina ſunt que Deum authorẽ habent, quæ ideo miracula dicuntur, quia in admirationem adducunt homines. Primũ enim adducunt homines in admirationem diuinæ potentiæ per quam eduntur miracula. Secundò, ex diuina potentia colligunt homines perſonam edentem miracula & à Deo eſſe miſſam, & adferre diuinam doctrinam: cui confirmandæ adhibentur miracula, tanquàm euidentiſſimæ demonſtrationes. Tertiò, ex hac conſideratione concipitur fides doctrinæ in mente etiamſi captum rationis excedit doctinæ ſublimitas. Quartò, ex fide doctrinæ naſcitur in corde fiducia promiſſionis bonorum, quæ doctrina offert. Quintò, qui credunt doctrinæ & fiduciam promiſſionis habent, Deum diligunt & glorificant. Atque ita miraculis quaſi manu ducuntur ad finem conditionis ſuæ, quæ eſt ſocietatem habere cum Deo, & in eo perpetuam beatitudinem obtinere in omni æternitate. Sextò, quia omne ſignum ſignati alicuius ſignum eſt, quærit fides analogiam, & comparationem ſigni & ſignati, & ex terrenis cœleſtia, & ex viſibilibus ſpiritualia per comparationem eorum inter ſeſe colligit. Nam omnia miracula diuina, Chriſti præſertim, habent ſpirituales ſignificationes: quæ vt aptè accommodentur, ad clariores ſcripturæ ſententias, & illuſtria exempla reuocabuntur, vt ſpiritualis interpretatio ſit analoga fidei, conſentiat cum axiomatis primis noſtræ religionis, atque adeo habeat illuſtria exempla quibus res tanquam pingitur.

Definitio & explicatio.

Miracula diuina doctrinæ addita ſunt.

Ratio autem cur Chriſtus & ſancti ſuam doctrinam miraculis hominibus voluerint obſignare hæc eſt. Congruebat admodum fidem quæ eſt de rebus quæ excedunt intelligentiam humanam, confirmari per ea quæ ſunt ſupra naturam, & contra vſitatum naturę curſum, vt cùm viderent homines oculis externis ea fieri quæ ſuperarent potentiam naturæ, excitarentur ad videndum oculis internis & mentis, hoc eſt ad credendum ea quę ſunt ſupra rationem. Vt ergo quæ rationi ſubiecta ſunt demonſtrationibus indigent, vt fides illis indubitata habeatur: ita diuina & cœleſtia miraculis tanquam demonſtrationibus quibuſdam diuinis fidem merentur.

Cur hodiè non fiant eadem miracula.

Cur autem hodiè non fiant miracula incurrentia in oculos hominum Auguſtinus indicat cùm ait. *Nec miracula iſta in noſtra tempora durare permiſſa ſunt, ne animus ſemper viſibilia quæreret & eorum conſuetudine frigeſceret genus humanum, quorum nouitate flagrauit. Nec iam nobis dubium eſſe debet iis eſſe credendum qui cùm ea prædicarent, quæ pauci aſſequuntur, ſe tamen ſequendos populis perſuadere potuerunt.*

Notæ quibus diuina miracula à ſatanicis diſtinguuntur.

Hactenus de diuinis miraculis generatim diximus, iam ad notas veniamus, quibus diuina miracula à diabolicis, & vera à fictis diſtinguuntur. Sunt autem ſex præcipuę notæ, videlicet veritas eſſentiæ, vis, modus actionis, cauſa efficiens, cauſa mouens ante rem, & finis. Ad has notas tanquam ad lapides lydios examinanda ſunt miracula, tum Chriſti & ſanctorum, nempe diuina, tum ficta & diabolica, qualia ſunt magorum & incantatorum.

1. Veritas eſſentiæ.

Primùm igitur. Spectanda eſt veritas eſſentiæ. Omnia Chriſti miracula habent veritatem eſſentię, hoc eſt reuera talia ſunt qualia videntur. Lazarus quatriduum iacuit in ſepulchro, & iam fœtebat, quare abſque omni dubio mortuus erat, quòd igitur Chriſtus hunc excitat à mortuis verum miraculum fuit. Nam excitatus verè vixit, comedit & bibit & multi ex Iudæis qui illum norant ſtupebant, ſuper miraculo. Nec defuerunt qui inſidias ſtruxerunt vitæ Lazari, vt ita vel obſcurarent, vel negarent factum. Verum igitur miraculum fuit. Sed miracula diabolorum & magorum fiũt vel per pręſtigias & illuſionem oculorum, qualia fuerunt quæ olim in Epidauro acciderunt & alibi, vel per occultam & naturalem magiam. Diabolus enim qui naturas rerum, & virtutes exactiſſimè nouit, poteſt occultè applicare, vel herbas, vel lapides, quorum effectus ab ignaris pro miraculo habetur, etſi ſit naturæ operatio.

2. Vis ipſa qua fiũt.

Secunda nota, qua vera à fictis, miraculis diſcernuntur, eſt Vis ipſa qua fiunt: quę ſi potentiam naturę ſuperat, verè diuina eſt, & miracula ita facta Dominum naturę autorem habent. Hęc vis diuina multis modis ſe contemplandam in miraculis Sanctorum, & Chriſti exhibet. Primùm in ipſa actione vt ſolem ſiſti, vel retro agi ab occidente in oriẽs. Hominem ſuper tumentes vndas deambulare, veluti ſuper ſolidam terram id quod à Chriſto Domino factum eſſe legimus. Secundò, in ſubiecto actionis, vt cęco reddi lumen, mortuo vitam. Lumen enim & vitam natura poteſt tribuere, ſed non cęco & mortuo quod à Chriſto factum eſt. Tertiò, in ordine quoque ac ratione qua fiunt, vt ſubito ſterni ventum, & mare turbatum, repentè ſanari ęgrum. Legimus autem Chriſtum imperaſſe ventis, mari, tempeſtati, quę mox paruerunt illi, & ſępe vel nutu, & ſubito ſanaſſe leproſos & alios. Quartò, in agente vt inſpicere hominum cogitata, quod eſt ſolius diuinę potentię. Quoties quęſo legimus Chriſtum vidiſſe cogitationes, nunc diſcipulorum, nunc

In ipſa actione.

In actionis à ſubiecto.

In ordine ac ratione qua fiunt.

In agẽte.

In inſtrumento.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

aduerſariorũ? Quinto inſtrumento, vt luto ſanare cæcitatem, cùm ſecundum naturam luti eſt potius cæcitatem efficere, ſed lutum adhibuit Dominus in ſanãdo cæco, vt ipſa ſanatio appareret profecta eſſe non à natura, ſed à naturæ Domino. Atque ita omnis generis prodigia à Chriſto facta ſunt, vt ſi cui vnum illorum, vt ſunt hominum mentes diuerſiſſimæ, vel ſuſpectum eſſet, vel non plenè ſatisfaceret, addita ſunt tam multa & varia, vt iam omnis dubitandi materia & occaſio ſit ſublata: adeò vt nemo dubitare poſſit diuina potentia eſſe edita miracula Chriſti. Sed nec diabolus, nec vlla alia potentia finita talia miracula poteſt edere. Etſi autem multa videntur miracula, reuera tamen miracula non ſunt. Propterea quòd vi naturæ fiant. Herba videlicet aut alia quapiam re adhibita, quam diabolus poteſt occultè adhibere. Proinde multa fiunt quæ ſunt peritis naturæ cognita, & ab imperitis pro miraculis habentur: qualia ſunt quæ per eam magiam fiunt quæ naturalis dicitur, ſicuti ſuprà quoque monuimus.

Qua vi miracula diabolica fiant.

3. Modus actionis.

Sequitur tertia nota, modus videlicet actionis, aliâs Chriſtus ſolo iuſſu facit miracula, vt ſe oſtenderet regem naturæ, aliâs inuocatione vt indicaret à quo haberet omnia, & vt calumniæ eorum occurreret qui in Beelzebub principe dæmoniorum dæmonia illum aiebant expellere. Aliâs re aliqua adhibita, vt luto vel ſputo, vt oſtenderet quemadmodum Deus operetur nunc per media, nunc ſine mediis, nunc repugnantibus mediis, aliâs attactu veſtis, aliâs manu impoſita, aliâs abſens ſolo nutu. Verùm præſtigiæ diabolorum quæ habent ſpeciem miraculorum fiunt ineptiſſimis modis, & planè ridiculis, vt facilè agnoſcatur autor. Nam dæmon, ne quis ea naturæ potentia fieri ſuſpicetur, iubet adhiberi verba à re alieniſſima, vt ſi equus ſanandus ſit dicatur, Mare eſt ſalſum, & in hyeme congelatum, aut aliquid abſurdius. Interdum lupus ille induit pellem agninam. Vult addi verba ex ſacris literis. Vult verſum aliquem Pſalterij recitari, vult appendi collo ſententiam quampiam ex ſancto Chriſti Euangelio, aut recitari miſſam vel miſſas, interdum vult poni ſub ſacro linteo fabas aut alias res, ſed quis poteſt omnes iſtas nugas commemorare quæ mancipiis Satanæ notiora ſunt quàm piis?

4. Cauſa efficiens.

Quarta nota, eſt cauſa efficiens, Chriſtus nunquam occaſionem edendi miracula captauit, ſed ſemper vſus eſt oblata. Non ad vſum artis ſuæ cępit tempus aut locum, ſed dubito ſemper & pro re oblata. Verùm diaboli & præſtigiatores ad ſuas fraudes quærunt tempus, & locum opportunum, & ſuas habent certas præparationes. Deinde Chriſtus vera ſanctitate pollens edidit miracula, & per ſe & per ſuos diſcipulos innocentes & Deum verè colentes: verùm diabolus ſua ficta miracula edit per flagitioſos, per conſceleratos, maleficos, impuros homines, per magos, per lamias, per homines perditos, quos nemo dubitare poteſt impoſturam facere.

5. Cauſa mouens ante rem.

Quinta nota eſt cauſa mouens ante rem. Filius Dei, & ſancti Dei homines vtilitatem ſuam, aut commoda nunquam ſpectauerunt, ſed aliorum, vt appareret non illos gloriæ ſuæ ſeruire in miraculis, ſed adduci ad hoc approbatione fiduciæ eorum qui peterent, vt homines ſibi & Deo fidem habere aſſuefacerent. Sed magi miniſtri Satanæ, vel quæſtum quærunt, vel ludicrum aliquod, aut riſum, aut leuem admirationem ad delectãdum, aut etiam terrendum.

6. Finis.

Sexta nota finis eſt. Chriſtus nullum vnquam miraculum egit corporale, quod non magnas ſignificationes haberet ſpirituales: de quibus Theologorum libri ſunt referti. Sed præſtigiæ diabolorum oſtentationis vanæ finibus clauduntur.

Hæc breuiter monuiſſe de notis verorum, & fictorum miraculorum ſatis ſit, vt conſtet quanta ſit Iudæorum vanitas, qui non verentur ſuis calumniis fidem miraculis Chriſti detrahere contrą propriam conſcientiam.

Excęcatio Iudæorũ à Prophetis lõgè antea prędicta.

Quòd autem Iudæi expectantes olim Meſſiam impingerent in ipſius perſonam & offenderentur adeo vt illum non agnoſcerent præſentem, etiam à Prophetis longè antea prędictum fuit, vt cùm videamus euentum reſpondere vaticiniis, muniamus animos noſtros aduerſus calumnias Iudæorum hominum perditiſſimorum, & extremè execremur illorum deteſtãdam contumaciam, cùm Eſaias diceret, capite 10.22. Si fuerit numerus Filiorum Iſrael vt arena maris, reliquiæ ſaluæ erunt. Nonne ſatis apertè indicauit fore, vt deficerent Iudęi à Meſſia, ſeu potius vt Meſſiam non agnoſcerent, in quo ſolo eſt ſalus.

Cùm idem capite 5.1.&c. ait, Vinea facta eſt dilecto meo in cornu filio olei, & ſepiuit eam & lapides elegit ex illa & plantauit vineam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea & expectauit vt faceret vuas & fecit labruſcas. Nunc ergo habitatores Ieruſalem & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam. An non hæc Prophetę verba, manifeſtè & bonitatem Dei erga Iudęos, & cõtumaciam Iudęorum aduerſus Deum, ob quam erant abiiciendi indicant? Ex vtroque concluditur illorum electionem & ſalutem conditionatam fuiſſe: vt quæ non penderet ex prętogatiua carnis, ſed ex conditione fidei. Cùm idem capite 8.13. ait, Dominum exercituum ipſum ſanctificate, & ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter, & erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël in laqueum & ruinam habitantibus Ieruſalem, & offendunt ex iis plurimi, & cadent & conterentur, & irretientur & capientur. Nonne & huic prędictioni clariſſimè euentus? Et cùm idem mox ſubiungit, verſiculo 16. Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis, nonne ſatis perſpicuè de diſcipulis Domini loquitur, quos infrà fore Iſraëli in portentum prędicit, reſpõdet? Et rurſus cùm ait, 20. v. Ad legem magis & teſtimonium, quòd ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Nonne hîc conditionem ſalutis adipiſcendæ proponit Propheta quam contempturos pleroſque Iudęorum, omnes Prophetę Dei atteſtantur? Sed quarè hoc factum eſt? Profecto non ex conſilio Dei mittentis Meſſiam, & per illum inuitantis omnes ad ſalutem: ſed ex malitia eorum qui offenſi in perſona Meſſię, ipſum recipere recuſarunt, propterea quod non fuerit illis ſimilis, hoc eſt auarus, ambitioſus, voluptuarius: (Semper enim inimica virtutibus vicia ſunt, & optimi quique ab improbis tanquam ex probantibus aſpiciuntur) quod non ſplenduerit byſſo, ſerico, auro, argento, gemmis: quod non comitati fuerint illum ſatellites & purpurati: quod non promiſerit delicias, & oblectamenta corporis: quod non armis vicinas nationes oppreſſerit: quod non creauerit ipſos duces & ſatrapas nationum mundi. Breuiter quod ſpiritualis regni ipſius ſpiritualem ſplendorem non agnouerint.

Cõcluſio diſputationis aduerſus Iudęos.

Hactenus ſatis oſtendimus vanitatem Iudęorum qui

qui voluptatibus mundi dediti, verum Meſſiam Ieſum Chriſtum Marię Virginis filium non agnoſcunt, atque ideo falſò ſe populum Dei nominant, & Eccleſiæ Dei titulum vendicant. Nos autem cùm tā habeamus circumpoſitam nubem teſtium, vt cùm Apoſtolo loquamur, Hebr. 12. 1. deponamus omne pondus & circumſtans nos peccatum, & per patientiam curramus propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei & conſummatorem Ieſum. Hunc expectemus de cœlo iudicaturum viuos & mortuos, qui transfigurabit noſtra contempta corpora, & ea reddet conformia ſuo glorioſo corpori, ídque ea potentia quæ poteſt ſibi omnia ſubiicere. Huic vnico Meſſiæ filio Dei, vnà cum patre & Spiritu Sancto ſit honor, virtus, & gloria in ſæcula ſæculorum & in omni æternitate. Amen.

CONTRA MAHOMETIſTAS.

Occaſio huius diſputationis.

TAmetſi furores Mahometici ſatis per ſe produnt autorem diabolum: tamen, quia indies magis magíſque creſcit illa colluuies, decreſcit pietas in multis, qui verè pij habere quàm eſſe malunt, & ſæpe inter Epicureos ineptè de religione diſputatur, placet admonere iuniores de ſecta Mahometica, vt cùm intelligant qualis ſit, eam execrentur magis, ac fugiant non ſecus atque diabolum ipſum.

Ordo & partes.

Vt autem diſtinctius hac de re dicamus, placet hæc ordine examinare. I. Qualis præceſſerit præmonitio Prophetarum de hac ſecta. II. Quæ fuerit eius occaſio. III. Quis autor. IIII. Qui ſocij huius impoſturæ. V. Quis modus propagandi & ſtabiliendi regni. VI. Quæ leges. VII. Quænam fabulæ admiſceantur Mahometicis impoſturis. VIII. Qualem Paradiſum promittat ſuis. IX. Quibus demonſtrationibus impietas Mahometi refellatur. X. Quibus conſolationibus muniendi ſint animi aduerſus furores diaboli adeò graſſantis in genere humano.

I. Qualis præceſ. præmonitio Propheta[rum] de hac ſecta.

Etſi autem plures Prophetæ de Mahometica impietate & tyrannide vaticinati ſunt: tamen hîc ſolam prædictionem Danielis ex capite 7. 7. recitabimus, quæ eſt valde illuſtris, & maximè congruit ad tempus quo cœpit iſta impietas & tyrannis. Poſt hęc ait Daniel, videbam in viſione nocturna, & ecce beſtia quarta terribilis & horrenda, & armata ingenti robore, habens dentes ferreos & magnos, comedens atque comminuens, & reliquias pedibus ſuis conculcans. Diſſimilis autem erat aliis beſtiis quas ante eam videram, & habebat cornua decem. Hactenus Daniel de quarta monarchia, hoc eſt, Romana, de eius crudelitate, & regnis decem illi ſubiectis. Sequitur vaticinium de regno Mahometico hiſce verbis. Conſiderabam cornua: & ecce cornu aliud paruulum ortum eſt de medio eorum & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius, & ecce oculi quaſi oculi hominis erant in cornu iſto, & os loquens grandia. Et infra. Beſtia quarta regnum quartum erit in terra, & conculcabit & comminuet eam. Porro cornua decem ipſius regni decem reges erunt, & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus & ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiſſimi conteret, & putabit quòd poſſit mutare tempora & leges. Hactenus Daniel: cuius prędictioni euentus manifeſtè reſpondet. Nam Anno Chriſti 623. imperante Heraclio, Mahometus ſeditionem mouit, & ſtatim coniunxerunt Saraceni ſeu Arabes has tres regiones, Ægyptum, Syriam, & Aphricam. Quæ ſunt illa tria cornua euulſa de decem illis cornibus quartæ beſtiæ. Et tribuit Daniel huic cornu paruulo id eſt Mahometico regno quatuor notas ex quibus agnoſci poteſt. Quarum Prima eſt lex noua pugnans cum lege Dei. Oculi enim ſignificant legem aſtutè cogitatam. Secunda nota eſt blaſphemia aduerſus excelſum, hoc eſt Chriſtum. Nam os loquens contra verum Deum, ſignificat blaſphemias contra filium Dei. Tertia nota eſt ſæuitia in Eccleſiam. Et ſanctos (inquit) altiſſimi conteret. Quarta nota eſt conatus delendi Euangelium, & Eccleſiam. Putabit (inquit) quod poſſit mutare tempora & leges.

Hanc Prophetiam voluit Dominus extare in confirmationem piorum aduerſus furores Mahometicos: vt cùm viderent euentū reſpondere prędictioni, non impingerent ob ſcandalum tantæ perſecutionis, & tantæ defectionis ab Eccleſia vera. Nos proinde pręmoniti hac prædictione Prophetica, confirmemus animos noſtros aduerſus impietatem & tyrannidem Mahometicam, cùm videamus adeò clarè prædictioni reſpondiſſe euentum. Extiterunt enim ordine iuxta Prophetiam quatuor monarchiæ: nunc dominatur gens inimica Deo, quæ palam delet ſcripta Prophetica & Apoſtolica.

Quæ fuit occaſio huius noui regni inchoandi? II. Occaſio.
Quis autor? qui ſocij? Mahometes prima ætate III. Autor.
ob paupertatem exercuit latrocinia, tum nactus opulentas nuptias, militauit ſub Heraclio inter populares ſuos Arabes. In ea militia occaſionem principatus & potentię inuenit. Nam cum Arabes irati IIII. Socij.
Heraclio ob negatum ſtipendium, & religionis diuerſitatem, diſſenſionem ab eo fecit. Hic ſe ordinibus iratorum militum admiſcuit, eorúmque animos aduerſus imperatorem exacuit & in defectione confirmauit. Tum creatus eſt à quadam parte militum dux militum Mahometes, quemadmodum ij ſolent in omni ſeditione extolli, qui praua multitudinis conſilia comprobant, potentéſque & principes inſectantur. Humilitatem generis, vitæ prioris ſordes & morbum (laborabat enim epilepſia ſeu caduco morbo) multi in nouo duce aſpernabantur. Ipſe autem vt ab iſto contemptu ſe vindicaret, quod eſt apud ſtolidam plebem facillimum atque efficaciſſimum, diuinitatem ſuis actibus prętendit, fingens ſe cum Deo habere colloquia, ac cum loqueretur cum Deo, rapi extra ſe, atque ita ſimilem epileptico videri. Quare non ſe amplius ducem & principem militari fauore electum, ſed Prophetam & nuncium Dei omnipotentis mentiebatur, vt obtentu diuinitatis omnes haberet dicto obedientes. Verùm quia erat ipſe illiteratus prorſus, adiunxit ſibi magiſtros & conſultores duos Chriſtianos, Sergium Arianum, & Iohannem Neſtorianum, tertius mox acceſſit Iudęus Thalmudiſta. Horum vnuſquiſque ſuam tuebatur ſectam. Vnde Mahometes ratus ſe non ſolùm ſociis gratificaturum, ſed etiam pellecturum facilius ad ſe omnes nationes, omnia complexus eſt: Hoc eſt, pertinaciam Arianam, errorem Neſtorianum & nugas Thalmudicas. Vnde circumciſionem à Iudęo: purgationes varias & quaſi baptiſmata à Chriſtianis: & cum Sergio diuinitatem Chriſti negauit. Iam autem alij erant idolorum cultores: Alij erant intincti tantum & imbuti leuiter Chriſtianiſmo, qui vt diſceſſerant à Romano imperatore, in

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

odium illius nihil fuit illi promptius quàm renunciare religioni, quam ille tueretur. Perinde atque decem tribus Iſraël cùm defeciſſent à domo Dauidis ad Roboam, paternam legem ſpreuerunt, & à cultu Dei vnius ad inuocationem dæmonum tranſierunt.

v. Propagatio & confirmatio tyrannidis.

Modus propagandi & ſtabiliendi regni hic fuit Mahometæ, quem didicerat à ſuis magiſtris. Dicebat Deum primò humano generi miſiſſe Moſen, deinde Chriſtum Ieſum, inſtructos facultate prodigiorum. Homines autem illis non ſe præbuiſſe obſequentes. Statuiſſe igitur Mahometem mittere ſine miraculis armatum, vt quos non mouiſſent miracula, cogerent arma, ſe eſſe poſtremum nuncium, nec futurum poſtea alium: prædictum à Chriſto in Euangelio, prænunciatum luce admirabili quæ ab Eua per ſucceſſionem generis in omnes mulieres tranſierit vſque ad matrem ſuam. Vide aſtutiam nebulonis Mahometæ, quia conſcius erat ſibi quòd nõ haberet donum illud cœleſte edendi miracula, quod erat in promptu, miſſum ſe eſſe fingit ferro munitum. Atqui armatus hic victus eſt aliquando, & luculentum vulnus in ore accepit, vnde molares aliquot dentes amiſit, & in foſſam eſt deiectus, & victus turpiter, & quidem cùm pridie victoriã ſibi & ſuis ex oraculo cœleſti promiſiſſet. Quinetiam cùm adhuc eſſet latro, cæſus ſæpe eſt à Drianitis: quorum camelos inuadebat Mecha redeuntes. Et ciuitas illa quæ nunc eum adorat, capitis aliquando eum damnauit, vt latronem pernicioſum, & præmium propoſuit, ſi quis in poteſtatem vel viuum, vel mortuum redigeret. Hic miles Dei (ſi Diis placet) latro primùm, mox ſeditioſus miles, & transfuga, tum dux exercitus defectoris, perſuadet leuibus hominibus hoſtibus verę religionis ſe nuncium Dei eſſe, ex quo videre eſt quanta ſit potentia diaboli in eis qui veritatem Dei non admittunt. Vnde eſt quòd adhuc hodie armis Mahometicis & Turcicis blaſphemias aduerſus Deum iuxta Danielis vaticinium defendat ille aduerſarius Dei.

vi. Leges.

Sequitur de legibus Mahometæ, quæ partim politicæ, partim cæremoniæ ſeu cultus ſunt, ſed ex eis pauciſſimas attingam ex quibus facilè erit iudicare de cæteris. Primum Arabibus ſuis, id eſt, hominibus egenis, & rapto viuere aſſuetis, rapinas permittit, & vltionum leges ſancit. Inferentem (inquit) iniurias & moleſtias conſimilibus malis afficite. Idem dicit, qui occidit inimicum vel occiditur ab inimico Paradiſum ingreditur. Permittit multas vxores ſibi habere. Diuortium leui de cauſa, & reditionem in domum perfacilem. Quid quęſo magis pugnat cum natura, quàm huiuſmodi leges, modo leges dicendæ ſint conſtitutiones quæ legem naturæ omnibus communem peruertunt? Deinde quaſdam leges quæ faciunt ad concordiam & beneuolentiam inter homines fouendam. Mandat eleemoſynas, & pollicetur liberaliter dantibus Paradiſum, modò etiam fortiter pugnauerint aduerſus hoſtes, mandat mulctas pro delictis dari pauperibus, ſed honeſtæ legi impietatem aſſuit, videlicet quòd ea re mereantur remiſſionem peccatorum.

Cęremoniæ.

Cæremonias habet, lotiones & circumciſionem, quinquies in die cogit ſuos in templa oraturos. Sed hypocriſis iſta nihil iuuat cùm deſtituuntur propiciatorio, ſine quo nullus eſt ad Deum acceſſus, iubet abſtineri à vino & à ſuilla carne. Hactenus de legibus.

vii Fabulæ.

Fabulæ quas admiſcet, tanquam myſteria, pluſquam ridiculæ & aniles ſunt, ex quibus quatuor recitabo, vt ex illis de aliis iudicemus tanquam de vnguibus, vt dici ſolet, leonem.

Prima

Narrat Mahometes, miles ille Dei ſe ductu Angeli Gabrielis aſcendiſſe in cœlum, vt frueretur colloquio Dei. Vbi primum occurrit ei Angelus decies millenis vicibus maior mundo vniuerſo. Cui imploranti ſuam interceſſionem apud Deum, quem offendat, veniam impetrauit: quo facto Deus manum ſuam ſuper Mahometem impoſuit, vnde tantam frigoris vim ſenſit, vt hæc ad dorſi quoque medullam penetrarit. Deum autem vectari ab octo Angelis in ſella geſtatoria ait, cuius caput ea eſſe magnitudine nugatur, vt auicula celerrimi volatus non poſſet ab vna aure ad alteram volare mille annis.

Secunda

Altera fabula huic ſimilis, qua interdictum vini nititur, hæc eſt: Erant, inquit, Angeli duo Dei Horroth & Marroth, miſſi olim à Deo de cœlis in terram, gubernando & inſtruendo generi humano tributi, his interdictis, ne occiderent aut iniuſtè iudicarent, nec vinum biberent, multo itaque tempore ſic habiti vt noti eſſent iudices in toto orbe, venit ad eos quodam die mulier præ cunctis fœminis pulcherrima, cauſam habens aduerſus maritum: quæ vt ſuæ cauſæ accommodaret iudices, quadam die inuitauit ad prandiũ: quibus epulantibus, ipſa epulas & pocula vini apponit, adſtat miniſtrans, offert crebro, inſtat vt ſumant. Quid plura? vicerunt blanditiæ mulieris, inebriati poculis in hoſpitem formoſam incaluerunt, (en caſtitatem angelorum Mahometis) victi concubitum petierunt, ſpondet conditione, dummodo alter verbum doceat, per quod aſcendere in cœlum ſoleant, alter per quod deſcenderet. Placet conditio, cum ergo didiciſſet, eleuata eſt ſubitò & aſcendit in cœlos, quod cùm vidiſſet Deus, explorata cauſa poſuit eam luciferum, ita pulcherrimam inter ſtellas vt fuerat inter mulieres, illis in iudicium euocatis propoſuit eis Deus vt eligerent pœnas ſæculi huius, vel alterius, elegerunt hanc. Suſpenſi igitur ſunt per cathenas ferreas demiſſis capitibus in puteo Behil vſque ad diem iudicij. Ea de cauſa interdictus eſt vini vſus Mahometis ſectatoribus, ne in ſimile periculum incidant.

Tertia

Eiuſdem monetæ eſt fabula de cauſa interdictæ ſuillæ carnis. Cùm animantes, inquit, omnes eſſent in Arca Noë, Elephantus excreuit, inde natus eſt porcus, qui roſtro repando vertebat ſtercus, vnde natus eſt Mus: qui ſtupas quibus tabulæ nauis erant compactæ arrodebat. Hinc terror ingens Noë: à quo Dominus conſultus attulit remedium deploratis rebus. Iuſſit vt Noë feriret leonem in fronte, ex leone concitato felis proſiliit per nares. Is murem venatus eſt, & liberauit genus humanum à tanto diſcrimine. Hæc cauſa illa grauis fuit quare eſus ſuillæ carnis Saracenis eſt interdictus.

Quarta

Huc addamus fabellam de extremo iudicio. De hoc, inquit, mandabit Deus Angelo mortis, vt omnem creaturam ſpiritum habentem interimat, tam Angelos omnes quam omnes diabolos, omnéſque homines, oues, piſces, beluas & pecora, vt omnia ſint mortua præter Deum. Poſt hæc vocabit Angelum mortis dicens. O Adriel éſtne quid ſuperſtes ex omni creatura mea? Dicet, nihil Domine mi, præter me ſeruum tuum imbecillem, tunc dicet illi Deus, quoniam omnem meam creaturam occidiſti, abi hinc inter Paradiſum & infernum, & poſtremò occide te ipſum & morere. Abiit infœlix atque in pręſcripto interuallo proiectus humi alis ſuis inuolutus, ſuffocauit ſeipſum cum tanto

mugitu

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mugitu,quo & cœleſtes ſpiritus & terrena animalia, ſi viuerent,exanimaret. Stabit deinde totus mundus vacuus per 40. annos. Poſt hæc cœlum & terram pugno continens Deus ſic dicet. Vbi nunc Reges, Principes & potentes ſæculi huius? Cuius eſt regnum, imperium, & rerum potentia? dicite ſi veridici eſtis, & his verbis ter repetitis, Seraphuelem ſuſcitabit, dicétque ei, Accipe tubam hanc & deſcende in Ieruſalem & clange, tunc Seraphuel accepta tuba, cuius longitudo eſt itineris 50. vlnarum, ſtans in Ieruſalem, inſufflabit tubam, & efflabit ex tuba omnes animas iuſtas quæ euolantes in omnem terram, quæque ad corpora vbicunque ſint diſpergentur, atque ad primum hunc ſonitum omnia oſſa congregabuntur. Tranſactis 40. annis iterum ſonabit, ad quem ſonitum oſſa carnem aſſument. Atque inde poſt 40. annos cùm tertio ſonuerit, omnes animæ ſuis corporibus induentur. Hoc facto ignis ab occidente ſuccenſus omnes creaturas Ieroſolymam agitabit, quò cùm omnes peruenerint, ceſſabit. Hîc ergo cùm per 40. annos in ſudore ſuo natauerint, expectantes iudicium, appellabunt Adam dicentes: Pater ad quid nos genuiſti tantis tormentis atque miſeriis? Hánc pater filios ſub incerto inter ſpem, & metum fluctuare pateris? pater interpella Deum, vt planè finiat de nobis quicquid inter Paradiſum & infernum facturus eſt. Reſpondebit Adam, O filij ſcitis quòd ſuadente diabolo, Dei præcepto inobediens fui, idcirco ite ad Noë, conuerſi ad Noë dicent, Intercede pro nobis, electe Dei pater Noë. Reſpondebit, feci quod potui, ſaluaui vos in diluuio. Hic mihi nihil ſupereſt officij. Sed ite ad Abraham. Appellabunt ergo Abraham dicentes, pater fidei & ſanctitatis, Abraham, reſpice nos miſeros & miſerere: quibus Abraham, quid me petitis? Non recolitis quòd diu vagabundus, idololatra, incircumciſus errauerim? non ſufficio, ſed appellate Moſen. Appellabunt Moſen dicentes, Dilecte Dei nuncie & Propheta, famule Dei, audi nos. Reſpondebit, quem appellatis? Nonne vobis legem dedi, eámque miraculis confirmaui, nec tamen crediditis? Si mihi credidiſſetis, facerem quod poſtulatis, ſed ite ad Ieſum Chriſtum. Conuerſi ad Chriſtum dicent, Ieſu Chriſte, ſpiritus, verbum, & virtus Dei, moueat te pietas tua, & intercede pro nobis. Tunc dicet eis Chriſtus, quod à me petitis ipſi amiſiſtis. Miſſus quidem vobis fui in virtute Dei, & verbo veritatis, & aberraſtis, & me poſtquam ego prædicaſſem vobis, Deum veſtrum interfeciſtis, hîc itaque beneficium meum amiſiſtis, ſed ite ad vltimum Prophetarum Mahometem, ad quem conuerſi dicent, O nuncie fidelis & amice Dei, quàm malè quidem peccauimus, quòd tibi non credidimus, exaudi nos pie Propheta, ſpes vna ſuperſtes. Nam poſt te non eſt in quo ſperabimus. Exaudi nos potentia à Deo collata. Aderit itaque Gabriel, nec impotentem ſinet amicum ſuum, procedent ſocij ante faciem Dei, dicétque eis Deus, ſcio ad quid venitis, abſit itaque vt fidelis mei nuncij votum in in aliquo caſſem.

Hîc ergo ponte facto ſuper infernum, aderit ſtatera qua libratis vniuſcuiuſque factis ambulabūt ſuper pontem, ſancti ergo tranſibunt, damnati in infernum decident. Dabitur liber cuique de ſuis actibus, & iudicium durabit 5000. annorum: tunc Mahometes dicet Deo, Domine, omnes iſti recta facie librum hunc accipere properarunt. Poſtremò mutabitur mors in arietem & adducetur inter Paradiſum & infernum.

VIII. Paradiſus Mahumetis.

Paradiſus quem ſuis promittit Mahometes, porcis magis conuenit quàm hominibus ad imaginem Dei conditis. Paradiſi, inquit, ſolum aureum, ſmaragdis & hyacinthis crebro interpoſitis eſt diſtinctum, omni fructifera conſitum arbore, decurrentibus per amœna fluentis: quorum alia quidem lac, alia mel album, alia vinum puriſſimum fundunt, veſtientur illic omni colore præter nigro. Primus cibus in menſa erit iecur piſcis Albis buſi, nullus erit edendi, & bibendi, & amplexandi fœminas finis. Hæc ſciuit iſte nebulo grata fore ſtultis militibus, qui venere & vino nunquam ſatiantur. Huiuſmodi fabellis ineptiſſimis plenus eſt Alchoranus, ſed has paucas adſcripſi, vt vanitate iſtius nebulonis deprehenſa ardentius precemur Deum ne ſinat iſtum agyrtam & latronem graſſari in Eccleſiam ſuam, ſed vt noſtri miſereatur & non puniat nos ſecundum multitudinem peccatorum noſtrorum.

Septa Legis Mahumetanæ.

Quî fit, cùm adeo hæc ridicula ſint & ſtulta, quòd cordati homines in Turcia non deficiant ab iſto nugatore? Quatuor veluti vallis ſuam legem ſepiuit deceptor, ne aditus pateret ad eam ſubuertendam. Primum, iubet eos interfici qui Alchorano contradicunt. Secundum, vetat cum hominibus diuerſæ ſectæ in diſputatione congredi. Tertium, prohibet ne credant cuiquā niſi Alchorano. Quartum, mandat vt ſegregent ſe prorſus ab aliis, & dicant, Mihi lex mea, tibi tua, vos ab eo quod ipſe operor eſtis liberi, ego viciſſim ab eo quod vos operamini. Ad hæc, vt omnem metum damnationis excutiat ſuis, dicit vnumquemque ſua lege ſeruari (præterquam ſi quis ab Alchorano deſciſcat ad aliam legem) Iudæum Moſis lege: Chriſtianum lege Euangelij: & Saracenum lege Mahometis. Hoc cùm ſit friuolum & falſum, nolo hîc fuſius diſputare, firma & immota ſtat ſententia. Qui non credit in filium ira Dei manet ſuper eum. Ioan. 3.36.

IX. Septē demōſtrationes aduerſus Sectā Mahumeticam.

Etſi autem ſatis oſtenſum eſt quanta ſit ſectæ Mahometicæ vanitas, tamen ad maiorem confirmationem animorum aſſcribam demōſtrationes ſeptem, quibus furor Mahometicus euidentiſſimè refellitur. Sunt autem hæ demonſtrationes.

Prima, Vox Dei in Daniele, regnum & cultum Mahometicum aduerſus Deum & ſanctos pronunciat oriturum, proinde non eſt dubium quin iſta ſecta ſit à diabolo.

Secunda, Impoſſibile eſt iſtum cœtum eſſe Eccleſiam Dei, qui ex profeſſo reiicit ſcripta Prophetica & Apoſtolica, quæ habent diuina teſtimonia eáque plurima. Hoc cùm Mahometes facit, fieri non poteſt vt eius religio ſit diuina.

Tertia. Impoſſibile eſt illas leges à Deo eſſe quæ præcipiunt rapinas, quæ tuentur libidines, & quæ promiſcuam venerem concedunt, id quod faciunt Mahometicæ leges.

Quarta. Impoſſibile eſt illam religionem à Deo eſſe, quæ ſummum bonum, ſeu finem bonorū ponit in deliciis cibi, potus, & in re venerea, quod manifeſtè facit Mahometes.

Quinta. Illa ſola eſt vera religio quæ media monſtrat quibus homo ad veram beatitudinem peruenire poteſt, quáque homo quaſi vnum fit cum Deo, reparata in eo imagine Dei ad quam eſt conditus, quod non facit lex Mahometica.

Sexta. Quicquid ex fraude oritur, tyrannide, &

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

armis defenditur, & tendit in perniciem generis humani, non habet Deum autorem, quid aliud quæſo inuenire eſt in Mahomete?

Septima. Antiquiſſima religio eſt veriſſima & optima, quæ habet omnium temporum conſenſum, & teſtimonia Moſis, Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum. Sed cùm hac ex diametro pugnat peſtis Mahometica ante 900. annos nata, & cruentis armis propagata, quare non dubium eſt quin habeat eum autorem qui primos noſtros parentes decepit ſophiſtica, & in has miſerias demerſit genus humanum, vnde emergere non poteſt niſi apprehendat dexteram Dei, hoc eſt niſi in Ieſum Chriſtum vnicum mediatorem fide recumbat.

x. Conſolationes adu. furorem Turcicum.

Poſtremo loco conſolationes aduerſus furores Mahometicos, & potentiam Turcicam cogitandæ ſunt. Harũ prima ſumenda eſt ex Prophetia quã Daniel ſubiungit vaticinio de Mahometico regno. Regnũ, inquit, & poteſtas, & magnificẽtia regni ſub omni cœlo dabũtur populo ſanctorũ altiſſimi, cuiꝰ regnum ſempiternum eſt, & omnes reges ſeruient ei atque obedient. Hac prophetia ſignificat Deus ſanctos poſt ærumnas huius vitæ habituros æternum & cœleſte regnum adeo vt omnia ſubiiciantur illi: atque tunc futurum, vt omnia cœleſtia, terreſtria, & inferna, genua flectant Chriſto, ídque vel ſponte, vt filij, vel coacti vt ſerui. Nam quicquid eſt rerum, agnoſcat Ieſum Chriſtum ſupremum Dominum eſſe. Cùm ergo videmus euentum reſpondiſſe prædictionibus aliis Danielis Prophetæ, non dubitemus de huius prophetiæ euentu, qui adhuc expectatur de gloria Eccleſiæ.

Secunda conſolatio petatur ex doctrina Euangelij, quæ oſtendit Eccleſiam ſubiectam eſſe cruci in hac vita, ſecundum illud, Iudicium à domo Dei incipit. Nam in hac vita conſilio Dei filij Dei caſtigantur, ídque propter varias cauſas quas poſtea videbimus.

Tertia conſolatio petatur ab exemplo Chriſti, qui cùm in hac vita cùm hominibus verſatus eſt, variis modis afflictus eſt, ſed victor tandem euaſit, & per mortem inuenit vitam. Huc ſanctorum exempla etiam referenda ſunt.

Quarta conſolatio petatur ab vſu perſecutionis & neceſſitate crucis, ſed de his rurſus dicetur in enarratione ſexti verſus.

CONTRA MOSCOuitas.

Moſcouitarum ſuperſtitiones.

MOſcouitæ, etſi Ieſum Mariæ Virginis filium verum eſſe Meſſiam non dubitant, & agnoſcunt Conſtantinopolitanum Patriarcham, & in nonnullis rectius ſentiunt, quàm Papiſtæ, (nam pontifici Romano obiiciunt defectionem à ſeptem primis ſynodis) tamen puritatem doctrinæ Euangelij amiſerunt, & verum cultum Dei ignorant, ſanctos inuocant, & præcipuè Nicolaum quendam: multa Monacharum, & Monachorum monaſteria habent. Ineptis quibuſdam cæremoniis remiſſionem peccatorum alligant. Coram imaginibus, & ſtatuis ſuperſtitioſè procumbunt, & multas leges habent pugnantes cum lege naturæ & decalogo. Etſi autem Baptiſmum adminiſtrant ſine ſale & ſputo: tamen poſtea lotiones varias tanquam Baptiſmata adhibent certis temporibus anni, ſuperſtitione pluſquam Ethnica & Iudaica. Infandos etiam concubitus cum beſtiis non improbant. Si qua ergo Eccleſia eſt apud eos tamquam in exilio latitat. Narrant mercatores Biblia recens conuerſa eſſe in illorum linguam, & ferri apud eos qui confeſſionem Auguſtanam amplectuntur: Vnde ſpes eſt, vt paulatim purgetur illic doctrina, & emendentur mores præſertim cùm & ipſi longiores nauigationes ſuſcipiunt, quàm ſuperioribus annis, & multi peregrini ad ipſos veniunt mercandi gratia. Vnde ſperandum eſt vt paulatim adducantur Chriſto per pios mercatores, quorum opera Deus mirabiliter doctrinam Euangelij propagare cœpit hiſce extremis temporibus.

CONTRA PAPISTAS.

Papatus breuis deſcriptio.

QVia infra in tertio verſu dicetur de triplici ſtatu Eccleſię in hac vita, videlicet tranquillo, turbato, & exilio: Item de notis externis, & internis proprietatibus veræ Eccleſiæ: Hanc diſputationem aduerſus Papiſtas in illum locum reiiciam, vbi oſtendam formam regni Papiſtici ex diametro pugnare cũ forma regni Chriſti: doctrinã legis, Euangelij, & cultus Dei in Papatu deprauatam: Sacramenta partim mutilata, partim fœdata humanis traditionibus: noua etiam quædam inuecta contra ſcripturam: Cæremonias non paucas ſtultas, & ineptas receptas eſſe & præferri verbo Dei: diſciplinam quoque cleri, & Eccleſiæ planè collapſam eſſe. Breuiter omnia plena eſſe execrandis ſuperſtitionibus, & idololatricis cultibus, vt nemo ſine pollutione poſſit ſe illorum ſocietati adiungere.

CONTRA EPICVREOS.

Epicureorum impietas.

EPicurei omnem tacitè apud ſe derident religionem: quibus Deus huius mundi per præſtigias ſuas & dolos faſcinauit corda. Dicunt non aliter gubernari populos religionis ſpecie, quàm equos fręno & calcaribus, eúmque in vſum ſolummodo conducibilem eſſe religionem. Verùm hoc nequaquam religionis vim, & naturam tollit, ſed confirmat potius. Oſtendit enim à Deo eſſe religionis reſpectum humanis pectoribus inſitum: vt vel ſola religionis ſpecie homines ducantur, ſicuti facie virtutis & arte prudentiæ. Quòd ſi quis dicat ſine prudentia regi cœtus hominum, & contineri non poſſe, quid conſequitur? An ideo prudentiam eſſe omnino nihil: quis ſic colligat? Imo potius prudentiam eſſe magnam ingenij humani vim, lucem, facultatem. Itaque eſt naturalis homini pietas, ſed humana ignorantia, vt rectæ prudentiæ, aliíſque artibus, & virtutibus aliquid admiſceat praui, & ignorantiæ: ita & religioni quo illa in ſuperſtitionem ſæpe degenerat. Proinde Cicero rectè cùm ait libro de legibus, 1. Nulla gens neque tam immanſueta, neque tam fera quę non, etiamſi ignorat qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat. Quid dicam de domeſtico teſte conſcientia? quem omnes ſecum circumferunt. Certè huius vis tanta eſt, vt vel inuitum te cogat fateri Deum eſſe qui velit certa obedientia coli. Hæc teſtatur Deum vindicem ſcelerum eſſe, etiam poſt hanc vitam. Plato ſcribit mul-

Refutatur.

Obiectio.

Reſpõſio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

bit multos cùm bene valeant ridicula iudicare omnia quæ narrantur de inferis, verum morituros, conſcientia admonente, vehementer turbari, & angi, omnia vitæ anteactæ in memoriam reuocantes.

Vis conſcientiæ fert teſtimonium adu. Epicureos.

Tanta eſt vis conſcientiæ etiam in ſcelerátiſſimis hominibus, præſertim cùm ipſis moriendum eſt. Hoc ſánè conſcientiæ teſtimonium abſque omni dubio iudicium Dei eſt qui noſtris mentibus impreſſit religionis affectum, qui eò pertinet vt Deo iuncti beati efficiamur: in quem finem & conditi primum, & deinde redempti ſumus.

Epicureo[rum] ridiculū & deteſtādum effugium.

Hanc conſcientiæ vim cùm non poſſint inficiari Epicurei, ſolatium miſeri neſcio quod quærunt ex fabula de Lazaro, quem Dominus quatriduo mortuum excitauit. Mentiuntur Lazarum rogatum ab amicis, vt ſtatū animæ ſuæ cum cadauer ipſius in ſepulchro iaceret, ſibi narraret. Is aūt promiſit, vt fabulantur, ſe relicturum poſt mortem librum, in quem omnia ſcriberet, quæ ſibi nota eſſent de animarum ſtatu poſt mortem. Quid multis? fingunt Lazaro mortuo librum promiſſum repertum eſſe qui cùm euolueretur, ne litera quidem vnica in eo reperta eſt. Ex quo colligunt, hoc eſt ex fabula fabulam animas vel perire cùm corporibus, vel alto ſopore opprimi, vt nihil planè ſentiant nedum ſciant quicquam. Hoc amuleto vim conſcientiæ reſtinguere conantur Epicurei, præſertim Papa quem dicunt huius libri cuſtodem eſſe, & multi ex Cardinalibus, & Epiſcopis papalibus, qui non carent obſequentibus diſcipulis, præſertim inter eos qui vel voluptatibus, diuitiis, & honoribus huius mundi faſcinati vellent animas perire cum corporibus, ne aliquando iuſtas ſuorum ſcelerum pœnas luerent. Sed horum ineptias validiſſimè confutat ſcriptura, in qua primum occurrit creatio animæ hominis, quæ ad Dei ſimilitudinem creata eſt: qua ſimilitudine abſque omni dubio præter conformitatem cum Deo immortalitas animæ ſignificatur: quæ non vt corpus ex puluere terræ eſt, ſed ſpiraculum Dei, vt ſcriptura loquitur. Vnde Epiſtola ad Hebræos capite 12.9. diſcernit inter parentes carnis huius, & patrem ſpirituum Deum. Deinde Chriſtus hortatur ſuos ne timeant eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non poſſunt: ſed eum timeant, qui cùm occiderit corpus, animam poteſt mittere in gehennam ignis. An non apertè innuit D. animam ſupereſſe poſt mortem? Sed huius ſtatus variat pro ratione perſonæ credẽtis, vel nõ credẽtis: id quod Dominus in Lazaro, & diuite epulone manifeſtè oſtendit. Quorum illius anima in ſinu Abrahæ, huius verò in tormentis, expectant diem iudicij. Ex eo quòd dicitur Lazarus eſſe in ſinu Abrahæ, primum ſignificatur hoc geſtu quod Lazarus fuerit per fidem filius Abrahæ. Filij enim in parentum ſinibus geſtari ſolent. Secundò, quòd Lazarus viuat, foueatur, & periucundè habeat, vt infans in ſinu paterno. Tertiò, quòd ſit in eodem beatitudinis ſtatu, & loco cùm patre Abrahamo. Quartò, quòd ſit mutuus quidam amor, íſque ſummus inter ſe animarum quieſcentium in ſinu Abrahæ. Omnes enim fraterno amore copulatæ ſunt.

Refutatio in qua de ſtatu animę à corpore per mortem ſeparatę agitur.

Sinus Abrahæ.

Hoc ipſum docet dictum Domini ad latronem, hodie, inquit, eris mecum in Paradiſo, quod profectò non eſt animam perire aut ſopiri, ſed felicem eſſe, & ſuam felicitatem ſentire, etſi nondum plenam gloriam ſit adepta. Chriſtus Matth. 22.32. docet Abrahæ, Iſaac, & Iacob animas viuere: cùm dicit Deum Abraham, Iſaac, & Iacob non eſſe Deum mortuorum, ſed viuorum.

Quid eſt quod Petrus dicit Chriſtum olim prædicaſſe ſpiritibus qui fuerunt in carcere? 1. Petr. 3. 19. Tempore Noë ſpiritus Chriſti concionabatur hominibus, quorum animas teſtatur Petrus nunc in carcere eſſe. Idem Petrus affirmat finem fidei eſſe ſalutem animarum. 1. Petr. 1. 9. Hæc profectò ſalus nec mors eſſe poteſt, nec altus veternus. Nec obſcurum eſt quod Paulus ait, Philip. 1.23. Cupio migrare, & eſſe cum Chriſto. Solomon, in vltimo capite Eccleſiaſtis verſiculo ſeptimo, claris verbis ait, Donec reuertatur puluis in terram vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum: Qui propterea ab Apoſtolo pater ſpirituum dicitur. Hebr. 12.9. Huc illud in ſapientia Solomonis, capite 2.1. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, nec attingit eas cruciatus. Cum hoc congruit Pſalmi 116. 15. dictum, Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Et Stephanus plenus Spiritu Sancto, Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum Act. 7.59.

Porrò cùm obiiciunt vnum iudicium fore in quo reddetur merces bonis, & ſupplicium improbis, fatemur verum quidem hoc eſſe, ſed non ex eo ſequi animas ſanctorum & impiorum mori cum corporibus, aut ſopiri vſque ad extremum diem. Etſi enim animæ ſanctorum in Paradiſo ſunt, & animæ impiorum in tormentis, ſicut ex ſuperioribus patet, tamen nec plena gloria piorum animabus, nec condignũ ſupplicium contingit impiis ante extremum iudicium. Chriſoſtomus, de Abel & Noë loquens ait, *Prauenerunt nos in certaminibus, ſed non prauenient in coronis. Quia vnum eſt definitum tempus omnium coronarum.* Auguſtinus multis in locis ſecreta receptacula deſcribit, quibus animæ piorum contineantur, donec coronam & plenam gloriam recipiant: cùm interim reprobi pœnas luant expectantes iuſti iudicij pœnam. Non igitur pugnant hæc inter ſe, ſanctorum animas in cœlo eſſe cum Chriſto, & impiorum in tormentis, & fore vniuerſale iudicium, vbi pleniſſima gloria reddetur piis, & æterna ſupplicia impiis, poſtquàm animæ rurſus induerint corpora.

Obiectionis Epicureorū ſolutio.

Verum cùm hiſce & ſimilibus argumentis conuincuntur Epicurei de vita animarum poſt mortem, non tamen quieſcunt, ſed pergunt quærere, & vrgent, vt ſibi quidem videtur, grauiter. Iudæi, inquiunt, aſſeuerant ritus illos ſuos à Deo eſſe. Saraceni, maior pars humani generis, ſuos præferunt. Moſcouitæ ſuam religionem vita, & ſanguine tuentur. Papiſtæ prærogatiua & ſucceſſione gaudent, vnde ſe quidem Catholicos, cæteros vero hæreticos appellare non erubeſcunt. Vos Lutherani veſtram tuemini religionem, neque inter vos optimè conuenit. Quid faciendum in hac confuſione opinionum? quibus aſſurgendum? Vanitatem Iudæorum, Saracenorum, & Moſcouitarum ſatis oſtendimus. Quantum autem ad Papiſtas & nos attinet, audi vtroſque, confer, perpende rationes vtrorumque, vide quínam hauriunt de fontibus ſaluatoris, & qui de lacunis putridis humani celebri: tum inuenies facilè verum, & rectè iudicandi facultatem. Verùm ſi hoc tibi moleſtius viſum fuerit, ſordeſce quantum velis in tuis ſordibus: quid lucri tandem ſis reportaturus videris. Exitum tuum vide ſi placet in Pſalmis 37. & 73. Quòd autem variant opinionibus multi inter nos, non euertit veritatem fundamenti quod plærique

Alia obiectio, de ſectis diſſentientibus.

Reſpōſio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

omnes vnanimiter tuentur. Atque hæc contra Epicureos dicta ſufficiant, neque enim libuit pluribus cum porcis agere. Quare me rurſus conuerto ad homines.

DE VERA ECCLESIA.

Alterū mēbrū ſecundæ partis primi verſus Pſalmi 84.

QVænam eſt vera Eccleſia? *Tabernacula Domini zebaoth.*, vt noſter Pſalmus definit. Hoc eſt Eccleſia vera ea eſt quæ à Domino zebaoth eſt, regitur, & defenditur, quæ Dominum zebaoth audit, eíque adhæret & obtemperat, quæ Dominum zebaoth in ſe habitantem habet, quæ verſatur in peregrinatione & migratione, tendens in patriam ſequendo ducem ſuum Chriſtum, hæc ita coniuncta ſunt & ex primo concluduntur, vt à ſe inuicem diuelli non poſſint. Primum ergo vera Eccleſia eſt à Domino zebaoth. Nam ipſe per verbum ſuum, in quo efficax eſt, colligit ſibi ex genere humano Eccleſiam, iuxta illud, Marc. 16. 15. 16. Ite in Mundum vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui vero non crediderit condemnabitur. Nam cùm extra Eccleſiam non ſit ſalus, verbo Euangelij euocantur homines ſine diſtinctione nationum, & perſonarum è regno tenebrarum in regnum lucis, id eſt Eccleſiam, & recipiuntur fide, cui additur externum ſignum Baptiſmus tanquàm σύνθημα militare, quo admonentur de purgatione quæ ſit per Spiritum Sanctum arcano quodam modo quemadmodum Dominus docet Iohan. 3. De ſanctificatione meditanda per totam vitam, de cruce & gloria Eccleſiæ, de morte & reſurrectione à mortuis, & de vero Deo qui eſt pater, & filius & ſpiritus ſanctus, quem verum Deum & vnicum, recepti in Eccleſiam colere veris cultibus & hîc in terris, & poſt reſurrectionem in omni æternitate debent. Hæc vera Eccleſia in Epiſtola prima Iohan. & in Symbolo Apoſtolico dicitur, κοινωνία ἁγίων, hoc eſt ſocietas ſanctorū, id eſt omnium hominum qui ſanctificati ſunt in Chriſto Ieſu per Spiritum ſanctum.

Definitionis veræ Eccleſiæ explicatio.

Confirmatio ab exemplo Abrahami.

Hæc ſanctificatio tum demum fit quando verbo Euangelij credimus, ac fiducia viua in Dominum zebaoth, hoc eſt in Ieſum Chriſtum recumbimus. Quòd autem hæc ratio veræ Eccleſiæ ſit, pulcherrimo Abrahami patris noſtri exemplo declarari poteſt. Is enim cùm eſſet in Chaldæa, audit vocem Domini, illi obtemperat, de Hur Chaldæorum & de medio idololatriæ vocatus, ſe à prophano mundo, ſententia, voluntate, fide, obedientia erga Deum & confeſſione ſeiungit & ſeparat. Huic rei aptiſſimè reſpondet appellatio Eccleſiæ. Nam vt Eccleſia dicebatur Græcis cœtus ciuiū voce præconis de reliqua turba vocatus ad audiendum ſententiam ſenatus: Ita Apoſtolis Eccleſia Chriſti dicitur cœtus hominum voce pręconum verbi euocatus è regno Satanæ, vt Chriſtum audiat, ſequatur, & ſe ſeiungat, ac ſeparet à turba prophana, & colluuione mundi, ſententia, voluntate, fide, obedientia erga Deum, & confeſſione.

A nomine Eccleſię.

Quicunque igitur ſe à prophanitate mundi ſeiungit, & fide Chriſto ſe adiungit cum propoſito obedientiæ veræ, ciuis eſt Eccleſiæ & particeps omnium bonorum Chriſti.

Ciues Eccleſię, qui.

Etſi autem magna eſt imbecillitas omnium hominum, & multæ in omnibus ſanctis ſuboriuntur flammulæ vicioſorum affectuum contra quos ſpiritu pugnant: tamen in Eccleſia Dei manet, & ſanctus exiſtit quiſquis retinet fidem, & bonam conſcientiam ſeu bonum propoſitum. Nam vt vaſtata conſcientia, naufragiū fit fidei: ita retēta bona conſcientia retinetur & fides, qua poſſidemus theſaurum longè maximum, videlicet iuſtitiam Chriſti qua Deo placemus. Nec eſt hîc cogitandum diſcrimen vllum, nationum, perſonarum, aut ſexuum. Fides enim omnes æquales facit, quo ad ius regni attinet. Tametſi autem dona ſunt diuerſa & diſſimilia, tamen vnitati Eccleſiæ ſeruiunt omnia.

Vnitas ecclesiæ.

Hæc vnitas veræ Eccleſiæ ex multis, & variis gentibus collecta tanquam in vnam domum ſeu familiam, pulcherrimè adumbratur punico malo cui adiectum eſt tintinnabulū. Sic vt enim in malo punico vno exterius cortice multa interius grana vniuntur, ſic innumeros ſanctæ Eccleſiæ populos vnitas fidei contegit, qui inter ſeſe cohęrent vera charitate, etſi donis & vocationibus ſint diſtincti. Tintinnabulum adiectum vocem prædicantium Euangelium ſignificat, per quam colliguntur Eccleſiæ membra veluti in vnum corpus.

Ecclesia firmiter munitus.

Hæc vera Eccleſia cùm ſit tabernaculum Domini zebaoth ab eo quoque regitur & defenditur, adeo vt inferorum portæ, id eſt, conſilia, inſidiæ & oppugnationes diabolorum & hominum, non poſſint præualere aduerſus eam. Eſt quidem Eccleſia puſillux grex, ſi maximam illam colluuionem diabolorum & hominum nequam reſpicis, ſed immotus tamen perſtat aduerſus omnem vim & poteſtatem aduerſariorum ſuorum. Neque enim ideo abolетur Eccleſia quia multi ciues Eccleſiæ trucidantur, & variis ſuppliciis afficiuntur, ſed in ipſa morte triumphum agunt dum retinent fidem & confeſſionem. Nam mors illorum precioſa eſt in conſpectu Domini, vt quæ aditus ſit ad æternam fœlicitatem. Rectè igitur Auguſtinus cùm ait, *Sæculi homines infeliciter felices ſunt. Martyres autem feliciter infelices erant. Erant enim ad tempus infelices, ſed æternum felices.* Eſaias capite 20. 6. Confert Eccleſiam inſulæ. Vt enim inſula in mari poſita, etſi ſępe ſubortis ſæuiſſimis tempeſtatibus, & procellis concutitur, perſiſtit tamen inuicta, quia Deus mari terminū poſuit, intra quem ſe continebit. Sic Eccleſia variis tempeſtatibus impulſa ſecura conſiſtet, Domino zebaoth eam defendente, & protegente, qui non permittet perſecutoribus vltra perſequi Eccleſiā quàm illa ferre queat, & vtile ei ſit. Quoties igitur audimus tyrannos mundi Eccleſiam, & multos ex ciuibus Eccleſiæ trucidare, conſolemur nos hac cogitatione, quòd Dominus zebaoth non deſerat ſuum tabernaculum quod ipſe fixit, ſed illud ſua diuina potentia & præſentia tueatur, ac ſimul precemur hunc Dominum vt non ſinat nos tentari vltrà quàm ferre poſſimus.

Eccleſia audit vocem vnius Chriſti.

Hæc præterea Eccleſia, vt verbo Dei collecta eſt ita perpetuo illud ipſum verbum retinebit ſyncere ſine omni corruptela. Scit ſolum Chriſtum audiendum eſſe in miniſtris Euangelij. Atque hoc eſt quod ipſe Dominus ait, Iohan. 10. 4. 5. Oues meę vocem meam audiunt, & non nouerunt vocem alienorum. Hæc eſt inſignis nota qua Eccleſia Chriſti ab aliis cœtibus diſtinguitur. Qua admonemur vt fugiamus pſeudoChriſtos, & pſeudoprophetas nō ſecus atque diabolum ipſum. Nam diaboli ſemper idem ſcopus eſt, videlicet vt contempta voce Dei, ipſum audiamus. Vt enim primis noſtris parentibus inſidiatus eſt ſophiſtica & deprauatione verbi Dei: ita perpetuo Eccleſ. ſtruit inſidias eadē via & modo. Quare imprimis noſtra refert audire ſolā vocē Paſtoris noſtri, cōtēpta alienorū voce, per quos diabolus loquitur.

quitur. Cùm igitur Papiſtæ iubent vt ſe audiamus, reſpondeamus nobis mãdari à Chriſto paſtore noſtro, vt ſuam ſolius vocem audiamus, eáque ſola cõtenti ſimus. Hæc vox paſtoris noſtri in Propheticis, & Apoſtolicis ſcriptis continetur non obſcurè, ſed perſpicuè quoad fundamentum ſalutis noſtræ attinet. Cùm Papa iubet te ſanctos inuocare, fuge tanquam à ſerpente qui primos noſtros parentes ſuo mendacio coniecit in mortem. Nam pugnat cum voce paſtoris noſtri qui ait, Dominũ Deum tuum timebis & illi ſoli ſeruies. Item, inuoca me in die tribulationis tuæ, atque ita de cæteris. Mens enim pia nunquàm quieſcit, niſi hanc vocem audiuerit, & verè nouerit, hæc dicit Dominus zebaoth.

... Deo adhæret.

Hæc Eccleſia, quia ſolã vocem Domini zebaoth audit, illi quoq; ſoli adhæret, & obtẽperat, alij alios magiſtros ſequuntur, alij mundanis diuitiis & voluptatibus adhærent: non pauci affectuum ſuorum tempeſtatibus abripiuntur, vt non magnoperè Eccleſiam Chriſti curent. At Eccleſia ipſa omnes theſauros diuitiarum ſibi in ſolo Chriſto poſsidet, cui propterea ſoli adhæret, & obtemperat: ſcit ſibi à magiſtro ſuo dictum eſſe, Matth. 23. 8. Nolite vocari Rabbi ſuper terram, quia magiſter veſter vnus eſt Chriſtus. Huic igitur ſoli adhæret iuxta vocem Eccleſiæ in Pſalmo 73. 28. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, poſui in Deo Domino ſpẽ meam, vt annunciem omnia opera eius. At cùm alij qui non ſunt in Eccleſia Dei, cum certo damnationis ſuæ periculo alios ſequuntur magiſtros, ſeſe à Deo magis magíſque alienant, vt in eodem Pſalmo dicitur, verſiculo 27. Ecce qui elongant ſe à te peribunt, & perdes omnes qui fornicantur à te. Sed

Adhærere Deo quid.

quid eſt adhærere Domino zebaoth? Eſt ipſi fide deſponſari, ſpe, confeſſione & obedientia iuxta verbum coniungi. Nam vt fide eum recipimus, vt ſponſum noſtrum chariſſimum, & ei adiungimur: ita ſpe & confeſſione in eo perſiſtimus tanquàm anchoræ innixi firmiſſimæ. Vnde in eius laudes ferimur, omnia obedientiæ erga ipſum poſtponentes. Cùm igitur pij ob confeſſionem Euangelij coguntur ſedes mutare, atque vident fortunas ſuas in periculum vocari, hinc petant conſolationem, & non tam ſpectent præſentem miſeriam, quàm futurum euentũ eúmq; lætiſſimum, modò cõſtanter in fide & confeſſione perſtiterint, cogitent fore examen iuſtum, in quo, vt adhærentes Deo fide, & confeſſione, ſentient veram vocem eſſe Pſalmiſtæ dicentis, Mihi adhærere Deo bonum eſt, ita alienantes ſe à Deo differentia, & confeſſionis abnegatione, ſe miſerrimos eſſe clamitabunt. Cogitent confeſſionem neceſſariam eſſe, iuxta illud, Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem Roman. 10. verſiculo 10. Cogitent mandatum Dei eſſe ſerium, fugite idola. 1. Ioan. 5. 21.

Eccleſia tabernaculum & Templũ Domini.

Ad hæc, quia hæc vera Eccleſia tabernaculum Domini zebaoth exiſtit, habet profectò Dominum zebaoth in ſe habitantem, quare non immeritò in Scripturis templum Dei dicitur. Huc illud Pauli 1. Corinth. 3. 16. An neſcitis quòd Templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem Templum Dei violauerit, diſperdet illum Deus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Hinc ergo colligendum quanta ſit gloria Eccleſiæ, & quanta puritas in ea requiratur.

... Eccleſiæ ...

Quàm ſanctè Deum colere deceat, & quantæ pœnæ maneant eos qui hoc Dei templum prophanauerint. Eſt profectò ingens Eccleſiæ gloria quòd ſapientia diuina, hoc eſt, verbum Dei ſit ei concreditum, quod exaudiatur à Deo, quod perpetuò conſeruetur diuinitus, quod multis diuinis liberationibus inuicta perſtiterit, quod vaticiniis & miraculis claruerit, quòd multis heroicis virtutibus excelluerit, quòd ſit hæres inſcripta vitæ æternæ. Quanta ſit hæc gloria nemo ſatis admirabitur. Verùm hanc gloriam multis modis ſuperat quòd diuina illa maieſtas, Pater & Filius & Spiritus Sanctus velit cor hominis credentis ſibi in Templum eligere & conſecrare, illícque habitare iuxta promiſſionem Chriſti Iohann. 14. 23. Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus. Vide quantum diſcrimen eſt inter Eccleſiam Dei, & alios cœtus. Eccleſia Dei eſt Templum Dei, alij cœtus reuera ſunt Diabolorum habitacula. Vt ergo illo nihil iucundius, nihil purius, nihil melius, nihil ſanctius: ita his nihil triſtius, nihil fœdius, nihil pernicioſius, nihil prophanius. Non igitur immerito Dauid cum magna admiratione canit Pſalmo 87. 3. Glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Hæc cogitatio gloriæ Eccleſiæ merito omnes homines excitare deberet, vt ſe Eccleſiæ Dei adiungerent. Sed (proh dolor) tanta eſt cæcitas, tantus ſtupor humanorum cordium, quòd pauciſſimi huius Eccleſiæ gloria permoueantur, & plurimi voluptatibus, deliciis, diuitiis & honoribus veluti ineſcati, ad huius gloriæ ſplendorem cæcutiant.

Quãta puritas requiratur ab Eccleſia.

Quanta requiratur in Eccleſia puritas ex eo patet quòd ſit & dicatur Templum Dei ſanctum. Vt enim Templum manu factum, Deóque dicatum, ab idolis & quauis immundicie purum eſſe oportet, vt in eo conueniatur ad purè colendum Deum ex fide iuxta Dei verbum, qua de cauſa Chriſtus eiecit ementes & vendentes è Templo Ieroſolymitano, dicens Marc. 11. 17. Domus mea, domus orationis vocabitur: ita quilibet Chriſtianus vt ſit templum Dei ſanctum, debet ſegregari à prophanitate gentium, vt nullus ſit in illo locus idolorum aut immundiciæ, vt omnes vires animi & corporis conſentiant in vero Dei cultu & ſyncera animi affectione erga Deum. Breuiter vt in vera pœnitentia ſe proſternat coram Deo, fiducia promiſſionis gratuitæ ſe erigat, atque ita piè per mortificationem carnis, & viuificationem ſpiritus quotidie pergat, donec ad metam peruenerit. Etſi autem nemo purus omnino à peccato eſſe poterit in hac vita, vt ſupra quoque attigi, tamen quiſquis retinet fidem & bonam conſcientiam purus & ſanctus coram Deo cenſetur; ídque duplici modo. Primò imputatione ſanctitatis Chriſti, deinde inchoatione obedientiæ, vnde fit, vt reſpectu impiorum & impœnitentium, pij coram Deo habentur ſanctiſſimi, & puriſſimi, & planè abſque omni macula, & ruga perfecti. Nam Deus reliquias peccati non illis imputat, ſed eos intuetur vt ſunt veſtiti & ornati iuſtitia filij ſui Ieſu Chriſti.

Pij ſunt puri & ſancti duplici modo.

De cultu Dei in Eccleſia, quæ eſt eius templũ.

Iam cùm Eccleſia ſit Templum Dei ſanctum, neceſſariò cultus Deo in eo præſtandus eſt, íſque purus & ſanctus: Eſt autem cultus Dei opus diuinitus præceptum, factum ex fide in gloriam Dei principaliter. Vt igitur hic cultus ſit purus & ſanctus: requiritur primùm vt opus cultus ſit ſanctum, hoc eſt diuino verbo præſcriptum, nullis infectum vel humanis vel Diabolicis additamentis. Ita enim Dominus apud Ezechielem cap. 20. 18. ait, In præceptis meis ambulate, & non in præceptis patrum veſtrorum. Quod autem opera ab hominibus imperata non ſint cultus per ſe, docet Eſaias cùm ait,

Opus ſit ſanctum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

capite 29.13. Fruſtrà me colunt docentes doctrinas mandata hominum, & Paulus manifeſtè damnat omnes ἐθελοθρησκείας. Coloſſ. 2.23. Hinc ergo immotam regulam concludamus. Nullus cultus Deo acceptus eſt, niſi quem ipſe ordinat & nobis ſuo verbo commendat. Deinde ad purum & ſanctum cultum requiritur vt animus operantis (mens & conſcientia) ſit purus & ſanctus. Nam cùm animus eſt impurus, abominabile coram Deo eſt, quidquid feceris, quantumuis in ſpeciem ſanctiſſimum videatur opus exactum lege diuina, & quantumuis eius vſus maximus ſit inter homines iuxta illud ad Tit.1.15. Omnia quidem pura puris, contaminatis verò & infidelibus nihil purum, ſed polluta eſt eorum & mens & conſcientia, Deum profitentur ſe cognoſcere, ſed operibus negant, vt qui ſunt abominabiles & contumaces, & ad omne opus bonum reprobi. Quòd autem mens hominis pura reddatur fide manifeſtum eſt. Nam fide, vt ait Apoſtolus purificantur corda, non quòd ea vis ſit fidei, ſed quia fide applicatur ſanguis Chriſti cuius aſperſione purificantur conſcientiæ noſtræ à mortuis operibus. Tertiò, requiritur ad puri & Sancti cultus Dei rationem, vt finis operis ſit ſanctus & purus, videlicet cùm ſine omni hypocriſi, ſimplici corde proponis tibi gloriam Dei, id eſt, ſi ideo facias quod facis, quia hoc Deus præcepit tibi, quem cupis mente, affectu, voluntate & tota vita glorificare. Opus ſic factum eſt cultus Dei purus & ſanctus. Et tametſi opus ipſum ſæpe externum eſt, & humile in oculis hominum: Tamen ſpiritualis Dei cultus eſt quia non eſt opus carnis ſed Spiritus, qui ſibi propoſitam habet gloriam Dei. Quod autem non ſint euaſuri pœnam qui Templum hoc Dei Sanctum violauerint, oſtendit hæc comminatio Apoſtolica, Corinth.3.17. Si quis violat Templum Dei deſtruet ipſum Deus. Violatur autem hoc Templum, idolis, & immundicie, hoc eſt, erronea doctrina, ſuperſtitioſis cultibus, ſchiſmate, morum improbitate, atque prophanitate, qui vnius horum reus fuerit, Templum Dei violat. Quid ergo dicemus de Papa qui doctrinam Euangelij obruit ſomniis Monachorum: qui infinitas ſuperſtitiones inuehit in Eccleſiam qui ſectarum monaſticarum multitudine ſcindit Eccleſiæ vnitatem, qui laxata diſciplina cleri ad monſtroſas libidines conniuet, atque adeo aliis exemplum eſt omnis impuritatis.

2. Animus operantis ſit purus.

3. Finis operis ſit Sanctus.

Quib. modis templum Dei violatur.

Cùm Eccleſia tabernaculorum nomine ſignificatur, admonemur profecto de ipſius peregrinatione & migratione ab vno loco in alium, donec in veram patriam venerit. Vt enim caſtrenſia tabernacula huc & illuc transferuntur: ita Eccleſia Dei in hac vita, non habet tranquillam & firmam ſedem, ſed ſubinde ſedes mutare cogitur. Hæc peregrinatio, qua quidem omnis homo, vt ait, Auguſtinus, in hac vita peregrinus exiſtit, admonet nos peccati quod huius peregrinationis cauſa eſt. Nam propter peccatum eiecti ſumus cùm noſtris primis parentibus à Paradiſo in terram in qua peregrinamur, tranſlati proinde ſumus à Ieruſalem, id eſt, viſione & fruitione pacis, in Babyloniam, id eſt, in confuſionem & exilium, in quo peregrè oberramus. Etſi autem omnes peregrini ſumus, tamen non eſt omnium eadem conditio. Sunt enim quidam extra viam in patriam, quidam in recta via. Nam qui non credit, nec in patria eſt, nec in via. Qui autem peregrinatur, & per fidem ambulat, nondum eſt in patria, ſed iam eſt in via. Atque hoc eſt quod Apoſtolus ait, Hebr.13.14. Non habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Vt igitur eos, qui ſubinde mutant loca in peregrinationibus oportet multa tædia deuorare & multas experiri iniurias: ita Eccleſia Dei in hoc mundo non erit aliena ab inſidiis, & iniuriis hominum, & Diabolorum donec in his vmbroſis huius vitæ vallibus oberrauerit. Cautè igitur verſandum eſt in hac peregrinatione, & cauendæ ſunt inſidiæ doctrinæ, prophanitas morum, admiratio nouitatis, ne illecebris mundi capti obliuiſcamur patriæ, eámque exilio poſtponamus, ſicuti multi fecerunt ex iis qui olim abducti in exilium Babylonicum, vnde poſtea in patriam redire contempſerunt. In omnibus duris & aduerſis conſolemur nos ſpe reditus in patriam, & tametſi corpore hîc peregrinamur, animo tamen ſimus in cœlo apud Ducem noſtrum, & vt Paulus admonet Phil.3.20. πολίτευμα noſtrum ſit in cœlo vnde expectamus ſeruatorem Ieſum Chriſtum, & ſciamus Eccleſiam in hac peregrinatione prouidentia Dei regi, illi proſpici diuinitus, ne furoribus diabolorum & hominum obruta pereat. Quemadmodum enim Deus tabernaculis ſui populi adfuit in deſerto, populúmque ſuum miraculoſè aluit & defendit: ita Chriſtus dux noſter perpetuò ſuæ Eccleſiæ aderit iuxta ipſius promiſſionem, Ero vobiſcum vſque ad conſummationem ſæculi. Mat.28.20.

E[c]cleſ. eſt tabernaculū Dei: & quæ doctrina inde eliciēda eſt.

Duo genera peregrinorum.

Quæ ... cula ... da.

Porrò cùm Eccleſia in peregrinatione, & tendat in terram patriam, hoc eſt in cœleſtem Ieuſalem, oportet vt in hac difficili peregrinatione rectà ſuum ducem ſequatur, vt eius ductu tandem perueniat feliciter quò tendit. Vt enim dux populi Dei Moſes Iſraelitas ex Ægypto per mare rubrum eduxit, & poſt illum Ioſua populum in terram promiſſam introduxit: Sic ſolus Ieſus Chriſtus Eccleſiam ſuam in cœleſtem patriam eſt introducturus, quemadmodum ipſe de ſe teſtatur, cùm ait, Ioan.14.6. Ego ſum Via, Veritas, & Vita. Etſi autem Auguſtinus hoc dictum Domini concinnè interpretari videtur cùm ait, *Via non errans, Veritas non fallens, Vita non deficiēs. Via exemplo, Veritas in promiſſo, Vita in præmio*: tamē quia vberrimam doctrinam & conſolationem continet hæc aſſeueratio eam paulò clarius & copioſius explanabo. Sunt autem tria hæc accuratè diſtinguenda, Via, Veritas, Vita, quibus primùm ſignificatur in genere quòd Chriſtus ſolus ſit initium, medium, & conſummatio noſtræ ſalutis, & beatitudinis ad quam tendimus. Proinde nec opera præcedentia fidem, nec cum fide coniuncta, nec fidem conſequentia ſunt merita ſalutis & beatitudinis. Deinde in ſpecie modus ex Scripturis colligendus eſt, videlicet quomodò Chriſtus ſit Via, quomodo Veritas, quomodo Vita. Quomodo ergo Via eſt Chriſtus? Et doctrina, & merito, & exemplo. Doctrina quidem, docendo nos ſalutaria iuxta illud Ioan.1.18. Deum nemo vidit vnquā, filius vnigenitus qui eſt in ſinu patris enarrabit nobis. 1.Cor.1.30. factus eſt nobis ſapientia à Deo. Hic enim æternus Dei filius ſemper adfuit Eccleſiæ, & Spiritu ſuo Prophetas, vt Petrus teſtatur, de ſeipſo inſtruxit. Proinde qui in doctrina Chriſti manet, in via ſalutis manet. Qui à doctrina Chriſti aberrat in viam gehennæ incurrit. Sit igitur vnicum noſtrum ſtudium ſynceritatem doctrinæ Euangelij complecti & tueri, poſthabitis omnibus periculis, vitæ & fortunarum. Sciamus veracem eſſe qui dicit, Qui perdiderit animam ſuam propter me & Euangelium, ſaluam facit eam.

Dux huius peregrinationis Chriſtus.

Hic nobis eſt Via, Veritas & Vita.

1. Eſt Via. Doctrina.

Quomodo eſt via merito? Quia ipſe ſolus obedientia crucis à peccatis nos expiat, & obedientiam ſuam qua legem impleuit imputat, vt iuſti cēſeamur corā Deo, ac ſi nos ipſi legē impleuiſſemus.

Meritò.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſemus. Atque hoc eſt quod Paulus ait, Rom.10.4. Chriſtus eſt impletio legis iñ iuſtitiam omni credenti,hoc eſt,Omnis qui credit,habet quod lex requirit, nempe iuſtitiam à Chriſto quidem præſtitam,ſed ſibi ex gratia imputatam,id quod Apoſtolus per collationem copioſè explicat Ro.5.16.vbi ſummam ſententiæ hiſce verbis complexus eſt. Sicuti per inobedientiã vnius hominis peccatores cõſtituti ſunt multi:ita per obedientiam vnius,iuſti conſtituentur multi.Et Auguſtinus ait in eandem ſententiam, *Delicta noſtra ſua delicta fecit,vt iuſtitiam ſuam noſtram iuſtitiam faceret.* Huius meriti Chriſti verè fiunt participes qui ſua peccata agnoſcunt,& deplorant,& cõfugiunt in vera conuerſione ad miſericordiã Dei quam promiſcuè omnibus offert Euangelium credẽtibus. Nã credens expiatur à peccatis virtute ſacrificij Chriſti, donatur iuſtitia Chriſti, & acceptatur gratis ad vitam æternã,hoc eſt,vt vno verbo dicã, iuſtificatur. Nihil enim aliud eſt iuſtificatio quàm credentis hominis abſolutio à peccato, imputatio iuſtitię Chriſti,& acceptatio gratuita ad vitam æternam propter Chriſtũ. Quicunque autem huic Chriſti merito ſuũ aſſuit,tãquam iuſtificationis vel partem,vel cauſam, vel complementum,à via ſalutis deflectit,iuxta illud Pauli ad Rõ.10.3. Ignorantes iuſtitiam Dei & ſuam quærentes ſtatuere,iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti.Finis enim legis Chriſtus in iuſtitiam omni credenti. Proinde maneamus in via meriti Chriſti,ne cum incredulis Iudęis & impiis Papiſtis iuſtitia & ſalute excidamus.

Exemplo.

Quomodo eſt via exemplo? Seipſum ſtatuendo pietatis normam,iuxta illud.Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum feci vobis,& vos faciatis. Item diligite vos inuicẽ ſicut ego dilexi vos. Ego ſum lux mundi,qui ſequitur me nõ ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ.Ioan.10.14.16.&c. Sequitur autem Chriſtum qui & doctrinam ipſius amplectitur, & merito ipſius nititur, & exemplum Chriſti tanquam lumen vitæ ſibi proponit. Doctrina proinde mentem illuminat Chriſtus, vt patrem monſtret. Merito iuſtificat.Exemplo vitæ normam præſcribit, vt iuſtiſſimè vnica via ſalutis,& beatitudinis dici mereatur.

Eſt veritas.

Quomodo Chriſtus Veritas eſt? Completione Prophetiarum,conſtantia promiſſorũ,& verę libertatis donatione. Primùm enim cõpleta ſunt in ipſo omnia Prophetarum vaticinia & figuræ veteris teſtamenti.Iuxta illud Iohan.1.17.Lex per Moſen data eſt,gratia & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt.Hoc eſt quæ Moſes figuris adumbrauit, Chriſtus veritate compleuit.Deinde conſtanter ſuas promiſſiones ſeruat,vnde ἀψευδὴς dicitur, promiſit ſe adfuturum Eccleſiæ,& ſuam præſentiam teſtatur mirabili Eccleſię conſeruatione in tot furoribus Diabolorum & hominum. Promiſit fore vt portæ inferorum non ſint præualituræ aduerſus Eccleſiam, quam promiſſionẽ conſtanter ſeruat.Veritas quoque eſt vera libertatis donatione.Huc illud dictũ Domini,Ioh.8.31. Si vos manſeritis in ſermone meo,cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.Hoc eſt,ex ſeruis peccati vos liberos Dei filios faciet, vt peccatum amplius in vos nullum habeat ius.Atq; hoc eſt quod in eodem ca.v. 36.dicitur.Si filius vos liberauit, verè liberi eritis.Liberat autẽ filius cùm hominẽ ſuo ſpiritu donet,iuxta illud, Vbi Spiritus Domini,ibi libertas.2.Cor.3.17.

Completione prophetiarũ.

Conſtãtia promiſſorum.

Libertatis donatione.

Eſt vita, regenerando.

Quomodo Chriſtus vita eſt? Regenerando,ſanctificando,& glorificando. Regenerando quidem,quia per Spiritum ſuum nos regenerat in nouos homines.Nam cum credimus, naſcimur Filij Dei arcano quodã afflatu,& operatione Spiritus Chriſti, iuxta illud Ioh.1.12.Dedit ἐξουσίαν vt filii Dei fierent qui credunt in nomen eius. ἐξουσία hoc in loco non tam poteſtatem quàm dignitatem ſignificat.quare Nonnus rectiſſimè reddidit οὐρανίην τιμὴν, id eſt,Cœleſtem honorem ſeu dignitatem.Quomodo autem fiat hæc noua Spiritualis natiuitas docet Chriſtus Ioh.3.8. cùm ait.Ventus quò vult ſpirat,& ſonũ eius audis,ſed neſcis vnde veniat,aut quò vadat:Ita eſt omnis qui genitus eſt à Spiritu,Hoc eſt.Vt venti ratio non percipitur,niſi ex ſpiratione & ſono: ita regeneratio noſtri fit occulto modo cùm credimus, ſed percipitur ex vi & effectu Spiritus Sancti in homine regenito. Huius nouæ regenerationis efficax ſymbolum eſt Baptiſmus.Porro hic cogitanda eſt collatio inter vitã naturæ & vitã gratiæ,vt magis excitemur ad amorem vitæ gratiæ. Vita naturæ,exiguæ menſuræ dimenſione continetur,ſed vita gratiæ eſt immortalitatis inchoatio.Vt imago figuras & non res habet:ita præſens vita nihil habet perpetuum,nihil ſtabile. Vnde Paulus ait,1.Cor.7.31.Pręterit figura huius ſeculi, habet enim præſens vita celerrimas mutationes.Verum vita gratiæ qua filij Dei ſumus,res habet manentes perpetuas & ſtabiles. Præſens vita naturæ dicitur,ſed vitam gratiæ Dei vitã eſſe teſtatur Apoſtolus,præſens vita excluſa eſt è Paradiſo,at vita gratiæ ingreſſa eſt in ſpirituale Paradiſum,quare de nouo cauendæ ſunt inſidiæ, ne rurſus à ſerpente antiquo decepti Paradiſo excludamur. Deinde Chriſtus eſt vita ſanctificando,nam regeniti in dies magis magiſque virtute mortis & reſurrectionis Chriſti mortificantur carne,& viuificantur Spiritu.Sic enim docet Apoſtolus Rom.6.3. cùm ait.An ignoratis quòd quicunque Baptiſati in Chriſtum Ieſum,in mortem eius Baptiſati ſumus. Conſepulti igitur cùm eo ſumus per Baptiſma in mortem,vt quemadmodũ excitatus eſt Chriſtus ex mortuis in gloriam Patris, ſic & nos in nouitate vitæ ambulemus. Quòd igitur mortificatur in nobis caro,virtute fit mortis Chriſti: quod viuificatur Spiritus, efficacia ſit reſurrectionis Chriſti.Hæc mortificatio & viuificatio partes ſunt ſanctificationis, ad quam nos vocatos eſſe teſtatur Apoſtolus,1.Theſſ.4.3.Hæc ſanctificatio ſeu ſeparatio hominis à prophanitate gentium,per mortificationem carnis,& coniunctio eiuſdem cum Deo per viuificationem Spiritus eſt renouatio ſeu reparatio imaginis Dei in homine.Quare vt imago Cæſaris in nummo monet quid debeatur Cæſari:ita hæc Dei imago monet quid homo hanc Dei imaginem gerẽs debeat Deo.Poſtremò dicitur vita glorificando. Nã ſua potentia nos excitabit, & excitatos donabit immortalitatis gloria.Nam Chriſti beneficium vtrũq; eſt,videlicet,excitatio mortuorum,& donatio æternæ vitæ,in qua ipſi conformes erimus in omni æternitate.Hæc conformitas Eccleſię cum Chriſto, quæ eſt coniunctio,& vnio ipſius cũ Deo,eſt perfecta hominis beatitudo,atq; adeo finis hominis. Nã ſi finis hominis eſt quod perfectũ hominem,& beatum reddit,ita vt nihil illi deſit,nihil deficiat, & ea de cauſa nominatur finis,quia ad vltimum & perfectiſſimum pertinet,profecto ſtatus hominis perfectiſſimus in æterna vita, erit illa cum Chriſto conformitas, in quo homo acquieſcet in omni æternitate beatus. Cùm in hunc finem Deus condiderit hominem, vult abſque omni dubio omnem hominem, hunc finem conſequi, iuxta illud, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & quia vult finem, vult etiam media ad finem. Quare Apoſtolus addit, Deus vult omnes ad agnitionem veritatis veni-

Sanctificando.

Glorificando.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

re. Nam ſine hoc medio nemo finem aſſequi poteſt. Cùm igitur huic fini deſtinatur miniſterium Euangelij, quis non videt quàm ſit neceſſarium, quàm diuinum, quàm amabile? Hunc finem qui ſibi verè proponit, non facilè abſterrebitur à confeſſione vllis tyrannorum minis, & perſecutionibus. Hęc de vera Eccleſia dicta ſufficiant. In tertium verſum dicetur volẽte Deo de triplici Eccleſiæ ſtatu, videlicet iuſto, turbato, & exilio. Itẽ de notis internis & externis veræ Eccleſiæ. In ſextum verſum de cruce & conſolatione Eccleſiæ ſub cruce.

Tertiæ partis 1. verſiculi expoſitio.

Sequitur quod tertio loco propoſui, cur videlicet Eccleſia adeo ſit dilecta & amabilis Domino zebaoth. Huius amoris cauſa non in nobis fundatur, ſed in ipſo Domino zebaoth, quemadmodum Paulus Epheſiis ſcribens ait, cap. 1. 6. Dilexit nos in dilecto, & Deus Pater hanc vocẽ ſonat de cœlo, Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi cõplacui, Matt. 3. 17. Omnis ergo qui in Chriſto eſt per fidẽ dilectus eſt Deo, & amabilis efficitur communicata ſibi bonitate, id eſt, iuſtitia, & pulchritudine, id eſt, ſanctitate Chriſti. Nam hæc duo, bonitas & pulchritudo, alliciunt animos in amorem ſui. Dilecta proinde Deo eſt Eccleſia in dilecto, hoc eſt, propter ſocietatem quam habet eccleſia cum Chriſto. Vt autem intelligatur qualis nam ſit illa ſocietas cum Chriſto, ob quam Eccleſia Deo redditur adeò amabilis, tenendi ſunt gradus ſocietatis hominum cum Chriſto Deo & homine.

Cur Eccleſia amatur a Deo.

Duplex ſocietas hominum cum Chriſto.

Eſt autem in vniuerſum duplex ſocietas hominum cum Chriſto. Vna non ſalutaris. Salutaris altera.

1. Non Salutaris: cuius ſunt 3. modi.

Non ſalutaris ſocietatis modi ſunt tres. *Primus*, naturæ tantum, qua videlicet cõiungũtur homines cũ Chriſto ſola naturæ humanæ communione, vt gentes omnes ignaræ Chriſti, Iudæi infideles, & Turcæ. *Secundus*, naturæ & externæ profeſsionis tantùm: Cùm vltra ſocietatem naturalẽ accedit profeſsio religionis Chriſtianæ externa, huiuſmodi eſt impiorũ qui ſe Chriſtianos ſimulant. *Tertius* eſt naturę externæ profeſſionis, & Sacramentalis tantum. Hęc ſocietas hypocritarum eſt, qui laruam ſanctitatis habent ſine viua in Chriſtum fiducia.

2. Salutaris: cuius ſunt tres modi.

Salutaris ſocietas cum Chriſto eſt qua homines ſociantur Chriſto communicato ſpiritu, & applicatis beneficiis mediatoris, & huius ſunt tres modi. *Primus*, naturæ & internæ coniunctionis tantum. Hac coniuncti ſunt Chriſto, qui in Chriſtum credũt, ſed latent, vt multi in Turcia & Papatu. *Secundus* eſt naturæ, internæ coniunctionis, & profeſſionis externæ tãtum: talis fuit Cornelij ante ſuſceptum baptiſmũ. *Tertius* eſt naturæ, internæ coniunctionis, externæ profeſſionis & ſacramentalis ſimul. Hic perfectiſſimus eſt, qualis eſt piorũ in Eccleſiis bene conſtitutis.

Hæc ſocietas Eccleſię cum Chriſto facit vt ſit Domino zebaoth longè dilectiſſima. Quare non immerito Dauid per admirationẽ canit. Quàm dilecta tabernacula tua Domine zebaoth! & Balaã Num. 24. 5. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael! Vt valles nemoroſę, ſicut horti iuxta fluuium, vt tabernacula quę fixit Deus & non homo. Cùm enim Propheta externa illa tabernacula oculis corporeis intueretur, Prophetico Spiritu contemplatus eſt pulchritudinẽ Eccleſiæ Chriſti quæ verè pulchra & amabilis Deo eſt, propter coniũctionem ſui cum Chriſto, in quo omnes qui credũt, & iuſti, & ſancti, & Deo dilecti ſunt, abundantes ſpiritualibus bonis, & expectantes beatam hereditatem, cuius nunc certiſsimum arrabonem habent ſpiritum ſanctum.

Doctrina.

Cùm hæc ſocietas cũ Deo in Chriſto, & per Chriſtum, ſit finis bonorum, atque adeò ſummum bonũ hominis, par eſt vt illud in ſummo pretio habeamus: atque adeò anteponamus omnibus rebus mundi, quantumuis pretioſis & charis. Hîc ergo requiritur ſumma cautio, ne vel noſtra culpa, vel aliena amittamus illud. Noſtra culpa amittitur quando ſegneſcimus, vel in lectione, & meditatione verbi, vel in exercitiis pietatis, vt in inuocatione, gratiarũ actione, vſu ſacramẽtorum, &c. Tum enim paulatim ſpiritus fidei extinguitur, & homo hac ſocietate excidit turpiter. Aliena culpa amittitur quando vel ſophiſtica, vel hypocriſi, vel tyrannide, vel peruerſitate multitudinis vel ſcandalis quibuſuis victi abiicimus confeſſionem, & huius diuinæ ſocietatis vinculũ rũpimus, atque potius multos malos imitari quàm paucos bonos proponimus. Cogitetur igitur periculum amiſſionis huius tanti boni. Multi enim fuerũt, qui cùm hanc ſocietatem non ea cura qua decebat tuerentur, prorſus ea exciderũt, & nunquã ad eam reuerſi ſunt. Vt Cain, Iudas, Saul. Cogitetur quàm triſtis ſit ſocietas hominis cum Diabolo cui ęternę pœnę propoſitæ ſunt. Ex his intelligi poteſt cur Dauid tanto deſiderio tabernaculorum Domini Zebaoth teneatur, quemadmodum in ſecundo verſu ſequitur.

2 *Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini, cor meum & caro mea exultauerunt in Deo viuo.*

De affectu Eccleſiæ erga deũ.

Quo affectu Eccleſiam erga Deum eſſe oporteat: docetur hoc verſu. Hic enim Dauid ſuo exemplo docet, quàm ardenter expetere deceat ſociẽtatem cum Eccleſia Dei, vt vera & ſpirituali exultatione in Deo viuo exultemus. Vide pulcherrimum ordinem cauſæ, effectus, & finis. Primus verſus ſummum bonum nobis proponit, videlicet ſocietatẽ cũ Deo ipſo, hic ſecundus ſummi boni cupiditatem in illuſtri exẽplo nobis commendat. Natura enim ita cõparati ſumus, vt ad bonum cognitum prona mente rapiamur, & ad ſummum bonum ſummo impetu feramur, quò illo frui liceat, quæ fruitio finis eſt & cognitionis & cupiditatis. In Pſ. 119. ſępe hoc ingens deſiderium indicat pſalmiſta cùm ait, In via teſtimoniorum tuorũ delectatus ſum, ſicut ſuper omnes diuitias. Itẽ, teſtimonia tua gaudium meum. Item contrita eſt anima mea præ deſiderio erga præcepta tua omni tempore. Item, oculi mei deficiunt in ſalutare tuum, & in eloquium iuſtitiæ tuę. Hoc Pſal. 42. 1. pulcherrima pictura exprimit cùm ait, Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum, Deum viuum. Quando veniam & videbo faciem Dei? Sicut igitur ceruus, in venatione fugiens infeſtatus canibus, longóque curſu & ſiti fatigatus, auidiſſimè appetit viuos latices: ita animus Dauidis cùm iam in exilio eſſet, auidiſſimè expetiit ſocietatem cum Eccleſia Dei, in qua ſonabat verbum, fiebant preces, & ſacrificia. Nam fons ille viuus eſt verbum Dei vnde vera vita, & viuæ conſolationes hauriũtur. Ex ciſternis humanis nulla nec vita, nec ſolida conſolatio peti poteſt. Attẽdamus igitur diligenter ordinem. Primum enim notitia præcedit: ignoti enim, vt rectè dicitur, nulla cupido. Deinde ex notitia concupiſcentia naſcitur, quæ non eſt carnis, ſed Spiritus ſeu fidei. Tertio hæc concupiſcentia mediis idoneis fertur ad finem acquirendum, poſsidendum, retinendum, & tãfruendum. Hîc vnuſquiſque examinet cor ſuum, an quam ad regulam ſeu amuſſim minimè fallacem, an tali deſiderio, quale hîc deſcribitur ardeat nec ne, quòd ſi ſenſerit ſe non ardere hoc ſancto deſiderio ſocietatis Eccleſiæ, quę eſt ſummum bonũ, lux quędam intus deficit, hoc eſt, nõ rectè intelligit quàm ſit amabilis

Ordo Pſalmi.

Doctrina.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

amabilis illa ſocietas ſanctorũ in Deo & inter ſe. Lumen igitur quærat quò mens illuſtrari poſſit, & cordis deſideriũ excitari, & fugiat tenebras ignorantiæ & malitiæ. At ſi ſenſerit hoc ardens deſideriũ, Spiritu ſancto ſe moueri ſtatuat, & hoc deſiderium meditatione verbi & precatione ardenti in ſe excitet, quò magis magiſque ardeat, & ſolus ille deſideretur qui ſolus deſiderium implere poteſt vt ita ad proprij fontis originem omnis, quam accepimus gratia reuertatur. Cupiditas ſiquidem homini naturaliter ineſt, vt quod bonum ſibi eſſe credit expetat, ſequaturque, adeptus verò retineat & conſeruet. Bonũ autem hominis verũ & ſolidũ eſt Deus ipſe, itaque vſque ad Deũ concupiſcendum ſe extendit, qui quoniã eſt immenſus, fit vt etiam cupiditatis noſtræ laxitas ſit immenſa, nec re alia expleri queat præterquàm Deo ipſo, ibi demũ ſiſtit & quieſcit. Hęc cupiditas etſi in omni homine ineſſe deberet: tamen in iis tantùm pura eſt, & ſancta, quorũ corda luce Dei illuſtrata ſunt, & purgati affectus. huic ſanctæ cupiditati cura quædam, & ſolicitudo Spiritus adeſt, vt & aſſequamur quod concupiſcimus, & vt retineamus, metus, cautio, & fortitudo animi aduerſus inuadentia nocumenta.

De cupiditate ſeu deſiderio piorum.

Sed quid eſt quod dicit? *Concupiſcit & deficit?* Hic defectus non eſt ceſſantis, ſed anhelantis. Nõ eſt ſegneſcentis, ſed ardentis. Nunquã enim ita expleri poteſt hæc ſancta cupiditas in hac vita, quin ſitiat adhuc fontem vitæ. Semper enim hæc Eccleſiæ vox erit, Iſ. 12.2.&c. Ecce Deus ſaluator meus, confidam & non timebo, quia fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Haurietis aquas de fontibus ſaluatoris, & dicetis in illa die, Confitemini Domino & inuocate nomen eius. Atque ideo ſubiungit pſalmiſta. *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deo viuo.* Quid? an nõ cor hominis peruerſum eſt ab initio? An non caro contaminata? Cor hominis ante regenerationẽ eſt peruerſum, lapideũ & durũ id eſt inobediens, vt non cedat monitis diuinis. Caro ſimiliter ante regenerationẽ eſt officina omnis generis malorũ affectuũ, quibus ſuppeditat inſtrumenta ad quæuis ſcelera perpetrãda. Quàm autem hæc ſint vera, duobus teſtimoniis ſcripturæ clarũ faciã. Quorũ prius docebit quales reuera ſimus ſine regenerationis gratia, poſterius huius rei cauſas aſſignabit. Quales autẽ ſimus docet Pau. ex pſalmo Rõ. 3.11.&c. cùm ait. Non eſt iuſtus quiſquã, non eſt intelligens, Non eſt requirens Deũ, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonũ. Ratio autem cur tales ſimus exprimitur ad Ephe. 4.17. Teſtificor, inquit, in Domino, vt iã non ambuletis ſicut gentes ambulant in vanitate cordis eorum, tenebris obſcuratũ habentes intellectũ, alienati à vita Dei per ignorantiã quæ eſt in ipſis, propter obdurationem cordis eorũ. Cordis obdurationẽ vocat extremũ ſtuporem, videlicet quod non tangantur homines ſenſu ſuorũ ſcelerũ, nec aſpirent ad meliora. Verum poſt regenerationẽ cũ manu Dei reformatũ eſt cor, hoc eſt, nouum à Deo creatũ, & purgatũ fide, iuxta illud Dauidis, Pſ. 51.12. Cor mundũ crea in me Deus, & Spiritũ rectũ innoua in viſceribus meis, fit carneum, id eſt, molle ſeu obediens, & cedit monitis diuinis, fit affectuũ nouorum ſedes, & imprimis timoris Dei, & lętitiæ ſeu exultationis. Vnde in Pſ. 2.11. dicitur, Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Timor hic eſt filialis, ſanctus, & purus. Exultatio verò Spiritus. Vbi autem hunc in modum dilatatur cor & exultat, iſta dilatatio, & exultatio in totũ corpus veluti diffunditur. Nã cùm cor principiũ ſit virtutis vitalis, ex quo in modum fiſtularum multiplices venæ per omne corpus calidũ Spiritũ feruentemque diffundunt, non mirũ eſt, illo dilatato, vt fit in gaudio ad amplectendũ obiectũ, ſpiritus vitales ſubtiliores diffundi per corpus totum, vnde in corpore lætitiæ ſigna apparent. Nam, vt contracto corde, & retento ſpiritu vitali, vt fit in mœſticia, reliquũ totum corpus malè afficitur (vnde illud, Pſ. 6.3.4. Anima mea turbata eſt, turbata ſunt omnia oſſa mea) Ita dilatato corde, & diffuſis ſpiritibus, exhilaratur totum corpus. Vnde Solomõ, Prou. 17.22. Cor lætum pro medicina eſt, Spiritus triſtis exſiccat oſſa.

Porrò quia cordis & carnis vocabula non eodem modo accipiuntur in ſcripturis, placet eorum ſignificata huc aſſcribere. Nam cum variè accipiuntur vocabula, ea ſignificatio ſemper eligenda eſt, quam ſententia & loci periſtaſis poſtulat.

Cor & caro quid ſignificet.

Cor igitur tribus modis in ſcriptura accipitur. Primum enim propriè vt eſt vnum ex viſceribus illudq; nobiliſsimum vt quod ſit vitæ principium, & fons primùm viuens, & vltimùm moriens. Vis enim vitalis, vt ait Auguſtinus, eſt in corde, quæ ad temperandum feruorẽ cordis, aërem hauriendo atque reddendo, & vitã & ſalutem toti corpori tribuit. Aëre namque puro, ſanguinẽ purificatum per totũ corpus impellit per venas pulſatiles quæ arteriæ vocantur. Secundò, accipitur metonymicῶs. Nã quoniã cor animæ receptaculum eſt, accipitur pro ipſa anima, pro eius proprietatibus & motibus, vt ſunt ratio, voluntas, cognitio, ingeniũ, conſilium, prudẽtia. Vnde cordati homines dicũtur, qui ingenio, prudentia, & mẽte valent. Tertiò, accipitur metaphoricῶs pro medio cuiuſque rei, item pro abſtruſo & arcano. Siue igitur ſubſtantiã cordis, ſiue inhabitantẽ mentẽ, ſiue naturales proprietates eius ſpectes, Deũ autorem habet, à quo profectò nihil mali conditum eſt cùm ſit optimus. Verùm aberrantes motus in corde vitioſi ſunt, qui non Deũ autorẽ habent, ſed voluntariã hominis defectionẽ à Deo. Deus Sapientiſſimus ita condidit homines, vt haberent facultatẽ quærendi neceſſaria, virtutẽ appetendi eadẽ, & vim tuendi ſuum ſtatum. Vnde ſunt tres illæ virtutes: λογιστικὴ, ἐπιθυμητικὴ, & θυμικὴ quæ ſanè virtutes per ſe & ſui creatione bonæ ſunt: ſed ex accedente morbo factæ ſunt malæ: vnde cor hominis & peruerſum & malum ſæpiſſime in ſcripturis dicitur, id quod ſanè hoc modo fit. Primũ, quando cor hominis falſa & erronea doctrina inficitur. Secundo, cùm deſtituitur vera cognitione. Tertiò, cum affectibus turbatur impuris. Quartò, cùm aſſentitur peccato, & eius concupiſcẽtiis obſequitur, impurum eſt & grauiſſimis veluti morbis affectum, ſeu vt breuius dicam, Cor peruerſum & malum fit, quando morbo opinionis prauæ corripitur, & tẽpeſtate affectuum aduerſus rectam rationẽ impellitur. Vnde infinita mala tanquam Symptomata quædam erũpunt. Verum cùm reformatur cor manu Dei, liberatur ab iſtis ſonticis morbis, & nouum efficitur, nõ quidẽ mutatione ſubſtantiæ, ſed qualitatis, ſiue habitus, vnde purũ & bonum efficitur. Hoc autem fit cùm verbum Dei auditur, cùm fides ex verbo concipitur per operationẽ Spiritus ſancti, qui in verbo eſt efficax. Nã fide purificantur corda. Ex quo fit vt pullulantibus affectibus reſiſtamus & indies meliores reddamur, adeo vt hoc vnicũ in votis habeamus, vt nos Deo approbemus, tale cor petit Dauid à Deo, cum inquit, Pſ. 51.12. cor mundum crea in me Deus, & Spiritum firmum innoua in viſceribus meis. Tale cor requirit etiã Ieremias, cùm ait cap. 4.4. Innouate nobis nouale, & ne ſemiretis ſuper ſpinas. Circũcidamini Domino, & amouete præputia cordis, hoc eſt,

Cordis tria ſignificata.

Quomodo cor hominis ſit & fiat malum.

Quomodo purũ & bonum efficitur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

innouemini & efficiamini noua creatura, abiectóque veteri homine induatis nouum, qui renouatur in agnitione Dei, qui iuxta Deum conditus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis: Cor igitur nouale & agrum dicit capacem diuini verbi, quod Domini ſemen exiſtit, quod non eſt petricoſum, quod non lutulentum, neq; ſpinoſum, hoc eſt, curis & ſolicitudinibus huius ſeculi impeditum vt ſit locus ſemini cœleſti. Huiuſmodi Ezechiel & vnum & carneum vocat cap.11.19 Et dabo eis cor vnum & Spiritum nouum dabo in viſceribus eorum, & amouebo cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneū. Hic cor vnum vocat, quod ſoli Deo adhæret, & ſeruit, & non Deo ac mãmonæ ſeu idolis, aut curis huius mūdi, vt quod non claudicet in vtramque partē. Vt igitur ex deprauatione naturæ habemus cor lapideum, id eſt, impiū & ad verbū Dei durū, quod corruptionem non admittit, ſicut lapis Adamas non cedit percutienti, & hoc deſignant Lapideæ tabulæ Moſis: ita cor carneum, cor ſequax, obediēs & credulum eſt, in quo verbum Dei imprimitur & manet, vt iã Deo obedire ſit ſtudiū vnicum. Vndè corde carere dicūtur qui intellectu & prudētia & obſequēdi ſtudio deſtituti ſunt, & præcipites ſequuntur deſideria carnis. Cùm ergo Dauid hic dicit cor ſuum exultare in Deo viuo, loquitur de corde nouo & à Deo per gratiam

Remedia adu. peccatum.

creato in noua creatione. Porrò, ne cor noſtrū liberatum à ſonticis iſtis morbis & nouum iã factū, rurſus in eoſdē morbos incurrat occupari perpetuò debet his tribus. Meditatione, quæ eſt occultæ veritatis ſtudioſa inueſtigatio. Cōtemplatione, quæ eſt perſpicuæ veritatis iucunda admiratio. vnde Pſ.34.9. Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus. Et Actione virtutis, quę eſt pietatis erga Deū, puritatis in priuata vita, iuſtitiæ ſeu charitatis erga proximos, & diligentiæ in officio præſtando ſeu vocatione.

Carnis varia ſignificata.

Carnis vocabulū etiã in ſcripturis variè accipitur. Nam *interdum* propriè & phyſicè ſignificat carneam maſſam quę ſignificatio eſt vulgo nota, vt alia eſt caro hominū, alia volucrū, alia piſciū. *Secundò*, per ſynecdochen, totum animal ſignificat, vt cùm dicitur omnis anima fuit in arca Noë, id eſt, omnis generis animalia, hinc eſt quòd ſæpe pro homine accipiatur ſimiliter per ſynecdochen. *Tertio*, per metonymiam ſignificat qualitatem hominis aduentitiam poſt lapſum primorum parentum, id eſt, quicquid ſine regenerationis gratia eſt in homine, vt cùm dicitur, Quod natum eſt ex carne, caro eſt, Item caro & ſanguis non intrabit in regnum cœlorum. Significatur ergo carnis vocabulo vicioſitas naturæ carni adhærens ex contagione peccati originis. *Quartò*, ſignificat externam rerum ſpeciem ſeu apparentiam, vt in illo dicto. Vos iudicatis ſecundum carnem. *Quinto*, ſignificat conditionē & ſtatū huius vitę, vt cùm Paulus dicit, Quòd in carne viuo, in fide viuo filij Dei.

Iam circumſtantia in pſalmo requirit primam & propriam ſignificationem: *Cor meum*, id eſt totus animus Spiritu Dei regeneratus, *& caro mea*, id eſt corpus, *exultant in Deo viuo*. Epitheton Viui non ſine

Cur deus dicitur viuus.

ſingulari emphaſi adiectum eſt. Nam hoc epitheto diſcernitur verus Deus ab idolis gentium, quæ nec viuunt nec vitam & ſalutē conferunt. Deinde ab omnibus rebus mundi quæ incertæ ſunt, vt fauor hominū. Vnde ſcribitur in Pſ.146.3.&c. Nolite cōfidere in principibus, aut filiis hominū in quibus nō eſt ſalus. Exibit Spiritus eius, & reuertetur in terrã ſuã. In illa die peribunt omnes cogitationes eius. Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, ſpes eius in Domino Deo ipſius. Hic opponit Deum Iacob viuum ſemper hominibus qui & mori poſſunt, & quorum voluntates ſunt inconſtantes, adeo vt qui in illis confidit, ſuper incerto ædificat fundamento. Deus a. tem cum & ſemper viuit, & nunquam mutatur fallere nó poteſt, quare in eo exultare tutiſſimum eſt, & Paulus, 1. ad Tim.6.17. præcipit diuitibus ne ſperent in incertis diuitiis, ſed in Deo viuente. Hîc etiam Paulus opponit viuentem Deum caducis diuitiis. Breuiter Deus omnibus rebus creatis opponitur, perpetuò viuens. In hoc ergo qui ſperat & exultat, nequaquàm confundetur. Nos igitur exemplo Dauidis, le-

Doctrina de lætitia ſpirituali.

ctione, meditatione, contemplatione, precatione, aliiſque pietatis exercitiis excitemus nos, vt verè cum Dauide ſentiamus hanc ſpiritualem exultationem tum in mente, tum in corde noſtro, nec cùm precamur prius deſinamus quàm ſentiatur Spiritualis hæc exultatio. Dauid in exilio deridetur ab hoſtibus, luit

Exempla Dauidis, Iobi, & martyrū.

pœnas ſuorum peccatorum: Is tamen ſub hoc ſenſu iræ dei non quieſcit precãdo, donec ſentiat hãc Spiritualem lætitiam qua ſe in ſuis ærumnis conſolatur. Iob vlceroſus à propria vxore contemptus, & irriſus ab amicis perfuſus hoc Spirituali gaudio ſe conſolatur, vnde in hãc vocem erumpit. Scio quòd redēptor meus viuit. Hanc lætitiã omnibus temporibus ſancti Dei martyres externis ſuppliciis oppoſuerunt quorū exēplis & nos erudiamur vt verè cum illis ſentiamus in nobis habitare Spiritum lætificātem. Nam vt rectè ait Bernhardus. *Habitare in corpore animum probant vitales motus: Habitare in anima Spiritum probat vita Spiritualis*. Huius Spiritualis vitæ pars eſt præcipua ſentire lętitiam Spiritualem in Deo viuo per Ieſum Chriſtum, veram Eccleſiæ vitam.

3. *Etenim paſſer inuenit domum, & hirundo nidum ſibi vbi ponat pullos ſuos, altaria tua Domine zebaoth, rex meus & Deus meus.*

De notis & confeſſione veræ Eccleſiæ.

Hîc docetur vbi quæratur vera Eccleſia, quæ ſint eius notæ, qualiſque cōfeſſio. Huius verſus ſenſus ideo obſcurior eſt, quia particulæ ſimilitudinis ſeu cōparationis omiſſæ ſunt, quod eſt vſitatum Hebræis. Sic ergo compleamus comparationem. Vt paſſer & hirundo, aliæque aues, (poſuit enim ſpecies pro genere) ædificant ſibi certos nidos in quibus excludūt, paſcunt, & fouēt pullos ſuos: Ita tu Domine zebaoth ſtatuiſti tua altaria tanquàm nidulos, in quibus verbo, ſpiritu, ſacramentis & diſciplina, generas, nutris, foues, & defendis tuos pullos, hoc eſt pios. Hac ergo cōparatione ſignificatur non ſolum affectus Domini zebaoth erga Eccleſiam, quem affectum Chriſtus ipſe ſibi accommodat Matt.23.37. cùm inquit, Quoties volui congregare filios tuos ſicut gallina congregat pullos ſuos, & noluiſti? Verum etiã quòd quilibet, cui ſalus cordi eſt, debeat ſe adiungere nidulis Dei, hoc eſt cœtui piorum, vbi publicū eſt miniſte-

Altaria Dei, quid.

riū verbi. Per altaria enim ſynecdochicῶs intelligit publicū Eccleſię miniſteriū, quod eſt viſibilis Eccleſiæ certiſſima nota. Significat proinde Dauid illum cœtum eſſe veram Eccleſiam, in quo ſunt docentes & diſcentes verbum Dei, in quo ceremoniæ diuinitus inſtitutæ ſunt in vſu, & Deus iuxta verbum ſuú colitur & publica fidei fit confeſſio. Nam hæc verba rex meus & Deus meus ſunt vox confeſſionis & fiduciæ. vbi proinde hæc ſunt, illic abſque omni dubio eſt Eccleſia vera, & ſanctorum ſocietas.

Triplex Eccleſiæ ſtatus.

Verùm, ne quis hîc erret, ſciendū eſt quòd in hac vita triplex ſit Eccleſiæ ſtatus. Videlicet iuſtus, turbatus, & exilium. Iuſtus ſtatus conſtat ordine iuſto,

1. Iuſtus, qui cōſtat Ordine.

poteſtate legitima, & autoritate. Ordo duplex eſt videlicet perſonarū & actionū. Prior eſt quē hîc primã

Ordo 1. rem perſonarum nobis proponit.

partē facimus iuſti ſtatus Eccleſiæ. Poſterior ad poteſtatē & autoritatem pertinet. Dicã igitur hîc de ordine perſonarū in regno Chriſti, quod eſt Eccleſia: qui

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

qui ſanè ordo quò magis accedit ad formā primitiuæ Eccleſiæ, eò eſt melior & innocentior: & quò magis recedit à ſimplicitate illa veteri, eò eſt deterior & nocentior. Primùm igitur iuſtiſſimo ordine prę́ſidet in hoc Spirituali imperio & regno Chriſti vnus monarcha, videlicet Ieſus Chriſtus, qui à patre acceptū regnum ſuo verbo & Spiritu adminiſtrat. Huius monarchæ regnum eſt Eccleſia, hoc eſt cœtus omnium credentiū per vniuerſum orbē, qui quamuis latè diſperſi ſint, pulcherrima tamen ſymmetria cohærent, vt vnam familiam Dei, & vnum corpus conſtituant, ſpiritu Chriſti, charitate mutua, donorum & officiorum communicatione, ſacramentorū vſu, confeſſione & cultu vnius Dei compactum & coagmentatū. Vnde tanta συμπάθεια exiſtit in hoc corpore, vt alij aliorum & lætis & triſtibus afficiantur. Præterea cùm hic cœtus verbo Dei regitur, duo ſunt in eo genera hominum, videlicet miniſtri verbi, & horum auditores. Hi cùm ſe mutuò atque parentes & liberi venerātur, & colūt, bene & rectè ſe habet Eccleſiæ ſtatus. Nā & hîc cauentur verbi corruptelæ, & mutuus amor ſchiſmata non admittit. Verum in miniſtris verbi ſemper fuit & eſt magna diuerſitas, pro donorum & vocationum differentia. Chriſtus enim aſcēdens in altū dedit dona hominibus, alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios doctores & Paſtores, qui tametſi eiuſdem poteſtatis, quoad iuriſdictionē ſpiritualem attinet, fuerint, plurimū tamē dignitate, & functionis gradu differebāt. Paulus gradu dignitatis & ordine Timotheo & Tito ſuperior erat. Timotheus gradu & ordine reliquos Epheſinæ vrbis preſbyteros excelluit: quos omnes Paulus in Actis Epiſcop s vocat. Hæc prælatura vtiliſſima fuit Eccleſię, fieri enim nō poteſt, vt quicquam rectè agatur, vbi omnes pares dignitate & ordine volunt eſſe, ſed iuxta dictū τῶν νομάδων ἀκούει οὐδεὶς οὐδὲν οὐδενός.

1. Chriſtū vnicum Eccleſiæ Regem & caput.
2. Eius corpus.
3. Mēbra.
De gradibus eccleſiaſticis.

Eccleſia ſecuta tempora apoſtolorum ſparſo latius Euangelio, & conſtitutis Eccleſiis inſtituit pro cōmodo ſuo ordinē miniſtrorū, & ordinauit Patriarchas, quorum munus erat curare, vt Epiſcopi cuiuſq; diœceſeos rectè eligerētur, & ordinarentur, vt ſuum munus Epiſcopi ſinguli probè adminiſtrarent, vt cuique Epiſcopo ſuus clerus ſuáque plebs in his quę Domini ſunt piè obſequerentur. Ordinauit præterea chorepiſcopos, quos Iuſtinus προεστῶτας, nos præpoſitos nominamus. Hi fuerunt Epiſcopis additi coadiutores. Adhęc ordinauit paſtores ſeu parochos, & catechetas. atque hæc fuit purioris Eccleſiæ ordinatio, quam reformatæ Eccleſiæ magna ex parte hodie reuocant, quatenus ſibi commodum eſſe videatur, repudiata tyrannide Paparum, qui à tempore Phocę imperatoris ius & imperium in Eccleſiam Dei contra mandatum Chriſti & exēpla Apoſtolorū ſibi ſacrilegè vſurpauerunt, id quod propriā notam Antichriſti fore nonnulli ex ſanctis patribus cum Apoſtolo paulo prodiderunt. Nam ab eo tempore omnes Papæ vnam eandemque perſonam ſuſtinuerunt, vt qui eadem larua tecti ſub nomine Chriſti, Chriſti Euangelium abolere conantur.

Poteſtas quam ſecundam partem fecimus iuſti ſtatus Eccleſiæ, eſt facultas Eccleſiæ, à Chriſto collata, quæ adminiſtratur iuxta verbū Dei, & vtilē piamq; conſtitutionem piorum gubernatorum. Nā hęc poteſtas eſt eorum quæ conſtituta ſunt in totius corporis Eccleſiæ ædificationem. Hæc vt à Chriſto eſt, ita verbo Chriſti nitatur, & iuxta verbum exerceatur in ſalutem & ædificationem totius Eccleſię neceſſe eſt. Ideo Paulus ait, Data eſt nobis poteſtas non ad deſtructionem.

Iuſtus ſtatus Eccleſiæ cōſtat ſecundo loco poteſtate.

Hæc poteſtas duplex eſt. Videlicet ordinata & iuriſdictionis. Ordinata eſt quæ certam regulam agēdi habet, quam ſemper ſequuntur miniſtri euangelij in iuſto eccleſiæ ſtatu, nec requirunt deliberationē, aut ſenatus eccleſiaſtici ſententiam, ſed iuxta præſcriptam regulam, eccleſiam adminiſtrant. Hæc prædicantes Euangelium recipiunt in Eccleſiam eos qui ad Euangelij prędicationem conuertuntur, & Chriſto monarchæ Eccleſiæ dant nomina, iuxta hoc Chriſti mandatum. Ite in mundum vniuerſum & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui vero non crediderit cōdēnabitur. Marc.16.15. Huc & illud dictum Domini ad Petrum, Dabo tibi claues regni Cœlorū, & quodcunque ligaueris in terra, erit in cœlis ligatum, & quodcunque ſolueris in terra, erit ſolutum in cœlis. Matth.16.18.

Poteſtas ordinata.

Sed quę nam ſunt iſtæ claues? Hę claues regni cœlorum abſque omni dubio ſunt quibus regnum cœlorum aperitur & clauditur. Aperiri autem & claudi regnum cœlorū prędicatione Euangelii omnibus piis in confeſſo eſt qui credunt verbis Chriſti qui ait Matth.28.19. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, euntes ergo, docete omnes gentes. Et Iohan.20.21.&c. Sicut miſit me pater & ego mitto vos & cùm hæc dixiſſet inſufflauit in eos, & dixit, Quorūcunque remiſeritis peccata, remittētur eis, & quorūcunque retinueritis retenta ſunt. Quomodo aperiunt & claudunt? Remittendo & retinēdo peccata. Quomodo remittunt & retinent peccata? Prædicādo conuerſionē & remiſſionē peccatorū in nomine Chriſti. Miniſtri proinde Euangelij quantū in ſe eſt aperiunt regnū cœlorū & remittunt peccata nomine eius cuius legatione funguntur, quando prædicāt Euangeliū. Verùm ſi auditores credunt prædicationi Euangelij aperitur eis regnū cœlorum & remittuntur eis peccata, non à miniſtris ſed ab ipſo Domino, cuius nomine miniſtri annunciant remiſſionem peccatorum. At ſi auditores credere recuſent, dicuntur miniſtri claudere regnum cœlorum, & retinere peccata idque propter euentum, non ex conſilio eorum quo vellent libenter omnes ſuos auditores credere Euangelio & ſaluari.

De clauibus regni cælorum.

Hæc poteſtas Chriſti miniſtris Euangelii concredita rectiſſimè & aptiſsimè ſymbolo clauium ſignificatur. Nam vt conſtitutis œconomis in familia traduntur claues, vt adminiſtrent Dominum, aperiant & claudant, non pro ſuo ſed pro patrisfamiliâs arbitrio: Ita miniſtris Euangelii data eſt poteſtas aperiēdi & claudendi regnum cœlorum iuxta mandatum & præſcriptum patrisfamiliâs Chriſti. Sunt enim œconomi, non patresfamiliâs, non Domini, ſed ſerui, atque ideo debent ex præſcripto Dominorū omnia adminiſtrare. Atq; hanc ob cauſam Paulus miniſtros Euangelij œconomos myſteriorum Dei appellat, in quibus hoc ſolùm requiritur, vt ſint fideles. Breuiter ſumma huc redit. Claues Eccleſiæ ſunt verbum & fides. Vt enim Prædicatio verbi Dei de remiſſione peccatorū impetranda per Chriſtū vna clauis eſt ad aperiendū & claudendū regnū cœlorum, (Hęc vna clauis duplicē vſum habet. Vnū ex ſua natura quę eſt aperire regnū cœlorū. Alterū ex culpa auditorū quæ eſt claudere regnum cœlorum, atque ideo Chriſtus ipſe aliis quidem eſt odor mortis in mortem, aliis verò odor vitæ in vitam. Verùm vt odor vitæ eſt ſua natura, ita odor mortis hominum vitio qui Euangelio credere nolunt. Eſt proinde reipſa vna clauis ſed duplex vſu.) Ita qui credit Euangelio per efficaciam Spiritus Sancti adiungit fidem quæ eſt veluti altera clauis regni cœlorum. His duabus clauibus recluditur regnum cœlorū, & impetratur condonatio

Duplex vſus clauium.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Vſus clauium.

peccatorum. Porro vt Chriſtus, Petrus, Philippus, Iohannes, Paulus & cæteri Apoſtoli, nunc multis ſimul, nunc vni ſeorſum accommodarunt hanc clauē: Ita pij miniſtri verbi & publicè & priuatim hanc poteſtatem vſurpare poſſunt aperiēdi & claudendi regnum cœlorum, hoc eſt ligandi & ſoluendi peccata.

Ligare quid.

Vt enim ligatio hæc, eſt hominis, non credentis Euangelio, ſed ſeruientis peccato & Diabolo, adiudicatio ad mortem & damnationem niſi fiat conuerſio:

Soluere.

Ita ſolutio eſt hominis, credentis Euāgelio, liberatio à triſtiſſima ſeruitute peccati & Diaboli, & donatio exoptatiſſimę libertatis in Chriſto Ieſu: vt iam liber à morte & damnatione ſeruiat Deo per iuſtitiā in omni æternitate beatus. Hinc patet, & quàm ſit ſublimis hæc poteſtas, & quòd non ſit alligata hominibus: vt Papa putat, ſed miniſterio verbi, & quod huic poteſtati ordinarium regimen Eccleſiæ ſubiiciatur, quatenus Eccleſia doctrina, ſacramentis, cæremoniis & diſciplina regatur.

Poteſtas iuriſdictionis.

Poteſtas iuriſdictionis etſi maxima ex parte à poteſtate clauium dependet, tamen quia requirit deliberationem & conſultationem propter cauſarum, quæ offeruntur, circumſtantias varias, quæ vniuerſalibus regulis comprehendi non poſſunt, eam à priori quæ ordinaria eſt diſtinguo.

In tribus poſita.

Eſt autē hæc poteſtas quam iuriſdictionis appello, in trib. poſita, videlicet in veræ doctrinæ approbatione, in falſæ doctrinę improbatione & Eccleſiaſticæ diſciplinæ moderatione.

Approbatio veræ doctrinæ.

Quòd autem Eccleſia catholica, & eius membra ſingula habent poteſtatem. cognoſcendi & approbādi doctrinā manifeſtum eſt. Nam & Chriſtus inuitat ad ſe omnes vt à ſe diſcant, & Apoſtoli mittunt vt doceant, & Deus requirit ſeriò notitiam ſui verbi, ſine qua ſalus contingere nequit. Sacrilegi proinde ſunt Papiſtæ qui laicos arcent à lectione ſacrorum librorum, & interdicunt ne ſacra biblia vulgò noto idiomate excudantur, & legantur: qua in re profectò declarant ſe crudeliſſimos hoſtes eſſe ſalutis hominum, quibus meritò lamentabile illud epiphthegma terrorem incutere deberet quod eſt Lucæ 11.52. Væ vobis legiſperitis qui ſuſtuliſtis clauem ſcientiæ, ipſi non introiſtis, & eos qui introibāt prohibuiſtis. Hæc obiurgatio pertinet ad omnes omnium temporum Phariſæos, qui ſibi docendi ius vendicant, ſed interim veram viam ad Chriſtum corrumpendo doctrinam intercludunt ex mera malitia & odio planè Diabolico.

Improbatio falſæ doctrinæ.

2. Secunda pars iuriſdictionis Eccleſiæ eſt poteſtas improbandi & reiiciendi falſam & erroneam doctrinam tanquam inuentum dæmoniorum. Ideò Chriſtus ait Matth. 7.15. Cauete à falſis Prophetis. & Lucæ 12.1. Cauete à fermento Phariſæorum, & Paulus ad Gal. 1.8. Si quis aliud Euangelium docuerit anathema ſit. Nec patrocinatur Papiſtis, vt illi autumant, dictum Domini, Matth. 23.2. Super cathedram Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi, omnia igitur quæcunque iuſſerint vos facere, facite. Nam alibi idem Dominus ait de iiſdem Phariſæis, Sinite illos, quia cæci ſunt duces cæcorum. Matth. 15.14. ex quo duo concludam. Vnum quòd audiendi ſint, quatenus ſuper cathedram Moſis ſedeant, hoc eſt, quatenus doctrinam Moſis incorruptam adferāt. Alterum quòd omnia dicta quibus mandatur nobis obedientia erga præpoſitos & doctores Eccleſiæ implicitam habeant conditionem, videlicet quòd ſit illis obediendum, modò ea præcipiant quæ Dominus illis commendauit, id eſt, audiendi ſunt modò Dominus per eos loquatur, & non antiquus ille ſerpens qui noſtros primos parentes ſeduxit. Hoc ipſum vult & dictum Domini Luc. 10.16. Qui vos audit (ſc. mea verba ſonantes) me audit.

Eccleſiaſticæ diſciplinæ moderatio.

Tertia pars iuriſdictionis eſt diſciplina, quæ eſt pędagogia qua homines in Eccleſiam Dei recepti reguntur & coercent, atque adeo ad pietatem, iuſtitiā, modeſtiam, & ad alias virtutes aſſuefiūt, ne quid cōmittatur Chriſtiana profeſſione indignum, ſeu, vt breuius dicam, Diſciplina, quam nunc παιδείαν, nunc παίδευσιν, vocant, eſt vitæ morumque inſtitutio & aſſuefactio ad pietatem, honeſtatem & innocentiam, cùm interior tum exterior. Interior mētis, affectuū, & voluntatis eſt. Exterior, linguam, geſtus, & facta gubernat.

Huius duæ partes. Directio.

Sunt autem duæ partes huius diſciplinæ. Videlicet directio & correctio. Directio eſt quæ in recta via homines regit, ducitque. Atque hæc directio fieri debet ad regulam verbi diuini; ad leges piorum gubernatorum: ad laudabilia exempla. Regula diuini verbi, quid fugiendum, quídque expetendum ſit & agendum docet. Hanc regulam proponit catecheſis puerorum quæ multis concionibus Prophetarum & Apoſtolorum fuſius explicatur. Leges piorum gubernatorum accōmodāt regulā, prout maximè expedire videtur, iuxta ætatū diſcrimina & vocationū. Vnde alij canones de cleri, alij de populi diſciplina ſcripti ſunt. Laudabilia exēpla ſunt veluti pictę regulæ legum. Nā quod regula diuini verbi & leges deſcribunt atque menti offerunt, hoc in exēplis illuſtribus quodāmodo ſubiicitur oculis: quare Chriſtus ait, Exemplū dedi vobis. Et Paulus, Imitatores Dei eſtote, quemadmodū filij chariſſimi, & ambulate in dilectione. Hęc ergo perfectiſſima docendi ratio eſt, cùm id quod regulis traditur in exēplis monſtratur: quare laudandi ſunt qui ita viuunt vt docent, modò rectè doceant & viuant. Ita enim Euſebius laudaturus Origenem dicebat: *Hic eſt qui viuit vt loquitur, & loquitur vt viuit.*

Correctio.

Correctio eſt quæ aberrantes à via in rectā viā reuocat. Fit autem hęc correctio indicatione, exhortatione, obiurgatione, comminatione, & pœnis. Non quòd hæc omnia in omni correctione adhibeantur. Sed vt is qui aberrauit affectus eſt. Si enim indicatione erroris & exhortatione emendatur, non erit opus aliis remediis. Verùm hic prudentes morum cenſores dabunt operam vt omni correctione eluceat paternus animus, & non crudelis ſeueritas. Nā vt ille amorē erga correctores auget, ita hæc odiū & contumaciā parit, vt Ambroſius ait. *Qui crudeliter caſtigatur vel increpatur, nec increpationem ſuſcipit nec ſalutē.*

De pœnis Eccleſiaſticis.

Verùm ſi quis nec indicatione erroris & exhortatione, nec obiurgatione, aut cōminatione emendari poteſt, aſperiora remedia tentanda ſunt, hoc eſt, pœna iuxta doctrinā Euangelij explorandū eſt, an reuocari poſſit in viā qui aberrauit. Pœna autē hæc duplex eſt, videlicet excommunicationis in flagitioſè viuētes, & anathematis in pertinaces hæreticos.

Excommunicatio.

Sed de excommunicatione primo loco dicamus, quæ cùm adhiberi poteſt ad ædificationē, prudenter & grauiter cùm ſumma commiſeratione exercenda eſt, ſententia prius in reum contumacē lata à gubernatoribus diſciplinæ. Verùm hic ſingularis cautio adhibenda eſt, ne ita euellas zizania vt ſimul & triticum deſtruas.

Tres eius fines.

Poteſt autē hoc caueri ſi conſiderētur fines excōmunicationis, qui ſunt tres. Primus, ne cū Dei contumelia inter Chriſtianos feratur qui turpē & flagitioſam vitā degit. Secundus, ne aſſidua malorū conſuetudine boni etiā corrumpantur, modicum enim fermentū totam maſſam corrūpit. Tertius, vt lapſus pudore ſuffuſus tandē reſipiſcat & reconcilietur Eccleſiæ. Hi tres fines ædificationem Eccleſiæ ſibi propoſitam habent & vnionem, quare diligenter videndum eſt quando excommunicatio ædificat, & quando non ædificat. Nam ſi deſtruit magis quàm ædificat omnino ab ea abſtinēdum eſt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Vnde Auguſtinus loquens de excommunicationis remedio ait: *Fiat hoc vbi periculum ſchiſmatis nullum eſt, eradicanda ſunt zizania, modò triticum vnà non euellatur.* Plura de excommunicatione & receptione lapſi fratris in Eccleſiam legantur, in libello de Paſtore, & in Enchiridio.

Anathema.

Anathema tantum exercendum eſt in hæreticos pertinaces, hoc eſt, corruptores Euangelij, qui aliquoties admoniti, pertinaciter defendunt ſuos errores, nec volunt reſipiſcere. Hi quia ἀυτοκατάκριτοι ſunt, vt Paulus loquitur, à corpore Chriſti, id eſt, Eccleſia, prorſus abſcindendi ſunt, ne plures illorum cõtagione inficiantur, atque ita paulatim deſtruatur regnum Chriſti.

De anathemate teſtimonia.

Quòd autem hæc pœna in hæreticos exerceri poſsit & debeat, confirmat primùm Pauli conduplicata teſtificatio ad Galat. 1. 18. Etiamſi nos aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præter id quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Vt antea diximus, etiam nunc iterum dico, ſi quis vobis euangelizet præter id quod accepiſtis, anathema ſit. Deinde præceptum Pauli eodem pertinet, Tit. 3. 10. Hæreticum hominem poſt vnam atque alteram admonitionem deuita, ſciẽs quod euerſus ſit qui huiuſmodi eſt, & peccet, vt qui ſuopte iudicio ſit condemnatus. Huc & illud Ioannis in ſecunda pertinet: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis.

Exẽpla.

Huc & exempla patrum pertinent, qui Arrium, Sabellium, Manem, & alios anathemate percuſſerunt.

Regula.

Vt autem hæc pœna grauiſsima rectè adhibeatur, cauẽdum eſt imprimis ne temerè & ex affectibus re non prius exactiſsimè examinata & cognita exerceatur in innocentes: quod cùm fit, non tam ligat eos qui innocenter feriuntur, quàm eos qui iniuſtè anathema exercent. Nam cùm Deus ſoluit quod homo ligat, non eſt pertimeſcenda hominis temeritas. Siquidem & Chriſtus prædixit fore, vt Phariſæi excluderent docentes Euangelium: quemadmodum Papa Antichriſtus hodie facit. Is enim non eiaculatur ſuum fulmen anathematis in hæreticos, ſed in eos qui ſincerè Prophetica & Apoſtolica ſcripta tuentur: In eos qui ſolo ſanguine Chriſti docent hominum peccata expiari: In eos qui non inuocant ſanctos: In eos qui nugamenta Papæ omnia non recipiunt. Breuiter, in eos qui Papam loco Dei non adorant, id eſt, in eos qui non præferunt traditiones papales mandatis Dei. Non ſunt proinde magis metuendi anathematiſmi papales, quàm ſi amator aliquis turpis omnes ſuas veteres amicas & adulteras anathemate ferire vellet, quæ, iam contemto meretricio amore, & adulterinis complexibus ſpretis, honeſtis oblectantur nuptijs.

Iuſtus ſtatus Eccleſiæ, tertio loco conſtat autoritate.

Cum poteſtate coniuncta eſt autoritas, quam tertiam iuſti ſtatus Eccleſię partem feci. Huic ſubijciunt duas res, videlicet traditionem, & interpretationem ſcripturę.

De traditionibus.

Traditio Papiſtis ſignificat leges, quas Papæ, Epiſcopi, & prælati Eccleſiæ præter verbum Dei, ſæpe etiam cõtra verbum Dei, obtrudunt. Vt autem hanc ſuam autoritatem ſtabilire & munire videantur verbo Dei, adducunt & dictum Pauli & exemplum Apoſtolorum. Dictum Pauli hoc eſt, 2. Theſ. 2. 15. Tenete traditiones quas didiciſtis, vel per ſermonem vel per Epiſtolam noſtram. Exemplum Apoſtolorum adducunt, qui præcipiunt gentibus, vt abſtineant ab idolothytis, ſuffocato & ſanguine, Act. 15. 20. Hinc duo colligunt Papiſtæ. Vnum quod habeãt autoritatem condendi traditiones quas volunt, quòd populus debeat ipſis obediẽtiam. Quid autem his ſit reſpondendum apparebit, cùm ex declaratione vocabuli traditionis, tum ex diſtinctione rituũ.

De vſu vocabuli traditionis.

Dicamus igitur primum de vſu vocabuli traditionis. Nam Apoſtolis & ſanctis patribus lõgè alius vſus huius vocabuli fuit quàm Papiſtis, quemadmodum ex collatione Scripturarũ clarũ faciemus. Paulus 1. Cor. 15. 3. Tradidi, inquit, vobis imprimis quod & accepi, quod Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris ſecundum ſcripturas. Et 1. Cor. 11. 23. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis, quod Ieſus Chriſtus in ea nocte qua traditus eſt, accepit panem, &c. Mat. 15. 2. Cur diſcipuli tui tranſgrediũtur traditiones ſeniorum? ex his teſtimonijs triplicem eſſe traditionem cõcludo.

Triplex traditio.

Primam doctrinæ: mediam diuinarũ ceremoniarum: vltimam rituum humanorum.

1. Doctrinæ.

Traditio doctrinæ eſt Legis & Euãgelij, & illorum quæ cum illis cõiuncta ſunt. Hæc quia mandatum Dei habet, ab hominibus mutari non debet.

2. Ceremoniarũ.

Traditio ceremoniarũ diuinarum eſt Baptiſmi & cœnæ Dominicæ in nouo Teſtamẽto, quæ ſimiliter autoritate Chriſti nititur, quare & illa immutabilis.

3. Rituum humanorum.

Traditio rituum humanorum cõtinet canones varios, cùm de ceremonijs, tùm de diſciplina cleri & populi. Hæc mutari poteſt pro cõmodo Eccleſiæ, & iudicio gubernatorum. Irenæus lib. 3. ſæpe traditionis vocabulo vtitur, pro doctrina quã Apoſtoli acceptam à Domino tradiderũt auditoribus ſuis: & vocat idem autor, Symbolum Apoſtolicũ traditionem Apoſtolorũ.

De mutatione rituum.

Iam autem cùm iuxta doctrinam Pauli, Eccleſia habeat autoritatem ordinãdi ritus qui faciũt ad ædificationem, (ita enim ait: Nobis data eſt poteſtas ad ædificationem. Item omnia fiant κτ̓ τάξιν κ̀ ἐυσχημόνως, id eſt, ordinatè & decorè) poſſunt pij gubernatores ordinare ritus decori & ordinis cauſa. Decori quidẽ finis duplex erit: Vnus, vt excitemur iſtis adminiculis ad pietatẽ. Alter, vt modeſtia & grauitas in pietatis tractatione eluceat. Ordinis verò triplex erit finis. Primus, vt præſidentes & prȩcones Euãgelij habeant certam agendi regulam. Secũdus, vt auditores aſſuefiãt ad obedientiam & diſciplinam. Tertius, vt bene cõpoſito Eccleſiæ ſtatu, paci & cõcordię conſulatur. Debet etiam populus in hac re gubernatoribus Eccleſiarum obediẽtiam, ſed cum certis exceptionibus.

Quid cauendum in traditionibus humanis.

Plura enim in traditionibus humanis cauenda ſunt. 1. Ne pugnent traditiones cum analogia fidei, néue abducãt à Chriſto, quales ſunt ritus plȩriq; Papales, vt de inuocatione ſanctorũ, de prophanatione miſſarũ, de nundinis indulgẽtiarum, de circumgeſtatione & adoratione panis, de luſtrali aqua, de roſarijs, de cõſecrationibus varijs, de nugamẽto purgatorij, & infinitis alijs nugis & imposturis Diabolicis. In his excuſat pios ſuperioris autoritas, quę iubet vt fugiamus idola. 2. Ne prȩferantur doctrinę cœleſti & ritibus diuinis, quẽadmodum & olim à Phariſęis factum eſt, vt habetur Marc 7. 13. Irritum facitis mandatum Dei vt traditiones veſtras ſeruetis, & hodie fit manifeſtè à Papiſtis. Sicuti clariſſimè in pœnis apparet, quibus tranſgreſſores mãdati Dei & traditionum papalium puniũtur. Sciatur itaq; quod vt diuinę traditiones nos obligãt mãdato Dei ad perpetuam obedientiam: ita humanæ traditiones cedãt libertati Chriſtianæ extra caſum ſcãdali. 3. Ne ad ſalutẽ putentur neceſſariæ, néue pro cultu Dei habeãtur per ſe, & ex opere operato, vt loquũtur. 4. Ne ſub ἀδιαφορίας prȩtextu venenũ propinẽt. Nã vt ſunt Papiſtę vafri, ea quę ſpecioſa videtur, amplificant, & celant hamũ lȩthiferum ſub eſca mellita. Clamitant nonnulli ex Papiſtis ſuam miſſam, nec mãdatam, nec prohibitã eſſe verbo Dei, ideóq; liberã & piè à ſanctis patribus inſtitutã in memoriã ſacrificij Chriſti. Verùm ſub iſta ἐυμορφία verborum, tãquam ſub veſte quadam, idolum abominandũ tegunt, de quo ſuo loco dicemus. Proinde prudẽter videndum eſt, quãdo vera decori & ordinis ratio habeatur ad ędificationẽ.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

De interpretatione ſcripturæ.

Interpretatio ſcripturæ, quam autoritati ſubiiciũt, cùm ſit donum Dei liberrimum, vt quod conferat Dominus cui vult, nõ poteſt humana autoritate certo hominũ ordini alligari. Quẽadmodũ enim Deus olim, non contulit tantum ordinarijs Epiſcopis vaticinandi ſpiritũ, imò paucisſimi illorũ eo dono erãt ornati: nec tribui Leuiticæ, verùm multos in alijs tribubus vatidico ſpiritu claros fecit: Ita Filius Dei nõn vult hoc donum ordinariæ ſucceſsioni alligatũ eſſe, ſed illud confert quibus vult. In caſtris Hebræorum nũciatum eſt quod Heldad & Medad vaticinarẽtur. hoc cùm ægreferret Ioſua ſeruus Moſis, rogauit dominũ ſuũ vt hoc prohiberet. Sed quid Moſes? Quid, inquit, æmularis pro me? Quis tribuet, vt omnis populus Dei prophetet, & det eis Deus ſpiritum ſuum? Num. 11. 25. Donũ proinde Dei peculiare eſt ſpiritus prophetiæ, & interpretatio verbi diuini. Hoc donum confert Deus nunc immediatè, nunc mediatè. Cum hoc donũ immediatè largitur, inter miracula cenſendum eſt. Cùm autem mediatè, ordinarium donũ Dei eſt: quod confert piè inuocãtibus, & laborantibus, & auget in ijs qui illo in gloriam Dei rectè vtũtur. Verùm hic tria obſeruanda ſunt. Primùm quòd tametſi hoc donum ſæpe confertur multis, nemo tamen ſibi autoritatem ſumat docendi in Eccleſia ſine vocatione legitima. Nihil enim fœliciter cedit, vbi homines ſine vocatione legitima irrumpunt in munus docendi, & currunt nemine vocante. Quod ſi quidam hodie factioſi cogitarent, minus eſſet turbarum in Eccleſia Dei. Secundùm, quod penes totam Eccleſiam & ſingula eius membra ſit autoritas, vt ſuprà quoq; memini, probandi ſpiritus. Ita enim ait Apoſtolus: Probate ſpiritus num à Deo ſint. 1. Ioan. 4. 1. Tertiũ, quod non omnia dicta interpretũ ſint eiuſdem ponderis. Nam alia interpretum dicta ſunt probabilia, alia demonſtrata, alia cum principijs pugnantia. Probabilia propter autoritatem eorum qui ea pronunciarunt, tantiſper retineri poſſunt, donec trahãtur in malam conſequentiam. Quod cùm ſit, autoritas humana non debet nos cogere, vt diſcedamus à manifeſta veritate. Demonſtrata, hoc eſt, quæ euidentisſimè colliguntur & demonſtrantur ex verbo Dei, non ſecus recipienda ſunt quàm quæ Deus ore ſuo pronunciauit. Nam eorum veritas ex verbo Dei pendet. Huiuſmodi ſunt Symbolum Apoſtolicum, Nicenũ, Ambroſianum, Athanaſianum, & multa alia. Pugnãtia cum principijs non ſecus fugiẽda ſunt, quàm vox ſerpentis, qua decepti ſunt primi parẽtes noſtri. Huius generis ſunt plurimorum hæreticorum dicta, & plurima Papalium decreta & placita. Hæc vt deteſtemur tanquam anathemata, diuina autoritate compellimur, modò ſeriò vobis pietas ſit cordi.

Quibus datur.

Quomodo.

Regulæ.

Patrum & doctorum Eccleſiæ ſcripta quomodo legenda & recipienda.

De notis externis iuſti ſtatus Eccleſiæ ſentẽtia Lutheri.

Hactenus de partibus iuſti ſtatus Eccleſiæ, cuius externas notas, quę ſub hiſce tribus partibus claudũtur, octo numerat Lutherus, in libello cui titulum fecit de Concilijs. Harum prima eſt vox incorrupta de Filio Dei, ſine cuius notitia Eccleſia vera nullo modo vel exiſtere vel agnoſci poteſt. Secunda, verus vſus Baptiſmi, qui eſt veluti ianua, per quam homines viſibiliter introducũtur in familiam Dei. Tertia, legitimus vſus cœnę Dominicę iuxta inſtitutionẽ Chriſti. Quarta, vſus clauium, iuxta ordinationem Chriſti per quem Eccleſia ſuam exerit poteſtatem: Cùm vel prędicatione credentes in regnum cœlorum recipit: Vel diſciplina filios immorigeros caſtigat: Vel etiã reſipiſcẽtes rurſus in gratiam recipit. Quinta, ius vocandi miniſtros & conſecrandi per impoſitionẽ manuum, qui nobis vt miniſtri impertiunt verbum, Baptiſmum, Cœnam, & abſolutionem. Sexta, publica oratio, gratiarum actio, & celebratio Dei in cœtu ſanctorum. Septima, Crux. hac enim nota tanquam teſſera quadam ideo vult Dominus notari ſuos, vt fiant conformes imagini Filij eius. Nam quos decreuit olim glorificare, eos cruce præparat, iuxta illud, 2. Tim. 2. 12. Si cum eo patimur, cum illo quoque glorificabimur. Octaua, multa officia charitatis inter domeſticos Eccleſiæ, quibus declarant ſe eodem ſpiritu Chriſti duci, & in eandem tendere patriam.

II. Turbatus eccleſiæ ſtatus.

Turbatus Eccleſiæ ſtatus, eſt vbi vel cõfunduntur & cõmiſcentur officia ciuilium & Eccleſiaſticorum gubernatorum. Vel pręſidentes ſumunt ſibi imperiũ in clerum Domini, contra interdictũ Petri. Vel concordia ſchiſmatis violatur: vel Eccleſia hæreſibus tãquam tẽpeſtatibus concutitur: vel laxatur diſciplina, & impeditur, vel propter potentiam peccãtium, vel propter ignauiam & timorẽ gubernatorum diſciplinæ. Hic piorũ eſt deflere Eccleſiæ vulnera, agnoſcere cõmunem infirmitatem & peccata, ac petere mitigationem pœnarũ à Deo ardẽtisſimis precibus, vt ipſe reprimat furores diabolorum & hominũ, qui Eccleſiæ Dei inſidiantur, vt eam vel prorſus opprimãt, vel ſaltem turbẽt. Conſolẽtur etiam ſe exemplis ſanctorum multorum, qui ſimilem fortunam experti ſunt, Sciãt Deum permittere huiuſmodi turbas excitari, vt probentur electi, tãquam igni quodam, vt Petrus loquitur. Intueantur hiſtoriam Eccleſiæ omnium temporum. Nam vt Satanas noſtris primis parentibus in Paradiſo, ita in Eccleſia ſemper pijs inſidiatur, excitat ſcandala & horribiles cõfuſiones, atq; perſecutiones. Eſt. n. implacabile bellũ inter regnũ Chriſti & regnũ Diaboli, iuxta dictum, Gene. 3. 15. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſum conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. Nec audiantur Anabaptiſtæ & Staphylus, qui negant Eccleſiam veram eſſe in qua ſunt hęreſes & ſchiſmata, & mores pugnãtes cum Euangelio. Nã & Paulus manifeſtè eorum vanitatẽ oſtendit, qui Eccleſiam Corinthiacam ſanctam appellat: in cuius tamen externo cœtu fuerunt hæreſes horribiles, ſchiſmata nocẽtisſima, & multa mortua mẽbra. Et Chriſtus ipſe Eccleſiã cõfert ſagenæ in mari miſſæ, in qua & mali & boni piſces capiũtur. Itẽ agro in quo & triticũ & zizania proueniunt. Nec Iudas fur & proditor impediuit, quo min' eſſet Eccleſia Apoſtolorũ cœt'.

III. Exilium eccleſiæ.

Exilium Eccleſiæ eſt, cùm pij vel ſunt, & viunt vbi publica Chriſtianiſmi confeſsio non admittitur. Vel violenter abducuntur in ea loca, vbi Chriſti nomen inuiſum eſt. Hoc exilium, etſi triſtisſima res eſt, tamen cùm cogitatur illa interna ſocietas cum trinitate & cum omnibus ſanctis, mirabilem conſolationem percipiunt pij. Quibus tametſi aſperrimum videtur non conuerſari cum ſanctis & cum illis cõmunicare in Sacramentis & communibus precibus: tamen huic triſtisſimo vulneri opponunt lętitiam ſpiritus, qui exultant & ſe erigunt in aduentũ Filij Dei, quem expectant Redemptorem & cõſummatorem ſalutis. Deinde vt in huiuſmodi exilio poſsint ſancti exemplo Ioſeph & Danielis obire munia ciuilia, gerere magiſtratũ & ſeruire prophanis hominibus: ita eorundem exemplo cauebunt, ne vel cultu ſuperſtitioſo ſeſe polluant, vel impuritate prophanorum hominum ſe contaminent, vel vlla arte diabolica ſe faſcinari permittant, vt ita faſcinati in laqueos diaboli incidant. Tres ſocij Danielis Regi tyranno & prophano ſeruiunt, illíque in rebus politicis obtemperant. Sed cùm iubentur ſuperbi tyrãni ſtatuam adoraru, malunt in ardentem caminum conijci, quàm confeſsionem abijcere. Sic Daniel potius voluit mitti in ſpecum leonum, quàm vel vno die inuocationem veri Dei intermittere. Ante omnia petant ardentibus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dentibus precibus, fidei robur & conſtantiam: ſciántque in quouis exilio vel duriſsimo, nullum eſſe aſylum tutius & firmius, quàm nomen Domini, id eſt, ſeriam Dei inuocationem. Ita enim Salomon ait, Prouer.18.10. Turris fortiſsima nomen Domini, ad hanc confugiet iuſtus, & ſaluabitur.

Digreſsio ad locum communem de ſacrificiis. Porrò quia Pſalmiſta hoc loco altarium mẽtionẽ facit, vbi Deus pios quaſi pullos excludit atq; fouet, & altaria deſtinãtur ſacrificijs, volo huc adijcere nõnulla de ſacrificijs potiſſimũ, ídq; propter Papiſtas, qui ex hoc loco Pſalmi, patrocinium quærunt ſuis miſſaticis aris, quas pij ſciunt non eſſe aliud, quàm diabolicam prophanationem ſacrificij vnius Chriſti, qui vnico ſuo ſacrificio ſemel peracto, ſanctos in æternum cõſummauit. Vt autem diſtinctius de ſacrificijs dicamus, *Primùm* de ſacrificijs Iudęorum. *Secundò*, de ſacrificijs prophanarũ gẽtiũ. *Tertiò* de idolo papiſtico, hoc eſt miſſa, quam ſacrificium eſſe definiũt. *Quartò* & vltimo, de Chriſtianorũ ſacrificijs dicam.

DE SACRIFICIIS IVDÆORVM.

Duo altaria Iudæorum. IVdæi ex mandato Dei duo habuerunt altaria in ſancta ciuitate Ieruſalem, nec licuit illis alibi, quã Ieruſalem habere vlla altaria. Horum vnum fuit victimarum, id eſt, holocauſtorum & hoſtiarum, & vocabatur altare holocauſti. Alterum, thymiamatis ſeu ſuffitus, & vocabatur altare incenſi. Vtrumque altare adumbrabat Chriſtum. Nam vt altare holocauſti adumbrabat Chriſtum vt expiatorem peccati: ita altare incenſi figurabat eundem Chriſtum, vt precatorem & interceſſorem. Nam thymiama ſymbolum fuit precationis, vel Dauide teſte, qui ait Pſal.141.2. Dirigatur oratio mea ſicut incẽſum in cõſpectu tuo. Eleuatio manuum mearum tãquam ſacrificium veſpertinũ. Cùm enim Dauid vir ſanctus pulſus in exilium, non poterat intereſſe ſacrificijs quę fiebant Ieroſolymis, loco thymiamatis dedicat Deo ſanctas preces quę ideo thymiamatis ſymbolo ſignificantur, quia preces non valent, niſi mẽtis pio affectu ſurſum leuantur. Sed omiſsis altaribus, de ſacrificijs *Partes tractationis de ſacrificiis Iudæorum.* Iudęorum dicamus, ídq; ordine. *Primum*, definitionem trademus. *Deinde*, cauſas enumerabimus. *Tum*, genera præcipua notabimus. *Poſtremo* loco, nonnulla, ſed generatim, de ſymbolica ratione aſſcribemus.

I. Quid ſint. Definitio hæc ſit: Sacrificia Iudæorum fuerunt ritus diuinitus ordinati, offerendi Deo donaria & victimas: ídque vel ad placandum offenſum Deum, vel ad teſtificandum cultum & religionem. Et hæc non placebant per ſe ex opere operato, vt vocãt, ſed propter fidem offerentium, & cogitationem ſpiritualis ſignificationis. Quod autem iſti ritus fuerint diuinitus ordinati, probat apertum mandatum Dei ſæpiſſimè repetitum in Exodo & Leuitico, & teſtimonia quibus Deus teſtatus eſt ſe acceptare hunc cultum. Etſi autem ante Moſen non extat mandatum Dei apertum de ſacrificijs, tamen fuiſſe Deo accepta à pijs facta teſtãtur piorum exempla, vnde colligere promptiſsimũ eſt fuiſſe præcepta, etſi non manifeſto verbo proditum eſt. Deinde acceptatio diuina confirmat iſtos ritus habuiſſe Deum autorem, non permittendo, ſed præcipiendo. Nam quater igni cœlitus delapſo, accenſa fuerunt ſanctorum ſacrificia, *An placuerint per ſe.* quod ſanè euidentiſsimum teſtimonium fuit approbationis diuinæ. Quòd autem non placebant iſta ſacrificia per ſe, facilè intelligi poteſt. (Quis enim ſanæ mentis exiſtimabit Deum cæde, ſanguine & nidore animalium incenſorum placari, ſed ex fide offerentium & propter cogitationem ſpiritualis ſignificationis) teſtãtur multa Prophetarũ dicta. Dauid Pſalmo 51.18. Quoniam nõ vis ſacrificium, nec dabo, holocauſtum tibi non placet. & alibi, Pſalm.40.7. Holocauſtum & ſacrificium pro peccato non poſtulàſti. Et rurſus, Pſal.50.7.&c. Audi popule & loquar Iſrael, & teſtificabor aduerſus te. Iehoua Deus tuus ego ſũ. Non ſuper ſacrificia tua arguam te, nec ſuper holocauſta tua, quòd nõ fuerunt coram me ſemper. Non accipiam de domo tua iuuencum. & de ſeptis tuis hircos. Ieremias quoque ait, cap.7.21.&c. Viuo ego dicit Dominus, quòd de ſacrificiis & holocauſtis nõ mandaui patrib. veſtris, ex quo die eduxi eos de terra Ægypti & vſque in hunc diẽ. Nunquid præcepi patrib. veſtris exeuntibus ex Ægypto, vt offerrent mihi holocauſta atque ſacrificium? Et Eſaias, cap.1.10.&c. audite verbũ Domini principes Sodomæ, Auribus percipe legẽ Dei veſtri populus Hemorrhæorũ. quorſum mihi offertis multitudinẽ veſtrarum victimarum, dicit Dominus? Satur ſum. Holocauſta arietum, & adipem bubulorum, ſanguinem vitulorum, agnorum, & hircorum nolui. Cùm in conſpectum meum veniretis, quis hæc de manu veſtra requiſiuit? Vt ſi atria mea conculcaretis, ne pergatis ſimilarum ſacrificia offerre. Suffitus abominatio mihi eſt. Hæc Prophetarum dicta videntur pugnare cũ mandato, quod toties in Leuitico occurrit, atque adeo totum Aaronicũ ſacerdotium cum altaribus damnare. Vt autem has antilogias cõciliemus, tria teſtimonia & duo exẽpla ex ſcripturis in medium adducemus, quæ omnẽ antilogiam manifeſtè tollent. *Conciliatio locorũ.* Solomon, Prouerb.15.8. ſic ait, Sacrificium impiorum eſt abominatio Domino. Dauid Pſal.50.16. dixit impio. Quid tibi vt enarres ſtatuta mea & aſſumas pactum meum in os tuũ. tu vero odiſti diſciplinã & proieciſti verba mea poſt te. Et Eſaias poſt reprehẽſas victimas ſui populi ſubiungit, cap.1.16. Lauamini, mundi eſtote, auferte maliciã operum veſtrorũ, deſinite mala facere, diſcite bene facere, quærite iudicium, dirigite oppreſſum, iudicate pupillo, & iudicate viduæ. Hæc teſtimonia clariſſimè oſtẽdunt reprobatas fuiſſe iſtius populi victimas propter immũdiciẽ cordis, & iniuſtitiã aduerſus homines: ſeu propter peruerſam fiduciã & ſceleratam vitã. Vt enim hypocritæ ſacrificia ſua coram Deo in compenſationẽ offerebant: Ita flagitioſi putabant ſe ſanctificari ſuis immolationibus, tametſi nullo ſenſu ſuorum peccatorum tangebantur. Cùm igitur Deus iuſſerit offerri ſacrificia, vt eſſent pietatis exercitia, oportuit ſanè offerentes pœnitentiã & fidem adferre, ſine quibus non mirum eſt ſacrificia abominationes appellari. Cain & Abel offerũt ſacrificia, ſed Deus reſpexit ad Abel & munera eius, id eſt, ſacrificia: ad Cain verò non reſpexit. Quare ita? Quia Abel fidem in Meſsiam, quem adũbrabat ſacrificium ipſius, attulit. Vnde & obediẽtia ipſius in ſacrificando placuit. Cain verò fide vacuus, & fretus ſui operis dignitate, ſacrificauit. Quare non mirum eſt, Deum ad ipſius oblationem non reſpexiſſe. Sũma huc redit, Quod ſacrificium fide cõditum placuit vt pingue, gratúmq;: ſine verò fide, vt ſiccum & ingratum diſplicuit. Verùm omnium clariſsimè Dauid Pſalm.51.19. docet, quando ſacrificia victimarum placẽt. Ita enim ait, Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Huc mox ſubiungens, Tunc acceptabis ſacrificia iuſtitiæ, oblationem & holocauſta, tunc imponent ſuper altare tuum vitulos. Hoc ſit ergo omnis boni operis principium, vt proficiſcatur ex corde fide purificato, ſine quo omne opus, quantumuis in ſpeciem ſanctiſsimum abominatio eſt coram Deo. Hæc copioſius dixi, propter quoſdam ex patribus, qui non ſatis rectè intellectis Dauidis & Eſaiæ verbis Porphyrio conſentiunt, qui impijſsimè traduxit ſacrificia Iudæorum, quæ erant

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

in vſu ſtāte adhuc repub. Moſis. Verùm, vt patres excuſarēt aliquo modo iſta ſacrificia Iudaica, dixerunt, Deum nequaquam eà præcepiſſe, ſed permiſiſſe tantum, vt eſſent ſolummodo impedimenta cultus idololatrici, in quem populus Iſraëliticus procliuis erat.

II. Cauſę ſacrificiorum Iudaicorum.
1. Imperans.

Iam cauſas ſacrificiorum Iudaicorum ordine videamus, quemadmodum à nobis ſecundo loco propoſitum eſt. Prima igitur cauſa occurrit, imperans; vt Deus ipſe, qui cùm ſit ſapiētiſsimus, non ſine ſapientiſsimo conſilio iſtum ſacrificandi ritum imperauit & ordinauit. Cui cùm puluis & cinis ſe opponit, & obijcit multas abſurditates, nos ſumus contēti ſapientiſsimo conſilio Dei, quod opponamus non ſolum ἀθέῳ Porphyrio, verùm etiam omnibus diabolis & hominibus, qui audent ſtultæ ſuę rationis deliria opponere ſapientię Dei. Sciamus verum eſſe dictũ Pauli qui ait, φρόνημα carnis inimicitia eſt aduerſus Deum. Ex hac cauſa imperāte ſciebant, qui inter Iudæos pij fuerunt, & ſacrificia ſua placere Deo, cùm ex fide fierent in gloriam Dei, cum vera meditatione ſpiritualis ſignificationis, & ſe obligatos eſſe ad obediētiam vſque dum veniret Chriſtus, quem illorũ adumbrabant ſacrificia, & qui ſuo ſacrificio vnico & perfecto imponeret finem omnibus typicis ſacrificijs. Verùm

Obiectio.

cùm Iudæi hodie obijciunt nobis ſacrificia ſua non debere aboleri, cùm Deus ſit immutabilis. Reſpondeo, manente decreti cauſa & cōditione, manet Deus ſemper conſtans & immutabilis.

Reſpōſio.

Cauſa materialis ſacrificiorum Iudaicorum, fuit vel fructus terræ, vel animalia munda, quæ certis notis ab immũdis diſtinguuntur in Leuitico. Cautum etiam erat, ne vel fermentum, vel mel adhiberent ſacrificaturi, ſed vt omne ſacrificium ſale condirent. Voluit enim legiſlator Deus, vt & ipſum autorem omnium, cùm eorum quę ex terris proueniunt, tum animalium quę gignuntur agnoſcerent, & ab eo benedictionem peterent, & ad ipſius gloriam vſum omnium referrēt.

2. Formalis.

Formalis cauſa fuit ipſe ſacrificandi modus, qui quoniam varius erat, lōgum foret illum hîc proſequi. Quare lectorem ad Leuiticum remitto.

3. Finalis quadruplex.

Fines inſtitutorum ſacrificiorum fuêre quatuor, quorum primus fuit, vt populus in idololatriam pronus, ab ea reuocaretur hiſce exercitijs. Secũdus, vt populus Dei in vnius Dei cultu retineretur, & quotidianam haberet exercēdæ pietatis occaſionem. Tertius, vt populus haberet typũ futuri ſacrificij Chriſti. Quartus, vt ex cogitatione futuri ſacrificij Chriſti, admonerētur Iudæi de grauitate ſuorum peccatorum: quæ cùm non poterant expiari ſanguine hircorum & taurorum, ſcirent opus eſſe ad veram expiationē peccati, ſanguine immaculati Agni, id eſt, ſeminis promiſsi, ſeu Meſsiæ: qui ſolus opera diaboli, peccatum & mortem abolere, & Patrem offenſum placare nouit. Deinde, vt in hac cogitatione confugerēt ad miſericordiam Dei, propoſitam in ſemine prędicto, ac fide recũberent in idem ſemen, glorificantes Deum, mente, corde, voluntate, ac tota vita: qui ſua immenſa bonitate & ſapientiſsimo conſilio, voluit iſto modo humanum genus redimere. Sic affecti olim ſacrificarunt patres, Abel, Noë, Abrahā, Iſaac, Iacob, Moſes, Dauid, Salomō, Elias, & alij multi qui Deum verè timuerũt. Hi enim ſciuerũt Deum iſto externo opere per ſe non placari, ſed fidem & animum reſpicere offerentium. Verùm alij vt hypocritæ & flagitioſi in iſto populo, putarunt Deum ſpectare externum opus, atque iſto placari tanquam expiatorio peccati, quare Dominus illorum ſacrificia & abominabilia, & à ſe nunquam requiſita teſtatur.

III. Genera veterum ſacrificiorũ.

Tertio loco genera veterum ſacrificiorũ ſequuntur, quorum hæc prima & ſumma diuiſio eſt. Quòd aliud dicebatur expiationis, *olah* dictum, & holocauſtum. Fiebat hoc pro peccato quadā expiationis ſpecie. Non enim reuera expiabat peccatum, ſed ſolummodo adumbrauit expiationem futuram per vnicum ſacrificium Chriſti. Hoc totum eleuatũ in altare conſumebatur igni: quo facto, adumbrabatur quod Chriſtus ſacerdos & hoſtia deberet in aram crucis eleuari, & charitatis igni cremari pro peccatis noſtris. Aliud fuit teſtificationis, *kodah* dictũ: fiebat enim hoc vel cauſa ſupplicationis, vel gratiarum actionis, vel alioqui exercendæ pietatis gratia, quod quidem ex principali fine εὐχαριστικὸν, vt illud prius ἱλαστικὸν, id eſt, propitiatorium, propter ſignificationem dicebatur. Significabat enim, vt Paulus interpretatur, expiationem futurā per Chriſti ſanguinē. Ita enim ait, Rom. 3. 24. Quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ſanguine eius. Quæcunque aliæ recenſentur ſpecies, his generibus ſubijciuntur.

IIII. Symbolica veterum ſacrificiorũ ſignificatio.

De ſymbolica ſignificatione ſacrificiorum veterũ, epiſtola ad Hebræos in genere docet, quod omnia adumbrarent ſacrificium vnicum Ieſu Chriſti, quo peracto, reliqua omnia vt typica ceſſare debuerunt. In ſpecie autem huc quædam aſſcribemus, prędertim ea quæ nos quaſi manu ducere poſſunt, ac ſpiritualē inſtructionem vitę morúmq;.

Sacerdotũ conſecratio.

Primùm igitur occurrit ſacerdotum conſecratio, quorum munus erat victimas offerre, his quatuor erant facienda. 1. Aqua ſe abluere debebant: qua re ſignificatum eſt, quòd ipſi natura immundi eſſent, mundandi ſpirituali aqua, quam Chriſtus ſummus ſacerdos ſolus aſpergit: cuius efficax ſymbolum eſt Baptiſmus. 2. Debebāt veſtes induere, non ſuas, ſed ſacerdotales, id quod adumbrabat innocentiam Chriſti, qua mundati, ipſius ſanguine veſtiti, iuſti & formoſi coram Deo apparent. 3. Vngebātur, qua vnctione ſignificabatur ſpiritualis vnctio, qua credentes, in Prophetas, Reges, & ſpirituales ſacerdotes vnguntur, quáque docentur efficaciter de virtute beneficiorum Chriſti. 4. Implebant manus, hoc eſt, ſacrificabant. Siquidem tum demum placet obedientia, quando à purgatis fide, veſtitis iuſtitia Chriſti, vnctis ſpiritu Dei præſtatur.

Oblatio.

Cùm autem Deo offerebantur holocauſta, admonebantur etiā vt ſeipſos Deo ſpiritualiter offerrēt. quò reſpexit Paulus ad Rom. 12. 1. Cùm offerebātur partes animaliũ, videlicet, renes, hepar, adipes: quæ partes maximè ſeruiunt concupiſcentijs, admonebātur de mactandis concupiſcentijs prauis, vt ſe totos Deo in obſequium addicerent.

Diuiſio ſeu ſectio animaliũ.

Diuiſio quoque animalium, vt rectè ſecarent verbum Dei, illúdque applicarent pro hominis conditione, eos admonebat: id quod Paulus indicare videtur, cùm iubet ὀρθοτομεῖν verbum Dei. De altaris duplicis ſignificatione ſuprà diximus.

Fermentũ & mel cur à ſacrificijs remouebantur.

Neque prætereundum eſt cautum fuiſſe, ne fermentum vel mel adhiberent in ſuis ſacrificijs, ſed omnem victimam ſale aſpergerent. Vt enim fermentum monet excludēdam eſſe malitiam iuxta Apoſtoli doctrinam, & mel hypocriſin deponēdam: ita ſal ſignificat omne opus cōdiri debere ſpirituali prudētia fide, & inuocatione, alioqui minimè fore acceptum. Plura notauimus de hiſce rebus in Epiſt. ad Hebr.

DE SACRIFICIIS GENTIUM.

De origine idololatriæ gentium.

PRiuſquam ad ſacrificia gentium veniamus, quędam dicemus de Dijs gentium, eorúmque varijs feſtis, vt nos inde cogitemus, quàm horrenda pœna ſit cæcitas deficientium à Deo, & quàm magnum & ineffabile beneficium ſit habere verbum Dei, quod nobis verum Deum monſtrat, & præſcribit verum Dei cultum: quo ducamur per regnum gratiæ Chriſti in hac vita, donec ad vitam, hoc eſt, glorioſam im-

morta-

mortalitatem peruenerimus', vbi erimus conformes Chriſto Domino in omni æternitate. Quæ conformitas reparatio eſt imaginis Dei in nobis,& finis vltimus noſtræ creationis, & reparationis per Filium Dei mediatorem noſtrum vnicum.Geneſ.31.30.Meminit ſcriptura Deorum gentium, vbi Laban genero ſuo dicit,Quare furatus es Deos meos?Vnde facilè eſt conijcere, quòd obſcurato promiſsionis verbo apud poſteros Noë, mox ſucceſſerit deorũ fictitiorum inuentio & cultus. Nam cùm nulla gens,vt Cicero ait,neque tam immanſueta, neque tam fera ſit, quæ nõ etiamſi ignoret qualem habere Deũ deceat, amiſſo vero ſibi Deo & eius verbo, fictitios deos fabricauerunt:quam rem Paulus pœnam neglecti veri Dei pronunciat ad Rom.1.21.cùm ait,Quia cùm cognouerunt Deum, non ſicut Deum glorificauerunt: ſed euanuerũt in cogitationibus ſuis, id eſt,in ratiocinationibus,& obſcuratum eſt cor inſipiens eorum, putantes enim ſe eſſe ſapiẽtes,ſtulti facti ſunt,& mutauerunt gloriam immortalis Dei,in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucriũ & quadrupedum,& ſerpentum,propter quod tradidit illos Deus in concupiſcentias cordis eorum,in immunditiem,vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis,qui cõmutauerunt veritatem Dei in mẽdacium, & coluerunt,veneratíque ſunt creaturã potius quàm creatorem, qui eſt laudandus in ſecula. Eſt proinde idololatria & inuẽtio fictitiorũ numinũ deſerti veri Dei iuſtiſsima pœna Atque hoc eſt,quod idem Apoſtolus ait ſcribens Theſſalonicenſib.2.a.11.Ideò mittet illis Deus efficaciam erroris vt credant mendacio,& iudicentur omnes qui non crediderunt veritati,ſed conſenſerunt iniquitati.

De diis gentium.

Hactenus de occaſione & cauſa idololatrię gentiũ, nunc de Dijs earum varijs nonnulla aſcribemus.Poſteri Noë homines craſsi & rudes, nõ Deum creatorem rerum & gubernatorem venerati ſunt, ſed quæ intuitu pulchra atq; admirabilia,aut vtilia deprehenderũt iudicio illo ſuo hebetiſsimo ac tardiſsimo, pro dijs habuerunt.Is error à parentibus manauit in poſteros,& auctus indies magnas de vetuſtate vires accepit.Cui ætates inſecutæ nefas exiſtimauerunt repugnare.Nam poſteri maioribus ſuis tanquàm filij parentibus eam ſe reuerentiam cenſent debere:perinde atque multi hodie à Papiſtica religione propter reuerentiam erga maiores ſuos deficere nolunt. Ergo alij propter ſpeciẽ & magnitudinem cœlos,ſydera, ſolẽ, Lunam & elementa adorarunt tanquam Deos.Alij animalia bruta à quibus aliquid cõmoditatis acceperunt in Deorum numerum retulerũt. Sicut Ægyptij boues,feles,& ibes. Alij homines honoribus diuinis, vel ob beneficium,vel ob metum atque aſſentationẽ affecerunt.Alij impuriſſimos dæmones Dei loco habuerunt.Alij pallorem,alij pauorem,febrim, & alia huiuſmodi pro diis habuere. Hæc omnia magna & miſerrima humani generis calamitate in Deorũ numerum atque exiſtimationẽ venerunt.Verùm vt de hominibus tantum in ſenatum Deorum aſſumptis dicamus,hoc extremæ inſaniæ fuit, quòd non tã dignitate virtutũ quàm nobilitate criminum ſelectos ſibi in Deos elegerũt, vt voluptuarios, laſciuiſſimos, pellicones,adulteros,inceſtis matrum,ſororum,filiarum amplexibus impudentiſſimè pollutos. Patrem Deorum nunc tauro,nunc aquilæ,nunc cygno, nunc vellere aureo diſſimulatum,eóque pacto admiſſis fœminis commiſceri fingunt.Mercurium ſermonis præſidem in hircum,quò optata potiretur Venere, aiũt mutatum. Quid referam Pythei Apollinis ardores, Daphníſque virginis temperantiam? Quid eundem Apollinem Lauri truncum præcupidis brachiis amplectentem? Quid à Plutone raptam Proſerpinam? Quid errores Cereris matris?

De eorũ diebus feſtis.

His diis infeſtus humano generi Diabolus feſtos dies,ſolennes cæremonias,populariáque conuiuia celebrari inſtituit, ſuis quæque nominibus titulíſque inſignita.Ioui Panthea,Herea Iunoni, Mineruæ Panathenea,Bacchò patri Dionyſia,Cereri Eleuſynia & Teſmophoria, Apollini Delia & Pythia, Hermea Mercurio, Poſidonia Neptuno, Herculi Heraclea, Æſclepia & Panaſia Æſculapio. In his Deorum conuiuiis omnia flagitiorum genera perpetrabantur, & immodico vino ſe adeò ingurgitabãt,vt ſequente die grauiſſima crapula laborarent,& qui aliâs ebrietatem damnarunt in feſtis Deorum eandem tanquam opus ſanctum defenderunt.Atque inde Græcis nomen ebrietatis manauit,μέθη enim dicitur quaſi μετὰ τὸ θύειν id eſt, poſt ſacrificia, ac propter dolorem ex crapula proximus dies à feſto dicebatur ὀπίσθη.Vnde nomen tranſlatum eſt ad tempus vindictæ, ob ſcelera prius commiſſa.Alia quæ in iſtis conuiuijs fiebant propter turpitudinem,pudet referre: quare ad ſacrificia ipſa veniamus.

De horũ ſacrificiis.

Quidam dijs ſuis thus adolebant,nonnulli vinũ & herbas:poſtea ſucceſſu tẽporis immolarunt nunc integros ouium greges,nunc centenos boues,vnde nomen ἑκατόμβη apud Homerum.Fuerunt qui etiã integra armenta boum dijs ſuis ſacrificauerunt.Tandẽ ad humanas hoſtias,impulſu homicidę diaboli,qui oraculis ſuis humanas mentes ſeduxit,vẽtum eſt. Vt autem eò magis deteſtemur diabolicas illas fraudes, & caueamus inſidias ſtudioſius, quædam exẽpla de humanis hoſtijs adijciam.Qua ſanè inſania non vnus aliquis homo,non vna natio,ſed pleræq; nationes orbis terrarum impulſę ſunt,vt Deum humanis hoſtijs placari arbitrarentur. Diogenes, vt ait Theophilus, perſuaſit liberis,vt ſuos parentes in ſacrificijs mactarent, & carnes eorum in ventres demitterent. Apud Græcos in anniuerſaria celebritate Bacchi viuos homines ſacrificare mos erat. Lacedæmonij Marti humanas obtulere victimas:ijdem ſicut & alij tempore famis vel belli ad humanas victimas, tanquã ad extrema refugia confugerunt. Vnde cùm Eumolpus rex Thracum,cum magno veniſſet exercitu in Græciã, rex Græcorũ,timens ſibi & ſuis, nuncios miſit audituros oraculum Apollinis,id eſt,impuri dæmonis,& petituros rationem qua placari poſſet numen offenſum.Quibus oraculũ reſpondit, litatione filiæ regiæ iram diuinã placari, modò eam parentes mactarent, priuſquam cum hoſte congrederẽtur. Hoc reſponſo delato ad Erechtheũ regem,atq; eius coniugem Praxitheam,non cunctantur, ſed mox filiã crudeliter mactatam dæmoni offerũt: quo facto congrediuntur cũ hoſte,ac illum ex patria pellũt. Ariſtodemus ſimiliter filiam ſuam vnicã pro patrię ſalute mactauit. Ariſtomenes Miſeni⁹ Ioui vno ſacrificio mactaſſe 300. homines proditur.Herodij & Cretẽſes hominem epulis grauatũ,ac pueros impuberes, feſtis diebus Saturno mactarunt.Phœnices & Carthaginẽſes infantes patriciorum ornatu regio decoratos Saturno immolauerũt,qui cùm victi ab Agatocle,propter hanc crudelem oblationem intermiſſam, vt placarent numen,vna vice 200. nobilium filios dæmonio mactarunt. Romani Saturnũ & Latialem Iouem humana hoſtia ſe placare arbitrabantur, eorúmq; ſimulachra humano ſanguine aſpergebant. In pantheo ſtatis diebus mactabatur humana hoſtia. Britannis longo tempore mos inoleuerat, vt in ſupplicationibus captiuorum ſanguine dijs litarent. Galli bello affecti ad humanas victimas confugerunt. Germani etiam ritu barbarico Mercurio humano cruore litare reli-

Hoſtiæ humanæ.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

gioſsimum putarũt. Cimbri quoq; noxios homines ſeruatos, ſudibus affixos, dijs pro hoſtijs dabant. Ammonitæ vicini Iudæorum filios & filias immolauerunt idolo Moloch: quod quidam ex Hebræis dicunt fuiſſe imaginem concauam ex ære factam, in quam pueri includebantur, vt ſubiecto igne in honorem Dei concremarentur. Apud alios vicinos populos, alio ritu iſtud ſacrificium peragebatur. Nam extructis duobus rogis ac incenſis, filios ſuos & filias impulerunt in flammam ignis: atque tranſire & retrãſire in flamma tam diu cõpulerunt, donec ſpiritum exhalarent. Hunc barbaricum ritum imitati ſunt Achas & Manaſſe reges Iudæorum, ídque exẽplo Meſa regis Moabitarũ, nihil morantes interdictum manifeſtum quod eſt Leuit. 18. & 20. quam immanitatem damnat vox Dei Ieremiæ 7.30. vbi ſic ſcribitur: Ædificauerũt excelſa Tophet, quæ eſt in valle filiorum Hinnon, ad conflagrandum filios ſuos & filias ſuas in igni: quod non mandaui, & non aſcendit ſuper cor meum. Exiſtimabant enim impij hypocritæ, quòd ſi Deo placerent vituli in holocauſtum, multò magis placeret ei in holocauſtum oblatio liberorũ ſuorum. Et, ſi Deus delectatus eſt obediẽtia Abrahæ qui obtulit filiũ ſuũ Iſaac, quomodo non delectaretur etiã noſtrorũ liberorũ oblatione? atq; ita cæca ſua intelligẽtia, auſi ſunt corrigere manifeſtũ mandatum Dei, quod vetat diſertis verbis immolare idolo Moloch de ſemine ſuo.

Iudæorũ ſacrificia horrenda, à gẽtibus mutuata.

Doctrina

Sed quid hinc diſcendum? Duo hinc diſcamus. Vnum, quãta ſit tyrannis diaboli in humanum genus, quantæq; ſint humanarũ mentium tenebræ, cùm luce verbi Dei deſtituũtur: tunc enim ab vna idololatria in aliam, ab vno flagitio in aliud feruntur homines, donec omni iniuſtitia & impietate excæcati & dementati, delectentur in ſuis ſordibus, id quod ſanè eſt horribilis pœna defectionis à Deo & ab eius verbo. Alterum, vt nos qui per verbum Dei ab illa tyrãnide diaboli liberati ſumus, & à denſiſsimis ignorantiæ tenebris emerſimus, perpetuò Deum pro tanto beneficio celebremus: rogemúſque ipſum ne nos in priſtinas tenebras vel ſimiles labi ſinat. Nam iuxta Pauli doctrinam, ijs qui nolunt credere veritati, dat Deus efficaciam illuſionis, vt credant mendacio, & tradantur in reprobam mentem.

DE SACRIFICIIS Papiſtarum.

Origo ſacerdotij papiſtici.

PApatus ſeu regnum Antichriſti ſuos habet ſacerdotes qui ſacrificijs peragendis inaugurantur: non quidẽ iuxta inſtitutionem Chriſti, & exempla Apoſtolorum, ſed partim κακοζηλία veteris populi, partim ethnico ritu. Nam ab vtriſque, hoc eſt, à populo Iudaico & prophanis gẽtibus, mutuati ſunt quę ſuæ fabulæ maximè ſeruire arbitrabãtur. Dicam itaque 1. de inauguratione ſacerdotum pontificiorum. 2. De ſacrificio Papiſtico ſiue miſſa. 3. De alijs quibuſdam quę adiaphora & media exiſtimari poſſunt.

I. De inauguratione ſacrificulorum papiſticorũ.

Sacerdos Papiſtis eſt perſona, vnctura & raſura diſtincta ab alijs, ordinata ad immolandum Chriſtum, & ad offerendum preces & vota in miſſa pro viuis & mortuis, & alijs quibuſuis neceſsitatibus. Quod autem hæc ſit ratio ſacerdotis pontificij, teſtatur totus papatus: Canon miſſæ, & verborum forma qua ſolẽt mitrati Epiſcopi ſuos inaugurare ſacrificos. Damus, inquiunt, tibi poteſtatẽ offerendi placabiles hoſtias, id eſt, expiatorias. Hinc eſt quod iſti iactent, ſe inter Deum & homines eſſe intermediatores: Quibus data eſt poteſtas ſacrificandi pro viuis & mortuis. Hic ſi, iuxta prouerbium, ſcapham ſcapham, & ligonem ligonem eſſe volumus, profectò ſacerdos papiſticus quantum in ipſo eſt, ſpoliat Chriſtum honorẽ, quem Pater cœleſtis ſolenni iureiurando ſanciuit Pſal. 110. 4. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecũdum ordinem Melchiſedech. Et Epiſtola ad Hebræos, vnum Ieſum Chriſtum agnoſcit ſacerdotem, qui ſuo vno ſacrificio in æternũ conſummauit ſacrificãdos, & propter perfectionem negat illum opus habere ſucceſſoribus, vt typici ſacerdotes, veteris populi habuerunt. Proinde non ſolum deſtitutum eſt ſacerdotium Papiſticum verbo Dei & teſtimonio purioris Eccleſiæ, verùm etiam ex diametro pugnat cum ſacerdotio Chriſti. Gregorius papa dicit, *Væ nobis ſi ingredimur abſque ſonitu, hoc eſt, ſi iactamus nos eſſe paſtores, & interea ſumus canes muti. Nihil enim minus tollerabile eſt, quàm cenſeri Paſtorem in Eccleſia, qui non loquitur, & cuius vox clarè non reſonat in ædificationem pòpuli.* His verbis Gregorius accommodat figuram veteris teſtamenti ad nouum teſtamentum. Vt enim in veſtitu ſacerdotali fuerunt tintinabula, & diſertè exprimitur apud Moſen, ne ſacerdos prodeat abſque ſonitu: ita vult Gregorius ſacerdotes ſuos non mutos eſſe, ſed docere. Hactenus quidem rectè Gregorius, ſed à vero ſonitu aberrauit. Vt enim tintinabula legalis ſacerdotis Deum autorem habuere: ita non ſufficiet ſacerdotibus Gregorij habere os apertum & expoſitum ad omnes docendos, niſi autoritate Dei ſonitus nitatur: hoc eſt, niſi pura doctrina adferatur, ſiue, vt Malachias de lege loquitur, fuerit lex veritatis in ore eius. Atque hoc eſt quod Dominus dicit Ezechiel. 3. 17. Accipies de ore meo verbum, & annunciabis illis ex me, neque patitur Dominus, vt partem de ſuo verbo, & partem de ſomnijs humanis adferant doctores, quaſi commiſcentes triticum & paleam: ſed vult ſuum ſolius verbum ſine mixtura paleæ audiri. Ita enim ait Iere. 23. 28. Quid paleæ ad triticum? Propheta qui ſomnium habet, annunciet ſomnium: & qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè. Hic limitat Deus & definit ius ſacerdotum. Ac ſi diceret: Prophetas & ſacerdotes non conſtitui, vt promiſcuè hoc vel illud adferant, & pro cultu obtrudãt Eccleſiæ: ſed vt purum Dei verbum, & cultum quem verbũ præſcribit, tueantur. Vt enim purum Dei verbũ tritico comparat: ita paleæ, quicquid homines proprio ingenio excogitãt. Si hæc lex Dei & hæc limitatio iuris ſacerdotalis obligat omnes, ſicut verè obligat, mõſtret nobis Papa vllum verbũ in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis de ſacerdotũ ſuorũ vnctione, raſura, poteſtate immolandi Chriſtũ pro viuis & mortuis, & de applicandis meritis ſanctorum. Si hoc non poteſt Papa facere perſpicua doctrina ſine ſophiſtica, profectò non tenemur ipſius legibus, nec ipſius ſacrificos tanquam mediatores inter Deũ & homines recipiemus.

Obiectio pro miſſis priuatis.

Sed habent commune refugium: Dicunt enim, priuatas miſſas bona intentione gubernatorum Eccleſiæ inſtitutas eſſe, & iam longo vſu comprobatas, atque adeò miraculis confirmatas. Quaſi verò bonæ intentioni vllus ſit locus, vbi non prælucet lucerna verbi Dei. Imò quadruplici reatu ſe inuoluunt, qui ex intentione ſua, quam dicunt bonam, ſine verbo inſtituunt cultus. Primùm enim fiunt rei defectionis à Deo. Nam ab hoc mandato Dei deficiunt, In præceptis meis ambulate, & non in præceptis patrum veſtrorum. Ezech. 20. 18. Item, Fruſtrà me colunt mandatis hominum. Eſaiæ 29. 13. Deinde in temeritatis vitium incurrunt. Quid enim eſt magis temerarium, quàm cõtra mãdatum Dei audere cultus inſtituere? Tertiò, ſuperbia peccãt, qua Deus grauiſsimè offenditur, ac ſi ipſe nõ ſatis ſciret, quibus cultibus coli velit. Poſtremò exemplo nocent. Nam inde

Reſponſio.

Bona, quã vocãt, intentio exempla.

quotidie

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quotidie aliæ atque aliæ ſuperſtitiones oriũtur. Nam homines exemplo fiunt audaciores ad cumulandos cultus ethnico more. De antiquitate dico, quòd mala conſuetudo, etſi antiquiſsima, non ſit erroris vetuſtas. Miracula quæ fiebant in miſsis, non dubium eſt fuiſſe præſtigias diaboli, volentis iſta ratione confirmare idololatricum cultum in perniciem hominum. Nos proinde verbo & mandato Dei, quod nobis agendo regula eſſe debet, obtemperantes, Papam ipſum cum ſuis nugis & diabolicis inuentis, tanquam anathema fugiamus: præſertim cum ſacerdote noſtro vnico Chriſto, cum ſuo æterno ſacerdotio ſpreto, nouum quoddam ſacerdotium in contumeliam Chriſti quæſtus gratia fingat.

De miraculis miſſaticis.

II. Sacrificij papiſtici ſeu miſſatici conſideratio.

Verùm quò res fiat dilucidior, videamus qualenam ſit ſacrificium papiſtarum, vt inde etiam exactius de ſacerdotibus fiat iudicium. Priuſquam autẽ definiamus ſacrificium papiſticum, hoc eſt miſſam, oportet diligenter diſcernere, inter ipſam miſſam, & fucum externum quo pingitur. Vt enim meretrix corpus venale habens ad omnẽ laſciuiam & immundiciem, fuco ſe pingit, annulis & gẽmis ſe ornat, veſtéſque precioſas induit, vt hiſce veluti illecebris amatores ſibi quærat, eorúmque facultates exhauriat: ſic meretrix illa Babylonica, quam miſſam vocant, tanquam auro & gemmis ornata prodit, dum nonnullas ſacras ex verbo Dei adhibet lectiones, & cantiones, quibus facilè decipit rudiores & incautos, qui putãt externo ornatu decepti, caſtiſsimam virginem eſſe, quæ eſt impuriſsima meretrix, quæ ſuis amatoribus plus nocet, quàm vlla turpiſsima meretrix. Nam vt impudẽs meretrix veneream luem corpori amatoris ſui ſæpe affricat: ita Babylonicum iſtud ſeu Romanum ſcortum, animæ hominis amatoris luem infert peſtilentiſsimam, cui manus medica mederi nequit, niſi abiurato lenone huius meretricij quæſtus Papa, & agnita meretricis huius turpitudine maturè adhibeatur medicus Chriſtus, qui ſolus vulneribus conſcientiæ mederi nouit. Proinde non hærendum eſt in externo ornatu miſſæ, ſed animo cogitandum eſt altius, qualis reuera ſit in ſe ornatu detracto, quo cùm ſpoliata fuerit, nihil ea deprehendetur turpius, nihil abominabilius, nihil denique nocentius generi humano. Hac admonitione præmoniti, definiamus miſſam Papiſticã qualis in ſe eſt, amoto omni fuco.

Simile.

Miſſæ papiſticæ definitio.

Miſſa Papiſtis eſt & ſacrificium & ſacramentum: ſacrificium quidem cùm offertur à ſacerdote, fungenti vice mediatoris inter Deum & populum in ſalutẽ populi: hoc eſt, in expiationem peccatorũ pro viuis & mortuis, & ad alias quaſuis res impetrãdas. Sacramentum verò dum epulũ, ex pane, vino, & aqua confectum, à ſolo ſacrifico deuoratur. Non enim hoc loco ago de miſſa, in qua particulæ aliquot panis populo diſtribuuntur ſine participatione incantati calicis. Hæc definitio miſſæ, collecta eſt partim ex canone miſſę, quo illis nihil eſt ſacratius, partim ex ſcholaſticorum commentarijs, quos illi doctrinæ Propheticę & Apoſtolicæ præferunt. Dicunt autem miſſam dici quaſi tranſmiſſam, eò quòd populus per ſacerdotem qui mediatoris vice fungitur inter Deum & homines, preces & vota, & oblationes tranſmittat. Quàm horrenda ignominia hìc Filius Dei cum ſuo ſacerdotio afficiatur, nemo ſatis æſtimare poteſt.

Nominis ratio.

Miſſæ impietas detegitur.

Verùm quia ſine indicatione, iuniores non intelligunt quantum ſit impietatis in miſſa iſta papiſtica, primùm de canone miſſæ pauca dicam. Deinde colligam rationes ex quibus apparebit miſſæ iſtius prophanitas, & abominatio. Primũ igitur quæro à pontificijs à quonam habeant iſtum ritum muſsitãdi canonis, in quo myſterium miſſæ papiſticę poſitũ eſt. Si dicunt ab Apoſtolis, manifeſti mendacij arguunt ſuũ Gregoriũ, quem magnũ nominant. Is enim canonẽ conſarcinatũ eſſe affirmat à ſcholaſtico neſcio quo. Si dicunt à Chriſto, pr. ferãt Euangeliſtarũ teſtimonia qui actorũ & dictorũ Chriſti locupletiſsimi ſunt teſtes. Quæro præterea num canõ iſte ſit pars doctrinæ Eccleſiæ nec ne? Si pars doctrinæ eſt, cur nefas eſſe iudicãt clara voce ipſum pronũciare, quò audiatur ab eccleſia? Si non eſt pars doctrinæ cœleſtis, cur magis ſæuiũt papiſtæ in eos qui canonẽ reijciũt, quã in pellicones, incæſtos, adulteros, homicidas, ꝓditores? Sed manifeſta ratio eſt, quia ſuas traditiones vel minimas anteponũt mandatis Dei. Si ergo canon iſte, nec eſt ab apoſtolis, nec ab ipſo Chriſto, nec eſt pars doctrinæ Eccleſiæ, profecto impij ſunt qui illũ Eccleſiæ Dei obtrudunt, quaſi in eo cardo cultus diuini verteretur. Ego autẽ dubitare non poſſum canonem iſtũ à Diabolo inuectũ eſſe in Eccleſiã qui omnis idololatriæ & ſuperſtitionis autor eſt. Nã murmur cũ geſticulationibus ſuis ineptiſſimis multò proprius incantationi & nefandis gentiũ ſacris quã Chriſti inſtituto cõuenit. Dicã ergo clarè quid de canone ſentiã, & primũ dico, quod nec ſit neceſſarius, quia nullo verbo Dei eſt præceptus: nec vtilis, quia nõ facit ad ædificationẽ: nec adiaphorus, quia manifeſtè pugnat cũ inſtituto Chriſti. Sed eſt ſacrilegus. Spoliat enim Chriſtũ honore mediatoris, ſiquidẽ is ſolus eſt & expiator peccati per ſuum vnicum ſacrificium, & mediator vnicus inter Deum & homines: quem honorem transfert canon in hominem ſacrificũ. Eſt cauponarius, quia quæſtus gratia eſt inuẽtus, & propter eandẽ cauſam à papiſtis hodie defenditur. Eſt animarũ proditor, quia occidit eos qui in eũ collocãt fiduciam: eſt cœnæ Dominicæ prophanatio & abolitio, nam nihil omnino retinet de inſtitutione Chriſti. Eſt quoq; magicus, quia per murmurationẽ quinq; verborũ, Hoc eſt enim corpus meũ, & ſufflatione anthelitus ſacrifici in panẽ, elementorum fieri tranſſubſtantiationẽ fingit. Præterea eſt idololatricus. Nã iſtis quinq; verbis prolatis, ſacrificus panem adorat, & mox populo circumſtãti adorãdum exhibet. Atq; ita in loco Dei, fruſtulum panis euehunt multò maiori impietate, quàm Nabuchodonoſor, qui ſtatuam erectam adorari præcepit.

De canone miſſæ.

Autoris iudicium de canone miſſæ.

Hæc breuiter de canone à nobis ſint dicta, nunc ordine recitabimus rationes quibus oſtẽdetur, quanta ſit in miſſa prophanatio & impietas.

Abominatio miſſæ.

Prima, horrenda impietas eſt & ſacrilega audacia, conſtituere cultum in Eccleſia ſine mãdato Dei. Eſt enim talis audacia, defectio à Deo, cuius ſolius verbũ lumen vitæ eſt, iuxta illud Dauidis, Pſal. 119. Lucerna pedibus meis, verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Ex patris ſui dicto Salomon, hoc prouerbium extruxit. Mandatum Lucerna eſt, & lex lux. Proinde vbi non eſt mandatum Dei, à recta via aberratur. Vbi non lex Dei, meræ ſunt tenebræ. Huc & primum præceptum pertinet. Non habebis Deos alienos coram me. Proinde Dei ſolius eſt, à quo pendere omnem creaturam oportet, cultus ſui modum præſcribere. Dauid igitur hoc præcepto edoctus rectè precatur cum ait. Dirige me in veritate tua & doce me, quia tu es Deus meus, & ſaluator meus. Item fruſtra me colunt mandatis hominũ. Sunt igitur omnia humana inuenta onera non neceſſaria, vt quæ autoritati diuinæ detrahãt. Itẽ, Quicquid non fit ex fide peccatum eſt: fides enim verbi fides eſt. Vbi ergo verbum non eſt, animus hominis fruſtrà ſtatuit Deo placere. Item non facietis ſinguli quod ſibi rectum videtur. Et Ezech. 20. 18. In præceptis meis ambulate & nõ in præceptis patrũ veſtro-

1. Eſt cultus inſtitutus ſine mandato Dei.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

rũ, hiſce dictis & multis alijs cõfirmatur, quod propoſuimus. Iſta autẽ miſſa in qua fingitur oblatio fieri pro viuis & mortuis, non ſolum non habet mandatum Dei, quod neceſſariò requiritur in cultus diuini ratione, ſed ex diametro cum Chriſti inſtitutione pugnat, qui iubet, vt viui accipiant, comedant, & bibant, ídque faciãt in commemorationem. Hæc ratio omnib. pijs ſufficere deberet, præſertim ijs qui ſciũt Prophetas ſeriò dãnare cæcitatem hominum inſtituentium cultus in Eccleſia ſine mandato Dei. Hoc fundamentum fecit diuortium inter Lutherũ & Papam. Hoc fundamentum liberat omnium piorũ conſciẽtias, qui à lenone Romano deficiũt, & confugiũt ad caſtiſsimum ſpõſum Filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Hoc fundamentum fulcit & conſolatur ſanctos, dum exilia, crucem, probra, ſpoliationem fortunarum propter confeſsionẽ veræ doctrinæ coguntur ſuſtinere, quibus nimis impudenter obijcitur longa cõſuetudo, & maiorũ autoritas. Veritati enim (vt inquit Tertullianus) nemo præſcribere poteſt, non ſpatia temporum, non patrocinia perſonarum, non priuilegium regionum. Quia Dominus noſter Chriſtus, qui manet in æternum, veritatem ſe, non conſuetudinem, cognominauit.

2. Sacrificus gloriã Soli Chriſto propriã vſurpat.

Secunda, execranda impietas eſt, & abominanda contumelia in Filium Dei, trãſferre in hominem ſacrificum eam gloriam, quam cœleſtis Pater vult eſſe vnius Ieſu Chriſti. Hoc autem fit in miſſa iſta papiſtica. Gloriam enim offerendi hoſtiam expiatoriam pro peccatis hominum viuorum & mortuorum impurus ſacrificus in ſe transfert, quando ſe offerre pro viuis & mortuis gloriatur. Nam in hoc inaugurantur põtificij ſacrifici, quemadmodum ſuprà à nobis demonſtratum eſt. Iam autem cùm Pater cœleſtis vult vt homines æternam ſui ſanctificationẽ reponant in vnica Chriſti oblatione. (Ita enim ait ſpiritus Dei in epiſt. ad Hebræos, cap. 10. 12. &c. Hic autem, ſcilicet Chriſtus ſacerdos, vnam pro peccatis offerens hoſtiã, in ſempiternum ſedet ad dexterã Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificandos. Item, Chriſtus aſsiſtens pontifex, per proprium ſanguinem intrauit ſemel in ſanctuarium, æternam redemptionem inueniens. Item, Quãtò magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum æternum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam veſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti? Quis nõ videt execrãdam impietatem eſſe, & abominandam contumeliam fieri Filio Dei, à ſacrifico, qui hanc Chriſti gloriam vel ex parte minima in ſe transfert.

3. Sacrificus ſpoliat Chriſtum mediatoris officio

Tertia, Spiritus ſanctus in Paulo dicit, 1. Tim. 2. 5. Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus, qui dedit ſeipſum pretium redemptionis pro omnibus. In hoc Pauli dicto duo ſunt. Primùm, aſſertio qua Chriſtus mediator inter Deum & homines omnes ſtatuitur. Secundum, aſſertionis ratio: quia videlicet hic vnus Chriſtus & ſolus dedit ſe pretium redemptionis pro omnibus. Vult itaque Paulus has ſacerdotij Chriſti partes, videlicet ſacrificium, quod hîc vocat ἀντίλυτρον, & interceſsionem ita coniungi, vt à ſe inuicem diuelli non poſſint. Vt ergo ſolus Ieſus eſt ſacerdos, qui ſuo vnico ſacrificio expiat peccatum: ita ſolus etiam eſt mediator, per quem vnicum nobis ad patrem patet acceſſus. Nam interceſsio pendet ex merito ſacrificij, quare non poteſt interceſsio in alium trãſferri quam in eum, cuius eſt ſacrificium expiatoriũ facere. Cùm igitur hic interceſsionis honor tribuitur homini ſacrifico, ſumma iniuria fit Filio Dei. Hoc autem faciunt Papiſtæ in ſuo ficto ſacrificio. Nam non ſolum in ſe expiationis honorem transferunt, verumetiam interceſsionis officiũ, quod ſimiliter ſolius eſt Chriſti ſacrilegè ſibi vſurpant. Hæc enim eſt illorum oratio in miſſa: *Offerimus præclarè maieſtati tuæ de tuis donis & datis, hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ, ſuper quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſedech, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam, ſupplices te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri per manum ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum*, &c. Et ſuprà in eodem miſſæ arcano, ſanctis mortuis eundem honorem tribuunt, cùm eorum meritis & precibus, petit ſacrificus concedi, vt muniamur diuinæ protectionis auxilio. Videmus hîc geminam impietatem coniungi. Nam non ſolum ſacrificum interceſſorem ſtatuunt, qui nititur dignitate ſacrificij ſui: verumetiam Apoſtolorum & Martyrum precibus & meritis petunt concedi, vt diuinitus protegantur. Tametſi autem ſubiungunt, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: tamen apertiſsimè ſuam impietatem produnt, cùm ſacrificij dignitate, & meritis ſanctorum, ſe niti manifeſtis verbis teſtantur. Verùm cùm Papiſtæ obijciunt, Paulum adhortari, vt alij pro alijs orent, & intercedant. Reſpondeo, quòd ſancti orent & intercedant pro ſe inuicem, non freti ſua dignitate aut meritis, ſed dignitate & merito vnici mediatoris noſtri Ieſu Chriſti. Papiſtæ autem, dum ſanctos mediatores faciunt, intelligunt patronos, qui ſua dignitate & meritis, nobis Patris cœleſtis gratiam mercantur. Hoc eſt enim vulgare inter ipſos principium, homines viuentes in terris, patronis opus habere in cœlis: propterea quod ipſi indigni ſint, qui per ſe appareant in conſpectu Dei. Quo ſanè dicto, præterquam quòd Chriſtum mediatorem, ſuo honore ſpoliant, triplici impietate ſe inuoluunt. Primùm enim, dum mortuos viuorum interceſſores ſtatuunt, excurrunt extra verbi Dei limites, ac ſtulto impetu ferũtur in pernicioſas tenebras, & in aſpera tartarorum præcipitia. Vnde reuocare gradus, ſuperáſque euadere ad auras, hoc opus, hic labor eſt. Quanta autem hæc ſit prophanitas, ſoli pij intelligunt, qui tenebras eſſe norunt, vbi fax verbi Dei non prætenditur, qui abominanda eſſe ſciunt quæ Deus non ſanciuit: qui à Satana proficiſci cogitant, quæcunque puluis & cinis fingit in religione ſine mõſtratore verbo Dei. Deinde cùm docent, nitendũ eſſe ſanctorũ meritis, diſcedunt à vero ſalutis fundamento, & aliud fragile ſalutis fundamentũ ſibi quærũt extra verbum Dei. Nam cùm nullus mortalium ſuopte merito ſalutem ſit adeptus, fieri non poteſt, vt ſanctorum merita alijs in ſalutem cedant: quæ tamen merita, Papa fingit theſaurum Eccleſiæ eſſe, quem diſpenſat non gratis, ſed prout numerant, qui Papam theſaurarium Eccleſiæ agnoſcũt. Tertiò, cùm tales fictitios patronos ſibi fabricãt, altius in tenebras immerguntur. Nã diſcedunt à primo præcepto, & ſanctos ſacrilega audacia inuocant, impulſi à diabolo, qui ſanctorum inuocationem in mundum inuexit, ídque ob has cauſas. Primùm, vt Chriſtum ſuo honore ſpoliaret. Deinde, vt ſanctos ignominia afficeret. Poſtremò, vt idololatras qui ſanctos inuocant, olim ſocios habeat æternarum pœnarum.

In iudicijs illis.

Papiſtarũ effugium refutatur.

Inuocatio nis mortuorũ triplex impietas.

4. Miſſa quæſtus turpiſsimus.

Quarta, miſſa papiſtica ad turpiſsimum quæſtum eſt proſtituta. Nam non ſolum pro animarum redemptione è purgatorio miſſas vendunt: verumetiam venales eas proſtituunt ad quiduis impetrandum: in qua re plurima ſcelera concurrunt: quorum

nonnulla

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Eius partes.

nõnulla commemorabo,vt perfecto odio perſequamur impuriſsimũ miſſarum quęſtum.Primùm enim hic quæſtus pugnat cum fundamento ſalutis noſtræ, quod eſt gratuita miſericordia. Gratia,inquit,ſaluati eſtis per fidem,& hoc nõ ex vobis,ſed Dei donũ eſt: non ex operibus,ne quis glorietur,Ephe.2.8.Deinde cœnam Dominicã abolet.Quis enim adeò cæcus eſt, vt non videat alieniſsimum eſſe à Chriſti cœna quęſtum impurum ex ea captare, quam cœnã Dominus voluit eſſe σπονδὴν dulciſsimam ſui intimi amoris erga Eccleſiam, & teſtimonium redẽptionis Eccleſiæ per mortem ſuam, quam redemptionem gratuitam ſuæ ſponſæ dilectę in ſua cœna obſignat.Tertiò,hoc quæſtus aucupium euertit vaticinia prophetarum de beneficijs mediatoris noui teſtamenti.Omnes ſitientes,ait Eſaias cap.55.1.venite ad aquas,& qui non habetis argentum properate,emite & comedite.Venite & emite abſq; omni pretio vinũ & lac. Per aquã, vinum,& lac,intelligit propheta beneficia Euãgelij, quæ pronunciat eſſe gratuita.Quemadmodum enim pane,vino,aqua, & lacte nutriuntur corpora noſtra: ita animæ noſtræ doctrina Euangelij,Spiritu ſancto, Sacramẽtis,& alijs Chriſti donis gratuitis, nutriũtur & ſuſtentantur. Quartò, nũdinatio miſſæ papiſticæ, miſeros homines inebriat carnali fiducia. Nam numerato precio,pro ficta expiatione tanquã efficaciſſimo pharmaco putãt ſe repellere omnes noxas, ídq; ſine fide & pœnitẽtia:& quia ſe emptis miſsis,armatos aduerſus diabolum & mortem confidunt, multò licẽtius peccare pergunt,& indies obſtinatiores reddũtur.Quintò,hic miſſarum quæſtus purgatorij fundamentum eſt.Nam quò magis venales haberẽt miſſas,docuerunt ſacrifici purgatorium animarum eſſe poſt mortem:in quo animæ mortuorũ detinerentur, donec ſatis è maculis peccatorũ in vita cõmiſſorum purgatæ eſſent. Quare eis,qui vel ſeipſos, vel ſuos amicos mortuos ab igne purgatorij liberari cuperẽt, miſſæ venales curabãtur,quibus redimi finxerũt pœnas purgatorij.Hinc ſupra modum auctum eſt,vt vocant,patrimoniũ Petri.Hinc eſt quòd facultates miſerorum hominũ à veris hæredibus ad ſacrificos & monachos tranſlatæ ſint.Sextò, hic quæſtus miſſaticus & impoſtura lenonis Romani neruus eſt Papatus, hoc eſt regni antichriſti. Quare non mirum eſt, quod adeò ferociter dimicent Papiſtæ pro ſuis aris. Metuunt enim magnum periculum ſuis focis imminere,ſi aræ expugnatæ fuerint.

5 Panis miſſatici adoratio.

Quinta abominanda idololatria eſt loco Chriſti adorare panem.Nam,vt ſuprà quoq; attigimus,ſacrificus poſt muſſitationẽ hiſtorię de inſtitutione cœnę adorat ipſe primus panẽ,& mox eundẽ leuat,vt adoretur à populo.Papiſtis enim perſuaſũ eſt virtute muſſitatorũ verborũ inſtitutæ cœnę,fieri elementorum, hoc eſt panis & vini, tranſſubſtãtiationẽ in corpus& ſanguinem Domini,quæ proſtituunt adoranda , ſed manifeſto errore.Pugnat enim cùm ratione ſacramẽti iſta à Thoma propugnata trãſſubſtantiatio. Nam vt in baptiſmo requiritur,vt maneat ſubſtãtia aquæ, quæ dum aſpergitur iuxta inſtitutionem Chriſti, rationem ſacramenti habet,& verè cum illa aqua adeſt arcano modo ſanguis Chriſti, quo homo internus abluitur à peccatis,adeóque ipſum Chriſtũ induit:Ita in cœna Domini requiritur, vt maneat ſubſtãtia panis & vini,quæ dum porriguntur & ſumuntur iuxta inſtitutionẽ Chriſti,rationem ſacramenti habent,& verè cum pane & vino adſunt arcano modo corpus & ſanguis Domini,quibus homo internus alitur,fouetur,& reficitur.Ante ergo vſum ordinatũ non habent magis rationem ſacramenti panis & vinũ, quã aqua baptiſmi. Proinde ſimilis furor eſt adorare panem & vinum,ac ſi quis adoraret aquam aſpergendã in hominem baptizandum,vel aſperſam & reſeruatã adorationis ergò.Quòd autẽ Papiſtæ recitationi verborum cœnæ tribuant virtutem tranſſubſtantiandi, (vt cum illis loquar)elementa, à Magis potius & incantatoribus didicerunt quàm à Chriſto.Is enim ſolus eſt qui ſua diuina potentia efficax eſt in cœna, & manibus miniſtrorum communicantibus iuxta inſtitutionem ſuam porrigit ſuum verũ corpus,& verum ſanguinem nobis planè inſcrutabili modo.

Tranſſubſtantiationis papiſticæ refutatio.

De Conſecratione.

Ceterũ quòd in reformatis Eccleſijs alta voce & vulgari lingua hiſtoriam inſtitutæ cœnæ pronuncient miniſtri Euangelij,id faciunt non vt virtus aliqua ex recitatione illa tranſeat in elementa : ſed alioqui ſanctiſſimo & vtiliſſimo conſilio. Nam nihil pijs cordibus dulcius eſſe ſciunt,quàm audire ipſam hiſtoriam inſtitutæ cœnæ,quæ cauſas inſtitutionis continet, & commendat ipſis dulciſſimam σπονδὴν inter Chriſtum & ipſius Eccleſiam. Proinde vt papiſtæ muſſitando apud ſe verba cœnæ ſacrilegium maximum committunt occultando doctrinam Euangelij, cuius ſumma in hiſtoria inſtitutæ cœnæ continetur: Ita minimè ferendum, ſed potius fuſtibus coercendum iudicarem, ſiquis vellet cœnam Dominicam celebrari ſine recitatione hiſtoriæ vel ex Euangeliſtis, vel ex Paulo petitæ.

Obiectionis explicatio.

Hîc forte aliquis inſurget, & dicet in celebratione cœnæ in reformatis Eccleſijs panem vulgo adorari non minus quam in papatu. Ad hoc ſic reſpõdeo, ſi quis panem & calicem in noſtris Eccleſijs adorat,hæret adhuc in papiſtico errore, à quo per pios Euangelij miniſtros eſſet reuocandus. Deinde diſtinguo inter cultum panis & reuerentiam animi erga maieſtatem Chriſti præſentis in cœna, quam reuerentiam teſtamur genu flexione, & externis corporis geſtibus, dum in cœnæ celebratione occupamur,vt hanc reuerentiam licitam & piam, & à Paulo Apoſtolo nobis commendatam iudico:ita cultum panis & vini impium & prophanum eſſe ſtatuo : Cũ quia mandatum non habet , ſine quo mens pia nihil in religione ſtatuit : Tum quia temeraria eſt, vt quæ non ſit contenta eo ſacramenti vſu quem Dominus poſtulat.

6.Nulla ſit communio in miſſa: quod manifeſtè repugnat inſtitutioni Cœnæ.

Sexta, contra inſtitutionem & naturam cœnę Dominicæ eſt quod vnus ſeorſim epulũ habeat abolita cõmunicatione.Ita enim Paulus ait,cõuenientib. vobis in vnũ,non eſt cœnã Dominicã comedere. Vnuſquiſq; enim propriam cœnã præſumit edẽdo.Deinde vt nemini ſibi ipſi baptiſmũ conferre licet:ita nec ſacrifico licitũ erit ſibi priuatim & ſoli,Dominicam cœnã inſtruere.Si igitur nõ eſt cœna Dominica iſta priuata epulatio,profectò fruſtrà gloriantur ſacrifici ſe quinq; verbis corpus Chriſti de cœlo in aram ſuã detrahere. Nam Chriſti corpus & ſanguis ibi ſolũmodo adeſt vbi ſeruatur Chriſti inſtitutio, & iuxta inſtitutionẽ communicatio.Neceſſe eſt igitur vt ad minimum ſit qui porrigat,& qui accipiat.

7 Miſſa eſt regni papiſtici columna.

Septima, huius miſſæ pręſidio regnũ Antichriſti à Satana erectum augetur & confirmatur. Nam omnium impiorum cultuum quibus regnum Antichriſti fulcitur officina eſt miſſa.Quæ ideo fallit ſecurius quia formam habet à ſua natura alieniſſimã.Specioſiſsima enim apparet,cũ nihil ſit ea abominabilius.

8.De applicatione, vt mortui ex purgatorio igne liberentur.

Octaua,applicatio miſſæ pro mortuis, vt liberentur à purgatorio,planè Diabolicum inuentũ eſt. Nã nemini fit remiſsio ſine propria fide.Cõtumelia igitur Chriſtum afficiunt , qui fingunt oblationem illam mereri mortuis remiſsionem. Deinde , qui ex hac vita diſcedunt, vel in fide diſcedunt , vel ſine fide. Si in fide, beati ſunt, iuxta illud, Apocal. 14.13. Beati qui in Domino moriuntur. Et Petrus dicit,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Finem fidei eſſe ſalutem animarum. 1. Pet.1.9. At ſi ſine fine,firma ſtat ſententia Chriſti,Qui non credit in Filium,ira Dei manet ſuper eum, Ioan.3.36. Duplex proinde vita eſt, videlicet vitæ ſeu ſalutis, quæ eſt credentium:& mortis ſeu dãnationis,quę eſt omnium qui in Chriſtum credere in vita recuſarunt. Vbi ergo purgatorium, ex quo animæ pretio miſſarum redimuntur?

Obiectiones pro miſſa.

Cæterùm,tametſi veritas de idololatrica miſſa Papiſtarum Eccleſiæ Dei non eſt incognita,tamen Papiſtæ ne videātur cauſa cadere,tres veluti clypeos nobis obijciunt. Primùm enim factum Melchiſedech proferunt.Deinde opponunt locum Malachiæ de ſacrificio futuro inter gẽtes,cum ſimilibus.Tertiò,dignitatem populi noui Teſtamenti amplificant: ſed quantum valeant ſingula,breuiter videamus.

I. Factum Melchiſedeci.

Factum Melchiſedech à quo petunt Papiſtæ cauſæ patrocinium,hoc modo deſcribitur,Gen.14.18. Et Melchiſedech rex Salem protulit panem & vinum, & hic ſacerdos Dei altiſsimi,& benedixit ei,& ait : Benedictus Abraham Deo altiſsimo.Hinc inferũt impudenter quòd oporteat ſacrificos offerre Deo panẽ & vinum in hoſtias placabiles.

Reſpõſio, quatuor membris conſtans.

Nõ profectò meliori conſequẽtia,quàm ſi quis ita colligeret: Philippus eſt in Hiſpania,ergo mare eſt dulce. Primũ enim corruptè legunt obtulit pro protulit,& pro copulatiua particula,&,legũt enim. Quo facto teſtantur, quẽ habeāt magiſtrum,nẽpe diabolum, corruptorem & calumniatorem verbi diuini. Deinde perperam diſtinguũt componenda,& cõponunt diſtinguenda. Duo enim ſunt membra diſtincta narrationis in Moſe.Prius eſt de Rege & regio facto. Poſterius de ſacerdote & ſacerdotis facto. Melchiſedech rex Salem protulit panẽ & vinum,habes Regem & regiũ factum. Et ipſe fuit ſacerdos Dei altiſsimi,benedixítque ei:habes ſacerdotem,& ſacerdotis factum. Quod ergo Melchiſedech protulerit panem & vinum,liberalitatis regię fuit,qua voluit exercitũ Abrahę defatigatum refocillare. Quod autem benedixerit Abrahæ, ſacerdotalis muneris erat : nam ſacerdotũ eſt benedicere populo Dei,Num.6.23.Tertiò,ſciunt Papiſtæ ex Epiſtola ad Hebr.Melchiſedech non fuiſſe typũ ſacerdotũ papalium,ſed aſsimilatum fuiſſe Filio Dei, ídq; iuxta modum certum. Tu es,ait Pater ad Filium, ſacerdos æternus ſecundum ordinem Melchiſedech,Pſal.110.4. Iam ſi dicũt ſe eſſe ſacerdotes ad modum Melchiſedech,faciũt ſe ſucceſſores Chriſti in ſacerdotio, quẽ Spiritus ſanctus in Epiſt.ad Hebræos affirmat,habere ſacerdotium ἀπαράβατον, vt quod ſucceſsione ad alium non tranſeat,& quem Pater interpoſito iureiurando teſtatur, nullum habiturum ſucceſſorem, ſed ipſum ſolum manſurum æternum ſacerdotem. Ita enim habet Pſal.110.4. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum,tu es ſacerdos in æternum ſecũdum ordinem Melchiſedech. Quartò, certiſsimo certius eſt, Spiritum ſanctum in Epiſt.ad Hebræos nequaquam prætermiſiſſe, ſi quid myſterij de ſacrificio panis & vini in nouo Teſtamento latuiſſet in facto Melchiſedech. Nam exactè & diſtinctè enumerat Spiritus ſanctus conditiones quibus Melchiſedech aſsimilatus fuit Filio Dei æterno noſtro ſacerdoti.

De autoritate veterum patrũ

Ex his rationibus euidentiſsimè conſtat,quòd Papiſtæ perperam detorqueant factum Melchiſedech, ad ſuum idolum ſtabiliendum. Nec moramur quòd in ſuam ſentẽtiam adducant quædam patrum dicta, qui acceptum errorem à maioribus ſuis,tradiderunt poſteris. Nulla enim humana autoritas tãta eſt, quin cedat voci diuinæ : nec longa & erronea conſuetudo aliud eſt, quàm erroris vetuſtas. Cui meritò veritas Dei eſt præferenda. Theodoretus, quem vnum omnibus ſcholaſticis ſcriptoribus præferendum iudico, expendens verba Epiſt.ad Hebræos, ita ait in cap.8. *Si igitur & ſacerdotium quod eſt ex lege fidem accepit, & ſacerdos qui eſt ſecundum ordinem Melchiſedech obtulit ſacrificium, & effecit vt alia ſacrificia non eſſent neceſſaria. Cur noui Teſtamenti ſacerdotes myſticam* λυτουργίαν *ſeu ſacrificium peragunt? Sed clarum eſt ijs qui in rebus diuinis ſunt eruditi, nos non aliud ſacrificium offerre, ſed illius vnius & ſalutaris memoriam peragere.* Hæc Theodoretus. Sed poſterior ętas à diabolo ſeducta,ex malè intellectis patrum dictis, fabricauerunt idolum miſſæ.

2. Locus Malachiæ.

Malachiæ locus,quem pro ſua ſententia ſtabilienda adducunt, hic eſt ex cap.1.11. In omni loco ſacrificium offertur nomini meo,atq; oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus. Ex hoc Malachiæ dicto & ſimilibus (quale eſt illud Ezech. 40. Sacrificium offerte Domino legitimum & perpetuum.) conantur Papiſtæ ſuum miſſaticum ſacrificium ſtabilire.

Reſpõſio.

Verùm hanc collectionem vel pueri qui elementa dialectices deguſtarunt, riſerint. Quis enim ferat hanc collectionem,animalia ſunt in foro. Ergo eſt ibi Chimera : Imò quod adhuc abſurdius eſt, ex genere non diſtributo inferunt monſtrum, nec auditum,nec antea viſum à quoquam. Argumenti autem Prophetici vis hæc eſt : Prophetæ prædicunt fore in gentibus ſacrificium,& in omni loco futuram oblationem mundam : igitur gentes conuerſæ per prædicationem Euangelij,habebunt ſacrificia & oblationes. Verùm qualianam ſint illa ſacrificia, qualéſque oblationes,non ab hominibus,ſed à Deo, & ab ijs qui teſtimonium Dei in ſe loquens habent, diſcendum eſt. Sed de hac re poſtea dicemus, vbi agetur de ſacrificijs Chriſtianorum.

3. Dignitas populi noui Teſtamenti.

Tertium quod obijciunt Papiſtæ,eſt dignitas populi noui Teſtamenti. Ad hanc dignitatem aſtruendam, adducunt Papiſtæ multa ſcripturæ teſtimonia, & potiſsimum duo dicta ex ſecundo prioris epiſtolæ Petri. Ad quem accedentes lapidem viuum, & ipſi veluti viui lapides ædificemini domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, ad offerendum ſpirituales hoſtias acceptas Deo per Ieſum Chriſtum. Et mox in eodem capite: Vos autem genus electum, regale ſacerdotium,gens ſancta,populus in acquiſitionem, vt virtutes annuncietis illius qui ex tenebris vos vocauit in admirabilem ſuam lucem.

Reſpõſio.

Ex his & ſimilibus dictis rectè quidem colligunt Papiſtæ dignitatem populi noui Teſtamenti : vitioſè inferunt propterea requiri miſſaticos ſacrificos, qui offerunt ſacrificium placabile pro viuis & mortuis. Nam Petrus hîc alloquitur non ſacrificos,ſed totum Dei populum,viros,fœminas,virgines,ſenes, iuuenes & infantes,quos omnes dignatur ſacerdotum honore, vt qui ſacerdotio fungantur ad offerendum ſpirituales hoſtias acceptas Deo per Ieſum Chriſtum. Si igitur omnes Chriſtiani ſunt ſacerdotes,vt offerãt Deo hoſtias acceptas, profectò aliud eſt ſacerdotium Chriſtianorum omnib. cõmune, & aliud Papiſtarũ quod ſolis raſis & vnctis ad offerendas hoſtias placabiles committitur ſine mandato Dei,imò cõtra apertiſsimas ſcripturas. Quando ergo Papiſtę ſic colligũt, dignitas populi noui Teſtamẽti longè maior eſt,quàm populi veteris Teſtamenti : proinde requiritur vt Chriſtiani quoq; habeant ſacrificia,eáque auguſtiora veteribus,alioqui deterioris conditionis eſſent, quàm vel gentes prophanę fuerunt,vel Iudæi ſub veteri lege. Cõcedo dignitatem eſſe ampliſsimam. Do etiam auguſtiora eſſe ſacrificia,ſed miſsã eſſe ſacrificiũ Chriſtianorũ ex dignitatis prærogatiua, nequaq̃ efficitur.

Cõcluſio diſputationis de miſſa.

Cũ itaq; & firmis rationibus oſtẽdimus miſſę papiſticæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

piſticæ vanitatem atque prophanitatem, & leuitatem clypeorum quos nobis obijciunt demonſtrauimus: reliquum eſt, vt illorum impietatem fugiamus, tanquam ſerpentem, qui primis noſtris parentibus autor fuit vt tentarent Deum, corrigendo ipſius mandatum. Eſt enim tentare Deum nihil aliud, quam ſpretis verbo, ordinatione, & vocatione, aliud quærere fiducia propriæ ſapientiæ, quod magis placet. Id quod Papiſtæ fecerunt, excogitando miſſam pro viuis & mortuis, qua ſuum regnum ſtabiliri, & dignitatem opéſq; ſuorum ſacrificorum augeri ſtatuerũt.

III. De Adiaphoris quibuſdam, autoris iudicio.

Nunc breuiter, vt promiſimus, de ijs quę adiaphora & media haberi poſſunt, dicamus. Neq; enim omnia quæ in Papatu obſeruantur, impia ſunt genere, vt neceſſariò omnia ſint fugienda. Preces matutinæ & veſpertinæ, quæ de tempore, vt vocãt, inſtitutæ ſunt, conſtant Pſalmis & lectionibus ex ſacris ſcripturis deſumptis. Quare pius in Papatu habitans, his intereſſe poteſt, illæſa conſcientia, modo periculum ſcandali vitari poſsit, & caueatur colluſionis cum aduerſarijs ſuſpicio: neque enim ita Scyllam fugiẽdam eſſe iudico, vt in Charibdim incidas. Nã extrema hæc ex æquo fugienda ſunt, videlicet Papiſtica impietas, & Epicuriſmi ſuſpicio. Nã qui ſemper fugit cœtus hominum, vbi fiunt preces ab Eccleſia, non tam papiſticam impietatem fugere, quàm epicuriſmum ſectari videtur. Quare velim pios in papatu habitantes, interdum intereſſe precibus matutinis & veſpertinis, præſertim ijs in quibus nec fit inuocatio mortuorum, nec panis adorandus exhibetur, quemadmodum fit in feſtis ſanctorum, & in ſummis feſtis, vt vocant, in quibus etiam thuris ſuffitus coram ſtatuis ventilatur.

Quantum autem ad baptiſmum infantum attinet, duo facienda ſunt pijs. Corde improbent nugas Papiſticas, quibus contaminatur quodammodo baptiſmus, & reuerenter inſtitutionem Chriſti meditentur. Quod cùm fit, puto pios excuſari, qui vel ſuos liberos baptizari ſinunt in papatu, vel alioqui accedunt vt teſtes ad baptiſma infantum. Quia illic aliquid remanet de inſtitutione Chriſti.

De miſſa priuata, & de cõmunione in papatu, quę paſchatos, autoris iudicium.

Quid hîc dicendum eſt de miſſa, in qua fit diſtributio panis & vini? An quia aliquid in ea remanet de inſtitutione Chriſti, licebit pio homini rectè edocto de idolo miſſatico intereſſe & communicare cum alijs? Nam ſi ideo baptiſmo papiſtarum multis additamentis contaminato licet adeſſe, quia ibi aliquid remanet de inſtitutione Chriſti, cur nõ eadem ratio valebit in cœnæ communicatione? Hæc quæſtio, etſi admodum difficilis apparet, tamen id quod mihi videtur apertè dicam. Iudicium relinquens Eccleſię, hoc eſt, verè pijs, præſertim ijs qui crucem experti ſunt, & intra telorũ iactus verſati. Primùm igitur diſtinguo inter miſſam, & communionem in papatu. Nam tantum diſcrimen ſtatuo inter miſſam & communionem illam ſolennem quæ celebratur in papatu die paſchatos, quantũ eſt inter cœlum & infernũ. ſiquidem in miſſa planè nihil remanet de inſtitutione Chriſti. Quare vt miſſam impiam iudico, ideóque fugiendam tanquam idolum Diaboli: ita quod remanet de inſtitutione Chriſti, ſanctum pronuncio. Nephas enim eſt putare, rem tãtam pendere à dignitate miniſtrorum. Quoniam reuera diuerſiſsimi ſunt actus, Miſſa papiſtica, & cõmunio ſeu cœna. Nam finita miſſa Papæ, inchoatur cœna Chriſti. Debet igitur pius in papatu habitans, fugere idolum miſſæ, &

De communione ſub altera ſpecie.

poteſt modo caueatur ſcandalum, & colluſionis cum aduerſarijs ſuſpicio, intereſſe cõmunicationi, & cum electis Dei, quales multi latent abſque dubio in papatu, communicare. Quid? An ergo licebit communicare ſub altera, vt vocant, ſpecie? An non excluduntur laici à ſacro poculo ſanguinis Domini? Ex noſtris non pauci putantes conſecrationem (vt vocant) fieri recitatione verborum, de inſtitutione cœnæ, grauiſſimum peccatum iudicant, ſi quis ſub altera ſpecie communicet. Sacrifici ſimiliter miniſtri cœnæ in papatu, putant laicos non fore participes calicis Domini, ob eandem cauſam, videlicet, quod verba non ſunt muſsitata ſuper calicem, ex quo propinatur laicis. Quare putant vinum eſſe ſine pręſentia ſanguinis Domini. Quod ſi ſic eſſet, hoc eſt, ſi res tanta penderet à recitatione verborum, potius quàm à Chriſto, qui præſens in ſua cœna porrigit ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, nequaquam vellem pium hominem in papatu communicare. Hos cùm habemus aduerſarios, videlicet domeſticos & extraneos, difficile eſt aliquid ſine offenſione pronunciare, dicam tamen quod ſentiam.

De conſecratione.

Primùm omnium tenendum eſt, quòd conſecrare non ſit, vt Papiſtæ putant, & quidam ſemipapiſtæ opinantur, pronunciatione præſcriptorum ſeu conceptorum verborum magico more, rem communem, ſeu non ſacram, ſacram facere. Sed conſecrare, veriſſimè eſt rem quampiam à communi vſu ſeparare, atque eandem ſacro vſui diuinitus ordinato applicare cum Dei laude & gratiarum actione. Hanc definitionem firmam eſſe intelligit, qui vim conſecrandi verbi k*adosh* apud Hebræos, cum ritu conſecrandi veteri contulerit, quíque factum Chriſti inſtituentis cœnam, & doctrinam Pauli de benedictione panis & calicis ſimul perpenderit. Cùm ergo hæc res non pendet nec ex verborum virtute, nec impeditur malitia hominum inuidẽtium pijs participationem calicis, ſed pendet ex mandato & inſtitutione Chriſti, qui iuxta ſuam promiſsionẽ vult intereſſe cœtui piorum inuocantium ipſum, cogitantium & agnoſcentium beneficia mortis & reſurrectionis ipſius, non dubito quin pij in papatu participationem corporis & ſanguinis percipiant, tametſi incantatio papiſtica calicem fœdat. Nam & qui ſanctificat Filius Dei eſt, & qui porrigit manibus miniſtrorum, corpus & ſanguinem ſuum Filius Dei eſt, cuius diuinam potentiam, & immenſam bonitatem, nec impedit error hominum, nec malitia inuidorum ſupprimentium recitationem de inſtituta cœna, frangit.

De communione cum iis qui vera fide carẽt.

At obijciat aliquis: Qui ſimul communicant, id faciunt, vt ſint vnum in Chriſto. Ita enim Paulus ait 1. Corinth. 10. 17. Quoniam vt vnus panis, ita vnum corpus multi ſumus. Omnes qui de vno pane & vno calice participamus. Papiſtæ autem qui fidem non adferunt, extra Chriſti corpus ſunt: nemo enim in Chriſto eſt, niſi per fidem. Proinde videtur non licere cum Papiſtis communicare. Reſpondeo, duplicem eſſe communionem in cœna. Quarum vna eſt, fidelis animæ & Chriſti: de qua idem Apoſtolus, Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne corporis Domini communicatio eſt? Huius communicationis verè ſunt participes qui fidem ſecum adferunt ad ſacram cœnam. Altera communio, quę pendet à priori, eſt fratrum communicantium inter ſeſe. Hanc fidelium communionem impedit nec impietas miniſtri, nec ſi vnus aut alter Iudas adfuerit. Nam eſt ſpiritualis communio, quæ eſt piorum omnium ſub vno capite, etiam occultorum in papatu, quales haud dubio multi ſunt. Verùm, hîc rurſus moneo cauendam eſſe hypocriſin, vel ſimulatam abnegationem confeſsionis.

Quæſtio.

Quid ſi quis adeò abhorreat à Papatu, vt nullo pacto communicare audeat in regno

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Papæ? An non hîc pio patriſamiliâs, qui habet piam vxorem, & rectè inſtitutã familiam, licebit priuatim in ſua domo ſibi & ſuis cœnam Dominicã inſtruere, necne? Erunt fortaſſe qui dicẽt non licere, propterea quòd adminiſtratio ſacramentorum pertineat ad publicum miniſteriũ. Ab his rurſus quæro, an non communicarint olim in primitiua Eccleſia multi, antequam ordinarium & publicũ inſtitutum eſt miniſterium, & antequam tẽpla ſunt erecta, in quibus publicè conuẽtum eſt?

Reſpõſio.

Ego quidẽ non dubito, multorum piorum ciuium domos fuiſſe tẽpla, in quibus pij patresfamiliâs cum ſuis familijs inſtruxerũt cœnã Dominicam, & ſe mutua doctrina & cõſolatione erexerunt. Diſtinguo igitur inter rectè cõſtitutam Eccleſiam, & inter captiuitatẽ & exilium, vbi publicè graſſatur in pios. Illic volo publico miniſterio nihil detrahi, ſed omnia fieri iuxta ordinationem bene inſtitutę Eccleſiæ. Hîc autẽ, id eſt in captiuitate Eccleſiæ, ſeu exilio ſub Turca & Papa, ſtatuo excuſari pios, ſi ſanctorum in primitiua Eccleſia imitentur exempla.

Hanc noſtram ſentẽtiam de vſu cœnæ Dominicæ in Papatu breuiter aſcripſimus, in qua ſi quis aliquid deſideret, cupio amicè admoneri. Nam pijs omnibus qui non tam anticipatis opinionibus, quam mõſtratæ veritati acquieſcunt, non ſolum hanc noſtram ſententiam, verumetiam quicquid vnquã à me ſcriptum eſt, aut fortè ſcribetur, ſubijcio. Quare amanter rogo, ne quis præcipitet iudiciũ, ſed rationes meas, & aduerſariorum inter ſe conferat. Quod ſi quis fecerit, ſpero ipſum ſententiam noſtram non improbaturum. Rogo autem Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt mentes noſtras illuminet ſua luce, & furores diabolorum & hominum perſequentium ſanam doctrinam reprimat, & nos in vera pietate, per & propter Chriſtum conſeruet, vt ipſum in omni æternitate celebremus, Amen.

DE SACRIFICIIS Chriſtianorum.

Duo ſacrificia Chriſtianorũ.

CHriſtiani, qui ſincerè Chriſtum profitentur, habent etiam ſua ſacrificia. Vnum videlicet propiciatorium. Alterum ἐυχαριςικὸν. Vtrumque nomen ſortitum eſt ab effectibus ſeu finibus.

Propitiatorium.

Propitiatoriũ ſacrificium habent Chriſtiani, non quidem à ſe offerendum, ſed pro ſe oblatũ à ſummo ſacerdote & mediatore Ieſu Chriſto. Chriſtus enim ſacerdos ſemetipſum in ſacrificium propitiatoriũ pro omnibus tratradidit, vt placato Patre, credentes ſanctificarentur in æternum per ipſum.

Gratiarũ actionis.

Εὐχαριςικὸν ſacrificiũ eſt quælibet obedientia à pijs præſtita Deo, qua vt agnoſcunt Deum omnis boni fontem & autorem: ita teſtantur ſuam erga ipſum gratitudinem.

De ſacrificio propitiatorio locus.

Vt autem hæc doctrina de ſacrificijs Chriſtianorum ſoli Eccleſiæ Dei nota, rectius intelligatur, & nobis magis dulceſcat, volo diſtinctius de vtroq; genere dicere. *Nam quod particulatim*, vt ait Bernardus, *diſtinctum fuerit, legitur dulcius & melius conſeruatur.* In ſacrificio igitur propitiatorio ſeu expiatorio plura ſpectanda ſunt, quę facient ad eius perſpicuam explicationem.

Partes.

Quare 1. de ſacerdote, qui hoc ſacrificiũ offert dicam. 2. De ſacerdotio eiúſq; partibus. 3. De fœdere. Eſt enim omnis ſacerdos alicuius fœderis ſponſor. 4. De ſacrificij huius applicatione. 5. De perpetuo huius ſacrificij vſu in conſcientia, in vita, & in morte.

I.

DE SACERDOTE.

1. Quæ fuerit neceſsitas ſacerdotis.

In explicatione primi huius membri de ſacerdote ſummo Chriſtianorum, videamus quæ fuerit neceſsitas ſacerdotis, quæ perſonæ conditio, & quiſnam ſit. Neceſsitas ſacerdotis hinc æſtimetur. Nos omnes eſſe peccatores, reóſq; æternę mortis, cùm propter parentum primorum defectionem à Deo, tum ob noſtram propriam culpam & reatũ in confeſſo eſt. Id quod & pœnę à iuſtiſsimo Deo impoſitę, & vox Dei, & conſcientia cuiuſque teſtãtur. Iam autem vnum ex duobus neceſſariũ omnino fuit. Aut enim nobis æternùm pereundum erat, aut reconciliatio cum Deo offenſo ineunda. Verùm, quia reconciliatio iuſta eſſe debuit, ne quid decederet iuſtitiæ diuinę, non potuit fieri ſine compenſatione iniuriæ Deo factæ. Hæc autem compẽſatio neceſſariò fieri debuit per aliquem mediatorem. Vt quemadmodum vnus Adam conicit nos omnes in mortem & dãnationem ſua culpa: ita aliquis eſſet qui ſuo merito nos Deo offenſo recõciliaret, facta iniuriæ cõpenſatione. Qui autem ita inter Deũ offenſum & homines offendentes eſt mediator, ſacerdos nominatur. Ita enim Epiſtola ad Hebræos habet, cap. 5. 1. Omnis ſacerdos ex hominibus aſſumptus, pro hominibus cõſtituitur in ijs quæ ſunt apud Deum agenda, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. Ex his euidentiſsimè patet, quàm fuerit neceſſarius ſacerdos, ad ineundam reconciliationem noſtri cum Deo offenſo.

2. Quæ ſit perſonæ iſtius ſacerdotis conditio.

Sed quis talem ſacerdotem dare potuit, cùm totũ genus humanum ſit reum, & nullus in toto genere humano pro ſeipſo ſatisfacere, nedum pro alijs poſſit; Deus ſapientiſsimũ conſilium, quod homo dare nõ potuit, protulit. Nam miſericordię ipſius fuit miſereri ſuæ creaturæ. Sapiẽtiæ, ne fine ad quem condita erat, excideret. Potẽtiæ, ne ſineret Diabolum perpetuam exercere tyrannidem in creaturam ad ſuam imaginem conditam. Deniq; iuſtitiæ, ne ſineret peccatum impunitum. Protulit ergo cõſilium Deus ſapientiſsimum, per quod & ſummã ſapientiam, & immenſam miſericordiam, & infinitam potentiã, & iuſtitiam abſolutiſsimam declarauit. Quoniam itaque maior fuit ira Dei in peccatores, quales ſumus omnes natura, ſiquidem natura ſumus filij iræ, quàm vt eam ſuſtinere poſsit purus homo, & iuſtitia tamen Dei requirebat, vt vnus aliquis in humano genere vitæ autor eſſet, ſicut vnus mortis fuit, dedit igitur talem ſacerdotẽ, qui potuit, quia Deus: & debuit, quia homo.

Cur Deus & homo, vna perſona.

Vnus vtiq; de humano genere, ſegregatus tamen à peccatoribus, hoc eſt iuſtus: alioqui minimè idoneus dato muneri. Ita enim ait Deus Geneſ. 3. 15. Semen mulieris conteret caput ſerpẽtis, id eſt, conſenſu totius ſcripturæ approbante, æternus Dei filius aſſumet humanam naturã, in vnionem perſonalem, hoc eſt, vt Deus & homo ſit vna perſona, mediator ſeu ſacerdos inter Deum & homines, qui cauſa hominum in ſe ſuſcepta, pœnam luet hominibus debitam, ac homines, imputata ipſis ſua iuſtitia, cum Deo reconciliabit. Vnde Auguſtinus: *Sanandæ noſtræ miſeriæ conuenientior alius modus non fuit, quam per paſſionem Chriſti. Is enim*, vt idem ait, *delicta noſtra ſua delicta fecit, vt iuſtitiam noſtram ſuam iuſtitiam faceret.* Conditio proinde ſacerdotis ſuo merito nos Deo reconciliantis duplex requirebatur. Naturarum vna, altera qualitatis. Conditio naturarum, quòd hîc noſter ſacerdos debuerit eſſe Deus & homo, vna perſona, alioqui mediator eſſe non potuiſſet. Vt enim ſua æterna diuinitate Patri, ita nobis humanæ naturæ ſocietate coniungi debuit. Filius proinde Dei, vt ait Ambroſius, aſſumpta carne homo natus eſt, vt mediator Dei & hominum, homo eſſet Ieſus Chriſtus. Oportuit ergo vt ex vtroq; mediator eſſet, vt vtrũq; reconciliaret. Ex Deo quidem vt cum ipſo colloqui

poſſet

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

poſſet & intercedere, ex humano genere verò vt & debitor eſſet, & haberet quod offerret. Vnde Epiſt. ad Hebræos, cap. 2. 14. particeps factus eſt carnis & ſanguinis, vt per mortem aboleret eum qui mortis habebat imperium, hoc eſt diabolum, & liberos ſedderet quotquot per omnem vitam obnoxij erant ſeruituti. Item debuit per omnia fratribus aſsimilari, vt miſericors eſſet, & fidelis ſacerdos in his quæ apud Deum forent agenda, ad expiandum peccata populi. Nam ex eo quòd tentaretur, poteſt & iis qui tentantur ſuccurrere.

1. De qualitate perſonæ ſacerdotis noſtri: ſeu qualiſnā ſit.

Hactenus de conditione naturarum diuinæ, & humanæ ſacerdotis noſtri: Iam de qualitate perſonæ, de qua eadem Epiſtola ad Heb. in hunc modum, cap. 7. 26. Talis decebat vt noſter eſſet ſummus ſacerdos, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cædis factus, qui nõ habuit neceſſitatem quotidiè prius pro ſuis delictis hoſtias offerre: deinde pro populi. Sed de hac qualitate in explicatione ſacerdotij plura ſe offerent dicenda. Quod autem Ieſus Mariæ Virginis filius ſit verus Meſſias adeóque ſacerdos & mediator nobis à Deo promiſſus & datus, ſupra oſtendimus, hanc immotam demonſtrationem opponentes Iudæis.

Is ſolus abſque omni dubio, ac veriſsimo verius, atque adeò omnium confeſsione eſt Meſſias verus & vnicus, adeóque ſacerdos, & mediator, in quẽ omnia Prophetarum vaticinia concurrunt, cuique ſoli conuenit quicquid de Meſſia prędictum eſt à ſanctis Dei Prophetis, Moſe & aliis.

In Ieſum autem Mariæ filium concurrunt omnia Prophetarũ vaticinia, & huic ſoli Ieſu cõuenit quicquid de Meſsia dictum eſt à ſanctis Dei Prophetis Moſe & aliis.

Ergo ſolus Ieſus Marię Virginis filius eſt Meſsias, verus & vnicus adeóque ſacerdos, & Mediator noſter.

Minorem quæ eſt κρινόμενον confirmauimus ſuprà, vbi refutauimus Iudæorum vanitatẽ de Meſsia. Videantur quæ annotauimus in primum huius Pſalmi verſum aduerſus Iudæos.

II.

DE SACERDOTIO *eiuſque partibus.*

Definitio Sacerdotii

SAcerdotium noui teſtamẽti eſt miniſterium diuinitus ordinatum & ſancitum in quo ſummus & æternus ſacerdos Deus & homo Ieſus Chriſtus confirmatus iureiurando diuino, annunciat & conſeruat doctrinam euangelij de remiſſione peccatorum, offert ſe ipſum per ſpiritum æternum in ſacrificium piaculare, ſeu propitiatorium, quo & expiat peccatũ, & ſatisfacit iuſtitiæ Dei pro peccatoribus, placat irã Dei, meretur gratiã & Spiritũ ſanctũ omnib. credẽtibus in nomen eius, & orat aſsiduè pro Eccleſia, & exauditur: vt excuſſo iugo diaboli hoſtis humani generis, & reparata imagine Dei in nobis amiſſa per peccatum, ſanctificemur in æternũ, atque adeò beati viuamus, Chriſto ſacerdoti conformes in omni æternitate.

Definitionis explicatio.

Hæc definitio cùm ex iis quæ diximus de ſacerdote, tum ex totius ſcripturæ conſenſu & præſertim ex epiſt. ad Hebr. de ſacerdotio Chriſti collecta eſt. Sed ſingulæ partes huius definitionis, vt vberrimam doctrinam & conſolationem continent, ita longiorem explicationem poſtulant. Sunt autem tres partes ſacerdotij Chriſti in definitione expreſſæ, videlicet doctrina Euangelij, ſacrificium, & oratio ſeu interceſſio. Atque harum ſingulæ perfectiſſimæ ſunt & efficaciſſimæ, ita vt nec quicquam vel in ipſis deſideretur, vel ſit infirmum ad ſaluandum. Virtus enim omnis harum partium pendet à maieſtate ſacerdotis noſtri Chriſti, in quo nec ſapiẽtiam, nec bonitatem, nec puritatem, nec voluntatem, nec potentiam quis deſiderare poterit. De his ergo tribus partibus ordine dicemus.

Prima pars eſt annunciatio Euangelij, ſine qua nos miſeri & cæci peccatores nihil fauoris & gratiæ à Deo ſperare poſſumus. Nam ſine hac Euangelij doctrina triſtiſſimis inuoluimur tenebris & peccatorũ noſtrorum magnitudine, multitudine, & turpitudine, vel iudicio proprię conſcientię condemnati proſternimur, vt planè deſperare ſit neceſſe. Siquidem & lex Dei iram minatur legẽ non facientibus. (Hæc enim legis iudiciaria ſententia eſt: Maledictus omnis qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in lege) Et conſcientia, quæ eſt teſtimonium iudicij futuri, nos coram tribunali Dei reos peragit. Et calamitates humani generis iuſtiſſimam eſſe iram Dei teſtantur. Et horribilis tyrannis diaboli in humanum genus, atque multi tragici caſus omnibus temporibus, quàm horrenda res ſit peccatum conuincunt. Taceo bella, taceo ſigna in cœlo, terra & mari teſtãtia furorem (vt cũ Propheta loquar) iræ diuinæ. Hæc omnia ſunt veluti præludia æternæ miſeriæ coram qui non conuertuntur ad prædicationem Euangelij. His omnibus malis medetur ſacerdos noſter, modò eius medicinam tanquam Phrenetici non reſpuerimus cũ furioſo & cæco mundo. Is enim è ſinu patris profert ſuauiſſimam doctrinam Euangelij de remiſſione peccatorum: quibus remiſſis & abolitis nec lex in nobis habet quod condẽnet, nec diabolus & mors quicquam iuris in nos obtinent. Hæc doctrina Euãgelij myſterium dicitur abſconditum à ſapientibus huius mundi, atque ſtultitia ab illis iudicatur. Sed miſeris & afflictis peccatoribus ſapientia eſt Dei, cui per ſtultam prædicationem crucifixi Chriſti placuit ſeruare credentes. Vide 1. Cor. 1. 18. 21. 24. &c.

1. Annunciatio euãgelij.

Peccati grauitas.

Quænam & qualis ſit doctrina Euangelii.

Quænam igitur, & qualis ſit hæc doctrina Euangelij breuiter explicandum eſt, quò nobis hæc pars ſacerdotij Chriſti fiat dulcîor. Chriſtus Lucæ 24. 46. ſummam rei his verbis proponit. Oportet prædicari in nomine meo pœnitentiam ſeu conuerſionem & remiſsionem peccatorũ inter omnes gẽtes. Proinde Euangelium eſt annunciatio Vniuerſalis remiſſionis peccatorum quę contingit omnibus iis qui conuertuntur, idque propter nomen Chriſti, id eſt propter merita Chriſti. Etſi autem hæc definitio ſummã rei, vt dixi, continet, tamen, vt magis agnoſcatur magnitudo beneficij ſacerdotis noſtri Chriſti, ampliorẽ definitionem aſſcribam. Euangelium eſt vniuerſalis prædicatio ſacerdotis noſtri Chriſti, in qua annunciatur liberatio ab ira Dei, à maledictione legis, & dãnatione æterna, & proclamatur remiſſio peccatorum ſalus, & vita æterna credentibus in filium, propter eiuſdem merita, ſecundum promiſſionem olim patribus factam, vt perpetuò gloria bonitatis Dei, prædicetur, vtque porro dignos fructus Euangelio edãt homines per Chriſtũ liberati, tandemque vita æterna fruantur. Hæc definitio Euangelij ex variis ſcripturæ locis collecta docet Euangelium verè bonum & lætum eſſe nuncium, ſine quo in æterna miſeria nobis eſſet pereundum. Huius definitionis mẽbra quia alibi à nobis & multis explicata ſunt, nolo longiore oratione perſequi. Summa huc redit: quod natura ſumus miſeri, condemnati, ſerui. Gratia autem, quam Euangelium annũciat, beati, iuſti, liberi, & hæredes vitæ æternæ per Ieſum Chriſtum. Hanc doctrinam Euangelij ipſe filius Dei protulit è ſinu patris, & eam propoſuit primis noſtris parentibus,

Definitio.

Definitionis explicatio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

poſt triſtiſſimum illorum lapſum in laqueos diaboli. Ita enim ait, Gen. 3. 15. Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Hanc ſonuit per miniſterium Noë ante diluuium. Petrus enim affirmat, 1. 3. 19. Chriſtũ ſpiritu prædicaſſe iſtis hominibus tẽpore Noë quorum ſpiritus nunc detinentur in carcere propter contumacem rebellionem aduerſus ſpiritũ Chriſti ipſis prædicantem. Hanc poſtea per Prophetas, vt idẽ Petrus teſtatur, protulit. Hanc poſt humanam naturam aſſumptã tribus annis cùm dimidio prædicauit. Hãc per Apoſtolos in vniuerſum orbem annunciari mandauit, quam & ſubſequentibus ſignis confirmauit. Per hanc doctrinam, vt ſemper conſeruauit: ita hodie conſeruat, & deinde vſque ad finem mundi conſeruabit Eccleſiam aduerſus inferorum portas. Benedicet ei, & dabit ſpiritum ſanctum & vitam æternam omnibus huic doctrinæ credentibus. Verùm contrà horrenda damnatio omnibus illis imminet, qui huic doctrinæ ſignis, portentis, variis virtutibus, & viſibili donatione ſpiritus ſancti, confirmatæ fidẽ nõ adhibuerint. Si enim ſermo, vt ait Epiſt. ad Hebr. ca. 2. 2. per Angelos dictus, factus eſt firmus, & omnis prænaricatio, & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem? Caueamus proinde, vt eadem Epiſtola monet, ne perfluamus.

2. Sacrificium.

Secunda pars ſacerdotij Chriſti eſt ſacrificium. Sacrificium autem Chriſti, aliàs generaliter accipitur, aliàs peculiariter.

In genere

Cùm generaliter accipitur, complectitur quicquid Chriſtus ſacerdos noſtræ ſalutis gratia fecit, & patri obtulit. Vt ſunt eius opera omnia, Obedientia perfecta legis, Paſſio & mors voluntaria, & interceſſio apud patrem aſſidua. Quod autem obediẽtia erga legẽ ſit huius ſacrificij pars quædam, ex eo patet quod ea nos coram patre iuſtos facit. De paſſione & morte Epiſtola ad Hebræos concionatur, cum affirmat Chriſtum ſe obtuliſſe pro peccatis noſtris & ſanguine ſuo purificaſſe conſcientias noſtras. Intercesſio & preces cap. 5. 1. ad Hebr. oblationes dicuntur. Ita enim ait, In diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſq; ei qui poterat ſeruare ipſum à morte, cum clamore valido & lachrymis obtulit. Hæc enim tria, videlicet obedientia legis perfecta, Paſſio, & interceſſio, à ſe mutuo ordine quodam tãquam effecta à ſuis cauſis & contrà dependent. Nam ex eo quòd ſanctus, impollutus, atque adeo perfectiſsimè iuſtus ſecundum legem fuerit, valuit voluntaria obedientia ipſius in cruce ad expianda omnia hominum peccata, & quia obediens patri fuit vſque ad mortem crucis. valent preces ipſius pro Eccleſia in perpetuum, qui ideo ſolus interceſſor eſt, quia ſolus ſe dedit in pretiũ redemptionis pro omnibus, vt Paulus teſtatur. 1. Tim. 2. 6. Hęc conſecutio ſeu colligatio meritorum Chriſti pulcherrimè conſpicitur in noſtri ſanctificatione. Merito enim mortis ſuæ, ita expiat peccatum noſtrũ, vt non amplius, modò crediderimus, rei appareamus in conſpectu patris, ſicut de eo prædixit Eſaias, cap. 53. 4. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Itẽ, ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Merito obedientiæ legis nos veſtit, vt iuſti appareamus coram Deo, nõ noſtra, ſed ipſius iuſtitia nobis imputata. Ita enim Paulus ait ad Rom. 5. 19. Quemadmodum vnius inobedientia multi peccatores conſtituti ſunt: ita obedientia vnius multi conſtituentur iuſti. Vtrumque meritum videlicet paſſionis & obedientiæ legis complectitur Paulus cùm ait, Gal. 4. 4. 5. Chriſtus factus eſt ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret. Nam cùm duplex ſit ſententia legis. Vna maledictionis & mortis ex lege non impleta, in quam ſententiam incurrimus propter peccatum: Altera benedictionis, id eſt, iuſtitiæ & vitæ. Qua iuſtitia excidimus per peccatum, neceſſe fuit vt & maledictionem legis cum cauſa, id eſt peccatis noſtris in ſe reciperet, pro nobis factus maledictus & morti obnoxius. Sic enim Paulus ait, Gal. 3. 13. Chriſtus nos redemit ex maledictione legis, factus pro nobis maledictum ſeu execratio, vt benedictionem legis nobis reſtitueret: quam nobis meruit ſua perfecta obedientia erga legem ſub qua factus eſt non pro ſe, ſed pro nobis. Atque hoc vult Paulus cùm ait, Rom. 10. 4. Chriſtus eſt impletio legis in iuſtitiam omni credenti. Quia autem huius impletionis teſtimonium eſt euidentiſsimum Chriſti reſurrectio, Paulus affirmat ipſum reſurrexiſſe propter iuſtificationem noſtri. Ro. 4. 25. Merito ſuarum precum & interceſſionis nobis aditum facit ad patrem, vt Paulus ad Rom. 8. 32. ait. Quis accuſabit electos Dei? Chriſtus eſt qui intercedit pro nobis. Cùm igitur Chriſtus dicitur offerre patri ſua merita, intelligatur generale ſacrificiũ Chriſti quod cõtinet hoc triplex meritum, videlicet obedientiæ legis, paſſionis, & precum.

In ſpecie

Aliàs ſacrificium Chriſti accipitur peculiariter pro paſſione & morte ipſius, quæ Paſſio & mors vnicum ſacrificium expiationis eſt: cuius typi fuerunt ſacrificia veteris populi, & ſingulari modo id quod propitiatorium vocabatur, propter huius æterni & expiatorij ſacrificij Chriſti adumbrationem. Verùm quia de vmbris ſupra dictum eſt, vbi vanitatem Iudæorum adhuc expectantium Meſſiam oſtendimus, hîc ſolummodo dicemus de ſacrificio Chriſti, quod expiatorium ſeu propitiatorium à ſuo effectu nominat ſcriptura, quod rectè in hunc modum definiri poteſt.

Sacrificii expiatorii, ſeu paſſionis Chriſti definitio.

Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti æterni ſacerdotis, eſt ſacrificiũ propitiatoriũ in quo filius Dei ęternus, homo factus, & æternus ſacerdos à patre conſtitutus ſeipſum, obediendo patri in paſſione, vſque ad mortem crucis, per æternum ſpiritum obtulit æterno patri in ara crucis, maledictionem legis verè ſubiens, vt iſta ſua vna & perfectiſsima oblatione ſatisfaceret iuſticiæ Dei pro culpa & pœna humani generis, placaret iram Dei iuſtiſsimã & mereretur hac vnica victima omnibus qui in ipſum crediderunt, inde vſque à creatione mundi, & credituri ſunt vſque ad finem mundi, ęternam ſanctificationem, hoc eſt liberationem à maledictione legis, gratiam, benedictionem, vitam & ſalutem æternam, vt Chriſto conformes in omni æternitate Deum prædicent. Hanc totam definitionem complectitur Chriſtus his pauciſſimis verbis Ioan. 17. 19. Ego pro iis ſanctifico meipſum vt ipſi ſint ſanctificati in æternum. Sed ſpiritus ſanctus in epiſtola ad Heb. eam fuſiſsimè explicat, & ego in vnum veluti corpus quæ ſparſim leguntur in ea Epiſtola coëgi, vt ſimul quaſi vno intuitu hoc admirandum opus intuęamur, & aliquo modo æſtimemus magnitudinem beneficij, & grati ſimus Deo pro hac immenſa miſericordia nobis in Chriſto exhibita.

Definitionis partes.

Auguſtinus libro 4. de trinitate dicit quatuor in omni ſacrificio ſpectanda eſſe. 1. Videlicet *à quo offeratur ſacrificium.* 2. *Cui offeratur.* 3. *Quid offeratur.* 4. *Pro quibus offeratur.* Quæ quatuor in noſtra etiam definitione expreſſè ponũtur & diſtinctè.

1. A quo offeratur ſacrificium.

Offert enim filius Dei homo factus, & ab ipſo Deo patre æternus conſtitutus ſacerdos. Hic etenim ſacerdos vt ſolus ſanctus & iuſtus & excelſior cœlis eſt: ita potuit ſolus ſacrificium in æternum perfectũ offerre. Nã ex eo quòd homo erat iuſtus, licuit ei cauſam

communem

communem in ſe recipere: præſertim cùm vnus in humano genere reliquam poſteritatem ſecum perdidiſſet. Ex eo quòd excelſior cœlis erat, videlicet verus Deus, potens fuit ad offerendum ſacrificium tale, quod & perfectum eſſet, & in perpetuum efficax. Deinde ex eo, quòd vna perſona erat, omnia facta ipſius in ſanctiſſima ſua humanitate puriſſima ſunt, & infiniti pretij.

2. Cui offeratur.

Cui ſacerdos hic offert? Deo ipſi. Huic enim ſoli debebatur ſacrificium, quo ſatisfieret ipſius iuſtitiæ, cui ſoli peccauerunt parẽtes noſtri, & nos cum ipſis, vt dãnatoria ſentẽtia legis abolita de maledictione æterna, benedictionis æternæ ipſius merito fieremus participes.

3. Quid offeratur.

Quid hic ſacerdos Deo offert? Filius Dei æternus ſacerdos ſemetipſum patri obtulit in ara crucis, noſtram cauſam. i. peccatũ & pœnã in ſe recipiens. Epiſtola enim ad Heb. teſtatur Filium Dei factũ fuiſſe participẽ carnis & ſanguinis, vt haberet quod offerret. Et Auguſtinus ait: *Quid tam congruenter aſſumeretur ab hominibus, quod pro eis offerretur, quàm humana caro? & quid tam aptũ immolationi huic quàm caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundanis vitiis mortaliũ quàm ſine contagione vlla, caro nata in vtero & ex vtero virginali? Et quid tam gratè & offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum ſacerdotis noſtri?*

Dignitas hoſtiæ ſeu ſacrificij noſtri.

Porro quia hoſtia omnis in veteri lege primum debuit ſeparari ab aliis rebus eiuſdem generis. 2. applicari aræ, impoſita ſacerdotis manu: 3. immolari ſuper aram: 4. ſi rectè fiebat iuxta legẽ, accepta Deo erat hoſtia. Videamus quomodo hęc quatuor noſtrę hoſtiæ congruunt. Primùm ergo hæc noſtra hoſtia Chriſtus ſegregatus erat à reliquis hominibus non natura, qua illis coniunctum eſſe oportuit, ſed puritate, integritate, & excellentia, quibus cæteros homines antecelluit. Secundo, applicabatur altari per ſummam obedientiam conſecratus Deo. Oblatus eſt enim quia voluit. Tertiò, immolabatur ſuper altare, ſuſpenſus in lignum crucis, portans ſuper caput ſuũ noſtram cauſam, id eſt peccatum & pœnam peccati, hoc eſt, iram Dei & maledictionem. Hoc olim adũbratum fuit in hirco, ſuper cuius caput Aaron (confeſſus prius ſua peccata, & populi Iſraelitici) ponebat ſua delicta, & vniuerſa delicta filiorum Iſrael, quem poſtea in terram vaſtam cum delictis demittebat feris dilaniandum per virum ad id paratum. Huius typi veritas in Chriſto veriſſimè completa eſt. Nam, vt Propheta ait. Eſai. 53.6. Dominus poſuit ſuper eum omnes iniquitates noſtras. Item iniquitates eorum ipſe portauit. Sic Paulus typum Chriſto accõmodat cùm ait, 2. Cor. 5.21. Eũ qui non nouit peccatũ fecit peccatũ, vt nos fieremus iuſticia Dei in eo. Itẽ, 2. Gal. 3.13. Chriſtus redemit nos de execratione legis, factus pro nobis execratio. Scriptum eſt enim, Maledictus omnis qui pendet in ligno. Deinde vt hircus ille typicus in deſertum dimittitur à feris dilaniandus: Ita Chriſtus ſceleratis hominibus Scribis, & Phariſæis, & gentibus, principis ſui Diaboli mãdatis obtemperantibus, traditur interficiendus propter peccata noſtra & pœnam eorum tanquã propria ipſius fuiſſent luit.

Hircus, in deſertum exiſſus ſub lege, typus Chriſti.

Hic accuratè diſtinguendum eſt inter vmbram & veritatem. Hirco impoſita erant peccata filiorum Iſrael, ſed in typo tantum. At Chriſto verè impoſita ſunt peccata totius mundi. Neque hîc tropus vllus admittendus eſt. Nam in hoc poſita eſt tota noſtra ſpes, in hoc apparet charitas Dei infinita, denique in hoc ſita eſt ſalus noſtra, quòd Deus noſter verè & ſine tropo effuderit omnem iram ſuam in filium ſuum, tanquam reum omnium peccatorũ mundi, qui verè & ſine tropo factus eſt execratio, vt nos verè & ſine tropo ab execratione liberaret. Nã alioqui ſi ficta fuiſſet ira Dei, ficta etiam fuiſſet filij obedientia, & ficta ſpes gloriæ quam expectamus. Conſiderandus proinde eſt Chriſtus cum ijs qualitatibus quas habet non in ſeſe, ſed ex imputatione, pro mediatoris officio quod vltro ſubiit, vt nos viciſſim eadem prorſus ratione, id eſt per imputationẽ eorum quæ ipſius ſunt propria, ſatisfactione ſcilicet iuſtitiæ & ſanctificationis, iuſtificati & ſanctificati, fiamus ipſius fratres, ac eiuſdem regni hęredes. Quartò, hoſtia Chriſtus ſic ritè peracta in ara crucis, placuit patri & accepta fuit, adeo vt eius vis ad ſaluandũ omnes credentes perpetuò duret.

Diſtinctio inter vmbram & veritatem.

4. Pro quibus offeratur.

Quartum quod Auguſtinus requirit in omni ſacrificio eſt circumſtantia eorum pro quibus offeratur. Ad quod Paulus reſpondet hiſce verbis, 1. Timo. 2.6. Dedit ſeipſum ἀντιλύτρον, id eſt, pretium redemtionis pro omnibus. Et Iohannes. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Iohan. 1.29.

Aliæ partes definitionis ſacrificij Chriſti.

Porrò præter hæc quatuor quæ Auguſtinus in noſtro ſacrificio requirit, alia quatuor ex epiſtola ad Heb. adiecimus in noſtra definitione. Videlicet modum oblationis, perpetuam virtutem, rationem applicationis, & finem vltimum notitiæ & fiduciæ huius ſacrificij.

Modus oblationis.

Modus eſt quod obtulerit ſe Chriſtus per æternum ſpiritum. Ita enim ait Epiſtola ad Heb. Quanto magis ſanguis Chriſti qui per ſpiritum æternum ſeipſum obtulit immaculatum Deo, purgabit conſcientiam noſtram à mortuis operibus. Spiritus æterni appellatione diuinitatis cum humanitate cõiunctæ efficacitatem infinitam intelligit, quæ totum hoc ſacrificium gubernauit, ex quo factum eſt quod iſte ſanguis, quia ſanguis erat eius hominis qui etiã verus Deus erat, viuifica planè virtute præditus ſit, qua virtute vt nos condidit, ita etiam inſtaurare potuit. Propter hunc oblationis modum Deus dicitur mortuus & acquiſiſſe ſibi Eccleſiam ſuo ſanguine. Vt Paulus Actor. 20. teſtatur cum ait. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos ſpiritus ſanctus poſuit Epiſcopos ad paſcendam Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo.

Perpetua virtus.

Hinc ergo eſt quod addidimus de perpetua ſacrificij virtute de qua ad Heb. Vna oblatione perfecit in perpetuũ ſanctificandos: Ita per proprium ſanguinem intrauit ſemel in ſanctuarium, æternam redemptionem nactus.

Ratio applicationis & finis vltimus.

De applicatione quæ fit per verbum, fidem & ſacramenta, & de fine vltimo ſacrificij Chriſti poſtea dicemus ſuo loco.

Digreſſio de miſeria hominis & Dei miſericordia.

Porro hic pauliſper ſiſtendus eſt gradus, & plura alta mente cogitanda ſunt. Videlicet, 1. Quanta miſeria ſit hominum, in quam incurrerunt propter peccata. 2. Quàm ingens ira Dei, offenſi peccatis hominũ, fuerit. 3. Quàm rurſus magna miſericordia Dei. 4. Quàm ineffabilis obedientia filij Dei. 5. Quàm horrenda pœna, quam ſuſtinuit filius Dei. 6. Quàm inæſtimabilis & incomparabilis pretij ſit mors filij Dei, quæ vna opponitur tanquam ſatisfactio omnium hominum peccatis & miſeriis. 7. Et contrà quàm triſtis ingratitudo maximæ partis humani generis, non agnoſcentis hoc admirãdum Dei opus, videlicet ſacrificium Chriſti.

1. Miſeria hominis extra Chriſtum.

Miſeriam hominum ſine Chriſti ſacrificio conſiderare oportet, de qua Iob. 14.1. Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miſeriis. Auguſtinus definit miſeriam humanam eſſe copiam tribulationis, & inopiam conſolationis, quando quis multifariè patitur, & à nemine releuatur. Homerus exclamans affirmat nihil homine calamitoſius eſſe aut miſerius. Sed is tantum calamitates & miſerias

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

& tragicos caſus quibus obnoxij ſunt homines in hac vita cogitat. Nam nec principium, nec gradus, nec finem miſeriæ humanæ nouit.

Principiũ huius miſeriæ.

Principium vnde orta & propagata eſt miſeria generis humani, nemo nouit niſi verbo Dei edoctus. Hoc verbum principium omnis miſeriæ refert ad Diabolum, & peccatum primorum parentum, & eiuſdem peccati in omnẽ poſteritatẽ propagationẽ. De qua re Paulus clariſsimè docet ad Ro.5. Et Eſaias ait, ca.64.6. Cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos.

Gradus.

Gradus miſeriæ humanæ ſunt multi, & triſtiſsimi. Quorum primus eſt deploranda ſeparatio à Deo.

Separatio à Deo.

Eſaias 59.2. Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis. Quanta ſit hæc miſeria nemo ſatis cogitauerit. Quid enim triſtius eſſe poteſt quàm ſeparari à Deo, & excludi à fonte omnis boni, ab omni benedictione & ſalute?

Coniunctio hominis cum Diabolo.

Secundus miſeriæ humanæ gradus eſt coniunctio hominis cum Diabolo mẽdace & homicida, & ſubiici ipſius legibus, quę ſunt mortis & damnationis. Per hos duos gradus prophanatur templum, quod per creationem conſecratum erat Deo, & aboletur imago Dei ad quam conditus erat homo.

Homo templum diaboli.

Hinc tertius gradus miſeriæ humanę ſequitur. Videlicet quòd homo, qui antea erat templum Dei, iã in hanc miſeriam inciderit quòd ſit templum Diaboli, in quo diabolus colitur operibus propriis, ſcilicet mendacio & homicidio, ex quibus infinita ſcelerum caterua prorumpit.

Moles calamitatũ.

Quartus gradus miſeriæ humanæ eſt moles calamitatum ſpiritualium & corporalium, quibus premitur genus humanum, vt ſunt tentationes multiplices, morbi varij, & tragici caſus, quibus obnoxium eſt humanum genus. Nulla enim calamitas tanta eſt, in quam homo non poſſit incidere. Vnde prouerbium. Neſcis quid ſerus veſper vehat. Item, aut ſumus, aut fuimus, aut poſſumus eſſe quod hic eſt.

Exempla calamitatum humanarum

Ex multis exemplis pauca adferam. Adonibeſec regio ſplendore & ornatu ſuperbus, qui, amputatis manuũ, pedúmque digitis miſerrimè vixit. Interitus Ieſabelis omnibus eſt notus. Alcibiades nobilitate eximius, diuitiis abũdans, forma pręſtãtiſſimus, fauore ciuium ſuperbus, ſummo imperio clarus, victoriis nõ paucis illuſtris. Sed quid fit tandẽ? dãnatur, in exiliũ mittitur, bonis ſpoliatur, odio patriæ grauatur, & tãdem violenta morte ſuccũbit. Cepio Seruilius præturæ ſplendore, triumphi claritate, conſulatus dignitate, maximi pontificis ſacerdotio excellẽs, atque adeò in tanto pretio habitus eſt, vt ſenatus Romani patronus diceretur. Sed huic ſplendori fortunæ nõ reſpondet cataſtrophe vitæ, quæ fuit miſerrima. Nã in vincula coniectus, & carnifici puniẽdus traditur, qui carnifex funeſtis ſuis manibus cor Cepionis exemptũ de corpore lacerat, & in ſcalis ſuſpẽdit, quod magno cum horrore totius fori Romani conſpectũ eſt. Beliſarius Iuſtiniani archiſtrategus poſt multas pręclaras victorias, inuidia opprimitur, bonis ſpoliatur, oculis priuatur, & in tẽplo Sophiæ panem quotidie mendicare cogitur, hac oratione vſus ad prętereũtes. Panẽ Beliſario date, quem virtus extulit, inuidia oppreſſit. Quid dicã de Herode, qui nitidus erat auro & gẽmis, ſplendore regio ſuperbus erat? Nonne gẽmis vermiculi ſucceſſerunt, quos ſua carne pauit, donec fœtore & cruciatu & deſperatione victus expirauit? Prætereo Alexandrũ Magnũ, Cæſarẽ, Marium, Pompeiũ, Catonẽ, Ciceronẽ, & multos alios, quorum caſus, quanta ſit miſeria humani generis, oſtendunt: à quibus nemo ſe tutum fore polliceri poteſt, dum in hac vita ſpirat. Quare Seneca rectè monet cùm ait, Nemo confidat nimium ſecundis.

Conſcientia ſceleris.

Quintus gradus miſeriæ humanæ eſt conſcientia ſceleris, quę plus animam torquet, quàm vllus carnifex poſsit corpus torquere. Hæc etſi ad tempus dormire videtur, tamen ante obitum, vt Plato ait, expergiſcitur.

Mors cum deſperatione.

Sextus gradus miſeriarũ humani generis eſt mors ipſa cum deſperatione coniuncta, quæ ignorantibus Chriſtum eſt miſerrima, & aditus quidam ad æternam damnationem.

Finis huius miſeriæ.

Sed quisnã finis eſt miſeriæ hominum nõ agnoſcentiũ Chriſtũ? Finis eſt, vt ita dicã, infinitus, ſemper ſibi conſtãs, nulli viciſsitudini aut permutationi obnoxius. Nã poſt mortẽ, & poſt iudicium extremum ſuccedit miſeriæ huius vitæ triſtiſſima cataſtrophe, videlicet ſempiternũ opprobriũ, perpetuus cruciatus in conſcientia, anima & corpore, Societas cũ immũdis ſpiritibus in obſcuris flãmis, in tenebris exterioribus, extra omnẽ lucẽ Dei. De opprobrio loquitur Daniel cùm ait, ca.12.2. alij ſcilicet impij, non ad Deũ per fidẽ conuerſi, euigilabunt ad opprobriũ & abominationẽ ſempiternã. De cruciatu ſempiterno, & ſocietate cùm impuris ſpiritibus loquitur Dominus, Matt.ca.25.41. proponens ſententiam iudiciariã extremi iudicij, Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & Angelis eius. De cruciatu conſcientiæ intellige Eſaiam qui ait, ca.66.24. Vermis eorum non morietur. Etſi autem in hanc tantam miſeriã totum humanũ genus coniectum eſt propter peccatũ, tamen Eccleſia Dei ſola ex his miſeriis eluctatur. Nã vt peccatũ ipſius, quod cauſa eſt harũ miſeriarũ, expiatum eſt morte Chriſti, ita Spiritus ſanctus conſolator in cruce adeſt, & mors corporis eſt aditus ad æternam fœlicitatem, quare pretioſa dicitur mors ſanctorum Pſal.116.16.

2. Quanta ſit ira Dei in reprobos.

Ex miſeriæ magnitudine & varietate, quæ eſt pœna peccati, intelligi aliquo modo poteſt quãta ſit ira Dei in eos qui non conuertuntur. Nã cùm Deus eſt iuſtus, & iudiciũ eius ſecundũ veritatem, vt loquitur Paulus, neceſſe eſt irã & vindictã in Deo, reſpondere iuſtitię. Hoc eſt vt non ſit maior pœna, quàm fuit peccatũ, nunc autẽ pœna eſt grauiſſima & infinita. Quare neceſſe eſt offenſam fuiſſe infinitã, vt qua infinitũ bonũ offenſum fuerit. Non igitur fallacibus lancibus ponderanda eſt peccati quantitas, ſed ad iuſtam librã appendenda eſt.

Peccati circumſtantiæ inſeparabiles.

Nã plurima in peccato concurrũt mala propter quæ Deus meritò iraſcitur, vt ſunt contẽptus maieſtatis Dei, ſuperba cõtumacia aduerſus legẽ Dei, indigniſſima imaginis Dei ad quam homo erat conditus, conſpurcatio & inductio, imitatio Satanæ hoſtis Dei, improba proditio, & defectio à caſtris Dei, & quaſi coniuratio quędam cum Diabolis, atq; intolerabilis ingratitudo, & obliuio turpiſſima beneficiorũ Dei erga genus humanum. Nullũ enim vnquã peccatũ ſolum fuit, ſed quodque longiſsimã ſcelerũ catenã ſecũ trahit. Vt videre eſt in lapſu priſmorum parentum, & aliorum qui volentes & ſcientes, ruunt aduerſus mandata Dei.

Ex peccati conſideratione quid ſequatur.

Ex hac peccati iuſta põderatione plura ſequũtur. 1. Quòd iuſtiſsima ſint ira Dei qui ſempiterna miſeria punit peccatũ in iis qui non conuertũtur ad Deũ per fidẽ in Ieſum Chriſtũ. 2. Quòd derideant iuſtitiã & iuſtiſsimã irã Dei, qui docent homines contritione, confeſſione & ſatisfactione mereri condonationẽ peccatorum coram tribunali Dei. Taceo eos qui quædam peccata tã leuis ponderis eſſe autumant, vt aſpergillo aquæ luſtralis excutiantur. Prætereo & illos qui emptis indulgentiis, aut miſsis, peccata redimi nu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mi nugantur, quibus nugis papiſticũ regnũ auctum eſt, fulcitur & conſeruatur in contumelia filij Dei, & in certiſſimũ interitũ infinitarum animarũ. 3. Ex peccati iuſta ponderatione ſequitur & hoc, Quòd nulla pura creatura potuerit ſatisfacere iuſtitię Dei, & cõpenſare offenſam, & reſtituere hominẽ priſtinæ fœlicitati, qua exciderat propter peccatum. Quare oportuit filium Dei aſſumpta humana natura, noſtrã cauſam in ſe recipere, & ſatisfacere iuſtitiæ Dei. Etſi autem hæc ira Dei vt oſtendimus, maxima eſt, tamen tẽperatur miſericordia, vt Abacuc Propheta ait, ca. 3. 2. In ira miſericordiæ recordaris. Et Theodoretus. *Proprium eſt Dei, miſericordiæ temperamento mitigare iuſtitiam.* Sed de hac miſericordia nunc dicendũ erit.

1 Quàm magna ſit Dei miſericordia.

Poſt examen miſeriæ humanæ & irę Dei cogitãda eſt immenſa miſericordia Dei, quę eſt conuerſionis noſtræ ad Deũ fundamentũ. Dicitur autem Deus miſericors, non quod perturbationibus obnoxius ſit, & doloribus vt homo, ſed quia ex mera ſua bonitate & dilectione, miſeriæ humanæ ſuccurrit. Miſericordia enim Dei ex amore profluit, amor autem ex ſimilitudine quam homo habet cum Deo, formatus ad ipſius ſimilitudinem & imaginem. Hæc Dei miſericordia erga homines multis modis in ſcripturis pingitur, & variis comparationibus eius vis nobis cõmendatur. *Primùm* cõfertur pietati maternæ erga tenerrimã prolẽ. Ita enim Eſaias ait, ca. 49. 15. Numqui obliuiſci poteſt mulier infantẽ, vt non miſereatur filij vteri ſui? Etſi illa obliuiſcatur, ego tamen nõ obliuiſcar tui. Et in Pſ. 103. 13. confertur paternæ ſtorgæ. Sicut, inquit, miſeretur pater filiis ſuis, ſic miſertus eſt Dominus timentibus ipſum. Ab hoc affectu pio parentũ erga liberos nomen habet miſericordia apud Hebręos. Quare Zacharias Luc. 1. 78. viſcera miſericordiæ nominauit, vt vim hebraicæ vocis & affectum miſerentis Dei exprimeret. *Secundò*, confertur hæc Dei miſericordia montibus & vallibus apud Eſaiam, ca. 54. 10. cùm dicitur, Montes commouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur, dicit miſerator tuus Dominus. *Tertiò* confertur amplitudini terræ, vt in Pſ. 33. 5. dicitur, Miſericordia Domini plena eſt terra. *Quartò*, confertur altitudini cœli. Pſ. 103. Secũdũ altitudinẽ cœli à terra roborauit Deus miſericordiã ſuã ſuper timentes ſe. *Quintò*, cõfertur ornatui regij ſolij. Eſaiæ 16. 5. Parabitur ſeu ornabitur miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper illud in veritate. *Sextò*, confertur pluuioſę nubi in tẽpore ſiccitatis. Syracides 35. 26. Specioſa miſericordia Dei in tempore tribulationis, quaſi imbres pluuiæ in tempore ſiccitatis. *Septimò*, confertur ſcuto: ſeu militari præſidio, pſalmo 103. 4. Qui redimit de fouea vitam tuam qui coronat te miſericordia & miſerationibus, id eſt, vndique cingit. Et pſ. 13. vt ſcuto, bona voluntate coronabis eum. *Octauò*, præfertur vitæ ipſi qua nihil melius aut dulcius iudicatur, Pſ. 63. 4. Melior eſt miſericordia tua quam vita. *Nonò*, præfertur omnibus cæteris operibus Dei Pſ. 145. 9. Bonus Dominus vniuerſis, & miſerationes eius ſuper omnia opera eius. *Decimo*, confertur ipſi diuinæ maieſtati. Ita enim ait Syracides, cap. 2. 23. ὡς ἡ μεγαλωσύνη αὐτοῦ οὕτως, καὶ τὸ ἔλεος αὐτοῦ. id eſt, Vt eſt eius maieſtas, ſic & miſericordia ipſius. Ac ſi diceret, In Deo ſumma maieſtas eſt cum pari miſericordia coniuncta: quarum illa facit vt omnia poſſit, hæc vt velit ſuos conſeruare.

Hanc miſericordiam immenſam, etſi multis argumentis commendat nobis Dominus, tamen hoc omnium maximum eſt, quod dederit filium. Iohan. 3. 16. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Rom. 5. 8. Commendat Deus ſuam charitatem erga nos quòd cùm adhuc eſſemus peccatores, id eſt non conuerſi ad Deum, Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Ad Ro. 8. 31. Proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quid multis? Nulla creatura poteſt ſatis hanc Dei miſericordiam ex bonitate & intima dilectione manantem prædicare. Sapientia mundi non tangitur miſericordia erga criminoſos, ſed erga infortunatos, & eos qui indignè videntur affligi. Ita enim ait Cicero, *Eorum miſereri oportet, qui propter fortunam nõ propter crimen in miſeriis ſunt.* Sed ſapientia Dei ſuccurrit miſericordia criminoſis, & maximè flagitioſis, modò reſipiſcant. Gratia enim ex miſericordia manans abundat ſupra peccatum. Et Auguſtinus ait. *Maior eſt miſericordia Dei, quàm omnium peccatorum miſeria.* Non igitur ſine magna cauſa hortatur Dauid nos ad prædicandum Deum propter hanc immenſam miſericordiã Pſ. 117. 1. 2. Laudate inquit. Dominum omnes gentes, & laudate eum omnes populi. Quoniã confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius, & veritas Domini manet in æternum.

De miſericordia Dei oblata in lege, & in Euãgelio.

Sed hîc non immeritò aliquis obiiciet & dicet miſericordiam Dei magnam quidem eſſe, ſed habere impoſſibilem conditionem annexam. Ita enim ipſe Dominus qui mentiri nequit, ait Exod. 20. 6. Faciam miſericordiam in millia iis qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Hæc Dei promiſſio extra Chriſtum irrita planè eſt quia conditio addita eſt impoſſibilis. Nemo enim legem mandatorum Dei ſuis viribus præſtare poteſt, ſed in Chriſto poſſibilis eſt, & efficax in mille generationes Chriſti, id eſt in omnes qui filij Dei in Chriſto naſcuntur. Nam vt ipſe eſt finis legis in iuſtitiam omni credenti, Ro. 10. 4. Ita in ipſo promiſſiones omnes ſunt (etiam & amẽ) vt Paulus loquitur, 2. Cor. 1. 20. Huc dictum illud Exodi ca. 34. 6. refertur. Dominator, Dominus, Deus miſericors & clemens, & multæ miſerationis, ac verax, qui cuſtodit miſericordiam in millia auferens iniquitatem, pręuaricationem, & peccatum: nec dubitandum eſt, Deum cum hanc faceret promiſſionem, ſignificaſſe & Chriſtum fore impletorem legis, & ad eundem currendum eſſe omnibus qui miſericordiã promiſſam expetunt, vt quemadmodum impletionem legis in illo inuenirent: Ita etiam promiſſionis miſericordiæ fierent participes.

Miſericordiæ Dei conditio duplex.

Habet proinde hæc miſericordiæ promiſſio aliam conditionem ex lege extra Chriſtum, videlicet implendę legis, aliam in Chriſto, videlicet fidei qua obtinetur finis legis quæ eſt iuſticia. Qui ergo credunt, habent quod lex requirit, videlicet iuſticiam. Vnde promiſſio miſericordiæ fit illis rata & firma: atque hoc eſt illud pactum de quo loquitur pſalmus 25. 10. Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas cuſtodientibus teſtamentũ eius. hoc eſt, vt Pſ. 32. 10. interpretatur: Sperantem in Domino miſericordia circumdabit. Miſericordia proinde Dei ad regulam iuſticiæ moderatur, cum exhibetur conuerſis.

Regula perpetua.

Nam hæc iuſticiæ Dei perpetua regula eſt, Quod vt contumaces omnes abſq; miſericordia velit damnare: Ita pœnitentes omnes ex immenſa miſericordia velit ſaluare. Hæc regula iuſtitiæ Dei cogitãda eſt, quoties in pſalmis legimus Dauidẽ orare Deum, vt ſe exaudiat, propter ſuam iuſtitiam, tria enim ſimul cogitat, videlicet promiſſionem miſericordiæ, & remiſſionem peccatorum gratuitam, & pretium quo ſatisfit iuſtitiæ Dei videlicet victima filij (Eſt enim iniuſtus qui captiuum non dimittit, accepto λύτρῳ) & merito iuſtitiæ in Chriſto, quo nos

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

iuſtificamur coram Deo, qui fide ad Deum conuertimur. Vnde fit, vt ſi non exaudiret pœnitentes, & remitteret eis peccata, iniuſtus eſſet, vt qui faceret cõtra regulam ſuæ iuſtitiæ, qui negaret promiſſionem ſuam, qui pretiũ non acceptaret, quíque iuſtitiam filij, qua nobis gratiam meruit, non reſpiceret. Dauid proinde poſt adulterium, homicidium, & proditionem exercitus Dei, petit ex fide miſericordiam, & remiſſionem peccatorum, & inter alias rationes, hãc quoque addit, Pſal.51.6. vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, id eſt, vt homines te iuſtum fateãtur propter ſermonum tuorum conſtantiam, quibus ſermonibus promiſiſti reſipiſcentibus veniam.

4. De ineffabili obediẽtia filij Dei.

Iuxta miſericordiam patris cogitandum eſt, quanta fuerit obedientia filij volentis in ſe recipere cauſam noſtram, & ſuſtinere iram Dei, vt nos ab æterna morte liberaret. De hac obedientia Paulus Philip.2.6.&c. ſic ſcribit. Qui cum eſſet in forma Dei, non rapinam arbitratus eſt ſe eſſe æqualẽ Deo, ſed ipſe ſeſe exinaniuit formam ſerui aſſumens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu repertus vt homo. Humiliauit ſeipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Hic Paulus docet de ineffabili obedientia filij Dei, & quia æqualium nõ eſt propriè obedientia, ſed inferiorum erga ſuperiores, oſtendit Paulus quomodo filius eiuſdem eſſentiæ & poteſtatis cum patre humiliauerit ſe, aſſumpta hum ana natura, in qua factus eſt obediens patri vſque ad mortem crucis. Et Epiſtola ad Hebræos cap.10.4.&c. ex Pſ.40. Quia impoſſibile eſt ſanguine taurorũ & hircorum auferri peccata: ideo ingrediens in mũdum dixit, Hoſtiam & oblationem non voluiſti, Corpus autem aptaſti mihi: holocautomata pro peccato non probaſti. Tunc dixi, Ego venio (in capite libri ſcriptum eſt de me) vt faciam Deus voluntatem tuã. Eſ.53.12. Oblatus eſt, quia voluit.

Conciliatio locorum ſpecie tenus pugnantium.

Sed quomodo cum hac obedientia ſtare poteſt triplicata illa precatio in horto? Matt.26.39. Pater mi ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte, veruntamen nõ vt ego volo, ſed vt tu vis. Hæc oratio videtur ſignificare diuerſam fuiſſe filij voluntatem à patris voluntate & planè contrariam. Nam pater voluit filium calicem bibere, quem illi parauerat. Filius autem petit vt iſte calix à ſe tranſeat, ſi poſſit. Hæc obiectio ſoluitur ex verbis Domini quę ſunt infrà in eodem ca. Spiritus quidẽ promptus eſt, ſed caro infirma. Quod ergo non voluit ex infirmitate carnis, quæ mortem naturaliter & ſine vitio reformidat, hoc voluit ex promptitudine ſpiritus qua patri ſemper obediens fuit. Sic & Cyrillus diſtinguit cùm ait. *Quod autem non voluntaria quodammodo fuerit crucis paſſio Chriſto. Voluntaria autem propter voluntatem patris, & propter noſtram ſalutem ex precatione eius facilè diſces: Pater, ſi fieri poteſt, tranſeat à me calix iſte. eadem enim ratione qua verbum Dei Deus eſt, & ipſa naturaliter vita, nemo ambiget quod nullo modo mortem formidauit. Caro autem factus permittit carni, vt ſua patiatur, & ideo vt verè homo præſentem iam in ianuis mortem expaueſcit.*

Quæſtio.

Hîc alia ſuboritur quæſtio. Quidnam orando ergo profecit Chriſtus? Reſpondet epiſtola ad Hebr. ca.5.7. Exauditus eſt à metu, ſiquidem ſublatis doloribus mortis, ſuperior euaſit in lucta.

Fructus obedientiæ Chriſti.

Huius obedientiæ admirandæ filij Dei fructus eſt iuſtificatio noſtri, adeoque ſalus æterna. ad Ro.5.19. Quemadmodum per inobedientiam vnius hominis multi conſtituti ſunt peccatores: ita per vnius obedientiam iuſti conſtituentur multi. Hanc obedientiam extollens Apoſtolus ait, eodem ca.6.7.v. Chriſtus, cùm adhuc eſſemus infirmi, in tempore pro impiis mortuus eſt, vix enim pro iuſto aliquis moritur ſuper bono fortè quis audet mori.

Immenſa & ineffabilis Chriſti obedientia.

Sed nulla lingua eloqui, nulla mens cogitare poteſt, quanta fuerit hæc obedientia filij Dei deriuantis in ſe iram Dei, & ſubſtituentis ſe in locũ noſtrum, vt noſtras pœnas lueret, quò nos ſaluaremur. Factus eſt enim maledictum pro nobis vt nos à maledictione eriperet. 2. Corin.5.21. eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo.

5. De grauitate pœnæ quam Filius Dei ſuſtinuit pro nobis.

Cum obedientia conſideretur pœnæ grauitas, quã filius Dei pro nobis ſuſtinuit, videlicet in animo & in corpore, & contumelia in perſonam. Animi dolores teſtatur Dominus cùm ait, Matth.26.38. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, hoc eſt, ipſa morte grauior eſt dolor animi quem patior. De hoc ingenti dolore Pſ.18.5. quoque intelligendus eſt in quo dicitur in perſona Chriſti, Dolores inferni circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis. Vocat autẽ inferni dolores, lethales dolores, vt qui tanti ſint, vt penè enecent hominem, & in ſepulchrum detrudant. De hiſce ingentibus animi angoribus in Chriſto plura teſtimonia ex euangeliſtis adducam. Marcus 14.cap.33. ait, cœpítque expaueſcere, & mœrore affici. Lucas autem cap.22.44. oſtendit ſigno euidentiſſimo quàm anxius fuerit, cùm præ dolore animi grumos ſanguinis ſudaret. Ita enim ait. Anxietate correptus prolixius orabat, & erat ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Conſentaneum enim eſt, vt quemadmodũ mors eius omni morte fuerit acerbior, ſecundum ſenſum corporis: ita reformidationem omnium amariſsimam fuiſſe in animo. Atque vt immenſa charitas nihilo fecit mitiorem ſenſum mortis: ita nihil mitigauit de reformidationis acerbitate, quæ tanta fuit, vt Angeli etiã corroboratione opus habuerit. Nam, vt Lucas ait, apparuit ei Angelus de cœlo, corroborans eum: ſiquidem diuinitas quieſcebat, quò verè ſentiret Chriſtus onus ſibi impoſitũ, & verè angeretur preſſus ira Dei propter peccatum non ſuum, ſed noſtrum, quod tamen ſuum fecit recipiendo in ſe noſtram cauſam. Et Irenæus ait. *Quemadmodum fuit homo vt tentaretur: Ita etiam verbum vt glorificaretur. Et quieſcebat quidem verbum dum tentaretur, crucifigeretur, & mortem obiret, homini autem aderat dum vinceret, ſuſtineret, reſurgeret, & in cœlos aſcenderet.*

Falſæ interpretationis de pauoribus Chriſti refutatio.

Verum quia diuina Chriſti gloria videtur indignũ eſſe, quòd tanto pauore, & mœſticia correptus fuerit ſaluator noſter, multi interpretes hîc quęrunt effugia, & fingunt tropos quibus mollire conãtur narrationes Euangeliſtarum, prædictiones Dauidis & Eſaiæ. Quorum ille ait, dol: ribus inferni Dominum fuiſſe circumdatum: Hîc affirmat eum verè languores noſtros portaſſe. Sed nobis lucerna ſit verbum Dei. Nam ſi nos timoris & mœſticiæ Chriſti pudet, effluet, & peribit redemptio noſtri. Verùm eorum interpretum qui hîc quęrunt tropos, vanitatẽ oſtendit Ambroſius ſcribens in hunc locum Lucæ 22.4. Pater, ſi tu vis tranſeat à me calix iſte. Ita enim ait. *Hærent plærique hoc loco qui triſticiam ſaluatoris ad argumentum inolitæ potius à principio, quam ſuſceptæ ad tempus infirmitatis inclinant, & naturalis ſenſum cupiũt retorquere ſententiæ. Ego autem non ſolùm excuſandum non puto, ſed etiam nuſquam magis pietatem eius, maieſtatémque demiror. Minus enim contulerat mihi, niſi meũ ſuſcepiſſet affectum. Ergo pro me doluit, qui pro ſe nihil habuit quod doleret, & ſequeſtrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suſcepit enim triſticiam meam, vt mihi ſuam læticiam largiretur, & veſtigiis noſtri, deſcendit vſque ad mor:is ærumnã, vt nos ſuis veſtigiis reuocaret ad vitam. Confidenter ergo triſticiam* nomino,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nomino, quia crucem prædico. Neque enim ſpeciem incarnationis ſuſcepit, ſed veritatē. Debuit ergo dolorē ſuſcipere, vt vinceret triſtitiam, non excluderet. Neque enim habent fortitudinis laudem, qui ſtuporem magis vulnerum tulerint, quàm dolorem. Hactenus Ambroſius. Angoris proinde & ingentium dolorum in animo Chriſti cauſa fuit conſcientia ſcelerum omnium hominum, quorum reatum in ſe receperat, iamiam à diſcipulo tradendus in manus hoſtium:

Dolores cruciatus cotume[lia] Chriſti quid ...antur.

His doloribus animi accedunt grauiſſimæ afflictiones in corpore, & cōtumelia in perſonā. Corpus ſputa patitur, alapas, flagellationes, percuſsiones, coronam ſpineam, mortem crucis ignominioſiſsimam perſona tota fert probra, irriſiones, ſarcaſmos, & tametſi diuinitas pati non potuit contumelia tamen in eam refertur, quia humanam naturam in vnionē perſonalem aſſumpſerat. Hæ pœnæ grauiſsimæ angor animi, cruciatus corporis, & contumelia in perſonam Chriſti ſunt teſtimonia: Primùm, iuſticiæ Dei cui his pœnis ſatisfactum eſt pro peccatis totius mūdi. Deinde miſericordiæ Dei qui ex intimo amore filium dedit pro nobis in has pœnas, ne genus humanum totum periret, quod condiderat ad ſuam imaginem: tum obedientiæ filij erga patrem, & amoris eiuſdem erga nos, quibus ſocietate humanæ naturæ coniungi voluit vt has pro humano genere ſuſtineret pœnas quæ tum demum nobis fiunt dulciſſimæ, & ſalutares quando in ipſum viua fide recumbimus.

6. De inæſtimabili precio mortis filij Dei.

Quàm inæſtimabilis precij ſit mors Chriſti diligenter expendendum eſt. Nam hinc remedia aduerſus omnia vulnera quæ conſcientiis noſtris peccatū infligit petenda ſunt. Vnde Augustinus. *Inſpice vulnera pendentis, ſanguinem morientis, pretiū redimentis, caput habet inclinatum ad oſculandum, brachia extenſa ad amplexandum, corpus expoſitum ad redimendum. Hæc quanta ſint cogitate, hæc in ſtatera cordis veſtri appendite, vt totus vobis figatur in corde, qui totus pro vobis fuit fixus in cruce.* Paulus ad Rō. 5. cōfert Adā & Chriſtū inter ſe. Ab Adā quidē dicit propagatū eſſe peccatū in dānationē. A Chriſto verò gratiā in iuſtificationē vitæ. Si vnius, inquit, delicto mors regnauit per vnum, multò magis qui abundantiā gratiæ, & donū iuſticię accipiūt, in vita regnabūt per vnū Ieſum Chriſtū. Quòd ergo tam inæſtimabilis precij ſit obediētia & mors Chriſti ex eo eſt, quòd homo qui paſſus eſt, ſit etiā vnigenitus Dei filius, verus Deus. Nā ex illa indiuidua, ineffabili & adoranda diuinæ naturæ & humanæ vnione vt Deus & homo ſit vnus Chriſtus, ſeu vna perſona, eſt dignitas, precium, æſtimatio, meritumque infinitum omnium actionum & pactionum Chriſti. Rectè proinde canit Eccleſia. *Ipſe verus eſt agnus qui abſtulit peccata mundi, qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit.* Et Ambroſius. *Tantum fuit peccatum noſtrum, vt ſaluari non poſſemus niſi vnigenitus Dei filius moreretur pro nobis debitoribus mortis.* Cùm igitur dicitur, filius hominis redemit nos per meritum paſsionis ſuæ, opus infiniti precij & valoris nominatur, videlicet opus filij hominis qui eſt Deus. Cum dicitur mors Chriſti eſt ſatisfactio, precium immenſum proponitur nempe hominis qui eſt vnigenitus filius Dei. Etſi autem diuinitas nec paſſa eſt nec mortua. (Quomodo enim fieri poteſt vt immutabile patiatur, & immortale moriatur?) Tamen perſona æterna quæ eſt Deus, paſſa eſt, non quidem in diuina, ſed in humana natura aſſumpta quæ pati potuit. Ideo Paulus dicit, Act. 20. 28. Deum ſibi acquiſiuiſſe Eccleſiam ſanguine ſuo. Et Petrus 1. 4. 1. affirmat Chriſtum paſſum eſſe carne, id eſt, in humana natura anima & corpore. Et Epiſtola ad Heb. 2. 14. ideo dicit filium Dei participem factū fuiſſe carnis & ſanguinis vt per mortem eum deſtrueret qui mortis habebat imperium, impatibilem quidem diuinitatem: patibilem verò carnem apertè ſignificans, & cùm pati non poſſet diuina natura, aſſumpſerit eam quæ pati potuit. Et Theodoretus ait. *Ideo carnem aſſumpſit vt per patibile id quod eſt impatibile paſſionem ſuſtineret.* Propter vnionem ergo naturarum diuinæ & humanæ in vna perſona, precium & meritum paſsionis Chriſti eſt infinitum, tempore, valore, & efficacia. Si enim tempus reſpicis, extēdit ſe ad omnia ſæcula, ad omnes omnium hominū generationes. Si valorem attendis ſufficiens eſt ad expianda omnium hominum peccata. Si denique efficaciam, vis eius in omnibus qui audiunt Euangelium & fide conuertuntur, conſpicitur, & à nemine retrahitur. Nam perinde efficax fuit mors Chriſti ad abolenda peccata Adam & Euæ, atque Petri & Pauli, & aliorum qui poſt Chriſtum exhibitum fuerunt. Atque hoc vult Apocalypſis cap. 13. 8. vbi dicitur Agnus occiſus ab origine mundi. Poſtquam ergo primi parentes noſtri crediderunt huic promiſsioni, Geneſ. 3. 15. Semen mulieris conteret caput ſerpētis, virtutem mortis Chriſti quæ iam deſtinata erat vt fieret in fine ſeculorum, iuſtificati, ſanctificati & redempti ſunt à morte æterna, hac fide & Iob ſe in ſummis miſeriis erexit cùm diceret, cap. 19. 25. Scio quòd redemptor meus viuit. Et de Abraham ſcriptū eſt, Geneſ. 15. 6. & Rom. 4. 3. Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſticiam, & Dauid adulterium ſuum & homicidium ſtatuit merito ſanguinis Chriſti expiari cùm diceret, Pſalm. 51. 9. Aſperge me Domine Hyſſopo & mundabor. Quarè & alibi ait, Pſal. 130. 4. Apud Dominum miſericordia, & copioſa apud ipſum redemptio. Copioſa certè quia planè inexhauſta, & nullius tēporis aut valoris terminis clauditur. Extendit igitur ſe virtus mortis Chriſti ad omnia tempora, ad omnes ætates, & ſufficiens eſt ad omnia omnium hominum peccata delenda. Quia eſt mors hominis non cuiuſuis, ſed eius qui vnigenitus eſt Dei filius, verus Deus, traditus in mortem pro nobis vt Paulus ait, Rom. 8. 31. Proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum.

Cur precium mortis Chriſti eſt infinitū & quomodo.

7. De ingratitudine maximæ partis generis humani.

Vidimus vtcunque quanti ſit precij mors filij Dei & pro quibus paſſus ſit Chriſtus Dominus gloriæ, iā ex aduerſo cogitetur triſtiſſima, (proh dolor!) ingratitudo, maximæ partis generis humani. Siquidem Iudæi, Turcæ, & multæ prophanæ gentes Chriſti nomen ne ferre quidem poſſunt. 1. Iudæi etenim inuidia, auaritia & ambitione obcæcati, beneficiū Chriſti maleficium interpretantur. 2. Turcę furoribus Mahometicis abrepti quaſi phrenetici feruntur ad delēdum Chriſti nomen. 3. Multæ barbaræ gentes vetuſtate erroris tanquam inueterata lepra polluti vocē Euangelij non ferunt. 4. Alij ſub nomine Chriſti, & religionis prætextu Diabolo militant, & conātur ſanguine ſanctorum curſum Euangelij impedire, vt Papa, Cardinales, Epiſcopi mitrati, abbates, breuiter tota colluuies Antichriſtiani regni. 5. Multi in vtramque aurem ſecurè dormiunt expectantes euentum, vt victrici patri aſſurgant. Qui tametſi Euangelici audiri volunt, & defenſores veræ religionis nominari: tamen reuera ἄθεοι ſunt, vt qui honoribus, potentia, opibus & voluptatibus metiantur fœlicitatem hominis. Inter hos tametſi quidam tegunt externa ciuilitate quaſi larua quadam animi prophanitatem: plurimi tamen eorum verius Neronem & Heliogabalū, quàm Chriſtum, à quo nomen habent, imitantur. De hac ſumma mundi ingratitudine loquitur Dominus apud Eſaiam, cap. 1. verſ. 2. 3. Filios enutriui mihi, ipſi autem ſpreuerunt me, & conuincit eos eſſe beſtiis minus gratos cùm ſubiungit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui. Iſrael autem me non cognouit. Hanc etiam ingratitudinem deplorat Dominus cùm ait, Mat.23.37. Quoties volui cõgregare te, vt gallina cõgregat pullos ſuos, & noluiſti. Item cùm ait Mat.20.16. Multi ſũt vocati, pauci vero electi: Quo ſanè dicto Dominus & immenſam miſericordiã Dei vocãtis omnes ad agnitionẽ filij ſui, vt ſalutẽ per ipſum conſequantur commendat, & intolerabilem cæcitatem atque ingratitudinẽ plurimorũ hominum taxat, qui veluti furioſi in medicũ ſalutem cõferentem manus coniiciunt, & tanquam in hoſtẽ inuadunt, mortem & conuicia pro vita cœleſti honore oblato rependẽtes. Hæc ingratitudo eò maior eſt, quò maius eſt beneficium quod contemnitur. Quarè veriſſimè digna eſt æterno odio caſtiſsimorum Angelorum & electorum Dei. Pàuciſsimi ſunt ſi reſpicis colluuiũ orbis terrarum, qui beneficia Chriſti, vt æquum eſt, æſtimant. Quis quæſo hanc phreneſin ſatis lachrymis proſequi poterit?

De lapſus Adami grauitate. Sed neceſſe eſt aliquid deteſtandi mali eſſe quòd hominem conditum ad imaginem Dei à tanto bono ad malum, à vita ad mortem, ab amico ad hoſtem, à ſaluatore ad perditorem, à ſalute ad damnationem, breuiter à Deo fonte omnis boni, iuſticiæ, vitæ, ſalutis, honoris: ad diabolum autorẽ omnis mali, iniuſticiæ, mortis, damnationis, & perpetuę ignominiæ abducat. Verùm hoc malum quod multiplex ſanè eſt cæca caro non videt. Etſi autem interdum veluti per tranſennam eius quaſi vmbram quãdam cernit: mox tamen illius obliuiſcitur, vt qui in ſpeculo ſuam faciem eſt contẽplatus. Id quod ſanè imprimis dolendum eſt. Nam primus gradus, vt dici ſolet, ad ſanitatẽ eſt nouiſſe morbum. Siquidẽ morbi noticia ad quærẽdum medicum eos inuitat quibus ſanitas eſt curæ. Nos igitur vt in curatione morborum periti medici faciunt, quæramus cauſas tanti mali, vt illis cognitis, & medicus quæratur, & remediũ malo adhibeatur. Inueſtigabimus proinde cauſas vſitatę ingratitudinis hominũ, & ex aduerſo illis opponemus remedia quibus ſuccurri poterit communi morbo, vt ita ex collatione rectius & cognoſcantur & diſcernantur contrariorum effectuum contrariæ cauſæ.

Sex cauſæ tanti mali Paulus Epheſiis ſcribens, ca.2.2.3. cùm huius mali, tũ omniũ aliorum ſcelerũ in mundo graſſantium ſex enumerat cauſas, quas ordine exponemus.

I. Caro, ſeu vitiũ corruptæ naturæ. Prima cauſa eſt quam ipſe carnem vocat, id eſt, vitiũ corruptæ naturæ in omnibus hominibus poſt lapſum Adæ. Hoc vicium eſt inſtar fontis fœtidi, à quo vapores peſtilentes exhalant. Vnde omnes hominũ cogitationes, omnia conſilia, & actiones inficiuntur, & tanquam veneno lethali córrumpuntur. Hic fons etſi totus occludi non poteſt, quin ſubinde ebulliat: tamen eius curſus quantum fieri poteſt, eſt reprimẽdus, quod fit hoc pacto. Audiendum eſt Euangelium *Remediũ* Chriſti, cui cùm credimus, donamur ſpiritu ſancto, qui fons nouus in corde hominis exiſtit, vnde pura aqua ſaliens in vitam æternam manat. Ex hoc enim nouo fonte, quo reprimitur curſus fœtidi illius fontis quem habemus ex naturæ vicio, mánant cogitationes, conſilia, & actiones tanquàm riuuli à fonte perenni.

2. Carnis concupiſcentia. Secunda cauſa mali ingratitudinis eſt concupiſcẽtia carnis, qua videlicet caro ſeu peccatum originis efficax eſt ad producendos peſſimos fructus. Huius concupiſcentiæ vim omnes mortales in ſe experiũtur etſi diuerſimodè. Et eſt vt riuulus à fonte profluens, & quæuis obuia ſuo fœtore inficiens. Huic *Remediũ* opponitur concupiſcentia ſpiritus: quæ à ſpiritu ſancto, quo conuerſi donati ſunt, tanquàm riuulus manat ſuauiſſimus, vnde cogitationes & actiones veluti virent & germinant. Sed de operibus concupiſcentiæ carnis & fructibus concupiſcentiæ ſpiritus, lege 5. caput ad Galatas.

Tertia cauſa ingratitudinis, aliorumque ſcelerum *3. Carnis cogitatio* eſt διάνοια carnis, id eſt cogitatio, videlicet, cùm cogitatio excitata à concupiſcentia ratiocinari, & diſputare molitur de rebus quas ipſa concupiſcentia offert, vt carni gratas & iucũdas. Hæc à Paulo ad Rõ. 8.7. φρόνημα carnis dicitur, & inimicitia cum Deo. Nã cùm à ſuo principio, id eſt carne & concupiſcentia eius non diſcedit, nõ poteſt ea quæ Dei ſunt ſapere. Huic ex aduerſo opponitur διάνοια ſpiritus, quã Apoſtolus ad Rom.8.6. φρόνημα ſpiritus nominat. *Remediũ* Hęc διάνοια ſpiritus cùm ſumit à ſuo fonte tanquam à principio ſuæ ratiócinationis fundamenta, non poteſt aliud ratiocinando concludere, quàm quòd ſit ſpiritui Dei, quem ſemper ob oculos habet.

Quarta cauſa ingratitudinis noſtræ ac inobedientiæ erga Deum eſt voluntas carnis & cogitationum, *4. Voluntas carnis & cogitationum.* vt Paulus loquitur. Hæc molitur vt conſequatur id, eóque fruatur quod διάνοια vt expetendum ſuaſit. Nã in hac voluntate eſt proæreſis & ὁρμὴ cuius finis eſt χρῆσις id eſt vſus rei expetitæ. Etſi autem voluntas rationis interdum carnis ratiocinationi reclamat: tamẽ ſępiſſimè impetu quodam carnis abripitur, non ſecus atque nauicula ab aduerſis vndis renitẽte nauta, propellitur. Hæc etenim voluntas carnis alio nomine à Philoſophis, imò & à Paulo amor ſui dicitur: qui eſt amor corporis cœcus, inconſultus, ferus, pernicioſus ſibi & aliis: quem Socrates, primum mali fontẽ ignorans, caput, & originẽ omniũ malorũ appellat. Quippe charitatẽ mutuã tollit, vnde in genere humano omnia mala naſcuntur, dũ huius inſtinctu quærunt opes, potentiam, honores voluptates: In quibus ſummã hominis fœlicitatẽ collocant. Huic volũtati car- *Remediũ* nis & cogitationũ opponitur voluntas ſpiritus, quarta bonarum actionum cauſa: quæ imperat contraria carni & eius voluntati. Hæc voluntas ſpiritus etiam amor ſui dici poterit, ſed rectus & laudabilis, qui nõ carnis ſenſum, ſed ſpiritus iudiciũ ſequitur. Hic amor ſui rectus & laudabilis hominẽ impellit, vt conetur, laboret, magnis precibus petat & contendat, vt excellẽtiſsima noſtri pars mens ipſa vera pietate, & virtutibus excolatur, ídque in hunc finem, vt Deo ſummo bono iungatur, in quo ſolo ſumma hominis fœlicitas eſt ſita. Hoc díſcrimẽ inter duplicem amorem ſui docet ſaluator, Matth.16.25. Qui odit, inquit, animam ſuam (nihil illi in rebus iſtis fortuitis & perituris indulgendo) is verè amat, & ſaluam cupit. Qui verò amat (indulgendo) is odit, & vult perditam animam ſuam. Vt ergo duplex eſt amor ſui: ita & odiũ duplex ſui eſt. Vnum, ſecundum mẽtis iudicium rectum, quo carnis illecebras abducentes nos à Deo, auerſamur. Alterum ex imprudentia carnis, quo quæ ſpiritus ſunt, veræ virtutis, pietatis, & honeſtatis aſpernamur. illud ſanctum & ſalutare, hoc prophanum & pernicioſum eſt.

Quinta cauſa contumaciæ hominum eſt αἰὼν τοῦ κόσμου τούτου, vt loquitur Paulus, hoc eſt peruerſi mũdi mores, *5. Peruerſi mũdi mores.* infinita ſcandala & omnium flagitiorum innumerabilia exempla. Hæc praua mundi conſuetudo, omnis iniquitatis, nequitiæ, & peruerſitatis pabulum eſt: quo multi etiam inter eos qui Deum decreuerũt timere, abripiũtur, vt ferociãt, & cõtra Deũ ferantur. Hinc tantus contẽptus Euãgelij arguẽtis iſtas tenebras in omnibus ſtatibus hominum conſpicitur: hinc ſceleratiſſimi parẽtũ mores: peſſima natorũ educatio

Nam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Nam dum homines multitudinem, autoritatem, potentiam eorum qui ſceleratè viuunt intuentur, excuſant ſe exemplo, ſicuti illi fecerunt qui cõtempto ſpiritu Chriſti in Noë, tandem in diluuio iuſtas ſcelerum ſuorum pœnas luerunt. Hæc ſcelera merẽtur, vt homines reproba mente puniantur, vt Paulus loquitur, Rom. 1. 28. Tradidit illos Deus in reprobam mentem. Iuxta comminationem legis, quæ eſt Deut. 28. 28. Percutientur amentia & cæcitate & ſtupore cordis. Nam homines deſerti à Deo propter peccandi conſuetudinem ita paulatim dementantur, excæcantur, & ſtupore cordis percutiuntur, vt planè dedoleant, & tradant ſe laſciuiæ, vt Paulus loquitur, vt honeſta turpia, bona mala, ſalutaria lethalia, & contrà iudicent. Qua pœna nulla grauior cogitari poteſt. Cùm ergo videmus maximam partem mundi ruere quaſi præcipitem in omnia ſcelera, cogitemus de magnitudine iræ Dei, qui ſuo iuſtiſſimo iudicio permittit, vt contumacia hominum huiuſmodi amentia puniatur. De qua amentia Paulus ſcribit, cùm ait, 2. Theſ. 2. 11. Quia veritati credere recuſarunt, dedit illis illuſionem erroris, vt crederent mendacio. Et horrẽdum eſt imprimis quòd iſta pœna etiam in poſteris hæreat, iuxta dictum Solomonis, Prou. 17. 13. Qui reddit malum pro bono non recedet malum de domo eius. Cùm igitur videmus homines in hoc ſcelerum volutabro delectari, auerſemur iniquitatis exempla, & opponamus peruerſis hominum moribus caſtiſſimorum ſpirituum obedientiam, & ſanctorum exẽpla, Qui nihil duxerunt in vita iucundius, nihil antiquius, nihil melius fide, & obedientia, quibus Deo iungimur: & caueat vnuſquiſque ne fallacibus carnis conſiliis capiatur. Sunt enim qui proponunt, ſed ſtultiſsimè, ſe velle tandem ante mortem reſipiſcere, nõ cogitantes conſuetudine nimia peccatum fieri quaſi naturale. Nam, vt ait Auguſt. *Dum conſuetudini non reſiſtitur fit neceſsitas.* Et poëta. *Serò medicina paratur, Cùm mala per longas conualuere moras.*

Sexta contumaciæ humanæ cauſa & graſſantium in mundò ſcelerum eſt princeps aëris huius, vt Apoſtolus loquitur, hoc eſt diabolus. Hic ſingulis cauſis obedientiæ ſuperius à nobis recitatis adeſt προστάτης καὶ σύμμαχος. Nam viciatæ carni ſe inſinuat, & concupiſcentias obiectis & venenis excitat, & cogitationes carnis iuuat, & voluntatem mouet, & ſceleratos hominum mores mirabilibus technis & inſidiis auget, quo ſuum regnum latius ſpargat, atque Chriſti regnum paulatim aboleat. Huic principi aëris ex aduerſo opponitur princeps Eccleſiæ, cœlis excelſior Dominus ille zebaoth, à quo ſunt cauſæ piarũ actionum ſuprà à nobis poſitæ. Nam ipſe dat Spiritũ ſanctũ, concupiſcentiam ſpiritus fouet, cogitationẽ confirmat, voluntatem conſeruat, & ſanctorum exẽpla ſuumque ipſius proprium præ aliis nobis imitãdum proponit. Vel vt breuius dicam. Fides in Ieſum Chriſtum viua catholicum remedium eſt aduerſus omnẽ mundi nequitiam, & peruerſitatem. Eſt enim victoria, vt ait Iohannes in 1. cap. 5. 4. quæ vincit mundum, fides noſtra. Hac etenim poſsidetur Chriſtus victor tenebrarum. Hac obtinetur ſpiritus nouus quo reſiſtimus carni. Hac totum peccati corpus conficimus & mortificamus. Hac denique in omni anguſtia confugimus ad nomen Domini, id eſt, inuocationẽ Dei, aſylum tutiſſimum, ad quod confugiet iuſtus, & ſaluabitur.

Tertia pars ſacerdotij Chriſti eſt eius interceſſio pro Eccleſia, & ſingulis eius membris. Nam vt ſolus Chriſtus legis ſententia perfectè iuſtus eſt, & ſolus ſeipſum dedit precium redemptionis pro omnibus: ſolus ita eſt mediator interceſsionis, ſiquidem interceſsio pendet ex merito iuſticiæ, & ex precio dato in redemptionem. Atque ideo Paulus ait, 1. Timothei cap. 2. verſ. 5. Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus, qui dedit ſeipſum precium redemptionis pro omnibus. In hunc locum Theodoretus ita ſcribit. *Vnus eſt conciliator pacis, qui ea quæ erãt inter ſe disiuncta & diſtãtia cõiunxit. Chriſtũ autem hominem nominauit, quoniam vocauit interceſſorem, homo enim factus fuit interceſſor. Et quemadmodum qui duos quoſpiam manus inter ſe conſerentes vult reconciliare ſe medium interponens, & hunc quidem dextera, illum vero ſiniſtra tenens, ad amicitiam deducit & coniungit: Ita ipſe cùm diuinam naturam humanæ vniſſet, inuiolabilem, & quæ diſſolui non poteſt, pacem cõciliauit.* Et Rom. 8. 34. Quis eſt qui condemnet? Chriſtus eſt qui mortuus eſt: imò verò qui etiam excitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram patris, qui etiam interpellat pro nobis. Hic opponit Apoſtolus cõdemnationi interceſsionem Chriſti ſedentis ad dexteram Patris, & intercedentis pro Eccleſia ſua, & ſingulis Eccleſiæ membris. Et ad Heb. 7. 24. Hic autem propterea quod manet in ęternum perpetuum habet ſacerdotium, vnde & ſeruare in æternũ poteſt eos qui accedunt per ipſum ad Deum, ſemper viuens vt interpellet pro eis. Sicut ergo vis obediẽtiæ legis in Chriſto, & precium paſsionis, infiniti ſunt valoris & meriti: ita ipſius interceſsio multò efficaciſsima eſt & infiniti precij. Quarè fieri non poteſt quin exaudiatur pro omnibus, pro quibus intercedit. Intercedit autem potiſsimum pro iis, qui ſua membra effecti ſunt per fidem. Verùm in hoc eſt diſcrimen, quòd cùm in hac vita erat, obſeruator legis fuerit, & vna oblatione ſemel facta, ſanctificandos in æternum conſũmauit. Sed adhuc intercedit pro nobis apud patrem, vt æternus Eccleſiæ ſacerdos. Ita enim Iohannes 2. cap. 1. ver. 2. ait. Si peccauerimus, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum. Intercedit ergo Chriſtus hodie & ſemper pro Eccleſia, cuius interceſsio nititur merito iuſticiæ eius, & precio pro redemptione dato. Atque hoc vult Iohannes cùm iuſtum nominat.

Cæterũ hîc quinque ſe offerunt conſideranda, quæ hanc partẽ ſacerdotij Chriſti de interceſsione nobis illuſtriorem reddent. *(Partes interceſsionis Chriſti.)* Primùm, quòd Chriſtus inuocandus ſit dupliciter, videlicet vt dator bonorum cũ patre & Spiritu ſancto. *(1. Inuocãdus eſt vt verus deus cum patre & ſpiritu ſancto.)* Cùm enim iubemur inuocare Deum, & Chriſtus verus Deus, eſſentiæ, maieſtatis, & potentię eiuſdem cum patre eſt, & Spiritu ſancto, verè colendus eſt vt Deus. Cùm ergo dicitur, Dominum Deum tuum adorabis, & ipſum ſolum coles, cultus & adoratio præcipitur, quæ eſt Dei vnius quidem in eſſentia, trini vero in perſonis. Nam cùm eſſentia diuinitatis. Vna ſit numero & indiuiſibilis, neceſſe eſt cultum qui Deo tribuitur pertinere ad perſonas quæ ſunt vnius & eiuſdẽ eſſentiæ. Deinde quia opera diuinitatis ad extra, vt loquitur Auguſtinus, ſunt indiuiſa, ſequitur cultum inuocationis indiuiſum eſſe. Hæc vnius Dei, qui eſt Pater, & filius, & Spiritus ſanctus, adoratio nititur patrocinio mediatoris, ſine quo nullus patet ad Deum acceſſus. Deinde inuocandus eſt Chriſtus vt mediator, & interceſſor, *(Inuocandus eſt vt mediator.)* vt propter ipſum exaudiamur, ac vt ipſe ſit pro nobis deprecator apud æternũ Patrem, & vt ipſe perferat noſtros gemitus & preces ad æternũ patrẽ iuxta dictũ, Pſal. 110. 4. Tu es ſacerdos in æternũ ſecundũ ordinẽ Melchizedech. Piè igitur dicitur Filj Dei intercede pro me apud ęternũ Patrẽ. Ego in tuo nomine peto, vt tu à Patre petas, & detur mihi. Euſebius, lib. 10. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. *Magnus vniuerſæ Eccleſiæ pontifex, ipſe Ieſus vnigenitus Dei filius, bene fragrantem*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

odorem, & incruentas, & incorporeas hoſtias precum ab omnibus læto vultu, ac ſupinis manibus accipiens, cæleſti patri, & Deo omnium creaturarum offert, primus ipſe adorans, & ſolus patri dignum tribuens honorem: deinde nobis omnibus placatum manere, & propicium ſemper precans.

Quare diſtinctè inuocamus Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum.

Porro cùm ſancti ſeorſim inuocant perſonas trinitatis, nunc patrem, nunc filium, nunc Spiritum ſanctum, quemadmodũ Philippus in ſuis formulis precandi oſtendit, non ſcindunt eſſentiæ diuinæ indiuiſibilem ſimplicitatem, nec vnam perſonam excludunt, dum nominant aliam: ſed & vnitatem diuinitatis agnoſcunt, quia norunt ſolum Deum inuocandum eſſe, & perſonarum diſtinctionem atque æqualitatem fatentur, & proprietates perſonarum in ſalutis noſtræ negocio peragendo diſtincta venerãtur. Hinc primitiua Eccleſia direxit inuocationẽ ad tres perſonas trinitatis in hac formula precandi, *Kyrie eleyſon, Chriſte eleyſon, Kyrie eleyſon.* Triplex ergo confeſſio Eccleſiæ eſt in iſta precandi formula. Prima eſt vnitatis diuinæ eſſentiæ contra Græcos & barbaros, qui multitudinem Deorum inuexerunt. Secunda eſt diſtinctionis perſonarum, & æqualitatis earundem in vna diuina eſſentia cõtra Arrium & multos alios. Tertia eſt diſtinctionis proprietatum, perſonarum diuinarum in ſalutis noſtræ myſterio peragendo. Tametſi enim rectè dicitur opera diuinitatis ad extra, id eſt in creaturis, ſunt indiuiſa, tamen proprietates perſonarum non ſunt confundendæ, pater ſaluat, filius ſaluat, Spiritus ſanctus ſaluat. En indiuiſa opera trinitatis in ſaluando, ſed pater ſaluat tradendo filiũ, filius ſaluat obediendo patri, patiendo & intercedẽdo, Spiritus ſanctus ſaluat regenerando, & ſanctificando. Sunt ergo proprietates diſtinctæ in eodem opere ſaluationis. De his ergo maximis rebus admonẽt nos diſtinctæ inuocationes, patris, & filij, & Spiritus ſancti. Qui autem hodie iſtas formulas ſugillant, venenum ſub animo occultant, & tacitè vel diſtinctionẽ, & æqualitatẽ perſonarũ inuadunt, vel proprietates perſonarũ in ſalutis noſtræ myſterio confundũt.

Huius formulę precandi expoſitio.

II. An vnius, an vtriuſque naturæ reſpectu Chriſtus ſit noſter mediator.

Secundò, hîc conſiderandum eſt quomodo Chriſtus ſit mediator & interceſſor, an ſecundum humanam naturam tantum, aut diuinam tantum, aut ſecundum vtramque ſimul. Magiſter ſentẽtiarum lib. 3. diſt. 19 Et noſtra ætate Stãcarus Italus, dicunt Chriſtũ eſſe mediatorem ſecundũ hamanam naturã tantùm. Oſiander autem ſecundum diuinam. Verùm hîc neceſſariò & ante omnia hæc regula tenenda eſt.

Regula.

Quòd nomina officij Chriſti competant nec diuinæ naturæ ſeorſum, nec humanæ ſeorſum, ſed toti perſonæ, quæ eſt Deus & homo. Nam ideo aſſumpſit filius Dei humanam naturam, vt ipſe θεάνθρωπος ſaluator eſſet ſecundum vtrãque naturã. Deinde Epiſtola ad Heb. tribuit Chriſto ſacerdotium ſecundum vtramque naturam. Etſi autem ſolummodo in humana natura eſt paſſus & mortuus, & virtute diuinæ naturæ eſt victor mortis: tamen redemptionis beneficium, cuius pars eſt interceſsio, totius perſonæ eſt, alioqui diuina illa perſona nunquam aſſumpſiſſet humanam naturam in vnionem perſonalem. Verùm cùm obiicitur. Nemo eſt mediator ſui ipſius. Itẽ nemo eſt deprecator apud ſe ipſum. Reſponſio perſpicua eſt, Hæc vera ſunt eodem reſpectu, & vbi vnica eſt perſona. Sed hîc diſcerni oportet inter mittentẽ diuinitatem, & filium miſſum. Filius in quãtum miſſus eſt, eſt ſacerdos. Ergo & mediator & interceſſor. Miſſa proindè perſona mediatrix eſt apud mittentẽ diuinitatem. Huc accedunt teſtimonia patrum. Chryſoſtomus itã ait: *Nec homo tantum eſſe mediator potuiſſet, quia cum Deo colloqui mediatorem oportebat.* Cyrillus: *Eſt autem Chriſtus mediator Dei & hominum: quia in eo vno Deus & homo coniunguntur.* Ambroſius: *Vt mediator Dei & hominum eſſet, homo eſt Chriſtus Ieſus non ſine diuinitate, quia in Deo homo erat: & Deus in homine, vt ex vtroque eſſet mediator.*

Obiectiones Stancari.
Reſpõſio.

III. Interceſſio Chriſti quomodo nobis eſt efficax.

Tertiò, hîc ſciendum eſt, quod per interceſſionem Chriſti, tum demum habeamus acceſſum ad patrem, quando in gratia per fidem ſtamus. Siquidem fruſtra prętendunt interceſſionem Chriſti, & fruſtra gloriãtur de colloquio cum Deo, qui fide vacui ſunt. Oportet enim, vt membra Chriſti ſint, qui Deum ritè inuocare volunt. Ideo Paulus ait Rom. 5. Iuſtificati per fidem pacem habemus cum Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem & acceſſum habemus fide in gratiam hanc, in qua ſtamus.

IIII. Electorũ Dei preces, Chriſti interceſſione nituntur.

Quartò, ſciendum eſt quod ſanctorum preces, ideo acceptæ ſint corã Deo quia Chriſti ſacerdotis nituntur interçeſſione. Nam cùm alij pro aliis intercedunt, non merito ſuæ iuſticiæ, non precio redẽptionis à ſe ſoluto: ſed merito iuſticiæ Chriſti, & precio ab illo perſoluto, freti inuocant. Ideo ipſe ait, Ioã. 16. 23. Quicquid petieritis patrẽ in nomine meo dabit vobis. In nomine meo, hoc eſt, freti merito meo, & interceſsione mea. Huc pertinet compellatio in Dominica oratione, in qua ſic compellamus patrẽ, Pater noſter. Vt enim patris appellatio admonet nos Chriſti in quo ſumus per fidem filij Dei, & is noſter pater: ita pronomen Noſter admonet nos fidei, vt fiducia filij inuocemus patrem, non freti noſtra dignitate aut meritis. Ob hãc cauſam Apoſtolus ait, Hebr. 7. 24. 25. Accedimus per ipſum ad Deum: Ipſe enim ſemper viuens intercedit pro nobis. Quotieſcunque igitur precari volumus, huius compellationis cauſam cogitemus, vt & verè ſtatuamus nos placere propter filium, & abſque omni dubio credamus nos exaudiri propter interceſſionẽ filij, cuius mẽbra ſumus per fidẽ. Proinde qui fidem hanc nõ adferunt, inter precandum fruſtra verba fundunt. Nam eis nullus acceſſus ad Patrem patet. Viderint itaquẽ quid faciant, qui contra verbum Dei aliis patronis fidunt.

V. Chriſtus vnicus Eccleſiæ mediator.

Quintò, quia filius Dei perpetuus eſt ſacerdos qui intercedit pro Eccleſia in quouis lapſu, nõ ad patronos alios, ſed ad Chriſtum ſolum tanquàm vnicum patronũ & firmiſſimã ſalutis anchorã cõfugiẽdũ eſt. Ideo Iohãnes Apoſtolus ait, in 1. ca. 2. Si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrẽ Ieſum Chriſtũ iuſtũ, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Verùm hũc aduocatũ tũc demũ rectè accedimus pro impetranda peccatorũ venia, quãdo peccati nos pœnitet, quãdo nos in Chriſtũ propiciatorem & interceſſorẽ non ſimulata fide recumbimus, quãdo proponimus quòd in poſterũ velimus ex Dei gratia vitã emẽdare, quando abiicimus ex animo propoſitũ peccãdi. Hæc niſi cõiuncta fuerint, fruſtra de patrono Chriſto gloriaris. Sunt qui ſe puros fore confidunt, ſi in ſinum paſtoris alicuius ſua peccata effuderint: ſunt fortè etiã inter paſtores, qui ſuis magicis abſolutionibus autumãt ſe peccatores exonerarẽ poſſe. Sed vtriq; fœdiſſimè errant. Nam & ſolus Chriſtus expiator peccatorũ eſt, in quẽ ſi non collocaueris viuã fiduciam, quæ habet quatuor conditiones illas à nobis modo enumeratas, fruſtra te in ſacerdotis ſinum exoneras. Et ſolus Chriſtus eſt qui abſoluit à peccatis, quẽ ſi nõ acceſſeris per fidẽ morieris in peccatis tuis. At tũ demum vtilis erit ſacerdotis abſolutio, quãdo vera pœnitentia ſeu cõuerſione confeſſio temperatur. Atque hæc ſacerdotis abſolutio, nihil aliud eſt, quàm abſolutionis quæ fit in cœlo per ſacerdotem noſtrum Ieſum Chriſtum, teſtificatio. Atque ideo Dominus dicit, Matth. 18. 18. Quicquid ſolueritis in terra

Adu. hypocritas.

Abſolutio Eccleſiaſtica, quid.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

terra,erit ſolutum in cœlis. Proinde abſolutio quæ fit per miniſtrum Euangelij pendet ex fide eius qui abſolutionem petit, non ex merito vel confeſsionis, vel pronunciationis quorumcunque verborum. Hic locus requireret confutationem eorum qui alios aduocatos deligũt,quàm vnum Chriſtum. Sed quia iſta veſania ſuprà recitata eſt, vbi egimus de ſacrificiis papiſtarum,nolo eam hîc pluribus refutare. Hæc ſint dicta de tribus partibus ſacerdotiis Chriſti,videlicet de doctrina,de ſacrificio,& de interceſſione. Quæ adiecimus in definitione ſacerdotij, de conſeruatione miniſterij,de remiſsione peccatorum, de donatione Spiritus ſancti,de vita æterna, non tam partes ſunt ſacerdotij Chriſti, quàm fructus multò dulciſſimi.

III. DE FOEDERE SEV *Teſtamento.*

Chriſtus ſacerdos noſter habet certũ fœdus.

Quia ſacerdos omnis,vt ait Epiſtola ad Hebræos ca.5.1.alicuius fœderis ſponſor eſt (neceſſe eſt enim, vt certa pactio ſtatuatur, ſecundum quam mediator inter partes diſſidentes ſtatuat, vt ſit firma pax & amicitia inter Deum & homines) Habet etiam noſter ſacerdos Chriſtus,certum fœdus. Vt enim ſacerdos Leuiticus habuit ſuum ſacerdotium,& certũ fœdus ſacerdotio annexum : ita ſacerdos Chriſtus, cui ceſſerunt Leuitici ſacerdotes cum ſuo ſacrificio & fœdere, habet ſuum ſacerdotium, & certum fœdus ſacerdotio annexum. Tranſlato enim ſacerdotio, vt ait epiſtola ad Hebræos,cap.9.16. &c. tranſlatio fit fœderis ſeu teſtamenti. Item, ob id noui fœderis mediator eſt,vt morte intercedente, ad redemptionem earum præuaricationum quæ fuerant ſub priori teſtamento,ij qui vocati ſunt,promiſſionem accipiant æternæ hæreditatis. Nam vbi teſtamentum eſt, mors intercedat neceſſe eſt teſtatoris. Teſtamẽtum enim ratum eſt in mortuis: quandoquidem nondum valet dum viuit teſtator. Vnde ne prius quidem illud abſque ſanguine dedicatum fuit. Cùm enim Moſes omne præceptum iuxta legem expoſuiſſet omni populo ſumto ſanguine vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccina & hyſſopo,ſimul & ipſum librũ & totum populum aſperſit dicens, Hic eſt ſanguis teſtamenti,quod mandauit vobis Deus. Ex his verbis Apoſtoli promptum eſt colligere,quòd vt prius, id eſt vetus teſtamentum,eſt fœdus annexum ſacerdotio Aaronico, ſancitum ſanguine bruti animalis, quo Deus obligat ſe populo Iudaico,ad dandum illi terram Canaan poſſidendam,modò conditionem, quæ eſt impletio legis Moſaicæ,ſeruauerint: Ita nouum teſtamentum, eſt fœdus annexum ſacerdotio Chriſti,ſancitum ſanguine Chriſti, qua Deus ſe obligat ad remittenda peccata,& ad dandam cæleſtem, & perpetuam in cælis hæreditatem, ſed cum conditione fidei,cuius germanus fructus eſt ſyncera obedientia erga Deum. Etſi autem ſolis vocatis,id eſt credentibus ratum eſt hoc fœdus: tamen ne putemus patres ante exhibitum Chriſtum fuiſſe expertes gratiæ noui fœderis, illuſtrior & magis diſtincta huius doctrinæ imprimis cognitu neceſſariæ explicatiò requiritur.

Ante omnia igitur firmiſſimè tenẽdum eſt, quòd omnibus temporibus inde vſque à lapſu primorum parentum eadem fuerit,& ſit ratio conſequendæ ſalutis, & vitæ æternæ, videlicet per vnicum ſacerdotem Chriſtum, cuius iuſticiæ efficiuntur participes quotquot in ipſum crediderint, atque ideo in ipſo ſaluantur. Quapropter quantum ad expiationem peccati attinet,& ſalutem conſequendam vnũ eſt fœdus, ſeu teſtamentum Dei perpetuum, quo ſe Deus obligat ad remittendum peccata omnibus qui ad Chriſtum confugerint. Etſi autem huius fœderis de remiſsione peccatorum,ſi verbum hoc ſpectes, nulla facta eſt mentio, antequàm Dominus hoc fœdus cum Abrahamo pepigit : tamen res ipſæ quæ ad ſubſtantiam huius fœderis pertinent,ſemper patribus etiam ante diluuium notiſsimæ erant. Res autem voco promiſsionem reparationis per Chriſtum & fidem huius promiſsionis. Nam promiſsio in Deo, & fides in homine,ſunt huius fœderis partes, vt ita dicam ſubſtantiales. Pactio inter Deum & Abrahamum hæc fuit Geneſ.17.7.Statuam,ait Dominus, pactum meũ inter me & te, interque ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno,vt ſim ſcilicet tibi in Deum, & ſemini tuo poſt te, & paulò antea in eodem capite præcedit iuſiurandum Dei: Ecce ego, & ponam pactum meum tecum, hoc eſt, tam verè, atque ipſe verè exiſto,ponam pactum meum &c.

Idem fundamentũ veteris & noui fœderis.

Hic *primùm* conſideranda eſt materia ſeu fundamentum huius fœderis,videlicet promiſſum ſemen: cuius ſolius merito, & interceſsione fit pacificatio inter Deum & homines. Quicquid igitur Deus promittit ſalutare,ratum eſt in filio, qui nos cum patre recõciliauit. Erat Deus in Chriſto,ait Paulus,2.Cor. 5.19. mundum ſibi rèconcilians : non imputans illis peccata ipſorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Atque hanc ob cauſam, hoc fœdus ab Eſaia pacis fœdus dicitur.

Dei charitas eadẽ ſub vtroque fœdere.

Secundò cogitanda eſt hîc maximè miranda *συγκατάβασις* Dei qua ipſa diuina maieſtas infra ſuam dignitatem demittit ſe ex mera benignitate & *φιλανθρωπία* ratione humanę fragilitatis habita,quòd non ſolùm promittat ſimpliciter gratuitam benedictionẽ miſeris & perditis peccatoribus : verumẽtiam quod ſe eiſdem fœdere obſtringat, vt ſciamus ipſius voluntatem paternam eſſe erga nos.

Vtrũque fœdus iureiurando ſancitum.

Tertiò,cogitanda eſt immutabilitas, & conſtantia ſeu perpetuitas huius fœderis iureiurando ſanciti. Vnde Epiſtola ad Hebræos,cap.6.13.Deus pollicitus Abrahæ, cùm non poſſet per quenquam maiorẽ iurare,iurauit per ſemet ipſum dicens,Niſi benedicendo benedicam tibi,& multiplicãdo multiplicabo te. Et cauſam ſubiungit dicens. Qua in re volens ex ſuperabundanti Deus hæredibus promiſſionis oſtendere immutabilitatem conſilij ſui,fideiuſsit iureiurãdo,vt per duas res immobiles, in quibus fieri non poteſt,vt Deus mentiatur, validam conſolationem habeamus qui confugimus ad tenendã propoſitã ſpem.

Fœdus ſempiternum cum Abrahamo & eius ſemine, id eſt Eccleſia, ſancitum eſt.

Quartò, perpendenda eſt amplitudo fœderis cum Abrahamo initi,videlicet quòd ad ſemen Abrahæ ſe extendat,idque in ſempiternũ. Sed quodnã eſt iſtud ſemen Abrahæ? Paulus ad Roman.4.Item 9.Item ad Galatas 3.Definit verum ſemen Abrahę eſſe omnes, vndecunque oriundi, qui inſiſtunt veſtigiis fidei Abrahæ,hoc eſt,omnibus qui credunt promiſsioni gratiæ quemadmodum Abraham fecit.

Vtriuſque fœderis vnicus ſcopus.

Quintò cùm hoc fœdus initum cum Abrahamo & ſemine eius ſempiternum dicitur,ſignificatur quòd Deus immortalitatem det ſuis confœderatis. Nam ſi periremus per mortem,nullo pacto ſtaret perpetuitas fœderis.

Huic fœderi Dei ex altera parte reſpondet fides Abrahę,& ſeminis eius. Nam cùm Deus ſe nobis fœdere obſtringit ad dandam ſalutem, ſimul nos obligat ad fidem,& nouam obedientiam quæ à fide ſeparari nequit. Atque ideo Dominus dicit Ambrahamo: Ambula coram me, ſcilicet fide, & eſto perfectus,id eſt ſincerè me colito, & obedientiam erga me omnibus rebùs anteponito. Hanc obedientiam ex fidẽ declarauit Abraham cùm paratus eſſet promptiſsima

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

voluntate ad mactandū filiū ſuum Iſaac dilectū, quo illi nihil in mundo dulcius eſſe potuit, ad mandatū Dei. Gen.22. Ex quo promptum eſt colligere conatū voluntatis, laudem perfectionis apud Deū obtinere.

Typi & ſacramēta fœderis.

Porro vt hoc æternum fœdus Dei cū Eccleſia habet fundamētum & materiam ſemen promiſſum: ita variis typis olim adumbratum, tandem Chriſti aduētu in mundum completum eſt, & per eiuſdem ſanguinem confirmatum: in cuius æternam memoriam & confirmationē baptiſmus & Cœna Dominica inſtituta ſunt. Nā vt baptiſmus eſt ſtipulatio bonæ cōſcientię cum Deo, quæ nititur ſanguine Chriſti, quo purgatur à mortuis operibus: Ita Cœna Dominica eſt fœderis eiuſdem de redemtione noſtri ſanguine Chriſti ſancita cōmemoratio, quapropter calix noui teſtamenti, ſeu fœderis calix dicitur. Rectiſsimè proinde definieris hoc æternum Dei fœdus, ſi dixeris, illud eſſe pactionem pacificationis inter Deum & homines, in qua fit mutua obligatio Dei & hominum, Dei quidem promittentis, interpoſito iureiurando, remiſsionē peccatorum, & vitam æternam propter merita Chriſti, cuius ſanguine confirmatur hoc fœdus: hominum verò promiſsionem fide accipientiū, promittentium & præſtantium ex fide obedientiā.

Fœderis Dei definitio.

Cur duplicis fœderis meminit ſcriptura.

His in hunc modum conſtitutis de æterno fœdere Dei, quæritur cur duplicis fœderis ſeu teſtamēti meminerit ſcriptura: videlicet veteris & noui. Ita enim Dominus apud Ieremiam loquitur, ca.31.31.& autor Epiſtolæ ad Hebræos cap.8.8. eodem fundamento nititur. Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam cum Iſrael & domo Iuda pactum nouum, non ſecundum fœdus quod pepigi cum patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos è terra Ægyptj. Sed iſtud eſt fœdus meū, quod feriam cum domo Iſrael, poſt dies illos dicit Iehoua, dabo legem meam in medio eorum, & in corde eorum inſcribam eam. Et ero eis in Deum, & ipſi erūt mihi in populū, nec docebunt vltrà vnuſquiſque proximum ſuum dicendo, cognoſcite Dominum: omnes enim cognoſcent me à minimo eorum, vſque ad maximum eorum, dicit Iehoua: quia propitiabor iniquitatibus eorum, & peccati eorum non recordabor amplius. Hîc Propheta diſertè duplicis fœderis mentionem facit, videlicet veteris & noui. Similiter & Paulus Galat.4. dicit Agaram ſeruam adumbraſſe montem Sinai, & Saram liberam figuram fuiſſe cęleſtis Ieruſalem, & addit hiſce ſignificari duo teſtamenta: vnum quidem in ſeruitutem generans, alterum vero in libertatem. Vt ergo vetus teſtamentum Agarę generanti in ſeruitutem: ita nouum Saræ generanti in libertatem comparatur. Ex his ſcripturæ locis clarè habemus duo teſtamēta eáque diuerſa. Quorum vetus fuit mutua obligatio Dei & populi Iſraelitici, Dei quidem promittentis poſſeſſionem terræ Canaan: populi verò obligantis ſe ad obedientiam Deo præſtandam iuxta legem Moſis, cuius vt externa teſtificatio erat ſanguis animalis quo aſpergebatur populus: ita finis vltimus erat, vt in hoc certo populo conſeruaretur memoria promiſſionis gratiæ vſque ad aduentum Meſſiæ qui ex hoc populo naſceretur.

Vetus teſtamentū, quid.

Nouum teſtamentum, quid.

Sed noui teſtamenti longè alia ratio eſt, quemadmodum oſtendimus, & verba Prophetæ clariſſimè declarant quæ altius introſpiciamus. Vt autem verba Prophetæ rectius intelligamus, tenendū eſt quòd triplex ſit tempus noui teſtamenti. Videlicet promiſſi, exhibiti, & completi. 1. Tempus promiſsi noui teſtamenti durauit à prima promiſſione de ſemine mulieris vſque ad Chriſtum exhibitum, & mactatum in ara crucis cuius ſanguine cōfirmatum eſt hoc nouum fœdus, cuius virtute ſaluati ſunt omnes quotquot promiſſioni crediderunt, vt ſancti patriarchæ, Prophetæ, reges, & multi alij. Nec obſtat quòd Apoſtolus dicat teſtamentum inualidum eſſe, viuente adhuc teſtatore. Nā teſtator Chriſtus à prima facta promiſsione, mortuus eſt, deſtinatione diuina. Vnde Apocalypſis ait, cap.13.8. Agnus occiſus eſt ab initio mundi. Virtute proinde paſſionis & mortis Chriſti, Adam, Abel, Seth, & alij omnes credētes ante exhibitum Chriſtum ſaluati ſunt: de hoc tempore promiſsi teſtamenti nō loquitur Ieremias.

Triplex eius tēpus. 1. Promiſſi

2. Exhibiti.

2. Tēpus exhibiti teſtamenti fuit tēpus mortis & paſſionis Domini, quod extendit ſe vſque ad conſummationem ſæculi. In hoc tempus & nos incidimus qui credimus in exhibitum Meſſiam, ſicut patres in promiſſum, etſi quantum ad noticiam Meſſię attinet, multò clarior nobis, quàm illis lux affulſit. Nam vt vmbra, & illuſtris imago differunt: ita noſtra clara noticia de Chriſto poſt exhibitum Chriſtū diſtat ab vmbra veteris populi. Vtrique tamen populo peræquè ſalutaris eſt.

3. Completi.

Tempus completi teſtamenti erit poſt reſurrectionem mortuorum, vbi in omnem æternitatem fructu huius admirandi fœderis fruemur. Tunc enim non vmbra, non imago, ſed ipſa res, hoc eſt, redemtio & ſalus per Chriſtum exhibebitur. De hoc duplici tempore, videlicet, exhibiti teſtamenti in hac vita, & complendi in vita ęterna loquitur Ieremias. Iam verba Prophetæ videamus. Inſcribam, inquit, legem meam in viſcera eorum. Quænam quæſo eſt iſta lex? Qualis inſcriptio? Lex in genere iuxta Hebræorum idiotiſmum, ſignificat quamlibet doctrinam. Quarè iuxta loci circumſtantiam ſignificatio cuilibet loco apta adhibenda eſt. Zacharias proinde Baptiſtæ pater, nobis hic ſuccurrit cùm ait de Iohanne filio, Luc.1.76.&c. Et tu puer Propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ad d[illegible]dam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſion[illegible]eccatorum eorum, per viſcera miſericordiæ D[illegible]oſtri. De hac lege, hoc eſt de ſcientia ſalutis, de remiſſione peccatorum per ſanguinem Chriſti abſque omni dubio loquitur Propheta, ſic enim ait. Omnes cognoſcent me, quòd autem hoc intelligendum ſit de voluntatis Dei cognitione, ipſe ſatis oſtendit hæc verba ſubiungens. Quia inquit propiciabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memor ero amplius.

Qualis ſit legis Dei inſcriptio.

Habemus quæ lex ſit de qua loquitur Propheta. Sed qualis nam eſt huius legis inſcriptio? Hæc inſcriptio non eſt noticia vel ocioſa, vel damnans. Sed eſt noticia cum fiducia efficaci in cordibus, qua ſtatuimus & ſentimus Deum propitium eſſe nobis, remiſſis peccatis propter merita ſacerdotis Chriſti, quáq; excitentur in nobis motus ſpiritus congruentes legi Dei. Ex quo effectu ſpiritus appellatur ab Apoſtolo, atque ita inchoatur in homine obedientia legis. Hęc fiducia, & hic viuus ſenſus in cordibus credentium, eſt inſcriptio legis per digitum Dei, id eſt, per Spiritum ſanctum, ad prædicationem Euangelij. Vt enim lapideæ tabulæ adumbrant ſummam humani cordis duriciem, à qua cor hominis non regenerati lapideū denominatur, Eze.10.12.& 36: ita cordis inſcriptio notat cor mollius factum eſſe vi Spiritus ſancti ad prædicationem Euangelij, vt in eo tanquàm in noua tabula Euangelij gratia inſculpi poſſit. Atque adeo lex ipſa quæ perpetua norma vitæ piorum eſſe debet, ex quo carneum cor denominatur. Vnde Dominus apud Prophetam. Auferam de vobis cor lapideum & dabo vobis cor carneum.

An ſit diſcrimen inter nouum Teſtamentū & Euangelium.

Sed hic fortè aliquis non immeritò quæret, an ſit aliquod diſcrimen inter nouum teſtamentum & Eu-

angelium? Videtur enim ex iis quæ diximus, pro eodem accipi vtrumque. Ad hanc quæſtionem ita reſpondendum eſt. Nouum teſtamentum & Euangeliũ idẽ ſunt reipſa & ſubiecto, ſed ratione diuerſa ſunt. Re quidem & ſubiecto idem ſunt: quia vtrumque eſt predicatio de Christo & vita æterna comp[illegible]da per Chriſtũ. Ratione verò diuerſa ſunt, quia Euãgeliũ ex eo dicitur, quòd ſit læta, bonáque annunciatio de ſalute obtinenda per Chriſtum. Teſtamentum autem dicitur, quod Deus non contentus ſimplici promiſſione, ſed pacto etiã, & fœdere (interpoſito iureiurãdo) ſe nobis obligat. Vt ſciamus & immobile decretum Dei, de ſalute per Chriſtum cõſequenda, & nos viciſsim Deo per fidem obligari. Eſt enim fides altera pars pacti, videlicet ex parte hominis. Nã in omni fœdere, vt ſupra quoque dictum eſt, mutuæ pactiones & leges requiruntur. Idẽ dicẽdũ eſt de veteri teſtamento, & lege Moſaica. Hinc præterea intelligi poteſt, cũ Scriptura diuiditur in Legem & Euãgeliũ, diſtinctionem ſumi à rebus ſubiectis: cum autem in vetus & nouum teſtamentum, differentias peti à circũſtantiis rerum ſubiectarũ. At cùm ſacri libri quos vocamus vetus & nouum teſtamentũ, dicuntur hoc nomine, ex conſuetudine, fit potius, quàm ex r[illegible]bus ſubiectis, niſi ſynecedochen eſſe dicas. Vnde Auguſt. lib. 2. retractat. *Vbi autem dixi, his 44. libris teſtamenti veteris terminatur autoritas, ex conſuetudine, qua iam loquitur Eccleſia, vetus teſtamentum appellaui. Apoſtolus autem non videtur appellare teſtamentum vetus niſi quod datum eſt in monte Sina.* Quare idem Aug. lib. 3 ad Bonifacium dicit rectius inſtrumenta dici quàm teſtamenta, vt illud vetus, hoc nouum dicatur.

Quæſtio D. Auguſtini. Huc addam etiam quæſtionem ex Auguſtino, cuius hæc ſunt verba. *Quomodo vetus appellatur, quod poſt 430. annos factum eſt per Moſen, & nouum dicitur quod ante tot annos factum eſt ad Abraham? Reuelationes conſiderantur in his nominibus, & non inſtitutiones. Reuelatio veteris teſtamenti per Moſen facta eſt. Sed reuelatio noui facta eſt per Chriſtum, cùm eſt manifeſtatus in carne, in quo apparuit iuſtitia Dei. Deinde quia vetus teſtamentum pertinet ad hominem veterem, à quo neceſſe eſt hominem incipere. Nouum autem ad hominem nouum, à quo debet homo ex vetuſtate tranſire, ideóque in illo ſunt promiſſa terrena, in iſto promiſſa cœleſtia.*

Quæſtio, An & quomodo lex ſit abrogata. Porro cùm Apoſtolus dicit vetus teſtamentum antiquatum eſſe per nouum, & vet[illegible] datũ in mõte Sina, vbi & decalogus promulgatus eſt: Hîc quæri poteſt de decalogo, num ille quoque ſit ſublatus vt pars veteris teſtamenti? Ad hanc quæſtionem ita reſpondeo. Quatenus decalogus eſt pars legis Moſaicæ nos nequaquam obligat, ſed quatenus æternam normam voluntatis Dei continet, perpetuò durat: quẽadmodũ [illegible] alta alia quæ in Moſe ſunt naturalia. Verum in decalogo eſt ſpectandus duplex vſus, iuxta rationem duplicis ſtatus hominis. Nam ſi tempus hominis ante reuelationem Chriſti in homine, hoc eſt, ante iuſtificationem hominis per fidem Chriſti reſpicis, vt ipſe homo vetus dicitur, qui obligatur aut ad obedientiam perfectam decalogi, aut ad pœnam, quẽadmodũ Dominus ſuperbo iuriſperito dicit. si vis ingredi ad vitam, ſerua mandata: Ita decalogus analogia quadam veteri teſtamento ſubiici poteſt. Nam pædagogia quædam eſt ad Chriſtum, vt vetus teſtamentum, hominem accuſans, & damnans, quòd nõ habeat iuſticiam quam requirit lex, vnde homo impellitur ad quærendum Chriſtum, qui eſt finis legis in iuſticiam omni credenti. Hoc ſenſu Paulus legem moralem nouo teſtamento opponit, 2. Corinth. 3. At ſi tempus hominis poſt reuelationem Chriſti in homine attendis, vt ipſe homo nouus eſt effectus, ita decalogus norma eſt vitæ noui hominis, quæ nunquam abolebitur. Cuius obedientia inchoata placet, quia perſona placet propter Chriſtum: cuius obedientia legi præſtita credenti imputatur.

Iam ex dictis concludamus diſcrimina noui & veteris teſtamenti. Quæ tametſi reſpectu vltimi finis, cùm vtrumque reſpiciat tanquàm ſcopum vltimum, reconciliationem & pacificationẽ hominis cum Deo non differunt: tamen ſi intermedios fines & circumſtantias reſpicimus, vetus teſtamentum præcedit reuelationẽ noui. Si mediatores, vetus per famulũ Moſen, nouum per filium Ieſum Chriſtum adminiſtratum eſt. Si diſpenſationis modum, vetus vmbratile fuit: nouum ipſam rerum imaginem habet. Vmbra & typus fuit liberatio Iſraelis ex ſeruitute Ægypti oppreſſo Pharaone. Veritas eſt liberatio credentium à ſeruitute peccati victo diabolo. Vmbra fuit introductio Iſraelis in terram Canaan & eiuſdem terrę poſſeſſio. Veritas eſt introductio Iſraelis ſpiritualis in cælum, eiuſque hæreditaria poſſeſſio. Vmbra fuit legiſlatio in monte Sina per Moſen. Veritas eſt verbum quod prodiit de Sion per Chriſtum. Vmbra fuit lex in tabulis lapideis ſcripta. Veritas eſt lex Dei ſcripta in cordibus hominum digito Dei. Vmbra fuit miniſterium mortis. Veritas eſt miniſterium ſpiritus & vitæ. Denique, vt vno verbo dicam, Vmbræ fuerunt Moſaica omnia, politia, ſacerdotium, purgationes, ſacrificia, & cætera. Veritas eſt Ieſus Chriſtus, ſacerdos æternus cùm ſuis beneficiis, ſiue, vt dicamus cum Auguſtino & Ambroſio, quorum quidem Auguſtinus ait, *In teſtamento veteri eſt occultatio noui: in nouo manifeſtatio veteris.* Item, *vetus eſt initium, Nouum finis.* Ambroſius verò ait, *Teſtamentum dicitur, quia ſanguine dedicatum eſt, vetus in typo, videlicet per ſanguinem bruti animalis: nouum in veritate, videlicet per ſanguinem Ieſu Chriſti.* Hæc de fœdere annexo ſacerdotio Chriſti, adhibita collatione cum veteri fœdere, copioſius diximus, quia & veteres & multi ex recentibus ſcriptoribus in hoc argumento multum variant. Nos autem ſperamus & perſpicuè hanc doctrinam propoſuiſſe, & nihil à luce verbi Dei deflexiſſe. Diſcrimina veteris & noui Teſtamenti.

IIII.

DE APPLICATIONE.

Applicatio ſacrificij Chriſti fit verbo, fit & ſacramento: ſed diuerſimodè. Siquidem verbo, quod cordi inſcribitur per Spiritum ſanctum, vt manu Dei offertur. Fide, concepta ex verbo per Spiritũ ſanctum, tanquam manu hominis accipitur. Sacramento denique quaſi ſignaculo Dei obſignatur. Nã qui verbo Euangelij, quo offertur beneficium ſacrificij Chriſti credit: fide, quæ eſt opus in homine, non naturæ, ſed gratiæ, accipit Chriſtum totum cum ſuis beneficiis, quæ beneficia obſignantur ſacramentis: quemadmodum diuinus Apoſtolus Paulus docet. Fit triplici modo.

Hinc apparet quanta ſit miniſterij verbi neceſsitas, vt quod ordinatum ſit diuinitus, vt hunc thezaurum nobis offerat. Hoc eſt quod Dominus ait, Mat. 28. 19. & Marc 16. 15. prædicate Euangelium omni creaturę. Item, docete omnes gentes. Hoc miniſterium quaſi per manus Apoſtoli tradiderunt poſteris, & ab illis ad nos peruenit, nec abolebitur donec hic mundus ſteterit, quantumuis Satanas rabioſè perſequatur omnes qui ſincerè ſonant vocem Euangelij. Proinde noſtrum eſt, modò nobis ſalus curæ ſit, verbum hoc audire, cognoſcere, amare, meditari per omnem vitam, iuxtáque illud credere & facere, vt tandem ad optatum beatitudinis ſcopum perueniamus. Non enim fruſtrà Dauid in initio ſuorum carminum, quæ 1. Verbum Dei.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Deo cecinit,in hunc modum canit, Pſal.1.2. Beatus qui in lege, id eſt, doctrina Domini, meditatur die ac nocte.Sed quarè beatus?quia meditatio verbi duo facit. Primum vt nec conſilia impiorum audias, nec in viam peccatorum ingrediaris, nec cathedram irriſorum aſcendas. Alterum, vt efficiaris tanquam arbor plantata iuxta decurſus aquarum lympidiſsimarum, quæ fructificabit in tempore ſuo, donec ad ipſam beatitudinem perueneris, quarè additur in Pſalmo 2.12. Beati omnes qui confidunt in eo. Contrà verò vbi hoc Domini verbum non amatur, non auditur,non verſatur in aſsidua meditatione,nõ iuxta illud creditur & agitur, homo paulatim impiorum conſiliis inuoluitur, in viam peccatorum abripitur,& fit tandem blaſphemus in Deum,& in omnem religionem,& planè in epicuriſmum ruit, adeo vt dicat in corde ſuo non eſſe Deum, etiamſi lingua mendax aliud loquatur. Atque ita fit tanquam arbor in fœdiſſimis fœtoribus & diabolico cæno plantata ad fructificandum morti,& damnationi, iuxta Pſalmi 14.1.dictum, corrupti ſunt & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis.Neque id immeritò.Nam contẽptus huius verbi, quo Chriſtus ipſe nobis ſeipſum offert, ſupra modum offendit Deum, atque ideo & ipſis contemptoribus, & ſæpiſsimè poſteris eorum pœnas etiam adfert, cæcitatem ſeu reprobam mentem, omnem iniuſticiam & turpitudinem, vt Paulus Rom.1.prolixè docet.Et idem Apoſtolus.2.Theſſal. 2.11.12.ait.Quia credere veritati noluerunt,dabis illis illuſionẽ erroris,vt credant mendacio.Huic Pauli vaticinio de pœna contemptorum verbi reſpondet euentus in multis nationibus, vt ipſe Chriſtus & Apoſtoli prædicarunt.

Neque Turcica arma aliud ſunt, quàm teſtimonia irati Dei propter contemptum ſui verbi. Simus ergo nos cautiores aliorum damno, ac magnifaciamus beneficium Dei, qui tradidit nobis ſuum verbum incorruptum, quo ipſe nobis offert hanc immenſam gratiam & beneficium ſacrificij filij ſui,cuius merito liberamur à iure peccati & mortis,& donamur æterna iuſticia & gloria.

2.Fides. Secundo loco in applicatione ſacrificij Chriſti in adultis requiritur fides cuiuſq; propria.vt enim verbum offert,ita fides, quæ eſt ex auditu verbi, recipit Chriſtum totum cum ſuis meritis omnibus, ſtatuitque remitti ſibi peccata propter victimam filij Dei. Ideo in ſymbolo Chriſtiano dicitur, Credo remiſſionem peccatorum, hoc eſt,noui, & firmiter mihi perſuadeo, quòd Deus velit iuxta ſuam promiſsionẽ me verè recipere in gratiam propter victimam & obedientiam filij, non amplius peccata mihi imputare,ſed ea planè delere & condonare, adeóque eorũ in perpetuum obliuiſci. Eſt enim fides non vacillans opinio,ſed certa noticia promiſſionis gratuitæ,& firma fiducia remiſsionis peccatorum propter Chriſtũ. Hæc fides,quantum ad eius certitudinem attinet,nititur & claris ſcripturæ teſtimoniis, & parabolis, & exemplis approbatis. Quantum ad fiduciam verò, in ſolo Chriſti merito acquieſcit.Paulus poſt Dauidem ait, Rom.4.6.Pſal.32.1. Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates,& quorum tecta ſunt peccata.Beatus cui Dominus non imputauit peccatum.Et Chriſtus ait, Matth.9.2.Confide fili,remittuntur tibi peccata tua. Et archiſynagogo Dominus ait, Tantum crede. Et mulieri Cananeæ,fides tua te ſaluauit. Inter multas parabolas, præ cæteris illuſtris eſt, quæ eſt Matth.18. de eo qui debuit decem millia talentorum, qui cùm non haberet quod ſolueret, totum debitum illi ex gratia remiſſum eſt.Huc & illa parabola Lucæ 7. de duobus creditoribus.Item Lucæ 17.de Acolaſto.Inter exempla illuſtriſſimum eſt Latronis cui omnia peccata remiſſa ſunt, ſine præcedentibus & ſubſequentibus meritis.Omitto Dauidem,Manaſſen,Petrum,Paulum,Magdalenam,& alios.

Definitio fidei.

Cum hac fide remiſſionis peccatorum duo perpetuò coniuncta ſunt quæ tametſi à fide remiſſionis peccatorum ſunt diuerſa, tamen ab ea nunquam ſeparari poſſunt. Hæc autem ſunt, vt cum Apoſtolo Paulo loquamur,gratia & donum, de quibus diſtinctius dicam, vt cogitetur quantum bonum ſit fides gratuitæ remiſſionis peccatorum.

Gratia quid. Gratia eſt hoc loco ipſa iuſtificatio hominis credentis,quæ à cauſa nomen habet.Ita enim ait Paulus Rom.5.15.&c. vbi confert inter ſe peccatum & gratiam:Iudicium ex vno in condemnationem, Gratia autem ex multis delictis in iuſtificationem. Et ſicut per delictum vnius in omnes homines in condemnationem,ſic per iuſtitiam vnius in omnes homines in iuſtificationem vitæ. Cum fide ergo remiſſionis peccatorum coniuncta eſt gratia,qua iuſtificamur & acceptamur coram Deo,quæ omnia in definitionem iuſtificationis includuntur,cùm iuſtificatio definitur eſſe credentis perſonæ in Chriſtum abſolutio à peccato,imputatio iuſtitiæ Chriſti, & acceptatio ad vitam æternam gratis propter Chriſtum. Cùm dico propter Chriſtũ,includo ſolius Chriſti merita. Etſi autem imputatio iuſtitiæ Chriſti,forma eſt iuſtificationis noſtri coram Deo: tamen quia neceſſariò hæc tria beneficia in iuſtificatione noſtri cohærent, ea in definitionis complexum incluſi.

Iuſtificatio quid.

Aduerſus eos qui iuſtitiam operum ſectantur. Quicunque vel operum iuſtitiam ſectantur, vel ex fide & operibus ſimul componunt iuſtitiam, verbum Dei peruertũt. Nam operum & fidei iuſtitiam ſic diſcernit Paulus ad Philipp.3.8.9.Quæ mihi lucra erãt,ea exiſtimaui propter Chriſtum iacturam,quin etiam omnia exiſtimo iacturam eſſe, propter eminẽtiam cognitionis Chriſti Ieſu Domini mei, propter quem omnium iacturam feci, vt Chriſtum lucrifaciam,& inueniar in ipſo, non habens meam iuſtitiã quæ ex lege eſt,ſed quę eſt per fidem Chriſti quę inquam ex Deo eſt iuſtitia in fide. Quid quęſo clarius dici potuit? Comparat hic Paulus duas iuſtitias inter ſe. Vnam dicit eſſe propriam hominis, quam cãdem legis iuſtitiam appellat:hominis quidem, quatenus eam homo præſtare nititur,etſi eam nunquam perfectè præſtare poterit: Legis verò quia à lege requiritur.Alteram ex Deo eſſe tradit, & per fidẽ obtineri, ex Deo quidem, quia eam Deus homini ex gratia imputat, & acceptam habet. Per fidem verò Chriſti quia fide obtinetur, qua ſcilicet Chriſtus ſtatuitur eſſe finis legis in iuſticiam omni credẽti. Has duas iuſticias ita facit inter ſe contrarias, vt ſtare ſimul nequeant.Nam qui ex operibus legis iuſticiam, qua cõſiſtit corã Deo,quęrit,iuſticiæ fidei expers eſt: & contrà qui fidei iuſticia nititur,ſe ex lege iuſtificari minimè ſtatuit.Etſi autẽ vna iuſticia eſt, quæ ſita eſt in perfecta legis obedientia :tamen propter iuſtificationis modum diuerſum,duplex dicitur. Aliter enim legis obedientia iuſtificatur, qui ipſe legẽ præſtat,& operibus ſuis legem implet,quod ſolus Chriſtus fecit.Aliter legis obedientia iuſtus cenſetur, qui non ipſe præſtat legem, ſed credit in Chriſtum qui legem impleuit, vt legis obedientia à Chriſto facta ſibi imputetur ad iuſtitiam: vt ſic habeat quod lex requirit,nempe iuſtitiam legis, adeóque cum iuſtitia vitam.Eſt proinde diſcrimen in obtinendo iuſtitiam legis.Aliter enim eam obtinet qui facit, aliter qui credit.Quòd autem nemo mortalium poſsit eam obtinere faciendo,ſed ſolummodo credendo, docet Apoſtolus Paulus prolixis diſputationibus,pręſertim in Epi-

Iuſtitia legis quomodo obtinetur.

in Epiſtolis ad Rom. ad Gala. ad Epheſ. vt mirum videatur homines adeo peruicaces eſſe, vt audeant ſe manifeſtæ Dei veritati opponere. Quid clarius dici potuit? Arbitramur hominem iuſtificari fide abſque operibus legis, ſcilicet à nobis factis. Quid apertius? Si iuſticia eſt ex lege, Chriſtus fruſtrà mortuus eſt. Quid diſtinctius? Non ex operibus, ſed per fidem, donum Dei eſt, ne quis glorietur. Quid denique abſolutius? Chriſtus eſt finis legis in iuſticiam omni credẽti: hoc eſt, Chriſtus ita adimpleuit legem, vt iuſtus ſit ipſius obedientia omnis qui credit. Item Euangelium eſt potentia in ſalutem omni credenti. Iuſtus enim ex fide ſua viuit. In hac manifeſtiſsima veritate acquieſcamus, & relinquamus ſophiſtis ſuas ſtrophas quibus & ſe miſerè inuoluunt, vt veritatem cernere non poſsint, & alios pernicioſè ſeducunt, qui eorum magiſterio ſe permittunt.

Adu. eos ex fi. & ope [illegible] com[illegible] iuſtitiam.

Qui componunt iuſticiam ex fide & operibus ſimul, tãquàm ex partibus, maiorem applauſum habẽt ab indoctis, præſertim politicis hominib. ignaris Euangelij. Sed horũ errorẽ vnico Pauli dicto, tanquàm cœleſti fulmine proſternemus. Ignorantes, ait, Rom 10.3. iuſticiam Dei (id eſt fidei iuſticiã) & ſuam (ſcilicet ex lege) quærentes ſtatuere, iuſticiæ Dei non ſunt ſubiecti, hoc eſt, non ſunt capaces iuſticiæ fidei, qui ſimul ex lege quærunt iuſticiam. Finis enim legis (id eſt conſummatio & perfectio) eſt Chriſtus ad iuſticiam omni credenti. Fides proinde ſola omne meritum, & opera omnia humana excludit à cauſis iuſtificationis noſtræ coram Deo, & ſolo Chriſto nititur, qui legis obedientiam credenti imputat, vt habeat quod lex requirit, nempe iuſticiam, id quod & hoc Pauli argumentum ad Galat. 3.11.12. apertiſſimè concludit: Quod autem in lege nemo iuſtificatur apud Deum manifeſtum eſt, quia iuſtus ex fide viuit. Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea homo viuet in eis.

Obiectionis papiſticæ refutatio.

Quòd autem aduerſarij producunt pro ſua cauſa ſtabilienda aduerſus nos Apoſtolum Iacobum, id faciunt ſuo more. Nã neglecto totius ſcripturæ, & omnium ſanctorum, Moſis, Prophetarum, Chriſti & Apoſtolorum conſtantiſsimo conſenſu, ambiguum dictum aduerſus nos inſidioſè torquent. Cuius ſenſum ſi peterent ex ſcriptionis occaſione, & fine, intelligerent Iacobum non diſputare de iuſtificatione noſtri coram Deo, ſed de iuſtificationis declaratione coram hominibus, aduerſus hypocritas qui ſua ficta & mortua fide, ſeu potius ſpectro fidei putarunt ſe iuſtos, & interim ſe omni genere nequitiarum & ſcelerum contaminauerunt. Cùm igitur nec fidei vocabulum, nec iuſtificationis vox, eodem modo accipiuntur ab Apoſtolis Paulo & Iacobo, ſpiritui Dei ſe opponunt, qui in illorum dictis ἀντιλογίας quærũt.

[illegible]ia obiectionis ſolutio.

Producunt & alia dicta, vt de mercede & remuneratiõe bonorũ operũ, de reddẽdo vnicuiq; iuxta opera ſua, de beatitudine quæ promittitur pauperibus ſpiritu, mitibus, pacificis, patientibus perſecutionẽ &c. Sed illa dicta & ſimilia non aduerſantur noſtræ ſententiæ, ſi quis rectè diſtinxerit inter cauſas, & effecta iuſtificationis, & qualitates iuſtificatorum. Nã aliud eſt loqui de mercede obedientiæ, & de qualitate eorum qui iam iuſti fide ſunt: aliud de cauſis rei, hoc eſt iuſtificationis. Item aliud eſt loqui, vt Bernhardi verbis vtamur, de cauſa regnandi, aliud de via regni. Itẽ aliud eſt loqui de principiis eſſentiæ rei alicuius, aliud de cognitionis principiis.

Tertiæ obiectionis explicatio

Verùm, vt clypeum nobis opponunt dictum Domini, Matth. 19.17. Si vis ad vitam ingredi ſerua mãdata, hoc eſt, legem imple. Reſpondeo, Chriſtus rectiſsimam viam vitæ monſtrat obſeruationem mandatorum, ſeu legis impletionẽ. Verùm quia per nos ſtat, quò minus præſtemus legem Dei, Chriſtus credenti factus eſt impletio legis in iuſticiam. Atque hoc eſt quod idem Paulus dicit ad Rom. 3.30. Legem ſtabilimus per fidem, quia videlicet obtinemus credendo quod lex requirit, nempe iuſticiam.

Donum quod diximus coniunctum eſſe cum fide remiſsionis peccatorum, eſt donatio Spiritus ſancti: quo homo, ſola fide iuſtificatus, regeneratur, ſeu ſanctificatur. Id eſt mortificatur, & viuificatur, adeoque fit nouus homo, qui ſtatuit vitam ſuam ad normam voluntatis Dei, quantum id quidem fieri poteſt cõponere. Donum igitur hoc, nouæ vitæ & obedientiæ cauſa eſt, & inchoatio. Neque enim ideo iuſtificamur fide gratis, vt iam porrò viuamus peccato, ſed vt liberati à peccato ſeruiamus Deo in iuſticia & ſanctitate, omnibus diebus vitæ noſtræ. Hunc ſiquidem finem ſcientiæ ſalutis de remiſsione peccatorum, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri ſtatuit Zacharias in ſuo cantico. Luc. 1.73. Hunc finem iuſtificationis ponit Paulus ad Rom. 6. vbi euidentiſsimis rationibus oſtendit cum iuſtificatione coniunctam eſſe ſanctificationem. Atque hæc ſint breuiter dicta de gratia iuſtificationis & dono ſanctificationis, quæ ſunt cũ fide remiſsionis peccatorum coniuncta nec ab ea magis diuelli poſſunt quàm calor ab igni, & radius à ſole. Vnde apparet iniuriam fieri nobis à Papiſtis cùm dicunt nos abolere bona opera, & laxare frena hominibus, quia dicimus homines ſola fide iuſtificari. Nõ enim intelligunt nos diſcernere inter beneficiũ Chriſti proprium, & noſtrum debitum officiũ, quod cum fide remiſsionis peccatorum coniunctum eſt. Sed de iuſtificatione plura dicemus volente Deo in poſtremum huius Pſalmi verſum, diſtinctis ordinibus teſtimoniorum quæ in hac controuerſia agitari ſolent.

Donum quid.

Papiſticæ calumniæ depulſio.

Tertium locum in applicationè ſacrificij Chriſti tribuimus ſacramentis, quæ non ſolùm vt verbum offerunt merita Chriſti ſacerdotis: verùm etiam vt ſignacula obſignant, modò merita Chriſti cordibus impreſſa teneantur fide. Vt enim ſine fide verbũ nõ applicat merita Chriſti: ita ſine fide (loquor de adultis) ſacramenta nihil conferunt. Sunt autem duo ſacramenta quæ Chriſtus ſuæ Eccleſiæ commendat, videlicet Baptiſmus & Cœna Domini: quorum ille initiationis Chriſtianiſmi ſacramentum eſt, ideoque ſemel tantùm ſumitur vt Chriſtus pro nobis ſemel mortuus eſt. Vt enim baptiſmus eſt mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis Chriſti efficax ſymbolum: ita eſt ſacramentum fœderis, quod Deus cum baptizato iũgit, de purgatione peccatorum & reconciliatione noſtri facta per Chriſtum. Item pœnitentiæ & crucis teſſera, atque adeò reſurrectionis futuræ teſtimonium. Hæc, videlicet Cœna Domini, confirmationis Chriſtianiſmi & conſeruationis ſacramẽtum eſt, adeoque commemoratio fœderis ſanciti per ſanguinẽ Chriſti. Præterea cibus quo in corpore Chriſti ſpiritualiter nutrimur quam ob cauſam eius vſus frequẽtior eſſe debet. Summa huc redit, quod ſacramentum noui teſtamenti ſit & teſtimonium externum fœderis de gratuita reconciliatione noſtri cùm Deo per ſacrificium Chriſti: & fidei & pietatis populi Dei erga ipſum teſtificatio & obligatio.

3. Sacramenta.

Baptiſmi ſignificatio.

Cœnæ ſignificatio

V.

DE PERPETVO SACRIficij Chriſti vſu.

Etſi autem vſus ſacrificij Chriſti magna ex parte in applicatione conſpicitur: tamen efficacia & virtus

Vſus triplex.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ipſius ſe offerunt magis cùm veluti ad praxin reuocatur noticia. Hæc praxis locum habebit in conſciẽtia cuiuſque, in toto vitæ curſu, & in mortis agone.

I. In conſcientia.

Conſcientia cuiuſque hominis lethali vulnere ſaucia eſt, donec ſanatur applicatione medicinæ, quam ſolus Chriſtus medicus adhibet, per verbum ſuum & ſpiritum. Quam ob cauſam ſe etiam animarum medicum nominat.

Senſu peccati perculſa.

Cùm ergo conſcientia percellitur cogitatione peccati, ſananda eſt fide ſacrificij Chriſti. quæ ſi viua fuerit, perfundit conſcientiam ſuauiſſimo quodam balſamo ſpiritus, quo ſanatur & redditur tranquilla, vt quæ antea turbata & triſtis fuit, iã ſit iucunda & læta, & veluti exultet in cruce Chriſti. Vnde illa exultantis conſcientiæ vox in Bernhardo. *De remiſſione*, inquit, *peccatorum teneo validiſſimum argumentum, Dominicam paſſionem, vox ſiquidem ſanguinis eius inualuit multò plus, quàm vox ſanguinis Abel, clamans in cordibus electorum remiſſionem omnium peccatorum. Traditus enim eſt propter peccata noſtra. Nec dubium eſt quin potentior & efficacior ſit mors illius in bonum, quàm peccata noſtra in malum.* Huiuſmodi conſcientia nec legis minis frangitur, (ſcit enim ſe ſub lege non eſſe, ſed ſub gratia) nec Diaboli ſuggeſtionibus cedit, (ſiquidem principem mundi huius condemnatum eſſe nouit,) nec rationis argumentis turbatur. (nouit enim potentiam eius qui promiſit, cui & gloriam tribuit.) Breuiter in Chriſto ſecura quieſcit, expectans plenam redemptionem per aduentũ filij Dei, qui transfigurabit noſtra contempta corpora, vt ſint conformia ipſius glorioſo corpori in omni æternitate. Vnde autem ſit tanta fiducia ſanatæ & tranquillæ conſcientiæ docet Epiſtola ad Heb. 13. 18. Confidimus, inquit, quia bonam conſcientiam habemus in omnibus rectè volentes conuerſari. Vt ergo cauſa & fundamentum bonæ conſcientiæ eſt, nõ noſtra dignitas: natura enim ſumus peccatores & indigni non meritum, quia nullũ meritum niſi mortis habemus ex nobis ipſis: non virtus vlla noſtra, quia omnes iuſticiæ noſtræ ſunt vt pannus menſtruatæ mulieris: ſed ſola fiducia Chriſti purgantis eam ſuo ſanguine à mortuis operibus per quem pacem habemus cum Deo:

Deſiderio nouæ vitę accenſa.

Ita eius propoſitum eſt velle in omnibus, cum omnibus & in omnibus actionibus rectè conuerſari, declinando videlicet quod malum eſt, & faciendo quod bonum eſt. Semper enim meditatur nouitatem vitæ in Chriſto Ieſu, ſemper odio habet tunicam quæ à carne commaculata eſt, ſemper delectatur candida illa veſte quam in baptiſmo induit. Quotquot enim baptizati ſumus, Chriſtum induimus. Id quod Dauid per ſpiritum vidit cum caneret, Lauabis me & ſupra niuẽ dealbabor, ornatu ſcilicet iuſticiæ Meſsiæ tanquam veſte candidiſſima, purgatus prius à peccatis per ſanguinem ipſius. Ex hac fide & conſcientia deleti peccati naſcitur in Dauide ſtudium recti iuxta illud. Inclinaui cor meum ad faciẽda ſtatuta tua in æternum. Et Paulus inquit, Milita honeſtã militiã retinens fidẽ & bonam conſcientiã.

II. In totius vitæ curſu.
1. In aduerſis.

In totius vitæ curſu vſus ſacrificij Chriſti conſpicitur maximus & ſuauiſsimus, cùm in aduerſis, tum in proſperis. In aduerſis, quidem nullũ eſt efficacius remedium, quàm ſacrificium Chriſti. Nam vt aduerſitas admonet te peccati tui, vel latentis vel manifeſti: ita ſacrificium Chriſti fide apprehenſum, & de remiſſione peccatorum te certificat, vnde oritur cõſolatio ſpiritualis in omni afflictione, & de conformitate electorum cum filio Dei. Nam ita placuit ſapientiæ Dei quod velit ſuos electos conformes fieri filio ſuo, cùm in cruce, tum in gloria. Huc illud Pauli, 2. Tim. 2. 12. Si vnà cum Chriſto patimur, vnà cum illo regnabimus. Huc pertinet imitatio exẽpli Chriſti in cruce, quod Petrus hiſce verbis nobis commẽdat. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum, vt inſequamini veſtigia ipſius. Vide quæ in hunc locum annotauimus 1. Pet. 2.

2. In proſperis.

In proſperis maius eſt periculum. Licet enim permultos frangit aduerſitas, tamen multò plures extollit proſperitas, iuxta poëtam. *Luxuriant animi rebus plerumque ſecundis.* Item, *Neſcia mens hominum fati ſortiſque futuræ, Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.* Quid hic faciet pius? Quatuor faciet.

Quid faciendum.

Primùm, æſtimet res huius ſæculi quæ proſperæ videntur: & videat quales ſint in ſe. Secundò perpendat quàm periculoſa ſit rerum proſperarum poſſeſsio, vbi vera pietate animus non eſt imbutus. Tertiò, conferat omnia huius mundi commoda cum ea fœlicitate, quã Chriſtus nobis comparauit ſua morte. Quartò, perpendat, vtrũ vtilius ſit his mundi rebus affluere cum periculo animæ, quàm iis renunciare, ſi res poſtulat propter Chriſtum.

Expoſitio ſuperioris exhortationis.

Cùm igitur caro noſtra proſperis rebus titillatur, & veluti indomitus equus ferocire incipit, cogitet pius, primum, quàm ſit proſperitas huius mundi fluxa, caduca, mortalis, temporalis, volatica, tranſitoria, qua multi abundantes reuerà ſunt miſerrimi. Secundò, cogitet eam plus habere deceptionis, quàm delectationis. Eſt enim voluptas quæ inde naſcitur veluti ſerpens, interfector animi, ſuperbus & vanus conſultor, ſpiritus ſolicitudinis & crapulæ. Hîc ſerpens in profundiſsimis animi receſſibus latens, nihil quærit niſi vt occidat. Hinc apparet quòd multò periculoſior animo ſit res proſpera, quã aduerſa corpori. Tertiò, cogitet pius tantum eſſe reuera diſcriminis inter fœlicitatem quam Chriſtus ſuis proponit, & mundi proſperitatem, quantum eſt momentum temporis ad æternitatem, inter mortem & vitam, inter miſeriam & beatitudinem. Nã vt proſperitas huius vitę, baculo arundineo nititur. Ita promiſſa fœlicitas in Chriſto veritate Dei conſtantiſſima fulcitur, vt fieri non poſsit vt ea fruſtrentur qui in timore Dei perſeuerant vſque ad finem. Quartò, pius ex his colligat, multo vtilius eſſe & beatius renunciare his caducis rebus, quatenus cum pietate & confeſſione veræ doctrinæ ſtare non poſſunt, quàm propter illas ſe periculo animæ obiicere. Breuiter, nihil efficacius erit, ne fœlici ſucceſſu efferamur, & abducamur à Deo, quàm cogitare humiliationem filij Dei in cruce, qui ideo humiliatus eſt, vt nos exaltet modò in hac vita ſub potenti manu Dei nos humiliauerimus, & non puduerit nos crucis Chriſti. Nam & omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Cauendum eſt proinde ne caro noſtra felici rerum ſucceſſu, nos veluti eſca quadam captos fallat & occidat. Nam ſerpens ille qui Euam ſeduxit calliditate ſua, occaſionem quamuis arripit, vt nos à Chriſto abducat, & potiſsimã hominis partẽ inuadit, vt eam fœlici rerum ſucceſſu euertat. Vnde illud Pauli, 1. Cor. 1. 26. Videte vocationem veſtrã fratres, quod non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles. His enim tribus rebus potentia, ſapientia, & nobilitate, (ex quibus naſcitur & voluptas corporis, & ſuperbia animi) quorũ adeptione ſtulti ſe fœlices & beatos putant, abutitur Diabolus in perniciẽ hominũ. Quare huic tentationi opponito crucem Chriſti, ſine qua omnis ſapientia ſtulticia eſt: Omnis potentia, infirmitas: Omnis nobilitas ignominia, & omnis voluptas eſca mortis eſt. Nam iſta omnia, quibus multũ amaritudinis annexum eſt, terminantur cum hac vita. Si ergo quæris veram ſapientiã, verã potẽtiam, verã nobilitatem, veram voluptatem & gloriam, ea in ſolo Chriſto quęrito, & inueniẽs, in quo omnes theſauri cœleſtium bonorum ſunt abſconditi.

In mor-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

III. In mortis articulo.

In mortis denique articulo aſpectus ſacerdotis Chriſti cum ſuo ſacrificio tollit omnem metũ mortis, facitque vt non magis formides mortem, quàm ſomnum ſuauiſſimum. Vnde fit vt pius mortem expetat non ſecus atque tranſitum ex his miſeriis ad vitam immortalem. Tunc demum verum eſſe ſentias dictum Domini, Ioan.8.52. Qui ſermonẽ meũ ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum. Hinc illa alacritas in multis Martyribus qui Chriſtum nõ mortuum ſolum, ſed rediuiuum cogitarũt, cuius virtute nos reſurgemus ad immortalitatem, & animæ noſtræ interea, hoc eſt, vſque ad extremum diem, cœleſtibus gaudiis fruētur cum caſtiſſimis ſpiritibus, ac tum demũ iunctæ corporibus conſpectu Dei, & gloria, immortalitatis perpetuò fruentur. Quarè non immeritò Apocalypſis ait, ca.14.13. Beati qui in Domino moriuntur. Et Dauid, Pſal.116.15. precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Hactenus diximus de propitiatorio ſacrificio Chriſtianorum, atque de iis quæ ad eius perſpicuam declarationem facere videbantur. Nunc breuiter de altero Chriſtianorum ſacrificio quod Euchariſticun nominant ſpiritu Chriſti aſpirante, dicemus.

DE EVCHARISTICO

Chriſtianorum ſacrificio.

PEtrus Apoſtolus, c.2. prioris epi.v.9. accõmodat cõuerſis ex Iudæis & gentibus promiſsionẽ Domini quæ eſt Exod.19.6. In hanc ſententiam. Si audieritis vocem meam, & cuſtodieritis pactum meũ eritis mihi peculium de cũctis populis. Mea eſt enim omnis terra, & vos eritis mihi in regnum ſacerdotale, & gens ſancta, populus acquiſitionis (id eſt peculiũ,) vt virtutes annuncietis eius qui de tenebris vos vocauit in admirabilem ſuam lucem. Ex hiſce verbis vt alia præterea, manifeſtum eſt, quòd omnes Chriſtiani ſint ſacerdotes ad offerendum Deo ſacrificia in laudem & gloriam ipſius. Primùm itaque omniũ tenendum eſt, quòd quemadmodum natura ſumus peccatores, & filij iræ: Ita noſtris viribus, dignitate, & meritò nihil planè apud Deum obtinere poſsimus. Quarè vt vnico ſacrificio Chriſti reconciliati ſumus: ita ipſius gratia ordinamur in ſacerdotes, illique conſecramur ad nos noſtraque omnia Dei gloriæ dedicãda. Hæc autem inauguratio noſtrí in ſacerdotes & ordinatio, quia planè ſpiritualis eſt & interna, perficitur arcano quodam modo, qui qualis ſit ex comparatione veritatis ad vmbrã aliquo modo oſtendi poteſt. Vt igitur ex Leuitica tribu futuri ſacerdotes primùm lauabant corpora aqua: Secundò, induebant veſtes diuinitus imperatas: Tertiò, vngebãt capita ſua. Quartò, implebant manus: Ita futuri ſacerdotes in nouo teſtamento ſpiritualiter ordinantur. Primùm enim Chriſtus ſummus ſacerdos lauat nos aqua & ſãguine. purgat nos (inquit Paulus Epheſ.5.26.) lauacro aquæ per verbum (ſcilicet inſtituentis Dei & ordinantis baptiſmum.) Et Iohannes in Apocalypſi, cap.1.6. Dilexit nos & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit reges & ſacerdotes Deo & patri ſuo. Deinde idem Chriſtus veſtibus nos ornat ſpiritualibus, quæ Leuiticis illis veſtibus multo ſunt cãdidiores. Nam Chriſti innocentiam vt candidiſsimã veſtem induunt Chriſtiani. Sic enim Paulus ait, Rõ. 6.3. An neſcitis quod quicunque baptizati ſumus Chriſtum induimus? Hunc induti apparemus candidi coram Deo, hoc eſt iuſti & ſancti. De hoc indumento loquitur Pſalmus 132.9. cum ait, Sacordotes eius induantur iuſtitiam, & ſancti eius exultent. Tertiò, vnguuntur non externo oleo & caduco, vt Leuitici ſacerdotes, ſed interno, ſpirituali, & immortali, de quo Paulus 2. Corinth.1.21. Qui confirmat nos in Chriſto, qui vnxit nos Deus eſt, & qui ſignauit nos, & dedit pignus ſpiritus in cordibus noſtris. Ex hac vnctione qua Chriſtus nos vngit, Chriſtiani dicimur & ſacerdotes, imò & reges & Prophetæ. Huius ſpiritualis vnctionis mira vis eſt. Nam vt olei, quo vngebantur veteres ſacerdotes, natura eſt lucere & ardere: ita Spiritus ſanctus, quo nos in ſacerdotes vngimur illuminat mentem & inflammat cor, vt & mens intelligat quæ bona & ſalutaria ſunt, & cor eadem ardentiſsimè appetat. Hoc autem fit, cùm ex prædicatione verbi fide concepta toti rapimur in admirationem miſericordiæ magni Dei, qui nos è tenebris in admirabilem ſuam lucem vocat. Poſtremò, implẽt manus, hoc eſt, ſe paratos ſiſtunt ad offerendum Deo. Nam amplius ſui iuris non ſunt, conſecrati Deo ſibi viuere deſinent, & omnes vitæ actiones deſtinabunt in obſequium Dei.

Chriſtiani vnde dicti.

Hoc modo ordinati ſacerdotes habemus etiam pactum certum inter Deum & nos initum, quod quale ſit ex verbis Malachiæ oſtendam. Sunt autẽ hæc Prophetæ verba, cap.2.5.&c. Pactum meum fuit cum eo vitæ, & pacis, dedíque ea illi ob timorem. Timuit enim me, & à facie nominis mei contritus ipſe. Lex veritatis fuit in ore eius. In pace & æquitate ambulauit mecum, & multos reuocauit ab iniquitate. Labia enim ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legẽ requirunt ex ore eius. Quia legatus Domini exercituum eſt. Etſi autem Propheta hic loquitur de Leuiticis ſacerdotibus: tamen rectiſsimè accommodatur Chriſtianis omnibus, qui longè digniores coram Deo ſunt ſacerdotes, vtpote regales, quàm Leuitici fuerunt. Ex Prophetæ verbis hæc pacti ratio concluditur. Vt Dominus vitam & pacem promittit: ita timorem ex fide viciſſim poſtulat. Vt enim in omni pacto eſt mutua obligatio, ita & hic Deus promittit pacem & vitam, quæ duo opponũtur iræ Dei, & morti æternæ. Verùm partes pacti à parte noſtra plures hîc ponuntur quæ tamẽ natura ſunt cõiunctæ. Quarum *prima*, eſt timor Dei ſincerus ex fide natus, de quo loquitur Propheta cùm ait, Pſal.111.10. Initium ſapientiæ timor Domini. Item, timor Dei ſanctus manet in ſæculum ſæculi. *Secunda*, Lex veritatis in ore eius, hoc eſt, doctrina vera, ſancta, & pura. Tametſi autem non omnes Chriſtiani habent publicum munus docendi: tamen cognitio doctrinæ, atque cõfeſsio omnibus Chriſtianis neceſſaria eſt. *Tertia*, iniquitas non eſt inuenta in labiis eius, hoc eſt, falſam & fucatam doctrinam fugit, atque adeò vt peſtem deteſtatur quicquid doctrinæ ex ore Domini non hauſit. Ideo Dominus dicit omnibus, Cauete à falſis Prophetis. *Quarta*, in pace & æquitate ambulauit. Hoc eſt, ſtuduit vitam ſuam componere ad normam iuſticiæ meæ ſeruãdo pacem & æquitatem cum proximis. Hanc partem fœderis Chriſtus & Apoſtoli omnibus Chriſtianis accommodant. *Quinta*, & multos reuocauit ab iniquitate, ſcilicet, verbo, facto, & exẽplo, quod eſſe Chriſtianorum omnium nemo non agnoſcit. Breuiter vt Deus promittit vitam & pacẽ, ita nos illi obligamur fide & obedientia.

Pactũ inter Deum & ſacerdotes noui Teſtamenti.

Chriſtianorum officium.

Porro cum ſacerdotio hoc Chriſtianorum, plura coniuncta ſunt quæ ad eius dignitatem & excellentiam cognoſcendam faciunt. Præcipua verò ſunt quę Petrus enumerat. Videlicet quòd Chriſtiani ſint domus ſpiritualis, ſanctum & regale ſacerdotium, genus electum, gens ſancta, & peculium Dei, & quod omnium maximum eſt, quòd ſint & vocentur filij Dei. De hac ſumma dignitate Chriſtianorum loquitur

Dignitas ſacerdotii Chriſtianorum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tur Iohannes cùm ait,cap.1.12.Dedit illis qui in nomen eius credunt hanc dignitatem , vt ſint filij Dei, quam ſententiam verè & eleganter reddidit Nonnus hiſce verſibus:

Οὐρανίην πάντεσσι μίαν δωρήσατο τιμήν,
Τέκνα θεοῦ γενετῆρος ἀεὶ ζώοντος ἀκούειν.

Hoc eſt,vt verbum verbo reddam,

Cœleſti cunctos vno donauit honore,
Vt patris æterni gnati ſint atque vocentur.

Doctrina.

Hic honos,quem nemo ſatis prædicauerit,meritò nos ab omni turpitudine indigna templo Dei,indigna regalibus ſacerdotibus,indigna gente ſancta,indigna peculio Dei , adeóque filiis Dei , reuocare , & nos ad cultum Dei , & ad offerendas hoſtias ſemper Deo acceptas per Ieſum Chriſtum inuitare debet. Hoc enim conſecratio noſtri in ſacerdotes ſuo iure poſtulat.Siquidem ſacerdotes ſumus vt ſacrificia offeramus, non quidem propiciatoria , quod eſt ſolius noſtri ſummi ſacerdotis Ieſu Chriſti:ſed Euchariſtica,eáque perpetua,iuxta illud Ezechielis 46.13. Sacrificium Deo legitimum,iuge & perpetuum. Non ergo vt Leuitici certis diebus , & certis horis offerebant iuxta legem Moſi, & poſtea ad tempus expectabant vicem ſuam iuxta ordinationem Eccleſiaſticam Dauidis:ita Chriſtiani ſacerdotes,intermittant ſacrificia , ſed ſemper & indeſinenter impletas habebunt manus,& ſacrificabunt Deo perpetua ſacrificia.

Sacrificij Euchariſtici definitio.

Quid eſt ſacrificium Euchariſticon ? Sacrificium Euchariſticū Chriſtianorum eſt omnis actio,& paſſio diuinitus imperata , ſeparata à prophanis mundi actionibus & paſsionibus fide , qua etiam tanquam ſale condita, Spiritu ſancto tanquàm igni cœleſti accenditur & ſanctificatur, atque merito Chriſti Deo accepta fit in gloriam Dei per eundem Ieſum Chriſtum.Dicitur autem hoc ſacrificium Euchariſticon à fine proprio,quía eſt oblatio noſtræ gratitudinis.Siquidem reconciliati Deo per piaculare ſacrificium Chriſti offerimus ei obedientiam noſtram, honoramus,& laudamus ipſum,perpetuóque illi gratias agimus.Nam Chriſtus fide apprehenſus, dat Spiritum ſanctum qui creat in nobis nouum cor , & ſpiritum ſpōtaneū,vt hāc noſtrā gratitudinē Deo offeramus.

Ratio nominis.

Ratio rei.

Cur autem obedientia noſtra dicatur ſacrificium operæprecium eſt perpēdere. Nā huius appellationis explicatio acres ſtimulos habet ad excitandum in nobis ſtudium obedientiæ.Dicuntur itaque opera Chriſtianorum ſacrificia comparatione quadam ad veterís populi ſacrificia. Nam vt illa mandabantur diuinitus ſacerdotibus,deligebantur,applicabantur,ſanctificabantur,atque adeò accepta erant:ita in noſtris ſacrificiis requiritur mandatum,delectus,applicatio, ſanctificatio , & acceptio diujna, I. In veteri teſtamento non licebat offerre ſuem , aut vllum aliud lege immundum animal: ſed tantum munda iuxta legem. Ita opera quæ Chriſtiani offerent,non erunt immunda,id eſt,vel opera lege Dei prohibita,vel hypocritica , vel ſuperſtitioſa : ſed diuinitus mandata. Ideo dicit Dominus apud Prophetam. In præceptis meis ambulate. II. Vt agnus purus qui offerri debuit ſegregabatur à reliquo grege: Ita fide noſtra opera debent ſeiungi à prophanorum hominum operibus eiuſdem generis. Phariſeus dedit eleemoſynā, & Cornelius aulicus:ſed iſtius immunda erat , huius autem munda:vt quæ ſeparata fuerit à Phariſæi Eleemoſyna per fidem. III. Vt victima ceremonialis applicabatur aræ impoſita ſacerdotis manu:ita noſtra opera applicabuntur aræ Chriſto , cuius contractu ſanctificantur. IIII. vt illa vetera ſacrificia cremabantur igne cœleſti,& ſanctificabantur , adeóque accepta erant:ita noſtra ſacrificia merito Chriſti,incenſa Spiritu ſancto , cœleſti igne ſanctificantur, & ſunt accepta propter Chriſtum vt Petrus ait. Nam cùm omnis noſtra obedientia eſt imperfecta , & in quouis opere partim omittendo partim committēdo delinquimus: (nunquam enim integra & plena eſt noſtra obedientia) fieri non poteſt vt per ſe accepta ſint noſtra ſacrificia. Quarè vt Chriſti merito ſanctificātur:ita etiam per Chriſtum , vt Petrus ait, accepta ſunt.Nam Chriſtus noſtræ obedientiæ gratiam conciliat,& meretur vt noſtra obedientia cùm in cruce,tum in lege ſacrificij laudem habeat. Non ergo accepta ſunt noſtra ſacrificia præſtantiæ merito , ſed propter Chriſtum in quo Deus æſtimat noſtra opera , vt ea tanquam gratiſſima ſacrificia acceptet.Nam vt hoſtia vicioſa veteris populi quæ per errorem ad aram peruenit,& attigit altare, non mutabatur meliore,ſed correcta ſanctáque habebatur cōtactu loci ſancti:ita noſtra opera , etſi multùm vitij habeant,munda tamen,& apta ad hoſtiam ſanctam, deóque acceptam redduntur contactu aræ noſtræ, hoc eſt Chriſti qui contactus fit per fidem. Etſi autem ſumma doctrinæ de ſacrificiis Chriſtianorum ex iis quæ dicta ſunt intelligi poteſt tamen quo res fiat clarior,particulatim de eiſdem dicemus, vt ordo eorum & conſecutio conſpiciatur.

Partes huius ſacrificij ad Leuiticum ſacerdotium collatæ.

Cur Deo accepta ſunt Chriſtianorum opera.

De ſacrificiis Chriſtianorum plenior tractatio.

1. Oblatio in baptiſmo.

Primùm inter ſacrificia Chriſtianorum locum habet oblatio noſtrí quæ fit in baptiſmo, & reſpondet ablutioni quæ fiebat in conſecratione Leuiticorum ſacerdotum. Nam per baptiſmum ſeparamur viſibiliter & ſacramentaliter à prophano mundo,applicamur Deo,imponimur altari Ieſu Chriſto, ſanctificamur renunciando Sathanæ,& operibus eius , & promittendo Deo obſequium in ipſius gloriam.*Secundo* loco,in adultis ſequitur veluti iugis quędā oblatio & perpetua , qua nos ipſos totos,& noſtra omnia Deo offerimus. De hoc ſacrificio loquitur Paulus ad Rō. 12.1.vbi ſic ait, Obſecro vos fratres per miſerationes Dei,vt ſiſtatis corpora veſtra (id eſt vos totos,) hoſtiam viuam,ſanctam,acceptam Deo,rationalem cultum veſtrum , & ne configuremini ſæculo iſti , ſed transformemini per renouationem mentis veſtræ, vt probetis quid ſit volūtas Dei bona,accepta & perfecta. Hîc Paulus pulcherrimè explicat quid holocautomata vetera adumbrant. Vt enim holocautomata igni ſacro tota adolebantur,ſic per Spiritū ſanctum ignem diuinum totos cremari Deo animos noſtros neceſſe eſt,vt quicquid eſt carnis & mundi paulatim aboleatur , atque veluti in mortuos redigatur cineres,& quicquid eſt ſpiritus & mētis , vi illius ignis cœlici verè ſpirituale & cœleſte reddatur. Hoc etiam adumbrabatur interdicto eſus porci,& mactatione pecudum.Nam vt porcus immundiciem notat,à qua abſtinendum eſt,& mactatæ pecudes beluinas affectiones mactandas adumbrarunt:ita renouāda eſt mens , & voluntas vt probet , appetat, & agat quæ ſunt Deo placita. Quia autem omne ſacrificium Chriſtianorum debet fide tanquàm ſale condiri & imponi in aram id eſt Chriſtum,ideo Paulus iuſtificatis fide commendat hoc ſacrificij genus. Attendatur hoc loco quàm concinnè huc quadret ſacrificij nomē,& quam appoſitè Paulus illud applicat.1. Requirit ſeparationem noſtri per fidem à prophanis gentibus cùm ait,Ne cōfiguremini ſęculo iſti.2. Vult nos applicari Deo cūm ait , Sed transfiguremini per nouitatem mētis veſtræ, quæ trāſfiguratio fit ſpiritu renouationis.3. Vult vt ſiſtamus nos hoſtiam viuam ſuper altare noſtrum vnicum quod eſt Chriſtus. Nā vt vnū tantū altare ſacrificiorū fuit in terrena Ieruſalem:ita in cœleſti ſimiliter vnū eſt,ſuper quod offerimus quando nitimur merito Chriſti,vt ſit ſacrificiū

2. Oblatio perpetua.

Apoſtolici præcepti explicatio.

noſtrum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

noſtrum ſanctum,& Deo acceptum id quod quarto loco in ſacrificijs noſtris requiri ſupra docuim⁹.

Cur Deus oblationẽ perpetuã nobis poſtulat.

Sed quænam cauſa eſt cur Deus hoc ſacrificij genus à nobis poſtulet? Neceſſe eſt vt mortem quam nobis peccata intulerunt nos viciſſim peccatis inferamus virtute mortis Chriſti, atq; in nobis ipſis prauos affectus occidamus. Nam ſi Chriſtus ſic noſtri cauſa mori voluit,quanto magis debemus nos in eius gratiam hoc ſacrificiũ animo propenſo offerre? Quòd mortu⁹ eſt ait Apoſtol⁹,Ro.6.10.peccato mortuus eſt ſemel:quod autẽ viuit, viuit Deo:ita & vos exiſtimate mortuos eſſe peccato, vt viuatis Deo in Ieſu Chriſto.Hæc mors peccati,à Chriſto nominatur abnegatio noſtri,à Paulo hoſtia.Quã autem hoc ſacrificij genus ſit neceſſariũ indicat Dominus cùm ait,Si quis vult poſt me venire,abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam quotidie & ſequatur me.Matth. 16.24.

3 Sacrificium laudis.

Tertium locum inter ſacrificia Chriſtianorũ tribuo ſacrificio laudis: quòd à ſuperioribus ſeparari non debet.de quo pſal.50.23.Sacrificium laudis honorificabit me.Item,Immola Deo ſacrificiũ laudis. Et Oſeas 14.3.Soluemus vitulos labiorum noſtrorum.Eſt autem ſacrificium laudis cũ Deum omnis boni fontem agnoſcimus,cum ipſum vitæ innocentia,& confeſſione laudamus & celebramus.Quo ſacrificij genere adimitur carni omnis gloria meriti, ſapientiæ,iuſticiæ,potentiæ, &c.& ſoli Deo tribuitur.Hoc laudis ſacrificium tum demum ritè fit,quãdo laus illa, à laude qua Phariſeus Deum laudat, ſeparatur per fidem,& per eandem adducitur Deo,& imponitur altari noſtro,hoc eſt,nititur merito Chriſti.Vnde & accepta Deo eſt,& grata. Partem huius ſacrificij feci confeſſionem fidei,præſertim tempore perſecutionis,quæ confeſſio propter quatuor neceſſaria eſt.1.vt honoretur Deus. 2. vt veritas defendatur.3. vt pij exemplo confirmentur. 4. vt infideles conſtantia piorum moti conuertantur ad Deũ & ſaluentur:propter has cauſas Paulus pronunciat, Ore fieri confeſſionem ad ſalutem.

Quid ſit.

Pars huius ſacrificij.

4 Sacrificium inuocationis.

Quarto loco, collocetur ſacrificium inuocationis,quod ſignificabatur thymiamate veteris legis, ſicut Dauid interpretatur cùm inquit,Pſalm.141.2. Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſicut ſacrificium veſpertinum.Et Iohannes in Apocal.5. 8. Seniores habebant phialas plenas thymiamatis quę ſunt preces ſanctorum. Et Micheas. 6. 6.Quid dignum offeram Domino? Curuabo genu Deo excelſo. Inuocatio proinde quæ fit in agnitione & fiducia filij Dei,dicitur ſacrificium omni thymiamate fragrantius.Sacrificij nomen ideo Chriſtianorum orationi quadrat,quia fide ſeparatur ab orationibus Iudæorum, Mahometiſtarum, & Prophanarum gẽtium & per eandem adducitur & ſiſtitur Deo, & imponitur altari Chriſto, dum eius merito nititur, & crematur ardenti ſpiritus affectu. Vnde & accepta fit Deo,& exauditur.

5 Sacrificium pœnitentiæ.

Quinto loco ſuccedat ſacrificium pœnitentiæ. Nam cùm ſancti quotidie labuntur opus habẽt quotidiana pœnitentia,qua & agnoſcunt ſuos lapſus,& confugiunt rurſus fide ad propitiatorium & conantur in poſterum ſe ab omni macula conſeruare. Sic Dauid commiſſo adulterio pœnitẽtiam agit, offert Deo ſacrificium ſpiritus contriti & cordis humiliati.Ita enim ait Pſal.51.19. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum non deſpicies. Et Eſaias, cap. 57.15. habitans cum contrito, & humili ſpiritu.Item,cap.66.2. ad quem reſpiciam niſi ad miſerum & contritũ ſpiritu, & trementem ad ſermones meos? hanc contritionẽ & humiliationem internam intelligo, videlicet cum verè tangimur ſenſu peccati, & verè humiliamur ſub potenti manu Dei, qui peccatis noſtris comminatur iram & maledictionem. Hanc verbi Dei virtutem duplici collatione oſtendit Ieremias Propheta, capit. 23.29. Nunquid verba mea quaſi ignis ait Dominus, & quaſi malleus conterens petram? Porro hæc contritio cordis & humiliatio tum demum fit ſacrificium quo Deus honore afficitur, quando fide ſeparatur à dolore mũdi qualis fuit Cain, Achitophel,Iudæ,& eadẽ aræ Chriſto imponitur, cuius merito ſanctificatur & fit accepta, vt in Dauide cernimus.Hic enim in medijs pauoribus fide ad miſericordiã cõfugit, & ſtatuit peccatũ remiſſũ propter victimã Chriſti.Hoc ſacrificij genus omnib⁹ miſeris peccatoribus qui magnitudine ſuorũ peccatorũ verè afficiuntur,vberrimã cõſolationẽ proponit.Nam cùm monet Deo gratũ eſſe cor contritũ, & humiliatũ,perinde atq; ſacrificiũ bonæ fragrantiæ, clariſſimè ſignificat & Deo gratã eſſe pœnitẽtiã noſtrã, & ſeriò pœnitentiam requirere,& quòd velit pœnitẽtes omnes in gratiã recipere.Caueamus ergo ne cũ Cain dicamus,Maior eſt iniquitas mea, quàm propiciatio.Sed potius cum Auguſtino qui ait. *Mentiris Cain: maior eſt enim miſericordia Dei, quàm omnium peccatorum miſeria.* Proinde offeramus Deo ſacrificium cordis contriti & humiliati, contriti quidem malleo legis,humiliati vero ſub potenti manu Dei,& ſtatuamus Deum verè ignoſcere omnibus pœnitentibus propter merita Chriſti.

6 Sacrificium Obedientiæ ſub cruce.

Sextum ſacrificij genus ſit obedientia in cruce & quauis afflictione externa,hæc obedientia etiam ſacrificij titulo ornatur,vt ſciamus eã Deo gratiſſimã eſſe. Vt enim obedientia Chriſti in cruce fuit ſacrificiũ Deo gratũ:ita noſtra obediẽtia in quauis afflictione Deo placet,non per ſe, ſed propter fidẽ qua ſeparatur à ſupplicijs impiorũ,imponitur aræ Chriſto,cuius contactu ſanctificatur, & fit accepta Deo. Sic Iob ſuã afflictionẽ ſeparat fide ab afflictionibus impij mũdi,& ſiſtit eã Deo per eandẽ. Atq; ſuper altare Chriſtũ eã immolat dũ Chriſti merito nititur, quod ſe feciſſe apertè teſtatur cũ inquit, cap. 19. 25. Scio ꝗ redẽptor meus viuit, quæ vox fidei eſt, qua tanquã ſale condita fuit obedientia Iob ſub cruce.

7. Sacrificium iuſtitiæ.

Septimum ſacrificium piorum ſit iuſticiæ, iuxta illud Pſal.4.6.Sacrificate ſacrificiũ iuſticiæ.Per iuſticiã autẽ intelligo vniuerſalẽ iuſticiã & particularẽ, quibus cõi incolumitati cõſulitur. Miſericordiã anteponit Domin⁹ ſacrificiis legalib⁹ cũ ait, Oſe.6.6. Miſericordiã volo & nõ ſacrificiũ.Et Epiſt. ad He. c.13.16.Beneficẽtiæ autẽ & cõmunionis nolite obliuiſci,talib⁹ enim hoſtijs Delectatur De⁹. Caſtitas Ioſeph huic generi ſubijcitur.Ioſeph enim ſuã caſtitatẽ ſeparat à caſtitate Zenocratis per fidẽ,& per eãdẽ ſiſtit eam Deo,& ſale fidei conditã ponit ſuper altare Chriſtum. Vnde & ſanctificatur,& accepta fit Deo & ornatur ingentibus præmiis.

8. Sacrificium vocationis.

Octauum locum occupat ſacrificium vocationis cuiuſque. Nam cum vocatio cuiuſque legitima exercetur gnauiter ex fide in gloriam Dei,& vtilitatem proximorum, pars iuſticiæ eſt quam Deus dignatur ſacrificii titulo. Scipio pugnat pro patria, pugnat & Dauid pro patria,ſed Dauid ſeparat ſua bella ſibi diuinitus demandata à Scipionis bello per fidem,& ſtatuit ſuos militares labores propter promiſſum Meſſiam gratos,& acceptos Deo eſſe.

Sacrificiũ peculiare miniſtris Euãgelij.

Præter enumerata ſacrificiorũ genera ꝗ ſunt omnibuus Chriſtianis cuiuſcunq; ſint ordinis & ſtat⁹ cõmunia,vnũ eſt reliquũ,miniſtris Euãgelii peculiare.

Ee. j.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

De quo Paul' ad Ro.15.15.16.&c. ſic ait, Data eſt mihi gratia vt ſim miniſter Euãgelij Chriſti apud gentes, ſacrificãs Euangeliũ Dei, vt fiat oblatio gentiũ accepta & ſanctificata per Spiritũ ſanctũ. Hic Paul' alludens ad myſteria veteris populi, quæ à ſacerdotib. Leuiticis peragebãtur, dicit ſe ἱερουργεῖν Euangeliũ Dei. Hoc eſt, ſe ſacerdotẽ in Euangelij miniſterio facit, dũ videlicet audientes Euangeliũ abducit à prophanitate mũdi, ſubijcit Deo, imponit ſuper altare Chriſtũ cuius ſanguine purificãtur, obediẽtia iuſtificãtur ſpiritu ſanctificãtur, vt eorũ oblatio ſit accepta Deo per Ieſum Chriſtũ. Cũ autẽ eadẽ ratio ſit omniũ miniſtrorum Euangelij, & idẽ ſcopus, videlicet adducere homines ad Chriſtũ relicta prophanitate mũdi vt per Spiritũ ſanctũ ſanctificentur, quò fiat illorũ oblatio ſacta, & Deo accepta per Chriſtũ, manifeſtũ eſt quòd ſacerdotes aptiſſimè dicãtur, quo titulo & ipſi admonentur de dignitate ſui miniſterij: de efficacia verbi, de fortitudine animi & cõſtãtia quæ in tã auguſto officio requiritur, & auditores vberrimam conſolationẽ accipiunt, dum intelligunt ſuam obedientiã erga Euangeliũ ornari ſacrificij titulo. Vnde quã grata ſit peccatorũ conuerſio ad Deũ facilè intelligitur.

Doctrina & admonitio ad Eccleſię paſtores.

Miniſtri Euangelij veri ſacerdotes.

Quoties ergo miniſtri Euangelij per ſanam doctrinã vel conuertunt homines infideles ad Chriſtũ, vel errantes reuocant, vel lapſos erigũt vel pertinaces cõuincunt, vel ſomnolentos & tardos excitãt, ſacerdotio Dei fungũtur, & iuſtè merẽtur dici ſacerdotes. Qui vt Leuitici ſacerdotes ſub vno ſũmo ſacerdote: ita ſub vno Chriſto, vnico placatorio noſtro ſacerdote myſteria ſacra peragũt docẽtes Euangeliũ Chriſti. Cęterũ tũ demũ digni ſunt hoc auguſto titulo cùm & doctrina ſana, & vita ſancta regnũ diaboli inuadunt, & templũ Dei extruunt. Nã non ſolùm miniſtrorũ Dei eſt voce docere, verũetiã ſanctis morib. alijs prælucere, vt tanquàm duobus luminaribus prætenſis videlicet ſinceritate doctrinæ, & innocentia morum educant homines è regno tenebrarum, in regnum lucis. Debent igitur veritatẽ Euangelij voce docere, & eandem monſtrare ſanctitate vitæ, vt foris obijciatur oculis in exemplo, quod voce tranſmittitur ad animum.

Aduerſus eos qui malis moribus deſtruunt quod ſincera doctrina ædificant.

Nam cùm rectè quidem docent, & vita non reſpondet doctrinę horribilibus peccatis ſe inuoluunt. Exponunt enim Euangelium Chriſti ludibrio hoſtium: ipſum Chriſtum derident: docentes alios ſeipſos condemnant: conſolantes alios ſeipſos deijciunt, cõminãtes occidunt, & cùm forma gregis eſſe deberent luem illis perniciosiſsimam affricant. Prætereo grauiſſimam obiurgationem quæ eſt in Pſal.50.16. qua ipſe Dominus prophanos doctores verbi grauiſſimè obiurgat. Sunt autem hæc Pſalmi verba. Impio autẽ dixit Dominus. Quare tu enarras ſtatuta mea, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum. Tu vero odiſti diſciplinam meam, & proieciſti ſermones meos retrorſum. Cogitent proinde qui hoc ſacro miniſterio funguntur, & qui ad illud aliquando vocandi ſunt, quã graues rationes ſint Deo reddituri, ſi obliti honoris quo diuinitus ornati ſunt, nõ fecerint officiũ ſuũ fideliter, ſincerè docẽdo, & ſanctè viuẽdo, & cõtrà quod ornãdi ſint olim maximis pręmijs, ſi ea ſedulitate, & pietate qua par eſt officio ſuo perfuncti fuerint iuxta illud Danielis 12.3. Qui docti fuerint fulgebũt quaſi ſplẽdor firmamẽti, & qui ad iuſticiã erudierint multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.

4 *Beati qui habitant in domo tua perpetuò laudabũt te.*

Partes quarti verſiculi.

Hic verſus tria docet. Primũ quòd Eccleſia Dei ſit felix & beata. Secundũ, quo cultu potiſſimũ Deũ celebrare debeat Eccleſia. Tertium quod Eccleſia ſit perpetua & immortalis manſura. Quod cum primo coniunctum eſt. Quoniam autem de domo Dei (quæ eſt Eccleſia) ſuprà diximus in primum verſum, nolo hîc eadem copioſius repetere.

1. De vera hominis beatitudine.

Verùm quia hic verſus proponit ſummum bonum, ad quod naturæ inſtinctu aſpirat homo (quod Philoſophi cõſtanti cõſenſu εὐδαιμονίαν vocant, theologi nunc fœlicitatem, nunc beatitudinem,) libet hîc quædam in medium adferre de vera hominis beatitudine: ad quam & primum conditus eſt, & deinde redemptus. Id quod & formatio noſtri ad imaginem Dei, & inſtauratio eiuſdem imaginis per Chriſtum manifeſtè indicat.

Cõſenſus omnium.

Etſi autem omnes conſentiunt perfectiſſimum humanæ naturæ ſtatum eius finem eſſe, quem vbi nacta fuerit perfecta & beata cenſetur: Tamen in definiendo perfectiſſimo ſtatu hominis, in quo poſita eſt eius beatitudo horribiliter erratum eſt à pleriſque philoſophorum.

Error philoſophorum.

Quarè diuerſiſsimæ & inconſtantes ſunt ea de re Philoſophorum ſententiæ: quæ omnes ſimul concident præter vnam Platonis, vbi verã beatudinis definitionem tradiderimus, & monſtrauerimus cui rei potiſſimum natus ſit homo.

Beatitudinis definitio.

Cùm miſer, & beatus opponuntur, dubitari nõ poteſt, quin is rectè & verè beatus dicatur, qui non ſolum expers eſt omnis moleſtiæ, ac doloris, vacatque metu impendentis mali cuiuſuis, verumetiam qui ita abundat bonorum copia, vt nihil deſideret amplius, certus de bonorum quibus abundat. perpetua poſſeſſione ac fruitione. Hæc definitio abſolutæ & perfectæ beatitudinis eſt: ad quam & qui tendit recto curſu beatus ob euẽtum dicitur.

Definitionis explicatio.

Solus Deus beatus eſt.

Ex hac definitione patet, quod Deus primùm verè & per ſe beatus ſit. Nam vt is per ſe expers eſt omnis miſeriæ, metúque mali vacat, ita omni bono abundat. (Eſt enim ipſe eſſentialis quædam bonitas, αὐτάρκη πρὸς εὐδαιμονίαν, vt Plato loquitur,) nec metuit mutationem vllam.

Homo beatus participatione beatitudinis Dei.

Secundo loco, quia Deus finxit hominem ad imaginem ſuam, vult eam per communicationem & participationem ſuæ beatitudinis beatum eſſe. Quemadmodum enim in præſtanti corpore forma principalis quædam, & primaria in viuenti veréque ſubſiſtenti facile eſt: ſecundum verum locum ab hac obtinet id, quod ad imitationem eius in imagine atque ſimulachro oſtenditur: Ita natura humana, quæ eſt effigies & imago ſupernæ beatitudinis, optimè habet cùm huius beatitudinis poſſeſſione fruitur: quæ ſanè non eſt caduca, volatica, temporaria, ſed conſtans, perpetua, immortalis.

Finis hominis & eius finis conditiones.

Rectè proinde definies finẽ hominis eſſe quod illum perfectum & beatum reddit. Cuius finis cõditiones plures ſunt, vt proprius ſit homini, vt toti conueniat, vt præter illum nihil deſideretur, vt expers ſit omnis moleſtiæ, vt ſit perpetuus, ne timeatur quod auferri poſſit. In hoc fine ſitam eſſe verã hominis beatitudinem ex verbo Dei, quod teſtatur hominem creatum ad imaginem Dei, & in paradiſo collocatum, manifeſtum eſt. Id quod etiam naturalis appetitus oſtendit in omnib.

Beatitudine ſumus priuati per peccatum.

Nam omnes, vt ait Cicero, beati eſſe volumus. Verùm cùm primi noſtri parentes libera ſua voluntate peccarunt, obtemperantes diabolo, excidimus in illis & cũ illis hac beatitudine. peccatũ enim, vt ait Eſaias, ca. 59.2. diuiſit inter vos & Deum veſtrum per peccatum, proinde facti ſumus è beatis extremè miſeri, atque adeo cæci, vt per nos non videamus, aut intelligamus perfectum humanæ naturæ ſtatum ad quem condita fuit. Vnde tot diſputationes cæcorum. Philoſophorum de fine bonorum omni

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

In Chriſto & per Chriſtū reddimur beati.

omnibus ætatibus extitere. Quare Deus ex imméſa ſua bonitate miſertus noſtri miſit filium ſuū, eſſentialem ſuam imaginem, vt per illum recuperemus imaginem ad quam conditi eramus. Monſtrat enim hic filius viam, qua ad beatitudinem amiſſam redire liceat, reparata imagine Dei in nobis: qua vt Iohannes loquitur, conformes Deo erimus in omni æternitate coniuncti ſummo bono nempe Deo ipſi, in quo qui extiterit abſq; omni dubio ſépiternè beat⁹ erit, id eſt abſq; omni dolore, & metu mali abūdabit bonitate & gloria quib⁹ nūquā ſpoliari poterit.

Obiectio.

Quid? an nō Domin⁹ ait? Mat. 5. 4. Beati qui lugēt. Beati qui perſecutionē patiuntur. Certè vbi luctus & perſecutio, ibi quoque moleſtia eſt, ibi boni inopia, & metus maioris mali.

Explicatio.

Diſcernendum eſt inter viam beatitudinis, & eiuſdem plenam fruitionem. Dum in terris verſamur in via ſumus, vel ſempiternæ miſeriæ, vel æternæ beatitudinis, reſuſcitatis tādem corporibus erimus vel æternùm miſeri, vel æternùm beati. Vnde vitæ noſtræ ratio vel beata vel miſera dicitur propter euentum. Quam ob cauſam nulla verior beatitudo huius vitæ eſt, quàm quæ incipit ſempiternam beatitudinem, & nulla verior miſeria, quam quæ ducit ad æternam miſeriam. Cùm igitur Chriſtus dicit, Beati qui lugēt, Beati qui perſecutionem patiuntur propter me, loquitur de ijs qui in via ſunt ad ſempiternam beatitudinē, qua olim plenè fruentur, quando regnabunt vnà cū filio Dei in cœlo, cū quo paſſi ſunt in terris. Hinc promptum eſt colligere quid ſibi velint locutiones in quibus beati prędicantur homines pij, videlicet quia in via ſunt & tendunt ad veram beatitudinem quā hic incipiunt. Vnde Dauid, Pſal. 11. 9. 1. Beati immaculati in via. Poſſunt autem docendi gratia quatuor gradus huius viæ ſtatui, de quibus ordine agemus.

Primus gradus viæ ad beatitudinē.

Primus, habere & audire verbum Dei, hoc eſt legem & Euangelium Ieſu Chriſti. Illa docemur quàm miſeri ſimus propter peccatum quod diuiſit inter nos & Deum noſtrum fontem omnis boni: Hoc quàm beati futuri ſimus, ſi verbo monſtranti Chriſtum vnicam beatitudinis viam auſcultauerimus. Sine hoc gradu nemini quantumuis ſapienti, quantumuis potenti, quantumuis nobili, quamtumuis diuiti, quantumuis delicijs & voluptatibus abundanti, licebit ſpeculam beatitudinis attingere. Cū ergo Dominus dicit, Luc. 11. 18. Beati qui audiū verbū Dei, & cuſtodiūt illud. Et Dauid, Pſ. 1. 2. Beat⁹ qui meditatur legem Domini die ac nocte, Item Pſalm. 119. 2. beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, in toto corde exquirunt eum, hunc beatitudinis gradum primum monſtrant.

Sapientiæ mundi extra Chriſtū vanitas & miſeria.

Sit ſanè magna laus Philoſophiæ & ſapientiæ huius mundi. Quid tamen eſt, ſi conferatur cum hoc verbo quod nos ducit ad ſempiternam beatitudinem? Philoſophia & ſapientia mundi quid quæſo aliud poteſt quàm vtcunque regere hanc caducā vitam, quam naturæ vocamus, quæ admodum exigua temporis dimenſione continetur? Verū ſapientia cœleſtis vitam gratiæ monſtrat, quæ eſt immortalis, & ſempiternæ beatitudinis inchoatio, hinc ergo mōſtretur & æſtimetur doctrina Eccleſiæ, quæ omnibus monſtrat viam æternæ vitæ & beatitudinis. Verū hic ratio humana impingit, cùm enim videt multas populorum nationes hoc tempore carere verbo, fingit parcarum tabulas, & ſomnijs Stoicis abripitur, vt contra verbum Dei ſtatuat Deum eſſe προσωπολήπτην, & non velle omniū ſalutē, ſed paucorū tantū. Hoc cū Paulo obijceretur, ita reſpondit. Nonne audiuerūt? atqui in omnē terrā exiuit ſonus eorū, & in fines orbis terrarū verba eorū. Euangeliū ergo ſonuit per totum orbem terrarum: quo facto teſtatus eſt Deus quòd omniū hominū ſalutem ſeriò velit. At hodie multi non habent, non audiunt Euangelium? Verum quidem hoc eſt. Sed huius rei rationem habes Matth. 21. 43. Vbi Dominus ita ait, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. . Cauſa hic exprimitur apertè; ſumma ingratitudo hominum erga Deum. Cùm enim ille ſalutem offert, iſti viciſſim miniſtris eius necem inferunt, & Chriſtum contumelia afficiunt. Quare iuſtè eos punit auferendo ingratis ſalutis medium. Non ergo nationes populorum quæ carent verbo Euangelij docebunt nos parcarum tabulas exarare, ſed potius hæc duo: Primùm, vt cogitemus maximam iram Dei eſſe in contemptores Euangelij, vnde fit, vt ſæpe ſinat verbum ſuum prorſus auferri ingratis, & illorum poſteris qui ſimul cum parentibus fouent impietatem. Alterùm, vt cautiores facti aliorum exemplo ſimus Deo grati pro ſuo Euangelio, edentes dignos Euangelio fructus, quod niſi fecerimus, ſimul & fortè grauiores ſubibimus pœnas, id quod monet parabola de vinea, Matth. 21. 41. Quomodo autem muniendi ſint animi noſtri aduerſus Stoicas imaginationes de particularitate alibi à nobis dictum eſt præſertim ad Romanos. 9. Et Epheſ. 1. Neque tamen hoc ita intelligi volo quaſi verbum ſimpliciter ſit gradus ad beatitudinem, ſed cum adiuncto, videlicet cùm verbo creditur. Niſi enim verbo audito creditur, vox Euangelij fit nobis odor mortis. Id eſt, via ad ſempiternam miſeriam, non quidem ſua natura; ſed noſtrapte culpa, & deteſtanda ingratitudine. Quod autem noticia verbi & fiducia in primo gradu coniungenda ſint indicat Dominus cùm ait, Ioann. 17. 3. Hæc eſt vita æterna, vt agnoſcant te verum Deum, & Ieſum eſſe Chriſtum quem miſiſti. Nam agnitio & notitiam ex verbo, & fiduciam conſequentem notitiam complectitur. Ideo cùm dicitur, Beati qui audiunt verbum Dei, accipiendum eſt cum conditione fidei. Cur autem ſint beati audientes verbum & credentes docet Paulus Romanor. 4. cum ex Pſalm. 32. ſic ait, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Quî ſic? Quoniam qui credunt verbo Dei offerenti gratuitam reconciliationem habent remiſſionem peccatorum. qui habent remiſſionem peccatorum ſunt iuſti. Iuſti autem viuent vel legis ſententia æternam vitam, quam hic inchoant. Viuentes æternam vitam ſunt beati. Proinde qui credunt Euangelio, ſunt beati, vt qui in recta via iam ſint, & ab beatitudinem tendant.

Secundus gradus viæ ad beatitudinē.

Secundus, per obedientiam erga Deum in via progredi, iuxta regulam verbi, & ſpiritum fidei. De hoc gradu loquitur Dauid cùm ait Pſal. 112. 1. Beatus vir qui timet Dominum, & in mandatis eius volet nimis. Item, Pſal. 119. 1. beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Et Dominus Matth. 5. 5. Beati mites, beati pacifici, beati mundo corde, beati miſericordes. Hæ locutiones non cauſas beatitudinis vt papiſtæ autumant, continent, ſed qualitates & ſtudia eorum qui iam fide facti ſunt hæredes regni Dei, deſcribunt. Ea enim fidei natura eſt, quòd nos in quibus eſt, excitet ad præſtandam Deo obedientiam. Seu, vt Paulus loquitur, ad ſeruiendū Deo per iuſtitiam, poſtquam onus peccati à nobis ſublatum eſt, & iuſti facti ſumus iuſtitia Chriſti, qui eſt impletio legis in iuſtitiam omni credenti. Perperā igitur faciūt Papiſtæ cùm non rectè cum Paulo diſtinguunt inter beneficium Chriſti proprium, & obſequium noſtrum debitum. Ita enim Paulus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ait,ad Epheſ.2.8.9.18.Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Hactenus de beneficio Chriſti proprio, ſequitur de noſtro debito officio, & eius cauſa: Ipſius enim factura ſumus creati in Chriſto Ieſu ad bona opera quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus:quid quæſo apertius dici poterit?

Tertius gradus viæ ad beatitudinem.

Tertius,ire rectà,cũ res poſtulat,per vallẽ lachrymarũ.Siquidẽ vt in actis Apoſtolicis dicitur,ca. 14. 22.Per multas afflictiones oportet intrare in regnũ Dei. Et Paulꝰ 2. Ti.3.12.Oẽs qui volũt piè viuere in Chriſto,perſecutionẽ patiẽtur.Fieri proinde nõpõt quin pij tendentes ad veram beatitudinẽ,multa incõmoda ſuſtinere cogantur.De hoc gradu loquitur Iob qui ait,cap.5.17.Beatus vir qui corripitur à Domino.Increpationẽ ergo omnipotẽtis ne reprobes, quia ipſe vulnerat & medetur,& manꝰ eius ſanabũt. Nã,vt Paulus ait,1.Cor.11.32. cũ iudicamur à Domino corripimur,ne cũ hoc mundo condẽnemur. Et Chriſtus,Mat.5.10.11.beati qui perſecutionẽ patiuntur propter iuſticiã. Beati eritis cũ conuiciati vobis fuerint homines. Cauſam ſubiũgit,Quia ſcilicet illorũ eſt regnũ cœlorũ,ad quod tendunt dum patienter ferentes crucẽ ſequũtur Chriſtũ:quę crux nequaquam eſt cauſa regnandi, ſed via tantum regni per Chriſtum.

Quartus gradus viæ ad beatitudinem.

Quartus,curſum huius vitę piè cõficere vſq; ad extremum vitæ halitum.De hoc gradu loquitur Dominus cũ ait,Mat.24.13.Qui perſeuerauerit vſq; ad finẽ,hic ſaluus erit,id eſt beatus. Et in Apocalypſi, cap.14.13.Beati qui in Domino moriuntur.Moriuntur autẽ in Domino,qui in fide,& inuocatione Domini hinc diſcedunt. Cuius fidei finis,vt Petrus ait, 1.1.9.eſt ſalus animarũ.Hinc perſpicuũ eſt ꝙ omnibꝰ ſuperioribus gradibꝰ tribuatur beatitudo cũ cõditione perſeuerantiæ vſq; ad finẽ.Ideo Paulꝰ ait, Col.1.23.Si non dimoueamini à ſpe Euãgelij. Et Dominꝰ apud Iohannẽ,cap.15.7.Si manſeritis in me,& verba mea in vobis manſerint.Et ad Heb. 3. 14. participes facti ſumus Chriſti,ſi modo perceptã fiduciã vſque ad finẽ firmã teneamus.Hi gradus ſunt viæ vitæ, & ſempiternę beatitudinis,quia continẽt nos in via ad Chriſtũ,qui via eſt vnica beatitudinis.Qui igitur rectà via ingreditur,qui rectà pergit,qui rectà cõficit die ac nocte in aduerſis,& proſperis curſũ huiꝰ vitæ ad propoſitã beatitudinẽ,beatus dicitur propter euentum,quia ad beatitudinem rectà tendit.

De beatitudine noſtra in cœlis.

Porro extinctis corporibus,animę iuſtorũ vſq; ad extremum iudiciũ recipiuntur miniſterio Angelorum in Paradiſum,vt ibi ſint cũ Chriſto beatæ, iuxta promiſſionẽ,Lu.23.43. Hodie eris mecũ in Paradiſo.Hinc votũ illud Pauli,Phil.1.23. Cupio diſſolui,& eſſe cũ Chriſto.Et vox in Apocalypſi,c.14.13. Beati qui in Domino moriũtur. Etiã dicit ſpiritus, quoniã requieſcũt à laboribus ſuis, & opera eorũ ſequuntur eos.Etſi autẽ hęc ineffabilis beatitudo animarũ eſt:tamẽ non eſt plena. Quia plena beatitudo nõ eſt partis,ſed totius humanæ naturæ,vt ſupra oſtẽdimus,qualis erit in extremo die, reſuſcitatis corporibus ob quã cauſam extremũ quoddã iudiciũ diuinitus decretũ eſt,in quo hæc plena beatitudo conferetur ſanctis.Sancti igitur quorũ corpora in puluere dormiũt,acceperũt quidem ſingulas ſtolas,ſed nõ veſtientur duplicibꝰ, donec & nos veſtiamur cũ illis.Stola prima eſt ipſa fœlicitas,& requies animarũ in Chriſto.Secũda verò erit immortalitas & gloria corporũ,quæ conformia erunt glorioſo corpori Chriſti in omni æternitate,Phil.3.21.Atq; ita demum perfectè beati erimus iuncti Deo ſummè bono perfecto amore, & reformata in nobis imagine Dei,ad quã primùm conditi ſumus, & deinde redẽpti.In hac imagine fulgebit perfecta iuſtitia, perfecta ſanctitas,perfecta libertas, perfecta ſapiẽtia,perfecta claritas & gloria.huc reſpexit Dauid cùm diceret,Pſal.17.15.Satiabor cũ euigilauero ad ſimilitudinẽ tuã.Nulla enim erit hîc in terra ſacietas. Id quod & Solomõ teſtatur cũ ait,Ec.18.Nõ ſaturatur,oculꝰ viſu, nec auris auditu impletur.Quo dicto ſignificat Solomõ,nihil ſufficere homini priuſquã ad Deũ perueniat,eo fruatur, inq; eo fœlicitas acquieſcat. Tãta eſt ſiquidẽ homini appetitio diuinitꝰ indita,vt nullũ bonũ illi ſufficiat pręter ſummũ:quod cũ nactꝰ fuerit,in eo acquieſcit ſũmè beatꝰ. Vnde perfectiſſimꝰ hominis ſtatus erit æterna beatitudo, quã hic in terris inchoamus,& in æterna vita poſſidebimus perfectam. Huc illud Proſperi dictũ,*Futura vita creditur beatè ſempiterna & ſempiternè beata,vbi eſt certa ſecuritas,ſecura trãquillas,trãquilla iucũditas,fœlix æternitas æterna fœlicitas,vbi eſt amor perfectus,timor nullus.* Hic beatitudinis ſtatus in viſione Iohãni oblatus eſt in Apocalypſi,cap.21.2.&c. Vidit enim ſanctã ciuitatẽ Ieruſalẽ tanquã ſpõſam ornatã viro ſuo Chriſto, in qua neq; luctus,neq; clamor,neq; mors erit,ſed gaudium,pax,quies,vitaq; ſempiterna,cuius muri ex lapide precioſo,ipſa aurũ mundũ, templũ eius Deus omnipotens & agnus,claritas Dei illuminat eã, & lucerna eius agnus. Non egebũt lumine lucernæ,neq; lumine ſolis,quoniã Dominꝰ Deus illuminat eos, faciẽ Dei intuebũtur,& nomẽ eius in frontib.inſcriptũ gerẽt.Hæc imago veræ beatitudinis, quã expectamus,repræſentatio eſt tenuis,nõ plena, ſed talis proponitur, vt nos magis excitet in eius deſideriũ, vtq; rectà in pietatis ſtadio curramꝰ, donec ad metã promiſſæ beatitudinis perueniamꝰ. Verè enim Paulus poſt Eſaiã ait 1.Cor.2.9.Oculus nõ vidit, nec auris audiuit,nec in cor hominis aſcenderũt,quę pręparauit Deus ijs qui diligũt ipſũ.Et 1.Co.13.12. Cernimus nunc per ſpeculũ in ænigmate, tũc autẽ facie ad faciẽ cernemus. Viuamus ergo nos ex fide. In ſpiritu ambulemus.Quæ ſurſum ſunt quæramus, ſciamus hanc vitam peregrinationem eſſe: in qua in alteram ſempiternam tendimus. Obliuiſcamur eorum quæ à tergo ſunt, ad ea verò quæ à fronte ſunt contendamus, ſcopum verſus feramur, ad palmam ſupernæ vocationis Dei per Chriſtum Ieſum. Cogitemus nullum poſſe excogitari malum peſtilentius, aut execrabilius quàm per peccatum à Deo ſeparari, perenni beatitudinis fonte ad pernicioſiſſimam conuerti miſeriam, & à dulciſſima vita in acerbiſſimam mortem.

Beatitudo noſtra in cœlis eſt.

Beatitudinis æternæ adumbratio quædã.

Doctrina & exhortatio.

Philoſophorũ errores de ſummo hominis bono refutantur.

Ex his iam promptum erit vanitatem Philoſophorum redarguere, qui ſecus quam nos hominis beatitudinem definiunt. Nam ſi vera hominis beatitudo eſt perfectiſsimus eius ſtatus, in quo nec quicquam miſeriæ eſt, aut timetur, nec quicquam boni deſideratur aut vnquam deeſſe poterit, qualis erit in æterna vita ad quam hic in terris pietate properamus, profectò omnes toto cœlo errant, qui vllis rebus huius vitæ beatitudinem,& finem hominis vltimum & proprium metiuntur, quocunque tandem magiſtro vtuntur. Nam puluis & cinis, imò nihil ſunt; ſi conferuntur ad eum magiſtrum nempe Deum,in cuius ſolius verba nos iurauimus.

1. Epicurus ſummũ bonũ in corporũ voluptate cõſtituẽs refellitur.

Epicurus, Dux Epicureorum iucundiſſima vita finem metitur. Supremum enim bonum ſolam voluptatem corporis, quæ in delicijs cibi & potus

potus,& rebus venereis ſita eſt, docuit. Sed quibus vſus eſt magiſtris Epicurus?Pecoribus. Voluptatẽ enim ideo aſſeruit ſummũ bonũ,ꝙ eam vnam beſtiæ expeterent & ſequerentur. Sed Epicurus nec acutè ſatis aut recte vſus eſt magiſterio beſtiarum,quẽadmodum eſt à Stoicis reprehenſus,neq.enim voluptatem primùm expetunt beluæ,ſed ſui conſeruationẽ. Hinc voluptatẽ veluti rationi conſentaneam. Quã autẽ indignum ſit homine impurũ hoc Epicuri dogma nemo non videt, qui vel cõmuni ſenſu præditus eſt. Quid enim quæſo eſt ꝙ æquè & vigorẽ mentis debilitet, & robur corporis infringat, vt voluptas corporis naturæ leges excedens? Quippe vires oẽs corporis & mentis opere,& labore vegetãtur.Ocio autẽ & deliciis voluptatis langueſcunt.Vt rectiſsimè ſit dictũ à quodã, voluptatem coporis nihil aliud eſſe,quã dulcẽ perniciẽ carnis ſequi.Siquidẽ voluptati naturaliter coniunctus eſt dolor.Corruptionis enim,quę quidẽ eſt dolor,voluptas quæ ſenſibus percipitur,eſt cauſa.Vnde Cicero & Solomon eã iuſtiſſimè meretrici cõparant. Cicero enim voluptatẽ in conſilio virtutũ eſſe perſimilem ait meretrici in cœtu matronarũ,blanditiis enim ſuis perniciem homini adfert.Solomõ Pro.5.3.Fauus diſtillãs labia meretricis,nouiſſima autem eius amara ſunt ſicut abſynthiũ.Nam vt apes primo mel perfundunt, & protinus aculeo pungunt: ita voluptas corporis, (cuius modos tres faciunt Epicurei,Delicatè comedere,ſuauiter bibere & rem veneream exercere.Reliqua autẽ quæ his ſeruiunt,vt quæ vel oculos, vel aures demulceant,vel corpus irritent quouis modo ad voluptatis vſum vocant προσθήκας) præ ſe fert ſpeciẽ boni,dum ſuis animum titillat illecebris. Sed demũ pœnitudinem grauiſſimã adfert. Nam non ſolum verbum Dei voluptatẽ corporis dãnat,vt pernicioſiſſimã homini:verumetiã ſaniores philoſophi.Antiſtenes enim voluptatẽ corporis ſummum malũ appellauit.Critolaus peripateticus non modo ſummũ malum:ſed multorum inſuper aliorum malorũ cauſam & originẽ dictitabat.Architas Tarentinus,referente Cicerone, dicit nullam capitaliorem peſtem quam voluptatem corporis à natura datam eſſe hominibus.Voluptas enim impedit conſilium,rationi inimica,& mentis perſtringit oculos. Nec habet vllum cum virtute commercium.Ariſtoteles voluptatem corporis magis,conuenire pecudi, quam homini dicebat.Rationes omnes quas habet familia Epicuri pro ſtabilienda hominis beatitudine in voluptate inſulſæ & ridiculæ ſunt iis,qui norunt ex iis quę perficiunt naturam,non ex iis quæ deſtruunt, naturæ finem & ſtatum perfectum ſpectandum eſſe.Remittamus ergo Epicurum ad porcos ſuos magiſtros,ſeu ad procos Penelopes,à quibus ſuam Philoſophiam didiciſſe videtur, & meminerimus dicti Syracidæ: Qui voluptatibus reſiſtit coronat vitã ſuam.

Pindari opinio refutatur.

Pindarus Dux Lyricorũ ſuis principibus adulatus ita definit beatitudinem hominis.Sciat ſe nactũ eſſe à Deo beatitudinem qui habet cum diuitiis gloriã. Nam homini non conceditur aliã ſpeculam pedib. attingere.Sed cum diuitiæ res externæ ſint,& gloria vana,& mutationib. ſubinde obnoxia, quem quæſo poterunt beatum efficere? præſertim cùm miſer ſit omnis qui metuit vllum malum.

Simonides refutatur.

Simonides Poëta ait optimũ eſſe homini vt bene valeat.Proximũ vt bona ſit forma.Tertiũ vt ſine dolo ſit diues.Hic etiam ſenſuũ potius quã rationis rectæ magiſterio eſt vſus.Quod autẽ talis nõ ſit beatus,vel ex eo manifeſtum eſt,ꝙ obnoxius ſit fortunę viciſſitudini,quam & timet.

Ariſtoteles Dux Peripateticorum vſus eſt populo magiſtro,magno erroris Patrono, & peruerſo veri interprete.Hic quidẽ rectè cum Stoicis fœdã voluptatẽ Epicuri reiecit,tanquã pecudi magis quã homini congruentẽ:Sed duo alia bonorũ genera quærit cum ſanioribus è vulgo:in quibus non ſine errore collocat beatitudinẽ hominis. Vnũ ciuile vocat, alterum cõtemplationis. His addit trìa genera bonorum tanquam συμφέροντα, videlicet animi, corporis,& externa. His verò indigere ait vtrumq; videlicet ciuilem & contemplantem,ſed magis ciuilẽ, contẽplantem verò minus. Deinde collocat beatitudinem,ciuilis quidẽ in virtute, contẽplantis verò in contemplatione.Hoc eſt in actione mentis celſiſſima:ſed vtrãq. proſperis rebus ornari & augeri,aduerſis obſcurari,& diminui,& ſæpe etiam tolli.Hãc Ariſtotelis opinionem maximis argumentis Stoici agitarunt, & quod bona nominaret quæ non eſſent talia, & quod externa momẽti aliquid adferrent ad beatitudinem,præſertim cum ipſe perfectionem illius in animo collocaſſet, quod ſi illic eſt perfecta, non poterunt res externæ illam mutare,quæ ad animum non pertingent. Sed ipſe animus prout de rebus externis ſtatuerit.Quid multis? Cùm Ariſtotelica beatitudo contraria eſt pietati noſtræ,atq. adeò rectæ rationi,quis eam vt veram recipiat?Quæ,quęſo,virtus perfecta ſine pietate?Quę contẽplatio non erronea ſine luce verbi cœleſtis? quæ bona fortunæ non ſunt momentanea & incerta?Profecto ſi amitti beata vita,vt rectè Cicero ait,poteſt,beata eſſe nõ poteſt.Qui ſemper metuit mutationem, expers doloris non eſt.Viderit ergo Ariſtoteles qualis ſit beatitudo quam ſuo ciuili & contẽplanti pollicetur. Taceo quod longè aliud ſit finis naturæ humanæ, quàm functionis homini ad tempus impoſitæ.

2. Ariſtoteles,ſummũ bonũ in actione ciuili & contẽplante cõſtituens refellitur

In libro Iob, variis locis, quinq; numerantur in quibus ſapientes huius mundi ſummã beatitudinẽ collocant:videlicet in liberorum multitudine,in opum abundantia,in bona corporis valetudine,in ædificiorum magnificẽtia: & in nominis celebritate. Hæc ſi ſimul coniunguntur,beatũ putantur hominẽ reddere.Sed quia qui his abundant,inter ſpẽ & metũ ſuſpenſi ſunt,verè ſunt miſerrimi. Sẽper enim timent ne quid amari accedat & mutetur fortunæ facies,quare miſera eſt,vt ita dicã, illorum beatitudo, quæ tot caſibus obnoxia eſt, & cuius finis eſt ſempiterna miſeria, quemadmodum docet pſal. 37. & 73. Horũ omnium vanitatẽ vel hoc vnico argumento euertere licebit. Nihil eſt tam magnũ, tã cumulatũ in hac vita, quod ſufficiat ei qui amplius requirit, iuxta illud Senecæ, Fortuna multis nimium dedit, nemini ſatis.Immerge te voluptatibus, abunda deliciis,vince Sardanapalum,ſupera Epicurum, aliud quiddam flagitabit animus impurus. Congere quãtum vis opũ. Vince Crœſos,ſupera Craſſos, aliquid adhuc deſiderabit animus tuus.Quantumuis profer imperij metas, vt vel vniuerſum orbem ſubegeris, alius quæretur orbis quem ſuperes.In cæteris omnibus aut non aſſequimur quantũ volumus,ꝙ immẽſæ ſint cupiditates:aut pœnitet aſſecutos: & vt plurimum fortunam blandam excipit vel aliquis triſtis caſus,vel conſcientia mordax. Nec quicquam tam fortunatum eſt in hac vita,quin ei multum mali & amari ſit admixtum vt veriſſime dixerit Pindarus, ἓν παρ' ἐσθλὸν πήματα σὺν δύο,id eſt,vnum bonũ cũ adeſt,duo incommoda habet coniuncta.Et Apuleius in floridis,Vbi vber,ibi tuber.

Socrates,quẽ ſuperioribus omnibus Philoſophis præferendũ iudico,non pecudes, nõ populũ ſtultũ, nõ Crœſos,nec vllos qui in hac vita videntur fortunati ſed ipſã naturã ſecutus ducẽ,nõ in hac vita collocãdã eſſe hominis beatitudinẽ,ſed in altera ſtatuit argumẽ

3. Platonicorum ſententia de ſũmo bono.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

to vſus. Naturalis appetitus,cui deſtinatur cognitio non eſt vanus. Omnes autem homines naturaliter beatitudinem expetunt.Igitur hic appetitus non eſt vanus.Verùm nulli hanc beatitudinem aſſequuntur in hac vita. Nihil enim in hac vita hominem perfectũ reddit.alibi eſt igitur quærenda.Hactenus rectiſ.imè Socrates:ex cuius ſententia Plato diſcipulus eius nunc contemplationem optimi, vt viam ad beatitudinem: nunc amorem & imitationem Dei finem hominis facit & ſummum bonum, vt in quo ſumma hominis beatitudo conſiſtat. Tametſi autẽ proximè ad veritatem accedunt Socrates & Plato:tamen quia ſcintillula illa veritatis ſæpe opinionibus & diſputationibus obruitur,vt veluti in cœnum ſubmerſa eſſe videatur:nos agnoſcamus ingens Dei beneficium,qui verbo ſuo nobis viam monſtrat,tum ad notitiam veræ beatitudinis, tum ad eius perpetuam poſſeſſionem & fruitionem.Verbum enim Dei monſtrat nobis vnicũ illud margaritum,ſummum illud bonum in quo humanus acquieſcit animus:cuius dulcedinem qui ſemel guſtarit,(deguſtatur enim & in hac vita,etiamſi non ad plenũ,) is protinus omnia iſta faſtidit, quæ miſerum vulgus & potentes mundi tantopere mirantur. Verum vt ad huius boni tutiſſimã fruitionem perueniatur,id ſola pietas,cuius gradus ſuprà aſſignauimus,præſtãt:quæ nos mirè Deo copulat,& ita copulat,vt vnum efficiamur cum eo,illi victuri cõformes in omni ęternitate.In qua vita ſuprà oſtẽdimus ſummam hominis beatitudinẽ poſitam eſſe. Contra malos & incredulos impietas ipſa à Deo ſegregat,vt à ſummo bono alienati Diaboli mẽbris aggregentur.Breuiter, vt beatus eſt populus cuius Dominus Deus eius eſt: ita miſerrimus eſt qui ſine Deo eſt,etiamſi fortuna videatur ipſum in ſinu fouere. Nam quò blandior eſt fortuna, eò fallacior,& quem nimium fouet ſtultum facit.

Hæc poſtquàm de beatitudine diximus, redeamus ad pſalmi verba. *Beati*,inquit,*qui habitant in domo tua*. Sed quare beati? Quia inceperunt ſempiternam illam beatitudinem ad quam tendunt,& ad quam primum creati,& deinde redempti ſunt.

Quinam ii ſunt qui habitant in domo Dei.

Sed quinam habitant in domo Dei?Per peccatum excluſi ſumus omnes domo Dei cum parentibus noſtris Adam & Eua:ſed fide promiſſionis rurſus in eam introducimur,vocati per vocem Euangelij, & eius poſſeſſio nobis ſacramentis tãquàm ſigillis diuinis obſignatur,donec nos in fœdere perſtamus, id eſt in fide & obedientia erga Deum.Et quia magna eſt imbecillitas noſtra, vnde fit vt vel ſepties in die iuſtus cadat, diſcernẽdũ eſt inter ea peccata quę nos nõ excludũt de domo Dei,&ea quę nos expellũt & ſeparãt à familia Dei, Satanæque regno ſubiiciũt.Multæ ſunt infirmitates in ſãctis:multi oriũtur praui affectus: ſæpe delinquunt ignorãtia: ſed donec retinent fidem & bonam conſcientiã manent in domo,non vt domeſtici Dei tantum, ſed etiam vt lapides viui ex quibus domus extructa eſt.At cùm peccant volentes & ſcientes, vaſtant conſcientiam,& faciunt naufragium fidei, atque adeo eiiciũtur à familia Dei ſpirituali, donec redeãt per pœnitentiã. Nam tanta eſt bonitas Dei & miſericordia, quòd pœnitẽtib.omnib. ſemper pateat hæc Dei domus.

II. De cultu Dei.

Quoniam autem hæc domus Dei, eſt templum in quo Deus coli vult,ideo Dauid nominat præcipuũ cultũ cùm ait,*Perpetuò laudabunt te*.Vt autem hæc laus Dei fundamentũ habet bonitatẽ & miſericordiam Dei iuxta dictũ Pſalmi.118.1.Confitemini Domino quoniã bonus,quoniã in æternum miſericordia eius. (Bonitati & miſericordiæ ſubiiciuntur omnia opera,omnia beneficia,omnéſq.promiſſiones Dei,vt ex Pſal.136.colligere promptum eſt. Ita cõſiſtit in vera noticia Dei,in cogitatione mirabiliũ Dei, in firma fiducia promiſſionum diuinarum, in vera obedientia,in inuocatione,in prædicatione bonitatis & miſericordiæ Dei,in confeſſione, &c. Non ergo laus Deo præſtari poteſt,niſi ab habitatoribus domus ipſius, id eſt verè piis, quorum laus ſola Deo grata & iucunda eſt:cuius aures nõ ad os, vt Auguſtinus loquitur,ſed ad cor,nõ ad linguam,ſed ad vitã laudatoris patẽt. Proinde nequaquàm laudatur Deus ab impiis, quia aliud ſonat lingua, aliud indicat vita:nec ab hypocritis,quia facies animi,vt ita dicã, cœno quodã abominabili propriæ laudis fœdata eſt,& ſub prætextu laudis Dei propriã laudẽ quærunt: nec à mercenariis,qui ventrem ſuũ potius quàm Deũ laudãt.Sed tantùm ab iis qui ex fide viuunt,quorũ omnes cogitationes & actiones bonæ,ſunt laudes Dei.Vnde Auguſtinus. *Quicquid egeris,bene age,& laudaſti Deum.*

Quo ſenſu res creatæ dicũtur laudare Deum.

Quod autẽ opera Dei,Sol, Luna, ſtellæ, piſces maris, fulgura,&tonitrua dicũtur laudare Deũ,metonymia eſt, quia homines ad laudandũ Deũ excitant ſua pulchritudine,& multiplici vtilitate quã inde percipiunt homines. Quod cymbalis, tympanis, & varia muſica laudabatur Deus in veteri teſtamento, vt ſæpe in pſalmis videre eſt, ſymbolicũ fuit. Nã concentu dulci & harmonia ſonorũ doctrina ſincera,& moribus piis laudatũ eſſe Deũ in nouo teſtamento adũbrat.Organa & muſica in tẽplis Chriſtianorũ retineantur,quatenus ornant & iuuant miniſteriũ,& non impediunt:Sed his detrahatur Iudaica perſuaſio de opinione cultus.Idẽ iudiciũ eſto de cãtionib.Pſalmorũ & lectionib. aliis in templis. Porro cùm Pſalmus dicit,*Perpetuò*, ſignificat Eccleſiã perpetuò manſurã: ita tamen vt ex hac vita transferatur ad immortalitatis gloriã, & iungatur ſummo bono,in quo etiã beata erit in omni æternitate.Atq.hic eſt finis religionis noſtræ,quę ſola reſtituit nos perfectioni & beatitudini; vltra quam nihil deſiderabimus: quandoquidem hoc demum eſt perfici & beari,vnumquodque finem cui conditum eſt nanciſci,& in eodem quieſcere,optiméque habere.

Inſtrumẽta muſica & cantiones quare in tẽplis retinere liceat.

Vſus doctrinæ quartus articuli.

Vſus proinde huius verſus erit triplex. *Primus*,vt Deũ patrẽ in Chriſto Ieſu per ſpiritũ S. ex verbo cœleſti cognoſcere ſtudeamus,vt in eius domũ per fidẽ nos includamus,atq.in ea maneamus:vt Deũ quẽ nouimus & in quẽ credimus corde & opere laudemus,laudatũ amemus, amatũ exprimamus,atq.imitemur,atq. imitãtes eodẽ fruamur,vt fruentes immortali beatitudine potiamur:vt denique immortales & beati effecti, in ſummo bono perpetuo acquieſcamus, canẽtes Deo cũ omnib.electis ipſius, perpetuos hymnos. Hæc æterni Dei ſẽpiterna celebratio coniunctã habebit puriſſimã,ſanctiſſimam, & dulciſſimã voluptatẽ.Iuxta Pſalmi 14.7.dictũ:exultabit Iacob, & lętabitur Iſrael.Et Pſal. 16.11. Delectationes ad dexterã tuã in perpetuũ. *Secundus*, vt ſumamus hinc conſolationem in quauis cruce & afflictiõe,ex eo quod & in domo Dei ſimus,& quod beati Spiritus ſancti teſtimonio pronũciemur:quantũuis videamur mundo extremè miſeri. Nã nocte præterita ſequetur clara lucis reuelatio. Beatitudinis proinde promiſſio ſit nobis remedij loco aduerſus acerbitatẽ crucis.*Tertius*,quòd qui extra hãc domũ Dei ſunt, quantumuis abundãt,pulcherrima liberorũ multitudine, diuitiarũ copia,externa pace,fœlici rerũ ſucceſſu,atque adeo humanis oculis videantur beatiſſimi, tamẽ ſummè miſeri ſunt,vt qui recta properent ad ſempiternam miſeriam.Vnde nec Epicurus,nec Zeno,nec Ariſtoteles ſuam vindicabit familiam, quam vana beatitudinis ſpe miſerrimè lactauerunt.

DE SECVNDA PARTE PSALMI.

Summa.

SEcunda pars Pſalmi quę abſoluitur tribus verſibus,videlicet 5.6.& 7.deſcribit conditionẽ doctorũ Eccleſię. Sunt autem ſex membra huius deſcriptionis. *Primum*,de fortitudine & armis quib. munitos eſſe decet doctores Eccleſiæ. *Secundum*,quo animo & ſtudio par ſit miniſteriũ Eccleſię accedere. *Tertium*,quod per vallem lachrymarum ſint tranſituri in propagando & dilatando regno Dei. *Quartum*, allegorica pictura miniſtrorum verbi. *Quintum*,promiſſio benedictionis, & ſucceſſus in miniſterio.*Sextum*,cauſa finalis huius ſucceſſus. Vt appareat quod miniſterium verbi,præſentia & potentia Dei in Eccleſia conſeruetur.

Partes ſeu membra.

5 *Beatus vir cui tu Fortitudo es.*

1. De fortitudine & armis quibus munitos eſſe decet doctores Eccleſiæ.

Hoc primum deſcriptionis membrum doctores Eccleſię aduerſus regnum diaboli & omnes inferorum portas armat.Cuius rei perſpicuum exemplum in Apoſtolis cernitur,quos Chriſtus miſit in mundum prædicatum Euangelium. Miſit enim infantes ad diſertiſſimos & eloquentiſſimos,ſimplices ad aſtutos, inermes ad armatos,imbelles ad bellicoſos,inopes ad imperium populi Romani,& populos alios ditiſsimos, placidos ad rabioſiſſimos hoſtes: tamen hi ſuperiores euadunt, & regnum Chriſti latiſſimè

atiſſimè extendunt,adeò quod in omnem terram breui tempore exierit ſonus eorum in fines terrarum. Sed vnde hoc tantum robur? A Deo ipſo,qui ſemper in miniſterio verbi efficax eſt. Potentia enim Dei armati pugnam cum mundo ingreſſi ſunt,vnde Paulus,2.Corin.10.4. Arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed Dei poteſtate valida, dum ratiocinationes euertimus,omnéq; ſublimitaté quę extollitur aduerſus cognitioné Dei, & captiuã ducimus omné cogitationé ad obediédũ Chriſto. Hac fortitudine muniti miniſtri Euangelii præualent portis inferorũ. Quã ob cauſam beati pronunciantur propter infallibilé beatitudinis ſpé,quã & ipſi habent,& mõſtrant aliis. Hanc fortitudiné Deus õnibus téporibus confert miniſtris Eccleſiæ. Hanc Dominus cõtulit diſcipulis cũ ait,Ioã.20.22.&c. Accipite Spiritum ſanct. quorũcunq; remiſeritis peccata, remittuntur eis,& quorũcunq. retinueritis,retenta ſunt. Eſt ptoinde Spiritus ſanct. fortitudo illa,qua miniſtri verbi muniti audent ſe opponere portis inferorum. Hoc ſpiritus Dei robur,& animos doctorũ reddit confidentes,& verbo efficacitaté tribuit,vt efficax ſit in cordibus audiétium Euangelium. Teſtatur etiam hoc ſpiritus robur doctrinam Eccleſiæ non cõmentitiã eſſe, ſed verè diuinam. Eſt enim ingens miraculum,quod totus mundus,& potétiſſimum illud imperium Romanum non potuerint pauciſſimos illos Domini diſcipulos impedire, quin ſparſerint ſemen Euangelij per orbé terrarum. Martinus Lutherus,ſanctiſſimę memoriæ,annos 45. hoc ſpiritus robore armatus imperio Romano & toti regno Antichriſti ſe oppoſuit:& tametſi ſolus fuit Lutherus in principio, & habuit tam potentes hoſtes,quorum anteſignanus fuit Dux tenebrarũ diabolus,tamen ita præualuit ꝙ ne pilũ quidé capitis ipſius tota potentia diaboli, & rabies Antichriſti attingere potuerit. Tanta eſt fortitudo qua Dominus ſuos armat miniſtros.

De efficacia Spiritus in miniſterio & miniſtris.

Quid? An oés miniſtri Euangelij habent Spiritum ſanctum? An nõ (proh dolor) multorũ vita partim ambitioſa eſt,partim flagitioſa? Quid Spiritus ſanct. habet cõmune cum ambitione & flagitiis? Diſcernendum eſt inter miniſterium ipſum,& miniſtros qui miniſterio funguntur. In miniſterio ſemper efficaciter adeſt Spiritus ſanctus. Siquidé ꝙ in pane eſt vis qua alimur, hoc in verbo eſt Spiritus ſanct. quo mouemur ad credendũ,quóq. renaſcimur. Ita enim decreuit pater cœleſtis ꝙ velit cũ verbo & in verbo præſenté & efficacé eſſe ſpiritum filii. Hinc eſt ꝙ miniſtri noui teſtamenti ab Apoſtolo dicantur miniſtri non literæ ſed ſpiritus. 2.Cor.3.6. Quicunq. ergo reſiſtit verbo Euãgelij,à quocũq. tãdé ꝑdicatur ſiue digno ſiue indigno, Spiritui ſancto reſiſtit. Non .n. pendet tãta res vel à dignitate,vel ab indignitate miniſtrorũ. Prædicat Iudas,prædicat & Petrus, baptizat vterq. Sed verbum & baptiſmus Chriſti ſunt,in quibus ſpiritus ipſius eſt efficax. Poteſt & hoc modo reſponderi ad quæſtioné,ꝙ oés præcones verbi rectè docentes Euangelium habeant Spiritum ſanctũ, ſed diuerſimodè. Nã quorum vita reſpondet doctrinæ habent ſpiritum vt doctoré & ſanctificatoré ſimul. At ſi vita doctrinæ non reſponderit,habent quidé Spiritum ſanct. vt doctoré,& non vt ſanctificatorem: idq. culpa propria qui Spiritui ſancto cõtumaciter reſiſtunt. Moſes ſanctiſſimus habuit Spiritum ſanctum vt vaticinatoré & ſanctificatoré ſimul. Quia quéadmodum vaticinia ipſius fuere veriſſima,ita vita eius erat ſanctiſſima. Balaã auté habuit ſpiritum vaticinantem & docenté, qui verè fuit Spiritus ſanctus. Sed non habuit Spiritum ſanctificantem. Nã ambitioſus & auarus fuit,qui propterea ab aſina,in qua ſedebat,eſt reprehenſus. Petrus habuit Spiritum ſanctũ & docenté & ſanctificanté,quia vita eius congruebat cum ſinceritate doctrinæ. At Iudas,quia auarus & fur fuit,habuit quidé Spiritũ ſanctum vt doctoré,non auté vt ſanctificatoré. Quia ſpiritui auaritiæ,id eſt Satanæ magis obediuit quã ſpiritui Dei. Porro quantum ad ſpiritũ docenté attinet ſciendũ eſt,ꝙ vt duplex eſt vocatio,videlicet immediata & mediata: Ita duplex eſt probatio ſpiritus docétis. Nã ſi vocatio eſt immediata,hoc eſt per ipſum Deũ,& Ieſum Chriſtũ, & nõ per homines ordinario more, qualis fuit Prophetarũ & Apoſtolorũ,ſpiritus docens abſq. õni dubio eſt ipſe ſpiritus ſanct⁹,qui cũ verax ſit,eius doctrina etiam vera,firma & diuina eſt, vt cui nulli errores ſint admixti. Habet etiã miracula diuina quibus doctrinę veritas obſignatur. At ſi vocatio eſt mediata,probãdi ſunt ſpiritus,nũ à Deo ſint,& tantiſper agnoſcendus eſt Spiritus ſanctus docere,donec à voce Euãgelij,à Prophetis, Chriſto & Apoſtolis tradita,non diſceditur. Anathema ſit igitur nobis oportet q aliud Euãgeliũ prædicat,quã ꝙ Apoſtoli ex mandato Chriſti prædicauerunt,& habet teſtimoniũ à Prophetis. Proinde fruſtra prætenditur autoritas Spiritus ſancti,vbi à voce Euangelii fit defectio.

Exempla.

Duplex probatio

II. Quo animo accedere debeamus ad miniſteriũ Eccleſiæ.

Et in corde eius ſemitæ tuæ. Hoc ſecundũ deſcriptionis membrũ de animo & ſtudio miniſtrorũ Euangelij,ad cognitioné doctrinę cœleſtis,ad ſenſum eiuſdé in corde,& ad directioné ſeu regulã, qua præcones verbi populũ ſibi cõmiſſum regãt,refertur. Primùm igitur requiritur in doctoribus Eccleſię cognitio doctrinę cœleſtis. Quæ doctrina ideo ſemita ſeu via Dei dicitur, quia homini eſt tãquã via à Deo ſtrata, & mõſtrata qua itur à morte ad vitã, ab hui⁹ mũdi ęrũnis ad beatã immortalitaté. In ꝑceptis meis, ait Dominus apud Prophetã ambulate. Ité,pſal.119.1. Beati qui ambulant in lege Domini. Porro cognitio huius vię, id eſt cœleſtis doctrinæ, aliàs infunditur occulto afflatu, & ſecreta quadã inſpiratione diuinitus ſine hominis labore & cura,vt in prophetis & Apoſtolis videre eſt. Aliâs acquiritur labore & cura hominis,huius laboris duę ſunt partes,quarũ prima & præcipua eſt ardens & aſſidua Dei inuocatio,vt ipſe dirigat nos in ſua veritate, ipſe doceat nos, ipſe illuminet oculos métis noſtræ,niſi enim Dominus ędificauerit domũ,in vanũ laborant qui ædificant eã. Secunda pars eſt acre doctrinæ cœleſtis ſtudiũ,ad ꝙ ſtudiũ vt rectè inſtituantur homines ſex ordine requirũtur, de quibus breuiter dicemus.

Duplex ratio cognitionis Semitarũ Dei.

Sex requiruntur in doctrinæ cæleſtis ſtudio.

Primũ, Lectio ſcripturæ aſſidua, ad quã requiritur linguarũ,quib⁹ ſcriptura nobis tradita eſt,cognitio: ſine qua nec genus ſermonis,nec phraſes intelligi poſſunt. Reqritur dialectica, vt ordo & ſeries rerum percipiatur. Reqritur & aliarũ artiũ cognitio,& præcipuè phyſices. Hoc aſſiduæ lectionis ſtudiũ cõmendat Paulus Timotheo, cũ ait, Attende lectioni.

Lectio ſcripturæ

Secundum, Præcipuorũ doctrinę cœleſtis capitũ notatio & ordinatio,ſine qua lectionis labor parũ admodũ prodeſt. Siquidé vt in omnib. diſciplinis & artibus neceſſaria eſt hæc cura ad ſolidam cognitionem: Ita etiam in ſacra ſcriptura parum admodum promouebit qui præcipua religionis capita non obſeruat,atque omnia quæ legit tanquam ad proprias claſſes vocat.

Loci cõmunes theologici.

Tertium eſt axiomatum & ſententiarum communiũ obſeruatio,quæ ſunt vt regulæ & theſes,ex quibus ſumetur iudicium cùm de rebus dubiis quæritur, quéadmodũ rhetores iudiciũ de hypotheſib. & cauſis quærunt ex theſibus,quas ideo conſultationes vocant. Huc facit etiam exemplorum obſeruatio, ex quibus ſæpiſſime petuntur rerum controuerſarum determinationes.

Axiomata & exẽpla.

Quartum, Firma ſuperiorum omnium apud animum conſeruatio,vt cũ opus ſit, ex theſauro memoriæ depromi poſſint.

Memoria

Quintum, θεωρία qua veluti vno métis intuitu vniuerſam ſcripturã cõtéplamur. Hac cóferimus ſimilia & diſſimilia. Hac ἀντιλογίας cõciliamus. Hac definitiones,hac diuiſiones,diſtinctiões,interpretationes obſcurorũ dictorũ rimamur,atq. adeo σύστημα corporis doctrinæ cõponimus.

Meditatio.

Sextum, παράδοσις, id eſt traditio maiorum. Hæc indicat quid ſancti patres de qualibet re ſenſerint. Hęc παράδοσις ſi demonſtrata fuerit ex verbo Dei, autoritaté & pódus ex verbo habet. Ideo amplectimur firma fide ſymbola, Nicenũ, Athanaſianũ, Ambroſianũ,& ꝙ dicitur Apoſtolicũ,qa ſunt euidentes demõſtrationes ex verbo Dei. Verũ ſi demonſtrata non fuerit traditio,tunc eſt vel contra verbum & eã deteſtabimur tanquàm ſerpentis vocem quę Euam ſeduxit. Vel eſt præter verbũ,& eã recipimus propter autoritaté eorũ qui ita tradiderunt, donec ab hoſtib. veræ doctrinæ trahatur in malam conſequentiam.

Patrum lectio.

Cũ hac cognitione cœleſtis doctrinę cõiũctus eſſe debet,vt in omnibus,ita & in miniſtris Euangelij, ſenſus viuus in corde. Sine quo doctrina nihil planè prodeſt: ſed obeſt magis: idque hominis vicio, hic viuus ſenſus eſt fidei,& aliorum motuũ congruentiũ cum lege Dei, quos excitat Spirit⁹ ſanct. in credẽtib. Et dicitur hic ſenſus ſe-

Cõſcientia pura ſcientiã ſalutis comitetur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mita Dei,quia vt Deus illum poſtulat, ita nos Deū per eundem accedimus,eiq; iungimur. Hęc proinde duo, hoc eſt cognitionem & ſenſum ſimul requirit Paulus cū ita ſcribit Philippēſib.cap.1.9. Illud oro, vt charitas veſtra magis ac magis abūdet in cognitione omníque ſenſu,vt probetis vtiliora,vt ſitis ſinceri & ἀπρόσκοποι in diē Ieſu Chriſti, pleni fructibus iuſtitiæ per Ieſum Chriſtū ad gloriā & laudē Dei. Finis proinde cognitionis eſt vt iudicemus, exploremus,& approbemus quæ ſunt vtiliora, & præſtantiora. Senſui ſubiicitur ſinceritas quæ eſt bona conſcientia corā Deo,innocentia vitæ, ne ſimus vlli offendiculo,& plenitudo fructuum iuſtitiæ fidei, qui proficiſcuntur ex gratia Ieſu Chriſti, & tendunt in laudē & gloriā Dei. Si hic viuus ſenſus cum cognitione doctrinæ cœleſtis in doctorib. Eccleſiæ non fuerit,nihil illis in mundo triſtius eſſe poteſt. Nam cùm accuſant aliorū peccata,ſeipſos cōdēnāt. Cùm alios conſolatione erigunt, ſe ipſos deiiciunt:cùm alios monēt, ſeipſos cōfundunt. Breuiter quicquid in miniſterio ſibi cōmiſſo faciunt,propriā dānationē obſignant. Sūt enim perſimiles fabris arcæ Noë. Nā vt illi, extructa arca in qua Noë cū familia ſeruatus eſt,in diluuio perierūt:ita hi ſeruatis illis qui verbo ab ipſis prædicato crediderūt,peribūt in diluuio ignis gehēnnæ. Cogitēt igitur cùm qui ſunt in miniſterio,tū qui ad illud aſpirāt,quàm grauis pœna illis immineat,ſi ſenſus in corde & vita doctrinę nō reſponderit:& contrà quanta gloria illis propoſita ſit,ſi vtraque manu,hoc eſt doctrina & exēplo Eccleſiam Chriſti ædificant,de qua gloria poſtea dicetur.

Adu. paſtores qui flagitioſè viuunt.

Simile.

Debent præterea doctores Eccleſiæ hominibus errātibus ſemitas Domini monſtrare, quā ob cauſā duces gregis in ſcripturis dicuntur, vt præeūtes doctrina & vita,viā parent,& alios ad ſequēdū animēt. Ideo apud Eſaiā dicitur,viā facite populo meo,calcate,calcate ſemitā,lapides colligite ex lapide,exaltate ſignū ad populos. Sciāt ꝓinde p̄cones verbi, ꝙ vt alios bonæ vitæ exēplo, & ſincera doctrina antecedere debeāt:Ita oporteat eos primos periclitari:vnde ſeqtur in pſal. *Qui trāſit per Vallē lacrymarū.* Hoc tertiū deſcriptionis mēbrū cōmonefacit p̄cones verbi de periculo & difficultate in miniſterio. Nā eos trāſituros eſſe affirmat per vallē lachrymarū,hoc eſt ꝓpagaturos regnū Dei nō ſine maximis ꝑſecutiōib. Nā ea rabies eſt diaboli & mēbrorū eiꝰ,vt toto impetu ferātur in pios verbi miniſtros,vt flumine ſanguinis eorū curſum Euang.impediāt,atq; adeò Eccleſ.aboleant: ſed ſpe ſua fruſtrabūtur. Fortior.n.eſt q̄ à parte miniſtrorū verbi ſtat,q̄ oēs inferorū portę. Si Deus,ait Apoſtolꝰ,Rō.8.30.ꝓ nobis,q̄s cōtra nos? Porro hāc allegoricā locutionē ſūpſit Dauid ab occaſione p̄ſenti. Nā cū in exilio eſſet,& videret quāta cū difficultate in feſtis diuinitꝰ ordinatis populus aſcēderet Ieroſolymā ſacrificaturꝰ,oculis ſpiritualib. vidit eorū pericula & durā cōditionē,q̄ regnū Chriſti eſſent olī ꝓpagaturi. Eſt ergo hic ſenſus,vt populus Dei ꝑ ſitiētes valles,& ob id ad fletū potiꝰ & lachrymas accedētes q̄ ad gaudiū,ꝓficiſcebatur Ieroſolymā in ſummis feſtis ſacrificaturus: ita Doctores Eccle. Apoſtoli & alij,ꝑ varias afflictiones,tentationes & ꝑſecutiones, tanquā ꝑ valles ſiccas ſpargunt Euangeliū oblaturi Deo populos qui Euāgelio obtēperant. Quanta fuerit ꝑſecutio Pauli, vt de hoc vno exēpli cauſa dicā,licet videre 2.Cor. 11. Sciant ergo miniſtri Euāgelij ſe non ad voluptates & delicias vocari,ſed ad ingētia certamina,& certiſſima pericula, & quo magis ſecuri eſſe vidētur,eò ꝓpiꝰ ſūt inſidiæ. Diabolꝰ.n.hoſtis eſt Eccle.quare eius fundatores & architectos primū adoritur,vt illis oppreſſis Eccl.facilius tyrānide & mēdacio ſubruat. Porrò,quia de cruce miniſtrorū verbi atq; adeo totius Eccle.ſingulorūq; mēbrorū eius dictū eſt aliàs & à nobis & à multis,hîc tantū differētias crucis à finib.ſūtas aſſcribā,& ſingulis ſubiiciā cōſolationes & remedia. Eſt aūt Crux vt in Eccleſia accipitur hæc vox quicquid quouis modo cruciat & affligit ſiue intus,ſiue foris. Et numerātur eius differētiæ quatuor à finib.ꝓpriis ſūptæ:videlicet,λύτρον(*friikors*)τιμωρία (*ſtraffkors*)δοκιμασία(*profuekors*)& μαρτύριον (*vindekors.* Λύτρον in genere eſt p̄tiū datū & ſolutū ꝓ redēptione à captiuitate. Et quia duplex eſt captiuitas,videlicet corporalis & ſpiritualis, duplex erit & λύτρον, videlicet corporale,& ſpirituale. Sed in Eccleſia potiſſimū de ſpirituali loquimur,ꝙ definitur eſſe crux quę ſuſcipitur & irrogàtur ꝓ pœna æterna & culpa humani generis expiāda. Et ſoliꝰ Ieſu Chriſti cruciatꝰ ōis vſq; ad mortē crucis. Hic.n.cauſā noſtrā in ſe ſuſcipiēs luit pœnas,nō pro ſuis,ſed ꝓ noſtris delictis. Vt nobis imputetur in debitæ penæ & culpæ ſolutionem,i.in pretiū redētionis, vt nō amplius rei habeantur fideles,nec captiui teneantur à Diabolo ꝓpter peccatū, ſed ſint iuſti,liberi,& æternū beati. De hoc crucis genere loquitur Dominus cū ait:Mar.10.45. Filius hominis nō venit vt ſibi adminiſtraretur, ſed vt miniſtraret,& daret animā ſuā λύτρον ꝓ multis, & ita eriperet homines à poteſtate diaboli,ſoluto p̄tio Deo, quē homo offenderat. Nā homo per peccatū & Deo & diabolo obligatus erat,ſed diuerſimodè. Poſtquā n.culpa ſua Deū offenderat,& ab eo defecerat, factꝰ eſt captiuꝰ diaboli,nō vt iudicis,ſed vt tortoris,idq; iuſtiſſimo Dei iudicio ꝓpter offenſā in ipſum cōmiſſam. Deinde quoad pœnā,homo obligatus erat Deo tanquā iudici & parti offenſæ. Hanc pœnā ſubiit filius Dei,& redemit nos à mortis & dānationis ſententia,ſoluto redēptionis p̄tio. Atq.ideò dicitur ſanguinē ſuū obtuliſſe Deo in p̄tiū redētionis. Et hanc ob cauſā Paul. nō dicit Chriſtū redemiſſe nos à Diaboli poteſtate, ſed eripuiſſe à poteſtate Diaboli tanquā è manu tortoris. Sed de hoc crucis genere ſuprà diximꝰ,& oſtēdimꝰ quātas cōſolationes in quauis afflictione hinc hauriāt fideles. Τιμωρία(quā Plato dicit eſſe τῆς ἀδικίας ἀκόλουθον) Eſt crux quā q̄s iuſtè patitur ꝓ certis ſcelerib. videlicet,cū pœna iuſta ꝓportione reſpōdet culpę. Hac voce vſus eſt autor Epiſtolæ ad Heb.ca.10.29. vbi ait, χείρονος ἀξιωθήσεται τιμωρίας, i. acerbiore dignꝰ cēſebitur ſupplicio. Chriſtus pendēs in cruce λύτρον ſoluit,latrones aūt qui à laterib. Chriſti pēdebant τιμωρίαν ſuſtinebāt,i.pœnā quā debebāt legib. ꝓ malefactis ſuis. De hac loquitur Ezec. ca.7. 8. Secundū viā eorū faciā eis, & ſecundū iudicia iudicabo eos,& ſcient quia ego Dominus. Hęc τιμωρία irrogatur vel mediatè per hominē,vel immediatè per Deū ipſum. Sed quid faciēdū erit homini qui ꝓ certis delictis plectitur? quatuor ordine faciet. 1. In diabolo mendaciū & homicidiū perpendet. 2. In ſeipſo peccatū & miſeriā pōderabit. 3. In Deo iudiciū & miſericordiā venerabitur. 4. In Euangelio conſiliū & auxilium quæret.

Cur doctores Eccleſiæ duces gregis vocantur.

cap 62.10.

3. De afflictionibus præconū verbi.

Senſus ſeptimi verſiculi.

Doctrina.

Primū,in diabolo mendaciū & tyrannidē perpendet,qui vt primos noſtros parentes mendacio occidit:ita nunc omni momento mēdacio & tyrannide inſidiatur toti humano generi. Nā vt Petr. ait, in 1. ca.5.8. circuit vt leo rugiēs, quærens quem deuoret. Quærit quidē oēs,ſed eos tantū deuorat,quos mendacij laqueis inuoluerit. Perpetuò enim conatur impurꝰ iſte ſpiritꝰ alios oēs impuros ſecū reddere. Mentē mendaci & erronea doctrina inficit. Cor prauis affectuū tēpeſtatibus commouet. Voluntatem ſpectro vtilitatis faſcinat. Deniq. totā hominis vitā flagitiis conſpurcare nititur,vt hominem tandem ſpiritua-

Differentiæ crucis.

Prima crucis ſpecies Chriſto propria.

Coll. 1.

De cruce qua quis iustè patitur pro certis ſceleribus.

Quæ ſint prępondenda ſolo qui pro certis delictis plectitur.

1. Diabol artes.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ritualiter occiſum, ſocium æternæ damnationis habeat. Hæc cogitatio ſtudij maligni iſtius ſpiritus hoſtis Dei & humani generis odium peccati excitabit, & abominationem turpitudinis eius in animis hominum pariet.

Secundò, in ſeipſo peccatum & miſeriam æquis lancibus ponderabit, cogitabítque miſeriam quam patitur eſſe peccati commeritam pœnam, & ex miſeriæ magnitudine æſtimabit peccati enormitatem, turpitudinem, & multitudinem. Cogitabit ſe peccato ſuo offendiſſe ſummum & infinitum bonum. Vnde concludet calamitatem præſentem eſſe viam ad ſempiternam miſeriam, niſi aliunde ſuccurratur. In hac cogitatione totus homo contremiſcit. Cuius rei imagines multas offert Pſalmorum lectio, ex quibus vnam pro multis adferam ex Pſalmo 38. Vbi Dauid ſuos dolores ac pauores ob peccatum deſcribit in hunc modum. Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, & manus tua premit me. Non eſt ſanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non eſt pax in oſſibus meis à facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me, putruerunt & corrupta ſunt vulnera mea propter inſipientiam meam, depreſſus ſum, & curuatus valde, tota die contriſtatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti ſunt plaga, & non eſt ſanitas in carne mea. Reſolutus ſum & concuſſus valde, rugiebam à gemitu cordis mei. Item: cor meum ſenſit palpitationem, derelinquit me virtus mea, & lumen oculorũ meorum non eſt mecum. Hic Dauid in ſua perſona pingit affectus & cruciatus hominum, qui iuſta lance ſua peccata ponderant. Non enim vt hypocritæ & ſecuri æſtimant peccata ſua proprio ſenſu & iudicio: ſed Dei potius offenſi maieſtate, peccati turpitudine, & pœnis peccato debitis iuxta legis ſententiam. Etſi autem huiuſmodi motus rari ſunt in mundanis hominibus, quales fuerunt in Dauide & Ezechia, tamen neceſſe eſt, vt qui affligitur propter certa peccata, tangatur vero dolore ob peccatum ſine hypocriſi. Cauendus eſt hoc loco error papiſtarum, qui huiuſmodi dolorem conceptum propter peccata mereri veniam docent. Nam tametſi hic dolor præcedit veniæ petitionem: tamen nequaquam eſt cauſa propiciationis ſeu veniæ. Verùm qui in hac ponderatione peccati & miſeriæ perſiſtit, & non vltra progreditur, abſorbetur deſperatione, vt Cain, Saul, Iudas, & multi alij.

Tertiò, in Deo iudicium & miſericordiam venerabitur. Iudicij quidem Dei iuſtiſsimi eſt in omnibus hominibus peccata punire. Miſericordiæ verò punire, non vt perdat, ſed vt ſaluet, modo medicinam non contempſerimus. Iudicij eſt paulatim gradibus pœnarum hominem peccantem caſtigare, donec ad extremum venerit. Et quia ſe medicum animarum profitetur, imitatur quaſi peritos medicos, qui in ſanando certos gradus medicinæ adhibendæ faciunt. Initium ſumunt à lenioribus: & ſi parum ſucceſſerit primus conatus, aſperiora remedia vulneri adhibent. Et vt Hippocrates ait, Quoſcunque morbos medicamenta non ſanant, ferrum ſanat: quos ferrum non ſanat, ignis ſanat: quos verò ignis non ſanat, hos ſcito incurabiles eſſe. Sic Deus ſcelera hominum, nunc verbo accuſat, ſi hoc non iuuat, morbis, infamia, carcere domat. Si neque hoc proficit, accendit in animis hominum iudicij ignem, & eos percellit metu æternorum cruciatuum, ſi neque hoc pacto cancrum illorum ſanauerit, relinquit eos vt incurabiles, & tradit eos in reprobam mentem, vt nec rectum iudicium habeãt de rebus, nec vllo dolore, propter cœnum peccatorum, in quo voluuntur, afficiantur. Breuiter Deus punit iudicio, vt miſericordia ſaluet. Hoc eſt quod Eſaias ait, Alienum opus facit, vt faciat ſuum. Id eſt, occidit & mortificat, vt viuificet & ſaluet. Hoc iudicium, & hanc miſericordiam Dei coniungit Dauid, quoties de ſuis peccatis conqueritur, vt videre eſt Pſalmo 51. Et in aliis multis, & præſertim in Pſalmis quos vocant pœnitentiales.

4. Euangelij conſilia & remedia. In verbo Euangelij quærat conſilium & remedia. Latro pendens à dextro latere Chriſti agnoſcit ſuum peccatum & miſeriam, ſentit diaboli mendacium & tyrannidem, iudicium quoque Dei iuſtum veneratur. Ita enim ait pendens in cruce, Pro noſtris facinoribus nos iuſtè patimur, digna factis recipimus. Adhæc miſericordiam Dei prædicat confugiens ad Chriſtum quem intuebatur madentem ſanguine & conſpurcatum ſputis militum: quem tamen agnoſcit medicum & ſaluatorem mundi, & in quem credens ſanatur à morbo animæ, etſi non liberatur à pœna corporis. Audit tamen hanc dulciſſimam vocem, Hodie mecum eris in paradiſo. Ad eundem modum omnes qui cum latrone in ſuis ſuppliciis commeritis ſe ad Chriſtum conuertunt, recipiuntur & ſanantur, quantumuis in infinitum rei ſint, & peccata eorum ſuperent numerum arenę maris, quemadmodum Manaſſes de ſuis peccatis teſtatus eſt. Nam vt miſericordia Dei in Chriſto eſt infinita, & λύτρον immẽſi & infiniti pretij eſt: Ita medicus Chriſtus, qui affirmat ſe veniſſe vt ſeruet quod perierat, omnibus ſe offert promiſcuè, omnes vocat ſine diſcrimine ad pœnitentiam. Ita enim ait, Matth. 11. 28. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Hic vocat omnes laborantes & onuſtos, quantumuis infinitis ſceleribus, & nullos excludit, ſed omnes admittit ad pœnitentiam, & omnes ſe curaturum recipit, qui ſe illi committunt, eiúſque opem cum latrone implorant. Nam primùm tollit crucis cauſam videlicet peccatum, Cùm homo ad vocem Euangelij pœnitentiam agit, cùm pœnitentis conſcientiam aſpergit ſanguine ſuo, ac abluit eam à mortuis operibus, ſimúlque pœnitenti imputat ſuam iuſtitiam, vt ea iuſtus in conſpectu Dei appareat, etſi pœnas peccati ſui luit coram mundo. Hic ſimul afflictionem præſentem mitigat interna conſolatione per ſpiritum ſuum, & addit robur animi, vt commeritam crucem patienter ferat, quod cùm fit, crux præſens, quantumuis abominabilis eſt coram oculis hominum, quantumuis iuſtiſsima eſt pœna, tamen fit ſacrificium Deo longè gratiſsimum, vt videmus in latrone & Dauide. Latro plectitur pro ſuis enormibus facinoribus. Dauid pœnas adulterij & homicidij patitur. Sed & latro ſuam crucem à cruce ſiniſtri latronis, & Dauid ſuam crucem à Saulis ſupplicio ſuperat ſpiritu contritionis. Et cùm eam cruci Chriſti, tanquam aræ applicat, conſecratur, & fit hoſtia Deo longè gratiſſima: de hoc crucis genere vide plura in annotationibus noſtris in Pſalmum 25.

De cruce qua fides probatur. Δοκιμασία eſt crux, non qua punitur certa culpa, ſed qua fit probatio & exploratio fidei & conſtantiæ in confeſſione. Hæc δοκιμασία fit diuerſiſsimis modis, adeò vt certis generibus facile concludi non poſſit. **Varia eius genera.** Nunc enim aduerſis, nunc proſperis, nunc internè, nunc externè fit hæc fidei exploratio. **Exẽplum Abrahami.** Abraham tentatur exilio, fame, periculo vxoris, dilatione promiſsi ſeminis, ſterilitate vxoris, mandato mactandi filium vnicum Iſaac quem ſuæ vitæ prætulit. Hæc omnia videbantur ex diametro pugnare cum illa magnifica promiſsione terræ Canaan, & ſeminis

multiplicandi inſtar arenæ maris. Sed quomodo eluctatur Abraham, & fit ſuperior in hiſce grauiſsimis tentationibus? Fide ſola. Hac enim vt Deum veracem, ita tam potentem eſſe vt promiſſa præſtare poſſet, ſtatuit. Hac dedit gloriam Deo. Hac occurrit ordini naturæ. Hac prætulit obedientiā erga Deum

Ioſephi.

vitæ filij. Hac ſe in quauis calamitate ſuſtentauit. Ioſeph tentatur & à ſiniſtris & à dextris: à ſiniſtris quidem fratrum inuidia, exilio, ſeruitute, illecebris adulteræ, carcere, &c. A dextris verò dono interpretandi ſomnia, dignitate, fauore regio, eminentia ſupra ſatrapas, & dexteritate in tota gubernatione. Sed

Iobi.

rectà pergit nec ad ſiniſtram nec ad dextram declinans, ſola fide perſiſtens immobilis. Iob ſimiliter & in aduerſis & proſperis tentatur. Primum fœlici rerum ſucceſſu, liberorum copia, opum abundantia, amicorum præſtantia. Deinde ſubitanea morte liberorum, ſpoliatione fortunarum, vlcere peſſimo vermibus ſcatente, vxoris maledicæ petulantia, amicorum defectione. Hiſce iactatus procellis ſanctiſsimus Iob, tametſi interdum vacillare eſt viſus, tamen fide ſe erexit, & oppoſuit præſentibus ęrumnis vitam illam beatam, & gloriam, quam ſuis promiſit qui mentiri nequit. Scio, inquit, cap. 19.25. quòd redemptor meus viuit & in nouiſsimo die reſurgam. Atque hoc eſt quod Ioannes ait, in 1. Epiſt. cap. 4. verſ. 4. Quod natum eſt ex Deo vincit mundum, vt ſit teſtimonium (ſicut Bernhardus loquitur) cœleſtis generationis. Hæc exploratio fidei confertur explorationi auri, Sapient. 3.6. Vt aurum igne probatur: ita homines probantur in fornace afflictionis. Et Petrus, 1. Pet. 1.7. Per varias tentationes affecti, vt τὸ δοκίμιον fidei veſtræ fiat multo precioſius auro. Vt enim igni exploratur aurum, an purum ſit nec ne: ita cruce fides exploratur an ſit ſine ſcoria

An ſine culpa homines pœnis affligātur à Deo

hypocriſeos.

Quid? an non iudicium Dei eſt ſecundum veritatem? Quæ eſt iuſtitia affligere homines ſine culpa? Etſi crux interdum ſine culpa ſpeciali contingit, nunquam tamen fit ſine cauſa. Nam habet hæc crux probationis cauſas plures, eaſque grauiſsimas videlicet explorationem fidei, excitationem cordis ad inuocandum Deum, meditationem diuinorum eloquiorum, ſenſum præſentiæ diuinæ in cruce, con-

De vtilitate crucis piorum. Simile.

templationem æternæ beatitudinis, præſeruationem à grauioribus malis. Tametſi igitur crux per ſe eſt mala, tamen, quia ſanat & venena prohibet vtilis eſt, vt autor Epiſtolæ ad Hebr. docet, cap. 12. Nam vt myrrha, tametſi acris & amara eſt, tamen ſanat vulnera, & prohibet putrefactionem: ita crux ſan-

Aliud ſimile.

ctorum etſi carni inſuauis eſt & moleſta, tamen nequaquam eſt exitialis, ſed ſalutaris potius. Et vt aquæ quæ erant amariſsimæ in Marah, iniecto ligno factæ ſunt dulciſſimæ, ſic nulla non crux ſanctis in hac vita fit ſuauiſsima, ſi lignum crucis Chriſti addatur, ceu condimentum. Idem ſi auferatur, amariſſimę fiunt aquæ, nec poſſunt guſtari. Id eſt, quæuis crux peracerba, & intolerabilis, niſi cruce Chriſti veluti temperetur, exempla plurima huius δοκιμασίας leguntur in 11. cap. Epiſtolæ ad Hebræos.

De cruce qua teſtimonium additur veritati.

Μαρτύριον eſt crux qua teſtimonium redditur veritati doctrinę Euangelij, cuius finis eſt, vt illa tanquam veritatis Dei ſigillo plures inuitentur ad amplectendam religionem Chriſtianam. Auguſtinus nominis rationem in Pſalmum 119. ſcribens. ſic explicat, *Teſtimonia Gracè martyria nuncupantur, quo verbo iam vtimur pro Latino. Vnde illos qui propter teſtimonium Chriſti diuerſis paſſionibus humiliati ſunt, & vſque ad mortem pro veritate certarūt, non teſtes, quāuis*

Huius duo modi

latinè vtique poſſemus, ſed Gracè martyres appellamus.

Sunt autem duo modi quibus filij Dei in hoc mundo exercentur, opprobrium & cruciatus. Sapient. cap. 2.19. Contumelia & cruciatu eum examinemus. Et 1. Timoth. 4.10. In hoc laboramus & perſecutionem patimur, & probris afficimur, quia ſperamus in Deo viuente. Quid boni ex martyrio ſanctorum proueniat, perpulchrè explicat Theodoretus, cùm ait, *Vt quondam rubus ille quem vidit Moſes, ardore ignis non eſt abſumptus: ita nec Chriſtianos impiorum bellis petitos tela hoſtilia conſumſerunt, quin potius ſicut lignatoribus ſyluam cadentibus multò plures pullulant propagines à radicibus, quam ſunt rami qui inciduntur: ita nunc quoque pijs quampluribus interfectis multo plures quotidie ad doctrinam Euangelij accedebant, cruórque caſorū corporum irrigatio quædam erat, nouis in Eccleſia emergentibus plantulis. Martyr* ergo *cùm patitur, non ſolum ſibi,* vt ait Ambroſius, *patitur, ſed etiam quilibet. Sibi enim patitur ad præmium, cuilibet ad exemplum: ſibi ad requiē, cuilibet ad ſanitatem.*

Vtilitas

Etſi autem vnus timor Dei cauſa eſt ſufficiens cur martyres adeò forti animo ſupplicia perferant. (Nā hoc præſtare timor Dei debet, vt omnes alios timores contemnamus, exemplo Apoſtolorum Domini qui primùm acriter cæſi flagellis non dolent, ſed gaudent, non triſtantur ſed exultant. quòd digni habiti ſint pro nomine Ieſu contumeliam pati,) tamen veteres quatuor martyrij cauſas hoc modo numerant. 1. *Charitas Chriſti imperat.* 2. *Fortitudo metum vincit.* 3. *Fides confirmat animum.* 4. *Patientia ſuſtinet.*

Quatuor cauſę martyrij.

Verùm ego hæc ordine in martyre requiro. 1. Firmam doctrinæ Eccleſiæ notitiam & demonſtrationem. 2. Viuam in Chriſtum fiduciam. 3. Conſtantem doctrinæ confeſſionem & defenſionem. 4. Fortitudinem animi in ferenda cruce. 5. Obedientiam ſeu patientiam ſub cruce. 6. Inuictam ſpem. 7. Inuocationem Dei, cui vna cum cauſa animam commendare debet. Quæ omnia in Stephano protomartyre cernūtur. *Neque enim poſſunt*, vt ait Auguſtinus, *habere martyrum vitam, qui Chriſtianorum non habent vitam, cùm martyrem non faciat pœna ſed cauſa.* Nō ergo Anabaptiſtarum & pertinacium hæreticorum pœna eſt martyrion, ſed iuſtum ſupplicium Deo & legibus debitum. Quòd autem multi phanatici intrepidè accedant ad ſupplicia, ideo fit quòd decepti ſint à Satana qui ſuppliciis eorum erroneas opiniones confirmare molitur in deſtructionem Eccleſię. Quare rectè cauſa ſuſcepti martyrij perpendatur, ne præſtigiis diabolicis illudamur & faſcinemur. Non enim perſecutionem pati, non teneri, non flagellari, non includi, non occidi laus eſt, ſed habere cauſam bonam, hoc laus eſt. Laus enim eſt in cauſæ bonitate, non in pœnæ acerbitate. Neque ego velim quenquam propter cōceptam aliquam opinionem non pugnantem cum fundamento ſe periculo obiicere, præſertim ſi piorum ſententiæ cōuenientium in fundamento ſont diuerſæ, quæ poſſunt tamen ſtare immoto fundamento, id eſt articulis fidei.

Quæ requiruntur à martyre.

Exemplum.

De conſtantia idololatrarum pro ſuis idolis.

Hic fortè aliquis iudiciorum Dei ſcrutator quærat, quî fiat quod Deus iuſtiſſimus ſinat ſuos ſanctos, quos intimè amat, tam horrendis modis lacerari, tantíſque contumeliis affici & deformari, idque à Satana & eius membris? Hic non oculus rationis, ſed fidei aperiendus eſt: Non ſenſus carnis, ſed ſenſus ſpiritus Dei conſulendus eſt, vt veritatem ipſam clarè cernamus, ſciamúſque nihil ſanctis Dei accidere abſque prouidentia eius, ſub cuius vmbraculo teguntur. Fateor equidem diabolo pulchrum eſſe ſpectaculum Abelem trucidari à fratre: Danielem obiici leonibus: Iobum ſpoliari fortunis, & ſcatere vermibus: Stephanum lapidibus obrui, atque adeò ſanctos

Cur Deus ſinat ſuos à Satana & ab Antichriſto cruciari.

... omnes cruciatu & probro interſici: Sed fateor quoque Deo, qui precioſam mortē ſanctorum ſuam eſſe teſtatur, longè pulchrius eſſe ſpectaculum. Non quidem in ſe, ſed propter euentum. Vterque igitur Deus & diabolus volunt ſanctorum ſupplicia, at nō eodem, ſed diuerſiſſimo affectu & conſilio. Siquidē Deus ex bonitate permittit affligi ſanctos ſuos, diabolus ex malicia eos perſequitur. Deus vt coronentur, diabolus vt cōfundantur. Deus vt pater, diabolus vt tyrannus & carnifex. Deus in ſuā gloriā, diabolus in ſuam ipſius cōfuſionem. De his cauſis Auguſtinus in hunc modum. *Vnuſquiſque malus apud ſe habet voluntatem nocendi, vt autem poſſit nocere, non habet in ſua poteſtate. vt velit iam reus eſt, vt poſſit occulta diſpenſatione prouidentiæ Dei. In alium permittitur ad pœnam. in alium permittitur ad probationem. in alium permittitur ad coronam. Ad pœnam, quomodo permiſſi ſunt ἀλλόφιλοι id eſt, alienigenæ, capere populū Iſrael: quia peccauerāt in Deum. Ad probationem, permiſſus eſt diabolus in Iob. Probatus eſt autem Iob: confuſus eſt diabolus. Ad coronā verò permiſſi ſunt perſecutores in martyres.* Multis proinde modis feliciores ſunt martyres in ſuis tormentis, quàm potentiſſimi monarchæ in ſuis delitiis, opibus, honoribus & voluptatibus. Quod etiam teſtatur Auguſtinus cùm ait, *Sæculi homines infeliciter felices, Martyres feliciter infelices erant. Erant enim ad tempus infelices, ſed æternum beati.* Iuxta illud Domini dictum, Matth. 5.10. Beati qui perſecutionem patiuntur propter me. Hic euentus martyrum pulcherrima imagine in Pſal. 126. deſcribitur. Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent, euntes eunt, & flentes portant pretioſum ſemen, venientes autem venient portantes manipulos ſuos. Atque hinc eſt quòd ſancti Dei martyres mentem & oculos referant non modo ad tempus ſationis, & ad diaboli conſilium, volentis Eccleſiam Dei fluminibus ſanguineis prorſus obruere, ſed multò magis ad lætiſſimum tempus, quo manipuli cum exultatione colligentur, & ad adorandam prouidentiam Dei volentis hoc pacto ſuo ſapientiſſimo conſilio ſanctos in hac vita exerceri, vt fiant conformes filio ſuo & in cruce, & in gloria. Vnde ſancti Dei martyres in medio cruciatuum ſe erigunt. Sciūt enim, quemadmodum ſcribitur 2. Cor. 4. Quod leue momentum tribulationis huius adferat pondus æternæ gloriæ: & quòd, vt eſt in Epiſtola ad Hebr. cap. 12. Caſtigatio adferat exercitatis fructum pacificum iuſtitiæ. Huc illa exhortatio Petri pertinet, Tanquàm communicantes paſſionibus Chriſti gaudete, vt & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Huius prouidentiæ Dei cogitatione muniamus animos noſtros aduerſus ſcandalum crucis, & cogitemus de euentu lætiſſimo. Videlicet quòd qui in hoc mundo ferant Chriſto teſtimonium ſint futuri cum Chriſto æternum beati.

Quo cul. martyres ſint colendi.

Quæri præterea poteſt quo cultu martyres ſint colendi, præſertim cùm videamus templa erecta eſſe quibus martyrum & aliorum ſanctorum nomina ſunt impoſita, & feſta ordinata in ipſorum honorem & cultum? Ad hanc quæſtionem ex Cyrillo calumnias Iuliani refellente, ſic reſpondeo. *Sanctos martyres non Deos eſſe dicimus, neque adorare conſueuimus. Laudamus autem eos ſummis honoribus, quod pro veritate ſtrenuè certarunt, & fidei ſinceritatem ſeruarunt.* Et Auguſtinus, *Non ideo proponuntur nobis ſanctorum exempla vt ab eis iuſtificemur, ſed vt eos imitantes ab eorum iuſtificatore nos quoque iuſtificari ſciamus.* Si proinde vel templa eriguntur ſub nominibus martyrum, vel feſta inſtituuntur in ipſorum memoriam, non reprehendo, modo iſta non fiant cultus cauſa, ſed propter retinendam memoriam eorum & commemorandam hiſtoriam, vt alij Deo gratias agant pro illorum conſtantia, & imitentur exempla, ſi quando neceſsitas id poſtulare videbitur. Fabulæ planè & impoſturæ ſunt quæ traduntur à monachis: Martyres in hora martyrij petiiſſe à Deo, vt quicunque ſuæ paſſionis memores ſunt, & ieiuniis ac feriis ſe colunt, à morbis certis liberentur. Quibus mendaciis nihil impudentius dici poteſt. Nam ſi id petiiſſent ſancti martyres blaſphemi omnino fuiſſent in Deum.

Fabulæ papiſticæ de martyribus refutantur.

Fingunt quoque Papiſtæ martyres Dei propter tres cauſas inuocandos eſſe. Quarum prima eſt noſtra inopia. Secunda martyrum gloria. Tertia Dei reuerentia. Sed hæ putridæ rationes omnes proſternuntur quaſi fulmine diuino hoc Domini dicto, Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & ipſum ſolum coles. Si ergo inopia te premit, imitare Dauidem qui ait, Pſalm. 121.2. Auxilium meum à Domino qui fecit cœlum & terram. Nam hoc eſt Domini dictum, Pſal. 50.15. Inuoca me in die tribulationis. Et veritas ipſa ait, Ioann. 16.23. Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. Quòd autem dicunt gloriam ſanctorum innoteſcere per inuocationem illorum, dum videlicet impetramus quod petimus per eorum ſuffragia, manifeſta blaſphemia, & contumelia eſt in filium Dei, atque adeo turpiſſima idololatria, quam omnes ſancti abominantur. Nec magis firmum eſt quod dicunt reuerentiam erga Deum poſtulare vt peccator qui Deum offenderat non Deum ipſum compellet ſine patrono: quaſi verò non ſufficeret patronus ille, quē habemus in cœlo, Ieſu Chriſtus iuſtus. Ita enim Ioannes ait, 1. Ioan. 2.1. Si quis peccauerit aduocatū habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe propiciatio eſt pro peccatis noſtris, nō pro noſtris tantū, ſed pro totius mundi. Proinde papiſtæ & decipiunt & decipiuntur à Satana, qui ſanctorum cultum inuexit in mundum, videlicet vt officium mediatoris noſtri vnici Ieſu Chriſti, vel prorſus aboleret, vel ſaltem obſcuraret, vt ſanctos Dei ignominia afficeret, vtque idololatras ſanctorum cultores ſocios æternorum ſuppliciorum haberet.

Martyres non eſſe inuocandos.

Omiſſis ergo fabulis & præſtigiis diaboli, ſanctorum exempla in omni virtutis genere imitemur, præparemus nos ad diſcrimina pro veritate Dei ſubeunda quàm diu ſuper hanc terram militamus. Hunc verum vſum eſſe memoriæ ſanctorum teſtatur etiam Auguſtinus cum ait, *Ad erudiendum Dei populum nullorum eſt vtilior forma quàm martyrum: validiora ſunt exempla quàm verba, & plus eſt opere docere quàm voce.*

Vſus memorię ſanctorum Chriſti martyrū.

Quæri etiam ſolet, an liceat cuiquam ſe opponere tyrannis defendentibus idola, præſertim cùm iubeantur Chriſtiani etiam obedire diſcolis? Ita enim Petrus ait, 1. Pet. 2.18. Subditi eſtote in omni timore Dominis veſtris, non tantùm bonis & modeſtis, ſed diſcolis & iniquis. Præceptum hoc Apoſtoli, quo iubemur obedire etiam diſcolis, non ita accipiendum eſt, quòd oporteat nos obedire ipſis contra ſalutem noſtram, ſed tantiſper eſt iis obtemperādum, donec præcipiunt aut ea quæ honeſta ſunt, aut ea certè quæ licet iniqua ſunt, non tamen reddunt nos impios, ſed afflictos tantum. Ideo Polycarpus ait, *Magiſtratui tribuendus eſt honor qui non eſt religioni contrarius.* Si ergo præcipit vt contra religionem facias, Reſponde cum Petro, Magis eſt obtemperandum Deo quàm hominibus. Siquidem ideò obtēperamus Magiſtratui, quia Deus hoc pręcipit. Quare ſi quid mandat quod Deus prohibuit, mādato ſuperioris nempe Dei excuſantur, & liberātur ab obligatione inferioris, nempe hominis quatumuis potentis.

An liceat cuiquā ſe opponere tyrannis defendentibus idola.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Duplex modus opponẽdi ſe tyrannis.

Verùm hic ſciendum eſt quòd duplex ſit modus opponendi ſe tyrannis. Vnius cùm ſubditi impia decreta detrectant, vt tres illi viri apud Danielem adorare ſtatuam tyranni recuſarunt, & potius voluerunt in ardentem fornacem mitti quàm impio decreto obedire. Nam hoc mandatum Dei, Fugite idola, obligat omnes homines cuiuſcunque fuerint ſtatus aut ordinis. Alter modus opponendi ſe tyrannis eſt cùm ſubditi ad arma confugiunt, quibus iniuſta decreta à ſe depellunt.

An liceat ſubditis impia decreta armis prohibere.

Hìc quæritur num ſubditis religionis defendendæ gratia, liceat ſe opponere magiſtratui, & armis impia decreta prohibere? Hic diſtinguo inter ſubditos qui ſunt ſub ſupremo aliquo capite, ſiue rege, ſiue imperatore, ſiue quouis monarcha. Alij enim ſunt ſubditi ſimpliciter. Alij ſunt magiſtratus proximi à ſummo magiſtratu, qui vocantur populares magiſtratus, quales olim Ephori apud Lacedæmones, Demarchæ apud Athenienſes, & apud Romanos Tribuni plebis, hodie ſeptemuiri electores in Romano imperio, ſenatores in regnis ſupremi, & regibus proximi. Hi quia ſunt ordinati à Deo, Primùm vt ſint cuſtodes primæ & ſecundæ tabulæ, quantum quidem ad hæc duo attinet, vt maneat veræ doctrinæ profeſſio, & vt ſeruetur honeſta diſciplina: Deinde vt moderentur & refrenent, ſi res poſtulat, monarcharum & regum libidinem ſtatuentium aliquid contra leges & religionem poſſunt & debent primùm conſiliis, quantum quidem fieri poteſt, opponere ſe tyrannis, & ſua ſapientia impedire illorum ſtultos conatus. Verùm ſi cõſiliis ſapientibus nihil effecerint, ſed magis irritauerint tyrannos, debent armis tueri pios ſubditos, & idola tollere, & veram religionem ipſis reſtituere, quod ſi non fecerint, fraudulenter faciunt opus ſuum. Et tametſi Eccleſia non propagatur armis, tamen externa vis quæ fit contra veram religionem à tyrannis, poteſt per magiſtratum qui eſt medius inter ſummum caput, & priuatos homines, armis repelli. Id quod & natura dictat, & ratio officij popularis magiſtratus poſtulat, & exempla ſanctorum comprobant. Sit igitur dictum Domini magiſtratui & moderatori ſupremi capitis in conſpectu. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Matth. 22. 21.

4. Allegorica pictura officij miniſtrorum verbi.

Et fontem fodit. Hoc quartum deſcriptionis membrum doctorum Eccleſiæ, allegorica pictura eſt officij miniſtrorum verbi. Hæc dulciſſima allegoria de pluribus rebus nos admonet. Primùm enim nos mittit ad ipſum fontem, nempe Deum ipſum. Dicitur autem Deus fons, & quod à ſeipſo omne bonum habeat, & quod inde communicet creaturis abſque omni iactura ſua. Nam Deus miniſtrat omnibus, nullis egens, nihílque à quoquam recipiens. De hoc fonte loquitur pſalmus 42. 3. Sitiuit ad Deum fontem viuum anima mea. Et Ieremiæ 2. 13. Duo mala fecit populus meus. Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & fecerunt ſibi ciſternas diſsipatas quæ continere non valent aquas. Et Dominus in Euangelio ſe fontem vocat. Ioan. 4. 14. Aqua autem manans ex hoc fonte, eſt ipſa donatio Spiritus ſancti. Vnde Propheta Ioel, cap. 2. 28. Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem: & ipſa doctrina Euangelica ſeu promiſsio Chriſti. Hæ verè ſalutares aquæ ſunt, quibus animæ æſtuantes & afflictæ conſcientiæ refrigerantur. Eſt autem doctrina illa non inflans, ſed ſpiritualis, & cor ipſum ſimul refrigerãs à cupiditatibus ſæculi, & inflammans amore Dei. Has ſalutares aquas Petrus verba vitæ æternæ vocat cùm ait. Ioan. 6. 68. Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Vnde Chriſtus in Apocalypſi cap. 21. 6. Ego ſitienti dabo de fonte aquæ viuæ gratis. Vt autem hæc aqua viua offertur per Euangelij prædicationem: ita fide hauritur & ſumitur iuxta illud Domini dictum Ioan. 6. 35. Qui credit in me non ſitiet in æternum. Huc illud Eſaiæ dictum pertinet, cap. 12. 3. haurietis aquas cum gaudio de fontibus ſaluatoris, & dicetis in die illa. Confitemini Domino & inuocate nomen eius. Deinde ſignificat homines planè eſſe immundos & ſiccos niſi irrigantur aquis huius fontis & potantur. Quia nemo, vt ait Bernhardus, mundus eſt à ſorde, neceſſarius eſt omnibus fons miſericordiæ, & pari voto ad hunc fontem Noë, Daniel, & Iob, properare debent. Et Dominus, Ioan. 4. 14. Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum. De hac aqua prædixit & Zacharias cap. 14. 8. Et erit in die illa exibunt aquæ viuæ de Ieruſalem, hoc eſt doctrinæ Euangelicæ ſermo qui cùm profectus ſit ex Iudæa & Ieruſalem, diſſeminatus eſt poſtea in omnem terram. Tertiò, auocat nos à lacunis & ciſternis quæ vel aquam nullam habent, vel ſi habent, eſt lutoſa & immunda, atque adeo venenis infecta. Hoc eſt, auocat nos ab humanis & diabolicis doctrinis, quæ ſuo veneno haurientes enecant.

Porrò Dauid in hac allegorica pictura reſpicit ad typum miniſterij Euangelij, quæ proponitur Gen. 2. 10. Vbi fons dicitur accendiſſe de loco voluptatis, & irrigaſſe vniuerſam ſuperficiem terræ. Chriſtus Dominus viuus ille fons ſepultus eſt in terra, ſed aſcendit de corde terræ viuus & fons vitæ vt omnem terræ ſuperficiem irrigaret, id eſt, omnes qui habitãt ſuper terram aquis dulciſsimis ſui Euangelij recrearet, vt non ſitiant in æternum. Deinde reſpexit ad fontem illum aquæ, qui fluxit de duriſsima petra, & ſequebatur populum. Quæ petra vt Apoſtolus docet, 1. Corinth. 10. 4. typus erat Chriſti. Cuius aquæ adumbrabant dulciſſimũ Euangelij liquorem. Tertiò, reſpicit ad conditionem hominum ſui ſæculi qui remotius habitabãt à Ieruſalem. Hi enim per valles ſiccas proficiſcebantur Ieruſalem in ſummis feſtis, & in itinere magno cum labore foderunt terram, vt aquam inuenirent ſedãdæ ſiti. Quare videbat Dauid per ſpiritum ſignificari maximum laborem miniſtrorum qui non ſine maximis moleſtiis & perſecutionibus haurirent aquas de fontibus ſalutis, quibus ſitientes ſalutem refocillarent.

Certè benedictionibus coronabitur Doctor.

Pergunt de victoria in victoriam.

5. Promiſsio benedictionis & ſucceſſus in miniſterio.

Hoc quartum deſcriptionis membrum continet promiſſionem benedictionis dictorum Eccleſiæ, & ſucceſſus in miniſterio. Promiſsio hęc vt doctrinam vberrimam, ita conſolationem dulciſſimam continet. Doctrina eſt quod miniſterium verbi futurum ſit efficax. De hac efficacia verbi loquitur Eſaias, ca. 55. 10. cùm ait, Quemadmodum deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc nõ vltra reuertitur, ſed inebriat terram, & concipere eam facit & germinare, & dat ſemen ſerenti & panem comedenti. Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, proſperabitur in iis ad quos miſi illud. Quaſi dicat, Verbum promiſſionis quod ex meo mandato prædicabitis, ſemper efficax erit. Vt enim pluuię quæ meo iuſſu terram irrigant, & fœcundam faciunt, vt ex paucis ſeminibus tantam meſſem agricolæ colligant, vt non ſolùm inde cum ſua familia viuant, verum etiam ſemen in ſequentem annum habeant: ita & ſemẽ verbi mei efficax erit, & proſperabitur, vt copioſiſſimum fructum ſeminatores verbi referant.

ſigni-

Deinde cum addit, *Pergunt de victoria in victoriam*, ſignificat doctores Eccleſiæ habituros qui ipſis aduerſabuntur, quibus tamen ſuperiores erunt virtute Dei, qua ſunt armati.

Hoſtes miniſtrorum Euāgelij.

Porrò hoſtes cum quibus cōfligunt milites Eccleſiæ hoc eſt præcones verbi, ſunt diabolus, & eius ſatellites, tyranni, ſophiſtæ, hypocritæ, & Epicurei. aduerſus hos hoſtes prodeunt in certamen miniſtri Euangelij armis ſpiritualibus armati. De quibus armis ſuprà diximus.

1. Diabolus.

Diabolus inſidiatur doctrinæ & vitæ miniſtrorum verbi, vt vel altero vel vtroque modo nos euertat. Contra hunc hoſtem pugnandum erit ſinceritate doctrinæ, innocentia vitæ, & ardenti inuocatione Domini zebaoth.

Quomodo vincatur.

Subditi eſtote Deo: Reſiſtite diabolo, & fugiet à vobis Iacob. 4. 7. Vt autem ſubditus eſt Deo qui ipſius verbo credit, & iuxta verbum viuit: ita diabolo reſiſtit verbum & vitam inuadenti qui retinet ſinceritatem doctrinæ, viuit innocenter & ardenter Deum inuocat. Verùm cum hoc illi non ſuccedit, hoc eſt, ſi nec doctrinam nec vitam corrumpere poteſt, fugit & ſe victum agnoſcit. Et quia potentior multo eſt homine, promiſſio hæc imo cordi infigenda eſt, Et fugiet à vobis, id eſt, nihil vobis nocebit, non euertet vos ſuis technis, donec in fide manſeritis fundati. Fides enim victoria mundi eſt, id eſt, diaboli & omnium ſatellitum eius. Verũ quia irreconciliabile eſt bellum inter Satanam & Chriſti Eccleſiam, omniũ maximè armatos nos eſſe oportet, quando videtur fugiſſe. Non enim fugit quaſi deſperabundus de pugna, ſed vt alia via in pugnam ex inſidijs redeat inſtructior. Nam vt eſt vafer & callid⁹, atque multorum annorum experiẽtia doctus: ita nunc hac, nunc illa via miniſtros Euangelij adoritur, & ſępe magnam cladem facit, vt videre eſt in hæreticis omnium temporum, inter quos fuere multi viri doctiſsimi & pij, ſed retibus Satanę & argumentis rationis cæcæ irritati & excæcati occubuerunt. Quare fortiter milites Dei & duces Eccleſiæ Chriſti ſtabunt in acie aduerſus diabolũ, ſub vexillo Chriſti, retinendo fidẽ & bonã cōſcientiã: per omnẽ orationẽ & obſecrationẽ orantes omni tẽpore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes omni ſedulitate, vt ipſis detur ſermo in apertione oris cũ fiducia, vt notũ faciant myſteriũ Dei pro quo legatione fũgũtur.

2. Tyranni.

Tyranni hoſtes doctrinæ, tametſi miniſtros Euãgelij rabioſè perſequuntur, & multos iugulant & è medio tollunt: tamen non tam vincunt quàm vincuntur. Nam vt potior pars eorum, videlicet anim⁹ turpibus affectibus ſuccumbit victus: ita animę ſanctorum in medijs cruciatibus triumphant exultantes.

Quomodo vincantur.

Siquidem & conſtanti gloriæ propoſitæ expectatione ſe conſolantur, & miſeram ruinam tyrannorum ſe perſequentium oculo fidei intuentur. De qua ruina Dauid pſalm. 52. ſic canit. Deus deſtruet te in æternum, conteret te & euellet te de tabernaculo, & radicem tuam de terra viuentium. Videbunt iuſti & timebunt, & ſuper eum ridebũt. Ecce homo qui non poſuit Deum fortitudinem ſuam, ſed ſperauit in multitudine diuitiarũ ſuarum, & præualuit in iniquitate ſua. Ego autem ſicut olea florens in domo Dei ſperaui in miſericordia Dei in æternum, & in ſeculum ſeculi.

Exemplum.

Nero igitur iugulãs Paulum Apoſtolum miſerrimè ſuperatur à Satana, cuius inſtinctu Apoſtolum perſequitur & occidit: Sed Paulus benedictionibus coronatur, & pergit de victoria in victoriã. Nam nõ ſolùm corona iuſticiæ à iuſto iudice donatur, verumetiã ſanguis ipſius fit tanquã irrigatio quædam agri Dominici, vnde magis magiſque Eccleſiæ plantulæ germinant.

De fuga in perſecutione, locus.

Verùm hic quæſtio de fuga ſe offert. Num tempore perſecutionis liceat pijs doctoribus Eccleſiæ fuga ſibi conſulere, vt euadant manus tyrannorum, præſertim cùm contraria in ſpeciem & dicta & exempla in ſcripturis occurrant? Dicta hæc in ſpeciem pugnant.

Dictorũ & exẽplorum ſpecie tenus pugnantium collatio.

Si perſecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Et, mercenarius fugit cùm vidit lupum venientem. Exempla. Chriſtus fugit in Ægyptum. Paulus demiſſus per corbem fugit perſequentium manus. Contrà verò & Chriſtus & Paulus, atque adeo infiniti martyres & doctores Eccleſiæ ſe ſpontè in manus perſequentium tradiderunt. Horum dictorum & exemplorũ ἀντιλογία facilè conciliatur, conſideratis cauſis. Qui fugiendo quærit quæ ſua ſunt, & non quæ ſunt Ieſu Chriſti, in culpa eſt. Contrà verò qui fugiendo quærit quæ Chriſti ſunt, & non quæ ſunt ſua, extra culpam eſt, Vnde Auguſtinus: *Seruus Dei non peccat ſi ſeceſſerit in alium locum videns furorem perſequentium ſe, aut quærentium in malum animam ſuam, modò oues paſtori in cœlo ſedenti orationibus commendat, ſe autem in vtilitatem eorum fugiendo ſeruat.* At his contrarium videtur præceptum Domini, Matth. 10. 28. Nolite, inquit, timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.

Obiectio

Iam autem quid quæſo aliud eſt fuga quàm animi timor? Si ergo prohibetur timor, prohibetur & fuga.

Reſpondeo.

Reſpondeo. Cõprehenſus à tyranno debes contemnere mortẽ iuxta præceptum Domini, Nolite timere eos qui occidunt corpus. Non comprehenſus debes fugere perſequentem, non tam tui quàm ouium cauſa, modò fuga tua non ſit ouium proditio. Perſecutorem enim qui prouocat facit: corrigit qui declinat. Quarè hæc Auguſtini diſtinctio libro Epiſtolarum, Epiſtola 180. tenenda eſt: *Premente perſecutione fugiendum eſt Chriſti miniſtris, quando ibi aut plebs Chriſti non fuerit cui miniſtretur, aut etiam fuerit, & poteſt impleri per alios neceſſarium miniſterium, quibus non eſt eadem fugiendi cauſa. Cùm autem plebs manet, & miniſtri omnes fugiunt, miniſteriumque ſubtrahitur, quid erit niſi mercenariorum fuga damnabilis, quibus nõ eſt cura de ouibus?*

Alia quæſtio.

Verum ſi tyranni perſequntur promiſcuè omnes miniſtros Euangelij, & parcunt plebi, quid tum faciendum erit?

Reſponſio.

Ad hanc quæſtionem reſpondet Auguſtinus, quòd facta precatione ſorte ſegregentur qui fugiant, quíque remaneant. Nã hac ratione conſulitur Eccleſiæ præſenti, & in futurum illi proſpicitur, vt non ſemel trucidatis Eccleſiæ doctoribus ipſa deſtituatur miniſterio.

3. Sophiſtæ & ſycophãtæ.

Sophiſtæ & ſycophantæ ſapientia huius mundi inflati doctoribus Eccleſiæ aſtutiſſimè inſidiantur. Horum ſcopus eſt vt fontibus Iſrael vel obrutis, vel turbatis, hoc eſt, vt doctrina cœleſti vel prorſus abolita, vel humanis & diabolicis doctrinis deprauata, Eccleſia, cuius vita eſt puritas verbi Dei, opprimatur. Horum ars ſophiſtica rectè confertur moroſæ fœminæ, quam qui cohibet ventos cohibet, & oleum manu retinere conatur, vt Solomon ait. Eſt enim ſophiſtica infinita. Vnde fit vt qui velit omnia ſophiſmata refutare, perinde faciat ac ſi ventos reti capere velit. Quid ergo faciendum? quomodo aduerſus ſophiſtas pugnãdũ?

Quomodo vincãtur.

Paſtores Eccleſiæ qui in hac lucta victoriã quærũt, debẽt ante omnia firma teſtimonia & perſpicua de ſingulis doctrinæ capitib⁹ tenere, à quibus ſe nõ ſinẽt abduci vlla ſophiſtica, quibus multũ profuerit ſi in vera dialectica rectè inſtituti fuerint. Secũdo, debẽt ardenti precatione à Deo precari, vt ipſe ſuo verbo virtutem aduerſus ſophiſticen largiri dignetur, ne veritas antiqui ſerpentis ſpiris implicita ſuffo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

cetur, id eſt, ne ſophiſtica vel prorſus euertatur, vel ſaltem deprauetur. Tertiò improprias loquendi formas, & Eccleſiæ inuſitatas, quas Paulus καινοφωνίας vocat, vitabunt, contenti ſimplicitate orationis quam veritas amat. Quartò, ſi ita inſtructi non poſſunt tamen ad omnia ſophiſmata reſpondere acutè ſint contenti ſimplicitate doctrinæ quæ exprimitur claris dictis, & conſentientibus ſcripturæ teſtimoniis confirmatur. Hoc modo inſtructi miniſtri Euangelij non difficillimè reportabunt victoriam aduerſus lubrici ſerpentis calliditatem. Cuius rei pulcherrimum exemplum ex Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro 13. adſcribam, ſecutus vſitatam verſionem.

Exemplū inſigne.

Quantam (inquit) habeat virtutem fidei ſimplicitas etiam ex his quæ inibi geſta referuntur agnoſcimus. Etenim cùm pro ſtudio religioſi imperatoris ex omni terra ſacerdotes Dei coiſſent, opinione commoti philoſophi quoque & dialectici valde nobiles & opulentiſſimi conuenerunt, in quibus quidam inſignis in arte dialectica per dies ſingulos conflictus ſummi certaminis cum Epiſcopis noſtris, viris in dialectica non improbabiliter eruditis, mouebat. Et fiebat ingens ſpectaculum conuenientibus ad audiendum doctis & literatis viris, nec tamen vllo genere Philoſophus concludi à quoquam poterat aut conſtringi, tanta enim dicendi arte obiectis quæſtionibus occurrebat, vt vbi maximè videretur aſtrictus velut anguis lubricus laberetur. Sed vt oſtenderet Deus, quòd non in ſermone regnum Dei, ſed in virtute conſiſtit, quidam ex confeſſoribus ſimpliciſſimæ naturæ, & nihil aliud ſciens quam Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum, inter cæteros auditores Epiſcopus aderat. Qui cum vidiſſet philoſophum inſultantem noſtris, & callidè ſe diſputationis arte iactantem, poſcit ab omnibus locum. Ait ſe velle paucis cum philoſopho iſto colloqui. Tum verò noſtri, qui ſimplicitatem viri & imperitiam ſermonis nouerant, pauere & veluti pudorem quendam pati cœperunt, ne fortè apud callidos homines riſui exponeretur ſancta ſimplicitas, perſtitit tamen ſenior, & hinc mouit ſermonis exordium. In nomine, inquit Ieſu Chriſti, Philoſophe, audi quæ vera ſunt. Deus vnus eſt, qui fecit cœlum & terram, quique homini quem de terræ limo formauerat ſpiritum dedit, vniuerſa quæ videntur & non videntur virtute Verbi ſui creauit, & ſpiritus ſui ſanctificatione firmauit. Hoc verbum ac ſapientia quem nos filium dicimus, humanos miſeratus errores ex virgine naſcitur, & per paſſionem mortis à perpetua nos morte liberauit, ac reſurrectione ſua æternam nobis contulit vitam, quem & expectamus iudicem omnium quæ gerimus eſſe venturum. Credis hoc ita eſſe philoſophe? At ille velut ſi nunquam vllum ſermonem contradicendi didiciſſet, ita obſtupefactus virtute dictorum mutus ad omnia hoc ſolum potuit reſpondere, ita ſibi videri, nec aliud verum eſſe quam quod dixerat. Tum ſenior. Si hæc, inquit, ita eſſe credis, ſurge & ſequere me ad Demonicum, & huius fidei ſignaculum ſuſcipe. Et philoſophus conuerſus ad diſcipulos ſuos, & ad eos qui audiendi gratia conuenerant, Audite inquit, O eruditi viri, donec verbis mecum res geſta eſt, verba verbis oppoſui, & quæ dicebantur dicendi arte ſubuerti, vbi vero pro verbis virtus proceſſit ex ore dicentis, non potuerunt reſiſtere verba virtuti, nec homo aduerſari potuit Deo. Et ideo ſi quis veſtrûm potuit in his quæ dicta ſunt ſentire quæ ſenſi, credat Chriſto, & ſequatur hunc ſenem in quo locutus eſt Deus. Hæc hiſtoria pulchrè docet quibus armis victoria aduerſus ſophiſtas acquiri poterit, nempe certa fundamenti doctrinæ perſuaſione ſeu demonſtratione, ſimplicitate orationis, & ardenti voto, vt Deus ſuo verbo robur tribuat, acſi ipſe illud ſuo ſanctiſſimo ore proferret.

4. Hypocritæ.

Vt hypocritæ fabularum actores perſonati non agnoſcunt eſſe qui ſunt, ſed alienam perſonam induunt & repræſentant, ſeu, vt Auguſtinus loquitur, qui tegunt ſub perſona quod ſunt, & oſtentant in perſona quod non ſunt: ita ſcriptura tranſlato vocabulo, propter ſimilitudinem, eos hypocritas vocat qui externis geſtibus & factis pro ſanctis ſe venditant, cum interim animus eorum ſit profanus & impius. Hoc, eſt cùm externus homo ouis placida apparet, cùm internus ſit lupus rapax. Hac enim imagine Chriſtus hypocritas doctores depinxit Matth. 7. Hinc hypocriſis externa pietatis ſimulatio ſub animo profano & impio. Duplex proinde eſt iniquitas in hypocriſi, videlicet impietas & mendacium, quare etiam dupliciter damnantur, videlicet vt impij aduerſus Deum, & mēdaces coram hominibus. Conuenit proinde rectiſſimè dictum illud Ariſtotelis de Xenocrate in hypocritas: χεῖρες μὲν ἁγναὶ, φρὴν δ᾽ ἔχει μιάσματα. Hi quia non hoſtes ſed ciues, non inimici ſed amici, non extranei ſed domeſtici Eccleſiæ haberi volunt, imperitiores & minus cautos citius obruunt quàm aperti hoſtes. Veriſſimè enim dicitur, *Tuta frequenſque via eſt per amici fallere nomen.* Quantum autem damni hypocritæ Eccleſiæ intulerint omnibus temporibus hiſtoriæ Eccleſiæ abundè docent. Nam cùm pugnant externa ſuperſtitione, & cæremonijs, quibus maxima mouetur imperita plebecula, & cùm ſuperſtionem ſuam palliant ieiunijs, orationibus prolixis, eleemoſynis, & ficta facici triſtitia, doctrinam iuſtificationis gratuitæ inuadunt, eamque veluti faſcinis quibuſdam obſcurare volunt, vt videre eſt in omnium monachorum ſectis. At huic hypocriſi opponenda eſt prudens ſimplicitas, quæ cōſtat veri cognitione, amore boni, & pia actione. Deinde quantum fieri poteſt detrahenda eſt docendo hypocritis larua, vt lupus, quem tegunt, appareat, vt ſordes conſpiciantur, vt fraus detegatur. Denique vt impietas interna prodatur, quò diſcant omnes non in externis ritibus, non in cæremonijs, non in fucata facie, ſed in animi vera pietate ſitum eſſe regnum Dei.

Quomodo vincātur.

5. Epicurei.

Epicurei quoque inſultant doctrinæ Eccleſiæ eamque perſequuntur, voluptates, diuitias, & gloriam mundi voluntati Dei, cœleſtibus opibus, & æternæ ſanctorum gloriæ præferentes. Obiiciunt Eccleſiæ crucis Criſti ſcandalum: obijciunt paucitatem verè credentium Euangelio: obijciunt ſplendorem regni pontificij: obijciunt ſapientiam aduerſariorum: obijciunt hæreſes & ſchiſmata, quibus dilaceratur Eccleſia. Sed horum ſannas facilè contemnit qui rectè didicit Ieſum Chriſtum, & qui beatitudinem hominis non metitur doloſa humanæ ſapientiæ menſura, ſed veritate doctrinæ cœleſtis, & euentu ſeu exitu vtrorumque, hoc eſt, piorū & impiorum. De quo euentu legantur pſalmi 37. & 73. Quoniam cum his aduerſarijs congrediuntur Eccleſiæ doctores, quorum munitiones armis ſpiritualibus demoliuntur, & frangunt vires aduerſariorū, dicuntur pergere de victoria in victoriam.

Quomodo vincē(n)tur.

Conſolationes miniſtris Euangelij propoſitæ.

Porro ex doctrina de qua nunc dictum eſt concluditur conſolatio dulciſſima, qua ſe erigant miniſtri verbi in conflictu cum enumeratis hoſtibus. Primùm enim ſe ex eo conſolabuntur, quòd nō ſuam, ſed Dei cauſam agant. Secundo, quòd non carnalibus armis, ſed cœleſtibus muniti in certamen prodeant. Tertiò, quòd habeant præſentem regem ſeu ducem ſub quo militant, videlicet Chriſtum ipſum qui victor eſt totius regni tenebrarum. Quartò, reſpiciant ad coronam iuſticiæ ipſis propoſitam ab

Agono

Agonothete Chriſto immarceſcibilē. Quinto, quòd pugnæ cataſtrophe ſit futura lætiſſima & periucunda, in qua Deus ipſe ſe præſentem exhibebit, de qua re ſequitur in deſcriptione.

vt appareat Deus in zion.

Cauſa finalis victoriæ piorum.

Hoc ſextum & poſtremum deſcriptionis præſentis membrum continet cauſam finalem victoriæ militum Eccleſiæ, videlicet vt Deus ſuæ Eccleſiæ defenſor & cuſtos præſens agnoſcatur iuxta promiſſionem. Non præualebunt aduerſus eam portę inferorum, huc precatio illa pertinet quæ eſt in Pſalmo 115.1. Non nobis Domine non nobis, ſed nomini tuo da gloriam, ſuper miſericordia tua & veritate. Quarè dicent gentes, vbi eſt Deus eorum? Ac ſi dicat, Iſtam blaſphemiam hominum negantium te habere curam Eccleſiæ tuæ reprime, ædito teſtimonio præſentiæ tuæ in Eccleſia. Etſi autem Deus ſuam præſentiam in toto mundo teſtatur prouidentia, gubernatione, & conſeruatione naturæ rerum, tamen peculiaribus quibuſdam modis ſe præſentem in Eccleſia, & in ſingulis ſanctis exhibet, videlicet conſeruationem miniſterij verbi & ſacramentorum, habitatione in ſanctis per fidem, conſolatione interna, defenſione miraculoſa aduerſus furores diabolorum & hominum. De hac præſentia teſtantur ſequentia teſtimonia Num. 14.13. At audient Ægyptij quòd eduxeris in virtute tuà populum iſtum de medio eorum dicentque habitatori terræ huius, & quòd tu Domine oculo ad oculum viſus ſis. Ioſue. 3.10. Scietis quòd Dominus Deus viuens in medio veſtri ſit. 1. Regū. 18.36. Vt ſciant omnes qui ſunt in terra quòd ſit Deus in Iſrael. Eſaiæ 37.20. Et nunc Domine Deus noſter ſalua nos de manu Sennacherib, vt cognoſcant omnia regna terræ quod tu ſolus ſis Dominus.

Teſtimonia.

Hæc præſentia Dei in Eccleſia duplicem finem propoſitum habet. Quorum vnus ad domeſticos Eccleſiæ: alter ad extraneos & prophanos pertinet. Quantum autem ad pios ſeu domeſticos fidei attinet, hic finis eſt præſentiæ Dei in Eccleſia, videlicet vt pij confirmentur in fide, vt gratias agāt Deo ſub cuius vmbraculo ſecuri ſunt, vt viuant in timore Dei in cuius conſpectu ambulant, vt ſub cruce Deum quem habent præſentem inuocent, vt per patientiam expectent victoriam aduerſus diabolum & mundum. Hinc illa fiduciæ plena conſolatio, Nu. 14.9. Dominus nobiſcum eſt, nolite metuere. Quantum autem ad extraneos & prophanos ſpectat hic finis eſt præſentiæ Dei in Eccleſia, vt ſe vel adiungant veræ Eccleſiæ per pœnitentiam, abnegata omni profanitate & impietate: Vel, ſi hoc non fecerint, vt habeant proprias conſcientias teſtes ſuæ iuſtiſſimæ condemnationis. Nam futurum eſt tandem vt iuxta pſalmi 83.18. dictum, Erubeſcant & conturbentur in ſeculum ſeculi, & confundantur & pereant, & cognoſcant quod nomen tibi Dominus, quodque ſolus ſis altiſſimus ſuper omnem terram, & vt pſalmus 52. habet, Deſtruet te in finem & euellet te & migrare te faciet de tabernaculo tuo, & radicem tuam de terra viuentium detrahet, videbunt iuſti, & ridebunt dicentes. Ecce homo qui nō poſuit Deum adiutorem ſuum, ſed ſperauit in multitudine diuitiarum ſuarum, & præualuit in vanitate ſua. Nullum igitur excogitari poteſt malum peſtilentius aut exitialius quàm per peccatū à Deo ſeparari, à perenni omnium bonorum fonte ad perniciosiſſimam cōuerti malorum camerinam, à dulciſsima vita in acerbiſsimam mortem, denique à vita beatitudine ad ſempiternam miſeriam.

TERTIA PARS.

Summa.

Tertia pars pſalmi precatio eſt in qua petit Dauid defenſionem Eccleſiæ, & abſoluitur hæc pars 8.9.10.& 11. verſibus, & conſtat propoſitione & confirmatione: de quibus ordine dicemus.

8. *Domine Deus Zebaoth exaudi orationem meam, auribus Percipe Deus Iacob.*

Propoſitionis duæ rationes.

Hæc precationis propoſitio duabus rationibus fulcitur, quarum prior præcedit, altera ſequitur propoſitionem. Non enim ſolent petitiones ſimpliciter & nudè proponi, ſed ſæpius veſtiuntur argumentis ſuaſorijs, ſæpe epithetis rei quæ petitur appoſitis ornantur, vt magis moueant. Prior ratio ſeu compellatio continetur hiſce verbis: *Domine Deus Zebaoth*, ſumitur à facultate, quaſi dicat, Cùm tu ſis Dominus ille Zebaoth omnipotens, cui nihil poteſt reſiſtere, ſed omnia tuo cedunt imperio, facillimum tibi fuerit Eccleſiam tuam aduerſus omnis generis hoſtes conſeruare & tueri. Quarè rogo vt hanc tuam potentiam exeras in Eccleſiæ defenſione aduerſus rabiem diabolorum & hominum, qui partim ex inſidijs, partim aperto marte Eccleſiam tuam aggrediuntur. Poſterior ratio qua veſtitur & fulcitur petitio hæc eſt, Deus Iacob. Hæc ratio à voluntate Dei erga Eccleſiam ſumitur. Nam cùm Iacob meminit, reſpicit ad promiſſionem factam Iacob nepoti Abrahæ & ſemini eius, id eſt, omnibus qui fide promiſſionis recipiuntur in familiam Iacob, hoc eſt, in Eccleſiam. Eſt autem promiſſio facta Iacob fundata in benedicto ſemine Ieſu Chriſto, quare perinde eſt ac ſi dixiſſet, Auribus percipe orationem meam propter Dominum mediatorem noſtrum Ieſum Chriſtum.

1. A potētia Dei.

2. A volūtate ſeu fœdere Dei.

Doctrina.

Has duas cauſas in omni inuocatione noſtra intueamur, quarū prior docet quod Deus poſſit præſtare quæ petimus, altera quòd velit, idque propter promiſſionem paternam. His ipſas cauſas coniungit Dominus in forma precandi quam ſuis commendat diſcipulis, cùm ait, Precantes dicite, Pater noſter qui es in cœlis. Nam cùm dicitur, Pater noſter, ſignificatur paterna Dei voluntas erga filios ſuos, hoc eſt, credentes omnes. Cum verò additur. Qui es in cœlis, indicatur Maieſtas diuina & potentia qua poteſt quicquid vult. Vult autem omnia quæ promiſit. Promiſſio enim voluntaria eſt & gratuita. Ex his præterea duo colliguntur. Primùm quod ſoli illi rectè & efficaciter orare poſſunt, qui habent promiſſionem, hoc eſt, qui credunt. Deinde, quòd orationis vis non ex dignitate hominis pendeat, ſed ex bonitate Dei promittentis ſe exauditurum inuocantes ex fide promiſſionis. De Domino zebaoth, de pugna ipſius, exercitibus, & triumphis, vide quæ annotauimus in primum huius pſalmi verſum.

Cōfirmatio ab eadem precandi formula.

Alia doctrina.

9 *Protector noſter, aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.*

Summa.

Petitionis repetitio eſt ſimiliter veſtita duabus rationibus, quarum prior continet vtrāque ſuperiorem, eſt enim & à potentia & voluntate Dei ſumpta. Nam cùm dicit. *Protector* ſeu clypee *noſter*, & potentiam qua poteſt, & voluntatem qua vult Deus iuuare inſinuat. Cùm autem addit, *reſpice in faciem Chriſti tui*: Ratio ſimiliter à virtute promiſſionis ſumitur. Nam cùm Deus Da-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

uidem in regem ſui populi vngeret, ſimul promiſit ipſi auxilium quoties ex fide inuocaret. Vnde in Pſalmo 32.7. Tu es refugium meum in tribulatione. Conſerua me vt ſeruatus laudem te. huiuſmodi ſunt dicta plurima in pſalmis.

Applicatio doctrinæ.

Porro hæc ratio rectè accommodatur cuilibet pio in ſua legitima vocatione. Nam vt Dauid fuit diuinitus vocatus ad regnũ? atque ideo petit à Deo defenſionẽ vt ſuam ordinationem tueatur: ita quilibet legitimè vocatus ad quamuis functionem ſiue politicam ſiue Eccleſiaſticam, ſtatuet diuinitus vocationem factam eſſe, atque ideo Deum velle ſuam ordinationem tueri, & inuocantes ex fide exaudire. Hac conſolatione carent qui functiones quaſlibet inuadunt per fraudem ſine legitima vocatione.

10. *Quia melior eſt dies vna in atrÿs tuis ſuper millia. Elegi abiectus eſſe in domo tua magis quàm habitare in tabernaculis impiorum.*

Summa.

Ratio propoſitionis proximæ, reſpice in faciem Chriſti tui, hoc eſt, fac vt ego qui à te ſum in regem creatus reſtituar dignitati meæ regiæ. Etſi autẽ poſſem in hoc meo exilio fauorem vicinorum regum mihi conciliare, ac cum illis habitare & ſuauiter viuere: tamen pluris facio Eccleſiam Dei, vbi verbũ Dei ſonat, & iuxta verbum Dei fiunt preces & ſacrificia, quàm palatia regum. Atque ita omnino affectus ſum quòd malim infimum & viliſſimum miniſterium in Eccleſia Dei obire quàm florere opibus, potentia, honoribus, & voluptatibus extra Eccleſiam in palatiis impiorum regum, qui Deũ Iſraelis non agnoſcunt & inuocant. Hic proinde locus docet quantum ſit decus eſſe ciuem Eccleſiæ Dei, adeò vt potius viliſſima functio in Eccleſia Dei ſit expetenda, quàm ſumma gloria regum & principũ mundi, qui extra familiam Dei vel ſeruiunt idolis, vel prorſus ſunt cyclopes, nullum numen præter ventrem agnoſcentes.

Doctrina de priuilegijs ciuiũ Eccleſiæ Dei.

Cur Dauid ſic affectus eſt.

Sed vnde hic affectus in ſanctiſſimo rege Dauide? Ratio huius affectus non cernitur oculis corporeis ſed fidei tantum, nec diſcitur in aulis & palatiis regnũ mũdi, ſed in ſãctuario Dei, vt ipſe Dauid teſtatur, Pſal. 73.16.17.&c. cũ inquit. Cogitabã vt ſcirẽ, hoc ſcilicet (cur Eccleſia premitur cruce & impii florent,) ſed difficile erat in oculis meis donec irẽ in ſanctuariũ Dei & animaduerterẽ in nouiſſima eorum. Siquidem in lubrico poſuiſti eos, & deieciſti eos in interitum. Quomodo facti ſunt in deſolationem? Quam ſubito defecerunt? Perierunt propter iniquitatem ſuam, ſed ego ſemper tecum, tenuiſti manum dexteram meam, & in conſilio tuo deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Dauid igitur oculis fidei non ſolum intuetur gloriam Eccleſiæ, & futuram beatitudinem ciuiũ Eccleſiæ, verumetiam cogitat de triſtiſſimo exitu eorũ qui Deum in Eccleſia non inuocant. De vtroq; hoc eſt de gloria Eccleſiæ & exitu impiorum canit ipſe Dauid in hunc modũ, Pſal. 73.27.28. Ecce qui elongant ſe à te peribunt, perdes omnes qui fornicãtur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam, vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion.

Quare potentes & ſapientes mundi huius non animaduertant in nouiſſima ſua.

Sed quid cauſæ eſt quòd plærique potentes in mundo & ſapientes non animaduertant in nouiſſima ſua: quò rectius vitam inſtituant? Huius rei tres cauſæ numerantur à Paulo, videlicet mentis vanitas, cæcitas intelligentiæ, & obduratio cordis. Vanitas mentis facit vt ea quæ veluti per ſomnium honeſta iudicantur eligenda mox ſine fructu euaneſcãt. Cæcitas intelligẽtiæ tranſuerſos eos rapit, vt ex principiis honeſti in natura impreſſis nihil niſi errores ſequãtur. Obduratio cordis facit vt nullo timore Dei tãgantur. Vnde fit, vt reproba mẽte pro verè bonis fucata bona amplectantur, pro veris diuitiis falſas, pro vera gloria inanem, pro veris voluptatibus pecuinas & fœdiſſimas, pro vera potentia inanem arrogantiam. De hac vanitate, cæcitate, & obduratione loquitur Dominus apud Ieremiam, cap. 4.22. Stultus populus meus me non cognouit, filij inſipientes ſunt & vecordes, ſapientes ſunt ad faciendum mala, bene autem facere neſciunt. Vnde etiam fit, vt iuxta dictum Solomonis, lætentur cùm malè fecerint, & exultent in rebus peſſimis. Quibus Eſaias lamentabilem vocem Væ acclamat cùm inquit, cap. 5.21. Væ vobis qui ſapientes eſtis in oculis veſtris & coram vobis prudẽtes. Nam iuſtiſſima ira Dei olim oppreſſi æternis pœnis ſubiicientur. Verum Epicuræi contemnunt iram Dei, ſuis voluptatibus indulgentes, vel quia non putant Deum eſſe, vel quia, ſi vel maximè ſit Deus, non putant illum iraſci cùm ſit clementiſſimus. Vel ſi iraſcitur, quia mora inducit obliuionem. Sed hanc vaniſſimam vanitatem dies extremus in conſpectu omnium creaturarum, diabolorum, Angelorum, & hominum refutabit. Et conſcientia quæ eſt teſtis futuri iudicij manifeſtiſſimè illorum vanitatem arguit.

11. *Quia ſol & ſcutum Dominus Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus: non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.*

Aetiologia.

Reddit rationem cur potius eligat abiectiſſimus eſſe in domo Domini, id eſt in Eccleſia, quàm ſummis frui voluptatibus & deliciis in tabernaculis impiorum. Sumitur autem hæc ætiologia ab enumeratione bonorum ſeu commodorum quæ ſoli ciues Eccleſiæ percipiunt, quibuſque extranei non modo carent, ſed contrariis malis inuoluuntur. Quare per antitheſin illuſtranda ſunt, vt vtrumque appareat, videlicet & quantum ſit decus Eccleſiæ, & contrà quanta ſit miſeria eorum qui ſunt extra Eccleſiam.

1. Deus eſt ſol eccleſiæ.

Primum bonum ſeu commodum Eccleſiæ eſt quòd ipſe Deus in ea ſit tanquam ſol lucidiſſimus, id quod refero & ad claram notitiam Dei, & ad affectus congruentes cum notitia, & ad multiplices conſolationes quas pij concipiunt per illuſtrationẽ huius ſolis.

Similitudinis collatio.

Vt enim ex ſole hoc aſpectabili eſt mundo lux, calor, & radij quibus omnia viuificantur & fouentur: ita ex Deo, qui eſt ſol inuiſibilis & Eccleſiæ ſplendor, id eſt clara Dei notitia, eſt calor, hoc eſt, affectus ſpe, ſide, dilectione ardentes, & radij qui ſunt multiplices conſolationes quibus anima fidelis viuificatur, fouetur, & exhilaratur. Hic ſol vt timentibus Deum oritur: Ita negligentibus, perniciosè viuentibus & ſecuris occidit.

Doctrina.

Cauendum proinde eſt ſummoperè, ne pij ſinant hunc ſolem ſibi obſcurari & occultari.

Simile.

Nam vt hic ſol aſpectabilis ſi viſus fuerit ægroto in ſomniis occultari aut obſcurari, periculum eſt inſtare, vt ait Hippocrates, ægroto certiſſimam mortem: ita ſi ſol noſter Chriſtus obſcuratur nobis abolita vel corrupta doctrina, mors animæ certiſſima impendet. Hoc ergo ſole quia deſtituuntur omnes qui ſunt extra Eccleſiam Dei, non poſſunt non eſſe miſerrimi. Nam & in tenebris ignorantiæ denſiſſimis palpitant cæci & ignari Dei, & horrenda animorum conſternatione percelluntur, cùm ſe peccatum in illorum conſcientiis prodit. Etſi autem in multis conſcientia veluti cauterio aduſta videatur, ac ſi eſſet expers omnis ſenſus peccati, expergiſcetur tamen in agone mortis & miſeram animam in deſperationem adiget.

2. Deus eſt ſcutũ Eccleſiæ.

Secundum commodum Eccleſiæ eſt quòd ipſe Deus qui ſol eſt, ſit ei quoque loco ſcuti quo cingũtur,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tur,defenduntur,& tuti ſunt Eccleſię domeſtici aduerſus regnũ tenebrarũ. De hoc ſcuto loquitur pſalmus 5.12.13. cùm ait, Lætabuntur omnes qui ſperant in te,in æternum exultabunt & habitabis in eis, & gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuũ. Quoniam tu benedices iuſto Domine,vt ſcuto bonæ voluntatis coronas nos.& pſal. 18.36. Et dediſti mihi ſcutum ſalutis tuæ,&dextera tua ſuſtentat me. Ita enim Deo beneplacitum eſt quod non ſolũ ſuos corona bonæ ſuæ voluntatis cingere velit,verumetiam perpetua benedictione felices eſſe. Cùm Paulus ſcribit Epheſ.cap.6.13. aſſumite ſcutum fidei quo poſſitis omnia iacula maligni illius ignita extinguere,ſignificat tum demum nos cingi fidei clypeo,quã do fidem inconcuſſam doctrinæ cùm fiducia miſericordiæ & bona conſcientia retinentes, militamuſ honeſtam militiam. Hoc ſcuto quia carent hoſtes Dei,quid quæſo poterit illis eſſe miſerius? Siquidẽ in eos rex tenebrarum plenum obtinet imperium, & eos de vno ſcelere in aliud præcipitat, donec ipſos funditus perdiderit.

3 Gratiã dat Deus Eccleſiæ.

Tertium & quartum commoda ſunt Gratia & Gloria. Ita enim ait, *Gratiam & Gloriam dabit Dominus.* Gratia eſt fauor Dei remittẽtis peccatum credentibus propter mortem filij, & ornantis Eccleſiá veſte mundiſſima quæ eſt Chriſti obedientia ſeu iuſtitia. Hac gratia quia placent fideles, non poſſunt non eſſe felices & beati. At qui ſunt extra Eccleſiam huius gratiæ ſalutaris expertes ſunt, rei & damnati propter ſuam iniquitatem. Gloria eſt adoptionis adeptio, Spiritus ſancti inhabitatio, & æternæ beatitudinis hæreditaria poſſeſſio. Verùm qui ſunt extra Eccleſiam mancipia ſunt Sathanæ, Spiritu ſathanæ agitantur, & ſempiternæ ignominiæ reſeruantur.

4 Gloriã.

5 Pij retinentes fidẽ & bonã cõſciẽtiã variis donis Spiritualib. & corporalib. cumulantur

Quintum bonum ſeu commodum Eccleſiæ quo carent impij eſt de quo ait pſalmiſta, *Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.* Hic ex fructu iudicium fit de arbore. Arbor enim bona profert bonũ & vtilem fructum. Contrà vero putris arbor non poteſt niſi noxium & inſuauem fructum producere. Ambulare in innocentia ſeu in integritate, ſiue in perfectione (vocẽ enim Hebraicam qua hîc vtitur pſalmiſta, ſæpe perfectionis vocabulo reddunt interpretes) eſt cùm homo fide iuſtificatus anteponit obedientiam erga Deum omnibus rebus mũdi vel ſuauiſſimis. Hæc definitio probari poteſt ex 22.cap. Geneſ. Eſt autem duplex perfectio Chriſtiana videlicet imputationis & obedientiæ. Perfectus imputatione eſt qui credit in Ieſum Chriſtum iuxta illud, Rom.10.4. Chriſtus eſt perfectio legis in iuſtitiam omni credenti. Perfectus obedientia eſt qui obediẽtiam erga Deum omnibus rebus mundi anteponit. Neq; tamen hæc perfectio eſt conſummatio operis iuxta regulam legis, ſed eſt in voluntate propoſitũ, conatus, & ſtudium quo quis quotidie vlterius progreditur ad perfectionem. Hoc ſtudium approbatione diuina perfectum dicitur. Quod autem ad voluntatem & cordis affectum & ſtudium referenda ſit hæc perfectio Chriſtiana teſtantur ſequentia teſtimonia. Ioſue 24.14. Timete Dominum & ſeruite Domino corde perfecto. 1.paral.28.9. Et tu Solomõ ſerui Deo corde perfecto. Hoc ſe feciſſe teſtatur Ezechias apud Eſa.38. cap.3. cùm ait, obſecro Iehoua, recordare quæſo quòd ambulauerim coram te in veritate & corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim, hanc perfectionem requirit Paulus cũ ait, 1.Tim.1.18.19. Milita honeſtam militiam retinẽs fidem & bonam conſcientiam. Fide enim obtinetur obedientia Chriſti quæ eſt perfectio legis. Conſciẽtia obediendi alacritate conſeruatur, qua pius anteponit omnibus rebus obedientiam erga Deum, etſi eam iuxta regulam legis præſtare non poſſit.

Duplex perfectio Chriſtiana.

quare mercedẽ Deus largitur bonis operib. ſuorũ

Porrò cùm pſalmiſta ait, Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia, Sententia intelligenda eſt de remuneratione obedientiæ ex fide præſtitæ. Non enim hîc loquitur de cauſis ſalutis, ſed de effectu fidei qua iuſtificati ſaluamur. Itaque retexẽda eſt hæc ſententia & ſimiles, quales plurimę occurrunt in ſcriptura, in hunc modum. Qui ambulant in innocentia non priuabuntur bonis, quarè ita? Quia ambulantes in innocẽtia credunt. Credentes autẽ ſunt iuſti Chriſti iuſtitia ſibi imputata. Iuſtis proponitur vita & omnium bonorum abundantia, adeò vt nihil illis deſideretur ad plenam beatitudinem. Proinde qui ambulant in innocentia non priuabuntur bonis. Eodem modo ſimiles ſententiæ retexendæ ſunt, vt ducamur ab effectu proprio ad cauſam propriam & rurſus concludamus ex cauſa propria aliá effecta adiuncta & conſequentia, vt cùm dicitur, Beati qui perſecutionem patiuntur propter Chriſti cõfeſſionem, non hîc fit mentio cauſæ beatitudinis, ſed effectus fidei, & eius quod neceſſario fidem conſequitur. Quare ita explicanda eſt ſententia. Beati ſunt qui perſecutionem propter Chriſti confeſſionẽ patiuntur. Quî ſic? Quia credunt. Eſt enim fidei effectus proprius confeſſio fidei tempore perſecutionis. Verum credentes iuſti ſunt obedientia Chriſti, iuſti autem viuunt & ſunt beati ſpe æternæ felicitatis. Proinde qui patiuntur perſecutionem propter confeſſionẽ Chriſti ſunt beati. Loquitur autem hoc modo ſcriptura duas ob cauſas. Primum vt fiat iudicium de vera & viua fide ex ſuis naturalibus proprietatibus, ne videlicet laruam fidei ſeu ſpectrum pro vera fide amplectamur. Deinde vt nos promiſſione remunerationis obedientiæ excitemur ad alacrius præſtandum officium, & non ſegneſcamus propter difficultates quæ plurimę incidunt, & multos reddunt lãguidiores. Verũ de hoc loco ſuprà copioſius diximus, vbi perſtrinximus errores pontificiorũ qui perperã confundunt cauſas & effecta, & ſæpe ex qualitatibus, affectibus, & actionibus ſanctorũ, faciunt cauſas iuſtificationis & ſalutis, quorũ errores euertit pretiũ mediatoris noſtri vnici. Nã ex diametro cum merito mortis Chriſti pugnat omne humanũ meritũ cũ negotium iuſtificationis agitur. Porro cũ impij qui hærent in ſuis peccatis, militantes ſub ſatana hiſce bonis quibus ſola Eccleſia fruitur, priuabuntur, nihil ſanè poterit miſerius eſſe quàm vagari extra Eccleſiam Dei, & ferri de peccato in peccatũ donec ruatur in ſempiternam miſeriam.

Quare ſcriptura præmium proponat. operibus ex fide profectis

QVARTA PARS
pſalmi.

Summa.

QVarta pars Pſalmi Epiphonema eſt per admirationem, in qua veram cauſam beatitudinis Eccleſiæ monſtrat eſſe firmam in Deo fiduciam.

12 *Domine Zebaoth, Beatus Homo qui confidit in te.*

Cauſa beatitudinis piorum.

Hactenus ex qualitatibus, affectibus, & actionibus variis oſtendit quinam ſint ciues Eccleſiæ, quibus propoſita eſt beatitudo & ſalus. Nunc autem in hoc epiphonemate ipſam cauſam iuſtificationis & beatitudinis clarè ponit ob oculos, videlicet fiduciam in miſericordiam Dei quæ in ſolo Chriſto rata eſt. Beatus, inquit, homo qui confidit in te. Hæc fiducia ex notitia naſcitur iuxta dictũ Pſalmi: confidẽt in te ꝗ nouerũt nomẽ tuũ, quoniã nõ dereliqui-

vnde hæc fiducia.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Quare beatus qui confidit in Domino.

ſti quærentes te Domine. Sed quare beatus eſt qui confidit in Dominum? Quia vitæ æternæ eſt hæres. Quare æternæ vitæ hæres? Quia eſt iuſt⁹. Cur iuſtus? Quia in Chriſto eſt, & à Chriſto habet ꝙ lex reqrit, nẽpe iuſtitiã, iuxta illud, Rõ.10.4. Chriſtus eſt finis legis in iuſtitiã omni credẽti. Fiducia proinde pẽdet à promiſſione gratuitæ miſericordiæ. Gratuita miſericordia dependet à paterna bonitate. Paterna bonitas fundatur in merito filii, meritum filij eſt λύτρον pro peccatis totius mundi, quod λύτρον fide applicatur homini. Vt enim remediũ ſine applicatione ad locum affectum, nullam vtilitatẽ ægroto adfert: ita promiſſio miſericordiæ gratuitæ in Chriſto Ieſu etſi per ſe vera & rata eſt, tamen homini ſine fide qua fit applicatio non prodeſt. Neq; tamen exiſtimandum eſt applicationẽ per fidem fieri propter eius meritum, aut dignitatẽ, ſed propter Ieſum Chriſtũ, quem fide apprehendit homo, vt eius ſanguine à peccato purgetur, vt eius iuſtitia donetur, & ſit Deo acceptus. Nam lex nihil habet quod in credentibus accuſet: quia habent iuſtitiam, quã ipſa requirit, cuíq; vitam promittit. Cæterum poſtquã homo fide iuſtificatus eſt, debet ex virtute ſpiritus fidei viuere. Fieri enim non poteſt vt homo ſimul & verè credat, & viuat ſecundum carnẽ. Quare Paulus ad Rom.8.10. ait, Si Chriſtus in vobis eſt, corpus quidem mortuum eſt propter peccatũ, Spiritus autẽ vita eſt propter iuſtificationem. Hîc Apoſtolus, effectum duplicem Chriſti in nobis habitantis per fidem, ponit, videlicet mortificationẽ & viuificationem. Vbicunq. igitur viua & ſalutaris fides eſt, ibi ſunt quoq. eius naturales proprietates, atque inde eſt quòd ſcriptura ſæpius iudicium fidei facit ex eius proprietatibus, idque ideò ne quis ſe ſpectro fidei fallat. Vt ergo corporis vitam ex eius motu dignoſcimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis percipimus. Sed interea accuratè cauendum eſt, ne ipſam fidẽ qua apprehenditur Chriſtus vel cum proprietatibus ipſius cõfundamus, vel cum qualitatibus, affectibus, aut actionibus iuſtificatorum miſceamus. Qui enim hoc faciunt, doctrinã gratuitæ iuſtificationis peruertunt. Porro Hæbraica vox, qua hoc loco ſignificatur fiducia, dubitationi opponitur, & declaratur pluribus vocibus apud Paulum inter quas ſunt hæ, ἔλεγχος, cũ mens conuincta firmiſſimis rationibus de veritate Dei, acquieſcit. ὑπόςασις, qua animus credentis opponit ſe omnibus obſtaculis fidei ſeu tentationibus. πληροφορία, qua pleno curſu pius fertur in beatitudinis portum. πεποίθησις confidentia, ex qua naſcitur παῤῥησία. Has ob cauſas confertur fides cinctorio renum, Eſaiæ 11.5. Scuto ad Epheſios 6.10. Symbolo deſponſationis, Oſeæ 2.20. Auro quod igne probatur, 1. Petr.1.7.

Simile.

Quomodo fides iuſtificat.

Fides ſine operibus mortua eſt.

Fidei vox explicatur.

De iuſtificatione.

Cur hic locus de iuſtificatione ſuperiori cõmentario additur.

Quandoquidem Dauid hoc loco, eos qui confidunt in Deo beatos eſſe pronunciat, & nemo beatus eſſe poterit, niſi idem iuſtus fuerit (nam ideo credentes ſunt beati, quia iuſti: ſiquidem nemini vnquã contigit, aut continget beatitudo ſine iuſtitia, quæ iuſtitia cauſa vitæ atque adeo ſalutis & veræ beatitudinis exiſtit) libet huc breuem doctrinæ de iuſtificatione hominis coram Deo, declarationem adiungere. Etſi autem hæc doctrina iuſtificationis perſpicuè traditur, & in ſcholis, & in templis huius regni: tamen quia ſubindè tenebræ admiſcentur huic clariſſimæ luci, præſertim à politicis hominibus & hypocritis: quorum illi quidẽ foro ciuili ſe accõmodantes, metiuntur iuſtitiã menſura rationis: hi verò laruam iuſtitiæ induentes, iuſti ſancti haberi volunt: Neutri ergò rectè norunt diſcernere inter ea ſcripturæ teſtimonia, quæ ꝓpriè agunt de iuſtificationis cauſis, & alia dicta quæ aliò ſunt referenda, prout circũſtantiæ locorum & analogia fidei poſtulat: Volo quatuor ordines teſtimoniorum ſcripturæ, quæ ſolent in hac materia agitari, proponere: Vnde clariſſimè patebit, quænã ſit vera ſententia Eccleſię Dei, de iuſtificatione hominis coram Deo, & quo in loco habenda ſit obedientia piorum erga Deum.

Ordines teſtimõ. de iuſtificatione.

Sunt autem hi ordines teſtimoniorum.

Primus, de ſummo iure legis, iuxta normam iuſtitiæ diuinæ.

Secundus, de dulciſſima ἐπιείκεια Euangelij, ſecundum promiſſionem gratiæ.

Tertius, de fructibus fidei propriis & neceſſariis, atq. adeò de proprietatibus, qualitatibus, & actionibus iuſtificatorum.

Quartus, de mercede & remuneratione bonorum operum, iuxta promiſſiones diuinas. Hoc diſcrimine teſtimoniorum cognito, facilè erit iudicare de tota hac doctrina.

De primo ordine.

Summũ ius legis quid.

Primus ordo agit de ſummo iure legis iuxta normam iuſtitiæ diuinæ, quæ ipſa lex eſt. Eſt autẽ ſummũ ius legis diuinæ, nemini vitã & ſalutẽ, niſi qui ſit legis ſententia perfectè iuſtus, conferre: ſed oẽs ſine diſcrimine maledictioni, iræ Dei, & æternis pœnis adiudicare, qui non præſtiterint legi purã, perfectã, & perpetuam obedientiam. Hoc ius legis, in promiſſionibus & cõminationibus legi Dei additis, cõtinetur. Et ſumma redit ad hæc duo dicta Moſis: maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, vt faciat ea. Et, qui fecerit ea homo, viuet in eis. Hoc eſt, vt Deus condemnat legis tranſgreſſorem, ita legis impletorem iuſtificat. Nam vt condemnare, eſt Deum, accuſante Moſe ſeu lege propria hominis conſcientia atteſtante, hominẽ legis tranſgreſſorem reũ dicere, iniuſtum pronũciare, ac morti æternæ, vt maledictum à Deo, adiudicare: ita iuſtificare legaliter eſt Deum, defendente Moſe ſeu lege & propria hominis cõſciẽtia excuſante, hominem legis impletorem, innocentem dicere, iuſtum pronunciare, ac vitæ æternæ, vt benedictum à Deo, adiudicare, idq. ex pacto diuino. His ita cõſtitutis, demonſtrationem proponã, vnde conſtabit neminem mortalium, poſt lapſum primorum parẽtum, legaliter iuſtificari poſſe coram tribunali Dei, excepto vno Ieſu Chriſto, qui Deus & homo eſt, purus ab omni peccato, & perfectè iuſtus ſecundum legem. Eſt autem hæc demonſtratio.

vbi extet.

Eius ſumma.

Nemo lege iuſtificatur coram Deo.

Demonſtratio firmiſſima.

Quicunque legem Dei perfectè implet, iuſtus eſt lege, & hæres vitæ æternæ ex pacto diuino. Et contrà, qui legem nõ impleuerit, maledictus eſt, iræ Dei, & æternis pœnis ſubiectus, iuxta legis ſententiam.

Sed nemo mortalium poſt lapſum primorum parentum excepto vno Chriſto, inuentus eſt, qui legẽ diuinam implere potuit.

Igitur nemo iuſtus legis ſententia & hæres vitæ æternæ ex pacto diuino niſi vnus Ieſus Chriſtus, qui ſolus liber à cõtagione peccati, perfectè legem pręſtitit: ſed omnes alii præter ipſum natura ſunt maledictioni, iræ Dei & æternis pœnis ſubiecti.

Maior concluditur ex ſummo iure legis, hoc eſt, ex promiſſionibus, & comminationibus legis diuinæ. Hanc omnes pariter recipiunt, vt ex verbo Dei demonſtratam. Sed minor eſt κρινόμενον. Nam Pe-

lagiani

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Pelagij hæresis.

lagiani & Papiſtæ, minorem, vt falſam reiiciunt. Sed non eodem vtrique fundamento nituntur. Pelegius quia peccatum originis ſuſtulit, & docuit peccatum in poſteros Adæ, non propagatione: ſed imitatione ſolummodo, tranſmitti: tantum tribuit humanis viribus, quod homines per ſe naturalibus viribus poſſint implere legem Dei, & bonorum operum meritis, acquirere vitam æternam. Et quia falſo putauit Chriſtum hominem tantum eſſe, & nihilominus legi perfectam præſtitiſſe obedientiam, concluſit etiam alios homines, ſi velint, legem implere poſſe, eáq; iuſtificari & ſaluari. Sed quam debile, imò falſum ſit fundamentũ Pelagij, ſcriptura multis in locis euidenter oſtendit. Quod enim dicit peccata in poſteros Adæ, imitatione tantum tranſmitti, falſiſſimũ eſt, id quod Paulus clariſſimè docet ad Rom. 5. Vbi hoc ipſum argumentum tractat, videlicet, quòd nõ imitatione, ſed propagatione, rei ſumus: per vnum, inquit, hominem, peccatum in mundum intrauit, ac per peccatum mors, & ſic in omnes homines mors peruaſit, quia omnes peccauerunt. Item, regnauit mors ab Adã vſque ad Moſen, in eos quoq; qui non peccauerunt ad ſimilitudinẽ tranſgreſſionis Adam. An non hoc dictum, ex diametro pugnat, cum ſententia Pelagij, qui imitatione tantum trãſmitti peccatum autumat? Item vnius delicto, multi mortui ſunt, id eſt, omnes propagati ab Adam, iuxta cõmunem naſcendi legem. Rurſus, per vnum qui peccauerat, venerat mors & condẽnatio ex vno delicto ad condemnationẽ. Item, per vnius delictum mors regnauit, per vnum. Item, per vnius delictũ propagatum eſt malum in omnes homines ad condẽnationẽ, & per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi. Quid his dictis apertius? Dauid quoq. ait, pſal. 51. 7. Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis cõcepit me mater mea. Hîc non loquitur Dauid de aliquo parentum peccato, quaſi opus coniugale eſſet peccatum, quod conſtat eſſe ordinationẽ Dei ſanctã & legitimã: ſed de contagione, qua omnes polluti & concipimur & naſcimur, propter primorum parentum lapſum, in quib⁹ tota humana natura corrupta eſt & rea. Ideo Paulus dicit ad Eph. 2. 3. Eramus natura filij iræ ſicut & cæteri. Sublato igitur fundamento Pelagij, ſua ſponte ruit ædificium, quod ſuper eo extruxerat. Cum ergo ſic colligit Pelagius: nos naſcimur ſine peccato originis, & imitatione ſola peccantis Adam, efficimur rei, igitur naturæ viribus poſſumus legem præſtare: conſtantiſſimè negandum eſt antecedens, vt quod pugnet cum totius ſcripturæ & omnium ortodoxorum perpetuo conſenſu. Quod autem dicit idem Pelagius, Chriſtum tantùm hominem fuiſſe, & nihilominus præſtitiſſe legi plenam obedientiam, atque ideo cæteros etiam idem præſtare poſſe, friuolũ eſt, & totius ſcripturæ conſenſu euertitur: nam tota ſcriptura Chriſtum Deum & hominem nobis commendat, ſaluatorẽ vnicum prædicat, inſpectorem cordiũ agnoſcit, & vbique præſentem fatetur.

Refutatio hæreſeos Pelagianę.

Papiſtarũ hæreſis.

Papiſtæ, qui minorem noſtræ demonſtrationis negant, alio nituntur fundamento, nempe falſa definitione legis diuinæ. Nam cum Phariſæis putant legem tantum cohibere manum, vt loquuntur, & requirere ſolummodo externa ciuilia opera, quæ cũ faciunt homines, dicunt eos iuſtos fieri coram Deo & mereri ſua obedientia vitam æternam, abolito peccato originis per mortem Chriſti. Vnde iuſtificationem impii definiunt eſſe remiſſionem peccatorum, & conſummationem bonorum operum. Quam autem vana & futilis ſit hæc papiſtarũ nugatio, primum lex ipſa, quę prohibet cõcupiſcẽtiam, coarguit. Deinde Paulus Rom. 17. 4. Confert legis naturam, & hominum, vt quæ ſibi maximè aduerſentur: ſcimus, inquit, quod lex ſpiritualis ſit, ego autẽ carnalis. Quo dicto ſignificat Paulus hominem carnalem non poſſe, quatenus carnalis eſt, præſtare legi ſpiritualem obedientiam. Vocat autem Paulus, carnalem hominem quem aliâs ψυχικὸν appellat, qui ſpiritum non habet, vt Iudas interpretatur, hoc eſt, non renatum per ſpiritum ſanctum. Adhæc, lex ipſa, requirit dilectionem Dei & proximi perfectã, puram & perpetuam: quæ ſanè dilectio non eſt externum & ciuile opus, ſed internum & ſpirituale, requirens puriſſimos affectus, quales in hominibus non renatis nequaquam inueniuntur. Poſtremò, interpretatio Chriſti quam ipſe opponit Phariſæis Matth. 5. ſatis refutat Papiſtarum commentum.

Eiuſdem refutatio

Porrò, oſtenſo errore Pelagij & Papiſtarum, quatuor firmas demonſtrationes, ex Paulo colligã, quibus confirmabo aſſumptionẽ noſtræ demonſtrationis: videlicet, quòd nemo mortalium poſſit legi Dei perfectam obedientiam præſtare. *Demonſtration. quib. aſſũptio primarij argumenti probatur*

Prima ſumitur à communi naturæ humanæ prauitate. Omnes enim à natiuitate, immundi & rei ſumus. Nunc autem, cùm ex impuro & fœtido fonte non poteſt niſi impurus & fœtidus riuus manare, fieri non poteſt, vt immundus homo, mundam & puram præſtet obedientiam. Ita enim Solomon ait, Eccleſ. 7. 21. Profectò non eſt quiſquã in terra qui faciat bonũ, & non peccet. Iob 14. 4. Quis dabit mundum de immundo? ne vnus quidẽ, ſcilicet, excipitur. Nam omnes de maſſa peccatrice prouenimus. Non enim poteſt effectus præſtantior eſſe ſua cauſa, firma ſtat igitur hæc demonſtratio. *1. A cõmuni naturę humanæ prauitate*

Quicunque ſunt immundi, mundam obedientiam præſtare non poſſunt. Omnes homines natura ſunt immundi, præter vnum Chriſtũ, qui ex cõmuni lege naſcentium exemptus eſt. Igitur nulli poſſunt mũdam obedientiã legi Dei præſtare. *Demonſtratio.*

Secunda ſumitur ab vniuerſali experiẽtia, ſeu pœna reatus in omnibus hominibus. Quicunque morti, quæ eſt pœna violatæ legis diuinæ, ſubiacent, præuaricatores legis diuinæ ſunt: alioqui Deus iniuſtus iudex eſſet, vt qui puniret inſontes. Nunc autẽ Paulus dicit, ſcimus quod iudicium Dei ſit ſecundũ veritatem. Sed omnes homines, morti, vt pœnæ violatæ legis ſubiacent, id quod omnium hominum triſtiſſima experientia, omnibus temporibus teſtatur. Proinde omnes homines præuaricatores legis diuinæ ſunt. Quomodo ergo iuſti lege eſſe poterunt? *2. Ab vniuerſali experientia*

Tertia ſumitur ex ſcripturæ teſtimoniis, quę ſunt ipſa vox Dei, in pſal. Moſe, Prophetis, Euangelicis & Apoſtolicis ſcriptis. In Moſe ſcriptum eſt Gẽ. 6. 5. Vidit Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & omne figmentũ cogitationũ cordis ipſorum, tantummodo malũ eſſet. En iuſtitiæ humanæ fontem. Iob 9. 2. Verè ſcio quod ita ſit, & quomodo iuſtificabit ſe homo cum Deo, ſi voluerit contendere cũ eo, non poterit ei reſpondere vnum pro mille. Idẽ, ſi iuſtificare me voluero, os meuũ cõdẽnabit me. Et pſal. 14. 1. 2. corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, non eſt qui faciat bonum, nõ eſt vſq; ad vnum. Itẽ, Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum vt videat an ſit intelligẽs aut requirens Deum, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq. ad vnũ. Et pſal. 19. 13. Delicta quis intelligit. Et pſal. 130. 3. Si iniquitates obſeruaueris, ô Domine, quis ſtabit, id eſt, quis ſubſiſtet in conſpectu tuo? Igitur Dauid pſal. 143. 2. precatur in hunc modũ. Nõ intres in iudiciũ cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in *3. A ſcripturæ teſtimoniis* *Ex veteri teſtamento.*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

conſpectu tuo omnis viuẽs. Et Solomõ, Prou. 20. 9. quis poteſt dicere, mundum eſt cor meũ, purus ſum à peccato? Eſaiæ 64. 6. Facti ſumus vt immundus oẽs nos, & quaſi veſtimentum pollutũ omnes iuſtitiæ noſtræ, & decidimus velut folium, & iniquitates noſtræ tanquã ventus abſtulerunt nos. Prædicatio pœnitentiæ in Euangeliis, teſtimoniũ eſt reatus totius generis humani. Et Dominus ait, Ioã. 3. 6. ꝙ natum eſt ex carne, caro eſt. Ex Epiſtolis Apoſtolorũ vnum tantũ teſtimoniũ ex Paulo aſcribã, qui ita ait ad Rom. 3. Antea, inquit, probauimus & Iudæos & Græcos omnes eſſe ſub peccato, ſicut ſcriptũ eſt: Nõ eſt iuſtus, ne vnus quidem, non eſt qui intelligit, nõ eſt qui exquirat Deum, omnes deflexerũt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui exerceat bonitatem, non eſt vſq; ad vnum. Sepulchrum apertum guttur eorũ, linguis ſuis ad dolum vſi ſunt, venenum aſpidũ ſub labiis eorum, quorum os diris & amarulentia plenũ eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinẽ contritio & calamitas in viis eorũ, & viam pacis nõ cognouerunt, non eſt timor Dei coram oculis eorum. Ex his & ſimilibus teſtimoniis, manifeſtè concluditur noſtra propoſitio, videlicet quod nemo legem Dei perfectè impleat.

Ex nouo teſtamento.

Quarta ſumitur, à neceſſitate & fine mediatoris dati inter Deum & homines. Si enim homo ſuis naturalibus viribus legem Dei implere potuiſſet, mediatore nequaquã opus habuiſſet, ſiquidẽ ipſe legis operibus fuiſſet iuſtus, & ex pacto Dei vitam æternã obtinuiſſet. Eſt autẽ pactũ Dei: qui fecerit ea homo, viuet in eis. Nunc autem cũ homo opus habet mediatore & reconciliatore, profecto legis trãgreſſor eſt, reus, iniuſtus, maledict⁹. Vniuerſa igitur ſcriptura, quæ continet, vel promiſſionẽ, vel exhibitionẽ Meſſiæ, argui thumanũ genus tranſgreſſionis, & mittit ad mediatorẽ, placatorẽ, & interceſſorẽ. Atq; hinc Paulus petit argumentum ad Gal. 2. 21. cum inquit, ſi per legem eſt iuſtitia, Chriſtus fruſtra mortuus eſt, hoc eſt filius Dei fruſtra, humana natura aſſumpta, humiliauit ſe vſq. ad mortẽ crucis, ſi homo ex lege iuſtificari poterit: cùm ideo filius Dei factus ſit homo, vt aboleat peccatum, adducat iuſtitiã ſempiternã, ac in illo adoptemur in filios Dei. Accipiãt Papiſtæ hoc loco legem pro quacunq. parte illis libitum fueritttamen eadẽ vis conſecutionis erit. Siue enim per legem moralẽ, ſiue per iudicialẽ, ſiue per cæremonialem, ſiue per omnes ſimul, ſiue per ſingulas eſt iuſtitia, ſequitur idem abſurdum, videlicet, ꝙ Chriſtus fruſtra ſit mortuus. Si fruſtra mortuus, fruſtra & natus, & omnia ipſius beneficia iacent. Hiſce quatuor euidentiſsimis rationibus confirmatur ſententia Eccleſiæ ſtatuentis cum vniuerſa ſcriptura, neminem operibus legis iuſtificari poſſe, quia nemo legi, puram, perfectam & perpetuam obedientiam præſtat.

4. A neceſſitate & fine dati mediatoris.

Porrò, cum hoc ita ſe habeat, videlicet, quòd nemo poſſit legem Dei implere, & ex operibus legis iuſtificari coram Deo, quæri ſolet, quiſnã ſit vſus legis? Neceſſe eſt enim fateri legẽ non fruſtra eſſe latam. Ad hanc quæſtionẽ ita reſpondendũ eſt. Etſi legis operibus nullus iuſtificatur corã Deo eò, ꝙ nemo legi ſatisfaciat: tamen eius vſus eſt multiplex, qui pro conditione ſtatus hominũ ſpectandus eſt. Omitto externũ & politicum vſum, qui eſt mores externos, diſciplina cum lege congruente regere: Siquidẽ nunc agimus de vſu legis in conſcientia hominis coram tribunali Dei. Ante ergò iuſtificationẽ & regenerationem, hic vſus eſt legis in conſcientia hominis: videlicet, ꝙ doceat, accuſet, damnet. Docet quid faciendum, & quid fugiendum ſit illi, qui vitam per

De vſu legis, locus.

Eſt multiplex.

1. Ante regenerationem.

legem quærit. Accuſat tranſgreſſorem, reum pro-
nunciat & damnat. Idq; in hunc finem vt agnito pec
cato, conſiderata ira Dei, & propria miſeria, pecca-
tor quærat ex gratia, ꝙ naturæ viribus ex lege obti-
nere non valet. Atq; ita lex fit homini ſaucio occa-
ſio quærendi medicum Chriſtum: Atq; hac occaſio-
ne dicitur lex pædagogus ad Chriſtum. Huc illud
Pauli ad Gal. 3. 22. Deus concluſit omnia ſub pecca-
to, vt promiſſio detur credentibus ex fide. Hoc ipſũ
docet Dominus parabola quadã de debitore Matt.
18. Vbi rex quiſpiam iuſtè debitum, decies mille ta-
lentorum, à ſeruo exigit, quem ſciuit non eſſe ſoluẽ-
do, etſi iure debuit: ſed ideo hoc facit, vt ſeruus a-
gnoſcens ſuam inopiam, ad gratiam Domini confu
giat, quo totius debiti condonationẽ impetret. Hac
parabola pingitur vſus legis diuinæ in Conſcientiis
hominum, ante gratuitam totius debiti, iuxta legis
præſcriptum, condonationem & iuſtificationẽ. Vt
enim hic debitor nihil ſoluit ex debito, ſed gratuitã
condonationẽ percepit: ita lex in iuſtificationis actu
planè ocioſa eſt, vt quæ nec cauſa, nec pars ſit iuſtitię
noſtræ, quatenus à nobis fiat. At poſt iuſtificationẽ
adeptam, legis vſus ſpiritualis eſt, vt quæ ad hominẽ
ſpiritualem pertineat, normamq; ſpiritualis cultus
Dei præſcribat. Atque ita promiſſiones legis fiunt
ratæ in fidelibus per Chriſtum.

2. Poſt iuſtificationem adeptam.

His in hunc modum cognitis, non erit difficilè
argumenta eorum refellere, qui ex operibus legis cõ
tendunt homines iuſtificari coram Deo. 1. Cum igi-
tur obiiciunt ex Moſe, qui fecerit ea homo, viuet in
eis: igitur operib. legis iuſtificatur homo: Reſpõſio
neganda eſt conſequentia. Nequaquã enim æſtimã
dum eſt ex præceptis Dei, quid valeat homo, ſed q̃d
requirat ſummum ius legis, ſeu iuſtitia Dei, vt agni-
ta noſtra inopia, confugiamus ad miſericordiam: p̃-
ſertim cum conſtet, neminẽ legẽ implere poſſe. Sed
magis adhuc vrgent, ac Domini dictum nobis obii-
ciunt: ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mãdata. Hinc cõ-
cludunt obſeruationem mandatorũ Dei, iuſtificari
atque adeò ſaluari homines. Sed q̃d velit Dominus
hoc præcepto, docet ipſe parabola Mat. 18. cuius ſu-
pra meminimus. Vt enim illic exigit rex à ſuo debi
tore decies mille talenta, & non habenti quod ſoluat
ſed confugienti ad miſericordiã condonat totũ de-
bitum: ita Dominus ait ſuperbo hypocritæ, ſi vis ad
vitam ingredi, ſerua mãdata, vt hyprocrita in ſeſe de
ſcendens, agnoſceret ſuas ſordes & inopiam, ac ita
confugeret ad veniam: quod ſi feciſſet, audiuiſſet cũ
peccatrice, Lucæ 7. 48. remiſſa ſunt tibi peccata tua.
Eſt ergò fatendũ, ꝙ via vitæ æternæ iuſtiſſima & re
ctiſſima, & à Moſe, & à Chriſto pronuncietur eſſe
obſeruatio mandatorũ Dei: ſed per nos ſtat, quò mi
nùs, ea via, etſi rectiſſima vitam ingrediamur. Nam
conditio nobis planè eſt impoſſibilis, quẽadmodũ
ſupra demonſtratum eſt. Ex pręceptis igitur non cõ
cluditur effectus, quia non ſeruatur conditio, quæ
eſt, ſi legem feceris, ſed potius defectus omnium ho
minum: vt agnito defectu noſtro, confugiamus ad
gratiã. Atq. hæc eſt doctrina Pauli Apoſtoli de vſu
legis ante conuerſionẽ: per legem, inquit, Rom. 7. 7.
eſt agnitio peccati, neq. hæc agnitio peccati eò per-
tinet, vt in peccatis noſtris moriamur, ſed vt quæra-
mus Chriſtum, ſicuti Paulus ait Rom. 11. 32. Conclu
ſit omnia ſub contumacia, vt omniũ miſereatur. Et
Gal. 3. 22. Concluſit ſcriptura, omnia ſub peccato, vt
ꝓmiſſio ex fide Ieſu Chriſti detur credẽtib⁹. Proin-
de ideò requiritur legis obſeruatio ad iuſtitiã, vt a-
gnoſcam⁹ nos nihil habere iuſtitię, nec in nobis, nec
à nobis: & vt fide confugiam⁹ ad Chriſtũ, q̃ eſt finis
legis, in iuſtitiã omni credẽti de qua re dicendũ erit.

Reſpõſio ad obiectiones papiſticas. Prima.

Secunda obiectio.

Reſpõſio.

D E SE-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

DE SECVNDO *ordine.*

Iuſtificatio Euangelica.

Secundus ordo teſtimoniorum ſcripturæ, de iuſtificatione hominis coram Deo, eſt Euangelicus, in quo dulciſſima ἐπιείκεια, iuxta promiſsionem gratiæ, peccatoribus pœnitentibus proponitur: videlicet, quòd Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſaluos facere, ſicuti ipſe Dominus ait, Matth. 9. 13. veni vocatum peccatores ad pœnitentiam, id eſt conuerſionẽ: idque iuxta promiſſiones patribus factas, & Eccleſiæ Dei ſtupendis miraculis commendatas.

De eorum opinione qui ex fide & operib. ſimul iuſtitiam Chriſtianã cõponunt.

Priuſquam autem exponam ſententiam verę Eccleſiæ de hac cauſa, diluam illorum opinionem, qui cum Phariſæis, iuſtitiam Chriſtianam componunt ex operibus & fide tanquam ex cauſis ſeu partibus, ne ipſorum præiudicium veræ ſententiæ obſtare videatur. Eſt ſiquidem admodum plauſibilis politicis hominibus, & ignaris Euangelij, iſta copulatio legis & Euangelij, ſeu operum & fidei, in iuſtificatione hominis coram Deo. Ita enim dicunt: debitores ſumus legis, agnoſcimus in nobis magnum defectum, quem ſupplet Chriſtus. Quare nos faciamus quantum poſſumus: reliquum à Chriſto petamus. Atque ita partem iuſtitiæ tribuunt propriis operibus & meritis: partem verò, meritis Chriſti: ita, vt alij plus de meritis Chriſti participent, alij minus, prout vel ipſi abundant operibus vel deficiunt. Qui ſic ſentiunt, reuera gratia Chriſti excidunt, vt ſacrilegi, qui partem officij Chriſti, quod eſt ſaluare, ſibi arroganter vendicant. Quibus tota ſcriptura, & conſenſus totius veræ Eccleſiæ, aduerſatur.

Refutatio.

Sed hoc loco tantum iis opponamus Paulum Apoſtolum doctorem gentium, qui in multis locis contra iſtam Phariſaicam opinionem diſputat. Vt ad Rom. 3. 21. Iuſtitia Dei manifeſtata eſt ſine lege. Et ad Rom. 4. 13. Non per legem promiſſio Abrahæ, aut ſemini eius contigit, vt hæres mundi eſſet: ſed per iuſtitiam fidei. Si enim qui ex lege ſunt, hæredes ſunt, inanis facta eſt promiſſio. Hic Apoſtolus clariſſimè iuſtificationem adimit legi atque adeò, omnibus operibus, & tribuit eam ſoli fidei, docens promiſſionem Dei eſſe irritam, & fidem inane commentum, ſi vllis operibus iuſtificemur coram Deo, hoc eſt, ſi opera legis ſint vel cauſæ, vel partes iuſtificationis noſtræ coram Deo. Ad Rom. 10. 3. Ignorantes iuſtitiam Dei & ſuam quærentes ſtatuere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Et capite 11. 6. opponit gratiam & opera in cauſa ſalutis, ita vt ſimul ſtare non poſsint, vt cauſæ vel partes iuſtitiæ ſeu ſalutis. Si ex gratia, inquit, iam non ex operibus: alioqui gratia non eſt gratia. Si verò ex operibus, iam non ex gratia: alioqui opus non eſſet opus. Nam, vt Auguſtinus ait, *gratia eſt nullo modo, quæ non eſt gratuita omni modo.* Huc & illud ad Ephe. 2. 8. 9. Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei donum eſt, & non ex operibus, ne quis glorietur. An quicquam potuit dici clarius? Non dicit hîc Paulus cum Papiſtis, ex fide & operibus: ſed excludit opera, vt gratia ſit gratia, vt ſalus ſit donum, vt nemo glorietur coram Deo, tanquam aliquid meriti adferens, quo motus Deus, ipſum iuſtificet. Hanc gloriationem etiam ad Rom. 3. 26. Excludit Apoſtolus, vbi ait, Vbi eſt ergo gloriatio? Excluſa eſt. Per quam legem? factorum? non, ſed per legem fidei. Arbitramur igitur iuſtificari hominem per fidem, abſque operibus legis. Ex his, luce clarius eſſe exiſtimo, errare eos, qui compingunt iuſtitiam Chriſtianam, ex fide & operibus ſimul, tanquam ex cauſis ſiue partibus. Porrò, iis qui licentiam peccandi venantur ex gratuita iuſtificatione, reſpondebitur, volente Deo, in tertio ordine teſtimoniorum.

Vera iuſtificationis Euangelicæ ratio. Definitio.

Nunc autem, monſtratis erroribus de ἐπιείκεια Euangelij, dilucidè tradam, & exponam quæ ſit vera iuſtificandi ratio ſecundum verbum Dei, hoc eſt, Euangelium. Eſt itaque iuſtificare iuxta Euangelium, Deum, intercedente ſacerdote Chriſto, hominem credentem, à reatu agnito abſolutum, atque à maledictione legis redemptum, liberum dicere, propter λύτρον à mediatore ſolutum, iuſtum efficere, mediatoris iuſtitia illi imputata: denique vitæ æternæ, vt filium dilectum in dilecto, gratis propter Chriſtum mediatorem adiudicare.

Tria ad iuſtificationem neceſſaria.

Vt ergo aliquis ſit iuſtus coram Deo, requiruntur tria. Primum, vt abſolutus à peccato, & redemptus à maledictione legis, liber ſit. Secundum, vt habeat iuſtitiam, qua iuſtus reuera ſit & cenſeatur. Tertium, vt iuſtus effectus, adoptetur in filium, ſitq́ue Deo acceptus & Charus, vt dilectus in dilecto. Hæc bona conferre nemo poteſt, niſi Deus: atque ideò iuſtitia Chriſtianorum, nunc Dei iuſtitia dicitur, quia ipſe Deus eſt qui iuſtificat: nunc Chriſti, quia Chriſti propria obedientia noſtra fit iuſtitia, dum nobis imputatur: nũc fidei, quia gratuita eſt, vt quæ fide apprehenditur, cùm creditur euangelio. Ideò Dominus ait, Luc. 24. 47. oportet prædicari in nomine meo conuerſionem & remiſſionem peccatorum omnibus gentibus.

Remiſſio peccatorũ, quid.

Remiſſio peccatorum, eſt ipſa abſolutio à reatu, & redemptio à maledictione legis. Huic remiſſioni coniuncta ſunt reliqua duo, videlicet iuſtitia, & adoptio ſeu acceptatio gratuita ad vitam æternam. Huc & dictum Angeli ad virginem, Matth. 1. 21. Vocabitur nomen eius Ieſus, quia ipſe ſaluabit populum ſuum à peccatis eorum. Hic vna voce ſaluationis, omnia mediatoris beneficia intelliguntur. Sed de his particulatim dicemus, vt quẽadmodum hæc beneficia Chriſti nobis contingunt, diſtinctius & clarius intelligatur.

Quomodo fiat remiſſio peccatorum.

Primum itaque remiſſionem peccatorum accipimus, vt Paulus ait, per ſanguinem Chriſti. Obedientia enim Chriſti in cruce eſt pretium quo ſatisfactũ eſt iuſtitiæ Dei pro peccatis omnium eorum, qui per fidem conuertuntur. Ita enim Paulus ait Rom. 3. 24. Quem (ſcilicet Chriſtum) propoſuit Deus propitiatorem, per fidem in ſanguine eius. Eſt igitur meritum ſanguinis Chriſti, expiatio peccatorum, qui ſanguis ideo ſufficiens λύτρον eſt, quia eſt ſanguis filij Dei. Ideo in Actis cap. 20. 28. dicitur Deus acquiſiuiſſe ſibi Eccleſiam ſanguine ſuo. Quod autem is qui habet remiſſionem peccatorum, id eſt, qui abſolutus eſt à reatu peccati, ſit & redemptus à maledictione legis, & donatus libertate filiorum Dei, teſtantur hæc dicta. Galat. 3. 13. Chriſtus nos redemit de maledictione legis, factus pro nobis maledictum. Item, Ioann. 8. 34. 36. qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati: at ſi filius vos liberos reddiderit, verè liberi eritis. Quicunque igitur alij cuicunque rei, pręter ſanguinem Chriſti, tribuunt vel minimum meritum expiationis peccatorum, prophanant ſanguinem Chriſti, & extenuant meritum mortis Domini: cuius meriti tum demũ efficimur participes, quando credimus in Ieſum Chriſtum. Ideo Paulus ait, per fidem in ſanguine eius, id eſt, cùm homo intellecta promiſſione gratiæ, verè ſtatuit peccatum ſibi remiſſum eſſe, propter ſanguinem Chriſti, verè particeps eſt meriti mortis Domini, per quod à peccatis abſolutus eſt, à damnatione legis redemptus, & à ſeruitute peccati & diaboli liber.

De iuſtitia cum remiſſione peccatorũ coniuncta.

Cùm remiſſione peccatorum, coniuncta eſt iuſtitia, qua credens iuſtificatur, id eſt, verè fit & cenſe-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tur iuſtus coram Deo. Atque hæc iuſtitia alterum beneficium Chriſti eſt, in iuſtificatione noſtri. Eſt autem hæc iuſtitia nihil aliud, quàm perfecta legis impletio à Chriſto quidem facta, ſed nobis credentibus donata, & imputata. Sic enim Paulus ait ad Rom.10.4. Chriſtus eſt finis legis in iuſtitiam omni credenti, id eſt, omnis qui credit, habet quod lex requirit, nempe iuſtitiam. Non quidem à ſe factam, ſed ſibi imputatam. Ad Rom.4.5. Et qui non operatur, ſed credit in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides eius ad iuſtitiam. Quod autem hæc iuſtitia, quæ nobis imputatur, ſit Chriſti obedientia, teſtatur collatio Paulina ad Rom.5.19. Quemadmodum, inquit, vnius (Adam) inobedientia, multi conſtituti ſunt peccatores: ita per vnius Chriſti obedientiam, multi conſtituentur iuſti, id eſt, quotquot crediderint. Et 2. Cor.5.21. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum vt nos fieremus iuſtitia Dei in eo, id eſt, Chriſtus factus eſt peccatum pro nobis, hoc eſt, peccator, nempe ex omnium peccatorum noſtrorum reatu ipſi imputato, vt nos fieremus iuſti apud Deum: & quidem iuſticia, non nobis inhærente: ſed quæ, cum in Chriſto ſit, nobis per fidẽ à Deo imputatur. Sic ergò ſumus iuſtitia Dei in ipſo, vt ille eſt peccatum in nobis, nempe ex imputatione. Atque hoc eſt quod Auguſtinus ait: *Noſtra delicta, ſua delicta fecit, vt ſuam iuſtitiam, noſtram iuſtitiam faceret.* Cum his conſentiunt Moſes, Pſalmi, & Prophetæ. Moſes ait, Geneſ.3.15. ſemen mulieris conteret caput ſerpentis. Item, Geneſ.12.18.22. benedicentur in ſemine tuo (id eſt Chriſto) omnes cognationes terræ. Hæc benedictio non poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum, Iuſtitia & approbatione diuina. Si ergo benedictio per Chriſtum, per illum quoque erit liberatio à maledictione, per remiſſionem peccatorum, imputationem iuſtitiæ, & acceptationem diuinam. Pſal.22.32. Annunciabunt iuſtitiam eius (Chriſti) populo, hoc eſt, Eccleſia prædicabit non iuſtitiam humanam per opera aut ceremonias: ſed iuſtitiam Chriſti, quæ omni credenti imputabitur ad iuſtitiam. Eſaiæ.53.11. In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Hoc teſtimonium illuſtre eſt: docet peccata expiari victima Chriſti: docet Chriſtum iuſtum, alios ſua iuſtitia iuſtos efficere: docet applicationem fieri, per ſcientiam ipſius Chriſti, hoc eſt, per efficacem notitiam Chriſti. Eſt autem efficax notitia, quando mentis notitiæ adiungitur fiducia in corde. Hier.23.6. Hoc eſt nomen quo vocabunt eum, Dominus iuſtitia noſtra. Hîc Propheta & diuinitatem Chriſti prædicat: & nos iuſtitia ipſius iuſtificari pronunciat. De applicatione loquitur idem Propheta, cap.17.7. Benedictus homo, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Confidit autem in Domino, qui ſtatuit ſe ipſius iuſtitia iuſtificatum placere Deo. Nam obedientia Chriſti, Dei & hominis, perfectiſſima impletio legis diuinæ eſt: quæ ideo omnibus ſufficit, quia eſt iuſtitia hominis, qui eſt Deus. Hoc indicat Propheta cum ait: Iehoua eſt iuſtitia noſtra. Tenendum eſt igitur toto pectore, quòd iuſtitia, qua ſumus iuſti coram Deo non ſit in nobis qualitas aliqua, aut actio: ſed obedientia Chriſti, quæ credentibus imputatur ad iuſtitiam. Ita Paulus diſertiſsimè diſtinguit inter iuſticiam humanam & Chriſti, ad Philip.3.8.9. Omnia duco, inquit, pro excrementis, vt Chriſtum lucrifaciam & comperiar in eo non habens meam iuſtitiam, quæ eſt ex lege: ſed eam, quæ eſt per fidem Chriſti, hoc eſt, iuſtitiam quæ eſt ex Deo, per fidem.

Iuſtitia noſtra coram Deo, quid.

Iam, ſi remiſsionem peccatorum habemus, & iuſtitiam per fidem, videlicet perfectiſſimã iuſtitiam, quæ eſt Chriſti Ieſu, profectò non amplius ſumus ſub damnatoria legis ſententia, videlicet, maledictus omnis qui non fecerit omnia quæ ſcripta ſunt in libro legis. Atque hoc eſt quod Paulus ait, non ſumus ſub lege (ſcilicet damnante) ſed ſub gratia (ſcilicet iuſtificante) Quare? quia ſicut per vnius (ſcilicet Adæ) delictum venit, ſcilicet reatus in omnes homines, in condemnationem: ſic & per vnius (ſcilicet Chriſti) iuſtitiam venit, ſcilicet gratia, in omnes homines in iuſtificationem. Rom.5.18. Hoc eſt, ſicut Adæ peccatum, cauſa eſt condemnationis ad æternam mortem: ita Chriſti iuſtitia cauſa eſt iuſtificationis ad æternam vitam. Nulla proinde, vt idem Paulus ait, Rom. 8. 1. condemnatio eſt iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu. Nam liberi ſunt à iure peccati & mortis per liberatorem Chriſtum.

Fructus remiſſionis peccatorũ & iuſtitiæ per fidem.

Tertium, quod requiri diximus, vt homo iuſtus cenſeatur coram Deo, eſt vt Chriſti iuſtitia ornatus, adoptetur in filium & acceptetur ad vitam ęternam. Nam, vt fide obtinet remiſſionem peccatorum & iuſtitiam: ita etiam eadem fide, adoptionis ius, & dignitatem filiorum Dei conſequimur, iuxta illud Ioannis. 1. 12. Dedit poteſtatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomen eius. Hoc eſt, contulit hunc cœleſtem honorem credentibus vt ſint & cenſeantur filij Dei. Et Paulus, Rom.8.15. Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum ad timorem: ſed ſpiritum adoptionis, in quo clamamus abba pater. Ipſe autem ſpiritus teſtimonium reddit cum ſpiritu noſtro, quòd ſimus filij Dei: quod ſi filij, etiam hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti.

Adoptio in filios Dei.

Porrò, hæc adoptio noſtri ſpectatur dupliciter, videlicet, vt eſt inchoata in hac vita per fidem & vt conſummabitur reſuſcitatis corporibus. Vtraque hæc adoptio, habet ſuam gloriam. Per inchoatam enim adoptionem habemus pacem cum Deo quæ eſt, & reconciliatio noſtri cum Deo, & tranquilla conſcientia in Chriſto Ieſu: habemus acceſſum ad Deum, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Habemus firmam fiduciam, quòd noſtri, vt filiorum curam ita habeat Deus, vt omnia cooperentur nobis in bonum, etiam ea quæ videntur aſpera. Vnde fit, quòd ſancti, vel in cruce, qua conformes redduntur filio Dei vnigenito, glorientur: iuxta illud Pauli, Rom.5.3. gloriamur in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non confundit, quia Deus diligit nos. De conſummanda adoptione noſtri loquitur Paulus ad Rom.8.22. Nos ipſi apud nos gemimus adoptionem expectantes redemptionem corporis noſtri. Hanc redemptionem corporum, paulo anteà in eodem capite, definit Apoſtolus eſſe libertatem gloriæ filiorum Dei, hoc eſt, plenam gloriam, qua filij Dei, ab omni malo liberi, dulciſſimo fruentur conſpectu Dei in omni æternitate beati. De hac gloriæ expectatione loquitur etiam Apoſtolus ad Rom.5.2. cum ait, Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Cum hac adoptione, quæ conſummabitur in extremo iudicio, coniuncta erit iuſtitia formalis, qua conformes erimus Deo in æterna vita: quam iuſtitiam Apoſtolus nos expectare affirmat, cum ait ad Gal.5.5. Nos ſpiritu ex fide ſpem iuſtitiæ expectamus. Qualis autem futura ſit illa iuſtitia, explicat Ioannes 1. Ioann.3.2. cùm ait. Scimus quod cum apparuerit, ſimiles ei erimus, id eſt, ſancti, iuſti, caſti & beati in omni æternitate.

Adoptionis noſtræ duplex conſideratio.

Ex iis quæ hactenus de iuſtificatione hominis, compoſi-

Iuſtificationis definitio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

compoſitionis methodo, congeſsimus, hæc definitio extruitur. Iuſtificatio hominis coram Deo, eſt hominis credentis abſolutio à peccato, imputatio iuſtitiæ Chriſti, & acceptatio ad vitam æternam gratis propter Chriſtum.

Cauſæ.

Iam vt plenior ſit hæc iuſtificationis noſtri expoſitio, ordine cauſas, ſed breuiſsimè, videamus. Cauſa igitur præparans eſt prædicatio legis, quæ facit vt agnoſcamus & ſentiamus noſtram inopiam, & iuſtam condemnationem, quem ſenſum Paulus vocat ſpiritum timoris, quia ad prædicationem legis excitatur in hominibus per Spiritum ſanctum. Petrus in Actis ſuos contribules Iudæos die Pentecoſtes, reos peragit violatæ vtriuſque tabulæ: vnde concipitur in ipſis ſpiritus timoris, hoc eſt, ingens dolor & cordis contritio, ſeu compunctio propter ſua peccata. Hos poſteà perplexos & dubios atque deſperantes iubet conuerti & baptizari in nomine Chriſti, id quod concio fuit Euangelij. Conuerſio autem hæc fit per fidem, quam homines concipiunt per Spiritum ſanctum, quando audiunt Euangelium. Hac fide concipitur totus Chriſtus, qui nobis natus eſt à Deo, ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, cúmque in omni æternitate prædicet. Atque hæc eſt illa ſcientia ſalutis à ſapientibus huius mundi abſcondita, & reuelata Eccleſiæ per verbum Euangelij.

DE TERTIO ORDINE.

Fructus iuſtitiæ fidei ab ipſa iuſtificatione diſtinguendus.

Fructus Iuſtitiæ fidei, etſi nunquam ſeparandus, diligentiſſimè tamen, ab ipſa iuſtificatione noſtri diſtinguendus eſt. Nam aliud eſt beneficium Chriſti proprium, quod ſola fide obtinemus: aliud obſequium noſtrum debitum, quod ex fide, per quam regeneramur, & naſcimur filij Dei, tanquam fructus ex arbore, naſcitur. Vnde, vt de arbore ex fructu, ita de fide viua, ex eius naturalibus proprietatibus fit iudicium. Ex quo fit, vt in hoc ordine teſtimoniorum, Iuſtificandi verbum, aliud ſignificet, quam in ſuperioribus ordinibus. Nam Hîc iuſtificare, ſignificat iuſtum oſtendere & declarare. Vt in Iacobi Epiſtola, homo dicitur iuſtificari operibus: eò quòd per opera oſtenditur & declaratur eſſe iuſtus. Et ſæpiſsime in ſcripturis pronunciantur beati, qui bonis operibus incumbunt: non quòd bona opera ſint cauſæ aut merita beatitudinis: ſed quia ſunt certa indicia ſuæ cauſæ, hoc eſt, fidei ſeu ſpiritus fidei. Qui enim ducuntur ſpiritu Dei, hi ſunt filij Dei. Atque hinc eſt quòd Dominus dicat apud Matth. ca. 5. Beati mites, beati miſericordes, beati pacifici, beati patientes. Hæ enim virtutes, ſi germanæ ſunt & non laruæ virtutum, proficiſcuntur ex fide, qua apprehenditur iuſtitia, & ſunt certiſſimæ notæ filiorum Dei, ex quibus adoptio demonſtratur.

Regula.

Tenenda eſt igitur hæc regula. Cùm effecta diuerſa, pariter pendent ex vna eadémque cauſa, valet conſequentia ab vno effectu ad alium, propter communem dependentiam. Lucæ 7. 47. dicitur de peccatrice, remiſſa ſunt illi peccata multa, quia dilexit multùm. Quoniam autem vtrumque, hoc eſt, remiſſio peccatorum, & dilectio, pendent ex fide, tanquam à cauſa propria, valet conſequentia à dilectione ad remiſſionem peccatorum propter communem dependentiam.

Papiſtarū [illegible]

Sophiſtæ qui putant Chriſtum à cauſa ad effectum deſcendere, & facere dilectionem cauſam remiſsionis peccatorum, peruertunt ſententiā Chriſti: quemadmodum ex parabola quam Dominus in medium adducit, manifeſtum eſt. Erant, inquit, duo debitores cuidam creditori, quorum vnus debebat denarios quingentos, alter verò qunquaginta. Cùm autem non haberent quod ſoluerent, condonauit vtriſque, vter igitur horum dic, eum plus dilexit? Reſpondens Simon dixit, exiſtimo quod is, cui plus donauit. Deinde mulieri dixit, fides tua te ſaluam fecit, vade in pace. Nonne hîc Dominus apertè condonationem peccatorum antecedere dilectionem indicat, & vtramque, hoc eſt, condonationem & dilectionem pendere ex fide, tanquam ex propria cauſa? Sæpe etenim tribuuntur eidem cauſæ effecta, quorum alia aliorum ſunt conſequētia, quæ tamen ad ſuam propriam cauſam referri debent, ne fiat cauſarum & effectuum confuſio.

Alia Auguſtini regula.

Huc pertinet regula Auguſtini, *Quoties*, ait, *in ſcripturis, occurrunt huiuſmodi loca, quæ videantur iuſtitiam tribuere operibus, ſpectandum eſt quonam ex fundamento proficiſcuntur. Cúmque ea naſcuntur ex fide, ei radici ſunt adſcribenda.* Exempli gratia, beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem, in die malo liberabit eum Dominus. Hîc nequaquam ſtatuitur miſericordia erga egenos & pauperes cauſa beatitudinis. Eſt enim miſericordia particulare opus quo non ſatisfit legi diuinę. Sed ideò ſic loquitur Dauid, propterea quod effectus certiſſimum ſuæ cauſæ indicium exiſtit. Ideò ergo miſericors erga egenos eſt beatus, quia credit. Iam autem quia fide placet, placet & opus, non ex ſui perfectione: ſed ex diuina dignatione, quia perſona non eſt ſub lege, ſed ſub gratia.

Neceſſe eſt opera placentia Deo proficiſci ex fide.

Quòd autem neceſſe ſit opera, quæ Deo placebũt, proficiſci ex fide, manifeſtum eſt. Nam quicquid non fit ex fide, peccatum eſt, Rom. 14. 23. Impoſſibile eſt placere Deo ſine fide. Hebr. 11. 6. & Dominus ipſe ait ſine me nihil poteſtis facere Iohan. 15. Sicut enim palmes non poteſt fructum facere, niſi in vite manſerit: ita homo nihil poteſt ſalutare pręſtare, niſi in Chriſto per fidem fuerit. Nā ante regenerationem, malæ arbores ſumus, quarum fructus non poterit eſſe niſi malus, Matth. 7. 18. Filij iræ ſumus & mortui peccatis, ad Eph. 2. 3. Caro ſumus, cuius φρονημα inimicitia eſt aduerſus Deū, ad Rom. 8. 7. Animales ſumus, qui non percipimus quę ſunt ſpiritus Dei 1. Corinth. 2. 14. Quicquid ergo Deus promittit bona facientibus, neceſſe eſt illud promitti, non promiſcuè omnibus: ſed tantum filijs obedientibus ex fide. Nam cum iuſti fide placent, fructus iuſticiæ fidei, hoc eſt, bona opera neceſſariò edunt, quæ non poſſunt magis à fidei iuſticia ſeparari, quàm proprietas naturalis à ſuo ſubiecto.

Regula.

Idcirco, vt à ſubiecti alicuius ſubſiſtentia ad eius proprietatem naturalem, perpetuò valet conſequentia: & contrà, poſita proprietate, neceſſe eſt ſubiectum exiſtere: ita poſita fide iuſtificante in homine, neceſſariò ponuntur bona opera quæ ſunt proprietates ſpiritus fidei. Et rurſus poſitis bonis operibus, neceſſe eſt fidem poni, à qua manant. Et contrà, vt ſublato ſubiecto tolluntur proprietates: ita vbicunque non eſt fides, nec ſunt bona opera. Et vbi non ſunt bona opera, neque fides exiſtit eorum effectrix. Ideò Paulus ait, 1. Tim. 1. 18. 19. milita honeſtam militiam, retinens fidem & bonam conſcientiam, qua quidam repulſa, circa fidem naufragium fecerunt. Quoties proindè promiſſiones adiungi videntur bonis operibus, recurrendum eſt ad radicem & fundamentum, videlicet fidem. Nam vt duo ſint principia rerum, vnum vt ſint, alterum vt cognoſcantur: ita fides vt principiū exiſtentiæ, facit vt ſis iuſtus. Opera autem, vt principium cognitionis, faciũt vt cognoſcaris iuſtus. Ideò Dominus in extremo die proponet principium cognitionis iuſticiæ fidei, quod incurret in oculos omnium creaturarum. Ita enim dicet, vt eſt Matth. 25. Venite benedicti patris mei, & poſſidete regnum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vobis paratum à conſtitutione mũdi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi mãducare:ſitiui,& dediſtis mihi bibere:hoſpes fui,&collegiſtis me:nudus fui,&operuiſtis me:infirmus eram, & viſitaſtis me: in carcere eram,& veniſtis ad me. Hîc Dominus non vult opera miſericordiæ erga ſua mẽbra, eſſe merita regni cœleſtis : ſed ex certis indiciis oſtendit filios Dei, quibus regnum Dei conferetur gratis propter Chriſtum,ſine omnibus humanis meritis. Ita enim Paulus ait. Rom.6.23. Gratia autem Dei, vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Etſi autem ex his quę hactenus diximus,non difficile erit iudicare, quomodo noſtra doctrina de bonis operibus, à Papiſtarum commentis differat:tamen,vt diſtinctius & particulatim hoc diſcrimen conſpiciatur, nonnulla huc adiiciam:ídque duabus de cauſis. Primùm, vt oſtendam quanta ſit vanitas eorum, qui cum audiunt, & nos, & Papiſtas requirere bona opera,putant non eſſe inter nos rerum certamina, ſed verborum ſolummodo, ex ſuperbo contradicendi ſtudio orta. Qua profectò re ſatis oſtendunt ſe planè nihil intelligere, de hac tanti momenti controuerſia,in qua cardo ſalutis noſtræ vertitur. Deinde,vt pij auditores de hac cauſa & neceſſaria doctrina rectè inſtituantur, habeántque in promptu quid reſpondendum ſit iis, qui noſtram ſententiam conuellere conãtur,eámque ſine ratione,vel ex malitia mera,vel fortè ignorantia craſſa,calumniantur.

In quo noſtra doctrina de bonis operib. à Papiſtarum commentis differat.

Diſcrimen quadruplex.

Eſt itaque diſcrimen inter nos & Papiſtas,de bonis operibus,in quatuor poſitum:videlicet,in materia operum,in cauſsis efficientibus , in forma, & in finibus. Hoc ſi claris rationibus oſtenderimus,nemo non fatebitur,modò veritati potius rei,quàm vanitati mentis ſuæ cedere velit, nos iuſtis de cauſis moueri ad hoc certamen.

1. Materia operum.

Primum ergò diſcrimen,ex materia operum ſumitur. Siquidem papiſtæ præcipua opera & cultus collocant in humanis Traditionibus,quas anteponunt mãdatis Dei: quæ tamẽ traditiones partim ſunt ſuo genere indifferẽtes, vt ſtata ieiunia,cantiones nõnullæ:ſed vſu & fine fiunt impiæ. Quia in iis fiduciã collocant,dum putant ſe illarũ obſeruatione mereri remiſſionẽ peccatorũ. Partim ſunt ſuperſtitioſæ & planè Ethnicæ,vt cõſecratio aquæ,ignis,herbarũ,candelarũ, cum infinitis aliis huiuſmodi nugis, quibus etiam vim abolendi peccata , & fugandi dæmones tribuũt. Partim ſunt manifeſtè impiæ,vt quę ex diametro pugnent cum mãdatis Dei:vt inuocatio ſanctorum,nũdinatio miſſarũ,cultus ſtatuarũ, circumgeſtatio &adoratio panis. Has &ſimiles traditiones, ferro & igni tuentur Papiſtæ, parũ aut nihil curãtes tranſgreſſiones mandatorũ Dei , quod in ipſis pœnis cernitur. Nam multò atrocius punitur in papatu contẽptus miſſæ idololatricæ,quam adulterium aut inceſtus. Multò maius flagitium eſt Papiſtis veſci carnibus die veneris,quàm trucidare hominem quouis die. Quæ res ſatis oſtendit Papiſtas anteponere ſuas traditiones mandatis Dei:id quod propria nota eſt Antichriſti. Nam vt ſententiam Chriſti contra Phariſæos latam, videlicet, fruſtra me colunt mandatis hominũ,contẽnunt:ita temere arrogant ſibi autoritatem condendi leges in Eccleſia Dei:quod ſanè nihil aliud eſt, quàm extollere ſe ſupra Deum,qui ſibi ſoli vendicat autoritatẽ cõdendi leges in ſuo regno. At nos ſubiicimus nos Deo , cuius mandata regulas bonorum operum,& iudicamus,& docemus. Mandata autem hominũ & traditiones cultum Dei non agnoſcimus:ſed doctrinam potius dæmoniorũ,cum Paulo Apoſtolo,pronunciamus. Hoc enim Dei mãdatum,quod eſt apud Ezechielem cap.20.18.anteferimus autoritati omnium hominum & angelorum In præceptis,inquit,meis ambulate,& non in præceptis , patrum veſtrorum. Ex his iudicet pius lector, vtrum Papiſtis an nobis cedendum ſit,cum de materia ſiue ſubſtantia bonorum operũ agitur. Ego profectò neminem puto adeò inſanum eſſe, vt non potius iudicet obtẽperandum eſſe Deo,qui fallere non poteſt,quã hominibus qui & fallere,& falli poſſunt.

Propria nota Antichriſti.

2. Cauſa efficientes

Secundum diſcrimen ex cauſis efficientibus petitur. Papiſtæ bona opera,cum Pelagianis,ex libero arbitrio proficiſci autumant. Docẽt enim quòd homines ante regenerationem,puris naturalibus viribus, poſſint bona opera facere, quæ merita congrui vocant,illíſque mereri gratiam:quorum error euidentibus rationibus ex verbo Dei petitis, ſuprà refutatus eſt. Nos autem,cum Chriſto,Prophetis & Apoſtolis, affirmamus nulla bona opera, vt cultus Dei, fieri poſſe ante regenerationis gratiam. Chriſtus enim dicit , Ioann.15.6.ſine me nihil poteſtis facere. Moſes & Prophetæ cor hominis natura prauum eſſe pronunciant. Paulus ad Philip.1.6. Confido, quod qui cœpit in vobis bonum opus , perficiet vſque in diem Ieſu Chriſti. Item cap.2.13. Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona volũtate.

Quare bona opera proficiſcãtur ex gratia.

Hæc dicta manifeſtè teſtantur,bona opera proficiſci nõ ex natura,ſed ex gratia:quod quomodo fiat, breuiter declarabimus. Tria itaque requiruntur ad virtutis,ſiue boni operis actionem:videlicet,mentis iudicium,voluntas,& conatus ſeu vires. Mentis iudicium Deus ſua luce, hoc eſt,verbo,in quo efficax eſt Spiritus ſanctus, illuſtrat:vt intelligamus & quæ Deo placent, & quæ diſplicent:quorum quædã ſumma in decalogo proponitur,& fuſius omnia declarantur in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis. Atque hoc eſt,quod Dauid ait, Pſal.119. Lucerna pedibus meis verbum tuum. Secundò, voluntatem ex mala bonã facit,dum eam ſuo ſpiritu , in regeneratis,renouat. Voluntas,vt ipſa eſt naturalis facultas,qualitatẽ in ſe nullã habet:ſed talis omnino fit,quale eſt, illud,quod amplectitur. Si bonum,bona:contrà verò,ſi malum,mala. Quare rectè definitur à Damaſceno, *Quod vluntas ipſa ſit natura:ſed variis modis velle,perſonæ eſt.* Et Chriſoſtomus: *Voluntas inſita eſt nobis & innata,& eſt à Deo. Huius autem,vel illius rei voluntas noſtra eſt,& noſtri iudicij:hoc eſt,non naturæ, ſed perſonæ.* Nunc autem, cùm variat ſtatus perſonæ, variari quoque qualitatem voluntatis,neceſſe eſt. Quod autem perſona ſit impia,inimica Deo,ſerua peccati,vt quæ ducatur ſenſu carnis,& non intelligat,quæ ſunt ſpiritus Dei,ante regenerationẽ, ſuperius demõſtratum eſt. Quare,non dubium eſt,quin voluntas perſonæ non iuſtificatæ ſit mala,hoc eſt,impia,aduerſa Deo,ſerua peccati:tametſi liberè agit,& non coactè. Nam ſponte ſua mala prę bonis eligit. Hęc hominis voluntas,ante regenerationẽ,omnino vellet Deum ſua peccata aut vindicare non poſſe,aut nolle,aut ea neſcire. Vult ergo eum non eſſe Deum:quę,quãtum in ipſa eſt,vult eum aut impotentem , aut iniuſtum, aut inſcium. Credulis planè & omnino execranda malitia , quæ Dei potentiam, iuſtitiam, ſapientiam perire deſiderat.

Voluntas perſonæ poſt regenerationẽ.

Cæterùm,quoniam in iuſtificatione homo ſimul regeneratur,&fit noua creatura in Chriſto Ieſu:pro huius noui ſtatus ratione,voluntas perſonæ qualitatem accipit nouam : vt quæ ante regenerationẽ fuit mala,ſerua peccati, inimica Deo:iam ſit bona,libera,amica Deo , vt quæ ipſius præceptis delectetur. Nam illuminata mente per verbum , & purificato corde per fidem,voluntas imperat ea quæ mentis ſanum iudicium ſuadet , & ad quæ puri affectus mouent.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

uent. Vt ergo homo regeneratus, noua creatura eſt: ita voluntas noui hominis de nouo creatur per ſpiritum ſanctum, quemadmodum & Dauid indicat, cum ait, Pſal. 51. 12. cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum firmum innoua in viſceribus meis. Per cor intelligit, & affectus puros, & voluntatē puris affectibus obtemperantem. Per ſpiritum firmū intelligit voluntatis προαίρεσιν & propoſitum in bono. Quod ergo voluntas fiat de mala, bona, Spiritus Dei opus eſt: quæ bona effecta libere agit (etſi ex gratia) & non coactè: alioqui voluntas non eſſet voluntas.

Virium reparatio. Tertio loco, reformato iam iudicio mentis, per verbum, & innouata voluntate per Spiritum ſanctū vires quoque paulatim reſtituuntur & creſcunt, pro fidei menſura, vt quædam Deo grata facere incipiamus: tametſi legi, iuxta eius rigorem in hac vita, nunquam ſatisfacere valemus. Harum virium reparatio fit virtute mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis Chriſti in fidelibus. Hæc virtus Chriſti pingitur quodammodo in baptiſmo noſtro, quemadmodum Paulus docet Ro. 6. Porro cum perſona iuſta ex fide retinet bonam conſcientiam, & meditatur quotidianum profectum, boni conſulitur defectus. Non enim eſt ſub lege, ſed ſub gratia.

3. Forma operum. Tertium diſcrimen inter Papiſtas & nos de bonis operibus, ſumitur à forma. Nam illi opus bonū iudicant, cùm fit externè quod præcipitur. Non enim aliud requirūt ad boni operis rationem, quam actionem ipſam. Nos verò cum Auguſtino pronūciamus, opus tum demum bonum dici & cenſeri, cùm id quod præcipitur, eo modo fit, quo fieri debet, ſecundum mentem præcipientis. Dat Phariſæus hypocrita eleemoſynam: dat etiam publicanus iam iuſtificatus eleemoſynam. Illius, hoc eſt, Phariſæi eleemoſynam Papiſtæ definiunt bonum opus eſſe: cùm tamen ſit abominabilis coram Deo. Nos verò publicani eleemoſynam bonum opus pronunciamus: non ſolùm quia præcepta eſt, ſed etiā, quia ex fide, qua iuſtificatus eſt publicanus, fit in gloriā Dei. Eſt proinde forma boni operis, cùm opus à Deo præceptum, fit à perſona fide iuſtificata, in gloriam Dei principaliter. Et opus ita factum, ſiue internum, ſiue externum ſit, cultus Dei ſpiritualis exiſtit.

Opera infidelium quatenus bona. Porrò, quòd ciuilia quædam opera, etiam ab ijs facta, qui non ſunt fide iuſtificati, ſunt vtilia & proſunt multis, atque ideo bona cenſentur: concedo iſta bona dici, & eſſe, ſed vſu & non cultu. Nā quicquid facit impurus, impurum eſt, & abominabile coram Deo. Et cùm huiuſmodi opera interdum ornat Deus præmijs, hoc propter vſum facit: non quòd ſint cultus illi placens, aut bona per ſe.

4. Finium diuerſitas. Quartum, in quo nos à Papiſtis diſſentimus in doctrina bonum operum, eſt finium diuerſitas. Illi enim alios fines bonorum operum ſtatuunt, quàm nos, qui ductum verbi Dei ſequimur. Aiunt enim ideo bona opera facienda eſſe, vt gratiam mereamur, & operibus ipſis coram Deo iuſtificemur. *Papiſticæ hæreſeos ſolida cōfutatio.* Quàm autem falſa & abſurda ſit iſta Phariſaica opinio, ſupra in primo ordine oſtenſum eſt. Non mereri gratiam ante iuſtificationem vlla opera, ex eo manifeſtum eſt, quòd mala arbor non poſſit edere bonum fructum. Quid ergo quæſo poteſt homo nō renatus, cùm ſit impius, impurus, nihil intelligens, inutilis, mereri impuris operibus? Deinde, ſi homo iuſtificatur operibus coram Deo, neceſſe eſt vt hoc fiat, vel quia implet totam legem, iuxta normam diuinæ iuſticiæ: vel propter particularem certæ legis obedientiam. Sed vtrumque falſum eſt: nā vt antea à nobis demonſtratum eſt, nemo mortaliū legē diuinā implere poteſt, nec ante conuerſionem, nec poſt. Deinde, particulari facto neminē iuſtificari manifeſtū eſt, cū quia nō eſt impletio legis, quæ requiritur ad iuſticiā legis: tū quia qui in vno labitur, vt Iacobus ait, omniū reus eſt. Cū ergo nec tota lege, nec parte iuſtificari quiſquā poteſt: fruſtra contendunt Papiſtæ, finem legis eſſe, vt homines proprijs operibus iuſtificentur coram Deo.

Bona opera cur facienda. Nos autem ideo docemus bona opera facienda eſſe, vt fide iuſtificati Deo debitum obſequium præſtemus, tanquam filij chariſſimo patri. Vt inueniamur viui palmites, & fructificantes, in vera vite, quæ eſt Chriſtus Ieſus. Vt homines videant noſtra bona opera, Deum glorificent, & exemplo inuitentur. Vt per opera bona in recto curſu dirigamur in portum beatitudinis. Vt bonis operibus, tanquam certiſſima nota filiorum Dei, oſtendamus nos hoſtes diaboli eſſe, quem in baptiſmo abiurauimus. Vt augeamus gaudium angelorū in cœlo, qui hominum pœnitentia, & ſanctimonia vitæ delectantur. Vt ex operibus agnoſcamur & declaremur verè iuſti: hoc eſt, vt non decipiamur ſpectro fidei, id quod hypocritis euenire ſolet, quemadmodum Iacobus cap. 2. oſtendit, cui iuſtificari ſignificat agnoſci & declarari iuſtum coram hominibus. Abraham credidit & fides eius imputata eſt ei ad iuſticiā coram Deo. Verùm cum ex mandato Dei, promptus fuit, ad mactandum vnicum filium, obſequendi ſtudio declaratus eſt iuſtus, non ſolum alijs, verumetiam ſibi ipſi. Nam viua fides hanc habet indolem, quòd obedientiam erga Deum anteponat omnibus rebus mundi, vel chariſſimis, vt in Abrahamo videmus. Quicūque ergo ſic affectus eſt, quod nihil habeat magis in votis, quàm Deo obedire, & obedientiam erga ipſum omnibus alijs rebus præferre, habet certiſſimum indicium viuæ fidei, & inhabitantis in ſe Spiritus Chriſti quo agitatur. Qui enim aguntur Spiritu Dei, vt Paulus ait, hi ſunt filij Dei, ſcilicet per fidem, cuius vera nota eſt motus ille ſpiritus, quo mouemur ad præſtandam Deo obedientiam ſumma cum prōptitudine: tametſi ſemper luctam carnis aduerſus ſpiritum ſentimus, quæ ſanè lucta, in hac vita nunquam ceſſabit.

Sūma diſcriminis. Summa diſcriminis huius, huc redit. Papiſtæ opera ſalutis merita & cauſas faciunt. Nos ea inter effecta fidei & fructus iuſticiæ fidei, cum Paulo, numeramus. Papiſtæ in operibus collocant iuſticiæ perfectionem: nos ea inchoatam obedientiam, placentem Deo propter perſonam fide iuſtam, definimus, quæ obedientia à gratuita iuſtificatione non magis ſeparari poteſt, quam naturalis proprietas à ſuo ſubiecto, vt calor ab igni, ſicuti ſuprà oſtenſum eſt.

DE QVARTO ORdine.

De mercede bonorū operum. Quartus ordo, vt propoſuimus, eſt de mercede & remuneratione bonorū operum, iuxta promiſſiones diuinas, quas pij, extra iuſtificationē, licitè intuentur, & fide expectant quæ promittuntur, ſicut Moſes ſcribitur fide expectaſſe remunerationem.

Promiſſæ mercedis diſtinctio. Porrò, merces promittitur pro operibus bonis aliàs ſimpliciter cuiuis homini: aliàs definita & ſpecialis huic vel illi homini pro particulari opere, quod eſt obedientia in re certa. *Fundamentum huius doctrinæ.* Vt autē de huiuſmodi promiſſionibus, cōmunibus & ſpecialibus dextrè & ſine errore iudicemus, principium hoc tenendū

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

eſt:videlicet,quod omnès promiſſiones extra Chriſtum ſint irritæ.Nã,ſi omnes promiſſiones in Chriſto Ieſu,vt Paulus ait,ſunt (etiã & amen)id eſt, ratæ & firmæ:ſequitur,nullas promiſſiones extra Chriſtum eſſe ratas & firmas.Ex quo & hoc concluditur, nullam obedientiam extra Chriſtum, mereri mercedem. Hoc fundamento iacto, dicamus de promiſſionibus mercedis, iuxta diſtinctionem à nobis propoſitam.

Explicatio locorũ in quibus merces bonis operibus promittitur.

Cum itaque merces promittitur ſimpliciter, ſeu in genere,cuiuis homini,pro operibus bonis, vt cũ dicitur in pſalmis,& in Paulo reddet vnicuique iuxta opera ſua: accommodabitur promiſſio per diſtinctionem.Habet enim huiuſmodi promiſſio duplicem reſpectum.Aut enim ad non renatos, aut ad renatos,referri debet.Si non renàtis, qui ſunt extra Chriſtum,accómmodatur ex principio à nobis poſito,ſequitur eam nec ratam, nec firmam eſſe quare ad primum ordinem teſtimoniorum refertur. Nam proponit iudicium legis,de præmijs bonorum operum. Verum quia cõditio annexa eſt impoſſibilis, nempe:qui fecerit ea homo,viuet in eis:fieri nõ poteſt quin dãnatoriæ legis ſentẽtiæ,videlicet, maledictus omnis,qui nõ fecerit ea, quæ ſcripta ſunt in libro legis,nõ renatos ſubijciat:tãtũ abeſt,vt ſalutare præmiũ inde expectẽt homines nõ renati. At ſi renatis huiuſmodi ꝓmiſſio accõmodatur, in Chriſto ſit rata & firma, in quo oẽs promiſſiones ſunt Etiam & Amen.

Merces, bonis operib. piorum promiſſa, quomodo expendenda.

Sed hîc plura ordine expendenda ſunt. Primùm quòd rigor legis ſit renatis ſublatus:qui rigor in tribus conſiſtit. Videlicet,quòd obediẽtia nõ placeat, niſi perfecta: quod vita non promittatur, niſi legi ſatisfacientibus:quod damnatio denuncietur tranſgreſſoribus vel in minimo. Deinde cogitãdum eſt, quod homo iam credens, placeat Deo, vt dilectus in dilecto,& eſt hæres vitæ æternæ propter iuſticiã Chriſti,illi imputatam, quæ eſt via vitæ & ſalutis, iuxta hanc ſententiam Pauli, Chriſtus eſt finis legis in iuſticiam omni credenti.Rom.10. 4. Tertio loco cogitandum eſt,quòd Deus à credente homine, & ſibi accepto per Chriſtum Ieſum, obedientiam requirat:ac vt benigniſſimus pater promittat ei mercedem non ex debito propter bonitatem, ſeu precium operis: ſed ex gratia propter bonitatem paternam, qua complectitur perſonam credentem in Chriſto Ieſu. Quartò,cogitandum eſt, quod opera ſic facta ex fide, ſint teſtimonia fidei, non aliter quàm proprij effectus ſuę cauſæ ſunt certiſſima indicia. Atque ideò, dicitur Dominus ſecundum opera reddere mercedem: vt cum dicitur à Paulo, reddet vnicuique ſecundũ opera ſua:quæ opera vera indicia ſunt fidei,& certiſſima teſtimonia timoris Dei.Horum operum ideo fiet mentio in extremo die,vt tota creatura de iuſticia Domini in iudicando,teſtari poſſit.At ſi definita & ſpecialis promiſſio ſit obedientiæ in re certa(vt cum Tobias ait cap.12.9.Eleemoſyna à morte liberat,& ipſa eſt quę purgat peccata, & facit inuenire miſericordiã & vitam æternam.Et Danielis 4. 24.peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordia pauperum:id enim ſanitas erit pro errore tuo) tenenda eſt hæc regula,quæ dependet à principio quod ſuprà poſuimus.

Regula.

De facto particulari,vel ex qualitate facti:vel ex qualitate perſonæ iudicandum erit. Si ex qualitate facti inſtituetur iudicium, certiſſimum eſt,quòd nullum hominis factũ,ſiue multiplex ſit,ſiue particulare,ſatisfaciat legi Dei,vt in primo ordine demonſtrauimus: quare nec iuſticiam, nec vitam mereri poteſt.At ſi ex qualitate perſonæ de facto iudicandum erit, variabit iudicium prout variant perſonæ. Nam perſona operans, aut fidem habet, aut non habet. Si fidem habet perſona operans, placet ipſius opus ſecundum legem Dei factũ & imputatur in iuſtitiam, hoc eſt, cenſetur iuſtum propterea quòd placeat Deo propter perſonam. Verum,ſi perſona operans fidem non habet, fieri non poteſt vt opus placeat, donec ſteterit hæc regula Pauli,Ro.14.23.Quicquid nõ fit ex fide, eſt peccatũ.

Quid per ſe & reſpectu perſonarũ valeant bona opera.

Atque ideo diligenter conſiderandum eſt, quid per ſe valeant bona opera, & quo in loco habenda ſint reſpectu perſonarum operantium. Per ſe nihil valent,nihil merentur:quia nõ ſunt legis impletio. Ante iuſticiã fidei.ſunt σκύβαλα, vt Paulus loquitur, & abominationes. Verùm poſt ſtabilitam fidei iuſticiam, non à ſuo merito æſtimationem habent bona opera:ſed à gratuita bonitate Dei recipientis opera propter perſonam fide placentem: qua quidẽ ratione,imputantur in iuſticiam,id eſt,cẽſentur iuſta:vt ſcribitur de zelo Phineæ transfodientis ſcortatores:Pſ.106.31.& merentur præmia, vt Paulus loquitur, & in hac vita,& in futura.1. Tim.4.8.

Tobiæ locus explicatur.

Iam ad dictum Tobiæ redeamus,de quo primũ dico,quod corruptiſſimè legatur in veteri tranſlatione, quam paulò antea adduxi.Ex græco ſic legendũ eſt, Eleemoſyna ſeu beneficentia vindicat à morte omnéq; peccatum purgat,facientes eleemoſynas & iuſticias replebuntur vita.Hæc ſententia non poteſt accommodari Phariſæo aut vlli homini non renato.Nam, vt eſt particulare opus eleemoſyna, quæ hîc prædicatur:ita in non renatis multis modis eſt contaminata.Ergo accommodabitur renatis: at illi habent remiſſionem peccatorum gratis propter Chriſtum, cuius ſanguine purgati ſunt ab omni iniquitate, Sed extrema particula in dicto Tobiæ,videlicet replebũtur vita,id eſt longa & diuturna vita perfruẽtur, indicat, quòd non loquatur Tobias de purgatione peccati coram Deo:ſed in hac vita tantùm coram hominibus: apud quos prædicantur boni & iuſti,qui ſunt benigni & liberales erga egenos.

Locus Danielis explicatur.

Idem ſit iudicium de dicto Danielis, quod ſic integrè ex Hebræo legitur: peccata tua iuſticia redime,& iniquitates tuas miſeratione pauperum, ecce erit longitudo ſeu productio pacis tuæ, id eſt, proſperitatis & felicitatis in regno tuo. Hîc neceſſe eſt Danielem loqui de fructibus pœnitentiæ,qui ſunt certiſſima indicia fidei & timoris Dei & merentur mitigationem pœnarum & proſperum rerum ſucceſſum in gubernatione domeſtica & politica. Id quod ſignificat Daniel cùm ait, Ecce erit longitudo tua, & productio pacis tuæ.

Regula.

Breuiter, omnes ſententiæ vbicunque leguntur in diuinis ſcripturis, de bonis operibus, accipi debent iuxta ſuam periſtaſin, & prout res poſtulat,his quatuor ordinibus teſtimoniorum accommodandę ſunt.

Concluſio.

At, qui hos ordines confundunt,ſcripturam peruertunt, & ſanguinem filij Dei pedibus conculcant: cum operibus tribuere conantur, quod eſt ſolius filij Dei, mediatoris noſtri Ieſu Chriſti,cui cum Patre & Spiritu Sancto ſit honor, laus & gloria, in ſecula ſeculorum, & in omni æternitate, *Amen.*

Vſus Pſalmi.

Vt mortem vites miſeram,vitamque beatam
Obtineas, Chriſto iungere,viue Deo.

FORMA PRECANDI *generalis.*

Omnipotens, æterne, veriſſime Deus Pater Domini

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mini & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, conditor cœli & terræ, vnà cum filio tuo Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto, agimus tibi gratias toto pectore, quòd immenſa miſericordia te nobis patefeciſti miſſo filio Ieſu Chriſto, & prolato arcano & admirãdo decreto de redemptione generis humani, & colligis tibi æternam Eccleſiam per miniſterium Euangelij & Spiritum ſanctum, & præbes hoſpitia Eccleſiæ, & res vitæ ſuſtentationi neceſſarias. Hæc & alia beneficia confitemur veriſſimè tua dona eſſe, & abs te nobis propter Filium tribui & conſeruari.

Confitemur etiam multis nos peccatis multipliciter pollutos eſſe, & veris atque ardentibus doloribus cordis deploramus, quod contra normam iuſticiæ tuæ peccauerimus, ac precamur, vt conuertas nos ad te, & condones nobis omnia peccata noſtra, propter dilectum filium tuum Ieſum Chriſtum, & & Spiritu ſancto tuo accendas in nobis veram fidẽ & veram obedientiam, & regas nos, vt ſicut ſerie nobis propoſitum eſt, auxilio tuo emendemus vitã, & tibi obediamus.

Oramus etiam, propter Ieſum Chriſtum filium tuum dilectum, vt inter nos & in his regionibus perpetuò tibi colligas Eccleſiam, & in ea puritatem veræ doctrinæ conſerues, vt te vera inuocatione colamus, & tibi obediamus, & in omni æternitate celebremus & diligamus. Ad hanc rem largiaris Eccleſiæ fideles doctores & Paſtores, qui recta docendo, & exemplo piæ vitæ gloriam tuam illuſtrẽt & proſint Eccleſiæ.

Oramus etiam, propter Ieſum Chriſtum filium tuum dilectum, vt in his terris largiaris piam, ſalutarem, & tranquillam gubernationem, & Regem noſtrum ac regni Conſiliarios & Senatores tuearis, ac Spiritu ſancto tuo regas, vt tota ipſorum gubernatio ſeruiat gloriæ tuæ, & ipſis ſubditis ſit tranquilla & ſalutaris. Confirmes etiam omnes pios Reges, Principes & Nobiles in propoſito tuam gloriam, veram doctrinam, & honeſtatem diſciplinæ conſeruandi. Etiam Magiſtratus huius vrbis clementer gubernes ac tuearis. Precamur etiam, vt res terrę naſcentes (quas largiris, vt in hac vita genus humanum ſuſtentetur & te inuocet (foueas ac protegas, & panem quotidianum benignè nobis præbeas. Et quia tibi nota eſt ingens imbecillitas noſtra, & promiſiſti te magnitudinem iræ aduerſus peccatum tẽperaturum miſericordia propter interceſſionem dilecti filij tui, oramus vt pœnas, quas meritò ſuſtinemus, clementer mitiges, & afflictos omnes, qui te inuocant, conſoleris Spiritu ſancto tuo, vt in vera fide & vera inuocatione maneant conſtantes, & in omni æternitate miſericordiam tuam celebrent. *Amen.*

ORATIO AD CHRISTVM.

Dulciſſime Domine Ieſu Chriſte fili Dei, ſine tua gratia mens noſtra denſiſſimis offunditur tenebris. Affectus omnes in flammas cupiditatum feruntur. Voluntas mentis caligine inuoluta affectuum impetu abripitur: denique omnes actiones noſtræ interiores & exteriores, à norma voluntatis tuæ longè aberrant. Tenebras igitur mentis noſtræ allato verbi tui lumine dulciſsime Ieſu Chriſte diſcute. Cupiditatum flammas gratiæ tuę fontibus clementer extingue. Voluntatem tua manu reformatam, tuo ſancto impelle ſpiritu, vt quæ mens illuminata rectè monſtrat: quæ affectus noui cordis piè ſuadent: ea & voluntas alacriter imperet, & omnes vires animi & corporis voluntatem imperio obtemperantes, ſtudioſè exequantur. Tu enim ſolus es noſter propiciator, noſter Rex, noſtra fortitudo & virt⁹, noſtra vnica ſpes, vnica ſalus, vnica via, & vita æterna. Te inuoco, dulciſſime Ieſu Chriſte, vt nobis aſſiſtas, ne vel ſeducti à falſis prophetis, vel pellecti à propria carne, vel perſuaſi à Diabolo, vel abducti prauis hominum moribus & exemplis, vel etiã offenſi ſcandalis, relabamur in priſtinas tenebras, & & aberremus à te via vitæ æternæ. Deduc obſecro, nos, fili Dei, in lumine vultus tui, ſuſtine nos, qui es dextera Dei Patris, ne concidamus: dirige nos, quò tandem, te duce, perueniamus rectà ad gloriam immortalitatis, quam promiſiſti ſperãtibus in te, dulciſſime Ieſu Chriſte. Tibi laus, confeſſio & gloria in ſecula ſeculorum. *Amen.*

PRECANDI FORMVla *pro perſona propria.*

Dulciſſime Domine Ieſu Chriſte, te inuoco: tu enim lux mea es, tu vita, tu ſalus, tu Deus meus viuus, pater meus ſanctus, Deus meus pius, magiſter meus viuus, paſtor meus bonus, adiutor meus optimus. Te deprecor, tibi ſupplico, te rogo, vt per te ambulem, ad te perueniam, in te requieſcam, fac vt per tuum auxilium ſanctè, piè, & rectè viuam. mentis meæ tenebras diſcute, cogitationes prauas cohibe, affectuum malorum flammas extingue, voluntatem peruerſam tuo reprime imperio, ac luce tua mentem illuſtra, cogitationes pias ſuggere, affectus bonos accende, & voluntatem meam ad te conuerte: vt quæ tu vis, velim & ego, Præterea, cum corpus meum domicilium ſit animæ meæ, fac queſo, vt illud tuo auxilio caſtum & mundum conſeruem: quo anima purgata in corpore mundo habitet, quo integer ſim, anima, ſpiritu & corpore, & & te perpetuò in corpore, & in anima mea glorificem. Tibi paſtori meo, ac ſoli Deo, cum Patre & Spiritu Sancto ſit benedictio & gloria, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & robur in ſecula ſeculorum, Amen, Amen. Fiat, Fiat.

PRECANDI FORMVla *pro familia.*

Quoniam nulla domus niſi te, Domine Ieſu Chriſte, conſeruante ſtare poteſt: te ſupplex rogo, vt domum meam, vxorem, liberos, & familiam, tua protectione conſeruare digneris. Da, quæſo, vt ego & vxor mea, liberi, ac tota familia ſecundum tuam voluntatem, ſinguli noſtrum officium faciamus. Cùm enim tu nos paſcis, nihil nobis deeſt. Cùm tu nos regis, ſecuri ſumus, & nemo nobis nocere poteſt. Cùm tu nos laborantes adiuuas, fructum laborum percipimus vberrimum. Nobis igitur adeſſe digneris: pelle Diabolos, hoſtes ordinationis tuæ: da nobis cuſtodes ſanctos tuos angelos: ac rege nos ſemper tuo ſpiritu, vt perpetuo te in hac vita, & in futura celebremus, Amen, Amen. Fiat, Eiat.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

N. H.

HISTORIA
DOMINI IESV CHRISTI DEI ET HOMINIS, REGIS COELI ET TERRÆ MAXIMI ET

inuictiſsimi, vnici Eccleſiæ Dei Monarchæ, ſummi æternique Sacerdotis, ducis de Bethlehem illuſtriſſimi, triumphatoris regni tenebrarum glorioſiſsimi, ac datoris vitæ æternæ liberaliſsimi: ex principio Euangelij Iohannis.

PER NICOLAVM HEMMINGIVM

Habes in hoc commentario, pie lector, præter hiſtoriam Domini præcipua noſtræ religionis capita ſimpliciſſimè explicata, vnà cum refutatione multorum errorum, vt magicæ artis, & aliarum ſuperſtitionum & abuſuum.

***

ORNATISSIMO VIRO DOCTRINA, PIETATE, AC ſapientia præſtanti, D. Iohanni Albertio, Epiſcopo Selandiæ vigilantiſſimo, ac in Regia Academia Hafnienſi ſacratiſſimæ Theologiæ profeſſori doctiſſimo, fratri ſuo gratiam & pacem precatur.

***

SAPIENTER à veteri Poeta Menandro dictũ eſt: ὡς ἡ δύγ᾽ ἐν ἀδελφοῖς ὁμονοίας ἔρως. Nihil enim eſt melius, nihil dulcius, nihil ſanctius ſincera hominum inter ſe concordia. Quam autem verè hoc dicatur, nō ſolùm ratio recta dictat, verumetiam omnium ſanorum hominum prudens teſtatur experientia. Quæ domus non felix iudicatur, in qua coniugum animos dulcis connectit concordia? Quæ reſpublica non cenſetur beatiſſima, cuius ciues mutua ſe complectuntur beneuolẽtia? Quodnam, quæſo, regnum rapinæ hoſtium & prædę expoſitum fuiſſe proditur, in quo gubernatorum & ſubditorum tranquillus fuit ὁ τῆς ἑταιρίας λιμήν? Tartarorum Rex quidam moriens filijs duodecim ſagittas totidem in faſcem ligatas tradidit, vt frangerent: illis autem fruſtrà conantibus, ſolui eas iuſſit, atque frangi ſingulas. Ita veſtrum (inquit) imperium, ſi eritis concordes, firmum fuerit ac ſtabile: at ſoluto animorum conſenſu, hoſtium iniuriæ obnoxium. Atque ita profecto eſt vt ille ait, Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia magnæ dilabuntur. Quid, quæſo, dicemus de Eccleſia? An non & huius incolumitatem vna tutatur concordia? An non omnia Eccleſiæ membra mutuis inter ſe officijs charitate & concordia cohærent & continentur? Rectè igitur Paulus ait, Vinculum perfectionis eſt charitas. Audiamus Dauidem ſapientiſsimum ac veriſsimum concordiæ in Eccleſia Dei præconem. Ecce, inquit, quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres vnanimes. Eſt ſicut vnguentum optimum ſuper caput, deſcendens ſuper barbam Aaron: quod deſcendit ſuper oram veſtimentorum eius, & ſicut ros Hermon qui deſcendit ſuper montes Sion. Quoniam illic præcepit Iehoua benedictionem, & vitam vſque in ſeculum.

An vllus Apelles expreſſius magiſque graphicè concordiæ bonum depingere potuit? Principio in admirationem excitatis auditorum animis, concordiam optimam eſſe & iucundiſſimam, quò eius deſiderio animi piorum magis inflammentur, affirmat. Deinde eandem fragrantiorem ac ſuauiorem balſamo illo odoratiſsimo, quo Reges olim & Sacerdotes vngebantur,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tur,pronunciat:& pulcherrimè indicat vnde proficiſci vera & pia concordia debeat. Vnguē-
tum inquit effuſum in caput Aaronis,de capite in barbam,de hac in reliquum corpus,ac tan-
dem in orā veſtimentorum ſtillat. Sed quid ſibi vult quod Aaronis potiſſimum meminit Re-
gius Propheta? Hoc eò pertinet,vt veluti ſymbolo quodam illuſtri doceat,vnde ſit veræ con-
cordiæ origo,videlicet à pio in religione conſenſu. In hac enim cùm doctores concordes ſunt,
ipſa concordiæ vis etiā ad alios manat,non ſecus atque balſamū effuſum in caput paulatim di-
ſtillat in barbā,& inde in reliquū corpus,donec in extremam oram veſtimentorū dimanaue-
rit:vt ſic vel infirmis mēbris ſua aſpiret fragantia. Vt ergo balſamum ſuaui quadā voluptate tō
tū perfundens corpus,omnia eius mēbra reficit ac vires roborat:ita ſancta concordia à Docto
ribus manans,totū Eccleſiæ corpus diuina quadā & ſancta voluptate perfundit,ac ſingula eius
mēbra mirificè oblectat. Neq. hac dulciſſima imagine contentus eſt Dauid,ſed addit aliā,Cō
cordiam rori cœleſti cōparans.Sicuti enim ros cœleſtis terrā ārentē reficit,exhilarat,ác fœcun
dat:ita pia & ſancta cōcordia,à docentibus ad auditores promanans, cœleſti quodā rore rigat
animos,& veluti ad ſuauiſſimos pietatis fructus cōcipiendos & edendos feraces reddit. Neq.
mirū eſt ita fœcundā eſſe concordiā.Nam,vt Dauid ſubiungit,illic mandauit Dominus bene-
dictionē & vitā vſq. in ſeculū,Quis fructus vberior eſſe poteſt ſanctæ cōcordiæ? Dominus mit-
tit in concordes benedictionē,qua eos felices reddit,curatque non ſolū vt ibi eſt vera fraterni
tas,omnes ſua beneficentia fruantur,verumetiā vt perpetua vita beati gaudeant.

Sed quorſum(inquies)hæc? iſta ſanè ideo à me dicta cogites,chariſſime frater,velim, vt nos
gratitudinis erga Deū admoneant,qui gubernatores Eccleſiarū Danicarū & doctores religio-
nis in ſcholis & tēplis 26.annos ferè ita deuinxerat,vt ſummū adhuc tueantur in doctrina reli-
gionis conſenſum,ac omnes veluti vno animo inutilibus diſputationibus & cōtentionibus ni-
hil ad ædificationē facientibus renunciarint: non ſecus ac ſi alius alium hoc Pindarico verſu à
diſcordia & contentione dehortaretur,ἔα πόλεμον,ἔα μαχὰν χωρὶς θεοῦ. Quid quæſo ſpirauit ſan
ctum illud pectus D.Petri Palladij præter pacem & concordiam.Quid ſuauiſſimus D. Iohan-
nes Seningius?Quid grauiſſimus ille & ſincerus Theologus D.Iohannes Machabęus Alpinas?
Quid Franciſcus Vormordus Epiſcopus olim Scaniæ? Quid M. Iohannes Sclauus Epiſcopus
aliquando Ripenſis?Quid M.Iacobus Schningius Vibergenſis olim antiſtes? Quid M.Geor-
gius præſul Othonienſis?Quid D.Olaus Chryſoſtomus, & poſt eum M. Laurentius Nicolai
Ripenſis,Vendalenſium Eccleſiarum aliquando gubernatores?Quid Nicolaus Palladius, qui
Scanicas Eccleſias multos annos rexit? An non hi omnes ad concordiā & pacē dulciſſimā na
ti eſſe videbantur?qui nunc omnes tādē iuxta promiſſionē Dei in portū illū beatū vitæ æternū
duraturæ peruenerunt,vbi nunc conſpectu filij Dei beati fruuntur,& abſque dubio nobis op-
tant,quā illi ardentiſſimis animis coluere,concordiā,quanq. veluti lāpadē nobis, qui adhuc ſu-
perſtites ſumus,tradiderunt,vt eā ſanctè,illorū exēplo colamus, quod & ex Dei gratia adhuc
facimus.Quid enim charius habet M.Chilianus qui nunc Vibergenſes Eccleſias regit pia con-
cordia?Quid M.Laurentius Bartholomei Epiſcopus Arhuſienſis paci & tranquillitati Eccle-
ſiarū anteponit?Quid dicā de M.Georgio Martini,qui olim noſter paſtor fuit, nunc verò Ven
dalenſes Eccleſias gubernat?Quid de M.Tycone Aſmundo,qui cùm hic Paſtor eſſet & Profeſ-
ſor,legitimè vocatus eſt ad gubernationē Eccleſiarum Scanicarum? Quid de M.Nicolao Caſ-
pare Eccleſiarū Fyonicarū rectore? Quid de noſtro M.Paulo Mathiæ,qui de profeſſore huius
ſcholæ diligētiſſimo factus eſt inſpector Eccleſiarū Ripenſium vigilantiſſimus?Hi viri & mul-
ti alij,quorū nobis olim conſuetudo iucundiſſima fuit,ſummum & doctrinæ & animorum no
biſcum,vt fratres decet,conſenſum colunt. Plena etenim & iuſta cōcordia,voluntatum & do-
ctrinæ conſenſu conſtat.

Hanc cōcordiā noſtris Eccleſiis gratulor,& oro Deum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti,
vt ea noſtrarum Eccleſiarū fœlicitas ſit perpetua,ne Satan aliquod virus euomat, quo hanc ſā
ctam concordiam inficiat,vt infecta tandē diſſoluatur. Hoc itaq. vt caueatur omnibus viribus
conandum eſt,ídq. potiſſimum nobis quibus munus docendi in ſcholis & Eccleſiis cōmiſſum
eſt,& ſingulari prudentia opus eſt & piis votis,vt maturè occurratur initiis & occaſionibus hæ
reſeôn & ſchiſmatum,quibus vnitas Eccleſiæ turbatur & ſcinditur. Sæpe initia vidimus incen
diorum,ſed ſtatim diuina gratia per prudentes gubernatores reſtincta ſunt. Vnus atq. alter aliū
de huc aduenientes,Anabaptiſtarū veneno nonnullos inficere attentarunt.Sed mox dolo pro
dito magiſtratus vigilantia ſunt coërciti. Adfuerunt & hic hoſpites quidā, qui ob ceremonias
noſtrarū Eccleſiarū offenſi,ſe à publico cœtu Eccleſiæ noſtræ excluſerunt, ſed eorū ſchiſmati
nullus cordatus locum fecit.Breuiter,ea fuit hactenus gubernatorum prudens vigilantia,quòd
ſuborientia hæreſeôn & ſchiſmatum ſemina mox eradicarint. Verùm quid nunc Satan moli-
tur?quia ea non ſucceſſit via,alia aggreditur, quò ſanctā noſtrarū Eccleſiarum concordiā in-
uadat ac diſſoluat.Reuocat enim iam multis annis ſepultum artificium vetus,quo puritatē do
ctrinæ cœleſtis ante diluuium infecit, ac magicis artibus veluti impuro impuriſſimi pectoris

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

halitu paulatim quorundam animis afflare conatur,vt doctrina pura iſto Satanico fœtore pol luatur. Huic malo niſi maturè occurratur,magna plaga eſt pertimeſcenda. Vt ergò ipſe Ec cleſiis noſtris in hac re non deeſſem , ſumſi enarrandum principiũ Euangelij Iohannis, quo inter alia ſacra Dei verba malefici abutuntur,vt hac occaſione non ſolum præcipua capita do ctrinæ Eccleſiarum noſtrarũ repeterẽ,verumetiã vt errorẽ iſtum Satanicum cum aliis abuſi bus verbi Dei & ſignorum refellerẽ, oſtenderémque verã religionẽ Dei cum iſta Ethnica & Satanica ſuperſtitione & idolomania ſtare non poſſe. Nam ea ſanè aliud non eſt,quã aperta no minis Dei blaſphemia,atque id adeo in hunc finẽ à me factũ eſt,vt fratres,qui fortè hæc ſunt le cturi,ſe cordatè iſtis Diabolicis artibus opponant,quas Methodius narrat poſteris Cain à Diabo ol traditas eſſe,vt iſto pacto limpidiſſimos verbi Dei fontes turbaret ſaltem.

Habes conſilium meũ chariſſime frater,cur hanc enarrationẽ aggreſſus ſim:nunc autẽ qua re has pagellas ſub tuo nomine in lucẽ edi voluerim,breuiter accipe. Primùm me mouit,quòd ea doctrinæ cœleſtis capita , quæ in his pagellis explicantur, ſemper conſtanter vnà defendi mus,& ſumma fide in noſtra Schola & in tẽplis docuimus, docebimuſque quàm diu hoc Deo viſum fuerit. Deinde quòd in idolorũ & artiũ magicarũ dãnatione quàm in hoc libello adieci cõmunia,& pericula,& labores fuere. Ad hæc ſpero fratribus hæc lecturis haud ingratum fo re videre in nobis manere illibatã ſanctã illam à maioribus traditã in religione concordiã, & animorum coniunctionẽ,quam iam totos viginti annos illæſam aluimus & fouimus, idque in eadẽ republica literaria viuentes:in qua mihi aliquoties in Philoſophicis eiſque variis lectioni bus ſucceſſiſti,donec à piiſſimo Rege Chriſtiano tibi etiã profeſſio Theologica poſt obitũ piæ memoriæ D.Iohannis Machabæi demandata ſit, in quo munere ita grauiter & piè te gerebas, quòd à Rege noſtro D.Frederico ſecundo,in locum D. Petri Palladij ad gubernandas Eccle ſias Selandicas,Senatu Scholæ noſtræ approbante,ſis ſuffectus. Ex quo factum eſt,vt tametſi duplex labor tuis humeris ſit impoſitus:in vtroque tamen ita te moderatè geras, vt nihil anti quius,nihil ſanctius,nihil dulcius pia & ſancta fratrũ concordia habere videaris. Huc accedit, quòd aliquod de meo erga te animo publicè extare teſtimonium cupiã. Rogo igitur vt hanc animi mei erga te ſignificationẽ,eo accipias animo quo à me eſt profecta. Vale frater Chariſ ſime vnà cum eccleſiola domeſtica,hoc eſt,cum vxore tua Catharina fœmina caſtiſſima, opti mi viri D. Andreæ Iohannis olim concionatoris Malmogenſis facundiſſimi & conſtantiſſimi filia,& liberis chariſſimis,quos,vt facis , in timore Domini educere perge. Precor Deum pa trẽ,vt ſicut hactenus fecit,ita in poſterum quoque nos veris concordiæ vinculis pietate & cha ritate contineat. Amen. Hafnia , ipſo die quo celebratur feſtum caſtiſſimorum Spirituum.
Anno 1562.

HISTORIA REGIS MAximi & inuictiſſimi Ieſu Chriſti filij Dei. &c. Ex primo Cap. Iohan.

***

IN Principio erat verbum,& verbum erat apud Deum , & Deus erat verbũ. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt. In ipſo vita erat , & vita erat lux hominum,& lux in tenebris lucet,& tenebræ eam non cõprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen Iohannes. Hic venit in teſtimonium,vt teſtificaretur de lumine,vt oẽs crederent per eum. Non erat ille lux illa,ſed vt teſtificaretur de luce. Erat lux vera,quæ illuminat omnem hominẽ venientẽ in hunc mundũ. In mundo erat,& mundus per ipſum factus eſt,& mundus eum non cognouit. In ſua venit,& ſui eum non receperunt. Quotquot autẽ receperunt eũ,dedit eis poteſtatẽ, vt filij Dei fiant,iis ſcilicet qui credunt in nomen eius, qui nõ ex ſanguinibus,neq. ex voluntate carnis,neq. ex voluntate viri,ſed ex Deo nati ſunt. Et verbum caro factum eſt,& habitauit in nobis , & vidimus gloriã eius,gloriam tanquam vnigeniti à Patre, plenum gratia & veritate.

Dignitas & vtilitas huius enarrationis.

Hæc Euangelica narratio continet hiſtoriã, qualis alia nec ſublimior,nec ꝓfundior, nec vtilior, nec magnificentior eſſe poteſt. Æternã enim æterni verbi ab æterno patre natiuitatẽ narrat, & idem verbũ in tẽpore factum hominẽ aſſeuerat: vt ſit æternũ verbũ & humana natura à verbo aſſumta , vna perſona, Deus & homo in duabus naturis ita vnitus, vt etſi naturæ confuſæ non ſint,vna tamen æterna perſona exiſtat,& non duæ perſonæ:quæ vna perſona ſecundum diuinitatem,æternus æterni Dei eſt filius:ſecũdum humanitatem,in tẽpore filius hominis & dicitur & eſt:non tamen ſunt duo filij,ſed vt vna perſona,ita vnus filius.

Summa.

Vſus.

Etſi autẽ hæc ſublimis ſapientia à creatura ſatis intelligi nequit:tamẽ ideo nobis cõmendatur,vt beneficia Dei & mediatoris noſtri Ieſu Chriſti cogitemus,& agamus gratias æterno Deo,qui voluit æternum ſuũ filium hominẽ fieri, vt nos homines Deos efficeret,& diuinæ naturæ participes.

LOCI

LOCI TRES.

1. Deſcriptio diuinæ naturæ æterni verbi.
2. Narratio de præcurſore Iohanne.
3. Expoſitio aduentus æterni verbi in mundum.

DE PRIMO.

In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

1. Deſcriptio diuinæ naturæ verbi.

HHæc eſt deſcriptio diuinæ naturæ æterni verbi: in qua pluribus Euangeliſta reſpondet quæſtionibus. Si enim quæris, quando erat verbũ? Reſpondet, *In principio* erat verbum. Si quæris, vbi erat verbum? Reſpondet, Et verbũ erat *apud Deum.* Si quæris vltrà, Quid erat verbum? Reſpondet, Et *Deus erat* verbum. Si quæris, Quando verbum erat apud Deum? Reſpondet, Hoc *erat in principio* apud Deum. Si quæris, Quid egerit hoc verbum? Reſpondet, *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.* Si quæris, Quæ ſit huius verbi vis & efficacia in creaturis? Reſpondet, *In ipſo vita erat, quæ vita & lux hominum* eſt. Si quæris, Vbinã lucet illa lux? Reſpondet, *In tenebris* lucet. Si quæris, Quomodo fit quòd hanc lucem non percipiant homines? Reſpondet, *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* His quæſtionibus reſpondet Iohannes mira breuitate, de quibus ſigillatim dicamus, ſed breuiſſimè.

2. Principi. quid hoc loco.

In principio erat verbum.

Hic quæritur quid principium, & quid verbum ſit. Principium hoc loco temporis initium (quo cœpit Deus res creare) ſignificare, ex principio primæ Epiſtolæ Iohannis apparet, vbi exponit, In principio idem eſſe quod à principio. Ita enim ait: Quod erat à principio. Significat ergo Euangeliſta hoc dicto, filium Dei iam extitiſſe, antequam rerum creatarum & temporis vllum eſſet initium. Et obſeruandum in primis eſt, vt monet Ambroſius, quòd Apoſtolus non dicat, In principio factum eſt verbum, ſed in principio erat verbum. Quare huius verbi initium nullum eſt. Si enim erat hoc verbum cum Deus initium faceret creandi quicquid eſt conditum, vtique æternum eſt: ſi æternum, creatura non eſt: ſi non creatura, vtique creator. Hoc verbum creator, *erat*, hoc eſt, ſubſiſtebat: ὑπόστασις enim verbi, & æterna eius à patre generatio initio caret, ideóque à Hieremia Iehoua, & in 1. Apocal. ὁ ὢν dicitur.

3. Cur filius verbũ appellatur.

Sed cur hic æternus Dei filius verbum appellatur? Hîc primùm quotupliciter dicatur verbum, Deinde cur filius Dei verbum appelletur, & quòd verbum ſignificet perſonam ſubſiſtentem, explicandum eſt.

Verbũ dicitur trib. modis.

Verbum dicitur tribus modis. Primùm enim eſt verbum internum, Græcè λόγος ἐνδιάθετος, quod eſt rei alicuius in animo perceptio, ſeu ſermo mente à potentia cognoſcente comprehenſus. Deinde eſt ſonus ex ore hominis procedens, aliquid ſignificans & mox in aërem euaneſcens. Præterea eſt verbi ſonantis & euaneſcentis ſignificatio mente audientis concepta.

Verbum quo ſenſu ad filium Dei transfertur.

Prima & tertia verbi acceptio in hoc conueniũt, quomodo vtraque in mente ſit: ſed in eo differunt, quomodo prima ex potentia cognoſcente, tertia ex ſono naſcitur.

4. Hæc ſunt ſignificata verbi, quorum vnum ob ſimilitudinem aliquam ad filium Dei transferri, vt dicatur verbum ſeu λόγος, neceſſe eſt. Non poſtremum ſignificatum: quia iſto modo non vnum eſſet verbum Dei, ſed penè infinita. Quicquid enim ex vocali prædicatione dignè de Deo in mente hominis concipitur, verbum Dei dicitur. De hoc verbi genere loquitur Dominus, cùm inquit, Ioan. 15. 7. Si verba mea in vobis manſerint. Nec medium ſignificatum verbi quadrat ad hoc noſtrum propoſitum. Quia hoc modo plurima etiam verba Dei erunt. Sic dicuntur decem legis verba, dum per os hominis efferuntur, & eorum ſonus in aërem euaneſcit. Reliqua eſt ergo prima verbi acceptio, quæ eſt rei alicuius in mẽte perceptio nata ex potẽtia cognoſcẽte.

Diſcrimẽ inter internũ verbũ Dei & hominũ.

Hæc acceptio verbi propter ſimilitudinem quãdam attribuitur æterno Dei filio. Verùm hic magnũ diſcrimen eſt inter noſtrum verbum, & hoc Dei verbum. Noſtrum enim verbum ἐνδιάθετον internum, accidens eſt in nobis, & in tempore naſcitur. At cũ in Deum nullum cadit accidens, neceſſe eſt hoc verbum Dei fateri eſſe οὐσιῶδες καὶ ὑφιστάμενον, eſſentiale & ſubſiſtens, non tranſiens, non euaneſcens, non accidentale, non tempore natum.

Similitudinis explicatio.

Ex his ratio tranſlatæ ſignificationis verbi ad filium Dei æternum, vtcunque intelligi poteſt. Vt enim in hominibus à potentia cognoſcente gignitur verbum internum: Ita filius eſt æterni patris imago, cogitatione ab æterno genita, communicata eſſentia. Atque hæc eſt prima & potiſſima ratio, cur filius Dei æternus dicatur λόγος ſeu verbum etſi poſtea plures rationes addi poſſunt. Cæterùm quia vetuſtas pia ſtudioſis grata eſſe debet, referam primum ex Baſilio Magno quid ſenſere veteres de hac appellatione. Is enim in quadam Homilia pagina 200. ita ait: Διὰ τί λόγος, ἵνα δειχθῇ ὅτι ἐκ τοῦ νοῦ προῆλθε. Διὰ τί λόγος, ὅτι ἀπαθῶς ἐγεννήθη. Διὰ τί λόγος, ὅτι εἰκὼν τοῦ γεννήσαντος, ὅλον ἐν ἑαυτῷ δεικνὺς τὸν γεννήσαντα. Hoc eſt, *Propter quid verbum dicitur: vt oſtendatur quod ex mente procedat. Propter quid verbum? Quia citra perpeſſionem natus eſt. Propter quid verbum? Quia imago genitoris eſt, totum in ſeipſo exhibens genitorem.*

Filius quomodo æternũ æterni Patris verbũ.

Hactenus oſtenſa eſt ratio cur filius Dei dicatur λόγος, idque reſpectu patris tantum. Dicitur quoque λόγος ſiue verbum reſpectu noſtri, quia patrem in reuelatione Euangelij nobis oſtendit, iuxta illud, Ioã. 1. 18. Nemo patrem vidit vnquam, ſed filius qui eſt in ſinu patris, nobis reuelauit, ſcilicet, Patrem. Item Qui videt me, videt & Patrem. Ioan. 14. 9.

Quomodo filius dicitur λόγος reſpectu noſtri.

Vtranque appellationis huius rationem coniungit Nazianzenus, cum ita ait: λόγος ὅτι οὕτως ἔχει πρὸς τὸν πατέρα, ὡς πρὸς νοῦν λόγος, οὐ μόνον διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, ἀλλὰ καὶ τὸ συναφὲς καὶ τὸ ἐξαγγελτικόν. Hoc eſt: *Filius Dei dicitur λόγος, quia ſic ſe habet ad Patrem, ſicut ad mentem verbum, non ſolum propterea, quod eius generatio ſit citra perpeſſionem: Verumetiam propter coniunctionem, & quod enunciet patris voluntatem.* Hæc ſobriè ſciamus de hac appellatione, quæ quodammodo filij æterni generationẽ nobis inſinuat: quã quia nemo ſatis intelligere poteſt, dictum Nazianzeni amplectamur, qui ita ait, *Dei generatio ſilentio honoretur, magnum eſt didiciſſe quod genitus ſit.*

Arius & Seruetus refutẽtur.

Porrò cùm hic λόγος Dei reuelat nobis verbum Euangelij, & vbi illud verbum vt ſemen incorruptibile & cœleſte mentibus noſtris conceptum fuerit: naſcimur & nos filii Dei, qui geſtabimus imaginẽ naturalis filii reparatam in nobis per ſpiritum Dei. Ad quam ſanè imaginem primi noſtri parentes conditi erant. Ex his quoque patet quod verbum Dei οὐσιῶδες, hoc eſt, ſubſtantiale, non ſignificet, ſicut

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Ariani & Seruetus nugantur, conſilium aut promiſſionem Dei, ſed verè perſonam ſubſiſtentẽ: id ꝙ etiam ſequentia confirmant. Nam cùm dicit, omnia per ipſum facta ſunt, &, λόγος caro factus eſt: euertitur validiſſimis rationibus Arianorum & Serueti hæreſis. Non enim per promiſſionem condita ſunt omnia, ſed per filium. Nec conſilium, nec promiſſio caro facta eſt, ſed filius.

Et verbum erat apud Deum.

II. Diſtinctio perſonalis & ſubſiſtentia realis τῦ λόγυ.

Vt prima aſſertio Euangeliſtæ æternitatem verbi nobis commendat: Ita hæc ſecunda, diſtinctionem perſonalem & ſubſiſtentiam realem in diuinis perſonis aſtruit, cum enim dicitur: *Et verbum erat apud Deum*, ſignificat filium à patre differre ſubſiſtentia perſonali. Etſi autem non eſt aliud pater quã filius, eadem eſt enim vtriuſq; οὐσία, tamen filius alius eſt à Patre, quia pater & filius non eſt vna perſona, ſed filius à patris perſona eſt perſona diſtincta, per ſe ſubſiſtens.

Et Deus Erat verbum.

III. Aſſertio Deitatis æternæ τῦ λόγυ.

Hæc tertia aſſertio manifeſtè pronunciat verbũ illud æternum, quod erat in principio, quod erat apud Deum, eſſe verum Deum. Nam in hac oratione, & Deus erat ὁ λόγος: ὁ λόγος hoc eſt, verbum, ſubiectum eſt, & Deus prædicatum.

Huc accerſantur teſtimonia quibus diuinitas huius verbi æterni confirmetur, quæ ego ſoleo quinque capitibus ſubijcere, comprehenſis hoc diſticho.

Dictum, cultus, opus, confeſſio, munera: quinq; hęc
Naturas Chriſti cognoſcendas tibi monſtrant.

Hoc erat in principio apud Deum.

IIII. Aeternitas τῦ λόγυ, & eius perſonalis diſtinctio à Patre.

Repetit primam & ſecundam aſſertionem, eaſque in vnam coniungit, vt & æternitatem verbi, & diſtinctionem eius perſonalem à patre doceat. Fuit autem neceſſaria hæc repetitio, ne quis ex vnitate & ſimplicitate naturæ diuinæ cum Sabellio induceret vnitatem perſonæ. Et ne quis cum Arianis in tempore factam perſonarum diſtinctionem multiplicata ſubſtantia diuina aſſereret. Vtraque hæreſis hac apoſtolica aſſertione refellitur. Si enim erat λόγος in principio apud Deum, certè diſtincta perſona eſt à Patre. Et, ſi erat in principio apud Deum, non in tempore perſonarum facta eſt diſtinctio. Et, ſi λόγος erat apud Deum, & λόγος erat Deus, natura eadem & eſſentia eſt patris & filij non multiplicata, vt in rebus creatis, ſed eadem numero. Aliud enim fieri prohibet naturæ diuinæ ſimplicitas.

Sabellius & Arius refelluntur.

Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.

V. Deitatis ęternitatis τῦ λόγυ aſſertio à creatione & diſpoſitione omniũ rerũ creatarũ.

Hæc quinta aſſertio diuinitatem & æternitatem verbi, cùm ab ipſis verbi operibus, tum à rerum quæ ſunt, conditione & ordine. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Hoc ſane diuinæ potentiæ eſt. *Et ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt.* Hoc dicto ſeparatur hoc verbum à creaturis omnibus. Nam omnes creaturæ in tempore factæ ſunt. Huc illud Iuſtini Martyris: *Quicquid eſt rerum, aut eſt factum, aut non factum. Si factum, cœpit aliquando fieri: at ſi non factum, vt λόγος Dei, æternum eſſe neceſſe eſt. Nunc autem cum æternum eſſe ſoli Deo conueniat, λόγον hunc Dei vt fateamur æternum oportet.*

Porro quòd hîc Euangeliſta generatim dicit, Paulus ad Coloſſ.15.16. pulcherrima enumeratione proſequitur, ita enim ait, Qui eſt imago Dei incõſpicui, primogenitus omnis creaturæ. Nam per eum omnia quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſum creata ſunt.

Arianorũ cauillus refellitur.

Quod autem Ariani præpoſitionem, per, ad cauſam inſtrumentalem referunt, vt iſto pacto inæqualitatem perſonarum inducant, facilè refellitur. Pater enim creat per λόγον, vt per ſapientiam ſuam. Quarè potius ad efficientem cauſam referendum eſt quod hîc dicitur. Verùm hunc nodum elegantiſſimè ſoluit Baſilius Magnus, in libro de Spiritu ſancto, cap.5.& 9.

In ipſo vita erat.

VI. A Prouidentia & cõſeruatione rerum.

Vt quinta aſſertio diuinitatem Chriſti aſſeruit ex operibus creationis: ita hæc ſexta idem concludit ex prouidentiæ & conſeruationis rerum beneficio, *in ipſo* (inquit) *erat vita*, hoc eſt, per λόγον ſeu vi & efficacia verbi erat vita cunctis animantibus. Hæc vita non eſt eſſentia verbi, ſed efficientia, qua æternus λόγος facit, vt res in ſuo conſeruentur ſtatu & ordine.

Et vita erat lux hominum.

VII. A Speciali prouidentia & viuificatione generis humani.

Vt ſexta aſſertio omnem vim & efficaciam in creaturis eſſe à verbo illo æterno, quod eſt Deus, aſtruit: Ita hæc ſeptima aſſertio, hypotheſin quandã ſextæ continet. Nam in ea agit de certo quodam creaturæ genere, nempe de hominibus. In horum enim mentibus, verbum illud æternum & ineffabile accendit lucem rationis & intelligentiæ: quod quidem opus planè diuinum eſt. Hæc lux deſtinata ſanè eſt noticiæ Dei ac eius celebrationi, ſed nube quadam caliginoſa obducta eſt, atque ideo ſubijcitur.

Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.

Locus de Luce ſeu intelligentia in mente hominum.

Qualis illa lux remaneat in hac corrupta natura oſtenditur 8.& 9. aſſertionibus: manet quidẽ lux, ſed mox tenebris inuoluitur, quæ tenebræ impediunt, quo minus homines ad hunc λόγον lucis ductu perueniant. Hoc autem quale ſit breuiter explicandum eſt. Homines luce illa vident quidem Deũ eſſe, eumque colendum agnoſcunt: vident mali & boni diſcrimen, ſed hæc lux priuſquam ad actionẽ veniat, peccatorum tenebris obruitur: quemadmodum Apoſtolus ad Roma.1. clarè oſtendit. Primum enim ita ait: τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ manifeſtum erat in illis. Deus enim illis manifeſtauit. Nam ex virtute & efficacia æterni verbi promanauit in homines. Deinde addit cauſam impeditæ huius lucis, cùm inquit, Vani facti ſunt homines in cogitationibus vel diſceptationibus ſuis, & obtenebratum eſt deſipiens cor eorum, qui cùm ſe profiterentur eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Quid hîc Apoſtolus aliud vult, quàm quod noſter Euangeliſta aſſerit dum ait, Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Propterea quòd homines in hac corrupta natura illam lucem in ſe lucentem non percipiunt, nõ conſequntur, atque adeò non agnoſcunt. Apoſtolus ſimiliter fatetur lucem quandam principiorum de Deo, & eius cultu in hominibus eſſe: ſed eandem affirmat tenebris eſſe inuolutam, adeò vt cùm ad πρᾶξιν ventum fuerit, videatur euaneſcere. Cùm enim homines à ſua, quam habent ab æterno λόγῳ luce aberrant, (nam ſuis diſceptationibus lucem obruunt, & ab ea planè deficiunt) mille

Quare homines naturali luce post peccatum Dei lucẽ non percipiunt ad ſalutem.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſuperſtitionum præſtigias excogitant. Huius rei cauſam Apoſtolus facit καρδίαν ἀσύνετον, hoc eſt, διάνοιαν ac comprehendendum & colligendum ex luce principiorum, quæ vera & certa ſunt, minimè aptam. Ex theſibus enim, quæ ſunt lux quædam in mente, perperam extruunt hypotheſes, deficientes à communibus notitiis.

Cōcluſio. Proinde hic locus clarè docet, neminem poſſe peruenire ad ſalutarem Dei notitiam per rationis lucem: quæ rationis lux, etſi à Chriſto exiſtit, tamen tenebrarum, quæ naturam corruptam occupant, interuentu opprimitur. Notandum eſt igitur diſcrimen duplicis lucis, quam æternus λόγος hominibus communicat. Prior in natura refulget, ideóque naturalis dicitur. Altera naturam collapſam releuat & inſtaurat, ideóque lux gratiæ dicitur: quæ accenditur in homine per Spiritum ſanctum, dum prædicatur Euangelium. *(Duplex lux.)*

DE SECVNDO loco.

Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen Ioannes: hic venit in teſtimonium, vt teſtificaretur de lumine, vt omnes crederent per eum. Non erat lux illa, ſed vt teſtificaretur de luce.

De præcurſore domini hic quinque narrantur. I. Nomen præcurſoris. II. Diuina miſſio ſeu legatio. III. Deſtinatio. IIII. Legationis finis. V. Diſcrimen inter percuſſorem & Chriſtum dominum, cuius præcuſor fuit. De his quinque ordine pauca dicenda ſunt.

De primo.

I. Nomen præcurſo. Præcurſoris Domini nomen Ioannes, quod non ex caſu, non ex conſilio humano, non ex familia, ſed ex mandato Dei accepit. Eſt autem imprimis diſcernendum inter ea nomina quæ hominibus tribuuntur ab hominibus, & ea quæ Deus ſuo mandato iubet attribui. Illa enim vel ex affectu aliquo, vel caſu, vel propter familiam tribuuntur, nec quicquam certi de perſona promittunt. Hæc verò perſonarum officia & euentus notant, & ſunt plerunque veluti quædam muneris publici ſymbola. *(Diſcrimē nominum.)*

Quòd autem mandato Dei, nomen *Ioannes* præcurſori Domini ſit inditum, docetur Lucæ. 1.14. & nominis rationem pater Zacharias in ſuo cantico explicat, dum in hunc modum de illo canit. verſ. 76. Et tu puer, propheta altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ad dandam ſcientiam ſalutis populo eius, in remiſſionem peccatorum ſuorum. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri.

Quia igitur præco futurus erat viſcerum miſericordiæ Dei noſtri, ad dandam ſcientiam ſalutis, Ioannes dictus eſt. Sonat autem *Ioannes* gratiam ſeu gratioſum, Hebraicè *Iochanan*, à chanan, quod ſignificat gratificari & gratia aliquem proſequi, ſeu gratuitò beneficium præſtare, & ſemper excluſionem dignitatis & meriti habet. Rectè ergò & reſpectu perſonæ, & ratione miniſterij, nominatus eſt hic legatus Ioannes. Nam & perſona ipſius gratioſa erat apud Deum, & officium ipſius fuit gratiæ & miſericordiæ Dei miniſterium. Cùm autem in huius locum omnes miniſtri Euangelij ſuccedunt, huius præcurſoris nomine admoneātur de ſuo miniſterio. *(Doctrina.)*

De ſecundo.

II. Diuina. Secundo loco narrat Euangeliſta hunc Ioannem fuiſſe à Deo miſſum, hic plura occurrunt perpendenda: vt, prophetiæ præcedentes, promiſſio conceptionis, concio Angeli de ipſo, patris Zachariæ teſtimonium, præparatio Ioannis ad tãtam legationem, vox Dei & mandatum ad Ioannem in deſerto, quibus accedit & Chriſti teſtimonium. *(eius miſſio ſeu legatio, cuius circūſtantiæ ſunt ſex.)*

Prima. Prophetias ex Malach. 3.1. & Eſaiæ 40.3. adducit Marcus: Quorum ille quidem ita ait, Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, & præparabit viam tuam ante te. Eſaias verò, Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini, & rectas facite ſemitas eius.

Secunda. Promiſsio conceptionis & concio Angeli de Ioanne habetur, Lucæ 1.13. &c. Vbi in hunc modum Angelus Domini Zachariam alloquitur, Ne timeas Zacharia, quoniam oratio tua eſt exaudita, & vxor tua Elizabet pariet filium tibi, & vocabis nomen eius Ioannem, & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt. Erit enim magnus coram Domino. Vinum & ſiceram nequaquam bibet, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ. Et multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum, & ipſe præcedet eum in ſpiritu & virtute Eliæ.

Tertia. Patris Zachariæ teſtimonium paulò ante adduxi ex ipſius cantico. Et tu puer, Propheta altiſsimi vocaberis, &c.

Quarta. Præparatio Ioannis ad hanc legationem diuinam etiam à Luca deſcribitur. Primùm enim dicit, vinum & ſiceram non bibet. Deinde, Spiritu ſancto replebitur. Item, & erat in deſerto ad eum diem, quo ſe oſtenderet apud Iſraelem. Item. Matth. 3. & Marci 1. ſcribitur habuiſſe veſtem ex pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos, cui cibus erant locuſtæ, & mel ſylueſtre. Hac præparatione ſignificatur miniſtros Euangelij non vocari ad delicias huius mundi, ſed ad labores & certamina.

Quinta. Vox Dei & mandatum ſuper Ioannem in deſerto habetur Lucæ 3.23. Factum eſt verbum Domini ad Ioannem filium Zachariæ in deſerto. Venit igitur in omnem regionem circumiacentem prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Quare verbum illud Domini, continet mandatum quo Ioannes iubetur inchoare Euangelij prædicationem, quam vocant Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.

Sexta. Chriſti teſtimonium de Ioanne narratur Matth. 11.10.11. vbi inter alia Dominus dicit Ioannem plus eſſe quàm prophetam, & inter natos mulierum non ſurrexiſſe maiorem Ioanne Baptiſta. Dictum quoque Malachiæ 3.1. Ecce mitto Angelum meum: Ioanni accommodat, quem Ioannem propter ſpiritum & virtutem in miniſterio Eliam eſſe pronuntiat.

Doctrina. Hactenus de miſſione diuina Ioannis: vnde diſcamus & nos expectandam eſſe ad miniſterium Eccleſiæ diuinam vocationem. Qui enim currit abſque mittente, in vanum currit, & operam ludit.

Locus de duplici doctrina. Verùm ſciendum eſt, diuinam ad miniſterium Euangelij vocationem duplicem eſſe: nempe immediatam, qualis fuit Prophetarum, Apoſtolorum, & Ioannis: Et mediatam, quæ fit per Eccleſiam, ſiue per magiſtratum pium, ſiue per alios quibus hoc negotium vel à magiſtratu pio, vel ab Eccleſia demandatum eſt.

De tertio.

3. Ad quid deſtinata eſt eius legatio. Cui rei deſtinata legatio Ioannis fuerit, exponit Euangeliſta his verbis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Hic venit in teſtimonium: vt teſtificaretur de lumine.

Duo dicit. Primùm, quòd Ioannes fuerit in teſtimonium miſſus. Deinde teſtimonij ſumma proponitur, quæ eſt teſtificari de lumine, hoc eſt, de Chriſto vero lumine. Cùm Chriſtum teſtatur lumẽ eſſe,

Doctrina.

ſignificat & mundum totum ſine Chriſto in tenebras ſubmerſum eſſe, & Chriſtum ſolum eſſe luminis ſalutaris autorem.

Collatio dictorum Euangeliſtæ cum Propheticis.

Hîc obſeruemus quàm pulchrè hæc Euangeliſtæ verba conueniant cum propheтiis. Eſaias cap. 60. 1. ait, Surge illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Et paulò pòſt interpretatur hoc lumen, inquiens, Super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Huius gloriæ etiam meminit Ioannes, vt infrà audiemus, vbi dicit, & gloriam eius vidimus. Pſalm. 36. Apud te eſt fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen. In lumine tuo, id eſt, in Chriſto, videbimus lumen, id eſt, conſequemur veram Dei notitiam & felicitatem.

Euangeliſtæ ſunt Prophetarum interpretes.

Euangeliſtæ, quæ in Prophetis narrantur de lumine, ad Chriſtum referunt, & ad eius Euangelium. Zacharias in ſuo cantico ait, Viſitaſti nos oriens ex alto, vt appareat iis qui ſunt in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Hîc duo obſerua, antitheſin orientis ſeu luminis, tenebrarúmque & vmbræ mortis, & luminis vſum. Tenebræ notant ignorantiam & calamitates. Vmbra mortis, extremum interitum. Proinde lumen & ſalutarem Dei ſcientiam & ſalutem ſignificat. Vſus luminis eſt, vt dirigat nos in viam pacis: hoc eſt, in eam viam quæ ad veram felicitatem ducit. Pacis enim appellatione Hebræi, eum ſtatum intelligunt, in quo quis meritò ſe felicem & beatum iudicet.

Quàm autem latè ſe extendat huius luminis virtus, ſignificat Simeon, cùm inquit, Luc. 2. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuę Iſrael. Hac enim diſtributione ſignificat Chriſtum lumen, vt ſolis huius aſpectabilis, illuceſcere toti mundo, ídque per prædicationem Euangelij. Qui autem non illuminantur, ſua culpa nolentes lumen accipere, in tenebris & vmbra mortis pereũt.

De quarto.

IIII. Finis legationis.

Quartò ſequitur finis teſtimonij Ioannis, & diuinæ ipſius legationis. Ita enim ait Euangeliſta, *Vt omnes crederent per eum*: ſcilicet, Ioannem & prædicationem Ioannis.

Vt omnes crederẽt.

In hoc dicto diligenter obſeruetur ſignum vniuerſale, *Omnes*. Quod continet & doctrinam vtiliſſimam, & conſolationem dulciſsimam. Doctrina hæc eſt, quòd Euangelium ſit vniuerſalis concio ſalutis acquirendæ per fidem. Nam quia Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: proponit verbum, quo omnes promiſcuè ſine omni exceptione ad fidem inuitantur. Quicunque ergò Euangelij voci credunt, habent certam ſalutis promiſsionem, quæ nullo euertitur Stoico fato. Hæc enim doctrina vniuerſalis gratiæ excludit omnem Stoicam fatalium librorum neceſsitatem. Nam ſi finis legationis Baptiſtæ eſt vt omnes credant per ipſum, fieri nullo modo poteſt vt certo decreto & conſilio creationis ſtatuerit ſe velle maximam humani generis partem certę damnationi ſubiicere. Nam cùm voluntas Dei ſit, vt omnes credãt, & finis fidei ſit ſalus animarum, quis non videt conſilium Dei eſſe & voluntatem antecedentem, vt homines ad ipſius imaginem conditi ſaluentur?

Conſolatio aduerſus tentationem de indignitate & de multitudine peccatorum.

Conſolatio dulciſſima eſt in hoc ſigno vniuerſali, *Omnes*, qua ſuperatur tentatio quæ vel ex indignitate vel peccatorum multitudine naſci poterat. Cùm enim dicit, omnes, non eſt hîc vlla reſtrictio contra verbum imaginanda. Leproſus itaque non fugiat Chriſtum quia indignus eſt. Magdalena & Manaſſes non deſperent, propterea quòd ſint magni peccatores, ſed ſe potius includant in hanc vniuerſalis gratiæ promiſsionem, non ſinant ſe vlla ſophiſtica, vlla cruce, vlla diuinitus illata plaga, vlla peccatorum cogitatione ab hac vniuerſali promiſſione auelli. Imò potius quiduis patiantur, quàm vt vanam eſſe ſtatuant hanc Spiritus ſancti vocem, qua omnibus promiſcuè offertur miſericordia & ſalus. Intueantur pretium inæſtimabile ſalutis, quod eſt victima filij Dei, quæ ſanè victima nequaquam eſt peracta pro quibuſdam ſelectis de magno numero hominibus: ſed pro toto mundo. Ita enim ait Euangeliſta noſter. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Non eſt ergò quòd quis deſperet ob peccati magnitudinem, modò ad Chriſtum, quem Deus nobis propoſuit propiciatorium in ſanguine ipſius confugiat. Eius enim ſacrificio expiamur, eius iuſtitia donamur, eius ſanctificatione regeneramur in nouos homines, vt ius peccati in nos aboleatur, qui ſumus in Chriſto, & non ſecundum carnem viuimus, ſed ſecundum ſpiritum. Promiſſio enim gratiæ, quæ (ſi Deum reſpicis) eſt vniuerſalis, requirit conditionem fidei, ſeu conuerſionis, id quod multis ſcripturæ probatur teſtimoniis. Chriſtus clarè inquit, Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Qui crediderit, ſaluabitur: qui verò non crediderit, condemnabitur. Et Paulus ait, Si modò in fide fundati perſtiteritis. Qui perſeuerauerit in finem, hic ſaluus erit.

Admonitio.

Caueamus igitur ne noſtra diffidentia excludamus nos à gratia, quæ vt omnibus promiscuè offertur: Ita à ſolis credentibus accipitur in ſalutem. Si ergò ad conſilium Dei, ad hoſtiæ pretium, ad mandatum prædicationis reſpicias, verè gratia vniuerſalis eſt: at ſi ad euentum reſpicias, hominum vitio fit particularis.

Doctrina.

Porrò hic finis legationis Baptiſtæ etiam ad omnes Euangelij miniſtros pertinet, quorum hoc eſt munus, vt teſtimonium perhibeant de lumine, vt omnes credant per ipſos. Proinde ſtudeant miniſtri Euangelij, vt & voce, & vita duces ſint ſuis auditoribus ad fidem, & ad fidei fructus cum omni pietate & patientia edendos.

De quinto.

V. Diſcrimen inter Ioannem & Chriſtum.

Sequitur diſcrimen inter præcurſorem Ioannem, & Chriſtum lucem.

Non erat ille lux, ſed vt teſtificaretur de luce. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Lucis nomen quibus & quo ſenſu tribuatur.

Cùm & pij (in quorum numero non infimum locum obtinet Baptiſta, de quo hic agitur) lux dicantur in ſcriptura, & Chriſtus ipſe lux ſit & dicatur: diſcrimen tenendum eſt. De Apoſtolis teſtatur Dominus, cùm inquit, Matth. 5. 14. Vos eſtis lux mundi. De omnibus piis Paulus ad Ephe. 5. 8. Eratis olim tenebræ, nunc autem lux in Domino.

Piis dupliciter modo.

Pij omnes ſunt lux duplici modo. *Primò*, quia vera luce illuſtrantur in ſeſe, quod fit in vera pœnitentia ad prædicationem Euangelij. Dum enim Euangelium prædicatur, illuminantur homines fulgore radiorum Chriſti, quos æternus ille ſol Chriſtus ſpargit

ſpargit in corda fidelium per Spiritum ſanctum. *Secundo*, pij dicuntur lux, quia aliis vita & moribus prælucent, adeò vt ſceleratorum vitam ſua luce arguant.

Prioris lucis finis eſt, vt ipſi fideles rectà dirigantur in viam ſalutis. Poſterioris, vt alij homines nondum conuerſi, videant fidelium lucem, eorum exemplo reſipiſcant, ac Deum cœleſtem patrem glorificent. Huc illud Domini dictum. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.

Miniſtris Euangelij triplici modo.

Porrò miniſtri Euangelij peculiariter *Lux* dicuntur, quia Euangelium regni Dei, vt facem quandam ardentem, hominibus præferunt, ad mundi tenebras diſcutiendas. Qui ergò miniſtrorum titulo gaudere volunt, triplici luce ſplendere debent. *Primum* enim oportet eos notitia Euangelij & fide in Chriſtum viua, per ſpiritum ſanctum lucere, quò ipſi à ſalutis via non aberrent. *Deinde*, exemplo ſuo auditores dirigere in viam ſalutis, vt ſuis auditoribus pius miniſter cum Paulo dicere poſſit, 1. Corinth. 11. 1. Eſtote imitatores mei ſicut ego Chriſti. *Tertiò*, pura Euangelij prædicatione lucere, ac tenebras ignorantiæ hominum diſcutere. Miniſtri autem qui in hac poſtrema luce videntur hærere, ac tantùm voce & lingua Euangelium ſonant, quoties aliis hâc lucem prętendunt, toties ſibiipſis maledictionis ſunt præcones, donec & ipſi reſipiſcant. Dum enim aliis regnum cœlorum aperiunt, ſibiipſis claudunt. Quare meritò qui huiuſmodi ſunt, comparantur fabris arcæ Noë, qui cùm arcam ædificaſſent, in qua Noë cum familia ſua ſeruatus eſt, in diluuio miſerè perierunt.

Diſcrimē inter Chriſtum lucē, Ioannem, & omnes pios.

Hactenus de Ioanne, de omnibus piis & miniſtris Euangelij dictum eſt, videlicet quomodò lux dicantur, & quarum rerum eos admoneat lucis appellatio. Iam ſequitur differentia inter Chriſtum lucem & Ioannem, qui etiam lucis nomen ſortitus eſt.

De Ioanne quidam ita ait, *Non erat ille lux.* De Chriſto verò, *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Duplicem hîc differentiam ponit, qua Chriſtus lux, ab aliis qui lux dicuntur, diſtinguitur.

Chriſtus eſt vera lux.

Prima eſt, quòd Chriſtus ſit lux vera. Epitheton *Vera*, non opponitur falſæ, vt aliqua lux falſa dicatur: ſed ſubſtantiam & naturam notat: vt dicatur lux vera, tanquàm ex ſeipſa, & per ſe refulgens: cùm piorum lux ſit aliunde, Chriſtus ergo lux dicitur ſubſtantia & natura: pij autem gratia. Chriſtus lux dicitur origine, pij autem participatione.

Eſt cauſa omnis lucis.

Secunda differentia eſt, quòd Chriſtus ſit *cauſa omnis lucis*, & ſplendoris in mundo. Nam illuminat (vt inquit) omnem hominem venientem in hunc mundum. De huius lucis ratione in primo loco quædam ſuprà dicta ſunt in 7. & 8. aſſertionibus. Loquitur enim hic Euangeliſta non de luce Euangelij, ſed de luce communi, videlicet, quòd Chriſtus ſuæ lucis radios diffundat in totum genus humanum. Nam quòd homines ratione ac intelligentia prædi ti, diſcrimen honeſtorum & turpium videant: ex Chriſto luce prouenit. De qua re ſuprà dictum eſt.

DE TERTIO LOCO.

In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In ſua venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit poteſtatem, vt filij Dei fiant, iis ſcilicet, qui credunt in nomen eius, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Et ve bum caro factum eſt, & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam tanquam vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.

Hiſtoria aduentus & incarnationis filij Dei.

Hîc Euangeliſta incipit hiſtoriam aduentus æterni verbi in mundum, per humanæ naturæ aſſumptionem, exponere. Quæ ſanè hiſtoria ſiue myſterij profunditatem, ſiue perſonæ maieſtatem, ſiue diuinæ gratiæ magnitudinem, ſiue angelorum & hominum digniſſimam admirationem reſpicis, omnes alias hiſtorias facilè ſuperat. Hiſtoria creationis magna quidem & admirabilis eſt, ſed in hac bonitas Dei, miſericordia, iuſtitia, ſapientia & veritas magis conſpiciuntur. Quare piorum eſt & rectè diſcere hanc hiſtoriam, & eadem piè vti, cùm in gloriā Dei exemplo caſtiſſimorum ſpirituum; tùm in proprium commodum & ſalutem.

Eius præſtantia.

Membra ſex.

Conſtat autem hæc expoſitio ſeu narratio ſex veluti membris, quorum explicatio valdè illuſtrabit articulum incarnationis Chriſti, & multas vtiles doctrinas & admonitiones continet. Membra autem narrationis huius hæc ſunt.

I. Querela de ingratitudine mundi non agnoſcentis æternum verbum, quod hominum cauſa aſſumpſit humanam naturam.

II. Beneficij, quod mundo offertur per incarnatum verbum, ſignificatio.

III. Diſcrimen inter ſpiritualem filiorum Dei natiuitatem & alias propagationes & ſucceſſiones.

IIII. Modus aduenientis huius ęterni verbi in mundum.

V. Reuelatio ſeu manifeſtatio gloriæ, qua æternus λόγος homo factus, filius Dei declaratur.

VI. Plenitudo gratiæ & veritatis, quæ reuelatur in hoc λόγῳ homine facto.

Hæc ſex hiſtoriæ membra, eo quo propoſita ſunt ordine, quàm poſſum ſimpliciſſimè explicabo.

De primo Membro.

1. De ingratitudine mundi non agnoſcētis verbum incarnatum

Grauiſſima querela eſt, qua conqueritur Euangeliſta æternum λόγον fuiſſe in mundo, ſed non à mundo fuiſſe agnitum: & veniſſe ad ſúos, & à ſuis non eſſe receptum. Ita enim ait, *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit: in ſua venit, & ſui eum non receperunt.* Hac impia ingratitudine, quod malum excogitari poteſt atrocius? Creator venit ad creaturam, ſed contemnitur. Saluator ad perditum mundum, ſed non recipitur. Tantum poteſt virus Satanæ quo mundus totus infectus eſt à lapſu primorum parentum. Huius immanis ingratitudinis exaggerandæ gratia, Euangeliſta diſtributionem adhibet. Primùm enim dicit, mundum eum non agnouiſſe. Deinde addit eum à ſuis non eſſe receptum, vt ſignificet, & gentes & Iudæos qui eius populus peculiaris dicebantur, hoc fœdo ingratitudinis vitio laboraſſe, quòd ſuum creatorem & ſaluatorem non agnouerint. Graue quidem ſcelus fuit, quòd mundus, hoc eſt, gentes non agnouerint filium Dei: ſed intolerabile omninò, quòd quos elegerat in peculium, quos adcò multis, imò infinitis beneficiis ornauerat, non ipſum agnouerint: imò per ſtupenda miracula agnitum non receperint.

Amplificatio.

Ingratitudinis capita.

Iudæorū ingratitudo.

Similis querela eſt apud Iſaiam ca. 1. Bos agnoſcit poſſeſſorem ſuum, aſinus præſepe domini ſui. Iſrael autem me non cognouit. De hac ingratitudine plu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

rima in Pſalmis extant vaticinia : vt in 2.& 22.In 2. prædicit de furiis impiorum aduerſus Chriſtum.In 22.quomodo illum exceperint flagellis & cruce.

[Doctrina.] Hinc ergò primùm docemur, Chriſtum nequaquam vllis noſtris præcedentibus meritis prouocatum,deſcendiſſe de cœlo,& aſſumſiſſe hanc noſtram maſſam. Deinde quod omnia humana merita hac iuſtiſſima querela euertantur. Quare admoneamur nos,qui Chriſto dedimus nomina,gratitudinis erga filium Dei:ne nos cum impio mũdo & ingratiſſimis Iudæis abijciat.Admoneamur quoq; inuocationis, qua à Deo petamus, vt ipſe noſtras mentes expurget,& donet nobis nouum cor, purgatũ ab antiquo ſerpentis veneno, quo maxima pars mundi infecta, ſecura iacet in ſuis peccatis,& nõ agnoſcit hoc ſummum beneficium, quod in hac hiſtoria nobis proponitur.

Adhæc optimi patris noſtri exemplo, excitemur ad præſtanda hominibus beneficia,nõ abſterriti ab hoc debito & pio officio, vſitata hominum ingratitudine,quæ iam fortè maior eſt,quam vnquàm aliàs fuiſſe videtur. Quando ergò experimur ingratitudinẽ eorum,de quibus optimè meriti ſumus, duo faciamus. Primùm agnoſcamus iuſtam eſſe pœnam quã nos ingrati Deo, ab ingratis hominibus patimur. Deinde agentes pœnitentiã, cõſolemur nos exẽplo filij Dei,qui tanta pro multis ingratis paſſus eſt.

De ſecundo Membro.

[II. Beneficii, quod mundo offertur per incarnatũ verbum, ſignificatio] Secundum membrũ continetur his verbis. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem, vt filij Dei* fierent,ijs qui credunt in nomen eius. His verbis breuiſſimè narratur beneficium, quod Chriſtus adueniens in mundum ſecum apportat: quod eſt dare poteſtatem filios Dei fieri,omnibus qui in ipſum crediderint.In hac breui narratione plura obſeruãda occurrunt.

[Membra huius narrationis.] *Primùm* enim hîc aſſeritur, donum Chriſti eſſe filios Dei fieri.*Deinde*,eos qui filij Dei efficiuntur,honorem, quo nullus maior creaturæ contingere poteſt,conſequi. *Tum*, hoc donum & hunc honorem omnibus promiſcuè offerri hominibus.*Poſtremò*,adoptionem hanc admirandam & diuinam, fieri per fidem. Horum ſingula,pia & ſingulari meditatione digna ſunt.Nam & ſummam Euangelij, & conſolationes,ſoli Eccleſiæ notas, dulciſſimas continent.

[Adoptio noſtra donum Dei eſt.] Primùm itáq; cùm dicit. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*.Significat adoptionem noſtri,adeóque ſalutem,merum Chriſti eſſe donum,& nequaquam noſtrum opus aut meritum. Nam ſi dedit,nõ perſoluit pro opere vt debitum, ſed donauit ex gratia. Ita enim inter ſe pugnant donum & debitum,vt de eodẽ tertio ſimpliciter & verè dici non poſſint.Vnde hęc immota apud Paulum, à repugnantibus eſt ratiocinatio Rom.11.6.Si gratia,non amplius ex operibus, alioqui gratia non amplius ſit gratia: ſi ex operibus, non amplius eſt gratia,alioqui opus non amplius eſt opus.Hęc conſecutio adeò firma & neceſſaria eſt,vt nulla ſophiſtica refelli poſſit. [Erroris papiſtici de meritis operum euerſio.] Quarè quoties audimus adoptionẽ ſalutis, vitã æternam eſſe donũ Dei in Chriſto:ſciamus euerti omnia humana merita, & omnes omniũ hominum & diabolorum doctrinas, qui noſtram ſalutem ex meritis operum hominum pendere docent,contra clariſſima Prophetarum, Apoſtolorum & Chriſti oracula. Qualia inter multa, hæc ſunt pauca. Oſeæ 13.9. Perditio tua ex te Iſrael, in me tantummodo auxilium tuum.

[Confirmatio puræ doctrinæ ex ſcripturæ teſtimoniis.] Iſaiæ 55.1.Omnes ſitientes venite ad aquas,& qui non habetis argentum,properate,emite, comedite, venite. Emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum & lac. Hic Iſaias Propheticis figuris magnificam commendat nobis bonitatẽ Dei, quæ ſeſe erga nos copioſè effuſura erat ſub regno Chriſti:penes quem,omnes theſauri gratiæ Dei repoſiti ſunt.Primùm inuitat omnes,nulla habita perſonarum ratione. Hanc vniuerſalem inuitationem duabus rebus opponamus, videlicet indignitati & particularitati. Deinde addit, ſitientes, oſtendens quæ ſit vera præparatio ad recipiendam hanc gratiam. Nam qui turget inani operum fiducia, ſatur ſibi videtur,ideóque Chriſto locum non dat : quemadmodum videre eſt in Phariſæis omnium temporum.Contrà,qui ſentiunt ſuam ſitim, vt Magdalena,Publicanus,Latro,Hæmorrheuſa &c.magno deſiderio accurrunt,vt ſitim ſuam, fonte aquæ ſalientis in vitam æternam,extinguant.Quod cùm fit,impletur dictum Domini,Matt. 5.6. Beati qui eſuriũt & ſitiunt iuſtitiam,quoniam ipſi ſaturabuntur.

Vt autem hanc famem & ſpiritualem ſitim ſentiamus, proponitur nobis lex, quæ deducit nos in cognitionem Deo debitæ obedientiæ. Ex hac cognitione in cognitionem inobedientiæ,hoc eſt,peccati noſtri.Ex hac rurſus in cognitionem irę Dei iuſtiſſimæ.Tum ex huius iræ iuſtiſſimæ cognitione in ſenſum maledictionis & æternæ damnationis,quam ſequitur deſperatio.Quorũ ſitis hoc pacto excitata eſt, his, ne abſorbeantur deſperatione, proponitur dulciſſima inuitatio ad aquas ſalutares,quæ inuitatio fit per Euangelij prædicationem, quæ eſt pœnitentię, hoc eſt conuerſionis hominis per fidem in Ieſum Chriſtum. Præterea addit, Emite ſine argento, hoc eſt, gratis accipite.Nam additio, ſine argento, ſpecificam verbi præcedentis ſignificationem ad genus reuocat,ſynecdoche Hebræis vſitatiſſima. Poſtremò,Viui & lactis ſymbolo omnia comprehendit,quæ ad ſpiritualem vitam neceſſaria ſunt. Ratio ſymboli hæc eſt. Quemadmodum vino & lacte in hac vita nutrimur:ita animæ noſtræ doctrina Euangelij,Spiritu ſancto,& aliis donis ſpiritualibus in ſpirituali Chriſti regno aluntur.

Paulus ad Rom.6.25.Donum Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Ad Epheſ.2.8.Gratia eſtis ſaluati per fidẽ,& hoc nõ ex vobis,Dei donũ. [Doctrina.]

Huiuſmodi teſtimonia confirmant doctrinam Euangelij de gratuita ſalute:confutant aduerſarios, hoc eſt iuſtitiarios omnium temporum:& conſolantur afflictos & ſitientes aquas ſalutares. Quare non eſt leuiter prætereundum quòd Euangeliſta doni meminerit.

[2. Quid detur electis in Chriſto.] Deinde,Euangeliſta magnum & eximium honorem eſſe definit,hanc in filios Dei adoptionem.*Dedit*, inquit, *poteſtatem* græcè ἐξουσίαν:qua voce ſignificatur & poteſtas & honor.Poteſtas quidem,qua ſuperiores ſumus mundo,iuxta illud,1.Ioan.5.4. Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides veſtra. Honor verò, quo ſubiecti ſumus ab ignominia extrema,ad ſummam gloriam, vt filij Dei iam ſimus,habeamúſque miniſtros & cuſtodes Angelos. Atque ideo Nonnus reddit οὐρανίην τιμὴν, hoc eſt, cœleſtem honorem,vt hunc eximium honorem,quem offert Euangelium,diſtinguat à vano huius mũdi & interituro honore. [Exhortatio honoris cœleſtis ab oppoſito.] Honor mundi,ſiue verus ſit,ſiue falſus, inſtabilis,momentaneus & imperfectus eſt.Nam verus quidem, qui ob virtutem & res præclarè geſtas alicui tribuitur,inuidiæ hominũ multíſque periculis expoſitus eſt.Ex quo fit quòd maximè ob virtutem & res præclarè geſtas honorati, ſibi magis ab inſidiis malorum timeant. Vt Scipio ille Aphricanus, qui confecto perdifficili bello ſecundo Punico, & victo Hãnibale,ceſſit iis qui ſuæ virtuti inuiderũt:&

extra

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

extra patriam (vt Auguſtinus narrat)quam liberauit,mortuus eſt.Falſus verò qui ex hominum adulatione dependet, non homini ob virtutem, aut res præclare geſtas tribuitur, ſed vel propter diuitias: iuxta illud Poëtæ.

Curia pauperibus clauſa eſt,dat cenſus honores,
Inde grauis iudex,inde ſeuerus eques.

Vel propter potentiam redditur: vnde illud Atrei apud Senecam. *Maximum hoc regni bonum, quod facta domini cogitur populus ſui, quàm ferre, tam laudare.* Idem.

Laus vera,& humili ſæpe contingit viro.
Non niſi potenti falſa.Quod nolunt,velint.

Sed huius falſi honoris cataſtrophe eſt ignominia.Nam etſi ſepulchro clauditur corpus:tamen ſcelerum fœtor poſt funera perpetuò remanet.

Contra autem,hic cœleſtis honor, vt habet firmiſſimum fundamentum, ita maximè ſolidus exiſtit. Nam vt mūdi honor & gloria in hac vita illuſtrior, obſcuratur poſt funera: Ita hic honor in hoc ſeculo obſcurior,poſt mortem maximè claret. Vtrunq; videre eſt in diuite Epulone,& in paupere Lazaro.

Epitheti ratio.

Vocatur autem hic honor Cœleſtis, cùm quia à cœleſti patre Deo eſt, tum quia æternum in cœlo durabit. Proinde nos qui hunc honorem adepti ſumus,admoneamur gratitudinis erga Deum: cœleſtia meditemur:caueamus ne noſtro vitio, hoc honore rurſus turpiter excidamus:cogitemus quid nos deceat,quibus tantus honor contigit,vt filij Dei cēſeamur.Hunc itaque honorem magnifaciamus: degamus vitam tāto honore dignā:exiſtimemus nihil fœdius aut turpius eſſe,quàm tanto honore neglecto redire ad priſtinam ignominiam,& dare maculam(vt cum Syracide loquar)in tantam gloriam.

Doctrina.

1 Quibus offeratur.

Præterea Euangeliſta diſertè docet hoc donum Chriſti,& hunc adoptionis honorem promiſcuè offerri omnibus.Ita enim ait, *Quotquot receperunt eū, dedit poteſtatem filios Dei fieri.* Huc illud ad Titum, 2.11. Apparuit gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus.De hac vniuerſali gratia ſuprà in quarto mēbro ſecundi loci quædam dicta ſunt.Quare hîc tantum quædam admonēdi gratia adijciā. Nemo enim ſatis explicare poteſt, quāti theſauri miſericordiæ & gratiæ lateant in huiuſmodi vniuerſalibus promiſſionibus.Demus ergò operam vt ijs rectè vtamur in gloriam Dei,& noſtrā ſalutem. Quod tùm demum fiet,vbi nos in vniuerſalem promiſſionem concluſerimus, & eam(vt anteà admonui) particularitati Stoicę,ac indignitati noſtræ oppoſuerimus,viuētes in vera pœnitentia,& timore Dei, perpetuò bonitatem Dei in Chriſto prædicantes: & alios noſtro exemplo ad hanc gratiam inuitantes.

Doctrina.

Adu.Epicureos.

Cæterùm hac vniuerſalis gratię promiſſione,abutuntur non pauci,vt qui inde carnalem ſecuritatem quærunt,& totam vitam ſine pœnitentia tranſigūt, putantes ſatis eſſe ſi extremum halitum pœnitentiæ agendæ reſeruauerint. Hunc abuſum miſericordiæ Dei Syracides reprehēdit his verbis. Eccl.5.9. Ne dicas miſericordia Domini plurima eſt, multitudinē peccatorū meorū mihi ignoſcit. Tā enim ira, quàm miſericordia à Deo properabit: ac ſuper ſceleratos furor eius requieſcet. Ne igitur differas conuerti ad Dominum,nec diem ex die ducas. Subitò enim ira Domini erumpet, & cū ſecurus eris profligaberis, atque in tempore vltionis peribis. His conſentiunt hæc Auguſtini verba,in libro de ſalutarib' documētis. *Clementiſſimus,* inquit, *Dominus confugientibus ad pœnitentiam ignoſcit. Sed ne de miſericordia Domini tantùm ſecuri exiſtamus,vt peccatis peccata augeamus: neque dicamus, donec viget ætas, noſtras carnis concupiſcentias exerceamus, & poſtremo in ſenectute, malorū noſtrorum pœnitentiam agamus. Pius eſt enim Dominus & miſericors, nec vltrà facinorum noſtrorum recordabitur.* Hactenus Auguſtinus.

Doctrina.

Locus de maturāda vitæ emēdatione.

Ne igitur & nos abutamur hac dulciſſima vniuerſalis gratiæ promiſſione, hæc decem nobis ſemper ſint in conſpectu.

Huius rationes ſunt vitæ incertitudo.

I. *Incertitudo vitæ.* Nemo enim nouit qua hora, aut quo momento, & quo medio ſit ſibi hinc migrandum. Atque ideò Dominus ſuos diſcipulos hortatur ad vigilantiam, hiſce verbis, Mar.13.33. Vigilate(inquit)& orate:quia neſcitis diem neq; horā. Et diuiti in Euangelio dicitur, Luc.12.20. hac nocte repetent animā tuam.Si es contemtor verbi & miniſterij,caue ne cōtemtoris mercedē accipias. Ante viginti annos,vt de multis exēplis vnū referā, cùm quidā blaſphemus, tantopere contemſiſſet verbum Dei & miniſtros verbi; quòd etiā palā miniſterium deriſerit,contigit quòd idē ſemel templū ingreſſus, concionantem è ſuggeſtu parochum murmure, & omnibus corporis geſtibus deriſerit:cui tamen pius concionator nihil reſpondet, ſed tacitè vindictam Deo relinquens,pergit conſtanter in ſua concione. Sed quid fit? impius iſte videns ſacerdotē nihil ſuas curare ineptias,egreditur de tēplo, & mox tegula è templi tecto lapſa interficitur impius.

Exemplū.

Scelerum Theſaurus.

2. *Theſaurus plurimorum ſcelerum* periculoſiſſimus procraſtinatione pœnitentiæ colligitur. Vnde Paulus, Rom. 2. 5. Secundum duritiem tuam & cor pœnitere neſcium, theſaurizas tibiipſi iram in die iræ. Peccatum enim quod per pœnitentiam nō opprimitur, mox ſuo pondere in aliud trahit. De hoc rurſus in aliud,donec immenſa peccatorum catena efficiatur. Vt enim peſſima radix non euulſa de terra,perpetuò germinat:ita peccatū; cui indulges,nouas vires quotidie acquirit:& maximus peccatorum cumulus efficitur.

Simile.

3. Induratio.

3. *Abalienatio mentis à Deo,& induratio*: ex quo fit, vt quò diutius differtur pœnitentia, eò redditur difficilior. Nam, vt in morbo corporis, quò diutius differtur medicina, eò fit morbus periculoſior & difficilius curatur,imò interdum ex diuturnitate incurabilis redditur:ita in morbo animi contingit.Nam poſtquam conſuetudine peccandi animus callum induxit, veluti cancro quodam corripitur.Ex quo fit vt malum paulatim ſerpat, donec interitum adferat. Rectè proinde à Marco Eremita dictum eſt: *Vitiorum methodus, rete eſt multiplex: quo qui particulatim implicitus eſt, ſi neglexerit, omnibus membris conſtringitur.* Hîc proinde locum habet illud Poetæ.

Simile.

Aliud.

Qui non eſt hodie,cras minus aptus erit.

4. IraDei.

4. *Ira Dei* procraſtinatione pœnitentię accenditur. Ex quo fit ſæpiſsimè, quòd Deus homines impœnitentes in reprobum ſenſum tradat, vt minimè probanda probent,ac tandem cordium ſuorū cogitationibus decepti pereant.

5. Datum ſcandalū.

5. *Scandalum*,quo alij offenduntur, qui te viuere ſine pœnitentia animaduertunt. Hoc ſcandalum grauiſſimas meretur pœnas:ſicuti Domin' ipſe in Euangelio oſtendit, Mat.18.6.7. Væ,inquiens,homini per quē ſcēdalū venit. Et rurſus, Quiſquis offēderit vnum ex paruis iſtis,qui in me credunt,pręſtiterit illi vt ſuſpēdatur mola aſinaria in collū ei' & demergatur in pfūdū maris. Et Pa.Ro.14.15.19.21.dicit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

in Chriſtum peccare,& perdere infirmos fratres cū qui adiaphoris cum ſcādalo vtitur.Quid igitur ſentiendum de illo,qui mala vita ac impia conuerſatione & exemplo,multos in perniciem adducit?

6. Mors animæ.

6. *Excluſio à communione bonorum*, quorum ſoli ſancti in Eccleſia ſunt participes. Donec enim homo ſine pœnitentia viuit, gaudio ſpiritus caret,cōſcientiæ pace deſtituitur, ſpiritualibus conſolationibus priuatur, nec poteſt alios in Eccleſia ſuis iuuare precibus.

7. Satanæ deliciæ.

7. *Deliciæ Satanæ.* Quemadmodum enim angeli in cœlo gaudent ſuper homine agente pœnitentiam:ſic Satanas ſummis delicijs & veluti iucundiſſimis voluptatibus perfruitur, cùm homines, præſertim eos qui Chriſto dederunt nomina, videat ſine pœnitentia viuere. Sunt enim peccata hominum, vt quidam ex patribus dixit, εὐωχίαι φαύλων δαιμόνων.

8. Reproborum interitus.

8. *Cogitatio tragicorum exemplorum* in plurimis hominibus, qui à Deo ob contumaciam ſunt abiecti in æternas pœnas:vt Cain,Pharao,Saul,Achitophel,Iudas,& infiniti alij.

9. Pœnitētia vera à Deo datur.

9. Cogitatio etiam hæc animum ſubeat, quòd *Pœnitentia* non ſit opus hominis, ſed *donum Dei*: quod ſi contemſeris, dum à Deo tibi offertur, metuendum eſt vt ſuas margaritas ſæpius ſuibus obijciat.

10. Sera pœnitētia rarò vera.

10. *Conditio ſeræ pœnitentiæ.* Dici enim rectè ſolet: ſera pœnitentia rarò vera. Neq; enim is rectè pœnitentiam agere cenſendus eſt,qui poſtquā peccare non poſſit,pœnitentiam ſimulat.

Doctrina.

His itaque admoniti,cum gratitudine animi ſumma, amplectamur vniuerſalem gratię promiſſionem:ac ad vocem Euangelij ſeriò agamus pœnitentiam:& maturè,vt filij Dei,cum ſanctis omnibus & caſtiſſimis ſpiritibus glorificemus Deum mente, lingua, vita & operibus: quò tandem læti, retinentes fidem, & bonam conſcientiam, migremus hinc ad cœtum illum beatorum ſpirituum,fruamurque conſuetudine Dei & ſanctorum omniū in omni æternitate.

4. Adoptionis modus.

Poſtremum, quod in hoc ſecundo membro obſeruandum diximus, eſt adoptionis modus. *Dedit* (inquit) *poteſtatem vt filij Dei fierent, ijs qui credunt in nomen eius.* Quibus verbis Euangeliſta apertiſſimè docet, adoptionem noſtri in filios Dei, per fidem fieri: qua credimus in nomen æterni λόγου, qui eſt filius virginis. Rationem itaque fidei,qua fit hæc admiranda & expetenda adoptio explicemus.

Fidei veræ definitio.

Fides Chriſtiana, qua in filios Dei adoptamur, eſt noticia & aſſenſus promiſſæ & expetitæ miſericordiæ, adeóque ſalutis propter Chriſtum,& in eādem promiſſam miſericordiam firma fiducia.

Analyſis definitionis.

Hæc definitio confirmatur, & apertis oraculis Dei,& illuſtribus exemplis, vt Abrahæ & aliorum. Verùm vt hæc definitio clarius demonſtrari poſſit,eam in partes ſuas, monſtrato obiecto, & fundamentis, quibus ſingulæ partes nitantur, retexere volo.

Partes præcipuæ.

Sunt autem quatuor huius definitionis partes: quæ omnes idem habēt obiectum.Prima eſt *noticia*, Secunda, *Aſſenſus*. Tertia, *Expetitio*. Quarta, *Fiducia*. Nos primùm de obiecto nonnulla dicamus, in quod hæ omnes fidei partes intuentur.

Obiectū cōmune harum partium.

Eſt autem commune harum partium obiectum, *miſericordia Dei* in Chriſto promiſſa: in quo Chriſto nos pater cœleſtis regenerat, adoptat,iuſtificat,ſanctificat: breuiter, ſaluat & donat æterna vita.

Nomen Chriſti, quid.

Hoc obiectum ab Apoſtolo noſtro indicatur hiſce verbis: *Qui credunt in nomen eius.* Nomen autem habet relationem ad prædicationem Euangelij de Chriſto. Vult ergo Apoſtolus, vt in Chriſtum credamus, eum videlicet, quem proponit nobis Euangelium, & talem, qualis in Euangelio nominatur, hoc eſt, prædicatur.

Quis Chriſtus nobis in Euangelio proponitur.

Quis eſt ergò ille Chriſtus quem proponit Euangelium? eſt æternus λόγος Dei: eſt ſemen mulieris primis noſtris parentibus promiſſum: eſt Meſſias prædictus à Prophetis: eſt ille dominator gentium, quem ſignauerunt figuræ: eſt ille filius virginis natus in Bethlehem: eſt ille doctor,qui ſtupendis & diuinis miraculis ſuam obſignauit doctrinam: qui poſtquam paſſus, mortuus & reſuſcitatus eſt, aſcendit in cœlum, dedit Spiritū ſanctum viſibili forma,ſedet ad dexteram patris,vnde venturus eſt iudicatum viuos & mortuos.

Expoſitio & plenior explicatio.

Qualiſnam hic nominatur & prædicatur in Euangelio? *Primùm* prædicatur verus & æternus Deus. Quare qui in Chriſtum credit, in verum & æternum Deum credit. Et *Deinde* prædicatur & declaratur verus homo. Quare qui in Chriſtum credit,in hominem credit qui eſt Deus, *Tertiò*, nominatur vnus Chriſtus, atque ideò quicunque in ipſum credit,in eam perſonam credit,quæ eſt Deus & homo ſeu,vt Græci loquuntur,quæ eſt θεάνθρωπος. *Quartò* nominatur & prædicatur ſaluator credentium. Quiſque proinde in ipſum crediderit,ſaluabitur. Hoc ſaluationis officium indicatur,& varijs huius perſonæ appellationibus,& plurimis ſcripturæ teſtimonijs:imò tota ſcriptura hunc vnicum ſcopum habet vt doceat Chriſtū Dominum ſaluatorē credentium eſſe. Hic finis eſt,cur miſericors pater hunc ſuum filiū in mūdū miſerit. Fidelis (inquit Paul. 1. Ti. 1. 15.) eſt ſermo,& omni approbatione dignus, ꝙ Chriſtus Ieſus venit in mundum,vt peccatores ſaluet. Atq; hæc eſt illa ſcientia ſalutis,quā Zacharias canit filiū ſuum Iohannem annunciaturum,in remiſſionē peccatorum, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri. Luc. 1.77.78.

Hæc ſint breuiter ſignata de fidei obiecto, iam partes fidei quas propoſuimus, explicemus.

De prima parte fidei.

Prima pars fidei eſt *Notitia*. Nam cùm fides verbum Dei intueatur,neceſſariò eius verbi requiritur intellectus. Adam audiens hoc verbum Ge.3.15. Semen mulieris conteret caput ſerpentis:notitiam huius verbi,& auribus & mente percepit. Abraham vocatus de Vr Chaldeorum,audiuit verbum, Ero Deus tuus,& ſeminis tui poſt te.Gene.17.7. Item, in ſemine tuo benedicentur omnes gentes. Verbum hoc & auribus & mente perceptum circūfert Abraham. Nicodemus,cùm audiret à Domino Io.3.16. Sic Deus dilexit mundū,quod Filiū ſuū vnigenitum dederit,vt omnis qui credit in eū non pereat,ſed habeat vitā æternā: Intellexit hanc magnificam promiſſionem,& eius noticiam mēte cōcepit, quam apud ſe meditatus eſt. Hęmorrheuſa audita huius dulciſsimæ inuitationis Domini, Mat.11.28. Venite ad me omnes,qui laboratis, & onerati eſtis, ego reficiā vos:noticiā mente cōſeruat. Latro intelligit Chriſti promiſsionē, Lu.23.43. Hodie mecū eris in Paradiſo. Ad eundē modū hodie quicūq; ſaluabitur,idem verbū de agno Dei abolente peccata mūdi,nouiſſe debet:ſine quo fides ſalutaris inchoari nequit. Eſt enim hæc noticia,veluti elementū fidei ordine primum.

Quibus modis cõſequatur.

Huic noticiæ conſequendæ ſeruit miniſterium verbi, diligens lectio,interpretatio,meditatio. Tametſi autem hoc verbum breue admodū & facile intellectu videtur,reuerà tamen plurima ad eius ſalutarem noticiā requirūtur. Oportet enim oēs articulos fidei cū ſuis cauſis & circūſtantijs cognitos habere.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

bere. Quare inepti ſunt, qui exiſtimant ſatis eſſe ad rationem plenam huius noticiæ, ex qua extruitur fides, tenere vnam atque alterã promiſſionẽ de Chriſto. Ignorant enim doctrinam Eccleſiæ veluti catenam quandam eſſe, in qua pars vna alteri ita cohæret, vt omnes partes à ſe mutuò dependeant.

De ſecunda parte.

Secunda pars fidei, eſt *aſſenſus*: quo aſſentimur noticiæ, & eam vt certiſſimam ſtatuimus. Hic aſſenſus ideo græcè συγκατάθεσις dicitur, quia mens noſtra cum intellecta ſententia verbi conſentit adeò, vt quod verbum ſonat, ratum & firmum eſſe non dubitet. Hic aſſenſus duplex eſſe deprehẽditur. Nam cùm ſponte aliquis aſſentitur ijs quæ dicuntur, ſpontaneus eſt aſſenſus: contrà, ſi rationibus firmis conuicta mens, approbat verbum, aſſenſus meritò violentus dicitur. Atque ideò huic aſſenſui roborando, ſeruiunt primùm miracula diuina, vt Nicodem⁹ audita Domini verba nouit, & ſecũ circũfert admirabundus: ſed cum ſtupenda Chriſti facta vidit, aſſenſus fit firmus & immotus. Huc etiam alia teſtimonia pertinent, vt prophetiarum euentus, cõſeruatio Eccleſiæ, confeſſiones tot Martyrum omniũ temporum, conſenſus Moſis, Prophetarũ & Apoſtolorum in eadem doctrina. Adhæc Spiritus ſanctus obſignat veritatem Dei in cordibus hominum, vt velint nolint fateantur doctrinam cœleſtem veriſſimam eſſe.

Aſſenſus duplex.

Quib. medijs hæc pars cõfirmatur.

Hæc igitur omnia euidentiſſimam doctrinæ cœleſtis demonſtrationem ſuppeditant, adeò vt homines, obſtinata maliciâ & Diabolico veneno nõ dementati, hanc demonſtrationẽ intuentes, acquieſcãt pleno aſſenſu: ac deliramẽta Iudaica, Ethnica & Mohometica execrentur, nõ amplius fluctuãtes opinionib. Verũ, qui hoc modo norunt doctrinã ſalutis, ac ita cõuicti ſunt, vt aſſenſum præbeãt velint nolint, ſed nihilominus veritati reſiſtũt, obſtinata, vt dixi, malicia, & Diabolico veneno dementati, apertè Spiritui ſancto reſiſtũt, & in ſpiritũ ſanctũ peccare cõuincuntur: quod ſcelus ſuis Iudæis Stephanus obiecit Acto. 7. 51. Quare qui tales ſunt, etſi viuunt, hanc externam, vt ita dicam, vitã: tamen iudicio Dei mortui ſunt, pœnis æternis addicti. Hinc ergo apparet, quod etſi noticia verbi, & eius firmus aſſenſus ſint partes fidei, & veluti prima eius quædam elementa: non tamen fidem iuſtificantem conſtituant. Nam communis adhuc eſt cùm pijs, tum impijs: quemadmodum hiſtoria Euangelica ſatis in ijs oſtendit, quibus Chriſtus blaſphemiam in Spiritum ſanctum obiecit.

Qui peccant in ſpiritũ ſanctum.

De tertia parte.

Expetitio, tertia fidei pars & veluti elementum ſequitur. Huic plura deſtinantur. Primum προτρεπτικὰ omnia, qualia ſunt hæc, Venite filij, timorem Domini docebo vos. Pſal. 34. 12.

Item, Mat. 11. 28. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, ego reficiã vos. Deinde cõminationes mortis æternæ, quam vox Dei minatur omnibus, qui non cõuertuntur. Adhæc ſenſus iræ Dei horrendæ in peccatores, in quo eſt guſtus quidã cõmeritæ damnationis: vnde oritur in corde pauor, & operante ſpiritu Dei, in corde expetitur inenarrabilib. gemitib⁹ remiſſio peccatorũ. In qua expetitione, homo per ſpiritũ ſanctũ regeneratur ac iuſtificatur, concepta in mediatorem fiducia. Exempla huius expetitæ remiſſionis & fiduciæ, conſpiciuntur in Dauide, Publicano, Latrõe, Magdalena & multis alijs.

De quarta parte.

Fiducia itaque, quam quartam partem conſtitui, eſt fidei iuſtificantis abſolutio & conſummatio. Huic ſtabiliendæ ſeruiunt Sacramenta, Baptiſmus & cœna Domini. Seruiunt preces & perpetua pietatis exercitia: quæ ſunt veluti ros quidam cœleſtis, quo diuina illa plantula, fiducia in Chriſtum, rigatur, fouetur, alitur & creſcit. Vnde fit vt hæc fiduciâ ita rigata, & fota paulatim adoleſcat. Hinc hypoſtaſis illa & πληροφορία oriuntur, veluti pulcherrimi fidei flores. Hypoſtaſis quidem, qua fides inuicta opponit ſe omnibus periculis, ſuſtinet omnia, tentationibus carnis, mundi & Satanę nequaquam cedit: πληροφορία verò, qua fertur pleno impetu rectà ad thronũ Dei, facit ne fides vllis fluctibus ſe impediri ſinat, donec in portum ſalutis peruenerit. Huius hypoſtaſeos & πληροφορίας plurima exempla in ſanctis Dei Martyribus cõſpiciuntur, & imprimis illuſtria ſunt Latronis, & Stephani. Huiuſmodi exemplis Eccleſiaſtica hiſtoria plena eſt.

Quib. medijs ſtabilitur. *Flores & fructus eius.* *Exẽpla.*

Doctrinæ de fide iuſtificãte. cõfirmatio & vſus.

Etſi autem quæ hactenus de fide dicta ſunt, vtcunque nobis fidei rationem explicare videntur: tamen tria adhuc adiiciam. *Primum* enim, contra Papiſtas immotis rationibus oſtẽdam, quòd fides iuſtificans ſit fiducia. Deinde, conuincam ſola hac fiducia iuſtificari & regenerari hominem. *Tertio*, quædam de effectibus fidei addam, quò plenior fidei doctrina habeatur.

Papiſticæ hæreſeos de fide, refutatio.

Quantum ad primum attinet, firmiſſimas rationes colligam, quibus & Papiſtarum error, qui fidem tantum hiſtoriæ noticiam eſſe volunt, refelletur, & quòd fides iuſtificans ſit viua in promiſſionem gratuitæ ſalutis fiducia, demonſtrabitur. Rationes autem hæ ſunt.

I. Rationibus. 1. Vocis ſignificatio

Prima. Ipſa Grammatica & propria vocis ſignificatio, non hiſtoriæ ſed fiduciæ congruit, vt in illo Phocylidis: Λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπός ἐστιν ὅμιλος: hoc eſt, Populo ne credas, ne confidas vulgo, nam inconſtans eſt; modò hoc modò illud probat & improbat ſine iudicio.

2. Synonyma.

Secunda. Synonyma idem conuincunt: vt ſunt, Confidere. vt in illo, Pſal. 2. 12. Beati omnes qui confidunt in ipſum. Παῤῥησία, confidentia ſeu fiducia. Πεποίθησις, Ephe. 3. 12. fiducia. Hypoſtaſis, certa promiſſionis fiducia, qualis in eo eſſe ſolet, qui intrepidè periculũ imminens ſe ſuperaturũ confidit, & ſtatuit ſe ſcopũ pfixũ aſſecuturũ. Ita accipitur vox hypoſtaſis Pſ. 40. 1. 2. Cor. 9. 4. & 11. 17. He. 3. 14. & 11. 1. Ex quibus locis colligitur, ꝙ fides ſit imperterrita animi ſubſiſtentia, qua quis rei promiſſæ certitudine fret⁹, euentũ ſine hæſitatione expectat, imò vt iã præſentem amplectitur. Πληροφορία tribuitur fidei, ad Rom. 4. 21. Quare non dubium eſt, quin cõplectatur fiduciam. Eſt enim πληροφορία certa perſuaſio, quo quis veluti pleno curſu ad metam contendit.

Exempla.

Tertia. Exempla illuſtrium hominum qui crediſſe in ſcripturis perhibentur, & prædicantur. Vt Abrahami, Iairi, Hæmorrheuſæ, Peccatricis, Lucæ Latronis, &c. Fides Abrahæ deſcribitur ad Roma. 4. 18. Qui contra ſpem ſub ſpe credidit: hoc eſt, vbi nulla rationi affulſit ſpes, nixus tamen promiſſionibus Dei credidit Abraham.

Abrahæ.

Quare fides Abrahæ fuit certa fiducia diuinarum promiſſionum, quæ fiducia ſenſui & iudicio carnis ſeſe oppoſuit. Nam cùm Abraham ſtatuerit verbũ Dei fuiſſe quod ſibi proponebatur, & certò ſciret ipſum Deum veracem eſſe, expetijt promiſſa bona, cõcepitque in promiſſionẽ fiduciam certam, & non vacillantem opinionem. Hoc ipſum Geneſeos 15. 1. 6. in eodẽ declaratur exẽplo. Nam illic quid ſignificet verbũ credidit, & promiſsio & conſolatio indicant. Noli (inquit) timere Abraham, ego protector tuus & merces tua magna nimis. In hac dulciſſima conſolatione & promiſsione, teſtatur Deus ſe propitium eſſe Abrahamo: teſtatur ſe defenſorem, adiutorem, & ſaluatorem eius fore. Hanc promiſſionẽ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

intuens Abraham vere confidit, & ſtatuit ſe in gra-
tiam recipi. Vnde de eo dictum eſt, credidit Abra-
ham Deo & imputatum eſt illi ad iuſticiã. Hinc ma
nifeſte patet quòd fides Abrahæ non fuerit tantum
hiſtoriæ noticia, ſed etiam, idque proprijſsimè, viua
& certa in promiſſionem diuinam fiducia.

Iairi. Iairus ait, Mar.5.22. Domine filia mea modò defun
cta eſt, ſed veni & impone manũ tuã ſuper eã, & vi-
uet. Hæc oratio fidei eſt, quæ nõ ſolũ eſt noticia hi-
ſtoriæ de Chriſto, quòd poſſit mortuos quos vult
excitare, ſed etiam viua fiducia, quòd velit. Ideò di-
cit: Impone manum tuam ſuper eam, hæc eſt preca-
tio pro filia. Et viuet, hæc eſt viuæ fiduciæ vox.

Hæmorrheuſę. Hæmorrheuſa cum ait, Mat.9.21. Si tetigero tan-
tum fimbriam veſtimenti eius, ſalua ero. Hæc ora-
tio fidei eſt, quæ vt duo tribuit Chriſto, videlicet
quòd & poſſit & quòd velit ſe iuuare: ita in eũ viua
fiducia recumbit, qua & iuſtificata eſt ipſa, & quod
petijt impetrauit.

Peccatricis. Peccatrix, Lucæ 7.38.48. accedit Chriſtũ, rigat pe
des eius lachymis ſuis, abſtergit capillis, oſculatur
pedes Domini, & audit à Domino: fides tua te ſal-
uam fecit, vade in pace. Quis hîc non videt fidei no-
mine ſignificari fiduciam? Nam & effectus fidei, &
Chriſti dictum, quæ fuerit ratio fidei Peccatricis ſa
tis oſtendunt.

Latronis. Latro in cruce dicit, Luc.23.42. Memento mei Do
mine cum veneris in regnum tuum. Hanc latronis
orationem fuiſſe fidei, hoc eſt, firmę in Chriſtũ fidu
ciæ conuincit reſponſum Domini dicẽtis: hodie me
cum eris in paradiſo. Huiuſmodi plurima fidei exẽ
pla cùm in veteri, tũ in nouo teſtamẽto & Eccleſiæ
hiſtoria habentur, & multa in Epiſtola ad Hebræos
recitantur: quæ omnia ſatis docent, quòd fides nõ
ſit tantum hiſtoriæ noticia & aſſenſus, ſed etiam ex
petitio gratiæ, & in eadem firma fiducia.

4. Fidei adiuncta. *Quarta*, Fidei propriè adiuncta, ſimiliter conclu-
dunt fidem eſſe fiduciam. Chriſtus habitat in cordi-
bus fidelium per fidem, fide accedimus ad Deum,
fide iuſtificamur, fide regeneramur, credenti om-
nia ſunt poſſibilia. Quomodo poteſtis, ait Domi-
nus, credere qui gloriam à vobis inuicem accipi-
tis, & gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis?

5. Oppoſita. *Quinta*. Rom.4.1.9.20. Fides opponitur dubitatio
ni de euentu rei promiſſæ. Igitur ſignificat fir-
mam fiduciam: nam hac ſola dubitatio euerti-
tur.

6. Relata. *Sexta*. Mutua relatio inter fidem & promiſſionẽ.

Promiſſio non ſolum prædicat gratiam, verum-
etiam eam offert: ergò fides non tantum nouiſſe
debet promiſſionem, ſed etiam certò ſibi pollice-
ri, quòd Deus ſit vere præſtiturus quod promittit.
Qui autem hanc non habet fiduciam, Deum menda
cem facit: quo ſcelere nullum maius eſt.

7. Teſtimoniũ Eccleſiæ. *Septima*. Teſtimonium Eccleſiæ. Sancti enim pa-
tres vnanimi conſenſu fidem eſſe fiduciam teſtan-
tur. Auguſtinus confert fidẽ manui non aridæ, ſed
viuæ: ſentit igitur fidem fiduciã eſſe. Bernhardus ita
loquitur. *Primum ſyncera radix ſanctæ fidei in terra hu-
mani cordis plantatur, cui inſeritur ramuſculus ille ſanctæ
arboris timor Domini, qui dicitur initium ſapientiæ. Cum
hoc incipit & cum illo aſcendit, vſque ad plenitudinem
luminis. Hîc poma ſunt quibus anima reficitur.* Hæc Ber
nhardi verba ſatis indicant, quid ſenſerit ſanctus
ille pater de fide. Verùm de patrum teſtimonijs,
plura in proximo membro dicentur.

His ſeptem rationibus, tanquàm demonſtratio-
nibus quibuſdam euidentiſſimis, conuincimus fidẽ
non tantum ſignificare noticiam hiſtoriæ & aſſenſũ
verumetiam promiſſæ gratiæ expetitionem & fidu-
ciam.

Altera pars. Vis ſola fide iuſtificari. Rationes. Iam oſtendendum eſt, quòd hac ſola iuſtificemur
ac regeneremur in nouam creaturam. Rationes au-
tem quibus hoc euidenter probari poteſt, ordine re-
citabo, ac numeris diſtinguam: quo & clarius perſpi-
ciantur, & tenacius memoria teneantur.

1. Chriſti dictum. *Prima*. Marci 5.36. Dominus confirmaturus ar-
chiſynagogum Iairum dicit ei: ne metuas, tantùm
crede. Hic exceptiua particula diſertè additur, vt
intelligatur quòd promiſſio ſalutis, ſola accipiatur
fide, & non pendeat ex vlla operis noſtri dignitate
aut merito.

2. periphraſis particulæ excluſiuæ. *Secunda*. Periphraſis particulæ excluſiuæ, vt ad
Gal. 2. 16. vbi Paulus dicit homines non iuſtificari,
niſi fide & addit expreſsè, abſque operibus.

3. Apodicticę collectiones ex dictis de iuſtificatione. *Tertia*. Collectiones fortiſſimæ, petitæ ex di-
ctis de iuſtificatione, quales inter multas hæ
ſunt.

I. Acto.10.42. Hic eſt declaratus à Deo iudex vi-
uorum & mortuorum: huic ommes Prophetæ teſti-
monium perhibẽt, quòd omnis qui credit in ipſum,
accipiat remiſſionem peccatorum per nomen eius.

II. Actor.13.38. Notum ſit vobis viri fratres, quòd
per hũc vobis remiſſio peccatorum annunciatur, &
ab omnibus quibus non potuiſtis in Lege Moſis
iuſtificari, in hoc omnis qui credit iuſtificatur.

III. Actor.15.8. Cognitor cordium Deus, teſtimo-
nium perhibuit ipſis, cùm daret ijs Spiritum ſan-
ctum, quemadmodum & nobis, & nihil diſcreuit
inter nos & ipſos, fide purificans corda eorum.

IIII. Ad Rom.1.16.17. Euangelium eſt potentia
Dei in ſalutem omni credenti, cùm Iudæo, tũ Græ-
co: iuſticia enim Dei ex eo reuelatur ex fide in fidẽ,
& vt ſcriptum eſt, iuſtus ex fide viuet.

V. Ad Rom.3.20. &c. Ex operibus legis non iuſti-
ficabitur vlla caro coram ipſo, per legẽ enim cogni-
tio peccati eſt. Nunc autẽ ſine lege iuſticia Dei ma-
nifeſta eſt, teſtimonium habens in lege & Prophe-
tis. Iuſticia autẽ Dei, per fidẽ Ieſu Chriſti, in omnes
& ſuper omnes credentes. Et paulò pòſt, Iuſtifica-
mur gratis ipſius gratia per redẽptionem quæ eſt in
Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propiciatoriũ,
per fidem in eius ſanguine. Et rurſus, Arbitramur
igitur fide iuſtificari hominem abſque operib. legis

VI. Rom.4.3. &c. ex Gen.15. Credidit Abrahã Deo
& imputatum eſt illi ad iuſtitiam. Item, Operanti
non imputatur merces ex gratia, ſed datur ex de-
bito. At non operanti, ſed credenti in eum qui iu-
ſtificat impium, imputatur fides eius ad iuſticiã. Et
eodem capite. Si qui ex lege ſunt hæredes, inanis eſt
facta fides & irrita promiſſio. Et paulò pòſt. Ideo
ex fide vt ſecundum gratiam, quò firma ſit promiſ-
ſio omni ſemini.

VII. Et Roma.5.19. Quemadmodum per inobe-
dientiam vnius hominis, peccatores ſunt multi:
ſic per obedientiam vnius, iuſti conſtituẽtur multi

VIII. Item, c.10.3.4.9.10.11. Ignorãtes Dei iuſtitiã
& propriam iuſticiam quærentes ſtabilire, iuſticiæ
Dei non fuerunt ſubiecti. Finis enim legis Chriſtus,
in iuſticiam omni credenti. Itẽ, Si credideris in cor-
de tuo, quod Deus illum excitarit à mortuis, ſaluus
eris, corde enim creditur ad iuſticiam, ore autem
fit confeſſio ad ſalutem. Dicit enim ſcriptura: om-
nis qui credit in ipſum, non pudefiet.

IX. Cor.1.30.31. Chriſtus factus eſt nobis ſapien-
tia à Deo, iuſticia & ſanctificatio, & redẽtio, vt quẽ-
admodũ ſcriptũ eſt, qui gloriatur, in Do. glorietur.

X. 2. Cor. 5.21. Eum qui non nouit peccatum,
pro nobis peccatum fecit, vt nos fieremus iuſti-
tia

tia Dei in ipſo. XI. Ad Gala.2.16. Non iuſtificatur homo ex operibus legis, niſi per fidem Ieſu Chriſti, & nos in Chriſtum Ieſum credidimus, vt iuſtificaremur ex fide Chriſti, & non ex operibus legis. Quapropter non iuſtificabitur ex operibus legis omnis caro. Et in fine cap.21. Si per legem eſt iuſtitia, Chriſtus vtique fruſtra mortuus eſt.

XII. Item in 3.7. Scitote quod qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ. Item, 9. Qui ex fide ſunt benedicũtur cum fideli Abrahamo. Item, 10. Quicunq; ex operibus legis ſunt, ſub maledictione ſunt. Scriptum eſt enim: XII. Maledictus omnis qui non manſerit in omnibus, quæ ſcripta ſunt in lege. Item, 11. Quòd in lege nemo iuſtificatur apud Deum, manifeſtũ eſt, quia iuſtus ex fide viuet: at lex non eſt ex fide, ſed qui fecerit ea homo viuet in eis. Item, 22. Concluſit ſcriptura omnia ſub peccatum, vt promiſsio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus. XIII. Ad Epheſ.2.8. Gratia eſtis ſaluati per fidem (& hoc non ex vobis Dei donum eſt) non ex operibus, ne quis glorietur. XIIII. Ad Philip.3.6.7.8.9. Paulus de ſe loquitur hoc modo, iuxta iuſticiam quæ eſt ex lege fui irreprehenſibilis, ſed quæ mihi erant lucra, hæc exiſtimaui propter Chriſtum detrimentum, imò etiam exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter excellentem cognitionẽ Ieſu Chriſti Domini mei, propter quẽ omniũ iacturã paſſus ſum, & reputo omnia reiectamenta, vt Chriſtũ lucrifaciã, & inueniar in eo, non habẽs iuſtitiam meam quæ ex lege eſt, ſed eam quæ ex fide Ieſu Chriſti, quæ eſt ex Deo iuſticia per fidem. XV. Ad Titum 3.4. Quãdo benignitas & φιλανθρωπία apparuit ſaluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtis quæ &c.

Ex his teſtimoniis immota conſequentia ſequitur, quomodo & opera de cauſis iuſtificationis excludantur, & quomodo Sola fide iuſtificetur omnis qui credit.

Quarta. Iudæorum exemplum ſolius fidei eſſe iuſtitiam apertè docet ad Rom.10.3. Apoſtolus enim pronunciat propterea Iudæos non fuiſſe iuſtitiæ fidei ſubiectos, quia propriam iuſtitiam vnà cum fidei iuſtitia voluerunt ſtabilire. Paulus ad Philip. 3. 7.8. idem ſuo exemplo comprobat, aſſerit enim ſe vtut erat irreprehenſibilis in lege coram hominibus, omnia reputaſſe veluti σκύβαλα, vt eam iuſtitiam quæ eſt à Deo per fidem conſequatur: ſignificans fieri nõ poſſe, vt fides & opera ſimul iuſtitiæ partes aut cauſæ ſtatuantur.

Quinta. Neceſſitas, eáque quadruplex. 1. neceſſitas confutandi corruptelas, quas inuexit papatus ex cacozelia Philoſophica in doctrinam de iuſtificatione. 2. Neceſſitas vindicandi honorem Chriſti, cui ſoli redemtio noſtri, gloria & victoria ſuper Satana debetur. 3. Neceſſitas conſolandi afflictam conſcientiam & luctantem cum deſperatione. Nam qui ſtatuit iuſtificationem ex operibus & fide ſimul pendere, tanquã ex eius cauſis: nunquàm veram in corde conſolationem ſentiet: imò in agone mortis peccatorum conſcientia territus deſperabit. 4. Neceſſitas diſcernendi legis iuſtitiam, & iuſtitiam Euãgelij. Illa enim operum eſt, quam nemo præter vnũ Chriſtum eſt conſecutus: hæc fidei eſt & omnibus credentibus gratis propter Chriſtũ imputatur. Hoc diſcrimen diſertè traditur in Epiſtolis Pauli ad Rõ. Galat. Ephe. & ad Philippenſes.

Sexta. Vtilitas diſcernendi inter cauſas & effecta iuſtificationis, inter arborem & fructum, inter efficiẽtiam & declarationem: inter iuſtificationem vitæ, & hominis coram hominibus. Gratia Dei, & λύτρον Chriſti, ſunt cauſæ iuſtificationis propriæ: quæ quidem iuſtitia, vt verbo & ſpiritu offertur: ita ſola fide oblata accipitur, vſu Sacramentorum confirmanda. Fructus iuſtificationis eſt noua vita: quæ declarat iuſtificationem vitæ, & oſtendit hominem coram hominibus iuſtum eſſe. Sed de hac re poſteà plura.

Septima. Vox Eccleſiæ & confeſſio. Præcipui enim inter patres clarè pronunciant ſola fide hominem iuſtificari. 7. Vox & confeſſio Eccleſiæ.

Gennadius, Græcus Pauli interpres, ita ait, Δικαιοσύνη γὰρ καὶ τὸ πιστεῦσαι μόνον, hoc eſt, iuſtitia eſt vel credere tantum.

Baſilius in oratione de humilitate, vt omnem gloriandi tollat materiam enumerationem eorum facit quæ hominibus gloriandi materiam ſuppeditare videntur: & vbi ad iuſtitiam Chriſtianam ventum eſt, ita ſua lingua ait: μήτε ἐπὶ δικαιοσύνῃ τις ἐπαίρεται ἑαυτοῦ, ἀλλ᾽ ἔγνω μὲν ἐνδεῆ ὄντα ἑαυτὸν δικαιοσύνης ἀληθοῦς, πίστει δὲ μόνῃ, τῇ εἰς χριστὸν δικαιώμενον. Hoc eſt, Non ob iuſtitiam aliquis extollitur ſuam, ſed nouit & ſe indigere iuſtitia, & ſola in Chriſtum fide iuſtificari.

Ambroſius. Iuſtificati ſunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, ſola fide iuſtificati ſunt. *Idem:* Manifeſtè beati ſunt; quibus ſine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates, & peccata teguntur, nulla ab his requiſita pœnitentiæ opera, niſi tantum vt credant. Hîc autor ſuper Epiſtolam ad Rom. ſæpiſſimè repetit particulam *Sola*: & diſertè dicit ſine operibus Moſis & naturæ, Sola fide.

Athanaſius. Nunc planè demonſtrat fidem ipſam vel ſolam, iuſtificandi in ſe habere virtutem.

Theophilactus. Demonſtratio quod lex maledictos faciat, fides autem benedicat, oſtendit iam nunc quod & fides ſola iuſtificat, & non lex.

Iam reſtat extremum quod propoſuimus, nempe vt nonnihil de effectis fidei dicamus: quæ vt certiſſima viuæ fidei indicia facilè oſtendent, & quæ ſit ſalutaris fides, qua ſola iuſtificari hominem aſſerimus & quæ ſit mortua & hypocritica, quæ in ore locum habet tantùm, & non in corde: quemadmodum opera eorum teſtantur, quæ vt fructus arborem, ita illa indolem fidei ſequuntur. Tertia pars, de effectis fidei.

Quoniam autem ſuprà dictum eſt ſatis, qua ratione iuſtificet fides, videlicet quòd non ſit vel cauſa efficiens iuſtitiæ, vel pars eiuſdem, materia aut forma, vel qualitas, qua iuſti ſumus coram Deo & accepti: ſed tantum inſtrumentum recipiens, hoc eſt, quo apprehendimus tanquam manu quadam iuſtitiã Chriſti, quæ nobis offertur per prædicationem Euangelii, in quo ſpiritus ſanctus eſt efficax, & operatur, hoc inſtrumentum videlicet fidem, qua accipitur gratia reconciliationis & fit adoptio: hîc tantùm de fidei effectis in iuſtificatis agam, quæ tametſi multiplicia ſunt & varia, & penè innumerabilia: ea tamen conabor certis ſubijcere generibus, quib. omnia contineri videbuntur. Hæc genera, vt memoriæ diſcentium ſeruiam, numeris in hunc modum diſcerno. Qua ratione fides iuſtificat. Certa effectorũ fidei genera.

Primum. Fides viua & ſalutaris renunciat Satanæ, ac eius imperio & operibus, idque corde, profeſſione & externis actionibus. Corde, dum fidelis animus auerſatur Satanam, vt hoſtem & eius imperata extremè odit. Profeſſione, dum voce coram angelis & hominib' teſtatur ſe à Satana defeciſſe, atq; eius caſtra reliquiſſe. Externis actionib. dũ vita & moribus pugnantibus cum vita & moribus ſeruorum Satanæ defectionẽ ab eo & abiurationem 1. Fides renunciat ſatanæ. Externis actionib.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

decl‹a›rat. Hæc omnia cõtinentur illo Pauli ad Ephe. 5.11. dicto, Ne cõmercium habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum, ſed potius arguite. Deinde quia Chriſtus & Satan hoſtes ſunt ἄσπονδοι: nemo poteſt de Chriſto gloriari, niſi qui totus Satanæ renunciauit, ac totis viribus ſe ipſius regno opponit, ſub vexillo Chriſti militans. Hinc facilè iudicare eſt, quam ſint procul à fide iuſtificante, qui adhuc Satanæ & peccati imperio ſponte ſubiecti ſunt.

2. Fides, tota in Deũ recũbit.

Secundum. Fides viua & ſalutaris Deo dat nomẽ, eius imperata ſe facturam promittit, atq; eius operibus die ac nocte delectatur: corde purificato Deum agnoſcit, inuocat, amat, ab eo omnia ſalutaria ſperat. Contrà, odit quicquid Dei verbo interdictũ intelligit, atque eius gloriæ aduerſatur. Profeſſione teſtatur ſe hunc Deum, qui eſt pater domini noſtri Ieſu Chriſti, ſolum venerari, cui & gloriã veritatis tribuit, non hæſitans quin præſtare poſſit potenter quæ ſapienter decreuit, & ex gratia promiſit. Breuiter, vt filius dilectus corde, lingua & opere erga Deum, vt erga patrem chariſſimũ affectus eſt fidelis animus, in cuius ſe conſpectu perpetuò verſari cogitat. Et quoniam Deus lumen eſt, ambulat pius in lumine, tanquam filius lucis, vt Paulus ad Ephe. 5.8. docet. Atq; adeò in hoc lumine ita ambulat, vt obedientiam erga Deum præferat omnibus rebus mundi, etiam dulciſſimis, & chariſſimis. Huius ſubiectionis pij animi erga Deum, illuſtre habemus exemplum in patre noſtro Abrahamo: cuius nos veſtigiis inſiſtere oportet, modò verè de eo patre gloriari voluerimus.

Exẽplum in Abrahamo.

Hic pater noſter Abraham paratus ſcribitur, mandante domino, dilectum ſuum filium Iſaac in holocauſtum offerre: quo filio nihil ſeni patri dulcius, nihil charius, nihil precioſius eſſe potuit: quem tamen ad mandatum Dei mactare paratus fuit. Qua re ſignificauit ſe obedientiam erga Deum præferre omnibus rebus mundi chariſſimis & dulciſſimis. Hinc patet, quàm vana ſit multorum

correctio

gloriatio, qui fidem quidem iactant, Abrahamum ſuum patrem eſſe gloriantur: cùm tamen ne minimum affectum ad mandatum Dei iugulare volunt. Deus vult vt obedientiam erga ſe omnibus rebus mundi anteponas, ſed affectus malus contrà ſuadet: cui ſi indulſeris, facilè te declaras ne micam quidem fidei Abrahamicæ habere, de qua tamen impudenter gloriaris. Cogitet ergò vnuſquiſque apud ſe, ac ſe ipſe non hypocriticè examinet, non doloſis lancibus cor ſuum expendat: cuius ſi animus Deo (vt dictum eſt) adhæret, ſi delectatur mandatis Dei, ſi nihil magis in votis habet quam imperata à Deo præſtare, ſi naturalem imbecillitatem deplorat, qua impeditur quò minus obedire Deo poſſit, glorietur in Domino, ac petat vt hoc diuinum donum indies magis magiſque augeatur. At ſi contrarium ſenſerit, & conſcientia ipſius arguerit ipſum, ſciat ſe viua in Deum fiducia nequaquam præditum eſſe: ſed adhuc ſub vexillo Satanæ militare, & peccati inhabitantis imperata facere, cuius ſtipendium eſt mors æterna.

3. Fides conſcientiam pacatam & ſecuram reddit.

Tertium, Fides viua & ſalutaris hominem piè ſecurum facit, iuxta illud, 2. Paralip. 20.20. Credite in Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis. Hæc ſecuritas in tranquillitate conſcientiæ ſita eſt. Nam cùm fides operatur ſenſum reconciliationis in cordibus hominum: conſcientia, anteà turbata peccatorum ſenſu, pacata & tranquilla redditur. Hinc illa Pauli παῤῥησία: Si Chriſtus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnat? Securum proinde de ſalute fides credentem facit.

4 Fides gaudium

Quartum, Fides viua & ſalutaris exultationem ſpiritus operatur: iuxta illud, 1. Petri 1.8. Credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili. Hæc læticia eſt inchoatio beatæ vitæ, quæ conſummabitur poſt reſurrectionem corporum.

internum & inenarrabile parit.

Hanc læticiam ſpiritus, Paulus pronunciat eſſe regnum Chriſti. Rom. 14.17. Nam eſt teſtimonium victoriæ Chriſti ſuper Satanam, qui ſub morte & damnatione captiuos tenet omnes, qui non ſunt ad Deum fide conuerſi. Ad hanc ſpiritualem exultationem hortatur Eccleſiam regius Propheta, ídque in locis quàm plurimis. Pſalm. 5.12.13. Lætentur omnes ſperantes in te, æternum tripudient & protegas eos. Exultẽt in te qui diligunt nomen tuum. Quoniam tu benedicis iuſto domine, & veluti ſcuto beneuolentia coronabis eum. Pſalm. 9. 3. Lætabor & exultabo in te, pſallam nomini tuo altiſsime. Pſalm. 32. 11. Lætamini in Domino & exultate iuſti, & gloriamini omnes recti corde. Pſalm. 33. 1. Exultate iuſti in Domino, rectis decora eſt laudatio. Pſalm. 105. 3. Lætetur cor quærentium Dominum. Pſal. 95. 1. Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro, præoccupemus faciem eius in confeſſione, in Pſalmis iubilemus ei. Hæc ſpiritualis & vera læticia, guſtus æternæ vitæ, potiſſimum ſentitur in ſeria & ardenti inuocatione, ſicuti ex Pſalmis patet, & piorum experientia teſtatur.

5 Fides patientiam ſub cruce parit.

Quintum, Fides viua & ſalutaris patientiam ſub cruce operatur. Hinc eſt quòd Paulus 2. Theſſa. 3. 4. Fidem & patientiam coniungat. Nam ex patientia afflictionum virtus fidei declaratur. Ita enim ait, Gratias agere debemus Deo ſemper de vobis fratres, vt par eſt, quòd vehementer augeſcit fides veſtra, & exuberat mutua veſtra omnium charitas cuiuſq; in alterum, adeò vt nos ipſi de vobis gloriemur in Eccleſiis Dei, de patientia veſtra, & fide, ſuper omnibus perſecutionibus veſtris & afflictionibus quas ſuſtinetis. Hæc fides non ſolùm operatur patientiam ſub cruce, vt iam dictum eſt: verumetiã gloriationem. Ita enim ait Apoſtolus, Rom. 5. 1. &c. Iuſtificati igitur ex fide pacem habemus erga Deũ, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem & acceſſum obtinuimus ad gratiam hanc in qua ſtamus, & gloriamur ſub ſpe gloriæ Dei: nec id ſolum, verùm etiam gloriamur in afflictionibus. Hinc eſt quòd autor Epiſtolæ ad Hebræos, cap. 10. 34. dicat ſanctos rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſtinuiſſe. Quoties igitur cruce premimur, excitetur fides, quæ excitata patientiam operatur: idque hoc modo. 1. perſuadeat nobis fides Deum placatum eſſe, peccato expiato ſanguine Chriſti. 2. perſuadeat nobis crucem non impoſitam eſſe nobis, vt ſub illa collapſi pereamus: ſed potius, vt proba iores reddamur, ac inuicti aduerſus omnia Satanæ tela. Ita enim Petrus ait, in 1. cap. 1. 6. 7. Paululum nũc per varias tentationes affecti, vt exploratio fidei veſtra, multo precioſior exploratione auri, quod perit & tamen per ignem exploratur, comperiatur vobis eſſe laudi, & gloriæ, & honori. 3. Fides perſuadeat crucẽ preſſis certiſſimam eſſe propoſitam liberationem, qua omnes filij Dei liberabuntur ita, vt nulla vnquam ſit illis amplius pertimeſcenda afflictio. Nam Chriſtus victor Satanæ, ſuo glorioſo aduentu mortem abolebit, & abſterget ſanctorum ſuorum lachrymas in perpetuum.

Vſus huius articuli.

6 Fides dilectionis proximi nutrix.

Sextum, Viua & ſalutaris fides ſuam vim & efficaciam, etiam erga proximos noſtros declarat, etſi non ſimili modo. Primùm enim erga eiuſdem fidei conſortes, vim ſuam exerit. Deinde in genere ſe extendit ad quoſuis mortales, præponit ergo fideles cæteris mortalibus, etſi omnibus ſtudet benefacere.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

re. Hic ordo cõmendatur nobis ad Galat.6.10. hiſce verbis, dum tempus habemus operemur bonum erga omnes, præcipuè verò erga domeſticos fidei. Erga hos operatur fides concordiam in Chriſto & mutuam coniunctionem. Huc pertinet adhortatio Pauli ad Rom.12.Epheſ. 4.& 1.Cor.12.Vbi Apoſtolus confert Eccleſiam corpori, in quo ſunt diuerſa quidem membra, ſed vt vno Chriſti ſpiritu viuificãtur & virtutem accipiunt: ita coniunctis viribus corpus incolume conſeruabunt, & ſe mutuis officiis fouebunt. Hinc eſt quod Paulus aſſerit dilectionem quæ ex fide naſcitur, eſſe vinculũ perfectionis. Nam hæc coniungit membra, facitque vt ſingula ſuum locum & officium tueantur.

7. Fides piã ſolicitudinem in vocatione operatur.

Septimum, Viua & ſalutaris fides operatur piam & ſanctã in vocatione cuiuſque ſolicitudinẽ. Nam vt diffidentia ethnicam & proph[a]n[u]m ſolicitudinem gignit, & caro ſæpe etiam in ſanctis limites tranſgreditur: ita fides Chriſtianam & ſanctam curam gignit, & ſpiritus ſeu nouus homo ſe carni & diffidentiæ opponit. Cuiuſmodi pia ſanctáq; cura, quam à fide proficiſci diximus, cùm teſtimoniis ſcripturæ, tum ſanctorum exemplis nobis commendatur. Ad Rom.12.8. Qui præeſt, in ſolicitudine. 1. ad Timot. 5.8. Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curã non habet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior. Abraham, Iſaac, Iacob, piam ſuæ familię curam habuerunt. Ioſeph ſeptem annorum pro regno Ægypti & Eccleſiæ ſeminario quod illic erat, curam in ſe receperat. Moſes quadraginta annis non ſine maxima ſolicitudine populum contumacem in deſerto rexit. Daniel in Babylone, & multi pij reges, & Prophetæ in populo Dei, tanta non geſſerunt ſine magna cura. Paulus quoque 2.Corin.11.28. Coloſs. 2.1. 1. ad Theſſal.2.9. ſuam ſolicitudinem pro Eccleſia teſtatur. Sic pij reges pro ſuis regnis: pij patresfamiliâs pro ſuis domeſticis: ſinceri Euangelij præcones, pro ſuis auditoribus: fideles præceptores pro ſuis diſcipulis: breuiter, ſinguli in ſua vocatione ſanctam quandam ex fide manantem ſolicitudinẽ, habere ſolent. Vt autem hæc ſancta cura non contaminetur ethnica diffidentia eadem fides efficit, quę perpetuò non ſolùm mandatum Dei intuetur & prouidentiam, verumetiam ſuam curam & ſolicitudinem voluntati Dei ſubiicit, eamq; ad gloriam ipſius dirigit, cuius bonitate in omnibus ſuis actionibus nititur.

Teſtimonia & exempla.

8 Fides reſpicit etiã ad benedictiones tẽporales.

Octauum, Viua & ſalutaris fides etiam promiſſionem bonorum in hac vita reſpicit. Vnde de Moſ. ad Hebræos, cap.11.26. ſcribitur, ꝙ reſpexit ad remunerationem. Quoties ergò Dominus promittit hoc vel illud ſibi obedienti, fides hanc promiſſionẽ intuebitur & expectabit præmij largitionẽ ꝓmiſſam. Cùm itaq; pius legit Matt.10.41.42. hanc Chriſti ꝓmiſſionẽ: Qui recipit Prophetã in nomine Prophetæ, mercedẽ Prophetæ accipiet: & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedẽ iuſti accipiet: & quicunq; dederit vni ex minimis his, calicem aquæ frigidæ in nomine diſcipuli, Amen dico vobis nequaquã perdet mercedẽ ſuã: debet eã promiſſionẽ fide intueri & expectare promiſſam mercedẽ, non ꝙ eã pius ſit meritus dignitate obedientiæ ſuæ: nã cùm diſcipuli Chriſti omnia fecerint, agnoſcunt ſe inutiles ſeruos eſſe, & nihil feciſſe quod non debuerint: ſed fretus bonitate Dei promittentis, cui ita placuit ſua in nobis coronare dona. Huc illud 1. ad Timo. ca.4.8. Pietas ad omnia valet, habet enim promiſſionẽ præſentis vitæ & futuræ. Hæc proinde fides remunerationis, excitet nos ad maiorẽ erga Deũ obedientiã.

Nonum, Viua & ſalutaris fides nihil vnquàm tẽtat aut aggreditur, de quo conſcientia dubitat fluctuatúe. Quicquid enim fit, vel errante, vel dubitante, vel repugnante conſcientia, id fides vera peccatũ eſſe agnoſcit: atque ideo cauet, ne quid tẽtet de quo non habeat verbũ Dei, certiſſimam agendi regulã. Huc illud Pauli ad Rom.14.5. ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοῒ πληροφορείσθω, id eſt, Vnuſquiſque ſit plenè certus in ſuo ſenſu, ſeu, Nemo quicquam agat contra conſcientiam, nemo faciat quod dubitat licitúmne ſit an non.

Aduerſus ſuperſtitiones magicas.

Hæc ſalutaris fidei vis refutat opinionem eorum qui hoc textu Euangelico, vel olim abuſi ſunt, vel hodie abutuntur, ipſum includendo, ſiue in panno, ſiue in argento, ſiue in auro, ac in collo circumgeſtantes, quò ſint aduerſus Satanã tutiores hoc muniti præſidio: quorũ ſuperſtitio validis rationibus refelli poteſt. Nã qui hoc faciunt. 1. contẽnunt Deũ, nam temerariè hanc ſuperſtionẽ, & cultũ idololatricũ præcepto Dei anteponunt. Is enim ita ait: Ne faciatis ſinguli quod ſibi rectum videtur. Item, in præceptis meis ambulate. 2. Conſcientia errante impingunt, vnde iſta ſuperſtitio in certiſſimã illis ruinam cedit. 3. Confirmant in aliis ſuperſtitionem, exẽplo nocent: quod ſane multo grauius ſcelus eſt quã vulgo æſtimatur. 4. Sacrilegè tribuunt characteribus literarum efficaciã, qua re prophanos ſortilegos & magicos facilè æquant. Nam vt viua fides ſtatuit verbũ Dei auditum, intellectũ & creditũ efficax eſſe: ita ſcriptũ & circũgeſtũ ſuperſtitioſè, mortuã agnoſcit literam. 5. Auocat hæc ſuperſtitio homines à vero & ſalutari vſu huius ſanctiſsimi Euãgelij, qui eſt vt credamus ſyncero corde & credẽtes ſaluemur. In locũ huius veri vſus Diabolus obtruſit mundo hanc ſuperſtitionẽ & idololatriã, vt credant homines virtutẽ quandã occultã ineſſe characteribus literarũ huius Euangelij contra febrim, contra incantationes & Satanæ inſidias. Quicunq; ergo hac ſuperſtitione tenetur, fidẽ viuam & veram abiecit, gratia excidit, Satanæ & non Chriſti ſeruus eſſe conuincitur

LOCVS DE MALEFICIIS
& incantationibus.

Digreſſio ſeu locus an malefi.i & incantatores ferendi ſint in Eccleſia, néc ne.

DE Maleficiis & incantationibus quæſtionem, mihi à claro & nobili viro propoſitam, cum ſua ſolutione aſcribere libet, cuius ſanè determinatio admodum neceſſaria eſt, hoc tempore potiſsimum, quo Diabolus ſuas veteres artes iterum ad obruendam Euangelij lucem renouat. Quæſtio autem hæc eſt.

Vtrum malefici, hoc eſt, qui incantationibus verborũ, aut characteribus, ſeu imaginibus, aut aliis rebus ſuperſtitioſè in hoc adhibitis, hominibus vel prodeſſe, vel nocere putantur, aut etiam qui aliud quiduis arte magica moliuntur: ſint ferendi in Chriſtiano cœtu nec ne?

Reſponſionis partes quinque.

Vt autem ad hanc quæſtionem ſolidè & ſine errore reſpondeatur, hæ quinq. quæſtiones ordine perpendendæ & excutiendæ videntur.

1. *Quæ fuerit origo incantationum.*
2. *An reuera incantationes ſint efficaces.*
3. *Cur Deus permittat iſtis diabolicis artibus aliquid fieri.*
4. *Quæ prohibitio extet in ſcriptura.*
5. *Grauitas peccati magicæ artis.*

Ex harum quæſtionum declaratione, patebit reſponſio ad quæſtionem propoſitam.

De prima.

Etſi vt Auguſtinus refert, & Epiphanius teſta-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Quæ fuerit origo incantationum.

tur, Zoroaſtres Rex Bactrianorum, qui tempore Nini Babylonici regis vixit, fertur artis magicæ autor fuiſſe, tamen Methodius in ſuis reuelationibus verius magicam artem ad autorẽ Diabolum refert: qui filiis Cain tempore Iared, qui ſextus ab Adam fuit, iſtas artes tradidit. Ita enim ait Methodius. *Anno autem 340. Iared, ſurrexerunt viri malæ artis inuentores, iniqui, & omni nequitia pleni ex filiis Cain, vt Iobeth, Tholucel filij Lamec, qui cæcus fuit, qui & Cain interfecit: quorum dominatus Diabolus, conuertit eos poſteà in omnem magicam artem.* Hæc Methodius.

Cur excogitatæ à Satana.

Eſt autem minimè dubitandum Satanam iſtas maledictas artes excogitaſſe, vt ita paulatim obrueret ſuis fœtoribus fontem verbi Dei limpidiſſimum, & aboleret verum vnius Dei cultũ, ſuperſtitionibus & impoſturis in eius locum ſubſtitutis. Nam & huius rei ſpecimen ſtatim poſt conditos homines in paradiſo edidit, ac primos noſtros parentes aggreſſus, eos ab obedientia verbi Dei ſophiſtica deprauatione abduxit, fecitq. vt Deo renunciantes, ſibi auſcultarent, cuius rei pœnas grauiſſimas, cum tota ſua poſteritate luerunt: & prorſus æternum periiſſent, niſi Deus ex miſericordia propter filium, eos noua promiſſione ſeminis erexiſſet.

Cæterum diligentiſſimè hîc cogitanda eſt κακοζηλία, & aſtutiſſimum, pernicioſſimúmq. artificium Satanæ, qui vt tegat fraudes & inſidias: veluti ſimia Deum imitatur in propaganda ſua peruerſa religione, & cultu nefario. Nam, vt Deus ad verum & ſalutarem ſui cultum cõmendandum hominibus, præter miracula, & diuina opera, quibus veritas doctrinæ cœleſtis obſignatur, vtitur tribus inſtrumentis: *Verbo*, quod in Propheticis & Apoſtolicis literis continetur: *Sacramentis*, ſuo mandato nobis commendatis, quæ Sacramenta ſunt veluti aſpectabiles quædam conciones, & *Spiritu*, quo Deus ipſe efficax eſt in prædicatione verbi, & in vſu Sacramentorum: Ita Diabolus, quem Paulus Deum huius mundi, id eſt, infidelium omnium, vocat, præter ficta miracula & præſtigias, qualibus Papatus fuit plenus, habet ſuum verbum, habet ſua (vt ſic dicam) Sacramenta, habet & ſpiritum, quo efficax eſt in ſuo verbo & Sacramentis. *Verbum* Satanæ eſt, partim ſophiſtica verbi Dei deprauatio, partim traditio hominũ pugnans cum verbo, partim ſuperſtitioſa verborũ certorum conceptio, cui vis aliqua propter recitationẽ tribuitur, qualis in magicis incantationibus cernitur. *Sacramenta* Satanæ ſunt non vnius generis, vt characteres certi, figuræ, imagines, & quarumcunq. rerum, vt ſalis, terræ, aquæ, pilorum, craniorũ mortuorũ hominum, oſſium, &c. abuſus. *Spiritus* Satanæ eſt, quo efficax eſt in ſuo verbo & ſuis Sacramentis, in perniciem eorum qui ſe ſinunt ab illo cõtra Deũ impelli, pluris facientes mendacium Satanæ quàm Dei veritatem.

Satanæ ſcopus.

In hos filios contumaciæ, plenũ imperium habet Satan, vt Paulus teſtatur: etſi non raró bonitate Dei, conatus eius impeditur. Nulla enim re magis Satan delectatur, quàm vt homines abducat in contemtũ Dei, & vt imitatione quadam Dei ſub angeli ſpecie homines in omne ſuperſtitionis genus, præcipitet, quò miſerè tandem cum ipſo pereant. Nec ob aliã cauſam, magicas impietates in mundũ inuexiſſe cenſendus eſt Satan, quàm vt religione quadam, ſed peruerſa, hominum animos occupet, ne veræ & ſalutaris religionis ſint cultores, & ſaluentur: illo ſolo cũ ſuis angelis in æternos cruciatus coniecto. Poſtquã enim ſatis intellexit malignus ille, ſe non poſſe hominibus perſuadere omnem religionem & cultum abiiciendum eſſe (habet enim omnes homines vel maximè barbari, vt teſtatur Cicero, quendam religionis ſenſum, quo intelligunt Deum colendũ eſſe, idque natura duce) confugit ad id, quod proximum erat, & in locum veri & ſalutaris cultus, falſum & pernicioſum ſubſtituit: ſub quo omnis magica verbi Dei prophanatio, & ſuperſtitio continetur. Habemus breuiter quæ ſit origo magicæ impietatis, quis autor, & ad quam metam collimet. Sequitur ſecunda quæſtio.

De ſecunda.

An reuera incantationes ſint efficaces.

Poſtquam oſtenſum eſt, Satanam hoſtem ſalutis humani generis verũ eſſe, & vnicum autorem magicarum artium, adeóq; omnis ſuperſtitionis, qui huc omnia ſua conſilia deſtinat, omnes dolos & machinas dirigit, vt homines à Deo per idololatriam deficientes, in æternos cruciatus coniiciat, ſequitur quæſtio:

An reuera ſint efficaces incantationes magicæ, characteres, ſignationes, figuræ, imagines, &c. néc ne?

Reſpõſio.

Reſpondeo ſimpliciter & clarè, maleficos ſeu magos ſuis viribus & efficacia omnino nihil poſſe. Nulla enim vis aut efficacia recitationi verborum conceptorum, characteribus, imaginibus aut figuris, &c. ineſt: ſed Diabolus, cum quo pactum fecerunt malefici, vt confirmet homines in errore, multa ad incãtationes magicas operatur, quod hinc facilè colligi poteſt. Chaldæi, Arcades, Ægyptij, Indi, & alij multi populi, non ſecus atque noſtræ maleficæ muliercula faciunt, incantationibus vſi ſunt. Sed conſtat diuerſas eſſe incantationum formas, aliáque omnino verba. Illi enim, cùm Chriſtum & eius Euangelium ignorarent, alias omnino incantandi formas habuerunt, quàm mancipia Satanæ apud nos: qui diuino verbo & Chriſti nomine, ſacris Euangelij verbis & Sacramentis diuinis, Baptiſmo & pane cœnæ dominicæ, abutuntur: qua re ſe decuplo deteriores eſſe Chaldæis & Arcadibus declarãt. Chaldæi enim Satanæ verbo & malorum ſpirituum cõpellatione vſi ſunt: noſtri verò Dei verbo & Chriſti nomine blaſphemè ad ſuas nugas Diabolicas abutũtur. Chaldæi vſi ſunt olim conſcinomantia, hoc eſt, diuinatione, in qua cribrum adhibebatur, tanquàm Sacramentũ Satanæ, quoties de re aliqua furto ablata, quærebatur. Noſtræ maleficæ ſimilem conſcinomantiã, cùm de furtis quæritur, adhibere ſolent, etſi eadem cum Chaldæis in diuinationis myſterio, verba non habent: id quod omnino neceſſarium eſſet, ſi qua verbis conceptis ineſſet efficacia. Sacrificuli noſtri malefici, cùm coſcinomantia vtuntur, verba ex Pſalmo 50. ſupra cribrum muſſitant. Si videbas furem, currebas cum eo. Quæ ſanè verba nihil ad illud propoſitum faciunt. Nam in eo loco Dauid perſtringit malum iniquæ cupiditatis habendi in illis, qui ſe illis adiungunt, qui per fas & nefas opes cumulare cõtendunt.

Sacrificulorũ papiſticorũ coſcinomantia.

A quo pẽdeat virtus diuinationis.

Hinc manifeſtum eſt, quòd nec in verbis, nec in ſacramentis, hoc eſt cribro & claue ſit virtus diuinationis de rebus ablatis: ſed in Satana, qui homines iſto pacto ſibi obnoxios reddit, vt abutantur Dei verbo in propriam perniciem. Nihil enim Satanæ iucũdius eſſe poteſt, quàm vt homines contra verbũ Dei impellat in varias ſuperſtitiones, & verbi abuſus. Nã nulla ſalus eſt extra verbi Dei verũ vſum: qui in his quatuor ſitus eſt. Primũ, vt rectè inſtruat mentes noſtras de Deo vero, & eius cultu, atq. aliis rebus ad ſalutẽ hominũ ordine pertinentibus. Deinde, vt iuxta verbũ fiduciã in Deum collocemus. Tum, vt ex fiducia, ſperemus promiſſa. Poſtremò vt agamus & viuamus iuxta verbum. Si enim in hoc vſu verbi manſerimus conſtantes vſque ad finem, ſalui erimus. Qui verò contrà fecerit, Deum tentat, quem

Vſus verbi Dei.

[…]ratio de ineffi-cacitate recitatio-nis per ſe.

inueniet ſeuerum iudicem in extremo die, niſi maturè pœnitentiam egerit. Poſtremò & hinc patet, ſagarum & maleficorum incantationes per ſe inefficaces eſſe, quia, vt teſtatur Auguſtinus, poſtquam vulgò innotuerint concepta incantatorum verba, nõ amplius recitata vim habent. Nam diabolus vulgo innoteſcere ſua myſteria non patitur, ne appareat cordatis hominibus, quàm ſint ridicula, atque ita ipſe cum ſua religione in contemptum veniat.

De tertia.

Cur Deus hanc efficaciã permittat Satanæ.

Cùm homines audiunt incantationes illas, quæ Satanam autorem habent, nunc inferre ſegetibus damnum, nunc hominibus nocere: mox quęrunt cur iſta Deus permittat, cur Deus ſe non opponat ſatanæ, cur ſinat ſuum nomen iſto pacto inter homines blaſphemari? Reſpondeo, In promptu ratio eſt. Paulus enim 2.Theſſa.1. reſpondet, his verbis, Quia credere noluerunt veritati, dedit illis Deus efficacem errorem, vt crederẽt mẽdacio. Mendacium autem eſt, cùm omnis abuſus verbi Dei, contra ipſius voluntatem, tum omnium diabolorum & hominum inuenta, quæ aliquam impietatem & ſuperſtitionem mundo obtrudunt.

Reſpõſio.

Ratio.

Permittitur itaque diabolo eatenus hominibus in rebus & corporibus nocere, quatenus peccata noſtra hæc merentur: & quatenus Deus hoc illi ad probandam aliorum fidem permittit. Sic enim beatus Auguſtinus ſentit, cùm ait: *Nec mirum quòd hoc permittit Deus, vt illi qui hoc audiunt & vident, probentur qua fide ſunt apud Deum.* Sententiam hanc confirmat ſanctus ille pater voce Dei Deuter.13.1. Si ſurrexerit in medio tui Propheta, aut qui ſomnium ſe dicat vidiſſe, & prædixerit ſignum, & euenerit quol locutus eſt, & dixerit tibi. Eamus & ſequamur deos alienos, nõ audies verba eius, quia tentat vos Deus, vt palàm fiat vtrum diligatis Deum an non. Nòn enim aliud vult Satan ſuis magicis artibus & peſtiferis impoſturis, quàm vt illis adhærentes homines à vero Dei verbo deficiant paulatim: donec prorſus Deo & eius ſancto Euangelio renunciauerint, ſibi quidem ipſis in certam perniciem, aliis autem in maximum ſcandalum.

Confirmatio.

Obiectio.

At hic quidam vt arguti eſſe videantur, obiiciunt hoc modo: Sanitas corporis donum Dei eſt & res bona. Quare quauis ratione ſi amiſſa fuerit, eam recuperare licet, etſi diabolica arte eſt ablata ſanitas, cur nõ licebit eandem diabolica arte repetere? Sunt etiam qui his multò duriora & magis impia, impuro ore eructant, in contumeliam Euangelij Chriſti. Verùm his reſpondeat Auguſtinus hiſce verbis: *Qui ſine ſaluatore ſalutem vult habere, & ſine vera ſapientia eſtimat ſe prudentem fieri poſſe, non ſanus ſed æger, non prudens ſed ſtultus in ægritudine laborabit, & in cæcitate noxia ſtultus & demens permanebit. At proinde omnis inquiſitio & omnis curatio, quæ à magicis artibus expetitur, mors potius eſt dicẽda quàm vita.* Hæc Auguſtinus.

Reſpõſio.

Exhortatio.

Cuicunque ergo ſalus & vita æterna curæ eſt, is quicquid facit, iuxta conſilium Pauli, in nomine Domini Ieſu Chriſti faciat, & ab eo ſanitatem petàt, & adhibeat ordinaria remedia, non tentet Deum, qui multa per Satanam permittit fieri, vt ſuorum fidem exploret, vtque omnes qui Satanæ verbo & Sacramentis ſe regi permittunt, contempto Deo & eius verbo, æternum pereant. Neque eſt quod quiſquam exiſtimet ſe vnà poſſe & Deo & Satanæ adhærere. Nulla enim eſt conuentio Dei & Belial: & Elias impio Achab & eius aulæ adeóque toti populo dicit, 1.Reg.18.21. Vſquequò claudicatis in duas partes: ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal, ſequimini illum. Præthereà Deus cùm ſit zelotes non patitur ſuæ gloriæ vel minimam portiunculam diabolo tribui.

De quarta.

Quarta quæſtio eſt de prohibitione. Etſi autem ex ſuperioribus ſatis manifeſtum eſt magicas artes & à Deo damnatas eſſe, & eos qui iſtis artibus in contumeliam Dei vtuntur, indignos eſſe vt hunc ſolem aſpiciant: tamen pauca teſtimonia prohibitionis aſcribam: ex quibus etiam intelligi poteſt, quàm ſit res Deo inuiſa magica impietas. Primum Decalogi præceptum & ſecundum ſeuerè mandant fiduciam in ſolum Deum, & prohibent omnem in alias quaſuis res fiduciam, prætereà damnãt omnem verbi & nominis Dei prophanationem. Non habebis, inquit, Deos alienos coram me. Non vſurpabis nomen Domini Dei tui in vanum. Leuit.19.31. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini per eos. Hoc dicto Domini cum magi ipſi, tum qui illorum opera vtuntur, polluti & rei peraguntur. Leuit. 20.6. Animam, quæ declinauerit ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam & interficiam eam de medio populi. Hoc Domini mandatum tria continet. Primum ſignificat ipſam magiam abominabilem eſſe coram Deo. Deinde, clarè pronuntiat eos qui artibus magicis vtuntur, ſpirituales eſſe fornicatores, vt qui à Deo tanquam vero marito defecerunt ad turpiſſimum mœchum diabolum. Tertiò, apertè indicat Deus, quòd velit & magos ipſos, & eos qui eorum opera vtuntur, tolli de medio populi ſui, ídque per magiſtratum. Deutero.18.11. Ne ſit maleficus, nec incantator, neque qui Pythones conſulat. Exod.22.18. Maleficam ne patiaris viuere. Hæc lex ideò maleficæ, in fœminino meminit, quia ſemper in omnibus nationibus, ad id vitium proniores fuerunt fœminæ quam viri: ſicuti etiam in hoc regno compertum eſt. Hiſce ſcripturæ teſtimoniis ſatis conuincitur, quod omnis magica ſuperſtitio, quantumuis leuis videatur coram hominibus, ſit horrenda idololatria & à vero Deo defectio. Omnia proinde ſcripturæ pronunciata quæ idololatriam damnant, ſimul omnes magicas ſuperſtitiones condemnant.

Magicę artes prohibentur à Deo.

Teſtimonia.

De quinta.

Ex his etiam quanta ſit grauitas peccati magicæ ſuperſtitionis intelligitur. Eſt enim magica ſuperſtitio, vtut leuis videtur hominibus, veri Dei abiuratio: prophana, ethnica & diabolica ſuperſtitio, euerſio Euangelij, pactio cum ſatana, abnegatio fidei Chriſtianæ. Breuiter, Eſt renunciare vero Deo & eius verbo, & adhærere ſatanæ eiúſque impoſturis, atque adeò planè ex homine Diabolum fieri.

Grauitas peccati magicæ ſuperſtitionis.

Reſponſio ad Quæſtionem.

Reſponſio ad propoſitam quæſtionem ex dictis facillimè colligitur. Quid enim, quæſo, indignius eſt, quàm in cœtu Eccleſiæ & in hominum conſortio, ferre eum qui magicis ſuperſtitionibus ſe Dei hoſtem eſſe profitetur? Scio longè aliter ſentire & dicere eos, qui hiſce ſuperſtitionibus addicti ſunt, ſed reſpondet illis Paulus. Verbis quidem profitentur Deum, ſed factis negant, abominabiles & ad omne opus bonum reprobi. Nullo proinde pacto ferendi ſunt homines, quicunque diuino nomine ad quaſlibet incantationes magicas ſiue prodeſſe ſe

Magi ex Eccleſia & politia eiiciendi ſunt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

velle dicunt,ſiue nocere volunt,abutuntur. Non enim talem Deum habemus, qui contra ſuum ipſius verbum,contra gloriam ſuam,contra Euangelium. in perniciem hominum huiuſmodi diabolicæ impietati patrocinari poteſt.

Magiſtratus officiũ in maleficos & maleficas

Magiſtratus igitur ciuilis iuxta legem Dei in Exodo.22.18.maleficam non patieris viuere:iuxta legem imperatoriam in Codice, & ſecundum receptam & probatam legem huius regni : Breuiter, iuxta conſuetudinem omnium gentium , poteſt & debet , ſi modò rectè officio ſibi diuinitus commiſſo fungi velit,iudicium Domini in blaſphemos exercere,ſeuerius animaduertere in maleficos & maleficas,eóſque è medio tollere, ne per illos nomen Domini blaſphemetur. Quicunque contrà facit,ſiue miſericordia, ſciat crudelem eſſe miſericordiam quæ paucis malis parcit in multorũ perniciem : ſiue propter perſonas aut pecunias , ſciat ſe regulam à Domino iudicibus præſcriptam contumaciter tranſgredi,atque ideo incidere in manum Dei,& reum fieri eiuſdem blaſphemiæ. Nam non ſolùm communicat alienis peccatis, propter quæ & reus fit coram Deo, & verbum Dei pro nihilo habet,verum etiam vt infidelis paſtor,& perfidus Reipub.ſuæ adminiſtrator ſua negligentia & officij deſertione , ſuos ad caſtra ſatanæ transfugere permittit,quo ſanè facto nihil atrocius excogitari poteſt. Quapropter magiſtratus ciuilis,vt cuſtos vtriuſque tabulæ,quantum ad externam diſciplinam attinet,debet omnẽ blaſphemiam nominis diuini zelo ſancto punire, ac ſtudere vt ipſe ſuis ſubditis omnis virtutis, pietatis & honeſtatis ſit exemplar:vt ſubditi eum intuentes habeant vitæ honeſtiſsimæ formam , quam tutò in gloriam Dei imitari poterunt.

Cautio ſeu admonitio neceſſaria.

Cæterum hanc admonitionem adiectam volo,ne magiſtratus quid temerè faciat, ac re non ſatis explorata & cognita ſanguinem innocentem in propriam perniciem effundat:néue ex affectu priuato, ſed ex amore iuſtitiæ iudicium non ſuum , ſed Domini in nocentes exerceat.

Hæc ſunt quæ hoc tempore inciderunt de quæſtione propoſita,aliàs fuſius ſi hæc non videbuntur ſufficere,eandem declarabo.

Aduerſus exorciſtas.

Hic quoque impingunt Exorciſtæ qui virtute pronunciationis verborum , exiſtimant ſe ſatanam expellere,aut venena ſerpentum inefficacia reddere. Firma enim & immota eſt hæc Pauli ſententia, 2. Cor.3.6.litera occidit,ſpiritus autem viuificat. Doctrina enim credita ſalutaris eſt,pronunciata autem aut ſcripta,ſine viua fiducia,mortua litera eſt & occidit,ídque non ſua natura,ſed hominum culpa,qui litera abutuntur.Vt itaque magicum eſſe certiſſimè mihi perſuadeo,ſi quis virtute conceptorum verborum putat ſe Dæmonem fugare poſſe,qualibuſcunque ſignis aut ceremoniis adhibitis:ita pium eſſe & heroici ſpiritus teſtimonium pronuncio:ſi quis fide & inuocatione Dei fretus, inſultat diabolo, atque eum de ſuo domicilio expellit.

Hoc enim inter miracula numero , quibus Deus ſuam præſentiam aliquando teſtatur. Quemadmodum olim in Iudæa , & poſtea in primitiua Eccleſia factum conſtat. Verùm alligare hanc virtutem raſuræ,aut vncturæ papiſticæ , aut alioqui ordini miniſtrorum verbi , prorſus eſt ſtultum : cùm ſit fidei flagrantis opus peculiare,non ſtatus aut ordinis hominum.

Aduerſus ſuperſtitionẽ circa ſignum crucis inuectam.

Præterea etiam contra naturam fidei impingunt, qui crucis figuræ ſiue digitis ſignatæ , ſiue ſcriptæ, ſiue ex ligno aliáue materia fabricatæ , vim aliquam vel contra morbos, vel contra Dæmones tribuunt. Nam nec natura,nec ordinatione diuina,figurę ſunt efficaces. Nulla enim extat huius figuræ promiſſio. Quare omnino ſuperſtitioſum , & impium eſt crucis ſigno vim aliquam occultam & virtutem aſcribere.

De vſu & abuſu ſigni crucis autoris ſententia.

Quid?licèt ne ergò pio homini ſe ſigno crucis ſignare?licèt ne figuram crucis ſculptam aut pictam habere?licet quidem , modò ſuperſtitio abſit : licet,ſi vt ſymbolo quod te de Chriſti victoria admoneat,figura crucis vtaris:licet , ſi crucem illam loco teſſeræ Chriſtiani militis habeas, qua te teſtaris & profiteris hoſtem diaboli eſſe & membrorum eius. Quare minimè improbo ſignum crucis imprimi fronti & pectori infantis,dum Baptizatur, modò id fiat ſolummodo in ſignum nouæ illius inaugurationis,qua baptizatus Chriſto crucifixo dat nomen : & ſe ſub ipſius vexillo militaturum promittit. Licet,ſi illud crucis ſignum vt doctrinæ quoddam memoriale ob oculos ponas: ſi vt μνημόσυνον hiſtoriæ habeas:ſi veluti triumphale ſignum victi diaboli illud erigas. Contrà , non licet vt crucem erigas , coram qua te proſternas adoraturus. Nam hoc apertè pugnat cum primo præcepto,& cum orationis forma à Domino præſcripta. Non licet vt ei virtutem aliquam contra morbos aut diabolum tribuas.Non licet religionis & cultus gratia in veſtibus circumferre crucem,quemadmodum Monachi quidam faciunt. Nam hæc omnia ſuperſtitionis labe infecta ſunt.Quòd autem quidam ex ſanctis patribus, Auguſtinus , Epiphanius , & Athanaſius ſignaculo crucis multum videbantur tribuere:id dextrè iuxta eos modos,quos licitos eſſe dixi,accipiendum eſt.

Aduerſus ſuperſtitiones & magias papiſticas.

Præterea,hîc etiam delinquunt qui luſtrali aquæ, qui cereis ſacris,qui ſali ſacrato,qui vnguentis papiſticis & oleo papiſtico,& ceremoniis aliis ſuperſtitioſis & nugatoriis, aliquam efficaciam contra verbum Dei tribuunt.Qui enim hoc faciunt,non ſolùm Deum tentant, verumetiam id committunt , à quo viua & ſalutaris fides tota abhorret. Hæc enim vox fidei eſt , lucerna pedibus meis verbum tuum,& lumen ſemitis meis. Iuraui & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.Cùm itaque fides vera nihil tentat contra & præter verbum Dei,pij nõ ſecus atque peſtem fugiant magicas ſuperſtitiones, & papiſticas incantationes:ac ſinant ſe regi ducíque cœleſti lucerna, quæ eſt vox Dei tradita in Propheticis & Apoſtolicis ſcriptis.

Fides in morte hominis animam reddit Chriſto.

Decimum.Viua & ſalutaris fides in morte pij hominis Chriſto tradit animam , certò ſtatuens finem fidei, ſalutem eſſe animæ. Hinc illa inuicta animi conſtantia in multis Martyribus,qui ſub cruce inenarrabili gaudio exultarũt.Huc illud Petri,In quem modò non videntes,ſed credentes exultatis inenarrabili gaudio & glorioſo , ferentes finem fidei veſtræ ſalutem animarum.1.Petr.1.8.9. Quemadmodum enim Stephanus intentis in cœlum oculis,vidit gloriam Dei & Ieſum ſtantem à dextris Dei , & cùm obrueretur lapidibus,dixit, Act.7.59.Domine Ieſu ſuſcipe Spiritum meum:ita quilibet pius in agone mortis, oculis fidei gloriam Dei intuetur , & Chriſtum pontificem, interpellantem apud patrem pro ſe,oculis fidei cernit.Atque ita ex fide Deum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti inuocat, lætúſque animam Chriſto tradit cum Dauide inquiens.Pſa.31. In manus tuas Domine commẽdo ſpiritum meum. Hoc gaudium in agone mortis, aculeum mortis ita retũdet,vt migratio de hac vita ſomn',potius dulciſſimus, quã mors terribilis Chriſtianis eſſe videatur.

Ignis purgatorij papiſtici confutatio.

Hunc dulciſſimum fidei ſalutaris fructum doctrina Antichriſti inuadit,ac obruere mẽdacio conatur.

Nam

Nam poſt diſceſſum animæ à corpore, ſtatuit impiè ignem quendam purgatorium eſſe,quo animę mortuorum purgentur,luentes pœnas pro minimis erratis quæ in vita contigerunt. Huic vaniſſimo errori,vera in Chriſtum fides inſultat. Hæc enim nouit purgationem peccati non aliunde petendam eſſe, quàm ex vno Chriſti ſanguine:cuius purgationis efficax ſymbolum eſt Baptiſmus. Hæc nouit verum eſſe dictum.Apoc.14.13. Beati mortui qui in Domino moriuntur,quia ex eo quieſcent à laboribus ſuis. Hæc Chriſto veritatis laudem tribuit,qui ait, Ioan. 5.24. Qui credit in eum qui miſit me,in iudicium non veniet,ſed tranſibit de morte ad vitam.Hæc nouit tantum duas vias eſſe,vnam vitæ æternæ,alteram mortis æternæ,iuxta illud Chriſti, Ioan.5.29. Qui bona egerunt, prodibunt in reſurrectionem vitæ: Qui verò mala egerunt,in reſurrectionem condemnationis. Cùm ergò hîc Chriſtus tantùm duas vias conſtituit,fides facilè tertiam illã contemnet,quam Papa commentus eſt. Secura itaque fides de ſua ſalute,cum gaudio de hac vita migrat, ac Chriſto animarum Epiſcopo animam commendat.

De tertio Membro.

Electorũ Dei ſpiritualis natiuitas & aliæ propagationes quomodo differant.

Diſcrimen inter ſpiritualem natiuitatem filiorum Dei, & alias propagationes & ſucceſſiones, indicatur his verbis: *Qui non ex ſanguinibus,neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed à Deo nati ſunt.* Vtitur autem hac ſeiunctione Euangeliſta, vt differentiæ conſpiciantur inter ſpiritualem filiorum Dei generationem,& alias propagationes.Ponit autem quatuor propagationis genera: quorum tria,vt terrena,ſeiungit à quarto,quod eſt ſpirituale. Hæc genera ita diſtinguit. 1. Ex ſanguinibus. 2. Ex voluntate carnis. 3. Ex voluntate viri. 4. Ex Deo pronuntiat.Hæc quia breuius,ideóque obſcurius dicta videntur, definitionibus & exemplis declaranda ſunt.

1. Natiuitas ex ſanguinibus quid.

Primum itaque genus, eſt naſci ex ſanguinibus, hoc eſt, ſuum genus per longã ſeriem ad ſanctos patres referre, donec ad ipſum patriarcham Abrahamũ deueniatur.Hoc ſignificari plurali voce, ex ſanguinibus,non eſt dubium,ſi conſiliũ Apoſtoli conſideremus, qui Iudæorum arrogantiam hoc dicto taxat.Illi enim propterea quòd ducerent genealogiam inde vſque ab Abrahamo, putarunt ad ſe pertinere ſolos,quicquid Deus olim patribus promiſerat,ſolò hoc nomine,quòd patres haberent ſanctos. Hinc illa Iudæorum aduerſus Chriſtum gloriatio. Ioan.8.39. Pater noſter Abraham eſt. Quos Dominus refutat propoſito diſſimili ſtudio Abrahæ, & eorũ qui de Abrahamo gloriabãtur,hiſce verbis,Si filij Abrahæ eſſetis, opera vtique Abrahæ faceretis: ſignificans idem quod hîc Ioannes docet,nihil quicquam iuuare maiorum ſtemmata, ſine maiorum fide.Hoc ipſum grauiſſimis argumentis adſtruit Paulus Rom.9.Propoſitis variis typis & exemplis. Abraham (inquit) habuit duos filios,Iſmaelem & Iſaac: quorum ille prȩteritus,hic verò pro ſemine reputatus eſt.Iam ſi gratia fuiſſet alligata ſemini,aut ſanguini Abrahami,æqualis fuiſſet vtriuſque ratio. Iacob duos ex Rebecca genuit,quorum alter tantum filius Iacobi coram Deo eſt reputatus. Non ergò ſpiritualis natiuitas ex ſanguinibus dependet, ſed ex gratia. Non enim carnis ſed promiſſionis filij ſunt hæredes.

Quid nu. ſit naſci ex ſanctis patribus.

Quid? nihílne ergo eſt natum eſſe ex ſanctis patribus? Eſt quidem permultum.Primum enim infantes ſanctorum, hæredes ſunt promiſſionis patribus factæ.Eſt autem hæc promiſſio. Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te in ſempiternum. Hæc ſanè promiſſio ad ſemen Abrahæ pertinet (vt apertè docet Apoſtolus ad Gal.3.) non ſolum carnale,verumetiã ad eos qui inſiſtunt veſtigiis patris noſtri Abrahæ. Quemadmodum ad Rom.4.& Gal.3.docetur. Hæc itaque promiſſio, vt olim obſignabatur circumciſione carnis:ita hodie ſacro obſignatur baptiſmate, per quod noſtri infantes publicè Chriſto inaugurãtur,ídque propter promiſſionis virtutem,non propter carnalem propagationem,(Natura enim,ait Apoſtolus,ſumus filij iræ,ſicuti & illi) ſed propter ſpiritualem promiſſionem,cuius infantes Chriſtianorum ſunt participes.

Quo ſenſu Chriſtianorũ pueri ſancti appellantur.

Quòd autem Paulus pronunciat Chriſtianorum pueros ſanctos eſſe, non ad naturã referendum eſt, ac ſi peccatum originis nullum ſit in ſanctorum infantibus,quemadmodum inſulſè ex Pauli dicto colligunt Anabaptiſtæ:ſed ad gratiam tegentem peccata propter promiſſionem.Verùm quantum ad adultos attinet,promiſſio Abrahamo facta annexã conditionem habet. Nam tantiſper pertinet hæc promiſſio ad ſanctorum poſteros, quatenus liberi eorum adulti,in ſanctorum fide perſiſtunt,ſeu vt Paulus loquitur, Donec inſiſtunt veſtigiis patris noſtri Abraham. Infantes ergo Iudæorum olim, & hodie Chriſtianorum,immatura morte diſcedentes ſaluati ſunt. Contrà,adulti qui fidem promiſſionis abiiciunt,ſua damnantur culpa.Non itaque pendet adoptio ſpiritualis ex ſeminibus,hoc eſt,ex longa generis ſucceſſione, qua homines ordine ſuam genealogiam texũt,eámque ad ſanctos auos, proauos,tritauos,& tandem ad Abrahamum ipſum referunt.

2. Natiuitas ex voluntate carnis.

Secundum Genus propagationis, eſt naſci ex voluntate carnis.Vocat autem volũtatem carnis,haud dubiè naturalem ad gignendam concupiſcentiam, quæ in maribus & fœminis eſt naturaliter. Ex hoc naſci filios regni Dei capaces,ipſe Dominus Ioan.3. 6.negat,cùm inquit,quod natũ eſt ex carne caro eſt, hoc eſt, vitioſum & reum propter lapſum primorum parentum, à quibus ſimul cum natura propagatur peccatum in totam poſteritatem, iuxta illud Pauli,Rom.5.12. Quemadmodum per vnum hominem peccatũ in mundum intrauit, & per peccatum mors,& ſic in omnes homines mors peruaſit. Non ergò mirum eſt,cùm nihil adferimus ex vtero niſi carnalem naturam, nos omnes naturaliter exulare à regno Dei,& cœleſti vita priuatos,manere ſub mortis ſeruitute:præſertim cùm nemo poſsit in regnum Dei ingredi,niſi ſit ſpiritualis:quemadmodum Dominus Nicodemum docet, Ioan.3.6. vbi quid caro ſit,ex antitheſi facile eſt colligere.Nam carnem ſpiritui opponit.Spiritus ergo cum integrum,rectum, ſanctum,ſyncerum ſignificat, ſequitur carnis vocabulo ſignificari corruptum,peruerſum,pollutum & inquinatum:qualis eſt tota hominis natura, ſine regenerationis gratia.

Mens itaque noſtra & ratio corrupta, peruerſa, polluta,inquinata eſt,quia carnalis:omnes cordis affectus praui & reprobi ſunt,quia carnales: Voluntas contumax & peruerſa,quia carnalis:actiones omnes interiores & exteriores pollutæ & cõtaminatæ ſunt, quia carnales.Breuiter,totus homo ſimul & corpore & anima quantus quantus eſt pollutus & inquinatus naſcitur,quia carnalis.Ex hac carnalis propagationis conditione,Ioannes concludit filios capaces regni cœlorum non naſci ex voluntate carnis, ſecundũ cõmunẽ naturæ curſum.Nã quis dabit mũdũ,ex immũdo cõceptũ ſemine? Iob.14.4.Et Dauid inquit,Pſal.51.7.In peccatis cõcepit me mater mea.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Locus, An anima rationis oriatur ex traduce.

Porrò cùm hæc vnica ratio, quam Chriſtus aſſignat, cur ex voluntate carnis non naſcamur idonei ad capeſcendum regnum Dei, videlicet quod quicquid natum ſit ex carne caro ſit: meritò hoc loco quæri poteſt, num vt corpus, ita anima etiam, præcipua noſtri pars, ſit ex carne propagata. Nam ſi ideò caro ſumus, quia ex carne naſcimur, profectò videtur anima gigni ex humana ſobole. Ea enim præcipua noſtri pars eſt, in qua potiſſimum peccatum originis ſedem habere putatur.

Peccatum originis qua ratione tranſmittitur in poſteros.

Reſpondeo, peccatum originis tranſmitti in poſteros, idque nec ratione animæ, nec ratione corporis, ſed ratione propagationis ab vno Adamo. Nam quòd in perſona vnius Adæ totum genus humanum corruptum fuit, nõ tam ex genitura prouenit, quàm ex iuſta Dei vindicta, qui, ſicut in vno homine nos omnes ornauerat, ita omnes meritò ſuis donis ſpoliauit. Quare non tam vnuſquiſque noſtrûm à parentibus ſuis vitium & reatum contrahit, quàm omnes pariter in vno Adam corrupti & rei ſumus. Quia ſtatim poſt eius defectionem, Deus quod naturę humanæ dederat abſtulit.

Reſpõſionis cõfirmatio.

Hoc apertè Paulus docet in loco quem anteà adſcripſimus. Ibi enim non dicit peccatum Adæ propagari in Seth, deinde peccatum Seth deriuari in Enos, & huius rurſus in Chenan, & ita ordine ad alios: ſed dicit, ab vno Adam propagari in omnes: adeò vt naſcantur filij iræ, non propter genituram, quam trahunt à ſuis parentibus: ſed propter corruptionem & reatum Adami, in quo omnes nos lapſi ſumus, & ſpoliati donis, ſicuti dictum eſt. Hinc itaque eſt, quòd caro ſit, hoc eſt, carnem ſapiat, quicquid ex carne natum eſt.

Aduerſus eorũ ſententiam qui rationalẽ animam oriri ex traduce putant.

Cæterùm, quod anima rationalis ex traduce non oriatur, multæ ſunt firmiſſimæ rationes: taceo Philoſophos, Ariſtotelem, Ciceronem, & Macrobium, & omnes ferè (excipio Epicureos) qui animam extrinſecus accedere docuerunt, conuicti eius admirandis actionibus, quæ ex carnali ſemine eſſe non poſſunt: taceo Theologos veteres ferè omnes, inter quos Nazianzenus ita ait: οὐχ ὅλη ἀνθρώποιο πατὴρ βροτὸς ὡς ἐνέπουσι. ἀλλ' ὅσσον σαρκός τε καὶ αἵματος, ἀμφοτέρων μὲν ἄλλο μὲν ὤν· ψυχὴ δ' ἐ θεοῦ κρατέοντος ἄνωθεν.

Rationes

Præter Philoſophorum & Theologorum veterum teſtimonia, ſubiectas rationes habeo.

1. A creatione hominis.

Prima. Creatio primi hominis docet quænam ſit animæ hominis origo. Deus enim primum corpus hominis ex terra plaſmauit. Deinde in formatum corpus inſpirauit ſpiraculum vitæ. Ita enim textus ait, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitę. Hęc hominis primi formatio, quæ à reliquorum animantium creatione, hac inſpiratione animæ differt, quæ ſit animæ origo ſatis docet: videlicet, quòd Dominus in corpus formatum, iuxta ſuæ creationis ordinem, animam creet, & in corpus infundat. Hinc Auguſtinus. *In Adam exemplum datum eſt, vt ex eo intelligatur quia iam formatum corpus accipit animam.*

Obiectionis refutatio.

Neque contra valet obiectio eorum qui dicunt: ſi ſic eſt, Deum cooperari adulteris. Nam Deus naturæ actionem ſuſtentat, & iuuat, non autẽ hominũ malitiam.

2. A creatione quę

Secunda. Cùm Deus Euam è coſta Adæ ædificaſſet, Adam dixit, hoc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: non autem addit, & anima de anima mea. Hoc argumento ita motus eſt Auguſtinus, vt diceret, *de Adam coſtam ſublatam legimus, non tamen animam natam ex anima.* Sed ſi coſta ſecum habuit animam: iam non nata eſt, ſed detracta in partem.

3 A gubernatione humani generis.

Tertia. Gubernatio & conſeruatio humani generis idem videtur confirmare. Nam ita ait Pſal. 33. 15. Qui finxit ſigillatim corda eorum, hoc eſt, animas. Zachariæ 12.1. formans ſpiritum hominis in medio eius. Eſaiæ 44.24. Sic dicit Dominus Deus qui fecit te, & finxit te in vtero.

A ſeparatione animæ & corporis.

Quarta. Animæ & corporis ſeparatio hoc ipſum confirmat. Corpus enim in puluerem redigitur. Spiritus autem, id eſt, anima viuit immortalis. Nam ſi de ſemine humano eſſet anima, corruptioni haud dubiè foret obnoxia. Huc illud Eccleſiaſtis 12.17. Reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. An non hic manifeſtè Solomon aliam animæ, aliam corporis originem eſſe docet? ſatis ergò refutat eorum opinionem qui animam ex traduce eſſe volunt.

5. Ab animæ natura.

Quinta. Idem natura animæ teſtatur, quæ eſt indiuiſibilis & ſimplex. Cùm ergò ad traductionem requiritur deciſio, quæ in rem ſpiritualem & impartibilem cadere non poteſt: nequaquam hominis anima ex traduce oriri cenſenda eſt.

6. Ab effectis animæ.

Sexta. Effecta animæ quæ ſunt præſtantiora & nobiliora, quàm vt à corporea materia oriri putentur. Nihil enim quod ratiocinandi vim habet, nihil quod præterita tenet & futura præuidet, poteſt à materia ſeminis corporei originem ducere. Hac demonſtratione motus Ariſto. in 2. de animalibus, animam rationalem θύραθεν accedere affirmat.

7. A ſigno ex lege Dei.

Septima. Signum euidens quod ex lege Dei, Epodi 21.22. &c. ſumitur. Ibi enim ſic habetur. Si quis percuſſerit mulierem in vtero habentem & abortiuerit, ſi formatum fuit, det animam pro anima: Si autem informatum, mulctetur pecunia. *Hic probat* (inquit Auguſtinus) *non eſſe animam ante formam.* Itaque ſi iam formato corpori datur, non in conceptu corporis naſcitur cum ſemine deriuata. Nam ſi cùm ſemine anima exiſtit ex anima, multæ animæ quotidie pereunt, cùm ſemen fluxu quodam non proficit natiuitati.

Eſt & aliud ſignum probabile, quod Nazianzenus recitat his verbis: μάρτυς ἐμῶν ἐπέων καὶ σὸς πόθος, ... μιγέντος γάρ ... ψυχὰς τεκέων τὰ δ' ἐ σώματα μοῦνα, οἷς ... μογέουσι ... θαλ... γένηθας.

8. Ab abſurdi vitatione.

Octaua. Abſurdi vitatio. Si anima hominis oritur ex traduce: aut ex ſemine vtriuſque ſimul, hoc eſt maris & fœminæ: aut ex ſemine mulieris tantùm: aut ex ſemine viri tantùm oritur. Non autem ex ſemine vtriuſque, quia tunc anima eſſet compoſita. Nunc autem inter omnes conuenit eam eſſe ſimplicem, ideóque immortalem. Non ex ſemine fœminæ, quia exemplum & Adæ & Euæ repugnat. Deinde nati potius fœminis quàm viris aſcriberentur, repugnante ſcriptura. Non ex ſemine viri, quia cum hoc pugnat ordo exempli à Deo dati (vt inquit Auguſtinus) illud enim exemplum, quod corpus formatum acceperit animam, docet. Quemadmodum idem autor oſtendit ex cap. 21. Exodi. Quare relinquitur animam nequaquam oriri ex traduce, ſed infundendo creari, & creando infundi, vt patet Auguſtinus loquitur.

Hæc de origine animæ dicere hoc loco operæpretium iudicaui, vt ſtudioſi in prõptu habeant firmas rationes, quibus veterum ſententiam, eámque veriſſimam tueri poſſint, contra quorundam opinionem, quæ nititur debili fundamento, quod ſuprà euertimus.

III. Viri natus ex voluntate viri.

Tertium genus propagationis, eſt eſſe natum ex voluntate viri, hoc ad potentiam & nobilitatem referendum eſſe non dubito. Docet itaque his verbis Ioannes, non inde capaces regni cœlorum fieri homines, quòd ex potentibus & nobilibus iuxta mundum ſint nati, Pſalm. 49.3. Vt filij Adam vocantur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vocantur vulgares homines: Ita filij viri, nobiles, inclyti & potentes iuxta mundum appellantur. Eſa. 2. 9. Inclinatus eſt homo, & humiliatus eſt vir, hoc eſt, plebeij & nobiles idolis honorem exhibent. Hac ergo Prophetica phraſi, ſignificat Iohannes, non eſſe vel potentiæ, vel nobilitatis, naſci capaces regni cœlorum. Hoc proinde Iohannis dictum & conſolatur, & monet. Conſolatur quidem humiles & plebeios, ne ideò ſe putent minus idoneos eſſe ad capeſſendum regnum cœlorum, quia in mundo ſunt contemti, depreſſi & abiecti. Monet verò potentes & nobiles, ne ſua potentia & nobilitate freti, ſibi ipſi opinione citius, exitium accerſant.

IIII. Natiuitas ex Deo.

Quartum genus propagationis, de quo hîc potiſſimum agit Euangeliſta, eſt ex Deo naſci. Naſci autem ex Deo, eſt per fidem coniungi cum Chriſto vnigenito Dei filio, in quo nos adoptamur in filios. Nam ideò credentes dicuntur filij Dei, quia ſunt membra vnigeniti filij Dei per fidem.

Locus, De ſpirituali natiuitate ſeu regeneratione. Analyſis.

Etſi autem ſuprà, aliquoties Spiritualem hanc regenerationem attigi: tamen quia hic locus poſtulat vt de ea copioſius dicatur, hoc ordine nonnulla aſcribam. *Primùm*, cauſas regenerationis inquirã. *Deinde*, partes proponam. *Tum* definitionem colligam. *Poſteà* notas regeneratorum recitabo. *Poſtremò*, fines ſpiritualis regenerationis adiiciam.

I. Cauſæ regenerationis.

Quantũ itaque ad Spiritualis regenerationis cauſas attinet, ſciendum eſt quòd ſcriptura varias regenerationis cauſas recitet. Nunc enim à Deo naſci dicimur, vt in præſenti loco. Interdum à Spiritu renaſci, vt Iohan. 3. 5. Aliquando per verbum. Interdum per fidem. 1. Pet. 1. 23. Aliquando per Baptiſmum, vt Epheſ. 5. 26. Tit. 3. 5. Interdúmque miniſtris Euangelij hæc vis videtur tribui. Has cauſas ſi non diligenter & prudenter diſtinxerimus, multis & magnis implicabimur erroribus. Quarè eas imprimis diſtinguamus, vt intelligatur quem locum quęlibet harum ſortiatur in regenerationis myſterio.

Naſci à Deo.

Primùm itaque dicimur à Deo naſci: quod etſi ad totam trinitatem pertinet: non tamen ad ſingulas perſonas eodem modo refertur. Rectè quidem dicitur, Pater regenerat, Filius regenerat, Spiritus ſanctus regenerat. Sed non eſt eadem perſonarum proprietas in hoc diuino opere, imò vt in creatione concurrit actio Patris, Filij, & Spiritus ſancti, ſed diuerſimodè, ita etiam hîc. Vt ergo Deus pater creauit mũdum per Filium, in Spiritu ſancto: ita Pater per Filium in Spiritu ſancto regenerat hominem. Pater vtique autor & fons eſt huius nouæ natiuitatis. Filius medium eſt & meritum. Virtute enim mortis & reſurrectionis Chriſti in conuerſione regeneratio inchoatur. Spiritus ſanctus intus vim ſuam exerit in cordibus hominum, & paulatim perficit hanc regenerationem. Habemus verum regenerationis fontẽ & autorem. Verùm quia Deus mediis vtitur ad huius generationis opus, idcirco dicimur nunc verbo, nunc fide, nunc baptiſmo, nunc per miniſtros Euangelij regenerari.

Quomodo à Patre. À Filio. A Spiritu Sancto.

De regeneratione per verbum.

Sed quo pacto *Verbo* regignimur? Verbum à Petro nouæ huius natiuitatis ſemẽ incorruptibile prædicatur. 1. Pet. 1. 23. Huius ſeminis vis, ipſe Spiritus Dei eſt, qui in verbo prædicato eſt efficax. Hoc verbum cùm apprehendimus fide, dicimur renaſci. Has tres cauſas, hoc eſt, *Deum*, *verbum*, & *fidem* coniungit Petrus, 1. Petr. 1. 3. 23. his verbis, Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum multam ſuam miſericordiam regenuit nos in ſpem vitæ, per reſurrectionem Ieſu Chriſti, in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam & immarceſſibilem repoſitam in cœlis erga vos, qui virtute Dei cuſtodimini per fidem in ſalutem. Et poſteà, Regeniti non ex ſemine corruptili, ſed incorruptibili per ſermonem viuentis Dei & manentis in æternum. De fide ait Euangeliſta noſter. Dedit poteſtatem vt filij Dei fierent, quotquot credunt in nomen eius. Vt ergo Petrus ſemen huius nouæ regenerationis verbum Dei ſtatuit: ita Iohannes fidem requirit, qua recepto ſemine noua hæc fit natiuitas. Nam niſi accederet fides, vi ſpiritus efficacis in verbo, nulla vnquã fieret regeneratio.

Quomodo fit.

Fit itaque hæc regeneratio hoc modo. Quando Spiritus ſancti virtute fides ad prædicationem verbi infunditur cordi hominis, occulto & arcano quodã, nobiſque prorſus incognito modo, regignitur homo, ac fide iam donatus, viuo conſcientiæ ſenſu non adoptionis modò gratiam, ſed etiam vitę nouitatem apprehendit.

Hunc modum regenerationis cùm ignoraret Nicodemus, Dominus ipſum eleganti ſimilitudine inſtituit, cùm in hunc modum ait, Ioã. 3. 8. Ventus quò vult ſpirat, & ſonũ eius audis: ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat. Ita eſt omnis qui genitus eſt à Spiritu. Hoc eſt, Quemadmodum ignoratur vnde veniat aut vadat ventus, cuius tamen ſonus ſentitur dum ſpirat: ita modus regenerationis noſtræ per Spiritũ ſanctum, eſt nobis reconditus. Sed mox vbi regeniti ſumus, vis & effectus Spiritus ſancti in nobis regenitis ſe profert. Nam huius Spiritus motus & flatus in cordibus regenitorum eſt fides. Hæc enim fides ſpiritualis ſeminis fructus eſt, & veluti vis, qua ſentitur regeneratio. Proinde quòd Deus mera ſua miſericordia per Spiritum ob meritum Chriſti efficit, hoc verbum offert, ac fides ipſa receptum eſſe declarat.

Baptiſmus, quo ſenſu dicitur lauacrum regenerationis.

Quid ergo dicendum de Baptiſmo qui dicitur lauacrum regenerationis? Dicimur renaſci per Baptiſmum, quando per Spiritum renaſcimur, qui Spiritus nobis aſpectabili Sacramento teſtatur & obſignat renaſcentiam, & ablutionem animæ per ſanguinem Chriſti. Sunt autem duo in Baptiſmo, ſignum & res. Signum eſt aqua cum externa ablutione iuxta inſtitutionem Domini. Res eſt ablutio animæ per ſanguinem Chriſti.

Miniſtris verbi cur regenerãdi partes tribuuntur.

Reſtant Miniſtri, qui etiam dicuntur regenerare homines. 1. Corint. 4. 15. ait Apoſtolus, In Chriſto Ieſu per Euangelium vos genui, Gal. 4. 1. Filioli quos iterum parturio, donec formetur in nobis Chriſtus. Quomodo quęſo hoc intelligendum? num idem tribuitur mortali homini, quod immortali Deo? Tribuitur vtique, ſed diuerſimodè. Deus autor eſt, miniſter tantùm vt ſeruus miniſtrat, iacit enim ſemen in corda hominum per prædicationem Euangelii: in quo eſt efficax Spiritus ſanctus. Sine ergo Deo miniſter nihil poteſt, imò organon eſt inutile. Verùm cùm Spiritus ſanctus per miniſtrum operatur, tribuitur efficacia miniſtro, vt externo inſtrumento.

II De partibus regenerationis.

Cauſas & earum differentias inquiſiuimus, ſequitur vt partes eſſentiales regenerationis ſcrutemur. Chryſoſtomus duas regenerationis partes facit, vnã iuſtificationem, alteram ſanctificationem. Iuſtificationem fide apprehendimus, cui natura coniuncta eſt ſanctificatio.

Iuſtificationis partes.

Huius partes ſunt mortificatio & viuificatio.

1. Mortificatio, quæ quatuor habet gradus.

Mortificatio eſt cõmunio & ſocietas mortis Chriſti, qua corpus peccati crucifigitur, & occiditur: idq; per veram contritionem, patientiam, & temperantiam. Cæterùm huius mortificationis gradus ſpectandi ſunt.

1. Eſt mentis errores de Deo, de prouidentia, de promiſſionibus & minis, adeóque de Dei natura,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

& cultu corrigere,& prorſus iudicio carnis & toti eius φρονήματι in rebus ſalutis renunciare.Eſt enim, vt Paulus teſtatur, φρόνημα carnis inimicitia apud Deũ. Rom.8.7.

2. Eſt motus errantes & affectus inordinatos reprimere, ac veluti fræno quodam inhibere:quos motus Paulus metaphoricè membra veteris hominis nominat. Nam vetus homo ,hoc eſt,ratio & voluntas deprauata,nõ ſecus his motibus vtitur ad ſuas actiones perficiendas, quàm hic externus homo ſuis vti mẽbris conſueuit ad ſuas actiones peragendas.

3. Eſt voluntatem aduerſam ſpiritu refrẹnare, ne amplius aduerſus Deũ ſit rebellis & contumax.

4. Eſt membris externis imperare , hoc eſt, linguæ,pedibus oculis & alijs membris imperare,ne peccatrici naturæ,vt antea,auſcultent.

2. Viuificatio,cuius duplex eſt diſtinctio & ſignificatio multiplex.

Viuificatio, eſt nouæ vitæ manantis ex virtute reſuſcitati Chriſti , per Spiritum regenerationis, excitatio. Dicitur autem hæc viuificatio , noua vita,quia eſt ſupernaturalis , atque nouæ cuiuſdam creaturæ. Hæc diſtinguitur ab vniuerſali vita quæ motu duntaxat & ſenſu conſtat,cuius quoque participes ſunt beſtiæ.Diſtinguitur prẹterea à vita humana qua filij Adæ ſumus.

Quarè non immerito *noua* dicitur. Habet etiam & alias appellationes,nã vita gratiæ,vita Dei,& vita Chriſti dicitur. *Vita gratiæ* dicitur quia gratis electis communicatur.*Vita Dei* per excellentiam,ſeu vt vocant,κατ᾽ ἐξοχὴν,quod tum demum Deus propriè in nobis viuere dicitur , & nos eius vita frui , quando ſuo Spiritu nos agit ad ſpirituales actiones perficiẽdas.*Vita Chriſti* vt Galat.2.20.Viuo autem non amplius ego,ſed viuit in me Chriſtus.Quod mox exponit,cùm inquit, Quod autem nunc in carne viuo,in fide viuo filij Dei.

De vita Chriſti in nobis.

Porrò Chriſtus viuit in fidelibus dupliciter.Vno modo quando nobis communicat ſuam iuſtitiam. Altero,cùm nos Spiritu ſuo gubernat , ſanctificat,actiones dirigit. Prior modus ad iuſtitiæ imputationem:poſterior ad regenerationem de qua hic agitur pertinet.

Gradus viuificationis, quatuor.

Ex his patet quæ ſit viuificationis ratio : iam eius gradus ex antitheſi graduum mortificationis facile intelliguntur. Vt igitur mortificationis quatuor gradus conſtituimus,nempe mentis,affectuum , voluntatis,& externorum membrorum corporis : Ita hic eoſdem ſtatuimus,vt ſit viuificatio mentis affectuũ, voluntatis & externarum actionum. 1. *Viuificatio mentis* in eo ſita eſt , vt depoſita vanitate & errore, mens ita vera intelligentia rerum diuinarũ de Deo, de cultu Dei,de ſalutis myſterio ſit illuſtrata , & ita ſpiritu Dei certificata , vt non amplius mens noſtra fluctuet , & quouis vento doctrinæ circumferatur. De hac mẽtis viuificatione loquitur Paulus cùm inquit Epheſ.4.23.Renouamini ſpiritu mentis veſtrẹ. 2. *Viuificatio affectuum* eſt eorundem purgatio, qua fit, ne affectemus aut appetamus quod lege Dei nobis vetitum eſt. Hæc repreſſio affectuum in timore Dei fundatur,ac abſoluitur vera pœnitentia & abnegatione noſtri. 3. *Viuificatio voluntatis* eſt conuerſio voluntatis ad Deum,qua fit vt imperemus nobis ea, quæ Deus ſua lege nobis præcepit. 4. *Viuificatio externarum actionum*,cõſiſtit in obedientia mẽbrorum interiorum & exteriorum erga Deum.Hactenus partes regenerationis expoſuimus , nunc iuſtam definitionem colligamus.

III Regenerationis definitio.

Regeneratio,vt ex dictis colligitur, eſt mortificatio veteris hominis & formatio noui, ad imaginem Dei per Spiritũ ſanctum ex vi mortis,ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti manans,ſeu,vt breuius dicã. Regeneratio eſt ſpiritualis natiuitas qua homines naſcuntur filij Dei,quotquot credunt in nomen Ieſu Chriſti.In his definitionibus fit mentio cauſẹ efficientis, materiæ,formæ & inſtrumenti. Efficiens eſt Deus pater,qui ſecundum magnam ſuam miſericordiam regenerat nos.1.Pet.1. Materia Chriſtus eſt. Forma eſt ipſa renaſcentia & ſanctificatio. Inſtrumentũ eſt fides.Sed de his ſuprà.

Definitionis explicatio.

IIII Notæ regenerationis.

Notæ regenerationis quinque numerari poſſunt. *Prima* eſt vera Chriſti cognitio , quæ non ſolùm notitiam Chriſti hiſtoricam,ſed etiam firmam in ipſum fiduciam,complectitur.Hẹc eſt,inquit Dominus,vita æterna,vt te cognoſcant verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.

Secunda,primæ coniuncta,eſt duci Spiritu Chriſti. Qui ducuntur,inquit Paulus,Spiritu Chriſti, hi ſunt eius.

Tertia,eſt arrhabo hæreditatis Spiritus ſanctus.Ita enim ait Paulus,2.Corint.1 Et dedit arrhabonem Spiritus in cordibus veſtris.Gal.4. Quia eſtis filij,emiſit Deus Spiritum filij ſui in corda veſtra,clamantem abba pater.

Quarta , eſt aſſidua Spiritus aduerſus carnem pugna,& eiuſdem Spiritus ſuper carne victoria.

Quinta,eſt patientia ſub cruce,ex ſpe liberationis certa concepta.

An ſanctorum regeneratio numeris omnibus abſoluta ſit in hac vita.

Sed dicat aliquis:quis mortalium vel ſanctiſſimorum patrum talis inuentus eſt , hoc eſt , ita regenitus in hac vita? Omnes ſancti in ſeipſos deſcendentes,ſentiunt procul dubio in ſe, quod nos ſentimus,hoc eſt magnam infirmitatem. Nemo enim ita regenitus fuit in hac vita , quin adhuc opus habeat incremẽtis.Paulus iuſtificatus & regenitus de ſe conqueritur dicens,Rom.7.24. O me infœlicem, quis liberabit me de corpore mortis huius ? gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum. Vides hîc duo in Paulo. Primum eſt agnitio & confeſſio infirmitatis & imperfectionis in hac vita,cum deploratione huius mali.Secundum eſt gratiarum actio,qua Deo gratias agit per Ieſum Chriſtum,qui teſtatur Paulum nihilominus bene ſperaſſe de Chriſto Ieſu reformatore imaginis Dei in nobis.

Quæſtionis ſolutio ex Pauli confeſſione petita.

Ex his manifeſtum relinquitur, quòd hoc opus Dei regeneratio,non perficiatur in nobis eodem die quo inchoatur,ſed paulatim augeſcit ad modum filei cuiuſque , & quotidianis incrementis ad finem paulatim perducatur.Nemo enim vnquam repertus eſt , qui ſuam carnem penitus crucifixit & ſe ita totum ſpiritus imperio ſubiecit : vt in eo nulla peccatiuis fuerit reliqua,quæ ipſum moleſtaret. Nemo vnquam inuentus eſt , qui ita Spiritu viuificatus fuit, quíque ita ſe totum à carnis concupiſcentijs vindicauit:vt plenum Spiritui imperium, ſine moleſtia & quotidiana pugna fuerit. Hoc teſtantur multi errores in omnibus ſanctis. Hoc teſtatur omniũ ſanctorum precatio, qua quotidianos lapſus deprecantur. Hoc gemitus creber in lectiſsimis Dei organis conuincit.Dauid grauiſsimas ſuas tentationes habuit,& quotidiana ignorantiẹ delicta deplorauit: ab occultis (inquit) meis munda me Domine. Hinc facilè conſtat pugnam aſſiduam carnis & Spiritus manſuram in nobis,donec in hac mortalitatis conditione nobis manendum erit.

Confirmatio triplex.

Concluſio.

Vſus,ſeu Doctrina quadruplex Chriſtianis perpetuò meditanda.

Pius proinde qui ſentit ſuam infirmitatem in hũc modum ſe componat. 1. Si Chriſtianus quis verè eſt,oportet vt verè ſentiat ſignum aliquod communionis mortis,& reſurrectionis Chriſti:cuius communionis fructus eſt crucifixio carnis, & viuificatio Spiritus.Nec hæc communio ideò nulla eſt , ſi reliquias carnis adhuc in ſe viuere ſentiat,ſi Spiritus plenum imperium nondum obtineat,vt ſine cõtumacia

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

carnis, liberè feratur in Dei obſequiũ: modò aſſiduè quantum fieri poteſt currat, donec ad metam peruentum fuerit.

2. Cum Paulo deplorabit hanc captiuitatem, & piis votis optabit, vt ab ea fœliciter tandem iuxta voluntatem Dei liberari poſſit.

3. In dies conabitur, vt maiora incremẽta faciat, & adoleſcat in Chriſto. Vt cibo verbo Dei & ſacratiſſima cœna, corpore & ſanguine Chriſti recreetur & foueatur.

4. Nunquam indulgebit carni, ſed ſtatim ſuborientes affectus meditatione verbi Dei & oratione iugulabit. Ex his facilè vſus regenerationis conſpicitur.

V. Duo fines regenerationis.

Reliquum eſt vt de fine regenerationis nonnihil dicam, qui eſt duplex: propinquus & vltimus. *Propinquus* eſt, vt non amplius ſeruiamus peccato, ſed iuſtitiæ: ita vt noſtra vita, ſtudia, actiones interiores, & exteriores ad Chriſti gloriam referantur, qui Chriſti imaginem aliqua tenui imitatione referimus. Quatenus enim renati ſumus, illi ſimiles dicimur. Quatenus adhuc vetus homo ſentitur, non renati ſumus, nec Chriſto ſimiles. Quarè perpetuò vigilandum, vt indies veterem hominem magis magiſque mortificemus.

1. Propinquus. 2. Vltimus.

Vltimus finis regenerationis eſt, vt recuperata integrè imagine Dei, in omni æternitate Deum prædicemus, fruentes æterna vita, perpetua & æterna lętitia, ſummáque dilectione, in æterna regni Dei hæreditate: in qua tandem abſoluetur ſpiritualis noſtri regeneratio, vbi non amplius moleſtabimur vitioſæ carnis concupiſcentiis. Deinde & corpus noſtrum regenerabitur. Nam vt Paulus inquit, corruptibile hoc induet incorruptibilitatem, adeo vt nõ amplius geramus imaginem primi Adami, qui eſt de terra terrenus, ſed ſecundi, qui eſt de cœlo cœleſtis, atque ita Deo conformes ſimus in omni æternitate, iuxta illud Iohannis, in 1. epiſt. cap. 3. 2. Chariſſimi, filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, quòd ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt, & omnis qui habet hanc ſpẽ in eo, purificat ſe, ſicuti ille ſanctus eſt.

Neceſſitas bonorum operum ex regenerationis doctrina fluit.

Ex hac doctrina fluit neceſſitas bonorum operũ, quemadmodum Paulus Ro. 6. Petrus primo & ſecũdo in priori Epiſtola, Et ipſe Dominus Ioann. 3. ſatis teſtantur. Quî enim fieri poteſt, vt noua vita ſit abſq; ſuis proprietatibus, & actionibus ſibi conuenientibus? Quicunque ergo habenas carni laxant, neceſſitatem bonorum operum extenuantes, non perpendunt quæ ſit regenerationis vis, ſine qua, teſte Chriſto, nemo regni cœlorum capax eſſe poteſt.

IIII. De modo aduentus Verbi in mundum.

DE QVARTO MEMBRO.

Quartum membrum, modum aduentus æterni verbi in mundum exponit: Ita enim inquit, *Et verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.* Sed quid eſt: Verbum caro factum eſt? *Eſt*, vt Auguſtinus loquitur, *Filius Dei, filius hominis eſt factus, naturam ſuſcipiendo noſtram, non mutando ſuam: per quod & nobis ſuam recipientibus ea poteſtas daretur, vt qui eramus homines, filij Dei fieremus.* Idem libro 13. de Trinitate, verba Euangeliſtæ exponens, ait: *In verbo intelligo verum Dei filium, in carne agnoſco verum hominis filium, & vtrunque ſimul in vna perſona Dei & hominis, ineffabili gratia largitate coniunctum.* Aſſumſit ergo æternus λόγος naturam humanam, non perſonam humanam. Nam vna tantùm eſt perſona æterna, quæ humanam naturam aſſumſit in vnionem perſonalem.

Quanta autem hæc fuerit filij Dei humiliatio, noſtri cauſa ſuſcepta, nemo ſatis admirari poteſt. De qua humiliatione Paulus ad Philipp. 2. his verbis loquitur. Qui cum eſſet in forma Dei, non duxit rapinam, parem eſſe cum Deo, ſed ipſe ſe inaniuit, forma ſerui ſumta, ſimilis hominibus factus, & habitu compertus vt homo.

Hac antitheſi veriſſimè ſignificatur, quòd forma Dei, λόγῳ æterno per naturam & eſſentiam competat, & quòd forma ſerui, tantùm ſit ab illo aſſumta in vnionem hypoſtaticam ſeu perſonalem. Non ergo vt ſunt duæ naturæ, ita duæ perſonæ: ſed vna tantum perſona æterna, à qua natura humana aſſumta eſt, vt hæc perſona ſit & verus Deus, & verus homo.

Aduerſus nouos Eutychianos naturarum Chriſti diſcrimina tollentes breuis diſputatio, ſententiis veterum confirmata.

Cæterum quoniam hodie ſunt quidam, qui cum Eutyche tollunt diuinæ & humanæ naturæ diſcrimina, & me etiam traducunt, qui conſtanter retineo ſententiam Eccleſiæ, de veritate humanæ naturæ in Chriſto: Hic libet antiquitatis quædam teſtimonia aſcribere, vt & εὐτυχίζοντας admoneam ſui erroris, & meam confeſsionem niti ſcripturæ ſanctæ & patrum autoritate oſtendam. Primum itaque producam teſtimonia ex Auguſtino.

Auguſtini quinque teſtimonia.

Auguſtinus Epiſtola 57. Dardano ſcribens ita ait: *Noli itaque dubitare ibi nunc eſſe hominem Chriſtum Ieſum, vnde venturus eſt, memoritérque recole & fideliter tene Chriſtianam confeſſionem, quoniam reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram patris, nec aliunde quàm inde venturus eſt ad viuos mortuóſque iudicandos. Et ſic venturus eſt, illa angelica voce teſtante, quemadmodum ire viſus eſt in cœlum, id eſt, in eadem carnis forma atque ſubſtantia, cui profectò immortalitatẽ dedit, naturam non abſtulit. Secundum hanc formam non eſt putandus vbique diffuſus. Cauendũ eſt enim, ne ita diuinitatẽ aſtruamus hominis, vt veritatẽ corporis auferamus. Non eſt autẽ conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbique vt Deus. Nam & de nobis veraciſſima ſcriptura dicit, quod in illo viuimus, mouemur & ſumus: nec tamen, ſicut ille vbique ſumus, ſed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine proprio quodam & ſingulari modo. Vna enim perſona Deus & homo eſt, & vtrunque eſt vnus Chriſtus Ieſus, vbique per id quod Deus eſt, in cœlo autem per id quod homo.*

2. Idem infrà in eadem Epiſtola. *Nam ſpatia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, nec erunt. Tolle ipſe corpora qualitatibus corporum, non erit vbi ſint, & ideo neceſſe eſt vt non ſint.*

3. Idem in fine eiuſdem Epiſtolæ. *Chriſtum autẽ Dominum noſtrum, vnigenitum Dei filium æqualem patri, eundémque hominis filium, quo maior eſt pater, & vbique totum præſentem eſſe non dubites tanquam Deum, & in eodem templo Dei eſſe tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cœli propter veri corporis modum.*

4. Idem tractatus 50. in Ioan. *Sed quoniam verum eſt quod ait. Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi: & abijt, & hic eſt, & redijt, & nos non deſeruit. corpus enim ſuum intulit cœlo, maieſtatem non abſtulit mundo.*

5. Idem in libro de agone Chriſtiano. *Nec eos audiamus, qui negant tale corpus Domini reſurrexiſſe, quale poſitum eſt in monumento. Si enim tale non fuiſſet, non ipſe dixiſſet poſt reſurrectionem diſcipulis, palpate & videte, quoniam Spiritus oſſa & carnem non habet, ſicut me videtis habere. Sacrilegũ eſt enim credere Dominũ noſtrũ, cum ipſe ſit veritas, in aliquo fuiſſe mentitũ. Nec nos moueat, quòd clauſis oſtiis ſubitò eum appar uiſſe diſcipulis ſcriptum eſt, vt propterea negemus illud fuiſſe corpus humanum, quia contra naturam huius corporis videmus illud per clauſa oſtia intrare. Omnia enim poſſibilia ſunt Deo: nã & ambulare ſuper aquas, contra naturam huius corporis eſſe manifeſtum eſt, & tamẽ non ſolum ipſe Dominus ante paſſionem ambulauit, ſed etiam Petrum ambulare fecit.*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Chriſti corpus certo ſpatio continetur iuxta veri corporis modum.

Hæc Auguſtini dicta ſatis oſtendunt, quę fuerit ſancti illius patris ſentętia de veritate corporis Domini, videlicet, quòd non diffundatur per omnia loca cum diuinitate, nec commutata ſit in naturam τȣ̃ λόγȣ, ſed quod circumſcriptum maneat & certo ſpatio contineatur iuxta veri corporis modum, vt ille loquitur, hoc eſt, quia eſt verum corpus humanum.

Cypriani.

Cyprianus ſuper Iohan: lib. 6. cap. 14. *Hic animaduertendum, quòd etſi corporis ſui præſentiam hinc ſubduxerit: maieſtate tamen diuinitatis ſemper adeſt, ſicut ipſe à diſcipulis abiturus pollicetur. Ecce vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Idem lib. 9. ſuper Iohan. c. 21. *Credere autem oportet fideles, quòd licet à nobis corpore abſit, virtute tamen eius omnia & nos gubernari, adeſſéque ſemper ipſum omnibus, qui eum diligunt.*

Cyrilli.

Cyrillus in dialogis de trinitate lib. 2. *Si verè ſectionem & partitionem diuina natura reciperet, intelligeretur & corpus. Si autem hoc, & in loco omnino, & in magnitudine & in quantitate, & ſi caderet in eam quantitas, nō effugeret circumſcriptionem.* Hic ſanctus pater pro demonſtratione firmiſſima habet: Si corpus eſt, ergo eſt in loco: ergo eſt circumſcriptum, vt ne diuina quidem natura excipienda fuerit, ſi corporea eſſet.

Vigilij, Epiſcopi Tridentini & Chriſti martyris.

Vigilius vir crudititiſſimus & ſanctiſſimus, qui floruit ante mille annos, in hunc modum aduerſus Eutychen ſcribit: *Dei filius ſecundum humanitatem ſuam receſſit à nobis, ſecundum diuinitatē ſuam ait nobis: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Si nobiſcum eſt, quomodo ait? Venient dies, quando deſideretis diem vnum filij hominis & non videbitis. Sed & nobiſcum eſt, & non eſt nobiſcum. Quia quos reliquit & à quibus diſcedit humanitate ſua, non reliquit, non deſeruit diuinitate ſua. Per formam enim ſerui, quam abſtulit à nobis in cœlum, abſens eſt nobis: per formam Dei quæ non recedit à nobis in terris, præſens eſt nobis: tamen & præſens & abſens ipſe vnus idémque eſt nobis.*

Idem lib. 4. *Deinde ſi verbi & carnis vna natura eſt, quomodo cum verbum vbique ſit, non vbique inueniatur & caro. Nánque quando in terra fuit, non erat vtique in cœlo. Et nunc quia in cœlo eſt, non eſt vtique in terra, & in tantum non eſt vt ſecundum ipſam Chriſtum ſpectemus venturum de cœlo, quem ſecundum verbum nobiſcum eſſe credimus in terra. Igitur ſecundum vos, aut verbum cum carne ſua loco continetur, aut caro cum verbo vtique eſt, Quomodo vna natura contrarium quid & diuerſum non recipit in ſeipſa. Diuerſum eſt autem & longè diſſimile circumſcribi loco, & vbique eſſe, & quia verbū vbique eſt, caro autem eius vbique non eſt: apparet vnum eundémque Chriſtum vtriuſque eſſe naturæ, & eſſe quidē vbique ſecundum naturam diuinitatis ſuæ, & loco contineri ſecundum naturam humanitatis ſuæ, creatum eſſe, initium non habere, morti ſubiacere, & mori non poſſe, quod vnum illi eſt ex natura verbi, qua Deus eſt, aliud ex natura carnis qua idem Deus homo eſt. Igitur vnus Dei filius, idémque hominis factus filius habet initiū ex natura carnis ſuæ, & non eſt creatus per naturam diuinitatis ſuæ: circumſcribitur loco per naturam carnis ſuæ, & loco non capitur per naturam diuinitatis ſuæ.*

Gelaſii.

Sanctus Gelaſius aduerſus Eutychen & Neſtoriū. *Si & ſubſtantia & forma hominis Ieſu Chriſti hac transfuſione conſumta eſt (loquitur enim aduerſus eos, qui humanam naturam in diuinam transfuſam eſſe falsò opinati ſunt) quis eſt, quem vidit ad dexteram virtutis ſtantē ſanctus Stephanus? Quis hominis filius venturus eſt ad iudicandos viuos & mortuos? Quis erit quem videbunt? in quē compunxerunt? Abolitum eſt omne myſterium, vacuatū eſt reſolutúmque, vt dictum eſt, quod abſit, omne Sacramentum: falſúmque erit, quod ait ipſe Saluator: palpate & videte, quia Spiritus oſſa & carnem non habet, ſicut me videtis habentem. Et certè hoc poſt reſurrectionem dixit, talis iam dixit, qualis cum diſcipulis per quadraginta dies conuerſatus eſt conueſcens, & cohabitans cum eis: Talis dixit, qualis aſcendit in cœlos. Talis dixit, qualis promiſſus eſt inde eſſe venturus.*

Iuſtini Martyris.

Iuſtinus Martyr in expoſitione fidei. Μένει μὲν τὸ σῶμα σῶμα, εἴπερ οὐ σῶμα θεὸς· μετείληφε δὲ θείας ἀξίας, οὐ φύσεως, εὐδοκίᾳ τοῦ λόγου. i. *Corpus quidem manet corpus, nec corpus Deus eſt: factum autem eſt diuinæ maieſtatis particeps, non naturæ, quia ipſi verbo ita viſum eſt.*

Nazianzeni.

Gregorius Nazianzenus aduerſus Apollinarium, Epiſt. 1. Οὐδὲ γὰρ τὸν ἄνθρωπον χωρίζομεν τῆς θεότητος, ἀλλ' ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν δογματίζομεν· Πρότερον μὲν οὐκ ἄνθρωπον, ἀλλὰ θεὸν καὶ υἱὸν μονογενῆ, καὶ προαιώνιον, ἀμιγῆ σώματος καὶ τῶν ὅσα σώματος· ἐπὶ τέλει δὲ καὶ ἄνθρωπον, προσληφθέντα ὑπὲρ τῆς σωτηρίας τῆς ἡμετέρας· Παθητὸν σαρκί, ἀπαθῆ θεότητι, περίγραπτον σώματι, ἀπερίγραπτον πνεύματι, τὸν αὐτὸν ἐπίγειον καὶ οὐράνιον, ὁρώμενον καὶ νοούμενον, χωρητὸν καὶ ἀχώρητον· ἵν' ὅλῳ ἀνθρώπῳ τῷ αὐτῷ καὶ θεῷ ὅλος ἄνθρωπος ἀναπλασθῇ πεσὼν ὑπὸ τὴν ἁμαρτίαν. Hoc eſt. *Neque enim hominem à Deitate ſeparamus, ſed vnū & eundem profitemur: prius quidem non hominem, ſed deum & filium vnigenitum, ac ſeculis omnibus antiquiorem, à corpore rebúſque omnibus corporeis purum & ſecretum: in fine autem etiam hominē, propter ſalutem noſtram aſſumptum, carne paſſibilem, deitate impaſſibilem, corpore circumſcriptum, ſpiritu (.i. deitate) incircumſcriptum, terrenum eundem & cœleſtem, viſibilem & inuiſibilem, comprehenſibilem & incomprehenſibilem: vt per eundem totum hominem ſimul ac Deum totus homo, in peccatum lapſus refingatur.*

Damaſceni.

Damaſcenus libro tertio de fide, ca. 7. Σμικρύνεται σωματικῶς, καὶ συστέλλεται. καὶ θεϊκῶς ἐστὶν ἀπερίγραπτος, οὐ συμπαρεκτεινομένης τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, τῇ ἀπεριγράπτῳ αὐτοῦ θεότητι. ὅλος μὲν ἐστὶ θεὸς τέλειος, οὐχ ὅλον δὲ θεός (οὐ γὰρ μόνον θεός, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος) καὶ ὅλος ἄνθρωπος τέλειος, οὐχ ὅλον δὲ ἄνθρωπος. οὐ μόνον γὰρ ἄνθρωπος, ἀλλὰ καὶ θεός. i. *Corpore minuitur & contrahitur: Deitatis autem ratione circumſcriptionem omnem reſpuit. Neque enim ipſius caro vna cum Deitate, quæ ab omni circumſcriptione remota eſt, ſe porrigit & extendit. Ergo totus quidē Deus perfectus eſt, at non item in totum Deus: (neque enim ſolus Deus, ſed etiam homo) totúſque item homo perfectus, at nō item in totum homo. Non enim duntaxat homo, ſed etiam Deus eſt.*

Ph. Melanthonis ſententia de aſcenſione, ſeſſione, & proprietatibus glorificati corporis Chriſti. De Aſcenſione.

Hæc teſtimonia ſatis docent, quid ſenſerit pia vetuſtas de veritate corporis Chriſti, quod & ante mortē & poſt reſurrectionem, reuera circumſcriptum eſt & loco clauditur, id quod requirit veritas corporis. Etſi autem ego ex articulis fidei, & ex ea ratione quā ſumit Dominus à proprietatibus corporis humani & repugnantibus Spiritus, cum ait, Luc. 24. Spiritus carnē & oſſa nō habet, ſicuti videtis me habere, ſatis apud me confirmatus ſum: tamen propter quoſdam fratres qui hic vacillare videntur, volui Patrum teſtimonia aſcribere. Cum quibus conſentit etiam ſanctiſſimæ memoriæ Philippus Melanchon ſcribens ſuper Epiſtolam ad Col. cap. 3. his verbis. *Hic multa inſignes materiæ continentur. Declaratio articulorū Symboli: Aſcendit in cœlos, ſedet ad dextram Dei patris, &c.* Item, *quæ ſint proprietatis glorificati corporis.* Item, *Quomodo dicatur: Chriſtus eſt in vobis, Chriſtus eſt vita veſtra. Ac primum de dicto:* Aſcendit in cœlū. *Quomodo hæc congruunt? Alibi dicitur, Filius qui eſt in ſinu patris.* Item Iohan. 3. *Filius hominis qui eſt in cœlo.* Reſpondeo. *In Symbolo intelligatur dictum vt ſonat litera, & de corpore & de corporali locatione.* Aſcendit, *ſcilicet corporali & phyſica locatione,* In cœlum, *id eſt, in locum cœleſtem, vbicunque eſt, quia hic non ſunt fingendæ allegoriæ.* Aſcenſio, *fuit viſibilis & corporalis, & ſemper ita ſcripſit tota antiquitas, Chriſtum corporali locatione in aliquo loco eſſe vbicunque vult, & aſcenſio corporalis facta*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

eſt ſurſum. Ideò Paulus in hoc capite locum illum nominat, Surſum. At in propoſitione : Filius qui eſt in cœlo, *dictum intelligatur communicatione Idiomatum.* Λόγ☉ *ſemper eſt in cœlo, etiamſi corporali locatione corpus eſt in virgine.*

Hac narratio expreſſa eſt in enarratione Symboli, qua legitur in libris Cypriani etſi alibi inſcriptio eſt, Enarratio Ruffini. Aſcendit ad cœlos, non vbi verbum Deus anteà non fuerat, quippe qui erat ſemper in cœlo, & manebat cũ patre: ſed vbi verbũ caro factũ, anteà nõ ſedebat, id eſt, vbi corpus anteà non habuerat corporalẽ locationẽ. *Sic Auguſtinus loquitur, & citantur verba in Longobardo lib. 3. diſtinct. 22.* Nõ dimiſit patrẽ Chriſtus, cùm venit infirmior, vbiq; totus, vbiq; perfectus. Deinde additur forma ſermonis, vbiq, totus, ſed non totum. *Alij concinnius locuti ſunt. Propoſitio vera eſt communicatione Idiomatum, Chriſtus vbique eſt. Athanaſius ſic loquitur de incarnatione verbi.* Λόγ☉ non colligatus eſt corpori, ſed ipſe corpus continet, vt & in eo ſit, & extra omnia, & in ſinu patris, neque cùm ſit in omnibus, ſit pars aliorum, ſed omnia vitam, ſuſtentationemque ab ipſo accipiunt.

De ſeſſione ad dexteram patris.

Vt autem de locali aſcenſione naturæ humanæ dictum eſt, Aſcendit ad cœlos: *Ita de exaltatione naturæ humanæ ſuper omnes creaturas, dictum eſt:* Sedet ad dexteram patris, *vt hic Paulus inquit:* Vbi eſt ad dexterã Dei ſedẽs. *Ait Chriſtum eſſe & quidẽ ad dexterã Dei, id eſt, nõ vt beati angeli & homines ſurſum ſunt: ſed exaltatus ſupra angelos, in illa arcana luce* Dei *regnans cum patre, & tamen corpus localiter alicubi eſt ſecundum veri corporis modũ, vt Auguſtinus inquit. Et hæ propoſitiones:* Chriſtus in vobis eſt, Ego in eis, Veniemus ad eum & manſionem apud eum faciemus, &c. *intelligantur cõmunicatione Idiomatũ. Et de hac præſentia Filij in prædicatione Euangelij & in ſanctis, neceſſe eſt Eccleſiam fideliter erudiri, vt agnoſcamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum adeſſe Eccleſiæ, & eſſe caput omnia in omnibus perficiens.* Hactenus Ph. Melanthon.

Autoris ſententia, de præſentia Chriſti in Cœna.

Cùm hæc aſſerimus, putant quidam fratres me oppugnare præſentiam Chriſti in cœna: qua in re fit mihi non leuis iniuria. Nam mea ſcripta teſtãtur me agnoſcere veram præſentiam Chriſti in cœna, iuxta verba inſtitutionis: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hic eſt ſanguis qui pro vobis effunditur. Etſi enim non recipio transfuſionem cum Eutyche, nec cum quibuſdã fratribus vbiquitatem: tamen conſtanter profiteor verè adeſſe totum Chriſtum in cœna, ac manibus miniſtrorum porrigi verum corpus & verum ſanguinem. Cùm verum dico, ſentio illud ipſum corpus quod pependit in cruce dari, ſentio illum ipſum ſanguinem qui effuſus eſt in remiſſionem peccatorum porrigi : non tropico ſed vero modo, quo corpus poteſt eſſe cibus, & ſanguis potus animis credentium. *Non enim datus eſt hic cibus ad ruinas huius vitæ* (vt loquitur Bernhardus) *quæ vapor eſt ad modicum parens, ſed ad æternam vitam animæ conferendam.*

Quæſtio, cur λόγ☉ carnem noſtram aſſumpſerit.

Reſponſio.

Hactenus de ſententia verborum Euangeliſtæ, iã quæſtio explicanda, cur homo fieri voluerit æternus λόγ☉. Quæſtio autem hæc Geneſeos 3. 15. ſoluitur, ibi enim Dominus ait, Semen mulieris conteret caput ſerpentis, quæ verba Euangeliſta noſter in prima ſua Epiſtola explicans, ca. 3. 8. ait, Chriſtus apparuit vt deſtruat opera Diaboli. Deſtruit autem Chriſtus Diaboli opera dupliciter, merito videlicet & efficacia. Merito quidem quia meretur nobis remiſſionem peccatorum, imputationem iuſticiæ, donationem Spiritus ſancti, & vitam æternam. Efficacia verò, cùm æternus Pater & Filius effundunt Spiritum ſanctum in corda credentium, & fit conſolatio per Spiritum ſanctum in cordibus credentium, & læticia inenarrabilis oritur acquieſcens in Deo, quæ læticia eſt teſtificatio, quòd ſimus in gratia, & quòd ſimus erepti ex inferis. Cum hac conſolatione coniuncta ſimul eſt vera inuocatio, ex quo fit quòd Spiritus ſanctus apud Prophetam nominetur Spiritus precum. Atque hæc eſt inchoatio nouæ obedientiæ & ſenſus regenerationis in cordibus piorum. Sũma huc redit, quòd filius Dei ſit factus filius hominis, vt ſit mediator placans Deum, atque omnibus in ſe credentibus iuſticiam & ſalutem adferat.

Cur mediatorem oportuit eſſe Deũ & hominem.

Sed cur oportuit mediatorem hunc eſſe Deum & hominem?

I. oſtendam neceſſarium fuiſſe vt mediator eſſet Deus. II. Vt verus eſſet & naturalis homo. III. Quod oportuerit mediatorem eſſe vnum, id eſt, vnam perſonam & non duas.

I. Cauſæ quinque, propter quas oportuit mediatorem eſſe Deũ.

Quantum itaque ad primum noſtræ partitionis caput attinet, videlicet quod neceſſe fuerit mediatorem eſſe Deum, cauſæ ſunt perſpicuæ & imprimis obſeruandæ. Nam & doctrinam ſummam & conſolationem vberrimam continent. Recitabo igitur quinque cauſas.

1. Infinitus reatus peccati.

Prima. Peccati infinita malicia eſt, ideóque infinitus reatus. Infinitum enim & ſummum bonum offendit atque eius gloriam lædit. Hoc proinde peccatum, aut infinitis pœnis erat puniendum, ſic enim iuſticia Dei efflagitat : aut expiandum erat ſatisfactione. Verùm quia hæc ſatisfactio debuit eſſe precium infinitę bonitatis, & æquiualens, non potuit ab vlla, imò ne ab omnibus creatutis fieri. Quare neceſſe fuit expiatorem peccati Deum eſſe. Hæc conſideratio commonefacit nos de duabus rebus, videlicet, de magnitudine peccati, iræque Dei propter peccatum, & de amore Dei erga genus humanum : horribilem enim fuiſſe magnitudinem peccati hinc patet, quòd expiari non potuerit, niſi Deus fieret victima. Etſi autem pœnæ triſtiſſimæ in genere humano, aliquo modo quantum malum ſit peccatum oſtendunt: tamen hoc teſtimoniũ multo eſt illuſtrius. Neceſſe eſt enim horrẽdum malum eſſe peccatum, cùm nulla creatura potuerit eſſe pretium ſufficiens ad abolendum tanti mali reatum. Magnitudo ſimiliter amoris in æterno Patre, Filio, & Spiritu ſancto erga genus humanum hîc conſpicitur. Pater filio ſuo non pepercit, ſed voluit eum ſubiici pœnis vt nos redimeret. Filius volens & obediẽs patri, factus eſt victima, reatum peccati in ſe deriuãs. Spiritus ſanctus ipſe vult in cordibus reconciliatorum habitare & motus diuinæ voluntati congruentes in nobis accendere.

Doctrina.

2. Iræ Dei pondus immenſum.

Secunda. Nulla creata potentia ſola potuit ſuſtinere iram Dei, & in tanta magnitudine dolorum Deo vere tribuere laudem iuſtitiæ. Huius cauſæ conſideratio admoneat nos iuſtitiæ Dei. Nam in pœna quæ debet eſſe placatio, oportet punienti tribui laudem iuſtitiæ.

Doctrina.

3. Mortis abolitio & vitæ æterna reſtitutio.

Tertia. Nulla creata potẽtia potuit vincere mortẽ, & reddere nobis iuſticiã & vitã æternã. Hoc itaque cùm ſit proprium mediatoris, neceſſe fuit mediatorem eſſe Deum. Nam omnipotentis naturæ eſt vincere mortem, & reddere vitam & iuſtitiam æternam.

4. Perpetua Eccleſiæ protectio.

Quarta. Neceſſe eſt mediatorem eſſe perpetuum cuſtodem Eccleſiæ, omnibus temporibus eam exaudientẽ, & pręſentem ſanctis vbique, ſicut verè adfuit Moſi & Populo in deſerto. Quemadmodũ & Paulus ad Cor. teſtatur. Et deinde ſemper Eccleſiæ adeſt &

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

protegit immediatè,iuxta dictũ : Nemo rapiat oues meas de manibus meis.Hæc eſſe diuinę naturę propria manifeſtum eſt.

5. Omniũ piorum exauditio.

Quinta. Mediator debuit eſſe καρδιογνώστης,vt videre poſſet gemitus cordium & intima ſanctorum ſuſpiria.Hoc cùm tantum cõgruat diuinæ naturæ : neceſſe fuit vt mediator eſſet Deus.

Hæ quinque rationes clariſsimè docẽt, quarè neceſſe fuerit mediatorem eſſe Deum. Et confutant Hęreticos qui Chriſti diuinam naturã impugnant, non intelligentes officium mediatoris:nec conſiderantes magnitudinem peccati,quod non potuit finita victima expiari.

II. Cauſæ 5. propter quas oportuit mediatorem eſſe hominem.

Iam cur neceſſe fuerit mediatorẽ eſſe hominem, dicendum eſt,& cauſas quinque recitabo.

*Prima.*Neceſſariũ erat,vt inobedientia commiſſa in carne noſtra, in eadem ſarciretur. Nam hoc congruebat ordini iuſticiæ diuinæ,vt cùm genus humanum primùm peccaſſet in vno Adam:aliquis in humano genere à peccato immunis, pœnam ſolueret, quæ eſſet precium pro cæteris.Ideo enim venit Dominus noſter reuerà homo, veluti perſonam ipſius Adæ referens, cuius etiam nomen illi tribuitur : vt pœnam peccati in carne, in qua admiſſum fuerat, perſolueret.

*Secũda,*Hebræ.2.14.hiſce verbis exponitur. Quoniam pueri participes ſunt carnis & ſanguinis : ipſe quoque conſimiliter particeps factus eſt eorundem, vt per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium,hoc eſt,Diabolum.

*Tertia,*eiuſdem autoris ad Hebræ. eſt cap.2.17. Congruum fuit,inquit,eum per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors eſſet & fidelis pontifex, in his quæ apud Deum forent agenda,ad expiandum peccatum populi.

Quarta. Neceſſe fuit mediatorem humana natura nobis ſociari atque coniungi. Nam niſi ille frater noſter eſſet verus homo,nõ fieremus per illius communicationem filij Dei. Hinc ſingularem conſolationem deducit autor Epiſtolæ ad Hebræos, affirmans nos non habere aduocatum, qui infirmitates noſtras ſuſtinere non poſsit: cùm ipſe eodem modo fuerit tentatus, per omnia nobis ſimilis factus demto peccato.

*Quinta.*Reſurrectionis noſtræ virtus & efficacia. Vnica enim ſpes quam de reſurrectione corporum habemus,eſt quòd Chriſtus carnem noſtram aſſumſerit. Nam caro quam nunc corruptioni obnoxiam circumferimus, iam ſuſcitata eſt in Chriſto, & in poſſeſsionem regni cœlorũ ingreſſa,ibíque immortalis eſt facta. Virtute igitur ſocietatis quam habemus cum Chriſto,excitabimur in extremo die, & donabimur etiam ſecundum carnem immortalitate. Hinc patet quàm neceſſarium fuerit mediatorem eſſe hominem.

II. Tres cauſæ cur oportuit mediatorem eſſe vnam perſonam

Reſtat vt dicamus , cur oportuerit mediatorem eſſe vnam perſonam , cuius rei cauſas tres aſſignabimus.

1. Vnus mediator Dei & hominum homo Ieſus Chriſtus. Hæc vox, *vnus*, ad perſonam & nequaquã ad naturas referenda eſt.

2. Hic vnus mediator coniunctus & Deo & homini eſſe debuit quadam neceſsitate. Deo ergo qui offenſus erat noſtro peccato,vera diuinitate coniunctus erat.Imò eadem numero diuinitas ſimpliciſsima cum patre & ſpiritu ſancto, homini verò vera humanitate ſociatus, vt poſſet coniungere aduerſas partes ſocietate quam habuit cum vtriſq;. Huc illud Athanaſij, *Congruebat filium aſſumere humanam naturam,vt hæc perſona,quæ eſt ſubſtantialis imago æterni patris,reſtitueret imaginem Dei in nobis.*

3. Si non eſſet mediator vna perſona , opera redemtionis in humana natura peracta, nequaquam eſſent ſufficiens precium pro peccato,quo infinitum bonum eſt læſum. Aſſumſit ergo æternus Dei filius humanam naturam in vnionem hypoſtaticam,vt opera in humana natura peracta, infinitæ fierent virtutis.

Vſus huius doctrinæ.

Ex hac itaque indiuidua vnione naturæ diuinæ & humanæ in vna perſona eſt dignitas infinita, perfectio abſolutiſsima , & inæſtimabile precium ſanguinis, mortis, atque adeò omnium actionum & paſsionum Chriſti in ſanctiſsima eius humanitate.

Inde eſt potentia & virtus delendæ iniquitatis, deſtruendæ mortis, & poteſtas remittendi peccata, viuificandi & ſaluandi credentes.

Cur paſſio toti perſonæ tribuitur.

Etſi autem Chriſtus in ſola carne paſſus eſt:tamẽ paſſio perſonæ tribuitur, propter illam arctiſſimam duarum naturarum vnionem in vna perſona. Ex quo fit, vt omnia in Chriſto habeantur diuina, immenſa, inæſtimabilia & ſaluifica opera & beneficia redemtionis,hoc eſt,reconciliationis,iuſtificationis, renouationis,& æternæ vitæ.

Quo ſenſu caro Chriſti dicitur viuifica, &c.

Hinc quoque facilè intelligi poteſt,cur caro Chriſti dicatur viuifica,& cibus æternæ vitæ.Cur Chriſti mors ſit ſatisfactio plenaria pro peccato : Cur obedientia Chriſti ſit noſtra iuſtitia:Cur filius hominis remittat peccatum per meritum paſſionis ſuæ.Nam hæc ideo ſunt tanti pretij, quia ſunt opera filij hominis qui eſt Deus.Atque ita manifeſtum eſt,opera redemtionis non eſſe diuinæ naturæ tantum, vt rixatur Oſiander:nec naturæ humanæ ſeorſim,vt Stancarus contendit:ſed perſonę Chriſti in duabus naturis.

Opera redemtionis ſunt totius perſonæ.

Cum itaque Chriſtus dicitur mediator, non ad naturam hãc vel illam ſeorſim:ſed ad perſonã omninò referendũ eſt. Verũ cùm dicitur Filius Dei eſt mortuus,ad naturam humanam,non ad diuinã referendũ eſt,etſi pretium à diuinitate dependet. Diſcernendũ eſt enim inter appellationes,quæ naturarũ proprietates ſignificant,& eas quæ officium concernunt.

Chriſtus quo reſpectu mediator.

De Chriſto quomodo loquendum, poſt vnionem.

1. Deus,omnipotens,omniſcius,immenſus, infinitus,ſunt proprietates diuinæ naturæ , quæ nullo pacto humanæ naturæ in abſtracto attribui poſſunt. Homo,creſcens,fatigatus,edens,bibens, dormiens, lachrymans,ſanguinẽ ſudãs,flagellatus , vulneratus, ſunt proprietates humanæ naturæ, quæ nullo pacto diuinæ naturæ in abſtracto tribui poſſunt.

2. Verùm appellationes officij,vt mediator , ſacerdos,redemtor,ſaluator , paſtor &c. nomina ſunt officij,ideóque perſonæ,& non naturæ ſeorſim attribuuntur.

3. Etſi autem diſcernendum eſt inter idiomata naturarum:tamen quia Chriſtus vna perſona eſt,cõmunicantur proprietates naturarum , ídque in concreto tantum,quo ſignificatur perſona:non in abſtracto,quo naturæ notantur & non perſona. Rectè proinde dicimus, Filius virginis condidit cœlum & terram:quia filius virginis eſt Deus. Et rurſus rectè dicitur,Filius Dei eſt paſſus : quia filius Dei eſt homo. Non autem rectè dicitur,humanitas eſt diuinitas:aut natura diuina eſt paſſa.Chriſtus enim(vt Petrus ait) paſſus eſt in carne,hoc eſt,in natura humana,quæ mori potuit.Et Irenæus ait,Chriſtus crucifixus & mortuus eſt,quieſcente verbo,vt crucifigi, & mori poſſet.

V Reuelatio gloriæ qua λόγος homo factus Dei filius declaratur.

DE QVINTO MEMBRO.

Quintum membrum his continetur verbis: *Et vidimus gloriam eius , gloriam tanquam vnigeniti à patre .* Gloriam hîc proculdubio intelligit Iohannes,qua & Chriſti diuinitas, & Meſſiæ ſublimitas

mitas declarata eſt,& veluti oculis hominũ ſubiecta. Nam cùm hanc dicit ſe vidiſſe, ſignificat eam diuinis factis declaratam & oſtenſam eſſe,ita vt verè conuincerentur ſpectatores,& ipſum eſſe verum Deum, & olim promiſſum Meſsiam, qui futurus erat reparator generis humani. Particula *Tanquam*, non eſt improprietatis aut ſimilitudinis nota,ſed veræ ac ſolidæ approbationis deſignatio. Vt in illo Pauli, Epheſ.5.8.Tanquam filij lucis ambulate.Significat ergo Ioannes, conſpectam fuiſſe in Chriſto gloriam, quæ filio Dei congrueret, ſolidúmque eſſet diuinitatis teſtimonium.

Etſi autem ad hanc Chriſti gloriam hominibus patefaciendam, faciunt omnia miranda facta Dei in Eccleſia,inde vſque à promiſsione ſeminis prima:tamen hic Euangeliſta potiſsimùm loquitur de ea gloriæ Chriſti patefactione,quam conſpexere diſcipuli. Petrus, in 2.cap.1. verſ.17.18. prioris ſecundo, de hac Chriſti gloria ita loquitur, Inſpectores facti ſumus maieſtatis illius. Accepit enim à Deo Patre honorẽ & gloriam,voce perlata ad ipſum à magnifica gloria, huiuſmodi: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo placatus ſum. Et hanc vocem audiuimus de cœlo allatam,quando cum illo eramus in monte ſancto.

Præcipuorum modorum quibus gloria deitatis Chriſti in mundo comprobata eſt.

Tametſi autem præcipuè, vt dixi, Euangeliſta de hoc mirando facto loquitur, quo Deus cœlitus ſua voce teſtatus eſt hunc hominem Mariæ filium,ſuum quoque Filium eſſe: tamen prodeſt in conſpectu habere etiam alios modos quibus gloria diuinitatis Chriſti in hoc mundo comprobata eſt.

Sunt autem hi modi præcipui ex Euangelica hiſtoria ſignati.

1. Annunciatio & conceptio.
2. Teſtimonium Magorũ, & ſtella dux itineris.
3. Vitæ innocentia.
4. Doctrinæ ſublimitas.
5. Miracula varia.
6. Teſtimonium Patris in Baptiſmo, apertum cœlum,& apparitio Spiritus ſancti.
7. Transfiguratio in monte, vbi cum Moſe & Helia præſentibus tribus diſcipulis,eſt collocutus.
8. Miniſteriũ Angelorum, qui illum tentatum conſolati ſunt.
9. Teſtimonium diuinum in eius morte, quo conuictus Centurio in hanc vocem prorupit, Verè erat is homo Filius Dei.
10. Triumphus ſuper morte & Diabolo,per glorioſam ipſius reſurrectionem.
11. Aſcenſio in cœlum aſpectabilis.
12. Miſsio Spiritus ſancti ſuper Apoſtolos,decimo die poſt aſcenſionem.
12. Miracula per Apoſtolos, qui de eo teſtati ſunt,edita.
14. Miranda Eccleſię conſeruatio,in tantis Diabolorum & hominum furoribus.

Doctrina.

Harum partium manifeſtatæ gloriæ Chriſti declaratio,iucundiſsima eſt & vtiliſsima ad confirmandam fidem noſtram in hunc Dei filium, qui iam in gloria maieſtatis ſedẽs,efficax eſt in electis,per ſuum verbum & Spiritum ſanctum, defendit Eccleſiam, excitat ſynceros doctores,arcet Diabolos, quos tandem ſubijciet pedibus ſuis, ac Eccleſiæ ſuæ communicabit ſuam gloriam,quando electi omnes in omni æternitate erunt conſortes diuinæ ipſius naturæ, & conformes ipſi. Atque ita percipient iucunditates, quæ ſunt in dextera eius in perpetuum,Pſal.16.11.

VI. De plenitudine gratiæ & veritatis à Chriſto in mundum illata.

De ſexto membro.

Sextum membrum his effertur verbis: *Plenum gratiæ & veritatis*,hoc eſt, λόγος æternus æterni Patris, homo verus factus, plenitudinem gratiæ & veritatis in mundum attulit.De qua plenitudine,vt Euangeliſta ait,nos omnes accepimus.Etſi autem hæc verba plana in ſe videtur,perſpicua eſt enim eorum ſignificatio:tamen plura continent,quàm prima fronte videntur polliceri. Nos itaque eorum interpretationem non aliunde petamus,quàm ex verbis Euangeliſtæ,qui paulò pòſt clarè indicat,quid gratię & quid veritatis vocabulo intelligi velit, vbi vtrunque opponit Legi,dicens: Lex per Moſen data eſt,gratia & veritas per Ieſum Chriſtum. Neque enim dubium eſt,quin gratia & veritas vtroque in loco,eodem accipiatur modo.

Gratia quid.

Cùm itaque Lex opponitur gratię & veritati,neceſſe eſt vt accipiatur diuerſimodè.Aliter enim cùm gratiæ opponitur,aliter cùm veritati,accipitur.Quid autem ſit *Gratia*,obſcurum non eſt.Nam opponitur & merito noſtro,& iræ Dei.Eſt enim fauor Dei,quo Deus nos complectitur in Filio, ſine noſtro merito, & gratuita bonitas qua nobis remittit peccatum, & gratis acceptat credentes ad vitam æternam.

Lex Gratiæ oppoſita, quid.

Proinde Lex, vt opponitur gratiæ, ſignificat minas legales, maledictionem & iram Dei, quæ Moſis miniſterio populo proponebantur, à quibus certè nemo ſuis viribus & meritis liberari potuit.Nam omnes huius legis damnatoriæ ſententiæ eramus obnoxij,Deuter.27:26.Maledictus omnis qui non manſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis. Venit itaque æternus λόγος,& contra iram, & maledictionem legis propoſitam à Moſe,adfert plenam gratiam,perfectam reconciliationem, & fauorem æterni Patris omnibus in Chriſtum viua fiducia recumbentibus.

Hoc ipſum teſtatur Diuus Auguſtinus, cùm inquit:*Vnus Dei filius idémque filius hominis, vnus hominis filius,idémque Dei filius. Non duo filij Deus & homo; ſed vnus Dei filius, Deus ſine initio, homo à certo initio. Hic omnino granditer & euidenter Dei gratia commendatur. Quid enim natura humana in Chriſto meruit, vt in vnitatem perſonæ vnici filij Dei ſingulariter eſſet aſſumpta? Quæ bona voluntas in humana natura præceſſit? Cuius boni propoſiti ſtudium? Quæ bona opera præceſſere, quibus mereretur iſte homo, vt vna fieret perſona cum Deo? Nunquid antea fuit homo, & hoc ei ſingulare beneficium præſtitum eſt,vt ſingulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo eſſe cœpit,non aliud cœpit eſſe quam Dei filius,& hoc vnicus & propter Deum verbum, quod illo ſuſcepto,caro factum eſt,vtique Deus, vt quemadmodum eſt vna perſona quilibet homo, anima ſcilicet rationalis & caro: Ita ſit Chriſtus vna perſona verbum & homo. Vnde naturæ humanæ tanta gloria, nullis præcedentibus meritis,ſine dubitatione gratuita: niſi quia magna hic & ſola Dei gratia fideliter & ſobriè conſiderantibus euidenter oſtenditur, vt intelligant homines per eandem gratiam ſe iuſtificari à peccatis,per quam factum eſt,vt homo Chriſtus nullum poſſit habere peccatum.*

Hæc Auguſtini interpretatio, plenitudinem gratiæ Chriſti,de qua hic Euangeliſta concionatur, nobis fideliſsimè commendat, & oſtendit mera Chriſti gratia, ſine omni humano merito credentes ſaluari: vt lex Moſis, hoc eſt, Lex damnans non amplius teneat nos captiuos,qui in Chriſto Ieſu ſumus per fidem.

Lex veritati oppoſita, quid.

Hactenus de gratia, vt opponitur legi Moſis. Sequitur de veritate, quæ legi per Moſen latæ opponitur, non quidem mentienti aut fallenti, ſed vmbris veritatem figuranti, *vt ablata* (inquit Auguſtinus) *obſeruatione vmbrarum, quod promiſſum erat ex fide Dei præſentaretur.*

Veritas quid.

Quum ergo veritas opponitur legi per Moſen datæ, vt lex Moſis ſignificat vmbras &

prædictiones de Chriſto : ita veritas notat ipſum Chriſtum & complementum promiſsionum, quæ patribus olim ſunt factæ.

Vmbrarũ & veritatis collatio.

Cæterùm quia veritas hoc loco opponitur vmbris & prænuntiationibus de Chriſto & eius Euangelio: operæprecium eſſe exiſtimo, huc nonnulla adſcribere, vt conſtet quomodo Moſes & Prophetæ vmbris & prædictionibus, hanc veritatem, hoc eſt, Chriſtum eiúſq; Euangelium delinearũt: quò nobis vmbrarum & veritatis collatio fidem augeat de mediatore noſtro Chriſto, atque eius ſalutari Euãgelio.

Quib. modis adumbrata eſt veritas.

Facta eſt autem hæc adumbratio ſeu figuratio duobus modis, nempe *Signis* & *Dictis*. De vtriſque ordine dicendum eſt.

Signis triplicibus.

Signa itaque quibus adumbrata eſt hæc veritas, hoc eſt, Chriſtus & eius Euangelium, ſunt in triplici diſcrimine. Alia enim Sacrificia, alia Sacramenta, alia Typi dicuntur.

1. Sacrificiis, in quibus ſpectantur. Analogia duplex.

In *Sacrificijs* ſpectanda ſunt duo: analogia & vſus, quæ nobis pulchrè veritatem, id eſt, Chriſtum & eius Euangelium adumbrant. Analogia eſt comparatio quædam ſymbolica vmbræ ad veritatem: quæ analogia duplex in ſacrificijs veteris teſtamenti conſideranda venit. Prior quòd mactatio & oblatio cuiuſque victimæ mortem Chriſti & eius pro peccato ſatisfactionem adumbret. Vnde etiam haud obſcurè reſurrectio Chriſti & triumphus innuitur. Nequaquam enim expiatoria fuiſſet Chriſti victima, ſi Chriſtus morte victus non reuixiſſet. Poſterior, quòd mactatio & occiſio animalis, adumbrabat naturam humanam morti propter peccatum deſtinatam fuiſſe: atque inde non potuiſſe liberari, niſi intercedente victima aliqua expiatoria.

Vſus, in quatuor rebus conſiſtens.

Vſus ſacrificiorum verus & legitimus, in his quatuor ſitus erat. 1. Pij offerentes admonebantur ſuorum peccatorum, qua ratione victima erat illis veluti quædam aſpectabilis legis diuinæ concio. Hinc eſt quod Hebræ. 10. dicitur, commemorationem peccatorum factam fuiſſe in ſacrificijs. 2. Pij offerentes reuocabant in memoriam promiſſam filij Dei victimam, quæ erat futura expiatoria & ſatisfactoria pro peccato. Hanc igitur promiſſam victimam pij opponebant magnitudini ſuorum peccatorum. 3. Ex huius expiatoriæ victimæ, quæ fieret per Chriſtum, cogitatione accendebatur fides in mediatorem, qua fide patres iuſtificati, & regenerati ſunt in nouos homines. 4. Hac fide iuſtificati & regenerati patres, nouam obedientiam Deo præſtiterunt.

Exemplum.

Sic Abraham intuens ſuum ſacrificium, primùm peccatorem ſe agnoſcit. Deinde victimam, vt vmbram Chriſti intuetur. Tum cogitatione promiſſæ victimæ accenditur fides in eo. Poſtremò ex hac fide ita obedientiam Deo præſtat, vt obedientiam erga Deum omnibus rebus mundi anteponat vt apparet in eo, quòd promptiſsimus fuerit, mandante Deo, vnigenitum filium ſuum Iſaac immolare.

Oppoſitum.

Cæterùm hypocritæ, hoc vero vſu neglecto, in externo opere, in quo & cultum Dei collocarunt, hærebant. Vnde ſcriptum eſt, Gen. 4.4.5. Reſpexit Dominus ad Abel & ad munera eius. Ad Cain autẽ non reſpexit. Significãs munera placere propter Abelem, & non Abelem propter munera, hoc eſt, ſacrificia.

Atque hoc eſt quod Dominus apud Eſaiam cap. 1. 11. &c. teſtatur, cùm ait: Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum? dicit Dominus. Holocauſta arietum & adipem pinguiũ, & ſanguinem vitulorum, agnorum, & hircorũ nolui. Cùm veneritis ante conſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atrijs meis? Ne offeratis vltrà ſacrificiũ fruſtrà, incenſum eſt abominatio mihi, &c. Huius rei cauſam ſubiungit Dominus, dicens: Iniqui enim ſunt cœtus veſtri.

Non ergo placebant ſacrificia vetera in hypocritis & impœnitentibus, qui nec ſymbolum intelligebant, nec verum vſum habebant: ſed ſolummodò in externa actione occupabantur, & putabant ſe mereri remiſsionem peccatorum, & fieri iuſtos opere (vt aiunt) operato. Horum errorem omnibus ætatibus diuinitùs excitati Prophetæ taxarunt. Hactenus de ſacrificijs, ſequitur de ſacramentis.

2. Sacramentis.

In *Sacramentis*, qualia fuerunt, circuncisio, agnus phaſe, aſperſio ſanguinis, lotiones, &c. generatim quidem ſpectentur, mandatum Dei, res externa, promiſsio & fides: quæ quatuor in quolibet Sacramento requiruntur. Speciatim verò, ſymbola ſingulorum & vſus.

Symbolum & vſus circuncisionis & aliorum ſacramentorum.

Præputij carnis præciſio, ſignificabat veterem naturam in regeneratione, virtute mortis Chriſti reſecandam eſſe, & figura erat ſpiritualis circunciſionis, de qua Paulus ad Phili. 3. ait: Nos circunciſio ſumus, qui ſpiritu Deum colimus, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non in carne confidimus.

Agnus phaſe manducatus, Chriſtum fide & ſpiritu edendum, quò ſpiritualiter viuamus adumbrabat: quem typum ipſe Dominus Ioan. 6. explicat.

Aſperſio ſanguinis vitulæ, figurabat aſperſionem ſanguinis Chriſti, quo à peccatis purgantur fideles. Ita enim hoc ſymbolum explicat Petrus in 1. prioris.

Lotiones eodem pertinebant. Nam & ablutionem quæ fieret per ſanguinem Chriſti figurabant, & ſanctificationem per Spiritum ſanctum adumbrabant: vt interim taceam, eas ablutiones etiam noſtrum baptiſma præfiguraſſe. Vſus horum ſacramentorum in pijs prorſus idem fuit, quem ſacrificiorum fuiſſe admonui.

3. In Typis, ordinariis & hiſtoricis.

Tertium genus ſignorum quibus adumbrabatur veritas, hoc eſt, Chriſtus & eius Euangelium *Typorum* eſt, quorum duæ ſunt formæ. Nam quidam ordinarij, quidam hiſtorici rectè appellantur. Ordinarij à tempore ſumunt differentiam: nam alij perpetui, alij temporarij ſunt.

Ordinarij perpetui.

Perpetuus typus Chriſti & Eccleſiæ, eſt hæc mundi admiranda ſtructura & adminiſtratio, quemadmodum Dauid Pſalm. 19. pulchrè oſtendit. Totus enim hic mundus eſt typus regni Chriſti, in quo ſol ipſe, Chriſtum ſolem iuſtitiæ ſignat. Vt enim ſol hic aſpectabilis permeat cœlum, & ſuos radios mittit in omnis terræ partes, atq; res naſcentes viuificat & fouet: ita Chriſtus ſol iuſtitię, vt à Malachia nominatur, ſuę virtutis radios mittit in Eccleſiam, quibus Eccleſia viuificatur & fouetur, vt ſit noua creatura, ſpirituales actiones exercẽs. Luna & Stellę, Apoſtolos ipſos & alios pios ſuo quoſque ordine & gradu notant. Hunc typũ intuens Apoſtolus, non dubitauit ex hoc Pſalmo teſtimoniũ depromere, quo confirmat Euangelium latè per orbẽ ſparſum eſſe. Ita enim ait Rom. 10.18. An non audiuerunt? atqui in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis verba eorum.

Mundus.

Sol.

Temporarij ordinarij.

Temporarij typi fuerunt qui durabant cum politia Moſaica, quales fuerunt, vt ex multis pauca referam, ſacerdotium Aaronicum, regnum, arca teſtamenti, &c.

1. Sacerdotium, in quo quatuor occurrunt.

In ſacerdotio quatuor potiſsimùm ſpectanda occurrunt, quæ adumbrant nobis Chriſtum & Eccleſiam, & ea quæ in Eccleſia gerũtur, vt ſunt: ordo, vnctio, veſtes ſacræ, & conſecrandi ritus. 1. Ordo typus erat Chriſti & Apoſtolorum. Vt enim ſummus ſacerdos erat vmbra veri ſacerdotis Chriſti: ita cæteri inferioris ordinis ſacerdotes, notabant Apoſtolos. Et

vt ſummus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vt ſummus ſacerdos ſemel in anno ingrediebatur in ſanctum ſanctorum, portans peccata populi in figura: Ita Chriſtus ſemel obtulit ſe in veritate pro populo, & vna oblatione cõſummauit ſanctos in perpetuum, cuius facti, teſtes fuerũt Apoſtoli. Hunc typum copioſè explicat epiſtola ad Hebræos. 2. *Vnctio* typus fuit ſpiritualis olei, quo Chriſtus vnctus eſt in ſummum ſacerdotem, & quo ipſe ſuos, in ſpirituales reges & ſacerdotes conſecrat. Præterea fuit etiam typus ſpiritualis lætitiæ ſanctorum, quam habent ex inhabitatione ſpiritus ſancti. Hinc oleum lætitiæ in Pſalmo dicitur. 3. *Veſtes ſacræ*, & innocentiam Chriſti, puritatémque in ipſius ſanctiſsima humanitate, & ſanctitatem Eccleſiæ adumbrabant. Huc illud Dauidis Sacerdotes tui induant iuſtitiam, & ſancti tui exultent. 4. *Conſecrandi* ritus etiam myſticam ſignificationem habuit, in quo quatuor potiſsimùm fiebant. Primùm enim conſecrandi in ſacerdotes, corpus aqua munda abluere debebant. Deinde induebant veſtes ſacras. Tum vngebant capita. Poſtremò implebant manus.

Applicatio typi ad veritatem.

Hæc quatuor adumbrant eos quos Chriſtus in ſacerdotij cõſortium ſibi aſſumit. Ii enim primùm debent conſcientias ſuas abluere à peccatorũ ſordibus, idq; ſanguine Chriſti, qui figuratur Baptiſmate noſtro. Deinde induent veſtes ſacras, id eſt, Chriſti iuſtitiam, qua coram Deo conſiſtunt. Tum vngent capita, hoc eſt, donati Spiritu ſancto exultabũt gaudio coram Chriſto ſuo, atq; ei ſe ſiſtent ſpirituales reges & ſacerdotes. Poſtremò implebunt manus, hoc eſt, conſecrati iam Deo ipſi hoſtias veras, viuas, ſpirituales & acceptas Deo offerent per Chriſtum Ieſum.

2 Regnũ Moſaicũ.

Regnum Moſaicum Eccleſiam Chriſti figurat, in qua Chriſtus ſolus Monarcha ἀνυπεύθυνος præſidet, cui populus Chriſtianus iuxta leges ſibi præſcriptas ſeruit. In hoc regno Moſaico multæ ſunt particulares vmbrę Chriſti & regni eius ſpiritualis. Et, vt alias omittam, obſeruandum imprimis eſt decretum, de fratris mortui ſine liberis vidua, quam lege tenebatur ducere ſuperſtes frater: Et prohibitio ciborum certorum animalium. Has duas vmbras breuiter attingam, & cum veritatis luce conferam.

Lex de fratre viduam fratris ſuſcipiente.

Fratres duo quorũ prior moritur ſine liberis, poſterior autem fratri ſemen excitat, typi ſunt Adami & Chriſti. Adam moritur ſine liberis, hoc eſt, non generat Deo filios, ſed moritur cum ſuis carnalibus filijs, & relinquit vxorem viduã, hoc eſt, genus humanum ſterile & infœcundum, quãtum quidem ad ſpiritualem ſobolem attinet. Huic fratri mortuo ſecundus Adam ſemen excitat, dum ſemine incorruptibili verbo Dei, generat filios, non carnales quidem illos, ſed ſpirituales: non ad mortem, ſed ad vitam: non ad rerum caducarum poſſeſsionem, ſed ad cœleſtis & æternæ gloriæ hæreditatem. Sed de hac ſpirituali generatione ſuprà dictum eſt.

Lex de prohibitione ciborum.

Prohibitio ciborum, ſpiritualis cõditionis eorum quos Chriſtus in ſuam familiam aſciſcit, adumbratio fuit. Nam aliqua proprietas animalis cuiuſq; à cuius eſu prohibebantur Iudæi, admonebat fugiẽdum eſſe in ſpirituali Chriſti regno vitium, quod ea proprietate adũbrabatur. Exempli gratia: Caro ſuilla interdicta fuit Iudæis, quo interdicto ſignificabatur quòd in Chriſti regno impuritatem eam, quam ſuibus videmus conuenire, fugiamus. Sues enim lotæ, mox redeunt ad volutabrum, & magis ſe inquinant. Huiuſmodi igitur impuritatem & reditũ ad priſtinas ſordes fugere admonemur Moſaica illa prohibitione. Prohibetur quoque eſus Aquilæ, Gryphi, Haliæeti, Vulturis, &c. quæ prohibitio myſticè, ſuperbiam & crudelitatem vitandam adumbrat: Nam iſtæ aues vt crudeliores ſunt in minores: ita in ſublimia volant, humilia & ima deſpicientes. Prohibitio Milui, rapacitatem fugiendam figurat. Interdictum animalium, quæ ſuper manibus ſuis gradiuntur, notat crudelitatem & ferocitatem abeſſe, debere à ſpirituali Chriſti regno.

Plura de huiuſmodi legalibus prohibitionibus legantur in Leuitico, & vt cognoſcatur quarum rerum cauendarum nos admoneat ſingulorum prohibitio: adhibeantur in conſilium qui de naturis animalium ſcripſerunt, & imprimis Procopius ſophiſta, qui multa eruditè ſcripſit de his rebus, in commentarijs ſuis in Leuit.

3 Arca fœderis.

Arca teſtamenti, ſimiliter Chriſti typus fuit. Nam myſteria quę latebãt in arca, vt ait Procopius, repręſentarunt ſermonem Dei. Ligna arcę non ſentiebant vllam putredinem: corpus Chriſti nullam experiebatur corruptionẽ. Arca inaurata fuit: corpus Chriſti, diuinitate & ſanctitate ſplendidum. Auro coruſcant veſtes, annuli, & omnia quæ ad arcam pertinẽt, in Chriſti Eccleſia omnia bonitate & ſplendore gloriæ Chriſti veluti rutilant. Baiuli geſtant arcam, pręcones Euangelij voce ſua Chriſtum portant. Operculum arcæ, quod dicebatur propitiatorium, virtutem ſanguinis Chriſti adumbrabat. Ita enim Paulus hunc typum explicans ait, Quem propoſuit Deus propitiatorium per fidem in ipſius ſanguine, Rom. 3. 24. Huc & illud 1. Ioan. 2. 2. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Nam ſicuti lamina illa aurea quę propiciatorium dicebatur, tegebat arcam, in qua Lex erat cum ſua appendice de maledictione, quam minatur omnibus tranſgreſſoribus: Ita ſanguis Chriſti tegit noſtra peccata, vt non amplius prodeant in conſpectum Dei: imò tecta, abolita & expurgata ſint. Huc illud Dauidis, Pſal. 32. 1. Beati quorum tecta ſunt peccata.

4. Cerœmoniæ legales.

Hæc ſint breuiter de arca teſtamenti dicta. Omitto incenſum iuge, orationis Chriſtianę ciúſq; perpetuæ ſymbolum: omitto candelabra, quibus pręcones verbi figurabantur: omitto luminaria, diuini verbi adumbracula: omitto innumera alia, quæ pædagogica quædam rerum ſpiritualium ſymbola fuêre.

De typis hiſtoricis, qui Chriſtum adũbrarũt.

Hactenus pauca de typis ordinarijs diximus, vt aliquo modo oſtenderemus collationem inter vmbras Moſaicas & veritatem Euangelij: iam nonnulla de typis hiſtoricis attingam: inter quos hi præcipui occurrunt. Adam, Melchiſedech, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Ioſua, Gedeon, Samſon, Dauid, Ionas, &c.

1 Adam.

1. Quemadmodum *Adam* primus homo ad imaginem Dei conditus, quod ad humanam hanc naturam & vitam attinet, ſic ſolus erat, vt nemo reperiretur ex creaturis omnibus, ſiue Angelis, ſiue beſtijs, cuius acceſsione genus humanum multiplicari poſſet: ſic & Chriſtus vera illa & expreſſa imago Dei, quantum ad cœleſtem vitam & ad fœlicitatem æternam pertinet, ſolus erat, nec quiſquam ex toto humano genere, imò ne ex Angelorum quidem ordine erat, cuius conſortio pari ac conformi, filiorum Dei multitudo procrearetur. Quare ſicuti Deus Adamum noluit permanere ſolum, quem humani generis caput conſtituerat: ita & filium ſuum Chriſtum, non eſt paſſus eſſe ſolum, quem ab æterno electorum multitudini caput & principem deſtinauerat, vt poſsit dicere, Ego & pueri quos dedit mihi Deus: atque ita ad ſaluandorum pertingere multitudinem. 2. Deinde Adam dormiens & iterũ excitatus, typus fuit morituri & reuicturi Chriſti, & vt Adam poſt ſoporem ſurgens, Euam de latere ſuo formatam agnouit: ita Chriſtus à morte reſurgens, ex vulnere lateris ſui ædificauit Eccleſiam. 3. Præterea vt Adam ſolus ſuo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

reatu, coniecit totam ſuam poſteritatem in damnationem: ita Chriſtus ſolus eſt autor iuſtificationis & vitæ.

2. Melchiſedec.

Melchiſedec qui ſimul & Rex fuit & Sacerdos, inſignis erat Chriſti regis & ſacerdotis typus. 1. Vt ille rex Salem dicebatur: ita hîc verè & nunquam intermoriturę pacis Rex eſt. Non enim terrenam, ſed cœleſtem pacem adfert. 2. Vt ille ex eo nomen habet, quod ſit Rex iuſtitię: ita hic ſempiternam adducit iuſtitiam, qua veluti ſtola candidiſsima ſuã ornat ſponſam. 3. Vt ille regia liberalitate obtulit Abrahamo, poſt pugnam cum regibus quinq;, panem & vinum in deſerto: ita hic omnibus Abrahami filijs, poſt pugnam cum rege tenebrarum & peccatorum, profert cœleſtem refocillationem, ac iam fatigatos, ſpirituali reficit nutrimento. 4. Vt ille ſacerdos erat Dei altiſsimi qui Abrahamo benedixit: ita hic ſolus ſacerdos eſt ille ſummus, qui filijs Abrahæ benedicit, eóſque æternum beatos reddit.

Explicatio huius typi.

Hunc Chriſti typũ attingit quidẽ Dauid, Pſal.110. 4. vbi ita in ſpiritu Chriſtũ alloquitur, Tu es ſacerdos æternus ſecundum ordinem Melchiſedec. ſed Epiſt. ad Hebr. eundem copioſè proſequitur, & in pluribus circunſtantijs cum Chriſto accommodat.

Aduerſus miſſaticam oblationem papiſtarũ argumenta.

Quod autem Papiſtæ è typo Melchiſedechi offerẽtis panem & vinum Abrahamo, ſuum miſſaticum ſacrificium corrobare contendunt, fœdiſsimus error eſt. 1. Confundunt regnum & ſacerdotium Melchiſedechi: protulit quidem panem & vinum, vt Rex liberalis, ſed benedixit vt ſacerdos Dei altiſsimi. 2. Vim faciunt Grammaticæ: non enim ibi eſt, obtulit, hoc eſt, ſacrificauit, vt interpretantur Papiſtæ, ſed protulit, ſeu fecit produci, ſeu aduchi. 3. Præterea impij ſunt in ſanctum virum Dei Melchiſedechũ, quem apertè criminis idololatrię reum peragunt. Nã ſi Melchiſedechus obtulit Abrahamo ſacrificiũ panis & vini, profectò impius fuit idololatra, cùm ſoli Deo ſit offerendum. 4. Poſtremò, ſanctiſsimo patri Abrahamo, notam ſacrilegij inurunt, qui ſibi diuinos honores vſurpauit: permittens ſibi à Melchiſedecho offerri ſacrificium: quod ne Angeli quidem ſibi offerri paſsi ſunt. Iudicum 13.16.

3. Iſaac.

Iſaac varijs modis adũbrabat Chriſtum. 1. Natus eſt Iſaac matre non ſerua, ſed libera: & Chriſtus non ex Hagar, aut alia ethnica fœmina: ſed ex Sara libera ſecundum carnem natus eſt: carnem enim ex ſemine promiſsionis accepit. 2. Iſaac natus eſt per miraculũ, præter vires naturæ ex nonagenaria matre. Chriſtus quoq; præter naturæ curſum miraculosè è Virgine natus eſt. 3. Iſaac poſt præcedẽtes promiſsiones multis annis expectatus, tandem in ſenectute parentum natus eſt. Chriſtus conſimili modo diu antè promiſſus & expectatus, in ſenectute Iſraëlis ſecũdum carnem natus eſt. 4. Iſaac vnicus fuit Saræ liberæ filius, ideóq; vnicus paternorum bonorum hæres. Chriſtus vnigenitus tam Patris ſecundum diuinitatem, quàm matris ſecundum humanitatem, à Deo hæres eſt conſtitutus omnium bonorum. 5. Iſaac prędicatur à ſeruo Abrahæ ad hoc miſſo, vt nuptias illi conciliaret. Chriſtus prædicatur ab Apoſtolis ſeruis Dei in hoc miſsis, vt illi Eccleſiam deſponſent. 6. Iſaac fuit patri volenti ſe immolare obẽdiẽs. Chriſtus ſuo æterno Patri vſq; ad mortem crucis eſt obſecutus. 7. Iſaac impoſitus eſt rogo vt mactandus immolaretur, ſed incolumis euaſit. Chriſtus impoſitus aræ crucis verè mortuus eſt, ſed tertio die reuixit & mortẽ ita euaſit, vt non moriatur vltrà. 8. In Iſaaco facta eſt promiſſio ſeminis Abrahamo. In Chriſto vis eſt generationis filiorum Dei. Breuiter, Abraham, Iſaac & Sara myſticè regnum Chriſti adumbrant: ſicuti Iſmaël & Hagar Iudaicam gentem figurant.

4. Iacob.

Iacob Patriarcha cum ſua familia, multis varijsque modis Chriſtum ac ipſius Eccleſiam adũbrat. 1. Iacob iter ingreditur ſolus, relictis parentibus, domo, amicis. Chriſtus de cœlo deſcẽdit, & non habet quò caput ſuum inclinet, cuius quoq; Eccleſia in ſua peregrinatione, nequaquam crucis eſt expers. 2. Iacob fatigatus ac præuẽtus tenebris, antequam ad amicos venit quò iter inſtituit, in lapidem recumbit. Fideles fatigati varijs tẽtationibus, in hac vita peregrinãtes, in Chriſtum lapidem viuum recumbunt, ſuper quo refocillantur à laboribus peregrinationis ſuæ. 3. Iacob in ſomnis vidit ſcalam ſtantem ſuper terrã, cuius cacumen cœlũ tetigit, vidit angelos Dei deſcendentes & aſcendentes per eam, & Dominũ innixum ſcalæ dicentem ſibi, Ego ſum Deus Abraham, Iſaac patris tui. Et paulò pòſt, Benedicẽtur in te & in ſemine tuo omnes tribus terræ. An non hîc pulchrè, etſi ænigmaticè, adumbratur regnum Chriſti? an non hoc præclarum viſum & admirandũ continet myſterium reparationis noſtri? Hanc itaq; vmbram Moſis, paulò fuſius cum Chriſti veritate cõferamus. Scala itaq; à Patriarcha viſa, Chriſtũ figurat. Scala mediatrix eſt coniungens locum infernum & ſupernum. Scala infernè quidem terram, ſupernè verò cœlum attingit. Quid hæc ſibi volũt? Chriſtus ſolus mediator eſt, qui coniungit Deum & homines. Terram cœlo, cœlum terrę coniũgit. Homines angelis, angelos hominibus conciliat. Per Chriſtũ ſolum aſcẽſus in cœlum patet, vt ipſe teſtatur Ioan.3.13. Nemo aſcendit in cœlũ niſi qui deſcẽdit, Filius hominis, qui eſt in cœlo. Itẽ, Ego ſum via, &c. Ioa. 14.6. Chriſtus ſupernè coniungitur cœlo, id eſt, Deus eſt de Deo natus, infernè coniungitur cũ terra, vera humanitate aſſumpta. Angeli per ſcalam hanc aſcẽdunt & deſcẽdunt, hoc eſt, præcones verbi adducũt in cœlum innitẽtes ſcalę, id eſt, credentes in Chriſtum, claudũt cœlum ijs qui abſq; hac vnica ſcala cœlũ conſcendere moliũtur. Per hãc igitur ſcalam, qui eſt Chriſtus mediator, cõſcendũt omnes electi. Parata eſt hæc ſcala, ad finem vſq; mundi, per quam ſolam via eſt ad arborẽ vitæ, à qua per peccatũ excluſi fueramus, nec vni tãtum terrę loco innititur, ſed baſis illius ſic eſt dilatata, vt quocunq; totius orbis loco conſiſtat, copiã illius ad aſcendendũ habeas. Aſcẽdimus per hãc ſcalã ad Deũ ſupernè illi innitentẽ.

De ſcala quam Iacob vidit in ſomnis.

Sed quomodo quæſo aſcendimus? Aſcẽdimus primùm corde per fidẽ, quo corde aſcenſio fit, vt noſtra conuerſatio ſit in cœlo. Vnde Paulus Philip.3.20. noſtra conuerſatio eſt in cœlo. Aſcendimus deinde gemitibus, ſuſpirijs & precationibus noſtris, quas ad cœleſtem patriam per ſcalam Chriſtũ perferimus, dũ Patrem in illius nomine inuocamus. Aſcẽdimus quãdo corpore hoc mortali liberati, animam Deo Patri per Chriſtum reddimus. Aſcẽdemus tandem & corpore & anima, quãdo à mortuis excitati rapiemur in nubibus obuiàm Chriſto. Fuſius hanc viſionem explicat Auguſtinus, lib.12. contra Fauſtum Manicheũ.

4. Iacob duas ſorores in vxores ducit. Chriſtus duos populos Gẽtiles & Iudęos in ſuam familiã recipit, & vtroſq; tanquã ſponſam ſibi deſpõdet. Vtraq; vxor Iacob fit fœcũda ſed non eodem omnino tempore. Vterq; populus Chriſto parit, ſed iuxta diſpenſationem diuinã. 5. Quòd autem venit Iacob ad Iordanem, & tranſmiſsis omnibus ipſe ſolus remãſit, & luctabatur cum viro vſque dum veniret aurora, non caret myſterio. *Iacob* (inquit Auguſtinus) *in illa colluctatione, Iudæorum populum figurauit Angelus qui cum eo luctabatur, typũ ſaluatoris* Domini *præferebat. Luctatur Iacob cum Angelo, quia populus Iudæorũ luctaturus erat cum Chriſto. Vincebat Iacob Angelũ, quia Iudæorum po-*

pulus Chriſtum vſque ad mortẽ perſecuturus erat, & quia non totus Iudæorum populus infidelis extitit Chriſto, ſed non parua multitudo in nomine eius legitur credidiſſe: ideò Angelus tetigit fœmur Iacob, & claudicare cœpit: pes enim ille in quo claudicabat, Iudæos qui in Chriſtum non crediderunt figurabat, ille verò qui ſanus remanſit, illorum typum geſſit qui Chriſtum Dominum receperũt. Benedictionis quam petit Iacob ab Angelo, ſignificatio eſt, quod Chriſtus veris Iſraëlitis benedictionem & ſalutem adferet: qui Chriſtus ſola fide retinetur, ne à nobis diſcedat priuſquam nos cœleſtibus benedictionibus donauerit. Multa ſunt alia typica in Iacobo Patriarcha, quæ breuitatis gratia omitto.

Ioſeph. *Ioſeph*, vt alios Iacobi filios taceam, varijs modis Chriſtum repræſentat. 1. Ioſeph accuſat fratres propter impia illorũ facta. Chriſtus Iudæis ſuam impietatẽ exprobrat. 2. Ioſeph exponitur à fratribus. Chriſtus à ſuo populo reijcitur. 3. Tunica precioſa Ioſeph tingitur ſanguine hœdi, & mittitur patri. Chriſti caſtiſsimum corpus proprio ſanguine tingitur, & fit Patri hoſtia. 4. Ioſeph venditur viginti argẽteis. Chriſtus à Iuda diſcipulo pro pecunia proditur Iudæis. 5. Ioſeph ſolicitatus ab impura fœmina, caſtus manet. Chriſtus tẽtatus à Satana, victor euaſit. 6. Ioſeph innocens, in carcerem conijcitur. Chriſtus in mortis carcere incluſus, tenetur. 7. Ioſeph egreditur glorioſè de carcere. Chriſtus egreditur liber de ſepulchro, per glorioſam ſuam reſurrectionem.

8. Ioſeph egreſſus de carcere, accipit à Pharaone totius Ægypti poteſtatem, vt ad os eius cibaretur omnis populus, eſſentq; ipſi ſubiecta, cùm in domo regia, tum in vniuerſa Ægypto, ſolo Pharaone excepto qui ipſi ſubiecit omnia. Chriſtus victor mortis accipit à Deo poteſtatẽ, vt illi omnia ſubiecta ſint in cœlo & in terra. 9. Ioſeph annulo regio, veſte byſsina, & torque aurea ornatur, & prætereà curru regali vehitur præcone clamante. Chriſtus poteſtatem & autoritatem à Patre accepit: quæ poteſtas annuli ſymbolo ſignificatur: accepit ſplẽdorem gloriæ, & diuinis ſuis miraculis, & voce Patris ad illum perlata, Hic eſt Filius meus dilectus. Hic ſplendor omni veſte byſsina & torquibus aureis ſplendidior eſt. Currus quo Chriſtus circumuehitur, miniſterium Euangelij eſt. Præconium eſt vox prædicantium Euangelium, quo præconio omnes admonet, vt Filium Dei adorantes, genua cordis flectant.

10. Omitto ſomnium Ioſeph de Solé & Luna, & vndecim Stellis eum adoraturis, quòd verè cõpletũ eſt in noſtro Ioſeph, id eſt Chriſto, poſt reſurrectionem, quando Maria mater & Ioſeph, patris munere functus, & vndecim diſcipuli eum adorarunt, quò reſpexiſſe videtur Pſalm. 148. Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes Stellæ, & lumen. Hęc Auguſtinus.

Ioſue. *Iehoſua*, anteà dictus Hoſea, nouum nomẽ à Moſe accepit, præpoſita veteri nomini prima tetragrãmati litera Iod, vt qui anteà dicebatur Hoſea, nunc Iehoſua dicatur, vt vel ipſo nomine Ieſum figuret. 1. Nomen itaq; hoc nouum, adũbrationem quãdam Chriſti habet, qui Deus & homo eſt, ac ſui populi verus ſaluator: vt qui à perditiſsimo ſtatu ſuos vindicet, atque illis ſalutem impertiat. 2. Iehoſua ſuccedit Moſi ac regit populũ Dei, Moſe mortuo. Chriſtus ſuccedit legi, ac mortua lege fideles ſuo Spiritu regit. 3. Iehoſua per Iordanẽ traducit Iſraëlitas, quod præſtare Moſes nequaquam potuit. Chriſtus à morte traducit ſuos ad vitam, quod lex præſtare nequaquam potuit. 4. Iehoſua elegit viros fortes & ſtrenuos ad debellandum Amalech. Chriſtus eligit Apoſtolos ad debellãdos principes & poteſtates tenebrarum. 5. Iehoſua pugnat contra hoſtes populi Dei, eóſq; vincit. Chriſtus pugnat aduerſus peccata, eáque abolet. 6. Iehoſua lapidibus de cœlo miſsis in hoſtes, fit ſuperior. Chriſtus diuinis miraculis ſe victorẽ Satanæ declarat. 7. Iehoſua Iſraëlitas carnales in hæreditatẽ terrenam induxit. Chriſtus Iſraëlitas ſpirituales in hæreditatem cœleſtem introducit. 8. Iehoſua carnalibus Iudæis diſtribuit terram Canaam. Chriſtus ſpiritualibus Iſraëlitis ſe cognoſcentibus, cœleſtem hæreditatem diſtribuit, vt ita hæreditate cœleſti acquiſita, ab omnibus laboribus liberati, requie fruantur æterna, & perpetuo gaudeant ſabbatiſmo.

Gedeon quoq; Chriſtum adũbrauit. Etſi autem huius viri errata haud leuia in ſcripturis leguntur: nihil tamen vetat quò minùs Chriſti typum gerat. Neque enim omnia quæ typis tribuuntur, antitypo accommodari debent, ſed ea ſolummodò quæ congruunt. 7. Gedeõ. 1. Primùm ergo Gedeon in hoc repræſentauit Chriſtum, quòd quemadmodum Gedeon, Oreb & Seth principes Madianitarum, cum ipſis Madianitis trucidauit, atque ita populum à ſeruitute liberauit: ita Chriſtus Diabolum & infernum ſuperat, ac ſuos in priſtinam libertatem vendicat.

Auguſtinus de Gedeone hæc ex Ambroſio adducit: *Commotus*, ait, *oraculo Gedeon, cùm audiſſet quòd deficientibus licet populorum millibus, in vno viro Dominus plebem ſuam ab hoſtibus liberaret, obtulit hœdum caprarum, cuius carnes ſecundum præcepta Angeli, & azyma ſupra petram poſuit, & ea iure perfudit, quæ ſemel vt virgæ cacumine quam Angelus* Dei *gerebat, contigit, de petra ignis erupit, atque ita ſacrificium quod offerebatur abſumptum eſt. Quo indicio declaratum videtur, quod petra illa typum habuerit corporis Chriſti, quia ſcriptum eſt: Bibebant de conſequenti eos petra, petra autem erat Chriſtus, quod vtique non ad diuinitatem eius, ſed ad carnem relatum eſt, quæ ſitientium corda populorum, perenni riuo ſui ſanguinis inundauit. Iam tunc igitur in myſterio declaratum eſt, quia Dominus Ieſus in carne ſua totius mũdi peccata crucifixus aboleret. Nec ſolùm delicta factorum, ſed etiam cupiditates animarum. Caro enim hœdi ad culpam facti refertur, ius ad illecebras cupiditatum, ſicut ſcriptum eſt: Quia concupiuit populus cupiditatem peſſimam, & dixerunt, Quis nos cibabit carne? Quod autem oſtendit Angelus virgam, & tetigit petram, de qua ignis exijt, oſtendit quod caro* Domini *Spiritu repleta diuino, peccata omnia humanæ conditionis exureret.* Hactenus Auguſtinus ad verbum ex Ambroſio.

2. Vellus prætereà Gedeonis, myſterium magnũ continet. Primùm fuit ros in ſolo vellere ad petitionem Gedeonis, reliqua terra in circuitu ſicca. Deinde vellere ſicco, ros fuit in tota terra. *Primùm* (vt ait Chryſoſtomus) *adumbrat populum Iudaicũ ſolum fuiſſe cultorem* Dei, *reliquo mundo manente in ſua impietate. Secundum, vt populum Iudaicũ in totum abieciſſe cultum Dei notat: ita figurabat cultum Dei per prædicationem Apoſtolorum diuulgandam fuiſſe per totum terrarum orbem.* Vellus enim ſymbolum ſacrificiorũ fuit, & ros efficaciam Spiritus notat, qui ad prædicationem Euangelij eſt efficax in ijs qui conuertuntur.

Samson prætereà Chriſtum multis modis adumbrat, de quo Auguſtinus in hunc modum loquitur. 8. Samſon. *Samſon, fratres dilectiſſimi, Chriſtum figurauit. Verùm mihi dicere videor, ſed cõtinuò occurrit cogitãtibus. Et Chriſtus vincitur blanditijs muliebribus? Et Chriſtus quomodò intelligitur ad meretricẽ intrare potuiſſe? Deinde & Chriſtus capite nudatur, capillo raditur, virtute ſpoliatur, alligatur, excæcatur, illuditur? Euigila fides, attende quid ſit Chriſtus, non ſolùm quid fecerit, ſed etiam quid paſſus ſit Chriſtus. Quid fecit? operatus eſt vt fortis, paſſus eſt vt infirmus. In vno intelligo vtrumque, video fortitudinem filij*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

De, video infirmitatem filij hominis. Accedit & aliud, quia Chriſtus totus, quomodo eum ſcriptura commendat, & caput & corpus eſt. Sicuti Eccleſiæ caput eſt Chriſtus: ita Chriſti corpus Eccleſia eſt. Habet ergo Eccleſia in ſe fortes, habet infirmos, habet iuſtos, habet & iniuſtos, modò corpus Chriſti quod iuſtis area eſt, poſtea horreũ erit: tamen cum area eſt, non recuſat paleas ſuſtinere, cum tẽpus aduenerit, reponet triticum & à paleis ſegregabit.

1. Quædam ergo fecit Samſon ex perſona capitis: quædam ex perſona corporis: totum autem ex perſona Chriſti. In eo enim quòd virtutes & miracula operatus eſt Samſon, caput Eccleſiæ Chriſtum ſignificabat. In eo enim quod prudenter fecit, illorum qui in Eccleſia iuſtè viuunt imaginem geſſit. Vbi fortè præuentus eſt & incautè egit, eos, qui in Eccleſia peccatores ſunt figurauit.

2. Meretrix quam Samſon in coniugium ſumit, Eccleſia eſt, quæ ante agnitionem vnius Dei, cum idolis fornicata fuit: quam poſtea ſibi Chriſtus adiunxit. Poſtquam autem ab eo illuminata fidem ſuſcepit, etiam hoc meruit, vt per eum ſalutis ſacramenta cognoſceret, & ab eodem reuelarẽtur ei myſteria cœleſtium ſecretorum. Nam quæſtio ipſa, quæ continet. De edente exiuit cibus & de forti egreſſa eſt dulcedo: quid aliud ſignificat quàm Chriſtum à mortuis reſurgentem? De edente vtiq;, id eſt de morte quæ cuncta deuorat atq; conſumit, exiuit cibus ille qui dicit, Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi: quem humana exacerbauit iniquitas, eique aceti & fellis amaritudinem propinauit, atq; ab eo plebs gentium vitæ dulcedinem conuerſa ſuſcepit, ac ſic de mortui leonis ore, id eſt de Chriſti morte qui accubans dormiuit vt leo, apum, id eſt, Chriſtianorum, exiuit examen.

3. Quod autem dicit: Non inueniſſetis propoſitionem meam, niſi araſſetis in vitula mea. Hæc vitula, id eſt, Eccleſia reuelata ſibi à viro ſuo ſecreta fidei myſteria trinitatis, reſurrectionis, iudicij, pariter & regni in fines terræ & Apoſtolorum doctrina, & prædicatione vulgauit, & intelligentibus atq; cognoſcentibus æternæ vitæ præmia repromiſit.

4. Sequitur autem: iratus eſt Samſon, quia duxit ſodalis vxorem eius. Sodalis iſte omnium hæreticorum figuram geſſit. Magnum ſecretum eſt fratres mei: Nã hæretici qui Eccleſiam diuiſerunt, vxorem domini ſui ducere & abducere voluerunt. De Eccleſia enim & de Euãgeliis exierunt, qui impietatis adulterio Eccleſiam, id eſt, Chriſti corpus in partem ſuam conantur inuadere. Vnde fidelis ille ſeruus & amicus dominicæ ſponſæ, loquitur. Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhiberi Chriſto. Videamus myſterium. Iſte Samſon quid fecit offenſus? cepit enim vulpes, id eſt, adulterantes ſodales, de quibus dicitur in cantico canticorum, Capite nobis vulpes paruulas exterminantes vineas. Quid eſt, capite? id eſt, comprehendite, conuincite, confutate, ne exterminentur Eccleſiaſticæ vineæ. Quid eſt aliud vulpes capere, niſi hæreticos diuinæ legis autoritate reuincire, & ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis, veluti quibuſdam vinculis, alligare atq; conſtringere? Vulpes capit, ligatis caudis, ignẽ apponit. Quid ſibi volunt caudæ vulpium colligatæ? caudæ vulpium quid ſunt, niſi poſteriora hæreticorum, qui prima habent magna & blanda & deceptoria opera, poſteriora ligata, id eſt, damnata & in ignem in fine trahẽtia, vt eorum fructus & acta conſumant, qui ſuis ſeductionibus acquieſcant.

5. Et paulò poſt: Vbi ſurrexit, media nocte exiuit, abſtulit portas ciuitatis ipſius cum ſeris, & eaſdem portas in cacumine montis poſuit. Ab allophylis teneri non potuit. Portas ciuitatis quibus ad meretricem intrauit abſtulit, & in monte leuauit. Quid eſt hoc? infernum & amorem mulieris vtrúnque ſcriptura coniungit. Inferni ignem tenebat domus meretricis. Pro inferis ponitur, domus meretricis: rectè pro inferis ponitur quia neminem repellit, omnem intrantem ad ſe trahit. Agnoſcimus hoc loco redemtoris noſtri opera. Poſtquam ſynagoga ad quam venerat, à ſe per Diabolum ſeparata eſt: poſteaquã eum decaluauit, id eſt, in loco caluariæ crucifixit, ad infera deſcendit & inimici cuſtodiebant locum dormientis, id eſt, ſepulchrum, & capere volebant, quem videre non poterat. Ille autem dormiebat ibi, hoc ideò dixit, quia verè mortuus erat. Et dictum eſt, media nocte ſurrexit, hoc ſignificauit, quia in ſecreto ſurrexit: apertè enim paſſus eſt, ſolis autem diſcipulis & ceriis quibuſdam reſurrexiſſe manifeſtatus eſt. Ergo quòd intrauit, omnes viderunt: quòd ſurrexit pauci cognouerunt, tenuerunt, & palpauerunt. Tollit tamen portas ciuitatis, id eſt, aufert portas inferni. Quid eſt portas inferni tollere? niſi mortis imperium remouere? recipiebat enim, non remittebat. Quid autem fecit Dominus Ieſus Chriſtus, ablatis portis mortis? Aſcendit in cacumen montis. Nouimus enim eum & reſurrexiſſe, & in cœlos aſcendiſſe.

6. Quid eſt autem quod & in capillis virtutem habebat? & hoc fratres diligenter aduertite. Virtutem non habuit in manu, non in pede, non in pectore, non in ipſo capite; ſed in capillis, in crinibus. Quid ſunt capilli? quid comæ? & nos videmus, & interrogatus Apoſtolus reſpondit nobis: Coma velamentum eſt; & in velamento Chriſtus habebat virtutem, quando vmbræ veteris legis eum tegebant. Cùm ergo Samſon in velamento erat, quia in Chriſto aliud videbatur, aliud intelligebatur.

7. Quid ſibi autem vult, quòd proditum eſt ſecretum & decaluatus eſt Samſon? contemta eſt lex, & paſſus eſt Chriſtus. Chriſtum enim non occiderent, ſi legem non contemſiſſent. Nam nouerant & ipſi, quòd eis Chriſtum non licebat occidere: dicebant iudici, nobis non licet interficere quenquam. Decaluatus eſt Samſon: reuelata ſunt condenſa, remotum eſt velamentum, & Chriſtus qui latebat apparuit. Capilli autem rediuiui, caput iterum veſtierunt, quia Iudæi nec reſurgentem Chriſtum agnoſcere voluerunt.

8. Fuit quidem in molendino, fuit cæcatus, fuit in domo carceris. Domus carceris vel molendinum, labor eſt huius ſeculi. Excæcatio autem Samſon illos indicat, qui infidelitate cæcati, Chriſtum nec virtutes operantem, nec aſcendentem ad cœleſtia cognouerunt. Cæcitas quoque Samſon quam intulerunt, cæcitatem Iudæorum ſignificabat, Chriſtus autẽ à Iudæis & cõprehenſus eſt, & occiſus.

9. Adduxerunt autem eum inimici, vt illuderent ei. Iam hic imaginem crucis attendite. Expanſas enim manus ad duas columnas, quaſi ad duo ligna crucis extendit: ſed aduerſarios ſuos interemptos oppreſſit, & illius paſſio interfectio facta eſt perſequentium, & ideò ſcriptura cõcludit: Plures mortuus occidit, quàm viuus occiderat. Nam hoc myſterium in Domino noſtro Ieſu Chriſto impletum eſt. Redemtionem noſtram quam ipſe viuus celebrauerat, mortuus conſummauerat. Hæc Auguſtinus.

Dauid quoque nunc Chriſtum, nunc Eccleſiam adumbrat. 9. Dauid
1. Dauid inter ſuos fratres præ cæteris cõtemtibilis videbatur. Chriſtus à ſuis Iudæis Samaritanus appellatur. 2. Dauid pugnans cum Goliath, Chriſtum contra Diabolum pugnantem figurat. Dauid ſolus adoleſcens, paruus, inermis, vno lapidis ictu proſtrauit Goliath gigantem, magnum, robuſtum, armis terribilem, ingentíque turba munitũ. Chriſtus ſolus & pro nihilo ferè habitus à ſuis, Diabolum illum magnum, robuſtum, armíſque terribilẽ proſtrauit, totáque hoſtis caſtra turbauit, & fugauit. Quid autem aliud petra contra Goliath (inquit Auguſtinus) manu Dauid miſſa, quam Chriſtum ex ſemine Dauid naſciturum contra Diabolũ ſignificat? 3. Dauid vna pugna qua proſtrauit Goliath, gloriam ſecuritatémque regno, regi, & populo comparauit. Chriſtus proſtrato Diabolo gloriam regi cœlorum & ſecuritatem ſuo populo æternam acquiſiuit. 4. Dauid perſecutionẽ à Saule & eius regno patitur: Chriſtus à Diabolo & eius miniſtris põtificib. principib.

& regibus,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

& regibus,qui contra cum conſilia inierunt, illuditur,& tādem cruci affigitur. 5. Dauid à Doeg proditur. Chriſtus à Iuda proprio diſcipulo traditur in manus hoſtium. 6. Dauid mortuo Saule, Rex agnoſcitur. Chriſtus victa morte, Rex regum & Dominus dominantium prædicatur.

7. De Dauide typum Chriſti gerēte, Cyrillus in hunc modū ſcribit: *Quòd hic huius profectionis Chriſti ad gētes, & ſubiectionis earū per doctrinam Euangelicam ad fidem, figura expoſcitur in 2. lib. Regum admodum apta occurrit, offerturq́ legentibus, vbi Dauid in regno Iſrael & Iuda ſtabilitus, regionem Moab, Palaſtinos, & vniuerſam Idumæā legitur ſubegiſſe ſibi, atq; in ſeruitutem redegiſſe: quod planè inſinuabat Chriſtū, qui verus eſt Dauid, & manu fortis, vultuq́ deſiderabilis, poſt annūciatū per totā Iudæā Euāgeliū, acceptūq́ ſpirituale regnū, trāſiſſe ad gētes, vt filios Dei qui erāt diſperſi congregaret in vnum.*

8. Geſsit prӕterea Dauid typū Eccleſiæ Chriſti. Dauid varijs erat obiectus diſcriminibus in hac vita. Eccleſia Chriſti nunquam ſecura eſt à perſecutionū & tentationum procellis, donec in hac vita peregrinetur. Sed vt Dauid clypeo nominis Domini euaſit victor: ita Eccleſia armis ſpiritualibus fit ſuperior. Dauid ſæpe imbecillitate lapſus eſt, atque iterum agens pœnitētiam, in gratiam eſt receptus. Singuli in Eccleſia ſæpe labuntur, ſed rurſus manu Dei eriguntur, dum peccatorum pœnitētiam agunt, & ſeriò ad Chriſti gratiam confugiunt. Et ſicut Deus de Dauide dicit, Inueni virum ſecundum cor meum: ita cœleſtis Pater ſingulos in Eccleſia fideles charos habet in dilecto. Etſi enim multis modis rei ſumus: tamen placemus in Chriſto, eius veſtiti iuſtitia. Licet enim ſecundū cor Dei non erat, quod Dauid peccauit: tamē ſecundū cor Dei fuit, quod Dauid per pœnitētiā ad veniam confugit. Pſalmi Dauidici, ſæpiſsime nobis Dauidem proponunt, nunc Chriſti, nunc Eccleſiæ typum gerentem, ídque cùm in afflictione & cruce, tum in gloria & liberatione.

10. Solomon. *Solomonem* filium Dauidis prætereo, qui & nomine ipſo, quod ſi interpreteris, pacificum ſonat: & regni adminiſtratione & ſtructura templi, Chriſtum adumbrat.

11. Ionas. *Ionas* Propheta etiam fuiſſe typus Chriſti legitur, quemadmodum ipſe Dominus Matth. 12. teſtatur. De hoc Auguſtinus, conferens vmbram cum veritate, in hunc modum loquitur. *Quid* (inquit) *figurauerit quod Prophetam belua illa deuoratum tertia die viuum reddidit: cur à nobis quæritur, cùm hoc Chriſtus exponat? Generatio, inquit, praua & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* 1. Sicut ad conuertendos Niniuitas de gentibus miſſus erat Ionas: ſic Dominus Ieſus in hunc mundum ad prædicandum gentibus venit à Patre miſſus. 2. Vt mare (quo ſignificatur hic mundus) turbatū eſt propter Ionā: ita & hic mundus turbatur propter prædicationem Chriſti. 3. Sicut Ionas pro his qui tempeſtate periclitabantur, orauit: ita Chriſtus pro his qui in hoc ſeculo fluctuant.

Et Euſebius: *Niſi Ionas perditum detur, naufragæ nauis periculum non ſedatur: ſic & non liberatur Eccleſia, niſi Chriſti morte ſaluetur. Sicut Ionas ex naui in aluum ceti proiectus eſt: ita Chriſtus de ligno crucis in ſepulchrum, vel in mortis profundum coniectus eſt.*

Et Ambroſius: *Cæterùm, vt Ionæ ſignum typus Dominicæ paſſionis fuit: ita etiam grauium quæ Iudæi commiſerint, teſtificatio peccatorum eſt.*

Aliæ res historicæ quæ Chriſtum, & eius regnum repræſentāt. Hæc ſint breuiter de perſonis dicta, quæ Chriſtum & eius Eccleſiam obſcurius adumbrarunt. Sunt etiam res aliæ hiſtoricæ, quæ etiam Chriſtum atque eius regnum repræſentant: quales ſunt, vt ex multis paucas referam, arbor vitæ, creatio lucis, arca Noë, tranſitus per mare rubrum & per Iordanem, petra in deſerto, Manna, ſerpens æneus, &c. de his breuiter dicam, vt collatio vmbræ & veritatis clarius conſpiciatur.

1. Arbor vitæ. *Arbor vitæ* conſideretur & hiſtoricè & myſticè. Hiſtoricè arbor vitæ fuit ſacramentum immortalitatis, quam obtinuiſſent perpetuò primi parentes cum ſua poſteritate, ſi in cultu Dei perſtitiſſent, & mandatum non violaſſent, comeſto vetitæ arboris fructu. Hoc ita eſſe ſatis indicat Dominus ipſe, cùm poſt lapſum intercludit Adam & Euæ viam ad arborem vitæ, ne comedentes viuant.

Huc accedat teſtimonium Auguſtini, qui ita ait: *De ligno autem vitæ propterea guſtabatur, ne mors eis vndequaque ſubreperet, vel ſenectute defecti, decurſis temporum ſpatijs interirent, tanquam cætera eſſent alimento, illud Sacramento.* Atque hic vſus ligni vitæ hiſtoricus fuit, in corporali paradiſo.

Myſticè autem arbor vitæ adumbrabat ſapientiam Dei, de qua ſcriptum eſt: Lignum vitæ eſt omnibus amplectentibus eum, ſeu, vt Auguſtinus etiam interpretatur, *Lignum vitæ eſt ſanctum ſanctorum, vtique Chriſtus ipſe, qui nobis à Deo natus eſt ſapientia.*

Hæc Auguſtini interpretatio, confirmatur teſtimonio Ioannis, Apocal. 22. 2. Vbi in hunc modum de ſpirituali Ieruſalem loquitur. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, adferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium. Horum verborum ſenſus hic eſt: In medio plateæ ciuitatis, id eſt Eccleſiæ, quæ eſt Chriſti regnum, eſt arbor vitæ, hoc eſt, Chriſtus ipſe mortis deſtructor. Huius enim vitæ facti participes, permanent immortales. Nam in ipſo vitæ origo eſt, imò ipſe viuentium vita eſt. Huius arboris palmites ſunt Prophetæ, Apoſtoli, Euangeliſtæ, Doctores, Paſtores, perpetuò virentes, & fructus vberrimos & immarceſsibiles, cùm doctrinæ puræ, tùm vitæ ſanctæ, per ſingulos menſes, hoc eſt, inceſſanter, quamdiu hîc viuunt, proferentes: quibus fructibus, inter ſeculi huius ærumnas & varios labores, recreatur vita fidelium. Huius arboris folia dicit Ioannes conferre ad ſanitatem gentium, videlicet, vt guſtatis dulciſsimæ arboris fructibus & agnitis redemptoris beneficijs gentes ſanatæ Deum prædicent, beata immortalitate donatæ.

Prætereà, vt paradiſus terrenus adumbrat vitam beatorum poſt iudicium: ita arbor vitæ, figura eſt beatæ immortalitatis, qua donabuntur credentes, quando fruentur perpetuo Chriſti conſpectu & beatorum ſpirituum.

2. Arbor ſcientiæ boni & mali. Porrò vt in Paradiſo non ſolùm fuit arbor vitæ, verumetiam arbor ſcientiæ boni & mali, quæ arbor probationis quoddam ſacramentum erat. Vt itaque hæc arbor fuit in corporali paradiſo veluti quoddam probationis ſacramentum: ita in Eccleſia hac militante, qui contumaciter Chriſti vocem contemnunt, olim propria experientia docebuntur, quàm ſancta ſit res obedientia, & contrà quam deteſtanda ſit inobedientia contumax, quæ facit vt ab arbore vitæ contumaces excludantur.

3. Paradiſus. Quid prohibet huc aſcribere pulcherrimam imaginem beati Macharij de ſpirituali Paradiſo? *Quēadmodum* (inquit) *ſecreta cōſilia Dei proſpiciūtur ex operibus manifeſtis: ſic ex his quæ fiūt ab anima, eloquia ſcripturæ licet intelligere. Hoc autē non omnes capiūt. Cùm igitur*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſcripturam audieris enarrantem quæ pertinent ad Paradiſum, ad Adamum, ad ſerpentem, omnibus affectionibus ſemotis, ad cor tuum conuerte animum, & reperies Paradiſum, nempe verbum Dei: delectationem autem quæ percipitur in eo, participationem Spiritus ſancti: arborem vitæ, ipſum Chriſtum vitæ autorem: Serpentem quoque voluptatem carnalem, quæ propter conuictum quem habet nobiſcum, irrepit, & doloſè nos prouocat ad guſtandum de ligno, hoc eſt, de curis huius vitæ, qui quidem ſerpens per inobedientiam interimit. Vt igitur Adam expulſus eſt, quia guſtauit de ligno ſcientiæ: ita qui terrena ſapiunt & implicantur curis huius vitæ, non reuertentes ad arborem vitæ Ieſum Chriſtum, permanere non poſſunt in Paradiſo verbi Dei. Quocirca iubet ſcriptura, vnumquenque hominem, omni cuſtodia ſeruare cor ſuum, vt conſeruans in eo verbum tanquam Paradiſum, fruatur delectatione & gratia, nec audiat ſerpentem intus ſe implicantem & conſulentem quæ faciunt ad carnis deſideria perficienda, vnde omnium malorum colluuies manat.

4. Creatio lucis. Creatio lucis non caret myſterio, quod Apoſtolus explicare videtur 2. Corint. 4. 6. vbi ait: Quoniam Deus qui dixit, vt è tenebris lux ſplendeſceret: is eſt qui ſplenduit in cordibus noſtris, ad præbendum lumen cognitionis in facie Ieſu Chriſti. Hìc Apoſtolus ignorantiam ſecutam lapſum primorum parentum confert tenebris, quę erant ante creationem lucis: & lucem quæ poſt tenebras creata eſt, cõparat Euangelio Ieſu Chriſti, qui nobis veluti faciem Chriſti proponit ob oculos. Huiuſmodi ergo eſt applicatio. Quemadmodum Deus verbo ſuo lucem creauit, quaſi è tenebris erutam: ita ſpiritualiter nos illuminat luce Euangelij, qui anteà in denſiſsimis tenebris veluti ſepulti eramus. Huc quoque Petrus reſpexiſſe videtur, cùm ait 2. Petr. 1. 19. Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendẽtes quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies illuceſcat & lucifer oriatur in cordibus noſtris.

5. Arca Nohæ. Arcam Noë fuiſſe typum baptiſmatis, teſtatur Petrus 1. Petr. 3, 20. cùm ait, In Arca paucæ animæ, hoc eſt, octo ſeruatæ ſunt in aqua, cui nunc correſpondẽs exemplar baptiſmi nos quoque ſeruat. Hoc loco Arca Noë non comparatur cum veritate ipſa, cuius veritatis typus quoddam exemplar eſt: ſed cum ſecundario eiuſdem rei & veritatis typo ſeu exẽplar. Nam & liberatio illa in diluuio & baptiſmus adumbrant vnam & eandem veritatem, videlicet, Eccleſiæ liberationem, ſanctificationem, & emerſionem è peccati & mortis gurgite. Vt igitur liberatio in diluuio fuit typus baptiſmi: ita baptiſmus eſt typus redemptionis noſtræ per Chriſtum. Verùm, in hoc diſcrimen eſt, quod arca illa fuerit typus exhibendi redemptoris, baptiſmus verò exhibiti.

Summa proinde huc redit: Quemadmodum Noë vitam adeptus eſt per mortem, cùm in arca non ſecus atque in ſepulchro incluſus fuit, & toto mundo pereũte, ſeruatus eſt cum exigua familia: ſic hodie mortificatio, quæ in baptiſmo figuratur, nobis ingreſſus eſt in vitam: & vt ſalus non contigit Noë niſi incluſo in Arca, & ab alijs hominibus prophanis ſeparato: ita nec nobis ſalus ſperanda eſt, niſi in arca Eccleſiæ incluſis, & à mundo ſegregatis.

6. Tranſitus per mare rubrum. Tranſitum per mare rubrum, ſimiliter Paulus baptiſmo comparat: ſicuti & nubem quæ protegebat Iſraëlitas ab æſtu ſolis in deſerto. Ita etiam ait 1. Corinth. 10. 1. Nolo autẽ vos ignorare, fratres, quòd patres noſtri ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes per Moſen baptizati ſunt in nube & in mari. Hîc Paulus tẽporalia beneficia exhibita populo Iſraëlitico, typos fuiſſe æternorum & ſpiritualium teſtatur. Tẽporale beneficium fuit, quòd nubes in deſerto protexerit Iſraëlitas à feruore ſolis: quæ nubes typus fuit præſentiæ Dei apud ſuos, qua eos protegit & defendit, peccato vrẽte & necãte animã. Huic ergo nubi correſpõdet baptiſm' noſter, in quo Chriſto, veluti vmbraculo quodã, tegimur aduerſus æſtum peccati. Similiter tẽporale beneficium fuit, quòd Moſes per mare rubrũ traduxerit Iſraëlitas, vt euaderent manus Pharaonis eos perſequẽtis. Sed hęc traductio tẽporalis, fuit typus ſpiritualis traductionis noſtri è regno Diaboli: cui typo noſter etiam baptiſmus ex aduerſo reſpondet, & clarius pingit quod obſcurius tranſitus per mare rubrum adumbrauit. Nec aliud vult tranſitus per Iordanem.

Petram in deſerto, de qua bibebãt patres, Paulus 7. Petra in deſerto. Chriſtum fuiſſe pronunciat: quatenus videlicet Chriſtum adumbrabat. Bibebant, inquit, è ſpirituali, quæ eos conſequebatur, petra: petra autem erat Chriſtus. Auguſtinus hunc typum hiſce verbis exponit. *Petra autem erat Chriſtus, quod vtiq; non ad diuinitatem eius, ſed ad carnem relatum eſt: quæ ſitientium corda populorũ perenni riuo ſui ſanguinis inundauit. Iam tunc igitur in myſterio declaratum eſt, quia Dominus Ieſus in carne ſua totius mundi peccata aboleret, nec ſolùm delicta factorum, ſed etiam cupiditates animorum.*

Eſt quoque memorabile quod idem Auguſtinus, de hac petra referat, typum Eccleſiæ accõmodans, *Bibit*, inquit, *de petra populus, & ſtatim bellum init cum Amalech. Videte fratres, quia poſteaquam quiſquam de petra biberit, id eſt, Chriſti ſacramenta ſuſceperit, neceſſe eſt illi ad pugnam procedere. Tam diu enim aliquis Diabolum contra ſe pugnantem non ſentiet, quàm diu opera illius exercere voluerit: qui verò illum reliquerit, & de petra bibens Chriſtum ſequi elegerit, neceſſe eſt vt illum patiatur infeſtũ, cui iſto iudicio voluerit præponere Chriſtũ.*

Quiſquis ergo Chriſto coniungitur, non ad delitias, non ad voluptates, ſed ad prælium præparetur: quia omnes qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionem patientur.

Mãna diuinitus populo datum in deſerto, Paulus 8. Manna. confert cœnæ Dominicæ, cuius quidẽ typus erat. Nã corporalis iſta mãducatio, ſpiritualis mãducationis, quam mãducarunt qui fidem adferebant in deſerto, ſymbolũ fuit: & ſimul noſtram ſpiritualem & ſacramentalem mãducationem in Chriſti Eccleſia adumbrauit. Cùm autem Paulus dicit, omnes eandem nobiſcum eſcam ediſſe, ſignificat ſacramãta Iudęorum, non fuiſſe nuda ſigna, ſed habuiſſe veritatem coniunctam. Eundem quidem cibum ſpiritualem edebant, & eundem ſpiritualem potum potabant: ſed in modo poſt Chriſtum exhibitum, diſcrimen eſt. Noſtra enim manducatio & noſtra potio ſubſtantialis eſt, illorum tantum fuit ſpiritualis.

Serpẽs æneus quem Domini iuſſu erexit Moſes in 9. Serpens æneus. deſerto, etiã Chriſti typum geſsit: quẽadmodum ipſe Dominus teſtatur, Ioan. 3. 14. 15. cùm inquit: Sicut exaltauit Moſes ſerpentem in deſerto, ſic oportet exaltari Filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. *Quid tunc*, ait Auguſtinus, *in deſerto factum ſit, nouimus. Serpentum morſibus multi moriebãtur, tunc populus peccata ſua confitens, per Moſen deprecatus eſt Deum, vt hoc ab eis virus auferat. Ac ſic Moſes ex præcepto* Domini *exaltauit in deſerto æneum ſerpentem, admonuitq́ populum, vt illum exaltatum quiſquis à ſerpente morderetur attenderet, hoc facientes, ſanabantur continuò. Quid eſt exaltatus ſerpens, niſi mors Chriſti, eo ſignificandi modo, quo per efficientem id quod efficitur, ſignificatur? A ſerpente quippe mors venit, qui peccatum, quo mori mereretur, homini perſuaſit. Dominus autem in carnem ſuam, non peccatum tranſtulit in ſe, tanquam venenum ſerpentis: ſed tantum tranſtulit mortem, vt eſſet in ſimilitudine carnis peccati pœna ſine*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

culoa. Vnde in carne peccati & culpa ſolueretur & pœna. Sicut ergo tunc qui conſpiciebat exaltatum ſerpentem, vt à veneno ſanabatur, & à morte liberabatur: ſic nũc qui conformatur ſimilitudini mortis Chriſti per fidem baptiſmúmque, & à peccato per iuſtificationem, & à morte per reſurrectionem liberatur, hoc enim eſt quod ait: Vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Vt enim ſerpens æneus in ligno poſitus, venena viuorum ſerpentum ſuperauit: ſic Chriſtus in cruce ſuſpenſus & mortuus, antiqua Diaboli venena reſtrinxit, & omnes qui ab eo percuſſi fuerunt, in ſe fide intuentes liberauit.

De altero modo adumbrationis Chriſti videlicet dictis ſeu teſtimoniis aut concionibus Prophetarum.

Hactenus de vmbris egimus, quibus Chriſtus & eius regnum adumbrabatur, quas vmbras ſignis tanquam genera ſubiecimus, atq; ea diuiſimus in ſacrificia, ſacramenta & typos, eóſq; ordinarios & hiſtoricos, perſonarũ & rerum. Reſtat & alter modus, quem propoſuimus, qui in ſermone prophetico de Chriſto poſitus eſt, quem Propheticum ſermonẽ Petrus confert lucernæ ſplendenti in caliginoſo loco. Primùm itque videamus quid Moſes de Chriſto dicat. Deinde iuſtam partitionem circunſtantiarum proponamus, eámque declaremus.

Prima cõcio, in paradiſo habita.

Prima itaque concio de Chriſto, habetur Gene. 3. 15. hiſce verbis, Inimicitias ponã inter te (alloquitur Dominus ſerpẽtem præſente Adamo) & mulierem & inter ſemen tuum, & ſemen illius: ipſum conteret caput tuũ, & tu inſidiaberis calcaneo eius. Hanc promiſsionem, Adam, Abel, Seth & alij patres ante diluuium diligentiſsimè perpẽderunt, ac ex ea ſummam hauſerunt ſapientiam. 1. Hinc enim facilè concluſerunt, duo potẽtiſsima regna eſſe, nempè Chriſti & Satanæ, longè diuerſiſsimis ſtudijs occupata: eáque adeo ſibi mutuò aduerſari, vt nulla vnquam inter eos ſtabiliri poſſet concordia. 2. Deinde etſi credentes huic promiſsioni ſtatuerunt certo Chriſtum promiſſum, fore Satanæ victorẽ: tamen perpetuam imminere Eccleſię in hoc mundo perſecutionẽ intellexerũt, idq; à Satana & mẽbris eius. 3. Tũ regni vtriuſque adminiſtrationem cogitauerunt, videlicet, quòd vt Satan ſuum ſtabiliret regnum peccato, maledictione, & morte: ita Chriſtus eius hoſtis & victor iuſtitia, benedictione, & vita eſſet regnaturus. 4. Adhęc haud dubiè ſapiẽtiſsimi homines ratiocinati ſunt, non poſſe purum hominem victorem Diaboli fieri: cùm eis conſtaret Diabolum omnibus reliquis creaturis potentiorem, & callidiorem eſſe: quare aliunde etiam ortum habere ſtatuerunt Meſsiam, quàm à mulieris ſemine. Hinc abſque dubio Meſsiam Deum fore intellexerunt, vt qui poſſet Satanam vincere, & vitam æternam ſuis donare. Hac ſublimi ſapiẽtia ſe recrearunt patres ante diluuium, & ſe fide in hunc humani generis reparatorem erexerunt. Huius promiſsionis ſummam Ioannes Apoſtolus hiſce verbis proponit, 1. Ioan. 3. 8. Chriſtus apparuit vt deſtruat opera Diaboli. Latẽt quidem plura myſteria in hac prima promiſsione, vt ſacerdotij, mortis & reſurrectionis Domini, extremi iudicij: ſed ea breuitatis gratia omitto.

Secunda cócio, poſt diluuium compluries repetita.

Hæc promiſsio repetita eſt poſt diluuiũ, cùm Deus vocaret Abraham de Vr Chaldæorum. Benedicentur, dicit Dominus ad Abraham, in te omnes cognationes terræ. Geneſ. 12. 3. In te dicit, propter ſemen ab Abrahamo naſciturum, ſicut ipſe Dominus Geneſ. 22. 18. ſe interpretatur, vbi repetit promiſsionem & ait: Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ. Hęc promiſsio rurſus repetitur, & cõmendatur Iſaaco Gen. 26. 4. Benedicẽtur in ſemine tuo omnes gentes terrę. Et iterũ Gen. 28. 14. Ipſi Iacobo proponitur. Benedicentur, dicit Dominus, in te & in ſemine tuo cunctæ tribus terræ.

In hac promiſsione toties repetita eadẽ proponũtur, etſi alijs verbis, quæ habet prima promiſsio facta Adamo. 1. Semen promiſſum opponitur Satanæ & eius regno. 2. Promittitur huic ſemini victoria, quæ victoria voce benedictionis ſignificatur. Opponitur enim benedictio maledictioni, in quam propter peccatum primi parentes inciderunt, & peccati regno. 3. Oſtenditur quinam ſint futuri huius victoriæ participes, nimirum omnes gentes, quæ in hoc ſemine per fidem inueniuntur. Nam vt Abrahamo credenti promiſsioni, imputata eſt fides eius in iuſtitiam: ita & reliquis qui crediderint huic promiſsioni, imputabitur fides eorum in iuſtitiam. Hi enim promiſsionis huius Filij, hoc eſt, hæredes dicuntur, Rom. 4. 13. & ad Galat. 3. 29.

Quòd autem Chriſtus ſit ſemen illud Abrahæ promiſſum, Paulus ad Galat. 3. 16. teſtatur, vbi ait: Abrahæ dictæ ſunt promiſsiones, & ſemini eius: non dicit, & ſeminibus, vt de multis, ſed vt de vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.

Hæc promiſsio renouatur per Patriarcham Iacob Gene. 49. hiſce verbis: Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat Siloh, hoc eſt, vt reddidit Chaldęus interpres, donec veniat Meſsias cuius eſt regnum, & ipſe erit expectatio gentium. Vocatur autem hic Meſsias Siloh, quia non ex viri & mulieris cõmixtione naſci debuit, ſed ex Virgine matre, quæ ex ſemine Abrahæ duceret originem. Præterea hoc teſtimonium refutat Iudæos, qui adhuc Meſsiam fruſtrà expectant: & confirmat vocationem gentium ad gratiam Euangelij, quam ſuis communicaturus erat Meſsias.

Huius cõcionis dilucida explicatio ex oraculis propheticis collecta.

Hæc ſint in genere dicta de promiſſo Meſsia, hoc eſt, de Chriſto Domino. Verùm vt certus ſit nobis ordo oraculorum Propheticorum de ipſo, ſex circunſtantias proponã, eáſq; Propheticis dictis illuſtrabo. Sunt autem hæ circunſtantiæ: perſona, officium, aduentus, acta, beneficiorum applicatio & fructus.

1. De perſona Chriſti, quæ duabus naturis coſtat.

Perſona æterna eſt, in qua conſiderentur naturæ & ortus. Naturæ duæ ſunt, diuina & humana. Ortus ſecundum naturam diuinam ab æterno eſt ſine principio. Secundum humanam autem in tempore eſt.

Natura diuina.

Naturam diuinam Chriſti, Prophetæ hiſce dictis, vt ex multis pauca attingam, aſtruunt.

1. Geneſ. 1. In principio creauit Deus cœlũ & terram, dixítq; Deus: Fiat lux, & facta eſt lux. Et paulò pòſt: Spiritus ferebatur ſuper aquas. Hic primùm habemus vnitatem diuinæ naturæ. Deindè tres diſtinctas perſonas, Patrem, λόγον, & Spiritũ ſanctum: neq; enim ſolus eſt Pater, ſed dicit verbum, quod verbum erat apud ipſum in principio, vt ſuprà declaratũ eſt. Additur poſteà tertia perſona Spiritus ſanctus, qui vnà cum Patre & λόγῳ res creat, & creatas ſuſtentat.

2. In hunc modũ etiam Dauid dictũ Moſis intelligit, cùm inquit Pſal. 33. 6. Verbo Domini cœli creati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorũ. In quo dicto cõplectitur Dauid vnũ Deum creatorem omnium, & fatetur tres perſonas: Dominũ, Verbũ & Spiritum. Hanc etiã interpretationem cõfirmat Euãgeliſta noſter in principio primi capitis, quemadmodum ſuprà declaratum eſt.

3. Pſal. 2. 7. Tu es Filius meus, ego hodie genui te. Hoc dicto Epiſtola ad Hebræos cap. 1. 5. Chriſti diuinitatem probat.

4. Pſalm. 45. 7. Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga regni tui, &c. Hîc Dauid agit de regno Chriſti, quem Deum nominat.

5. Pſal. 68. 5. Iehoua nomen illi, exultate in conſpectu eius.

6. Eſaiæ 9. 6. Vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

7. Eſaiæ 54.5. Iehoua exercituum nomen eius, & redemptor tuus ſanctus Iſraël, Deus omnis terræ vocabitur.

8. Hieremiæ 23.6. Hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Iehoua iuſtificator noſter.

Hanc Chriſti diuinitatem, officium quoq; eius & cultus concludunt. Si iuſtificator eſt, ſi victor Satanæ eſt, ſi Pater æternitatis eſt, ſi inuocandus eſt, eſt vtiq; Deus. Pſal. 97.7. tribuit ei cultum inuocationis, cùm inquit, Adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruiẽt ei. Ex huius Pſalmi teſtimonio ita concludit Fulgentius. *Si Filius ſecundum diuinitatem vnus Deus cum Patre non eſſet, vnius cum eo naturæ vtiq; non fuiſſet. Et ſi natura alterius eſſet, ſine dubio creatura eſſet. Si autem creatura eſſet, ſeruiẽdum ei ſanctarum ſcripturarum autoritas non iuberet, ſed potius prohiberet. In primo enim Decalogi mãdato, ſicut vnius Dei cultura ſeruituſq; manifeſtiſſimè præcipitur: ita omni creaturæ adoratio ac ſeruitus à fidelibus exhibenda, vehementiſſimè prohibetur.* Hæc de natura diuina Chriſti dicta ſufficiant.

Natura humana, ex virgine.

Humanam autẽ naturam aſſumẽdam fuiſſe à λόγῳ æterno, comprobant omnia teſtimonia, quæ prædicebant Chriſtum naſciturum ex ſemine mulieris, Abrahami & Dauidis, cuius generis ſuprà nõnulla recenſuimus. Quod autem naſci debuerit de Virgine, quemadmodum hiſtoria Euangelica factum eſſe demonſtrat, inter multa hæc ſunt teſtimonia.

1. Gene. 3.15. promittitur ſemẽ mulieris non viri.

2. Geneſ. 49.10. promittitur Siloh, id eſt, filius mulieris.

3. Eſa. 7.14. clarius adhuc extat vaticiniũ de Virgine paritura. Ita enim ait Propheta, Ecce Virgo prægnans pariet filium, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel. Hoc Eſaiæ teſtimoniũ non ſolùm docet Chriſtum naſciturum ex Virgine: verumetiam cõplectitur vtramq; naturam Chriſti. Nam cùm dicit Meſsiã vocandum Emmanuel, ſignificat quidẽ Meſsiam vnã perſonã eſſe, ſed interim quoq; conſtare duabus naturis, diuina & humana. Hoc enim vult quod ait, Vocabitur nomen eius Emmanuel, id eſt, Deus nobiſcũ, ſeu Deus & homo, ſiue vt Græci aptius loquuntur, θεάνθρωπος, vt Virgo mater rectè, propriè & Dei & hominis mater dicatur, qui Deus & homo vna eſt perſona.

Perſona, ex duabus naturis cõſtans.

Vtranque ſimiliter naturam & vnitatem perſonę complectitur Michęas his verbis cap. 5.2. Et tu Bethlehem Ephrata paruula es, vt ſis in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, vt ſit dominator in Iſraël, & egreſſus eius ab initio à diebus ſeculi. Quod autem Matthæus vertit, Nequaquam minima es in principibus Iuda, reſpicit non ad quantitatem, ſed ad dignitatem & celebritatẽ Bethlehem, propter natum Chriſtum Dominũ. Quę cùm Michęas prophetaret minor fuit, quàm vt annumerari inter vrbes millium Iuda digna haberetur. Quod autem Propheta ſubiũgit, Egreſſus eius ab initio, à diebus ſeculi, diligenter obſeruandũ eſt. Cõtinet enim illuſtre teſtimonium de diuina & humana natura Chriſti. Primũ enim dicit, Egreſſus eius, Hebraicè *Mozaothaſ* in plurali numero: quo duę naturæ in Chriſto ſignificãtur, diuina & humana. Cũ addit, Ab initio, indicat incarnationẽ Chriſti, qui iã ab initio mundi promiſſus fuit, vt ſuo tẽpore ſecundum carnem naſceretur. Cùm ſubiungit, à diebus ſeculi, Hebraiſmus eſt, qui hoc modo rectè explicatur, à diebus ſeculi, i. ante ſecula, hoc eſt, ante mũdũ cõditum. Hac ergo particula ſignificat Propheta, emanationem illã æterni Filij ab æterno Patre ante ſecula.

Hactenus de æterna Chriſti perſona, qui iuxta vaticinia prophetarum, debuit aſſumere humanã naturam, vt fieret victima pro peccatis noſtris. His Prophetarum vaticinijs pulcherrimè reſpondet euẽtus, ſicuti teſtatur Euangelica hiſtoria, & Paulus ad Gal. 4.4. Quando venit plenitudo tẽporis, emiſit Deus filium ſuum natum ex muliere, factũ ſub lege, vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptemur in filios.

II. Officiũ Chriſti, qui eſt E: cleũ.

Officium Meſsiæ promiſsi etiam à Moſe & Prophetis deſcribitur, qui pronunciauerunt Chriſtum fore Regem noſtrum, ſacerdotem, doctorem, magiſtrum, lumen gentium, reconciliatorem, mediatorem, redemptorem, & ſummum iudicem.

Rex.

1. De regio titulo, teſtãtur inter multa, ſequentia oracula. Pſal. 2.6.7.8. Ego autẽ cõſtitui Regẽ meum, ſuper Sion montem ſanctum meum, narrabo decretum: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſsionem tuã terminos terræ.

2. Pſal. 45.7. Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi, ſceptrum regni tui directum: dilexiſti iuſtitiam & odiſti impietatem.

3. Pſalm. 72.1. Deus iudicium tuum da Regi, & iuſtitiam tuam filio Regis.

4. Danielis 2.44. In diebus regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cœli regnũ, quod in æternũ non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur, comminuet autem & conſumet vniuerſa regna hæc, ſed ipſum ſtabit in æternum.

5. Zachar. 9.9. Exulta filia Sion, iubila filia Ieruſalem: ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & ſaluator.

6. Eſaiæ 9.6. Puer natus eſt nobis, filius datus eſt nobis, cuius principatus ſuper humerũ eius, & vocabitur admirabilis, cõſiliarius, Deus fortis, Pater ęternitatis, princeps pacis, vt multiplicetur imperium & pacis nullus finis, ſuper ſolium Dauid & ſuper regnũ eius ſedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iuſtitia amodo & vſque in ſempiternum.

7. Ezechielis 37.23.24. Erunt mihi populus, & ero eis Deus, & ſeruus meus Dauid Rex ſuper eos, & paſtor vnus erit omnium eorum.

Eius Regnum.

Regnum Chriſti deſcribitur Eſaiæ 2.1. &c. In poſtremis diebus eueniet, vt ſit mons domus Domini ſolidè conſtitutus in capite montium, & eleuetur ſupra terræ celſitudines, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi & dicent: Venite, aſcendamus ad montem Domini, & domum Dei Iacob, & docebit nos de vijs ſuis, gradiemúrq; in ſemitis eius. Nam de Sion exibit lex, & verbũ Dei de Ieruſalem. Et iudicabit inter gentes, & arguet populos multos, & contundent gladios ſuos in ligones, & lanceas ſuas in falces. Nec leuabit deinde gens contra gentem gladium, & non inſtituẽtur poſthac ad bellum. Domus Iacob venite & ambulemus in luce Iehouæ.

Eius ſceptrum.

Sceptrum huius Regis, eſt vox Euangelij.

1. Pſal. 110.2. Sceptrum fortitudinis tuæ emittet Dominus ex Sion, quod Eſaias videtur explicare, cùm inquit cap. 2.3. De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.

2. Huius ſceptri meminit etiam Pſal. 45.7. Vbi vocatur ſceptrum directionis, quia ſubditos dirigit in ſemitis Regis, quod ſceptrum Dauid Pſal. 2.9. cõparat ferreo ſceptro regum huius mundi. Quemadmodum enim reges mũdi, ſua poteſtate regia & armis cogunt gentes, vt dicto obediant: ita noſter Rex Chriſtus Dominus, prædicatione Euangelij facit, vt gentes erudiantur, ac ſeruiant ſibi in timore, & exultent cum tremore.

3. Eſaiæ 11.4. Vindicabit pauperes per iuſtitiam, & iudicabit in æquitate ſecundum afflictos terræ, terram percutiet ſceptro oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum percutiet impium.

Sacerdos.

De Sacerdotio Chriſti, inter alia hęc habent Prophetæ.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

phetæ. 1. Pſ.110.4. Iurauit Dominus,& non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec.

2. 1.Sam.2. 21. Suſcitabo mihi ſacerdotem, qui iuxta cor meum & animam meam faciet.

Doctor.

Doctor præterea & magiſter prædicatur Meſsias à Prophetis,Iohelis 2.23.Filię Zion exultate prę gaudio in Domino Deo veſtro, quia doctorem iuſtitiæ dedit vobis. Hinc eſt quod Eſaias Chriſtum appellat lumen gentium,vt qui cunctos ſua doctrina & ſpiritu illuminet.Eſa.49.6.

Reconciliator, mediator, &c.

Reconciliator,mediator, redemptor, ſaluator, ſæpiſsimè prædicatur Chriſtus à Prophetis.

1. Eſaiæ 51.5.Propè eſt iuſtus meus, egreſſus ſaluator meus, ſalus mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea non deficiet.

2. Eſaiæ 52.10.Parauit Dominus brachium ſuum ſanctum in oculis omniũ gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.

3. Eſaiæ 43.11. Ego ſum, ego ſum Dominus, & abſque me non eſt ſaluator.

4. Eſaiæ 54.5. Dominabitur tui qui fecit te, nomen eius Iehoua, & redemptor tuus ſanctus Iſraël Deus omnis terræ vocabitur.

5. Eſaiæ 59.20.Iis qui ſunt in Sion veniet redemptor,& ijs qui redeunt ab iniquitate in Iacob.

6. Oſeæ 13.14.De manu mortis liberabo te,& de morte redimam te.Mors,vbi eſt mors tua? Inferne, vbi eſt perditio tua?

Paſtor.

Appellatur & Paſtor multis in locis. 1. Pſalm. 100.3. Venite adoremus & genua flectamus, & procidamus coram Domino, qui fecit nos, quia ipſe eſt Deus noſter,& nos populus paſcuæ eius,& oues gregis eius.

2. Eſaiæ 40.11. Sicut Paſtor ſuum gregem paſcit, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinum ſuum tenebit,fœtas ipſe portabit.

3. Hieremiæ 31.10.Qui diſperſit Iſraël,congregabit eum,& cuſtodiet eum ſicut paſtor gregem ſuum. Redemit enim Dominus Iacob,& de manu potentioris liberauit eum.

4. Ezechiel. 37.24. Erunt mihi populus, & ero ipſis Deus,& ſeruus meus Dauid rex ſuper eos,& Paſtor vnus erit omnium eorum.

Iudex.

Quòd Chriſtus futurus eſſet ſummus Iudex in regno Dei,indicatur Pſal.9.7.Parauit Dominus in iudicio thronum ſuum,& ipſe iudicabit populos in iuſtitia. Hæc ſint breuiter de officio & eius partibus dicta.

III. Aduentus Chriſti.

Aduentus Chriſti à Prophetis quoque prænunciatus eſt.In hoc prædictio, modus & tempus ſpectentur.Etſi autem teſtimonia ſuprà adducta,prædictionem aduentus Meſsiæ in mundum continent: tamen hoc loco pauca, eáque clariſsima vaticinia, de Meſsiæ promiſsione adijciam.

1. Deuter.18.15.Moſes ad populum loquitur hoc modo: Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo,audire noluerit,ego vltor exiſtam. Hanc prophetiam Petrus Act.3.22.23. Chriſto accommodat, & addit Prophetæ verbis hanc declarationem. Futurum eſt vt omnis anima quæ non audierit Prophetam illum,extermínetur è populo Dei.

2. In 2.Sam.7.12.&c.Nathan Propheta hanc ipſam promiſsionem repetens ait,Cùm completi fuerint dies tui(alloquitur autem Propheta Dauidẽ regem)& dormieris cum patribus tuis,ſuſcitabo ſemẽ tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo,& ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternum,ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filiũ. Hæc promiſsio repetitur in Pſal.132,10. Iurauit Dominus Dauid veritatem,& non fruſtrabitur eum: de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.

3. Huc reſpexit Eſaias,cap.11.1. Egredietur (inquit)virga de radice Ieſſe,& flos de radice eius aſcendet,& requieſcet ſuper eum Spiritus Domini.

De modo aduentus Chriſti.

Modus aduẽtus Meſsiæ ſimiliter à Prophetis pronunciatus eſt, qui meminerũt duplicis aduẽtus. Prioris quidem humiliationis. Poſterioris verò,glorię & maieſtatis. De priore, quæ humiliationis fuit, hæc ſunt inter multa Prophetarum vaticinia.

Aduentus humiliationis.

1. Zachariæ 9.9.10.11. Exultá filia Sion, iubila filia Ieruſalem,ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus,& ſaluator,ipſe pauper,& aſcẽdens ſuper aſinam,& ſuper pullum filium aſinæ. Nam diſpergam quadrigam ex Ephraim,& equum de Ieruſalem,& diſsipabitur arcus belli,& loquetur pacem gentibus,& poteſtas eius à mari ad mare, & à fluminibus vſque ad fines terræ.Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui, emiſiſti vinctos tuos, & de lacu in quo non eſt aqua. Hoc oraculum concionatur de humili aduẽtu Chriſti ſecundum carnem,cui tamen ſpirituale imperium tribuit,vt diſcrimen ſtatuat perſpicuum inter regnum Chriſti,& regna principum mundi. Ille externè humilis & pauper apparet: ſed intus latent immenſæ diuitiæ,& ſummus gloriæ ſplẽdor. Hi externè ſplendent,ſed intus non niſi puluis & cinis ſunt. Ille ſpiritualiter dominatur in cordibus ſuorum:hi tantùm rebus externis & perituris imperare poſſunt.

2. Hierem.14.7.&c. Domine,multæ ſunt auerſiones noſtræ,tibi peccauimus, expectatio Iſraël ſaluator noſter in tempore tribulationis. Quare quaſi colonus futurus es in terra, quaſi viator inclinans ad manendum: quare futurus es veluti vir vagus & fortis,qui non poteſt ſaluare.Tu autem in nobis es Domine,& nomen tuum inuocatũ eſt ſuper nos,ne derelinquas nos. Hæc prophetia, ſicuti eã ſancti patres rectè interpretantur, teſtatur Chriſtum tãquam aduenam & peregrinum obambulaturũ in terris. Huic prophetiæ & euẽtus reſpõdit:Filius hominis (inquit ipſe de ſe)nõ habet quò inclinet caput ſuũ.Luc.9.58.

De tẽpore aduentus Chriſti.

De Tempore aduentus,duo tantùm adducam vaticinia, vnum Iacobi Patriarchæ, alterum Danielis. Iacob Patriarcha tẽpus aduentus Meſsiæ,Geneſ.49.10.indicat his verbis:Non auferetur ſceptrum de Iuda,&dux ſiue magiſter de fœmore eius,donec veniet Siloh. In hoc vaticinio clariſsimè indicatur tempus, quo expectandus erat Meſsias. Diligẽter autem obſeruandum eſt, quòd duplicis hîc poteſtatis mentio fiat,nempe regiæ & iudiciarię. Sceptri nomine,regia poteſtas ſignificatur. Ducis ſiue magiſtri Hebraicè, *Mechokek*, iudiciaria poteſtas,quæ erat ſeptuaginta virorum,quos Moſes ordinauit,Num.11.24.& dicebãtur *Sanhedrin*,fortè à Græca voce συνέδριον.Ex prophetia autem hac depromitur demonſtratio huiuſmodi de aduentu Chriſti priori. Si eo tempore Chriſtus omninò venturus erat,cùm ſimul & regia poteſtas & iudicandi autoritas,penitus apud Iudæos deficerent:eum veniſſe ante mille quingentos & triginta annos certiſsimum eſt. Nam & longè antè regiæ poteſtas amiſſa erat, & iudicandi autoritas prorſus defecit quadrageſimo fermè anno, ante templi ſecundi euerſionem,id eſt,eo anno quo Chriſtus Dominus paſſus eſt. Quòd autem tum temporis amiſerant iudiciariam poteſtatem,præter hiſtoriam teſtatur ipſorum teſtimonium,qui Pilato dicunt,non licet nobis interficere quenquam. Plura de hoc argumento lege apud Galatinum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

De ſeptuaginta hebdomadib. apud Danielem.

Danielis 9.24. &c. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt cōſummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatū, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur ſanctus ſanctorum. Scito ergo & animaduerte ab exitu ſermonis videlicet, quòd iterum reædificabitur Ieruſalem vſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem ſunt, & hebdomades ſexaginta duę, & rurſus ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit populus qui eum negaturus eſt, & populus ducis veniet, ciuitatémque & ſanctuarium diſsipabit, & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium. Et erit in templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio.

Explicatio prophetiæ. Danielis.

Hæc Danielis Prophetia etiam apertè contra Iudęos concludit Chriſtum apparuiſſe ante annos mille quingentos & vltrà. Nam cùm exhiberi Chriſtum adhuc ſtante republica Moſaica oportuerit, & iam collapſa ea republica, anni vltra mille quingentos elapſi ſint, manifeſtū eſt errare Iudæos, qui adhuc naſciturum Meſsiam expectant. Hebdomades hoc loco aliter accipi non poſſunt, quam Leuit.25.8. Vbi vna hebdomas facit ſeptem annos: quare decem hebdomades erunt anni ſeptuaginta, & 70. hebdomades facient annos quadringentos nonaginta: quorum finis incidit in tempus Pentecoſtes proximè ſecutæ paſsionem Domini.

Supputatio hebdomadum.

Quis ſit exitus ſermonis, à quo inchoanda eſt ſupputatio hebdomadum Danielis, facilè intelligetur, modò totam prophetiam conſideremus, ac eius partes coniungamus. Non enim tantùm dicit ab exitu ſermonis, videlicet quod ædificabitur Ieruſalem, ſed paulò pòſt addit, & rurſus ædificabitur. Ergo non ab eo exitu ſermonis inchoanda eſt ſupputatio, quando ędificatio eſt impedita, vt contigit poſt edictum Cyri: ſed ab eo, quādo non eſt impedita. Quare hoc modo prophetia intelligēda eſt. Ab exitu ſermonis, ſcilicet Dei per Haggæum & Zachariam. Eſdr.5.2.& 6.14. Hag.1.1.& 2.1. Zach.1.1. Hoc anno exacti fuerunt 70. anni à deſtructione Ieruſalem, poſt quos inſtaurandum erat tēplum iuxta vaticinium Ieremiæ, cap. 25.12. Philippus ergo rectè orditur ab exitu ſermonis, non Cyri regis, ſed Dei per Haggæum & Zachariam, qui contigit anno 2. Lūgimani, à quo anno vſque ad mortem Alexandri, ſecundum Metaſthenem, anni ſunt 145. Addantur iuxta Philónem à morte Alexandri vſque ad 39. Herodis annum, quo natus eſt Chriſtus, anni trecenti & decem. His addantur triginta ad Baptiſmum Chriſti: quibus ſimul computatis emergūt anni 485. Sunt igitur iuxta vaticinium Danielis ad Chriſti baptiſmum, ſexaginta nouem hebdomades & dimidia. Et in dimidio vltimæ, id eſt, trium annorum & dimidij ſpatio, Chriſtus publicè concionatus eſt, edidit miracula, interfectus eſt, & reſurrexit. Atque ita in Pentecoſte proxima poſt reſurrectionem, finis hebdomadum Danielis eſt. Vide Chronica Philippi.

IIII. Acta Chriſti.

Acta Chriſti ſequuntur, vt prænunciata ſunt à Prophetis. Hîc conſiderentur miracula, doctrina & benefacta, conuerſatio, mors, reſurrectio, triumphus.

Miracula.

1. Miracula fuerunt & ſignum iam exhibiti Meſſiæ, & teſtificatio de doctrina. De his in hunc modū prædixit Eſaias cap.35.4.&c. Deus ipſe veniet & ſaluabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorū, & aures ſurdorum patebūt: tunc ſaliet claudus ſicut ceruus, & aperta erit lingua mutorum. Hinc eſt quòd Chriſtus quærētibus diſcipulis Ioānis an Meſsias eſſet, dixerit, Matth.11.4. Renunciate Ioāni quæ auditis & videtis, cæci viſum recipiunt, claudi ambulant, leproſi mundantur, & ſurdi audiūt, mortui excitātur, & pauperes euangelizātur. Hinc etiam eſt, quòd cęcus ſanitati reſtitutus, Ioan.9.30. Iudęis dicētibus ſe ignorare vnde Ieſus eſſet, reſponderit: Hoc mihi mirabile eſt, quòd vos neſcitis vnde ſit, & tamen aperuit mihi oculos; quaſi diceret, factū ipſius cùm reſpōdeat vaticinio Eſaiæ, meritò vos docere deberet, hūc Ieſum qui mihi oculos aperuit, Meſsiam eſſe olim promiſſum.

Doctrina & beneficia.

2. Summa doctrinæ & benefactorum Chriſti adeóque finis aduētus ipſius, prænūciatur Eſaiæ 61.1.2.&c. his verbis: Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit me, ad annunciādum humilibus miſit me, vt mederer cōtritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & claudis apertionē: vt prędicarem annum placabilē Domini & diem vltionis Dei noſtri, vt conſolarer omnes lugētes, vt ponerem fortitudinem lugētibus in Sion, vt darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, palliū laudis pro ſpiritu mœroris: & vocabūtur in ea fortes iuſtitiæ, plātatio Domini ad glorificādum. Hoc vaticinium in ſumma oſtendit doctrinā Chriſti eò pertinere, vt adferat remediū aduerſus peccatū & legis dānationem, vt peccato deleto, & dānatione abolita, humiles, cōtriti, captiui, claudi, lugētes, hoc eſt, pœnitētes & confugientes ad Chriſtū, ęterna immortalitatis gloria donētur.

Eſaiæ 42.5. Hæc dicit Dominus Deus, creans cœlos, & extendens eos, firmans terram & quæ germinent ex ea, dans flatum populo qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam. Ego Dominus vocaui te in iuſtitia, & apprehendi manum tuam & ſaluaui te, & dedi te in fœdus populi, in lucem gentium, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum de domo carceris, ſedentes in tenebris. Et rurſus idem Propheta cap.49.1.&c. Audite inſulæ, & attendite populi de longè. Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei, & poſuit os meum quaſi gladium acutum, vmbra manus ſuæ protexit me, & poſuit me ſicut ſagittam electam in pharetra abſcondit me, & dixit mihi, ſeruus meus es tu Iſraël, quia in te glorificabor. & ego dixi, in vacuum laboraui, & vanè fortitudinem meam conſumſi, quamuis iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo. Et nūc hæc dicit Dominus, formās me ex vtero ſeruum ſibi, vt reducam Iacob ad eum, & ne Iſraël è medio tollatur. Hinc glorificatus ſum in oculis Domini, & Deus meus factus eſt fortitudo mea, & dixit: Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob & reliquias Iſraël conuertendas: ſed dedi te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea ad ęxtremum terræ.

Hoc vaticinium beneficia Chriſti erga Eccleſiam proponit, & clarè prædicit Eccleſiam congregādam eſſe ex Iudæis & gentibus, ídque per prædicationem Euangelij, quod Euangelium ab effectu lumen gentium vocat. Ad hanc prophetiam reſpexit ſanctus ille Simeon in ſuo cantico, vbi ita canit: Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël. Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Hæc prophetia compleri cœpit dato Apoſtolis hoc mandato: Ite in mundum vniuerſum, & proclamate Euāgelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Atque hoc eſt quod Propheta dixit, vt ſis ſalus mea vſque ad extremū terræ. Eſt ergo ſumma beneficiorum Chriſti, adferre ſalutem ijs, qui propter ſua peccata perditi erant & damnati.

Conuerſatio & vita Chriſti.

3. Cōuerſatio & vita Chriſti qualis erat futura, etiā à Pro-

à Prophetis prædictum fuit. Iſaias cap 42.1.2,&c. Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea, dedi ſpiritum meum ſuper eũ, iudicium gentibus proferet, non clamabit neque accipiet perſonam, neque audietur vox foris. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet, in veritate educet iudicium; non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponet in terra iudicium & legẽ eius inſulæ expectabunt. Hîc graphicè prædicitur qualis futura erit Chriſti conuerſatio & vita, nempe humana & mitiſsima, vt qui ſummo amoris affectu omnes eſſet affecturus, vt nemo ab illo abhorreret, ſed omnes potius conſolationem & opem acciperent. Huic prophetiæ reſpondet dulciſſima illa inuitatio, qua omnes ad ſe vocat Matth.11.28. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, ego refocillabo vos. Teſtis eſt quoque Euãgelica hiſtoria, quæ teſtatur Chriſtum humaniſſimè excepiſſe omnes, & neminem contemſiſſe qui ſuam implorauit opem, neminem territaſſe minis, neminem repuliſſe quin factus ſit voti cõpos, quẽadmodum plura exẽpla Euangelicæ hiſtoriæ docẽt.

Paſſio & mors Chriſti.

4. Paſsio prætereà Chriſti & Mors prædicitur à Prophetis, quorum pauca quædam teſtimonia exẽpli gratia aſcribam, idque potiſsimum ex Pſalmis & Iſaia. Pſalmus 22. adeò graphicè deſcribit paſsionem Chriſti Domini, vt narrare potius rem geſtam videatur, quàm prædicere futuram. Incipit autem à querela Chriſti in cruce. Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me. Et infrà. Ego vermis ſum & non homo, opprobrium hominum & contemtio plebis, omnes videntes me ſubſannant me, diſtendunt labia, mouent caput. An non hiſtoria huic prophetiæ clariſsimè reſpondit? Pependit in cruce contẽtiſsimus & vix apparebat in ipſo hominis forma, derident ſuſpenſum, mouent caput & flectunt genua dicentes, Aue rex iudæorum, confidit in Dominum liberet eum, eripiet eum quoniam complacet ſibi in eo. Et infrà, verſu 13. Aperuerunt aduerſum me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens. Hæc completa ſunt cùm in domibus Põtificum, Herodis & in prætorio, tum poſteà donec in cruce expirauit. De perforandis manibus ſequitur vaticinium, Perfoderunt manus meas, & pedes meos, & diuiſionem veſtimentorum: diuidunt veſtimenta mea ſibi, & ſuper tunica mea miſerunt ſortem. Pſal. 69.22. præter alia meminit etiã fellis & aceti, quod illi milites eſſent exhibituri bibendum in cruce. Poſtremò meminit Pſalmus commendationis animæ Chriſti in manus patris. In manus tuas domine commendo Spiritum meum.

Iſaiæ 53.2.3.&c. Non erat forma ei neque decor, aſpeximus autem eum, ſed non erat aſpectus, & non deſiderauimus eũ videre: deſpectus fuit & reiectus inter viros, vir dolorum & expertus infirmitatem, & veluti abſconſio faciei ab eo, deſpectus inquã fuit & nõ reputauimus eum. Et infrà. Nos reputauimus eum plagis affectum, percuſſum à Deo, & humiliatum. Et rurſus. Oppreſſus fuit & ipſe afflictus & non aperuit os ſuum, ſicut agnus ad mactationem ductus eſt, & velut ouis, coram tondente, obmutuit, nec aperuit os ſuum. Quid apertius hac prophetia eſſe poteſt? an non hiſtoria Euangelica eam veriſsimè cõpletam eſſe conuincit. Cur autem hanc cõtumelioſam mortem pati voluerit Dominus, ſuprà dictum eſt, cùm de fine aduentus eius in mundum ageretur: quarè hîc tantum pauca ex eodem Iſaiæ capite attingam, quæ nobis fructum paſsionis Domini ponunt ob oculos. Verè lãguores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit (id eſt, reatũ noſtrum luit) omnes nos ſicut oues errauimus, vnuſquiſque ad viã ſuam declinauit, & Iehoua coniecit in illum iniquitates omnium noſtrũm. Et rurſus. Propter ſcelus populi mei percuſsi eum. Item, Sacrificium pro delicto anima eius. Hũc fructum mortis Domini, breui admodum aphoriſmo complectitur Paulus, cũ inquit, 2. Corin. 5.21. Eum qui non nouit peccatum fecit peccatum, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo.

Reſurrectio Chriſti.

5. Reſurrectionis Domini plurimæ ſunt Propheticæ conciones, quarum paucas attingam. Pſ.16.8.&c. Poſui Dominũ in conſpectu meo ſemper. Quoniam à dextris meis eſt, non mouebor, idcirco lætatum eſt cor meum, & exultauit gloria mea, quin & caro mea requieſcet in ſpe, quoniam nõ derelinques animam meam in inferno, nec permittes ſanctũ tuũ videre corruptionem. Notam mihi facies ſemitam vitæ, abundantiam leticiarum vultum tuum, iucunditates quæ ſunt in dextra tua in perpetuũ. His verbis Dauidis Petrus Actorum 2.25. confirmat reſurrectionẽ Chriſti, debuiſſe fieri priuſquàm caro ipſius putreſceret in ſepulchro. Etſi autem corpus Chriſti iacens in ſepulchro expers ſenſus & doloris fuit, tamen à corruptione fuit liberum, iuxta hoc vaticiniũ, & excitatum eſt tertio die, quo viuus de ſepulchro prodiit Dominus, atque hoc eſt quod Petrus ait: Quẽ Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus mortis, hoc eſt, quẽ Deus eripuit à morte doloribus plena, non quòd in morte ipſa ſit ſenſus, ſed quia non ſine doloribus ingentibus anima diſcedat de corpore, poſt cuius deceſſum mortuum relinquitur corpus expers ſenſus & motus animalis.

Adu. errorem eorum qui animam Chriſti apud inferos à Diabolis paſsã fuiſſe. aſſerunt.

Quòd autem quidam noſtro ſeculo ex verbis Dauidis & Petri nouum dogma anteà in Eccleſia inauditum fabricari conati ſunt, videlicet animam Chriſti apud inferos à Diabolis paſſam fuiſſe eo tempore, quo corpus iacuit exanime in ſepulchro: etſi friuolum eſt, tamen vt videantur aliquo fundamento niti tres potiſsimùm ſui dogmatis rationes adferunt. *Prima.* Petrus dicit, quem ſuſcitauit Deus ſolutis doloribus mortis. Ergo ſenſit dolores vſque ad reſurrectionem, idque non in corpore exanimi, ſed in anima apud inferos. *Secunda.* Non derelinques animã meam in inferno. Ergo anima Chriſti apud inferos paſſa eſt, alioqui opus non habuiſſet opitulatore, qui ſe eriperet de inferno. *Tertia.* Si Chriſti anima non eſt paſſa apud inferos, non erit plena ipſius pro nobis ſatisfactio.

Primæ obiectionis refutatio.

Reſpondeo ad primam, & conſequentiam nego. Nam antecedentis hîc ſenſus eſt. Deus excitans filiũ ſoluit eum ab imperio mortis, quam mortem non ſine magnis doloribus expertus eſt. Deinde cùm mors ipſa nihil aliud videretur, quàm ipſorum cruciatuum ac dolorum victoria, adeóque plenum imperium: Chriſtus meritò tum demum dolores iſtos mortiferos ſuperaſſe dicitur, cùm mortuus mortem vicit, vt in æternum cum ſuis Deo viuat.

Secunda obiectio diluitur.

Ad ſecundam, dico ſimiliter conſequentiam falſam eſſe. Senſus verborum eſt. Non derelinques corpus meum manere mortuum in ſepulchro. Hanc interpretationem requirit ſcopus concionis Petri, & ipſe Hebraiſmus eam comprobat. Nã vt *Nephes*, quo vocabulo vſus eſt Dauid, ſæpe corpus exanime notat, vt Leu.19.21. Num.5.6.9. Ita *Scheol* ſepulchrum vſu ſcripturę ſignificat, ex eo dictum quod ſemper videatur noua cadauera poſtulare.

Tertia refellitur.

Tertia ratio eodem laborat vitio. Nam ſi animæ Chriſti paſsio apud inferos, ad plenam requiritur ſatisfactionem pro peccatis noſtris, profectò corpus quoque ijſdẽ pœnis ſubiectum eſſe oportuit. Siquidem noſtrum corpus non minus obnoxium fuit pœnis æternis quàm anima noſtra. Quid verò cũ Chri-

Kk. iiij.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſtus paueret, cùm ſanguinis grumos ſudaret, cùm ſe à Deo derelictum clamaret, nõ luebat ipſius anima pœnas peccatis noſtris debitas? Nõ eſt itaque fas arbitrari Chriſtum póſtquàm ſemel Spiritum emiſit, in vllis doloribus fuiſſe verſatum.

De deſcẽſu Chriſti ad inferos autoris ſententia.

Quantum autem ad deſcenſum Chriſti ad inferos attinet, credendũ eſt iuxta ſymboli verba, cum verè deſcendiſſe ad inferos, non quidem vt ibi puniretur, ſed vt ſe victorem mortis & inferni declararet, vt deſcenſus Chriſti ad inferos, non ad humiliationem, ſed ad glorificationem & victoriam Chriſti referatur. Plura teſtimonia de reſurrectione Domini non aſcribo, ſed hoc tantum admoneo, quòd omnes promiſsiones de Chriſti æterno regno & perpetuo ſacerdotio, contineant in ſe reſurrectionis neceſsitatẽ. Quî enim fieret vt is qui certa morte tolleretur è medio, regnare poſſet æternùm, niſi à mortuis reſurgeret?

Triũphus Chriſti.

6. Triumphus ſequitur qui etiam in Pſalmis & in Prophetis prænunciatus fuit. Pſ.68.19. Aſcendiſti in altum captiuaſti captiuitatem, accepiſti dona pro hominibus. Hæc verba Paulus ad Ephe.4.8. accommodat ad triumphum Chriſti, quo ſuper peccato & regno Satanæ triumphans aſcendit in cœlum, & ſedet ad dexteram patris in æquali gloria & maieſtate. Teſtimonium & effectus huius triumphi eſt miſsio Spiritus ſancti, ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes, de qua Iohel Propheta in hunc prædixit modum, ca. 2.28. Erit in vltimis temporibus & effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & prophetabunt filij veſtri, & filiæ veſtræ. Et paulò poſt idem Propheta fructum huius triumphi ſubiungit. Et futurum vt quicunque inuocauerit nomen Domini ſaluus fiat.

V. Beneficiorum Chriſti applicatio & fructus.

In partitione noſtra ſequitur. *Beneficiorum Chriſti applicatio & fructus.* Hanc applicationem fieri per fidem multa teſtimonia oſtendunt. Pſ.2.12. Beati omnes qui confidunt in ipſum. Pſal.84.13. Domine Zebaoth, beatus eſt homo qui confidit in te. Vtrumque dictum & inſtrumẽtum quo nobis applicamus beneficia mediatoris, & fructum continet. Inſtrumẽtum eſt fiducia, fructus autem beatitudo, hoc eſt, beata immortalitas. Vtrunque etiam Iohel complectitur, cap.2.32. cùm inquit. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. In hoc dicto fides è ſuo proprio effectu, qui eſt inuocatio Dei, deſignatur, fructus verò ſalutis voce notatur. Huc & illud Iſaiæ 53. In ſcientia ſua iuſtificabit ſeruus meus multos. Scientia fidem quæ oritur ex noticia & ab ea dependet, notat. Iuſtificationis vox per Synecdochen ſalutem ipſam & beatitudinem comprehendit. Sũt enim duæ ſalutis partes, iuſtificatio & glorificatio. Iſaiæ 45.22. Conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terræ.

Hic ſimiliter & fides inſtrumentum & ſalus fructus coniunguntur. Cum his dictis Propheticis multa congruunt in nouo teſtamẽto, quæ quia nota ſunt omitto.

Porrò fructus plenus triumphi Chriſti tum demũ percipietur, vbi Dominus venerit ad iudicium excitatis mortuis, & omnes inimicos ſuos poſuerit ſcabellum pedum ſuorum Pſ.110.1. Tunc enim donabit immortalitate & æterna beatitudine, omnes qui in ſe crediderunt.

De triumphali iudicio Chriſti.

De hoc iudicio triumphali pauca ex Prophetis teſtimonia aſcribam. Zachariæ 14.5. Ibi tunc veniet Iehoua Deus meus, & omnes ſancti cum eo. Pſ.9.8. Parauit in iudicio thronum ſuum. Iſ.45.23. Per memetipſum iuraui, egredietur de ore meo iuſtitię verbum, & non reuertetur, quia mihi curuabunt omnia genua. Pſ.62.13. Tu reddes vnicuique ſecundum opera ſua. Cum his prophetiis conueniunt dicta Chriſti, & Apoſtolorum. Matth.24. & 26. Luc.17. Iohan.5. Ro.14. 2.Cor.5. 1.ad Theſſ.4. 1.Pet.3.

De gloria æterna piorum in cœlis.

Hoc iudicio peracto videbimus, iuxta Pſ.17. faciẽ Chriſti in iuſtitia, & ſatiabimur cùm euigilauerimus ad ſimilitudinem eius, hoc eſt, vt Iohannes & Paulus interpretantur, erimus conformes filio Dei. Primùm quo ad animam iuſtitia & innocentia. Deus enim erit omnia in omnibus. Deinde quo ad corpora. Nã ſaluator quem expectamus de cœlo aduecturum, reddet noſtra corpora conformia ſuo glorioſo corpori, idque ea potentia qua poteſt ſibi ſubiicere vniuerſa. Atque deinde celebrabimus perpetuum Sabbathum in omni æternitate per Ieſum Chriſtum, Regem, Sacerdotem, & ſaluatorem noſtrum vnicum, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit benedictio, & gloria, & ſapientia, & gratiarum actio, & honor, & virtus, & robur in ſecula ſeculorum, Amen.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

N. H.

POSTILLA SEV ENARRATIO EVANGELIORVM, QVÆ IN DOMINICIS DIEbus,& in feſtis Sanctorum, vſitatè in Eccleſiis Dei proponuntur, in gratiam piorum Miniſtrorum Euangelij conſcripta,

PER

NICOLAVM HEMMINGIVM.

PRAEFIXA EST EIVSDEM COMMONEFACTIO AD Miniſtros Verbi, de perpetuo Eccleſiæ Chriſti conſenſu in doctrina & vero cultu Dei, ne opinionum varietate, & ſectarum multitudine offenſi, vel confeßionem abiiciant, vel ſegnius officium faciant.

OMNIBVS SERVIS DEI ET MINISTRIS IESV CHRIſti, in inclytis Regnis Dania ac Noruegia, ſuis fratribus in Chriſto dilectis, gratiam, miſericordiam, & pacem, à Deo patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto, optat Nicolaus Hemmingius, miniſter Euangelij in Academia Haffnienſi.

PRODEST imprimis obſeruare, chariſſimi fratres, perpetuum Catholicæ Eccleſiæ Chriſti conſenſum in doctrina & vero Dei cultu: præſertim in hac maxima opinionum varietate, quæ facit, vt multi non peſſimi angantur animis, dubitantes, cuínam cœtui ſe ſocios adiungant. Nam dum alij alium magiſtrũ iactant (de cuius ſapientia & pietate gloriantur non ſine aliorum contemtu, quos tanquam ex alto deſpiciunt) fit, vt cæco iudicio pro eo affectu, quo quenquam illis aut fauere intelligunt, aut aduerſari, eius eruditionem & pietatem æſtiment. Hinc naſcuntur ſimultates, ſiniſtræ ſuſpiciones, odia, iurgia, vindictæ cupiditas: quibus ſurſum deorſum omnia miſcentur. Ex qua re duplex incommodum (vt alia taceam) naſcitur. Nam & Euangelij hoſtes in ſua pertinacia impietatéque confirmantur, & infirmiores ac imperitiores, qui magis propenſi ad amplexandam veritatem erant, non parum perturbantur, fluctuantes & incerti, quibus ſe potiſſimum partibus adiungant. Inter quos non pauci quaſi nihil certi de tota religione tradi ſtatuíue poſſit, nõ modò de omnibus eius partibus, ſed etiam de omnibus religionibus dubitare incipiunt, Hîc noſtrum officiũ eſt, fratres dilecti, & precibus noſtris & admonitionibus iuuare infirmos, ne hac turba & colluuione opinionum offenſi, ruant præcipites in certum interitum. Huic malo potiſſimum medetur perpetua Catholicæ Eccleſiæ conſenſus in doctrina & vero Dei cultu obſeruatio. Vt enim vnus eſt tantum Deus: ita & vna æterna, conſtans & minimè fallax Dei veritas, vna religio vera, vna fides, vna rectè viuẽdi regula, & vna Chriſti Eccleſia, quæ ſola verum colendi Deum modũ nouit. Huius Eccleſiæ qui non eſt ciuis, gratia & ſalute excidit, quantumuis magnos ſe habere magiſtros gloriatur. Contrà, qui in hoc cœtu Deum ſpiritu & veritate colit, gratiæ & ſalutis hæres eſt, etiãſi bubulcum magiſtrum habeat. Non enim hæc res pendet ab hominis vel dignitate, vel indignitate: ſed à magiſterio ſpiritus Chriſti, qui ſuum purum verbum & ſincerum nobis vitę & ſalutis regulam eſſe voluit. In quo verbo, & cultu verbo tradito, ſummus fuit omnium ſanctorum Patriarcharum ante diluuium & poſt diluuium, Prophetarum, Apoſtolorum, atque adeo omnium piorũ conſenſus: quorum doctrinam & cultum ſi nos verè retineamus: poſſumus iure in Chriſto gloriari, quod ſimus ciues Eccleſiæ Ieſu Chriſti, etiamſi totus mundus nos exoſos habeat, & tanquam hæreticos execretur. Volo igitur, fratres, de hoc perpetuo conſenſu nonnulla dicere, vt certò nobis conſtet, an in eo conſenſu Catholicæ Eccleſiæ ſimus, néc ne: aut aduerſarij noſtri, qui, cum iactant ſuos magiſtros (quos Patres vocant) ferro & igne curſum doctrinæ Propheticæ & Apoſtolicæ intercludere conantur. In hujus argumenti tractatione multa ſanè concurrunt, quæ huc tanquam ad ſcopum collimãt. Hic enim neceſſario quæritur, quiſnam ſit ortus veræ religionis: quæ certitudo: quantus conſenſus omnium ætatum Eccleſiæ in eadem doctrina: quibus artibus Satan veram religionem oppugnare ſoleat: denique, qua prudentia pij ad-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

uerſus Satanæ inſidias & fraudes vti debeant:ne,quemadmodum primi Parentes fecerunt,ſinamus nos πιθανολογίαις à fontibus ſalutis ad ciſternas Diaboli, humanas traditiones & ἐθελοθρησκείας abduci.

A quo autem ortum habeat vera religio,attingendum non eſſet,niſi tantus fuiſſet olim, & hodie eſſet hominum & Diabolorum furor, quòd auſi ſint religiones inſtituere pro cæco ſuæ rationis ſenſu,quas ferro & igne tuentur,ac eam religionem,quæ à ſolo Deo eſt, perſequũtur, vt vaticinium comprobent, quod editum fuit de ſemine ſerpentis morſuro calcaneum Seminis mulieris.His multò rectius iudicauit prophanus Socrates, qui cum apud Xenophontem interrogaretur,quænam eſſet vera religio,reſpondit eã,eſſe,quam ipſe Deos inſtituit.Nã cum Dominus clarè apud Prophetam dicit,ſe abominari doctrinam & cultus hominũ,extra omnẽ controuerſiam ſit nobis,quod vera atque perpetuò conſtans religio ab ipſo æterno Deo ortũ habeat. Apollo Pythius ab Athenienſibus interrogatus,quas potiſſimũ religiones tenerent,reſpondit,eas,quæ eſſent in more maiorum.Cum rurſus obiicerent,morem maiorum ſæpe mutatum eſſe,ait,optimum ſequendum. Nam,vt ait Heſiodus,νόμος ἀρχαῖος ἄριστος. Ad eundem modum hodie aduerſarij antiquitatem iactant,authoris veræ religionis nomine ſuppreſſo,qui potius cum Socrate reſpondere,quàm cum impuro Dæmone deberent. Nam vt Satan,ita & illi antiquitatis authoritate ad ſtabiliendos errores abutuntur. Verum quidem eſt antiquiſſimã religionem optimam eſſe,modo ab optimo Deo ortum habeat,& non ab antiquo ſerpẽte, qui à principio ſuam religionem in mundum ex diametro cum diuina religione pugnantem inuexerat. Quare diſcernendum eſt inter duplicem antiquitatem. Vna enim ad Deum:altera ad Satanã refertur.Prior illa antiquitatum omnium lõge vetuſtiſſima eſt,vt quæ nec principium nec finem habeat.Ex hac vetuſtiſsima antiquitate prodiit veritas Dei, qua docetur, quænam ſit vera religio,cui confirmandæ Deus miranda teſtimonia addidit,quę eſſent veluti perpetua quædam & anthentica ſigilla veritatis diuinæ.Poſterior eſt,quæ principium habuit, & finem habitura eſt.Ex ea prodiit omnis ſuperſtitio & Impietas. Vtraque hæc antiquitas habet ſuos propagatores veluti Patriarchas quoſdam, quos poſteriores Patres appellarunt,de quibus nõ parum gloriãtur.Papiſtæ ſemper in ore habẽt Patres:in omni controuerſia de doctrina & cultu Dei ad eos tanquã ad extremã anchoram confugiunt. Nos quoque Patres agnoſcimus:ſed inter nos & illos ingens eſt diſcrimen. Nos enim eos Patres profitemur,qui à Deo acceptam religionem fideliter tradiderunt poſteris,vt ſunt Patriarchæ,ſancti Reges,Prophetæ,Chriſtus ipſe & Apoſtoli.hos ſolos Patres veneramur,à quorum ſententia diſcedere, ſalute excidere iudicamus.De Patribus,qui tempora Apoſtolorum ſecuti ſunt,iudicamus iuxta regulam Ambroſij: *Nos noua omnia,quæ Chriſtus non docuit,iure damnamus:quia fidelibus via Chriſtus eſt.* Si igitur Chriſtus non docuit quod docemus,& nos id deteſtabile iudicemus.Et iuxta hanc Pauli regulam,Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema ſit. Iſti autem, vt fucum faciant ſimplicioribus, interrogandum eſſe dicunt de ſemitis antiquis, non eſſe limites antiquos tranſgrediendos,quos fixerunt Patres & maiores noſtri. Quod ſi id minimè licere in agrorum finibus certum eſt, quanto minus id licere in religionis limitibus iudicabitur? Verùm, nos limites: quos fixit author religionis Deus: quos acceptos diuinitus tuebantur ſancti Patriarchæ & Apoſtoli: à quibus apros & lupos inuicta animi fortitudine repulerunt ſancti martyres(inter quos primum locum obtinet ſanctus Abel)denique quos filius Dei ſuo pretioſo ſanguine ſtatuit,non tranſgredimur:ſed intra illos manemus conſtantes. At fines,quos antiquus ſerpens cum ſua ſobole fixit,tranſgredimur,intra quos non niſi mera damnatio clauditur.Religionem igitur veram ad Deum,qui antiquus dierum denominatur à Daniele,referimus. Vnde conſtabit,& eam antiquiſſimam eſſe, & ſui autoris naturam ingeniumque referre.Quare vt conſtantiſſima eſt ſemper:ita ſui perpetuo ſimilis exiſtit.

Sed quænam illa eſt ſibi perpetuò conſtans religio,quæ eius ſumma,quæ partes? vox Dei & ſignum voci additum veram religionis & cultus Dei normam præſcribit.Semper enim Deo in more fuit,ſuam volũtatem verbo,& externo aliquo ſigno hominibus patefacere.Quod enim verbum auribus ingerit,vt ad mentem tranſmittatur,idem ſignum oculis aſpiciendum proponit,vt veluti per feneſtras lux quædam in animum transfundatur:vt vox & ſignum ſit duplex verbum,vocale & aſpectabile,quorum finis & ſcopus vnus eſt:ſed ſigni interpretatio ſemper è verbo ſolo petenda eſt.Hæc qualia ſunt,quinque tempora,quibus Deus præcipuè ſuã vocem ſonuit & ſigna edidit,apertiſsime docebunt:vt ſunt ſtatus ante lapſum,tempus promiſſæ reparationis:tempus repetitæ promiſsionis tempus reipublicæ Moſaica:ac denique tempus completæ promiſsionis,exhibito Ieſu Chriſto Domino noſtro.Hiſce quinque temporibus eãdem fuiſſe religionem & ſibi per omnia conſtantem,voce Dei & ſignis diuinis eſt oſtendendum.

Ante lapſum quando Adam ornatus erat imagine Dei,Deus homini & verbum tradiderat & ſignum.Verbum requirebat notitiam Dei, & obedientiam erga ipſum prohibebat ne quid tentaret homo contra Dei interdictũ ſub cõminatione pœnæ: habebat etiam verbũ promiſ-
ſionem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſionem immortalitatis,quam promiſſionem fide amplectebatur Adam:& arbor vitæ,vt aſpectabile verbum,idem per oculos in mentem transfudit.Quæ omnia eò ſpectabant, vt Adam imaginem Dei tanquam in ſpeculo repræſentans, Deum perpetuò coleret & celebraret. Ex his conſtat,quod vera religio ante lapſum hominis fuerit purus cultus Dei iuxta Dei verbum, cuius regula erat verbum & ſignum.Partes fuerunt agnitio Dei,fides promiſſæ immortalitatis,obedientia erga Deum,interior & exterior.Finis,repræſentare imaginem Dei, ac eũ prædicare & celebrare.Et fuit in eo ſtatu cultus Dei perfectiſſimus, qualis eſt futurus poſt reſurrectionem,niſi quod tum non quidem ſubſtantia,ſed gradibus futurus eſt multò plenior. Hic cultus Dei,qualis eſt primo homini præſcriptus,à nobis etiam poſt lapſum requiritur.Neque vlla mutatio facta eſt in cultus ratione.Sed horribilis deprauatio ſecuta eſt in toto humano genere poſt lapſum primorum Parentum,vt hunc cultum plenè præſtare,imò ne ipſum inchoare poſſit quiſquam, niſi ad arborem vitæ, quæ eſt Ieſus Chriſtus; ei acceſſus patefactus fuerit.

Lapſo igitur genere humano in primis Parentibus,Deus rurſus ſuam voluntatem patefecit verbo & ſigno:vnde diſcitur,quo cultu poſt lapſum voluerit coli. Verbo reprehendit tranſgreſſionem ſui mandati:verbo promiſſionem edidit de Meſſia,qui homo factus ſolueret λύτρον pro reatu Adæ,& reſtitueret homini imaginem Dei,quam peccando amiſerat.Signum adiecit verbo,quod erat veluti aſpectabilis quædã concio de Meſſia.Hoc autem ſignum erat mactatio & oblatio pecorum & frugum terræ.Ex his ſequitur,quod poſt lapſum Deus requirat omnino ſimilem cultum cum eo,qui fuit ante lapſum,licet ſuis gradibus eam perfectionem nõ habeat, quam ante lapſum habuit.Requirit enim hîc Deus agnitionem ſui,requirit agnitionẽ noſtri peccati,requirit agnitionem Chriſti, qui eſt loco arboris vitæ,quæ erat in Paradiſo:requirit fidem Meſſiæ,requirit ex fide obedientiam,vt paulatim magis magíſque in homine reparetur imago Dei per Chriſtum,hoc eſt,vt in mẽte refulgeat firma Dei notitia,in anima ſanctitas: & omnibus viribus obedientia ex præſcripto verbi præſtanda.Hæc breuiter verbo & ſigno indicantur in principio Moſis.Nã olim οἱ παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν ὄντες καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες, vt Platonis verbis vtar:Melius & ſolidius erudiebantur breuibus Aphoriſmis & Symbolis,quàm nos longis concionibus.Fuit enim olim ea docendi ratio cum Theologis, tum Philoſophis communis & familiaris,vt id quod breuibus Aphoriſmis proponerẽt,idem certis ſignificarent ſymbolis.Lapſo homine hic Aphoriſmus propoſitus voce Dei eſt:Semen mulieris conteret caput ſerpentis.Symbolum,quod quadam imagine idem ſignificabat,fuit oblatio diuinitus Patribus commendata.

Abel itaque cum ſuas offerret victimas,in Aphoriſmum propoſitum reſpiciebat,& offerens hæc cogitabat.Primum mortem victimæ intuens,admonebatur de morte; in quam inciderat genus humanum propter peccatum: vnde haud dubiè ingens dolor in animo eius excitatus eſt.Deinde intuens ſanguinem victimæ,admonebatur factæ promiſsionis de Meſsia:cuius merito & interceſſione placari iram Dei iuxta promiſſionem ſtatuit,vnde & conſolatio in corde nata eſt,& fides,qua Deo acceptus fuit per Ieſum Chriſtum. Hac fide iuſtificatus ſola, veram ſanctitatem iuxta vocem Dei meditatus eſt,Deum prædicans & laudans propter iuſtitiam & miſericordiam.Atque ita Abel,imagine Dei in ſe quodammodo reparata,verum cultum Deo præſtitit,quem cultum poſtea morte ſua confirmauit.Nam cũ Cain frater & hypocrita ipſum à confeſſione promiſſi Seminis & vero cultu auocare ſtuderet,potius mortem oppetere voluit quàm in impium fratris decretum conſentire,ſignificans hac ſua conſtantia; quòd is demum verè Deũ colat,qui obedientiã erga Deum,& Chriſti confeſſionem omnibus rebus mundi,atque adeò vitæ ipſi,qua nihil homini carius eſſe ſolet,anteponat. Ex hoc ergo verbo & ſigno, primis parentibus poſt lapſum tradito,apparet,quod eadem religio fuerit eorum poſt lapſum, quæ ante lapſum erat.Etſi autem quædam circumſtantiæ externæ acceſſerunt propter deprauationem naturę,& promiſſionem reparationis,tamen ſubſtantia cultus Dei eadem manebat, atque ad eundem finem tendebat,licet imperfectius.Hic cultus Dei purus durâuit in Eccleſia; quæ fuit perexigua,vſque ad diluuium,hoc eſt,annos mille ſexcentos quinquaginta ſex.Nam Caini poſteritas carnaliter promiſſionem intelligens,perſecuta eſt veram Eccleſiam:ſibi Eccleſiæ titulum vſurpauit:verum cultum Dei in prophanam hypocriſin & ſuperſtitionem commutauit.Porro cum hypocriſin & ſuperſtitionem cum aliis horrendis ſceleribus diluuio puniuiſſet Dominus,Nohæ verbo & ſymbolo verum Dei cultum iterum commendat:non nouũ quidem,ſed prorſus eundem,quem ab initio inſtituerat. Verùm cum hũc hypocriſi & ſuperſtitione Iaphet & Cham tyrannide profligaſſet,manſit in ſola familia Patriarchę Sem.Is enim rectè intelligens promiſſionem & eius Symbolum,Deum ex fide coluit eíque obediuit,quemadmodum Abel & Nohe fecerunt.Etſi autem & verbum & Symbolum traditum primis Parẽtibus, Nohe & Sẽ retinuerunt:tamen propter nouũ euentum nouum Symbolum acceſſit. Nam cum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Deus impium mundum diluuio perdidiſſet propter defectionẽ à vero & puro cultu Dei, promiſit Nohæ & eius poſteritati, ſe poſtea mundum diluuio non perditurum. Huic promiſſioni ſymbolum, nempe arcum cœleſtem, adiecit, qui erat promiſſionis quoddam μνημόσυνον. Arcũ itaque qui in nubibus apparere ſolet, verbi ſui nota inſcripſit Deus, vt quaſi ſigillo promiſſum illud ſuum ratum fore confirmaret, quo ſe non ſolùm Deum Nohæ, eiúſque poſteritatis, cuius ſe in fidem clientelámque contulerant, futurum receperat: verùm etiam ſe deinceps homines nunquam aquarum inundationibus deleturum. Hoc igitur ſymbolum intuens Nohe & Sem, exemplo ſancti Abelis, Deo verum & ſpiritualem cultum exhibuerunt.

Sequitur Abrahami ætas vſque ad tempora Moſis, qua ætate idem cultus & voce Dei & nouo ſymbolo Patriarchis eſt commendatus. Nam decreſcente iam ſapientia, quæ fuit in primis parentibus, vt verbo clariori, ita ſymbolo euidentiori opus erat. Verbum igitur Abrahamo propoſitum fuit hoc: Benedicentur in ſemine tuo omnes cognationes terræ. Symbolũ verbo additum erat Circumciſio genitalis mẽbri in maſculis. Vt ergo verbo docuit, vtrũque cultum requiſiuit: Ita ſymbolo idem fecit, quod erat doctrinæ & cultus ſigillum. Cum enim ait, Benedicentur in ſemine tuo, tria apertiſſime inſinuat: quorum primum eſt repetitio accuſationis totius generis humani propter peccatum & defectionem à Deo. Nam cum promittit benedictionẽ, ſignificat eos in maledictione hærere, quæ maledictio peruaſit in homines omnes cum peccato. Alterum eſt repetitio promiſſionis ſeminis & beneficiorum eius, quod Adamo dictum erat ſub his verbis: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Id quod hîc ſignificantiori voce benedictionis exprimitur. Nam benedictionis voce ſignificatur fauor Dei, reconciliatio, remiſſio peccatorum, & iuſtitia propter Chriſtum, quemadmodũ Paulus, Moſis interpres, exponit. Tertium eſt indicatio noſtræ imbecillitatis, quòd noſtris viribus non poſſimus benedictionem nanciſci: ſed oportere nos eam obtinere fide in ſemen promiſſum. Hanc fidem Abrahæ ſecuta eſt obedientia in tota eius vita, iuxta præceptum: ambula coram me & eſto perfectus, quam obedientiam ſanctus Patriarcha declarauit victima filij. Quãti enim fecerit obedientiam erga Deũ, ex eo apparet, quod potius voluerit vnigenitum filiũ Iſaac, quẽ genuerat in ſenectute, cui tam magnificæ promiſſiones erant factæ, ad mandatum Dei mactare, quàm ab obedientia erga Deum recedere. Symbolum vero additum à verbo interpretationem mutuari debet. Nihil enim aliud Symbolũ eſt, quã aſpectabile verbũ. Tria proinde ſymbolũ ponit ob oculos. Nempe natiuitatẽ noſtram carnalẽ eſſe corruptã. Deinde promiſſum eſſe ſemẽ, per quod natura reparabitur. Tũ circumſione carnis ſignificari circumciſionem cordis, qua amputatur ignorantia Dei, affectuum impuritas, & cordis contumacia: vt nouus homo naſcatur, geſtans imaginem Dei, in vera ſanctitate & iuſtitia. Ecce quàm aptè quadrant hæc cum prioribus. Vox quidem mutatur, ſed ſignificatio manet. Hęc in verbo & in ſymbolo varietas humanæ imbecillitati ſeruit, & ignorantię noſtræ medetur: non aliquam nouã colendi Deũ rationẽ præſcribit, quemadmodum carnale ſemen Abrahæ autumauit. Nam quemadmodum Cainitæ hypocriſin: reiecto puro intellectu verbi & ſymboli, amplexati, perſecuti ſunt Abelem & imitatores fidei ipſius: ita Iſmaelitæ in litera circumciſionis hærentes, ſpiritu neglecto, perſecuti ſunt veros filios Abrahæ: ex quo factum eſt, quod verus cultus apud pauciſſimos remanſerit. Nam cum exularent in Ægypto Patres, ſola familia Ioſeph, mortuo Patriarcha Iacob, verum cultum retinuit, qui cum poſt eius mortẽ tantùm non extinctus eſſet, Deus nato Moſe in Ægypto, & agente iam 80. annum, à promiſſione facta Abrahæ 340. anno, verbũ iterũ promiſſionis repetit: multa addit ſigna, &, vt conſeruaretur cultus verus, erexit regnũ & ſacerdotiũ. Tametſi autem idem verbũ & idem ſignũ Moſi commendat, quod antè Patriarchis commendarat: tamen longiores conciones & plura inſuper ſigna adhibet prout eius ætatis ratio poſtulabat. Quæ omnia ad eundem ſcopum collimabant, & eundem cultũ Dei ſpiritualem hominibus commendabant. Nam in deſerto (vt prætereeam rubum ardentem, & columnas ignis & nubis) Man, Petra, & Serpens æneus, vt ſymbola doctrinæ & cultus Dei proponebantur: quæ tria ſignificabant Chriſtum olim promiſſum. Man enim, Paulo interprete, ſignificabat cibũ ſpiritualẽ, quo noui homines, per Chriſtũ facti aluntur in Chriſti regno. Petra figurabat potum ſpiritualem, quo credentes reficiuntur. Serpens ſuſpenſus adumbrabat Chriſtũ ſuſpendẽdum in aram crucis pro peccatis mundi: quemadmodum ipſe Chriſtus ſymbolum hoc interpretatur. Intuitus in ſerpentem æneum typus erat fidei, qua homines iuſtificati & viuificati coram Deo ambulant, & ad perfectionem aſpirant. Verum poſtquã populus in terrã promiſſam, quę typus erat cœleſtis patriæ, introductus erat, plura adhuc ſigna veluti aſpectabiles cõciones ei propoſitæ ſunt, ex quibus pauca quędam attingam: nã omnia perſequi inſtituta breuitas nõ permittit. Tota quidem reſpub. ſignificat Eccleſiam: ſacerdotiũ & regnum figurant Chriſtum, qui ſacerdotio ſuo placat iram Patris iuxta promiſſionem primam, & ſuo regno deſtruit regnũ

Diaboli,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Diaboli, peccatum & mortem:& vtroque reparat imaginem Dei in homine,ad quam homo erat creatus,vt ita rurſus ornatus imagine Dei,vera obedientia ipſum colat ac celebret.

Ceremoniæ multæ ſunt additæ,quarum ſpiritualis ſignificatio primam promiſſionem explicat,ac cultum Dei ſpiritualem commendat. Verum quia multæ ſunt, paucas eáſque illuſtriores eligam,& breuiter excutiam. Sacerdotis ornatus, annua oblatio ſummi ſacerdotis, arca fœderis,agnus phaſe,ſanguinis aſperſio, baptiſma,quotidianæ oblationes,ſingularem habuere rerum ſpiritualium ſignificationem, quæ omnes dulces habent meditationes de Mediatoris conditionibus & piorum officio. Sacerdos ſummus laminam in fronte & veſtes mundas geſtauit. Lamina aurea diuinitatem Chriſti ſignificabat:veſtis verò munda humanitatem, ſed mundam & puram ab omni peccato. Quòd autem ſacerdos ſemel in anno intrauit in Sancta Sanctorum,typus fuit Sacerdotis Chriſti, qui vna oblatione conſummaret ſanctificandos. Hoc apertè Exod.28.38.indicatur,vbi Dominus ait:vt ſit ei placatus Dominus. Deinde veſtes Sacerdotis figurant ſanctitatem,qua ornatos vult eſſe ſuos ſacerdotes Dominus, quemadmodum Dauid Moſis interpres exponit,cum ait,Pſal.132.9. Sacerdotes tui induantur iuſtitia,& ſancti tui exultent. Arca fœderis ſignificat populum Dei,cũ quo expreſſo verbo pactum fecit Dominus. In hac arca fuerunt tabulæ legis,quæ tegebantur in arca lamina aurea:qua re nihil aliud ſignificatum fuit,quàm quod habet prima promiſſio,Semen mulieris conteret caput ſerpentis,niſi quod ſymbolum dulcius rem exprimit. Tabulæ enim decalogi in arca teguntur aurea lamina,quæ dicitur propiciatorium. Hoc eſt,Chriſtus,qui eſt propiciatio pro peccatis noſtris,tegit in Eccleſia peccata hominum,aduerſus iram & horrendum iudiciũ Dei,quid quęſo hoc eſt aliud,quàm ſemen mulieris conteret caput ſerpentis? Ita hunc typum explicat Moſis interpres Paulus Rom.3. Iuſtificamur gratis per illius gratiam,per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu,quem propoſuit Deus propiciatorium per fidem in ſanguine eius. Vt enim Pontifex Hebræorum ſolebat ſemel ſingulo quoque anno propiciatorium imbuere ſanguine cũ in Sancta ſanctorum ingrederetur:Ita ſummus noſter pontifex Ieſus Chriſtus ſemel obtulit ſe Patri pro peccatis mundi,& æternam redemtionem reperit. Agnus Phaſe habuit etiam ſignificationem ſymbolicam, qua prima promiſſio veluti viuis coloribus depingebatur:cuius typum explicat Paulus,cum ait.1.Cor.5.7.Et Phaſe noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Quod autem iſte agnus de grege ſumebatur,innuebat Chriſtum carnem noſtram aſſumſiſſe,& infirmitates carnis noſtræ tuliſſe,& per omnia nobiſcum ſimiliter tentatum abſque peccato, vt nos quoque cœleſtes,qui terreni, ſpirituales,qui carnales ſumus,redderet. Quod autem de Agno dicitur:Immolabítque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael, ſignificatur non propter vnum & alterum obiiſſe Chriſtum : ſed propter Eccleſiam, hoc eſt,propter totum corpus ſcriptorum in libro vitæ. Sanguinis aſperſio apertam habet ſignificationem. Symbolum enim fuit ſanguinis Chriſti,effuſi in ara crucis,quo aſperſæ conſcientiæ noſtrę mundantur à mortuis operibus,quemadmodum typum hunc autor Epiſtolæ ad Hebræos piè explicat. Eòdem pertinent baptiſmata & quotidianæ oblationes. Figurabant enim hæc in genere cùm purgationem illam,qua Chriſtus abluit & emundat nos ab omni iniquitate,tum ſanctitatem veram, qua credentes ornantur,vt iam imaginem Dei repræſentare incipiant in gloriam & laudem Dei. Hæc legis typica fuerunt ſymbolicæ interpretationes primæ promiſſionis, quas qui intellexerunt cum Adam,Abele,Seth,Enoch,Noha,Abraham,&c. verum cultum & ſpiritualem Deo exhibuerunt,non diſſimilem quo ad ſubſtantiam cultus attinet, ſed omnino ſimilem,imò eũdem. Sed quid hîc fit? Sicut Cainitæ promiſſionem carnaliter intellexerunt, & ex ſymbolo addito fecerunt cultum per ſe:ita hîc maxima pars Iudæorum, omiſſo ſpiritu,literam admirata eſt, cultum Dei poſuerunt in iſtis externis ritibus ſine fide: quem errorem taxat grauiſsimè Dominus apud Prophetam Iſ.1.11.vbi ait : Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum,dicit Dominus? & paulò pòſt:Ne offeratis vltrà ſacrificia fruſtrà,incenſum abominatio eſt mihi. Et huius rei cauſſam mox ſubiungit,cum ait:Iniqui ſunt cœtus veſtri,calendas veſtras & ſolemnitates veſtras odit anima mea. His verbis ſignificat Deus,non ita ſe inſtituiſſe ceremonias,quaſi eas vt cultum requireret ſpiritualem,ſed vt in iis populus ſe ad pietatem exerceret: obfirmarétque fidem ſuam,magíſque ac magis ſeſe in puro cultu Dei contineret. Verùm vt natura ſuperſtitioſi ſunt homines,maxima pars per hypocriſin abducta eſt à vero ceremoniarum vſu,ac in earum obſeruatione proram & puppim,vt aiunt,ſuæ ſalutis collocarunt, quorum errorem miſsi Prophetæ,cùm arguerent, rapti ſunt ad ſupplicia tanquam in legem Dei blaſphemi. Ex his patet,ſummum fuiſſe conſenſum ipſorum,qui in repub. Moſis vixerunt,cùm in doctrina tũ in cultu cum ſanctis Patribus ante diluuium & poſt diluuium,vſque ad vocationem Moſis, & à Moſe vſque ad Chriſtum. Quid enim hîc requiritur pręter agnitionem peccati,fidẽ in Chriſtum, inuocationem,ſanctitatem,obedientiam,& alias virtutes, quæ ad reparandam imaginem Dei in nobis tanquam partes requiruntur?

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Reſtat poſtrema ætas, qua λόγος æternus iuxta vaticinia aſſumſit ſemen mulieris, hoc eſt, naturam humanam, vt contereret caput ſerpentis, hoc eſt, vt Ioannes in 1. epiſt. cap. 3. 8. interpretatur, deſtrueret opera Diaboli. Hic Moſis & Prophetarum interpres & completor, eundem cultum Dei iam fere collapſum verbo & ſymbolis reſtituit, iuſſit prædicari pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, credentes in ſe ornat ſua iuſtitia, donat Spiritu ſancto, excitat in iis motus congruentes legi & voluntati Dei: breuiter, reparat imaginem Dei, ad quam primus homo conditus erat, iubet vt ita luceat lumen noſtrum, vt glorificetur Pater noſter cœleſtis. Hunc eundem cultum ſuis diſcipulis commendat, quem ipſi voce & vita docuerunt & expreſſerunt. Verum vt perpetuò hunc cultum conſeruaret Eccleſia, verbum certum tradidit, ac verbo duo externa veluti ſigilla appoſuit, Baptiſmum & cœnam Domini. Verbum primam promiſſionem clarius interpretatur. Signa ſunt aſpectabiles quædam conciones, quæ idē quod verbum docent & offerunt. Sed quid fit? Vt olim Cainitæ, Camitæ, & Pſeudoiſraelitæ verbum corruperunt, & ei carnali ſua ſtulticia humana ſomnia aſſuebant: ita hypocritæ à verbo deficientes, in hac poſtrema mundi ætate, cultum Dei conſpurcarunt, donec hæreticorum furiis & regno Antichriſti doctrina rurſus ferè cum veris cultibus, ſacramentis partim conſpurcatis humanis traditionibus, partim mutilatis obruta ſit. Cæterum ante 40. fere annos excitatus Propheta Dei beatus Lutherus, reſtituit doctrinam & cultum veterem, quem & primi noſtri Parentes acceperant à Deo, & Chriſtus ſuæ Eccleſiæ commendarat. Atque hunc verum & perpetuum cultum Dei eſſe, quem noſtra Eccleſia hodie tuetur, clariſsimè intelligitis, qui ipſum ad normam Patriarcharum & Eccleſiæ Apoſtolicæ refert. Sed quid nobis accidit? Idem ſanè quod primis parentibus, quod Abrahamitis, quod Eccleſiæ Apoſtolicæ. Diabolus enim toto impetu ruit ad perdendum Euangelium & verum cultum Dei abolendum: atque id noſtra ætate furioſius agit, quia nouit exiguum ſibi reſtare tempus, quo liceat ei in Eccleſiam Chriſti ſæuire. Quibus autem technis iſte aduerſarius Chriſti ad delendam ſinceram doctrinam & verum cultum vtatur, res ipſa hodie palam loquitur. Primùm enim regnum, illúdque ampliſsimum, nempe Turcicum erexit, quod palam blaſphemat nomen Chriſti. Deinde aliud regnum, quod Papatum vocant, ſtatuit: quod etſi non profitetur ſe palam aduerſari Chriſto: ſingulari tamen dolo & fraude regnū Chriſti inuadit, doctrinam corrumpit, ſacramenta contaminat, breuiter, verum cultum Dei peruertit. Papa enim, miniſterij titulo primatū aſſecutus, omne ſuperſtitionis & idololatriæ genus in mundū inuexit, adeo vt poſt natos homines nulla vnquam ſit audita violentior intolerabiliórque tyrannis, nullúmque extiterit idolomaniæ genus, quo grauior irrogata ſit maieſtati diuinæ iniuria, & quo Chriſtianorum hominum mentes prodigioſius ſint faſcinatæ. Poſteaquā autem hac ex parte ſuas fraudes deprehenſas cognouit Satan, non agit inducias, ſed ſuæ impietatis miniſtros conquirit, quales ſunt Libertini, Anabaptiſtæ, Seruetiani, Antinomi & alij, qui doctrinā repurgatam & ſacramenta rurſus ſuo impuro roſtro fœdare conantur. At vero cum hiſce ſuis conatibus animaduertit ſe non poſſe curſum Euangelij, & puri cultus Dei impedire, aggreditur alia via, qua inteſtinis diſſidiis diſtrahat ac hoſtiliter inter ſe committat illos ipſos, quos animaduertit ſeriam præ cæteris meditari Eccleſię ac veræ religionis reſtitutionem, ne ſcilicet coniunctis ſtudiis & conſiliis hoc tam præclarum opus vnanimes moliantur. Præterea ſubinde quoſdam è caſtris Chriſti exturbat, qui Apoſtatæ facti grauiſſimum damnum Eccleſiæ inferunt: inter quos ſunt, qui nouam rationem conciliandi odium puræ doctrinæ apud infirmos & imperitiores excogitant. Colligunt enim antinomias in dictis eorum, quorum opera Deus eſt vſus in hac extrema ſenecta mundi ad repurgandam ſuam Eccleſiam: cum tamen in nulla parte fundamenti doctrinæ & cultus Dei poſſint vllam veram Antilogiam monſtrare, vtut ſe in mille formas Protei iſti trāsforment. His machinamentis Satanæ videmus effectum eſſe, quod obſtinati ſint facti confirmatiores in ſua ſuperſtitione: infirmiores ac imbecilliores magna ex parte ſuccumbant, cum piorum omnium ingenti dolore: & niſi Chriſtus accelerauerit ſuum aduentum, metuendum eſt, ne rurſus ſuperioribus tenebris plerique inuoluantur. Quid nobis quæſo hîc faciendum eſt, fratres? Cauendæ ſunt inſidiæ Satanæ: reſpiciendum eſt ad exempla maiorum, Abelis, Abrahæ, Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum: horum cœtui in doctrina, cultu, inuocatione nos adiungamus: non turbemur multitudine hoſtium non moueat nos numerus transfugarum: non frangamur animo in cruce & ærumnis, quas pios perferre in hoc mundo neceſſe eſt. Non tantum reſpiciamus ad humilitatem Eccleſiæ, quæ in hac vita humili iacet contemta: ſed etiam intueamur Chriſtum triumphantem, qui eos, quos conformes ſibi facit in hac vita, olim beata immortalitatis gloria donaturus eſt, modò conſtantes perſeuerauerint vſque ad finē. Meminerimus grauiſſimæ ſentētiæ Chriſti: Vigilate & orate, ne intretis in tentationē. Quod vobis (inquit) dico, omnibus dico. Tētat mūdus: ſolicitat caro: turbant hæreticorū agmina: offendunt doctrinæ & morū ſcandala: futiles ſuperborū hominū rixæ moleſtāt: aduerſus hæc omnia prǣſidiū tutiſſimū eſt inuocatio Dei. Nō enim fruſtra dicit Salomō, Pro. 18. 10. Turris fortiſſima

tiſſima

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tiſſima nomen Domini,ad eam confugiet iuſtus & ſaluabitur. In inuocatione noſtra reſpiciamus ad Eccleſiam Propheticam & Apoſtolicam,& muniamus animos noſtros aduerſus Mahometicas & Papiſticas idolomanias & hæreticorum ἐνοχλήσεις. Sæpe cogitemus quàm firmis & immotis fundamentis nitatur Eccleſiæ perpetua doctrina,& conſtans Eccleſiæ Catholicæ cultus. Veniant vobis in mentem patefactionis diuinæ, quibus Deus ſuam voluntatem hominibus patefecit,quando locutus eſt cum ſanctis Patriarchis & Prophetis : quam ſuam voluntatem multis ſtupendis miraculis confirmauit,cùm in veteri,tum in nouo teſtamento. Aſpiciamus dulciſſimum conſenſum Moſis,Prophetarum,Chriſti,Apoſtolorum in doctrina & cultu: incitemur ad confeſsionem exemplo tot Martyrum, qui cum Abel protomartyre doctrinam cœleſtem ſuo ſanguine confirmarunt. Abſtineamus à futilibus diſputationibus; quibus vinculum pacis,quod eſt dilectio,ſoluitur:& magis piæ vitæ ſtudeamus, quàm argutis & inutilibus diſputationibus, ex quibus quid mali ortum ſit in Eccleſia,non ſine magno dolore animi cogito. Etſi autē his regnis eſt ſumma(ſit Deo gratia)adhuc trāquillitas & omnibus Eccleſiis pius conſenſus:tamē pietas ſuadet,vt afficiamur eorum calamitate,qui hodie affliguntur propter quorundam intempeſtiuas rixas,quibus multorum principum & aliorum animi vulnerantur. Verum cùm his malis mederi non poſſumus,confugiamus ad illum, qui ſolus poteſt omnia. Orate igitur cum tota Eccleſia Chriſti æternum Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti,vt ſibi Eccleſiam in hac vita colligat, & in ea puritatem doctrinæ, & verum cultum conſeruet:vt ipſum verè colamus, & in omni æternitate celebremus ac diligamus. Orate, vt gubernet ſuo ſpiritu regem Dominum noſtrum clementiſsimum, D.Fridericum eius nominis ſecundum,qui vt Patri ſanctiſsimo in regnum ſucceſsit : ita paternarum virtutum hæres exiſtit veriſsimus:non ſolùm iuſtitiæ & æquitatis amantiſsimus Princeps,verùm etiam Eccleſiarum ſcholarúmque fautor & patronus optimus,imo nutricius fideliſsimus. Orate, vt Chriſtus ſuo ſpiritu regat regni Conſiliarios, & alios nobiles & gubernatores Eccleſiarum, politiarum,ſcholarum,& Oeconomiarum, addátque ipſis animum, gloriam Dei, veram doctrinam, & honeſtatem diſciplinæ conſeruandi, vt tranquillam & quietam vitam degamus cum omni pietate & honeſtate. Orate pro omnibus regni ſtatibus, vt omnes dulci concordia coaleſcant,& alij alios ſubleuent,vt maiores cogitent, inferiores cohæredes regni Dei ſecum futuros:vt inferiores ſuperioribus obediant in Domino, vt Paulus præcipit: vt ita dulciſſima harmonia ordinum in hoc regno conſtituta,pacificè & tranquillè viuamus. Orate,aduerſus hoſtes Regis & regni. Orate, vt Chriſtus impetus Satanæ reprimat, ac largiatur Eccleſiæ doctores & paſtores in vera doctrina & pietate concordes, qui recta docendo exemplo piæ vitæ gloriam Dei illuſtrent:quò tandem plenè omnes retecta facie gloriam Domini,vt in ſpeculo conſpicientes,in eandem imaginem transformentur à gloria in gloriam, ſicut à Domini ſpiritu, Amen.

Iam reliquum eſt,vt nonnihil dicam de meo conſilio, cur videlicet has in Euangelica Dominicalia enarrationes ediderim in lucem. Ante quatuordecim annos priuatim domeſticis meis diſcipulis dictaui quædam ſcholia in Euangelia Dominicalia, quò eorum ſtudia hac opella nonnihil iuuarem,nihil omnino cogitans de edendo. Sed quid fit? quæ paucis diſcipulis dictata erant,multis communicantur:& dum animaduerti iſta auidè à multis expeti, ea nonnihil ante ſexennium auxi. Iam verò piorum quorundam paſtorum preces me impulerunt,vt publicarem & in lucem emitterem. Quare cùm hic labor totus deſtinatus ſit piis Euangelij miniſtris,mihi viſum eſt ſub nomine veſtro,chariſsimi fratres, hunc meum laborem in lucem emittere. Quod ſi quis fructus ad vos inde peruenerit, Deo gratias agite,& me Deo veſtris commendate precibus. Hoc vnum ſtudiosè curaui, vt doctrinam Catholicæ Eccleſiæ purè proponerem,quam & ſchola Witebergenſis vltra XL. annos & adhuc ſincerè tuetur, præſtantiſsimi viri huius Scholæ profeſſores, D.Iohannes Maccabæus Alphinas, D.Petrus Palladius,D. Iohannes Seningius, D.Olaus Chryſoſtomus(qui omnes iam in Domino quieſcunt,expectantes plenam liberationem per aduentum filij Dei)tradiderunt. In hoc conſenſu perſiſtimus & nos,qui illis in officio ſucceſsimus in hac ſchola : & feriò oramus Deum, vt in hoc conſenſu viuamus & moriamur. Non enim dubitamus,quin hic ſit conſenſus perpetuus Eccleſiæ Dei,ſicuti ſuprà ſatis oſtendimus. Oro Deum Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt nos ſuo Spiritu coniungat,vt vnum in ipſo ſimus. Bene & feliciter in Chriſto valete. Hafniæ, 30.Martij,Anno à Chriſto nato 1561.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

DOMINICA PRIMA aduentus, Matthæi 21.

CVM appropinquaſſent Hieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem Oliuarũ, tunc Ieſus miſit duos diſcipulos, dicens eis, Ite in caſtellum, quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis Aſinam alligatam, & pullum cum ea ſoluite & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, Dominus his opus habet, & confeſtim emittet eos. Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſupra Aſinum & pullum filium ſubiugalis. Euntes autem diſcipuli, fecerunt ſicut præceperat illis Ieſus. Et adduxerunt Aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper illos veſtimenta ſua, & eum ſuper illa collocarunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via. Alij verò cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Porrò, turbæ quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes, Hoſanna Filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in altiſſimis.

ENARRATIO TEXTVS.

Tria in ſingulis feſtis conſideranda. Cum hoc de aduentu Domini feſtum ſit omniũ primum ordine, quod in Eccleſia celebratur, operæ precium eſt, vt admoneamur, quæ in ſingulis feſtis ſpectanda ſint, ne aut cum impio & prophano mundo eis in cõtumeliam Dei abutamur, aut minus piè, quàm par eſt, eadem celebremus nõ ſine multorum ſcandalo. Sunt autem in vniuerſum tria in ſingulis feſtis conſideranda. 1. Hiſtoria, quæ feſti fundamẽtum eſt. 2. beneficiũ, cuius Hiſtoria meminit. 3. feſti verus legitimúſque vſus. Vt enim hiſtoria mentẽ erudit: ita beneficium Dei, cuius memoriam confirmat hiſtoria, fidem alit & confirmat: ex qua fide gratitudo manat, quæ Deum pro accepto beneficio celebrat mente, voce, confeſsione, & moribus: in qua gratitudine verus feſti vſus conſpicitur.

Applicatio. Hæc tria omnibus feſtis accõmodanda ſunt. Quare cùm hoc feſtum ſit inſtitutum de Aduentu Domini, hiſtoria Aduentus, quæ ad conceptionem, natiuitatem, doctrinam & facta Chriſti, præcipuos articulos noſtri Symboli, pertinet, diſcenda eſt, beneficium Dei, quod eſt per Sacrificium expiatorium ſaluare perditam ouem, eſt recolendum: illa mens erudienda, hoc fides alenda & confirmanda eſt, vt inde mẽtis gratitudo naſcatur, qua Deum, qui filium dare dignatus eſt, mente, voce, confeſsione & moribus celebremus. *Partes methodi.* Porrò vt nobis præſens feſtum reddatur cùm in Dei gloriam tùm in noſtri inſtructionem vtilius, tres locos ordine tractabo, qui ſunt:

1. *De aduentu Domini.*
2. *Deſcriptio Regis Chriſti & eius Regni.*
3. *De ciuibus huius Regis, eorum officio, atque adeò de vero vſu & ſalutari meditatione Aduentus Domini.*

DE PRIMO.

Quò magis & certius erudiamur in Dei laudem, & noſtri ſalutarem inſtructionem de Aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſex circumſtantias cum diuo Bernardo pẽſandas in eo præponamus, quæ ſunt: 1. Quis ſit qui veniat. 2. Vnde. 3. quò. 4. ad quid. 5. quando. 6. & quà.

Filius Dei venit. I. Venit ſecundum Gabrielis teſtimonium altiſſimi Filius, æqualis altiſsimo patri in vera dignitate. Hinc diſcamus quanta ſit eius Maieſtas, dignitas & potentia. Venit Semen mulieris, verus homo de ſemine Abraham & Dauid, iuxta oracula Prophetarum, & teſtimonia Apoſtolorum: minor Patre in vera humanitate. Ex quo diſcamus, qua naturę ſocietate nobis coniunctus ſit: vt ad eum accedere nõ pertimeſcamus. Venit ergo Chriſtus, qui idem Deus eſt verus, & homo verus, vna perſona in duabus naturis ſubſiſtens, qui & poteſt ſaluare, quia Deus: & vult, quia naturam noſtram aſſumſit, vt pro nobis victima fieret.

E cœlo. II. Vnde venit? cœlo venit, è ſinu Patris venit, qui omnia implet, & vbique inuiſibiliter adeſt: venit & in vtero virginis, conceptus Spiritus ſancti opera, nutritur ſanguine virginis, naſcitur, educatur, circumciditur, &c.

In mundum. III. Quò venit? in mundum venit, qui per ipſum factus eſt, in propria venit, & ſui eum non receperũt, venit in inferiores partes terræ. Atque hoc eſt ſine controuerſia magnum illud myſterium, de quo Apoſtolus 1. Tim. 3. 16. Deus manifeſtatus eſt in carne, iuſtificatus eſt in ſpiritu, cõſpectus eſt ab Angelis, prædicatus à gentibus, fides illi habita eſt in mundo, ſurſum receptus in gloriam.

Vt destrueret opera Diaboli & ecclesiam suam patri reconciliaret. IIII. Ad quid venit? Cauſſas Aduẽtus Domini in mũdũ, vox Dei prænũciat: Typi figurãt: oracula Prophetarũ clamant: verba & facta aduenientis Domini comprobant: Apoſtolica teſtantur præconia: ac omnium ſanctorum læta confitetur Eccleſia.

Vox Dei ad Serpentem fuit, Gen. 1. 15. Semen mulieris conteret caput tuum, quod Apoſtolus explicás ait: 1. Ioã. 3. 8. Chriſtus apparuit, vt deſtruat opera Diaboli: huius vocis ſententiam ſępe ſanctis patribus idem Deus inculcauit, & potiſsimùm Abrahamo dicens Gen. 12. & 22. In ſemine tuo benedicẽtur omnes gentes. Ex his ergo intelligitur, quòd propter duo aduenerit Chriſtus: Primum, vt deſtrueret opera Diaboli. Alterum, vt benedictionem adduceret ſuper filios Abrahæ, hoc eſt, ſuper omnes, qui Chriſtum fide receperint, ſicuti Abraham fecit. Nam cum Adam ſe, & totam poſteritatẽ, ſuo lapſu regno Satanæ mãcipaſſet, ac in maledictionem commeritam cõieciſſet, requirebat iuſtitia Dei, vt aut commeritas pœnas lueremus, aut ſatisfaceret aliquis in genere humano iuſtitiæ Dei verùm cũ nulla finita potẽtia potuit Diabolũ ſuperare, & Deũ iratũ placare, prodiit filius Dei de arcana ſua ſede, venit in mundũ, fit homo, noſtrã cauſam in ſe recipit, deſtruit regnum Diaboli, ac irã Patris placat, factus pro nobis victima & ſacerdos.

Hoc ipſum multi figurant typi: vt ſacrificia patrũ, agnus phaſe, aſperſio ſanguinis vaccæ rufæ ſuper populũ, atq; adeo Arca fœderis, totum ſacrificium Aaronicũ cum omnibus ſuis ritibus & ceremonijs.

Oracula Prophetarum innumera has ipſas cauſas Aduentus Domini cõſentientibus ſuffragijs clamãt: vt Eſaiæ 53. 4. Verè languores noſtros tulit, & dolores noſtros portauit, ipſe vulneratus eſt propter pręuaricationes noſtras, & attritus eſt propter iniquitates noſtras. Dominus coniecit in illum iniquitates omnium noſtrûm. Huiuſmodi ſunt plurima teſtimonia Prophetarum, quæ breuitatis cauſſa omitto.

Verba & facta Chriſti aduenientis idem comprobant. Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos refocillabo. Matth. 11. 28. Itẽ, Qui credit in me nõ peribit, ſed vitã æternã habebit. Ioan. 6. 47. Itẽ, Ioã. 17. 19. Pro iis ſanctifico meipſum, hoc eſt, me hoſtiã Deo Patri offero pro ipſorũ peccatis expiandis: quod nò ſolum multa miracula, quæ fecit, quibúſque opera Diaboli deſtruxit, conuincunt, verumetiã mors ipſa, & eã ſecuta glorioſa victoria.

Apoſtolica teſtimonia quis poteſt numerare? Paulus dixit, Ro. 4. 25. Mortuus eſt pro peccatis noſtris, & reſurrexit propter iuſtificationẽ noſtri. Idẽ ſcribit, 2. Cor. 5. 21. Eũ qui nõ nouit peccatum fecit peccatũ, vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. Ioã. Bap. clamat, Ioan. 1. 29. Ecce agnus Dei qui tollit peccata mũdi. Ioh.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Apoſtolus in 1.Ep.cap.1.7.Ieſus Chriſtus purgat nos ab omni iniquitate noſtra. Idẽ ſummam beneficiorum Chriſti complectens,ſcribit:Chriſtus apparuit, vt deſtruat opera Diaboli.1.Ioan.3.8.

Deniq; vniuerſa Chriſti Eccleſia has ipſas Aduẽtus Chriſti cauſas læta per Spiritũ Chriſti cõfitetur, ita canens:Tu ad liberandum ſuſcepturus hominem, non horruiſti virginis vterũ.Tu deuicto mortis aculeo,aperuiſti credentibus regna cœlorum,&c.

Tempore conditu.

V. Verùm ſi de tẽpore quęris,reſpondet Apoſtolus Paulus:Poſtquam venit plenitudo tẽporis,emiſit Deus filium ſuum natum ex muliere,factum ſub Lege,vt eos qui erant legi ſubnoxij redimeret , vt adoptionem filiorũ reciperemus.Venit ergo nec ſerius, nec tardius quàm venire debuit.De hoc aduẽtus Domini tẽpore prædixerũt Prophetæ,Iacob,& Daniel, de qua re plura dicẽda erũt die natiuitatis Domini.

Via carnis ſuę & ſpiritus ſui.

VI. Vnum reſtat,via videlicet per quam venit:& hęc quoque diligenter requirenda,vt poſsimus rectà ei occurere.Sicut itaque ad operandam ſalutem noſtrã venit ſemel in carne viſibilis:ita quotidie ad ſaluandas animas ſingulorum vbicunque eius verbum cogitatur,legitur ,prædicatur,in ſpiritu venit, & inuiſibilis:imo illic ſemper adeſt,iuxta promſsionem: Ero vobiſcum vſque ad conſummationẽ ſeculi. Atque tum rurſus apparebit viſibilis iudex viuorũ & mortuorum,vt qui ipſum antea aſpernabantur medicum & ſaluatorem,tum ſentiant iudicem,& ſuorũ ſcelerum vindicem iuſtiſſimum:de quo aduẽtu proxima die Dominica plura audiemus. Atque hoc pacto de Aduentu Domini breuiter dictum ſit.

DE SECVNDO.

Deſcriptio regis Chriſti.

Secundus locus,quem continet textus Euangelij, habet deſcriptionem Regis Chriſti,atque eius regni, quæ deſcriptio confirmatur Zachariæ teſtimonio, quod adducit Euangeliſta,vt ſciamus hanc pompam non temerè inſtitutam:ſed ex voluntate Dei & conſilio arcano Trinitatis longè antea prænunciatam fuiſſe.Multa enim hæc põpa nos docet de conditionibus regis Chriſti,& eius regni. *Primum* enim hæc Chriſti pompa equitantis in Ieruſalem diſcrimen facit inter Chriſtum regem,& mũdi reges, eorumque diuerſa regna.Satis enim arguit hæc contemta põpa quod Chriſtus nec mundanus Rex ſit,nec regni eius adminiſtratio ſit mundana:Nam Reges mundi,vt à ſuis magnifici æſtimentur, ſplendidè ornantur : ita regnorum mundanorum adminiſtratio ſplendorem & magnificum requirit apparatum. *Secundo* docet hæc hiſtoria,quod ſub hac vili põpa lateat omnipotentia & diuinitas quędam.Nam cum ait,Soluite & adducite mihi.Itẽ:Dominus his opus habet Item: Confeſtim dimittet eos,ſignificat Chriſtus Rex noſter , ſe diuina ſua virtute omnia , quæ vult, efficere poſſe,atque adeo hominum corda & voluntates in ſua habere manu.

Doctrina.

Etſi igitur regnum Chriſti in hoc mundo apparet contemtibile:Tamen ſi Regis potẽtiam & diuinitatem reſpicis,nihil eo auguſtius,nihil potentius,nihil denique glorioſius.

Vaticinij Zachariæ explicatio

Porro vaticinium Prophetæ tria continet,*primum* exhortationem ad Eccleſiam iam deiectam & planè conſternatã; Lætare,inquit,& exulta filia Sion.Hinc docemur,quod ad deiectos & cõſternatos,planéque contritos ſpiritu pertineat Euangelium. *Deinde* cõtinet hoc vaticinium mandatũ Dei, vt huic regi homagium præſtemus,quemadmodum ſecundus quoque Pſalmus hortatur,cum ait:Oſculamini filiũ. *Tertiò*,continet hoc vaticinium deſcriptionem perſonæ Chriſti, nimirum quod ſit Rex Eccleſiæ promiſſus. Ecce,ait,Rex tuus venit:ac ſi diceret,hic eſt tandem ille promiſſus Rex,de quo tot extant teſtimonia,qui reſtituet regnum Dei,quod Diabolus inuaſit,ac peccato perdidit.Hunc regem manſuetum & mitem eſſe dicit,vt eum non fugiamus tanquam crudelem tyrãnum:ſed potius plena cum fiducia accedamus,petamúſque ab eo promiſſam ſalutem. Quod autem eum pauperẽ eſſe prędicat,id ad præſentis vitæ conditionem referendum eſt : quia ideo pauper eſſe voluit,vt nos Spiritu pauperes ditet, & æternum beet.

DE TERTIO.

Huius Regis ciues ſub perſona diſcipulorũ Chriſti & turbæ deſcribũtur,quos nos imitari debemus, modò inter ciues regni Chriſti cenſeri velimus. I. cũ diſcipulis Chriſto adducamus Aſinum:hoc eſt , nos, quibus miniſterium verbi demandatum eſt. omnia, quæ nobis præcepta ſunt , in gloriam Chriſti & eius regni propagationem faciemus. II. Veſtimenta noſtra ſternemus ſuper Aſinam : id quod tum demum faciemus,quando facultates noſtras ad conſeruationem miniſterij conferemus. III. Ramos quoque cædemus de arboribus,& obiiciemus Chriſto : hoc eſt,Chriſtum prædicabimus , & agnoſcemus perpetuum Regem : cuius regnum perpetuò inſtar palmæ florere optabimus,vt nullis operibus ærumnarũ huius mundi ſuccũbat.IIII. Clamabimus Hoſanna:hoc eſt,ex fide inuocabimus,& confitebimur hũc Regẽ, certi quod eius regum ſit benedictum in excelſis.

Ciues regni.
Eorum officium.

Hinc iam breuiter colligamus,quis ſit verus vſus, & ſalutaris meditatio huius feſti de ſalutari Chriſti Aduẽtu. *Primum* itaque ſtudeamus vt hic Rex ad nos veniat.Quomodo hoc fit? Vera pœnitentia accerſitur,ſola fide retinetur,puro cultu delectatur. *Deinde* admoneamur gratitudinis,vt ipſum mente,voce,cõfeſſione,& moribus celebremus:qui noſtra cauſſa ad nos venit:qui factus homo dedit ſeipſũ pro peccatis noſtris,vt eriperet nos de præſenti ſeculo malo,iuxta voluntatem Dei & Patris noſtri:Cui gloria in ſecula ſeculorum,Amen.

Vſus & meditatio huius feſti.

DOMINICA SECVNDA aduentus,euangelium Lucæ 21.

ERunt ſigna in Sole,& Luna,& Stellis,& in terris anxietas gentium per deſperationem,reſonante mari,& fluctu,extabeſcentibus hominibus præ timore & expectatione eorum,quæ ſuperuenient orbi terrarum. Nã virtutes cœlorum mouebuntur. Et tum videbunt Filium hominis venientem in nube cum poteſtate & gloria magna. His autem fieri incipientibus,ſuſpicite & attollite capita veſtra,quoniam appropinquat redemtio veſtra. Et dixit eis ſimilitudinem:Videte ficum & omnes arbores,cũ protrudunt iam gemmas,cernentes,ex vobis ipſis ſcitis, quòd iam inſtet æſtas.Ita & vos,cum videritis hæc fieri,ſcitote, quod inſtet regnum Dei.Amen dico vobis,non præteribit ætas hæc,antequam omnia facta fuerint. Cœlum & terra tranſibunt,verba autem mea non tranſibunt. Cauete autẽ vobis,ne quando grauẽtur corda veſtra crapula & ebrietate,& curis huius vitæ, & ſuperueniat in vos repentina dies illa,tanquam laqueus enim ſuperueniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Vigilate ergo omni tempore,orantes,vt digni habeamini fugere iſta omnia , quæ futura ſunt,& ſtare ante Filium hominis.

ENARRATIO TEXTVS.

Quemadmodũ proximo die Dominico Eccleſia memoriã Aduẽtus Chriſti in carne recoluit:Ita hæc Euãgelica lectio de ſecũdo ipſius aduentu tractat,& pertinet ad Articulũ fidei noſtræ, quo mente & ore confitemur eundẽ Dominum,qui prius venit,vt eſſet Mediator & Saluator in ſe credentium, venturũ

De ſecundo Chriſti aduentu.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ad iudicandum viuos & mortuos:vt illi,qui Chriſtũ in hac vita receperunt, & Saluatorem agnouerunt, æterna donentur vita,reſuſcitatis corporibus:& qui eũ ſpreuerunt,indulgentes ſuis affectib.in cõtumeliam Dei, dignis cruciatibus afficiantur æternũ.Cõſtituantur autem huius Euãgelicę lectionis tres loci.

I. De Aduentu Chriſti ad iudicium.

II. Vſus & fructus præmonitionis de eodẽ Aduentu.

III. Exhortatio Chriſti ad diſcipulos, vt ſint parati ſine impedimentis.

DE PRIMO.

Occaſio huius cõcionis.

Occaſionẽ huic concioni de Aduentu Chriſti ad iudicium,præbuit colloquium Chriſti & diſcipulorum eius de templo Hieroſolymitano. Nã cum admirarentur diſcipuli ornatum templi,ipſe Dominus reſpondit,fore vt ita vaſtaretur aliquando, ne relinqueretur lapis ſuper lapidem.Hoc audiẽtes diſcipuli,interrogant de tempore.Quibus reſpõdens, ſigna quæ præcederent excidium Hieroſolymitanũ expoſuit,illos confirmans,ne animum deſponderent propter imminentia mala:hinc occaſione ſumta tranſit ad vniuerſale & ſupremum iudicium , & quæ ſigna illud ſint præceſſura enumerat.

Diſtributio.

Verùm quò omnia nobis fiant illuſtriora,primùm circumſtantias quinque,quas textus cõplectitur, examinabimus. Deinde ipſum iudicium ex ſcripturis deſcribemus.

1. Circumſtantiæ. Temporis,cuius ſigna ſunt quintuplicia.

Circumſtantiarum itaque *PRIMA* eſt temporis.Tempus enim monſtrat à ſignis, & comparatione confirmat.Sunt autem plura ſignorũ genera,quæ Aduentum Domini ad iudicium præcedunt.

Primum in Sole,& Luna,& ſtellis cõſpicitur,quod quale ſit futurum,Marc.13.ca.his verbis explicat.Sol obtenebrabitur,hoc eſt,erunt frequentes Solis eclipſes: & Luna non dabit ſplendorem ſuum , dum videlicet patitur eclipſin:& ſtellæ cœlo decident , hoc eſt,videbũtur decidere.Huius generis ſigna præterijſſe quàm plurima, hæc noſtra teſtatur ætas. Nunquam enim tot cõtigere vel Solis vel Lunæ eclipſes.

Secundum ſignum imminentis iudicij,eſt anxietas gentium præ deſperatione , hoc eſt,vt Matthæus & Marcus interpretantur:Inſurget gens contra gentẽ, & regnum contra regnum,nec erit locus tutus à bellis. An non huius generis ſignis plenum eſſe mundum,teſtatur hic dies?

Tertij generis ſigna ſunt maris , fluctùum , aëris, tempeſtatum,horrendorum tumultuum, & inuſitatorum quorundam & vehemẽtium ventorũ. An nõ & huius generis ſigna noſtra ætas vidit quã plurima?

Quartum genus ſignorum ex ſecundo & tertio manat , quod eſt extabeſcentia præ timore & expectatione eorum,quæ ſuperuenient orbi terrarum.

Quintum genus:virtutes cœlorum mouebuntur, hoc eſt,erunt inuſitati aſpectus in cœlo , & in terris terræmotus. Breuiter,Cœlum & terra irati iudicis faciem quodammodo referent,vt peccatores iſtis irę Dei ſignis moti,agant pœnitentiam, & conuertantur ad Dominum.

Hæc ſigna in hunc modum ad extremum iudiciũ applicat Dominus:Videte ficum & omnes arbores, cum iam emiſerint folia,vos eas cernentes, ex vobis ipſis cognoſcitis,quòd iam propè ſit ęſtas:Ita & vos cum videritis hæc fieri,agnoſcite,quòd propè ſit regnum Dei.Nam hæc ſigna è creaturis omnibus,quę ſurſum ac deorſum feruntur,erunt veluti præcones, quorum voce citabuntur homines ad horribile illud tribunal,qui hic in mundo laſciuientes ſuam ipſorũ ſalutem neglexerunt, & veluti ebrij Chriſtum ſalutis autorem contemſerunt.

Præter hæc quintuplicia ſigna, quorum textus meminit,ſunt & alia Matth.24. Marc.13.2.Theſſa.2. Dan.2.& 7.Apoc.17.quæ omnia ſunt veluti quædam aſpectabiles conciones de pœnitentia, quibus Deus inuitat homines,vt cõfugiant ad filium ſuũ Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,in quo ſolo ſalus eſt.

Quis futurus iudex.

Secunda circumſtãtia eſt,quod is,qui eſt filius Dei & hominis,Ieſus Chriſtus,ſit futurus iudex.Vnde pij & impij habent quod diſcant. Pij quidem,vt ſciant illum futurum iudicem,qui omnibus in ſe credentibus vitam æternam promiſerat addito iureiurando: Amen dico vobis,Omnis qui credit in me non peribit,ſed habebit vitam ęternam.Hæc promiſſio iuramento confirmata nequaquam fallere poteſt.Impij verò,vt vel agant pœnitentiam ; relicta impiorum colluuie,& ita de ſalute per Chriſtũ parta gaudeant, vel meminerint, hunc quem renuerunt ſaluatorem, adiudicaturum ipſos æternis cruciatibus,vt tum demum cum ſuo magno malo diſcant,quàm ſit horrendum in manus Dei viuentis incidere.

2. Quomodo.

Tertia circumſtantia eſt,quòd ſit vẽturus in nube glorioſus & tremendus,non ſeruus,vt antea,ſed Dominus:non iudicandus,ſed iudicaturus : non iam inuitaturus homines ad pœnitentiam,ſed impœnitentes æternis pœnis puniturus:ídque vt iudex iuſtus.

3.

Quarta circumſtantia, quòd ſit venturus potens, cum poteſtate & gloria magna,vnde diſcendũ,quòd & poſſit damnare rebelles,& valeat æterna vita donare credentes.

4. Quæ ſit cauſa.

Quinta circumſtantia,cauſſam Aduentus Chriſti ad iudiciũ(quantum quidẽ ad pios attinet)exprimit: Appropinquat redẽtio veſtra,qua voce Chriſtus indicat nõ fore,vt Eccleſia bene in hoc mũdo ſit habitura,non enim poteſt antea à natiuitate huius mũdi liberari.Ita ſignificat complementũ beneficiorũ Chriſti erga Eccleſiã,eſſe plenã redemtionẽ ab omnibus malis:cum qua coniuncta eſt perfecta fruitio æterni Dei cum æterna lætitia.Hæc ergo pertinent ad piorum conſolationẽ.Verùm,quantũ ad impios attinet, iſte dies Aduentus Domini erit dies iræ & calamitatis,non liberationis:caliginis & tenebrarum,non lucis:mœroris,non lætitiæ:exitij,non ſalutis.

Cæterum iudicij forma,Matt.25.his verbis deſcribitur.

Iudicij forma.

Cùm autem venerit filius hominis in Maieſtate ſua,& omnes Angeli cum eo,tunc ſedębit ſuper ſedẽ Maieſtatis,& congregabũtur apud eũ omnes gẽtes, & ſeparabit eas ab inuicẽ,ſicut Paſtor ſegregat oues ab hœdis,& ſtatuet oues quidẽ à dextris ſuis, hœdos autẽ à ſiniſtris.Tunc dicet Rex iis,qui à dextris erũt: Venite benedicti Patris mei & poſsidete regnũ vobis paratũ à conſtitutione mũdi.Eſuriui enim,& dediſtis mihi manducare,&c.& iis, qui à ſiniſtris erũt, dicet:Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternum,qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius.Eſuriui enim,& non dediſtis mihi manducare.&c.Atque ita impij ibunt in ſuppliciũ ſempiternũ:iuſti vero in vitã æternã.Et in Apoc.20.11.Sedebit ſuper thronũ magnum candidum,à cuius conſpectu fugit terra & cœlum,& mortui magni & puſilli ſtabũt in conſpectu throni: & tunc aperietur liber vitæ, & libri conſcientiarũ,& iudicabũtur ex his,quæ ſcripta ſunt in libris,ſecundũ opera ipſorum qui bona egerunt,ibunt in vitam æternam:qui verò mala,in ignem æternum.

Sententię membra.

Porrò in ſentẽtia Iudicij duo ſpectãda ſunt.A parte Dei benedictio:à parte hominum,bona opera.Cũ dicit.Venite benedicti patris mei,ſignificat eos gratis ſaluari propter Chriſtũ,quem fide receperunt.Nã in ſolo Chriſto benedicuntur homines,in gratiã Dei recipiuntur,& gratis iuſtificantur.Verum cũ ad bona opera prouocat,id facit Dominus,non quòd ſint cauſſę ſalutis:ſed propter alias cauſſas,nẽpe quia ſunt teſtimonia veræ fidei & timoris Dei.Deinde, vt cõ-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

pēſatione ærumnarũ,quas ferunt in hac vita, propoſita,magis eos ad piè ſanctéque viuendum excitet.

DE SECVNDO.

Vſus præmonitionis de extremo iudicio.

Cur Chriſtus præmonuerit ſuos de ſuo ad iudiciũ Aduentu,explicat,cùm ait: *Cùm hæc fieri incipient, ſuſpicite,& attollite capita veſtra.* Hæc omnia ſigna admonebunt nos perpetuæ cuiuſdam pœnitentiæ in hac vita: ſed quid nos facimus? Videmus ceruicibus noſtris imminere diem extremum: nihilominus pœnitentiam differimus, indulgemus noſtris affectus. Quid faciunt nobiles? quid principes? quid docti? quid indocti? quid ciues? quid ruſtici? quid denique ferè omnes? Quis feriò de hac Chriſti præmonitione cogitat? pluris facimus prædium ruſticanũ, quàm Regnum Dei: imò quis non huius vitæ commoda vel perexigua anteponit ſaluti animæ?

DE TERTIO.

Exhortatio ad diſcipulos

Quia Chriſtus preuidit,quibus malis mundus eſſet inundaturus ſub ſui Aduentus tēpus,exhortationem inſtituit:vt cum vitent,quæ tum maximã mundi partem à ſalute promiſſa excludunt: tum ſe ſtrenuos præbeant milites, qui vigilijs & precationibus pugnēt contra hunc mundum,ſub vexillis vnius Ieſu Chriſti. Quò autem ad vtrumq; ſint paratiores, interponit rationes: nam & diem iſtum repētè ſuperuenturum ait,& iſto pacto eos omnia euaſuros mala,& conſtituendos coram Dei Filio pronunciat.

Quæ ſint vitanda.

Ait ergo: *Attendite vobis ipſis, nequando grauentur corda veſtra crapula & ebrietate, & curis huius mundi.* Hæc ſunt ergo vitanda,crapula, ebrietas, & cura huius mundi, impia ſcilicet & prophana, quæ fidem Chriſti extinguit. His malis cùm omnes mundi ordines implicari & inuolui manifeſtiſsimum ſit, eò magis hæc Chriſti exhortatio in cõſpectu nobis eſſe debet,ne mundi malis moribus decepti pereamus.

Quæ ſint facienda.

Deinde, cùm ſubiungit Dominus: *Vigilate omni tempore deprecantes*, docet quibus rebus occupari eos oporteat, qui ſuperuentura mala cupiunt effugere. Requirit in ſumma fugã malorum, & ardens bonorum ſtudium:vtrumque coniungit Apoſtolus ad Titheũ,c.2.12.ſcribens: Abnegantes omnem impietatē,& mundanas concupiſcentias,ſobriè,iuſtè, & piè viuamus in hoc ſeculo,expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, cui ſit laus, imperium & gloria in ſecula ſeculorum,Amen.

DOMINICA TERTIA ADuentus,Euangelium Matthæi II.

IOannes autem cùm audiſſet in carcere facta Chriſti, miſſis duobus diſcipulis ſuis, dixit illi: Tu es ille qui venturus eſt,an alterum expectamus? Et reſpondens Ieſus dixit illis: Ite & renunciate Ioanni ea,quæ auditis & videtis. Cæci viſum recipiunt,& claudi ambulãt,leproſi mundantur, & ſurdi audiunt, mortui excitantur, & pauperes lætum accipiunt Euangelij nuncium. Et beatus eſt quiſquis non fuerit offenſus in me. Euntibus autem illis, cœpit Ieſus dicere turbæ de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum vt videretis? Num arundinem,quæ agitatur à vento? Age, quid exiſtis vt videretis? num hominem mollibus veſtibus amictum? Ecce,qui mollia geſtant, in domibus regum ſunt. Ad quid exiſtis videre? num Prophetam? Certè dico vobis,& excellentiorem Propheta. Hic eſt enim,de quo ſcriptum eſt,Ecce ego mitto nũcium meum ante faciem tuam, qui præparaturus eſt viam tuam ante te.

Regni Chriſti deſcriptio, quoad externã eius formam.

ENARRATIO TEXTVS.

Hoc Euangelium deſcribit nobis regnum Chriſti,illúdq; depingit proprijs ſuis coloribus,quantum ſcilicet ad externam eius formam, quæ in oculos incurrit,attinet. Nam ſi eius arcanam vim reſpicis fidei oculis, eſt longè ſplēdidiſsimum & glorioſiſsimum. Hîc itaq; ſolummodo de eius externa ſpecie agitur, Præcurſor incarceratur. Vnde monemur,quòd Chriſti Regnum ſub cruce ſit conſtitutum: mittuntur diſcipuli dubitantes,ſed ad Chriſtum ſolum. Chriſtus Rex ipſe inter pauperes, cæcos,ſurdos, leproſos verſatur. Illi curantur, & recipiunt lætum ſalutis nuncium,quod mundi potentes,nobiles,& ſapiētes contemnunt. Breuiter, vt hoc Euangelium Regnum Chriſti depingit: ita confirmat Ioannis miniſterium, & Chriſtum verum eſſe Meſsiam promiſſum patribus certis indicijs euincit. Verùm vberioris doctrinæ cauſa, præſens Euangelium in quatuor locos diſtribuatur. Qui ſunt,

I. Et ſors, & officium miniſtrorum verbi indicatur.
II. Interrogatio Ioannis.
III. Reſponſio Chriſti.
IIII. Encomium & laudatio Ioannis.

DE PRIMO.

Ioannes autem cùm audiſſet in vinculis opera Chriſti, ad ipſum mittit duos de diſcipulis ſuis. Ioannes vinculis conſtrictus, ſortem miniſtrorum verbi exemplo ſuo docet: Et idem diſcipulos ſuos ad Chriſtum mittens, verum officium miniſtrorum verbi oſtendit. De vtroque igitur ordine dicam,ac primùm de ſorte eorum in hac vita. — Sors miniſtrorũ verbi.

Ioannes hortatur homines ad pœnitentiam,& accuſat ſcelera. Sed quid illi euenit? Hoc docet hiſtoria, Matth.14. Illic enim narratur, quòd, cùm Ioãnes reprehendiſſet Herodem,ac dixiſſet,non licere ipſi habere vxorem fratris ſui, coniectus ſit in carcerem,ac tãdem ſupplicio capitis affectus. Iſtud præmium retulit ſanctus Baptiſta ab impio tyrãno. Nam quemadmodum medicus, ſi furioſi hominis vulnus attingit,illúdque curare conatur,non aliud expectare poteſt, quàm vt furioſus in ſe manus conuertat, ac malum pro bono reddat: ad eundem modum miniſter verbi,ſi hominis impij, & potiſsimum tyrãni alicuius peccatum reprehendit,vt agat pœnitētiam,& ſanetur à peccati plaga, non aliud expectet, quàm minas,maledicta,mortem. Quàm autem verum hoc ſit, non ſolum Ioannis exēplum docet: verumetiam totius Eccleſiæ hiſtoria, cum veteris, tum noui Teſtamenti. Hinc tot martyres clarent,hinc tot Prophetarum neces, hinc Apoſtolorũ perſecutio, Pauli trucidatio,Petri crucifixio,& alia atq; alia aliorum ſupplicia: quæ nos cõmonefaciunt de ſorte ſanctorũ miniſtrorum in hac vita. Sed fœlix eſt crux, quã Chriſtus præclaram pronunciat: Beata crux,quæ eſt via ad veram & diuturnam victoriam per Chriſtum Ieſum. — Simile.

Quare non debent miniſtri Euãgelij propter perſecutionem ceſſare in officio: ſed Ioannis exemplo incitati,ſtrenuè facere officium: quod in his potiſsimum ſitum eſt. 1. Vt prædicent Chriſtum,& monſtrent Agnum tollentem peccata mundi. 2. Arguãt peccata. Sunt enim organa Spiritus ſancti,qui mundum per ipſos peccati arguit, ſicut in Ioanne videmus. 3. Pia, ſanctáque ſua vita miniſterium ſuum ornent. 4. Minas mundi cum Ioanne contemnant, parati ad ferenda potius quæuis ſupplicia, quàm vt in officio ceſſatores eſſe videantur. 5. Si contigerit eis in carcerem mitti,& rapi ad ſupplicia propter officium ritè præſtitum, quid hic facient? negabunt Chriſtum? Minimè. Sed ad Chriſtum diſcipulos mittent, non metuentes eos, qui corpus occidere tantum poſſunt: ſed potius eum, qui vt perdere corpus & animam,ita ſaluare vtrunque poteſt. Hęc ſint breuiter de primo loco dicta. — Officium eorum in quibus ſitum ſit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

DE SECVNDO.

Legationis occaſio.

Tu es ille qui venturus eſt, an alium expectamus? Huic legationi & interrogationi occaſionem præbuit error diſcipulorum Ioannis de Meſsia: Illi enim partim externa facie Chriſti offenſi(ſicut apparet ex reſponſione Domini)partim amore Magiſtri decepti, exiſtimabant Ioannem Meſsiam eſſe.Hunc errorem vt adimat diſcipulis ſuis Ioannes,mittit eos ad Chriſtum,vt interrogēt illum, ſítne ipſe Meſsias, an alius adhuc ſit expectandus, vtque iſto pacto dictis & factis Chriſti,plenius erudirētur de Chriſto,quòd ipſe ſit verus Meſsias, & non Ioannes. Non ergo mittit diſcipulos ſuos ad Chriſtum, quod dubitet ipſe de Chriſto, ſed vt dubitantium diſcipulorum ſaluti con ſulat.Diſcamus igitur nos à Ioanne humiliter de nobis ſentire, ne quid nobis arroganter tribuamus: diſcamus à diſcipulis,obedientiam præſtare ſuperioribus noſtris,& potiſsimum ijs,qui nos recta ad Chriſtum voce & vita mittunt.

DE TERTIO.

Sed quid reſpondet Chriſtus? *Euntes renunciate Ioanni,quæ auditis & videtis. Cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt,pauperes Euangelizantur: & beatus eſt,qui non fuerit ſcandalizatus in me.*

Reſpōſionis partes

Hoc reſponſum quatuor continet: ſigna indubitatò monſtrantia verum Meſsiam,imaginem Eccleſiæ in hac vita,ad quos Euangelium pertineat, & admonitionem,ne quis offendatur externa facie Chriſti,atque eius Eccleſiæ.

1. Ieſum eſſe verū Meſsiam.

Probatio,quòd ipſe Ieſus ſit verus Meſsias,hęc eſt. Quicunq; ſua virtute cæcis viſum præbet,claudis rectè incedendi facultatem,leproſis ſanationem,ſurdis auditum,mortuis vitā,& pauperibus,hoc eſt,contritis & anxijs conſcientijs propter ſenſum peccati,annūciat Euāgeliū,is abſque omni dubio verus eſt Meſ ſias.Nā Eſaias ita de Meſsia vaticinatur cap.35.4.Puſillanimes cōfortamini,nolite timere, ecce Deus veſter vltionē adducet retributionis. Deus ipſe veniet, & ſaluabit nos.Vnde illum cognoſcemus? Reſpōdet Propheta, Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebūt:& ſaliet,veluti ceruus,claudus: & apertæ erūt linguæ mutorum.Idem, Spiritus Domini ſuper me,eò quod vnxit me ad euāgelizandū pauperibus,vt mederer cōtritis corde,& prædicarem captiuis libertatem,& clauſis apertionem.Cùm igitur me videtis,iuxta Prophetarum vaticinia,iſta pręſtare mea virtute,cur me non agnoſcitis Meſsiam? Atque ita Chriſtus hac demonſtratione ſe verum Meſsiam eſſe conuincit,& ſuum officium eſſe docet,miſeris & afflictis opem ferre.

2. Imago Eccleſiæ.

Imago præterea Eccleſiæ,& Regni Chriſti his con ſpicitur,cōtēpta coram mūdo:auditores Chriſti ſunt pauperes,ægroti & contēpti coram mūdo.His Chriſtus annunciat ſalutis viā, & medetur illorū morbis. Et quēadmodum tum ſanabat corporū morbos, ita hodie peccatorū conſciētias peccato vulneratas ſanat & affert lętitiā cordibus ſpiritualē: id quod verè ſentiūt,qui in vera inuocatione vocem Euāgelij audiūt.

3. Ad quos Euangeliū pertineat.

Cùm dicit, Pauperes Euangelizantur, oſtendit ad quoſnam pertineat Euāgelium: nimirum ad pauperes,hoc eſt, contritos corde ob peccatorum ſuorum fœditatem. Vnde in Pſal.51.19. Sacrificiū Deo ſpiritus contribulatus, cor contritū & humiliatum Deus non deſpicies.Itē alius Pſalmus 147.3.Qui ſanat contritos corde.Et Eſaias 57.15. Deus habitat cum contrito & humili ſpiritu,vt viuificet ſpiritū humilium, & viuificet cor contritorum.Ad eos igitur ſolos pertinet Euāgelium,qui ſentiunt ſua peccata, dolent & expaueſcunt iudicium Dei, & abijciunt propoſitum peccandi.Eſt proinde Euangelium læta annunciatio de remiſsione peccatorum, & cōſolatio in corde per verbum & Spiritum ſanctum,quæ ad illos ſolos pertinet,qui agunt pœnitentiam & credunt Euangelio, accipiunt remiſsionem peccatorum,donantur iuſtitia Chriſti,qua illis imputata, tanquam iuſti apparēt in conſpectu Dei, donantur Spiritu ſancto, & iam noua creatura in Chriſto effecti,incipiunt Deo ex fide obedire, & quotidie ſatagunt, vt in omni cognitione & ſenſu abundent,Philippen.1.

4. De ſcandalo.

Admonitio Domini: *Beatus qui in me offenſus non fuerit*,Primùm ſignificat,Ioannis diſcipulos offenſos fuiſſe in perſona Chriſti. Deinde in genere monet omnes,ne externa facie regni Chriſti offendantur:vt vel non recipiant Euangelium, vel receptum reijciant, quemadmodum multi omnibus temporibus offenduntur. Cicero ſua ætate adeò offenſus eſt ſeruitute populi Dei, quòd noluerit doctrinā Eccleſiæ recipere.Sua cuiq;,inquit,ciuitati religio,Lęli,eſt,noſtra nobis:ſtantibus Hieroſolymis,pacatíſq; Iudæis, tamen iſtorū religio ſacrorū, à ſplēdore huius imperij grauitate nominis noſtri,maiorū inſtitutis abhorrebat:nūc verò hoc magis,quòd illa gens,quid de imperio noſtro ſentiret,oſtēdit armis,quā chara dijs immortalib. eſſet,docuit,ꝙ eſt victa,quòd elocata,&c.

Papiſtarū & Ethnicorum ſcādalum.

Hæc quatuor hodie etiam Papiſtæ iactant:Splendorem,grauitatem nominis,inſtituta maiorū,& dominium. Verùm Chriſtus hîc monet, ne iſtis laruis ſinamus nos decipi:ſed potius adiūgamus nos puſillo & cōtemto gregi, qui vocē paſtoris Chriſti audit. Multò enim conſultius eſt, cum Noa & paucis alijs Arcam intrare,& à diluuij periculo liberari, quàm cum maxima & florētiſsima parte mūdi perire. Melius eſt cū vlceroſo Lazaro in ſinu Abrahæ gaudere, quàm cum diuite epulone inferni tormētis cruciari.

DE QVARTO.

Commendatio Ioānis.

Illis abeuntibus,cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertum videre? &c. Hoc Ioannis encomium eò pertinet,vt ipſa turba magnifaciat miniſterium Ioannis, ac ipſius voci tanquam cœleſti credat. Coniungit autem Chriſtus in hoc encomio omnia,quæ probum Apoſtolum decent,& commendat illum à quatuor virtutibus. Primùm, à conſtantia: Confert enim ipſum rupi immobili, quæ non agitatur à ventis, inſtar arundinis. *Num arundinem, quæ agitatur à vento,exiſtis videre?* quaſi diceret,nequaquam talis eſt Ioannes: Sed inſtar firmæ rupis potius, quæ nullis tempeſtatibus & fluctibus cedit. Debet ergo verus Euangelij præco, nec terrore hominum, nec fauore à veritate deflectere: id quod, proh dolor!nimis multi faciunt hodie.

1. A Conſtantia.

2. A vitæ genere.

Deinde, commendat Ioannem à vitæ genere, videlicet,quòd agat vitam non mollem, vt adulatores aulici:non ſplendorem quærit,vt qui gratiam hominum venantur, ſed vitam degit, ſuo munere & functione dignam:quæ nec inuocationem Dei impedit, nec ipſum in officio languentem reddit. Hoc in genere etiam ad omnes verbi miniſtros pertinet: vt ita viuant,ne vel mollities in moribus conſpiciatur, vel alijs vanis rebus impediantur, quo minus officium faciant.

3. Ab excellentia prophetiæ.

Tertiò,commendat Ioannem ab excellentia prophetiæ:pręponit enim ipſum omnib.alijs Prophetis.

4. A legatione qua fungitur.

Quartò,commendat eum à legatione qua fungitur. *Hic eſt enim,de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuā ante te.* Eſt ergo Ioannes legatus Meſsiæ & præcurſor, qui Regi aduenienti viam parat prædicatione pœnitentiæ. Huius exemplum ſuo quodam modo imitari debent miniſtri Euangelij: debent Chriſto

parare

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

parare viam: debent Chriſto adducere homines: debent vnicam monſtrare ſalutis viam Chriſtum Ieſum, cui honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA QVARTA ADuentus, Euangelium Ioan. 1.

HOc eſt teſtimonium Ioannis, quando miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis ſacerdotes & Leuitas, vt interrogarent eum. Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negauit. Et confeſſus eſt, inquiens, Non ſum ego Chriſtus. Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Helias es tu? Et dixit: Non ſum. Es tu Propheta ille? Et reſpondit, Non. Dixerunt ergo ei, Quis es, vt reſponſum demus ijs, qui miſerunt nos? Quid dicis de te ipſo? Ait, Ego vox clamantis in deſerto. Dirigite viam Domini, ſicut dixit Eſaias Propheta. Et qui miſſi fuerant, erant ex Phariſæis. Et interrogauerunt eum, ac dixerunt ei: Cur ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Helias, neque Propheta ille? Reſpondit eis Ioannes dicens: Ego bapitzo aqua, ſed in medio veſtrûm ſtat, quem vos neſcitis. Ipſe eſt, qui cùm me ſequeretur, anteceſſit me: cuius non ſum dignus, vt ſoluam corrigiam calciamenti. Hæc in Bethabara facta ſunt trans Iordanem, vbi Ioannes baptizabat.

ENARRATIO TEXTVS.

Quæſtionis occaſio.

Occaſio huius Euangelij hæc fuit. Phariſæi audiuerant, quòd Ioannes inſtitueret nouam docendi rationem, & inueheret ceremonias nouas, ídque ſine autoritate Pōtificum: quòd iuberet parare viam Domino: quòd reciperet ad Baptiſma totam Iudæam: quòd clamaret adeſſe promiſſum Regem & Meſſiam. His rebus auditis, Phariſæi moti mittunt ad ipſum in deſertum nuncios, interrogatũ qua autoritate id faciat. Id fecerunt, non quòd ipſius doctrinæ aures præbere cuperēt: ſed potius ideo, vt Chriſtũ, & ipſum perderēt: vt lucroſas ceremonias retinere poſſent: vtque ſuam autoritatē, nulla habita ratione ſalutis populi ſibi cōmiſsi, retinerēt: quorum exemplum ſtrenuè ſatis noſtri Papiſtæ ſibi imitandum proponunt.

Summa.

Summa autem hæc eſt, quòd interrogant Ioānem, an ſit Chriſtus. Ille autem, vt verus Chriſti miniſter, Chriſto teſtimonium præbuit, & iuſsit eos dirigere viam Domini, ſuam vocationē tacitè confirmās eſſe diuinam. Docēdi gratia, tres ſint loci huius Euāgelij.

Partes.

1. *Teſtimonium Ioannis de Chriſto.*
2. *Deſcriptio Ioannis, adeóque omnis pij miniſtri verbi Dei.*
3. *Quid ſit parare viam Domini.*

DE PRIMO.

In teſtimonio Ioannis ſex conſideranda ſunt.

Phariſæi à Phariſæis miſsi.

I. Qui mittuntur: & cur mittuntur. Mittuntur autē Phariſæi à Phariſæis: ſanctiſsimi in ſpecie, à ſanctiſsimis: qui videbantur ſibi eſſe columnæ Eccleſiæ Dei: qui habuerunt prærogatiuam ſucceſsionis: qui titulum Eccleſiæ ſibi ſolis arripuerunt. Sed ecce, qui capita Eccleſiæ videbantur, hoſtes ſunt Chriſti. Vnde diſcamus nec titulis, nec ſucceſsionibus: ſed ſoli diuinæ voci credendum eſſe. Obſeruemus quoque artem Satanicam, quam à ſuo Magiſtro didicerant hi Phariſæi: non enim hi interrogāt, quòd faueant Chriſto aut Ioanni, vt videri volunt: ſed vt perdant vtrunque, vt ſerpens in paradiſo fecit.

Audiunt Ioannis teſtimonium de Chriſto.

II. Cui datur teſtimonium? Chriſto. Quis dat teſtimonium? Ioannes. Hinc duo diſce: Primum, quòd miniſterium verbi debeat hunc ſcopum habere, vt Chriſto perhibeat teſtimonium. Secundum, quòd ars Chriſtiana ſit, contra Satanæ technas pura Chriſti confeſsione niti.

Corā eius hoſtibus.

III. Coram quibus datur teſtimonium? Coram mundo & hoſtibus Chriſti. Vnde diſcendũ eſt, quod debeat pius confiteri Chriſtum coram toto mundo, cum diſcrimine famæ, rerum, & vitæ: ad quod cùm promiſsio, tùm comminatio nos inuitabunt. Promiſſio eſt: Qui confeſſus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego illum coram Patre meo cœleſti. Comminatio: Quemcunque puduerit mei coram hominibus, eius & me pudebit coram Patre meo cœleſti.

Videlicet Chriſtum eſſe Ieſum.

IIII. Summa teſtimonij Ioannis de Chriſto hæc eſt, quòd Chriſtus ſit homo, quod ſit Deus, quòd ſit verus Meſſias, remiſſor peccati. Nam cùm dicit, *Ipſe eſt qui poſt me venturus eſt*, indicat ipſius veram humanitatem. Cùm verò addit, *qui ante me fuit*, ipſius diuinitatem fatetur. At cùm ait: *Medius autem veſtri ſtetit, quem vos neſcitis*, Reſpondet ad quęſtionem, & Ieſum Meſsiam eſſe pronunciat: Baptiſmi lauacrũ, concionatur Meſsiæ officium eſſe, peccatum remittere.

Vſus.

V. Vſus & fructus huius teſtimonij, quòd nos debeamus teſtimonio Ioannis credere, & Chriſtum amplecti, verum peccatorum remiſſorem, qui ſanguine ſuo nos lauit à peccatis: cuius rei efficax ſignum, Baptiſmum nobis contulit: de quo aliâs.

Hypocritarum imago.

VI. Phariſæi ſunt imago perſonatorum Chriſtianorum, id eſt Hypocritarum, qui non poſſunt ferre veræ pietatis doctrinam: ſed fingunt ſe pios externis moribus, ſe ſanctiſsimos ſimulant, ſed aliam perſonam intus gerunt: inde eſt, quòd tales hypocritæ dicantur. Nam vt hypocritæ in fabulis ſunt, qui perſonas abſentes habitu & geſtu externo repræſentant: Ita Phariſæi, pietatis abſentis laruam tantum conſpiciendam præbent. Vnde hypocritæ ſunt dicti, vt qui, etſi reuera in corde ſint impij, foris tamen ſanctiſsimi appareant.

DE SECVNDO.

Iohannis & miniſtrorum verbi deſcriptio.

Ego ſum vox clamantis in deſerto. Primùm, Ioannes definit omnes Prophetas, Apoſtolos & miniſtros verbi, quòd ſint vox. *Secundò*, quòd non ſit vox inanis, ſed clamantis, id eſt, prædicantis. *Tertiò*, in deſerto, id eſt, in mundo vniuerſo. *Quartò*, admonentur auditores dignitatis illius vocis. Eſt enim non vox hominis ſed Dei clamantis, &c. *Quintò*, quòd Ioānes allegat Eſaiæ teſtimonium. Nihil enim pius concionator afferre debet, ſine teſtimonio ſacrarum literarum. Teſtimonium autem præſens, deſumptum eſt ex cap. 40. 3. *Sextò*, admonentur quoque concionatores, ne Deo tribuant alienam vocem. Qui enim id faciunt, non Dei miniſtri ſunt, ſed Diaboli flagella: quos non ſecus atque lupos fugere decet.

DE TERTIO.

Quid ſit parare viā domino.

Parare viam Domino eſt, eodem Ioanne Baptiſta autore, pœnitentiam agere: nec ſine magna cauſa eſt Ioannes vſus hac figura loquendi, quę propriè pertinet ad regna mundana. Solent enim regibus aduenturis viæ præparari, quò accedere poſsint ſine periculo & offēdiculo. Hæc ipſe Eſaias exponit, cùm ait, Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erit præruptũ in rectitudinem, & loca cōflagroſa in planiciem. Hæc ſpiritualiter intelligenda ſunt, de impedimentis omnibus interioribus & exterioribus, quæ impediunt, quò minus Rex noſter Chriſtus ad nos veniat.

Impedimenta.

Interiora impedimenta ſunt, ignoratio Dei, cupiditates, prauitas, ſtulta confidentia, &c. Exteriora impedimenta ſunt, ſcādala omnia, quæ obijcit Satan in doctrina, Sacramento & moribus. Verùm, vt breuius dicam, Montes (id eſt, quic-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Quomodo tollenda.

quid altum eſt in mundo) deſtruendi ſunt concione legis. Valles, id eſt, qui ſpiritu contriti ſunt, attollendi ſunt prædicatione Euangelij. Sentes, id eſt, mala vita, praui affectus ſunt amputandi noua obedientia, & ſtudio formandi vitam ſecũdum verbum Dei: atque vt id fiat, requiritur 1. vt ſint qui clament in deſerto. 2. Opus eſt ſana doctrina, quæ eſt lucerna prę parantium viam 3. Requiritur, vt adueniente Domino, id eſt, lucente in cordibus noſtris gratia Dei, præbeamus nos obſequentes per verã pœnitentiam, & exhibeamus nos ciues Dei, homagiũ Chriſto Domino præſtantes. 4. Offeramus munera & vitulos labiorum noſtrorum, id eſt, confeſsionem, ídque mente, voce, confeſsione & moribus.

Quid hîc requiratur.

Confirmatio ab exẽplis.

Verùm quia hæc intelligi non poſſunt ſine exemplorum appoſitione: breuiter ſententiam Prophetæ & Ioannis declarabimus exemplis. Summa concionis Ioannis fuit: Agite pœnitentiam, & credite Euangelio, hoc eſt, quod ex Eſaia dicit, Parate viam Domini, Quomodo id fecit? Mõtes depreſsit. Nam cùm videret multos ex Phariſæis & Saducæis venire ab baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Nolite dicere intra vos, Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quòd poteſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. Omnis arbor, quæ non fructum bonum facit, excidetur, & in ignem mittetur. Vide hic, quomodo Ioannes montes humiliet. 1. Cùm vocat eos progeniem viperarum, taxat illorum cor prauum, ſanguinis cupidum, & ingratum. 2. Tollit cauſam, de qua maximè gloriabantur. Ex eo enim ſuperbiebant, quòd erant filij Abrahæ. Sed hoc nihil prodeſſe ait. Nam Deus non eſt perſonarum acceptor: neque enim qui ex carnali ſemine Abrahę ſunt, mox filij ſunt: ſed qui Abraham imitantur fide & obedientia, hi ſunt eius filij, quemadmodum Chriſtus apud Ioannem teſtatur: eos filios Diaboli appellans, qui ſe filios Abrahæ eſſe gloriabantur. 3. Comminationem addit niſi reſipiſcant: *Securis*, inquit, *ad radicem arboris poſita eſt*. Hoc eſt, vltio diuina non procul abeſt, vt omnis arbor mala excidatur, & in ignẽ mittatur. Ita & alij miniſtri verbi, montes demoliri debent, monſtratis peccatis hominum, ſublata gloriationis materia, & propoſitis pœnis, quæ omnes qui non conuertuntur, manent. Deinde valles exaltabunt: quomodo id? Quemadmodum Ioannes fecit, monſtrato Chriſto, dicens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Cùm dicit, Ecce, inuitat ad fidem: cùm addit, Agnus Dei qui tollit peccata mundi: reconciliationis materiã exprimit. Tertiò, ſentes amputat, cùm ait, Agite fructus dignos pœnitẽtia.

1. Ipſius Ioannis Baptiſtæ.

2 Nathanis.

Simile exemplum in Nathan propheta habemus. 1. montem deiecit, hoc eſt, hyprocriſin in Dauide, qui commiſſo adulterio & homicidio ſecurè vixit, tanquam re bene geſta: Idq́ue propoſita parabola de duobus viris, quorum vnus erat Pauper, alter diues. Diues habebat oues & boues plurimas: pauper autẽ nihil habebat. niſi vnicam ouem, quam emerat, & nutrierat, & quæ creuerat apud eũ cum filijs eius, ſimul de pane illius comedens, & de calice eius bibens, & in ſinu eius dormiens, erátque illi ſicut filia. Sed cùm peregrinus ad diuitem veniſſet, accepit hanc pauperis ouem diues, & ſuo hoſpiti appoſuit, parcens ſuis. Cùm hoc Dauid audiret, indignatus eſt dicẽs, Filius mortis eſt qui fecit hoc. Reſpondit Nathan: Tu es ille vir. Vriam Hetheum occidiſti gladio, & vxorem eius accepiſti in vxorem tibi. Ecce ego, ait Dominus, ſuſcitabo aduerſus te malum. En quomodo Nathan exprobret Dauidi peccatum, tollit materiam gloriationis, ne putet ſe non puniendum, eò quòd Rex ſit: & comminatur illi pœnas. Hîc deiectus eſt magnus ille mons, & hypocriſis. 2. Verùm cùm animaduertit Nathan Dauidem deiectum & iacentem, adeò vt diceret cũ magno eiulatu: Ego peccaui Domino: vallem hanc ſubleuat, dicens: Dominus trãſtulit peccatũ tuũ, nõ morieris. Deinde ſentes quoq; amputat, dũ propoſita pœna morte filij, cõtinet eũ in officio.

3. Petri.

Ad eundem modum Petrus in Actis, 1. concione legis criſtas Iudæorum deprimit, & mõtes humiliat, peccatũ illis inculcat, docet nihil prodeſſe, quòd ſint de poſteritate Abrahæ, proponit cõminationes pœnarum, niſi reſipiſcant. 2. Mox vbi audit eos compunctos corde, & peccati conſcientia deiectos, erigit eos rurſus propoſito Chriſto, in cuius nomen iubet eos baptizari. 3. Deinde quoque cauet ne ſentes ſuccreſcant, inhortans eos ad pœnitentiam.

4. Dei.

Hæc exempla ſunt illuſtria, & ad primi hominis conuerſionem congruunt. Superbit Adam ſecutus nouum doctorem Diabolum. Hunc primùm Deus proſternit obiurgatione, propoſita peccati magnitudine: mox deiectum erigit, data promiſsione ſeminis, quod erat contriturum caput ſerpentis.

5. Chriſti.

Similiter Dominus ſuperbos Phariſæos humiliat, afflictam Magdalenam exaltat, atque ad piam ſanctámque hortatur vitam, dicens: Fides tua te ſaluam fecit: vade in pace.

Doctrina & correctio.

Cæterùm miniſtri verbi, qui hoc verbo non deprimunt mõtes, non attollunt valles, nec ſentes amputant, non ſicut Dei, ſed vt Diaboli & ventris mancipia faciunt. Multi quidem in genere declamitant contra adulteria, inceſtus, vſuras & alia vitia. Sed pauci ſunt, qui in os crimina obijciunt, vt Ioãnes Herodi, Phariſæis & Hypocritis: vt Chriſtus ſuis auditoribus: vt Ambroſius Theodoſio. Quare hoc non faciunt? Partim, quia verè non cogitant cuius vice funguntur: partim, quia metuunt ſuæ vitæ & fortunis. Verùm, contra hanc cæcitatem & timiditatem opponant vocationis ſuę mandatum & promiſsionem, qua Chriſtus promiſit ſe affuturum ſuis ſeruis, & ſibi imputat factum, quicquid ipſius fit miniſtris. Prętere, ſe confirmabunt Ioannis & aliorum ſanctorum miniſtrorum conſtantia & exemplo, ſubindéque Deum precabuntur, vt ſibi animum addat, vt ea facere audeant, quæ ipſius interſint glorię, cui honor in ſecula ſeculorum, Amen.

IN FESTO NATIVITATIS Chriſti, Euangelium Lucæ 2.

Exijt decretum à Cæſare Auguſto, vt cenſeretur totus orbis. Hæc deſcriptio prima facta eſt præſide Syriæ Cyrenio. Et ibant omnes, vt profiterentur, in ſuam quiſque ciuitatem. Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa, de ciuitate Nazareth, in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethlehem, eò quod eſſet de domo & familia Dauid: vt profiteretur cum Maria, deſponſata ſibi vxore, quæ erat prægnans. Accidit autem cùm eſſent ibi, completi ſunt dies pariendi. Et peperit filium ſuum primogenitum, ac faſcijs eum inuoluit, reclinauítque eum in præſepi, quòd non eſſet eis locus in diuerſorio. Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & excubantes excubias noctε, ſuper gregem ſuum: & ecce Angelus Domini aſtitit illis, & claritas Domini circumfulſit illos: & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus: Ne timeatis. Ecce enim annũcio vobis gaudium magnum, quod futurum eſt toti populo: quia natus eſt vobis hodie Seruator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem faſcijs inuolutũ, poſitum in præſepi. Et ſubitò facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium

Deum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Deum & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, ac in terra pax, hominibus bona voluntas.

ENARRATIO TEXTVS.

Articuli fidei noſtræ confirmatio & vſus.

Hæc hiſtoria eſt confirmatio Articuli noſtri Symboli, qui eſt natus ex Maria virgine. Qui Articulus nouam natiuitatem proponit, quæ antiquam, & Adamicam, & corruptam ſanctificat in ijs omnibus, qui hunc Chriſtum fide apprehendunt. Et tamen ſi hic articulus de natiuitate Chriſti, vel pueris Chriſtianis debet eſſe notiſsimus: tamen magnas ob cauſas certum ei feſtum ab Eccleſia deputatũ eſt: vti nimirum hiſtoria cum ſuis circumſtantijs explicetur & diſcatur: non tãtum vt oblectemur pulcherrima huius hiſtorię narratione: ſed multò magis, vt in cõſcientijs confirmandis & erigendis, huius ſummi articuli vſus conſpiciatur. Non enim ſacræ hiſtoriæ legendæ ſunt vt humanę, ſed vt vſum earum perpetuò cogitemus & exerceamus, ad nos docendos, inſtituẽdos, & conſolãdos: vtque per lectionem ſcripturarum ſpem habeamus. Porrò locos duos tantum cõſtituamus, in quibus plurimi alij, vt patebit, deliteſcunt, & ſunt hi:

Loci duo.

I. *Hiſtoria Chriſti nati, cum ſuis circunſtantijs & membis.*

II. *Vſus & praxis huius hiſtoriæ.*

DE PRIMO.

1. Tẽpus.

I. In hiſtoria nouem membra conſideremus; quorum primum eſt de tẽpore. Natus eſt Chriſtus poſt Romam conditam 700. anno, à mũdo condito 3952. à Chriſto nato ad hodiernum diem nũc expleti ſunt anni 1580. Sed cur Euãgeliſta adeò perſpicuè meminit tẽporis, decreti Cæſaris, ducis Cyrenij? Tres ſunt

Cur deſcriptum à Luca.

cauſæ. *Prima*, vaticinia Prophetica. Sunt autem vaticinia de venturo Chriſto duplicia. Alia enim ſimpliciter, ſine certi tẽporis præſcriptione, venturum Meſſiam annunciant: qualia ſunt, Geneſ. 3. 15. Semen mulieris conteret caput Serpentis. Item, Geneſ. 12. & 22. Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes. Eſaiæ 7. Ecce virgo cõcipiet, &c. Dauid, Pſal. 110. 1. Dixit Dominus Domino meo, &c. Balaam, Numer. 24. 17. Ex Iacob orietur ſtella. Alia vaticinia tempus & annum paſsionis, & regni Chriſti prædicunt. Iacob, Geneſ. 49. 10. Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat Zilo, id eſt, filius eius, ſcilicet mulieris: ac ſi dicat: Semen mulieris, quod eſt promiſſum, vt deſtruat opera Diaboli, tum demum veniet, vbi ſceptrum de Iuda ablatum fuerit. Cùm ergo hîc Lucas meminit Auguſti, tributi, & peregrini ducis, ſignificat iamiam adeſſe tẽpus, in quo naſci Chriſtum oportuerit, iuxta vaticinium Iacob. Daniel quoque annum crucifigendi Chriſti & reſurgendi expreſsit cap. 9. 25. &c. Scias ergo & intelligas, quod ab exitu ſermonis, de reducendo populo, & ædificanda Hieruſalem, vſque ad Chriſtum ducem hebdomadæ ſeptem, & hebdomadæ ſexaginta duę poſt hebdomadas verò ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & vna hebdomada roborabit pactum multis, & in dimidia hebdomada ceſſare faciet ſacrificium.

Hebdomadæ Danielis.

Hîc clarè Daniel prædicit tempus occidẽdi Chriſti. Sed tria hîc ſunt obſeruanda. 1. Quid hebdomada. 2. Quando inchoanda ſupputatio. 3. Cur 70. hebdomadas in tres ordines digerat.

1. Hebdomada in hoc loco intelligenda eſt, non de dierum hebdomada, ſed annorum: vt vna hebdomada 7. annos contineat, & 70. hebdomadæ annos 490. 2. Sed quãdo inchoãda ſupputatio? Ab exitu ſermonis, hoc eſt, ab eo tempore, quo prædixit Ieremias fore, vt liberaretur populus à captiuitate Babylonica, i. captiuitatis ferè anno 20. 3. Diuidit præterea hebdomadas in tres partes, propter res diuerſis temporibus geſtas: primùm, in 7. hebdomadas: nam per id tempus, hoc eſt, 49. annos manſerunt adhuc Iudæ in captiuitate ſua Babylonica. Deinde in 62. hebdomadibus, hoc eſt, annis 350. inſtaurata fuit Hieruſalẽm, manſitque populus illic. Poſtremò, hebdomada vltima Chriſtus baptizatus fuit, prædicauit, miracula edidit, ac tandem pro noſtra ſalute paſſus eſt. Paſſus autem fuit ætatis 33. anno. Hæc ſi cõferas cum hiſtorijs, inuenies Lucam iuxta hanc computationem, tempus naſcentis Chriſti ſignaſſe.

Secunda cauſa, vt Iudæi confundantur, qui adhuc Meſsiam expectant, prorſus delata iam multis ſeculis politia Moſaica.

Tertia cauſa, vt nos ſumus certi, ꝙ verè ſit natus & exhibitus Chriſtus, quẽ olim Deus promiſit fore liberatorem generis humani è faucibus ſerpentis.

Secundum de loco. Naſcetur in Bethlehem, & in peregrinatione. In Bethlehem quidem, propter vaticinium Micheæ, quod allegat Matthæus cap. 2. ex Micheæ 5. cap. In peregrinatione verò, vt ſignificetur, Eccleſiam Chriſti in hoc mundo in peregrinationibus manſurã, ídq; non ſine contẽptu & perſecutione. Idem Ioannes indicat, ter repetendo eandẽ ſententiam: Tenebræ eum non apprehẽderunt: mundus eum non cognouit: ſui eum non receperunt. ex his conſequitur, Regnum Chriſti non eſſe mundanum. II Locus.

Tertium de parentibus. Secundum humanitatem naſcitur in cõiugio quidem: ſed ex Virgine, cuius rei grauiſsimæ cauſæ ſunt. *Prima*, eſt promiſsio, Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Item, Ecce Virgo pręgnans pariet filium. *Secunda*, eſt neceſsitas. Nemo enim natus ſecundum naturæ curſum, eſt ſine labe & peccato. Ergo debuit Meſsias ex Virginis ſanguine, ſine ſemine virili per Spiritum ſanctum concipi, vt eſſet purus ab omni labe peccati, ſicut verum Emanuelem Deum & hominem decuit. 3. Parẽtes.

Quartum, quia Chriſtus verus Deus & verus homo eſt. Ex primo capite Ioannis, diſcendum eſt de diuinitate Chriſti, & explicandæ circunſtãtiæ temporis, modi, rei, loci, facti, cauſæ. Si itaque quæris: quando fuit Chriſtus ſecũdum diuinitatem? Reſpõdet Ioannes: In principio erat verbum, id eſt, verbum fuit ante initium omnium creatarum rerum. Non eſt igitur creatura Chriſtus. Si quæris: quomodo fuit? Reſpondet: Et verbum erat apud Deum: ergo alia perſona eſt à Deo Patre. Si quæris, quid fuit? Reſpondet: Et verbum erat Deus: quo dicto ſignificatur, quòd vna ſit eſſentia diuina. Si quæris: quid egit? Reſpondet: Omnia per ipſum facta ſunt. Si quæris, quid agit? Reſpondet: Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Si quęris: quò venit? Reſpondet: In mundũ venit, in ſua venit. Si quæris: quomodo venit? Reſpondet: Verbum caro factum eſt. Si quæris: cur venit? Reſpondet: Vt daret poteſtatem filios Dei fieri, quotquot in ipſum credunt. Si quæris: quando venit? Reſpondet: fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes, &c. Hæc breuiter meminiſſe de diuinitate Chriſti profuerit. 4 Perſona.

Quintum, de cunabulis Chriſti, quæ nihil aliud, quàm mundi contẽptum & paupertatem extremam ſignificant, quam paupertatem Chriſtus experiri voluit, vt nos diuites redderet. In hæc cunabula inſpiciant arrogantes, ac deponant faſtum: huc inſpiciant pauperes, ac deſinãt deſperare, tãquam ob paupertatem ſpreti. Obſeruãdus eſt hic abuſus omniũ rerum conditarũ à Deo. Bethlehẽ ſeruit lucro: Diuerſorium hoſpitibus: Chriſtus Rex in ſtabulũ reijcitur omniũ rerum Dominus. Sic & hodie Eccleſia ſpernitur, dũ impij abundant opibus, honoribus & potentia. 5. Cunabula Chriſti

Sextum, de apparitionibus Angelorũ: qui 1. teſtantur adeſſe Dominũ. 2. ipſa claritate oſtendunt, qua- 6. Apparitiones Angelorum

lis ſit Rex recens natus Chriſtus. 3. qualia ſint eius beneficia,& qualis inde Deo reddatur gloria,hymno declarant.

7. Concio Angeli ad paſtores.

Septimum,de cõcione Angeli ad paſtores.*Nolite timere.Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum,quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis ſignum, Inuenietis infantem pannis inuolutum poſitum in præſepio.*

Hæc concio omnium,quæ vnquam antea in mundo factæ ſunt, eſt excellentiſsima, cuius partes ſunt plurimæ. *Prima.* Iubent Angeli vt paſtores non timeant:qua re oſtendunt Chriſtum aduenisſe,vt tollat maledictionem legis,& peccatum, propter quod venit in homines maledictio.*Secunda.*concio Euangelij:Annuncio vobis gaudium magnum. Cùm magnum dicit,diſtinguit hoc à mũdi gaudio, quod durat ad breue tempus, & debili fundamento nititur. Verum hoc gaudium quod Angeli annunciant, Magnum dicitur quatuor de cauſis. 1. Propter materiã, quæ magna eſt, nẽpe reconciliatio noſtri cum Deo. 2. Propter diuturnitatem & ſtabilitatem: perpetuò enim durat & manet conſtans. 3. Propterea quòd ad paucos tãtum nõ pertinet,ſed ad omnes qui hanc annunciationẽ gaudij fide recipiũt.4. Quia ſpirituale eſt,pertinẽs ad totius hominis ſalutẽ. *Tertia.* cauſa & materia huius gaudij.Quia,inquit,hodie vobis natus eſt Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus. *Quarta.* monſtrat locum, In ciuitate, inquit, Dauid, hoc eſt, Bethlehem. *Quinta.* ſignũ verbo additur. Ait enim, hoc erit vobis ſignum: inuenietis infantem, pannis inuolutum, poſitum in præſepio. Hoc ſignũ duo facit. 1. Deducit eos rectà ad puerum, ne ipſum quærentes aberrent. Etſi enim omnes matres inuoluunt pannis ſuos infantes,tamen in præſepijs non ponũt. 2. Diſcernit Regnũ huius pueri à regnis huius mundi. Nam regna mundi externum ſplẽdorem habent: atque hæ ſunt partes concionis Angelicæ.

8. Natiuitas Chriſti.

Octauum, de natiuitate Chriſti. Reuelatur paſtoribus.Vnde duo diſcenda ſunt. 1. Chriſti regnũ non eſſe mũdanum. 2. Chriſti regnum pertinere ad pauperes,iuxta illud,Pauperes Euangelizantur.

9. Carmẽ Angelorũ.

Nonum,de carmine Angelico,quod eſt:*Gloria in excelſis Deo,in terra pax,hominibus bona voluntas.*Hæc concio miro compendio complectitur fructum Dominicæ natiuitatis, quæ in tribus conſiſtit. 1. Deo redditur gloria. 2. Pax fit hominibus. 3. Bona voluntas Dei erga homines declaratur.

Deo gloria tribuitur.

Primum ergo, cùm Angeli dicunt, Gloria in excelſis Deo:ſignificant quòd nemo poſsit Deo veram gloriã tribuere ſine cognitione Chriſti.Homo enim erat conditus in hunc finem,vt Deo cõditori gloriam tribueret: ſed per lapſum primorum parentum factũ eſt,vt nec rectè agnouerit Deum, nec glorificauerit. Sed quęris:quid eſt Deo gloriam tribuere?Tribuere alicui gloriam nihil aliud eſt,quàm alicui veram virtutem tribuere.Vt cùm Rex aliquis iuſtè, ſapienter, fortiter,clementer agit,tribuitur ipſi à ſubditis gloria,hoc eſt,ſubditi ipſius facta approbãt, ac cum ſingulari beneuolentia ipſum prædicant.Proinde ſimili

Quomodo

modo Deo tribuitur gloria,quãdo agnoſcũtur & verè ſentiuntur ipſius virtutes,ſapientia, iuſtitia, fortitudo,miſericordia,veritas,& aliæ.

Sapientia Dei in eo conſpicitur, quòd hominem, quem condiderat in ſuam gloriam, reparat rurſus, vt imaginem, quam per peccatum perdiderat, per Filium ſuum,natum ex Virgine,recuperet: ac ita gloriam ſapientiæ Deo tribuit.

Iuſtitia peruidetur ex eo,quòd hominem,qui peccauerat,noluerit in gratiam recipere ſine compenſatione iniuriæ.Nam cùm aut hominem æternùm perire ob ſuum peccatum neceſſe erat, aut aliquem in humano genere ſatisfacere Deo oportebat, qui ſuſtineret pœnas pro toto genere humano,Deus dedit Filium, qui aſſumſit humanam naturam, in qua ſatisfecit iuſtitię Dei.Quare laus iuſtitiæ meritò Deo, Chriſto Domino nato,tribuenda eſt.

Fortitudinis commẽdatio eſt, quòd ſerpentem & eius ſemẽ,per Chriſtum ſuperauerit,atq; adeò ipſius regnum deleuerit,quãtum quidem ad omnes eos attinet,qui hunc natum Ieſum fide apprehenderint.

Miſericordia in eo relucet,quòd humanum genus perditum & oppreſſum tyrãnide Diaboli, & ingentibus ærũnis & calamitatibus,morte,inferno,& damnatione,per Filium,& propter Filium in gratiã recipiat. Hæc Dei miſericordia, omnia opera Dei excedit, quã perpetuò & Angeli boni, & homines electi prædicabunt,imò Diaboli etiam inuiti agnoſcent.

Veritas in eo patefit, quod promiſsionũ antiquarum memor, exhibeat quod olim promiſit. Lapſis enim in peccatum primis parẽtibus,promiſit ſemen mulieris, quod erat contriturum caput ſerpentis. hanc promiſsionem nunc implet dato Filio.

Propter has ergo virtutes, Deo gloria tribuenda eſt:ídq; potiſsimum ab ijs,qui ſentiunt ipſius beneficia.Hæc gloria tum demum ei tribuitur,cũ 1. agnoſcimus hoc Dei mirandum beneficium. 2. cùm Filium fide amplectimur. 3. cùm mente,voce,confeſſione & moribus Deum prædicamus. 4. cùm quàm plurimos ad agnitionem Dei inuitamus.

Deinde cùm dicunt Angeli: *In terra pax*,notatur præcipuum beneficiũ Chriſti, propter quod in mundum venit,nimirum vt pax fieret inter Deum & hominem.Hæc pax eſt mutuus conſenſus Dei & hominum: Dei quidem recipientis homines in gratiam propter Filium: Hominum verò,fide accipientium, oblatum beneficium cum gratiarum actione,ac perpetua animi gratitudine.Huius pacis dulciſsimi ſunt fructus: Acceſſus ad Deum,gaudium Spiritus,bona conſcientia,lętus de hac vita exitus.Hanc pacem turbant peccata contra conſciẽtiam,ſecuritas,neglectus verbi.Quare non ſecus,quàm peſtes fugienda ſunt.

Pax redditur mundo.

Fructus.

Poſtremo loco addunt: *Hominibus bona voluntas*, Hoc eſt, poſtquam Deus hominibus per Chriſtum econciliatus eſt,fauet ipſis,& vera paternáque ipſos cõplectitur, tãquam chariſsimos liberos, quos ſibi adoptatos in Chriſto charos habet. De hoc beneplacito etiam loquitur Dauid in Pſalm.5.13.Quoniam tu benedices iuſto Domine, ſicut ſcuto beneplacito munis eum. Cùm Dauid hoc loco beneplacitum Dei confert ſcuto,monſtrat eius verum vſum & fructum.Significat enim,quòd fauor Dei ſit nobis vice clypei, quo munimur aduerſus impugnantium nos tela. Diabolus ſua ignita in nos tela vibrat: ſed hoc ſcuto tuti ſumus.Atque ita de alijs.

Homines fauoris Dei fiunt participes.

DE SECVNDO.

Vſus generalis.

Vſus duplex eſt.Generalis,qui ex tota hiſtoria petitur,& ſpecialis,qui petitur ex ſingulis partibus,*Generalis* ergo eſt, vt diſcamus noſtrum verum Saluatorem Deum & hominem ex Virgine natum recipere & amplecti, opponendo eum omnibus miſerijs noſtris,peccato,morti, maledictioni, iræ Dei & inferno: certi, quòd hic Filius Dei & Mariæ ſit, ſecundum vaticinium Eſaiæ,Nobis natus & nobis datus. Idque vt ſit iuſtitia & ſalus omni in ipſum credenti. *Specialis* vſus eſt multiplex. *Primus*, vt à parentibus Chriſti obedientiam erga magiſtratum diſcamus.*Secundus*,vt à paſtoribus diſcamus obtemperare teſtimonijs de Chriſto, Chriſtum quærere, & redire ad opera vocationis. *Tertius*, vt ab Angelis

Specialis, multiplex.

diſcamus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vt ab Angelis diſcamus. 1. Annunciare Chriſtum ignotis: vnde omnes pij miniſtri verbi conſolari ſe poterunt in miniſterio, quòd idem doceant, quod antea per tantos heroicos Spiritus traditum eſt. 2. Diſcamus ab Angelis & Paſtoribus confeſſionem huius Chriſti. 3. Diſcamus glorificare Deũ, & cum Angelis canere, Gloria in altiſſimis Deo, cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

FERIA SECVNDA NAtiuitatis Chriſti, Euangelium Matth. 23.

Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & illorum aliquos occidetis, crucifigetiſq; & illorum nonnullos flagellabitis in Synagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum & Altare. Amen dico vobis: venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum Gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico enim vobis, haudquaquam me videbitis poſthac, donec dicatis, Benedictus qui venit in nomine Domini.

ENARRATIO TEXTVS.

Sanctorũ feſta cur in nõnullis Eccleſiis celebrantur.

PRiuſquam accedamus ad textus enarrationem quia hic dies diuo Stephano dicatus eſt, dicam quare ſanctorum feſta in Eccleſia Dei celebrari ſoleant: & quid nobis in exemplo diui Stephani ſpectandum ſit.

Feſta celebrantur in Eccleſia Dei non Ethnico more ſicuti apud Papiſtas, vt ſanctos patronos & interceſſores inuocemus, id quod non poteſt fieri ſine horrendo ſacrilegio & cõtemptu Filij Dei. Sed ſunt multæ aliæ grauiſſimæ cauſſæ, cur quorundam ſanctorum feſta in Eccleſiis noſtris retineri ſit vtile, & ſunt potiſſimum ſex.

Cauſę ſex quę docẽt methodũ legẽdæ hiſtorię Sanctorum.

Prima, vt perpetua hiſtoria Eccleſiæ aſpiciatur, quæ nobis & vitæ regula eſſe debet, & admonitio de prouidentia Dei. Si enim hiſtorias prophanorum hominum, in quibus alicuius virtutis larua apparuit, iucundum eſt legiſſe: multò iucundius erit profectò, eorũ hiſtorias legere, in quibus viuæ verarum virtutum icones refulſerunt, vt in Paulo, Petro, Maria, Stephano, Magdalena, latrone, & aliis multis.

Secunda, vt teſtimonia de doctrina, de miniſterio docendi, & de Eccleſia conſiderentur. Sunt enim edita miracula, factæ ſunt mirandæ vocationes ad miniſterium Eccleſiæ, illuſtrata eſt doctrina per vniuerſam Eccleſiam. In his teſtimoniis pulcherrimum eſt videre perpetuum conſenſum verę Eccleſiæ in ſcriptis Propheticis, Apoſtolicis & in Symbolis, & diiudicare inter veram doctrinam Eccleſiæ & omnium temporum corruptelas, mendacia & impoſturas.

Tertia, vt Deus celebretur, & ei gratiæ agantur, quòd ſe patefecerit, tradiderit doctrinam, oſtenderit præſentiam ſuam in Eccleſia, & nos ciues fecerit eius cœtus, qui habet teſtimonia veræ Eccleſiæ & veri cultus.

Quarta, vt exempla confirment fidem noſtram: cùm legimus ipſos exauditos & auditos eſſe diuinitus; vt in Pſalmo 34. 7. dicitur, Iſte pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum: fiduciam concipimus, vt & nos inuocantes iuuet. Sic ergo vnuſquiſque noſtrûm ſtatuat & apud ſe colligat: Magdalenam, Latronem, Paulum, pœnitentes recepit in gratiam, non obſtantibus eorum enormibus peccatis, quibus Deum antea offenderant, igitur & ego ad eundem Dominum confugiam, vt me in gratiam recipiat. Petrum poſt horrendum lapſum venia dignatus eſt: Ergo & ego lapſus non deſperabo. Eſt enim ſemper ſibi conſtans & ſibi ſimilis, nec eſt perſonarum acceptio apud eum.

Quinta, vt pro vocatione ſinguli ſanctorum exempla imitemur. Paulus non fractus eſt perſecutionum mole, ſed conſtanter Euangelium docuit, cuius exemplum imitentur miniſtri verbi. Iohannes non veritus eſt Herodis minas: quare pius concionator ipſius exemplo diſcat mundi furores contemnere. Abraham ex fide ſanctè inſtituit ſuam domum; in vero timore Dei & inuocatione: ab hoc ergo diſcant omnes pij patresfamiliâs, & ſic alia exempla accommodentur.

Sexta, vt ſanctorum dulcis ſit apud nos memoria, & laudetur eorum virtus, quod donis Dei bene vſi ſint, quod ſint domicilia Dei, & teſtes de eo, quod ſint ornati ingentibus virtutibus, quod ſint nobis viua exempla conuerſionis, fidei, pœnitentiæ, conſtantiæ, patientiæ & aliarum virtutum.

Hæ ſex cauſæ ſunt grauiſſimæ, propter quas & memoria ſanctorum, exemplo veteris Eccleſiæ retinetur, & eorũ feſta celebrantur. Quæ cum ita fiant; omnia in gloriam Dei & noſtram ipſorum ſalutem cedunt.

Iam pauca de Stephano dicenda ſunt, in cuius hiſtoria has circumſtantias cogitemus. Religionem, officium in Eccleſia, defenſionem ſuæ religionis, circumſtantiam in confeſſione, inuocationem Chriſti, conſolationem, & vitæ exitum.

Circũſtantiæ 7. in hiſtoria Stephani.

1. *Religio Stephani.* Stephanus fuit Chriſtianus, vir plenus fide & Spiritu Sancto, plenus gratia & fortitudine. Vbi enim vera fides, ibi Spiritus Sanctus, quò maiora incrementa fides capit, eò magis ſe præſentem teſtatur Spiritus Sanctus, accendens motus in cordibus congruentes cum lege Dei. Contrà, vbi Spiritus Sanctus non ſentitur efficax; ibi neque fidem veram adeſſe, manifeſtum eſt. Habemus ergo hîc, quod in Stephano imitemur; nempe fidem efficacem, cui teſtimonium præbet Spiritus Sanctus: non imitantur fidem Stephani, qui eam in ore habent, & interim inuoluuntur prauis cupiditatibus, & ruunt quocunque cæci affectus eos abripiunt.

2. *Officium Stephani* in Eccleſia fuit pauperibus miniſtrare & ſeruare theſaurum Eccleſiæ in vſum ſanctorum pauperum: in quo officio non dubium eſt eum ſedulum fuiſſe. Nam habuit Spiritum Sanctum gubernatorem, veram fidem & charitatem, agendi regulam. Hunc ergo ſibi proponant pauperum curatores & Diaconi. Primum afferant fidem, ſine qua nulla diligentia; & nullum officium ritè fieri poteſt. Deinde in adminiſtratione declarant ſe regi Spiritu Sancto, ne vel durius pauperes excipiãt, vel ad gratiam hominum bona diſpenſent, vel torpeant in officio, vel etiam furentur ipſi, vel quod verè pauperum eſt transferant in alios: ſed omnem fidem in officio præſtent, cogitantes Deum ſuæ adminiſtrationis inſpectorem: ſtatuentes quod membra Chriſti ſint, quorum cura ipſis demandata eſt: verè ſentientes templa Dei eſſe, quibus præfecti ſunt, vtut paupertate, morbis & vlceribus ſcateant.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

3. *Quomodo defenderit religionem* quã profeſſus eſt Stephanus,oſtendit 6. & 7.cap.Actorum. Non in periculo abiicit confeſſionem: non diſſimulat, vt multi, ſed conſtans eſt & fortis ſuæ religionis propugnator: non ipſum impedit multitudo ſectarum,quæ tum erant plurimæ: non frangitur auctoritate Phariſæorum ac ſummorum virorum in Iudæa, ſed ſectis ſe fortiter opponens, ſolus impetum totius populi ſuſtinet, & longa oratione ſuam religionem defendit: quod exemplum nos quoque imitemur.

4. *Conſtantia eius* in confeſſione inde apparet, quod non minis, non ex communicatione,non lapidatione abſterreatur à confeſſione: ſed vt inuictus miles, cõfeſſionem in mediis periculis retinet. Hoc nobis quoque in exemplum propoſitum eſt.

5. *Inuocatio Chriſti*, cùm iam obrutus lapidibus iacet, oſtendit finem, & teſtatur de vera charitate huius viri.Intercedit enim pro ſuis interfectoribus, neque fruſtra pro illis interceſſit. Nam Paulus, qui cuſtos erat veſtium eorum, qui Stephanum lapidabant,poſtea conuerſus eſt.

6. *Conſolatio* in hac inuocatione ſentitur. Nam filium Dei,pro quo iſta ſuſtinuit,vidit ſtantem à dextris Dei pro ſe interpellantem, qua conſolatione pœnę acerbitas non parum mitigata eſt:hunc ſi nos in noſtra cruce imitemur, vere ſentiemus præſens Dei auxilium,conſolantis nos ſuo ſancto Spiritu.

7. *Exitus vitæ ipſius* lætiſſimus fuit. Nam in hac precatione: *Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum*,expirauit & obdormiuit in Domino. Atq; ita ipſe curſum conſummauit, fidem ſeruauit, ac iam coronam,vt ſtrenuus victor,cum gloria obtinet. Hunc ergo & nos morituri nobis proponamus.

Sũma & partes cõcionis Chriſti.

Nunc textum Euangelij videamus,cuius ſumma eſt:Chriſtus prædixit pericula miniſtrorum verbi, & comminatur pœnas perſecutoribus. Nos docendi cauſa quatuor locos tractabimus,qui ſunt:

1. *Prædictio perſecutionis miniſtrorum verbi.*
2. *Exaggeratio peccati perſecutorum.*
3. *Comminatio pœnæ.*
4. *Exprobratio ingratitudinis eorum, qui Chriſtum inuitantem ſe ad pœnitentiam reſpuunt.*

DE PRIMO.

Prædictio perſecutionis miniſtrorũ verbi.

*Ecce ego mitto ad vos Prophetas & ſapientes & ſcribas,& ex illis occidetis,& crucifigetis & ex illis flagellabitis in ſynagogis veſtris.*Hoc loquitur Chriſtus ad Iudæos, qui tum videbantur ipſa Dei Eccleſia eſſe, & ſignificat,quanta rabie perſequentur aliquãdo ſuos legatos, Prophetas & Apoſtolos. Mittit quidem Deus ſuum verbum, vt ſaluentur recipientes verbum,eíque fidem adhibentes:quod autem inde quidam fiant deteriores,hoc non Deo,ſed maliciæ hominum imputandum eſt,qui Deum trahentem per verbum ſequi nolunt.

Cauſæ huius perſecutionis.

Cur autem perſequantur impij Apoſtolos,explicat Dominus Matth.10. vbi ait, Et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum. Ioan.16.Sed venit hora,vt quiſquis vos interfecerit,arbitretur ſe cultum præſtare Deo,& hęc facient vobis,quia nõ nouerunt Patrem neque me. Hîc cauſſam ponit, cur impij ita in pios inſaniant, videlicet quòd Deum ignorent:quæ Dei ignoratio facit,vt ipſi parricidæ putent ſe ſacras victimas offerre Deo,cum fideles occidunt. Atque adeo ruunt ignorantes Deum in hypocriſin, ex hypocriſi, in parricidium,donec compleuerint menſuras ſcelerũ ſuorum.Quid ergo facit Chriſtus? Venit ad ęgrotos: illi, vt phrenetici, in Chriſtum ſe conuertunt, quem de medio ſublatum cupiunt. Monſtrat ille per ſuos morbum. Illi contrà morbum non agnoſcunt:quare & Medicum contemnunt, & eius legatos perſequuntur.

DE SECVNDO.

Grauitas peccati perſecutorum.

Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus, qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel iuſti, &c. Quàm grauiter peccent perſecutores Eccleſiæ,oſtendit: Dicit enim eos fore reos totius ſanguinis ſanctorum, qui vnquam effuſus eſt, non ſecus atque ipſi ſua manu omnes pios & ſanctos, atque adeo ipſum Chriſtum trucidaſſent. Nam inter omnes impios quędam impietatis cognatio eſt,quę facit pœnas æque graues,& reatum æqualem.

DE TERTIO.

Cõminatio pœnę.

*Amen dico vobis,venient hæc omnia ſuper generationem iſtam.*Hæc tametſi proprie dicuntur de perſecutoribus Iudæis: tamen in vniuerſum ad omnes Eccleſiæ perſecutores pertinent. Iuramentum quod interponit Dominus, nos docet duo. Primùm, quòd impij verè aliquando rapiantur ad ſupplicia, vtut diu differri videatur iudicium. Deinde, quòd pij,qui perſecutionem patiuntur, aliquando glorioſè liberentur, traditis ſuis hoſtibus perpetuis ſuppliciis: Vnde diſcant pij non ſuccenſere impiis perſecutoribus, ſed potius commiſeratione ſuper illorum certa damnatione tangi, & pro illis intercedere, vt Dominus eos conuertat, ne omnes damnentur: quemadmodum Stephanus fecit, vt ſupra audiuimus.

DE QVARTO.

Ingratitudinis exprobatio.

Hieruſalem,Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, &c. Hæc verba Chriſti compellantis Hieruſalem primum exprobrationem habent.Deinde affectum Chriſti erga eos declarant. Tum ſignificant, quòd ſua propria culpa pereant. Poſtremo pœnam comminantur.

1. Cùm enim dicit: *Quoties volui te congregare,* exprobrat ingratitudinem, quòd nec oblatum beneficium recipere voluerint, nec ſuæ ſalutis vllam rationem habuerint, tantum abeſt, vt benefactoris liberalitatem agnouerint,aut ei grati fuerint. Vtinam non magna pars eorum, qui hodie audiunt Euangelium,illis eſſet ſimilis: id quod ſanè ſuis declarant fructibus.

Chriſti affectus.

2. Affectum ſuum erga ipſos declarat Dominus, dum ſe gallinæ confert,quę ſuos pullos intimè amat, & nihil non agit, quo eos ab inimicis auibus tueatur.Abſit à piis cordibus,ſentire, Chriſtum apud ſe aliud ſtatuiſſe de Iudæis voluntate aliqua arcana, quàm quod lachrymis & ore teſtatus eſt. Nam horrendum eſt,cogitare in Chriſto contradictorias voluntates eſſe,qui ipſe damnat cor duplex. Verè igitur illorum ſalutem voluit, iuxta dictum Prophetæ, nolo mortem peccatoris,ſed vt conuertatur & viuat.

Iudæi ſua culpa pereunt.

3. Tertio loco,cum ait Dominus, *& noluiſti,* apertè teſtatur Iudæos ſua culpa periiſſe, & repugnaſſe Chriſto ex propria malitia, qui eis ſalutem obtulit. Non dicit,& Deus noluit recipere in gratiam, ſed tu noluiſti. Quare hinc duo diſcamus. Primum,vt cautiores facti Iudæorum damno, verbo Dei præbeamus aures, & inuitanti Chriſto nos obſequentes præbeamus, nec reluctemur Spiritui Sancto, qui voluntates omnium mouet, qui audiunt Euangelium. Alterum, quòd, quicunque verbum audientes, ei non obtemperant, pereant ſua culpa, quorum interitus & damnatio non aſcribenda

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

benda vlli fato, aut voluntati arcanę Dei, quaſi quorundam ſalutem non vellet.

Ingratitudinis iuſtũ ſupplicium.

4. Quarto, cùm ſubiungit: *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Hæc pœnæ comminatio, etſi in ſpecie pertinet ad Iudæos perſecutores, quibus vaſtationem minatur religionis, politiarum & Oeconomiarum: in genere tamen ad omnes perſecutores Euangelij pertinet. Comminatur autem illis, vt aliqui ſaltem ex ipſis reſipiſcant. Nam omnes Prophetiæ comminationes habent tacitam conditionem, ſcilicet, niſi egeritis pœnitentiam: ſicut in Niniuitis videmus, & Chriſtum audimus conteſtantem, his verbis: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis, Luc. 13. 3.

Doctrina.

Simus ergo admoniti hac comminatione, vt nos, modo velimus effugere iram Dei, ſeriam agamus pœnitentiam, & Chriſtum ſaluatorem noſtrum veris gemitibus imploremus, vt nos vera fide & inuocatione conſeruet, cui cum Deo Patre & Spiritu Sancto ſit laus, honor & gloria in ſecula ſeculorum Amen.

FERIA TERTIA NATIuitatis Domini, Iohann. 21.

DIxit Ieſus Petro: Sequere me. Conuerſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in Cœna ſuper pectus eius, & dixit: Domine, quis eſt ille, qui te tradit? Hunc ergo cùm vidiſſet Petrus, dixit Ieſu: Domine, hic autem quid? Dixit ei Ieſus: Si velim eum manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere. Exiit ergo ſermo iſte inter fratres, quod diſcipulus ille non moreretur. Et non dixerat ei Ieſus: non morietur: ſed, ſi eum velim manere, donec veniam, quid ad te? Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus quod verum eſt teſtimonium eius.

ENARRATIO TEXTVS.

Sũma huius cõcionis.

SVmma huius Euangelij eſt: Poſtquam Chriſtus ter interrogaſſet Petrum an ſe amaret, mandat illi vt ſe ſequatur, ſignificans, quòd ſe ſua morte eſſet glorificaturus. Præterea correcto errore Petri, Euangeliſta aliorum diſcipulorum ſenſum corrigit, qui malè intelligentes verba Domini, putarunt falſo, Iohannem non moriturum. Poſtremo aſſerit, Euangelium à Iohanne ſcriptum de Chriſto, verum eſſe. Porrò huius Euangelij quatuor conſtituantur loci, qui ſunt:

Partes.

1. *Colloquium Chriſti & Petri, & mandatum Chriſti, vt Petrus ſe ſequatur.*
2. *Vt vocatio cuique ſua commendatur: Ita damnatur curioſitas.*
3. *Correctio erroris diſcipulorum orti ex malè intellectis verbis Domini.*
4. *Commendatio Euangelij à Iohanne ſcripti.*

DE PRIMO.

Cur Chriſtus Petrũ ter interpellauerit.

Et cum hoc dixiſſet, dixit Petro: Sequere me. Quia Petrus ter negauit Chriſtum, voluit Dominus terna confeſſione eum in ſuum ſtatum & Apoſtolatum reſtituere. Nam par erat, vt qui toties negaſſet ſuum Dominum, hac ratione & veluti diſciplina caſtigaretúr, ac probaretur, & vt nota fieret eius conuerſio. Tria autem ſunt, quæ hîc cum Petro agit Dominus. 1. Ter illum interrogat, an ſe amet: cui Petrus ter quoque reſpondet, vt hac terna confeſſione apud alios ternam negationem ablueret, ac in ſuum ita locum reſtitueretur. Deinde ter commendat illi Apoſtolatus officium, dicens, Paſce oues meas, hoc eſt, eſto Apoſtolus meus, qui doctrina Euangelij, Sacramentis, & ſancta vita, mihi congreges oues. Habemus hîc munus Apoſtolatus, adeóque omnium miniſtrorum verbi, eſſe paſcere oues Chriſti. Deinde Metaphora ouium ſignificatur, qualiſnam ſit cœtus ille hominum, qui ouium appellatione ſignificatur. Primùm ergo quędam de paſcendi ratione: Deinde de ouibus quędam hîc dicenda ſunt.

Quomodo Chriſtus & Paſtores in eccleſię paſcũt.

Chriſtus paſcit, & Apoſtoli, aliíque miniſtri verbi paſcunt: ſed non ſimilis omnium ratio eſt. Chriſtus enim vt Dominus, ouium paſtor, Apoſtoli vt ſerui: Chriſtus intus ſuo Spiritu, Apoſtoli externo miniſterio. Nam eos qui feritate morum vrſi aut Leones erant, cicurant, intus Domino per Spiritum ſuum operante: ac ita in ouile Chriſti, hoc eſt, in regnum Chriſti introducunt: ídque adhibitis clauibus Eccleſiæ Chriſti, à Chriſto vero paſtore datis. Sunt autem hæ claues aliæ nullæ, quàm verbũ & fides: verbum adhibet miniſter, fidem ad prędicationem verbi intus adhibet Spiritus Chriſti. Nam prædicatio verbi Dei, de peccatorum remiſſione impetranda per Chriſtum vnica clauis eſt ad aperiendum regnum cœlorum. Quòd ſi is, qui audit, adiungat etiam veram fidem, & Euangelio vere adſentiatur, accedit etiam clauis altera: his duabus clauibus recluditur regnum cœlorum, & impetratur condonatio peccatorum. Hoc ita eſſe oſtendit legatio Chriſti, in qua, quod per claues figuratè dicitur, claris & ſignificantibus verbis exprimitur cùm ait, Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ. Ecce habes priorem clauem. Verùm cùm addit, Qui crediderit, ſaluus erit, alteram oſtendit clauem. Sunt ergo hæ duæ claues, verbum & fides, quibus recluditur regnum cœlorum. Verbum applicatur foris per miniſtrum: ſed virtute Spiritus receptum gignit per fidem, qua intratur in ouile Chriſti.

Claues, quid.

Deinde cum paſtores intromiſerint oues in ouile Chriſti, debent eas paſcere verbo & Sacramentis aberrantes ab ouili, pedo, hoc eſt, obiurgationibus reuocabunt: laborantes & ægrotas conſolationibus refocillabunt: & ſemper excubias agent circa gregem ſuum, ne lupi veniant & diſrumpant ouile, & diſpergant oues. Hæc omnia commiſit Dominus Petro atque aliis Apoſtolis, imò omnibus miniſtris Euangelij, quando dixit Petro, Paſce oues meas.

Electi cur oues appellantur.

Sed cur oues appellat, quos Chriſto adducunt Apoſtoli? Tres cauſſas potiſſimum inuenio: quarum *prima* eſt, quod manſuetos eſſe oporteat, qui Chriſto dant nomina. Non enim decet eos, qui in Chriſti familia cenſeri volunt, imitari truculentiam leonũ, rapacitatem luporum, aſtutias vulpium, libidinem hircorum, ſordes porcorum, aut alios ferinos affectus exprimere.

Secunda cauſſa eſt, quòd quemadmodum oues ſui paſtoris vocem norunt, & alienam refugiunt: Ita pij ſolum Chriſtum doctorem agnoſcent, & eos, qui eius vocem ſonant, audient, & non alios quantumuis magni nominis, imò etiamſi fuerint Angeli de cœlo.

Tertia cauſſa eſt, quòd quemadmodum oues ſuum paſtorem, quocunque iuerit, ſequuntur: Ita pij Chriſtum, in via, in cruce, in gloria ſequi debebunt, ipſius vitam vitæ regulam intuebuntur, ipſius crucem per patientiam, quoties opus eſt, ſu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſtinebunt, ac poſtea cuius in cruce ſocij erant, gloriæ quoque erunt participes, quemadmodum Paulus ait: Si cum illo patimur, vnà etiam cum illo glorificabimur. Hinc ergo pij verbi miniſtri diſcant recte paſcere gregem Chriſti. Et oues ſint manſuetæ: audiant ſui paſtoris vnicam vocem: cúmque ſequantur in via, & cruce & gloria.

Prædictio de Petri morte.

Terium, quod agit hîc Chriſtus, eſt quod Petro ſignificat, quali mortis genere ſit Deum glorificaturus, cùm ait: *Cum eſſes iunior, cingebas te, & ibas quò volebas: cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & transferet quo noles.* Significatur his verbis, quod Petrus ob Chriſti confeſſionem debeat aliquando crucis ſupplicium ſubire: quod Irenæus & plerique veterum teſtantur Romæ factum eſſe regnante Nerone. Tametſi de hac re iuſta poteſt eſſe dubitatio.

His ſubiungit Chriſtus mandatum ſuum ad Petrum, & iubet vt ſe ſequatur, non amplius abiiciat confeſſionem, ſicut antea, ſed ſtrenuè vſque ad mortem ſe inuictum militem Chriſti præſtet: hoc vnuſquiſque noſtrûm ſibi dictum putet.

DE SECVNDO.

Quæſtio Petri vt curioſa à Chriſto improbatur: vocatio autē, cōmendatur.

Conuerſus Petrus, vidit illum diſcipulum, quem diligebat Ieſus, ſequentem, qui & recubuit in Cœna ſuper pectus eius: hunc ergo cum vidiſſet, dicit Petrus Ieſu: Domine, hic autem quid? Cui Ieſus: Si eum velim manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere. Petrus audiens à Domino, quòd eſſet aliquando ſubiturus, Chriſti nomine, durum ſupplicium, non tam quid ſibi faciendum præſcribitur ſpectat, quàm eſt ſolicitus de aliis: eſt quidem paratus ad ferendam crucem Chriſti nomine: ſed interim accedit ex infirmitate carnis quædam curioſitas, qua ea inueſtigat, quæ ad ſe non ſpectant. Tanta enim hominum imbecillitas eſt, vt ſemper in noſtris aduerſis reſpiciamus ad aliorum felicitatem: quare facimus ipſi nobis crucem acerbiorem & difficiliorem. Libenter vellemus, ne alij nobis eſſent feliciores. Dulce enim, iuxta prouerbium, commune naufragium. Verùm cùm Dominus hanc curioſitatem taxat in Petro, ſciamus hanc reprehenſionem ad nos quoque pertinere. Vt autem iſtud in Apoſtolo corrigat, ait: Quid ad te? me ſequere, quaſi dicat: Noli reſpicere ad aliorum felicitatem, ſed potius hoc ſpecta, vt tuum officium facias, ac feras quicquid tibi Dominus ferendum impoſuerit. Ita vult Dominus, vt noſtram curemus vocationem in timore Domini: nō vult, vt putemus nos infeliciores eſſe, ſi alij nobis videntur feliciores. Nam quælibet vocatio ſuam habet adiunctam crucem, quæ ferenda eſt æquo animo. Omnes, inquit Paulus, 2. Timot. 3. 12. qui volunt pie viuere in Chriſto, perſecutionem patientur: nemo ergo, modò pius, expers crucis erit. Quare curioſitate prophana abiecta, vnuſquiſque maneat in vocatione, qua vocatus eſt. Sit quietus, & propria agat, iuxta Pauli conſilium. 1. Theſſal. 4. 11. Quietos vult nos eſſe, ne inſtar hominum prophanorum in alienis negociis nimium occupemur: quemadmodum multi hodie faciunt. Vult nos propria agere, hoc eſt, vult vnumquémque, quæ ſuæ vocationis ſunt, curare. Vt autem id fieri poſſit, quinque ſunt in quaque vocatione ſpectanda. 1. Vocatio debet eſſe legitima. 2. Fides & charitas debent eſſe actionum regulæ in vocatione. 3. Si quid aduerſi in vocatione contigerit, conſolationem petas è conſcientia legitimæ vocationis. 4. Vocationem ad gloriam Dei & Eccleſiæ Chriſti commodum referes. 5. Quia nihil feliciter in vocatione abſque benedictione diuina ſuccedit, Deus rogandus eſt, vt manus auxiliatrices adhibeat. Hoc ſi feceris in vero timore Dei, ſenties ſanè tuam vocationem non inutilem Eccleſiæ Dei fore.

Quę ſunt in vocationib. ſpectanda.

DE TERTIO.

Error diſcipulorū.

Exiit inter fratres ſermo, quod diſcipulus ille non moreretur. Vide quàm facilis eſt in errorem lapſus. Chriſtus dicit: Si eum volo manere, quid ad te? Diſcipuli autem hoc intellexerunt, quaſi ſine conditione dixiſſet: Volo illum manere & non mori, donec veniam. Hic ergo admonemur diligentiæ in lectione ſacrorum librorum, ne aliena, quàm quæ dicuntur illinc extruamus. Amplectamur itaque quæ clara & perſpicua ſunt: quæ cum conditione, aut obſcure dicuntur, conferamus cum clarioribus locis: & imploremus Deum, vt nobis det clauem veræ ſcientiæ, quo intelligamus ea ſine errore, quæ noſtræ ſalutis interſunt: à quæſtionibus inutilibus, nihil facientibus ad ædificationem, abſtineamus, ſcientes hanc ſimplicitatem gratam Deo, iuxta dictum: Altiora te ne quęſieris.

Doctrina.

DE QVARTO.

Commendatio Euāgelij à Iohanne ſcripti.

Ipſe Euangeliſta claudit ſuum Euangelium, dicens: *Hic eſt diſcipulus iſte, qui perhibet teſtimoniū de his & ſcribit hæc, & ſcimus, quòd verū eſt teſtimonium eius.* Hæc eſt veluti quædam obſignatio Euangelij à Iohanne ſcripti, cum dicit: Scimus, ſignificat Euangelium eſſe certum, verum & infallibile. Hoc Euangelium vocat teſtimonium, quia de Chriſto & eius beneficiis teſtatur. In quem autem finem ſuum Euangelium ſcripſerit Iohannes, exponit ipſe in fine capitis 20 cum ait, Hæc autem ſcripta ſunt, vt credamus, quòd Ieſus eſt Chriſtus ille Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius. Eſt ergo duplex finis Euangelij: nempe noticiā Ieſu Chriſti, & ſalus per fiduciam in ipſum, Cui gloria in ſecula, Amen.

DOMINICA INFRA Octauam natiuitatis Chriſti, Luc. 2.

ET erant Pater & Mater eius mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius, Ecce poſitus eſt hic ad ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicitur. Quin & tuam ipſius animam penetrabit gladius, vt retegantur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna Prophetiſſa filia Phanuel de tribu Aſer. Hæc proceſſerat in multam ætatem, & vixerat cum viro annis ſeptem à virginitate ſua. Et hæc vidua annorum ferme octoginta quatuor, quæ non diſcedebat de templo, ieiuniis ac deprecationibus ſeruiens die ac nocte: & hæc eadem hora ſuperueniens, viciſſim confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Hieroſolymis. Et vt perfecerunt omnia ſecundum Legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæā in ciuitatem ſuā Nazareth. Puer autem ſuccreſcebat, corroborabatúrque ſpiritu, & implebatur ſapientia, & gratia Dei erat ſuper illum.

ENARRATIO TEXTVS.

Summa cōcionis.

HOc Euangelium eſt pars rerum geſtarum, die purificationis beatæ virginis in Templo, poſtquam parentes Ieſu ſecundum legem Moſi obtuliſſent

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

liſſent & conſtituiſſent puerum coram Domino. Eſt autem ſumma huius partis, quod Simeō & Anna teſtimonium dent Chriſto, & agnoſcant illum Regem & Meſſiam promiſſum: cui impius quidem mundus ſeſe oppoſiturus eſt in proprium malum: pii verò amplectūtur ipſum ſibi in reſurrectionem & ſalutem. Cōſtituamus autem tres locos, qui ſunt:

Partes.

1. *Admiratio parentum Ieſu.*
2. *Teſtimonium Simeonis & Annæ de Chriſto.*
3. *Argumentum humanitatis Chriſti.*

DE PRIMO.

Parentum Chriſti admiratio.

Parentum Chriſti admiratio oſtendit, quod ratio nihil percipiat rerum diuinarum. Debemus ergo voci Dei credere, eámque admirari, potius quam abnegare. Admirantur autem quod Deus nunc ſecundum ſuum æternum ac arcanum conſilium miſerit Meſſiam, quem tot Prophetæ Patriarchæ, & Reges expectauerant. Admirantur teſtimonium Angelicum, admirantur ſenis Simeonis vocem, qua etiam in fide confirmantur ſolidius.

Hæc admiratio ſancta quædam eſt cogitatio, qua reuerenter conſiderant & amplectuntur Spiritus Sancti vaticinium: vnde magis magíſque in Chriſti cognitione proficiunt. Hoc exemplum nobis quoque proponendum eſt. Non mox repudiabimus, quæ ratio non capit: ſed ſancta cum admiratione amplecti debemus diuina oracula: & vt fides noſtra noua capiat incrementa, omnia adminicula ex Prophetiis, ex miraculis, ab exemplis, ab omnibus denique rebus colligemus in maiorem admirationem. Nam ille demum in ſchola Chriſti bene profecit, qui quotidie cum augmento fidei magis magíſque admiratur.

Doctrina.

Ioſeph quo modo pater Chriſti.

Porrò Ioſeph hîc dicitur pater Chriſti, eò quòd Maria fuerit ei deſponſata, & quòd Ioſeph mandatum Dei habuerit curandi hunc puerum & eius matrem, & quia putatus eſt vulgo eſſe pater Chriſti. Paulus dicit ad Hebr. quod Chriſtus eſt ἀπάτωρ & ἀμήτωρ, id eſt, ſine patre & ſine matre. Sine patre quidem ſecundum natiuitatem carnalem. Sine matre verò eſt, ſecundum natiuitatem illam admirabilem & æternam, qua filius Dei natus ſit à Patre ſine matre ab æterno: de qua natiuitate principium Euangelij concionatur, ſicuti nuper audiuimus.

DE SECVNDO.

Teſtimonium Simeonis cōplectitur.

In teſtimonio Simeonis quatuor conſideranda ſunt. *Primum*, benedicit eis: qua re Simeon declarat ſuum affectum erga Chriſtū & eius regnum, nimirum quod cupiat bene huius noui Regis nouo regno: atque hoc fecit Simeon conſuetudine ſanctorum Patriarcharum, qui ſolebant ſenes bene precari iunioribus. Eſt enim benedicere Hebraica phraſi nihil aliud, quam felicem ſucceſſum optare ac bona precari. Hinc ſinguli diſcamus, primum Chriſtum confiteri. Deinde eius regno bene precari, quod pertinet ad ſecundum præceptum, & ad ſecundam petitionem.

1. Benedictionem.

Prophetiam.

Alterum, quod conſiderandum eſt in teſtimonio Simeonis, eſt vaticinium, quod duo complectitur. 1. Quod Chriſtus ſit futurus multis in ruinā, vt in ipſum impingentes cadant multi & pereant, non ipſius culpa, ſed ipſorum, qui hunc Chriſtum amplecti nolunt. Sed quæret aliquis, Quomodo Chriſtus poſitus ſit in ruinam incredulis, qui iam ſunt perditi? Bis pereunt impij. Primùm propria infidelitate ſunt perditi. Deinde, quia oblata ſalute ſe vltro priuant. Perinde enim eſt, ac ſi quis ob furtum eſſet adiudicatus morti ſemel, & deinde regis filium pro ſe intercedentem, conſpueret, ſpreta per illum oblata liberatione. Hic meritò bis perditus dici poſſet, cum ob proprium furtum, tum quia liberatorem ſuum aſpernaretur in maius ſupplicium. Quamuis ergo omnes impios, qui Chriſti nomen non audiuerunt, certus manet infidelitatis ſuæ interitus: tamen illi, qui ſcientes & volentes Chriſtum reſpuunt, ſecundam ruinam ſentient, & grauius punientur. Seruus enim ſciens voluntatem Domini & non faciens, vapulabit plagis pluribus: mitius ergo erit Turcis & Ethnicis in extremo die quàm illis, niſi egerint pœnitentiam. II. Quod idem Chriſtus ſit futurus reſurrectio multorum in Iſraël, id eſt, liberatio à peccato, donatio iuſtitiæ, reſurrectio à morte, & hæreditas omnium bonorum.

3. Admonitionem virgini factam.

Tertium, quod conſiderandum eſt in Simeonis teſtimonio, eſt Apoſtrophe ad virginem matrem Chriſti, cui prædicit crucem & perſecutionem, dicens: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Hæc verba etiamſi propriè ad Mariam pertineant: tamen communiter ad totam Eccleſiam, cuius typum geſſit, referenda ſunt. Maria opus habuit hac admonitione propter duo: Primùm vt hoc Spiritus Sancti oraculo admonita, componeret ſe ad ſuſtinendos triſtes euentus, cum videret filium ſuum malè excipi à ſuis, ac tandem in crucem ſuſpendi. Deinde, vt ita munita aduerſus futuros inſultus, nihilominus certa fiducia exultaret, quòd tandem ipſius filius eſſet futurus ſuorum hoſtium victor: hac freta fiducia aſtitit cruci, forti animo ipſius glorioſum triumphum expectans. Deinde hæc verba ad Eccleſiam totam pertinent. Hoc enim vaticinio indicatur, quod ipſa Eccleſia ſit in hoc mundo futura ſub cruce, & ſimul exemplo virginis eam erigit.

Status Eccleſiæ piſturam.

Quartum, quod in hoc Simeonis teſtimonio conſiderandum eſt, quod Simeon dicit, diſceptationes ex multorum cordibus reuelandas: qua voce ſignificat fore multos, qui apertè ſe declarabunt eſſe hoſtes chriſti, & rurſus qui chriſtum confitebuntur vſque ad extrema pericula & ſanguinis effuſionem. Primum nos conſoletur aduerſus ſcandalum crucis. Alterum in nobis fiduciam alat.

Teſtimoniū Annæ repræſentat.

In teſtimonio Annæ duo conſideranda ſunt. Primùm, proſopographia perſonæ Annæ, quam commendat à Prophetico ſpiritu, id eſt, cognitione rerum ſpiritualium ſeu regni chriſti à parentibus, ab ætate, à caſtitate, à ſedulitate precandi.

1. Eius perſonam.

Hæc eò pertinēt, vt ſanctiſſimæ matronæ maiorem autoritatem concilient, vt plus vni ſanctæ matronæ credamus, quàm maximæ Phariſæorum & Sacerdotum turbæ, qui hunc chriſtum non agnoſcunt.

Imitemur igitur nos potius paucos pios, quàm innumeram impiorum turbam, quæ Euangelium perſequitur. Obſeruemus quoque hîc imaginem Eccleſiæ chriſti, quæ eſt grex puſillus, non præferens ſplendorem mundi, ſed facem verbi cœleſtis.

2. Eius cōfeſſionē.

Alterum eſt confeſſio Annæ, quæ tria continet.

1. Quòd cum Simeone confitetur chriſtum, & ſimul melodia aliqua chriſtum prædicabat: vnde pij diſcant, vt ſe mutuò hortentur ad prædicandas laudes Dei.
2. Docet populum. ceſſantibus enim Scribis & Phariſæis, mulier ſancta prodit, & loquitur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem in Hieruſalem.
3. Apertè chriſtum λυτρωτὴν & Redemptorem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

agnoſcit. Intellexit enim iſtum infantem fuiſſe Semen illud promiſſum, quod contriturum eſſet caput ſerpentis, ac ita hominem perditum eriperet è regno Diaboli.

DE TERTIO.

Incremẽtũ humanæ naturę IeſuChriſti.

Puerulus autem creſcebat & roborabatur Spiritu, *implebatúrque ſapientia, & gratia Dei erat ſuper illum.* Hoc eſt, Quemadmodum puer Ieſus ætate progreſſus eſt: Ita diuina natura in ipſo ſe exeruit, ac indies magis magíſque proficiebat ſapientia, & vnà cum ætate creuerunt in eo animi dotes. Verùm quia diuinitati nihil poteſt accedere, manifeſtum eſt, hæc ad humanam pertinere naturam. Quemadmodum enim corpore adoleuit paulatim: ita ſecundum animam indies magis magíſque dotes animi creuerunt. Neque hoc à Chriſto alienum eſt, qui noſtri cauſſa formam ſerui aſſumpſit, in qua exinanitus fuit. Nam vt propter nos exinanitus fuit: ita rurſus paulatim creuit, donec in ſuam gloriam iterum per ſe reſurrectionem ingreſſus eſt. Neque

Doctrina.

hoc factum eſt ſine noſtra doctrina & admonitione. Docemur enim, illum ideo creuiſſe, vt nos de plenitudine eius accipiamus gratiam pro gratia. Admonemur & nos exemplo Filij Dei, vt perpetuis incrementis ſtudeamus, vt indies magis magíſque abundemus in vera Dei cognitione & omni ſenſu: vt & vero iudicio & affectu probemus quæ ſint pia, ſancta & honeſta, & veros fidei fructus quotidie edamus: ſed ita vt dies ſequens pręcedentem ſuperet. Nam qui non progreditur in cognitione Dei, & ſenſu pietatis, ipſe retrogreditur, ac in eo paulatim extinguitur fides, & ita rurſus in corde ipſius ſepelitur Chriſtus, ac iterum in peccata contra conſcientiam ruit. Exemplum habemus

Cõfirmatio ab exemplo.

in Dauide. Is enim ſapientia ſpirituali ſupra omnes ſuæ ætatis homines profecerat, & gratia Dei erat cum illo. Sed quid factum eſt? Factus eſt ſedens in ſuo regali ſolio paulò languidior. Extinguebatur paulatim ille ardor & zelus gloriæ Dei, qui fuit in illo, dum contra Goliad pugnauit & eum vicit: & cum in periculis verſabatur quotidie perſequente ipſum Saule. Quid inde factum eſt? Conſpicitur mulier decora & pulchra: affectus excitantur ſine vllo impedimento. Ardor enim ſpiritus iam prorſus friguit: voluntas cedit affectui, ac deinde ruit in peccatum contra conſcientiam commiſſo adulterio, cui mox addidit optimi ciuis parricidium: quæ ſcelera poſtea per integrum annum hypocriſi texit, etſi ſimulauit quidem pietatem, quæ iã Spiritu Dei abſente exulabat.

Admonitio.

Huiuſmodi ſunt multa alia exempla, quę monent nos, vt puerum Ieſum hic imitemur. Is creuit ſapientia, & gratia Dei erat ſuper Illum: nos quoque creſcamus ſapientia ſalutari, & rogemus fontem ſapientiæ Ieſum, vt de ſua plenitudine nobis largiatur: ita futurum eſt, vt gratia Dei, quam obtinemus per & propter Chriſtum, ſuper nos maneat. Vt enim gratia Dei ſola facit, vt in donis ſpiritualibus faciamus quotidie progreſſus: Ita retinetur gratia & manet, quando ipſi non torpemus, ſed ſtrenuè laboramus, vt gratiam accepiſſe fruſtra non videamur.

Huc pertinet illud Pauli: Spiritũ nolite extinguere. Suſcitãda ſunt igitur dona Dei crebris exercitiis, vt indies magis proficiamus in gloriam Dei Patris, Filij & Spiritus Sancti. Cui ſoli Deo ſit honor, gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DIE CIRCVMCISIONIS Domini, Euangelium, Luc. 2.

ET poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatũ eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum erat ab Angelo, priuſquam in vtero conciperetur.

ENARRATIO TEXTVS.

Cauſæ inſtitutionis huius feſti diei.

HOc feſtum de Circumciſione Domini, tres ob cauſſas in Eccleſia inſtitutum eſt. Quarum *prima* eſt, vt ſciatur Hiſtoria. *Secunda*, vt beneficium Dei erga genus humanum, quod Hiſtoria commendat, intelligatur. *Tertia*, vt beneficio diuino recte vtamur, cum in Dei gloriam, tum in noſtram ſalutem & aliorum ædificationem.

1. Hiſtoria.

1. Hiſtoria eſt, quod Chriſtus Dominus die octauo à ſua natiuitate carnali, iuxta legem Moſis ſit circumciſus, & nomen ei quod ab Angelo prædictum erat, ſit inditum, vocatúſque ſit Ieſus.

Beneficiũ.

2. Beneficium, quod Hiſtoria commendat, eſt, quod pro nobis id factum ſit, quemadmodum Paulus docet, Factus eſt ſub lege, vt eos, qui ſub lege erant, redimeret. Galat. 4. 4. 5.

Vſus.

3. Vſus denique in his conſiſtit, vt cognito beneficio, Deo grati ſimus, noſtram fidem hoc facto confirmemus, ac exemplo Dei Patris & Filij ipſius Ieſu Chriſti ſtudeamus de omnibus bene mereri. Porrò, vt hæc nobis informandis de hoc beneficio efficacius ſeruiant duos locos tractabo, Qui ſunt:

Partes.

1. *De Circumciſione.*
2. *De ſuauiſſimo nomine Ieſu.*

DE PRIMO.

Membra prioris partis.

Vt hanc de Circumciſione diſtinctius intelligamus doctrinam, hæc ordine nobis explicanda videntur. 1. Quomodo Deus ſoleat hominem de ſua inſtituere volũtate. 2. Qualis res fuerit Circumciſio illa carnalis, quæque in illa ſint ſpectanda. 3. Vnde conſtabit Sacramentorum cum veteris, tum noui Teſtamenti ratio. 4. Cur Chriſtus ſit circumciſus. 5. Quæ ſit ſpiritualis illa circumciſio, ſine qua ſalus nemini vnquam contigit.

1. Quomodo ſoleat Deus hominẽ de ſua inſtituere voluntate.

Deus ante lapſum, & poſt lapſum, ante legem, ſub lege, & poſt Chriſtum exhibitum, ſemper ſolitus eſt hominem de ſua voluntate duabus inſtituere rebus: vna perceptibili mente, altera perceptibili ſenſu, vt id, quod menti offertur intelligendum, quodammodo ſenſibus externis percipiatur: Ita voluit Deus clementiſſimus humanæ conſulere imbecillitati. Menti verbum proponit, per quod ſuam voluntatem homini patefecit: ſenſibus ſigna aſpectabilia, quæ ibi docent viſibiliter, quod verba ſonant & menti offerunt. Hominem formatum Deus in Paradiſo poſuit, ei verbum ſuæ voluntatis teſtimonium dedit: verbo adiecit duplex ſignum externum, nempe arborem vitæ, & arborem ſcientiæ boni & mali. Poſt lapſum hominis dedit promiſſionem Seminis, cui ſigna externa ſacrificia adiecit. Superato diluuio, promiſſionem voce propoſuit, ac eius ſignum arcum cœleſtem fecit. Abrahamo fit promiſſio Seminis, cui promiſſioni ſignum circumciſionis in perpetuam rei memoriam adiecit. Promiſit liberationem de ſeruitute Ægyptiaca, quam & præſtitit, ſed hanc promiſſionem agno Phaſe obſignauit. Moſi promiſſionem commen-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

commendauit,ſed addito veluti ſigillo teſtamento ſanguinis vaccæ ruffæ. Tandem Deus dat Filium, & per illum promittit credentibus vitam æternam, quam promiſſionem duobus auguſtiſſimis Sacramentis, Baptiſmo & Cœna Domini, confirmauit. Breuiter,ſemper ſuo verbo Dominus aliquod externum adiicere teſtimonium ſolet,vt & mente & ſenſu,quaſi palpemus, quæ ſit eius erga nos voluntas. Quicquid enim ab homine percipitur, id fit aut mente aut ſenſu, aut vtroque ſimul. Verùm Deus, vt certiores ſimus de noſtra ſalute, verbum menti, ſignum externum ſenſibus proponit, & nihil non facit, quod ad noſtram ſalutem facere iudicatur. Atque ita Deus hominem de ſua voluntate inſtituere ſolet.

2. De circumciſione locus.

Hoc iacto fundamento, qualénam ſignum fuerit circumciſio illa carnalis & aſpectabilis, facilè intelligitur,modò verbum,cui hoc ſignum additum eſt, in medium producamus. Nam ſignum nihil aliud eſt, quàm promiſſionis, quæ verbo continetur, efficax quoddam Symbolum & authentica obſignatio.

Fius fundamentum.

Quódnam eſt igitur verbum, cui circumciſio additur? Dominus Geneſ.17.4.&c. promiſit,ſe fore Deum Abrahami & Seminis eius: & requirit ab Abrahamo fidem huius promiſſionis, & vt ambulet coram ſe, & ſit perfectus, hoc eſt, vt omnia poſtponat obedientiæ erga ſe,retinens fidem & bonam conſcientiam. Huic promiſſioni & mutuo pacto ipſe Deus externam circumciſionem adiecit, vt in carne Abrahæ teſtimonium eſſet mutui inter Deum & Abrahamum fœderis. Ait enim Dominus: hoc eſt pactum, quod obſeruabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te. Circumcidetur inter vos omne maſculinum, & circumcidetis carnem præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me & vos,&c.

Partes præcipuæ.

Videmus ergo hîc promiſſionem præcedere, mandatum ſigni ſequi, ſignum perſcribi, & fidem promiſſionis, iuxta Pauli rationem, exigi. Vnde colligitur in circumciſione eſſe quatuor: promiſſionem, mandatum Dei, ſignum aſpectabile, & fidem promiſſionis, quam neceſſariò requirit promiſſio. Atque hæc quatuor in Circumciſione ſunt ſpectanda, quæ in eiuſdem definitione includi debent hoc modo:

Definitio.

Circumciſio carnalis mandata à Deo, eſt reſectio præputij virilis membri, quo Deus ſuum pactum cum homine initium confirmat, & viciſſim homo hoc diuini fauoris teſtimonio confirmatus ſe viua fiducia erigit. Quare Paulus Circumciſionem σφραγίδα, id eſt, ſignaculum iuſtitiæ fidei appellat, Roman.4.11. Eſt enim veluti externa promiſſionis de gratuito fauore Dei obſignatio. Eadem de cauſſa Stephanus in Actis, cap.7.8. Circumciſionem teſtamentum appellat. Quia ergo promiſſio neceſſariò præcedit, & fides ſequitur, quæ in promiſſionẽ reſpicit, mutuum erit fœdus Circumciſio, Dei quidem promittentis,& hominis fide promiſſam gratiam recipientis, quæ promiſſionis fides ſigno externo confirmatur. Atque hæc eſt Circumciſionis vera ratio.

Iam duo neceſſariò adiicienda ſunt: vnum, cur in ſeminali membro illud ſignum eſſe voluerit Dominus. Alterum,quare etiam nunc non duret, cum promiſſio ſit æterna.

Inſtitutæ circũciſionis carnis ratio.

Præciſio eius membri, quod eſt geniture inſtrumentum, ſignificat primùm totam naturam noſtram vt eſt propagata ab Adam, corruptam eſſe. Deinde ſignificat eandem amputandam & reſecandam. Caro enim & ſanguis non poſſunt intrare in regnum cœlorum. Tertio, ſignificabat venturum eſſe Semen promiſſum, quod afferret nouam natiuitatem, qua homines naſcerentur filij Dei. Atque ita ſi generalem rationem Circumciſionis ſpectes, eſt teſtimonium & obſignatio gratiæ, ſi Symbolum, eſt naturæ deprauatæ & mundanæ nota, ſi externam hominum ſocietatem, eſt ſignum ſeu teſſera, quo Eccleſia à prophanis cœtibus diſcernitur.

Cur eſt abrogata.

Sed quare etiam nunc non durat Circumciſio, cùm promiſſio nondum ceſſauit? quia vnum ſignabatur per Circumciſionem exhibendum, quòd iam exhibitum eſt, nempe Semen mulieris, quod eſt Chriſtus Dominus de puriſſimo virginis ſanguine natus. Quare etſi res promiſſa manet, ſignum tamen Circumciſionis mutatum eſt in Baptiſmum: vt ſicuti Circumciſio figurabat venturum, ita Baptiſmus teſtetur exhibitum Chriſtum. Quare adhuc qui circumcidi vult, Chriſtum venturum expectat,& non credit exhibitum.

3. De ratione Sacramentorũ veteris & noui Teſtamẽti.

Ex his,quæ iam de Circumciſione dixi, facile eſt iudicare, quæ ſit Sacramentorum, cum noui, tum veteri Teſtamenti ratio. Vt enim in circumciſione quatuor concurrunt: promiſſio, mandatum de ſigno, ſigni vſus, & fides promiſſionis: ita in omni Sacramenti ratione eadem concurrere neceſſe eſt: vt Sacramentum diuinum ſit ſignum viſibile, mandatum & inſtitutum à Deo,quo, vt Deus erga hominem ſuã teſtatur promiſſionem: ita homo accipiens ſignum, viciſsim ſuam erga Deum fidem profitetur, eámque vſu ſigni & cogitatione confirmat. Verùm in ſignis ſingulis ſpectanda eſt ſingularis analogia ſignorum ad res ſignatas, vt aquæ in Baptiſmo analogia ad rem ſignatam hæc eſt, quemadmodum foris hominem abluit ab externis ſordibus: ita chriſti ſanguis intus abluit conſcientias noſtras à mortuis operibus. Atque ita de aliis.

4. Cur circumciſus eſt Chriſtus.

Sed cur Chriſtus circumciſus eſt, cum ſit extra numerum peccatorum? Hoc Paulus Galatis ſcribens exponit,cum ait,cap.4.4. Quando venit plenitudo temporis,miſit Deus Filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege, vt eos,qui ſub lege erant, redimeret. Quare vt natus eſt propter nos, ita & circumciſus: neque voluit Circumciſionem abolere ante ſuam in arca crucis peractam victimam: quare teſtatus eſt, Circumciſionem Sacramentum fuiſſe diuinitus inſtitutum.

5 De ſpirituali circũciſione.

Iam pauca adiicienda ſunt de ſpirituali Circumciſione,quæ vocatur in Scriptura Circumciſio cordis in ſpiritu, non manu facta,quæ ſignificatur per illam externam, vt res inuiſibilis per rem aſpectabilem. De hac præcipit Dominus, Deut.10.16. Circumcidite præputium cordis veſtri,& ceruicem veſtram: ne induretis amplius. Sed Paulus ad Philip. 3.3. omnium luculentiſſimè hanc ſpiritualem definit Circumciſionem, cum ait: Nos circumciſio ſumus, qui Spiritum Dei colimus, & gloriamur in Chriſto, & non in carne confidentes. In his Pauli verbis ſunt duo ſpectanda: cauſſa, ſeu effectus, ſeu actiua Circumciſio, & paſſiua. Cauſſa eſt ipſe Chriſtus, atque adeo actiua Circumciſio eſt, qua filius amputat quicquid eſt peccati & maledictionis in nobis, quæ circumciſio ſentitur in omnibus piis omnium ætatum. Effectus ſeu paſsiua Circumciſio eſt, qua renati amputant indies magis ac magis reliquias peccati, & ſtudent nouæ vitæ, omnibus viciis, quantùm fieri poteſt, amputatis. Verùm Paulus optimo ordine diſtribuit effectus: & tres ſtatuit. 1. Vt colamus Deum ſpiritu. 2. Vt gloriemur in

Actiua & paſſiua circumciſio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Chriſto.3.Vt abiiciamus fiduciam carnis abnegando nos ipſos.Vltimo loco poſitus primus ex ordine conſequentiæ: quem ſecundus ſequitur,& hunc qui in primo loco ponitur.

Doctrina.

Proinde nos circumcidere oportet omnia membra cùm interiora,tùm exteriora: Interiora,vt ſunt, mens,cor , voluntas. Mens circumcidenda eſt abiectione erroris , & vera Dei notitia:à corde vicioſi affectus amputari debent: voluntas, conuerſione ad Deum. Exteriora : vt ſunt aures, oculi , labia, mores, &c. vt iam non amplius deprauatæ naturæ obſequium præſtent: ſed Spiritui regenerationis obtemperent.

DE SECVNDO.

De nominũ impoſitione.

Nomina ſolebant imponi pueris in circumciſione , ſicuti baptizatis nunc imponuntur : Tunc quidem,vt eſſent Circumciſionis teſtimonia: nunc verò vt ſint Baptiſmi collati ſigna. Quare quoties noſtra nomina audimus , debemus reuocare in memoriam fœdus , quod cum Deo in Baptiſmo iniuimus.

More igitur aliorum puerorum , Chriſto impoſitum eſt nomen in Circumciſione, & vocatus eſt Ieſus.

Ratio huius impoſitionis.

Solita autem imponi ſunt infantibus nomina, vel ex arbitrio hominum : ídque nunc ex cognatione, nunc ex virtute clarorum hominum , nunc ex caſu , nunc ex affectu : vel ex mandato Dei : ídque non ſine aliqua ſignificatione rei vel præteritæ, vel futuræ. Nam Deus qui falli nequit,non fruſtra imponit hominibus nomina.

Cur filius Virginis nominatus eſt Ieſus.

Cur ergo filius virginis Ieſus eſt nominatus?Propter officium quod in mundo erat habiturus. Sic enim iuſſu Dei Angelus ait,Matth.1.21. Vocabis nomen eius Ieſum , quia populum ſuum liberabit à peccatis eorum.Ieſus enim Saluator eſt.Angelus adiecit ſaluandi genus , nimirum à peccato : ergo à morte,damnatione,ira Dei,inferno:ergo placat Patrem,reſtituit imaginem Dei , & donat æterna vita credentes.Hæc enim omnia coniuncta ſunt cum peccati condonatione. Verùm vt vſum huius nominis Ieſu certiorem teneamus, ad quatuor partes eum reuocabo.

Vſus nominis.

Prima eſt, quod admoneat nos perditos eſſe ſine hoc Ieſu,id eſt,Saluatore.Quare nos peccati admonet & pœnitentiæ.

Secunda, quod monſtret nobis ſalutis fontem. Nam qui ſaluari vult,hinc hauriat neceſſe eſt.Quare nos fidei in hunc Saluatorem admonemur.

Tertia,quod ſit noſtra conſolatio contra deſperationem,magnitudinem peccati,indignitatem,particularitatem,potentiam & vires Diaboli:hinc hypoſtaſis fidei naſcitur.

Quarta, admonet nos obedientiæ, & gratitudinis, ne noſtra culpa ſalute per ipſum parta excidamus.Cui gloria in ſecula ſeculorum,Amen.

DIE EPIPHANIÆ DOmini, Euangelium, Matth. 2.

CVm autem natus eſſet Ieſus in Bethlehem ciuitate Iudeæ , temporibus Herodis Regis : Ecce Magi ab Oriente acceſſerunt Hieroſolymam , dicentes , Vbi eſt ille,qui natus eſt Rex Iudæorum?Vidimus enim illius ſtellam in Oriente , & acceſſimus vt adoremus eum. Auditis autem his Herodes Rex turbatus eſt , & tota Hieroſolymorum vrbs cum illo, & conuocatis omnibus pontificibus, & Scribis populi, percontatus eſt eos,vbi Chriſtus naſceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudææ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam,Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es inter principes Iuda : Ex te enim mihi proditurus eſt dux , qui gubernaturus eſt populum meum Iſrael. Tum Herodes clam accerſitis Magis accuratè perquiſiuit ab illis,quo tempore ſtella apparuiſſet. Et iuſſis ire in Bethlehem dixit , Profecti illuc, accuratè inquirite de puero. Vbi vero inueneritis,renunciate mihi, vt & ego veniam & adorem illum. At illi audito rege profecti ſunt: & ecce ſtella,quam viderant in Oriente,præcedebat illos,donec progreſſa ſtaret ſupra locum , in quo erat puer.Cùm autem vidiſſent ſtellam gauiſi ſunt gaudio magno valde. Et ingreſſi domum,inuenerunt puerum cum Maria matre eius,& proſtrati , adorauerunt illum,& apertis theſauris ſuis obtulerunt ei munera , Aurum & Thus & Myrrham : & oraculo admoniti in ſomnis , ne reuerterentur ad Herodem , per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

ENARRATIO TEXTVS.

De nomine epiphaniæ.

HOc feſtum vocatur in Eccleſia Epiphania Domini, hoc eſt , apparitiones Domini. Poſtquam enim de aduentu & natiuitate Domini feſta celebrata ſunt ab Eccleſia , viſum fuit ſanctis patribus hoc etiam feſtum addere, vt docerent Eccleſiam de variis Domini in carne apparitionibus. Quadruplicem autem rationem aſſignant, cur hoc feſtum Epiphania vocant, quarum prima eſt, quod hoc die apparuerit Magis quærentibus Chriſtum ductu ſtellæ. Secunda, quod hoc die reuolutis 29. annis ab eius natiuitate , apparuerit eius gloria in Baptiſmo per teſtimonium Patris de cœlo ſonantis, Hic eſt Filius meus dilectus: & per viſibilem Spiritus Sancti ſuper eum apparitionem. Tertia, quod eodem die elapſo à Baptiſmo anno apparuit ipſius gloria in nuptiis, dum vertit aquam in vinum. Quarta , quod 31. ætatis ſuæ anno rurſus apparuerit gloria ipſius , dum quinque millia hominum ſaturauit panibus ſeptem. Hæ omnes apparitiones eò pertinent, vt & Chriſtum probent verum Meſſiam & Saluatorem in ſe credentium, & in nobis confirment fiduciam : vt certò ſtatuamus nos ſalutem per ipſum conſecuturos. Atque hæc de ratione feſti, nunc ad ipſum Euangelium accedamus, quod continet Hiſtoriam primi generis apparitionum Chriſti : nimirum quomodo Magis apparuerit,hoc eſt, Ethnicis , vt ſciamus Chriſtum cum ſuis beneficiis ad Ethnicos quoque pertinere. Eſt autem ſumma huius narrationis Euangelicæ, quòd Magi venerint Hieroſolymam , quæſitum recèns natum Regem. Sed cum illum non illic inueniſſent profecti ſint,ſecuti ductum ſtellæ,quę eos præcedebat, donec venerunt Bethlehem, vbi inuentum puerum honorabant, & offerebant munera: quo facto diuinitus admoniti per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.Duos locos in hoc Euangelio tractabimus,qui ſunt:

1. *Hiſtoria cum ſuis circumſtantiis & doctrinis , quæ ſunt plurima.*
2. *Vſus hiſtoriæ, & ſpiritualis ſignificatio oblationis Magorum.*

DE PRIMO.

Hiſtoriæ circumſtantiæ.

Præſentis hiſtoriæ circumſtantiæ ſunt multæ, quarum ſingulæ peculiares continent doctrinas & admonitiones.

Nato Chriſto in Bethlehem temporibus Herodis,veniunt Magi ab Oriente,vt adorent recèns natũ Regem.

Hîc tria veniunt perpendenda,tempus,Magorum conditio,& finis aduentus.

Tempus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

1 Tēpus.

Tempus ſignificatur, cum dicitur *Temporibus Herodis*: ceſſauerat enim ſceptrum à Iuda, & iuxta vaticinia Chriſtus naſci debuit. Hæc collatio vaticiniorum de natiuitate Chriſti & tempore, quo natus eſt, confutat Iudæos, qui ipſum adhuc expectant: ita piorum fidem confirmat, vt certo ſibi perſuadeant hunc ipſum eſſe verum Meſſiam, quem Magi quærunt.

2 Magorū cõditio.

Magorum conditio, quod fuerint non ex Iudęis: ſed ex gentibus. Vnde diſcimus, quòd hic nouus Rex, natus in Bethlehem, etiam ad gentes pertineat quæ Magorum exemplo monentur, vt Chriſtum quærant & adorent.

Magi præterea dicebantur: qua appellatione eorum dignitas & officij excellentia ſignificatur. Eſt enim Magus Hebraica vox, & dicitur à meditando & docendo, quæ duo ad Reges & ſacerdotes potiſſimum ſpectarunt. Vnde Perſæ ſuos Reges & Sacerdotes Magos appellarunt. Quid hinc docemur? Chriſtus in præſepi reclinatus iacet contemptus à ſuo populo.

3 Visitis ad venerus eo tum. [illegible]

Magi verò ab Ethnicis oriundi veniunt, vt adorent: qua re ſignificatur, quòd etſi regnum Chriſti non ſit de hoc mundo, eſſe tamen regnum magnificum & glorioſum, imò cœleſte, quod multi agnoſcent non offenſi eius externa & humili coram mundo ſpecie.

Secunda circumſtantia eſt, quòd Magi veniant Hieroſolymam, & illic quærant recens natum Chriſtum. Iudæi qui libros Propheticos in manibus habuerunt, quibúſque commiſſa erant oracula Dei, ſtertunt ſecuri, Chriſtum non quærunt: ſed illi, qui eorum iudicio ad Eccleſiam Dei non pertinebant, quærunt. Sed vbi? In regia ciuitate Hieruſalem: quò cum veniſſent, & nihil de hoc Rege audirent, non parum quaſſata eſt illorum fides: nihilominus tamē ſe ſigno erigunt. Dicunt enim: vidimus eius ſtellam. Didicerant hauddubiè ex reliquiis ſcholę Danielis, quando Chriſtus eſſet naſciturus, talis ſtella tempus naſcentis ſignificarat.

De regno Chriſti.

Tertia circumſtantia eſt diligenter conſideranda: nam monſtrat qualis rex ſit Chriſtus. Vt enim præſepe, in quo iacuit, arguit regnum ipſius non eſſe de hoc mundo: Ita ſtella de cœlo apparens cœleſtem illum eſſe regem docet. Et quemadmodum præſepe docet ipſum humilem eſſe, in mundi conſpectu: Ita ſtella huius regni Maieſtatem aſpiciendam proponit, in fidei noſtræ profectum, ne cum nobis contemptibilem prauus & malignus gentis ſuæ deſpectus reddat: quæ gens adhuc in ſua ignorantia perſeuerans Chriſtum perſequitur.

Quæſtio.

Quidam hîc quærunt, qualiſnam fuerit ſtella, & alij aliud ſentiunt, ſed hoc manifeſtum eſt, quod tribus proprietatibus ab aliis perpetuis ſtell s differat, nempe ſitu, motu & ſplendore. Situs, quod fuerit in infima aëris regione, alioqui certum iter proficiſcentibus monſtrare non potuiſſet. Motus, quod non circulariter mouebatur: ſed rectà progreſſa eſt, vt dux viæ non ſecus atque columba nubis & ignis, ante populum exeuntem de Ægypto preceſſit. Splendor quoque differentiam facit: quia aliæ ſtellæ noctu tantum micant, hæc etiam interdiu eluxit. Non ergo fuit naturalis & perpetua ſtella quales ſunt, quæ in firmamento ſunt. Quid ergo; Cometa ne fuit? Similis quidem Cometæ apparet fuiſſe: ſed Angelum Dei fuiſſe non dubium eſt, quemadmodum Epiphanius teſtatur. Hic enim apparuit in forma ſtellæ, vt & Chriſti regnum oſtenderet cœleſte, & ipſum Chriſtum veram ſtellam & facem prædicaret, qui hominem ſolus à tenebrarum regno in ſuũm glorioſum regnum introducit prætenſa ſui verbi face, & illuſtrante ipſius Spiritu corda hominum, vnde Zacharias Chriſtum appellat Orientem ex alto, illuminantem eos, qui ſedent in vmbra mortis. Et Iohannes, 1. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Herodis & Hieroſolymitanorū conditio.

Quarta circumſtantia eſt de Herode, & tota ciuitate Hieruſalem. Herodes turbatur & tota Hieroſolyma cum eo. Herodes metuit regnum à ſe tranſlatum iri in recens natum Regem. Non enim intellexit Chriſti regnum fore cœleſte, & non de hoc mundo: vnde Eccleſia canit: Hoſtis Herodes quid times, non adimit terreſtria, qui regna dat cœleſtia. Hieroſolymitanorum ingratitudo & oſcitantia notatur, qui tædio malorum fracti, abiecerant iam ſpem redemptionis & ſalutis promiſſæ. Potius voluerunt cum impio Herode ſub ſeruitute viuere, quàm nouum Regem, qui æternam libertatem adferret, recipere. Sed ea eſt hominum deprauata natura, quod ſatius iudicent retinere aliquam tranquillitatem carnis, quam cum aliquo periculo Chriſtum autorem ſalutis recipere.

Conciliū Hieroſolymitanū.

Quinta concilium Herodis & Sacerdotum continet, cum Prophetia Micheæ Prophetæ. Herodes alioqui religionis & Prophetiarum contemptor, iam turbatus, vbi Chriſtus naſceretur, quærit. Nam audita interrogatione Magorum, mox conijcit regem illum, de quo quærunt, Meſſiam eſſe, olim diuinitus promiſſum: ſed quid Sacerdotes? Sincera ex Scriptura reſpondent, producto in medium Micheæ teſtimonio, qui tamen poſtea ſe furioſè toti Scripturæ oppoſuerunt. Scripturā enim magnifaciunt impij, donec ſuis affectibus aduerſari non videtur, ſed quando peccatum accuſat, quando criſtas deprimit, quando mortem & damnationem proponit; quando denique aliquid contra receptos mores, doctrinam, & traditiones tentatur, ibi mox fremunt impij, non amplius agnoſcitur Chriſtus, iam blaſphemus appellatur. Papiſtæ noſtri hodie fatentur nobiſcum Chriſtum vnigenitum Filium Dei eſſe, aſſumpſiſſe naturam humanam, vnam eſſe perſonam ſubſiſtentem in duabus naturis: verum vbi ventum eſt ad Chriſti officium, & dicimus illum eſſe ſolum Ieſum, ſolum Chriſtum, hoc eſt, ſolum Saluatorem, ſolum Pontificem & interceſſorem, & neminem ſaluari poſſe, niſi qui ſola in illum fide iuſtificatus fuerit: Hîc fremunt, quia illorum mores, doctrina & traditiones non poſſunt ſtare cum hoc Chriſti officio: ideo partim corrumpunt Scripturas, partim abijciunt, & eos, qui Chriſtum docent ſincere & purè, gladio & igne perſequuntur, quemadmodum Scribæ & Sacerdotes, qui hîc primùm cum Simeone & Anna ſincerè reſponderunt, poſtea tanquam phrenetici fidem Chriſti abiicerunt, & cum cum ſuis miniſtris perſecuti ſunt. Atque ita non ſatis eſt, ſi Papiſtæ cum ſinceris Doctoribus in primis principiis conueniant: ſed oportet eſſe in toto fundamento & omnibus fidei articulis conſtãtem conſenſum. Non ergo ſcrutemur verba ad eius perditionem, ſicuti Herodes fecit: non negligenter, vt Scribæ & Phariſæi, qui monſtrant quidem viam: ſed quam ipſi non ambulant: qui ſimiles fuerunt fabris Arcæ Nohæ, quam cum ædificaſſent, ipſi perierunt: Nohe autem cum ſuis eſt ſaluatus, ſicuti hîc Magi ſaluati ſunt, perditis Scribis & Sacerdotibus. Sed ſcrutemur Scripturam cum Simeone, Anna, Maria & aliis, qui inde ſalutem adepti ſunt.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Vaticinij Micheæ explicatio.

Iam paucis Prophetiam Micheæ videamus. Ita enim ait: *Et tu Bethlehem in terris Iudæ, nequaquam minima es inter duces Iudæ. Ex te enim exibit Dux, qui paſcet populum meum Iſrael, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* Hoc Micheæ teſtimonium multa de Chriſto docet. 1. Locum natiuitatis eius monſtrat. 2. Eius officium docet, quod eſt Dominatorem agere in Iſraël ad paſcendum populum ſuũ. 3. Incarnationem eius, qua verus homo ſit natus, oſtendit. Nam cùm dicit: *Ab initio*, indicat incarnationem Chriſti, qui iam ab initio mundi promiſſus fuit, vt ſuo tempore ſecundum carnem naſceretur. 4. Cùm ait, *A diebus æternitatis*, ſignificat eius diuinam naturam, qua ante conditum mundum fuit. 5. Quòd vna perſona ſit in duabus naturis ſubſiſtens. Cùm enim ait: *Egreſſus ſeu egreſſiones eius*, nomen plurale ad naturam diuinam & humanam pertinet: Singulare, *Eius*, perſonę vnitatem ſubindicat. Atque ita videmus Prophetam pręcipuos noſtræ fidei articulos coniunxiſſe, qui fuſius ab aliis enarrantur.

Aſtutia Herodis.

Sexta circumſtantia eſt de aſtutia Herodis, qui, cum prudenter ſe egiſſe putat, maximè deſipit. Non eſt enim prudentia, non eſt aſtutia, non eſt conſilium aduerſus Dominum: clam vocat Magos, tanquam vnà cum illis natum regem amplecteretur: quærit tempus apparitionis ſtellæ, quaſi inde certior de Meſſia fieri vellet: iubet vt, cùm inuenerint puerum, ſibi renuncient: ac ſi vnà cum ipſis eundem adorare cuperet. Ecce quantum hîc ſudat vulpes Herodes, ſed conſilium, quod erat in hac re præcipuum, nec ipſe, nec Iudæi ſecuti ſunt. Si honoris gratia per aliquot viros deduxiſſet Magos, facillima ratio fuiſſet ad inueniendum infantem: ſed Deus illorum conſilia infatuauit. Hodie, imò multis annis, quæſiuerunt Papiſtæ perdere religionem: ſed ita Dominus infatuauit illorum conſilia, quòd ne vnum quidem hominem Lutherum potuerint perdere. Hinc diſcamus quòd Deus ſit cuſtos Eccleſiæ, & conſilia impiorum perdat iuxta Pſ. primum.

Oblatio Magorũ.

Septima circumſtantia eſt de oblatione Magorum, qui Chriſto inuento, regi Iudæorum obtulerunt munera, Aurum, Thus, & Myrrham: munera ſane, quorum illa terra fertilis erat. Hîc duo diſcamus. Primum, quod nos, qui Chriſto homagium præſtamus, debemus aliquid de noſtris facultatibus conferre ad conſeruationem miniſterij. Alterum, de prouidentia Dei, qui iſto munere voluit tanquã viatico ad exilium proſpicere puero recens nato, & parentibus eius: vnde diſcamus quòd Deus nolit ſuam Eccleſiam deſerere.

Reuerſio ad ſuos.

Octaua circumſtantia, quod Magi in ſomnis admoniti, per aliam viam reuerſi ſint in regionem ſuam: qua re & Herodes deluſus eſt, & Deus declarauit, quod ſuorum etiam dormientium curam habeat.

DE SECVNDO.

Vſus doctrinæ.

Singulæ circumſtantiæ huius hiſtoriæ aliquam doctrinam ſuppeditant Eccleſiæ, ſicuti vidimus: nunc autem quantum ad vſum generalem attinet, duo diſcamus à Magis: quorum prius eſt, quærere Chriſtum ductu ſtellæ. Alterum inuento Chriſto munera offerre. Ductum ſtellæ cum ipſis ſequimur, quando nobis lucernam pedibus noſtris, ſolum verbum Dei, proponimus, & eum in verbo ſuo quærimus. Inuento Chriſto munera offerimus cum Magis, Aurum, Thus, & Myrrham, quando Aurum, hoc eſt, puram fidem & caſtam vitam: Thus, id eſt, confeſſionem, inuocationem, gratiarum actionem: Myrrham, id eſt, patientiam ſub cruce & afflictione, exhibemus. Præterea, offeremus Mariæ, id eſt, Eccleſiæ Chriſti, & miniſterio verbi, & Ioſeph, id eſt, iis qui præſunt Eccleſiæ, munera: hoc eſt promouebimus miniſterium totis viribus & facultatibus, vt quàm optimè habeat Eccleſia in hoc mundo per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, cui gloria in ſecula, Amen.

DOMINICA PRIMA post Epiphaniam, Luc. 2.

ET cùm factus eſſet Ieſus annorum duodecim, aſcendentib. illis Hieroſolymam ſecundum cõſuetudinem diei feſti, conſummatíſque diebus, cùm redirent illi, remanſit puer Ieſus Hieroſolymis, & non cognouerunt parentes eius. Cæterum rati eum eſſe in comitatu, venerunt itinere diei, & requirebant eum inter cognatos & inter notos. Et cùm non inueniſſent eum, reuerſi ſunt Hieroſolymam, quærentes eum. Et accidit, poſt triduum, inuenerunt illum ſedentem in medio Doctorum audientẽ illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper intelligentia & reſponſis eius, & viſo eo admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illum, Fili, cur feciſti nobis ſic? Ecce Pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos, Quid eſt quòd quærebatis me? An neſciebatis, quod in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et illi non intellexerunt ſermonem, quem locutus eſt ipſis, & deſcendit cum eis, venítque Nazareth, erátque ſubditus illis. Mater autem eius conſeruabat verba omnia hæc in corde ſuo. Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.

ENARRATIO TEXTVS.

Sũma huius côcionis.

HIc textus pars eſt Hiſtoriæ de geſtis Chriſti, & continet quid egerit duodecimo ſuæ ætatis anno, videlicet, quòd ſpecimẽ quoddam ſuæ vocationis exhibuerit, diſputando & diſſerendo cum legis doctoribus. Quid autem egerit Dominus à tempore, quo oblatus ſit in templo, vſque ad duodecimum annum, & quid deinde à 12. ad 30. ferè, ſacra Hiſtoria non meminit, quare id ſcire noſtra non intereſt: ſufficit enim nobis, iſta cognoſcere, quæ Deus voluit patefacere, vt quæ nos erudiunt in Dei cognitione & vera pietate. Illis igitur omiſſis, quæ ocioſi Monachi ſcripſerunt de infantia & puerili ætate Chriſti, Euangelium præſens iuxta gratiam, quam Dominus dederit, explicabimus.

Eſt autem ſumma huius Hiſtoriæ. Chriſtus duodecim annos natus, cum parentibus ſuis in feſto Paſchatos proficiſcitur Hieroſolymam, qui in reditu amiſſus requiritur, inuenitur inter doctores, & à parentibus reprehenſus, defendit ſe ſuperioris mandato, nempe Dei, quòd oportuerit ſe ipſius negocia curare, atque ita deſcendit cum illis, eſt ſubditus, proficit ſapientia, ætate, gratia apud Deum & homines.

1. *Exemplum Ioſeph, Mariæ, & Chriſti, proficiſcentium Hieroſolymam, nobis proponitur.*
2. *Tẽtatio Mariæ & Ioſeph ex amiſſione Ieſu pueri.*
3. *Cura & officium parentum erga liberos: et liberorum viciſſim obedientia erga parentes.*
4. *Profectus Chriſti in ſapientia, ætate et gratia.*

DE PRIMO.

Et cũ factus eſſet annorũ duodecim, aſcendentib. illis Hieroſolymã ſecundũ conſuetudinem diei feſti. Hîc primũ quædam de feſtis Iudæorum ſunt admonenda. Deinde exemplum Ioſeph, Mariæ & pueri ſpectãdum.

Deus

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

De feſtis Iudæorũ.

Deus in veteri teſtamento inſtituit varia & multiplicia feſta, vt populum ſuum de præſtitis beneficiis admoneret, erudiret rudes, & omnes in vero Dei cultu contineret. Verùm non omnia feſta erant æquè ſolennia. Quotidie manè & veſperi fiebant ſacrificia. Singulis ſeptimanis, ſeptima dies celebris erat. Habebant ſinguli menſes peculiare feſtum. Tria præterea ſolennia feſta ſingulis celebrabantur annis.

1. Sacrificia quotidiana.

Quotidie manè & veſperi fiebant oblationes in memoriam æterni cultus debiti Deo, addebantur preces à piis, reuocabant in memoriam promiſſionem Seminis, in quam fide intuebantur in omnibus ſuis oblationibus. In huius locum Eccleſia ſubſtituit matutinas & veſpertinas preces.

2. Sabbatum.

Septimo quoque die hebdomadis memoria celebrabatur creationis rerum, adhibitis ſacrificiis & gratiarum actione, in cuius locum Eccleſia ſubſtituit diem primum ſeptimanæ, in memoriam ſecundæ creationis, hoc eſt, regenerationis, quæ fit per reſurrectionem Domini, quæ primo die hebdomadis contigit: atque ideo ab Eccleſia Apoſtolica iſte dies, Dominicus dictus eſt.

3. Neomenia.

Singulis menſibus in exordiis menſium, hoc eſt, in Neomenia feſtum celebrabatur in memoriam conſeruationis. Nam cum viderent lunam ſemper ſeruare ordinarios motus & illuminationes, voluit Deus, vt pro toto gubernationis beneficio gratiæ Deo agerentur: atque ideo hoc feſtum Neomeniorum inſtituit. Hoc feſtum etſi Chriſtianos non obligat: tamen non minus nos gratos eſſe oportet Deo, quam pij Iudæi fuerunt.

4. Tria ſolennia feſta annua.

Singulis annis tria ſolennia feſta habebant, quæ ſunt, Paſcha, Pentecoſte, Scenopegia. Paſcha erat inſtitutum in memoriam liberationis ab Ægyptiorum ſeruitute. Pentecoſte, in memoriam datæ legis in monte Sina. Scenopegia in memoriam habitationis populi in deſerto quadraginta annis in tabernaculis, vt hac ceremonia reuocarent totum beneficium liberationis ab Ægypto in memoriam. In locum horum trium feſtorum Iudaicorum, ſubſtituit Eccleſia Paſcha in memoriam reſurrectionis Domini, qui nos de ſeruitute Diaboli liberauit: Pentecoſten in memoriam confirmationis Euangelij per viſibilem exhibitionem Spiritus Sancti, & miraculoſa linguarum dona: Et natalitia Domini in memoriam dati & exhibiti Chriſti.

Iudæorũ officium.

Porrò in tribus illis ſolennibus & annuis feſtis, debebant omnes maſculini ſexus venire Hieruſalem iuxta legem Moſis: cui legi hic Ioſeph & puer Ieſus ſe ſubiiciunt, cum vt legi ſatisfacerent, tum vt ſuo exemplo nos excitarent ad reuerentiam erga miniſterium & pias ceremonias, quas ideo ſeruare pios decet, quia ſunt Pædagogia quædam & diſciplina ad conſeruandam religionem vtilis.

Ceremoniarũ diſcrimen.

Verù diſcernendũ eſt inter ceremonias diuina autoritate inſtitutas, & eas quę grauitatis & ordinis cauſa inſtitutæ ſunt iure diuino. Ad illarũ obſeruationem obligamur. Requirit enim à nobis Chriſtus, vt baptizemur ſinguli ſemel, vt ſacra ipſius Cœna participemus ſæpe, vt eius verbum aſſiduè audiamus: at humanæ ceremoniæ non ita obligant, modo abſit contumacia, contemptus & ſcandalum.

Doctrina.

Quemadmodum igitur hîc audimus Mariam, Ioſeph, & puerum Ieſum feſta, ceremonias Iudaicas, ſingulari religione obſeruaſſe: ita nos diſcamus magnifacere ceremonias noſtras, & illis libenter intereſſe, ac alios noſtros bono exemplo ad obedientiam & pietatem inuitare.

DE SECVNDO.

Tentationis Marię & Ioſephi circũſtantiæ.

Conſummatiſque diebus, cum redirent, remanſit puer in Hieruſalem, &c. Hîc incipit Euangeliſta deſcribere tentationem Mariæ & Ioſeph: in qua tentatione quatuor ſunt circumſtantiæ penſandæ. *Prima* recitat aliquot occaſiones huius tentationis. *Secunda* tentationem ipſam, & crucem Ioſeph & Mariæ deſcribit. *Tertia* factum illorum in hac tentatione exponit. *Quarta* conſolationem habet.

1. Quare Ieſus mãſit in Ieruſalem.

Prima occaſio indicatur his verbis: *Remanſit puer Ieſus in Hieruſalem.* Quare, inquies, non ſignificauit parentibus? Primum, vt ſignificaret ſe non eſſe tantum Mariæ filium: ſed Dei quoque quod plus eſt: ideóque non tam parentem matrem, quàm æternum Patrem reſpexit. Deinde, vt ſuo exemplo doceat pueros, non expectandum eſſe conſilium parentum, vbi obedientia Deo præſtanda agitur. Deo enim plus quam Parentibus debetur. Tertiò, vt parentes ſuos maioris diligentiæ admoneat, atque adeo omnes qui liberos habent, vt diuinitus commiſſum depoſitum obſeruarent diligentius. Quartò, vt ipſi, Maria & Ioſeph, diſciplina hac caſtigatoria admoniti, cogitarent ſeriò, qualéſnam ſua natura eſſent: nempe ignaui & ſegnes, non per omnia ſuo ſatisfacientes officio. — Doctrina.

2. Negligẽtia parentum Ieſu.

Secunda, indicatur occaſio, cum dicitur: *Et non cognouerunt parentes eius.* Hîc taxatur apertè negligentia parentum Ieſu, quæ negligentia fuit non leue peccatum: vnde nec leuis crux extitit in corde Virginis, ſenſit partem gladij ſuum cor tetigiſſe, cuius duodecimo anno antea mentionem fecerat ſanctus Simeon. Cogitabat tantum theſaurum commiſſum ſibi à Deo, vt illum obſeruaret: contulit ſummam miſeriam cum miſeria Euæ. Nam vt illa genus humanum à Diabolo ſeducta perdidit, ita virgo exiſtimauit ſe ſua negligentia amiſiſſe mundo promiſſum ſaluatorem.

3. Tẽpeatio grauiſſima.

Tertia occaſio tentationis & crucis indicatur cum dicitur: *Exiſtimantes ipſum eſſe in comitatu*, ex negligentia enim error naſcitur. Iam ipſa ſatis dura tentatio & crux ſequitur. Quærentes Ieſum integro triduo, ipſum non inueniunt. Amiſſus non inuenitur inter cognatos, grauis crux. Amiſſus non inuenitur inter notos: grauior crux. Quęſitus triduo non inuenitur: grauiſſima crux.

4. Cõſolatio.

Quarta, ſed quid faciunt in hac acerbiſſima cruce mœſtiſſimus Ioſeph, afflictiſſima virgo? Redeunt Hieruſalem, ingrediuntur templum, inueniunt amiſſum inter doctores ſedentem & diſputantem. Hîc rurſus concipiunt conſolationem, & tanquam è tenebris inferni liberantur, viſo puero Ieſu.

Doctrina.

Hæc in noſtram doctrinam & conſolationem ſcripta ſunt: non enim aliter nobis accidit in noſtra tentatione & cruce. Amittitur Chriſtus theſaurus noſter precioſus. Quæ occaſio? Negligentia: non audimus verbum, non inuocamus, rarò Sacramento Cœnæ vtimur, in nullis denique pietatis ſtudiis nos exercemus. Hanc negligentiam ſequitur error, labimur ex vno peccato in aliud: ex vna hæreſi in aliam. Hinc tandem naſcitur mala conſcientia, quæ parit deſperationem. Quid in his ærumnis faciendum? quærendus eſt Chriſtus, hic ſolus hiſce malis mederi poteſt. At vbi quæſo quærendus eſt? inter cognatos & notos noſtros? nequaquam. Vbi ergo? In ſancta ciuitate Hieruſalem, id eſt, in Eccleſia. Apud quoſnam? Apud eos qui verbum habent: hîc vbi amiſſum Chriſtum inueneris, retinendus eſt fide, inuocatione, & ſanctis moribus: ne nos rurſus dese-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

rat,& nos amiſſo Chriſto pereamus,ſicut Iudas fecit.

DE TERTIO.

De officio parentum & liberorũ locus.

Quia factum Ioſeph & Mariæ monet nos de cura & officio parentum erga liberos: ſimiliter factum pueri Ieſus monet de officio puerorum & obedientia erga parentes, de vtroque ideo breuius dicam, quia de ea re ſolet in Catecheſi diligentius doceri.

Quantum igitur ad parentes attinet, has ſequentes admonitiones neceſſarias eſſe iudico.

1. Parentũ officiũ erga liberos.

Primum cogitent parentes,ſe ideo generare liberos, vt liberi nati ſint ciues Eccleſiæ, ac Deum vnà cum ipſis colant, & vbi ipſi obdormierint in Domino, Dei cultores ſuo loco relinquant. Vtinam non pauci eſſent,qui hoc ſeriò cogitarent.

Deinde, ſtatuant ſe omnem operam perdituros, niſi pueros ſuos in timore Domini educauerint, & ſæpe opem diuinam implorauerint, contra tot inſidias, quas Diabolus ſtruit teneræ ætati. Audimus multos conqueri de inobedientia puerorum ſuorum: ſed animaduertant, quod diuinitus puniantur, quod velint ſuos pueros probos efficere ſine benedictione Domini, quam rarò ſeriò implorarunt.

Tertiò, cogitent, quàm nobilis res ſit puer, quem ipſe Dominus in vtero matris formauit, aluit,in lucem produxit, donauit corpore & anima, vt ipſum Deum archetypum tanquam in tabella referat.

Quartò, ſciant hæc ordine curanda eſſe. Corpori debent nutrimentum, educationem, veſtes,& aliquando virgas, vt liberos in officio contineant. Animæ debent doctrinam, eam duplicem, pietatis & ciuilitatis, illa bonam conſcientiam apud Deum obtinent, hac bonam famam coram hominibus conſequuntur. His enim duabus rebus potiſſimum in hac vita ſtudere debemus. Paulus vtramque complectitur, cùm ait: Parentes educate liberos in diſciplina & correptione Domini. Confirmatur Tobiæ facto, qui filium ſuum inſtituens ait: Omnibus diebus vitæ tuæ mente habeto Deum, caue ne peccato conſentias. Hìc primùm pietatis ſtudium commendat filio. Deinde ne conſentiat peccato, hoc eſt,ne auſcultet eis, qui ſe ad peccandum inuitant. Requirit ergo à filio ſanctam quandam ciuilitatem.

Poſtremò, cogitent parentes quàm multa cumulent peccata & committant, qui, vt par eſt,non faciunt officium in educandis liberis ſuis. 1. Naturæ legem violant, quæ omnibus dictat officium ſuum eſſe, piè & honeſtè prolem educare. 2. Contra Deum peccant: mandatum enim Dei & autoritatem contemnunt. Is enim cum iubet piè honeſtéque liberos educari, contemptor Dei eſt, qui imperata recuſat. 3. Contra dignitatem ſuam. Deus enim parentes loco quodammodo ſuo vult eſſe, quantum ad externam diſciplinam attinet: ſed hanc dignitatem vilipendunt, qui officium negligunt.

Hæc peccata multiplices pœnæ ſequuntur ſpirituales & corporales,in ipſis parentibus & in liberis, atque adeo in tota poſteritate.

De officio liberorũ erga parentes.

Iam puerorum officium erga parentes quale ſit, Ieſu pueri exemplum euidenter docet: adeo vt non magnopere ſit neceſſariũ aliunde præcepta petere.

Primùm aſcendit Hieruſalem cum parentibus, vnde diſcant boni pueri cum parentibus Deum colere, ac ſacros cœtus amare, ac reuerenter intereſſe ceremoniis Eccleſiæ.

Deinde diſputat, quærit, audit: hinc noſtri pueri diſcant quærere quæ ignorant, diſputare de dubiis, & audire recta dicentes. Quamuis autem Chriſtus non diſputauit, de quo dubitauit: non quæſiuit, quod ignorauit: non audiuit rectius docentes: tamen exemplum nobis prodeſt. Deberent ergo pueri pij, reuerſi domum, cum parentibus diſputare, ſi quid dubij haberent de rebus auditis,&c.

Præterea Chriſtus parentes,cognatos,notos propter verbum Dei amittit: hinc noſtri quoque pueri diſcant, pluris Deum facere, quàm carnales parentes,in maiori precio habere verbum Dei viui,quàm edicta parentum.

Poſtremò, Chriſtus redit cum parentibus, & eſt illis ſubiectus. Hinc pueri noſtri diſcant契 reuereri parentes, ac eis obtemperare omnibus quæ pia & honeſta ſunt. Hæ virtutes puerorum, vt habent magnificas promiſſiones de bono ſucceſſu in hac vita: ita vicia cum his virtutibus pugnantia in pueris habent comminationes & pœnas grauiſſimas, quæ etiam ad poſteritatem eorum ſe extendunt. Nam vt plurimum nepotes veluti hæreditate accipiunt maiorum vicia.

DE QVARTO.

De incremento Chriſti.

Quia de quarto loco nonnulla die abhinc octauo dicta ſunt, tantùm vnum & alterum verbum dicam. Iuxta diuinam naturam Chriſtus non creſcebat ætate, ſapientia & gratia: ſed iuxta humanam naturam, quam, quia veram aſſumpſit, in ea creuit ætate, ſapientia & gratia. Cuius exemplum vtinam imitaremur, vt cum ætate, ſapientia & gratia coram Deo & hominibus accreſceremus. Hoc autem vt fiat, donet nobis Chriſtus, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA II. POST Epiphaniam, Euangelium Iohan. 2.

ET die tertia nuptiæ fiebant in Cana Galilææ, & erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem & Ieſus ac diſcipuli eius ad nuptias. Et vbi defeciſſet vinum, dixit mater Ieſu ad eum: Vinum non habent. Dixit ei Ieſus, Quid mihi tecum eſt mulier? nondum venit hora mea. Dixit mater eius miniſtris: Quodcunque dixerit vobis facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex poſitæ, ſecundum purificationem Iudæorum, capientes ſingulæ metretas binas aut ternas. Dixit eis Ieſus, Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vſque ad ſummum. Et dixit eis, Infundite nunc, & ferte architriclino: & tulerunt. Poſtquam autem guſtaſſet architriclinus aquam in vinum verſam, neque ſciret, vnde eſſet, ſed miniſtri ſciebant, qui hauſerant aquam, vocat ſponſum, & dixit ei: Omnis homo primo loco bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt. Tu ſeruaſti bonum vinum vſque ad hoc tempus. Hoc edidit initium ſignorum Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.

ENARRATIO TEXTVS.

Sũma huius hiſtoriæ.

HOc Euangelium pars eſt hiſtoriæ Chriſti, in qua ſuam gloriam in nuptiis manifeſtam reddidit. Nam vini miraculo,& ſuam naturã diuinam declarat,& officium inſinuat, & veritatem ſuæ doctrinæ,tanquam diuino quodam ſigillo, obſignat. Naturam quidem ſuam diuinam eo declarat, quòd naturam rerum verbo permutat: ad ipſius enim mãdatum aqua fit vinum. Officium verò oſtẽdit, quod implo-

gnat. Nam ne quis de certitudine doctrinæ ipſius, quæ cœleſtis eſt, dubitet, diuinum edit opus, quod doctrinæ teſtimonium reddit: vnde diſcipuli eius in fide confirmantur.

Loci autem, quos in hac concione tractabimus, erunt quatuor.

Partes.

1. *De nuptiarum ſolennitate.*
2. *De ipſo coniugio iam inito & confirmato.*
3. *De præſenti miraculo, cum ſuis circumſtantiis.*
4. *De exemplis vitæ, quæ hinc ſumi poſſunt.*

DE PRIMO.

In locum De nuptiis, quæſtiones.

De nuptiis dicturus, hæc ordine dicam. 1. Inter quas perſonas, natura & pietas nuptias approbet. 2. Qua via futuri coniuges debeant nuptias aggredi. 3. Qualis conſenſus, & quorum eſſe debeat. 4. Cur in cœtu Eccleſiæ publico ſtipulationem publicam fieri conueniat. 5. Quale conuiuium nuptiale eſſe deceat.

1. Quæ requiruntur in perſonis matrimoniũ ineuntibus.

In perſonis matrimonium ineuntibus ſpectanda ſunt quatuor, cognatio, affinitas, religio, & naturales vires, quæ in coniugio requiruntur. Quantum ad cognationem & affinitatem attinet, arcendi ſunt à matrimonio, qui ſe inuicem attingunt gradibus conſanguinitatis & affinitatis in Leuitico prohibitis. Præterea etiam violare gradus, à magiſtratu ciuili prohibitos, nequaquam licet. Quid autem in regione fieri expediat, factum Abrahæ aliorúmque ſanctorum, interdictum Pauli, pericula, imò in multis horrendi lapſus oſtendunt. Abraham cùm ſuo Iſaaco vxorem deligere conſtituit, mandauit procuratori domus ſuæ Eliezer, vt non acciperet filio ſuo de filiabus Cananæorum: ſed abiret ad cognationem ſuam, & inde acciperet vxorem filio ſuo Iſaac. Sciuit enim Abraham, quantum mali in familia pariat diſpar religio. Hinc enim contentiones, hinc blaſphemiæ, hinc impedimenta cultus & inuocationis Dei. Interdictum Pauli eſt, ne ducamus iugum cum infidelibus: quod non ſolùm de doctrina intelligendum eſt, ſed de omni vitæ conſuetudine. Qui tetigerit picem, inquit Salomon, coinquinabitur ab ea. Neque enim fieri poteſt, vt qui cum impio conuerſetur, non aliquid labis ipſe etiam contrahat. Pericula & multi horrendi lapſus ex diſpari coniugio ſequitur, teſtis Salomon eſt, qui prophanarum mulierum conuictu factus eſt idololatra: Teſtis eſt Achab, qui impiæ Iezabelis conſilio adeo furit, quòd Prophetas Dei trucidare non veritus ſit, ac tandem in æternum exitium: tantum poteſt impiæ mulieris malitia. His accedat puerorum educatio, quæ legitima eſſe nequit, quando parentes diuerſam colunt religionem. Tum enim aut pueri omnino prophani fiunt, omnis religionis contemptores, aut hypocritæ, cùm propter alterum parentum, quod ſentiunt, confiteri non audent. Quartò requirit in perſonis, quæ contrahent matrimonium, ne altera alteram fallat, cum vel morbo & frigiditate exhauſtæ ſint vires, vel alioqui in natura defectus ſit, vt quis ad matrimonij beneuolentiam reddendam non fuerit idoneus.

2. Qua via futuri coniuges debeant nuptias aggredi.

Viam, qua futuri coniuges debeant nuptias aggredi, docent exempla, pietas & honeſtas. Hæc enim tria ſimul docent, quod non à leuitate, vt ſæpe fit, non inter pocula, non à libidine inchoandus ſit contractus. Abraham petit ſuo filio coniugem, parentes Rebeccæ conſentiunt. Poſtea quæritur puellæ conſenſus, & Iſaac eam in vxorem ducit. Iacob ſeruit Laban longo tempore, parentes puellæ de nuptiis ſolicitat, quorum voluntati accedit virginis pudicus conſenſus. Pietas quoque eadem ſuadet. Nam vt quartum præceptum præcipit honorari parentes: ita vult etiam, vt hic honor parentibus deferatur, vt de nuptiis liberorum ſtatuant, vtque liberi nihil in hac re tentent cum contumelia parentum. Hoc etiam ipſum omnibus dictat natura, vt honeſta ſit hæc copula, quæ nonniſi per mortem finiri aut diſſolui poteſt.

3. Qualis cõſenſus & quorũ eſſe debeat.

Poſtquam autem hac via omnia legitimè tentata ſunt, propius rem accedere oportet, & audiendus mutuus contrahentium conſenſus, qui minime coactus eſſe debet, ſed liber, vt neutra pars ſe coactam dicere iure poſſit. Quanquam enim à parentibus rectè ſit initium, tamen parentibus non licet inuitos cogere. Nam præterquam quod coactum matrimonium non ſit verè matrimonium, accedit hoc mali, quòd raro in talibus res bene ſuccedat.

4. In cœtu Eccleſiæ ſtipulatio fieri debet.

Cur autem in cœtu Eccleſiæ ſtipulationem publice fieri conueniat, quatuor ſunt cauſſæ. 1. Vt ſciant qui contrahunt, hunc ſtatum in Eccleſia locum habere. 2. Vt voce miniſtri inſtituantur futuri coniuges in hoc ſui coniugij auſpicio. 3. Vt teſtis ſit Eccleſia ſtipulationis factæ, ne cum ſcandalo viuant, ac ſi contubernium potius eſſet, quàm coniugium. 4. Vt iuuentur publicè precibus totius Eccleſiæ, quo inceptum matrimonium cedat in gloriam Dei, ipſis in commodum, adeóque toti Eccleſiæ in ędificationem per piam in ſancto coniugio conuerſationem.

5. Quale cõuiuiũ nuptiale eſſe deceat.

Reſtat vt de conuiuio nuptiali breuiter aliquid dicatur, in quo quid abeſſe quídque adeſſe oporteat, conſiderandum eſt. Abeſſe omnino oportet à Chriſtianis nuptiis. 1. Crapulam. 2. Superbiam. 3. Immodicos ſumptus. 4. Turpes & ſcurriles ſermones, quales ſolent eſſe impudicorum tibicinum. 3. Impedimentum pietatis, ne videlicet eo tempore indulgeant conuiuio, quando ſacra in templis fiunt, vnde Deus offenditur, proximus ſcandalizatur, & multis eſt occaſio lapſus. Contrà, adeſſe debent. 1. Pietas. 2. Honeſta hilaritas. 3. Sancta colloquia. 4. Crebra vota, vt Deus hunc ſuum ſtatum ſua benedictione ſecundet. Hæc enim legimus in ſanctorum nuptiis fuiſſe vſitata, quare etiam Deus ſua bonitate huiuſmodi nuptias eſt proſecutus.

DE SECVNDO.

Locus dè Matrimonio.

Poſtquam iam de nuptiis quædam ſignauimus, breuiter nunc de ipſo inito & confirmato matrimonio nonnulla adiiciam, & tantùm duo faciam. Primum cauſſas finales coniugij commemorabo: Deinde quibus virtutibus conſuetudo coniugalis amabilis & dulcis redditur, exponam.

1. Eius cauſſæ finales.

Cauſſas finales matrimonij quatuor eſſe omnes pij norunt. Quarum *prima* eſt mutuum adiutorium. Nam, cum Salomon dicit, Væ ſoli, ſignificat mutuum adiutorium & ſocietatem neceſſariam eſſe, quo melius & tranquillius ærumnas huius vitæ feramus. Propter hanc cauſſam poſſunt contrahere matrimonium ſenes, quorum corpus effœtum eſt, vt gignere non poſſint.

Societas.

Procreatio ſobolis.

Secunda cauſſa eſt, procreatio ſobolis. Vult enim Deus iſto pacto humanum genus ſeruari. Atq; ideo ad primos parentes dixit, Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Gen. 1.28.

Tertia cauſſa eſt, vt ſit Eccleſia domeſtica, in qua parentes, tanquam Prophetæ, dignitate Prophetica ſunt ornati, vt ſuos liberos de Deo & religione doceant, & liberi tanquam plantulæ quæ-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dam, perpetua doctrina & exhortationibus irrigentur, vt tandem fiant arbores dulciſſimum fructum fidei producentes.

Vitatio ſcortationis.

Quarta cauſſa eſt vitatio ſcortationis in hac corrupta & deprauata natura: ita enim ait Paulus, 1. Cor. 7.2. Propter fornicationem vnuſquiſque vxorem ſuam habeat. Eſt enim coniugium remedium contra impuriſſimum ſcortationis & adulterij ſcelus, in quo multa & horrenda ſcelera concurrunt. Primum enim contumax violatio legis diuinæ eſt. 2. Legis naturalis eſt peruerſio. 3. Legum ciuilium turpis & fœda tranſgreſſio. 4. Regenerationis cœnum eſt. 5. Plagium eſt horrendum: non enim noſtri iuris ſumus, ſed eius qui ſuo precioſo ſanguine nos redemit. 6. Reſurrectionis dehoneſtamentum eſt. Quid enim fœdius eſt, quam turpiſſimo ſcelere fœdare corpus, quod olim ad æternam reſurget gloriam. 7. Eſt horrenda templi Dei prophanatio. 1. Corinth. 9.19. Cum autem hîc tot peccata concurrant, non eſt quod quiſquam manus vltrices Dei ſe euaſurum putet.

Coniugũ conſuetudo quib. modis dulceſcat.

Cæterum conſuetudo coniugum amabilis & dulcis redditur hiſce quinque: Pietate, virtute, mutua ἐπιείκεια, mutuo amore, & vtrinque ſedulo & piè præſtito officio.

1. Pietas iure primum locum tenet. Nulla enim ſtabilis & firma amicitia eſt, niſi à Deo ortum habeat: quare pietatem prælucere neceſſe eſt: cum enim coniuges decreuerunt Deo obedire, omnia poſtea faciliora fiunt.

2. Virtus & morum probitas inter coniuges, mutuam oblectationem parit. Hæc enim cum exercetur conſuetudinem vitæ reddit amabiliorem.

3. Mutua ἐπιείκεια, qua æqui bonique conſulimus alter alterius mores & errores, omnino eſt neceſſaria. Nam in hac imbecillitate naturæ multa errata incidunt, quæ niſi mutua condonatione tegantur, horrendi tumultus orientur.

4. Mutuus amor ex pietate ortum habens & vera virtute facit, vt non nimis acutè in aliorum vitia introſpiciamus: ſed multa aut non animaduertimus aut ſi animaduertimus, amore tegimus: operit enim multitudinem peccatorum charitas.

5. Officium vtrinque piè & ſedulò præſtitum iugum leue & ſuaue reddit. Cum enim coniuges ſe mutuo animaduertunt, & vident parem diligentiam in officio, fit & ſuauior conſuetudo, & magis vtrinque excitantur ad officia præſtanda, vt alter alteri æqualia reddat.

Hæc quinque vbi non adſunt, vitæ conſuetudo omnium acerbiſſima eſt, imò ipſa morte durior. Quare pij dent operam, vt hæ virtutes perpetuò in ſua vita conſpiciantur.

DE TERTIO.

Miraculi circũſtantiæ.

Explicatis locis, qui præbuerunt occaſionem huic miraculo: nunc ipſum miraculum cum ſuis circumſtantiis videamus. Sunt autem circumſtantiæ plures, vt ſunt tempus, occaſio, interceſſio matris, & reſponſio, apparatus miraculi, miraculum ipſum, confirmatio miraculi, vſus & fructus eiuſdem.

1. Tẽpus.

Tempus notatur, quòd & tertio die, ex quo in Galilæam peruenerit, factum ſit, & omnium primum miraculorum, quæ Dominus edidit, fuerit. Tempus igitur monet, vt ſingulari diligentia hoc miraculum perpendamus.

2. Occaſio.

Occaſio miraculi quadruplex è textu colligi poteſt. 1. Ipſæ nuptiæ in Cana celebratæ. 2. Matris Ieſu inuitatio ad nuptias. 3. Defectus vini. 4. Cor virginis ad iuuandum promptiſſimum.

3. Interceſſio matris.

Deficiente igitur vino, Mater Ieſu ad filium dicit, Vinum non habent. Cui Ieſus, Quid mihi tecum eſt mulier? nondum venit hora mea. Mater quidem hoc dicit vel commiſerationis cauſa, vel vt Filius opem ferat præſenti neceſſitati, quacunque tandem ratione: ſed Chriſtus matri durius reſpondet: ídque maximas ob cauſas. Non hîc dignatur eam matris titulo: ſed mulierem ſimpliciter eam appellat. Deinde ait: quid mihi tecum? nondum enim venit hora mea. Dominus hîc longiùs proſpicit: videt enim, quæ ſuperſtitiones aliquando erant orituræ de inuocatione Mariæ virginis. Videt quod, quæ propria eſſent Dei & mediatoris, in illam impiè eſſent tranſlaturi. Quare hoc duriori reſponſo perpetuam & grauem doctrinam omnibus ſeculis tradit, ne immodicus ſanctorum cultus ſui officij honorem obſcuret: atque ideo matrẽ propriam in vulgarem mulierum ordinem cogit. Non ergo de cauſa leui matrem ita alloquitur: Quid mihi tecum? ſed vt inter ſuum officium & matrem, adeóque alios ſanctos diſcernat. Non vult partiri officium, quod ſuum eſt proprium, & matri partem attribuere: ſed ſibi ſoli vendicat ſaluatoris officium. Impiè ergo ſuperſtitioſi virginem ſalutarunt reginam cœli, aduocatam vitam, dulcedinem, matrem gratiæ, atque adeò ſalutem mundi. Nulla enim pars redemptionis Mariæ aſcribenda eſt. Quod autem addit, nondum venit hora mea, duo inſinuat, nempe ſe nequaquam incogitantia vel torpore ceſſaſſe, & ſibi rem curæ futuram, vbi opportunitas ſe offeret.

4. Chriſti reſpõſio.

Quid hic mater Ieſu? *quodcunque*, ait miniſtris, *dixerit vobis, facite*: hoc ad apparatum miraculi pertinet: concipit tandem mater bonam ſpem, vt præſenti neceſſitati ſuccurrat filius. Quod autem dicit miniſtris: Quicquid iuſſerit vobis facere, facite, nobis ſuppeditat generalem doctrinam in Eccleſia, cuius & typus & membrum eſt beata virgo. Quid ergo Eccleſia hinc diſcit? vt cum beata virgine iubeat miniſtris adeóque omnibus Chriſtianis, vt Chriſto obtemperent faciendo quicquid ille iuſſerit, vtut parum rationi conſentaneum eſſe videatur.

5. Apparatus miraculi.

Iam Dominus oblata opportunitate *iubet miniſtris, vt hydrias*, id eſt, vaſa aquaria ſex, quæ illic erant deſtinata purgationi ſuperſtitioſæ Iudæorum, quarum ſingulæ capiebant binas aut ternas metretas, hoc eſt, omnes ſimul circiter ſex Amer vini capiebant, has inquam hydrias iubet Dominus *implere aqua vſque ad ſummum: quo facto iubet dari Architriclino.* Nam arcana virtute Chriſti, vinum iam erat, quod modò fuit aqua: quod cum guſtaſſet Architriclinus, dicit ſponſo: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cum inebriati fuerint, tum id quod eſt deterius: Tu autem ſeruaſti bonum vinum vſque adhuc.* Hoc auditum eſt ad comfirmationem miraculi, teſtatur enim Architriclinus, hoc vinum multo nobilius fuiſſe quam id quo antea vſi ſunt.

6. Miraculũ ipſum.

7. Miraculi cõfirmatio.

8. Einſdẽ vſus & fructus.

Iam ſequitur vſus & fructus miraculi. *Et manifeſtauit* (inquit Euangeliſta) *gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli eius.* Deſtinatum igitur erat hoc miraculum duabus rebus, nempe manifeſtandæ Chriſti gloriæ, & fidei diſcipulorum confirmandæ. Quæcunque enim miracula mundo oſtendit Chriſtus, totidem diuinæ eius gloriæ teſtimonia fuerũt, & totidem doctrinæ ipſius ac fidei in auditoribus obſignationes.

Doctrina.

Hic eſt ergo verus vſus miraculorum Chriſti, vt eius gloria illuſtrata, & per illa veluti authentica

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſigilla confirmata ipſius doctrina, in ipſum viua fiducia recumbamus. At miracula, quæ vel obſcurant gloriam chriſti, vel fidem extinguunt, præſtigiæ Diaboli ſunt, à quibus, vt nobis caueamus, monet Dominus Matth. 24. Surgent, inquit, Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna & magna prodigia: ita vt in errorem inducantur, ſi fieri poſſit, etiam Electi, Ecce prædixi vobis. Nemo ergo credat miraculis, niſi quæ gloriam Chriſti manifeſtant, & veram in ipſum fidem alunt & confirmant.

DE QVARTO.

Huius hiſtoriæ vſus & doctrina multiplex

Quia in hoc Euangelio multarum perſonarum fit mentio, nunc quid doctrinæ & admonitionis à ſingulis petendum ſit breuiter oſtendam.

1. Primùm igitur ab omnibus his conuiuis diſcamus exemplum frugalis hilaritatis, modò abſit luxus & inſania: de qua re in primo loco plura dicta ſunt.

2. A ſponſo & ſponſa diſcamus Chriſtum recipere in noſtra conuiuia, quod demum fit: quando in timore Dei, & cum gratiarum actione vtimur donis Dei ad honeſtam hilaritatem, & relinquimus domi eos, qui non ſunt inuitati.

3. A miraculo diſcant ſponſus & ſponſa, quod, ſi Chriſtus ab ipſis ad nuptias inuitetur, mutaturus ſit aquam in vinum, hoc eſt, omnia amara in dulcia conuertet, eos proſequetur ſua benedictione, adeo vt nihil ſit ipſis defuturum.

4. A Chriſto diſcamus pro noſtris facultatibus iuuare ſponſum & ſponſam, hoc eſt, Eccleſiam ornare, quibuſcunque id tandem poterimus modis.

5. A Chriſto rurſus res, quæ in abuſu & ſuperſtitione fuerunt, transferre ad bonum piúmque vſum, vt gloriæ Dei & Eccleſiæ in ædificationem ſeruiant. Hydriæ hîc ſeruierunt ſupeſtitioni Iudaicæ: ſed Chriſtus eis vtitur ad illuſtrandam ſuam gloriam & ædificationem Eccleſiæ. Ita bona Eccleſiaſtica, quæ olim erant in abuſu, nunc in meliorem vſum conuerti deberent.

6. A Maria diſcamus affici aliorum commiſeratione & inopia, & inuocare Deum, vt pauperibus ſua adſit benedictione.

7. Ab Architriclino diſcamus purgatis mentibus Chriſti facta approbare.

8. A miniſtris diſcamus Chriſto iubenti operas obtemperare, & non tam ſpectare quid iubeat, quàm facere quod iubeat.

9. A Chriſto, Maria & diſcipulis ſimul, diſcamus familiaritatem cum omnibus colere, boni conſulere illorum tenuitatem: diſcamus etiam pauperum honeſtas nuptias noſtra præſentia honorare, & facultatibus, cum res poſtulat iuuare.

Epilogus.

Hæc copioſius diximus de hoc Euangelio, quia hæc materia, quam continet, non niſi ſemel in anno tractari ſolet. Dixi de ratione nuptiarum, de matrimonio, oſtendi quoque quantum peccatum ſit violatio ſexti præcepti. Expoſui miraculum cum ſuis circumſtantiis, & quid doctrinæ & admonitionis exempla perſonarum in hoc Euangelio nobis commendent. Deus autem pater Domini noſtri Ieſu Chriſti det nobis ſuam gratiam, vt hoc miraculo confirmati, Deo Patri, Chriſto, & Spiritui Sancto veram tribuamus gloriam in vero timore Dei & fide, cui ſoli immortali & viuo Deo ſit honor, gloria & imperium in omnia ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA TERTIA POST Epiphaniam, Euangelium Matth. 8.

CVm deſcendiſſet autem de monte, ſecuta ſunt eum turba multa. Et ecce leproſus accedens adorauit eum dicens: Domine, ſi velis, potes me mundare protenſáque manu tetigit illum, dicens: Volo, mundus eſto: ac protinus mundata fuit illius lepra. Et dixit illi Ieſus: Vide, ne cui dixeris, ſed abi, oſtende te ſummo Sacerdoti, & offer munus, quod iuſſit offerre Moſes in teſtimonium ipſis. Porrò cum ingreſſus fuiſſet Ieſus Capernaum, adiit eum Centurio obſecrans eum, & dicens: Domine, famulus meus decumbit domi paralyticus, ac grauiter diſcruciatur. Et dixit illi Ieſus: Ego cùm venero medebor illi. Et reſpondens Centuvio dixit, Domine, non ſum idoneus, vt tectum meum ſubeas: Imo tantum dic verbum, & ſanabitur famulus meus. Nam & ego ſum homo alterius poteſtati ſubditus, & habeo ſub me milites, & dico huic, vade, & vadit, & alteri, veni, & venit, & ſeruo meo, fac hoc, & facit. Hæc autem cùm audiſſet Ieſus, admiratus eſt, & ait ſequentibus ſe: Amen dico vobis, ne in Iſrael quidem tantum fidei reperi. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venturi ſunt, & accumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob, in regno cœlorum: filij verò regni eiicientur in tenebras exteriores, illic erit ploratus & ſtridor dentium & dixit Ieſus Centurioni: Abi, & quemadmodum credis, ita fiat tibi, & ſanus eſt famulus eius in hora illa.

ENARRATIO TEXTVS.

Sũma huius hiſtoriæ.

Hoc Euangelium proponit nobis affectum Chriſti erga genus humanum, & præcipuè erga eos, qui ad ſe in anxietate & cruce confugiunt. Quod enim verbis promiſit, dicens, Matth. 11.28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus veſtris: id hîc facto declarat. Nam poſtquam in monte Patris verbum docuiſſet, deſcendit, & opere quod docuit cõplet, ſuam doctrinam miraculis confirmans. Duo ſiquidem miracula hic edit: verbo ſanat leproſum, mãdato abſentem Centurionis filium curat. Horum miraculorum vſus eſt, & vt Chriſtum verum Meſſiam eſſe comprobent, & eundem velle afflictis ſe inuocantibus opem ferre teſtentur, non ſecus atque huic leproſo & Centurioni ſe inuocantibus opem tulit. Cæterùm quo nobis præſentia miracula ad maiorem inſtructionem ſeruiant, quatuor locos tractabo qui ſunt:

Vſus.

Partes.

1. *Generalis doctrina de omnibus miraculis Chriſti.*
2. *De leproſo & eius curatione & circumſtantiis.*
3. *De ethnico Centurione, eius fide, & cura pro famulo.*
4. *Laudatio fidei huius ethnici.*

DE PRIMO.

Locus de miraculis.

Quia Euangelica hiſtoria multa miracula Chriſti, quibus ſuam gloriam manifeſtat, doctrinam cõfirmat, & fidem in auditoribus auget, continet, volo breuem & generalem doctrinam tradere, cuius vſus erit in omnibus particularibus miraculis Chriſti. Cur autem Dominus addat ſuo ſermoni miracula, proximo die Dominico dictum eſt, & iam ſtatim breuiter in principio repetij. Verùm vt plenam doctrinam miraculorum habeamus, plura ſunt excutienda, quæ vt in certum claudantur numerum, quinque quæſtionibus omnia ſubiiciam. Quæ perſona, qui fines, quis modus, & quis vſus, cúrque hodie non edantur miracula.

Quinque quæſtiones.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

1. De perſonis.

Perſonę ſunt triplices. Primùm morbis & tyrannide Diaboli oppreſſæ. Deinde ſpectatores miraculorum. Poſtremò Chriſtus miracula edens.

2. De finibus.

Fines ſunt plures. 1. Vt Chriſtus ſuam gloriam manifeſtet. 2. Vt doctrinam ſuam obſignet. 3. Vt hominum fides confirmetur, qui miracula cernunt. 4. Vt Deus glorificetur viſis ipſius ſtupendis operibus. 5. Vt paulatim regnũ Diaboli deſtruatur. Quæcunque miracula eduntur contra hos fines, damnantur vt præſtigiæ Diaboli, Mat. 24. 26.

3. De modo.

Modus varius eſt: nunc enim ſolo verbo edit miracula, vt hîc: nunc, vt precium ſuum corporis oſtendat, manum applicat: nunc ad Deum præmiſſa gratiarum actione: nunc ſola virtute ſine verbo, vt aquam in vinum conuertit. Ad hunc modum etiam pertinet fides eius, qui miraculo iuuatur, vt in hoc Euangelio legitur.

4. Vſus.

Vſus triplex, vt miraculoſè ſanatus non amplius peccet: vt ſpectatores fiduciam de ſanatore concipiant: vtque nos, qui miracula Domini legimus, de gloria Chriſti, & de doctrina confirmemur, ſimul fidem in ipſum concipiamus, quòd non ſecus erga nos affectus ſit, quàm fuit erga illos.

5 An miracula iam nulla fiãt.

Sed cur iam nulla miracula fiunt? Cęcus plane eſt, qui nulla miracula hodie conſpicit. Eccleſia Chriſti eſt exiguus grex, quem diabolus Rex tenebrarum, & Papa Antichriſtus perſequuntur, & omnes neruos intendunt eò, vt veram Chriſti religionem extinguant: id tamen non poſſunt. Vnum Lutherum totus mundus perſequebatur: ſed pilum de capite ipſius non tetigerunt. Quare miraculoſè ipſum atque adeo puſillum ſuum gregem defendit Deus. Hæc præſentia Dei in Eccleſia ſatis miraculoſa eſt, vt non alia miracula quærere ſit neceſſe. Deinde miracula & virtutes ſanationum corporum, & viſibiles donationes Spiritus Sancti ſolummodo in primitiua Eccleſia edebantur, vt in perpetuum in omnem poſteritatem Chriſti gloriam, doctrinam & noſtram fidem confirmarent. Quorum vſus apud nos eſt, vt ſciamus, ea fuiſſe authentica quædam ſigilla, quibus Deus ſuam doctrinam in perpetuum confirmatam & obſignatam voluit.

DE SECVNDO.

In leproſo conſiderãda.

In leproſo qui ſanatur, ſpectentur ſex: Infirmitas, perſonæ conditio, fides, inuocatio, patientia, confeſſio.

1. Infirmitas.

Infirmitas leproſi pœna peccati eſt: quare ipſum iræ diuinæ admonet, & iuſti Dei iudicij. Eſt enim omnis crux, omnis calamitas, & quicquid aduerſi nobis in hac vita accidit, veluti concio quædam diuina, qua Deus accuſat peccatum, oſtendit ſuam iram: quam Deus iuſtiſſimam iram cum homo cogitat ſeriò, ſine cogitatione Chriſti, in deſperationem ruit: vnde ſæpe fit, vt homo vel ſibi manus afferat, vel paulatim tabeſcat dolore. Conſcientia enim peccati nunquam, vel ad momentum vllum, tranquillum ſinit. Hoc vno declaremus exemplo. Oedipus rex Thebanus, orta in ſuo regno peſtilentia, cogitat aliquod atrox ſcelus à ſe vel ſuis perpetratum eſſe. Vocat Tireſiam ſacerdotem: iubet vt ſua augurandi arte monſtret autorem tam atrocis ſceleris, propter quod tota reſpublica adeo graui peſtilentia infeſtetur. Deprehendit ergo Oedipus ſeipſum & non alium iſtud graue ſcelus perpetraſſe. Suſtulerat enim de propria matre, quam ignarus in vxorem duxerat, liberos. Nam puer expoſitus eſt à parentibus, vt interimeretur: ſed paſtor, cui hoc mãdatum erat, parcit puero eleganti, qui tandem vir factus bella geſſit pro Thebanis feliciter, & pro re bene geſta ei regnum tradiderunt, & reginã Iocaſtam in vxorem dederunt: ducit ergo ignarus propriam matrem in vxorem. Poſtquam autem hoc peccatum Oedipo innotuit per ſacerdotem, & conſpexit totum regnum grauiſſima peſte infeſtari propter ſuũ factum, de ira Dei cogitat. Huius cogitatione adigitur in deſperationem. In hac deſperatione primum adimit ſibi oculos, ne hunc ſolem aſpiciat. Deinde conſcientia ſceleris excarnificatus, magno eiulatu iubet vt aſtantes à ſe diſcedant, ne vel vmbra ſua noceat bonis. Poſtea fugiens à regno, vixit cæcus & mendicus, donec deſperatione abſorptus, periit. Mater Iocaſta peccati conſcientia impatiens doloris, mox, vbi innotuit culpa, ſibi vitam laqueo finiuit. Adeo horrendum & fœdum malum eſt peccatum, quando homo illud cordis oculis vere intuetur.

2. Conditio.

Perſonę leproſæ conditio admodum dura fuit. nam ſeparatim à cœtu populi Dei illum viuere oportuit. Quo ingenti dolore haud dubiè multi contabuerunt. Nã non ſolum à ſocietate hominũ fuerũt excluſi: verumetiã conſolatione per verbi prędicationẽ deſtituti erã. Præterea quinq; notis erant ab aliis hominib. diſtincti, quę res nõ parum auxit dolorem. Prima nota, veſtimentum diſſolutum & diſſectum. Secunda, caput detectum. Tertia, os coopertum. Quarta, habitatio ſemota ab hominum conſuetudine. Quinta, publica proclamatio, qua immundus proclamabatur, vt indignus, qui inter Iſraelitas in populo Dei verſaretur. Atque hæc conditio fuit huius leproſi: his malis ſi nõ acceſſiſſet fides in Chriſtum, prorſus dolore fuit extinctus.

3. Fides.

Accedit ergo Chriſtum, concipit fidem, & tametſi ſenſit ſe damnationem meruiſſe, tamen liberali promiſſione Chriſti ſe erigit. Audiuerat haud dubiè hanc vocem Chriſti: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis. Audiuerat haud dubiè à Iohanne de Chriſto: Ecce Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Leproſus ergo hic cognito medico, ſpem ſanitatis concipit, certa fiducia in Chriſtum recumbens.

4. Inuocatio.

Ex hac fide Chriſtum inuocat: eſt enim fidei germanus fructus inuocatio, vt quæ ſine fide fieri nequit, iuxta illud, Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? Rom. 10. 14.

5. Patientia.

Verum in inuocatione ſingulare patientiæ exemplum proponitur. Ait enim Chriſto leproſus, *Domine, ſi vis, potes me mundare.* Quemadmodum Dauid expulſus regno, cum conditione petiit ſe reſtitui, ſi ita Deo bonum videretur: Ita hic leproſus hoc beneficium corporale relinquit in manu Domini, qui melius nouit, quæ nobis expediũt, quã nos ipſi.

6. Confeſſio.

Hæc præterea oratio inſigne confeſſionis Chriſti exemplum habet. Scribæ & Phariſæi perſequebantur eos, qui Chriſtum confitebantur: ſed hic pauper contemptus leproſus vel frementibus principibus & ſacerdotibus Chriſtum confitetur, ſtatuit Chriſtum omnipotentem eſſe, adeoque verum Meſſiam: cuius conſtantem confeſſionem & nos imitari decet.

Curationis leproſi circumſtantiæ.

Iam leproſi huius curatio ſpectãda eſt, in qua plures ſunt circumſtantiæ examinandæ, quarum ſingulæ peculiares doctrinas habent. Manu corpus leproſi tangit: promittit alacriter quod petit leproſus, verbo iubet eum mundũ eſſe: effectus, hoc eſt, mundatio à lepra ſequitur continuò: mundato dat triplex præceptum: vt nemini dicat: vt oſtendat ſe ſacerdoti: vt offerat munus ſecundum legem.

1. Manus extenſio.

Manus extenſio & attactus corporis leproſi immenſæ gratiæ & bonitatis Chriſti ſymbolum fuit,

quo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quo facto mirum in modum leproſi fidem auxit. Nam cum videbat Filium Dei, non ſolum non ab horruiſſe inſtar aliorum hominum à ſuo colloquio: verum etiam ſuam immunditiem manu tetigiſſe, ſingulari Spiritus gaudio eſt perfuſus.

2. Promiſſio.

Cum hoc contactu coniungitur promiſſio: Volo. Leproſus ait, ſi vis. Chriſtus volo reſpõdet. Hinc apud ſe leproſus concluſit, ſe mox ſanatum iri.

3. Sanatio.

Promiſſioni addit, *Mundus eſto*: qua voce ſuam diuinam potentiam declarat, confirmat doctrinam, & fidem in ſpectatoribus & Hiſtoriæ lectoribus auget: velle enim Chriſti facere eſt: omnia quæ voluit in cœlo & in terra fecit. Hæc Chriſti potentia conſolabitur nos aduerſus potentiam Diaboli, &c.

4. Effectus ſeu ſanatio a lepra.

Et confeſtim eſt mundata lepra eius. Hoc ipſum miraculum eſt & beneficium erga leproſum: quo beneficio tanquam ſymbolo quodam notat: quod is paratus ſit ad purgandos omnes à ſua ſpirituali lepra, qui ad ipſum fide accedunt.

5. Mãdata.

Mandata ſequuntur, primum ne leproſus cuiquam dicat: huic mandato zelo quodam prædicandi beneficij Chriſti leproſus non obtemperat, in qua re non parum peccauit. Debebat enim non gratias referre benefactori iuxta ſuum ſenſum: ſed obedientiam potius, qua nullum aliud Chriſto acceptius eſt ſacrificium.

Secundum & tertium mandatum ſequuntur: *Vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus tuum in teſtimonium ipſis.* Hoc fecit Chriſtus, vt legi Moſis hoc pacto ſatisfieret, in qua committitur Sacerdotibus iudicium de lepra, vt infectos de cœtu reiiciant, & ſanatos recipiant publico ſuo teſtimonio. Quod autem offerre ſanati iubentur, ideo factum eſt; vt iſta oblatio eſſet ſymbolum gratitudinis illorum, qui ſanitatem adepti eſſent erga Deum.

Papiſtici erroris refutatio.

Papiſtæ, qui ex hoc loco confeſſionem auricularem extruunt, cum enumeratione peccatorũ, ſtulti ſunt & fœdè deprauant ſcripturam, eam in alienum ſenſum detorquentes. De confeſſione, quam nos retinemus in noſtris Eccleſiis, aliâs dicendum eſt.

DE TERTIO.

Hiſtoriæ centurionis doctrina.

Hiſtoria cõtinens beneficium Centurioni exhibitũ, plurimas doctrinas, quas numeris diſtinguam quò melius teneri poſſint, habet.

Chriſtus omniũ ſeruator.

1. Obſeruanda eſt imago duplicis populi Iudaici & Ethnici. Primũ ſanatur Iudæus. Deinde Ethnicus: vnde docemur, beneficia Chriſti promiſcuè ad omnes pertinere: non eſſe diſtinctionem Iudæi & Græci. Vt enim omnes peccauerunt & egent gloria Dei: ita omnibus Chriſtus ſuum beneficium offert fide recipiendum.

Apud Deũ non eſt perſonarũ acceptio.

2. Diuerſa conditio Iudæi & Ethnici non caret doctrina. Iudæus erat pauper, Ethnicus diues: non ergo Chriſtus reſpectum habet præſentis fortunæ, non contemnit pauperem, non reiicit diuitẽ. Iudæus erat plebeius, nobilis verò Centurio, in regno ergo Chriſti non habent rationem maiorum ſtemmata, ſed in Chriſtum fides, qua omnes, ſiue nobiles ſiue ignobiles, Filij Dei naſcuntur. Iudæus erat in mundo contemptus, Centurio aulicus honoratus: ſed ex fide æſtimat Dominus, quis ſit apud ſe honoratior.

Fides Centurionis.

3. Iam ex circumſtantiis quæramus, qualis fuerit fides Centurionis: quòd Ethnicus fuerit extra populum Dei peculiarem, ſatis humiliat ipſum. Poſſet quidem gloriari apud homines de Centuriatus dignitate, ſed hæc gloriatio nullum locum habet apud Deum. Nam vt ait apud Hieremiam Dominus, qui gloriatur, in me glorietur, qui facio miſericordiam, iudicium & iuſticiam. Non ergo Centurio ſine pœnitentia accedit Chriſtum, ſed agnita ſua miſeria, opem Chriſti implorat pro famulo, ídque ex vera fide, qua re ipſius etiam charitas erga proximum declaratur. Cùm autem dicit: *Non ſum dignus, vt intres in domum meam.* Item: *Tantum dic vnum verbum, & ſanabitur puer meus*, & ſe peccatorem fatetur, & Chriſtum diuina natura præditum agnoſcit, in quem & credit. At cùm ſubiungit, *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, &c.* ſignificat quàm facile ſit Chriſto diuina virtute etiam abſentes iuuare ſolo verbo & voluntate, cum ipſe ſit homo ſub aliena poteſtate conſtitutus, poſſit famulis præſcribere quę facienda, & ipſi imperata faciunt.

De aliena fide.

4. Hic quæſtio oritur de aliena fide. Centurio credit, ſed famulus eius ſanatur; vnde certam hanc doctrinam colligimus; quod pij ſua fide poſſint aliis impetrare corporalia beneficia: ſed an aliquis aliena fide ſaluari poſſit ſalute æterna, quæſtio apud Chriſtianos nulla eſt. Nam illi ſciunt neminem ſaluari ſine propria fide, quæ quidem acquiri poteſt, cum pij pro aliis orant, vt Deus ipſis largiatur fidẽ.

DE QVARTO.

Præconij fidei huius Centurionis partes.

In hoc præconio fidei Ethnici plura ſunt conſideranda. 1. Admonitio Chriſti, quę ad eius humanitatem refertur. Indcat enim affectus humanos, ſed ſine peccato. 2. Iurat ſe non inueniſſe tantam fidem in Iſraël. Iudæi enim non ſolùm verbum, verùm etiam ſigna requirebant: ſed hic Ethnicus modicum doctrinæ guſtum cum haberet, ſolo verbo eſt contentus. Mariæ fides perfectior erat, ſed ex perfectiori inſtructione, & certioribus & pluribus ſignis: maior eſt igitur Centurionis fides ſecundum aliquam partem, non ſecundum abſolutam fidei rationem. 3. Docemur hoc loco, quod oporteat fidem creſcere, & quotidiana incrementa ſumere. 4. Docet hic Chriſtus de vocatione gentium, vt ipſæ cum Abraham, Iſaac & Iacob colligantur in vnam Eccleſiam per fidem in Chriſtum. 5. Prædictio reiectionis Iudæorum propter ſuam incredulitatem, cum interminatione pœnæ. 6. Cum dicit Centurioni; *Vade, fiat tibi vt credidiſti*, ſignificat omnia poſſibilia credenti, quemadmodum Chriſtus alibi teſtatur. Cui honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA IIII. POST Epiphaniam, Euangelium Matth. 8.

ET cum ingreſſus eſſet Ieſus nauim, ſecuti ſunt eum diſcipuli ſui: & ecce motus magnus factus eſt in mari, adeo vt nauis operiretur à fluctibus, ipſe vero dormiebat. Et accedentes diſcipuli excitauerunt illum, dicentes, Domine, ſerua nos, perimus. Et dixit illis: Quid timidi eſtis, exigua præditi fiducia? Tunc excitatus increpauit ventos & mare, & facta eſt tranquillitas magna. Porrò homines admirabantur, dicentes. Qualis eſt hic? quia venti quoque & mare obediunt illi.

ENARRATIO TEXTVS.

Sũma huius hiſtoriæ.

HOc Euangelium ruſus indolem Chriſti nobis ponit ob oculos, quę eſt ſuis adeſſe in periculis, eóſque iuuare, ſecundum Pſalmi 91.15. dictum. Tecum ſum in tribulationibus. Item Pſalm. 50. 15. Inuoca me in die tribulationis, exaudiam te, & honorificabis me. Ad eundem modum Apoſtolorũ exemplum hic docet, quid in periculis ſit faciendũ,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

videlicet vt cum Apoſtolis Chriſtum noſtra fide excitemus, quo nobis petentibus opem ferat. Hæc eſt autem ſumma Euangelij, quod Chriſtus, periclitantibus diſcipulis in naui præ tempeſtate ſubitò orta, excitatus increpet mare, & ventum, vnde tranquillitas magna ſecuta eſt, & admiratio in ſpectatoribus. Locos autem tres tractabimus, qui ſunt:

Partes.

1. *Varietas tentationum piorum in hoc mundo.*
2. *Hiſtoriæ præſentis explicatio cum ſuis circumſtantiis.*
3. *Pulcherrima imago Eccleſiæ Chriſti in hoc mũdo.*

DE PRIMO.

Locus de Tentationib. piorum.

Quia hoc Euangelium meminit tentationis in naui, volo breuiter indicare tentationum genera, quibus homines ſolicitantur: ídque adeo, vt agnitis periculis, quæ nos vndique circumſtant, ſimus vigilantiores, ne tentationibus fracti abiiciamus confeſſionem ac gratia excidamus. Sicut enim Chriſti diſcipuli inter maris fluctus tentabantur de vita: ita ſinguli Chriſtiani, omni fere hora ſalutis ſuæ naufragium timere debent.

Tentationũ genera.

Tentationum genera ſunt multa: aut enim tentatio Deum autorem habet, aut à Diabolo proficiſcitur, aut ab hominibus venit, aut in ipſo qui tentatur cauſam habet, aut res circumſtantes moleſtãt.

1. Tentatio Dei.

Deus tentat, vt nobis ipſis reddamur probatiores: non enim tentat, vt ſciat, quem nihil latet: ſed vt ſcire nos faciat, quantum in pietate profecerimus. Et tentat Deus in moribus, & in doctrina, & in ſignis iræ.

In morib.

In moribus tentauit Abraham, quando iuſſit eum mactare filium ſuum vnigenitum Iſaac in holocauſtum. Verùm Abraham obediendo Deo in re adeo dura & difficili, factus eſt ſibi ipſi probatior, & vidit verum ſuę fidei fructũ, præferre obedietiã erga Deum omnibus rebus mundi. Sic hodie pij diuinitus tentantur, dum mandatis Dei propoſitis, omnium virtutum morúmque regulis certiſſimis probatiores ſibi redduntur per ſpontaneam obedientiam. At contra qui ſcientes & volentes ruunt in peccata, & ſuccumbunt tentationi, fiunt rei iræ Dei, donec reſipiſcant.

In doctrina.

Deinde in doctrina quoque tentat nos Deùs, quando permittit pſeudoprophetas venire, & varia dogmata erronea proponere, de quo tentationis genere loquitur Moſes Deut. 13. 1. Si ſurrexerit in medio tui Propheta, aut qui ſomnum ſe vidiſſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & euenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi, Eamus & ſequamur Deos alienos, & ſeruiamus iis (hoc eſt, ſi nouum modum colendi Deum inſtituat) non audies verba Prophetæ illius & ſomniatoris, quia tentat vos Dominus Deus veſter, vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non, in toto corde, & in tota anima veſtra. Hæc tentatio Deo aſcribitur, quatenus probationis eſt, & non ſeductionis. Ad eundem modum hodie dat nobis verbum, ſed permittit oriri hæreſes plurimas, vt eo pacto nos tentet probétque an illum verè ex viua ſinceráque fide diligamus.

In ſignis.

Aliquando in ſignis tentat Dominus, dum in cœlo, terra, mari, horrenda ſuæ iræ ſigna proponit, quæ ſigna mirum in modum piorum animos concutiunt. De hoc tentandi genere loquitur Moſes Exod. 20. Nolite timere, vt enim tentaret vos, venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis.

2. Tẽtatio Diaboli.

Diabolus tentat defectione à doctrina præſumptione in officio, idololatricis cultibus, & multis aliis modis de quibus dicendum eſt Dominica ſecunda quadrageſimæ.

3. Hominũ tentatio.

Homines cum hoſtes, tum amici tentant nos variis modis, doctrina, hypocriſi, exemplo, conſilio, promiſſione, comminatione.

4. Interna tentatio.

Inuenit etiam homo in ſe ipſo, à quibus tentatur, vt ſunt peccatum hæreditarium. Deinde multi affectus inde pullulantes, qui nos ſolicitant, vt aliquid contra Deum tentemus. Tentatur interdum homo à dotibus aut animi aut corporis, quales ſunt pulchritudo, robur, ingenium, artificium, &c. Hoc tentationis genere qui ſuperari nolit, cogitet omnia diuinitus eſſe collata in Dei gloriam & aliorum commodum.

5. Tẽtatio externa.

Res quoque circumſtantes ſæpe piorum mentes tentant & perturbant, quarum quædam ante nos ſunt, vt quæ imminent: quædam poſt, vt quæ præterierunt: quædam à dextris, vt quæ iucunda ſunt: quædam à ſiniſtris, vt quæ triſtia exiſtunt. Ante nos, mors minatur, iudicium Dei horrendum excruciat, infernus os patens habet. Poſt nos ſeu retro à tergo ſunt præterita peccata, quæ conſcientiam hominis cruciant. A dextris ſunt diuitiæ, honores, potentia, quæ multos homines in ęternum exitium præcipitant. A ſiniſtris ſunt paupertas, probra, contemptus infamia, pericula in terra, mari, domi, foris.

Quib modis hæ tẽtationes ſuperantur.

Hæc tentationum genera ſunt grauiſſima, quæ ſuperantur fide, inuocatione, crebris ſuſpiriis ad Deum pro auxilio, morum innocẽtia, breuiter, perpetua, ſeriáque pœnitentia. Hæc de tentatione volui hoc loco dicere, vt nos excitemur ad vigilantiam & precationem, ne intremus in tentationem.

DE SECVNDO.

Circũſtantiæ huius miraculi. Fides tentatur.

In huius miraculi hiſtoria ſequentes ſunt conſiderandæ circumſtantiæ.

1. Tentatio fidei. Diſcipuli habent ſecum in naui Dominum, atque ideo nauigant ſecurius: ſed hæc ſecuritas non ita diuturna fuit: nam tempeſtate orta nauis fluctibus obruitur: vnde factum eſt, vt qui paulò antea ſecuri nimium fuerunt, iam fluctibus maris deſperabundi obiiciantur. Quare nemo nimium fidat ſecundis: ſed in rebus ſecundis metuat.

Chriſti ſomnus.

2. In hoc periculo grauiſſimo Chriſtus dormiuit, cum vt vires laboribus fatigatas ſomno recrearet ac reficeret, tum vt diſcipulorum fidem exploraret, non quod ipſe ſcrutator cordium quicquam ignorarit: ſed vt ipſi ſibi diſcipuli fierent notiores. Præterea etiam ideo Dominum dormiſſe credendum eſt, vt in diſcipulis maior fides excitaretur, & maiore timore perculſi diſcipuli, Chriſtum vehementius inuocarent, ac maximo periculo in præſens auxilium maioris facerent. Nam ſi Chriſtus vigilaſſet, opem laborantibus, vt in graui periculo, ſua ſponte, ſine diſcipulorum precibus, tuliſſet. Etſi autem omnia, quæ ad noſtram ſunt ſalutem neceſſaria, ex ſua bonitate & paterno erga ſuos affectu dare paratus eſt, non tamen niſi rogatus dare ſolet. Eſt enim oratio ordinarium inſtrumentum ad impetranda omnia, quæ nobis à Deo neceſſaria ſunt: idque ea de cauſſa: vt ipſum quidem verum Deum creatorem & fontem omnis boni veneremur, nos vero impotentes creaturas (vt quæ ſine Deo nec quicquam habemus, nec quicquam valemus) agnoſcamus.

Fidei efficacia.

3. Praxis fidei hîc conſpicitur. Fides enim non eſt ocioſus aſſenſus aut cogitatio: ſed eſt fortis gigas qui vicit mundum, vt Iohannes inquit, 1. Iohan. 6. 4. Hæc eſt victoria, quæ vicit mundum, fides veſtra: vincit quidem fides: ſed per victorem quem poſſidet. Hæc fides habet mundum hoſtem, hoc eſt, peccatum, mortem, Diabolum, pericula, carnem. A

parte

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

parte peccati ſtat lex, conſcientia, deſperatio. A parte fidei ſtat Euangelium, ſacrificium Chriſti, certa fiducia. Cum ergo ſuo fulmine, fumo, igne, vaporibus, tonitru te adoritur lex, accipiat fides Euangelium, illúdque legi opponat. Cùm ergo lex dicat, Omnis qui non fecerit omnia quæ ſcripta ſunt in libro legis, maledictus eſt: oppone Euangelium, Omnis qui credit in Filium, habet vitam æternam.

Adu. legis maledictionem.

Mors cùm minetur mortem, oppone ei mortis victorem Ieſum Chriſtum, qui morti victæ exprobrans ait, vbi mors aculeus tuus? vbi ô inferne victoria tua? idem apud Iohannem ait, Qui credit in me, non guſtabit mortem in æternum: ſed tranſibit à morte ad vitã. Mors igitur homini vtilis eſt: nam eſt tantum tranſitus ad meliorem vitam, tãtùm abeſt vt piis formidabilis eſſe debeat.

Adu. mortem.

Diabolus quidem accuſat, & magnum catalogum facinorum texit, ſed oppone ipſi Chriſti ſententiam de ipſo, qui ait, Iohann. 16. 11. Princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Et illud Pauli Rom. 8. 32. Deus eſt qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet? ſi obiicit nobis iniuſticiam noſtram, reſpondeamus cum Paulo, Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo. 2. Cor. 5. 21.

Adu. Diabolum.

Pericula ſimiliter peccati nos coarguunt: Sunt enim veluti concio iudicij Dei de peccato. Reſponde, iudicium à Dei domo incipere, & Dominum omnem filium quem recipit caſtigare: ídque in bonum filij.

Adu. pericula.

Caro ſolicitat ad deſperationem: ſed tu carnem ſubiicito ſpiritui, & dic, ipſius iudicium hîc nullum habere locum: atque ita mille occurrunt, quæ ſalutem noſtram impedire volunt.

Adu. Carnem.

Potuit ergo Nero, peccato, legi, morti, carni ita exprobrare? nequaquam. Nam ſoli Filij Dei hoc ius habent, alij tenentur captiui ſub peccato, quia ſerui ſunt peccati, vt qui peccatum faciant, illis indulgendo aduerſus Spiritum, imo ſpiritu extincto prorſus. Quicunque ergo vult peccato, legi, morti, Diabolo, carni, &c. exprobrare, videat an ſentiat verã pœnitentiam, videat an habeat fidem & bonam conſcientiam. Denique videat an ita ſit compoſitus, quòd omnia vitæ commoda poſtponat obedientiæ erga Deum, abiecto peccandi propoſito.

Quorũ ſit fides.

4. Chriſtus duo reprehendit in diſcipulis. Primùm, puſillanimitatem, quia non debebant timere eo præſente: cuius cum tot miracula vidiſſent, facile didiciſſe potuerunt, eum non perire poſſe, cui Chriſtus præſens adeſt. Deinde fidei paruitatem, quia non crediderunt eum poſſe tantum dormiendo, quantum vigilando, tantum mari, quantum terra, qui terræ erat & maris creator.

Chriſti reprehẽſio.

5. Vt autem dormiendo declarauit ſe hominẽ eſſe: ita hîc imperando ventis ſe Deum eſſe docet: vtrumque ſeruit fidei noſtræ tenuitati. Humanitas enim voluntatem erga nos, diuinitas vero facultatem docet, quæ duo ad omnem actionem proæreticam requiruntur.

Eſt homo & Deus.

6. Chriſtus, vt breuiter complectar, hac hiſtoria oſtendit, ſe verè velle ſalutem hominum, & præſertim eorum, qui ſe inuocant. Nam vt vult ſe in periculis à nobis inuocari: ita etiam vult paternum ſuum erga nos affectum, dum à periculo liberat declarare.

Doctrina.

DE TERTIO.

Hæc allegoria eſt ſuauiſſima: pingitur enim hîc ſors & imago Eccleſiæ. Mare eſt Mundus. Nauis eſt Eccleſia. Ventus eſt Diabolus: pius cœtus credentium diſcipuli ſunt. Chriſtus eſt veritas, Euangelium fides.

Imago & ſors Eccleſiæ.

Primum hîc obſerua, antequam Chriſtus cum diſcipulis in nauim ingreditur, mare tranquillum eſt, hoc eſt, mundus ſecurè ſtertit in ſuis peccatis. Verùm poſt ingreſſum Chriſti in nauim, excitatur tempeſtas valida, adeò vt nauis videatur obrui. Sed quid? Adeſt qui imperet mari & ventis Chriſtus Dominus: hinc ergo primum diſcamus, extra hanc nauiculam, id eſt, Eccleſiam non eſſe ſalutem. Verùm hîc diligenter ſpectandum, ne hoſtilem nauim pro vera agnoſcamus. Hoſtilis nauis foris quidem eſt ornatior, intus capacior: ſed habet vera nauis ſuum ornatum interius, & multò auguſtiorem habet gubernatorem Spiritum ſanctum, habet naucleros omnes pios, habet verbum Dei, Sacramenta in vero vſu, obedientiam erga miniſterium, his theſauris contenta eſt hæc nauis in tantis fluctibus.

2. Obſeruetur quòd hæc nauis non verſetur in tranquillo mari: ſed turbetur fluctibus, qui ipſam huc illuc impellunt: quod veriſſimum eſſe ipſa mundi hiſtoria docet. Deus condito mundo, hanc nauiculam in medio poſuit: verùm Diabolus hoſtis filij Dei, mox illam turbauit procellis: poſtea miſerandis modis iactata eſt vſque ad tempora Nohæ, poſt Nohæ ad Abrahamum: inde ad tempora Moſis: tum ad Chriſtum, qui, vt hanc nauim ſaluaret, venit in mundum. Neque adhuc conquieuerunt fluctus eius. Sed quænam cauſa eſt, cur mundus hanc nauiculam ferre nequeat? quia Eccleſia mundi opera arguit, hoc eſt, mundi ſapiẽtes ſtulticiæ accuſat: iuſtos peccati reos peragit: diuites non beat, ſed infelices & miſeros pronunciat, niſi pietas vera diuitiis præſit moderatrix. Atque hoc eſt quod Chriſtus promiſit fore, cum ait, Ioan. 16. 8. Spiritus Sanctus mundum peccati, iuſticiæ, iudicij arguet. Quid peccauit Abel in Cain, qui ipſum horrendè occidit? Reſpondet Iohannes: Opera eius fuerunt bona, & fratris mala. Quid Nohæ? Quid Ieremias? Quid Eſaias? Quid Chriſtus? denique quid tot ſancti Martyres inde vſque ab initio mundi? mundum de tenebris ad lucem deducere voluerunt, vt renunciatis mundanis concupiſcentiis, piè, honeſtè, iuſtéque homines in mundo viuerent. Hanc gratiam mundus ſuis benefactoribus referre ſolet: fluctibus enim vult obruere eos: ſed non ſuccedunt illi omnia ex voto: non poteſt nauiculam hanc funditus perdere: nam ex ſanguine Martyrum noui naſcuntur Martyres.

Status Eccleſiæ conſideratio.

Diſcamus igitur hanc ſanctam aduerſus ſcandalum perſecutionis & paucitatis artem. Si offendit te iactatio nauis, reſpice ad Chriſtum, qui præſens in naui adeſt. Si paucitas te turbat, reſpice ad Arcam Nohæ, ad Sodomitas, ad reliquum mundum totum: ea quæ ſunt optima nunquam placuerunt, niſi pauciſſimis. Eccleſia in principio exigua fuit: in medio maxima: in fine ita rurſus exigua erit, vt videatur operta fluctibus, malicia Diaboli, prauis doctrinis dæmoniorum, & ſceleratis moribus.

Doctrina.

Diſcamus proinde in his fluctibus exitare Chriſtum noſtra inuocatione, qui à ſua naui nunquam abeſt: ſed eam Spiritu Sancto, verbo, Sacramentis, diſciplina gubernat: Cui vnà cum Patre & Spiritu Sancto, honor & gloria ſit in ſecula ſeculorum, Amen.

Nn. iiij.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

DOMINICA QVINTA POST Epiphaniam, Euangelium, Matth. 13.

ALiam p rabolam propoſuit eis, dicens: Aſſimilatum eſt regnum cœlorum homini ſeminanti bonum ſemen in agro ſuo, ſed dormientibus hominibus, venit illius inimicus, & ſeminauit zizania inter triticum, abiítque. Cum autem germinaſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt zizania. Accedentes autem ſerui patrisfamilias, dixerunt illi, Domine, nonne bonum ſemen ſeminaras in agro tuo, vnde igitur habet zizania? Ille vero dixit illis: Inimicus homo fecit. Serui autem dixerunt illi: Vis igitur abeamus & colligamus ea? At ille dixit, non, ne dum colligatis zizania, eradicetis cum illis ſimul & triticum: ſinite pariter creſcere vtraque vſq; ad meſſem, & in tẽpore meſſis dicam meſſoribus, Colligite primum zizania, & colligate ea in faſciculos ad comburendum ea: triticum vero congregate in horreum meum.

ENARRATIO TEXTVS.

Occaſio huius concionis.

Occaſionem huic Euangelio præbuerunt auditores Chriſti, quorum alij fuerunt Hypocritæ, qui ſibi tamen non parum placuerunt, quod accenſerentur gregi Chriſti. Alij fuerunt ſinceri & boni: ſed quia viderunt confuſam bonorum cum malis ſimul mixturam, non parum turbabantur illorũ mentes. Vt ergo & illos ſuæ hypocriſeos & pœnæ olim ſecuturæ admoneret, & hos, propoſita futura ſeparatione & mercede, ad cõnſtantiam & infractam fiduciam erigeret, hanc proponit parabolam. Cuius hic ſenſus eſt, quod bonis mali permiſti eſſe debeãt in Eccleſia, donec hic mundus ſteterit, qui in fine ſeculi ſunt à ſe inuicem ſeparandi, vt piis merces, impiis vero commerita reddatur pœna. Pertinet proinde hoc Euangelium eò, vt hypocritas terreat, ac propoſita pœna inuitet ad pœnitentiam: & conſoletur pios, eóſque ad tolerantiam malorum armet. Porro loci huius Euangelij quatuor ſunt.

Partes.

1. *Quale ſit regnum Chriſti in hoc mundo.*
2. *De hoſtibus huius regni.*
3. *Oratio diſcipulorum Chriſti contra hoſtes, & cur Deus patiatur hoſtes in Eccleſia.*
4. *De pœnis hoſtium Chriſti, & præmiis piorum.*

DE PRIMO.

Regni Chriſti ſignificata.

Regnum cœlorum varia in Scriptura ſignificat. *Primum* enim cum Iohannes dicit: Agite pœnitentiam: appropinquat enim regnum cœlorum, non eſt aliud regnum cœlorum, quam vitæ nouitas, qua Deus nos inſtaurat in ſpem beatæ immortalitatis. Nam ereptos è ſeruitute peccati & mortis, ſibi nos vendicat, vt in terra peregrinantes cœleſtem vitam iam fide poſſideamus. Cum ergo dicit, appropinquat regnum cœlorum, ſignificat reſtitutionem ad beatam vitam, adeóque veram & æternam felicitatẽ in Chriſto proponit. *Deinde* ſignificat ipſum Chriſti Euangelium, quo ciues in regnum cœlorum aggregantur, vt cum dicit Dominus: Regnum cœlorum intra vos eſt. *Tertio* ſignificat fructũ prædicati Euangelii in cordibus piorũ, atque tunc eſt, vt Paulus Rom. 14. definit, iuſtitia, gaudium ſpiritus, & pax in conſcientiis noſtris. *Quarto* ſignificat ipſam futuram felicitatem in æterna vita poſt iudicium, vt cum Chriſtus promittit fore, vt multi ab oriente & occidente veniant & accumbant cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cœlorum. *Quinto* ipſam viſibilem Eccleſiam ſignificat in hoc mundo, in qua ſunt boni & mali permixiti vſque ad meſſem, hoc eſt, conſummationem ſeculi. In hac ſignificatione capitur regnum cœlorum in hoc præſenti Euangelio: de quo regno nunc pauca ex præſenti Parabola dicam. *Simile eſt regnum cœlorum homini, qui ſeminauit bonum ſemen in agro ſuo, &c.* Homo ſeminans eſt Chriſtus, verus Deus, & verus Homo. Ager eſt mundus: ſemen ſunt filij regni. Horum trium ſinguli plura docent.

(Margin notes: 1. Vitæ nouitas. 2. Euangelium. 3. Pax conſcientiæ. 4. Vita æterna. 5. Eccleſia.)

Chriſtus ſeminator.

Primum enim, cum Chriſtus dicitur ſeminator, hæc ſignificantur. 1. Quanta ſit Eccleſiæ dignitas, quæ autorem habet filium Dei. 2. Quòd ſapientes mundi non ſeminent Eccleſiam: id enim ſolius Chriſti eſt: qua re nec ſapientia mundi conſeruatur. 3. Quod officium Chriſti ſit ſeminare, hoc eſt, docere iuſtitiam & ſalutem æternam. 4. Quod nullus poſſit ſemen bonum fieri, id eſt, iuſtificari & innouari ad vitam æternam, ſine Chriſto ſeminatore.

Mundus ager Chriſti.

Deinde cum Chriſti ager dicatur mundus, plura nobis cogitanda offeruntur. 1. Quod non vnum aliquod regnum mundi, non Italia, non Græcia, non Iudæa, non denique vlla natio ſub ſole poſſit ſibi ſoli vendicare, quòd ſit ager Domini: nam totus mundus eſt ager ille, in quem ſuum ſemen coniicit Chriſtus ſeminator. Quare vt nulla natio, adeóque nullus homo poteſt iure conqueri, ſe de regno cœlorum excluſum eſſe: ita nullus populus poterit hanc gloriam ſibi ſoli, vt dixi, vendicare. 2. Hinc conſpicitur, quod immenſa ſit Dei miſericordia offerentis omnibus per vaſtum orbem Chriſti beneficia, hoc eſt, ſapientiam, iuſtificationem, ſanctificationem & redemptionem. 3. Cur ager dicatur, obſeruandum. Nam hîc Metaphora ſignificatur, quod cultura ſit neceſſaria. Nam vt ager hic prędicatione pœnitentiæ eſt arandus: Ita ſanguine & ſpiritu Chriſti irrigandus eſt, alioquin ſemen ſuffocatur & perit.

Euãgeliũ ſemen.

Semen eſt hîc & id quod ſeminatur, & id quod creſcit. Quid ſeminatur? Euangelium Chriſti, quod vt offert gratuitam remiſſionem peccatorum: ita iugem requirit pœnitentiam. Hoc ſemen, id eſt, Euangelium Chriſti, ager excipit fide: ſed Spiritu Sancto fouetur & conſeruatur, ne obrutum tempeſtatibus, carne, & cruce intermoriatur, & pereat. Deinde ſemen dicitur id, quod è ſemine naſcitur, nempe triticum ipſum, hoc eſt filij Dei. Eſt enim verbum Dei ſeu Euangeliũ, ſemen illud incorruptibile, quo renaſcimur in filios Dei.

Eccleſ deſcriptio.

Hæc ergo deſcriptio eſt regni cœlorum, id eſt, Eccleſiæ Dei in hoc mundo. Vnde primum docemur, quod Eccleſia non ſit opus hominis alîus, quàm filij Dei. Quare vanus eſt Papa, cum gloriatur ſe huius Eccleſiæ ſeminatorem eſſe. Deinde, quod humanis doctrinis non ædificetur Eccleſia: ſed tantùm Euãgelio Ieſu Chriſti, quod qui purum docent, cooperarij ſunt Chriſti ſeminatoris.

DE SECVNDO.

De hoſtibus regni Chriſti.

1. Hæc parabola docet, quod regnum Chriſti ſit ſuos habiturum hoſtes, quemadmodum etiam prima promiſſio habet Gen. 3. 15. Semen ſerpentis inſidiabitur ſemini mulieris. Hoc quàm verum ſit, docet Eccleſię Hiſtoria inde à promiſſione Seminis in hunc vſque diem. Vbi eſt Abel, ibi eſt etiam aliquis Cain: vbi Iſaac, ibi etiam Iſmael: vbi Iacob, ibi etiam Eſau aliquis: vbi Dauid, ibi Saul: vbi Chriſtus, ibi Iudas: vbi Paulus, ibi Nero aliquis, nec eſt quod aliud ſperemus: perpetuò enim Satanas inſidiabitur Eccleſiæ Chriſti, quam aut prorſus abolere, aut prauis doctrinis & moribus contaminare conatur.

2. Sed

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Quando veniunt. 2. Sed quando veniunt hoſtes? Cum homines dormiunt, venit inimicus homo, & ſeminat zizania. Hoc ſomno cum miniſtri verbi, tum auditores taxantur. Miniſtri verbi dormire dicuntur, cum non fideliter faciunt officium, docendo, quæ ſalutaria ſunt: monendo eos, qui ſegniores videntur: obiurgando eos, quos viderint non recta via incedere ad veritatem Euangelij: conſolando pauidas conſcientias: & confutando erronea dogmata, quę cum fundamento, hoc eſt, articulis fidei pugnant. Auditores quoque dormire dicuntur, cum vel ſegniter verbum audiunt: vel frigent & paulatim deficiunt, quemadmodum hodie videmus multos facere. Cum ita dormiunt homines, venit inimicus homo, ídque ideo, quia hoſtis Chriſti eſt, cuius regnum, hoc eſt, Eccleſiam vaſtare cupit, & ſuum regnum dilatare mendacio & homicidio.

Quid facit. 3. Quid facit inimicus homo? ſeminat in agro Domini. Quid? 1. Falſam & hæreticam doctrinam pugnantem cum articulis fidei: Idque cœpit in Paradiſo & deinceps omnibus ætatibus. Vbicunque enim vera & ſincera Euãgelij doctrina prędicatur ibi quoque hic inimicus adeſt, vt fontes ſaluatoris veneno inficiat, ne homines ex fontibus puris ſaluatoris ſalutem hauriant. 2. Seminat verbi contemptũ in multis. Ex his ſeminib. naſcuntur zizania, id eſt, filij nequam, vt ſunt 1. Hypocritæ. 2. Sophiſtæ. 3. Tyranni. 4. Blaſphemi. 5. Scelerati: atque hi omnes coniunctis copiis, Eccleſiam, hoc eſt, puſillum illum Chriſti gregem oppugnant.

Quomodo abeũt. 4. Sed quid eſt quod dicit, inimicum hominem iacto zizaniorum ſemine in agro Domini abire? an Diabolus ab Hypocritis, Sophiſtis, Tyrannis diſcedit? Nullo pacto: ſed ideo abire dicitur: quia aliam perſonam induit: non vult videri hoſtis: ſed ſpiritus Dei, & angelus lucis: quemadmodum in Anabaptiſtis videre eſt, qui iactant quidem ſpiritum
Doctrina. Dei & arcanas reuelationes, cum tamen meris Satanæ præſtigiis fallantur.

Atque ita hic ſecundus locus primum docet, quod Eccleſia habeat ſuos hoſtes etiam in medio agro, hoc eſt, in externa ſocietate Eccleſiæ. 2. Monet ne aſſentiamur hoſtibus. 3. Diſcamus hoſtes à veris ciuibus Eccleſiæ diſcernere. 4. Monet ne nos exemplo multorum aut deficiamus ab Eccleſia prorſus, aut offendamur calamitate Eccleſiæ, quæ in hac vita hoſtium iniuriis expoſita eſt.

DE TERTIO.

Oratio diſcipulorũ Chriſti cõtra hoſtes. Serui patremfamiliâs accedunt & dicunt: *Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agrum tuum?* per hunc acceſſum ſeruorum ad patremfamiliâs, ſignificatur oratio piorum pro Eccleſia contra ſectas & ſcandala in Eccleſia. Pij enim vt perpetuo precantur bona & ſalutaria Eccleſiæ, ita deprecantur mala & nociua, id quod in Pſalmis Dauidicis paſſim videre licet. Pſalm. 122. 6. Rogate, inquit, quæ ad pacem ſunt Ieruſalem: ita proſperentur diligentes te. Contrà, hoſtes confundantur, ait, & pereant, qui volunt mihi malum. Pſalm. 70. 3. Item Pſalm. 7. 17. Conuertatur labor eius in caput eius, atque in verticem eius iniquitas ipſius deſcendat.

Conciliatio locorũ. Sed quomodo ſtare hoc poteſt cum Chriſti præcepto, qui iubet, vt oremus pro maledicentibus nobis, & iniuriam nobis facientibus? Oratio Eccleſiæ contra hoſtes habet ſemper annexam conditionem pœnitentiæ & conuerſionis: Eſt enim ſenſus, vt aut conuertãtur per pœnitentiam, aut confundantur & pereant, ne perpetuo blaſphemias in Deum crepẽt, & ſanctis Dei ſint moleſti. Orandum eſt ergo pro hoſtibus vt conuertantur, quod ſi nõn conuertantur, orandum eſt contra eos, vt cõfundantur, fruſtrati ſuis conſiliis, quibus ſtruunt Eccleſiæ Chriſti inſidias.

Vis ne, inquiunt famuli, vt eamus & eradicemus ea? quibus ait, non: ſed ſinite vtraque creſcere, ne fortè colligentes zizania, eradicetis ſimul & triticum. Orationis ſeu petitionis expoſitio. Primum hic ſciendum eſt, quod Chriſtus neque de paſtorum, neque magiſtratuum officio diſſerat, ſed tantum offendiculum tollit, quo turbantur infirmi, dum vident in Eccleſia multos eſſe impuros. Paſtoribus enim commiſſus eſt gladius ſpiritualis, quo ſeparant impuros ab Eccleſia, dum eos excommunicant, quo pudore offuſi tandem reſipiſcant, & boni eorum contagione non coinquinẽtur. Magiſtratui eſt etiam gladius commiſſus, ſed ſecularis, vt vocant, quo turbatores humanæ ſocietatis punit & eiicit. Quanquam autem paſtores & magiſtratus vel maxime ſedulò fecerint officium, tamen ita nunquam purgabunt Eccleſiam quin aliquæ feces impuræ doctrinæ & prauæ vitæ remaneant, quod cum videmus, non debemus offendi: ſed admoniti hac parabola, purgare quantum poſſumus, reliqua Deo committentes. Non enim Chriſtus hoc dicto indulget alendis ſordibus in Eccleſia: ſed tantum fideles ſuos hortatur, ne animo deficiant, cum malos ſecum ferre cogantur. Ex hoc ergo loco colligamus. 1. Quanta ſit miſericordia Dei, qui tam patienter malos in Eccleſia fert, vt agant pœnitentiam. Doctrina. 2. Quòd his conſolemur nos contra ſcandalum paucitatis obedientiũ Euangelio. 3. Quod confutentur Anabaptiſtæ, qui negant illum cœtum Eccleſiam eſſe, in quo ſunt multi ſcelerati.

DE QVARTO.

Et in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primum zizania, & colligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum verò congregate in horreum meum. De ſeparatione & ſupplicijs impiorũ: item de piorũ felicitate. Hîc concionatur de ſeparatione piorum ab impiis, quæ eſt futura in conſummatione ſeculi. Deinde prædicit fore, vt impij puniantur: Pij verò aggregentur in regnum Dei. Quemadmodum enim zizania colliguntur & igni mandantur: triticum verò colligitur & in horreum ſeruandum reponitur: ita in fine ſeculi futurum eſt, vt impij tradantur æternis pœnis cruciandi, pij verò liberentur & donentur ęternæ vitæ poſſeſſione. Hoc ſine parabola Chriſtus Matth. 25. ita exprimit in ſententia extremi iudicij, vbi impiis dicturus eſt: Ite vos maledicti in ignem æternum. Piis verò: Venite benedicti Patris mei, & poſſidete regnum vobis paratum ab initió. Pœna impiorum. In ſumma, Impiis lata duplex pœna nominatur maledictio, & ignis æternus, quia enim contempſerunt beneficium Chriſti gratuitò ſibi oblatum, maledictioni omnium creaturarum ſubiicientur, quę pœna quã ſit horrenda, nulla lingua explicare poteſt. Deinde duplici punientur igni, nempe malæ conſcientiæ, cuius ingens cruciatus nunquam finietur: & igne corpus vrente & non conſumente: nam æternis pœnis corpus deſtinatum, perpetuum ignem ſentiet. Si hæc ſeriò cogitaremus, non ita frigidi eſſemus in rebus ſalutis noſtræ.

Piorum pręmium. In ſententia piorum duplex proponitur præmium, nempe benedictio paterna, & regni Dei hæreditas: illa opponitur maledictioni, hæc æternis pœnis. Duplex ergo argumentum hinc ſumamus. Vnum à pœnis impiorum. Alterum à præmiis iuſtorum, vtrunque efficax eſt (modo rite cogitetur) ad operandum in nobis timorem Dei & veram perpetuámque pœnitentiam.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Scopus parabolæ.

Hoc ergo pacto tota hæc parabola hunc habet ſcopum, vt relinquat impius vitam ſuam qua peccat, relinquat iniquus cogitationem ſuam, qua de remiſſione peccatorum deſperat, & ſecundum Prophetæ dictum, conuertatur ad Dominum, quia multus eſt ad ignoſcendum. In hoc *multo* nihil deeſt, ſed eſt in eo omnipotens miſericordia & miſericors omnipotentia, cui gloria in ſecula, Amen.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ, Euangelium, Matth. 20.

Simile eſt regnum cœlorum homini patrifamiliâs, qui exiit primo ſtatim diluculo ad conducendos operarios in vineam ſuam. Conuentione autem facta cum operariis in ſingulos dies denario, miſit eos in vineam ſuã. & egreſſus circiter horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro ocioſos, & illis dixit: Ite & vos in vineam meam, & quodcũque iuſtum fuerit dabo vobis. Illi autem abierunt. Rurſum autem exiit circiter ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter. Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios ſtantes ocioſos, ac dixit illis. Cur hîc ſtatis totum diem ocioſi? Dicunt ei: quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Abite & vos in vineam meam, & quicquid fuerit iuſtum, accipietis. Cum autem veſpera facta eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à poſtremis vſque ad primos. Et cum veniſſent, qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſinguli denarium. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt, quod plus eſſent accepturi, & acceperunt ipſi quoque ſinguli denarium. Et cum accepiſſent, murmurabant aduerſus patremfamilias, dicentes: Hi nouiſſimi vnam horam fuerunt in opere, & illos pares nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtum. At ille reſpondens, dixit: Amice non facio tibi iniuriam. Nónne denario pactus es mecum? Tolle quod tuum eſt, & abi. Volo autem huic nouiſſimo dare ſicut & tibi. An non licet mihi facere quod volo in rebus meis? An oculus tuus malus eſt, quod ego bonus ſim? Sic nouiſſimi erunt primi, & primi nouiſſimi. Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi.

ENARRATIO TEXTVS.

Parabolæ ſumma & ſenſus.

Hæc parabola imaginem Eccleſiæ nobis ob oculos ponit. Nam in ea oſtenditur, quomodo in Eccleſia, quæ vineæ confertur, agitur. Quemadmodum enim operarij ſe habent ad vineam: ſic ſe habent homines ad Eccleſiam. Operarij autem in vineam, alij maturius, alij ſerius vocantur: alij multũ diúq; : alij parum breuíque laborant tempore: ſic hominum alij citius, alij tardius prædicatione Euangelij Eccleſiæ aggregantur: alij minus, alij magis laborant. Præterea, vt paterfamiliâs aliis ex conducto dat mercedem diurnam, aliis ex gratia tantundem: ad eundem modum cœleſtis Pater æquè in omnes munificus eſt, qui in Eccleſia ſua laborant. Deinde vt paterfamiliâs ſuperbos & contumaces abire iubet, & eos, qui ipſius liberalitatem boni conſulunt, fouet: Ita Deus Pater, eos qui quærunt mercedem operum, reiicit, cum eos, qui ex gratuita ipſius beneuolentia pendent, æterna donat vita. Atque ita ſenſus huius Euangelij eſt, quod nemo debeat ſuis operibus vel fidere, ſi ſunt multa: vel deſperare, ſi ſunt nulla: ſed tantum ex bonitate Dei pendeat, ambulans in timore Domini. Porrò loci tres conſtitui poſſunt.

Partes.

1. *Quod quilibet Chriſtianus conductus ſit in vineam Domini, vt laboret.*
2. *Generalis doctrina de bonis operibus & mercedibus bonorum operum.*
3. *De dicto Chriſti*: Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi: Multi sũt vocati, pauci vero electi.

DE PRIMO.

Eccl. Dei cur vineæ aſſimilatur.

Eccleſia Dei ſæpe in ſcripturis vinea Domini dicitur: ídque primum, quia Dominus eam elegit, & dignatus eſt fœdere gratiæ & æternæ ſalutis, innumeríſque beneficiis proſecutus eſt, plantauit & coluit. Tota Eccleſia vinea eſt: ſinguli autem Chriſtiani palmites ſunt, qui & alia ratione operarij dicuntur. 2. Hæc appellatio oſtendit, quanti Dominus ſuam Eccleſiam æſtimet: nulla enim poſſeſſio vinea precioſior eſt. Nam nulla plus operæ & aſſidui laboris flagitat. 3. Cum Eccleſiam vineam ſuam appellat Dominus, ſuam curam & ſolicitudinem erga nos commendat. 4. Significat hæc appellatio nos aſſiduo cultu & continua cura indigere, & manum à Domino adhiberi oportere, ſi veros & fructuoſos palmites habere velit. 5. Quod qui in Eccleſiam recepti ſunt, debeant fructum bonum producere. Vt enim non labruſcas, ſed vuas vini palmites producunt: ita Chriſtiani non carnis, ſed ſpiritus opera facient.

Quomodo quilibet Chriſtianus in vinea Domini laborare debeat.

Iam quomodo quilibet Chriſtianus in vinea Domini laborare debeat ſpectandum eſt. Vt enim in vinea varia ſunt officia: alius enim plantat, alius rigat, alius putat, alius alligat, alius pedamenta ponit, alius fodit, alius terram ſtercorat: Ita in Eccleſia diuerſæ vocationes & officia, pro quorum varietate in Eccleſia laborandum eſt. Dominus ordinat ſingulis labores ſuos pro ſua voluntate, vni dat falcem, alij ligonem, alij cultrum ſiue ſecurim: Ita alius concionator eſt, alius magiſtratus, alius paterfamiliâs, alius in ſchola Doctor, alius diſcipulus, alius artifex, &c.

Verùm hic quilibet in ſuo labore tria ſpectabit. 1. An ſuus labor ſit vtilis in vinea & mandatus à patrefamiliâs. 2. Quid vitãdum ſit inter laborandum. 3. Quid quomodóque faciendum.

1. Vidẽdũ an labor ſit vtilis & mandatus à Deo.

An labor tuus ſit vtilis & mandatus à patrefamiliâs, ſcias ex duobus, præcepto nimirum & vocatione. Præceptum habet: Omnis labor qui ad hanc vineam plantandam, rigàndam, fouendam, conſeruandam facit, hoc eſt, labor qui gloriæ Dei, ædificationi Eccleſiæ & hoſpitiis Eccleſiæ, id eſt, politiis & Oeconomiis deſeruit, diuinitus præceptus eſt in prima tabula, & in quarto præcepto. Deinde non ſufficit laborem præceptum eſſe, niſi legitima ſit vocatio facta ad laborandum. Qui enim ſibi ſumit laborem in vinea ſine vocatione, temerarius eſt, & nullum fructum edit.

2. Quid vitandum.

Inter laborandum vitare oportet. 1. Ne ſuperbias, ſi plus quam alius, aut etiã melius tibi laborare videaris. 2. Ne ſpectes mercedem operæ præſtitæ: ſed præceptum patrisfamiliâs, qui vt labores in vinea te collocauit. 3. Ne minus laborantes contemnas. 4. Ne murmures contra patremfamiliâs, ſi liberalis videtur in eos, qui te minus laboraſſe vidẽtur.

3. Quid ſpectandum.

Quid inter laborandum ſpectandum & aſſidue cogitandum? Primum vnumquemque cogitare oportet, ſe non ad ocium, ſed ad laborem introductum eſſe in vineam Domini. Nullus enim in vinea Domini relictus eſt locus ſegniciei aut torpori: nullus ſine patrisfamiliâs offenſione, quod ſibi iniunctum eſt, in aliũ reiicere poteſt. Quare ſtrenuè laboret, qui in hanc vineam introductus eſt, ſine fraude. Nam maledictus eſt, qui facit opus Domini fraudulenter. 2. Inter laborandum cogitet ſe ſtare in conſpectu Domini, qui non ſolùm videt externas a-

nas a-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nas actiones, ſed etiam ſecreta cordium, & ex cordis affectu opus æſtimat, potius quam ex operis effectu. 3. Hæc Domini inſpectio ad ſolicitè agendum, laborantem ſolicitabit, vt alacri animo æſtum & pondus diei ferat. 4. Sola bonitas patriſfamiliâs Dei præcipientis laborem ſpectanda eſt: ſola inuitabit ad ſtrenue præſtandum officium, 5. Vbi omnia feceris, dices te inutilem ſeruum eſſe. Nam ſi vel ſuperbias, quod prior veneris in vineam Domini, vel contemnas alios, qui te minus laboraſſe videantur, vel murmures contra patremfamiliâs, qui æquè liberalis eſt in alios atque in te, audies: *Amice, non facio tibi iniuriam, nónne denario pactus es mecum? tolle quod tuum eſt, & abi. An non licet quod volo facere in meis? An oculus tuus malus eſt, quod ego bonus ſum?* Tria hîc taxantur in murmuratione. 1. Quod confidat dignitati ſui laboris. 2. Quod liberalitatem in patrefamiliâs non admiretur & prædicet, ſed culpet potius. 3. Quod inuideat aliis liberalis patrisfamiliâs benignitatem. Tales ſunt omnes, qui iuſtitiam ex operibus ſectantur vacui fide.

DE SECVNDO.

Partes doctrinæ de bonis operibus.

Vt doctrinam de bonis operibus diſtinctius intelligamus, tria ſunt nobis perpendenda. *Primùm*, quæ requirantur ad boni operis rationem. *Deinde*, quæ ſint cauſſæ bonorum operum. *Tertio*, Cur Deus adeo multas & præclaras promiſſiones adiecerit bonis operibus, cur ea mercede dignetur.

I Quæ requirantur ad boni operis rationem.

Quantum ad primum attinet, quicunque requiruntur, vt aliquod opus ab homine factum merito bonum dici poſſit. 1. Præceptum. 2. Spiritus Chriſti. 3. Fides. 4. Finis verus. 5. Gratia qua boni conſulitur defectus.

Præceptū.

1. Quòd autem ad boni operis rationem requiratur *præceptum*, manifeſtum eſt ex his quatuor: ex conditione noſtra, ex mandato, ex prohibitione, ex cultus diuini ratione. *Noſtra conditio* eſt, quod ſimus ſerui Dei, & is Dominus Deus noſter. quare vt ipſius eſt præcipere nobis facienda: ita noſtrum eſt ipſius voluntatem ſequi, tanquam regulam certiſſimam officij noſtri. Iam docet *mandatum* Ezech. 20.19. In præceptis meis ambulate, & iudicia mea cuſtodite; & facite ea. Iſa. 48.17. Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, ambulare te faciens in via qua ambulas. Ezech. 33.7. Speculatorem dedi te domui Iſraël, audies ex ore meo ſermonem, & annunciabis eis ex me. *Prohibitio* eſt manifeſta Deut. 12.8. Non facietis ſinguli quod ſibi rectum videtur. Ezech. 20.18. In præceptis patrum veſtrorum nolite incedere. *Cultus Dei ratio* requirit; vt opus plus placeat, ſit præceptum. Vnde Dominus pronunciat Matth. 15.8. ſe fruſtra coli mandatis & doctrinis hominum. Et Eſaiæ 29.13. Vnum ex flagitiis nominatur, propter quæ mala minatur populo ſuo Dominus, quod coluerint ipſum mandatis hominum. Quare Paulus omnem ἐθελοθρησκείαν manifeſtè damnat. Coloſſ. 2.18. &c.

Hinc ergo patet, quod ad boni operis rationem requiratur præceptum Dei. Sit ergo verbum Domini lucerna noſtra, qua nobis præluceat in omnibus noſtris actionibus.

Spiritus Chriſti.

2. Requiruntur ad boni operis rationem *Spiritus Chriſti*. Quicunque enim ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei. Spiritus carnis commaculat opus adeò vt qui in carne ſunt, Deo placere non poſſint. Opus eſt ergo ſpiritu regenerante nos in nouos homines, ſine quo nec nos, nec opera noſtra placent.

Fides.

3. Requiritur *Fides*. Fide enim perſona reconciliatur Deo & fit iuſta: propter fidem ergo placent quoque opera. Nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Quicquid enim non fit ex fide, peccatū eſt.

Finis verus.

4. Requiritur *Finis verus* ad operis bonitatem, quemadmodum hæc verba Auguſtini teſtantur: Noueris (inquit) non officiis, ſed finibus à viciis diſcernendas eſſe virtutes: officium autem eſt, quod faciendum eſt: finis verò propter quod faciendum eſt. Cum itaque facit aliquid homo, vbi peccare nō videtur, ſi non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare conuincitur: eſſe autem finem vltimum omnium actionum noſtrarum gloriam Dei decet, cui multi alij ſæpe ſubordinantur.

Gratia Dei.

5. Ad boni operis rationem requiritur *gratia*, qua boni conſulitur defectus. Nam tametſi fide iuſtificatus non ſatisfacit legi Dei, imò ſentit multas maculas in omnibus ſuis operibus: tamen ipſius opera verè placent Deo, & quod eſt in illis vicium tegit gratia.

II. Quæ ſint cauſæ bonorum operum.

Iſta ergo quinque requiruntur ad boni operis rationem, ſine quibus opus nequaquam coram Deo bonum dici poteſt: nunc quod ſecundo loco promiſi, cauſſas recitabo, quæ nos ad bene agendum promouebunt, & ſunt in vniuerſum tres, Neceſſitas, Dignitas, Præmium.

1. Neceſſitas quintuplex.

Neceſſitas quintuplex eſt: mandati, debiti, fidei retinendæ, vitationis pœnarum, & conuerſionis.

1. Eſt *mandatum* Dei, cui omnes creaturæ rationales obedire debent. Et Paulus ait, Hæc eſt voluntás Dei, ſanctificatio veſtra. 1. Theſ. 4.3.

2. *Debitum*, de quo Rom. 8.12. Debitores ſumus Dei, non carnis: non enim ſumus noſtri iuris, ſed eius qui redemit nos ſuo precioſo ſanguine.

3. *Fides*, quæ retineri nequit, vbi peccatis contrà conſcientiam indulgemus. Vnde Paulus, 1. Tim. 5.8. Si quis ſuorum & maxime domeſticorum curám non habet, fidem abnegauit & infideli deterior eſt. Milita militiam honeſtam, habens fidem & bonam conſcientiam. 1. Tim. 1.19.20.

4. *Vitatio pœnarum*. Propter iniquitates, inquit Dauid, corripis filios hominum. 90.7.8.

5. *Conuerſio*. Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris: ſed vt conuertatur & viuat. Cum enim fit conuerſio, homo viuificatur & regeneratur in nouum hominem, vt iam ſpiritu facta carnis mortificet. Rom. 8.13.

2. Dignitas.

Secunda cauſſa bonorum operum eſt *dignitas*. Nam iuſtificati ſunt Filij Dei: ſunt templum Dei ſanctum: ſunt reges & ſacerdotes, vncti à Spiritu Sancto, qui induti iuſtitiam, Deum mente, voce, confeſſione & moribus, prædicare debent.

3. Præmiū.

Tertia cauſſa eſt, *præmium*, hoc eſt, compenſatio patientiæ, & obedientiæ credentium erga Deum. Nam Deus promittit præmium, quod nos ex fide expectare debemus, non nitentes operibus à nobis præſtitis: ſed promiſſionibus gratuitis. Ita Moſes Hebr. 11.26. legitur reſpexiſſe ad remunerationem. Cum ergo Deus promittit remunerationem duo faciemus. Primùm noſtri operis Indignitatem & imperfectionem agnoſcamus. Deinde Deum promittentem in ſuis promiſſis veracem ſtatuamus, freti promittentis bonitate, non operis dignitate.

Perpendendum tertio loco propoſui, cur Deus adiecerit promiſſiones bonis operibus, & cur ea mercede dignetur. Huius rei cauſſæ potiſſimum ſunt quinque.

III. Cur Deus adiecit promiſſionē bonis operibus.

Prima, vt ſint teſtimonia prouidentiæ Dei. Vult enim ſciri Deus & bona corporalia res eſſe ab ipſo creatas, & non caſu ſpargi, ſed ab ipſo Eccleſiæ dari & conſeruari, iuxta dictum: Eſurientes impleuit

bonis,& diuites dimiſit inanes.Luc.1.53.

Secunda,vt ſint teſtimonia, quod velit Deus etiam in hac vita ſeruare Eccleſiam : vnde 1. Tim. 4. 8. Pietas habet promiſsiones præſentis vitæ & futuræ.

Tertia, quia Deus vult & neceſſitatem corporalem eſſe commonefactionem de fide,inuocatione, ſpe,gratiarum actione,& vult hæc bona fide peti,& expectari per patientiam.

Quarta.vt ſint commonefactiones de promiſſione gratiæ.Beneficia enim corporalia fidelibus ſunt gratiæ obſignatio.

Quinta,quia Deus vult vtrumque fieri : & Eccleſiam eſſe ſubiectam cruci, & inter ipſa pericula ſeruari in hac vita. Vtrumque Eſaiæ 37. 20. indicatur: Domine Deus noſter ſalua nos de manu Zenacherib,vt cognoſcant omnia regna terræ , quod tu ſolus ſis Dominus.

DE PRIMO.

Sententię Chriſti. Sententia,qua hanc parabolam claudit Dominus, diligenter obſeruanda eſt:*Sic nouiſſimi erunt primi,& primi nouiſſimi.* Quare? *Multi enim ſunt vocati,pauci verò electi.*

Propoſitio. Huius ſententiæ propoſitio, quæ eſt parodoxon rationi,vt erigit puſillanimes agnoſcentes ſuam infirmitatem:ita Hypocritas ſuperbos,tumentes opinione iuſticiæ & ſanctitatis,deiicit,& veluti diuino quodam fulmine proſternit. Sed qui ſunt primi? qui nouiſſimi? Primi apud ſeipſos ſua opinione & operum ſuorum æſtimatione,erunt nouiſſimi apud Deum,id eſt,nullius precij,imò homines ſententia Dei damnati.

Nouiſsimi apud ſeipſos ſunt , qui ſeriò agnoſcunt ſuam vilitatem & infirmitatem , vt qui nihi ſentiant ſe habere meriti,hi erunt primi apud Deũ, hoc eſt,Deo accepti , modo firma fide in Chriſtum mediatorem recumbant.

Ratio. Ratio ſententiæ huius , *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, duo docet. Vnum,quanta ſit bonitas & miſericordia Dei vocantis omnes ad agnitionem ſui filij per Euangelium. Alterum,quanta ſit ingratitudo hominum , è quibus adeo pauci inueniuntur , qui ſunt electi, hoc eſt, ſinceri, pij, & agentes pœnitentiam ſeriam : ſunt pauci, qui ſuis operibus, adeóque ſibi totis renunciant , & ſoli Deo fidunt, cum mente , voce , confeſsione & moribus glori-

Doctrina. ficantes. Hæc ergo ſententia nos primum monet, vt agnoſcamus beneficium Dei , qui nos vocat per Euangelium. Secundò , vt deteſtemur ingratitudinem mundi , non acceptantis oblata beneficia. Tertiò , vt iungamus nos pœnitentia , fide & vera inuocatione illis paucis , qui ſincere Euangelium recipiunt in gloriam Dei,cui honor in ſecula, Amen.

DOMINICA SEXAGEſimæ, Euangelium Luc. 8.

CVm autem turba plurima conueniret , & è ſingulis ciuitatibus properarent ad eum , dixit per ſimilitudinem : Exiit qui ſementem faciebat , ad ſeminandum ſemen ſuum. Et inter ſeminandum aliud cecidit circa viam, & conculcatum eſt, & volucres cœli comedũt illud. Et aliud cecidit ſuper petram, & enatum aruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul enatæ ſpinæ ſuffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terrã bonam, & enatum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: Qui habet aures ad audiendum, audiat. Interrogabant autem eum diſcipuli eius, dicentes: Quæ eſſet iſta parabola? At ille dixit : Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei , cæteris autem per parabolas , vt videntes non videant , & audientes non intelligant. Eſt autem hæc parabola : Semen eſt ſermo Dei. Qui autem iuxta viam, hi ſunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit ſermonem de corde eorum, ne credentes ſeruentur. Nam qui ſupra petram, ſunt ij, qui cum audierũt, cum gaudio ſuſcipiunt ſermonem , & hi radices non habent, qui ad tempus credunt , & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audierunt, & ſolicitudinibus & diuitiis ac voluptatibus vitæ euntes , ſuffocantur , nec referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi ſunt , qui in corde honeſto ac bono audientes ſermonem retinent, & fructum adferunt per patientiam.

ENARRATIO TEXTVS.

Summa parabolæ. HOc Euangelium continet pulchram imaginem Eccleſiæ militantis in hoc mundo, & naſcentis ex incorruptibili ſemine verbo Dei, in cuius viſibili cœtu quales , & quàm multiplices ſint auditores, ſeminis naturalis ſimilitudine depingit. Idem enim euenire ſemini cœleſti teſtatur, quod ſemini naturali, iacto in terram , accidere ſolet. Nam vt non omne fert fructum , quod ab agricola in terram iacitur : ſed vix quarta pars : ita verbum Dei habet varios auditores , in quorum pauciſſimis ſalutarem producit fructum. Loci tres ſunt.

Partes.

1. *Parabolæ explicatio.*
2. *Genera auditorum verbi Dei.*
3. *De dicto Domini:* Qui habet aures ad audiendum, audiat.

DE PRIMO.

Cur Dominus parabolice locut' ſit. Cauſſę cur Dominus in parabolis locutus ſit turbis plures ſunt. 1. Prima eſſe poteſt prædictio Prophetarum. Prophetæ etenim prædixerunt fore , vt Chriſtus adueniens in parabolis eſſet docturus. Fuit autem antiquiſsima docendi ratio parabolis & ſymbolis docere. 2. Quia hoc genus docendi mirifice in oculos , & animos hominum incurrit. 3. Quia quæ huiuſmodi imaginibus & ſymbolis traduntur , memoriam iuuant , vt doctrina per iſta , veluti ſymbola , ad poſteritatem omnem tranſmittatur. 4. Parabolæ quoque duriores obiurgationes molliunt, & velo quodam tegunt , vt minus offendant : poſtea autem animo perceptæ & intellectæ erudiunt, & idem quod perſpicua doctrina efficiunt , & interim neminem traducunt.

Huius parabolę partes. Porrò partes huius parabolæ ſunt:Seminator,Semen,Fructus,Terra.

1. Seminator, Deus. *Seminator* Deus eſt , qui tametſi per homines ſemen in terram mittit:tamen ipſe vnà adeſt & operatur : quare miniſtri verbi coadiutores Dei dicuntur : quo nomine ſignificatur vtrunque , ſcilicet, quòd & Deus ſuo modo operatur , & homines cooperatores ſuã operam Deo collocant. Hîc duo diſcamus. Primum eſſe precioſum & nobile ſemen: videmus enim in mundo quò pręclarius fuit ſemen eò prudentiores & peritiores adhiberi , qui ſemen in terram iaciunt , Si reges mundi dicerentur adhibitis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

adhibitis ſapientibus mundi,hoc ſemen in terrã mittere, omnes admirarentur: omnes ſingulari cura cuperent hoc ſemen cognoſcere: ſed hîc iam adeſt ſeminator Deus,adſunt Oeconomi myſteriorum Dei: quare neceſſe eſt,& ſeriam & nobilem imprimis hãc eſſe ſationẽ. Alterũ,quod hinc diſcamus eſt,magnum flagitium eſſe grauiſſimiſque pœnis plectendum:vel huius ſeminatoris Dei ſemen in terram, ideſt,in cor prius aratro legis præparatum,non recipere: vel receptũ nõ maximo cultu,ſolicitudine,ac diligentia fouere vt creſcat,quò ſeminatori grauiſſimũ ferat fructũ

2 Semen verbum Dei.

Semen eſt ipſum verbum Dei,non hominis,quod ſemẽ Filius Dei vnigenitus attulit è ſinu Patris, hoc ſemen viuum eſt,quare ſi fructum aliquãdo nõ proferre videtur,non ſeminis,ſed terræ culpa eſt. Hoc ſemen qui vel viciant,vt hæretici faciunt:vel ſuffocãt, vt hypocritæ,vel vi opprimunt, vt tyranni:vel adulterium ſubſtituunt,vt Papiſtæ: ſentient olim iuſti Dei irã,qui vt ſemen purũ dedit, ita idẽ purũ & minime viciatũ vult ſeruari,quod apud ſuã Eccleſiã depoſuit in theſauris Prophetarũ & Apoſtolorũ recõditum.

3 Fructus, pœnitentia,fides & bona opera.

Fructus quem hoc ſemen producit,ſeminis,vt decet,naturam imitatur, poſtquam excreuit. Primum enim ex eo in terram iacto,naſcitur pœnitentia,hoc eſt,vitæ prioris ſceleratæ mutatio. quemadmodum enim nobile aliquod ſemen,terræ viſceribus concẽptum, ſua virtute ſuffocat vrticas, quæ prius terrã occupârunt:ita hoc ſemen herbas malas, quas in corde hominis ſeminauit Diabolus,hoc eſt, peccata ſuffocat vera contritione, vt non amplius vt antea fructũ ferant lethalem ad damnationem. Deinde hoc ſemẽ vnà cum ſalutari pœnitentia producit fidem, cuius fructus eſt Deo gratiſſimus: ex hac fide tanquam è ſpica proueniunt ſemina:hoc eſt filij Dei,iuxta illud, Qui credunt,dedit hanc dignitatem, vt filij Dei fierent. Ioan.1.12. Hi,vt inquit Petrus in 1.cap.1.renati ſunt, non ex corruptibili ſemine, ſed incorruptibili, per ſermonẽ viuentis Dei & manẽtẽ in æternũ. Filij Dei ita ex ſemine incorruptibili Dei nati, proferunt ſuum fructum, nempe bona opera & patientiã,quibus vſque ad meſſem ager Domini fœcundus floret.

4 Terra, i. auditores verbi.

Terra,quæ ſemen iſtud excipit, eſt quicunque in Eccleſia viſibili receptus,ſe Dei cultorem profitetur, verbum Dei agnoſcit & auribus audit. Natura, omnes ſumus maledicti. Per Chriſti Euãgeliũ vocamur, vt reddamur terra Deo placens,ſemen vitæ excipiẽs, & fructus edens. At Soli in Chriſtum credentes & ſpiritu adoptionis donati hos fructus proferunt.

DE SECVNDO.

Genera auditorũ verbi Dei.

Ex ſeminis conditione iacti in terram,genera auditorum verbi Dei quatuor colligere eſt. Semẽ enim iactum in terram, aut non concipitur terræ viſceribus,aut concipitur cum fructu, ſed mox flacceſcente & pereunte, aut concipitur cum fructu durante vſque ad meſſem,atque hæc varietas ex conditione terrę prouenit,nam ſi in viam cadit ſemen,non agit radicem,ſed aut conculcatur pedibus,aut à volucribus deuoratur. Si in petricoſa loca cadit,quia in altum radices non mittit,enatum mox perit:ſi inter ſpinas cadit,à ſpinis ſuffocatum moritur ſine vtilitate. Si in terrã bonã iactum fuerit,fructũ fert,eumque cõpioſũ. Hinc eſſe quatuor auditorũ genera,manifeſte Dominus concludit,de quibus nunc ordine dicendũ eſt.

1 Improbi & peccato gaudẽtes.

Primum Auditorum genus hoc modo parabola ſignificatur: *Aliud cecidit ſuper viam,& conculcatũ eſt.* Parabola à Domino ita explicatur. *Qui ſecus viam,hi ſunt,qui audiunt,deinde venit* Diabolus, *& tollit verbum de corde eorum,ne credentes ſalui fiant.* In hac explicationę multa concurrunt diligenter perpendenda. 1. Quæ cauſſa ſit,quòd non ferat fructum, nimirũ quia terra dura & ſicça eſt,hoc eſt,corda audientium ſunt ſaxea & dura,adeo vt verbo non cedant. Dureſcunt autem corda peccãdi conſuetudine,impunitatis ſpe, cogitationibus Epicureis,exemplis peccantium infinitis,& Diaboli dolis. Quòd autem Dominus ait,ſermonem ſeminari in cordibus eorum,perinde eſt, ac ſi dicat, vicio hominum & prauitate fieri, quod de corde auditorum eripiatur. Deo proinde iniuriam faciunt, qui illi ſuam damnationem aſſcribunt. Ille enim in omnes miſericors:is ſemẽ mittit in terram, hoc eſt,mittit qui Euangelium doceant: ſed hominũ culpa euenit,quod ſine fructu conculcetur. 2. Diligẽter obſeruandum eſt, quod Diabolus dicatur venire & tollere ſermonem de corde:vnde colligimus,hunc ſalutis noſtræ hoſtem,vt ſationis tempore ſolent famelicę aues,ſimul ac prodit in medium doctrina,inſtare & irrumpere ad eam rapiendam,priuſquam humore cõcepto germinet: hoc Satanæ perpetuum ſtudium eſſe,hiſtoria omnium temporum docet,ac Petrus teſtatur,cum ait: eum tanquam Leonem rugiẽtem quærere quem deuoret. Sicuti enim primis noſtris parentibus aduerſatus eſt:idque per verbi diuini ablationem de corde ipſorum:ita hodie ſimili ſtudio incumbit: vt verbum prædicatũ infructuoſum apud auditores maneat. 3. Eſt obſeruandum,quod Euangelium ſit ſalutis prædicatio. Nam cũ dicit, Diabolum tollere verbum de cordibus auditorum,ne ſalui fiãt, ſatis indicat,verbum Dei noſtrę ſaluti deſtinatũ eſſe. 4. Obſeruanda eſt hic magna fidei laus, dum noſtræ ſalutis cauſſa aperta voce Chriſti hic vocatur,vt credẽtes,inquit,ſalui fiant. Quemadmodum enim ſalus miniſterio Euangelij hominibus offertur. Ita ſola fide recipitur oblata ſalus & retinetur. Vnde Apoſtolus,Rom.1.16. Euangelium eſt potentia Dei in ſalutem omni credenti. 5. Vt magna noſtra ingratitudo taxatur,qui ſalutem oblatam per verbum contemnimus:Ita execrandus eſt eorum error,qui verbo vocali ſuam virtutem adimere conantur,qui ſanè Diaboli organa ſunt ad impediendam hominum ſalutem.

2 Timidi, crucem Chriſti fugiẽtes.

Secundum auditorum genus hac parabola notatur. *Aliud cecidit ſuper petram,& enatum exaruit; quia non habuit humorem.* Parabola à Domino explicatur his verbis. *Nam qui ſuper petram,hi ſunt,qui cum audierint ſuſcipiunt cum gaudio ſermonem: hi tamen radices non habent,qui ad tempus credunt, & tempore tentationis recedunt.* dum crux non premit & perſecutio,non infimũ locum in Eccleſia habent:verùm vbi perſecutio oritur propter Euangelium, ſuccumbunt, & in ipſis fides emoritur ſine fructu:huius generis auditores ſũt, proh dolor! plurimi. Cum primum in hoc regno repurgata doctrina Euangelij eſſet,plurimi viſi ſunt Euangelium ſerio complecti: ſed cum viderent amicos offendi:cum animaduerterent non parum ſuæ autoritati apud Papiſtas decedere,& iam preſſius eos crux tangeret, obliti dulcedinis Euãgelij,quod cum gaudio prius ſuſceperant,ab eo turpiter cum ignominia ſumma & animarum ſuarum horrendo interitu diſcedunt miſeri, quibus ſatius fuiſſet nunquam bonũ Euangelij guſtaſſe, quàm vt cum tanta ignominia gratia & ſalute rurſus exciderent.

3. Filij huius ſeculi.

Tertium auditorum genus parabola hac pingitur: *Et aliud cecidit inter ſpinas,& ſimul enatæ ſpinæ ſuffocauerunt illud.* Parabolam Dominus interpretans, ait: *Quod autem in ſpinas cecidit,hi ſunt, qui audierunt, & à ſolicitudinibus & diuitijs ac voluptatibus vitæ euntes, ſuffocantur,nec referunt fructum.* In hac explicatione Domini plura ſunt conſideranda. 1. Quod hoc genus hominum fuerit idoneum ad fouendum intus ſementem,hoc eſt, quod vera pœnitentia ſint ad Dominum conuerſi, credant & ament verbum Dei. 2. Quod aliunde proueniat corruptio ſeminis, hoc eſt, verbi Dei in corde hominis ſeminati, nempe à ſpinis. Quemadmodum ſemen bona terra conceptum, enatum ſæpe ſpinarum complexu corrumpitur vt prorſus pereat ante meſſem:Ita multi in principio pij colentes Deum, ſpinis ante finem vitæ ſuffocantur,ſpinis, inquam, ſolicitudinum,diuitiarum,& voluptatum.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Tria genera ſpinarum.

3.Obſeruãdum hîc eſt,quod Dominus hic ponat tria genera ſpinarum,quæ ſementem cœleſtem,poſtquã in culmum aſſurrexit,ſuffocant:vt ſunt ſolicitudines, ſeu curæ huius ſeculi,vt Matthęus habet,diuitiæ,ſeu, vt Matthæus & Marcus habent, deceptio diuitiarum & voluptates vitæ.

Cùm ergo hæ ſunt ſpinæ, quibus verbum Dei ſuffocatur,& nemo noſtrum ſit,qui nón ingenti ſpinarum copia & quaſi denſa ſylua refertus ſit, danda eſt opera, vt ſi ſpinas ipſas omnino euellere non poſſimus:ſaltem aculeos ipſarum retundamus, ne diuinã ſementem confodiant & perdant.

Remedia

Quantum igitur ad Primum ſpinarum genus attinet,ita retundetur,ſi toti huic mundo cum ſuis cõcupiſcentiis renunciemus, & vtamur hoc mundo tanquam non vtentes quemadmodũ monet Paulus.

Secundum genus non nocebit,ſi Dauidis,Pſal.62. 11.conſilio vſi fuerimus,qui ait,Si diuitiæ affluũt,noli cor apponere.Item Pauli,qui ait,1.Tim.6.17.Præcipe diuitibus in hoc ſeculo,ne ſuperbiant, ne ſperẽt in diuitiarum incertitudine:ſed in Deo viuente, qui præbet nobis abunde omnia ad fruitionem: ſed vt bene agant, & diuites eſſe ſtudeant in bonis operibus,& ſint liberales erga alios.

Tertium genus ſpinarum,voluptatis vita eſt, quæ in deliciis,pompa,gloria mundi,delicatis cibis & veſtibus, & rebus Venereis poſita ſunt: quæ omnes & ſingulæ ſemen diuinum ſuffocant,vt fructum vitæ ęternæ producere nequeat.Has ergo ſpinas diligenter caueant,quibus ſalus æterna curæ eſt.

Omnes in Chriſto electi, verbum Euangelij audientes.

Quartum genus auditorũ hac parabolæ parte notatur: *Et aliud ſemen cecidit in terram bonam, & dedit fructum emergentem atque creſcentem, & attulit vnum triginta, & vnum ſexaginta, & vnum centum.* Explicatur parabola à Domino his verbis: *Quod autem in terram bonam cecidit, ij ſunt, qui corde bono & benigno audientes ſermonem retinent, & fructum afferunt in patientia.*

Doctrina.

In hac explicatione quinque obſeruanda ſunt, quæ bonam terram,in quam iactum eſt ſemen Domini, definiunt.1. Eſt corde bono & benigno recipere ſemen,& verbum audire.2.Retinere ſemen,id eſt,non obliuiſci verbi auditi, ſed illud perpetuò meditari.3. Eſt fructum facere in vera pietate,ſanctitate, charitate & vocationis munere.4.Quòd hũc fructũ in patientia ferre oporteat, ne videlicet vllis rebus ſinamus à fide,& fructu producendo nos abduci.5.Quòd non omnes æquè multum fructus proferãt. ait enim Dominus:vnum triginta,vnum ſexaginta, vnum cẽtum,hoc eſt,qui credunt Euangelio,pro menſura fidei fructificant,alij plus,alij minus.

Doctrina & conſolatio.

Hoc in fructibus diſcrimen docet & conſolatur: docet quidem, quod ſemen Dei non debeat eſſe infrugiferum, modo ſalutare ipſum nobis eſſe cupiamus: conſolatur vero eos,qui benigno & bono ſunt corde,& multum fructus cupiunt producere in horreum Dei: ſentiunt tamen ſe viribus deſtitui,& nõ poſſe ſexageſimum aut centeſimum prouentum reddere. Hi non deſpondeant animum. Nam paterfamiliâs etiam inferiores dignatur ſuo honore & bonitatis elogio.

Exhortatio.

Quiſquis ergo ſuæ ſalutis amans eſt, ſtudeat fructum facere, pro ſuæ vocationis ratione: & quando ſe parum producere animaduertit, petat opem à Patrefamiliâs,& in ipſius confidat bonitatem, qui non abiicit eum,qui vel minimum fructum profert.

DE TERTIO.

Explicatio huius ſententię.

Dum hæc diceret,ait Euangeliſta,*exclamans alta voce*, ait: *Qui habet aures ad audiendum, audiat.* Quoniam autem exclamat Dominus,ſignificatur & ipſius affectus erga homines, quod cupiat eos ſaluos fieri, & hominum ſurditas ad audiendum ea quæ ſaluti ſunt. Deinde cùm ait, Qui habet aures ad audiendũ, audiat,haud obſcure indicat, ſe duo genera auditorũ habere,quorum quidam ſunt ſurdi,non quod nõ audiant externis auribus:ſed quod in intima cordis nõ reponant, quę audiunt. Huius generis auditorum quanta ſit copia, docent ſcelerati mores multorum, qui fidẽ in ore habẽt ſine fructu omni,in vita & moribus:quidam ſunt auriti, quod auribus externis capiunt,in intima cordis reponunt,fructũ ſeminis pro menſura fidei producentes.

Doctrina.

Verùm ſciendum, neminem ſua induſtria ſibi aures, quibus fructuoſè verbum Dei audire poſſit,formare & aptare, ſed oportere aures ipſas à Domino perforari.Cum enim verbum foris in auribus ſonat, adeſt Spiritus ſanctus in verbo efficax,qui aures cordis aperit ad audiendum, & recipiendum verbum, modo ipſi noſtra malicia ſpiritui aperienti non reluctemur.Tametſi enim ſolus Dominus aures aperire poteſt,& omnibus ſe paratum exhibet, tamen illis ſolis aperiuntur, qui ſua contumacia Domino non reſiſtunt.

Admonitio.

Quare noſtrum eſt perpetuis ſuſpiriis adDominum clamare,vt aures noſtras aperiat,corda præparet, affectus purget, quo verbum audiamus in noſtram ſalutem & gloriã Dei, Cui honor & gloria in ſecula,Amen.

DOMINICA QVINQVAgeſimæ,Euangelium Matt.3.

TVnc autem accedit Ieſus à Galilæa ad Iordanẽ ad Iohannem, vt baptizaretur ab illo. At Iohannes *prohibebat illum,dicens, Mihi opus eſt, vt abs te baptizer, & tu venis ad me.Reſpondens autem Ieſus,dixit ad illũ: Omitte nunc,ſic enim decet nos, vt compleamus omnem iuſticiam.Tunc omittit illum.Et Baptizatus* Ieſus*, aſcendit protinus ab aqua: & ecce aperti ſunt illi cœli, & vidit Spiritum* Dei *deſcendentem tanquam columbam, & venientem ſuper ipſum.Et ecce vox de cœlis, dicens: Hic eſt Filius meus dilectus,in quo mihi bene complacitum eſt.*

ENARRATIO TEXTVS.

Exordiũ à præconio hiſtoriæ Baptiſmi Chriſti.

Hoc Feſtum inſtitutũ eſt in Eccleſiis noſtris propter hiſtoriam Baptiſmi Chriſti,quæ hiſtoria præcipuum factum,quod vnquam in mundo contigit,cõtinet,neque vnquam continget, priuſquam Chriſtũ viderimus venientem in nubibus cum Angelis ſuis poteſtate magna.Si ergo delectat nos maiorum Heroum hiſtoria, habemus hîc maximi herois hiſtoriã, quæ non ſolum ſua iucunditate oblectat animos legentium : verumetiam ſola plura commoda affert, quàm omnes Hiſtoriæ mundi afferre poſſunt.Priuſquam autem accedimus ad huius Hiſtoriæ expoſitionem,duæ nobis ſunt diluendæ quæſtiones. Quarum prior eſt,cúrnam hoc feſtum in Eccleſiaſtica noſtrarum Eccleſiarum ordinatione ſit inſtitutum. Poſterior,cur hoc tempore anni potius quam alio.

De inſtitutione feſti huius in nõnullis Eccleſiis.

Ad priorem quæſtionem reſpondeo:Hiſtoria Chriſti texitur propter noſtram ſalutem,ideo voluit etiam Eccleſiaſtica ordinatio in Dania hanc potiſſimam hiſtoriæ partem non omittere:Sed certo tempore anni eam proponere.

De ordine tractationis.

Ad poſteriorem dico,quod hoc tempore cõueniat maximè eam hiſtoriam tractare:ídque duabus de cauſis.Primum propter ordinem & ſeriẽ Hiſtoriæ. Hactenus enim ordine audiuimus,1.de natiuitate Domini.2.de Circumciſione.3. de apparitione. 4. de oblatione eius in templo.5.de diſputatione eius in tẽplo, cum ageret 12.annum. Quid autem egerit à duodecimo anno vſque ad 29.nihil ſcriptũ eſt,niſi quod fuerit ſubiectus ſuis parentibus.6.de Baptiſmo eius, qui hoc

Summa totius hiſtoriæ de Chriſto.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

hoc anni tempore optime recitatur. 7. ſequitur de ieiunio. 8. de tentatione. 9. de doctrina & miraculis. 10. de paſſione. 11. de reſurrectione. 12. de aſcenſione in cœlum. 13. de miſsione Spiritus ſancti, qua Chriſti doctrina confirmata eſt. 14. ſequuntur reliquo tempore anni conciones variæ, in quibus beneficia Chriſti Eccleſiæ commendantur, proponuntur pietatis exempla, inuitantur homines ad piam ſanctámque vitam. 15. de iudicio extremo, & præmiis piorum & pœnis impiorum. Hæc ſunt pręcipua membra hiſtoriæ Chriſti, quæ optimo ordine, pro vt res geſtæ ſunt ſingulis annis in noſtris Eccleſiis tractantur. Eſt pręterea alia cauſa, cur hoc anni tempore de Baptiſmo Chriſti agit noſtra Eccleſia, nimirum vt doceatur, qualenam veſtimentum deceat Chriſtianos contra Diabolicum illum & Ethnicum furorem, & debacchandi ritum, qualis hactenus in vſu fuit in multis locis Chriſtiani orbis, non ſine graui Dei offenſa. Atque hæc de præſenti feſto dicta ſufficiant. Loci tres.

Cur hoc tempore.

Partes.

I. Hiſtoria Baptiſmi Chriſti, cum ſuis circumſtantiis.
II. Vſus Hiſtoriæ in Eccleſia.
III. Noſtri baptiſmi ratio & vſus.

DE PRIMO.

Baptiſmi Chriſti circunſtantiæ.

In Baptiſmo Domini plures ſunt perpēdendæ circumſtantiæ, & potiſsimum hæ quinque. 1. Quæ perſonæ hîc agant. 2. Locus. 3. Colloquium Chriſti & Iohannis. 4. Baptizatio Chriſti. 5. Euentus, ſeu id quod contigit baptizato Domino. De his quinque circumſtantiis ordine dicam.

Perſonæ.

I. *Tunc venit Ieſus à Galilæa ad Iohannem.* Hic duas perſonas habemus, Iohānem, qui in ſpiritu Heliæ miſſus erat ad præparandam viam Domini. Vnde pater eius Zacharias ſpiritu prophetico de eo dixit adhuc infante, Luc. 2. Et tu puer Propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Ea de cauſa Chriſtus ipſe pronunciat, Iohannem plus quàm Prophetam eſſe, & quo nullus maior de muliere natus ſit. Deinde habemus hîc alteram perſonam, nempe ipſum Chriſtum, Deum & hominem. Ad ſunt ergo hic duæ perſonæ, quibus nihil præclarius habet hic mundus vniuerſus. Iohannes fuit ſummus Propheta Dei. Chriſtus ęterni Dei æternus Filius: quorum quia & ſumma dignitas & autoritas exiſtit, nobis hic inſinuatur quanta ſit & dignitas & autoritas Baptiſmi, qui à Deo profectus celebratur per eos, quibus nihil habet mundus eximium magis.

Locus.

II. *Venit ad Iordanem.* Hic locus ſignatur celebrati Baptiſmi. Iordanis non fruſtra meminit Euangeliſta. vult enim, vt ad miracula quæ olim in Iordane contigerunt reſpiciamus, vt inde nos colligamus, quæ ſit vis & efficacia Baptiſmi ſpiritualis.

Cur ad illum locum.

Primùm itaque occurrit miraculum, quod contigit, cum populus duce Ioſua ingrederetur in terram promiſſam. Ioſ. 3. 16. 17. Nam Iordanis fluuius contra naturam aquæ ab altera parte ſtetit vt murus, præbuítque populo Dei iter, vt ſiccis tranſiret pedibus, ſecutus arcam Domini, quam ſacerdotes Dei præferebant ante populum. Iſto typo ſignificatum eſt, nos è regno Satanę in regnum Dei transferri per baptiſmū præcedente Chriſto, qui vera propitiationis arca eſt.

Helias pallio diuiſit Iordanem, 2. Reg. 8. 11. ac trāſgreſſus fluuium in cœlum ſubuectus eſt. Naaman ſyrus leproſus ablutus in Iordane ad iuſſum Prophetæ ſanitati eſt reſtitutus. Vt autem Heliæ factum tranſitum in cœlum per Baptiſmum fieri adumbrat: ita Naaman Syri purgatio ſpiritualem per Baptiſmum fieri mundationem à peccato figurat. Nā quod foris figurat Baptiſmus, id intus ſua virtute operatur Dominus. Cum igitur hîç ſit Iordanis mentio, meminerimus ꝙ ſpiritualiter de Baptiſmo noſtro ſignificet.

Colloquium Chriſti & Iohannis.

III. *At Iohannes prohibebat illum, dicens. Mihi opus eſt, vt abs te baptizer, & tu venis ad me? Reſpondens autem Ieſus, dixit ad illum: Omitte nunc, ſic enim decet nos vt compleamus omnem iuſtitiam, tunc omittit illum.* In hoc colloquio plura ſunt ſpectanda membra. Primū de prohibitione, qua Chriſtum obnixe prohibebat & oratione & manu. Duo quidem hic diligenter perpendit Iohannes, ſed tertium negligit. Perpendit ſe indignum eſſe qui ſoluat corrigiam calceorum Chriſti, nedum eius nudum corpus abluat. Deinde perpēdit, quòd Chriſtus ſit immunis à peccato, atque ideo iudicat ipſum non indigere Baptiſmo, vt eo abluatur in ſignum pœnitentiæ. Tertium, vt dixi, neglexit, nēpe quod eſſet & ſui officij, & officij Chriſti. Debębat enim officium intueri, & non indignitatem ſuæ perſonæ. Debebat iudicare Chriſtum nō aliquid moliri poſſe, quod non ſpectaret ad officium Mediadoris. Atque ideo audit à Chriſto. *Omitte nunc, ſic enim decet nos implere omnem iuſtitiam.* Tu miſſus es vt baptizes: ego autem veni vt baptizatis ſalutem conferam, faciamus ergo vterque quod nos decet.

Hîc ergo tria à Iohāne diſcamus. 1. agnoſcere nos indignos eſſe, quibus vllum in Eccleſia miniſterium committatur. 2. agnoſcere Chriſtum eum eſſe, qui ſolꝰ à maculis peccati nos abluere valet. 3. mādato Chriſti obedire in noſtra vocatione, non impediente nos indignitate noſtra, ſęd vrgente officium mandato Domini.

Baptizationis Chriſti. Cauſæ.

IIII. *Et baptizatus Ieſus.* Hic æternus Filius Dei, ſanctus, immaculatus, purus à peccatis, & excelſior cœlis, baptizatur. ſed cur baptizatur? plures poſſunt aſſignari cauſſæ. *Primum* enim voluit per baptiſmum inaugurari miniſterio Dei, & hoc quaſi fœdere oſtendere, ſe miniſtrum Dei eſſe. *Secundò*, vt Baptiſmus externus eſſet figura mortis, ſepulturæ & reſurrectionis ſuæ: vnde & ſuam paſsionem Baptiſmi nomine deſignauit, cum filiis Zebedæi reſpōderet Matthęi viceſimo, dicēs, Poteſtis baptizari Baptiſmo, quo ego baptizor? *Tertiò* vt ſāctificatas relinqueret aquas omnibus baptizandis: non enim ſacramenta Eccleſiæ conſecrantur murmure ſacerdotis, tanquam magica incantationes: ſed ſacramentorum conficitur cōſecratio inſtitutione, facto, promiſsionibus Chriſti, ac noſtra obedientia erga ipſum. *Quartò*, Baptiſmum communem nobiſcum habere voluit, ceu certiſsimū vnionis & ſocietatis, quam nobiſcum habere dignatus eſt, teſtimonium & pignus. Vnde Paulus probat, nos eſſe filios Dei, qui Chriſtum per baptiſmum induimus. Quotquot, inquit, baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. *Quintò*, ipſe facere voluit, quod omnibus facere imperauit, quemadmodum ait Auguſtinus. optime enim is docet, & imperat, qui ſuæ doctrinæ typus eſt, & imperata primus facit.

Quæ contigerunt baptizato & orante Chriſto.

V. Euentus conſideretur. Nam quæ contigerūt baptizato Chriſto & orante, ſunt omnium maxima miracula, quæ vnquam contigerunt. 1. *Aperitur cœlū*, quare ſignificatur, & quod ſolus Chriſtus ſit via in cœlum, quem induimus in Baptiſmo, & quod cœlū clauſum maneat omnibus, qui Chriſtum viam vnicam in cœlum non agnoſcant. 2. Vidit Spiritū Dei deſcendentem quaſi columbam, & ſedentem ſuper eum. Hæc dulciſsima imago eſt beneficiorum Chriſti. Nos omnes in diluuio peccati perditi eramus: ſed Chriſtus venit nobis arca, qui nos in ſe recipit à diluuio, in cuius teſtimonium venit Colūba, & quieſcit ſuper eum. Huius rei typus erat Arca Nohæ, & columba quam emiſit, quæ reuerſa ramum oleæ in ore habuit, in ſignum ſiccati diluuij: Ita hîc Spiritus ſanctus, in ſpecie columbę apparēs, teſtis eſt abſorpti

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

diluuij peccatorum: ſed in ſola Arca eſt ſalus, hoc eſt, in Eccleſia Chriſti, vbi Spiritus ſanctus habitat. 3. Audita eſt vox de cœlo dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus, per quem placatus ſum.* Ecce hic audimus Patrem cœleſtem præconem Euangelij eſſe. Quid quæſo poteſt admirabilius eſſe: quid magis ſtupendum? ô deploranda cæcitas hominum! ô deteſtanda ſurditas! Pater cœleſtis ſonat ſuum Euangelium de cœlo, & nos cæci non intuemur cœlum, nos ſurdi non audimus vocem docentis! Sed quid quæſo docet? *Hic eſt*, inquit, *Filius meus dilectus.* En teſtimonium Patris de Filio, huic crede, ſi ſalus tibi curæ eſt, is natura eſt filius, nos gratia. Ideo dilectum appellat, non quod nos dilecti nõ ſimus: ſed in dilecto, in quo ſolo nos charos habet: illũ propter ſe amat, nos vero propter illum. Natura enim ſumus filij iræ, Eph. 2. 3. per Chriſtum verè adoptamur in filios. Vnde ſequitur in concione Dei: In quo complacitum eſt mihi, id eſt, per quem ſum placatus, & humano generi reconciliatus. Hic tria ſunt alto animo perpendenda. 1. Quod ſine Chriſto Deus ſit nobis iratus, ídque propter peccatum, quo Deum offendimus. 2. Quod ſolus Chriſtus ſit reconciliatio noſtri: Ipſe enim eſt propiciatio pro peccato. Sãguis enim Ieſu Chriſti purgat nos ab omni iniquitate. 3. Quod hæc paterna beneuolentia & reconciliatio ſit fide accipienda, ac Baptiſmo obſignanda. Hanc fidem ſequi debet noua obedientia & gratitudo erga Deum. Ecce habes ſummam Euãgelij, ad quam in omni vita & mortis hora reſpicere debemus: non enim aliunde ſolida conſcientiæ conſolatio ſumi poteſt. Atque hæc ſint breuiter dicta de narratione Euangelica.

Doctrina.

DE SECVNDO.

Vſus huius hiſtoriæ in Eccleſia.

Etſi vſus ex iis quæ dicta ſunt facilè colligi poteſt tamen quædam hîc capita recitabo. *Primum* ergo ſciamus, quod noſter Baptiſmus hic conſecretur & ſanctificetur aqua Baptiſmi per Chriſtũ, qua aqua baptizari dignatus eſt. *Deinde* totum ſpectaculum nobis ob oculos, tãquam in imagine Eccleſiam Chriſti depingit, hic conſpicitur Iohãnes doctor in Eccleſia: vbi enim verbum Dei non eſt, ibi non auditur docentis vox, illic Eccleſia monſtrari non poteſt. Deinde Chriſtus baptizatur: à bene enim inſtituta Eccleſia vſus Sacramentorum abeſſe non poteſt. *Tertiò*, Chriſtus baptizatus orat, cuius exemplum membra ipſius imitentur, & Deo verum cultum ex fidę præſtent. *Quartò*, Filius ſtat in medio: vox Patris ſonat de cœlo. Spiritus ſanctus requieſcit ſuper Baptizatũ: idem reuera hodie fit in noſtra Eccleſia. Deus enim Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſuæ Eccleſiæ adeſt, & per vocem prædicantium teſtatur ſuam beneuolentiam erga Chriſti Eccleſiam. Per Filij præſentiã teſtatur, quòd nos in filios adoptauerit, & per Spiritũ ſanctum teſtatur ſe gubernare Eccleſiam ſuam: vnde & nos hanc fiduciam concipiamus, quod portæ inferorum non ſint præualituræ aduerſus eam.

DE TERTIO.

Noſtri Baptiſmi ratio & vſus.

Pleraque quæ ad noſtrum Baptiſmum pertinent, ſunt in ſuperioribus locis explicata. Quare breuiter quædam attingam, quæ præcipue ſcire neceſſarium eſt, atque duo dicam: quale ſignum Baptiſmus, & quę ſit vera eius meditatio.

1. Baptiſmus quale ſit ſignum.

Quale ergo ſignum eſt Baptiſmus? 1. Eſt teſtimonium gratiæ, ciúſque & exhibitæ, & applicatæ baptizato, nimirum quod Deus ſit illi placatus per Chriſtum, quod ſanè teſtimonium requirit fidem. Deinde eſt ſymbolum hoc ſignum, quod quadam ratione docet. Eſt enim ſignum virtutis ſpiritualis Chriſti, nimirum quòd Chriſtus ſua morte, ſepultura, & reſurrectione ſit noſtri liberatio à morte, ſepulchro, & donator vitæ æternæ. 2. Eſt ſymbolum vitæ nouæ coram Deo, quemadmodũ Paulus Rom. 6. 3. 4. docet his verbis: Quotquot baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum, in mortem eius baptizati ſumus. Conſepulti igitur ſumus cum ipſo per Baptiſmũ in mortem, vt quemadmodũ Chriſtus excitatus eſt ex mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. 3. Coram hominibus eſt teſſera quædã profeſſionis, qua teſtamur nos eſſe membra Chriſti & hoſtes Diabolorũ.

2. Baptiſmi meditatio.

Meditatio pia Baptiſmi in his rebus poſita eſt.

Primùm ſtatuere oportet, quod Baptiſmus noſter ſit firmiſſima quædam obſignatio, & Sacramentorum noſtræ reconciliationis cum Deo.

Deinde, Baptiſmus debet nobis eſſe perpetua quędam admonitio, quòd hæc reconciliatio ſit facta per ſanguinem, mortem, ſepulturam ac reſurrectionem Chriſti.

Tertiò, admonebit nos mortificationis carnis, & viuificationis ſpiritus, adeóque perpetuæ in hoc mũdo pœnitẽtiæ, & futuræ per Chriſtũ glorificationis.

Quartò, admonebit nos, quòd regenerationis beneficium ſit donum & opus totius Trinitatis, in cuius nòmine baptizamur, vt ipſi adhæreamus, ac colamus per totam vitam, cui honor & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA PRIMA IN quadrageſima, Euangelium Mat. 4.

TVnc Ieſus ſubductus fuit in deſertum à Spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cum ieiunaſſet dies quadraginta ac noctes quadraginta, tandem eſuriit. Et accedens ad eum tentator, dixit: Si filius Dei es, iube vt lapides hi panes fiant. At ille reſpondens, dixit: Scriptum eſt, Non ſolo pane victurus eſt homo, ſed omni verbo quod egreditur per os Dei. Tunc aſſumit illum Diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi, dicitque illi: Si Filius Dei es, præcipita te deorſum. Nam ſcriptum eſt, Angelis ſuis mandaturus eſt de te, ac manibus tollent te, nequando impingas in lapidem pedem tuum. Dixit illi Ieſus: Rurſus ſcriptum eſt, Non tentabis Dominum Deũ tuum. Rurſum aſſumit illum Diabolus in montem excelſum valde, & commonſtrat ei omnia regna mundi & gloriam illorum, & dicit illi: Hæc omnia dabo tibi, ſi proſtratus adoraueris me. Tunc dicit illi Ieſus, Abi Satana, ſcriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illum ſolum coles. Tunc dimittit illum Diabolus, & ecce, Angeli accedebant ac miniſtrabant ei.

ENARRATIO TEXTVS.

Hiſtoriæ ſumma.

Quemadmodum proximo die Dominico audiuimus hiſtoriã Baptiſmi Chriſti, in qua maximæ res continentur: ita hoc Euangelium etiam partem hiſtoriæ Chriſti continet, videlicet de eius ieiunio & & tentatione: quibus rebus Deus ſingulari ſapientia ſuum Filium humiliari voluit, & oſtendere, quàm verum ſit, quod olim prædixit: nimirum quod vt ſerpẽs inſidiaturus eſſet calcaneo Seminis mulieris, hoc eſt, quod Chriſti perſonæ ac eius regno eſſet Satan poſiturus inſidias (id quod hæc hiſtoria veriſſimũ eſſe oſtendit) ita idem Semen contriturum eſſet caput ſerpentis. Cuius rei ſpecimen quoddam in hac hiſtoria videmus. Hæc omnia eò referenda ſunt, vt & Chriſti obedientiam ſub cruce diſcamus, & ſciamus qualem clypeum oporteat opponere tentationibus & iaculis Diaboli. Loci duo:

Vſus. Partes.

I. De Ieiunio.

II. De Tentatione.

DE PRIMO.

Diuiſio.

In hoc loco duo ſpectanda ſunt. Primum quænam

ſit ia-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſit ratio ieiunij in genere. Deinde quid ſentiendum ſit de Chriſti ieiunio in ſpecie.

Ieiunium quid.

Ieiunium eſt abſtinentia ad tempus à cibo & potu, qua corpus affligitur & veluti mortificatur. Et eſt triplex: Indifferens, pium, & impium.

Quotuplex indifferens.

Indifferens ieiunium eſt, cum vel præ inopia vel valetudinis cauſſa, vel ingenti aliquo animi mœrore abſtinetur à cibo & potu. Hoc per ſe nec placet nec diſplicet Deo, verum prout fides & patientia adfuerint, placere & diſplicere putandum eſt.

Pium.

Ieiunium pium, Chriſtianum, & acceptum Deo, eſt abſtinentia non ſolum à cibo & potu, qua corpus premitur & mortificatur: verumetiam ab omnibus aliis rebus, quæ carni vllam voluptatem adferre poſſunt, eò pertinens, vt plenum ſit ſpiritus imperium per veram pœnitentiam, piam orationem, & ſeriam renunciationem omnium iniuriarum, quibus proximus lædi poteſt. Nam corporis afflictio per ieiuniū, eſt ſymbolum mœroris animi propter peccatum, & teſtimonium veræ pœnitētiæ. Huius fines ſunt (propter quos & acceptum eſt) tres. Mortificatio carnis: Excitatio ſpiritus: & intenſius omnis pietatis ſtudiū. Huiuſmodi fuit ieiuniū Pauli, cuius meminit 2. Cor. 6. & certè deberent pij homines ſancto ieiunio ſæpe ſpiritū excitare, ne carnis concupiſcētiis ſuccūberēt.

Pium ieiunium duplex. Priuatum

Eſt autem hoc ſanctum & Chriſtianum ieiunium duplex: Priuatum & ſolenne. Priuatum eſt, quod quis ſua ſponte ſibi imponit, vel pietatis excitandæ cauſſa (quale vt ſæpe aliâs, ita potiſſimum ante ſacram ſynaxin, à quolibet Chriſtiano, cuius caro hac caſtigatione indiget, inſtitui vellem) vel officij noui capeſſendi gratia, vt ſe quis eo præparet ad meditationem officij, orétque vt Deus auſpiciis ſui muneris propitius aſpiret: huiuſmodi fuit olim ieiunium Moſis in monte, & Heliæ in deſerto, & ieiunium Chriſti in deſerto, cuius hîc fit mentio.

Solenne.

Solenne ieiunium pium & Chriſtianum eſt, quod Magiſtratus pius, ſiue gubernatores Eccleſiarum indicunt, vel vt præſens malum, vt peſtis, gladius, ſectæ, ſeditiones, &c. vera pœnitentia & inuocatione Dei tollatur aut mitigetur: vel vt mala, quæ ob peccata graſſantia imminere videntur, caueantur. Huius generis ieiunia à ſanctis regibus & Prophetis ſæpe indicta ſunt, quæ Deo fuerunt grata propter pœnitentiam, fidem, inuocationem, charitatem, meditationem beatæ vitæ, & huiuſmodi alia, quæ in Chriſtiano ieiunio adeſſe ſolēt, & omnino debent.

Regula.

De hoc duplici iëiunio, priuato & ſolenni, tenenda eſt hæc regula, quod vt priuatum liberum eſt in arbitrio cuiuſque poſitum: ita ſolenne mandato magiſtratus, charitatis lege, & publici commodi neceſſitate obligat, quare illud contumaciter violare grande peccatum eſt.

Impium ieiunium.

Impium ſeu Phariſaicum ieiunium, eſt abſtinentia à certo cibi genere, quæ putatur cultus Dei eſſe per ſe, & res Deo grata propter ipſum opus, ideóque meritoria. Quaſi vero Deus moraretur externa opera, vbi conſcientia eſt impura: & ieiunium per ſe eſſet in eo genere operum, quæ Deo immediatè & ſimpliciter probantur, quemadmodum ea, quæ in lege ſua, hoc eſt, Decalogo præſcribit, & non potius eſſet externum quoddam exercitium, & quædam corporalis exercitatio, alium finem ſpectans, nimirum vt pœnitentiæ, orationi, carni domandæ, charitati, meditationi beatæ vitæ ſubſeruiat. Meritò ergo Prophetæ huiuſmodi hypocritica ieiunia damnant: in quib. plurima horrenda ſcelera concurrunt: vt opinio cultus, fiducia operis, neceſsitas, coactio, delectus ciborū neceſſarius, modus ieiunādi, quo vel porci ſaginari poſsint, meditatio fraudis & iniurię proximorum.

Impij ieiunij duo genera.

Poteſt autem hoc ieiunium Phariſaicum diuidi in duo genera, vt vnum ſtatum, aliud arbitrarium dicatur.

Statum.

Statum ordinarium eſt, & certo tempore anni affixum, quale apud Papiſtas quadrageſimale ieiunium, vt vocant, & ieiunium quatuor temporum Apoſtolorum, quibus ſuffragia Apoſtolorum emere voluerunt, & eiuſmodi plurima, in quibus nihil præter meram ſuperſtitionem & multiplicem impietatem exercuerunt.

Arbitrarium.

Arbitrarium ieiunium, eſt quod aliquis arbitrio ſuo, quo Deum ſibi debitorem faciat, deligit: quale illius fuit, qui iactabundus in oratione ſua ad Dominum ait, Ieiuno bis in Sabbato, vbi ſuū ieiunium vt opus ſanctum & meritorium, prædicat, ac Deum admonet, ne eius obliuiſcatur.

II. De Chriſti ieiunio ſpeciatim.

Hæc ſint dicta in genere de ieiunio, nunc pauca de Chriſti ieiunio adiiciā. De hoc ita ait Euangeliſta: *Tunc ductus eſt Ieſus in deſertum à ſpiritu, vt tentaretur à Diabolo, & cum ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctib. poſtea eſuriit.*

Tempus. Locus. Modus. Miraculū.

Hic primū tēpus notatur, nimirum ꝙ ſtatim à Baptiſmo ieiunauerit. Deinde notatur locus, nēpe deſertū. 3. Modus ieiunij, videlicet ꝙ quadraginta diebus & noctibus abſq; omni cibo vixerit. 4. Miraculum, quod & tanto tempore potuerit abſque cibo viuere, & quod non eſurierit tanto ſpacio: nam non ſenſit famem, priuſquam quadraginta dies & totidem noctes præterierant.

Cur Chriſtus ſic ieiunauit.

Sed cur Chriſtus hoc fecit? 1. Vt hoc miraculo teſtaretur de ſua diuina potentia. 2. Propter figuram. Moſes enim typus Chriſti, in monte ieiunauit quadraginta dies & totidem noctes. 3. Vt ſatisfaceret pro gula primorum parentum & noſtra. 4. Propter vocationem. Hoc enim vſitatum Deo eſt, cum velit aliquem arduo officio præfici, ſicuti in Moſe & Helia videmus. 5. Vt eſſet exemplum nobis, vt nos ſobrij perpetuo in timore Domini viuamus.

Vſus huius ieiunij.

Eſt igitur vſus ieiunij Chriſti agnoſcendus, qui eſt multiplex: 1. Vt cogitemus quantum fuerit humiliatus Filius Dei. 2. Vt exemplo Filij Dei ſobriæ orationi ſtudeamus. 3. Vt illi gratias agamus, qui noſtro nomine tantum ieiunium ſuſtinuit.

Abuſus.

Deinde ab altera parte cauendus eſt abuſus, ne videlicet abutamur hoc ſancto Chriſti iëiunio, quod fit, ſi vel præceptum vniuerſale faciamus ex hoc Chriſti facto: vel putemus nos fieri participes ieiunij Chriſti per noſtrum fictum ieiunium: vel ſuſpicemur ieiunium noſtrum peccatorum remiſſionem mereri, ex opere operato, ſicuti Thomas Aquinas ſacrilegè docet: vel iudicemus cum Ambroſio hoc quadrageſimale ieiunium à Pontificibus Eccleſiæ impoſitū, eſſe neceſſitatis, ita vt nemo pius habeatur, niſi qui hoc ieiunium ſeruarit. Hæ omnes opiniones pugnāt ex diametro cum ipſo fidei fundamento, quod eſt, ſolius Chriſti merito ſaluari credentes.

Obiectionis papiſticæ explicatio.

At dicunt, Omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio. Is autem ieiunauit quadraginta dies: ergo nos debemus hoc factum Chriſti imitari. Verum quidē eſt, quod dicunt, omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio, ſed non eſt verum, quod omnis Chriſti actio ſit nobis imitanda, id quod ex actionum Chriſti differentiis manifeſtum eſt. Sunt enim actiones Chriſti aliæ morales: aliæ miraculoſæ: aliæ peculiares. Morales vitam ac mores noſtros inſtruunt. Eſt enim ipſe perfectiſſimum virtutum exemplar. Miraculoſæ, inter quas hoc ieiunium numero, mentem noſtram de veritate doctrinæ Chriſti informant & confirmant. Peculiares ſeu piaculares ſunt, quæ ad redemtionis & expiationis beneficium pertinent. Hæ ſalutis fiduciam in nobis fouebunt & alent. Atque ita omnis Chriſti actio eſt quidem noſtra inſtructio, ſed non omnis imitanda, ſed tantum quæ ad mores & vitam iuxta legis decalogi præſcriptum pertinent.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

De ieiunio quadrageſimali.

Licétne ergo ieiunium quadrageſimale ieiunare? licet,modo ſeruentur in eo conditiones , quas ſupra dixit in ſancto & Chriſtiano ieiunio ſeruādas eſſe. Et ſane aperte fateor iſto tempore ſingulari ſobrietate opus eſſe, ad meditandum beneficium redẽtionis,quod tum ſolet in noſtris Eccleſiis quotidie prò-poni in enarratione paſſionis Dominicæ: ſed coactio & neceſſitas abeſſe debent.

DE SECVNDO.

Locus, de tentatione Chriſti

Accedens ad eum tentator,&c. In his Chriſti tentationibus videre licet:Primùm,quanta ſit audacia Satanæ,& ſtudium eius ad deſtruendũ regnum Chriſti. Nam ne Filio quidem Dei pepercit,ſed eum accedit, tentat : & quemadmodum regnum Dei in Paradiſo inuaſit & ſuperior eſt factus : Ita nouum Paradiſum regnum Chriſti molitur deſtruere,ac eius regem telis tentationum adoritur. Deinde hic licet videre, quàm ſit humiliatus Filius Dei, vt non ſolum ſit afflictus ieiuniis , verumetiam tentationibus Satanæ ſit petitus.

Partes tres.

Cæterùm , vt nos hinc ſalutarem inſtructionem accipiamus,Primùm de tẽtationibus Chriſti dicam. Deinde quare ſit tentatus. Poſtremò , quid nobis doctrinæ & conſolationis ſit petendum ex tentationibus Chriſti.

1 Quid ſpectandũ in ſingulis tentationibus.

In ſingulis tentationibus Chriſti, quæ tres hîc numerantur,quatuor ſpectemus.1.Quæ occaſio.2.Tentationis modus.3.Tẽtationis finis.4.Modus victorię.

Occaſio.

Quantum itaque ad primam attinet tentationem, eius occaſio hiſce Euangeliſtæ verbis indicatur : *Et cum ieiunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus,poſtea eſuriit.* Ecce qualem occaſionem nactus eſt. Chriſtus ieiunat , parat ſe ad officium capeſſendum: ſed Satan aliud molitur,& ex bono facto Chriſti eius perdendi materiam captat. Hoc perpetuum Satanæ ſtudium fuit,vt & benefactis ſanctorum & peccatis abutatur illis in perniciem: ſed nouit Dominus qui ſunt ſui, & poteſt eos è tentatione eripere.

Modus. Finis.

Tentationis modus ſequitur, ait enim tentator: *Si filius Dei es,dic vt lapides iſti panes fiant:* Finis huius tentationis fuit,Chriſto perſuadere,periculum facere,an Deus miraculo ſuam diuinitatem comprobare vellet:quod ſi non faceret , vt ſuſpicaretur Dominus ſe Deo curæ non eſſe.Pugnat ergo hęc tentatio cum prouidentia Dei, qua Deus ſuis prouidet omnia,quę ſunt ipſis ad ſalutem & præſentem vitam neceſſaria.

Victoriæ modus.

Modus victoriæ ſequitur. *Cui reſpondens,dixit: Scriptum eſt, Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Hîc videmus in verbo Dei victoriam eſſe ſitam aduerſus Satanam. Satan vult perſuadere Chriſto,quod ſit periturus,niſi ex lapidibus panes faciat:ſed Chriſtus negat hominem viuere ſolo pane ſeu cibo corporali.Cibus enim non nutrit,niſi accedat benedictio diuina,à qua panis robur capit,ſcriptum eſt enim, Comedent & non ſaturabuntur. Scripturam autem huc adductam à Chriſto habes Deut.8.3.Quo in loco conſolatur Moſes populum in deſerto , vbi non erat panis : ſed Deus Manna de cœlo dedit,& aquam de petra.Hanc promiſſionẽ Chriſtus ſibi atque omnibus piis applicat:ſignificans fore,vt in medio famis Deus ſuis ſit adfuturus,& neceſſaria ſuppeditaturus. Huius promiſſionis exempla habemus in Iſraelitis,Helia,Eliſæo,Moſe, & hîc in Chriſto.Huc illud Prophetę,Pſa.37.19.Non confundentur in tempore malo,& in diebus famis ſaturabuntur.Hæc promiſſio,cum ad nos quoque pertineat,arripienda eſt fide,& opponenda eſt Satanæ,ne nos tentatione famis euertat. Atque hæc de prima tentatione Chriſti & eius vſu ſint breuiter dicta. Secunda ſequitur.

Secundæ tentationis occaſio.

Occaſio ſecundæ tentationis hiſce verbis deſcribitur. *Tunc aſſumſit eum Diabolus in ſanctam ciuitatem, & ſtatuit eum ſupra pinnaculum templi.* Ecce occaſionem , ecce artificium Satanæ qui ex re qualibet perdendi materiam petit.

Modus.

Modus tentationis additur: *Si Filius Dei tu es,mitte te deorſum:ſcriptum eſt enim, Angelis ſuis mandabit de te , & in manibus tollent te , ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

Finis.

Finis, vt Chriſtus tentaret aliquid cõtra vocationem,ac ita in ſe iram Dei prouocaret,quemadmodum primi parentes fecerunt. Nam poſtquam vidit malignus iſte,quod Chriſtus ſcriptura ſe erigit, conatur ſcripturam mendaciis ſuis inuoluere. Pſalmus ille,92.11.quẽ citat Satan,loquitur de prouidẽtia Dei,quòd velit Deus quemlibet piũ in ſuis viis , hoc eſt, in ſuo vitæ genere & vocatione legitima cõſeruare : non præcipit , vt aliquid temerariè faciamus contra vocationem.

Victoriæ modus.

Sed quomodo Chriſtus hoc Satanæ telum ignitum extinxit? Verbo. Ait enim: *Rurſus eſt ſcriptum, Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Quid ſit tentare Deum.

Hæc habemus Deut.6.16. vbi tentare Deum ſignificat aliquid audere per diffidẽtiam,ſiue in rebus proſperis,ſiue aduerſis:quare talis tentatio aduerſatur fidei & Dei timori.Qui enim in rebus proſperis ſecurus viuit,& deponit timorem Dei,is certo tẽtat Deũ contra primum præceptum.Rurſus qui in calamitoſis ſuccumbit,quaſi Deus nullam noſtri curam gereret,etiam tentat Deum vocãdo in dubium eius promiſſiones.Eccleſia hodie vexatur cruce,& experitur foris pugnam & intus terrorem,hic certè non eſt tẽtandus Deus:non eſt dicendum,ſi ſumus eius populus,ſi verum eſt hoc Euangelium , quod profitemur, cur ergo non hoc tempore nos iuuat ? cur hoſtibus omnia tam proſperè ſuccedere permittit? hîc fortiter cum Chriſto dicamus, Non tentabis Dominum Deum tuum.Sequitur tertia tentatio.

Tertiæ tẽtationis occaſio.

Tertiæ tentationis occaſio hiſce verbis indicatur. *Iterum aſſumſit eum Diabolus in montem excelſum valde, & oſtendit ei omnia regna mundi & gloriam illorum.* Vide, in prima tentatione abuſus eſt cruce Chriſti ad ipſum tentandum:nunc illa regna mundi proponit, vt illorum gloria perſtringatur ac ruat contra Deum.

Modus. Finis. Victoriæ modus.

Tentatio hæc eſt. *Hæc omnia dabo tibi,ſi cadens adoraueris me.* Finis fuit,vt Chriſtus fieret idololatra:ſed cõtra hanc tentationẽ victoria potitur Dominus. Primùm,repellendo Satanam,qui auſus eſt ſibi arrogare diuinos honores.Deinde perſodiendo ipſum gladio Dei,dicens:ſcriptum eſt, *Dominum Deum tuum adorabis,& illi ſoli ſeruies.* Hæc ſcriptura habetur Deut. 6.13.in qua duo ſunt:præceptio & prohibitio. Præcipit enim,vt vnum Deum adoremus, & ei ſeruiamus diuinis cultibus,iuxta primam Tabulam : prohibet vt vllis creaturis iſtum honorẽ tribuamus, ſiue Diabolis,ſiue hominibus,ſiue angelis.Sit hęc regula nobis perpetuo in conſpectu aduerſus omnes Papiſtarum dolos.

Cur tentatus eſt Chriſtus.

Sed cur tentatus eſt Chriſtus?1.Vt nos tentati ſciamus nos habere Pontificem per omnia tentatum. Deinde, vt nos eius exemplum erudiat , ne ſinamus Diabolũ vllis rebus nos auocare à vero timore Dei. Cũ ergo vult nobis perſuadere,quod non ſimus Deo curę,quando premimur cruce & multis ærumnis reſpiciamus ad filium Dei , & gladio,quo ipſe vſus eſt, reprimamus hoſtem. Cùm nos ſolicitat, vt aliquid tentemus contra vocationem,vnde coniici poſſimus in ſalutis & vitæ diſcrimẽ,opponamus gladium Dei.

Cùm

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Cùm magnis præmiis nos inuitat ad idololatriā, caueamus ne iſtis hamis nos in naſſam damnationis pertrahat. Breuiter, in tota vita laboremus, & creſcamus in vera Dei cognitione, & muniamur aduerſus Satanam præſentia Filij Dei; cui victóri noſtro vnà cũ Patre & Spiritu ſancto ſit gloria in ſecula, Amen.

DOMINICA SECVNDA IN quadrageſima, Euangelium Matth. 15.

ET digreſſus illinc Ieſus, ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Cananæa, quæ à finibus illis venerat, clamabat ad illum dicens, Miſerere mei Domine fili Dauid, filia mea miſerè à Dæmonio agitatur. Ille verò non reſpondit ei verbum. Et accedentes diſcipuli eius, rogabant illum dicentes, Mitte illam, nam clamat poſt nos. At ille reſpondens, dixit: Non ſum miſſus, niſi ad oues perditas domus Iſraeliticæ. Illa verò venit & adorauit eum, dicens, Domine, ſuccurre mihi. At ille reſpondens, dixit: Non eſt honeſtum ſumere panem filiorum, & obijcere catellis. Hæc autem reſpondit: Certe Domine, etenim catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum. Tunc reſpondens Ieſus, dixit illi: ô mulier, magna eſt fides tua. Fiat tibi ſicut vis. Et ſanata fuit filia eius ex eo tempore.

ENARRATIO TEXTVS.

Hiſtoriæ ſumma & vſus.

Hoc Euangelium ad nos gentes præcipuè pertinet. Exemplum enim huius mulieris Ethnicæ, gentes recipi docet. Nam vt eam inuocantem recepit & iuuit: ita nos quoque vult recipere, non enim apud Dominum eſt acceptio perſonarum, vt & Petrus ait, Act. 10.34. In veritate comperio, quod non ſit perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet Dominum & operatur iuſticiam, acceptus eſt illi. Eſt autem hoc immotum decretum Dei, quod vt omnes impœnitentes abiiciat & damnet: ita quicunque agunt pœnitentiam, & ex fide Deum inuocant, per mediatorem vnicum Ieſum Chriſtum recipiantur, & ſola bonitate Dei ſaluentur. Cuius decreti exemplum videmus in hac muliere, quæ ſub cruce inuocat, exauditur, & fide iuſtificata ſaluatur, iuxta illud Ioëlis, cap. 2.32. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Loci tres.

Partes.

I. *Quæ ſit vera & ſalutaris pœnitentia.*
II. *Cur Chriſtus hanc mulierem repulerit.*
III. *Viua imago veræ Eccleſiæ.*

DE PRIMO.

Locus, de pœnitentia.

Omnino neceſſarium eſt rectè doceri homines de vera pœnitentia: ea enim niſi adfuerit, nemo ſaluari poteſt: ideo dicā clarè & diſtinctè, 1. quid ſit ſalutaris pœnitētia, 2. quomodo fiat. 3. quib. abſoluatur partib.

Definitio.

Chriſtiana & ſalutaris pœnitentia abſque omni dubio, eſt conuerſio hominis ad Deum, vt fiat noua creatura, iuxta ipſius voluntatem, quantum fieri poteſt, in hac infirmitate viuens. Vel, vt clarius dicā, ſalutaris pœnitentia eſt verus dolor de offenſa Dei, cũ voto ac ſpe veniæ propter victimam filij Dei, & voluntate, ſingularíque ſtudio omne poſthac peccatum vitandí, Deóque totam vitam poſthac approbandi.

Definitionis probatio.

Hanc eſſe veram definitionem ſalutaris pœnitentiæ, vnico Ezechielis teſtimonio oſtendi poteſt. Hîc enim Propheta cap. 18. ita ait, 30.31. Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas: proiicite à vobis omnes iniquitates veſtras: & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum.

Explicatio.

Hoc teſtimonio tria continentur. Primum eſt inuitatio ad pœnitentiam. Nemo, inquit Dominus, venit ad me, niſi quem pater traxerit. Secundum eſt promiſsio non erit vobis in ruinam iniquitas. Tertiũ eſt pœnitentiæ deſcriptio. Agite, inquit, pœnitentiam. Vult nos ergo dolere de offenſa Dei. Proiicite à vobis omnes iniquitates veſtras: ergo fugam & odium peccati requirit. Cũ ait, Conuertimini ad Deũ, fidem requirit, ſine qua nemo ad Deum conuerti poteſt, fide enim, vt inquit Paulus, acceſſum habemus ad Deum. Præterea cum additur, facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum, vt noua ſimus creatura poſtulat, iuxta Dei voluntatem viuentes. Hinc conficitur, quod vera & ſalutaris pœnitentia ſit dolor verus de offenſa Dei, cũ voto ac ſpe veniæ, ardentiq; ſtudio omne peccatum vitandi, ac Deo in poſterum totam vitam approbādi. Hoc in illuſtri exēplo clarius videamus. Dauid poſt horrendum lapſum in adulterium & homicidium, pœnitentiam agit iuxta formam in Pſalm. 51. expreſſam. Primùm ait, Miſerere mei Deus ſecundũ magnam miſericordiam tuam. Hîc & dolet ob ſuam miſeriam, quod Deum adeo indigne offenderit, & agnoſcit Deum miſericordem, vnde votum & ſpes in eo extitit, ac viua in Meſſiam fiducia. Quātus autem fuerit dolor, quantáque fides, qua ſuperauit dolorem, idem Pſalmus multis verbis indicat. cũ autem addit in eodem Pſalmo, Spiritum nouum crea in viſceribus meis, ſe nouā creaturam fieri optat. Huiuſmodi multa ſunt exempla, vt Adam, Manaſſis, Petri, Latrōis, Magdalenæ, &c. quæ nos cogitare oportet, vt illorum exemplo & erudiamur de vera pœnitentia, & ſeriam pœnitentiam cum illis agamus.

Confirmatio definitionis ab exemplis.

Etſi autem ex ijs, quæ diximus, mediocriter intelligi poteſt, quomodo fiat vera pœnitentia: tamen illud diſtinctius declarare volo: nihil enim homini magis neceſſarium eſt, quam vt vera pœnitentia reconcilietur Deo & ſaluetur. Vt igitur ſciamus quomodo vera pœnitentia agatur, obſeruanda ſunt ſeptē pūcta.

Alia confirmatio à ſpeciali & diſtincta declaratione partium pœnitentiæ.

1. Noticia Dei requirentis obedientiam. Hæc ſumitur ex Decalogo. Ego ſũ Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, &c. Hîc requirit Deus agnitionem ſui: deinde ſequitur qualem obedientiam poſtulet: Non habebis Deos alienos coram me. Tertius: comminationes additæ teſtantur, quod damnet inobedientiam: Viſitans (ait) inquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem. Poſtremo etiam de Deo ſciendum eſt, quod ſit miſericors, ſecundum vocem Euangelij. Antequam igitur ad veram pœnitentiam pateat aditus, requiritur noticia Dei requirentis obedientiam, iudicantis & dānantis ſerio inobedientiā, & rurſus miſerentis & recipientis peccatores in gratiam propter mediatorē.

Notitia Dei.

2. Hanc notitiam ſequi debet examen factorũ noſtrorũ ad legem Dei, & ſingula præcepta ſeorſim ſũt conſiderāda. Primũ ergo in hoc examine vide an Deum habeas cui ſoli fidas, an ipſũ timeas, an ames, an totis viribus colas, an ipſius nomē tibi ſit ſacroſanctũ, an ipſum prędices, celebres, inuoces, quēadmodum primæ tabulæ præcepta præcipiunt. Ad eundem modum examen inſtituendum eſt in ſecunda Tabula de proximo, &c. Ex hoc examine venięs in cognitionē tuæ turpitudinis, & iuſtę damnationis propter Dei offenſam: huiuſmodi examē à nobis requirit, quoties ſcriptura nos hortatur ad pœnitētiā.

Examen operũ ad legē Dei

3. Hoc examine inito ex agnitione peccati, & iudicij Dei, oritur vehemens pauor in conſcientia, quem pauorem augent circumſtantiæ iudicij Dei, quæ ſunt præſentes calamitates, tyrānis diaboli, infernales pœnæ, mors æterna & damnatio.

Pauor in conſciētia

4. In hoc ingenti pauore, niſi fides ſuccurreret, infiniti homines perirent. Nam in hoc pauore, ex cōtēplatione miſericordiæ Dei promiſſæ propter Chriſtum, concipitur fiducia remiſſionis peccatorum. Atque ita homo tanquam ex inferno eluctatur, & apprehendit manum Filij Dei, qui ſe ex inferno eripit.

Fides.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Hîc mens promiſsiones Dei cogitat, intuetur Filium Dei pendentẽ in cruce pro tuis & meis peccatis. Audit vocẽ Ioëlis conſolatione pleniſſimam, Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia gratioſus & miſericors eſt, tardus ad iram, & velox ad pietatem, & parcens ſuper malitia. Harum promiſsionum exempla conſiderentur, vt nos iſtis confirmemus.

Spes veniæ.

5. Cognita hac Dei miſericordia, peccator cõcipit ſpem veniæ, & incipit palam ſuum deplorare peccatum, confitetur Deo ſuam turpitudinẽ, & confugit ſeria oratione, & ardenti corde ad miſericordiã Dei.

Iuſtificatio.

6. Qui hoc pacto per hos gradus aſcendit: Primum agnoſcens Deum, ipſius iudicium & miſericordiam, ſicuti iam expoſitum eſt, is hac fiducia abſoluitur à peccato ſuo, & iuſtificatur coram Deo, non ſua iuſticia, ſed Chriſti, quæ omni credenti imputatur. Nam vera noſtri iuſtificatio eſt credentis perſonæ in Chriſtum abſolutio à peccato, imputatio iuſticiæ Chriſti, acceptatio ad vitam æternã gratis propter Chriſtum.

Noua obedientia.

7. Iuſtificatus fide & adoptatus in filium & regeneratus agit gratias Deo, celebrat Deum, & totam vitam in poſterum emendat.

Expoſitio ſuperiorũ à Manaſſis exemplo.

Verùm vt hæc clarius à nobis intelligi poſſint, proponam exemplum ſalutaris pœnitentię, de qua audiſtis, & ſumam Manaſſem regem Iuda, in cuius pœnitentia ſalutari hæc omnia conſpiciuntur, quemadmodum in ipſius oratione apparet.

Primùm enim cum inquit, Domine omnipotens, Deus patrum noſtrorum Abraham, & Iſaac, & Iacob, quem omnes pauent & tremunt à vultu virtutis tuę, & inſuſtentabilis eſt ira comminationis tuæ ſuper peccatores, immẽſa vero & imperueſtigabilis miſericordia promiſſionis tuæ, quoniam tu es Dominus altiſſimus, gratioſus, miſericors, & multum miſerens, & pœnitens ſuper maliciis hominum. In his verbis Manaſsis, eſt 1. Agnitio Dei. 2. Debitæ obedientię teſtificatio. 3. Iudicij diuini in peccatores confeſſio. 4. Miſericordiæ noticia & prædicatio.

Deinde ſecundum ſequitur, videlicet examen factorum Manaſſis ad normam legis, ita enim ait, Peccaui ſuper numerum arenæ maris, multiplicatæ ſunt iniquitates meæ Domine.

Tertiò, quantus pauor fuerit in corde ipſius oſtendit, cum ait, Et nõ ſum dignus intueri & aſpicere altitudinem cœli præ multitudine iniquitatũ mearũ.

Quartò, in his pauoribus erigit ſe cogitatione miſericordiæ, & ait: Et nũc flecto genu cordis mei precans ad te Domine, qui promiſiſti pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, qui peccauerunt tibi.

Quintò, ſequitur veniæ precatio. Quare peto rogans te, Remitte mihi Domine, remitte mihi, & ne ſimul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus reſerues mala mihi, quia tute Deus, Deus, inquam, pœnitentium, & in me oſtentas omnem bonitatem tuam.

Sextò, hæc precatus ſtatuit ſe exauditum & iuſtificatum: quare & addit: Quia indignum ſaluabis me ſecundum magnam miſericordiam tuam. Hîc Manaſſes iuſtus fide factus, noua eſt creatura.

Septimò, hanc gratuitam iuſtificationem ſequitur emendatio in tota vita. Vnde ſequitur in ipſius oratione, Et laudabo te ſemper omnibus diebus vitæ meæ, quoniam te laudat omnis virtus cœlorum, & tibi eſt gloria in ſæcula ſeculorum, Amen.

Aliud exẽplum.

Hanc rationem agendi pœnitentiam omnes ſancti ſemper ſunt ſecuti. Dauid agnoſcit Deũ, agnoſcit iudicium Dei, agnoſcit miſericordiam, ſuum factum examinat, pauet ob peccatum: erigit ſe fiducia miſericordiæ, precatur veniam, iuſtificatur fide, iuſtificatus Deum celebrat. Hæc in Pſalmo 51. conſpiciuntur.

Præcipuæ partes pœnitentiæ.

Audiuimus quid ſit pœnitentia, & quomodo fiat, iam quæ ſint eius capitales partes tenendum eſt, & numerantur tres, quæ ſunt, Contritio, Fides, & noua vita.

Ad contritionem requiruntur primò tria, quæ ſunt agnitio Dei, examen facti, & pauor conſcientię ob peccatum.

Ad fidem tria proxima, cogitatio miſericordiæ, petitio veniæ, & iuſtificatio.

Ad nouã vitã requiritur vltimum, quod in cordis, oris, & vitę inſtitutione ſecundũ Legẽ Dei conſiſtit.

DE SECVNDO.

Cur Chriſtus mulierem repulerit.

Scribitur in hoc Euangelio, quod Chriſtus repulerit hanc mulierem. Quare hoc facit? quare dicit ſe tantũ miſſum eſſe ad oues, quæ perierunt de domo Iſraël? An non idẽ Dominus eſt, qui dicit, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, &c. Reſpõdeo. Dominus hoc fecit nõ ſine magnis cauſſis 1. Hoc fecit vt mulieris fides hac mora exerceretur & creſceret. 2. Vt eſſet exemplum pietatis aduerſus pertinaces Iudæos, qui Chriſtum contemſerunt. 3. Vt oſtenderet Dominus, ſe velle vinci à nobis aſſiduitate precum noſtrarũ. 4. Vt hoc exemplo doceret præſentes ſpectatores veram pietatis indolẽ.

Obiectionis explicatio.

Sed Dominus aliã cauſſam aſſignat, cur hanc mulierem repulerit: dicit enim, Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt de domo Iſraël. Reſpondeo, Hoc nõ dicit Chriſtus, quaſi negaret gentibus acceſſum ad gratiam ſuam. Fuit enim illa mulier gentilis, ſed aliæ cauſſæ ſunt. 1. Vult hîc notare obſtinatam malitiam & ingratitudinem Iudæorum, qui Chriſtum peculiariter ad ſe miſſum non agnouerunt. 2. Quòd verbum Dei ipſe Chriſtus ante mortem ſuã prædicaret Iudæis, & poſt mortem daret mandatum prædicandi gentibus. Nã Dominus prohibuerat prædicare Euangelium inter gentes ante ſuã mortẽ. Verũ poſtea cũ à morte excitatus eſſet, dedit hoc mandatum Apoſtolis, Ite in mũdum vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ &c. Hoc mandatum manifeſte oſtendit, quod Chriſti beneficia ad Iudæos & gentes pertinent, hoc eſt, quod omnes ex Iudæis & gentibus, qui Chriſtum recipiunt, & veram pœnitentiam agunt, ſint participes beneficiorum Chriſti, ita vt ipſius ſanguine omnia illorum peccata ſint abolita, & tandem in extremo die ſurgant ad beatam immortalitatem & vitam ęternam. Verùm qui Chriſtum recipere recuſant, viuentes abſque pœnitentia, illi abſque miſericordia æternis pœnis cum Diabolo punientur. Nam ſicut Dominus fuit, eſt, & erit miſericors omnibus agentibus pœnitentiam, abſque omni conditione perſonarum: ita fuit, eſt, & erit implacabilis iudex eorum, qui pœnitentiam non agunt: non moratur, ſiue ſimus reges, ſiue nobiles, ſiue ciues, ſiue ruſtici.

DE TERTIO.

Imago Eccleſiæ Chriſti & ſingulorũ membrorum.

Pulcherrima imago Eccleſiæ Chriſti, & ſingulorũ membrorum deſcribitur in hac Cananæa muliere. Primum enim quemadmodũ hæc Cananæa mulier obruitur calamitate: ita & tota Eccleſia & ſingula eius mẽbra. Hinc Paulus, 2. Tim. 3. 12. Omnes, qui volunt piè viuere in Chriſto, perſecutionem patientur. Hoc Chriſtus docet, cum iubet nos tollere iugum ſuum. Vult enim Deus nos fieri conformes ſuo filio in afflictionibus & ærumnis, qui olim ſumus illi futuri conformes in gloria. Rom. 8. 2. Eccleſia in his calamitatibus orat opẽ: nã nullum aliud aſylum habet Eccleſia, quam orationem ad Deum, qua impetratur auxilium. 3. Chriſtus videtur auertere aurem, dum non ſtatim impetramus quæ volumus. 4. Eccleſia exemplo huius mulieris non deſinit precari: ſed perſeuerabit in oratione, donec impetrauit quod petit.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Doctrina

Porro ſingula membra Eccleſiæ hinc quod diſcant habent.

1. Vnuſquiſque noſtrûm ſe agnoſcat Cananæum, hoc eſt, impium & indignum gratia Dei.

2. Clamet cum hac muliere, Miſerere, miſerere.

3. Si tentaris, perſiſte tamen huius mulieris exemplo: ſi nón hodie aut cras te exaudierit, tuæ tamen preces non erunt inanes, ſed verè exaudiētur propter Chriſtum, ſi ex fide, huius mulieris exēplo oraueris.

4. Agnoſce te canem cum hac muliere: ſed talem, qui ex micis cadentibus de menſa Domini ſui ſaturetur, ideóque in oratione perſiſte.

5. Futurum eſt & tibi, quod huic mulieri accidit quæ prius canis dicebatur, mox pro filia agnita eſt: tanta eſt miſericordia Domini, cui honor & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA TERTIA IN quadrageſima, Euangelium Lucæ 11.

ET erat eijciens Dæmonium, & illud erat mutum. Cúmque eieciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: Per Beelzebub principem dæmoniorum eijcit dæmonia. Et alij tentantes, ſignum de cælo quærebant ab eo. Ipſe autem cū ſciret cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum aduerſus ſeipſum diuiſum, deſolabitur, & domus ſupra domum cadit. Quod ſi Satanas quoque aduerſus ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnū eius? quia dicitis: per Beelzebub me eijcere dæmonia. Quod ſi ego Beelzebub præſidio eijcio dæmonia, Filij veſtri cuius præſidio eijciunt? ideo ipſi iudices veſtri erunt. Porro ſi digito Dei *eijcio dæmonia, profectò peruenit ad vos regnum* Dei. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet. Vbi verò fortior eo ſuperueniens vicerit eum, vniuerſa arma eius aufert in quibus confidebat, & ſpolia eius diſtribuit. Qui nō eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit. Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca arentia, quærens requiem, & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et cum venerit, inuenit eam ſcopis mundatam atque ornatam, tunc vadit & aſſumſit ſeptem alios Spiritus ſecum nequiores ipſo, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt extrema hominis illius peiora primis. Factum eſt autem, cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti. At ille dixit, Quinimo, Beati qui audiunt ſermonem* Dei, *& cuſtodiunt illū.*

ENARRATIO TEXTVS.

Hiſtoriæ argumentum & vſus.

Hoc Euangelium, dilecti, clare oſtendit, cur Chriſtus venerit in hunc mundum & aſſumſerit humanā naturam: nimirum vt & nouum regnum inchóaret, & regnum Diaboli aboleret, hoc eſt, quod Deus dicit Gene. 3.15. Semen mulieris conteret caput Serpētis, quod Iohannes interpretatur, cum ait, 1. Ioan. 3.8. Chriſtus apparuit, vt deſtrueret opera Diaboli, hoc eſt, regnum Diaboli, quod à peccato incipit, peccato ædificatur, damnatione æterna abſoluitur. Huius Satanæ regni deſtructorem declarat ſe Chriſtus in hoc Euangelio, dum liberat hominem obſeſſum à Diabolo. Nam cum Diabolum expellit, primum ſignificat ſe potentiórem Diabolo eſſe. Deinde ſe ipſius hoſtem declarat. Tum ſigno oſtendit ſe humani generis Saluatorem. Præterea oſtenditur hic ingratitudo mundi erga ſuum Saluatorem, cum impij Iudæi adſcribunt Satanæ opera Dei. Poſtremò in fine huius Euangelij mulier clamans dat Chriſtó occaſionem monſtrandi veram beatitudinem. Nam dum mulier clamat, Beatus venter qui te portauit, Is reſpondet: Quin imò, Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Loci quatuor.

Patet.

I. Differentia regni Satanæ & regni Chriſti.

II. Contentio inter Iudæos & Chriſtum, in qua Iudæi reprehendunt Chriſti factum, ipſe vero illud defendit.

III. Quid futurum eſt illis, qui Chriſtum receptum rurſus reijciunt, obtemperantes Satanæ.

IIII. Quæ ſit vera beatitudo & felicitás.

DE PRIMO.

Regni Chriſti & Satanæ differentia.

Et erat eijciens Dæmonium. Hæc verba aperte teſtātur duo diuerſa eſſe regna: Chriſti & Satanæ, & eſſe maximam differentiam inter hęc duo diuerſa regna, adeo vt nunquam inter ea conuenire poſsit. Cū ergo Diabolus & Chriſtus duo ſint potentiſsimi diuerſorum regnorum reges, de vtroque dicemus, vt intelligatur, quātum mali ſit in Satanæ regno, & quantum boni & felicitatis in Ieſu Chriſti ſalutari regno.

De Diabolo, locus.

De Diabolo hęc quatuor puncta conſiderāda ſunt. 1. Quis ſit. 2. Quid faciat. 3. Cur faciat. 4. Cur Deus permittat vt faciat.

1. Quis ſit

Quis ergo eſt? Quantum ad naturam, eſt creatura Dei, ſicuti Angeli Dei: quantum ad ſtudium & peruerſitatem, quam ex ſe habet, eſt mendax, latro, fur: qui perpetuo homicidio & mendacio gaudet, & nihil magis expetit, quam humani generis ęternum interitum. Quod talis ſit Diabolus, docet fraus eius, qua primos homines decepit.

2. Quid facit.

Quid facit Diabolus? Videmus in hoc Euangelio, quod hunc miſerum hominem reddat cæcum & mutum. Conſidera quæſo hîc Diaboli crudelem tyrannidem aduerſus hunc miſerum. 1. Aures obturat illi. Quare? ne verbum Dei audiat. Cur hoc cupit? Quia ſcit Diabolus primum gradum in cœlum eſſe, verbū Dei audire. Nemo enim ſine auditu verbi Dei vnquā ſalutem conſecutus eſt. Euangelium enim, vt inquit Paulus, Rom. 1.16. eſt potentia Dei in ſalutem omni credenti. 2. Cor obſidet, ne verbum in eo locum habeat. Quare hoc facit? Quia ſcit ſine fide, quę ex verbi auditu eſt, neminem iuſtificari. Nam vt Chriſtus dicit, Ioann. 3.36. qui non credit, ira Dei manet ſuper eum. 3. Reddit mutum. Quare? ne confiteatur Chriſtum ſuum ſaluatorem. nam ſcit neminem ſaluum fieri ſine oris confeſsione: ſic enim Paulus Rom. 10.10. ait, corde creditur ad iuſticiam, ore fit confeſſio ad ſalutem. 4. Reddit hunc miſerum cæcum, ne videat. Quare? ne videat opera Dei, enarrantia gloriam Dei, vt Dauid teſtatur, cum ait, Pſal. 19.1. cœli enarrāt gloriam Dei, & opera eius annunciat firmamentū. Ecce occludit Satan huic miſero homini omnes vias ſalutis.

3. Quare facit.

Quare hoc facit iſte malignus? 1. Quia ipſe damnatus eſt, & nullam ſalutis ſpem habet. 2. Odio Chriſti tanto laborat, quod ipſius regnum ferre nō poteſt. 3. Odio implacabili aduerſus humanum genus inflammatur, adeo vt cupiat omnes ſecum æternùm damnari: Ideo Petrus inquit, 1. Petr. 5 8. Diabolus vt Leo rugiens circumit, quærens quem deuoret.

4. Cur Deus id permittat

Sed cur Deus hoc permittit Satanæ, vt ita homines vexet? 1. Hanc pœnam noſtro peccato meruimus: quicquid enim nobis mali acciderit, nobis ipſis adſcribemus, & cauſſam in nobis ipſis quæremus. 2. Deus hoc permittit, vt intelligamus quanta ſint beneficia Chriſti erga Eccleſiam. nemo enim melius intelligit libertatis aut ſanitatis commoda, quàm qui aliquando carceris mala & morbi moleſtias expertus eſt. 3. Vt Chriſtum inuocemus contra Diabolum, qui ſolus eum ſuperare poteſt. 4. Vt fide nos aduerſus illū muniamus, iuxta illud, cui forteis reſiſtite in fide. Eſt enim

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

enim fides victoria mundi,vt ait Iohannes,1. Iohã.5. Hæc eſt victoria quæ vincit mundum,fides noſtra.5. Vt præſentia Chriſti liberati à Satanæ tyrannide, & agnoſcamus Chriſtum in nobis habitare, iuxta illud 1.Reg.18.36. Vt ſciat omnis terra, quod ſit Deus in Iſraël,id eſt, in Eccleſia, & Deum prædiçemus qui nos liberat.

De Chriſto, locus.

De Diabolo audiuimus, quis ſit, quid faciat, cur Eccleſiæ exitio ſtudeat, & cur id Deus permittat: Nunc de rege Chriſto audiamus,de quo dicam:Quis ſit, quid faciat,& cur faciat.

1.Quis ſit.

Quis eſt Chriſtus? Deus & homo, à Patre ante ſecula natus,æternus Deus cum æterno Patre & Spiritu ſancto,quemadmodum in Symbolis cõfitemur: Deſcendit de cœlo propter noſtram ſalutem, & aſſumſit humanam naturam, vt ſua morte liberaret nos ab æterna morte & ſupplicio.

2. Quid facit.

Quid facit? Hoc docet nos præſens Euangelium.1. Aperit huic ſurdo aures.Deinde eiicit ex illo Diabolum,ſoluit linguam,vt loqui poſſit: oculos quoque aperit.Hoc ipſum quotidie facit in ſua Eccleſia.1.Aperit aures,vt audiamus verbum: quicunque enim libenter audit verbum Dei, ſciat aures ſuas apertas eſſe,& qui contrà non audit verbum libenter,ſciat ſuas aures adhuc à Satana obturatas eſſe. Quare qui nondum habet aures ad audiendum verbum, confugiat ad Chriſtum,is ſolus aperit.2.Cor à Diabolo liberat, vt credere poſſimus.nam Iohannis 6.29. docet Chriſtus,quod fides ſit opus Dei. Ita enim ait: Hic eſt opus Dei vt credatis in eum quem ipſe miſit. Si ergo non credis,adhuc diabolus occupat cor tuum: quare Chriſtus adeundus eſt,qui ſolus eum ſuperare poteſt. 3.Soluit linguam,vt eum ore etiam confitearis, prædices & inuoçes.

3. Cur facit.

Cur autem hoc facit Chriſtus? 1. Quia eſt amans hominum, quorum naturam aſſumſit, quando homo conceptus & natus eſt ex virgine.2.Quia eſt hoſtis Diaboli.3.Quia officiũ eius eſt,vt hoſtis ſui Diaboli regnum inuadat,ipſum hoſtem ſpoliet, ac omnes in ſe credentes donet vita æterna.

Antitheſis vtriuſque regni

Ex his iam apparet, quantum ſit diſcriminis inter regnum Diaboli & Chriſti.In regno Diaboli eſt peccatum & mors. In regno Chriſti eſt iuſticia & vita. In regno Satanæ eſt dãnatio:in regno Chriſti eſt abſolutio à damnatione,& ſalus. In regno Satanæ ſunt tenebræ:in regno Chriſti eſt lux perpetua. In regno Satanæ eſt cruciatus: in regno Chriſti eſt gaudiũ. In regno Satanæ conſpicitur Diabolus cum damnatis omnibus:in regno Chriſti Sancti fruũtur conſpectu Dei & immortalitatis gloria, per Chriſtum Ieſum. Hinc ergo admoneamur, & quanto cum ſtudio fugiendum ſit regnũ Satanæ, & quanta diligentia conandũ ſit, vt ciues conſtituamur beati regni Chriſti.

DE SECVNDO.

Contentio inter Iudæos & Chriſtum.

Iudæi videntes hoc factum Chriſti, tanquam legati Satanę,ſe totis viribus Chriſto opponunt,& dicũt: *In Beelzebub principe Dæmoniorum eijcit Dæmonia.* Vide quanta ſit mundi malitia. Dei opus Diabolo aſſcribit,quo in peccatis ſuis moriatur. Quis mortaliũ tanta inſania inſurgeret aduerſus Chriſtum, niſi ſpiritu Satanæ excitaretur? Verùm Chriſtus illam contumeliã Diaboli nequaquã fert,ſed fortiſſimis argumentis iſtam Diabolicam contumeliam confutat.

Argumẽta Chriſti aduer. calumniam Iudæorũ.

Primum argumentum.*Nemo poteſt per vnum Diabolum alium eijcere.* Ergo vos improbè aſſeritis me in nomine Beelzebub eiicere dæmonia. Nam ſi vnus Diabolus alij Diabolo vim faceret, & eum eiiceret, non eſſet ſtabile regnum Diaboli. Nunc autem vidемus regnum Satanæ maximè ſtabile & firmum eſſe.Nam omne regnum contra ſe diuiſum, deſolabitur.Vbicunque enim eſt diſcordia,ibi certus expectandus eſt interitus.

Secundum argumentum eſt.*Si ego in nomine Beelzebub eijcio dæmonia, veſtri quoque filij in eodem nomine eijciunt dæmonia*, ſed hoc veſtro ipſorum iudicio eſt falſum:nam vos Dei virtute illos dæmonia eiicere fatemini quare improbè facitis, cum me dæmonia in nomine Beelzebub eiicere aſſeritis.

Tertium argumentum.*In digito Dei*,id eſt,potentia diuina eiicio dæmonia. Ergo falſo Diabolo aſſcribitis opus meum.

Quartum argumentum.Fortis à fortiori ſuperatur. Diabolus à me ſuperatur. Nam illum eiicio,illius ſpolia capio.Igitur ſum illo fortior. *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum,in pace ſunt ea quæ poſſidet.* Quis eſt ille fortis armatus? Serpens antiquus. Cuſtódit atrium ſuum,dum habitat in incredulis, dum hominum ſenſus excæcat, ne Chriſtum ágnoſcant: atque tum omnia quæ poſsidet,ſunt in pace, quando ſcilicet ſilet verbum Dei, & ſonant humanæ traditiones. Verùm cùm gladius ſtringitur,quod eſt verbum Dei,mox Diabolus cogitur cedere:nam Chriſtus,qui in verbo eſt,potentior eſt Satana.

Quintum argumentum. *Qui non eſt mecum, contra me eſt,& qui non colligit mecum,diſpergit.*hoc eſt, Diabolus diſſipat Eccleſiam, & ego colligo Eccleſiam, ergo inter me & Diabolum non conuenit: quod autem diabolus diſſipet Eccleſiam,probat pulcherrima ſimilitudine.

DE TERTIO.

Quinti argumenti probatio à ſimili.

Cùm immundus Spiritus exierit de homine. hoc eſt, cum Diabolus,qui & ipſe immundus eſt, & animos hominum coinquinare multis modis ſolet, exierit de homine,quemadmodum iam de miſero hoc, qui obſeſſus erat,mea virtute eiectus eſt.Quid tum facit? *Ambulat per loca inaquoſa,quærens requiem, & non inueniens,dicit:Reuertar in domum meam vnde exiui.* Ambulat per loca inaquoſa,id eſt, per corda non irrigata flumine S.ſancti. Quid eſt quod quærat requiem & non inueniat? hoc dicto ſignificatur eius ſtudium:nõ enim ſatis eſt ei nocuiſſe,niſi magis noceat. Tanto perdendi homines ſtudio laborat,non contentus eſt multa çorda poſſidere,niſi ad ea redeat, à quibus antea expulſus,vnde dicit.*Reuertar in domum meam vnde exiui.*His verbis ſignificatur,quod non ſinat intẽtatos eos,qui fide purgati ſunt: ſed conetur rurſus in eorum corda intrare, quo eos à regno Chriſti abducat:quod cum fit,fiunt nouiſsima hominis illius peiora prioribus,quia fit de nouo hoſtis Chriſti,expellit Spiritum ſanctũ,& grauiores pœnas luet,niſi rurſus per véram pœnitentiam eiecerit diabolum. Obſeruemus ergo, quàm periculoſum ſit iis, qui ſemel Chriſto dederunt nomina, & rurſus ſe iugo diaboli ſubiiciunt. Hi enim vt grauiſſimè in ſpiritum ſanctum peccant: ita etiam grauiſsimæ pœnæ ſunt ipſis metuendæ. Quare qui ſalutis ſuæ vlla tanguntur cura,citò reſipiſcant, & ſtrenuè aduerſus Satanam militent:ne eos rurſus in peccatorũ diluuiũ præcipitet.

Doctrina

DE QVARTO.

Locus,de vera felicitate.

Factum eſt cum hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba,dixit illi:Beatus venter, &c. *At ille dixit,Quinimo,Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Hic primum obſeruemus diuerſa hominum iudicia de verbo Dei.Quidam admirantur & amant verbum,vt hæc mulier: Quidam malè loquũtur de verbo, vt illi, contra quos hîc Chriſtus agit. Nã ſemper à principio mundi fuerunt tales auditores verbi

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

verbi. Cain verbum contemſit: Abel amauit. Nohe amauit verbum: & reliquus totus mundus contemſit. Tempore Hieremiæ paucißimi verbum Prophetarum receperunt cum fructu: plerique ad veterem idololatriam redire maluerunt. Hinc apud Ieremiã dicunt, Quando ſacrificauimus reginę cœli (id eſt, Soli) omnia fuerant nobis proſpera: abundauimus frumento, &c. Ad eundem modum noſtri dicunt: quando Miſſas audiuimus, dedimus Monachis, omnia fuerunt in meliore precio, maior erat timor Dei maiórque charitas. Hanc gratiam refert mundus Deo pro ſuo beneficio. Dat nobis verbum ſalutis: nos potius volumus humana ſomnia. Offert gratis, nos volumus Monachorum nugis mereri. Sed iſtis omiſſis audiamus Chriſtum, *Beati*, inquit *qui audiũt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*. Hæc pauca verba ſunt, & habent additam magnam promiſſionem.

Verbum Dei quid

Quódnam eſt illud verbum Dei? Aliud eſſe non poteſt, quam quod Prophetæ tradiderunt, Chriſtus ſuo cõfirmauit ſanguine, Apoſtoli docuerũt. Quódnam eſt illud? Eius ſummam habet puerilis noſtra doctrina Catechiſmus, & ſunt decem præcepta, Symbolum, doctrina de Sacramentis, & quã ſingulis diebus Dominicis auditis ex Euangelio, hoc eſt, vt vno dicam verbo, quam Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli docuerunt. Hoc verbum vult audiri: ergo vult miniſtros eſſe & paſtores, qui hoc verbum docere poſſint. Nam cum det verbum, offerat ſalutem, quæ fide ex auditu percipitur, neceſſarium eſt, vt ſint qui hoc verbum doceant.

Quid eſt cuſtodire verbum Dei.

Verum quia non ſatis eſt docere & audire verbũ, niſi cuſtodiatur, addit Dominus: *Et cuſtodiunt illud.* Quid eſt cuſtodire verbum? Eſt verbum auditum diſcere, retinere, eíque credere, & ex fide Deo veram obedientiam præſtare. Ita Abraham pater noſter fecit, audiuit verbum, retinuit, eíque obediuit, & ex fide tantam obedientiam præſtitit, quod potius, mandante Deo, voluerit ſuum vnigenitum filium mactare, quàm Dei præceptum violare. Sed quis eſt inter nos, qui Deo hanc obedientiam præſtat? filij volumus Abrahæ dici, ſed nolumus patris veſtigiis inſiſtere. Quid illis promittit, qui audiunt & obediunt?

Beati qui ſint.

Beati, inquit, qui audiunt verbum, &c. Beati, id eſt, ſunt ab omni miſeria liberi, à peccato & damnatione. Beati, ideſt, donati vita & gloria æterna, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit vnus Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA LÆTARE, Ioan. 6.

POſt hæc abijt Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis, & ſequebatur eum turba multa, quia videbant eius ſigna, quæ faciebat ſuper his qui infirmabantur. Subijt autem in montem Ieſus, & ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis. Inſtabat autem Paſcha feſtus dies Iudæorum. Cum ſuſtuliſſet ergo oculos Ieſus, & vidiſſet, quod multa turba veniret ad ſe, dicit ad Philippum, Vnde ememus panes vt edant iſti? hoc autem dicebat tentans eum: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Reſpondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, vt vnuſquiſque puſillum quippiam accipiat. Dicit ei vnus ex diſcipulis ipſius Andreas, frater Simonis Petri: Eſt puer hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos piſces, ſed hæc quid ſũt inter tam multos? Dixit autem Ieſus, Facite vt homines diſcumbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Diſcubuerunt ergo viri numero ferme quinque millia. Accepit autem panes Ieſus, cúmque gratias egiſſet, diſtribuit diſcipulis ſuis, Diſcipuli verò diſcumbentibus. Similiter & ex piſcibus quantum volebat. Vt autem impleti ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperfuerunt fragmenta, ne quid pereat. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, qui ſuperfuerant his qui comederant: Illi ergo homines cum vidiſſent, quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant: Hic eſt verè Propheta ille, qui venturus eſt in mundum. Ieſus ergo cum cognouiſſet quod venturi eſſent, ac rapturi ipſum, vt facerent ipſum Regem, ſeceſſit iterum in montem ipſe ſolus.

ENARRATIO TEXTVS.

Hiſtoriæ argumentum & vſus.

Summa huius Euangelij eſt, quod Chriſtus doctrinam, quam tradit Mat. 6. 33. Primum quærite regnum Dei & iuſtitiam eius (id eſt, Dei) & cætera adiicientur vobis, hîc facto ſuo & exemplo confirmat: vt nos verbo Chriſti & miraculo eius edocti, curam ventris abiiciamus, & ſequamur Chriſtum in deſertum, eíque omnem curam pro nobis relinquamus, iuxta eius mandatum. Pſal. 37. 5. Iacta in Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. Vult ergo totum hoc Euangelium docere, quod, qui verbum Dei audiãt, ament & conſeruent, non ſint perituri fame, quia Chriſtus eorum in ſe curam recipit. Loci tres.

Partes.

1. *Quod Deus habeat curam illorum, qui ſe ſequuntur.*
2. *Circumſtantiæ præſentis miraculi, & eius apud nos vſus.*
3. *Factum huius turbæ volentis Chriſtum Regem creare. Item de Chriſti fuga.*

DE PRIMO.

Quæ ſint hic obſeruanda.

In hac prima doctrina multa perpendenda ſe offerunt, quorum ſingula aliquam doctrinam & admonitionẽ ſuppeditant: vt ſunt Chriſti profectio, operatio, ardor turbæ ad ipſum audiendum, quid turbam mouerit, quæ vtilitas inde ad turbam peruenerit, & quid nos ab exemplo turbæ & facto Chriſti diſcere debeamus.

1. Profectio Chriſti.

Profectio Chriſti narratur his verbis. *Abijt Ieſus trans mare Galilææ, quod eſt Tiberiadis.* Fuit autem Tiberias vrbs in honorem Tiberij Imperatoris ab Herode extructa apud Iordanem. In hac profectione Chriſti, obſeruandus eſt finis & exemplum. Finis fuit vt latè propagaret ſuum Euangelium, doctrina & miraculis. Exemplum eſt, vt nos Chriſtum imitetur, quiſque in ſua vocatione, non parentes nobis, ſed nocte diéque per terram, per mare, noſtræ ſtudeamus vocationi reſpondere. Neque hoc exemplũ eſt miniſtris verbi imitandum tantùm, ſed omnibus iuxta rationem, vocationis cuiuſque.

2. Quid agit.

Quid in hac profectione agit Chriſtus? Marcus cap. 6. 34. dicit, Chriſtum miſertum fuiſſe eorum, qui erant ſicut oues non habẽtes Paſtorem, & cœpit eos docere multa, Matthæus addit, quod tota die fuerit occupatus in ſanandis ægrotis. Hæc quatuor offerunt perpendenda. 1. Affectus Chriſti 2. Cauſa iſtius affectus. 3. Quales ſimus ſine miniſterio verbi. 4. Quis finis miniſterij.

Miſeretur turbæ.

Cum Chriſtus miſeretur turbæ, monemur, vt cogitemus, quàm paternè ſit erga nos affectus, vt qui noſtris calamitatibus afficiatur: hoc eſt, quod Apoſtolus dicit ad Hebr. c. 4. 15. Nos habemus Pontificẽ, qui poteſt compati infirmitatibus noſtris. Cur autẽ miſertus ſit turbæ, cauſa fuit quæ narratur à Marco, Quia erant ſicuti oues, non habentes paſtorem. Sed quales ſunt oues ſine paſtore? Miſeræ expoſitæ furũ & luporum iniuriis. Cum autem hoc diceret Dominus, populus per falſos doctores erat abductus à vero Dei cultu in varias ſuperſtitiones, quarum fructus eſt animarum interitus: quemadmodum nos olim in

Cauſa iſtius affectus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Papatu experti ſumus,vbi pro vero cultu Dei fuerũt in Eccleſiam inuectæ horrẽdæ ſuperſtitiones, vt inuocatio ſanctorum, prophanatio Sacramentorum, purgatorium,& aliæ nugæ, quæ hodie vtinã in multorum animis non reſiderent. Hinc ergo diſcamus, quales ſint homines ſine miniſterio verbi,nẽpequod ſint veluti oues in deſerto vagantes:vbi omni momẽto periculum graue illis immineat à furibus & lupis, imò,vt vno verbo dicam, Vbi non eſt verbum Dei, ibi nulla ſalus. Diſcamus & hic finem miniſterij verbi. Homines ſine verbo ſunt ſicuti oues vagantes ſine paſtore. Ergo verbum eſt illis veluti baculus paſtoralis, quo homines è deſerto ad ſuum paſtorem congregantur. Eſt & veluti pabulum, quo reficiantur & alantur. Eſt & remedium,quo animæ noſtræ ſanantur. Breuiter eſt ſemen immortale,per quod renaſcimur ad vitam æternam,quando verbo prædicatõ credimus:quanta autem ſit diuini verbi neceſſitas hinc facile intelligitur.

Quales ſimus ſine miniſterio verbi.

Finis miniſterij.

3. Ardor populi.

Ardor populi ad audiendum Chriſtum hic etiam indicatur. *Sequebatur*, inquit Euangeliſta, *eum multitudo magna*:Idque in locum deſertum procul ab vrbibus,vbi nec cibus nec potus erat. Vide maximum ardorem,quo populus geſtit Chriſtum audire,vt nullam curam corporis ſui habere videatur: hora multa præteriit,inquit Marcus.

4. Quid populum mouerit.

Cur autem Chriſtum ita ſecuta ſit turba, explicat Iohannes in hodierno Euangelio,cùm ait: *Quia videbant ſigna quæ faciebat.* Signa autem fuerunt cùm teſtimonia potentiæ diuinæ in Chriſto,tum doctrinæ quædam ſignacula,& ſummæ beneuolentiæ Chriſti erga homines indicia. Nam in horum trium cogitationem deuenerunt per ſigna & miracula quæ Dominus fecit.

5. Quid inde percepit.

Ex hoc ergo,quod hæc turba ſit Chriſtum ſecuta, hoc percepit cõmodũ, quod in ſalutis ſuæ cognitionem deuenerit:nam cum doctrinam ſuam quam ore docuit,ſtupendis miraculis cõfirmauit, fidem verbo adhibuerunt,qua fide illi omnes ſaluati ſunt,qui vſq; ad finem perſeuerauerunt. Deinde & corporalia beneficia perceperunt multi:nam ſanauit male habentes,quemadmodum referunt alij Euangeliſtæ.

6. Quid nos ab exemplo turbæ & facto Chriſti diſcere debeamus.

Quomodo iã huius turbæ exemplũ eſt nobis imitandum? 1. Hanc turbam imitamur,ſi verbum Dei diligenter audiamus & ei credamus, conuicti miraculis Chriſti, quibus veritatem ſuæ doctrinæ confirmauit. 2. Imitabimur etiam hanc turbam in eo,quod regulæ à Chriſto Mat.6.36. traditæ obediat, ita enim Chriſtus ait, Quærite primum regnum Dei & iuſticiam eius,& cætera adiicientur vobis. Hic ordo eſt diligenter ab omnibus piis obſeruandus. Prima cura debet eſſet regni Dei,& iuſticiæ Dei. Deinde etiam ſuo loco pro vocationis ratione eſt laborandum. Nã ita ſcriptura ait,Gen.3.19. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Et in Pſal.128.2. dicitur, Labores manuũ tuarum manducabis. Paulus quoque dicit, 2.Theſſ.3. 10. Qui non laborat,non manducet. Ita labor omnibus præſcribitur,ſed iuxta rationẽ cuiuſque, alius eſt enim labor,paſtoris, alius agricolæ, alius regis, alius Cancellarij & Senatoris. Verum cauẽdum eſt omnibus,ne ordine inuerſo laborent,quod faciũt illi, qui primam quidem curam ventris habent, poſtremam verò mentis. Qui ergo Magiſtratum gerit,ſic cogitet Meus Chriſtus dicit, primùm quærite regnum Dei & iuſticiam eius,& poſtea reliqua huic vitæ neceſſaria: huic præcepto mei Domini obtemperabo, certus quod verè,quod promiſit, ſit præſtaturus vtut ratio & mundus totus obmurmuret: & hunc ordinem à Chriſto præſcriptum conetur euertere. Deus oues paſcit, cur me ipſi obedientem non paſceret? Dat corpus,cur non veſtem? dat animam:cur non cibum? dat æterna: cur non tẽporalia? Quicunque ergo pius eſt,debet hanc regulam Chriſti ſequi. Quærite primum regnum Dei & iuſticiam eius, & cætera adiicientur vobis. Verùm, proh dolor! multi cõtra hanc regulam peccant. Primum enim qui non ſolum ipſi verbum Dei non audiunt,ſed aliis impedimẽto ſunt, vt non audiant,quemadmodum impij mariti faciũt, qui ſuas vxores à verbo retinent,auariciæ ſuæ explẽdæ gratia. Hi ſuo temerario auſu irrumpunt in officium Dei,& Chriſti præceptum malignè contẽnunt: vnde quicquid agunt,male ſuccedit. Primùm volunt corpori proſpicere: Deinde, ſi quando vacat, animæ exiguam curam habent. Colligo,inquit aliquis, vxori meæ & liberis. Rectè facis, & probo tuum ſtudiũ: natura enim hoc docet,& ratio dictat,vt maritus vxoris & prolium curam habeat,& Paulus dicit, Qui negligit ſuos,eſt infideli deterior:ſed collige iuxta Chriſti regulam,& huius turbæ exemplũ. Primùm quære regnum Dei. Deinde in vocatione tua ſis diligens. Si aliter feceris:liberi tui non gaudebunt ex tuis laboribus. Nam maledictus labor eſt tuus: & maledictus fructus laborum tuorũ erit:nec proderit liberis tuis. Eſt autem hoc dictum veriſsimum. Ex male quæſitis non gaudet tertius hæres. Experientia docet quod malè à parentibus parta liberi vt plurimum cum meretricibus,in ganeis,in potationibus:in contentionibus & litibus abſumere turpiter ſoleãt. Quare ſi pietas nobis cordi eſt, Chriſti regulam & huius turbæ exemplum imitemur: quod ſi fecerimus ſentiemus liberalem manum Dei erga nos.

Applicatio.

Correctio

Admonitio.

DE SECVNDO.

Iam videamus præſentis miraculi circumſtantias, quæ multæ ſunt. 1. Primũ Dominus dicit Philippo: *Vnde ememus panes vt manducent hi?* Cur hoc additur ab Euãgeliſta? *Hoc autem dicebat tentans eum*,hoc eſt, vt experiretur quid haberet fidei, qui antea viderat aquam in vinum conuerſam eſſe in Cana Galileæ.

Miraculi circunſtantiæ.

2. Sed quid reſpondet Philippus? Ducentorum denariorũ panes non ſufficiunt eis,vt vnuſquiſque modicum accipiat. Hîc Philippus immemor miraculorum,quæ antea viderat,rationem ſuam in conſilium adhibet,quaſi diceret, Magna turba eſt,requiritur ad eam ſaturandam magna pecunia,& nos nihil fere habemus,fruſtra enim de pane emẽdo diſputatur,deliberatio fruſtrà adhibetur,dũ impoſſibilitas impedit.

3. Sed venit alius diſcipulus Andreas, & dicit, puerum adeſſe,qui habeat quinque panes hordeaceos,& duos piſces,ſed hæc nihil ad tantam turbam: hic diſcipulus etiam deſperat.

4. Sed quid ad hæc Chriſtus? Dicit ergo eis? Facite homines diſcumbere,quaſi dicat,cum hoc ſit impoſſibile veſtro iudicio,vt tãta turba hîc conſeruari poſſit,ne fame pereat: Ego quæ illis dixi & vobis, Quærite primum regnum Dei,& iuſticiam eius,& cætera omnia adiicientur vobis,oſtendam facto meam promiſſionem non eſſe vanam,vos ſaltem iubete turbæ, vt ad comedendum diſcumbat.

5. Hic diſcipuli magiſtro obtemperant, & viri numero quaſi quinque millia ſe ad comedendum componunt,expectantes miraculoſam ſaturitatem.

6. Cùm ita diſcumberent,accepit Ieſus panes illos quinq; hordeaceos & piſces,ac primum facta benedictione, & actis gratiis, diſtribuit diſcumbentibus, quantum volebat. Poſtquam autem ſaturati ſunt, dixit diſcipulis ſuis: Colligite quæ ſuperſunt fragmẽta,ne quid pereat. Et illi obtemperantes collegerunt duodecim cophinos fragmẽtorum. Videtis miraculum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

lum, quo Chriſtus ſuam diuinam potentiam, ſuam promiſſionem & ſuum officium confirmat.

Doctrinæ.

Quid nos hinc diſcere debemus? Multæ ſanè Doctrinæ hinc peti poſſunt.

1. Confirmatur id quod in primo loco audiuimus, videlicet, quod qui Chriſtum ſequuntur, non ſint fame perituri, quemadmodum iam audiuiſtis.

2. Hoc miraculo confirmatur affectus Chriſti erga eos qui ſequuntur, de qua re etiam in prima doctrina audiuimus.

3. Confirmatur hoc miraculo, quod contra rationis iudicium Chriſtus poſſit iuuare, quando vult. Nam vt regnum Chriſti & regnum mundi ſunt diuerſa: ita alia fieri poſſunt in regno Chriſti, quàm in regno mundi. Nam qui regno Chriſti præſidet, omnipotens eſt, cuius velle eſt fieri: Omnia enim quæ voluit, vt inquit Dauid, Pſal. 115. 3. fecit in cœlo & in terra. Cum igitur proponit nobis Euangelium miranda Dei opera, de reſurrectione mortuorum, de vita æterna, de æternis Impiorum pœnis, & huiuſmodi alia, non adhibebimus in conſilium rationem noſtram, vt ab illa quæramus, quid fieri poſſit, ſed ſolum verbum Dei interrogabimus. Si enim Deus aliquid dicit, mox veniet nobis in mentem eius potentia & veritas, quia potens eſt, nihil eſt ei impoſſibile, & quia verax, quicquid dicit, ratum & firmum erit. Dicit enim, cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. Matth. 24.35.

4. Docemur & hoc miraculo & Chriſti facto; quòd Deus res modicas piorum augere velit ſua benedictione. Non enim in magna rerum copia ſita eſt ſaturitas: ſed in benedictione Domini, quæ ſola diuites facit. Vnde Chriſtus, Lucæ 12.15. Non in abundantia cuiuſque vita eius ex ijs quæ poſſidet. Et Dauid Pſalmo 122.6. Et abundantia diligentibus te. Sæpiſſime accidit, quod pauper aliquis timens Deum melius paſcitur pane & olere, quàm diues impius ex precioſis ferculis & dulciſſimo vino. Pauper Lazarus melius paſcebatur micis, quæ ei vix dabantur, quàm diues epulo ex ſuis delicatis cibis. Hæc diligenter cogitemus ſinguli, ac expectemus promiſſionem Domini, vt noſtris laboribus benedicat, & noſtrum panem augeat. Is enim iuſſit orare & dicere, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

5. Adhæc docet nos Chriſti factum, vt vſurpaturi diuina beneficia gratias agamus Deo pro ſuo dono & petamus, vt ſuum donum ſua benedictione conſecrare velit. Creatura enim Dei ſanctificatur per verbum & orationem, quemadmodũ Paulus docet, 1. Timoth. 4.5. Verùm fit, vt multi, quia non agnoſcunt diuina beneficia, & multò minus gratias agũt datori, vel in magna rerum copia ſint egentes, vel magna premantur paupertate. Quare hortor vos, vt hoc Chriſti exemplum imitemini, quoties bonis Dei donis vti volueritis. Atque hoc ſit dictũ de præſenti miraculo. Sequitur iam tertius locus.

DE TERTIO.

Factũ turbæ & Chriſti.

Cum vidiſſent (dicit Euangeliſta) *quod Ieſus fecerat ſignum, dicebant: Hic eſt verè ille Propheta, qui venturus eſt in mundum. Ieſus ergo cum cognouiſſet, quod venturi eſſent, vt raperent ſe, & facerent ſe Regem, fugit iterum in montem ipſe ſolus.*

1. Quid probandũ & improbandũ in

Hîc duo proponuntur exempla, Vnum turbæ, alterum Chriſti. In turba duo videmus, Vnum, quod ex miraculo agnoſcit Meſſiam, id quod rectè à turba factum eſt: nam Propheta Iſaias prædixit fore, vt cũ venerit in mundum Meſſias, magna miracula eſſet editurus, per quæ agnoſceretur. Hactenus ergò rectè iudicauit turba. Alterum quod videmus in turba, eſt error iudicij turbæ, quæ cum videret ex miraculo Ieſu eſſe Meſſiam, voluit eum in Regem creare. Sed Chriſti Regnum non eſt mundanum, ſicuti ipſe Pilato dixit, Regnum meum nõ eſt de hoc mundo. Voluit quidem turba grata eſſe Chriſto, ſed non ſecundum ſcientiam ſuam declarauit gratitudinem. Vnde nos diſcamus gratitudinem erga Deum ab hac turba: verùm quia illa errauit in facto, nos verbum Dei pro regula gratitudinis amplectamur.

facto turbæ.

II. Fuga Chriſti quid nos doceat.

Cæterum cum Chriſtus cognouiſſet imperitum turbæ zelum volentis ſe in Regem creare, fugit in montem, & non patitur ſe Regem à turba creari. Quid nos hinc diſcamus? *Primum*, quòd modo dixi, quod regnum Chriſti non ſit mundanum: *Deinde* quod nullum honorem expetere debeamus contra noſtram vocationem. Vnuſquiſque ſit cõtentus eó dignitatis gradu, ad quem vocatus eſt, & non inuadat alienam functionem gloriæ cupiditate. Verùm hæc tria ſpectemus quiſque in ſua vocatione. 1. laboremus ſtrenuè in timore Dei. 2. Non quæramus vulgi laudes, ſi quid boni egerimus. 3. Hoc ſit noſtrũ propoſitum, vt Deo & ipſius Eccleſiæ ſeruiamus in timore Dei. Qui aliter agunt, nihil rectè faciunt, offendunt Deum, ſuam ſuperbiã produnt, quos Deus ſæpe ſinit labi, vt ipſorum ſtulticia innoteſcat, ac ita ſuæ arrogantiæ pœnas luant. Quod ne nobis quoq; accidat, rogemus Deum, vt nos ſuo Spiritu gubernet. Cui ſoli & æterno Deo ſit honor, laus, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA IVDICA, Iohan. VIII.

QVis ex vobis arguet me de peccato? Porro ſi veritatem dico, quare vos non credidiſtis mihi? Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: Propterea vos non audiſtis, quia ex Deo non eſtis. Reſponderunt ergo Iudæi & dixerunt ei: Nónne bene dicimus nos, quod Samaritanus es tu, & Dæmonium habes? Et reſpondit Ieſus: Ego Dæmonium non habeo, ſed cohoneſto Patrem meum, & vos ignominia affeciſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam, eſt qui quærat & iudicet. Amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo illi Iudæi: Nunc cognouimus quod Dæmonium habes. Abraham mortuus eſt & Propheta, & tu dicis, qui ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt, & Prophetæ mortui ſunt? quem teipſum facis? Reſpondet Ieſus: Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis Deum veſtrum eſſe, & tamen non cognouiſtis eum, ego autem noui eum, & ſi dixero quod non nouerim eum, ero ſimilis veſtri mendax: ſed noui eum, & ſermonem eius ſeruo. Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, & vidit atque gauiſus eſt. Dixerunt ergo Iudæi ad eum, Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti? Dixit eis Ieſus, Amen amen dico vobis, Antequam Abraham naſceretur, ego ſum. Tollebant ergo lapides Iudæi, vt iacerent in eum. Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit è Templo.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ENARRATIO TEXTVS.

Cōcionis ſumma.

HOc Euangelium continet ſingularem doctrinam de Chriſto,& eiuſdē doctrinæ oppugnationem per Chriſti hoſtes. Quemadmodum enim Chriſtus ſuam perſonam, officium & doctrinam defendit,& monſtrat verum ſalutis fontem:ita Iudæi Chriſti hoſtes ſe opponūt perſonę,officio,& doctrinæ Chriſti,& contra illum agunt tribus armis, quibus Satanas inde vſq; ab initio mūdi vſus eſt. Arma autem illa tria hæc ſunt:Hypocriſis (vdvaartis hellighed)Sophiſtica(Kragloff)tyrānis(offervold) Habet ergo hoc Euangelium duplicis regni deſcriptionem,videlicet Chriſti & Satanæ. Vt enim Chriſtus hic ſuum regnum tuetur:ita Satanæ ſatellites ſui Domini partes agunt. Verùm quia noſtra intereſt potius quid dicat Chriſtus, quam quid contrà ſentiat Satanas, ex verbis Chriſti duas doctrinas huius Euāgelij proponam,& quid ad ſingulas reſponderint ac fecerint hoſtes Chriſti declarabo. Loci duo.

Partes.

I. Quod quemadmodum Chriſtus ſit verus Meſſias, ita omnis qui eum non audit, à Deo non ſit.

II. Quod, qui verbum Chriſti ſeruat, à morte æterna liberetur. Et in his duabus præcipuis huius Euangelij doctrinis, contentionem inter Chriſtum & Iudæos exponam, in qua expoſitione multæ particulares doctrinæ ſe offerunt.

DE PRIMO.

1. Quod Chriſtus ſit verus Meſſias.

Primę doctrinæ partes ſunt duæ, Vna, quod Chriſtus ſit verus Meſſias. Altera, quod qui Chriſtum non audit, à Deo non ſit. De priori parte ita habet textus: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi?* Doctrinam Chriſti reprehenderunt Iudæi, quia Satanas & eius miniſtri oderunt veritatem. Chriſtus ſuam doctrinam vitæ innocentia, Prophetarum teſtimonijs,& varijs miraculis confirmauit, vt & agnoſceretur à Iudæis verus Meſſias eſſe, & ab illis crederetur Chriſto in ſalutem. Cùm ergo illi inſtinctu Satanæ, odio Chriſti, & amore ſuæ falſæ doctrinæ, quam à maioribus acceperant, ſe Chriſto totis viribus opponerent: Chriſtus contrà ſentiens, ſalutem humanam, ſuam innocentiam, doctrinam & officiū defendit, vt ſaltem quoſdam ex ſuis hoſtibus lucrifaciat Deo,& à damnationis præcipitio reuocet. De innocentia ergo ſuæ perſonæ primum quærit: *Quis* (inquit) *ex vobis arguet me de peccato?* quaſi diceret: palā vixi inter vos ab infantia mea ita innocēter, vt nemo veſtrûm poſſit me vllius peccati arguere. Hoc autem cum ſit proprium Meſſiæ, quare me Meſſiam olim promiſſum non agnoſcitis? Nam ſolus Meſſias eſt abſq; omni peccato. Cum ergo nemo veſtrûm poterit me peccati conuincere, ſtultè facitis, qui nō ſolum me non agnoſcitis Meſſiam: verum etiam me vt peccatorem condemnatis. Huc addit de doctrina ſua: *Si veritatem dico vobis, cur non creditis mihi?* quaſi dicat: cum doctrinam meam innocentia vitę, teſtimonio Prophetarum, & multis miraculis ita veram eſſe doceam, vt velitis nolitis, eam veram eſſe fateamini, cur non creditis mihi? prorſus inſanus eſt, qui id quod verum eſſe nouit, tanquam falſum perſequitur: ſed ea eſt natura hominum, qui malè inſtitutus eſt à puero, difficulter ab errore reuocatur: adeo à teneris aſſueſcere multum eſt. Verùm hic quid à Chriſto & à Iudæis diſcamus? A Chriſto quidem diſcant omnes miniſtri verbi, vitā ſuam inſtituere,& ita docere, vt nemo quicquā habeat, quod vel in vita, vel in doctrina arguere poſſit. Tametſi enim ſolus Chriſtus purus erat ab omni peccato: tamen qui eius Euangelium docere volunt cū fructu, debent publicis criminibus carere. Poeta enim rectè dicit:

Argumentum ab innocentia ſuæ perſonæ.

Aliud argumentū à certitudine ſuæ doctrinæ.

Doctrina.

Turpe eſt doctori cum culpa redarguit ipſum.

Correctio

Quomodo enim, quæſo, ſacerdos potator potatores reprehendere poterit? quomodo audebit ſcortator ſcortatores & adulteros caſtigare? quomodo auarus auariciam? *Vſurarius vſuram? contentioſus lites?* Superbus, ſuperbiam damnare? In ſumma: qui alios vult arguere, ipſe debet eſſe ſine culpa. Qui autem dicunt: Facite vt doceo,& nolite facere, vt ago, non ſunt Chriſti miniſtri, ſed Satanæ. Nam nemo docere cenſendus eſt, niſi vita exprimat quod verbis docet. Ita enim Paulus docet Timotheum: Eſto forma gregis, id eſt, quòd voce doces, vita exprime, vt doctrinæ exemplū viuum in te conſpiciant auditores tui, 1. Ti. 4. 12. Vnde & de ſe Paulus dicit, 1. Cor. 11. 1. Eſtote imitatores mei, ſicut ego Chriſti. Deīde, qui audiunt Euangeliū, debent aliquid ab his Iudæis diſcere, non quidē vt cum illis ſe Chriſto & ſuis doctoribus opponant: ſed vt eorū damnatione admoniti pœnitentiā agant,& Chriſti beneficio ſaluētur.

2. Qui Chriſtum nō audit, ex Deo non eſt.

De altera parte primæ doctrinæ ita ait textus: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Cauſam aſſignat, cur Iudæi tam malignè doctrinam Chriſti contempſerint, videlicet, quod non fuerint à Deo, ſed à Satana. Nō loquitur hîc de humana natura, quæ verè à Deo eſt, ſed de malicia hominum, quæ eſt à Diabolo: hæc enim malicia facit, quod homines verbum Dei non libenter audiant. Hic vnuſquiſque ſe examinet,& de ſe ipſo ſtatuat, num à Deo ſit aut Diabolo. Qui etenim verbum Dei libenter audit, habet teſtimonium Chriſti quod ſit à Deo, contrà qui verbum contemnit & perſequitur, verè eſt à Diabolo, tametſi hoc libenter non volunt audire homines impij. Sed quemadmodū hîc Iudæi Chriſtū, qui ſibi hoc indicauit, perſequebantur & calumniabantur: ita hodie miniſtros Euangelij perſequuntur, qui voce illorum declarantur à Diabolo eſſe. Quid ergo hic dicunt Iudæi? Reſponderunt & dixerūt ei: Nonne bene dicimus nos, quod Samaritanus es tu,& dæmonium habes? Hæc eſt ars Satanæ, quod quando non poteſt inficiari veritatem, confugit ad conuicia: ita & hodie fit, quando non poſſunt homines negare, quin verbum Dei ſit, quo illorum impietas arguitur, ſtatim confugiunt ad conuicia, & aliquid quærunt, quod in miniſtris Euangelij reprehendant. Sed quid facit hic Chriſtus? Reſpondet: *Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meā, eſt qui quærat & iudicet.* In hac reſponſione Chriſtus primum negat ſe habere Dæmonium, quod ex eo confirmat, quòd quærat gloriam Dei, quod non faciunt, qui pacta cum Diabolo fecerunt. Deinde conuicium in Iudæos retorquet, cùm inquit: *Et vos inhonoraſtis me*, qui Deum honoro. Qui enim eos conuicijs afficiunt, qui Deum honorant, à Diabolo eos duci neceſſe eſt. Præterea cum addit: *Ego non quæro gloriam meam: eſt qui quærit & iudicat*, remouet à ſe inanis gloriæ cupiditatem, & ſe in ſuo officio Patri commendat. Ex hac Chriſti reſponſione, miniſtri verbi tria diſcant: 1. Tueri ſe quantum fieri poſſit à conuicijs quibus afficiantur, ne illorum miniſterium vileſcat, vbi ipſi in contemtum venerint. 2. Conuiciatoribus ſua peccata obijcere, quod non tam contra homines, quàm contra Deum ipſum belligerantur. 3. Suam gloriam

Obiectio Iudæorū.

Chriſti reſponſio.

Doctrina.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

gloriam nõ quærere, ſed Dei, & certò ſibi perſuadere, quod Deus ipſorum innocentiam tueatur.

DE SECVNDO.

Qui verbũ Chriſti ſeruat, à morte æterna liberatur.

De ſecunda doctrina ita ſonant verba Domini: *Amen amen dico vobis, Si quis ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum.* Hæc verba ſunt bene perpendenda, quæ ſummum beneficium Chriſti erga homines continent, videlicet quod qui ſermonem Chriſti ſeruauerit, non ſit viſurus mortem in æternum. Verùm quò hæc melius intelligamus, volo ordine explicare quid contineant. Primum enim hîc obſeruandum eſt iuramentum Chriſti. 2. Quales ſimus ſine Chriſto. 3. Quid per illum conſequi liceat. 4. Quomodo beneficiorũ Chriſti participes fieri valeamus.

1. Iuramẽtũ Chriſti.

Iuramentum eò pertinet, vt confirmet nos de veritate Dei contra omnes humanas & diabolicas doctrinas, contra ſenſum carnis, atque adeo contra totum regnum Diaboli, quod Sophiſtica, hypocriſi & tyrannide conſtat: non enim fieri poteſt, vt Filius Dei fallat, qui tanto iureiurando fidem ſuę doctrinæ fecit.

2. Quales ſimus ſine Chriſto.

Quales ſumus ſine Chriſto? per Chriſtum fit, vt nõ videamus mortem in æternum: quare ſine Chriſto æternæ mortis ſumus rei. Eſt autem, vt quadruplex vita, ita & quadruplex mors.

Vita & mors naturæ.

Prima vita eſt naturæ, qua naturaliter in hoc mũdo viuimus. Hæc vita bona quidem per ſe eſt, quia eſt donum Dei, quod promittit in quarto præcepto: ſed variat pro conditione hominum. Abrahamo quidẽ fuit bona, quia is ea vſus eſt in gloriam Dei. Neroni verò fuit mala, quia eſt vſus eſt, cum in contumeliam Dei, qui eam dedit, tum in ſuã ipſius cõdemnationẽ. Huic vitæ naturali opponitur mors naturalis, quæ mala quidem per ſe eſt, quia eſt pœna peccati: ſed pro conditione hominum variat. Nam vt Abrahamo hæc mors fuit tranſitus ad vitam meliorem, quare ei bona fuit: ita Neroni fuit ianua gehennæ, igitur ei mala erat.

Peccati.

Secunda vita eſt pecccati, qua ſcilicet viuit peccatum in homine, & regnat per concupiſcentias ſuas, vt in omnibus impijs. Hæc perpetuo mala eſt, quia ad damnationem tendit. Huic opponitur mors peccati, qua mortificatur peccatum in nobis, quod fit, quando & vera pœnitentia & timore Dei viuimus. Hæc mors peccati ſemper eſt bona, quia tranſitus eſt ad vitam æternam.

Tertia vita eſt gratiæ, qua viuit Chriſtus in nobis per gratiam: hæc ſemper bona eſt, quia eſt donum Dei, & via ad gloriam. Huic opponitur mors gratiæ, hoc eſt, priuatio gratiæ, quod fit, quando relabimur in peccata, & abijcimus fidem. Hæc ſemper eſt mala, quia eſt via ad gehennam.

Aeterna.

Quarta vita eſt vita æterna, qua pij viuent cum Deo & Angelis in æterna beatitudine hæc vita maximè bona eſt. Huic opponitur mors æterna, quæ eſt æterna dãnatio. huic morti æternæ obnoxij ſunt omnes ſine Chriſto: niſi enim Chriſti beneficio ab hac morte liberemur, erit nobis perpetuum peccati ſtipendium: ſicut Paulus dicit Rom. 6. 23. Tales ergo ſumus ſine Chriſto, hoc eſt, miſeri, damnati, & rei æternæ mortis.

3. Quid per Chriſtum conſequimur.

Sed quales per Chriſtum euadimus? Hoc Chriſtus iuramento aſtruit, nimirum quod ab æterna morte liberati donemur æterna vita, in qua erit gaudium ſine fine.

4. Quomodo.

Quomodo Chriſti beneficiorum reddimur participes? Reſpondet hoc Euangelium: *Amen, amen dico vobis, ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, non videbit mortem in æternum.* In verbo igitur Chriſti magnus theſaurus eſt: qui hoc ſeruat, habet Chriſtum, qui ſolus eſt via ad vitam. Quid eſt ſeruare verbum Chriſti? Eſt illud audire, illud diſcere, eíq; credere, iuxta illud, qui credit in Filium, habet vitam æternam. Quare? quia qui credit, iuſtificatur fide ſua, hoc eſt, abſoluitur à peccato, donatur iuſtitia Chriſti, & acceptatur propter Chriſtum ad vitam æternam. Qui igitur vitam æternam cupit, hęc obſeruet quæ iam dicta ſunt, viuat in perpetua pœnitentia, audiat verbum Chriſti, ei credat, & vſque ad mortem in fide perſeueret: ita futurum eſt, vt hęc naturalis mors ſit illi tranſitus futura ad æternam vitam.

Iudæorũ cauillum ſophiſticũ

Sed quid Iudæi dicunt ad hanc Chriſti ſalutarem doctrinam? Chriſtus dicit: *Qui cuſtodierit ſermonem meum, non videbit mortem.* Iudæi reſpondent: *nunc cognouimus quod dæmonium habes, Abraham mortuus eſt & Prophetæ, & tu dicis, Si quis ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum, nunquid tu maior es Abraham patre noſtro, qui mortuus eſt, &c. quem te ipſum facis?* quaſi dicerent: Si ſermo tuus adeo eſt efficax, vt te audientes nõ guſtent æternam mortem, ſanè maior es Prophetis & Patriarcha noſtro Abraham, qui mortui ſunt: ſed hoc eſt falſum: non enim es maior Abrahã. Eſt igitur falſum quod dicis, qui cuſtodierit ſermonem meum, non guſtabit mortem in æternum: quare blaſphemus in Deum es, & habes dæmonium. Chriſtus reſpondet & ait: *Si ego glorifico me ipſum, gloria mea nulla eſt* (ſcilicet veſtro iudicio) *eſt Pater qui glorificat me.* Sententia horum verborum eſt, Filius vnigenitus Dei eſt maior ſeruis Dei & Filijs Dei adoptiuis: Ego ſum Filius Dei vnigenitus, quemadmodum Pater ipſe de me teſtatur voce ſua & operibus. Prophetæ autem & Abraham ſunt ſerui Dei & filij Dei adoptiui. Quare ſum ego maior, quam Abraham & Prophetæ: non eſt ergo mirum, ſi ſermo meus eſt efficacior quam illorum. Deinde Sophiſtica ſunt vſi: nam quod Chriſtus dixit de æterna morte, illi de naturali morte interpretati ſunt, ſed malignè. Quare Chriſtus pergit eos reprehendere dicens: *Si dixero quod non noui eum, ero ſimilis vobis mendax. Nam vos dicitis, vos nouiſſe quem non noviſtis.* Sed quid eſt noſſe Deum? eſt 1. ſcire quis ſit, nempe Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. 2. credere in illum. 3. iuxta ipſius voluntatem vitam inſtituere.

Refutatio.

Alterum refutationis membrum.

Tertium membrũ refutationis.

Verum quia Iudæi de Patre Abrahamo gloriabantur, pergit Chriſtus oſtendere, quam vana ſit iſta iactantia, & ait: *Abraham pater veſter exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt.* His verbis tria docet Chriſtus: 1. Quod fuerit, antequam aſſumſerit humanam, naturam, nempe ab æterno, æternus Deus. 2. Quod Abraham in ſe crediderit: nam credere in Chriſtum, eſt ſpiritualiter Chriſtum videre. Videtur autem Chriſtus tripliciter. Spiritualiter tantum, vt Abraham, & nos, qui in illum credimus hodie. Corporaliter tantùm, vt Iudæi viderunt ipſum, qui hîc cũ eo colloquebantur. Corporaliter & Spiritualiter ſimul, vt ſancti, qui cum Chriſto in terra verſati ſunt, & eos qui credunt poſt reſurrectionem mortuorum. Prima & vltima viſio eſt ſalutaris. 3. Docet Chriſtus his verbis, quòd Iudęi non inſiſtant veſtigijs patris ſui Abraham, de quo adeo gloriantur. Nam Abraham agnouit Chriſtũ, & in eum credidit, & gauiſus eſt de eo. Iudæi autẽ nec in Chriſtum credunt, nec de illo gaudent, imo potius Chriſtũ dãnãt, quare falſò glorãitur de Abrahamo. Sed quid reſpõdẽt ad hoc Iudęi? *Quinquaginta*

Quotuplici modo Chriſtus videtur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

annos nondum habes, & Abraham vidiſti? ac ſi dicerent: Abraham mortuus eſt ante duo millia annorum & vltrà: non igitur ipſum videre potuiſti, qui nondum fuiſti. Reſponſio Chriſti. Chriſtus reſpondet: *Amen amen dico vobis, antequam Abraham foret, ego ſum.* Tria aperte de Chriſto docent hæc verba. 1. Quod ſit verus Deus. 2. Quod ſit verus homo. 3. Quod Deus & homo in Chriſto non ſint duæ perſonæ, ſed vna tantum, diuina perſona, quæ humanam naturam aſſumſit, vt fieret victima pro mundi peccatis. Impiorũ finalis diſputatio: & eorum irriti conatus. Sed quid ad hoc Iudæi? *Tulerunt lapides, vt iacerent in eum.* Hîc deſcribitur extremum refugium Satanæ, quod eſt vis & tyrannis. Hactenus egerunt contra Chriſtum conuitijs, hypocriſi, Sophiſtica: nunc tandem arma capiunt. *Sed Chriſtus abſcondit ſe, & exit de templo.* Quo facto duo docet. Vnum quod Eccleſia diuinitus cuſtodiatur aduerſus tyrannidem Diaboli & mundi. Alterum, quòd non velit ſuum verbum, nec ſe in ſuo verbo eſſe apud eos, qui ipſum palam perſequuntur: ſed tantum apud eos, qui ſe recipiunt & amant. Huic vero Mediatori cum Patre, & Spiritu ſancto, ſit honor, laus & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA PALMARVM.
Matth. XXI.

Cum appropinquaſſent Hieroſoly*mis, &c.*

ENARRATIO TEXTVS.

Argumentum. HOc Euangelium bis in anno legitur, nempe Dominica prima Aduẽtus, & Dominica Palmarum: ſed non eadem de cauſa. Nã Dominica Aduentus legitur, quia Prophetia Zachariæ cõcionatur in eo de Aduentu Chriſti in mundum, qui futurus erat Rex & Saluator in ſe ſperantium. Hodie autem legitur propter Hiſtoriam, quæ hoc die geſta eſt, nempe ſexto die antequam pateretur.

Summa. Summa autem Euangelij eſt, quod Chriſtus ſuper aſinam & pullum eius adductos per diſcipulos ſedens, equitauit verſus Hieruſalem, cui populus acclamabat, Hoſanna filio Dauid, & palmas ſtrauerũt Partes. in via & veſtes ſuas. Deinde quod ingreſſus eiecerit ementes & vendentes, &c. Loci ſunt tres.

- I. *Deſcriptio regis Chriſti, & eius regni.*
- II. *De ciuibus huius regis & eorum officio.*
- III. *De ijs quæ in templo contigerunt, poſtquam eò Chriſtus eſt ingreſſus.*

DE PRIMO.

De hoc lege Dominica prima Aduentus, qui ibi eſt ſecundus locus.

DE SECVNDO.

Hic fuit tertius Dominica prima Aduentus: vnde petatur explicatio vſque ad paragraphum de vſu Aduentus.

DE TERTIO.

Tertius locus eſt hiſtoria eorum, quæ contigerũt in templo, poſtquam eò Chriſtus ingreſſus eſt. Hęc Hiſtoria in quatuor partes diſtribui poteſt, q̃ ſunt:

- I. *Eiectio ementium & vendentium in Templo, & eius facti ratio.*
- II. *Sanatio claudorum & cæcorum in templo.*
- III. *Defenſio puerorum clamantium Hoſanna filio Dauid.*
- IIII. *Fremitus principum ſacerdotum & Scribarum aduerſus Chriſtum.*

DE PRIMA PARTE.

Narrat Euangeliſta, quod Dominus ingreſſus Chriſti zelus. ſit templum, & eiecerit ementes & vendentes. Deinde quod cauſſam ſui facti addat, cum inquit: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronũ.* In facto tria perpẽdenda ſunt. 1. Facti occaſio. 2. Factum ipſum. 3. Significatio facti. 1. Occaſio facti. Occaſio facti fuit inexplebilis auaricia ſacerdotum, qui ideo hæc ordinarant, vt qui vellent offerre, haberent ad manum venale, quicquid cuperent. Horum auaricia cùm ſit damnanda, cauere ſibi debent miniſtri Euangelij, ne artes expilandi plebem quærant: quemadmodũ in Papatu factũ eſt, vbi Miſſas, indulgentias, & alias nugas habuerunt venales in propriam & aliorum damnationem. 2. 2. Factum ipſum Perpendendum eſt Chriſti factum: nã hoc facto teſtatur ſe Regem, ſummum Pontificem, & diuini cultus præſidem eſſe: Alioqui priuata autoritate manũ non admouiſſet: ſed voce tantum dolorem animi declaraſſet. Hoc factũ Chriſti imitari debent & magiſtratus pius, & præſides cultus diuini, ne extẽt in templis Chriſtianorum pollutiones cultus diuini. Alij quibus nõ eſt ea autoritas, debẽt dolere, & voce teſtari, ꝙ cultus diuini corruptelas improbẽt. 3. Significatio facti. Significatio huius facti eſt perpendenda: nam vt templum pollutum erat: ita ſignificauit ſpiritualem fore templi purgationem per ſuam mortem & reſurrectionem glorioſam.

Cauſa. Deinde in cauſſa huius facti, quæ exprimitur hiſce verbis: *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem, &c.* duo diſcamus. Primum quod templum viſibile ſit ſedes diuini cultus. Etſi enim omnis locus eſt pijs templum, ſiquidem licet vbique Deum inuocare: tamen templum communis locus eſt, in quo conuenire & precari, & alia, quæ ad pietatis externam diſciplinam attinent, exercere oportet: Alterum, vt nos habeamus templa deſtinata cultui diuino in honore, & ſeruemus ea munda ab idolis & idolorũ cultu. Verũ adeo, proh dolor! adhæret multis Papiſtica ſuperſtitio, vt ne idolũ de ſuo templo tolli permittant, Sed de hac re aliâs plura.

DE SECVNDA PARTE.

Chriſti miracula. Secunda pars rerum geſtarum à Chriſto in tẽplo eſt, quòd claudos & cæcos ad ſe venientes ſanauit: quo facto teſtatur primum, quod ſit verus Meſſias. Nam Propheta Iſaias prædixit, vt cum veniſſet Meſſias, talia miracula ederet. 2. Significat hoc factum officium Meſſiæ, quod eſt deſtruere opera Satanæ: nam cum morbum tollit Chriſtus, cauſam etiam amouet, cauſſa autem morbi omnis, eſt peccatum. 3. Vſum templi indicat ſymbolo, quod eò deſtinatum eſſe debet, vt nos à ſpiritualibus morbis purgemur, quod fit dum verbo, quod illic prædicatur, credimus, & credẽtes abluimur à peccatis noſtris ſanguine Ieſu Chriſti, ſicut Iohannes dicit, Sanguis Ieſu Chriſti emũdat nos ab omni iniquitate. Io. 1. 7.

DE TERTIA PARTE.

Cum pueri clamarent in templo Hoſanna filio Puerilem pietatem tuetur. Dauid, & obiurgarentur à Phariſæis, Chriſtus puerorum patrocinium ſumit, & eorum factum ſcripturę teſtimonio cõprobat. Nónne legiſtis, inquit, ex ore infan-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Doctrina

infantium & lactentium perfeciſti laudem?

Hic habemus quod diſcamus ab vtriſq;, hoc eſt, à pueris & à Chriſto. A pueris primũ diſcant noſtri pueri Chriſtũ agnoſcere & prædicare. Chriſtus enim cum dicit, regnum cœlorum pertinere ad pueros, ꝑfecto vult puerorũ fide & voce laudari & celebrari, ſed proh dolor! multi ſunt pueri, qui nõ ſolùm ignorant Chriſtũ, verũetiã adeo corruptè ſunt educati, vt nihil aliud didicerint, quam iurare, mentiri, turpiter loqui, & alias nequitias exercere, qui non ſolum ipſi aliquando ſuæ nequiciæ dabunt pœnas, verumetiã parentes ipſorum à Deo punientur, qui pueros ipſis in pietate erudiendos dedit, adeo ſacrilege neglexerunt. Deinde diſcamus à pueris Chriſtum confiteri in medio hoſtium eius. Hic aderant Phariſæi, & Scribæ præcipui gubernatores Reipu. iſtius, qui Chriſtũ perſequebantur & iraſcebantur omnibus, qui Chriſto aliquem honorẽ exhibuerunt. Verùm hac ſæuitia non ſunt abſterriti pueri, ſed quò magis prohibebantur, eò magis clamabant, ea enim eſt vis fidei, ꝙ vbicunq; ſit, non poſſit celari, ſed ſemper prorumpat in Dei laudes. Hoc officium ab omnibus requiritur, iuxta illud Pauli dictũ, Rõ. 10. 10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore fit confeſſio ad ſalutem.

A facto Chriſti diſcamus primũ, quod velit eos, qui ſibi credunt, tueri. Deinde, quod exẽplo Chriſti, ratione vocationis, debeamus innocentiã aliorum tueri, & præcipuè patrocinio noſtro piis adeſſe, ne ab impiis opprimantur.

DE QVARTO.

Impiorũ deſperata adu Chriſtũ audacia & rebellio.

Fremitus principum Sacerdotum & Scribarum aduerſus Chriſtum, longe ante pronunciatus fuit voce Dei & Prophetarũ: Nã cum Deus Gen. 3. 15. prædicit fore, vt ſemen ſerpentis calcaturum ſit Semẽ mulieris, ſignificat quod Satan & eius mẽbra homines prophani & impij ſint Chriſtum & Eccleſiam perſecuturi. Et Dauid Pſa. 2. 1. 12. non ſolũ hunc fremitũ Iudæorũ aduerſus Chriſtũ Spiritu præuidet, cum ait, Quare fremuerunt gentes, & populi meditantur inania? verumetiã ex dicto Geneſis promittit futurum, vt ſemen mulieris, id eſt, Chriſtus, & omnes in illũ credentes ſint ſuperaturi Satanam & ipſius membra. Qua autem in re conſiſtat iſta victoria, Dauid in eodem Pſalmo indicat, cum ait: Beati omnes, qui confidunt in eo. Quare nos Satanæ & eius mẽbris renunciemus, & firma fiducia recumbamus in Chriſtum victorem Satanæ & donatorem æternæ vitæ, cui honor & gloria in ſecula, Amen.

DE COENA DOMINI,
1. Corinth. XI.

EGo accepi à Domino, quòd & tradidi vobis, quod Dominus Ieſus in ea nocte, qua traditus eſt, accepit panem: & poſtquam gratias egiſſet, fregit, ac dixit, Accipite, edite. Hoc *meum eſt corpus, quod pro vobis frãgitur, hoc facite in mei commemorationẽ. Ad eundem modum & poculum, peracta cœna, dicens:* Hoc *poculum nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine: hoc facite quotieſcunq. biberitis in mei cõmemorationem. Quotieſcunq. enim comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec venerit. Itaque quiſquis ederit panem hunc, aut biberit de poculo Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem homo ſeipſum, & ſic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit aut bibit indignè, iudicium ſibiipſi edit, & bibit, non diiudicans corpus Domini.*

ENARRATIO TEXTVS.

Sũma inſtitutionis huius ſacramenti.

Hoc feſtum ideo inſtitutum eſt, vt hiſtorię inſtitutionis Cœnæ Dominicæ hoc die in Eccleſia tractetur, quo verus huius ſacræ Cœnæ vſus intelligi poſſit. Nam cum Chriſtus pridie antequam pateretur, hanc Cœnam inſtitueret, mandatum dedit diſcipulis, vt hanc cœnã in ſui conſeruarent memoriã. Quare neceſſe eſt, magnas & graues cauſas eſſe, cur neceſſarium ſit huius Cœnæ inſtitutionem magni facere. Niſi enim cauſſas inſtitutæ huius Cœnæ diligenter perpenderimus, non poſſumus ſatis admirari ſaluatoris noſtri bonitatem, qui cum eſſet in grauiſſimo dolore propter imminentem mortem, voluit tamen hanc inſtituere & eam commendare Eccleſiæ in firmiſſimum Sacramentum noſtræ ſalutis per ipſum partæ, in quo perpetuo conſeruaretur fœderis inter Deum & hominẽ ſanciti ſanguine Chriſti memoria. Verùm vt nos poſſimus de hac Cœna diſtinctius docere, proponam tres locos, quos hoc tempore explicabo per Dei gratiam. Loci tres.

Partes explicandę.

I. *Inſtitutæ huius Cœnæ circumſtantia, & ſignificationes vnde colligetur eius plena deſcriptio.*

II. *Vera & legitima probatio eorum, qui hac Cœna vtiliter vti volunt.*

III. *Verus vſus legitimáque meditatio huius Cœnæ.*

DE PRIMO.

Multæ circunſtantiæ ſunt in hiſtoria inſtitutionis huius Cœnæ, quas ordine ex textu proponam. 1. Circũſtantiæ.

Prima eſt temporis: ita enim habent verba textus: 1. Tẽpus. *Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ea nocte qua tradebatur:* Nam die Iouis ſero, antequam die Veneris ſequenti crucifigeretur, hanc Cœnã inſtituit, vnde duo colligamus. Primũ, quantũ neceſſe eſt fuiſſe amorẽ Chriſti erga nos, qui cum ſciret ſe poſtridie paſſurum, voluit tamen hanc perpetuã ſuorum beneficiorum memoriam inſtituere. Alterum, quod huius Cœnæ celebratio debeat à nobis fieri in vera pœnitentia, quẽadmodum poſtea rurſus dicetur.

Secunda circumſtantia eſt de conuiuis, qui fuerunt 2. Cõuiuę in hac Cœna. In ea præfuit Chriſtus: aderant diſcipuli boni & mali. Boni quidem fuerunt infirmi valde: malus fuit ſolus proditor Iudas. Hinc docemur, quod Chriſtus velit ſemper adeſſe huic Cœnæ, & quod Cœna hæc pertineat ad diſcipulos Chriſti, tametſi impij quoque ſe immiſcent: cedit tamẽ hæc Cœna illis in iudicium & damnationem, quemadmodum poſtea rurſus dicetur.

Tertia circumſtantia eſt benedictionis: nam acce- 3. Benedictio. pto pane gratias egit. Si filius Dei ante vſum rerum agit gratias, quid nos decet?

Quarta circumſtantia eſt elementorum: nam pane 4. Elemẽta. & vino vſus eſt in huius Cœnæ inſtitutione. Quemadmodum enim homo externus alitur pane & vino: ita ſpiritualiter internus homo alitur corpore & ſanguine chriſti.

Quinta circumſtantia eſt rerum, quæ inuiſibiliter 5. Res ſignificatæ. adſunt in hac cœna: vt ſunt verum corpus & verus ſanguis Domini noſtri Ieſu chriſti.

Sexta circumſtantia eſt mandatum: mandat enim 6. Mandatum. vt Eccleſia perpetuo hunc ritum celebrandæ Cœnæ retineat: *Hoc facite*, inquit.

Septima circumſtantia eſt fœderis noui, *hic calix*, 7. Fœdus. inquit, *nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Cur autem vocetur hæc cœna nouum teſtamentum, poſtea dicetur.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

8. Finis inſtitutionis. *Octaua* circunſtantia eſt finis inſtitutæ Cœnæ, quæ his verbis exprimitur: *hoc facite*, inquit, *in mei recordationem*, hoc eſt, quotieſcunq. vtimini hac Cœna, memoriam beneficiorum, id eſt, Paſſionis & reſurrectionis meæ recolite, & annunciate mortem meam donec veniam.

9. Adquos Cœna pertinet. *Nona* circunſtantia ex octaua ſequitur, nimirum ꝙ celebratio huius cœnæ pertineat ad adultos tantũ, qui poſſunt doceri de morte Domini, & qui publice gratias agere poſſunt Domino pro beneficiis ſuis.

II. Significationes. Hæ ſunt circunſtantiæ huius Cœnæ diligenter perpendendæ. Nunc quæ ſint huius Cœnæ ſignificationes oſtendã: nã vt agnus Paſchalis plures habuit ſignificationes in veteri teſtamento: ita & hæc ſacra Chriſti Cœna, quæ in locum Agni Paſchalis ſucceſſit. Vt ergo Agnus Paſchalis 1. admonebat populũ de beneficio olim præſtito, id eſt, de liberatione à ſeruitute Ægyptiaca. 2. Cõfirmabat fidẽ vtentiũ. 3. Adumbrabat futurã victimã Chriſti. 4. Perpetui fœderis inter Deum & homines typus erat. Ita cœna hæc habet quoq; varias ſignificationes: ídq; partim reſpectu præteriti tẽporis, partim præſentis, partim futuri, partim æternitatis: quas ſignificationes nunc exponã quã poſſum clariſſimè. Deus adſit & mihi docenti & vobis audientibus, vt in Dei gloriam cedat, & in noſtri ſalutarem inſtructionem.

1. Reſpectu præteriti tẽporis. Quæ eſt ſignificatio cœnæ reſpectu præteriti tẽporis? ſi tempus præteritum reſpicimus, eſt hæc ſacra cœna cõmemoratio quædam hiſtoriæ de paſſione Domini, iuxta chriſti mandatum: *hoc facite in mei commemorationem.* Quotieſcunque ergo vel ipſi accedimus ad cœnam, vel alioqui interſumus cœnæ celebrationi, debemus meminiſſe mortis, ſepulturæ, & reſurrectionis Domini.

2. præſentis. Quæ eſt ſignificatio cœnæ reſpectu præſentis tẽporis? Primũ ſignificat nos vniri & incorporari chriſto, idq; ſpiritualiter. Ita enim Paulus docet, cum ait: Calix benedictionis cui benedicimus, nónne cõmunio ſanguinis chriſti eſt? panis quẽ frangimus, nónne communio corporis chriſti eſt, hoc eſt, cõmunicatio corporis & ſanguinis Domini facit nos habere quandam cõmunionem cum chriſto. Deinde ſignificat, nos quoq; vniri inter nos ſpiritu chriſti, qui vnà hanc cœnam communicamus. Cuius cõmunicationis ſymbolum vnus panis exiſtit, vt Paulus teſtatur, cum ait, Quoniam vnus panis, vnũ corpus ſumus multi. Quemadmodum enim panis ex multis compactus eſt granis: ita qui vna communicant, in vnum corpus, cuius caput eſt chriſtus, ſpiritualiter coaleſcunt: atque ideo Paulus hanc chriſti cœnam vocat communionem. Hinc quidam ex ſanctis Patribus ait, cœna dicitur communio: 1. Quia communicamus per ipſam chriſto. 2. Quia participamus eius carnem & diuinitatem. 3. Quia communicamus & vnimur inuicem per ipſam.

Deinde ſignificat hæc cœna nos ſpiritualiter ali & ſuſtentari corpore & ſanguine chriſti. Vt enim panis & vinũ corpora humana nutriunt, augent, cõſeruant, exhilarant: ita corpus chriſti & ſanguis alit, auget, conſeruat & exhilarat animas noſtras ad vitã æternam, modò vera fides in nobis ſentiatur.

3. Futuri. Quæ eſt ſignificatio huius cœnæ reſpectu futuri tẽporis? Hæc ſacra cœna ſignificat, ꝙ virtute corporis chriſti reſuſcitati ex mortuis, noſtra quoque corpora olim reſurgent, vt fiant cõformia glorioſo corpori chriſti. Vnde Paulus: Si chriſtus reſurrexit, & nos ſurgemus, vt fruamur perpetua præſentia chriſti corporis in omni æternitate. Vnde quidam ſancti Patres hanc cœnam vocarunt viaticum, quia admonebant ante mortem ſumentes hanc cœnam, ꝙ chriſtus eſſet in ipſis via ex his ærumnis ad æternã beatitudinem.

4. æternitatis. Quæ eſt ſignificatio cœnæ Domini reſpectu æternitatis? Eſt perpetuum fauoris Dei erga homines teſtimonium, nullo tẽpore mutationi obnoxiũ, ac propterea vocat ipſe Dominus hanc ſuã Cœnã nouũ teſtamentum, vt ꝙ nulli vetuſtati vnquã obnoxiũ fiat. Verum vt hoc intelligatur clarius, dicã breuiſſimè, quæ in omni teſtamento concurrant, & quomodo illa quæ in omni teſtamento concurrunt, etiam hîc adſint: adhæc quid ſit nouum teſtamentum.

Teſtamẽti partes. In omni teſtamento ſunt quinq; : 1. teſtator qui facit Teſtamentũ. 2. Bona quæ teſtator legat. 3. Scripti hæredes. 4. Mors teſtatoris. 5. conditiones ſeruãdæ à ſcriptis hæredibus. Noui teſtamenti partes. In hoc nouo teſtamento teſtator eſt Chriſtus: hæreditas vitæ æternæ poſſeſſio: Hæredes ſunt Filij Dei, id eſt, omnes qui credunt in Chriſtum: Mors teſtatoris Chriſti interceſſit. Nam mortuus eſt & ſepultus, & reſurrexit tertia die. Conditiónes ſeruandæ à ſcriptis hæredibus ſunt, vt in Chriſtũ credant, eíque obtẽperent, ac vitæ innocentiam tueantur vſq; ad finẽ, & ſi lapſi fuerint in peccatum, ſeriam ante mortem agant pœnitentiã. Definitio. Hinc iã quid ſit nouum Teſtamentũ concludamus hoc modo: Nouum teſtamentum eſt fœdus æternum, ſancitum morte teſtatoris Ieſu Chriſti, de gratia Dei, remiſſione peccatorum & donatione vitæ æternæ, promiſſa omnibus gentibus & populis in Chriſtum crucifixum credentibus.

DE SECVNDO.

De vera & legitima probatione eorum qui ad Cœnã accedunt. Paulus dicit: *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat: nam qui ederit indignè, aut qui biberit indigne, iudicium ſibi edit & bibit.* Hæc verba Pauli quatuor confirmant. 1. Quod vſus Cœnæ in Eccleſia debet eſſe. 2. Quod ſit neceſſaria ante vſum huius Cœnæ probatio. 3. Quod indignè vſurpans hanc Cœnam grauiſſimè peccet. 4. Quod hæc cœna tantum porrigẽda ſit iis, qui ſe probare poſſunt. De ſecundo tantum dicam, videlicet quomodo vnuſquiſque ſe probare debeat, qui hac Cœna vtiliter vti cupit.

Quomodo ergo debet ſe probare, qui hac Cœna vult vti? Hoc Paulus docet. 2. Cor. 13. 5. his verbis: vos ipſos ꝓbate, num ſitis in fide: vos ipſos probate. An nõ cognoſcitis voſmetipſos, ꝙ chriſtus ſit in vobis? Ex quibus verbis intelligitur, ꝙ iſta probatio in hoc ſita eſt, vt vera ſentiatur fides & chriſti præſentia in nobis, hoc eſt, vt planioribus verbis dicam: is ꝓbatus eſt, & digne accedit ad ſacram chriſti cœnã, qui reuerenter in timore Dei, in vera pœnitentia, in vera fiducia, & cum pio propoſito ad hanc cœnã accedit: & cõtrà, qui ſine reuerentia, ſine timore Dei, ſine vera pœnitentia, ſine vera fiducia, & cũ propoſito peccandi accedit, is indigne accedit, non diiudicans corpus & ſanguinẽ Domini, & ſibi iudiciũ manducat, quare omnis qui accedit hanc cœnã, & habet animum manendi in ſuis peccatis, is blaſphemus eſt, & cum Iuda Sacramentum ſumit.

Vt autẽ rudes homines nõ temere præſumant hãc cœnã adire, vtilis eſt inſtituta diſciplina cõfeſſionis & abſolutionis in Eccleſiis noſtris. Nã hæc diſciplina multũ iuuat ad hoc, vtq́; ſe legitime ꝓbare poſſit.

Verũ vt de cõfeſſione & abſolutione recte iudicare poſſimus: Primũ ſciendum eſt, ꝙ vt duplex eſt cõfeſſio: Ita & duplex abſolutio. 1. Confeſſio coram Deo. Vna cõfeſſio eſt corã Deo tantùm, cum videlicet quis ſuum peccatum corã Deo confitetur, agnoſcit ſe peccatorẽ, & petit veniã propter chriſtum : ſine tali confeſſione nullus

adul-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

adultus ſaluatur. Sic cõfeſſus eſt Dauid, cum inquit: Miſerere mei Deus, quia peccaui tibi, ne intres in iudiciũ cum ſeruo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Sic & Daniel confeſſus eſt, quando ait: Peccauimus, & iniquè egimus cum patribus noſtris. Sic publicanus, quando non audebat eleuare faciẽ in cœlum: ſed percuſsit pectus ſuum dicens: Deus propicius eſto mihi peccatori. Huic confeſſioni reſpondet abſolutio, quæ fit per ſolum Deũ: & hæc fit quando homo credit promiſſioni gratuitæ. Quicunq; enim credit, eſt à peccato iuſtificatus, id eſt, abſolutus à peccato. Nã cum peccatum ſit defectus à lege & voluntate Dei, cum obligatione ad æternã mortẽ & dãuationẽ, erit profecto abſolutio liberatio hominis credentis ab obligatione ad æternã mortẽ & dãnationẽ. Sic abſolutus eſt Manaſſe, Dauid, Latro in cruce, Magdalena. Ita nos quotidie abſoluimur, quando dicimus ex vero corde: credo remiſſionem peccatorum, & cum precamur ex fide, Remitte nobis debita noſtra. Hoc dictum ſit de primo genere confeſſionis & eiuſdem abſolutione.

[Margin: abſolutio]

[Margin: 2. Confeſſio diſciplinæ.]

Alia confeſſio eſt diſciplinæ, cum homo conſilij doctrinæ & cõfirmandæ fidei ſuæ cauſſa accedit miniſtrum Eccleſiæ, agnoſcit ſe peccatorẽ, petit conſolationẽ, cupit erudiri verbo Dei, quo ipſius conſciẽtia tranquilla reddi poſſit. Hic miniſter verbi debet eum, qui ſic confitetur, erudire: & ſi nouit ipſum, debet vicia, quę in eo animaduertit, ipſi indicare: debet oſtẽdere ei magnitudinẽ iræ Dei aduerſus impœnitẽtes: & rurſus ſi cõfitens dolet ob ſuum peccatum, & promittit emendationẽ, debet eum cõſolari promiſſionibus Euãgelij; & ſi dicat ſe promiſſionibus credere, debet ei miniſter Chriſti nomine teſtari, ꝙ habeat Deũ propiciũ, & annunciare illi remiſsionẽ peccatorũ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, cũ ſeria admonitione de peccato in poſterum vitando, ne poſteriora eius hominis fiãt peiora prioribus. Atq. hæc ſint dicta de ſecundo, confeſsione publica, & abſolutione, quæ ei reſpõdet. De cõfeſsione publica, & abſolutione publica alio tẽpore dicendũ eſt. Itẽ de cõfeſsione q̃ fit fratrib⁹, quos offendim⁹.

[Margin: abſolutio]

[Margin: 3. Confeſſio publica & priuata.]

DE TERTIO.

[Margin: Vſus & meditatio Cœnæ.]

Iam reſtat, vt quis ſit verus vſus, & quæ ſit huius ſacræ cœnæ legitima meditatio, dicamus. Cum ergo hæc ſacra Chriſti Cœna, ſit Sacramẽtum noſtræ, per victimã Chriſti, redẽtionis, hæc ordine ſunt meditanda & ſerio æſtimanda in huius ſacræ cœnæ perceptione.

Primò, in mentẽ cõminationib⁹ venire debet cauſſa mortis Chriſti, nempe peccatum generis humani, Rom. 4. Mortuus eſt propter peccata noſtra. Eſa. 53. Percuſſit eum propter iniquitates noſtras.

Secundò, cogitandus eſt finis victimæ Chriſti, qui eſt, vt nos redimeret à iure peccati & mortis. 2. Cor. 5. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. 1. Ioh. 1. Sanguis Ieſu Chriſti purgat nos ab omni iniquitate. Ioh. 1. Agnus Dei tolli peccata mundi.

Tertiò, ex præſtantia huius victimæ cogitandum eſt, quantã neceſſe eſt fuiſſe irã Dei aduerſus peccatum: quæ non potuit hoſtiis expiari, niſi hoſtia filij Dei vnigeniti.

Quartò, cogitanda eſt maxima miſericordia Dei, qui voluit nos miſeros peccatores in gratiã recipere propter Filij ſatisfactionem.

Quintò, cogitandus eſt ingẽs amor Filj Dei, qui natura humana aſſumta voluit fieri victima pro nobis, & in ſe deriuare irã Dei, & iuſtitiæ Dei crucis ſupplicio ſatisfacere. Hæc omnia vult nos cogitare Filius Dei, cũ iubet vt hæc cœna fiat in ſui recordatiõẽ

[Margin: Fructus huius meditationis.]

Cum hæc ita meditamur, ex contemplatione iræ Dei naſcitur contritio, ex cogitatione miſericordiæ & piacularis victimæ, fides: ex quibus gratiarũ actio, confeſſio, patientia, & aliæ virtes, de quibus hæc Cœna nos admonet. Breuiter, vt ipſe Filius Dei nobiſcũ fœdus facit, ꝙ nos clementer recipiat: Ita nos viciſsim cũ ipſo fœdus facimus, ꝙ ei credamus, & beneficia ei⁹ grati accipiamus: ꝙ vt vere faciam⁹, donet nobis hui⁹ cœnæ inſtitutor Ieſus Chriſtus, cui cũ patre & Spiritu ſãct. ſit honor & gloria in ſecula, Amẽ.

PASSIO DOMINI NOſtri Ieſu Chriſti, iuxta ordinem hiſtoriæ concinnata, ex collatione quatuor Euangeliſtarum.

ET cum Hymnum ceciniſſent, egreſſus Ieſus, ibat, vt ſolitus erat, trans torrentem Cedron, in montem Oliuarum. Secuti ſunt autem illum & Diſcipuli. Tunc dicit illis, Omnes vos ſcandalum patiemini in me in illa nocte. Scriptũ eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Poſtquam autem ſurrexero, præcedam vos in Galilæã. reſpondens autem Petrus ait illi, etſi omnes ſcandalum paſſi fuerint in te, ego tamen nunquam ſcandalum patiar. Ait illi Ieſus, Amen dico tibi, quod hodie in nocte hac, priuſquam gallus bis cecinerit, ter abnegabis me. At ille vehementius dicebat, Imo ſi me oportuerit commori tibi, non te abnegabo. Similiter autem & omnes diſcipuli dicebant.

Tunc venit Ieſus cum illis in villam, quæ dicitur Gethſemani, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius. Nouerat autem & Iudas proditor eius locum, quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis. Tunc Ieſus ait illis: Sedete hic donec vadam & orem illic. Et aſſumpto ſecum Petro & Iacobo & Iohanne duobus filiis Zebedæi, cœpit expaueſcere, dolere, & grauiter angi. Et dicit illis, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortẽ. Manete hic & vigilate mecum, orantes ne intretis in tentationem. Et progreſſus puſillum ab eis ferme ad tactum lapidis, poſitiſq. genibus, procidit in faciem ſuã proſtratus in terrã, & orauit, vt ſi poſsibile eſſet tranſiret à ſe hora, dicens: Abba, Pater mi, omnia poſsibilia ſunt tibi, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte: veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Et venit ad diſcipulos, & reperit eos dormientes, & dicit Petro: Simon dormis? Adeò non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, vt ne intretis in tentationem. Spiritus quidem prõptus eſt, ſed caro infirma. Rurſus altera vice abiit & orauit, dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire à me, niſi bibã illum, fiat voluntas tua. Et reuerſus nuenit illos iterum dormientes. Erant enim oculi eorum grauati, neque ſciebant quid reſponderent. Et relictis illis, iterum abiit, & orauit tertiò eundem ſermonem, dicens, Pater, ſi vis, transfer Calicem hunc à me: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum. Et correptus labore, prolixius orabat. Et erat ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentes in terram. Et cum ſurrexiſſet à deprecatione, veniſſetque ad diſcipulos ſuos, reperit eos dormientes præ mœſtitudine. Et ait illis: Dormite poſthac, & requieſcite, quid dormitis? Sufficit. Ecce appropinquauit hora, & Filius hominis traditur in manus peccatorum. Surgite, eamus, ecce appropinquauit qui me tradit, orate autem ne intretis in tentationem

Et continuò adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus è duodecim, accepta cohorte & miniſtris à Pontificibus ac Phariſæis & ſenioribus & ſcribis, antecedens turbam multam, venit illuc cum laternis ac facibus, cum gladiis & fuſtibus. Dederat autem hic proditor commune ſignum illis dicens: Quemcunque oſculatus fuero, is eſt, comprehendite illum, & abducite cautè. Ieſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper ſe, proceſsit ac dixit eis: quem quæritis? Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum. Dicit eis Ieſus, Ego ſum. Stabat autem & Iudas qui prodebat eum cum ipſis. Vt ergo dixit eis, ego ſum, abierunt retrorſum & ceciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt, Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Dixi vobis, quod ego ſim. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire, vt impleretur ſermo quem dixerat: Ex iis quos dediſti mihi non perdidi quenquam. Et appropinquauit Ieſu Iudas, vt oſcularetur eum, confeſtimque accedens dixit, Rabbi, aue, ac deoſculatus eſt eum. Dixitque illi Ieſus, Amice ad quid ades? Iuda, oſculo filium hominis prodis? Tunc acceſſerunt, & manus ſuas iniecerunt in Ieſum, & comprehenderunt eum. Vidẽtes autem ij, qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine percutiemuſne gladio? Simon ergo Petrus, cum haberet gladium, eduxit eum, & percuſsit ſummi ſacerdotis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen ſeruo Malchus. Reſpondens autem Ieſus ait, Sinite huc vſque. Et ait Petro? Immitte gladium tuum in vaginam. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quod non poſſim nunc rogare Patrem meum, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones angelorum? an non bibam calicem, quem dedit mihi Pater? Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ? quia ſic oportet fieri. Et cum tetigiſſet auriculam ſerui ſeruauit eum. In illa autem hora dixit Ieſus ad eos, qui venerant ad ſe principes ſacerdotum & magiſtratus templi & ſeniores: Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus ad comprehendendum me, quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non extendiſtis in me manus. Sed hæc eſt hora illa veſtra & poteſtas tenebrarum, vt impleantur ſcripturæ. Hoc autem totum factum eſt, vt complerentur ſcripturæ Prophetarum. Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt. Et vnus quiſpiam adoleſcẽtulus ſequebatur illum, amictus ſindone ſuper nudum, & cõprehendunt illũ adoleſcẽtuli. Ille vero relicta ſindone, nudus effugit ab illis.

Cohors igitur & tribunus ac miniſtri Iudæorum comprehenſum Ieſum ligauerunt, & abduxerunt eum ad Annam primùm. Annas erat ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas is, qui conſilium dederat Iudæis, quod expediret vnum hominem mori pro populo. Et duxerunt eum ad Caipham pontificem, id eſt, principem ſacerdotum, vbi omnes ſummi ſacerdotes, ſcribæ & ſeniores conuenerant. Sequebatur autem Ieſum eminus Simon Petrus & alius diſcipulus vſque ad atrium pontificis. Diſcipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum Ieſu in atrium pontificis. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergo diſcipulus ille alter, qui erat notus pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum. Stabant autem ſerui & miniſtri, qui prunas congeſſerant inferius in medio aulæ, quia frigus erat, & calefaciebant ſe. Erat autem cum eis & Petrus, ſtans & calefaciens ſe, vt videret finem. Ancilla ergo ſummi ſacerdotis, quæ erat oſtiaria, ad lumen Petrum ſe calefacientem intuita, defixis in illum oculis dixit. Et tu cum Ieſu eras. Num & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? At ille abnegauit coram omnibus dicens: Mulier, non ſum, non noui illum, neque ſcio quid dicas.

Pontifex ergo interrogauit Ieſum de diſcipulis ſuis & de doctrina ipſius. Reſpondit ei Ieſus: Ego palam locutus ſum mundo. Ego ſemper docui in ſynagoga & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt & in occulto locutus ſum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos, qui audierunt, quid locutus ſim ipſis. Ecce hi ſciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cum dixiſſet, vnus aſsiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu, dicens: Siccine reſpondes pontifici? Reſpõdit ei Ieſus: Si malè locutus ſum, teſtare de malo, ſin bene, cur me cædis? Miſerat eum Annas vinctum ad Caipham pontificem.

Stabat autem Simon Petrus in veſtibulo, & calefaciebat ſe. Et puſillum poſt primam negationem, cum exiret ad veſtibulum, gallus cecinit, & vidit eum altera ancilla, & rurſum cœpit dicere iis, qui aſtabant ibi. Et hic erat cum Ieſu Nazareno. Dicunt ergo ei: Num & tu ex diſcipulis eius es? Et alius dixit, & tu de illis es. Et iterum negauit cum iureiurando, dicens: Homo, non ſum, ſed neque noui hominem. Et poſt puſillum, interuallo interiecto fere vnius horæ, alius quidem affirmabat cum iis qui aſtabant, dicens: verè & tu ex illis es. Nam & Galilæus es, & loquela tua te manifeſtum facit. Dicit ei vnus ex ſeruis Pontificis, cognatus eius cuius abſciderat Petrus auriculam: Nónne ego te vidi in horto cum illo? tunc cœpit execrari ac peierare, non noui hominẽ iſtum, de quo dicis. Et continuo adhuc illo loquente gallus iterum cecinit, & conuerſus Dominus intuitus eſt Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini Ieſu, qui dixerat ei, priuſquam gallus cecinerit bis, ter me negabis, & egreſſus foras fleuit amarè.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Principes autem ſacerdotum & ſeniores & totum concilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, vt morti eum traderent, & non inueniebant, etiam cum multi falſi teſtes acceßiſſent, non enim erant ſatis idonea teſtimonia. Nouißimè autẽ venerunt duo falſi teſtes, & teſtimonium falſum ferebant aduerſus illum, dicentes: Nos audiuimus eum dicentem, Ego poſſum diruere & diruam templum hoc Dei, quod eſt manibus factum, & tribus diebus aliud ſine manibus factum extruam. Et ne ſic quidem ſatis idonea erant teſtimonia illorum. Et ſurgens ſummus ſacerdos in medium, interrogabat Ieſum dicens: Nihil reſpondes? Cur iſti aduerſum te dicunt teſtimonia? Ieſus autem tacebat, neque quicquam reſpondebat. Rurſus princeps ſacerdotum interrogauit & dicit illi, Tu es Christus filius benedicti? Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis an tu ſis Christus filius Dei. Dicit illi Ieſus: Tu dixiſti, ego ſum. Verum tamen dico vobis: Amodo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & veniẽtem in nubibus cœli. Tunc princeps ſacerdotum abſcidit veſtimenta ſua dicens: Blaſphemauit, quid inſuper egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam eius, quid vobis videtur? Illi vero omnes condemnauerunt eum, dicentes: Reus eſt mortis, Tunc viri qui tenebant Ieſum, illudentes ei, expuerunt in faciem eius, & colaphis eum cæciderũt. Alij verò cum obtexiſſent faciem illius, palmas in faciem eius dederunt, maximè ſerui, dicentes: Vaticinare nobis Christe, quis eſt ille qui te percußit? Et alia multa conuitiantes dicebant in eum.

Manè autem facto conuenerunt omnes principes ſacerdotum & Scribæ, ſenioréſque populi ac totum concilium, & inierunt conſilium aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent. Et duxerunt eum in conſilium ſuum, dicentes: Num tu es ille Chriſtus? Dic nobis. Et ait illis, Si vobis dixero, non creditis, quod ſi etiam interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc tempore erit filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes, Tu ergo es filius Dei? Qui ait, Vos dicitis me eſſe. At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audiuimus ex ore eius. Et ſurgens vniuerſa multitudo eorum vinctum abduxit Ieſum à Caipha in prætorium, tradiditque Pontio Pilato præſidi. Erat autem adhuc manè.

Tunc videns Iudas, qui eum tradiderat, quod damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum & ſenioribus, dicens, Peccaui tradẽs ſanguinem innoxium. At illi dixerunt, Quid ad nos? Tu videbis. Et proiectis argenteis in templo, receßit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Suſpenſus autem crepuit medius, & effuſa ſunt omnia viſcera eius. Principes autem ſacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio autem inito, emerunt ex illis argenteis mercede iniquitatis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum. Et innotuit omnibus habitantibus Hieroſolymæ, ita vt appellaretur ager ille, lingua illis vernacula, Akeldama, hoc eſt, ager ſanguinis, vſque in hodiernum diem. Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium æſtimati, quem æſtimatum emerunt à filiis Iſrael, & dederunt eas in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus. Iudæi autem non introiuerunt in prætorium ne contaminarẽtur, ſed vt ederent paſcha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit. Quam accuſationem adfertis aduerſus hominem hunc? Reſponderunt & dixerunt ei: Si non eſſet hic nocens, haudquaquam tibi tradidiſſemus eum. Dicit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam. Vt ſermo Ieſu impleretur quem dixit, ſignificans qua morte eſſet moriturus.

Cœperunt autem illum grauiter accuſare ſummi ſacerdotes & ſeniores de multis, dicentes: Hunc deprehendimus euertentem gentem, ac vetantem tributa dare Cæſari, & dicentem ſe Christum regem eſſe. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocans Ieſum, interrogauit eum, dicens: Tu es ille Rex Iudæorum? Reſpondit Ieſus ſtans ante eum: A temetipſo hoc tu dicis, an alij dixerunt tibi de me? Reſpondit Pilatus: Num ego Iudæus ſum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, quid feciſti? Reſpondit Ieſus: Regnum meum non eſt ex hoc mundo. Si ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, ne traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit itaque ei Pilatus: ergo rex es tu? Reſpondet Ieſus: Tu dicis, ego ſum rex. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium feram veritati. Omnis qui ex veritate eſt, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas? Et cum hoc dixiſſet, iterum prodiit ad Iudæos, & dicit eis, Ego nihil inuenio noxæ in hoc homine. Et cum accuſaretur à principibus ſacerdotum & ſenioribus nihil reſpondit. Pilatus autem rurſus interrõgauit illum dicens: Non reſpõdes quicquam? Ecce quam multa dicunt aduerſum te teſtimonia, non audis? Et non reſpondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præſes vehementer. At illi inualeſcebant, Commouit populum docens per vniuerſam Iudæam, exorſus à Galilæa vſque ad hunc locum. Pilatus autem audita mentione Galilææ, interrogauit, num homo Galilæus eſſet. Et vt cognouit, quod ad Herodis ditionem pertineret, remiſit eum ad Herodẽ, qui & ipſe Hieroſolymis erat per id tẽpus.

Herodes autem viſo Ieſu, gauiſus eſt valde. Tenebatur enim multo iam tempore cupiditate videndi illum, eò quòd audiret multa de eo, & ſperabat ſe ſignum aliquod viſurum ab eo. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil ei reſpondebat. Stabant autem principes ſacerdotum & Scribæ acriter accuſantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitibus ſuis. Cúmque

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

illuſiſſet, indutum veſte alba remiſit ad Pilatum. Et facti ſunt amici inter ſe Pilatus & Herodes in eodem die, nam antea ſimultates inter eos interceſſerant.

Pilatus autem conuocatis principibus ſacerdotum ac Magiſtratibus & plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi auertentem populum, & ecte ego coram vobis interrogans nullum crimen inuenio in homine iſto, ex his de quibus accuſatis eum, ſed ne Herodes quidem. Nam remiſi vos ad illum, & ecce nihil dignum morte actum eſt ei. Emendatum ergo illum dimittam.

In feſto autem neceſſe habebat & conſueuerat præſes turbæ dimittere vnum vinctum quemcunque poſtulaſſent. Habebant autem tunc vinctum inſignem, videlicet latronem, qui dicebatur Barrabas, qui cum ſeditionis autoribus coniectus fuerat in carcerem, qui per ſeditionem quandam in ciuitate factam homicidium patrauerant. Et cum acclamaſſet turba, cœpit flagitare, vt faceret quemadmodum ſemper fecerat ipſis. Itaque congregatis illis reſpondit Pilatus: conſuetudo eſt vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha. Vtrum ergo vultis dimittam vobis? Barrabam, an Ieſum regem illum Iudæorum, qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim quod propter inuidiam tradidiſſent illum ſummi ſacerdotes. Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi cum iuſto illo. Multa enim paſſa ſum hodie in ſomnis propter eum. Principes autem ſacerdotum & ſeniores concitauerunt turbas perſuadentes vt ſibi potius dimitti peterent Barrabam, Ieſum verò perderent. Reſpondens autem præſes, ait illis: Vtrùm vultis vobis è duobus dimittam? Et exclamauit ſimul vniuerſa turba dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. Iterum autem Pilatus locutus eſt ad eos, volens dimittere Ieſum, & ait. Quid igitur vultis faciam Ieſu, quem dicitis regem Iudæorum? At illi rurſum clamauerunt omnes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit? Nullum crimen capitale comperio in eo. Caſtigatum ergo dimittam illum. At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur. Et inſtabant, vocibus magnis poſtulantes vt crucifigeretur: & inualeſcebant voces eorum & ſummorum ſacerdotum.

Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum & flagellauit. Milites autem præſidis abduxerunt eum intro in atrium, quod eſt prætorium, & conuocant ad eum totam cohortem, exutúmque induunt purpura ſiue chlamyde coccinea, & plectentes coronã de ſpinis imponunt capiti eius, dántque arundinem in dexteram eius, & genu flexo ante eum, illudentes ei cœperunt ſalutare, dicentes: Aue rex Iudæorum. Et dabãt ei alapas. Et cum expuiſſent in eum, acceperunt arundinem & percutiebant caput eius & poſitis genibus adorabant illum.

Exiuit iterũ Pilatus foras, & dicit eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt cognoſcatis, quod nullam cauſam in eo inuenio. Exiuit ergo Ieſus foras, geſtans ſpineam coronam & purpureum pallium. Et dicit eis: ecce homo. Cum ergò vidiſſent eum pontifices & miniſtri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus: accipite eum vos & crucifigite. Ego enim non inuenio in eo cauſam. Reſponderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori, quia Filium Dei ſe fecit. Cùm ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit. Et ingreſſus eſt iterum in prætorium & dicit ad Ieſum, vnde es tu? Ieſus autem reſponſum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? Neſcis quod poteſtatem habeam crucifigendi te, & poteſtatem habeam abſoluendi te? Reſpondit Ieſus: Non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet è ſupernis, propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet. Ex eo quærebat Pilatus abſoluere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc abſolueris, non es amicus Cæſaris. Quiſquis ſe regem facit, contradicit Cæſari.

Pilatus autem cum audiuiſſet hunc ſermonem, produxit foras Ieſum, ſedítque pro tribunali loco, qui dicitur lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbata. Erat autem paraſceue paſchæ hora fermè ſexta. Et dicit Iudæis: Ecce rex veſter. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit ergo Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices: Non habemus regem niſi Cæſarem. Tunc ergo Pilatus vidẽs, quod nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, volens turbæ facere ſatis, adiudicauit vt fieret quod illi poſtulabant. Et accepta aqua abluit manus coram populo: Innocens ego ſum à ſanguine huius iuſti, vos videbitis. Et reſpondens vniuerſus populus dixit: ſanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros.

Dimiſit autem illis Barrabam, qui propter ſeditionem & homicidium coniectus fuerat in carcerem, quem popoſcerant. Ieſum autem flagellatum & illuſum tradidit arbitrio illorum, vt crucifigeretur.

Accipientes autem Ieſum milites, exuerunt eum purpura, & induerunt eum veſtibus propriis, & abduxerunt eum baiulantem ſuam crucem, vt crucifigeretur. Exeuntes autem inuenerunt quendam prætereuntem, hominem Cyrenæum, nomine Simonem, veniẽtẽ ex agro, patrem Alexandri & Rufi. Hunc apprehendentes coegerunt, vt tolleret crucem eius. Et impoſuerunt illi crucem, vt portaret poſt Ieſum. Sequebatur autem illum multa turba populi ac mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuerſus autem ad illas Ieſus dixit: Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vobis ipſis flete & ſuper filiis veſtris. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beati ſteriles & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus cadite ſuper nos, & collibus, operite nos, quia ſi in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo cum eo facinoroſi, vt interficerentur.

Et du-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Et ducunt eum in locum, qui dicitur Hebraicè Golgata, quod eſt, ſi interpreteris, caluariæ locus. Et ibi dederunt ei acetum, ſiue myrrhatum vinum cum felle mixtum bibere. Et cum guſtaſſet, noluit bibere.

Et crucifixerunt eum in Golgata, & cum eo duos latrones, vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris eius, medium autem Ieſum. Et impleta eſt ſcriptura, quæ dicit: Et cum iniquis deputatus eſt. Erat autem hora tertia dum crucifixerunt eum. Ieſus autem dicebat: Pater, remitte illis, neſciunt enim quid faciunt.

Scripſit autem & titulum Pilatus, id eſt, inſcriptionem cauſſæ illius, & poſuerunt ſuper crucem ad caput Ieſu. Erat autem ſcriptum: IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus eſt Ieſus. Et erat ſcriptum literis Hebraicis, Græcis & Latinis. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli ſcribere, Rex Iudæorum, ſed quod ille dixerit, Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi.

Milites ergo cum crucifixiſſent Ieſum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem, & tunicam. Erat autem hæc tunica inconſutilis, à ſummo contexta per totum. Dixerunt ergo inter ſe, ne ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit, vt ſcriptura impleretur quæ ſcripta eſt per Prophetam, dicens: Partiti ſunt ſibi veſtimenta, & ſuper veſtem meım miſerunt ſortem. Sedentes autem ſeruabant eum ibi. Et milites quidem hæc fecerunt. Et populus ſtabat ſpectans.

Stabat autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius Maria vxor Cleophæ, & Maria Magdalena. Cum vidiſſet ergo Ieſus matrem ac diſcipulum aſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. Qui autem præteribant, conuicia iaciebant in eum, mouentes capita ſua, & dicentes: Væ, qui demoliris templum & in tribus diebus extruis. Serua temetipſum. Si filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & ſummi ſacerdotes illudentes inter ſeſe cum Scribis & ſenioribus & populo dicebant, alios ſeruauit, ſemetipſum ſeruare non poteſt. Si hic eſt ille Chriſtus, rex Iſrael, ille Dei electus, ſeruet ſeipſum, deſcendátque nunc de cruce, vt videamus & credamus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc, ſi vult eum. Dixit enim, filius Dei ſum. Idipſum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo exprobrabant conuiciantes ei. Illudebant autem ei & milites accedentes, & acetum offerentes ei, atque dicentes: Si tu es rex ille Iudæorum, ſaluum te fac. Vnus autem de his qui pendebant facinoroſorum, conuicia dicebat in eum dicens: Si tu es Chriſtus, temetipſum ſerua & nos. Reſpondens autem alter increpabat eum, dicens: Ne tu quidem times Deum, quod in eadem damnatione es? Et nos quidem iuſtè, nam digna factis recipimus, hic verò, nihil mali geſſit. Et dicebat ad Ieſum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Ieſus: amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.

Ab hora verò ſexta tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſque ad horam nonam, & obſcuratus eſt Sol. Et circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna, dicens: Eli, eli, lamazabathani? quod eſt, ſi quis interpretetur, Deus meus, Deus meus, cur deſeruiſti me? Quidam autem illic ſtantium, cum audiuiſſent, dicebant: Ecce, Heliam vocat iſte. Sciens autem Ieſus, quod omnia iam conſummata eſſent, vt conſummaretur ſcriptura, dixit: Sitio. Vas igitur erat poſitum aceto plenum, & continuo accurrens vnus ex eis, cùm acceptam ſpongiam impleſſet aceto & hyſſopo, impoſuit harundini, obtulítque ori eius, vt biberet, & cum cæteri dicebant: Sinite, videamus, an veniat Helias ad deponēdum eum. Cum ergo accepiſſet Ieſus acetum, dixit. Conſummatum eſt. Et iterum clamauit voce magna, dicens: Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. Et cum hæc dixiſſet, inclinato capite tradidit ſpiritum.

Et ecce velum templi ſciſſum eſt medium in duas partes, à ſummo vſque ad imum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta, & multa corpora ſanctorum, qui dornierant, ſurrexerunt, & egreſſi è monumentis poſt reſurrectionem eius venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

Centurio autem qui aſtabat ex aduerſo illi, & qui cum eo erant cuſtodientes Ieſum, videntes, quod ſic emiſſo clamore expiraſſet, viſóque terræ motu, & his quæ facta fuerant, timuerunt valde, & glorificauerunt Deum, dicentes: Verè hic homo iuſtus erat & Filius Dei. Et omnes turbæ eorum, qui ſimul acceſſerant ad ſpectaculum iſtud, & viderant quæ contingebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.

Stabant ibi omnes noti eius procul, & multæ mulieres, quæ ſecutæ erant eum à Galilæa, hæc videntes. Inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi parui & Ioſe mater, & Salome mater filiorum Zebedei, quæ etiam, cum eſſet in Galilæa, ſecutæ fuerant illum, & miniſtrauerant ei, aliæque complures, quæ ſimul à Galilæa aſcenderant cum eo Ieroſolymam.

Iudæi ergo, quoniam Paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, ſed vnus militum lancea latus eius fodit, & continuo exiuit ſanguis & aqua. Et qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit quod vera dicit, vt & vos credatis. Facta ſunt enim hæc, vt ſcriptura impleretur, Os non comminuetis ex eo.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Et rurſus alia ſcriptura dicit. : Videbunt in quem pupugerunt.

Poſt hæc autem cum veſpera facta eſſet, quoniam erat paraſceue, quæ præcedit Sabbatum, venit Ioſeph Arimathienſis, oriundus ab Arimathæa ciuitate Iudæorum, vir diues, ſenator, bonus & iuſtus, qui non conſenſerat conſilio & facto eorum. Erat enim & ipſe expectans regnum Dei. Nam & diſcipulus erat Ieſu, ſed occultus propter metum Iudæorum. Hic ſumpta audacia ingreſſus eſt ad Pilatum, & petiit ab eo, vt tolleret corpus Ieſu. Pilatus autem admiratus eſt, ſi iam mortuus eſſet. Et acceрſito ad ſe Centurione interrogauit illum, an iam dudum mortuus fuiſſet. Et cognita re ex Centurione, donauit corpus Ieſu ipſi Ioſeph, iubens reddi illum. Et Ioſeph mercatus eſt ſindonem. Venit autem & Nicodemus, qui venerat primùm ad Ieſum nocte, ferens mixturam myrrhæ & aloes, ad libras fermè centum. Acceperunt ergo corpus Ieſu depoſitum, & inuoluerunt illud in ſindone munda, obuinxerúntque linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in eo loco, vbi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum Ioſeph nouum, quod is exciderat in petra, in quo nondum quiſpiam poſitus erat. Ibi ergo quia paraſceue erat Iudæorum, & ſabbatum illuceſcebat, quod in propinquo eſſet monumẽtum, poſuerunt Ieſum. Et aduoluto ſaxo ingenti ad oſtium monumenti, abierũt. Erat autem ibi Maria Magdalena, & Maria Ioſe, ſedentes contra ſepulchrum, & aliæ mulieres, quæ & ipſæ venerant cum Ieſu de Galilæa, ſpectantes vbi & quemadmodum poſitum erat corpus eius. Reuerſæ verò parauerunt aromata & vnguẽta, ac ſabbato quidẽ quieuerunt ſecundum præceptum.

Poſtremo autem die, quæ ſequitur poſt paraſceuen, conuenerunt principes ſacerdotum & Phariſæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati ſumus quod impoſtor ille dixit adhuc viuens, Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo muniri ſepulchrum vſque in diem tertium, nequando veniant diſcipuli eius & furentur eum, dicántque plebi, ſurrexit à mortuis: Et erit nouiſſimus error peior illo priore. Ait illis Pilatus, Habetis cuſtodiam. Ite, munite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes munierunt ſepulchrum obſignato lapide, adhibitis cuſtodibus.

ENARRATIO TEXTVS.

Argumentum hiſtoriæ paſſionis & mortis Domini.

CVM nullum opus ſit magis admirãdum, quam opus redemptionis, quæ eſt paſſio & mors Domini noſtri Ieſu Chriſti, iuxta dictum Petri in priori primo, Non redempti eſtis caducis rebus auro & argẽto: ſed precioſo ſanguine agni immaculati & incontaminati, nempe Ieſu Chriſti, decet nos, chariſſimi fratres & ſorores, ſummo ſtudio incumbere, vt huius mirandi operis hiſtoriam cognoſcamus, præſertim cum nobis cõmendetur in articulis fidei noſtræ, vbi profitemur nos credere in filium Dei Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui eſt paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus & mortuus, &c. Idque in eum finem, vt ex notitia hiſtoriæ in nobis fides per Spiritum ſanctum excitetur, vnde fiat, vt huius mirandi operis fructus ad nos pertingat.

Partes.

Cæterùm, quò diſtinctius & clarius de hoc admirando opere dicere poſſimus, diuidam totam doctrinam de paſſione Domini in tres locos ſeu articulos, qui ſunt.

I. Quotupliciter Dominus eſt paſſus.
II. Paſſionis Domini æſtimatio & fructus.
III. Pia & ſalutaris meditatio Paſſionis Domini.

DE PRIMO.

Chriſtus paſſus eſt corpore & anima.

Quia nos peccauimus anima & corpore, & debuit fieri ſatisfactio prò vtroque, Dominus noſter Ieſus Chriſtus paſſus eſt & anima & corpore: Idcirco dicam de vtriuſque paſſione, animæ videlicet & corporis Domini.

1. Anima.

Quod ſit in anima paſſus, teſtatur ipſe & voce & ſigno. Voce, cum dicit, Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, & in cruce, Deus meus, Deus meus, cur deſeruiſti me? Huc pertinet & Prophetia Dauid, de Chriſto, Pſal. 18.5. Dolores inferni circumdederunt me, id eſt, maximis doloribus afficiebar. Signo teſtatur dolorẽ apud ſepulchrũ Lazari, Ioan. 11. & in horto. Apud ſepulchrum, cum cogitat tyrãnidẽ diaboli in genus humanũ, & generis humani miſeriam. Nam omnes dolores animi, quos perpeſſus eſt Chriſtus 33. annis vſque ad mortẽ eius, ſunt pars paſſionũ, quibus afficiebatur Filius Dei. In horto teſtatur maximã fuiſſe animæ ſuæ triſtitiã, dum præ doloris acerbitate ſudauerit ſanguineas guttas. Naturale quidẽ eſt, quod homo lachrymet & ſudet interdũ in ingẽti dolore, audito ſubitaneo malo: ſed nullus vnquam inuentus fuit, qui ſudorẽ ſanguineũ præ dolore ſudauerit: nemo enim tantum dolorẽ ſuſtinere poſſet.

Cauſæ ingentis doloris Chriſti.

Si quæritis cauſas huius ingentis doloris, ſcitote non vnam eſſe, ſed multas: quarũ hæ ſunt præcipuæ:

I. Cogitatio tyrannidis in humanum genus, & maximæ miſeriæ, qua omnes homines propter defectionem à Deo premebantur.

II. Cogitatio iræ Dei, quam ipſe ſuſtinere debuit, propter peccata noſtra, quæ in ſe recepit. Tametſi enim ipſe fuit immunis ab omni peccato, tamẽ in ſe recipit reatũ peccatorũ totius mũdi. Vnde Ioan. ca. 1. Agnus Dei tollit, id eſt, in ſuo corpore geſtat, peccata mundi. Senſit igitur verè filius Dei iram Patris, qui ſenſus tantũ dolorem in ſanctiſſima anima excitauit, quod ſanguinem ſudauerit.

III. Cogitatio ſupplicij, quod in ſanctiſsimo ſuo corpore mox ſequenti die ſe perpeſſurum præuidit, & contumeliæ qua afficeretur.

IIII. Cogitatio ingratitudinis maximæ partis orbis terrarum. Præuidit enim fore, quod multi ſapientes, multi potentes, & alij omnino eſſent hoc ſuum ſuppliciũ pro illis redimendis ſuſceptum aſpernaturi, imo ſe & ſuos perſecuturi: prędidit etiam ꝙ maxima pars eorum, qui Chriſtianũ nomẽ portant, ſuis ſceleribus effecturi eſſent, vt hoc ſuo beneficio ſe ipſi ingrati priuarent. Hæ quatuor cauſæ acerbiſſimum dolorem in corde Chriſti excitarunt.

Hunc dolorem Domini & nos cogitare debemus, quo ad fidem & pietatem excitemur, ne cum ingrato mundo pereamus.

2. Corpore.

Hic deſcribuntur paſſiones Chriſti variis in locis, paulò ante mortem videlicet.

Hæc ſint breuiter dicta de animæ Chriſti cruciatu: nũc de corporis ſupplicio dicã. Etſi enim corporis ipſius cruciatus incepit in præſepi, quãdo matri Domini nullus erat locus in diuerſorio, & poſtea cũ octaua à natiuitate ſua die ſanguinẽ in circumciſione effudit: & deinde vſque ad tẽpus, quo victima eſt factus in ara crucis pro nobis: Hoc tamen tempore dicã de eo ſupplicio quod ſuſtinuit primum. Etſi autem iam ex Hiſtoria, quam recitaui, facilè à quouis intelligi poteſt, quã variis modis ſit afflictus in ſan-

ctiſſimo ſuo corpore Dominus:tamen quod latè in Hiſtoria ſparſum eſt,in breuē ſummam contraham & diſtribuam pro ratione locorū,in quibus eſt affectus ſupplicio.Sunt autem hæc loca:hortus, domus Caiphæ,ſacerdotum conciliabulū,domus Herodis, prætorium,Golgata,hoc eſt,locus extra vrbem,vbi ſumebatur ſupplicium de latronibus.

In horto.

Quid paſſus eſt in horto?Oſculo traditus eſt,manus militum in eum iniectæ ſunt:comprehenſus eſt & vinctus tanquam fur & latro abductus eſt,vbi & illum omnes ipſius diſcipuli deſeruerunt.

Apud Caipham.

Quid paſſus eſt in domo Caiphæ? Illuditur falſis teſtimonijs & cōuicijs obruitur, & à miniſtro ſacerdotis alapa cæditur.

In concilio Sacerdotum.

Quid patitur in concilio ſacerdotum?falſis teſtimonijs grauatur,illuditur, expuitur in faciem eius, colaphis cęditur,obtecta facie percutitur,& iubetur vaticinari,quis illum percuſſerit.

In domo Herodis.

Quid patitur in domo Herodis?Contemtum tyranni & totius aulæ ipſius, & in extremi contemtus teſtimonium,indutum Ieſum veſte ſplendida miſit Herodes ad Pilatum.

In prætorio.

Quid patitur in prætorio?Illic accuſatur: producuntur aduerſus eum falſi teſtes:petitur vt crucifigatur:à militibus Pilati induitur purpura in maiorem contemtum:corona ſpinea imponitur capiti ipſius: datur arundo in dextram eius,& genuflexione illuditur hoc ſcommate:Aue Rex Iudæorū:expuebatur in faciem eius,dabantur illi alapæ,percutiebatur ſanctiſſimum caput eius fuſtibus,& tandem ad petitionem ſacerdotum & totius populi adiudicatur cruci mortis generi contemtiſſimo.

Poſt condemnationem.

Quid patitur iam condemnatus? Imponitur humeris ipſius lignum crucis,in quod erat affigendus: crucifigitur inter duos latrones, vt ipſe inter eos maximè facinoroſus iudicetur, crucifixo datur vinum myrrhatum, cum felle mixtum:& tandem in his grauiſſimis cruciatibus moritur. Hinc apparet quam acerbum ſuppliciū ſuſtinuerit Filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus.

Doctrinę.

Sed quarum rerum nos admonebit ſupplicij grauitas?Sanè multarum,& præcipuè quatuor.

Ira Dei.

Primum enim magnitudo iræ Dei aduerſus peccatum conſpicitur.Peccatum enim noſtrum ita prouocauerat iram Dei,vt non potuerit placari niſi per filium Dei,qui humana natura aſſumta noſtram vicem ſuſtinet,& ſatisfacit iuſticiæ Dei.

Peccati fœditas.

Secundo hic conſpicitur fœditas peccati: Nā pro delicti qualitate ſupplicia quoque variant,Latro rota punitur,fur patibulo ,homicida gladio,puer delinquens virga : verùm Filius Dei turpiſſimam mortem & execrabilem in Lege Dei perpeſſus eſt, qua re ſignificatur, quam abominabile ſit peccatum in conſpectu Dei.

Humiliatio filij Dei.

Tertio conſpicitur hic humiliatio Filij Dei, qui infra omnes creaturas deiectus fuit : qua humiliatione teſtatur amorem ſuum erga genus humanum, cuius redimendi cauſa tanta ſuſtinuit.

Iudæorū impietas, mundi imago.

Quartò, conſpicitur horrendum & implacabile odium Iudæorum aduerſus ſibi miſſum ſaluatorē. Tametſi autem nihil eſt hic factum præter conſilium Dei:Nam longe antea paſſio Chriſti eſt præfigurata & prædicta à ſanctis Dei Prophetis, vt Petr[9] dicit in prioris primo:tamen Iudęi hoc non fecerūt vt Dei conſilio obtemperarēt:ſed vt ſuo odio ſatiſfacerent.Ea enim eſt mundi natura,quod eos qui ſcelera acerbius reprehendūt,è medio ſublatos cupiat, quo licentius peccare liceat.Hæc ſint breuiter dicta de primo loco.

DE SECVNDO.

Efficacia paſſionis Chriſti.

Vidimus qualis fuit chriſti paſſio,nunc quod ſecūdo loco promiſi,oſtēdā quæ ſit paſſionis Chriſti æſtimatio corā Deo,& quis fructus inde proueniat.

Coram Deo.

Quę eſt ergo eius æſtimatio corā Deo?Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti eſt ſacrificiū propiciatoriū, in quo æternus Filius Dei homo factus, & Sacerdos perpetuus à Deo conſtitutus, obtulit ſe per Spiritum æternū æterno Patri,vt iſta ſua oblatione placaret iram Dei,& ſatisfaceret pro culpa & pœna humani generis,vt omnes qui in illum credunt & credituri ſunt,per eundem ſanctificentur ad vitam æternam,iuxta illud Iohan.17.pro illis ſanctifico meipſū.Hinc patet quæ ſit æſtimatio paſſionis Domini,& quis fructus inde ad nos homines proueniat,

Fructus eius.

modo in chriſtum viua fiducia recumbamus.Chriſtus Mediator inter nos & Deum conſtitutus,ſacrificio ſuo,id eſt, morte & paſſione placat iram Dei, ipſe Sacerdos ſeipſum offert Deo,idque vt nos à reatu damnationis liberet. Videmus proinde quinq; eſſe in hoc ſacrificio.1.Sacerdos eſt ipſe chriſtus.2. Victima ſeu res quæ offertur eſt ipſe Sacerdos.3. Deus eſt cui hoc ſacrificiū offertur. 4. Mundus eſt, pro quo fit hæc oblatio. 5. Pactum & fœdus eſt, quod hæc oblatio fidelibus tantum cedat in ſalutem.

Quæ ſint in hoc ſacrificio conſiderāda.

Quomodo fieri poteſt vt vnius Chriſti mors ſit ſatisfactoria pro totius mundi peccatis.

Sed quî fieri poteſt,vt vnius Chriſti mors ſit ſatiſfactoria pro totius mundi peccatis?Ecce agnus Dei inquit Iohannes, qui tollit peccata mundi. nam ex indiuidua & ineffabili vnione diuinæ & humanæ naturæ in vna perſona eſt dignitas,æſtimatio & meritum infinitum omnium operum & paſſionum Chriſti.Cum ergo dicitur, Filius hominis redemit nos per meritum paſſionis ſuæ, opus infiniti precij & valoris nominatur,quia is Filius hominis, qui eſt paſſus,etiam eſt Deus.Item mors hominis eſt ſatisfactio,quia eſt mors hominis qui eſt Deus.obediētia filij hominis eſt noſtra iuſticia, quia eſt obedientia hominis,qui eſt Deus.Ita Filius hominis remittit peccata,quia eſt Deus.Caro Chriſti eſt cibus vitæ,quia eſt caro hominis,qui eſt Deus.Tametſi autem diuina natura in Chriſto non eſt paſſa ; ſed humana tantū,vt Petrus ait, Chriſtus eſt paſſus carne; tamen paſſio eſt perſonæ:adeo vt quicquid cōtumeliæ factum eſt humanitati Chriſti,id totum in contumeliam perſonæ ceſſerit, iuxta illud : Dominum gloriæ crucifixerunt:vnde Eccleſia confitetur, Filiū Dei paſſum eſſe,quia in humana natura aſſumta eſt paſſus.

Fructus multiplex paſſionis Chriſti.

Quæ ſit æſtimatio paſſionis Domini coram Deo dictum eſt,& quis ſit eius fructus in genere, nunc autem quò fructus paſſionis Domini conſpiciatur melius, cum in partes diſtribuam ; ſunt igitur hi fructus.

Primus,Deo præſtita eſt obedientia. Philip. 2. 7. Humiliauit ſeipſum,factus obediens vſque ad mortem crucis.

Secundus,Diabolus eſt victus.In hoc (inquit Iohan.in cap.3.8.)apparuit Chriſtus,vt deſtruat opera Diaboli,iuxta primā promiſſionē: Semen mulieris conteret caput ſerpentis. Gen.3.15.1.

Tertius,homo à peccatis ſaluatus eſt & iuſtificatus.Ecce,inquit Iohannes, agnus Dei qui tollit peccata mundi.Item Ro.4.25.Mortuus eſt propter peccata noſtra.2.Cor.5.21.Eū qui nō nouit peccatū:fecit peccatum, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo, hoc eſt,Chriſtū fecit pro peccato hoſtiam,vt ipſius iuſticia nos iuſtificemur coram Deo.

Quartus,æquatio Iudæorum & gentium, iuxta illud Ephe.2.14.Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraq; vnum,& interſtitium maceriæ ſoluens, inimicitias per carnem ſuam,legem mandatorū in decre-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tis aboſens, vt duos conderet in ſemet ipſum in vnū nouum hominem, faciens pacem vt reconciliaret ambos in vno corpore Deo per crucem.

Quintus, Mors abolita eſt, Hoſeæ 13.14. Ero mors tua ô mors. Breuiter, Chriſti victima eſt noſtra redemptio. Nam eſt precium perſolutum pro nobis, quo Deus placatus eſt, homo redemtus, Diabolus victus, atque adeo omnia in cœlo & in terra vni capiti Chriſto ſubiecta ſunt, Epheſ.1.22.

DE TERTIO.

Meditationis mortis Chriſti partes.

Pia & ſalutaris meditatio Paſſionis Dominicæ ad ſex partes reuocari poteſt, quas Chriſtiani non tantum hoc tempore: verum toto ſuæ vitæ tempore meditari debent. Harū enim partiū pia meditatio non ſolū confutat eos, qui in Papatu putāt ſe ſatisfeciſſe officio, ſi toties dominicā orationē & ſalutationē Angelicam recitauerint, procumbentes corā idolis erectis in ſuperſtitioſum cultū: verumetiam mirum in modum pios confirmat & cōſolatur. Proponam igitur ordine ſex partes huius meditationis.

Ira Dei.

Prima, veniet vobis in mentem, quantam neceſſe ſit iram Dei fuiſſe ob peccatum hominū, quæ nō potuit placari vllius creaturæ opere: ſed neceſſe fuerit vnigenitum Filium Dei mori, quo iram Dei hac iuſta pro peccato ſatisfactione ſoluta placaret.

Miſericordia Patris.

Secunda, Veniet vobis in mentem, quam immenſa & imperueſtigabilis fuerit miſericordia Dei patris, qui potius voluerit Filium vnigenitum ſuſtinere acerbiſſimam mortem, quam genus humanum à ſe conditum perdere. Forte cogites Deum potuiſſe alia ratione genus humanū liberaſſe. Tu qui es, qui Deum vis docere quî potuerit? cogita de iuſticia Dei & miſericordia ſimul. Vt enim miſericordia mouit illum ad ſaluandum: ita iuſticia eum mouit, vt fieret iuſta iniuriæ compenſatio. Homo peccauit, debuit ergo aut perire, aut ſatisfacere: non autem potuit purus homo ſatisfacere iuſticiæ Dei, neq; debuit alius quàm homo. Sapiētia ergo Dei hîc inuenit ex miſericordia remediū, vt Filius Dei ætern' fieret homo, quo & poſſet, quia Deus, & deberet, quia humanam naturam in ſe recepiſſet, ſatisfacere iuſticiæ Dei. Ita in Chriſti paſſione apparet mixta cum miſericordia iuſticia, & vtramque temperauit ſapientia.

Charitas filij.

Tertia, veniet in mentem ſummus & inenarrabilis amor Filij Dei erga genus humanum, qui voluit in ſe deriuare iram Patris, ac ſuſtinere tam ignominioſam mortem, idque pro inimicis ſuis, vt Paulus teſtatur Rom.5.

Ratio applicationis beneficij Chriſti.

Quarta, veniet tibi in mentem vera ratio, qua tibi poſſit applicari fructus paſſionis Dominicæ, vt tibi ſalutaris. Fit autem hæc applicatio verbo, fide, & Sacramento. Verbo offertur quaſi manu Dei beneficium paſſionis Domini, vbi & quoties prædicatur Euangelium Ieſu Chriſti, & miniſtri verbi vice Dei omnibus, qui audiunt Euangelium, fructū paſſionis Domini oſtendunt. Deinde, cum ita offertur quaſi manu Dei beneficium paſſionis Domini, debet fide recipi quaſi manu quidem hominis, quam fidem Spiritus ſanctus efficit in hominibus audientibus & obtemperantibus Euangelio. Præterea Sacramento vtroq; Baptiſmo & Cœna Domini obſignatur, ac eius vis & vſus tanquam in tabellis pingitur, quemadmodum heri audiuimus. Cum igitur recitas articulum fidei de paſſione Domini, firmiter ſtatue & certiſſimè crede, quod pro te mortem Filius Dei ſubierit, quod cum feceris, mortis Domini es particeps, adeo tota Chriſti obedientia, tua fit abſolutio à peccato, & tua iuſticia. Eſt autē duplex obedientia in Chriſto conſideranda. Obedientia crucis, & obedientia legis, quæ eius erat perfecta impletio. Vt obedientia crucis eſt expiatio peccati: ita obedientia legis nobis imputatur in iuſticiam Rom. 5. 19.

Sors Eccleſiæ militantis.

Quinta, Cum ita participes ſumus effecti paſſionis Domini per fidem, in mentem nobis veniet, qualisnam ſit ſors piorum in hac vita. Quemadmodum enim chriſtus eſt paſſus: Ita vult & reliquos pios pati, vt ſint conformes imaginis Filij Dei. Vnde Paulus Rom.8.17. Ideo enim compatimur, vt vnà cum illo glorificemur.

Chriſtianorū officium.

Sexta veniet nobis in mentem, quid Chriſtus à nobis, quos ſuo ſanguine redemit, requirat. nā cū iam ab ipſo redemti ſumus, debemus ei obedire. Quid vult ipſe? 1. vt renūciemus hoſti ipſius Diabolo. 2. vt fugiamus peccatū, ne rurſus ſcientes & volētes Deum noſtris peccatis offendamus. 3. Vt ſanctitati & pietati ſtudeamus, & ſeruiamus illi in vero timore omnibus diebus vitæ noſtræ: quod ſi fecerimus, finem fidei reportabimus ſalutem animarum æternam, quam donet nobis Deus Pater per Ieſum chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

HISTORIA RESVRRECTIONIS Domini noſtri Ieſu chriſti, ex collatione quatuor Euangeliſtarum concinnata.

CVm præteriiſſet Sabbatum, Maria Magdalena & altera Maria quæ Iacobi dicitur, & Salome, & Iohanna, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ venerant cum Ieſu de Galilæa, emerunt & parauerunt aromata, vt venirent, & vngerent Ieſum. Nam Sabbato quieuerant ſecundum præceptum.

Veſpera autem ſabbatorum, quæ luceſcit in vnam ſabbatorum, id eſt, manè profundo crepuſculo, cum adhuc eſſent tenebræ primo die Sabbatorum, veniunt exorto ſole ad monumentum, portantes quæ parauerant aromata. Et ecce terræmotus factus eſt magnus, Angelus enim Domini deſcendit de cœlo, & accedens deuoluit lapidem ab oſtio, ſedebátque ſuper eum. Erat autem aſpectus eius fulgur, & veſtimentum eius candidum ſicut nix. Præ timore autem eius concuſſi ſunt cuſtodes, & facti ſunt veluti mortui.

Mulieres autem dicebant ad inuicem, Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Nam erat magnus valde. Et cum reſpexiſſent, vident lapidem eſſe reuolutum à monumento. Et ingreſſæ in monumentum, non inuenerūt corpus Domini Ieſu. Currit ergo Maria Magdalena, vt hæc nunciet. Et factum eſt, dum mulieres mente conſternatæ eſſent de hoc quod nō inueniſſent corpus Ieſu, ecce duo viri ſteterunt iuxta illas in veſtibus fulgurantibus. Cum expauiſſent autem & declinarent vultum in terram: dixerunt ad illas. Quid quæritis viuentem cum mortuis? Non eſt hic, ſed reſurrexit. Recordamini vt dixerit vobis, cum adhuc in Galilæa eſſet, dicens, quod oportuerit filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertio reſurgere. Et recordatæ ſunt verborū eius & egreſſæ à monumento: nunciauerunt poſtea hæc omnia illis vndecim & cæteris omnibus. Et dicebant ad Apoſtolos hæc, & viſa ſunt apud illos ceu deliramentū verba illarū, neque crediderūt illis. Cū verò currit Maria Magdalena (vt dictum eſt) venit ad Simonem Petrum, & ad alterū diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis, Suſtulerūt Dominū ex monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum.

Surgens ergo Petrus exiit & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumētum. Currebāt autem duo ſimul, & ille

alius

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

alius diſcipulus præcurrit citius Petro, venitque prior ad monumentum, & cum ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina ſola poſita, & ſudarium quod fuerat ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille alius diſcipulus, qui prior venerat ad monumentum, viditque & credidit. Nondum enim nouerant ſcripturam, quod oportuiſſet eum à mortuis reſurgere. Diſcipuli ergo abierunt rurſus ad ſemetipſos. Et Petr. mirabatur quod acciderat.

Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret inclinauit ſe in monumẽtũ, & vidit duos Angelos amictos albis, ſedentes, vnum ad caput, & alterum ad pedes, illic vbi poſuerant corpus Ieſu. Dicunt ei illi, Mulier quid ploras? Dicit eis: Suſtulerunt Dominũ meum, nec ſcio vbi poſuerunt eum. Hæc cum dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem, nec ſciebat, quod Ieſus eſſet, dicit ei Ieſus: Mulier quid ploras? quẽ quæris? illa exiſtimãs quod hortulanus eſſet, dicit ei: Domine ſi tu aſportaſti eum, dicito mihi vbi poſueris eũ & ego eũ tollã: Dicit ei Ieſ⁹: Maria. Cõuerſa illa dixit ei: Rabboni, quod dicitur Magiſter. Dicit ei Ieſus: Noli me tangere. Nondum enim aſcendi ad Patrem meum. Sed vade ad fratres meos, & dic eis, aſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, & Deum meum & Deum veſtrũ. Hæc eſt illa Maria Magdalena, de qua Ieſus eiecerat ſeptẽ Dæmonia, cui cum ſurrexiſſet apparuit primum, manè primo die Sabbati. Illa autem profecta renunciauit diſcipulis, qui cum illo fuerant, lugentibus ac flentibus, quod vidiſſet Dominum, & ea dixiſſet ſibi. Et illi cum audiſſent, quod viueret, ac viſus eſſet ab illa, non crediderunt.

Ingreſſæ autem mulieres in monumentum, viderunt adoleſcentem à dextris, amictũ ſtola candida, & expauerũt Erat autem Angelus Domini. At ille dicit eis: Nolite timere vos, ſcio enim quod Ieſum Nazarenum, qui crucifixus fuit, quæritis. Non eſt hic: ſurrexit enim, ſicut dixit. Venite & videte locum, vbi poſuerunt Dominum. Et abeuntes citò, dicite diſcipulis eius & Petro, quod ſurrexit à mortuis, & ecce præcedit vos in Galilæam, illic eũ videbitis ſicut dixit vobis. Ecce, dixi vobis. Et abeuntes celeriter fugerunt à monumento cum timore & gaudio magno, & currebant, vt renunciarent diſcipulis eius. Habebat autem illas tremor & ſtupor, neque cuiquã quicquã dicebant, timebant enim. Cum autem iſſent ad renunciandum diſcipulis eius, ecce Ieſus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem acceſſerunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Ieſus: Nolite timere, Ite renunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, & ibi me videbunt.

Quæ cum abiiſſent, ecce quidã è cuſtodibus venerunt in ciuitatem, ac renunciauerunt principibus ſacerdotum omnia quæ acciderant. Et congregati cum ſenioribus, conſilio habito, pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes: Dicite, Diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus. Et ſi hoc auditum fuerit à præſide, nos perſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt ſicut erant docti, & diuulgatus eſt hic ſermo apud Iudæos vſque in hodiernum diem.

ENARRATIO TEXTVS.

Argumentum & vſus hiſtoriæ de reſurrectione Chriſti.

HOc Feſtum ſummum omnium feſtorum eſt, in quo proponitur nobis Articul⁹ de reſurrectione Domini ex mortuis, idq; tertio die, iuxta ſcripturas, qui per ſuam glorioſam reſurrectionem, vt victor mortis, peccati, Diaboli: ita redemptor omnium, qui in ſe credere non recuſauerint, factus eſt. Solet autem in hoc feſto dici ex hiſtoria reſurrectionis, de beneficio ſeu fructu eiuſdem & de vſu, quæ omnia hoc præſens Euangelium continet. Narratur ab Angelo, quod Chriſtus reſurrexerit. Hæc eſt hiſtoriæ ſumma; iubentur mulieres non timere. Et eſt fructus huius beneficij, ac mulieres Chriſtũ excitatum quærunt, quarum exemplo nobis ſalutaris reſurrectionis Domini vſus commendatur, quare nõ fruſtra Paulus Timotheo ſcribens, ait: Memento quod Ieſus Chriſtus reſurrexerit à mortuis. 2. Tim. 2.8. Nã vt dicit idẽ Apoſt. Rom. 10.9. Si in corde tuo credideris, quod Deus eum ſuſcitauit ex mortuis, ſaluus eris. Cæterum quo nobis hic articulus fidei noſtræ reddatur confirmatior, tres locos tractabo in in hac concione, qui ſunt:

Partes.

I. *Quotuplex ſit probatio reſurrectionis Domini.*
II. *Cur tertia die reſurrexerit.*
III. *Quis ſit reſurrectionis Chriſti fructus.*

DE PRIMO.

Teſtimõnia reſurrectionis.

Triplici teſtimoniorum genere confirmatur reſurrectio Domini: nam ſunt teſtimonia antecedentia, coniuncta, & conſequentia, de quibus ordine dicam.

1. Antecedentia.

Vt antecedẽtia teſtimonia reſurrectionis Domini diligenter expendamus, admonet Chriſtus Lucæ 24.44. vbi ita ait, Sic ſcriptũ eſt, & ſic oportuit Chriſtum pati & reſurgere tertia die; & prædicari in ipſius nomine pœnitentiam & remiſſionem peccatorum omnibus gentibus. Sed vbi hoc ſcriptum eſt? Ipſe reſpondit, & ait: In Moſe, Prophetis & Pſalmis de me ſcriptum eſt. Proinde in Moſe, Prophetis & Pſalmis debemus quærere teſtimonia antecedentia reſurrectionis Domini.

In Moſe.

In Moſe eſt duplex genus teſtimoniorum de reſurrectione Domini. Nam & claris dictis prænũciatur, & figuris multis adumbratur. Clara ſunt hæc dicta, Gen. 3.15. Semẽ mulieris conteret caput ſerpẽtis, id eſt, Chriſtus Diabolũ ſuperabit, quod nõ fieri potuit, niſi per reſurrectionem Chriſti ex mortuis: nã ſi Chriſtus manſiſſet in ſepulchro, Diabolus victor fuiſſet Chriſti. Donec enim iacuit in ſepulchro Chriſtus, nulla Chriſti victoria, id eſt, nullus triumphus erat. Verùm dum aperto ſepulchro prodijt de ſepulchro viuus Dominus, ſe victorẽ Satanæ & triũphatorem declarauit. Huc & illud dictum pertinet: In ſemine tuo benedicẽtur omnes gẽtes terræ. Gẽ. 12.3. Vt ergo in morte maledictio: ita in vita Chriſti benedictio cõſpicitur. Adũbratur etiã figuris in Moſe. Adã dormiens & poſtea excitatus, figura fuit morientis & reſurgentis Chriſti. Sic enim ait Auguſtinus: *Præfigurata eſt in protoplaſta Adam Chriſti reſurrectio. quia ſicut ille poſt ſoporem ſurgens Euam de latere ſuo fabricatam agnouit: ita Chriſtus è morte reſurgens, ex vulnere lateris ſui ædificauit Eccleſiam.* Iſaac quoque impoſitus rogo vt cremaretur, liberatus tamen per Angelum, typus fuit Chriſti oblati in cruce, & poſtea è morte exemti virtute diuina. Ioſeph coniectus in carcerem, & poſtea eductus ad ſummos honores figurabat mortem & reſurrectionem Domini.

Figuræ ſeu typi.

In Prophetis. Dicta.

In Prophetis quoq; ſunt & dicta & figuræ de hac reſurrectione, de qua loquitur Iſaias c. 53.10. Si poſuerit pro peccato animã ſuã, videbit ſemẽ lõgæuũ & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Daniel apertè dicit cap. 9.24. Chriſtũ occidendum, & tamẽ perpetuò regnaturũ. Hoſeas quoq; dicit, c. 6.2. Tertia die viuificabit nos. Figuræ inter multas ſunt hæ: Sãſon obſeratis portis clauditur in ciuitate: Dominus obſignato clauditur monumẽto. Sãſon fractis ſeris, ſubtractíſq; portis ſecurus euadit. Chriſtus ru-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ptis inferni poteſtatib⁹ liber egreditur. Sicut perit nauis, niſi Ionas perditum detur: ita perit mundus, niſi Chriſtus patiatur. Et ſicut Ionas fuit in vẽtre piſcis tribus diebus, & poſtea in terram eiectus eſt: ita Chriſtus triduũ in terra erat, & poſtea viuus de ſepulchro prodijt.

In pſalmis.
Dicta.
Typi.

In Pſalmis quoq; ſunt teſtimonia & figuræ reſurrectionis Chriſti. Pſal. 2. totus agit de regno & ſacerdotio Chriſti. Pſal. 16. 10. Non dabis ſancto tuo videre corruptionem. Pſa. 22. concionatur de paſſione Domini & reſurrectione. Pſal. 110. 7. De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Idem Dauid adumbrat mortem & reſurrectionem Domini. Dauid toties fugiens, & tandem ad regnum euectus, typus fuit humiliationis Chriſti & glorificationis per reſurrectionẽ. Huiuſmodi probationes mortis & reſurrectionis Domini, multæ ſunt in Moſe, Prophetis & Pſalmis; ſed pauca recitaui ob temporis anguſtiam. Huc accedit quod Chriſtus ſæpiſſime præmonuit ſuos de ſua morte & reſurrectione.

2. Coniũcta.
Dicta.
Signa.

Coniuncta teſtimonia ſunt etiam duplicia, nempe clara dicta & ſigna. In hoc Euangelio Angelus dicit: Surrexit, & non eſt hîc. Signum conſpicitur, vacuum ſepulchrũ, terræ motus: oſtendit ſe Domin⁹ primùm Magdalenæ, deinde pluribus Apoſtolis, tũ 500. fratribus, & 40. diebus cum ſuis verſatur diſcipulis, & tandem multis conſpicientibus viſibilis aſcendit in cœlum.

3. Conſequentia.
Dicta.
Signa.

Conſequentia teſtimonia ſunt etiam duplicia, vox Apoſtolorum, ac totius Eccleſiæ vox confitẽtis Chriſtum ſuum Dominum & Mediatorem. Deinde ſunt ſigna quoque. Internum eſt ſpiritus Chriſti in corde credentiũ, qui illis teſtimonium reddit, quod Chriſtus viuat. Externa ſigna ſunt Baptiſm⁹ & cœna, nam Baptiſmo figuratur mors, ſepultura, reſurrectio Chriſti, vt Paulus docet Rom. 6. 4. cœna Domini quoque reſurrectionem chriſti nobis commendat. His teſtimonijs antecedentibus, coniunctis & conſequentibus, qui non credit, olim videbit iudicem in nubibus venturum, quem hîc in terra non agnouit Saluatorem.

DE SECVNDO.

Cur tertia die ſurrexit.

Cur tertia die ſurrexit? cur non diſtulit ad extremum diem, vt nos vnà cum illo ſurgeremus? Tertia die reſurrexit *primum* propter prophetias, fuit enim prædictum ab Hoſea propheta, & præfiguratum in Iona, vt tertia die reſurgeret. *Deinde* vt ſatisfaceret ſuis promiſſionibus, promiſit enim diſcipulis, quod poſtquam eſſet traditus gentibus, & illuſus, ab illis occideretur, & tertia die reſurgeret. Non autem anteuertit tertium diem, vt omnib. cõſtaret, eum verè mortuum fuiſſe. Oſtendit ergo ſe iacens in ſepulchro 40. horis verè mortuum. cur autem non diſtulerit reſurrectionem in extremum diem, in promptu ſunt grauiſſimæ cauſæ.

Cur reſurrectionẽ non diſtulit in extremum diem.

Prima, quia ſcriptum erat, Pſ. 16. 10. Non dabis ſãcto tuo videre corruptionem. Non enim debuit corpus chriſti in ſepulchro putreſcere. 1. Quia erat ex caſtiſſimæ virginis ſanguine factum, operante Spiritu ſancto. 2. Quia dum verſaretur in mundo, illud purum & incontaminatum ſeruauit; indignum proinde fuiſſet tale corpus fieri vermium eſcam.

Secunda cauſa, cur non diſtulit reſurrectionem, eſt ſpes noſtra. Ita enim Petrus ait: Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui regenuit nos in ſpem viuam per reſurrectionem chriſti ex mortuis 1. Pet. 1. 3.

Tertia cauſſa, vt eſſet primus reſurgentium, vt enim Adam erat primus, qui apparuit in mortali corpore, propter peccatum: ita chriſtus primus debuit apparere immortali corpore iuſtificante & ſanante noſtra corpora ab æterna morte.

Diſcrimẽ inter Chriſti & aliorum hominum reſurrectionem.

Tametſi autem omnes reſurgemus, & alij quidã præter chriſtum reſurrexerunt: tamen maximum diſcrimen eſt inter Chriſti reſurrectionem & aliorum. *Primum* enim Chriſtus reſurrexit propria virtute: id nemo præter illum ſolum potuit vnquam facere. *Deinde* alij qui excitati ſunt, vt filius viduæ, filia Archiſynagogi, & Lazarus, ac alij ſurrexerunt iterum morituri: at Chriſtus reſurrexit ad immortalitatem. *Præterea* differt Chriſti reſurrectio ab aliorum reſurrectione fructu & efficacia. Chriſtus enim virtute ſua excitat alios, id quod erat ſignificatum in horto, vbi erat ſepultus, & reſurrexit iam oriente ſole. *Poſtremo* & tempore differt Chriſti reſurrectio à noſtra, Chriſtus enim, vt iã oſtẽſum eſt, & ſymbolũ profitetur, ſurrexit tertia die, noſtra verò reſurrectio differetur ad extremũ diem. Tũ enim apparebit æterna vita & ſempiterna iuſticia, quam daturus eſt omnibus ſuis, id eſt, in ſe credentibus. Hæc ſint dicta de ſecundo loco, cur Chriſtus reſurrexerit tertia die, quomodo illius reſurrectio à noſtra differat, vt per reſurrectionem Chriſti viuam ſpem concipiamus æternæ & incorruptibilis hæreditatis in cœlo.

DE TERTIO.

De fructu reſurrectionis Chriſti.

Iam tertius locus de fructu reſurrectionis Chriſti reſtat, qui eſt copioſior & abundantior, quam vt humana lingua explicari poſſit. Paulus dicit omnia per Chriſtum eſſe inſtaurata in cœlo & in terra. Primũ enim Chriſtus prodiens de ſepulchro, apparet victor, triumphator mortis, inferni & Satanæ, atque ita ſatisfacit promiſſioni olim de illo editæ, Semen mulieris conteret caput ſerpentis: quod explicãs Iohannes ait, Chriſtus apparuit vt deſtruat opera Diaboli. 1. Io. 3. 8. Verũ quantum ad nos homines, propter quorum ſalutem de cœlo deſcendit, factus homo, mortuus eſt & reſurrexit, quadruplex fructus reſurrectionis Chriſti ſpectandus eſt. Nã reſurrectio Chriſti, 1. Eſt noſtra iuſtificatio. 2. Eſt virtus, qua in nobis domatur peccatum. 3. Exemplum nouitatis vitæ & cauſſa. 4. Eſt cauſſa noſtræ reſurrectionis, eiusque pignus certiſſimum. De hoc quadruplici fructu ordine dicam.

Eſt quadruplex, reſpectu noſtri.

1. Eſt noſtra iuſtificatio.

Primus itaq; fructus reſurrectionis Domini eſt iuſtificatio noſtri, de quo fructu Paulus Rom. 4. 25. Mortuus eſt propter peccata noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtri. Et Daniel cap. 9. 24. Auferetur iniquitas, & adducetur ſempiterna iuſticia. Quanti autẽ precij ſit hic fructus perpendendũ eſt, quò nobis magis dulceſcat. Nos naſcimur in peccato & rei iræ Dei. Epheſ. 2. 3. Nos omnes natura filij iræ ſumus, peccati ſtipendium eſt mors, Ro. 6. 23. ab hac morte per reſurrectionẽ Chriſti liberamur. nam per Chriſtum abſoluimur à reatu, peccati, atq; adeo à morte æterna. Hinc illud in Apocalypſi, ca. 20. 6. Beat⁹ & ſanctus qui habet partẽ in reſurrectione prima, in his ſecũda mors non habet poteſtatẽ, ſed erunt ſacerdotes Dei & Chriſti, & regnabũt cũ illo. Vt enĩ prima mors per Adã eſt, ita reſurrectio prima eſt per Chriſtũ. Huc & illud, Apo. 22. 19. Beati qui lauãt ſtolas ſuas in ſanguine agni, vt ſit poteſtas eorũ in ligno vitæ, & per portas intrẽt ciuitatẽ.

2. Eſt virtus qua in nobis domatur peccatũ.

Secundus fructus reſurrectionis Domini eſt, quod ea ſit virtus, quæ in credentes transfunditur, qua fit vt poſſint à vicijs ad virtutem pergere. Hæc virtus nobis in Baptiſmo confertur & confirmatur cœna Domini, modo nos ipſi nobis non defuerimus. Porro hæc virtus ſentitur in ijs tantum, qui ex

immor

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

immortali ſemine ſunt regeniti.1.Pet.1.23.

Eſt exẽplum & cauſa nouitatis vitæ.

Tertius fructus eſt exẽplum: nam vt Paulus inquit, Chriſtus reſurrexit, vt nos in nouitate vitæ ambulemus, qui ergo viciis ſuis indulgent, qui viuunt ſcelerate & impurè, teſtantur ſuo facto, quod Chriſtũ cõtemnant. Cuius reſurrectio nobis, vt vitæ degendæ ſpeculum propoſita eſt. Nam illi exiſtimant Chriſtũ flagellatum, ſpinis coronatum, fudiſſe ſanguinẽ in ara crucis, vt liceat ipſis indulgere omnibus furoribus tyrannidi, ſuperbiæ, libidinibus, & hoc pacto, quantum in ſe eſt, de nouo crucifigunt Filium Dei. Nos igitur qui non ſolùm dici, verumetiam eſſe cupimus qui dicimur, hoc eſt, Chriſtiani; id ꝙ res eſt cogitemus, videlicet quod Chriſtus mortuus ſit pro peccato expiando eorum, qui illum fide recipiunt & in vera pœnitentia viuunt, per mortificationẽ veteris hominis, & viuificationem noui hominis.

Quatuor ſunt mala, quibus grauantur homines, ignorantia, reatus peccati, vicia, & cõcupiſcentiæ ingenitæ, & metus damnationis æternæ. Contra ignorantiam Chriſtus eſt nobis ſapientia, dũ nos per Euãgelium docet de ſua erga nos voluntate: niſi enim verbo Dei de volũtate inſtrueremur, perpetuis tenebris noſtra mens inuolueretur, quæ tenebræ luce Euangelij depelluntur.

Iuſtitia.

Contra reatum peccati eſt Chriſtus nobis iuſtitia: nam ipſius obediẽtia nobis imputatur credentibus, vt iam non peccatores, ſed vt iuſti in Dei conſpectu appareamus.

Sanctificatio.

Contra vitia & concupiſcentias carni ingenitas Chriſtus eſt nobis ſanctificatio, dum virtute ſuæ reſurrectionis per Spiritum ſanctum nos iuſtificat.

Redemptio.

Contra metum dãnationis æternæ, eſt Chriſtus nobis redẽtio. Hæc quatuor Chriſti beneficia Paulus coniungit. 1. Cor. 1.30. his verbis, chriſtus factus eſt nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemtio, qui ergo extremum & vltimum beneficium expetit, debet per priores, tanquã per gradus, ad illud properare, vbi enim Chriſtum didicit, debet in eum credere: vbi credit, debet eius Spiritu ſanctificari, id eſt, exẽplo reſurgentis Chriſti nouã vitã viuere. Hãc nouã vitam tandẽ ſequetur plena liberatio in extremo iudicio, quando reddet vnicuique iuxta facta ſua. Sit ergo hic tertius fructus reſurrectionis Domini, de quo modò dixi, videlicet, vt in noua vita iuxta ipſius exẽplũ viuamus. Hinc illud Pauli, Si ſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt ſapite, &c. coloſ.3.1.

4. Eſt pignus & cauſa reſurrectionis noſtræ.

Quartus fructus reſurrectionis Domini eſt, ꝙ ſit & cauſſa & pignus noſtræ reſurrectionis, qua animæ mortuorũ coniungentur rurſus corporibus, in ſecundo chriſti Aduentu, cum veniet iudicaturus viuos & mortuos. Hinc Paul. 1. cor. 15, prolixe diſputat, & hoc argumentum tractat: chriſtus reſurrexit à mortuis, ergo & nos reſurgemus. 1. Theſ. 4.14. Nam ſi credimus, ꝙ Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit, ſic & Deus eos, qui obdormierunt, per eũ abducet cum illo. Et Ioh. 5. 28. Veniet hora, in qua oẽs, qui in ſepulchris ſunt, audient vocẽ eius & prodibunt, qui bona egerunt, in reſurrectionẽ vitæ, qui verò mala fecerunt, ad reſurrectionẽ iudicij. Hic fit mentio duplicis reſurrectionis, ſcilicet vitæ & iudicij. Reſurrectio vitæ eſt, quæ promittitur iis, qui bene fecerunt. Reſurrectio iudicij eſt, quam cõminatur iis, qui male fecerũt. Huc & illud Pauli Rom. 10.9. Hoc eſt verbum fidei ꝙ prædicamus: Si confeſſus fueris ore tuo Dominũ Ieſum, & credideris in corde tuo, quod Deus eum ſuſcitauerit ex mortuis, ſaluaberis, id eſt, reſurges ad reſurrectionem vitæ & ſalutis æternæ.

Doctrina.

Atq; hæc ſint breuiter dicta de reſurrectione Domini: vnde primũ cõfirmanda eſt fides noſtra de reſurrectionis articulo. Deinde confutandus eſt error Iudæorum: qui negant chriſti reſurrectionem. Tum admonebimur de fructu reſurrectionis, vt per eã & nos à peccato in hac vita reſurgamus, & tandẽ in extremo die reſurgamus ad reſurrectionẽ vitæ per chriſtũ Dominũ noſtrũ, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor, laus & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

FERIA SECVNDA PAſchatos, Luc. 24.

ET ecce duo ex illis ibant eodem die in caſtellũ, quod aberat ſpacio ſtadiorum ſexaginta ab Hieruſalem, nomine Emaus, & ipſi confabulabantur inter ſe de his omnib. quæ acciderant. Et factum eſt dũ confabularentur ac diſputarent, & ipſe Ieſus appropinquans ibat vnà cum illis. Cæterũ oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent, in alia enim forma apparuit eis. Et ait ad illos. Qui ſunt hi ſermones, quos confertis inter vos ambulantes, & eſtis triſtes? At reſpondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu ſolus peregrinus es Hieroſolymis, qui ignores, quæ facta ſunt illic his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? & dixerunt ei, de Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens opere & ſermone corã Deo & toto populo, & quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes & Principes noſtri in condemnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus eum eſſe illum, qui redemturus eſſet Iſrael. Atqui ſuper hæc omnia tertius dies eſt hodie, quo hæc facta ſunt. Sed & mulieres quædam ex nobis attonitos reddidere nos: quæ diluculo venerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt dicentes, ſe etiam viſionem Angelorum vidiſſe, qui dicerent eum viuere. Et abierunt quidam eorum, qui erant nobiſcum, ad monumentum, & ita repererunt, ſicuti mulieres dixerant, ipſum verò non viderunt. Et ipſe dixit ad eos: O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ. Nõnne hæc oportuit pati Chriſtum, & intrare in gloriã ſuam? Et exorſus à Moſe, & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant. Et appropinquauerunt caſtello quò ibãt. Et ipſe præ ſe ferebat ſe longius ire. Et coegerunt illum, dicentes, Mane nobiſcum, quoniam vergit ad veſperam, & inclinatus eſt dies. Et intrauit vt maneret cum illis. Et factum eſt dum accumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorum, & agnouerunt eum, & ipſe euanuit è conſpectu eorum. Et dixerunt inter ſe, Nõnne cor noſtrum ardebat in nobis, dum loqueretur nobis in via, & aperiret nobis ſcripturas?

Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt Hieroſolymam, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum illis erant, dicentes: Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodo fuiſſet agnitus ipſis ex fractione panis, nec his illi crediderunt. Erat autem veſpera die illo, qui erat vnus ſabbatorum, & fores erant clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum.

ENARRATIO TEXTVS.

Summa huius concionis.

Summa huius Hiſtoriæ eſt, quod Chriſtus eo die quo reſurrexerat, apparuerit duobus diſcipulis proficiſcẽtibus Emaus (fuit autẽ Emaus vicus duob. fere milliaribus diſtans à Hieruſalem) Et cum illis diſſeruerit de Meſſia, quos cum inſtruxiſſet, atque illis fractione panis ſe notum reddidiſſet, euanuit ab illorum oculis. Verũ illi iã certi facti de reſurrectione ipſius, mox redeunt Hieroſolymas, atque omnia quæ acciderant, narrauerunt diſcipulis vndecim. Vt

Partes.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

autem nos hanc Hiſtoriã intelligamus facilius, eam diſtribuam in quatuor partes,quæ ſunt.

I. *Quid egerint hi duo Diſcipuli, antequam Chriſtus ad eos veniret in itinere.*

II. *Colloquium Chriſti & diſcipulorum in via.*

III. *Quid acciderit in domo.*

IIII. *Quid fecerint illi diſcipuli inſtructi à Domino.*

Hæ partes ſingulæ habent ſuas doctrinas & admonitiones,quas in ſingularũ explicatione oſtẽdemus.

DE PRIMA PARTE.

Occaſio. Duo ex illis ipſo die,quo reſurrexerat Dominus ibant in caſtellum,quod erat in ſpacio ſtadiorum 60. quæ faciunt ſeptẽ millia paſſuũ,& paſſus quadringentos,hoc eſt,plus minus duo milliaria. Hæc occaſio fuit colloquij:& cũ ita irent,colloquebantur de Chriſto.Hinc duo nos diſcamus. Primũ occaſionem non negligendã eſſe exercendæ pietatis. Deinde vbi hãc nacti fuerimus,non eſſe alienis negotiis & friuolis interrumpendã:in his diſcipulis videmus tria.1. Signũ pietatis.2.Fidei infirmitatem.3. Admirationem eorũ quæ acciderant.

Eorũ pietas. *Fidei infirmitas.* Quod de Chriſto & eius geſtibus ſint locuti pie, ex eo cõuincitur, ꝙ iſto ſuo colloquio chriſtum ad ſe alliciant. Infirmitas fidei fuit, quod tametſi antea Prophetias de Chriſto audierant: tamen tardiores fuerant ad perfectè credendum. Ita fides Chriſtiana habet ſuam conceptionẽ & ſuã teneritudinem, quę fouenda eſt donec adoleſcat colloquiis de Chriſto.

Admiratio. Admirati ſunt quoq; de iis quæ acciderãt:nihil enim maiori admiratione dignum eſt,quã mortuum de ſepulchro viuum ꝓdire. Hęc admiratio erat mixta ſpe & metu,ſeu aſſenſu & dubitatione: quẽadmodum enim carnis ſenſus & rationis iudicium ad dubitandũ ſolicitauit eos, ita igniculus fidei qui in ipſis erat, reſtitit dubitationi,etſi admodum languidæ.Ita fit ſæpe in Chriſtianis, Caro vna ex parte adoritur,& hominem in diffidentiam pertrahere conatur. Spiritus ex altera parte ſe carni opponit,nunc languidius,nũc fortius.Verùm ne ſuccumbat ſpiritus, colloquiis de *Doctrina.* Chriſto,id eſt, meditatione & auditione Euangelij, aliiſq; piis exercitiis eſt excitandus.Hoc ergo exemplo confirmatur dictum Prophetæ Iſaiæ 42.3. qui ait de Chriſto. Arundinem quaſſatam non perfringet, nec linum fumigans extinguet,in veritate proferet iudiciũ.Hæ duæ ſimilitudines docent,quomodo Chriſtus agat cum ſuis in quibus aliquam pietatis ſcintillulam repererit.

Quando Chriſtus agat cum ſuis. Arundinis quaſſatæ ſimilitudine ſignificat ſe nolle eos,qui ſemifracti ſunt,frangere omnino & cõterere,ſed leuare potius & ſuſtinere,vt quid boni in ipſis erit,conſeruet atque adaugeat. Hi duo diſcipuli ſemifracti fuerunt & non procul à caſu,adeo vento carnis agitabantur:ſed Chriſtus ne cadant,ſua ſubleuat gratia. Deinde Metaphora lini fumigantis ſumta eſt à lychnis, qui propter fumum quem edunt, non extinguuntur,modo adſit qui manum admouet, ita vbicunque emicat aliqua pietatis ſcintilla,vbi Chriſtus adeſt & eam fouet atq; excitat,vt clarius ardeat, ſicuti in his duobus diſcipulis videmus. Hinc maxima nobis haurienda eſt conſolatio. Etſi nos infirmi *Cõſolatio* homines vacillamus ac claudicam⁹, tametſi iam quaſſati aut luxati ſumus, tamen nos non ſtatim abiicit quaſi prorſus inutiles,ſed diu & fert,quoad firmiores & conſtantiores reddiderit,modò horum diſcipulorum exemplum imitemur.

DE SECVNDA PARTE

Et factum eſt,cum fabularentur & inter ſe quæreret, ipſe Ieſus appropinquans ibat cum illis. Hoc Chriſti factum primũ confirmat promiſsionẽ Chriſti,quę eſt: *Colloquium diſcipulorum & Chriſti in via.* vbicunq; fuerint duo vel tres congregati in nomine meo,in medio eorũ ſum, quod tametſi non fit corporaliter,ſemper tamẽ verè ſpiritualiter,id quod hac ſua corporali præſentia vult ſignificare. Hinc ergo diſcamus,de quo in priori hiſtorię huius parte admonui,quod quicunq. piè de Chriſto inquirunt,aperiũt *Doctrina.* Chriſto ianuã ad ſe iuuandos, ac ipſum doctorẽ ſuis piis exercitiis accerſunt: ſicuti cõtra prophani homines impuris ſuis ſermonibus ei ianuam, quò minùs ad ſe veniat,occludunt. Hoc confirmatur nõ ſolum hoc exẽplo: verum etiã dicto Prophetæ Iſaiæ 66. 2. Ad quem reſpiciam?niſi ad pauperculum & contritũ ſpiritu,& trementem ad ſermones meos.

Noſtræ imbecillitatis pictura. Sed quid eſt quod dicit Euangeliſta : *Oculi eorum tenebantur,ne eum agnoſcerent?* Hinc monemur de noſtra imbecillitate : neq. enim oculi noſtri neq. aures ſuo funguntur officio, niſi eam facultatẽ eis diuina conceſſerit clementia, ſi ita ſe habet res cum oculis corporeis,multo magis de oculis mentis verum eſt. *Doctrina.* Hinc tria diſcamus. 1. quod nullæ ſint ſenſuum aut mentis noſtræ vires,niſi facultas illis diuinitus detur. 2. ne noſtra mente & noſtris ſenſibus abutamur in contumeliam Creatoris:quod ſi fecerimus,metuenda eſt pœna,ne omnẽ mentẽ & ſenſum nobis adimat. 3.Vt ab eo petamus & illuminationem & conſeruationem ſenſuum,in ipſius gloriam.

Et ait illis:*Qui ſunt hi ſermones, quos confertis ad inuicem ambulantes, & eſtis triſtes?* Hæc ſatis oſtendunt, quod antea dixi, eos verſatos fuiſſe inter metum & ſpem,ſed tandem metum ſuperaſſe.Verùm Dominus hic vacillantes cõfirmat,quod Paulis dicit,1. cor.10. 13.Dominus non ſinet vos tentari ſupra id quod poteſtis:ſed faciet cum tentatione etiam inuaſionem,vt poſſitis ſuſtinere. Hic duo illi diſcipuli ſuccubuiſſent, & illorum fides fuiſſet extincta tentatione, id quod illorum triſtitia teſtatur,niſi Chriſtus mox aduenisset & illorum ruinam erexiſſet:horum exemplo & Chriſti facto,& nos conſolemur & erigamus

Cleophæ reſponſio. Et reſpondens vnus, cui nomen Cleophas, dixit: *Tu ſolus peregrinus es in Hieruſalem, & non cognouiſti quæ facta ſunt in hiſce diebus?* Miratur Cleophas,quod ſolum ignoret,quod toti ciuitati notum erat,& omnibus,qui illuc ad feſtum Paſchæ confluxerant peregrinis.

Eius confeſſio. *Quibus ille*:Quæ? *De Ieſu Nazareno, &c.* Reſponſio Cleophæ quatuor habet.1.Confeſſio eſt de Chriſto,& teſtimonium,qualis nimirum fuit:*qui*(inquit) *fuit Propheta,potens in opere & ſermone coram Deo & omni populo.*

Confeſſionis partes. Hæc deſcriptio tria de Chriſto habet. Primo loco, quod Chriſtus ſit Propheta,id eſt, doctor voluntatis Dei à Deo miſſus. Deinde quod non fuerit vulgaris Propheta:*Sed potens in opere & ſermone*, id eſt, excellens vitæ ſanctitate & docendi facultate. Tertiò additur,*coram Deo & hominibus*, quo ſignificatur Chriſtum ita Propheticũ munus obiiſſe,quod ſe ſanctè in omnibus geſſerit tanquã ſub Dei oculis.Hæc Chriſti confeſſio magna fuit,etſi non plena.Phariſæi, ſacerdotes ſummi,Pilatus,Herodes,Chriſtũ tanquã blaſphemum occiderunt.Hi diſcipuli eum à Deo miſſum teſtantur,vnde nos hanc hauriamus doctrinã, quod in religione non ſit ſequendum potentum iudiciũ: ſed verbi Dei regula. Illi offenſi erant externa ſpecie Chriſti: hi veritatem Dei ſecuti, ſe quantum potuerunt blaſphemis iſtis oppoſuerunt.

Narratio de Chriſti paſſione. *Secundum*, quod eſt in Cleophæ reſponſione,eſt narratio Domini:in qua,& à quibus ſit damnatus,& quo mortis genere ſit affectus teſtatur. *Summi*, inquit,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quit, *ſacerdotes & principes noſtri in damnationem mortis eum tradiderunt.* Hoſtes chriſti apertè pronunciat ſummos ſacerdotes & principes: vnde & nos monemur palam accuſari eos, qui Euangelium perſequuntur, vt Papa facit & multi tyranni in orbe terrarum. Deinde quo mortis genere ſit afflictus indicat, cum inquit: *Et crucifixerunt eum.* Quo mortis genere nullum fuit ignominioſius in mundo: quo tamen non eſt abſterritus cleophas: quò minùs illum pro viro ſancto habuerit.

Confeſſio fidei in Chriſtum

Tertium, quod eſt in cleophæ reſponſione, eſt cōfeſſio fidei in chriſtum. *Nos*, inquit, *ſperabamus quod ipſe eſſet redemturus Iſrael*, fatetur apertè Cleophas ſe in Chriſtum credere, quem ſummi Sacerdotes occiderunt: atque hæc eſt indoles veræ fidei: qui enim fide credit ad iuſtitiam, ore confitetur ad ſalutem.

Fidei imbecillis confirmatio.

Quartum, quod eſt in reſponſione cleophæ, eſt fidei imbecillis confirmatio ex promiſsione Chriſti, & teſtimonio mulierum, viſione Angelorum, & diſcipulorum quorundam teſtificatione. Nam cum tertium diem nominat cleophas, id facit ideo, quia Dominus promiſerat ſe tertio die reſurrecturum. Hanc promiſſionē cōpletam credit, etſi inter ſpem & metum iactatur: ſed contra metum adhibet fidei fomēta, ne prorſus extinguatur. Quod autē corpus à mulieribus non fuiſſe repertum narrat, & oblatam illis angelorum viſionē indicat, & quod de ſepulchro vacuo dixerant mulieres, viuorumq. teſtimonio idem fuiſſe probatum, eò pertinet, vti ſibi certo perſuadeat Chriſtum reſurrexiſſe: Ita pius homo inter fidē & metum dubius, fidei adhibet fulcimenta, & contra metum pro ſua virili luctatur.

Chriſti reprehenſio paterna.

Sed quid ad hæc Dominus? *O ſtulti*, inquit, *& tardi corde ad credendum omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ.* Hic primùm fides noſtra habet quod à Chriſto diſcat. Chriſtus reprehendit quidem in illis diſcipulis cùm diſcendi, tum credendi tarditatem, ſed non abiicit imbecilles: ſed ſuo more eos potius paternè caſtigat, & imbecilles iuuat: ne metu fracti, fidei igniculū extinguant. Venit enim vt medicus eſſet infirmorum, nō vt infirmos terrore occideret. Hinc nos diſcamus, ꝙ Chriſtus non velit quenquam abiicere, qui exiguā & imbecillē fidem habet, modo eam cōfirmari & augeri per verbū Dei permittat. Sed quid reprehendit in his duob. diſcipulis? Duo. Ignorantiā ſeu diſcendi ignauiam, & tarditatem ad credendum Prophetis. Ignauia impediuit intellectum: tarditas remorata eſt fidem. Etſi enim habuerunt perexiguā fidem: tamen oportuit eos maiores progreſſus feciſſe, qui non ſolùm ab ineunte ætate Prophetarum vaticinia de Chriſto audiuerant, ſed & ipſum chriſtū prædicentem, quo mortis genere erat afficiendus, & quod tertia die iterum viuus de ſepulchro erat egreſſurus. Hic & noſtra taxatur ignauia, quia per tot annos audimus Euangelium, inter quos tamen multos inuenire eſt, qui nondum didicerunt ſymbolum Apoſtolicum, quibus admodum metuo, niſi mature reſipiſcant.

Chriſtus docet poſt reprehenſionem.

Poſtquam chriſtus reprehendit, incipit docere, quod eſt boni magiſtri, ait igitur: *Nónne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Hæc Domini docentis propoſitio eſt, cuius hic ſenſus eſt: chriſtus debuit iuxta Prophetarum vaticinia pati mortem crucis, & poſtea excitatus à mortuis in ſuā gloriam intrare. Pati quidem debuit propter peccata noſtra: reſurgere verò propter iuſtificationem noſtri. Rom. 4. cum ergo fatemini me chriſtum eſſe, debetis etiam ex Prophetis ſcire, quod me oportuerit mori & reſurgere à mortuis. Hæc enim ex Moſe & Prophetis oſtendit: ſed Euangeliſta quibus ſcripturæ locis hoc fecit, non explicat. Non eſt tamen dubium, quin promiſſionem de chriſto primùm Adæ propoſitā expoſuerit, quæ eſt: Semen mulieris cōteret caput ſerpētis, & huiuſmodi alias multas, quales heri audiuiſtis. Moſes mandato Dei erexit æneū ſerpentem in deſerto, in quem qui aſpexerunt, à ſuis ſanabantur plagis: quem typum Chriſtus explicans Iohan. 3. 14. ait: Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita oportet filium hominis exaltari, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Verùm cum hæc ex Moſe & Prophetis recitat, appropinquant pagum, quò inter inſtituerāt, Doctrina.
& ille finxit ſe longius ire, at illi cogunt eum & rogant, vt apud ſe maneat. Hinc nos diſcamus, quo in loco habere debeamus eos, qui nos errantes obiurgant, & in viam ſanæ doctrinæ reuocant. Non hîc rurſus obiurgant Chriſtum & eum ſtultum vocant: ſed agnoſcunt ſuam ſtulticiam, & præbent ſe dociles ei, quod de errore ſuo & ſtultitia liberentur. Hæc omnes faciunt pij: contrà, impij fremunt, & aduerſus eos inſaniunt, qui ſe in viam reuocare conantur mōſtrato eorum errore, ſicuti nuper audiuimus Iudæos feciſſe.

DE TERTIA PARTE.

Iam quid in domo geſtum ſit, ſequitur: *Et factum eſt* (inquit Euangeliſta) *dum diſcumberet cum eis, accepit panem, & benedixit ac fregit, & porrigebat eis. Et aperti ſunt oculi eorum, & cognouerunt eum.* Hic exponit Euāgeliſta, quod diſcipuli agnouerunt Dominum in fractione panis: nam quoties Dominus ſumebat cibum, habuit & peculiarem modum precandi, & ſingularē geſtum porrigendi panem: quæ cum ſæpe in Chriſto animaduertiſſent, agnouerunt ipſum, qui iam excitatus à mortuis, eundem morem ſeruauit, quem antea. Quemadmodum itaque diſcipuli hoc geſtu agnouerunt Chriſtum: ita nos eius exemplo diſcamus quoties pane veſcimur, ipſi vitæ autori gratiarum actionem offerre, quæ nota nos à prophanis hominibus diſcerneret.

Porro agnitus Chriſtus euanuit ab oculis eorum: ipſi vero ſuauius de eo iam colloquuntur quā antea. Fructus verbi Dei
Nónne (inquiunt) *cor noſtrum ardebat in nobis in via, dū loqueretur nobis & aperiret nobis ſcripturas?* Hic obſeruemꝰ fructū verbi Dei in hominib. Etſi autē Chriſtus iam non apparet corporaliter, & nobis loquitur, tamen loquitur nobis per miniſtros verbi, ſicut ait: Qui vos audit, me audit. Quis eſt ille fructus? Qui autem verbum Dei auribus & corde audit, in eo ignis quidam incenditur, & incipit ardere cor eius, vt ergo qui hunc ardorem in corde ſuo non ſentit, quando verbum Dei audit, habet aures, ſed non ad audiendum, & cor, ſed non ad intelligendum, idque ſuo proprio vicio, quia Spiritui ſancto reſiſtit, ita qui hunc ardorem ſentit in ſuo corde, habet teſtimoniū loquentis ſpiritus Chriſti in ſe, & quod veram viuámque fidem habeat. Quare monemur, vt in timore Dei ſumma cum reuerentia & deſiderio verbum Dei audiamus.

DE QVARTA PARTE.

Et ſurgentes eadem hora regreſſi ſunt in Hieruſalem, & inuenerunt congregatos vndecim, &c. Hæc docent, quod ardor ille, qui in nobis ad prædicationem verbi accenditur, non ſit ocioſus: ſed ſe mox etiā foris oſtendat, nam qui Chriſtum verè nouit, is Fidei efficacia.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

etiam cupit, vt alij etiam ipſum agnoſcant, vt multi ſimul eum prædicare poſſint. Vt talis ardor in nobis accendatur, faxit Saluator noſter Ieſus Chriſtus, cui cū Patre & Spiritu ſancto ſit honor in ſecula, Amen.

FERIA TERTIA PAſchatos, Luc. 24.

DVm autem hæc loquuntur, venit Ieſus ipſe, diſcumbentibus illis, & ſtetit in medio eorum, & dicit eis: Pax vobis. Et exprobrauit illis incredulitatē ſuam & cordis duriciē, quod iis qui ſe vidiſſent reſurrexiſſe non credidiſſent. Expauefacti verò & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in cordibus veſtris? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipſe ſum. Contrectate me & videte, quia ſpiritus carnē & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Et cū hæc dixiſſet, oſtendit eis manus & pedes, & latus ſuum. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli viſo Domino. Adhuc autē illis non credentibus, & præ gaudio mirantibus, dixit eis: Habetis hic aliquid edulij? At illi obtulerunt ei partē piſcis aſſi, & aliquid de fauo apiario. Et accepit, & in conſpectu illorū comedit, & dixit ad eos: Hæc ſunt verba, quæ locutus ſum ad vos, cū adhuc vobiſcū eſſem, quod neceſſe foret implere omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſi, & Prophetis, & Pſalmis de me. Tunc aperuit illorū mentem, vt intelligerent ſcripturas. Et dixit eis: Sic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtū pati & reſurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam ac remiſſionem peccatorum in omnes gentes, initio facto ab Hieroſolymis. *Vos autem eſtis teſtes horū. Et dixit eis iterum: Pax vobis. Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, flauit in eos, & dicit eis: Accipite Spiritum ſanctum. Quorumcunq; remiſeritis peccata, remittuntur eis: quorumcunque retinueritis, retenta ſunt.*

ENARRATIO TEXTVS.

Quinta Chriſti apparitio

Hæc eſt quinta apparitio Domini ipſo die Paſchatos, qua apparuit diſcipulis confabulantibus de ipſo. Primùm enim apparuit Mariæ Magdalenæ, è qua ſeptem eiecit dæmonia. 2. Apparuit mulieribus redeuntibus à ſepulchro. 3. Apparuit Petro. 4. Cleophæ & ſocio eius. 5. Vt hic textus habet, vndecim diſcipulis de illo confabulantibus. Loci duo:

Partes.

I. *Salutatio Chriſti & teſtimonia quibus probatur eius reſurrectio.*

II. *Neceſſitas mortis & reſurrectionis Chriſti, & eiuſdē vſus, videlicet quod oporteat in eius nomine prædicari pœnitentiam & remiſſionem peccatorum omnibus gentibus.*

DE PRIMO.

Ieſus ſtetit in medio eorum & dixit eis: Pax vobis. Diſcipuli mœſti loquuntur de Chriſto, qui illis adeſt iuxta promiſſionē: vbicunq; fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ego ero in medio illorū. Etſi enim id non ſemper fit corporaliter: tamen verè fit. Non enim vnquam faciet contra ſuā promiſſionem. Quid autem affert quando venit, oſtēdit eius ſalutatio, quia hic ſuos mœſtos conſolatur diſcipulos. Nā cum datus eſt Chriſtus mœſtis in conſolationem, hic pacem offert, dicens: *Pax vobis.* Hæc pax, quam ſuis optat, non eſt vulgaris, ſed diuina: non mundi, ſed regni cœlorum, inter Deum & hominē. Verùm vt nos intelligere poſſimus, quantum ſit bonum hæc pax, quam Chriſtus ſuis offert, copioſius exponā, quæ in huius pacis conſideratione concurrant: vnde huius pacis plenam deſcriptionem colligemus.

Locus de Pace Chriſtiana.

Quia pax ſancitur inter partes diſſidentes, primū ſpectandū eſt, quænā ſint partes diſſidentes. Sunt autē duæ: *Deus* & *homo*. Deus felix & beatus eſt ſine homine: Homo miſer & damnatus eſt ſine Deo? ergo Deus non opus habuit, vt pacē cum homine quæreret, ſed homo ſine pace cum Deo extreme miſer eſt, atq. ideo nulla re magis opus habet, quā pace cū Deo.

1. Partes diſſidentes.

Deinde cū partes diſſidentes neceſſe eſt aliquā offenſā præceſſiſſe. Hæc offenſa nō à Deo, ſed ab homine initiū ſumit. Quęnā eſt illa offenſa? *Peccatum.* Hoc peccatum fuit quædam à Deo proditoria defectio ad Diabolum, cui ſe homo ſubiecit. Quanta autem ſit hæc offenſa, facile æſtimare eſt ex eius magnitudine, multitudine, turpitudine & pœna. Magnitudo eſt, ꝙ creatura creatorē offendit & cōtēſit, qui hominis ſummum bonū fuit. Multitudo ex eius fructibus ſpectatur, turpitudo ex horrenda cōtaminatione humani generis, quæ ſecuta eſt hāc offenſam. Pœna, maledictio & dānatio; vt taceam innumeras calamitates & ærumnas, quibus humanum genus in hac vita tantum non oppreſſum eſt.

2. Offenſa.

Cognita offenſa, quæ fecit nos Dei hoſtes, tertio loco mediator cōſiderādus eſt, qui certe debuit eſſe talis, qui & Deū offenſum placare poſſet, & qui illatā iniuriā iuſtè cōpenſaret. Deum offenſum creatura nō potuit placare, iniuriā cōpenſare Deus non debuit. Quærendus igitur fuit talis mediator, qui & potuit per potentiā, & debuit per naturā. Cū talis non potuit haberi, *æternus Dei Filius* altera perſona in trinitate venit in mundū, & aſſumſit humanā naturam, & *factus eſt homo, Ieſus Chriſtus.* Hic Ieſus Chriſtus coniūctus eſt Deo patri diuinitate, & homini per humanitatem: Quare potuit vt Deus, debuit vt homo, qui noſtram cauſam in ſe recipit.

3. Mediator.

Hic mediator cōpenſauit iniuriā: nam noſtrū reatum in ſe recepit, pro quo pœnas luit in ara crucis, ac ita *ſatisfecit* iuſtitiæ Dei. Verùm quia nos adhuc manemus peccato coinquinati, Chriſtus tota ſua vita in hoc mundo legi Dei *obediuit* perpetuò, plene & perfecte, quam iuſtitiam credentibus imputat, vt ſint iuſti in Dei conſpectu: atq; ita victima ſua iram Dei placat, & obedientia ſua nos veſtit, vt iuſti appareamus in conſpectu Dei.

4. Cōpenſatio, ſeu Satisfactio.

Facta compenſatione reconciliatio inter Deum & hominem inita eſt. Nam pater placatus eſt per obedientiam Filij.

5. Recōciliatio.

Verùm quia in omni recōciliatione neceſſe eſt inter eos, qui reconciliantur, aliquod pactum intercedere, hoc quoque in hac cum Deo pace conſtituta cōſpicitur. Nam vt ex parte Dei eſt liberalis & paterna *miſericordiæ promiſſio*, iuxta illud: Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te. Item: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi cōplacui: viuo ego, nolo mortē peccatoris, ſed vt cōuertatur & viuat, ita ex parte hominis eſt *fides*, qua paterna promiſſio accipitur, quâq. adoptamur in filios Dei per vnigenitū filiū Ieſum Chriſtum.

6. Fœdus inter Deum & homines

Cæterùm quia in pactis adhiberi ſolent obſignationes, neq; hę in hoc ſummo pacto omiſſæ ſunt. Sūt autem triplices obſignationes. Prima eſt *iuramentum* Chriſti: Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitā æternā. Secunda eſt obſignatio per *Sacramenta*, Baptiſmum & Cœnā Domini, quæ ſunt firmiſſima pacti inter Deum & hominē ſigilla, quæ nunquā violabuntur, niſi homo ſua culpa abiecerit fidem. Tertia obſignatio eſt *arrabo Spiritus*, qui teſtimoniū dat Spiritui noſtro, ꝙ ſimus filij Dei. Huc etiam illud pertinet 2. Corinth. 1. 22. Obſignauit nos, & dedit arrabonē ſpiritus in cordibus noſtris. Hæ ſunt obſignationes & ſigilla, quibus pax inita inter Deum & hominē obſignatur & confirmatur, vt vera ſit.

7. Sigilla fœderis

Præterea, nequis exiſtimet hanc pacem ad pau-

8. Promulgatio

cos

Paucos quoſdam pertinere, obſeruanda eſt eius promulgatio, quæ eſt vniuerſalis: Chriſtus enim aſcẽſurus in cœlum, mandatum dedit diſcipulis, vt hãc pacem proclamarent per vniuerſum orbẽ: ita enim ait: Ite in mundũ vniuerſum, & prædicate Euangeliũ omni creaturæ. Pertinet igitur hæc pax ad omnes, qui vocem Euangelij recipiunt, & in Chriſtum credunt, perſeuerãtes vſque in finem. Nam ita ait Dominus, Beatus qui perſeuerauerit vſque ad finem, non eſt enim ſatis, bene incepiſſe, niſi quis quotidianos faciat progreſſus.

3. Fructus huius pacis. 1. In hac vita.

Si quæris huius grauiſſimæ pacis fructus, inuenies plurimos in hac vita, & poſt reſurrectionem. *In hac vita* habes huius pacis beneficio, *acceſſum ad Deum* tanquam ad Patrẽ clementiſſimum per Ieſum Chriſtum. Ita enim inquit Paulus, Rom. 5. 1. Fide iuſtificati pacẽ habemus cum Deo per Ieſum Chriſtum, per quem & acceſſum habemus ad gratiam hanc, in qua ſtamus. Secundus huius pacis fructus, eſt *bona cõſcientia*: antea enim peccati conſcientia nos vexat: verum poſtquam hanc pacem ſentimus, cõſcientia bona & læta redditur, ſicuti latronis in cruce, quãdo audiuit, Hodie eris mecum in Paradiſo. Ad eũdem modum cum audimus in Euangelio annunciari remiſſionem peccatorũ credentibus, conſcientia credentium redditur tranquilla. Cum hac bona conſcientia coniunctum eſt *gaudium Spiritus*, quo efficitur, vt in mediis afflictionibus gloriemur, vt inquit Paulus. Verũ hęc gloriatio, & hoc gaudium ſpiritus augetur meditatione verbi, oratione, vſu Sacramẽtorum, & aliis piis exercitiis, Hunc fructum & quartus ſequitur, nimirum *fraterna dilectio*. Cum enim intelligimus, & fide ſentimus nobis Deum communem Patrem, per communem Mediatorem nobis reconciliatum, incipimus, nos inuicem diligere, tanquam huius theſauri communes hæredes. Hunc quartum fructum ſequitur quintus, qui eſt lætus deceſſus ex vita, quẽadmodũ Simeon conſpecto autore huius pacis Chriſto ait, Nunc dimittis ſeruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.

2. Poſt reſurrectionem.

Poſt reſurrectionem, huius pacis fructus erit perpetua iucunditas, perpetua lætitia, & fruitio conſpectus Dei, & ſanctorum omnium, qui vixerunt inde vſque ab initio mundi: hunc fructum nemo in hac vita ſatis cogitare poteſt.

Pacis Chriſtianæ definitio.

Poſtquam iam dictum eſt fuſius, quæ in hac pace concurrunt: nunc contraham in breuem ſummã ſeu deſcriptionẽ, quæ ſit hęc pax. Pax igitur inter Deum & hominem eſt mutuus conſenſus Dei & hominis, Dei quidem hominẽ propter Chriſtum in gratiam recipientis: hominis verò oblatam gratiam fide recipientis: ac obedientiam erga Deum ſerio promittentis. Hæc ſint dicta de pace, quam Chriſtus hîc offert, non ſolum diſcipulis vndecim qui tum aderant: verumetiam nobis & omnibus, qui hanc volunt recipere, cùm illis per Euangelij prædicationẽ offertur. Poſt hanc pacificam ſalutationem ſequitur in textu, quomodo ſe Chriſtus probauerit verè à mortuis reſurrexiſſe, & id ita prænunciatum in Moſe, Prophetis, & in Pſalmis oſtendit. Verũ quia de his die Paſchatos & heri audiuiſtis: nunc tantum de neceſſitate & vſu mortis & reſurrectionis Chriſti dicam.

DE SECVNDO.

De morte & reſurrectione Chriſti.

Sic ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati & reſurgere à mortuis tertio die, ac prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum omnibus gentibus, initio facto ab Hieroſolymis.

Primùm ergo cum dicit: ſic ſcriptum eſt, vult vt non ratio, ſed ſcriptura apud nos valeat, quoties de regno Dei fit quæſtio. vbi autem hoc ſcriptũ ſit, addit inquiens: Neceſſe eſt impleri omnia in lege Moſis, & in Prophetis, & in Pſalmis. Cum igitur quæritur de ſalute, conſulendus eſt Moſes, legendi ſunt Prophetæ, & cognoſcendi ſunt Pſalmi, deinde ſcripta Euangeliſtarum & Apoſtolorum. Quicquid cum iſtis ſcriptis pugnat, repudiandum eſt, tanquam à ſatana profectum. — Scripturæ S. autoritas.

Quid ſcriptum eſt? quod oportuerit ſic pati Chriſtum, & reſurgere ex mortuis tertio die. Cum dicit: Sic oportebat, neceſſitatem mortis & reſurrectionis Chriſti indicat.

Quare ergo oportebat? 1. Vt impleretur ſcriptura, quę mentiri nequit. Vt enim Deus manet in æternum: ita eius verbum in æternum manet, & Chriſtus dicit: Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt. 2. Oportebat hoc fieri, quia ita Deus decreuit. Nullo enim pacto fieri poteſt, vt quod Deus certò conſtituit, non procedat. 3. Oportebat Chriſtum pati propter hominum redemptionem à pœnis æternis, quas ſuis peccatis meruerant, niſi enim Chriſtus fuiſſet paſſus, nos in peccatis ſub ira Dei manſiſſemus. 4. Oportebat Chriſtum pati propter gloriam, qua poſtea coronandus erat. 5. Oportebat Chriſtum pati in noſtri inſtructionem, & conſolationẽ. Is cum caput ſit, debuit præcedere, cùm in cruce, tum in gloria. 6. Oportebat Chriſtum pati, vt figuris reſponderet veritas. Multæ enim figuræ veteris teſtamenti mortem & reſurrectionem Chriſti repræſentabant, de quibus dictum eſt die Paſchatos. Breuiter, vt vno verbo omnia complectar, Chriſtus paſſus, mortuus & excitatus eſt, vt placaretur Deus offenſus, ſaluaretur genus humanum, & deſtrueretur regnum Diaboli. — Cur oportuit Chriſtum pati & reſurgere.

Habemus quanta fuerit neceſſitas mortis & reſurrectionis Chriſti, iam audiamus quis ſit fructus & vſus huius admirandi operis. Id quod Dominus hiſce verbis exponit: *Et prædicari in nomine eius pœnitẽtiam & remiſſionem peccatorum omnibus gentibus*. Ex his primum colligitur, quid ſit Euãgelium, & quę eius ſumma. Euangelium eſt prædicatio pœnitentię & remiſſionis peccatorum propter Chriſtum. Summa Euangelij eſt, quod liberatio à peccatis & ſalus contingat per ſolũ Ieſum Chriſtum. Verùm vt planius nobis euadat, quanta beneficia nobis offerantur per Euangelium, quæ omnia ſub his Chriſti verbis latent, paulò copiotiorem deſcriptionẽ ex ſcripturis afferã. — Fructus & vſus mortis & reſurrectionis Chriſti. — Euangelij definitio & ſumma.

Euangelium eſt vniuerſalis prædicatio, in qua annunciatur liberatio à maledictione legis & iræ Dei, & proclamatur remiſſio peccatorum, ſalus ac vita æterna, credentibus in Filium Dei, propter eiuſdem victimam, ſecundum promiſſiones olim patribus factas, vt perpetuò gloria bonitatis Dei prædicetur, vtq; porro dignos Euangelio fructus edãt homines per Chriſtũ liberati, tandémque vita fruãtur ęterna. — Pleniot Euangelij definitio.

In hac deſcriptione primum ſignificatur, à quibus malis per Euangelium liberemur, nempe à maledictione legis, iuxta illud Gala. 3. 13. Chriſtus factus eſt pro nobis execratio, hoc eſt, execrationẽ quam nos meruimus noſtris peccatis, is in ſe recepit, vt nos fieremus hæredes iuſtitiæ & benedictionis. Hoc etiam teſtatur Paulus 2. Corin. 5. 21. vbi ita ait. Eum qui nõ nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſtitia Dei in ipſo. Hoc eſt, Chriſtus qui immunis erat ab omni peccato, factus eſt reus pro nobis: ergo rectè dictum eſt nobis per Euangelium annunciari liberationẽ à maledictione legis. Deinde, quia cum maledictione legis etiam ira Dei erat coniuncta, liberamur etiam ab ira Dei, cum credimus Euãgelio. Qui non credit (inquit veritas) ira Dei manet ſuper — Deſcriptionis explicatio. — Quæ mala Chriſtus aufert.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

eum:proinde qui credit,non amplius eſt ſub ira:ſed ſub gratia.Iam vbi gratia regnat,nulla vis eſt tyrannidis diaboli,nullus ſtimulus mortis æternæ,nullus motus inferni:ab iſtis ergo malis liberationem prędicat Euangelium.

Quę bona offert. Sed quæ bona ſunt quæ annunciat?Annunciat remiſſionem peccatorum,ſalutem & vitam æternam. Nos rei peccati ſumus natura, maledicti & damnati ad mortē æternam: ſed iam Chriſtus in ſuo Euangelio annunciat nobis remiſſionem peccatorum,ſalutem,& vitam æternam, quæ bona nobis meruit ſua morte & glorioſa reſurrectione.

Quibus. Habemus à quibus malis liberemur per Euangelium, & quæ bona nobis offerantur per idem:nunc ſequitur,quibuſnam contingant iſta bona,nimirum credentibus in filium.Hoc multis probatur ſcripturæ teſtimoniis.Qui credit,inquit Chriſtus,habet vitam æternā.Vt hanc præcedit remiſsio peccatorum: ita cum ea coniuncta eſt ſalus. Et Petrus dicit,fidei noſtrę finem eſſe ſalutem animarum.Hoc ipſum hic ſignificatur cum dicitur: Oportet prædicari pœnitentiam,qua ſcilicet ob peccatum perpetratum dolemus & confugimus ad Chriſtum,qui ait,Non veni vocatum iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

Quomodo,ſeu cuius beneficio. Poſt hæc ſequitur,cuius beneficio tanta bona conſequimur, propter victimam Chriſti, id eſt, propter mortem & reſurrectionem Chriſti. Vnde Paulus Rom.4.25.Mortuus eſt propter peccata noſtra,& excitatus propter iuſtificationem noſtri.

Quando. Et ne quis nouam doctrinam exiſtimet Euangelium eſſe,adieci in definitione,ſecundum promiſſionem olim patribus factam.Nam & Adamo poſt lapſum facta promiſſio,Gen.3.15.& ſæpe poſtea repetita eſt,& inculcata patribus ſpacio 4000.annorum, donec Chriſtus in carnem venit.

In quem finem. In fine adduntur fines. 1. liberatio à legis ſententia per Chriſtum.2.vt liberati fructus dignos Euangelio edant.3.vt prædicent hoc tantum beneficium. 4.vt tandem plenam redemptionem conſequantur in vita æterna per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum,cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit laus,& gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA PRIMA POST Paſcha, Ioan. 20.

CVm veſpera eſſet die illo, qui erat vnus Sabbatorū, & fores eſſent clauſæ,vbi diſcipuli erant congregati propter metum Iudæorum,venit Ieſus,ſtetitque in medio, & dixit eis: Pax vobis. Et cum hæc dixiſſet,oſtendit eis manus ac latus ſuum.Gauiſi ſunt ergo Diſcipuli viſo Domino. Dixit ergo eis iterum:Pax vobis.Sicut miſit me Pater,ita & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet,flauit in eos,& dicit eis: Accipite Spiritum ſanctum, Quorūcunque remiſeritis peccata,remittuntur eis,quorumcū que retinueritis, retēta ſunt.Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus,non erat cum eis quando venit Ieſus. Dixerūt ergo alij diſcipuli:Vidimus Dominum. Ille autē dixit eis: Niſi videro in manibus eius veſtigium clauorum,& mittam digitum meum in veſtigium clauorum,& mittam manum meam in latus eius, non credam. Et poſt dies octo iterum erant diſcipuli eius intus,& Thomas cum eis.Venit Ieſus ianuis clauſis & ſtetit in medio,& dixit:Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas,& admoue manum tuam,& immitte in latus meum,& noli eſſe incredulus,ſed credens.Reſpondit Thomas,& dicit ei:Dominus meus,& Deus meus. Dicit ei Ieſus. Quia vidiſti me,Thoma, credidiſti, beati qui non viderunt, & crediderunt. Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum,quæ non ſunt ſcripta in libro hoc,hæc autē ſcripta ſunt,vt credatis quod Ieſus Chriſtus ille Filius Dei eſt, & vt credentes vitam habeatis per nomen eius.

ENARRATIO TEXTVS.

Summa huius hiſtoriæ. Hoc Euangeliū continet partem hiſtoriæ, quam ſcripſit Ioanne Euangeliſta de reſurrectione Domini,in qua parte,viſibili & carnali præſentia, voce,facto,& ſignis teſtatur Dominus,ſe à mortuis reſurrexiſſe:Et commendans diſcipulis miniſterium verbi, prædicat,beatos fore qui in ſe crediderint.In fine textus additur cauſſa finalis totius ſacræ ſcripturæ, ita enim inquit:Hæc ſcripta ſunt vt credatis, & vt credentes vitam habeatis in nomine eius. Cæterùm quia ſatis dictum eſt ſuperiori ſeptimana de reſurrectione Domini, nolo pluribus de ea hac vice agere: ſed dicam de tribus aliis locis,qui in hoc continentur Euangelio. (Partes ſuperiorib. concionibus non explicatę.)

1. *De miniſterio verbi,& poteſtate Eccleſiæ.*
2. *De Thomæ confeſſione.*
3. *De fine ſacræ ſcripturæ.*

DE PRIMO.

Inſtitutio & poteſtas miniſterij Eccleſiaſtici. Verba textus de verbi miniſterio & poteſtate Eccleſiæ ſunt hæc: *Pax vobis, ſicut miſit me Pater,& ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet,flauit, & dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum, Quorumcunque remiſeritis peccata,remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Hîc habemus pauca verba,ſed efficacia, quæ continent copioſam doctrinam,quam omnes Chriſtiani ſcire debent. Quare vos hortor,vt ſitis attenti,quò hanc doctrinam percipere poſsitis, quò autē id fiat commodius,diſtinguam hæc verba, quibus miniſterium inſtituitur in quatuor partes. 1. *Pax vobis.* 2. *Sicut miſit me Pater,ita ego vos mitto.* 3. *Flauit & dixit: Accipite Spiritum ſanctum.* 4. *Quorumcunque remiſeritis peccata,remittuntur eis, & quorumcunque retinueritis,retenta ſunt.* De his quatuor partibus ordine dicam.

Pax à Chriſto oblata cōſolatur & inuictos reddit Euangelij miniſtros. Prima pars,nempe ſalutatio,*Pax vobis*,conſolatur non ſolum diſcipulos,qui tum aderant,verumetiam animum addit omnibus,qui ſunt & qui futuri ſunt miniſtri verbi in Eccleſia.Qui miniſteriū verbi in ſe recepit,ſtatim habet hoſtem diabolum, qui perpetuò ipſius doctrinæ & vitæ inſidiatur.Si doctrinam corrumpere non poteſt,vitā contaminare ſtudet,vt quod verbis docet quis,factis neget.Si vitam non poteſt diabolus polluere,doctrinę inſidiatur,vt homines decepti erronea doctrina, damnentur. In multis & doctrinam & vitam contaminat. Deinde habet miniſter verbi etiam mūdum aduerſus ſe, qui nunc tyrannide, nunc hypocriſi, nunc ſophiſtica ſe adoritur,vt officio ſuo non recte fungatur. Quid faciet miniſter verbi in tantis periculis?Conſolabitur ſe hac Chriſti voce,Pax vobis,& ſimul orabit Deum, vt ſe in hac pace contineat,ne vel doctrina,vel moribus curſum Euangelij impediat,pluris faciet pacem Chriſti, quam omnes mundi delicias & amicitias. Hęc ſit ergo conſolatio miniſtrorum Euangelij,qui pugnare debent aduerſus diaboli inſidias,mundi tyrannidem,hypocriſin & Sophiſticen.

Quomodo Chriſtus miſſus,& verbi præcones quomodo & propter quem finem miſſi ſunt. Secunda pars eſt. *Sicut miſit me Pater,ita ego mitto vos.* Quomodo Pater miſit filium?Pater miſit filium vt regnum diaboli aboleret,iuxta illud:Semen mulieris conteret caput ſerpentis.Item,Chriſtus apparuit vt deſtruat opera diaboli. Quid?An non ſolius Chriſti eſt conterere caput ſerpentis? An nō ſolius Chriſti eſt deſtruere opera diaboli? Verè ſolius

Chriſti

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Chriſti eſt:ſed in hoc tanto opere opus eſt duabus machinis:victima & doctrina.Chriſtus eſt miſſus,vt ſolus ſua victima iratum Patrẽ placet, & diabolum ſuperet. Deinde quiá hoc beneficiũ hominibus per doctrinã offertur, deſtruxit etiam opus diaboli per doctrinam.Proinde Chriſtus miſſus erat ad duo,ad placandum Deum victima,& ad docendũ.Ad prius illud ſolus Chriſtus mitti idoneus fuit:ad poſterius hoc eſt,ad docendũ miſſi fuerunt olim omnes Prophetæ,& poſtea Apoſtoli,& homines omnes,qui legitimè ſunt vocati ad prædicandi munus.Quantum ergo ad docendum attinet, Chriſtus mittit diſcipulos,quemadmodum ipſe erat à Patre miſſus. Hinc duo colligamus.

Doctrina.

Primùm diſcrimen inter regna mũdi & Eccleſiæ adminiſtrationem,ſeu inter gubernatores mundi & gubernatores Eccleſiarum.Miniſtri enim verbi non mittuntur,vt dominentur in terra: Chriſtus enim nullum dominium ſibi vendicauit, nec mittuntur ad pompas huius mundi, quas Chriſtus contempſit:ſed ad docendum Euangelium, ad erigendum regnum Dei,ad ſalutem annunciandam hominibus. Deinde hinc colligendum eſt, quæ ſit verbi,quod prædicant vocati ad miniſterium,autoritas.Sicut Pater(inquit)me miſit, ita ego vos,vt nõ veſtro, ſed meo nomine loquamini. Huc illud dictum Domini ad diſcipulos,Luc.10.16.Qui vos audit,me audit,qui vos ſpernit,me ſpernit. Hinc habent,qui docent verbum,conſolationem:& qui audiunt,grauem admonitionem.

Conſolatio.

Nam cum docentes verbũ piè in legitima vocatione:patiũtur aliquid ab ingrato mũdo, habent ex eo conſolationem , quòd vice Chriſti fungãtur,& Chriſtus cum illis iniuriam patiatur,qui ſe ſuo tempore vlciſcetur.

Admonitio.

Qui verò audiunt verbum , admonentur primùm de autoritate verbi:non enim ſecus audire verbum debent,quam ſi Chriſtum ipſum loquentem audirent.Deinde admonentur,vt pios verbi miniſtros in precio habeãt, tanquam Chriſti legatos.Præterea admonentur pœnę,in quam iuſto iudicio Dei incurrent quicunque vel verbum prædicatum, vel ipſos miniſtros contẽnent. Debent quoque miniſtri verbi cogitare, in quem gradum dignitatis ſint euecti, ne vel doctrinæ puritatem inficiant,vel moribus malis à ſe auditores alienent.

Vnde efficacia verbi prædicati.

TERTIA pars: *Et cum dixiſſet,inſufflauit,& dixit eis: Accipite Spiritum ſanctum.* Hæc verba ſingularem doctrinam continent.Nam Chriſtus his verbis oſtendit,vnde verbum,quod prędicatur voce miniſtrorum,habeat ſuam vim & efficaciam,quæ ſane nõ incluſa eſt in voce miniſtri,nec pendet ex ſanctitate & dignitate hominis:ſed omnis verbi vis & efficacia ex virtute ſpiritus Chriſti proficiſcitur. Nam cùm hîc Chriſtus ſufflat in diſcipulos, ac iubet eos accipere Spiritum ſanctum,ſignificat Spiritum ſanctum perpetuò affuturum miniſterio verbi, Quaſi dixiſſet; Ecce vos eritis miniſtri noui teſtamenti,qui Eccleſiam mihi in mundo ædificabitis, per prædicationẽ Euangelij , & ſcio quam ſitis imbecilles ad tantum opus peragendum, præſertim cum Diabolus,mundus,& ratio omnium hominum ſe vobis opponet. Quapropter huic veſtro miniſterio volo adeſſe Spiritum ſanctum,per quem labor veſter erit efficax:is enim virtute ſua faciet, vt verbum meum quod prædicabitis,non ſit ad vos vacuum rediturum. Hic vtilem doctrinam & admonitionem colligamus.

Doctrina.

Doctrinam quidem,quod Spiritus ſanctus ſit alligatus verbo,& velit per illud eſſe efficax. Conſolationem vero, qua, & qui docent , & qui audiunt, ſe erigunt pręſentia Spiritus ſancti aduerſus ſuæ ſalutis hoſtes.

De poteſtate Eccleſiaſtica locus.

Quarta pars: *Quorum remiſeritis peccata,remittũtur eis,& quorum retinueritis,retenta ſunt.* His verbis inſtituit & ſancit ſpiritualem illam Eccleſię poteſtatem, quam vocamus poteſtatẽ clauium,& oſtenditur clauis,qua aperitur & clauditur regnum cœlorum.

Verùm vt hæc vtiliſſima doctrina clare ab omnibus intelligi poſſit, volo eam in quędam puncta diſtinguere,quæ ſunt, 1. vnde ſit poteſtas Eccleſiaſtica. 2.quid ſit. 3.penes quem ſit. 4.& in quo cõſiſtat. His punctis bene intellectis,nemo erit qui nõ dextrè intellecturus ſit , quænam res & qualis ſit poteſtas Eccleſiaſtica.

1. Vnde ſeu à quo eſt.

Vnde ergo eſt hæc poteſtas ? A Deo per Ieſum Chriſtum.Si enim hominẽ ſpectes, eſt miniſterium purum.At ſi Chriſtum ſublimis eſt poteſtas,qua nulla in terra maior,vel vtilior,vel dignior exiſtit. Nã Chriſtus ſedens ad dextram Patris in ſolio Maieſtatis ſuæ,hanc poteſtatem adminiſtrat.Qui igitur hãc poteſtatem contemnit,& eius fructu priuatur,& eſt in Filium Dei contumelioſus.

2. Quid ſit.

Quid eſt poteſtas Eccleſiæ? Eſt poteſtas remittendi & retinendi peccata,hoc eſt,prędicandi Euangelium,cui qui credit aperitur regnum cœlorum , qui verò non credit,ei oſtenditur eſſe clauſum.

3. Cui commiſſa.

Penes quem eſt hæc poteſtas ? Penes Eccleſiam: quando Petro & aliis Apoſtolis Dominus dedit claues , apud ipſam Eccleſiam claues has depoſuit , à qua miniſtri habent claues , tanquam ancilla claues ſuæ heræ habet.

4. In qua re cõſiſtit.

In qua re conſiſtit poteſtas clauium ? In efficacia Spiritus ſancti , qui in verbo & per verbum eſt efficax,& fidem in auditoribus verbi operatur: ita verbum eſt veluti vna clauis,quã adhibet miniſter verbi, & fides eſt altera clauis , quam adhibet Spiritus ſanctus , quæ claues cum adhibentur , aperitur regnum cœlorum.

Explicatio textus

His ita explicatis, verba huius textus altius perpendamus.Primum igitur cum dicit: *Quorumcũque,* ſiſte gradũ, & de hac voce *Quorumcunque,* cogita, 1. quod promiſsio gratiæ ſit vniuerſalis.Hanc vniuerſalem promiſſionem opponito tentationi de particularitate, & te in vniuerſalem promiſſionem includito.

Vocis *Quorumcunque* cõſideratio.

Deinde hanc vocem *Quorumcunque* multitudini peccatorum oppone. Cùm igitur tentaris ad deſperationem ob peccatorũ tuorum multitudinem, veniat in mentem hæc Domini promiſsio: *Quorumcunque, &c.* Non dicit,ſi pauca peccata quis perpetrauerit,aut ſi multa:neq; dicit,ſi Iudæus eſt,ſi Gręcus. nobilis,ignobilis,diues aut pauper:ſed dicit, *Quorũcũque.* Præterea hic locus monet,quod & publicè & priuatim poſſit fieri abſolutio.

De publica & priuata abſolutione.

Sic Deus tria millia hominum publicè abſoluit. Item priuatim Cornelium,ſicut & Nathan Propheta Dauidem. Generali illa abſolutione vtuntur miniſtri verbi,quoties Euangelium prædicant.Speciali,quando ratio hæc poſtulat,hoc eſt, quando aliquis priuatum colloquium cũ miniſtro verbi expetit,cõfirmãdę ſuę fidei cauſſa.

Peccata quid.

II. Ponitur in textu *Peccata,* ſine addito, quare omnia peccatorum genera hic intelligi debent,quæ ſunt quatuor.1.vicioſitas naturæ.2.pullulantes rami ex mala radice.3.peccata errore commiſſa.4.peccata voluntaria.Nullum peccatum eſt,quod non ignoſcitur,ſi venia propter Chriſtum petatur.

Remittere & ſoluere quid.

III. Verbum *Remittere* obſeruandum eſt , pro quo Matthæus habet ſoluere.Iubet Dominus vt diſcipuli peccata remittant & ſoluant.Remittant quidem vt debitum: ſoluant vero vt onus prægrauans. Peccata ſiquidem ſunt debita,quia vt debita obligãt ad ſolutionem:ita peccata ad ſatisfactionem pœnæ, niſi fiat remiſſio ſunt & onera peccata, quia vt onus graue portantem deprimit,vt tandem ſub eo cadat:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ita peccata maledictionis onere & legis ſententia opprimunt, donec Chriſtus venerit, & onus in ſe leuauerit. Sed quid? poteſtne homo peccata ſoluere & remittere? Deus dicit, Iſaiæ 43.25. Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas, & peccatorũ tuorum non recordabor. Hoc teſtimonium conuincit, quod ſolus Deus remittat peccatum. Rurſus hîc dicit Dominus. *Quorumcunque peccata remiſeritis, erunt remiſſa in cœlo.* Reſpondeo, Chriſti dictum manifeſtè indicat duplicem eſſe remiſſionẽ, vnam in terris à miniſtris verbi: alteram in cœlo, quæ à ſolo Deo fit, De hac poſteriori loquitur Iſaias. Breuiter, Deus vt Dominus: miniſtri verbi, vt ſerui & nuncij remittunt, qui Domini ſui voluntatem annunciant, quę remiſſio fit voluntatis Dei annunciatione. Hoc probatur Num. 6.26. vbi ita ait Dominus: Sacerdotes ponent nomen Domini ſuper filios Iſrael, ſed ipſe benedicam. Soluere ergo ſacerdotis eſt indicare culpam à Deo remiſſam.

An homo poſſit remittere peccata.

Reſpõſio.

Sed quomodo retinẽt peccata? verbo, & iuxta verbum, hoc eſt, quæcunque peccata indicauerint verbo Dei eſſe retenta, erunt etiã in cœlo. Plura de hac re dixi in feſto Cœnę Dominicæ. Quare nunc ad ſecundum locum pergo, de quo breuiſſime dicam.

Retinere peccata quid.

DE SECVNDO LOCO.

De Thoma habemus duo in hac hiſtoria, nempe incredulitatem & confeſſionem: incredulitatem indicat his verbis: *Niſi videro in manibus fiſſuram clauorum, &c. non credam.* Audiuit alios diſcipulos narrantes ſe vidiſſe Dominũ: is autem immemor omnium prædictionum Prophetarum & Chriſti non credit. Adeo ratio hominis in rebus ſalutis, ſe Deo & eius verbo opponit. Hactenus de eius incredulitate: ſequitur de eius fide & confeſſione. *Poſt dies octo iterum erant diſcipuli & Thomas cum eis in vna domo, & venit Ieſus clauſis ianuis, & ſtetit in medio eorum, & dixit, Pax vobis, & dixit Thomæ, Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, &c. & noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Audita voce Domini & conuictus manifeſto ſigno, concipit fidem, ex qua hanc promit confeſſionem, Dominus meus, & Deus meus. A Thoma igitur duo diſcamus, vnde fides ſit, & qualis vera fidei confeſſio. Fides ex verbo & ſigno, ſicuti nos habemus Euangelium veriſſimum Chriſti verbum, & ſigna duo auguſtiſſima, Baptiſmum & Cœnam Domini. Hæc fides concepta verbo & confirmata ſigno, verã edet confeſſionem, qualis hæc Thomæ eſt, qui hic clamat, *Dominus meus, & Deus meus.* Hęc Thomæ confeſſio. ſi rectè perpẽditur, quatuor continet. *Primùm* enim agnoſcit Chriſtum eundem hominem eſſe, qui ante triduum fuit occiſus à Iudæis, *Deinde* cum Deũ appellat, eius diuinitatem fatetur. Tum cum non duos Dominos aut duos Deos dicat, agnoſcit vnitatem perſonæ. *Poſtremò* cùm meus Dominus & meus Deus dicit, officium redemptionis profitetur, in quem & ipſe vnus recumbit fide.

Thomæ incredulitas.

Eius fides & confeſſio.

Doctrina.

Partes confeſſionis Thomæ.

DE TERTIO.

Beati qui non viderunt & crediderunt. Hæc vniuerſalis doctrina de credentibus eſt obſeruanda: nam hic Chriſtus diſertè pronunciat beatos qui credunt, etiamſi oculis corporeis non viderint Chriſtũ. Huc pertinet tota ſcriptura, vt inquit. Hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quod Ieſus eſt Filius Dei, & vt credentes vitã habeatis in nomine eius. Finis ergo ſcripturę eſt vt credamus: finis fidei, vt credentes habeamus vitã æternam, quam donet nobis autor vitæ Ieſus Chriſtus, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor in ſecula, Amen.

De credẽtium felicitate.

DOMINICA SECVNDA post Paſcha, Ioan. 10.

Ego ſum paſtor ille bonus. Bonus paſtor animã ſuam dat pro ouibus. Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, ac deſerit oues, fugitque, & lupus rapit ac diſpergit oues. Mercenarius autẽ fugit, quia mercenarius eſt, & oues non ſunt illi curæ. Ego ſum paſtor ille bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcor à meis. Sicut nouit me Pater, ita ego noui Patrem, & animam meam pono pro ouibus. Et alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, illas quoque oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor.

ENARRATIO TEXTVS.

Occaſio, cur hoc Euangelium proponitur in Eccleſia hoc tempore, hæc eſt: Audiuimus in proximo Paſchatis feſto, in quem finem oportuerit Chriſtum pati & reſurgere ex mortuis, nimirum vt in nomine eius prædicaretur pœnitentia & remiſſio peccatorũ omnibus gentibus: per quam prædicationẽ deſtrueretur regnum Satanæ, & erigeretur regnum Chriſti. Hoc autẽ cum aliter fieri non poteſt, quã per fideles verbi miniſtros, quos ſcriptura paſtores vocat, placuit Eccleſiæ, hoc die proponere Euangeliũ de ſummo paſtore Ieſu Chriſto, de eius cura erga oues: idque ideo, vt fideles verbi miniſtri huius paſtoris exemplum, in doctrina, vita & cura pro ouibus, imitentur. Hactenus de occaſione cur hodie pręſens Euangelium proponitur. Summa autem Euãgelij eſt, quod vt Chriſtus ſe verum paſtorem eſſe, & curam habere ſuarum ouium profitetur: Ita ex aduerſo lupos eſſe teſtatur, qui ouili ſuo inſidiantur, quos videntes mercenarij fugiunt, ac oues lupis lacerandas relinquunt: contra quorum perfidiam Dominus promittit ſe ſuas oues curaturum, & ſignificat ſe adhuc alias habere oues, quas adducet, vt fiat vnum ouile & vnus paſtor. Loci tres.

Cur hæc pars Euangelij præcedenti concioni annexa ſit.

Summa.

Loci, ſeu partes.

1. *De paſtore Chriſto aliiſque veris paſtoribus.*
2. *De lupo, mercenario, & fuga mercenarij.*
3. *De ouibus Chriſti, earum nota, & vnitate ouilis.*

DE PRIMO.

In primo loco de paſtore Chriſto habemus duo. Vnũ, quæ ſit eius indoles. Alterũ quæ ſint eius beneficia erga Eccleſiam. Quantũ autẽ ad Chriſtũ paſtorem attinet, ſemper meminiſſe debemus cõfeſſionis Thomæ, quã ab hinc die octauo audiuimus. Is enim cum dicit, Dominus meus & Deus meus. Primũ confitetur eum, quem alloquitur, eundẽ hominẽ eſſe, qui erat crucifixus & mortuus, quẽ nunc verè à mortuis reſurrexiſſe agnoſcit. 2. Confitetur eundem hominem eſſe quoque verũ Deum. Dicit enim, & Deus meus. 3. Confitetur hunc hominẽ & Deum vnã perſonam: non enim dicit Domini mei, ſed Dominus meus. 4. Confitetur hunc θεάνθρωπον (perſonã vnicam quæ eſt Deus & homo) eſſe ſuum ſaluatorem. Nam Dominus meus, qui mei curam habet, & Deus meus eſt, qui me in ſuam fidem & gratiam recipit. Confitetur ergo Chriſtum verum Meſſiam & Saluatorem mundi eſſe, adeóque verum illum paſtorẽ olim promiſſum. Hũc Petrus vocat Paſtorem & Epiſcopum animarum. Hæc dixi breuiter ex confeſſione Thomæ de Chriſto paſtore: vt quæ ſit huius noſtri paſtoris indoles intelligamus. Iam verba Domini audiamus: *Ego* (inquit) *ſum paſtor bonus.* Sed quid paſtor bonus? *Paſtor bonus ponit animam ſuam pro ouibus ſuis,* hoc eſt,

Chriſtus, quis & qualis paſtor.

De eius naturis in vna perſona.

Paſtor bonus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

hoc eſt, Paſtor ille bonus eſt, qui adeo ſuas oues diligit, quod potius velit mortem oppetere, quam oues ſuas lacerationi & prædæ furũ & luporũ relinquere. Hoc promiſſum etiam facto declarauit, qui pro ouibus ſuis turpiſſimam mortem eſt perpeſſus.

Chriſti ... pa... no...

Habemus quantus ſit amor Chriſti erga ſuas oues. Iam vt conſpiciamus beneficia, quæ ex vera bonitate præſtat, ſimilitudinẽ paſtoris ouium Chriſto paſtori accõmodabimus. Quid ergo facit bonus ouium paſtor? 1. Colligit oues. 2. pręcedit. 3. educit eas in paſcua. 4. paſcit eas. 5. excubias ſuper eas agit. 6. regit. 7. defendit. 8. læſis medetur. 9. errantes caſtigat virga paſtorea. 10. in ſua reducit paſtor. Hæc omnia beneficia Chriſtus ſpiritualiter Eccleſiæ præſtat.

1. Colligit Eccleſiam per Euangelium.

Primum ergo Chriſtus paſtor colligit oues. Sed quando? per prædicationem Euangelij. Hoc cœpit facere mox poſt lapſum primorum parentum: Nam in ſpiritu adfuit Prophetis, & multas oues ſibi collegit. Deinde ipſe venit, vt ouem perditam quæreret: & hodie dat prædicatores, qui ſuo nomine colligunt oues.

2. Eam in cruce & gloria pręcedit.

Deinde præcedit oues. Quomodo? In cruce & in gloria: in cruce quidem, dum varias in hac vita ærũnas perpeſſus eſt, quas etiam ſanctos experiri neceſſe eſt: in gloria, dum per reſurrectionem à mortuis in gloriam cœleſtem intrauit, quem ſuo tempore ſequentur, quotquot eius veræ oues fuerint.

3. Ducit.

Tertio educit eas in paſcua, in amœniſſima prata, vt Dauid Pſalmo 23. 2. loquitur: In paſcuis herboſis accubare me facit, ad aquas refectorias deducit me.

4. Paſcit ſpiritu & verbo.

Quarto, eductas in prata paſcit ſpiritu & verbo, Spiritu quidem, dum intus animũ confortat. Verbo verò, dum prædicatur Euangelium, vnde concipitur fides in hunc paſtorem.

5. Conſeruat.

Quinto, excubias ſuper eas agit, & tanquã in ſpecula ſedet, vt obſeruet, ne quis ex inſidijs oues adoriatur. Hoc autem agit per ſuos Angelos, per fideles verbi miniſtros, per pium Magiſtratum. Breuiter, per bonos rectores in familiis, politijs, œconomijs.

6. Regit.

Sexto, regit, ſcilicet Spiritu, verbo, & diſciplina, vnde Dauid: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ me ibi collocauit. Pſalmo 23. 1.

7. Tuetur.

Septimo, defendit, vnde Paulus, Ro. 8. 30. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et Dauid: Etiamſi ambulauero in valle vmbræ mortis, non timebo malũ, quia tu mecum es: Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.

8. Sanat.

Octauo, læſis medetur, vt enim oues ſæpe ſpinis & venenis inficiuntur, quæ à perito paſtore ſanantur: ita Chriſtus paſtor ſuas oues ſpinis malorum morum & veneno peſtiferæ doctrinæ læſas curat & ſanat, vnde Pſalmus 147. 3. Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorũ, Ezec. 34. 15. &c. Ego paſcam oues meas, & ego eas accubare faciam, quod perierat requiram, & quod abiectũ erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum fuerat conſolidabo.

9. Caſtigat minando.

Nono, errantes caſtigat virga, dum cruce premit, ac veluti capiſtrum inijcit. Hoc ſi non faceret bonus ille paſtor, multæ huius mundi delicijs, felici rerum ſucceſſu abducerentur à grege, & ſe ipſas in ora luporum conijcerent: vnde Dauid de ſe inquit, Bonum eſt mihi Domine, quod humiliaſti me, vt diſcerem iuſtificationes tuas. Pſal. 1. 119.

10. Glorificat in cœlis.

Vltimo, in ſua reducit paſtas. In hoc mundo Chriſtus ſuas oues colligit, paſcit, defendit, curat tanquam in deſerto in peregrino regno: verùm in extremo die ſuas oues in ſua reducet, hoc eſt, in patriam, vbi pij cum Chriſto perpetua pace & ſecuritate fruentur.

Quatuor paſtorum diſcrimina & genera.

Dixi de Chriſto paſtore, eius indole, cura & beneficijs erga oues, id eſt, omnes qui in ſe credunt: nunc aliquid adijciã de paſtoribus, qui ſub illo ſunt conſtituti, vt curam dominici gregis habeant. Et optandum eſſet, vt omnes doctrinam, vitam & curam erga oues haberẽt, qualem ſummus ille paſtor: verum quia id non fit, obſeruanda ſunt quatuor paſtorum diſcrimina & genera.

1. Boni paſtores.

Vnum genus eſt eorum, qui bene docent & bene viuunt, exemplum ſummi paſtoris imitantes. Talis fuit Iſaias, Hieremias, Ezechiel & alij Prophetæ: talis fuit Paulus, Petrus; tales ſunt hodie omnes pij parochi & Epiſcopi, qui doctrina, vita, confeſſione alijs prælucent. Hi à Dauide & Daniele comparantur ſtellis lucentibus in cœlo, vbi Chriſti Solis æterno lumine illuſtrantur. Hi, vt Paulus ait, digni ſunt duplici honore, hi ædificant ciuitatẽ Dei vtraque manu.

2. Impij.

Secundum genus eorum eſt, qui male docent & male viuunt. Hi peſſimi ſunt, qui vtraque manu templum Dei deſtruunt, quales multos fore his poſtremis temporibus prædixerunt Petrus & Iudas Apoſtoli.

3. Vitioſi.

Tertium genus eorum eſt, qui bene quidem docent, ſed male viuunt. Hi quod dextra manu in Eccleſia ædificant, ſiniſtra rurſus deſtruunt, & ſunt omnino ſimiles fabris lignarijs, qui arcam Nohę extruxerunt. Hi enim alijs parantes arcam, per quam à Diluuio ſunt liberati, ipſi in medijs perierunt fluctibus. Talis olim fuit Iudas, & hodie multi inueniuntur. Dicunt quidem, facite ſicut docemus, nolite opera noſtra imitari. De his locutus eſt Chriſtus: Cum Scribæ & Phariſæi ſedent in Cathedra Moſis, quod dicunt, facite: nolite facere opera illorum. Horum damnatio iuſta eſt: ſciunt enim & docent facienda, ipſi tamen non faciunt, cum Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum. Bernhardus igitur bene ait: Paſtores debent impinguare pecus ſuis potius quàm alienis exemplis.

4. Hypocritæ & hæretici.

Quartum genus eſt eorum, qui male docent, ſed bene viuunt, ita vt publicis criminationibus non ſint obnoxij. Hi hypocritæ ſunt, & maximum damnum faciunt. Nam cum homines admirantur externam morum ſpeciem, facilè etiam pertrahuntur, vt doctrinam amplectantur: vt multi ex vobis in Papatu vidiſtis Monachos, qui non ſolum ſibi ſancti viſi ſunt: verumetiam alijs ſua bona opera vendiderunt: ita & animabus hominum & facultatibus eorum inſidiati ſunt. Dixi de quatuor generibus paſtorum ſeu doctorum in Eccleſia, quorum primum tantum laudabile eſt, & Chriſti regnum in multorũ ſalutem ædificat, idque iuxta doctrinam & mandatum ſummi paſtoris Ieſu Chriſti.

DE SECVNDO LOCO.

De lupo & mercenarijs.

Iam ſequitur ſecundus locus de lupo & mercenario, quorum ille oues Chriſti lacerat & perdit: hic oues periclitantes in luporum faucibus relinquit. Ita enim ait textus: *Mercenarius autem & qui non eſt paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, vidit lupum venientem, dimittit eas & fugit, & lupus rapit ac diſpergit oues.* Hic nos ſcire oportet, quiſnam ſit ille lupus, de quo Dominus loquitur, & quæ ſit eius in oues inuadendi ratio, & quando mercenarius fugere putandus ſit.

Lupus quis.

Quis eſt igitur lupus, de quo Dominus hîc loqui-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tur? Eſt Diabolus. Is enim cum primum homo cōditus erat, eum adoritur, inuadit & in terrā proſternit. Ideo hodie circumit famelicus, quærens quem deuoret, neque ceſſabit, donec hic mundus ſteterit.

Quomodo inuadit ouile. Quomodo quæſo inuadit oues Chriſti? Non vna via eas adoritur, ſed ei eſt quadruplex inuadendi ratio: vel enim Sophiſtica, vel tyrannide, vel flagitijs, vel hypocriſi in oues Chriſti impetum facere conſueuit.

1. Sophiſtica. Sophiſtica inuadit, quando vel vicia virtutum titulis ornat, vel pro veritate Dei errores ingerit, quo miſeras oues Chriſti perdat. Inuocare ſanctos, mereri vitam æternam operibus, ſunt grauiſſima vicia: ſed ea tanquam bona opera defendit, & ſic de multis alijs.

2. Tyrannide. Tyrannide inuadit Chriſtus oues, quando facit vt vel victu vel præſidijs præſentis vitæ deſtituantur, vel aperto bello eos adoritur, vt Euangelij puritatem vel turbet, vel prorſus aboleat.

3. Scandalis. Flagitijs & ſcandalis oues Chriſti inuadit, quando multos pertrahit in crimina, per quæ excutitur Spiritus ſanctus, & homines rurſus fiunt Satanæ obnoxij. Quàm multi hodie de machina proſternūtur: nemo eſt qui non videt, quo pacto regnant inuidię, obtrectationes, potationes, ſcortationes & alia horrenda ſcelera. Hæc cum videmus, certū teſtimoniū habemus Satanæ inuadentis in ouile Chriſti.

4. Hypocriſi. Hypocriſi etiam inuadit in ouile Chriſti, quoties ſua externa ſpecie ſanctitatis grauiſſima ſcelera tegit, quemadmodum in Monachis olim factum eſt, & hodie in ijs fit, qui Phariſaiſmum nondum depoſuerunt.

De mercenario. Habemus iam quibus vijs lupus, qui eſt Diabolus, inuadit in ouile Chriſti: iam de mercenarij fuga dicemus. Eſt enim mercenarius, cuius nō ſunt proprię oues, atque ideo fugit, videns accelerantem lupum.

Locus de fuga licita & illicita. An non Chriſtus interdum fugit? An non mandauit diſcipulis ſuis? Cum perſecuti vos fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. An non Paulus ipſe fugit, cum demiſſus eſt in vrbe per murum? Iam cum certum ſit, nec Chriſtū lupum fuiſſe, nec Apoſtolos reliquos, neceſſe eſt, vt non de quauis fuga intelligendum ſit, quod Dominus hic de fuga dicit. Verū ſciendum eſt, quod ſit fuga corporis & fuga animi: illa interdum licita eſt, hæc non. Sed quænam eſt animi? cum aliquis ab officio præſtando fugit, & hæc fuga quadruplex eſt, iuxta quadruplicem lupi inuaſionem in ouile Chriſti. Nam quicunque verbi miniſter vlla de cauſſa ſe non opponit ſophiſticæ, tyrānidi, flagitijs, hypocriſi, is mercenarius eſt, & non verus paſtor.

Boni paſtoris magnanimitas. Paſtor enim bonus 1. opponit ſe ſophiſticæ defendendo verā doctrinā, & reprehendendo, confutandoq; falſam, ſed mercenarius ad hanc lupi inuaſionem timet, non audet defendere veram doctrinam, ne aliquid de terrenis commodis amittat. Quare vel conniuet ad falſam doctrinam, vel ſaltem non vt deberet reprehendit, quod cū facit, fugere dicitur, non quidem corpore, ſed animo, quia officium deſerit. 2. Bonus paſtor opponet ſe tyrannidi: verum quia ſunt duo paſtorum genera, vnum ciuile, alterum Eccleſiaſticum, vt ciuilis paſtor armis, ita Eccleſiaſticus precibus opponet ſe luporum tyrannidi. Qui hoc nō facit, mercenarius eſt, nō Paſtor. 3. Bonus paſtor opponet ſe flagitijs, reprehendendo & excommunicando eos, qui ſuis morib. Eccleſiam offendunt, quemadmodū Iohannes reprehēdit Herodem, Chriſtus Phariſæos, & Prophetæ omnes ſui ſeculi vicijs ſe oppoſuerunt, Diabolus fideli adulterium perſuaſit, perſuaſit inceſtum, auariciam, libidines, potationes. Hîc paſtor bonus non timet homines, ſed Deum, & hominum vicia ex officio carpit. Contrà mercenarius, de ſua quiete ſolicitus, non audet aperire os. Si reprehendit, in genere id facit, non audet reos in faciem obiurgare cū Prophetis, alijsque veris paſtoribus. Sed poſſit aliquis talis mercenarius obijcere: Ecce hîc ſum, non fugi. Reſpondet Auguſtinus: *Quia tacuiſti, fugiſti: tacuiſti, quia timuiſti.* 4. Bonus paſtor opponit ſe hypocriſi, quando detrahit laruam externorum hypocritarū, & oſtendit quàm turpis ſit facies peccati: ſed mercenarius lupum hunc fugit, non audet offendere quenquam, ne in hominum odium incurrat. Obiectio mercenarij refellitur.

Iam quæſtio excutienda reſtat, num fuga corporalis ſemper ſit licita. Ad quam reſpondeo: Paſtor aliquis, qui de loco in locum fugit, vel rei augendę gratia, vel tædij cauſſa, vel ob ingratitudinem hominum, certè mercenarius eſt, & non Paſtor. Verùm ſi tyranni perſequuntur & inſidiantur vitæ alicuius, licet pio paſtori fugere manus tyranni, vt poſtea, ſi id fieri poteſt, rurſus magis proſit viuus, quam mortuus prodeſſe potuit: verum hîc pietas regula eſſe debet. Quæſtionis ſolutio.

DE TERTIO LOCO.

Tertius locus eſt de ouibus Chriſti, earum nota, & quod ſit vnum ouile & vnus paſtor. Oues Chriſti ſunt omnes, qui Chriſtum audiunt, & eum veluti oues ſequuntur, in vera ſimplicitate, innocentia, māſuetudine & obedientia. Neque aliæ notæ ſunt ouium Chriſti, quam pietas erga Deū, caritas erga proximum, in vita puritas, & in vocatione ſancta quædam cura & induſtria. Quod autē dicit, ſe alias oues habere, quæ adducendæ ſunt in idem ouile, ſignificat ex gentibus & Iudæis vnam eſſe ſanctā Eccleſiam catholicam. Et ſimul modum, quo adducantur oues, exprimit cum ait: *Et audient vocem meam.* De notis ouiū Chriſti. De vocatione gentium & vnitate Eccleſię.

Prædicatio ergo Euangelij, & prædicati Euangelij fides facit, vt ouili Chriſti aggregemur. Qui ex hoc loco ſtatuunt fore, quod ante iudicium tātus ſit futurus conſenſus in vera religione, vt nullæ ſint futuræ hæreſes, nulla ſchiſmata, toto cœlo errant: nam omnia vaticinia Prophetarum cōtrarium docent. Et Chriſtus cum dicit: Putatis ne, cum venerit filius hominis, quod ſit inuenturus fidem ſuper terram, ſignificat ob perſecutiones fore, vt plurimi à fide deficiant, & quo propior eſt dies Domini, eò magis ſęuit Diabolus, vt ſophiſtica, tyrannide, flagitijs, & hypocriſi puſillum Chriſti gregem turbet. Quare nos oremus Chriſtum Paſtorem animarum noſtrarum, vt ipſe velit nos in tantis periculis defendere in ſui nominis gloriam. Cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor, laus & gloria in ſecula, Amen. Erroris refutatio.

DOMINICA TERTIA poſt Paſcha, Iohan. 16.

PVſillum, & non videbitis me, & iterum puſillum, & videbitis me, quia ego vado ad Patrem. Dixerūt ergo quidam ex diſcipulis eius inter ſe: Quid eſt hoc quod dicit nobis, Puſillum, & non videbitis me, & rurſus puſillum, & videbitis me, & quia ego vado ad Patrem? Dicebant ergo: Quid eſt hoc, quod dicit, puſillum? Neſcimus quid loquatur. Cognouit autē Ieſus quod vellent ipſum interrogare, & dicit eis: De hoc quæritis inter vos, quod dixi

Puſil

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Puſillum, & non videbitis me, & iterum puſillum & videbitis me. Amen amen dico vobis, plorabitis & lamentabimini vos, mundus contrà gaudebit. Vos autem mœrore afficiemini, ſed mœror veſter vertetur in gaudium. Mulier cum parit, dolorem habet, quia venit hora eius, cum autem peperit puerum, iam non meminit anxietatis, propterea quod gaudeat hominem eſſe natum in mundo. Et vos igitur nunc quidem mœrorem habetis, ſed iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis, & in illo die me non interrogabitis quicquam.

ENARRATIO TEXTVS.

Argumētum huius cōcionis.

Hoc Euangelium pars eſt concionis Chriſti, quam habuit pridie antequam pateretur, in Cœna coram diſcipulis ſuis, in qua concione multa docuit. Nam de officio ſuo, morte, cruce, reſurrectione, & glorificatione verba fecit. Deinde de Eccleſia diſſeruit, quæ ſit, & quæ ſit eius in hoc mundo fortuna futura: quod ſit habitura aduerſarios, qui eam impugnent: quod fide tandem ſit ſuperatura omnes ſuas ærumnas, ad quam partem etiam præſens Euāgelium pertinet. Conſolatur enim diſcipulos ſuos, quos mœſtos animaduertit ex prædictione ſuę crucis: pręnunciat fore, vt excitatus à mortuis, rurſus ſit eos viſurus, & addit pulcherrimam de muliere parturiente ſimilitudinem, cum qua ſimilem fortunam experietur Eccleſia. Quemadmodum enim triſtis puerpera conſolationem maximā capit ex prole nata: ita Eccleſia eluctata è præſentis vitæ ærumnis, plena tandem gloria cum Chriſto fruetur, modò in eius fide vſque ad finem conſtans perſtiterit. Loci tres.

Partes.

1. *Præmonitio Chriſti de ſua morte & reſurrectione.*
2. *Infirmitas Apoſtolorum adeóque omnium mortalium.*
3. *Crux Eccleſiæ in hoc mundo & eiuſdem glorioſa ac læta liberatio.*

DE PRIMO.

De morte & reſurrectione ſua Chriſtus diſſerit.

De morte & reſurrectione Chriſti breuius dicamus, quia nuper omnia copioſius audiuimus. *Modicum*, inquit, *& non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.* Hîc Chriſtus paulò obſcurius prædicit ſuam mortem & reſurrectionem. Senſus autem eſt. *Modicum & non videbitis me*, hoc eſt, mortuus ad triduum in ſepulchro iacebo, vt me non videatis: *& rurſus modicum & videbitis me*, hoc eſt: excitatus à mortuis conſpiciar à vobis quadraginta diebus antequam viſibiliter aſcendam in cœlum, ſublatus nube è conſpectu veſtro. Et hoc eſt quod dicit: *quia vado ad Patrem*, id eſt, per mortem tranſitum faciam à cruce ad gloriam cœleſtem. Quid an non poſt aſcenſionē adeſt ſuæ Eccleſiæ? imò adeſt, iuxta ſuam promiſſionem, vſq; ad conſummationem ſeculi, nō quidē corporali modo, ſed ſpirituali. Nam verbum Dei & gratia Spiritus ſancti ſunt ſpeculū, in quo Chriſtus vult aſpici: & hic aſpectus ſatis eſt quo cōtenti eſſe debemus, donec ipſe ad iudicium venerit: nā poſtea perpetuo fruemur eius conſpectu.

Quomodo Chriſtus adeſt ſuæ Eccleſiæ in terris.

Cauſæ huius admonitionis.

Sed cur diſcipulos ſuæ mortis & reſurrectionis admonuit? Multæ ſane ſunt cauſſæ, quarum præcipua eſt, quam ipſe aſſignat his verbis: *Hæc prædixi vobis vt cum facta fuerint credatis*: multum enim confirmantur animi hominum, cum vident euentū prædictionibus reſpōdere. Neque quicquam magis erexit Apoſtolos, quam quod viderunt omnia reſpōdere prædictionibus Chriſti: vnde & eius diuinitatē intelligere, & eius officiū perſpicere potuerūt. Deinde voluit Domin⁹ his crebris præmonitionib. diſcipulorum ſuorum infirmitati conſulere, idque eſt fidelis magiſtri, vt habita ratione captus eorū, quos docendos ſuſcepit, illorum ruditati crebris inculcationibus earundem rerum medeatur. 3. Pręterea quoque ideo prædixit ſuam mortem & reſurrectionem, quò diſcipuli ſcirent, eum ſuam præſciuiſſe mortē & reſurrectionem, & libenter vſque ad mortem Patri obtemperaſſe, vt nos à morte liberaret. Hæc Chriſti concio nobis quoque accommodanda eſt: nam non diſſimile nobis accidit. Modicum abeſſe à nobis videtur, dum nos ſine conſolatione relinquit luctantes ſub cruce. Deinde rurſus videtur, quando per Euangelium nos conſolatur, & ſui Spiritus præſentiam in noſtris precibus teſtatur.

Doctrina.

DE SECVNDO.

Locus de piorū infirmitate.

Ruditas diſcipulorum Chriſti in rebus ſalutis his verbis deſcribitur: *Quid eſt* (inquiunt) *quod dicit nobis? modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad patrem, neſcimus quid loquitur.* Valde mirum eſt quod toties admoniti, non ſolum typis, figuris & ænigmatibus: verùm etiam claris verbis de morte & reſurrectione Domini, non tamen intelligere potuerint. Quę huius rei cauſſa eſt? Duplex ſane cauſſa eſt. Vna, quod opinio ſemel mente concepta, non facile euellatur, præſertim ſi altas radices egit. Iudæi atque adeo ipſi diſcipuli Domini ſomniarunt Chriſti imperium ciuile fore, vt ipſe Chriſtus ſummus imperator, ſubiecto toto terrarum orbe, dominaretur, atque ipſi diſcipuli proximi ab eo eſſent futuri: id quod ſatis filiorum Zebedæi mater declarauit, quando petijt, vt alter filiorum ſederet Chriſto à dextris, alter à ſiniſtris. Altera cauſſa; eſt caligo in toto humano genere, qua fit, vt nemo poſſit q̄ Dei ſunt percipere, niſi doctorem habeat Spiritum ſanctum. Hinc nos diſcamus 1. deplorare hanc noſtram cæcitatem. 2. audire frequentiùs verbum, quo ab iſta caligine ignorantiæ liberemur. 3. rogare ipſum Deum, vt ipſe nos doceat iuxta illud Pſal. 25. Deduc me in veritate tua, & doce me, quia tu es Deus ſalutis meæ: bonus & rectus eſt Dominus, propterea docebit peccatores in via. Sed nobis cauendū eſt, ne cū Dominus doceat, aures cordis ad eius vocē occludamus, quemadmodum omnes illi faciunt, qui verbū Dei ſine fructu audiunt. Qui autem ita aures ad vocem Dei occludunt, tandem cōmerentur, vt perpetuò relinquantur in ſua cæcitate & ignorantia. Deus nos conſeruet, ne in hanc ingratitudinis pœnam incurramus, qua videmus multos eſſe horribiliter punitos. Multos enim inuenias, quos ſi interroges poſt auditā concionem, quid perceperint, nō habent verbum quod reſpondeant: interrogati de ſermonibus habitis in cōuiuio aut in placito, poſſunt ſingula referre, ita vt ne vnū quidē verbū eos fugiat. Quæ eſt ratio? In quibuſdam hoc facit naturalis ruditas de rebus ſalutis: in quibuſdam autem & pœna, vt audiētes non audiant, & intelligentes non intelligant. Quapropter, chariſſimi, maturè reſipiſcam⁹, imploremus opem diuinam, & quando ſentimus tædiū audiendi & diſcendi verbū Dei in nobis, mox cogitemus, quod Diabolus ſtruat nobis inſidias, mox confugiamus ad orationem, qua petamus à Deo, vt & doceat nos, & ſuo Spiritu faciat ſuo verbo locum in nobis.

Cauſa duplex.

Doctrina.

Correctio.

Adhortatio.

DE TERTIO.

Amen dico vobis, quod plorabitis & flebitis vos,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

De piorũ & impiorum conditione in hac vita.

mundus autem gaudebit. Vos autem contriſtabimini, ſed triſticia veſtra vertetur in gaudium. Idem repetit, quod paulò ante dixit de ſua morte & reſurrectione nam ſigno propoſito triplici, quid eueniet, indicat, ſed obſcurius. Ploratu diſcipulorum ſignificatur mors Chriſti & ſepultura. Gaudio mundi ſignificatur triumphus Iudæorum occidẽtium Chriſtum: nam illo mortuo, putabant ſe ſuamque rempublicam ſecuram. At cum ſubiungit, *Triſticia veſtra vertetur in gaudium*, ſignificat ſe ex mortuis reſurrecturum, vnde rurſus gaudium concipient diſcipuli. Hoc ipſum declarat propoſita ſimilitudine mulieris parturientis, quæ quidem dum parturit, graues dolores ſentit: verùm poſtquam puerum natum videt, tantum percipit gaudium, quod doloris quem paulò antea ſenſit, prorſus immemor reddatur. Ad eundem modum diſcipuli Domini, mortuo & ſepulto Domino, graues dolores animi ſentiunt: ſed mox excitato ex mortuis Domino, præ gaudio præteriti doloris obliuiſcentur. Atque hoc eſt, quod dicit: *iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum*, quod me à mortuis excitatum videbitis: *& gaudium veſtrum nemo tollet à vobis*: id eſt, poſtea non ſum moriturus, vt ex mea morte concipiatis dolorem: ſed perpetuo viuam, & ita vos Spiritu meo de noticia Dei inſtruam, vt non amplius ſit vobis opus me quicquam interrogare. Ita ſimpliciter vidimus ſenſum textus: Nũc autem hæc omnia ad Eccleſiam omnium temporum transferenda ſunt, quæ in hoc mundo erit ſub cruce, dum impij lætantur: verùm tandem apparente Chriſto plenum & perfectum gaudium in omni æternitate conſequetur. Nam iſtud triduũ, quo Dominus paſſus eſt & excitatus, imago eſt crucis Eccleſiæ, gaudij mundi, id eſt, impiorum perſequentium Chriſtum, & ipſum in ſuis membris occidentiũ, & glorioſæ liberationis Eccleſiæ, quæ tũ futura eſt plena, quando Dominus veniet in nubibus, cum gloria & poteſtate magna, & aſſumet ſuos ad æterna gaudia, & impios tradet Diabolo æternis pœnis cruciandos.

Locus de Cruce Eccleſiæ.

Cũ igitur hic locus admoneat nos de cruce Eccleſiæ, & ei⁹ glorioſa liberatione: dicã 1. Quid ſit crux & quam varia. 2. Quæ cauſa crucis. 3. Diſcrimen inter crucem piorum & ſupplicia impiorum. 4. Quo animo pio ſit crux ferenda. 5. Vnde conſolatio ſub cruce petenda ſit.

Crucis definitio.

Quid eſt crux? Eſt quæuis afflictio, cui mẽbra Eccleſiæ Chriſti in hoc mundo obnoxia ſunt. Cuius differentiæ quadruplices eſſe videntur.

Eius differentiæ.

I. Nam crux pij hominis vel eſt animi dolor afflictióq; corporis, idq; varijs de cauſis: vt ex accepto damno, triſti amicorũ caſu, ſiti, nuditate, carcere, tortura. Vt, ſanctus Iacob ſummũ dolorẽ animi habuit propter amiſſum filiũ Ioſeph. Ioſeph corporis afflictionẽ in carcere expertus eſt. Lazarus extra portã diuitis famẽ & corporis vlcera ſenſit, & multi pij hodie varijs animi & corporis exercentur ærumnis.

II. Vel eſt pugna acerrima carnis & ſpiritus in pijs. Nam caro ſemper concupiſcit aduerſus ſpiritũ, interdum vincit & prorſus videtur ſpiritũ proſternere, vt in Dauide videmus, qui victus carnis concupiſcentijs in peſſima ſcelera homicidij & adulterij lapſus eſt, & niſi reuocatus fuiſſet ad pœnitentiã, & rurſus imperio ſpiritus fuiſſet ſubiecta caro, æternũ perijſſet. Hinc Paulus clamat, Quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Rom. 7. 24.

III. Vel eſt difficultas vocationis in Oeconomia, Politia & Eccleſia. Quantam crucẽ pij etiã mariti & matronæ experiuntur in educãdis liberis, in quærendis neceſſarijs vitæ, norunt illi, qui hoc experti ſunt. Qui gerunt magiſtratum, vt reges, nobiles, cõſules, præfecti, nõ ſunt immunes à cruce, modo alio qui pij ſint. Ita quoque pij Epiſcopi, parochi, & alij Eccleſiarum miniſtri ſæpe ex difficultate officij grauem experiuntur crucem.

IIII. Vel crux eſt certi delicti pœna, ſicuti ſunt multæ cauſæ calamitatũ Eccleſiæ, de quibus cauſis iam dicam.

3. Cauſæ crucis.

Quæ ſunt itaq; crucis Eccleſiæ cauſæ? Quædam cauſæ crucis in nobis ſunt: Quædã extra nos. In nobis ſunt tres cauſæ crucis, quarum *prima* eſt peccatum inhabitans, hoc eſt, originale: hoc peccatũ, niſi coërceretur, produceret fructus exitiales. *Secunda* eſt concupiſcentia inde pullulans, tanquam flamma ex igni, quæ flamma, niſi aqua crucis extingueretur, incendium inferni excitaret. *Tertia* cauſa in nobis, ſũt quotidiani lapſus, quos peccatum originis per ſuas concupiſcentias gignit. Septies, inquit Salomon, in die cadit iuſtus & reſurgit. Hos quotidianos lapſus reprimit crux nobis diuinitus impoſita, ne cum hoc mundo damnemur in peccatis noſtris.

Internæ tres.

Externæ.

Deinde ſunt & extra nos cauſæ crucis, ſed diuerſę. Nam *Deus* ex paterna bonitate nos ſua virga viſitat. Quemcunq; enim recipit, caſtigat, non alio affectu quã bonus pater, Deinde *Diabolus* inſidiatur Eccleſiæ, vt in Iob videm⁹: Sed Deus ei limites præſcribit vltra quos progredi non valet. Præterea *mẽbra Diaboli*, hoc eſt, tyranni & mali homines in mundo, qui Eccleſiæ moleſtias faciunt in hac vita. Sunt & *alia cauſſæ* crucis, quas omittam, & dicam de diſcrimine crucis piorum & ſupplicij impiorum.

4. Diſcrimen quintuplex crucis piorum & impiorũ.

Quod eſt igitur diſcrimen inter crucem piorũ & ſupplicia impiorum, poſtquam ſæpe in hoc mundo videmus pios & impios grauibus ærumnis affici? Sunt ſanè multa diſcrimina.

1. Primum diſcrimen ſumitur à *cauſſis efficientibus*. Nam vt afflictio piorum proficiſcitur ex paterno amore Patris cœleſtis erga filios ſuos: ita ſupplicia impiorum ex ira & furore iuſti Dei proueniunt, qui ſceleratos punit, vt hoſtes & aduerſarios.

2. Sumitur *à cauſſis finalibus*, pij enim cruce exercentur in illorum bonum: impij: verò ſupplicijs afficiuntur in ipſorum malum, niſi reſipiſcant.

3. Sumitur *ab effectibus*. Pij enim, vt Iob, Dominum benedicunt & inuocant ſub cruce: impij autem fremunt aduerſus Deum & indignantur: pij erudiuntur, impij confunduntur, pij probantur, impij perturbantur, pij ſub cruce ſperant: impij verò deſperant.

4. *A tempore* petitur. Pij ad breue tempus, vt poſtea cum capite Chriſto glorificentur: impij verò perpetuo malo inuoluuntur, quorum præſens afflictio præludium eſt æternarum pœnarum in inferno.

5. *A loco* ſumitur. Pij in hoc mundo tantum erudiuntur: impiorum ignis nunquam extinguetur. hîc enim mala cruciantur conſcientia, illic æterna ira Dei obruti, nunquam finienda luent ſupplicia. Ita habemus diſcrimina *crucis piorum* & afflictionis impiorum: nunc pauca adijciam de conſolatione, qua pij ſub cruce erigere debent.

5. Conſolationes multiplices piorũ ſub cruce.

Vnde ergo petenda eſt conſolatio? Pius qui ſub cruce premitur duo conſiderabit in ſua afflictione, nempe iudicium & miſericordiam. Iudicium quidem, quod propter ſua peccata puniatur. Ideo Chriſtus dicit: Noli peccare, ne quid deteri⁹ tibi accidat. Miſericordiã vero, quod ideo puniatur, vt cõuertatur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tur & agat pœnitentiam,iuxta illud 1.Corin. 11.32. Cum iudicamur,à Domino corripimur,ne cum hoc mundo damnemur.Fidelis ergo cum exercetur cruce,ex paterna miſericordia conſolationem petat.

II. Pius in cruce petet conſolationem ab exemplis,cuiuſmodi multa ad Hebr.11.recitantur,& Paulus ſæpe nobis proponit exemplum Chriſti,cui nos conformes fieri oportet in cruce, vt olim cum illo glorificemur.Patitur enim pius cum Chriſto, tanquam eius membrum. Nam vt Chriſtus paſſus eſt, primum vt obediret Patri: deinde,vt vinceret & dãnaret peccatum noſtrum: ita & nos Deo obedire debemus ſub cruce, & vincere & damnare peccatũ noſtrum:non quidem illud expiando, vt ipſe fecit, ſed mortificando.

III. Pius conſolationẽ petit à finibus crucis,non enim caſtigatur pius cruce vt pereat,ſed vt coerceatur,& veluti fręno quodã retineatur, ne à Deo deficiat.

IIII. Pius conſolabitur ſe ex præſentia Dei: ita enim Deus inquit,Pſal.91.15.Ego tecum ſum in tribulatione.Niſi enim Deus nos ſua præſentia in cruce tueretur,omnino deſponderemus animũ,& abiiceremus confeſſionem.

V. Petet pius conſolationem ex promiſſione liberationis, mitigationis pœnarũ, & auxilij diuini. Clamauerunt,inquit Pſalmus,Patres noſtri, & exaudiſti eos.Pſa.22.5.

VI. Petet pius conſolationem ex collatione pręſentis afflictionis& futurę gloriæ.Illa momentanea eſt:hæc æterna.Hæc ſint dicta de cruce piorũ.Deus det nobis gratiam,vt ſub cruce Deum vera patientia glorificemus,per Ieſum Chriſtum Dominũ noſtrum,cui honor & gloria in ſecula ſeculorũ, Amen.

DOMINICA QVARTA post Paſcha,Iohan.16.

Vado ad eum qui miſit me,& nemo ex vobis interrogat me, quò vadam. Sed quia hac locutus ſum vobis,mœſtitudo impleuit cor veſtrum. Sed ego veritatem dico vobis,expedit vobis,vt ego vadam.Si enim non abiero,cõſolator ille non veniet ad vos.Sin autem abiero,mittã eum ad vos.Et cũ venerit ille,arguet mundũ de peccato, de iuſtitia,& de iudicio. De peccato quidẽ,quia non credunt in me.De iuſtitia verò,quia ad Patrem vado, & poſthac non videbitis me.De iudicio autẽ, quia Princeps huius mundi iam iudicatus eſt. Adhuc multa habeo,quæ vobis dicam,ſed non poteſtis portare nunc.Cum autẽ venerit ille,qui eſt Spiritus veritatis,ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audierit,loquetur,& quæ futura ſunt,annũciabit vobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis.Omnia quæcunq. habet Pater, mea ſunt. Propterea dixi,quod de meo accipiet,& annunciabit vobis.

ENARRATIO TEXTVS.

Argumẽtũ & vſus præſentis concionis

Hoc Euangelium eſt pars concionis Chriſti quã habuit poſt Cœnam,pridie quàm pateretur,in qua, vt die ab hinc octauo admonui,pręmonuit diſcipulos ſuos de ſua paſſione,morte, reſurrectione, & de Eccleſiæ perſecutione, conſolatione & ſtatu regni ſui,qualis futura eſſet vſque ad cõſummationem ſeculi diſſeruit:idque in eum finem, vt diſcipuli confirmarentur in fide, & ne abijcerent confeſſionem, propter crucem & ſcandala inde orta inter multos. Iſta cauſſa fuit etiam huius concionis, quam recitaui:cuius ſumma eſt, quod Chriſtus polliceatur Eccleſiæ aduocatum,doctorem,& gubernatorem Spiritum ſanctum: vnde indicatur diſcrimen inter adminiſtrationem regni politici & regni Chriſti.Illud enim externis opus habet neruis,vt legibus, magiſtratuum ordinibus,publicis pœnis,&c. Hoc,verbo,ſpiritu,diſciplina paterna & Sacramentis adminiſtratur.Loci tres.

Partes.

1. *Vtilitas & neceſſitas abitus Chriſti ad Patrem, in quo regnum Chriſti deſcribitur.*
2. *Quid efficiat Spiritus ſanctus in mundo.*
3. *De dicto: Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò.*

DE PRIMO.

Vado ad eum qui miſit me, & nemo veſtrûm interrogat me,quò vadis. Hoc eſt:nunc mea mors imminet, & victoria ſuper morte, quam nactus ad Patrem aſcendam. Quod ita obſcure loquatur Dominus, ideo facit,vt diſcipulos excitet ad inquirendum de ſua morte & reſurrectione diligentius. Verùm illi nihil minus cogitarunt,quam vt traderetur tam turpi morti, quem illi Meſſiam agnouerant: adeo cæcutit ratio in diuinis, repit hîc in terra, non poteſt rectè de reb. cœleſtib' & de regno Chriſti cogitare.

Infirmitas diſcipulorum.

Quia,inquit,*hæc dixi vobis,triſtitia impleuit cor veſtrum*,hoc eſt, quia auditis me mentionem facere mortis & crucifixionis,triſtitia afficimini:nec enim intelligitis, quid boni mea mors & reſurrectio ſit vobis apportatura. *Sed veritatem dico vobis, expedit vobis,vt ego vadam*,quaſi dicat: Non cogitabitis de mea morte, quaſi de morte alterius hominis: ſed hoc ſcitote,quod mea mors,mea reſurrectio,& abitus ad Patrem ſingularem vtilitatem vobis adferet. Vtilitas autẽ hæc in ſumma eſt. Vt Chriſtus natus, circumciſus,oblatus,Doctor factus eſt: ita etiã paſſus eſt & excitatus ex mortuis in noſtram ſalutem, modo firma fiducia in illum recumbamus: vnde illud Roman.10. Si in corde tuo credideris, quod Deus excitarit Ieſum ex mortuis,ſaluus eris. Hanc vtilitatem abitus Chriſtus non intellexerunt diſcipuli:ſed tantum ſomniarunt de regno mundano, in quo Chriſtus vt ſummus Monarcha præſideret.

Abſentia Chriſti ſecundũ carnem cedit Eccleſiæ in bonum.

Si enim non abiero,Paracletus nõ veniet ad vos,quaſi diceret,veſtra cauſa patiar,veſtra cauſa reſurgam, veſtra cauſa vadam ad Patrem, vt inde vobis Paracletum,conſolatorem & aduocatum mittã. His verbis duo innuit. Vnum,quod Eccleſia ſit habitura hoſtes in hoc mũdo & quod ſit exercenda cruce. Alterum, quod in cruce & perſecutione ſit habitura conſolatorem & aduocatum Spiritum ſanctũ, quẽ ipſe donabit ei.Ita enim ait: *Cum autem abiero, mittam eum ad vos.*Hæc omnia eò pertinent: vt cum diſcipuli videant Chriſtum tradi à Iuda,rapi ad ſupplicia,cõdẽnari ad mortẽ turpiſſimã, animũ aliquo modo erigãt,freti his Chriſti promiſſionibus.Hinc & nos petamus conſolationẽ, quoties in regnis mũdi affligimur,& cogitemus diſcrimen inter regnum Chriſti & regnum mundi. In illo eſt Spiritus ſanctus aduocatus & conſolator,quem Pater dabit petentibus,iuxta promiſſionẽ Chriſti:Et dabit Spiritum ſanctum petentibus.In hoc afflictio & miſeria.

Doctrina.

DE SECVNDO.

1.Quid S. Spiritus facit in mundo.

In ſecunda parte textus dicit, quid Spiritus ſanctus facit in mundo.*Cum venerit*(inquit) *Ille, arguet mundum de peccato,& de iuſtitia,& de iudicio.De peccato quidem,quia non crediderunt in me. De iuſtitia vero quia ad Patrem vado,& iam non videbitis me,de iudicio*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

*autem,quod princeps huius mundi iam iudicatus eſt.*Hæc Chriſti verba ad duo tempora referenda ſunt,nempe ad illud quod mox conſecutum eſt aſcenſionem Domini,& ad reliquum totum tempus,vſq; ad conſummationem ſeculi.

Reſpectu temporis quod aſcenſionẽ Chriſti mox ſecutum eſt.

Primum ergo dicam quomodo intelligenda ſint hæc verba, reſpectu temporis, quod mox conſecutum eſt aſcenſionem Domini, & id quo Spiritus ſanctus viſibiliter die Pentecoſtes datus eſt Apoſtolis.1.Primùm dicit,Spiritus ſanctus *arguet mundum de peccato*, hoc eſt, ita conuincet mundum reum peccati,vt nihil habeat,quod prętexat.Mundus,ideſt,hoſtes à quibus ſum reiectus,& in crucem adactus,manifeſte Spiritus teſtimonio,ac propria conſcientia conuictus, fatebitur ſe erraſſe, & vehementer peccaſſe,quod in me non crediderit. Hoc quam verum fuerit,oſtẽdunt illi, quos Petrus arguit homicidij.Act.2.Hi enim cõuicti de ſuo peccato,dicunt:Quid faciemus viri fratres?ita hi ad homicidij confeſſionem adacti ſunt, & agnoſcunt, ſe vehementer peccaſſe,quod illum occiderint, in quẽ credere potius debuiſſent.

2. Deinde *arguet mundum de iuſtitia*. De cuius iuſtitia?Mundíne?Non:mundus enim nullã verã iuſtitiã habet.De cuius ergo iuſtitia?De Chriſti iuſtitia. Cõuincet enim Spiritus ſanctus corã mũdo,ꝙ Chriſtus verè iuſtus fuerit.Hoc ita eſſe,ex ſubiecta ratione patet,*Quia*,inquit,*vado ad Patrem, & amplius nõ videbitis me*. Hoc eſt,cum mundus apertè in Eccleſia ſpectabit Spiritum ſanctum, per me in vos effuſum,fateri cogetur me vere iuſtũ fuiſſe, & nõ blaſphemũ & impiũ,propterea ꝙ me dicerẽDei filium. Spiritus ſanctus enim teſtabitur de mea innocentia.

3. Præterea *arguet* Spiritus ſanctus *mundum de iudicio,quia princeps huius mundi iudicatus eſt*.Quid hoc eſt?Mundus,qui me per ludibriũ Chriſtum dixit,& iuſſit vt de cruce deſcenderem,conuincetur per Spiritum ſanctum,quẽ die Pentecoſtes in vos effundã, ꝙ inique iudicârit. Nam Spiritus ſanctus faciet, vt re ipſa intelligant & cognoſcant,me Diabolo ſuperato per reſurrectionẽ,imperium exercere in mundo, cum nemo vobis reſiſtere poterit. Hic eſt horũ verborum ſenſus, ſi ea ad efficaciam Spiritus in die Pentecoſtes referamus.Neque tamen ad illud tempus pertinent ita,quin etiam ad totum tempus vſq; ad ſeculi huius conſummationem referri poſſint ac debeant,quemadmodum nunc declarabo.

Reſpectu tẽporis à Chriſti aſcenſione vſque ad mundi cõſumnationem.

1. Spiritus ſanctus *arguet mundum de peccato*:hoc eſt,reum oſtendet peccati. Cuiuſnam peccati? quod inquit,non crediderunt in me. An ergo non ſunt alia peccata, quæ arguet Spiritus ſanctus,quàm infidelitas ſeu non credere in Chriſtum? Sane ſunt infinita & horrenda peccata contra primam & ſecundam Tabulam. Quare ergo hoc ſolum poſuit? Quia hoc manente,& cætera detinentur:& hoc diſcedente,& cætera remittuntur. Vt ergo cum infidelitate omnia reliqua peccata adſunt: ita vbi fides eſt in Chriſtum,omnia peccata remiſſa ſunt.Nam credẽti promittitur vita æterna,quod non fieret, ſi peccata remiſſa eſſent. Hîc ergo videmus,quam ſit neceſſarium in Chriſtum credere.Sed quid eſt in Chriſtum credere?Eſt ſtatuere illum eſſe Pontificem & regẽ, qui ſua morte expiauit peccatum, & reſurrectione glorioſa adduxit iuſtitiam, ſeu quod ſuo ſanguine, qui Deus & Homo eſt,ſibi Eccleſiam acquiſiuerit, Act.20.28.Hæc fides non eſt opus hominis,ſed Dei. Non eſt nata ex ratione,ſed ex verbo Dei. Porro verbum Dei eſt duplex : Lex & Euangelium. Lex tollit fiduciam noſtri,Euangelium operatur fiduciã Chriſti.Lex enim proponit nobis iuſtam voluntatẽ Dei,videlicet vt cuſtodiamus legem, alioqui voluntate Dei damnandi.Euangeliũ proponit nobis gratioſam voluntatẽ Dei,quæ eſt ꝙ Deus velit nos remiſſis peccatis,propter Chriſtum in gratiã recipere.Vt ergo ex lege deuenimus in cognitionẽ noſtræ imbecillitatis,& ex hac in cognitionem voluntatis Dei iuſtæ,& iudicij,vnde & in deſperationẽ : Ita ex noticia Euangelij deuenimus in cognitionẽ miſericordiæ Dei,propter Chriſtũ datum vt fieret victima,& tolleret peccata omniũ in ſe credẽtiũ.Ex hac cognitione,operante Spiritu ſancto,cõcipitur fides, qua abolentur omnia peccata, & offertur Chriſti iuſtitia,vt non amplius vt peccatores dãnemur, ſed iuſti & filij Dei in conſpectu eius appareamus:Quibus & hereditas vitæ æternæ eſt ꝓmiſſa,iuxta illud, Ioã.3.36.Qui credit in Filiũ, habet vitã æternã, qui verò incredulus eſt Filio,nõ videbit vitã:ſed ira Dei manet ſuper eũ.Cur ita? quia in peccato ſuo manet, propter ꝙ ad pœnas æternas obligatus eſt, iuxta illud:Qui non credit in Filiũ,ira Dei manet ſuper eũ. Iræ nomine maledictio & pœna cũ dãnatione coniuncta,ſignificatur. Hinc patet quam neceſſaria fides ſit,& quid efficiat.

2. Sequitur:*Et arguet mundum de iuſtitia,quia vado ad Patrem,& amplius non videbitis me*.Hoc eſt, Spiritus ſanctus arguet mundũ, quod nõ ſectetur verã iuſtitiã,qua corã Deo conſiſtere poſſimus, illa autẽ iuſtitia eſt Chriſti,videlicet ꝙ ipſe vadens ad Patrẽ, illic eſt Pontifex & interpellator pro credentibus. Nam Chriſtum pati & interpellare apud Patrẽ,eſt credentium iuſtitia.Sed quia hoc non ſtatuit infidelis mundus,arguitur à Spiritu ſancto. Is enim efficaciter conuincit,ꝙ non aliunde poſſit hominibus iuſtitia cõtingere,quã ex imputatione iuſtitię Chriſti, quæ illis cõtingit,qui in ipſum credũt.Hæc ſunt noua & admiranda omnibus iis, qui iuſtitiã fidei non intelligunt:ſed ſomniant ſe iuſtos eſſe, vel externa obedientia legis,vel humanis traditionib⁹, vt olim Phariſæi & hodie Papiſtæ faciunt.Hi nõ intelligũt, ꝙ omnia opera mundi ſint longè impefectiora,quã vt pontentiã Diaboli & mortẽ ſuperare poſſint.Sed quomodo probatur,ꝙ Chriſti obedientia ſit noſtra iuſtitia?Id probatur firmiſſimis ſcripturæ teſtimoniis.Paul.Rõ.5.19.Quẽadmodũ per inobedientiã vnius,ſcilicet Adæ,peccatores conſtituti ſunt multi: Ita per obedientiã vnius Chriſti,iuſti conſtituentur multi.Hanc Chriſti iuſtitiã nobis imputatã habemus,quando in eũ credimus, iuxta illud Rõ. 10.10. Corde creditur ad iuſtitiam.Item,cap.4.3. Credidit Abrahã Deo,& imputatũ eſt ei ad iuſtitiam.Paulus Rom.3.27.Arbitramur hominẽ iuſtificari fide abſq; operibus legis. Hoc ipſum ſignificat hîc Chriſtus, cum ait: Arguet Spiritus ſanctus mundũ de iuſtitia, quia vado ad Patrem. Hoc eſt,Spiritus ſanctus non ſolum me iuſtũ conuincet fuiſſe : verũ etiam iuſtitiã eorum eſſe,qui in me crediderint,manifeſtabit.

3. Præterea ſequitur: *Et arguet ſpiritus ſanctus mundum de iudicio,quia Princeps huius mundi iudicatus eſt*. Hoc eſt,Spiritus ſanctus conuincet inuito mundo, me Semen illud eſſe,quod promiſſum erat,vt contereret caput ſerpentis,id eſt,ꝙ iudicaturũ erat principẽ huius mundi: cũ quo etiã iudicata & dãnata ſunt omnia eius mẽbra,nã ſi caput dãnatũ eſt,quid poterunt mẽbra?Quare ſæuiat Diabolus cõtra pios quãtum velit,nihil tamen poteſt.Inſidiabitur quidẽ,ſed non ꝓſternet,donec fidẽ ſeruauerimus firmã & conſtantẽ.Ita enim ait Iohan.Hæc eſt victoria,quæ vincit mundũ,fides veſtra.1.Ioan.5.4.Per mundũ ſignificatur ipſe Satanas, cũ vniuerſa ſua cohorte, tyrannis,Sophiſtis,Hypocritis & piaculis. Nã chriſtus ꝑ ſuũ Spiritũ confudit iudiciũ Satanæ, qui per ſuos ſatelli-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſatillites condemnat Euangelium. Non enim curſum Euangelij impediet:etiamſi id ſæpiſſime facere conatur flumine ſanguinis,inde vſq; ab initio mundi,& maxime poſt reſurrectionem Chriſti.

II. Quid Spiritus ſanctus facit in Eccleſia.

Habemus quomodo Spiritus ſanctus arguat mũdũ:Nunc breuiter videamus,quid in Eccleſia faciat. *Primùm* adeſt efficax in verbo & Sacramentis. Vbicunq; enim verbũ Dei pure prædicatur, & Sacramenta iuxta inſtitutionem Chriſti adminiſtrantur, illic adeſt:& vult eſſe efficax in auditoribus verbi & participantibus Sacramẽta. Qui autẽ verbũ vel ocio ſè audiunt,vel Sacramentis vtuntur ſine reuerentia, hi ſe opponũt Spiritui ſancto,& verbi & Sacramenti miniſterium contemnunt in ſuum proprium malum & damnationem.

Deinde,vt hic textus docet,adeſt Spiritus ſanctus Eccleſiæ,vt conſolator,Aduocatus, Doctor veritatis. Nam nos in hoc mundo premimur variis malis, contra quæ opus eſt conſolatore, ne fracti aduerſis confeſſionem abiiciamus. Aduerſarius noſter Diabolus quotidie nos accuſat, quemadmodum Iobũ accuſauit. Hîc non conſiſteremus ſine aduocato,qui teſtatur nos Deũ habere propiciũ,qui non velit nos abiicere propter noſtra peccata, modo pœnitentiã egerimus. Deinde multa & profunda ignorantia laboramus,vt non poſſimus,quæ Dei ſunt, intelligere. Quare opus habemus doctore S.ſancto, qui nos in omnẽ veritatẽ ducet,iuxta hanc Chriſti promiſſionẽ:Cum autẽ venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

Venit autẽ S.ſanctus dupliciter,viſibiliter & inuiſibiliter. Viſibiliter venit in Apoſtolos die Pentecoſtes,quẽadmodum ſuo tẽpore audiemus. Inuiſibiliter venit in corda hominũ,quando prædicatur Euangeliũ,& obſignat veritatẽ Euangelij in cordib9 auditorũ. De vtroq; Spiritus aduentu loquitur Chriſtus. Nam ꝙ in Apoſtolis præceſſit viſibiliter,id ſequitur inuiſibiliter,vbicũq; pure docetur Euãgeliũ.

III. Scopus doctrinæ Spiritus ſancti.

Sed quò ſpectat doctrina Spiritus ſancti? *Non loquetur à ſemetipſo,ſed quæcunque audiet loquetur*,id eſt, Spiritus ſanctus eandem doctrinã vos docebit, quã ego docui, & quæcunq. ventura ſunt, annunciabit vobis. Hoc eſt, quale ſit meũ regnum futurũ in hac vita & poſt reſurrectionem communem, reuelabit vobis. *Et me glorificabit,quia de meo accipiet & annunciabit vobis*. Hoc eſt,Spiritus S.ſuo teſtimonio & efficacia gloriã mihi à patre datam ſtabiliet, ita vt portæ inferorum nihil præualere poſſint aduerſus regnum meum, nunquam enim poterunt meam obſcurare gloriam.

DE TERTIO.

Papiſtarũ error de traditionib. non ſcriptis refellitur.

Nũc reſtat vt dicamus de dicto: *Adhuc habeo vobis multa dicere,ſed non poteſtis portare modò*. Hoc loco abutuntur Papiſtæ ac ſi Apoſtoli non plenã doctrinã tradidiſſent Eccleſiæ:idq. in eum finem aſtruunt, vt ſuas Miſſas,inuocationem ſanctorum, roſaria,indulgentias,aquam luſtralẽ,& alias Antichriſti fraudes confirment. Verùm Chriſtus loquitur ad Diſcipulorum captum,& de infirmitate, quã habuerunt ante ſuam mortẽ,& de dono, quod accepturi erant poſt reſurrectionem in die Pentecoſtes. Quaſi dicat, Multa dicerem vobis de meo regno, & myſteriis aliis: ſed iam nondum plene edocti eſtis per Spiritum,quem ſuo tempore dabo vobis, qui ducet vos in omnem veritatẽ,id eſt, in plenam de meo regno cognitionem. Hanc plenam veritatẽ conſecuti ſunt Apoſtoli ipſo die Pentecoſtes, quam poſtea ſcriptis tradiderunt. Nos eandẽ veritatem petere debemus, & ea ſoli contenti erimus, ſi modò diſcipuli Spiritus ſancti eſſe velimus, cui cum Deo Patre & æterno Filio ſit honor,laus & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA QVINTA, poſt paſcha. Iohan. 16.

AMen,amen dico vobis,quæcunque petieritis Patrem in nomine meo,dabit vobis. Hactenus non petyſtis quicquã in nomine meo. Petite & accipietis,vt gaudium veſtrum ſit perfectum. Hæc per prouerbia locutus ſũ vobis. Veniet tempus,cum iam non per prouerbia loquar vobis,ſed palam de Patre meo annunciabo vobis. In illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis,quod ego rogaturus ſim Patrem pro vobis. Ipſe enim Pater amat vos, quia vos me amaſtis,& credidiſtis, quod à Deo exiuerim. Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum,& vado ad Patrem. Dicunt ei diſcipuli eius: Ecce nunc aperte loqueris, nec prouerbium vllum dicis. Nunc ſcimus,quod ſcis omnia,nec opus eſt tibi,vt quis te interroget. Per hoc credimus,quod à Deo exiſti.

ENARRATIO TEXTVS.

Argumentum & vſus huius cõcionis.

Sapienter hoc Euangelium hodie Eccleſiæ proponitur. Cõtinet enim præcipuum Chriſtianorum opus,quod & illorum proprium eſt:ſoli enim Chriſtiani hunc cultum inuocationis præſtare poſſunt. Nam poſtquam proximo die Dominico traditum ſit,quæ ſit vera fides, quæ iuſticia, quod iudicium, breuiter,quódnam ſit regnum Chriſti, & in quibus ſitum ſit:opportune hoc die,de præcipuo cultu,quẽ ciues regni Chriſti præſtare poſſunt,qui eſt vera Dei inuocatio,prædicatur. Et quia nullũ exercitiũ piorũ eſt magis neceſſariũ,quã oratio,& nullũ opus ſit difficilius,quã recte orare,volo hac concione tantũ de oratione dicere,& quo facilius hanc doctrinã intelligamus,duo de oratione dicam,quæ ſunt. Partes.

1. *Quid ſit Christiana oratio,& quotuplex.*
2. *Quæ ſint conditiones, quæ in omni oratione eſſe debent.*

His enim duobus locis explicatis, ſpero quod nemo ſit futurus, modò ſe docilem præbuerit,qui nõ planè & clare intelligat,quidnã ſit Chriſtiana oratio,& quã neceſſario orãdi cult9 à nobis requiratur.

DE PRIMO.

Quid eſt ergo Chriſtiana oratio?

Orationis definitio.

Eſt ſupplex eleuatio mentis ad Deum, aliquid à Deo petentis,aut pro acceptis beneficijs gratias agentis. Quod autem ſit ſupplex eleuatio mentis ad Deum,1. confirmatur Dauidis teſtimonio, qui precaturus ait Pſal. 25.1. Ad te Domine leuaui animam meam. 2. Ex forma precandi nobis à Domino præſcripta: Pater noſter qui es in cœlis. 3. Ex geſtu precantium,qui ſolent oculos in cœlum leuare inter precandum. Hoc igitur ſcire oportet,quod nõ ſit tantum vocis ſtrepitus oratio:ſed quod ſit eleuatio ſupplex cordis ad Deum, cũ qua ſupplici cordis eleuatione verba quoque ex ore procedunt.

Confirmatio definitionis.

Eius partes,& earum definitio.

Sed quotuplex eſt Chriſtiana oratio? Eſt quadruplex. Deprecatio (*effbedelſſe*) Adoratio (*tilbedelſſe*) poſtulatio (*faarbedelſſe*) & gratiarum actio. Hæc quatuor orationis genera breuiter declarabo.

Deprecatio ergo eſt ſupplex eleuatio animæ hominis ad Deum,qua petitur liberatio ab ijs,quæ moleſtiam adferunt. Vt cum petimus nos liberari à tyrannide,violentia, morbo, fame,& alijs, quæ nobis aſpera videntur.

Adoratio eſt ſupplex eleuatio animæ hominis ad

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Deum,qua beneficium aliquod petimus:vt cum petimus incrementa fidei,dilectionis,patientiæ,caſtitatis,& cũ petimus ea, quibus opus habemus ad huius vitæ ſuſtentationem.

Poſtulatio eſt ſupplex eleuatio animæ hominis ad Deum,qua alius pro alio petit,vel omnes pro ſe inuicem intercedunt,vt cum oramus pro morbò labòrantibus,aliiſue,qui noſtra prece indigent.

Gratiarum actio eſt ſupplex eleuatio animæ hominis ad Deum,qua Deo gratias agimus,vel pro beneficiis nobis ipſis alijſúe præſtitis vel pro malis nobis aliiſue ſublatis. Iam tenemus quid ſit Chriſtiana oratio, & quot ſint eius genera : nunc reſtat , vt de piæ orationis perpetuis circumſtantiis dicamus.

DE SECVNDO.

Perpetuæ proprietates & circũſtantiæ orationis

In omni pia precatione has quinque perpetuas proprietates & circumſtantias adeſſe oportet : quæ ſunt 1.affectus cordis in eo,qui precaturus eſt.2.cogitatio cauſſarum,quibus ad orandum impellamur. 3.quíſnam ſit inuocandus.4.per quem exaudiamur. 5.quid petere ab optimo Deo oporteat. Nã hæ circumſtantiæ facient nobis diſcrimen inter inanem battologiam Ethnicorum , & efficacem precationẽ piorum.Quare rogo vos chariſſimi,vt diligẽter has perpetuas orationis circumſtantias , & diſcatis , & perpendatis.

1.Affectus cordis.

Prima circumſtantia piȩ orationis eſt *affectus cordis*, vt cor ſit bene compoſitum inter precandum. Nam ſi honeſtas expoſtulat , vt corpus bene cõponamus, quandò cum honoratioribus hominibus nobis erit ſermo:multo magis par eſt,vt coram Deo , in conſpectu Angelorum,animus noſter quam optime ſit compoſitus.Qualis ergo debet eſſe eius affectus,qui cum fructu inuocare velit? Primum omnium exuat omnem cogitationem propriæ gloriæ,dignitatis & meriti.Deinde vere inopiam ſuam ſentiat , ſtatuátque ſe prorſus omni ope deſtitutum, niſi Dominus ipſe manus auxiliatrices porrexerit. Tum vera pœnitentia ſe coram Deo proſternat. *Poſtremo* fiducia promiſſionum diuinarum accendatur ad precãdũ. Qui enim vel tumet opinione propria virtutis , vel ſuam inopiam non ſentit , vel vera pœnitentia ſe coram Deo nõ proſternit , vel fide caret , cum Phariſæo orat,& non cum Publicano, hoc eſt, non orat vere & efficaciter.

Qualis eſſe debeat

2. Cauſæ ſeptem.

Secunda circumſtantia eſt cauſarum, quibus ad orandum commoueri debemus. Sunt autem multæ cauſſæ,ex quibus quaſdam recitabo,quò maius orãdi deſiderium in nobis excitetur.

Mandatum.

I. Mandatum Dei, cui obedire omnes creaturas decet. Inuoca me (inquit) in die tribulationis. Et Chriſti Apoſtoli ſæpe ad orandum ex mandato Dei nos inuitant.Hanc cauſſam diligẽter cogitare debemus,quæ in nobis orandi affectum excitet.

Promiſſio

II. Promiſſio:promiſit enim Deus ſe exauditurum preces noſtras,ſicuti in hoc Euangelio dicitur: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo , dabit vobis. Item in Pſalmo 50.15. Inuoca me in die tribulationis,& exaudiam te. Exaudire nihil aliud eſt quã largiri petita.

Crux.

III. Crux premens,id eſt,ſenſus cum noſtrȩ,tum aliorum inopiæ. Hîc debemus circumſpicere , quid domi,quid foris nos premit : debemus perpendere pericula publica & priuata:debemus anguſtias Eccleſiæ militantis in hoc mundo contra diabolum & eius membra cogitare.Breuiter, omnes neceſſitates vrgentes in hac vita animo cogitandæ ſunt , quibus ad inuocandum excitabimur.

Victoria

IIII. Eſt victoria in tẽtationibus:vnde Iacob.1.5. iubemur orare,quoties tentationibus infeſtamur.Et Chriſtus inquit : Orate,ne intretis in tentationem. Non enim facile vel inſidiis diaboli,vel improbitate mundi,vel inſtigatione vicioſæ carnis ſuperabitur,qui ſerio & aſſidue orat. Hinc Salomon, Prou. 18.10. Turris fortiſſima nomen Domini,hoc eſt,inuocatio Dei aduerſus omnia mala tutiſſimum eſt præſidium.

Tentationes.

V. Satanæ variæ technæ,qui nobis in doctrina & in moribus inſidiatur.Paulus Epheſ.6.iubet nos gladium Spiritus,qui eſt verbum Dei,ſumere contra Satanã per omnẽ deprecationem & orationem.

Fructus.

VI. Fructus vberrimus orationis crebræ. Nam cõſuetudo orãdi nos in timore Dei & pietate conſeruat. Non enim facile lapſui eſt expoſitus, qui perpetuis precibus munitus,pietatem ſerio meditatur: contra,qui orandi ſtudium negligunt,variis caſibus ſunt obnoxij. Pleriq; qui rapiuntur ad ſupplicia , ignorant formam precandi à Chriſto præſcriptam: & ſiqui norunt , interroganti fatentur ſe rariûs oraſſe.

Exẽpla

VII. Exempla ſanctorum,quorum præcipua cura in vita fuit Deum ſerio inuocare. Iudaicus populus ter in die orauit,mane,meridie,veſperi. Sic & Daniel fecit,atque adeo alij multi , quorum laudatur pietas.Sed inter nos multos inuenies , qui loco orationis non ſolum mane,meridie,& veſperi : verumetiam integris noctibus & diebus ſcelera perpetrant,vt molle puluinar diabolo faciant , quo ſecurius in illorum pectoribus quieſcere poſſit.Has grauiſſimas cauſſas ſerio nos cogitare oportet, quò veternum noſtrum pellamus, & ad ſerio inuocandum excitemur.

Epicureorũ obiectio.

Sed quidam his cauſis grauiſſimis præteritis inquiunt, Deus ſcit quibus indigemus, & ipſe nobis bene vult.Nã eſt noſter Pater,ergo non opus eſt, vt nos fatigemus precibus.

Reſpõſio

Reſpõdeo:verũ quidẽ eſt,ꝙ Deus ſciat quibus indigeamus,& vere eſt noſter Pater,modo eius filij ſimus per fidem, neq. ideo petimus,vt Deum doceamus quid ignoret. Sed rurſus ſciendum eſt,ꝙ non vult turbari ordinẽ à ſe inſtitutũ.Vt cũ inſtituit,ꝙ velit nos alere cibo & potu, ꝙ tamen poſſet facere ſine iſtis mediis : ita vult vt bona,quæ cum ad ſalutẽ noſtram , tum ad huius vitæ ſuſtentationẽ pertinent, impetremus precibus quæ ex fide manant. Non habetis,dicit Iacob.4.2.3.quia non petitis:petitis & non accipitis,quia male petitis.Et Chriſtus dicit: Dominus dabit Spiritum ſanctũ petentibus,non dicit, ociantibus aut ſecure viuentibus.Petendũ eſt igitur, modò ſalutaria nobis cupiamus. Agnoſcendũ eſt vtrunq. & Dei bonitas, quia paratus eſt ad dandũ petentibus,& noſtra inopia,qui ne Spiritũ trahere valemus,niſi nos ſuſtẽtet.

3.Quis inuocandus

Tertia circumſtantia, quíſnam ſit inuocandus : de hac circumſtantia non opus eſſet dicere , niſi inuenirentur adhuc,qui ſanctos,neſcio quos, inuocant. Quare dicam breuiter de hac ſummopere neceſſaria circunſtãntia. Et diſertè dico , quod ſolus Deus ſit inuocandus. Hic ſolus Deus eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.Filius vt idẽ Deus cũ Patre & Spiritu ſancto eſt inuocandus. Deinde eſt etiã inuocandus,vt Mediator inter nos & Deũ.

Solum Deũ eſſe inuocandum.4.rationibus probatur.

Quod ſolus Deus ſit inuocandus , quatuor rationibꝰ confirmatur,quarũ prima eſt mãdatũ.Nã de ſolo Deo inuocãdo mãdatũ habemꝰ. Nũc autẽ cũ nihil placet Deo ſine fide,& fides non põt eſſe ſine verbo:ſeqtur neminẽ eſſe inuocãdũ,niſi de quo mandatũ habemus. Secunda eſt *promiſſio*: nulla inuocatio habet ꝓmiſſionẽ,niſi quæ fit ad Deũ,igitur temere inuocamꝰ id, ꝙ nõ eſt Deꝰ.

Tertia

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Tertia eſt exemplum, nulla exempla ſanctorum habemus, qui ſanctos inuocarũt. Quare nos inſiſtamus illorum veſtigiis, & nulli deferamus hunc diuinum cultum, niſi cui debetur, hoc eſt, ſoli Deo. Quarta eſt *manifeſta prohibitio*. Dominum Deum tuum adorabis, & illum ſolum coles. Quare certiſſimè tenendum eſt, quod diabolus inuexerit inuocationẽ creaturarũ, hoc eſt, ſanctorũ, propter tres fines. *Primum*, vt Chriſto ſuum honorem interciperet. *Deinde*, vt ignominia afficeret demortuos ſanctos. *Prætereà*, vt perirẽt idololatræ, qui ſanctos inuocãt. Moneo vos igitur, qui adhuc in errore eſtis, vt reſipiſcatis maturè, ne præter expectationem incidatis in manus Dei viuentis. Neque iuuat, quod quidã ſe hoc facere dicant bona intentione: nam omnis intentio hominis in rebus ſalutis eſt mala, niſi qua regitur verbo Dei & Spiritu ſancto. Sic enim ipſe Deus dicit, Gen. 6. 5. Praue ſunt cogitationes hominis à principio. Et Paulus dicit, Animalis homo (id eſt, qui nõ habet Spiritum Dei) non percipit ea quę ſunt Dei. 1. Cor. 2. 14.

Inuocatio ſanctorũ cur ab Antichriſto inuecta.

4. Per quẽ

Quarta circumſtantia, per quem inuocandum. Scriptum eſt enim, quod Deus non exaudiat peccatores, Ioan. 9. 31. Eſt nobis datus Mediator Ieſus Chriſtus, in cuius nomine inuocabimus, quẽadmodum nos hodie Chriſtus in Euangelio docet, tanquam, Ioann. 16. 23. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Huius ergo fiducia, non noſtra dignitate freti, inuocabimus, certi quod Deus per ipſum velit nos exaudire. Verùm quia hæc Chriſti ſentẽtia eſt inſignis & plena conſolatione, volo eam diſtinctius explicare: nam multas admonitiones vtiles continet hoc dictum, *In nomine meo*, id eſt, propter me, & in agnitione & fiducia mei, & multa cõplectitur. Nam docet, monet & conſolatur.

Petere à Deo aliquid in nomine Chriſti quid ſignificat.

Quid quæſo docet? 1. Excludendam eſſe dignitatem noſtram. Non enim freti noſtra dignitate, ſed Chriſti patrocinio inuocabimus. 2. Separandam eſſe à pia oratione hypocriſin. Phariſæus in ſua oratione multa gloriabatur de ſua ſanctitate. Non ſum, inquit, vt cæteri homines: affero decimas de omnibus quæ poſſideo: ieiuno bis in Sabbato. Hic non in Chriſti nomine inuocauit: ſed fretus ſua ſanctitate, verba fudit inania potius quam orauit. 3. Gloriationem Ethnicam deponendam eſſe. Ethnici enim putarunt ſe exaudiri, cum ipſi prius id à Deo meruiſſent, vt Agamemnon putauit ſe exauditum iri propter ſuas Hecatombas. 4. Docet diſcrimen inter Chriſtianam orationem, & aliorum omnium hominum. Sola enim fides in Chriſtum facit diſcrimen inter orationem Chriſtianorum & aliorum. Turcæ, Iudæi, Ethnici & ſimiles, putant ſe quidem inuocare, ſed reuera non inuocant, qui fiducia Mediatoris ſunt vacui, nec agnoſcunt illum Deum eſſe, qui eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

Cuius rei monet hoc dictum, *In nomine meo*? Monet nos noſtræ cæcitatis. Nam cum Chriſtus iubet nos petere in nomine ſuo, nõ eſt dubium, quin magna ſint illa, quæ ſunt nobis petenda. Hoc ergo dicto admoniti, aperiamus oculos & circumſpiciamus quæ publica, quæ priuata: quæ interna, quæ externa: quæ ſpiritualia, & quæ corporalia bona ſunt petenda nobis: & contrà, quæ mala ſunt deprecanda.

Quomodo conſolatur nos hoc dictum, *In nomine meo*? Conſolatur nos contra duo orationis impedimenta maxima, quæ ſunt indignitas & diffidentia. Contra indignitatem enim noſtram, vult nos opponere ſuam dignitatem, cum ait: Petite in nomine meo. Contra diffidentiam vult nos ſuam promiſſionem opponere. Verùm multi non accipiunt quod petunt, quia malè petunt, fidem Chriſti negligunt, aërem potius verberant battologia inani, quam cœlum ardenti fidei affectu penetrant. Hi non poſſunt iuſtè cõqueri, quod ſæpe orẽt, & nihil impetrẽt. Quare ne in illorũ inueniamur numero ex fide oremus.

5. Quid petendum.

Quinta circumſtantia eſt de rebus, quas petere & quas deprecari oportet. Res petendæ ſunt in diſcrimine triplici. Vel enim agitur gloria Dei, vel agitur ſalus noſtra, vel bona ad huius vitæ commoditatem ſpectanda aguntur.

Gloria Dei.

Gloriam Dei ante omnia propagari petimus, iuxta illam precationem: Sanctificetur nomen tuum. Verùm hic non debemus Deo modum præſcribere: ipſe enim ſcit optimè, quo modo ſua gloria illuſtrari poſſit: ſed vera fiducia petere, & perſuadere nobis quod nos exaudire velit.

Salus noſtra.

Salutem noſtram etiam petimus, ſed abſque omni conditione, quia habemus vniuerſalem promiſſionem ſalutis. Omnis enim qui inuocauerit nomen Domini, hic ſaluus erit.

Bona quæ ad hanc vitam faciunt.

Verùm bona, quæ ad hanc vitam faciunt, petamus cum duplici conditione, videlicet ſi vel gloriam Dei impetratio eius, quod petitur, non impedit, vel noſtram ſalutem remoratur.

Ad eundem modum mala, quæ cum his generibus bonorũ pugnant, deprecanda ſunt. Primi & ſecundi generis mala ſunt deprecãda ſine cõditione: at ea mala, quę nobis in hac vita moleſta ſunt, deprecanda ſunt cum conditione nõ impeditę glorię Dei & noſtrę ſalutis: omnia enim glorię Dei poſtponenda ſunt. Hæc ſint dicta de oratione. Deus det gratiã, vt radicem agant in cordibus noſtris per Ieſum Chriſtum, cui honor & gloria in ſecula ſeculorũ, Amen.

IN DIE ASCENSIONIS Domini, Marc. 16.

Diſcumbentibus vndecim apparuit Ieſus, & exprobrauit illis incredulitatem ſuam, & cordis duriciem quod his, qui ipſum vidiſſent reſuſcitatũ, non credidiſſent. Et dicebat eis: Ite in mundum vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit, cõdemnabitur. Porrò ſigna eos, qui crediderint, hæc ſubſequentur. Per nomen meum dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi quid lethale biberint non nocebit eis. Super ægrotos manus imponent, & bene habebunt. Itaque Dominus quidem, poſtquam locutus fuiſſet eis, receptus eſt in cœlum, & conſedit à dextris Dei. Illi verò egreſſi prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante per ſigna ſubſequentia.

ENARRATIO TEXTVS.

Hiſtoriæ aſcẽſionis Chriſti ſumma.

Hoc feſtum in Eccleſia inſtitutum eſt propter articulum fidei noſtræ, in quo profitemur, nos credere in Ieſum Chriſtum, aſcendentem in cœlum, poſtquam à ſua glorioſa reſurrectione 40. diebus cũ ſuis diſcipulis fuiſſet conuerſatus. In hoc feſto, vt in aliis tria ſunt perpendenda. Primùm hiſtoria cum ſuis circumſtantiis. Deinde beneficium, quod nobis collatum eſt. Poſtremò, verus vſus & meditatio hiſtorię. Hæc tria ſe offerent in enarratione huius Euangelij: cuius ſumma eſt, quod Dominus 40. die à ſua reſurrectione apparuerit diſcipulis ſuis, quibus exprobrata illis prius incredulitate & cordis duritie, dat mandatum prędicãdi Euangelium per orbem terrarum, & quis fructus ex prædicatione ea perueniet ad auditores, modò Euangelium fide receperint, oſtẽdit. Præterea vt fides prædicationi illorum habeatur,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

promittit ſe miraculis doctrinam confirmaturum. Hoc dato mandato viſibiliter in cœlum aſcendit & ſedet ad dexteram Patris. Verùm diſcipuli, mandato eius obtemperantes, profecti ſunt prædicatum Euangelium, quod Dominus ſequentibus ſignis confirmauit. Hæc Euangelij ſumma eſt. Loci tres:

Partes huius concionis.

1. *Reprehenſio Apoſtolorum.*
2. *Inſtitutio miniſterij verbi.*
3. *Aſcenſio Chriſti in cœlum.*

DE PRIMO.

Incredulitas Diſcipulorum reprehenditur.

Quadrageſima die à reſurrectione apparuit Diſcipulis, exprobrauitque eis incredulitatem illorum & duritiē cordis, quod his qui viderant eum ſurrexiſſe, non crediderunt. Duo reprehendit in Diſcipulis: Duritiem cordis & incredulitatem, hoc eſt, radicem & eius fructum. Radix eſt duritia cordis, quæ cum ab origine ſua, tum à propria vicioſitate ſumit incrementa & vires: non enim poteſt homo, non afflatus Spiritu ſancto, quicquam eorum intelligere, quæ ſunt Spiritus Dei. Huius peſsimæ radicis fructus ſunt plurimi & mali. Primus eſt, qui hîc præcipuè taxatur, incredulitas. Ex hac poſtea peſſimi pullulant rami, vt inobedientia erga Deum, & quicquid eſt hac in vita ſcelerum & flagitiorum. Ex quibus & radicis virtus non ſuppreſſa intelligitur, & quanta incrementa incredulitas ſumpſerit, animaduertitur. Nam hoc eſt firmiſſimum indicium, vbi peccatum regnat, illic incredulitas, veluti imperatrix, cor hominis occupat.

Doctrina triplex.

Præterea nos hinc diſcamus primum, vt nos imbecilles, exemplo Apoſtolorum imbecillium, nō deſperemus, etiamſi ſtatim non poſſimus cœleſtia myſteria percipere. Semper enim Eccleſia habet ſua quædam vulnera, in quæ Dominus noſter ſuum vinum & oleum infundit. Nec eſt quod quiſquam ſperet, ſe omnem imbecillitatem poſſe exuere, donec hoc mortale corpus geſtauerit. Verùm quemadmodum olim populus Dei, introductus in terram promiſſam, habuit vicinos hoſtes Philiſtęos, cōtra quos perpetuum bellum geſſit: ita nos in Eccleſiam Chriſti introducti, & internos & externos hoſtes habemus, contra quos bellum gerendum eſt nobis, ne ignauia torpeamus. Alterum, quod hic diſcamus, eſt, vt ex Chriſti facto non abiicientis rudes diſcipulos & imbecilles, cogitemus, quam habeamus clementem Pontificem, qui non abiicit nos propter imbecillitatem, modo aliqua fidei ſcintilla in nobis fuerit. Deinde & huius exemplo & nos diſcamus clementer & leniter cum imbecillioribus agere.

DE SECVNDO.

Inſtitutio miniſterij Euangelici.

Cùm Chriſtus aſcenſurus in cœlum, mandatum dat diſcipulis, dicens: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Inſtituit modum erigendi ſui regni, & eius regni fructum indicat.

Chriſti regnū quomodo erigitur.

Duobus modis erigitur regnum Chriſti: Verbo & Sacramento. Eius fructus eſt ſalus ciuium. Contrà, omnes qui non fuerint in hoc regno ciues, damnationis ſententię ſubiiacent. Hic videmus magnum eſſe diſcrimen inter regni mundi & regni Chriſti adminiſtrationem: neque id mirum eſt. Mundi enim regnum carnale eſt: Chriſti verò ſpirituale. Illud legibus hominum: Hoc verbo Dei erigitur & conſeruatur.

Cæterùm quia verba Domini ſingulares doctrinas continent, volo ea paulò fuſius & diſtinctius explicare, quo magis animum Chriſti erga nos, & beneficia Euangelij intelligamus.

Primùm dicit: *Euntes in mundum vniuerſum.* Vides mandatum: mittit enim diſcipulos ſuos, non ad vnam aliquam nationem, ſed ad omnes homines latè per orbem habitantes. Hinc diuitias miſericordiæ Dei & precium victimæ Chriſti æſtimemus. Miſericordiæ Dei eſt, vt omnes, qui per peccatum damnati erant, audiant vocem Filij Dei de ſalute per Chriſtum conſequenda. Neque enim hoc putandum eſt, quod Deus voluerit vocem Filij hominis in vniuerſo mundo ſonare, vt fructu eius maxima pars deſtitueretur: ſed potius, vt audientes viuerent, & ſaluarentur per Chriſtum, modo prædicationem Apoſtolicam fide reciperent.

Mandatū.

Summa mandati.

Hoc clarius explicatur voce, *Prædicate*, ſeu *clamate*. Quibus? Omni creaturæ, hoc eſt, omnibus hominibus, abſque omni conditione perſonarum, nationum, ſexuum. Eſt enim Deus amās hominum, & vult omnium ſalutem, iuxta illud: Vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Sed quid debent Apoſtoli proclamare? *Euangelium*, hoc eſt, lætum nuncium de victis hoſtibus generis humani, qui ſunt peccatum, mors, diabolus & infernus: de pace facta inter Deum & homines, de ſalute æterna, quam credentes in Chriſtum hæreditate conſequentur. Hæc ſumma eſt Euangelij: verùm vt hæc ſumma intelligatur melius, definitionem vberiorem dabo: quā etiam breuiter ſcripturæ teſtimoniis declarabo.

Euangelij definitio.

Euangelium eſt doctrina diuinitus reuelata, in qua annunciatur liberatio à peccato, maledictione & ira Dei, & proclamatur remiſſio peccatorum, ſalus & vita æterna, credentibus in Filium Dei, propter eiuſdem Filij Dei victimam, vt bonitas & miſericordia Dei prædicetur, vtque liberati per Filium fructus Euangelio dignos ex fiducia Filij proferant.

Definitionis analyſis.

Hæc definitio multa continet, quæ ordine recenſebimus & confirmabimus.

Primum dixi, quod Euangelium ſit doctrina diuinitus reuelata, id quod ex eo confirmatur, quod eſt Rom.16.25. Vbi Paulus Euangelium myſterium abſconditum à ſeculis pronunciat, quibus verbis apertiſſimè ſignificat, ex humana ratione non pendere Euangelium. Nunc ſi ratio vllo pacto potuiſſet ſuo acumine hanc doctrinam perſpicere, nequaquam myſterium abſconditum à ſeculis dicendum fuiſſet.

Deinde dictum eſt in definitione, quod in Euangelio annuncietur liberatio à peccato, maledictione legis, & ira Dei. Dicit enim Daniel Propheta. cap.9. 24. Chriſtum ablaturum eſſe peccatum: & Paulus maledictionem Legis per Chriſti aduentum abolitam eſſe docet. Gal.3.13. Pater cœleſtis de cœlo dicit, ſe placatum propter Filium. Matth.3.17. & 17.5. Hoc veriſsimum eſſe experiuntur etiam omnes pij, teſtimonium habentes Spiritus ſancti per quem clamāt: Abba, pater. Quod profectò non facerent, niſi certò ſtatuerent ablatum peccatum, maledictionem legis abolitam, & iram Dei placatam.

Tertio loco additur, quod in Euangelio proclametur remiſſio peccatorum, ſalus & vita æterna: ita enim ipſe Dominus ait Luc.24.46. Sic ſcriptum eſt, & ita oportebat Chriſtum pati, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum omnibus gentibus. Et in hodierno Euangelio dicit, Qui crediderit, ſaluus erit. Et ipſe Dominus dicit, Qui credit in Filium, habebit vitam æternam. Ioann.3.36. Quid multis? vniuerſa ſcriptura remiſſionem peccatorum, ſalutem & vitam æternam pollicetur omnibus amplectentibus Euangelium.

Verùm quia hæc beneficia non contingunt omnibus:

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Cain enim, Iudas, Saul, & multi alij perierunt, & hodie, proh dolor! magna pars mundi ruit in æternum exitium, additur in definitione.

Quarto loco, quod hæc beneficia contingant credentibus. Clarè enim dicit Dominus: Qui credit in me non peribit, ſed habebit vitam æternam. Nequis autem hoc ex operum conditione pendere exiſtimet, Paulus iuſtificari hominem ſine operibus ſcribit, & idem pronunciat vitam æternam donum Dei eſſe per Ieſum Chriſtum, id eſt, contingere credentibus in Chriſtum, non ſuo merito, ſed Chriſti beneficio. Rom. 6.23.

Quinto additur: propter Flij Dei victimam. Sic enim ait Paulus. Rom. 3.23. Per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu. Vox enim ἀπολύτρωσις, qua Paulus vtitur, ſignificat redemptionem, quæ fit ſoluto pretio pro capitis pœna. Tale pretium pro nobis ſoluit Chriſtus, quando pro nobis factus eſt peccatum, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo, 2. Cor. 5.

Sexto additur: vt bonitas & miſericordia Dei prædicentur. Quod confirmatur exemplo cohortis Angelorum canentis nato Domino hunc hymnum, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax, & hominibus bona voluntas.* Luc. 2.14. Hoc ideo eſſe factum exiſtimemus, vt omnes, qui hunc Chriſtum agnoſcunt, diſcant caſtiſſimorum Angelorum exemplo bonitatem & miſericordiam Dei prædicare, præſertim cum natura clamitet reddendam eſſe gratiam bene meritis.

Poſtremò in definitione Euangelij additur, vt fructus Euangelio dignos edant liberati per Euangelium. Dicit enim Paulus Epheſ. 2.10. nos in Chriſto Ieſu creatos ad bona opera, in quibus ambulandum eſt. Et idem Paulus dicit, nos in luce debere ambulare, cum ſimus lucis filij. Ephe. 5.8. Quomodo enim quæſo conuenit, nos ex ſeruitute peccati exemptos eſſe, & tamen peccati ſeruitute & eius iugo premi? Apparuit, inquit Paulus, gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus, vt abnegatis omni impietate & humanis deſideriis, ſobriè, piè, & iuſtè viuamus in præſenti ſeculo. Tit. 2.11.

Concluſio ex ſuperioribus collecta.

Cum *igitur* firmis rationibus oſtendimus per Euangelium tolli peccatum, maledictionem & iram Dei, & ſuccedere in horũ locum iuſtitiam, ſalutem, & vitam æternam propter Chriſtum, dum in ipſum credimus, & quod velit nos Deus propter hoc beneficium ſuam bonitatem prædicare ac in tota vita gratitudinem oſtendere, ſequitur, Euangelium eſſe ſicut dixi, doctrinam diuinitus reuelatam, in qua annunciatur liberatio à peccato, maledictione legis, & ira Dei, & proclamatur iuſtitia, ſalus & vita æterna, omnibus credentibus in Chriſtum, propter eiuſdem victimam, vt bonitas & miſericordia Dei prædicetur, & vt liberati per Euangelium dignos Euangelio fructus edant.

Hæc de Euangelio ſint dicta. Quod autem additur de Baptiſmo, quo beneficium Euangelij applicatur & obſignatur, dicam alio tempore, quod & audiuimus Dominica prima Quadrageſimæ.

DE TERTIO LOCO.

Hiſtoriæ aſcẽſionis Chriſti explicatio.

Iam ſequitur locus, qui eſt proprius huius Feſti: nam quod Dominus in cœlum aſcenderit, narrat Euangeliſta. Quare de aſcenſione Chriſti in cœlum, quæ eſt articulus fidei noſtræ, pauca dicam, ídque clariſsime.

Partes.

In hoc ergo Articulo de aſcenſione Domini ſunt tria nobis in primis ſpectanda. 1. Deſcenſus: nam prius quam aſcenderit, deſcendit. 2. Aſcenſio. 3. Fructus aſcendentis Chriſti.

In deſcenſu Chriſti de cœlo in terram duo ſpectanda ſunt: Donum & exemplum. *Donum* quidem, quod Chriſtus de cœlo deſcẽderit & humanam naturam aſſumpſerit, vt per ſuam victimam peccata noſtra expiaret. Per Chriſti enim victimam placatus eſt Pater, & propter Mediatorem Chriſtum ita humiliatum, omnes credentes recipiuntur, & ſunt filij & hęredes Dei. Ideo enim Dominus deſcendit de cœlo, ideo ſe humiliauit & deiecit, vt nos aſcenderemus ex terris ad cœlos, & vt exaltaremur ad æternam vitam & gloriam. *Exemplum* verò, vt & nos deſcendamus & humiliemur. 1. Petri 2.21. Chriſtus paſſus eſt pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt ſequamur veſtigia eius.

1. Deſcenſus Chriſti de cœlo in terram.

Aſcenſus Chriſti in cœlum qualis fuerit, oſtendit ſcriptura. Aſcendit viſibiliter, corporali & phyſico motu, & nubes ſuſcepit eum in cœlum. Vnde illud: Aſcendit ſupra omnes cœlos, Epheſ. 4.10. Neque enim aſcendendo humanam naturam in diuinam mutauit, aut ita diffudit, vt ſit vbique cum diuinitate.

2. Aſcẽſio in cœlum.

Fructus aſcendentis Chriſti eſt multiplex, ſicuti ex variis ſcripturæ locis colligere eſt facile.

3 Fructus multiplex huius aſcenſionis.

Primus ergo fructus eſt, quod Chriſtus ſit triumphator ſuorum hoſtium, qui ſunt, peccatum, mors, diabolus, infernus. Hos enim hoſtes deuicit & ſuper eis triumphum egit, per ſuam glorioſam aſcenſionem. Deleuit peccatum, quando eſt factus victima pro peccato. Deleto peccato, exarmata eſt mors, nã peccatum eſt aculeus mortis. Deſtructa morte, diabolus ſuas vires & arma amiſit. Poſtremò, quia infernus tantum eos deuorat, qui ſub peccato, morte & diabolo ſunt, ſequitur Chriſtum peccati, mortis, diaboli victorem, infernum quoque deuiciſſe.

Secundò aſcendit, vt ſit nobis caput, quod in cœlum prius aſcendit, quod nobis viam monſtret: vnde Ioann. 14. Ego abeo paratum vobis locum, & aſſumam vos ad me.

Tertiò aſcendit, vt de cœlo ſpargat radios ſuæ virtutis in vniuerſum mundum. Epheſ. 4. 10. Aſcendit ſupra omnes cœlos, vt omnia impleat. Non ergo aſcendit, vt abeſſet: ſed vt præſenti virtute regat cœlum & terram, & adſit ſuæ Eccleſiæ vſque ad conſummationem ſeculi.

Quartò aſcendit vt det dona hominibus, Epheſ. 4. 11. Ipſe autem dedit, alios quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Doctores. Hoc eſt, aſcendit vt ſit efficax in miniſterio, illud virtutibus admirandis confirmans & obſignans in cordibus hominum.

Quintò aſcendit, vt habeamus in cœlo aduocatum. 1. Ioan. 1.1. Si quis peccauerit, habemus aduocatum apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propiciatio pro peccatis noſtris.

Sextò aſcendit, vt ad ſe corda noſtra trahat, Matt. 6.21. Vbi eſt theſaurus tuus, illic & cor tuum. Coloſ. 3.1. Si ſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus ſedet ad dextram Patris: debet ergo noſtra conuerſatio eſſe in cœlo, vbi noſter ſaluator in gloria ſedet, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor, laus & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA SEXTA
poſt Paſcha, Ioan. 16.

CVm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Quin & vos teſtes eſtis,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quia ab initio mecum eſtis. Hæc locutus ſum vobis, ne quid offendamini. Alienos à Synagoga facient vos. Sed veniet tempus, vt quiſquis interficiet vos, videatur cultum præſtare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem neque me. Sed hæc locutus ſum vobis, vt cum venerit tempus illud, reminiſcamini eorũ, quòd ego dixerim vobis. Hæc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiſcum eram.

ENARRATIO TEXTVS.

Summa huius cõcionis. Eſt & hoc Euangelium pars concionis Chriſti quam habuit ad diſcipulos pridie quàm pateretur: cuius ſummam nuper audiuimus. Hic autem textus continet promiſſionem aduocati Spiritus ſancti, qui aderit Eccleſiæ, quando ipſa ab impio mundo perſecutionem patietur. Nam Chriſtus futurum eſſe pronunciat, vt tanta rabie ferantur aduerſus Eccleſiam impij homines, & præſertim Iudæi, vt religionis zelo ruant toto impetu contra pios: adeóque perſuadeant mundo, cultum quendam Dei eſſe pios trucidare eóſque extra ſuos cœtus eiicere. Huius autem furoris cauſſam eſſe ait ignorantiam & cæcitatem, nimirùm quod nec Dei iram aduerſus peccatum agnoſcant, nec beneficia Chriſti intelligant.

Partes. Loci tres.

1. *Officia Spiritus ſancti & miniſtrorum verbi in Eccleſia.*
2. *Admonitio, ne pij ſcandalo offenſi abiiciant confeſſionem & fidem.*
3. *De cruce piorum & eorum glorioſa liberatione.*

DE PRIMO.

De Spiritu ſancto. *Cùm autem venerit paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, is teſtabitur de me: ſed & vos teſtabimini.* Hæc verba primam doctrinam huius Euangelij continent, nimirum quòd Spiritus ſanctus & Apoſtoli, adeóq; eorũ ſucceſſores debeant teſtari de Chriſto.

1. De eius perſona. De Spiritu ſancto hæc ſunt colligenda ex textu, quod ſit vnus Deus cum Patre & Filio. 2. quod ſit diſtincta perſona à Patre & Filio. 3. quod procedat à Patre & Filio. 4. quod detur Eccleſię à Chriſto. Cur autem detur Eccleſiæ exponitur, nimirum vt ſit Paracletus, vt ſit doctor veritatis, vt teſtetur de Chriſto, de quibus officiis breuius ideo dicam, quia hæc ſunt repetenda die Pentecoſtes.

2. De eius officiis. Cur vocatur *Paracletus* ſeu aduocatus? vt hac appellatione innuitur Eccleſiæ perſecutio & accuſatio ſiue condemnatio à prophano mundo: Ita expreſſe ſignificatur, quod non ſit deſerenda à Chriſto tempore perſecutionis: ſed Chriſtus mittat ei aduocatum, nempe Spiritum ſanctum.

Paracleti, ſeu aduocati conditiones, Conditiones autem aduocati ſunt quatuor. 1. vt adſit reo, id eſt, ei qui vim aut iniuriam patitur, ſeu accuſatur ab impio mundo. 2. vt cauſam hominis adeóque totius Eccleſiæ in ſe recipiat tanquã ſuam. 3. vt doceat & admoneat errantem, & inſtruat, ne cauſſa cadat. 4. vt conſoletur afflictum. Proinde cum Spiritus ſanctus aduocatus dicitur, ſignificatur, quòd ſit Eccleſię patronus, cauſſam eius in ſe recipiat, doceat ac conſoletur Eccleſiam.

Doctoris veritatis officium. Deinde dicit textus, quod Spiritus ſanctus ſit futurus *Doctor veritatis*: quo nomine 1. indicatur, quod homines ſuopte ingenio veritatem ſalutarem aſſequi non poſſint. 2. quod veritatis doctrina non ſit legis, ſed euangelij: legis enim doctrinam ratio aliquo modo ſuopte ingenio intelligit. 3. quod Spiritus ſannctus in docẽtibus & diſcentibus ſit efficax. Facit enim, vt docentes intelligant veritatem, & diſcentes recipiant. Præterea admonemur, vt hunc doctorem veritatis imploremus, vt nobis clauem ſcientiæ donet, caueamúſque, ne noſtra impuritate ipſum caſtum Spiritum à nobis pellamus. Nam cum ſit ſanctus, id eſt, mundus, caſtus, & ſanctos efficiens, non habitat in corde impuro, id eſt in eo quod in ſuis ſordibus ſe inuoluit, & vt ſus in volutabro ſe coinquinat.

Ad hæc dicit: hic *Spiritus ſanctus teſtabitur de me*: cuius officij participes etiam erunt miniſtri verbi.

De teſtimonio S. Spiritus & miniſtrorum verbi. Sed quid teſtatur Spiritus S. de Chriſto? & quid de eodem teſtabuntur miniſtri verbi? *Primum*, teſtatur Spiritus ſanctus & miniſtri verbi de Chriſto, quod ſit verus Deus ſecundum ſcripturam, vnus in diuinitate cum Patre & Spiritu S. ſicuti nos in Symbolo profitemur. *Secundò*, teſtatur Spiritus ſanctu quod Chriſtus ſit verus homo, iuxta Symbolũ: Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine. *Tertiò*, teſtatur Spiritus ſanctus, quod Chriſtus etſi Deus & homo: tamen vnus ſit Dominus, vnus Chriſtus, vna perſona: quemadmodum Symbolum teſtatur, & Chriſtus ipſe de ſe, cum ait, Ioan. 3. 13. Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo filius hominis, qui eſt in cœlo. *Quarto*, teſtatur Spiritus ſanctus de Chriſti officio, quod ſit Pontifex, & Rex. Pontifex quidẽ, quia victima Patrem placauit, qui ſua interceſsione nos Deo adducit. Rex verò, quòd hoſtes noſtros deuicerit, peccatum, mortem, diabolum, infernũ, & ad iudicium ſit venturus iudicatũ viuos & mortuos. Hæc quatuor Spiritus teſtatur de Chriſto: hæc quatuor nobis in Symbolo de Chriſto cõmẽdãtur: Hæc quatuor omnes ſinceri miniſtri Dei teſtabũtur de Chriſto, donec venerit ad iudiciũ.

DE SECVNDO.

Locus de ſcandalis. *Hæc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini.* Significat Chriſtus, in quem finem ita multum de Eccleſia, de S. ſancto, de ſua morte & reſurrectione dixerit: nimirum vt his confirmati ne cum reliquo mundo ſcandalizentur. Hæc admonitio admodum neceſſaria eſt omnibus temporibus: nam mundus eſt plenus ſcandalis. Væ, inquit Chriſtus, mundo à ſcandalis: ſignificans grauia ſupplicia manere eos, qui ob ſcandalum ab Euangelio deficiunt. Vt autem vnuſquiſque noſtrum recte iudicare poſſit de ſcandalo, plenam doctrinam de ſcandalo proponam.

Scandali definitio. Scandalum in genere eſt quicquid impedit hominem à recto Euangelij curſu: hoc eſt, dictum, vel factum, vel apparentia, vt ita dicam, externa, quod cuidam vel cauſa, vel occaſio offenſionis eſt vt à recto ſalutis curſu, vel impediatur, vel deflectat.

Genera. Huius ſcandali plura ſunt genera. Eſt enim vnum ſcandalum, quod datum vocant. Alterum, quod acceptum nominatur, quæ qualia ſint, definitionibus & exemplis declarabo.

Datum ſcandalũ. Datum igitur ſcandalum, eſt quod oritur aut ex facto dictóue in ſe malo, aut ex facto dictóue in ſe indifferẽti, id eſt, nec bono nec malo, ſed intẽpeſtiuè commiſſo. Vtrumque grauiter prohibitum eſt voce Dei: & Chriſtus pronunciat melius eſſe hominẽ demergi in mediũ maris, quã vlli eſſe ſcandalo. Matth. 18. 7.

Exempla. **Publicum in Eccleſia & politia.** Exẽpla ſunt hęc. Arius negauit diuinã naturã in Chriſto, qua re plurimos offendit, & fuit & ſibi & aliis multis cauſa æternæ dãnationis. Dauid ſuo adulterio ſcãdalo fuit omnibus ſui regni incolis, qui niſi reſipuiſſet, æternũ periiſſet. Contra hoc ſcandalum orat Salomon, cũ inquit. Cuſtodi me à laqueo quem poſuerunt mihi, & à ſcandalo operantium iniquitatem. Hoc ſcandali genere maxima pars mũdi offenſa hæret in damnatione, & quotidie multi pręcipites dantur in ruinam hoc ſcãdalo offenſi, cum priuatim,

tum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tum publice. Priuatim offenduntur pueri, ſerui, coniuges. Pueri vident parentes à cultu Dei abſtinere, abſtinent & ipſi: audiunt ipſos parentes iurare, iurant & ipſi eorum exẽplo: audiunt eos impudicè loqui, illi mox exemplum imitantur: iniqua enim tenacius hærent: vident potantes, fallentes, inique cum proximis agentes, illi quoque vt diſcipuli, eaſdẽ artes diſcunt: ſed væh illis per quos hæc ſcandala fiunt. Illi enim ſeminarium Eccleſiæ Chriſti turbine & tempeſtate ſcandalorum deiiciunt & calcant.

Priuatum.

Domeſtici ſcandali mala.

Hoc domeſticum ſcandalum eſt ſemen omnium malorum in mundo. Ea enim quę pueri à parentibus diſcunt, retinent ſenes, & eadem quoque ſuos pueros docẽt. Quare parentes qui Deum timent, ſumma cura cauere debent, ne ſuis pueris ſint ſcandalo: pie igitur loquantur, recte omnia agant, Deum colant, & ſuos pueros ad ſimile ſtudium inuitẽt, ac eos in correptione & admonitione Domini erudiant, quẽadmodum Paulus monet, & perpetuo meminerint huius dicti Chriſti, quod eſt Marci. 9. 49. Quiſquis offenderit vnum ex paruis iſtis, qui credunt in me, bonum eſſet ei potius, ſi circumponeretur ſaxum molare circa collum eius, & proijceretur in mare.

Scandali publici pericula.

Præterea hoc ſcandalum etiam committitur, cum à magiſtratu, tum à ſubditis. Vt cum Hieroboã vitulum adorandum proſtituit in Samaria, cum idem tyrannide ſanctos Dei Prophetas perſecutus eſt. Eſt autem hoc ſcandalum grauiſsimũ in miniſtris Eccleſiarum, cũ illi vel praua doctrina, vel impura vita multis præbent occaſionẽ male loquendi de Euangelio, & pluribus infirmis efficacem occaſionem lapſus præbent, vt ſunt auari, ſcortatores, potatores, homicidæ & alij, qui ſuis moribus offendunt Eccleſiam, qui ſane à cordatis Epiſcopis deponi deberent, ne ſua ruina plures ſecum in lapſum traherent. Neque ſubditi hic excuſari debent: videmus enim qualis ſit mundus, omnes corrupti ſunt. Quis non ebrietate offendit? Quis non temeraria iurandi conſuetudine ſcandalizat? quotus quiſque non aliquem laqueum ſtruit ad offendiculum?

Scandali dati diſtinctio.

Verùm quia ſcandalum datum non eſt ſimplex. Aliud enim ex malo datur dicto aut facto. Aliud datur ex facto non in ſe malo, ſed intempeſtiuè facto: ſciendũ eſt quòd primũ genus abſque omni cõditione fugiendum ſit omnibus, quibus ſalus æterna curæ eſt. Verùm quantum ad illud ſcandalũ attinet, quod datur ex indifferenti re, non ſemper fugiendum eſt, ſed hoc iuxta hominum diſcrimen eſt agendũ. Quidam homines ſunt firmi, vt qui iam norũt Chriſtianam libertatẽ. Quidam ſunt infirmi, qui habent initia religionis: ſed non ſunt ſatis edocti de Chriſtiana libertate. Quidam ſunt obſtinati & indociles & contumaces. Primum genus non offenditur vſu rerum indifferentium, imò potius gaudet de Chriſtiana libertate. Tertium genus offenditur quidem, ſed eos non curabis, ſunt enim hoſtes Chriſti. Neque ab vſu rerum indifferentium adſtinebis propter ipſos, multo minus abſtinendum eſt à veris virtutibus, vt ſunt verus cultus Dei, vera inuocatio, vera fidei confeſſio. Neque à vera doctrina, ſed Chriſti exemplo, inuitis etiam portis inferorum, verum Euangelium doce & profitere. Sic enim Chriſtus fecit, ſic Prophetę, ſic Apoſtoli, adeóque omnes pij omnibus temporibus. Solet communiter dici, quod qui recte iudicat, recte docet, & recte facit, non debeat propter ſcandalum abſtinere ab eo, quod rectũ eſt. Hoc ſane veriſſimum eſt, & confirmatur etiam Apoſtolorum exemplis. Verum de medio genere hominum, hoc eſt, de infirmis, notanda eſt regula Pauli: Priuſquam offendam infirmum meum fratrem, non veſcar carnibus in æternum. Ad eundem modum de aliis rebus adiaphoris iudicandum eſt. Nam in omnibus noſtris factis ratio mutuæ charitatis, & ædificationis habenda eſt.

Quæ ſunt conſiderãda in vſu rerum indifferentium.

Vera doctrina ſemper, vbique & ab omnibus, pro vocationis ratione promouenda.

Alia differentia ſcãdali data à perſonarum diſcrimine.

Verũ hoc datum ſcandalũ, de quo iam dictum eſt, habet & aliam differentiam à diſcrimine perſonarũ ſumtã. Aliæ enim perſonæ in aliqua dignitate cõſtitutæ ſunt: aliæ obſcuræ priuatã vitam degẽtes. Scandalum quod datur à perſona, in aliqua dignitate conſtituta, multò eſt eo grauius, quã quod datur à priuata perſona, quæ non in dignitate aliqua eſt, atque ideo meretur grauiora ſupplicia, cum propter perſonã ipſam, quæ ſuum locum, in quem à Deo euecta eſt, cõmaculat, tũ propter homines alios, quibus lapſus cauſam præbuit efficaciorem, ſuo exemplo malo. Vt enim quò ingentius fuerit ſaxum cadens ab alta rupe, eò plura fragmenta facit: ita quò dignior fuerit perſona, & in ſublimiori dignitatis culmine conſtituta, eò plures in lapſum ſecum trahit cum cadit. Vt miniſter verbi peccás ebrietate, ſcortatione, homicidio, aut alio flagitio, maiori offendiculo eſt, quã miles, aulicus, aut nauta ſiue ruſticus, atque adeò maiori pœna coercendus & puniendus eſt: nam plures ſecũ in ruinam trahit. Ad eundem modũ de aliis iudicandum eſt. Dauid in regno Iudaico, nõ ſolus adulter & homicida erat: attamen eius peccatum ob maius ſcandalũ inde ortum, in cõſpectu Dei aliorũ delictis multò fuit atrocius. Quare & grauioribus pœnis præſertim corporalibus, eſt punitus. Multò grauius peccat ebrioſus paterfamiliâs, quam ſeruus. Nã ille exẽplum domeſticũ eſt: hic vt contẽptus, nõ niſi ab improbis in exẽplũ trahitur. Atque hactenus de dato ſcãdalo.

Simile.

Exemplũ.

Acceptũ ſcandalũ, quid.

Humanũ duplex.

Acceptum ſcandalum eſt, quod aliquis ſibi ſumit à rectis factis aliorum, aut alijs rebus, & eſt duplex: Humanum & Diabolicum. Humanum partim impiorum, partim piorum eſt. Impiorum quidẽ, quãdo impij offenduntur aut recte factis piorũ, aut libero adiaphororum vſu, aut etiam externa Eccleſiæ forma. Nam cum impij vident cruce premi pios, & eſſe veluti reiectamenta in mundo, occaſionem inde maioris ruinæ accipiunt impij: vt Iudæi, qui offendebantur humilitate Chriſti & calamitate Eccleſiæ, quemadmodũ hodie offenduntur multi vulneribus Eccleſiæ. Contrà pij accipiunt ſcandalum, quando vidẽt impios florere: quãdo Eccleſia à Tyrannis opprimitur: cum multi innocentes trahuntur ad ſupplicia: cùm hæreſibus turbari Eccleſiam animaduertunt. Verùm hoc ſcandalum rurſus ſuperant, partim confirmante eos Spiritu ſancto: partim exemplis Eccleſiæ Chriſti: partim ardentibus precib. Nec vllũ præſtantius eſt aduerſus huius generis ſcandala remediũ, quam opponere perpetuam cõſuetudinem Dei, qui in hoc mundo ideo ſinit Eccleſiam ſuam obrui variis calamitatibus, vt olim glorificetur cum filio ſuo dilecto Domino noſtro Ieſu Chriſto.

Quibus modis ſuperatur.

Diabolicum.

Diabolicum ſcandalũ eſt, cùm homines prępoſtere captant, quæ ad peccandi licentiam obtendunt, vt Cham, qui abſque dubio ita proterue inſultauit patri, vt ſibi impunè peccandi licentiã acquireret. Tales hodie videmus permultos, qui vitia ſanctorũ Patrũ pluſquam ſtudioſè conquirunt, vt inceſtum Loth, ebrietatem Nohæ, concubinatum Abrahæ, adulteriũ & homicidium Dauid, periurium Petri, durius iugũ quod impoſuit Aegyptiis Ioſeph, rapinam Zachęi, vt ſine pudore ad omnem nequitiam ſe proſtituãt: imò ex hominum vitiis quærunt, quomodo ſe obdurent ad Dei contemtum. Quare non immerito hoc genus ſcandali Diabolicum vocatum eſt vt quod calumniis fulcitur in contumeliam Dei.

Sſ. j.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

DE TERTIO.

Tertius locus eſt de perſecutione ſeu cruce Eccleſiæ. De quo loco vide ſupra Dominica tertia à Paſchate.

DOMINICA PENTECOſtes, Euangelium Iohan. 14.

SI quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat: & ſermo quem auditis non eſt meus, ſed eius qui miſit me, Patris. Hæc locutus ſum vobis, apud vos manẽs. Paracletus autem ille, qui eſt Spiritus ſanctus, quem Spiritum mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixi vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Ne turbetur cor veſtrum, neque formidet. Audiſtis quod ego dixi vobis, Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quod dixerim: Vado ad Patrem, quia Pater maior me eſt. Et nunc dixi vobis, priuſquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis. Poſthac non multa loquar vobiſcũ. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. Sed vt cognoſcat mundus, quod diligo Patrem. Et ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Surgite, eamus hinc.

ENARRATIO TEXTVS.

Feſtum pentecoſtes cur inſtitutum & celebratum in Eccleſia

Hoc Feſtum, quod Pentecoſten, id eſt, quinquageſimam vocamus, eſt inſtitutum in memoriam confirmati Euangelij die quinquageſimo à reſurrectione Chriſti. Nã eo die Dominus noſter mittit de cœlo Spiritum ſanctum, qui ſedet ſuper Apoſtolos viſibiliter inſtar flammæ ignis, qui non ſolum Apoſtolos in omnẽ veritatem, iuxta promiſſionem Chriſti deducit: verum etiam toti mundo confirmat, Ieſum in cœlo eſſe, & inde hoc ſtupendo facto ſuam confirmat doctrinam. Sicut enim quinquageſimo die poſt Paſcha Iudaicum, quod primum comederunt in Ægypto, lata eſt Lex: & eius doctrina magnis miraculis confirmata eſt, quemadmodũ ſcribitur Exod. 19 Ita poſt verum Paſcha, id eſt, poſt occiſum agnum Dei, qui eſt Ieſus Chriſtus, voluit Deus Euangelium filij ſui confirmare hoc mirando facto, id eſt, viſibili donatione Spiritus ſancti, quemadmodũ in veſpertina concione fuſius audiemus.

Summa & vſus concionis

Iam Euangelium dulciſsimum accedamus, quod eſt etiam pars illius longæ concionis, quam habuit Dominus ad Diſcipulos pridie quam pateretur. Sũma autem textus, quẽ audiuiſtis, eſt, quod Chriſtus tradat veram notam fidei & dilectionis Dei, & eiuſdem fidei & dilectionis fructus, nimirũ vt diſcipuli ſint pacatis cõſcientijs per Spiritum ſanctum, quem promittit Patrem miſſurum in ſuo nomine. Monet etiam Chriſtus de ſua contra Satanam victoria, vt vel ex hac victoria cognoſcat Mundus, quã charus ſit Patri. Pertinent autem hæc omnia ad confirmandos diſcipulos, ne ſcandalo Crucis à confeſsione deficiant. Loci quatuor.

Partes.

1. *Vera nota fidei & dilectionis* Dei.
2. *Fructus & vſus ſeruati verbi* Dei.
3. *Promiſſio Chriſti de Spiritu ſancto Paracleto.*
4. *De pace quam ſuis promittit Chriſtus.*

DE PRIMO.

Veræ notæ fidei & dilectionis Dei.

Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Hæc verba diligenter obſeruemus. Veram enim notam fidei & dilectionis Dei oſtendunt. Qui diligit Chriſtum, libenter ipſum audit: libenter ſeruat quod audit: libenter facit quod ſeruat. Hæc enim natura coniuncta ſunt. Videmus inter homines hunc morem eſſe, quod non ſine tædio eos audiant, erga quos non optimè ſunt affecti. Contrà nihil magis expeti, quàm vt magis audiant cum ſumma animi obſeruantia eos, quos intime amant, præſertim cum ſciant ſapienter & prudenter multa ſalutaria & vtilia ab illis dici.

Sermonũ Chriſti ſũma.

Sed quis eſt ſermo Chriſti? 1. *Agere pœnitentiam.* Ita enim & eius præco Iohannes Baptiſta, & ipſe ſuam cõcionem eſt orſus. Hic eius affectus erga nos indicatur. Nam ſine pœnitentia impoſſibile eſt ſaluari. Vnde dicit: Niſi pœnitẽtiam egeritis, omnes peribitis. 2. *Credere Euangelio*, hoc eſt, ſtatuere Chriſtum ſibi talem eſſe, qualis nobis per Euangelium annunciatur, id eſt, ſaluator, iuſtificator & redemtor. Huius fidei finis eſt ſalus animarum, 1. Pet. 1. 9. & apud Iohannem cap. 3. 36. Qui credit in Filium, habet vitam æternam. 3. *Ex hac fide* fructum producere. *Primum*, pietatem erga Deum ſeu cultum Dei. *Secundum*, innocentiam vitæ, & ſanctificationem animi & corporis. *Tertium*, dilectionem proximi manantem ex vera fide & ſincero corde, & bona conſcientia. *Quartum*, opus vocationis facere in timore, in gloriam Dei & vtilitatem proximi. 4. Has omnes virtutes *patientia vera* ornat, quæ eſt quædam erga Deum ſub cruce obediẽtia. Qui meus vult eſſe diſcipulus, inquit Dominus, tollat crucem ſuam & ſequatur me.

Obiectionis explicatio.

Quid? Cum tam multa requiris, an non ſola fide iuſtificamur & ſaluamur? Verùm quidem eſt. Sed diſcernendum eſt inter ſalutis cauſſas, & obedientiam quam requirit à ſuis Deus. Sola fide iuſtificamur: ſed iuſtificati noui facti ſumus homines, nempe filij Dei, qui iam exemplo Patris nouam & beatam vitam degere debemus.

Duplex nota filiorũ Dei.

Verùm hic quoque tenẽdum eſt, quod vt duplex nota eſt filiorum Dei: ita etiam duplex eſt nota filiorum Satanæ. Nota enim filiorum Dei, alia eſt interna, alia externa. Interna eſt pœnitentia, fides, pietas, bona conſcientia. Externa eſt auditus verbi, & honeſta conuerſatio inter homines. Nam vt Chriſtus hic indicat amorem ſui verbi ad auditum, notã eſſe ſuorum diſcipulorum: Ita Petrus honeſtam conuerſationem requirit inter homines, vnde Deus glorificari, & Eccleſia ædificari poſſit. At nota filiorum Satanæ interna eſt, eſſe ſine pœnitentia, ſine fide, ſine pietate, mala conſcientia, imperium malorum affectuum, externus contemtus verbi & improba vita.

Duplex nota filiorum Satanæ.

Adhortatio.

Has notas obſeruate, & vnuſquiſque ſeipſum examinet, vtrum ſit inter filios Dei cenſendus, an inter filios Satanæ. Si inter filios Satanæ ſe ſenſerit eſſe, reuocet quam primum gradum, ne citius opinione præcipitetur in iudicium. Si inter filios Dei ſe intellexerit eſſe, agat gratias Deo, petat incrementa fidei, dilectionis, & aliarum virtutum, petat ſe confirmari Spiritu ſancto, ne Satanæ technis à pio ſanctóque curſu abducatur.

DE SECVNDO.

Fructus ſeruati verbi.

Et Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus.

Hic recitantur dulciſſimi fructus ſeruati verbi Chriſti.

1 Dilectio Dei.

Primus eſt, quod Pater diligit ſeruantes verbum Chriſti. Habet enim eos charos in dilecto, Eph. 1. 8. Hoc quantũ ſit bonũ, ex eo intelligi poteſt, quod qui in Chriſtum non credunt, manent ſub ira Dei, iuxta illud, Ioan. 3. 36. Qui non credit in Filium, manet ira Dei ſuper eum. Vbi ira Dei eſt, ibi peccatum, mors, damnatio, infernus, diaboli tyrannis, breuiter, omne

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

omne malum. Contrà, vbi amor Dei, ibi victi hoſtes ſunt, ibi ſalus, ibi gaudiũ, ibi vita æterna. Cogitemus ergo de hoc primo fructu ſeruati verbi Chriſti, vt eius cogitatione magis accẽdamur ad amorem verbi.

2. Cõmunio cum Patre filio, & Spiritu ſancto.

Secundus fructus eſt: & ad eum, inquit, veniemus. Quo aduentu nullus honor maior eſſe poterit. Si Deus Pater, Filius & Spiritus ſanctus veniunt ad eum, qui ſeruat ſermonem Chriſti, profecto ſequitur quod antea nõ venerint ad ipſum, ſed fuerit ſub Diaboli poteſtate, & in regno tenebrarum, vbi mors & damnatio regnant. Magna amicitia eſt, ſi rex venit ad ſubditũ, magnus honor eſt à maiori viſitari: ſed huic honori nullus alius conferri poteſt, quod Deus Pater, Deus Filius, & Deus Spiritus ſanctus veniunt ad hominem diligentem Chriſtum, & ſeruantem ſermonem eius.

3. Inhabitatio Dei in nobis.

Tertius fructus eſt, quod non ſolum Trinitas veniat ad hominem ſeruantem ſermonem Chriſti, verùm etiam faciat manſionem apud eum, & in eo maneat. Significat Chriſtus hac dulciſſima promiſſione, audientes verbum Chriſti & illud ſeruantes eſſe templa Trinitatis, in quibus habitat Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Tametſi autem tota Eccleſia vnum Dei templum dicitur: tamen ſinguli Chriſtiani, ſingula Spiritus ſancti Templa ſunt. Ecce quàm magnifica eſt hæc promiſſio. Si quis promitteret miſero homini magnum auri theſaurum, meritò ſane gauderet & exultaret, quod è paupere & miſero diues & felix eſſet factus. Verùm hic longe maximus theſaurus promittitur, nempe inhabitatio Trinitatis in nobis, quę omnib. theſauris in infinitũ pręſtãtior eſt.

Fructus habitationis & præſentię Dei in nobis.

Sed quid facit Pater inhabitans in homine? quid Filius? quid Spiritus ſanctus? Pater homines in quib. habitat ſua politia, protegit & tuetur aduerſus furores Satanæ, cum in omnes incredulos plenum imperium exerceat Satan. Filius eoſdem ſua ſapientia & luce docet & illuminat contra omnes nebulas omnium tenebrarum. Spiritus ſanctus eoſdẽ ſua ſanctitate ſanctificat, conſecrat & vngit in Prophetas, reges, ſacerdotes, & ſanctos Domini. In Prophetas quidem, quia ea videmus oculis fidei noſtræ, quę nullus corporalis oculus intueri poteſt: ea audimus auribus fidei, quæ nulla auris corporalis percipere poteſt. De hoc Prophetico munere cócionatur Iohel, quemadmodũ Lucas etiã meminit Act.2.17. In reges, cũ quia Dei filij effecti ſumus per victoriam Chriſti, tũ quia virtute Chriſti dominamur morti & inferno. Lucæ 22.29. diſpono vobis regnum, quemadmodum pater diſpoſuit mihi. In Sacerdotes, qui cum credimus in Chriſtum, habemus ius offerendi Deo ſacrificium laudis: habemus libertatem inuocandi Deum, per Chriſtum vnicum Mediatorem, & ſummum ſacerdotem, habemus authoritatem docẽdi verbum Dei, ſed quilibet pro ſuę vocationis ratione. In ſanctos vero, quia per fidem in Chriſtum non aliter reputamur puri, quam ſi legem perfectè impleuiſſemus. Vide quam multiplices fructus adfert ſecũ obſeruatio & amor verbi Chriſti: nulla maior dignitas, nulla gloria, nullum decus magis eximium eſſe poteſt.

Doctrina.

Sed quid hinc diſcemus? vt dignè viuamus tanto honore, ne noſtra impuritate Deum expellamus è cordibus: ſed potius ipſum perpetuis laudibus celebremus in vera pietate & ſanctificatione. Quod huius nos monere tanta dignitas debeat, docet Petrus 1.Pet.2.9.&c. vbi ait: Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus quem ſibi Deus vt proprium vendicat, vt prædicetis virtutes illius, qui è tenebris vos vocauit in admirabilem ſuam lucem. Qui quondam eratis non populus, nunc eſtis populus Dei: qui quondam non cóſecuti miſericordiam, nunc eſtis miſericordiam conſecuti. Hinc infert Apoſtolus: Abſtinete ergo à carnis cupiditatibus, quæ militant aduerſus animam, & cõuerſationem veſtrã habete honeſtam inter gentes. Quot igitur beneficia Dei erga nos audimus, tot erunt nobis ſtimuli ad pie ſanctéque viuendum. Quare cum Chriſtus hic tanta promittat, & cum diuina Trinitas in credentibus habitet, demus operam, vt ſimus mundi & puri, quemadmodum decet templa Dei eſſe: ſimus ſpirituales reges, vt dominemur peccato, & non amplius ſeruiamus ei in concupiſcentiis noſtris: ſimus ſacerdotes, qui Deo viuas hoſtias offeramus, eúmq; ex fide Chriſti inuocemus: ſimus ſancti & ſegregati à prophanis mũdi turbis, ne in priſtinas ſordes rurſus incidamus.

DE TERTIO LOCO.

Spiritus S. promittitur.

Paracletus autem Spiritus ſanctus; quem mittit pater in nomine meo, ille docebit vos omnia, &c. Hæc eſt Chriſti promiſſio, qua pollicetur ſuis Spiritum ſanctum. Antea audiuimus, quæ ſit Chriſtianorum dignitas: nunc quid cum hac dignitate coniunctum ſit audiamus. Et quia hæc pro illorum dignitate explicare nõ poſſumus, volumus infantum more de ſingulis, quæ hic dicuntur in hac magnifica promiſsione, balbutire.

Summa capita promiſsionis.

Continent igitur hęc pauca verba ſeptem de Spiritu ſancto puncta, quæ breuiter recitabo, & ad noſtrum vſum accommodabo. Hæc enim puncta cauſſas miſſi & dati Spiritus ſancti continent.

1. Nomen S. Spiritui tributum.

Primum dicitur Paracletus: hac de appellatione, etſi nonnihil dixi die abhinc octauo, tamen ea hodie repetere forte non erit inutile.

Dicitur itaque *Paracletus*, hoc eſt, aduocatus, vt adſit afflictis, illos doceat, illos conſoletur, illorũ cauſſam tanquàm ſuam in ſe recipiat, ac tandẽ nos impellat, vt clamemus & ex corde dicamus, Abba, Pater, miſerere noſtri propter filium tuum, quem nobis ſaluatorem dediſti. Atque hæc eſt prima cauſſa dati Spiritus ſancti.

2. Proprietas, viuificat nos.

Secunda eſt, vt nos viuificet, atque adeo dicitur Spiritus. Eſt autem duplex vita: vna naturalis, qua omnia animantia viuunt. Hæc durat ad breue tempus, nam morte tandem abſorbetur. Alia vita Dei eſt, à qua dicit Paulus alienatos eſſe eos, qui non cognouerunt Chriſtum. Huius vitæ autor eſt Spiritus ille Chriſti, quem ſuis promiſit diſcipulis. Hæc non eſt momentanea, ſed perpetua, vt quæ Dei æterni propria eſt. Hanc viuunt omnes qui in filium Dei credunt, Gal.2.

3. Sanctificat.

Tertia cauſſa miſſi & dati Spiritus ſancti eſt, vt ſanctificet, à quo effectu ſanctus dicitur. Sanctificat autem, dum in nobis fidem operatur, dum nos regenerat, dum noſtram mentem, affectus & voluntatẽ reformat: breuiter, dum efficit, vt ſimus nouæ creaturę, iuxta Dei voluntatem viuentes.

4. Charitatem cõfirmat.

Quarta cauſſa miſſi & donati nobis Spiritus ſancti, eſt, vt inter nos quandam confirmet charitatem, ideo à Patre ad filios mitti dicitur. Vt enim Pater intima ſtorga & charitate complectitur ſuos filios: ita nihil magis expetit, quam vt filij Patris ingenium imitantes, fraternam inter ſe colant charitatem. Hoc facere decet eos, qui Deum communem Patrem agnoſcunt. Qui vero id facere recuſant, illi vel filij nũquam fuerunt, vel turpiter à Patris ingenio degenerauerunt.

5. Docet nos omnia.

Quinta cauſſa miſſi Spiritus ſancti eſt, vt ab illo diſcamus, qualiter Pater noſter cœleſtis erga nos affectus ſit. Ideo dicit Dominus: *Et docebit vos omnia.* Quid? an aliud docebit, quam quod Pro-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

phetæ & Moſesdocuerunt? An aliud,quam quód in ſcriptura nobis commendatur? Nullo pacto. Eadem enim docebit. An non ſufficit ſcriptura? Sufficit quidem, quantum ad doctrinam attinet; non quantum ad noſtrum captum. Nam etiamſi millies audiamus verbum, tamen inefficax eſt, niſi ille intus doceat. Vnctio enim, vt inquit Apoſtolus, docet omnia.

6. Chriſtũ nobis applicat.

Sexta cauſſa miſsi & donati Spiritus ſancti indicatur hoc dicto, *In nomine meo*, quo dicto ſignificatur vltimus finis donati Spiritus ſancti, qui eſt, vt in Chriſtum credentes ſaluentur. Nam cum Chriſtus ſalus noſtra ſit, & Spiritus ſanctus eius nomine mittatur, non eſt dubium, quin noſtræ ſalutis cauſſa mittatur.

7. Verbũ Dei confirmat.

Septima cauſſa eſt, vt Chriſti ſermonem in nobis confirmet. *Ille vos*, inquit, *docebit omnia: ille ſuggeret vobis quæcunque dixi.* Hæc de Spiritu ſancto in Euangelio noſtro, quod hodie in Eccleſia legitur, breuiter ſignificantur, plura in Symbolo adhuc breuius notantur, quæ ſunt, quod ſit verus Deus, & quod tertia perſona in diuinitate, quod viuificet & ſanctificet, & quod in illum viua fiducia, vt in Patrem & Filium, recumbere debeamus. Verum de his plura aliâs & quædam nuper audiuimus.

DE QVARTO.

De pace quam ſuis promittit Chriſtus.

Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Hæc promiſsio Chriſti etiam eſt magnifica, & maior ſanè quàm mũdus intelligit. An non dicit Chriſtus, ſicuti nuper audiuimus, In mundo preſſuram habebitis, & vos eiicient de ſynagogis ſuis? Sic eſt. Ideo Chriſtus diſtinguit inter duplicem pacem: pacem mundi, & pacem ſuam. Pax mundi, qualis ſit, nemo non intelligit. At pax Chriſti qualis ſit, filij intelligunt. Nam ea eſt de qua Euangelium ſonat, de qua prima Dominica à Paſchate copioſè dixi. Verùm vt breuiter ea repetam: Pax Chriſti eſt reconciliatio noſtri cum Deo, remiſsio peccatorum, donatio Spiritus ſancti, ac vita æterna, iuxta orationem Eccleſiæ: Deus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis, quam mundus dare non poteſt, pacem, & vt corda noſtra ſint tranquilla. Hanc pacem donet nobis Filius Dei, cui cum patre & Spiritu ſancto ſit honor & gloria in ſecula, Amen.

Quid ſit.

FERIA SECVNDA PENTEcoſtes, Iohan. 3.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Non enim miſit Deus filium ſuum in mundum, vt condemnet mundum, ſed vt ſeruetur mundus per eum. Qui credit in eum, non condemnatur. Qui verò non credit, iam condemnatus eſt, quia non credit in nomen vnigeniti filij Dei. Hæc eſt autem condemnatio, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim opera eorum mala. Omnis enim, qui mala agit, odit lucem, nec venit ad lucem, ne arguantur opera ipſius. Qui autem operatur veritatem, venit ad lucem, vt conſpicua fiant facta ipſius, quod per Deum ſint facta.

ENARRATIO TEXTVS.

Summa præſentis concionis

Heri audiuimus, confirmatum eſſe Euangelium Ieſu Chriſti per ſtupendum miraculum, videlicet, quod miſerit Chriſtus de cœlo Spiritum ſanctum viſibili forma, quem non ſolùm ſenſerunt Apoſtoli, verumetiam viderunt omnes, qui eo die adfuerunt Hieroſolymis, quemadmodum narrat Lucas Acto. 2. Hodie Eccleſia proponit Euangelium, in quo Chriſtus proponit ſummam eius doctrina, ad quam confirmandam datus erat Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes. Colloquitur autem Chriſtus cum Nicodemo, qui fuit ex Phariſæis, & princeps Iudæorum, quemadmodum audiemus latius Dominica Trinitatis. Huic proponit Chriſtus in textu, quem legi, ſalutis & damnationis cauſſas, monſtrátque vnde ſit & ſalutis origo, & vnde damnatio veniat. Dicit, Chriſtum ideo datum eſſe, vt credentes per ipſum ſaluentur: reliquos teſtatur hærere in ſua damnatione: quémadmodum clare videbimus in textus enarratione.

Partes.

Loci:

1. *Commendatio dilectionis Dei & miſericordiæ erga homines.*
2. *Inſtrumentum, quo hominibus applicantur beneficia Chriſti, ſignatur.*
3. *Conſolatio piorum contra tentationem peccati & iudicij.*
4. *Diſcrimen inter credentes & non credentes.*

DE PRIMO.

De philanthropia Dei.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. His paucis verbis commendatur nobis Dei dilectio & miſericordia ídq; nõ nudis verbis, ſed facto omnium maximo. Non eſt enim vera dilectio, quæ vel in corde tantum latet, vel in lingua ſedet, ſed quę ex intimo cordis affectu proficiſcens, voce & facto ſe declarat. Quomodo ergo hîc diligit Deus? Diligit adeo, vt etiam Filium ſuum pro mundo redimendo dederit pretium redemtionis, vt ſua morte, morti & damnationi addictos redimeret. De hac Dei dilectione loquitur Paulus Rom. 5. Commendat nobis ſuam charitatẽ Deus, quod, cum adhuc eſſemus peccatores, Chriſtus pro nobis mortuus ſit. Et Ro. 8. Si Deus pro nobis: quis contra nos? qui etiam proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum. Quotidie maxima argumenta charitatis Dei erga homines contemplamur in tota vita & rerum gubernatione. Verùm illa charitas, quæ ita in rebus huius vitæ relucet, vix eſt tenuis vmbra illius ſummæ dilectionis, qua nos in filio (quem dedit in amariſsimam mortem pro nobis) complectitur. Hæc Dei dilectio habet ſummam miſericordiam coniunctam, de qua in multis locis Moſes, Prophetæ, & Pſalmi concionantur, vnde pauca teſtimonia deſumam, ad nos confirmandos de voluntate Dei erga nos. Moſes Exod. 34. 6. ita ait: Dominator Domine Deus miſericors & clemens, & multæ miſerationis, & verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia, qui aufers iniquitatem & ſcelera atque peccata. Deut. 5. 10. Ego ſum Dominus Deus tuus, faciens miſericordiam in multa millia diligentib. me, & cuſtodientibus præcepta mea. Eſa. 16. 5. Et præparabitur in miſericordia ſoliũ. Ionæ 4. 2. Scio enim, quia tu Deus clemens & miſericors, patiẽs & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitiam. Dauid, Pſal. 33. 5. Miſericordia Domini plena eſt terra. Et Pſ. 103. 11. Secundum altitudinem cœli à terra, corroborauit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe. Item eodem Pſ. 17. v. Miſericordia Domini à ſeculo vſque ad ſeculum ſuper timentes eum, & iuſtitia eius ſuper filios filiorum. Item in eodẽ Pſ. v. 8. 9. &c. Pius & clemens Dominus, lentus ira, & magnus miſericordia, nõ ſecundũ iniquitates noſtras egit nobiſcum, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis: ſed ſecundum altitudinem cœli à terra præualuit miſericordia eius ſuper timentes eũ. Sicut miſeretur pater filiorum: ita miſeretur Dominus timentibus eum. Huiuſmodi ſunt multa

De philanthropia Dei ſcripturæ teſtimonia.

ſcripturæ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſcripturæ teſtimonia, quæ nobis dilectionem & miſericordiam Dei inenarrabilem commendant, & eius dilectioni & miſericordiæ amplitudinem, effectum & applicationẽ monſtrant.

Amplitudo miſericordiæ Dei.

Amplitudo enim miſericordiæ Dei in his cernitur, quod ſe in millia extendat, quod impleat terram, quod excedat cœlum & terram, quod ſit veluti Pater miſertus filiorum. Effectus enim ſeu fructus cernitur in eo, quod tollat peccatum, quod iuſtificet peccatores, quod à pœna debita abſoluat. Hęc miſericordia in filio fundata eſt, quia ſua victima iuſticiæ Dei ſatisfecit, & ſua obedientia erga legem Dei iuſticiã nobis comparauit.

Applicatio.

Applicatio huius miſericordię fit diligentib. Deum, timentibus ipſum, & cuſtodientib. præcepta eius, hoc eſt, credentibus in Chriſtũ, qui ex fide nouam obedientiam præſtant.

Sed de hac re plura in ſecundo loco dicenda ſunt. Nos hîc verba textus altius perpendamus. *Ità*, inquit, ***Deus dilexit mundum.*** Quis diligit? Deus. Quem diligit? Mundum. Hic ſiſte gradũ, & de hac voce cogita.

Dilectionis Dei erga mundũ enarratio.

Diligit mundum: ergo ſalutaris ipſius dilectio non ad ſolos Iudæos pertinet: ſunt enim pars mundi: Diligit mundum: ergo non paucos quoſdam de mundo, vt ſanctos & probos, qui in mũdo ſunt: imo Chriſtus ideo venit in mundum, vt peccatores ſaluos faceret.

Mundus quid.

Quid ergo per mundum ſignificat? Omnes homines qui ſunt in mundo. Ecce, inquit Ioannes, agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Item, Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Quotieſcunque ergo audimus, Deum mundũ diligere, cogitemus nos partem mundi eius eſſe, quem diligit.

Cauſa huius dilectionis.

Quî fit quod diligat, cum ſimus peccatores? Deus duo in nobis inuenit: Vnum, quod ipſe fecit. Alterum, quod à nobis profectum eſt. Quod ſimus homines conſtantes animo & corpore, ab ipſo eſt hanc ſuam creaturam diligit Deus, Quod autem ſimus peccatores, non ab ipſo habemus, ſed à nobis ipſis profectum eſt, hoc odit Deus, & pro hoc expiando dedit Filium, & vult, vt illi, qui volunt miſericordiæ ipſius eſſe participes, hoc in ſe mortificẽt perpetua pœnitentia.

Modus.

Sed quomodo Deus mundũ diligit? vt dederit filium pro eo, nempe vt ipſe mundi peccatũ in ſe reciperet, & pro eo moreretur in cruce. Magna ſanè dilectio, qua nulla maior eſſe poteſt. Verùm hic ratio offenditur, quę Dei conſilium non intelligit, ac ita obijcit: An non Deus eſt omnipotens? Eſt ſanè. Nónne omnia quæ vult poteſt? poteſt profecto. An non ergo fuiſſet melius, ſi alio modo ſuam erga homines dilectionem oſtendiſſet? Reſpondet Auguſtinus: ***Si feciſſet aliter, neque hoc placuiſſet.*** Placuit, inquit Paulus, 1. Corin. 1. 21. per ſtultam prædicationem ſaluos facere credentes. Quare nos, ſepoſito rationis iudicio, dicamus cum Dauide, 1. Pſal. 119. Lucerna pedib. meis verbum tuum. Deinde hoc ſciendum eſt, quod Deus non ſolum ſit omnipotens, verumetiam iuſtiſsimus, maxime miſericors & ſapientiſsimus. Lapſum erat genus humanum in peccatũ. Quid hic requirebat iuſticia? Certe vt ſecundum peccati magnitudinem puniretur genus humanum. Vt peccatum fuit infinitum (nam eo infinitum bonũ offenſum erat) ita requirit Dei iuſticia vt vel infinitas pœnas lueret genus humanum, vel fieret iuſta pro pœna compenſatio. Hãc compenſationem nemo potuit præſtare, niſi Deus. Verùm quia Deus non debuit pœnam, aſſumſit humanam naturam filius Dei, & in ea ſatisfecit pro peccatis mundi. Atque ita Deus ſe nõ ſolum omnipotentem verumetiam iuſtiſsimum, maximè miſericordem & ſapientiſſimum declarauit. Solus enim ille inuenit viam, quam ratio inuenire non potuit. Dedit filium, qui diuina potentia ſuperauit peccatũ, mortem, Diabolum & infernum, qui ſua miſericordia nos recepit, qui ſua iuſtitia Dei iuſtitiæ ſatisfecit, qui ſua ſapientia viam ſalutis inuenit.

DE SECVNDO.

De inſtrumento ſalutis noſtræ.

Vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Hic inſtrumentum proponitur, quo nobis beneficia Mediatoris Chriſti applicãtur.

Explicatio textus

Verùm quia hæc verba ſunt filij Dei; & præcipuus flos ſeu clenodium totius ſacrę ſcripturæ, volo ea ſingulatim perpendere, & quid doctrinæ ex ſingulis vocibus ſit hauriendum, oſtendam.

1. Omnis.

Primùm inquit: *Omnis*. Hæc vox, *omnis*, medetur duabus grauiſſimis tentationibus, quarum vna eſt de particularitate: altera de indignitate propter multitudinem peccatorum. 1. Multi ſunt, qui fatentur quidem Deum propicium eſſe multis propter Chriſtũ: ſed dubitant, an ad ſe quoque pertineat tantum bonum. Hæc grauis eſt tentatio, cui medetur filius Dei hac vna voce *omnis*. Nam ſi ad omnes ſe non extenderet beneficium Chriſti, nequaquam dixiſſet, *omnis*: ſed multi, aut quidam. Demus ergo Chriſto laudem veritatis, & firmiter vnuſquiſque ſtatuat, Chriſti beneficia ad ſe quoque pertinere. 2. Alia tentatio oritur ex cogitatione magnitudinis peccatorum, quam augent ærumnæ præſentis vitæ. Huic quoque medetur Chriſtus hac voce, *omnis*. Non enim dicit, omnis iuſtus, vel minora peccata committens, ſed *omnis*, ſcilicet qui in hoc vaſto mundo inuenitur. Hoc confirmat etiam pretium redemtionis. Sanguis Chriſti, inquit Iohannes, emundat nos ab omni iniquitate, id eſt, ab omni eo, quod à nobis iniquè perpetratũ eſt contra legem Dei. 1. Ioan. 1. 7. Nemo ergo deſperet propter magnitudinem morbi: Medicus Chriſtus ſapiens eſt & efficax remedium contra omnes morbos habet, ſuam mortem & obedientiam.

2. Qui credit.

Deinde ſequitur ſecunda vox, *Qui credit*: qua voce diſtinguitur genus humanum in duo genera hominum, quorum alij credunt, alij non credunt. Credũt, qui ſtatuũt Chriſtum ſibi propicium eſſe iuxta promiſſionem. Non credunt, qui condemnant Euangelium, qui nolunt Chriſto fidem adhibere, hi ſua culpa non credunt. Beneficium quidem ad ſe extendit, & omnibus offertur iuxta mandatum Chriſti: ſed tãtum à credẽtibus accipitur, iuxta mandatum & promiſſionem Chriſti: Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, ſaluus erit. Ecce omnibus offertur beneficium, ſed ſoli credentes illud apprehendunt, reliqui verò ſua culpa pereunt. Tametſi enim Deus ſua miſericordia vult omnes ſaluos fieri: tamen vult iuſto ſuo iudicio perire incredulos, quos ſaluari voluiſſet, ſi ſalutem fide amplecti non recuſaſſent.

3. In eum.

Tertia vox eſt, *In eum.* Is enim ſaluatur, qui in eũ, id eſt, in Dei filium, verum hominem & ſaluatorem mundi, Ieſum Chriſtum, credit. Quid eſt in eum credere? eſt deſperare de te ipſo, & omnia bona ſperare ab ipſo.

4. Non pereat.

Quarta vox ſequitur, *non pereat.* Hac voce duo indicantur. Primũ quod omnes nõ credẽtes in Chriſtum damnationis ſententię ſubiaceant. Alterum, quod ſolius Chriſti merito homines ſola fide ab hac damnationis ſententia abſoluantur. Eſt ergo hoc maximum beneficium Euangelij, liberari à commerito exitio & æterna damnatione.

5. Sed habeat vitã æternam.

Quinta vox, ***ſed habeat vitam æternam.*** Hoc eſt ſummum Euangelij beneficium. Mors æterna debetur nobis ex noſtro merito: vita ęterna debetur nobis ex

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nobis ex Chriſti merito, modò in eum firma fiducia vſque ad finem recumbamus. Ex his iã firmum diſcrimen colligendum inter Legem & Euangelium, inter opera & fidem. Lex promittit vitam æternam, ſed facientibus legem. Verum quia nemo legi ſatiſfacere poteſt, ſequitur neminem per legem vitam ęternam conſequi. Euangelium promittit vitam æternam gratis omnibus, qui in Chriſtum credunt, quia Chriſtus pro omnibus ijs legis iuſticiæ ſatisfecit. Fides igitur accipit gratuitum beneficium, quod lex adfert cū conditione impletæ legis. Verùm nacti hoc beneficium fide, debemus opera facere, non vt illis mereamur cœlū & vitam æternam, ſed vt filij Dei, ipſi veram obedientiam, & noſtram fidem ex ſuis operibus declaremus in omni pietate & honeſtate.

DE TERTIO.

Miſericordiæ & iuſtitiæ Dei illuſtris locus.

N*On enim miſit Filium ſuum Deus in mundum, vt condemnet mundum: ſed vt ſaluetur mundus per ipſum. Qui credit in eum, non condemnabitur. Qui autem non credit, iã iudicatus eſt, quia non credit in nomen vnigeniti filii Dei.* Hæc verba tertium locum continent, nempe conſolationem & terrorem. Illa conſolatur credentes, agnoſcentes ſua peccata: hoc terret contumaces, qui in Chriſtum nolunt credere. Cū autem dominus facile videret, quę eſſet hominum infirmitas, & maxime eorum, qui vere ſententiã legis cogitant. Illi enim dum audiunt mortis ſentẽtiæ ſubiacere omnes, qui legi plenam obedientiam nõ pręſtant: non poſſunt non paueſcere ad legis minas: hos igitur conſolatur Chriſtus, & ait: *Non miſit Deus Filium ſuum, vt condemnet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum.*

Explicatio.

Loquitur de primo ſuo in mundū Aduentu, qui fuit ad ſaluandū peccatores, agentes pœnitentiam. Hac enim dulci inuitatione vſus eſt: Mat. 11.28. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Item, Matt. 9.13. Non veni vocare iuſtos: ſed peccatores ad pœnitentiã. Quotquot ergo voci Chriſti obtẽperant & pœnitentiam agunt, liberi ſunt à iudicio condemnationis. Ita enim ait veritas: *Qui credit in eum, non iudicatur,* ſcilicet iudicio condemnationis.

Conſolatio.

Hæc promiſsio conſolabitur nos aduerſus legis & conſcientiæ ſententiã. Is enim, qui venturus eſt Iudex viuorum & mortuorum, dicit clara voce: Qui credit in eū, non iudicatur. Huius promiſsionis fiducia aduerſus minas legis, terrores mortis, flammas inferni, tyrannidem Diaboli, in hora mortis erit nobis neceſſaria: non enim fieri poteſt, vt ipſa æterna veritas mentiatur. Hactenus de conſolatione credentium.

Iudicium in reprobos.

De terrore eorum, qui nolunt Euangelio credere, ſequitur: *Qui autem non credit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomẽ vnigeniti filij Dei.* Quid? An non ergo aliud futurum eſt iudicium? Imo ad iudicandum veniet filius hominis ſuo tempore, quemadmodū promiſit. Quid ergo eſt quod dicit: *Iam iudicatus*, id eſt, condemnatus eſt? Hoc dicto oſtendit, qualeſnam ſint omnes filij Adam ſine fide, id eſt, ſine Chriſto mediatore, videlicet quod ſint iudicati, id eſt, condemnati, ſcilicet quantum ad cauſſam attinet & materiam. Cauſſa enim & materia damnationis in ipſis eſt, quę eſt trãſgreſsio Legis duinæ, & contumax rebellio aduerſus Deum. Præterea legis ſententia, olim à Deo creato primo homini propoſita, & deinde repetita in mõte Sinai eſt, quod maledictus ſit omnis, qui nõ obedierit Deo iuxta ipſius mandatū, ad hanc maledictionem obligati ſunt omnes, qui nõ credunt in filium Dei, qui ſolus eorum maledictionem in ſe recepit, qui in ſe crediderint. Hoc ita eſſe ſignificant quæ ſequuntur: *Hoc eſt autem iudicium, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.* Hoc eſt, Ideo homines condemnabuntur, quia lucem filij Dei fide nõ receperunt: ſed potius in ſua ignorantia permanere voluerunt, idque ideo, quia eorum opera erant mala.

DE QVARTO.

Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Fures cū furari volunt, tenebras amant: Ita homines qui nondum ad bene agendum ſunt nati per fidẽ Chriſti, toto impetu ad male agendum ferūtur, ideo lucem Euangelij oderunt. *Impiorum ingenium.* Cum contra, qui ſincere agit, bene ſibi conſcius, venit ad lucem, id eſt, ſua opera manifeſte facit, non veretur hominum conſpectum. Id eſt, qui venit ad Chriſti lucem, & eius ſpiritu benefacere didicit, is non manet diutius in ignorantiæ tenebris, ſed vt lucis filius ambulare conatur. Hinc ergo diſcamus primùm differentiam inter credentes & nõ credentes. *Diſcrimen inter credentes & non credentes.* Diſcrimen enim ab operibus petẽdum eſt, ſicuti Dominus in alio loco ait, Mat. 7.17. Bona arbor bonum fructum facit: Mala vero malū producit fructum. Deinde etiã diſcamus, quod lux Euangelij non ferat, vt veteribus tenebris inuoluamur. Huc tot Chriſti adhortationes & Apoſtolorū. Apud Matthæum cap. 5. 16. ait Dominus: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt glorificent Patrem cœleſtem. Et Paulus ait, Eph. 5.8. Lucis filij eſtis, tanquã in luce ambulate. Ad eundem modum & Petrus, in 1. epiſt. ca. 2.4. Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus vero reprobatum, à Deo quidem electum, & honorificatū, & ipſi tanquã lapides viui ſuperædificamini, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias acceptas Deo per Ieſum Chriſtū. *Doctrina.* Nemo igitur cogitet, per Euangelium datam eſſe licentiam peccandi. Euangelium à peccato liberat, quare non vult vt liberati amplius peccati iugo ſe ſubmittant. Si, inquit Saluator, Ioan. 8.34.36. filius vos liberauerit, verè leberi eritis. Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Cum igitur liberi ſimus per Ieſum Chriſtum, libertate noſtra ita vtamur, vt ſimus ſerui, non peccati, ſed Dei, per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, cui honor in ſecula, Amen.

FERIA TERTIA PENTEcoſtes, Iohan. 10.

A*Men amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ſtabulum ouium: ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro. Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouiū. Huic oſtiarius aperit. & oues vocem eius audiunt. Et proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiſerit, ante eas vadit, & oues illum ſequuntur quia nouerunt vocem eius. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugient ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Ieſus. Illi autem non cognouerunt quæ eſſent, quæ loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Ieſus: Amen amen dico vobis, Ego ſum oſtium ouiū. Omnes quotquot ante me venerunt fures ſunt & latrones, ſed non audierunt oues eos. Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſeruabitur: & ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet. Fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, ac perdat. Ego verò, vt vitam habeant, & abundantius habeant.*

ENAR-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ENARRATIO TEXTVS.

Cōnexio huius cōcionis cū præcedēte

Heri audiuimus de vita æterna, quam conſequimur fide Chriſti: hodie nobis monſtratur verum oſtium & oſtiarius, ne quis à vera vitæ æternæ ianua aberret, & quærat viam illam, aut oſtium per quod ad vitam peruenire non poteſt. Vt autem hunc Euangelij textum melius intelligamus, obſeruanda eſt eius occaſio & ſcopus, vnde ſumma ſententiæ colligetur.

Occaſio.

Occaſio fuit: Chriſtus ſanauit hominem cæcum, qui cæcus à natiuitate fuerat, quo facto ſuam declarauit diuinitatem, & ſe Meſsiam olim promiſſum oſtendit. Verùm Phariſæi & Scribæ, qui tum habebantur paſtores populi Dei, offendebantur, vt qui Chriſto honorem Meſsiæ & paſtoris veri promiſsi inuidebant, contra quorum impietatem ſe tuetur, & verum paſtorem eſſe defendit.

Scopus.

Scopus ergo eſt, vt monſtret verum ouile, id eſt, veram Eccleſiam definiat, cuius ipſe ſolus ſit verus paſtor. Habemus occaſionē & ſcopum huius concionis.

Summa.

Summa autem eſt, quod & confutat Scribas, qui ſe pro veris paſtoribus venditarunt, & ſe aſſerit verum paſtorem eſſe, in cuius ouili ſunt quotquot audiunt ipſius vocem, & ſe ſequuntur, & ab alienis, id eſt, à falſis paſtoribus diſcedunt.

Partes.

Loci duo ſunt:

1. *De falſis paſtoribus.*
2. *De vero paſtore & ouili vero.*

DE PRIMO.

Falſorum Paſtorum deſcriptio & nota.

Amen, amen dico vobis, qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.

Hæc deſcriptio eſt falſi Prophetæ, & vnius propoſito exemplo, omnes falſos prophetas intelligit. Falſus Propheta eſt, qui non intrat per oſtium. Quid eſt non ingredi per oſtium? Eſt aliam ſalutis viam proponere, quàm ſolum Chriſtum. Quicunque igitur à Chriſto aberrat, ab oſtio aberrat, & eſt falſus paſtor.

Exempla.

1. Arius negauit Chriſti diuinitatem, aberrauit ergo ab oſtio. Eſt enim Chriſtus verus Deus. 2. Fotinus Chriſti humanitatem negauit, aberrauit igitur ab oſtio, eſt enim Chriſtus homo verus. 3. Sabellius poſuit in Chriſto duas perſonas, aberrauit igitur ab oſtio, eſt enim Ieſus Deus & homo, vnus Dominus & vnus Chriſtus. 4. Papiſtæ dicunt, quod non ſolo Chriſti merito ſaluemur, errant igitur ab oſtio. Chriſtus enim ſolus mundi ſaluator eſt. 5. Phariſæi & Papiſtæ obtrudunt nobis humanas traditiones loco Euangelij, quare ab oſtio aberrant, & intrant in ouile, id eſt, in Eccleſiam per aliam doctrinam, quam Moſis, Prophetarum, Pſalmorum, & Apoſtolorum. Hoc enim eſt aſcendere aliunde. Obſeruemus igitur hinc veram notam falſorum Prophetarum, quæ eſt aliunde quam per verum Chriſti Euangelium, & per Chriſtum ipſum aſcendere in ouile, & ſumere ſibi docendi officium.

Falſi paſtores latrones & fures.

Hi falſi doctores ſunt, fures & latrones. Latrones dupliciter ſunt: Primùm, quia ſentiebant ſuam doctrinam ſatis eſſe ad ſalutem, & eam eſſe quæ ſola paſceret, cùm tamen non ſit intellectus verbi, niſi aperiente Chriſto, & veluti recludente oſtium. Secundò, quia nouas etiam traditiones comminiſcebātur, quas putabant ad ſalutem conducere. Quemadmodum etiam à Papiſtis factitatum eſſe manifeſtū eſt, qui hoc opus, hanc miſſam, hoc roſarium, hanc inuocationem ſanctorum, hunc ordinem docuerunt ſalutem mereri. Fures præterea ſunt: quia primùm dolo veram doctrinam auferunt, 2. Corin. 11. 3. ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia. Deinde, quia poſtquam veram doctrinam ſuffurati ſunt, obtrudunt impiam doctrinam, qua manus impiorum confortant, & contriſtant cor iuſti, Ezechiel. 13. 22.

Quæſtionis explicatio.

Sed quid eſt quod poſtea in textu ſequitur, *Quotquot ante me venerunt, fures ſunt & latrones?* Nónne Moſes, Elias, Eſaias, Heliſæus, Hieremias, Daniel, & multi alij venerunt ante Chriſtum? ſi venerunt ante ipſum, fuerunt fures & latrones, ſicuti hîc Dominus clarè pronunciat. Illi venire dicūtur ante Chriſtum, qui ſine Chriſto veniunt, qui ſine ipſius doctrina & ſpiritu veniunt: verùm ſancti Dei Prophetæ venerunt cum Chriſti ſpiritu & doctrina. Ergo non ante Chriſtum venerunt, nec fuerunt fures, aut latrones: ſed veri paſtores ouilis Chriſti. Hinc rectè Auguſtinus. *Cū illo veniunt, qui cū verbo Dei veniunt.* Ego, inquit, ſum via, veritas & vita. Si ipſe eſt veritas, cum ipſo veniunt qui veraces fuerunt. Quotquot ergo veniunt ſine illo, ſunt fures & latrones, id eſt, ad furandum & occidendum veniunt ſponte. Fures quidem ſunt, quia quod alienum eſt, ſuum eſſe dicunt. Latrones, quia & quod ſunt furati occidunt. Videte ergo quantum periculum ſit à falſis doctoribus: Oues Chriſti ſibi vendicant, vt fures: eaſdem occidunt, vt latrones. Meritò ergo Chriſtus in Euangelio hortatur omnes, vt caueant ſibi à Prophetis falſis, id eſt, à falſis paſtorib s, qui veritatem Dei non adferunt.

DE SECVNDO.

Locus, de bonis paſtoribus.

Qui autem intrat per oſtium, paſtor eſt ouium. Hic de bono paſtore agit, & definit bonum paſtorem eſſe, qui per oſtium intrat. Sunt autem quatuor genera bonorū paſtorum.

1. Deus eſt paſtor ſuæ Eccleſiæ.

Primùm enim Deus ipſe paſtor ſuarum ouiū dicitur, iuxta illud Hiere. 23. 3. Ecce ego congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eieceram eas, & conuertam eas ad rura ſua, & creſcent, & multiplicabuntur. Item Pſal. 23. 1. Dominus paſtor meus, nihil mihi deerit, in hoc loco paſcuæ me collocauit.

2. Ieſus Chriſtus eſt paſtor

Deinde Chriſtus Deus & homo eſt etiam paſtor verus, ſicuti in hoc Euangelio teſtatur, & nuper audiuimus, Ego ſum paſtor bonus, quod inde probauit, quod ſuas oues vita redimeret.

3. Pij doctores & miniſtri verbi.

Tertium genus paſtorum ſunt pij doctores, de quibus loquitur Dominus apud Hieremiam ca. 23. 4. Suſcitabo inter eos paſtores & paſcent. Et Chriſtus Petrum paſtorem facit, cum ait: Paſce oues meas.

4. Magiſtratus.

Quartum genus paſtorum eſt magiſtratus ciuilis. Vnde Dauid rex paſtor populi dicitur: & olim reges paſtores populorum dicebantur. Verùm de primo & vltimo genere paſtorum non loquitur Dominus in hoc Euangelio: ſed tantùm de mediis generibus, hoc eſt, de ſeipſo & aliis piis doctoribus Eccleſiæ: De quibus nonnihil dicam, ſed breuius, quia nuper de hac materia dictum eſt. Bonus igitur paſtor in genere eſt,

Boni paſtoris Eccleſiaſtici notæ,

1. qui intrat per oſtium, id eſt, qui cum Chriſto venit, & adfert verum Euangelium, quemadmodum Prophetæ & Apoſtoli olim fecerūt, & hodie omnes quotquot ſincerè docent Euangelium. 2. paſcit oues, non caduco, ſed ſalutari pabulo, ſcilicet viuifico verbo Dei. 3. oſtiarius hic aperit, id eſt, Chriſtus facit vt verbum ſit efficax & proficiat ouibus ad ſalutem. Niſi enim Chriſtus aperit, fruſtrà laboratur, nec oues efficaciter paſcuntur. 4. proprias oues vocat nominatim, hoc eſt, nouit ſuas oues, amat, & cura ſingulari complectitur. 5. vadit ante eas. Quomodo? doctrina, vita & cruce. Debet enim bonus paſtor eſſe forma gregis in doctrina, vita & cruce. 6. oues illū ſequuntur, ſcilicet in doctrinę puritate, in vitæ ſanctimonia, & patientia ſub cruce.

Verarum ouiū deſcriptio.

Sed quare oues ſequuntur illum? 1. Quia vocem eius agnoſcunt. 2. Quia ab alieno fugiunt, nam eius vocē non nouerunt. Habemus hic deſcriptionē non ſolùm veri paſtoris, verumetiā verarum ouiū, quæ in vno ſunt ouili ſummi

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

paſtoris Dei. Quid eſt ouile ?Eſt Eccleſia catholica. Quæ ſunt oues?omnes qui vocem paſtoris audiunt, eum ſequuntur,& fugiunt ab alienis paſtoribus, qui reuera non ſunt paſtores, ſed fures & latrones. Hic tenendæ ſunt differentiæ veræ Eccleſiæ, & falſæ Eccleſiæ. Veræ Eccleſiæ propriæ notæ ſunt hę,quas qui non habet,ſciat ſe non eſſe de ouili Chriſti.

Ouile quid.

De notis veræ eccleſiæ, ſeu ouilis Chriſti.

Quæ ſunt iſtæ notæ veræ Eccleſiæ ſeu veri ouilis Chriſti? Prima eſt vox incorrupta doctrinę cœleſtis, iuxta illud: Oues meæ vocem meam audiunt. 2. vſus Baptiſmi integer. 3. vſus Cœnæ Dominicæ iuxta Chriſti inſtitutionem. 4. vſus clauium iuxta mandatum Chriſti. 5. crux. 6. mutua ouium Chriſti charitas. 7. mutuæ pro ſe inuicem preces. 8. conſeruatio miniſterij verbi. Hæ ſunt veræ notę Eccleſię Chriſti, quas paucioribus verbis comprehendere licet, vt diſcamus primam notam eſſe ouium Chriſti, incorruptam Euangelij vocem. Secundam, legitimum vſum Sacramentorum. Tertiam, obedientiam erga miniſteriũ verbi. In his enim tribus continentur octo illæ quas poſui.

Theſis applicatio ad exempla.

Habemus in genere, quis ſit bonus paſtor,& quę ſint veræ oues nunc ea accommodemus ad exempla: Primum ad Chriſtum ſummum paſtorem & eius oues. Deinde ad alios, verbi miniſtros, qui ſub Chriſto paſtore etiam dicuntur paſtores.

1. Chriſtus eſt verè bonus ille paſtor.

Chriſtus probat ſe bonum paſtorem eſſe ex eo, quod vitam ſuam ponat pro ouibus, is enim de cœlo deſcendit, vt quęreret quod perierat, vt ſanaret quod languidum erat, & conſolidaret vulnera ouibus à lupis inflicta. Hic præceſsit oues doctrinæ puritate, vitæ innocentia & cruce. Hic paſcit oues ſaluifico pabulo Dei, id eſt, verbo Euangelij. Hic oues errantes colligit: hic lupos pedo ſuo arcet. Breuiter nihil charius habet ſalute ſuarum ouium. Huius oues ſunt Abel, Abraham, Iſaac, Iacob, Dauid, Ioſeph, Anna, Maria, Simeon,& multi alij, qui relicto errore, voci Chriſti præbuerunt aures, cum ſequentes in doctrina, vita & cruce, quem etiam ſuo tempore ſequentur in gloria. Si enim cum illo patimur, cum illo glorificabimur. Huius oues ſunt hodie quotquot Euangelio credunt,& Chriſtum vera confeſsione & pietate colunt.

Eius oues

Felicitas ouium Chriſti.

Quem autem fructum oues Chriſti à ſuo paſtore, qui & oſtium eſt & oſtiarius, expectabunt, Chriſtus oſtendit, cum inquit: *Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, & ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.* Hoc eſt, ſi quis relictis tenebris, me lucem ſecutus fuerit, ingredietur, ſcilicet fide, & egredietur cõfeſſione, pietate & charitate,& paſcua inueniet, ſcilicet per verbum vitæ in hoc mundo, & æternam beatitudinem in futura vita.

Pij miniſtri verbi quomodo ſunt boni paſtores.

Deinde ſunt boni Paſtores omnes pij miniſtri verbi, qui exemplũ Chriſti in paſcendis ouibus ſequũtur. Talis fuit Helias, talis Hieremias, talis Eſaias, tales Apoſtoli, tales hodie omnes, qui Chriſtũ ſincere prædicant,& oues præcedunt doctrina, vita, & cruce, qui lupos non fugiunt, ſed arcent ab ouili Chriſti gladio ſpiritus & ardentibus precibus. Hi etiam habent proprias oues, eos qui eorum vocem audiunt, ac ipſos ſequuntur in doctrina, pietate & patientia. Quid? an non oues ad ſolum Chriſtum pertinent? Pertinent quidem. Quomodo ergo dicit eas paſtorum eſſe qui eas paſcunt? Sunt paſtorum ſi curã ſpectes: ſolius verò Chriſti, ſi poſſeſsionem & verũ dominium. Is enim ſuo precioſo ſanguine ſibi oues ſuas acquiſiuit. Verùm quia nuper etiã audiuimus cõcionem de paſtore & ouibus, nolo hîc plura dicere, ſed commendo vos omnes ſummo paſtori noſtro Ieſu Chriſto, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor & gloria in ſecula, Amen.

Horum oues.

Quæſtio.

DOMINICA TRINITATIS,

Euangelium Iohan. 3.

Erat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic venit ad Ieſum *nocte & dicit ei, Rabbi, ſcimus quod à Deo veneris Magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, Niſi quis natus fuerit è ſupernis, non poteſt videre regnum Dei.* Dicit ad eum *Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci cum ſit ſenex? Num poteſt in ventrem matris ſuæ iterum introire ac naſci? Reſpondit* Ieſus, *Amen amen dico tibi, Niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum* Dei. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt,& quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Ne mireris, quod dixi tibi, Oportet vos naſci è ſupernis. Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, & quò vadat: ſic eſt omnis qui natus eſt è ſpiritu. Reſpõdit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpõdit Ieſus, & dixit ei. Tu es ille Magiſter* Iſraelis, *& hæc ignoras? Amen amen dico tibi, quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur, & teſtimonium noſtrum non accipitis. Si terrena dixi vobis & non creditis, quomodo ſi dixero vobis cœleſtia, credituri eſtis? Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, filius hominis qui eſt in cœlo. Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

ENARRATIO TEXTVS.

Argumẽtum, ſumma, & vſus huius cõcionis.

Hoc feſtum merito noſtri Symboli ſeu fidei Feſtum dici poterit. Eſt enim inſtitutum, vt doceatur in Eccleſia de Deo, qui eſt vnus & verus in eſſentia, trinus in perſonis, de eius erga Eccleſiam beneficiis. Nam poſtquam ſuperioribus dominicis de Chriſto, eiúſque beneficiis, de dilectione Patris mittentis Filium in mundum, de miſsione Spiritus ſancti ad confirmandum Chriſti Euangelium, dictum eſt: commodum iudicauit Eccleſia hæc omnia ſimul coniungere,& de iis hoc die docere, quo breuiter in memoriam, quæ fuſius declarata ſunt, reuocentur. Proponit autem Eccleſia hunc textum Euangelicũ, quẽ audiuiſtis, ſapienti cõſilio. Nam in eo beneficia Dei erga Eccleſiam proponuntur. Vt enim Pater Filium mittit, vt fiat victima pro peccato, ita Spiritus ſanctus datur, qui credentes ad vitam æternã regenerat. Eſt ergo ſumma præſentis Euangelij, quod regenerati fide Chriſti ſint hæredes vitæ æternæ, beneficio & merito Chriſti, quem Pater miſit. Vt autem certum teneamus ordinem, in hac concione dicam:

Partes.

1. De *notitia* Dei.
2. De *ſpirituali regeneratione.*
3. De *conſolatiſſimo Chriſti dicto*: Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita oportet exaltari Filium hominis,&c.

DE PRIMO.

Duplex notitia Dei.

1. Naturalis eſt imperfecta.

Cum noſcere Deum ſit vita æterna, operæprecium eſt, vt homines ad veram noticiã Dei aſpirent. Eſt autem noticia Dei duplex. Vna eſt gentilis, naturalis,& philoſophica, & hæc eſt imperfecta. Nam mundi ſapientes, qui verbo Dei nõ erant inſtituti, in quatuor errarunt. 1. in ſubſtantia. 2. in perſonis. 3. in prouidentia. 4. in voluntate. Epicurei ab omnibus exploduntur, qui negarunt vllum Deum eſſe. Sapientes, qui vnum Deum ſunt confeſsi, errarunt in ſubſtantia. nam non putarunt hũc eſſe Deum, qui eſt Pater, Filius, & S. ſanctus. Nec rectè iudicarunt de perſonis. Prouidentiam Dei quidam ſuſtulerunt,

quidam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quidam vniuerſalē negarunt: putarunt enim Deum maxima curare, non autem hæc terrena. Voluntatem Dei de gratuita miſericordia ignorarūt prorſus: at quod punire velit aliquando contumaces, propriȩ conſcientiæ teſtimonio admonebantur. Sed vnde gētes hanc qualemcunque noticiā Dei habuerunt? Dauid & Paulus ex creatura eas hanc de Deo noticiam habuiſſe teſtantur. Paulus enim Rom.1.19.&c. ait: Id quod de Deo cognoſcitur, manifeſtū erat ipſis. Deus enim eis manifeſtauit. Nam quæ eius ſunt inuiſibilia dum per res creatas intelliguntur, ex creatione mundi peruidentur, æterna ſcilicet eius tum potentia, tum diuinitas, ad hoc, vt ſint ipſi inexcuſabiles. Dauid dicit Pſal.19.1. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. Hoc eſt, cœlum quod videmus oſtendit Deum opificem. Summa autem cognitionis Philoſophicæ de Deo huc redit. Primùm homo res conditas contemplans huc perducitur, vt aliquem eſſe fateatur, à quo hæc omnia ſint condita, & cuius virtute adminiſtrentur cuncta: inde verò ad æternam eius potentiam ac diuinitatem peruehatur neceſſe eſt. Siquidem cum, qui omnia condiderit, rebus omnibus conditis antiquiorē, ac proinde æternum eſſe oportet: & incredibilis iſta vis, quæ tantæ moli regendæ ſufficiat, excellentior ſit neceſſe eſt quauis alia etiam præſtātiſſima virtute. Idipſum autem eſt, quod Deum vocamus, qui rurſus niſi vnus ſit, certe neque is ſit, qui omnia condiderit, neque qui omnia adminiſtret, ac proinde nec æternus, neque omnipotens, denique nec Deus fuerit. Hæc ſumma noticiæ Dei eſt apud mundi ſapientes: Cuius noticiæ vſus eſt triplex, Primus, vt homines Deum ex creaturis agnoſcant. 2. vt agnitum venerentur. 3. vt non colentes Deum agnitum ſint inexcuſabiles. Primus & ſecundus proprius eſt finis noticiæ Dei. Tertius eſt acceſſorius hominum culpa. Altera noticia Dei eſt ex ſcriptura ſeu ex verbo Dei, quæ noticia ſummatim in ſymbolo continetur Apoſtolico, quæ eſt, vt credamus eſſe vnum Deū: vt credamus eſſe tres perſonas in vna diuinitate: vt cognoſcatur voluntas Dei, & eius erga Eccleſiā beneficia: vt modus à nobis intelligatur, per quē beneficiorū ſanctȩ Trinitatis participes fieri poſſimus.

Vnde naſcitur hæc noticia.

Summa huius noticiæ.

Vſus.

2. Supernaturalis, ſeu ex verbo Dei ſcripto petita perfecta eſt.

Verum vt hæc Dei noticia plenior à nobis haberi poſſit, quatuor membra de hac ſalutari Dei noticia proponam & explicabo: quorum primum erit confirmatio, quod tantum ſit vnus Deus. Secundum, oſtēſio, quod ſint tres perſonæ in vna diuinitate. Tertium, quid in ſingulis perſonis ſit ſpectandū. Quartum, quinam ſit ſalutaris vſus noticiæ Dei.

Eius partes.

Primum, confirmatio petenda eſt ex teſtimonijs. Teſtimonia autem confirmantia vnitatem Dei ſumpta ex Moſe, Prophetis, Pſalmis & Apoſtolicis ſcriptis. Moſes Exod.20.2. Deut.5.6. ait; Ego Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, non habebis alios Deos coram me Deut.6.4. Audi Iſraël Dominus Deus noſter Deus vnus eſt. Eſaiæ 43.10. 11. Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. Ego ſum, ego ſum Deus, & non eſt abſque me Saluator. 44.6. Ego primus & nouiſſimus, & abſque me non eſt Deus. Pſal.18.32. Quis Deus præter Iehouam, & quis fortis præter Deū noſtrū? Pau.1.Cor.8.6. Scimus quod nō ſit alius Deus quàm vnus. 1.Tim.2.5. Vnus eſt De⁹. Hæc teſtimonia & multa alia, vnū eſſe Deū euidenter conuincunt, id quod etiam catholica confitetur Eccleſia, dum ait: Credo in Deū vnū.

1. Quod ſit tantum vnus Deus.

Secundum de perſonis. Eſſe autem tres perſonas in vna diuina natura, non multiplicata, ſed vna numero manente, ratio non capit. Quare potius hoc myſterium eſt venerandum, quàm ſcrutandū. Hinc Bernardus: *Scrutari hoc temeritas eſt, noſſe verò vita eſt æterna.* Et Salomon, Prou.25.27. Scrutator maieſtatis opprimitur à gloria. Quare hic rationem noſtrā ſub verbo Dei captiuam teneamus, & ſcripturæ teſtimoniis de tanto myſterio credamus. Cur autem Eccleſia credat tres eſſe perſonas in vna diuina natura, hæc eſt ratio: Vnus tantum eſt Deus, quod iam multis teſtimoniis probatum eſt: Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus ſanctus eſt Deus ergo Pater, Filius & Spiritus ſanctus vnus eſt Deus. Quod autem Pater ſit Deus, ſimiliter filius & Spiritus ſanctus, probatur quadrupliciter: 1. ex claris ſcripturæ verbis. 2. ex operibus. 3. ex cultu qui debetur Patri, Filio & S. ſancto. 4. ex Eccleſiæ perpetuo conſenſu.

2. Quod ſint tres Perſonæ in vna Deitate.

Ratio.

Rationis probatio quadruplex.

Clara ſcripturæ verba ſunt Matt. 3. Pater ſonat de cœlo: Filius ſtat in fluuio: Spiritus ſanctus deſcendit vt columba ſuper Chriſtum. 1.Ioā.5.7. Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.

Teſtimonia ſcripturæ.

Deinde idem opera oſtendunt. Pater creat, Filius creat, & Spiritus ſanctus creat. Pater iuſtificat, filius iuſtificat, & Spiritus ſanctus iuſtificat: Pater omnia gubernat, filius omnia gubernat, & Spiritus ſanctus omnia gubernat. Hæc opera creationis, iuſtificationis, & gubernationis Dei ſunt propria. Quare cum hæc Patri, Filio & Spiritui ſancto communiter tribuantur, diuinam eorum naturam fateri neceſſe eſt.

Opera.

Idem confirmat & cultus. Pater inuocatur, filius inuocatur, Spiritus ſanctus inuocatur. nunc autem ſolus Deus inuocandus eſt, & in ſolum Deum credere licet. Quare Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus Deus vnus eſt.

Cultus.

Huc & teſtimonium Eccleſiæ pertinet. Hæc eſt autem fides catholica, vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitate veneremur, non confundētes perſonas, nec ſubſtantiam diuidentes. Nam alia eſt Perſona Patris, alia filij, alia S. ſancti.

Conſenſus Eccleſiæ.

Tertium de iis quæ ſpectanda ſunt in perſonis. In perſonis ſpectanda ſunt quinque. 1. eſſentia. 2. perſona. 3. perſonalis diſtinctio. 4. opus. 5. voluntas.

3 Quid in ſingulis perſonis ſpectandum.

Eſſentia ſeu natura eadem eſt Patris, Filij & Spiritus ſancti. Non eſt enim aliud Pater, aliud filius, aliud Spiritus ſanctus. Nam vna eſt diuina eſſentia & natura ſimplex, atque ideo dicitur Pater eſſe in Filio & Spiritu ſancto, Filius in Patre & Spiritu ſancto, Spiritus ſanctus in Patre & Filio.

Eſſentia.

Alterum, quod ſpectandum eſt in Trinitate, eſt *perſona*, videlicet quod alia ſit perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus ſancti. In hac perſonarum Trinitate nihil eſt prius, nihil poſterius, nihil maius, nihil minus: idque nec tempore, quia omnes perſonæ ſunt coęternæ: nec natura, quia omnes ſunt vnius & eiuſdem eſſentiæ: nec dignitate, quia ſunt coæquales: nec intellectu, quia ſimul intelliguntur.

Perſona.

Tertium, quod eſt ſpectandum in perſonarum Trinitate, eſt *perſonalis diſtinctio*. Hic primùm obſeruandum eſt, quomodo Deus à creaturis diſcernatur. Deinde, quomodo perſonæ diuinæ à ſe inuicem diſtinguantur. Diſtinctiones, quibus Deus à creaturis diſtinguitur, ſunt hæ: 1. in vna & indiuidua natura non multiplicata, ſunt tres perſonæ. 2. Deus eſt mens æterna. 3. Deus eſt creator. 4. Deus eſt in mundo, & ſupra mundum. 5. Deus eſt in omni loco & in nullo loco. Hæ quinque proprietates ſoli Deo competunt, & nulli creaturæ.

Perſonalis diſtinctio.

1. A rebus creatis.

Perſonæ à ſe inuicem diſtinguuntur duplicibus proprietatib. interiorib. & exterioribus. Interiores ſunt, gignere, naſci, procedere. Solus Pater gignit filiū: ſolus filius naſcitur è Patre. Solus Spiritus S. procedit ab vtroq;. Exteriores proprietates ſunt, mitte-

2. A ſe ipſis.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

re & mitti. Solus Pater mittit. Filius & Spiritus ſanctus mittuntur, ſed diuerſimodè. Filius miſſus aſſumpſit humanam naturam, in qua victima factus eſt. Mittitur Spiritus ſanctus in corda, vt nouam lucem in cordibus incendat.

Opus Trinitatis.

Quartum, quod in perſonis conſiderandum dixi, eſt *opus Trinitatis*. Hic obſeruanda eſt regula Auguſtini, *Opera diuinitatis ad extra ſunt indiuiſa: ſed ſeruata cuiuſq; perſonæ proprietate.* Pater creat, Filius creat, Spiritus ſanctus creat. Pater regenerat, Filius regenerat, & Spiritus ſanctus regenerat. Sed Pater creat per Filium, & res creatas Spiritus ſanctus conſeruat. Pater regenerat in Filio per Spiritum ſanctum.

Voluntas.

Quintum, quod conſiderandum in perſonis dixi, eſt *voluntas*, quæ qualis ſit, docent: 1. facta præterita & præſentia. 2. præcepta. 3. comminationes & promiſsiones legales. 4. promiſsiones Euãgelij. 5. exẽpla. 6. ἀπροσωποληψία, ſeu quod non ſit acceptor perſonarum. Hæc omnia ſimul docent, quod Deus iraſcatur peccãtibus, & velit eos punire: & quod velit peccatum remittere omnibus ad mediatorem confugientibus, & dare eis vitam æternam, nulla nationum aut populorum habita ratione.

4. Salutaris vſus notitiæ Dei.

Iam vſus reſtat qui eſt multiplex. 1. Hæc rectè formabunt iudicium noſtrum de Deo. Talem enim Deum agnoſcere debemus, qualem ſe patefecit verbo & teſtimonio, iuxta verſiculum: *Ecce Deum credas quod de ſe prædicat ipſe.* 2. Hæc docent nos rectè ſentire de creatione, quæ eſt opus totius Trinitatis. 3. Rectè ſentire de reparatione generis humani, quæ eſt etiam opus totius Trinitatis, vt ſuprà dictum eſt. 4. Hæc confirmant articulos fidei noſtræ de Deo & Trinitate. 5. Hæc nos ad rectè inuocandum inſtruunt. Inuocatio enim in hunc ſolum Deum eſt dirigenda, qui eſt Pater, Filius & Spiritus ſanctus. 6. Nos hæc monent, vt ſolicitè & ſanctè viuamus, tanquam in Dei conſpectu. Hæc ſint de Deo & Trinitate dicta, quæ omnia in Symbolo noſtro breuiter indicantur.

DE SECVNDO.

Locus, de ſpirituali regeneratione.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt intrare in regnum Dei. Hęc eſt ſecunda doctrina quam propoſui, quę vt melius intelligatur, duo ſunt obſeruanda. Primùm, cum quo loquatur Chriſtus. Alterum, quæ fuerit huius dicti occaſio. Qualis autem fuerit cum quo loquutus eſt Chriſtus, exponit textus. Fuit vir honeſtus & nobilis: fuit princeps Iudęorum: fuit Phariſæus, qui vixit inculpatè ſecundum legem.

Occaſio.

Occaſio autem fuit hæc: Nicodemus venit ad Chriſtum nocte, qui vt Phariſæus iudicauit ſe iuſtum ex legis operibus, ſacrificijs & ſabbatiſmis: quare mirabatur Ioannem nouam doctrinam proponere de iuſtitia & Baptiſmo, quam ipſe legis doctor ignorabat. Huius igitur iudicium præuenit Chriſtus hoc dicto: Niſi quis natus fuerit denuo, nõ poteſt intrare in regnũ Dei.

Fundamentum diſputationis.

Ad hæc verba ſtupeſcit Nicod. & ait: *Quomodo poteſt homo cũ ſit ſenex, iterũ naſci?* cui Chriſtus: *Amen dico tibi, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu, non poteſt intrare in regnum Dei.* Hic Chriſtus dicit ſe non de carnali natiuitate, quemadmodum eam intellexit Nicodemus, loqui: ſed de ſpirituali, quam neceſſariam eſſe eo probat, quod prior

Probatio, à conſideratione prioris natiuitatis.

noſtra natiuitas eſt immunda. *Quod natum* (inquit) *eſt ex carne, caro eſt*: Id eſt, quicquid naſcitur in hac vitioſitate naturæ, immundum & reum eſt, atque ideo regni Dei non eſt capax. Huc addit modum regenerationis:

Regeneratio quomodo fit.

Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat: ſic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu. Hoc eſt, quemadmodum ventus tum primum ſentitur, quando ſpirat, tametſi nemo nouit vnde veniat, aut quò vadat: ita ſpiritualis hæc regeneratio, fit occulto quodam modo virtute Spiritus ſancti, quæ cùm facta eſt, ſentitur per noui hominis nouos motus.

Inſtrumenta generationis.

Verùm vt hæc intelligamus, obſeruanda ſunt organa & inſtrumenta huius ſpiritualis natiuitatis: 1. Semen huius natiuitatis eſt verbum Euangelij, quod annunciatur voce miniſtrorum. 2. Spiritus ſanctus, qui in prædicatione Euangelij eſt efficax, operatur fidem, qua & aſſentimur verbo Dei, & ſtatuimus, nobis Deum eſſe propitium propter Filium, & ſimul innouat naturam ad nouam obedientiam. 3. Cùm hæc beneficia accipiuntur fide, tanquam in agrum cordis, homo regenitus mox ſentit in ſe motus Spiritus ſancti: aqua foris adhibetur, tanquam ſigillum internæ regenerationis, & teſtimonium collatæ gratiæ Chriſti. Huius regenerationis effectus conſpiciuntur in mente, in affectibus, in voluntate, in externis operibus. Nam mens luce Dei illuſtratur, affectus purgantur, voluntas fit prompta, & obedientia noua omnium virium inchoatur: breuiter, qui credit regenitus eſt.

DE TERTIO.

Explicatio & partes præclaræ huius ſententiæ.

Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita oportet exaltari filium Dei, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Hiſtoria exaltati ſerpentis in deſerto eſt in quarto libro Moſis, cap. 12. quam figuram hîc Chriſtus ad ſuam perſonam applicat, dicens: Sicut Moſes exaltauit ſerpentẽ. Hoc Chriſti dictum multa continet. I. Apertè teſtatur, quod lex non tollat peccatum. Nam ſi lex tolleret peccatum, non opus eſſet expiatione per victimam Chriſti. II. Cur ſit datus Meſsias, & cur filius Dei aſſumpſerit naturam humanam indicat: datus eſt enim vt exaltaretur in cruce, & ita per eum ſalus mundo contingeret. III. Oſtendit hoc dictum, Chriſti regnum ſpirituale eſſe & æternum. IIII. Docet qualis ſit iuſtitia, qua conſiſtimus coram Deo, ſeu quomodo participes reddamur beneficiorum Chriſti. videlicet cùm credimus in Chriſtum exaltatum, id eſt, mortuum in ara crucis. V. Dulciſsima eſt conſolatio hîc propoſita, quod gratia hæc, quæ eſt in cœlum aditus, offeratur omnibus. Id quod indicat vniuerſalis particula *Omnis* qui credit. Nos igitur bonam ſpem concipiamus de ſalute, quæ omnibus offertur per Ieſum Chriſtum, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA PRIMA POST Trinitatis, Euangelium Lucæ 16.

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè. Erat autem quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceroſus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis. Sed & canes veniebant, ac lingebant vlcera eius. Accidit autem vt moreretur mendicus, & deportaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, ac ſepultus eſt, atque in tartaro ſublatis oculis ſuis, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham eminus, & Lazarum in ſinu eius. Et ipſe clamans, dixit: Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, ac refrigeret linguã meam, quia crucior in flamma hac. Dixit *autem Abraham: Fili, recordare, quod receperis bona tua in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Nunc autem hic ſolatio fruitur, tu verò cruciaris. Et ſuper hæc omnia, inter nos & vos hiatus in-*

gens

gens firmatus eſt, vt ij, qui volunt hinc tranſire ad vos, non poſſint, neque iſtinc huc tranſcendere. Ait autem: Rogo ergo te Pater, vt mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, vt teſtificetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum cruciatus. Ait illi Abraham: Habent Moſen ac Prophetas, audiant illos. At ille dixit, Non, pater Abraham, ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos, reſipiſcent. Ait autem illi: Si Moſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.

ENARRATIO TEXTVS.

Omnium ſequentium concionum ſumma.

A Dominica Aduentus huc vſque, propoſita eſt doctrina de ſingulis articulis fidei noſtræ: nunc in ſequentibus dominicis, vſque ad Dominicam Aduentus, proponitur de miraculis Chriſti, & fidei natura veriſque fructibus: ídque ideo, vt miraculorum doctrina confirmetur Euangelij veritas, & doctrina de fide, & fructibus eius nos ad bona opera excitemur.

De bonis operibus quomodo Chriſtus doceat.

Docet autem Chriſtus de bonis operibus quinque modis: 1. Interdum enim ſimplici doctrina eſt contentus, vt cùm dicit: Eſtote miſericordes, agite pœnitentiam, facite fructus pœnitentia dignos. 2. Interdum ſuum exemplum proponit, quod ſuos vult imitari, vt cùm dicit: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. 3. Interdum proponit parabolas, vt de bono villico, de virginibus decem, de ſemine in terram iacto, quales multæ ſunt paſsim in Euangelicis hiſtorijs. 4. Interdum minis vtitur, vt cùm dicit: Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Item, Væ vobis Scribæ, Phariſæi, hypocritæ, &c. 5. Interdum proponit præmia & pœnas in illuſtribus exemplis, quemadmodum hoc Euangelio facit. Breuiter, nihil non agit Dominus, vt ſuos honeſtæ vitæ ſtudioſos faciat.

Summa concionis de diuite & Lazaro.

Iam accedamus ad hodiernum Euangelium: Cuius ſumma eſt, quod Chriſtus Dominus propoſitis duobus exemplis, dehortetur ab impietate & crudelitate aduerſus pauperes, & exhortetur ad pietatem & conſtantiam in ferendis ærumnis huius vitę. Nam vt diuitis Epulonis exemplo docet, quæ pœna maneat impios: ita pauperis Lazari exemplo hortatur ad pietatem & honeſtam vitam in timore Dei. Vſus ergo erit, vt diuites & crudeles erga ſuos proximos videant, tanquam in tabula, quas pœnas olim luent, ſi non reſipiſcant maturè. Deinde, vt pauperes pij & afflicti in hac vita, huius pauperis Lazari exemplo ſe erigant, & patienter expectent liberationem & beatam requiem, ſi in fide ad mortem perſeuerauerint.

Partes.

Loci tres.

1. *Deſcriptio huius Epulonis, cum ſuis doctrinis.*
2. *Deſcriptio Lazari, cum ſuis conſolationibus.*
3. *Dictum Domini*: Habent Moſen & Prophetas.

DE PRIMO.

Prioris loci partes.

Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo. In hoc primo loco quatuor ſunt obſeruanda: quæ ſunt, 1. generalis reprehenſio eorum, qui ſunt crudeles in pauperes. 2. cauſa damnationis huius diuitis. 3. verus vſus diuitiarum. 4. ſtatus animarum impiorum poſt hanc vitam.

1. Generalis reprehenſio eorum qui ſunt crudeles in egenos.

Primum ergo cùm hic Epulo damnatur, in genere reprehenduntur omnes, qui ſunt duri in pauperes: & qui, cùm ipſi affluunt diuitijs, nulla cura pauperum tanguntur, quales multi ſunt in mundo. Hæc reprehenſio etiam ad eos pertinet, qui neque conſilio, neque re, miniſterium verbi, aut egentia Eccleſię membra iuuant: quare vnuſquiſque apud ſe cogitet, & huius Epulonis damnatione admonitus ſapere diſcat.

2. Cauſæ damnationis huius epulonis.

Cauſæ damnationis huius Epulonis non ſunt diuitiæ & ſplendor veſtium & delitiæ in cibis, modò temperatæ fuiſſent, quod ex ipſo Euangelio patet. Si enim diuitiæ fuiſſent efficaces cauſæ damnationis, damnatus fuiſſet & Abraham: damnatus fuiſſet Dauid, & multi reges, & alij qui diuites fuerunt. Verùm diuitiæ, ſplendor & huiuſmodi alia, occaſio poſſunt eſſe damnationis, quando videlicet homines iſtis abutuntur in contumeliam Dei & contemptum proximi, in ſuperbiam & luxum. Sed quæ fuerunt cauſæ damnati huius Epulonis? tria horrenda mala, quæ in textu diſertè notantur:

Securitas carnalis.

quorum primum fuit ſecuritas carnalis, quæ habuit ſecum hæc mala, quod non egerit pœnitentiam, quod nullum ſenſum iudicij & iræ Dei habuerit, quod nulla cura officij tangeretur, nam hæc perpetuò ſecum habet carnalis ſecuritas.

Luxus & crapula.

Alterum malum, propter quod damnatus fuit hic Epulo, erat luxus & crapula, quibus & corpora & animæ grauantur, ne quid poſsint homines de rebus ſuæ ſalutis cogitare.

Neglectus pauperis.

Tertium malum, quod cauſa fuit damnati Epulonis, erat neglectus Lazari, quæ res ſatis indicat, quod nullam fidem habuerit: vbi enim fides vera eſt, non poteſt in miſeros & egenos eſſe crudelitas. Propter has tres cauſas damnatus eſt Epulo, cuius exemplo multi quotidie ad damnationem certam properant, qui ſuis diuitijs ſecuritatem, crapulam, & neglectum membrorum Chriſti fouent. Quare ſi nobis ſalus cordi eſt, maturè reſipiſcamus, caueamúſque ne donis Dei in noſtram perniciem abutamur.

3. Locus de vero vſu diuitiarum.

Tertio loco ex hoc exemplo colligendum eſt per contrarium, quis ſit verus vſus diuitiarum, qui verus vſus in his quatuor eſt poſitus.

Conſeruatio miniſterij.

Primus eſt, vt conferamus partem noſtrarum facultatum ad conſeruationem miniſterij, quem vſum confirmat 1. finis hominis: eſt enim homo conditus, vt Deum agnoſcat & celebret. Quare & bona quæ habet, ad iuſtum finem referenda ſunt. 2. hunc vſum confirmant ſæpius repetita mandata Dei. Deus enim mandat, vt Eccleſiam noſtris facultatibus iuuemus. 3. hunc vſum ſtabiliunt piorum regum & ſanctorum exempla, qui nihil in votis magis habuerunt, quam ſuis diuitijs miniſterium verbi ornare & conſeruare.

Qui in hunc primum vſum peccant.

Contra hunc primum & pium diuitiarum vſum peccant multi: inter quos ſunt 1. qui ſuas diuitias conuertunt ad ruinam miniſterij, quemadmodum multi tyranni olim & hodie faciunt. 2. qui auferunt bona Eccleſiaſtica & ſibi occupant. 3. qui ex ſuis facultatibus nihil conferunt ad conſeruandum miniſterium verbi. 4. qui vel precibus, vel artibus alijs bona Eccleſiaſtica ad ſe honeſto titulo transferunt, quaſi eſſent Eccleſiæ miniſtri, cùm ſint prorſus canes muti, qui nec vnquam ſeruierunt Eccleſiæ, aut Reipublicæ, nec poſſunt vnquam ſeruire, ventres pigri, & beſtiæ inertes, qui tamen Prælati, Canonici & Vicarij & Abbates ſalutari volunt.

Conſeruatio Reipublicæ.

Secundus verus & legitimus diuitiarum vſus eſt, vt earum partem conuertamus ad conſeruandam & ornandam Rempublicam, in qua viuimus. Sũt enim Reſpublicæ Eccleſiæ hoſpitia, quibus etiam gratitudinem debemus, etiamſi alia commoda ad nos non peruenirent. Contra hunc vſum multi peccant, vt ſunt: qui iuſta tributa non ſoluunt: qui iniuſta exigunt: qui tributa non conuertunt ad rerumpublicarum conſeruationem, ſed ad luxum & crapulam.

Oeconomici ſtatus conſeruatio.

Tertius vſus rectus & legitimus diuitiarum eſt, vt vnuſquiſque ſuum ſtatum honeſtè tueatur ſine ſ[illegible]r-[illegible]ibus. Contra quem peccant primùm, qui potationibus, comeſſationibus, veſtibus ſuo ſtatui non con-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

uenientibus ſuas res abligu̇riunt , quemadmodum multi faciunt. Deinde etiam auari, qui ſordibus ſuis oblectantur, & ſuum ſtatum honeſtè, vt decet, non tuentur, qui & malè veſtiuntur, & malè edunt, cùm interim eorum pecunia ærugine corrūpatur in arca.

Pauperū cura.

Quartus diuitiarum verus vſus & legitimus eſt, vt partem aliquam in pauperes erogemus, & maximè in eos, qui cum paupertate pietatem coniunxerunt. Eſt enim hæc potiſsima cauſa, cur Deus ſinit eſſe pauperes inter nos, vt faciat periculum, an ipſius miſericordiam imitari velimus, iuxta mandatum Chriſti: Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cœleſtis miſericors eſt. Contra hunc vſum etiam multi peccant, cum hoc diuite Epulone, cuius olim in ſupplicijs erunt ſocij, qui ipſum magiſtrum crudelitatis erga egenos in hoc mundo ſint ſecuti.

4. De ſtatu animarum poſt hanc vitam.

QVARTVM ſequitur, quod in Epulonis exemplo conſiderandum dixi, videlicet, qualíſnam ſit ſtatus animarum eorum, qui ex hac vita ſine fide diſcedunt. Nam cùm Chriſtus dicit, diuitem Epulonem apud inferos ſublatis oculis vidiſſe Abrahamum eminus, & petiuiſſe intingi extremum digiti Lazari in aquam, ad refrigerandam linguam ſuam, depingit tabulam, quæ ſtatum animarum impiorum poſt mortem repræſentat, in qua hæc notantur: 1. ſummus cruciatus & conſcientiæ perpetuus vermis. 2. memoria crudelitatis, quam exercuerant in miſeros. 3. votum recreationis per eorum officia, in quos in hac vita crudeles erant. 4. quod non ſit futurus finis tormentorum, & quod fruſtrà expetatur vlla in tormentis refectio. Quod enim hîc Dominus per colloquium Epulonis & Lazari depingit propter noſtrum captum, id ipſe Epulo in ſua conſcientia ſenſit, quam Dominus, qui omnia nouit, ignorare non potuit. Hęc igitur impietatis pœna ad ſeriā pœnitētiam inuitet, ne inuiti ad pœnam pertrahamur.

DE SECVNDO.

Deſcriptio Lazari cum ſuis conſolationibus.

Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo dabat. In hoc Lazari exēplo multa ſunt obſeruanda, vnde nos & doctrinam & conſolationem capere poterimus.

1. Pij in hoc mundo affliguntur & quibus de cauſis.

Primum hic confirmatur concio Petri, qui dicit, iudicium à domo Dei incipere: punit enim ſuos in hac vita Deus, vt tanquam fręno quodam retineantur in officio. Si enim omnia ſuccederent illis ex voto, ebrij facti fœlici rerum ſucceſſu, à pietate deflecterent ad impietatem. Vnde Moſes de populo Iudaico dixit, Exod. 32.6. Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexit ad ludendū, hoc eſt, in idololatriā, & alia ſcelera lapſus eſt. Quare memores ſimus dicti Pauli, 1. Cor. 11.32. Cùm iudicamur, id eſt, affligimur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Ad paternum igitur Dei animum reſpiciamus, quoties duris afficimur in hac vita, & cruce admoniti timeamus Deum piè & innocenter viuendo.

2 Felicitas non conſiſtit in rebus externis.

Deinde hoc exemplo Lazari docemur, non omnes coram Deo miſeros eſſe, qui in hac vita ſint calamitoſi: nec contrà omnes placere Deo, qui in hac vita videntur fœlices & beati. Lazarus in hac vita miſer fuit, ſed Deo erat charus. Epulo in hoc mundo fœlix, ſed Deo diſplicebat. Quæ cauſa? Lazarus timuit Deum ex viua fide, Epulo autem Deum non timuit, fide enim vacuus erat.

3. Exemplum prouidentiæ Dei.

Tertiò, in Lazaro videmus exemplum prouidentiæ Dei. Iacet contemptus & ſpretus, verùm cùm nunc abſque omni conſolatione iaceret, venerunt canes, & linxerunt vlcera eius: quo ſignificatur, quod Deus non ſinat pios ita calamitatibus obrui, quin conſolationes ærumnis admiſceat. Neque enim dubium eſt, quin prouidentia Dei factum ſit, vt canes venirent & lingerent vlceroſum, in maiorem damnationem diuitis Epulonis & familiæ eius. Nam familia domini ſui impietatem eſt imitata, textus enim dicit, & nemo dabat ei.

4. Communis ſors piorum & impiorum.

Quartò obſeruemus hic communem ſortem piorum & impiorum. Moritur Epulo: moritur & Lazarus. Mors quidem vtrique eſt communis, ſed non mortis euentus. Epulo enim per mortem ad miſeriam tranſijt, Lazarus verò ad fœlicitatē peruenit.

5. Angelorum miniſterium.

Quintò hîc obſeruetur, in Lazaro Angelorum miniſterium. Epulo viuum Lazarum contempſit, ſed mortui animam Angeli deportant, qui in vita contemptus erat, in morte curatur & honoratur ab Angelis Dei. Neque hoc in ſolo Lazaro accidit, ſed quod de illo legimus, commune eſt omnibus. Nam vt piorum animæ Deo curæ ſunt, ita à ſanctis Angelis in portum ſalutis & fœlicitatis deportantur.

6. Status animarū poſt hanc vitam.

Sextò, in Lazari exemplo videmus, qualis ſtatus ſit animarum piorum poſt hanc vitam. Deportatur Lazarus in ſinum Abrahæ. Quid eſt ſinus Abrahæ? Sicuti Abraham ideo pater fidelium dictus eſt, quia penes ipſum depoſitum fuit æternę vitæ fœdus, quod fideli cuſtodia ſeruatum filijs ſuis primum, deinde cunctis gentibus, quaſi per manus tradidit: Filij eius vocantur, quicunque eiuſdem promiſsionis ſunt hęredes: ita poſt mortem dicuntur in eius ſinum colligi, qui eiuſdem cum eo fidei fructum percipiunt.

Sinus Abrahæ. quid.

Nam quemadmodum filij, dum veſpere ab operibus diurnis domi congregantur, & veluti in ſinu paterno fouentur, ita pij poſt labores exhauſtos in hac vita, poſt mortem colliguntur in beata requie, vbi bene & beatè habent vſque ad reſurrectionem mortuorum. Hîc Abrahæ ſinus vocatur etiam Paradiſus, vt in illo Chriſti dicto ad latronem, Hodie eris mecum in Paradiſo: vbi eſt, iuxta Pſalmum, abundantia lætitiarum ex vultu Dei, & perpetuæ iucūditates in dextera eius. Breuiter, Beati qui in Domino moriuntur, quia perpetuò cum Domino erunt, & perpetuo gaudio fruentur.

Paradiſus.

Colloquium Abrahæ & Epulonis.

Porrò quantum ad colloquium Abrahæ & Epulonis attinet, ſciendum eſt, quòd iſta acciderunt ſpiritualiter. Ita enim apud ſe cogitauit Epulo in tormentis, & tale reſponſum accepit iſte in propria conſcientia.

7. Imago Eccleſiæ militantis.

Septimò, obſerua in Lazaro imaginem Eccleſiæ in hac vita. Eſt enim afflicta, & contemnitur à potentibus & diuitibus huius mundi.

DE TERTIO.

Sententia

Habent Moſen & Prophetas, audiant illos. Hæc grauiſsima eſt admonitio imprimis vtilis. Hoc enim dicto multi damnantur.

Aduerſus Atheos.

Primùm, damnatur omnis, qui Moſen & Prophetas non recipit. Nam hi dati ſunt diuinitus, vt ad Deum nos ducant, & ſalutis viam monſtrent. Qui ergo hos non recipit, manet in ſua damnatione.

Adu. Idolatras.

Secundo, damnantur recipientes, ſed tamen pluris facientes humanas traditiones, & potius vitam inſtituunt iuxta præcepta hominum, quàm iuxta præcepta Dei, contra apertum Dei interdictum. Ita enim ait apud Ezech. cap. 20.18. In præceptis meis ambulate, & non in præceptis patrum veſtrorum.

Adu. Enthuſiaſtas.

Tertiò, damnatur hic Gregorius Papa, Anabaptiſtæ, & alij Enthuſiaſtæ, qui nouas de cœlo reuelationes quærunt, ac magis fumis vitioſi & melancholici cerebri, quàm voci cœleſti credunt: imò relinquunt verbum, & prorſus abijciunt.

Doctrina.

Quartò, diſcamus hinc magnifacere doctrinam

Moſi,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Moſi,Prophetarum & Apoſtolorum,quę lucerna nobis erat ad æternam ſalutem, modo eius ductum ſequamur:nullum enim habet mundus præſtantius clenodium,quam verbum Dei. Hoc Dauid pluris fecit quam aurum præſtantiſſimum:hoc Lazarus in mundo pauper,diues erat coram Deo : hoc Iob in mediis ærumnis ſe erexit.Quare & nos,Chariſſimi, amemus verbum Dei,ſciamus eſſe inſtrumentum, quo nobis offertur theſaurus omnium precioſiſſimus Chriſtus Ieſus,& per illum vita ęterna,quam donet nobis Pater cœleſtis per eundem Ieſum Chriſtum, cui honor & gloria in ſecula ſeculorum,Amen.

DOMINICA SECVNDA post trinitatis, Lucæ 14.

Homo quidam apparauerat cœnam magnam, & vocauit multos,miſitque ſeruum ſuum hora cœnæ, vt diceret inuitatis: Venite,quia iam parata ſunt omnia. Et cœperũt ſimul omnes ſe excuſare. Primus dixit ei,Villã emi,& neceſſe mihi eſt exire & videre illam, rogo te habe me excuſatum.Et alter dixit,iuga boum emi quinque, & eo ad probandum illa,rogo te,habe me excuſatum.Et alius dixit:Vxorem duxi,& ideo non poſſum venire.Ac reuerſus ſeruus,renunciauit hæc Domino ſuo. Tunc iratus paterfamiliâs,dixit ſeruo ſuo. Exi cito in plateas & vicos ciuitatis, ac pauperes ac debiles claudóſque & cæcos introduc huc.Et ait ſeruus:Domine,factum eſt,vt imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait Dominus *ſeruo: Exi in vias & ſepes,& compelle intrare,vt impleatur domus mea. Dico enim vobis,quod nemo virorum illorum, qui vocati ſunt, guſtabit cœnam meam.*

ENARRATIO TEXTVS.

Huius cõcionis cũ priore cõnexio. Sicuti proximo die Dominico impedimentum ſalutis eſſe contemtum proximi in Epulone oſtenſum eſt:ita in hoc Euangelio aliud impedimentum cauendum docemur, ne videlicet noſtras poſſeſſiones & negocia, curáſque rerum mundanarum pluris faciamus quam Euangelium Chriſti, néue ſinamus nos commodis & voluptatibus huius mundi impediri & occupari,quo minus veniamus ad cœnam, ad quam per Euangelij prædicationem vocamur.

Occaſio Parabolę. Porro occaſio huius parabolæ fuit vox cuiuſdam Phariſæi in conuiuio, ad quod Chriſtus erat inuitatus. Nam cum Chriſtus pronunciaſſet, retributum iri in reſurrectione iuſtorum iis, qui ſunt liberales erga pauperes: Phariſæus Chriſti ſermonem approbaturus ait,Beatus qui comedit panem in regno Dei. Verùm quia Chriſtus huius Phariſæi, & maximæ partis gentis Iudaicæ mores peruerſos & præpoſterũ ſtudium vidit: proponit hanc parabolam, in qua & Iudæorum iuſtam reiectionem, & gentium gratuitã *Scopus & finis.* receptionem pingit. Cuius parabolæ ſcopus & finis eſt,ne ſinamus huius vitæ res caducas nobis impedimento eſſe, quo minus in cœnam cœleſtem inuitati *Partes.* per Euangelium veniamus.Loci quatuor.

1. *Magnitudo miſericordiæ* Dei *pingitur in hac cœna.*
2. *Ingratitudo mundi notatur in ijs, qui vocati recuſant venire.*
3. *De coactione,quomodo cogat,& per quos.*
4. *Comminatio pœnæ eorum, qui Euangelium non recipiunt.*

DE PRIMO.

Miſericordiæ Dei erga genus humanum magnitudo. Quanta ſit miſericordia Dei erga genus humanum,multis indiciis oſtenditur.Nam non ſolùm vox Dei,verumetiam ingentia Dei beneficia erga totum mundum,& præcipue erga Chriſti Eccleſiam, ineffabilem miſericordiam Dei teſtantur. Miſericordia (inquit Dauid) Domini plena eſt terra. Argumentum maximum huius miſericordiæ eſt datus filius,vt mundum in extremam miſeriam demerſum redimeret,idque per ſuam mortem & paſſionem,quo homines ab hac miſeria liberati, donarentur æterna vita, quæ hic cœna magna dicitur, & in Matthæo nuptiæ regis: ad quam cœnam magnam homines vocantur ex mera Dei miſericordia,quò in ea ſaturentur deliciis ſpiritualibus in omni æternitate.

Circumſtantiæ huius miſericordiæ. Verùm vt nobis magis dulceſcant lautitiæ huius cœnæ,circumſtantias quæ in textu notantur proponam ſeorſum, & quid doctrinæ & admonitionis ex ſingulis petendum ſit dicam.

1. Deus inuitat. *Prima* itaque circumſtantia in hac cœna ſpectanda, eſt de eo,qui ad hanc cœnam inuitat; nam inde eius æſtimatio dependet.Quis ergo inſtruit hanc cœnam? Num Rex aliquis mundanus? Non.Imo magnifacienda eſſet eius regis liberalitas, & laude extollenda miſericordia,qui miſeris & pauperibus regale conuiuium & magnificè inſtructum pararet. Sed quis eſt?Deus pater cœleſtis,Dominus dominantiũ, & Rex regum,ſolus diues & lauticiis abundans.Hęc circumſtantia bonitatis & miſericordiæ Dei clariſſimum teſtimonium eſt.

2. Ad ſalutem & vitam ęternam. *Secunda* circumſtantia eſt,quod hic Paterfamiliâs Deus ad cœnam inuitet. Sed quid cœnæ nomine ſignificatur?Ipſum Euangelium,eaque omnia,quæ cũ Euangelio coniuncta ſunt:vt eſt ſalus & vita æterna. Vide quanta miſericordia hic relucet.Sed quæ ratio eſt appellationis? Cur hæc tanta bona cœna dicuntur? Id fit ſanè non ſine magnis cauſis,quarum de numero ſunt tres præcipuæ. 1. quia Euangelium æternum gaudium,& nunquam finienda bona,promittit.Vt enim cœna in extrema diei parte apponitur:Ita bona,quę Euangelium offert,poſt multos exhauſtos in ærumnis huius vitæ labores, credentibus ex mera Dei miſericordia donabuntur. 2. quia ſicut veſpera,quando cœna inſtrui ſolet, eſt finis diei : ita ætas, in qua per miniſterium prædicationis omnes ad epulas diuinæ cœnæ, inuitantur,extrema eſt. 3. quia Euangelium extrema vox Dei eſt in mundo, poſtquam nulla alia eſt expectanda: ſicut cœna vltimum in die cibum proponit. Nunquam enim alia de cœlo ſonabit vox Dei : ſed hæc eadem Euangelij vox ſonabit vſque ad iudicij extremi diem.

3. Benignitate ineffabili. *Tertia* circumſtantia eſt in hac voce *Magna*, qua commendantur nobis diuitiæ miſericordiæ Dei : nõ enim Deus vnum & alterum regem & ſapiẽtem inuitat ad ſuã cœnam,ſed totum mundum.Non prętermittit pauperes, non diuites negligit, non nobiles excludit,non ruſticos aut ciues à ſuo conuiuio arcet, non paruos contemnit,non magnos faſtidit:ſed omnes promiſcuè per orbem ſparſos homines inuitat ad magnam illam cœnam : nam textus & magnam cœnam eſſe,& multos inuitatos teſtatur.

4. Per miniſterium verbi ſui in ore miniſtrorũ. *Quarta* circumſtantia eſt de modo inuitationis. Modus exprimitur hiſce verbis: *Et miſit ſeruum ſuum hora cœnæ,vt diceret inuitatis.* Hic ſerui nomine intelliguntur Prophetæ, Apoſtoli & omnes pij Doctores,quos inde ab initio mundi miſit Deus inuitatum ad hanc cœnam. Ad hanc cœnam ipſe Deus Patriarcham Nohe inuitauit.Hic inuitatus reliquum mundum vice Dei vocauit. Deinde cum ob ſuam ingratitudinem mundus diluuio periiſſet, inuitatur voce Dei Abraham ad hanc cœnam. Præterea cum mundi malicia creuiſſet ſuper terram, vnum populum peculiarem elegit Deus, in quo ſæpe excitauit Prophetas, vt ad hanc cœnam inuitarent : ídque continuauit paterfamiliâs, donec proprium fi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

lium miſit, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem inuitati ſuſpenderunt in crucem. Qui excitatus à mortuis, miſit Apoſtolos in vniuerſum mundũ vt ad hanc lautiſsimã cœnã omnes gentes inuitarent.

5. Omnibus ſeculis & temporibus.

Quinta circumſtantia eſt de hora cœnæ. Quænam eſt iſta hora? Tempus gratiæ & tempus gloriȩ. Tempus gratiæ eſt quo annũciatur hominibus liberalitas & miſericordia patrisfamiliâs, quod in tres partes diſtribuitur. In promiſſionẽ, exhibitionẽ, & tẽpus ſecutũ exhibitionẽ. Promiſsionis tẽpus fuit inde ab Adam vſque ad Chriſtum natum fere 4000. annorũ. Deinde exhibitionis tempus erat, dum Chriſtus ipſe in carne hic in terris verſatus eſt, prædicauit, obtulit ſeipſum precium redemtionis pro inuitatis ad hanc cœnam. Tempus ſecutum exhibitionem eſt inde à miſsione Apoſtolorum in mundum vniuerſum vſque ad diem iudicij, in quo tempore & nos ſumus, & inuitamur ad hanc cœnam voce miniſtrorum verbi. Tempus gloriȩ eſt æternitas, quando in cœleſti gloria accubabimus non ſolum cum Abraham & Iſaac: ſed cum Deo Patre, Deo filio, Deo Spiritu ſancto, & fruemur æterno gaudio & lȩtitia in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

6. Propoſita doctrina de lege & Euãgelio.

Sexta circumſtantia eſt inuitandi forma. *Venite* (inquit) *quia parata ſunt omnia.* Hoc eſt, vt in Baptiſtæ & Chriſti inuitatione videmus: Agite pœnitentiam, & credite Euangelio: appropinquat enim regnum cœlorum. Hæc inuitatio requirit pœnitentiã, hoc eſt, prioris vitæ mutationem, vt diſcedamus à malo, & faciamus bonum, & requirit fidem, id eſt, vt credamus hanc cœnam nobis apponi, non noſtrum ob meritum, ſed ex mera miſericordia propter Filiũ, qui nobis à Deo datus eſt ſapientia, iuſticia, ſanctificatio, redemtio. His enim donis & veluti veſtibus filij Dei in cœnam æternæ vitæ intrabimus. Nam ſapientia ſua Chriſtus mentes noſtras reformat: iuſticia ſua nos ornat, cum in eum credimus: ſanctificatione ſua nos purificat, ac tandem recipit in ſuum cœnaculum, vbi erit perpetua redemtio, gloria & felicitas. Atque hactenus de primo loco, in quo commendatur nobis miſericordia Dei, quæ eſt à progenie in progeniem ſuper omnes timentes eum, vt virgo mater Domini canit.

DE SECVNDO.

De mundi ingratitudine Dei gratiam recuſantis.

Sed omnes cœperunt vno animo ſe excuſare. Recuſarũt enim venire ad cœnam hanc cœleſtem. Quemadmodum enim ſus pluris facit cœnum, in quo ſe commaculat, quam aurum aut precioſas gemmas: ita homines ſordibus ſuis inuoluti fugiunt ſplendorem tantæ cœnæ. Qua in re tria deploranda ſunt mala: Miſeria generis humani, maxima ingratitudo, & corruptum iudicium.

Hominũ miſeria.

Miſeria eſt, quod peccatis & maledictione oppreſſi homines, non ſolum non eluctari de ſuis malis conantur, verumetiam ipſis ſordibus delectãtur: tantum abeſt, vt remedium quærant. Atque hoc eſt, quod Chriſtus dicit: Nemo venit ad me, niſi quẽ Pater traxerit.

Ingratitudo.

Ingratitudo eſt, quod homines inuitati ad gratuitam cœnam, id eſt, gratuitam liberationem à peccato, ab ira Dei, à maledictione legis, ab inferno, à Diabolo, ad remiſſionem peccatorum, ad fauorem Dei, ad iuſticiam, ad cœlum, ad Deum, vt cum illo beati viuant in omni æternitate, recuſant tamen venire. Quis hanc ingratitudinem ſatis deplorare poteſt.

Corruptũ iudicium

Conceptum iudicium eſt, quod homines pluris faciant finita bona, quam æterna: pauca, quam multa: caduca, quam firma: terrena, quam cœleſtia: conſeruantia hanc vitam ad modicum tempus, quam conſeruantia animam & corpus in æterna vita. Stultúſne iudicatur, qui præfert lutum auro? Sanè ſtultiſſimus, vt qui nihil recte iudicare poſſit. multo ſtultior eſt, imo in infinitum ſtultiſſimus, qui præfert mortem vitȩ, peccatum iuſticiæ, infernum cœlo, Diabolum Deo. Breuiter, infinita mala infinitis bonis, Hoc noſtrum corruptiſſimum iudiciũ agnoſcamus. & petamus noſtras mentes noua luce reformari, vt recte intelligamus, quæ vera bona ſunt: ordinatè appetamus, quæ recte iudicamus, & vſque ad finem perſeueremus in quærendis iis, quæ ordinate appetimus

Doctrina

Varia ingratorum & corruptorum hominũ genera.

Poſtquam autem hæc in genere dicta ſunt, de miſeria generis humani, de ingratitudine ſumma & corruptiſſimo iudicio hominum: textum videamus, quia varios modos excuſationis continet. Primum dicit: *Et omnes cœperunt vna ſententia recuſare.* Hoc eſt, maxima pars mundi ingrata contemſit gratuitò oblatum beneficium. Primus ergo dixit. *Agrum emi, neceſſe habeo exire & videre eum, rogo te, habe me excuſatum.* Hic deſcribitur primum genus hominum excuſantium ſe, quo ſub genere omnes continentur, qui potentia ſua freti recuſant venire ad hanc præclaram cœnam. Neque tamen potentia eſt efficax cauſa huius excuſationis: ſed occaſio tantùm in iis, qui ſuam potentiã à Deo eſſe non agnoſcunt, qui ſua potentia nitũtur, hoc eſt, baculo arũdinis. Nam cum peccatum, mors, infernus, Diabolus inuadit, hominum potentia non valet: hic enim ſola potentia valet, nempe Euangeliũ Chriſti, quod Paulus definit eſſe potentiam Dei ad ſalutem omni credenti. Quod autem hæc potentia, & agrorum poſſeſſio non ſit efficax cauſſa recuſatæ huius opiparæ cœnæ, oſtendunt exempla. potens fuit Dauid, & habuit agros plurimos, potens fuit & Nero, & habuit agros. Quorum ille inuitatus ad nuptias venit, hic recuſauit. Quare? Quia ille vſus eſt potentia in gloriam Dei: hic eadem eſt abuſus in ſui interitum. Nam ea deceptus recuſauit venire ad hanc cœnam. Hic ergo monemur rectè vti agris noſtris, ne ſint nobis impedimento, quò minus ad hanc cœleſtem cœnam veniamus, exempla omitto.

1. Potentes huius mundi.

2. Diuites huius ſeculi.

Altera vero dixit: *Iuga boum emi quinque, & proficiſcor ad probandum ea: rogo te, habe me excuſatum.* Hic deſcribitur alterum genus hominum excuſantium ſe, quò minus ad cœnam venire poſsint: ſub hoc genere continentur diuites huius mundi. Quid? an diuitiæ ſunt cauſſæ efficaces huius recuſationis? Nequaquam. Fuit Abraham diues, fuit & Epulo diues, de quo nuper audiuimus, ſed Abraham non impeditus eſt ſuis diuitiis. Nam pluris fecit hanc cœnam, quam terrenas diuitias. Cõtrà, Epulo ebrius fuit ſuis diuitiis, atque ideo venire recuſauit. Sunt enim diuitiæ, quando à malis poſſidentur, veluti eſca, qua illecti capiuntur & necantur. Ideo Chriſtus dicit eas ſpinas eſſe, & difficile pronunciat diuitem poſſe intrare in regnum cœlorum. Plato Philoſophus rectè dixit, *diuitias cæcas eſſe ſine prudentia, & acutum cernere, quãdo ſequuntur prudentiam.* Ita & nos poſſumus dicere, diuitias ſpinas eſſe ſine pietate, & roſas quando pietatem ſequuntur. Nam pij diuites ſuis diuitiis veluti roſis quibuſdam ornant miniſterium verbi, ornant Reſpublicas & propriam domum. Quicunque ergo huius mũdi diuitias habet, det operam, vt earum adminiſtratrix ſit pietas & charitas, vt in ſanctis Patriarchis & regibus, aliiſque multis piis & ſanctis hominibus videmus.

3. Voluptatibus mundanis dediti

Et alius dixit: *Duxi vxorem, propterea non poſſum venire.* Hic deſcribitur tertium genus hominum recuſantium venire ad hanc cœnam, quo ſub genere continentur omnes, qui huius mundi voluptatibus dediti Euangelium Chriſti non curant. Ducere

vxorem

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vxorem non eſt per ſe aut malum, aut cauſa recuſationis, ſed tantum occaſio in quibuſdam, qui non recte vtuntur dono Dei. Abraham habuit vxorem & multi pij, qui tamen non propterea recuſarunt obtemperare Euangelio. Quare coniuges dent operam, vt Chriſtum ſecum habeant, caueant ne occaſionem mali à bono ſumant. Hactenus audiuimus tria genera hominum excuſantium ſe, quod non venirent inuitati ad hanc cœleſtem cœnam: ſed ex his intelligemus omnia, quæ hominibus impedimento ſunt, cur Euangelio non auſcultent.

DE TERTIO.

Quomodo Deus cogat homines & per quos.

Seruus reuerſus domum, nunciat patrifamiliâs quæ reſponderunt, & rurſus miſſus multis collectis pauperibus & claudis, iubetur cogere homines, vt intrent, quo impleatur domus conuiuij. In hac coactione nobis proponitur ſumma conſolatio. Deus enim non ſolum promittit, non ſolum inuitat multos, non ſolum mandat, ſed cogit & compellit intrare ad ſuam cœnam. Sed quomodo compellit? Multis ſane modis. Parentes in familia cogent ſuos domeſticos, & diſciplina domeſtica aſſuefacient eos, vt Chriſtum audiant, piè & ſanctè viuant. Hinc illud Pauli: Educate pueros in diſciplina & correptione Domini. Magiſtratus ſimiliter coget edictis, bonis ordinationibus, exemplo, ſublatione Idololatriæ: quemadmodũ Ezechias & Theodoſius fecerunt, qui inſtrumenta Idololatriæ ſuſtulerunt. Omnium autem maximè miniſtrorum verbi eſt cogere comminationibus & obiurgationibus, quemadmodum Chriſtum Prophetas & Apoſtolos feciſſe legimus.

DE QVARTO.

Iudicium in omnes Euangelij contemptores.

Nemo virorum illorum, qui vocati fuerunt & recuſarunt venire, guſtabunt cœnam meam. Hoc eſt, omnes contemtores Euangelij excludentur de vita æterna Nam ira Dei manet in omnes, qui non credunt in Filium. Hæc ſumma eſt quarti loci.

Vſus triplex huius parabolæ.

Cæterum vſus totius hodierni Euangelij triplex eſt. *Primus*, vt conſiderata magnitudine miſericordiæ Dei, gratias agamus per Ieſum Chriſtum. *Secundus*, vt caueamus, ne vllo prætextu nos ſubducamus ab obedientia erga Euangelium. *Tertius*, ne exemplo potentum, diuitum & voluptariorum ſeducamur, & ruamus in proprium exitium, ſed potius totis viribus demus operam, vt in hanc cœleſtem cœnam includamur, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA TERTIA POST trinitatis, Lucæ 15.

Accedebant ad Ieſum omnes publicani & peccatores, vt audirent illum. Et murmurabant Phariſæi ac Scribæ, dicentes: Hic peccatores recipit, ac cibum capit cum illis. Dicebat autem ad illos parabolam hanc dicens Quis ex vobis eſt homo, qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nónne relinquit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens, veniénſque domum conuocat amicos & vicinos, dicens illis, Gaudete mecum, quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in cœlo ſuper vno peccatore reſipiſcente, magis quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, ſi perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam, & verrit domum, quærítque diligenter, donec inueniat? Et cum inuenerit, cõuocat amicas & vicinas, dicens: Gaudete mecum, quia inueni drachmã quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit corã Angelis Dei, ſuper vno peccatore reſipiſcente.

ENARRATIO TEXTVS.

Occaſio hodierni Euangelij hæc eſt. Cum tanta eſſet bonitate Dominus noſter præditus, vt neminẽ quantumuis afflictum & magnum peccatorem faſtidiret, imò potius omnes ad ſe inuitaret, iuxta illud Matth. 11. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos: factum eſt, quod ipſi publicani, cognita hac miſericordia & bonitate, ad eum venirent, quò gratiæ omnibus liberaliſſimè oblatæ participes fierent. Atque ideo Chriſtus non voluit eos tantùm voce conſolari, ſed facto & conuerſatione. Inuitatus proinde ab iis venit & comedebat cum illis: ídque ea de cauſſa, vt eos Deo Patri lucrifaceret, hoc eſt, conuerteret eos à viis ſuis peſsimis ad veram & ſalutarem pœnitentiam, quo à maledictionis reatu abſoluti hæredes fierent vitæ æternæ per Ieſum Chriſtum. Hoc Chriſti factum obſeruantes Phariſæi, vt erant ſuperbi, tumentes ſua Phariſaica, id eſt, falſa iuſticia, murmurant, ac tacitè Chriſtũ violatæ legis diuinæ accuſant. Sed quid ad hæc Chriſtus? vtroſque docet. Publicanos quidem, quod venerit ſaluatum peccatores. Phariſæos verò, cur cum peccatoribus conuerſetur, vnde colligitur Chriſti regnũ pugnare cum Phariſæorum opinione & Satanæ regno. Nam vt Chriſti regnum eſt miſericordia & remiſſio peccatorum, adeo vt Angeli in cœlo gaudeãt ſuper ſingulis peccatoribus pœnitentiam agentibus: ita Satanæ regnum eſt crudelis immanitas & peccati inundatio quædam. Loci duo:

Occaſio Parabolæ.

Summa.

Partes.

1. *Murmur Phariſæorum, & cur Chriſtus ſit conuerſatus cum peccatoribus.*
2. *Docetur parabolis duabus, cur Chriſtus in hunc mũdum venerit, & quid nos facere oporteat, modo ſanari velimus.*

DE PRIMO.

De murmure Phariſæorum

Appropinquabant ei publicani & peccatores, vt audirent eum, & murmurabant Scribæ & Phariſæi, dicentes: Hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Hic proponuntur nobis duo hominum genera, & eorum diuerſa ſtudia. Vnum publicanorum & peccatorum, qui Chriſtum accedunt, vt illum audiant, & ad ipſius ouile aggregentur & ſaluentur. Poſtquam enim audiuerunt Chriſtum nullos peccatores reiicere, ſed omnibus gratiam, modò pœnitentiam agere non recuſarent, offerre, ipſum accedere non dubitarunt, ſpe magna ſalutis concepta. Alterum Phariſæorum & Scribarum. Hi Chriſti factum & miſericordiam erga peccatores improbarunt, atque ideo murmurarũt dicentes: Hic peccatores recipit & mãducat cũ illis.

Eiuſdem cauſæ.

Porro huius Phariſaici murmuris plures ſunt cauſſæ, quarum nonnullas recitabo, vt videamus, quo ſpiritu ſint locuti, nóſque caueamus, ne ſimili morbo laborantes aliorum ſalutem impedire videamur.

1. Inuidia

Prima ergo cauſſa eſt Diaboli inuidia, quæ propria eſt Diaboli & membrorum eius. Hæc enim eorum cordibus infixa efficit, ne videre poſsint, Chriſtum & Publicanos vna conuerſari. Tanta enim inuidia erga Publicanos laborârunt, quod noluerint eos bonorum conuerſatione emendari. Huius generis Phariſæi plures ſunt hodie, quam qui Phariſæorum titulum agnoſcunt.

2. Superbia.

Secunda cauſſa murmuris fuit intolerabilis ſuperbia in Scribis & Phariſæis, qua vt canes Publicanos ſpreuerunt, adeò vt cibum capere cum illis,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

aut domum eandem cum illis intrare recuſarint.

3. Hypocriſis.

Tertia cauſſa murmuris fuit opinio iuſticiæ & ſanctitatis. Nam vt ſe iuſtos, tantum ex paternis obſeruationibus & ſacrificiis, reliquóſque vt iniuſtos contemſerunt (vt ille qui ait: Non ſum ſicut cæteri peccatores, nec vt ille publicanus, ieiuno bis in Sabbato, &c.) ita eos, qui hanc ſanctitatis laruam non habuerunt, ſtrenue tanquam anathemata & res abominabiles aſpernabantur.

4. Philautia.

Quarta cauſſa fuit ſtudium Chriſto infamiæ notam inurere. Nam vulgo perſuadere conabantur Chriſtum talem eſſe, quales eſſent illi, cum quibus verſaretur.

5. Falſus zelus.

Quinta cauſſa fuit zelus legis diuinæ, ſed falſus. Mandatum enim legis ſuo murmuri prætexuerunt, lex enim præcipit Exod. 23.33. ne conuerſentur cum incolis terræ. Item Exod. ca. 34.15. præcipitur, ne vnquam cum habitatoribus terræ illius amicitiam iungerent, ne ipſis foret in ruinam, hoc eſt, ne illorum praua corrupti cõſuetudine idololatræ efficerentur, & prophani legis diuinæ contemtores. Nam, vt Paulus inquit, 1. Cor. 5.6. modicum fermentum corrumpit totã maſſam, & vt eſt in verſiculo quodam: *Morbida facta pecus totum corrumpit ouile.* Vt vna à liuore alterius liuorem contrahit, ſic & malo conſortio homines facile deteriores fiunt. Sicuti & Medea quodam in loco dicit: *Malarum fœminarum ingreſſus me malam reddidit.* Huc & illud Syrac. cap. 13.1. Qui tetigerit picem, coinquinabitur ab ea: & qui communicauerit ſuperbo, induet ſuperbiam. Item v. 20. Omnis homo ſibi ſimilem ſociat. Huiuſmodi ſcripturæ teſtimonia multa haud dubiè congeſſerant Phariſęi, vt Chriſtum infamarent.

An liceat cum peccatoribus verſari.

Sed quid dicemus ad iſtas ſcripturæ ſententias? pleræque ex illis habent adiunctas cauſſas prohibitæ cum peccatoribus conuerſationis, & vt ſummatim dicam, prohibent adiuncta ſcripturæ teſtimonia, ne infirmi, qui facilè deteriores fieri poſſunt, cõuerſentur cum iis, qui conuerti nolunt, ſed potius in hoc totis incumbunt viribus, vt alios ſibi nequitiæ ſuæ ſocios adiungant. Primùm non potuit Chriſto cõuenire: non enim erat infirmus, vt peccatorum conſuetudine contaminari poſſet, quare interdictum legis nõ in illum quadrat. Dicit enim diſertè lex, vnde reliqua dicta manant: ne forte peccare te faciant in me, ſi ſeruieris diis eorum, quod tibi certè erit in ſcandalũ. Alterum non conuenit in publicanos, quibuscum Dominus hîc conuerſatus legitur. Non enim Chriſtum voluerunt ſibi ſuæ nequitiæ ſocium adiungere: verũ accedebant, vt audirent illum, & ex auditu fidem cõſequuti ſaluarentur. Cum ergo & Chriſtus motus miſericordia conuerſetur cum illis, vt eos adducat in ſtabulum ouium, vnde aberrârunt: & publicani ſitientes ſalutem, cupiant ſubleuari ab onere peccatorũ ſuorum, quod ſenſerũt grauiſsimum eſſe, iniuſte aduerſus Chriſtum murmurant: quos in viam reuocare conatur propoſitis his parabolis: vna de centum ouibus, altera de decem drachmis.

An Phariſæos fugere debeamus.

Phariſæis ſimiles. Iam ex iis, quæ dicta ſunt ad criminationes Phariſæorum, oritur quæſtio. Nam poſtquam reſponſum eſt, ſcripturas, quæ malorum conſuetudinem damnant, ad infirmos pertinere, quæri poteſt, cùm nos infirmi ſimus, quid nos facere oporteat, an omnino & perpetuò fugere debeamus Phariſæos. Ad hanc quęſtionem reſpondeo: Sunt fugiendi, & non ſunt fugiendi.

Reſpõſio per diſtinctionem.

Imbecilles qui conſcij ſunt ſuæ imbecillitatis, quod videlicet ſunt faciles & proni ad lapſum, edocti propria experientia, ipſi fugient conuerſationem eorum, à quibus metuunt, ne illorũ pice inquinentur & ſcabie inficiantur. Nam, vt dicit Iuſtinus martyr, *mens hominis ex malorum conſuetudine ſcabiem quandam ſibi acquirit, & multis malis ſuccis impletur.*

Piorum qui alii præſunt officium.

Hoc patrumfamiliarum, magiſtratus, & miniſtrorum verbi officium eſt, vt caueant, ne tales ferantur, quorum conuerſatione ſimplices reddantur deteriores. Paterfamiliâs nullum ſeruum debet ferre in ſua familia, qui pueris ſuis ſit ſcandalo. Magiſtratus gladio coercebit blaſphemos. Miniſtri verbi obiurgationibus primùm caſtigabunt impuros: quod ſi nihil iſta via proficiunt, debent eos eiicere de Eccleſia per excommunicationem, vt pij & ſimplices ſciant, quod ſibi cauere debeant ab iſtorum cõuictu. Quod autem huiuſmodi fugiendi ſint, docet & hoc Pauli dictum, 2. Theſſ. 3.6. Denunciamus autem vobis fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubducatis vos ab omni fratre, qui inordinatè ſe gerit, & non ex tradita doctrina quam accepit à nobis.

Confirmatio à teſt. Apoſtoli.

Hoc ergo ſit dictum infirmis, qui omnino ſibi cauere debent ab improborum conſortio. Verùm quantum ad eos attinet, qui bene ſunt inſtituti, & qui in officio ſunt publico, quorum intereſt oues errantes ad Chriſtum adducere: illi poſſunt, imò debent nonnũquam cum improbis conuerſari, ſicut Medicus conuerſatur cum ægroto, non vt ipſius ægroti ſcabie inficiatur, ſed vt ſua arte & curandi peritia eum ſanitati reſtituat.

Simile.

Ad eundem modum non modò licet, verum etiam neceſſitas officij & fides in miniſtris verbi requirit, vt improborum malitiam retegant, & ſanent quantum quidem fieri poteſt, verum ſi morbus fuerit incurabilis, ſequentur medicorum exemplum & quod curare non poſſint, amplius non curent, ſed Deo totam rem cum dolore committant.

DE SECVNDO.

Summa huius partis.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, &c. Hac parabola docet Chriſtus duo: Vnum, cur in mundum venerit. Alterum, quod ex priori pendet, cur conuerſetur cum peccatoribus, vnde ſequitur confutatio murmurantium Phariſæorum.

1. Cur Chriſtus in mundum venerit.

Cur in mundum venerit, docet exemplo paſtoris. Nam quemadmodum paſtor in deſertum vadit, vt quærat ouem amiſſam, ita Chriſtus in mundum venit, vt homines per peccatum in deſertum abductos quærat. Deinde quia officium eſt Chriſti, quærere peccatores, vt reuocentur ad ſalutem, quod ſanè fieri non poteſt, quin cum eis conuerſetur, hinc ſequitur improbandũ eſſe murmur Phariſæorum aduerſus Chriſtum, qui eum à legatione ſua abſterrere voluerunt, ne ſanarentur infirmi. Aptè ergo alibi teſtatur: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.

Partes parabolę de ouibus.

Hæc ſumma eſt parabolæ de ouibus, eandem rem proponit parabola de muliere quærente pecuniam amiſſam. Iam parabolam de ouibus particulatim videamus, quò nobis fiat dulcior, perſpecta Chriſti paſtoris ſolicitudine pro nobis.

Paſtor Chriſtus.

Homo ille habens cẽtum oues, Chriſtus Ieſus eſt, verus paſtor, qui animam ſuam pro ouibus poſuit, Iohan. 10.11.

Ouis errans, peccator cupiens recipi.

Per ouem errantem intelliguntur omnes, qui ſe in deſerto vagari intelligunt, id eſt, agnoſcunt ſe peccatores, & cupiunt recipi, ſicut hi publicani fecerunt. Agnouerunt ſe peccatores, audiuerunt famam de vero paſtore, atque ideo ab illo recipi voluerunt, dum audiunt: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos. Atque ita textus nobis paradigma ouis errantis proponit in publicanis, qui vocem Chriſti audientes ad ipſum veniunt, ac ſuum errorem agnoſcunt.

Per nonaginta nouẽ oues intellige omnes homines in

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Nonaginta oues: hypocritę iuſtitiarij

nes in mundo, qui cum hæreant in ſuis peccatis & damnatione, tamen hoc non animaduertunt, imò ſe iuſtos & beat. s putant, atque ideo Chriſtum audire recuſant. Putant enim ſe iuſtiores eſſe, quam vt Chriſto iuſto opus habeant. Putant ſe magis ſanos, quã vt Chriſti medici opera indigeant. Quod hi per nonaginta nouẽ oues intelligãtur, ipſe textus apertè conuincit. Nã nonaginta nouẽ oues conferuntur Scribis & Phariſæis, id eſt, hypocritis, qui ſe iuſtos gloriabãtur. Habemus quis ſit paſtor, quæ ſit ouis errans, & quæ nonaginta nouem non errantes. Iam videamus 1. Quando errare cœpit ouis. 2. Quando venit paſtor errantem quæſitum. 3. Quomodò inuentam reportet in ſtabulum, ſanet & paſcat. 4. Quid acciderit inuenta ouę.

Quando cœpit errare ouis.

Quando ergò errare cœpit ouis? Primum cum abducta eſt per lupum in deſertum. Hoc ęſt, cum Satan primos parentes à Deo abduxit. Deinde quoties reuocati homines à viis ſuis peſſimis ſunt rurſus inſidiis Satanæ abducti ab ouili. Ita & hodie, quoties a recta ſalutis via, vel in doctrina, vel in moribus flectimus, erranti oui comparamur.

Quomodo venit Chriſtus nos quæſitum.

Quomodo venit Chriſtus paſtor quæſitum ouem errantem? Venit primum in Spiritu, ídque in ſanctis Prophetis & Patriarchis, quoties eos excitauit, vt hominibus viam ſalutis monſtrarent. Sic venit miſſo Moſe, miſſo Helia, Heliſæo, Iſaia, & aliis multis. Deinde venit in carne, quando aſſumſit humanam naturam, & eſt pro nobis paſſus.

Quomodo nos portat in ouile.

Quomodo quærit, & quęſitam reportat in ſtabulum? Quærit errantem ouem prædicatione Euangelij, dum iubet prædicari Euangelium, & reportat in ſtabulum, quando credentes in Eccleſiam congregat. Subiit enim in deſertum, & inuentam ouem impoſuit humeris, hoc eſt, credentes in ſe merito ſuæ crucis in Eccleſiam perducit.

Quomodo ſanat & paſcit.

Quomodo reportatam ouem in ſtabulum ſanat & paſcit? Sanat omnes contritiones eius ſuo ſanguine, dum credentes in ſe abſoluit à reatu, & donat ſua iuſticia. Paſcit, dum donat eos Euangelij pabulo, & eos fouet ſuo Spiritu. Hæc beneficia paſtoris erga ouem errantem maxima ſunt.

De gaudio Angelorum.

Sed quid accidit inuenta oue? *Conuocat amicos & vicinos, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam quæ perierat.* Quid autem hoc ſit, exponit cum ait: *Dico vobis quod ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, plus quam ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.* Ecce quid accidit quando peccator pœnitentiam agit? Ipſi Angeli Chriſto paſtori congratulantur.

Cauſæ huius gaudij.

Gratulantur autẽ Angeli in cœlo propter tria. Primùm, quia homines cum illis conditi ſunt ad celebrandum Deum, quod non poteſt fieri ab illis, qui non agunt pœnitentiam. Illi enim omnes laudes Dei, quantum in ſe eſt, impediunt. Deinde, quia vident regnum augeri per acceſſionem nouorum ciuium. Tertiò, quia nihil magis illis gratum eſt, quam ſi videant regnum Satanæ aboleri, quod fit cũ homines pœnitentiam agunt. Sed quínam ſunt illi nonaginta nouem iuſti, qui non indigent pœnitentia? an vllus igitur eſt abſque peccato? Certe nullus eſt ſine peccato? Certè nullus eſt ſine peccato. Omnes enim aberrarunt & inutiles facti ſunt.

Triplices peccatores.

Sed peccatores ſunt triplices. Sunt enim peccatores, qui ſe iuſtos eſſe putant, & propterea dicuntur non opus habere pœnitentia, quod ſane de ipſorum de ſe ipſis iudicio eſt intelligendum, nam reuera nullus eſt, qui non indigeat pœnitentia. Deinde ſunt peccatores, qui ſciunt ſe habere peccata, & nihilominus pergunt in peccatis, non morantes accuſantem legem Dei. Sunt quoquoque peccatores, qui agnoſcunt peccatum, id eſt, oderunt peccatum, atque ideo agunt pœnitentiã, & confugiunt ad Chriſtum. Primum & ſecundum genus intelliguntur per nonaginta nouem: per tertium intelligitur vna errans ouis. Nonaginta nouem non agentium pœnitentiam ſimilitudinem referunt Scribæ & Phariſæi. Publicani referunt ouem illam vnam errantem.

Doctrina

Quid hic docemur? Maximam eſſe multitudinem eorum qui pereunt, & minimam eſſe quæ recipitur, id eſt, vix vnum ex centum ſingulis. Hinc illa Chriſti querela: Multi ſunt vocati, ſed pauci electi, id eſt, probi, qui vocanti Chriſto per ſuum Euangelium obtemperãt. Hoc in exemplis videmus.

Exempla

Ante diluuium maxima pars mundi ſecuta eſt Caini nequitiam, adeo quod tantum octo homines reperti ſint iuſti, qui per arcam ſaluati ſunt. Deinde rurſus per multos annos Melchizedech & Abrahã ſoli fuerunt pij fere. Pręterea ex magnis illis ciuitatibus Sodoma & Gomorrha & aliis, ſolus Loth cum ſuis filiabus euaſit, reliquis propter ſua peccata incendio interemtis. Neque aliter hodie fit, à plurimis contemnitur Euangelium, à pauciſsimis recipitur. Hoc ergò periculo admoniti agamus pœnitentiam, ne cum maxima partè ingratiſsimi mundi pereamus. Dominus clemens eſt ad nos recipiendos. Angeli expectant reſipiſcentiam, noſtra propria ſalus agitur, quam Chriſtus omnibus peccatoribus offert agentibus pœnitentiam, cui honor in ſecula, Amen.

DOMINICA QVARTA POST trinitatis, Lucæ 6.

Eſtote miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite cõdemnare, & non condemnabimini. Remittite, & remittetur vobis. Date & dabitur vobis. Menſuram bonam & confertam, & concuſſam atque exundantem, dabunt in ſinum veſtrum. Eadem quippe menſura, qua metimini, metietur alij vobis. Dicebat autem illis ſimilitudinem: Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadũt? Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum ſuum: perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut Magiſter ipſius. Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo proprio eſt, non animaduertis? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, ſine eijciam feſtucam, quæ in oculo tuo eſt, ipſe in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, eijce primum trabem ex oculo tuo, & tunc perſpicies, vt eijcias feſtucam, quæ eſt in oculo fratris tui.

ENARRATIO TEXTVS.

Huius concionis ſumma.

Hæc Chriſti concio pertinet ad tertiam pœnitẽtiæ partem. Scitis enim quod ſint tres partes: Contritio, Fides, & noua obedientia. Contritio peccatum agnoſcit, deteſtatur ac fugit. Fides ad Chriſtum confugit, qui à peccato liberat, & credẽtes iuſtificat. Noua obedientia verſatur in quatuor, quæ ſunt, pietas erga Deum, ſanctimonia vitæ cuiuſque apud ſeſe, charitas proximi, & diligentia vocationis ad quam quiſque vocatus eſt. Cum autem hæ ſint partes nouæ vitæ, proponit Chriſtus in hoc Euangelio exhortationem ad charitatem erga proximum, quam hîc per ſuas partes deſignat, & quoniam veluti prima eius proles eſt miſericordia erga proximum, hortatur ad miſericordiam, per quam intelligit omnia officia, quæ nobis alij aliis in hac vita debemus. Quicquid enim alter alteri debet, cum ſoluerit, non amplius debet, excepta vna charitate, quam non ita poſſumus reddere, quin ſemper ſimus debitores. Vnde Paulus Romanor. 13. Nihil cuiquam debeatis, niſi mutuam dilectionem. Vt autem hoc Euange- Partes.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

lium clarius intelligamus, duo dicam:

1. *Quæ ſint dilectionis ſeu miſericordiæ opera, quæ nobis hic commendantur.*
2. *Quæ ſint rationes, quibus Chriſtus nos hic hortatur ad præſtandam miſericordiam, id eſt, opera charitatis proximo.*

DE PRIMO.

Paraphraſtica enarratio cum obſeruatione doctrinarũ.

Eſtote miſericordes, &c. Cum filius Dei ſuos diſcipulos hortatur ad miſericordiam, ſignificat & quo affectu erga nos mutuo eſſe debeamus, & quod in hac vita ob multas infirmitates alij aliorum opera indigeant. Quod præceptum ſi hodie amplecterẽtur, qui Chriſtiani dici volunt, minus eſſet diſſenſionum, & minus calamitatum. Volumus quidem omnes diſcipuli Chriſti dici: ſed nemo vult facere quod præcipit. Famulus imperio ſui heri obedit, ancilla oculos ſuos habet intẽtos in matremfamiliâs: imò nemo eſt, qui non magis ſuis in mũdo ſuperioribus auſcultat, quam multi, qui Chriſtiani dici volunt, ſuo Chriſto Deo & ſaluatori obtemperant, qui pro illis pependit in cruce, & cœlum meruit? Sed quæ eſt cauſſa? quia verbis tantum ſunt Chriſtiani, non corde. Qui enim vere Chriſtianus eſt, nihil prius in votis habet, quam vt Chriſto ſuo, à quo & nomen & ſalutem habet, obtemperet. Quare vos moneo, vt depoſita illa carnali ſecuritate Chriſto obtemperetis, & diligenter obſeruetis ex hoc Euangelio, quæ officia à nobis erga proximos noſtros requirat. In genere quidem requirit dilectionẽ, ſicuti ait ad diſcipulos ſuos: Diligite vos inuicem, ſicuti ego dilexi vos: in hoc cognoſcent, quod diſcipuli mei ſitis, ſi vos mutuo dilexeritis. Nihil aliud hic requirit, cum ait: Eſtote miſericordes. Qui enim diligunt, miſericordes ſunt. Et qui ſunt miſericordes, diligunt: ita fons aquam, & aqua fontẽ oſtendit. Verùm ideo potius hoc loco Chriſtus vſus eſt miſericordiæ vocabulo, quia indolem veræ dilectionis monſtrat.

Miſericordiæ Chriſtianæ partes

Hęc miſericordia, quæ ex dilectione proficiſcitur, & à Chriſto ſuis diſcipulis in hoc Euangelio commendatur, quatuor partibus conſtat: quarum prima in ipſo corde eſt, quæ eſt candor & philanthropia quædam, quia & candide de proximo ſentimus, & ſemper meliora de ipſo ſperamus. Hunc candorem notat Chriſtus per contrarij remotionem, cum inquit: *Nolite iudicare*. Hinc Apoſtolus 1. Cor. 13. Charitas non cogitat malũ. Atque hic ſenſus primæ partis miſericordiæ eſt.

1. Candor

Obiectionis tacitæ dilutio.

Non eſt ergo quod quiſquã hoc dicto, *Nolite iudicare*, exiſtimet tolli vel iudicium de diſcrimine virtutum & vitiorum in hominibus, vel officium patrisfamiliâs, præceptoris, magiſtratus ciuilis & miniſtri verbi, vel debitam fraternam correptionem, qua alius aliũ errantem in viam ex mandato Chriſti reuocare debet: ſed tantùm libidinẽ animi, qua ſumimus nobis officium malè de aliis ſentiẽdi contra charitatis regulam.

Confirmatio dilutionis ab enumeratione partiũ vitæ, officij, rerum & diſciplinæ tũ Eccleſiaſticę, tum ciuilis.

Quantum enim ad iudicium attinet diſcriminis honeſtorum & turpium, regula eſt nobis Lex Dei firma & immota: Quicquid enim lex Dei dicit turpe aut honeſtum, id nos quoque tale iudicare debemus. Qualis enim eſſet inſenſibilitas iſta non diſcernere? Debemus ergo iudicare & diſcernere inter Neronis tyrannidem, & Fabricij clementiã: atque ita de cæteris. Patresfamiliâs habẽt mandatum inſtituendi proles ſuas in diſciplina & correptione Domini. Itẽ, Salomon vult parentes caſtigare ſuos pueros. Et Heli Sacerdos punitus eſt propterea, quod, cũ videret filios ſuos Ophni & Phinees malè ſe gerere, cum in cultu diuino, nã meliores partes ſacrificiorum furati ſunt, tum in vita, nam libidine ſe contaminârunt, nõ eos iudicio paterno caſtigarit. Hinc manifeſtum eſt, quod dictũ Chriſti nõ tollat patrumfamiliâs officium, quod ſane exercere non poſſunt ſine iudicio, & diſcrimine recte & ſecus factorum. Præceptores præterea quid facerent ſine iudicio? Alij enim diſcipuli ſunt verberibus cogendi, vt faciant officium: aliis ſufficit admonitio: illorum quidem ignauia caſtiganda: horum vero induſtria eſt laudanda. Hic quæſo nõ iudicio præditus eſſe debet pædagogus pius? Neque aliter de magiſtratu iudicãdum eſt: Punire debet malos, & tueri bonos, quod ſane fieri nequit ſine iudicio: & Deus cum approbat magiſtratum, manifeſte iudicium eius probat, cum ſine iudicio magiſtratus tantum inanis ſit titulus. Miniſtri verbi alios recipient in Eccleſiam, alios excludent, an non illis conceditur iudicandi facultas? alios conſolari debent, alios increpare: quod ſanè requirit magnum iudicium. Quantum ad fraternam caſtigationem attinet, manifeſta eſt præceptio Chriſti, Matt. 18. Si peccauerit frater tuus te conſcio, vade & argue eum inter te & ipſum ſolum. An non hic cuilibet Chriſtiano mandatur iudicandi officium? Ita ſane eſt. Quare cum Chriſtus dicit: *Nolite iudicare*, non tollit neceſſaria officia ſuperiorum in hac vita, nec eruit diſciplinam Eccleſiaſticam: ſed tantum cohibet petulantiam hominum, qui vel corrupto iudicio, male de proximis ſentiunt, vel citra fidem & charitatem ius cenſoriũ ſibi in alios vendicant, quòd vicium plerique cum inſectantur in aliis, ſibi impune permittunt. Vix vllus ſe iuſte excuſare poteſt.

2. Sermo benignus & moderatus de proximo

Secunda pars miſericordiæ, quam Chriſtus erga proximum requirit, notatur his verbis: *Nolite condemnare*, quo dicto requirit, vt benignè & amanter de proximo loquamur, renunciantes turpiſſimo illi vicio, quo proni ſumus de aliis male loqui, & eos innocẽter condemnare. Breuiter vult Chriſtus, vt voce & lingua noſtra quæramus proximi honeſtum nomen & incolumitatem. Pertinet quoque hoc dictũ ad priuatam condemnationem, qua alius alium ex malitia condemnat, non ad officia magiſtratus & miniſtrorum verbi, qui Dei ſententiam ex officio illis demandatam pronunciant ſæpe in malos. Sic Petrus Ananiam & Saphyram, vt eſt in Actis Apoſtolorũ, c. 5. condemnauit. ſic Paulus Alexandrum & Hymeneum, ſic Chriſtus pronunciauit ſententiam damnationis in hypocritas, cum diceret, Væ vobis Scribæ, Phariſæi & Hypocritæ: ſic cum condemnamus Antichriſtum, pronunciamus iudicium Dei in ipſum. Sed hîc caueat vnuſquiſque, ne ſine verbo Dei ex petulantia potius quam vero iudicio condemnet.

3. Condonatio offenſarum

Tertia pars miſericordiæ eſt, iniuriam ei qui nos offendit condonare. Hoc exigitur ex verbo *Dimittite*. Nam cum ſint multæ mutuæ offenſiones, quas ſi nobis inuicem non condonaremus, non poſſet vlla tranquillitas eſſe, imo rumperetur vinculum humanæ ſocietatis. Quàm hoc officium ſit neceſſarium omnibus piis, ex precationis forma, quam Chriſtus nobis præſcripſit, facile eſt iudicare, illic enim iubemur orare: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Hanc adiectionem, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, eſſe ſũmè neceſſariam, docet parabola de debitore decies mille talentorum, Matth. 18. Simile eſt, inquit, regnum cœlorum homini regi, qui ponit rationes cũ ſeruis ſuis. Quemadmodũ enim hic rex ſupplici ſeruo condonauit totum debitum, gratis ex mera liberalitate: Ita Deus pater, confugientibus in vera pœnitentia ad Chriſtum, condonat gratis ex mera liberalitate omnia debita, id eſt, peccata. Verùm ſicut rex ille ſeruum ingratum & durum aduerſus conſeruos, reuocat ad pœnam, & quod antea ſupplicanti

condo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

condonauit, iam à contumaci & duro in conſeruos repetit: ita Deus Pater poſtquam recepit gementes in gratiam, vult nos imitari ſuum exemplum benignitate erga proximum, vt ipſi in nos peccanti condonemus, idque exemplo Patris cœleſtis.

Reſp ad quæſtionem, An ob illatā nobis iniuriam proximos in ius trahere liceat.

Hìc oritur obſcura quæſtio. Si condonandum eſt iis, qui nos offenderunt, videtur conſequi, quod accuſare quenquam ob factam nobis iniuriam non liceat. Ad hanc quæſtionem ſic reſpondeo. Diſtinguēdū eſt inter ipſam accuſationem, & id quod homines mali accuſationi adiiciunt. Accuſare quidem per ſe non eſt vicioſum: nam Paulus 1. Corinth. 16. permittit Chriſtianis arbitros & iudicia. Deinde Euangelium non abolet politicam ordinationem. Præterea Deus in ſuo populo conſtituit iudices, qui cauſſam inter fratrem & fratrem iudicarent, quod ſane fieri non fuiſſet neceſſe, niſi licuiſſet accuſare. Certum eſt igitur, quod accuſare per ſe, modò læſus quis ſit, & iniuria affectus, nō ſit interdictum Chriſtianis. Verùm quantum ad id, quod homines accuſationi adiiciunt, vt ſunt multi vicioſi affectus, intemperantia, vlciſcēdi libido, inimicitia, pertinacia & ſimiles, ſciendum eſt, quod iſti affectus ſunt prorſus abiiciendi, modo Chriſtianus eſſe velit. Deinde diſcernendum eſt inter eum, qui læſit, ſeu rem tuam retinet, & deprecatur culpam, & reſtituit quod iniuria tenebat, & inter eum, qui te læſit & rem tuam retinet, & pergit lædere & rem tuam occupare. Vt illi deprecanti condones, Chriſti præceptum & charitas ſuadet: & hūc accuſes, & petendo non tam vindictam, quam magiſtratus defenſionem, Chriſtus permittit, & multi ſancti ſuis exemplis confirmant. Eſt præterea diſcernendum inter eum qui te ſolum offendit, & eum qui Deum offendit & Eccleſiam turbat. De illo intelligendum eſt Chriſti præceptum, non de hoc. Nam charitas Dei & proximi requirit, vt quantum potes, tollas quę cultū Dei impediunt, & ſcandalo ſunt Eccleſiæ. Breuiter, vera fides & charitas ſatis docebunt, quando accuſare ſit vicium, & quando rectè factum.

4. Conſilium & auxilium

Quarta pars miſericordiæ ſignatur hiſce verbis: *Date, & dabitur vobis.* Hoc præcepto exigitur, vt indigenti proximo conſilio & opere adſimus. Cōſilio, quoties illum à recto aberrare videmus: opere vero aliâs dando eleemoſynam largius, aliâs mutuando hilariter, etiamſi ſimile officium ab eo non expectemus. Nam mutuare cum expectatione alicuius officij viciſſim pręſtandi vulgare officium eſt, etiam inter Ethnicos & peccatores qui nondum ſunt in familiam Chriſti per Euangelium vocati. Hactenus de miſericordia, quam ex dilectione & Chriſti mandato debemus proximo, & de partibus eius quæ ſunt quatuor, videlicet: bene ſentire de proximo, bene de eodem loqui: erranti noxam condonare: & indigenti, conſilio & opere adeſſe: nunc breuiter de ſecundo loco dicemus.

DE SECVNDO.

Cur miſericordes nos eſſe oporteat.

Quinque argumētis vtitur Chriſtus in hac exhortatione ad miſericordiam & ad ea officia, quæ ſunt præſtanda proximo, quæ nunc ordine recenſebo.

I. Pater noſter cœleſtis eſt miſericors.

Primum notatur his verbis: *Sicut pater veſter miſericors eſt.* Id eſt, exercendo miſericordiam reſpicite ad Patrem veſtrum cœleſtem: debent enim parentum mores ac facta eſſe norma viuendi filiis. Cum ergo videmus Patrem noſtrum cœleſtem ſummè miſericordem eſſe, decet vt eius imitemur exemplū. In hoc argumento plures circumſtantiæ ſunt perpendendæ.

Circunſtantiæ huius rationis.

1. quod Pater noſter cœleſtis ſit omnipotens, nullius indigens, & tamen nobis miſeris tantam præſtiterit miſericordiam. 2. quod nos ſimus miſeri peccatores. 3. quod ille cœleſtis Pater nos ex mera miſericordia recipit in gratiam. 4. quod nos natura filij iræ eramus Eph. 2. c. 5. v. 3. quod hæc ſit eius volūtas, vt filij ipſius effecti, paternum imitemur exemplum. 6. vt quemadmodum ille nobis benefecit gratis: ita & nos aliis gratis præſtemus, quod niſi fecerimus, horribiliter peccamus. 1. contemnimus eius mādatum. 2. degeneramus ab ipſo. 3. polluimus nos ſceleribus, quæ ſunt opera filiorum Satanæ. 4. abiicimus fidem. 5. proximus noſter noſtra culpa miſer iacet, cuius miſeria tangi deberemus. Hæc perpendant qui Chriſtiani eſſe volunt.

II. Commoda quæ iuſte percipimus.

Secundum argumentum ſumitur ab vtilitate, quæ ad nos ipſos venit. *Nolite*, inquit, *iudicare, & non iudicabimini: Nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittetur vobis: Date, & dabitur vobis.* Hic partes illas miſericordiæ, quas requirit, promiſſionibus ſuis confirmat. Propoſitio officij eſt. *Nolite iudicare.* Promiſſio mercedis, ſeu confirmatio propoſitionis eſt: *& non iudicabimini*, & ſic de aliis. Senſus ergo eſt.

Textus paraphraſis.

Qui candidè de aliis ſentit, is quoque ſentiet idem ſibi ab aliis præſtari: qui bene de aliis loquitur, idem expectabit ab aliis: qui condonat benignè, is inueniet facilitatem ſimilem, ſi is aliquando offenderit: qui conſilio & opere indigentibus adeſt, is viciſsim indigens ſentiet auxilium, idque me efficiente. Verùm contrà: qui malè ſentit de aliis, idem expectabit: qui male loquitur, male audiet: qui iniuriā vindicat, iniuriam patietur: qui negat conſilium & opem indigenti, is quoque indigens fruſtra opem ab aliis expectabit.

III. Eorū qui male agunt cū in doctrina tum in moribus iudicium

Tertium argumentum his verbis proponitur: *Nū quid poteſt cæcus cæcum ducere? Nónne ambo in foueam cadunt?* Quaſi diceret: Quemadmodum ſe habet dux cæcus ad cæcum ducendum, ita ſe habet homo male docens & viuens ad eos quos doctrina & vita ducere deberet. Sed quando cæcus ducit cæcum, vterque in foueam cadit, proinde qui perperam docet & male viuit, & aliis & ſibi occaſio eſt lapſus. Vt igitur hoc malum vitetur, rectè agendum eſt cum in doctrina tum in moribus.

IIII. Imitatio Chriſti.

Quartum argumentum ſignatur his verbis. *Non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, perfectus autem omnis erit, ſi ſit ſicut magiſter eius.* Boni diſcipuli exemplum ſui magiſtri imitari debent. Proinde cum Chriſtiani ſunt diſcipuli Chriſti, decet vt vita & moribus, quantum quidem id fieri poteſt, eum exprimant.

V Chriſtianorū officium.

Quintum argumentum petitur à conſideratione propriorum erratorum: *Quid vides feſtucam in oculo fratris, &c.* Feſtuca in oculo fratris eſt erratum fratris leue, trabs in tuo eſt erratum magnum. Debet ergo vnuſquiſque ſua potius vitia conſiderare, quàm aliena, & prius ante ſuam ianuam, vt dici ſolet, purgare. Quod vt verè faciamus, donet nobis Chriſtus, cui cū Patre & Spiritu ſancto ſit honor & gloria in ſecula, Amen.

DOMINICA QVINTA POST trinitatis, Lucæ 5.

FActum eſt autem, cum turba immineret Ieſu, vt audiret verbum Dei, *& ipſe ſtabat iuxta ſtagnum Genezareth, & vidit duas naues ſtantes ad ſtagnum, piſcatores autem deſcenderant ex illis, & abluebant retia. Ingreſſus autem in vnam nauem, quæ erat Simonis, rogauit eum, vt à terra abduceret puſillum. Et ſedens docebat de naui turbas. Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem:* Duc in *altum, & laxate retia veſtra in capturam. Et reſpondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes,*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nihil cepimus,tamen tuo iuſſu laxabo rete. Et cum hoc feciſſent,concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt ſocijs, qui erant in altera naui,vt venirent & adiuuarent ipſos. Et venerunt,atque imple‑erunt ambas naues, ita vt mergerentur. Quod cum videret Simon Petrus, accedit ad genua Ieſu, dicens: Diſcede à me Domine, quia homo peccator ſum. Stupor enim circumdederat eum,& omnes qui cum illo fuerant, ſuper captura piſcium quos ceperant, ſimiliter autẽ Iacobum & Iohannem filios Zebedæi, qui erant ſocij Simonis. Et ait ad Simonem Ieſus: Ne metuas,poſthac homines capies. Et ſubductis in terram nauibus, relictis omnibus,ſecuti ſunt eum.

ENARRATIO TEXTVS.

De occaſione huius concionis.

Occaſio huius Euangelij hæc fuit. Turba auida verbi Dei eſt ſecuta Chriſtum quocunque perrexit, vt ipſum audiret, in quem cum turba veluti incumberet præ viſendi & audiendi ſtudio,cogitur nauem Petri ingredi,atque ex ea docere turbam. Verum vt

Summa.

ſuæ doctrinæ fidem faciat,iuſſit eis,vt retia demitterent,qui antea conqueſti erant,ſe tota illa nocte fruſtra laboraſſe,quod cum feciſſent,magnam multitudinem piſcium ceperunt, adeo vt ne duo quidem nauigia piſces caperent.Hoc miraculo confirmati ſpectatores,& doctrinam eius receperũt,& ipſius diuinam potentiam agnouerunt.Et cum Petrus miraculo edoctus metueret, erigitur à Domino, & accipit promiſsionem,quod poſtea eſſet futurus piſcator hominum.

Vſus.

Hæc eſt ſumma præſentis Euangelij, quæ cò pertinet,vt non ſolum exemplo huius turbæ doceamur,primum quærendum eſſe regnum Dei, verumetiam vt confirmemur de potentia Chriſti.Oſtendit enim Chriſtus,quod habeat curam ſuorum,declarat quòd nemo quicquam in ſua vocatione præſtare poſſit,niſi ipſe laboranti adſit,ac operi veluti manũ adhibeat,quemadmodum dicit,Ioan.15.5. Sine me nihil poteſtis facere.Et Pſalmus 127.1.ait: Niſi Dominus ædificauerit domum, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Loci quatuor.

1. *Neceſſitas audiendi Verbum* Dei *commendatur in exemplo huius turbæ, quæ adeo auidè Chriſtum audiuit.*
2. *Imago Eccleſiæ, Doctorum,& auditorum verbi.*
3. *Miraculum præſens,& eius vſus.*
4. *Exemplum Petri cùm in captura piſcium,tum in agnitione Chriſti imitandum.*

DE PRIMO.

De neceſſitate & modo audiendi verbi Dei

Factum eſt autem, cum turba irrueret ad eum, vt ipſum audiret. Exemplum huius turbæ docet, Euangelium auidè audiendum eſſe. Neque enim adeo auidè ſecuta fuiſſet hæc turba Chriſtum, niſi eius doctrinam ſummè neceſſariam eſſe intellexiſſet.Sequitur ergo Chriſtum hæc turba,nõ vt obſeruet ipſum, non vt in verbis comprehendat,non vt irrideat,quẽadmodum Scribæ, Phariſæi,& Hypocritæ fecc‑runt: ſed vt audiat verbum Domini, & ſalutis pane ſaturetur.

Cāuſa.

Eſt enim verbum Dei panis cœleſtis, cuius dulcedo eſt ſupra mel & fauum,vt in Pſalmo 19. dicitur. Concurrit igitur ad hæc verba tanquam famelici ad eum, qui largam aliquam Eleemoſynam diſtribuit:

Confirmatio à ſimili.

Idque non immerito. Quemadmodum enim corpus ſaturatur pane corporeo,quia eſt corporeum & ipſum, ita anima pane ſpirituali, qui eſt verbum Dei, alitur, ipſa enim ſpiritualis eſt. Deinde vt appetitus cibi eſt ſignum ſanitatis, & faſtidium eiuſdem,ęgrotantis & languentis corporis indicium eſt,ita appetitus verbi Dei eſt animæ bene ſe habentis ſignum, & contrà, verbi Dei faſtidium arguit animæ languentis ægritudinem.

Doctrina

Imitari ergo nos debemus (ſi nos verbi Dei faſtidium capit)eos, qui corpore ægro ſunt.Vt enim illi Medicos conſulunt,vt dato pharmaco conualeſcant,& cibum appetant,ita nos (ſi verbum Dei faſtidit & ad illud nauſeat anima noſtra)debemus Chriſtum medicũ quærere noſtris precibus,vt ille animas noſtras ſui verbi, hoc eſt, panis ſalutaris capaces reddat,ne fame verbi Dei deſtituti pereamus. Verbum enim Dei eſt cibus cœleſtis, hoc eſt,panis vitæ,& potus, de quo qui bibet, non ſitiet in æternum. Ioan.4.

Cur verbum Dei piis mentibus eſt neceſſarium, rationes quatuor.

Cæterum vt cum hac turba poſſimus eſurire panem vitæ, & ſitire potum cœleſtem, cogitanda eſt huius cibi neceſſitas, qua perſpecta,nemo non hunc cibum expetet, niſi qui ſuam ſalutem omnino non curat,occęcatus & dementatus à Diabolo.

1. Neceſſe eſt mori omnem animam,quæ ad finem vſque deſtituetur hoc cibo cœleſti. Nam primùm vitam conſequimur, quando ex verbo fidem concipimus. Deinde verbum eſt cibus fidei,quo ipſa alitur & nutritur. Hæc neceſſitas confirmatur Domini dicto:Qui non crediderit,morietur.Fides enim aliunde non eſt,quam ex auditu verbi,Rom.10.17.

2. Sine hoc cibo manet homo ſub ira Dei. Qui non credit (inquit Chriſtus) ira Dei manet ſuper eum.Ioan.3.36.

3. Hic cibus eſt, qui confortat ad vitam æternã. Hinc Paulus:Euangelium eſt potentia omni credenti ad ſalutem.Rom.1.16.

4. Vt vno verbo dicam, verbum Dei ſemen eſt incorruptibile, ſicut Petrus Apoſtolus docet, quo regignimur & naſcimur per gratiam filij Dei,qui antea propter primorum parentum peccatum & noſtrum nati eramus filij iræ. Vt ergo natura naſcimur filij iræ,id eſt,damnationis ad mortem æternam, ita gratia per ſemen verbi Dei naſcimur filij gratiæ, id eſt,benedictionis ad vitam æternam. Qui enim credunt,ſunt filij Abrahæ & hæredes promiſſionis. Proinde ſi ſalus animæ noſtræ,ſi euaſio mortis, iræ Dei, & damnationis,ſi dignitas, qua adoptamur in filios Dei,nos moueat,ſimus auidi verbi Dei, illud audiamus & conſeruemus,ídque non ſolùm exemplo huius turbæ,verumetiam totius Eccleſiæ, quæ nihil magis expetit,quam ſatiari hoc verbo Dei.

DE SECVNDO.

Imago docentiũ & audiẽtium verbum Dei.

Aſcendens Ieſus vnam nauim,in qua ſedens docuit turbam ſtantem in littore. His verbis pulcherrimè pingitur ſtatus Eccleſiæ militantis & fluctuantis in hoc mundo, in qua pictura obſeruanda ſunt tria: Nauis ipſa,Chriſtus ſedens in naui, & turba ſtans in litore. 1. *Nauis* ipſa adumbrat Eccleſiam. 2. *Chriſtus* notat omnes ſinceros Doctores, 3. *Turba* ſtans in litore ſignificat verbi auditores. Iam quemadmodum nauis in mari orta tempeſtate horribiliter concutitur,ita nihil in mundo magis concutitur quã Eccleſia,id quod totius mundi hiſtoria docet.

Nauis, i. Eccleſiæ agitationes.

Quam triſtis fuit concuſſio huius nauis, quando Cain ſuum fratrem occidit? Deinde in Sodoma ſanctus Loth,& Abraham in peregrinationibus ſuis. Pręterea Eccleſia Dei quantum eſt concuſſa primum in Ægypto,& deinde 40.annis,vt taceam de perſecutionibus, quas Eccleſia perpeſſa eſt omnibus tẽporibus, ſub iudicibus,ſub regibus,in captiuitate Babylonica. Et vt omittam alia,de noſtro tempore dicam, quantum cõcutitur Eccleſia ab iis, qui volunt ciues Eccleſiæ videri,alij hæreſibus, tanquam horrendis tempeſtatibus ab ipſo Diabolo emiſſis,in eam impetum faciũt.

Q‑id

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Quid non Sacramentarij,quid non alij Sectarij, Ana baptiſtæ, libertini faciunt, vt hanc nauiculam Petri euertant? Pontifices eam hæreſeos condemnant. Iudæi deridêt, Turca aſpernatur, ciuilis magiſtratus apud multos ſeditionis eam inſimulat,quemadmodũ in hiſtoria impij Achab legimus,qui Heliç ſanctiſſimo Prophetæ hæc verba obiecit: An nõ is es qui turbas Iſraël? Quid dicam de noua inuadendi Eccleſiã ratione,quam ipſi inuenerunt qui Euangelici eſſe & dici volunt? Impiè & ſacrilegè bona, quæ pertinent ad conſeruandum miniſterium verbi, conuertunt in prophanos vſus. Atque adeo Satanas cum omnibus ſuis membris in hoc incumbit,vt fluctuantem Chriſti Eccleſiam euertat, ſed fortior eſt Chriſtus, quam vt portæ inferorum aduerſus eum præualeant.

Miniſtrorum verbi pericula.

Dixi de Eccleſiæ fluctuatione,vnde & quanta ſint miniſtrorum verbi pericula facile eſt intelligere. Vt enim Chriſtus in naui ſedet,ita & illi maximam periculorum molem ſuſtinent, & multi ad grauiſſima rapiuntur ſupplicia. At turba ſtat in litore,hoc eſt, maxima pars auditorum ſunt extra periculum, nam cum oritur aliqua tempeſtas; vel ſe occultant, vel prorſus diſcedunt. Hæc ſint breuiter de concuſsione Eccleſiæ dicta.

DE TERTIO.

Miraculũ à Chriſto editum.

Et dixit Dominus ad Simonem: *Duc in altum, & demitte retia ad capturam. Tunc reſpondens Simon, ait illi: Magiſter, per totam noctem laborantes nihil cepimus, tuo tamen iuſſu laxabo rete. Et cum hoc feciſſent, concluſerunt multitudinem copioſam, &c.* Hæc deſcriptio miraculi eſt: Petrus deſperãs de piſcibus, iuſſu Chriſti demittit rete, & cepit copioſam multitudinem, ita vt duo nauigia eos ferre non potuerint. Etſi autem hoc miraculum editum eſt, cum ad confirmandam doctrinam Chriſti,tum ad fidem ſpectatorum roborandã: tamen ſuo quodam modo ad nos quoque pertinet. Nam quicquid præſcriptum eſt, in noſtram doctrinam præſcriptum eſt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Dicam itaque quomodo nobis ſeruiat præſens miraculum.

Vſus miraculi.

Certificat nos de veritate Euangelij.

1. Certificabit nos hoc miraculum de veritate Euangelij: eſt enim veluti authenticum ſigillum, quo Deus Pater Euangelium filij ſui obſignat. Nam quidquid miraculorum Chriſtus, Propheteç, Apoſtoli vnquam ediderunt, eò ſpectant, vt doctrinam confirment. Ita & in Marco, & in Epiſtola ad Hebræos legimus: Marcus ait cap.16.20. Dominus cooperatus eſt Apoſtolis, & confirmabat verbum ſequentibus ſignis. Ad Hebr.2.4. Doctrina ſalutis confirmata eſt Deo conteſtante ſignis & prodigiis, & variis efficaciis, & Spiritus ſancti diſtributionibus.

Chriſtus eſt omnium Dominus.

2. Hoc præſens miraculũ conuincit, quod Chriſtus non ſolum ſit hominum terræque Dominus: ſed etiam maris: vnde fides noſtra hanc concipiet fiduciam, vt ſtatuat nihil vel in mari poſſe huic potenti Domino reſiſtere, quin poſſit ſuos potenter ab omni periculo eripere: ſicuti Ionam Prophetam ex ore ceti eripuit ſua diuina virtute. Non eſt igitur quod formidemus vel Diabolorum vel hominũ, vel mortis crudelitatem, modò viua fide in Chriſtum recumbamus. Vnde Iohannes: Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides veſtra. 1. Iohan.5.4.

Laboris noſtri incrementũ & benedictio à Chriſto. Ideo dãnantur.

3. Ad hæc docet præſens miraculum, vnde laboris noſtri benedictio & incrementum rerum proueniat. Petrus tota nocte laborauerat, ſed fruſtrà. Quare? quia benedictionem ex ſua induſtria, & non ex fonte benedictionis Chriſto quæſiuit. Verum poſtquam iuſſu Chriſti ſoluit retia, cepit magnam piſcium multitudinem, quo docemur, quod omnis benedictio ex verbo Chriſti pendeat. Contra hoc peccant quatuor genera hominum.

Increduli.

Primum increduli, qui exiſtimant omnem benedictionem pendere ex proprio labore, aduerſus quorum ſtulticiam Dauid cecinit Pſalmum: Niſi Dominus ædificauerit domum, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.

Impij.

Deinde impij, qui ex vſuris & malis artibus, hoc eſt, ex benedictione Satanæ putant rerum & ſubſtãtiarum prouenire incrementa: & profecto multi videntur inde diteſcere. Sed contrà Salomon dicit: Benedictio Domini diuites facit. Neque enim ſtatim aliquis rectè diues dicitur, cum multa poſsideat. Aliud eſt panis, aliud robur panis. Multi panem habẽt, & alia bona: quorum alij iis vti non poſſunt, alij iis ad luxũ & ſuperbiam abutuntur: alij inde ſe quotidie ingurgitant: alij ſunt inſtrumenta libidinum & tyrãnidis exercendæ. Qualis, quæſo, hæc eſt benedictio? Contrà pius qui mediocres habet facultates, ſuis rebus vtitur in gloriam Dei, ſubſidium aliorum, & prędicat datorem bona conſcientia.

Vocationis deſertores & ocioſi.

Tertium genus hominum, qui hîc peccant, eorũ eſt, qui poſtquam audierunt ex benedictione Domini rerum incrementa eſſe, fiunt remiſſiores, & negligunt ſuæ vocationis laborem, cum Dauid in Pſalmo 128.1. contrà dicat: Beatus vir qui timet Dominum, & in mãdatis eius volet nimis, labores manuum tuarum manducabis: Beatus es, & bene tibi erit. Hic Dauid rerum ordinem præſcribit agendi. Primo loco eſt timor Dei. 2. deſiderium & ſumma voluptas in Dei mandato. 3. labores vocationis commendantur. 4. additur promiſſio: & bene tibi erit. Hanc regulam ſi multi ſequerentur hodie, ſentirent Domini benedictionem.

Ingrati.

Quartum genus hîc peccantium, eorum eſt, qui nec Deum inuocant, quando eius benedictione vtuntur: nec eius auxilium implorant: nec agunt ipſi gratias pro ſua benedictione.

Doctrina.

Diſcamus ergo hic ex præſenti miraculo, & laborandum eſſe, & laboris ſucceſſum & benedictionem à ſolo Deo eſſe, in quocunque ſtatu aliquis fuerit. Si quis præſit aliis, vt magiſtratus, præfectus, paterfamiliâs ita cogitet, laborem ſtrenue in timore Dei: Deũ colam, & inuocem, vt meis laboribus adſit. Colonus quando arat ſuum agrum, quando ſeminat, quando conuehit in horreum, Deum habeat præ oculis, ſciat omnem benedictionem à Domino eſſe, illum inuocet, vt ſibi laboranti adeſſe velit; & benedictionem ſuam largiri: Ita etiam concionator faciat, doceat, admoneat, exhortetur: ſed iuſſu Chriſti in timore Dei.

Obiectio. Reſpõſio.

Sed obiicies forte: ego officiũ facio, colo agros, prædico Euangelium, inſtituo familiam, ſed fruſtrà. Nullum habet ſucceſſum mea induſtria. Diſce hic à Petro quid tibi deſit. Petrus laborauit fruſtra, donec aſſumſit Chriſtum in nauem ſecum. Proinde tu exemplo Petri credito Chriſto, laborato, & videbis benędictionem Domini.

Alia obiectio. Reſpõſio, teſtimonio & exemplis munita.

Sed video (ais) peſsimos quoſque fortunatiſsimos eſſe, & contrà pios ſæpe video miſerrimos. Reſpondeo. Reſpice finem. Quare hoc reſponſum Dauidis, quod eſt in Pſal.37.35. Obſerua. Vidi (inquit) impium fortem & vireſcentem, inſtar lauri viridis, & tranſiui, & ecce non fuit, & quæſiui eum, & nõ eſt inuentus. Ita omnis gloria impiorum eſt veluti fumus pertranſiens. Contrà qui timet Dominum non commouebitur in æternum. Exempla habemus: Vbi quæſo nunc ſunt Gigantes illi glorioſi? abſorpti ſunt diluuio. Vbi diues epulo? in tormentis iacet. Contrà, vbi Abraham? vbi Dauid? vbi pauper Lazarus?

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

In cælo,vbi vera beatitudine fruuntur:horum beatitudine inuitemur.

DE QVARTO.

Quid in Petri facto nobis proponitur imitandum.

Quod cum videret Simon,procedit ad genua Ieſu , dicens: Exi à me, Domine,quia homo peccator ſum. Hic vide quid Petro & ſociis eius acciderit ex iſta piſcium captura. Petrus timet horribiliter,& iubet Chriſtum à ſe exire. Quid an non potius debuiſſet dicere: Mane apud me Domine,vt felix ſit nobis piſcatura? Petrus vt ſe peccatorem miſerum :ita Chriſtum ex miraculo iuſtum & diuina potentia præditum agnoſcit. Quare & ipſe ad genua procumbit. Cupiunt quidē homines Dei præſentiam, ſed mox vbi adeſſe intelligitur,conſcientia eos reos peccati peragente, fugiunt & timent , donec diuina voce eriguntur, & ſentiunt contra peccati conſcientiam conſolationem: quemadmodum hic Dominus timentem erigit , dicens : Noli timere,ab hoc tempore homines capies. Hic non ſolùm erigit Petrum,verumetiam eum elegit in Apoſtolum,vt ſuo tempore verbo prædicationis homines capiat. Nam vt piſces reticulo:ita homines verbo prædicationis capiuntur, & de mari peccatorum in Eccleſiam Chriſti colliguntur,vt non moriantur: ſed vt æternum beati viuant , per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum,cui honor,laus,& potentia in ſecula ſeculorum,Amen.

DOMINICA SEXTA POST trinitatis,Matth.5.

Dico vobis , Niſi abundauerit veſtra iuſticia pluſquam Scribarum & Phariſæorum,non poteſtis ingredi in regnum cælorum. Audiſtis quod dictum ſit veteribus: Non occides. Quiſquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico vobis, quod quiſquis iraſcitur fratri ſuo temere,obnoxius erit iudicio. Quicunque verò dixerit fratri ſuo, Racha,obnoxius erit concilio. Quiſquis autem dixerit,fatue,obnoxius erit gehennæ incendio. Itaque ſi obtuleris munus tuum ad aram , & illic recordatus fueris,quod frater tuus habeat aliquid aduerſus te, relinque illic munus tuum coram altari, & abi,prius concilieris fratri tuo,& tum veniens offer munus tuum. Habeto beneuolentiam cum ad..erſario tuo citò, dum es in via cum illo, nequando te tradat aduerſarius iudici,& iudex te tradat miniſtro,& in carcerem conijciaris. Amen dico tibi, non exibis illinc,donec perſolueris extremum quadrantem.

ENARRATIO TEXTVS.

Summa & vſus concionis in monte,ex qua deſumptus eſt hic textus.

Hic textus eſt pars Concionis,quam habuit Chriſtus in monte ad diſcipulos,quos recens elegerat , in qua,vt ſummatim dicam,eos docet,quod non ſoluēdæ legis gratia venerit,ſed implendæ. Et quoniam Phariſæi legis interpretes peruerſè & malè legem Dei interpretati ſunt , Chriſtus eorum errorem corrigit,ac legem interpretatur. Illi enim legis doctrinam ad externa facta pertinere putarunt,cōtrà,Chriſtus ad intimos animorum receſſus eam pertinere conuincit. Deinde præſcribit Chriſtus in eadem concione formam Eleemoſynæ dandæ,ieiunij rationem & precandi modum. Quæ omnia eò ſpectant,vt homines intelligāt,quàm procul abſint à legis Dei perfectione , & quam neceſſarius fuerit Chriſti aduentus,in quem omnis qui credit,vindicatur à iure legis damnationis. Hæc ſint dicta de ſumma concionis Chriſti,quam habuit in monte. Verum particula eius concionis, quæ hoc die in Eccleſia proponitur, ſicuti audiuiſtis , reprehendit Phariſaicam iuſticiam, & propoſito legis quinto præcepto , oſtendit quantum aberrarunt in interpretando legem Phariſæi.

Argumentum concionis nunc explicatæ.

Nam vt hi putarunt ſatis eſſe hominem manu non occidere:ita Chriſtus nō ſolum reos huius legis pronunciat,qui homicidium externum committunt:verumetiam omnes,qui cogitant aliquid aduerſus proximum,ſicuti mox audiemus. Loci duo.

1. *De triplici iuſticia,Phariſaica,Legali, & Chriſtiana.* Partes.
2. *Explicatio quinti præcepti.*

DE PRIMO.

De triplici iuſticia

Niſi abundauerit iuſticia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Vt hæc rite intelligamus,neceſſe eſt dicere de triplici iuſticia: de Phariſaica,quam Chriſtus hic reprehendit. de Legali iuſticia , quam Deus ſua voce nobis commendat:& de Chriſtiana iuſticia,qua ſola conſiſtimus coram Deo.

Phariſaica.

Phariſaica iuſticia deſcribitur Mat.15. cuius deſcriptionis hæc ſunt peculiaria capita. 1. Accuſant Chriſtum:tantum abeſt , vt eum redemtorem agnoſcant. 2. Omnia faciūt in hoc , vt ſpectentur ab hominibus, ſunt hypocritę,apparent foris religioſi & ſancti:cum interim ſint hoſtes Dei & omnium piorum , quos vt rabioſi canes inſectantur. 3. Irrita faciunt præcepta Dei propter traditiones hominum. Nam in locum præceptorum Dei ſubſtituunt mandata hominum. vt Deus ab illis colatur velit nolit. Hæc maxima cōtumacia in Deum eſt. Nam hic non ſolum contemnitur Deus,& plus tribuitur humanæ ſtulticię,quam ſapientiæ Dei : verumetiam traditionibus humanis ſtudium pietatis erga Deum aboletur,& opera charitatis extirpantur. 4. Appropinquant Deo labiis,& cor eorum longe eſt ab illo. 5. Dicuntur comedere domos viduarum , dum eas ſub ſanctimoniæ ſpecie auare ad ſe pertrahunt. 6. Amant primos accubitus, quare notatur eorum ſuperbia. 7. Claudunt regnum cœlorum ante homines,dum falſa interpretatione legis homines à fide Chriſti abſtrahunt. 8. Sunt ſimiles ſepulchris dealbatis,vt Chriſtus ait: foris enim apparent ſancti , intus verò ſcatent impuris affectibus. Exemplum habemus in Phariſæo , qui aſcendit in templum cum publicano , qui non ſolum gloriatus eſt de ſuis bonis operibus,ieiunio & decimis:verumetiam proximo ſuo detraxit,ita apertè totam legem Dei primam & ſecundam tabulā tranſgreſſus, & nihilominus putauit ſe iuſtum , & ſuis operibus meruiſſe cœlum. Ex his quę hactenus dicta ſunt,hanc iuſticiæ Phariſaicæ deſcriptionem poſſumus colligere.

Eius deſcriptio.

Iuſticia Phariſaica conſiſtit in externis moribus , vacans timore Dei & fide in Deum , quæ vt à Deo pro ſuis operibus cœlum expectat:ita ab hominibus larua fictæ ſanctitatis laudem venatur. Non eſt igitur mirum,quod Chriſtus dicat: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non ingrediemini in regnum cælorum.* Hęc ſint dicta de Phariſaica iuſticia:iam de legali iuſticia pauca dicamus.

Legalis.

De legali iuſticia quatuor dicam. 1. Quid ſit. 2. An quiſquam iuſtificetur lege. 3. Quis ſit vſus legis. 4. Quomodo lex credentibus in Chriſtum ſit abrogata.

1. Quid ſit

Iuſtitia legalis eſt obedientia perfecta, pura & perpetua erga legem Dei:ſeu eſt perpetua & perfecta dilectio Dei & proximi. Ita enim Lex dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde , ex tota anima,ex omnibus viribus, & proximum tuum ſicut te ipſum. Neque enim lex Dei,quæ eſt regula iuſticiæ legalis, requirit externam obedientiam tantùm, ſed ab omni homine requirit perfectam , puram & perpetuam obedientiam erga Deum , & ſimul pro-

Definitionis explicatio.

mittit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mittit vitam & ſalutem obedientibus,& comminatur mortem æternã hanc obedientiã non præſtãtibus. Nõ eſt cõtẽta externa larua,ſed requirit cor purũ,affectus congruentes cũ lege Dei,voluntatem prõtiſsimam erga Deum. Deinde,in omnibus viribus, interioribus & exterioribus planam & perpetuam harmoniam congruentem ad voluntatem Dei. Huiuſmodi iuſticiam à lege requiri patet ex interpretatione Chriſti & ex illo Pauli dicto: Lex eſt ſpiritualis,ego autem carnalis: requirit ergo ſpiritualem obedientiam.

2. Nemo iuſtificatur lege.

Habemus qualis ſit legis iuſticia: iam ſecundo loco quæritur, an vllus in toto humano genere hac legali iuſticia poſsit iuſtificari. Ad quam quæſtionem ſimpliciter reſpondeo, quod nemo vnquam poſt lapſum Adæ extiterit præter ſolum Chriſtum, qui legis obedientia eſt iuſtus factus coram Deo, id quod quatuor rationibus confirmabo.

Rationes.

Prima. Natura humana eſt impura & peccati cõtagione fœdata,nõ ergo magis poteſt producere puram obedientiam erga Deum, quàm turbulentus & fœdatus fons producit puram & limpidam aquam: & quam arbor putrida bonos fructus producat. Vnde Ieſa.64.6.clamat,Omnem iuſticiam noſtram eſſe ſimilem impuriſsimo panno.

Secunda. Omnes homines experiuntur, obedientiam,quam præſtat erga legem Dei, habere quatuor conditiones cum lege Dei pugnantes. 1. hominum obedientia eſt temporanea,ſed lex Dei requirit perpetuam. 2. eſt contaminata. Impurum enim eſt cor hominis,vnde proficiſcitur. 3. eſt imperfecta: nõ enim præſtatur iuxta exactam legis regulam. 4. eſt fucata malis opinionibus.

Tertia. Scriptura disertè pronunciat nullum iuſtũ eſſe lege, ne vnum quidem. Rom.3.10. Et Dauid inquit, Pſal.130.3. Si iniquitates obſeruaueris Domine, quis ſuſtinebit? Itẽ, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo (ſcilicet opera legis) vllus homo per Pſal.143.2.

Quarta. Si iuſtificari poſſent homines ex operibus legis, non opus haberemus iuſticia Chriſti. Hinc Paulus Gala.2.21. Si ex operibus eſt iuſticia, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Eſt enim ille mortuus propter peccata noſtra, & excitatus propter iuſtificationem noſtri. Rom.4.25. Hinc iam patet,quod nullus habeat eam iuſticiam,quam lex requirit.

3. Vſus legis triplex.

Iam ſequitur tertia quæſtio de vſu legis, quis ſit. Vſus legis diuinæ eſt triplex: ſcilicet externus, internus & ſpiritualis. *Externus* pertinet ad hunc externum hominem, vt honeſte in hac vita viuamus, quẽ vſum habet communem cum ciuilibus & humanis legibus. *Internus* pertinet ad veterem hominem: nam nobis lex reuelat iram Dei monſtrato peccato. *Spiritualis* vſus pertinet ad nouum hominem, vt fide inchoemus obedientiam Deo præſtare ſecũdum ſuam legem, quantum quidem fieri poteſt in hac corruptione,quæ obedientia Deo grata eſt propter fidem in Chriſtum.

4. Quomodo lex credentibus in Chriſtum ſit abrogata.

Sequitur quarta quæſtio. Cum enim pia mens audit legem pronunciare maledictos omnes, qui non præſtant legi perfectam obedientiam, incipit legis ſententiam metuere. Hic proinde ſciẽdum eſt,quod Dei lex ſit piis abrogata & prorſus abolita, quantum quidem ad maledictionem attinet: Chriſtus enim maledictionem legis in ſe pro nobis,modò in Chriſtum credimus,recipit. Vnde Paulus, Gal.3.13. Chriſtus factus eſt pro nobis maledictum. Et Ioh.3.36. Omnis qui non credit in Filium, ira Dei manet ſuper eum. Et in Epiſtola 1.ca.1.7. Sanguis Ieſu Chriſti emundat nos ab omni iniquitate, id eſt, à maledictione, quæ nobis pro iniquitate noſtra deberetur.

Atque ita habemus breuiter dictum, quænam ſit legalis iuſticia: quod legis operibus nemo iuſtificetur. Quis ſit legis vſus: & quatenus lex Dei abrogata ſit. Nunc de iuſticia Chriſtiana pauca dicenda ſunt, vt intelligamus,qua in re Phariſaicæ præferenda ſit.

Iuſtitia Chriſtiana.

Iuſticia Chriſtiana eſt obedientia Chriſti,credenti imputata. Iuſtus enim Euangelicè is dicitur, cui Deus peccata condonat, & imputat iuſticiam Filij ſui,& acceptat gratis ad vitam æternam. Quicunque enim credit in Chriſtum, dum à reo fit non reus, & ab iniuſto fit iuſtus ob Chriſti iuſticiam ſibi imputatam, dicitur iuſtificari. Quod autem iuſticia Chriſti imputetur credenti, probatur multis ſcripturæ dictis. Qui credit in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides eius ad iuſticiam. Et Rom.ca.5. Quemadmodum inobedientia vnius hominis multi conſtituti ſunt peccatores. Ita obedientia vnius Ieſu Chriſti multi conſtituuntur iuſti. 2.Corinth.5. Eum qui non nouit peccatum,fecit peccatum,vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo. Quod autem ad hanc Euangelicam iuſticiam non requirantur opera legis, probant multa teſtimonia. Rom.3. Arbitramur hominem fide iuſtificari abſque operibus legis. Et Gal.2. Scimus quod non iuſtificetur homo ex operibus legis,ſed ex fide Ieſu Chriſti,& nos in Ieſum Chriſtũ credimus, vt iuſtificaremur ex fide, & non ex operibus legis.

Imputatur credẽti. — Sine operibus legis.

Eius definitio.

Hinc iam concluditur, quod iuſtificatio Chriſtiana ſit credentis perſonæ in Chriſtum abſolutio à peccato, imputatio iuſticiæ Chriſti,& acceptatio ad vitam æternam gratis propter Chriſtum.

Diſcrimẽ inter iuſtitiam Euangelij & legis.

Hæc breuiter ſint dicta de triplici iuſticia: nunc pauca addam de diſcrimine: & primum dicam, quomodo Chriſtiana iuſticia differat à legali iuſticia. Deinde quomodo à Phariſaica.

Primum ergo diſcrimen inter legalem iuſticiam & Chriſtianam eſt, quod legalis ex operibus legis ſit: Euangelica vero ſine operibus legis. *Secundum*, quod legalis ſit operantis, & Euangelica ſit credentis. *Tertium*, quod legalis nõ imputetur gratis,ſed ſit ex merito propriæ obedientiæ: Euangelica verò imputetur ſine merito propriæ obedientiæ. *Quartum*, quod legalis ſit formalis, vt quæ ex iuſtis actionibus hominis formetur: Euangelica vero imputatiua ſit, cùm iuſtæ Chriſti actiones credenti imputantur.

Proinde *iuſtificari* dicitur legaliter, qui ab iniuſto fit iuſtus ob ſuam iuſticiam & legis impletionem, iuxta illud, Qui fecerit ea homo, viuet in eis. Sed *Euangelicè iuſtificari* dicitur, qui à reo fit non reus ob iuſticiam Chriſti, quę fide apprehenditur. *Iuſticia legalis* eſt perfecta obedientia hominis erga legem Dei, ſed Chriſtiana ſeu *Euangelica iuſticia* eſt obedientia Ieſu Chriſti, imputata credenti. *Iuſtus legaliter* eſt, qui iuſtè agit iuxta legis ſententiam: ſed *iuſtus Euangelicè* dicitur, cui Deus peccatum condonat, imputat iuſticiam Chriſti,& acceptat ad vitam æternam gratis propter Chriſtum. *Iuſtificatio legalis* eſt approbatio hominis coram Deo ob integritatem & perfectionem ſuæ obedientiæ erga legem Dei: ſed *iuſtificatio Chriſtiana* ſeu Euangelica, eſt approbatio hominis coram Deo ob integritatem & perfectionem obedientiæ Chriſti erga Deum patrem.

Diſcrimẽ inter iuſtitiam Euãgelicam & Phariſaicam.

Habemus diſcrimen inter iuſticiam Chriſtianam & legalem: nunc videamus, quomodo Chriſtiana iuſtitia Phariſaicam iuſticiam excedat. Excedit autem Chriſtiana iuſticia Phariſaicam his quatuor: Cauſa qualitate, effectu, fine.

Cauſa Chriſtianæ iuſtitiæ eſt Deus, Chriſti meritum,& fides apprehendens oblatum beneficium: ſed cauſſa Phariſaicæ iuſticiæ eſt hypocriſis hominis, ignorantia iuſticiæ Dei,& externa traditionum hu-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

manarum obſeruatio.

Qualitas iuſticiæ Chriſtianæ eſt in Chriſto obedientia & impletio legis:ſed iuſtitiæ Phariſaicæ qualitas externa tantùm larua eſt fictæ & mentitæ ſanctimonia.

Effectus iuſtitiæ Chriſtianæ eſt nouitas ſpiritus, timor Dei,vera pietas,inuocatio,vera humilitas, patientia,& inchoata obedientia erga legem Dei,adeo quod iuſtificatus homo, nihil magis in votis habeat, quam vt Deo obtemperet.Breuiter,ſumma eius voluptas in lege Domini eſt, poſtquam ſcit damnationem ſublatam eſſe Chriſti merito: ſed iuſtitiæ Phariſaicæ effectus, eſt ſuperbia, gloriatio coram Deo, ſuperſtitio,contemtus proximi.Breuiter,talis eſt fructus, qualis arbor. Non enim poſt mala arbor bonũ fructum facere.

Finis iuſticiæ Chriſtianæ eſt habere pacem cum Deo,acceſſum ad Deũ,gloriã Deo tribuere,& tandẽ vitam æternam conſequi gratis propter Chriſtum: ſed finis Phariſaicæ iuſticiæ eſt ſibi ipſi laudem tribuere, Deo eripere, & apud homines gloriari,quam tandem ſequetur horribilis pœna,niſi fiat ad Dominum conuerſio. Hæc iam ſint dicta de triplici iuſticia & earum differentiis, quas tenere admodum vtile eſt.

DE SECVNDO.

Præcepti, Non occides, expoſitio vera.

Quintum præceptum,Non occides,interpretatur Dominus,vt Phariſæorum falſam interpretationem confutet.Illi tantum putauerunt externum homicidium prohiberi:at Chriſtus penitius legem introſpicit, & tria alia addit præter externum homicidium. *Audiuiſtis* (inquit) *quod dictum ſit antiquis: Non occides. Quiſquis autem occiderit,tenebitur iudicio*, id eſt, quicunque hominem occiderit, reus erit coram iudicio:loquitur enim hic de externo homicidio & eius pœna, quæ eſt damnatio ciuilis per legem, Iudicium dicebatur,in quo Triumuiri ſedebant, quando cauſarum diiudicatio erat facilis. Qui enim externũ homicidium manu perpetrauit, ſententia legis reus erat mortis,quam ſententiam pauci potuerunt pronunciare. Hic tantùm loquitur de iudicio humano ex legis ſententia. Iudicium enim ſpirituale ſatis notũ fuit,quod erat maledictio.Sequitur interpretatio.

Ira,genus homicidij.

At ego dico vobis: Qui iraſcitur fratri ſuo,reus eſt iudicio.Hic iram ponit inter genera homicidij. Hanc prohiberi quinto præcepto non animaduertunt Phariſæi.Quare dicit:*At ego dico vobis*,quaſi diceret Phariſæi volunt, quod ſolus is violet quintum præceptũ qui manu ſua occidit hominem: ſed ego dico vobis, quod plus requirat iſta lex. Nam prohibet etiam iram, quæ non proficiſcitur ex iuſta cauſa, & tendit ad bonum finem.

Proximi contemptus, genus homicidij.

Deinde addit & aliud peccatum quinti præcepti: *Et quicunque dixerit fratri ſuo Racha*,id eſt,qui vllo ſigno ſignificat proximi contemtum, eſt reus coram Concilio.Præterea qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus eſt gehennæ,id eſt, qui conuiciis & contumeliis obruerit proximum, reus eſt legis diuinæ, atque adeo obnoxius pœnis inferni. Breuiter, quinto præcepto prohibentur,1.omnia cogitata, quibus male de proximo cogitamus.2.omnia ſigna contemtus proximi. 3. omnia dicta acerba in proximum, vt conuitia,ludibria.4.externum homicidium. Et contra, omnia opera mandantur, quæ cum his pugnant: vt candide iudicare de proximo, ſignis oſtendere candorem erga proximum,bene loqui de proximo,& eius perſonam defendere & tueri aduerſus iniuriam.

De amore proximi.

Cæterùm vt Chriſtus oſtendat, quam ſit neceſſarius amor proximi, & quam ſit pernicioſa iniuria qua proximus afficitur, duo conſilia, quæ argumenta continent,proponit.

Vnum ſumitur à damno, in quod incurrit homo iniurius proximo coram iudicio diuino. Alterum, à damno,in quod incidit coram iudicio humano, qui proximum læſit.

Regula prima.

Prius ſic habet:*Si obtuleris munus tuum ad altare,&c.* proponit exemplum,quod conueniebat iſti tempori & iſti populo,ſtante Republica Moſis.Eſt autem dicti huius hæc ſententia:Deus non iudicat tuum munus ſibi gratum & acceptum, ſi fratrem tuum odis: hoc eſt,nullus cultus Deo eſt acceptus,qui ab eo præſtatur,qui charitate erga proximum eſt vacuus. Sed quæ eſt huius Regulæ ratio? Deo nihil gratum eſt, quod ab eius hoſte proficiſcitur, ἄδωρα γὰρ ἐχθρῶν δῶρα. Iam autem Iohannes dicit: Si quis dixerit, diligo Deum,& odit fratrem,mendax eſt. Nam dilectionis Dei fructus perpetuus & naturalis eſt dilectio proximi. Qui (ait Dominus) diligit me, ſeruat mandata mea. Vbi ergo fructus hic non adeſt,arborem quoque abeſſe certum eſt. Quicunque ergo proximum non diligit,fruſtra ſacrificium offert.

Oratio in ſcriptura ſacrificium eſt,ſed fruſtra oras, ſi odis proximum. Gratiarum actiones ſunt vituli labiorum,quos ſi vis Deo placere,reconciliare prius cũ proximo,& poſtea ex fide offerto. Crux eſt ſacrificiũ, modò fide temperata fuerit. Nam ſine fide eſt iuſtũ peccati ſupplicium. Sabbatiſmus eſt Deo gratus cultus,ſed contaminatur proximi odio. Eleemoſyna in ſcriptura dicitur ſacrificium boni odoris, ſed Paulus dicit:Si inſumſero totam ſubſtantiam in pauperes,& charitatem non habeam,nihil ſum. Atque ita de omni opere,quod Deus requirit,iudicandum eſt. Hic vnuſquiſque ſeipſum examinet,& non adhibeat doloſam ſtateram.

Secunda regula.

Secundum ſic habet:*Habeto beneuolentiam cum fratre tuo,cum adhuc in via es,&c.* Qui offendit & lædit proximum,incurrit in manus magiſtratus, & coniicietur in carcerem, vnde non eximetur, donec pro damno ſatisfecerit.Quare ne hoc fiat,mature tibi reconciliandus eſt proximus.Cum itaque ſine charitate & fruſtra Deum colis,& in periculum coram Magiſtratu incidis,conſultum eſt,vt ſis proximo charus. Huc accedit ſententia Dei: Iudicium abſque miſericordia ſentiet,qui non fecerit miſericordiam. Huc parabola pertinet de debitore,cui Dominus condonauit totum debitum,&c.

Purgatorii papiſtici euerſio.

Cæterum Papiſtæ ex hoc loco ſuum Purgatorium extruunt,de quo hodie in ſuis templis concionantur. Quibus reſpondeo.

I. In his verbis nulla fit mentio Purgatorij,ſed carceris, in quem coniicitur à Magiſtratu, qui proximum læſit.

De allegoriis regulæ.

II. Qui confugiunt ad allegoriam, ſciant ſe infirmo niti fundamento. Primùm enim nulla allegoria eſt recipienda,niſi quæ expreſſo verbo cõfirmari poteſt.2.nulla allegoria quæ pugnat cum analogia fidei eſt probanda.3.nulla allegoria, in qua vel eſt aliquid abſurdi,vel ex qua aliquid abſurdi ſequitur,eſt admittenda.Huic proinde præcepto cum nullus ſatisfacere poſſit,agamus pœnitentiã,confugiamus ad Chriſtum, & deinde conemur Deo iuxta hoc præceptum obedire, quantum fieri poteſt per auxilium Chriſti, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA SEPTIMA post trinitatis, Marci 8.

IN diebus illis,cũ turba admodũ multa eſſet,nec haberẽt quod manducarent, accerſitis ad ſe Ieſus diſcipulis ſuis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſuis, ait illis: Miſericordia tangor erga turbam, quia iam triduo manent apud me, nec habent quod edant, & ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficiẽt in via. Quidam enim ex eis è longinquo venerant. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui: Vnde iſtos quis poterit hic ſatiare panibus in ſolitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Illi verò dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et acceptis ſeptem panibus, cùm gratias egiſſet, fregit, deditque diſcipulis ſuis, vt apponerent. Et appoſuerunt turbæ. Et habebant piſciculos paucos, & cùm benedixiſſet, iuſſit apponi & hos. Comederunt autem & ſaturati ſunt, ac ſuſtulerunt quæ ſuperfuerunt fragmentorum ſeptem ſportas. Erant autem qui comederant fermè quatuor mille, & dimiſit illos.

ENARRATIO TEXTVS.

Argumẽtum & vſus concionis.

Hoc anni tempore proponitur iſtud Euãgelium, quia eſt meſsis: ídque ideò, vt admoneamur, quod fruges & fructus terræ generentur Dei benedictione, vnde admonebimur gratitudinis erga Deum pro iſto munere. Statuere igitur abſque omni dubitatione debemus, quod Deus terræ naſcentia nobis largiatur, ad huius vitæ ſuſtentationem, quibus reuerenter vti debemus tanquam donis, Dei manu nobis porrectis & datis, ídque in Dei gloriam, proximi vtilitatem & ſtatus noſtri ſuſtẽtationem. Porrò ſumma Euangelij eſt, quod præterquam quod Chriſtus hoc miraculo probet ſe verum Meſsiam eſſe præditum diuina potentia, etiam oſtendat ſe habere curam eorum, qui ſe ſequantur, iuxta promiſsionem ipſius: Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius, & reliqua adijcientur vobis. Loci tres:

Partes.

1. *Sors eorum qui Chriſtum ſequuntur in hac vita.*
2. *Affectus Chriſti erga eos, qui ſe ſequuntur.*
3. *Recta vtendi Dei donis ratio.*

DE PRIMO.

Sors eorum qui in hac vita Chriſtum ſequuntur.

Cùm turba multa eſſet, nec haberet quod ederet, &c. In hac turba tanquam in tabula oſtenditur nobis, qualiſnam ſit ſors eorum, qui Chriſtum ſequũtur in hoc mundo. Per multas enim tribulationes ad regni cœleſtis poſſeſsionem peruenire oportet. Hęc turba venit in deſertum, vbi non eſt panis, ſed fames, periculum, mors. Eandem fortunam experiẽtur omnes, qui Chriſtum ſequi volunt, ideò non fruſtra Chriſtus iubet Luc. 9. 23. vt qui velit ſuus diſcipulus eſſe, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſe ſequatur. Et Paulus 2. Timot. 3. 12. Omnes qui volunt piè in Chriſto viuere, perſecutionem patientur. Verùm ſit Deo gloria, ſors tamen noſtra melior eſt, quam eorum, qui in mundo beati videntur. Nam finis & exitus erit lætus. Ideò Chriſtus ait: Beati qui lugent, quia conſolationem accipient, Matth. 5. 4.

Cauſæ crucis piorum.

Sed quæ cauſa eſt, quod diſcipuli Chriſti in hoc mundo affligantur: hoc mirum non eſt. Quod præceſſit in capite, ſequetur in membris, donec hic mundus ſteterit, ídque ideo, quia ſunt in deſerto, hoc eſt, in mundo inter membra Satanæ, quæ Chriſtum & eius membra ferre non poſſunt. Id quod olim prædictum fuit Geneſ. 3. 15. Semen ſerpentis mordebit calcaneum ſeminis mulieris, hoc eſt, Satan cum ſuo ſemine perſequetur Chriſtum & eius membra. Nam vbi Satan videt creſcere Chriſti regnum, & ſuum deſtrui, fremit & iraſcitur, & tanquam ſaucius leo inſurgit aduerſus oues Chriſti, vt eas deuoret. Hoc eſt, quod Petrus dicit in 1. ca. 5. ver. 8. Diabolus tanquam leo rugiens circumit, quærens quem deuoret. Leo enim amiſsis catulis, & præterea famelicus, in quæuis quæ ei obuiã fiunt, inſurgit, vt vaſtet, deuoret & perdat. Simile ſtudium eſt Satanæ, quando videt ſe ſuos catulos amittere, id eſt, eos, qui prius fuerunt ſub eius poteſtate, conuerti ad Chriſtum, armat ſuos ſatellites aduerſus Eccleſiam, vt alij eam oppugnent hypocriſi, alij Sophiſtica, alij tyrannide, alij ſcandalis & ſchiſmatibus, quemadmodum omnibus temporibus fecerat, & hodie non ceſſat, & ſi aliud non poteſt, conatur eam fame necare in deſerto.

Conſolatio ſub cruce.

Verùm Chriſtus contrà regnum, quod ſuo ſibi acquiſiuit ſanguine, fortiter tuetur, dat Spiritum ſanctum, dat panem, excitat pios doctores, qui pabulo cœleſti eam paſcant, & in medijs periculis adeſt opitulator, quemadmodum hæc præſenti facto declarat; vſque adeo furioſus Satan & rabioſi hoſtes Eccleſiæ, non præualebunt aduerſus eum. Nam ipſe excubias agit ſuper Eccleſia, & eam ſtrenuè tuetur. Nec eſt quod quiſquam aliter exiſtimet Chriſtum hodie affectum eſſe erga ſuam Eccleſiam, quàm fuit erga hanc turbam. Tametſi enim non ſemper Eccleſiam ſuam viſibilem miraculis defendit, tamen ſpiritualiter inuiſibilitérque non minora miracula hodie edit in gubernãda Eccleſia. Non eſt enim perſonarum apud ipſum reſpectus, ſed fidei & bonæ cauſæ. An non magnum miraculum eſt, quod illum vnicùm virum beatum Lutherum, Satan & totus mundus aduerſus ipſum armati, non potuerint pilum capitis eius mouere? An non magnum miraculum eſt hodie, quod Pontifex, cum florentiſsima mundi parte, non poſsit Eccleſiam abolere? Conatur quidem Papa curſum Euangelij, flumine ſanguinis Martyrum impedire: ſed quò plures occiderit, eò plures quaſi ex eorum ſanguine naſcuntur, ſicut in Hiſpania & Gallia hodie videre eſt.

Doctrina & admonitio.

Muniamus ergo nos contra furores Satanæ, & potiſsimum contra ſcandalum deformitatis & paupertatis Eccleſiæ: nec deficiamus à Chriſto propter vlla terriculamenta Satanæ, nec abijciamus confeſſionem, etiamſi famẽ nos in hoc deſerto pati ſit neceſſe, nec ſinamus nos moueri eorum exemplo, qui propter perſecutionem & famem diſcedunt à Chriſto, quemadmodum populus Iudaicus fecit, dum fame & perſecutionibus à vicinis hoſtibus premeretur. Ita enim Hieremiæ Prophetæ contumelioſè reſtiterunt, quemadmodum legitur Hiere. 44. 16. &c. Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, ſed faciendo faciemus omne verbum, quòd egreditur de ore noſtro, vt ſacrificemus reginæ cœli (id eſt, Soli,) & libemus ei libamina, ſicuti fecimus nos & patres noſtri in vrbibus Iuda, & in plateis Ieruſalem, & ſaturati ſumus panibus, & bene erat nobis, malúmque non vidimus. Verùm ex eo tempore, quo ceſſauimus ſacrificare reginæ cœli, & ei libare libamina, indiguimus omnibus, & gladio & fame conſumpti ſumus. Sed quid reſpondet illis Hieremias ſanctus ille Propheta? Non ita eſt, inquit, ſed propter abominationes veſtras, & multa ſcelera vos punit Deus, & quod nolueritis ambulare in præceptis Domini. Ad eundem modum hodie multos inuenies, qui ob famem, caritatem annonæ, & alia incommoda, volunt deficere à Chriſto & eius Euangelio. Dicunt enim: Quando habuimus Miſſas, quando monachos aluimus, quando Sanctos inuocauimus, abundauimus omnibus bonis: ſed poſteaquam hæc noua doctrina venit, plurima cum illa mala venerunt, non eſt tantus timor Dei (inquiunt) minor eſt inter homines charitas, maiora & frequentiora diſsidia, maior tyrannis, omnia cariora ſunt. Ita ſe homines excuſant, ne ſequantur Chriſtum. Sed ſi vis ſcire cauſas horum malorum, ego dicam. Seruus ſciens voluntatem domini (inquit Chriſtus) vapulabit plagis multis. Nos ſcimus quod rectum eſt, &

Idololatrarum & apoſtatarum tum veterum tũ nouorum voces.

Cauſæ malorum quæ mundus patitur.

Yv. j.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

non facimus. Ideò Deus nos punit pluribus plagis. Deinde & aliæ ſunt cauſæ, nempe tyrannis Diaboli, qui magis ſæuit in Eccleſiam Chriſti, quàm in alios cœtus mundi:idque Deo permittente,vt probentur electi,id eſt,vt periculum faciat de ijs qui verè Chriſto adhęrent,& eum corde colunt,& non labijs. Vos igitur adhortor propter Chriſtum & propriam veſtram ſalutem, vt malorũ hominum blaſphemis vocibusnon permittatis vos corrumpi,vt à Chriſto deficiatis, propterea quod oporteat illum in deſertum ſequi, vbi eſt crux, vbi eſt fames, vbi ſunt lupi, vbi mille mortis pericula: imò potius mentes noſtras in cœlum leuemus,vbi Chriſtus ſedet ad dexteram Patris in gloria cœleſti. Neque enim alia via nos in cœlum perueniemus quam ipſe,qui eſt caput,& nos membra. Is in hac vita famem & frigus, & alia dura paſſus eſt,hæc & nos patienter feramus: quod ſi fecerimus,olim cum illo glorificabimur.

DE SECVNDO.

Affectus Chriſti erga pios.

Et ait Dominus ad diſcipulos: Miſereor ſuper turba, quia ecce iam triduo ſuſtinent me,nec habent quod manducent. Et ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam,deficient in via. His verbis deſcribitur affectus Chriſti erga turbam ſe ſequentem. Dolet corporis famem, multò magis putandus eſt dolere animæ famem. Nam vt anima corpore multò eſt nobilior, ita animæ fames multò eſt pernicioſior. Quid facit ergo miſericors Dominus? Corpus alit corporali cibo,animam ſpirituali:corpus pane terreno,animam pane cœleſti,hoc eſt,verbo Dei. Hîc ratio noſtra,quæ vult ſapere in rebus diuinis,etſi ſtulta eſt,quęrit: Quid? an non Chriſtus eſt Deus? Cur igitur non ſtatim edito miraculo illos pauit? aut ſine pane illos ſuſtentauit? Noluit ordinem naturæ ſine magna cauſa mutare. Ordo autem diuinitus inſtitutus eſt, vt quēadmodum corpus pane,ita anima alatur & ſuſtentetur verbo Dei. Et hoc eſt quod dicitur in Moſe: Non in ſolo pane viuit homo,ſed ex omni verbo quod procedit ex ore Dei. Nõ ergo vult, vt aliquid contra hunc diuinum ordinem expectemus, ſed vt ipſius diuina miſericordia nitamur,expectãtes ab eo auxilium in tempore opportuno. Hunc diuinum ordinem fanatici inuertunt. Scribitur de duobus Eremitis, qui,cùm incidiſſent in latrones, nec haberent quod ederent, grauem famem ſunt perpeſsi,quorum tãdem latrones miſerti, panes eis præbuerunt comedendũ. At illorum vnus ait: Nõ comedam, niſi panis mihi diuinitus detur. Alter accepit cum gratiarum actione, & comedit: & paulò pòſt,qui expectauit de cœlo panem, mortuus eſt fame,& alter euaſit incolumis,qui non miraculum expectauit,ſed tanquam ex manu Dei ſumpſit panem ſibi à latronibus oblatum. Anabaptiſtæ hodie etiam hunc ordinem inuertunt. Chriſtus iuſsit prædicari Euangelium,vt illo alatur anima tanquam pane ſpirituali,ſed Anabaptiſtæ contempto verbo,nouas reuelationes expectant ſine verbo. Vnde fit, vt in laqueos Diaboli incidant, qui ſe conuertit in Angelum lucis,vt eos præcipitet in damnationem.

Quæſtionis explicatio.

Exemplũ tentatæ Dei potentiæ.

Anabaptiſticus furor refellitur.

Vt ergo ordinem diuinitus inſtitutum non inuerteret Chriſtus, differt miraculum. Sed tandem vincit affectus,quem erga ſuos habet pluſquam paternum. Nam qualis ſit Chriſti affectus erga ſuos,non ſolum Euangeliſta in hoc Euangelio oſtẽdit,cùm dicit: Miſericordia cõmoueor erga turbam,verumetiam Propheta Eſaias cap. 49. 15. pulcherrima figura oſtendit: Nunquid (inquit) obliuiſci poteſt mater infantis ſui, vt non miſereatur filij vteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui. Ecce in manibus meis deſcripſi te. Hunc affectum Chriſti erga ſuos, etiam parabola de filio prodigo pingit. Quid dicã de ſimilitudinibus & parabolis? Crux Chriſti oſtendit, qualem Chriſtus habuerit erga ſuos affectũ. Adeò enim nos amauit adhuc hoſtes, quod ignominioſiſsimam mortem pro nobis redimendis ſubiret.

Affectus Chriſti amplificatio, teſtimoniis, exemplis & parabolis illuſtrata.

Sed quò hæc ſpectant? Primùm eò, vt induamus filialem affectum erga Deum Patrem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Deinde,vt agnito eius erga nos amore,nihil ſit nobis in vita charius,nihil dulcius, nihil precioſius, quàm eius voluntati nos totos ſubijcere,ac ipſius voci obtemperare, in qua re conſiſtit perfectio Chriſtiana in hac vita. Ita legimus patrem noſtrum Abrahamum feciſſe,qui poſtquam audiſſet à Domino: Ambula coram me, & eſto perfectus,accepit mandatum,vt filium ſuum vnigenitum Iſaac, quem peperit ei Sara in ſenectute, mactaret. Sed quid ille? Mox volũtati Domini obediuit, & inſtructa lignorũ ſtrue filium mactare voluit, ſed Angelus Domini eum retraxit. Hoc facto Dominus ait ad Abraham: Iam ſcio quod times me. Videmus hîc in patre noſtro Abraham, quo fuerit erga Deum obedientiæ ſtudio, qui ne filio ſuo vnigenito parcere voluit,ſed mactare ad mandatum Domini. Sed proh dolor! multos inuenies, qui ne vnum quidem affectum iuſſu Dei clementiſsimi Patris iugulare volũt, tantum abeſt, vt Patris Abrahæ exemplum imitari cupiant. Præterea affectus Chriſti paternus erga nos, debet nos admonere ſimilis beneuolentiæ & amoris erga fratres. Exemplum dedi vobis (inquit) diligite vos inuicem,ſicut ego vos dilexi.

Doctrina.

Confirmatio ab exemplo.

Correctio

DE TERTIO.

Ratio rectè vtendi Dei donis.

Miraculum hoc præſens,quod Deus ſeptem panibus & paucis piſciculis aluit quatuor millia hominũ, eò ſpectat, vt confirmet veritatem Euãgelij Chriſti, & augeat fidem turbæ præſentis, de quo plura iam non dicam: ſed volo nonnihil de modo rectè vtendi donis Dei loqui,quo nos excitemur ad gratitudinem erga Deum,& rectè vtamur benedictione Domini.

Creaturis Dei non eſt vtendum ſine inuocatione & gratiarũ actione.

Primum ergo hoc obſeruandum eſt,quod in manibus Chriſti orantis,& gratias agentis Patri cœleſti creſcat panis: vnde docemur omnẽ benedictionem à Domino eſſe, quemadmodum Paulus 1. Timot. 4. 4. docet,cùm ait: Omnis creatura Dei bona eſt. Hîc paululum ſubſiſte,& cogita res quas habes,cibum & potum eſſe Dei creaturã, non tuam creaturam. Quare furem agis,ſi ab inuito quicquam abſtuleris,quod facis, quoties vteris creaturis Dei ſine gratiarum actione & inuocatione Dei. Quicquid enim habes tãquam tuum,alienum eſt & illicitum, niſi illud ab eo petas. Hinc eſt quod Chriſtus doceat ſuos orare: Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie. Vide hîc: Idem panis dicitur noſter & Dei. Noſter eſt,quando labore partus eſt iuſto: Dei eſt,quia ipſius eſt creatura, qua non licet tibi vti, niſi antea eam ab ipſo petieris. Propterea Paulus etiam addit: Sanctificatur enim per verbum Dei & precationem. Sanctificatur, id eſt,eius vſus fit nobis purus & licitus, vt ipſa creatura vti poſsimus conſcientia bona.

Quomodo res creatæ ſanctificantur per verbũ & precationem.

Sed quomodo ſanctificatur? per verbum & precationem. Per verbum quidem fidem intellige, quam verbum requirit. Ex verbo enim fide apprehẽſa duo profitemur nos credere. 1. Creata eſſe omnia hominum cauſa à Domino,pro immenſa ac infinita ſua ſapientia. 2. Nos ex eorum eſſe numero, qui ius illud iuſtæ in reliqua animãtia dominationis in Adamo deperditum, per gratiam in Chriſto recepimus,vt hanc vitam tueamur,quam ipſius amplificandæ gloriæ impendamus. Hanc fidei profeſsionem ſequitur oratio, vt nobis det Dominus, vt bona conſcientia dapibus ab ipſius manu acceptis, cum omni timore ac reuerẽtia frui poſsimus. Poſtremò gratia-

rum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

rum actione, repetitis etiam precibus, conuiuia noſtra claudemus, ita nobis ſanctificantur cibi.

Incredulorum & ingratorum ſcelus.

Verùm ij, quibus non hoc pacto ſanctificantur cibi, duplicem iniuriam faciunt. Primùm enim Deum ſpoliant ſuo honore, quem non inuocant & agnoſcunt datorē omnium bonorū eſſe. Deinde, creatura Dei in vita abutuntur, vnde Paulus dicit, Creaturam vanitati ſubiectam eſſe. A qua vanitate Deus apud Oſeam cap. 2. promittit, ſe liberaturum creaturam.

Rationes, quæ nos commouent ad rectū vſum rerum creatarum.

Etſi autem hæc, quæ iam dicta ſunt, ſatis mouere nos poſſunt, vt rectè vtamur creaturis Dei exemplo Chriſti, tamen vt magis noſtra ſocordia vincatur, rationes quaſdam recitabo, quæ nos commouebunt.

Prima, ipſe Chriſtus, qui omnia condidit, petijt & egit gratias, quoties donis Dei fuit illi vtēdum, multò magis id nos decet facere, qui prorſus mendici ſumus in conſpectu Domini.

Secunda, pulli coruorum ſuo more inuocāt, & Dominus eos paſcit. Vnde Dauid dicit Pſal. 147. 9. Dominum dare eſcam pullis coruorum inuocantibus eum. Coruus enim pullos ſuos implumes non agnoſcit pro ſuis, quare eos deſerit: ſed Dominus; ne pereāt, vermiculis illos alit, donec nigreſcāt, tùm enim mater redit, & agnitos alit.

Tertia, Turcæ bis in die conueniunt ante prandium & cœnam, petituri benedictionem Domini, & nos Chriſtiani negligimus.

Quarta, Ethnici ſemper ſua prandia inceperunt à ſacrificijs & inuocatione, tametſi rectè inuocare non potuerunt.

Quinta, Eccleſia inde vſque ab initio mundi vſura donis Dei, incœpit à benedictione. Nihil enim inuocatione fuit illi frequentius. Nam precibus noſtris, Deum inuitamus ad noſtra prandia: cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA OCTAVA
poſt Trinitatis, Matthæi 7.

CAuete vobis à Pſeudoprophetis, qui veniunt ad vos in veſtitu ouium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces. A fructibus ipſorum agnoſcetis eos. Nunquid colligunt de ſpinis vuam, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit, putris autem arbor fructus malos facit. Non poteſt arbor bona fructus malos facere, neque arbor putris fructus bonos facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem conijcitur. Igitur ex fructibus ipſorum agnoſcetis eos. Non quiſquis dicit mihi Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum, ſed qui fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt.

ENARRATIO TEXTVS.

Occaſio huius concionis.

Ocaſio huius Euangelij duplex fuit. Vna erat doctrina Chriſti, quam in 5. 6. 7. capite propoſuit Dominus. Altera, falſorum doctorum apud Iudæos vanitas, qui partim deprauabant doctrinam Moſi &

Argumētum.

Prophetarum, partim abolebant. Mandat ergo omnibus Dominus, vt & diſcant, quæ recta ſunt, & caueant à corruptelis falſorum doctorum. Proinde hîc Dominus Medicus animarum, imitatur fideles corporum Medicos. Nam vt illi, poſtquam veram medicinam tradiderunt, quæ noxia ſunt, cauēda docent: ita Filius Dei Saluator ac Medicus noſter, primo quidem loco præſcribit animæ ſalutarem medici-

Summa.

nam: poſtea verò, quæ cauenda ſunt, monet. Summa autem huius Euangelij hæc eſt, quod vt fugiendi ſint falſi Prophetę, qui ex fructibus ſuis agnoſci poſſunt, ita vera pietas non ſit in vana religionis profeſsio-

Partes.

ne, ſed in vera pœnitentia & conuerſione. Loci tres:

1. *Mandatum vitandi falſos Prophetas.*
2. *Falſorum Prophetarum deſcriptio.*
3. *Præmonitio Chriſti: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem, &c.*

DE PRIMO.

Mandati huius partes tres.

Cauete à falſis Prophetis, &c. Hoc mandatum Chriſti vniuerſale eſt, quod ad omnes homines pertinet, quare diligenter perpendendum eſt & obſeruandum. Verùm in hoc mandato, tria ſunt ſpectanda: Neceſſitas, obligatio, & vſus, de quibus ordine dicam.

1. Neceſſitas.

Neceſsitas ſanè maior eſt, quàm vulgus intelligit. Nam Diabolus hoſtis Chriſti & humani generis inimicus, nihil non facit, vt vel regnum Chriſti prorſus aboleat, vel deformet ſcandalis. Ad quod vtitur varijs technis ſuo more. Aut enim doctrinam ſanam prorſus tollere conatur, quemadmodum in Turcia fecerat, aut eam corruptelis ſuis deprauare nititur, quemadmodum in Paradiſo fecit, & poſtea omnibus temporibus, aut Sacramenta mutilat & peruertit, ſicuti in Papatu & in multis locis fecerat, aut mores & vitam hominum ſuo veneno inficit. Scripturam igitur & ſanam doctrinam inuadit, vt vnum ad minimū ex his quatuor obtineat. 1. Vt perſuadeat nobis, quod non ſimus curæ Deo. 2. Vt tentemus aliquid contra noſtram vocationem facere. 3. Vt inſtituamus cultum contra mandatum Dei. 4. Vt omnia turpitudine & iniuſtitia inuoluantur. Quoduis horum effecerit hoſtis iſte, homines captiuos tenet. Nam qui Dei prouidentiam negat, Epicurus damnatus eſt: qui vocationem ſuam fraudulenter obit, infideli deterior eſt, qui cultum inſtituit contra Dei interdictum. Deum contemnit, & eſt Diaboli potius, quàm Dei ſeruus, qui vitam turpem viuit, ſeruus eſt peccati, & ſtipendiarius mortis & Satanę. Sed quid remedij eſt contra hæc mala? Doctrinæ puritas: & abſtinere à falſis Prophetis. Doctrinæ enim puritas nos Deo eſſe curæ docet, adeò quod Dominus in numero habet omnes pilos capitis noſtri: eadem nos retinet in inuocatione noſtra, & formam veram colendi Deum tradit: Præterea veræ ſanctimoniæ ac vitæ inculpatæ tranſigendæ regulam continet.

2. Obligatio.

Secundum, quod ſpectandum admonui in hoc primo loco, eſt obligatio. Quæri autem poteſt, an hæc obligatio ſit omnium, aut tātum gubernatorum Eccleſię? Multi enim putant ſe excuſari, ſi eis obtemperent, qui habeant ordinariā vocationem: quibus propheta Ezechiel cap. 3. 17. &c. imò ſpiritus Chriſti, qui in Propheta loquitur, reſpondet his verbis: Speculatorē dedi te domui Iſraël, & audies ex ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Si ergo dixero ad impium, morte morieris, & non annūciaueris ei, nec locutus fueris, vt auertatur à via ſua impia, & viuat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annunciaueris impio, & ille non fuerit conuerſus ab iniquitate ſua, & via ſua impia, ipſe quidē in iniquitate ſua morietur: tu autem animam tuam liberaſti. Hoc Prophetæ dictum ſatis oſtendit errare eos, qui putāt ſatis eſſe, ſi ſuis parochis obtemperauerint, ſiue bene ſiue male doceant. Si ſic eſſet, Turcæ & ethnici eſſent ſaluādi, quorum multi ſuis obtēperauerunt doctoribus. Sciendū eſt igitur, obligari omnes, vt falſos Prophetas fugiant, tāquam ſuæ ſalutis peſtes. Nam mandatum Chriſti eſt manifeſtum, quod hîc datur omnibus: loquitur enim turbis. Et Ioan. 1. Epiſtolæ 4. 1. ait: Ne cuiuis ſpiritui credatis, ſed probate ſpiritus, an ex Deo ſint, quoniam multi Pſeudoprophe-

Quæſtionis de fide im; licita &; intentione quam, bonam vocant, ſolutio.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tæ exierunt in mundum. Et Chriſtus dicit, Ioan.10. 27. Oues meę vocem meam audiunt. Sed quid hic facit tyrannus Papa? Dicit, ad ſe & ſuos raſos pertinere dijudicationem doctrinæ. Quid quæſo impudentius cogitari aut dici poteſt? an non hoc eſt ſponſæ Chriſti imperare, & dominium ſibi vſurpare in ſortem Domini, contra prohibitionem Petri Apoſtoli, cuius ſucceſſorem ſe eſſe gloriatur? Ioannes Baptiſta dicit ſe miniſtrum ſponſæ eſſe: ſed Papa vult ſponſæ dominari. Chriſtus cupit ſibi ſponſam ſeruari caſtam, ſed Papa eam nefando adulterio contaminat: proponit ei doctrinas dæmoniorum, quibus adulterari diſcit. Paulus dicit: Deſponſaui vos vni viro, vt vos virginem caſtam exhibeam Chriſto, 2. Corin. 11. 2. Hæc deſponſatio fit per fidem puriſsimi & caſtiſsimi verbi. Sed Papa, qui ſe Petri ſucceſſorem gloriatur, hanc virginem mille adulterijs conſpurcat: quando eam abducit ab amplexu Chriſti ſponſi ad idololatrias & cultum ſanctorum.

Papiſticæ obiectionis dilutio.

3. Vſus multiplex.

TERTIVM, quod ſpectandum propoſui in hoc primo loco, eſt vſus huius prohibitionis: *Cauete à falſis Prophetis*: qui vſus ſanè eſt multiplex.

1. Hæc prohibitio monet fore in Eccleſia falſos doctores, quod Dominus etiam ſignificauit parabola de homine mittente bonum ſemen in agrum: & inimico qui venit, & in eundem ſeminauit zizania. Tanta enim eſt rabies Diaboli, vt nunquam quieſcat, quin verbum Dei corrumpere conetur: quod facere cœpit, ſtatim conditis primis parentibus in Paradiſo: & hodie (proh dolor) in toto terrarum orbe graſſatur. Hoc cùm ſcimus, diligentiores nos eſſe & cautiores oportet.

2. Excitare nos debet ad acrius veræ doctrinæ ſtudium: vnde Paulus optat, vt Philippenſes creſcant in omni cognitione. Et Chriſtus dicit: Scrutamini Scripturas, & diſcite à me. Si vos manſeritis in ſermone meo, verè diſcipuli mei eſtis, & cognoſcetis veritatem, & veritas liberabit vos.

3. Conuincit, quod Eccleſia & poſsit deponere falſos doctores, & in eorum locum ſubſtituere veros doctores. Fruſtra enim iuberemur à falſis Prophetis abſtinere, niſi eos deponere liceret ab officio & docendi munere, & veros miniſtros in eorum locum ſubſtituere. Laudandi igitur ſunt pij Reges & principes, qui de reformatione Eccleſiarum & conſeruatione miniſterij verbi ſunt ſoliciti.

4. Oſtendit & hæc prohibitio, quomodo ſint accipienda verba eorum qui docent. Si vera docent, audiendi ſunt, non ſecus atque Deus ipſe. Ita enim ait Dominus: Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit. Si falſa docent, ſunt non ſecus atque Satan ipſe fugiendi. Nam vt Satan Euam ſeduxit mala doctrina: ita qui falſa docẽt, homines à gratia Dei, imò à regno cœleſti deturbant, quemadmodum in Papatu factum eſſe nemo non nouit.

DE SECVNDO.

Falſorum Prophetarum deſcriptio

Qui veniunt ad vos in veſtitu ouium, ſed intus ſunt lupi rapaces. In huius loci declaratione quinque ordine videbimus. 1. Vnde veniant falſi Prophetæ & quò. 2. Quæ ſint illorum in Scriptura appellationes: vnde periculi magnitudo intelligi poteſt. 3. Quę ſit externa ſpecies falſorum doctorum. 4. Quodnam ſit illorum ſtudium, quæ intentio. 5. Quas habeant notas, vnde à veris Prophetis diſcerni queant.

1. Vnde & quò veniant.

Si quæris vnde veniũt & quò? Breuiter reſpõdeo: veniunt à Satana excitati, ídque in vineam Domini, hoc eſt, in Eccleſiam. Exẽpla ſunt multa. In paruam illam Eccleſiam, Adam, Euæ, Abelis, venit falſus doctor Cain, qui armatus à Satana, proprium fratrẽ tandem propter diuerſam religionem occidit. Deinde multi ſunt ſecuti falſi Prophetæ vſq; ad diluuiũ, quo & ipſi falſi doctores, & ipſorũ diſcipuli ſunt puniti. Mox à diluuio rurſus Satan miſit falſos doctores in Eccleſiam, qui adeò vineam Domini vaſtarunt, quòd veritas Dei ſolummodo manſerit apud paucos quoſdam de familia Sem. Sic & poſtea vſque ad Chriſtum ſemper in Eccleſiam falſi doctores ſubintrarunt, & ſępiſsimè penes ipſos fuit ſumma rerum adminiſtratio, cum politica tum Eccleſiaſtica. Reſuſcitato Chriſto, multi venerunt falſi Prophetæ, & omnibus temporibus fuerunt plurimi. Papa tandem verus Antichriſtus innumeros emiſit hæreticos, Monachos potiſsimum, qui miſerrimè Eccleſiam Chriſti falſa doctrina lacerarunt. Et hodie paſsim ſunt falſi doctores. Breuiter, vbicunque Chriſtus ſuum bonum ſemen iacit in agrum, ibi Satan mox addit ſuum ſemen zizaniorum. Chriſtus igitur non fruſtra hortatur, vt caueamus à falſis Prophetis.

2. Quę nomina illis tribuuntur.

Scimus vnde veniant falſi doctores, & quò veniãt: iam vt periculi magnitudo perpendatur, quædam ex ipſorum nominibus recitabo. 1. vocantur generali nomine falſi Prophetæ, id eſt, tales qui videntur eſſe veri doctores, habentes ordinariam ſucceſsionem & poteſtatem, & ſunt nihilominus mendaces, vt qui in locum veræ doctrinæ, Satanica mendacia & humana ſomnia ſubſtituũt, quales in Papatu fuerunt multi. 2. A Ioanne Apoſtolo vocãtur ſpiritus mali, tum quòd à Satana, qui malus eſt, ſint miſsi, tum quòd ſint alijs occaſio mali & damnationis. 3. A Iuda Apoſtolo vocantur nubes ſine aqua, ſimiles Cain, Balaam & Chore. Væh ipſis, inquit, nam viam Cain ingreſsi ſunt, & de deceptione mercedis, qua acceptus fuit Balaam, effuſi ſunt, & contradictione Choræ perierunt. 4. Vocantur à Paulo canes, cum quia lacerant verbum Dei, tum quia oues ab ipſo ouili Chriſti arcent. 5. Vocantur mali operarij, quia malè laborant, & finis laboris eorum eſt, cum ipſorum exitiũ, tum eorum dãnatio, qui eis auſcultant. 6. Vocantur ab Apoſtolo Ioanne Antichriſti, non quod negant Chriſtum, ſed quia doctrinam Chriſti peruertunt, & vita ſua Chriſto aduerſantur. 7. A Paulo vocantur inimici crucis Chriſti, quia non tribuũt ſalutis principium, medium & finem vnius Chriſti merito. 8. In hoc Euangelio dicuntur lupi, ſed habentes laruam ouium, hoc eſt, ſimulantes ſe homines manſuetos eſſe: ſed fraudibus tamen occultè in ouile Chriſti inſtar lupi inſilientes, lacerantes & occidentes oues Chriſti falſa doctrina, & ſimulata ſanctimonia.

3. Externa ſpecies illorum.

Sed quæ eſt externa ſpecies falſorum doctorum? *Veniunt*, inquit Chriſtus, *in veſtitu ouium*. Loquitur hîc Dominus non in genere de omnib. malis doctoribus, ſed tãtum de vno genere. Nam quidã ſunt, qui bene docent, & malè viuunt: quidã qui male docent, & malè viuunt: quidã qui malè docẽt, & bene videntur viuere. De hoc tertio Prophetarũ genere hîc Dominus loquitur. Nam lex his maximum eſt periculũ.

4. Eorum ſtudium & intentio.

Quódnam eſt eorum ſtudium? Hoc docet Chriſtus pulchra imagine, cùm eos dicit lupos eſſe. Vt lupus hoc ſtudet, vt oues ab ouili auertat. Deinde, vt abigat in ſyluam. Tertiò, vt deuoret & perdat: ita falſi Prophetæ oues, id eſt, pios & manſuetos homines, fraudibus conantur abducere à vera Eccleſia, & abigere in deſertum, vbi non eſt pabulum verbi Dei, vt iis dominentur, & ad poſtremũ trucident non tã corpora, quàm animas. Quã hoc verũ ſit, docet Turcia à ſuo malo Propheta decepta: docet Papatus ab Antichriſto Romano in errorem præcipitatus: docent multæ nationes, quæ à Libertinis & Anabaptiſtis in horribiles furores ſunt abductæ.

Sed dicis: Quomodo poſſum ego rudis & imperitus in

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

5 Quas habeant notas vnde à veris Prophetis diſcerni queant.

in hac opinionum varietate iudicare, qui ſint veri & qui falſi doctores? Vt poſsimus iudicare & diſcernere inter paſtorem & lupum. Chriſtus nobis lupi notas monſtrat, & ſuis proprijs notis falſos doctores delineat. *Veniunt*, inquit, *ad vos in veſtitu ouium.* Videntur, ſi laruam externam reſpicis, ſanctiſsimi, imò Angeli Dei. Verùm ſi laruam detrahis, lupos agnoſcis, primùm, quia non ſonant vocem Chriſti, imò alieno ſono abducunt oues Chriſti à vero ſuo ouili in deſertum, vt hominum conſcientias occidant, & animas eorum perdant. Atque hæc eſt vna nota. Addit præterea & aliam, cùm ait: à *fructibus eorum cognoſcetis eos.* Hic diligenter cauendum eſt, ne folia pro fructu agnoſcas. Mala interdum arbor habet ſpecioſa folia, & rurſus bona nonnunquam fructum quidem copioſum habet, ſed folia non ita ſpecioſa. Sed quinam ſunt veri Prophetarũ fructus? Sunt triplices: Cultus, doctrina, mores cõformes doctrinæ. Verus Propheta, cultum, doctrinam, & mores habet iuxta præſcriptum verbi Dei. Falſus Propheta habet cultum ab hominibus excogitatum, doctrinam humanarum traditionum, & mores externè quidem honeſtos, ſed meram hypocriſin redolentes.

Fructus verorum & falſorum Prophetarum

DE TERTIO.

Præmonitio Chriſti de damnandis & ſaluandis.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum. Hoc Domini dictum duplicem doctrinam continet: vnam de damnandis, alteram de ſaluandis. Loquitur autem de ijs, qui in externa Eccleſiæ ſocietate ſunt: nam de alijs non dubium eſt, quin damnentur. Sed quinam damnantur? qui gloriantur de Chriſto, & non faciunt voluntatem Patris cœleſtis. Quinam ſunt illi? qui iactant fidem quam non habent, id eſt, profitentur fidem ſine pœnitentia & pia vita: hos damnari pronunciat Chriſtus, neque id mirum eſt. Nam huiuſmodi horribiliter peccant. 1. Peccant mendacio, quia Deo mentiuntur. 2. Contumelia, quia abutuntur ſanguine Chriſti effuſo pro nobis, non vt indulgeamus omnibus furoribus libidinum & tyrannidis: ſed vt deleatur peccatum, & Deo ſanctificemur. 3. Peccant furto, quia ſpoliant Deum ſuo honore. 4. Homicidio, quia primũ ſeipſos falſa perſuaſione, deinde & proximum occidunt malo exemplo. 5. Prophanant templum Spiritus ſancti. Quínam ſaluantur? Qui faciunt voluntatem Patris cœleſtis. Verùm hic multi impingunt, 1. Qui gentes ſaluari dicunt, qui honeſtè in mundo viuunt: quos confutat hoc dictum, Ioan 3.36. Qui non credit, ira Dei manet ſuper eum. 2. Qui dicunt, ſuam regulam eſſe voluntatem Dei, contra quos Chriſtus dicit: Fruſtra me colunt, docentes mandata hominum. 3. Qui dicunt, legem eſſe voluntatem Dei: quod quidem verum eſt, ſed ſi, qui hanc voluntatem facerent, ſaluarentur, tum nemo ſaluaretur. Quæ eſt ergo voluntas, quam facientes ſaluantur? Chriſtus reſpondet Ioan. 6. Hæc eſt voluntas Patris, vt credant in eum quem miſit ille. Sic enim dicit Dominus: Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Hęc fides habet ſecum pietatem & charitatem germanos ſuos fructus, quos edunt pij per Ieſum Chriſtum, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Quinam damnantur.

Quinam ſaluantur.

DOMINICA NONA POST Trinitatis, Lucæ 16.

IEſus dicebat ad diſcipulos ſuos: Homo quidam erat diues, qui habebat diſpenſatorem, & hic delatus eſt apud illum, vt qui diſſiparet bona ipſius. Et vocauit illum, & ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem diſpenſationis tuæ. Non enim poteris poſthac diſpenſare. Ait autem diſpenſator intra ſe: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me diſpenſationem? Fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio quid faciam, vt, cùm amotus fuero à diſpenſatione, recipiant me in domos ſuas. Conuocatis itaque ſingulis debitoribus domini ſui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum batos olei. Dixítque illi: Accipe cautionem tuam, & ſede citò, & ſcribe quinquaginta. Deinde alteri dixit: Tu verò, quantum debes? Qui ait: Cẽtum choros tritici. Ait illi, Accipe cautionem tuam, & ſcribe octoginta. Et laudauit dominus diſpenſatorem iniquum, quòd prudenter feciſſet. Quia filij huius ſeculi prudentiores ſunt filijs lucis in natione ſua. Et ego vobis dico, facite vobis amicos ex mammona iniuſto, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

ENARRATIO TEXTVS.

Hortatur Chriſtus in hoc Euangelio ſuos diſcipulos ad beneficentiam erga proximum, ídque parabolico exemplo, cuius ſumma hæc eſt: Oeconomus alicuius hominis prædiuitis eſt ſolicitus, quid ſibi amoto ab officio fiat, multò magis Chriſtiani, qui ſunt Oeconomi Dei in varijs donis, debent eſſe ſoliciti, quid ſibi eueniat, reddita ratione, id eſt, vbi ex hac vita exceſſerint. Verùm vt Oeconomus quærit amicos in mammona iniquitatis, qui ſe amotum ab officio recipiant: ita Chriſtiani ſuis bonis & donis obſtringant ſibi pauperes, qui ſuo teſtimonio in æterna tabernacula ſe recipiant. Hæc Euangelij præſentis eſt ſumma, verùm vt nobis in inſtructionem vberiorem cedat, quatuor tractabo locos.

Summa & vſus præſentis concionis.

Partes.

1. *Reprehenſio abuſus donorum Dei.*
2. *Beneficentiæ erga pauperes cauſa.*
3. *Querela, quod filij huius ſeculi ſint prudentiores filijs lucis.*
4. *Vſus diuitiarum, & merita bonorum operum.*

DE PRIMO.

Cùm textus hîc proponit nobis diſpenſatorem, qui diſsipauit bona domini ſui, in vniuerſum reprehenditur abuſus donorum Dei. Nam quis eſt, qui donis ſibi à Deo collatis, non magna ex parte abutitur? Hoc quale ſit, aliquot exemplis declarabimus. 1. Sapientia data eſt alicui, vt alios imperitos & rudes iuuet ac regat conſilijs, ſed nunc dolo & impoſturis ſeruit. 2. Diuitiæ conferantur ad Eccleſiæ membra fouenda, at nunc inutilibus pompis & ſumptibus impenduntur. 3. Lingua conceſſa eſt homini, vt ea vtatur ad docendum, quę honeſta & pia ſunt, & ad ferendum veritati teſtimonium: ſed nunc quid fit? maledictis, conuicijs, periurijs, obtrectationibus & blaſphemijs ancillatur. 4. Vires collatæ ſunt ad iuſtitię & rerum bonarum defenſionem, at nunc tyrannorum præſidia ſunt, quibus vtuntur ad euertendam veritatem, ad euertendas honeſtas Reſpublicas. Ad eundem modum alia dona Dei ſunt in magno abuſu, qui abuſus ſanè non aliũde proficiſcitur, quam ex his fontibus.

Abuſus donorum Dei reprehenſio.

Exempla.

Primum, peccatum quòd in nobis habitat, huiuſmodi germina producit, & quò minus fuerit ſpiritus imperio ſubactum, eò plura mala progignit. Eſt enim omnium malorum ſentina profundiſsima, quæ in totum in hac vita expurgari nequit.

Vnde abuſus iſte oritur.

Deinde, ipſe Diabolus aduerſarius noſter ſitiens damnationem noſtram, inſidiatur hominibus, & quærit mille perdendi vias, vt regno Chriſti in hoc mundo abolito, vel in anguſtiſsimum redacto, ſuum regnum ſtabiliat.

Tum, peſsima mundi exempla, quibus incitamur

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ad imitationem. Mala enim conſuetudo, vt quidam ait, pabulum eſt nequitiæ. Et Paulus ait: Exiguum fermentum corrumpit totam maſſam, 1. Corin. 5. 6.

Adhæc, hoc malum etiam auget gubernatorum negligentia, qui homines non cogunt diſciplina ſeueriori ad rectè faciendum officium. Verùm nos, qui Chriſtiani dici gloriamur, deberemus retineri in officio, harum rerum cogitatione.

Officij Chriſtianorum partes.

1. Mandatum Dei perpetuò nobis in animo fixum, commonefaceret nos de officio.

2. Honeſtas ipſa & virtutis decus nos extimularet, ne turpiter donis Dei abuteremur.

3. Rei dignitas ſtimulos adderet. Quid enim dignius filijs Dei eſt, quàm vt ſe conforment ad exemplum clementiſsimi Patris?

4. Vocatio noſtra. Sumus enim vocati ad ſanctitatem, vt & nos ſancti ſimus, & ſanctus ſit rerum, quas Dominus nobis conceſsit, vſus, hæc cogitare ſeriò debemus.

DE SECVNDO.

De beneficentia erga pauperes: præcipua capita.

Cùm totum hoc Euangelium proponatur, vt nos ad beneficentiam erga proximos noſtros excitemur. dicam de beneficentia hęc ordinę. *Primùm*, cauſas recitabo, quibus ad beneficentiam nos excitari oporteat. *Deinde*, de finibus. *Tum* de beneficentiæ modo iuxta certas regulas.

1. Cauſæ, quibus excitari nos decet ad beneficentiam

1. Deus in lege magnam rationem videtur proponere, cùm dicit: Diligas proximum tuum vt teipſum. Quaſi dicat, hæc vna ratio eſt. cur nos mutuo diligamus, quod homo homini ſit proximus. Cuius dilectionis pulcherrimũ exemplũ proponitur in Samaritano, qui hominem qui inciderat in latrones, adeò ſolicitè & diligenter curauit.

Beneficentia igitur præſtanda eſt homini ab homine, quia homo homini proximus eſt, ídque multis rationibus: 1. ratione creationis, idem enim Deus creauit nos homines. Nunc videmus quanta ſit in multis animantibus pietas, quę ſe mutuis officijs iuuant & alunt, vt in ciconijs videre eſt. 2. homo homini eſt proximus ratione ſimilitudinis, nã omnes homines ad Dei ſimilitudinem conditi ſunt, & habẽt omnes eandẽ humanam naturam. 3. homo homini proximus eſt ratione communis vitę & humanæ ſocietatis. Atque hæc triplex ſocietatis ratio eſt nobis cõmunis, non ſolùm cum omnibus Chriſtianis, verumetiam cum omnibus in mundo hominibus, Ethnicis & Iudæis. Verùm Chriſtianus Chriſtiano proximus eſt, primum ratione myſtici corporis. Nam omnes qui in Chriſtum credimus, Chriſtum induimus, & eius membra ſumus, & ipſe caput noſtrum, & viuimus ex eodem ſpiritu Chriſti. Hęc ſanè ſocietatis ratio meritò nos ad mutua officia præſtãda excitaret, ſi ſeriò de hac ſocietate & myſtica coniũctione noſtra in vno corpore cogitaremus: tum profectò quemadmodum manus famulatur reliquis mẽbris, & ſibi & alijs, ita & nos propter hanc myſticam copulam, in vno corpore nos mutuis officijs proſequeremur. 2. Chriſtianus Chriſtiano eſt proximus ratione regenerationis, quia in filios Dei Patris renaſcimur. Cùm igitur fratres vterini in hac vita ſibi inuicem officia communicant, multò magis id nos decet, qui Deum communem Patrem interpellamus, & dicimus: Pater noſter qui es in cœlis. 3. Chriſtianus Chriſtiano eſt proximus ratione vocationis. Nã ad vnitatem ſpiritus in vinculo pacis vocati ſumus, Epheſ. 4. v. 3. 4. Chriſtianus eſt Chriſtiano proximus ratione futuræ gloriæ, nam omnes ex fide eandem immortalitatis gloriam expectamus, vbi ſocij erimus in omni æternitate, Deum vnanimiter celebrantes.

2. Fines beneficentiæ.

Hæc ſint dicta de cauſis beneficentiæ mutuæ inter homines, ſed fines qui ſunt? quatuor ſunt præcipui: 1. gloria Dei. Hic finis meritò filios Dei moueret ad beneficentiam. 2. ſubleuatio indigentis proximi, qui eſt caro noſtra. 3. Exemplum, quo alij ædificentur & inuitentur ad ſimilem beneficentiam. 4. præmium, nam Chriſtus ait: Qui dederit vni ex meis diſcipulis meo nomine hauſtum frigidæ aquæ, non perdet mercedem ſuam, Matth. 10. 42.

3. Beneficentiæ modus.

Verùm quia de beneficentiæ modo quæri poteſt, de eo etiam nonnihil adijcam. Salomon, Prou. 5. 15. Bibe aquam de ciſterna tua, & fluentia de medio putei tui: fontes tui deriuentur foras, ſint tibi ſoli, & non alienus tecum. Hîc tria coniungit: Primum, vt ipſe tuis bonis fruaris. Secundum, vt communices alijs. Tertium, vt ſis ipſe dominus tuarum facultatum, non vno die omnia profundas. Breuiter, Verbum Dei, fides, & charitas, vbi ſunt, regulæ certiſsimæ eſſe poſſunt. Sed de hac re plura, vbi de vſu diuitiarum agetur.

DE TERTIO LOCO.

Triſtis querela de Chriſtianorum cæcitate.

Filij huius ſeculi prudentiores ſunt filijs lucis in generatione ſua. Hæc eſt querela grauiſsima, quod filij huius ſeculi ſint prudentiores filijs lucis in generatione ſua. Hoc eſt, homines prophani magis ſunt ſoliciti pro acquirendis temporalibus, quæ tantum ſpectant ad præſentem vitam, ídq; ad breue admodum tempus, quam Chriſtiani ſunt ſoliciti pro bonis cœleſtibus acquirendis æternùm duraturis. Hæc deploranda ſanè cæcitas eſt. Corpus curatur, anima negligitur. Quàm verum hoc Chriſti dictum ſit, quis non videt? Da mihi ruſticum, qui non magis eſt ſolicitus pro acquirenda poſſeſsione & alenda familia, quàm Chriſtianus aliquis eſt pro acquirẽdis theſauris cœleſtibus. Mercator nauigat mare, experitur multa pericula, ſæpe magnum damnum facit, patitur frigus & æſtum, ídq; non vna hora, non vno die, non vno anno, ſed toto vitę tempore, tantùm vt terrenas corradat poſſeſsiones: at Chriſtianus vix patitur vnius horæ moram, vt verbum Dei audiat, vt Sacramentorum diſtributioni interſit. Multas horas conſumunt in nugamentis & fabulis, vix vna hora, imò vix minima horæ particula vacat Deum inuocare, & cum Ieſu Chriſto in orationibus noſtris colloqui. Sed quę ſunt huius cæcitatis cauſæ? duæ ſunt præcipuæ. Vna, quæ & aliorum malorũ cauſa eſt, videlicet, corruptio humanæ naturæ, quæ facit vt homo ſit pronior ad malum, quàm ad bonum. Altera cauſa huius cæcitatis eſt, quia bona terrena ſunt ſenſibilia, & ideò fortius mouent animum, quia bonum non mouet niſi cognitum, vnde Auguſtinus: *Inuiſa, id eſt, non viſa, diligere poſſumus, incognita nequaquam*. Sẽſibilia autem ſunt magis cognita, quàm ſpiritualia: quia ſenſibilia ſunt cognita per experientiam, ſpiritualia tantùm per fidem. Quid ergo faciendum eſt? conabimur abundare in cognitione rerum cœleſtium, quo etiam abundemus in eorum ſenſu. Quare Paulus optat Philippenſibus, vt abundent in cognitione & ſenſu, adhoc, vt ſint ſinceri & abſque offendiculo ad diem vſque Chriſti, Philip. 1. 9.

Huius cæcitatis cauſæ.

DE QVARTO.

Locus de diuitijs.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Mãmona iniquitatis dicitur, vel quia diuitiæ ſunt irritamenta malorum, vel quia ſunt falſæ & mendaces opiniones. Nam dici poſſunt mammona iniquitatis, quia iniuſtè ſunt partæ: nam Eleemoſyna ex iniuſtè partis Deo non placet. Porrò duo ſunt nobis hoc loco excutienda. Vnum, doctrina de diuitijs. Alterum,

Alterum,quid ſit quod dicat: *Cum defeceritis,recipient vos in æterna tabernacula.*

1. Tractatio de diuitiis & earum vſu.

Tametſi autē ante octo ſeptimanas, cum Euangelium de Epulone & Lazaro explicarem, dixi nōnihil de diuitijs: tamen nunc breuiter integram doctrinam de diuitijs repetam. Nihil enim prohibet bonam cantilenam canere ſæpius. Dicam autem de diuitijs tria.

Primæ partis capita.

Primum, quænam rationes acquirendarum diuitiarum licitæ ſint.

Secundum, qualiter nos Deus erga diuitias velit eſſe affectos.

Tertium,quis diuitiarum rectus & legitimus vſus.

1. Legitimæ rationes acquirendi diuitias.

Quantum itaque ad legitimas rationes acquirēdi diuitias attinet, omnium *primum* inchoandū eſt à regula Chriſti,Matth.6.33. Quærite primū regnum Dei & iuſticiam eius.Prima igitur & præcipua cura eſſe debet animæ, vt illa ſit in Deo diues. *Deinde*, quia hæc vita opus habet adminiculis, iuxta Dei ordinationē quæri poſſunt facultates, licetque ijs, quæ ad vitam cultúmque neceſſaria ſunt,quærendis operam dare,idque non ſolùm ſanctorū exemplis: verū etiam mandato Dei confirmatur. Deus enim benedictionem promittit piè laborantibus. *Tertiò*,lucrum, quod nobis laborantibus accedit ex benedictione Dei , capiendum eſt, tanquam ex manu Dei: neque malis artibus vti debemus, quibus facultates aliorum ad nos trahamus: fructum præterea laboris noſtri tanquam iuſtam mercedem percipere licet. In contractibus abſint fraudes & fallaciæ: apertè & ſimpliciter agamus omnia,ea fidelitate quam ipſi ab alijs vellemus requirere: ſit labor in legitima vocatione,vt bona conſcientia gloriari poſsimus, nos in vllius fraudem nihil egiſſe.

2. Qualiter nos erga diuitias decet eſſe affectos.

Hactenus de recta ratione acquirendi diuitias: nūc quomodo affectos nos eſſe deceat erga partas diuitias,breuiter exponam. Singularis enim ars adhibēda eſt, ne diuitiæ partæ nobis in ſpinas & laqueos conuertantur. Quod ne fiat,Dauidis & Pauli ſequamur conſilia,quorum ille quidem Pſalm.62.11.ait:Si affluant diuitiæ,noli c r apponere.Hic verò,1.Tim. 6.17. Diuitibus ſeculi præcipito,ne efferantur,néue ſperent in diuitiarum incertitudine, ſed in Deo viuo.Eſt itaque præcipuum,ne diuitiarum huius ſeculi cupiditate ducamur, ne ijs animum aut fiduciam adijciamus:eas à nobis abdicare ſimus parati,quoties & quādo Deo libuerit:ſiue habeamus eas,ſiue iis careamus, tanquam res caducas & fragiles reputemus: & ſolam benedictionē Dei omnibus rebus mundi anteferamus,abſit fallax ſpes in incertas diuitias,abſit ſuperbia & contemtus pauperum,adſit ſpes in diuitiarum largitore,adſit pius humiliſque animus.

De verò diuitiarū vſu.

Atque ita habemus quomodo erga diuitias nos affectos eſſe oporteat. Nunc pauca de vero diuitiarū vſu adijciam. Dixi,cum Euangelium de Epulone tractarem, quadruplicem eſſe legitimū diuitiarum vſum:quorum *Primus* eſt, vt ſeruiant gloriæ Dei,promouendæ religioni & conſeruādo miniſterio verbi. Si enim nati ſumus, vt Deū glorificemus, profectò huic rei,quicquid habemus, ſeruire debet. *Secundus* vſus eſt : vt eas, in quibus viuimus, reſpublicas iuuemus & ornemus noſtris facultatibus. Qua de cauſa tributa hilari animo ſoluenda ſunt. *Tertius* vſus eſt, vt ipſi nos,pro conditione noſtri ſtatus,honeſte alamus, noſtram familiam foueamus: vt domus noſtræ pro facultatū ratione honeſte conſeruetur, ſine fœda auaricia & ſtulta profuſione. *Quartus* & poſtremus vſus eſt,vt fontes noſtri,iuxta Salomonis conſilium,deriuentur foras:hoc eſt,vt liberales ſimus erga pauperes,diuites in bonis operibus:quo multi noſtris bonis gaudere poſsint,nobiſcum Deo Patri Domini noſtri Ieſu Chriſti gratias agentes, qui abunde ſuppeditat omnia. Contra hunc quadruplicem vſum diuitiarum multi peccant quemadmodum audiuimus in Euangelio de Epulone diuite & paupere Lazaro.

II Quo modo pauperes nos recipiant in æterna tabernacula.

Dixi de diuitijs. Nunc reſtat explicare, quid ſibi velit dictum: *Vt cum defeceritis,recipiant vos in æterna Tabernacula.* Nónne ſolus Chriſtus recipit credentes in cœleſtia Tabernacula? quomodo ergo hic dicitur,quod pauperes,quos fecerimus nobis amicos de mammona iniquitatis,ſint nos recepturi in æterna tabernacula? Primùm,manifeſtum eſt,Chriſtum hoc loco dirigere ſermonem ad credentes. Nam in principio textus ſcribitur : *Et dixit Ieſus diſcipulis ſuis*,id eſt, iuſtificatis & habentibus vitam æternam in Chriſto.Deinde manifeſtum eſt & hoc,quod vita æterna ſit donum Dei per Chriſtum Ieſum.Sequitur ergo alium modum eſſe,quo pauperes eos , qui in ſe liberales fuerunt,recipiant in vitam æternam, quam quo Chriſtus recipit. Quomodo ergo recipient in æterna Tabernacula? teſtes & approbatores fidei noſtræ:nam ex fructibus de fide iudicant, qua ſola ſciūt homines ſaluari. Eadem ſententia aliis verbis ſæpe in ſcriptura proponitur.Deus reddet vnicuique iuxta opera ſua,non quòd opera mereantur cœlum : ſed quia ſunt indicia fidei & timoris Dei : ſicut contrà, mala opera ex incredulitate proficiſcuntur.Simus ergo memores huius dicti;& eo nos excitemus ad beneficentiam erga proximum; imitantes exemplum Chriſti ſaluatoris noſtri: cui honor & gloria in ſecula ſeculorum,Amen.

DOMINICA DECIMA post trinitatis,Matth.7.

ET vt appropinquaſſet Ieſus ciuitati,videns eam,fleuit ſuper illam,dicens: Si cognouiſſes & tu,& quidē in illo die tuo,quæ ad pacem tuam pertinēt,curares. Nūc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te,& circundabunt te inimici tui vallo,& cingent te , & coanguſtabunt te vndique , & ſolo æquabunt te , & filios tuos qui in te ſunt. Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem,eò quòd non cognoueris tempus viſitationis tuæ. Et ingreſſus in Templum, cœpit eiicere vendentes in illo, & ementes dicens illis: Scriptū eſt; Domus mea domus precationis eſt,vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. Et docebat quotidie in Templo. Principes autem Sacerdotum & Scribæ quærebant illum perdere & primores plebis,nec inueniebant quid facerent. Totus enim populus pendebat ab ore eius,cum audirent illum.

ENARRATIO TEXTVS.

Partes & ſumma huius hiſtoriæ.

Duæ ſunt partes huius Euangelij,quarum vna docet , quid egerit Chriſtus extra ciuitatem Hieruſalē. Altera,quid poſtquam in ciuitatem eſt ventum , in Templo egerit. Extra ciuitatem ciuitatis futuram calamitatem deflet , & ſimul vaticinatur de totius vrbis & populi interitu : qua re & ſuum affectum erga genus humanum oſtendit,& quanta ſit ira Dei in peccatores non agētes pœnitentiam clare indicat. Deinde ingreſſus Templum,reprehēdit abuſum templi,eiicit ementes & vendētes in templo: teſtatur templum eſſe domum orationis , id eſt,domum dicatam Deo & eius cultui:nec decere hāc domum prophanis negotiis prophanare. Sunt autem (vt dixi)duæ partes huius textus: Vna,de fletu Chriſti,& vaticinio eiuſdem, de vaſtatione vrbis & interitu populi.Altera,de facto Chriſti in templo.Sed hę duæ partes plures in ſe locos & doctrinas continent, quare de iis ſigillatim dicam.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

DE PRIMA PARTE.

Huius primæ partis loci ſunt duo, qui ſunt:

1. *Vaticinium Chriſti contra ciuitatem Hieruſalem, cum ſuis circumſtantiis.*
2. *Huius partis vſus in noſtra Eccleſia.*

DE PRIMO.

Circunſtantiæ prioris loci primæ partis.

In hoc primo loco multæ concurrunt circumſtãtiæ, quæ ſunt: 1. affectus Chriſti erga genus humanum. 2. vaticinium ipſum. 3. tempus viſitationis. 4. Vnde poterant cognoſcere tempus viſitationis. 5. Quare non cognouerint tempus viſitationis ſuæ. 6. pœna neglectæ viſitationis. 7. mora viſitationis.

1. Fletus Chriſti.

Prima. *Videns Chriſtus ciuitatem, fleuit ſuper illam.* Hic Chriſti fletus illuſtre teſtimoniũ eſt miſericordiæ Dei erga humanum genus. Nam non ſecus Dominus noſter, quàm pijſsimus pater ſuorum liberorum, quos æquè ac ſe diligit, perditionem deplorat. Quæ ſanè perditio habet nullam aliam cauſſam, quã ingratitudinem erga Euangeliũ. Quî enim fieri potuit, vt filius Dei, qui verus homo natus in hoc fuit, vt ſua victima ab æterna dãnatione genus humanũ liberaret, non de tanta hominum ingratitudine doleret, quos ad ſalutem ab initio creauit, & poſtea eis Prophetis & Apoſtolis ad pœnitentiam reuocauit?

2. Vaticinium de excidio Ieruſalem.

Secunda. *Quia venient dies ſuper te, & circundabunt te inimici tui vallo, & prement te vndique, & ad terram proſternẽt te, & filios tuos qui in te ſunt.* Hic Chriſtus vaticinatur de calamitate, quę ſuperuentura erat ſuper Hieruſalẽ: quę quidẽ calamitas 40. anno poſtea ipſis contigit. Huius calamitatis hiſtoriam diuidã in tres partes, quarum. 1. erit aſsignatio eorum, quæ contigerunt ante deuaſtationem vrbis. 2. enumeratio malorum, quæ in obſidione experti ſunt ciues. 3. notatio calamitatis, quæ ſecuta eſt vrbis direptionem.

Quæ pręceſſerunt vaſtationem vrbis.

Quid contigit ante deuaſtationem vrbis? Multa ſane, quibus Deus iſtum populum ad pœnitentiam reuocare voluit, vt vaticinia, ſigna, prodigia, præſagia. *Vaticinia*, Vt hoc Chriſti vaticinium, de quo audiuimus, cuius & Zacharias ca. 12. 3. meminit his verbis: Et erit in die illa, ponam Ieruſalem lapidem oneris cunctis populis. Omnes qui eleuabunt eam lacerando lacerabuntur, & colligentur aduerſus eam omnia regna terrę. *Prodigia* quoque præceſſerunt. Integro anno apparuit cometa ſuper ciuitatem Ieruſalem, repræſentans ignitum gladium. Currus bellici & equites in cœlo viſi ſunt concurrere. *Signa.* Ianua templi noctu ſponte aperta eſt: vox in templo audita eſt, migremus hinc, migremus hinc. *Præſagia.* Homo plebeius, Ieſus nomine, clamauit in plateis, vox ab occidente, vox ab oriente: qui quò magis caſtigabatur à Magiſtratu, eò magis clamauit. His vaticiniis, prodigiis, ſignis & præſagiis inuitauit Dominus populum Iudaicum ad pœnitentiam, ſed fruſtrà: quare ſecuta eſt grauiſsima pœna.

Mala quæ in obſidione experti ſunt ciues.

De pœna ergo dicamus. Primo die Azymorũ incepit obſidio, & perdurauit vſque ad octauum diem Septembris. Mox oritur in ciuitate inteſtina ſeditio, qua amici & conſanguinei ſe mutuis vulneribus trucidant: ex cadaueribus mortuorum oritur grauiſsima peſtis, adeo vt ne mortui quidem ſepeliri potuerint. Accedit fames, quæ tanta fuit, quòd matres proprios liberos comederint: & vt de aliis rebus turpiſſimis taceam, in ſeditione ciuili, in qua conciderunt duo millia hominum, templum incenditur, & penitus incendio vaſtatur: poſtea ab hoſtibus prima ciuitatis pars capitur: deinde altera, tandem tota ciuitas venit in hoſtium poteſtatem.

Calamitates ſecutæ vrbis direptionem.

Poſt obſidionem tantus contemtus ſuperati populi fuit, quod ſeptem millia de nobilioribus & præcipuis ſint deputata publicis & ſeruilibus operibus, & multi ſpectaculis publicis ſint reſeruati. Multitudo interfectorum pręter illos, qui peſte perierant in ciuitate, fuit nonaginta ſeptem millium, qui erant infra annum 16. à militibus venditi ſunt. Honeſtę matronæ & virgines ſtupratæ ſunt à militibus. Poſtea rurſus ſub Domitiano noua eſt orta perſecutio, nam Domitianus inquirebat omnes, qui Dauidem vel Chriſtum vlla propinquitate attigerunt. Hæc de pœna corporali ſecuta contemtum filij Dei ſint dicta, cum qua coniuncta erat pœna ſpiritualis in conſcientia, & tandem cruciatus æternus in inferno ſecutus eſt.

3. Tempus viſitationis.

Tertia. *Si cognouiſſes & tu, & quidem in hac die.* Tempus viſitationis eſt quo Deus viſitat, aliâs ad puniendum peccatores, aliâs ad benefaciendum piis, idque multis modis. Verum potiſſimum tempus viſitationis miſericordiæ Dei, fuit tempus prędicationis Chriſti, quãdo & illos & totum mundum inuitauit ad pœnitentiam, offerens gratiam & vitam æternam pœnitentibus. De hoc tempore loquitur Dominus.

4. Vnde illud tempus agnoſcere poterant.

Quarta. Vnde poterant Iudæi cognoſcere tempus viſitationis ſuæ? Multa habuerunt præclara argumenta. 1. Miracula potentiam Chriſti manifeſtarunt. Si, inquit, mihi non creditis, credite operibus meis, illa enim de me perhibent teſtimonium. 2. Daniel hoc viſitationis tempus apud Babylonios prædixit. 3. Iam tranſlatum erat regnum Iuda, iuxta vaticiniũ Iacob, Gen. 49. 10. Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniet Silo, id eſt, Semẽ mulieris, qui eſt Chriſtus Dominus. 4. Ne offenderentur paupertate Chriſti, admoniti erant à Zacharia Propheta, qui cap. 9. 9. ait: Ecce, Rex tuus veniet pauper. 5. Teſtimonium Iohannis de Chriſto. 6. Vox Dei Patris ſuper Chriſtũ in Baptiſmo & in monte. Hæc & multa alia poterãt Iudæos certificare de Chriſti præſentia, & tempore viſitationis eius.

4. Cæcitatis Iudæorum cauſæ.

Quarta. Sed quare non cognouerunt tempus viſitationis ſuæ, qui adeo multis ſignis erant admoniti? Duo fuerunt velamina, vnum carnale, alterũ ſpirituale. *Carnale* quidem, quia irretiti mundi voluptatibus, illecebris & curis, non poterant conſiderare ea, quæ ad animæ ſalutem ſpectant, ſed cogitarunt, ſicuti ſcribitur Sap. 2. 1. 2. Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt, qui agnitus ſit reuerſus ab inferis. Venite, fruamur bonis quæ ſunt, & relinquamus vbique ſigna lætitiæ, nam hæc eſt pars noſtra. Sic irretitus fuit diues Epulo, quem quidam ſcribunt ciuem fuiſſe Hieroſolymitanum, ſic & ille qui dixit, (cum iam horrea ſua plena frugibus videret) fruere nunc anima mea deliciis. Sed quid accidit illi? In mediis deliciis vocatus eſt ad pœnam. *Spirituale* verò velamen fuit, de quo hic loquitur Chriſtus: Et Paulus Ro. 1. Tradidit eos in reprobam mentem: Et 2. Theſ. 2. Dedit illis efficacem errorem, vt credãt mendacio, qui veritati noluerunt obedire. Atque ita iuſtum eſt Dei iudicium.

5. Pœna neglectæ viſitationis.

Sexta. Pœna neglectæ viſitationis, quæ eſt duplex: Carnalis & temporalis, Spiritualis & æterna. Ad pœnas temporales & carnales pertinet iſta horrenda vrbis vaſtatio. Item omnes calamitates in humano genere, quæ calamitates nôs merito admonere deberent pœnitentiæ.

7. Cauſa dilatæ pœnæ.

Septima. Cauſſa dilatæ pœnæ. Hanc Paulus Roman. 2. explicat, dum ait: diuitias bonitatis Dei & longani-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

longanimitatem inuitare ad pœnitentiã. Deus enim tardus ad iram, id eſt, ad vindictam, idque ideo vt nos tandem agnitis peccatis noſtris, ingemiſcamus, & confugiamus ad Chriſtum vera fiducia.

DE SECVNDO.

Doctrinæ de excidio Iudæorum vſus inter Chriſtianos.

Cùm Paulus dicit, Ro.15.4. Omne quod ſcriptum eſt, in noſtram doctrinam ſcriptum eſſe, videamus quis ſit huius doctrinæ vſus.

Primùm itaque nos, qui in Chriſtum credimus, & ſumus Ieruſalem Dei ſancta, audiamus vocẽ Chriſti deflentis peccata noſtra, & diſcamus quomodo erga nos ſit affectus. Deinde agnoſcamus tempus viſitationis noſtræ, quia nos viſitauit Deus in hoc regno mirabiliter. Primùm ſuo verbo, quod ſane purè omnibus Eccleſiis Daniæ proclamatur. Sed quia parum fuimus Euangelio obedientes, viſitauit nos bello, fame, peſte, & ſingulos variis modis. Verùm ſi nõ egerimus pœnitẽtiam, idque maturè, viſitabit nos rurſus bello, peſte, fame, & tandem nos omnino delebit. Agamus igitur pœnitentiam, promittamus emendationem, amplectamur Euangelium Chriſti: breuiter, pie & ſancte vitam inſtituamus, vt poſſimus euadere in die iræ.

DE SECVNDA PARTE.

Circunſtantiæ huius partis, cum obſeruat. doctrinarum.

Et ingreſſus in Templum. &c. In hac ſecunda huius Euangelij parte ſunt quatuor circumſtantiæ potiſſimum obſeruandæ.

1. Impietas pontificum.

Prima, impietas Pontificum. Templum Salomonis fuit ordinatum propter has cauſas, non vt exerceretur mercatura in eo, ſed vt illic verbũ Dei doceretur, & in illud populus Dei cõueniret & oraret, quemadmodum ipſe Salomon inquit in dedicatione Tẽpli, 1.Reg.8.30. Quodcunq; orauerit populus tuus in loco iſto (id eſt, in templo hoc) exaudies in loco tabernaculi tui in cœlo, & cum exaudieris, propicius eris. Præterea fuit ordinatum lege, vt iuxta templũ fierent mactationes ſecundum legem. Contra hęc omnia fecerunt Phariſæi & Pontifices. Contemſerunt enim verbum Dei, exercuerunt prophanas mercaturas, imò, vt ipſe Chriſtus inquit, fecerunt ex templo Dei ſpeluncam latronum. Trucidantur homines à latronibus, vt latrones occiſorũ bona ad ſe conuertant. Pontifices autem falſa doctrina ac praua interpretatione ſcripturæ multa hominũ millia trucidârunt, dum illorum animas ſacrilegè priuarunt æterna beatitudine. Hinc ſatis liquet, quam fuerint ipſi Pontifices impij in Deũ, qui non ſolum ipſi cõtemſerunt verbum Dei, verùm etiam aliis occaſio fuerunt contemtus, contumaciæ, & tãdem perditionis.

Quomodo templum Dei factum ſit ſpelunca latronum.

2. Eiectio ementiũ & vendentium.

Secunda, eiectio ementium & vendentium de tẽplo. 1. Chriſtus enim eiicit ementes & vendentes, idque externa vi, quo facto primum teſtatur ſe improbare impietatẽ Phariſaicam. 2. Deinde declarat ſe verum Regẽ & pontificem eſſe iſtius populi. Regem quidem, quod manum admoueat ad tollendam impietatem, quemadmodum Ezechias fecit, cum tolleret æneum ſerpentem propter idololatriã populi. Pontificem verò, quia veram doctrinam defendit, & reprehẽdit Phariſaicas corruptelas. 3. Præterea hæc eiectio fuit paterna quædam admonitio de futura templi deuaſtatione, niſi reſipiſcerẽt. 4. Ad hæc, facto hoc admonet de pœna, in quã incurrent omnes impij, qui abuſi fuerint templo Dei, nimirũ, quod à Chriſto aliquando ſunt è templo eijciendi.

Doctrina.

Hinc præterea diſcant vtrique, magiſtratus dico & gubernatores Eccleſiarum. Illi quidẽ manu & externa vi tollere impietatis inſtrumenta, hi vero gladio ſpiritus, hoc eſt, verbo Dei amputare omnẽ ſuperſtitionem, quãtum quidem fieri poteſt. Sic fecit beatus Theodoſius, qui omnes imagines & idola de templis ſuſtulit. Sic fecit pijſsimus princeps Iohannes Fridericus dux Saxoniæ. Horum exemplũ imitatus eſt ſanctiſsimæ memoriæ Rex Daniæ Chriſtianus, eius nominis tertius, cuius beneficio adhuc Scholæ & Eccleſiæ in hoc regno gaudent.

Confirmatio ab exemplis.

3. De duplici templo Dei, & de vtriuſque vſu & abuſu.

Tertia eſt de templo Dei, quod eſt duplex, manufactum ſeu viſibile, & ſpirituale ſeu non manufactũ. Vtrunque eſt domus orationis. Domus mea, inquit Chriſtus, eſt domus orationis. *Vſus manufacti templi* præcipuè in his poſitus eſt. 1. vt ſit locus publicus, in quo doceatur & audiatur verbum Dei. 2. vt illic adminiſtrentur Sacramenta. 3. vt illic conueniant pij, oraturi pro communibus neceſsitatibus. 4. vt ſit locus, in quo fiat publica confeſsio religionis. Sed quid fit in Papatu? pro verbo Dei traditiones hominum obtrudunt. Pro myſteriorũ Dei diſtributione, ſacrilegia horrendiſsima proponuntur, venale habent cœlum, miſſam pro viuis & mortuis iactant, ſpoliant Eccleſiam Sacramentis, contaminant ſacramenta ſuis blaſphemis additamentis, faciunt ex loco publicæ confeſsionis Euangelij conciliabulum hypocritarum, qui conſpirant aduerſus Euangeliũ Chriſti. Hæc ſint dicta de manufacto templo.

Abuſus.

Templi ſpiritualis vſus.

Non manufactum & ſpirituale *templum* eſt cùm tota Catholica Eccleſia, tum ſingula eius membra. Ita enim Paulus ait ſcribens Corinthiis, in 1.epiſt.ca.3.v.17. Neſcitis, quod templum Dei ſanctum ſitis vos? Imo Chriſtus ipſe architectus huius tẽpli ait, Ioã.14.23. Si quis ſermonem meum audit, ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Proinde & tota Eccleſia, & ſingula eius membra, templum Dei dicuntur & ſunt. Huius templi fundamentum eſt filius Dei, fundamentum enim aliud nemo ponere poteſt, præter id quod poſitum eſt; quod eſt Ieſus Chriſtus Dominus noſter. 1.Cor.3.11. Hoc templum erigitur à filio Dei, ædificatur à Prophetis, Apoſtolis, miniſtris verbi, à pio magiſtratu, à ſanctis patribusfamiliâs, prout Dominus ſingulis dederit ædificandi gratiam. Hoc templũ purgatur & conſeruatur ſanguine Chriſti. Huius templi oſtiarius eſt Spiritus ſanctus, quando precibus & fide ianua eius pulſatur. Neque hoc templum otioſum eſt. Nam in eo iugis eſt celebratio Dei, oratio perpetua, oblationes ſanctæ; cultus Dei (vt vno verbo dicam) indefeſſus, huic enim ſancto vſui dicatum eſt hoc ſanctum Dei templum. Verùm homines, qui indulgent ſuis libidinibus, ſuę tyrannidi, vſuræ, fraudibus, non ſolùm hoc templũ Dei prophanant, eiecto oſtiario Spiritu ſancto, expulſo Chriſto architecto, verumetiam fiunt templa Satanæ, in quibus ſanguis Chriſti contumelia afficitur, verbum Dei ludibriis exponitur, in locum piarum precũ ſuccedunt inuocationes ſanctorum, execrationes, blaſphemiæ, contumeliæ, & vt vno dicam verbo, laudes Satanæ illic perſonant.

Eiuſdem abuſus.

Cauſæ impulſiuę vt templum Dei eſſe cupiamus.

Sed quid nos commouebit, vt templum Dei eſſe cupiamus? 1. Dignitas. Quæ enim maior gloria eſt, quam eſſe templum ſanctæ Trinitatis? 2. Vtilitas, nam hoc pacto tranſitur à Satanæ delubro (vbi mera mors & damnatio regnant) ad domum Dei & æternam felicitatem. 3. Finis conditionis hominis. Conditi enim ſumus, vt ſimus templa Dei. Contrà cogitandum eſt, quàm indignum ſit, & quam magnum ſacrilegiũ, hoc templũ ſceleribus vllis contaminare. Proinde conandũ totis virib. eſt, vt præſtemus Deo in ſuo templo verũ cultũ, & offeramus ſacrificia labiorum noſtrorum, hoc eſt, gratiarum actionem, & thura cordis noſtri, hoc eſt, fidem & innocentiam.

4. Mundi iudicium de Eccleſia Dei.

Quarta, mundus longè aliter iudicat de iis,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

qui templa Dei ſunt,quàm verbum Dei. Mundus iudicat præclaros,potentes,ſapientes, diuites in hoc templum recipi,ſed contrarium docet verbum Dei, & monſtrant exempla.Tametſi autem nullus reiicitur propter claritatem generis,potentiam,ſapientiá, diuitias, tamen plerunque fit, vt tales huius mundi negotiis impediti, minus de hoc ſpirituali templo cogitent.Exemplo ſunt Cain & Abel.Deinde Eſau & Iacob.Ita ſemper diligit Deus infirmos huius mũdi,vt quæ fortia ſunt pudefaceret. Sed hoc nos non mouebit. Chriſtus enim dicit:Noli timere puſille grex,placuit enim Patri dare vobis regnum, cui per Chriſtum cum Spiritu ſancto ſit honor in ſecula ſeculorum,Amen.

DOMINICA VNDECIMA
post trinitatis,Lucæ 18.

*IEſus dixit ad quoſdam,qui in ſe confidebant, quod eſſent iuſti,& aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam. Duo homines aſcendebant in Templum,vt precarẽtur:vnus Phariſæus,alter Publicanus. Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi,quod non ſim ſicut cæteri homines,raptores,iniuſti,adulteri, velut etiam hic Publicanus,Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo. Et Publicanus procul ſtans ne oculos volebat ad cœlum attollere,ſed percutiebat pectus ſuum dicẽs:*Deus *propicius eſto mihi peccatori. Dico vobis,deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam magis quam ille. Quia omnis qui ſe extollit,humiliabitur:& qui ſe humiliat,extolletur.*

ENARRATIO TEXTVS.

Occaſio & ſumma huius concionis.

Occaſio huius Euangelij fuit quod poſtquã Chriſtus docuiſſet de efficacia orationis & forma orandi, voluit etiam illuſtria exempla proponere, in quibus & efficacis orationis & hypocriticæ oſtẽtationis naturam depingeret. Nam cum nemo rite orare poteſt, niſi idem ſit prius iuſtus ex fide Chriſti, fit vt multi ſe iuſtos putent,& propterea ſe rectè orare arbitrentur.Quare neceſſe fuit diſcernere inter vere iuſtos,& eos qui iuſtitiam ſimulant. Qui enim videri volunt iuſti,& non ſunt tamen,illi nequaquam inuocant. Verùm qui agnitis peccatis ſuis,agunt ſeriã pœnitentiam, hi fide iuſti effecti, ſoli efficaciter & vere orare poſſunt.Ea itaque de cauſa Dominus hic nobis proponit duas imagines: quarum vna eſt hypocriticæ orationis:altera veræ & piæ inuocationis. Phariſęus,qui putauit ſe pium & iuſtum,& non fuit, hypocriticam orationem nobis agnoſcendam præbet: Contrà,miſer Publicanus,proſternens ſe coram Deo,& agnoſcens ſuas ſordes, & nihilominus confugiens ad miſericordiam, veræ & ſalutaris orationis formam ſuo exemplo præbet.

Loci tres:

1. *De iuſtitia Legis,& Phariſaica vanitate.*
2. *De iuſtitia Chriſtiana & vera pœnitentia.*
3. *Iudicium Chriſti de Phariſæo & Publicano.*

DE PRIMO.

Locus, de iuſtitia Legis.

*Dicebat ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam iuſti,&c.*Hic neceſſe eſt dicere de legis iuſtitia: quæ ſit,quis ſit eius vſus,finis & ius. Nam inde intelligemus,quantum Phariſæi aberrent à vera iuſtitia.

2. Quæ ſit, ſeu definitio iuſtitiæ Legis.

Quæ eſt legis iuſticia?Eſt perfecta obedientia omnium membrorum noſtrorum,interiorum & exteriorum,erga legem Dei,cordis,affectuum,volũtatis, oris.Breuiter,omnium potentiarum & virium corporis & animi: quam obedientiam non oportet eſſe momentaneam,ſed perpetuam: nõ inanem,ſed perfectam & abſolutam: non contaminatam, ſed puram & caſtam: qualis ab Adam præſtari potuit ante lapſũ, & qualis à ſanctis Angelis in cœlo præſtatur. Quod talem deceat eſſe legis iuſticiam,cùm Moſes, tum Chriſtus docent his verbis: Diliges Dominum deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex toto robore, & omnibus viribus tuis, & proximum tuum ſicut teipſum.Deinde,quia ipſe purus,ſanctus, & caſtus eſt, nil poteſt illi placere, niſi purum, ſanctum & caſtum. Et qui hanc iuſticiam præſtant,ſoli habent promiſsionem legalem.Sic enim Moſes:Qui fecerit ea homo,viuet in eis.Hanc obedientiam perfectam & perpetuam, qualem Lex requirit, nullus homo,excepto ſolo Chriſto,vnquã præſtitit. Quare omnes,qui ſe hac legis iuſticia iuſtos putant, nõ tãtum cæci ſunt & arrogantes:verum etiam blaſphemi in legem Dei,quam metiuntur ſuo modulo, & non voce Dei. Quod autem nullus Legi Dei ſatisfacere poſſit, nuper dixi, & nunc breuiter idem nobis in memoriam reuocabo.*Primum*,noſtra membra interiora & exteriora, quibus exequi obedientiam erga legem deberemus,ſunt mutila,& horrenda quadam ataxia vitiata,ita vt nihil recte exequi poſſint. *Deinde* Lex peccati tanquam fortiſſimus gigas noſtra membra occupat,etiam quando renati ſumus, vt nõ poſſimus præſtare quæ volumus. Hinc diuus Paulus clamat,Rom.7. ô infelix ego homo, quis liberabit me de corpore morti obnoxio. Itẽ,Velle quidẽ adeſt mihi,ſed perficere non inuenio.Itẽ,Nõ quod volo bonũ,hoc facio,ſed quod non volo malũ,hoc ago. Ita regenerati promtã quidẽ voluntatem habent,ſed exequendi quod volũt viribus deſtituũtur, adeo domeſticus noſter hoſtis eſt importunus,& nos à bono retrahit.Quid dicemus ergo de illis, quorũ voluntas nondũ eſt reformata,quales ſunt omnes, qui nondũ ſunt regenerati? *Huc accedit* quod Lex Dei ſit ſpiritualis,nos verò carnales.Ita enim Paulus iã fidelis dixit,eod.7.c.Lex ſpiritualis,ego autẽ carnalis vẽditus ſub peccato.Hinc facile videre eſt,quod à nobis legi debita obedientia pręſtari non poſſit.Quî enim fieri poteſt,vt caro ſpiritualem iuſtitiam præſtet?Multas alias & plures rationes nuper adduxi, quibus oſtendi,neminem in hac vita perfectam legi obedientiam præſtare poſſe. Quid ergo fiet?hîc vocẽ legis primũ audies.Quid illa dicit?Maledictus omnis,qui nõ permanſerit in omnibus,quæ ſcripta ſunt in libro legis. Hic audis legis ſentẽtiam.Hæc legis vox te humiliet coram Deo,& prorſus proſternat, vt agnoſcas & fœditatem tui peccati,& iuſtam damnationem.

Definitionis confirmatio.

Quod nullus hominũ, Chriſto excepto,obedientiam perfectã præſtet.

Quid hic faciendum?Poſſumus ne hanc legis maledictionem declinare?non potes tuis viribus:quare tibi vel pereundum eſt, vel quærendum remedium contra hanc legis damnationem, quod ſanè non eſt aliud, quam ſolus Ieſus Chriſtus, qui ideo venit in mundum,vt in ſe maledictionem legis reciperet, & omnes in ſe credentes liberaret à iure legis, id eſt,à damnatione,quam lex minatur trãſgreſſoribus ſuis. Hæc proinde maledictio extendit ſe ad omnes homines,qui non audiunt Chriſtum,& veſtiuntur eius iuſtitia, vt illa ornati appareant in conſpectu Dei. Nã Chriſtus eſt finis legis in iuſtitiã omni credenti, Ro.10.4. Hæc de legis iuſtitia ideo à me dicta ſunt, vt oſtendam quam vani fuerint Phariſæi iſti, qui ſe iuſtos confidebant, & aſpernabantur cæteros tanquam prophanos & iniuſtos.

De Remedio aduerſus legis maledictionem.

Sed quænam cauſa eſt, quod hic Phariſæus cum ſua turba confidat ſe eſſe iuſtum? cæcitas in cauſa fuit.Adeo enim cæcus erat, quod non viderit legis mentem, imò velamen tantum Legis vidit & non introſpexit in legis adytum, quemadmodum textus huius Euangelij ſatis indicat,ait enim:*Gratias ago tibi,quia*

De Phariſaica vanitate ſeu iuſtitiariorum hypocriſi locus.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

bi,quia non ſum ſicuti cæteri homines,raptores iniuſti,adulteri,aut ſicut hic Publicanus. Literam igitur legis vidit,non ſpiritum, hoc eſt,tantum in externis operibus hæſit,nō ſpiritualem,quem requirit lex, ſenſum conſiderauit.

Præcipua capita.

Verūm vt hæc nobis clarius ponantur ob oculos, videamus 1.qualia ipſius opera fuerint.2.conferamus ea cum lege Dei.3.colligamus inde quid illi defuerit. 4.quam multis peccatis reus conſtrictus fuerit, etſi ſe iuſtum coram hominibus venditaret.

1.Opera ſine fide.

Opera huius Phariſæi fuerunt ſine fide, profecta ex mera incredulitate & arrogantia. Iā cū ſcriptura aperte dicit : Sine fide impoſſibile eſt placare Deū: quis tam amens eſt,vt iſtam externam laruam iuſtitiam vocet?

2.Collata ad legem Dei ſunt impuriſſima.

Opera quæ iactat conferamus cum lege Dei. Lex requirit puram obedientiā:hic ex impuriſſimo corde promit conuicia in Deum & in proximū.Lex iubet proximum diligere:is accuſat, idque coram tribunali Dei.Quid multis?Nil ex Dei præſcripto fecerat.An non eſt magnum,non eſſe raptorem?non iniuſtum? non adulterum? ieiunare & dare decimas? iſta quidem non ſunt contemnenda.Sed hic Phariſæus bona, quæ fecerat,miſerè contaminauit philautia & ſuperbia.

3.Fonte bonorum operum carent.

Quid ergo illi defuit?fons bonorum operum,fides Chriſti,quæ per charitatem operatur.Vbi autem hęc non eſt,quantumuis ſpecioſum videtur opus,Deo tamen gratum eſſe nequit,imo potius abominatio eſt coram Deo, præcipuè, quia accedit opinio iuſtitiæ, ſicuti videmus in hoc Phariſæo.

4.Hypocritarum iuſtitiariorum grauiſſima peccata & ſcelera in 1.& 2.tabulam.

Vidimus vnde profecta fuerint opera huius Phariſæi,& quantum diſtent à legis iuſticia, & quid illi defuerit : nunc quam grauiter peccarit & quam iniuſtus fuerit videamus : *Primùm* auſus eſt Deum accedere & interpellare ſine timore Dei,ſine fide, ſine pœnitentia,ſine mediatore Chriſto, per quem ſolū patet aditus ad patrem.Eſtne hoc graue ſcelus? Imò hic totam primam tabulam violat,& tanquam pedibus cōculcat.*Deinde* auſus eſt puluis & cinis gloriari coram Deo,cùm tamen ſcriptum ſit:Innocens coram te non eſt innocens,quāta quæſo hæc ſuperbia? Nónne tametſi & Deum & homines deſpicit:ſe tamen iuſtū ſimulat?*Tertiò* abuſus eſt tēplo Dei,quod erat ordinatum ad deprecanda peccata publica & priuata.Sed quid hic facit è templo? prætorium,in quo accuſat alios.*Quartò* totam ſecundam tabulam inuadit, & violat contra charitatis naturam,quæ peccata proximi aut curare,aut tegere ſolet:quid facit? *Non ſum*,inquit, *ſicuti cæteri homines,raptores,iniuſti,adulteri*:imo hoc videbatur ei parum. Quare cum in ſupremo loco templi eſſet,reſpicit à tergo,& videt miſerum Publicanum orantem, quem mox, vbi eum vidit,accuſat coram tribunali Dei. *Neque ſum*,inquit,*ſicut iſte Publicanus*.Hic ſi vere pius fuiſſet, gratulatus fuiſſet Publicano cum angelis Dei, qui gaudent in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente. Verùm cum accuſat pœnitentem, ſatis arguit,ex quo ſpiritu loquatur.Debebat meminiſſe dicti Ieſu Syrach,Eccle.8.6. Hominem auertentem ſe à peccato ne deſpexeris.Omnes enim in correptione ſumus,id eſt, obnoxij variis caſibus. Qui ſtat, videat ne cadat, inquit Apoſtolus. 1. Corinth. 10. 12.

De ieiunio hypocritarum.

De ieiunio & decimis huius hypocritæ hoc tantum dico. Ieiunium, quo carnis ferocia domatur,eſt res non mala:verum ſi ieiunas,vt merearis aliquid à Deo,tuum ieiunium ſit abominatio.Deus enim non vult coli humanis traditionibus,ſed iuxta legis ſuæ regulam. De decimis hæc dico, quod Deus ita ordinauit in ſua republica, vt ſacerdotes & Leuitica tribus haberent vnde viuerent.Et Chriſtus dicit:Dignus eſt mercenarius mercede ſua:&, Non obligabis os boui trituranti.

DE SECVNDO.

De iuſtitia Chriſtiana, Idcus.

Quemadmodum in Phariſæo vidimus, qualis ſit iuſticia Phariſaica: & eius vanitatem oſtendimus ex collatione ad legis iuſticiam:Ita nunc ſequitur ſecunda doctrina de iuſticia Chriſtiana, quæ nobis in hoc Publicano,tanquam in viua quadam imagine repræſentatur. Verū quia ſcriptura duobus modis de virtutibus docet, nimirū regula, & exemplo: volo primum videre,quid ſcriptura dicat de iuſticia,Chriſtiana. Deinde idem oſtendam in Publicani exemplo, vt ita regula confirmetur exemplo.

1.Regula iuſtitiæ Chriſtianæ.

Quantum autem ad regulam iuſticiæ Chriſtianæ attinet,hæc ſunt clara dicta. Paulus Ro.3.22. Omnes peccauerunt, & priuātur gloria Dei, iuſtificamur autem ipſius gratia,per redemtionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propoſuit Deus propiciatorium per fidem in ſanguine eius. Mox in eodem capite,v.27. Arbitramur hominem iuſtificari fide abſque operibus legis.2.Cor.5.21. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo. Rom.5.19. Sicut,vnius hominis inobedientia multi ſunt conſtituti peccatores : ita vnius rurſus obedietia iuſti conſtituuntur multi.Et de Abrahamo,c.23.Credidit Abraham Deo, & imputatum eſt ei ad iuſticiam.Et Dauid,Pſal.32.1.Beati quorum remiſſæ iniquitates,& tecta ſunt peccata. Huiuſmodi ſunt infinita dicta in ſcriptura de iuſticia Chriſtiana.Sed hęc pauca propoſui,vt inde generalē doctrinam de iuſticia Chriſtiana colligam.

Doctrinæ generalis de Chriſtiana iuſtitia concluſiones firmiſſimæ.

I. Ex his teſtimonijs colligitur, quod Chriſtiana iuſticia non ſit ex operibus, tametſi iuſtificatus iam bene operari incipit. Hoc ergo primum tenendum eſt,quod opera excludantur ita,vt nō ſint huius iuſticiæ cauſa:ſed effectus & fructus,vt poſtea dicam.

2. Ex his dictis colligitur,quod Chriſtiana iuſticia non ſit obedientia in ipſis,ſed in Chriſto.

3. Quod hęc Chriſti obedientia donetur homini,vt ea,& nō ſua,ſit iuſtus.

4. Quod quiſquis crediderit, huius iuſtitię Chriſti fiat particeps,ita vt illi imputetur tanquam ſua. Chriſtus enim eſt finis legis, in iuſticiam omni credenti.

5. Quod quia peccatores ſumus,reconciliemur Patri per Chriſtum, quem Pater propoſuit propiciatorem.

6. Quod pro peccatis credentium effuſus ſit ſanguis Chriſti,ita vt iuſticię Dei ſeu legis ſit ſatiſfactū.

Iuſtitiæ Chriſtianæ definitio & effectus.

7. Ex his omnibus collectis efficitur, quod hæc iuſticia Chriſtiana conſtet abſolutione à peccato, imputatione iuſticiæ Chriſti, & acceptatione ad vitam æternam, gratis propter Chriſtū. Hæc eſt ſumma doctrinæ Eccleſiæ Chriſti de Chriſtiana iuſticia, vnde efficitur, quod Chriſtiana iuſtificatio ſit abſolutio à peccato,imputatio iuſticiæ Chriſti,& acceptatio ad vitam æternam gratis propter Chriſtum. Verùm hoc præterea tenendum eſt,quod fides ipſa, qua iuſtificamur,ſit efficax,& producat fructus Deo gratiſsimos per Ieſum Chriſtū. Vbi autem hic fructus non conſpicitur, vix illic fides inuenitur. Nam cum credimus, ſimul renaſcimur in nouos homines, vt nouam Deo obedientiam præſtemus.

II. Exemplum iuſtitiæ Chriſtianæ.

1.Trepidatio in conſcientia ex notitia legis

Iam hanc ipſam doctrinam de Chriſtiana iuſticia videamus in exemplo Publicani. 1. (Vt textus ait)ſtetit à longo. Indignitate enim ſua territus, non audebat cum Phariſæo in conſpectum maieſtatis diuinæ prodire. Sic & Petrus procidens ad ge-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nia Chriſti,ait:Exi à me, quia homo peccator ſum. Similiter & centurio: Domine,non ſum dignus,vt intres ſub tectum meum.Hæc trepidatio in conſciētia hominis oritur ex notitia legis,ad huius normam cum homo ſua facta examinat, cogitur exclamare, homo peccator ſum. 2. non audet leuare oculos. Hic notatur pudor Publicani ob turpitudinem peccati ſui. 3. percutit pectus, quo ſignificatur lucta cum diffidentia & deſperatione. 4. cum inquit, Deus,&c.ſignificatur ad ſolum Deum confugiendū eſſe pro peccatis abolendis. Hactenus cum peccato, cum legis damnatione,cum diffidentia luctatus eſt, qua lucta vera contritio declaratur. Nunc ſequitur quomodo ſit eluctatus ab iſto veluti inferno. Nam cum dicit: *Deus propitius eſto mihi peccatori*, erigit ſe fide contra deſperationem.Nam hic animo recolit promiſſiones de Chriſto,quod Deus velit eſſe peccatoribus propicius, qui agentes pœnitentiam ad Chriſtum vera fiducia confugiunt. Ille enim eſt propiciatio pro peccatis noſtris.Cum ita ſe erigit,ſibi peccatum,& Deo miſericordiam tribuit,ſe ægrotum agnoſcit,& Deum medicum, opponit miſericordiam peccato,ac ita ſtatuens Deum ſibi propiciū eſſe iuſtificatur ſola fide.Ad eundem modum Daniel fecit:Tibi Domine iuſtitia,nobis autē cōfuſio faciei.

2. Pudor. 3. Contritio. 4. Reſipiſcentia. 5. Fides. 6. Iuſtificatio.

Doctrina.

Atque ita ex hoc Publicano diſcere poſſumus primum rationem veræ pœnitētiæ,& iuſtitiæ Chriſtianæ.Nā vt vera pœnitentia eſt verus dolor ob peccatum.Ita Chriſtiana iuſtitia eſt abſolui à peccato,cū Deū vera fiducia accedimus,ſicuti ſuprà dixit.2. poſſumus ab illo diſcere, qualis debeat eſſe vera oratio. Debet enim ex intimo animo proficiſci in timore Dei,& niti propiciatione, quæ eſt in Chriſto Ieſu. 3.debemus à Publicano diſcere ſubmiſſe nos gerere cum coram Deo,tum coram hominibus.

Qualis ſit vera oratio.

In Phariſæo & Publicano quæ ſequenda & fugienda ſint.

Viuendúmne igitur eſt more Publicanorum? ſane ita eſt, quatenus agunt pœnitentiam, quemadmodum hic fecit. Vt enim Phariſæus iſte non eſt cōdemnatus propter externa opera honeſta,quæ fecit, ſed quia confidebat in opera,ita Publicanus hic non eſt laudādus ob peccata quæ fecerat,ſed propter pœnitentiam,quæ ſecuta eſt.Imò habemus ab vtroque quod vtiliter diſcamus.Cum vtroque eundum eſt in tēplum,cum vtroque agendæ ſunt Deo gratiæ,cum vtroque orandū eſt. A Phariſæo honeſta externa opera facere. A Publicano animi pietatem & veram fidem adferre diſcamus.

DE TERTIO.

Iudicium Dei de hypocritarum iuſtitiariorum & peccatorū reſipiſcentium ſtatu.

Dico vobis,deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam, & non ille. Hic habemus iudicium Chriſti de Phariſæo & Publicano.Publicanus(inquit)deſcendens de templo,in domum ſuam rediit iuſtificatus fide.Phariſæus autem non rediit iuſtus,ſed potius cōdemnatus.Hoc confirmat generali ſententia: *Quia omnis, qui ſe exaltat,humiliabitur,& qui ſe humiliat, exaltabitur.* Phariſæus ſe exaltauit, exiſtimans ſe iuſtum legis operibus,quæ nulla habuit,ideo humiliatus eſt ſententia damnationis. Publicanus ſe humiliauit peccati confeſſione,humili inuocatione, fiducia in miſericordiam Dei per Chriſtum,ideo exaltatus eſt gratia abſolutionis & gloria beatitudinis. Huius exemplo vt & nos humiliemur faxit Chriſtus, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit gloria in ſecula,Amen.

DOMINICA DVODECIMA trinitatis, Marc.7.

IEſus rurſum egrediens de finibus Tyri ac Sidonis, venit ad mare Galilaæ,per medios fines Decapolis. Et adducunt ei ſurdum,impeditaque lingua, & deprecantur eum,vt imponat illi manum. Et cum apprehendiſſet eum de turba ſeorſim,miſit digitos ſuos in auriculas eius, & ſputo emiſſo,tetigit linguam eius, ac ſuſpiciens in cœlum, ingemuit,& ait illi:Ephata,quod eſt, aperire. Et ſtatim apertæ ſunt eius aures,& ſolutum eſt vinculū linguæ eius, ac loquebatur rectè.Ac præcepit illis,ne cui dicerent.Sed quò magis ille eis præceperat,hoc potius amplius prædicabant,& ſupra modum ſtupebant,dicentes:Bene omnia fecit,& ſurdos fecit audire,& mutos loqui.

ENARRATIO TEXTVS.

Quid præcipuè obſeruandum ſit in omnibus Chriſti miraculis.

Hoc Euangelium continet vnum ex miraculis Domini,quibus ipſe oſtendebat potentiam, voluntatem,& officium ſuum. Potentia oſtenditur in eo, quod imperet omnibus rebus creatis,aliâs mari, aliâs ventis,aliâs Diabolis,aliâs morbis,vt hîc.Voluntas indicatur ex eius promtitudine ad iuuandum, eſt enim promtiſſimus ad opem ferendam omnibus inuocantibus ſe. Officium, quod ſit ſaluator iuxta nomen ſuum,quod eſt Ieſus. Hæc tria in ſingulis fere Chriſti miraculis conſpiciuntur, quibus nos recte vti diſcamus.Potentia ſiquidem Chriſti Domini aduerſus mundi tyrannidem,Sophiſticam & hypocriſin, atque adeo aduerſus totum Satanæ regnum, vti debemus. Voluntatis cognitionem opponamus aduerſus carnis noſtræ peruerſam voluntatem & iudicium. Officij cogitatione muniamus nos aduerſus omnes Antichriſtos, qui Chriſtum ſuo officio ſpoliare volunt.Hæc tria,vt in ſpeculo quodam contemplari licet in præſenti Euangelio. Hic ſurdus & mutus tenetur captiuus à Diabolo, ſed quid ad hoc Chriſtus? Potentiam ſuam declarans, aperit aures eius,& linguam ſoluit inuito & repugnante Diabolo. Deinde, cum hunc calamitoſum & miſerum iuuat,oſtendit ſe affici eius calamitate,atque ita voluntatem ſuam erga ipſum indicat.Poſtremò declarat officium, dum ſe promtum ad hunc iuuandum & alacrem exhibet. Significat enim hoc facto miſſum eſſe ſe vt afflictos & calamitoſos iuuet. Habemus quid Chriſtus oſtendat in ſuis miraculis. Iam ſummā præſentis Euangelij videamus. Chriſtus adductum ſurdum & mutum ad ſe ſanat,quo facto ſignificatur, quod Chriſtus venerit in mundum, ad iuuandos eos,qui ad ſe veniunt,iuxta illud,Ioel.2. 32.Omnis qui inuocauerit nomen Domini,ſaluus erit.Loci tres.

Applicatio ad præſentem concionem.

Eius ſumma.

Partes.

1. *Exemplum illorum,qui hunc ſurdum & mutum ad Chriſtum portant.*
2. *Factum & miraculum Chriſti.*
3. *Fructus huius miraculi ad ſpectatores.*

DE PRIMO.

Occaſio miraculi.

Exiens iterum de finibus Tyri,&c. Antequam veniamus ad primam doctrinam, obſeruanda eſt præſentis miraculi occaſio,quæ fuit profectio Chriſti, & locum profectionis.

Profectio Chriſti.

Profectio ipſa indicat,quam ſedulus Dominus in ſuo officio, & quam auide ſitierit ſalutem noſtram. Locus oſtendit,quod etiam gentes velit ſuorum beneficiorū fieri participes. Venit enim quærere quod perierat.

Locus.

1. Doctrina.

Iam primam doctrinam videamus. *Adducunt ei ſurdum & mutum,& deprecantur eum, vt imponat illi manus.* Hic duo obſeruanda ſunt:Primum,quid faciant hi baiuli. Deinde quid petant.Quid faciunt? Apportant ad Chriſtum ſurdum & mutum.His paucis verbis Chriſtiana vita deſcribitur, quam deſcriptionem recte intelligere noſtra intereſt, vt poſſimus illorum exemplum dextrè imitari. *Primum* enim Chriſtum agnoſcunt Meſſiam. *Deinde* fidem

In baiulis vitæ Chriſtianæ habetur deſcriptio.

Fides.

in

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

in ipſum habent, vtrumque declarant hoc facto. Nemo enim Chriſtum accedit vt Saluatorem, & eum inuocat, niſi qui in ipſum credit. Vt enim nemo credit, niſi qui audit, ita nemo inuocat, niſi qui credit, Rom.10. Hac ratione fides concepta ex verbo vitæ, eſt Chriſtianorum ſalus.

Fidei effecta & fructus. Eſtne ocioſa fides? Non. Hic eius triplex fructus indicatur. Primus eſt *confeſſio*, nam hic facto & voce confitentur Chriſtum. Quemadmodum enim corde creditur ad iuſticiam, ita ore fit confeſſio ad ſalutem. Secundus eſt *inuocatio* Chriſti. Sunt enim fides & inuocatio ita connexæ, vt citius calorem ab igne ſepares, quam eas à ſe inuicem diuellas. Tertius fructus fidei eſt *dilectio fraterna*, quam hi baiuli corde, opere, & ore declarant, hunc afflictum & miſerum Chriſto apportantes.

Applicatio. Vidéſne iam quales fuerint hi baiuli? vidéſne totam vitam Chriſtianã in illorum facto, tanquam in tabella depictam? Sed quare hoc factum & ſcriptum eſt? vt ego & tu habeamus exemplum pietatis erga Deum & charitatis erga proximũ. Hæc eſt forma veræ Chriſtianæ vitæ. In Chriſtum itaque cum his nos credere oportet: Chriſtum cum his confiteri neceſſe eſt, eundem cum his inuocare fides poſtulat, proximum præterea horum exemplo corde, ore & opere, diligere & iuuare decet. Quódnam, quæſo, maius dilectionis opus, quam hominem captiuum ſub Diaboli poteſtate, afflictum & miſerum, & coram hominibus ſpretum extreméque contemptum adducere ad Chriſtum, & tantam curam pro aliena ſalute ſuſcipere?

Adhortatio. Hic diſcant diuites, pauperes, nobiles, ignobiles, ciues & ruſtici quid illos deceat, modò non fruſtra Chriſtianum titulum iactare velint. Vnuſquiſque pro ratione ſuæ functionis conetur quam plurimos Chriſto adducere, eum inuocare, & ſolicitudinem piam ſuſcipere pro aliorum ſalute.

Quæſtio de propriæ & alienæ fidei efficacia. Hic oritur quæſtio. Hic ſurdus fidem non habuit, non enim potuit verbum audire, vnde fides concipitur, ſanatur tamen à Chriſto ob alienam fidem, videtur ergo quod homo aliena fide ſaluari poſſit? Reſpondeo: Chriſtus aperit linguam muti, & inuocatus dat infirmo fidem, quam nactus infirmus ſua propria, non aliena fide ſaluatur. Deinde diſcernendum eſt inter corporalia beneficia & ſalutem æternam. Corporalia beneficia pij poſſunt etiam impiis à Deo impetrare, ſalutem autem non poſſunt ipſis impetrare, niſi ipſi quoq; prius fidem ex verbo Dei conceperint. Niſi enim pij impetrare poſſent impiis beneficia corporalia, non poſſet ſtare mundus in hoc tantorum ſcelerum & ſcandalorum diluuio.

De impoſitione manuũ, locus. Hæc dicta ſint de facto horum baiulorum & eius vtili imitatione, iam quid à Chriſto petierint videamus. *Deprecabantur eum* (inquit textus) vt imponat illi manum, nam per impoſitionem manuum obſeruarunt Chriſtum antea multis contuliſſe ſanitatem. Verum vt iſtum ritum nos intelligamus, quatuor de impoſitione manuum ſunt obſeruanda.

Sũma capita.

1. *Quam antiqua ſit hæc conſuetudo impoſitionis manuum.*
2. *Quorum fuerit aliis manum imponere.*
3. *Ad quid & in quem finem manus impoſitæ ſint.*
4. *Quæ ſit impoſitionis manuum ratio ſymbolica.*

De antiquitate ritus impoſitionis manuum. 1. Quantum ad antiquitatem ritus imponendi manus attinet, ſcriptura oſtendit, quod à Patribus ſit hæc conſuetudo accepta. Legimus enim Geneſ. 48.14. ꝙ Patriarcha Iacob manus impoſuerit filiis Ioſeph, Manaſſe & Ephraim. Quæ conſuetudo poſtea lege Iudæis commendata eſt, & peruenit hic ritus vſque ad tempora Chriſti, qui & ipſo vſus eſt, & vſum illius ad Apoſtolos ſuos tranſmiſit. Quod autem manuum impoſitioni coniuncta fuerit oratio, patet ex capite 19. ver. 13. Matth. vbi ſcribitur, quod oblati ſint pueri Chriſto, vt manus eis imponeret & oraret.

2. Habemus quàm ſit antiqua conſuetudo manuum impoſitio: iam quorum fuerit aliis, imponere manus videamus: id quod ex facto Iacob & aliorum colligitur. Mos enim fuit, vt maiores minorib: parentes liberis, ſacerdotes populo, manus imponerent. Fuit enim ſolennis ceremonia, quæ penes illos erat, qui præeminebant autoritate. Quorum fuerit hoc munus.

3. Sed quem in finem iſte ritus inſtitutus erat? In quem finem. quintuplex finis è ſcriptura colligi poteſt. 1. Quod benedicendi ſeu orandi cauſa factum ſit, vt Matth. 19.13. & Marci 10.13.16. oſtenditur. 2. Offerendi cauſa: ſolebant enim Sacerdotes manus imponere capitibus victimarum. 3. Sanandi gratia. Sicuti Chriſtus ſæpe ſuas manus impoſuit ſanaturus, qui ſibi offerebantur. 4. Vt precando conferretur Spiritus Sanctus, vt in Actis Apoſtolicis legimus. 5. In conſecratione miniſtrorum verbi manus imponebantur iis, qui ordinabantur ad miniſterium.

4. Iam de ſymbolo impoſitionis manuum Råtlo ſymbolica. nonnihil adiiciamus. Qui benedixerunt impoſitis manibus, fungebantur vice Dei, manus ſignificabant auxilium & fauorem Dei impoſitio manuum ſignificabat, eum, cui imponebantur manus, eſſe ſub fauore & protectione Dei, & benedici à Deo. In benedictionibus optabatur auxilium & fauor Dei: in ſacrificiis hoſtiæ dicabantur Deo: in ſanationibus manus Dei ſe exeruit, dum ſanitati reſtituit ſua potentia ægrotos: ſimiliter in donationibus Spiritus Sancti, manus ſignificabant præſentiam Dei: in conſecrationibus ſacerdotum, hæc erat ſignificatio impoſitionis manuum, quod qui ordinabantur, dicarentur Deo tanquam hoſtiæ, probarentur Deo, & ordinarentur ad opus diuinum. Hæc ſint dicta Sũma eorum quę in priorē locũ dicta ſunt. de primo loco, nẽpe de facto horum baiulorum, & impoſitione manuum: nos autem obſeruemus breuiter, quid cõfirmet hic locus, quid confutet, & cuius nos moneat. Confirmat, quod filij Dei ſpiritu Dei ducantur, & exerceant ſe pietate & charitate. Confutat eos, qui fidem inanem iactant ſine vera pietate erga Deum, & charitate erga proximum. Monet nos, vt pręſtemus opera fidei interna & externa, modo velimus inter filios Dei cenſeri.

DE SECVNDO.

Secunda doctrina, quam propoſui, eſt de facto 2. Doctrinã de facto & miraculo Chriſti. & miraculo Chriſti. Vt autem hoc factum intelligamus, quædam ſunt de miraculis Chriſti obſeruanda. Prophetæ, Chriſtus, & Apoſtoli ediderunt miracula, vt doctrinam, quam docuerunt, confirmarent à Deo eſſe, & vt homines conuicti miraculis de veritate Dei, crederent, & credentes ſaluarentur. De veris miraculis in genere. Hos præcipuos fines fuiſſe miraculorum, oſtendit Iohannes Euangeliſta cap. 2. vbi ita ait: Hoc principium ſignorum fecit Ieſus in Cana Galilææ, & manifeſtauit gloriam ſuam, & crediderunt in eum diſcipuli. Hic duo ſignantur fines: gloria Chriſti, & fides Apoſtolorum. Gloria autem Chriſti potentiam diuinam, affectum erga genus humanum, & officium doctrinęque ipſius certitudinem, complectitur. Verùm diſcernendum eſt inter Prophetas, Apoſtolóſque & Chriſtum. Diſcrimẽ miraculorũ a Domino & ab eius ſeruis editorũ. Prophetæ & Apoſtoli ſua virtute ediderunt miracula, ſed diuina Chriſti virtute, cuius ſpiritus per os eorum loquebatur. Chriſtus verò ſua propria potentia edidit miracula. Quare vt Prophe-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tæ & Apoſtoli ſuis miraculis declararunt ſe fuiſſe Chriſti ſeruos:ita Chriſtus ſuis miraculis ſe Dominum & Deum ipſorum oſtendit. Verùm ſi quæris, cur hodie non edantur etiam miracula à miniſtris verbi:ſcies quod miracula poſtquam confirmarunt gloriam Chriſti,& veritatem Dei,defuncta ſint ſuo munere,quare non amplius ſunt expectanda miracula,ſed contenti eſſe debemus doctrina Prophetica & Apoſtolica,quam Deus olim multis confirmauit miraculis. Hæc ſint de miraculis dicta in genere. Nunc ad hodiernum miraculum deſcendamus, in quo ſunt multæ circumſtantiæ obſeruandæ,quarum ſingulæ ſingularum doctrinam & admonitionem continent.

Cur hodie miracula non edun tur.

In Chriſti miraculo circumſtantię.

Cur ſeorſim.

1. *Chriſtus apprehendit eum de turba ſeorſim.* Sed quare hoc fecit? propter duo :ſcilicet tempus & ſignificationem. Propter tempus quidem,quia nondum voluit ſuum regnum propagari toti mundo. Nondum enim peregerat hoſtiam , nondum fregerat interſtitium , quod erat inter Iudæos & gentes: quod poſtea factum eſt,quando armauit diſcipulos hoc mandato : Ite in mundum vniuerſum, prædicate Euangeliũ omnibus gentibus.Propter ſignificationem vero,quia qui Chriſtum deſiderat medicum, debet à turba malignãtium diſcedere.Nulla enim eſt conſenſio Chriſti cum Belial.

Cur digitos miſit in aures.

2. *Miſit digitos ſuos in aures eius.* Hoc ſanè non fruſtra factum eſt.Nam & eo ſigno declarauit precium carnis ſuæ,quam aſſumpſit,vt eius victima humanum genus reſtitueretur priſtinæ ſanitati , quam per peccatum amiſerat , & ſignificat ſuum verbum nec audiri nec intelligi poſſe,niſi aures digito Chriſti aperiantur,id eſt,niſi Spiritus Sanctus cordis noſtri aures aperiat.

Cur ſputo tetigit linguam.

3. *Et expuens tetigit linguam eius.* Hoc ſymbolo ſignificat, & loquendi facultatem à ſe eſſe , & quod per media velit in Eccleſia eſſe efficax.

Cur ſuſpexit in cœlum.

4. *Suſpexit in cœlum.* Hoc geſtu ſignificat ſuum animum ad patrem cœleſtem eleuatum eſſe , quem precatus eſt non ſolum pro hoc , ſed pro omnibus afflictis. Oratio non eſt tam oris ſonus, quam cordis ſupplex eleuatio ad Deum : quæ cordis eleuatio ſymbolo oculorum ſuſpicientium in cœlum ſignificatur. Vnde Dauid Pſalm.123.1. Ad te Domine leuaui oculos meos,qui habitas in cœlis.Cuius & nos monemur cum dicimus : Pater noſter qui es in cœlis .

Cur ingemuit.

5. *Ingemuit.* Magnum certe neceſſe eſt eſſe,propter quod tantus heros ingemiſcat. Non ergo ſolùm in hunc mutum , quem vnico nutu liberare à ſuo malo poterat,reſpexit: ſed intuetur in hæc quinque.1. peccatum,quod cauſa eſt omnium calamitatum in humano genere. 2. in tyrannidem Diaboli, qui ita oppreſſerat genus humanum : cum qua tyrannide ſe bellum initurum nouit. 3.in legis maledictionem , quam in ſe receperat,quo nos abſoluamur à reatu.4.in amariſſimam ſuam mortem, quam erat perpeſſurus pro toto humano genere. 5.in maximæ partis mundi ingratitudinem : præuidebat enim quod multi ſuum beneficium eſſent contempturi prorſus,multi ignauia ſua eſſent neglecturi:adeo vt minima pars mundi ſua beneficia in ſalutem amplecteretur.

Cur mutũ alloquitur.

6. Alloquitur hunc mutum , & dicit : *Ephata*, hoc eſt, *tu aperire*. Non fruſtra hîc Marcus Hebraica voce vſus eſt. Hac enim voce 1. indicat Chriſtus, quæ ſit ſua diuina potentia,qui verbo & imperat,& facit quæ vult:vnde fides noſtra non ſolùm de diuinitate Chriſti confirmatur: verumetiam omnes eos in tuto eſſe intelligit, qui ſub eius imperio ſunt,& ſe eius fidei committunt. 2. hac voce indicatur, quanta ſit verbi Dei efficacia , præſertim vbi vera fide apprehénditur. 3. quod nemo ſaluari poſſit ſine Chriſti verbo,quo imperat nobis, quæ decent à nobis fieri.4. hoc mandato *Aperire* ſignificat,quòd voluntas hominis requiratur in ſalutis negotio,non quod voluntas non reformata manu Dei poſſit,aut velit : ſed ne , cum mouetur & formatur à Spiritu Sancto,Spiritui Sancto repugnet. 5. quod opus ſalutis ſit totum Chriſti , non hominis , quemadmodum Hebraicum vocabulum indicat.

7. *Et ſtatim apertæ ſunt aures eius, & ſolutum eſt vinculum linguæ eius ; & loquebatur rectè.* Hoc ipſum miraculum eſt & beneficium Chriſti erga hunc afflictum hominem. Quo miraculo indicatur,quod ad iuſſum Chriſti & ad prædicationem verbi ipſius ſoluamur à catenis Diaboli,ne amplius illis conſtricti teneamur.Hoc miraculum , vt ſummatim repetam,confirmat quod Chriſtus & poſſit & velit iuuare omnes afflictos,qui ad ſe afferuntur,& ſuam opem implorant.Deſtruit eorum errorem,qui Chriſtum tanquam ſeuerum iudicem fugientes ſanctos inuocant. Monet præterea nos, vt in calamitatibus conſtituti ad Chriſtum ſolum fide & inuocatione fugiamus.

Beneficiũ Chriſti Dei omnipotentis.

Miraculi præcipua doctrina.

DE TERTIO.

Et præcepit illis ne cui dicerent. Quantò autem magis eis præcipiebat, eò magis prædicabant & admirabantur. Chriſtus prohibet ne patefacerent hoc factum ,huius mandato obtemperaſſe oportuit : quare bonum, quod ſecutum eſt , non illorum inobedientiæ , ſed Chriſti bonitati adſcribendum eſt. Voluit enim hoc factum latere vſque ad ſuam reſurrectionem.

Fructus huius miraculi ad ſpectatores.

Sed quis fructus manauit ex hoc Chriſti miraculo? Primum ſpectatores conceperunt fidem in Chriſtum.Deinde prædicabant hoc factum,& Deũ glorificabant:quæ Dei glorificatio vltimus finis eſt omnium operum Chriſti.Sed quid eſt Deum prædicare?Dei prædicatio oritur ex noticia Dei,quæ in his ſita eſt : vt recte iudices de diuina ſubſtantia, & diuinis perſonis , vt ſtatuas eum fontem omnium bonorum : vt ad eum per Chriſtum confugias in omni neceſſitate : vt palam tuam fidem cum his confitearis : vt tuo exemplo præluceas aliis , quo multi tuo exemplo moti ad Chriſtum confugiant, cui cum Patre & Spiritu Sancto ſit honor in ſecula , Amen.

Deũ prædicare, quid.

DOMINICA XIII. TRINI-tatis,Lucæ 10.

Conuerſus Ieſus ad diſcipulos ſeorſim , dixit: Beati oculi qui vident,quæ vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetæ & reges voluerunt videre , quæ vos videtis,& non viderunt , & audire , quæ vos auditis , & non audierunt. Et ecce quidam legiſperitus ſurrexit,tentans illum, dicens : Magiſter,quid faciendo vitam æternam poſſidebo? At ille dixit ad eum,in lege quid ſcriptum eſt? Quomodo legis?ille reſpondens dixit: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo,& ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis,& ex tota mente tua:& proximum tuum ſicut te ipſum. Dixítque iſti : Recte reſpondiſti, Hoc fac & viues.Ille autem volens iuſtificare ſeipſum,dixit ad Ieſum:Et quis eſt meus proximus?Reſpondens autem Ieſus dixit, Homo quidam deſcendebat ab Hieroſolymis in Hiericho , & incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum veſtibus,ac vulneribus inflictis , abierunt , ſemimortuo relicto. Accidit autem vt ſacerdotes quidam deſcen-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

deſcēderet eadē via,viſoq́; illo,præteriit. Similiter & Leuita, cum iret iuxta locum, cum acceſſiſſet ac vidiſſet eum, præteriit, Samaritanus autem quidam iter faciens, venit ad eum, & viſo eo, miſericordia motus eſt, & accedens obligauit vulnera eius, infundens oleum ac vinum, & imponens illum in ſuum iumentum, duxit in diuerſorium, & curam eius egit. Et poſtero die egrediens, depromptos duos denarios dedit hoſpiti, & ait ei: Curam illius habe, & quodcunque præterea inſumpſeris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis ergo horum trium videtur tibi proximus fuiſſe illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui exercuit miſericordiam in illum. Ait igitur illi Ieſus: Vade, & tu fac ſimiliter.

ENARRATIO TEXTVS.

Summa & partes huius côcionis.

DVæ ſunt partes huius Euangelij: in quarum priori agit Chriſtus cum ſuis diſcipulis de vera beatitudine, docétque in qua re ea conſiſtat, nimirum in ſui cognitione: in poſteriori diſputatur de recta via vitæ æternæ, de lege Dei, de dilectione Dei & proximi: vbi paradigmate propoſito docet, quis ſit proximus habendus. Loci quatuor.

1. *Quæ ſit vera beatitudo.*
2. *Quæſtio Legiſperiti de conſequenda vita æterna, cum Chriſti reſponſione.*
3. *Summa capita legis diuinæ.*
4. *De parabola, qua docetur: quis ſit nobis proximus.*

DE PRIMO.

De vera beatitudine.

Ieſus conuerſus ad diſcipulos ſeorſim dixit: Beati oculi, qui vidēt quæ vos videtis: Dico .n. vobis, quod multi, &c. Hîc docet Chriſtus quænam ſit vera beatitudo, & quódnam ſit verum & ſolidum gaudium hominis in hac vita, videlicet videre filium Dei. Si ergo ſoli illi ſunt beati, qui filium Dei vident, ſequitur nullos ſuis operibus & meritis beatitudinem conſequi. Quare hæc Chriſti viſio meritò expetenda eſt.

1. Chriſtus videtur in hac vita.

Verùm ſciendum, dupliciter filium Dei videri, nempe in hac vita, & futura. In hac vita videtur tripliciter: 1. carnaliter tantum. 2. carnaliter & ſpiritualiter ſimul. 3. ſpiritualiter tantùm.

Carnaliter tantū.

1. Carnaliter tantùm vidit maxima pars Iudaicæ gentis, quæ tamen damnata eſt. Proinde carnalis Chriſti viſio non eſt per ſe ſalutaris: imo cedit potius in maiorem damnationem. Herodes vidit Chriſtum, Pilatus ſimiliter, Iudas & Caiphas, & multi impij alij, quorum interitus docet non eſſe ſalutarem viſionem Chriſti externam, vbi non eſt vera fides in Chriſtum.

Carnaliter & ſpiritualiter ſimul.

2. Carnaliter & ſpiritualiter ſimul viſus eſt Chriſtus à Magis, Maria, Simeone, Zacharia, Zachæo, Apoſtolis, & multis aliis, quorum viſio fuit illis ſalutaris, quia non ſolum Chriſtum externis oculis viderunt, ſed etiam lumine cordis: quod manifeſte conſpicitur in illa muliere, quæ Chriſti pedes lotos lachrymis ſuis abſterſit capillis, quæ à Chriſto audit, peccata ſua eſſe remiſſa, propter fidem quam in ipſum habuit. De hac viſione præcipuè loquitur hîc Dominus, cum ait: *Multi Prophetæ & Reges cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.*

Spiritualiter tantū.

3. Spiritualiter tantùm videt Chriſtum, omnis qui credit in eum. Ita enim Chriſtus ipſe interpretatur, cum dicit, Iohan. 3. 14. Sicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto: ita oportet exaltari filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Sic vidit Chriſtum Abel in ſuo ſacrificio: ſic Abraham de quo teſtatur Chriſtus, dicens, Ioan. 8. 56. Abraham vidit diem meum, & gauiſus eſt. Sic hodie nos Chriſtum videmus, quotquot in ipſum credimus. Quod autem, qui ita Chriſtum vident, ſint beati, teſtatur hoc dictum Domini ad Thomam, Iohann. 20. 29. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Nam in Euangelio ipſum videmus, vbi facie ad faciem nobis apparet, vt in imaginem eius transformemur.

2 Chriſtus videbitur in futura vita.

Hactenus de primo genere viſionis & eius partibus, quo Chriſtus in hoc mundo videtur. Altera viſio ſequitur, quæ eſt in futura gloria, vbi illum perfectiſſime videbimus, & perpetua lætitia afficiemur fruentes ipſius dulciſſimo conſpectu.

Cur beati ſunt qui Chriſtum vident.

Sed qua de cauſa pronunciat beatos qui Chriſtum vident? Primum, quia Chriſtus eſt verbum vitæ, ſine quo nulla eſt ſalus expectanda. Hoc enim vitæ verbum ab æterna morte liberat credentes. Nam vt qui Chriſtum non videt, & potiſſimum oculis fidei, in carcere & ſub manu Diaboli manet: ita qui Chriſtum videt, victor eſt mundi, atque omnium malorum, iuxta illud Iohannis, in 1. cap. 5. 4. Hæc eſt victoria, quæ mundum vincit, fides veſtra. An non videmus multos pios male in hac vita habere, & rapi ad grauiſſima ſupplicia? Reſpondeo: Sunt beati propter euentum. Eſt enim futura lætiſſima liberatio ab omnibus malis, quibus pij obruuntur in hac vita. Ideo Chriſtus dicit in Matthæo, cap. 5. 4. Beati qui lugent, quoniam conſolationem accipient.

Quæſtionis dilutio.

DE SECVNDO.

Quærit de modo conſequēdi vitā æternā.

Quidam legis interpres ſurrexit, tentans eum, & dicens: Magiſter, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? ille reſpondit: Diliges Dominum Deum tuum, &c. Et vt in Matthæo habetur: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Vt hoc Chriſti reſponſum recte intelligamus, obſeruandum eſt, eſſe duo genera hominum, cum quibus Chriſtus agit. Quidam enim ſunt hypocritæ: quidam agunt ſeriam pœnitentiam. Hypocritæ, ſuperbi & tumidi opinione propriæ iuſtitiæ, putant ſe non opus habere Chriſto: atque ideo eum perſequuntur: nunc tentando illum: nunc calumniando ipſius doctrinam: nunc perſequendo ipſum. Hi cum quærunt viam ſalutis, monſtrat eis legem, & dicit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Qui verò pœnitentiam agunt, & quærunt à Chriſto ſalutis viam, non mittuntur à Chriſto ad Legem & Moyſen, ſed ad ſe eos recipit, & iubet eos in ſe credere. Quod cum faciunt, donat eis ſuam iuſtitiam, ne maledictioni Legis ſint obnoxij. Hoc exemplis illuſtrabimus. Phariſæus de quo nuper audiuimus, iuſtus ſibi viſus eſt, ſed iniuſtus à Chriſto eſt pronunciatus, eo quod legis iuſticiam, quam iactitauit, non habuit. Contrà, Publicanus qui peccata ſua ſecum in templum attulit, quæ illic deflet, & confugit ad miſericordiam, iuſtus deſcēdit in ſuam domum. Si iuſtus, vitæ quoque æternæ hæres erat. Apud Matthæum interrogat Legiſperitus Chriſtum, & dicit: Quid faciam vt poſſideam vitam æternam? Reſpondit Chriſtus: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Contrà miſer Latro peccator in cruce agit pœnitentiam, & ex fide inuocat Chriſtum, cui Chriſtus dicit: Hodie mecum eris in Paradyſo, id eſt, in vita æterna. In hoc Euangelio accedit etiam Legis interpres, tentaturus Dominum, & ait: Quid faciendo vitam æternam poſſidebo? Cui Dominus reſpondit: Diliges Dominum Deum tuum, & proximum ſicut teipſum. Quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. At mulieri peccatrici Lucæ 7. 50. ait: Fides tua te ſaluam fecit. Atque ita Chriſtus cum duobus generibus ho-

Hypocritæ quo pacto excipiendi.

Peccatores reſipiſcētes vt docendi.

Exempla. 1. 2. 3.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

minum agit, pro quorum varietate monſtrat rectam in cœlum viam.

Cur viã legis oſtẽdit Chriſtus, quũ nemini ſit trita.

Quare viam per legem monſtrat, cum nemo vnquam per illam viam poſſit in cœlum venire? Quia eſt via rectiſſima in cœlum, iuxta illud: Qui fecerit ea homo, viuet in eis. Hanc ergo monſtrat Chriſtus ſuis contemptoribus. Quicunque enim Chriſtum contempſerit, aut peribit æternûm, aut Legi ſatisfaciet, quod eſt illi impoſſibile. Deinde eſt alia via in cœlum, quæ tantùm patet iis, qui in Chriſtum, qui eſt via in cœlum, credunt.

DE TERTIO.

Sũma decalogi.

Partes.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, ex tota cogitatione tua: & proximum tuum ſicut teipſum. Hæc eſt ſumma Legis diuinæ & epitome Decalogi. In vtroque horum præceptorum quatuor ſunt ſpectanda. 1. Affectus, qui ab homine requiritur erga Deum & proximum. 2. Obiectum, nempe Deus & proximus. 3. Cauſæ obedientiæ ſeu dilectionis Dei & proximi. 4. Modus dilectionis.

1. Affect⁹.

Affectus, quem requirit Lex eſt dilectio, quæ placere non poteſt, niſi ſit ſincera, & careat omni hypocriſi. Nihil enim poteſt placere Deo quod eſt fucatum: quia ipſe eſt abſque omni fuco, ſanctus, purus & ſincerus.

2. Obiecta.

Obiecta, hoc eſt, res circa quas verſari debet affectus dilectionis, ſunt Deus & proximus.

3 Cauſæ.

Cauſæ dilectionis Dei & proximi proponuntur in præcepto. Deus enim diligẽdus eſt, quia eſt Deus & Dominus noſter: proximus vero, quia eſt proximus noſter.

4. Modus.

Modus dilectionis etiam exprimitur. Deus enim ex toto corde, ex tota anima, ex tota cogitatione eſt diligendus: proximus eſt diligendus, vt teipſum diligis. Verùm quæ breuiter notauimus, fuſius ſunt explicanda.

Charitatis definitio.

Dilectio ſeu charitas in genere eſt intimus affectus, rem quampiam amanter & beneuole complectendi, adeo vt animus eius ſtudio ardeat, cupiátque ei quam optime. Hæc charitas duplex eſt.

Diuiſio.

Vna Dei erga creaturam. Altera creaturæ erga Deum, & alias res. Dei erga creaturam charitas rurſus eſt duplex. Vna vniuerſalis, qua complectitur omnem ſuam creaturam, eam ſuſtentat & continet, vt ſuũ ſtatũ tueatur, hæc charitas dicitur etiam vniuerſalis miſericordia.

Charitas Dei erga creaturã.

Altera eſt peculiaris, qua Deus ex intimo cordis affectu Eccleſiam ſuam charam habet in Filio: hac motus filium dedit, iuxta illud, Iohan. 3. 16. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret hac motus Spiritum Sanctum donat: hac motus conſeruat Eccleſiam breuiter, hæc charitas facit, vt ſe totum ſuæ Eccleſiæ donet. Huius dilectionis Dei cogitatio conſolabitur nos contra ſententiam Legis, contra acerbitatẽ crucis, contra tentationes in mortis articulo. Hæc etiam dilectio Dei facit, vt Deus caſtiget ſuos filios, & rurſus afflictos ſanet.

Charitas creaturæ erga Deũ.

De charitate Dei erga creaturam dixi. Iam ſequitur de charitate creaturæ erga Deum & homines, atque res alias. Hæc charitas eſt affectus intimus, quo Deus diligendus eſt ab homine, & ſecundum Deum proximus, perinde vt nos ipſi.

Erga proximum.

Eſt itaque & hæc creaturæ charitas duplex. Vna, qua Deum proſequimur: altera, qua creaturam. Ea autem charitas qua creaturas complecti nos decet, plures habet gradus: quorum primus eſt, quo fratres neceſſitudine ſpiritus Chriſti nobis coniunctos diligimus. Secundus, quo eos, qui aliqua neceſſitudine carnali nobis deuincti ſunt, proſequimur. Tertius, quo reliquos ignotos amamus. Quartus, quo inimicis benefacere laboramus. Quintus, quo reliquas creaturas ſingulas pro ſuæ dignitatis ſtatu complectimur.

Cauſę huius charitatis.

Quæ cauſæ ſunt dilectionis Dei, ſeu cur Deum diligimus? Etſi ſatis ex præcepto cognoſci poteſt, tamen altius cauſas repetam & diſtinguam. Dilectio itaque hominis erga Deum: 1. accenditur ex memoria beneficiorum Dei erga nos, & ex cogitatione immenſæ dilectionis ipſius, qua nos proſequimur. 2. augeri debet ex viuo ſenſu fauoris Dei erga nos, quem omni momento experimur. 3. imprimis inflammari debet ex ſpe & fiducia promiſſorum bonorum. Hæ cauſæ ſunt in his verbis: *Dilige Dominum Deum tuum.* Eſt Dominus, id eſt, defenſor: Deus gubernator & ſaluator: Tuus, vt omnia bona ab eo expectes.

Modus dilectionis Dei.

Habemus vtcunque qualis res ſit dilectio Dei, qua homo Deum diligere debet. Deinde & cauſas vidimus: ſed modus dilectionis quis eſt? is in textu expreſſus eſt his verbis: *Ex toto corde tuo, ex tota anima, ex totis viribus, ex tota cogitatione.* Hæc vox *toto* tria ſignificat, quæ coniuncta eſſe debent charitati hominis erga Deum. Primum, quod charitas hominum erga Deum debeat eſſe perfecta: Deinde pura: tum perpetua.

Toto corde quid.

Ex toto ergo corde Deum diligere dicuntur, qui perfectè, purè, & perpetuò ardent dilectione Dei: ita vt illum ſolum timeant, in illum ſolum confidant, in ſolum ſpem collocent.

Tota anima.

Ex tota anima dicuntur diligere Deum homines, cum ipſorum voluntas eius voluntati diuinæ perfecte, purè & perpetuo in omnibus reſpondet: id quod precamur fieri, cum dicimus: Fiat voluntas tua.

Totis viribus.

Ex totis viribus diligitur, cum omnia membra interiora & exteriora, perfecte, pure, & perpetuo ſe ad obſequendum Deo conuertunt.

Tota cogitatione.

Ex tota cogitatione diligitur, cum nullum interuallum ſentitur, quo nõ diligitur Deus purè, perfectè & ſanctè. Hic modus eſt ſolidæ dilectionis Dei, quæ in nullo mortalium vnquam fuit poſt lapſum, niſi in ſolo Chriſto, licet quædam eius tenuia principia ſint in renatis. Cuius ſigna ſunt quatuor:

Signa ſinceræ dilectionis Dei.

Primum, obedientiam erga Deum omnibus rebus mundi anteferre, iuxta illud: Qui diligit me, præcepta mea ſeruabit, & Pater meus diliget eum.

Secundum, reuerenter in timore Dei ſacra myſteria tractare.

Tertium, exemplo alios ad diligendum Deum inuitare.

Quartum, ipſum proximum propter Deum diligere. Vbi hæc quatuor concurrunt, illuſtria habes ſigna inchoatæ charitatis erga Deum, quæ indies in renatis noua incrementa ſumere debent.

De dilectione proximi.

Dixi de primo capite Legis, nempe de dilectione erga Deum, nunc de ſecundo dicam, videlicet de dilectione proximorum. De qua hæc tria obſeruentur: Cauſæ dilectionis, modus, & ordo.

1. Cauſę.

Cauſæ duæ ſunt præcipuæ: Vna mandatum Dei. Altera natura, quia homo homini proximus eſt. *Mandatum Dei* eſt, vt diligamus alter alterum. Chriſtus præcipit: Diligite vos inuicem. Huic mandato non obedire grauiſſimum ſcelus eſt. Altera cauſa eſt *natura*, videlicet quod homo homini ſit proximus, ídque multis modis: Ratione creationis, ratione ſimilitudinis, ratione regenerationis, ratione cõmunis vitę, & ratione futuræ gloriæ, de quibus coniunctionis gradibus nuper dictum eſt.

2. Modus.

Quomodo eſt diligendus proximus? Reſpondet

Domi-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Dominus, *Dilige proximum tuum vt teipſum.* Quomodo autem quiſque ſeipſum diligat, à ſeipſo diſcat.

3. Ordo.

Ordo dilectionis ante indicatus eſt, vt maximè diligātur, qui nobis ſpiritu Chriſti coniuncti ſunt. Deinde qui nos aliqua neceſſitudine carnali attingunt. Tertiò, inimici etiam diligendi ſunt, quemadmodum Chriſtus docet Matth.5.44. & Chriſtus hic paradigmate propoſito explicat. Hæc ſint dicta de legis duobus capitibus, quibus neminem plenam præſtare obedientiam poſſe manifeſtum eſt, vt nuper quatuor rationibus oſtendi.

An lex (quæ eſt impoſſibilis) fruſtra ſit propoſita.

Neque tamen ideo fruſtra hæc lex eſt propoſita: Primum enim hic docemur, qualis fuerit integer hominis ſtatus ante lapſum. Tum enim homo potuit huic legi ſatisfacere. Deinde hîc intelligimus quanta ſit deprauatio naturæ, cum videmus quam procul abſimus à perfecta legis obedientia. Tum monemur, vt cognita imbecillitate & immunditia noſtra confugiamus ad Chriſtum, qui eſt perfectio legis in iuſtitiam omni credenti. Ad hæc, erudimur quis ſit finis legis, & quæ ſint ſumma capita religioſæ vitæ, in qua nos exercebimus. Poſtremò hinc admonemur, vt cogitemus, qualis ſit futura obedientia ſanctorum Angelorum & hominum in vita æterna.

DE QVARTO.

De parabola, qua docetur quis ſit nobis proximus.

Ille autem volens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum: Et quis eſt meus proximus? Cùm hic Legis interpres aliud reſponſum accepiſſet quam expectauit, ne confuſus videretur tacere, opinione iuſticiæ legis tumens quærit, quíſnam ſit ſuus proximus, cui longè aliud reſponſum dat Chriſtus, quàm expectauit, & vt eliciat confeſſionem ab ipſo Legiſperito, proponit longam parabolam, & ait: *Homo quidam deſcendebat à Ieruſalem in Iericho, &c.* Sed cum omnis homo alteri ſit proximus, cur non ſimpliciter reſpondit: Homines omnes ſibi inuicem ſunt proximi? Hæc reſponſio viſa fuiſſet & facilior & breuior. Hoc fecit Dominus, vt corrigeret malam Phariſæorum & Legiſperitorum interpretationem. Hi enim interpretabantur legem hoc pacto: Dilige amicum tuum, & odi inimicum tuum. Horum ergo iudicio, qui amici erant, ſibi etiam proximi iudicabantur, quem errorem Chriſtus Matth.5.44. refutat, & docet inimicos etiam diligendos eſſe. Quia igitur de amicis conuenit inter Chriſtum & Legiſperitum, nam vterque confitebatur amicos diligendos eſſe, Chriſtus conatur efficere, vt Phariſæus inimicos in numero proximorum confiteatur. Omnes enim homines aut amici, aut inimici nobis ſunt. Amicos pro proximis habere fatetur Phariſæus. Verùm quia de inimicis eſt quæſtio, Chriſtus proponit parabolam hanc de Iudæo & Samaritano, hoc eſt, de duobus, qui acerrimi hoſtes ex profeſſione fuerunt. Iudæus enim extremo odit Samaritanum, & tanquam canem habebat, nec Samaritanus hoc ignorare potuit. Sed quid fit? Iudæus incidit in latrones; ſpoliatur, vulneratur, relinquitur ſemiuiuus. Venit hic Samaritanus poſt Iudæos, qui vulneratum prætererunt, & non moti ſunt eius calamitate, & fert miſero opem, præſtat ei charitatis officia, imponit eum in iumentum ſuū, portat in diuerſorium, habet eius curam, tranſigit cum hoſpite, vt illum amanter & bene foueat, promittit ſe ſoluturum, ſi quid vltra in eius curationem expoſuerit. *Quis horum*, inquit Chriſtus, *videtur tibi fuiſſe proximus illi: Leuitáne, qui prætererat? an Sacerdos, aut hic Samaritanus? Reſpondit Phariſæus: Qui fecit miſericordiam in illum. Et ait illi Ieſus: Vade & tu fac ſimiliter.* Fatetur Phariſæus Samaritanum præſtitiſſe ſaucio charitatis officia, ideóque proximum eius rectè dici. Vnde conficitur hæc reſponſio; quod omnis homo ſit homini proximus. Verùm vt deprimat ſupercilium Phariſæi, iubet illum ire & imitari Samaritanum, quo dicto oſtendit, Phariſæum procul abeſſe à perfectione legis. Quare nos Samaritanum imitemur quantum poſſumus per Chriſti gratiam, cui cum Patre ſuo, & Spiritu Sancto, ſit honor, laus, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Iudæi & Samaritani hoſtes.

Phariſæus ſibi quæſtionem ſoluit.

DOMINICA XIV. TRINItatis, Lucæ 17.

*F*Actum eſt, dum iret Ieſus Hieroſolymam, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur quendam vicum, occurrerūt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt procul, intentáque voce dixerunt: Ieſu præceptor, miſerere noſtri. Quos vt vidit, dixit illis: Ite, oſtendite vos ſacerdotibus. Et factum eſt, vt inter eundum mūdati ſint. Vnus autem ex illis, vt vidit quòd mundatus eſſet, regreſſus eſt, cum magna voce glorificans Deum, Et procidit in faciem ad pedes eius, gratias agens ei. Et hic erat Samaritanus. Reſpondens autem Ieſus, dixit: Nónne decem mundati ſunt? Nouem autem illi vbi? Non ſunt reperti qui redierint, vt darent gloriam Deo, niſi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, fides tua te ſeruauit.*

ENARRATIO TEXTVS.

Sūma huius Euangelij.

Summa huius Euangelij eſt, quod Chriſtus eſt verus Meſſias, Deus & homo, qui ſola ſua potenti voluntate poteſt iuuare quos vult, vult autem iuuare omnes, qui ad ſe confugiunt, quemadmodum horum decem leproſorum exemplum oſtendit. Hos enim non contemnit, vt multi alij, ſed ſuum paternum erga eos animum declarat, dum inuocātes ſanat, & liberat à morbo cùm fœdiſſimo, tum contagioſiſſimo. Neque aliter affectus eſt erga vllos, quam erga hos miſeros, modò horum exemplo ipſius opē implorent. Diſcamus ergo & nos intuentes in hos leproſos, qualem habeamus Pontificem, nimirum non ſolum talem qui noſtris afficiatur calamitatibus, verumetiam eum, qui potenti ſua voluntate, quos ſuam ſentit implorare opem, iuuare poſſit, & ab omni miſeria vindicare. Quemadmodum enim diſcedentes hos, imo iam abſentes purgat, ita etiamſi coram non aſpiciatur, iuuare poteſt. Quare accedamus ad eum firma fiducia in omnibus neceſſitatibus noſtris, certi quod ſimus auxilium inuenturi in tempore opportuno. Hæc breuiter ſint dicta de ſumma & vſu huius Euangelij, cuius ſunt loci tres:

Vſus.

Partes.

1. *De his decem leproſis.*
2. *Cur eos mittat Dominus ad Sacerdotes.*
3. *De gratitudine huius Samaritani, & ingratitudine nouem reliquorum.*

DE PRIMO.

Hui° partis mēbra.

In prima huius Euangelij doctrina, quam de leproſis propoſui, hæc ordine dicam. 1. quàm contempti fuerint leproſi in populo Iſraelitico. 2. quid horum factum nos doceat. 3. quomodo multi ſpirituali lepra infecti opus habeant medico Chriſto. 4. Quid ex Chriſti facto de ipſius affectu erga nos colligamus.

1 Quā cōtēpti fue.

Leproſi apud Iudæos immundi habebantur, & indigni qui inter Iſraelitas verſarentur, idque pro-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

rint lepro ſi in populo Iſraelitico.

pter fœdiſſimum & contagioſiſſimum morbum, quo contaminati erant, & circumferebant ex mandato legis diuinæ ſigna opprobrij & luctus, quibus admonebantur ſuæ impietatis & flagitiorum, propter quę in talem miſeriam incidiſſent. Numerantur autem in Leuítico quinque notæ, per quas ab aliis hominibus dignoſcerentur, ne ipſorum contagione pollurentur. *Vna* fuit veſtis diſſoluta. *Altera*, detractum caput. *Tertia*, os velatum. *Quarta*, habitatio ab hominum conſuetudine ſeparata. *Quinta*, publica proclamatio, qua immundi proclamabantur, vt qui indigni eſſent, qui inter Iſraelitas conuerſarentur. Hic facile eſt cogitare, in quanto dolore fuerint, & quam miſera fuit illorum conditio, tamen in his malis poſiti confugiunt ad Chriſtum. Vnde nos remedia contra triplicem tentationem colligamus, quarum *prima* prouenit ex cogitatione miſeriæ & fœditatis peccati noſtri. *Secunda* ex indiſpoſitione noſtra, quod non ſimus ſatis compoſiti ad compellandum tantum Heroa, hoc eſt, Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum. *Tertia* manat ex cogitatione meritorum, quæ nulla habere nos animaduertimus. Exemplo enim horum leproſorum non ſinamus nos his rebus abſterreri, quò minus ad vnicum noſtrum medicum & ſaluatorem confugiamus.

Quinq. eorum notę.

Doctrina adu. triplicem tentationem.

2. Quid fecerint hi decem.

Iam videamus quid hi decem Leproſi fecerint, *Cùm ingrederetur* (inquit textus) *Dominus in vicum quendam, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longè, & leuarunt vocem, dicentes: Ieſu præceptor, miſerere noſtri.* Hîc habemus exemplum in leproſis veræ humiliationis, fidei, inuocationis & confeſſionis.

Humiliationis.

Quòd ſtant à longe, humiliationis ſignum eſt, nam propter morbum ſuum, & morbi cauſſam peccatum, ſe in animo proſternunt coram Deo, agnoſcunt ſuam miſeriam, peccati turpitudinem, iuſtiſſimam legis ſententiam damnatoriam aduerſus ſe, atque ita verè humiliantur coram Deo, quæ humiliatio primus eſt gradus ad gloriam, ſicut ſuperbia primus gradus eſt ad ignominiam, quod & Dominus ipſe teſtatur, cum ait, Luc. 18.14. Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, qui autem ſe humiliat, exaltabitur. Horum ergo exemplum & nos imitemur, & nos proſternamus in vera pœnitentia coram Deo, quod ſi fecerimus, fiet nobis ſecundum Chriſti dictum, Qui ſe humiliat, exaltabitur.

Fidei.

Quod accedunt Chriſtum, fidei teſtimonium eſt, quam ex auditu famæ ipſius habuerunt. Audiuerunt enim abſque omni dubio hanc dulciſſimam vocem Chriſti, qua tam paternè omnes ad ſe inuitat, & omnibus ſuam gratiam offert, Matth. 11.28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, & inuenietis requiem animabus veſtris. Hanc vocem: Venite ad me omnes qui laboratis, audiuerunt, & conceperunt ſpem, vt ſe non excluderet, qui ſe omnibus benignè offerret. Quare concepta fiducia, erigunt ſe, & Chriſtum accedunt. Horum exemplo, quo paterna promiſſio confirmatur, & nos excitemur ad bene ſperandum de Chriſto in omnibus noſtris ærumnis.

Inuocationis.

Huius fidei fructus ſequitur inuocatio. Ita enim orant: Ieſu præceptor miſerere noſtri. In hac ſua ardentiſſima oratione, primùm agnoſcunt ſe nulla habere merita, ſed potius horrenda peccata. Nam qui dicit *Miſerere*, nullum iactat meritum, nullam ſentit dignitatem, imò potiùs confitetur ſuam indignitatem, & ſe agnoſcit indignum beneficio. Deinde in hac oratione agnoſcunt Chriſtum verum Meſſiam eſſe victorem mortis & omnium calamitatum: agnoſcunt ipſum mitem & miſericordem, qui afflictis non addit afflictionem, ſed potius medetur afflictis & eos ſanat. Hoc exemplum orandi & nos imitemur, & verè Chriſtum talem cogitemus, & inuocemus, qualem illum in hac ſua oratione deſcribunt.

Confeſſionis.

Habemus etiam in his leproſis exemplum confeſſionis, quæ nunquam poteſt ab oratione auelli, & ſane confeſſio Chriſti non carebat periculo eo tempore. Potentiſſimi enim & ſapientiſſimi perſequebantur Chriſtum, & confeſſionem eius prohibuerunt, quemadmodum legimus Iohannis 9. 22. &c. Vbi Phariſæi obiurgant cæcum, cui viſum reſtituerat Dominus, propterea quod Chriſtum ſit confeſſus. Verùm non imitemur exemplum horum leproſorum. Nam tametſi grauis videatur afflictio, quæ propter confeſſionem ſubeunda eſt: tamen ſalus, ad quam tendit confeſſio, maior & certior eſt, quam vt vllis terriculamentis ab ea deficiamus.

De lepra ſpirituali.

Dixi de lepra corporali, & horum leproſorum laudabili facto: nunc breuiter lepram ſpiritualem deſcribam, & eius remedia tradam. Lepra ſpiritualis eſt labes & contagio mentis, cordis & affectuum hominis: ita vt nulla pars in homine ſit pura & munda. Hæc lepra habet etiam notas ſuas, quarum *prima* eſt ſeparatio à domeſticis Dei, & cœtu ſanctorum Angelorum & hominum. *Secunda* eſt caput detectum, hoc eſt, nuditas à donis Spiritus Sancti, plena opprobrio, de qua apud Ezechielem: Nuda eras & confuſione plena. *Tertia*, eſt os velatum, hoc eſt, fœdus halitus & ſpiritus peſtifer peſſimorum colloquiorum, quæ ex impuro prouenient corde. *Quarta*, habitatio ab hominum conſuetudine ſeparata, qualis eſt diuitis Epulonis, qui habitat procul à beatorum domo. *Quinta*, publica proclamatio, hoc eſt, legis maledictio, quæ publicè proclamatur in omnes, qui non agunt pœnitentiam, hoc eſt, in ſpiritualiter leproſos.

Quid ſit.

Eius notę.

Remedia adu. hanc lepram.

Sed quid eſt remedij contra hanc lepram ſpiritualem? nulla humana arte eſt curabilis. Vnicus eſt medicus, qui eam purgare poteſt, qui eſt Ieſus Chriſtus: ad quem ſi leproſus venerit, & ſe coram illo humiliauerit, inuocans eum & petens ſanationem, mox hic ſapientiſſimus medicus, ſanguine ſuo primum abluit ſordes huius ſpiritualis lepræ: deinde ſuo ſpirituali oleo fouet affecta membra, donec plenè ſanantur. Hic igitur adeundus eſt fidei pedibus: huius pharmacum, quod voce Euangelij offertur, cordis ore, id eſt, fide recipiendum eſt: & ab eo impetrandum eſt oleum illud efficax, quo vires amiſſæ reparantur: atque cauendum ita, vt hoc ſalutari pharmaco verbi Dei, & oleo ſalutari Spiritus Sancti amiſſis, rurſus in lepram incurramus: quod ſi fecerimus, difficilior erit poſtea curatio. Nam poſtquam aliquis morbus nimis altas radices egit, maiori cum difficultate curatur.

DE SECVNDO.

Cur leproſos mittat ad ſacerdotes ſex cauſæ.

Quos vt vidit dixit eis: Et ite, oſtendite vos ſacerdotibus. Quos ſolo nutu abeuntes ſanauit, hos ad ſacerdotes mittit: qui tametſi improbi & auari erant, tamen miniſterio fungebátur diuinitus inſtituto. Sed quare illos ad Sacerdotes mittit? multæ & magnæ cauſæ fuerunt.

Fidei probatio.

Prima, vt ita probaret fidem illorum, an ſuo verbo &

bo & promiſſioni crederent. Solet enim Deus variis modis ſuorum in fide conſtantiam explorare: non quidem in eorum damnum aut malum: ſed vt fides explorata, & veluti igni tentationum decocta fiat probatior. Ita Abrahami fides eſt explorata, dum iubetur ire mactatum vnigenitum filium: ſic explorata fides mulieris Syrophœniſſæ, & multa ſunt exempla, vt Iob, Ioſeph, Dauid, & aliorum omnium.

Miniſterij approbatio.

Secunda, vt hoc facto miniſterium publicum diuinitus ordinatum approbet. Habebant enim Sacerdotes mandatum cognoſcendi & iudicandi de lepra: qui bene purgatos reciperent in cœtum publicum, aliis excluſis. Nam ſi ſecus feciſſet, videretur Moſaicam legem violare, ad quam non ſoluendam, ſed implendam præſtandámque venerat.

Virtutis Chriſti obſignatio.

Tertia, quia Lex & Sacerdotium ferunt teſtimonium de Chriſto, quemadmodum ipſe ait: Lex & Prophetæ ferunt teſtimonium de me. Nam quod ſacerdotibus iniunctum erat, vt iudicarent de lepra, accepta oblatione pro leproſi ſanati purgatione, typus fuit virtutis Chriſti, qui non ſolum de lepra iudicare, ſed eam emundare poteſt: ídque proprij corporis victima & precioſo ſanguine.

Sacerdotũ inſtructio.

Quarta, vt ex miraculo diſcerent ſacerdotes vere aduenisſe Meſſiam. Sic enim prædixit Eſaias, quod Chriſtus ſuam præſentiam declararet ſtupendis miraculis, inter quæ etiam numeratur hoc, quod cæcos illuminaret, & leproſos purgaret. Sacerdotes igitur, viſo hoc miraculo diuino, debebant ex prophetia Eſaiæ concluſiſſe, Ieſum filium Mariæ verum fuiſſe Meſſiam olim Patribus promiſſum, præſertim cum omnes Prophetiæ de aduentu Chriſti in hoc tempus collimarent.

Eorũdẽ cõdemnatio.

Quinta, vt ſacerdotes hoc miraculo conuicti de aduentu Chriſti veri Meſſię, mitterent ſuos auditores & populum ad Chriſtum corporum & animorum medicum peritiſſimum: quod tamen non fecerunt, ne quid ſuo quæſtui decederet. Habent multos æmulatores hoc tempore, præſertim in Papatu.

Leproſorũ gratitudo.

Sexta, vt hi leproſi teſtimonio ſacerdotum recepti, ſuam gratitudinem oſtenderent erga Deum & ordinarium miniſterium.

Papiſticæ cõfeſſionis refutatio.

Cæterùm præter has veras cauſas, propter quas miſit Chriſtus hos leproſos ad ſacerdotes: Papiſtæ finxerunt aliam, nimirum, vt ſacerdotibus confiteamur peccata noſtra, enumeremus omnia peccata cum omnibus ſuis circumſtantiis: quod ſanè impoſſibile eſt. Textum proinde hunc detorquent Papiſtæ in peregrinum ſenſum, & ſua allegoria fabricant laqueos, quibus miſeræ conſcientiæ horribiliter conſtringuntur. Atque ita ex conſolatiſſimo Euangelio conſcientiarum carnificinam faciunt. Quid non ergo priuata confeſſio eſt retinenda? Eſt ſanè: ſed non propter hanc allegoriam: neque more Papiſtico, qui omnium peccatorum enumerationem tanquam iudices exigunt, & negant vllam fieri remiſſionem, ſi non fiat plena enumeratio peccatorum, quæ nemo, vt teſtatur Dauid, intelligit, tantum abeſt, vt ea quis enumerare poſſit.

Cõfeſſionis priuatæ in quibuſdã eccleſiis vſus & vtilitas.

Sed quæ ſunt cauſæ, cur retineatur confeſſio auricularis in noſtris Eccleſiis? Propter eius vtilitates, quæ ſunt maximæ.

Prima, vt in priuato iſto colloquio inſtituantur rudes & ignari, qui opus habent inſtructione in Catechiſmo.

Secunda, vt in ea iuuenum & adoleſcentum exploretur profectus. Nam boni eſt paſtoris non ſolum publicè pietatis doctrinam tradere, verum etiam eius officium requirit, vt Pauli exemplo domi experiatur, quouſque ſui auditores in pietate profecerint. Nam in iſto priuato colloquio ſegnes ſtimulis excitabit, eorum, qui multum profecerunt, diligentiam laudabit, & ad ſimilem perſeuerantiam excitabit.

Tertia, in hoc priuato colloquio exigitur ratio fidei ab iis, de quorum fide ac religione iuſtè poteſt haberi dubitatio.

Quarta, in eo colloquio infirmæ conſcientiæ doctrina, conſilio & conſolatione iuuantur, præſertim cum aliquo ſcrupulo conſcientiæ perplexæ teneantur. Hi enim ſibi recte conſulunt, ſi ad ſuos paſtores ſe recipiunt, vt erigantur, ac conſolationem capiant.

Quinta, tametſi, qui verè in Chriſtum credit, abſolutus eſt à peccato: nam cum peccatum ſit defectus à lege Dei & voluntate, cum obligatione ad æternam mortem & damnationem, abſolutus abſque dubio eſt omnis, qui credit promiſſioni gratuitæ iuxta illud: Qui credit in illum, habet vitam æternam: ex quo ſequitur, veram abſolutionem eſſe liberationem hominis credentis, ab obligatione ad æternam mortem & damnationem, tamen prodeſt etiam omnibus priuatim audire Euangelium, quo annunciatur miniſtri ore remiſſio peccatorum credentibus, & hæreditas regni cœlorum. Nam tum demum aperitur regnum cœlorum, quando Euangelium prædicatum fide recipitur.

DE TERTIO.

VNus autem ex illis videns quod mundatus eſſet, regreſſus eſt, cum magna voce glorificans Deum, & cecidit in faciem ante Ieſum, gratias agens. — Locus de vera gratiarum actione.

In hoc Samaritano videmus pulcherrimum gratitudinis & gratiarum actionis exemplum. Verùm, vt nos eius excitemur exemplo, dicam nonnihil de vera gratiarum actione, hoc ordine. 1. quæ ſit, & quas habeat cauſas. 2. quę ad eam requirantur. 3. pro quibus rebus gratias nos agere oporteat.

1. Actionis gratiarum definitio.

Quantum ad primum attinet, vera gratiarum actio eſt agnitio & confeſſio beneficiorum acceptorum, vna cum gratitudine mentis & prædicatione bonitatis Dei. Hoc clarè in Samaritano noſtro apparet: agnoſcit ſe mundatum à ſua lepra: hoc publicè confitetur: ac grata mente ad Chriſtum redit, ei gratias pro beneficiis agens & prædicans eius bonitatem. Hæc vera gratiarum actio habet cauſas. 1. noticiam Dei benefacientis. 2. noticiam ſui. 3. perceptum beneficium. 4. affectum ardentem fide & prædicatione Dei, quæ omnia videmus in hoc Samaritano. Huc accedunt exempla, quæ ad hanc gratitudinem nos excitabunt.

Exemplũ. Cauſæ.

2. Quæ ad eã requirantur.

Habemus quæ ſit gratiarum actio, & quas habeat cauſas: iam quæ ad eam requirantur videamus. Requiruntur autem duo, 1. virtutes quę nunquam à vera gratiarum actione ſeparari poſſunt. 2. legitimus modus gratiarum actionis. Virtutes præcipuæ ſunt duæ: veritas & iuſticia: Veritas, vt candidè & apertè agnoſcit benefactorem Deum (vt hîc Samaritanus facit) ita excludit hypocriſin quidem, vt non ore tantùm agas gratias, vt Phariſæus fecit, ſed mente & voce ſimul. Mendacium quidem, ne Deo aſſcribas ſucceſſum in rebus turpibus: vt ſi latro vellet Deo gratias agere pro optimo ſpolio, & adultera

Virtutes.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

pro lepido amatore. Iuſtitia excludit ſuperbiam & abuſum rei: & contrà admonet gratitudinis, humiliationis & inuocationis.

Modus legitimus.

Modus agendi gratias & huius Samaritani exemplo, & hoc Pauli dicto, Rom. 1. 8. Gratias ago Deo per Ieſum Chriſtum, ſatis indicatur. Cum enim ait Apoſtolus, per Ieſum Chriſtum primùm ſignificat, quod in gratiarum actione fides debeat prælucere. Deinde, vt agnoſcamus nos per Chriſtum accepiſſe beneficium. Tum, vt omnia ad gloriam Dei referamus. Poſtremò, vt & ſciamus noſtram gratitudinem per Chriſtum placere, & quod acceſſum habeamus ad Patrem per eundem Ieſum Chriſtum, vt pro acceptis beneficiis gratias agamus.

3. Pro quibus rebus agẽdę ſint gratiæ

Iam quæſtio ſequitur, pro quibus ſint agẽdę gratiæ. Iob pro plagis acceptis agit gratias: hîc Samaritanus pro plaga ablata agit gratias. Vnde ſequitur, quod & pro malis & pro bonis ſint agendæ gratię, ſed diuerſimode.

Pro aduerſis.

Pro malis quidem cum ages gratias, vt pro cruce & aliis ærumnis, quatuor facies: 1. onus premens admonebit te peccati & pœnitentiæ. Nam eſt teſtimonium iudicij Dei propter peccatum. 2. crucem & quamuis aliam calamitatem accipies tanquam optimi Patris virgã erudientis te & caſtigantis, ne cum immorigeris pereas. 3. pro hac paterna caſtigatione agas ſeriò Deo gratias. 4. ſupplex petas aut liberationem à premente onere, aut mitigationem cum conditione non impeditæ glorię Dei & proprię tuę ſalutis.

Pro proſperis.

Pro bonis ages gratias cum perpetua gratitudinis promiſſione. Hæc de vera gratiarum actione dicta ſint. Sed proh dolor, vnus ex decem rediit, alij nouem accepto beneficio abeunt ingrati. Vnde Dominus: *Nonne decem mundati ſunt, & nouem vbi ſunt? non eſt inuentus, qui rediret & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena.* Hîc vides exemplum horrendæ ingratitudinis eorum, qui recens accepti beneficij ſunt obliti. Tales ſunt plerique in mundo. Sed quid illis factum eſt? excuſſa fide, manſerunt in damnatione, cum interim hic Samaritanus audit: *Surge, vade, quia fides tua te ſaluum fecit.* Hunc & nos ſequamur ad noſtrum Saluatorem vnicum, qui eſt Chriſtus Dominus, cui cum patre ſuo & Spiritu Sancto ſit honor, laus & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Exemplũ ingratitudinis.

DOMINICA XV. TRINITATIS, Matth. 6.

NEmo poteſt duobus Dominis ſeruire. Aut enim hunc habebit odio, & alterum diliget, aut huic adhærebit, & alterum negliget. Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ. Propterea dico vobis, ne ſitis ſoliciti vitæ veſtræ, quid eſuri ſitis aut bibituri, neque corpori veſtro, quibus indumentis vſuri. Nonne anima pluris eſt quàm cibus, & corpus pluris quàm indumentum? Vertite oculos ad volatilia cœli, quia non ſerunt, neque metunt, neque conuehunt in horrea, & Pater veſter cœleſtis alit illa. Nonne vos longe præcellitis illa? Quis autem ex vobis ſolicitè cogitando, poteſt addere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum? Ac de indumento quid ſoliciti eſtis? Cognoſcite lilia agri quomodo creſcant, non laborant, neque nent, attamen dico vobis, ne Salomonem quidem in vniuerſa gloria ſua ſic amictum fuiſſe, vt vnum ex his. Quod ſi gramen agri, quod hodie cum ſit, cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, an non multo magis vobis id faciet, ô parum fidentes? Ne ſitis igitur ſoliciti, dicentes, quid edemus, aut quid bibemus, aut quib. operiemur? Nam omnia iſta gentes requirunt. Nouit enim Pater veſter cœleſtis, quod opus habeatis his omnibus. Quin potius quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Ne ſitis igitur ſoliciti in craſtinum, nam craſtinus dies curam habebit ſui ipſius. Sufficit ſua dies afflictio.

ENARRATIO TEXTVS.

Sũma & argumentũ huius cõcionis.

Hoc Euangelium pars longæ iſtius concionis eſt, quam Chriſtus habuit coràm diſcipulis ſuis, Matth. 5. 6. & 7. cap. In qua parte auariciam & diffidentiam damnat: vt quæ ſtare non poſſint cum cultu Dei. *Nemo enim* (inquit) *poteſt duobus dominis ſeruire.* Deinde multis argumentis à prouidentia Dei ſumptis, dehortatur à prophana & Ethnica cura rerum huius vitæ, quę cura partim oritur ex ignoratione prouidentiæ Dei, partim ab innata diffidentia. Poſtremò ſuis firmam & certam regulam præſcribit: *Quærite primum regnum Dei, & cætera adiicientur vobis.* Verùm ne quis ignauiæ hoc dictum patrocinari exiſtimet, addit, *Sufficit enim diei malicia ſua.*

Partes.

Hæc Euangelij ſumma eſt, nunc quoſdam locos proponemus, qui ſunt:

1. *Sententia Domini:* Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.
2. *Quanta ſit prouidentia & cura Dei pro nobis.*
3. *Mandatum & promiſſio Chriſti:* Quærite primùm regnum Dei, & cætera adiicientur vobis.

DE TERTIO.

De duob. dominis oppoſitis ex diametro.

Nemo poteſt duobus Dominis ſeruire. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, &c. Per quos Dominos, quibus Chriſtus dicit neminem ſeruire poſſe, intelligere debemus res duas, quæ ita ſibi inuicem ſunt aduerſariæ, vt vnà eſſe nequeant, ſed vbi vna earum fuerit, alteram cedere neceſſe ſit. Qualia ſunt exempli gratia, vitia & virtutes, cœleſtia & terrena, caro & ſpiritus, verus cultus Dei & idololatria, ſub qua continetur auaricia, Deus & Diabolus. De quibus Paulus ita pronunciat: quæ eſt conuenientia Chriſti & Belial? Quod autem nemo poſſit huiuſmodi dominis ſeruire, in promptu eſt ratio, quia contraria imperant & exigunt à ſuis ſeruis, idcirco ſi huic obtemperas, mox facias contra alium, & contrà. Populus Iſraël (ſicuti habetur 1. Reg. 18.) voluit domino vero Deo ſeruire & Baal ſimul quorum errorem colligens Helias Propheta, ait ad eos: Vt quî claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi autem Baal, ſequimini eum, quaſi diceret: Vos vultis duobus dominis ſeruire, qui vobis contraria imperant, quod fieri non poteſt abſque alterius contemptu. Nam cum Baal colitis, Deum fœdo adulterio offenditis. Hoc vicium in eodem populo reprehendit Hoſeas Propheta. Sed homines ita ſibi conſultum volunt. Ethnici quidem Deum & Diabolum coluerunt, illum album, hunc nigrum pingentes, interrogati cur iſtud facerent, reſponderunt: Deum colimus, vt nobis benefaciat. Diabolum verò veneramur, ne nobis malè faciat. Ad eundem modum hodie quidam ſuperſtitionem Papiſticam retinent magna ex parte, & nihilominus verbum Dei & veram religionem ſe amplecti ſimulant. Hodie nos auaritiæ & ventri ſeruire volumus, & ſimul nos veros Dei cultores eſſe gloriamur. Verùm hoc fieri non poteſt. Qui Diabolum colit, Deo renunciauit: qui Papiſticam idolomaniã amplectitur, fontem verbi Dei turbauit, qui auariciæ ſeruit, Dei cultor eſſe nequit, id ꝗ Dominus in hoc Euangelio

Qui ſint.

Ratio, cur non poſſimus iſtis duob. ſeruire.

Correctio.

Auarus nõ poteſt Deũ colere.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

gelio potiſſimum monſtrare conſtituit. Qui ſic? Quia Paulus Timotheo ſcribens, ait: Qui volunt diteſcere, incidunt in tentationes, & laqueos Diaboli, & deſideria multa & inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum auaritia: quam quidem appetentes aberrarunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. 1. Timoth. 6. 9. Hîc Paulus graphicè ingenium auariciæ depingit, cum qua ex diametro pugnat pietas & cultus Dei. Habent enim contrarios effectus. Qui auaritiæ ſeruit, incidit in laqueos Diaboli: qui Deo ſeruit, perrumpit laqueos Diaboli. Auaricia demergit hominem in interitum & perniciem, cultus Dei inde liberat. Auaritia à fide abducit: cultus Dei in fide retinet. Auaricia implicat hominem doloribus multis: cultus Dei hominem ad æterna gaudia introducit. Auaritia eſt radix omnium malorum: cultus Dei eſt fons omnium bonorum. Non igitur mirum eſt quod Chriſtus dicat: Nemo poteſt Deo ſeruire & Mammonæ. Nam inter ſe pugnant, & diuerſa ſectantur ſtudia. Deus imperat vt conſulas commodis fratris tui: ſed auaritia ſuadet, vt tibi viuas, vt in diuite Epulone videmus. Deus imperat vt ex tuis facultatibus largiaris egenti. Mammon iubet, vt per fas & nefas rapias aliena. Deus vult, vt ſis ſobrius. Mammon imperat luxum & voluptates. Verùm hîc notandum eſt, quod Dominus non neget aliquem poſſe habere diuitias, & ſimul ſeruire Deo. Nam Abraham habuit diuitias, Dauid, Ioſeph in Ægypto, Ezechias, Ioſias, Theodoſius, Cornelius, & multi alij, qui nihilominus Deo ſeruierunt. Quare? quia non ſeruierunt diuitiis, ſed diuitiæ ipſis famulabâtur. Ideo Dominus diſertè dicit: *Nemo poteſt ſeruire Deo & diuitiis.* Seruire diuitiis quid eſt? Eſt cor apponere, vt Dauid loquitur: Eſt per fas & nefas opes cumulare, eſt cum iniuria opes proximi retinere, & non iuxta Dei conſilium iſtas diſpenſare, eſt diuitiarum cumulandarum gratia à fide & timore Dei deficere, & varias cumulandi diuitias vias quærere. Verum cum auaritiæ præcipua cauſa ſit prophana ſolicitudo ventris, Chriſtus iſtam cauſam conatur auellere. Imitatur enim peritos medicos, qui cum morbum aliquem curare inſtituunt, indicato morbi periculo, radices & cauſas morbi prius expellere ſatagunt.

Rationes variæ ab effectibus cõtrariis.

Amplificatio.

Seruire diuitiis, quid.

DE SECVNDO.

Ne ſitis ſoliciti vitæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini. His verbis Chriſtus non prohibet piam & ſanctam curam, ſed Ethnicam & prophanam. Ne igitur quis putet hoc Domini dictum patrocinari ſocordiæ, dicam pauca (priuſquam ad argumenta venero, quibus nos Dominus vocare à prophana & illicita cura conatur) de cura licita & illicita. Neceſſe eſt enim hîc cautum eſſe, & diligenter alteram ab altera diſtinguere. Nam vt nulla maior peſtis eſt veri cultus Dei, quam Ethnica & prophana cura & ſolicitudo; ita nihil magis optandum, quam vt vnuſquiſque ſolicite ambulet coram Deo in vocatione ſua. Sciendum igitur triplicem eſſe curam. Vna prophana eſt & Ethnica. Altera neceſſaria & ſancta. Tertia mixta ex illis. Media eſt non ſolùm licita, ſed ſancta & neceſſaria; adeo vt qui hanc non habeat, inter filios Dei cenſeri nequeat.

Locus, de cura licita & illicita ſeu prophana.

Diuiſio.

Impia ſeu Ethnica & prophana ſolicitudo & cura eſt, quæ oritur ex diffidentia & prouidentiæ Dei ignorantia. Hæc Ethnica cura in Euangelio hodierno voce filij Dei damnatur, & interdicitur filiis Dei multis adhibitis argumentis, quemadmodum poſtea videbimus. Hæc cura prophana & prohibita interdum carnis dicitur, cum quia ex carnis corrupto iudicio ſine fide proficiſcitur, tum quia ſcopum habet carnalem, nimirum præſentis vitæ quietem & ſecuritatem.

1. Impia ſeu prophana ſolicitudo.

Solicitudo, quam dixi neceſſariam, piam & ſanctam, ſine qua nemo poteſt cenſeri inter filios Dei, commendatur nobis ſcripturæ teſtimoniis, & multis ſanctorum exemplis. Rom. 12. 8. dicitur. Qui præeſt, in ſolicitudine. 1. Timoth. 5. 8. Si quis ſuorum & maximè domeſticorum curam non habet, fidem abnegauit, & eſt infideli deterior. Abraham, Iſaac, Iacob piam ſuæ familiæ curam habuerunt. Ioſeph in Ægypto ſeptem annorum curam piè in ſe recepit ad imperium Pharaonis, poſtquam prædixiſſet de ſeptem fertilibus annis, & aliis ſeptem ſterilibus, qui fertiles illos ſequerentur. Daniel in Babylonia, pij Reges & Prophetæ in populo Dei non tanta geſſerunt ſine hac ſancta cura. Paulus 2. Cor. 11. 28. & 2. Theſſal. 2. 1. &c. & Coloſſ. 2. 5. 1. Theſſal. 2. ſuam ſolicitudinem pro Eccleſia teſtatur, ſic Reges pro ſuis regnis; Patresfamiliâs pro ſuis familiis, miniſtri verbi pro ſuis auditoribus, præceptores pro ſuis diſcipulis. Breuiter, ſinguli in ſua vocatione ſanctam curam habere poſſunt, imò debent, ſi ritè ſuo fungi officio velint. Verùm ne hæc ſancta & neceſſaria cura vllo vicio contaminetur, ſciendum eſt, quinque ad eam requiri, quorum primum eſt mandatum Dei. Mens enim pia nihil aggredi debet ſine mandato Dei. Honeſta igitur erit vocatio, cuius pia & ſancta cura eſſe debet. Deinde, cura illa ſancta à fide proficiſci debet. Nam ſine fide Deo nihil placere poteſt. Tertia, quia niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam, adhibenda eſt inuocatio & gratiarum actio. Inuocatio quidem, qua auxilium Dei petamus, gratiarum vero actio, qua ſucceſſum Deo tribuamus, & non noſtræ prudentiæ aut dignitati. Eſt ſiquidem optimum remedium aduerſus ſolicitudinis Ethnicæ tentationem, precibus ardentibus ad Deum confugere, id quod Paulus docet Philipp. 4. 6. his verbis: De nulla re ſoliciti ſitis, ſed in omni re per precationem & obſecrationem cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innoteſcant apud Deum. Quartò, cura noſtra principaliter debet tendere in gloriam Dei. Etſi enim noſtræ domus incolumitas ſpectari poteſt, tamen principalis finis erit gloria Dei. Quintò, ſi parum cura noſtra & labor votis reſpondeat, ſubmittamus nos paternæ voluntati Dei in vero timore & humilitate iuxta conſilium Petri dicentis: Humiliamini ſub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore exaltationis, omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis. 1. Petr. 5. 7. Et Pſal. 55. 23. Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet, & non dabit in æternum fluctuationem iuſto.

II. Pia & ſancta cura.

Patrũfamiliâs.

Magiſtratuum.

Paſtorũ Eccleſiæ.

Quæ ad hãc curã requiruntur.

1. Mãdatũ Dei.

2. Fides.

3. Inuocatio & gratiarum actio.

4. Finis, gloria Dei.

5. Prouidẽtiæ Dei ſubmiſſio.

Mixta cura eſt, quæ partim pia apparet, partim prophana conuincitur, vt cum curamus quidẽ quæ officij noſtri ſunt, id quod Deus à nobis ſerio requirit, ſed propter innatam in nobis dubitationẽ de prouidentia Dei limites trãſgredimur, ac in officiũ Dei ſacrilegè irrumpimus, vt cùm paterfamiliâs rectè & piè inſtituit liberos, familiam ſuam curat, ſed nimia trepidatio & anxietas ad impatientiam impellit; quando votis non reſpondet labor & cura ipſius. Iactet igitur pius hanc curam in Dominum, & ſtrenuè faciat officium, nec ſinat ſuam piam curam Ethnica diffidentia conſpurcari, quod abiecta Ethnica diffidentia & anxietate, pax nobis internè con-

III. Mixta cura.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſtet,ac erga homines ſimus modeſtiores & manſuetiores,cum quibus eidem Domino ſeruiamus, excuſſo iugo Mammonæ & Ethnicæ ſolicitudinis.

Sūma dictorum & noua confirmatio, ſex argumentis de prouidentia Dei.

Hæc dixi de triplici ſolicitudine,vt ſciamus,à qua Dominus dehortetur nos in hoc Euangelio. Non enim dehortatur à pia & ſancta cura,qualem & ipſe omnium maximè ſuſtinuit,ſed à prophana & Ethnica.Quibus autem id faciat argumentis, id nunc ex textu videbimus.Ponuntur autem hic ordine ſex argumenta, quibus confirmatur prouidentia & cura Dei pro nobis,quare decet vt Ethnicam ſolicitudinem,quæ ex ignoratione prouidentiæ Dei proficiſcitur,abiiciamus.

1. *Nónne anima plus eſt quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum?* Hoc eſt,ſi Deus id quod maius eſt ſine veſtra cura dedit,quare non daret quod minus eſt,ſi ergo ſine veſtra cura dedit animam & corpus, quæ magna ſunt, cur nō daret victum & amictum, quib.iſta indigēt,vt perſiſtāt & non collabātur,pręſertim cum ipſe hæc oīa in nòſtros vſus condiderit.

2. *Reſpicite volatilia cœli,quæ non ſerunt, neq; metunt,neq; congregant in horrea ſua,&c.* Hoc eſt, Pater cœleſtis alit aues cœli, quæ vobis longe ſunt inferiores,ſi dignitatis gradū reſpicitis,cur nō vos,quos ad imaginē ſuam creauit,aleret? Hoc argumēto Dauid ſe conſolatur, dum inquit: Qui dat eſcas pullis coruorum inuocantibus eum.Pſ.147.9.

3. *Quis veſtrûm cogitans poteſt adiicere ad ſtaturam ſuam cubitum vnum, & de veſtimentis quid ſoliciti eſtis?* Quaſi diceret, vana iſta ſolicitudo veſtra eſt. Deus dat ſtaturā corporis ſine tua cura,cur nō daret veſtimentum ſine prophana diffidentia de Deo, quaſi is tibi adeſſe in tuo labore recuſaret?

4. *Conſiderate Lilia agri,quomodo creſcunt.* Lilia in agris ſuccum ex terra attrahunt, ita antea diſponēte Domino,& ita pulchrè veſtiuntur,adeo vt ne Salomon in omni gloria ſua coopertus ſit, ſicut vnum ex iſtis.Cum hoc Deus præſtat Liliis,quæ breui marceſcent, & comburentur, cur non vos veſtiret,quos ad æternam vitam creauit?

5. *Hæc omnia gentes inquirunt.* Quaſi dicat,vos olim more gentium ignari eratis prouidentiæ Dei & vacui fide,ſed nunc ſcitis Deum curam pro vobis habere,cur igitur Ethnica diffidentia neceſſaria vitæ quæritis?

6. *Scit Pater veſter, quod his omnibus indigeatis.* Hæc diligenter nota. Non dicit, ſcit Deus tremendus,Zelotes,conditor cœli & terræ,viſitans iniquitatem in filios,ſed dicit: Scit Pater, quorum Pater? veſter.Qualis? cœleſtis. Hic quia cœleſtis eſt,eſt & optimus,& omnipotens,& ſapientiſſimus, quia optimus vult dare quæ bona ſunt: quia omnipotens, poteſt quæ vult,dare:quia ſapiētiſſimus,nouit quomodo,quid,& quando dare conueniat.

DE TERTIO.

Explicatio & partes huius dicti.

Quærite primùm regnum Dei,& iuſticiam Dei, & cætera adiicientur vobis. In hoc breui dicto Chriſti ſunt duo:Mandatum & Promiſſio. Mandatūm quidem eſt: *Quærite primum regnum Dei,& iuſticiam Dei.* Promiſſio vero: *Et cætera adiicientur vobis.* Primo ergo loco mandatum videam. Deinde promiſſionem.

1. Mandatum.

Mandatum eſt, vt quæramus regnum Dei & iuſticiam Dei.Hîc quæritur qualénam ſit regnū Dei, & quæ Dei iuſticia. Deinde,quis quærendi modus. Regnum Dei triplex in Scriptura eſt,ſcilicet potentiæ,gratiæ & gloriæ.*Potentiæ* regnum non iubet nos quærere,ſed gratię,vnde eſt tranſitus ad regnum gloriæ,id eſt ad vitam æternam. Quódnam eſt regnum *gratiæ*? Eſt in quod ex mera gratia recipimur, dum credimus Euangelio. Nam Euangelium eſt velut præconis vox, quo inuitamur ad hoc regnum, de hoc loquitur Chriſtus Luc.17.21. Regnum Dei intra vos eſt. Hoc ergo regnum eſt gratia Dei,quam Euangelium Chriſti offert, promiſſio eſt ianua,introductor Spiritus Sanctus,qui nos ſanctificat,& regenerat lauacro aquæ per verbum.Breuiter,hoc gratiæ regnum eſt miſericordia, remiſſio peccatorum, gaudium conſcientiæ,liberatio à regno Satanę.Quę eſt iuſtitia Dei,quam iubet nos quærere? ea abſque omni dubio eſt noua vita & obediētia, quam Deus à filiis ſuis requirit.

Regnum Dei quid & quotuplex.

Iuſtitia Dei quid.

2. Promiſſio.

Promiſſio eſt, *Et cætera adiicientur vobis.* Hoc eſt,quæ pertinent ad huius vitæ ſuſtentationem donabuntur vobis. At Paulus,id quod nemo dubitat, ſedulò quæſiuit regnum Dei, qui tamen 2.Corint. 11.27.conqueritur,ſe fame & ſiti laboraſſe. Deinde ſanctus Iacob laborat frumenti & aliorum victualium inopia, adeo quod cogatur cum tota familia ire in Ægyptum, ne cum ſuis fame pereat, videtur ergo hæc Chriſti promiſſio vana eſſe. Reſpondeo: Promiſſio Chriſti non fallit, veritas enim mentiri nequit. Nam Chriſtus,qui eſt medicus noſter,non ignorat quando apponenda,& quando detrahenda ſint remedia. Non tam noſtram imprudentiam, quam ſuam ſapientiam conſulit. Hoc proinde pro certo habeamus,quod ſuos non deſeret. Quod autem nobis aliquando neceſſaria deſunt, multæ ſunt cauſæ.1.vt exerceamur patientia. 2.vt interdum noſtra peccata iſtis plagis puniantur. 3. quia ſæpe ſuperflua quærimus, iuſtè & rectè neceſſariis caremus.4.propter abuſum rerum quas habemus.5.quia non agimus gratias. 6.quia diffidimus Deo. 7.quia interdum bona,quæ accipimus noſtro ſtudio & induſtriæ magis,quam Deo donanti aſcribimus.Quare ſi volumus benedictionem Domini, confiteamur,& faciamus cum Propheta, qui ait: Tua ſunt omnia,Domine,& quæ de manu tua accepimus, tibi reddimus. Hîc vt fatetur Propheta omnia Dei eſſe, ita omnia in laudem Dei conuertit, quod vt nos quoque faciamus, donet nobis Pater cœleſtis, per Ieſum Chriſtum, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

Obiectio

Reſpōſio.

Cur aliquādo nobis neceſſaria deſunt.

DOMINICA XVI. TRINITATIS, Lucæ 7.

IEſus ibat in ciuitatem,quæ vocabatur Nain,& ibant cum eo diſcipuli eius multi,turbáque copioſa.Cum autem appropinquaret portæ ciuitatis,ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris ſuæ.Et hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidiſſet Dominus,miſericordia motus eſt ſuper eam, dixítque illi: Noli flere.Et acceſſit,tetigítque loculum.Porrò qui portabant ſubſtiterunt.Et ait: Adoleſcens,tibi dico,ſurge, & reſedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ.Accepit autem omnes timor, & glorificabant Deum, dicentes:Propheta magnus ſurrexit inter nos,& Deus viſitauit plebem ſuam. Et exiit hic rumor in vniuerſam Iudæam de eo,& omnem finitimam regionem.

ENARRATIO TEXTVS.

Summa & vſus præſentis hiſtoriæ.

PAulus Apoſtolus ſcribens Romanis,dicit,cap. 15.4.Quæcunque ſcripta ſunt, in noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.Quapropter cum legimus hodiernum Euangelium dulciſſimum ſciamus quod non ſolùm ad illam viduam de Nain pertineat,verumetiam ad totum genus humanum. Chriſtus enim in hoc Euangelio teſtatur de ſua

diuina

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

diuina potentia,de affectu ſuo erga afflictos, & de officio ſuo. Primum ſiquidem teſtatur ſe Dominus omnipotentem eſſe, dum morti, quæ eſt aculeus peccati, imperat. Deinde teſtatur ſuum affectum erga nos,dum huius mulieris ærumnis afficitur, teſtatur ſum officium eſſe,vt deſtruat opera Diaboli. Ideo enim in mundum venit, quemadmodum Moſes, Prophetæ, ipſe Chriſtus & Apoſtoli teſtantur. Hæc in genere conſideranda ſunt in hoc Euangelio. Cæterùm quò nos inde maiorem percipiamus fructum, tres locos proponam, quos in hac concione tractabo.

Partes.

1. *Qualis ſit affectus Chriſti erga nos.*
2. *Præſentis miraculi declaratio cum ſuis circumſtantiis.*
3. *Imago totius generis humani.*

DE PRIMO.

De affectu Chriſti erga nos.

Narrat Euangeliſta Hiſtoriam de quodam adoleſcente mortuo,cuius funus efferebatur, vt ſepeliretur, quod cum videret Dominus, miſericordia motus eſt. Nam dum hanc afflictam mulierem intuetur,altius cogitat. Venit illi in mentem lapſus humani generis,tyrannis diaboli,calamitatum magnitudo, quibus humanum genus propter peccatum premitur. Cogitat ſuum officium eſſe, vt has munitiones Satanæ deſtruat. Vidit enim in hac muliere exemplum humanæ miſeriæ,quæ ipſum de lapſu hominis & de ſuo officio admonuit.

Quales ſumus. — Qualis ſit Chriſtus.

Duo ergo ex hoc loco colligamus:Vnum,quales nos ſimus.Alterum,qualis Chriſtus erga nos: Nos ſumus reuera miſeri,afflicti,& damnati, nec poſſumus noſtris viribus è tantis malis eluctari. Chriſtus eſt Deus & homo, qui venit, vt ſaluet quod periit, qui hic ſuum affectum declarat erga genus humanũ. Neque enim aliter affectus eſt erga nos, quam erga hanc viduam. Afficitur huius calamitatibus, afficitur & noſtris,hanc iuuat, vult & nos iuuare. Hoc eſt planè,quod Apoſtolus dicit, Hebræis ſcribens, cap. 4.15. Habemus pontificem,qui condolere poteſt noſtris infirmitatibus. Imò maiorem affectum erga nos habet, quam hæc vidua habet erga vnicum ſuum filium, quem hic plorans comitatur ad ſepulturæ locum. Ita enim Propheta ait: Nunquid poteſt mulier obliuiſci infantis vteri ſui,& ſi illa oblita fuerit,ego non obliuiſcar tui. Iſai. 49.15.

Huius affectus cauſæ quatuor.

Sed quæ cauſæ ſunt huius ineffabilis dilectionis Chriſti erga nos,qui ſumus multis ſceleribus & ſordibus defœdati?certe hic nullum eſt noſtrum meritum,nulla ex nobis dignitas,ſed ſunt quatuor cauſæ,quibus filius Dei mouetur, vt tanta nos complectatur beneuolentia.

Dilectio paterna.

Prima eſt affectus paternus, nam ab ipſo conditi ſumus. Proinde iure creationis ipſius ſumus. Et tametſi nos plenos ſordibus & ſceleribus nouit, tamen aliquid de ſuo in nobis adhuc reperit,nimirum quod ſimus ipſius creatura. Miſereris omnium Domine (inquit ſapiens) & nihil odiſti eorum quæ feciſti.

Dignitas creationis.

Secunda,dignitas creationis, nimirum quod ad Dei imaginem conditi ſimus:iuxta illud: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Et quia hæc imago ex potiſſima ſui parte abolita per peccatum erat,ipſe Dominus venit,vt eum rurſus repararet, quod fit, dum in ipſum vera fide intuentes transformamur in imaginem Dei.

Finis creationis.

Tertia,finis creationis. Creati enim nos ſumus, vt ſimus templum Dei,Deum celebrans. Et ſi autem hoc templum erat iam peccato prophanatum, tamen materia adhuc reliqua erat, ex qua Chriſtus nouum templum extrueret.

Deſtructio regni Satanæ.

Quarta deſtructio regni Satanæ, ad quod deſtruendum Dominus in mundum venit, & huius deſtructionis ſpecimen quoddam editum eſt hoc miraculo. Chriſtus ſæpe congreſſus eſt cum Satana: ſæpe illum in fugam vertit: quem tandem vicit reſurgens ex mortuis. Hæc victoria Chriſti in extremo die cernetur perfecta,quando extremus hoſtium mors abolebitur. Hæ quatuor cauſæ mouerunt Dominum noſtrum, vt aſſumpta carne fieret homo:& in carne,hoc eſt,in humana natura,in anima & corpore pateretur pro humano genere.

Tria quæ nobis Chriſtum eſſe hoſtẽ noſtrum clamant.

Tametſi autem hic Chriſti affectus nobis ſæpe commendatur verbo Dei,multis comprobatur miraculis,atque adeo obedientia ipſius filij Dei,qui obediens fuit Patri vſque ad mortem crucis; tamen tria ſunt, quæ nobis aliud perſuadere moliuntur: Lex,conſcientia, calamitatum moles, qua obruimur in hac vita. Hæc enim nos à Chriſto abiectos clamitant.

1. Lex.

Lex dicit: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus,quæ ſcripta ſunt in libro legis, & nemo non eſt, qui ſe non videt infinitis modis legem transgreſſum eſſe. Intueamur in Euam,quæ ob vnum præceptum violatum maledictionis ſententiæ ſubiacuit. Quid nos quoties Deum offendimus?

2. Cõſcientia.

Hanc legis ſententiam confirmat conſcientiæ trepidatio,quæ eſt inſtar mille teſtium,ſicuti in Prouerbio dicitur,*Conſcientia mille teſtes* Huc illud Poetæ:*Conſcia mens vt cuique ſua eſt, ita concipit intra Pectora pro meritis ſpémque metúmque ſuis*. Et diuus Bernardus ait:*Mala conſcientia delictorum noſtrorum ipſa teſtis eſt,ipſa iudex,ipſa tortor,ipſa carcer, ipſa accuſat,ipſa iudicat,ipſa damnat*. Quid,quæſo, grauius eſt, quam talẽ nocte diéque ſuo geſtare in pectore teſtem? Huius conſcientiæ teſtimonio multi victi ſibiipſis vitam ademerunt, dum hanc accuſantem & teſtantem aduerſus ſe ferre non potuerunt.

3. Moles calamitatum.

Accedit moles calamitatum,quæ ſententiam legis & conſcientiæ confirmant. Contra has tres grauiſſimas tentationes, in vera pœnitentia opponamus Ieſum Chriſtum. Is venit in mundum,vt maledictionem legis tolleret,peccatum aboleret,omnes calamitates credentium in ſe conuerteret in gloriam,ſed ita tamen, vt omnia ordinatè fiant:eſt hic deſertum vaſtum, vnde tranſeundum eſt nobis in patriam. Populus Iſrael non ſtatim venit in requiem promiſſam. Ioſeph in Ægypto non ſine carcere ad tantam dignitatem peruenit. Chriſtus non ſine cruce, morte & ſepultura intrauit in gloriam. Quapropter & nos per crucem oportet intrare in gloriam. Ita enim Paulus ait, 2. Tim. 2.12. Si patiemur cum illo,etiam cum illo regnabimus. Qui certamen fugit,fruſtra coronam expectat. Nemo, inquit Apoſtolus, 2. Tim. 2.5. coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Idem ait, Romanor. 8.23. Salui facti ſumus ſpe. Opponamus ergo maledictioni legis Chriſtum,qui pro nobis factus eſt maledictum. Opponamus conſcientiæ accuſanti Chriſtum abſoluentem à peccato. Si Filius vos(inquit)liberauerit,verè liberi eritis. Opponamus præſentibus ærumnis crucem Chriſti & conſilium Dei,qui vult nos eſſe conformes imaginis Filij ſui. Breuiter in vera pœnitentia & fide confugiamus ad Thronum gratiæ,Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. In hoc vno inueniemus auxiliũ in tempore opportuno. Is enim ait omnibus in ſe credentibus: Noli timere puſille grex,quia placuit Patri dare vobis regnum. Atque ita non ſinamus vllam rem in cœlo, in terra,in in-

Remediũ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ferno,perſuadere nobis,quod Chriſtus ſit aliter affectus ergi nos,quam fuit erga hanc viduam.

Doctrina. Proinde hinc diſcamus longe aliud Dei iudicium eſſe quam mundi. Deus & Mediator noſter Ieſus Chriſtus non reiicit more mundi calamitoſos & miſeros,ſed omnes recipit,quotquot ad ſe veniunt, iuxta ipſius promiſſionem,Matth.11.28. Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati eſtis, & ego reſocillabo vos, & inuenietis requiem animabus veſtris. Prætcrea hinc diſcant viduæ piæ,qualem habeant patronum,aduocatum,& conſolatorem. Diſcant & hinc gubernatores Eccleſiarum non auerſari miſeros & calamitoſos:diſcāt magiſtratus, Chriſti exemplo, non ſpernere,non reiicere, non damnare miſeros & calamitoſos, ſed eos amanter potius fouere & conſolari. Deinde diſcamus nos mutuo charitatis affectu & officiis piis proſequi. Hæc ſint dicta de prima huius Euangelij parte: Sequitur ſecunda.

DE SECVNDO.

Miraculi declaratio cum ſuis circumſtātiis. In præſentis miraculi declaratione multæ circūſtantiæ ſunt: quarum ſingulæ habent ſuam doctrinam,quare eas ordine cum ſuis doctrinis & admonitionibus recitabo.

1. Pōpa funebris. Prima, *Cum efferebatur funus, ſequebatur vidua mater, & turba ciuitatis cum ea.* Hîc duo videmus:quorum primum eſt, honor & pompa funebris. Honeſtè demortui corpus deducunt ad ſepulturæ locum:

Exempla. ſic & ſancti Patres fecerunt. Abraham honorificè ſuam vxorem ſepeliit. Ioſeph cum magna turba deducit funus Iacob Patriarchæ. Iacob & Eſau honorifice patrem Iſaac ſepeliunt. Breuiter,apud omnes pios magnus fuit honos ſepulturæ: ídque propter

Cauſæ. ſpem reſurrectionis corporum, & futuram immortalitatis gloriam. Hoc ſanctorum patrum exemplū imitatur Eccleſia hoc tempore: tametſi multos inuenies,qui ſuos mortuos abiiciunt tanquam cadauera porcorum. In noſtris funeribus huiuſmodi ſolennitas adhibetur: Pij præſentes ſequuntur funus, canitur,pulſatur,prædicatur aliquando.

Eccleſ. Danicarū circa ſepulturā defunctorū rit⁹. Qui ſequuntur funus,1.ſuum amorem teſtātur erga mortuum. 2. hoc facto edunt exemplum fidei ſuæ de reſurrectione mortuorum. 3. admonentur, quod ſuo tempore (quando viſum fuerit Domino) ſequantur,& his mundi calamitatibus per mortem valedicant.

Deinde canitur,ídque vt Pſalmis piis conſolentur viui,& vt agant Deo gratias pro eo qui mortuus eſt,ſi in confeſſione vera deceſſit.

Pulſatur, non ſolum vt conuocetur populus ad deducendum funus:verumetiam vt viui admoneantur tubæ Dei,qua in extremo die omnes mortui excitabuntur.

Poſtremò prædicatur,vt qui deducunt funus, aliquid doctrinæ & conſolationis contra mortem ſecum domum reportent. Hæc breuiter ſint dicta de prima circumſtantia, & de pompa funebri quæ apud nos ſeruatur.

2. An liceat deflere mortuos. Secunda, *Dominus dicit viduæ: Noli flere.* Hîc quæritur,num liceat deflere mortuos. Exempla ſanctorum & Scriptura fletum ſuper mortuos admittunt. Deut. vltimo, totus populus in deſerto defleuit Moſen mortuum. Abraham defleuit Saram vxorem ſuam. Ioſeph vir ſanctus multos dies defleuit patrem Iacob. Dauid luget filium Ammon. Iſraël Samuelem. Martha Lazarum. Ipſe Dominus

Cōciliatio locorum. etiam defleuit Lazarum. Ieſus Syracides capite 38. 16.ait: Fili in mortuum produc lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ad iudicium contege corpus ipſius, & non deſpicias ſepulturam ipſius. Sed Ieremias capite 22.10.ait: Nolite deflere mortuos. Et Chriſtus hic dicit mulieri,Noli flere. Has antilogias Paulus conciliat 1.Theſſal.4.13. vbi ait: Nolite autem ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini,ſicuti cæteræ gentes, quæ ſpem non habent. Prohibetur ergo luctus Ethnicus, qui nullam ſpem habet conſolationis per reſurrectionem mortuorum: & conceditur luctus moderatus,qualem habent, quibus conſolatio eſt propoſita.

Sed dicamus breuiter, poſtquam in conſolationis mentionem incidimus, vnde Chriſtiani ſe conſolari poſſunt in morte ſuorum amicorum: 1. cogitent voluntatem Dei,cui obtemperandum eſt. 2. cogitent vniuerſalem conditionem. Omnibus enim nobis ſemel moriendum eſt. 3. cogitent iuſticiam Dei. Quid enim iuſtius,quā vt qui dedit vitam, rurſus ad ſe eam recipiat & conſeruet, quando viſum fuerit. 4. cogitent Dei ſapientiam,qui nouit ſolus, nobíſne magis expediat viuere an mori. Multos enim è medio tollit,ne vel ipſi peiores fiant, vel plures ærumnas in hac mortali vita perpetiantur. 5. cogitent mortuum liberatum eſſe ab omnibus ærumnis huius vitæ. 6. cogitent fruſtra magnum luctum ſuſcipi pro iis, qui luctu reuocari non poſſunt. Ita Dauid 2.Sam.12. ſe conſolatus eſt. Luxit ægrotante puero,quo mortuo,ſurrexit,ſe lauit & comedit. 7. cogitent,immodice lugentem corpori ſuo nocere, & ita in Deum peccare. 8. cogitent non mortuo inuidendam immortalitatis beatitudinem. Beati enim,(ait ſcriptura) qui in Domino moriuntur. 9. cogitent reſurrectionem Chriſti & noſtrā, quæ in extremo fiet die. Hæc enim cogitatio commune remedium eſſe debet non ſolum aduerſus dolorem,quem pro mortuis concipimus:verumetiam contra omnes calamitates animi & corporis. Verùm obiiciet aliquis: Solatio vitæ ſum deſtitutus, ergo non ipſum qui mortuus eſt, ſed teipſum & iacturam,quam inde habes,defles. Naturale eſt flere. Verum eſt:ſed vincat gratia naturam. Hęc ſint breuiter in hac ſecunda circumſtantia addita de conſolatione in morte charorum.

Chriſtianorū cōſolationes in morte amicorum.

Obiectionū dilutio.

Tertia: *tangit* Dominus locum, in quo iacuit hic mortuus:quo tactu indicat ſuum corpus organum fuiſſe acquirendæ nobis vitæ & ſalutis.

3. Tactus Chriſti.

Quarta:loquitur adoleſcenti,& ait: *Tibi dico adoleſcens, ſurge.* Ita etiam puellam excitauit,vt in Marco habetur:ſic & Lazarum quatriduanum,vt eſt in Iohanne. Hic docemur,quod & Chriſtus ſit potentior morte,& quod verbum ipſius ſit verbum vitæ & ſalutis.

4. Verbū eius eſt viuificū.

Quinta: *Mortuus ſurgit* ad vocem Chriſti, & hoc mirandum eſt. Surrexit qui erat mortuus:cœpit mox loqui. Et Dominus dedit illum matri ſuæ.

5. Mortu⁹ loquitur.

Sexta: *Accepit omnes timor, & glorificabant Deum, dicentes: Propheta magnus ſurrexit in nobis, & Deus viſitauit plebem ſuam, & exiit hic ſermo in vniuerſam Iudæam de eo.* Hîc duplex fructus miraculi deſcribitur. Vnus attingit præſentes auditores: alter manauit ad alios, ad quos huius miraculi rumor peruenit. Præſentes ſpectatores hinc fidem conceperunt, vnde timuerunt Deum, vero cultu glorificarunt Deum, agnouerunt Meſſiam veniſſe, quem & confeſſi ſunt. Deinde hic rumor peruenit ad alios, qui fuerunt in Iudæa, & finitima regione, qui & ipſi conceperunt fidem in Meſſiam: Et hodie iſte rumor ad nos venit, vnde

6. Fructus miraculi. Reſpectu ſpectātiū. Reſpectu audiētiū.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vnde agnoſcamus Chriſtum eſſe verum Meſſiã, eſſe potentiorem morte, concipiamus in ipſum fidem: prædicemus Deum corde, voce, cõfeſſione & moribus: ita futurum eſt, vt olim læti per ipſum ad æternam vitam excitemur.

DE TERTIO.

Imago Eccleſiæ.

Diuus Ambroſius imaginẽ Eccleſię hic proponi dicit, quæ quia noſtras cõditiones pingit, digna eſt explicatione. Vidua, inquit, ſignificat Eccleſiam: *adoleſcens* mortuus quemlibet peccatorem viuentem ſine pœnitentia. *Loculus* notat corpus peccati. Vidua lamentatur ſuum filium mortuum, hoc eſt, Eccleſia ob impœnitẽtiam ſceleratorũ lamentatur, & rogat Chriſtũ vt ipſos moueat, & ad ſe pertrahat ſuo verbo & ſpiritu. Chriſtus igitur iubet, vt ſiſtant *baiuli*. Peccator enim à quatuor baiulis geſtatur ad infernum, qui ſunt, 1. ſpes diuturnioris vitæ. 2. conſideratio alienæ culpæ. 3. præſumtio diuinę miſericordiæ. 4. adulatio ſocietatis prauę. Si autẽ vis reſurgere à morte peccati, neceſſe eſt vt audias Chriſtum, qui iubet baiulos ſiſtere. Primùm ergo depones fiduciã longioris vitæ, quia vita incerta eſt, ſicuti multorum experientia docet, & periculum in promtu eſt, vt videre eſt in diuite epulone. Deinde non debes alienam vitam tibi proponere imitandam: ſed exemplo Abraham Deo te ſubijcies, confides in illum, emendabis mores, ſciens quod errantium multitudo neminem ſit excuſatura in iudicio. Non iuuit Adam quod diceret, Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de arbore. 3. depone præſumtionem miſericordiæ Dei. Nam hæc præſumptio eſt magnus Dei contemtus, Rom. 4. reijce adulatores, qui te ad mala ſolicitant. Quo facto, recumbe in Chriſtum viua fiducia, & ipſe te viuificabit ad æternam vitam, quam donet nobis Chriſtus, cui ſit honor in ſecula, Amen.

Chriſtianorum officium.

DOMINICA XVII. TRINItatis, Lucæ. xiiij.

Accidit vt introiret Ieſus in domũ cuiuſdam principis Phariſæorum Sabbato, ad capiendum cibum. Et ipſi obſeruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum: & reſpondens Ieſus, dixit ad Legiſperitos & Phariſæos, dicẽs: Num licet Sabbato ſanare? At illi tacuerũt. Ipſe verò apprehẽſum ſanauit eũ ac dimiſit. Et reſpondẽs ad illos, dixit, Cuius veſtrûm aſinus aut bos in puteum cadit, & nõ continuò extrahet illum die Sabbato? Et non poterant ad hæc reſpondere illi. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ab aliquo ad nuptias, ne accumbas in primo loco, ne quando honoratior te ſit inuitatus ab illo, & veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore extremum locum tenere. Quin potius cum vocatus fueris, vade, accumbe in nouiſsimo loco, vt cum venerit qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, aſcende ſuperius. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus. Quia omnis, qui ſe extollit, deijcietur, & qui ſe deijcit, extolletur.

ENARRATIO TEXTVS.

Occaſio huius cõcionis.

Occaſio huius Euangelij fuit hæc. Chriſtus à Phariſæo quodam ad prandium inuitatus, obſeruatur à diſcumbentibus, idque ideo, vt habeant quod accuſent, vel in dictis, vel in factis Chriſti. Hæc enim eſt improbitas mundi, vt quemadmodũ vitia palliant virtutum larua, ita honeſta facta & veram virtutem infamia proſcindere non verentur. Tanta eſt malitia hominum. Verùm Chriſtus eorum improbitate nequaquam abſterretur, ſed obtinet antiquum, ac officium ſuum exerit in medio hoſtium, nobis relinquens exemplũ, vt in rectè factis non deſinamus progredi, etiamſi totum mũdum nobis aduerſum animaduerterimus. Miſerum itaque hunc Chriſtus ſanat, potentiam ſuam diuinam, promptiſſimam iuuandi voluntatem erga miſeros, & officiũ ſuum, ob quod in mundum venerat, declarans. Deinde veram ſabbatiſmi rationem explicat, & facto ſuo veluti definit verum ſabbatiſmum. Quare vt ſimul arguit & Phariſæorum ſuperbiam, & in ſcripturis inſcitiam, ita ad veram humilitatem hortatur. Hæc de ſumma præſentis Euãgelij. Loci autem ſunt tres.

Summa & vſus.

Partes.

1. *De Sabbato atque eius veris operibus.*
2. *De miraculo, quo confirmatur verus vſus Sabbati.*
3. *De vera humilitate.*

DE PRIMO.

Locus de ſabbato.

Cum dominus Sabbato inuitatus eſſet à quodam Phariſæo, & offerretur hydropicus quidam ante illum, quærit ab illis, qui ſibi plus alijs ſapere videbantur, nunquid liceat Sabbato curare. Ideo autẽ hanc quæſtionẽ proponit, quia ſicuti alias ſcripturas ſuis corruptelis, ita etiam ſabbatiſmum infecerant Phariſæi. Verũ quia quæſtio eſt de Sabbato, nos doctrinam integram de Sabbato proponemus, & quatuor ordine dicemus: 1. cur Deus Sabbatum inſtituerit. 2. quíſnam ſit verus vſus ſabbatiſmi Iudaici. 3. qualia noſtra feſta eſſe debeãt. 4. de veris Eccleſię ceremonijs & earum finibus.

Methodus.

1. Sabbatũ à Deo inſtitutũ eſt ob quinque cauſas

Cur ergo Deus Sabbatum inſtituit? Quinq; cauſæ præcipuæ numerantur.

Symbolũ quietis Dei.

Harum *prima* eſt, vt eſſet perpetuum ſymbolum quietis Dei poſt creationem mundi, quem ſex diebus cum omnibus ſuis ornamentis & contentis creauit. Hæc cauſa aſsignatur Geneſ. 2. 3. vbi Moſes ait: Dominum præcepiſſe Sabbatũ ſanctificari, quia eo die à creatione quieuit, ſeptimus dies eſt Sabbatum Domini, ſex enim diebus fecit Dominus Deus cœlum & terram.

Antitypus Sabbatiſmi Chriſti.

Secunda cauſa inſtituti Sabbati fuit, vt eſſet figura & antitypon ſabbatiſmi Chriſti. Figurabat enim Sabbatum, quod Chriſtus verum Paſcha, & noui cœli & nouæ terræ creator, requieſceret in ſepulchro die Sabbati, & ageret verum ſabbatiſmum. Quapropter ſeuerè præcipit populo Iudaico vt Sabbatum obſeruarent. Et ſapientiæ ſuæ conſilio inſcrutabili ordinauit, vt Chriſtus verus agnus paſchalis in ipſo die Paſchatos mactaretur & occideretur, & proximum Sabbatum requieſceret in ſepulchro.

Symbolũ promiſsionis requiei triplicis.

Tertia, fuit etiam inſtitutum Sabbatum, vt eſſet ſymbolum promiſſionis. Promiſit enim Deus ſuo populo ſabbatiſmum, id eſt, requiem, Ieſai. 14. 3. Et erit in die illa cum requiem tibi dederit Deus à labore tuo, & à cõfuſione tua, & à ſeruitute dura, qua antea ſeruiſti. Triplicem autem requiem expectabit populus Dei. 1. A labore præſentium ærumnarum in hac vita. 2. A tentationibus, quibus nos propria cõcupiſcentia & Diabolus adoritur. 3. A ſeruitute diaboli, vt ille nunquam poſſit nos redigere in ſuam ſeruitutem, & durum iugum. *Quarta*, vt eſſet certum tempus docendi & diſcendi verbum Dei, ſeu vt eſſet tempus, in quo fieret publica Religionis profeſsio, in qua pij conſolationem

Tempus profeſſionis publicæ cultus externi.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

caperent,& rudes erudirentur ad pietatē.Iſa.58.13. Si vocaueris Sabbatum delicatū, tunc delectaberis ſuper Domino.Iob.cap.22.26.Tunc ſuper omnipotentem delicijs affiues,& eleuabis ad Deum faciem tuā.Nō enim ad ludendū & potandū,ſed ad laudandum & orandum Deum inſtitutum eſt Sabbatum, Vnde Auguſtinus vere dicit,tali die minus malum eſſe arare,quā ludere.*Quinta*,politica eſt,quæ populo Dei Deut.5.12.cōmendatur his verbis: Obſerua diē Sabbati,vt requieſcat ſeruus tuus,& ancilla tua, & tu.Et poſtea:Non facies in eo quicquā operis,tu, & filius,& filia tua,ſeruus & ancilla, bos & aſinus & omne iumentum tuum. Atque ita habemus & veras cauſas,& verum vſum Sabbati Iudaici.

Subleuatio ſeruorum &c.

De abrogatione & vſu Sabbati.

Etſi autē Iudaicū Sabbatū vnà cū alijs ceremonijs Moſis abolitum eſt & abrogatum, quantū ad ſeptimæ diei ſeptimanæ obſeruationem attinet, tamen quantū ad vſum attinet,eſt perpetuū, vt pote quod & iuris diuini & naturalis eſt. Vt enim Deus vult coli & ſuum verbū ſonare,ita natura dictat omnino neceſſarium eſſe,vt ſit quoddam tēpus ſacris rebus deſtinatum.Neceſſe eſt igitur certos ordinari dies, in quibus fiant publici cōgreſſus certis horis,& doceatur diſcatúrque verbum Dei,quò omnia fiant in Eccleſia ordinatè & decenter, vt Paulus Corinth. docet.

In feſtis Chriſtianorū quæ ſint vitanda.

Porro in noſtris feſtis duo ſunt obſeruanda. Vnū quid ſit vitandū. Alterum, quid ſit faciendum. Vitanda ſunt tria.1. *Externus labor*, idque ideo, vt animus totus poſſit vacare cultui diuino,hoc eſt,vt vacet audire verbum,illud diſcere & meditari, proinde magiſtratus officium eſt curare, ne ſeruilibus operibus impediatur cultus Dei iſto tempore. Verùm hic ſciendum eſt,quatuor eſſe exceptiones,quę laborantes iſto tempore excuſant.1.Neceſſitas. Nā & Dominus excuſat diſcipulos ſuos vellicantes ſpicas die ſeptimo,Mat.12.1.&c. 2.Vtilitas Eccleſię,ſicut ſacerdotes fecerunt in die Sabbati omnia, quæ in Eccleſia videbantur neceſſaria,nō impediti Sabbati religione.3.Proximi vtilitas & ſalus, quare & Dominus curat hunc hydropicum die Sabbati.4. Superiorum autoritas, quibus obtemperandum eſt. Verum ſuperiores caueant, ne ſe ſuperiorem offendant, dum inferiores ſe nimium grauant.

Exceptio quadruplex.

2.Secundum,quod vitare oportet, eſt voluptuaria vita, adeóque omnia tenebrarum opera, quæ ex diametro pugnant cum ſanctificatione Sabbati. 3. Tertiò, vitandus eſt ceremoniarum piarum contemptus, ne videlicet tuo, abſentis, aut contemnentis ceremonias ſacras, exemplo, alij deteriores fiant.

Quæ ſint obſeruanda & facienda in dieb. feſtis.

Habemus quæ ſunt in noſtris feſtis vitanda,nunc quid in illis faciendum ſit videamus. Quoniam Iudæi occupati erant in mactandis ſacrificijs & offerendis, mactemus & nos ſacrificia propriorum corporum, & offeramus vitulos labiorum noſtrorum, agamus ſeriam pœnitentiam, glorificemus Deum corde, ore, confeſſione & moribus, offeramus thymiama cordis noſtri, id eſt, fidem & ſpem, offeramus ſacrificium beneficētiæ, quo ſacrificij genere(vt inquit Apoſtolus ad Hebræos)exhilaratur Deus,ſimus ad dandam Eleemoſynam impigri, foueamus Eccleſiæ imbecillia membra, ſanemusq; ea quātum id fieri poteſt,idque exemplo Chriſti aliorúmque ſanctorum, qui ſe in veris Sabbati operibus exercuerunt.

Ceremoniæ quid ſint.

Reſtat vt nonnihil dicamus de ceremonijs. Ceremoniæ ſunt ritus & ordinationes ad regendam Eccleſiaſticam politiam inſtitutæ.Hæ ſi ſint licitæ (de impijs enim ceremoniis nihil dicam) aut habent apertum verbū Dei, vt Baptiſmus & Cœna Domini,aut faciunt reuera ad conſeruandum doctrinam & politiam Eccleſiaſticam, & ſunt à Senatu Eccleſiaſtico ordinatæ,vel à pio magiſtratu.Hæ cæremoniæ duos habēt fines.Sunt enim ordinatæ decori & ordinis gratia.Decori partes ſunt duæ. Prior eſt, vt excitemur ad pietatem illis adminiculis. Poſterior, vt modeſtia & grauitas in pietatis tractatione eluceat. Ordinis partes ſunt tres. 1. vt præſidentes habeant certam regulam agendi. 2. vt auditores aſſueſiant ad obedientiam & diſciplinam. 3. vt bene compoſito Eccleſiæ ſtatu paci & tranquillitati conſulatur. Hæc ſint breuiter de ceremonijs pijs dicta, & eorum finibus & finium partibus.

Earum fines.

DE SECVNDO.

Secunda doctrina, quam proponit hoc Euangelium, eſt de miraculo, quo ſanatus eſt hydropicus. In hoc Euangelio ſunt quatuor obſeruanda: Quæſtio,ſanatio,defenſio facti,& vſus.

Miraculi circūſtantiæ.

1.An liceat Sabbato curare.

Quæſtio ab ipſo Chriſto proponitur, an liceat Sabbato curare?Ad hanc nihil reſpōdent Phariſæi. Si enim negaſſent licere,viſi fuiſſent crudeles in miſerum hydropicum.Si affirmaſſent,trāſgreſſores legis ſe eſſe timuiſſent. Tacent igitur, vt explorent quid Dominus velit facere.Si non ſanaſſet,dixiſſent illum vel non potuiſſe,vel noluiſſe huic afflicto opem ferre.Si ſanaſſet,putarent ſe habuiſſe iuſtā cauſam accuſandi Chriſtum, tanquam tranſgreſſorem Sabbati,adeóq; legis diuinæ contemtorē. Hic vtrinque eſt periculum.Sed Dominus nō moratus illorū Sophiſticam,apprehendit hunc miſerum hydropicum,eum ſanat intuentibus Phariſæis, atque ſanum dimittit.Quo facto,vt in principio dixi, declarauit potentiam,voluntatem,& officium ſuum.Nunc ſequitur tertio loco defenſio facti.*Cuius*, inquit, *veſtrûm bos aut aſinus in puteum cadit, & non extrahit illum die Sabbati?* Quaſi dicat, aut licet curare hominem in die Sabbati, aut non licet. Si licet,cur me obſeruatis tanquam legis tranſgreſſorem, ſi hoc facio? Si non licet, cur aſinos & boues ſeruatis vos die Sabbati? quid illi contra? & non poterant(inquit Euangeliſta) ad hæc reſpondere. Sed quis vſus eſt hydropici huius ſanati à Chriſto? Duplex. Vnus *generalis*, de quo dixi, videlicet vt hoc miraculo Chriſtus oſtenderet ſuam potentiam, voluntatem,officium,veritatem ſuæ doctrinæ,& inde fides in ſpectatoribus confirmaretur. Alter *ſpecialis*. Nam hic hydropicus ex ſua haud dubie intemperantia inciderat in hunc morbum. Quare & nos diſcamus,quod Chriſtus non contemnit eos, qui ſe ſua culpa coniecerunt in morbos,modo hunc hydropicum imitentur,ac patiantur ſe ab illo tangi & ſanari,hoc eſt,ſi cordis affectu Chriſtū accedant,ſi ipſius verbo credant, agant pœnitentiam, agnoſcant iuſtam iram Dei,propter Chriſti meritum precentur culpæ condonationem, & plagæ aut ſanationem, aut mitigationem.

2.Sanatio

3. Defenſio facti.

4. Vſus duplex huius miraculi.

DE TERTIÒ.

Dicebant autem ad inuitatos, qui primos accubitus elegerunt: Cum inuitatus fueris ad nuptias, &c. Vt hac parabola ſuperbiam damnat: ita veram humilitatem, quæ eſt rariſſima virtus, docet: de qua hoc ordine dicam. *Primum*, quid ſit humilitas. *Deinde*, quot ſint eius genera. *Tertio*,

De vera humilitate, locus.

Methodus.

quas

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quas habeat cauſas,cum efficientes, tum impedientes. *Quarto* loco,quis ſit fructus & quæ præmia veræ humilitatis.

1. Quid ſit humilitas. Quantum ad primum attinet,vt ſciamus quid ſit humilitas, debemus videre quos ſcriptura humiles vocet. Vocat autẽ Paulus humiles,quos Chriſtus vocat pauperes Spiritu,quales ſunt,qui omnis propriæ virtutis,ſapientię,& iuſticiæ fiducia exinaniti,quicquid boni eſt ad ſolum Deũ referunt. Proinde humilitas eſt virtus,qua veriſſima noſtri agnitione nobis ipſis vileſcimus,omnis propriæ virtutis, ſapientiæ, iuſticię fiducia exinaniti,nos corãDeo proſternimꝰ, ac in eo ſolo omnia bona per Chriſtũ quęrimus. Illuſtre exemplum eſt in Magdalena, in latrone, in publicano,in Dauide & alijs multis ſanctis. Hęc vera eſt humilitas,de qua Chriſti promiſſio eſt intelligenda:Beati pauperes ſpiritu.

2. Quotuplex ſit. Habemus quid ſit humilitas:iam quotuplex ſit videamus. Eſt itaque humilitas duplex:vna, qua coram Deo nos proſternimus: altera, qua coram hominibus nos ſubmittimus:ſed cauendum eſt, ne ſuperbia laruam humilitatis induat, quam ſi homo detrahere non poteſt, Deus certe eam pudefaciet. Sed illa larua omiſſa, dicamus de vera humilitate, Corã deo quæ Deum & hominem reſpicit. Humilitas coram Deo eſt verus timor Dei,ex agnitione noſtræ infirmitatis & bonitate Dei erga nos natus: qualis fuit humilitas Manaſſis in carcere, qui poſteaquam genua corporis propter anguſtiam carceris flectere non potuit,flexit genua cordis. Ita Abrahã ſe humiliauit, quando ſe puluerem & cinerem fatebatur. Vera humilitas coram hominibus eſt vera dilectio, Corã hominibus. qua nos nemini præferimus ſuperbe, ſed omnibus nos ſincere accõmodamus. Huius humilitatis exemplum maximũ habemus in Filio Dei, cuius exẽplũ vt imitemur,monet Paulus Phil.2.5. Ita humilis fuit beata virgo, Anna prophetiſſa,& multi alij.

3. Cauſa humilitatis. Iam de cauſis, ſicuti promiſi, tertio loco dicendum eſt,quæ ſunt ſanè multæ. *Prima*, Mandatum Dei. Primum enim præceptum requirit humilitatẽ erga Deum: tota ſecunda tabula requirit humilitatem erga hominem. *Secunda*, Exemplum Chriſti, vnde Paulus Philip.2.5. Hoc ſentite in vobis,quod & in Chriſto, qui cum eſſet Deus, aſſumſit formã ſerui. *Tertia*, Conſideratio tui ipſius, quid fueris ante ortum, quid ſis ab ortu ad occaſum, quid futurus ſis poſt hanc vitam. Fuiſti ſemen & ſanguis in vtero materno,iam es in deſerto miſerarium huius vitæ,& tandem eſca eris vermium. *Quarta*,quod bona, ſiquæ habes,non tua ſint,ſed Dei, tibi in aliorum bonum collata. Si ergo inde ſuperbis, aut male eis vteris,pœnæ tibi horribiles metuendę ſunt. *Quinta*, cogitatio quod Deus poſſit tibi auferre quidquid habes donorum,ſi illis abuſus fueris,& illi ſoli laudem non tribueris. *Sexta*, quod multi qui minora dona videntur habere,quàm tu, ſæpe vtiliorem operam collocent Reip. & Eccleſiæ, quàm tu. Nã vt Deus eſt robur panis,ita vis,qua aliquid gratum illi fit. Oppoſita. Atq; iſtæ ſunt cauſæ ſex,quæ coniunctæ veram humilitatem efficiunt:quam impediunt duo mala:contentio & inanis gloria. Quare Paulus Philip.2.3.ait Nihil ex contentione aut inani gloria,ſed per humilitatem alij alios ſcipſis exiſtiment excellentiores. Qui enim contendendi libidine laborant, vt deſtituuntur charitate, ita vera humilitate ſunt vacui: & ex diametro pugnat cum humilitate inanis gloria. Habemus iam, quid ſit humilitas, quotuplex, & quas habeat cauſas:nunc ſequitur, quod quarto loco promiſi me dicturum, de eius præmijs & germanis fructibus.

Qui vere humilis eſt,triplicem fructum,primum coram Deo,ſecundum coram hominibus; tertium in ſe ipſo,conſequetur. 4. Fructus & præmia humilitatis.

Corã Deo hic primus fructus eſt, quod vere humilis habeat Deũ in ſe habitantẽ. Vnde Iſaias 57.15. in ſancto habitans, cum contrito & humili ſpiritu. Et 66.2. Ad quem reſpiciam,niſi ad contritum ſpiritu & trementem ad ſermones meos. Luc.2.52. Deus exaltat humiles.1.Pet.5.5. Deus ſuperbis reſiſtit,humilibus dat gratiam. Coram Deo.

Coram hominibus percipit humilis hunc fructũ. Corã hominibus. Quemadmodum ſuperbus ab omnibus contẽnitur: ita vere humilis ab omnibus honoratur: eum honeſtum nomen & fama comitatur.

In ſeipſo hos percipit humilis dulciſſimos fructus: 1.humilitas eſt mater pudicitiæ & patientiæ.2.eſt via ad ſapientiam,Prouerb.11. Vbi eſt humilitas, ibi & ſapientia.3.eſt cuſtos timoris Dei & fidei.4. eſt opitulatrix inuocationis,& veluti exauditionis in Domino conciliatrix.Pſ.102.21. Proſpexit Dominus in orationẽ humiliũ.5.humilitatem gloria comitatur, Matth.5.3. Beati pauperes ſpiritu,quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Luc.14.11. Qui ſe humiliauerit,exaltabitur. Prouerb.29.23. Humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria non quod humilitas iſta mereatur,ſed quod iſta contingant humilibus propter humilitatem Chriſti, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Corã ſe.

DOMINICA XVIII. TRINITATIS, Matth.22.

CVm audiſſent Phariſæi, quod obturaſſet Ieſus os Saducæis,conuenerunt in vnum,& interrogauit eũ vnus ex eis, Legis doctor quiſpiã,tentans eum, & dicens: Magiſter,quod eſt mandatum magnũ in lege? Ait illi Ieſus: Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt primum & magnũ mandatũ. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuũ perinde atque teipſum. In his duobus mandatis tota Lex & Prophetæ pendent. Congregatis autem Phariſæis interrogauit eos Ieſus dicens: Quid vobis videtur de Chriſto? cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Dauid in Spiritu vocat eum Dominũ? dicens: Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos, ſcabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere quicquã,neque auſus fuit quiſquam ex eo die eum amplius interrogare.

DE TERTIO LOCO.

Hoc Euangelium continet ſummam doctrinæ Chriſtianæ,videlicet doctrinam Legis & Euangelij. Summa huius cõcionis. Phariſæus proponit quæſtionem de Lege, Chriſtus rurſus de Euangelio: ſed diuerſo conſilio. Phariſæus enim de lege interrogat tentandi & calumniandi cauſa. Chriſtus autẽ eo animo quærit de Euangelio,vt errãtes Iudæos & Phariſæos deducat in veram Legis & Euangelij cognitionem. Illi enim quia putarunt homines ex legis operibus iuſtificari,Euãgelium contẽpſerunt,putãtes non eſſe opus alia doctrina ad ſalutem conſequendam,quàm legis, quorum errorem cõfutat Chriſtus. Vide hic Chriſti bonitatem. Tametſi Phariſæi ex malicia interrogant: tamen Chriſtus ex officio reſpondet,& tradit abſolutam doctrinã de Lege & Euangelio. Proinde ſumma Euangelij eſt,quod Chriſtus totam legẽ & Prophetas reuocet ad hæc duo capita,quæ ſunt dilectio

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Dei,& dilectio proximi. Deinde de Meſſia quærit, hoc eſt, de ſeipſo vt oſtendat qualis ſit, nimirum Deus & homo,qui ideo promiſſus erat patribus,vt deſtrueret opera Diaboli, & benedicerentur in ipſo omnes cognationes terræ, qui ſacerdos effectus iram Dei placaret, ſoluto precio pro nobis.

Partes.

Loci tres.

1. *De Saducæis,quibus Dominus os obſtruxit.*
2. *Quæſtio de legis ſumma, & norma cultus Dei*
3. *Quæſtio de Meſſia.*

DE PRIMO.

Impiorũ ingeniũ.

Phariſæi audientes, quod ſilentium impoſuiſſet Saducæis, conuenerunt in vnum. Tametſi Phariſæi & Saducæi inter ſe aduerſam religionem, & diuerſas opiniones defendebant: tamen in hoc conueniunt. quod vtrique ſe Chriſto opponant. Herodes & Pilatus fuerunt hoſtes: verum in hoc conueniunt, quod ambo cupiunt Chriſtum è medio ſublatum. Ita impietas conſpirat aduerſus Chriſtum & eius ſanctum Euangelium.

Saducæorum impietas à Chriſto detecta & cõfutata.

Quantum autem ad id,quod dicit Chriſtum ſilentium impoſuiſſe Saducæis,attinet, ſciendum eſt, quod Saducæi, qui negarunt animas viuere poſt mortem, & ſuſtulerunt reſurrectionem mortuorum, Chriſtum impugnarunt, vt vel ſuæ ſententiæ ſubſcriberet, vel exponeretur ridendus rudi populo, qui ab iſtis doctoribus erat ſeductus. Adorti ſunt ergo Chriſtum hoc modo Si reſurrectio mortuorum erit,multa incommoda, multa diſſidia, & magnæ abſurditates ſequentur.

Horum ſtulta ratiocinatio.

Hoc ita probare conantur. Mulier quædã apud nos fuit, quæ nupſerat ſeptem viris, vni poſt alterum: iam ſi futura eſt reſurrectio mortuorum, reſurget iſta mulier,reſurgent & ſeptem mariti, quos habuit illa. Iam ſi vnus ex illis ei adhæſerit, alij mouebunt ei lites, ſi omnes ſimul cum illa vna habitauerint, nihil erit mulieri moleſtius & viris difficilius. Cum igitur hæc abſurda ſequerentur reſurrectionem mortuorum,malè aſſeritur reſurrectio mortuorum. Hæc fuit eorum ratiocinatio, quorum officiũ erat rectè populum inſtituere de ſpe vitæ æternæ, à qua perfidè homines auocant,& tamen iuſti videri volunt. Sed his Chriſtus os obſtruit, & ita ſilentium imponit,vt conuicti verbis Chriſti,nõ habeãt quod dicant.

Quo modo à Chriſto excipiantur.

Hos ergo reprehendit,cõfutat & docet. Reprehendit quod ignorent ſcripturã, & tamẽ voluerunt eſſe ſcripturæ doctores. Confutat manifeſtè propoſito exemplo: Deus eſt Deus viuorũ. Deus eſt Deus Abraham,Iſaac & Iacob. Ergo Abrahã, Iſaac & Iacob viuunt. Sed ſi illi viuunt: viuunt aut ſecundum corpora,aut animas: nõ ſecundũ corpora,quia illorum ſepulchra noſtis, igitur ſecundum animas, quas vos mori cum corpore falſò dicitis. Nunc autẽ animæ viuunt,vt ſuo tempore redeant in corpora, vt qui bona fecerunt in hac vita,mercedẽ recipiant, & qui mala,luant ſupplicia iuſta. Hæc ſumma eſt confutationis. Quid docet? Duo. Vnũ,quod mortui reſurgant potentia & virtute Dei,cui nihil impoſſibile eſt. Potuit ex nihilo omnia creare, cur non poterit animas ad corpora reuocare, præſertim cum illud & decreuerit,& ipſius iuſticiæ & glorię interſit. Paulus Phil.2.ait,20.21. Nos expectamus Saluatorẽ de cœlo, Chriſtum Ieſum, qui transfigurabit noſtra contemta corpora, vt fiant conformia glorioſo corpori ipſius, per eam potentiam, qua poteſt ſibi omnia ſubijcere.

De reſurrectione carnis teſtantur.

Cum igitur ratio noſtra incipit diſputare de reſurrectione,opponamus illi quatuor: Decretũ Dei, omnipotentiam Dei,iuſticiam, & gloriam Dei.

1. Decretum Dei.

Decretũ,quia ordinauit & propoſuit ſe velle excitare mortuos. Hoc decretũ, quia Deus eſt immutabilis,nunquam antiquabit. Et extant huius decreti quædam exempla. Chriſtus Dominus reſurrexit à mortuis. Enoch viuus in cœlum translatus eſt. Helias in curru ardenti in cœlum viuus ſubuectus eſt.

2 omnipotentia.

Omnipotentia opponatur rationi, quæ putat impoſſibilem eſſe reſurrectionem mortuorũ. Si enim non poſſit facere quæ decreuit, non eſſet omnipotens. Si non omnipotens,neque Deus dici poſſet.

3. Iuſtitia.

Iuſticia eſt,vt reddat bene meritis præmia,& impijs ſupplicia. Iam videmus,quod in hac vita pijs vt plurimum male ſit,impijs vero bene. Sed nũc cum iuſticia Dei requirat,vt bonis bene ſit,& malis male, & id non fit in hac vita, neceſſe eſt aliam vitam reſtare, in qua Deus iuxta ſuæ iuſticiæ normam pijs vitam æternam, impijs vero infernales pœnas reddat.

4. Gloria.

Gloria Dei etiam opponenda eſt Sadducæorum opinioni & rationi noſtræ. Deus condidit hominẽ in ſuam gloriam, vt ſe perpetuò prædicet & glorificet,quod ſanè nõ fieri poſſet, niſi eſſet reſurrectio mortuorum.

De ſtatu hominũ poſt reſurrectionẽ.

Præterea docet Chriſtus Sadducæos de ſtatu hominũ poſt reſurrectionem. Non erit illic vſus cõiugij, non erit procreatio ſobolis,ſed viuẽt perpetuò in omni ęternitate caſti,ſicut Angeli Dei. Quare nõ eſt metuendum bellũ inter maritos multos, qui vnam & eandem vxorẽ vnus poſt aliũ in hac vita habuerunt. Hæc ſint dicta de Sadducæis,confutatione errorum eorum,& confirmatione noſtri de reſurrectione mortuorum,cuius fidem in nobis confirmabunt,decretum Dei immutabile,potentia, qua ſibi omnia ſubijcere poteſt,iuſticia, qua reddit vnicuiq; iuxta facta ſua,gloria, quæ illi redditur à ſanctis in omni æternitate.

DE SECVNDO.

Quæſtio de Legis ſumma.

Procedit Phariſæus, interrogat Chriſtum, quódnam ſit ſummum legis præceptum. Dominus reſpondet: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua,& ex totis viribus tuis,hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum eſt huic ſimile. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis tota lex & Prophetæ pendent. Id eſt,quicquid Prophetæ & Moſes de vero cultu Dei docent,ſub his duobus capitibus continetur. Cũ nuper Dominica decimatertia Trinitatis & ſæpe aliâs de lege Dei dixi,quę ſit,quis eius vſus,quod nemo poſſit ei ſatisfacere,& quomodo pijs ſit abrogata,nolo hic eadẽ repetere, ſed duo dicã. Vnũ cur Chriſtus ſecundũ mandatũ de diligẽdo ꝓximo,dicit ſimile eſſe primo,de diligẽdo Deo: Deinde,quia Chriſtus dicit, totam Legem & Prophetas in his duobus mãdatis pendere, idque ideo, quia quicquid Moſes & Prophetæ docuerunt, de cultu Dei,his cõtineatur,dicam pauca de vero cultu Dei,vt nobis certa eius ratio conſtet.

Cur ſecũda tabula dicitur primæ ſimilis.

Quantum ad primum attinet,ſciendum eſt,quod ſecundum præceptũ de amando proximo non dicatur ſimile primo vel ordine,vel obiecto, vel gradu dilectionis. Nã ordine primũ præceptum prius eſt. Obiectum primi præcepti eſt Deus,vt ſecũdi pręcepti obiectũ eſt homo proximus. Gradus dilectionis requirunt,vt ſummũ bonũ maxime ametur: deinde reliqua quoque ſuo ordine iuxta ſuæ dignitatis gradus. Non eſt ergo ſecundũ primo ſimile ordine obiecti,aut gradu dilectionis.

Reſponſio.

Quomodo ergo eſt ſimile? Primum affectu dilectionis, quia vtrumq; requirit

rit puram dilectionem. Deinde obligatione. Nam vtrumque nos obligat vel ad obedientiam, vel ad pœnam. Poſtremo conſecutione obedientiæ. Qui enim dicit ſe diligere Deum,& proximum ſuũ odit, mendax eſt,ait Apoſtolus Iohannes. Hoc ſit breuiter dictum,quomodo ſecundum præceptũ ſit ſimile primo de diligendo Deo:nũc de vero cultu Dei dicam,quoniam de dilectione Dei & proximi præcepta materiam cultus Dei continent.

De vero Dei cultu Locus.

Vt igitur doctrinã de vero Dei cultu melius intelligamus,quatuor,quæ ad eius explicationem faciunt ordine dicam:1.tradam regulam,ad quam exigendus & probandus eſt cultus Dei. 2. oſtendã cultus Dei ſolidum fundamentum. 3. quódnam opus recte dici poſſit cultus Dei,aperiã.4. indicabo, quí nam homines verum cultum Deo præſtare poſſint. His quatuor rite cognitis, conſtabit nobis quænam ſit vera colendi Deum ratio.

1. Regula cultus Dei.

Quãtum ergo ad regulam cultus Dei attinet,hoc ſtatuatur pro generali & immota regula,quod nullus cultus Deo placeat,niſi quem ipſe inſtituit. Hãc regulam non omnes recipiunt, quare nobis eſt firmis fundamentis munienda. Primum itaque Deus apud Iſaiam Prophetam,cap. 29. 14. & Chriſtus in Euangelio Matth.15.9. hanc regulam confirmat his verbis:Fruſtra me colunt,docentes doctrinas mandata hominũ. Et Spiritus ſanctus per os Pauli Col. 2.23.damnat omnẽ cultũ,quẽ homines ſibi fingunt. Et Dominus apud Ezechielẽ,cap.20.18.dicit,In præceptis meis ambulate.Deinde impoſſibile eſt placere Deo ſine fide.Cultus autem præſtatur,vt placeat, quare ex fide fieri eum neceſſe eſt,ex fide autem fieri nequit,niſi habeat mandatum & manifeſtum verbum. Fides enim ex verbo pendet. His certiſſimis rationibus ita confirmatur regula cultus Dei,vt qui contradicere pergit,ſtultior eſſe videatur,quam qui negat ſolem exortum eſſe, cùm ſit clariſſimus dies. Hanc igitur regulam firmiter teneamus, nec ſinamus eam à nobis extorqueri vlla ſophiſtica.

Vſus triplex huius regulæ.

Huius regulæ vſus eſt multiplex: 1.hac regula ſtabilitur autoritas legiſlatoris. Vbi enim in repub. liberum eſt vnicuique condere leges, vileſcit autoritas ſuperioris Domini. Hanc autoritatẽ ſibi vendicat Dominus in præcepto primo,cum inquit: Ego ſum Iehoua Deus tuus,&c.

Secundus vſus huius regulæ eſt,quod liberet hæc regula ab errore,ne erremus in colendo Deo.

Tertius eſt,quod impediat ſuperſt tiones & petulantiam hominum, in excogitandis nouis cultibus.

Hactenus de regula cultus Dei ſit dictum, videlicet quod nullus cultus Dei placeat, niſi quem ipſe inſtituit, & de huius regulæ confirmatione vſq.nũc quod ſecundo loco propoſui,breuiter dicã de fundamento cultus Dei.

2. Fundamentum cultus, in Dei & noſtri cognitione conſiſtit.

Fundamentum autem hoc poſitum eſt cũ in cognitione Dei vera,tum in cognitione noſtri ipſórũ. Cognitionem Dei cõſequimur verbo & teſtimonio verbo addito. Vtrumq. enim nos docet.1. ꝙ Deus ſit fons omnis virtutis,ſapientiæ, iuſtitiæ & veritatis.2.quod illi omnis gloria tribuenda ſit.3.quod ad iuuandum ſit promtiſsimus.4.quod velit omnes ad ſe confugere in quouis periculo.Cognitionẽ noſtri conſequimur ex duabus rebus:ex conſideratione imaginis Dei,ad quam homo creatus eſt,& ex præſentium virium noſtrarum æſtimatione. Conſideratio imaginis deducit nos ad cogitationem finis,propter quem creati ſumus homines rationales, monſtratq; officium,in quo nos perpetuo occupari decet,nimirum vt referremus imaginem Dei in omni ſanctitate & puritate.Æſtimatio præſentium virium cogit nos fateri, quod nequaquã debitũ officium præſtare valeamus.Pertinet igitur hæc duplex cognitio eò,vt Deo quidẽ omnẽ gloriã tribuamus, nobis vero omnẽ gloriandi materiã adimamus, mõſtratque nobis hæc cognitio noſtras ſordes & imbecillitates.His ita explicatis de regula cultus Dei & eius vero fundamẽto,accedã ad illud,quod tertio loco propoſui,& clare definiam quis ſit cultus Dei.

3.Cultus Dei definitio.

Eſt itaque cultus Dei opus mandatũ à Deo, factũ ex fide,in celebrationem gloriæ Dei principaliter. Hic primum indicatur, quæ opera ſint cultus Dei, nempe ſola illa,quæ Deus in lege ſua præcipit,quẽadmodum ex regula ſupra tradita clarè liquet. Deinde additur fides,vnde opus debet procedere. Eſt enim illa omnis operis boni effectrix, idque ideo, quia nullũ opus poteſt placere Deo,niſi prius perſona placeat,placet autẽ perſona fide. Sacrificat Cain, ſacrificat Abel. Vterque habuit mandatum Dei, ſed ſacrificium Cain non fuit cultus Dei, ſicut Abelis fuit.Quare?quia Cain fidem non habuit, Abel vero habuit.Dant eleemoſynam Cornelius & Phariſæus. Vterque mandatum habuit, ſed opus Cornelij fuit cultus Dei, quod ex fide profectum eſt. Phariſæi verò fuit abominatio,quia perſona Deo nõ placuit. Duo ruſtici arãt agros,hic Deo cultum tribuit arãs in timore Dei,expectans benedictionẽ à Deo. Alter non placet,quia fide & timore Dei vacat. Vterq; tamen habet mandatum operis. In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.Ancillæ duæ præſtant obedientiã ſuæ heræ forte in verrendo pauimento,& ambę habent mandatum Dei,ſed illa,quæ fidem ad laborem affert,cultum Deo reddit, quæ vero fide deſtituitur, facit quidem quod debet ex officio, ſed eius opus cultus Dei dici non poteſt. Præterea opus mandatum, & ex fide factum, debet tendere in gloriam Dei principaliter. Hoc confirmatur Iſaiæ teſtimonio: Omnem qui inuocat nomen meum,in gloriam meam creaui eum, formaui eum,feci eum. Sed quid eſt Deum glorificare? Breuiter,eſt illi omnem gloriam tribuere,& eum corde, ore,confeſſione,& moribus celebrare.

4. Soli electi poſſunt Deo verũ cultum præſtare.

Sequitur quod quarto loco me dicturũ promiſi, ſcilicet quínam poſſint Deo verum cultũ præſtare. Hoc tametſi ex ſuperioribus colligi poteſt,tamẽ illud hic breuiter dicam.Illi ſoli Deũ colere poſſunt, qui habẽt ad illum acceſſum,ſoli autem filij Dei habent ad illum acceſſum. Quare illi poſſunt ſoli Deo verum cultum præſtare.Sunt autem filij omnes, qui credunt in nomen eius,Ioh.1.12.& hi per fidem acceſſum habẽt ad Patrem,Ro.5.2.Et ea de cauſa Chriſtus docẽs ſuos orare,iubet dicere: Pater noſter qui es in cœlis,ſignificãs tantùm filios inuocare poſſe. Hæc de vero cultu Dei ſint dicta,cuius ſumma continetur dilectione Dei,& dilectione proximi, nunc reſtat vt dicam de tertia doctrina.

DE TERTIO.

Quæſtio de Meſſia à Phariſæis neglecto & reiecto.

Quid vobis (inquit) *videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei, Dauidis eſt filius.* Phariſæi putarunt ſe iuſtos eſſe Lege, quod ſi verum fuiſſet, fruſtra Chriſtus promiſſus fuiſſet. Sic enim Paulus Galat. cap.2.21.ait: Si iuſticia eſt ex Lege, Chriſtus fruſtra mortuus eſt. Quærit igitur Dominus de Meſſia, id eſt,Chriſto, vt ea mentione excitet eos ad agnoſcẽdum & meditandum finem legis, & cogitandũ cur Meſſias eſſet promiſſus. Quod ſi rectè feciſſent,ita fuiſſent ratiocinati: Meſsias eſt promiſſus, vt tollat peccatum, ſicut ipſe Iſaias teſtatur, Ipſe languores

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

noſtros tulit. Geneſ.12.3. In ſemine tuo benedicentur gentes. Ergo neceſſum eſt, vt non tantum ſit homo filius Dauid, verumetiam Deus, Dominus Dauidis, quemadmodum & Pſalmus 110. teſtatur. Ex hac ratiocinatione & recte de Lege, & recte de Chriſto iudicaſſent, & Chriſtum vt verum Saluatorem fuiſſent amplexi, cui ſit honor in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA XIX. TRInitatis, Matth. 9.

IEſus ingreſſus nauem, traiecit, ac venit in ſuam ciuitatem. Et ecce, adduxerunt illi paralyticum in lecto decumbentem. Cumque vidiſſet Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Bono animo eſto fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam è Scribis dicebant intra ſeſe, hic blaſphemat. Et cũ vidiſſet Ieſus cogitationes illorũ, dixit: Quare vos cogitatis mala in cordibus veſtris? Vtrũ enim eſt facilius dicere, Remittuntur tibi peccata, an dicere: Surge & ambula? Vt autem ſciatis, quod poteſtatẽ habeat filius hominis in terra remittendi peccata, tunc dicit paralytico: Surge, tolle tuum lectum, & abi in domum tuã. Et ille ſurrexit, abiitque in domũ ſuã. Turbæ vero quæ viderãt, admiratæ ſunt, & glorificauerunt Deum, qui dediſſet poteſtatem hominibus.

ENARRATIO TEXTVS.

Summa & vſus huius cõcionis.

Hoc Euangelium continet vnum ex miraculis, quibus Dominus ſuam potentiam, voluntatem, & officium teſtatur, & ſimul confirmat ſuæ doctrinæ certitudinem. Narratur enim in præſenti Hiſtoria, quomodo Chriſtus paralyticum ſanet, quod factum non excipiunt auditores eodem modo. Phariſæi enim blaſphemant: turba viſo miraculo admonetur de præſentia Dei: confirmatur de Chriſti doctrina: vnde non ſolum timorem & fiduciam concipit, verumetiam veros edit fidei fructus, & prædicat bonitatem Dei. Eſt proinde hoc Euangelium veluti pictura quædam, in qua regnum Chriſti in hoc mũdo depingitur, in quo ſunt, qui infirmos ad Chriſtum deducunt. Sunt etiam qui murmurant, vt Phariſæi, omnibus temporibus. Sunt quoque qui verè timẽt Deum, eúmque ob ſua facta glorificant. Inter hos varios auditores ſtat in medio Chriſtus, recipit ad ſe venientes, neminem ob miſeriam contemnit, ſanat vulnera, remittit peccata, ac ſuo Spiritu ſancto, veluti balſamo precioſiſſimo, liuores noſtros mitigat & ſanat. Hæc ſumma & hic ſcopus eſt hodierni Euangelij, quod docendi cauſa in tres diuidam locos.

Partes.

I. *De iis qui hunc paralyticum in lecto iacentem ad Chriſtum portant, vt ſanet ipſum.*
II. *Murmur Phariſæorum accuſantium Chriſtum, & eius defenſio.*
III. *Miraculorum Chriſti finis & vſus.*

DE PRIMO.

Occaſio miraculi.

Et aſcendens Ieſus in nauiculam, &c. Hic omniũ primum animaduertenda eſt occaſio miraculi hic à Domino editi. Chriſtus, inquit, aſcendit in nauiculam, transfretauit, & venit in ſuam ciuitatem, id eſt, Capernaum. Illic enim frequentius erat. Quæ cauſa fuit huius profectionis? fuerat in terra Geraſenorum, vbi dæmoniacum curauit, & cum dæmones peterent, vt ſibi liceret in porcos intrare, Dominus annuit, & ita grex porcorum ruit in mare præceps & ſuffocatus eſt. Hoc cum viderent incolæ, venerunt ad Ieſum rogantes ipſum, vt à ſe diſcederet. Pluris enim ſuos fecerunt porcos, quam Chriſtum cum ſuo Euangelio: qui ſane hodie multos ſocios habent, quos iure vocare poſſumus Geraſenitas. Duo ergo hic obſeruentur. Vnum, quod nobis vitandum proponitur. Alterum, quod omnibus piis imitandum commendatur. Vitanda eſt ingratitudo Geraſenorum, qui pluris petaſonem, quam ſalutem fecerunt. Quorum ſimiles maxima pars eorum eſt, qui Chriſtiano nomine gaudent. Imitanda nobis proponitur induſtria Chriſti, qui quamuis occaſionem nactus, pomeria ſui regni dilatare ſtuduit. Vt enim hac ſua profectione oſtendit, quantum hominum ſitiat ſalutem: ita nobis omnibus commendat ſuo exemplo in officio diligentiam.

Chriſti profectio quid moneat.

Iam ſequitur prima huius Euangelij pars. *Et ecce offerebant ei paralyticum in lecto iacentem, & videns Ieſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, Remittuntur tibi peccata tua.* In hac prima huius hiſtoriæ parte habemus quatuor, quæ obſeruare vtile fuerit. 1. Exemplum baiulorum. 2. Paralyticus ipſe. 3. reſpectus Chriſti in fidem eorum. 4. quomodo excipiatur paralyticus à Chriſto.

Primæ partis quatuor circunſtãtiæ.

In baiulis ex certis indiciis prodit ſe illorum fides, quæ ita ardet vbicunq; vere eſt, vt nullis cineribus eius flamma ſuffocari poſſit. Hæc fides vel inde concepta erat, quod ipſum docentem & ſonantem prius viderant, vel ex fama, quæ ad eos peruenerat de factis Ieſu. Summa eſt, quod ſibi perſuaſerint, ꝙ afflictos reciperet & iuuaret. Hæc viua horum baiulorum fides quintuplicem fructum edit: quorũ primus eſt *confeſſio Chriſti,* quam tum confiteri in tanta hoſtiũ rabie fuit arduũ & rarũ. Secundus, *inuocatio,* quæ non magis abeſſe poteſt à fide, quam calor ab igni. Omnia enim vota credentium, quæ nunquam intermittuntur, ſunt inuocationes. Tertius, *fortitudo animi,* ꝙ ſe expoſuerint periculo vitæ propter confeſſionẽ Chriſti. Nam Phariſæi, Scribę & præcipui homines in iſto populo perſequebãtur omnes, qui Chriſto aliquid honoris tribuerent. Quartus, *dilectio proximi,* qua ſincere proximum ſuum complexi ſunt. Quintus, *labor & moleſtia* propter ſalutem proximi. Nam nõ ſolùm portant illum, ꝙ fuit charitatis intimæ: verum etiã cùm recta ad Chriſtum propter turbam venire non poſſent, aſcendunt tectum, & per tabulatum demittunt languentem: quod factum non caruit periculo.

1. Fides baiulorũ

Quid nos hinc diſcemus? Cum his baiulis vel inuito mundo cõfiteamur Chriſtũ: inuocemus ipſum, cum pro nobis ipſis, tum pro aliis: exponamus nos periculo propter veritatem Euangelij, ſi res ita poſtulauerit: intimè diligamus proximũ, non ſolum affectu, ſed opere etiam, & nullos detrectemus labores, modo eis prodeſſe valeamus.

Doctrina multiplex.

Alterum, quod in hac prima parte obſeruandum dixi, eſt ipſe paralyticus, in quo tria ſunt obſeruanda. Morbus, morbi cauſa, & quod ſe ad Chriſtũ portari voluerit. Morbus fuit paralyſis, quæ eſt vbi alterum latus, aut dextrum, aut ſiniſtrum, ſenſum ac motum perdit, Morbus ſane grauiſſimus, quo totũ officium hominis impeditur. Cauſa morbi duplex: Vniuerſalis, quæ eſt peccatum originis in omnibus hominibus: & ſpecialis, quæ ortum habuit vel ex intemperantia, vel à grauiori aliqua perturbatione animi. Quod autem ſe ad Chriſtum portari voluerit, ſignificat ſe fidem habere in Chriſtum, quemadmodum & ipſi qui illum portarunt.

2. Paralytici conſideratio.

Morbus.

Affectus.

Hoc exẽplum paralytici imitemur & nos. Morbũ noſtrũ internũ & externum agnoſcamus, peccatũ noſtrum fateamur, & cum hoc paralytico ſinamus nos ad Chriſtum vnicum medicum portari.

Ter-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

3. Reſpectus Chriſti ad fidẽ illorum.

Tertium, quod in hac prima parte conſiderãdum admonui,eſt,quod Ieſus viderit fidem illorum,hoc eſt,baiulorum & paralytici.Vnde hæc diſcamus: primum,quo ſit erga nos Chriſtus affectu. Non enim aliter eſt erga nos quam erga hunc paralyticum affectus.Nam non eſt perſonarũ acceptor Dominus. Deinde,quod Chriſtus non tam magnitudinẽ peccatorum reſpiciat,quã fidem.Hæc impetrat à Chriſto ſalutaria animæ & corpori.Quamuis autem exiſtimem hunc paralyticum aliquam ſcintillulã fidei habuiſſe:tamen non repugno , ſi quis dicat baiulos habuiſſe fidem,& non ipſum paralyticum. Non eſt enim inſolens,beneficia corporalia , imò etiam ſpiritualia,impetrari aliena fide.Vt enim aliquis ſua ſapientia poteſt efficere,vt alius euadat ſapiẽs: ita qui credit,ſua fide poteſt aliis fidem impetrare. Verùm ſicut nemo eſt ſapiens aliena ſapiẽtia,ſed ſua:ita nemo ſaluatur aliena fide,ſed ſua propria.Hic ergo diſcamus & orare pro aliis, vt gratia Dei in illis augeſcat, & petere ab aliis,vt ſuis nos precibus Deo commendent. Multum enim valet deprecatio iuſti.

4. Modus ſanationis.

Quartum,quod in hac prima parte ſpectandũ propoſui eſt modus,quo hunc paralyticum excepit,qui hiſce verbis exprimitur : *Confide fili : remiſſa ſunt tibi peccata tua.* Hĭc duo perpendantur : Vnum cur ita exceperit hunc afflictum,alterũ excipientis oratio.

Cur Chriſtus ſanauerit prius animã

Hic paralyticus petit liberationem à morbo corporis: cur ego dicit,remiſſa ſunt tibi peccata tua?Magnæ ſunt profecto & graues cauſę.

1. Docet morbos ſtipendia peccati eſſe, vt Paulus dicit, Rom.6.23. ſtipendium peccati mors. Et Chriſtus Iohan.5.14.dicit cuidã quẽ ſanauerat:Ecce ſanus factus es,caue ne poſthac pecces , ne quid deterius tibi eueniat.Et 1.Cor.11.30.Propter irreuerẽter vſurpatam Domini Cœnam,multi fuerunt mortui & multi infirmi.

2. Docet vnde ſit inchoanda curatio corporis, nimirum ab animo,cuius maculæ prius ſunt expurgandæ,quam adhibeas corpori medicinam. Seruemus igitur hunc in noſtris morbis curandis ordinẽ. Primum agnoſcamus morbum.Deinde agamus pœnitentiam, & petamus propter Chriſtum remiſſionem peccatorum : tum vtamur mediis ordinatis in timore Dei,& cum gratiarum actione : & agnoſcamus medicum miniſtrum Dei eſſe,qui vice Dei manum nobis curandis adhibet.

3. Hac oratione Phariſæos arguit, qui nec de ſua perſona,nec officio ſincere iudicarũt. Semper enim ſunt,qui in operibus Dei quærunt, quod cauillẽtur, quod nos monebit,ne officium noſtrum minus diligenter obeamus.

4. Hãc occaſionem nactus, plenius docet de ſua perſona,affectu erga homines,& officio ad quod erat à Patre in mundum miſſus.

Orationis Chriſti cõſideratio.

Iam expendamus orationem Domini. Ait enim paralytico: *Fili confide, remittuntur tibi peccata tua.* Hęc verba filij Dei ſunt,quare diligenter ſunt expẽdenda.Hæc vox *fili* opponenda eſt deſperationi , quam ei morbus præſens perſuadere voluit. Vox *confide* opponenda eſt maledictioni: quam mala conſciẽtia miſero conata eſt perſuadere. *Peccata*,inquit,*tua*.Hîc gratia ſuperabundat peccatum. Vox *remittuntur* opponenda eſt fumo ſatiſſactionis meritorũ & iuſticię legis.Remittuntur,inquit,peccata: beneficium gratiæ huic miſero voce ſua accommodat. Habemus ergo hic doctrinam ſalutis,remiſſionis peccatorum, iuſtificationis & adoptionis. Hæc enim beneficia perpetuo cohærent ita connexa,vt à ſe inuicem diuelli nequeant.Fidẽ requirit:credenti remittit peccatum:abſolutum à peccato optat in filium,& vt iuſtum acceptat,quẽ iuſtificauit,etiã glorificabit, collata æternæ ſalutis beatitudine.Nec eſt alia ratio vlla conſequendi ſalutem, quam quæ in hoc exemplo nobis commendatur.Paralyticus tria facit,agnoſcit peccatum ſuum:agnoſcit ſe iuſtè puniri ob peccatũ, confidit in filium Dei.Chriſtus rurſus tria:Remittit peccatum,adoptat in filium,& acceptat ad vitam æternam. Tu hoc exemplum imitare: Agnoſce ſerio peccatum:agnoſce iuſtum Dei iudicium:& cõfidito in filium,& vere ſenties,quod Chriſtus ſua beneficia ſit tibi collaturus.Hæc ſint de prima huius Euãgelij doctrina dicta:ſequitur ſecunda.

Doctrina.

Adhortatio.

DE SECVNDO.

Murmur Phariſæorum accuſantium Chriſtũ & eius defenſio.

Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra ſe, hic blaſphemat. Et cum vidiſſet cogitationes eorum,dixit,vt quid cogitatis mala in cordib.veſtris? Hîc Scribarũ murmur & Chriſti reſponſio docent,quomodo regnũ Chriſti & Satanæ inter ſeſe concurrant. Habemus hîc duo:quorum alterum eſt accuſatio Scribarum accuſantium Chriſtum : Alterum eſt Chriſti iuſtiſſima defenſio. Accuſatio ſcribarum hæc fuit:Iſte blaſphemus eſt.Quare?quia dicit ſe remittere peccata,quod ſolius Dei eſt.Eſt .n. vſu ſcripturæ blaſphemia,creaturæ tribuere quod eſt Dei proprium.Iam dimittere peccatum eſt Dei propriũ,quod vel ex Iſaia conſtat,vbi Dominus per os prophetę ait:Ego ſum,ego ſum,qui iniquitates tuas deleo propter me , & peccatorum tuorum non recordabor vltra. Hinc iam immota conſequentia exiſtimant ſe concludere, Chriſtum blaſphemum eſſe,hoc modo:Quicunque ſibi tribuit quod Dei eſt proprium,eſt blaſphemus. Iſte Ieſus ſibi tribuit,quod eſt Dei proprium.Igitur iſte Ieſus eſt blaſphemus.Et profectò vera fuiſſet ratiocinatio,ſi Chriſtus fuiſſet Scribis ſimilis, hoc eſt, ſi merus homo eſſet , & non Deus. Videte quæſo quanto ſunt noſtri Papiſtæ & monachi deteriores his Scribis. Scribæ verbo Dei edocti , defenderunt hanc propoſitionem : Nemo poteſt remittere peccatum,niſi ſolus Deus.Verùm Papiſtæ remiſſionem peccatorum tribuunt ſanctorum meritis , miſſis & indulgentiis:quę non communicant gratis,ſed vendunt magna pro pecunia. Mirabile ſanè mercatorũ genus.Vendunt quod non habent: vendunt fumos verborum,& accipiunt aurum, ementibus promittunt cœlum,ſed conferunt infernum.

Papiſtæ ſcribis dèteriores.

Quomodo miniſtri verbi remittũt peccata.

Sed quid dicemus de miniſtris verbi?Remittúntne illi peccatum ? Non remittunt ipſi , ſed annunciant remiſſionem peccatorum omnibus , quos inuenerint ſimiles huic paralytico eſſe , non dant de ſuo,ſed offerunt alienum mandato Chriſti,offerunt remiſſionem peccatorum voce Euangelij.Quicunque hanc vocem fide recipiunt,remiſſionem peccatorum accipiunt abſque omni dubio. Dicit enim Chriſtus:Qui vos audit,me audit.

Chriſti defenſio.

Sed quid Chriſtus ad hãc accuſationem facit?*Viſis cogitationibus eorum dixit: Quid cogitatis mala in cordibus veſtris* ? Quid eſt facilius dicere ? Remittuntur tibi peccata tua,an dicere , ſurge & ambula ? Hic Chriſtus tria facit.1.videt cogitationes eorũ , quod eſt ſolius Dei. Vnde Scribæ debebant cogitaſſe, quod Chriſtus plus eſſet,quam merus homo,nemo enim hominum poteſt alterius ſcire cogitationes. Solus enim ſpiritus Dei ſcrutatur profunda cordium.2.arguit eos. Quid, inquit,cogitatis mala in cordibus veſtris ? Quaſi diceret: vos de me peruerſè cogitantes peccatis. Notemus ergo, quod malæ cogitationes ſint peccata.3. ſigno viſibili confirmat

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

occultam ſuam diuinitatem, quaſi diceret, vos dicitis: Qui tribuit ſibi quod eſt ſolius Dei, eſt blaſphemus. Nomini enim Dei & famæ nocet. Hoc ſane verum eſſe fateor. Sed quod me Deum eſſe non creditis, erratis, quare vos blaſphemi eſtis, non ego. Vt autem hoc oſtendam, & conuincam me verum Deũ eſſe, hunc paralyticum ſolo nutu ſano, quod ſane diuinæ eſt potentiæ. Si hoc poſſum diuina potentia, cur non etiam peccata remitterem? Quis poteſt morbum penitus tollere, niſi qui morbi cauſam tollit? Iam veſtris oculis videtis me morbum tollere. Cur non etiã creditis me poſſe auferre peccatũ morbi cauſam, ita Chriſtus ad facta ſua prouocat, quæ de ipſo teſtimonium ferunt. Ita enim apud Iohannem dicit, cap. 10. 38. Si mihi non creditis, credite operibus meis, quæ teſtimoniũ perhibent de me. Ex hac ergo ſecunda doctrina tria diſcamus. 1. perpetuã pugnã eſſe inter regnũ Chriſti & Satanæ, ſemper enim murmurat Satã, & varias technas excogitat, vt Chriſti regnũ inuadere poſſit, iuxta illud, Gen. 3. 15. Tu inſidiaberis calcaneo eius. 2. Chriſtũ ſua ſapientia & potentia ſuperare potentiam & conſilia Satanæ, iuxta illud, Prou. 21. 30. Non eſt ſapientia, non eſt conſiliũ aduerſus Dominũ. 3. vt nos ei ſubiiciamus, & eũ verũ Deũ agnoſcamus & confiteamur cum omnibus qui in vera pœnitentia ad illum confugiunt.

DE TERTIO.

[Effectus & fructus miraculi apud ſpectatores.]

Videntes autem turbæ timuerunt, & glorificarunt Deum. Hîc habemus effectũ & fructũ huius miraculi apud ſpectatores, quẽ fructum Euangeliſta ſua hiſtoria ad nos trans fert. Sæpe de miraculis Chriſti dictũ eſt, ideo hîc pauca dicã. Chriſtus hoc miraculo confirmauit ſuam diuinã potentiam, ſuam paternam voluntatem erga homines, ſuum officium, quod eſt ſaluare, ad quod eſt miſſus, & veritatem ſuæ doctrinæ obſignauit tanquam authentico ſigillo & regio. Deinde in auditoribus concepta eſt fides, timor Dei è fide manauit, & ex fide Deum glorificauerunt corde, voce, confeſſione & moribus. Hinc ergo & nos iſta quatuor de Chriſto colligamus, ac vna cum his ſpectatoribus concipiamus fidem, timeamus Deum, glorificemuſq; eum, qui eſt laudandus in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA XX. POST trinitatis, Matth. 22.

SImile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Et emiſit ſeruos ſuos, vt vocarẽt inuitatos ad nuptias, & nolebant venire. Rurſum emiſit alios ſeruos, dicens: Dicite inuitatis, Ecce prandium meũ paraui, tauri & altilia mea mactata ſunt, & omnia parata, venite ad nuptias. Illi autẽ neglexerunt, & abierunt, alius in villã ſuã, alius verò ad negociationẽ ſuã. Reliqui vero tenuerunt ſeruos eius, & contumeliis affectos occiderunt. Rex autẽ cũ audiſſet, iratus eſt, & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorũ ſuccendit. Tunc ait ſeruis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcunq. inueneritis, vocate ad nuptias. Et egreſſi ſerui eius in vias, congregauerunt omnes quotquot inuenerunt, malos pariter ac bonos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentibus. Ingreſſus autem Rex, vt videret diſcũbentes, vbi vidit illic hominem non veſtitũ veſte nuptiali, ait illi, Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dicit Rex miniſtris: Ligatis pedibus, & manibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.

ENARRATIO TEXTVS.

[Sũma & vſus huius parabolæ.]

Quod Chriſtus perpetuo facit, id etiam in hodierno Euãgelio facit. Nam vt bonus & fidelis Pater ſuos liberos ad vitam honeſtam hortatur, idque variis modis: Ita Chriſtus Dominus & Pater futuri ſeculi non vna via contentus eſt, ſed multas tentat, quò ſuos in officio retineat. Aliâs enim id agit blãdis verbis, vt apud Matthæum 11. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Aliâs paternis promiſſis, vt cum dicit: Qui venerit ad me, dabo illi aquam viuam. Aliâs muneribus, vt cum præſentia cõfert beneficia. Aliâs minis, vt cũ dicit Marci 12. Veniet & perdet colonos iſtos, & dabit vineã ſuam aliis. Ad eundẽ modum in hoc Euangelio partim minis agit, propoſito paradigmate. Minatur enim extrema iis, qui recuſauerint ad ſuas venire nuptias induti veſte nuptiali, partim promiſſionibus, quod venientes & ornatos veſte nuptiali velit magnificè excipere & bene tractare. Proinde huius Euangelij ſumma eſt, quod Chriſtus requirat à ſuis vitam adeo ſancta vocatione dignam, & minetur iis horrenda ſupplicia, qui in Eccleſia vixerint ſine pœnitentia & ſanctificatione, quæ veſtis illa nuptialis eſt, quam hic ſponſus requirit.

[Partes.]

Loci tres:

- I. *Explicatio parabolæ nuptiarum.*
- II. *Reprehenſio eius, qui in nuptiis ſedet ſine veſte nuptiali.*
- III. *Querela Chriſti:* Multi ſunt vocati, pauci electi.

DE PRIMO.

[Parabolæ partes explicatæ.]

Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi. Vt autem nobis fiat dulcius præſens Euangelium, ſimilitudines huius partis videamus, quæ ſunt multæ.

Prima, Regnum cœlorum hoc loco ſignificat Eccleſiam congregatam voce Euangelij, quod à Petro vocatur gens ſancta, & regium ſacerdotium, genuſq; electum.

Secunda, Homo rex ſignificat Deum Patrem cœleſtem, quem Paulus Regẽ Regum & Dominum dominantium appellat.

Tertia, Regis filius eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, de quo inquit: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi complacui. Hunc filiũ Dauid ſponſum nominat ornatum decoro ſancto.

[Nuptiæ Chriſti, & Eccleſiæ.]

Quarta, Huic filio pater nuptias fecit, quando noſtra cauſa eum naſci voluit ex beata virgine, qui tanquam ſponſus, vt loquitur Dauid, de thalamo ſuo procedit. Hic Eccleſiam ſibi tanquam ſponſam adiunxit, & eam ſibi deſponſauit, iuxta hoc Hoſeæ Prophetæ dictum, cap. 2. 19. Sponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia, & in miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide, & cognoſces Dominũ. Hæ nuptiæ, quantum ad humanum genus attinet, inchoatæ ſunt per ſponſalia, mox creatis primis hominibus. Deus enim dum condidit hominem ad ſui cognitionem & amorem, dum ornauit primos parentes iuſtitia originali, impreſſa eis imagine Dei, hæc ſponſalia celebrauit. Verùm hæc ſpõſalia mox ſunt violata artibus Satanæ, qui hominem ad nefarium adulteriũ pellexit, vt deficeret à ſuo vero ſponſo ad turpiſſimum adulterum diabolum, quam iniuriam ſponſus contemtus vltus eſt, dum adulteram nudam ſtatuit, ablata imagine regis, & detractis ornamen-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

namentis nuptialibus. Sed ô admirandam bonitatem ſponſi, ſponſam ſibi ademptam & fœdiſſimè pollutam redimere ſtatuit, atque ita ſtatim ſpem huius redemptionis facit Pater ſpõſi data promiſſione ſeminis. Tandem quando venit plenitudo temporis, emittit Pater ſuum filium, natum ex Maria virgine, factum ſub lege, vt ſponſam, quæ ſub maledictione Legis erat, redimeret, quod factum eſt, quando ſeipſum precium ſtatuit, quo redempta eſt & erepta è manibus adulteri Satanæ.

De ſponſationis initia.

Quantum autem ad ſingulos homines attinet, initiantur per fidem & Baptiſma, quemadmodum ipſe ſponſus ait: Deſpõſabo te mihi in ſempiternum, & deſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & miſericordia & miſerationibus, & deſponſabo te mihi in fide, & cognoſces Dominum.

Pactionis ſponſi & ſpõſæ præcipua capita explicantur.

In hac deſponſatione duo in vniuerſum ſpectanda ſunt. Vnum eſt, pactio ſponſi, & eius promiſsio. Alterum pactio ſponſæ, qua ipſa obligatur ſuo ſponſo. In pactione ſponſi ſunt tria. 1. beneuolentia & amor ſponſi gratuitus, quo ipſam ſponſam abſque omni eius merito complectitur. 2. ſignificatio durationis coniugij inter Chriſtum ſponſum & Eccleſiam ſponſam. Deſponſabo te mihi, inquit, in perpetuum. Manet igitur perpetuus Eccleſiæ ſponſus. 3. Enumeratio dotum, quas ſuę ſponſæ largitur ſponſus Chriſtus, & numerantur hîc quatuor: Iuſtitia, iudicium, pietas, & miſeratio. Iuſtitia propria ſponſam ſuam ornat, dum remiſſis peccatis, illi ſuam imputat obedientiam, qua ſponſa decora apparet, & pulchra in conſpectu Patris ſponſi. Iudicio eam ab iniuria vindicat, tuetur, ac errantem in viam reuocat. Pietate, hoc eſt, vera ſtorga coniugali eam amplectitur. Eſt enim pietas hîc charitas ex intimis animi receſſibus promanans. Miſerationibus eandem proſequitur, dum quotidiana condonat errata, & eius calamitatibus afficitur. Hæc quatuor ſunt in pactione ſponſi.

Verùm in pactione à parte ſponſæ duo ſunt. Agnitio beneficij cum celebratione Dei, & fides qua recumbit ſponſa in ſponſi pectus, & ab eo omnia bona promiſſa abſque omni diffidentia expectat. Ex hac mutua pactione nos doctrinam, conſolationem, & fiduciam concipiamus, ne fracti illis aduerſis ab hoc ſponſo deficiamus, qui ſuam ſponſam nũquam deſerit, niſi illa prior fidem coniugij perfidè violauerit. Deinde hic etiam diſcimus, quod quicunque fidem Chriſti non habeat, non ſit Chriſti, ſed eſt nefario adulterio pollutus. Hinc patet, quàm verè dixerit Ioannes in ſua Apocalypſi, cap. 19. 9. Beati qui ad cœnam agni vocati ſunt.

Doctrina, & conſolatio.

Inuitatores.

Quinta. Quinam ſunt inuitatores ad has magnificas nuptias, obſeruandum eſt. Primum itaque Deus æternus ſponſi Pater ſua voce ad has nuptias inuitat. Deinde multi ſancti Patres ante diluuium. Poſt diluuium Nohe, Melchiſedech, Ioſeph & Moſes in Ægypto, ſancti Prophetæ & reges in terra Canaan, Daniel in Iudæa. Poſt hos venit Paranymphus Ioannes Baptiſta, & digito monſtrauit ſponſum, qui & ipſe cum Apoſtolis clamauit & inuitauit ad has nuptias, dicens: Venite, omnia parata ſunt.

Apparatus nuptialis.

Sexta. Apparatus nuptialis eſt conſiderandus. Vt enim in nuptiis hominum mactantur tauri, oues, boues & feræ: Ita hîc quoque nuptiarum apparatus inſtituitur ſplendidiſſimus. 1. panis non corruptibilis, ſed viuus de cœlo nobis apponitur, de quo qui ederit, non eſurit in æternum. 2. potus adeſt aquę vitæ. Ita enim ipſe ſponſus ait: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo, non morietur. 3. corpore ſuo & ſanguine fatigatos nos refocillat ſponſus. 4. ornat nos ſuis veſtibus, dum ipſum per Baptiſmum induimus. Ita enim Spiritus S. ait per os Pauli, Rom. 6. 3. Quotquot baptizati ſunt, Chriſtum induerunt. 5. bellaria ſunt fructus de arbore vitæ, vnde vires ſponſa habitura eſt, vt nunquam moriatur.

Ingratitudo eorum qui inuitati ſunt.

Septima. Illi autem, inquit textus, recuſarunt venire. Quid? Quæ eſt hæc ingratitudo? Inuitati nolũt venire. Quid impediuit eos? 1. Hoſtis illorum domeſticus, peccatum inhabitans. Hic hoſtis ſuis illecebris detinet eos, quò minùs ad has nuptias inuitati veniant. 2. hoſtis ſponſi, hoc eſt, diabolus, vias occupat omnes, & intercludit variis modis acceſſum ad nuptias. 3. negotia varia. Alius enim villam, alius boues, alius vxorem, alius aliud curat. Reliqui verò tenuerunt ſeruos eius & occiderunt. Hoc veriſſimum eſſe docet mundi hiſtoria. Ad has nuptias inuitauit Abel, ſed diabolus emiſſo ſuo ſatellite Cain, ipſum occidit. Ad has centum & viginti annos inuitauit Nohe, ſed ab inuitatis deriſus contemnitur. Ad has Ioſeph in Ægypto inuitauit, ſed ab impudica adultera accuſatus in carcerem coniicitur. Ad has inuitauit Moſes, ſed multa patitur ab inuitatis. Ad has nuptias inuitant Patriarchæ & reges ſanctiſſimi, ſed illorum vox ſpernitur. Tandem venit Paranymphus ipſe Ioannes, ſed ab Herode trucidatur. Ad has inuitat ipſe Sponſus filius Dei, ſed in patibulo crucis ſuſpenditur. Ad has inuitant Apoſtoli, & deinde omnes pij miniſtri verbi, quos diabolus adortus, partim Sophiſtica, partim tyrannide, partim hypocriſi, necare contendit. Adeo maxima pars mundi ingrata recuſat ad has filij Dei nuptias venire.

Iuſta Dei indignatio aduerſus Euangelij contemptores.

Octaua. Quid rex ad hæc? Primùm iraſcitur, quod ſane non mirum eſt. Vidit enim ſe contemni & ſuas nuptias ab iis, qui quicquid habent boni, velint nolint, ei acceptum ferre coguntur. 2. punit corporaliter: id quod mundus ingratus, quem per diluuium occidit Dominus, expertus eſt. Hoc Sodomiticum incendium teſtatur: hoc excidium Hieroſolymitanum conuincit. 3. punit ſpiritualiter in hac vita tenebris & ignorantia, poſt mortem æternis ſuppliciis. Exempla huius pœnæ ſunt Græcia, Turcia, Italia, & maxima florentiſſimáque pars totius orbis terrarum. Hoc ſerio, ſed fruſtra reſipiſcens in inferno teſtatur diues ille Epulo, qui illis æternis pœnis cruciatur.

Habet electos Deus qui beneficiis eius participãt.

Nona. An rex nuptias, quas inſtituerat, propter hominum ingratitudinem intermittit? Minimè, ſed ait ſeruis ſuis. Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui erant inuitati, non erant digni. Hoc etſi de ingratitudine totius mundi intelligi poteſt: tamen potiſſimum Chriſtus hîc agit de Iudæorum ingratitudine, quibus hac oratione comminatur excluſionem à nuptiis filij Regis.

Ite ergo ad exitus viarum, & quoſcunque inueneritis, Vocate ad nuptias. En liberalitatem huius regis. Iubet ad nuptias filij inuitare omnes abſque conditione gentis & perſonarum. Loquitur enim de vocatione gentium ad Euangelium. Et diligenter obſeruandum eſt, quod dicit: Quoſcunque inueneritis vocate ad nuptias. Sed quando hoc dictum eſt miniſtris ſponſi? Quando Chriſtus dixit: Ite in mundum vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.

Eccleſiæ viſibilis pictura.

Decima. Et egreſſi ſerui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, bonos & malos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentibus. Hoc factum eſt poſt diem Pentecoſtes, poſtquam armati fuerunt Apoſtoli Spiritu Sancto, & deinde vſque in hunc diem per Euangelij miniſtros.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

DE SECVNDO.

Status Eccleſiæ viſibilis.

Intrauit autem Rex, vt videret diſcumbentes, & vidit hominem non veſtitum veſte nuptiali, & dicit ei: Amice, quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem? Hic locus primum docet, quod in cœtu Eccleſię viſibili debeãt mali cõmixti eſſe bonis, vſque ad extremum diem: id quod etiam parabola de zizaniis docet. Nec eſt ſperanda talis Eccleſia in hac vita, qualem Anabaptiſtæ fingunt. Eſt enim Eccleſia perſimilis agro, in quo creſcit cum zizaniis triticum. Quemadmodum enim triticum ibi manet triticum, etſi plurimum zizanię ſubinde oriatur: ita Eccleſia ſancta manet, tametſi quædam habeat putrida membra. Sunt quidem Eccleſiæ membra, quotquot profitentur Chriſti religionem: ſed alia ſunt viua, alia mortua. Viua ſunt, qui viuam habent fidem. Mortua ſunt, qui religionem profitentur ſine viua in Chriſtum fiducia. Qui autem ſunt extra viſibilem Eccleſiæ cœtum, hoſtes doctrinæ, nec viua nec mortua membra ſunt.

Eccleſiæ viſibilis membra.

De veſte nuptiali obſeruandus locus.

Sequitur, quod rex ingreſſus viderit hominem non indutum veſte nuptiali. Quænam eſt iſta nuptialis veſtis? Hoc neceſſarium eſt ſcire, vt nuptiarum Chriſti dulcedine perpetuo frui liceat. In extremo die in conſpectu huius regis ſtabunt duo genera hominum, quorum alij recuſarunt venire ad has nuptias, quales ſunt Turcæ, & impij Iudæi, & multæ prophanæ gentes hodie. Horum neminem habere veſtem nuptialem manifeſtum eſt, quarum tamen multi ciuilem honeſtatem amant. Quare iſta externa ciuilitas Ariſtidis, Fabricij, Fabij Maximi, Catonis, nequaquam eſt veſtis ipſa nuptialis, quam hîc requirit. Alij venerunt ad nuptias, hoc eſt, ad prædicationem Euangelij ſe in externum Eccleſiæ cœtum receperunt. Verùm hi non ſunt vnius generis. Quidam cum ſuis operibus fidunt, & putant ſuam turpitudinem tectam veſtitu operum ſuorum. An hîc veſtis nuptialis eſt? nequaquam: nam excluduntur à nuptiis. Nemo autem qui veſtem nuptialem affert, à nuptiis excluditur. Alij nulla habent opera niſi mala: ſed gloriantur de fide, & iactant ſe fideles eſſe, & hanc ſuam vanam gloriationem exiſtimant veſtem eſſe nuptialem, ſed fruſtra. Dicit enim Dominus de talibus hypocritis: Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui Patris mei voluntatem facit, qui in cœlis eſt. Alij verè credunt, hoc eſt, qui mortificant carnem, & viuunt Spiritu, agunt pœnitentiam, & innocentiam meditantur, hi ſoli veſtẽ nuptialem habent. Siue ergo fidem viuam, ſiue ſanctificationem, dixeris veſtem nuptialem, non erraueris. Nam vocatio ad nuptias vt fidem, ita ſanctificationem veram requirit. Quod autem hæc ſit veſtis nuptialis in Abele, Abrahamo, Magdalena & aliis multis ſanctis, apparet. Neque mirum eſt huiuſmod viuam fidem veſtem nuptialem eſſe. Nam qui credit, eius peccatum remiſſum eſt, & ira Dei ablata eſt, is filius Dei eſt. Nam ſcriptum eſt: Dedit poteſtatem filios Dei fieri, quotquot credunt in nomen eius. Qui credit in eum, habet vitam æternam. Deinde credenti imputatur iuſticia Chriſti, qua homo ornatus apparet iuſtus in conſpectu Dei. Verùm hic cauendum eſt, ne laruam aliquam pro vera veſte ſumas, id eſt, ne inanem fiduciam pro vera & viua fide iactes. Si vis ergo eius notas habere, ſcito has eſſe. Vbicunque eſt vera fides, ibi ſimul adeſt pœnitentia, verum odium peccati, veri terrores, rurſus conſolatio in corde accenſa per Spiritum ſanctum, ſtudium gloriæ Dei promouendæ inter homines, officia charitatis, ſeu, vt vno verbo dicam, vera ſanctificatio, quę non eſt aliud quàm ſeparatio à prophanitate mundi per mortificationem carnis, & applicatio ad Deum per viuificationem ſpiritus. Hæc ſanctificatio vbicunque eſt, in perpetua lucta eſt poſita. Nam caro militat aduerſus ſpiritum. Sanctificatio hęc non vno perficitur momento: ſed toto vitæ tempore creſcit: id quod vita ſanctorum facilè docere poteſt. Hæc ſint dicta de veſte nuptiali.

Soli verè credentes geſtant veſtem nuptialem.

Veſtis nuptialis certiſſimæ notæ.

Incredulorum, hypocritarum, & Epicureorũ ſupplicium.

Sed quid quæſo fiet eis, qui hanc veſtem non habent? Hoc textus his verbis docet: *Ligatis manibus & pedibus eius, mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Tenebræ exteriores notant ſupplicia & triſticias, quæ ſunt extra regnum Dei, nempe in inferno. In has tenebras miſſus eſt diues Epulo, & omnes, quotquot veſte nuptiali non inueniuntúr induti, eô coniicientur.

DE TERTIO.

Prædicatio miſericordiæ & iudicia Dei.

Multi ſunt vocati, pauci verò electi. Hoc Chriſti dictum duo continet, nempe prædicationem miſericordiæ & bonitatis Dei (qui omnes vocat ad nuptias filij ſui, neque vllos vocare putandus eſt, quos non vult intereſſe nuptiis filij ſui) & querelam de ingratitudine maximæ partis totius mundi. *Multi ſunt* (inquit) *vocati.* Iuſſit enim ſponſus, vt Apoſtoli irent in orbem vniuerſum, & vocarent ad nuptias hos omnes, & vt ſupra dixit: Vocate ad nuptias quoſcunque inueneritis. *Sed pauci ſunt electi*, id eſt, pauci habent veſtem nuptialem. Electi enim dicuntur, qui ab aliis ſegregati ſunt, & præ aliis ſunt eximij. Ideò Petrus dicit, Chriſtianos electos eſſe in ſanctificationem ſpiritus, id eſt, vt ſpiritus ſint ſancti. Deus vult quidem omnes homines ſaluos fieri, vt Paulus docet, & parabola hæc oſtendit, imo Chriſti vox Matt. 11.28. hoc conuincit, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos. Hoc dictum opponamus omnibus hoſtibus gratiæ Dei. Si ergo Deum reſpicis, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis peruenire, & vocat omnes promiſcuè ad nuptias filij ſui. At ſi homines reſpicis, pauci ſunt electi, id eſt, pauci auditum Euangelium fide recipiunt, & ſpiritu ſanctificantur. Quare cauſa damnationis non eſt in Deo, ſed in nobis ipſis quærenda eſt, Quoties volui (inquit Chriſtus) congregare filios tuos, & noluiſti? Ecce duo hic habes: Chriſtus voluit, Ieruſalem noluit. Monemur proinde hoc dicto, quod non ſatis ſit audire Euangelium: ſed obtemperare Euangelio oportet. Nam ideo prædicatur, vt Petrus docet, vt mortificemur ſecundum carnem, & viuamus ſecundum ſpiritum.

Summa dictorum

Hæc ſint dicta de hodierno Euangelio: ex quo diſcamus, Deum nos non ad perditionem, ſed ad beatitudinem creaſſe, & omnia quæ ad veram beatitudinem ſpectant gratis præparaſſe. Deinde quod qui damnantur, ſua damnentur culpa, vt qui nolint Euangelio obtemperare. Quare ſi nobis ſalus curæ eſt, induamus veſtem nuptialem, & meditemur veram ſanctificationem per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA XXI.
poſt Trinitatis, Ioan. 4.

ERat quidã regulus, cuius filius infirmabatur Capernaũ. Hic cum audiſſet, quod Ieſus adueniſſet à Iudæa in Galilæã, abiit ad eum & rogabat eum, vt deſcenderet, ac

ſanaret

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ſanaret ipſius filium, ſiquidē is agebat animam. Dixit ergo Ieſus ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis, nō creditis. Dicit ad eum regulus. Domine, deſcende priuſquam moriatur filius meus. Dicit ei Ieſus: Vade, filius tuus viuit. Credit homo ſermoni, quem dixerat ei Ieſus, & ibat. Iam autem eo deſcendente, ſerui occurrerunt ei, & nunciauerunt, dicentes: Filius tuus viuit. Sciſcitatus eſt ergo horam ab eis, in qua melius habuiſſet. Et dixerunt ei, Heri hora ſeptima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quod illa hora erat, in qua dixiſſet ſibi Ieſus, filius tuus viuit. Et credidit ipſe, & domus eius tota. Hoc iterum ſecundum ſignum edidit Ieſus, cum veniſſet à Iudæa in Galilæam.

ENARRATIO TEXTVS.

Hiſtoriæ ſumma eſt vſus.

Hoc Euangelium docet nos, quò ſit in omnibus huius vitæ calamitatibus fugiendum: nimirum ad omnis ſalutis & felicitatis fontem Ieſum Chriſtum: quod etiam Iſaias monet, cum ait, cap.12.3. Haurietis aquas de fontibus Saluatoris. Ad hunc fontē non pedibus, ſed affectibus: non ratione, ſed fide, accedendum eſt. Docet præterea hoc Euāgelium, quàm promptus ſit Chriſtus ad iuuandum, qui nullum, qui ad ſe venit, dimittit ſine conſolatione. Non enim aliter eſt affectus erga quenquam, quam erga hunc regium virum & aulicum de aula Herodis: quem non ſolum verbo conſolatus eſt, verumetiam miraculo eum iuuit. Summa propterea Euangelij in illud Ioelis dictum includitur: Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Loci tres:

Partes

1. *De humanis calamitatibus, earum cauſa & remedio.*
2. *De increpatione, qua Chriſtus hunc regium increpat.*
3. *Vera fidei natura & indoles.*

Locus de calamitatibus, earum cauſa & remedio.

Erat aulicus quidam, cuius filius infirmabatur. Hic mœſtus pater & ægrotus filius mundi calamitates nobis ob oculos ponunt: quæ ſicuti ſunt pœnę peccatorum: ita etiam veluti conciones quædam ſunt iudicij diuini, quibus ad pœnitentiam inuitamur, ſicuti hic aulicus mœſtus propter filij morbum ſentit ſuum peccatum, & illud deplorat. Huc pertinet illud Iſaiæ, cap.28.19. Anguſtia erit illis diſciplina. Verùm vt bonitatem Dei erga nos conſideremus melius, dicam quibus modis Deus potiſſimum ſoleat nos ad pœnitentiam inuitare: ſunt autem præcipui ſex modi.

Inuitamur autē ad pœnitentiam.

Doctrina Legis.

1. Proponit doctrinam legis, quæ tanquam in tabula pingit peccata noſtra: oſtendit mentis cæcitatem: dubitationem de prouidentia Dei, de promiſſionibus & cōminationibus: oſtendit affectuum impuritatem: oſtendit cordis fœtorem, voluntatis auerſionē à Deo, & omnium virium ataxiam. Deinde in ſecunda legis tabula, iniuſtitiam noſtram erga homines & impuritatem affectuum noſtrorum, adeo vt ſi quid iuſti in tota noſtra vita antequam ad Chriſtum conuerſi fuerimus appareat, id ſit non ſecus, quam pannus tābe & impuriſſimo ſanguine fœdatus: id quod Iſaias conqueritur his verbis, cap.64.6. Omnis iuſtitia noſtra tanquam pannus ſordidiſſimus. Has noſtras ſordes ideo nobis lex proponit, vt earum fœtore admoniti agamus pœnitentiam, & diſcedamus à viis noſtris peſſimis.

Magnitudine calamitatum internarum.

1. Magnitudo calamitatum internarum, quas nemo ſatis deſcribere & deplorare poteſt, neque vllius hominis tanta calamitas vnquam fuit, quin aliquis noſtrûm poſſit in eam incidere, ſicuti pie monet Ambroſius, cum ait: Aut ſumus, aut fuimus, aut poſſumus eſſe quod hic eſt. Quanta fuit calamitas Adam, qui non ſolum vidit vnum filium alterum occidere: verumetiam vidit nongentis annis triſtiſſimos nepotum ſuorum lapſus? Quantus fuit cruciatus in animo Dauidis, cum ſtupra filiarum, fratricidia filiorum vidit? quid dicam de paucis? omnes homines morſum ſerpentis ſentiunt, qui morſus aliò nō ſpectat, quàm vt inde cognoſcamus iuſtiſſimum iudicium Dei, & confugiamus ad veniam per veram pœnitentiam. Manaſſe rabioſè inſurrexit aduerſus Eccleſiam Dei 25. annis, & ſe horrendis modis contaminauit, nec vnquam cogitaſſet de agenda pœnitentia, niſi in Babylonicum carcerem fuiſſet abductus, vbi anguſtia carceris dedit illi intellectum. Ibi enim ex calamitatum magiſterio doctus, flectit genua cordis, & veniam peccatorum ſupplex petit, quam & impetrat.

3. Proponit nobis Deus aliena exempla, tragicos lapſus, & multorum horrenda ſupplicia, vt illis admoniti agamus pœnitētiam. Omnes enim lapſus hominum, qui in hiſtoriis ſacris & prophanis proponuntur, eò pertinent, vt nos cautos reddant. Cain lapſus in peccatum obrutus eſt æternis pœnis. Saul deficit à Deo, & non reuerſus eſt per pœnitentiam, ſed eſt ira Dei oppreſſus. Multi hodie ab Euangelio deficientes, incidunt in laqueos diaboli: vnde nunquam extricare ſe poſſunt. Quare horum horrendis lapſibus & triſtiſſimo ſupplicio admoniti, agamus maturè pœnitentiam, ne Deus iratus nos abiiciat: & ſimus memores dicti Poetæ: Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Tragicis lapſibus, & ſuppliciis impiorum.

4. Concionatur aliquando Deus per tempeſtates, terræmotum, horrendos aſpectus in cœlo, quales viſi ſunt ante deſtructionem Ieruſalem: vt cometæ inſtar gladiorum, quales vidit hæc ætas permultos, quorum admonitu niſi egerimus pœnitentiam in pœnas incidemus grauiſſimas. Hoc anno, qui eſt à natiuitate Chriſti 1561. viſus eſt in cœlo vir cruci affixus, habens in capite coronam ſpineam. Pluit ſanguis, & alia multa quotidie conſpiciuntur. Quoties ergo offeruntur nobis huiuſmodi viſa cœleſtia, ſciamus Deum inuitare nos ad pœnitentiā his ſymbolis ſuæ iræ. Cum autem Dominus dicit, Ierem.10.2. Nolite à ſignis cœli metuere, vult vt agamus pœnitentiam, ne mala, quæ minantur ſigna, nos obruant. Nam omnibus pœnitentibus cooperantur in ſalutem.

Calamitatibus externis, ordinariis & extraordinariis.

5. Proponitur nobis mors filij Dei, in qua Deus oſtendit maximam ſuam iram aduerſus peccatum, & ſimul inuitat ad pœnitentiam. Is enim in cruce expandit brachia ſanguine madida, & inuitat totum mundum ad pœnitentiam, & offert gratiam omnib. pœnitentiam agentibus. Quicunque ergo differt pœnitentiam, contemnit filium Dei: ſuo tempore pœnas horrendas luiturus.

Mortis Chriſti prædicatione.

6. Incertus vitæ huius exitus. Vita enim noſtra ſimilis bullæ eſt, & flori, qui eſt in agro, qui hodie floret, cras in ignem mittitur. Huius vitæ imbecillitatem proponit nobis etiam diuus Iacobus. Vidimus multos, qui ſine pœnitentia vixerant, ſubitanea morte tolli, adeo vt locus ad pœnitentiam non ſit illis relictus. Securis (inquit Iohannes) ad radicem arborum poſita eſt. Matth.3.10. Et Salomon dicit, Eccl.11.3. Si ceciderit arbor ad Auſtrum, aut ad aquilonem, in loco, in quem ceciderit ipſa arbor, ibi erit, id eſt, talis iudicaberis, qualem te in hora mortis inuenerit iuſtus iudex.

Incerto vitæ exitu.

Ecce quot modis Dominus nos ad pœnitentiam inuitat. Ipſe ait: Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Hanc ſuam voluntatem declarat, cum tot modis adeo paterne ad pœniten-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tiam inuitat: quæ ſane ad pœnitentiam inuitatio ad omnes ſpectat.

Conciliatio locorum.

Sed Paulus dicit, 1. Corinth. 1. 26. Deum non multos ſapientes ſecundum carnem, non multos potentes, non multos pręclaro genere natos elegiſſe, ſed idem dicit 1. Timot. 2. 4. Deus vult omnes homines ſaluos fieri. Quomodo ergo non elegit? Dicitur Deus eos non elegiſſe, non quia non voluit eorum ſalutem, ſed propter euentum, hoc eſt, quia ſapientia huius mundi, potentia & claritas generis multos ineſcat & abſtrahit ab obedientia Euangelij. Dauid fuit diues & potens: fuit etiam diues & potens Nero: quorum ille non eſt ineſcatus ſuis diuitiis & potentia, vt deficeret ab Euangelio: hic verò qui pluris fecit præſentem fortunam, quam futuræ vitæ gloriam, à diuitiis ſuis damnationis materiam ſumpſit. Iſaac fuit claro genere natus, fuit & Iſmael clarus: ſed non vtrique fuit par ſtudium. Iſmael enim claritate ſui generis contemptus promiſſiones ſpreuit: contrà, Iſaac fide promiſſionis iuſtificatus & ſaluatus eſt. His exemplis clarè docetur, quod Dominus neminem abiiciat propter dona, quæ in ipſum cumulauit. Nam potentiæ, diuitiæ, claritas generis, bona Dei dona ſunt, quibus qui rectè vtitur, felix eſt: Qui vero malè, ſua culpa vertit ſibi dona Dei in damnationis inſtrumenta. Conſilium ergo Pauli amplectamur, modò nobis ſalus curę eſt. Is enim ita dicit 1. Corinth. 7. 31. Qui vtuntur hoc mundo, ſint tanquam non vtentes. Vult Chriſtiani hominis animum rebus terrenis non occupari, vt nos à via recta vitæ abducant. Sic nos vult viuere quaſi ſingulis momentis migrandum ſit ab hac vita. In omnibus ergo rebus præſentis vitæ corda habeamus erecta ad meditationem vitę cœleſtis. Huc illud Pauli, Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus ſedet ad dextram Patris. Coloſ. 3. 1.

Doctrina.

DE SECVNDO.

Aulicum increpans Chriſtus quid nos doceat.

Dixit Ieſus ad eum: Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Hic Chriſtus increpat aulicum & virum, qui fuit in magna dignitate & ſingulari autoritate apud Herodem, quod tamen raro fecit Chriſtus, præſertim cum homines triſtes petentes opem ad ſe venirent. Hinc nos diſcere debemus, non eſſe adulatores aulæ & dicere placentia: ſed exemplo Chriſti vlcus tangere, vt dolor ſentiatur, vt poſtea felicior cura adhiberi poſſit. Quantum autem ad hanc Chriſti increpationem attinet, ſciendum eſt, quod increpet Deus aliàs vt Iudex, aliâs vt Pater, vt ſit alia increpatio iudiciaria, alia paterna. Iudiciaria, qua vt Iudex increpat impœnitentes, vt Scribas, Phariſæos, Hypocritas, qualis illa apud Matthæum, Væ vobis Scribæ, Phariſæi & hypocritæ. Hæc horrenda eſt comminatio æternæ damnationis, cui ſubiectus eſt totus mundus, qui contemnit Euangelium, iuxta illud: Qui non credit, iam iudicatus eſt. Hæc increpatio nos meritò mouere debet, vt fugiamus peccata, ne incidamus in manus Dei viuentis, & noſtra culpa abiecti æternùm pereamus. Hic leuemus oculos, ac mores mundi videamus.

Quomodo increpet Deus.

Aduerſus Epicureos inſtructio

Multi alieni à pietate videri non volunt, ſed ſpe diuturnioris vitæ procraſtinant pœnitentiam. Multi decipiuntur Stoicis imaginationibus, & dicunt: Si ſum prædeſtinatus ad vitam æternam, non eſt quod ego magnopere ſim ſolicitus, ſiue bene ſiue malè agam, Deus decretum ſuum propter mea ſcelera non mutabit. Hæc horrenda eſt blaſphemia. Primùm, quia hoc horrendo dicto Deo fit ſumma iniuria, qui neminem vult damnari, ſed ſaluari, ídque per ſalutem, id eſt, Ieſum Chriſtum, quem fide amplecti oportet. Non iuſſit Dominus prædicari Euãgelium huic vel illi, ſed omnibus promiſcuè, & addit conditionem: Qui crediderit, ſaluus erit, qui non crediderit, condemnabitur. Hoc Dei decretum nullum fatum mutabit. Proinde ſic ſentiendum eſt, vt quemadmodum Hector apud Homerum ait: Hoc augurium optimum eſt, pugnare pro patria: ita fatum minimè fallax eſt, Euangelio credere, modò ſalutem velis.

Aduerſus Libertinos.

Alij, qui audiunt miſericordiam magnam eſſe, volunt peccare: & quãdo illis viſum fuerit, pœnitentiam agere. Hæc cogitatio multos proſtrauit & proſternit hodie. Paulus dicit: Ne ſeducamini: Deus non irridetur. Quicquid ſeminauerit homo, hoc & metet.

Aduerſus eos qui multitudinem obtẽdunt.

Alij multitudinem peccantium ſibi proponunt. Is (inquit) nõ minus ſalutem ſuam vellet, quam ego: Deus non tantam multitudinem perdet. Sed vide quid acciderit in diluuio. Chriſtus ſpiritu per os Nohe prædicauit ſpiritibus, hoc eſt, illis quorum animæ nunc ſunt in carcere: ſed maxima pars orbis terrarum Chriſti ſpiritum concionantem audire recuſauit, adeo quot tantum octo homines ſeruati ſint. Nihil hîc iuuit malorum multitudo. Quinque ciuitates, quarum capita fuerunt Sodoma & Gomorrha, vocem Loth contempſerũt. Quid iuuit illos multitudo? Nónne ad vnum omnes perierunt, excepto vno viro Loth cum duabus filiabus? Quare caueamus, ne nos turba peccantium à pœnitentia impediat: fugiamus impiorum voces, qui nos ad peccandum inuitant, meminerimus dicti Chriſti qui mentiri nequit: niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis.

DE TERTIO.

De fidei natura & indole.

Et credidit homo ſermoni, quem dixit ei Ieſus, & ibat. Hic primum obſeruandum eſt, quod Chriſtus non reiecerit hunc alienum, propterea quod ipſius fides erat infirma. Reprehendit quidem fidei imbecillitatem, ſed non abiicit. Non enim arundinem fractam diminuit Dominus, nec linum fumigans extinguit, ſed potius ſanat & excitat. Diſcipulos obiurgat ob vacillantem fidem, ſed non eos tanquam indignos à ſe repellit. Nouit enim quæ ſint imbecillitates noſtræ: nouit, quantis arietibus concutiatur fides noſtra, nouit, quod in omni homine ſit dubitatio horribilis.

De dubitatione & imperfectione fidei.

Sed Philippus dicit Eunucho petenti baptiſmum, Si perfectè credideris. Ergo ſi baptiſmus cõferri nequit ſine perfecta fide, neque alia beneficia ſunt expectanda. Hic ſunt duæ quæſtiones. Vna de dubitatione. Altera de perfectione fidei. Quantum ad dubitationem, ita reſpõdeo: Fides eſt firma & infirma: ſed ſecundum diuerſa principia. Si enim carnem reſpicis, ſubinde ſuboriuntur dubitationes. Sara, cui promiſſum fuit ſemen, riſit, & ex carnis ſenſu magnam dubitationem habuit. Sic Abraham & multi ſancti, quoties carnis ſenſu tangũtur, dubitare nonnihil incipiunt. Caro enim perpetuò aduerſatur ſpiritui, nec eſt quod quiſquam tantum robur fidei expectet, quin ſubinde carnis arietibus concutiatur. Verùm ſi ſpiritum reſpicis, fides firma eſt, nihil ambigit. Abraham, inquit Paulus, non hæſitauit diffidentia, eò quód fuerit effœtus, & vxor Sara fuerit ſterilis & natura & ætate, ſed dedit gloriam Deo, qui præſtare poſſet quod promiſerat.

Quomodo

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

De perfectione fidei.

Quomodo perfecta eſt fides? nónne quotidianis incrementis indiget? Eſt perfecta fides, & tamen indiget quotidianis incrementis. Perfectã habuit fidẽ qui dixit: Credo Domine, ſed auge fidem meam. Hoc pulcherrima hac ſimilitudine oſtendi poteſt. Puer recẽs natus eſt homo perfectus. Vir adultus eſt homo perfectus. Ita eſt cum fide. Fides eſt perfecta, quæ Chriſtũ perfectũ recipit & apprehẽdit, ſed opꝰ habet quotidianis incremẽtis, quo abſoluta fiat ſuis partibus. Sicut puer etſi perfectus eſt homo, tamen victu & alimento indiget, quo iuſtam quantitatem acquirat, ita qui credit, opus habet perpetua meditatione verbi Dei, opus habet pane cœleſti, opus habet potu ſpirituali, quo indies noua incrementa accipiat, id quod in Apoſtolis videmus.

Exemplũ.

Petrus fidẽ habuit, quando dixit: Quò ibimus? verba vitæ habes. Verum hæc Petri fides maiores vires habuit, & veluti adulta fuit die Pentecoſtes, quando Spiritum Chriſti viſibiliter nactus prodijt in medium, & Chriſto vna cõcione tria millia hominum adduxit. Ita in cæteris quoque creſcere debet fides. Cuius ſi ſubſtantiã reſpicis, ſtatim vbi cõcepta fuerit ex verbo, eſt perfecta, ſi verò quãtitatem, quotidianis incrementis augeſcit.

Actiones fidei.

Quantum autem ad actiones fidei attinet, pulcherrime oſtenduntur in hoc aulico. 1. Vrget fides hunc aulicum, vt in ſuis calamitatibus ad Chriſtum confugiat, tanquam ad veriſſimum & peritiſſimum medicum omnium morborum & calamitatum. 2. Cum impellit, vt Chriſtum inuocet, petátque ab eo auxilium. 3. Facit, vt non ſtatim Chriſtum deſerat, vbi ad primam petitionem non impetrat quod vult, ſed vt vrgeat Chriſtum precando, vt nõ ſinat ſe aſperiori reſponſo terreri ab eo, quem vnicum Saluatorem agnoſcit. Hoc enim dum fit, impetrat à Chriſto quod vult, vnde creſcit magis, & fit ad petendum alacrior & ardentior, & edit fructus confeſſionis & glorificationis, ſicuti hic dicitur: *Et credidit ipſe, & domus eius tota.*

Fidei proprietates.

Hinc ergo ſex fidei proprietates colligere licet. quas habet perpetuas.

Prima, Fides nos ad Chriſtum in noſtris calamitatibus petitum auxilium impellit, non nouit Sanctos quos inuocet, ſed ſolum Chriſtum, quem agnoſcit vnicum Mediatorem eſſe inter Deum & hominem.

Secunda, Vbi Chriſtum acceſſit, eum inuocat, non ſua dignitate, ſed eius clementia & miſericordia freta.

Tertia, Non ſi mox non impetrauerit, ocioſa quieſcit & deſpondet animum, ſed in orando perſeuerat.

Quarta, Impetrat quod vult, vult autem quod in Dei gloriam cedere poteſt.

Quinta, Poſtquam impetrauit quæ voluit, magis creſcit, & iuſtam quantitatem accipit.

Sexta, Edit fructum confeſſionis & prædicationis Dei. Et diligenter obſeruanda eſt hæc clauſula: *Credidit ipſe, & domus eius tota.* Simile refert Lucas de Cornelio.

Doctrina.

Hinc ergo diſcamus noſtram familiam ad pietatem aſſuefacere, ſimus ei typus & forma doctrinæ, rudes inſtituamus, delinquẽtes corripiamus, deſides excitemus. Breuiter, omnia faciamus, vt quot ſunt familiæ, tot ſint & Eccleſiæ. Verùm qui nullam curam familiæ habent, vt piè inſtituatur, fidem quidem iactare poſſunt, ſed tantùm fumum fidei habent, & non veram fidem, quæ perpetuò frugifera eſt per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, cui laus & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

DOMINICA XXII. POST TRINItatis, Matt. xviij.

ASſimilatum eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit conferre rationem cum ſeruis ſuis. Et cum cœpiſſet conferre, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decẽ millia talentorum. Cæterum cum is non eſſet ſoluendo, iuſſit eum Dominus venundari, & vxorem eius, & liberos, & omnia quæ habebat, ac fieri ſolutionem. Procidens autẽ ſeruus ille, adorabat eum, dicens: Domine, eſto patiẽs erga me, & omnia tibi reddam. Miſertus autem Dominus ſerui illius, abſoluit eum, & æs alienum remiſit ei. Egreſſus vero ſeruus ille, inuenit vnum de conſeruis ſuis, qui debebat ei centum denarios, & iniecta in eum manu, obtorto collo trahebat, dicens: Solue quod debes. Et procidens conſeruus eius, rogabat eum, dicens: Eſto patiens erga me, & omnia reddam tibi. At ille nolebat, ſed abijt, & coniecit eum in carcerem, donec redderet debitum. Porro cũ vidiſſent conſerui eius quæ fiebant, indoluerũt valde, & venerunt, aperueruntque Domino ſuo omnia quæ facta fuerãt. Tunc accerſiuit illum Dominus ſuus, & ait illi: Serue ſcelеſte, totum debitum illud remiſi tibi, cum obſecraſſes me. Nónne oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut ego tui miſertus eram? Et iratus Dominus eius, tradidit eum tortoribus, quouſque redderet totùm quod debebatur ſibi. Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis ſuo quiſque fratri de cordibus veſtris delicta illorum.

ENARRATIO TEXTVS.

Occaſio huius parabolæ.

Occaſio huius Euangelij fuit interrogatio Petri, qui Chriſtum interrogat, quoties remittat peccanti aduerſus ſe fratri, an vſque ſepties. Huic Dominus reſpondet: Non dico tibi vſque ſepties, ſed ad ſeptuagies ſeptem, ſcilicet peccata. Septuagies ſeptem ſunt 490. quo numero ſignificatur, quod fratri reſipiſcenti toties cõdonabimus offenſam, quoties in nos peccauerit. Poſuit enim numerũ finitum pro infinito. Verùm quia hoc durum videbatur Petro, Dominus proponit parabolã, cuius hæc eſt ſententia:

Summa.

Deus pater cœleſtis cõdonat nobis ſępiſsime contra ſe peccantibus. Quare nos quoq; fratribus reſipiſcentibus, qui nos læſerunt, condonabimus.

Ad quod dogma refertur.

Pertinet igitur hoc Euãgelium ad tertiam partem pœnitentiæ, videlicet ad nouam vitam ex fide degendam, cuius nouæ vitæ quædam pars eſt mutua erratorum quæ incidunt, condonatio. Quò autẽ hæc parabola clarius intelligi poſsit, rerum collationẽ inſtituam hoc modo.

Explicatio per collationem Syllogiſticã rerum.

Quemadmodũ homo prædiues creditor habet ſe ad debitorem pauperrimum, ſed humiliantem ſe, proſternẽtem ſe coram creditore, & petentem veniam, ſic ſe habet Deus erga peccatores humiliantes ſe in vera pœnitentia coram Deo proſternentes ſe, & petentes remiſsionem peccatorum propter Chriſtum. Sed creditor diues humiliãti ſe debitori debitum condonat. Ergo Deus pœnitenti ex miſericordia condonat omnia ſua peccata. Iam ſicut Deus ſe habet erga peccatores ſæpiſsime aduerſus ſe delinquẽtes, ſic habebit ſe Chriſtianꝰ erga fratres ſeu conſeruos ſuos in ſe delinquẽtes. Proinde vt Deus cõdonat gratis nobis errata noſtra. Ita & nos offenſas, quibus lęſi ſumus à fratribus, remittemus. Verùm contra, quemadmodum creditor habet ſe aduerſus eum debitorem, cui cõdonauit prius debitum, & poſtea eum crudelem deprehendit aduerſus fratrẽ ſuum, ſic ſe habet Deus erga eos quos receperat prius in gratiam, & poſtea deprehendit crudeles erga proximum ſuum. Sed creditor huiuſmodi ingratum hominem reuocat ad rationes red-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

dendas.Ergo & Deus reuocat ad ſeuerum iudiciũ, qui fuerant duri erga proximos.Proinde,condonandum eſt proximo,quotieſcunque aduerſus nos peccauerit.Loci tres.

Partes.

1. *Vera agendi pœnitentiam ratio.*
2. *Commendatio miſericordiæ Dei erga peccatores.*
3. *Officia mutua Chriſtianorum, condonare & condonari.*

DE PRIMO.

Parabolæ circumſtantiæ.

Parabola creditoris & debitoris pulcherrimam agendæ pœnitentiæ rationem proponit, qua nõ eſt alia illuſtrior in toto nouo Teſtamento.Quare omnes eius circũſtantias perpendamus.1. Quis ſit creditor.2.Quando exigat rationem.3. Cur debeamus.4. Quantum debeamus.5.Quid faciendum vbi vrgeatur ratio.6.Quomodo ſatisfiat iuſticiæ Dei,quæ efflagitat,vt ſoluatur quod debetur.

1.Creditor,Deus.

Quis eſt creditor?Deus Rex cœleſtis.Is nos donauit multis bonis,formauit nos ad ſuam imaginem, dedit lucem in mente,rectitudinem in corde, & vires interiores & exteriores,quibus potuimus ei obedientiam præſtare. An non hæc ſunt abolita per peccata primorum parentum ? Verùm quidem hoc eſt, ſed dona, quæ contulit Adam, ad totam eius poſteritatem pertinebant. Cum ergo ille noſter parens amiſit dona, & ſe & nos ſecum in mortem coniecit, proinde recte repetit à nobis Deus, quod in noſtro parente amiſimus, imo multis modis nos auximus debitum, vt eius ſumma ita magna ſit facta, vt nemo poſſit eam ſoluere,etiamſi ſe & ſua omnia vendat.

2.Quando exigit rationem.

Quando hìc creditor exigit rationem? Etſi autem perpetuò nos huius debiti admonet, tamen potiſſimum rationem exigere putandus eſt. *Primum* quoties noſtra conſcientia peccati nos coarguit, & veluti nos ad tribunal Dei prouocat. *Deinde quando* ſanctus Spiritus in miniſterio legis venit, & arguit peccatum,& prouocat ad pœnam, niſi fiat ſolutio. Præterea,quando ſigna iræ Dei conſpiciũtur, vel in cœlo, vel in terra. *Ad hæc* cum cruce aut morbo vexamur,quæ ſunt veluti miniſtri Dei,qui nos ad ſoluendum debitum vrgent.

Sed cur peccata vocantur debita?Quoniam quemadmodum debita ciuilia oblıgãt ad ſolutionem, ita peccata ad ſatisfactionem pœnæ,niſi fiat ſolutio.

3.Cur debemus.

Cur debemus?hoc iam dictum eſt. Debem⁹ enim tantum, quantum apud parentem noſtrum Adam depoſuit,quod totum amiſimus,& inſuper nouis debitis nos onerauimus,quotidianis tranſgreſſionibus aduerſus Dei ſanctiſſimam legem, illius in nos irã prouocantes.

4.Quantũ

Quanta eſt debiti ſumma? Reſpondet creditor, quod debeas decem millia talentorum, & quod tu non habeas obolum, tantum abeſt,vt tantum debitum vnquam ſoluere poſſis.Decem pręcepta continent debiti partes.Exigitur à te timor Dei,dilectio, fiducia, patientia,in primo præcepto,quia hãc obedientiam non præſtitiſti & ſoluiſti, debes pœnam. Ita examinandum eſt debitum in ſingulis præceptis primæ & ſecundæ tabulæ, vnde magnitudo debiti colligenda eſt.

5.Quid faciendum quando vrgetur ratio.

Sed quid hic faciendum eſt?Imitari debemus exemplum huius debitoris,qui ſe proſternit corã ſuo creditore,ſe humiliat, petit veniam, quam & conſequitur.Hoc eſt,Agnoſcamus peccati magnitudinẽ, dolebimus ex corde, quod non reddiderimus quod debuimus, & confugiemus fiducia Chriſti ad Patrem cœleſtem,petentes veniam & condonationem debiti,quod cum fecerimus, habemus promiſſionẽ, quod velit nos,condonato toto debito,in gratiã ecipere.Hoc clare in præſenti miraculo indicatur,cuius rei nunc aliquot exempla proponam ad nos excitandos.

Exemplũ illuſtre mulieris peccatricis.

Mulier peccatrix,Luc.7.36.&c.agnoſcens ſuũ debitum,cõfugit ad gratiam, & viua fiducia recumbit in Chriſtum,quam Dominus mox pronunciat cõſecutam eſſe cõdonationem debiti.Ita enim ait:Remiſſa ſunt ei peccata multa.Sed ibi auditur,quia dilexit multum.Chriſtus nõ eam dicit debito ſatisfeciſſe dilectione,ſed poſtquam nacta eſt ſolutionem debiti,dilexit,id quod Chriſt⁹ aperte propoſita hac parabola indicat.Nam cum Pahriſęus offenderetur, quod Chriſtus non reijceret hanc mulierẽ, tãquam peccatricem, & miniſterium eius non improbaret tanquã impurum,ita eius peruerſum iudicium corrigit.Duo debitores(inquit)erãt cuidam creditori, vnus debebat denarios quingentos, alter quinquaginta. Cum autem illi non eſſent ſoluendo,cõdonauit vtriſq;.Horũ igitur dic vter plus diligit? Reſpõdens Phariſæus dixit:Exiſtimo quod is cui cõdonatum plus eſt.At ille dixit ei,Rectè iudicaſti: & conuerſus ad mulierem,dixit Simoni,Vides hanc mulierem?Ingreſſus ſum in domũ tuam, aquam pedibus meis nũ dediſti,hæc autem lachrymis rigauit pedes meos,& capillis capitis ſui exterſit.Oſculũ mihi nõ dediſti,hæc autem non intermiſit deoſculari pedes meos.Oleo caput meum non vnxiſti, hæc autẽ vnguento vnxit pedes meos.Cuius rei gratia dico tibi quod remiſſa ſunt peccata eius multa, nam dilexit multũ.Cui enim paululũ remittitur,paululũ diligit. Dixit autem ad eam: Remiſſa ſunt tibi peccata tua. Hic apertè videmus, quod nacta remiſſione debiti dilexerit.Nã remiſſionẽ peccatorũ debet noua obediẽtia ſequi,quæ dilectiõis nomine hic ſignificatur.

Exemplũ Dauidis.

Videamus quoq; exemplum Dauidis, in quo cõſpiciuntur hi duo motus,quos in peccatrice vidim⁹, ingens pauor,& conſolatio. Nam cum à Propheta Nathan arguitur de rapta cõiuge alterius,& de nece mariti, exiſtunt in Dauide horrendi pauores propter magnitudinem debiti ſui, quales pauores ſæpe deſcribit: Non eſt pax oſsibus meis à conſpectu peccatorum meorum.Agnoſcit iram Dei aduerſus peccatum,dolet propterea quod offendit Deũ, metuit ſe abijci à Deo, ſicuti ante viderat horribiliter abijci Saulem, denique metuit æternas & præſentes pœnas. Hîc fuiſſet dolorẽ extinctus, niſi audiuiſſet conſolationem à Propheta, vice Dei:Nõ morieris, Dominus abſtulit peccatum tuum. Hac audita conſolatione,accenditur in eo fides,qua apprehendens abſolutionem, incipit intueri miſericordiam Dei, & in mediatore acquieſcit.

Exemplũ publicani

Nuper audiuimus pulcherrimum exemplum in Publicano,qui adeo agnouit magnitudinem ſui debiti,quod nec oculos leuare ſit auſus, tamen audita miſericordiæ Dei magnitudine,erigit ſe fide, & precatur:Deus propicius eſto mihi peccatori, atque ita totius debiti gratuitam remiſſionem accepit.

Vſus horum exẽplorum.

Hæc exempla nobis proponamus,quę clarè mõſtrant nobis pœnitentiæ & remiſſionis peccatorum doctrinam,quod remiſſio peccatorum ſit debiti gratuita condonatio,quæ illi contingit qui agit pœnitentiam,& confugit ad miſericordiam Dei propter Chriſtum.Etſi autem hęc remiſſio omnino gratuita eſt, ſi nos reſpicimus,tamẽ ſi Chriſtum reſpicimus, qui pro peccatis noſtris horrẽda ſuſtinuit ſupplicia, facta eſt Deo ſufficiens pro debito noſtro ſolutio.

Remiſſionis.

Notemus proinde *Remiſſionis* vocem, quæ vel vnica multiplicem in ſe continet doctrinam

1. De-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Vox multiplicē doctrinam & variarum hæreſeon refutationem continet.

1. Deſtruit doctrinam Monachorum de ſatisfactionibus. Nam ſi ſalus contingit per remiſſionem debiti, iuxta Euangelium, quis furor eſt dicere, ſalutem cõtingere propter ſatisfactionem debiti. Nam remiſſio & ſatisfactio ita inter ſe pugnãt, vt eidem nequaquam conuenire poſſint. 2. Omnia merita humana euertit. Quomodo enim quod gratuitum eſt, ex merito eſſe poteſt? Apertè Paulus inquit: Ei qui operatur, merces confertur non ex gratia, ſed ex debito: ei verò qui nõ operatur, ſed credit in eũ, qui iuſtificat impium, imputatur fides eius ad iuſticiam. Quemadmodum & Dauid inquit: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. 3. Euertit remiſſionis nomen compenſationem, quam Papiſtæ docent, quæ compẽſatio debet fieri, vt docent, per peregrinationes, ieiunia, eleemoſynas. Ignem quoque purgatorij extinguit. Si enim eſt remiſſum debitum, cur punitur debitor? 4. remiſſionis vox ianuam gratiæ miſeris peccatoribus aperit, in agone mortis ſalutis eſt portus, & omnis conſolationis fons. Hæc ſint dicta de primo loco.

DE SECVNDO.

Miſericordia Dei eſt. Vniuerſalis. Peculiaris.

Quia hic textus de parabola creditoris, quãta ſit dilectio & miſericordia Dei erga genus humanum, indicat, nonnihil de ea dicam. Eſt autem duplex Dei miſericordia. Vniuerſalis vna, qua ſinit ſolem ſuũ oriri ſuper bonos & malos, & peculiaris, qua, vt chariſſimus Pater, Eccleſiam filij ſui complectitur, de qua Chriſtus Ioh. 3. 16. Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam. Nullo maiori teſtimonio potuit cœleſtis pater ſuã erga nos declarare miſericordiam, quam quod dederit filium, qui nos à commerita damnatione per mortem ſuam redimeret, & daret vitam æternam. Quoties igitur audimus nominari miſericordiam Dei, hæc cogitemus.

Huius meditatio multiplex.

1. Cogitabimus quanta ſit miſeria generis humani priuſquam in gratiam recipiatur. Iacet genus humanum proſtratum & vulneratum à Diabolo, eius veneno inſuper infectum, nihil ſpirat præter peccatum, propter quod æternis pœnis eſt obnoxium.

2. Huius miſeriæ cauſæ ſunt cogitandæ, quæ ſunt cùm peccata primorum parentum, tum noſtrę propriæ ſordes. Etſi enim illorum lapſu obnoxij ſumus ſententiæ damnationis, tamen quotidie nouis peccatis obligamur ad grauiores pœnas.

3. Philanthropia Dei & clementia erga genus humanum eſt cogitanda. Apparuit, inquit Paulus, Philanthropia & benignitas Dei ſalutaris omnibus hominibus. Quæ potuit maior Philanthropia eſſe, quam quod nos nõ abiecerit propter tantam turpitudinem & fœditatem.

4. Cogitandum eſt antilytron, hoc eſt, victima filij, qua ſuccurritur miſeriæ humanæ, & peccatum aboletur. Eum qui non nouit peccatum, fecit peccatum, vt nos fieremus iuſticia Dei in ipſo, 2. Corinth. 5. 21.

5. Cogitanda eſt via, per quam nos peruenire poſſumus in poſſeſsiouem miſericordiæ Dei, illa via monſtrata eſt in primo loco, quæ nulla eſt alia, quã vera pœnitentia.

6. Cogitandum eſt, quouſque ſe diuina miſericordia extendat, quod non ad paucos quoſdã pertineat, vel ad homines vnius ætatis, ſed promiſcuè ad timẽtes eum. Ita enim canit beata virgo edocta ſpiritu Chriſti, quem conceperat iam ex ſancto Spiritu: Miſericordia Dei à progenie in progeniem timẽtibus eum, id eſt, omnibus qui agunt pœnitentiam.

7. Cogitanda eſt perpetua gratitudo in tota vita, vt Deum pro tanta miſericordia glorificemus corde, ore, confeſſione & moribus.

8. Cogitandum eſt, vt ſoliciti ſimus in tota noſtra vita regenda, ne noſtra culpa tantum bonum amittamus, quemadmodum hic debitor fecit.

DE TERTIO.

De officio mutuo Chriſtianorũ.

Tertiam doctrinã propoſui de mutua condonatione erratorũ, quæ incidere ſolent. Nam hęc cõiuncta eſt cum fide remiſſionis peccatorum. Sunt autẽ duo cùm fide remiſſionis peccatorũ cõiuncta, nempe gratia & donũ. Gratia eſt ipſa iuſtificatio, qua hominibus credentibus imputatur iuſticia Chriſti remiſſis peccatis, de hac dictum eſt in primo loco. Donum eſt ipſa donatio Spiritus ſancti, qua homo ſola fide iuſtificatus ſimul regeneratur, ſanctificatur, hoc eſt, mortificatur carne, & viuificatur ſpiritu. Mortificatur caro, quando aboletur peccandi conſuetudo, vificatur ſpiritus, quando nouam obedientiam Deo præſtare incipimus. Huius viuificationis quædam particula eſt condonatio mutua; qua alij aliis peccata & offenſas condonant. Quam ſit hæc condonatio neceſſaria, hodiernum Euãgelium apertiſſime oſtendit, ſicuti in præfatione dixi. Chriſtus iuſſit nos precari: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut nos dimittimus debitoribus noſtris. Vult enim Chriſtus nos imitari Patris ſui exemplum.

Condonatio offenſarum eſt viuificationis noſtræ particula.

Duo genera offendentium.

Verùm ſunt duo genera hominum, qui nos offendunt, quidam offendere pergunt, & non petunt cõdonationem, quidam poſtquam ſenſerunt ſe offendiſſe, mox ſupplices veniam petunt. Quantum autẽ ad illos attinet, qui pergunt offendere, offenſas remittas hoc modo: Depoſito vindictæ affectu, eum amare non deſines, quinetiam beneficium rependes loco iniuriæ, quãuis de illo, vt meretur, ſiniſtrè ſentis. Nam cum Deus hoſtibus nos bene velle iubet, non ideo protinus exigit, vt probemus in ipſis quæ ipſe dãnat, ſed tantũ animos noſtros vult eſſe purgatos. At quantum ad illos attinet, qui poſtquam læſerunt, mox veniunt & deprecantur veniam, debemus nos fratres in gratiam recipere, vt de ijs recte ſentiamus, ſimulque perſuaſi deletam corã Deo eſſe peccati eius memoriam.

De duplici offenſione.

Porro ſciendum eſt, quod duplex offenſio contingit inter fratres. Vna læditur frater à fratre. Altera læditur Eccleſia, ſcandalo videlicet, cum quis male viuit & agit, etiamſi noſtræ perſonæ aut rebus nullam inferat iniuriam. Ita lęſit inceſtuoſus ille Eccleſiam Corinthiacam, quem reſipiſcentem in gratiam recepit. Hęc cõdonatio ſeu remiſſio eſt duplex. 1. Odium aduerſus eum depones. 2. Deinde cõfugientẽ ad gratiam recipies, & tanquã fratrem illum complecteris; quẽ antea fugiſti, ne ipſius maculis te inuolueres. Hæc ſint breuiter dicta de tertio loco, qui requirit mutuam condonationem incidentium erratorum inter homines, idque exemplo Patris cœleſtis, qui tantum debitum nobis cõdonauit propter Chriſtum, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA XXIII. POST TRINItatis, Matth. 22.

ABeuntes Phariſæi cõſilium ceperunt, vt illaquearent Ieſum in ſermone. Et ad illum mittunt diſcipulos ſuos cũ Herodianis, *dicentes: Magiſter, ſcimus quod verax ſis, & viã Dei in veritate doceas, neq; cures quẽ-*

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quam, non enim reſpicis perſonam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet cenſum dare Cæſari, an non? Cognita autem Ieſus malicia eorum ait: Quid me tentatis hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait ad illos: Cuius eſt hæc imago & ſubſcriptio? Dicunt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo. Et his auditis, mirati ſunt, & omiſſo eo abierunt.

ENARRATIO TEXTVS.

Argumentum huius hiſtoriæ.

CONſilium ſanctorum Patrum, qui hoc Euangelium in Eccleſia proponendum iudicarunt fuit, vt extaret doctrina in Eccleſia de diſcrimine ſpiritualis regni Chriſti, & regnorum mundi. Deinde vt ſcirent pij, quatenus obediendum ſit politico magiſtratui.

Occaſio.

Occaſio autem huius Euangelij fuit malicia Phariſæorum, qui iuxta vaticinium Dauidis conſilia inierunt aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius, quo ipſius regnum euertant, & ſuam ſuperſtitionem ſtabiliant.

Summa.

Verſatur autem totum Euangelium in hac quæſtione: Iuréne populus Dei externo & politico magiſtratui eſſe ſubiectus, & ei tributa dare & obedire debeat. Chriſtus ad hanc quæſtionem ita reſpondet Eccleſia ijs omnibus, quibus eſt ſubiecta, obedietiã debet. Cũ ergo populus Iudaicus & Deo ſubiectus ſit, nam ab eo in peculiarem populũ eſt electus, & Cæſari, qui armis eũ ſubiecit, Deo reddere quod illi debetur, & Cæſari quæ ſunt Cæſaris, debet. Hoc reſponſum eò pertinet, vt doceat Eccleſiã ſuam debere ſubiectam eſſe magiſtratui ciuili, atq; tributa ſoluere, & tantiſper obedire, donec aliquid contra verbum Dei & legem naturæ præcipiat. Loci duo.

Partes.

1. *De hypocriſi & vſitata ingratitudine erga bene meritos.*
2. *De quæſtione Phariſæorum & de magiſtratu.*

DE PRIMO.

Hypocriſis & ingratitudo Phariſæorum.

Tunc abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, vt caperent eum in ſermone. Hoſtes Chriſti fuiſſe Phariſæos, teſtatur tota Euangelica hiſtoria. Et tametſi nec in doctrina quicquam, nec in vita erat, quod poterant reprehendere: tamen omnes quærunt occaſiones, vt innocenti ſint moleſti, eúmque traducant, tanquam qui malè doceret & malè viueret. Hoc perpetuum fuit hypocritarum ſtudiũ in mundo. Exemplũ habemus in Eccleſia Dei hoc die. Monachi & Phariſæi Papiſtici bene norunt noſtrã doctrinam, quam docemus, ex Moſe, Prophetis & Apoſtolorum ſcriptis deſumtam eſſe, nec aliquid habẽt, quod iure reprehendere poſſint in multorũ piorũ miniſtrorum moribus: tamen varias excogitant calumniandi artes, mille vias quærunt ad abolendum Euangelium, potius viderent Turcam regnare, quã Euangelij puritatem conſeruari. Vnde tanta rabies? Vnde hæc malicia? ſunt ſatellites Satanæ, quare non eſt mirum, ſi in caſtra Chriſti irrumpere conantur. Deinde hactenus fuerunt in magno precio, & ſalutabantur ſanctiſsimi Patres: nunc autem detecta illorum hypocriſi vileſcunt, & illorum ſuperſtitio exploſa contemnitur. Totas igitur vires intendunt, vt curſum Euangelij cadaueribus & ſanguine ſanctorum intercludant. Sed Deo ſit gratia, Eccleſia Chriſti eſt ædificata ſuper firmiſſima rupe, vt portę, & conſilia vireſque inferorum aduerſus eam præualere nequeant. Hoc proinde cum ſit perpetuum, non eſt mirandum, quod hi Phariſæi ſuo faciant more.

Horũ ſucceſſores.

Cauſæ tã impiæ crudelitatis.

Artes Phariſæorũ.

Videamus ergo quibus artibus Chriſti regnũ inuadant: Euangeliſta noſter quatuor illis tribuit artes, quibus vtuntur prius quam manum admouẽt. *Primum conſilium*, inquit, *inierunt.* Eſt enim conſilium actionis fundamentum. Conueniunt ergo, conferunt ſua nefaria conſilia, & quò quiſque ſit in conſultando nequior, eò maiorem laudem reportat. Hoc longe ante præuidit ſpiritus Chriſti in Dauide, quemadmodum habemus in 2. Pſal. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? Vere inania, quia Dominus fatuabat conſilia eorum. *Deinde* notatur hîc, quò omnia ipſorum conſilia tendebant. *Vt* (inquit Euangeliſta) *caperent eum ſermone.* Vt ita captus exponeretur ludibrio populi: infamaretur eius doctrina: vileſceret autoritas: vtque ad extremum raperetur ad ſupplicium, vt contumelioſus in Deum, hæreticus & maleficus. Vides ſcopum conſultationis Phariſæorum. *Tertio* loco ſequitur, qualenam inuenerint conſilium. Placuit iſtis bonis conſiliarijs, vt mitterent ſuos diſcipulos cum Herodianis. Aſtute admodum, vt haberent præſentes teſtes, qui poſſent ipſum apud Herodẽ traducere, ſi quicquam dixiſſet, quod alias minus placuiſſet. Hos diſcipulos egregie hypocriſi inſtruxerũt, vt eſſent ad fallendum magis idonei. Nulli enim citius fallunt, quam qui cum externam ſanctitatem & comitatem ſimulant, occulte fallere inſtituunt. *Quarto* deſcribitur horum hypocritarum oratio in hũc modum: *Magiſter, ſcimus quod verax ſis, & viam Domini vere doceas, & quod non ſit tibi cura de aliquo.* Hoc eſt principium orationis illorum: quod ſanè, ſi verba ſpectes, aptiſſimum eſt. Continet enim duo. Primum, agnoſcunt eum magiſtrum, deinde tribuunt ei virtutes, quas habere oportet fidelem doctorem. Cum eum verbis agnoſcunt Dominum, volunt non hoſtes, ſed amici, imo diſcipuli videri, qui magno diſcendi deſiderio teneantur. Cum tribuunt ei virtutes, quas verus doctor habere debeat, fraudulenter ſe inſinuant Domino, vt nihil ſibi ab illis periculi eſſe credat. Sed nullum eſt cõſilium, nulla prudentia aduerſus Dominum. Sed quęnam ſunt illæ virtutes, quas Chriſto tribuunt? 1. eſt veritatis ſtudium: *Scimus* (inquiunt) *quod verax ſis.* 2. Certitudo doctrinæ: *& viam Dei* (inquiunt) *in veritate doceas.* 3. conſtantia & animi fortitudo: *& non* (inquiunt) *eſt tibi cura de aliquo.* Quare? Quia nõ reſpicis perſonã alicuius (& hæc eſt quarta virtus) *Nõ enim* (inquiunt) *reſpicis perſonam hominũ.* Hæ quatuor virtutes ſunt magnæ, & requiruntur ab omnibus Dei miniſtris.

1. Conſiliũ ineunt.

2. Coniurant in caput Chriſti.

3. Exploratores mittunt.

4. Aſtute & adulatorijs verbis cum illo agũt.

Virtutes Chriſto tributæ.

Harum virtutum effecta.

Veritatis ſtudium facit, vt excuſsis ignorãtiæ tenebris, veritas illuceſcat. Certitudo doctrinæ facit, ne variæ doctrinæ ventis, & rumorum vanitate fluctuemus. Conſtantia & animi fortitudo inuictum in officio reddit. Quod non perſonas hominum reſpiciat, Doctor efficit vt veritas non metu aut alia re ſupprimatur. Has virtutes Dominus Iohanni Baptiſtæ tribuit: & quod fuerit eis verè præditus oſtendit effectus. Nam cum Herodes accepiſſet per vim vxorem fratris ſui Philippi, audacter illi reſtitit, non veritus perſonam, quam ſuſtinuit Herodes. Dicit enim: Non licet tibi habere vxorem fratris tui: propter quod paulò poſt raptus eſt ad ſupplicium. Huiuſmodi virtutes habuit & Helias, qui impio regi reſtitit, & apertè illi in os dixit: Tu perturbas Iſrael, & domus patris tui. Verùm hoc qui non faciunt, verius mercenarij dicendi ſunt, quam veri paſtores. Hactenus de machinis Hypocritarum aduerſus Chriſtum.

Exemplũ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

DE SECVNDO.

Queſtio Phatiſeorum.

Quæſtio ſequitur, qua ita putant ſe Chriſtum poſſe conſtringere, vt non habeat quò euadat. *Licet* (inquiunt) *cenſum dare Cæſari an non?* Hic putarunt quod neceſſario & ſimpliciter alterum ex his duobus eſſet reſponſurus, licere, aut non licere. Si dixiſſet licere: turbam offendiſſet, quæ inuita iſtud onus ſuſtinuit, ac ita habuiſſent acceſſum ad ipſum perdendum, deficiente ab eo turba. At ſi dixiſſet nō licere: aderant Herodiani, qui mox illum tanquam ſeditioſum rapuiſſent ad pœnam. Quid ergo ad hāc quæſtionem Dominus? Duo facit, Primùm obiurgat eos. Deinde ſoluit quæſtionem. Cognita, inquit Euangeliſta, Ieſus nequicia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Hîc experiuntur verum eſſe, quod illi antea adulandi gratia dixerant: non reſpicis perſonas hominum. Quæſtionis ſolutionem hoc pacto inſtituit. *Oſtendite mihi numiſma cenſus: at illi obtulerunt ei denarium. Cuius eſt imago hæc* (inquit) *& ſuperſcriptio? Dicunt ei, Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.* Quæſtio ſoluta eſt; ita vt nec veritatem tacuerit Dominus, nec anſam calumniandi habuerint Phariſæi. Quare confuſi mirati ſunt & abierunt. Adeo nullum conſilium, nulla prudentia valet contra Dominum.

Triplex doctrina ex Chriſti reſpōſione.

Sed quid hęc Chriſti reſponſio nos docet? Primùm diſcernit inter regnum Cæſaris & Dei, id eſt, inter regna mundi & Eccleſiam. Deinde diſtinguit inter perſonas, quæ diuerſis regnis præſunt. Tū docet obedientiam præſtandam eſſe in vtroque regno, hoc eſt, vt Deo ſuus cultus tribuatur in ſpirituali ſuo regno, & politico magiſtratui debita præſtentur officia. Hoc loco dicendum eſſet, quid Deo debeatur, & quid politico Magiſtratui: verum quia ſæpius aliâs dictum eſt de cultu Dei, hîc de magiſtratu dicam, quo admoneamur, quam pie nos de magiſtratu ſentire oporteat. Dicam igitur quinque de magiſtratu: 1. vnde, & quid ſit. 2. quæ conditiones boni magiſtratus eſſe debeant. 3. quod officium quíque fines ſint adminiſtrationis politicæ. 4. qualénam magiſtratus ius exiſtat in ſubditos & ſubditorum bona. 5. quid magiſtratui ſuo debeāt ſubditi.

Loci de Magiſtratu tractatio.

1 Vnde ſit magiſtratus.

Primum, quod propoſui, nempe vnde & quid ſit magiſtratus, Paulus Rō. 13.1.&c. declarat, vbi docet à Deo magiſtratū eſſe. Non enim (inquit) eſt poteſtas niſi à Deo, quæ verò ſunt poteſtates, à Deo ſunt ordinatæ. Quod quidem de iure imperij intelligendum eſt, non de confuſione, quæ ſæpe in imperiis propter ſcelera hominum cernitur. Dum itaque boni magiſtratus pręſunt, Deum veluti propinquum nobis cernimus, & nobis eorum, quos conſtituit, manu imperantem. Contrà cum impij magiſtratus præſunt, impietas quædam à diabolo & praua voluntate imperantis eſt: ſed Deus iratus laxat fręna Tyrannis & impiis, vt ita ingratitudinē hominum vlciſcatur.

Quid ſit.

Habes vnde ſit magiſtratus: quid autem ſit idem Paulus definit: nempe quod ſit ordinatio Dei ſubditis in bonum, dum honorantur boni, & puniuntur mali corporalibus pœnis.

2. De conditione boni magiſtratus.

Secundum, quod propoſui, fuit de conditionibus boni Magiſtratus, quæ Exod. 18. quatuor recenſentur, nimirum vt Iudex ſeu Magiſtratus ſit ſapiens, timens Dei, verax, ac minime auarus. Sapientia gubernet actiones, ne in adminiſtratione per errorem peccet, ac peruertat iudicium. Timor Dei efficit, vt Deum reſpiciat in omnibus cauſis, caueátque ne quicquam committat, quod illum offendat. Veritas monet, ne falſas legum interpretationes, & ſycophātias admittat. Odium auariciæ ſinceritatem in iudicando conſeruat. Vbi enim munerarij iudices ſunt, actum eſt de æquitate. Nam ſi perſonæ acceptio corruptio eſt iudicij, vt nullus ſit æquitati locus, profecto auaritia efficit, vt Iudex potius perſonam quam cauſam intueatur. Quiſquis igitur magiſtratu fungens precio ducitur, æquum & bonum perſpicere non poteſt. Munere. n. excæcantur oculi ſapientū, & peruertuntur verba iuſtorum. Hinc eſt quod auari iudices furum ſocij dicantur ab Iſaia, cap. 1.23.

3 Eius officium.

Tertium, quod propoſui de Magiſtratu, fuit de eius officio, de quo nunc agam. Oſtendam autem Magiſtratus officium cum teſtimoniis Scripturæ, tū per exempla illuſtrium hominum, qui magiſtratu cum laude functi ſunt. Officium Magiſtratus in genere eſt, vt ſit cuſtos diuinæ legis, hoc eſt, veræ religionis conſeruator. Hoc autem officium tūm demum exercet pius Magiſtratus, cum exemplo Dauidis, Ioſiæ, Ezechiæ, 1. tollit idololatriam & idololatriæ occaſionem: vt Ezechias æneum ſerpentem diminuit: Ioſias templum purgauit à variis idolis: Moſes vitulum confregit: Dauid exhortationibus populum ad verum cultum Deo præſtandum adduxit. Nam ſi Magiſtratus à Deo ordinatus eſt, vt ſit miniſter Dei homini in bonū, debet vtiq. quę homini noxia videt ꝓ viribus amoliri, ne reipublicæ bonū & ciuiū ſalus impediatur. 2. Curabit magiſtrat⁹ exēplo Ioſiæ, vt vera religio proponatur, conſeruetur, & ꝓpagetur, impiis doctrinis abolitis. Quanquā autē diſtincta ſunt officia Magiſtratus ciuilis, & miniſteriū verbi: tamē in hoc conuenire poſſunt & debent, vt gloriā Dei & ſalutem generis humani ſimul quærant, ſed ſeruata vtriuſque legitima ratione: hoc eſt, vt Magiſtratus ciuilis edicto & gladio, miniſter autem verbi doctrina, exhortatione, obiurgatione & comminatione, impietatem tollere, & gloriam Dei quærere conentur. 3. Præterea quia religio ſine docentibus & diſcentibus conſeruari nequit, Magiſtratus officium eſt ſcholas erigere, ſtipendiis conſeruare, vt docentes & diſcentes pietatis ſtudiis incumbere poſſint. 4. Ad hæc Ezechiæ & regis Niniuæ exempla commonefaciant magiſtratum, vt vel præſentem vel imminentem iram Dei ſolennibus ad Deum precibus veráque ad Dominū conuerſione auertere ſtudeāt. Atque hæc quidem ad eam partem legis referenda ſunt quæ ad religionem potiſſimum ſpectat.

1. De primæ tabulæ obſeruatione.

1. De ſecūdæ tabulę obſeruatione.

Quantum autem ad externum politicum ſtatum attinet, idem officium eſt Magiſtratus boni in ſua republica, quod honeſti patrisfamiliâs in ſua domo, nimirum vt quemadmodum pater liberos diſciplina regit, caſtigat contumaces, bonos honore afficit, largitur præmia, breuiter in hoc totus incumbit, vt ſua familia quam optime conſtituta videatur, ita Magiſtratus in ſua republica facere debet, vt vere Pater patriæ dici poſſit.

Officium magiſtratuum ſūma.

Verum ſi quis officia Magiſtratus numerata ſibi cupiat, is ſciat *primum* Magiſtratus officium eſſe ſtudium pacis, vt in tranquillitate Deum colamus abolitis ſuperſtitionibus, quæ veram religionem corrumpunt, ac pietati veræ ſunt impedimento. *Secundum* magiſtratus officium eſt, vt ſinguli ſua officia recte faciant, quod fieri non poteſt, niſi vbi legum maneat autoritas & executio. Leges enim ferre, quas executio nō ſequitur, rerūpublicarum pernicies eſt, quare vt honeſtas leges magiſtratui ferre licet, ita caueat oportet, ne in contemtum veniat, quod fit, quando non ſequitur executio. *Tertium* officium eſt vt puniat ſontes, & inſontes tueatur iuxta legum præſcriptum, & prudentem moderationem. Ex his facile eſt colligere, quinam ſint fines magiſtratus,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nimirum quod ſit ordinatus propter Deum ad Eccleſiæ & Rerumpublicarum vtilitatem, quare recte dicitur, quod gubernatio, religio, & propria domus principi curæ eſſe debeant.

4. De iure magiſtratus in ſubditos & ſubditorũ bona.

Quartum, quod promiſi me dicturum, eſt de iure magiſtratus in ſubditos & ſubditorum bona. Xenophon Philoſophus hanc legem tradit magiſtratui: Regula regi non affectus, ſed lex eſſe debet. Vnde ſequitur, tantum iuris magiſtratũ habere in ſubditos & illorum bona, quantum leges conſentientes Decalogo & legi naturæ permittunt. Habet igitur ius iuxta quartum pręceptum imperare ſubditis, neceſſaria officia, cum ad publicam incolumitatem, tũ ad ſingulorum vtilitatem facientia.

5. De officio Subditorum erga magiſtratum.

Reſtat quod quinto loco propoſui de officio ſubditorum erga magiſtratum. Poteſt autem officium ſubditorum erga magiſtratum ad quatuor capita reuocari, vt *primum* ſit, iuxta quartum præceptum, honorare magiſtratum, hoc eſt, ſuſpicere & uereri ipſum tanquam miniſtrum & legatum Dei, ita vt ipſum honores, timeas, candidè de ipſo iudices, errata in meliorem partem accipias, non cum vulgo magiſtratui detrahas. Nã id ſeuerè prohibetur verbo Dei: Exod. 22. 28. Principi populi tui ne maledicas. Maledictionis voce omnes calumniæ & obtrectationes intelliguntur. *Secundum*, edictis parere cum in tributis dandis, tum in aliis quoque rebus, quatenus per religionem & legem naturæ liceat. Huc illud Pauli pertinet: Tit. 3. 1. Admoneto illos, vt principibus & poteſtatibus ſubditi ſint, vt magiſtratib. pareant, vt ad omne opus bonum ſint parati. *Tertium*, orare pro magiſtratu. Adhortor inquit Paulus, 1. Tim. 2. 1. vt fiant deprecationes, obſecrationes, interpellationes, gratiarũ actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus in eminentia cõſtitutis, vt placidam & quietam vitam degamus, cum omni pietate & honeſtate. *Quartum*, non irrumpere in partes officij magiſtratus, ſed magiſtratui cognitionem deferre, ſi quid ad Reipublicę ſalutem pertinere videatur. Hæc ſint dicta de magiſtratu. Deus det nobis gratiam, vt & Deo verum cultum, & magiſtratui noſtro debita præſtemus officia, per Ieſum Chriſtum Dominum, cui gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

DOMINICA XXIIII. TRInitatis, Matth. 9.

PRimas quidam venit, & adorauit Ieſum dicens: Filia mea modò defuncta eſt, ſed veni & impone manũ tuam ſuper illam, ac viuet. Et ſurgens Ieſus ſecutus eſt eum, ac diſcipuli eius. Et ecce, mulier quæ ſanguinis profluuio laborauerat duodecim annos, accedens à tergo, tetigit fimbriam veſtimenti illius, dixerat enim intra ſeſe: Si tantùm tetigero veſtimentum illius, ero ſalua. At Ieſus conuerſus, vt vidit illam, dixit: Confide filia, fides tua ſaluam te fecit. Et ſalua facta fuit mulier à tempore illo. Et cũ veniſſet Ieſus in ædes primatis, vidiſſétque tibicines & turbam tumultuantem, dicit illis: Secedite, non enim mortua eſt adoleſcentula, ſed dormit. Et deridebant illum. Cum autem fuiſſet eiecta turba, introgreſſus tenuit manum illius, & ſurrexit adoleſcentula. Et emanauit rumor hic in totã terram illam.

ENARRATIO TEXTVS.

Summa & vſus præſentis hiſtoriæ.

In hoc Euangelio clariſſime deſcribitur, quomodo Dominus noſter opem ferat ſuæ Eccleſiæ ſubiectæ cruci. Quemadmodum enim Chriſtus ſaluator noſter erga hunc primatem & hanc afflictam mulierem eſt affectus, ſic etiam eſt affectus erga me & te, adeóque omnes, qui horũ, hoc eſt, huius primatis & huius mulieris exemplo ad ipſum confugiũt, iuxta illud vaticiniũ Ioelis de Chriſto, cap. 2. 32. Omnis qui inuocauerit nomen Domini, ſaluus erit. Cũ hoc vaticinio & Chriſti verba & facta conſentiũt. Verba ſunt, Matth. 11. 28. Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, ego vos reficiam. Facta multa occurrunt: Cæcos ſanat, leproſos purgat, hunc Iairum & hanc mulierem exaudit, & ſe implorantibus fert opem. Hæc eſt ergo ſumma huius hiſtoriæ, quod Dominus duo edat miracula, ſanat mulierem, quæ duodecim annos laborauerat morbo, excitat huius Iairi filiam, quæ defuncta erat, vtroque facto ſuum erga omnes animum declarat. Loci tres: Partes.

I. *Exemplum huius mulieris, eius conditio, fides, innocatio & ſanatio.*
II. *Exemplum Iairi, & excitatio puellæ mortuæ.*
III. *Deriſio, qua Chriſtus ridetur ab hoſtibus ſuis.*

DE PRIMO.

In hiſtoria mulieris circunſtãtiæ expẽdendæ.

Etſi primo loco fit mentio principis Iairi, qui venit ad Chriſtum, tamen prius dicam de hac muliere patiente fluxum ſanguinis, quia ponitur in medio hiſtoriæ de principe hoc. In hac itaque muliere quatuor ſunt nobis perpendenda: 1. conditio eius. 2. fides, 3. inuocatio, 4. eiuſdem à morbo, quo laborauit, ſanatio, quorum ſingula ſingularem doctrinam & admonitionem continent.

I. conditio eius, modis omnibus miſera.

Conditio mulieris hæc fuit: fuit mulier ſimplex & timida, duodecim annos fluxum ſanguinis paſſa fuit, vnde facile cogitare eſt, quam fuerit exhauſta & imbecillis. 1. Qui vno menſe tam graui morbo laborat, ſatis miſer & afflictus eſt, quid dicemus de hac, quæ tot annis eſt vexata? 2. Addit Marcus, ꝙ multa paſſa ſit à medicis, quorum alij aliis pharmacis miſeram excarnificarunt. 3. Huc accedit, quod iam ſuas facultates cõſumſerat, vnde in hoc grauiſsimo morbo ad mẽdicitatem erat redacta, neq; tanti ſumtus quicquam profuerunt, imo quotidie fuit deterius. 4. Morbum hunc corporis morſus conſciẽtiæ acerbiorem fecerat. Nam cũ ſcriptura dicat, eũ qui peccat contra Dominũ, incidere in manus medici, quid aliud potuit cogitare, quam Deum ſe abieciſſe. Hæc fuit huius mulieris conditio dura ſatis, morbus corporis, mala conſcientia, mendicitas, contemtus. An propterea eſt abiecta corã Deo? An propterea Chriſtus eam reiecit? Nequaquam. Venit enim propter afflictos, venit propter peccatores. Nos ergo huius mulieris exemplo admoniti, erigamus nos in noſtris calamitatibus, agnoſcamus iuſtam iram Dei aduerſus nos propter peccata. Audiuimus quæ fuerit conditio huius mulieris, ſequitur fides.

II. Fides eius.

Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius, ſi tetigero (cogitat) *tantum veſtimẽti fimbriam eius, ſalua ero.* Hæc vox ſatis declarat, qualis fuerit eius fides. Certò ſibi perſuaſit, quod ſi tantum tangeret fimbriam veſtimenti illius, conſequeretur ſalutem. Vnde tanta fides? Ex vniuerſali promiſſione, quam ſibi accõdauit. Nouit abſq; dubio hanc Chriſti promiſſionẽ venite ad me omnes, &c. Hic primùm tribuit Chriſto laudem veritatis. Deinde generale dictum ſibi accommodauit, hoc modo: Omnes vocat ad ſe, omnibus promittit opem, vult omnes laborantes reficere: Ego ſum in numero laborantium, ego ſum ex ea turba, quam totam ad ſe vocat, vere igitur ſtatuo, quod me velit iuuare. Videmus quomodo hæc mulier fidem excitauit: Iam hoc ad nos accommodemus.

Vnde Fidei vigor & effectus.

1. Quo-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Applicatio.

1. Quoties te premit crux internè vel externè, agnoſce iſtam crucem eſſe veluti concionē quandã, qua tua miſeria & damnatio tibi ob oculos ponitur. 2. Deinde verbum promiſſionis & exempla intuere & cogita Deũ non eſſe acceptorē perſonarum, ſed velle omnium miſereri in Chriſto Ieſu. 3. Hac fiducia Chriſtum inuoca, & ſtatue illum te vere velle exaudire, & dare quod petis, niſi venenum petieris, id eſt, niſi petieris id, quod tibi non ſit vtile, ſeu quod impediat gloriam Dei, & hoc dictum: Venite ad me omnes, tibi applica, quod cum feceris, conſolationē ſenties.

Obiectionis dilutio triplex.

Verum iſta mulier habuit Chriſtum præſentem, quem oculis vidit, à me procul abeſt. Iſta tentatio eſt carnis, contra quam 1. opponito promiſſionem Chriſti: Ego ero vobiſcum vſq; ad conſummationē ſeculi. 2. quod Dominus Thomæ dixit: Beati qui crediderunt, & non viderunt. 3. quod Chriſtus non ſit acceptor perſonarum, & in aliquot exēplis declarauit, cum hic eſſet præſens in carne, quomodo vellet agere cum reliquis ſe inuocaturis.

At ſum peccator magnus: Credo, ſed Chriſtus venit in mundum peccatores ſaluos facere. Ita dicit primum ipſe, Mat. 9.13. Non veni ad vocandum iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Hoc Paulus repetens ait, 1. Tim. 1.15. Certus ſermo, & omni approbatione dignus, ꝙ Chriſtus Ieſus venit in hunc mundum ſaluos facere peccatores. Itē, Tit. 2.11. Apparuit gratia ſalutaris omnibus hominibus. Deinde intueamur exēpla miſericordiæ Dei. Adam coniecerat totum mundum in damnationem, ſed agit pœnitentiam, & recipitur. Paulus perſecutus eſt Eccleſiam Chriſti, Petrus negauit Chriſtũ, Manaſſes ſe horrēdis idololatriis, & copioſo Sanctorum ſanguine polluerat: ſed reſipiſcentes in gratiam ſunt recepti. Quare declaratur, quàm verum ſit dictũ illud apud Prophetã, Ezech. 18.23. Viuo ego, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat. Huc illæ Chriſti aſſeuerationes: Amen amen dico vobis, qui credit in me, non peribit, ſed habebit vitam æternam. Has ſententias & hæc exempla opponito cogitationi de peccatorum magnitudine, & ſcito miſericordiã excedere peccatũ, & gratiam abundare ſupra delictũ.

Tertiæ obiectionis explicatio.

At neſcio an ſim prædeſtinatus: Hæc grauiſſima eſt tentatio ab ipſo Satana profecta. Quis eſt lapſus? Adam cum ſua poſteritate, nam fuimus in illo tanquã in maſſa cõmuni humani generis. Quis accepit promiſſionem? Nónne Adam? Ergo quēadmodum lapſus es in Adam, ita cum eodē es promiſſionis particeps, modò promiſſionis verbo fidē adhibere velis. Deinde clarũ eſt Pauli dictum, 1. Tim. 2.4. Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Huc facit, quod Chriſtus mandatũ vniuerſale dat ſuis diſcipulis: Ite in mundum vniuerſum, prędicate Euangelium, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui vero non crediderit, cõdemnabitur. Marc. 16.15. & 16.

Quartæ obiectionis ſolutio.

At fides eſt donum Dei, quod dat quibus vult. Vide quam multa caro inuenit, quibus ſibi ipſi viã ad ſalutem intercludit? fides eſt donũ Dei, ſed hoc modo confertur. Proponit tibi verbum, huic vt credas iubet, & in cogitatione vult eſſe efficax. Sed tu caue, ne cum Iudæis reſiſtas Spiritui ſancto, quod Stephanus ſuis obiecit. Chriſtus cum videret ciuitatem Ieruſalem, & cogitaret de eius vaſtatione, flens dixit: Quoties volui te congregare, ſicut gallina colligit pullos ſuos, & noluiſti. Ecce Chriſtus vult, nec aliud vult quam pater. Quid voluit? congregare filios Ieruſalem ad ſuum ouile: ſed Ieruſalē noluit, decepta à ſuis seductoribus, falſis prophetis, & ineſcata diuitiis, potentia, voluptatibus & curis huius mũdi, noluit Chriſto ſuo paſtori obedire. Quare vt iuſto Dei iudicio: ita propria culpa periit. Promiſſionibus igitur diuinis eiſq. vniuerſalibus freti, & confirmati exemplis, cum hac muliere in doloribus & cruce confugiamus ad Chriſtum, ita futurum eſt, vt inueniamus auxilium in tempore opportuno. Fidem huius mulieris vidimus: nunc, quod tertio loco in hac muliere ſpectandum dixi, videamus, videlicet qualis fuerit huius mulieris inuocatio.

III. Mulieris oratio.

Sed tacet, loquitur apud ſe, tangit tantũ fimbriã veſtimenti Ieſu. Nulla hic auditur oratio. Verùm quidē eſt: nulla orantis verba hic recitãtur, ſed ſunt hic orationis ſigna & orationis effectus. Signa ſunt, ꝙ accedit, tãgit fimbriam, & apud ſe cogitat de eius clementia, & intimo cordis voto miſericordiã ſibi præſtari expetit. Hoc votum non ſecus quam ardētiſſimas preces exaudiuit Chriſtus. Effectus ſunt cõſolatio & ſanatio. De Moſe etiam legimus, Exod. 14.15. quod cum labia non viderentur mouere, tamē audit à Domino, quid clamas ad me? vnde docemur, quod oratio, quæ nubes penetrat, non ſit labiorum motus, non ſit verborum βαττολογια & multiloquium: ſed potius ſupplex animi eleuatio ad Deum, qua fide Chriſti aliquid à Deo petitur. Hoc etiã confirmatur Dauidis teſtimonio, qui ait: Ad te Domine leuaui animam meam. Pſal. 25.1.

Chriſtianæ orationis definitio.

Porro, quia nullus cultus maior eſt, quàm recte Deum inuocare, & oporteat pios perpetuo in hoc cultu occupari, volo breuiter quædam de recta inuocatione dicere. Dixi paulò ante, quid ſit oratio: nunc quas cõditiones perpetuò habere debeat oſtēdam. Sunt autem quinq. perpetuæ conditiones & veluti proprietates piæ orationis, quæ ſunt, 1. Quomodo noſter animus compoſitus eſſe debeat adorãdum. 2. Quid nos ad orandum impellat & vrgeat. 3. Quis ſit à nobis inuocandus. 4. Quo fundamento freti prodeamus in cõſpectum Dei oraturi. 5. Quid ſit petendum, & quando cum conditione, & quando ſine conditione.

1. affectus triplex.

Prima, Animus noſter in hunc modum compoſitus eſſe debet. 1. Exuenda eſt omnis cogitatio propriæ gloriæ, ſicut hæc mulier nihil niſi ſordes in ſe agnouit. Deinde inopia ſentiatur, quam ſane maximam hæc afflicta mulier ſenſit. 2. In vera pœnitentia homo ſe proſternat coram Deo, idq. potius animo quam corpore. Id hanc mulierem feciſſe inde apparet, quod à tergo acceſſerit. 3. Certa fide ad orandum incendatur animus. Nam niſi quis certam fidem attulerit, verba fundit potius quã precatur. Huiuſmodi etiam fidem hanc mulierem ad Dominum attuliſſe, ex ſuperioribus manifeſtum eſt.

2. Cauſæ impellentes quinque: vt patet ex hac hiſtoria.

Secunda, Cauſæ, quæ nos ad orandum impellent, ſunt multæ. Hæc mulier abſque dubio cogitauit de mandato Dei, in quo ſeriò à nobis hunc cultum requirit. Deinde promiſſiones non ignorauit, alioqui tanta fiducia ad orandum nõ prodiiſſet. Quicquid (inquit Chriſtus) petieritis in nomine meo, Pater dabit vobis. Senſit præterea & Diaboli tyrannidem & ſuam inopiam, vnde mota auxilium quærit ab eo, qui ſolus iuuare poteſt. Conſiderauit quoque exempla: vidit Iairum Dominum inuocaſſe pro filiæ valetudine, & multa alia exempla cogitauit. His multis cauſis ad deprecandum eſt excitata. Proinde & nos erigamur ad Deo hunc cultum inuocationis præſtãdum. 1. mandato Dei. 2. promiſſionibus. 3. cogitatione tyrannidis Diaboli. 4. ſenſu propriæ miſeriæ & inopiæ. 5. ſanctorum exemplis.

3. Quis inuocandus

Tertia, Quis inuocandus? ſolus Deus, qui eſt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: nec Angeli, nec homi-

3. Quis inuocandus.

nes ſunt inuocandi. Hoc enim æternũ Dei mandatũ eſt, Pſal. 50. 15. Inuoca me in die tribulationis. Item Matt. 4. 10. Dominũ Deũ tuũ adorabis, & illum ſolũ coles. Inuocare enim creaturã ſũma eſt idololatria, propter quã mundus horribiliter punitur, quia talis idololatria in Deum ſumma blaſphemia eſt.

4. per quẽ ſeu, quis mediator

Quarta, iure quæritur, quo fundamento nixi prodeamus in conſpectum Dei. Nam ſi nos intueamur, cõfuſio faciei noſtræ nos precando abſterret. Deinde ſcriptura dicit, Iohã. 9. 31. Deus peccatores non exaudit. Certũ eſt, ꝙ nemo fretus ſua dignitate poſſit orare. Quare quærendus eſt ille vnus Mediator inter Deũ & hominẽ, Chriſtus Ieſus, qui ſe pro nobis interpellatorem offert, dum ait. Iohã. 16. 23. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Huius ergo dignitate habemus acceſſum ad Deum patrem.

5. Quid petendum.

Quinta, Quid orandum ſit. Triplicia ſunt precanda, & triplicia deprecanda. 1. gloriã Dei ſanctificari inter homines precabimur. 2. ſalutem animæ. 3. neceſſaria ad præſentis vitæ conſeruationem, & contr deprecabimur. 1. quicquid impedit gloriam Dei. 2. quicquid aduerſatur noſtræ ſaluti. 3. quicquid nobis in hac vita moleſtum eſt. Hæc ſtatuamus nos impetraturos, & præſertim quæ primo & ſecundo loco ponuntur. Tertij generis bona & mala deprecari oportet cum conditione non imminutæ gloriæ Dei, aut impeditæ noſtræ ſalutis.

IIII. Mulieris ſanatio.

Quartum, ꝙ propoſui de hac muliere, eſt eius ſanatio: in qua quid Chriſtus dixerit & egerit, & quid illi acciderit, dicendum eſt. Quid dixit Chriſtus? Confide filia: fides tua te ſaluam fecit. Et hoc cum diceret, diuina ſua virtute mulierem ſanauit. Quid accidit mulieri? & ſalua facta mulier ex illa hora. Hic habemus multa: 1. quod qui credunt, adoptantur in filios, iuxta illud, Iohan. 1. 12. Dedit poteſtatem, vt filij Dei fierent, quotquot credunt in nomen eius. 2. qualis ſit affectus Chriſti in afflictos. 3. quod fides quoduis à Deo impetret. 4. quod Chriſtus hîc declarat ſuam diuinam potentiam, oſtendit voluntatem, monſtrat officium, ac veritatem Euangelij confirmat. De his propter temporis breuitatem plura non dicam.

Doctrina

DE SECVNDO.

In hoc Iairo primate habemus etiam exemplum fidei, inuocationis, cõfeſſionis & ſpei. *Ecce princeps acceſſit*: Hîc habes fidem. *Et adorauit eum*: Habes fidei fructum, inuocationem. Hæc duo confeſſionem continent. *Domine*, inquit, *filia mea modò defuncta eſt: ſed veni, & impone manum tuam ſuper eam, & viuet*. Ecce quanta cum ſpe precatur. Nos ergo ex hoc diſcamus in noſtris neceſſitatibus Chriſtum accedere, illum ex fide inuocare, confiteri, & certo ſtatuere, nos ab illo impetraturos, quæ nobis ſalutaria ſunt. Sed quid facit Chriſtus? Sequitur illum, & cùm veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: *Recedite. Et eiecta turba, dixit puellæ: Puella ſurge, & ſurrexit puella, & exiit hæc fama per vniuerſam terram illam*. Quia circumſtantiæ huius exempli congruunt fere cum exemplo mulieris, ſufficiant hac vice quæ de muliere dixi.

Iairus eſt exẽplum fidei.

Inuocationis.

Confeſſionis.

Spei.

DE TERTIO.

Mundus Chriſtum irridet.

Cum Chriſtus diceret: *Puella non eſt mortua, ſed dormit, deridebant eum*. Hîc tria intueamur. *Primum*, quod mundus non ſolum ſit ingratus erga Chriſtũ benefactorem: verumetiam derideat ipſum. Quare hoc? quia cæcus eſt mũdus, & ideo de Chriſti doctrina & factis non poteſt recte iudicare. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Caro non niſi carnem ſapit. Sapientia carnis inimicitia eſt cum Deo. Niſi ergo cum mundo velimus errare & fieri deriſores, audiamus Euangelium, quo mens rectius de operibus Dei inſtruatur. *Secundum*, quod hic non ſolum intueri, ſed etiam mirari oportet, eſt, quod Chriſtus nihilominus pergat in ſuo ſancto propoſito. Non abſterretur vel ſumma ingratitudine mundi, vt ſuam Eccleſiam deſerat. Dominatur in medio inimicorum ſuorum. *Tertium*, quod hic obſeruare decet, eſt Chriſti exemplum. Si ergo deridemur propter confeſſionẽ, intueamur filium Dei, & contemnamus iſtos deriſores, qui ſunt Diaboli moriones. Non malitia mũdi nos turbabit, ſed exemplũ filii Dei nos cõſolabitur, qui nobis adeſt iuxta ſuam promiſſionem: Ego ero vobiſcũ vſq; ad conſummationem ſeculi. Huic noſtro vnico Mediatori, vnà cum Patre & Spiritu ſancto, ſit honor & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

Chriſtus inuitis impiis Eccleſiæ ſua opem fert.

DOMINICA XXV. POST trinitatis, Matth. 24.

CVm videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, qui legit, intelligat. Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes: qui in tecto, non deſcendat, vt tollat quicquam de domo ſua: & qui in agro, non reuertatur, vt tollat veſtes ſuas. Væ autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus. Orate autem, vt nõ fiat fuga veſtra hyeme neque Sabbato. Erit enim tunc afflictio magna, qualis non fuit ab initio mundi ad hoc vſque tempus, neque fiet. Et niſi decurtati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro. Sed propter electos decurtabuntur dies illi. Tunc ſi quis vobis dixerit. Ecce hic Chriſtus, aut illic, nolite credere. Surgent enim Pſeudochriſti, & Pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poſſit) etiam electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente & apparet vſque ad occidentem, ita erit aduentus filij hominis. Vbicunque enim fuerit cadauer, illic congregabuntur aquilæ.

ENARRATIO TEXTVS.

Argumẽtũ & vſus præſentis concionis.

Hæc Domini cõcio cõtinet inſignẽ admonitionẽ admodũ hoc periculoſo tẽpore neceſſariã. Nam cũ Paulus dicit, Rom. 15. 4. Quæcunque ſcripta ſunt, in noſtram doctrinam ſcripta ſunt, non eſt quod putemus hæc propter ſolos Iudæos dicta & ſcripta eſſe: ſed potius propter nos, qui iam viciniores ſumus extremo diei, quàm Iudæi fuerunt. Eſt autẽ hæc concio & plena terrore & conſolantiſsima. Nã ſi impios & non agentes pœnitentiam reſpicis, nulla concio magis terribilis eſſe poteſt: illis enim horrendas pœnas comminatur. Sin autem ad pios & agentes pœnitentiã reſpicis, concio hæc plena eſt cõſolatione. Nã his ab omnibus ærumnis liberationẽ promittit. Cum hæc, inquit, videritis, leuate capita veſtra, quia appropinquat redemtio veſtra. Porrò occaſio huius concionis fuit diſcipulorum Chriſti interrogatio duplex, qui ſumta occaſione ex prædictione vaſtationis vrbis Ieruſalem, de qua in hoc ipſo capite præcedit vaticinium, quæſiuerunt primùm

Occaſio.

mùm

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mum quando id fieret. Deinde de ſigno aduentus Domini quærunt. Ad has quæſtiones reſpondet Dominus, non vt eorum carnale deſiderium expetebat: ſed prout ipſe ſciuit eorum inſtructioni ad ſalutem vtile eſſe. Summa huius concionis eſt, quod Chriſtus prædicit tempus vaſtationis Ieruſalem, & monſtrat aduentus ſui ſigna ad iudicium. Loci duo.

Summa.

Partes.

1. *Reſponſio Chriſti, & eiuſdem prædictio.*
2. *Huius doctrinæ vſus.*

DE PRIMO.

Reſponſionis Chriſti partes duę.

Reſponſio Chriſti habet duas partes, in quarum priori reſpondet ad primam interrogationem, videlicet qua interrogarunt diſcipuli, quando Ieruſalem vaſtaretur: in poſteriori ad ſecundam interrogationem, in qua quærunt diſcipuli de aduentu Chriſti ad iudicium.

Prioris circunſtātiæ.

Prior pars continet ſigna, quæ præcedent vaſtationem vrbis Hieroſolymitanæ, quæ multa hîc enumerantur, non ſolùm in textu, quem audiuiſtis, ſed etiam in principio huius capitis.

Aduentus pſeudo-Chriſtorū.

Primum ſignum eſt, quod venient Pſeudochriſti, hoc eſt, homines vani qui mentiantur ſe Meſſias & Saluatores eſſe: id quod etiam accidit. Nam tres præcipui nobiles fuerunt, vnus poſt alium, qui magnam multitudinem hominum poſt ſe traxerunt, Teudas, vir quidam Ægyptius: & Simon Magus.

Teudas.

Teudas, Cuſpio adminiſtrante rempublicam, ſuaſit populo, vt acciperent ſubſtantias ſuas, & ſe ſequerentur ad Iordanem. Illic enim ſe recipit ſuo nutu diuiſurum aquas, vt ipſi ſiccis pedibus tranſirent, & ita aſſerta libertate ſeruitutem Romanorum declinarent. Cui obtemperans ſtulta turba ad Iordanis ripam, cum fruſtra expectaret miraculum, eſt trucidata. Ægyptius ille ſuis ſequētibus ſalutem & requiem promiſit. Verùm illi quoque deluſi ſuæ temeritatis iuſtas dedêre pœnas.

Simon Magus.

Simon Magus, qui cum à Petro pecunia non poſſet emere donum conferendi viſibiliter Spiritum ſanctum, & audiuiſſet à Petro, Pecunia tua ſit tecum in maledictionem, excogitauit aliam viam, quam Diabolicis artibus fucauit, & pietatis larua eam induit: dixit igitur ſe virtutem Dei eſſe, cuius præſtigiis multi decepti ſunt. Quare autem id Deus permiſerit, Paulus ad Theſſal. reſpondet: quia non voluerunt credere veritati, dedit eis Deus efficacem illuſionem, vt crederent mendacio. Hac pœna digni ſunt, qui ad claram Euangelij lucem ſponte cæcutiunt. Deinde admonitionem continet textus. Ita enim ait Chriſtus: videte ne quis vos ſeducat, multi venient in nomine meo, dicentes, ego ſum Chriſtus. Hæc horribilis Iudaicì populi pœna nos admoneat timoris Dei, & reuerentię erga Euangelium Chriſti.

Ieroſolymæ vaſtatio.

Secundum ſignum, quod præcedet vaſtationem vrbis Ieruſalem. Audituri eſtis (inquit) bella & rumores bellorum. Huiuſmodi bella multa præceſſiſſe vaſtationē Ieruſalem teſtātur hiſtoriæ. Primum 2000. ob petulantiam militis illudentis genitalibus, Iudæorum occiſi ſunt. Deinde latrones publicè graſſabantur, qui gladios ſub palliis tectos geſtantes, quoſuis obuios trucidarunt. Ad hæc Cæſareę ſunt trucidati 2000. Scytopoli tredecim millia. Aſcaloni 2500. Ptolomaide viginti millia. Alexandriæ quinguaginta millia. Damaſci decem millia trucidati ſunt. Ecce quam vera fuerit prædictio Chriſti, & quā grauiter punitus ſit populus Iudaicus ob ſuam ingratitudinem. Quid dicam de fame, de peſtilentia, & terræmotu, quæ contigerunt iuxta Chriſti vaticinium? Hæc omnia peccata iſtius populi monſtrant, ſed fuerunt tantùm præludia quædam ad illa mala, quæ ſecuta ſunt.

Quadruplex perſecutio diſcipulorum.

Tertium ſignum, perſecutio diſcipulorum. Inuiſi (inquit) eritis cunctis gētibus propter nomē meum. Hęc perſecutio incepit à nece ſanctiſſimi Stephani, & poſtea quotidie magis ac magis creuit. Fuit autem diſcipulorum Chriſti afflictio quadruplex: 1. corporum. Nam alij flagellabantur: alij crucifigebantur: alij alio ſupplicij genere afficiebantur. 2. afflictio fuit ex ſcandalo defectionis ab Euangelio. Multi enim perſecutionum acerbitate fracti defecerunt ab Euangelio cum ſummo dolore diſcipulorum Chriſti. 3. afflictio diſcipulorum Chriſti fuit à Pſeudoprophetis, quorum plurimi fuerunt iſto tempore, de quibus Epiphanius ſcribit: vt Simoniani, qui Simonis Magi ſectatores fuerunt: qui Simon poſtea in medio vrbis Romę collapſus interiit. Hos ſequuntur Menandriani, Menandri ſectatores. Saturniliani ſequaces: Baſiliani, qui Baſilidem quendam imitabantur: Nicolaitæ, qui Nicolai, qui erat vnus de ſeptem Diaconis, turpitudinem ſectati ſunt: Gnoſtici, quorum infiniti fuerunt furores: taceo Ebionem & Cerinthum, qui naturæ diuinæ in Chriſto hoſtes fuerunt. Ecce quam multa agmina falſorum doctorum habuerunt, qui ſimplicitate Euangelij filij Dei contenti eſſe noluerunt. Quarta afflictio diſcipulorum fuit petulantia, contumacia & ingratitudo totius populi.

Prędicatio Euangelii in vniuerſa terra.

Quartum ſignum, & prædicabitur regni Euangelium in vniuerſa terra in teſtimonium omnibus gentibus. Hoc factum eſſe teſtatur Paulus, cum ait: An non audiuerunt? atqui in omnem terram exiuit ſonus eorum. Hactenus de ſignis præcedentibus vaſtationem Ieruſalem: nunc in textu typus vaſtationis ſignatur: *Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto. Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes.* Quaſi diceret: Tunc ipſe exercitus, qui vaſtaturus eſt Ieruſalem appropinquabit. Hæc abominatio fuit ſcelerum & idololatriæ populi Iudaici, quo totus ferè iſte populus erat infectus. Abominatio quidem dicitur propterea, quod Deo, vt res fœdiſſima, diſplicuit. Deſolationis abominatio dicebatur propter pœnam quæ ſecuta eſt: quę pœna fuit deſolatio & vaſtatio populi Iudaici.

De typo vaſtationis Ieroſolymitanæ.

Poſterioris partis quatuor circunſtātiæ.

Hactenus de prima reſponſione ad priorem diſcipulorum quæſtionem de vaſtatione Ieruſalem: ſequitur reſponſio ad ſecundam interrogationem, quę fuit de Chriſti aduentu, in qua quatuor ſunt ſpectanda. 1. quod iubeat cauere ſigna falſa. *Si quis vobis dixerit: Ecce hic Chriſtus, aut illic, nolite credere.* 2. quod admoneat diſcipulos, ne per oſcitantiam ſuæ admonitionis obliuiſcantur. *Ecce*, inquit, *prædixi vobis.* quaſi diceret: Velim vos perpetuò huius meæ prædictionis memores eſſe, ne exemplo aliorum obliti mei, abiiciatis confeſſionem. 3. Quod aduentus ipſius nō ſit futurus in angulis mundi, aut in deſerto: ſed quod ſit conſpicuus toti terrarum orbi. *Sicut*, inquit, *fulgur exit ab oriente, & apparet vſque ad occidentem: ita erit & aduentus filij hominis.* Non eſt ergo quod credatis illis, qui venient & mentientur Meſſiæ nomen. 4. Eſt electorum collectio ad Chriſtum. *Vbicunque* inquit, *fuerit cadauer, illuc congregabuntur & aquilæ.* Hoc eſt, quemadmodum Paulus interpretatur, cum Chriſtus ad iudicium venerit, obuiā rapiemur Chriſto in aerem, & ſic cum eo perpetuò erimus.

DE SECVNDO.

Applicatio ſuperiorum ad ea quæ noſtro ſeculo acciderunt.

Cum iſta, quæ contigere Iudæis, ſigna ſint eorum, quæ contingent in extremis diebus, in quos

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nos incidimus ante aduentum Chriſti, par eſt vt aſpiciamus ea, quæ noſtro ſeculo fiũt, vt videamus quomodo cum iſtis congruant. 1. Inter ſigna ſupra audiuimus primum, quod eſſent venturi, qui ſe Meſſiam eſſe fingerent: cui ſimile ante paucos annos in Germania accidit. Nam quidam Hollandus, Dauid Georgius nomine, finxit ſe Chriſtum, qui multos ſeduxit, qui poſtea mortuus, & deinde effoſſus & cõbuſtus eſt. Fuerunt & alij tum ex Iudæis, tum ex aliis, qui malè cum ſuis ſectatoribus perierunt. 2. Deinde quantum ad bella attinet & rumores bellorum. Turcia docet & aliæ multæ nationes, quam iſtud ſignum bene in hoc ſeculum quadret, & certè metuenda ſunt adhuc grauiora. 3. Tum quanta ſit perſecutio Eccleſiæ in multis regnis, in Turcia, in Græcia, in Italia, Hiſpania, Hollandia, quotidiani rumores ad nos allati docent. 4. Multæ ſubinde oriuntur ſectæ, maxima eſt ingratitudo mundi erga Euangelium, & corruptiſſimi ſunt plerorúmque mores. 4. His accedit & quartum ſignum aduentus Domini ad iudicium, quod prædicetur Euangelium in vniuerſo fere orbe terrarum. Etſi autem id publicè nõ fiat vbique in publico loco: tamẽ in omnibus regnis mundi ſunt aliqui, qui Euangelium audiunt. Cur prædicatur? nobis in teſtimonium: idque dupliciter. Teſtimonium enim ſalutis eſt, ſi Euangelio credimus: teſtimonium iuſtæ noſtræ damnationis erit, ſi fuerimus Euangelio increduli. Vſus iam colligamus prædictionis Chriſti.

Vſus.

Meditatio 2. aduẽtus Chriſti.

Primus eſt, de quo iam dixi, videlicet, quod iſta omnia contigerunt nobis quoque in doctrinam, vt inde cogitemus, quid immineat ingratiſſimo mũdo ante aduentum Domini ad iudicium.

Peccati deteſtatio

Secundus: Hæc nobis ob oculos ponunt magnitudinem & fœditatem peccatorum noſtrorum, & ſunt veluti prȩludia pœnarum, quas ſuſtinebunt, qui non egerint pœnitentiam.

De tyrannorũ ſupplicio horrendo.

Tertius. Admonemur hic, quæ vltio illos manet, qui ſanguine ſanctorum ſe polluunt. Qui vos perſequitur, inquit Chriſtus, me perſequitur. Quare? Quia propter Chriſti Euangelium & eius confeſſionem iſta fit perſecutio. Nunc lætantur quidam aduerſarij Chriſti cùm malefecerint. Verùm futurum eſt, vt ſatis acerbas luant pœnas effuſi ſanguinis fidelium, qui de terra clamat ad Deum, & expetit vindictam, quam iuſtus iudex reddet illis tempore ſuo, iuxta illud, Deut. 32. Mihi vindicta, & ego retribuam, tempore opportuno labetur pes eorum. Dominus differt pœnam, & iuxta diuitias bonitatis ſuæ & longanimitatis inuitat ad pœnitentiam. Non enim delectatur in perditione peccatorum, ſed mauult omnes reſipiſcere & viuere, quemadmodum ipſe apud Prophetam teſtatur his verbis: Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Verum qui hac bonitate diuina abutitur, theſaurizat ſibi iram in die iræ.

Exhortatio ad pœnitẽtiam.

Quartus vſus huius prædictionis eſt, quod admoneat nos pœnitentiæ. Chriſtus, cum quidam ſibi referrent, quomodo Pilatus miſcuiſſet ſacrificia Iudæorum ſanguine, & quod turris Siloe collapſa 13. viros occidiſſet, ait: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Nam aſſeuerat hoc non tantum factum eſſe propter eos, qui iſtic perierunt, ſed etiam propter alios, qui eorum caſu admoniti reſipiſcerent. Multo magis calamitas populi Iudaici nos admonebit pœnitentiæ, præſertim cum cauſa non ſit diſſimilis. Illi enim potiſſimum puniebantur propter religionis contemptum. Quid quæſo hic non eſt ſimile? Quare admoniti caſu Iudaici populi maturè reſipiſcamus, ne prius opinione noſtra incurramus in manus Domini viuentis.

Eccleſiæ militantis corona in cœlis repoſita.

Quintus vſus, quod ex perſecutione Eccleſiæ, quę tum tuit maxima, diſcere debeamus, quod ciues regni Chriſti in hoc mundo non debeant florere, & externo imperio mundi gaudere. Vt enim Eccleſia Chriſti non eſt affixa certo loco, ita ipſius gloria & decus partim in conſcientia piorum eſt, partim in expectatione reuelationis Ieſu Chriſti eſt poſita.

Piorum officium

Sextus vſus eſt, vt ciuibus regni Chriſti nos adiungamus, non perſecutionum mole abſterriti à confeſſione. Tametſi enim omnes, qui piè in Chriſto volunt viuere, patiantur perſecutionem tamen Chriſtus eos beatos eſſe pronunciat, quia præſentem afflictionem ſequitur gloria, ad quam nulla patet via, niſi per crucem.

Verbum Dei ſequẽdum.

Septimus, vt incommodo Iudæorum & damno ſimus cautiores. Ne igitur erremus cum Iudæis, ſequamur lucernam verbi Dei. Hæc enim nos ſola tutos ab errore facere poteſt. Lucerna inquit Dauid, Pſalm. 119. 105. pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Et Paulus vult nos verbum Dei prætendere tanquam facem ardentem. Philip. 2. 15.

Malis ſupereminẽtibus verbum Dei opponendum.

Octauus, vt admoneamur, vt ſupereminentibus malis opponamus verbum Dei, quod eſt turris fortiſſima. Ita enim Salomon inquit, Prou. 18. 10. Turris fortiſſima nomen Domini, ad quam confugiet iuſtus, & ſaluabitur. Hi in curribus (inquit Dauid Pſalm. 20. 8.) hi in equis, nos autem in nomine Domini inuocabimus. Eſt autem nomen Domini ſupplex oratio, quæ ex vera Chriſti fiducia proficiſcitur, quæ fiducia eſt victoria mundi. Ita enim ait Apoſtolus, 1. Ioann. 5. 4. Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides veſtra. Quare ſic? Quia Chriſtum inuocat mundi victorem, Chriſtum præſentem habet contra quem portæ inferorum nihil poſſunt. Oremus ergo, ne vel mens phanaticis opinionibus inuoluatur, vel fiducia labaſcat in tantis tumultibus.

Scandala ſuperanda

Nonus, vt muniamus nos etiam aduerſus ſcãdala, quæ ſunt plurima futura: quæ cum venerint, meminerimus dicti Chriſti, Ecce prædixi vobis. Neque ſcandala illa ſunt futura eiuſdem generis. Alia enim erunt ſcandala perſecutionis, alia paucitatis confitentium Chriſtum, alia defectionis. Multi enim prorſus in iſtis malis, quæ ventura ſunt, renunciabunt Chriſti nomini eiúſque Euangelio, & rurſus ſe ſubiiciẽt ſatanæ: multi erunt autores diuerſarum ſectarum in iſto exiguo cœtu, qui Chriſtum confitebuntur. Contra hoc muniri nos vult Chriſtus: & quia mala præſcita minus nocent, voluit Chriſtus ſuam Eccleſiam de his præmonitam eſſe.

Pie viuentes aduentum Chriſti expectemus.

Decimus, vt nos viuentes in timore Dei, expectemus aduentum Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nobis plenam redemptionem afferet: quæ redemptio eſt veluti omnium beneficiorũ Chriſti finis, ad quam alia beneficia deſtinantur. Eſt enim hic ordo beneficiorum Chriſti, qui 1. Cor. 1. 30. deſcribitur his verbis: Chriſtus factus eſt nobis ſapiẽtia à Deo, iuſticia, iuſtificatio, & redemptio, vt qui gloriatur, in Domino glorietur. Sapientia nobis eſt, cum nobis reuelat voluntatem Patris in Euangelio. Iuſtitia, quãdo credentibus in Euangelio ipſius iuſticia nobis imputatur. Sanctificatio tit nobis, quando iuſtificati donamur Spiritu ſancto, cuius virtute iam nouam vitam meditamur. Tandem erit nobis redemptio, quando perfecta ſalus nobis per ipſum continget, cui cum patre & Spiritu ſancto, ſit honor, laus & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

IN FE-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

IN FESTO PVRIFICAtionis Mariæ, Euangelium, Luc. II.

POſteaquam completi fuiſſent dies purgationis eorum ſecundum legem Moſi, adduxerunt eum Hieroſolymam, vt ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: Omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur, & vt darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce, homo erat Hieroſolymis, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus & pius, expectans conſolationem Iſrael, & Spiritus ſanctus erat ſuper eum. Et reſponſum acceperat à Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. Et venit per ſpiritum in templum. Et cum inducerent puerum Ieſum parentes, vt facerent ſecundum conſuetudinem Legis pro eo, ipſe quoque accepit eum in vlnas ſuas, & laudauit Deum, ac dixit: Nunc dimittis ſeruum tuum, Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei Salutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.

ENARRATIO TEXTVS.

Summa huius hiſtoriæ, & eiuſdem connexio cum præcedẽtibus de Chriſto habitis.

In hoc Feſto tractatur pars hiſtoriæ Chriſti, videlicet quomodo ſit oblatus in templo iuxta legem & quomodo Simeon vir iuſtus agnouerit Ieſum Mariæ filium verũ Meſſiam eſſe, ídque ex inſtinctu Spiritus ſancti, à quo reſponſum acceperat, ſe non moriturum, priuſquam videret oculi eius Chriſtum Dominum, quem cum vidiſſet, accepit eum in vlnas ſuas, benedixítque ei, quo facto, carmine ſuam gratitudinem erga Deum oſtendit. Debemus autem hic reuocare in memoriam, quæ hactenus audiuimus de Chriſto, vt eius perpetuam hiſtoriam cognoſcamus. Audiuimus itaque primum de natiuitate eius glorioſa, quod natus ſit in Bethlehem. Secundò, de eius circumciſione, quod octauo die ſit circumciſus. Tertiò, quomodo à Magis ſit agnitus & honoratus. Iam ſequitur eius oblatio in Templo, quæ oblatio ſecundum Legem contigit, exactis ſex ſeptimanis ab eius natiuitate. Loci tres.

Partes.

1. *Oblatio Chriſti in Templo,*
2. *Simeonis deſcriptio, & benedictio.*
3. *Simeonis carmen.*

DE PRIMO.

Varij offerendi ritus legales à Deo inſtituti propter varias cauſas.

Deus in veteri Teſtamento varios offerendi ritus ordinauerat, ídque non vt ſacrificandi opere iuſtificarentur homines coram Deo. Si enim ſanguis taurorum & hircorum abolere potuiſſet peccatum, Chriſtus non veniſſet in carnem, vt ſui corporis victima peccatum expiaret, ſed fuerunt aliæ cauſæ, quarum de numero ſunt hæ:

1. Vt gentium idololatria impediretur.

Prima, vt iſto exercitio gentium idololatria impediretur. Nam cum omnes homines etiam barbariſſimi tangantur quadam religionis reuerentia, volunt ſuo iudicio ritus colendi Deum inſtituere. Verùm quia nullus Deo placet, niſi quem ipſe inſtituit. ordinauit ipſe Deus per Moyſen varios cult[9], vt multitudine rituum, quos Deus ordinarat, impediretur populus Iudaicus ab idololatria, & ſeruiret vni Deo, qui eos de terra Ægypti eduxerat, infinitáque alia beneficia ſpiritualia & corporalia præſtiterat.

2. Vt interna pietas his ritibus exerceretur.

Secunda, vt interna pietas his externis adminiculis exerceretur. Neque enim iſta externa ſacrificia per ſe cultus erant, ſed tantùm veri cultus excitamenta, id quod ex Eſaia cap. 1. patet, vbi Dominus externa ſacrificia abominatur ſine interna animi pietate.

3. vt extarent teſtimonia gratitudinis.

Tertia, vt eſſent publica teſtimonia gratiarum actionis, quibus populus iſte & excitaretur & confirmaretur, teſtaretúrque palam ſe hunc Deum colere, qui eos in terram Canaan introduxiſſet, & miraculosè in deſerto pauiſſet.

4. vt verbi miniſteriũ confirmaretur.

Quarta, vt hoc pacto confirmaretur miniſterium verbi, vt miniſtri cultus Dei, & ſacerdotes haberent quo alerentur. Qui ſeruit, inquit Paulus, altari, viuat de altari. Et Chriſtus: Dignus eſt operarius mercede ſua. Hanc conſuetudinem retinuerunt in Eccleſia olim, quando ad verbum audiendum, & ad celebrationem Sacramentorum conuenerunt. Pij contulerunt pro modo ſuarum facultatum aliquid ad miniſtros verbi & pauperes alendos, quæ contributio collecta vocabatur. Hinc & decimandi ratio fluxit.

5. vt extarent typi, & promiſſiones viſibiles de Chriſto & eius Sacrificio.

Quinta, vt iſtæ oblationes veteres eſſent vmbra futuræ victimæ Chriſti, & veluti præludium, quo admonerentur de venturo Chriſto. Hoc pij bene intellexerunt, Abel, Nohe, Abraham. Non enim putarũt ſe ſuis victimis abolere peccatum & mortem, ſed confiſi ſunt victima Chriſti, cuius virtute & ipſorum peccata ſunt expiata. Abel, cum ſuas victimas mactaret, ſic cogitauit. 1. videns ſanguinem victimæ, cogitauit de peccato generis humani, quod pœnam æternam meruerat. 2. Proſpexit ad ſignificatum. Nam ſuam victimam cogitauit figuram eſſe promiſſi Seminis, hoc eſt, Chriſti, qui ſua victima eſſet peccatum expiaturus. 3. Hac cogitatione fides Abelis confirmabatur, & creſcebat, qua & coram Deo iuſtificatus eſt, & placuit Deo. 4 Hanc fidem ſequebatur gratiarum actio, & vitæ nouitas. Hoc pacto offerentes Deo placuerunt. Hoc ſit dictum de ſacrificiis veteris Teſtamenti in genere, nunc de ea ſacrificiorum forma dicam, cuius in hoc Euangelio fit mentio.

De oblatione pro puerperis & infantibus recẽs natis.

Prole nata duplex præceptum erat poſitũ. Vnum de matre, quod ſeptimanis extra cœtum hominum eſſe deberet. Alterum de puero nato. De matre hoc præceptum erat, vt nata maſcula prole, extra cœtum eſſet 37. dies, ſed nata fœmella, duplicabatur numerus. Nam tum extra cœtum publicum eſſe debuit 74. dies. Id quod non factum fuit propter mulieris indignitatem, ſed propter duas alias cauſas, nempe neceſſitatem & ſignificationem. Neceſſitas fuit, vt iſto pacto conſuleretur mulieris ſanitati, quæ poſt dolores partus habet opus quiete, quo vires colligere poſſit, & deberent pij mariti imbecillitatis vxorum iſto tempore rationem habere, & mulieres etiam oporteret cum propter ſe, tum propter alias hanc naturæ legem ſeruare. Significatio fuit, vt iſta excluſio ſignificaret, omnes natos ex Adam propter peccatum, in quo naſcuntur, excluſos eſſe à Deo, & ideo opus habere expiatoria Chriſti victima.

De nato puero præceptum.

Alterum præceptum erat de nato puero, ídque duplex. Vnum generale. Alterum de primogenitis.

Generale.

Generale erat mandatum, vt expletis diebus, quibus mulier excludebatur à cœtu Eccleſiæ, offerrentur ſacrificia ſiue pro filio, ſiue pro filia, quocunque ordine nati eſſent. Hoc ſacrificium 1. Admonebat, quod pueri nati eſſent peccatores, & ideo opus haberent mundatione & remiſſione peccatorum. 2. Vt iſto pacto conſecrarentur Deo. 3. Vt parentes ſcirent, ſe pueros generare Deo, & non ſibi, aut Sa-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tanæ. 4.Propter ſignificationem, nimirum vt eſſent typi offerendi Chriſti.

Speciale.

Speciale mandatum erat de primogenitis,tam in hominibus,quam in iumentis, vt offerrentur Deo. 1. In memoriam iſtius magni beneficij, quod Dominus,reſeruato populo Iſraelitico,percuſſerit primogenita Ægypti ab homine vſque ad pecus.2.Propter ſignificationem:videlicet quod vnigenitus Dei & primogenitus Mariæ, olim eſſet offerendus pro nobis liberandis ab Ægypto peccatorum. Hoc ſit dictum de lege & eius ſignificatione, nunc ad oblationem Chriſti veniamus.

Cur Chriſtus oblatus eſt.

Lex iubet,vt omne primogenitum aperiens vuluam,conceptum ex virili ſemine, iſto pacto offeratur.Sed Chriſtus non erat ita humano more conceptus, ſed de Spiritu ſancto erat conceptus, & natus de caſtiſſima virgine, ergo non erat obligatus lege, vt more aliorum primogenitorũ offerretur in Templo.Reſpondeo:Chriſtus etiam erat liber,ne conciperetur & naſceretur homo, & poſtea circumcideretur & pateretur, ſed qui liber fuit, factus eſt omnium ſeruus,vt omnes liberos faceret. Siue, vt Auguſtinus ait, *Deus eſt factus homo,vt homines Deos faceret.* Paulus dicit, eum factum eſſe ſub Lege, vt eos qui ſub Lege erant,redimeret. Ideo hic primogenitus etiam in templo offerri voluit.

Quãdo fuit primogenitus.

Sed quando fuit primogenitus? Nemo vnquam talis extitit primogenitus: 1.fuit primogenitus diuina ſua natura:erat enim filius Dei æternus. Ego, inquit,hodie genui te. 2.humana natura fuit primogenitus Mariæ.Nullum enim ante illum genuerat,neque pòſt genuit.3.gratia. Primus enim homo natus eſt,qui Deo oblatus per ſe placuit.4.virtute,quia eſt primogenitus mortuorum. 5.vt per ipſum nos noui homines naſcamur.

Oblatio Mariæ qualis.

Præterea obſeruandum eſt, quod Maria obtulerit duos pullos columbarum, quo eius ſignificatur paupertas. Nam ditiores agnum offerebant. Nos hinc diſcamus non pudere noſtræ paupertatis. Chriſtus pauper naſci voluit,vt nos diuites faceret,modo ipſius diuitias grata mente accipere voluerimus.

DE SECVNDO.

Simeonis deſcriptio

Et ecce homo erat in Ieruſalem,cui nomen Simeõ. Hîc habemus primùm deſcriptionem Simeonis,& dein de eius benedictionem. Primum prædicatur ob iuſtitiam.Ita enim inter ſuos vixit,vt ab omnibus vir bonus & iuſtus ſit habitus.

1. Iuſtus.

Non vult hæc Euangeliſta,quod fuerit ita iuſtus, vt non opus habuerit aliena iuſtitia.Nam in ſuo carmine fatetur Chriſtum ſuum eſſe Saluatorem, ſed quod vixerit inculpate inter homines & honeſte,vt qui nemini male fecerit, ſed omnibus pro viribus, bene fecerit:qui talis eſt,à Cicerone,imò ab omnib' iuſtus dicitur. Prædicatur deinde ob pietatẽ,timuit enim Deum. Timoris nomine totus cultus Dei intelligitur. Qui enim Deum timet, vt caueat omnia quib' ipſum offendi nouit:ita facit quicquid illi gratum ſenſerit.Hic timor ex fide ortum habet.Alius timor Dei eſt ſine fide, qui non eſt cultus Dei, talis eſt in omnibus impiis.Semper enim metuunt aduerſus ſe iudicium Dei, qui potius vellent Deum non eſſe,quam propter ſua ſcelera puniri. Talis non fuit timor,qui in Simeone prædicatur. Nam ſequitur, quod expectauerit conſolationem Iſrael, quo dicto oſtenditur,quod ardenti affectu expectauerit Chriſti aduentum.Sciuit enim vaticinia Iacob & Danielis in iſtud tempus reſpicere.Quare ardentius expectauit, & cupiuit ſibi vitam prorogari, donec præſentem Chriſtum videret. Neque mirum eſt,cum tanto affectu expectaſſe Chriſtum. Nam erat,vt inquit Euangeliſta,plenus Spiritus ſancti. Talis fuit hic ſanctus vir.

2. Pius ſeu timens Deum.

3. Chriſti aduentum expectans.

4. Plenus ſpiritu. S.

Sed quodnam fuit præmium huius pietatis? Accepit reſponſum à Spiritu ſancto,vt non videret mortem,priuſquam videret Chriſtum Dominum,cuius impulſu venit in templum.Sed quid illic fecit? cum parentes Ioſeph & Maria introducerent puerum,accepit eum in vlnis, & laudauit Deum.Iam habet hic ſanctus ſenex,quod adeo ardenter poſtulauit,& fert Chriſto teſtimonium, publicè profitetur hunc Ieſum Chriſtum eſſe,qui Patribus erat promiſſus.

Exemplũ Simeonis quid,nos doceat.

Habemus quæ Simeonis fuerit pietas:nunc ipſum nobis proponamus.Primum ſenes,deinde & alij diſcant ab illo timere Deum:diſcant iuſtè & ſanctè inter homines viuere,diſcant Chriſtum recipere in vlnas ſuas,hoc eſt,in corda ſua: hunc prædicent, laudent,confiteãtur:quod ſi fecerint,olim cum Simeone mercedem copioſam in cœlis accepturi ſunt.

DE TERTIO.

Cantici Simeonis explicatio

Sequitur Canticum Simeonis: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine,ſecundum verbum tuum in pace.* Hoc canticum multis ſeculis in Eccleſiis cani ſolitum eſt, & nos,quando funera ſepeliuntur, illud ipſum canere conſueuimus. Continet enim doctrinam de Chriſto,& docet vnde ſumma conſolatio ſit petenda, maxime cum ex hac vita nobis diſcedendum erit. Quo autem hoc carmen melius intelligamus, illud diuidam in duas partes: in quarum priori ſibi gratulatur ſenex Simeon: in poſteriori Chriſti regis beneficia erga totum mundum breuiſſimè complectitur.

Partes duæ.

1. Fide & corporeis oculis Chriſtum intuetur.

Prior pars eſt: *Nunc dimittis Domine ſeruum tuum, ſecundum verbum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuũ.* Hic Simeon ſenex ſibi gratulatur,quod corporeis oculis viderat Chriſtum,quemadmodum reſponſum acceperat à Spiritu ſancto. Etſi enim prius illum vidit oculo fidei, ſicut de Abrahamo ait Dominus: Abraham vidit diem meum, & gauiſus eſt: tamen quia acceperat à Spiritu ſancto promiſſionem, vt Chriſtum præſentem corporeis oculis videret ante obitum, valde hoc intuitu eſt delectatus,& magno fidei robore nunc petit liberationem, vt aggregetur ad patres ſuos in pace. Sed fide accepit promiſſionem, vt videret Chriſtum Domini. Huic offertur infans pauper, nulla externa ſpecies hic apparet, niſi contempta. An hac externa ſpecie offenditur? non. Quem vidit minimum corporeis oculis,hunc vidit maximum fidei luminibus: quem in forma ſerui aſpexit oculo corporis humilem,hũc nouit Regem regum, & Dominum dominantium eſſe.Neque ignorauit prophetiam Zachariæ de illo, qui ait,cap.9.9.Ecce Rex tuus venit pauper. Sciuit eum non venire, vt occuparet regna mundi, ſed vt regnũ Dei daret credentibus. Hinc & nos diſcamus ſcripturis credere, & Chriſtum & ipſius Eccleſiam intueri,non tantùm oculis corporeis,ſed multò magis oculis fidei.Sed quoniam petit ſe iam dimitti,vt hanc ærumnoſam vitam morte cõmutet,ſatis oſtendit Chriſti regnum non eſſe huius mundi, ſed æternum,quod in pace conſcientiæ poſitum eſt. Quaſi diceret:Da mihi nunc,vt in pace & feliciter moriar. Hinc doctrinam & conſolationem hauriamus. Doctrinam quidem,quod viſio Chriſti ſpiritualis, quæ fit per fidem,facit,vt lætus hominis ſit exitus ab hac vita, quia qui Chriſtum ita videt ante mortem, quam ſequatur lucem ad vitam habet. Qui ſequitur me(ait Dominus)non ambulat in tenebris. Contrà,

Externa Chriſti ſpecie non offenditur.

Regnum Chriſti nõ eſt huius mundi.

Doctrina.

qui

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Conſolatio.

qui Chriſtũ nõ videt, à morte præſentis vitę tranſit ad æternas tenebras. Conſolationẽ verò, quia qui Chriſtum vident in articulo mortis, habent quo ſe conſolentur: ſciunt ſe iam dimittendos eſſe in pace, ſciunt ſe non ituros ad tenebras, ſed ad gaudium æternum. Latro quia non ſolum in cruce vidit Chriſtum oculis corporeis miſerrime afflictum, ſed etiã eundem oculis vidit victorem mortis, audiuit à Domino: Hodie mecum eris in paradiſo. Sic Stephanus moriturus vidit Chriſtũ, & ſumma cum voluptate animi & gaudio Domino dixit: In manus tuas Domine cõmendo ſpiritũ meum. Ad hunc modum & tu, cum iam morbus te grauat, fide aſpice Chriſtum ſaluatorem, & ab illo pete, vt te in pace dimittat, id eſt, ſinat ab hac vita diſcedere, & in requiem omnibus fidelibus promiſſam intrare. Hæc cogitatio faciet, vt hunc mundum & præſentis vitæ calamitates fortiter contemnamus, & mentem noſtrã conſolemur ſpe ſalutis, quam nobis promiſit qui mẽtiri nequit. Sequitur altera pars Cantici.

Applicatio.

Beneficia Chriſti, ſalus, lumen, gloria.

Quod paraſti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Hîc breuiter duo indicantur: Vnum quæ ſint beneficia Chriſti. Alterum, quibus deſtinata ſint illa beneficia. Beneficia ſunt, ſalus, lumen, gloria. Sine Chriſto ergo mundus in damnatione, tenebris & ignominia hæret, idque propter peccatum. Nam Chriſtus damnationem tollit. & reddit ſalutem: tenebras aufert, & affundit lumen: ignominiam amouet, & gloriam tribuit. Quanta quæſo ſunt hæc? ſanè nemo ea ſatis æſtimare poteſt.

Omnibus populis fide ea accipientib. offeruntur.

Sed quibus beneficia illa deſtinata ſunt? omnibus populis, Iudæis & gentibus: verũ fide ſunt accipienda. Offeruntur enim vniuerſaliter omnibus: ea eſt enim inſcrutabilis Dei bonitas, ſed additur cõditio, Qui crediderit, hic ſaluus erit, qui non crediderit, condemnabitur. Quare nos, ſi hæc bona cupiamus cum Simeone, hunc Ieſum Saluatorem & Dominũ in vlnas cordis noſtri recipiamus, firma fiducia in illum recumbentes. Huic noſtro Saluatori ſit honor & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

IN FESTO ANNVNCIATIONIS Mariæ, Luc. I.

IN menſe autem ſexto, miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginẽ deſponſatam viro, cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, ac nomen virginis Maria. Et ingreſſus Angelus ad eã dixit: Aue gratioſa, Dominus tecũ, benedicta tu inter mulieres. Illa vero cũ vidiſſet, turbata eſt ſuper oratione eius, & cogitabat, qualis eſſet ſalutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, nacta es enim gratiã apud Deũ. Ecce concipies in vtero, & paries filiũ, & vocabis nomen eius Ieſum. Is erit magnus, & Filius altiſsimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris ipſius, regnabitque ſuper domum Iacob in æternũ: & regni eius non erit finis. Dixit autẽ Maria ad Angelũ: Quomodo erit iſtud, quandoquidẽ virum nõ cognoſco? Et reſpondẽs Angelus, dixit ei: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Quapropter & quod naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei. Atque ecce, Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua, & hic menſis eſt ſextus illi, quæ dicebatur ſterilis. Quia non erit impoſsibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Ac diſceſsit ab illa Angelus.

ENARRATIO TEXTVS.

Sũma hiſtorię de conceptione Chriſti.

Hoc feſtum continet hiſtoriam conceptionis Ieſu Chriſti, quæ nunciatur virgini ab Angelo Dei. Olim enim 3960. anno ante hanc conceptionem, promiſit Deus Semen mulieris, quod contriturum erat caput ſerpentis, id eſt, quod demoliturũ erat opera Diaboli, peccatum & mortem. Huius promiſsionis memor Deus mittit Angelum ſuum ad caſtiſsimam virginem, cui annunciat, quòd ſit conceptura ex Spiritu ſancto ſine virili ſemine, & paritura filium, qui ſit futurus ſaluator mundi. Hæc ſumma eſt hiſtoriæ, cuius ſunt quinque præcipua membra, quæ ſunt:

Partes.

1. *Deſcriptio Legationis.*
2. *Salutatio Angelica.*
3. *Conſolatio turbatæ virginis.*
4. *Expoſitio legationis.*
5. *Conceptionis ratio.*

DE PRIMO.

Legationis circũſtantiæ.

In deſcriptione huius Legationis plures ſunt obſeruandæ circumſtantiæ, quarum ſingulas ſeorſim conſiderabimus, quò aliquid doctrinę ad nos confirmandos inde hauriamus.

Tempus à Prophetis ſignatum.

Prima, Tempus eſt. *In menſe*, ait, *ſexto*, ſcilicet à conceptione Iohannis Baptiſtæ, qui iuxta vaticinia Prophetarum erat futurus præcurſor Domini, vt pararent homines viam regi ſuo aduenienti. Et fuit 20. annus, poſtquam ſceptrum ablatum eſt. Nã ita à Iacob Patriarcha prædictum erat: *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat Silo*, id eſt, mulieris Semen, quod promiſſum erat primis Parentibus Hæc igitur temporis circumſtantia conuincit, hunc filium virginis verum Meſsiam eſſe. Nam eo tempore eſt natus, quo eum naſciturum prædixit Spiritus Dei in Prophetis. Deinde, quantum ad diem attinet, hoc eſt memorandum, quod in eũdem anni diem incidit mactatio agni Phaſe, Conceptio Chriſti, & Paſsio eiuſdem: quo die etiã putant ſancti patres Adamum fuiſſe creatum. Hæc commẽdant nobis veritatem promiſſionum diuinarum. Diſtulit diu Deus mittere filium poſt factam promiſſionem ſed tamen manſit verax in ſuis promiſſis. Promiſit ſe Filius venturum ad iudicium, ſed differt: veniet tamen, vbi ei placitum fuerit.

Cur Angelus ſit legatus.

Secunda, Legatus eſt Angelus Gabriel. Quare? *Primum*, vt ſeruaretur diuina ordinatio. Nam vt antea Deus ſolitus erat mittere Angelos, qui hominibus nunciarent voluntatem Dei: ita nunc mittitur Angelus, vt ſeruiat ſaluti hominum. Hoc enim Angelorũ officiũ eſſe docet Apoſtolus ad Hebræos c. I. 14. *Deinde*, quia Angelus malus primæ perditionis fuit cauſa, conueniebat, vt bonus Angelus reparandæ ſalutis primus eſſet nũcius. *Tertio*, hoc quoq; virgini caſtiſsimæ conueniebat, vt ad eam caſtiſsimus mitteretur legatus.

Miſſus à Deo.

Tertia, Quod hic legatus à Deo miſſus ſit. Imperatorum & regum legati auide expetuntur, vt ſciatur quid tanti principes velint. Ecce hic ſummus, qui mittit, imperator, & magnus, qui mittitur, legatus. Quare meritò in admirationem excitari debemus.

Locus.

Quarta, Locus, ad quem mittitur, ſignatur, Mittitur enim in ciuitatẽ Galilææ, cui nomen Nazareth. Hoc ideo factum eſt, quia ita prædictũ fuit. Deinde, Deus oſtendit ſe quæ humilia ſunt in terra reſpicere. Quare non eſt, quod quiſquam ſe abiectũ putet, propterea quod vel pauper vel abiectus ſit in terra.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Perſona.

Quinta, ad quam perſonam mittitur, nempe ad virginem deſponſatam viro. debuit quidem Chriſtus à virgine concipi, & à virgine naſci, iuxta vaticinia Prophetarum. Quatuor enim hominum in mundum propagationes fuerunt: 1. fuit ſolius Adam, qui ex limo terræ formatus eſt. 2. fuit ſolius Euæ, quæ è coſta Adā ædificata eſt. 3. fuit ſolius Chriſti, qui ex puriſſima virgine natus eſt. 4. communis eſt omnium aliorum hominū, qui ex ſeminibus maris & fœminæ naſcuntur.

Cur Chriſtus conceptus & nat' eſt ex virgine.

Cōceptus eſt igitur & natus ex virgine Chriſtus. Primum, quia ſi ex viri & mulieris ſemine fuiſſet natus, in peccatis fuiſſet conceptus & natus. Sed decuit eum, qui venit, vt tolleret peccatum, abſque peccato eſſe. Deinde, vaticinijs debuit ſatisfieri. Gen. 3. 15. dictum erat, Semen mulieris conteret caput ſerpentis Gen. 49. 10. Nō auferetur ſceptrū de Iuda, donec veniat Siloh, id eſt, eius ſcilicet mulieris filius. Eſa. 7. 14. Ecce, ait, virgo prægnans pariet filium. Præterea, conueniebat ita fieri propter ſignificationem ſpiritualis regenerationis, quę nō ex volūtate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed ex Deo eſt. Vnde Auguſtinus: *Oportebat caput noſtrum inſigni miraculo ſecundum corpus naſci de virgine, vt ſignificaret ſua membra ſecundum ſpiritum naſcitura.*

Cur virgo fuerit viro deſponſata.

Quod autem hæc virgo fuerit viro deſpōſata, habuit etiam ſuas cauſas. Nam & hac ratione matrimonij dignitas commendatur, & conſultum eſt pudicitiæ & famæ virginis, imò etiam datus eſt cuſtos virgini, qui eius curam haberet.

Domus.

Sexta, Quod Ioſeph fuerit de domo Dauid, idquē ita conueniebat, primum propter oracula. Fuit enim prædictum, vt Chriſtus adueniens naſceretur de proſapia Dauidica, id quod ipſis Scribis & Phariſæis ignotum erat.

DE SECVNDO.

Salutationis Angelicæ conſideratio.

Secundum membrum huius Euangelicæ hiſtoriæ eſt ſalutatio Angelica, quæ eſt: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Hic cogitemus de Eua prima parente & ſanctiſsima virgine matre Ieſu, & obſeruemus, quam diuerſas voces audiuerint. Eua audiuit: Multiplicabo ærumnas tuas. Ærumnæ autem maledictionis ſigna ſunt ante fidem. Maria audiuit: χαῖρε, id eſt, gaude. Et cauſam addit: *Plena es gratia*, id eſt, Deus te in gratiam recepit, & delegit te vnam ex toto humano genere, cui ſingulare præſtabit beneficium. *Dominus eſt tecum*, hoc eſt, tu habes Deum protectorem & ſaluatorem. *Benedicta tu inter mulieres.* Hoc eſt, quemadmodum Eua erat maledicta inter mulieres, imò omnes mulieres erant maledictæ propter illam, ita tu benedicta es ex dono & fauore Dei. Tibi enim tanta contigit felicitas, vt Seminis promiſſi mater ſis futura. Hæc eſt ſententia ſalutationis, vnde facile eſt colligere, quam ſtulti ſunt, qui hinc volunt facere precationem, qua inuocant beatam virginem contra manifeſtum verbum Dei, quibus hoc dictum volo hoc tempore, maledictus omnis, qui inuocat creaturam, & qui detorquet ſcripturæ verba ad ſtabiliendum horrendam idololatriam, in cōtemtum filij Dei, in ignominiam ſanctiſsimæ virginis, & in ſui certiſſimam perniciem. Quando docetur in Eccleſia de vera inuocatione, etiam oſtēditur, quod inuocatio ſanctorum ſit cultus Diabolicus, in Eccleſiam à Diabolo inuectus.

Idololatriæ papiſticæ refutatio.

DE TERTIO.

Conſolatio turbatæ virginis.

Audita hac inſolita ſalutatione, turbatur, & apud ſe cogitat, qualiſnam ſit iſta ſalutatio. Cui Angelus: Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiā apud Deum. Vide hîc quid faciat verbū Dei. Primū terret, deinde cōſolatur. Ne timeas, inquit, quaſi dicat: Nō venio, vt tibi aliquid triſte annunciē, nō venio prædicaturus irā Dei aduerſus te. Nam inueniſti gratiam apud Deū. Hic habemus firmam doctrinam, quod ſola gratia Dei timorem expellat. Reliqua omnia adiunctum habent timorem. Amici adiunctum timorem habent, ne nos deſerant, cum maximè eis opus habeamus, ſanitas timorem habet ne perdatur, diuitiæ nō poſſidentur ſine metu, nam amitti poſſunt, & amiſſæ dolorem relinquunt, potentia timet, vt quæ à ſuperiori vincatur, ſola gratia Dei timorem expellit. Qui in hac eſt, ipſe poteſt & in vita & in morte libere inſultare Diabolo, & omnibus eius artib. Hæc gratia quia poſſidetur fide, augetur pijs exercitijs, nobis omnibus operęprecium eſt cauere, ne eam noſtra culpa amittamus. Ea enim amiſſa, nihil eſt reliquum præter turbationem conſcientiæ & maledictionem.

Gratiæ Dei mirus effectus.

DE QVARTO.

Expoſitio legationis.

Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Hæc propoſitio legationis eſt, cuius ſenſus eſt, ego ex mandato Dei tibi denuncio, quod ſis iam mater futura, & filium paries, quem vocabis Ieſum. Hic haud dubie caſtiſsima virgo cogitat de promiſſo Semine, audit ſibi nomine Dei denunciari, quod ſit paritura filium, quē Ieſum appellare iubetur. Hoc nomen *Ieſus*, quod Saluatorem ſignificat, intellexit opponi maledictioni & morti, in quam primi parentes ob ſuam tranſgreſsionem inciderāt. Hoc nomē ſolet fuſius explicari die Circumciſionis, quare nūc ad reliqua pergo.

Chriſtus eſt magnus.

Hic erit (inquit) *magnus.* Vere magnus, vtpote filius altiſſimi, vere magnus, qui potentem Satanā vinceret, vere magnus, qui maxima daret, vere magnus, cuius regnum æternum. *Dabit illi* (inquit) *Dominus Deus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Hanc deſcriptionem ſi obſeruemus, quatuor de Chriſto hîc dici inueniemus. Primùm enim eius veram humanitatem indicat, cum dicit illum naſciturum ex virgine. Deinde eius diuinitatem non tacet. Dicit enim, *Filius altiſsimi vocabitur.* Filius altiſſimi eſt eiuſdem naturæ cum altiſsimo. Tertio, cum addit, *hic erit magnus*, ſignificat vnionem perſonalem. Etſi enim eſt Deus & homo, vna tamen perſona eſt, non duæ. Quarto loco notatur eius officium, quod ſit *Ieſus* & *Rex*, qui regnabit in æternum. Quomodo de Chriſto dici potuit, quod eſſet habiturus ſedem Patris ſui, cum ipſe dicit: Regnum meum non eſt ex hoc mundo, quemadmodum etiam euentus declarauit, & Dauidis regnum fuit politica adminiſtratio in Iudæa? Vmbram regni tenuit Dauid, hic eius filius veritatem regni occupat. Regnum Dauidis fuit figura & vmbra Chriſti, & ideo vnum regnum dicitur vtrumque, quia illud eſt vmbra, hoc eſt veritas eiuſdem regni. Deinde, mos ſcripturæ eſt, diuina externis rerū imaginibus depingere, vt noſtræ infirmitati ſeruiat collatio.

1. Eſt filius virginis.
2. Filius Dei.
3. Deus & homo.
4. Meſsias & ſeruator Eccleſiæ in æternum.

DE QVINTO.

Conceptionis ratio.

Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Quaſi diceret: Quomodo poſſum abſque viro grauida fieri coporaliter

(vt tu

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vt tu dicis) cum nondum cognouerim virum? Sciuit caſtiſſima virgo ordinem diuinitus ſancitum eſſe, vt homines conciperentur ex ſemine virili & muliebri, neque contrarium exemplum vidit aut audiuit poſt creationem primorum parentum. Quare hoc ſuæ rationis iudicium & experientiam in ordine diuinitus ſancito ſecuta, quærit: Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco, an aliquo inſolito more hic fiet conceptus? *Et reſpondens Angelus, dicit ei: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod naſcitur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei.* Hic modũ conceptionis declarat Angelus, & cauſam conceptionis transfert à natura ad Deum naturæ opificem. Quaſi diceret: Non concipies ex virili ſemine, ſed ex tuo ſemine ſolo naſcetur tibi filius, idque operante non natura, ſed gratia. Spiritus enim ſanctus ſua diuina virtute faciet, vt ex tuo ſemine naſcatur verus homo. Hinc Auguſtinus: *Per gratiam Dei, ſeu potentiam Dei, & operationem Spiritus ſancti, de carne virginis aſſumtum eſt, quod Verbo eſt vnitum, idque ideo, quia ſi ex virili ſemine fuiſſet, cum omnibus natis in Adam immundus extitiſſet.* Quod autem ex carne natum eſt, caro eſt, mendacium eſt, vanitas eſt, Ioh. 3.6. Nunc autem per Chriſtum oportuit fieri gratiam & veritatem. Non igitur potuit de viro concipi, ſed oportuit id fieri occulta quadam Dei virtute, quò omnis peccati purus & ſanctus, nos quoque purificaret & ſanctificaret, futurus Patri hoſtia ſancta & incontaminata. Deinde de Spiritu ſancto conceptus eſt, vt ſciamus, quod quicquid filius loquatur, eſſe ipſiſsimam patris voluntatem. Eſt enim Spiritus ſanctus amor Patris & filij ſubſtãtialis. Præterea, quia Spiritus ſanctus eſt Spiritus ſanctificationis & purificationis. Hic enim ex ſanguine, quem purificauerat, Chriſti corpus ædificauit, vt eſſet mundum & immune ab omni peccato, vt ſupra quoque dictum eſt. Hæ cauſæ fuerunt & ſunt, quod non decuerit Chriſtum naſci ex virili ſemine, ſed per efficaciam Spiritus ſancti. Id Angelus inſinuat, cum dicit: *Ideóque quod naſcitur ex te ſanctum, filius Dei vocabitur.*

Fidei Mariæ confirmatio.

Etſi autem beata virgo his verbis Angeli fidem habuit, tamen vt ſit confirmatior virginis fides, addit ei ſignum quo certificatur. *Et ecce*, inquit, *Elizabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua, & hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis.* Quaſi diceret: Tu apud te ratiocinaris contra naturæ legem & ordinem diuinitus inſtitutum fieri, vt virgo concipias & virgo parias, ſed ego tibi aliud oſtendam, quod etiam eſt contra naturæ ordinem, Elizabeth cognata tua eſt ſterilis natura & ætate, natura quidem, quia tot annis vixit cum marito ſine prole, adeo quod in eius ignominiam ſterilis ſit vocitata, ætate vero, quod iam exceſſerit annos pariendi, etiamſi maxime olim fuiſſet fœcũda. Verum hic ſextus menſis eſt à quo concepit, ita Deo ordinante & volente. Quare hoc ſigno te confirmes, vere futurum eſſe, vt tu quoque parias.

Quo modo deus ſuorũ infirmitati conſulat.

Vide hic conſuetudinem in Deo, qui nunquam nudo verbo agit cum homine, ſed ſemper ſignum aliquod externũ addit, quo noſtræ imbecillitati magis ſe accõmodet, dum ſuã volũtatẽ menti per verbum, & ſenſibus per ſigna externa verbi ſignacula offert veluti ſpectandum. Sic nobis per Euangelium hodie ſuam patefecerat voluntatem, quam externis ſignis obſignat, Baptiſmo & Cœna Dominica.

Vſus doctrinæ de promiſſionibus & omnipotẽtia Dei.

Verum in hoc colloquio Angeli cum virgine obſeruandum eſt dictum, quo ait: *Non erit impoſſibile apud Deũ vllũ verbũ.* Hoc verbum & hæc vox Angeli duo continet. Primùm veritatem & certitudinem promiſſorum diuinorum obſignat. Deinde monet nos, vt potentiam Dei opponamus omni carnis ſenſui & iudicio, & ſtatuamus Deum veracem eſſe, etiamſi tota rerum machina aliud nobis perſuadere moliretur, vtque dicamus cum virgine, fiat ſecundum verbum tuum, verbo voluntatem reuelas, potentia voluntatem adimples, vt tibi ſoli ſit gloria. Peccator es, deploras tuam miſeriam, ſed audi verbum voluntatis: Nolo mortem peccatoris. Item: Omnis qui inuocauerit nomen Domini ſaluus erit, Include in verbo & voluntatem & potentiam Dei, cui nihil reſiſtere poteſt. Quando vicinus morti triſtaris, confugito ad Chriſtum, & audi verbum: Beati qui in Domino moriuntur. In hoc verbo coniũge voluntatem & potentiam Dei, & certo ſtatuito mortem tibi fore viam ad beatitudinem, idque per Chriſtum Ieſum Dominum noſtrum, cui cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor, laus & gloria in ſecula, Amen.

In vita.

In morte.

IN FESTO IOHANNIS BAptiſtæ, Lucæ 1.

ELizabethæ impletum eſt tempus pariendi, & peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius, quod magnifice Dominus miſericordia ſua vſus eſſet erga illam & gratulabantur ei. Et factum eſt in die octauo, venerunt ad circumcidendum puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam. Et reſpondens mater eius, dixit: Nequaquam, ſed vocabitur Iohannes. Et dixerunt ad illam: Nemo eſt in cognatione tua, qui vocatur iſto nomine. Innuebant autem patri eius, quis vellet vocari eũ. Isq; poſtulatis tabellis ſcripſit, dicens: Iohannes eſt nomen eius Et admirati ſunt vniuerſi. Apertum eſt autem os eius illico, & lingua eius, & loquebatur laudans Deum. Et peruaſit timor omnes vicinos eorum, & per omnem montanam regionem Iudæis diuulgabantur omnia verba hæc, & poſuerunt omnes, qui audierant, in corde ſuo, dicentes: Quidnam puer hic erit? Et manus Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus eſt Spiritu ſancto, prophetauítque, dicens: Laudandus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem populo ſuo. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui. Sicut locutus eſt per os ſanctorum, qui à ſeculo fuerunt, Prophetarum ſuorum: Fore vt ſeruaremur ab inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos. Vt vteretur miſericordia erga patres noſtros, ac memor eſſet teſtamenti ſui ſancti. Præſtarétque iuſiurandum, quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum, ac daret nobis, Vt ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiremus ipſi cum ſanctitate & iuſticia coram ipſo, cunctis diebus vitæ noſtræ. Et tu puer Propheta Altiſsimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini ad parandũ vias eius. Ad dandam ſcientiam ſalutis populo ipſius, per remiſſionem peccatorum eius. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, quibus viſitauit nos oriẽs ex alto. Vt illuſceret his, qui in tenebris & vmbra mortis ſedebant, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Puer autem creſcebat, & corroborabatur ſpiritu: & erat in deſertis, donec veniret dies, quo oſtendendus erat apud Iſraelitas.

ENARRATIO TEXTVS.

Exordiũ de Chriſtianorũ diebus feſtis: & cur in quibuſdam Eccleſijs retineãtur.

Etſi autẽ prophana idololatria eſt inuocare Sanctos, id quod à Papiſtis in ſanctorum feſtis factitatum eſt: tamen aliquot ſanctorum feſta retinere eſt perutile, idque multis de cauſſis. *Prima*, vtile admodum eſt, vt cognoſcatur hiſtoria Eccleſiæ: nam in-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

de doctrinam, cõfirmationem & conſolationẽ petere poſſumus. *Secunda*, dulce eſt cogitare beneficia Dei erga Eccleſiam, vnde ſingularis fructus pijs accedit pectoribus. *Tertia*, vt gratiæ Deo agantur pro beneficijs Dei erga Eccleſiæ mẽbra. *Quarta*, vt perpenſis varijs ſanctorum caſibus, obfirmemus animos noſtros aduerſus præſentes & futuros caſus, quos experiri neceſſe eſt. *Quinta*, vt ſancti ſint nobis in pœnitentia, & vita, cultu, cõfeſſione, cõſtantia, patientia, & alijs virtutibus, quaſi exẽplaria, ad quæ noſtram vitam formemus. *Sexta*, vt pijs ſuſpirijs ſanctorum expetamus conſortium. Hæ & aliæ graues ſunt cauſæ, cur ſanctorum feſta quædam in Eccleſia retinemus. Vtinam non abuterentur multi ſanctorum feſtis & alijs, ad ſuas voluptates & inſanias: quemadmodum hoc feſto præcipue multi abuſi ſũt in Papatu, dũ in nocturnis ſaltationibus, amatorijs corollis, perpotationibus, ne dicam alia turpiora, hoc feſtum celebrarunt, quo non Deo, eius Angelis & ſanctis placuerunt: ſed Satanæ ſeruierunt in contumeliam Dei, Angelorum, & ſanctorum. Hæc ſint breuiter dicta de feſtis ſanctorum, & eorum recto vſu. De hoc feſto vnum tantum locum tractabo, nempe hiſtoriã Iohannis, vnde aliquot admonitiones extruam.

Horrenda profanatio feſti Iohannis Baptiſtæ in papatu

DE HISTORIA IOHANNIS Baptiſtæ.

Circumſtantiæ.

In hiſtoria Iohannis Baptiſtæ hæ perpendantur circumſtantiæ: Parentes, conceptio, natiuitas, educatio, vocatio, officium, de Iohanne teſtimonium Chriſti, mors, & ea quæ circa mortem & poſt mortem contigerunt.

1. Parentes eius.

Parentes Baptiſtæ fuerunt Zacharias, ſacerdos, vir ſanctus, & inculpatæ vitæ, & Elizabeth mater fuit, vt ætate prouecta, ita pietate eximia. De vtriſq; ita teſtatur Euangeliſta Lucas cap. 1. 6. Erãt iuſti ambo coram Deo, incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationib⁹ Domini irreprehẽſibiles, & nõ erat illis filius, eò quòd eſſet Elizabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in dieb. ſuis. Hæc deſcriptio continet, qua fuerint pietate parentes Iohannis, qua vixerint innocentia, & quod iam ſenium adepti ſolatio ſenectutis deſtituti fuerint, eò quòd Elizabeth ſterilis fuerit, non ſolũ natura, dum adhuc iuuencula erat: verumetiam ætate, cum iam anus eſſet facta. Verũ contra naturæ curſum & ſterilitatis incommodum tandem cõſequuntur, quod magno deſiderio à Deo petiuerant. Hæc proinde circumſtantia de parentibus Iohannis multa docet: 1. quod preces piorũ tandem exaudiantur. 2. quod ab officio non ſit diſcedẽdum, propterea quod diutius differri poſtulata videntur. Eſt enim pulſandũ, donec nobis gratię oſtiũ aperiatur. 3. quod afflicti in fide manentes & innocentiam tuentes, tandem conſolationem conſequantur. 4. quod qui matrimonio ſunt copulati, debeant in timore Dei viuere, & irreprehẽſibiles eſſe. 5. quod miniſtri verbi & ipſorum vxores debeant alijs prælucere in omni genere virtutũ. Vt enim Zacharias maritus officij dignitatem ornauit ſanctitate vitæ: ita Elizabeth vxor ſanctam vitam & inculpatam degit. Sciuerunt enim ſe in eum dignitatis locum euectos eſſe, vnde ipſorum vita alijs magis cõſpiceretur. Vtinam non eſſent multi, qui Zachariam prædicant, & non Zachariam viuunt: verum hi ſuum inuenient iudicium.

Illorum pietas.

Quid hæc circumſtãtia nos doceat.

2. Conceptio in qua agitur.

Secunda circumſtantia eſt conceptionis, in qua plura ſunt conſideranda. Nam primum conceptio Zachariæ patri fungenti ſuo officio in Templo prædicitur ab angelo: quod cũ nõ credit ſenex effœtus, mutus efficitur in pœnã ſuæ incredulitatis. Hic primum ſe offert officium ſanctorum Angelorum, qui ſunt nuncij Dei, & miniſtri Eccleſiæ Dei, vt eã defendant, & ſeruiant iuxta Dei voluntatẽ. Sed de Angelis dicenda ſunt plura die Michaelis. Deinde, hic obſeruetur, quod Deus ſoleat exaudire eos, qui officio ſuo rite fungentes ex fide inuocãt. Qui enim officio cõmiſſo non rectè, quantũ poteſt, fungitur, fide vacuus eſt, & orare nequit. Quare nos Zacharię exemplũ ſequentes, & rite fungamur noſtro munere, & ardenter Deũ inuocemus, vt noſtris neceſſitatibus ſuccurrat. Eſt enim ſuarum promiſſionum memor. Præterea hic docemur, quod Dei actio & conſilium non impediatur impedimentis naturæ. Etſi enim Zacharias erat effœtus: Elizabeth ſterilis & natura & ætate: Dei tamen conſilium procedit, & Elizabeth concipit iuxta decretum Dei. Hinc regulam generalem extruamus, videlicet quod nihil decretum & conſilium Dei impedire poſsit. Decreuit mortuos excitare, ſed naturę hoc videtur fieri nõ poſſe. Cui hic magis credendum, naturæne, an voci Dei? Deo reddatur veritatis laus, & certo ſtatuam', quod qui omnipotens eſt veritas, & veriſſima omnipotentia, velit & poſſit præſtare quicquid decreuit. Concipit ergo ſterilis, & effœtus ſenex fit pater aduerſante natura, ſed mandãte naturæ autore, quem puer in vtero matris agnouit, quando adueniente Maria poſt conceptionem ad vocẽ Angeli, in vtero exultauit in teſtimonium, quod Deus recipiat infantes & velit ab eis coli, iuxta Pſalmũ: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti tibi laudem. Verum de hac re plura dicenda ſunt die Viſitationis beatæ Virginis.

De officio Angelorum.

De fauore Dei erga pios.

De omnipotentia Dei naturæ obſtacula ſuperantis.

De ſanctificatione prolis piorum.

3. Natiuitas.

Tertia circumſtantia eſt natiuitatis, de qua in hunc modum Lucas: *Vocabis*, inquit Angelus ad Zachariam, *nomen eius Iohannem, & erit gaudium tibi & exultatio, & multi in natiuitate eius gaudebunt, & cum natus eſſet Iohannes, vicini quod acciderat Eliſabeth audientes, prædicarunt miſericordiam Dei & congratulati ſunt Elizabethæ.* Hæc circumſtantia admonet nos gratitudinis erga Deum pro acceptis beneficijs: admonet nos cõgratulationis, vt gratulemur illis, quibus Deus benefacit: admonet nos officij piorum parentum, vt noſtros infantes Deo commendemus: admonet nos gaudij, quod ex benedictione Domini percipimus, & illud ad Dei gloriam referamus.

Doctrina eliciẽda.

4. Educatio.

Quarta, circumſtantia eſt educationis Iohannis de qua Euangeliſta: *Puer creſcebat & confortabatur ſpiritu, & erat in deſerto, vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.* Et cum in deſerto eſſet, vt narrat Matthæus, habebat veſtimentum de pilis Camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos. Eſca autem eius erant locuſtæ, & mel ſylueſtre. Hæc eſt educationis ſatis aſperæ deſcriptio. Quia enim arduum erat futurum ipſius officium, non in delicijs erat educandus, ſed potius erat aſſuefaciendus laboribus ab initio. Nam, vt ille inquit, à teneris aſſueſcere multum eſt.

Triplex doctrina.

Sed quid nos hinc diſcemus? Monaſticénne? nequaquam. Quídnam igitur? tria hinc diſcere debemus: ſobrietatem, obedientiam erga Deum, & aſſuefactionem. *Sobrietas* enim & continentia hoc Iohannis exemplo non ſolum futuris miniſtris verbi, verumetiam omnibus Chriſtianis cõmendatur. Deinde, *obedientia* erga Deum in noſtra vocatione commendatur nobis Non enim putãdum eſt, quod Iohannes hoc opus & viuendi genus elegerit, tanquam

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quam ſanctius eſſet in deſerto viuere, quam in theatro hominum: ſed vocationi obtemperandum putauit. Aſſuefactio præterea commendatur nobis hoc exemplo, vt durioribus aſſueti, non frangamur laborum mole, ſi quando duriora ferenda ſunt. Delicate educati effœminati redduntur, vt ad nihil præclare agendum ſint idonei, quemadmodum experientia in multis docet. Zona pellicea circa lumbos eius, ſymbolum erat certaminis, quod illi futurum erat in officio ſuo cum Scribis, Phariſæis, Herode, & aliis regni Chriſti hoſtibus.

5. Vocatio.

Quinta circumſtantia eſt vocationis Iohannis. De hac circumſtantia ita ſcribit Lucas, cap. 3. 2. Factum eſt verbum Domini ſuper Iohannem, Zachariæ filium. Hoc verbum fuit vocationis, qua diuinitus vocatus eſt ad miniſterium. Hic nobis commendatur modeſtia, vt exemplo Iohannis expectemus vocantis vocem, ſiue Dei ſine mediis, quod olim ſæpius fiebat: qua ratione ſunt vocati Prophetę, Apoſtoli, & alij interdum: ſiue Dei per media, hoc eſt, per homines, penes quos ius eſt vocandi ad aliquod miniſterium in Republica ſiue Eccleſia. Cõtra hoc modeſtiæ exemplum peccant curioſi, qui ſine vocatione erumpunt in officia, per feneſtras potius & tectum, quàm per oſtium. Huiuſmodi ſunt, qui vel per amicos, vel per munerum largitionem aucupantur officia Eccleſiaſtica, idque non vt Deo ſeruiant, & Eccleſiam ædificent, ſed vt ſuo ventri conſulant, quæ res non bene cedere ſolet.

De duplici vocatione & vtriuſque vſu & abuſu.

6. Officiũ.

Sexta circumſtantia eſt officij, de qua Lucas hoc modo, cap. 3. 3. Et venit in omnem regionem Iordani finitimam, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ſicuti ſcriptum eſt in libro Eſaiæ: Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, & rectas facite ſemitas eius, &c. Habemus officium Iohannis, videlicet vt baptizet & pręedicet pœnitentiam, vt paret viam Domino, vt Chriſtum Dominum monſtret.

Cur Baptiſta & Propheta dictus eſt.

Quia autem primus Dei miniſter fuit, qui baptizauit ex mãdato Dei, Baptiſta dictus eſt: quia prædicauit pœnitentiam, Propheta eſt dictus: quia Chriſtum monſtrat, Elias eſt vocatus, vt ſpiritu Eliæ veniens Domino viam pararet. In huius officio multæ virtutes lucent: vt conſtantia, fortitudo, confeſſio, crux, defenſio veritatis, ardor & ſtudium propagandi Regni Chriſti. Herodem non timuit, Phariſæos non eſt reueritus, ſed officium conſtantiſſime tuebatur vſque ad mortem.

7. Teſtimonium Chriſti de Iohanne.

Septima circumſtantia eſt teſtimonij Chriſti de Iohanne. De hac circumſtantia ſcribitur Matthæi 11. vbi Iohannes coniectus in vincula mittit duos diſcipulos ad Ieſum, vt quærerent, num is ſit, qui venturus ſit, an alius ſit expectandus. Verùm poſt reſponſum Chriſti, ſubijcitur teſtimonium Chriſti de Iohanne. Quid exiſtis, inquit, in deſertum videre? num arundinem? verum quia hic Chriſti præconium de Iohanne declaratum eſt tertia Dominica Aduentus, nolo de eo plura dicere.

8 Mortis circũſtantiæ.

Octaua circumſtantia eſt de morte Iohannis, & de iis quæ circa mortem & poſt mortem contigerũnt. In morte: occaſio, cauſa, mortis genus, & exẽplum Iohannis.

1. Occaſio.

Occaſio fuit hæc: Herodes accepit fratris ſui vxorem, qua vſus eſt vt ſua. Hoc quia Iohannes vidit eſſe contra Legem Dei, & naturæ honeſtatem, dicit Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui, quod cum ægre tuliſſet Herodes, mittit Iohannem in carcerem. Herodes ante hoc Iohannis factum amabat Iohannem: Habuit illum pro Propheta Dei, vſus eſt interdum eius cõſilio, ſed poſtquam à Iohanne taxari cœpit ipſius inceſtus & impura vita, ex amico fit inimicus Herodes, Iohannes in carcerem tanquam maleficus conijcitur. Huius Herodis exemplum multi hodie imitantur. Complectuntur veros Dei ſeruos, donec non offendant, donec vicia non carpant, ſed mox vbi morbum indicauerint, vt phrenetici in medicos manus inijciunt.

2. Cauſa.

Cauſa mortis fuit iuramentum Herodis. Nam cum Herodes in conuiuio vidiſſet filiam Herodiadis ſaltantem, adeo placuit Herodi puellæ ſaltatio, quod iurarit ſe daturum quicquid peteret etiam ad dimidium regni. Puella hoc audito, currit ad matrem, interrogat quid petat. Mater, quæ Iohannem odio proſequebatur propter reprehenſam eius libidinem, iubet vt petat caput Iohannis Baptiſtæ: quod & impetrat. Nam mox miſſo carnifice obtruncatur Iohannes, & caput illius puellæ traditur.

3. Mortis genus.

Habemus cauſam mortis Iohannis, & mortis genus. Ecce hic ad puellæ petitionem iugulatur maximus ille heros, quo non fuit inter natos mulierum maior, iuxta Chriſti teſtimonium. Hæc ſanè ſors eſt Eccleſiæ. Hic videmus Chriſti regnum ſanguine parari & ſanguine ſeruari.

4. Exemplum.

Exemplum hoc Ioannis omnibus ſinceris Chriſti miniſtris imitandum eſt, vt videlicet eligant potius mortem, quam vt ad peccata hominum conniueant, certi quod is, qui Iohannis ſanguinem tanquam oblationem gratiſſimam ſuſcepit, etiam ſui curam in mediis flammis ſit habiturus, cui ſit honor, laus, confeſſio, & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

IN FESTO VISITATIONIS Mariæ, Luc. 1.

EXurgens autem Maria in diebus his, abijt in montana cum feſtinatione, in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ, ac ſalutauit Elizabeth. Et factum eſt, vt audiuit ſalutationem Mariæ Elizabeth, ſaliJt infans in vtero eius. Et repleta eſt Spiritu ſancto Elizabeth, exclamauitque voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim, vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit ſpiritus meus, in Deo Seruatore meo. Quia reſpexit ad humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magnifica, qui potens eſt, & ſanctum nomẽ eius. Et miſericordia eius in progeniem, & progeniem, timentibus eum. Præſtitit robur per brachium ſuum, diſperſit ſuperbos cogitatione cordis ipſorum. Detraxit potentes de ſedibus, & erexit humiles. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes. Suſcepit Iſrael puerum ſuum, vt memor eſſet miſericordiæ. Sicut locutus eſt ad patres noſtros, nimirum Abraham, & ſemini eius in æuum. Manſit autem Maria cum illa circiter menſes tres, & reuerſa eſt in domum ſuam.

ENARRATIO TEXTVS.

Exordiũ de doctrina quę colligitur ex meditatione hiſtoriæ Sanctorũ præcipue.

Cur feſta de Sanctis inſtituta ſint in Eccleſia cum aliâs, tum ipſo die Iohannis Baptiſtæ, dictum eſt. Summa autem eò redit, vt habeamus exempla pœ-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

nitentiæ,& miſericordiæ Dei, ſeu vt explicatius dicam: *Primum*, vt cum illis lapſis non deſperemus de venia, ſed aſpiremus ad gratiam, ſeriam pœnitentiam peccatorum exemplo ſanctorum agentes. *Deinde*, vt fidem illorum imitemur, quemadmodum Paulus monet, Abrahami fidem nobis commendans, Romanor.4.3.&c. *Tum*, vt mores Sanctorum exprimere conemur honeſte, pie, & iuſtè viuentes, & abnegantes omnem impietatem, & mundanas concupiſcentias, vt Paulus ad Titum docet, capite 2. 12.

Vſus præſentis hiſtoriæ. In hunc vſum & hoc Feſtum inſtitutum eſſe cogitemus, non vt ſanctam virginem inuocemus, quod impia eſt idololatria, ſed vt habeamus, quo & animum noſtrum, & vitam informemus ad pietatem & virtutem, exemplo huius caſtiſſimæ virginis.

Summa. Summa autem huius hiſtoriæ eſt, quod Maria virgo, poſtquam & ſe cognouit ex Spiritu Sancto concepiſſe, & ſciuit Elizabetham cognatam iam in ſua ſenectute prægnantem eſſe, proficiſcitur ad ſuam cognatam Elizabeth, eam ſalutat, atque ita colloquuntur de eo quod acciderat, & ſe mutuo confirmant. Quo facto, Maria, vt ſuæ gratitudinis erga Deum ſignũ ederet, Pſalmũm componit, & canit in laudem Dei. Loci duo:

Partes.

1. *Hiſtoria viſitationis.*
2. *Canticum virginis.*

DE PRIMO.

In Hiſtoria viſitationis quatuor præcipuæ ſunt ſpectandæ circumſtantiæ, quæ ſunt:

1. *Mutuum officium virginis & Elizabethæ.*
2. *Salutatio virginis.*
3. *Elizabethæ teſtimonium de fide virginis.*
4. *Miraculum infantis in vtero matris geſtientis.*

Prima Circunſtantia.

Charitas Mariæ erga Elizabetham. *Exurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda, & intrauit in domum Zachariæ.* Beata virgo fructum ſuæ fidei pulcherrimum edit, nempe charitatis erga proximum. Illa enim cum iuuencula eſſet, anum Elizabetham non contemnit, ſed cum feſtinatione accedit, vt eam iuuet & conſoletur, ſic cogitans: Ecce cognata mea eſt ſenio confecta, præterea etiam, quod natura denegatum fuit, miraculo eſt fœcunda facta, eget proinde mea opera, volo itaque ad eam proficiſci, vt mutuis nos conſolemur colloquiis, & vt ei miniſtrem.

Doctrina. Hinc iuuenculæ matronæ diſcant, quomodo eas affectas eſſe erga grandæuas deceat. Maria etſi maioribus donis erat ornata, quam nulla fœminarum in Mundo fuit, non tamen inde ſuperbit, non cogitat, egóne tantis donis ornata ſeruirem iſti anui? Sed potius, quod quò maior ſit, & præſtantioribus donis pollens, eò magis ad ſeruiendum aliis ſit obnoxia. Confirmatio ab exemplo. Ioſeph tametſi ſomniauit Solem & Lunam & vndecim ſtellas ſe adorare, quo ſomno ſignificabatur, quod parentes ipſius & fratres aliquando ipſum eſſent vt Dominum veneraturi, non tamen inde ſuperbit, ſed ſeni parenti ſeruit, & eſt obediens A teſtimonio. iuxta regulam Syracidæ, Eccl.4.7. Quantò maior es, eò magis te ipſe humilia in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, congregationi pauperum affabilem te facito, & ſeniori humilia animam tuam. Qui iuxta hanc regulam & Mariæ exemplum vitam Ab vtili. inſtituit, vberrimum reportabit fructum. 1. Inueniet gratiam apud Deum, nam vt Deus ſuperbis reſiſtit, ita humilibus dat gratiam. 2. Inueniet gratiam apud homines. Vt enim omnes oderunt ſuperbos, ita humiles & affabiles amore proſequuntur. 3. meretur vt ipſe ſenex effectus honoretur à iunioribus. Vt enim iuſtum iudicium Dei eſt, vt qui iuuenis ſenes contempſit, ipſe ſenex contemptibilis fiat: ita iuſticia Dei eſt, vt qui iuuenis reueritus eſt ſenes, & eos in honore habuit, ſenex honoretur & ametur à iuuenibus.

2. Doctrina. Diſcant & hinc virgines noſtræ non circumcurſitare per alienas domos, non ocio indulgere, ſed cum feſtinationè pie & modeſte res ſuas agere, niſi potius placuerit ipſis Dinæ imitari exemplum, quæ ignominiam domum ſecum tulit, quàm beatæ Virginis, quæ decus & perpetuum honeſtatis teſtimonium ſecum reportauit. Olim nullus theſaurus pudentia virginibus erat carior, at nunc & veſtibus & geſtibus omnem impudicitiam produnt multæ, quarum pleræque iuſtas ſuæ impudicitiæ pœnas luunt.

Secunda Circumſtantia.

Salutatio Mariæ. Secunda circumſtantia eſt ſalutationis. Nam ingreſſa domum virgo mox ſalutat Elizabetham. Salutatio amica humanitatis, humilitatis, & beneuolentiæ eſt teſtimonium. Salutandi forma apud Iudæos vſitata fuit: Pax tibi, & pax huic domui, quæ ſalutandi forma de multis rebus nos admonet. Salutandi formula Iudęorũ, quid nos doceat. 1. Hæc ſalutandi ratio eſt confeſſio, qua omnem pacem, omnem fortunam, adeóque omnia proſpera à Deo eſſe confitemur. 2. Eſt petitio. Qui enim ſincero corde dicit: Pax tibi, perinde eſt, ac ſi diceret, Te Pater cœleſtis oro, vt huic tuam largiare pacem, hunc tua protectione munias aduerſus Satanam Eccleſiæ tuæ hoſtem implacabilem. 3. Salutatio eſt adhortatio, qua hortamur quem ſalutamus, vt Deum inuocet, vt ſe, ſuam domum, liberos, &c. tueatur. 4. Salutatio & pacis precatio eſt ſignificatio quædam, quod hoſtes habeamus, qui nobis perpetuò ſtruunt inſidias, vnde monemur, ne ſtertamus, ſed vigilemus, ne incautos nos opprimant. 5. Pia ſalutatio eſt gratiarum actio. Nam cum precamur aliis à Deo pacem, publicè agnoſcimus Deum eſſe autorem pacis, quem hac confeſſione prædicamus. Diſcamus ergo ab hac virgine mutuis ſalutationibus nos inuicem excipere.

Tertia Circumſtantia.

Teſtimoniũ Elizabethę de fide virginis. Tertia circumſtantia eſt teſtimonium Elizabethæ de fide Virginis. *Et repleta eſt Spiritu Sancto Elizabeth, & exclamauit voce magna, ac dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, &c. Beata es quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Elizabeth impletur Spiritu Sancto, à quo certificatur de conceptione virginis. Nã cum contra naturam ſit virginem geſtare vterum, oportuit autorem naturæ doctorem eſſe gratiæ & doni quod contigit præter naturam. Deinde vt edocta erat à S. Sancto, fidem virginis prædicat, Doctrina. cum ait: *Beata es quæ credidiſti*, quæ breuis ſententia plura docet. 1. Omnes eſſe miſeros qui ſunt ſine fide. 2. Quod credentibus contingat beatitudo vera, quæ eſt in Chriſto Ieſu beatitudinis fonte vberrimo. 3. Indicat quis ſit fructus fidei, cum ait, *Quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Quaſi dicat: Etiamſi omnium hominum experientia reclamat, etiamſi natura negat, etiamſi ratio contra ſtatuit, tamen perficietur quod tibi à Do-

mino

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mino dictum eſt, videlicet quod virgo paries Filium, iuxta Dei verbum. Hinc diſcamus & nos, quæ ſit veræ fidei indoles, & exemplo virginis verbo Dei adhibeamus fidem, etiamſi tota rerum natura contrarium polliceri videatur.

Quarta circumſtantia.

Miraculū infantis in vtero materno geſtientis.

Ad ſalutationem virginis exultat puer in vtero matris, & geſtu quodam adeſſe ſignificat in vtero virginis Meſſiam. Hoc ſanè magnum miraculum fuit, quod puer nondum in mundum editus, naturæ reparatorem agnouerit. Quo miraculo & fides Elizabeth ac Mariæ confirmatur, & bonitas Dei erga infantes declaratur, qui olim promiſit Abrahamo, quod vellet ipſius Deus eſſe, & ſeminis eius in ſempiternum, in cuius promiſſionis certitudinem legem ſanxit, vt infans octó dierum circumcideretur, quę promiſſio, cum ad nos pertineat, impie & impudenter faciunt Anabaptiſtæ, qui nolunt Chriſtianorum infantes baptizari, hoc eſt, nolunt eos obſignatione gaudere, qui gratiæ cœleſtis iuxta promiſſionem ſunt hæredes. Anabaptiſtæ ita aiunt: Qui audit & credit baptizandus eſt: Infans vero non audit, nec credere poteſt, quare nullo pacto eſt baptizandus. Sed falluntur miſeri. Sic potius deberent colligere: Infantes Chriſtianorum habent promiſſionem, igitur hæc promiſſio eſt ipſis Baptiſmo obſignanda, ſicut infantibus Iudęorum obſignata fuit circumciſione. Promiſſionis verbum offert gratiam. Promiſſionis Sacramentum obſignat gratiam, & ſymbolo docet: quemadmodum die Cœnæ Dominicæ dictum eſt. Proponamus igitur nobis Iohannem, qui in vtero matris plenus Spiritu Sancto hæres eſt gratiæ communis omnibus infantibus, qui habent promiſſionem.

Error Anabaptiſtarū de pędobaptiſmo refutatur.

Obiectionis dilutio.

Sed dicunt: hoc erat miraculum. Fateor fuiſſe miraculum, & ſane magnum miraculum, ſicuti omnia opera Dei in Eccleſia ſunt miracula. Verùm hoc adeo, quod hoc ipſum miraculum docet nos, quod pueri poſſint eſſe capaces Spiritus Sancti. Si ſunt capaces Spiritus Sancti: ſi ſunt filij Abrahæ: ſi ſunt ſecundum promiſſionem hæredes: ſi Chriſtus eos recipi mandat: cur non baptizandi? Præſertim cum baptiſmus iſtarum rerum ſit quædam obſignatio.

DE SECVNDO.

Sūma Cātici Marię.

Maria audita oratione Elizabethæ de beneficio ſibi facto, videlicet quod eſſet mater Meſſiæ futura, ſui animi gratitudinem erga Deum declarat, quem celebrat in hoc Pſalmo, cum propter ingens illud beneficium, quod ſibi contingit, tum propter miſericordiam, potentiam & veritatem, quā exercet erga homines, dum timentes ſe ex miſericordia in gratiam recipit, contumaces iuſte punit, & quod olim promiſit Patribus, iam tandem vere complet. Vſus huius Pſalmi eſt, vt cognita miſericordia Dei credamus: vt cognita potentia timeamus: cognita veritate ſperemus, ac expectemus cum patientia, quæ Deus nobis ex gratia promiſit. Miſericordiam opponamus peccato: po entiam tyrannidi Diaboli: veritatem tentationibus omnibus, quas caro vel Satan ſuggerit. Atque his de cauſis Eccleſia vetus ordinauit, vt quotidie in cœtu piorum caneretur hoc virgineum carmen. Nunc ſingulos verſus breuiter explicemus.

Vſus.

Explicatio paraphraſtica.

1. *Magnificat anima mea Dominum.*
2. *Et exultat ſpiritus meus ſuper Deo ſaluatore meo.*
3. *Quia reſpexit me humilem ancillam. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.*

Hoc eſt: Ego magnificè Deum prædico, & tota gaudio perfundor, ídque ſuper Deo ſaluatore meo. Is enim meum gaudium, qui mihi tantam præſtitit ſalutem. Is reſpexit & gratuito fauore complexus eſt me humilem & vilem ancillam, quæ iam ſpreta, vilis inſtar vilium ſeruulorum vixi: atque ita reſpexit, vt non poſthac vilem & contemptam, vt antea, ſed beatam me prædicent omnes ætates: cui tanta gratia facta eſt, vt ſim mater futura Meſſiæ, qui Saluator eſt meus & omnium in ſe credentium.

Doctrina.

Ex Mariæ exemplo hoc diſcamus: 1. Agnoſcere noſtram vilitatem, & proſternere nos coram Deo in vera pœnitentia. 2. Agnoſcere beneficia Dei erga nos. 3. Prædicare Deum ob ſua beneficia. 4. Alios ad gratitudinem noſtro inuitare exemplo.

4. *Quia magnifice mecum egit potens ille cuius ſanctum eſt nomen.*

Paraphraſis & doctrina.

Nulla hîc iactat merita pudica virgo, nihil ſuis tribuit viribus, ſed omnia accepta fert Deo, qui ſolus potens eſt, & cuius ſolius nomen ſanctum exiſtit, vt quod ſummam mereátur reuerentiam. Deus enim quoties nominatur, debet ob ſanctitatem prędicari, quæ relucet in omnibus operibus eius, in ingenti miſericordia, in iuſto iudicio, in potentia & veritate, quemadmodum particulatim virgo in ſuo exponit Pſalmo.

5. *Et cuius miſericordia in omnes ætates parata eſt timentibus ipſum.*

De miſericordia Dei locus.

Hic verſus tria docet. Primum, quod Deus ſit miſericors. Secundum, quàm late ſe extendat Dei miſericordia. Tertium, quibus illa infinita contingat miſericordia. De Dei miſericordia multa ſunt illuſtria dicta & exempla. Ero (inquit) Deus tuus & ſeminis tui vſque in ſeculum. Geneſ. 17.7. Item Ego ſum Deus faciens miſericordiam. Exod. 20.6. Et apud Eſaiam, cap. 54.10. Ego adſum, quia miſericors ſum Dominus Deus tuus. Et Syracides, Eccl. 2.13. Pius & miſericors eſt Deus, & remittet in die tribulationis peccata. Hinc Paulus Deum vocat Patrem miſericordiarum, inquiens, 2. Corinth. 1.3. Benedictus Deus & Pater D. noſtri Ieſu Chriſti, Pater miſericordiarum, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Exempla huius declaratæ miſericordiæ ſunt plurima, quorum ſummum eſt, quod Filium ſuum vnigenitum dederit, vt ſaluetur mundus per ipſum. Huc illud, Iohan. 3.16. Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in illum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Imagines huius miſericordiæ ſunt, filius prodigus; Samaritanus, ouis perdita.

Teſtimonia.

Exempla

Imagines

Amplitudo miſericordiæ.

Quam latè ſe extendit hæc Dei miſericordia? Reſpondet Virgo: *In progenies progenierum*; hoc eſt, in omnes ætates, in omnes nationes, iuxta illud, Pſa. 33.5. Miſericordia Dei plena eſt terra, & Pſalm. 103. 17. Miſericordia Domini à ſeculo vſque ad ſeculum. Iuſticia Dei Adam miſeriæ ſubiectus eſt cum tota ſua poſteritate. Miſericordia Dei Adam gratiæ particeps factus cum ſua poſteritate, modò illi ſua culpa non accerſiuerint ſibi iudicium. Huc illud Eſaiæ, cap. 49.6. Dedi te in lucem gentium, vt ſalus ſis mea vſque ad extremum terræ. Et Simeon: Lumen quod paraſti omnibus populis. Luc. 2.52.

Quib' contingit.

Quibus contingit iſta miſericordia? Reſpondet Maria: *timentibus eum.* Hoc ipſum Dauid hiſce atteſtatur verbis, Pſalm. 103.17. Miſericordia Do-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

mini à ſeculo vſque in ſeculum ſuper timentes eum. Et rurſus: Prope timentes eum ſalutare ipſius. Vbi ergo timor Dei verus, illic & miſericordia Dei locum habet.

Timere Deũ quid.

Sed quis eſt iſte timor Dei? Eſt vera pietas & religio, qua ſunt præditi, qui in Chriſtum firma recumbunt fiducia. Eſt autem hîc diligenter obſeruandum inter cauſam miſericordiæ, & qualitatem eorum quibus contingit. Cauſa nulla eſt præter εὐδοκίαν paternam in dilecto, ſicuti ipſe ait: Hic eſt Filius meus, per quem placatus ſum. Qualitas eorum, quib. miſericordia contingit, non eſt meritũ, ſed nota filiorum Dei, qui fide ſunt effecti filij, iuxta illud, Iohann. I. 12. Dedit poteſtatem, vt fierent filij Dei, quotquot credunt in nomine eius. Fide ſola naſcimur filij Dei, ſed filij Dei effecti debemus, vt filios Dei decet, in omni pietate & innocentia, & aliis virtutibus viuere, quas beata Virgo hic timoris vocabulo complectitur.

De iudicio Dei in ſuperbos, & miſericordia erga humiles.

6. *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.*
7. *Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.*
8. *Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes.*

Prædicat iudicium Dei in ſuperbos, & miſericordiam in humiles. Exempla infinita præbet ſacra hiſtoria & quotidiana experientia.

Veritatis Dei celebratio.

9. *Suſcepit Iſrael puerum ſuum, memor miſericordiæ ſuæ.*
10. *Sicuti locutus eſt Patribus noſtris, Abrahamo & ſemini eius in æternum.*

Hoc eſt, Promiſſionem miſericordiæ compleuit Deus miſſo Filio. Eſt igitur verax, & ob veritatem celebrandus: cui ſit laus, confeſſio, & gloria miſericordiæ, potentiæ, iuſtitiæ, veritatis in ſecula ſeculorum, Amen.

IN FESTO MICHAELIS, Euangelium, Matth. 17.

IN illo tempore, acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: Quis eſt maximus in regno cœlorum? Et accerſitum ad ſe puerum Ieſus ſtatuit in medio illorum, & dixit: Amen dico vobis, Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut pueri, non ingrediemini in regnum cœlorum. Quiſquis igitur demiſerit ſemetipſum, ſicut eſt puer iſte, hic eſt ille maximus in regno cœlorum. Et qui receperit puellum talem in nomine meo, me recipit. Qui autem offenderit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collum eius, ac demergatur in profundum maris. Væ mundo ab offendiculis. Neceſſe eſt enim vt veniant offendicula, verumtamen væ homini, per quem offendiculum venit. Quod ſi manus tua, vel pes tuus obſtaculo eſt tibi, abſcinde eum, & proiice abs te. Bonum eſt tibi ad vitam ingredi claudum & mutilum, potius quam duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus offendit te, erue eum, & proiice abs te. Bonum eſt tibi, vt luſcus intres in vitam potius, quam vt duos oculos habens, mittaris in gehennam ignis. Videte ne contemnatis vnum ex puſillis iſtis. Dico enim vobis, quod Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt. Venit enim filius hominis ſeruare quod perierat.

ENARRATIO TEXTVS.

Cur de Angelis habẽtur cõciones in Eccleſia.

HOc feſtum in Eccleſia ideo ordinatum & receptum eſt, vt diſcamus beneficia Dei erga nos, qui dederit nobis Angelos cuſtodes. Quare de Angelis potiſſimum hoc die docenda eſt Eccleſia. Verùm, quia Euangelica lectio, quæ hodie tractari ſolet, continet ſingulares doctrinas: volo primùm textum Euangelij explicare. Deinde nonnulla de Angelis dicere.

Occaſio & ſũma præſentis loci.

Occaſionem huic Euangelicę lectioni præbuit arrogantia diſcipulorum Chriſti, qui poſtquam Chriſtus ſui abitus mentionem feciſſet, contendunt de primatu, quos Chriſtus ab errore reuocat, & ſtatuit puerum in medio eorum, dicens: Niſi fueritis ſicut pueri, non intrabitis in regnum cœlorum. Dehortatur præterea à ſcandalo, & commendat nobis pueros, vt eos in Eccleſiam recipiamus, ſcientes talium eſſe regnum cœlorum. Loci quatuor:

Partes.

1. *Diſputatio Apoſtolorum de primatu, & eorum reprehenſio.*
2. *Admonitio de cauendo ſcandalo.*
3. *Mandatum Chriſti de recipiendis pueris.*
4. *Angelorum natura & officium.*

DE PRIMO.

Error diſcipulorũ.

Diſcipuli accedunt Ieſum, dicentes, Quiſnam maximus in regno cœlorum? Hic primùm obſeruanda occurrit cæcitas diſcipulorum Chriſti, non intelligentium adhuc, qualẽnam ſit Chriſti regnum. Somniabant fore ciuilem adminiſtrationem, in qua Chriſtus, vt ſummus monarcha, Diſcipuli vero ipſius ſub eo, tanquam duces, dominarentur toti terrarum orbi: ideo quærunt, quiſnam illorum ſit futurus ſummus, & à Chriſto proximus. Adeo ſtupenda cæcitas eorum mentes faſcinauerat.

Virus diaboli.

Deinde licet hîc videre virus diaboli, quod fuit etiam efficax in illis Dei organis, nempe diſcipulis Chriſti, qui erant deſtinati Apoſtoli & legati regis Chriſti in ſpirituali eius regno. Quid facit? teterrimo vicio ſuperbiæ eos commaculat, adeo vt iam de primatu diſputent, hoc eſt, quiſnam eorum ſit aliorum futurus Dominus.

Chriſti benigna reprehenſio.

Quid Chriſtus facit ad hanc diſcipulorum ſuorum ſtultam arrogantiam? Potuit ſanè iuſtè eos reiicere, vt ſuperbos & minime idoneos, qui ſuo ſpirituali regno adminiſtrando præficerẽtur: hoc tamen non facit, ſed eos paternè admonet, & vt corrigit errorem: ita ſuperbiæ vicium ſeuerè taxat. Ita enim ait, *Et cum aduocaſſet puerulum Ieſus, ſtatuit eum in medium eorum, & dixit: Amen dico vobis, niſi conuerſi fueritis, & fiatis vt pueruli, nequaquam ingrediemini in regnum cœlorum.* Hic exemplo & doctrina docet, quales velit habere adminiſtratores ſui regni.

Quales diſcipulos requiſit.

Vult æqualitatem, quantum quidem ad animorum affectionem attinet: non vult, vt vnus alterum tanquam ex alto deſpiciat: ſed vt amãter ſint inter ſe inuicem affecti, mutuis ſe proſequentes officiis: non vult vt more gentium alij aliis ſuperbè dominentur in ſpirituali ſuo regno. Nam de regnis politicis alia ratio eſt. Deinde, hîc facit diſcrimen inter ſuum regnum & imperia mundana.

Diſcrimẽ inter regnũ Chriſti & regna mũdi.

Qui ſummus eſt in regnis mundi, is ab omnibus vult coli & miniſtrari. Contra, qui vult hîc ſummus eſſe, debet omnium eſſe miniſter, non verbis, vt Papa, ſed reuera vt Paulus, Petrus, Apoſtoli, & alij ſinceri Euangelij præcones. Ita maximus in Eccleſia Chriſti eſt, qui maxime ſeruit, minimus vero qui minime dominatur.

Comminatio.

Vt autem Chriſtus ſuos diſcipulos ab iſta arrogantia reuocet, addit ſeueriſſimam comminationem, dicens: *Niſi fiatis vt pueruli, non ingrediemini regnum cœlorum.* Sed quid eſt quod velit Dominus ſuos diſcipulos eſſe

los eſſe

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Locorum conciliatio.

los eſſe ſimiles puerulis? an non Paulus ſecus docere videtur, cùm Corinthiis in hunc modum ſcribat, 1.Cor.14.20. Ne ſimus pueri ſenſibus? Chriſtus vult nos eſſe pueris ſimiles. Paulus vult nos eſſe pueris diſſimiles. Vtrumque verum eſt. Debemus eſſe pueris ſimiles, & rurſus debemus eſſe pueris diſſimiles.

Pueris ſimiles quo modo eſſe debemus.

Pueris ſimiles eſſe debemus, 1. Vera humilitate & abnegatione noſtri ipſorum, ſicuti Dominus ait: *Quiſquis demiſerit ſeipſum, ſicuti eſt puerulus iſte.* Eſt igitur omnis ſuperbia deponenda illi, qui vult Chriſti diſcipulus eſſe. Huc illud Chriſti: Qui vult me ſequi, abneget ſemetipſum, hoc eſt, qui vult meus diſcipulus eſſe, humiliter de ſe ſentiat, nihil ſibi arroganter tribuat. 2. Pueris ſimiles erimus in meritorum ratione. Vt enim pueri non poſſunt aduerſus parentes de ſuis gloriari meritis: Ita nec diſcipuli Chriſti coram Domino vlla merita iactare debent, ſed fateantur ſe infantes, qui ſine paterna cura nihil poſſent. 3. Similes erimus pueris affectu. Quemadmodum enim pueri ſe totos paternæ curæ committunt, ita diſcipuli Chriſti ſe totos in Chriſti fidem coniiciant, ab eo omnia ſalutaria expectantes. 4. Similes erimus pueris obediendi ſtudio. Pueri boni non diſputãt, quale ſit quod mandat pater, ſed quid? & eius voluntatem agendi regulam ſequuntur, ſicuti Abraham fecit, qui ad mandatum Dei paratus erat ad mactandum filium vnigenitum. Non cogitauit Abraham, quid hoc opus Deo proderit? Mors filij mei mihi moleſtiſſima quidem eſt, & Deo nihil confert. Sed hoc potius: Tu mi Deus hoc mihi mandas, tuam igitur voluntatem agendi regulam ſequar, & tibi morem geram. 5. Pueris ſimiles eſſe debemus malicia, hoc eſt, vt infantes malis artibus non ſtudent, non auare colligunt, non turpem libidinem ſectantur, ita diſcipuli Chriſti à malo abſtinebunt.

Quomodo pueris diſſimiles eſſe debeamus.

Diſſimiles autem debemus eſſe pueris. 1. ne pueriliter deſipiamus, abſurda ſectantes, vt pueri faciũt, ſenſibus nondum formatis. 2. Ne imbecilles in fide ſimus, ſicuti pueri, qui per ætatem non poſſunt res ſpirituales capere. 3. Ne indulgeamus luſibus carnalium affectuum. 4. Ne inſtar puerorum in doctrina pietatis incerti & inconſtantes fluctuemus, & ne, vt Paulus inquit, Epheſ.4.14. circumferamur quouis vento doctrinę, ſed ſanctam exhibeamus infantiam, ad quam hortatur nos Petrus, cum ait, Quaſi modò geniti infantes, &c. 1.Petr.2.2.

Præmium veræ humilitatis.

Huc & præmium veræ humilitatis apponit, cum ait: *Quiſquis exceperit vnum puerulum talem in nomine meo, me recipit.* Hoc diligenter expendatur. 1. Chriſtus hoc dicto vult, vt omnes pueros amanter complectamur, idque ipſius nomine. 2. Teſtatur. quicquid in nomine ſuo collatum fuerit piis, id ita ſe æſtimare, ac ſibi ipſi collatum eſſet. Quem non excitaret hæc promiſſio ad humanitatis officia erga ſuos, & maximè erga membra Eccleſiæ Chriſti? 3. Admonet de pœna quam luent, qui vllos id Chriſtum credentes contempſerint. *Qui, inquit, offenderit vnum ex paruis iſtis, qui in me credunt: præſtiterit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collum eius, vt demergatur in profundum maris.* Deberet vel hæc comminatio retinere nos in officio, ne tam faciles eſſemus ad offendendos alios. Sed de hôc loco ſequitur.

DE SECVNDO.

Partes tres huius ſententię.

Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala, veruntamen væ homini per quem ſcandalum venit. Hoc Chriſti dictum tria habet. *Primum* eſt prædictio, quod mundus ſit futurus plenus ſcandalis. *Secundum* eſt indicatio ſubobſcura cauſarum ſcandalorum. *Tertium* eſt comminatio pœnæ, quam luet autor ſcandali.

1. Docet.

Primum nos docet, admonet, confirmat. Docet 1. quid ſit euenturum, hoc eſt, quod mundus ſit futurus plenus ſcandalis. 2. quod illa ſcandala ſecum ſint allatura hominibus *Væ*, hoc eſt, pœnas, ſub quibus homines ſuper ſe *Væ* clamabunt præ anguſtiis. Eſt autem *Væ*, vt Baſilius ait θρηνῶδες ἐπίφθεγμα, hoc eſt, flebilis acclamatio, qua ſuum dolorem teſtantur, qui ſub cruce gemunt. 3. quod Eccleſia non ſit futura tranquilla in hac vita, ſed cum maxime quieta videbitur, ſubito excitabuntur tempeſtates, quibus mirum in modum concutietur. Erit Eccleſia in mundo ſimilis Halcyoni aui, quæ in mari oua parit, & pullos nutrit. Hæc nunquam ſibi polliceri poteſt vnum tranquillum diem: ſed ſe in omnem euentum parat, tranquillo mari cum ſuis pullis gaudet, obortam tempeſtatem perfert fortiter, ſperata tranquillitate animum alens. Sic Eccleſia eſt in mundo vt in mari, in quo gignit ſibi liberos. Hæc nunquam ſecura eſſe poteſt à tempeſtatibus mundi, quæ ſunt falſi Prophetæ, diabolus, propria caro, praui hominum mores & exempla. Hæ tempeſtates cum in Eccleſiam ingruunt, debet ipſa parata eſſe in omnem euentum, ſed tãdem omnia ſuperabit per victorem mundi Ieſum Chriſtum, quem cum fide apprehendimus, & nos victores mundi euadimus, iuxta illud: Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides veſtra. Quare hæc vincit mundum? quia Chriſtum habet. 1.Ioan.5.4.

2. Admonet.

Deinde, admonet nos hoc dictum Chriſti, ne vel ipſi autores ſcandalorum ſimus dicto aut facto, vel ſinamus nos abduci ſcandalis, ac rurſus relabamur in priſtinas tenebras, ac à Chriſto Saluatore turpiter deficiamus, ſicuti multis hodie accidit, vbi ſophiſtæ & tyranni pro ſua libidine omnia ſurſum ac deorſum verſant.

3. Confirmat.

Tertiò, hoc dictum Chriſti nos confirmat in fide Chriſti. Nam cum videmus euentum prædictioni reſpondere, certificamur de Euangelio, & confirmatur fides, ne cum maxima parte mundi confeſſionem abiiciamus.

II. Scandala à quo oriantur.

Secundum, quod habet dictum Chriſti, eſt indicatio ſubobſcura cauſarum ſcandali: *Neceſſe eſt*, inquit *vt veniant ſcandala.* Sed vnde illa neceſſitas? à Deóne? Nequaquam. Deus enim non eſt autor malorũ, nec delectatur ſcandalis, ſed iraſcitur autoribus ſcandali, ſicuti pœnæ oſtendunt. Vnde ergo? num à diabolo? Verè à diabolo. Nihil enim is aliud molitur, quã vt Chriſti Eccleſiam ſcandalis in doctrina, moribus, in cruce euertat. Hic ſibi adiũgit Sophiſtas, hypocritas, & tyrannos mundi, quos excitat, vt nihil intentatum relinquãt, quod faciat vllo modo vel ad euertendam vel lacerandam Eccleſiam, id quod hiſtoria Eccleſiæ docet, ante diluuium, poſt diluuium, in Ægypto, in deſerto, in variis perſecutionibus, ſub iudicibus, regibus, & ducibus, in captiuitate, poſt captiuitatem vſque ad Chriſtum exhibitum. Deinde poſt Chriſtum hiſtoria Eccleſię infinita teſtimonia habet ſcandalorum, quibus ſatan Eccleſiam Chriſti horribiliter inuadit.

III. Sententia grauiſſima in ſcandalorum autores.

Tertium, quod Chriſti dictum habet, eſt comminatio pœnæ, quam autores ſcandalorum ſuſtinebunt. *Væ homini* (inquit) *illi per quem ſcandalum venit.* Significat ergo fore, vt quia alij ſunt ſcandalo, grauiſſimis puniantur pœnis. Nec eſt dubium, quin de pœnis æternis loquatur.

De triplici ſcandalo vitando.

Cæterum, vt diligentius caueamus, ne fiamus autores ſcandali, breuiter dicam, quænam ſcãdalorum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

genera ſint cauenda,quæ à ſuis cauſis differentias accipiunt. Vnum genns ſcandali eſt, quod oritur ex mala doctrina,ſeu ex corruptelis doctrinæ Eccleſię. Qui hoc pacto aliis eſt ſcandalo, diabolum patrem ſuum imitatur,qui primos homines hoc genere ſcādali euertit,Gen.3. Alterum genus ſcandali eſt,quod oritur ex malis moribus,hoc eſt,cum alij in te reſpicientes tuos malos mores induunt. Qui ita ſcandalo eſt hominibus,regnum ſatanæ extruit,& demolitur Chriſti regnum, quare ſummopere cauendum eſt. Quotus quiſque,quæſo,hîc non dat ſcandalum? Siue ad clerum,ſiue ad populum,ſiue ad magiſtratum,ſiue ad ſubditos reſpicis, vides omnia plena ſcandalis morum, adeo vt non fruſtra Chriſtus dixiſſe videatur: *Væ mundo à ſcandalis.* Tertium genus ſcandali oritur ex abuſu rerum,quæ ſua natura ſunt indifferentes,quod cauendum eſt,ne offendantur infirmi. Obſtinati & impij ſunt contemnendi,ídque Chriſti exemplo, Plura de ſcandalis aliâs diximus.

DE TERTIO.

Mandatū Chriſti de recipiēdis pueris.

Videte ne contemnatis vnum ex pueris his. Dico enim vobis,quod Angeli eorum in cælis ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt. Hic Chriſtus nobis pueros commendat,ne illos vllo pacto offendamus, & rationem ſubnectit: Quia Angeli eorum vident faciem Dei Patris,qui in cœlo eſt. Hoc eſt,cum tanta cura Deus pueros complectatur,vt eis Angelos cuſtodes dederit,non decet,vt nos inhonoremus. Hic obſeruemus,quod pueri habeant Angelos cuſtodes, qui eos aduerſus ſatanam tuentur. Deinde, excitemur ad gratitudinem erga Deum pro tanto beneficio. Tum ſtudeamus piis moribus eos retinere. Poſtremò caueamus ne vlla impietate aut turpitudine illos à nobis arceamus,qui in cœlo gaudent piorum ſanctitate & vitæ puritate.

DE QVARTO.

Angelorū deſcriptio natura & officium.

Quartum,quod propoſui,fuit de Angelis,de quorum natura & officio pauca dicam, vt cum ſciamus quales cuſtodes habeat Eccleſia,tum intelligamus in quanto verſemur periculo.

Angelus eſt creatura Dei, ſpiritualis, intelligens, potens, condita in miniſterium Dei & Eccleſiæ, à quo ſuæ conditionis fine quidam defecerunt, & facti ſunt hoſtes Eccleſiæ,quidam autem non defecerunt, ſed manſerunt in ſua innocentia, in qua Deo & Eccleſiæ ſeruiunt. De quibus Epiſtola ad Hebræos ita ait,cap.1.14. Nónne omnes ſunt miniſtratores ſpiritus, qui miniſterij cauſa mittuntur propter eos,qui hæredes erunt ſalutis. De malis Dominus ait,quod Satan cum ſuis ſit mendax & homicida ab initio. Ioan.8.44. Et Petrus dicit, diabolus ſicut Leo circumit, quærens quem deuoret. 1. Petr. 5.8. Hinc facile eſt intelligere, quod Eccleſia in mundo ſit veluti ciuitas, quam vt Angeli boni intus defendunt,ita mali foris oppugnant. Cum igitur in tanto verſemur diſcrimine, rogemus Deum, vt ſuis nos Angelis tueatur,cui laus,honor,& poteſtas,in ſecula ſeculorum, Amen.

IN FESTO OMNIVM ſanctorum, Matt.5.

CVm vidiſſet Ieſus turbas, aſcendit in montem, & cum conſediſſet, acceſſerunt ad illum diſcipuli eius, & poſtquam aperuiſſet os ſuum,docebat illos,dicens, Beati pauperes ſpiritu, quoniam illorum eſt regnum cœlorum. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolationem accipient. Beati mites, quoniam ipſi hæreditatem accipient terræ. Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſticiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundi corde,quoniam ipſi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam hi filij Dei vocabuntur. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam illorum eſt regnum cœlorum. Beati eſtis, cum probra iecerint in vos homines, & inſectati fuerint,& dixerint omne malum verbum aduerſus vos,mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis.

ENARRATIO TEXTVS.

Feſti dies de Sanctis cur inſtituti, rationes variæ.

Feſta de ſanctis in Eccleſia inſtituta ſunt non ſine grauiſſimis cauſis,quas ordine recenſebo, vt in noſtrum commodum ſanctorum feſtis vti poſſimus.

Prima, vt cognoſcatur Eccleſiæ hiſtoria. Id enim valde vtile eſt:nam & inde Eccleſiæ ſtatum,& quos habuerit defenſores & hoſtes Eccleſia,intelligimus.

Secunda, vt cogitentur beneficia Dei erga Eccleſiæ membra. Paulus ex perſecutore factus eſt Apoſtolus. Petrus, qui Dominum ſuum negârat,in gratiam eſt receptus. Magdalena peccatrix pro filia agnita eſt,dum in Chriſtum fide recumbit. In mortis articulo Chriſtus ſe contemplandum præbuit Stephano: atque ita in ſingulis ſanctis Dei ſingularia beneficia videre eſt.

Tertia, vt conſideratis hiſce Dei beneficiis ergà ſanctos, nos agamus Deo gratias, quod in miſeros peccatores conuertentes ſe ad Dominum per veram pœnitentiam fuerit adeo miſericors, & eos in gratiam receperit,& tot ornauerit beneficiis, ac ſpiritu ſuo in hoc deſerto rexerit.

Quarta, vt varij Sanctorum caſus perpendantur & conferantur cum periculis noſtri temporis. Vt olim pij opprimebantur ab impiis:ita & hodie. Olim Sancti gaudebant ſub piis gubernatoribus,& interdum iugum grauius tyrannorum experiri cogebantur:ita & hodie. In his caſibus variis debemus nos erigere exemplo ſanctorum.

Quinta, vt ſanctos imitemur in pœnitentia, vita, cultu,confeſſione,conſtantia,patiētia,& aliis virtutibus. Debent ergo ſancti nobis eſſe veluti exempla regulæ vitæ noſtræ. Verbum Dei requirit pœnitētiam, cultum Dei, confeſſionem, patientiam: ſed ſancti Dei verbi huius exempla ſuppeditant.

Sexta vt piis ſuſpiriis ſanctorum expetamus conſortium,quo liberati tandem ex his anguſtiis, beati viuamus cum Chriſto in omni æternitate: qua de cauſa Chriſtus pronūciat ſuos diſcipulos beatos, etiam ſi variis ærumnis in hac vita affligantur. Et huc pertinet hodiernum Euangelium de beatitudinibus variis,ſicuti nunc audiemus: ſingulas ergo beatitudines ordine declaremus. Locus vnicus,

Summa Conciōis.

De beatitudine diſcipulorum Chriſti.

Primus gradus ad beatitudinem Spiritus demiſſus.

1. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Hoc verſu oſtendit Chriſtus primum gradum ad ſummas opes. Summæ opes ſunt poſſeſſio regni cœlorum & æternæ vitæ. Gradus autem eſt ad has opes primus paupertas ſpiritus, quia contriti & contuſi ſentimus nos omnis iuſtitiæ eſſe inopes.

Quid? an non hæc paupertas nos èxcludit è regno cœlorum? Sicut recte dicitur: primus gradus eſt ad ſanitatem nouiſſe morbum, quia qui morbum nouit,quærit conueniens remedium: ita primus gradus eſt ad opes cœleſtes paupertas ſpiritus,quia qui

hanc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

hancſentit,quærit opes aliunde.Et ſicut morbus ſua natura gradus eſt ad mortem , niſi ſuccurrat medicus:ita hæc paupertas rectà ad infernum mitteret, niſi Chriſtus ſuas opes nobiſcum communicaret. Non ergo diuitiæ nobis contingunt ſpirituales merito paupertatis , ſed beneficio regis cœlorum , ad quem implorandum nos cogit ſenſus ſpiritualis huius paupertatis. Senſus ergo huius loci eſt nihil eſſe cur illi ſe infelices eſſe putent, quia reuera ſentiunt in animo,ſe eſſe omnis iuſticiæ inopes,cum iſte ſuæ inopiæ ſenſui ſit primus gradus, quo ad ſummas opes,id eſt,in regnum cœlorum aſcenditur,non quidem per ſe & ſua natura , ſed quia cogit nos illum quærere,qui ſolus via eſt in cœlum.

Paupertas Spiritualis,quid.

Qualis autem ſit paupertas ſpiritualis , ex collatione facilius intelligi poteſt. Vt enim paupertas mendicitatis eſt non ſolum ſumma inopia,verumetiam eius publica profeſſio:ita paupertas ſpiritus eſt non ſolum ſumma opum cœleſtium , hoc eſt, iuſtitiæ , ſanctitatis, & innocentiæ inopia:verumetiam eius profeſſio coram Deo,à quo petimus vt propter Chriſtum noſtræ ſuccurrat inopiæ. Hæc ergo paupertas ſita eſt in vera pœnitentia & expetitione opum cœleſtium.

Monachalis erroris refutatio.

Monachi abuſi ſunt hoc loco. Nam ex eo docuerunt,paupertate,id eſt,mendacitate,homines mereri regnum cœlorum,cum Paulus apertè dicit, Rom. 6.Donum Dei eſt vita æterna per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum.Si donum eſt gratuitum, certe non comparatur paupertate,quæ ſane ſua natura nihil meretur , ſed eſt pœna , cuius cauſa eſt partim prodigalitas,partim pigritia.

Secundus gradus cor contritum.

1. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolationem accipient.*Hæc mirabilis eſt concio.Pronunciat beatos lugentes: cum nihil magis felicitati repugnet quam luctus.Verum Chriſti dictum intelligēdum eſt non de luctus tempore,ſe de euentu. Nam ita ait : quia conſolationem accipient, ſcilicet finito in hoc mundo luctu. Hic luctus cauſam habet partim ſpiritus paupertatem,partim ærumnas præſentis vitæ , quæ nos tanquam igni quodam excoquunt & explorāt, & quaſi ſtimulis nos excitant ad expetendum æternum gaudium , quod omnes lachrymas abſterget. Non ergo luctus per ſe cauſa eſt felicitatis, ſed quia compellit nos ad Chriſtum , qui eſt autor omnis conſolationis.

Huc proinde Pauli dictum pertinet , Rom.6.3. Gloriamur in tribulationibus , quia operantur patientiam : patientia probationem : probatio, ſpem, ſpes autem non confundit , quia Deus nos diligit. Hinc facile intelligi poteſt, Chriſtum non loqui de quouis luctu,ſed de luctu,qui eſt ſecundum Deum, non de luctu mundi.

Tertius gradus manſuetudo.

3. *Beati mites,quoniam ipſi hareditatis iure terram poſſidebunt.* Mites ſunt placidi, manſueti,faciles, humani,qui ſuos affectus mitigant:qui læſi faciles ſunt ad condonandam iniuriam:qui malunt rem perdere,quam contendere. Hæc virtus manſuetudo è timore Dei vt vera humilitate naſcitur , quam Chriſtus ſuis commendat dicens, Matth.11.28. Diſcite à me,quia mitis ſum,& humilis corde.Regula eſt:Diſcipuli Chriſti mites eſſe debent.Exemplum regulæ eſt Chriſtus:vult enim vt hanc virtutē meditātes ſe intueamur.Non dicit Dominus:Diſcite à me mortuos ſuſcitare,dęmones effugare,ſuper mare ſiccispedibus ambulare,40.dies & noctes ſine cibo viuere, ſed hoc dixit:Diſcite à me,quia mitis ſum,& humilis corde.Hęc humilitas habet ſecū germanā dilectionē,de qua Dominus:In hoc cognoſcēt omnes,quod mei diſcipuli ſitis,ſi vos mutuo dilexeritis. Ioa.13.35.

Sed quid promittitur mitibus? beatitudo, ídque propter euentum:nam hęreditatis iure terram poſſidebunt,non quod in terra ſimus victuri,ſed propter typum.Terra enim olim promiſſa patribus , fuit typus & figura regni cœlorum,adque ideo veritas vmbræ nomen accepit.

Hoc loco qui abutuntur ad ſtabiliendum dogma de merito,ac ſi noſtris virtutibus mereri cœlum poſſemus,ſtulti ſunt,non animaduertentes Chriſti verba. Dicit enim eos poſſeſſuros iure hæreditatis terram.Vbi eſt illud hæreditatis ius? Nónne ideo hæredes ſumus,quia in Chriſto gratis adoptati per fidem? Nónne Paulus dicit,Rom.6.23.Vita æterna eſt donum Dei per Ieſum Chriſtum Dominū noſtrum. Aliud eſt loqui de cauſis ſalutis,aliud de nouis qualitatibus eorum, qui hæredes ſunt ſalutis.

Hęreſis de merito refutatur.

4. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſticiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.*Chriſtiani in hac vita nunquam ita ex fontibus ſalutis hauriunt aquam, quin magis ſitiant,quos hic conſolatur Dominus,promittens fore,vt tandem ſaturentur:ex qua ſaturitate ſe felices profitebuntur.Quiſquis eſurit & ſitit iuſticiam,duo optat. 1. Vt publicè glorificetur Deus recta doctrina,ſancta vita,& confeſſione. 2. Vt priuatim ſinguli agnoſcant Deum , fidem Chriſti concipiant , impleantur Spiritu ſancto,ac ſancta piáque vita iuſtitiam Dei meditentur.De hac ſatietate loquitur Dauid, Pſalm.17.15. quam tum demum fore dicit, cum apparuerit gloria eius. Ibi enim (vt eſt in Apocalypſi , capit. 7.16. Sancti non eſurient neque ſitient amplius.

Quartus gradus Salutis Deſideriū

5. *Beati miſericordes,quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.*Hic nobis commendatur miſericordia erga miſeros.Vult enim Chriſtus ſuos diſcipulos non tantum tangi propriis malis,verumetiam affici aliorum miſeria:quod ſane eſt veræ charitatis officium. Neque Chriſtus tantum requirit , vt condoleamus ærumnis & miſeriis aliorum:ſed opus ſimul requirit: vult vt miſeris manus auxiliatrices porrigamus. Ne autem hominum ingratitudine frangantur, adiūgit promiſſionem. Promittit enim fore , vt qui miſericors fuerit in proximum,miſericordiam rurſus conſequatur.ídque nō ſolum apud Deum, verumetiam apud homines.Deus promittit miſericordibus miſericordiam,& facit etiam vt inueniamus miſericordiam apud homines,dum illorum animos flectit ad benefaciendum nobis.

Quintus gradus miſericordia erga proximum.

6. *Beati mundo corde,quoniam ipſi Deum videbunt.* Mundities cordis hic nobis commendatur,quæ opponitur duobus maximis viciis , aſtutię & libidini. Cum opponitur aſtutię,eſt ſimplex candor,quo agimus cum hominibus ſincerè & apertè ſine obliquis fallendi artibus. Hoc ergo Chriſti dictum aduerſatur iudicio plerorumque hominum. Plerique enim tum demum ſe beatos putant , quando alios aſtutè circumuenire poſſint ac fallere : vnde & prudentiæ laudem & lucrum venantur,& fauorem magnorum hominum aucupantur.Verùm Chriſtus non vult,vt ſui diſcipuli ita agant,ſed vt potius ſint contenti ſimplici candore, vt cor, manus, lingua, quàm optimè conſentire videantur. His promittit , vt Deum videant,in cuius viſione ſumma eſt ſita felicitas. At cum mundities cordis opponitur libidini , eſt vera caſtitas,quam Paulus ſanctitatē vocat , cum inquit, Heb.12.14.Præſtate ſanctitatem, ſine qua nemo videbit Deum. Vt enim Deus abominatur libidines, ita ſumme delectatur caſtitate fidelium.

Sextus gradus, cordis puritas.

7. *Beati pacifici , quoniam iy filiy Dei vocabuntur.* Hic magnam & raram virtutem ſuis diſcipulis commendat Chriſtus. Pacifici ſunt,qui paci & trāquilli-

Septimus gradus, pacis ſtudiū

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

tati faciendæ& conſeruandæ ſtudent. Hi quia diuerſum ſtudium à filiis ſatanæ habent, filij Dei vocabuntur, vt qui Dei Patris exemplo pacis & tranquillitatis ſunt autores, & multos ſuo hoc pacis ſtudio iuuant & oblectant. Quemadmodum enim balſamum precioſum integram domum ſua replet fragrantia: ita vnus vir pacis ſtudioſus magnum cœtum diſſidentem in concordiam reducere poteſt. Non ergo immerito Dauid concordiæ & pacis ſtudium celebrat, ita canens, Pſal. 133. Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum optimum ſuper caput defluens ſuper barbam, barbam Aaron, quod defluit per oram veſtimentorum eius. Sicut ros Hermon, qui deſcendit ſuper montes. Vt enim rore terra fœcunda redditur benedicente Domino: ita vbicunque ſunt multi pacis ſtudioſi, fœcundæ ſunt & felices politiæ, Eccleſię & œconomiæ. Contrà vbi non eſt pacis ſtudium, illic ariditas & ſiccitas, hoc eſt, ſumma miſeria.

Octauus gradus, affligi & mortem pati pro Chriſti nomine.

8. *Beati qui perſecutionem patiuntur iuſticiæ cauſa quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Quia maximè concutit infirmorum animos ſcandalum perſecutionis, valde commodè ſuos de cruce admonet, vt non fracti perſecutionum acerbitate abiiciant confeſſionem: ſed potius propoſitum regnum cœlorum intueantur: cuius potiundi deſiderio magis contendant per tribulationes multas introire in regnum cœlorum. Imitemur ergo eorum exempla, qui dum currunt in ſtadio, reſpiciunt ad præmium quod ab Agonothete propoſitum eſt, & ita alacres properant, donec ad metam ventum fuerit: ita vult ſuos facere Chriſtus: non vult ſegnitiam, ſed infatigabile currendi ſtudium, donec ad metam regni cœlorum perueniant.

Deinde, cum Chriſtus hîc vnam perſecutionis cauſam ponit, nempe iuſticiam, vult vt ita vitam inſtituamus, ne pati cogamur noſtra culpa, ſeu propter noſtram iniuſtitiam. Tum enim perſecutio eſt iuſta pœna, non teſtimonium defenſæ iuſtitiæ, & veritatis. Et Petrus monet, Ne patiamur vt iniuſti, ſed vt iuſti, ídque exemplo Chriſti, Prophetarum, Apoſtolorum, & multorum martyrum. 1. Pet. 3. 20.

Gradus octaui elucidatio.

Beati eritis, cum conuiciati fuerint vobis, & vos perſecuti fuerint, & dixerint quiduis mali aduerſus vos, mentientes mea cauſa. Exponit quid ſit pati perſecutionem propter iuſticiam: Si conuitiati vobis (inquit) fuerint iniuſtè, ſi perſecuti vos fuerint odio Euangelij. Si dixerint omne malū mētientes. Nā ſi verum dixerint, non eritis beati. Si propter peccata veſtra perſecutionem patiemini, non continuo eritis felices. Nā cauſa (vt inquit ille) facit martyrum, nō ſanguis.

Crucis piorum glorioſus exitus.

Gaudete, inquit, *& exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis.* Merces eſt cōpenſatio obedientiæ erga Deum in perſecutione prętitæ. Non hoc dicto ſignificat Dominus, nos cruce mereri cœlum, quia cœlum eſt filiorum hæreditas, ſed potiùs nos ad ferendam crucem extimulat, propoſita Patris clementia, qui nobis compenſationem laborum, quos ſuſtinemus in hac vita, pollicetur, quæ compenſatio in cruce fundata eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti, cui vna cum Patre & Spiritu ſancto ſit honor, poteſtas & gloria, in ſecula ſeculorum, *Amen.*

SOLI DEO GLORIA.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, QVI IN Opuſculis Theologicis, D. Hemmingij ad dogmatum confirmationem appoſitè citantur, & magna ex parte explicantur.

NVMERI PRIORES CAPVT, VERSICVLVM, aut verſiculos libri Veteris aut Noui Teſtamenti: poſteriores duo columnam huius voluminis, & columnæ lineam deſignant.

GENESIS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	1	344	61
	1.2.3	1326	44
	27	350	3
	28	1394	66
	31	343	50
II.	3	1610	41
	7	350	5
	17	349	23
	20.	491	64
	22.&c.	951. 952.	&c.
III.	1 vſ.ad 8	357	34
	15	423	3
	15	543	37
	15	547	40
	15	616.617	61&c.
	15	625	39
	15	634	15
	15	690	50
	15	1144	31
	15	1164	50
	15	1167	2
	15	1178	21
	15	1305	61
	15	1327	28
	15	1325	21
	15	1352	23
	15	1408	61
	15	1449	33
	15	1466	59
	15	1470	35
	19	331	3
	19	1439	54
	22	349	40
IIII.	4.5	1311	58
	7	361	63
	10	932	60
VI.	5	354	51
	5	525	58
	5	1238	52
	5	1505	17
VIII.	12. 13	1097	2
IX.	6	880	39
XII.	3	543	43
	3	618	53
	3	1470	44
	3	547	47
	3	1325	59
	4	1243	29
XIIII.	18	1159	18
XV.	1.6	1278	64
	6	619	18
	6	691	60
	6	1178	27
XVII.	4	1070	21
	4	1381	24
	7	1186	12
	7	1670	38
	9	456	70
	14	331	34
XVIII.	18	543	43
	18	547	47
	19	1042	6
XXII.	1	330	8
	17	543	43
	17	547	47
	18	618	56
	18	633	14
	18	1325	61
	22	1243	30
XXIIII.	57	992	27
XXVI.	4	1325	66
XXVII.	46	996	66
XXVIII.	14	1325	67
XXXI.	30	1149	5
XXXII.	28	1079	21
XLVIII.	14	1585	64
XLIX.	16	423	4
	10	625	48
	10	796	25
	10	635	70
	10	1094	60
	10	1326	19
	10	1327	29
	10	1330	44

EXODVS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
XIII.	9	445	35
	16	593	60
XIIII.	15	1646	19
XVIII.	21	479	57
XIX.	6	1197	30
XX.	2	336	64
	2	1529	52
	4	134	2
	6	1174	27
	12	77	45
	12	330	51
	12	490	33
	15	489	13
	20	330	10
XXI.	1	1050	3
	22	1296	26
XXII.	18	481	41
	18	880	40
	18	946	48
	18	1290	36
XXXII.	6	1535	48
XXXIIII.	6	342	65
	16	996	68
	6	1052.1053.	39.13
	6	1174	37

LEVITICVS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	19	933	33
IX.	24	593	13
XVIII.	4	1050	6
	6	977	701
XIX.	15	485	10
	18	485	54
	18	489	17
	31	1290	20
XX.	6	912	30
	6	1290	24
	26	954	6
XXI.	2	978	43
	7	110	39
XXV.	36	488	21
	37	489	21
XXVI.	26	233	60

NVMERI.

CAP.	VER.	COL.	LI.
VI.	23	1159	39
	26	1437	17
XI.	24	1330	53
	25	1143	16
XIIII.	11	445	37
	11	593	62
	13	746	39
	13	1229	26
XXIIII.	5	1131	55
	17	796	21
	17	1095	47

DEVTERONOMIVM

CAP.	VER.	COL.	LI.
IIII.	31	1053	2
V.	6	336	6
	6	1529	52
VI.	4	336	66
	4	621	30
	4	1529	54
	13	329	48
	3	659	34
	16	428	24
VII.	9	1053	25
VIII.	2	237	44
	2	922	30
	3	1427	61
X.	10	1382	53
XII.	8	1413	50
	19	169	11
XIII.	1.2.3	469	37
	1	921	68
	1	1289	32
	1	1403	46
XVI.	18	485	14
XVIII.	11	1290	35
	15	1329	54
	18	641	44
	18	1101	61
XIX.	21	329	28
XXIII.	19	489	22
	20	484	14
XXIIII.	1	1006	13
XXV.	5	989	49
XXVII.	6	361	65
	16	879	8
	19	485	17
	25	1058	50
	26	687	3
XXVIII.	15	641	46
	28	1181	9
XXX.	15	651	33
	20	746	11
XXXII.	35	485	49

IOSVE.

CAP.	VER.	COL.	LI.
III.	10	746	40
	10	1229	30
	16 17	1421	55
XXIIII.	14	1072	50
	14	1233	59

IVDICES.

CAP.	VER.	COL.	LI.
XIII.	16	1315	40

1. SAMVELIS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
II.	21	1329	4

2. SAMVELIS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
V.	10	1090	65
VII.	12	1329	63
	13	329	31
	13	543	46
XIII.	13	365	16
XV.	25	1037	55

1. RECVM.

CAP.	VER.	COL.	LI.
VIII.	30	1577	33
	46	330	66
	46	360	14
XVII.	24	593	65
	46	746	41
XVIII.	21	917	58
	21	1289	69
	36	1229	31
	36	1435	5

2. REGVM.

CAP.	VER.	COL.	LI.
VIII.	11	1421	61

2. CHRONICORVM.

CAP.	VER.	COL.	LI.
V			
XII.	1	593	23
XX.	20	1283	60
XVIII.	9	1233	60

IOB.

CAP.	VER.	COL.	LI.
V.	17	1207	16
IX.	2	525	61
	2	1238	55
XIII.	15	1036	58
XIIII.	1	1170	64
	4	525	6
	4	1238	28
XIX.	23	1036	60
	25	1178	25
	25	1202	43
	25	1219	24
	26	1178	25
XX.	11	1067	19
XXII.	26	1611	3
XXXIII.	4	338	23

PSALMI.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	2	375	49
	2	1191	1
	2	1205	46
	7	347	5
II.	1	1449	38
	6	633	52
	7	620	12
	7	1326	59
	6.7.8	1328	11
	8	642	44
	9	1328	60
	11	1133	64
	12	75	24
	12	561	52
	12	1101	69
	12	1191	10
	12	13353	3
IIII.	5	105	15
	6	1202	4 6
V.	12	1284	11
	13	1173	52
	13	1233	3
	13	1368	49
VI.	3.4	1134	7
VII.	17	1409	59
IX.	3	1284	15
	7	1329	44
	8	1336	20
	19	476	48
XIIII.	1	354	52
	1	360	15
	2.3	525	66
	1.2	1238	60
	7.12	12	36
XV.	5	488	61
XVI.	10	1471	9.55
	8.9	618	51
	9.10	1100	58
	11	1212	37
	8.9 10.11	133	49
XVII.	15	1208	7
	15	1678	[illegible]
XVIII.	5	1176	15
	5	1464	19
	32	336	68
	32	1529	59
	36	1233	7
XIX.	1	344	67
	1	1529	14
	8	97	6
	8	1083	3
	9	579	8
	10	1072	67
	13	1238	66
XX.	8	1652	30
XXII.	5	478	8
	5	1497	27
	7	1098	44
	totus	1333	26

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

CAP.	VER.	COL.	LI.
	32	1243	37
XXIII.	1.23	1489	274
	1	1526	36
XXIIII.	8	1091	13
XXV.	1	1582	47
	1	1502	52
	4.5	97	20
	10	1174	33
	14	458	40
XXVI.	6	415	36
XXVII.	4	415	32
XXXI.	7	913	16
XXXII.	1	611	35
	1	1314	35
	7	1231	3
	10	1174	55
	11	1284	16
XXXIII.	1	1284	18
	5	1173	40
	6	337	14
	6	344	63
	6	1326	52
	35	1295	68
XXXIIII.	9	1135	30
	11	746	14
	16	347	6
XXXVI.	6	346	69
XXXVII.	1	487	21
	3	563	62
	4	889	4
	5	1438	19
	19	1427	67
	35	1554	61
XXXVIII	3	1077	11
XXXIX.	12	942	32
XL.	7	1146	2
	10.11	637	8
XLII.	1	1132	43
	3	1223	55
XLV.	7.8	620	18
	7.8	1326	64
	7.8	1328	17
XLIX.	3	1296	70
	21	350	7
L.	7	1146	3
	15	582	17
	15	58	5
	15	913	62
	15	1034	37
	15	1402	67
	15	1503	61
	16	1203	48
	16	1146	29
	23	1201	20
	2	1062	46
LI.	6	1175	10
	7	710	70
	7	688	58
	7	1237	34
	9	1178	30
	12	1133	60
	12	1249	4
	18	1145	70
	19	945	32
	19	1056	23
	19	1061	7
	19	1146	57
	19	1201	66
	19	1359	62
LV.	23	500	8
	23	1602	55
LVIII.	5	939	5
LIX.	6	1090	66
LXII.	11	498	40
	11	499	7
	13	1336	24
	11	1419	17
LXIII.	4	1173	54
LXV.	8	337	45
LXVI.	18	583	15
	18	1034	45
LXVIII.	18	428	9
	5	538	15
	5	620	29
	5	705	14
	5	1326	67
	19	638	65
	19	1101	21
	19	1335	17
LXIX.	23	641	31
LXX.	3	1409	59
LXXII.	1	1049	67
	1	1328	20
	5	634	44
	8	608	5.49
	11	620	40
	19	1091	28
LXXIII.	2	2822	30
	16	1231	38
	27	1231	54

CAP.	VER.	COL.	LI.
	28	1125	26
LXXVI.	12	958	5
LXXXIII.	18	1229	53
LXXXIIII.	5	415	34
	11	503	32
	13	1335	34
LXXXVI.	2	557	38
	5	1053	33
	15	343	3
LXXXVII.	3	1126	20
	4	1100	38
LXXXVIII.	19	1098	46
LXXXIX.	31	396	18
	35	458	38
XCI.	15	478	5
	15	1402	66
	15	1497	20
XCII.	14	415	35
XCIIII.	17	1056	51
XCV.	1	1284	20
XCVII.	7	1327	9
	10	913	55
C.	3	1329	28
CIII.	1	635	12
	3	1284	19
	4	1173	50
	6	1053	38
	13	1173	28
	17	1043	60
	17	1670	70
CVI.	31	1252	19
CX.	1	1336	16
	2	633	53
	2	1328	54
	4	435	4
	4	634	61
	4	1101	66
	1	1108	21
	4	1152	2
	4	1159	50
	4	1182	65
	4	1315	17
	4	1329	1
	7	638	6
	7	1471	11
CXI.	9	456	69
	10	1198	42
CXII.	1	579	34
	1	914	1
	7	1073	18
	1	1206	53
	9	838	19
CXV.	1	1229	13
CXVI.	15	1122	19
	15	1197	17
	16	1172	36
CXVII.	1	642	54
	1	1053	48
	1	1101	10
	2	1174	20
CXVIII.	22	641	65
	25	1097	58
CXIX.	1	1205	32
	1	1206.	55
	9	1081	27
	104	97	10
	105	394	46
CXXII.	1.3	74	11
	1	562	56
	6	415	39
CXXIII.	1	1587	44
CXXVII.	1	346	66
CXXVIII.	1	1554	27
	2	1439	55
CXXX.	3	361	66
	3	370	49
	3	526	2
	3	635	10
	3	1238	67
	3	1557	34
	4	1069	29
	4	1178	32
CXXXII.	9	1197	68
	10	1330	3
	11	607	28
	11	1095	40
CXXXIII.	1	1679	10
CXXXIX.	7	621	18
CXLI.	1	1201	42
	1	1246	17
	2	1145	31
CXLIII.	2	361	68
	2	370	50
	2	526	4
	2	1238	69
	2	1557	35
CXLV.	8	1053	54
	11	633	59
	17	1042	2
	18	1034	31

CAP.	VER.	COL.	LI.
CXLVI.	3	1135	64
CXLVII.	3	1359	65
	3	1489	53
	9	1565	19
	20	1050	5
	20	1106	21

PROVERBIA.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	22	104	7
III.	7	914	8
	33	346	67
V.	3	1209	23
	15	749	63
	16	399	38
	16	499	8
VI.	12	124	10
VIII.	13	1073	3
XI.	28	499	4
XIIII.	27	1072	44
XV.	8	1146	27
	16	499	5
XVI.	4	344	53
	4	344	69
	9	354	56
	11	1050	1
XVII.	13	1181	24
	15	485	15
	22	1134	10
XVIII.	10	582	14
	10	1075	23
	10	1504	7
	23	1008	23
XIX.	14	110	3
	16	484	24
	17	399	55
	22	916	9
XX.	9	362	1
	9	526	7
	9	1239	1
XXII.	6	1067	21
XXIII.	13	528	19
	20	29	43
XXIIII.	21	914	8
	29	485	55
XXV.	9	830	29
	27	1530	2
XXIX.	23	1614	25

ECCLESIASTES.

CAP.	VER.	COL.	LI.
V.	2	927	22
VII.	20	350	9
	21	525	5
	21	1238	27
XII.	7	1122	12
	7	1296	7

ISAIAS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	2	1178	68
	9	641	27
	10	1146	13
	11	1311	63
	16	1146	32
	2	1642	10
II.	1	1103	62
	1	1328	40
	3	633	55
	4	1104	43
	3	1105	60
III.	1	233	50
V.	21	1232	14
VI.	3	1091	6
	9	620	31
VII.	4	1095	25
	14	423	6
	14	543	47
	14	625	61
	14	636	14
	14	796	22
	14	1327	31
VIII.	13	1112	37
	14	641	62
IX.	6	337	46
	6	1326	61
	6	1328	29
X.	1	484	25
	22	641	29
	22	1112	19
	22	1106	31
	23	641	34
XI.	1	1330	6
	4	633	67
	4	640	45
	4	1328	68
	5	1235	52
	6	1104	47
XII.	2	1133	30
	3	1224	7

CAP.	VER.	COL.	LI.
XIIII.	3	1910	58
XVI.	5	1173	44
XIX.	21	740	45
XXVIII.	15	641	57
	16	1106	42
XXIX.	13	391	13
	13	1108	56
	13	1413	55
	14	524	27
XXXV.	4	1097	28
	4	1331	68
	4	1359	37
XXXVII.	20	1229	32
	20	1415	15
	28	746	42
XXXVIII.	3	1233	63
XL.	3	1266	7
	11	1329	33
XLII.	1	1474	51
	3	637	42
	5	1332	30
	6	637	29
	8	538	51
XLIII.	7	350	16
	10	1529	55
	11	1329	4
	25	1487	20
XLIIII.	6	1529	58
	10	384	3
	24	1295	1
XLV.	1	1333	1
	23	1336	21
XLVIII.	17	1413	45
XLIX.	1	1332	98
	6	637	35
	6	1329	11
	6	1670	65
	6	1052	47
	15	1173	25
	15	1563	64
	15	1605	47
	15	3	4
L.	23	1098	13
	6	1329	14
LI.	5	1329	17
LII.	10	1098	53
	13	638	24
LIII.	2	1098	60
	3	1333	51
	3	1167	56
	4	11352	50
	4	549	43
	6	1169	48
	6	638	47
	10	1470	60
	10	632	70
	11	1243	41
	11	1175	36
	12	538	10
LIIII.	5	1327	1
	5	1329	22
	5	943	6
	10	1053	64
	10	1173	35
	10	1570	40
	10	1101	58
	13	1157	16
LV.	1	1271	67
	1	1054	1
	7	1224	56
	10	328	63
LVI.	7	1201	68
LVII.	15	1359	66
	15	1611	1
LVIII.	13	1171	14
LIX.	2	1204	65
	2	1329	25
	20	792	50
	21	1108	17
LX.	1	637	20
LXI.	1	1096	36
	1	1097	17
	1	1332	14
	2	526	9
LXIIII.	6	1171	10
	6	1239	3
	6	1557	24
	6	1061	9
LXVI.	2	1201	69
	2	476	13
	2	1172	29
	24		

IEREMIAS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
II.	13	1223	56
III.	12	1052	36
	14	365	23
IIII.	2	331	10
	22	1232	7
VII.	21	1146	8

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

CAP.	VER.	COL.	LI.
	30	1151	16
VIII.	9	1083	49
XIII.	23	1067	23
XIIII.	7	1330	30
XVII.	7	1243	53
XXII	10	1608	3
XXIII.	5	620	33
	3	1526	30
	6	337	43
	6	538	13
	6	1108	19
	6	1243	49
	6	1327	4
	22	343	5
	23	621	16
	28	1152	32
	29	1202	7
XXIIII.	7	940	22
XXVIII	9	796	14
XXXI.	10	1329	36
	18	365	24
	22	625	52
	31	458	21
	31	640	25
	31	816	3
	31	1070	26
	31	1187	28
XXXII.	18	343	9
	21	1095	28
XXXVI.	3	365	29
XLIIII.	16	1562	40
I.	1	1539	1
III.	22	1054	6
	41	1034	30

EZECHIEL

CAP.	VER.	COL.	LI.
III.	17	1152	28
	17	1566	50
	18	172	1
XI.	19	1135	10
XIII.	9	411	28
	22	1525	70
XVIII.	8	488	34
	23	396	20
	30	365	31
	30	1429	61
	33	773	36
XX.	8	385	11
	18	329	37
	8	394	28
	18	743	38
	18	1154	69
	18	1247	70
	18	1413	51
	18	1536	60
	19	1413	44
XXXIII.	5	1413	47
	10. 11	1058	60
	11	365	35
	11	1077	49
XXXIIII.	15	1485	54
XXXVI.	26	353	13
XXXVII.	23.24	1328	36
	24	1329	40
XLVI.	13	1199	20

DANIEL.

CAP.	VER.	COL.	LI.
II.	44	1328	22
III.	34	458	44
IIII.	24	1251	57
VII.	7	1113	47
	10	191	48
IX.	4	1062	55
	24	636	33
	24	1094	62
	24	1105	7.
	24	1331	1
	24	1470	65
	24	1472	49
	24	1508	50
	25	1365	48
	26	641	373
	26	1106	2
XII.	2	845	28
	2	1172	21
	3	1203	60

OSEAS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
II.	19	1624	56
	20	1235	53
	23	642	48
IIII.	15	331	12
VI.	6	885	39
	6	1202	50
VII.	15	109	70
XI.	1	1096	8
XIII.	9	917	37

CAP.	VER.	COL.	LI.
	9	1271	66
	14	425	32
	14	1329	27
	14	1467	4
XIIII.	3	1201	22

IOEL.

CAP.	VER.	COL.	LI.
II.	9	1054	12
	23	1329	7
	28	639	34
	28	926	59
	28	1101	46
	28	1223	62
	28	1335	27
	31	435	22
	32	1335	41
	32	1429	42

AMOS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
III.	6	148	40
	6	941	63

IONAS

CAP.	VER.	COL.	LI.
IIII.	2	1054	16

MICHEAS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
III.	11	169	60
IIII.	1	1105	53
V.	2	421	33
	2	1327	46
VI.	6	1201	47

ABACVC.

CAP.	VER.	COL.	LI.
III.	2	1173	11

AGGÆVS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
II.	8	1095	63

ZACHARIAS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
IX.	9	1097	51
	9	1328	27
	9	1330	14
	9	1353	59
	11	458	45
XI.	12	1098	2
XII.	1	1295	70
	10	395	10
XIII.	7	1098	8
XIIII.	5	1336	20
	8	1083	25
	18	1224	17

MALACHIAS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	6	914	3
	11	1160	13
II.	5	173	10
	6	175	38
	5	1198	22
	10	337	1
III.	1	1096	65
	1	1266	7
IIII.	2	600	35

MATTHÆVS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	21	417	13
	21	547	51
	21	1242	34
III.	2	365	58
	11	566	51
	16	337	17
	17	545	50
	17	565	25
	17	657	67
	17	1097	9
	17	1131	18
	17	1508	53
IIII.	7	330	13
	10	659	34
	19	139	15
V.	3	1061	11
	4	1205	12
	5	1206	56
	6	1272	17
	10	1207	20
	14	138	68
	14	1268	63
	16	742	6
	29	329	3
	31	1006	53
	32	493	8. 61
	34	329	47

CAP.	VER.	COL.	LI.
	34	866	42
	39	485	39
	42	399	51
	48	502	39
VI.	6	328	62
	6	436	63
	21	1510	56
	33	498	19
	33	1438	12
	33	439	46
	33	1574	16
	34	839	51
VII.	12	375	55
	12	489	12
	15	1139	51
	18	1246	37
IX.	13	885	42
	13	1055	34
	13	1241	9
	21	1279	14
X.	8	169	26
	10	169	10
	28	841	62
	28	1216	24
	19	346	60
	30	347	6
	41	1285	53
XI.	4	1332	3
	12	229	65
	28	634	27
	28	637	62
	28	1055	37
	28	1333	16
	28	1398	37
XII.	30	415	45
	31	360	20
	31	553	46
	31	755	47
	43	532	47
XIII.	12	171	38
	22	839	47
XV.	2	1142	8
	8	1413	54
	9	391	14
XVI.	18	431	19
	18	487	4
	18	650	28
	18	1138	16
	19	462	34
	23	821	14
	24	1201	17
	25	1180	50
XVII.	3	1508	53
	5	363	45
	5	545	53
	5	592	20
	5	620	56
XVIII.	6	821	32
	7	1067	51
	7	1274	66
	7	820	36
	14	773	29
	14	1077	53
	15.16	464	56
	18	1184	70
	22	858	54
	24	146	50
XIX.	4	994	46
	4	1005	31
	5	959	38
	5	963	44
	7	493	8. 20
	13	399	54
	16	655	29
	17	343	60
	17	372	5
	17	1193	68
	19	958	38
	21	501	1
	21	502	52
	21	840	30
XX.	16	179	5
XXI.	4	1206	23
	41	1206	5
XXII.	1	481	63
	21	1223	45
	30	432	48
	31	845	33
	32	841	56
	32	1121	70
	34	vſ.ad fin	cap.
		518. vſ.ad	586
	39	182	60
XXIII.	2	1139	34
	8	1125	23
	13	463	62
	37	1136	47
	37	1179	4
XXIIII.	13	1207	29
	26	1399	10

CAP.	VER.	COL.	LI.
XXV.	31	445	33
	35	849	28
	41	1172	25
XXVI.	38	1176	12
	39	1175	38
XXVIII.	18	634	43
	19	337	15
	19	1190	60
	19	1138	20
	20	1128	26

MARCVS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	4	803	9
	15	364	63
	15	365	37
	15	365	64
III.	28	360	24
	28	553	50
	28	755	48
V.	22	1279	7
	36	1280	8
VII.	7	479	10
	13	1142	50
VIII.	31	478	36
IX.	41	329	24
X.	7	372	5
	18	493	8. 34
	18	566	12
	40	650	11
	45	1216	23
	47	791	3
XI.	17	1126	38
XII.	33	1065	66
XIIII.	33	1176	22
XVI.	15	200	41
	15	692	59
	15	1138	12
	15	1190	60
	16	1123	22
	16	3:8	59
	16	845	42

LVCAS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	6	371	4
	6	491	49
	13	1266	14
	14	126	46
	31	543	50
	53	1415	1
	73	1194	20
	76	187	35
	77	548	25
	77	1276	37
	77	696	15
	78.	1173	33
II.	7	625	67
	10	547	54
	32	1095	69
	34	407	45
	50	1054	23
VI.	34	487	65
	36	329	27
	36	399	45
	37	749	25
VII.	29	367	27
	37	365	6
	38	1279	20
	47	1245	56
	48	372	6
VIII.	5	73	25
IX.	23	478	34
	59	1330	41
X.	7	167	68
	16	1139	69
XI.	2	437	9
	18	1205	45
	24	532	47
	26	1047	41
	52	1139	40
	52	463	58
XII.	10	755	48
	15	1441	35
	15	1065	68
	19	576	5
	32	230	16
	35	104	25
XIIII.	13	128	65
	26	330	49
	26	497	8
XV.	7	918	64
	7	1055	21
	11	1054	47
	11	1259	54
XVI.	9	849	26
	19	842	10
	29	792	60
	18	493	34
XVII.	10	398	9
	10	657	49

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

CAP.	VER.	COL.	LI.
	10	658	14
	21	1604	2
XVIII.	14	1595	42
	18	372	6
XIX.	8	921	27
XXI.	19	484	49
	34	476	57
XXII.	7	vſ. ad 14.	246.7
	15	650	11
	25	460	60
	38	460	37
	44	1176	23
XXIII.	40	365	11
	41	945	34
	43	842	30
	43	1207	52
	43	1279	27
	46	842	38
XXIIII.	46	363	12
	46	363	47
	46	652	50
	46	692	49
	46	1508	61
	47	1062	5
	47	1242	26

IOANNES.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	1	337	47
	1	538	17
	1	620	48
	2.3	1368	35
	12	544	55
	12	763	61
	12	1130	2
	29	1170	19
	12	1199	1
	12	1244	25
	12	1417	35
	14	545	45
	14	625	64
	17	327	30
	17	376	12
	17	657	51
	17	692	8
	17	1129	46
	18	548	21
	18	1262	46
	25	841	41
	29	425	22
	29	548	44
	29	597	31
III.	5	244	62
	6	526	13
	6	1233	8
	6	1294	39.51
		1298	20
		207	7
	13	1316	27
	14	1324	53
	14	1589	65
	15	363	54
	16	1052	64
	16	424	42
	16	1173	70
	36	221	21
	36	407	46
	36	527	19
	36	622	64
	36	1434	41
	36	1500	15
	36	1508	67
	36	1557	66
IIII.	14	1083	27
	23	584	51
	23	1035	61
	14	1223	60
	14	1224	15
V.	14	1047	37
	24	1293	12
	28	845	35
	29	848	62
	29	1293	15
	39.45.49	615	12
VI.	29	1435	27
	35	1224	5
	39	1077	51
	44	354	49
	49	611	40
	68	1223	70
VII.	16	463	11
	24	485	11
VIII.	32	1083	40
	34	1242	55
	39	1294	51
	44	1675	54
	52	1197	7
	56	599	20
	56	1589	70
IX.	31	329	8

CAP.	VER.	COL.	LI.
	31	746	53
	30	1097	45
	30	1332	7
	31	1505	23
X.	4	1124	59
	16	780	19
	9	221	32
	16	1129	34
	38	593	64
	27	413	46
XII.	26	842	39
XIII.	18	413	45
	35	1677	70
XIIII.	6	221	33
	6	1128	36
	6	1316	29
	9	348	31
	23	395	11
	23	1578	29
	15	913	59
	19	1262	48
	23	1126	11
XV.	5	743	59
	6	354	47
	6	394	65
	6	1246	32
	6	1248	19
	7	1034	40
	7	1207	39
XVI.	8	566	40
	11	1405	19
	23	746	33
	23	583	30
	23	584	10&c.
	23	790	56
	23	791	44
	23	1184	21
	23	1505	26
	23	1034	57
XVII.	3	534	19
	3	548	27
	3	682	62
	3	686	69
	3	1206	35
	19	424	20
	19	549	56
	19	557	49
	19	1168	50
XVIII.	36	650	8
XX.	17	1070	43
	21	1138	22
	22	1213	13
XXI.	15	140	44

ACTA.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	4	639	48
	8	137	53
	9	206	64
	11	629	56
	16	615	21
	17	639	39
	25	1334	18
	37	646	33
	37	653	41
	37	712	13
	38	365	55
III.	21	628	55
	21	701	14
	32 23	1329	59
V.	3	338	21
	29	482	33
	31	714	28
	38	446	6
VII.	8	458	47
	8	1381	55
	51	1277	39
	59	538	68
	59	791	4
	59	842	48
	59	1292	58
VIII.	59	1122	22
X.	9	486	49
	14	580	46
	34	1429	32
XIII.	42	1280	19
	13	372	23
	38	1280	23
	39	363	55
	48	413	43
XIIII.	16	335	25
	22	1207	10
XV.	8	1280	27
XVI.	10	670	5
	17	933	40.7
X,VII.	18	869	37
	2.3	615	21
XX,	17	346	56
	21	365	62
	28	547	2

CAP.	VER.	COL.	LI.
	28	1177	65
	28	1242	48
	34	169	49
XXV.	10	485	13

EPISTOLA AD *Romanos.*

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	4	620	56
	8	1599	5
	11	330	29
	16	363	52
	16	633	63
	16	637	48
	16	693	50
	16	1418	32
	16	1280	31
	16	1434	37
	17	634	20
	18	334	52
	19	1529	8
	22	921	13
	21	1149	15
	21	360	50
	25	920	64
	28	1181	7
	28	762	39
	32	912	12
II.	4	918	59
	5	209	28
	5	576	56
	8	1066	45
	13	326	28
	13	330	1
	14	484	27
	15	403	1
	15	759	41
	21	533	30
	29	407	13
III.	9	526	15
	10	1557	33
	11	1133	46
	12	352	68
	20	330	2
	20	372	28
	20	1280	35
	21	375	55
	21 &c.	654	7
	21	1241	35
	22	1582	17
	23	635	18
	23	1509	14
	24	611	29
	24	1148	14
	24	1242	45
	24	1314	28
	26	1241	63
	27	328	52
	27	376	3
	27	1500	50
	30	1194	4
	3	65	5
IIII.	3.4.5	654	48
	3	395	38
	3	1178	27
	3	1280	44
	4	398	12
	5	1243	9
	3	1500	48
	11	241	2
	11	691	64
	11	1381	51
	12	815	40
	13	1241	37
	13	1326	13
	25	427	17
	25	566	31
	25	654	41
	25	1466	62
	25	1472	46
	25	1168	16
	25	1557	43
V.	1	372	49
	1	584	46
	1	855	27
	1	1184	10
	1	1184	40
	1	1481	16
	2	1244	60
	3	1244	47
	5	1036	50
	8	1052	60
	8	1174	2
	12	1294	43
	14	601	65
	15	vſ. ad 19.	261
	15	544	21
	16	1129	6
	16	1069	22
	17	698	2

CAP.	VER.	COL.	LI.
			70
	18	710	12
	18	1244	23
	19	368	5
	19	655	55
	19	733	44
	19	734	63
	19	1167	65
	19	1175	13
	19	1243	54
	19	1280	43
	19	1500	25
	20	547	60
	20	1069	32
VI.	1.2.3 4	568	33
	1	855	51
	3	243	9
	3	244	31
	3	1130	65
	3	1197	2
	3	1626	47
	3	1677	23
	4	426	38
	6	406	26
	6	478	69
	7	1175	10
	10	1201	33
	12	357	14
	12	765	1
	15	376	69
	23	848	10
	23	1247	53
	23	1472	12
	23	1509	13
	23	1678	41
	25	1272	67
VII.	4	364	1
	4	1238	11
	6	407	65
	7	897	59
	7	1240	55.70
	9	727	1.10
	9.10	728	33
	12	651	32
	14	353	45
	14	525	42
	15	330	54
	18	354	65
	19	359	18
	23	357	34
	24	1300	68
	24	1495	51
VIII.	1	372	10
	1	524	16
	1	1244	4
	2	357	4
	2	768	63
	2	1432	10
	7	1180	6
	7	353	39
	7	246	62
	8	954	25
	10	1235	6
	12	396	31
	12	1414	17
	13	763	46
	13	1414	64
	14	743	13
	15	1072	28
	15	1244	70
	17	568	13
	18	371	10
	18	478	12
	18	658	52
	22	1244	57
	23	1606	50
	25	354	4
	27	943	20
	28	426	12
	28	478	55
	28	723	21
	29	373	35
	29	412	50
	30	1215	43
	30	1489	5
	31	1174	40
	31	1178	42
	32	327	18
	32	1168	20
	32	1405	4
	33	435	23
	33	855	15
	34	1182	52
IX.	5	337	58
	5	620	21
	5	538	61
	17	918	39
	28	326	36
	2	486	52
X.	3.4	722	44
	3	526	

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

CAP.	VER.	COL.	LI.
	3	1129	23
	3	1193	22
	3 vſq. ad 11.	1280	57
	3	1241	47
	4	556	37
	4	655	25
	4	733	51
	4	734	51
	4	855	19
	4	1129	1
	4	1168	12
	4	1174	34
	4	1233	49
	4	1235	5
	4	1243	6
	4	1473	64
	9	1077	49
	12	1077	49
	10	1449	21
	10	1560	47
	13	435	22
	14	1400	45
	18	600	45
XI.	6	1271	55
	32	1055	48
	32	1240	63
XII.	1	900	3
	1	1200	36
	1	1148	43
	8	838	55
	10	399	56
	13	399	58
	17	485	47
	19	484	47
XIII.	1	479	38
	1	481	64
	1	826	7
	7	482	3
	8	193	2
	8	489	14
	8	893	38
	13	401	16
XIIII.	5	1286	6
	17	1284	6
	19	1274	70
	20	1097	59
	23	391	17
	23	657	70
	23	106	14
	23	1246	30
	23	1252	9
XV.	15	1203	1
	16	421	12
XVI.	20	616	45
	25	1508	41

1. AD CORINTH.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	26	1196	53
	30	518	62
	30	541	49
	30	623	47
	30	696	5
	30	1128	56
	30	1473	35
	30	1280	66
II.	4	1505	20
	4	640	68
	9	1208	37
	14	353	4
	14	354	43
	14	1246	41
III.	5.6	330	32
	10	138	7
	11	348	63
	11	615	9
	11	778	20
	11	1578	35
	16	1125	60
	17	1127	36
	17	1578	26
IIII.	1	138	32
	15	1298	44
V.	3	467	31
	6	1543	22
	15	466	30
	42	219	11
VI.	7	830	4.45
	16	993	60
	19	1395	19
	20	742	39
VII.	2	492	26
	2	956	44
	10	1011	50
	10	1017	3
	12	493	9.41
	13	1006	18
	13	997	3
	14	804	35
	15	1005	48
	15	1011	70
	20	401	12
	21	329	59
	23	329	60
	31	1130	29
	31	1631	28
	33	955	10
	38	669	29
VIII.	4	337	3
	6	1529	60
	11	533	22
	13	473	48
	13	1067	59
IX.	7	169	38
	12	169	45
	14	167	69
X.	1	1323	65
	12	1097	63
	3	613	10
	4	549	5
	4	1224	37
	13	1476	30
XI.	1	166	1
	1	1269	22
	23	1142	6
	28	574	21
	32	1207	19
	32	1497	2
	32	1535	51
XII.	11	330	26
	13	243	68
XIII.	10	502	11
	12	1208	39
	13	339	16
XIIII.	20	1673	3
	20	669	64
XV.	3	1142	3
	20	545	10
	21	544	27
	22	626	34
	27	845	51
	36	845	50
	40	848	20
	44	432	49
	47	406	28
	47	763	22.41
	50	328	58
	51	432	3.2

2. AD CORINTH.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	2	1198	2
	12	405	25
	20	1174	36
	21	640	16
	22	796	63
	22	1480	66
	24	167	18
	3	1054	25
III.	3	768	19
	6	407	3
	6	766	68
	6	769	19
	6	1213	42
	6	1291	48
	7	728	62
	17	1129	66
IIII.	6	600	54
	6	1323	20
	16	406	18
	17	649	43
V.	19	1186	24
	21	363	59
	21	425	23
	11	432	6
	21	549	47
	21	556	68
	11	616	13
	21	720	57
	21	734	45
	21	116	9.5
	21	1176	8
	21	1243	17
	21	1280	69
	21	1334	6
	21	1405	24
	21	1466	63
	21	1482	62
VI.	14	997	9
	15	917	56
VII.	10	646	50
	10	712	30
X.	3	613	57
	4	460	56
	4	634	8
	4	1091	7
	4	1213	5
	19	405	27
XI.	2	1567	14
	3	1525	66
	4	469	34
	28	499	49
XIII.	5	249	64
	5	574	26
	5	809	27
	5	1452	44
	13	337	26
	15	777	30

EPIST. AD GALAT.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	8	1141	15
	14	486	38
II.	11	465	46
	16	372	64
	16	1280	15
	16	1281	1
	20	1299	32
	21	526	22
	21	651	50
	21	1239	36
	21	1557	40
III.	1	936	37
	10	180	31
	13	180	27
	13	363	44
	13	3781	15.53
	13	549	44
	13	619	50
	13	1098	40
	13	1169	53
	13	1242	53
	13	1482	58
	13	1508	52
	13	1557	65
	15	456	69
	15	1105	3
	16	618	58
	22	376	24
	22	1239	8. 65
	27	798	30
	28	415	5
	29	1326	13
IIII.	1	1298	45
	4	373	38
	4	544	56
	4	625	47
	4	636	54
	4	1328	3
	4.5	1380	26
	4	1382	41
	9	337	21
	24	816	20
	26	414	32
V.	2	331	35
	3	356	70
	5	1244	65
	17	105	69
	18	376	9
	19	397	35
	16	558	17
	19	765	1
	19	406	25
	22	478	43
VI.	6	169	10

EPIST. AD EPHES.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	3	619	3
	4	413	38
	4	771	21
	6	565	24
	6	1131	16
	13	412	43
	13	796	66
	14	845	50
	20	608	65
	20	206	66
	22	1467	9
	23	414	45
II.	2.3	1179	44
	3	106	13
	3	244	64
	3	326	16
	3	688	52
	3	1246	38
	1.2	1045	26
	3	1237	42
	3	1423	15
	8	1157	6
	8	1272	42
	10	1509	32
	14	1466	68
	20	778	20
	21	425	38
	3	1472	52
	4	1054	28
	8	1281	19
	8	1241	55
	8	372	68
	14	425	26
	20	615	6
IIII.	1	401	13
	8	428	10
	8	638	68
	8	1335	20
	10	1510	19
	10	629	16
	10	701	44
	20	715	40
	23	1299	53
	24	348	53
	29	124	60
	3	399	13
	10	206	66
	10	545	59
	14	1673	46
	17	431	32
	17	1133	50
	19	762	37
	22	406	40
	22	763	14
	26	105	15
V.	2	399	59
	8	1268	64
	8	1283	24
	8	10509	35
	11	1183	2
	18	131	4
	19	133	17
	22	492	3
	25	415	29
	25	832	17
	26	566	52
	26	1197	56
	28	995	49
	32	601	60
VI.	4	314	45
	4	496	37
	4	833	32
	5	490	51
	5	834	60
	9	490	27
	9	834	43
	10	1235	52
	12.13	1092	21
	13	1233	12
	17	633	70

EPIST. AD PHILIP.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	6	354	44
	6	1248	21
	9	766	59
	9	1215	4
	23	842	55
	23	1207	53
	23	1122	10
II.	3	1613	62
	5	1613	42
	6	1301	70
	6.7	1175	17
	7	1466	32
	8	425	15
	9	608	60
	13	353	12
	13	354	45
	13	1248	23
	3	542	57
III.	3	599	28
	3	1382	56
	6	330	41
	6 &c.	1281	21
	8	654	60
	8	734	58
	8	1192	33
	9	1243	65
	9	526	50
	10	845	49
	12	502	43
	20	1128	27
	20	1316	46
	20	545	22
	21	432	39
	21	848	49
	21	1207	70
IIII.	6	499	69
	6	1602	42

AD COLOSS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	13	693	36
	19	502	41
	23	1207	37
II.	1	499	49
	16	331	22
	21	331	23
III.	1	1510	57
	1	1473	47
	9	406	45
	18	492	12

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

CAP.	VER.	COL.	LI.
	19	832	21
	21	114	36
	22	490	56
	22	496	40
	22	834	65
IIII.	1	493	32
	1	834	46
	6	124	61

1. AD THESSAL.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	1	499	50
IIII.	3	1414	30
	7	396	4
	9	489	19
	11	1375	58
	13	1608	5
	14	845	48
	14	1473	54

2. AD THESSAL.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	3	163	44
II.	4	412	57
	4	651	61
	8	643	22
	10	360	57
	10	920	66
	11	867	69
	11	1149	30
	11	1181	21
	15	1141	60
	16	539	2
	4	1284	28
	6	466	65
III.	6	1544	13
	10	133	60

1. AD TIMOTH.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	2	481	63
	3	153	41
	9	329	38
	13	553	68
	15	547	58
	15	1276	31
	18	396	11
	18	913	40
	18	1092	36
	18	1233	67
	18	1246	58
	19	1414	40
II.	4	653	5
	4	773	31
	4	1077	54
	5	337	4
	5	1182	3
	5	1155	50
	5	1529	62
	5	634	66
	6	1167	50
	6	1170	16
III.	4	115	28
	15	414	17.25
	16	1352	15
IIII.	1	740	32
	1	952	37
	5	1441	53
	8	746	18
	8	1252	20
	8	1285	66
	8	415	4
	12	165	68
	13	323	60
	18	396	61
V.	1. 2	134	62
	8	396	9
	8	499	42
	8	838	56
	8	1414	36
	14	960	27
	17	170	5
	20	465	36
VI.	9	1601	8
	1	533	33

CAP.	VER.	COL.	LI.
	13	346	62
	17	498	41
	17	499	9
	17	1136	5
	17	1419	19

2. AD TIMOTH.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	6	106	27
II.	9	478	45
III.	12	1207	12
	5	1606	53
	12	1144	4
	12	1195	68
	15	145	64
	19	413	32
	19	583	24
	19	917	61
	19	1034	52
	12	1375	53
	12	1342	58
	13	840	12
IIII.	7	170	68

AD TITVM.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	6	115	8
	15	954	33
	15	1127	13
II.	11	363	61
	11	653	4
	11	1509	40
	12	364	59
	12	1357	41
III.	1	481	49
	4	1052	69
	4	1281	31
	5	1054	33
	10	1141	19

AD HEBR.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	3	348	7
	3	346	59
	3	629	11
	3	701	40
	6	337	61
	6	538	66
	14	1091	39
	14	1658	53
	14	1675	50
II.	2	1167	20
	14	5432	65
	14	644	30
	14	1198	10
	14	1165	3
	14	1177	69
	14	307	26
	17	1307	29
III.	14	1207	39
	15	1438	61
IIII.	15	1605	41
	17	634	4
V.	1	1164	22
	1	1167	37
	1	1185	18
	7.9	626	13
	7	1175	61
VI.	4	553	59
	4	756	23
	12	478	46
	13	1186	42
VII.	24	1182	21
	24 25	1184	30
	25	435	6
	26	632	58
VIII.	1	701	50
	8	458	21
	8	1070	27
	8	1187	29
IX.	13	816	18
	14	634	70
	16	1185	30
X.	1	548	58
	4	1175	29

CAP.	VER.	COL.	LI.
	12	421	19
	13	597	47
	14	424	24
	25	415	42
	26	553	65
	34	1284	45
XI.	3	335	39
	6	394	64
	6	743	62
	6	1061	3
	6	1246	31
	29	371	9
	29	1414	57
XII.	8	920	46
	9	1121	42
	9	1122	16
	14	1678	65
	22	415	24
XIII.	4	952	7
	4	955	66
	14	1127	70
	16	885	46
	16	1202	51
	18	1195	31

EPIST. IACOBI.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	4	502	37
	13	330	8
	17	197	20
II.	13	399	53
	24	328	53
IIII.	2	1504	48
	3	583	21
	3	1034	49
	7	1225	16

1. PETRI.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	2	1471	68
	3	1054	30
	6	1284	53
	7	1219	32
	7	1235	54
	8	1284	1
	9	1292	55
	9	1122	8
	9	1159	1
	9	1207	34
	23	1297	61
	23	1473	1
II.	2	1673	49
	5	395	50
	5	1160	37
	9	1197	28
	13	481	67
	17	482	3
	18	1222	54
	21	1510	13
III.	1	492	15
	19	1122	4
	19	1167	4
	19	842	20
	20	1323	37
	20	1680	11
	21	62	40
	21	803	48
IIII.	1	1177	67
V.	3	165	69
	3	167	17
	3	414	42
	4	170	62
	7	839	53
	7	1602	55
	8	475	23
	8	1216	61
	8	1434	57
	8	1675	55

2. PETRI.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	10	412	51
	17	1309	18
	19	615	15
	19	1323	32

CAP.	VER.	COL.	LI.
II.	9	1517	66
	10	533	38
	22	1047	34
III.	9	773	33
	9	1077	56

1. IOANNIS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	1	1510	53
	3	20	18
	3	557	25
	7	654	33
	7	1522	34
	7	1557	67
II.	1	635	22
	1	942	48
	2	611	38
	2	1182	36
	2	1184	44
	2	1314	28
	10	330	65
	16	898	64
	27	610	26
III.	2	502	17
	2	1244	67
	2	1301	37
	4	356	9
	7	371	2
	8	424	59
	8	425	18
	8	617	37
	8	1305	64
	8	1325	52
	8	1352	25
	8	1466	56
	20	645	44
	20	1034	47
	21	583	17
IIII.	1	1143	33
	1	1566	68
V.	4	1219	27
	4	1404	66
	4	617	47
	4	1181	58
	4	1272	54
	4	1500	67
	7	337	23
	7	592	29
	7	1530	17
	8	594	60
	14	583	49
	14	791	50
	16	553	54
	17	755	33
	20	20	56
	20	79	3
	20	337	55
	20	538	24
	20	705	15
	21	1125	58

APOCALYPS.

CAP.	VER.	COL.	LI.
I.	6	11197	59
V.	8	201	45
VI.	10	842	21
VII.	16	1678	30
XII	7	1091	51
XIII.	8	1178	18
	8	1187	7
XIIII.	7	914	5
	13	842	62
	13	119	7
	13	2293	9
	13	1207	31.54
XIX.	9	1625	51
	20	796	17
XX.	6	1472	57
	11	1356	56
XXI.	2	1208	23
	6	1224	2
XXII.	2	1322	29
	11	367	49
	19	1472	62.

APPENDIX.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

APPENDIX.

QVONIAM D. Hemmingius peculiarem propoſuit Theologiæ candidatis explicationem quorundam præcipuorum locorum ex hiſtoria Euangelica deſumptorum, vltimo libro huius voluminis comprehenſam: viſum eſt breuem indicem harum partium Euangelij ſeorſim diſponere, tum quòd difficile fuit hæc fragmenta aliis adiungere, tum vt ſtudioſos, quibus enarratio iſta Euangelicarum hiſtoriarum magno vſui eſt futura, peculiari appendice iuuaremus.

PRIOR NVMERVS CAPVT EX EVANGELISTA deſumptum, ſecundus & tertius capitis verſiculum primum & vltimum incluſiuè interpretatum: poſtremus columnam ſeu paginam huius voluminis exhibet.

Ex Matthæo.

CAP.	VERS.	COL.
2.	1-12.	1383.
3.	13-17.	1420.
4.	1-11.	1424.
5.	1-12.	1675.
5.	20-26.	1555.
6.	24-34.	1599.
7.	15-21.	1565.
8.	1-13.	1398.
8.	23-27.	1402.
9.	1-8.	1619.
9.	18-31.	1643.
11.	2-10.	1357.
21.	1-9.	1351.
13.	24-30.	1407.
15.	21-28.	1429.
18.	1-11.	1671.
18.	23-35.	1634.
20.	1-16.	14011.
21.	1-9.	1447.
22.	2-14.	1623.
22.	15-22.	1638.
22.	34-46.	1614.
23.	34-39.	1369.
24.	15-28.	1648.

Ex Marco.

CAP.	VERS.	COL.
7.	31-37.	1583.
8.	1-9.	1560.
16.	14-20.	1506.

Ex Luca.

CAP.	VERS.	COL.
1.	26-38.	1657.
1.	39-56.	1666.
1.	57-80.	1662.
2.	1-14.	1364.
2.	21.	1380.
2.	33-40.	1376.
2.	42-51.	1388.
5.	1-11.	1550.
6.	36-42.	1546.
7.	11-17.	1604.
8.	4-15.	1415.
10.	23-37.	1588.
11.	14-28.	1433.
11.	22-32.	1653.
14.	1-11.	1609.
14.	16-24.	1537.
15.	1-10.	1541.
16.	1-9.	1569.
16.	19-31.	1533.
17.	11-19.	1594.
18.	9-14.	1579.
19.	41-48.	1573.
21.	25-36.	1354.
24.	13-35.	1474.
24.	36-47.	1479.

Ex Ioanne.

CAP.	VERS.	COL.
1.	19-28.	1361.
2.	1-11.	1392.
3.	1-15.	1528.
3.	16-21.	1519.
4.	46-54.	1629.
6.	1-15.	1437.
8.	46-59.	1442.
10.	1-10.	1524.
10.	11-16.	1488.
14.	23-31.	1515.
16.	1-4.	1510.
16.	5-15.	1497.
16.	16-23.	1492.
16.	23-30.	1502.
20.	19-31.	1483.
21.	19-24.	1337.

HISTORIA PASSIOnis Chriſti ex collatione quatuor Euangeliſtarum. Col. 1454.

Reſurrectionis Chriſti hiſtoria ex collatione quatuor Euangeliſtarum. 1468.

EX PAVLO IN 1. ad Corinthios.

CAP.	VERS.	COL.
11.	23-29.	1449.

PRIORIS TABVLÆ FINIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

ALTER INDEX SENTENTIAS NONNVLLAS ET LOCORVM THEOLOGICORVM EXPLICAtiones ex SS. Patribus appoſitè in hoc volumine citatas continens.

Prior numerus columnam: poſterior lineam denotat.

A

Agapetus.

De mala conſuetudine 1046.21

Ambroſius.

De autoritate Doctorum in Eccleſia 797.20
De certitudine verbi Dei 1339.33
De correctionibus eccleſiaſticis 1140.45
De martyrum cruce 1220.17
De diuortio 1007.13
De doctrina Eccleſiæ 442.6
De Gedeone 1318.25
De imagine Dei in homine 1055.30
De imagine Eccleſiæ in filio viduæ 1609.9
De interpretatione ſcripturæ 469.16
de Iona typo Chriſti 1321.67
de ira coercenda 105.31
de iuſtificatione per ſolã fidem 1282.24
de lapſu Dauidis 607.6
de mediatore 1184.1
de merito mortis Chriſti. 1177.53
de miſericordia Dei 1055.22
de peccato 356.16
de pœnitentia 1059.67
de præſentia Chriſti in cœna 661.50
de reſurrectione 847.5
de triſtitia Chriſti paulò ante mortem 1176.57
de veteri & nouo teſtamento 1190,33
de viſu 101.20
de vſura 488.10

Anſelmus.

De peccato originis 588.15

Athanaſius.

De Cœna 454.64
de exercitio corporis 108.39
de fide Chriſtiana 539.19
de incarnatione filij Dei 544 46
de mediatore 698.22
de perſona mediatoris 1307.69

Auguſtinus.

De amplit. miſericordiæ Dei 1202.25
de amplitudine miſericordiæ Dei 1063.17
de ſanctorum afflictionibus 1221.12
de vita animæ 1043.46
de Baptiſmo & Cœna 574.14
de caſtitate 888.27
de certitudine prophetiarum 1094 48
de deſcenſu Chriſti ad inferos 426.54
de Chriſto & petra 1324.18.26
de conceptione Chriſti 422.35
de circumſcriptione corporis Chriſti 628.57
de circumſcriptione corporis Chriſti 701.16
de Chriſti præſentia in terris 701.52
de conſcientia & fama 405.47
de merito Chriſti & efficacia fidei 556.50
de Chriſti iuſtitia 530.51
de Chriſto, via vitę, & veritate 1128.37
de conſecratione 662.7
de coniugio inito & conſummato 1000.32
de conſecratione 802.20
de conſuetudine 1181.36
de mala conſuetudine 757.43
de correctione fraterna 467.5
de non procraſtinanda conuerſione 1274.1
de cruce à Deo nobis impoſita 824.44
de Dauidis pugna 606.40
de debito 893.34
de cultu Dei 742.8
de effectibus miſericordię Dei 1056.60
de imagine Dei in homine 348.39
de non petendo magorũ auxilio 912.1
de ſapientia Dei elucente in ſalute noſtra 1521.49
de permiſſione Dei 1289.29
de fallacia dæmonum 925.16
de poteſtate dæmonibus cõceſſa 923.3
de prædictionibus dæmonum 925.6
de dilectione 850.38
de electione 1572.51
de diuortio propter adulteriũ 1009.27
de diſciplina Eccleſiæ 466.42.52
de effectu paſſionis Chriſti 425.7
de efficacia bonorum operum 1211.4
de non procraſtinanda emendatione vitæ 1065.33
de non procraſtinanda vitæ emendatione 576.21
de excæcatione & illuminatione 775.60
de excommunicatione 114.1
de martyrum exemplo 1222.48
de fœminis quæ deſertoribus nubunt 1023.29
de probatione fidei 921.64
de incarnatione filij Dei 544.37
de fine operum conſiderando 392.64
de firmitate fidei 594.23
de fratrum correctione 163.13
de fuga in perſecutione 1226.17.33
de geſtibus externis inuocantiũ Deum 582.60
de gratia 849.1
de gratia 1241.53
de lucta Iacobi 603.44
de Iacobi lucta 1316.66
de iis qui Baptiſmo & Cœna indignè vtuntur 809.3
de impietate eorum qui ad magos confugiunt 1289.51
de imputatione iuſtitiæ Chriſti 721.7
de incantationum inefficacitate, per ſe 1289.4
de incarnatione filij Dei 1169.17
de incarnatione filij Dei 1301.55
de incorruptione hominis ſi à peccando abſtinuiſſet 613.37
de inuentore magicarum artiũ 905.61
de iuramento 866.65
de iuſtificatione per ſolam fidẽ 1282.32
de iuſtificatione hominis coram Deo 734.47
de iuſtitia noſtra per Chriſtum 1129.9
de iuſtitia operum 1246.14
de gratis Deo laudibus 1211.66
de Legis abrogatione 1310.67
de liberi arbitrij imbecillitate 354.27
de ligno vitæ 1322.16.25
de mãducatione carnis Chriſti 807.54
de martyrio 1219.64
de martyribus 1220.40. 1221.25
de perſona mediatoris 1310.33
de mercenariis 141.10
de merito Chriſti 1243.26
de miraculo Ioſue 614.12
de miraculis 796.4
de miraculis 1110.14
de miſeria humana 1170.66
de immenſa Dei miſericordia 547.22 552.46. 570.14
de amplitudine miſericordiæ Dei 1174.16
de miſericordia Dei 1078.21
de miſericordi affectu erga proximum 1063.59
de modo dilectionis & odij 857.4
de natiuitate Chriſti ex virgine 423.13
de natiuitate Chriſti ex virgine 1659.22. & 1661.17.
de natura humana mediatoris 698.17
de ſecundis & tertiis nuptiis 961.47 962.23
de nuptiis illicitis inter propinquos 983.11.68
de oratione 437.57
de oratione verbis expreſſis formata 791.68
de animæ origine 1295. 54. 64. 1296.30
de omnipotentia Dei 918.44
de operibus trinitatis 678.55
de paſſione & iuſtitia Chriſti 1164.57
de veris & falſis paſtoribus 140.49
de paſtoris electione 166.10
de mercenariis paſtoribus 1492.9
de fidis paſtoribus 1526.12
de ſera pœnitentia 921.22
de ſera pœnitentia 1068.28
de pœnitentiæ fundamento 1060.1
de prædeſtinatione 412.14
de prædeſtinatione 772.40
de præſtigiis dæmonum 932.12

de per-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

de perſona & duab. naturis Chriſti 627.50
de ſera pœnitentia 578.23
de præſentia Chriſti in terris 629.23
de pretio mortis Chriſti 1177.32
de prouidentia 345.24
de remediis adu. peccata in multitudi nem graſſantia 162.67
de regenerationis gratia 349.55
de reſurrectione 847.25
de reſurrectione Chriſti in adamo dormiente figurata 1470.49
de ſabbato 874.6
de ſabbato 1611.7
de ſacramentis 241.27.48.253.31
de ſacramentis 661.1
de definitione ſacramenti 801.57
de ſacramentis 448.24.449.44
de ſacramentalib. locutionibus 801.20
de ſacrificiis regalibus 597.35
de ſacrificio 1168.60
de ſalomone & Chriſto 607.35
de ſanctorum veneratione 1221.64
de ſamſone typo Chriſti 1318.60
de ſatana 1046.39
de quinque ſenſibus 100.60. de viſu 101.4
de ſenſibus externis 898.10
de ſerpente æneo, qui fuit Chriſti typus 1324.56
de vera ſeruitute 94.7
de ſomniis diabolicis exemplum 928.3
de ſtatu mortuorum 787.66
de incerto vitæ termino 1066.14
de operibus trinitatis 1531.7
de veritate humanæ naturæ in Chriſto 1302
de veteri & nouo teſtamento 1189.33. 1190.30
de voluptate 1047.3
de Zona typo Chriſti 1321.46

B.

Baſilius.

de filio Dei, λόγῳ æterno 1262. 34
de iuſtificatione per ſolam fidem 1282. 14
de Cantu & vtilitate pſalmorum 97. 54.66
de deitate Spiritus ſancti 338.26

Bernardus.

de ambitione 103.40
de bona & mala conſcientia 762.15
de mala conſcientia 577.40
de mala conſcientia 1606.32
de efficacia paſſionis Chriſti 426.10
de manducatione corporis Chriſti 661.52
de manducatione ſpirituali carnis Chriſti 1304.55
de Chriſti manſuetudine erga peccatores 1056.6
de Chriſti perfectione 549.22
de vita & morte Chriſti 425.34
de miſericordia Dei 1056.48
de miſericordia Dei 1077.59
de vltimo die 209.35
de diſciplina domeſtica 109.56
de diuitiis 835.39
de habitatione S. Spiritus in nobis 1136.25
de fide 1279.59
de formis cogitationum 99
de rigore legum ciuilium 482.70
de libero arbitrio 353.17
de ſuorum temporum luxu 122.19
de methodo 1051.55
de methodo 1163.58
de morte precioſa 1064.25
de miſericordia erga proximum 1063. 64
de operibus 398.40
de oratione 791.40
de bonis paſtorib. 1490.38
de peccato originis 357.65
de conuerſione peccatoris 1056.43
de prædeſtinatione 773
de remedio miſeriæ humanæ 1224.13
de remiſſione peccatorum 552.56
de remiſſione peccatorum 1195.15
de cauſis ſalutis 849.22
de ſacramento Cœnæ 255.56
de ſcandalis 821.63
de Trinitate 852.43
de Trinitatis myſterio 1530.1
de via vitæ æternæ 1040.48
de voluntate 353.44
de voluptate 1047.4
de votis 402.6
de votis 958.26

C.

Caſſianus.

de mediatore 625.25
de mediatore 697.45

Chryſoſtomus.

de autoritate quatuor euangeliſtarum 1107.20
de conſuetudine 958.70
de Eccleſiæ diſciplina in adminiſtratione Cœnæ 154.44
de diuortio propter adulteriũ 1008.27
de extremo iudicio 1122.33
de Gedeone & Chriſto 605.15
de liberis generoſis ex probroſo parente natis 1011.13
de mediatore 1183.67
de ſacerdotibus ſuæ ætatis 91.28
de ſocietatis humanæ incommodis 319.40
de vellere Gedeonis 1318.48
de voluntate 1248.44

Clemens Alexandrinus.

de bona conſcientia 404.45
de diſcrimine veteris & noui teſtamẽti 1071.58
de mutuo coniugum amore 996.3

Cyprianus.

de aſcenſione Chriſti in cœlos 207.13
de præſentia Chriſti in terris 629.28
de Chriſti præſentia in terris 701.56
de hominum conditione 490.8
de pudicitia 887.40
de ſatisfactione 470.24
de veritate humanæ naturæ in chriſto 1303.8
de voluntate Dei 231.6

Cyrillus.

de dauide typo Chriſti 1321.7
de martyribus 1221.60
de mediatore 790.62
de mediatore 1183.69
de veritate humanæ naturæ in Chriſto 1303.17
de via vitæ æternæ 1040.60
de voluntaria paſſione Chriſti 1175.50

D.

Damaſcenus.

de circunſcriptione carnis Chriſti 629.48
de circunſcriptione carnis Chriſti 702. 11
de communione in S. Cœna 248.68
de principiis cogitationum 99.33
de veritate naturæ humanæ in Chriſto 1304.29
de voluntate 1248.42

E.

Euſebius.

de doctoribus eccleſiæ 1140.32
de Iona typo Chriſti 1321.61
de inuocando mediatore chriſto 1182. 69
de ſymbolo amoris coniugalis 995.62

Epiphanius.

de inuocatione creaturarum 790.5

F.

Fulgentius.

de Deitate filii 1527.12
de via vitæ 1040.49

G.

Gelaſius.

de Cœna 453.69
de Cœna, & communione ſub vtraque ſpecie 253.26.66
de veritate humanæ naturæ in Chriſto 1303.60

Gennadius.

de iuſtificatione per fidem 1282.1

Gregorius.

de damnis quæ iram ſequuntur 105.37
de miniſtris Eccleſiæ 1152.12
de modo loquendi 127.49
de peccatis contra conſcientiam 757. 39.
de peccandi conſuetudine 920.30
de reſipiſcentiæ efficacia 210.1
de vita paſtorum 166.7.
de pœnis malorum paſtorum 172. 11.

Gregorius Nyſſenus.

de laudis Pſalmorum 587.29
de pſalmis 606.9

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

H.

Hilarius.

de deitate filij 348.22

Hieronymus.

de liberis generoſis ex probroſo paren te natis 1011.15
de oratione 437.45
de pœnitentia ſanctorum 1061.27
de qualitate corporũ poſt reſurrectio- nem 847.67

I.

Irenæus.

de Chriſti humana natura 544.34
de mediatoris perſona 546.22
de filij incarnatione 698.31
de mediatore 698.15
de vtraque Chriſti natura 699.26
de paſſione Chriſti 1176.41
de traditionibus 1142.20

Iſidorus.

de malis promiſſis 866.33

Iuſtinus.

de glorificata carne Chriſti 631.46
de glorificato Chriſti corpore 701. 30
de circumſcriptione corporis Chriſti 628. 55. 701.15
de qualitate glorificati corporis Chri- ſti 629.3
de deitate filij 1263.63
de veritate humanæ naturæ in Chriſto 1304.6

L.

Lyranus.

de effectu vtriuſque in Chriſto natu- ræ 632.17. 704.46

M.

Macarius.

de comparatione rerum corporalium & ſpiritualium 660.64
de paradiſo in homine 105.54
de paradiſo in homine Chriſtiano 618 20
de paradiſo ſpirituali 1322.67

Marcus Eremita.

de vitiorum periculis 1274.50

Maximus.

de impuritate mentis 96.51

Methodius.

de inuentoribus magicarum artium 606.45. & 1287.6

N.

Nazianzenus.

de anima 1296.36
de beneuolentia in iudicio 948.58
de circumſcriptione corporis Chriſti 255.20
de circumſcriptione corporis Chriſti 628.55
de circumſcriptione corporis Chriſti 701.15
de filio Dei, & cur dicitur λόγος 1262 50.60
de glorificata carne Chriſti 631.57
de infirmitate humana 942.32
de veritate naturæ humanæ in Chriſto 1304.11

Nonnus.

de priuilegio electorum Dei 1199.4

P.

Polycarpus.

de honore magiſtratib. debito 1222.62
de officio ſubditorum erga magiſtra- tum 824.6

Proſper.

de piorum militia in terris 558.33
de vita beata 1208.18

S.

Scholiaſtes Græcus.

de coniugio 956.10

Syneſius.

de coniugio 957.15

T.

Tertullianus.

de conſuetudine 959.3
de patientia 943.9

Theodoretus.

de martyrio 1220.7
de mediatore 1182.6
de mediatoris perſona 546.28
de miſericordia Dei 1173.12
de ſacrificio 1160.3
de vtraque Chriſti natura 699.31

Theophylactus.

de iuſtificatione per ſolam fidem 1282. 34

V.

Vigilius.

de circumſcriptione corporis Chriſti 628.58
de circumſcriptione corporis Chriſti 701.17
de veritate humanæ naturæ in Chriſto 1303.25.

INDICIS SECVNDI FINIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

TERTIVS INDEX, ETHNICORVM GNOMAS IN HIS OPVSCVLIS VTILITER SPARSAS CONTINENS: quem ideo ſeparare ab aliis viſum eſt, ne profana cum ſacris confunderentur.

Numerus prior columnam, alter paginam oſtendit.

A.

Æſchylus, de fato Stoico & poëtico 317.30
de pertinacia 306.45
Alexander magnus, de regum mode ratione 125.50
Ammonius de opificib. cognitionis ſenſitiuæ & intellectiuæ 282.18
Anacharſis de Continentia 308.47
de potatione 130.34
Archytas, de voluptate 1209.38
Ariſtophanes de ebrietate 309.15
Ariſtoteles de intẽperantiæ comitibus 307.33
de iuſtitia 300.46
de lege naturæ 275.54
Eiuſd. methodus in priorib. analyticis & libris de demonſtratione 12.2.23
de magiſtratu 479.53
Organi ſumma 10.18
de ſummo bono 1209.69
de animę origine 1296.24
eius ſcopus in ſophiſticis elenchis 26.30
de opificib. cognitionis ſenſitiuæ & intellectiuæ 282.18
eius phyſica & politica quid contineāt 10.158. & 11.4
de temperantia 306.66
de voluptate 1209.44
de vſura 488.30
Auſonius de bona cõſcientia 316.46
de bona conſcientia 762.8
de ebrietate 309.27
de humilitate 310.37

C.

Cicero de clementia 311.24
de continentia 308.59
definitio virtutis 298.68
de definitione legis 310.25
de ebrietate 309.7
de fide 303.16
de fortitudine 305.28
de gradibus cognitionis ſenſitiuæ & intellectiuæ 280.66.281.1.10
de honeſtate 308.30
de innocentia 302.12
de intemperantia 307.28
de iuſtitia 300.45
de legum præſtantia 265.18. de iuſtitia 271.29. de cognitione ſuiipſius 271.43. de malæ conſuetudinis corruptela 273.12. de norma legum 273.31. de lege naturæ 275.36.46
de legis naturæ definitione 276.2
de legibus ciuilibus 482.17
de legibus 828.30
de malis ab anima conceptis 912.55
de miſericordia 1174.12
de religione 300.64
de cultu diuino 301.3
de religione 1120.60.1149.10
Claudianus de ſuperbia 311.13. de clementia 311.41. de liberalitate 311.41
de temperantia 307.16
de tributis 481.22
de verecundia 307.53
de vita beata 1210.27
de vita principum 826.67. 829.18
de voluptate 1209.18

D.

Demoſthenes de diligentia 300.26
de lege naturæ 275.64
de legibus ciuilibus 482.11
Diogenes, de ſtupido adoleſcẽte 898.24

E.

Ennius de ſtatu rerumpublicarum 267.17
Epicharmus, de donis Dei 278.31
Euripides de autore malorum 318.44
de beneficentia 301.63. de donis hoſtium 302.3
de confuſione rerum quando vis iraſcibilis rationi dominatur 288.40
de honeſto 315.35
de impudentia 308.14
de laudato principe 1.2
de lege naturæ 275.60
in liberos qui parentes honorant 291.54.
de magiſtratu 480.48
de malis occaſionibus 888.56
de mutuo coniugum affectu 465.44

G.

Gellius, de aſtrologia iudiciaria 871.44

H.

Heſiodus de non fugiendo aſpero virtutis tramite 278.29
de legibus 1339.14
de gratiæ partibus 301.47
Hipparchus de artibus 290.57
Hippocrates, de gentium moribus 318.11
de morbis 1217.60. de ſigno mortis 1232.56
Homerus, de affectu principis erga ſubditos 827.17
de augurio 937.16
de autore malorum 317.50
de ebrioſis 107.50
de impudentibus 307.67
de medicis 915.20
de officio mariti 832.24
de titulis bonorum principum 1.2
de vigilantia principis 293.32
Horatius de bona conſcientia 316.41
de inuidia 302.33
de ſobrietate 309.1. de caſtitate 309.44
Hyppodamus de amicitia 305.10

I.

Iſchomachus de ordine 293.10
Iſocrates, de iuramento 865.17
de virtute 299.12
Iuuenalis de cõſciẽtia 316.61. & 759.66. & 402.51
de mala conſuetudine 1067.26

L.

Lucanus de conſcientia 317.3
de patienti 278.3
Lucretius, de conſcientiæ vi 314.12

M.

Menãder, de bona cõſcientia 316.22
de cognitione ſui ipſius 271.41
de concordia 1255.16
de conſcientiæ vi. 315.45
de continentia 308.49
de diligentia 300.24. de iuſtitia 300.53
de ebrietate 309.31
de inani gloria 304.47
de humilitate 310.5
de impudentia 308.1
In liberos qui parentes honorant 291.60
de philtro naturali 937.64
de ſuperbia 310.54
de temperantia 307.9
de virtute 299.10. de prudentia 299.38

O.

Ouidius, de amore illicito vitando 888.50
de clementia 311.31
de conſcientia 402.60
de conſcientia 316.30.50
de corpore hominis 686.55
de creatione hominis 295.20
de ebrietate 309.35
de humilitate 310.20
de inuidia 302.35
de oculis faſcinantibus 935.62
de otio fugiendo 889.28
de otio 898.40

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

de patientiæ cauſis Iob. 11
de patientia 1076.12
de philtris magicis 938.1
de proſperitate 1196.6

P

Philemon de cultu Dei 295.23
de veritate 303.31
Phocylides, de officio mariti 832.26
Pindarus de autore malorum 317.43
de conſcientiæ vi 314.22
de humanæ naturæ corruptione 471.33
de infelicitatis autore 273.15
de miſeria humanæ vitæ 1210.63
de ſummo bono 1209.55
Plato, de cognitionis facultatibus 283.9
de autore mali 317.56
de cauſa mali 318.51
de conſcientia 402.49
de conſcientia 1172.6
de concupiſcentia 898.2
de coniugio 491.32
de conſcientia bona & mala 315.52
de diuitiis 835.33
de Deo 335.12
de diuitiis 1540.54
de generatione liberorum 496.58
de magiſtratuum neceſſitate & præſtantia 1.2
de mala conſcientia 762.50
de puerili inſtitutione 318.37
de religione 1120.70
de ſummo bono 1211.7
de ſupremo fine vitæ humanæ 290.21. de artibus 290.62
de temperantia 306.67
de veterum doctrina 1341.25
de viui vſu 309.18
de voluptate 103.20
Plautus de conſcientia 317.3
de fide 303.17
de munitione oppidorum 267.8
de verecundia 305.56
Plutarchus, de educatione puerorum 318.39
Pollux, de impudentia 308.10
Propertius de ebrietate 309.29
de humilitate 310.45
Pythagoras, de conſortio improborum vitando 318.40
de continentia 308.44
de ebrietate 130.137
ſymbolum de amicitia 125.57
ſymbolum de ira coercenda 105.9
de verecundia 305.58
de vnitate Dei 294.67

S

Scipio, de Republica vera 267.14
Seneca philoſophus de bonis fortunæ 1210.48
de conſcientia 317.14
de conſilio 300.9
de fide 303.15
de incertitudine felicitatis terrenæ 1066.5
de morum efficacia 166.5
de pietate 5.6
de proſperitate 1172.1
Seneca tragicus, de ingenio tyrannorum 3.4
de ſuperbia 311.20
de tyrannide 1273.10
Socrates de obedientia hominibus & Deo debita 482.25
de religione 1339.8
de Dei timore 293.70
de ſummo bono 1210.66
Simonides de ſummo bono 1209.63
Sophocles de Dei timore 294.3
de lege naturæ 275.50
de Reipublicæ bono, & de anarchiæ malis 293.35.44
de obedientia Deo debita 482.430. de vi conſcientiæ 314.9
Sybillæ, de Dei vnitate & de creatione 294.50.60

T

Terentius de clementia 311.30
de diuitiis 835.27
de verecundia 305.58
Theocritus de beneficentia 301.67
de conſuetudine 110.55
Theognis, de impudentia 308.20
de iuſtitia 300.43
de rerumpub. euerſione 287.52
de ruina rerumpublicarum 1.2
Theon, de diffidentia 303.18
Tibullus, de luxu mulierum 309.60
T. Liuius de inuidiæ origine 302.24
Thucydides, de ſubditis 481.44

V

Virgilius de Augurio 936.55.&937.3
de continentia 308.51
de incantationibus 938.17.55
de furiis 316.17

X

Xenophon, de affectu principis erga ſubditos 827.18
de corpore hominis 686.55
de Deo 335.17
de regis electione 295.3
de impudentia 308.17
de iure magiſtratus 827.28
de magiſtratus officio 3.4.&1643.7
de magiſtratuum regula 481.2
de prouidentia Dei 295.12
de temperantia 307.10
de vſu diuitiarum. 836.53

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

QVARTVS INDEX RERVM ET VERBORVM.

IN HOC CONGESTA SVNT QVÆ AD DOGMATVM confirmationem præcipuè pertinent, & exponuntur ab autore: cæteris omiſsis quæ non ita magni momenti videntur: ne voluminis moles in immenſum creſceret.

PRIOR NVMERVS COLVMNAM, POSTERIOR ET ALII (ſi occurrunt) vel columnam ſequentem, aut columnæ lineam (quod attentus lector percipiet facilè) ſignificant.

A.

Aronicum ſacerdotium typus ſacerdotij Chriſti 609.66 Quarum rerum typus 1312.64
Abalienatio mentis impiæ à Deo quid nos doceat 577.19
Abel, imago Eccleſiæ 691.37
Abominatio miſſæ 1154.43.&c.
Abraham, typus Chriſti 602.32 exemplum viuæ in Deum fiduciæ 1037.22. Abrahæ ſinus 1121.54
Abſentia Chriſti ſecundum carnem cedit eccleſiæ in bonum 1498.42
Abſolutio à peccatis & eius forma in eccleſiis Danicis 156.41.51
Abſolutio Eccleſiaſtica quid 1184.67
Abſolutionis publicæ forma 159.2
Abſolutio Eccleſiaſtica priuata & publica, qualis ſit 250.60.an contemnenda 251.3
Abſolutio externa in Eccleſiis Daniæ qualis ſit 575.10.40
Abſolutio à peccato quid ſit 690
Abſolutio à ſupplicio mortis & Euangelij prædicatio 692.39
Abſolutio à peccato prima pars iuſtitiæ Chriſtianæ 720.41
Abuſus nominis Dei ſeuerè prohibitus 867.868.
Abuſus Doctrinæ de Dei miſericordia eſt duplex, & quæ argumenta nos ab hoc abuſu reuocant 1064.1065.1066.&c.
Abſtinentia quid ſit 886.26
Acceptatio gratuita quid 655.42.& 721.10
Acceptio perſonarum non eſt in Deo 774.23
Acta Meſſiæ multiplicia 636.70
Actio Chriſti triplex, miraculoſa, piacularis, & moralis 747.50
Actio coram iudicibus in cauſa de diuortio propter adulterium qualis eſſe debeat 1008.54. Locus de vera gratiarum actione 1598.40
Actiones humanæ cur Deo tribuuntur 339.31
Actiones Chriſti in baptiſmo nobis repręſentantur, videlicet quid fecerit, cur fecerit, quid faciat baptiſatus, & quid porro ipſis facturus ſit 566.567
Actionis diuinę gradus in reparatione noſtri 373.19
Actionum duo principia 277.7
Actionum humanarum tres facultates 289.10
Actionum gradus conſiderandi in diſputatione de libero arbitrio 352.8
Actionum Dei in prædeſtinatione ordo 410.45.
Actuale peccatum quid 215.56
Actualis peccati definitio & diſtinctiones 689.40
Accuſare quenquam ob factam nobis iniuriam, an liceat nec ne 484.47
Accuſationes in magos, veneficos & ſagas, quales eſſe oporteat 946.58
Acumen, primus gradus docilitatis 285.19
Adami lapſus quæ peccata complectitur 356.42
Adam dupliciter conſiderandus 357.54. primus typus hiſtoricus Chriſti 601.34.& 1314.49. omnium grauiſſimè peccauit 688.65.
Adami lapſus quid nos doceat 710.60
Adam communis ſtipes omnium 966.45
Adam & Eua miſericordię Dei illuſtre exemplum 1055.40. De lapſus Adami grauitate 1179.21
Adhærere Deo quid 1125.34
Adiaphora quid & quomodo conſiderāda 472.5.16.& 814.10.&c.
Adiaphoris quomodo vtēdum 821.4.5. quid conſiderandum in eorum vſu 1513.46
Adiuratio quid, & quotuplex 869.1.10.20 &c.
Admonitio generalis ad omnes pios ſub cruce gementes 570.64.& 922.54
Adoptio noſtra in filios Dei & eius duplex conſideratio 1244.20.34
Adoptio an nuptias impediat 991.11
Adoptionis modus 1275.41
Adoptionis ratio poſtulabat vt mediator noſter eſſet homo 544.49.& 698.25
Adoratio quid ſit 223.34.& 787.49
Adoratio panis miſſatici 1157.48
Adoratores meſſiæ 1095.41
Aduentitiæ proprietates naturæ humanæ Chriſti poſt reſurrectionem 628.62
Aduentus Chriſti ad iudicium doctrinæ & conſolationes 428.25
Aduentus meſſiæ teſtimonia 635.54
Aduentus Chriſti in extremo die ſigna quintuplicia 1355.30
Aduentus filij Dei in mundum 1301.52
Aduerſariorū os quibus modis obſtrui debet 154.3
Adulteræ perſonæ repudiatæ an nouum coniugium inire liceat 1011.16
Adulterij explicatio qualis olim in noruegia 932.23
Adulterium quid & à quibus committitur 964.47
Adulterium iuſtiſſima cauſa diuortij 108.10
Adumbratio quædam felicitatis æternæ 1208.20
Ægyptus debellata typus victoriæ Chriſti & eccleſiæ 612.50
Æqualitas in legibus conſeruandis qualis eſſe debeat 829.43
Æqualitas quæ ſeruanda inter homines 891.60
Æquitas triplex 303.54
Æquitas in conſeruatione legum, qualis eſſe debeat 829.57
Æquitas, quid 884.31
Æſtimatio notionum eſt ſecundus gradus cognitionis ſenſitiuæ 281.27
Ætatis puerilis inſtitutio 114.8.36
Æthiopum miſſa deſcribitur 257.28
Affectiones corporum multa portendunt 926.20
Affectus mariti erga vxorem qualis eſſe debeat 112.24
Affectus humani cur Deo tribuuntur 339.32
Affectus orantis quis eſſe debeat 434.7
Affectus coniugum qualis eſſe debeat 495.44
Affectus precātium qualis eſſe debeat 584.5.& 788.47.& 1036.16
Affectuum coniugationes duæ in hominibus 319.17
Affectuum corporalium radix, rami, fructus, remedia 102.10.20.30.40. affectuum animalium partes & partium membra 104.57
Affines qui ſint 495.11
Affinitas conſiderat affines, nomina, & cōparationes affinium, regulam iudicij, & leges prohibitionis 986.987.988. eius deſcriptio, definitio, ratio, limites, origo ibid.
Afflicti quomodo tractandi 148.27
Afflictorum officium 914.20
Afflictionis piorum & impiorum diſcrimē quintuplex 477.13. in afflictionibus à Satana aut mancipiis Satanæ illatis, quid cogitandum 942 Afflictionum cauſæ 1074.50. Afflictiones ſub cruce quam quis ſua culpa ſibi accerſiuit quomodo ferēdæ 1076.40 de afflictionibus præconum verbi 1215.44. Agapæ, quid 128.50. 455.20 Agnati, qui dicantur 967.65 Agnati, in recta linea ſurſum, & in tranſuerſa linea ſurſum 968.2.49. in tranſuerſa linea deorſum 969.4
Agni Phaſe conſideratio 447.37. Agnus cur dicatur Chriſtus 548.53. quid faciat hic agnus 549.30 quorū cauſa id faciat 550.15

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Agricolæ qui 139.34
Alacritas paſtorum qualis eſſe debeat 140.31
Alcorani turcici fabulæ 1115.1116.1117
Alæ cur Deo tribuuntur 339.37
Alectryomantia; quid 940.13
Alexandri magni generatio 928.929
Allegoria non valet ad confirmanda dogmata, niſi habeat præeuntem ſcripturam 460.53 Allegoria de homine Chriſtiano 618.20 Allegoriæ quatenus ſunt recipiendæ 768.66 Allegoria repręſentans officium miniſtrorum verbi 1123. 47. Allegoriſtarum error refellitur 64. Altaria duo, typi Chriſti 610.33 Altaria Dei, quid 1136.33 Altaria duo in Ieruſalem 1145.22
Ambitio quibus remedijs curatur 103.35 paſtori ſolicitè fugienda 170.8
Amen, quid ſignificet 239.40
Amicitia, quid 304.68. eius genera tria 305.3.& 883.36
Amoris ſui ipſius curatio 102. 40 Amor Chriſto debitus quid in nobis efficiat 140.41 amor mutuus coniugum quo fundamento nitatur 995.47 amor parentum erga liberos typus miſericordiæ Dei 1052.24 amor proximi qualis eſſe debet 1560.2
Amplitudo, quid 304.65
Anabaptiſtarum error de communione bonorum refellitur 76.60 error de baptiſmo refellitur 244.40 error de cœna refellitur 254.64 Anabaptiſtarum anarchiã inuehentium furor 490.21 error de peccato originis 689. 36 Anabaptiſtæ ab eccleſiis in quibus ſunt quidam impij, recedentes, damnantur 780. 7 Anabaptiſtarum error de magiſtratu refellitur 830.25 error de iuramento refellitur 863.63 error de vſu gladij refellitur 880.27 error de magiſtratu refellitur 946.20 error de pædobaptiſmo refellitur 1669.20
Analogiæ fidei conſideratio perquam vtilis & neceſſaria 58.40
Analogia ſacramentorum 241
Analogia ſigni & rei ſignatæ in cœna 454.44
Analogia ſacrificiorum 597.4
Analogia ſacramentorum 598.42
Analogia lotionum 599.35
Analogia aſperſionum & vnctionum 599.40.54
Analogia ſigni ad rem ſignatam in cœna 801.49
Analogia ſigni ad rem ſignatam in baptiſmo 803.18
Analogia ſignorum ad rem ſignatã in cœna 807.41
Analyſis vniuerſalis quid 11.40
Analytica expoſitio quid 7.4
Anathema quid, & de eo teſtimonia & exempla 1141.7
Anathematizatio in quos adhibita eſt 468.26.
Anatome veteris & noui hominis 764.765
Anchora piorum in agone mortis 1064.8
Ancillæ quomodo habendæ 115.45
Angeli 681. 28 Angeli ſunt exercitus Dei 1091.35 horum miniſterium 1536.12 de gaudio angelorum in cœlis 1545. 50 eorum deſcriptio, natura, & officium 1675.40
Anguſtia piorum duplex 1074.40
Anima an ſit harmonia 25.37 Animæ facultates omnes dilectioni Dei & proximi debentur 522.11 Animæ alæ duæ 583.1.26 facultates duplices 686.60 Animæ veteris hominis facultates 764. 40 Animæ ſtatus poſt mortem corporis 841.842 Anima hominis quomodo leuatur ad Deũ 1034. 34 Animæ à corpore per mortem ſeparatæ ſtatus conſideratur 1121. 35 An anima rationalis oriatur ex traduce 1295.1296.&c. error eorum qui animam Chriſti apud inferos à diabolis paſſam fuiſſe aſſerunt refellitur 1334. 30 de ſtatu animarum poſt hanc vitam 1535.17.1536.18
Animalium ſectio in ſacrificiis quid ſignificabat 1148.48
Animus otioſus & ager incultus 46.55 Animi puritas in 5.partes tributa 96.13 Animi fuga quid & quotuplex 142. 6 Animorum cruciatus quomodo ſedantur 150.28 Annulus magicus curans epilepſiam 941.8
Antichriſtianæ eccleſiæ notæ 215.10
Antichriſti regnum à prophetis pręnũtiatum 642.64 Antichriſti regnum deſtruetur 643.12 Antichriſti propria nota 1247.50
Antinomorum errores & argumẽta quinque adu. legem refelluntur 523.524.714.33.729.40.770.33. 1060.1061.1062. &c.
Antitheſes quomodo collocandæ 71.45.
Apologus feſtiuus de lupo ad ſcortum accommodatus 110.58
Apoſtaſia, an ab Apoſtata liceat fideli recedere & diuortium petere 1017.1018
Apoſtoli quomodo mundum iudicabunt 208.27 Apoſtolorum doctrina & miracula 1101.67
Apparatus iudicij vltimi 209.20
Apparitiones Dei teſtantur de certitudine doctrinæ 443.2.591.50.592.43
Appellationes in diuinis eſſentiales 338.40.50. Perſonales, collectiuæ, ſimpliciter dictæ, relatiuæ, per ſimilitudinem dictæ 330.1.10.20 Appellationum variarum quę Chriſto tribuuntur vſus 342.22
Appendices legis 181.26
Appetitu naturali quomodo vtimur & abutimur 277.23 Appetitus, quid ſit 350.62
Applicatio mortis Chriſti quomodo fit 202.68.709.1.1190.50
Applicatio miſſæ ad mortuos in purgatorio 1158.62
Aqua cur in baptiſmo adhibetur 242.39
Aquarum mutatio quid figurat 612.69
Aquæ exploratio duplex quid 932.29.67
Arabes ſocij mahumetis 1114.35
Arbitrium liberum hominis in quo actionum gradu tollitur 352.64
Arbitrium. vide liberum arbitrium.
Arbor vitæ typus ſapientiæ Dei 1322.9
Arbor ſcientiæ boni & mali ſacramentum probationis 1322.54
Arca fœderis, Chriſti typus 611.17.1314.14
Arcæ Nohæ conſeruatio typus conſeruationis eccleſiæ 612.35
Arca Noe, typus baptiſmi 1323.30
Architecti eccleſiæ qui 138.57
Argumenta quæ ſingulis quæſtionum generibus conueniunt 24.42 quomodo in diſputationem deducenda 34.10 Argumentorum quærendorum & inueniendorum præcepta 43.10.20 Argumẽta quibus conſtat neminem poſſe viribus ſuis ſatisfacere legi Dei 524.66.&c. Argumenta pro reſurrectione 844.845.846. Argumenta 7. quibus probatur, miniſtris eccleſiæ coniugium eſſe liberũ 955.956.957. aduerſus polygamiam 963. 964 pro ſecũdis nuptiis 961. 962 Argumenta quæ ab abuſu miſericordiæ Dei reuocant 1065. 1066.1067. 1068 Argumentum firmiſſimũ adu. Iudæorum de meſſia errores 1094.34
Argumentatio perfecta implicita conſtat quinque partibus 44.24
Argumentationis via duplex 281.63
Ariani, hoſtes deitatis Chriſti 1263.1264 eorum dogma de filio refutatur 340.31.621.622.&c. Arianus eſt qui filium Dei aut Spiritum S. negat inuocandum eſſe 789.70 Arius refutatur 1262.62
Ariſtoteles, ſummum bonum in actione ciuili & contemplante conſtituens refellitur 1210.1
Arma, quibus regnum Chriſti acquiritur 633.65
Armaturæ piorum deſcriptio 1029.5
Ars paſcendi gregem Chriſtianum explicatur 142.60
Ars pingendi & ſculpendi non prohibetur 861.24
Artes magicæ prohibentur à Deo 1290.8
Aſcendere quo ſenſu de Deo dicitur 339.44
Aſcenſionis Chriſti articulus explicatur 206.30. eius fructus 207.20.30. & 427.36
Aſperſionis analogia 599.40
Aſſertionis quibus leges decalogi explicantur 850.851. vſque ad 913
Aſſumere nomen Dei quid 862.70
Aſtrologia iudiciaria refellitur 871.26
Atheiſmus cum religione pugnat 301.26
Auaritiæ triplex peſtis 102.53. Auaritia paſtori fugienda 116.17 Auari Chriſto ſunt infenſi hoſtes 519.40. Auarus cur non poteſt Deum colere 1601.2.&c.
Audacia, quid 305.43
Audæ epiſcopi zelus intempeſtiuus 486.56
Auditores verbi quotuplices 63.18 hortandi ad beneficentiam erga pauperes 165.25. horum habenda ratio 146.3 quomodo ſunt exercitus Domini 1092.17
Auditus pericula & remedium 101.37
Augurium quid ſit 936.49. eiuſdem deteſtatio 937.4
Aures cur Deo tribuuntur 339.40
Auſteritas nimia prohibita 134.68
Autor ſectæ turcicæ 1114.31
Authores quomodo interpretandi 42.1
Autoritas Eccleſiaſtica quarum rerum ſit 468.53. penes quos 469.21. Autoritas legũ ciuilium in duobus conſiſtit 482.39. Autoritatis magiſtratuũ fręna 483.62. Autoritas parentum qualis ſit 497.45. Autoritas Sanctorum patrum qualis ſit 797.10 Autoritas Eccleſiæ quid 800.8. & 1141. 50 Autoritas legum in quibus conſiſtit 828.61. Autoritas legis diuinæ triplici ratione confirmata 853.10 Autoritas Euangeliſtarum aſſeritur adu. Iudæos 1107.12. Autoritas veterum patrum quanta ſit 1159.60.
Auxilium Dei Chriſtiano tutum refugium 582.7
Axiomata quid, & eorum diſcrimina 27.24
Axiomatum theologicorum cognitio neceſſaria 326.2

B

Baptiſmi definitio, ſignum, promiſſio 242.1.10.20.&c. nominis & rei definitio 449.60 duplex baptiſmus, eius inſtitutio, autor, efficacia, verbum, inauguratio 450.5.16.31.32.69. quid nos doceat 452.33. Baptiſmi noſtri efficacia vnde, eius definitio & triplex ſignificatio 565. 26. 44. 50

quintuplicis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quintuplicis officij nos ad-monet. 1. quid Deo debeamus. 2. quid nobis. 3. quid pati nos oporteat. 4. quid expectandum 5. quid ſit vita noſtra 567. 568. 569. 570. 571. 572 eſt teſſera Chriſtianorum, quadruplici modo 572. 24 eius conſideratio 660. 661 & definitio 803.3.errores papatus de baptiſmo 662.44 in cuius nomen baptizamur 803.46.actus baptiſmi quis 803. 57 baptiſmus quale ſit pactum 804.5 non eſt iterandus 804. 15 baptiſmi ſignificationes, meditatio, & vſus 805.86 quo ſenſu vocatur lauacrum regenerationis 810.54.1298.34. eius ſignificatio 1194.48 Baptiſmus meſſiæ 1096.70 eius ratio, vſus ſignum & meditatio 1423 60.1424.10.

Baſiliſci aſpectus faſcinans 935.443

Beati qui Chriſtum vident & qua de cauſa 1590.13

Beatitudo hominis deſcribitur 1204.1205 1206.1207.1208.

Beatitudinis gradus octo 1676.1677.1678.1679

Benefacta Meſſiæ 637.5

Beneficentia, eius cauſæ, fines, modus 1571. 1572.& 884.1.

Beneficia Chriſti erga electos, quinque pręcipua 548.549.&c. applicantur nobis per verbum, fidem & Sacramenta, cum quibus efficaciter adeſt & donatur Spiritus Sanctus 559.10.20

Beneficium hominibus à Meſsia oblatum quale ſit 1271.30

Beneplacitum Dei eſt fundamentum prædeſtinationis 772.42

Beneuolentia quid, & eius oppoſita 302.22. 883.17. Beneuolentia, in iudicio, peſſimus conſiliarius 946.54

Bibendi modus 130.15

Biblia cur S.literæ appellantur 53

Bilis, genus iræ 104.62.

Blaſphemia duplex, contemptus & abnegatio euãgelij, & eius explicatio 755.756. 757

Blaſphemiarum antichriſti deteſtatio 656. 50

Boëtij ſententia de definitionis methodo 18.20

Bona æterna piis promiſſa quibus nominibus appellentur 221.60.222.1.10.20

Bonorum quę Chriſtus nobis reſtituit conſideratio probat eius deitatem 541.44

Bona quæ conſequuntur ſubditi regis Chriſti 634.15.731.6

Bona Opera. vide opera.

Bonitas quotupliciter in Deo conſideratur 1048.42

C

CAin, eius poſteri magiam ſuperſtitioſam coluerunt 905.40

Calamitates. locus de calamitatib. earum cauſa, & remedio 1629.1930

Candelabrum, typus Chriſti 610.54

Candor Chriſtianus, quid 1547.43.& 883. 25

Canendum cum aliis 133.8

Canoniſtarum error De liberorum nuptiis etiam reluctantibus parentibus 992. 16 eorundem error circa qualitatem refellitur 1015.3 error de ſolutione vinculi coniugalis 1011.60 eorum verſus de variis diuortij cauſis 1007.2

Canon miſſæ examinatur 1153.67

Cantus pſalmorum commendatur 97.42

Caput eccleſiæ Chriſtus, & quomodo 207. 56

Capita decalogi 851.63

Capita ſex præcipua ſcientiæ ſalutis 536.23

Carneades academicus diſputator, contẽnendus 267.21

Caro Chriſti an deificata 703. 60. quo ſenſu dicitur viuifica 631.35.632.& 704.50.& 1308.23

Caro, cur peccatum originis dicitur 356.66 caro, quid 406.9 caro quid ſignificet 1135. 35 caro quid, quum de coniugio agitur 993.26 Carnis concupiſcentia, ratiocinatio, & voluntas ſunt tres priores peccatorum cauſæ 1045.36

Carnis cõcupiſcentia quid 106.1.899.1. quomodo curanda 106.52

Carnis reſurrectio quomodo conſiderãda 432.30

Caſtigationes eccleſiaſticæ quomodo moderandæ 465.57. earum fines 466.14 Caſtitas, quid 886.51 eius nomina & laudes 977.18 in quo conſiſtit 309.36 Caſus varij de diuortiis 1018. 50 Catechiſmi definitio, ſummæ partes & vſus 177.10 20. &c. Cathari, malè de pœnitentia ſentientes, refutantur 718. 21 ſecundarum nuptiarum hoſtes refelluntur 959.50

Catholica cur dicitur eccleſia 415.7.430.54

Cauſa diuortij propter adulterium 1008.34. cauſa prædeſtinationis, non in nobis, ſed in Deo 772.38 Cauſæ crucis in nobis 474. 63. extra nos 475. 15. 823. 824 cauſæ cur oportuerit mediatorem eſſe verum Deũ 540.541.542. & verum hominem 543.544. & vna perſona ex duabus naturis non cõfuſis nec ſeparatis, ſed vnitis proprietatibus vniuſcuiuſque naturæ diſtinctis & ſaluis permanentibus 545.546.547 cauſæ diuortij iuſtæ & vſitatæ 1008.1 cauſæ finales crucis 571.60 cauſæ incarnationis domini 423.58 cauſæ interdictarum nuptiarum in certis gradibus 982.33 cauſæ inuocationis, quinque 789. 10 cauſæ iuſti iuramenti 865. 34 cauſæ malorum quæ mundus patitur 1562. 56 cauſæ peccatorum in renatis 235 cauſæ peccatorũ quinque 1045.26 cauſæ quæ nos ad pœnitentiam maturandam inuitant 575.62 cauſæ quibus excitari nos decet ad beneficentiam 1571.30.40. &c cauſæ remiſſionis peccatorum 1069.34 Cauſę repudij cum variis caſibus ad explicationẽ cauſarum facientes 1001.1002.1003.1004 cauſæ ſacrificiorum iudaicorum 1147.6 cauſæ ſeptem quæ nos impellunt ad precãdum 223.64 cauſæ ſex inuocationis 434.16 cauſæ ſex omnium peccatorum cum remediis 1179.1180.1181 cauſæ tres bonorum operum 744.63 cauſæ voluptatum 888.60

Cauſarum methodus 71.1.&c. cauſarũ tres gradus in diſputatione de contingentia 355.7 Celebratio gloriæ Dei pars finalis cultus quem illi reddimus 741 67

Ceremoniæ conſultationis de ceremoniis regula 134. 40 ceremoniæ eccleſiaſticę decorum & ordinem requirunt 800.60 ceremoniæ legales quid figurabant 1314. 37 ceremoniæ mahumeticę 1115. 63 ceremoniæ, quid 471. 50 ceremonię ſatanę 906.37 Ceremoniarum diſcrimen 1389.56

Ceremonialis lex abolita quò ad vſum 180.32

Certamen rationis & fidei 537.45

Certitudo philoſophica nullo modo comparanda cum certitudine doctrinæ chriſtianæ 793.8 certitudo reparationis & eius partes 373.59 certitudo ſcripturæ aſſeritur 442. 40 certitudo verbi Dei, duplici teſtimonio nititur 851.44

Characteres, magicis characteribus nullam vim ineſſe probatur 907.42

Charitas cum fide vocationis noſtræ eſt regula 400.51

Charitas erga proximum cur non eſt cauſa remiſſi peccati 236. 1 Charitatis opera, præſtanda 747.2 obiectum 746.17 fines, genera & regulæ operum charitatis 749.16.25.59.398.50.399.1.10.20.&c.

Cherubim, typus præſentiæ Dei in Eccleſia 612.3

Chriſtus, vide Meſſias & Ieſus.

Chriſtus quomodo legem moralem, ceremonialem, & iudicialem impleuit 180. 40 quare ſic vocatur 99. 36 quomodo eſt propheta, ſacerdos, mediator, rex & ſolus Dominus eccleſiæ 199.45.&c. cur ſit mortuus 203.64 ſepultus 204.10 cur deſcendit ad inferos 204.26 an ſit vbique & quomodo 207.5 Chriſtus eſt propria materia Euangelij 363.6 quomodo ſit imago Dei 347.66 eſt vnicus Eccleſiæ ſcopus 421.49 eſt Chriſtianis in vita & morte lucrum 428.48 eſt duplici modo inuocandus 434.67

Chriſtus miraculo & præſentia ſua coniugium ornauit 491.17 cur hypocritis auaris exoſus 519.23 Chriſtus eſt verus deus quadruplici demonſtratione 537. 5.65.38 539 eſt verus homo: quod probatur variis teſtimoniis & argumentis 543. 544. 545 de operibus vtriuſque naturæ Chriſti 547.7

Chriſtus eſt Ieſus, id eſt ſeruator hominũ 547.30 quod declarauit quinque modis: nam 1. confert nobis ſalutaris ſapientiæ intellectum: 2. aufert peccata noſtra: 3. iuſtificat nos coram Deo: 4. ſanctificat nos: 5. fit nobis redemptio. vide pag. 548.549 vſque ad 559. cur baptizari voluit 565.11 quæcunque de Chriſto dicuntur ad duo capita poſſunt referri 595.66 quæ ſit ſumma & coniunctio illorum capitum 596

Chriſtus eſt res ſignata ſacramentorum veteris & noui fœderis 598. 40 in Chriſto iuſtitia & miſericordia Dei coniunguntur & ſtant ſimul 615.42 quomodo factus eſt nobis ſapientia, iuſtificatio, ſanctificatio & redemtio 623.624 eſt verus homo 625.38 quæ ſint conſideranda in eius perſona 627.628.629.630.631.632

Chriſtus quomodo eſt rex noſter, & eius ſceptrũ, regnũ, arma, hoſtes, bona ſubditorum, amplitudo regni, cultus, maieſtas 633.50.& 634.10.20.30.40 Chriſtus aduerſus ſcandala remedium tutiſſimum 649.1 de præſentia Chriſti in baptiſmo & Cœna 661.34 cur & quomodo nobis factus ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio & redemptio 696.697

Chriſtus fundamentum noſtræ electionis 771.41. etiam quatenus mediator eſt inuocandus 790.69 Chriſti baptiſmus eſt noſtri fundamentum 803.28 modus præſentiæ corporis Chriſti in Cœna 808.51 Chriſtus conſilium Chriſti in inſtitutione Sacramentorum 810.18

Chriſtus dux peregrinationis noſtræ, quomodo ſit via, veritas, & vita noſtra, 1128. 1129.1130 de eius ſacrificio 116. 7.1168 falſæ interpretationis de pauoribus Chriſti refutatio 1176.45

Chriſtus cur & quo reſpectu inuocandus 1182 de interceſſione Chriſti & eius partibus 1182.1183.1184

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

vnicus eſt eccleſiæ mediator 1184.40 eſt vera lux,& quomodo 1269.46. quis Chriſtus nobis in Euangelio proponitur 1276
Chriſtus quo reſpectu mediator & de eo quomodo loquendum poſt vnionem 1308.32. de perſona Chriſti,vtraque eius natura,officio,incarnatione,operibus & doctrina,prophetarum clara & expreſſa teſtimonia adu. varias hæreſes collecta 1326.1327. 1328.1329.1330.1331.1332.1333.
Chriſtus cur eſt circunciſus 1382.40 an & quomodo omnis Chriſti actio ſit noſtra inſtitutio 1426.53.de chriſto locus nempe quis ſit,quid facit,cur facit 1435. 11 de paſſione eius 1464.1465.&c. de reſurrectione 1468.1469.1470.&c.
Chriſtus quis & qualis paſtor 1488.1489 quo tuplici modo videtur 1446.56.ſumma ſermonum eius 1516.8 quotupliciter videtur 1589.40.cauſæ quatuor charitatis Chriſti erga nos 1605.50
Chriſti deitas probatur 79.2. eius regnum triplex 374.6. chriſti hiſtoriæ capita 416.68.eius nomina 417.11.61. chriſti ſcopus in quæſtione ad Iudæos propoſita , quomodo eſſet maior dauide 535. 3.chriſti crux 569.15. chriſti vera cognitio quæ 647.1.
Chriſti vera cognitio quæ ſit 712.51. chriſti meritum quale & quotuplex ſit 733.33
Chriſtiani quid deo præſtare debeant 567.55.quid eos agere & pati deceat 568.569.570.571. chriſtianos poſſe tenere propria demonſtratur 76.60. chriſtianorum ius ſalutis conſequendæ 373.60. chriſtianorũ ſacerdotium & regium munus quid requirat 400.11.30. chriſtianorum ſacerdotium quale ſit 422.33
Chriſtianis an litigare liceat 484.67. chriſtianos omnium maximè decet iuxta legis Dei præſcriptum inſtituere vitam 533.65. chriſtiani omnes Chriſtum agnoſcunt Deum verum 540.2. chriſtiani cogitationes quatuor præcipuæ 578.69.579.1.chriſtiani effigies 648.25.chriſtianorum dignitas 709.9. chriſtianorum ſacrificia 709.60. chriſtianorum ius triplex 724.50 chriſtianorum votum commune , quid 751.40. chriſtianorum officium 752.42
Chriſtiani exercitij definitio & regulæ 108.29. de chriſtianorum ſacrificiis 1163.1164. &c. chriſtianorum euchariſticum ſacrificium 1197.24. chriſtiani vnde dicti 1198.4.horum officium 1198.40. quo ſenſu eorum liberi appellantur ſancti 1294.15 chriſtiana iuſtitia deſcripta 1558.6. chriſtianorum cæcitas vnde 1572.22. quomodo quilibet chriſtianus in vinea Domini laborare debet 1410.25
Chryſtallomantia 931.61
Circumſtantiæ orationis internæ 434.1. externæ 435.50
Circumciſio ſpiritualis , quid 542.60.circũciſionis conſideratio 447.30. circunciſionis analogia triplex 598.64.2.vſus & exemplum 599.8.10 circumciſio quo ſenſu vocatur ab apoſtolo litera & Spiritus 769.1.de circumciſione locus 1381.1382
Circulator.vide Præſtigiæ
Circumſtantiæ conceptionis & natiuitatis Chriſti 201.52circunſtantiæ in inſtitutiõe S.Cœnæ obſeruandæ 247.1.10.&c. circũſtantiæ in doctrina de manifeſtatione prędeſtinationis 401.4.circunſtantiæ expendendæ in cauſa diuortij propter adulterium 1008.44.
Cines eccleſiæ qui 1123.68.ciues regni cœleſtis & eorum officium 1354.12
ciuilitas quid 303.8
claues regni cœlorum quid ſignificent 138.43.462.44.799.44. duplex vſus earum 1138.16.56.1374.21.
clementia quid 311.22
cleri diſciplina 468.12
cœleſtis homo 406.29
cœlibatus papiſtici conſideratio 669.23.887.5. cœlibatus ſacerdotum quibus technis confirmatus,refutationibus additis 957.958.cœlibatus eſt pontificalis auaritiæ origo 962.42.
cœna. hypotheſes de meditatione cœnæ 75.60. cœna Domini quanta cum reuerentia & diſciplina adminiſtrari debeat 154.50.60. cœnæ Domini deſcriptio , ſignificationes,probatio,meditatio,& hoſtes 245.246.247.248.&c. cœnæ Domini definitio,quis inſtitutor,ſymbola externa 453.40.53.64. veritas prædicandi modus ſacramentalis, analogia rei & rei ſignatæ,& nomina 454.1. 10.20.30.40.&c. cœna domini eſt æternum monumentũ paſſionis chriſti pro nobis , in ea ſancitur & obſignatur vnio noſtra cum chriſto capite ſpirituali modo,ſpiritualis mãducatio corporis chriſti.fœdus Dei , vnio eccleſiæ, mutua dilectio inter communicantes , pignus noſtræ reſurrectionis 572.573. quo affectu ſit celebranda 574.5. cœnæ Domini conſideratio 660.661.806.68. finis cœnæ 807.67.812.1. partes 808.3.definitio 811.26. ſignificatio 1194.57. eius circumſtantiæ,verus vſus, ſignificatio & legitima meditatio 1450.1451. 1452 1453
cœtus eccleſiaſtici cur inſtituti 132.10. cœtuum eccleſiaſticorum ordo 467.36.
collatio veteris & noui teſtamenti quàm ſit vtilis 537.30
collectio, argumentandi forma, 5. partib. conſtans 46.28.
Collocatio dialectica 34.50
colloquia conuiualia 130.5
comitatus deſcriptio,adiuncta & oppoſita 302.66.
commentariorum vſus & abuſus 61.44.45.
comminationes legis morales conuerſis ſunt abrogatæ 180.20
Communicatio proprietatum quid ſit, & definitionis probati 341. 32. eius diſcrimina quinque 630.2. Locus de communicatione idiomatũ 700. 701. 702.703.704
Communionis mutilatæ error refutatur 253.60.
Communio triplex & triplex excommunicatio,ſpiritualis,ſacramentalis, moralis 159.30.40.50
Communio ſanctorum quid ſit 430.26
Communio nulla ſit in miſſa pontificia quod manifeſtè repugnat inſtitutioni, cœnæ 1158.43
Communio cum patre filio & ſpiritu ſancto 1517.5
Compoſitio notionum ſecũdus gradus cognitionis ſenſitiuæ 281.25
Conceptionis Chriſti circumſtantiæ 432.6.
conciliatio locorum ſpecie tenus pugnãtium quomodo fieri debeat 328.22
concionũ formãdarũratio & partes 62.3.27
concionum duo genera 63.5
concio didaſcalica quid ſit 73.3
concionis ſuaſoriæ loci 82.35 exemplũ 83.84
concionis obiurgatoriæ loci & methodus 87.63.&c.
concionum verbi Dei reuerenter auditarum fructus 132.34
concionum peroratio 145.39
conciones de chriſto ante & poſt legem datam 1325.1326
cõcluſio argumẽti variatur ſex modis 44.46
concluſio artificioſa qualis eſſe debeat 81.61
concordia,quid 883.58
concupiſcentia quid 195.49
concupiſcentia naturalis,triplex 105.53.non naturalis quomodo curatur 60
concupiſcentia ſpiritus,quid 106.4
concupiſcentia cur peccatum originis dicitur 356.60
conditio ſeræ pœnitentiæ 578.23
concupiſcentiæ diſtinctio,definitio,partes, cauſæ, gradus & genera 897.898
conditio reſurgentium 432.36
conditiones boni magiſtratus 479.36
cõditio piorũ & impiorũ in hac vita 1495.1
confeſſio priuata in eccleſiis danicis qualis ſit 155.50 confeſſio,religioſa , auricularis, publica,Eccleſiaſtica 250.10.20.30.40. cõfeſſio priuata in eccleſiis daniæ qualis ſit 575.10 confeſſio eccleſiaſtica quid 717.41.confeſsionis papiſticæ , refutatio 809.55.1597.46. confeſſio vera priuata & publica 809.68.confeſſio veræ eccleſiæ 1136.33 confeſsionis priuatæ,in quibuſdam eccleſiis,vſus & vtilitas 1597.65
confirmationis rhetoricæ methodus 52.12.
confirmatio copioſa quibus conſtat 78.34
confirmatio papiſtica refutatur 663.35.60. vnde ſumpſit originem 751.65.1. erroris circa confirmationem reformatio 752.4
cõfuſio miniſterij in papatu 460.4 confuſio linguarũ typus confuſionis hoſtiũ chriſti 612.44 confutationis methodus 52.36 eius partes 80.63.& 81.1. congeries quid ſit 79.35. cogitatio mala & fumus 99.52.
cogitationum tria principia 66.33.quam periculoſum ſit prauis cogitationibus locum dare,& quæ ſint cauſæ,formæ , modi malarum cogitationum 99.51. 68.100.17. aduerſus malas cogitationes ex variis fontibus deriuatas remedia 100.101.&c. cogitationes ad coercendum iram 105 cogitationes cordis à dæmonibus nõ cognoſcuntur 924.60.cognati , qui dicãtur 967.67.cognatorum appellationes,in tranſuerſa linea ſurſum,& deſcendentes recta linea 969.18.cognatio ſpiritualis an nuptias impediat 991.9. cognitio naturalis triplex 277.10.cognitio intellectiua rationis appetitu comitata 280.47.cognitionis ſenſitiuæ & intellectiuæ opifices 281.19. cognitionis intellectiuæ gradus 282.23. diſtinctio duplex 283.1. cognitio vniuerſalis & peculiaris de Deo 334.45.335.48. cognitionis Dei & noſtri ſumma & partes 391.39. cognitionis peculiaris de Deo methodus 336.18. cognitio chriſti requiritur vt fiant bona opera 394.67. cognitio veræ doctrinæ cuius ſit 463.49. cognitionis chriſti fundamenta 615.33. methodus 616.25. cognitio chriſti vera quæ ſit 647.1. cognitio Dei duplex 677.15.36.cognitio vera chriſti quę ſit 712.51.cognitio Dei & noſtri fundamentum diuini cultus 740.36. coniugij prima inſtitutio quid maritum doceat 112.33.41 cõiugum officium à poetis deſcriptum 291.44. coniugium à Deo eſt inſtitutum, à chriſto ornatum , vbi cœpit eiuſdem finis,effectus,defenſio,teſtimonia , definitio 491.492.coniugium an omnibus liceat 494.36. quid papa ſentiat de coniugio 668.31. coniugij ſocietas , diſtinctio deſcriptio , fines, confirmatio 831.832.833.
coniugij appellationes præcipuæ 949.40

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Coniugij definitio,autor, ſtatus confirmatio aduerſus varias hæreſes 951. 952. 953. &c.materia 959.20.conſenſus 964.68.forma 993.20.finis 1997.30 coniugij vinculũ omnium arctiſſimum 993. 40 de coniugiis in religione diſpari 996. 60 coniugium, an propter inceſtum dirimatur 1018.55 coniugium typus arcanæ copulæ Chriſti & eccleſiæ 1052. 19 coniugium à quibus,qua via,coram quibus iniri & cõ firmari debeat 1393.1394

Coniunctio noſtra cum Chriſto eſt ſpiritualis 811.:0

conſanguinitatis gradus 494. 60 conſangninitas deſcribitur 966.30 eiuſd.definitio & diuiſio 957. 36 conſanguineorum appellationes 967.60 lineæ conſanguinitatis 971.52 gradus conſanguinitatis 972. 63 ſupputatio graduum 973.30 leges diuinæ de prohibitis gradibus 977.13 cauſæ interdictarum nuptiarum in certis gradibus 981.33 leges humanæ de prohibitione certorum graduum 984.10 Ratio humanæ prohibitionis 985.5 conſcientia bona egregium præmium 170.18.quomodo conſeruatur & amittitur 170.28 conſcientia,malè & bene factorum teſtis & iudex 313.60 eius vis,ſedes & ancillæ 314.5.34 de mala & bona conſcientia 315. 316 cur plures peccent in conſcientiam 317.18.de varia vocabuli conſcientiæ acceptione 318.63 de conſcientia locus 402. 40.43.&c. conſcientia bona,mala, falſò bona,falſò mala,quid 405.8 conſcientia mala impiorum quid nos doceat 577.37 conſcientiæ teſtimonium quid nos doceat 645.39 conſcientia accuſans quid nos docet 711.11 conſcientia teſtis & iudex factorum,graphicè depicta 759. 40. 50.60 ſedes & facultates eius, exempla, fulcra & diſcrimina 760.761.762 conſciẽtiæ teſtimonium docet futuram carnis reſurrectionem 846.50 conſcientia fert teſtimonium adu. epicureos 1121.6 conſcientiis afflictis ſenſu peccatorum ſalutaria proponuntur remedia 1076. 67 & 1077.1078

conſcinomantia papiſtica 1288.46

conſecratio quid ſit 661.63 conſecratio panis & vini in ſ. cœna,quantum à magico murmure ſacrificulorum differat 1158. 10 conſecratio in ſ. cœna quid & quomodo fiat 253.47

cõſenſus eccleſiæ quid nobis teſtatur 144. 32.4 45.59.796. 32 conſenſus piorum in doctrina & cultu 594.25

conſenſus legitimus in coniugio requiritur 964.67 eius partes in ſponſalibus & nuptiis 965.10.20. 30. &c. conſenſus quo ſenſu ſit cauſa matrimonij 1000. 67 de mutuo conſenſu parentum & liberorũ in matrimoniis contrahendis 1025.27

conſilium à quo petendum 126.62

conſilij Dei de ſalute noſtra fundamentũ 585.25

conſilium pium chriſtianis omnib. propoſitum 917.50 item paſtoribus eccleſiæ 918.5

conſilium tutiſſimum in afflictionibus 942.30

cõſiliarij peſſimi quinq; in iudicio 948. 40

conſiſtoriorum eccleſiaſticorum vſus 158.7

conſolatoriæ concionis loci & methodus 85.86.&c.

conſolatio publica quomodo inſtituenda 87.1.10.20.&c. cõſolationes piis afflictis proponendæ 148.37 conſolationes proponendæ iis qui ſe reprobos exiſtimant 150.61.151.10. &c. conſolationes proponẽdæ iis qui ob mortem amicorum triſtantur 152.29 conſolationes ſub cruce 477. 60 conſolationes quæ ex doctrina de prędeſtinatione hauriantur 777. 15 conſolationes ſub cruce 825.40 conſolationes philoſophicæ & Chriſtianæ in quibus differunt 1076.7 conſolationes miniſtris Euangelii propoſitæ 1228. 60 conſolatio aduerſus tẽtationem de indignitate, & de multitudine peccatorum 1268.1 conſolationes in morte amicorum meditandæ 1608.13 conſolationes aduerſus tentationem ob peccatorum ſenſum exortum 1645.20 conſortium coniugum quale eſſe debet 996. 50 conſuetudo mala, erroris vetuſtas 385.25 conſuetudo à papiſtis pro cœlibatu prolata,an ſemper viguerit,& quatenus eſt recipienda 958. 61 conſuetudo coniugii quib.modis dulceſcat 1395. 22 conſultationes Eccleſiaſticæ ſunt triplices 133.33 conſtantia idololatrarũ pro tuendis ſuis idolis 1220. 44 conſtantia in afflictionib. qualis eſſe debeat 477. 38 conſtãtini lex de maleficiis excutitur & refutatur 909.51.910.911 contemplationis principia quę 286.16 contemptus in iudicio peſſimus conſiliarius 949.8 contemptus proximi, eſt homicidij genus 1559.55 continentia,quid 308.37

Contingentiæ definitio,definitionis explicatio,confirmatio, teſtimonia & vſus 354.62.355.6.30.40

Contractuum moderatio 131.33

Contradictionum leges ſeu conditiones octo 328.47

Contractus quomodo conſiderandi 487.43

Controuerſiæ de libero arbitrio ſtatus 351. 41 contritio,prima pars pœnitẽtiæ,quid ſit,& eius effectus 364.40.1060.69

Contritio vera habet quatuor effectus 715. 61 conuerſatio paſtoris in vita communi qualis eſſe debeat 120.60

Conuerſatio externa hominis quid teſtari debeat 1063 51

Conuerſio, vide pœnitentia

Conuerſio nulla eſt ſera 850.11

Conuerſio peccatoris ad Deum, primus vſus doctrinæ de miſericordia Dei 1058.38

Conuiuia quas circumſtantias requirunt 128.13

Conuiuiũ nuptiale quale eſſe deceat 1394. 31

Cor inter orandum quomodo ad Deum leuatur 582.66 Cor quid ſit,quomodo ſit & fiat malum, & quomodo purum efficitur 1134.17.40.55 Correctionum eccleſiaſticarum regula 135.10.20.30 Correctionis eccleſiaſticæ præcepta 157.54 Corrigendi facultas penes quos ſit in eccleſia 467.17 Corpus noſtrum quomodo regi debeat 167.29 Corporis fuga licita & illicita 142:39.45

Corpus doctrinæ quid 144.60

Corpus doctrinæ melancthonis 332.10

Corpus Chriſti circunſcriptum eſſe fatẽtur S.Patres 253.19

Corpus Chriſti cur eccleſia dicitur 414.45

corpus hominis cur erectum 686.54

corpus veteris hominis quid 674.27

corporis veteris hominis vires 764.63

de qualitate corporũ reſuſcitandorũ 847.53

diſcrimen inter piorum & impiorum corpora poſt reſurrectionem 848.2.10

corruptionis humanæ partes 1081.32 creatio rerum quid nos doceat de Deo 198.1. eius finis & vſus 198.7.11 creationis definitio,laus,perfectio,finis, & teſtimonia 343.344 creaturæ quomodo conſiderandę 344.9 de creatione locus. quid ſit creatio,eius partes, 680.40.50.60 creator quis 680.62 creaturæ ex nihilo productæ ſunt,harum ordo,diſtinctio, pulchritudo,varietas,vſus 681.3.10.20.30.40.50.60

creaturæ quo ſenſu dicuntur laudare Deũ 1212

credentes quomodo legi Dei ſatisfaciunt 556.55

crimina quibus remediis curanda 157.66

crimina ab impiis iudæis in chriſtum coniecta refelluntur 1106.55.1 08.1109.&c.

crucifixus eſt chriſtus, & ob quas cauſas 203.29.

crucis piorum & impiorum diſcrimina 238. 30 crucis tria genera: chriſti videlicet, piorum & impiorũ 569.10.29.30.&c.quid reſpicere debeamus ſub cruce 670.67.& 671.1.10.20.&c. cauſæ finales crucis 671. 60 crux,eccleſia indiuidua comes,quid, quotuplex,eius cauſæ, diſcrimina, quo animo ferenda, & quib.remediis leniẽda 474.475.476.477.478 nominis ſignificatio,cauſæ crucis in nobis, extra nos, diſcrimen quintuplex, quo animo crux ferenda,& conſolationes ſub cruce 823. 824.825 eius differentiæ 12:6.4.de vtilitate crucis piorũ 1219.46 de vſu & abuſu crucis 1292.6 locus de cruce eccleſiæ 1495. 1496.1497 crucis piorum glorioſus exitus 1680.21 cultus Dei modus 295.82 ratio,& partes 390.64 de Dei cultu locus 579.580 cultus regis noſtri chriſti 634.42 cultus Dei quid,eius partes,oppoſita 658.18 partes,regula generalis,fundamentum, definitio,definitionis partes,cultus Dei in quaſdam formas ſectio 739.740.741.742 de Dei cultu, locus 1617.1618 cultus Dei in eccleſia,quid, & qualis eſſe debet 1126.60 cura de victu habenda 116.5 cura paſtorum eccleſię 139.62 cura pro pauperibus 165.24 cura triplex,impia, neceſſaria, mixta conſideratur 499.12.30.40. & 500.17.838.839 locus de cura licita & illicita ſeu prophana 1601.1602 curioſitas quid 300.20

D

DÆmones non norunt cogitationes & affectus cordis 924.60 cur ludunt ambiguis oraculis 925.38 Damnati qui ſint 1057.39. 1560.34 Danielis hebdomades impletæ 636.33

Dauid,mole peccati preſſus quomodo erigitur 404.17 cur de proſapia Dauidis natus eſt Chriſtus 423.26 quomodo pater Chriſti 534.36 typus chriſti 606.1.1320.& eccleſiæ 606.66.1074.68 de peccato conuictus cur non deſperat 761. 29 Dauidis inconſideratè vouentis retractatio ſequẽda 754.16 Dauid,miſericordiæ Dei illuſtre exemplum 1055.63

Debita quid 234.55.

Debitorum duo genera 193.19

Debitum, quomodo diſtinguendum 235.55

Decalogi expoſitio per quæſtiones & reſpõſiones diducta à pag.183 vſque ad 196. Decalogi demonſtratio ex lege naturæ collecta 295.296.297.298 Decalogi ſumma,breuiter explicata 1591.1592.1593 Decalogi explicatio à pag.850.851. vſque ad 913.Decalogus qua methodo interpretãdus 378.60 quomodo vſitatè diuiditur,eius ſumma,vſus, & præfationis explicatio 381.20.30.40.50 Decalogi ſumma, & methodus expoſitionis eiuſdem 375.13

Decorum,quid 312.6

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Decorum in veſtitu obſeruandum pro ratione vocationis 122.39
Decorum in eccleſiæ ceremoniis duas partes continet 800.62
Definitionum cognitio vtiliſſima 325.59
Definitionis partes quomodo inueſtigantur 17.32.47
Definitionum vſus in concionibus ſacris 67.30.
Definitiones philoſophicæ de Deo 335.11
Delicta quomodo corrigenda 1;7.59
Delicta publica quomodo arguẽda 467.22
Deliquium animi in piis viris quale 1'33.25
Demonſtrationum genera & methodus 27.62
Demõſtrationis ad impoſſibile exemplum 76.60 Demonſtrationes ex principiis naturæ extructę quibus columnis fulciẽdę 298.22 Demonſtratio firmiſſima quod Ieſus Mariæ filius ſit promiſſus meſſias 536.59. demonſtrationis explicatio & confirmatio 537.1.19 Demonſtrationes ſeptem aduerſus ſectam mahumeticam 1118.42
Denunciatio trina ante nuptias 1000.47
Deprecatio quid ſit 223.38.787.46
De propoſitionibus quæ ad ornatum orationis pertinent 36.48
Deſcenſus Chriſti ad inferos 204 de deſcẽſu Chriſti ad inferos, variæ ſententiæ 783.32
Deſertio malitioſa mariti aut fœminæ eſt iuſta diuortij cauſa 1011.70
Deſiderij promiſſæ in Chriſto gratiæ fontes 647.48 Deſiderium piorum quale ſit 1133.10
Deſperatio quibus remediis curatur 151.57
Deſponſa priore relicta an aliam ductam in vxorem quis retinere poſſit 1019.20.
Dei cognitio duplex 334.43
Dei apparitiones illuſtres 591.594
Dei deſcriptio 336.38
Dei iudicium quid & quotuplex 1049.23
Deitas Chriſti quadruplici demonſtratione probatur 538.539.540 Deitatis Chriſti idiomata duplicia 700.22 Deitatis Chriſti ſeu Meſſiæ teſtimonia 620.10.20.&c. Deitatis Chriſti teſtimonia 705.6 Deitas filij probatur 198.66 Deitatis filij & Spiritus S. teſtimonia 337.30.338.20 Deitatis verbi ſeu filij Dei deſcriptio 1261.14 præcipui modi quib. gloria Deitatis Chriſti in mũdo comprobata eſt 1309.25
Dei vnitas, & perſonarum in Deo trinitas probatur 1529.1530
Deus, quomodo conſiderandus in explicatione Symboli 196.70 Deus ſolus inuocandus, & cur pater qui es in cœlis dicitur 226.10.20.30 Deus liberat à malo dupliciter 238.36 Deus eſt finis ſupremus humanæ vitæ 289.60 Deus quomodo glorificatur 393.4 Deus quomodo tollit peccatum 431.68 Deus ſolus eſt inuocandus 434.45 Deus exaudit duobus modis 437.60 Deus, cauſæ 12. cur affligit pios 476.20 Deus eſt autor œconomiarũ 489.35 Deus ſolus inuocãdus 582.20 locus de Deo 677.678.679.680 cur mediatorem oportuit eſſe Deum 694.60 Deus ſolus, pater, filius & Spiritus S. inuocandus 789. cur ſuos Deus caſtigat & exercet ſub cruce 824.31 modus cognoſcendi Deum 851.69 cur perfectè amandus 854.13 cur tolerat magos 922.23 cur dicitur viuus 1135.68 de Dei reminiſcẽtia 1044.23 Deus quo ſenſu vocatur bonus & rectus 1048.42.51 finis duplex præſentiæ eius in eccleſia 1229.36 Deus ſolus beatus eſt 1204.32 Deus eſt ſol eccleſiæ 1232.38 Deus quomodo tẽtat 1403.27 cur ſolus inuocandus 1504.61 de miſericordia Dei 1521.5 de philanthropia Dei 1520.22
Dextera Dei Patris quid 207.21
Diaboli inſidiæ duplices, quibus modis ſuperandæ 100.26 Diabolicum furtũ quodnam eſt 193.44 Diabolus quomodo nos tentat 237.14.1403.67 Diabolus, cauſa externa crucis eccleſię 475.23 Diaboli tyrãnis à ſolo Deo vinci poteſt, non à nudo puro & homine 541.20 Diaboli pręcipua inſtrumenta 582.1 Diaboli tyrannis non poteſt euerti niſi à mediatore qui ſit Deus 595.77.623.21 Diabolus cur fingit ſe cogi artib. magicis 868.16 de Diabolo locus, quis ſit, quid facit, quare facit, cur Deus id permittat 1434.20 Diaboli an futura verè præſciant, néc ne 923.68 Diabolica ſomnia ſunt triplicis generis 926.53 Diaboli pręſtigiæ quib. notis diſcernuntur & ſeparãtur à diuinis miraculis 1110.21 Diabolus quomodo vincatur 1125.10
Diæreſis vniuerſalis quid 13.1.3
Dięreſis particularis laus, definitio, & diuiſio 19.13
Dialectica naturalis 10.40
Dialecticæ interpretationis vtilitates & regulæ 60.11
Dialogi Xenophontei de oratione voluptatis & virtutis ad herculem vſus 280.31
Dialogorum Platonis ordo vnde intelligitur 34.52
Dicenda quæ ſunt, cui, vbi, quando & quomodo 126.27
Didaſcalica methodus copulata 22.31
Didaſcalicæ concionis finis & methodus 63.57
Didaſcalicæ concionis methodus 73.9
Diei triplex ſignificatio 1104.3
Dies nouiſsimi qui 11[illegible].10
Differentiæ diuiſionum quomodo inquirendæ 20.18
Differentiæ conſcientiæ 404.61.761.66
bonæ & malæ Diſcrimina 762.13. Diffidentia quomodo curatur 104.6. Diffidentia, miſericordiam Dei eleuat 1064.66.
Dignitas, quid 304.62 Dignitas à loco diſtinguenda in diſputatione de bonis operibus 371.28. Dignitas noſtra nos ad bona opera faciẽda hortatur. 396.28.745.68. Dignitas populi noui teſtamenti 1160.33. Dignitas ſacerdotij Chriſtianorum 1198.62
Digreſſionis quinque præcepta 81.20
Dij alieni quid 184.12. Dij gentium vnde, & qui 1149.34. horum feſta & ſacrificia 1150.3.24.
Dilemma, quid 47.12. Dilemma adu. luxum mulierum 309.64 Dilemma in aſtrologos iudiciarios 871.44
Dilectio quid 181.3. Dilectionis vocabulum tria amplectitur 521.56. Dilectio noxia & licita 522.37.43. Dilectio erga omnes tertium caput bonorum operum 563.3. Dilectio proximi quantopere à Chriſto commendata 849.50. Dilectionis Dei & proximi origo, forma, modus, incrementa 856.10.20.30.&c. Dilectionem Dei abiiciunt qui à magis & maleficis remedia petunt 913.52
Diligentia ſumma in paſtore requiritur 140.20 Diligentia in vocatione quartum caput bonorum operum 563.18
Diſciplinæ animi & corporis coniunctio 108.46. Diſciplinæ domeſticę cognitio paſtori neceſſaria 109.44. leges de Diſciplina morum 134.54. Diſciplinæ eccleſiaſticæ neglectus, res periculoſiſſima 154.40. Diſciplinæ Chriſtianæ laus, deſcriptio, finis, partes, obiecta 157.10.20.30.45. Diſciplina eccleſiaſtica prorſus neceſſaria, eius definitio & diſtinctio 46.3.20.27. Diſciplina extraordinaria, quid 467.57. de Diſciplina eccleſiæ, papatus errores 670.24. Diſciplina eccleſiæ tria complectitur, ordinem, poteſtatem & autoritatem 798.45. Diſciplinæ eccleſiaſticæ moderatio & partes 1140.1.10.&c.
Diſcrimen inter pœnas piorum & impiorum 361.8. Diſcrimen quadruplex, operũ charitatis 399.21. Diſcrimen quintuplex inter vetus & nouum teſtamentum 457.50.817.14. Diſcrimen perfectionis piorum 566.50. Diſcrimen inter ſacramenta & ſacrificia 598.2. Diſcrimen peccati quale ſit 687.43. Diſcrimen legis & euangelij 693.22.734.11.1059.32. Diſcrimen iuſtitiæ legalis & euangelicæ 719.44
Diſcrimen electorum & reproborum 725.3. Diſcrimen inter regnum Chriſti & regna mundi 780.23. Diſcrimen quintuplex crucis piorum & impiorum 824.61. Diſcrimen inter piorum & impiorum corpora poſt reſurrectionem 848.2. Diſcrimen inter ſpiritualem natiuitatem filiorum Dei & alias propagationes 1293.26
Diſcurſus ſeu iudicij conſideratio 283.68
Diſpẽſatio eccleſiaſticorum redituum quomodo fieri debeat 135.45. Diſpenſationes papiſticæ quid 985.64
Diſputationum finis & vſus 32.49
Diſputationes de libero arbitrio quomodo diſcutiendæ 351.30.
Diuinatio magicæ ſuperſtitionis genus, quid, eius origo & finis 923.60. diuinationes diabolicæ quæ ſint 872.31. diuinationis magicæ deſcriptio 925.46. diuinationum modi quatuor 926.37. diuinationis virtus à quo pendeat 1288.5
Diuinus zelus duplex 486.34
Diuiſionis rhetoricæ methodus 51.14. diuiſiones variæ & præcipuæ Bibliorum 53.52.&c. Diuiſio quomodo tractanda 70.31. diuiſionum methodus theologis neceſſaria 325.62
Diuitiarum locus 497.66. acquirendarum, poſſidendarum, vtendarum licita ratio 498.17.37.52. diuitiarum ſpiritualium priuatio, impœnitentiæ fructus 577.67 diuitiæ ſunt iuſta via acquirendę, pia mẽte poſsidendæ, prudenti cura adminiſtrandæ: vſus harum eſto conſeruatio religionis, reipublicæ, familiæ, pauperum 835.836.837. Locus de vero vſu diuitiarum 1534.1535.1574.3. ſeruire diuitiis quid 1601.35. diuitum officium 835.55
Diuortium voluntarium & inuoluntarium expenditur 493.6. diuortium quid ſit, & variæ de diuortio ſententiæ 1005.1006 diuortium permitti ob plures cauſas enumeratas probatur 1006.1007.1008.&c. diuortium, propter adulterium, quæ impedimenta habeat 1009.1010. diuortia iuſtiſſima quæ 1026.40.50.
Docilitatis partes tres 285.17
Doctores falſi, Chriſtum ferre nequeunt 519.50. doctores quem locum teſtimonio doctorum eccleſiæ tenere debeant 797.10. doctorum eccleſiæ ſcripta quomodo legenda & recipienda 1143.36. doctores pij quomodo ſũt exercitus domini 1092.1. de fortitudine & armis quibus muniтos eſſe decet doctores eccleſiæ 1212.60 cur duces gregis vocantur 1215.32

Doctrina

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Doctrina ſacra duplex 56.58 Doctrinæ applicatio qualis ſit in eccleſia 63.37 Doctrina miniſtrorum eccleſiæ qualis eſſe debeat 143. 30. 40. 50 conſultationis de doctrina conditiones 133.48 Doctrina eccleſiæ quibus nititur principiis 143.68 Doctrina falſa quomodo improbanda 153.62. Doctrina rerum & ſignorum 177. 35.38 Doctrina meſsiæ 1097.15 Doctrinæ ſigna, quid 239.67 horum vſus 240.9 Doctrina rerum quatuor potiſsimum continet 325.40. doctrina ſignorum tria reſpicit 326.13 Doctrina vitæ communis filiorum Dei 375. 11 Doctrina eccleſiæ quæ ſit & vbi quærenda 441.25 Doctrina meſsiæ 637. 5 Doctrina eccleſiæ triplex: legis, euangelii, & cultus Dei 651.18 Doctrina eccleſiæ vna & eadem eſt 792. 48 nititur autem duplici teſtimonio: externo & interno, quorum partes explicantur 793.794.795.796 Doctrina de cõiugio vnde pendet 951.1 Doctrinæ examen ad quos pertineat 1139.30 in doctrinæ cœleſtis ſtudio ſex requiruntur 1214. 24. Doctrina quadruplex Chriſtianis perpetuo meditanda 1300. 63 Doctrina vera ſemper, vbique, & ab omnibus pro vocationis ratione promouenda 1513.56

Dolor quomodo leniendus 85.62. 86.16.150. 22. Dolor ob res amiſſas quibus modis ſuperatur 152.15 Dolor ob peccatum in conſcientiam tertius gradus ad fidem 646.20 Dolor in conſcientia ob peccatum, tertius ad fidem gradus 711.69 Dolores Chriſti quid teſtantur 1177.10

Dominus vnicus in eccleſia, videlicet Chriſtus 199.63 Dominus zebaoth, quis ſit 1090.61

Dominicus dies cur obſeruatur 188.9

Dominiorum conſideratio 489.66 Dominorum officium 490. 27 Dominorum officium erga ſeruos 834.49.50 Dominia rerum cur diſtincta eſſe debent 891.50

Domus conſeruandæ ratio 291.21

Domus Dei viuentis cur eccleſia dicitur 414.16 quinam ij ſint qui habitant in domo Dei 1211.36

Dona ſpiritus ſancti quibus modis excitãtur in homine regenerato 106.40 Donorum augmentum officio fungentibus 170.38 Donum Dei, quid 1194

Donatio Spiritus Sancti effectus triumphi meſſiæ 639.30

Donatiſtarum, lapſis veniam negantium, error refellitur 757.14

Drachma amiſſa & reperta, typus miſericordiæ Dei 1055.25

Dubitatio quo pacto ex animis tollitur 150.39

Duratio eccleſiæ quid nos doceat 445.64. 796.37

E

EBrietatis deteſtatio 130.20.309.5

Eccleſię cœtus cur inſtituti 132.10 Eccleſia non ſolùm latuit in papatu, ſed extra papatum etiam viguit 257. 10 Eccleſia, quid, 413. 54 eius nomina, diſtinctio & vnitas 414. 15. 56. 66 Eccleſia, Chriſti regnum eſt 459. 6 Eccleſia quib. rebus conſtat 651.3 Eccleſia quid ſit, qualis, quorum ſocietas, cur ſancta, eius fundamẽtum, perpetua nota, facies, notæ viſibiles & externæ, mẽbra & infirmitates viſibilis eccleſiæ 777. 778. 779 De vera Eccleſia locus 1123.2124. &c. Eccleſia cur amatur à Deo 1131. 17 de affectu eccleſiæ erga Deũ 1132. 25 de notis & cõfeſſione verę eccleſiæ 1136.33 ei⁹ triplex ſtatus conſideratur 1137.1138.&c. Eccleſia cur appellatnr Iſrael 1079. 29 quæ ſit, vnde, & quam chara Deo 1090.50 de falſa & vera eccleſia locus 1093 vſque ad 1204 cur vineæ aſſimilatur 1412.4 de notis veræ eccleſiæ 1527.8 Eccleſię duratio cuius rei ſit teſtimonium 144.45 quid nos doceat 594. 34 Eccleſiæ definitio, diſtinctio, nomina, proprietates internæ, viſibiles notæ, quibus mediis conſeruatur 213.214 Eccleſiæ purioris teſtimonium quomodo recipiendum 326.65 Eccleſiæ quatuor conditiones explicantur 430.30 Eccleſiæ conſenſus & duratio quid nos doceat 445. 59 Eccleſiarum Danicarum ſtatus 461.30 Eccleſiæ poteſtas quid 462.60 Eccleſiæ conſenſus multiplex de Deitate Chriſti 539.13. Eccleſiæ confeſſio de Chriſto 545. 62 Eccleſiæ fundamentum & eius partes 591.10.20 Eccleſiæ ſententia de ſacramentis 660.661.&c. Eccleſiæ, quæ vero Dei cultu fruitur, felicitas 739.43 Eccleſiæ quadruplices hoſtes, tyranni, ſophiſtæ, hypocritę, Epicurei quib. armis vincũtur 1027.1028.1029.1030 Eccleſiæ munimẽta 1075.10

Eccleſiæ imago 1359.50.378.37. Eccleſiæ conditio & imago 1405.69. ſtatus eius à condito mundo breuis deſcriptio 1406. Eccleſiæ deſcriptio 1408.49. Eccleſiæ agitationes 1552. 60. Eccleſiæ viſibilis ſtatus 1627.1628.

Eccleſiaſtici ſcriptores legendi, & quo modo 98.46.59

Edendi modus 130.15

Educationis puerilis fundamentum 113.58

Effectus intelligentiæ & iudicij in mente 315.5.

Effectus communicationis proprietatum 632.2

Effectuum methodus 71.32

Efficacia mortis Chriſti vnde 202.44.

Electionis noſtræ duo fines 776.54

Electi quomodo ſint iuſti & peccatores 234.65. Electi ſoli fiunt Chriſti participes quandoquidem ſoli promiſsionem omnibus oblatam fide amplectuntur 773.13.14. Electi ſoli trahuntur efficaci voce Euangelij 775.40. Electi quid obtineant in Chriſto 1272.50. Electi cur oues appellantur 1374.52 Electorum eſt Deũ inuocare 227.1. Electorum Dei fides qualis 366.30. Electorum & reproborum diſcrimen 725.3. Electorum Dei proprium & ſpeciale donum eſt fides 771.48. Electorum Dei ſpiritualis natiuitas & aliæ propagationes quomodo differunt 1293. 26

Eleemoſyna cum omnibus ſuis circumſtantiis deſcripta 116.53.&c. Eleemoſyna quomodo grata Deo 885.43. Eleemoſynarum regulæ 165.52

Elia raptus in cœlum eſt futuræ reſurrectionis teſtis 846.22

Eliæ miracula 614.17

Elizæi miracula 614.32

Emblema malorum paſtorum 172.28

Encratitæ, hoſtes coniugij refelluntur 952. 23

Enoch raptus in cœlum, reſurrectionis futuræ teſtis 846.14

Enumeratio rhetorica duplex 47.3

Enchiridij theologici methodus 332. 33. claſſes quatuor 333.334.

Eſſentia Dei 678.24

Eſſentiæ de vnica Dei eſſentia, in qua tres perſonæ ſubſiſtunt, ſuis proprietatibus & numero diſtincta 621.7

Eſſentiales proprietates naturæ humanæ Chriſti 628.51

Epicurei, cauſa externa crucis Eccleſiæ 476.3. Epicurei circa doctrinam de reparatione hominis lapſi errantes refutantur 694.24 Epicurei, reſurrectionem carnis negantes refelluntur 847.10 Epicurus philoſophiæ profanator 854.65. Epicurus, ſummum bonum in voluptate cõſtituens refellitur 1208.68. Epicurei quomodo vincuntur 1228.40 Epicurei gratia Dei abutentes refelluntur 1273.55 Epicureorum exercitium peſſimum & homine indignum 107.45 Epicurei quomodo tractandi 147.68 Epicureorum atheiſmus damnatur 680.15 Epicureiſmus ſtudioſè vitandus à Chriſtianis 581.47 Epicureorum error de hominis obedientia refellitur 738.65 Epicureorum impietas refutatur 1120.40. Epicuriſmi refutatio 278.2

Epidictica perſonarum tractatio 65.63

Epiſcopi, qui ſint, & quid hæc vox ſignificet 137.67 Epiſcoporum munus 138.25

Erratorum differentiæ 157.58

Error monachorum de perfectione fictæ paupertatis refellitur 835.21.840.30. Error quadruplex, videlicet perſonæ, conditionis, fortunæ, qualitatis, iuſta eſt diuortij cauſa 1014.47 Error quo pacto euellitur ex animo 150.33 Errores varij de S.Cœna refutantur 252.253.254.&c. Errores circa doctrinam de reparatione hominis lapſi 694.23. Errores de peccato originis 689. 27. Errores circa doctrinam de mediatore 709.44 Errores de pœnitentia, & horum origo 717.61 Errores papiſtici circa infantium inſtitutionem 751.65 Errores circa doctrinam de iuſtificatione 721.33 Errores circa doctrinam de noua obedientia 738.53 Errores circa vetus & nouum teſtamentum 817. 43 Errores de ſtatu animæ poſt mortem corporis, & eorundem ſolida refutatio 841. 842. Error papiſticus de meritis operum euertitur 1271.60

Ethnicorum opera quantumuis illuſtria, quare Deo non placent 395.31

Ethnicos aut hominem naturalem opera Deo accepta facere non poſſe 744. 12

Euclidis demonſtrationes quales ſint 269. 52

Euangelij definitio & tractatio 68.20.30. 40.&c.

Euangelium quid 1061.67.652.54 Euangelij & legis quadruplex diſcrimen 182.4 Euangeliũ quid ſignificet 362.51 quid ſit in nouo teſtamento, eius definitio, partes, in quo differat à lege, teſtimonia de euangelio & vſus 363.1.10.20.30.40.50.60.& & 364.1 Euangelica pœnitentia quid 365. 50. Euangelij iuſtitia quibus proponenda 371.70 Euangelium quomodo eſt litera occidens 407.41.& ſpiritus viuificans ibid.64. Natura legis & euangelij 407. 50. de euangelio locus 524.535.536.&c. Euangelium eſt ſapientia Dei 535.16. Euangelium quid nobis offerat 559.27. eius definitio 559.60. definitionis explicatio & membra 560.8 Euangelij veritas & efficacia 640.10.20 Euangelium promiſſionis ſolemne pręconium 692.23. einſdẽ

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

definitio 692.55.plena deſcriptio,partes, diſcrimen eius à lege, item à quibus & quomodo recipiatur 693.10.20. &c. imagines,exẽpla,& teſtimonia 694.4.18 Euãgeliũ prędicat pœnitẽtiã ſalutarẽ 713.69 Euangelij definitio & definitionis explicatio 730.50 quidnam offerat euangelium, quibus, qua cum conditione,cuius merito 731.732.733 Euangelij cognitio quomodo ſit ſpiritus & litera 768. 55 Euangelium quo ſenſu ſpiritus dicitur, 769.18.cùm alibi odor mortis ad mortem appelletur 769. 40 Euangelij præcones cur miniſtri ſpiritus vocantur 770.1
Euangeliſtarum autoritas aſſeritur aduerſus iudæorum incredulitatem 1107. 12 Euangeliſtæ ſunt prophetarum interpretes 1267.21
Euchariſtia 455.29
Euchariſticum ſacrificium Chriſtianorum 1197.24
Euenta poſt mortem, reſurrectionem & triumphum meſsiæ 639.10
Eutychetis error 631.64
Eutychiani noui, naturarum Chriſti diſcrimina tollentes refutantur teſtimoniis patrum 1302.1303.1304
Examen triplex omnium diſciplinarum 47. 60 Examinis locorum communium triplex inſtrumentum 76. 50 Examen loci obſcuri qua methodo inſtitui poteſt 326.34
Examen priuatorum qui ad S. communionem accedere cupiunt 155.18 Examen ordinandorum tria complectitur 168.25 Excommunicatus quare non eſt omnino deſerendus 162.51 Excommunicationis locus explicatus 159.160.161.162 Excõmunicatio,eccleſiaſticæ diſciplinæ pars, quid ſit, eius fines & regulæ 466.15.26.39. & 1140.54
Executio diſciplinæ eccleſiaſticæ quibus commiſſa 468.30
Exegeticæ methodi quatuor membra 41. 52
Exempla pœnitentiæ veræ 365.6.716.43
Exempla vſus & abuſus 64.20.30.40.50
Exempla conſtantiæ in paſtoribus 161.20
Exemplum conſcientiæ bonæ & malæ 403. 38.47.64.& 404.1
Exempla ſcandali dati & accepti 474.2.18. &c.
Exemplum Chriſti pro regula dilectionis 522.56
Exempla veræ fidei 561.45
Exempla veri & falſi cultus Dei 580.30
Exemplum prouidentiæ Dei 684.31
Exemplum bonæ & malæ conſcientiæ 760. 40.50
Exempla varia præſtigiarum magicarum 934.935.
Exempla varia ſomniorum diabolicorum 928.1.10.20.30.40.50.
Exempla fiduciæ in Deum 1039.69
Exempla miſericordiæ Dei 1055.38
Exempla eorum qui miſericordiam ſunt conſequuti 1078.23
Exercitationis præcepta communia opponenti & reſpondenti 37.36
Exercitium corporis quadruplex 107.43
Exercitus Dei,multiplices 1091.1092
Exhortatio grauis ad Chriſtianos paſtores 95.51.
Exilium eccleſiæ 1144.45
Exilium meſſiæ 1095.70
Exinanitio meſsiæ pro peccatis noſtris 1098.10.20.&c.1099.10.20.&c.
Exorciſtę refutantur 1291.44
Exordij rhethorici methodus 49.30
Exordium concionum quale eſſe debeat 62.30.
Expectantes Deum,qui 1039.29
Exploratio ſcelerum variorum, per ferrum candens, per manuum impoſitionem ad cadauer & per aquam 932.23
Expiatio peccati quomodo fit 654.28
Expolitio quid ſit & eius partes 79.58
Externus homo,quid 406.16
Externus vſus legis quid 527.34

F

Fabulæ mahumetis 1115.1116.1117
Fabulæ papiſticæ de martyribus refutantur 1222.4
Facies paſtoris qualis eſſe debeat 124
Facies veræ eccleſiæ 779.1
Facinoroſus qui crucem fert pro certis ſceleribus quomodo admonendus & cõſolandus 1216.1217.1218
Facinoroſi pœnitentes & contumaces vt ſunt tractandi 158.1.10.20
Facultates animæ ſunt tres, & earum gradus 287. 60 harum concordia iuſtitiam parit 288.43
Facultas iudicandi quid ſit 314.62
Familia paſtoris qualis eſſe debeat 115.40.
Familiæ inſtitutio ſemel ad minus in hebdomada 119.40
Familiarum tres partes 489.51
Faſcinum duplex,natura malignum & magicum 935.34
Fatum ſtoicorum & poëtarum quid 317.25. 37
Felicitas.vide Beatitudo.
Felicitas hominis in quo ſita 288.46.Felicitatis piorum 4.partes 1070. 33. & 1071.12. Locus de vera felicitate 1439.60. Felicitas noſtra non conſiſtit in rebus externis 1535.56
Fermentum cur à ſacrificiis legalibus remouebatur 1148.50
Ferri candentis exploratio 932.25
Feſta Chriſtianorum triplicia 188.4.Feſtorum Chriſtianorum opera 188.25.de feſtis Chriſtianorum & idololatrarum 874. 40.64. Feſta Deorum gentilium 1150.3. Feſta Sanctorum cur in nonnullis eccleſiis celebrãtur 1369.34 de feſtis Iudæorũ 1389.1. Feſta Chriſtianorum qualia eſſe deceat 1611.28.rationes variæ cur de Sanctis ſint inſtituti feſti dies 1676.20
Fidei veræ propria 75.5
Fides qualis à baptizato requiratur 243.6
Fides quid ad legem naturæ reuocata 303.13
Fides,2. pars veræ pœnitentiæ quid ſit 364. 47. eius definitio, variæ ſignificationes & formæ 366.6
Fide iuſtificamur & quomodo 370.15
Fides in cultu Dei requiritur 392.21
Fides vocationis noſtrę regula 400.51
Fides apprehendit remiſſionem peccatorũ 432.15
Fides fundamentum ſalutis 530.36
Fidei mortuæ refutatio 531.532.533
Fidei & rationis certamen 537.45
Fides concutitur, nunquàm excutitur 558. 13
Fides animæ manus, eius natura,fundamẽtum,& ſcopus 560.32.via ad fidem,obiectum,qualitas, definitio,& proprietates fidei 561.1.10.&c. mater eſt bonorum operum 562.22.
Locus de vera fide 644.645.&c.1191.41
Fidei deſcriptio, incrementa, effecta, fructus & probatio 647.54 & 648.6.&c.
quæ præcedunt fidem viuam & ſalutarem 710.2
deſcriptio & fructus Fidei Chriſtianæ 713. 40
Fides quid & eius partes 716.10
quomodo fide iuſtificamur 720.4 fides quid & eius exempla 720.25.33
quo ſenſu dicatur nos ſola fide iuſtificari 721.26.
teſtimonia quibus patet nos iuſtificari ſola fide in Chriſtum 734.42.
Fides neceſſariò requiritur in rationem cultus Dei 741.10.20.30
Fides ſpeciale donum electorum Dei 771. 48. ab electione pendet tanquam effectus à certiſsima cauſa 772
Fidei probatio,quæ permiſsione diuina fit, habet cauſas internas & externas 921. 47
Fidem excutiunt qui magorum & maleficorum auxilium implorant 913.12
Fidei fructus 1036.37
de Fidei certitudine doctrina 1038.38
Fidei audacia 1075.62
Fides,ſecunda pars pœnitentiæ 1061.10
Fides quare beatos nos reddit, quomodo iuſtificat,eſt mortua ſine operibus 1235.1. 15.&c.
de quatuor eius partibus, fructu, efficacia & vſu dicta explicatio 1276.1277.1278
Fidei Chriſtianæ definitio 1275.48.
eius egregia effecta 1282.1283.1284.1285
Fidei efficacia aduerſus omnia pericula 1404.64. quorum ſit fides 1405.35
Fidei efficacia 1478.66
Fidei effecta & fructus 1585.7.
de fidei natura,indole,dubitatione,imperfectione perfectione, actionibus & proprietatibus 1632.1633
Fidentia,quid 305.69
Fiducia in Chriſtum requiritur vt fiant bona opera 395.1
Fiducia quid 583.24.1277.1278
Fiducię & ſpei piorum in precibus diſtinctio 1036.51
Figuræ ſyllogiſmorum 38.21
Figuræ reſurrectionis Chriſti 204.12
Figuræ inſignes miſericordiæ Dei 1054. 40
Filij filiorum Dei & Satanæ duplex nota 1516.35
Filius Dei Deus eſt 198.66
Filius Dei cur factus eſt homo 200.40
Filius cur dicitur ſecunda perſona deitatis 240.71
Filius quomodo genitus à patre 340.41
Filij generatio æterna quomodo conſideranda 421.39
Filius eſt duplici modo inuocandus 439.2
Filius Dei cur verbum appellatur 126.53 quomodo reſpectu patris æterni, & noſtri, λόγος appellatur 1252.26.
Filius Dei cur carnem noſtram aſſumpſit 1305.60
Filius Dei cur venit in mundum 1352.20
Finis ſacramentorum 241
Finis cuiuſque rei triplex & qualis 287.14
Finis creaturarum quis,& eius vſus 344. 47
Finis operum charitatis 399.17
Finis cultus Dei 580.19
Finis triplex creationis 682.10.&c.
Fines notitiæ ſalutaris 679.65
Finis duplex prouidentiæ Dei 683.60

Finis

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Finis hominis 686.66
Fines octo noſtræ obedientiæ erga Deum 738.14.
Fines operum charitatis quatuor 749.15
Fines prædeſtinationis 776.54
Fines coniugij 832.43
Finis triplex coniugij, videlicet reſpectu ipſorum coniugum, proximorum, & Dei 997.998. 999. quartus finis additur, 999.31
Fines quatuor inſtitutionis ſacrificiorum ſub lege 1147.40
Fines regenerationis 1301.14
Flagitia paucorum, quomodo coercenda 162.7
Flammæ ſubleuatio in ſacrificiis quid adũbrabat 597.24
Fœdus. Vide Teſtamentum.
Fœderis cum Abrahamo initi conſideratio 315.23
Fœderis perpetuitas eſt reſurrectionis teſtimonium 844.44
Fœderis mutui ratio & diuturnitas 708. 30.55
Fœminæ menſtruoſæ aſpectus 935. 43
Fœminæ quæ deſertoribus nubunt quomodo tractandæ 1023.20
Formæ oratoriarum argumentationũ quomodo retegendæ 43.55
Forma gregis quid 166.20
Forma coniugij quid ſit, & quot inde naſcantur hypotheſes 993.994. 995.996
Formula precandi qualis eſſe debet 791. 52
Fortitudo animi quanta requiratur in eccleſiæ miniſtris 140.26
Fortitudinis definitio, encomia, etymologia, munera, oppoſita, partes 305. 20.30.&c.
Fortitudo quid 884.52.
Fratres exules ſubleuandi 165.41.
Fratrum & ſororum nuptiæ cur illicitæ 983.7
Fructus reſurrectionis Chriſti 427.6.
Fructus omnium quæ de Chriſto dicuntur 643.644.645.&c.
Fructus legitimæ vocationis 751.5.
Fructus remiſsionis peccatorum & iuſtitiæ per fidem 1244.1
Fructus iuſtitiæ fidei ab ipſa iuſtificatione diſtinguendus 1245.30
Fructus multiplex paſsionis Chriſti 1466. 47
Fructus habitationis & præſentiæ Dei in nobis 1517.30
Fructus reſurrectionis eius 1472.1473
Fructus triplex fidei 1585.7
Fuga duplex, animi & corporis 142.4
Fulcra bonæ conſcientiæ 404.27.761. 50
Fuga. de fuga in perſecutione locus 1226.1
locus de Fuga licita & illicita 1491.38.
Fundamentum cultus Dei 391.35
Fundamentum eccleſiaſticæ poteſtatis 463.5
Fundamentum ſalutis noſtræ 535.25
Fundamentum Eccleſiæ & eius partes 591.10.20
Fundamentum Eccleſiæ quale ſit, & quomodo conſiderandum 778.18
Fundamenta duo doctrinæ reſurrectionis 843.36
Furiæ quid, & cur memores 516.9.12
Furtum duplex, humanum & Satanicum 192.86
Futura quæ & quomodo diaboli prẹſciunt 924.925

G

GEdeon typus Chriſti 605.3.1318.13
Genealogia Ioſephi apud Matthæum & Lucam conciliatur 982.1
Generatio æterna filij quomodo conſideranda 421.30
Genera cultus Dei 393.23
Genera peccati 687.68
Genera operum charitatis quatuor 749.25
Genethliacorum coniecturæ refelluntur 871.26
Gentium vocatio 642.32
Gentium idololatriæ origo 1148.60
Genus meſsiæ 1095.33
Geomantia, quid 931.52
Georgij maioris verſio pſalmorum commendatur 98.20
Geſtus corporis in oratione 436.40
Geſtus externi orationis 582.52
Geſtus paſtoris qualis eſſe debeat 127.52
Geſtus orantis 1073.67
Gloriæ mundi & piorum antitheſis 1087. 46.
Gloria eccleſiæ 1125.67 Glorificare Deum, quid ſit 393.4 Gloria quid, & eius oppoſita 304.35
Græcorum πολυτεία damnatur 680.16
Gradus cognitionis decem à reuchlino ſapienter conſtituti 284. 42 Gradus pœnarum peccati 360.49
Gradus ad conuerſionem 709. 64 Gradus ſalutis noſtræ 723.54
Graduũ conſanguinitatis prohibitio qualis iuxta legem Dei 977.65 Gradus coniugij, ſponſalia & nuptiæ 1000.42
Gradus eccleſiaſtici 1137.20 Gradus octo ad beatitudinem 1676.1677.1678.1679
Grammatica interpretatio quid requirat 59.50
Gratia ſermonis qualis eſſe debeat 126.11
Gratia Dei, quid 217.12 Gratia Dei omnibus offertur 551.30. 1057.15 ab iis ſolis acceptatur qui in Chriſtum credunt 552. 19 locus de gratia Dei per Chriſtum ante illius in carne manifeſtationem, patribus ſub lege communicata 1185.61 Gratia, quid 1192.12 Gratia à Chriſto allata, quid 1310.14 Gratiæ obſignatio clariſsimè paternam voluntatem Dei nobis commendat 776. 22 Gratiæ ſigna, quid 240.40
Gratiarum actio, quid ſit 223.50.788.21
Gratiani error de diſſolutione coniugij refellitur 1015. 13
Gratitudinis deſcriptio, oppoſitum, encomia, pictura 301.42 Gratitudo piis commendata 853.41
Grauitas peccati Adæ 688.65
Gubernatio Eccleſiæ comprehendit verbum, ſacramenta, diſciplinam & ceremonias 798.799.800

H

HAbere Deum quid 382.32 & 183.44
Habitatio Meſſiæ 1096.15
Hebdomades Danielis impletæ 636.33 ſupputatæ 1365.56.1095.7
Hector cur mortem pro patria non detrectat 315.5
Hercules à voluptate & virtute tentatus 278.62.279.15
Hẹreditas domini cur eccleſia dicitur 414. 41
Hæretici & Nadab cum Abiu 58.61 Hæreticorum caput, quis 797.24 an propter hẹreſim diuortium concedere liceat 1018
Hæreſes adu. purã doctrinam de Deo 680. 15
Hiericho ſubuerſa, quid figurat 613.62
Hilaritatis moderatio 130.32
Hircus in deſertum emiſſus, ſub lege, typus Chriſti 1169.40
Hiſtoria ſacra duplex 56.26 in ſex partes diuiſa 325.25 Hiſtoriæ Chriſti capita 416.68 Hiſtoria aduentus & incarnationis filij Dei, explicatur 1270.&c. Hiſtoria ſanctorum qua methodo legenda 1369.46 Hiſtoria paſſionis Chriſti deſcripta 1454. 1455. explicata 1464.&c. Hiſtoria reſurrectionis eiuſdem deſcripta & explicata 1468.1469.1470 &c. Hiſtoria aſcenſionis eius, explicata 1506.1509.1510 Hiſtoricus vſus imaginum non damnatur 185.64
Homo vetus & nouus quid & quomodo conſiderandus 405.52
Homo externus & internus quid 496.10
Homo cœleſtis & terrenus 406.29
Homo ſingulare Dei opificium, & creatoris eximius typus 601.6
Homo in quoto rerum creatarum genere 681.35
Homo, duplex finis hominis: Dei agnitio & cultus 682.37
Homo, definitio hominis, ſtatus eius quadruplex, corpus, anima & finis eius 685. 686
Homo. cur mediatorem oportuit eſſe hominem 697.53
Homo quid, vetus & nouus, variæ horum oppoſitiones, anatome vtriuſque 763.764. &c. vide vetus & nouus homo.
Homo ſine fide & nauis amiſſo gubernatore 915.45
Homo. ſtatus hominis ante & poſt regenerationem 1133.45.55
Homo, quomodo eſt beatus 1204.40
Homo. eius miſeria deſcribitur 1170.1571. 1572
Hominis veteris concupiſcentia 106.12. noui concupiſcentia 106.21
Hominis definitio, & ſtatus ante peccatũ, ſub peccato, ſub gratia, poſt hanc vitam, vſus & teſtimonia 347.348.346.350
Hominis ſtatus ante iuſtificationem 431. 60
Hominis ſtatus ante & poſt regenerationẽ quæſtiones de libero arbitrio ſoluit 758. 13.56.
Hominis forma erecta, reſurrectionis argumentum 844.13
Hominis via, quid 1040.40
Hominis iudicium quid & quotuplex 1050. 12
Homicidium externum quid, & gradus ad illud 190.45.53
Homicidium varios habet gradus 879. 53
Homicidij exploratio qualis olim in norue gia 932.23
Homines quomodo tentant 1404
Homines alij pro aliis orantes, non ſunt propterea plures mediatores 791. 8.
Hominum duo genera in regno Chriſti 799.1
Homines noſtri ſeculi & Iſraelitæ ollas carnium ægypti mannæ præferentes 913.30

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Hominum duplex ſocictas cum chriſto 1131. 28 quare homines naturali luce poſt peccatum lucem Dei non percipiunt 126560. hominum corruptum iudicium, ingratitudo, miſeria, peruicacia, vanitas depicta 1539.1540
Honeſtas,quid 308.24.
Honeſtus zelus 487.26.
Honeſtatis publicæ iuſtitia an nuptias impediat 990.45
Honor quid 189.8
Honor paſtoribus debetur 170.4
Hoſtes doctrinæ quibus modis mouendi ſunt 147.11. Hoſtes puræ doctrinæ 797.24 Hoſtes chriſti 633.12. Hoſtes eccleſiæ quadruplices 1075.3. Hoſtes miniſtrorum Euangelij,quomodo vincantur 1123.1124.1125 Hoſtes regni chriſti 1408.49. horum conatus 1409.1.18.30
Hoſtia cur ſ.cœna dicta eſt 455.34
Hoſtiæ motus in ſacrificiis quid adumbrabat 597.27
Hoſtiæ humanæ diis gentium immolatæ 1150.35.
Humanus zelus duplex 486.61
Humanæ naturæ Chriſti proprietates ſunt in triplici diſcrimine 628.30.40.50.60. Humanitatis Chriſti idiomata triplicia 700.54.& 701.6.20. Humanitatis Chriſti teſtimonia 705.43.
Humanitas, quid 883.47.
Huinanum furtum duplex, in rebus & in iure 192.68.193.1.14. Humiliatio filij Dei 1465.54. Humilitas quid,& eius laudes 310.3. de vera humilitate locus 1613.1614
Hydromantia 931.65
Hymnorum Eccleſiaſticorum appendix Chriſtum Deum prædicat 539.61
Hypotheſes miſericordiæ Dei 1052.4
Hypocriſis quid 304.54. Hypocriſis eorum qui virginitatis laudem coram populo captarunt 962.53. Hypocrita quomodo mouendus 147.50. Hypocritæ cauſa externa crucis Eccleſię 475.67. Hypocritę ſunt phariſæorum ſimiles, 1. Chriſti hoſtes 518.60. Hypocritarum fides 644.14. Hypocritę cur & quomodo ſcandalizãtur 822.24. quomodo vincuntur 1228.1.30. Hypocritarum imago 1362.27. Hypocritarum murmur aduerſus ſinceram doctrinam & eiuſdem cauſæ multiplices 1542.1543. Hypocritæ an ſint à piis fugiendi 1543.60
Hypotheſes de ſacerdotio chriſti 418.14

I.

IAcob,typus Chriſti 603.3
Iacob & Eſau typi gratiæ & iudicij 773.48
Iacob cur vocatus eſt Iſrael 1079.27. eſt typus Eccleſiæ 1080.1. Iacob, & eius ſcala typus Chriſti 1316.2
Iacobus apoſtolus de iuſtitia operum diſputans non aduerſatur paulo 1193.40
Iactantia,quid 304.49
Iamblichus,magiæ patronus, refutatur 939.5:.eiuſdem interitus 940.5
Idiomata in Chriſti perſona quid, horum diſtinctio 700.1.22.54. nomina multiplicia 702. effectus 704 29. vide Proprietates
Idololatrarum bona (quam vocant) intentio refellitur 790.28. horum conſtantia pro tuendis ſuis idolis 1220.44
Idolorum origo 860.45.
Ieiunij vſus 889.19
Ieiunium meſſiæ 1097.12. Locus de ieiunio 1425.1426.
Ieiunium hypocritarum quale ſit 1581.64.
Ieruſalẽ cœleſtis cur eccleſia dicitur 414.32
Ieſus nomen quas doctrinas & conſolationes nobis proponat 199.11
Ieſus mariæ filius eſt promiſſus Meſſias 536.50. eſt verus & vnicus meſſias & ſaluator mundi,quod probatur à pag.595. vſque ad 650. eſt verus & ſolus meſſias, vt probatur 1094.1095. vſque ad 1103.
Ieſus,vide Chriſtus.
Ignauia quid 300.19
Ignauia,quid 305 51
Ignis ſacrificiorum quid adumbrabat 597.20
Ignis viſibilis typus miſericordię Dei 1052.18
Ignis purgatorij papiſtici confutatio 1292.69
Ignorantiæ peccata 359.9
Ignobilitas,quid 304.67
Illiberalitas & eius partes 302.57
Imago Dei quid,quotuplex, & quomodo in homine 347.49.64.& 348.32. tripliciter conſideranda 348.36.85.46
Imaginis Dei reſtitutio requirebat vt mediator eſſet homo 544.40.698.19
Imago Dei in homine,reſurrectionis argumentum 844.21.
Imago eccleſiæ Chriſti & ſingulorum eius membrorum 1432.54
Imago eccleſiæ militantis 1536.45
Imago docentium & audientium verbum Dei 1552.48
Imago eccleſiæ 1609.10
Imaginum vſus triplex 185.54 imagines quomodo ſint libri laicorum 186.19 imagines an erigendæ in templis Chriſtianorum 383.28 de triplici vſu imaginum 384.14 Deus non vult coram imaginibus adorari 790.24 harum abuſus & vſus 861.862
Imbecillitatis noſtræ pictura 1476.16
Impatientia,quid 306.32
Imperatorum leges, de prohibitis gradibus,graues & honeſtæ 984.49
Imperfectio humana ſcelerum grauitatẽ non excuſat 917.9
Imperium patrium 496 22
Impius ſub cruce quomodo curandus 148.62 Impij quomodo ſcandalizantur 474.13 impiorum de fide falſò gloriantium refutatio 531.532.533 impiorum interitus nos ad pœnitentiam maturandam inuitat 578.10 impiorum pœnitentia quid 716.64 impij quo affectu, tempore, loco,& modo puniuntur à Deo 824.64 impij quo ſenſu dicuntur membra diaboli 916.41 Impij an ſint à piis fugiendi 1543.60
Impietas in deum,iuſta diuortij cauſa, & quid hæc impietas ſit 1017.30 impiorum hypotypoſis 1039.8 impij, de ſuppliciis impiorum 1410.52
Impœnitentes à S.Cœna arcendi 161.11
Impoſitio manuum 1585.60 improbatio falſæ doctrinæ ad quos pertineat 463.68
Imprudentia quid 300.7
Impudentia,quid 307.64
Impuritas 309.49
Imputatio iuſtitiæ quid 654.43 Imputatio iuſtitiæ Chriſti, quibus & quomodo fit 720.54.63
Inanis gloria 304.46
Incantatio quid & quotuplex 938.30.40.50 Incantationes per ſe ſunt inefficaces 909.17 locus de incantationibus 1286.1287.&c.
Incarnationis domini cauſæ præcipuæ 423.58.
Inceſtus an dirimat coniugium 1018.51
Inciuilitas 303.10
Inclementia,quid 311.61
Incontinentia, quid 308.67
Indifferentia,vide Adiaphora.
Indignitatis cogitatio quib.modis ex animo euellitur 151.64 indignitas,quid 304.64
Indocilis quomodo docendus 146.42
Indolentia,quid 306.32
Inductio duplex 47.3
Infantes ad recitationem nominis Ieſu aſſuefaciendi 113.66 infantes Chriſtianorũ quomodo in veteri Eccleſia inſtituebãtur 751.50 infantes cur ſint baptizandi 804.22
Infenſio quid 104.67
Inferiorum officium 189.33
Infidelium opera quatenus ſint bona 1249.45
Infirmi cur & quomodo ſcandalizantur 822.28
Infirmitatis peccata 358.68 locus de piorũ infirmitate 1494.20 ingratitudo vitium grauiſſimum 300.44 ingratitudo mundi 1270.44 ingratitudo maximæ partis generis humani quanta ſit 1178.44 ingratitudo mundi gratiã Dei recuſantis 1539.47
Inhabilitas corporum viri aut fœminæ, iuſta eſt diuortij cauſa, & quæ circunſtantiæ ſunt in hac inhabilitate conſiderandæ 1013.40
Inhabitans peccatum,quid 357.5
Inhabitatio Dei in nobis, fructus ſeruati verbi 1517.17
Iniuſtitia quid 300.37
Innocentia quid,& eius oppoſita 302.9
Innocentia vitæ priuatæ alterum caput bonorum operum 562.65
Innocentij Papę argumenta pro cœlibatu adu.coniugium 953.954.&c.
inobedientiæ vocabulum in ſcriptura quatuor complectitur 356.3
Inobedientia quadruplex 739.14
Inſcitia quid 299.33
Inſenſibilitas,quid 307.40
Inſtitutio Cœnæ 246.54
Inſtitutio infantium 114.1.36
Inſtrumenta muſica quatenus in templis retinere liceat 1212.12
Integritas hominis ante lapſum 685.69
Intelligentiæ deſcriptio,diſtinctio,coniuncta,oppoſita,encomia 299.57
Intelligentia contemplans in mente, & practica,quid 314.38.48.760.11.21
Intemperantia quid 307.20
Intemperantia quid, eius gradus, occaſiones,cauſæ,remedia, pœnæ comitantes, genera 888.889.890
Intentio,quam bonam vocant, explicatur 658.46
Intentio,quam bonam vocant,expenditur 1152.60
interceſſio Chriſti & eius partes 1181.1182.1183
internus homo quid 406.16
internus legis vſus vbi,quid efficiat, 529.52.63 eius exempla 530.11
interpretatio in Eccleſia & ignis altaris 58.57
interpretationis cauſæ quatuor 593.
interpretationis ſcripturæ recta ratio 326.22
interpretationes ſcripturę quomodo Eccleſiæ autoritati ſubiiciuntur 468.68
interpretatio ſcripturæ quid requirat 800.23

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

quibus datur & quomodo 1143.1.10.20
Interpretis ſacrarum literarum præſidia 57.50
Interpretis munus 61.58
Interrogantis pręcepta 35.1
Inuaſio regni antichriſti 643.12.
de Inuentione locorum communium 73.51
Inuidiæ deteſtatio 302.28
inuocatio Dei ſolius confirmatur 582.20
inuocatio vera deſcribitur 584.50
inuocatio ſanctorum cur à pontificib. Romanis inuecta 790.11 inuocationis veræ deſcriptio 1034.22.modus 1035.11 inuocationis mortuorum triplex impietas 1155.40 quare diſtinctè inuocamus patrem, filium,& Spiritum Sanctum 1183.6 Inuocationis ſacrificium 1201.40 inuocatio ſanctorum à quo inuecta 1505.6 inuocatio.vide Oratio
inuoluntaria peccata 359.59
Ioannis Baptiſtæ vita epidicticôs tractata 66.10.20.30.40
Ioannis baptiſtæ eximia laus 1360.36
Ionas,typus Chriſti 609.47.1321.44 ioſeph à bona conſcientia ſuſtentatur 404.1 ioſeph,typus Chriſti 604.3.1317.14
ioſephi genealogia apud matthæum & lucam conciliatur 982.1
Ioſue,typus Chriſti 704.40.1317.55
iracundia,quid 104.63
ira Dei in reprobos quanta ſit 1172.37 iræ tria genera 104.60 remedia 105.8.19 ira ſuperiorum quomodo conſideranda 191.20 iræ ſigna quid,quotuplicia,& horum vſus 240.15.20.&c. iræ diuinæ iuſtitia mediatorem Deum requirit 540.55.595.12 iræ Dei theſaurus quid nos doceat 576.54 irę Dei iuſtitia immenſa mediatorem Deū poſtulat 622.55 iræ Dei ſenſus,gradus ad veram fidem,quatuor cogitationibus augetur 645.12
Ira genus homicidij 1559.44
Irremiſsibile peccatum quid 689.52
Iſaac,typus Chriſti 602.40.1315.41
Iſrael,communis ſtipes multorum 966.57
Iter per deſertum quid figurabat 612.64
Iudæi hoſtes Chriſti quibus dolis eum adoriuntur 521.4
iudæi ſunt hoſtes puræ doctrinæ 797.28 diſputatio qua oſtenditur iudæos nō eſſe eccleſiam Dei 1093.1094.vſque ad 1113. de ſacrificiis iudæorum 1145.1146.1147.1148 horum ingratitudo 1270.68
Iudæorum ſtupor 534.50 iudæorum reiectio 641.15 iudæorum error de iuſtificatione refutatur 722.40 iudæorum error de piorum libertate refutatur 819.31 iudæorum obiectiones contra Chriſtum dominum noſtrum refelluntur 1103. 1104. vſque ad 1113 iudæorum excæcatio à prophetis prædicta 1112.11. iudæorum ſacrificia horrenda quædam à gentibus mutuata 1151.12 iudæorum feſta 1389.1 iudæorum impietas,mundi imago 1465.60
Iudex mundi Chriſtus 208.20
iudex mundi quis futurus, quomodo, qua de cauſa & forma 1356.5.&c. iudex,qualē oporteat eſſe magorum iudicem 947.27 an cuiuis iudici, ex æquo & bono,rigore legis omiſſo,iudicare liceat 947.66.
iudicialis lex, quo ad vſum eſt libera 180.35
iudices quid facere debeant quando repudium petitur 1001.21
iudicum duplex examen & conſiderationes in cauſa de diuortio propter adulterium 1009.1010
Iudicium particulare & generale cum ſuis circunſtantiis 208.30.40.&c.
iudicium de prædeſtinatione vnde petendum 410.70
Iudiciorum fundamētum, & diſtinctio eorum 484.40
iudicium in mente quid efficit 760.26
iudicium de rebus magicis ad politicum magiſtratum pertinet 946.20
Iudicij de gradibus affinitatis regulę 988.10
iudicium Dei & hominum quid & quotuplex 1049.1050
iudicium in omnes euangelij contemptores 1541.33
Iuniores ætate aut dignitate, quomodo à paſtore excipiendi 121.34
Iuramentum,quid ſit,quotuplex, eius vſus & abuſus 863.864.cauſæ & regulæ 865.866
Iuriſdictio eccleſiaſtica quid 463.45
Iuriſdictio eccleſiaſtica quid 799.60.1139.20
Iuris ciuilis definitio 18.36
ius naturæ,gentium,diuinum, æternū,quid 275.35.ius naturale,gentium,& ciuile 303.38 Ius magiſtratus in ſubditos 481.1 ius analogon inter coniuges 495. 65 ius interpretandi ſcripturam quid 800.19 ius coniugum 994.26. ius ſummū legis quid 1236.36
Iuſtificationis per fidem doctrina 65.10.20.30.&c.217.15 iuſtificatio, columna noſtræ ſalutis,367.11.eius definitio,explicatio definitionis, antitheſis item iuſtificationis euangelicæ & legalis 368.7.11.50. iuſtificationis chriſtianæ partes,cauſarū ordines ſeu quis iuſtificat, quomodo & in quem finem:item cauſa imperans,antecedens, principalis, obſequens,efficiens,inſtrumentalis 369.10.20.30.40.50.60.quomodo fide iuſtificemur 370.15 de iuſtificatione hominis,locus 718.50. teſtimonia quibus patet nos ſola fide in Chriſtum iuſtificari coram Deo 734.42 iuſtificatio legalis & euangelica, quid ſit 736.5
iuſtificatio & noua obedientia quomodo diſtinguendæ 855.50 locus de fide iuſtificante & eius effectis 1278. &c. locus de iuſtificatione 1236.1237.&c. iuſtificationis definitio 1244.70.cauſæ 1275.5 iuſtificatio euangelica quid,& quæ ſint ad eam cōſequendam neceſſaria 1241.1242
Iuſtiniani imperatoris lex de diuortio 1006.66
iuſtitiam eſſe ex fide 79.25
iuſtitiæ laus 265.10
iuſtitiæ nerui 265.24
iuſtitiæ origo 267.268
iuſtitia vnde oritur 288.43
iuſtitiæ definitio,oppoſitum, encomia,fundamentum,munus,fructus,partes 300.32 iuſtitia diſtributiua 303.66.commutatiua 304.11 iuſtitiæ Chriſtianæ definitio 328.20 iuſtitiæ originalis definitio & vſus 350.20.30.40 iuſtitiæ legis & euangelij antitheſis 368.50 iuſtitia euāgelij quibus proponenda 371.70 iuſtitiæ Chriſtianæ definitio 432.8 iuſtitia vera quomodo nobis per Chriſtū reſtituta 542.10 iuſtitiæ Chriſtianæ duo membra 542.13 iuſtitia Dei requirebat vt mediator noſter eſſet homo 544.11.697.60 iuſtitia Chriſti coram Deo quomodo nobis imputatur 556.13 iuſtitia erga omnes tertium caput bonorū operum 563.3 iuſtitiæ imputatio quid 654.43 iuſtitiæ Chriſtianę definitio 655.12.719.57.66 iuſtitia duplex quomodo nobis à mediatore reſtituta 696.34 iuſtitia duplex,legalis videlicet & euangelica 718.55. quod nemo poſſit iuſtificari iuſtitia legali ſex argumentis probat Paulus 718.63.& 719.10.20.30 iuſtitiam coram Deo quo modo obtinemus 734.30 iuſtitia Dei eſt teſtimonium futuræ reſurrectionis 844.57 iuſtitia publicæ honeſtatis an nuptias impediat 990.45 aduerſus eos qui operum iuſtitiam ſectantur 1192.30 aduerſus eos qui ex fide & operibus cōponunt iuſtitiam 1193.1241.13 iuſtitiæ ſacrificium 1202.45 iuſtitia noſtra corā Deo quid 1243.60
iuſtitia Dei 1523.20
locus de triplici iuſtitia 1556.1557.1558 locus de iuſtitia legis, & remedia adu. legis maledictionem 1579.62.1580.47. de iuſtitia Chriſtiana 1581. 1582. 1583 iuſtitiarius quomodo docendus 147.4 iuſtitiarij circa doctrinā de reparatione hominis lapſi errantes refutantur 694.24 locus de horum multiplici impietate & iniuſtitia 1581.10.20.&c. Iuſtorum via,quid & quotuplex 1040. 55 iuſtorum viæ ordines & gradus 1041.36.

L

LÆtitia ſpiritualis quid 1136.10
Lapſus occulti & manifeſti quomodo emendandi 464.40.54.& 465.35
Latro in cruce, miſericordiæ Dei inſigne exemplum 1056.4
Latronis pœnitentis crux 569.35
Laudis ſacrificium 1201.18.
Lectio ſacrorum librorum cur in veteri eccleſia ordinata eſt 97.29
Lectio ſcripturæ ad omnes pertinet 463.54
Legalis pœnitentia 365.47
Legalis iuſtitia quid,& eius partes 1556.61
Legati qui ſint 137.45
Lepra ſpiritualis,quid ; eius notæ & remedia 1596.23
Leuitas,quid 306.49
Lex naturæ eſt fons legum 269.16
Lex Dei eſt epitome legis naturæ 295.44.
Lex peccati quid 357.3
Lex membrorum quid 357.18
Lex quomodo occidit 407.36
Lex adamo data quid nos deceat 645.20
Lex Dei quomodo ab eccleſia conſideratur 651.24
Lex in quibus differat ab euangelio 693.12 regula vitæ,eius vſus,& an impleri poſſit 710.17.26.37 Lex moralis, quæ & naturæ lex, eſt via ad vitam 726.etiam ſi hodie ſit impoſſibilis,non fruſtra tamen eſt repetita, eius cauſæ & vſus:quo ſenſu dicitur miniſterium mortis, munus eius, ſpiritualis vſus ad renatos pertinet,quomodo & quatenus abrogata eſt 727.728.729.730. quo ſenſu dicatur miniſterium mortis 728.60. quo ſenſu litera dicitur 769.17 quomodo ſit perpetua & abrogata 770.28.816.53 quo ſenſu dicitur ſancta & miniſterium mortis 854.50.pædagogus ad Chriſtum 855.10. in quauis recta lege duo requiruntur 910.20
Legis moralis explicatio, à pag.850.851.vſque ad 913. Lex naturæ & Dei coniugiis limites ſtatuit 977.53 Lex de prohibitione nuptiarum in certis gradibus, an ſit naturalis aut moſaica 983.41. qualis ſit

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

legis Dei inſcriptio 1188.48 an ſit abrogata,& quomodo 1189.57 demonſtratio firmiſſima quod nemo iuſtificatur per legẽ coram Deo 1236.45. eius probatio 1238. 1239.&c.
de vſu legis ante & poſt iuſtificationẽ 1239. 1240
Lex gratię & veritati oppoſita quid, 1310. 22.64
quomodo credentibus in Chriſtum lux ſit abrogata 1557.58
an ſit fruſtra propoſita, cùm impoſſibile ſit eam adimplere 1593.53
Legis Dei breuis explicatio 72.36
Legis vſus paucis explicatus 86.15.19
Legis Dei ſumma capita & variæ ſignificationes 178.10.20.30. definitio 179.16. an legi poſſimus ſatisfacere 179.26 de eius triplici vſu 179.63 quatenus eſt abrogata,& quę ſit ſumma legis moralis 180.18.64. eius appendices, diuiſio, & cur ſcripta in lapidibus 181.26.41.62 diſcrimen legis & euangelij 182.4. legis partes 182.46. expoſitio à pag 183. vſque ad 196.
Legis naturæ definitio, nomina, origo, certitudo 275.276.272
Legis Dei varia ſignificata 375.40 definitio 376. Legi Dei nos ſatisfacere non poſſe, cur ſit impoſſibilis, de triplici eius vſu 377.8.50.66 quatenus lex ſit abrogata,& de methodo interpretandi legem moralem 378.28.60. Pręceptorum legis moralis ſeu decalogi expoſitio à pag. 380. vſque ad 391.
Legis Dei ſumma 521.48
Legis vſus triplex & quis 527.23.1
Legis & euangelij conuenientia 733.64. diſcrimen 734.11
Legis cognitio, quomodo ſit Spiritus & litera 768.58
Legis Dei autoritas confirmata 853.10
Legis Dei de gradibus conſanguinitatis & affinitatis luculenta expoſitio 978.979. 980.988.989.990
Legis & euangelij diſcrimen 1059.32
Legis Dei encomia explicata 1083.1084.1085
Legi diuinæ neminem ſuis viribus ſatisfacere poſſe 79.40.80.10.&c.
Legi Dei nemo hominum ſatisfacere poſſe probatur 523.66.&c.
Leges vnde oriuntur 267.47
Leges duodecim tabularum 267.4 in legũ conſtitutione requiruntur ratio & authoritas 828.43 quomodo erunt ſalutares,& munimenta earum 829.13.41 Leges particulares quinque de diſtinctis rerũ dominiis 891.892.893 Leges diuinę de prohibitis gradibus 977.13 Leges humanæ, i. Põtificum, imperatorum, & populorum, de prohibitione certorum graduum 984. 10
Leges mahumetis 1115.42
Leges de fratre fratris viduam ſuſcipiente, & de prohibitione ciborum, quarum rerum typi ſunt 1313.43.56
Legum præſtantia 265.17
Legum ciuilium encomia, ratio, autoritas, rigor & æquitas 482.10.20.20.40.50
Legum obedientia qualis eſſe debet 911.5
Liber vitæ quid 411.16
Libri veteris & noui Teſtamenti quo ordine legendi 98.24.34
Libera mortificatio quid 478.60
Liberalitas in pauperes deſcripta 116.50
Liberalitatis deſcriptio coniuncta & oppoſita 302.46
Liberalitas, quid 885.9
Liberi quomodo educandi, in diſciplina continendi, admonendi 833.61.& 834.1. horum erga parentes officium 834.16
De liberis ante adulterium natis quid conſtituendum ſcelere cognito 1011.5
De liberorum erga parentes officio 1391.64. 87.20
Liberorum educatio 113.51
Liberorum officia 496.65
Libertas paſtoris 1686
Libertas Chriſtiana an pugnet cum ſeruitute quæ à piis exigitur 374.47
Libertas hominis qualis ſit,& eius cauſæ 352.30.40.50
Libertas Chriſtiana quid 470.60 eius partes, gradus,& vſus 471.5.12.34
Chriſtianæ libertatis aduerſarij, nomen, diſtinctio inter libertatem perſonæ & voluntatis 817.50. Libertas ſpiritualis à peccato, ira Dei, maledictione, morte æterna, ſpiritu ſeruitutis, ritibus moſaicis, traditionibus humanis,& huius libertatis definitio 818 10.20.30.&c. de libertate voluntatis 819.6.61. diſtinctiones liberi arbitrij 820.13 Libertatis vocabulum quo ſenſu accipiendum 353.28 Libertinorum anarchiam inuehentium furor 490.21. Libertinorum veterum & recẽtium error de iuſtificatione refellitur 721.40
Libertinorum error de vindicta refellitur 880.49
Liberum arbitrium vnde & quid ſit, eius definitio, partes, & diſputationes varię 350.351.352.353.354.& quomodo diſtinguendum 758.3.10
Ligare, in eccleſia, quid ſit 1139
Limbi papiſtici refutatio 204.44
Lineæ conſanguinitatis quid 971.52. earum differentiæ 972.1.10.20.&c.
Litera, ſpiritui oppoſita, quid 407.23.768.32.
Lites an & quomodo agitandæ 484.67
Litigare, Chriſtianis an liceat,& quomodo 830.33
Locus communis quomodo multiplicatur in plures quæſtiones 77.40 locus orãdi 436.4 locus vbi meſsias natus eſt 1095.18
Loci methodi ſimplicis quo ordine tractãdi 72.60
Loci communes theologici quomodo inueniendi & tractandi 73.74.&c. Loci communes theologici quotuplici inſtrumento examinentur 76.50. Loci præcipui concionis ſuaſoriæ 82.40. Loci conſolatorij 85.6. Loci in ſpeciem pugnantes quomodo conciliandi 328.22
Locorum periſtaſeis quando examinandæ 326.38. Locorum Theologicorum vtilitas 331.56
Lotionum analogia 599.35
Luna & ſtellæ apoſtolorum typi 600.40
Lupus in eccleſia quis 1490.70. eius artes 1491.5.
Lupi aſpectus faſcinans 935.48
Lutherus cur crebrior eſt in digreſsionibus 81.50 aliorum conciones diligentiſsimè audiuit 132.40 donis ſpiritualibus ditatur 170.44 illuſtre exemplum diuinæ prouidentiæ 684.35.1399.30 de notis externis iuſti ſtatus eccleſiæ 1143.54. eius de ſeruo arbitrio ſententia expoſita 758.23
Lux mundi qui ſint 138.68 Lux, typus euangelij 600.57 Lux in mente hominũ quid 1294.42. duplex 1265.12 Lux creata, typus euangelij 1323.20 Lucis nomen quibus, quo ſenſu, & quot modis tribuitur 1268. 60
Luxus quorundam paſtorum reprehenſus 122.17
Luxus mulierum 309.57

M

MActatio animalis quid ſignificabat 597.7
Magia, abuſus nominis Dei ſpecies, ſeuerè à Deo prohibita 867.868 Magia naturalis quid 903.43 magiæ ſuperſtitioſæ origo, deſcriptio, genera, à quo inuenta & culta 903.904.905. de magia ſpeciali 929.33 Magia cur prohibita à Deo 1290.8 Magię papiſticæ refutatio 253.36 Magiæ ſuperſtitioſæ genera 923.52 Magiæ religioſæ refutatio 940.29 Magiſtratus ciuilis vnde & quid ſit, eius legitimæ conditiones, officium, fines adminiſtrationis, ius in ſubditos, & quid ſubditi ei debeãt 479.480. 481.825.826. 827 de officio Chriſtiani magiſtratus aduerſus magos 946. 4 eius officium in maleficos & maleficas 1291.6 loci de magiſtratu explicatio 1641.1642.1643
Magiſtratus officium 189.54.265.15.528.38
Magiſtratus boni nomina 292.60.293.1.10. 20 Magiſtratui Chriſtiano an liceat quicquam permittere in ſua republica, quod expreſſo Dei verbo prohibitum eſt 483.13 quinque iniqui conſiliarij magiſtratuum 948.40
Magiſtri ſententiarum methodus,& de eadem iudicium 11.16.26
Magnificentia, quid 305.62
Magi cur aliquid efficere poſſunt diaboli auxilio & opera 907.10 cur à Deo tolerantur 922.23 ex eccleſia & politia eiiciẽdi ſunt 1290.60 eorum profanitas ſeuerè à Deo prohibita 868.47 eorum auxilium nullo modo eſt implorandum 911.60 Mahumet, quorum auſpiciis ſectam & alcoranum fabricarit 114.36.57 Mahumetis regnum à prophetis prænuntiatum 642.65 Mahumetani quemlibet ſaluari obſeruatione legis illius cui ſubeſt, ſomniantes refutãtur 527.3 profeſsi ſunt hoſtes purę doctrinæ 797.27 Mahumetanorum colluuies cur non eſt eccleſia 778.60 Mahumetanorum ſecta variis argumentis refutatur, à pag. 1113. vſque ad 1119.
Maieſtas regis Chriſti 634.46. Maieſtas Dei quid 862.60
Maiores dignitate aut ætate quomodo à paſtore conſiderandi 121.3
Maledictio legi Dei affixa quid nos doceat 645.30.711.11.
Malefici. horum diſtinctio, artes abominandæ, exempla & conatus 937.20.30.40.50.
Malefici an ferendi in eccleſia néc ne 1286. 1287.&c.
Maleficium quid & quotuplex 937.20. Locus de maleficiis & incantationibus 1286.1287.&c.
Maleuolentia 302.23
Malitia, vitium Satanicum 302.14 Malitiæ peccata 359.12
Malum culpæ & pœnæ quomodo conſiderandum 238.12.941.58. Mala quæ in peccati ratione concurrunt 1046.29
Malorum magnitudo ex quibus liberauit ſuos Chriſtus, probat eum eſſe Deum 540.541.
Manaſſes, miſericordiæ Dei illuſtre exemplum 1055.66. Manaſſis exemplum quid nos doceat 1451.25
Mandati Dei conſideratio 775.13
Mandatis Dei quomodo obtemperandum 579.33

Man-

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Manducationis modi in Cœna 8.8.25
Manichæorum error de iuramento refellitur 863.63 error de occiſione refellitur 880.7 impietas de duplici Deo damnatur 680.16
Manna de Cœlo, & aqua de petra, typus Chriſti 613.4 Manna in deſerto typus carnis Chriſti 1324.36
Manſuetudo, quid 884.17 Manuum impoſitio 1555.60
Mares quomodo inſtitui debeant 114.26
Maritus quomodo vxoris doctor ſit 112.53 Mariti erga vxorem affectus qualis eſſe debeat 112.24 officium erga vxorem 831.34 Mariti abſentia vxore conſentiente, an ſit deſertio: & quo pacto vxori ſit cõſulendum 1024.53
Martyres, quæ requirantur in martyre Chriſti 1220.30 Martyres quo cultu ſunt colẽdi 1221.56 non ſunt inuocandi 1222.11 Martyrum victoria quid nos doceat 144.51 cõſtantia & cõfeſſio quid nos doceat 446.7 Martyrum conſtantia Deitati Chriſti fert teſtimonium 540.11 Martyrũ crux 569.24 Martyrum confeſſio doctrinæ veritatis ſigillum 594.44.746.46
Martyrij modi, vtilitas & cauſæ 1220.1.6.20.
Mater fidelium cur Eccleſia dicitur 414.36
Mater meſſiæ 1095.24
Matris intimus amor erga prolem, typus miſericordiæ Dei 1052.45
Materia cultus Dei 579.58
Materia coniugii, mas & fœmina 959.21
Matrimonium quare dicatur maritalis copula 950.49 eius cauſæ finales 1394.50 Matrimonij definitio & breuis tractatio 67.65
Maturitas in conſeruatione legum ciuiliũ, qualis eſſe debeat 830.17
Media quibus Eccleſia conſeruatur 214.58
Mediator noſter Chriſtus cur & quomodo 199.50 cur Deus & homo 200.52 cur Deus eſſe debuit 540.541.542.543 cur homo eſſe debuit 544 cur vna perſona ex diuina & humana natura conſtans 545.546 cur neceſſe fuerit mediatorem Dei & hominum eſſe Deum, eſſe hominem, & cur ſit vna perſona in duab. naturis ſubſiſtens 694.595.596.&c. 620.8 Mediator Eccleſiæ quis & qualis 634.68 790.40 an vnius, an vtriuſque naturæ reſpectu Chriſtus ſit noſter mediator 1183.40 cur oportuit eum eſſe deũ & hominem & vnam perſonam 1306.1307
Mediatores iuſtitiarij refutantur 526.33
Medicinæ vſus & commendatio 915.12
Meditatio præcipua & perpetua eccleſiaſtici paſtoris 95.38 Meditatio pia baptiſmi 244.52 Meditatio S. Cœnæ 251.50 Meditatio nominis Ieſu 417.31 Meditatio vera baptiſmi quæ ſit 452.58.806.40 meditatio S. Cœnæ qualis eſſe debeat 456.24 Meditatio charitatis Dei 541.20
Meditatio multiplex paſſionis Chriſti 425.56.1467.1468 Meditatio multiplex miſericordiæ Dei 1637.38
Mel cur à ſacrificiis legalibus remouebatur 1148.50 Melanthon conciones in eccleſia diligentiſſimè audiuit 132.40 Melanthonis methodus locorum communium 12.38 Melanthonis encomium 332.11 Melanthonis corpus doctrinæ commendatur 98.67 aliorum ſcriptorum eiuſdem lectio paſtoribus commendata 99.2
melanthonis iudicium de diuortio concedendo propter violentiam 1015.65
melanthonis ſententia de aſcenſione, ſeſſione & proprietatibus glorificati corporis Chriſti 1304.55
melchiſedec, typus Chriſti 602.1 1315.4 melchiſedeci factum an miſſæ pontificiæ faueat 1159.16
membra cur Deo tribuuntur 340.30 membra Diaboli ſunt cauſa externa crucis eccleſiæ 475.48 membra veteris hominis quid 764.34 membra noui hominis quæ ſunt 766.23 membra Eccleſiæ viſibilis duplicia 779.46
memoria quibus modis iuuatur 88.50
memoria, ſecundus docilitatis gradus 285.24 memoria, prudentiæ pars quid, eius oppoſitum, laus & lumen 299.45
mendacium triplex 195.14 mendici ſubleuandi 165.47
mens reproba quid 792.40
mentis & corporis puritas cur paſtori ſtudioſiſſimè ſectanda eſt 95.63
mentis puritas & impuritas deſcripta 96.25 in quib. impuritas ſita eſt & quæ ſint remedia 96.51.58
menſa, typus Chriſti 610.59
merces operum quomodo conſideranda 397.57
merces bonorum operum, & eius diſtinctio 1250.60 explicatio locorum in quibus merces bonis operibus promittitur 1251.1252
mercenarius & paſtor in quo conueniunt & differunt 1411.10.20.&c.
mercenarii damnantur 136.4
Meretricem paſtor vxorem ducere non debet 170.39
Meritum, quid 398.27. Meritum papiſticum multiplex refellitur 657.48.60. & 658.2.9 Meritum Chriſti triplex 733.33. Meritum cœlibatus papiſtici exploditur 958.37. Meriti humani gloria damnatur 658.55.
Meſsias eſt Deus, homo, & vna perſona θεάνθρωπος 620.621.622. quare debuit eſſe Deus 622.32. promiſſiones de meſſia 616.46. de perſona meſſiæ 620.2. qualitas huius perſonæ 632.40. de officio meſsiæ 633.35. de tempore aduentus meſſiæ 635.54. acta eius multiplicia 636.70. euenta poſt eius mortem, reſurrectionem, & triumphum 639.640.641.642.643. fructus omniũ eorum quæ de meſſia dicta ſunt 644.645.646.647.648.649 Iudæorum de meſſia errores refutantur; & Chriſtum eſſe verũ vnicúmque meſsiam adu. eos probatur 1093.1094. vſque ad 1113
Methodus quid & quotuplex 9.1.11. methodus particularis quid 16.12. methodus, cõpoſitæ vtilitas, definitio, & diuiſio 22.6. methodus demonſtratiua philoſophis propria 26.55. methodus ediſcendi quæcunque memoria digna videbuntur 48.26. methodus concionatoria quid 62.3 methodus confutatoriæ partes 69.52. methodus conſolationis adhibendæ 85.23 methodi explicandi ſingula præcepta legis 183.1. methodus quantum in Theologicis ſtudiis & exercitiis valeat 324.325.326.&c.
methodus interpretationis decalogi 328.60.
methodus doctrinæ de conſcientia 462.64.
methodus enarrandi orationem dominicã 438.22.
methodus diſputationis de reſurrectione 843.36.
methodi ſophiſticæ definitio 26.17.
methodi rhetoricæ partes 49.18
methodi ſimplicis loci quo ordine tractandi 72.60
methodorum diuerſarum vſus 72.24.
Metus, in iudicio peſſimus conſiliarius 949.22
Metuſiaſtarum error 804.68.808.17
Militans eccleſia 414.56
Militia cœlorum 1092.47
Miniſter eccleſiæ quomodo excipiet magicæ impietatis reum 943.16. eorum deſcriptio 40. miniſtris eccleſię coniugium eſſe liberum 955.956.957. miniſtri Euangelij veri ſacerdotes, & quale ſit eorum ſacrificium 1202.67.1203.23. miniſtri Euangelij ſunt lux triplici modo 1269.13. cur regenerandi partes iis tribuuntur 1298.43. eorum ſors & officium 1358.23.53. cur miniſtri ſpiritus vocantur 7710.1. miniſtrorum verbi officium erga auditores 529.25. Regulæ conſultationis de miniſterio 124.3. quo animo accedere debeamus ad miniſterium eccleſiæ 1214.10. eius inſtitutio & poteſtas 1484.26. quales ſimus ſine miniſterio verbi, & quis ſit eius finis 1439.5.
Miniſteriorum eccleſiaſticorum ordo 459.60.
Miſeria hominis deſcribitur 1170. & 1571.1572.
Miſericordia Dei animę ala 583.1. miſericordia Dei eleganter deſcribitur 1173.1147. miſericordia, quid 885.17. De miſericordia Dei locus in ſex partes tributus & prolixè explicatus 1051.1052.1053.1054. vſque ad 1068. amplitudo miſericordię Dei 151.5.1523.20.1538.1539.
partes miſericordiæ Chriſtianæ 1547.1548.
cur miſericordes nos eſſe oportet 1549.56 de miſericordia Dei locus 1670.34. miſericordia Dei ſunt à ſeculo 1043.60.
Miſraim & eius poſteri magiæ ſuperſtitioſæ cultores 905.68. Miſſæ æthiopicæ ritus 257.28.
Miſſæ papiſticæ abominationes 256.14. &c. 65.666.812.813.1153.1154.1155.&c.
miſſæ vocabulum vnde 455.65.
miſſæ papiſticæ magica applicatio 934.28.
miſſæ priuatæ in papatu quid, & harum examen 1152.52.
miſſæ ſacrificium refellitur 1315.23.1153.1154
Miracula quid nobis teſtantur 144.5
Miracula ante & poſt diluuium, in diluuio, ſub moſe, Ioſua, Iudicibus, Regibus, in captiuitate, poſt captiuitatem, ſub nouo teſtamento, quid nos doceant 612.613.614. & 794.795.
Miracula meſſiæ 1097.16
Locus de miraculis diuinis 1109.1110.1398.60.&c.
Miracula miſſatica quid ſint 1153.5
quid præcipuè obſeruandum ſit in omnibus Chriſti miraculis 1584.12
Miraculorum varietas ſub veteri & nouo teſtamento, quid nos doceat 443.50.444.10.20.&c.592.53. horum vſus 445.34.593.58.
Mixtum interpretandi genus 61.32
Moderatio ſeruanda à paſtore in veſtitu,

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

geſtibus, verbis,cibo & potu, & c.121.60. 123.58.124.58.128.8.131.33.
Modeſtia,quid 311.64
Modus edendi & bibendi 130.15
Modus præſentiæ corporis Chriſti in cœna 808.51.
Modi tres prouidentiæ Dei,vniuerſalis, ſpecialis, peculiaris 683.20
Mœchus an ſit qui repudiatam ob aliam cauſam quàm propter fornicationem, duxerit 1021.60
Monachorum, de ſatisfactione error refellitur 470.46. de peccato originis 689.32. de hominis obedientia 739.1. operibus dignioribus 744.52. Monachorum colluuies cur non eſt eccleſia 778.64. Monachorum perfectionem in ficta paupertate conſtituentium error refellitur 835.21. 840.30. Monaſtica vota refutantur 402.8.
Montaniſtæ ſecundarum nuptiarum hoſtes refelluntur 959.50
Mora in conuiuio quota eſſe debeat 131.20
Mora in oratione 436.59
Moralis excommunicatio & eius conſiderationes 161.27
Morbus contagioſus poſt nuptias an matrimonium ſoluat 1020.8
Mors amicorum quo animi affectu ferenda 152.29
Mors Chriſti quid 424.1.549.52.1177.20.
Mors piorum,quo pacto dulcis & felix reddi tur 1064.8
Mors naturæ,peccati, æterna 1445.28 433. 25. Mortis genera quatuor 220.22. Mortis impendentis metus quomodo ſuperatur 152.2. Mortis potentia non niſi à mediatore, qui ſit deus,ſuperari poteſt 541.14. 595.39.623.13. Mortis Chriſti efficacia 772. 65. Mortis meſſiæ vaticinia 638.1. Mortis miniſterium quo ſenſu lex dicatur 728. 60
Mortificatio pars prior regenerationis 766. 11. quid,& quotuplex 478.20. eius gradus quatuor 1298.63
Mortale peccatum quid 358.34
Mortui an & quomodo lugendi 1607.60
Morum in pueris cura ſingularis habenda 114.30
Moſaica politia ſublata 636.6
Moſcouitarum ſuperſtitiones 1119.50
Moſes plenè de coniugio ſcripſit 951.9. Moſis Doctrinæ partes 375.58
Mulieres faſcinantes in Sardinia 935.51
Mulieres, vt ſint à paſtore conſiderandæ 121.46
Mundus quomodo nos tentat 237.9
Mulierum luxus damnatur 309.57
Mundus in certum finem fertur 44.58. Mũdus quomodo Chriſti regni typus 600. 27.1312.46. de ingratitudine mundi non agnoſcentis verbum incarnatum 1170. 43. Mundus,ager Chriſti 1408.20. Mundi vanitas ſtudioſè vitanda 581.59. Mundi creatio ſymbolum ædificationis Eccleſiæ 612.28.
Munimenta legum 829.41
Munus legis & euangelij 729.6
Muſica quatenus in templis retineri poteſt 1212.12.

N

Narrationis rhetoricæ methodus 50.30. Narrationes lepidæ de ſtulta quorundam credulitate 908.45
Naſci à Deo patre quid 340.38
Nathan fidus Dei miniſter quale exemplũ piis doctoribus præbeat 1363.57
Natiuitatis Chriſti circumſtantiæ 422.6
Natiuitas noui hominis 765.20
Natiuitas ex ſanguinibus,quid 1293.4. ex voluntate carnis 1294.34. ex voluntate viri 1296.65. ex Deo 1297.14
Natura quid,in Doctrina de deitate 339.56
Naturæ nomen quid 275.20
Naturarum Chriſti proprietates 627.60
Naturalis proximitatis tres gradus 748.19.
Neceſſitas faciendi bona opera,quintuplex 395.66.
Neceſſitas quintuplex obediendi Deo 744. 67
Neceſſitudo coniugij reſpectu cognatorũ & cognatarum 994.9
Necromantia,quid & vnde 931.45.
Nectanebus magus pater Alexandri magni, eius hiſtoria & interitus 929.1.61.
Nequitia,quid 305.52
Neſtorij error 631.61
Nobilis an cum ignobili & quatenus matrimonium contrahere poſſit 1015.68
Nomen Dei quid ſit & quomodo ſanctificatur 186.& 227.54.64.439.32.862.66. Nomen meſſiæ 1095.55. Nomen Chriſti quid 1275.70.
de Nominum impoſitione 1383.16
Nomina Eccleſiæ 213.46. Nomina bonorum principum 292.50.293.1.10.20. Nomina præcipua peccati originalis 356.56. Nomina ſpiritus ſancti 429.30.42.50. Nomina ſ.cœnæ varia 454.70. Nomina multiplicia communicationis proprietatum 702.23.
Nominum diſcrimina 1265.37
Nota perpetua veræ eccleſiæ 778.56. Notæ iudicij vltimi 209.27. Notæ viſibilis Eccleſiæ 214.26.415.15.779.20
Notæ Eccleſiæ 1124.55.1125.15.& 1136.23 Notæ quibus diuina miracula à ſatanicis diſtinguũtur 1110.21 Notæ externæ iuſti ſtatus eccleſiæ 1143.54 Notæ regenerationis 1300.9
Notio rerum ſimplicium eſt primus gradus cognitionis ſenſitiuæ 281.10
Notitia Dei duplex 183.49.1598.60
Nouum teſtamentum quid 457.40.816.43
Nouus homo quid & quomodo conſiderandus 405.52.& 765.766
Nummus quid & eius vſus 892.4
Nuptiæ vnde dictæ 949.53 quatenus ſecundæ nuptiæ ſunt legitimæ 959.40 pro ſecundis, tertiis, & c.nuptiis ſex argumenta 961.962 cur interdictæ in certis gradibus 982.33 conſanguineorũ in quarto gradu, licitæ 986.20 de nuptiis quæſtiones neceſſariæ 1393.1394 Nuptiarum impedimenta 990.40 Nuptias quomodo celebrare debeat paſtor 112.18

O

Obedientia noua quid ſit & eius partes 364.55.& 716.28.& 737.738
Obedientia noſtra cur placet Deo 395. 53 Obedientia renatorum cur grata Deo 531.23. Obedientia hominis Chriſti cur eſt noſtra iuſtitia 632.23 Obedientia legis in electis & reprobis diſtinguenda 856 4 obedientia deo & parentibus debita quomodo diſtinguenda 877.16 de ineffabili obedientia filij Dei & eius fructu 1175.13.63 obedientiæ ſub cruce, ſacrificium 1202.12
Obiecta ſenſuum quomodo diſcernenda 277.34
Obiecta naturæ inimica, aſpera & ſummo labore perficienda 278.19
Obiectiones,vide quæſtiones. Obiectionis de gradibus miniſtrorum refutatio 123. 40
Obiectionum pro tranſſubſtantiatione refutatio 253.1.10
Obiectum charitatis noſtræ 399.3
Obiurgatoriæ concionis methodus 87.63
Oblatio cur ſ.Cœna dicta eſt 455.31
Oblatio animalis in ara quid ſignificabat 597. 17 Oblatio meſſiæ 1095.62 Oblatio ſub lege quid ſignificabat 1148.43 Oblatio noſtri in baptiſmo & toto vitæ curſu 1200 26 cur perpetuam oblationem Deus poſtulat à nobis 1201.3
Obligatio erga proximum duplex 193.30
Obligationis noſtræ erga Deum quatuor modi 737.50
Obſcuritas in quib. conſiſtit,& quomodo illuſtranda 326.34
Obſeruantia quid 303.24
Obſeruationes generales in confirmationibus & confutationibus 70.4
Occaſiones voluptatum vnde 888.54
Occidere quid ſit 190.34
Oculi faſcinantes 935.60
Oculi paſtorum quales eſſe debeant 124. 13
Oculi cur Deo tribuuntur 319.37
Oculorum concupiſcentia quid 899.6
Occultatio neceſſariarum propoſitionum 55.37
Odium 302.24
Odium peccati vnde oritur 646.5.& 711.36
Odium in iudicio peſſimus conſiliarius 489.66 de odio peccati locus 1045.20
Oeconomiæ definitio, fundamentum, partes 489.30. & c. Oeconomi myſteriorum Dei qui 138.32 Oeconomici ſtatus finis 291.6 Oeconomiarum differentia vnde 831.10
Oedipus quàm miſerè à conſcientia ſua vexatus 315.10.303.38
Offenſio Dei quib. cogitationibus extinguitur 579.6
Officium paſtoris quodnam ſit 136.37
Officium paſtorum eccleſiæ 139.61 officium coniugum à poëtis deſcriptum 291.44 officium noſtrum in reparationis beneficio conſequendo 373.51 officium magiſtratus circa religionem & politicum ſtatum 480.5 officium ſeruorum 490.50 officium ſuperiorum erga inferiores deſcribitur 527.9.47 & 528.38.& 529. 1.13.25 officium baptizatorum eſt quintuplex 567.48 officium meſſiæ quid comprehendat 633.35 officium Chriſti mediatoris & ſacerdotis 706.42 officium noſtrum & eius partes 724.36 officium maritorum, vxorum, parentum, liberorum, dominorum, ſeruorum, diuitum 490.27 & 496.43 & 831.832.833.834.835. & 1391.12 officium legis in electis & reprobis quomodo diſtinguendum 855.61 officiũ mutuum omnium Chriſtianorum 1638. 10 officii poteſtas duplex 167.21.29
Omnipotentia Dei quid nos docet 197.56
Onychomantia 931.53
Opera Chriſtianorum cur vocantur ſacrificia 1199.46 cur Deo accepta 112. opera Chriſtianorum feſtorum 188.24 Opera primi præcepti 184.1. ſecundi 186.40. tertii 188.25 quarti 189.26. quinti 190.56 ſexti 191.60 ſeptimi 192.51

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

octaui 194.57 noni & decimi 195.63. vide etiam pag.858.vſque ad 913 quæ opera facienda ſint & quomodo bona fieri poſſint 394.14.62. quomodo placeāt,in quibus, & quę ſint eorum cauſæ 395.25.61 quorum opera placeant & de mercede operum 397.25.58 opera charitatis 398. 50 horum obiectum,finis,diſcrimen,regulæ & teſtimonia 397. 3.17.21.37.45.opera bona ad quatuor capita reuocantur 562. 49.opera Chriſti probant eum eſſe verū deum 538.32 opera communia tribus perſonis 679.60 opera facta ſine fide ſunt impura,ſuperſtitioſa, carnalia 741.36 opera bona quęnam docenda ſint & facienda 743.19 quomodo fieri poſſint 743.51. quomodo placeant 744.24 Quęnam ſint cauſæ bonorum operum 744.56.cur promiſsiones additæ ſint bonis operibus 746.70.quorum hominum opera placeāt & quorum non 746.50 opera veteris hominis 765.1 Opera,ſunt fidei aut infidelitatis certa teſtimonia 1039.16 aduerſūs eos qui operum iuſtitiam ſectantur 1192. 30.quare deus largitur mercedem bonis operibus 1234.3 in quibus pura doctrina de bonis operibus à papiſtarum commentis differat 1247.1248 operibus legis nemo iuſtificatur coram deo 1240.25 neceſſe eſt opera placentia Deo proficiſci ex fide 1246.30 quare bona opera proficiſcuntur ex gratia 1428.25 cur facienda. 1250.10. neceſsitas bonorum operum ex regenerationis doctrina fluit 1301.42 opera redemptionis an totius perſonæ,an naturæ diuinæ vel humanæ 1308.28 locus de bonis operibus 1413.1414.1415 quomodo Chriſtus tradidit doctrinam bonorum operum 1533.16 operum fiducia coram Deo damnatur 658.65

Opinio eſt effectus ratiocinationis 281.36
opinionis conſideratio 283.59
Oppoſitionum genera 20.55
Opus redemtionis toti perſonæ Chriſti adſcribendum 201.15 opus præceptum eſt materia cultus Dei 741.3 opus particulare quomodo conſiderandum 371.53
Oracula dæmonum ambigua 925.21
Oratio,quid ſit,quotuplex,eius circunſtantiæ perpetuæ, & ſumma omnium orationum 223.224.225 oratio propriū opus eccleſiæ,& eius methodus 433.60 de oratione Chriſtiana locus 582.35.& 1502.&c. & 1646.1647 oratio Chriſti hominis cur omnibus credentibus prodeſt 632.27. & 1175.60 oratio quid ſit, quotuplex, pro quibus orandum, circunſtantiæ, videlicet de affectu orantis, de cauſis orationis,quis orandus, per quem, quid petēdum,quomodo, precandi formula & ordo orationis dominicæ 787.788.789.790. 791.792 ratio recte orandi adu.inimicos 1075.24. orationis dominicæ præcipua capita,& explicatio 225.226.227.&c.& 438.439.440 orationes ſanctorum 1062.33
Oratorium interpretandi genus 61.21
Ordinandi ad miniſterium quales requirātur 168.25.
Ordo iudicij vltimi 209.48
Ordo creationis quid nos doceat 344. 20.40
Ordo legalis & euangelicus diſtinguēdus 370.40
Ordo in oratione ſeruandus 436.28
Ordo eccleſiaſticus legitimus in quib.rebus conſiſtat 458.60
Ordo miniſteriorum 459.60
Ordo poteſtatis & ſubiectionis inter coniuges 495.19
Ordo eccleſiæ, omnium pulcherrimus 798.47
Ordo conſtitutus à Deo in conſeruanda vita,à quibus cōtemnitur, & qui ſint eius gradus 914.915 Ordo eccleſiaſticus quis 1137.1.10.20.&c.
Ordinis poteſtas quid 463.25 Ordinis eccleſiaſtici partes tres 800.67 ordines peccatorum 215.63 Ordines papiſtici excutiuntur 668.5 Ordines rerum creatarum 681.20
Originale peccatum quid 688.4.7.24.eius propagatio 689.16 Originalis peccati definitio & propagatio 215.40.50
Origenis error de ſpiritu & litera 406.60
Origo malorum noſtrorum 104.45
Origo legis naturalis, & quid nos doceat 276.37.44
Oſiandri error de iuſtificatione 723.17 error de Chriſto mediatore 705.41
Otij deteſtatio 46.40 Otij fuga vtiliſsima 889.26
Ouis perdita & reperta typus miſericordiæ Dei 1055.15 de notis ouium Chriſti 1492.27 verarum ouium deſcriptio 1526. 67

P

PActum Dei cum miniſtris verbi ſui quale 175.38 de pacto coniugali inter pocula ſancito quid conſtituendum 1021. 30 Pactum inter Deum & ſacerdotes noui teſtamenti 1198.20 Panis cœnæ reſeruatio,circūgeſtatio, & adoratio refellitur 254.1.10 Panis cœnæ quo ſenſu vocatur corpus Chriſti 801.46.810. 50 Panis quotidianus noſter quid, & cur in dies petitur 233.20.30.40. Panis miſſatici adoratio 1157.48 Panis propoſitionis, typus Chriſti 610.62
Parentes quid 189.12
Parentum officium ergà liberos 527.47
Parentum & liberorum nuptiæ cur ſunt illicitæ 982.50
Papa falſò ſibi autoritatem eccleſiaſticam vendicat 469.23 eſt verè antichriſtus 650. 651.652.&c.euertit euangeliū 655.55.abolet fidem remiſſionis peccatorum 656.21 variis artibus corrupit cultum Dei 659. 10.20.30.40.50 legē Dei nefariè violat 651. 54.& 652.10.20.30 quid ſentiat & doceat de Sacramentis in genere,deinde de Baptiſmo & cœna Domini 662.663.&c.eſt hæreticorum caput 797.24 eius ſententia de iuſtitia euangelij 657.8.eius doctrina de multiplici merito euertitur 657.48 & 658.2.9 eius errores circa coniugium refelluntur 890.44 eius autoritas refellitur 957.35.eius leges de prohibitione certorum graduum in matrimonio contrahendo examinātur 984.13 Papatus breuis deſcriptio 1120.20 Papiſtarū error de votis refutatur 402.18 Papiſtarum error de ſpiritu & litera 406.60 Papiſtarum, qui laicos arcent à lectione Scripturæ error refellitur 463.54 Papiſtarum criminationes aduerſus coniugium refellūtur 491. 43.494.44 Papiſtæ iuſtitiarij circa legis doctrinam aberrantes refelluntur 524.56 cur non peccent in Spiritum ſanctum 554.57 fundamentum papiſtarum adu.ſecundas nuptias euertitur 960.27 Papiſtarum matæologia de pœnitentiæ partibus refellitur 717.66.& 718.3.10 Papiſtarū error de iuſtificatione refutatur 722.15. 40.& 744.20.& 1237.&.1246.64 Papiſtarum obiectioni de legis poſſibilitate reſponſio 735.15 Papiſtarum error de legè & euangelio refellitur 737.4 Papiſtarum error de hominis obedientia refutatur 738.59 Papiſtarum hierarchia exploditur 780.14 Papiſtarum error de homicidio interno 880.46
Papiſtarum iconolatria refellitur 790.20
Papiſtarum error de iuramento 864.4
Papiſtarum obiectiones pro cœlibatu aduerſus coniugium refelluntur 952.953. 954.&c.
Papiſtarum argumenta pro cœlibatu Sacerdotum 957.23
Papiſtæ quid obiiciant contra ſinceram de iuſtificatione doctrinam 1192.1193.1194
eorum error de traditionibus non ſcriptis refellitur 1501.52
ſunt phariſæis & ſcribis Iudæis deteriores 1622.40
Papiſtici regni diſtincta conſideratio 650. 651.652.&c.
Papiſtica opera,facta ſine fide ſunt impura, ſuperſtitioſa,carnalia 741.47
Papiſticarum ſacrificulorum colluuies cur non eſt eccleſia 778.64
Papiſticorum ſacrificiorum & ſacrificulorū origo & inauguratio 1151.50.60
Parabolæ qua methodo explicandæ 73.25
Paradiſus,in quo primus homo collocatus eſt,quid figurat 844.30
Paradiſus mahumetanorum 1118.3
Paradiſus,quid 1536.32
Paradoxa antichriſti adu. euangelium refutantur 656.657.658
Parænéticæ conciones triplices 63.10
Paræneticum concionum genus 82.20
Paraſceue cœnæ domini 245.70
Parentum officia 496.43
Paſcere Dei gregem quid 143.4
Paſtor eccleſiæ qualis eſſe debeat,tum perſonæ tum officij reſpectu 95.96.&c. Paſtoris vxor qualis eſſe debeat 110.1.10. &c. Paſtori an liceat deſerere gregem 141.67 Paſtori duo ſunt fugiēda inter docendum 153.40 Paſtor an habeat poteſtatem iuris in eccleſiam 167.10
Paſtorum eccleſiæ nomina & tituli, 136. 137.138.&c.
Paſtorum nomen quid ſignificet 139.55
Paſtoris & mercenarij conuenientia & diſcrimen 141.1.10.20.30.&c.
Paſtores,qui putant ſatis eſſe vitia in genere arguere, arguuntur 148.16
Paſtoris libertas 168.6
Paſtorum malorum emblema 172.28
Paſtorum eccleſiaſticorum ordo 459.44
Paſtores,flagitioſè viuentes increpantur 1215.15
Paſtores,quomodo Chriſtus & paſtores eccleſiæ paſcunt 1374.13
Paſtores,eorum quatuor genera 1490.4
Paſtores,falſórum paſtorum deſcriptio & notæ 1525.30 locus de bonis paſtoribus & eorum notis 1526.26
Paſsio Chriſti quid ſit coram Deo 202.22. & 635.4
Paſsionis domini cauſæ 424.35.effectus quinque 425.15
Paſsio Chriſti hominis cur eſt efficax in æternum ad ſanctificandum credentes 632.25
Paſsio cur toti perſonæ tribuitur 669.58.& 1308.16

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

paſſionis Chriſti definitio 783.18
Parentum erga liberos officium 833.33.1391.12
Patefactio diuina eſt teſtimonium certitudinis in doctrina Eccleſiæ 144.2.443.2. & 793.51 patefactio conſilii Dei 535.65 patefactio prædeſtinationis in miſſione filij, in promiſſione, in mandato, & in obſignatione gratiæ 772.51
Patientiæ definitio, cauſæ, & extrema 306.5 patientiæ Chriſtianæ vox 916.4
Pater in diuinis quid 196.65 cur ſic appellatur 197.11. & 340.16 Patri cœleſti quid debeamus 197.33 Patris Dei duplex relatio 340.46 Pater, in oratione dominica, non eſt nomen perſonæ, ſed eſſentiæ 438.68
Patria poteſtas, eius confirmatio & partes 496.22.33.43
Patres, de patribus quid ſentiendum 61.60 quo ſenſu meriti nomen acceperant 398.33 Patrum dicta quomodo conſideranda 441.44 patrum ſcripta quomodo legenda & recipienda 1143.36 quid iuuat naſci ex ſanctis patribus 1293.68
Pauores Chriſti quales fuere 1176.45
Paulus & Iacobus apoſtoli de iuſtitia fidei & operũ diſputantes conciliantur 722.27.& 1193.40
Paupertas Spiritualis quid 1677.15
Pauperum diligens cura habenda 165.28 pauperum quatuor genera 165.40 pauperes quomodo nos recipiant in æterna tabernacula 1573.10
Pax, pacis inter Deum & nos breuis declaratio 71.60 locus de pace Chriſtiana 1480.1481. pax piis promiſſa quid ſit 1519.30
Peccator afflictus quomodo docẽdus 146.65.149.40
Peccatoribus ſupplicio publico afficiẽdis, & ad Deum conuerſis quinque conſolationes proponendæ 569.59 & 570.10.20.30.&c. peccatores qui cõuertuntur, per fidem Chriſti fiunt participes 732.10.20.&c. peccatorum via, in tres gradus, & quatuor ordines vniuſcuiuſque gradus diſtributa 1041.5.12
Peccata varia in geſtu 124.26
Peccata in multitudinem graſſantia quibus modis tollẽda 162.64 peccata cur vocantur debita 234.60 peccatorum in electis & reprobis diſcrimen 235.18 peccatorum remiſſio quid ſit 431.44 peccata noſtra Chriſtus aufert & quib. modis 548.40 peccata omnia remittuntur per & propter meritum Chriſti 552.31. de peccatis contra conſcientiam 552.67 de peccato in ſpiritum ſanctum 553.554 eius definitio, & cur nunquam remittatur 555.15.31 Peccata omnia ſunt mortalia tametſi inæqualia 690.10 peccata cõtra conſciẽtiam ſunt periculoſiſſima 757.30 omnium peccatorum in mundo graſſantiũ cauſę ſex 1179.1180 an homo poſſit ea ſoluere, remittere, aut retinere 1486 1487 peccatũ quid ſit, quotuplex, eius ordo, grauitas, remiſſio 215.28.216.1.10. &c. Peccati definitio generalis 355. partes, differentiæ, originalis definitio & partes, concurrẽtia, nomina 356. peccatorum tria genera, originalis teſtimonium & propagatio 357.20.30.40.50. peccati actualis definitio, variæ differentiæ, vt mortalis & venialis: omiſſionis & commiſſionis: infirmitatis & malitiæ 358.23.34.52.61.65. in Spiritum Sanctum 356.20. voluntarium & inuoluntarium 359.55. de peccato originali & actuali teſtimonia 359.66.360.12. vſus doctrinæ de peccato 360.30 Peccatum quomodo tollitur à Deo 431.68 Peccati grauitas ſeruatorẽ deum requirit 540.40.594.68.622.42 Peccati cognitio in mente primus gradus ad veram fidem 644.47 Peccati odium vnde 646.56 Peccati expiatio quomodo fit 654.28 peccati ratio, definitio, concurrentia, diſcrimẽ, genera, grauitas 687.688 Peccati cognitio primus gradus ad fidẽ 710.14 Peccati odium vnde 711.36 Peccatum in ſpiritum Sanctum quibus locis ſcripturæ cognoſcitur, eius materia, differentia ſpecifica, nominis ratio, definitio 755.756 Peccatũ veniale & mortale quomodo diſtinguendum 897.30.4 Peccati magnitudo quomodo & quorũ reſpectu expendenda 1077.4. Peccati circunſtantiæ inſeparabiles 1172.37 Peccati diſtinctio multiplex 1044.45. de odio peccati & de cauſis peccatorum 1045.20 mala quæ in peccati ratione concurrunt 1046.29 Peccatum priuat nos beatitudine quæ in Chriſto & per Chriſtum nobis reſtituitur 1204.60.1205.1 Peccatum in ſpiritum ſanctum à quibus committatur 1277.33 Peccatum originis qua ratione tranſmittitur in poſteros 1295.12
Pelagianorũ error de peccato originis 689.34. refutatur 1237.2.11
Peregrinorum duo genera 1127.66
Perfectio Chriſtiana in hac vita 500.40. eius definitio & partes 501.20.44.& 840.841. & 1233.46. perfectio in futura vita 502.7
Pericula in vita, quæ cauenda 1128.10
Permiſſio Dei 918.40 Permiſſionis Dei nomina & cauſæ quatuor 919.1.10.&c. Permiſſio Dei non pugnat cum eius prouidentia 923.26
Perorationis methodus 52.55
Peroratio concionum qualis eſſe debeat 62.70 Perſecutio. prædictio perſecutionis miniſtrorum verbi 1371.47. grauitas peccati perſecutorum 1372.5
Perſeuerantia, quid 306.36
Perſeuerantia in peccatis, quàm deteſtabilis 574.52 quibus modis Chriſtianus perſeuerabit vſque in finem 578.42 Perſona quid, in Deitate 339.60 de prima perſona, & cur pater dicitur 340.16 Perſona Chriſti vna eſt, & cur non plures perſonæ 545.546 Perſonæ Chriſti vnitas 626.48. in ea ſunt quatuor conſideranda, videlicet vnio perſonalis, naturarum proprietates, proprietatum communicatio, effectus illius communicationis 627.628.629.630.631.632. qualitas quomodo conſideranda 632.40 cur mediatorem oportuit eſſe vnam perſonam 698.59 Perſona ad alteram quomodo conſideranda 1008.20 Perſonarum in Dei eſſentia diſtinctio 336.40 Perſonarum proprietates interiores & exteriores 340.60.& 678.24.44 Perſonis illuſtribus quid concedendum 985.43 Perſonę coniugium ineuntes quales eſſe debeant 1393.20. Perſona innocẽs deſerta quibus conditionibus nouas nuptias inire poteſt 1012.60
Perſpicuitatis præcepta 145.25
Pertinaces, vt tractandi 944.52
Pertinacia, quid 306.39
Petra in deſerto, typus Chriſti 1324.14
Phariſæi peccarunt in ſpiritum ſanctũ 359.25.& 554.3
Phariſæus hypocrita & cornelius cẽturio opponuntur 580.30. Phariſæorum error de iuſtificatione refellitur 722.15. Phariſaicum exercitiũ multiplici culpa inquinatum eſt 107.63.108.13. Phariſaica iuſtitia quid & eius deſcriptio 1556.17
Philanthropia Dei 1521.22
Philippus, vide Melancthon.
Philoſophiæ diuinæ & humanæ diſcrimina 673.674.675.676. Philoſophorum cæcitas in rebus diuinis 739.31. Philoſophorum errores de ſummo bono refutantur 1208.53.
Philtrum duplex naturale & magicum, & de vtroque ſententia & exempla 937.60.938.1.10.
Phraſeωn obſcuritas quomodo explicanda 327.20.
Phyſicæ prædictiones triplices 870.50. Phyſicorum diſtributio rerum creatarum 681.38. Phyſiognomica quæ probantur 926.28.
Pictura conſcientiæ 759.46. Picturæ quædã miſericordiæ Dei 1052.4.
Pietatis definitio 18.18. Pietas ad legem naturæ reducta quid 301.32. Pietatis larua ſceleratis quomodo eſt detrahenda 943.39.
Pilatus cur in Symbolo nominatus 203.14.
Pindarus de ſummo bono ineptè garriens refellitur 1209.54
Piſcatores hominum qui ſint 139.15
Pij cur ouibus comparantur 139.67. Pij quibus modis hortandi ſunt 147.22. Pius ſub cruce quo pacto erigendus 148.37. Pij quotupliciter differunt ab impiis 373.67. Piorum bona opera quamuis imperfecta cur Deo placent 395.32. Pij quomodo ſcãdalizantur 474.22. quomodo & quando perfecti 500.50.502.7. Piorum ad Deum confugientium crux 569.35. Pij pœnitentia 717.2. Piorum crux quotuplici diſcrimine ab impiorum pœnis diſtincta 824.61. Piorum ars ſumma 836.44. Pij cur pauperes à chriſto dicãtur 1049.14. Piorum felicitas quadruplex 1070.33. & 1071.12. omnes in ſua vocatione ſunt exercitus Dei 1092.40. Pij ſunt puri & ſancti duplici modo 1126.46. Piorum deſiderium & deliquium animi quale 1133.10.25. Pii ſunt lux duplici modo 1262.66. quomodo variis donis ſpiritualibus & corporalibus cumulantur 1233.35. eorum præmium 1410.63 quibus de cauſis affliguntur in hoc mundo 1535.42.
Pœnæ neglecti officij temporales & æternæ 171.30.40. Pœnæ peccati multiplices, earũ gradus, mod⁹ & diſcrimẽ 360.40.50
Pœnæ malis parentibus & liberis aſsignatæ 497.50 Pœna iudiciaria qua Deus impios afficit eſt duplex 921.3 an pœnas legibus ſancitas iudici remittere liceat 947.40 Pœna eorum qui per illicitas artes damna inferunt 944.68 Pœnæ eccleſiaſticæ, quid & quales 1140.47 Pœnæ quam Chriſtus ſuſtinuit pro nobis grauitas 117.610
Pœnitentia qualis requiratur à Chriſtiano 155.50 Pœnitentiæ publicæ vſus & forma 158.40.50.60 quàm neceſſaria ſit piis omnibus, eius definitio & partes 364.13.23.30. teſtimonia, diſtinctio 365.21.43. cur ſit piorum perfectio 502.1. Pœnitentiæ priuatę, publicę, eccleſiæ: & pœnitentię eccleſiaſticæ partes 717.8.33. Pœnitentia cur maturanda 575.62 non eſt in noſtra poteſtate 578.20 Pœnitentiæ verę deſcriptio, partes, & exẽpla 653.11.25.38 quid papa doceat de pœnitentia 666.58.667

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Pœnitentia ſalutaris conſideratur 713. 64 eius ratio, definitio, partes 715. 23.51 ſignificata 729.27 definitio, teſtimonia & partes 736.25.43.& 1060 1061 pœnitentiæ veræ, tametſi ſecæ, exemplum 850. 28. pœnitentiæ ſacrificium 1201. 58 locus de pœnitentia & eius partibus 1429. 1430. 1431
Politia Moſis ſublata 636. 6 eius abolitio pręadicitur 641.34
Politiarum conſeruandarum ratio 292. 37
Politicæ vitæ finis 292.2 politicæ vitæ ſupremus finis & vſus 293.59.16
Politici iuſtitiarũ refutantur 526. 33 politici, qui regnum terrenum Chriſto affingunt, refutantur 780.20
Politici ſtatus neceſsitas & commendatio 825. 60 politicum exercitium, quid 108.23 politicus vſus imaginum eſt triplex 158.61
Polygamiæ refutatio ex lege naturæ petita 297. 20 polygamia quid & quotuplex 959.960 961.963.964.
Pompa ingreſſus Meſsiæ in Ieruſalem 1097.47
Populus noui teſtamenti quibus priuilegiis gaudeat 1160.33
Poſtulatio quid ſit 223 41.737.55
Poteſtas iuris, officij, æqui, & facti paſtoribus tributa 167.168
Poteſtas Eccleſiaſtica quid, eius ſymbolum, ratio ſymboli, & definitio 462.30 &c.
Præmia bonorum operum quomodo conſideranda 371.37
Præmia bonorum parentum & liberorum 497.50 præmia recti vſus diuitiarum 838.13. Præmia & pœnæ quæ ſingulis Dei præceptis affiguntur 859 vſque ad 913
Præmiũ multiplex, ad bona opera puer hortatur 396.& 745.45
Præſbyteri nomen cur Eccleſiæ paſtoribus tribuitur 139.49
Præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna qualis 255.25
Præſentiæ Diuinæ modi 342. 50 præſentiæ Chriſti in Cœna modus non ſcrutandus: ſed de veritate eius in nobis ſentienda laborãdum eſt 629. 60 modus præſentiæ corporis Chriſti in Cœna 808. 51 præſentia Dei in nobis quid efficiat 1517.30
Præſumtionis tentatio 237. 25 præſumtio, quid 304.51
Præſcriptio temporis, quomodo conſideranda 958.61
Præſtigiæ magicæ quid & quotuplices 934.10
Præuaricantes temerè, qui 1038.60
Primatus Pontificij refutatio 460. 35
Princeps aëris, peccati cauſa 1046.24
Principis boni nomina 292.60.293 1.10. 20
Principia duo certiſsima veræ doctrinæ 143.68
Principia contemplationis & actionis 285.60. horum definitio, diſtinctio & certitudo 286.10.20.30.&c.
Principia theologica & horum vſus 324 45
Principium quid, in euangelio Ioannis 1261 33
Priuatorum diſciplina in quibus conſiſtit 468.41
Priuilegia ciuium Eccleſiæ Dei 1231. 30
Probationum genus triplex 78.42. &c.
Probationis tentatio 237.35
Probationis in interpretatione ſcripturæ triplex genus 442.30
Probationis modus 809.27
Probatio ſuiipſius in Cœna quomodo fieri debeat 349. 44.& 574.575.576. &c.
Problemata quomodo tractari debeãt 40.13
Procedere, in Deo quid 340.44
Prodigalitas paſtori fugienda 116.13
Prodigalitas, quid 302.56
Proditio Meſsiæ 1097.66
Procœmij legis ſenſus 183.31
Profani à S. Cœna arcendi 161.11
Prohibitionis certorum graduum ratio 985.5
Promiſsio in baptiſmo annexa quæ ſit 243.1
Promiſsio coniugij quum negatur ab altera parte, etiam ſi altera matrimonium conſummatum fuiſſe affirmet, quid conſtituendum 1020.30
Promiſsio reparationis quando, quibus facta & repetita, eius ſumma efficacia & complementum 362 10.20. 30 40 vti, à quo, in quem finem, & eius partes 690.40.50.60. externo ſymbolo confirmata, a vera Eccleſia intelligitur & recipitur, eiuſdẽ repetitio & confirmatio 691. 20.&c. complementum 692.15
Poteſtas Eccleſ. quid requirat, & quotuplex ſit 463.17.23
Poteſtas cur Dæmonibus conceſſa 923. 10
Poteſtas duplex in Eccleſia 1137.70 locus de poteſtate Eccleſiaſtica 1486 1.7
Precandi variæ formulæ 94. 109. 119. 145. 164.165. 258. 259. 260. 261.262. 263.264.586.1253.1254 precatio paſtoris pro grege quotuplex 163.33 precationes matutinæ quales eſſe debeant 119. 20. veſpertinæ 119. 32 precationes publicæ omnibus neceſſariæ 132. 49 precationis Eccleſiaſticę formula Chriſtum Deum inuocat 539.65
Precatio. vide Oratio.
Pręcepta aduerſus ſophiſticen à quibus tradita 26.40 pręcepta interrogantis 35.1 præcepta reſpondẽtis in diſputationibus 37.21 pręcepta communia de locis communibus 73.67 pręcepta ſpecialia de puritate paſtoris 96.5 pręcepta generalia & ſpecialia de ſancta paſtorum conuerſatione 120. 20. 48 præcepta ſermonis 124. 65 præcepta de moderatione ſeruanda in geſtibus 124.1. præcepta quinque obſeruanda in doctrina paſtorum 143. 33 præcepta perſpicuitatis & ſimplicitatis 145.25.35 præceptorum legis methodus explicatio 183. 184. 185. 186.187.&c. & 857. vſque ad 903. I 780.3.&c. vſque ad 391
Præcepti quinti vera expoſitio 1559.27
Præcones Dei, qui ſunt 137 36
Præcurſor Meſsiæ 1096.64
Præceptorum officium erga iuuentutem 189.48.& 529.1
Prædeſtinatio eius doctrina vtiliſsima, quomodo conſideranda, qua methodo 408.10 &c. prædeſtinationis definitio, certitudo, vſus, fides & teſtimonia 412.413. modus prædeſtinationis tenendus, quid ſit veriſsimus, & quæ extrema fugienda ſunt 770.771. huius definitur, oppoſitum, errores, fundamentum, patefactio 772. fines, vnus, conſolationes & probatio 776. 777
Præ icare Deum quid 1588.40
Prædicatio ſacramentalis 454
Prædicatio realis de Chriſto quid ſit homo Deus, Deus crucifixus, homo vbique, eſt realis in concreto 631.20.& 703.30
Prædictiones futurorum quot & quales cauſas habeant 870. 871. 872 prædictiones Aſtrologorum, ſapientũ, medicorum, agricolarum, qualeſ 925.57. & 926.2.6
Præmia paſtoris rectè præſtantis officiũ 168.60.169.1.10.&c.
Promiſsio ſeminis, ſeu Chriſti eſt reſurrectionis teſtimonium 844 37 promiſsio vniuerſalis ſola fide accipitur 773. 40 promiſsio vniuerſalis de exauditione precum quomodo intelligenda 1034.62 promiſsiones cur ſunt addita bonis operibus 396. 50.& 746.7.
Promiſsiones de Meſsia expoſitæ 616. 617. 618. &c. promiſsiones Dei quomodo conſiderandæ 1077. 45 promiſsionum varietas 457.4
Prophetæ nomen cur ſeruis Eccleſiæ tribuatur 136.60
Propheta noſter quis 199.45 falſorum prophetarum deſcriptio 1567. 1568 prophetarum præmonitio de ſecta Mahumetica 1113.45
Prophetia, genus prædictionis certiſsimum & ſanctiſsimum 870. 32
Prophetiarum euentus quid nobis teſtantur 144.15
Prophetiarum obſeruatio & varietas quid nos doceat 445.44
Prophetiarum completio 593.69
Prophetiarum firmitudo & veritas quid nos doceat 796. 11. propheticum

Ecc

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

munus Meſsiæ 1096.27 Prophetiæ de reſurrectione Chriſti 205.23
Propagatio peccati Adæ 689.16
Propagatio ſectæ mahumetanæ 1115.7
Propagationes hominum quadruplices 422.57
Propitiator Eccleſiæ quis & qualis 635.21
Proprietas & vis rebus creatis inſita quid nos doceat 344.18
Proprietates diuinæ teſtimoniis confirmatę 342.62
Proprietates verę fidei, numero quinq; deſcribuntur 561.57
Proprietates naturæ Diuinæ & humanæ in Chriſto 628.6.34
Proprietatum communicatio & earum quinque diſcrimina 630.12. eius communicationis definitio 630.68.& 705.65
Proprietates perſonarum 678.46.679.15
Proportio Geometrica & Arithmetica 303.69.304.13
Propoſitio mediata & immediata 29.15
Propoſitiones neceſſarię quomodo collocandæ 35.12
Prouidentiæ humanæ deſcriptio, oppoſitum, officium, adiunctum, elogia 300.6 prouidentiæ Dei definitio, modi, finis, vſus, & teſtimonia 345.346.& 683.684 prouidentiæ Dei teſtimonium 853.30
Proximus noſter quare iuuãdus & quomodo 399.3 proximi dilectio quid & quomodo conſideranda 522.21 proximus quomodo diligendus 522.68 proximitas duplex, naturalis & ſpiritualis 748.35 proximi dilectio, quantopere à Chriſto commendata 849.50
Prudentiæ definitio 18.7 prudentia ſumma in paſtore requiritur 140.26 prudentia virtutum politicarum moderatrix 292.30 prudentiæ definitio, oppoſitum, laus, partes 299.30.40 prudentia vtendum in caſtigationibus eccleſiaſticis 465.57
Pſalmorum cantus quàm vtilis 97.47 Lectio paſtori vtiliſsima, & quo ordine 98.5
Pudicitia, quid 309.49, & 887 27
Pudor vitioſus, quid 307.62
Puerilis educationis fundamentum 113.58 puerilis ætatis inſtitutio 114.8.36 quomodo ſimiles & diſsimiles pueris eſſe debemus 1673.8
Purgatorij papiſtici euerſio 1560.50
Puritas qualis requiritur ab Eccleſia 1126.30
Pythonici ſpiritus qui 933.19

Q

QValitas corporum reſuſcitandorũ 847.53
Qualitas perſonæ Chriſti quomodo cõſideranda 632.40
Quæſtionũ dialecticarum genera 23.67
Quęſtionum diductio quomodo fit 77.40
Quæſtiones inutiles ſunt fugiẽdæ 442.16
Quæſtiones. Vide ſpecialem indicẽ variarum quæſtionum.

R

RApina duplex 892.28
Ratio, quid ſit 350.63 ratio conciliandi locos inter ſe pugnantes 328.22 ratio ſacramentorum 447.23 ratio legum ciuilium vnde pẽdet 482.20 ratio legum in quibus conſiſtit 628.44
Rationis humanæ cæcitas 294.40 rationis & fidei certamen 537.45 rationes cur vna tantummodo ſit mediatoris perſona 546.7 rationes impellentes ad charitatis officia, mandatum Dei, fides & exemplum Chriſti 747.24
Ratiocinationis vſus in theologia 78.50 ratiocinatio quartus eſt gradus cognitionis ſenſitiuæ 281.30
Reatus peccati ratio 688.37.46
Rebellio cur peccatum originis dicitur 357.16
Reconciliationis Eccleſiaſticæ vſus & forma 158.40.50.60
Rectitudo, quo ſenſu Deo tribuitur 1048.51
Redemptio per Chriſtum nobis reſtituta, ſex requirit quæ non niſi à verbo Dei præſtari poſſunt 542.65.543.1.10.20 redemptionis noſtræ ſumma capita 198.32 redemptionis noſtræ quatuor conditiones 558.58 redemptio, quæ nobis à mediatore confertur quid requirat 697.13 redemptor Eccleſiæ quis & qualis 635.30
Redituum Eccleſiaſticorum diſpẽſatio 135.45
Regenerationis modus 765.67. actiones & ſigna 766.30.40. locus de regeneratione ſeu ſpirituali natiuitate 1297.1298.&c.& 1531.40
Regis nomen quomodo conuenit Chriſto, & quotuplex ſit eius regnum 417.60 regium munus noſtrum quid requirat 400.30
Regni antichriſtiani diminutio prædicta 643 15. regnum Dei quomodo aduenit & quotuplex eſt 229.1.10.20.&c.& 1603.64 regnum Chriſti quale 459.3.34 Regnum Chriſti & antichriſti quale 650.3.16 regnũ Chriſti triplex, eius ratio in erectione, propagatione, conſeruatione, ordine, dominio, ſeruitute 374.& 725.726 regnum Chriſti quomodo gubernatur & cohęret 798.50 regnum Moſaycum Eccleſiæ figura 1313.33 regni Chriſti varia ſignificata 1407.49 quomodo erigitur 1507. regni Chriſti extructio 723.30 regni Chriſti & regnorum mundi diſcrimen 780.23 regni Papiſtici columna 1158.58
Regum Chriſtianorum virtutes 3.4.5.6
Rhetores quomodo interpretandi 42.30
Reiectio Iudæorum 1102.35
Religionis deſcriptio ad normam legis naturæ 300.64
Religionis externa profeſsio primũ caput bonorum operum 562.50 religionis veræ quatuor principia 851.10
Remedium aduerſus legis condemnationem 530.24
Remedia tutiſ. aduerſus omnes vitæ euentus 872.11 adu. ſcortationem 193.40 aduerſus peccata in primum pręceptum 382.55 aduerſus damnatam venerem 889.1 aduerſus concupiſcentiam 899.23 aduerſus peccatum 1135.25
Reminiſcentia quid 299.30
Reminiſcentia Dei, quid 1044.23
Remiſsibile peccatum quid 689.38
Remiſsio peccatorum quid, quomodo fit, eius fides teſtimoniis, parabolis, exemplis confirmata 216.20 remiſſionis peccati definitio, cauſa, conſequentia 235.30 remiſsionem peccatorum quomodo apprehendimus 432.15 quid ſit 431.44 remiſsio peccatorum definitio & imago 61. coniuncta 654.1.28.43.& 655.42 cauſæ 1069.34
Renati in legem inſpiciunt 531 13
Reparatio generis humani quomodo ex tempore inchoata ſit 723.30 eius modus & certitudo 724.22.47.& 373.4.7.1
Reprobationis definitio 772. & de reproborum damnatione autoris ſententia 774.51
Reproborum crux 570.50
Repudium vnde, quid ſit, quomodo à diuortio differant & cauſæ diſcriminis 999.55 repudij cauſæ variæ 1001.1002.1003. caſus varij ad explicationem cauſarum facientes 1004
Reſipiſcentia, electis Dei propria 1061 44
Res circunſtantes quomodo nos tentant 237.20 res creata cur bona 343.63
Res viſibiles & corporeæ 681.29.
Reſpondenti in diſputationibus præcepta 37.21
Reſponſa ſatanæ per pythonicos & necromanticos 933.10.42
Reſtitutio imaginis Dei requirit vt mediator ſit homo 698.19
Reſurgentium cõditio quadruplex erit 432.36
Reſurrectionis Chriſti certitudo, fructus, fides & vſus 205.1.10.&c. 206.20.& 217.218.219
Reſurrectionis Chriſti conſideratio 426.62

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Reſurrectio mortuorum duobus fundamentis ſubnixa, decem firmiſsimis argumentis probatur 843.844.845.849 reſurrectionis noſtræ certitudo mediatorem hominem requirebat 544. & 598.35 reſurrectio Chriſti probatur adu. Iudæos 1103.24 de reſurrectione carnis adu. Sadduçęos locus 1615.1616 reſurrectionis Meſsiæ teſtimonia triplicia 638.44
Reuclini ſcala ſententiæ veterum philoſophorum addita 284.38
Rex nobis eſt Chriſtus, & quomodo 199.56 rex vnicus eccleſiæ Chriſtus 458.62 rex noſter Chriſtus & eius deſcriptio 633.634
Rigor legis in quo conſiſtit 378.47
Ritus miſſæ æthiopicæ 257.28 de ritib. Eccleſiaſticis Papæ errores 669.670 ritus humani in Eccleſia, & horũ vſus aut abuſus 1142.17 ritus legales varias propter varias cauſas inſtituti 1653.52.& 1654.5.&c.
Rudes, quomodo ſunt docendi 146.47

S

SAbbatũ quid, & eius expoſitio 187. 10.20.30.&c. typus vitæ æternæ 600.50 ſabbatum ſanctificare quid, de abrogatione, ſignificatione, vſu & abuſu ſabbati 873.874 locus de ſabbato 1610.1611
Sagarum exploratio per aquam 932.65
de Sagarum transformatione 934.30
Sacrificia. De ſacrificiis locus 596 597. ſacrificia, quomodo ſunt litera & ſpiritus 768.66 ſacrificia varia Chriſtianorum 1200.1201.1202 1203 Legalium ſacrificiorũ cõſideratio 1311. 1312 ſacrificiorum veterum genera 1147.68 horum ſymbolica ſignificatio 1148.16
Sacrificium euchariſticum Chriſtianorum 1197.24
Sacrificium miſſæ pontificiæ refellitur 254.23
Sacrificium propitiatorium quid ſit, & quæ ad illud requiruntur 424.15
Sacrificium cur & quo ſenſu S. Cœna dicta eſt 455.39 locus cõmunis de Sacrificiis Iudæorum, Gẽtium, Papiſtarum & Chriſtianorum à pag. 1145 vſque ad 1204 Sacrificij Chriſti vſus triplex 1195.1196.1197
Sadducæorũ error de reſurrectione refutatur 520.20.30.40.50 60.& 847.10
Sacramentis communicandum 132.67
Sacramentorum adminiſtratio quibus commiſſa 154.19
Sacramentorum ratio, genera; differentia, numerus & nomina 240 50 241. 1.10.20.&c.& 241,10.20.30.40
Sacramenta per ſe non cõferre gratiam 254.46 de horum inſtitutione, ſignis, ante & poſt lapſum, ratione, definitione, nominib. ſignificatione, diſcrimine 446.447.448,32 cur duo tantùm 449.5 diſcrimen ſacramentorum veteris & noui Teſtamenti 449.28 de ſacramentis locus 598. 599.600.&c. quid ſint & requirant 660.22 ſacramentum duplex datum Adamo ante lapſum 686.17 ſacramẽta, quomodo ſunt litera & Spiritus 768.66 ſacramentis nunqua caruit eccleſia 801.3 quot ſint in nouo teſtamento & eorum fines 802.47 ſacramenta noui teſtamenti ſunt futuræ reſurrectionis viſibilia teſtimonia 845.52 ſacramentorũ ante Chriſtum incarnatum cõſideratio 1312.10 ſacramenti generalis definitio 241.12 ſacramenti cœnæ plena deſcriptio 248.10 ſacramentum in genere quid ſit 801.57 extra vſum nihil habet rationem ſacramenti 802.11 quæ in quolibet ſacramento concurrant, & quid ſit ſacramentum noui teſtamenti 802.30 de ratione ſacramentorum veteris & noui teſtamenti 1382.22
Sacramentalis excommunicatio 161.4
Sacrarium, ſeu Sanctum ſanctorũ typus Eccleſiæ & cœli 611.5
Sacerdos noſter vnicus Chriſtus 199 51 ſacerdos Eccleſiæ quis, eius conditio & perſona 634.61.& 1163.1164 ſacerdotes qui 420.60 ſacerdotum conſideratio ſub Lege quid ſignificabat 1148.22 ſacerdotum Leuiticorum & Chriſtianorum collatio 1197.50 ſacerdotium noſtrum quale ſit 400.11
Sal cur veteribus amicitiæ Symbolum 125.32
Sal terræ qui ſint 139.8
Salomon typus Chriſti, vt oſtendunt, promiſsio, nomen, regnum (in quo ſpectãda ſunt latitudo imperij, diuitiæ, potentia, iuſtitia, ſapientia, maieſtás) templum 607.608 in quibus Salomon non fuit typus Chriſti ſed imbecillitatis humanę 609.33.1321.40
Saluator noſter cur Deus eſſe debuit cauſæ graues explicantur 540.541. 542.543
Saluatoris feſta cur in quibuſdam eccleſiis obſeruantur 188.12
Salus quid, & eiuſdem cum damnatione collatio 1043.28
Salutatio Angelica ad Mariam explicatur 1659.1660
Salutis ſcientia in verbo Dei reuelatur 536.16 ſalutis noſtræ gradus 723.54 ſacerdotium Chriſti, & eius conſideratio 418.10.20.&c. ſacerdotium Chriſtianorum quale ſit 420.33 de ſacerdotio papiſtico 421.13 ſacerdotii Chriſti partes quinque 707.708. 709 ſacerdotij papiſtici origo 1151 44 ſacerdotium, quid, eius partes, & partium explicatio 1159. 1160
Samſon typus Chriſti 605.29.& 1318.60
Samuel verus, poſt mortem non apparuit Sauli 933.50
Sanatio percuſſorum à ſerpẽtibus quid figurat 613.22 ſanitatis amiſſæ recuperandæ ordo & huius ordinis quatuor gradus 914.20
Sanctificare ſabbatum quid 187.21
Sanctificatio duplex nobis per Chriſtum reddita 542.42.& 696.60
Sanctitas imputata & inchoata, quid 557.50 ſanctitas Chriſti quomodo cõſideratur, & onus triplex neceſsitas 632.45.63.& 633.1.10
Sancti. an horum regeneratio numeris omnib. abſoluta ſit in hac vita 1300.28
Sancti quomodo mundum iudicabunt 208.27 ſanctorum communio quid 430.26 ſanctorũ in cœlis inuocatio refellitur 438.1.10 ſanctorũ feſta cur celebrantur 188.17 ſanctorum pœnitentia quotidiana 1061.24 orationes 1062,33
Sapiens docilis quomodo eſt docendus 146.35
Sapientes mũdi, hoſtes Eccleſiæ 475.51 quid ſenſerunt de diuinis ſacrificiis & myſteriis 596.53 cur & quomodo ſcãdalizantur 822.10
Sapiẽtia vera quomodo nobis per Chriſtum reſtituta 541.56.& 696.11 nobis à Chriſto datur 548.17 ſapientia diuina & humana in quib. & quatenus differant 673.674.675.676 ſapientia mundi extra Chriſtum vanitas & miſeria 1205.50
Satanæ cacozelia & inſtrumenta quibus in magis operatur, eiuſdẽmque conſilium 906.3.20 ſatanæ efficacia per verba & characteres magorum 908.16 ſatanæ odium adu. coniugia 961.27 cur Deus efficaciam erroris permittit ſatanæ 128.9.12
Satisfactio triplex, ciuilis, diuina, eccleſiaſtica 469.60.470.7.31 ſatisfactionis eccleſiaſticæ partes 470.40 definitio 717.45
Saul à mala conſcientia vexatur 403.64 cur in deſperationem ruit 761.10
Scandalum quid, datum & acceptum, vtriuſque diſcrimina, exempla, & ſcandali accepti diſtinctio 473.474.& 820.821.822 datũ ab impiis quid nos doceat 577.49 locus de ſcãdalo 1512. 1513.1514. & 1674.40
Scientiæ in ſermonibus commoda 125. 67
Scopus ſcriptorum diligenter eſt conſiderandus 326.26
Scortationis pœnæ 889.34 ſcortatio ſex argumẽtis ab Apoſtolo impugnata 192.20
Scala Iacobi, typus Chriſti 1316.13
Scala Reuchlini 284.58
Scelera eorum qui à maleficis remediũ petunt 912.5.& 913.914.915.916
Sceptrum Chriſti 633.55
Schiſmatici damnantur 779.68
Scholaſtici qui iuuandi 165.45
Scholaſtici Theologi quam ineptè Biblia diuidant 55.64
Sciẽtia effect9 eſt ratiocinationis 281.36

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Scripta veterum quomodo legenda & recipienda 1143.36
Scripturę S. quadruplex vſus 63.28 quatuor diuiſiones 53.54.55.56.57 ſcripturæ teſtimonia quem vſum habeāt in concionibus 78.44 ſcripturæ S. diuiſio in tres partes 325.15 ſcripturæ interpretādæ recta ratio 326.22 ſcripturæ teſtimoniis quomodo vtendū 327.49 ſcripturæ teſtimonia de proprietatibus Dei 342.62 ſcripturæ certitudo aſſeritur 442.40 ſcripturæ teſtimonia de reſurrectione 845.10 ſcripturæ interpretatio quibus datur & quomodo 1143.1.10.20
Sculptilium interdictio quid contineat 185.18
Scurrilitas quid 303.4
Seculum mundi, quid 1046.18
Securitas Chriſtianarum mentium 724.60
Sedes conſcientiæ 760.2
Seditioſorum oppreſsio ſub Moſe, quid figurat 613.11
Seductionis tentatio 237.64
Segnes quomodo excitandi 147.38
Seminatores qui 139.34
Seminatoris parabola paucis explicata 73.25
Semitæ Dei quid, & quomodo cognoſcuntur 1214.20
Senſitiua cognitio quomodo fit 277.14
Senſus, quid ſit 350 60
Senſus grammaticus ſeu literalis & allegoricus 406.60
Senſus iræ Dei ſecundus gradus ad veram fidem 645.12.& 710.51
Senſuum obiecta quomodo diſcernenda 277.34
Senſuum conſideratio 283.34
Sententia excommunicationis 162.22
Sententiæ veterum philoſophorum de agnitione conciliantur 283.4
Septa legis Mahumetanæ 1118.22
Sepultura Chriſti 426.30.40
Sermonis quinque præcepta 124.65 alia præcepta 126.20 ſermo, intelligentiæ riuulus 284.14 ſermo, de proximis, qualis eſſe debeat 1548.30 ſermonum Chriſti ſumma 1516.8
Serpens æneus typus Chriſti 609.53.& 1324.50
Serpentes, cur aures obturant incantationibus 938.13
Seruetus refutatur 1262.62
Serui quomodo habendi 115.40 ſeruorum Dei nomen quid ſignificet 137.50 ſeruitutis conſideratio 489.66 ſeruorum officium 490.50.& 834.62
Seſsio ad dexteram quid 207.21 ſeſsionis Chriſti ad dexteram patris conſideratio 428.2
Seueritas quid 303.2
Signa præcedentia iudicium extremum 208.54 ſigna triplicia in ſcripturis, doctrinæ, iræ, & gratiæ 239.65 ſigna bonæ conſcientiæ 404.27 ſigna duplicia verbo adiecta 446,55 ſignum triplex in baptiſmo 451.63.452.6 ſignorum vtriuſque teſtamenti diſcrimen 457.20 ſignis ſacramentalibus cur nomina rerum ſignatarum indita ſunt 564.43 ſigna & verba cur à Deo coniuncta 596.30 ſignorum ſacrorum quatuor genera 596.37 ſigna iræ Diuinæ quid nos doceant 645.51 ſigna iræ Diuinæ quid nos docent 711.26 ſigna 4. regenerationis ſeu nouę natiuitatis 766.36. ſigno cur rei ſignatæ nomen tribuitur 801.20 ſigni & rei ſignatæ diſtinctio, coniunctio, & permutatio in baptiſmo 804.40 ſignum ſigni, & rei ſignatæ diſtinctio in cœna 807.15 ſigna cur ſignis ſacramentalibus nomina rerū ſignatarum tribuantur 816.30 ſigna quædam in natura expreſſa futuram reſurrectionem adumbrantia 845.62 ſigna magica quæ 931.40 ſigna ſuperſtitioſa 932.16 ſignum ſuperſtitionis circa crucis ſignum inuecta refutatio 1291.67
Significationes baptiſmi quotuplices 243.16 ſignificationes S. Cœnæ 248.30
Simonides de ſummo bono imperitè diſſerens refellitur 1209.63
Simplicitatis in docendo præcepta 145.35
Sinus Abrahæ 1121.54.& 1536.20
Siricius Papa, hoſtis coniugij 953.28
Sobrietas quid, 308.66. eius commoda 309.1.& 886.37
Societas hominum cum Chriſto duplex 1131.28
Socij Mahumetis 1114.35
Socrates à bona conſcientia conſolatur 403.47
Sol typus Chriſti 600.30.& 1312.47.& 1052.14
Solis & Lunæ ſtatio Ioſue iuſſu, quid figurat 614.3
Solertia ſupremus docilitatis gradus 285.29
Sollicitudo triplex cōſideratur 499.14
Somnia quadruplicia 926.50
Sonus loquentis paſtoris qualis eſſe debeat 127.62
Sonorum conſideratio 284.19
Sophiſtica methodus quid 26.14
Sophiſtæ quomodo vincuntur 1226.48
Sors piorum & impiorum in quo communis eſt 1536.7
Sortes. diuinatio per ſortes, & ſortis diuinatoriæ varij modi, cum exemplis 930.14.& 931.1.10
Speculatores cur dicti ſunt eccleſiæ paſtores 136.67
Spes, in iudicio peſsimus conſiliariis 949.30
Spei & fiduciæ piorum in precibus, diſtinctio 1036.51
Spiritualis excommunicatio vt vitatur 159.65 ſpiritualis vitæ finis 294.9 ſpiritualis vſus legis in quibus locum habet 531.1 ſpiritualis ꝓximitatis quadruplex neceſsitas 748.59 ſpiritus S. Deitas probatur 210.50 eſt perſona diſtincta à Patre & Filio 211.14 eius opus 211.33.&c. ſpiritus, cùm de Deo prædicatur, accipitur dupliciter 338.10.340.52 ſpiritus carni oppoſitus quid ſignificat 356.69.406.10 ſpiritus literæ oppoſitus, quid 407.28.& 768.31 ſpiritus ſanctus, quis, qualis, quale ſit eius officium, & qualis fides in eum requiratur 428.10.20.30.40.50.60 Spiritus S. effecta 531.5 de donatione ſpiritus Sancti 639.30 ſpiritus Satanæ, quid 906.42 de efficacia ſpiritus eius in miniſterio & miniſtris 1213.31 ſpiritus Sanctus quid facit in mundo 1499.1560 & in eccleſia 1501.5 de eius perſona & officiis 1511.34 eius nomina & proprietates 1518.1519 ſpiritus Pythonis quid 933.19
Sponſalia quomodo celebrare debeat paſtor 112.18 ſponſaliorum formula 1001.4
Stancari error de Chriſto mediatore 706.40 eius obiectiones refelluntur 1184
Status hominis ante peccatū partes 347.40. ſtatus quadruplex hominis 685.686. ſtatus politici neceſsitas & commendatio 825.60 ſtatus eccleſiæ firmiſſimus 1124.23 ſtatus triplex eccleſiæ iuſtus, turbatus, & exilium 1136.62
Stipendia paſtorum 169.23
Stipes, in diſputatione de conſanguinitate quid ſit & quotuplex 966.35
Stoici puram de Dei electione doctrinam euertentes refelluntur 550.33
Strumæ Gallicæ curatio qualis, & quid de ea auctor ſentiat 941.17
Studia diuerſa veteris & noui hominis 406.24 ſtudiū paſtoris quale eſſe debeat 107.18 ſtudiū indefeſſum in miniſtris eccleſię requiritur 140.31 in doctrinæ cęleſtis ſtudio ſex requiruntur 1214.24
Subditis an liceat impia decreta armis prohibere 1123.11 ſubditorum officiū erga magiſtratum 481.33.828.1
Subiectio liberorum qualis ſit 497.45
Submiſsio, quid 47.22
Subſiſtentia realis τȢ λόγȢ 1263.12
Subſtantia à qualitate diſtinguenda in diſputatione de bonis operibus 371.22
Summa legis moralis 180.64 ſumma primę & ſecundę tabulę 182.50. ſumma omnium præceptorum legis Dei explicata 857. vſq; ad 913 ſumma ſermonum Chriſti 1516.8
Superbia quid, & eius deteſtatio 316.48 ſuperbi nolunt admoneri 518.68 ſuperbi, an ſint à piis fugiendi 1543.60
Superiorum omnium officium 527.39
Superſtitio cum religione pugnat 301.25 multorum grauium ſcelerum mater 581.16.34 ſuperſtitionis pontificiæ de recitatione & cantu pſalmorum

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

rum origo 97.34 ſuperſtitionum magicarum in papatu refutatio 940.46
Superſtitiones papiſticæ 1292.33 ſuperſtitioſa mortificatio quid 479.1 ſuperſtitioſus vſus imaginum damnatur 185.55
Superiorum officium 189.41
Supplicia impiis diuitibus parata 838.22
Sycophantæ quomodo vincuntur 1226.48
Syllogiſmorũ figuræ 38.21 ſyllogiſmus oratorius quot partib. conſtat 43.68 ſyllogiſmus præpoſterus quid 45.12 ſyllogiſmi implicati 45.40 ſyllogiſmus conſcientiæ 760.30
Symbola externa cœnæ 453.66 ſymbola futuræ reſurrectionis in nouo teſtamento 846.40 ſymbolicus vſus imaginum nõ damnatur 185.68 ſymbolum Apoſtolicũ quid ſit, eius ſumma, partes, & partium explicatio, à pag. 196. vſque ad 223. & 415. 50. 416. 10. 20. & 781. 782. &c.
Symbolum Athanaſianum & Nicenum Chriſti Deitatem & conſubſtantialitatem agnoſcit & veneratur 539.19.51
Symbolum amoris coniugalis 995.60
Synaxis 455.24
Synodi prouinciales & earum vſus 468.32
Syntheſis particularis partes & formæ 16.61
Syntheſis vniuerſalis quid 9.36
Synuſiaſtarum error 804.68.808.17

T

Tabernaculum exterius & interius, typus Chriſti 610.43
Tabernaculum Dei 1125.57
Tabulæ primæ & ſecundæ legis Dei apodixis ex naturæ legibus deſumpta 295.296.297.298
Tacianus, hoſtis coniugij refellitur 952.23
Tactus faſcinans 936.13
Temeritas, miſericordiam Dei profanat 106.4.67
Temperãtię definitio, etymon, laudes, extremę ſeu oppoſita 17.30. & 306.60 307.1.10.20. & 886.887
Templum Dei 1125 60 quibus modis violatur 1127.40 de duplici tẽplo Dei & vtriuſque vſu & abuſu 1578. 10. 20. &c.
Tempus orandi 435.56 tempus aduentus Meſsiæ in carnem indeterminatũ & terminatũ 635.54 tempus nati Meſſiæ 1094 59
Tenacitas quid 302.61
Tentatio ex cogitatione peccatorum & reprobationis imaginatione quomodo tollitur 150. 40. &c. & 151. 10. 20. &c.
Tentatio quid ſit & quotuplex 236.53 tentatio qualis ſit tẽtatio Dei & Diaboli 922.40 tentatio Meſsiæ 1097.10 locus de tentationibus piorum 1403. 1404 locus de Chriſti tentationibus, & cur tentatus eſt 1427.1428
Terrenus homo 406.29
Teſtamentum nouum quid, & cur Cœna eo nomine appelletur 249.27 teſtamentum quid & eius partes 456. 53.64 definitio 457.30. &c. veteris & noui teſtamenti conſideratio, deſcriptiones & termini 815. 816 veteris & noui teſtamenti diſcrimen 817.14 teſtamentum Dei quid & eius cõditio 1051.20 de fœdere ſeu teſtamento locus 1185.1186. &c. teſtamenti veteris nomen & partes 54.64. & 55.1.10.20. noui nomen & partes 55.29. &c. teſtamenti veteris & noui ſacramẽta 447.448 de teſtamẽti veteris & noui diſcrimina quinque 457. 50 teſtamenti veteris & noui collatio quàm ſit vtilis 537.30 teſtamenti noui definitio 709.36 teſtamenti veteris & noui conuenientia & diſcrimen 1186.1187.1188.1189.1190
Teſtes Dei qui ſunt, & cur hoc nomine dicti 137.53
Teſtimonium falſum quot modis committitur 194.33 teſtimonium externum & internum, quod doctrina Eccleſiæ ſit certiſsima Dei veritas 793. 20.796.58. & 442.61 teſtimonia de reſurrectione Chriſti 205.34 teſtimonij externi de doctrina Eccleſiæ ſex partes 144.1. & 591. &c. teſtimonia probantia vnum eſſe Deum 336.62 tres perſonas in Deitate 337.7 Deitatem filij ibid.30 Deitatem ſpiritus S. 338.20 teſtimonia de Dei ꝓprietatibus 342.62 teſtimonia poſitiua & perſonalia de iuſtificatione 372. 10 teſtimonia operũ charitatis 399. 44. teſtimonia de Eccleſia 415.22 teſtimonium internum de veritate cœleſti 594.54 teſtimonia de S. trinitate 679.48 de reſurrectionę corporum 844,845.846 teſtimoniis ſacris quo pacto eſt vtendum 327.49
Theologiæ ſumma 144.62
Theologiæ principia quæ & qualia ſint 324.45
Theologorum præſidia qualia eſſe debeant 57.50
Theſaurus ſcelerum, iræ Dei & pœnarum nos ad amplectendam Dei miſericordiam inuitat 1066.43
Theurgia. vide Magia religioſa.
Timorem Dei deponunt qui Sagarum auxilium implorant 913.67
Thuribulum aureum, typus mediatoris 611.12
Timiditas, quid 305.46
Timor. locus de timore Dei 1072.1073
Timoris Dei quatuor cõditiones 578.68
Tr:ctatio concionum qualis eſſe debeat 62.39
Traditiones, quid 468.60.800.13 earũ diſtinctio 471.60 traditiones humanæ damnantur 658.36 traditiones quid ſint, harum vſus & diſtinctio 1141.56
Tranſitus per mare rubrum quid figurat 612.54 per jordanes quid figurat 613.45 per mare rubrũ eſt, typus baptiſmi 1323.60
Tranſſubſtantiationis commentum refellitur 253.53.801.30. & 1157.55
Trinitas perſonarum in Deitate probatur 852.23 Trinitatis imago prophanum eſt inuentum 186.11 Trinitatis perſonarũ in vnica Deitate teſtimonia 337.7 Trinitatis myſteriũ 621.40.50. &c.
Trinitatis opus 1531.7
Triumphans Eccleſia 414.61
Triumphus Meſsi■ 638. 65. & 1100. 1101.1102
Topica quid 2446
Tuba Dei cur miniſtri verbi appellantur 137.18
Turci vide Mahumetani, Turcæ cur nõ peccant in ſpiritum ſanctum 554.57
Turpis quæſtus quid 302.59 turpis zelus 487.36
Tutorum officium 189.55.529.13
Typicus vſus imaginum confirmatur 185.57
Typi legales quid 599.68. horum diſtinctio, deſcriptio, enumeratio, differentia 600.1.10. typi perpetui, & eorum conſideratio 600. 20 typi hiſtorici, & horum catalogus 601. 602. &c. typi fixi & ordinati, eorúmque conſideratio 609.55 typi legales, ordinarij & hiſtorici, vna cum eorum applicatione ad veritatem 1313.1312.1313. 1314. &c.
Tyranni, hoſtes Eccleſiæ & cauſa externa crucis piorũ 475.57 an & quomodo illis reſiſtere liceat 1222. 51. 1223.1. & 11 quomodo vincantur 1225. 45.
Tyrannis Diaboli nonniſi à natura diuina vinci poteſt 541. 20 tyrannidis definitio 17.22 tyrannidis pontificiæ oppugnatores 461.12

V

Vanitas mũdi à Chriſtianis ſtudioſè fugienda 581.59
Varietas ſpecierum in natura quid nos doceat 344.15
Vbiquitatis commentum refellitur 255. 1. & 629.630.631. & 701 33 veneris prohibitæ genera 890.17
Veniale peccatum 358.52 quid 689.64
Verba & ſigna cur à Deo cõiuncta ſunt 596.30 verbum Dei impuram mentem purgat 97.3 verbum Dei quomodo ſecandum 145.146. &c. verbum accuſans & dãnans, quid, quodnam ſit & de eo teſtimonia 361.20 30.40.50.60 vſus 362.3 verbum Dei regula vitæ & operum faciendorum 394.33 verbũ Dei promiſsionis additum baptiſmo 451.11 verbum homini datũ ante lapſum 686.11 verbũ Dei quomodo ſit Spiritus & litera

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

768.49 quot modis dicitur, & quo ſenſu ad filium Dei transfertur 1261. 55.67. diſcrimen inter internum verbum Dei & hominum 1262. 14. quid ſit 1437. 18 cur piis mentibus eſt neceſſarium 1552.14. eius vſus in quibus conſiſtit 908. 25 eius encomia explicata 1083. 1084. 1085. fructus 1478. 44. vſus 1288.62
Verborum obſcuritas quomodo explicanda 327.4
Verbis magicis nullā vim ineſſe 907.42
Verecundia, quid 307.52
Veritas quid, eius oppoſitū & laus 303. 28. quibus virtutibus comitatur 8961. 1.7. Veritas, legi oppoſita, quid 1310. 69. vmbrarum & veritatis collatio, itē quibus modis ſub lege adumbrata eſt veritas in Chriſto exhibita 1311. 1312. 1313. 1314. veritatis columna & fundamentum cur Eccleſia dicitur 414.25 veritatis euangelij teſtimoniū 640.10 veritatis in Chriſto impletæ & figurarum collatio 1099. 50 veritatis vincentis mendacium inſignis hiſtoria 1227.10
Veſtimentorum conſeruatio quid figurat 613.26
Veſtis nuptialis quid, à quibus geſtatur, & eius certiſsimæ notæ 1627.20. &c.
Veſtiū paſtoris decorū in quibus conſiſtit 123.7. veſtium vſus duplex 123.50
Veſtitus, ſymbolum peccati & gratiæ 121.65
Vetus homo quid 405.52 eius corpus, membra, facultates animæ, vires corporis, effecta ſeu opera & fructus 763. 764.765
Vetus teſtamētum quid 457.29.816.45
Via, quid: via hominis, iuſtorum, peccatorum, domini 1040.1041. via ad beatitudinem 1205. 1206. 1207. quid ſit parare viam domino 1362.52
Victima Eccleſiæ 635.1
Victus paſtoribus debetur 169.7
Vinculū cōiugij eſt inſolubile 994.40
Vindicatio quid 302.18
Vindicta quadruplex 381.882 vindicta publica & priuata quid 485.23.42 de vindicta licita & illicita 830.56
Vinum Cœnæ quo ſenſu vocatur ſanguis Chriſti 810.60
Violentia, iuſta diuortij cauſa 1015.60
Vires quomodo complectuntur Deum 183.66
Virga Aaron, typus reſurrectionis Chriſti 611.53
Virgo. cur Chriſtus natus eſt ex virgine 422.64
Virginē à ſe ſtupratā qui recuſat vxorē ducere quomodo tractandus 1020.56
Virginitatis conſideratio 887.5
Virtus diuinationis à quo pēdeat 1288. 5. virtutis ad Herculem oratio 279.15 virtutis definitio 298. 68 oppoſitum, commendatio & partes 299.3.10.19
Virtutes piorum regū 3.4.5.6 virtutes quæ in politiis conſeruandis requiruntur 292.8 virtutes, quæ ad Spiritualē vitam conſeruandam requiruntur 294. 15 virtutum catalogus, definitiones & explicationes methodicę ad naturæ legē reductę 298.60.299. 300.301..302.&c.
Viſitationis parochiarum quinque capita 168.48
Viſus pericula 100.68. remedia 101.13
Vita priuata paſtoris Eccleſiæ qualis eſſe debeat 95.35.&c. vita triplex; naturę, gratię & gloriæ 433.19 vita noſtra in terris quid 572.20 vita æterna, gratuitum Dei donum, cur bene operātibus promittitur 849.6. locus de maturanda vitę emendatione 1274.1275 vita Chriſti in nobis, & quotuplex quid 1299.36 vita naturæ, peccati, æterna 1445.28 vitæ genera quatuor 220.22 vitæ æternæ definitio 221.16 vitæ genus duplex, & quid inde oriatur 290.54 vitæ humanæ peſtes 319. 40 vitæ terminus incertus quid nos doceat 575 69 & 1065.59 vitæ faſtus quid 899 11 vitæ huius commoda, quo modo à fidelibus intuētur 1037. 51. vitæ genus Meſsiæ 1096 50
Vitium quid 299.3
Viuificatio ſine viuificatione per Chriſtum bona opera fieri nequeunt 395. 3 viuificatio pars poſterior regenerationis 766.11. viuificatio quid ſit, eius diſtinctio & gradus 1299.18. 42
Vnctio Papiſtica refellitur 667.43
Vnctionum analogia 599.54
Vnio perſonalis in Chriſto quid ſit 627 21.& 705. 55. vnionis hypoſtaticæ rationes tres 699. 12 vnionis noſtrę cū Chriſto fructus 809.9
Vnitas Eccleſiæ quid 414.66.1124.12
Vnitas eſſentiæ diuinæ probatur 852.23 vnitatis Dei teſtimonia 336.62
Vocatio communis & perſonalis Chriſtianorum, quid ſit, & quid requirat 400.3.7.35. 40. eius teſtimonia 401. 9. vocatio electorum quas habet circunſtantias 401. 4 vocatio gentium prophetiis confirmata 642.32 vocatio communis, particularis definitio, partes, & vocationum regulæ 750. 20. 30. 40 50 vocatio legitima quid 892.65. vocationum difficultas vnde 476. 69 vocatio duplex 1266. 60.& 1665.20 quæ ſunt in quaque vocatione ſpectanda 1376. vocatio gentium 1492.34
Vocationis noſtræ partes 563.45 vocationis difficultas quātū pios exerceat 824.52 vocationis ſacrificiū 1202.58
Vocum conſideratio 284.19
Voluntaria peccata quæ 359.56
Voluntas quid & quotuplex 107.3. volūtas quomodo cōplectitur Deū 183. 62 voluntas Dei quomodo fit 231.1. 10.&c.& 439. 61 volūtas, quid ſit 350 64 voluntas libera, ſerua, coacta, ſpōtanea 353.38.40.50.54 voluntas Dei verbo & ſignis patefacta 564.4. quomodo conſideratur 684. 15 voluntas quomodo ſe habeat in conuerſione 732. 50 voluntas perſonæ poſt regenerationem 1248.62 quomodo Deus ſoleat inſtituere hominem de ſua voluntate 1380. 47 voluntatis, ſeu appetitus rationis, cōſideratio & gradus 285.35.45 volūtates cōtradictoriæ non ſunt in Deo 774. 41. voluntatis Dei diſtinctio 775.8
Voluptatis ad Herculem oratio 278.62
Volūtas quibus modis retunditur 103.5
Voluptates vide intemperantia.
Voluptatum corporalium tres differentiæ 277.41
Vrna aurea continens manná, typus Chriſti 611.36
Votum, quid ſit, & quotuplex, cui fit, à quibus, de qua re, quo animo 401.20. 30.40.50.60.& 751.752.9753 votum ſpeciale ſeu priuatum quibus conſtare debet partibus 753.5. votorum Papiſticorum errores 752.10 votum Papiſticum impium refellitur 695.51 & 958.4
Vox faſcinans 935.64
Vſura quid, eius nomina, an licita 488. 10.20.30. de eo qui vſurā ſoluit quid ſentiendum 489. 1 vſuræ limites à magiſtratu quomodo conſtituendi 483.46.484.1 vſurariorum ſubterfugia refutantur 488.38
Vſus imaginum triplex 185.54. vſus rectus teſtimoniorū ſcripturæ 327.49. vſus cognitionis de Deo 343.15 vſus legis triplex 377. 67. & 527. 23. 31. & 721.32.& 1557.47 vſus præceptorum decalogi 184 vſque ad 196. & 859. vſque ad 913 382.67.386. 51. vſus fidei reſurrectionis in vltimo die 432.60 vſus legitimus diuitiarum qualis eſſe debeat 498.52 & 1534.1535.& 1574 3 vſus ſacrificiorum legalium 597.42 vſus ſacramentorum 598.55 vſus omnium quæ de Meſsia dicuntur 643. 644.645.646.647.648.649 vſus doctrinæ prædeſtinationis & electionis æternæ 776.61 vſus baptiſmi 806. 40 vſus legitimus S. cœnæ 811.48 vſus prouidentiæ Dei 683.65 vſus quintuplex miſericordiæ diuinæ 1058. 20. 30. vſus triplex ſacrificij Chriſti 1195 1196 1197 vſus Legis ante & poſt iuſtificationem 1239.1240 vſus verbi Dei 1288.62
Vxor qualis ducenda parocho 110.1 vxor à marito homicida relicta quid facere debet 1024.3 vxoris inſtructio qualis & à quo fieri debeat 112. 53 vxoris officium erga maritum, eius ornatus triplex 832.53 induſtria 833.7 vxori à marito facinoroſo deſertæ an liceat ad aliud coniugium trāſire 1021 vxorē abſentis, poſtea relictā, an poſsit ſibi vxorē ducere ib.10

Z

Zelus quid 485.63 tria in eo cōcurrunt, eius definitio & diuiſio multiplex 486.10.20.30.&c
Zelus, quid 884.65
Zoroaſtres, magicæ artis inuĕtor 905.56

QVIN-

QVINTVS ET POSTREMVS INDEX TRIPARTITVS,

Continens 1. Quæſtiones: 2. Regulas: 3. Similitudines: ex D. Hemmingij opuſculis collectas.

Numerus prior columnam, poſterior verò lineam demonſtrat.

QVAESTIONES.

Quæſtio an paſtori liceat deſerere gregem 141. 67 de poteſtate paſtoris in eccleſiā 167.10. de ſtipendijs miniſtrorum Eccleſiæ 169.20.30 quomodo ſecundum præceptum dicatur ſimile priori 182.60 de imaginibus ſeu idolis 185.51 de feſtis Chriſtianorum 188.3 de mendacio 195.11 quo ſenſu præcipitur vt petamus ſine hæſitatione: cum multa poſtulemus cum conditione, & ita videamur non certo perſuaſi quod petita accepturi ſimus 224.61 quomodo petit panem qui habet 233.44 an liceat à proximis debitum exigere, aut delinquentes impunitos dimittere, quum remittere debita iubeamur 235.55 an Sacramenta noui teſtamenti conferant gratiam 242.64 an concluſiones petitæ ex legis naturæ principijs ſunt neceſſariæ & immotæ, nec ne 312. 38.313.32 de rebus liberis 313.51 cur plures peccent in conſcientiam 317. 17 an homo poſt lapſum à ſuo primo ſtatu habeat liberum arbitrium nec ne 351.68 an quiſque poßit ſatisfacere legi Dei 377.6 an & quatenus lex ſit abrogata 378. 28 de imaginib. & earū vſu aut abuſu 383.384. 385 de termino vitæ cuiuſlibet hominis 387.56 an omnes Chriſtiani ſint ſacerdotes 420.35 de deſcenſu Chriſti ad inferos 426.51 de legum ciuilium rigore & æquitate 482.52 de poteſtate magiſtratus 483.13 an accuſare quenquam ob factam iniuriam nobis non liceat 484.47 an litigare nobis liceat 484.67 an coniugium omnib. liceat, & de gradibus conſanguinitatis 494.39.60 de Chriſto, cuius ſit filius 534.22 cur tot Sacrificia inſtituta ſunt ſub lege, quum vnū Chriſti ſacrificiū ſignificarent 597.32 quæ ſint conſideranda in tractatione de cōmunicatione ꝓprietatū 630.1.10.20. 30.40. &c. quo ſenſu caro Chriſti dicitur deificata 631.35. & viuifica 632.22 an & quo ſenſu caro Chriſti dicatur deificata 703.60. & viuifica. 704.50 de poßibilitate & impoßibilitate legis 735.15 an vouendum ſit pro arbitrio, & votum inconſideratè factum reddendum, quòd dictum ſit, vouete & reddite 754.44 an orandum ſit pro inimicis priuatis, & pro hoſtibus reipublicæ 788.6 cur non adhuc eduntur miracula 796. 3 de auctoritate S. Patrum 747.10 cur duplex teſtamentum Scriptura conſtituat, quum vna & eadem ſit ratio conſequendæ ſalutis, & per conſequens vnicum perpetuumque Dei Teſtamentum 815. 816 cur Deus non ſemper ſinat vt votis noſtris omnia reſpondeant 839.21 an bona opera merentur vitam æternam, vt mala condemnationem 848.64 cur vita æterna bene operantibus promittitur, quum ſit gratuitum Dei donum 849.6 cur in iudicio vltimo Chriſtus mentionem facturus eſt ſolius dilectionis teſtatæ erga proximum 849. 50 an qui in mortis articulo conuertuntur gratiā à Deo ſunt impetraturi 850. 11 quomodo lex ſancta eſt & miniſterium mortis 854.50. quomodo eſt pædagogus ad Chriſtum 855. 10. quare Deus requiret à nobis id quod præſtare non poſſumus 858.53 de iuramēto Dauidis, Saulis, Herodis 866 20 an magi aliquid efficere poßint Diaboli auxilio & opera 907. 10. an maleficia maleficijs depellere liceat 909. 40 an & quatenus parendum ſit legibus iniquis 911. 5 an excuſabiles ſint qui maleficorum opem in morbis implorant, nec ne 911.60 an liceat diaboli opera vti, quum hominis impij & apoſtatæ auxilio aliquoties vtamur 916.16 an excuſentur ij qui ad maleficos confugiunt, eo quod Deus eſt efficax in dæmonum remedijs 916.47 an imperfectio humana ſcelerum grauitatem eleuet 917.9 cur Deus permittit mala fieri quæ poteſt impedire 918.40 an diaboli futura verè præſciant nec ne 923 68 de ſignis ſuperſtitioſis 932.16 de transformatione ſagarum 934.30 de incantationibus ſerpentium 938.68 an Abel & Ioannes Baptiſta citra culpā mortui ſint 942.19 de coniugio eius qui patrui ſui filiam ducit 982.24 an liceat ſubditis impia decreta armis prohibere 1123. 11 an ſacrificia Iudæorum perpetua eſſe debeāt, eo quod ab immutabili Deo inſtituta ſint 1147.23. an Chriſtus obediens fuerit vſque ad mortem, qui paulò ante ſupplicium crucis, petijt vt tranſiret à ſe calix iſte 1175.35 Quo ſenſu dicitur, Totus Chriſtus paſſus eſt 1177.60 & quomodo pretiū mortis eius eſt infinitum 1178. An vnius an vtriuſque naturæ reſpectu Chriſtus ſit noſter mediator 1183.40 Cur duplicis fœderis meminit Scriptura, cum ſit vnicum & æternum Dei pactum cū electis in Chriſto 1187.25 An ſit diſcrimen aliquod inter nouum teſtamentum & Euangelium 1188 69 An & quomodo lex ſit abrogata 1181.57 an luctus & mæror piorum priuet eos gaudio & vera beatitudine 1205.12 An ſine culpa homines affligantur à Deo 1219 33 cur Deus ſinit Suos à Satana & ab antichriſt. cruciari 1220 58. An liceat cuiquam opponere ſe tyrannis defendentibus idola 1222 51 quid faciendū eſt verbi miniſtris ſub perſecutione 1226.27.41 quare potentes & ſapientes mundi huius non animaduertunt in nouißima ſua 1231.60 quare Scriptura præmium proponat operibus ex fide profectis 1234.30 quare poſt peccatum homines naturali luce non percipiunt lucem 1265 60 cur Deus efficaciā erroris permittit Satanæ 1289.12 quo ſenſu Chriſtianorum liberi appellantur ſancti 1294. 15 de animæ traduce 1295.1296 &c. An ſancti ſint perfecti in hac vita 1300 28 cur filius Dei carnem noſtram aſſumpſit 1305.60 de miraculis 1399.1.10.20.30 de fide aliena 1402 15 quomodo fieri poteſt vt vnius Chriſti mors ſit ſatisfactoria pro totius mundi peccatis 1466.25 num fuga corporalis ſemper ſit licita 1492.15 An liceat cum peccatoribus verſari 1543.34 an ob illatam nobis iniuriam proximos in ius trahere liceat 1549.6 de fide implicita & intentione 1566.50 de propriæ & alienæ fidei efficacia 1585.38 cur aliquando nobis neceſſaria deſunt 1604.27 de delictis & criminib. & eorū ſatisfactione Eccleſiaſtica 160. 40.50.60 de bonis operibus 394.395.396.397 de votis 401.40 de conſcientia 405.23 de oratione 437. 1.10.20. &c. de cauſis diuortij, & nouis nuptijs à pag. 1008. vſque ad 1027.

Quæſtiones variæ de nuptijs 1393.1394

REGVLAE.

Regulæ, in dignoſcendis authorum methodis obſeruandæ 15.2.16.35 de diuiſionibus 19.70 de analyſi particulari 21.47 de argumentis 24. 53 de habitudine locorum ad ſe inuicem 33.8.

Regulæ in tractatione locorum communium obſeruandæ 74. 6. &c. de vſu diuitiarum 116. 43 & 835.43 de conſultationibus Eccleſiaſticis 133. 48 de legitima ratione excommunicationis 161. 50 pro presbyterio Eccleſiaſtico 162.62.

Regulæ eleemoſynarum 165.52 de lectione ſcripturæ 326. 44 de legibus 330.50 de ſpeciali prouidentia Dei 345.39 de libero arbitrio 352.5

Regulæ ex quibus depromuntur ſolutiones obiectionum contra verā iuſtificationis doctrinam 370.37

Regulæ in quartum præceptum legis 388.62 de cultu Dei 391.11. & 579.70. & 739.740.7

Regulæ operum charitatis 399.36. & 749.59 actionum noſtrarum in vocatione 400.51 conſcientiæ 403.30 de prædeſtinatione 408.48 de modo baptiſmi 453.12 de diſciplina eccleſiaſtica 465.48 de caſtigatione peccatorum in multitudinem graſſantium & de paucorum flagitiis 466.42 52 de cleri diſciplina 468.13 de rebus adiaphoris 472. 20 &c & 814.65 de ſcandalis 473 25 de rigore & æquitate legis 483.8 de contractibus 487. 46 de vſuris 488.46 de dilectione 522.56 de rebus à Deo petendis 583.49 de operibus Dei 600.20 de promißionibus diuinis 616.55 de proprietatum communicatione in vtraque Chriſti natura 630.6.13. &c. de Dei prouidentia 684. 44 de ſignis minantibus 711.44 de vocationibus 750 48 de votis impiis ſuperſtitioſis & vanis 754.5 de voto ſpeciali 754 61 de conſcientia 761.1 de ſenſu Scripturæ 767.50 de allegoriis 767.66 de ſacramentis 811.48 de modo percipiendarum promißionum ſalutis 807. 64 de iuramentis malè ordinatis 865.47 de ſomniis diabolicis 927.65. & 928.53 de peccatis publicè notis aut non 944.33 de iudicio graduum affinitatis 988.10 de conditionibus conſenſus in matrimonio contrahendo 991 992 de anathemate 1141.10 de interpretatione ſcripturæ 1143. 25 de Dei iuſtitia 1174 57 de nominibus officij Chriſti 1183.49 de effectibus 1245.55 de fide & operibus 1246.50 de operibus 1251.60.1252 48 de amore proximi 1560.6.35 de allegoriis 1560.54.

Regulæ iuſtitiæ Chriſtianæ 1582.16.

SIMILITVDINES.

Ciuitas ſine lege & corpus ſine anima 482.16
Commentaria & ſtatuæ mercuriales 61.50
Concionator pius & medicus 85.56
Conſuetudo peccandi & cancer 1274.46
Conuerſionis retardatio & medicinæ contemptus 1274.41
Crux & pharmacum 477.53
Crux & lignum in aquas in Moſe coniectū 1219.52
Crux & ignis 1219 30
Crux & myrrha 824.47.1219 50
Dei ſapiens omnipotentia in reſurrectione, & prudens pater familias 847 32
Doctrinæ applicatio & medicamenti vſus 147 7
Dona Dei & ignis 106 29
Eccleſia & Halcyon 1674.15
Hypocritæ & pauper ſuperbus 532.62
Hypocritæ & phrenetici 644.18
Intemperantia & hydropiſis 307 37
Magiſtratus & Nauclerus 1.2
Magiſtratus & anima in corpore 265.29
Mens humana, & paſſerculus 102.14
Mens in corpore, & lex in ciuitate 265.17
Methodus compoſitiua & pictor 9.46
Methodus, & iter certißimum 53 22
Miniſter Eccleſiæ & medicus 578.46
Miniſter Euangelij & legatus 167.40. & medicus 175.22
Miniſtri verbi & vigiles in excubiis 137. 8
Miniſtri verbi & piſcatores 139.15
Miniſtri verbi & agricolæ 139 40
Miniſtri verbi & paſtores 143.6
Miniſtri verbi & chirurgi 145 65
Miniſtri eccleſiæ mercenarij & fabri arcæ 1215. 23. 1269 30
Miſſa pontifica, & meretrix 1153.20
Odium proximi, & inſania 573 62
Peccator & leproſus 1047 9
Peccatum originis & lepra 357.61
Peccatum & radix 1274.36
Perſeuerantia in malo & cancer morbus 577.25
Pij & oues 139.67
Pij perſecutionem patientes & Agricolæ 649.35
Promißio gratiæ & pharmacum ab ægroto hauſtum 1235.10
Reſpublica & nauis 287.47
Reſpublica & domus 480.46
Scandalum datum & ſaxum è rupe cadens 473. 94. 821.38
Seueritas lenis & medicina 135.39.
Societas humana & corpus humanum 880.42
Verbum Dei & lux Solis 899.35
Vir pius & vnguentum pretioſum 1679.5
Vita & hamus 103.21
Vita & nauigatio 152 60
Vita & peregrinatio 1127 52
Voluntatis noſtræ inbecillitas, & auicula pede alligata 353. 21
Voluptas & eſca hamum cooperiens 103 22

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3

Early European Books, Copyright © 2010 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 857 2° copy 3